Zur
R. Stift. Irrseischen
Biblioteck.
Const.
Compact.

2° Th S
216
-1-

DOGMATUM
THEOLOGICORUM
TOMI TRES.

I. De Incarnatione Verbi,
II. De Deo, & Dei Proprietatibus,
III. De Deo, & Christo residuos Tractatus complectens.

DOGMATUM THEOLOGICORUM DE INCARNATIONE VERBI DEI.

TOMUS PRIMUS.

AUTHORE
LUDOVICO THOMASSINO
Congregationis Oratorii Presbytero.

EDITIO VENETA, CUI ACCEDUNT in calce Tomi Tertii DISSERTATIONES IN CONCILIA *tum Generalia, tum Particularia ejusdem Authoris.*

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG



VENETIIS, MDCCXXX.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

PRÆFATIO.

I. Dux & primus sive author sive restaurator patritiæ hujus Theologiæ Dionysius Petavius. II. Quanti intersit vel ad ejus gloriam, ut instituti sui æmulos & imitatores habeat. III. Distributio hujus operis in tres tomos. Cur prior hic prodeat in lucem. IV. Quatenus concordiam inter varias Patrum sententias constituere potuerimus. V. Totum hoc quidquid est operis, censuræ Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ subjicitur. VI. Pernumerantur deinceps Hæreses, quibus oppugnata est Verbi incarnatio. Triplex primùm hæreticorum genus distinguitur; ex authoribus Judæis, Græcis, Christianis. VII. Has omnes hæreses uno complexus est loco Leo Magnus. VIII. Judaicæ hæreses. IX. Græcæ hæreses. X. A Christianis profectæ hæreses. XI. De nonnullis Patrum operibus cautio. XII. De nonnullis Scriptoribus qui hìc laudantur.

I. MAgnum primus omnium & longè pulcherrimum opus aggressus est Dionysius Petavius, præstantissimæ & eruditissimæ Societatis Jesu lumen incomparabile, priscam illam & patritiam Ecclesiæ Theologiam mandare literis, & in paucos *Theologicorum dogmatum* Tomos congerere totam sanctorum Patrum atque Generalium Synodorum opulentiam. Tantæ molis operi excogitando, adoriundo, perpoliendo, profligando unus par erat Petavius, eruditorum, non sui tantùm ævi, sed plurium retro sæculorum facilè Princeps, & tum humanas, tum sacras disciplinas omnes immensa quadam ingenii vi ita complexus, ut non facilè quisquam harum tam prolixè hauriat singulas, quàm ille exhausit universas.

II. Virum clarissimum & sine exemplo maximum, qui magnitudine & fulgore splendidissimarum omnis generis lucubrationum adhærescentem semper summis oppressit tandem invidiam, desponsæ justæque pars aliqua gloriæ destitueret, si tam nemo illum imitaretur, quàm neminem ille habuit, quem imitari posset. Maximum hoc in illo fuerit, quod cujus operis primus author extitit, in eo sit & perfectissimus. Verùm de laude ejus decerpetur non modicum, si æmulos & imitatores studiorum suorum nullos habeat, si neminem acuere, neminem suo exemplo accendere potuerit, qui quem desperet assequi, non saltem audeat sequi. Ejus, ut ego arbitror, nostraque pariter interest, ut exemplo & imitatione Petavii inflammentur Theologi, invadantque & ipsi in eandem arcem germanæ Theologiæ, in Sanctorum Patrum Commentarios, in Conciliorum sacra monumenta, in penitissima Scripturarum adyta; his opibus ditescere, his luminibus clarescere, his discipulos lectoresque ditare, his illuminare, his Ecclesiam Catholicam ornare, atque munire præsidiis audeant. Hæc quanta quanta erit gloriæ seges, in Petavium redundabit, qui hos primus fontes aperuit, qui viam stravit, qui ducem se & moderatorem exhibuit. Si Theologicam porro Scholam Dialecticæ spinetis implicatam, duce & auspice S. Thoma Aquinate, tot deinceps auditoribus, tot Scriptoribus celebrari in ingens Ecclesiæ cessit ceditque etiamnum decus & munimentum: quid hanc ab illis explicatam dumetis, & tota cælestium dogmatum suavitate perfusam, majestate radiantem, præsultore Petavio frequentari Theologiam, quantam id in Christianæ pietatis voluptatem, laudem, & utilitatem verteretur?

III. Itaque ne ipsam quidem nos instituti operis partitionem nisi à sanctis Patribus mendicabimus, qui hanc propriè Theologiam dixere, quæ de Deo Deique attributis & proprietatibus disserit: illamque discrevere ab ea quæ de Oeconomia, hoc est, de Incarnatione Verbi disceptat. Basilius, *Ne in Theologiam intenti, Oeconomiam contemnamus*, τῇ θεολογίᾳ προσέχοντες, τῆς οἰκονομίας καταφρονῶμεν. Et Cyrillus Alexandrinus, *Transit Joannes à mera Theolo-* Epist. 141. In Joann. pag. 99.

gia ad explicandam œconomiam Incarnationis, ἐξ ἀκράτου θεολογίας εἰς ἐξήγησιν οἰκονομίας τῆς μετὰ σαρκώσεως. Cod. 228. Denique Ephræmius Antiochenus Patriarcha apud Photium, *Non oportere, quæ de Theologia Patres nostri dixere, cum iis conferre quæ de Incarnatione dixit Leo Romanus Præsul*, ἃ περὶ θεολογίας τοῖς περὶ οἰκονομίας. His convenienter bipertitum faciemus totum hoc opus, & hoc quidem tomo qui nunc prior prodit, complectemur, τὰ τῆς οἰκονομίας, quæ ad verbi Incarnationem spectant: altero autem, τὰ τῆς θεολογίας, quæ ad Deum pertinent, Deique proprietates: ut Patrum sententiæ omnia concinant: in tertium denique tomum conjicientur τὰ παραλειπόμενα, qui primi ac secundi Tomi accessio, & veluti supplementum sit, reliquasque contineat Theologicas Tractationes, quæ prioribus Tomis includi non potuerint. Ut autem prior nunc prodiret Tomus de Incarnatione, qui secundo tantùm loco exire debuerat, id causæ fuit, quòd quamquam posterior inchoatus sit, prior tamen ad exitum sit perductus, & viginti jam amplius annis inter alias schedas delitescens, periculum esset ne in arca aliquando tandem computresceret, aut tineis epulum daret. Emerget aliquando si Deus dederit, & suum locum recipiet Tomus alter de Theologia, sive de Deo, cui & aliquantò prolixiorem de tota ratione Theologiæ præfationem adornabimus.

IV. Unum id restat nunc universim præfandum; quamquam plurimum operæ studiique in eo posuerimus, ut priscorum Theologorum sententias ad concordiam adduceremus: non posse tamen non aliquando aliquid dissonare inter illas in rebus certè leviusculis, & quæ ad dogmatis substantiam nihil pertineant. Cum ergo fixum id nobis statumque fuerit, ad eorum nosmet ingenium & sententias frangere, & quo ducunt cumque, faciles & pronos sequi: contigit etiam forsitan, ut aliquando & ipsi nos à nobis dissentiremus. Verbi gratia, Antiquorum scriptorum aliqui totum hominem animam dixere, cujus accessio corpus sit; alii animam partem potius hominis interpretati sunt, totum autem hominem ex anima & corpore compaginarunt. Si nunc his, nunc illis assentiri videmur, prout horum, vel illorum verba & sententias ponderamus, clementer habenda indulgenda ut reor hæc alternatio est, in re videlicet nullius, aut parvi certè momenti; cum multò pluris interfit ad rem Theologicam promovendam & illuminandam, Patrum verba & placita non captiva in nostram sententiam trahere; sed qua præeunt, sequi; & fluctuare cum illis interdum potius, quàm temerè quidquam diffinire, & incerta pro certis venditare.

V. Speciali autem huic tomo de Incarnatione præstrui non aliud nobis visum est oportere, quàm brevissimum de illis hæresibus tractatum, quæ ab ipsis jam inde Ecclesiæ incunabulis hanc fidei & veritatis Catholicæ partem lacessiverunt. Ad hoc ergo pergimus, id ante contestati, si quid nobis imprudentibus exciderit, quod Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ fidei adversum sit, id jam nunc à nobis in antecessum revocari, recantari & pro indicto haberi.

VI. Omnes propemodùm Incarnati Verbi Sacramento adversas hæreses uno complexus est, uno detestatus est loco Leo Papa. Verba ejus ipsa repræsentabo, postquam obiter monuero, tres admodum in classes digeri posse eas omnes, sive authores spectentur, sive errores. Authores enim eorum primùm Judæi, deinde Græci, denique Christiani. Ut in Ecclesiam primùm è Synagoga Judæi conscripti fuerant, ita ex Judaicis primùm præjudiciis enati errores Catholicam veritatem oppugnarunt. Adglutinarunt se postea Græci Christianis partibus, & Philosophicis argutiis convellere moliti sunt ex iis nonnulli Christianæ fidei fundamenta. Denique cum Evangelicæ veritatis majestas & Judaicam jam dissipasset superstitionem, & Græcorum astutiam ac supercilium contrivisset, eruperunt ex ipso Christianæ Ecclesiæ sinu degeneres filii, qui obtritas dudum hæreses excitare, ac priscas Catholicorum Patrum victorias obscurare tentarent. Primo & altero, quin & tertio adolescentis Ecclesiæ sæculo Judaicæ maximè serpserunt hæreses. Græcas ac Philosophicas tertio, & quarto potissimum insaniisse certum est. Quinto denique ac sexto ac sequentibus sæculis adversus Christianæ fidei sinceritatem adulterinis Patrum Scripturarumque interpretationibus pugnatum est. Jam si non authores tantùm, sed errores ipsi pensentur, non minùs dilucidè patebit, trifariam quoque certatum esse adversus divinæ Incarnationis integritatem. Cum enim divinæ humanæque in unam personam ineffabili conjugatione constet ea, qua de agimus, verbi Incarnatio; alii divinam, alii humanam aut extenuare, aut truncare, aut omnino pernegare naturam adgressi sunt; alii denique naturæ utriusque veritati subscripserunt illi quidem, sed copulationem nonnisi adumbratam & accidentariam, non substantivam & hypostaticam prædicarunt. Denique si errores authoresque errorum invicem componas, illud ferè liquebit, Judæos, Græcosque in id propensos magis fuisse, ut vel homini Deitatem, vel humanitatem Deo abrogarent; Christianos autem à vero deviantes, de Deo atque de homine minimùm dubitasse, circa Dei hominisque conjunctionem caligasse, cum Christum aut in duas discerpunt personas, aut in unam naturam coartant.

VII. Tria hæc errandi divortia, & multiplices singulorum deinde errorum flexus indicavit Leo Papa uno hoc contextu, quem ideo paulò prolixiùs hic ascribi necesse fuit. Leo serm. 8. de Nativ. Dom. Neminem penè deviasse cognoscimus, nisi qui duarum in Christo naturarum veritatem sub unius personæ confessione non credidit. Alii enim Domino solam humanitatem,
" alii solam adscripsere veritatem. Alii veram quidem in ipso Divinitatem, sed carnem dixerunt
" fuisse simulatam. Alii professi sunt veram eum suscepisse carnem, sed Dei Patris non
" habuisse naturam: & Deitati ejus quæ erant humanæ substantiæ deputantes, majorem si-
" bi Deum minoremque finxerunt, cum gradus in vera Divinitate esse non possit. Quo-
" niam

niam quidquid Deo minus est, Deus non est. Alii cognoscentes Patris & Filii nullam esse " distantiam, quia non poterant unitatem Deitatis intelligere, nisi in unitate personæ, eun- " dem asseruerunt esse Patrem, quem Filium, & nasci & nutriri, pati & mori, sepeliri & " resurgere, ad eundem pertinere, qui per omnia & hominis personam impleret & Verbi. " Quidam putaverunt Dominum Jesum Christum non nostræ substantiæ corpus habuisse, sed " ab elementis superioribus, ac subtilioribus sumptum. Quidam autem æstimaverunt in " carne Christi humanam animam non habitasse, nec fuisse: sed partes animæ ipsam im- " plesse Deitatem. Quorumdam imprudentia in hoc transiit, ut animam quidem fuisse in " Domino faterentur: sed eandem dicerent mente caruisse, quia sufficeret homini sua " Deitas ad omnia rationis officia. Postremò iidem asserere præsumpserunt, partem quan- " dam Verbi in carnem fuisse conversam, ut in unius dogmatis varietate multiplici, non " carnis tantùm animæque natura, sed etiam ipsius Verbi solveretur essentia & cæt. Ne- " storius B. Mariam virginem tantummodo ausus est hominis prædicare genitricem, ut " in conceptu ejus & partu, nulla Verbi & carnis facta unitio crederetur. Eutyches uni- " tionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsa unitione id dixit " effectum, ut ex duabus una remaneret, nullatenus alterius existente substantia. "

Nullæ ante Leonis Magni ætatem hæreses, nullæ posteà circa Incarnati Verbi Sacramentum enatæ sunt, quæ non ad harum aliquam revocari, & ad illa summa quasi fastigia religari possint, quæ paulò antè indigitavimus.

VIII. Primæ Judaicis ex fontibus manarunt hæreses adversus Christi Deitatem. Carpocras, Cerinthus, Simon-Magus, Ebion, ex vulgato Judæorum præjudicio, quòd Christus merus homo futurus esset, Christi divinitatem Judæi ipsi abnegarunt. Elxai, à quo Helcesæi, Theodotus Coriarius, Symmachus, Græcæ Bibliorum editionis author, Beryllus Bostræ in Arabia Episcopus, eodem implicati sunt errore. Itaque horum alii Christum Jesum ex Josephi & Mariæ conjugio procreatum, in eumque baptismi tempore descendisse Spiritum sanctum, ita Christum factum esse, mortis tempore avolasse Christum, Jesum obiisse ac resurrexisse: alii de Virgine & Spiritu sancto natum, non tamen ante Mariam extitisse affirmabant, nec nisi adumbrata quadam Deitatis luce ac gloria perfusum. His accensendus Artemon, ac Theodotus alter Trapezita dictus, & Coriarii discipulus, author Melchisedecianorum, quòd Melchisedeco Christum inferiorem, simplicemque hominem diceret. Annumerandus & his Paulus patria Samosatenus, Antiochenæ urbis Episcopus, qui ut gratiam iniret à Zenobia Palmyrenorum Regina, Judæorum Religioni mancipata, in eandem Judaicam impiamve sententiam se dejecit de Christo mero homine, suisque meritis assecuto quandam divinæ perfusionem Sapientiæ, & Verbi, cui ipsi distinctam à Patre personam negabat. Gemina in eum Antiochiæ coaluit Synodus; priorem ille, arte & simulatione sua delusit, à posteriori sede dejectus; qua cùm cedere detrectaret, implorata ab Episcopis Aureliani Imperatoris authoritate, vi ejectus est.

(Margin: Carpocras, Cerinthus, Ebion. Elxai, Theodotus, Symmachus, Beryllus. Artemon, Theodotus alter. Paulus Samosat.)

Judaicarum adversus orthodoxam fidem sectarum pars altera, non in Deitatem, sed in humanam Christi naturam aciem instruxit. Hi Phantasiastæ dicti, quòd specie & ludibrio, non re & substantia jactarent Deum humanatum esse. Horum agmen duxit Simon-Magus, ejusque gemella proles Saturninus & Basilides; tum Cerdo, & Marcion, uterque Romam frustra profecti, uterque ab Hygino Papa ejecti: sive ab Eleuthero. Horum vestigiis insistere visus est Manes, seu Manichæus, itemque Apelles & Priscillianus. Phantasticam hi omnes ac simulatam Christi carnem, non veram, nec nostri generis commenti sunt. Apelles enim Marcionis discipulus, etsi veram Christo carnem tribuit, non tamen materna ex alvo, vel substantia genitam, sed ex elementis quatuor, ab ipsomet Dei Verbo coagmentatam. Monstri simile est quòd Ophitæ Christum in Serpente qui Evam decepit colerent. Inde Ophitarum nomen. Ab his non multum abludebant Sethiani. Sileo complures istiusmodi pestes, non tanti nominis, paris dementiæ. Apud Epiphanium, Theodoretum, Augustinum, Philastrium aliosque qui de Hæresibus scripsere, item apud Eusebium, Irenæum aliosque ejus ævi Patres, eorum nomina errorumque portenta prolixè juxta, atque accuratè descripta sunt, à quibus & hæc hausimus.

(Margin: Φαντασιασαὶ, Δοκηταί. Simon-Magus, Saturninus, Basilides, Cerdo, Marcion, Manichæus, Apelles, Priscillianus. Ophitæ, Sethiani.)

IX. Ad Græcas nunc pergo hæreses, & à Valentino exordium duco, qui ex Hesiodi Theogonia triginta Æonum, quasi totidem Deorum colluviem in Ecclesiam invexit. Eorum unus Unigenitus, Christi & Spiritus sancti procreator. Jesus autem ab omnibus simul Æonibus, quasi defloratione quadam constructus est, ut verbis utar Tertulliani: ideoque non ex Mariæ quidquam substantia decerpsit, sed è cœlo sibi corpus advexit, virgineo utero tamquam canali usus. Fanatici hominis ineptas has fabulas operosè confutarunt Irenæus, Epiphanius & Tertullianus. Contrariam in partem deflexit, nec minùs à vero aberravit Sabellius, tres unius Deitatis hypostases in unam conflans personam, vel unam potius Patris personam censens, cui duas reliquas, tanquam prolatitias efficientias ac temporarias operationes subjungebat. Hinc nimirum id consequebatur, ut Pater ipse & incarnatus & carne passus crederetur, unde & Patripassiani dicti sunt nefandi delirii authores. Noetum Sabellio per omnia consensisse author est Epiphanius. Sicubi autem Patrem non esse passum idem scribit Noeto visum esse, id ita interpretor, quòd verbotenus id negaret Noetus. Etenim non qua Pater, sed qua protensus in carnem, & eo sensu ipsemet sibi Filius & Verbum, passus illi videbatur; vel certè carne passum negabat, quòd divinitatis non substantiam unitam, sed irradiationem tantùm quandam aspersam humanitati existimaret. Sabellii dogmati adhæserunt Praxeas & Hermogenes. Id in

(Margin: Valentinus. Μονογενής. Sabellius. Ἐνέργεια. Patripassiani. Noetus. Praxeas, Hermogenes.)

Marcellus. causa fuit, ut horum discipuli Patripassiani & ipsi nuncuparentur. Marcellus Ancyræ Episcopus, dum fervidiùs, quàm cautiùs Arianos insectatur, ita unitatem divinæ naturæ propugnavit, ut unitatem eandem personis ipsis affingeret, Sabelliique & Pauli Samosateni infandum commentum innovaret. Et à Paulo enim Samosateno Filium & Spiritum sanctum non personas, sed personæ Patris unius efficientias & radiationes existimatas esse volunt. Photinus. Marcello accessit Photinus ejus discipulus Syrmii Episcopus, quem Episcopatu dejecit Syrmiensis Arianorum Synodus. Porro hi omnes eò Christi Deitatem abnegabant, quòd homini non ipsum substantivè Deum unitum esse assererent, sed actionem quandam velut transitoriam Deitatis. Hoc enim demum ipsis Verbum & Filius Dei, esse videbatur. Euphratas. De Euphrata Coloniensi Episcopo, quod & ipse Photino assensus sit, ac Coloniensi Concilio damnatus, plerique asserunt. Fidei periculum penes ipsos sit; cum negari non possit altero post anno à Sardicensi Synodo Legatum missum esse in Orientem cum aliis Catholicis Episcopis. Arius.

Ad Arium ventum est, quo non alia sævior pestis in Ecclesiam grassata est. Hic ut minorem Patre Filium, nec ejusdem, sed inferioris ac creatæ substantiæ astrueret, passibilem passumque carne affirmavit, quippe cum animæ loco fungeretur. Id Epiphanius, Theodoretus & Augustinus de Hæresibus scribentes, id Athanasius Apollinarem confutans, id alii confirmant sensisse Arium, in Christo animæ vicem implesse Verbi substantiam, nempe passionibus animalis naturæ obnoxiam. Apollinaris. Apollinaris non animæ totius, sed mentis duntaxat partes supplesse Verbum arbitratus est; carnemque ipsam Christi non de Virgine assumptam fuisse, sed è cœlo lapsam; quin ipsam Verbi substantiam in carnem sese condensasse. Hunc alii Antiochiæ, alii Laodiceæ Episcopum fuisse censent. Ex illa autem Verbi in carnem addensatione, id certè efficiebatur, ut & caro illa Deo consubstantialis esset, & Deus in propria substantia sua passibilis. Arium Nicæna, Apollinarem Constantinopolitana Synodus damnavit.

X. Christianis nunc è literis perperam intellectis qui errores eruperint, aperiemus, quod tertium caput fecimus impiarum circa Christi Incarnationem sectarum. Theodorus Mopsuestenus. Nestorius. Ex Schola Theodori Mopsuestiæ Episcopi prosiliit Nestorius Constantinopolitanus Antistes, duasque in Christo hypostases, duas personas secernens, alteram hominis, alteram Dei, hominem verè & propriè Deum, Mariam Deiparam dici posse negavit, tametsi Christiparam confiteretur. Copulam ille Dei atque hominis in Christo, non substantivam & hypostaticam, sed extrinseca efficientia quadam, atque habitudine, amoris ac benevolentiæ nexu duntaxat coalitam interpretatus est, eo penè modo quo justi omnes, & unum cum Deo, Σχέσει, ἐνέργεια. & filii Dei, & Dii dicuntur. Cyrillus primò Alexandrinus Episcopus, tum Cœlestinus Papa, denique Synodus Ephesina prima, exitialem hanc labem objecta Catholicæ veritatis luce profligarunt. Cyrillus Diodoro Tarsensi Episcopo Nestorianæ dementiæ infamiam aspersit, ut qui Theodoro Mopsuesteno ita dux & magister præiverit, sicut Nestorio Theodorus. Diodorum ab hac insania vendicarunt ex adverso complures, atque in primis Constantinopolitana prima Synodus, quæ Catholicæ doctrinæ ac communionis duces quosdam atque insignes magistros cum constitueret, in iis Diodorum recensuit. Diodorus Tarsensis. Nestoriani Pelagianique dogmatis cognationem declaravit Cassianus libro primo de Incarnatione, itemque Prosper Carmine de ingratis. Pelagius. Scilicet Pelagius Christum non verè & natura Deum, sed humano merito, præmiique loco id adeptum ut Deus fieret somniaverat. Inciderat & Leporius Monachus in Pelagii laqueos, sed hinc evasit, oblato Africanis Episcopis, quos inter fulgebat Augustinus, emendationis libello. Leporius.

Dum Nestorianam personarum sectionem refugit Eutyches Archimandrita Constantinopolitanus, nec naturas à personis secernit, ut personam, ita naturam quoque Christi unam ex Deo atque homine conflavit. Patrocinium sibi ille accersiit à Cyrillo, sed incassum, ut qui tametsi verba Cyrilli aliqua sibi videretur sequi, mentem sanè ac sententiam omnino non assequeretur. Eutyches. Hic à Flaviano Constantinopolitano Episcopo synodicè damnatus, in Latrocinali Ephesina Synodo à Dioscoro Alexandrino absolutus, postremò tandem in Chalcedonensi Oecumenica Synodo proscriptus ac relegatus est. Ex duplicis porro naturæ in unam naturam confusione id indubiè nascebatur, ut non nostræ naturæ esset Christi caro, nec nobis consubstantialis, utpote consubstantialis Deo; ergo nec à Virgine Matre sumpta, sed alicunde è cœlo allapsa, vel à Verbo ipso effusa; ideo nec Virgo Deipara, ut quæ nihil sui impartisset; denique id ex stolido commento consequens erat, ut jam nec Deus esset Christus, nec homo verus; & nec Patri quà Deus, nec nobis quà homo consubstantialis dici posset. Etenim Deitas Christi si carni consubstantialis erat, uniusque cum ea naturæ, non erat Patri: ac rursum humanitas Christi si Deo consubstantialis erat, utique non erat nobis.

In Orientis plagas omnes longè latèque se effudit hinc Nestoriana, inde Eutychiana lues. Hæc tamen plures in sectas luxuriavit. Petrus Cnapheus Antiochenus Episcopus, cum Chalcedonensi Concilio anathema dixisset, ac Trisagio illam clausulam addidisset, *Qui passus es pro nobis, miserere nobis*, Theopaschitarum errori ac sectæ ortum dedit. Theopaschitæ. Id quoque eliciebatur ex Eutychetis delirio, ut concreta carni, eique consubstantialis facta Deitas Christi, unà pateretur, ac proinde tota Deitas, imo & personarum Trinitas pateretur, ut quæ cum Deitate re idem sit. Alexandrinam sedem cum invasisset Petrus Moggus, & Chalcedonensi Synodo anathema dicere cunctaretur, secessionem ab eo fecerunt Eutychiani ejus urbis ac regionis, ex eo Acephali dicti, quamquam eo nomine Acephali.

per-

persæpè Eutychiani omnes nominati sint. Inter Acephalos Severus Monachus Corrupticolarum, Julianus Halicarnassensis Incorrupticolarum novam sectam peperit: quod illi corruptibilem Christi carnem fuisse, utpote carnem: hi incorruptibilem, utpote unius cum Verbo jam naturæ dicerent. Themistius Diaconus Agnoetarum in Ægypto dux & Princeps fuit, inde dictorum, quod ignorantiam Christo affingerent. Mirum quod Justinianus ipse Imperator in Incorrupticolarum vesaniam delapsus sit; cujus propagandæ studium & conatus mors intercepit. Denique Joannes Grammaticus, idemque Philoponus dictus, Tritheitis initium dedisse visus est, quod naturæ personæque discrimen nullum esse contenderet: ex quo ut unam in Christo naturam ex unitate personæ lubens concludebat, ita ex Trinitate personarum tres in Deo naturas dicere invitus cogeretur. Monophysitæ ab unitate naturæ, Jacobitæ à Jacobo authore, Armeni à gente dicti, nihil aliud hi omnes quàm Eutychiani. Semieuthychiani dicti, qui compositam Christi ex Deo & homine naturam dicerent, atque inde Patri, hinc nobis consubstantialem: cum Eutychiani unam simplicemque Christi naturam opinarentur, sive Deitate in humanitatem mutata, sive potius abrepta absumptaque in Deitatem humanitate. Plura omitto, quæ ex Liberato, Facundo Hermianensi, Leontio de Sectis, Evagrio, aliisque petere licet. An unus de Trinitate passus & crucifixus dici posset, diu & pertinaciter altercatum est; cum qui id dicerent, Eutycheti; qui negarent, Nestorio favere suspiciosis hominibus viderentur: cum posset è contrà id & dici, ne Nestorius, & negari citra fidei periculum, ne Eutyches Eutychetisque discipuli sibi blandirentur.

Corrupticolæ. Incorrupticolæ. Agnoetæ. Tritheitæ. Monophysitæ. Jacobitæ. Armeni. Semieutychiani.

De Eutychianorum stirpe enati Monothelitæ, ore tenus duplicem Christi naturam confitebantur, cum voluntatem ejus atque operationem dumtaxat unicam agnoscerent. Suam enim propriamque voluntatem atque operationem unaquæque sibi vindicat rationalis natura. Consensit primùm novellæ impietati Heraclius Imperator, ea nimirùm spe delusus ab Athanasio Jacobitarum Patriarcha, fore ut omnes Eutychiani in duplicem Christi naturam convenirent, si ut unus Christus, unusque operans, ita una ejus operatio, atque una voluntas dici sineretur. Huc ergo pertinebant & Heraclii Ecthesis, & Constantis Typus. Sergius Patriarcha Constantinopolitanus Syris & Jacobitis origine & fide conjunctus, denique Cyrus Alexandrinus eadem devinctus impietate, momenti plurimum attulere ad Imperatores *in* ejus patrocinio confirmandos, donec Constantinus Pogonatus habita Synodo sexta Oecumenica, damnataque profana novitate, pacem Ecclesiæ lucemque Orbi reddidit Christiano. Inussit hæc Synodus & Honorii Papæ nomen, non erroris ergo, *cujus ille* purus fuit, sed negligentiæ & improvidæ dispensationis, qua assensus erat, ut nec una, nec duplex Christi voluntas, & operatio diceretur. Unam quidem Christi operationem eò sibi fingebant, ut arbitror, Monothelitæ, quod in duplici licèt natura, unus tamen operans esset Verbum, una persona, unumque suppositum, & ubique humanitas tanquam conjunctum divinitatis instrumentum operaretur. At voluntatem unam Dei atque hominis qui affirmare possent, non facilè quis intellexerit, nisi ut Apollinaris, & ante illum Arius vice humanæ animæ atque mentis Verbum divinum suffecerant, ita Monothelitæ humanam Christo voluntatem prorsus detruncarent, ejusque in locum subrogarent divinam. Sed ea de re suo loco prolixiùs.

Monothelitæ.

Ut Monothelitæ Eutychetis, ita Nestorii extremus partus fuere Felix atque Elipandus. Ille Urgelitanus Episcopus, hic Toletanus. Non proprium & naturalem, sed adoptivum Dei Filium & servum illi Christum hominem prædicabant. Ita in duos secabatur filios, duasque personas Christus, cum filius personam sonet, nec unus idemque filius Dei esse possit & naturalis & adoptivus. Oppressa statim hæc novitas est in Franco-Fordiendi Synodo, nec ulteriùs serpsit. Summatim hæc errorum portenta perstringi in ipsa fronte operis necesse fuit, sigillatim postea & prolixiùs suis quæque locis exagitanda. Novi subinde posterioribus sæculis ad hanc usque nostram ætatem coorti sunt hæresiarchæ; qui tamen non aliud quàm priscas dudumque jugulatas hæreses renovare potuerunt. Aut enim humanæ, aut divinæ Christi naturæ integritatem, aut utriusque substantivam & hypostaticam unitionem labefactare conati sunt; nec aliud omnino consecuti sunt tamen quàm ut partæ omnibus retro sæculis de istiusmodi erroribus victoriæ, quæ penè obsoleverant, in memoriam hominum revocarentur, ac reviviscerent. Ex Lutheri & Calvini discipulis Michael Servetus Hispanus, & Valentinus Gentilis Italus, dum Trinitatis fidem in Gallia & Germania, maximè autem in Polonia oppugnant; non Arianorum tantùm, sed & Ebionitarum, Sabellianorum, Photinianorum, Eutychianorumque oppressas dudum hæreses ex orco revocarunt. Horum ex semine prodiere Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Franciscus David, & tandem Faustus Socinus Senensis, hujusque infausta proles Crellius; quot nomina, tot monstra, non in ejus tantùm fidei, qua vel Trinitatem, vel Incarnationem complectimur, sed in totius Christiani nominis excidium conjurata. Prodiit & non ita pridem Calvinianus Anonymus, qui Nestorio Catholicum dogma, Cyrillo Alexandrino Apollinaris insaniam, Ephesinæ primæ Synodo turpissimæ hallucinationis infamiam affingeret; usque adeo novandi petulans libido eos exagitat, qui semel Ecclesiasticæ fidei frænos excusserunt.

Felix Urgel. Elipandus Toletan. Nuperæ hæreses. An. 1645.

XI. Nihil attinet eos recensere, quibus ducibus hæc errorum portenta obtrita sunt. Horum nomina Sole ipso splendidiora, toto hoc opere radiabunt. Pauci sunt de quibus aliqua moneri intersit. Dialogi de Trinitate, quos sub Athanasii nomine primus Beza in lucem edidit, S. Maximi Monachi & Martyris sunt, cui & à Græcis recentioribus vindicantur.

cantur. Liber de Trinitate, qui Cyrilli Alexandrini operibus intextus est, ex Joannis Damasceni libris ferè contextus est, eique potiùs quàm Cyrillo à doctis viris vendicatur, aut anonymo consarcinatori. Pleraque opuscula, quæ Athanasii tomo secundo continentur, Theodoreti esse, author est Photius, & stilus prodit, & jam ferè omnes consentiunt. Sicubi hos libros non vero authorum nomine laudavi, condonandus est hic error consuetudini. Pari indulgentia opus est, sicubi Vigilius martyr dictus sit; nec enim verè constat quis fuerit ille Vigilius, qui in Nestorium & Eutychem stilum strinxit.

XII. Præter majorum autem gentium Patres laudantur in hoc opere compluscult alii. In quibus Petrus Diaconus, Fulgentio suppar, ad quem & scripsit. Ferrandus Diaconus Carthaginensis, ineunte & ipse sexto sæculo, Fulgentio amicitia conjunctus & scriptorum ultro citroque commeatione. Joannes Maxentius Monachus Monachorum Scytharum antesignanus, eodem penè tempore Nestorianos insectatus ita est, ut in suspicionem quibusdam venerit Eutychianæ dementiæ, à qua tamen illum viri docti omnino purgarunt. Leontius Byzantinus Monachus desinente sæculo eodem sexto scriptis claruit. De Theodoro Presbytero in Monasterio Raithu conjicitur, quòd sæculo quinto adolescente floruerit. Theodorus Abucara Episcopus Cariæ temporibus Basilii Imperatoris sæculo nono scripsit. Denique ab Imperatore Manuele Comneno ablegatus in Armeniam est, qui cum Armenorum Catholico confligeret, vir cum primis eruditus Theorianus, vertente sæculo duodecimo.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Fr. Tommaso Maria Gennari Inquisitore, nel Libro intitolato: *Dogmatum Theologicorum Auctore Ludovico Thomassino Presbytero Congregationis Oratorii*, non esservi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo Licenza che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 2. Giugno 1728.

{ Gio: Francesco Morosini Kav. Rif.
{ Alvise Pisani Kav. Proc. Rif.
{

Agostino Gadaldini Segr.

INDEX CAPITUM HUJUS TOMI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. QUantoperè commendetur omnipotentia & sapientia Dei ex Incarnatione Verbi. *Pag.* 1
CAP. II. Quantum indidem illustretur bonitas divina. 5
CAP. III. Quantoperè justitia Dei commendetur ex Incarnatione Verbi. 9
CAP. IV. De justitia rursum, non diabolo jam, sed Deo comparata. 15
CAP. V. Homini per peccatum in corporalia lapso Verbum divinum contemperari & corporascere necesse fuit. 20
CAP. VI. Elucidatio ulterior ejusdem contemperationis & corporationis Verbi divini, ut mentibus in corporalia lapsis sese coaptet. 27
CAP. VII. Christiana religio ipsamet est æterna & invariabilis, quam natura dictat, religio, lapsis in temporalia mentibus tantisper accommodata. 33
CAP. VIII. Fusiùs explicatur, ut Christus lex æterna sit, ejusque temporalis œconomia sit æternæ legis & incommutabilis veritatis interpretatio longè pulcherrima. 37
CAP. IX. Rursum lex æterna Christus est, lapsis in temporalitatem mentibus se accommodans. 41
CAP. X. Rursum Christi temporalis & corporalis historia ad intelligibilem veritatem, & ad legem æternam traducitur. 44
CAP. XI. Corpus ipsum Christi seorsim spectatum, ut ad veritatem intelligibilem, legemque æternam pertineat. 48
CAP. XII. A sensibilibus adduci hominem non alio, quàm Dei Hominis magisterio potuisse, adversus Philosophos maximè Platonicos disputatur. 52
CAP. XIII. De eodem Christi Dei atque hominis magisterio perquam necessario. 55
CAP. XIV. Eadem divinæ in Magistro generis humani personæ, & authoritatis necessitas & efficacia prolixiùs elucidatur. Adversus Philosophos omnes sæculares. 59
CAP. XV. Fides Incarnationis subjugavit orbem, ex invicta veritatis vi, consensuque suo cum innata homini conscientia, & inseminatæ naturaliter religionis reliquiis. 63
CAP. XVI. Alia quædam promiscuè de necessario hominibus hominis ejusdemque Dei magisterio. 66
CAP. XVII. Incarnari Deum non magisterio tantùm, sed auxilio præstando necessum fuit. 71
CAP. XVIII. Ejusdem auxilii ex Incarnatione petendi necessitas, ut idem cibus esset nunc mente carnalium, qui fuerat carne spiritalium. 74
CAP. XIX. Ejusdem auxilii ab Incarnatione expectandi necessitas, ut justitia & incorruptibilitas physicè & immutabiliter naturæ hominum universæ insereretur. 77
CAP. XX. Ejusdem auxilii ab Incarnatione petendi necessitas, quòd primo vitiato aliud caput principiumque humano generi instaurandum esset. 82
CAP. XXI. Ejusdem auxilii necessitas ex eo quòd imago Dei primigenia, per peccatum obsolefacta, per Christum resculpenda esset. 86

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. VErbi personam magis decuit carne indui, quia innascibilis Pater. 89
CAP. II. Rursus cur Verbi personam magis decuerit incarnari. 93
CAP. III. Cur de Virgine Verbum decuerit incarnari & nasci. 96
CAP. IV. Iterum cur de Virgine decuerit Verbum incarnari & nasci. 101
CAP. V. Carnem humanam haud induisset Verbum, si homo non peccasset. Constantissima ea est sanctorum Patrum doctrina. Evincitur id eorum testimoniis apertissimis, item ex Scripturis id apertè sonantibus. 105
CAP. VI. Contrariæ sententiæ authores Naclantus & ante eum Rupertus. Eorum argumenta referuntur & confutantur. 109
CAP. VII. Si homo non peccasset, Deus Verbum non corporaretur: evincitur id ex illustriori quadam laude Omnipotentiæ divinæ parta, per nostri lapsus curationem. 113
CAP. VIII. Nisi homo peccasset, non incarnaretur Deus Verbum: id evincitur ex contemperatione ejusdem Verbi lapsis in corporalia mentibus jam necessaria. 119
CAP. IX. Non incarnaretur Dei Verbum, nisi homo peccasset: id evincitur ex eo quòd Christus Magister sit humilitatis, qua lapsi redintegrantur. 127
CAP. X. Verbum Deus non corporaretur, si homo non peccasset: id evincitur ex eo quòd gratiæ divinæ alicujus efficacia ex insertione hypostatica humanitatis in Deitatem proficiscatur, illa autem lapso congruat homini, non integro & valenti. 129
CAP. XI. Nisi homo peccasset, Verbum non incarnaretur: id evincitur ex invictis auxiliis ab incarnatione manantibus, quæ universæ saltem naturæ lapsum prævertissent. 133
CAP. XII. Ecquid causæ fuerit, quamobrem Angelos Deus non apprehenderit, semen Abrahæ apprehenderit. 139

L I-

LIBER TERTIUS.

CAPUT I. Circa nomina & definitiones naturæ & personæ, οὐσίας & ὑποστάσεως, carptim aliqua prælibantur. 145
CAP. II. Unionum genera, à Nestorio ad dissuendam personæ in Christo unitatem excogitata, referuntur & refelluntur. 147
CAP. III. Unionis hypostaticæ, id est, qua Dei Hominisque naturæ inconfusæ maneant, & in unam conserantur hypostasin & personam, vera & germana elucidatio. 152
CAP. IV. Unionis hypostaticæ lex prior, id est, immeatio naturarum inconfusa uberiùs declaratur variis comparationibus. 157
CAP. V. Eadem naturarum immeatio, cui unio hypostatica superstruitur, prolixiùs constabilitur ex commixtione utriusque naturæ inconfusa, quam sancti Patres prædicarunt. 160
CAP. VI. Eadem naturarum immeatio, unionis hypostaticæ nexus, illustratur ex compositione Deitatis & humanitatis, quam sancti Patres statuerunt. 162
CAP. VII. Inconfusa eadem naturarum immeatio demonstratur ex unione essentiali, substantiali, naturali, qua Patres naturam Christi duplicem conglutinarunt. 166
CAP. VIII. Eadem immeatio naturarum demonstratur ab exemplo animæ & corporis, ex eoque pariter declaratur unionis hypostaticæ caput alterum, quòd natura inferior accessio fiat superioris. 169
CAP. IX. Caput illud alterum unionis hypostaticæ, quòd natura inferior superioris fiat accessio, prolixiùs & multifariam explanatur. 172
CAP. X. Quòd natura inferior superioris fiat accessio, eoque utriusque una persona sit, uberiùs pertractatur. 175
CAP. XI. Natura humana divinæ accessio est, ideoque una persona cum illa est, quia in ipsa sui creatione assumpta est. 178
CAP. XII. Quòd humana natura non per se seorsim consistat, sed divinæ accessio sit, ideoque una persona cum illa sit, indidem probatur, quòd in ipsa sui creatione assumpta sit. 181
CAP. XIII. Quòd humanitas non per se seorsim consistat, sed Deitatis Verbi sit quasi accessio, eoque una cum eo sit persona, probatur ex famosa illa fidei tessera, quòd una sit natura Verbi incarnata. 185
CAP. XIV. Quòd quasi accessio Verbi sit humanitas ideoque una cum eo persona sit, probatur ex illa altera fidei formula, quòd unus ex Trinitate sit passus, quòdque per Incarnationem non facta sit quaternitas, sed permanserit Trinitas. 187
CAP. XV. Quòd natura inferior superioris quasi pars & accessio fiat, ideoque una persona cum illa fiat, probatur ex eo quòd propriè & veraciter Deipara sit Maria. 191
CAP. XVI. Quòd humanitati, nec existentia, nec aliud quidquam rei desit; sed eò sit una cum Verbo persona, quòd seorsim per se non sit, probatur ex modo quo duo perfecta in unum perfectum concurrunt. 194
CAP. XVII. Cardo rei totius aperitur, modus videlicet, quo naturæ superiores inferioribus quamlibet perfectis, ulteriùs perficiendis sese infundunt, easque ad multimodam secum unitatem asciscunt. 197
CAP. XVIII. Quòd homo totus, & nec existentia, nec alio quoquam deficiens assumptus sit, probatur ulteriùs. 201
CAP. XIX. Ex unione Dei & hominis, cur una exurgat persona, non una similiter natura. 204
CAP. XX. Humanitatem Christi nulla re defieri, sed eo assumi, quod eam pervadat suamque faciat Deitas Verbi, probatur ex definitione hypostaseos, seu personæ. 211
CAP. XXI. Nostra hæc de hypostasi Christi sententia, firmatur assensione omnium propè Scholæ Theologicæ Doctorum. 215
CAP. XXII. Non potest pervadere, sibique substantivè vindicare, id est, ad unitatem suæ personæ adsumere, inferiorem naturam nisi natura superior, atque adeo humanam, vel angelicam, nisi divina. 218
CAP. XXIII. Idem ipsum ex altero capite statuitur, quòd non possit vendicare sibi suamque facere, & in suam adeo coaptare personam, nisi superior naturam inferiorem, rationalem divina. 222
CAP. XXIV. Fides sententiis, non verbis trutinanda; unde in hypostasi una Christi utriusque naturæ defendenda, Orthodoxorum Patrum, quanta in rebus consensio, tanta quandoque in verbis pugna. 224

LIBER QUARTUS.

CAPUT I. Divinitas Christi ex novi Testamenti paginis demonstratur. 229
CAP. II. Divinitas Christi rursum ex ipsius de se oraculis. 232
CAP. III. Divinitas Christi rursum ex muneribus quæ obeunda susceperat. 234
CAP. IV. Humanitas Christi vera nostræque consubstantialis declaratur. 237
CAP. V. Veritas carnis Christi specialibus argumentis demonstratur adversus Manichæos & Phantasiastas. 241
CAP. VI. Veritas carnis Christi adversus Apollinaristas. 245
CAP. VII. De pulchritudine carnis Christi. 248
CAP. VIII. Veritas animæ & mentis creatæ Christi adversus Arianos & Apollinaristas. 255
CAP. IX. Idem elimatiùs pertractatur, ostenditurque Verbum non nisi media mente corpori copulatum esse. 260
CAP. X. Diluuntur argumenta Apollinaristarum. 265
CAP. XI. Veritas affectuum animæ in Christo. 268
CAP. XII. Veritas passionum corporis Christi, earumque necessitas, & carnis ejus ante resurrectionem corruptibilitas. 275
CAP. XIII. Circa affectus animæ, & passiones corporis Christi Domini, Hilarii sententia expenditur. 279
CAP. XIV. Communicatio idiomatum seu proprietatum utriusque naturæ in Christo, multis ex capitibus statuitur. 283
CAP. XV. Communicatio idiomatum non logica tantùm sed physica, ex naturæ alterius in alteram immigratione, an possit, & qualis possit constitui. 286
CAP. XVI. Eadem proprietatum Deitatis communicatio quanta possit concedi humanitati assumptæ. 290

LIBER QUINTUS.

CAPUT I. DUplex Chriſti voluntas & operatio ex duplici ejus natura demonſtratur. 296
CAP. II. Idem ex eodem capite demonſtratur, quòdque voluntas & operatio naturam conſequatur, non hypoſtaſin. 298
CAP. III. Idem demonſtratur ex eo quòd ad medelam & ad exemplum aſſumenda fuerit voluntas & operatio. 301
CAP. IV. Ex ſacris litteris duplex Chriſti voluntas & operatio demonſtratur. 304
CAP. V. Priſcarum hæreſum incendia in Monotheletis reviviſcebant. 305
CAP. VI. Aliis argumentis duplex Chriſti voluntas & operatio evincitur. 307
CAP. VII. Fuſiùs pertractatur, ut humanitas Chriſti Deitatis fuerit inſtrumentum. 310
CAP. VIII. Theandrica operatio non una, ſed duplex operatio eſt. 313
CAP. IX. Rurſus quàm latè pateat Theandrica operatio. 317
CAP. X. Voluntas Chriſti creata impeccabilis demonſtratur eſſe. 321
CAP. XI. Radices aliæ ejuſdem impeccantiæ, voluntatem Chriſti creatam afficientis. 325
CAP. XII. Impeccabilitas libertati voluntatis Chriſti creatæ nihil officiebat. Exemplo divinæ libertatis id primùm evincitur. 328
CAP. XIII. Impeccabilitas libertati voluntatis Chriſti creatæ nihil officiebat. Id ſecundò exemplo Beatorum efficitur. 331
CAP. XIV. *Statuendæ* Chriſti libertati non quaslibet neceſſe eſt indifferentiæ umbras conſectari, non eas ſaltem quæ obedientiæ adverſantur. 335
CAP. XV. Antedicta ex Patribus confirmantur. 339
CAP. XVI. Unde meritum colligere poſſit Chriſti libertas, cùm neceſſitate boni vinciatur. 343
CAP. XVII. Rurſum ut mereatur Chriſtus, etſi boni neceſſitate conſtringatur. 347
CAP. XVIII. Eadem colligendi meriti ratio impeccabili libertati conſentanea copioſiùs exponitur, Chriſtoque vendicatur. 351
CAP. XIX. Eadem meriti comparandi ratio ex implicata affixaque humanitati ſanctitate ac dignitate Verbi divina, prolixiùs elucidatur. 354
CAP. XX. Genus aliud meriti ex divina Chriſti voluntate ac libertate profluum indagatur; aut ſin minùs meriti, certè dignitatis. 357
CAP. XXI. Longè alia Dei quàm creaturæ, Beatorum quàm mortalium libertas eſt, meritique colligendi ratio: hæc nempe, non illa ex conflictu cum inſita ſibi mutabilitate. Ex Scholæ Theologicæ antiquis proceribus id probatur. 361
CAP. XXII. Idem prolixiùs ex Patribus Græcis ſtatuitur diſcrimen libertatis & meriti ex indifferentia emergentis, ſed in meris creaturis adhuc peregrinantibus. 364
CAP. XXIII. Ex Latinis Patribus firmatur idem diſcrimen libertatis meritique inter Chriſtum & Creaturas meras, quòd illi non ſit, his ſit neceſſaria indifferentia boni & mali. 368
CAP. XXIV. De indifferentia illa, quæ Verbi magis, quàm carnis propria eſt, ad induendam carnem & ſubeundam crucem, quid ſenſerint Græci Patres. 373
CAP. XXV. Ex eadem indifferentiæ radice penes Verbum, libertatem quoque & meritum Latini Patres exprimunt. 377

LIBER SEXTUS.

CAPUT I. DE ſanctitate Chriſti, inde primùm hauſta, quòd de Spiritu ſancto conceptus ſit. 381
CAP. II. De ſanctitate Chriſti inde hauſta, quòd Spiritu ſancto unctus ſit, adeoque tota Deitate. 384
CAP. III. De ſanctitate Chriſti inde hauſta, quòd Deitate Verbi adeoque ſubſtantiva ſanctitate Deitatis perunctus ſit. 388
CAP. IV. Sanctitas Chriſti hominis increata ex eo, quòd factus ſit nobis juſtitia à Deo, & ſanctificatio, & redemptio. 391
CAP. V. Sanctitate increata ſanctus eſt Chriſtus, cum plenitudine divinitatis inhabitetur. 395
CAP. VI. Sanctitas increata Chriſti hominis demonſtratur ex ejus impeccabilitate. 396
CAP. VII. Sanctitas increata Chriſti hominis eo eo, quòd ſit caput Eccleſiæ. 403
CAP. VIII. Increata ſanctitate Chriſti capitis ejus membra irrorantur aliquantulum. 407
CAP. IX. Rurſum ſubſtantiva Chriſti capitis ſanctitas in ejus membra refunditur. 411
CAP. X. Subſtantiva Deitatis ſanctitas, ſeu Spiritus ſanctus, ut imago Verbi, Chriſti membris imprimitur. 414
CAP. XI. Subſtantia Spiritus ſancti, quia ſanctitas ipſamet eſt, formantur & ſanctificantur juſti, dum inhabitantur. 417
CAP. XII. Rurſum formantur juſti & ſanctificantur ſubſtantia Spiritus ſancti, quia ubique ille infunditur, quia ejus tantùm capaces ſumus, quia ſolus immeare poteſt & implere. 420
CAP. XIII. Subſtantia Spiritus ſancti ſanctificantur juſti, ex eo quòd ille ſit donum. 424
CAP. XIV. Subſtantia Spiritus ſancti ſanctificantur juſti, ex eo quòd ille ſit charitas. 428
CAP. XV. Vivunt juſti vita vitarum, id eſt juſtitia divina, adeoque implentur ſubſtantia Spiritus ſancti & ſanctificantur. 433
CAP. XVI. Sanctitas & virtutes non habitibus tantùm creatis, ſed Deitatis ſubſtantiva vegetatione imprimuntur. 437
CAP. XVII. Quo ſenſu forma eſſe, & formare, vel informare dicatur divina ſanctitas naturam creatam; abſtergitur invidia hujus vocis; recentiores cum antiquis Theologis in gratiam redeunt; & non tam ut forma, quàm ut hoſpes ſanctificare Deitas ſua templa demonſtratur. 442
CAP. XVIII. Aliis argumentis demonſtratur hoc ipſum, non tam ut forma, quàm ut hoſpite intimo ſanctificari juſtos quoslibet inhabitante Deitate. 446
CAP. XIX. Aliis rurſum argumentis divinæ formæ invidia eluitur, & ad intimam inhabitationem copulamque cum Deo traducitur noſtra ſanctificatio. 449
CAP. XX. Idipſum poſtremò novis adſtruitur conjecturis, quòd Spiritus ſanctus, ut perſona inhabitans, magis quàm ut forma informans juſtos ſanctificet. 452

L I-

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I. Circa plenitudinem scientiæ divinæ & beatæ in anima Christi, exponitur sententia sancti Fulgentii Ruspensis Episcopi. 455
CAP. II. Sententia Fulgentii de plenitudine scientiæ divinæ & beatæ in anima Christi, recentiorum quorumdam suffragatione roboratur. 458
CAP. III. Eadem Fulgentii sententia de divina & beata omniscientia animæ Christi, antiquiorum Patrum astipulatione communitur, ac priùs Latinorum. 461
CAP. IV. Ecqua è Græcis Patribus pro Fulgentii dogmate corrogari possint suffragia? 463
CAP. V. Nihil ignorantiæ à sanctis Patribus Christo homini adscriptum esse. 467
CAP. VI. In Fulgentii sententiam de omniscientia Christi beata & divina ampliùs inquiritur, ejusque fundamenta altiùs explorantur, percurrendo summa capita suprapositæ doctrinæ Patrum. 475
CAP. VII. Fulgentii doctrinæ de omniscientia Christi beata & divina, fundamenta altiùs eruuntur. 478
CAP. VIII. Scientia Christi beata à conceptus ejus exordio prolixiùs demonstratur. Et de Prophetica ejus scientia. 482
CAP. IX. Circa omniscientiam Christi hominis aperitur sententia Cusani Cardinalis. Et novis tum veterum tum recentiorum Doctorum testimoniis fulcitur. 488

LIBER OCTAVUS.

CAPUT I. Christum non esse adoptivum Dei Filium demonstratur primùm ex sacris litteris sanctorum Patrum interpretatione elucidatis. 491
CAP. II. Naturalis filiatio Christo homini adseritur, adoptiva propulsatur variis argumentorum machinis. 495
CAP. III. Validiora pro naturali adversus adoptivam filiationem argumenta conglomerantur. 498
CAP. IV. Validissima pro naturali adversus adoptivam filiatione astruenda conglobantur argumenta. 500
CAP. V. Christus ut hic homo est, naturalis est Dei filius, non aliter quàm generatione æterna, idque ex Scripturis primùm illustratur. 504
CAP. VI. Christus quà homo est, proprius & naturalis est Dei Patris Filius, non aliter magis quàm generatione divina, idque argumentis evincitur. 507
CAP. VII. Extensione generationis divinæ Christus quà homo, est Filius Dei naturalis. 510
CAP. VIII. Adoptio nostra in Dei filios. Et inde argumenta rursus ad naturalem & genitivam Christi hominis filiationem. 513
CAP. IX. Nostra adoptio iterum, & inde argumenta ad filiationem Christi naturalem & genitivam. 516
CAP. X. Nostra adoptio rursus, & inde argumenta ad naturalem Christi filiationem. 520
CAP. XI. Per resurrectionem cumulus & summus apex filiationis naturalis Christo obtigit. 523
CAP. XII. Per resurrectionem quod spe præsumimus tunc re erimus filii Dei, ultra adoptionem provecti. 528
CAP. XIII. Cum conceptus sit de Spiritu sancto Christus, cur non ejus filius sit? Cum quà homo, gratia Filius Dei sit, quì natura Filius sit? Complusculæ aliæ difficultates solvuntur. 531
CAP. XIV. De Prædestinatione Christi. 534
CAP. XV. Christum quà hominem servum Dei dicendum esse, quibus authoritatum rationumque momentis efficiatur. 536
CAP. XVI. Christum nec quà hominem servum esse, quæ Patrum suffragia, quæ argumenta evincant. 539
CAP. XVII. Christum nec quà hominem servum Dei esse, novis argumentis & Patrum testimoniis evincitur. 542
CAP. XVIII. Christum quà hominem Dei servum non esse, novis rursum argumentis & testimoniis efficitur. 545
CAP. XIX. Cominus jam ex ipsa incarnationis ratione propulsatur à Christo servitus. 548
CAP. XX. Ex unitate personæ propulsatur à Christo homine servitus. 552

LIBER NONUS.

CAPUT I. Necessarius Dei & hominum Mediator, nec alius quàm Christus. Id est humilis Deus, Verbum caro. 556
CAP. II Ejusdem argumenti continuatio. 559
CAP. III. Non perfunctorius per operationem solam, sed substantivus Mediator est Christus, Deum & hominem in se copulans naturali & hypostatico nexu. 562
CAP. IV. Mediatoris est orare, oratio porro nec Deitati Christi officit, nec ejus humanitatis amplitudini derogat. 566
CAP. V. Omnis Christi oratio exaudita semper fuit. 573
CAP. VI. An etiamnunc oret Christus in paterno sessitans sursum solio. 578
CAP. VII. Par orbi redimendo pretium & redemptor non alius quàm Deus ipse. Ex Græcis Patribus. 582
CAP. VIII. Deo an diabolo persolutum sit redemptionis pretium, an utrique, ex Græcis Latinisque Patribus inquiritur? 585
CAP. IX. Satisfecit Christus Patri cumulatissimè, & ad omnes justitiæ districtissimæ numeros. 590
CAP. X. In satisfactionem Christi ampliùs inquiritur, quì satisfecerit de suis; quì justum, ut justus, pro injustis pœnas luat. 592
CAP. XI. Patri soli an toti Trinitati sacrificio crucis Christi satisfactum sit. 599

LIBER DECIMUS.

CAPUT I. SAcerdos Christus est idemque victima: & ideo Sacerdos, quia victima intaminata. 606

CAP. II. Debetur Deo sacrificium: id lex æterna edicit, naturæ vox clamat, conscientia suadet. 609

CAP. III. Referuntur ex adverso sancti Patres, qui sacrificia cruenta nusquam imperata à Deo, quin exosa magis fuisse ajunt. 613

CAP. IV. Referuntur ex Latinis Patribus suffragia Græcis consentanea in sacrificiis fastidiendis. 616

CAP. V. Sedatur pugna hactenus excitata circa sacrificiorum cruentorum necessitatem primò astructam, & inutilitatem postea exaggeratam. 618

CAP. VI. Ut eadem pugna sedetur, demonstratur non deberi Deo post peccatum nisi sacrificium mortis Christi, cujus & imitamenta & præsagia fuere cætera sacrificia. 621

CAP. VII. Omnia penitus sacrificia sacrificii crucis Christi præluforia fuere. Unde eo peracto funditus exciderunt. 624

CAP. VIII. Ab exortu suo sacerdos est Christus, & incarnatio ipsa juge quoddam est sacrificium. 628

CAP. IX. Christus ab exortu suo sacerdos fuit. 631

CAP. X. Verum sacrificium fuit crux & mors Christi, ibi Christus sacerdos, ibi victima fuit. 636

CAP. XI. Post resurrectionem suam sacerdos tum maximè Christus extitit, & etiamnunc est, in cœlo semet Patri perenniter immolans, ex Paulo & Patribus Græcis. 640

CAP. XII. Quod Christus post resurrectionem suam tum maximè sacerdos sit, crucisque sacrificium in cœlo quodammodo perpetuet, ex Paulo & Latinis Patribus ostenditur. 644

CAP. XIII. Rursum demonstratur Christum in cœlo sacerdotem & hostiam esse perpetuato quodammodo crucis sacrificio. 645

CAP. XIV. Christus post resurrectionem suam sacerdos tum maximè est, cujus holocaustum est ipsa beatorum Ecclesia ex mortuis suscitata. 648

CAP. XV. Sacerdos est Christus secundùm ordinem Melchisedech. 651

CAP. XVI. Sacerdos est Christus secundùm ordinem Melchisedech per Eucharistiæ maximè sacrificium; quod ideo non aliud est quàm quod crucis & cœli. 655

CAP. XVII. Sacrificium Eucharistiæ idem quod crucis ostenditur esse, ut nusquam Christus, nisi secundùm ordinem Melchisedech sit sacerdos. 658

CAP. XVIII. Sacrificium Eucharistiæ idem atque crucis esse iterum ostenditur ex eo ritu externo, quo celebratur. 663

CAP. XIX. Sacrificio Eucharistiæ tota Ecclesia implicatur, ut victima, & Deo immolatur. 666

CAP. XX. Rursum Ecclesia in Eucharistiæ sacrificio implicatur & immolatur ipsa. 671

CAP. XXI. Ecclesia tota Eucharistiæ sacrificio implicatur & immolatur, quia Eucharistia extensio quædam est & propagatio Incarnationis. Ex Græcis Patribus. 673

CAP. XXII. Ecclesia tota Eucharistiæ sacrificio implicatur & immolatur, quia Eucharistia extensio quædam est Incarnationis, id rursum ex Latinis Patribus ostenditur. 679

CAP. XXIII. Eucharistiæ Melchisedecicum sacrificium est humilitatis, unitatis, deificationis, eòque liberiùs liquescit hanc esse Incarnationis extensionem. 683

CAP. XXIV. Eucharistia sacrificium est charitatis, & gratiarum actionis, & idem quod cœli. 686

CAP. XXV. Iterum sacrificium Eucharistiæ idem est, quod cœli. 690

CAP. XXVI. Eucharistia Melchisedecici sacrificii idem panis est nobis mortalibus, ac sempiterna veritas beatis immortalibus. Primò ex Patribus Græcis. 693

CAP. XXVII. Melchisedecicum Eucharistię sacrificium, idem nobis mortalibus panis est, atque sempiterna veritas beatis immortalibus, ex Patribus Latinis. 697

CAP. XXVIII. Ejusdem argumenti continuatio ex Latinis Patribus. 701

CAP. XXIX. Eucharistia etsi caro Christi sit ipsissima, spiritale tamen etiam, & non materiale tantùm sacrificium & sacramentum est: nec enim Caro Christi carnaliter capienda est. Ex Græcis primò. 707

CAP. XXX. Idem ex Latinis Patribus demonstratur quòd Eucharistia licèt verissima sit caro Christi, spiritale tamen etiam, & non materiale tantùm, & tantò verius sit sacrificium & sacramentum, quòd caro Christi non carnaliter sit capienda. 71[illegible]

CAP. XXXI. Mortale an immortale consecraverit Christus corpus suum, inquiritur: ut ut sit, immortalitatis tamen escam esse Eucharistiam indubium est, eaque resurrectionem nostris in corporibus præseminari: unde & immortalis & cœlestis hæc hostia est, & spiritalis est, nec uni loco alligata. 719

LIBER UNDECIMUS.

CAPUT I. ADoratio Latriæ seu Servitutis uni vero & summo Deo impendenda est. 727

CAP. II. Verbum caro factum unica latriæ adoratione colitur, atque ita latriæ cultu etiam humanitas implicatur. 733

CAP. III. Non duplici, non multiplici, sed unica adoratione latriæ colitur Pater, Verbum in carne, & Spiritus sanctus. 740

CAP. IV. Angelorum sanctorum in homines officia, hominum in Angelos obsequia à superstitionis calumnia vindicantur, ut quæ adorationi Deo uni debitæ nihil officiant. 747

CAP. V. Ejusdem argumenti continuatio. Angelorum sanctorum in homines officia, hominum in Angelos obsequia à superstitionis calumnia vindicantur, ut quæ nihil officiant adorationi uni Deo debitæ. 750

CAP. VI. Rursum ut Angelorum cultus religiosus nihil obstrepat adorationi uni Deo debitæ. 755

CAP. VII. Sanctorum cultus & invocatio ex sacris primùm literis elicitur, tum ex naturæ præjudiciis, ac denique ex mortalium pro mortalibus creberrima supplicatione. 761

CAP. VIII. Cultus & invocatio Sanctorum constituitur ex eorum in nos uberiori nunc quàm cùm hìc degerent charitate, atque ex effusiore nunc in eos Christi dignitatum & nominum redundantia, unde & secundarii mediatores sunt. 766

CAP.

CAP. IX. Cultus & invocatio Sanctorum ex Sanctorum communione. 772

CAP. X. Cultus & invocatio Sanctorum ex eo quòd non sine nobis consummabuntur, ideoque nostra curent, sciant, videantque. 777

CAP. XI. In Sanctis colitur & amatur Veritas, Sapientia, Justitia, quod totum Deus est, quod totum Christus est. Non tam ipsis ergo, quàm Deo in ipsis tribuitur cultus, amor, invocatio. Quocirca nec ullum errandi discrimen est. 783

LIBER DUODECIMUS.

CAPUT I. Ex impenso Martyrum Reliquiis cultu quantum decus & quàm triumphalis gloria accesserit Christianæ religioni. Ex Græcis primùm Patribus. 790

CAP. II. Ex Martyrum cultu profligationem idololatriæ, Ecclesiæ Christianæ victoriam Latini etiam Patres demonstrant. 795

CAP. III. Sacrarum Reliquiarum veneratio ex Scripturis exculpitur. 799

CAP. IV. Veneratio Reliquiarum ex miraculis à sanctis Patribus demonstratur. 803

CAP. V. De cultu Crucis Christi veræ. 809

CAP. VI. De Crucis Imaginibus adorandis. Græcorum primò Patrum suffragia. 814

CAP. VII. De venerandis Imaginibus Crucis, Latinorum suffragatio consentanea Græcis. 818

CAP. VIII. Usus cultusque Imaginum ex sacris literis exculpitur. 823

CAP. IX. An Dei etiam Imagines fingi & adorari fas sit, Ecquid Moses id vetuisse videatur? An Idola tantùm? 826

CAP. X. Usus cultusque Imaginum ex authoritate Ecclesiæ universalis & antiquissimo earum in illa ritu. 834

CAP. XI. Prioribus Ecclesiæ sæculis nonnullus sacrarum Imaginum usus fuit, ex Græcis & Latinis eorum temporum Patribus. 838

CAP. XII. Ecquid Imaginum cultui refragetur aut suffragetur Gregorius Papa ad Serenum Massiliensem Episcopum scribens? Et his olim innixa Epistolis Ecclesia Gallicana? 841

CAP. XIII. Quo cultu honorandæ sint Imagines, ex septimæ maximè Synodi decretis aperitur. 850

THEOLOGICORUM DOGMATUM
DE
INCARNATIONE VERBI DEI,
Liber Primus.
DE CONGRUENTIA Incarnationis VERBI DEI.

CAPUT PRIMUM.

Quantoperè commendetur omnipotentia & sapientia Dei ex Incarnatione Verbi.

I. Creatoris Redemptorisque laudes cum nostris utilitatibus confertæ.

OBSTRICTUM usque adeo est consertumque Opifici opificium suum, ut nihil ille suam in laudem moliri queat, quod non in hujus cedat commodum; nec hujus commodo consulere, quin suam id vertat in gloriam. Ut ergo in fabricandis rerum naturis, quantò in amplitudinis & opulentiæ suæ ostentationem effusior, tantò in nos beneficentior fuit; ita in iisdem restaurandis, quantò quasi sui immemor, cum jactura injuriaque sua, res nostras accisas relevare laboravit, tantò laudes suas gloriamque provexit.

II. Palmaria quatuor Dei attributa.

Ergo ut pronior fides, ut impensior veneratio nostra sit in Incarnationis Dominicæ Sacramentum, ut quàm non difficilis illa fuerit, nedum impossibilis, quàm consentanea Deo, quàm nobis necessaria fuerit, elucescat, quantum inde commendationis Deo accesserit, primùm exequemur. Et ex omnibus Dei attributis, ne per omnia discurrere tædiosum & immensum sit, quatuor cum Gregorio Nysseno, & Damasceno seligemus, quæ hinc mirum in modum inclaruisse palam fiat, ex his autem conjectura fiat de reliquis. Ea sunt autem potentia, sapientia, bonitas & justitia Dei; quæ operum ejus omnium virtutumque capita quædam solent esse & fontes. Nyssenus in Diem Natalis Christi, *Considera utrum in hoc beneficio quo nos affecit, cernantur omnia, quæ dicendo percurri, bonitas, sapientia, justitia, potentia. Ut bonus, desertorem amavit. Ut sapiens, rationem invenit, qua servitute oppressum in libertatem vindicaret. Ut justus, in servitute continentem, & emptionis jure possidentem non cogit, sed seipsum pro illo qui victus erat tradidit; tanquam vas ac sponsor, debitum ipse persolvit, ut eum qui obstrictus erat, liberaret. Ut potens, non detentus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem; nec enim fieri poterat, ut vitæ author ac Dominus, à corruptione teneretur.*

Et eorum illustratio ab Incarnatione Verbi. To. 1. pag. 551.

Similiter Damascenus, *Demonstratur simul & bonitas & sapientia & justitia & potentia Dei. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem; sed miseratus ejus casum, manum ei porrexit. Justitia, quia homine victo, non alio quàm homine fecit vinci tyrannum, &c. Sapientia quia rei admodum dubiæ ac difficilis invenit solutionem quàm decentissimam, &c. Impletur opus quod omnium novorum maximè novum est, quod solum novum sub sole, per quod infinita Dei apparuit potentia: quid enim majus quàm Deum fieri hominem?* Ita illi summatim stringunt, quæ nos hîc paulò fusiùs pandere adgredimur. Fid. Orth. l. 3. c. 1.

III. Imprimis omnipotentia Dei inde clarescit.

Primò ergo quod ad potentiæ illustrationem attinet, solius omnipotentis creatoris & jus & ars & potestas erat, ut quod primum opus finxerat, refingeret. Penes figulum solum jus est in argillam suam; contaminassent illam alienæ manus, non reformassent. Nec illa obsequeretur, nisi cui jam insueverat, opificis summi & manui & arti. Cujus enim artis est reficere deformatum opus, nisi ejus quæ fecit? An aliena industria suppleret artem Dei, & quasi fatiscentis vicem obiret? Denique formam & imaginem à Deo insculptam, & peccato obductam resculpere, præter Deum ipsum, quis aggrederetur? Cui tanta potestas ut vitam reddat, nisi vita sit? Sapientiam donet, nisi sapientia sit? Ergo omnipotentia Dei hinc clarescit maximè, quòd penes ipsam dumtaxat & jus, & ars, & potestas sit opificii sui redintegrandi.

1. Penes quam solâ erat & jus, & ars, & potestas refingendi sui operis.

S. Paulinus ad Amandum, *Nemo nisi artifex, operis sui potens est; & figulo* Epist. 2.

tantum in argillam suam jus est. Ita Dominus omnium, qui omnes fecerat, dignatus est ad nostra descendere, nosque suscipere in corpore suo, ut reficeret eadem arte vel potestate qua fecerat. Tria requirit Paulinus, jus, artem, potestatem fingendi refingendive divini operis, quæ planè insaniat qui vel sibi usurpet, vel alteri præterquam Deo arroget.

Pag. 52.

Atanasius de Incarnatione Verbi, *Jam ante exposuimus, non fuisse ullius alterius officium, corruptibile in incorruptibile transmittere, nisi ipsius salvatoris, qui in principio ex non entibus entia condiderat; nec alterius erat, exemplar imaginis divinæ hominibus restituere, nisi ejus qui erat imago Patris; neque alterius, mortale immortale efficere, nisi ejus qui ex se ipsissima vita est.* Incorruptionem, vitam, formam divinam & dare & reddere ejusdem est; utque cùm hæc primùm dedit, ita cùm hæc postea reddidit Deus, omnipotentiam suam æquè testificatus est. Chrysostomus hom. in Nativ. Christi, *Probrosum illi non fuit, ut suum opus ipse gestaret; ipsum quoque opificium maxima gloria cumulabatur, quod opificis sui fieret indumentum. Nam quemadmodum in prima formatione fieri non poterat, ut homo constitueretur, antequam lutum in ejus manus veniret; ita fieri nequit, ut vas corruptibile transmutetur, nisi fiat opificis indumentum.* Creatura omnis ejusmodi lutum est, ut divinæ tantùm manus patiens & sequax sit; alienæ insolens & indocile: Artifex quoque manus non minùs tenax est sui juris, & ambitiosè illud retentat, nec opus suum ab alio contrectari aut temerari facilè patitur. Mira limi superbia, quæ nisi omnipotenti arti subesse dedignetur.

Tom. 6. pag. 497.

IV.
2. Cùm incarnatio plurium impossibilium coacervatio sit, hinc nostra fides & Dei omnipotentia exaggeratur.

Secundò, cùm incarnatio sit coacervatio quædam omnium impossibilium: quid enim ex hominum non de trivio imperitorum, sed de Lycæo, sed de Academia Philosophorum judicio, magis impossibile, quàm Deum hominem fieri, æternum nasci, incommutabilem pati, immortalem mori, mortuum reviviscere, virginem matremque eandem esse? Ubi hæc nostro sensu impossibilia, sibi facillima Deus approbavit & persuasit, tum sanè omnipotentiam suam mirificentiùs explicavit. Posthac ergo largiùs fidei indulgendum est, ut benè impudens, & fœliciter stulta, si quod opus Dei pudendum obiiciatur, ideò minùs pudescat: si quod impossibile, ideò magis credat. Neque enim par est, ut arbitram se agat & moderatricem potestatis divinæ. Quin illam sibi permittat, & se illi committat totam, & quantum potest exæquare se illi studeat, non illam sibi coarctare. Hæc fidei nostræ amplitudo, hæc omnipotentiæ divinæ exaggeratio antè inaudita, per incarnationem contigit. Tertullianus L. de carne Christi, *Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo. Qui me, inquit, confusus fuerit, confundar & ego ejus. Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent benè impudentem & fœliciter stultum. Natus est Dei filius; non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei filius; prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile est.* Non poterat vehementiùs vel potentiam suam amplificare Deus, vel credulitatem nostram subjugare sibi, quàm ubi exicit, ideo credenda opera sua, quia incredibilia: & ideo sibi facilia, quia nobis impossibilia videbantur. Hilarius, *Hanc humanæ beatitudinis spem, gentilium impietatum studia comminuunt, prudentiæ sæcularis inanitate, profectum homini ad Deum denegantes, & Deo consortium assumpti corporis detrahentes, arbitri moderatoresque divinæ potestatis.* Abruptè Chysostomus in Natali Christi, *Nec hic quæsieris quomodo hoc factum sit; ubi enim Deus vult, ibi naturæ ordo cedit. Voluit enim, potuit; descendit, salvavit. Omnia Dei nutum sequuntur.* Et Basilius Seleuc. in auctario Bibliothecæ Patrum, *Nequid ergo in Deo impossibile dicatur; ubi enim ipse operatur, cessat impossibile.* ὅπε γὰρ αὐτὸς ἐνεργεῖ τὸ ἀδυνάτον ἀργεῖ.

In Psal. 61.

To. 6. pag. 494.

To. 8. pag. 586.

V.
3. In reparãdo quam in condendo amplior potestas.

Tertiò, non paulò plus ergo splendoris & commendationis accessit omnipotentiæ divinæ ex reparatione, quàm ex creatione mundi. Amplioris enim longè potentiæ documentum est, immortalem mori, morte mortem perimere, morte vitam nihil violari, impassibilem passionibus subesse, nec pati quidquam tamen, sed patiendo passiones ipsas comprimere; hæc argumenta inquam sunt omnipotentiæ multò admirabiliora, quàm vel cœlos fabricare, vel illuminare sidera, vel fundare terram. Hæc enim omnia quasi ludibundus effundit, haud magno sanè nisu, & pronissimo naturæ tum suæ, tum creatæ ingenio. At illa & supra creatam, & præter creatricem naturam insolentia & hactenus inusitata, non jam ludus, sed labor, & summum omnipotentiæ certamen specimenque videri possunt. Quamobrem quia obcalluerant jam homines ad illa creaturæ miracula, quasi usitata, ideoque jam vilia; hebescentem eorum stuporem novis & inauditis portentis excitari necesse fuit, nempè novitate novitatum omnium insolentissima. Basilius, *Nec enim cœlum & terra, immensaque maria aut animantia, vel in aquis vel in terris degentia, nec plantæ, nec astra, nec aer, nec horæ, nec multiplex universi ornatus excellentiam potentiæ illius nobis perindè commendat, atque quod Deus incomprehensibilis sic per carnem cum morte conflictatus est, ut ipsa divinitas nihil pateretur, quo nobis sua morte largiretur immortalitatem.* Et S. Hilarius, *Deus ergo idcircò tibi Christus non est, quia qui erat, nascitur; quia qui indemutabilis est, crescit ætate; quia qui impassibilis, patitur; quia vivens, moritur; quia mortuus, vivit; quia omnia in eo contra naturam sunt? Rogo hoc quid aliud est, quàm omnipotentem esse, quod Deus est?*

Ibi enim ludus, hic labor & discrimen.

L. de Spirit. sanct. c. 8.

L. 4. de Trinit.

Rerum igitur conditio, tyrocinium dumtaxat fuit omnipotentiæ Dei; minùs illa tum se exeruit, quippè cùm naturæ tantùm creatrici & creandæ obsequeretur. At in Verbi incarnatione absolutissimum sui documentum exhibuit, tota erupit, omnia contra naturam molita est; nec naturæ tantùm creatæ vim intulit, quod & ipsi familiare & sibi proclive foret; sed Deitatem ipsam concussit quodammodo intentata aliàs novitate. Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica, *Quod omnipotens natura potuerit descendere ad humilitatem humanitatis, id potestatem magis ostendit, quàm magna & quæ naturam superant miracula. Nam quod magnum quippiam & excelsum effectum sit à divina virtute, est quodammodo secundum naturam & consentaneum. Ad id autem quod est humile & abjectum descensus, est quædam insignis & redundans copia potestatis, quæ minimè impeditur in iis, quæ sunt præter naturam.* Cœlos terrasque condere, ornare, regere, stillula est omnipotentiæ; at Deitatis plenitudinem exinanire, vitam occidi, immortalitatem interfici, nec ex his quidquam detrimenti experiri, ea verò est exuberantissima quædam omnipotentiæ redundantia. Coarctant enim creatoris potestatem naturæ creatæ limites; ut ergo quanta quanta est effundatur, in seipsam se refundat necesse est, & in Deitate ipsa vim suam experiatur. Ea de re Dionysius Christum appellat scitissimè, *Novissimam omnium novitatum.* τὸ πάντων καινῶν καινότατον.

Ibi in creatæ naturæ angustias, hic in seipsam Deitas vim suã experta est quodammodo.

Cap. 24.

VI.
4. Præpotẽtioris consilii auxiliique fuit, ut prima Divinæ in nos pietatis sententia ne labefactaretur.

Quartò. Per primi parentis defectionem, suo frustratus esse consilio videbatur Deus, omnique in homines, quos sibi tot muneribus astringere occupaverat, & potestate & expectatione excidisse. Diabolus ex adverso suam propagasse potentiam, divinam irritasse sententiam, nec hominis tantùm, sed Dei victorem extitisse se gestiebat. Omnipotentiori ergo consilio, auxilioque opus fuit, ut prima Dei non labefactaretur sententia, ut diaboli jactantia contunderetur, ut hominis salus inexpugnabili deinceps firmaretur præsidio. Ergo per

Ut victrix potestas diaboli cõprimeretur.

go per Incarnationem Verbi, quàm per creationem hominis major resplenduit omnipotentia, quando hujus labem illa resarsit, ita ut nulla deinceps labes reformidanda sit. Potentia sua condidit Deus hominem, & munivit; illum tamen diabolus evertit; eversum majori Deus potentia sic restituit, ut everti post hac non possit. Irenæus, *Omnis dispositio salutis quæ circa hominem fuit, secundùm placitum fiebat Patris, uti non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars ejus. Si enim qui factus fuerat à Deo homo, ut viveret, hic amittens vitam, læsus à serpente, qui depravaverat eum, jam non reverteretur ad vitam, sed in totum projectus esset morti: victus esset Deus, & superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus & magnanimus est, magnanimum quidem se exhibuit ad correctionem hominis, &c.* Magni planè intererat ad omnipotentiam Dei, ut primùm vinci visa, invictissimè deinceps vinceret, ne si alternis vinceret & vinceretur, adversario utcumque par, haud multò sanè superior esse videretur. Leo Magnus in Natali Domini, *Quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum, divinis caruisse muneribus: & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam: seque in malis suis quoddam de prævaricatoris consortio invenisse solatium: Deum quoque, justæ severitatis exigente ratione, erga hominem quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam pietatis suæ dispositionem occultiore sacramento compleret: & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.* Fulgentius autem prolixè disputat reparari ab Angelo quopiam homines non potuisse; cùm enim Angelorum plurimi lapsi sint, labi ergo omnes potuere; at qui labi ipsi potuerẽ, lapsum hominem restaurare haud potuere. Ergo ut omnipotentissima Dei virtute gratiaque opus fuit, ut qui labi poterant, ab omni deinceps lapsus discrimine boni Angeli defenderentur: eadem planè opus fuit, ut homines à casu quo prostrati jam erant, excitarentur. *Profectò cognoscitur uniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet, à casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari depravarique non posset. Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria. Quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur. Hunc autem quisquis sanum sapit, Filium Dei esse non ambigit, qui est virtus & sapientia Patris; Sapientia, quæ cuncta disposuit: virtus, quæ omnia creavit: Sapientia quæ illuminat, virtus quæ adjutorium præstat: Sapientia quæ immutabilis, virtus quæ insuperabilis.* Et sermone de duplici Christi Nativitate, *Cujus est inenarrabilis omnipotentia, qua nos gratuita bonitate fecit: nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentissima miseratione salvavit. Qui & opus creatricis omnipotentiæ gratis fecit, & opus gratiæ salvatricis omnipotenter implevit.* Sic ille, & ut Christus fieret, & ut Christianus omnis fiat, inenarrabilem omnipotentiam opitulari declarat.

Ut hominis deinceps salus inexpugnabili præsidio firmaretur.

L. 1. c. 33.

Serm. 2.

Ad Trasim. L. 1. c. 2. & 3.

VII. Amplioris potentiæ est, infirmitate vincere, humilitate regnare, stultitia docere, cruce orbem subjugare.

Quintò. Si omnipotentia Dei dæmones frangat, homines restauret, fidem & stuporem extorqueat, minùs id quidem mirum est; quis enim inexuperabili potestati aut certare aut obstrepere audeat? At potentiùs vincet, si sua se potestate exuat, & vincat tamen; si infirmitate se succingat, & perindè vincat. Etenim, ut argumentatur Apostolus, si infirmum Dei potentius sit hominibus & dæmonibus, tum demum Deus ineffabiliter omnipotens est. Si humilitate regnet, si inanitione repleat, si paupertate opulentet, si morte vitam spiret, si cruce orbem subigat, si stultitia sapientiam domet, si per ludibria admirationem cieat, si per imperitos philosophiam expugnet, si sola infirmitate pugnet, tum demum ineffabiliter omnipotens erit. At per incarnationem id præstitit. Athanasius de Incarnatione Verbi, paulò post initium, *Quanto majoribus sannis apud infideles jactatur, tanto ille majora documenta testimoniaque suæ divinitatis præbet. Quum ea quæ mortales ut impossibilia non assequuntur, ipse possibilia ostendat; & quæ ut fœda aspernantur, ea speciosa sua divinitate reddat; & quæ docti viri ut humana irrident, ea vi sua, divina esse demonstrat; dumque speciem idolorum omnium magnificam, vilitate sua in qua esse putabatur, per crucem suam subvertit; eosque qui & irridebant, nec fidem habebant, clàm in suam sententiam trahit, ut ejus & divinitatem & potentiam agnoscant.* Et Chrysostomus, *Quando dixero, Fuit crucifixus, Græcus dicit, Et quomodo est hoc rationi consentaneum? Sibi crucifixo opem non tulit, &c. Et quomodo aliis opem tulit? &c. Est enim crux supra rationem & virtutis ineffabilis: nam qui in malis fuit, malis fuisse superiorem, & cum iis commissa pugna vicisse, est infinitæ potentiæ. Quomodo enim in tribus pueris fuit admirabilius, ingressos conculcasse flammam, quàm non ingressos esse fornacem, &c. Ita in Christo fuit admirabilius, mortuum perfregisse mortem, quàm non esse mortuum.* Et aliquantò post, *Judæi signa petunt & Græci sapientiam, &c. Quum ergo non solum quæ petunt, non præbeamus, sed etiam eorum quæ petunt contraria: Crux enim non solùm non videtur esse signum, si ratione examinetur, sed etiam signi peremptio: & non solùm non videtur esse ostensio virtutis & potentiæ, sed etiam probatio imbecillitatis: & non solum videtur non esse ostensio sapientiæ, sed etiam opinio stultitiæ. Quum ergo quærentes signa & sapientiam, non solùm non accipiant, quæ petunt: sed contraria audiant eorum quæ cupiunt, & deindè persuadeantur per contraria, quomodo non est virtus infinita ejus quod prædicatur? &c. Magnæ ergo virtutis & sapientiæ est, persuadere per contraria. Crux enim videtur esse res scandali, & tamen non solum non offendit, sed etiam attrahit. Quum ergo hæc omnia cogitasset Paulus, & obstupuisset, dicebat, Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Parco plura quæ ibidem, & quæ alibi in eandem sententiam sæpiùs & prolixiùs differit, hic inserere, cùm eorum locus alibi sit opportunior. Hinc satis liquet, non posse omnipotentiam Dei exaggerari vehementiùs, quàm ut per infirmitatem præpolleat, per scandala trahat, per ludibria illiciat, per insipientiam doceat, per crucem universum subiiciat. Hæ sunt deinceps ejus artes, hæc studia, hic summus omnipotentiæ apex. Quocirca Theodoretus in hunc versiculum: *Annunciate inter gentes studia ejus. Hæ salvatoris artes sunt decoræ. Immortalitas per mortalitatem donata est, & per mortem vita; per dedecus, decus; benedictio per maledictionem; per crucem, salus. Hæ sunt artes, hæc sunt Dei nostri studia.*

To. 1. pag. 37.

Hom. 4. in Epist. 1. ad Corinth.

In Psalm. 9.

VIII. Summa superiorum argumentorum.

Quàm non difficilis ergo, quàm decora, quàm necessaria fuerit ad propalandam Dei omnipotentiam ejus incarnatio, hinc satis eliquescit, quod alioqui non satis constaret, quàm penes illum solum jus sit in figmenta sua; quàm tractari se & contaminari alia manu vel arte non patiantur; non satis constaret, quàm potenter omnia impossibilia possit, & quàm piè impudens, & salubriter insana posthac fides illi adhærere debeat. Non satis constaret, quanta supra, imo contra naturam moliri possit, quanta in seipso etiam novare sospite incommutabilitate sua valeat. Non satis constaret, quàm consilio semel inito frustrari haud unquam possit, & quàm invicta potestate opificii sui ruinam in ejusdem incrementum ornatumque vertat. Non satis denique constaret, quanta

quanta sit potestate, si sola uteretur potestate: nec enim egregiam inde laudem aut spolia ampla referret, si creatura creatori comparata, impar foret: at si sola summaque infirmitate se amiciat, & vinciat, id omnipotentiæ argumentum erit, & monumentum oppidò quàm ingens. Jam ad sapientiam progredimur.

IX. Rursum sapientia Dei commendatur.

Primùm itaque cùm se sapientia Dei in tanto creaturarum ornatu, venustate, concentu abundè explicuisset, nihil hac tanta illecebra profecit ad eblandiendam hominis perseverantiam. Posthac ergo non sapientia, sed insipientia hominem adoriri, & subjugare consultius visum est. Neque enim ad debellandam hominum contumaciam necesse fuit, totam Dei sapientiam huc delabi, & nobiscum congredi; sed modicum quid ejus, imò fatuum quid ejus ad totam hominum sapientiam illudendam abundè fuit. Etenim si hominum sapientiam tam imparem sibi sapientia Dei profligasset, quantillum inde demessuisset laudis? At ubi stultitiam crucis, ubi stultum Dei sapientius esse constitit hominibus etiam sapientissimis, tum luculentior Dei sapientia refulsit. Origenes, *Mirabile quiddam volumus inserere, quoniam sapientia mundi stultitia est apud Deum, & infatuavit Deus sapientiam mundi, &c. Neque enim dignatur sapientia Dei ad mundi sapientiam convincendam tota descendere, sed potius modicum quod necessarium fuit, quod fatuum Dei erat, ut hoc parvo & fatuo Dei, infatuaretur sæculi sapientia, magnitudinem in se venientis sapientiæ impotens sustinere.* Subiicit exemplum hominis literatissimi, qui ad rusticum quempiam de quopiam revincendum, non multa dialectica, sed trito quopiam argumento utitur, & vincit. *Sic igitur ad mundi sapientiam stultificandam, non est opus sapientiam Dei descendere, & cum ea colluctari, quæ deorsum est sapientia: sed sufficit fatuum Dei. Quoniam fatuum Dei sapientius est hominibus, & infirmum Dei fortius hominibus, & omnia contraria salvator meus & Dominus assumpsit, ut contrariis contraria dissolvat.* Luculentè Pauli mentem videtur affecutus Origenes, frequenter adeo inculcantis ut sapientia Dei semel à primo parente contempta, ei deinceps salubriter illuserit, ejusque posteris, & crucis fatuitate totam hominum sapientiam prostraverit.

1. Quod ejus stillula, imò stultum ejus domet hominum sapientiam.

Hom. 5. in Hierem.

Et priscum sui contemptum ulciscatur.

X. 2. Quod vulgi fæcibus altissimam philosophiam.

Secundò id ut explicatiùs enarretur, pensitandum paulisper est, quàm multa complectatur incarnationis fides vel nimis ardua, & omnem hominum philosophiam longo intervallo anteeuntia; vel nimis stulta, & quantum homines sapiunt, incredibilis cujusdam fatuitatis portenta. Quæ enim de Deo uno trinoque, quæ de animæ immortalitate, de corporum resurrectione, de extremo judicio, de pœnis præmiisque sempiternæ posthac vitæ, de sensibilium omnium contemptu, de amore toto studioque ad æterna & intelligibilia recolligendo promulgata sunt, ea sunt, ad quæ se acutissimi & exercitatissimi quique arrigere vix possint. Rursus quæ de Deo nascente, vagiente, puerascente, in crucem demum acto, de vita confessioni nominis ejus impendenda, de contemptu honoribus antehabendo, de paupertate divitiis, de ærumna anteferenda voluptatibus differuntur, tanta scatere videntur fatuitate, ut insulsius quidquam nec fingi posse superciliosis philosophis videatur. Ubi ergo & illa tam ardua imperitissimis quibusque, & ab omni vel acuminis vel literaturæ præsidio destitutis hominum turbis evulgata sunt; & illa tam stulta peritissimis, ingeniique & dialecticæ fastu tumentibus persuasa sunt, annon summæ & inenarrabilis sapientiæ specimen fuit? Utroque enim perindè & suprema Dei sapientiæ laus continetur, & tota vincitur hominum admiratio, si vel tam sublimem philosophiam philosophari doceatur totum genus humanum, vulgique ipsa fæx: vel eminentem adeo dogmatum insulsitatem ingeniorum flos ipse & philosophiæ senatus complecti, & vitæ sanguinisque impendio defensare compellatur. At id per incarnationem præstitum est: summum ergo summæ sapientiæ documentum editum est. Chrysostomus, *Hoc ostenditur & validius & sapientius, quod & multis persuaserit, & persuaserit insipientibus. Indocto enim persuadere est difficillimum, maxime quando agitur de rebus necessariis & magnis, &c. Nam quod dogmata adeo sapientia & omnibus sapientiora susceperint indocti, hoc fert testimonium de maxima magistri sapientia.* Attigit planè hic sanctus Pater scopum Pauli, ubi ait: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.* Omnis enim sapientiæ inopibus, imo & ejus ex otii, ingenii, studiique inopia impatientibus, summam momento inserere philosophiam, non nisi creatricis sapientiæ munus est. Ibidem Chrysostomus, *Est enim magna virtus & potentia, abjectos & qui nullam unquam attigerant disciplinam, eos repentè docere philosophari, quæ sunt supra homines.* Idemque postea, *At qui persuasi sunt, erant famuli & mulieres & nutrices & obstetrices & eunuchi, &c. Hoc est quod vel maxime admirabilem reddit prædicationem, quod ejusmodi dogmata, cujusmodi nec Plato nec ejus asseclæ potuerunt excogitare, repentè potuerunt piscatores, generi omnium indoctissimo persuadere ut acciperent. Neque enim si prudentibus solùm persuasissent, adeo admirandum fuisset, quod factum est, &c. Si magna philosophantur & excelsa, & quæ propemodum humanam exuperant naturam, & sublimi opus habent intelligentia, quo magis stultos ostenderis eos qui sunt persuasi, eo magis ostendes sapientes & divina repletos gratia, eos qui persuaserunt.* Vide & hom. 36. in Acta, & alibi sæpissimè.

Et philosophis insulsiorum in speciē dogmatum fidem infuderit.

Hom. 5. in Epist. 1. ad Corinth.

Hom. 7. Ib.

XI. 3. Quod per imperitos peritis, per piscatores oratoribus jugum fidei impegerit.

Tertiò, tam operosa vivendi mandata, tam divina credendi oracula non doceri tantùm, sed docere potuerunt imperiti, & peritissimos docere, quæ philosophi quondam, & eloquentiæ & eruditionis plurimæ adminiculis freti, nec aliis suadere, & vix sibi poterant ipsis persuadere. Jam verò per insipientiam latius regnante Dei sapientia, docente piscatore obmutescit & assentitur orator; balbutiente Apostolo erubescit & credit Philosophus; suadente Judaici vulgi fæce, qua nec despicatius quidquam nec magis exosum erat, subiicitur Romanus rerum dominus, convertitur universus terrarum orbis; & deliciis hactenus fracti, ac divitiis immersi, terrena omnia abdicant confestim, & ad intelligibilem & divinam hic vitam, postea mercedem, per cruces & per ignes certatim properant evolare. Quis inde non intelligat quanta sapientiæ divinæ majestas, quanta vis fuerit, quæ per rudes ignarosque omnium tam præclaram orbi philosophiam illuminavit? Chrysostomus in Acta, *Illud interim mirabilius, quod publicum in ipsos jus habebant; imperiti, elingues ac simplices idiotæ, adversus impostores ac circumventores, adversus sophistarum, rethorum, ac philosophorum turbam, qui in academia Platonis & Aristotelis deambulationibus exercitati depugnarant, & in Stoicorum porticibus fuerant occupati. Hos ista superavit Petrus, quasi cum mutis piscibus certamen fuisset. Nec enim aliter quam piscator mutos pisces, ita hic illos superavit. Ac Plato quidem ille multa nugari solitus obticuit: hic verò loquitur, non tantum apud suos, verum etiam apud Parthos, apud Medos, apud Elamitas, &c.* Et in Epistolam ad Romanos, *Ubi obsecro nunc sunt quos Græcia sapientes habuit, &c. En tabernaculorum texendorum artifex, non ipsam tantum Græciam, sed & barbaram terram omnem convertit. Quam apud illos circumquaque discursans Plato, ter in Siciliam profectus, cum verborum illorum fastu ac fumo, cum magna illa quam de eo conceperant opinione, ne*

Hom. 4.

Hom. 2.

ne, ne unius quidem tyranni compos evaserit; quin potius ab illo tam infœliciter se explicuerit, ut & ipse libertatem amitteret suam. At tabernaculorum texendorum artifex hic, non Siciliam modò atque Italiam, sed universum terrarum orbem, verbum Dei prædicans peragravit.

XII. 4. Quod sapere & philosophari non paucuslos sed totū genus hominum compulerit. Quartò, si paulò penitiùs fas fit introspiscere consilium Dei, eccur fatuitate sola armatus, sapientiam hominum exarmaverit, inexcogitabilis sapientiæ plenissimum comperietur. Ad hunc enim modum egregiè ultus est contemptum sui, quo per sapientiam Deum emereri primus parens spreverat. Deinde occultat se hoc insipientiæ carnis crucisque involucro, ne se contemptui rursus objectet. Rursus dum latebram captat, magis splendescit. Sapientius enim est fatuitate sola quasi contemptim, sapientiam hominum superare, quàm magno sapientiæ nisu & apparatu. Item ea arte deprimitur fastus hominis, & hac humilitate sanatur; ut qui superbiendo & ad Dei sapientiam protervè grassando ceciderat, ad Dei insipientiam se dimittendo consurgat. Item non tantùm hominis in Deum, sed hominis in hominem exerta superbia curatur; ne docti enim jam, vel ingeniosi præ aliis tumeant, quando tarditas & imperitia ad fidei sapientiam non jam obex est, sed gradus. Rursus ne de sapientia, ne de summo philosophiæ culmine conscendendo desperet vulgus de trivio; paucis antè vix illa patuit, nunc omnibus obvia; cum Platone sapere & philosophari paucissimis spes erat, cum Christo & altiùs & faciliùs & fructuosiùs philosophabitur omne hominum genus. Chrysostomus, *Sola fide opus est, non syllogismis. Quapropter admiratione digna esse in primis debet, non solum quod & utilis & salutaris, sed quod & facilis & proclivis & omnibus susceptu facilis est. Id quod Dei maximè providentiam arguit, sua omnibus communia proponentis. Quod enim in sole ac luna, in terra ac mari, cæterisque Deus fecit: non divitibus quidem ac sapientibus plus partiens, majoremque copiam præbens, sed æqualem omnibus usum fructum proponens: id & in ipsa Evangelii prædicatione fecit: idque tanto etiam magis, quantò illa rebus aliis magis est necessaria.* Hom. 2. in in Epist. ad Rom.

CAPUT II.

Quantum indidem illustretur bonitas divina.

I. Rursum bonitas Dei ex Incarnatione Verbi clarescit. PRimùm quidem Dei natura bonitas est; quidquid ergo bonitati consentaneum est, id abhorret quamminimè ab ejus natura. At tota incarnationis dispensatio quid nisi summam quandam præfert bonitatis exuberantiam? Siquid ergo contemplantis offendit animum, siquid fidem absterret, id rursus ipsum & fidem & animum conciliare æquum est. Quo indignius enim, quo incredibilius quid esse demonstrabitur, inexhaustæ bonitati eo & proclivius fiet & decentius. Extremum aliquem bonitatis gradum an poterit homo imaginari, qui ultra Deum sit? Leo Magnus in Nativit. Domini, *Deus omnipotens & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est*. Pergit deinde ad Incarnationis consilium. Omnipotentiam sanè adæquat bonitati, ut nihil hæc suadere, quin illa præstare possit. (1. Quo indignius quid, eo bonitati opportunius.) (Serm. 2.)

II. 1. Bono non tam indignū est pati & mori, quā dignū servare, & vivificare: & indignis benefacere. Hinc illud decantatum toties, & fidem nostram calumniantibus ingestum, nihil tam dignum Deo esse, quàm hominis salutem. Indignum est Deo pati, sed dignum Deo est salvare: contumeliosum est mori, sed honorificum est vivificare: probrosum est hominem fieri, sed pulchrum est Deos efficere. Totum majestatis dedecus, decus est bonitatis: unde autem majestas Dei quàm ex bonitatis commendatione amplificetur? Crescit ergo unde decrescere, & honestatur unde dedecorari videbatur. Deinde naturæ omnes creatæ, ubi inter se componuntur, superant aliæ alias: ubi componuntur Deo, infimæ omnes, eoque pares jam sunt. Ergo omnes æquè Deo indignæ erant. Quid ergo dignum jam Deo, quàm indignis indignisque benefacere? Denique nativitate, passione, morte non passibilis Deus, sed clemens ostenditur. In tuto illi sua est impatibilitas, inaccessum illi constat beatæ immortalitatis asylum: quin ergo indulgeat clementiæ, & tantumdem de natura nostra benemereatur, quantum si contumelias passionesque subiret, & sentiret ipse? Tertullianus adversùs Marcionem: *Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos & sensus & affectus suscepisset, per quos vim majestatis suæ, intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, & ideo jam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quàm salus hominis*. Et paulò infra, *Totum Dei mei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis*. Ita ille de Deo disputat incarnationi suæ perdiu ante præludente, & hominis formam gestare jam tum in propheticis visionibus insuescente. Clemens Alexandrinus, *Hoc enim est maximum, & maximè regium Dei opus, βασιλικώτατον ἔργον, servare humanam naturam*. Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica: *Ab ejus qui est altissimus, & ad cujus altitudinem non patet aditus, natura ex æquo distat omnis creatura, & sunt ei omnia æqualiter subjecta. Quamobrem si terrestrem naturam existimabunt indignam, quæ cum Deo connectatur, neque ulla invenietur digna. Quod si ex æquo omnia sunt indigna, unum superest quod Deo conveniat, nimirum egenti benefacere*. Chrysostomus in Joannem, *Nam & quod homo factus sit, & servi formam acceperit, quod humilia & loqueretur & de se dici permiserit, indignum Deo. Indignum sanè siquis ejus consideret majestatem: dignum rursus siquis ineffabiles ejus humanitatis divitias contempletur*. Denique Theodotus Episcopus Ancyræ, *Horum nihil, quæ salutaria sunt homini, injuriam Deo facit, quibus non passibilis, sed clemens ostenditur. Sed hominis, inquies, passiones Deo non ausim tribuere: ergo neque eum passionibus salvare hominem dicis: neque cruce στηλιτεύειν diaboli potentiam: neque nostrum peccatum affixisse ligno: neque suis passionibus sanasse hominum passiones: neque morte dicis eum destruxisse mortem? Et infra, Cur autem vocas vilia, quæ Deus propter hominum salutem amplexus est? Nam etsi passiones naturaliter dicuntur & sunt, sed tamen nostrarum fuerunt medicina passionum. Nequaquam ergo hæc de cætero passiones appelles, sed passionum nostrarum potius medelam*. Quisquis ergo tuendę impassibilitatis prætextu incredulitatem suam obumbrat, non ille impassibilitati prospicit, sed clementiæ detrahit. Nam passiones impassibiliter pertulit Deus; imo passiones impassibilitatis scaturiginem esse præstitit, & insuper bonitatis laudem immensam sibi extruxit. (L. 2.) (Pædag. l. 1. c. 12.) (Cap. 27.) (Hom. 63. pag. 329.) (Conc. Eph. par. 3. c. 9. Homil. de Nat. Dom.)

Hinc illud homini juxta salutiferum, & honorificum Deo effatum, summam bonitatem nihil dedecere, præter vitium. Peccati corruptela, turpis est, & ipsa turpitudo; indecora, & ipsum dedecus est. Reliqua omnia nemo à sensuum consuetudine, vulgique præjudicio tantillum expeditus, vel turpia vel indecora senserit. Sua universis, sua singulis & pulchritudo & honestas constat. Honestiora sunt alia aliis; at quandiu abest peccati macula, nullum cuiquam naturæ inest dedecus, nullum dehonestamentum. Cùm ergo Deus ipsamet bonitas, virtus ipsamet sit, sola illi adversatur peccati contagio; hanc contrectare, hac attingi nefas ipsi est. At nullius creaturæ, nedum rationalis contactu complexuve contaminabitur. Refugit fugatque bonitas malitiam, virtus vitia: sed illicit ascißcitque sibi creator (III. 3. Deum nihil dedecet præter peccatum: non ergo creaturæ suæ contractu, vel copula contaminatur.)

tor creaturam, bonitas indigentem. Gregorius Nycessus Oratione Catechetica: *Ego prius existimo à carnali crassitudine paululum adducta cogitatione, oportere ipsum per se bonum considerare. Nemo enim cordatus inficiabitur, quin sola secundum naturam sit turpis ea quæ est ex vitio affectio; quæ est autem remota à vitio, sit aliena ab omni turpitudine. Cui autem nihil est contrarii immixtum, id eo quod est bonum & honestum comprehenditur. Deum autem decet quidquid in honesti regione consideratur. Aut ergo ostendant vitium esse originem, educationem, augmentum, progressum ad perfectionem, mortem, resurrectionem; vel si ea vitio carere concedant, nihil quod vitio caret, turpe esse fateantur necesse est. Id autem quod bonum & honestum est, si Deum dedecere doceant, nonne miserabiliter insaniunt?* Et infra; *Si ergo Deus quidem est vera virtus, nulla autem natura tanquam adversa statuitur virtuti, sed vitium: Deus autem non gignitur in vitio, sed in natura hominis: sola autem est indecora & turpis quæ ex vitio est affectio, in qua nec genitus est Deus, nec ea est ejus natura ut gigni possit: Cur pudet eos fateri Deum humanam attigisse naturam, perinde ac si ratio virtutis consideretur ut contraria conditioni hominis? Neque enim rationis & intelligentiæ & scientiæ esse participem, neque quidquam aliud ejusmodi, quod est proprium humanæ essentiæ, repugnat rationi virtutis.* Infamaret ergo bonitas creationem, si à natura quapiam tanquam turpi & indecora abhorreret. Idem ibidem: *Ad opificem reditura est naturæ accusatio, si quidquam ejus vituperetur, ut turpe & indecorum.*

Cap. 9.

Ib. c. 15. 18.

IV. Crucifigi & de crucifigentibus benemereri summum bonitatis, & ideo summum Deitatis argumentũ est.

Hinc postremò extremum illud bonitatis fastigium, & luculentissimum divinitatis argumentum, crucifigi & crucifigentibus benefacere. Ultimus hic bonitatis est cumulus, eo ulterius fingi nihil potest. Cùm ergo bonitas sit natura Deitatis, invictissimum hoc erit supremæ Deitatis documentum. An ergo id Deum minimè decet, quo Deum se esse vel maxime edocet? Deinde Deus virtus ipsamet est; at quod specimen virtutis insignius edi potest, quàm non tantùm miseros miserari, non tantùm egenis opitulari, non tantùm indignis auxiliari, sed malè meritis benefacere, convitia vulneraque muneribus, & honoribus repensare, Deum interimentes immortalitate & Deitate donare? Hoc insigne virtutis & bonitatis tantum est & tam ineffabiliter admirandum, ut Deum planè deceat, nec alium quàm Deum deceat, nec aliud tantoperè Deum addeceat. Et quoniam eo defungi nisi homo factus non potuit, decuit planè homo ut fieret; ut per humanitatis infirmitatem invictissimè Deum se esse ostentaret. Rursus hanc voluptatem nec Deus ipse expertus erat hactenus, qua inebriatur summa bonitas, dum quibus sua affundit bona, ab iis impunè conculcatur; & à quibus conculcatur, iis sua bona tantò cumulatiùs infundit. Hæc planè summæ bonitati summa voluptas accidit; hac saginari Deum & proinde hominem fieri decuit. Denique tam inauditæ beneficentiæ non tantùm experimentum edere, sed & legem edicere, & promulgare, & imbecillis naturis pronam expeditamque reddere, Deum omnino optimum maximum decebat, nec satis erat verbo, nisi exemplo illam suo confirmaret. Unde post Christum & Apostoli & Martyres, & de illo semine germani quique discipuli, illata mala benefactis retaliari, eòque Deitatis quandam imaginem præ se ferre deinceps non destiterunt. Chrysostomus in Acta, *Hac dignitas est discipulorum Christi. Crucifixerant illum, qui ad benefaciendum illis venerat; discipulos illius flagellaverant; & nihilo tamen minus in eundem cum discipulis honorem illos evehit, suaque illis pari largitate communicat. Imitatores fiamus, oro, Christi. In hoc decet imitari illum; hoc æqualem facit Deo; hoc plus est quam humanum.* Ubi sanctus Pater quodammodo ait: Reliquas virtutes docere alii suoque præire poterunt exemplo; at infensissimis hostibus impensissimè favere, & ex animo bene velle & facere, tanta virtutis prærogativa est, quantam solus Christus, solus Deus carne indutus & usurpare primùm potuit, suisque & dictis & factis humano generi persuadere. Eo enim & Deum se esse, Patrique ceu fonti bonitatis primigeniæ æqualem, & nos Deos effici posse maximè demonstravit. Nec minùs facundè Tertullianus: *Nasci se Deus in utero patitur matris, & expectat, natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci; insuper & contumeliosus sibi est, &c. Numquid subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Inexpertas sibi igitur tantæ patientiæ delicias Deus per hominem assumptum jam experiri ubi cœpit, non degustare tantùm voluit; sed iis ante suum hinc excessum copiosissimè exatiari. Ex tantæ bonitatis probatione Deus vel maximè agnoscendus est. Hinc ergo philosophicis mentibus Christiana fides astruitur, unde carnalibus destruitur. Hi ut carnis mancipia cruciatus carnis carnaliter exhorrent, & indignos Deo existimant; illi carnis passiones floccifaciunt, patientiæ virtutem non tantùm Deo dignam, sed Deum ipsum esse autumant. Nimirum suos quisque mores Deo illinit. Qui hinc ergo Christianæ religioni conviciantur, illam quidem defæcatissimæ & castissimæ cujusdam philosophiæ arcem esse, se verò ipsos carnalibus vitiis sensibusque addictos produnt. Tertullianus ibidem, *Talia tantaque documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos verò ratio & instructio, satis apertè non sermonibus modo in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini in sustinendo, probant his quibus credere datum est patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis.* Patientia, longanimitas, effusior in malevolos benevolentia, in maleficos beneficentia, Dei natura, Dei proprietas & peculiaris prærogativa est; ergo dum homo fit, & homo factus moritur, ingenio Deitatis indulget, suæ obsequitur naturæ.

Nec gloriæ tantum, sed deliciarum cumulus.

Hom. 14.

L. de Patientia.

Nempe saginari voluptate patientiæ.

Cui fidei qui obstrepunt, suos mores produnt, seque ipsos infamant.

Secundò, Bonitatis & Amoris officium in primis illud est, conspectum sui non denegare. Vix enim ac nec vix vel amare vel amari se suadebit, qui nec videri se volet. Nam videre & videri, amoris esca & fomes est. Quævis alia gratiarum copia hujus unius repulsæ injuriam non eluet. Atqui ab homine corporeorum affectuum sordibus lippiente videri Deus nisi homo factus nequibat.

V. Bonitatis est amantium vota non irritare. Amoris autem votũ primum est videre quod amat.

Deinde amor subimpudens solet esse; quid jus, quid ratio, quid modus jubeat, parum auscultat; nihil impossibile, nihil arduum, nihil inconcessum sibi præjudicat. Suam hanc procaciam excusat ipse, quia amor est; nec culpari potest quis, quòd nimiùm amat. Ergo jubente amore, jus fasque fuit, humanis ut se conspectibus videndum Deus sisteret. Plus satis id testificantur inflammata illa Moysis aliorumque olim piorum omnium vota, quibus Deum identidem lacessebant, conspiciendum ut se præberet. Ut quid enim amari se tantoperè præciperet, & amoris primum votum ludificaret? ut quid pietatem commendaret, & amoris instinctum cruciaret? Ideo prælusoriis visionibus illos interim solabatur Deus, & ad ferendum sui aliquando conspectum insuefaciebat. Quin imo Gentiles ipsi innato ardebant Dei corporaliter videndi desiderio. Quemadmodum enim usuvenit non rarò, ægrotis ut morbus ipse, vel natura

Hinc illa videndi Dei sitis in Moyse & Prophetis.

Imò & in Ethenicis, qui vel naturæ, vel egritudinis arcano instinctu

corporatum Deum sibi præsagie-bant & præ-fingebant.

natura potius, arcano instinctu inspiret, quo relevari opus habeat medicamento; ita originali ægritudine affixum sensibus & sensibilibus genus humanum, & lucis intelligibilis impatiens, corporatum Deum quasi somniando sibi præformabat. Errabant illi qui corporeos alibi venabantur sibi fingebantque Deos: non errabat natura, non errabat residui amoris umbra, spem sibi totam opemque in corporato Deo collocandam præsagiens. Ne ergo morbi præsagium medicus, ne naturæ instinctum creator, ne amoris æstum fraudaret bonus, æquum fuit corporeo se tegumento indueret, videndumque se & fruendum exhiberet. Præstantissimè hæc edisserit Chrysologus, *Ubi humana corda flamma divinæ charitatis accendit, & humanis sensibus amoris Dei tota se fudit ebrietas, saucia mente cœperunt, Deum carnalibus velle oculis intueri. Amor ignorat judicium, ratione caret, modum nescit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata pervaserit, necat amantem, &c. Amor, quod amat, non potest non videre. Hinc est quod omnes sancti omnia quæ meruerant, parva duxerunt, si Dominum non viderent. Et revera quomodo pro beneficiis reddet obsequium, si beneficiorum non videat largitorem? Aut quomodo credit à Deo se amari, cujus non meretur aspectum? Hinc est quod amor, qui cupit videre Deum, etsi non habet judicium, habet tamen studium pietatis. Hinc est quod Moyses, &c. Denique & ipsi gentiles ob hoc simulacra finxerunt; ut in ipsis erroribus, oculis cernerent, quod colebant, &c. Nemo ergo Dei credat injuriam, si Deus ad homines per hominem venit; & assumpsit ex nobis, ut videretur à nobis.*

Serm. 147.

VI. Bonitatis, id est, amoris est extrema quæque copulare.

Amoris quoque officium est extrema quæque copulare, alta deponere, ima sustollere, remotissima adunare. A natura ergo Dei qui charitas est, alienum non est, quod amori adeo consonat. Ælredus in exordio Operis sui in Esaiam, *Amoris legibus innitor, cui nihil humile, nihil sublime est: qui cœlum terræ adæquans, Dominum cœli terrenis membris inseruit, ut Verbum caro fieret & habitaret in nobis: qui Dominum deposuit, & hominem sustulit, ut quasi in quodam medio miseria & misericordia obviarent sibi: ut ita se infirmitati virtus uniret, ut essent in carne una Verbum & Anima, & in his tribus, Deus Verbum, una persona. Quæ non igitur alta amor deponat, aut quæ ima non sustollat, ut in se unum faciat? Qui salva nec confusa naturarum proprietate, tam mirificè mediante anima, cœlum terræ, Dominum carni, spiritum commiscuit pulveri.* Qui semel amarit, amoris se suaque mancipavit imperio, ut ab eo susdeque agi, vertique posthac possit. Quin imo qui semel amarit, sese amando deposuit, apicem suum inclinavit, sese ipsum amato dedit & astrinxit, nihil ut deinceps quod ei conducat, possit abnuere. Nec injuriosa Deo ea vis est, quam ipse infert sibi; inclinat enim & deponit se ipsa quia amor ipse est; non ergo contumeliæ, sed potestatis & bonitatis est, quòd tantum ei in se & liceat & libeat. Quin imo cùm charitas Deus sit, proindeque summa charitas sit, summum ejus experimentum fieri, nec aliud præter istud summum dici posse perspicuum est. Nec verendum ne summo amoris experimento devolvatur summus ad infima; quo enim descendet profundiùs majestas, eo assurget altiùs amoris id est Deitatis potestas.

Alta deponere, ima sustollere.

Summi amoris unũ experimentum est sũmam majestatem inclinare.

VII. Amantis est amico ægrescenti, & si forte furenti opem ferre.

Amantis pariter officium est, amico ferre suppetias; sed tum maximè, cum in furorem fortè versus, insanit & tumultuatur. At amicitia olim Verbum inter & hominem coaluerat; cum hominum enim genere deliciari, jam inde à mundi conditu insueverat Verbum. Nec amicitia tantùm sed necessitudo quædam & consanguinitas intercedebat, Veritatem inter & mentem, Verbum inter & rationem. Ergo cùm peccato postea excantatus homo fureret, & nec Deum Patrem agnosceret, nec spiritalis suæ naturæ revereretur dignitatem; suadebat affinitas, cogebat amicitia Verbum accurrere, medici partes agere, tantumque mali propulsare. Pulchrè id Eusebius philosophatur ex mente Platonis, *Ubi autem Dei Verbum forma humana indutum, Hebræorum literæ repræsentant: dicendum enimverò non quomodo Græcorum fabulæ de Protheo, &c. Sed potius quemadmodum Plato ipse docet, ut opis in amicos aliquid ac beneficii conferatur. Quoniam igitur ex omnibus animantibus charius Deo nullum est homine, qui cum Dei Verbo, à quo ratione donatus est, necessitudine quadam & affinitate conjungitur. Merito quidem cœleste Verbum, quod hujus tanquam dilecti animantis curam gereret, ad honoris universi curationem venire pronunciant. Quippe quod morbo ac furore tam insano teneretur, ut nec Patrem Deum, nec propriam naturæ suæ spiritalis essentiam, nec ipsius Dei providentiam rerum conservatricem agnosceret, sed in brutæ animantis conditionem prope degenerasset.*

Præpar. Ev. l. 13. c. 3.

VIII. Bonitatis est amare & redamantes quærere quod non creatio, sed incarnatio obtinuit.

Amantis est denique redamantem poscere, amando amorem procurare, amando imitatores allicere. Cùm certè Gentilibus & Judæis sapientiam potestatemque suam Deus stupendis significasset operibus, erat quod contremiscerent, non erat quod imitarentur. At ubi benignitas amantis apparuit, tum non admirari tantùm, libuit etiam imitari. Bernardus de Nativitat. Domini: *Apparuerat ante potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione, sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate. Innotuerat Judæis potestas in signis atque portentis, unde & in lege sæpiùs invenies, Ego Dominus, ego Deus. Philosophis quoque abundantibus in sensu suo majestas innotuit, quoniam juxta Apostoli verba, quod notum est Dei, manifestum est in illis. Verumtamen & Judæi potestate ipsa premebantur, & philosophi scrutatores majestatis opprimebantur à gloria. Potestas subjectionem, majestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat Domine bonitas, cui possit homo, qui ad imaginem tuam creatus est, conformari; nam majestatem, potestatem, sapientiam, nec imitari possumus, nec expedit æmulari.*

Serm. 1.

IX. Summæ charitatis est amorem provocare antevenire, & quidem summo beneficio.

Tertiò, provocandus est amor, non cogendus; non imperio extorquendus est, sed beneficio eblandiendus. Nam si cogitur, si extorquetur jussis minisque, vis ea jam, non amor est. Ergo impendendus est amor primùm ut rependatur, præveniendus est, ut sequi libeat. Dei ergo partes erant, ut occuparet hominem diligere, & amando ad redamandum pelliceret. Antevenire enim amore honorificum est; & quo quis superior, inferiorem amando prævertere, decentissimum est. Non quoquo autem modo præcurrere Deus, & amorem nostrum prævio amore suo emereri debuit; sed qui amorem flagrantissimum & modi nescium provocare tendebat, par fuit, infinitum quendam in nos amorem digno parique beneficio oppigneraret. Augustinus ita philosophatur, *Ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos, & filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio, quàm prævenire amando; & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere. Quod si in ipsis flagitiosis & sordidis amoribus videmus, nihil aliud eos agere, qui amari vicissim volunt, nisi ut documentis quibus valent, aperiant, & ostendant quantum ament, eamque imaginem justitiæ prætendere affectant, ut vicem sibi reddi quodammodo flagitent ab eis animis, quos illecebrare moliuntur, ipsique ardentiùs æstuant, cùm jam moveri eodem igne etiam illas mentes quas appetunt, sentiunt.* Hæ amandi sunt artes, hæ illecebræ; certatim præire amando, amoremque potius gratis impendere, quàm jure reddere. Sed ubi

L. de Catec. rudib. c. 4.

ubi prævertit amare superior, & immerentem, imo malè meritum, meritoque de amore desperantem amare præcurrit, tum verò & beneficentiæ exuberantiam prodit, & ad amorem sui miris modis prolicit. Ibidem Augustinus: *Opera pretium est autem animadvertere, &c. Quanto amore exardescat inferior, cum à superiore se diligi senserit, Ibi enim gratior amor est, ubi non æstuat indigentiæ siccitate, sed ubertate beneficentiæ profluit. Ille namque amor ex miseria est, iste ex misericordia. Iam verò si etiam se amari posse à superiore desperabat inferior, ineffabiliter commovebitur in amorem, si ultro ille fuerit dignatus ostendere, quantum diligat eum, qui nequaquam sibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem superius Deo judicante, & quid desperatius homine peccante?*

X. Creator hominem homini, Redemptor Deum homini donat.

Perfunctus insigniter fuerat Deus hoc amoris officio, dum tam meriti quàm substantiæ adhuc expertes creaverat. Nec tamen hoc beneficio satis inescaverat hominem, nec indivulsè sibi constrinxerat. Eædem ergo rursus tentandæ fuere artes, sed efficaciùs; ut quem creando non satis demeruerat, restaurando invictissimè sibi devinciret. Et verò reparatori plus incomparabiliter debet homo, quàm creatori. Dixit & facta sunt; tanti constitit tanta beneficentia; at ut repararet, & multa & dura & indigna pertulit, seque ipse Deus impendit. Rursus nildum vel bene vel malè meritum creavit; at multa malè meritum reparavit; ergo hìc quam illic & operosior & gratiosior, proindeque accendendo amori efficacior extitit benevolentia. Denique dum creat, me mihi dat: dum reparat, me mihi reddit. Imo dum creat, me mihi dat: dum reparat, se mihi donat. Ergo reparatus tanto plus debeo quàm creatus, quanto hominem præcellit Deus. Bernardus: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam & pro refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus quàm factus. Dixit & facta sunt. At verò qui me semel, & tantum dicendo, fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertullit dura, nec dura tantum, sed & indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Ita ille diligenter expendit, quantò plus Deo devinciatur homo refectus, quàm factus. Cùm ergo hìc resplendeat amoris & beneficentiæ cujusdam inenarrabilis & inexcogitabilis cumulus, quid Incarnatio tota præfert, quod non Deum summoperè addeceat? An Deum non decet, an non licet tam beneficum esse? An bonitati suæ tam effusè indulgere non debuit, aut non potuit? An tantam bonitatis & amoris exundantiam, homo fingere potuit, præstare non potuit Deus. An homo Deum sibi Deo meliorem finget. Et quid Deo familiarius, quàm ultra fidem, præter spem benefacere. Unde ibidem Bernardus, *Hic primum vide quo modo, imo quam sine modo à nobis Deus amari meruerit, qui prior ipse dilexit nos, tantus & tantum & gratis, tantillos & tales, & quod in principio dixisse me memini, modum esse diligendi Deum, sine modo diligere.* Et Salvianus, *Pro hoc ergo solo quid solvere homo poterit, cui se per ultimam pœnarum acerbitatem Christus impendit. Aut quid pro se dignum Domino repensabit, qui ipsum Deo à quo redemptus est, Deum debet.* Hildephonsus in Nativitate B. Mariæ, *Scientes authori nostro vel multum nos debere conditos, plus redemptos.*

Tanto ergo Deo digniora ista, quã illa beneficentia. — L. de diligendo Deo. — Ad Eccles. Cathol. l. 2. — Sermon. 1.

XI. Beneficentius est pœnas nostras ipsum luere, quam donare. Serm. 39.

Minùs amasset, minùs amorem provocasset, si peccatorum debita donasset, non solvisset. Maluit ergo suam in se Judex retorquere sententiam, & pro reo luere, ut amplioris amoris & sui testimonium & nostri incentivum subjiceret. Chrysologus: *Suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores: in se sententiam suam Judex retorsit, ut amasse se peccatores proderet magis solvendo debitum, quàm donando.* Condonare enim ut nullius laboris fuisset, ita minoris dilectionis visum esset.

XII. Summa summi amoris, pro servi salute orbari Filio. De Jacob & beata vita. L. 1. c. 6.

Sed quanta inde amoris fax accenditur, quòd orbari maluerit Pater Filio unigenito, quàm servo fugitivo. Pro desertore mancipio de toto Patris nomine propemodum periclitari voluit. Sed hæc facundiùs disseret Ambrosius, *Quod in Patre fuit, nihil sibi ipse reliquit. Totum pro te obtulit, quod in plenitudine divinitatis non amisit, & ipse te redemit. Considera affectum Patrium. Quod pietatis est, quasi morituri filii suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur.*

XIII. Et beneficii magnitudinem obumbrare, & quod donatur, videri reddere.

Quid quòd & tam gratuiti beneficii magnitudinem dissimulare, gratiamque obumbrare nisus est. Quasi enim debere voluit, munerique suo pompam detrahere, ut videretur solvere potius quàm donare quidpiam. Idcirco enim ait Chrysostomus mactari sibi Abrahami filium postulasse, ut eo nexu debitor paris gratiæ teneretur; & ubi Abrahami filium repensaret suo, ea vicissitudine amorem existimaretur rependere, non provocare. Hoc planè summum est amoris fastigium, ars summa, summum ingenium beneficentiæ; ubi quid donas, videri reddere; donanti splendorem, recipienti pudorem demere; scilicet ut illectus, sic provocare ut provocatus videare. *Mihi considera quanta sit benignitas. Nam quoniam hominibus quædam magna erat danda gratia, volens id non facere ex gratia, sed tanquam debitor, efficit primum ut homo det suum Filium pro amore Dei; ut nihil videretur magnum facere dans suum Filium, siquidem ante eum homo hoc fecit, ne existimaretur hoc facere ex gratia, sed ex debito. Nam quos diligimus, hoc quoque volumus eis donare, ut quum quidpiam exiguum ab eis acceperimus, videamur sic eis dare universum, & magis gloriemur quod acceperimus, quàm quod dederimus.* Nihil beneficentius hac tantæ beneficentiæ dissimulatione.

In Epist. ad Hebr. hom. 15.

XVI. Obtrectatores incarnationis non tam increduli sunt, quam ingrati plerique.

Quanto enim verò suam beneficentiam extenuat Deus, quanto magnitudinem suas evacuat, tanto amoris flammas majores aggerat. Æquum est enim, ut quanto fit pro nobis vilior, tanto sit charior. Dispendia ejus compendio nobis sunt; ejus humilitate nobilitamur, ejus contumeliis honestamur. Quantum sibi detrahit, adjicit nobis. Qui ergo incarnationi obtrectant, ingrati magis, quàm increduli mea quidem sententia sunt; tantum debere Deo magis, quàm credere tergiversantur; deterret illos non tam operis, quàm beneficii pondus & magnitudo. Sed utcumque illis libeat vel ingratis vel incredulis esse, nobis hæc non vilitas, sed charitas Dei est; non dignitatis detrimentum, sed dignationis augmentum est. Amari voluit, amorem & bonitatem suam testificari voluit; certus æternitatis & immortalitatis suæ erat: de amore, de bonitate periclitabatur; nasci, pati, mori, nullo æternitatis & immortalitatis damno, magno amoris & bonitatis compendio voluit, potuitque. Quanto ergo fit Deus pro homine vilior, tanto fit Deus homini charior. Hilarius, *Hæc si quis indigna Deo recolet, tanto se majoris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majestati, &c. Humilitas ejus nostra nobilitas est; contumelia ejus honor noster est; quod ille est Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati.* Gregorius magnus, *Carnis nativitas despecta visa est sapientibus mundi; contempserunt namque infirma humanitatis ejus, Deo hæc indigna judicantes. Cui tanto magis homo debitor fuit, quando pro illo Deus etiam indigna suscepit.* Leo Magnus: *Humilitas divinitatis nostra provectio est. Nos tanto redimimur pretio,*

Nec illos operis, sed beneficii pondus deterret. — L. 2. de Trinitat. — Moral l. 29. c. 1. — Serm. 1. de Pass.

tio, nos tanto curamur impendio. Cassianus de Incarnatione: *Cum utique augere in nobis affectum ejus & cultum debeat vel dignatio tam humilis nativitatis, vel pietas tam benigna patientis; quia maximum utique & immanissimum scelus est, ut ideo apud nos minus honoris habeat, quia plus amoris impendit.* Denique Bernardus: *Quanto minorem se fecit in humanitate, tanto majorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est.*

L. 2. c. 3.

Serm. 1. in Epiphan.

XV. Charitatis finem ampliare, ut alienę saluti tuam impendas, Dei unius erat, nec nisi incarnati:

Postremò tandem ejus quæ summa est, & Deo uno digna decoraque, charitatis non totam vindicavit sibi uni gloriam Deus, sed & in homines effudit. Exinaniri, duraque & indigna pati sustinuit, non tantùm ut in Deum, sed ut in hominem ipsum impensioris amoris legem, & exemplum præscriberet homini. Tametsi enim primæva lex proximum tanquam seipsum ab unoquoque diligi sanxisset, idque hominibus culpæ miseriæque omnis expertibus ante peccatum abundè fuisset; lapsis tamen & in flagitia calamitatesque longè plurimas & ærumnosissimas devolutis, nihil unquam spei, nihil opis affulsisset, nisi quis proximos plusquam seipsum diligens, & maculas & pœnas eorum subeundo expiasset. Nec id semel opus fuit solummodo, ut Deus hominem indutus, hominesque plusquam seipsum diligens, pro eorum culpis miseriisque extergendis piacularis hostia occideretur; sed & deinceps in contrectandis singulorum vulneribus, in procuranda cujusque salute, necessum frequentissimè fuit idipsum factitari, & medici morte ægros sanari. Hanc ergo propagandæ ulteriùs charitatis legem quis sciscere, quis exemplo præire, quis per orbem promulgare, quis humano generi persuadere, & in mores inducere potuit, quis debuit, quis præter Deum dignus fuit? An mediocris illa charitas authori Deo, hæc tanto admirabilior authori vel Angelo vel homini adscriberetur? An charitatis, quæ legum aliarum vita & lex est, Deus qui charitas ipse est, exordia tantùm & rudimenta mandasset; incrementum & summum columen creatura aliqua invexisset? Plus ergo creaturæ quàm creatori deberemus? Nec verò ea erat hæc lex, quæ solo verbo scisceretur. Exemplo legislatoris confirmanda fuit. Nec enim tam arduum, tam præruptum iter à vulgo hominum facilè capesseretur, nisi à præeunte complanaretur duce aliquo. Cæterum iter vitæ tam asperum, legem adeo ineffabiliter sanctam, sed inexplicabiliter operosam, & dictis & factis præire, vel Deo decorum est. Gregorius magnus, *Sæpe largitorem muneris rerum facit abundantia, non virtus compassionis. Qui enim afflicto perfectè compatitur, plerumque & hoc indigenti tribuit, in quo ipse qui dederit angustatur. Et tunc plena est cordis nostri compassio, cum malum inopiæ pro proximo suscipere non metuimus, ut illum à passione liberemus. Quam videlicet pietatis formam mediator nobis Dei & hominum dedit. Qui cum posset nobis etiam non moriendo concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit, quia nos videlicet minus amasset, nisi & vulnera nostra susciperet; nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalesque nos reperit, & qui nos existere fecit ex nihilo, revocare videlicet etiam sine sua morte potuit à passione. Sed ut quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod nos esse voluit, ut in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam à nobis in perpetuum fugaret.* Ubi advertis, huic amoris exuberantiæ, qua sibi quis alium ante habet, ejusque vitam suæ tuetur impendio, tum demum fuisse locum, cum passibiles mortalesque per peccatum esse cœpimus. Advertis rursus ea de causa incarnatum fuisse Verbum, ut secundùm eam pietatis formam nobis succurreret, aliisque paris exercendæ charitatis legem præformaret. Advertis denique hanc esse summam amoris testificationem, & nobis ad salutis auxilium pernecessariam, & Deo ad laudis cumulum. Cyrillus quoque illa illustrans Christi verba, *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos*, utriusque charitatis & olim ante Christùm, & postea à Christo præscriptæ modum discriminat, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. At quomodo, dicet forsan aliquis, mandatum hoc novum mandatum dixit, qui per Moysen veteribus præcepit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Quomodo novum est illud mandatum per Christum, quod est veteribus legibus constitutum? Sed vide qua cautione usus sit: non contentus est dicere, Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: sed novitatem sermonis ostendens, suamque dilectionem aliquid majus ac præclarius habere, quàm vetus illa in proximos dilectio, subjunxit: Sicut ego dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. Igitur in forma Dei cum esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, &c. Factus obediens usque ad mortem crucis, &c. Vides dilectionis erga nos novitatem. Lex enim præcepit diligere fratrem sicut teipsum, Dominus autem noster I. C. dilexit nos plus quam seipsum, &c. Inauditus itaque ac novus est hujus dilectionis modus.* Sic ille ultra priores limites effusissimam in nos Christi caritatem demonstrat, non admirandam dumtaxat, sed imitandam, & legis instar ob oculos positam. *Ita & nos affici jubet, nihil prius omnino dilectione erga fratres habentes, non gloriam, non divitias; sed nec ipsam, si res ita ferat, corporis mortem oppetere veritos, ut proximi lucremur salutem. Quod etiam fecerunt beati Servatoris nostri discipuli, & qui eorum vestigia sunt secuti, qui aliorum salutem vitæ suæ prætulerunt, nullumque laborem recusarunt, adeoque extrema subire mala non dedignati sunt, ut pereuntium animas servarent.*

Qui suo sæpe exemplo hanc legem confirmaret.

Charitas ex lege Christi quam ex lege naturæ flagrantior.

Moral. l. 20. c. 26.

Et ea post peccatum necessaria.

In Joan. l. 9.

CAPUT III.

Quantoperè justitia Dei commendetur ex Incarnatione Verbi.

I. Denique justitia Dei claruit vel maxime,

EA imprimis justitiæ commendatio est, quòd infensissimum justitiæ hostem, injustitiæ totius principem, non potestate adgredi & spoliare, sed justitiæ lege maluerit Deus vincere, ut Patres omnes conspiratissimè sentiunt. Augustinus de libero arbitrio, *Atque Verbum Dei, unicus Dei filius, diabolum quem semper sub legibus suis habuit & habebit, homine indutus, etiam homini subjugavit; nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiæ.* Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, *Nosque bonorum suorum participes declaravit, apostaticæ nimirum turbæ imperio quod adversum nos habebat, juxta traditionem arcanam profligato, non viribus ceu prævalens, sed secundùm mysticum eloquium, in judicio & justitia.* Plurium suffragia sparsim toto hoc capite congerentur.

L. 3. c. 10. Dum diabolus non potestate, sed lege justitiæ debellatur. Cap. 3. n. 11.

II. Eoque efficaciter deinceps sancitur, ne ad potentiam, nisi per justitiã grassemur.

Ut autem justitia Deus, non potentia diabolum debellaret, ipsa peccati ratio suadebat, quod profligare moliebatur. Peccarat enim diabolus, & peccabant deinceps homines ejus incitamento, & exemplo adacti, non alio magis capite, quàm quòd potentiam contempta vel oppugnata justitia affectarent. Ergo ut amor justitiæ antiquior esset, ut ante amorem potentiæ altiùs insereretur, ut non deinceps ad potentiam nisi per justitiæ gradus eluctaretur quisquam, is cui exuberabat potentia, hac interim supersedere, unaque justitia posse & vincere constituit. Augustinus, *Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit. Nam quid omnipotente potentius, aut cujus creatura potestas potestati creatoris comparari potest?*

De Trinit. l. 13. c. 13.

Sed

Sed cum diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator potentiæ, & desertor oppugnatorque justitiæ; sic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa justitia potentiæ student, ejusque vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate; placuit Deo, ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur: atque ita & homines imitantes Christum, justitia quærerent diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit, sed ordo servandus est, quo prior est justitia. Nam quanta potentia potest esse mortalium? Teneant ergo mortales justitiam, potentia immortalibus dabitur. Non sugillandus ergo, sed admirandus vehementissimè hic est, Dei cum diabolo non ex potentiæ suæ, sed ex justitiæ communis legibus concertantis, imò quasi litigantis conflictus. Eo enim documentum instruitur, exemplum præformatur, quo tota in posterum emendari vitiorum perversitas, legum morumque ordo restaurari possit. Et quid ibi non dignum Deo; Si se omnipotentia premit, hæc summa potentia est, tantùm in seipsam posse: sed si se premit illa, & concedit justitiæ, ut infirmis mortalibus æmulandam se præstet, suadeatque justitiæ magis quàm potentiæ studere interim: justitia enim ad stabiliorem deventuros potentiam, nec potentius quidquam aut invictius esse justitia; quid hac in re minùs dignum Deo, aut non Deo dignissimum: Idem Augustinus. *Sic à moriente* (Cap. 14.) *tam potente, nobis mortalibus impotentibus, & commendata est justitia, & promissa potentia. Horum enim duorum, unum fecit moriendo, alterum resurgendo. Quid enim justius, quàm usque ad mortem crucis pro justitia pervenire. Et quid potentius quàm resurgere à mortuis, &c.*

III. Detinebatur autem homo à diabolo æquo jure ex sententia sanctorum Patrum.

Ut autem dilucidius fiat, qua justitia Dei liberatus sit homo, expendendum priùs est, quo jure à diabolo detineretur. Jure ergo æquissimo nixum fuisse dominatum diaboli in hominem, annuunt Patres longè plurimi. Augustinus: *Quoniam fœmina decepta, & dejecto per fœminam viro, omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem, legibus mortis, malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen jure æquissimo vindicabat.* (De lib. arbi. L. 3 c. 10.) Et paulò post, *Cui libidini subjugaverat ille, quos ceperat. ut quidquid inde nasceretur, tanquam suæ arboris fructus, prava quidem habendi cupiditate, sed non iniquo possidendi jure retineret.* Et paucis interjectis, *Ita factum est, ut neque diabolo per vim eriperetur homo, quem nec ipse vi, sed persuasione ceperat.* (Epist. 4.) Eadem verba exscripsit Paulinus ad Severum. Rursus idem Augustinus de Agone Christiano, (C. 1. & 2.) *Cujus ille Princeps est, (diabolus mundi) quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quæ hoc visibili mundo continentur; non quia ipse Dominus est hujus mundi, sed Princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne quod transit, ut ei subjaceant qui negligunt æternum Deum, & diligunt instabilia & mutabilia.* Et ibidem, *Datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari à serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus convertimus, ut cibus ipse secundùm corpus hoc efficiatur quod nos sumus: sic malis moribus per nequitiam & superbiam & impietatem, hoc efficitur quisque quod diabolus est, hoc est, similis ejus, & subjicitur ei sicut subjectum est nobis corpus nostrum.* Leo Magnus in (Serm. 2.) Nativit. *Superbia hostis antiqui non immeritò sibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illexerat. Non itaque justè amitteret originalem dedititii generis servitutem, nisi de eo quem subegerat, vinceretur.* Gregorius Magnus, *Cadens à sublimibus humanas mentes jure possedit, quia in culpæ suæ vinculo volentes astrinxit.* (Moral. l. 2. c. 16.) Gregorius Nyssen. Orat. Catech. *Quidnam ergo est in his justum. Non aliqua tyrannica, in eum qui nos possidebat, uti authoritate:* (Cap. 11.) *neque summa vi rapiendo ab eo qui dominatum obtinebat, relinquere justæ defensionis aliquam occasionem, ei qui per voluptatem hominem redegerat in servitutem. Quomodo enim qui pecunia suam vendiderunt libertatem, fiunt servi emptorum, ut qui seipsos vendiderint: & nec ipsis nec ulli alii pro eis licet proclamare ad libertatem, &c. Eodem modo cùm nos ipsos nostra sponte vendiderimus, &c.* Alios complures in id consentientes missos facio. Certè non potuit expressiùs declarari fundatissimum & justissimum diaboli dominium in hominem peccatorem.

IV. Principatus in nos diabolici fundamenta

Rationes autem quibus jus illud instruitur, hæ admodum sunt. Quod diabolus princeps sit omnium peccatorum; peccat enim ab initio, nec tempore tantùm, sed & peccati granditate peccantium primus est. Qua ergo defectionis in Deum Dux, & Magister, incentorque fuit primùm, meritò in desertores omnes principatum tenet (in primatu peccandi,). Deinde perversarum cupiditatum terrenarumque libidinum ut primus author, ita magister in posterum, satorque & propagator fuit. Quoscumque ergo illis implicare potuerit, jure illos ut sui seminis frutices, ut suæ arboris fructus, ut suæ scholæ discipulos vendicabit (in granditate peccati,). Rursus antequam ex arce beatitudinis decideret, non immerito principabatur; at ubi inde descivit, excussum quidem ipsi jus omne est in eos qui non desciverunt (in magisterio & authoritate,); at in ejusdem consortes impietatis, nil causæ est, cur jure pristino exciderit. An enim desertores ampliorem flagitio suo nanciscentur libertatem (in antiqui principatus reliquiis.). Nec objicias, principem desertorum omni in gregales suos principatu justè exuendum fuisse. Nam si ille exui meruit, hi non meruerunt exolui. Quin totus hic cùm sit malitiæ principatus, & impotentissima magis peccandi potestas, jure & ille præest & hi subsunt, ubi & præesse non paulò probrosius videretur quàm subesse, nisi utrumque & probrosissimum existimaretur esse & miserrimum (quod malitia principari miserrimum sit, & æqua enormitati culpæ pœna). Plectuntur enim pariter dum tam nefariè ille imperat, quàm hi serviunt; sed & qui imperat, servit miserrimus iis ipsis, quibus reliquos subjugat, cupiditatibus. Deinde quàm æquum est in injustitiæ sede ipsa regnet justitiæ saltem umbra; in summa omnium perturbatione ordo aliqualis adhuc vigeat: nec sit quo à summi creatoris legibus omnino discedatur (quod in ipsa injustitiæ sede regnet tamen umbratiliter saltem justitia & ordo.). Quàm æquum est ut in ipso defectionis domicilio, inconcussum & ineluctabile sempiternæ legis imperium & magisterium jubeat adhuc, constare omnia superiorum imperio, inferiorum servitio; libertatem Dominii penitus expertem, peculiarem esse Dei; libertatem creaturæ exhibita Creatori, servitute augescere; qui Domino servire respuunt, servo servire, & contumeliosiùs & acerbiùs. Quàm æquum est ut legis ordinisque contemptores, lex & ordo quo carere non possunt, torqueat & excruciet. Rursus non inopinantem, non reluctantem diabolus hominem oppressit, sed consentientem, & objectæ voluptatis pretio velut promercalem emit; quin ergo jure velut dedititium, aut emptitium teneat mancipium (quod ultro se homo vendiderit.).

V. Jus tamé illud diaboli extenuant nonnulli sanctorum Patrum.

Subdubitarunt nonnulli tamen de eo diaboli jure, inprimis Gregorius Magnus quasi justum dicere frequenter maluit quàm justum. *Ipse namque diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans, sub captivitate sua quasi justè tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus, ei injusta suadenti consensit.* (Moral. l. 17. c. 18.) Et infra, *Dum audacter eum in quo nihil sibi competebat, appetiit, jure illum quem quasi justè tenebat amisit.* Et alibi: *Quam mortem dum in illo injustè appetit, nos quos quasi justè tenebat, amisit.* (L. 33 c 7.) Ita ille dubitando quasi concutit & infirmat diabolicæ tyrannidis justitiam.

Audaciùs rescindit omnino irritatque jus illud diabo-

diaboli in hominem Anſelmus. Quòd uterque in Dei ſemper poteſtate fuerit, ideoque potuerit Deus citra ullam ſatisfactionis neceſſitatem, rem ſuam repetere, fugitivum ſervum revindicare ſibi; furem autem alienæ rei, pervaſorem alieni mancipii, non perſoluto pretio, ſed irrogata pœna compeſcere. Præterea nec potuiſſe ſervum in conſervum juris ſibi quidquam arrogare, quod in communis domini damnum cederet; nec potuiſſe hominem qui Dei magis quàm ſuus eſſet, ita vel dedere vel vendere ſe, ut non tantùm ſuus, ſed & Dei eſſe deſineret. Poſtremò eſto ut aliquid ſibi juris diabolus acquiſiſſet; eſto ut homo ſuum in ſeipſum jus ejuraſſet, conceſſiſſetque diabolo: at Dei in ſe jus longè antiquius ſtrictiuſque vel ejurare vel alteri concedere haud ſanè poterat homo. Nulla ergo lege in Deum agi poterat, ut hominem è diaboli poteſtate, juſtitia magis quàm fortitudine eximeret. Libro cur Deus homo, ſic habet Anſelmus: *Illud quod dicere ſolemus, Deum ſcilicet debuiſſe prius per juſtitiam contra diabolum agere, ut liberaret hominem, quàm per fortitudinem, &c. Non video quam vim habeat. Nam ſi ipſe diabolus aut homo ſuus eſſet, aut alterius quam Dei, aut in alia quàm Dei poteſtate maneret, forſitan hoc rectè diceretur. Cùm autem diabolus aut homo non ſit, niſi Dei, & extra poteſtatem Dei neuter conſiſtat, quam cauſam debuit Deus agere cum ſuo, de ſuo in ſuo, niſi ut ſervum ſuum puniret, qui ſuo conſervo communem dominum deſerere & ad ſe perſuaſiſſet tranſire; ac traditor fugitivum, fur furem cum furto Domini ſui ſuſcepiſſet. Uterque namque fur erat, cùm alter altero perſuadente ſeipſum domino ſuo furabatur.*

VI. Irritare penitus & exibilare videtur Anſelmus:

quod deſertor deſertoris pervaſor, jus veri Domini nec effugiat, nec infirmet.

L. 1. c. 7.

VII. At omnino procaciter Abaelardus pauco poſt tempore terminos Patrum tranſilire contemptim, & conſtantem hactenus eorum ſententiam de jure diaboli in hominem, Deique in eo evincendo juſtitia magis quàm poteſtate ſuggillare aggreſſus eſt. Verba ejus effrænatam hominis impudentiam præ ſe ferentia retulit & exagitavit Bernardus, *Sciendum eſt*, ait, *quod omnes doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conveniunt, quod diabolus dominium & poteſtatem habebat ſuper hominem, & jure eum poſſidebat, ideo ſcilicet quod homo ex libertate arbitrii quam habebat ſponte diabolo conſenſit. Aiunt namque quod ſi quis aliquem vicerit, victus jure victoris ſervus conſtituitur. Ideo inquit ſicut dicunt doctores, hac neceſſitate incarnatus eſt filius Dei, ut homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur à jugo diaboli. Sed ut nobis videtur*, ait, *nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, niſi fortè Deo permittente ut carcerarius, nec filius Dei ut hominem liberaret, carnem aſſumpſit.* Quæ ubi retulit Bernardus, meritò exclamat, *Quid in his verbis intolerabilius judicem, blaſphemiam an arrogantiam. Quid damnabilius temeritatem an impietatem.* Deinde prolixè & luculentè diſputat quanti ponderis & quàm infractæ authoritatis ſit Patrum conſenſus.

Abaelardi procacitas in doctrina Patrum exagitanda.

Epiſt. 190.

Fixum ergo ratumque nobis eſt, nec ex ſuffragatione dumtaxat Patrum, ſed ex oraculis Scripturarum, magnam fuiſse juſtamque diaboli in humanum genus poteſtatem. Paſſim enim inculcant ſacræ literæ, ut ibidem allegat Bernardus, peccatores à diabolo captivos teneri, ad ipſius voluntatem; diabolum eſse principem hujus mundi, eſse fortem armatum, poſseſsorem vaſorum; eſse poteſtatem tenebrarum, à qua per Chriſtum ſumus eruti.

VIII. Cæterùm ut fiat ſatis haud contemnendis ſanè rationibus quas obiter paulò ante tetigimus in exponenda ſententia Anſelmi. Adverte longè differre poteſtatem à voluntate. Etſi enim voluntas diaboli ſemper injuſta ſit, juſta tamen poteſt eſse ejus poteſtas. Voluntas quippe ejus etſi peccatorem hominem juſtè detineat & excarnificet, injuſta tamen eſt: quia non juſtitiæ, ſed invidiæ malitiæque ſtimulo exagitatur. Adverte rurſus poteſtatem diaboli juſtam cenſeri poſse, vel qua ab ipſo, vel qua ab homine, vel qua à Deo proficiſcitur. Et quidem quod ad ipſum attinet, adeo non juſta, ut injurioſiſſima ſit ea poteſtas. Nec enim vel à Deo ipſe deficere, vel ad defectionem ſollicitare homines juſtè potuit, vel deficientibus imperitare. At quod ad Deum ſpectat & ad hominem, juſta omnino ea poteſtas eſt; nam ei ſe ſeu dedat homo, ſeu vendat, cum illum quaſi emanciparit, liberumque eſſe juſſerit Deus, utique jure ſuo arbitrioque conceſſo utitur, etiam dum abutitur; & quam in ſe priùs juſtam utique, quia à Deo conceſſam, poteſtatem habebat, eam in diabolum tranſcribit. Maxime verò ſi Deus huic venditioni non in anteceſſum tantùm conſenſit, dum hominem liberum ſuique juris, ſibi ipſum permiſit; ſed etiam poſt ratam habuit, hominemque vel ulturus vel emendaturus, diaboli uti carnificis tradidit poteſtati. Juſta ergo hæc poteſtas diaboli eſt, temetſi injuſtè eam concupierit, injuſtè uſurparit: ſed ideò juſta, quia validè ab homine libero conceſſa, juſtè à Deo irato permiſſa.

Conciliantur diſcordantes in ſpeciem Patrum ſententiæ.

Diaboli voluntas ſemper injuſta.

Poteſtas quod ad ipſū attinet, eque injuſta.

Quod ad hominē ſe dedentem, & Deum permittetem, juſtā fuit.

Ita nodum hunc ſolvit Bernardus Epiſtola ſuperiùs laudata, *Diſcat ergo diabolum non ſolum poteſtatem, ſed & juſtam habuiſſe in homines; ut conſequenter & hoc videat, veniſſe utique in carne Dei filium propter liberandos homines. Cæterum etſi juſtam dicimus diaboli poteſtatem, non tamen & voluntatem. Unde non diabolus qui invaſit, non homo qui meruit, ſed juſtus Dominus qui expoſuit. Non enim à poteſtate, ſed à voluntate juſtus injuſtuſve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etſi non jure acquiſitum, ſed nequiter uſurpatum, juſtè tamen permiſſum. Sic itaque homo juſtè captivus tenebatur, ut tamen nec in homine, nec in diabolo illa eſſet juſtitia, ſed in Deo.* Vides ut juſtam dicat diaboli non voluntatem, ſed poteſtatem; eamque juſtam, non qua eam diabolus uſurpavit, ſed que ea hominem premi, homo peccator commeruit, Deus vel ultor vel emendator permiſit. In eandem ſententiam diſputat Hugo de ſancto Victore, in ſumma de Sacramentis: *Hi ergo tres in cauſa veniunt, homo, Deus & diabolus. Diabolus injuriam Deo feciſſe convincitur, quia ſervum ejus hominem & fraudulenter abduxit, & violenter tenuit. Homo ſimiliter Deo injuriam feciſſe convincitur, quia & præceptum ejus contempſit, & ſe ſub manum alienam ponens, ſuæ ſervitutis damnum illi intulit. Item diabolus homini feciſſe injuriam convincitur, quia illum & priùs bona promittendo decepit, & poſt mala inferendo nocuit. Injuſtè ergo diabolus tenet hominem, ſed homo juſtè tenetur: quia diabolus nunquam meruit, ut hominem ſibi ſubjectum premeret: ſed homo meruit per culpam ſuam, ut ab eo premi permitteretur.* Totam hujus poteſtatis juſtitiam aſtruit malo hominis reatu, & juſto Dei permiſſu, nequaquam uſurpatoris auſu. Et in hanc molliſſimam ſanctorum Patrum concordiam non illibenter deſcendet Anſelmus, tametſi ſecus ſentire & Abaelardo penè conſentire ſupra viſus ſit. Reapſe enim Bernardo ad unguem convenit, ut palam ſit ex his ejus verbis Libro Cur Deus homo: *Quamvis homo juſtè à diabolo torqueretur, ille tamen eum injuſtè torquebat. Homo namque meruerat ut puniretur; nec ab ullo convenientius quàm ab illo cui conſenſerat ut peccaret. Diaboli verò meritum nullum erat ut puniret: imò hoc tantò faciebat injuſtius, quantò non ad hoc amore juſtitiæ trahebatur, ſed inſtinctu malitiæ impellebatur. Nam hoc non faciebat Deo jubente, ſed incomprehenſibili ſapientia ſua, quæ mala etiam bene ordinat, permittente. Et puto illos qui diabolum opinantur aliquam habere in poſſidendo homine juſtitiam ad hoc inde adduci, quia vident hominem diaboli vexationi ſubjacere juſtè, & Deum hoc juſtè permittere, & idcirco putant diabolum illam juſtè inferre.* Ita Anſel-

L. 1. p. 8. c. 4.

Ab hac Patrū conſenſione nec ipſe diſcordat Anſem.

L. 1. c. 7.

Anselmus in Bernardi Abaelardum profligantis sententiam, id est in sanctorum Patrum doctrinam unanimem descendit.

IX. Hujus concordiæ non tâ Bernardus quâ Augustinus, author. L.13.c.12. de Trinit. Ne verò excogitatam hanc suspicetur quis à recentioribus interpretandæ justæ in diabolo potestatis rationem, eam Augustinus apertè præmonstraverat: *Omnes homines ab origine sub principe sunt potestatis aeris, qui operatur in filiis diffidentiæ. Modus autem iste quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit aut fieri jusserit; sed quod tantum permiserit, justè tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati author illico invasit, &c. Nec hominem à lege suæ potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit; quia nec ipse diabolus à potestate omnipotentis alienus est.* Ubi ut palam est, tota justitia potestatis diabolicæ in hominem refunditur, in peccatum hominis, qui hoc justè promeruit, & in justitiam Dei, qui justè permisit, non in usurpationem diaboli, qui id injustè concupiit.

X. Justa ergo potestate juste exutus est diabolus. Jam verò ut justè qualecumque illud diabolicæ dominationis jus abrogatum sit per Incarnationis Crucisque sacramentum, bifariam sancti Patres declararunt. Quia enim duplici fundamento fulciri videbatur ea dominatio, & divinæ permissionis, & humanæ consensionis, emoliendum utrumque fuit. Primo quod ultra limites suos grassatus esset in innocentem. Primùm ergo justissimè suo jure spoliatus est diabolus, quòd concessæ à Deo potestatis transgressus sit limitem; cùmque in nocentes, & vel originalis vel propriæ contagio culpæ reos sævire permissus esset, in Christum grassatus sit, justitiæ totius principem, omnisque tam propriæ quàm parentalis noxæ mundissimum. Jure ergo exuitur concessa potestate, qui ultra quàm concessum esset, infandum scelus machinatus est. Augustinus, *Verbum Dei unicus Dei filius diabolum,*

Ita Latini Patres. L.3. de lib. arbit.c.10. *quem semper sub legibus suis habuit & habebit, homine indutus, etiam homini subjugavit, nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiæ; ut quoniam fœmina decepta, & dejecto per fœminam viro, omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem, legibus mortis, malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen iure æquissimo vindicabat; tandiu potestas eius valeret, donec interficeret justum, in quo nihil dignum morte posset ostendere, non solum quia sine crimine occisus est, sed etiam quia sine libidine natus, &c.*

De Trini. l. 3. c. 13. *Justissimè igitur dimittere cogitur credentes in eum, quem iniustissimè occidit.* Et idem alibi, *Ubi potuit aliquid facere diabolus, ibi ex omni parte devictus est; & unde accepit exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interior eius potestas qua nos tenebat, occisa est. Factum est enim, ut vincula peccatorum multorum in multis mortibus per unius unam mortem, quam peccatum nullum præcesserat, solverentur. Quam pro nobis Dominus indebitam reddidit, ut nobis debita non noceret.* Et paulò post, *Et ideo principatus & potestates exemplavit fiducialiter, triumphans eas in semetipso.* Nec minus eleganter Leo Magnus in Nativitate

Serm. 1. Domini: *Nequaquam credidit diabolus primæ transgressionis exortem, quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prædo & avarus exactor, in eum, qui nihil ipsius habebat, insurgere; & dum vitiatæ originis præiudicium generale persequitur, chirographum quo nitebatur, excidit; ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Solvitur itaque lethiferæ pactionis malè suasa conscriptio, & per iniustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur.* Et idem alibi: *Nec ip-*

Serm. 9. de Passione Ib. serm.11. *se diabolus intellexit, quod sæviendo in Christum, suum destrueret principatum. Sed malitia nocendi avidus, dum irruit, ruit: dum capit, captus est; dum persequitur mortalem, incidit in salvatorem.* Et rursus idem: *Si crudelis & superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Judeorum animos mansuetudine potiùs temperare, quam iniustis odiis studuisset accendere; ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Fefellit ergo illum malignitas sua; intulit supplicium filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo & pretium esset & poculum. Suscepit Dominus quod secundum propositum suæ voluntatis elegit; admisit in se impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt redemptori.* Gregorius supra relatos Augustini con-

textus suo more imitatur: *Hunc cum post baptisma vidit antiquus hostis, mox tentationibus impetiit, & per diversos aditus ad interiora eius molitus irrepere, victus est, atque ipsa inexpugnabili mentis eius integritate prostratus. Sed quia ad interiora non valuit, ad eius se exteriora convertit: ut quia mentis virtute victus est, eum quem decipere tentatione non valuit, carnis saltem videretur morte superare: atque ut ante nos dictum est, permissus est in illud quod ex nobis mortalibus mediator acceperat. Sed ubi potuit aliquid facere, ibi ex omni parte devictus est; & unde accepit exterius potestatem dominicæ carnis occidendæ, inde exterior potestas eius, qua nos tenebat, occisa est. Ipse namque interius victus est, dum quasi vicit exterius; & qui non jure debitores mortis tenuit, jure in nobis jus mortis amisit; quia per satellites suos eius carnem perimendam appetiit, in quo nihil ex culpæ debito invenit.* Sed omitti planè non debet Cæsarii Episcopi Arelatensis locus peregregius: *Quid agat inter hæc familiæ pervasor alienæ? Videt servos quondam suos iniquè à se occupatos, per agnitionem Christi, ingenuitati traditos, & se causæ præiudicio cecidisse, & se plus petendi incurrisse discrimen. Quomodo plus petendi? Siquidem cum ei homo per peccati obedientiam deberetur, ille Deum specie hominis deceptus appetiit, & in ipsum cœli Dominatorem Parricidiales manus inferre præsumpsit. Et subito per tantum nefas crimen majestatis incurrit; ac sic hominem quem violentus tenebat, proscriptus amisit. Proscriptus inquam, nam statim in ipso homine quem redemptio in ejus originem revocavit, titulos suos Christus affixit. Hæc est illa crux, &c.* Et paucis interpositis, *In excelsis factori suo carus, tunc divinitatis consortium, factoris immemor, concupivit; nunc jam in authorem rerum cruentas manus consuetudine impietatis extendit. Ac sic prædonis justa damnatio, gratuita captivi facta est manumissio.* Brevius sanctus Pacianus sermone ad fideles & Catechumenos de baptismo: *Hoc fuit vincere, sine peccato condemnari. Diabolus enim in peccatores acceperat potestatem; quam sibi ille super immaculatum vindicavit, ac sic ipse superatus est, id decernens super justum, quod illi per legem quam acceperat, non licebat.*

Moral. l.17. c.18.

Hom. 3. in Paschal.

Consonant & Græci Patres: unum aut alterum proferam, ne illaudatos se præteriri conquerantur. Chrysostomus in Joannem. *Dicatur ad diabolum, esto, omnes interemisti, eo quòd subjecti erano peccato. Christum cur interemisti? Nonne planè injustè? Per Christum ergo omnis mundus defendetur. Quod ut manifestiùs appareat, exemplo utemur. Sit violentus quispiam tyrannus, qui omnes qui in suas manus venerint, plurimis malis afficiat. Hic si vel regem, vel regium filium captum injustè interimat, illius mors etiam alios ulcisci poterit. Sit aliquis qui debitores postulet, verberet, in carcerem conjiciat, & hac insania etiam nihil debentem coerceat: hic etiam eorum quæ in debitores commisit, dabit pœnas: interficietur enim ab illo. Ita in Jesu usuvenit.* At præ cæteris luculentum est illud Theodoreti, de Providentia: *Divina lex peccatores morti tradidit, tu verò etiam peccati expertem mortis vinculis tradidisti: cumque unum iniustè ceperis, omnibus simul subditis juste spoliaris.* Et paulò post, *Omnes à morte liberabo, non simpliciter misericordia utens, sed misericordia justa; neque herili utens potestate, sed potestate justa. Debitum enim pro humano genere persolvi, &c. Dum mortem immeri-*

XI. Ita & Græci Hom.66.

Orat.10.

tam

tam sustinui meritam dissoluo, *&c.* Et ne nugatorium aut ingeniosè confictum imaginetur quis istud Dei cum diabolo quasi ex juris legibus litigantis judicium, illud ibidem Theodoretus firmat Evangelicis Apostolicisque sententiis. Nam illa Christi apud Joannem verba quid aliud sonant, Venit mundi Princeps, & in me inveniet nihil? Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. *Nullum habeo peccati indicium, corpus habeo omni peccato liberum; sed licet nihil inveniat, quasi innumeris obnoxium debitis, morti tradet: ego autem id patior, ipsum sua tyrannide justè ejicere volens*. Rursus cum ait Apostolus, Christum condonasse nobis omnia delicta, deleto quod adversus nos erat chirographo decreti, & illud sustulisse è medio affixum cruci, expoliasse & ostentasse principatus & potestates, de illis per semetipsum triumphando. *Id est innocens & peccatis carens corpus suum & animam illis spectandam exhibens, & injustam illorum contra se prolatam sententiam arguens, & hoc ubi fecit, omnem simul secum humanam naturam vivificavit*. Ita Theodoretus.

XII. Præeunt Scripturę in eadem sententiam.

Præter scripturas ergo hanc de mundi dominio causam, hanc victoriam à Deo tamquam ex justitiæ lege reportatam concinentes, hæc insuper ratio à sanctis Patribus constituta est. Æquum fuisse ut diabolus qui priscæ & inolitæ impietatis consuetudine Deo manus iterum intulerat, pœnas iterum daret. Æquum fuisse ut reus majestatis proscriberetur, & proscripti jura bonaque omnia Principi Deo transcriberentur. Æquum fuisse ut qui Deo se olim æquare, hìc etiam Deum superare, iniquitatis primùm suasione, postea mortis irrogatione molitus erat, pro meritis lueret, omnique dominio posthac exauthoraretur. Æquum fuisse ut plus petendi injustitia totum debitum amitteret; ut nihil debentem insecutus, debitores vetaretur insequi; ut perempto insonte, jure in sontes excideret; utque qui inconcessam præsumpserat, concessa exueretur potestate. Quod scitè differit Honorius Augustodun. L. de Prædest. & lib. Arbit. *Per quid perdidit diabolus hominem quem quasi possedit? Per justitiam Dei & potentiam. In potentiam enim Dei ut cæcus graviter offendit, quia jam non solùm Deo se æquavit, sed super Deum se exaltavit, dum se à Dei filio Patri coæquali in tentatione adorari imperavit. Offensam vero justitiæ Dei in passione graviter incurrit, dum iustum & innocentem hominem occidit. Ergo per iustitiam expertus est potentiam. Nam dum iustus homo iniustè occiditur, iniustus tyrannus iustè opprimitur; & homo deceptus, iniustè oppressus, per iustitiam redimitur, atque per potentiam super angelum, quem ut Deum coluit, constituitur*. Hoc ergo jure, potestas à Deo concessa olim diabolo, iniqua ejus in Deum ipsum grassatione excussa est.

Nec deficiũt rationes.

XIII. Secundò quod hominis victor ab homine vincatur.

Secundò justissimè suo principatu abdicatus est diabolus, quia per illam ipsam carnem victus est in Christo, quàm vicerat in Adamo. Si enim sola bellasset, si sola vicisset Deitas, potestate magis quàm justitia victus esset tyrannus; at nunc ubi illa ipsa natura quæ superata olim fuerat, certamen redintegravit, pugnavit, vicit; jure æquissimo excussa servitute in primigeniam se libertatem vindicavit. Rursus in principe sui generis Adamo consenserant quodammodo omnes homines spontaneæ servituti, suoque consensu quasi vinculo justitiæ constringebantur. Ergo si eodem ex genere exoriatur aliquis author novus & ultor, is utpote prioris consensus criminalisque nexus immunis, & tamen ejusdem gentis stirpe editus, & suam gentem novo ac meliore sacramento sibi confœderare, & violentam dissolvere poterit captivitatem. Deinde mortem diabolo debebat homo, solvit homo, sed unus vice omnium, quia unus instar omnium, & pluris fuit mors illius unius, quàm omnium. Peccati pœnas subire tenebatur homo, subiit & exhausit homo, in quo erant omnes homines. Nil ergo querelarum superest improbo exactori. Denique æquissimum est, ut cùm in omnes irrepserit ab uno peccatum, dimanet & in omnes ab uno justitia; ut per alium servitus, ita per alium libertas oriatur, sed utrumque tamen ejusdem naturæ consortem principemque. Quàm injuriosum enim justitiæ foret, si à capite in membra, à parente in filios, posset culpa, non posset justitia traduci: posset servitus, non posset libertas propagari! Leo Magnus in Nativitate, *Non iuste amitteret originalem dedititii generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur*. Et alibi: *Quia non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, ut eum in partes suas sine liberi arbitrii consensione transferret: sic destruendum peccatum fuerat voluntarium & hostis consilium ut dono gratiæ non obesset norma justitiæ. In totius igitur humani generis strage communi, unum solum fuit remedium sub divinæ rationis occulto, quod posset subvenire prostratis, si aliquis filiorum Adam, originalis prævaricationis alienus atque innocens nasceretur qui cæteris exemplo prodesset & merito*. Et rursus alibi: *Si pro peccatoribus sola se opponeret Deitas, non tam ratio diabolum vinceret quàm potestas. Et rursum si causam lapsorum sola ageret natura mortalium, non erueretur à conditione, quæ libera non esset à genere. Unde oportuit in unum Dominum nostrum Jesum Christum & divinam & humanam convenire substantiam.* Advertis ut justitiã in profliganda diaboli potestate inde repetat, quòd homo ejusdem consors generis, sed exors prævaricationis, gẽtis suæ causam redintegrare, ac reparare illatas clades potuerit. Serm. 1. & 8. Serm. 5. de Passio. Epist. 190.

Ferrandus diaconus Epistola ad Anatolium, *Ecce venit Princeps mundi huius, & in me inveniet nihil; nihil utique peccati: nam plena in illo fuit natura matris, id est nostra; quam velut sibi aliquid deberet, antiquus ille peccati fœnerator invasit, crucifixit, occidit; & per indebitam exactionem quidquid ei debebatur amisit, iuste victus, & iuste punitus, quia ea caro vicit in Christo, quæ victa fuerat in Adam. Hæc namque fuit iustitia Dei, ut per illam carnem mortis author vinceretur in Christo, quam vicerat in Adam. Si ergo alia esset natura carnis in qua non peccaverat Christus, & mortuus est, non per iustitiam sed per potentiam diabolus vinceretur. Oportebat autem per iustitiam vinci. Justitia verò ipsa fuit ut in ea carne venerit redemptor, quam fecerat supplicio obnoxiam remanere tentator*. Sed præstantissimè suo more Bernardus: *Justissimè quos tenebat amisit, quando is, qui morti nihil debebat, acceptà mortis iniuria, iure illum qui obnoxius erat, & mortis debito, & diaboli solvit dominio. Qua enim iustitia id secundò homo exigeretur? Homo siquidem qui debuit, homo qui solvit. Nam si unus inquit pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit. Nec alter iam inveniatur qui forefecit, alter qui satisfecit; quia caput & corpus unus est Christus, &c. Quod si dixerit, Pater tuus addixit te, respondebo, sed frater meus redemit me. Cur non aliunde iustitia, cum aliunde reatus? Alius qui peccatorem constituit, alius qui iustificat à peccato, alter in semine, alter in sanguine. An peccatum in semine peccatoris, & non iustitia in Christi sanguine?* Et paulò pòst: *Si imputatur generatio, regenerationem oppono. Nisi quod spiritualis est ista, illa carnalis. Nec patitur ratio æquitatis ut ex æquo contendant, sed vincat necesse est spiritus carnem, & sit efficacior causa, cujus est potior & natura, &c. A primo homine manavit delictum, à summo cœlo egressio gratiæ; utrumque à parente, illud à primo, ista à summo*. Et Gregorius Magnus, *Dum hosti objicit innocentiam carnis suæ, exter sit contagia carnis nostræ, & ex qua nos captivos inimicus tenuit, per illam nos liberos expiavit; quia quam nos instrumentum fecimus culpæ, hæc nobis per mediatorem versa est in arma iustitiæ*. Paulinus Epist. ad Aprum, *Glorięmur in ipso, qui nos & pugnam & victoriam suam fecit*. Moral. l. 3. c 11.

Et omnium pœnam unus qui instar omnium est subeat, & exhauriat. Ita Latini Patres.

E Græ-

XIV. *Consonant & Græci Patres Latinis. Orat. 10. de Provident.*

E Græcis unus & alter de reliquis in idem consententibus fidem facient. Theodoretus: *Nec omnipotentia sola usus libertatem nobis donare, nec misericordiam solam adversus humani generis plagiarium armare voluit, ne ille injustam hanc diceret misericordiam; sed viam molitur amore plenam, & justitia pulchrè ornatam. Ipsam enim devictam naturam sibi uniens, eum ad certamen deducit, & ut acceptam cladem sarciat, eumque qui olim male vicerat, devincat.* Et aliquantò post, *Quoniam quæ debito tenebatur, solvendo non fuit, ipse Dominus debiti persolutionem sapienter molitur: & humana quidem membra ceu pecunias opesve assumens, & eadem sapienter justèque administrans, debito satisfacit, & naturam nostram liberat.* Debitori ergo justissimè satisfactum est, ideo quia de nostro & à nostri generis duce; victori palma erepta est, quia nostra carne superatus est, humana enim membra & instrumenta fuere victoriæ & redemptionis pretia. Damascenus: *Factus homo est, ut quod victum vincat. Non enim impotens erat, qui omnia potest, omnipotenti virtute eripere hominem à tyranno. Sed querelæ materia erat, si qui vicerat hominem, à diabolo vim pateretur. Eum igitur ipsum qui victus est, victorem demonstrare volens, miserator Deus & amator hominum, homo factus est, simile simili reparans.*

L. 3. c. 18. fid. orth.

XV. *Tertio ex nonnullis, quod acquieverit diabolus nostræ liberationi, dum tanto pretio potiretur.*

Præter duplicem hunc justissimæ liberationis titulum, invectus est à paucis aliis tertius, hìc obiter attingendus. Quòd videlicet sanguis Christi diabolo appensus persolutusque sit, eoque pretio ut captivorum omnium pretium longè superante contentus ille acquieverit. Ita Ambrosius: *Si redempti sumus non corruptibilibus argento & auro, sed pretioso sanguine Domini nostri Jesu Christi; quo utique vendente nisi eo, qui nostro jam peccatricis successionis ære quæsitum servitium possidebat? Sine dubio ipse flagitabat pretium, ut servitio exueret, quos tenebat obstrictos. Pretium autem nostræ liberationis erat sanguis Domini Jesu, quod necessariò solvendum erat ei, cui peccatis nostris venditi eramus.* Nihil justius, quàm ut soluto pretio sanguinis Christi, tanquam numerata pecunia, vinculo peccati, & mortis absolveremur imperio. Accedit & Gregorius Nyssenus, *Quonam pretio commutaret eum quem possidebat, nisi quod esset longè maximum, majora accipiendo pro minoribus, ut magis suam aleret superbiæ affectionem? Atqui intelligebat nihil fuisse tale, quale videbat in eo, qui nunc apparebat, nempe conceptionem sine concubitu, ortum sine corruptione, lactantem fœminam ex virginitate, &c. Hanc ergo vim in illo cernens inimicus, vidit in permutatione plus esse emolumenti, quàm in eo quod possidebat. Ea de causa eum mavult fieri pretium eorum, qui in carcere mortis erant inclusi.*

In Levit. c. 14.

Orat. Cath. c. 23.

XVI. *An pretium sanguinis Christi, diabolo sit persolutum?*

Duo hic sunt ab Ambrosio & Nysseno pronunciata, in quæ vix alii Patres consentiant: sanguinem Christi diabolo libatum esse, & instar pretii quod ex justitia deberetur, expensum. Item diabolum gnarum avidumque involasse in eum quem Deum sciret, plurisque quàm captivos omnes faceret. Ad illud prius exhorrescit quodammodo animus pietasque; hoc posterius Scripturis Patribusque aliis refragari videtur, qui dubium semper animi circa Deitatem Christi, ancipitemque fluctuasse diabolum consentiunt, & præ superbia Deum humilem fieri suspicari non potuisse: si quod de eo compertum habuisset, manus hauddubio cruentas ab eo abstenturum, à quo principatum suum intelligebat pessumdandum. Audi Nazianzenum Nysseno amicissimum aliàs, hìc discordantem: *Eccui ille pro nobis sanguis & quam ob causam fusus est, ille inquam magnus & nobilis Christi Dei & Pontificis & sacrifici sanguis? Nos enim à diabolo detinebamur, ut pote qui venumdati essemus sub peccato, ac vitium cum voluptate commutassemus. Quod si redemptionis pretium non alii ulli quàm ei qui captivos tenet, persolvitur, quæro cui tandem oblatum est & quàm ob causam. Si pravo illi, ò gravem contumeliam; si non a Deo solum, sed Deum ipsum pro redemptionis pretio latro accipit, &c. Perspicuum est, Patrem quidem accepisse, &c.* Vides quàm amarulentè exclamet, horreatque, Christi sanguinem diabolo libatum dici. Et tamen nulli pietate secundus Petrus Cellensis, ita cum Nysseno sensit: *Sanguinis partem in pretium nostræ liberationis tam Patri, quàm creditori hosti, piè & justè solvit.*

Orat. 42.

L. de Panibus c. 1.

XVII. *Si fefellit diabolum Deitas carne latitans.*

Derogatum esse nonnihil justitiæ, suspicari ex eo posset quis, quòd per fraudem ludificatus sit diabolus. Imposuit enim ei latitans sub carnis involucro divinitas, & in similitudine carnis peccati sanctitas & innocentia delitescens. Hoc fuco delusus, dum in hominem irruit, in Deum impegit; & dum peccati speciem insectatur, justum interemit. Ita fraudulentè quasi hamo captus est, & humanitatis illecebra inescatus, Deitatis aculeo transfixus est. Gregorius, *Dominus noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit, &c. In hamo ejus incarnationis captus est: dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas quæ ad se devoratorem duceret, ibi divinitas quæ perforaret.* Sic alibi: *Draco iste quem formasti ad illudendum ei: Nunquam enim convenientius vincitur, quamcum ejus versutia pia fraude superatur, &c. Quasi hamo serpentem cepit qui ei carnem exhibuit, divinitatem celavit; & dum cepit ille quod appetiit, eo tentus & peremptus est quod non vidit.* Nec alii Patres istam dissimulant fraudem, qua circumveniri potuisse diabolum citra justitiæ detrimentum, hoc loco declarandum est.

Moral. l. 33. c. 7.

In I. Reg. L. 5. c. 1.

Non tamen ea fraus officit justitiæ liberationis

XVIII. *Primo quod liceat fraudem fraude refellere.*

Primò quidem fraude fraudem, dolo dolum retaliari haud iniquum est; sed fraudem exitialem salutifera fraude refellere, & justitiæ & pietatis insigne specimen est. Malo dolo circumscripserat hominem diabolus, Deitatem dum ostendit, & mortem infligit; pio dolo servavit hominem, illusit Deus diabolum, dum Deitatem occuluit, mortalitatem ostendit. Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica: *Ratione quidem justitia illa recipit deceptor, quorum semina suo libero iecerat arbitrio. Nam ipse quoque decipitur objecta hominis specie, qui esca voluptatis hominem prius deceperat. Eorum autem quæ fiunt scopus & institutum habet mutationem ad id quod est melius. Nam ille quidem fraude usus est ad perimendam naturam; hic autem simul & justus & bonus & sapiens excogitatam adhibuit deceptionem, ad salutem ejus qui perierat.* Ita ille fraudem istam justitiæ adeò non officere docet, ut justitiæ omnino munus officiumque extiterit, fraudem fraude refutare, astutumque astutia traducere. Damascenus, *Quia spe divinitatis inimicus seduxerat hominem, carnis prætextu decipitur.*

maximè exitialem salutifera. Cap. 26.

Orthod. fidei L. 3. c. 1.

XIX. *Secundo quia fraudi diabolo fuit non aliud quam sua vel cæcitas, vel superbia*

Secundò non Deus diabolo fraudem instruxit, sed sua diabolo superbia fraudi fuit. Non astutiam dolumve concinnavit Deus, sed sua se astutia implicuit, suis se dolis diabolus irretivit. Veritas enim tam fallere quàm falli non potest. Latuit in carne Deitas, quia non aliter vel carnem mundare, & deificare, non aliter lippientibus mortalium oculis fruendam se dare poterat. Latuit in mortalitatis ærumnis pœnalibus summa innocentia, quia non aliter & exemplo & auxilio juvare homines, & à flagitiosis voluptatibus avocare poterat. Hinc errandi diabolo exordium. Nam tametsi tot aliis argumentis Deum esse Christum conjicere posset: quæ tamen erat ejus superbia, divinitatem & humilitatem adunari & consociari posse, nunquam credidit. Gregorius Magnus, *Antiquus hostis Redemptorem humani generis debellatorem suum in mundum venisse cognovit; unde & per obsessum hominem in Evangelio dicitur: Quid nobis & tibi Fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos? Qui tamen prius cum* hunc

Moral. l. 2. c. 16.

hunc passibilem cerneret, & posse mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus divinitate suspicatus est, ei fastu superbiæ suæ in dubium venit. Nihil quippe nisi superbum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Non tam ergo Dei humilitas quàm sua superbia diabolum in fraudem egit. Sed eximiè id edisserit Anselmus, libello Meditationum de redemptione generis humani: *Cur bone Domine tantam virtutem operuisti tanta humilitate? An ut falleres diabolum, qui fallendo hominem dejecit de Paradiso? Sed utique veritas nullum fallit. Qui ignorat, qui non credit veritatem, ipse se fallit. Qui videt veritatem & odit & contemnit, ipse se fallit. Veritas itaque nullum fallit. An ideo ut ipse diabolus se falleret? Sed utique sicut veritas nullum fallit, ita non intendit ut aliquis se fallat; quamvis hoc dicatur facere cum permittit. Non enim assumpsisti hominem ut te notum operires, sed ut ignotum aperires. Verum Deum, verum hominem te dixisti, & operibus ostendisti. Res per se occulta fuit, non studio occultata; non sic est facta, ut absconderetur, sed ut suo ordine perficeretur. Ergo Domine nec ut falleres, nec ut aliquis se falleret sic fecisti: sed ut faceres quod & quomodo faciendum erat, per omnia in veritate perstitisti. Qui ergo se fefellit in tua veritate, non de te sed de sua queratur falsitate.* Veritas ergo Christus nec fefellit, nec falli voluit quenquam, sed falli justissimè permisit eos, qui Deitatem quam sibi tam apertis verbis, tam stupendis factis vindicabat, videre præ odii & superbiæ enormitate aut noluerunt, aut non potuerunt. Ex tot portentosè factis invictissima ratio Deum esse persuadebat; ex humilitate Deum non esse levis suspicio conjiciebat. Invictissima ratio levem exuflasset suspicionem, nisi odii superbiæque præjudicium levi suspicione invictissimam rationem profligasset. Sic peccato extorres facti à conspectu veritatis, rectè ratiocinari haut ampliùs possunt.

Cap. 2.

CAPUT IV.

De justitia rursum, non diabolo jam, sed Deo comparata.

I. Fieri satis ex justitia Deus, diabolo voluit, magis quam debuit. sibi autem voluit, quia debuit.

INjustitiæ parenti propulsando solam adhibere justitiam, voluit Deus, magis quàm debuit; at justitiæ ipse suæ prospicere, & prout jus fasque erat, aspersas ei injurias extergere, ideo forsan voluit, quia debuit. An enim deerit sibi justitia, quæ nec injustitiæ sese denegat? An impendet se hosti, sui ipsa honoris incuriosa? At nisi Deus homo fieret, & per assumptam carnem hominum peccata expiaret, justitiæ divinæ nusquam fieri satis posset. Tot enim offensis exasperata placari & propitiari haud quaquam posset, nisi victima piaculari aliqua, quæ ad id par esset. At nec Angelus, nec homo, nedum pecus, non ulla denique creatura tanto muneri par erat. Cujus enim victimæ vel cujus omnino creaturæ tanta vis & tam infinita sanctitas erat, ut tanti esset, quanti peccata sunt omnia? Ut offensis omnibus Deo irrogatis æqui ponderaret? Pecudis pretium quantillum est, ut ad hoc valeat? Hominis meritum ecquod erit, cùm peccato immersus homo omnis sit? Angeli auxilium impar est, cùm nec ipse sibi auxiliari potuerit, ne quis ex suo cætu caderet, vel ut post casum resurgeret. Qui suas ergo ruinas resarcire non potuit, an poterit nostras? Gregorius Magnus in hunc modum differit, *Delenda ergo erat talis culpa; sed nisi per sacrificium deleri non poterat, quærendum erat sacrificium; sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri? Neque enim justum fuit ut pro rationali homine brutorum animalium victimæ caderentur. Unde ait Apostolus: Necesse est ergo exemplaria cælestium his mundari, ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, id est, pro homine digna victima non fuerunt, requirendus erat homo, qui pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali peccante, rationalis hostia mactaretur. Sed quid quod homo sine peccato inveniri non poterat; & oblata pro nobis hostia, quando nos à peccato mundare potuit, si ipsa hostia peccati contagione non careret? Inquinata quippe inquitates mundare non potuisset. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus; ut verò à peccatis mundaret hominem, homo sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum virginis filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & justitia mundare potuisset.* Ambrosius similiter: *Quis iste tantus est qui sauciæ mentis medeatur ulceribus. Quis homo tantus est qui possit aliis subvenire, cum ipse sibi non possit. Quis aliis possit vitam reddere, quum ipse mortem non possit evadere. Omnes enim in Adam moriuntur, &c. Denique missi sunt sancti, missi sunt & prophetæ, qui oracula divina loquerentur, nec quidquam promovere potuerunt. Quæramus ergo aliquem de Angelis aut Archangelis medicum. Sed quemadmodum mihi possunt ferre præsidium ne peccem, quum ipse Archangelus à peccato non potuerit abstinere. Quemadmodum ad paradisum Angelus revocare me poterit, cum ipse Satanas & Angeli sui sedem quam acceperant servare non potuerint.* Pro se qui solvendo non est, an solvet pro aliis. Qui pari compede & reatu constringitur, an absolvet alios. Basilius, *Is qui de propriis peccatis non est idoneus aliquo munere placare Deum, quomodo pro alio id facere tentabit.* Athanasius in Arianos: *Neque enim rerum conditarum natura digna erat aut idonea ad id negotium, quum & Angeli prævaricati essent, & homines inobedientes fuissent.*

Nulla præter Christũ par hostia

primo ob infinitam peccati enormitatem.

Moral. l. 17. c. 18.

In Lucam. L. 4. c. 4.

In Psal. 48.

Orat. 2.

II. Ob inæstimabilẽ humanæ naturæ, quæ redimenda est dignitatem

Altera quæ id astruat ratio, hæc est, quòd par toti humanæ naturæ pretium, nulla creatura, quantalibet ea fingatur, vel ipsa esse, vel è suis sufficere opibus possit. Rationalis enim natura adeo præcellit, ut Deo uno inferior, nulli impar aut secunda, reliqua omnia antecellat. Hæc inest illi dignitas ab imagine Dei, qua præfulget; à cognatione sua cum Verbo, quatenus veritati mens affinis plurimum, & consanguinea quodammodo est. Ergo pretium quod pro ea redimenda penderetur Deo, & quo injuria furti qua se ipsa Deo subtraxerat, plena satisfactione compensaretur, non aliud erat quàm Deus ipse. Vel igitur inserere se homini debuit Deus, ut pretium nostrum fieret; vel satisfactio & compensatio injuriæ Deo irrogatæ in æternum desperanda. Atanasius contra Arianos, *Neque enim rerum conditarum natura digna erat aut idonea ad id negotium; quum & Angeli prævaricati essent & homines inobedientes fuissent. Ideo opus erat ipso Deo, Verbum autem est Deus, ut eos qui sub maledictione erant, assereret. Si igitur ex non entibus extitisset, Christus esse non potuisset, ut pote unus è vulgo rerum, ac participator cum cæteris futurus.* Argumentatur Deum esse & æqualem Patri Christum, quia si vel tantillum Deo impar esset, pro nobis solvendo non esset; pretium enim nostrum tota Deitas est. Basilius: *Quid enim adeo magnum in hoc sæculo quis possideat, ut dignam habere animæ valeat commutationem. Propterea quod illa ad creatoris est imaginem facta.* Et infra, *Non dabit Deo propitiationem pro seipso. Quid enim usquam tanti est momenti quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ. Inventum tamen est unum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus & omni pretio superior, pretiosus sanguis Christi, quem pro nobis omnibus effudit.* Procels Episcopus: *Homo quod peccati debito subjaceret,*

Orat. 2.

In Psal. 48.

Orat. 1.

ret, salvare utique non poterat; Angelus vero quod tantum redemptionis pretium ipsi non suppeteret, genus humanum redimere nequibat. Supererat igitur ut impeccabilis Deus pro peccatoribus moreretur, hæc restabat mali redemptio. Et paulò post, *Ex virgine natus est Deus & Homo, non solùm id pretium habens, quod reorum multitudini ad justitiam redimendæ par esset, sed & quod multis partibus excelleret. Nam ut Filius est, eandem virtutem ac perfectionem incommutabiliter servat cum Patre; ut verò rerum opifex, nullius virtutis est indigens; ut autem misericors, immensa misericordia pollet; denique ut pontifex, perquam dignè interdicendo assistit. Quorum quidem omnium nihil unquam simile, nihil æquale in alio quopiam reperire quis poterit.* Cyrillus in

L. 2. paulò post initiū.

Joannem: *Cùm in multis peccatis essemus, atque ideo morti & corruptioni obnoxii, dedit Filium suum Pater redemptionem pro nobis, unum pro omnibus, quoniam omnia sunt in ipso, & omnibus melior est.* Vide ut non aliud naturæ nostræ pretium æquale præter Deum extiterit; quod pretium quidem majus est, sed ita majus, ut si vel tantillum de deitate minuas, jam aliquid de pretio deficiat. Itaque ad pretium ita superest Deus, ut nihil de deitate deesse possit, quin desit & de pretio. Etenim hæc natura rationalis tanti est, ut ea solus Deus superior sit. Unde S. Avitus, *Sed nescio in quem effectum redemptio nostra surrexit, si non creaturæ suæ pretium Deus extitit.*

Epist. 28.

III. Quanta justitiæ lumina in eo splendeant, quod insōs pro sontibus luat.

Tertia ratio hæc fuit, quòd nova & summa quædam justitiæ lex præter spem, præter opinionem hominum, postulet insontem plecti, sontes absolvi. Si enim sontes plectantur, sæviet semper justitia, nunquam mansuescet; pœnas semper, nunquam præmia constituet; sic in humanum genus dimidiata tantùm justitia sese exeret. At si sontium pœnas insons luat, & eluat, luculentiùs efflorescet justitia. Quanta enim unius justitia erit, qui innoxius noxiorum pœnas ultro subeat? Quanta illius justitia erit, qui omnium peccata superet & exhauriat? Quanta illius justitia erit, qui justificandis omnibus solus sufficiat & supersit? Quanta justitia Dei erit, quæ satisfactione carere omninò non possit? Cui ipsa innocentia pro aliis satisfacere teneatur? Quæ pœnas semel indicat, præmia in æternum largiatur? Gregorius Magnus: *Patri quidam sapiens dicit, Cum justus sis, justè omnia disponis; eum quoque qui non debet puniri condemnas? Sed pensandum est quomodo justus sit & omnia justè disponat, si eum qui non debet puniri condemnat. Mediator etenim noster puniri pro semetipso non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetravit. Sed si ipse indebitam mortem non susciperet, nunquam nos debita morte liberaret. Pater ergo cum justus sit, justum puniens, omnia justè disponit: quia per hoc cuncta justificat, quod eum qui sine peccato est pro peccatoribus damnat: ut eo electa omnia ad culmen justitiæ surgerent, quo is qui est super omnia, damna injustitiæ nostræ sustineret.* Audis quàm mirifica, quàm magnifica sit Dei justitia, qui eo se justum maximè probat, quòd justum puniat, injustum eximat; seu potiùs qui tantæ justitiæ nobis mediatorem suppeditet, qui justitia sua & justitiam Dei placare, & hominibus justitiam reddere & amplificare sufficiat. Cyrillus Jerosolymitanus: *Non parvus erat qui mortuus est pro nobis; non ovis erat sensilis, non erat simplex homo, non erat Angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta pro illis morientis justitia. Non tantum non peccavimus, quantum ille justè egit.* Pœnas sontibus infligere, atque ita totum genus hominum æterno immergere exitio, quantulum justitiæ divinæ fuisset operæ pretium? At nunc quantò splendidius est, & justitiæ divinæ satisfieri, & peccatorum pœnas acerbiores lui, quàm si omnes homines in æternum interitum pessum issent; & homines ab interitu vindicari; & justum injusta passum hinc vehementiùs illustrari?

Moral. l. 3. c. 11.

Catech. 13.

Quartò, quantò justior est qui interimitur, tantò justiùs injustos ab interitu liberat, & tantò justiùs justitiam Dei ultricem placat. Justum ergo pro injustis interimi, non injustitiæ summa, sed justitiæ cumulus est, qua & injustus homo justificatur, & justus Deus propitiatur, & justus moriens magis commendatur. Justum ergo pro injustis mori non injustitia, sed misericordia est; nec misericordia tantùm, sed justitia est. Quid enim injustitiæ in justum perpetratum, si justitiam qua redundat, in orbem universum spargere non sine ingentis gloriæ fœnore, eaque Deum & Homines demereri jubeatur? Quid misericordiæ huic æquari potest? Sed quàm justum ut non sola se promereret justitia, nec omnem misericordiæ occluderet aditum? Quàm justum ita consociari justitiam & misericordiam, ut uno & eodem sacrificio utrique litetur? Ut condonando puniat Deus, & puniendo condonet? Ut misericorditer sæviat & justè misereatur? Bernardus sermone ad Milites templi, *Quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? Quia & justus erat. Profectò enim cum homo esset, potuit mori: cum justus, non debuit gratis. Non quidem peccator mortis sufficit solvere debitum pro altero peccatore, cum quisque moriatur pro se. Qui autem mori pro se non habet, numquid pro alio frustra debet? Quantò sanè indigniùs moritur, qui mortem non meruerit, tantò is justiùs pro quo moritur, vivit. Sed quæ inquis justitia est, ut innocens moriatur pro impio? Non est justitia, sed misericordia. Si justitia esset, jam non gratis sed ex debito moreretur. Si ex debito, ipse quidem moreretur, sed is pro quo moreretur, non viveret. At verò si justitia non est, non tamen contra justitiam est. Alioquin & justus & misericors simul esse non posset.*

IV. Nihil justius quam ut justitiæ misericordia interferatur.

Cap. 11.

Quintò, paulò aliter id expedit Hugo de sancto Victore, Dialogo de sacramentis legis naturalis & scriptæ. Ut alternatim insignirent sese justitia & misericordia Dei, necesse fuit, donaret homini misericordia, quo placaretur ab homine justitia; daret Deus gratis, quod homo ex debito redderet. Nihil autem dignum fuit, vel quod à Deo daretur, vel quod Deo redderetur, vel quo illata Deo per peccatum injuria & jactura compensaretur, quàm Deus ipse in homine latens. Nisi ita alternas vices sibi partiantur justitia & misericordia, semper latitabit misericordia, sola existet, totumque occupabit justitia. *Deum homo rationabiliter placare non poterat, nisi damnum quod intulerat restitueret, & de contemptu satisfaceret. Homo vero nihil habuit quod dignè Deo pro ablato damno recompensaret; quia si quid de irrationabili creatura redderet, pro rationabili sublata minus esset. Sed nec hominem pro homine reddere potuit, quia justum & innocentem abstulerat, & neminem nisi peccatorem invenit, &c. Ut ergo Deus ab homine placari posset, dedit Deus gratis homini quod homo ex debito Deo redderet. Dedit ergo homini hominem, quem homo pro homine Deo redderet; qui ut digna recompensatio fieret, priori non solùm æqualis, sed & major esset. Ut ergo pro homine redderetur homo major homine, factus est Deus homo pro homine, & dedit se homini, ut se acciperet ab homine.*

V. Justum est, ut misericors largiatur, quo justus placetur.

Sextò, poterat quidem Deus omnia peccata condonare gratis, nec tantæ victimæ sanguine sed mera beneficentia debitas pœnas abolere; at id minùs decebat, justitiæque adversabatur. Inde enim impunitatis spe gliscente, flagitiorum facinorumque licentia ebulliisset. Provocasset ergo, non extinxisset peccatum istiusmodi tempestiva parum indulgentia; & quos semel indulta venia reparasset, indulgendæ semper veniæ spe labefactasset. Nunc autem donantur peccata, non impunè tamen: relaxantur pœnæ, sed priùs luuntur. Succedit vindictæ gratia, non indulgentiæ impunitas. Pœnas luit, peccata eluit, unus pro omnibus, justus pro injustis, qui unus instar omnium & supra omnes

VI. Ingens labes justitiæ si non expiarentur, sed condonarentur peccata.

omnes est. Unum & justum pro omnibus pœnas dare, & ipsi ad gloriam magnificentius, & justitiæ ad vindictam splendidius est, quàm si omnes pro se luerent. Omnium pœnas in unum sed justum congeri, & ad gratiam nobis amplissimum est, & ad elidendam impunitatis spem efficacissimum. Unde enim illudat deinceps spes veniæ, quando nequid culpæ inultum abeat, plectitur à Patre Filius, à justo justus, ipsa justitia, Deus ipse in crucem agitur? Quando æquius est justum puniri, quàm peccatum ullum impunè ferri? Author Tractatus de Cardinalibus Christi operibus, olim Cypriano, nunc probabiliùs tributi Arnoldo Bonævallensi Abbati, Bernardi suppari & amico: hic inquam author disputans de Passione Christi, *Cùm originali morti nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium: nec reconciliare Deo potuerit exules & damnatos qualibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium. Et sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonare peccatum; sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrænibus, quæ etiam Christi vix cohibent passiones, quæ vix sceleratos animos à voluptatum fæce avellunt.* Non potuit solertiùs, & indulgentia annui, & impunitatis spes excindi.

Id Anselmus ex alio capite disputat, quòd non possit non ordinari, hoc est in debitum ordinem redigi à Deo peccatum. Si autem nulla premeretur pœna, inordinatum maneret, & ad hunc modum tota rerum universitas ex hac ordinis perversitate deturparetur. Adsit ergo juxta dedecus culpæ decus vindictæ, ne ordo decorque rerum obscuretur. Non obscurabitur autem, sed magis magisque inclarescet, si non tantùm culpæ vindicta, sed vindictæ indulgentia comes hæreat; maximè si acerbissima sit vindicta, & uberrima simul indulgentia. *Sic dimittere peccatum non est aliud quàm non punire, & quoniam rectè ordinare peccatum sine satisfactione non est, nisi punire, si non punitur, inordinatum dimittitur. Deum autem non decet aliquid in suo regno inordinatum dimittere. Igitur non decet Deum peccatum sic impunitum dimittere.* (L. I. Cur Deus homo c. I. 15.) Et infra: *Ipsa namque perversitatis spontanea satisfactio, vel à non satisfaciente pœnæ exactio, excepto hoc quòd Deus de malis multimoda bona facit, in eadem universitate locum tenent suum, & ordinis pulcritudinem. Quas si divina sapientia, ubi perversitas rectum ordinem perturbare nititur, non adderet, fieret in ipsa universitate quam Deus debet ordinare, quædam ex violata ordinis pulcritudine deformitas, & Deus in sua dispositione videretur deficere.* At nunc tota supra modum venustatur rerum universitas inauditis quasi antithetis, justus justè damnarur, injustus justè absolvitur, Deus acerbissimè ulciscitur, simul altissimè miseretur; gratis donat, & cum fœnore exigit; indulget, & sævit; insontem pœnis subigi, summæ misericordiæ est; sontem pœnis eximi, specimen justitiæ est.

VII. (Latam à Deo in nos damnationis sententiam, solvere nisi Deus non poterat, idque.) Septimò. Illam distrinxerat olim Deus sententiam æquissimam, qua hominum genus omne parentalis flagitij reatu implicatum morti addixerat. Justitiæ, ut par erat, germana accessit misericordia; eamque sententiam non ut irritaret, quod nefas, sed hominum saluti, sine justitiæ tamen ultricis detrimento, contemperaret, persuasit. Hoc autem præstare cujus erant partes, cujus vis & potestas præterquam Dei? (non irritãdo, sed subeundo.) An latum à Deo judice judicium molliet, & alterius in caput detorquebit quispiam præter Deum? Athanasius L. de Incarnatione Christi, *Qui de Adæ inobedientia quæstionem habuit, judicioque peracto duplicem pœnam sententia sua complexus est, dum rei terrestri ita loquitur, terra es, & in terram reverteris, atque ita pro decreto Domini, corpus in terram abscedit: animæ autem dixit, morte morieris; atque hinc est quòd homo in duas partes discerpitur, & ut ad duo loca discedat condemnatur. Ac proinde opus fuit illo ipso judice qui hoc decretum tulerat, ut ipse per se sententiam solveret: sub specie condemnati incondemnatum se sincerumque à peccatis ostendens ut hominem Deo reconciliaret.* Et Cyrillus Hierosolymitanus: (Catech. 13.) *Inimici eramus propter peccatum, & decrevit Deus ut qui peccat moreretur. Quid igitur ex his duobus fieri oportebat? Utrum ut verax sit Deus, omnes tollere: aut ut benignus sit, dissolvere decretum? Sed vide Dei summam sapientiam. Custodivit enim & decreti veritatem, & benignitatis virtutem. Assumpsit Christus peccata in corpore in lignum, ut per mortem ipsius nos peccatis mortui, justitiæ viveremus.*

VIII. (Secus garrienti Abaelardo fit satis.) Duo sunt quæ non immeritò scrupulum moveant. Alterum est, qua justitia factum sit, ut summo facinore opus esset, quo facinora omnia oblitterarentur? An gravari scelera necesse fuir, ut tergerentur? An cumulo addendum fuit, ut exhaurirentur? An novo antiqua, an majori minora flagitia purgari postulabant? (Crimina crimine atrociori eluuntur.) Denique si criminum aliorum maculis abluendis fusus est sanguis Christi, crimen infandum quo fusus est, quo alio sanguine abluetur? Hoc telo Abaelardus Ecclesiam lacessebat. Cui Bernardus occurrit, non novo facinore reliqua externa esse, sed & hoc novum & reliqua omnia innocentis victimæ cruore mundanda fuisse. Aliud est carnificis flagitium, aliud victimæ pretium; non occidentis malitia, sed occisi justitia Deum placavit; (non occidentium malitia, sed occisi justitia.) tanta est occisi justi patientia, ut sanguinem etiam pro fundentibus effundat; tanta justitia, ut vel interemptores suos justificet. Insolens Deo non est, mala benè vertere, & de impietate propagare pietatem. *Quomodo ait justificari nos vel reconciliari Deo per mortem Filii ejus, dicit Apostolus, qui tanto amplius adversus hominem irasci debuit, quanto amplius homines in crucifigendo Filium suum deliquerunt, quàm in transgrediendo primum ejus præceptum, unius pomi gustu?* (Epist. 190.) Hæc ex verbis Abaelardi, cui ita obiter reponit Bernardus, *Quasi non potuerit Deo in uno eodemque facto, & displicere iniquitas malignantium, & placere pietas patientis.* Rursum Adversarius: *Quòd si tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non posset nisi morte Christi, quàm expiationem habebit homicidium quod in Christum commissum est?* Cui hæc reponit Bernardus: *Breviter respondemus ipsum sanguinem quem funderunt, & interpellationem ipsius quem occiderunt.* Pergit Bernardus: *Non mors sed voluntas placuit sponte morientis, & illa morte expungentis mortem, operantis salutem, restituentis innocentiam, triumphantis principatus, & potestates, spoliantis inferos, ditantis super, pacificantis quæ in cœlo sunt, & quæ in terra omnia instaurantis, &c. Quanto illorum major iniquitas, tanto hujus voluntas sanctior, & eo potentior ad salvandum, &c. Nec peccato sive peccantibus ascribitur hæc victoria, sed bene utenti peccato, & peccantes fortiter perferenti, & convertenti in usum pietatis quidquid in ipsum ausa est crudelitas impiorum.* Et tandem concludit, *Fuit verò sanguis qui effusus est tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum quo factum est ut effunderetur, deleret: ac per hoc de antiqui illius utpote levioris deletione, nullam omnino dubietatem relinqueret.* Jocandi atque illudendi materiam frustra hìc captabat Abaelardus. Omnia hìc seria, nihil non grave, & magnificum, & Deo dignum. Pro sua gente piacularem hostiam ultro se objicere, pro toto humano genere devovere se, & occumbere fortiter, malè facientibus ex animo benè velle, & benè facere, interemptoribus suis prodesse ipsa morte quam inferunt, hac patientiæ voluptate saginari, summus iste virtutis, & gloriæ apex est, Deique hominem gestantis, non dignatio tantùm, sed dignitas. Rursum malefacientibus de malefacto ipso benefacere, unius justitia omnium injustitiam obducere & oblitterare, peccati principatum peccato ipso suisque ipsum

ipsum telis profligare, esto ut Dei ludus sit, hominum certè stupor, & salus est.

IX. Nec ludicra alternatione idem nunc exactor, nunc debitor est Deus.

Alterum in quo hæsitare quis possit, hoc est, quòd non ipse sibi possit tanto Deus impendio satisfacere. Quis enim sibi ipse vel debitor esse, vel facere satis ex justitia potest? Ludibrii instar habebit, si personam unus & idem Deus nunc creditoris, nunc debitoris sibi induat; nunc irascentis, nunc propitiantis partes agat; compendiosius enim fuerat, nihil exigere quàm sibi solvere, & non irasci, quàm simulato obsequio suam ipsum iram delinire. Ad quod respondetur non unam esse personam quæ ludicra alternatione has vices obeat; sed Patri deberi, Filium solvere; à Patre iram & vindictam intentari, à Filio propitiari. Prima enim & princeps origine persona, & fons caputque Deitatis Pater est; ejus ergo est causam Deitatis agere, injurias ulcisci. Artifex & parens creaturarum Filius est, sed naturarum intellectualium speciali nexu & affinitate quasi germanus & primogenitus. Illius ergo est harum causam tueri, cladem antevertere. Qua Filius est, Patrem placare, illatasque ei contumelias eluere debet; qua creator est, suo opificio prospicere, exitiumque amoliri invitatur. Est planè tanti homo; tantæ molis ejus est salus; Deo toto opus est, Patre ut puniat, Filio ut expiet, Spiritu sancto ut ignoscat. Leo Magnus, *Divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret.* Audis, ut non una persona usurpet partes pluribus sustinendas. Richardus de sancto Victore, *Principalis persona intelligitur, ad quam placandam alia interponitur. Pater autem principium est Unigeniti, Unigenitus autem principium est Spiritus sancti. Sicut igitur in mediatore & propitiatore intelligitur genitus; sic in propitiato intelligitur ingenitus, non autem Spiritus sanctus. Non enim Spiritum sanctum satisfactionem exigere decet de eo quod Filius indulget, à quo habet idem Spiritus totum quod habet.* Et infra, *Non posset Spiritus sanctus culpam non ignoscere quam Filius vellet remittere, quanto magis quam vellet sua satisfactione delere? Imò absque dubio Filio causam hominis suscipiente, magis oportuit Spiritum sanctum cooperatoris quam exactoris officium exercere.* Et ibidem: *Ex prædictis patet satis ut arbitror, quia nulli alii personæ in Trinitate magis conveniebat ab alia propitiari quàm Patri: nulli alii causam hominis apud Patrem expiare magis congruebat quàm Filio. Divisit itaque inter se summa illa personarum Trinitas unus Deus negotium salutis humanæ, ut unam eandemque hominis culpam Pater puniret, Filius expiaret, Spiritus sanctus ignosceret.*

Patri enim ob authoritatem fit satis.

Verbum quà Filius, qua creator, Patrem creaturæ conciliat.

Serm. 1. de Pentecost.

L. de Incar. Verbi c. 6. & 9.

Ibid. c. 11.

X. Ex necessitate satisfactionis necessitas incarnationis exaggeratur à Richardo Victorino.

Sed ut justitiæ divinæ satisfieret, quàm non modo decorum, sed & quàm necessarium fuerit incarnari Verbum, ut magis magisque dilucescat, non pigebit aliqua excerpere ex eodem Richardo, ex Anselmo & Vuillelmo Parisiensi Episcopo argumenta, quæ magna vi id contendunt, & vim propemodum intendunt ipsi Deo. Richardus quidem ex illo Christi apud Prophetam encomio, quo prædicatur *Desideratus cunctis gentibus*, scitè concludit non Judæorum tantùm ex Scripturis, sed & Gentilium compluribus complendam aliquando innotuisse priùs incarnationem, ex vi rationis, id, non sine divina tamen luce, ad hunc modum philosophantis. Gens humana statu suo & integritate primigenia naturæ suæ excussa est; morum corruptela, Dei inscitia, idolorum cultura id abundè testantur. Et illatam Deo contumeliam, ablatam homini integritatem undecumque redintegrari necesse est; ne præter decorum & opus & dignitas Dei pessum eat, & in totum desperetur. Restaurator autem non alius præter Deum quisquam erit. Nam si infimus in summum Deum homo superbiit, vicissim opus est summum infimè dejici, ut tanta sit satisfacientis humilitas, quanta peccantis superbia. Quis autem summus præter Deum? Deindè si reparator quis præter Deum esset, plus illi quàm Deo deberet homo, quod dictu nefas. Rursum restaurator homo sit, necesse est. Nam nisi de gente hominum sit, quid attinebit ad homines impensa per eum opera? His rationibus illuscescentem & adventantem redemptorem, votis suis etiam Gentilium nonnulli accelerare satagebant. Audi Richardum L. de Incarnatione Verbi: *Secundùm illud, Ecce veniet desideratus cunctis Gentibus. Non dicit desiderandus, sed desideratus; ut intelligas in omni gente aliquos aliquando ejus desiderio flagrasse. Erat igitur ejus adventus à multis gentilibus præcognitus, & ardenter desideratus. Ad hanc tamen cognitionem paulatim, & per intervalla temporum pedetentim ascenderant. Nam primò quidam eorum divinitus illuminati, & naturali ratione edocti, intelligebant quantis tenebris totum penè genus humanum involutum erat, quod idololatriæ quidem, &c. Ut posset homo resurgere juxta rationem justitiæ, satisfactione opus erat, &c. Ad plenitudinem autem satisfactionis oportuit, ut tanta esset humiliatio in expiatione, quanta fuerat præsumptio in prævaricatione. Rationalis autem substantiæ Deus tenet summum, homo verò imum. Quando ergo homo præsumpsit contra Deum, facta est elatio de imo ad summum. Oportuit ergo, ut ad expiationis remedium fieret humiliatio de summo ad imum; sed hoc omnino non potuit nisi aliqua in Trinitate personarum. Item si homo per creaturam potiùs quàm per creatorem recuperare posset, & recuperaret justitiam, & mediante justitia futuræ beatitudinis gloriam, nonne de cætero contra excellentiam primæ dignitatis, magis obnoxius esset creaturæ quàm creatori, facturæ quàm factori? Nam plus est profectò justificari, & beari, quàm creari. Ad plenam itaque hominis restaurationem omninò non sufficeret persona quæ Deus non esset. Sed nihilominus constat, quia quantum ad rationem justitiæ, ad hominem nihil attineret, quidquid quævis persona faceret, quæ homo non est, &c.* Sic ille & hominum jacturæ, & Dei injuriæ sarciendæ necessariam penitùs Verbi incarnationem, Gentilium non paucis adradiasse, & in votis fuisse commonstrat.

Cap. 8.

XI. Arctiùs hæc necessitatē stringit Anselmus.

Urget acriùs Anselmus, & necessitatis laqueum arctiùs stringit. Reparari quippe hominem alia ratione nulla potuisse. Nam integrum non fuit Deo, peccatum quodvis non ulcisci. Quidquid enim inultum, inordinatum idem fuisset. At Deus inordinatum nihil potest dimittere. Alterutrum ergo necesse fuit, aut vindicari peccatum, & salutem hominum conclamatam jacere; aut pro eo satisfieri. At satisfieri non poterat ab homine vel creatura ulla. Nam qui satisfacit, amplius aliquid rependit, quàm quod ablatum est. At quis Deo minor referre Deo possit honorem, etsi non ampliorem, sed saltem æqualem ei quo per offensam spoliatus est? Rursus qui satisfacit, eo utique satisfacit, quod alioqui non debeatur: at quæ creatura quidquam habet, quod Deo non debeat nominibus aliis compluribus? Neque enim creatura ulla sui ipsa juris, aut sua sibi est, aut suum & peculiare quidquam habet, quod non Dei plus & priùs quàm ipsius sit; & quod non jure Deus exigere queat ab ipsa, etiamsi nulla ei incumberet satisfactio. Oportuit ergo, ut repararetur homo, Deum hominem fieri, ut honorem Deo reponeret ablato parem, aut majorem; & indebitam subeundo mortem, omnium debita resolveret. Omitti verò reparatio hominum à Deo non potuit, quia non decuit; neque enim potest Deus quidquam præter decorum. Non decuit verò, quia consilium Dei de numero prædestinatorum quod ante omnia sæcula capessivit, fixum infractumque constare, nec ulla vel Angelorum vel hominum defectione labefactari decuit; quod ergo de illo numero, hominum prolapsione defecerat, eorum reparatione

instau-

instaurandum fuit. Sic ille fidentiùs quasi jure agit cum Deo, manuque consertum in nostræ carnis ergastulum trahit. Qua ex re splendescat nescio, an obscuretur bonitas Dei. Obscuratur enim quodammodo, cùm justitiæ & necessitati arrogatur, quod meræ summæque bonitatis est. Resplendescit ampliùs autem, cùm tantum in se licere, & tanta de se præsumi patitur. *Necesse est ergo ut de humana natura perficiat Deus quod incepit; hoc autem fieri nequit nisi per integram satisfactionem peccati, quam nullus peccator facere potest.* Et ibidem, *Tene igitur certissimè, quia sine satisfactione, sine debiti solutione spontanea nec Deus potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad beatitudinem vel talem, qualem ante peccatum habebat pervenire.* Et infra: *Cùm reddis aliquid quod debes Deo, etiamsi non peccasti, non debes computare pro debito, quod debes pro peccato. Omnia autem ista debes Deo.* Et paulò post, *Intelligis quia quod das, à te non habes, sed ab illo cujus servus es tu, &c.* Et infra, *Si meipsum & quidquid possum etiam quando non pecco, illi debeo ne peccem, nihil habeo quod pro peccato illi reddam.* Et denuo totum ita argumentum suum contrahit: *Dicimus quia necesse est, ut bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine quod incepit, quamvis totum sit gratia quod fecit bonum. Hoc autem fieri nequit, nisi sit qui solvat Deo pro peccato hominis aliquid majus quàm omne quod Deus non est. Illum quoque qui de suo poterit dare Deo aliquid quod superat omne quod sub Deo est, majorem esse necesse est quàm omne quod non est Deus. Nihil autem est, quod super omne sit quod Deus non est, nisi Deus. Non ergo potest hanc satisfactionem facere nisi Deus. Sed nec facere illam debet nisi homo, alioqui non satisfacit homo. Si ergo sicut constat necesse est ut de hominibus perficiatur illa superna civitas, nec hoc esse valet, nisi prædicta fiat satisfactio, quam nec potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo, necesse est ut eam faciat Deus homo.* Verùm ne necessitas ista, qua Deum Anselmus constringit, vel parum consentanea, vel etiam Deo contumeliosa videatur, ad immutabilitatem divini consilii illam revocat. Cùm enim Deus de hominibus supernam Angelorum civitatem complere vel supplere æterno & incommutabili consilio constituerit, nec implere illud jam possit nisi lapsos homines incarnatione Verbi divini restaurando, tam necessaria est deinceps incarnatio, quàm consilii divini semel initi immutabilitas. Sed ea necessitas quàm stricta est, tam decora liberaque est. *Deus nihil facit necessitate, quia nullo modo cogitur aut prohibetur aliquid facere. Et cùm dicimus Deum aliquid facere quasi necessitate vitandi inhonestatem, quam utique non timet; potiùs intelligendum est, quod facit necessitate servandæ honestatis. Quæ scilicet necessitas non est aliud, quàm immutabilitas honestatis ejus, quam à seipso, & non ab alio habet; & idcirco impropriè dicitur necessitas.* Sic ille excusat necessitatem qua Deum innexuerat.

L. 1. Cur Deus homo c. 4.

Ibid. l. 1. c. 19. & c. 20.

Ibid. l. 2. c. 6.

Ibid. l. 2. c. 5.

XII. Eundem locum premit Uvillelmus Parisiensis.

Postremo Uvillelmus Parisiensis ejusdem necessitatis nodum relaxat quidem nonnihil, non tamen absolvit omnino. Luculento enim libello *de Causis cur Deus homo*, cùm quatuor prioribus capitibus generis humani profligatissimos mores vitiaque impunè ubivis grassantia persecutus esset, indeque vel Gentiles ipsos ad originalis peccati fidem compulisset, evincit deinceps tantam contagem labemque generis totius reparari, honoremque Deo direptum resarciri haud potuisse, nisi fieret Deus homo. Nam primò quidem quia contraria contrariis curari ac reparari postulant, superbia qua imus ad summa eluctatus præter fas erat, emendanda fuit humilitate qua summus ad ima se deprimeret. Flagitium quo servilis natura dominationem affectaverat, castigandum fuit, summæ & dominatricis naturæ ad nostram servitutem descensu. Rapina qua primi parentes Deitatem usurpaverant, compensanda fuit veri & summi Dei exinanitione. Inobedientia ejus, qui omnimodo tenebatur obedire, curari debuit ejus obedientia, qui ab omni lege liber & immunis erat. Spatiari ad eumdem modum licet per omnes vitiorum morbos, quibus contraria instrui medicamenta non potuere, nisi ea Deus suo ex sinu promeret. Non erat autem consentaneum, ut extarent in imperio Dei undequaque pulcherrimo & ordinatissimo extrema quæque morborum & vitiorum portenta; nec extarent aut eminerent extrema illisque portentis procurandis comparata medicamenta virtutum. Parco Uvillelmi verba hìc intexere, vide caput ejus quintum libri laudati.

Secundò nec culpam hominis purgare, nec offensam Dei expiare ulla creatura poterat eo saltem capite, quòd quidquid illa Deo rependere sufficeret, Deo id jam ipsa deberet. Suum ergo debitum, non alienum solveret. Præstat hìc Uvillelmum audire, capite eodem, *Impossibile fuit ut pura creatura eam haberet meritorum sufficientiam, ut ei deberetur ex Dei justitia, totius generis humani sanctificatio. Et hoc est, quia quæcumque esset sanctitas sive virtutum sive operum, aliena erat ab illa, & ei à quo accepta erat, totaliter debebatur. Ratione verò alienorum, nihil ei de justitia deberi poterat: neque enim laus alicui pro factis alienis, aut operibus deberi potest: ergo multo fortiùs neque remuneratio.* Et infra: *Cùm omnis pura creatura, & se totam, & sua omnia deberet, tanquam aliena, & sibi commissa, nulla sui vel suorum oblatione aliquid impetrare debebat ex merito apud Deum, nisi fortè aut Deus se obligasset ex pacto, & se remuneraret debitorum sibi solutione, aut Deus munificentia sua remunerare vellet supra debitum hujusmodi. Hoc autem misericordia, non justitia, quæ non est nisi quædam solutio debitorum. Ex sacrificio ergo aliàs non debito, & sanctitate aliàs non debita, sed ad hoc specialiter assumpta, & accepta, impetrare oportuit apud Deum generi humano gratiam sanctificationis. Nulla autem creatura pura habere potuit aliàs non debitam, quantum ad satisfactionem humani generis, sanctitatem: quoniam omnis puræ creaturæ sanctitas per semetipsam debita erat Deo, omneque puræ creaturæ sacrificium. Necesse ergo fuit, ut & ista sanctitas, & illud sacrificium à non pura creatura susciperetur, seu assumeretur. Necesse ergo fuit summum sacerdotem humani generis non puram creaturam esse, & propter hoc creatorem, qui suscepta sanctitate, sanctificationem humano generi impetraret.*

Tertiò ægritudines hominum, & offensæ Dei, erant & gravitate & numero infinitæ, juges erant & perennes, & per omne genus humanum serpserant. Ergo illis expiandis nulla creaturæ sanctitas par fuisset. Nam sanitatem sanctitatemque ex justitia impetrare toti hominum universitati, innumerabiles gravissimasque offensas & majori in dies cumulo augescentes jugiter eluere, nulla privati cujusquam hominis sanctitas, nulla creaturæ ullius corruptibilis virtutes potest poteritvè. Ibidem Uvillelmus pergit, *Quia culparum immensitas & innumerabilitas immensitatem exigit in advocato justitiæ, & gratiæ: & immensitas pollutionum immensitatem sanctitatis in Pontifice; & infinitas in utroque malo infinitatem requirebat in utroque bono sibi opposito: similiter perennitas & continuitas utriusmali perennitatem & continuitatem exigebat remediantis boni. Advocatum igitur debuit habere genus humanum apud Deum & perennis & continui patrocinii, & Pontificem sempiterni sacerdotii, & qui esset in utroque officio infiniti meriti apud Deum; erat enim malorum pro quibus remediandis inspiciendus erat, infinitas.* Et infra: *Nulla creatura tot millia animarum expiare sufficit, unaquæque enim satis occupata erat in propriis. Curam igitur totius universalis Ecclesiæ, totius humanæ sanctificationis sacerdotium puram creatura habere non decuit.*

cuit. Quis enim tantam curam non expavesceret? Sed neque pura creatura quod offerret pro tot millibus reconciliandis, sanctificandis, glorificandis habere potuit; quod offerret inquam, & sua ipsa acceptabilitate spem daret salutis. Hæc aliaque consona his plura congerit, quibus vim faciat tam Deo ut exhibeat, quàm homini etiam à fide alieno ut credat Verbi Dei incarnationem, vel ut intelligat. Si tamen inseri intelligentia cujusquam animo potest, quem non suo priùs jugo mansuefecerit. Verùm de satisfactione Christi copiosiùs alibi & opportuniùs quàm in isto operis veluti vestibulo differetur.

CAPUT V.

Homini per peccatum in corporalia lapso Verbum divinum contemperari & corporascere necesse fuit.

I. Hactenus extima perlustrata sunt, nunc viscera ipsa mysterii ineuntur.

Circum hactenus vagati sumus, & extima tantùm quasi pomæria perlustravimus: jam ad ipsa penetralia incarnationis subeunda adgredimur; & hoc primum unde reliqua manant omnia, ejus propalamus arcanum, quòd non alio fine aut alio magis fructu incarnari Deum nobis quidem necessarium, ipsi honestissimum fuerit, quàm ut amore corporalium caligantibus nostris oculis, & æternorum intelligibiliumque impatientibus, contemperaret se, & sub carnis integumento ita consuesceret, ut ad lucis patientiam illos roboraret paulatim, & tandem sanaret. Paulò operosior curationis nostræ explanatio voluptatis plurimum, nihil penitùs tædii creabit, ut spero; & ne rerum copia, ac testium numerositas offundat caliginem, in varia illam capita tametsi parum discrepantia partiemur.

II. 1. Carnalibus, & cæcutientibus, post peccatum hominibus contemperavit se Verbum, dum incarnatur.

Primò igitur quid adeò mirum, si carnalibus hominum oculis animisque, nec quidquam nisi corporeum spirantibus aut sapientibus, indulgere se, & carne humana corporatum exhibere Deus voluit? Si contrahit se, & parvis parvum se præbet, ut grandescant; si tenebrosis obscurat se, ut splendescant; si carnalibus carnem se exhibet, ut à carnalibus eos extricet, quid hic adeo mirum? Si in divinam lucem irretortis obtueri oculis possent omnes, non illa se carnali circumdaret velamine. Origenes in Evangelium Joannis: *Deus quidem unus est & simplex. Servator verò noster propter multa; quandoquidem proposuit illum Deus propitiationem & primitias omnis creaturæ, efficitur etiam multa. Hinc fit lux hominum quando homines à vitio obscurati, luce egent lucente in tenebris & à tenebris non apprehensa; lux non futurus, nisi homines obscurati fuissent.* Et Gregorius Nyssenus adversus Apollinarem, *Quoniam omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, neque erat sicut scriptum est, qui posset intelligere & perquirere sublimitatem divinitatis, propterea ut magis carnali generationi appareat unigenitus Filius, caro fit: seque pro exiguitate ejus à quo excipitur, contrahit: vel potiùs ut cum scriptura loquar, seipsum exinanit, ut quantum capit natura, tantum excipiat.* Et paulò post, *Enim verò si omnes ut Moyses caliginem ingredi potuissent, aut quemadmodum sublimis ille Paulus supra tres cœlos attolli, &c. Aut cum Elia curru igneo in locum ætherium transferri, neque corporis pondere gravari; vel cum Ezechiele atque Esaja sedentem in gloria throno contueri, aut supra Cherubim sublatum, aut à Seraphim collaudatum; nihil penitus opus fuisset hac Dei secundum carnem apparitione, si tales omnes fuissent.* Fuissent autem illis haud impares planè omnes, nisi omnium oculos peccatum fœdo oblimasset luto sensibilium cupiditatum: Leo Magnus in Nativitate Domini: *Propter nostram infirmitatem extenuavit se incapacibus sui: & velamine corporis splendorem majestatis suæ, quem visus hominum non ferebat, obtexit.*

Tom. 1.

Serm. 5.

III. Idem quotidie factitamus, dum sensa mentis nostræ corporalibus sonis vestimus.

Quid adeo mirum semel à Deo fieri, quod à nobis quotidie factitatur? Ut enim carnalibus aliorum hominum auribus mentis nostræ sensa inseramus, corporali sono illa conserimus; vel ut oculis corporeis ingeramus, sensibili chartæ committimus; & corporeo isto vehiculo incorpoream sapientiam nostram per corporeos aliorum sensus in eorum mentes trajicimus. Ergo Deus similiter ut hominibus corporalium sensuum consuetudini & servituti penitùs mancipatis, intelligibilem sapientiam suam, qua sine pernicie sua carere haud poterant, insinuaret, corporeo illum vestivit tegumento, ut sensibus illam primùm & per sensus animis infunderet. Utrobique sapientia intelligibilis corporatur, utrobique per sensum corporis convenitur animus, & corporeo instrumento instillatur illi quid incorporeum; utrobique indemutata constat sibi sapientia, & nec accessu corporei involucri, nec decessu variatur; utrobique tegitur quid, ut nudetur; occultatur, ut aperiatur; contenebratur, ut illuminetur; utrobique demum ne totam consonantiam persequar tædiosiùs, longus initur anfractus, sed ita prospicitur mentibus carceratis, ad quas adeundas non aliæ patent viæ. Augustinus: *Cum sano & puro interiori oculo ubique sit præsens (Dei sapientia) eorum qui oculum illum infirmum immundumque habent, oculis etiam carneis apparere dignata est, &c. Quomodo venit, nisi quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis? Sicuti cum loquimur, ut id quod in animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus verbum quod corde gestamus, & locutio vocatur, nec tamen in eundem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra, formam vocis qua se insinuet auribus, sine aliqua labe suæ mutationis assumit: ita Verbum Dei non commutatum, carò tamen factum est, ut habitaret in nobis.* Ita ille quotidiana & familiarissima verbi humani incorporatione, Verbi divini incarnationem pulcherrimè probat, non possibilem tantùm, sed & potentiæ Dei & nostræ fidei facilem, Deo non indecoram, & homini pernecessariam. Origenes in Celsum, *Quod si corpus mortale, animamque humanam ab immortali Dei Verbo assumptam, Celsus vocat mutationem, & alterationem, discat Verbum manere Verbum sua substantia, nec pati eorum quidquam quæ corpus aut anima patitur: condescendere tamen interdum non valentibus claritatem ac splendorem Deitatis obtueri, & velut carnem loqui corporaliter, tantisper dum auditor paulatim per verbum factus sublimior, possit etiam illam pristinam, ut ita nominem, formam ejus contemplari.*

De Doct. Chr. L. 1. c. 11. 13.

L. 4.

IV. Cæci & palabundi nō poteramus ad lucem redire, poterat lux ad nos.

Quid adeo mirum, si cùm tota hominum iniquitas, & calamitas scaturisset ex eorumà Deo fuga; nec sisti omninò posset, nisi eorum ad Deum reditu: non ipsi ad Deum redierint, sed exierit Deus ad ipsos? In longinquam enim & tenebrosam dissimilitudinis regionem abscesserant: ad reditum autem moliendum, & lumine, & viribus deficiebant. Conclamatum ergo de iis erat, nisi ad cæcutientes lux, ad infirmos robur accessisset. Bernardus: *Velim nosse quid sibi voluerit quod ad nos venit ille, aut quare non magis ivimus nos ad illum? Nostra enim erat necessitas, sed nec est consuetudo divitum, ut ad pauperes veniant, nec si præstare voluerint. Ita est fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit, sed duplex erat impedimentum. Nam & caligabant oculi nostri, ille verò lucem habitat inaccessibilem, & jacentes paralytici grabato, divinam illam non poteramus attingere celsitudinem. Propterea benignissimus salvator, & medicus animarum, descendit ab altitudine sua, & claritatem suam infirmis oculis temperavit.* Antevertendi ergo fuimus; densaque in nocte errantibus non quærendus sol fuit, sed expectandus. Lucem enim

Serm. 1. de Adventu.

adire

adire lucis beneficium est; & ad medicum pergere,
Tom. 3. pag. 111. valentis est. Hugo de sancto Victore: *Dei sapientia per quam homo factus fuerat, ut in illa beatus esset, lapsum hominem perdere noluit. Et cum illa sursum esset majestate, ille deorsum jaceret infirmitate, descendit ad eum quo ceciderat, ut levaret eum ad id unde ceciderat.* Qui enim lapsum juvare quempiam, & relevare contendit, non illum ad se accersit, sed ad illum ipse descendit; ita nos in carnalia & temporalia lapsos ut Deus levaret, in eadem se demisit ipse.

Et hic germanus est sensus ejus loci 1. Corint. 1. *Quia enim in sapientia Dei non poterat mundus per sapientiam cognoscere Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Hoc est, quia intellectus hominis temporalium amore sauciatus, Dei sapientiam intueri jam non poterat, atque adeo nec sensus corporeos, nec corpus suum, nec temporalia omnia ex sapientiæ legibus ut par erat administrare: Deo visum est, præpostero jam & stultitiæ pleno ac quasi retrogrado progressu per corporalia, per sensus corporeos, per corpus sapientiam intellectui ipsi inserere, adeoque per res brutas mentem illuminare. Augustinus: *Et cùm*
L. 1. de Doctr. Christ. c. 12. *sano & puro interiori oculo ubique sit præsens, eorum qui oculum illum infirmum immundumque habent, oculis etiam carneis apparere dignata est: quia enim in sapientia Dei non poterat mundus, &c.* Ut supra.

V. 2. Nube carnis fulgor Deitatis obumbrandus fuit. Secundò, intolerabilis est mortalium oculis animisque fulgor Deitatis; temperari ergo illum, & nube humanitatis quasi obumbrari necesse fuit. Gregorius Magnus: *Illa enim natura immutabilis*
In Ezech. l. 1. Hom. 2. *quæ in se manens innovat omnia, si ita ut est nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potiùs quam renovaret. Sed claritatem suæ magnitudinis temperavit nostris oculis Deus, ut dum ejus nobis claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per*
Hom. 11. in Joan. *ejus similitudinem in ejus luce clarescceret.* Chrysostomus: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre: non utique visuri, nisi per socium corpus nobis apparuisset. Nam si Judæi gloriosam Moysi cum nostræ esset naturæ particeps, faciem conspicari non potuerunt; sed homini etiam justo opus fuit velamento quod ejus gloriæ magnitudinem obumbraret; quonam pacto nudam & ipsis supernis virtutibus inaccessibilem divinitatem, nos ex luto & terra facti ferre possemus? Idcirco habitavit in nobis, ut ad ipsum accedere, cum ipso loqui & conversari audacter liceret.* Idem in Psalmos: *Descendet sicut plu-*
Tom. 3. in Psal. 50. *via in vellus. Quoniam cum Dei Filius venit, non ita venit ut orbem terrarum concuteret, nec fulgura & tonitrua emitteret, nec denique cum nuda divinitate accessit. Actum enim erat de omnibus rebus, si nuda divinitate venisset. Ac ne montes quidem ipsi ejusmodi adventum ferre potuissent; quandoquidem respicit terram & facit eam tremere, tangit montes & fumigant. Si nudam essentiam suam ostendisset, sol extinctus, luna obscurata, mare exsiccatum fuisset, terra periisset, natura nostra de medio sublata fuisset. Ob eam causam carnem induit, & leniter ac sine strepitu, nemine, ne diabolo quidem ipso, nedum alio quoquam sciente venit, atque in virgineo utero*
Catech. 10. *habitavit.* Cyrillus in Catechesibus: *Nemo videbit faciem meam, & vivet. Propterea sane cùm Deitatis personam nemo vivus poterit videre, humanitatis personam recepit ut videntes vivamus. Et cum voluit hanc personam cum exigua dignitate ostendere, quando facies illius resplenduit ut Sol, discipuli cadunt præ timore. Si ergo faciei corporis splendor, non tantum quantum ille qui id operabatur, potuit, sed quantum capiebant discipuli, ita perterrefecit eos ut ferre non potuerint: quomodo in Deitatis dignitatem oculos aliquis poterit intendere?* Si Moysis, si justi unius splendorem ferre haud potuit vulgus: si corpoream Christi faciem strictim & parcè Deitatis modico rivulo perfusam non sustinuit discipulorum flos delibatus; quid si tota Deitas irrupisset? Et ta-

men Verbi Dei consortio & contubernio familiari ad magisterium, ad exemplum, ad auxilium opus erat, ut clarebit inferiùs: carne ergo illud obnubi necesse fuit.

Rursum impervium planè est naturæ divinæ adytum. Ideo per opera explicat sese, & quantum capimus, innotescit Deus. Ergo cùm opera quæ creavit, aut familiaritate eviluissent, aut superstitione glíscente avocarent jam magis à Deo, quàm nos ei conjungerent; nihil conducibilius fuit, quàm ut per Filii, hominem induti, gesta & nova & mira, torpentes hebetesque Deus excitaret, & ad sui contemplationem hoc facilioris & brevioris viæ compendio invitaret. Divinæ etenim virtutes & prærogativæ, omnipotentia, sapientia, justitia, bonitas, misericordia, sanctitas, in Christi vitæ gestorumque serie splendidiùs enitescunt, quàm in universi totius molitione, & ad imperitorum intelligentiam, & ad omnium imitationem commodiùs objiciuntur. Hinc enim tibi orbem quantus maximus est ob oculos pone, inde Christum, plura istic quàm illic divinitatis divinarumque laudum documenta, & ad intelligendum apertiora, & ad imitandum efficaciora elucescent. Paucos quibus & otium abundabat & ingenium, orbis admiratio ad opificis contemplationem, paucissimos aut planè nullos ad imitationem, longè plurimos ad superstitionem inclinavit. At Christi ut germanæ imaginis gesta dictaque omnia, & superstitionem dispunxere toto orbe, & Dei unius veri que notitiam, cultum, imitationem humano generi, peritis juxta & imperitis inspiravere. Cyrillus Alexandrinus in Joan. *Natura divina nullius ingenio prorsus comprehendi potest: & quid secundum* L. 9.
substantiam sit rerum omnium author, scrutari planè audere, extremæ signum est dementiæ. Verumtamen cognitionem quandam tanquam in umbris & ænigmatis comparare possumus, speculum veluti quoddam menti opponentes, eas quæ Filii naturæ insunt, prærogativas. Ex eo enim quod est ipse & ex iis quæ operatus est, postquam factus homo est, & ante incarnationem, ad notitiam & contemplationem Patris simili ratione demum ascendes. Vide enim mihi quæso gloriam ejus & virtutem, vide supremam in omnibus rebus potestatem. Qui videt me, videt & Patrem. Eundum itaque, si loci hujus vim spectemus, ab imagine ad archetypum, & à charactere ad illum cujus est character. Et L. eodem inferiùs, explanans quàm lucidiùs eniteat in Christo divinitas, quàm vel in igne rubi, vel in qualibet alia creatura, *Qui videt me, videt & Patrem: quomodo ergo dicis, ostende nobis Patrem? Licet tibi Philippe Patris in me contemplari naturam, & ex eo quod sum ipse genitorem perspicere. Extiti enim & sum verè substantiæ ejus character, per omnia similis & imago perfectissima, totam in meipso Dei ac Patris naturam exprimens. Numquid præstantiorem & magis exquisitam veteribus datam existimas Dei visionem, cum in montem Sina in specie ignis descendi? &c. Quomodo quæso per ignem velut ab imagine quadam veniemus ad archetypum, id est, ad Patrem ac Deum? Deus enim bonus est natura & opifex, qui in ortum educit quæcumque non sunt, & vivificat, ipsa sapientia & virtus, bonus, clemens, & misericors. Horum autem nihil prorsus est in igne. Nemo enim sanus ignem bonum sibi esse persuaserit, nec creandi vi pollere, sapientiamque & vitam largiri, &c. Eamus igitur ad veram & accuratissimam Patris contemplationem Filium, eum enim genitoris esse imaginem videbimus, si ad ejus prærogativas mentis oculum intendamus. Bonus itaque Deus ac Pater secundum naturam: talem esse & Filium comperiemus. Qui enim bonus non sit, qui tantùm pro nobis se demisit, & in mundum venit, ut peccatores salvos faceret, suamq; animam pro iis poneret? Potens est Pater, similiter & Filius: quid enim potest eo esse potentius, qui elementis ipsis imperat, qui mare ac ventos increpat, &c. Vita est*

Marginal notes (right column): VI. Cum mundanæ fabricæ pulcritudo aut familiaritate aut superstitione fordesceret. — Dei corporati miraculo excitari nos ad Deitatis contemplationem oportuit.

ſecundùm naturam Pater, vita eſt & Filius, qui incorruptos vivificat, & mortis deſtruit imperium, & mortuos exſuſcitat. Jure ergo ad Philippum ait, Qui videt me, videt & Patrem.

VII. Immerſus poſt peccatum homo fere totus ſuo fraudabitur bono, niſi ſenſibus corporeis corporatum Deum contrectet.

Rurſum mentis noſtræ ſummo tantùm faſtigio delibari divinitas poterat, ſenſibus autem nec attingi. An ergo portio hominis longè maxima à Deo, & à fonte boni exulabit, & ſua fœlicitate nec irrorabitur? Poſt peccatum enim in ſenſum corporeum projectus homo totus eſt, & in eum animus quoque propè abſorptus, ſupernatante dumtaxat & vix ſuperextante tantillum ſummo mentis apice. Igitur Deus niſi homo fiat, & contrectandum ſe, fruendúmque immerſo in ſenſus homini præſtet, pars hominis major & totus ferè jam homo fraudabitur ſuo bono, nec vel cogitatu, vel affectu Deo, fœlicitati nimirum ſuæ, adhæreſcere poterit. Luculentè in primis Hugo de ſancto Victore, *Propterea Deus honorificatus eſt, ut totum hominem in ſe beatificaret; ut tota converſio hominis eſſet ad ipſum, & tota dilectio hominis eſſet in ipſo. Si enim creator hominis Deus eſſet, & Deus homo non eſſet, eſſet in ipſo quod ſenſu mentis videretur, ſed quod ſenſu corporis perciperetur, non eſſet; & ſuſtineret ſenſu carnis perpetuum opprobrium abſentiæ creatoris, & eſſet in abjectionem, ſemper oberrans in creaturis, & non attingens ad creatorem ſuum. Ne igitur ſenſus carnis in hominem opprobrium iſtud in perpetuum portaret, ſemperque merito illi diceretur, ubi eſt Deus tuus? ſi nunquam ad creatoris ſui contemplationem admitteretur, aſſumpſit creator carnem quæ à ſenſu carnis in ipſo videretur per carnem; ut carnis cibus eſſet lac in contemplatione carnis, mentis cibus mel in contemplatione divinitatis. Et egrederetur & ingrederetur, & paſcua inveniret: paſcua foris in carne ſalvatoris: paſcua intus in divinitate creatoris. Et ſalvator & creator unus, & unum gaudium eſſet, & in lacte carnis & in melle divinitatis.*

Tom. 3. pag. 125.

VIII. Æterna lex & veritas per carnem lacteſcere debuit noſtræ poſt peccatum infantiæ.

Tandem parvulis, ægris, lippientibus, nec ipſam incommutabilis Deitatis, veritatis, ſapientiæ juſtitiæque lucem intueri aut ferre valentibus, ſuccurri haud alia magis conſentaneum fuit ratione, quàm ſi divinitatis æternæque legis lineamenta in hominis alicujus & ſupra homines præcellentiſſimi vita moribuſque deſcriberentur: ut hæc intuentes, amplectentes, imitantes, grandeſcerent, & convaleſcerent ad ipſum incommutabile lumen Deitatis & ſapientiæ complectendum perfruendumque. Ita ergo caro Chriſti collyrium eſt, quo inungantur oculi lippientes: pharmacum eſt, quo ſanentur ægri; lac eſt, quo parvuli adoleſcant; Deitas Chriſti eorumdem cibus eſt jam grandium, deliciæ jam ſanorum, lumen perſpicacium. Sed hac de re copioſiùs infra Auguſtinus: *Subſtantiam Dei ſine ulla ſui commutatione mutabilia facientem, & ſine ullo temporali motu temporalia creantem, intueri & plene noſſe difficile eſt: & ideo eſt neceſſaria purgatio mentis noſtræ, qua illud ineffabiliter videri poſſit. Qua nondum præditi, fide nutrimur, & per quædam tolerabiliora, ut ad illud capiendum apti & habiles efficiamur, itinera ducimur. Unde Apoſtolus in Chriſto quidem dicit eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos; eum tamen quamvis jam gratia ejus renatis, ſed adhuc carnalibus & animalibus, tanquam parvulis in Chriſto, non ex divina virtute in qua æqualis eſt Patri, ſed ex humana infirmitate, ex qua crucifixus eſt, commendavit. Ait namque, Neque enim judicavi me ſcire aliquid in vobis niſi Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum, &c. Et ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: quaſi parvulis in Chriſto, lac potum dedi vobis non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis.* Vides in Chriſto lac humanitatis, cibum Deitatis ſecerni; illud parvulis, hunc grandibus deſtinari; illo ali & augeſcere parvulos lacte, ut ad hunc cibum perveniant. Principium ergo & elementum totius ſapientiæ & intelligentiæ rerum divinarum caro Chriſti eſt. Omnes enim homines quadam mentis, non minùs quàm carnis infantia laboramus. Si cui mens viget, ſenſibuſque minùs ancillatur, hic fiducia ſaltem ſui & ſuperbia impotentior & ineptus eſt: Vel imperitia ergo vel ſuperbia conſtat generis humani infantia; eget proinde elementis non naturæ rerum, ſed ætati ſuæ accommodatis. Principium enim ſapientiæ Verbum & æterna veritas eſt: hinc illa haurienda eſſet, ſi rerum & naturæ ordo ſtaret intemeratus; at per peccatum mentibus in amentiam, & in ſenſuum infantiam delapſis, principium & elementa ſapientiæ longè alia jam ſunt. Non potuit magis accuratè diſcriminari hæc elementorum diverſitas, quàm apud Origenem: *In principio erat Verbum. Eſt principium diſciplinæ; juxta quam intelligentiam dicimus elementa principium eſſe grammatices. Sed duplex eſt principium diſciplinæ, alterum natura, alterum reſpectu noſtri. Ut ſi dicamus de Chriſto, quod natura principium ipſius ſit divinitas: quoad nos verò qui non valemus ex magnitudine ejus, veritatem de ipſo aſſequi, humanitas; inquantum parvulis prædicatur Jeſus Chriſtus, & hic crucifixus. Quare hac ratione Chriſtum dicimus natura principium eſſe diſciplinæ, ſecundum quod Dei ſapientia & Dei potentia eſt; quoad nos verò caro factus eſt, ut habitaret in nobis, qui hoc modo tantum initio eum capere valebamus.* Eminet in his verbis Origenis ingens Chriſtianæ fidei fundamentum, & ſublimioris cujuſdam philoſophiæ, quæ totam Gentilium philoſophiam exuſflet. Rurſus idem Origenes: *Quis alius valeat ſervare, & ad Deum optimam, maximum, naturam humanam adducere, quàm Deus Verbum, qui quum in principio apud Deum eſſet, propter carni cohærentes & carnales caro factus eſt, ut caperetur ab eis à quibus alioqui ne videri quidem poterat, inquantum Verbum erat, & apud Deum erat, & Deus erat? Nunc corporaliter loquens, & ut caro ſe præbens, ad ſe vocat omnes carneos, ut eos primum formatos juxta Verbum quod caro factum eſt, deinde ad contemplationem ſui ipſius provehat, cernaturque ab eis qui ante carnem ſumptam fuerat: ut per ejus carnem introducti ad ſublimiora, dicant illud Apoſtolicum, Et ſi Chriſtum aliquando ſecundum carnem noveramus, nunc certè non amplius ſic eum novimus.* En ut carnis lacte roboramur ad ſolidum Deitatis cibum. En ut carnalibus ſapientiam adaptari & carneam fieri oportuit. En ut carne ſupra carnem evehimur. En ut Verbi incarnatio, inſipientium ad ſapientiam veram provectio, & ſapientiſſima confutatio ſit inanis & mundanæ ſapientiæ amatorum.

L. 1. de Trin. c. 1.

In Joan. To. 1.

Con. Celſum. L. 6.

X. 1. Hominis integri & ſtantis mẽtem divina lux immediatè, non per corpora aut phantaſmata irradiabat.

Tertiò, Mens humana inter Deum & corpora mediam quaſi ſortita ſtationem, naturæ locique ſui prærogativa, oculum acceperat quo Deum, acceperat & quo corpora contueretur. Quin enim tam mentis oculo Deum, quàm corporis oculo corpora utcumque & quantumcumque liberet contueretur, cùm ut corpore corporibus, ita mente Deo affinis ſit: cùm Deo & menti medium nihil interſit: cùm mentis bonum & quies & forma veritas ſit: cùm videre & intelligere mentis, videri & intelligi Dei ſeu veritatis natura ingeniumque ſit: cùm mens veritatis luce fraudata, tenebroſa, cæca, ſtulta, vitioſa, informis, miſera & amens ſit, utpote caſſa luminis, perſpicaciæ, ſapientiæ, integritatis, formæ, Beatitatis, Veritatis. Deum ergo divinamque veritatem & ſapientiam ſanus mentis oculus tam facilè, tam copioſè videbat & bibebat, quàm ſanus corporis oculus ſolis lucem; ne menti quàm corpori præter ordinem, & præter naturarum legem ſempiternam minùs conſultum eſſet. Etenim ſi ad Deum contemplandum non aliter mens, quàm per carnis ſenſus, corporeaſque phantaſmatum imagines, provehi potuiſſet, ergo propior Deo fuiſſet caro quàm mens; ergo non

media

media inter Deum & carnem foret mens, sed media inter Deum & mentem essent corpora; ergo inferior & à Deo projectior esset mens quàm caro; ergo præpostero instituto, præiret ad intelligibilium contemplationem sensus menti, non mens sensui; miles duci, civis regi, servus domino anteiret & antecelleret; ergo retrogrado gressu mens & natura intellectualis ut intelligibilem veritatem attingeret, per sensibilia gradum moliretur; descenderet, ut ascenderet; terga verteret, ut accederet: lucem per tenebras, proximam per longinqua, similem per dissimilia quæritaret: & imago veritatis ut veritatem conveniret, per vestigia ejus iter tentare compelleretur. Ergo quo intempestivius nihil fieri potest, illuminaret mentem caro, docerent intellectum corpora, hoc est, lucem luci infunderent tenebrosa, sapientiam impertirent bruta. Ubi tamen illud obiter monemus, alibi prolixè constituendum, cùm homo dicitur ante lapsum oculo mentis ita Deum vidisse, ut corporeo oculo corpora intuebatur; *videndi* vocabulum idem sonare ac *intelligendi*. Est autem intelligere medium quid inter contuitum beatificum, & corporeum sensum. Etsi enim sine corporeo sensu vel phantasmate intelligat quandoque homo, semper angelus; longe alia tamen est, & longè præclarior illa Dei visio, qua sancti beantur in Patria.

XI. Amore sensibilium in sensibilia lapsi, non jam fere nisi per sensus ad intelligibilia redimus.

At ubi amore sensibilium descivit, deditque terga veritati mens nostra, merito caligavit, cùm à luce se avertit; merito cæcutiit, cùm pulvere terrenorum sorduit; merito sensibus succubuit, quibus ultro se subjecit; merito corporibus indiguit, quibus amore conglutinavit se & quodammodo concrevit. Merito denique posthac per sensibilia ad intelligibilia, per sensus ad intellectum, per corpora ad Deum, per ima ad summum enitendum est nobis, qui peccato in sensibilia defluximus, & sensui nos infiximus, & mente corporales carnalesque evasimus, nec jam medii, sed imi & dejectissimi sumus. Hæc hominis igitur non natura est, sed culpa, & culpæ indivulsa comes pœna.

XII. Ex ægritudine ipsa pharmacum nobis temperat ars divina.

Inconcussa hæc est justitiæ lex, ut culpa sibi pœna sit ipsa; sed & clementiæ solertissima hæc ars est, ut ægritudo sibi medicina sit ipsa. Quo cecidimus, ibi innitimur ut surgamus; ab intelligibilibus ad sensibilia deflexímus, per sensibilia ad intelligibilia reflectimur. Veritatem intelligibilem jam non capimus, veritatis imaginem in sensibilibus relucentem adhuc capimus; hanc sensu complectamur, ut ad illius intellectum reformemur; hanc ut illius umbram teneamus, illam ut hujus exemplar expectemus; in hujus complexu, illius fidem, spem, amorem meditemur. Ita sensibilium sacramentorum contrectatio, divinorum & intelligibilium fidem alet, spem fovebit, amorem succendet, fructum aliquem anticipabit quandoque.

ex pœna solatium, ex malo bonum.

XIII. Hinc corporalium sacramentorum necessitas.

Hæc igitur est prima labes mali, cùm amore corporum corporibus infixi subjectique fuimus, ex amoris natura, ex culpæ pœna, ex norma legis sempiternæ. Hæc rursum prima spei lux affulsit, cùm corporeis sacramentis ad incorporea credenda sperandaque sustolli cœpimus. Hinc statim post peccatum illa sensibilium signorum, sacrificiorum, figurarum, parabolarum, metaphorarum & res divinas adumbrantium sacramentorum tam numerosa supellex. Hinc rarior sacramentorum corporalium copia ante legem, cùm veritatis occiduæ crespusculum, quasi adhuc subluceret. Hinc sub lege tantus illorum proventus, cùm lux intelligibilium propè omnis interiisset. Hinc pauciora illucescente per carnem suam Christo, & veritatis lumen nobis, nos illi magis magisque contemperante. Hinc nulla penitus futura in regno, ubi in integrum restituta fuerit, & in primigeniam sanitatem nobilitatemque restaurata nostræ mentis natura. Hinc quandiu sanamur, scripturis uti nubibus utimur, lucem obscurantibus sed contemperantibus, aquam veritatis promittentibus sed irrorantibus. Hinc in litera Spiritum uti medullam in nucleo latitantem venamur. Hinc in veteri testamento novum, in novo Patriam quasi seminaliter delitescentem prægustamus. Hinc de Deo in scripturis nihil admodum nisi per simulacra corporea insinuatur. Hinc denique creatura omnis corporea incorporeæ & invisibilis Dei sapientiæ & virtutis argumentum & quodammodo sacramentum nobis est; eò per peccatum delapsis, ut Deum Dei imago per extrema Dei vestigia quærere compellatur. His homo omnibus & humiliatur & eruditur, ideoque & plectitur & sanatur.

in parabolis, figuris, sacrificiis, scripturis.

quibus dum humiliamur, erudimur: dú plectimur, sanamur.

XIV. Sed omniú sacramentorum maximum & maxime opportunum. veritas incarnata.

At verò quo sacramento sensibili ad intelligibilem veritatem compendiosiùs & tutiùs trajiciemur, quàm si veritas ipsa naturam humanam induat? Nam inter naturas corporeas & dignitate & Dei imagine reliquis præcellit humana. Ergo ut ad divinitatis invisibilis visibile sacramentum adoptetur, omnium longè dignissima & accommodatissima est. Rursum si vestigiis sui, si infimis corporibus ad hominis salutem hoc præstat Deus, ut sub illis suo quodam modo Veritas sempiterna lateat, & transluceat: imagini suæ, naturæ rationali, numquid non indulgebit Deus, ut ad ejus ipsius salutem, veritas sempiterna in ea speciali quodam modo & inferioribus naturis inconcesso, sedeat & lateat & perluceat? An Dei sacramentum, erit Dei vestigium, non erit Dei imago? An copulabitur æquè suo veritas vestigio, ac suæ imagini? An homo cui concinnantur omnia sacramenta, sacramentum erit quidem ipse, sed nihilo reliquis magnificentius? Quin ut principem tenet homo locum inter sensibilia veritatis sacramenta, ita nobilissimo ei modo glutinetur veritas. Ut splendidissimum hoc Deitatis sacramentum seu signum esse debet, ita Deitas illi ipsa inferatur, illi immeet, illud ineat & informet, se illi, illud sibi commisceat, in illo & per illud agat: ut idem sit veritatis sacramentum & veritas; non vacuum sit signum, non inane simulacrum; contineat quod significat, repræsentet quod promittit; non sola pascat; non sola spe lactet & cruciet. Hæc una sacramenti ratio est, digna planè qua Deus significetur homini, dignissima qua homo sibi significet Deum, & significando repræsentet, fruendumque præstet. Ut quoniam hominis & ea naturæ prærogativa est, ut non alia ei vita & beatitas sit, quàm sempiterna veritas; & ea culpæ pœna est, ut ad intelligibilem veritatem nonnisi per sensibilia conscendat: sensibili integumento eoque decentissimo obveletur, eique ita se contemperet veritas sempiterna.

Ut per hominem homo, ad veritatem per veritatem scandat.

XV. Superior argumentatio munitur authoritate Patrum, & Doctorum, Hugonis Victori. De sacram. l. 1. p. 10. c. 2.

Sed hæc jam more nostro munienda sunt præsidio authoritatis. Hugo de sancto Victore ita ratiocinatur: *Erant enim tria quadam, corpus & Spiritus & Deus. Corpus quidem mundus erat, anima Spiritus. Et ipsa anima quasi in medio quodam erat, habens extra se mundum, intra se Deum; & acceperat oculum quo extra se mundum videret, & ea quæ in mundo erant, & hic erat oculus carnis. Alium oculum acceperat, quo seipsam videret, & ea quæ in ipsa erant, & hic est oculus rationis. Alium rursum oculum acceperat, quo intra se Deum videret, & ea quæ in Deo erant, & hic est oculus contemplationis. Hos igitur oculos quandiu anima apertos & revelatos habebat, clare videbat & recte discernebat. Postquam autem tenebræ peccati in illam intraverunt, oculus quidem contemplationis extinctus est, ut nihil videret: oculus autem rationis lippus effectus est, ut dubiè videret. Solus ille oculus qui extinctus non fuit, in sua claritate permansit, &c. Hinc est quod corda hominum faciliùs sibi consentiunt in his quæ oculo carnis percipiunt, quàm in his quæ acie mentis & sensu rationis attingunt: quia ubi in videndo*

non caligant, in judicando non discrepant. Homo igitur quia oculum carnis habet, mundum videre potest & ea quæ in mundo sunt. Item quia oculum rationis ex parte habet, animum similiter ex parte videt, & ea quæ in animo sunt. Quia verò oculum contemplationis non habet, Deum & quæ in Deo sunt, videre non valet. Fides ergo necessaria est qua credantur, quæ non videntur: & subsistant in nobis per fidem, quæ nondum præsentia sunt nobis per speciem. En ut oculo triplici instructus esset homo ante peccatum, quo Deum, quo mentem suam, quo mundum cerneret, mundum extra, se Deumque intra se; utque peccato confossus sit oculus, quo Deum, obnubilatus quo mentem suam, intactus remanserit, quo mundum intuebatur, Idcirco fide jam opus est, ut oculus contemplationis redintegretur. Et infra: *Quod videtur in imagine, sacramentum est; quod videtur in re, res sacramenti est. Quod ergo videmus nunc per speculum in ænigmate, sacramentum est ad illud quod videbimus facie ad faciem in manifesta contemplatione, &c. Ergo qui per fidem vident, imaginem vident; qui per contemplationem vident, rem vident. Qui fidem habent, sacramentum habent; qui contemplationem habent, rem habent. Fides ergo sacramentum est futuræ contemplationis, &c. Quatenus videlicet hoc homini reputetur pro merito, si nunc per fidem ambulans, viam veritatis etiam impugnatus non deserat, qui prius visione præsentis Dei roboratus, sola persuasione prostratus erat.* En ut aliquali visione præsentis Dei fruebatur ante lapsum homo; nunc fide, id est imagine & sacramentis curatur. Idem ibidem rem altiùs repetens: *Omnis ergo qui bonus est, & ex bono suo bonus est, inferior est ipso bono quo bonus est, quia sine ipso bono bonus non est. Si ergo bonum hominis supra hominem erat, solus ille bonum hominis erat, qui supra hominem erat. Huic ergo bono quandiu in ordine conditionis suæ perstitit, immediatè jungebatur, & eo liberè fruebatur, &c. Postquam autem per concupiscentiam abstractus à superiori avertebatur, ad inferiora conversus præcipitabatur, & illi se subjiciebat quod bonum suum faciebat. Justa igitur recompensatione qui suo superiori per obedientiam subjectus esse noluit, per concupiscentiam suo se inferiori subjecit, ut jam ipsum inter se & Deum, medium inveniat divisionis, non mediatorem reconciliationis. Hoc enim medio dividente humana mens & obnubilatur ne creatorem suum agnoscere valeat, & refrigescit ne ipsum per dilectionem requirat. Nemo siquidem est qui nesciat hominem rationalem mutis & insensibilibus elementis conditione superiorem existere: & tamen cum idem homo in his salutem quærere jubetur, ad experiendam ipsius obedientiæ virtutem, quid aliud quàm suo inferiori superior subjicitur? Hoc est propter quod infidelium oculi qui visibilia solum vident, sacramenta salutis venerari despiciunt, quia in eis tantum quod foris est contemptibile in specie visibili cernentes, invisibilem virtutem intus, & fructum obedientiæ non agnoscunt. Non enim sciunt quod fideles salutem ex istis elementis non quærunt, etiamsi in istis quærunt: sed ex illo & ab illo quærunt in istis, à quo jubentur quærere & credunt se percipere in istis.* Sic ille prolixè, sed appositissimè.

Ibid. c. 9.

Part. 9. c. 3.

XVI. Sancti Thomæ similiter accedit calculus.

Quin & ipse sanctus Thomas, tametsi aliàs mentem humanam non ex peccati merito, sed ex naturæ instituto, phantasmatum servituti mancipasse frequentissimè videbatur, ut sicuti non est fine corpore, ita nec fine corporis adminiculo quopiam usquam operetur: resilire hîc nonnihil, & hanc imaginum signorumque sensibilium necessitatem imputare peccato existimatur. *Si homo non peccasset perfusus fuisset lumine divinæ sapientiæ, & justitiæ rectitudine perfectus à Deo ad omnia necessaria cognoscenda & agenda. Sed quia homo deserto Deo collapsus erat ad corporalia, conveniens fuit ut Deus carne assumpta, etiam per corporalia ei salutis remedium exhiberet.* Ait ergo hominem peccato in corporalia lapsum, ideo symbolis posthac corporeis indiguisse

1. p. q. 1. ar. 3. ad 1.

ut sanaretur; proinde ante peccatum ab omni corporalium signorum necessitate absolutum fuisse, ante peccatum sapientiam illi non ex corporalium contemplatione, sed immediatè Dei unius illuminatione affulsisse, sanctitatem quoque non à corporeis sacramentis mendicandam, sed à Deo solo ubertim hauriendam tunc quidem fuisse.

XVII. Bernardi similiter. Serm. 35.

Sanctus Bernardus in Cantica: *Habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus, &c. Erat illi sors & societas cum plebe Angelorum & cum omni militia cælestis exercitus, sed mutavit illam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Inde est quod panis Angelorum factus est fœnum positum in præsepio, appositum nobis tanquam jumentis, Verbum quippe caro factum est, &c. Heu tristis & lacrymosa mutatio, ut homo Paradisi accola, terræ dominus, cœli civis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum Spirituum, & cœlestium cohæres Spirituum, repentina se conversione invenerit, & propter infirmitatem jacentem in stabulo, & propter pecorum similitudinem indigentem fœno. Cognosce pecus, quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in Paradiso. Comede fœnum, quem panem & panem Angelicum fastidisti.* Integer igitur homo pane Angelorum, id est, nuda veritate pascebatur, ex naturæ suæ privilegio, gratiæque quæ naturæ esset accommodata, beneficio. Per peccatum ordine statuque suo excussus in sortem belluarum est, ut inter sensibilia jaceat, & sensibili cibo sustentetur. Ideo veritas ipsa qua sola & reparari & beari homo potest, sensibilis fit, & carne obvolvitur, ut carnalis homo carnali pascatur veritate, & veritatem in carne sugens, paulatim veritatem sine carne complecti & contemplari, pristinasque vires & sanitatem recipere addiscat.

XVIII. Gregorii Magni.

Gregorius Magnus: *Si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora revocamur; vestigia quippe Creatoris nostri sunt mira opera visibilis creaturæ, &c. Invisibilia Dei per ea, &c. Menti enim nostræ peccato suo exterius sparsæ, necdum Deus sicuti est, interius innotescit; sed dum facturæ suæ decus exterius proponit, quasi quibusdam se nobis nutibus innuit, & quæ intus sequamur ostendit; & miro modo ipsis formis exterioribus nos ad interiora perducit, &c. Ubi enim lapsi sumus, ibi incumbimus ut surgamus, &c. Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est ut ad invisibilia ipsis rursum visibilibus innitamur, ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa: atque eisdem quibus corruit, passibus surgat.* Hoc ille fundamentum substruit omni corporalium imaginum, signorum, ac sacramentorum multitudini, cui jam, ut ad incorporalia remigremus, serviendum nobis est: quòd mens nostra peccato extra se sparsa, & infixa rebus sensibilibus, necesse est quo cecidit ibi incumbat ut surgat; & exterioribus ad interiora, inferioribus ad summa, corporeis ad spiritalia enitatur. Intus obsurduit homo, intus cæcutiit; quantumvis intus clamitet, & fulgurat veritas, surdo canet, cæco prælucebit; ergo necesse est exterioribus ejus auribus oculisque se inferat, & ita ad interiora prorepat. Sed quod generatim ibi Gregorius de necessaria jam post peccatum hominis à corporalibus ad intelligibilia manuductione disseruit, hoc ipsum speciatim de principali sacramento, seu de ipsa Verbi incarnatione exequitur. *Homo namque ad contemplandum authorem conditus, sed exigentibus meritis, ab æternis gaudiis dejectus, in ærumnam corruptionis ruens, cæcitatem exilii sustinens, culpæ suæ supplicia & tolerabat, & nesciebat: ita ut exilium patriam crederet, & sic sub corruptionis pondere, quasi in salutis libertate gauderet. Sed is quem intus homo reliquerat, assumpta carne, foris apparuit Deus: cumque se exterius præbuit, expulsum foras hominem ad interiora revocavit.* En ut ab æternis gaudiis, id est, à perspicuo æternorum contuitu homo culpa sua exturbatus sit. Quod existimarunt Philosophi Gentiles, animam nostram corpori ita implicatam,

L. 7. Moral. c. 2.

ut

ut fine corporum phantafmatis intelligere nihil unquam poffit, & hæc ejus natura, hæc indoles fit; hæc planè effe cæcitas exilii à Gregorio pronunciatur, dum exilium patria creditur, & in corruptionis pondere gaudetur, quafi in falutis libertate. En cur Deus carnem induerit, ut ab interiori noftro oculo, lippiente & cæcutiente exclufus, exteriori adhuc intacto fifteret fe, per eumque in interiorem, longo fed neceffario jam anfractu, illaberetur.

XIX. Ex Augustini doctrina prolixe idem elucefcit. L. 1. de lib. arb. c. 10.

Auguftinus non aliud quidquam frequentiùs inculcat: *Ex quo factum eft ut illud Dei Verbum per quod facta funt omnia, & quo fruitur omnis angelica beatitudo, ufque ad miferiam noftram clementiam fuam porrigeret, & Verbum caro fieret, & habitaret in nobis, &c. Quia enim rationalis creatura Verbo illo tanquam optimo cibo fuo pafcitur; humana autem anima rationalis eft, quæ mortalibus vinculis peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, ut per conjecturas rerum vifibilium ad intelligenda invifibilia niteretur: cibus rationalis creaturæ factus eft vifibilis, non commutatione naturæ fuæ, fed habitu noftræ: ut vifibilia fectantes, ad fe invifibilem revocaret. Sic eum anima quem fuperbiens intus reliquerat, foris humilem invenit: imitatura ejus humilitatem vifibilem, & ad invifibilem altitudinem reditura.* Apertiffimè fanctus Doctor peccati pœna ad hoc diminutionis redactam effe animam conteftatur, ut per vifibilia ad invifibilia enitatur; eoque confilio carne velatam effe invifibilem veritatem, ut quando ea una fupererat falutis humanæ fpes, ab ejus carne vifibili ad ejufdem lucem vimque invifibilem confcenderemus. Sed interim dum ad illam rurfus eluctamur æternorum intelligentiam, conjecturis fenfibilium incumbimus, ut obiter notavit fanctus Pater. Neque enim è fenfibilibus extundi puræ intelligentiæ faltem fcintilla poteft, fed opinio, conjectura, fides; hoc infantiæ lac eft, quo ad intelligentiæ panem præparamur.

XX. Ex eodem rurfus. L. 4. de Trin. c. 1.

Rurfus idem Auguftinus: *Quoniam exulavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcifi atque abrupti fumus, ut non etiam in iftis mutabilibus & temporalibus æternitatem, veritatem, & beatitudinem quæreremus; nec mori enim nec falli nec perturbari volumus: miffa funt nobis divinitus vifa congrua peregrinationi noftræ, quibus admoneremur, non hic effe quod quærimus, fed illuc ad ipfa effe redeundum, unde nifi penderemus, hic ea non quæreremus. At primum nobis perfuadendum fuit, quantum nos diligeret Deus, ne defperatione non auderemus erigi in eum.* En ut pœna fit damnati, non natura creati hominis, quòd inter corporalia abactus errat. En ut ex prioris boni refiduo quafi guftu, æternam & imperturbabilem veritatis voluptatem quæritat adhuc inter fenfibilia, & ægritudinis fuæ velut inter fomniandum curationem præfagiens, Chriftum fibi præfingit quodammodo, dum veritatem æternam & incommutabilem inter fenfibilia latitantem præmeditatur. Fruftra ergo funt, quicunque tanto huic Chriftianæ fidei facramento adverfantur. Chriftum non credunt, & tamen quærunt; imo quia quærunt, credunt; nec tantùm credunt, fed propè intelligunt. Ore tenus Chriftum negant, quem penitiffimis vifceribus quafi infculptum gerunt: factis confentiunt, tametfi lingua verbifque obluctantur. Ipforum enim mens, quia nondum eft omnino defperata, non poteft non quærere veritatem fempiternam & incommutabilem, qua recreetur. Rurfus ipforum quia mens carnalis eft, & corporalibus adglutinata, non poteft nifi inter corporalia illam venari. Neceffariò igitur hinc naturæ impetu, inde ægritudinis inftinctu cupiunt, ut votorum metam, ut felicitatis medullam, veritatem æternam & incommutabilem, fenfibilem tamen, & carnalibus mentibus coaptatam. Quid porrò rei illud eft, quàm quod nos Chriftum prædicamus? Chriftum ergo inficiari poteft malitia, non poteft non utcumque profiteri natura reftauratorem, medicum ægritudo.

XXI. Rurfus ex eodem tria fumma capita hujus doctrinæ. De Trinit. l. 4. c. 18.

Iterum idem Auguftinus: *Quia igitur ad æterna capeffenda idonei non eramus, fordefque peccatorum noftrorum nos prægravabant, temporalium rerum amore contractæ, & de propagine mortalitatis tanquam naturaliter inolitæ, purgandi eramus. Purgari autem ut contemperaremur æternis, nonnifi per temporalia poffemus, quibus jam contemperati tenebamur. Sanitas enim à morbo plurimum diftat, fed medici curatio nifi morbo congruat, non perducit ad fanitatem. Inutilia temporalia decipiunt ægrotos, utilia temporalia fufcipiunt fanandos, & trajiciunt ad æterna fanatos. Mens autem rationalis ficut purgata contemplationem debet rebus æternis, fic purganda temporalibus fidem.* Et paulò infra: *Quia rebus ortis accommodamus fidem credulitatis, ficut in æternis fperamus veritatis contemplationem: ne fides mortalis vitæ diffonaret à veritate æternæ vitæ, ipfa veritas Patri coæterna de terra orta eft: cum Filius Dei fic venit, ut fieret filius hominis: & ipfe quidem in fe exciperet fidem noftram, qua nos perduceret ad veritatem fuam: qui fic fufcepit mortalitatem noftram, ut non amitteret æternitatem fuam. Quantum enim ad id quod ortum eft æternitas valet, tantum ad fidem veritas. Ita ergo nos purgari oportebat, ut ille nobis fieret ortus, qui maneret æternus: nec alter nobis effet in fide, alter in veritate.* Ubi tria præcipui momenti notat. Primum immunditiam & lippitudinem oculorum terreno amore fordidatorum, purgari non potuiffe, nifi collyrio ex ipfis terrenis rebus commixto. Terrenis enim & temporalibus confueveramus, his tantùm contemperati eramus, fpiritalium alieniffimi & impatientiffimi; medicina autem nifi ægro attemperetur, ægritudinem exafperat. Rurfum temporalia nifi fide teneri non poffe. Fugiunt enim, & ubi effluxerint, memoria & fide fola pofthac conftant; deinde æternorum veritas & intelligentia eft, temporalium fides eft propria. Poftremò nullo temporali facramento ad æternæ veritatis contemplationem coaptari ac reformari congruentiùs nos potuiffe, quàm ipfo veritatis carnem humanam indutæ facramento. Tunc enim fides vitæ temporalis Chrifti non diffonabit à veritate æternæ vitæ. Tunc idem carne fua fidem excipiet, & ad veritatem fuam trajiciet; tunc compendiofiffimè à carne ad veritatem, à facramento ad rem perducemur, cum idem erit caro & veritas, facramentum & res. Tunc efficaciffimum & ad fignificandum appofitiffimum erit veritatis facramentum, cùm in carne veritas ipfa erit, imo cùm caro veritas ipfa erit, & per carnem fefe quanta quanta eft exeret exprimetque; tunc aptiffimum erit, hominique accommodatiffimum facramentum, cùm ut doceatur homo qualiter veritati fit adhærefcendum & obtemperandum, exhibebitur homo veritati ipfi coalitus, homo veritatis perfonam mores virtutefque indutus, ac tandem homo veritas ipfa & fempiterna lex. Huic facramento per fidem hærere non pigebit, veritatem tam proximè imitanti, tam intimè complectenti; huic temporali facramento fefe committere nemo gravabitur, æternitatem non tam promittenti, quàm fiftenti & repræfentanti.

XXII. Ex eodem Auguftino rurfum. L. 1. c. ult.

Rurfum aureum ejufdem Auguftini contextum libet decerpere ex libro 1. de Confenfu Evang. c. ult. *Cum fit ipfe Chriftus fapientia Dei, per quam creata funt omnia, cùmque nullæ mentes rationabiles five angelorum five hominum nifi participatione ipfius fapientes fiant, &c. Confultum eft divina providentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus & occidentibus occupata tenebatur, ut eadem ipfa Dei fapientia ad unitatem perfonæ fuæ homine affumpto, in quo temporaliter nafceretur, viveret, moreretur, refurgeret, congrua faluti noftræ dicendo & faciendo, patiendo & fuftinendo, fieret & deorfum homi-*

hominibus exemplo redeundi, & eis qui sursum sunt angelis exemplum manendi. Nisi enim & in animæ rationalis natura temporaliter aliquid oriretur, id est inciperet esse quod non erat, nunquam ex vita pessima & stulta ad sapientem atque optimam perveniret. Ac per hoc cum rebus æternis contemplantium veritas perfruatur, rebus autem ortis fides credentium debeatur: purgatur homo per rerum temporalium fidem, ut æternarum percipiat veritatem. Nam & quidam eorum nobilissimus Philosophus Plato in eo libro quem Timæum vocat, sic ait: Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. Duo illa sursum sunt, æternitas & veritas: duo ista deorsum, quod ortum est, & fides. Ut ergo ab imis ad summa revocemur, atque id quod ortum est recipiat æternitatem, per fidem veniendum est ad veritatem, &c. Ideo Christus, &c. Ipse nobis fides in rebus ortis, qui est veritas in æternis. Hoc magnum & inenarrabile sacramentum, &c.

XXIII. Christiano huic dogmati consentanea Platonis placita ex eodem Augustino.

Hic locus affinis & quasi gemellus est superiori, sed explicatior. Hic Christus magnum & inenarrabile sacramentum vocatur, quatenus assumpta temporaliter carne, vitæque ac factorum serie æternam veritatem explicat & promit. Hic ex Platone roboratur dogma nostrum. Ex eo enim conjugata sunt hinc fides & temporalitas, inde veritas & æternitas; utque fides ad temporalitatem, ita veritas ad æternitatem se habet, & vicissim: & permutatim ut fides ad veritatem, ita temporalitas ad æternitatem, & vicissim. Jacentibus ergo inter temporalia, & gradum molientibus ad æterna, fide temporalium ad veritatem æternorum enitendum est ex Platone. Cùmque eodem authore tota animarum mentiumque sapientia à sapientia Verbi, uti rivulus à fonte, derivanda sit, mentium nostrarum in amentiam & temporalitatem, temporalium amore lapsarum, nec jam nisi temporalia ferre valentium, sapientia seu mavis resipiscentia unde derivabitur, nisi ab eadem Dei Verbi sapientia, temporalibus tegumentis involuta? Tria enim hæc sunt capita, quibus cùm consentiat & astipuletur Plato & ejus grex universus; ex iis tamen invictissimè elicitur Christianum de Verbi incarnatione dogma. Ea sunt quòd animæ nostræ ab æternæ veritatis contemplatione defluxerint amore temporalium in temporalitatem. Item quòd in temporalia impactæ, jam sola temporalia sapiant, capiantque, nec nisi per temporalia valeant ad æterna retorqueri. Denique quòd omnis sapientia animarum seu constanter sapientium, seu post ruinam resipiscentium, non alia ex scaturigine in ipsas manet, quàm ex Verbi Dei sapientia. Quid hinc eliciatur, perspicuum est, & solis radio clarius. Quo minùs mirum est si quasi Ecclesiæ vestibulum fuerit Academia Platonis, & ubi primùm per orbem Philosophia Christi personuit, ad eam convolarint turmatim Platonici, paucis, ut ait Augustinus, mutatis facti Christiani.

XXIV. Ex eodem.

Rursus idem ibidem Augustinus ita disputat. Quandoquidem à fide tendendum est ad veritatem, per temporalia gradiendum est ad æternitatem: ne duo extrema, extrema semper & semota sint, aliquo in medio limite & quasi confinio confœderari necesse est. Ubi enim sese contingunt extrema, ibi utriusque amicitia & fœdus est. Ergo fidei & veritatis, temporalium & æternorum limes aliquis medius est, quo coalescant & commisceantur. Hunc nos Christum nuncupamus, in quo caro temporalis & veritas æterna coadunantur. Veritatis incarnatæ gestis dictisque temporalibus ipsa æternæ veritatis ac justitiæ pulchritudo sanctitasque lapsis in temporalia & carnalibus jam mentibus humanis ostenditur & insinuatur. Ita caro Verbum, mollissima commissura est, qua divulsi ab æternitate Verbi, carnis fide rursus ei assuamur. *Ut ergo ab imis ad summa revocemur, atque id quod ortum est, recipiat æternitatem, per fidem veniendum est ad veritatem. Et quia omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur, ab æterna justitia temporalis iniquitas nos alienabat; opus ergo erat media justitia temporali, quæ medietas temporalis esset de imis mixta & summis; atque ita se nec abrumpens à summis, & contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei & hominum &c.*

XXV. Ex eodem. De Genesi ad lit. l. 2. c. 4.

Rursus Augustinus reliqua omnia sacramenta scripturarum, prophetiarum, allegoriarum, parabolarum, & ea demum corporalia omnia, quibus dissimulantur nobis interim & insinuantur æterna, indidem derivat: Quòd videlicet ante peccatum paradisus nullis cælitus rigaretur nubibus, sed scaturiret in ejus meditullio fons, quo fœcundaretur; id est, quòd ante peccatum nullis homo indigeret temporalium historiarum & allegoriarum sacramentis, quibus uti nubibus veritas illi parcè & guttatim instillaretur; sed in ejus mentis sinu intimo exundaret fons sapientiæ. *Quia & nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram; cum facit animas reviresere per verbum suum, sed de nubibus eas irrigat, de scripturis Prophetarum & Apostolorum. Rectè autem appellantur nubes, quia verba ista quæ sonant, scisso & percusso aere transeunt. Addita etiam obscuritate allegoriarum, quasi aliqua caligine obducta, velut nubes fiunt. Quæ dum tractando exprimuntur, bene intelligentibus tanquam imber veritatis infunditur. Sed hoc nondum erat, antequam anima peccaret, &c. Ante peccatum irrigabat eam fonte interiore, loquens in intellectu ejus, ut non extrinsecus verba exciperet, tanquam ex supradictis nubibus pluviam, sed fonte suo, id est de intimis suis, manante veritate satiaretur.* Corporalia ergo omnia veritatem obumbrantia, non illustrantia, nec inundantia, sed irrorantia, nubium instar sunt, quæ tunc demum ortæ addensatæque sunt, cùm intimus veritatis fons exaruit. Quòd verò ad Incarnationem quoque id spectet, liquet ibidem. *Propter illam Dominus nubilum carnis nostræ dignatus est assumere, imbrem sancti Evangelii largissimè infudit, promittens etiam quod si quis biberet de aqua ejus, rediret ad illum intimum fontem, ut forinsecus non quærat pluviam.* ibid. c. 5.

XXVI. Pseudo-Cypriani suffragium.

Postremò tandem Pseudo-Cyprianus in prologo libelli de Cardinalibus Christi operibus, eruditè observat de Deo nos vix fari quidquam aut sentire posse quod illi consentiat. Subodorari nos magis illum, quàm videre. Rara & brevissima ab eo puræ lucis coruscamina adsplendescere nobis, quibus provocemur magis, quàm oblectemur. Et omnino spem deponendam omnem, nisi infundens se carni divinitas, claritatem suam in illam corrivasset, Patremque in Filio corporato exhibens, divinæ veritatis portionem in reliquos homines diffudisset. *Quod Verbum in principio apud Deum in suo proprio esse mihi non patet, sed quibusdam nominibus Deum invoco & dico, justitia, veritas, sanctificatio, charitas, & quæro aliquas species vel formas, per quas, quod sentio, quoquo modo intimem. Nam quod Verbum caro factum est, facilius video, si hoc sensui meo, quasi esu incorporo; principium autem illud vix remotissimo odoratu quasi pertransiens sentio. Illa quidem intellectualia per visibiles creaturas, quantum fas est animæ, videre vel prævidere divina, mente à longe prospicimus, in multis per opinionum & conjecturarum pelagus circumducti, &c. Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem nisi incarnati Verbi magisterium accessisset, humana defecissent ingenia, & nescio si & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus assurgere. Sed associata carni divinitas assumptam naturam ex parte suæ voluit esse claritatis consortem: & apertis cœlis super Doctorem & Dominum nostrum, ad superiora nostrum introduxere aspectum: & vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre: & de plenitudine gratiæ & veritatis quæ in ipso est instillata est nobis aliqua portio. Et cum Philippo audi-*

audivimus, *Qui videt me, videt & Patrem.* Ab Augustini doctrina & hic & alibi pertractata, perparum aut omnino nihil hæc abludunt.

CAPUT VI.

Elucidatio ulterior ejusdem contemperationis & corporationis Verbi divini, ut mentibus in corporalia lapsis sese coaptet.

QUia arcanum hoc est longè pulcherrimum, idemque penitissimum Incarnationis, maximique ad reliqua deinceps ei substruenda momenti, operæ pretium est paulò accuratiùs illud perlustrare.

I. Scriptura sacra Verbi divini corporatio quædam est.

Ut clarescat ergo magis magisque quàm necesse fuerit corporari Verbum divinum, ut mentibus in corporalia præpostero amore defixis sese coaptaret; expendamus sive libros Gentilium & Philosophorum, qui de Deo scripsere plurima; sive sacras & Christianas litteras. Hoc Christianæ litteræ clamitant, hoc sunt. Divina ibi non ut supra sunt, sed corporeis obumbrata tegumentis objiciuntur. Quid porro istud est, quàm Deum corporascere, & Verbi sapientiam incarnari? Philosophorum de Deo monumenta idipsum testificantur. Quotusquisque enim verba facere de Deo potuit, nisi per materialium symbolorum recursantes subinde metaphoras & allegorias? Ergo & penes ipsos necessitas incorporationis Dei perspicuè dilucescebat, si attendere, si quod præ manibus erat, advertere, animum induxissent. Augustinus: *Rebus enim quæ in creatura inveniuntur, solet scriptura divina velut infantilia oblectamenta formare, quibus infirmorum, ad quærenda superiora & inferiora deserenda, pro suo modulo tanquam passibus moveretur affectus. Quæ verò propriè de Deo dicuntur, quæque in nulla creatura inveniuntur, raro ponit scriptura divina.* Quoties ergo materialibus symbolis amiciebatur Deus, id est, quoties propemodum de Deo vel scripturæ divinæ, vel gentilium litteræ, vel vulgares hominum cœtus disseruere, toties ante incarnationem incarnabatur, & veluti prælusoriè prætentabat seipsum Dei Verbum.

Philosophia sæcularis item.

L. 1. de Trin. c. 1.

Per metaphoras enim & allegorias incarnatur veritas.

II. Affectus humanos in scripturis induit Deus, ergo inhumanatur, sed umbratiliter & prælusoriè.

Affectus in primis humanos sacræ litteræ Deo illinunt, quòd non aliter cum hominibus congredi, carnalibusque mentibus assuescere possit. Itaque irasci illum, dolere, zelare, miserari scribunt, à quibus omnibus humanæ fragilitatis elogiis alienissima est Dei optimi maximi beatitudo. Sed quando sua Deus insereret nobis, nisi nostra prius in se transplantaret? Quando nos qui afficiatur, aut non afficiatur Deus, aut contemplari aut imitari possemus, nisi nostros in se prius ille transferret & reformaret affectus? Quoties ergo irasci, dolere, miserari, gaudere in sacris paginis dictitabatur Deus, toties corporabatur, sed umbratiliter tum, sed prælusoriè, & tentabundus. Verùm umbræ sua respondeat veritas; & prælusum ubi est, seriò res tandem agitur; & quod diu tentatum est, præstatur denique. Si enim corporatio Dei reapse indecora foret, nec fingi nec adumbrari debuerat; de Deo enim ne fingendo quidem indecorum quidquam effutiendum est. Si autem & salutiferum nobis & Deo non inhonestum fuit, umbratiliter eum incarnari; qui non multò magis & laus ejus & nostra salus promoveatur, si res ipsa fiat? An potest enim rei cujusquam prodesse umbra & obesse veritas? An possunt rei indecoræ, non indecoræ esse imagines? An infrugiferum erit si seriò peragatur, quod tam salubriter fingitur? An potius tantæ necessitatis est incorporatio Dei, ut dum procrastinatur, dum ejus expectatione fatigamur, ejus interim umbris recreari, ejus imagine, ejus anticipata prægustatione mulceri foverique indigeamus. Clemens Alexandrinus: *Porro autem iræ quoque affectio, si ira vocanda sit ejus admonitio, est benignitatis & benevolentiæ in homines. Cum Deus ad affectiones descendat propter hominem, propter quem Verbum Dei homo factus est.* Quæ propè exscripsit verba Isidorus Pelusiota: *Scelerum correctionem quam Deus ad emendationem nostram efficit, nec iram nec indignationem vocare debemus, sed admonitionem. Quod si hanc quoque iram nonnulli esse existimant, hinc etiam ipsius erga homines benevolentiam prædicant, dum Deum propter homines, quorum causa humanitatem etiam induit, ad affectus descendere arbitrantur.* Sed venustissimè Tertullianus contra Marcionem: *Certa ratione proponam Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos & sensus & affectus suscepisset; per quos vim majestatis suæ intolerabilem utique humanæ mediocritati humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, & ita jam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo quàm salus hominis.* Inhumanari ergo Deum oportuit, & passionibus affectibusque humanis inumbrari, ut hominibus etiam ante incarnationem faceret sui copiam aliqualem. Rursus inhumanari per hæc præludia anticipatè oportuit, ut hominem gestare prius meditaretur, & sese gradatim insuefaceret. Idem Ibidem: *Ediscens jam inde à primordio, jam inde hominem, quod erat futurus in fine; ille est qui descendit, ille qui interrogat, ille qui postulat, ille qui jurat.* Et L. adversus Praxeam: *Sic etiam affectus humanos sciebat jam tunc, suscepturus etiam ipsas substantias hominis carnem & animam. Interrogans Adam, quasi nesciens, ubi es Adam? Pœnitens quod hominem fecisset, quasi non præsciens. Tentans Abraham, quasi ignorans quid sit in homine. Offensus, reconciliatus eisdem. Et siqua hæretici apprehendunt quasi Deo indigna, ad destructionem creatoris, ignorantes hæc in filium competisse, qui etiam passiones humanas & sitim & esuriem & lacrymas & ipsam nativitatem ipsamque mortem erat subiturus.* Ubi advertis in utramque Dei inhumanationem, & illam prælusoriam, & hanc realem hæreticos maledicentiæ suæ dentem distrinxisse; & alteri ab altera fidem astrui. Connexæ enim sunt & concatenatæ, & tam individuo propè nexu cohærescunt, quàm affectus humani cum humana substantia. Ut enim nec affectus hominis, sine humana substantia, nec ista sine illis vicissim potest consistere; ita nec humani affectus indui possunt, quin humana demum natura induatur; nec humana natura assumi potuit, quin humani prius affectus sensusque assumerentur; nec humanæ ægritudini consuli satis potuit, nisi & humanis primùm affectibus & humanis postea membris amictus nobiscum Deus congrederetur.

Ergo postea verè.

Si enim dedecet veritas, dedecet & figura.

Pædag. l. 1. c. 8.

L. 1. Ep. 344.

L. 1.

III. Decentius Deo corporari natura ipsa hominis, quam voce, verbis, literis, affectibus, aliisve signis.

Sive proprietates autem, sive affectus naturæ humanæ scriptura Deo offundat, verborum signorumque materialium veste Deum involvit, nube corporis veritatem intelligibilem opacat, littera ceu cortice Spiritum, carne Verbum obnubilat; quo quid similius Christi est, imo quid aliud Christus est? Utrobique ars consimilis, medicina eadem, compar necessitas, ut veritas intelligibilis & æterna menti carnali jam post lapsum & temporali quodammodo factæ, carne veluti litera, & litera veluti carne attemperetur. Si materialia oblini Deo sine ejus dehonestamento non possunt, tam dehonestabitur divina veritas voce humana, quàm carne humana; tam dedecorabitur affectu humano, quàm corpore humano; non minus inquinabitur corpore codicis, quàm corpore hominis. Si ergo pugnet Deo incarnatio, in æternum exilium abigatur homo à Deo, & de divinis nec scribere nec disserere, sed nec cogitare quidquam posthac speret; sed semel & in totum conticescat. Si autem sempiternam & incommutabilem Dei veritatem

ritatem non dedeceant voces humanæ, ergo nec artus humani; si eam non contaminent affectus humani, ergo nec mens humana.

IV. Natura humana symbolum pręstantissimũ est cui veritas incorporetur.

Quinimo si veritas æterna & incommutabilis & intelligibilis corporanda semel est, & symbolis creatis committenda, ac verbis, menti potiùs carnique humanæ incorporetur. Dei est non verbis tantùm, sed rebus loqui; decet Deum non sonis fugacibus, sed rebus stantibus & perennibus loqui. Decet intelligibilem veritatem, intelligibilibus aut à materia quàm minimum vitiatis symbolis loqui: ejusmodi est mens & menti adunatum corpus hominis. Ergo penè inferiùs se dejecit divina veritas, ubi fugacibus, inanibus, jejunisque & inanimis se verbis scripturisque commisit inseruitque; quàm ubi immortali & intelligibili menti, corporisque mentis consorti sese copulavit; & per hæc symbola, per hæc verba immortalia, stantiaque, in ipsa materiæ regione intelligibilia legis æternæ scita, eloquuta est, & in sempiternum eloquetur. Ergo & Christus scriptura est, liber est intus & foris scriptus; medullam Verbi carnis cortice obvelans; litera humanitatis explicans quidquid spiritu veritatis complicatur; sapientiam Dei intimitus premens, extimitus promens; legis æternæ virtutumque oracula invisibilia & invariata promulgans personansque per omnia loca, per omnia tempora, sensibili sed invariabili voce, id est, gestis dictisque suis, vitæ tenore, morum norma, totius humanitatis suæ statu, & duratura in sempiternum sanctimonia. Hæc germana, hæc Deo dignior scriptura est, cui se implicet & qua se explicet Verbi sapientia; hujus umbra & imitamentum est inspiratarum divinitus paginarum codex. Hìc omnia venustiora, significantiora, efficaciora, perenniora. Commendantur enim venustiùs lumina veritatis menti, quàm chartæ; animanti, quàm emortuæ materiæ. Significantur apertiùs virtutum officia moribus humanis, quàm literis exanimis. Persuadentur efficaciùs Deitatis dogmata, & sanctitatis præcepta, experimentis & exemplis, quàm verbis scriptisque. Æternantur denique faciliùs, quæ immortali animo hominique, quàm quæ perituro codici imprimuntur. Hæc scriptura sanè plurimum illi præstat, & fruge utilitatis & luce veritatis.

V. Suffragia Patrum. Strom. l. 6.

Clemens Alexandrinus: *Scripturarum stylus est parabolicus. Quocirca Dominus quoque cum non esset mundanus, tanquam mundanus venit ad homines. Portavit enim omnem virtutem; hominemque in mundo enutritum, ad intelligibilia & principalia per cognitionem sublaturus erat, de mundo in mundum. Quocirca scriptura quoque utitur metaphora. Est enim parabola res ejusmodi. Oratio non proprio quidem, sed eo quod est simile proprio, ad id quod est verum & proprium deducens eum qui intelligit. Aut ut dicunt aliqui, dictio quæ per alia, ea quæ propriè dicuntur, ostendit cum efficacia. Jam verò universa quoque Oeconomia quæ prædicta est à Prophetis de Domino, videtur verè parabola iis qui veritatem non norunt, &c. Aperte autem scripturæ iis qui aures habent, verum ostendentes, illud ipsum quod passa est caro quam suscepit Dominus, Dei virtutem & sapientiam annunciant.* Componit Clemens Christum cum scriptura; utrobique parabolicum significandi genus agnoscit; utrobique hoc contendit, ut de mundo in mundum, de sensibili ad intelligibilem transvehatur homo; utrobique occultari veritatem velo aliquo similitudinis, ut & adversarios lateat, & amatoribus suis efficaciùs imprimatur; denique instar parabolæ Christum esse, cujus solam literam Judæi Gentilesque inspectent, & crucem carnemque ejus ut scandalum & stultitiam aversentur; sed ejus spiritum introspiciant Christiani, virtutisque & sapientiæ Dei intelligentiam exugant. Nec mirum si tantoperè consentiat Christus scripturæ, utpote matri; nam instar Mariæ, illibata virginitate pariunt scripturæ, & pariunt Christum, authore eodem Clemente. *Multis in hodiernum diem videtur Maria esse puerpera propter ortum filii, cum non sit puerpera. Tales sunt nobis scripturæ Dominicæ, veritatem parientes, & manentes virgines, cum occultatione mysteriorum.* Strom. l. 7.
Pariunt scripturæ veritatem, sed in mysterio, hoc est in carne occultatam; unde non semel idem Clemens scripturæ voces, Verbi carnes interpretatur.

Origenes quoque non minùs eleganter: *Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Mariæ carne vestitum processit in hunc mundum, & aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur. Carnis namque aspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur divinitatis agnitio. Ita & cùm per Prophetas vel legislatorem Verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur. Ut litera quidem aspiciatur tanquam caro; latens vero intrinsecus spiritalis sensus tanquam divinitas sentiatur.* Hom. 1. in Levit. Utrobique, ut audis, Verbum Dei velatur, hìc carne, illic litera; nec istud illo aut minùs necessarium homini, aut Deo magis indecorum. Rursus ibidem: *Cognationem plurimam visibilia cum invisibilibus servant, ita ut Apostolus dicat, quia invisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ visibilia facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sicut ergo cognationem sui ad invicem gerunt visibilia & invisibilia, terra & cælum, anima & caro, corpus & spiritus, & ex horum conjunctionibus constat hic mundus; ita etiam sanctam scripturam credendum est ex visibilibus & invisibilibus constare, veluti ex corpore quodam, litera scilicet quæ videtur, & anima, sensus qui intra ipsam deprehenditur: & spiritu, secundùm id quod etiam quædam in se cælestia teneat, ut Apostolus dicit, quia exemplari & umbræ deserviunt cælestium.* ibid. hom. 5. Ubi & mundum istum universum Scripturæ, vel Scripturam mundi instar habere docet, quòd utrobique invisibilia creatoris per visibilia creaturæ conjectari & quodammodo conspicere detur. Quocirca & in Universo ipso viget lex illa contemperationis, qua tota constat incarnatio, dum in Christo sicut in Scriptura, sicut in Universo, sed longè præstantiùs latitat sub visibili tegumento invisibilis veritas, & ad eum modum caligantibus mortalium mentibus sese attemperat. Iterum idem Origenes: *Arbitror sicut Christus celatus venit in corpore, ut à carnalibus quidem speciem corporis ejus aspicientibus, & non virtutes considerantibus, homo videretur: à spiritualibus autem non speciem corporis attendentibus, sed opera virtutum ejus considerantibus, Deus intelligatur: sic est omnis scriptura divina incorporata, maximè autem veteris testamenti. Spiritalis enim & propheticus sensus scripturæ celatus est in historia rei proposita, ut omnis scriptura à mediocribus quidem secundùm historiam intelligatur, à spiritalibus autem & perfectis secundùm mysterium spiritale.* In Matth. tract. 26. Hæc nimis multa jam sunt, & pauca tamen sunt ex ingenti acervo decerpta.

Etherius & Beatus adversus Elipandum pulcherrimè & prolixissimè rem istam prosequuntur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Legamus sanctas scripturas, & inveniemus hunc panem. Ego corpus Jesu Evangelium esse puto, scripturas puto, doctrinam ejus: & quando dicit Jesus, qui non comederit carnem meam, & sanguinem meum non biberit: licèt spiritualiter & cum mysterio possit intelligi: tamen corporaliter panem quem petimus quotidianum, verè corpus Christi & sanguis ejus, sermo scripturarum est, doctrina divina est; & cùm legimus eam, carnem Christi manducamus, & sanguinem ejus bibimus; & cum oramus, ut intelligamus ea spiritualiter, & cognoscamus divinitatem incarnatam, &c.* L. 1. Tom. 4. par. 2. Bibl. PP. pag. 511. Et aliquantò infra: *Rectè divina dispensatione provisum est, ut illa eloquiorum argenti castitas, à promiscuis omnium*

nium oculis absconsa, quasi aliquo velamine pudicitiæ, ipsa scriptura contegeretur, cælestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto suo ipsa divinitas occultabatur. Nam tunc manifestata est illa Angelica scientia, quæ absconsa latebat sub litera, quando ipsa divinitas per carnem est manifestata. Et paulò post: *Non potest venire ad spiritum nisi per historiam, quæ est corpus literæ tanquam corpus hominis; deinde ascenderit ad moralem scientiam, quæ sic est in historia, tanquam anima hominis in corpore; deinde ascenderit ad spiritum, qui sic est in morali scientia, ubi Deus invenitur, sicut spiritus est in anima, ubi Deus videtur. Ecce hominem integrum corpore, anima, & spiritu. Ecce & librum integrum, historia, tropologia, & mystica intelligentia. Ecce & Christum integrum, verbum, anima, & caro. Hæc scriptura corpus Christi est, ipse corpus panis noster est.* Hinc dilucidè claret, quanta similitudo, quanta quin etiam consanguinitas sit Scripturæ & Christi: cùm Scriptura Christus ipse sit; cùm litera Scripturæ caro ipsa Christi sit; cùm Spiritus Scripturæ Deitas Christi sit; cùm carnem Christi manducet, & sanguinem potet, qui Scripturam lectitat; cùm Deitatem Christi hauriat, qui Scripturam spiritaliter intelligit; cùm panem nostrum quotidianum Jesum Christum petentes, Scripturæ intellectum petamus; cùm tripartita Scripturæ intelligentia Christo ita coaptetur, ut historica carnem ejus, tropologica animam ejus, mystica Deitatem ejus complectatur. Nam historia carnis ejus actiones passionesque, tropologia animæ mores ejus virtutesque, mystica Verbi sapientiam & virtutem explanat: cùm denique explicatior Scripturæ declaratio & quasi interpretatio Christus ipse sit, ut scriptura prolixior, disertior, locupletior, splendidior, curtioris, balbutientis, jejunioris & obscurioris scripturæ explicatio & interpretatio est. Agnus quippè hic est de tribu Juda, qui unus potuit aperire librum, & solvere signacula ejus. Paucis ante ejus adventum resignatum erat Scripturæ arcanum, in solo literæ cortice omnes propemodum hærebant. At Christus veritatem omnem sanctitatisque legem, quæ in Scripturis obscuriùs delitescebat, in seipso explicans, uti in libro grandiore, explanatiore, patentiore; dictis factisque suis, moribus & virtutibus, vita & morte sua clamans & evulgans totum per orbem propalavit. Cùm ergo vulgo hominum, vulgique ducibus & magistris Philosophis persuasum sit, de rebus divinis sermocinandum commentandumque aliquando esse, non est quod à Christi fide abhorreant, cùm hic sermo Dei sit vulgo hominum coaptatus, cùm liber hic sit penetralia Deitatis & sanctimoniæ mandata involvens & evolvens.

Cap. 7. Bernardus non dissentit, serm. ad milites Templi: *Vestimentum profectò spiritus, litera est: Caro Verbi. Sed ne nunc quidem Judæus in carne Verbum, in homine Deitatem, nec sub tegmine literæ sensum pervidet spiritualem; forisque palpans hædi pellem, &c. Ad nudam non pervenit veritatem.* Et

Serm. 33. in Cantica: *Habeo & ego Verbum, sed in carne: & mihi apponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano. Me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, literæ palea, velamine fidei.* Audis ut caro Christi, sit quasi literæ palea, spiritum occultans, quasi cortex sacramenti.

L. 3. Tom. 9. Bibl. PP. pag. 571. Luculenter etiam Potho Presbyter Prumiensis, libro *de Statu domus Dei*, paulò post initium, *Homo qui ad hoc conditus erat ut lumen æternum videret, ubi ad concupiscendum prohibita, oculos carnis aperuit, oculos mentis quibus cælestia videbat, perdidit. Unde à domo sua in qua visione Dei fruebatur, exclusus est. Verum medica Dei manus ut curam suam cæco homini adhiberet, congruam ei domum in umbra legis constituit, ubi infirmi oculos, quos paulatim curari oportuit, obscuritas literæ legalis foveret: ne lux spiritalis intelligentiæ, quæ sub velamine literæ tegebatur, subito ostensa, non solùm non reficeret, imo plurimum sauciaret. Sed ubi venit plenitudo temporis, proficientibus jam in homine divinæ gratiæ incrementis, sapientia Dei in carne apparens, ædificavit sibi domum, qua imagine cælestis veritatis resplendens, oculos hominis cælesti medicina jam sanatos, temperata luce respergeret.* Planum hîc est quòd homo ante peccatum oculo mentis cælestia videret, & visione Dei frueretur: hoc est, ut ego interpretor, intelligentia, inter fidem & visionem media, & quæ comparatione fidei visio quodammodo est: sicut respectu visionis patriæ, umbra quædam lucis & vitæ est: nulloque tunc indigeret vel per legis litteram, vel per Verbi carnem, divinæ lucis temperamento. Planum est transgressione excussum inde esse & ita sauciatum mentis ejus oculum, ut veritatis divinæ lucem puram ferre nequiverit. Planum est denique duplicem illi sanando & illuminando medicinam à Deo temperatam esse: alteram in litera legis obscuriore, quæ recentes à vulnere oculos, & omnino cæcutientes, dubia luce foveret, nec offenderet: alteram in carne Verbi fulgentiore, quæ eosdem non tota lucis copia hebetaret, sed jam sanari & convalescere cœptos, temperato sed paulò abundantiori lumine recrearet. Veritatem ergo legemque æternam irretortis oculis intueri jam non valenti, opacari illam necesse fuit primùm litera, inde carne; sic ut utrobique eadem veritas lexque sempiterna repræsentaretur homini, sed alio & alio, prout temporum opportunitas, morbique vel incrementum vel decrementum jubebat, obscuriore vel tenuiore velamine.

VI. Non proprietates dumtaxat, & affectus humanæ naturæ sibi adaptare opus habuit Deus, sed & imaginem hominis, ut cum homine quocumque modo congrederetur. Ita Abrahæ quondam, cæterisque sanctitate tum conspicuis hominibus, humana specie involutum sistebat se frequentissimè. Ita etiamsi ex fabellis Gentilium aliquid veri exculpere interim libeat, non alia digniùs sæpiùsve quàm hominis forma hominum oculis congressibusque Deus se intulit. Quippe & ex fabulæ figmentis, & ex Scripturæ oraculis patescit, ita hominibus persuasissimum fuisse, non posse Deum satis commodè versari cum hominibus, iisque se indulgere, quàm humana specie: nec posse homines omnino exulare semper à Deo, ejusque aut congressu aut conspectu citra certam perniciem frustrari. Ergo ea fuere indubitata vel ex Dei inspiratione in literis Hebræorum, vel ex necessaria naturæ præsumptione in fabulis Ethnicorum, divinæ incarnationis præsagia. Eccur enim speciem humanam subire prægestiet Deus, nisi ut præludat sibi substantiam ipsam subituro. Si substantiam dedignatur, cur figuram dignatur. An potest decere figura, dedecere natura. An indecoræ & despicandæ substantiæ species honesta est. Quin dignitas figuræ, substantiæ effulgescentia & delibatio est; & ubi anteivit figura, non longè abest substantia. Et veritas cùm sit Deus, minùs decet ipsum in figura ludere, quàm seriò agere, & reapse benefacere. Si veritas sempiterna carnis simulacrum induit, induat & carnem, ut non illudere homini, sed præludere sibi existimetur. Denique si homini prodest Deus specie hominis amictus, quid si substantia. Si illuminat, si condocefacit, si castificat Deus hominem, cùm videtur homo, quid si fiat. Si inani humanitatis simulacro, si fugaci imagine sibi appicta, beat Deus hominem, quid si æterno & indissociabili conjugio conserat se homini. Sive ergo perpendatur naturæ & figuræ pretium, atque ordo, antecellit longo interstitio natura hominis figuram, Deoque potiùs copulari postulat. Sive Dei veritas, consentit illi magis naturæ humanæ veritas, quàm figuræ mendacium. Sive hominis necessitas, non brevi, non fugaci & raro Dei contubernio aut umbratili cum eo nexu stringi

Tum sacræ, tum sæculares literæ congressum Dei cum hominibus in humana forma describunt.

Ea erant incarnationis præsagia.

Non deceret enim figura, cujus natura dedeceret.

stringi indigebamus, sed pleno & substantiali & divulso fœdere.

VII. Ex Tertulliano id ostenditur. Lib. 3.

Tertullianus contra Marcionem, *Si aspernatus est illam carnem hominis ut terrenam, & ut dicitis, stercoribus infersam, cur non & simulacrum ejus proinde despexit. Nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est. Sequitur statum similitudo. Sed quomodo inter homines conversaretur, nisi per imaginem substantiæ humanæ. Cur ergo non potiùs per veritatem, ut verè conversaretur, si necesse habebat conversari. Quanto digniùs necessitas fidem quàm stropham administrasset.* Ex duobus in quæ cum Ecclesia consentiebat Marcion, tertium exprimit Tertullianus, & ab invito extorquet. Annuebat ille etiam necessarium fuisse ad hominum commoda, ut Deus cum illis consuesceret, nec fieri id potuisse, nisi humanam sibi imaginem asciscerct; ideo toties illum humano vultu olim apparuisse. Ex iis efficitur, non imaginem tantùm, sed & substantiam humanam asciscere eum sibi debuisse, ut potiorem, digrioremque, & huic consuetudini inter Deum hominesque confœderandæ accommodatiorem. Veram ergo carnem à Deo assumptam fuisse, qui veræ carnis imaginem quondam assumpsisset; nec ullas enim à Marcione in veram carnem contumelias accumulari posse, quæ non omnes præter ejus mentem, in veræ carnis imaginem regererentur. Et ibidem paulò post, *Cæterum si ad certum spectemus, nulla substantia digna est quam Deus induat. Quodcumque induerit ipse dignum facit, absque mendacio tamen. Et ideo quale est ut dedecus existimarit veritatem potiùs quàm mendacium carnis.* Et paucis interpositis, *Jam Deum tuum honoras fallaciæ titulo, si aliud se sciebat esse, quàm quod homines fecerat opinari.* Hoc aliud argumentum est, quo eliditur putativa ut idem loquitur corpulentia Christi; veritas quippe Deus carnis veritatem carnis mendacio anteponet: si autem caro videri voluit, & fieri caro respuit, præstigiarum & fallaciæ nomine periclitatur. Et libro de Carne Christi, *Si nasci se Deus noluisset, quacumque de causa, nec hominem se videri præstitisset. Nam quis hominem videns, eum negaret natum. Itaque quod noluisset esse, nec videri omnino voluisset. Omnis rei displicentis etiam opinio reprobatur, &c. Quanto digniùs quantoque constantius humanam sustinuisset existimationem verè natus, eandem existimationem etiam non natus subiturus, cum injuria conscientiæ suæ.* Hic ex eo quod nugabantur phantasiastæ hæretici, non veram, sed imaginariam carnem; nativitatem, mortem à Deo sumptam, incessit illos, evincitque honestius tutiusque fuisse, veritatem quàm opinionem solam humanitatis sumere. Unde paulò post, *Ipse Dominus apparuit Abrahæ sine nativitate, cum carne, &c. Jam tunc & adloqui & liberare & judicare humanum genus ediscebat in carnis habitu.*

VIII. Item ex Hilario. Ibidem. L. 4. de Trin.

Hilarius similiter: *Virum licèt conspectum, Abraham tamen Deum adoravit: sacramentum scilicet futuræ corporationis agnoscens.* Et aliquantò post, *Namque cùm lex umbra sit futurorum, veritatem corporis, umbræ species expressit. Et Deus in homine & videtur, & creditur, & adoratur, qui secundùm plenitudinem temporis esset in homine gignendus. Namque ad visum species præfiguratæ veritatis assumitur. Visus est autem tum tantum Deus in homine, non natus est; mox etiam hoc quod est visus & natus est. Ad veritatem verò nascendi familiaritas proficit assumptæ ad contemplandum formam speciei. Illic homo per Deum secundùm naturæ nostræ infirmitatem videndus assumitur: hìc pro naturæ nostræ infirmitate nascitur quod erat visum. Accipit umbra corpus, & species veritatem, & visio naturam.* Acutè sanctus Pater edisserit, quàm consequens fuerit ut substantiam humanitatis reapse aliquando iniret, qui figuram toties induerat: cùm figura prolusio sit ad substantiam, & quasi oppigneratio; & mendacium sit species, si veritas non consequatur: & præstigiarum suspicio non absit, si umbræ corpus non adsit.

IX. Item ex Irenæo L. 4. c. 37.

Irenæus item: *Verbum dispensator paternæ gratiæ factus est ad utilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones, hominibus quidem ostendens Deum, Deum autem exhibens hominem: & invisibilitatem quidem custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, & ut semper haberet ad quod proficeret. Visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens à Deo homo, cessaret esse. Gloria enim Dei vivens homo, vita autem hominis visio Dei. Si enim quæ est per conditionem ostensio Dei, vitam præstat hominibus in terra viventibus, multò magis ea quæ est per Verbum manifestatio Patris, vitam præstat his qui vident Deum, &c. Necessarium erat eos per quos futura prædicabantur, videre Deum, quem ipsi hominibus videndum intimabant.* Nihil accuratius dici potuit. Id enim ante cætera constituendum: vitam hominis in visione Dei sitam esse. Si enim in totum deficeret homo à Deo, cessaret esse. Deinde vita hominis beatissima in cumulatissima Dei visione, abacto quocumque velo, constituenda est. Atqui ad eam non præcipitandus, verùm gradatim provehendus homo est; ut primùm in specie, deinde in substantia humana complicatum videat Deum, denique in specie & substantia divina explicatum robustior contempletur. Omnino autem necesse est, si stropha, si mendacium absit, in propria ut videatur substantia, qui in ejus imagine se priùs ostenderit. Quocirca qui in imagine humanitatis olim sese ostenderat, in propria humanitatis substantia exhibendus fuit; & qui in vera humanitate ut in Deitatis imagine se aliquando exhibuit, in ipsa Deitatis substantia fruendum se postremò repræsentabit.

X. Summa capita, cur humana specie Deus olim appareret.

Ex iisdem aliisque sanctis Patribus ad manum sunt innumeri contextus alii, quibus eliquescit, humana specie personatum apparere Deum non potuisse, nisi vel ut insuefaceret ipse se gestandæ humanitati vel ut amoris impatientiam sui mulceret, dum, quam incommutabili consilio procrastinat inhumanationem suam, furtim raptimque prægustandam præbet: vel ut homines paulatim ad intolerabilem Deitatis lucem obfirmaret, & sublucidis umbris ad ferendum diem roboraret: vel ut incredulitatem elevaret gradatim dissiparetque: vel ut ne tandiu divinæ congressionis visionisque expers homo contabesceret penitus. Et quancumque demum aliam commentari libeat causam, nonnisi veræ incarnationi præiverunt illa præludia.

XI. Cum nisi corporea cogitare jam non posset homo, aut æternum à Deo exularet, aut Deus corporaretur, necesse erat.

Imaginem corpoream obduci Deo minùs stupebit, qui semel intellexerit, ita corporum amore corporalibus illisum affixumque fuisse hominem post peccatum, ut nihil nisi corporeum imaginari potuerit deinceps. Cùm ergo nihil à materia, nihil à corporum fæculentia purum posset homo cogitare, necesse fuit, ut aut de Deo nec cogitaret unquam, aut corporeum cogitans, fœdissimo semper errore deluderetur, aut Deus corporasceret, ad eumque modum & hoc errore & illa æternorum oblivione hominem expediret. Utcumque libitum Deo fuisset, vel incorporari, vel corporum declinare contagem, suo semper cogitatu illum homo corporasset. Decuit ergo securum de sua incommutabilitate consulere infirmo; decuit ad ægrotos accedere medicum. Bernardus in Nativitate Mariæ de Aquæductu: *Verbum caro factum est, & habitat jam in nobis. Habitat planè per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione, quin usque ad ipsam descendit imaginationem. Quid enim prius cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum aliquod corde fabricaretur. Incomprehensibilis erat & inaccessibilis, invisibilis & inexcogitabilis omnino. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis. Nimirum jacens in præsepio,*

ſepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, in cruce pendens, &c. Quid horum non verè, non piè, non ſanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia eſt Deus meus. Quia ergo Deum homini ſemper occurſare, hominem Deo ſemper obverſari ad hominis ſalutem conducebat, & incorporaliter mentis acie Deum contingere, paucis obtingebat, & rarò & raptim: corporea circumamictum ſubſtantia obſtulit ſe Deus hominibus corporearum imaginum ſervituti addictis.

XII. Nec natura Deo, nec ægritudo corpore carere poterat, Deus ergo corporatur.

Eodem ſpectat & illud non minùs ad inſigniendam Dei medici artem, quàm ad tutandam ægri hominis ſalutem comparatum. Ex eo enim quòd conſopita mentis & intelligentiæ vi omni, totus corporeis imaginibus immerſus eſſet homo, corporeum quoque Deum ſibi fabricaverat, & in fœdiſſima inſanierat idolorum portenta. Non licebat quippe aut Deo carere per naturæ, aut corpore carere per ægritudinis ingenium. Eluctabatur in Deum inſito augurio natura, ſed pondere conſuetudinis in corpora deprimebatur. Quando ergo, ne ægreſcat magis, indulgentia ſalubri tractari poſtulat morbus, nihil tempeſtivius fieri poterat, quàm ut homo fieret Deus; ſenſibuſque inter ſenſibilia Deum quærentibus objiceret ſe, effrænem in ſimulacra curſum interciperet, præcipitemque in numina corporea imaginationem anteverteret, & in ſe ſiſteret. Summa hæc eſt artis divinæ ſolertia, ſumma opportunitas; morbum opprimendo exaſperaret, indulgendo demulcet; ſenſum errantem ipſo emendat errore; morbo morbum profligat; mendacio ipſi inſerit veritatem; Deum corporeum falsò ſomniantibus, Deum verè corporeum objectat; præſtatque, ut quod ſomnium fuerat, jam ſit vaticinium; qui fuerat error, jam veritas ſit; & ipſa ægritudo in ſanitatem proficiat. Nec Deo, nec corpore carere poterat hominis cogitatio, id eſt non poterat non pernicioſiſſimè hallucinari; id miſericorditer præſtatur, ut Deum in corpore, & corpus in Deo reperiat, nec poſſit poſthac hallucinari. In ſimulacra hominum venerabundus ruebat, clementiſſimè id efficitur, ut interim totus hic cultus in verum hominem eundemque Deum traducatur. Hac arte medici fiet, ut æger ſanetur, penè dum morbo indulget. In ſenſibilia curveſcit homo, & hæc ejus ægritudo eſt; ſparget ſe Deus per omnia ſenſibilia, & invito obtrudet ſe, occurſabit ubique, & corporeum quidem ſe ſed verum tamen Deum ingeret. Athanaſius L. de Incarnatione Verbi Dei, *Quia enim homines ſeſe averterant à contemplatione Numinis, & tanquam in abyſſum profundiſſimè demerſi, humi defixis oculis, in generatione rebuſque ſenſibilibus Deum requirebant, hominum mortalium ac dæmonum ſimulacra effigiantes; ideo hominum amator Deus & communis omnium ſalvator, Dei Verbum ac ratio, corpus ſibi aſſumpſit, homo inter homines verſaturus, ut hominum ſenſus præoccuparet, quibus perſuaſum erat in rebus corporeis Deum conſiſtere. Quo ex rebus quas miniſterio corporis geſturus erat, veritatem intelligerent, atque ita cogitatione ſua ad Patrem aſſurgerent. Ut homines humana ſolum cogitantes, quocumque oculos ſuos conferrent, ibi anticipari ſe notionibus, & undecumque inſinuari veritatem ſibi animadverterent. Ut ſive rerum naturam admirabundi ſpecularentur, viderent illam quaſi proteſtari Dominum rerum Chriſtum eſſe; ſive circa homines animo & contemplatione hærerent, ut eos numina arbitrarentur, ex Chriſti ſalvatoris tamen cum aliorum operibus comparatione, eum ſolum inter homines ſalvatorem eſſe, Deique Filium conſtaret, quum nihil rerum geſtarum tale apud alios reperirent, qualia in actis Verbi Dei conſpicerent; ſive præoccupati perſuaſione ad dæmones ſe conferrent, animadvertentes eos à Domino fugari, ſtatim ratiocinarentur, eum qui hæc faceret ſolum eſſe Dei Verbum, ac dæmones omni divinitate carere; quod ſi eorum animus circa mortuos defigeretur admiratione, ut eos quaſi heroas colerent, aut ex genere eorum deorum eſſe putarent, quales apud Poetas invenias: ſtatim tamen modò reſurrectionem ſalvatoris ante oculos ponerent, confeſſuros, illos falſos eſſe, Chriſtum autem verum Deum eſſe, utpote mortis ipſius debellatorem.* Nihil aptius hac Athanaſii Philoſophia; propendebat totus homo in corpora, Deumque in iis venabatur: ne honorem ſibi uni pendendum præripi ſibi pateretur Deus, in turbam corporum ſe infudit, eumque corporatus excepit. At quia inter corpora eminebat homo, & tum naturæ dignitate, tum quadam ſui inſania, Deus ipſe ſibi maximè videbatur; unde & reliqua omnia ſeu ſidera ſeu elementa in humanam formam deformabat quæcumque in Deos inaugurabat; non in alia quàm in hominis natura corporari Deus occupavit. Ac tandem ne Deo in hominem hypoſtaticè illapſo quiſquam alius homo honoris vel æmulus vel conſors vel fingendo cooptaretur, ea dixit, ea geſſit, ita elementa domuit, ita dæmones ſubegit, ita mortem debellavit, ut præ illo nullus jam mortalium ambire deitatem auſit. Unde ibidem ſtatim Athanaſius, *Quum ſemel ad ſenſibilia hominum cogitatio delapſa eſſet, ſubjecit ſemetipſum Verbum Dei, ut per corpus appareret, quo ut homo jam factus homines in ſe traduceret, eorumque ſenſus ad ſe reflecteret; ut illis ipſum veluti hominem conſpicantibus, ex operum deſignatione perſuaderent ſibi eum non ſolum eſſe hominem, ſed etiam Deum, & Dei veram rationem & ſapientiam.* Cyrillus etiam: *Relinquentes homines Deum fabricaverant idola; Deo itaque in humana figura falſo adorato, Deus verè homo factus eſt, ut ſolveretur falſum.* Chryſoſtomus: *Poſtquam homines Deo derelicto ſtatuas ſibi humana præditas forma ſculpſerant, quibus in creatoris contumeliam cultum deferebant; propterea Dei Verbum, cùm Deus eſſet, hodie in hominis forma apparuit, ut mendacium diſſolveret, & occultè in ſeipſum cultum omnem transferret.*

Cathec. 12.

Tom. 6. pag. 503.

XIII. Præcipitem quoque poſt peccatum in corporalia amorem, Deus in ſe non recolligeret, niſi corporatus.

Nec verò cogitationi tantùm humanæ, ſed & dilectioni in primis ad Deum retorquendæ proſpiciendum erat. Amor enim totus in terras proniſſimus vergebat, & cogitatum eò præcipitaverat ſecum, defixumque jugiter religabat. Quî de terrenis judicaret, quem amor terrenis ſubjugarat? Quî ſupra corpora aſſurgeret mens, corporeis cupiditatibus faſcinata? Revellendus ergo hinc erat amor, ſurſumque reflectendus, ut & mentis oculos ſecum pariter in ſuperna arrigeret. At qua id arte potiſſimùm tentandum erat? An omnipotenti manu terrenæ cupiditatis fibras excinderet Deus, invitumque ad amorem ſui cogeret? At non ita cum hominis libertate quam ſemel emancipavit, pactus eſt; non ita cum amoris ingenuitate, qua ipſe illum donavit, ut provocetur magis, quàm pertrahatur; non ita cum Dei dignitate, qui liberali utique & ſpontaneo, non ſervili & coacto amore proſequendus eſt. An minis territabit, legiſque duriſſimæ aſperitate cor hominis refiget à terra, & in cælum defiget? At timorem pœnæ incutiet lex, non amorem culpæ omnino excutiet: inde metum gehennæ, non amorem juſtitiæ. Ergo operæ pretium fuit obſecundari ingenio amoris, & quoniam ille inter ſenſibilia volutabatur, ſenſibili carne veſtiri Deum, in eaque tam mira facere, tam dura pati, tantis ſcatere illecebris, ut carnalem hominum amorem totum ad ſe alliceret, & à cæteris ſenſibilibus omnibus in ſuam carnem totum avocaret. Carnalis quippe iſte, utpote divinæ carni mancipatus amor, & carnalibus facilè inſpirabitur, & ad ſpiritalem latentis in ea carne ſapientiæ juſtitiæque amorem molliſſimè illos inclinabit. Quàm proclive enim erit, ubi ob ſummam ſapientiam juſtitiamque carnem Chriſti admirati oſculatique diu fuerint, jam ſeponere tantiſper cogita-

Gradus amoris à carne ad Spiritum.

cogitatum carnis, & in ipsam sapientiam justitiamque pari, imò majori amoris æstu effervescere? Sic amor carnis humanæ carnalibus vehementer consentaneus, succendet amorem sapientiæ justitiæque in carne humana resplendescentis; at ubi consueverit amor sapientiæ justitiæque amplexibus osculisque, his ita purgabitur, ita roborabitur, ut sequestrata posthac omni cogitatione carnis, in solam sapientiam justitiamque spiritali, sed æstuantissima flamma exardescat. Ita & libertati hominis consultum erit, & amoris ingenuitati, & Dei amplitudini. Totus enim hic amor sponte prosiliet. Ita carnalis amor spiritali viam sternet: spiritalis deinde carnalem extinguet, cum carnis tamen ingenti compendio. Carnalis primò amor in spiritalia sapientiæ & justitiæ bona assurget: posteà spiritalis dumtaxat amor carnem ipsam complectetur. Ex amore carnis primùm rivulus aliquis in conjunctam sapientiam defluet, ex ingenti postea amore sapientiæ nonnihil in carnem stillabit. Diligebatur inter amoris rudimenta, ob humanitatem Christi sapientia; diligetur æquiùs & vehementiùs postea humanitas propter sapientiam.

XIV. *Ex Bernardo id ostenditur.* Bernardus sermone de dilig. Deo: *Sanè ad affectuosum illum quem dicimus cordis amorem, plurimum valet incarnationis Christi cogitatio, sed & totius dispensationis quam gessit in carne, & maximè passionis. Videns enim Deus homines omnino carnales effectos, tantam eis dulcedinem exhibuit in carne, ut durissimi cordis sit, quisquis eum toto affectu non diligat. Volens siquidem nobilem creaturam hominem recuperare, Si inquit invitum coegero, asinum habeo non hominem, quoniam quidem non libens veniet nec spontaneus, &c. Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, &c. Et comminatus est acerbiora, &c. Cum autem nec sic homo revocaretur, ait, Non solùm timidus, sed etiam cupidus est, promittam ei quod potissimum desiderabile videatur, &c. Videns autem quod nihil proficeret, Unum, inquit, restat adhuc. Inest homini non solum timor & cupiditas, sed & amor, nec quidquam in eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in carne, & tam amabilem se exhibuit, ut illam nobis impenderet charitatem, qua majorem nemo habet, ut animam suam daret pro nobis.* Omnem ergo machinam admovit Deus, potentiam, minas, timorem, præmia; sed in cassum omnia recidebant, donec amorem carnalem caro factus demeruit, & dissipatam in omnia corporalia cupiditatem, in se unum jam corporeum, & corporalibus omnibus præcellentem recollegit.

Serm. 20. Sed paulò explicatiùs has amoris artes enucleat in Cantica idem sanctus Pater, *Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus homo conversari, ut carnalium videlicet qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Nonne denique in hoc gradu adhuc stabant qui ajebant, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Solo profectò corporalis præsentiæ amore reliquerant omnia, adeo ut futuræ salutaris passionis & mortis ne audire quidem verbum æquanimiter sustinerent; sed nec gloriam ascendentis postmodum nisi cum gravi mœrore suscipere. Hoc enim est, quod eis dicebat, Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Itaque in sola interim gratia præsentis suæ carnis, eos ab amore omnis carnis suspenderat. Monstrabat autem postea eis altiorem amoris gradum, cùm diceret, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Puto huc ascenderat jam qui dicebat, Et si cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. Fortassis & nihilo minùs Propheta in hoc ipso stabat cùm diceret, Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Nam quod subjungit, Sub umbra ejus vivemus inter gentes, mihi videtur ex persona incipientium addidisse, ut quiescant saltem in umbra qui Solis ferre ardorem minùs validos se sentiunt, & carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent ea percipere quæ sunt spiritus Dei. Umbram siquidem Christi, carnem reor esse ipsius, &c.* Quæ non piguit copiosiùs inserere, ut enucleatiùs tota patescat duplicis amoris natura, & ex scripturis elucidetur. Carnali enim amore adhæsisse Christo primùm Apostolos, abundè testificatur illa eorum de ejus vel per mortem vel per evectionem in cœlum absentia vehemens mœstitia. *Duplex amor, & alterius in alterum progressus, ex Bernardo.* Carne enim tantùm absuturum qui tantoperè dolebant, carnaliter utique amabant. At hoc tamen rudimentum erat ad spiritalem amorem imbibendum, quem illis commendans Christus ajebat, Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat: quem altè jam biberat Paulus & alius quivis postea perfectus, cùm ajebat, Etsi novimus Christum secundùm carnem, jam non novimus; quem denique præbiberant jam olim absolutissimi quidam sed paucissimi ante Christi adventum Christi amatores, cùm ajebant cum Jeremia, Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Suffragantur ergo sacræ literæ duplici huic amori, & alterum alterius januam, alterum alterius metam esse insinuant. Verùm ut quo uterque discriminetur amor, ampliùs dilucescat, pergit ibidem Bernardus paucis interjectis, *Licèt verò donum & magnum donum Spiritus sit, istiusmodi erga carnem Christi devotio, carnalem tamen dixerim hunc amorem, illius utique amoris respectu, quo non tam Verbum caro jam sapit, quàm Verbum sapientia, Verbum justitia, Verbum veritas, Verbum sanctitas, pietas, virtus, & si quid aliud quod sit hujusmodi dici potest. Et hæc nempè omnia Christus, qui factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemptio.* Scripturæ quoque hanc suggerunt discrepantiam carnalis & spiritalis amoris, cùm ajunt Christum factum nobis esse sapientiam & justitiam; eo enim hortantur, ut ne in ejus carne consistamus; sed per illam uti viam, ad veritatem, sapientiam, justitiamque quod totum ipse est, anhelemus.

Scitè quoque Bernardus in sententiis, *Duo sunt amores carnalis & spiritualis, ex quibus colliguntur quatuor modi diligendi; scilicet diligere carnem carnaliter, Spiritum carnaliter, carnem spiritualiter, Spiritum spiritualiter. In his fit quidam profectus & ascensus ab inferioribus ad superiora. Nam ut homines qui tantùm noverant diligere carnem carnaliter, ad hoc proficerent, ut Deum quoque diligerent spiritualiter, Deus caro factus est. Et loquendo & conversando cum hominibus, primùm ab eis carnaliter dilectus est. Cùm autem pro amicis suis animam ponere vellet, jam spiritum diligebant, sed adhuc carnaliter. Unde Petrus loquenti de passione sua respondit, Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Sed cum per eandem passionem fieri mysterium redemptionis agnosceret, in ipsa passione jam carnem spiritaliter diligebat. Resurgente autem eo & ascendente, spiritum spiritualiter amant, latique decantant, Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Ubi duplicis amoris divortia hinc & inde, & ex bifido jam quadrifidum advertis, continuumque per quatuor istos gradus progressum, ut diligatur primò caro Dei carnaliter, inde spiritus carnaliter, pòst caro spiritualiter, denique spiritus spiritualiter.

Idem rursus sermon. 6. de Ascens. *Quando ad spiritualia affici possent animales? Imò verò ne ipsam quidem meram lucem poterant aliquatenus sustinere, sed exhiberi illis oportuit Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna, &c. Minimè tamen vel nubes ipsa levis*

potuit

potuit eſſe otioſa, ſed ea quoque uſus eſt in ſalutem; & diſcipulorum animos qui nec ad fidei intellectum ſine aliqua mutatione affectus poterant promoveri, nec aſſurgere adhuc ad ſpiritualia prævalebant, in ſuæ carnis provocavit affectum; ut amore quodam humano, operanti mira, mira loquenti homini adhærerent, amore utique carnali adhuc, ſed tam valido, ut cæteris omnibus prævaleret, &c. Cæterum non ut maneret in carne, ſed ut transferretur ad ſpiritum, totus ab eo in illam carnem, diſcipulorum fuerat collectus affectus, ut dicere eſſet aliquando: Etſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus, &c. Subjicitque ideo expediſſe diſcipulis ut caro Chriſti in cælos reciperetur, ut in eos ſanctus Spiritus allabi poſſet; hoc eſt, ut ſpiritalis amor excreſceret, carnalem carnis fuga amputandum fuiſſe. Idem docet author libelli de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei, Hugo Victorinus, Philippus Abbas Bonæ Spei.

XV. Item ex aliis.

Ælredus ſermone II. in Iſaiam, *Multa habeo vobis dicere. Habuit eis dicere multa, non ut multis, neque per multa, ſed in uno & per unum, ubi multa non ſunt multa, ſed unum. Sed non poteſtis portare modo. Senſuali enim viſione, ob dulcedinem præſentiæ ejus occupati, & corporalibus ejus verbis corporaliter intenti, ad intellectualem illam viſionem quæ omnium corporalium excludit memoriam, ubi ipſa veritas loquitur, aſſurgere non valebant. Ideo ait, expedit vobis ut ego vadam; ut ſcilicet corporalis hæc viſio, corporaleque colloquium ſubtrahatur, & ſpiritus ſpiritui in veritatis lucem tranſlato loquatur.* En ut migrandum ſit à corporali in ſpiritalem intelligentiam amoremque.

CAPUT VII.

Chriſtiana religio ipſamet eſt æterna & invariabilis, quam natura dictat, religio; lapſis in temporalia mentibus tantiſper accommodata.

I. Bipartita eſt religio, æternis quippe & temporalibus conſtat dogmatis & mandatis.

CONſtat tota religio qua Deo religamur, partim æternis, partim temporalibus dogmatis & mandatis. Illa nec cœperunt unquam nec deſinent, ſed invariabiliter præſentia ſemper ſunt, nec ullis vel temporum vel mutationum vicibus ſunt obnoxia. Cujuſmodi ſunt, Dei exiſtentia, unitas, æternitas, immutabilitas, & quæcumque vel de Deo, vel de anima, vel de creatura univerſa ſuggerit vel naturæ anticipatio, vel elimatæ rationis argumentatio. Similiter quod ad mores attinet, ſummus amor Deo addicendus, proximo ſecundùm Deum impartiendus, jus faſque ſuum cuique illibatè ſervandum, & ſi quid aliud in ſchola pectoris unicuique lex naturæ inſonat. Hæc æterna planè & invariabilis religio eſt. At temporalia ſeu hiſtorica ſunt, quæ vel præterita vel obiter præſentia, vel futura ſunt, cujuſmodi tota Chriſti diſpenſatio temporalis, quem natum paſſumque & reſurrexiſſe, quem ad dexteram Dei jam ſedere, quem judicem venturum eſſe credimus; item quoad mores quidquid vel ipſe ſua, vel vicaria ejus authoritate ſalubriter ad tempus obſervandum extra naturæ legem commendavit Eccleſia. Hæc temporalis portio religionis eſt.

II. Æterna intelligentiæ, temporalia fidei obverſantur.

Quo hæc inter ſe diſtent, dilucidum eſt. Illa enim æterna, hæc temporalia ſunt; illa incommutabiliter eadem perſtant, hæc pro temporum opportunitate variantur; illa neceſſariò ita ſe habent, nec aliter inſtitui potuere: hæc ex inſtituto Dei neceſſaria deinceps ſunt, ſed aliter atque aliter inſtitui potuere; illa naturæ magiſterio & ingenitæ anticipationis præjudicio citra doctoris operam poſſunt eluceſcere: hæc magiſtri beneficio inſtillanda ſunt; illa rationis acumine indagari, & ineluctabili demonſtrationum vi fulciri poſſunt: hæc nonniſi vel ſenſuum experimento, vel opinione, & credulitate, vel fide teneri poſſunt; ac denique & credi poſſunt illa ab imperitis, & à prudentibus intelligi: hæc credi dumtaxat poſſunt, neutiquam intelligi.

III. Temporalia ab æternis penedula, iiſque conſerta ſunt.

Quæ cùm ita ſint, in hanc temporalem fidei hiſtoriam, velut non ita inconcuſſam, & minùs validis nixam præſidiis, impetum maximè faciunt, Eccleſiæ & Chriſtianitatis hoſtes. Defenſari autem à nobis illa non poteſt opportuniùs, invictiùſque, quàm ſi hæc temporalia illis æternis, hæc mutabilia illis immutabilibus, hæc credibilia illis intelligibilibus ita connexa eſſe conſertaque evincamus, ut indivulsè jam cohæreant, & neceſſariò nunc quidem vel utraque ſtent, vel utraque pariter collabaſcant.

IV. Ut qui temporalibus obſtrepit, æterna laceſſat incautus.

Quantumvis enim à temporalitate æternitas, à corporalitate ſpiritalitas diſtet; æterna tamen & intelligibilis veritas temporali ac materiali poteſt contegi involucro, ſive ſignificari ſacramento. Id autem ubi contigerit, ita cohærebunt æternis temporalia, intelligibilibus materialia, ut nihil contumeliæ aſpergere his queas, quin in illa reſiliat. An veritati enim æternæ & intelligibili parcet, qui in ſacramentum quo velatur, in veſtem qua amicitur, in corpus quo exhibetur, in verba quibus ſignificatur, contumelioſus erit? Tota temporalis hiſtoria æternæ & incommutabilis veritatis legiſque ſacramentum & velamen eſt, nihil præterea docet, nihil præterea mandat; mentibus tantùm ſe accommodat in ſenſuum conſuetudinem & ex tenebrarum amore in puræ lucis impatientiam devolutis. Ergo qui hanc hiſtoriam laceſſit, in veritatem incautus impingit; qui hæc temporalia convellit, æterna vel non intelligit, vel temerè oppugnat. Quanti ſit porro tota hæc doctrina momenti, ex ipſa ejus fronte facilè Lector intelliget; nec moleſtè, ut ſpero, feret, ſi aliquantò prolixiùs per plura deinceps capita pertractetur.

V. Ex Auguſtino prolixe id oſtenditur. L. 13. c. 24.

Auguſtinus in Confeſſionibus: *Novi enim multipliciter ſignificari per corpus, quod uno modo mente intelligitur; & multipliciter mente intelligi, quod uno modo per corpus ſignificatur. Ecce ſimplex dilectio Dei & proximi quam multiplicibus ſacramentis & innumerabilibus linguis & in unaquaque lingua innumerabilibus locutionum modis corporaliter enunciatur.* En ut corporeo ſacramento illigetur & involvatur veritas intelligibilis, temporali æterna, multiplici ſimplex vel ſimplici multiplex, incommutabilis variabili; cùmque hæc ita diſcrepent, ita ſibi innectuntur tamen & coaleſcunt, ut neutrum ſine altero ſtare vel labare, honeſtari vel dedecorari poſſit. Ad eum modum tota lex æterna, ſeu Dei proximique dilectio, innumerabilibus & temporalibus, & per alias aliaſque temporum vices variabilibus civitatum regnorumque legibus explicata & promulgata eſt: ita ut quidquid in has peccaretur, in illam redundaret. Non aliter tota temporalis Chriſti diſpenſatio, quædam legis & veritatis æternæ implicatio in carnalibus ſacramentis & explicatio carnalibus mentibus facta eſt, ita ut in eam rebellare nemo auſit, niſi qui ſe legis ejus quæ natura omnium mentibus anticipata eſt, quamque æterna veritas dictat, perduellem eſſe profiteatur.

Ibid. l. 3. c. 7. 8.

Auguſtinus iterum legis & juſtitiæ incommutabilitatem docet nos in ipſa temporalium mutabiliumque diſpenſatione internoſcere: *Non noveram juſtitiam veram interiorem, non ex conſuetudine judicantem, ſed ex lege rectiſſima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum & dierum, pro regionibus & diebus, cùm ipſa ubique & ſemper eſſet, non alibi alia, nec aliàs aliter, &c. Sic ſunt iſti qui indignantur cùm audierint illo ſæculo licuiſſe juſtis aliquid quod iſto non licet juſtis, & quia illis aliud præcepit Deus, iſtis aliud, pro temporalibus cauſis; cùm eidem juſtitiæ utrique ſervierint; cùm in uno*

uno homine & in uno die & in unis ædibus, videant aliud alii membro congruere, & aliud jamdudum licuisse, & post horam non licere, quiddam in illo angulo permitti aut juberi, quod in isto justè vetetur & vindicetur. Numquid justitia varia est & mutabilis? Sed tempora quibus præsidet, non pariter eunt; tempora enim sunt. Et paulò post, *Et cantabam carmina, & non mihi licebat ponere pedem quemlibet ubilibet, sed in alio metro aliter atque aliter, & in uno aliquo versu non omnibus locis eundem pedem. Et ars ipsa qua canebam non habebat aliud alibi, sed omnia simul. Et non intuebar justitiam cui serviebant boni & sancti homines, longè excellentius atque sublimiùs habere simul omnia quæ præcepit Deus, & nulla ex parte variari, & tamen variis temporibus non omnia simul, sed propria distribuentem ac præcipientem.* Et tandem, *Sed numquid aliquando aut alicubi injustum est diligere Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & diligere proximum tanquam seipsum?*

VI. Itaque una veritas & lex æterna est, seu sine velo puris mentibus, seu sub velo temporaliū lapsis in tēporalia mētibus occurtans. Id rursus ex Hugone Victorino.

Ut ergo lex honestatis apud homines in mente quidem ipsorum invariabiliter eadem est, at ubi extra prosilit, alio atque alio tempore locoque alia atque alia vetat jubetque: item ut ars poetices nec tempore variatur, nec loco spargitur, sed tota simul & semel in animo secum est: at extra mentis fores ubi se fundit, summa versuum pedumque diversitate aliàs aliter luxuriat: Ita veritas, justitia, lex æterna incommutabiliter eadem secum ipsa perstat, imperatque semel in sempiternum diligi proximum æquo modo, diligi Deum sine modo: at ubi temporalium mutabilitati coaptanda illa est, non potest non multiformi multiplicitate variari. Quandiu enim mens hominis supra corporalia eminebat, puroque contuitu superna spectare poterat, nuda se illi veritas contemplandam ac sine velo, lex amandam fruendamque propinabat. Ubi illa amore corporalium contabuit, cæcutiitque, eadem se illi veritas lexque æterna corporalibus tegumentis noscendam amandamque ingessit. Ubi ex ingenio rerum temporalium orientium & intereuntium, mens ipsa alternare cœpit, & fastidio identitatis novitati vehementiùs studere: veritas lexque eadem æterna eidem se quodammodo mutabilitati implicuit, cùm sacramenta vel sacramentorum tempora quasi detergendi fastidii ergo subinde immutavit. Ubi mundatur mentis acies, extenuat quoque sua velamina veritas, & apertiùs se denudat. Eadem tamen veritas lexque sempiterna est incommutabilis Deitatis, quæ & puris puram nudamque, & caligantibus velatam indulget sese, noscendamque & diligendam præstat. Id præclarissimè Hugo de sancto Victore de Sacramentis: *Bonum quidem hominis unum erat; & quandiu homo illi per dilectionem adhæsit, non eguit hac multiplicitate. Postquam autem mentem suam per concupiscentiam ad multiplicia hæc & transitoria dividi permisit, stabilis esse non potuit; quia sicut multa diligens, in his per affectum dividitur; sic mutabilia sequens variatur, &c. Ambulat homo; si semper ambulaverit, deficit; sedet ergo vel stat ne deficiat: & tamen si semper sederit, deficit. Esurimus & deficimus, manducamus ne deficiamus; & tamen si semper manducaremus deficeremus; & vertitur in dolorem quod quæsitum est ad consolationem. Sic omnis mutabilitas hominis defectum habet, non profectum. Quia ergo vita hominis hic sine mutabilitate esse non potest, contra illam quæ defectum generat mutabilitatem, alia ei mutabilitas quæ profectum parit, opponitur: ut quia stare non potest ut semper idem sit, moveatur & promoveatur semper ut melior sit. Primum enim bonum erat in summo stare; secundum est bonum ad superiora ascendere. Et idcirco vita mutabilis ne sua mutabilitate dissoluta, ad deteriora semper deficeret, talibus studiis nutrienda fuerat, in quibus & rerum varietate foris excitata, & æmulatione virtutum intus accensa, proficiendi occasionem inveniret. Divisa sunt tempora, & distincta loca, & propositæ species corporales, injuncta studia & opera exercenda; ut medicinam interioris hominis exterior homo præpararet, & ei subesse & prodesse addisceret, &c. In his virtutum studiis mirabili dispensatione Deus & multiplicitatem prævidit, & varietatem & intermissionem; ut humana mens & in multiplicitate exercitationem, & in varietate delectationem, & in intermissione recreationem inveniat.* Sic ille altissimum fontem indigitat, ex quo tota sacramentorum temporalium, tota Christianitatis historia profluxit. *Bonum hominis unum erat, & quandiu illi homo per dilectionem adhæsit, non eguit hac multiplicitate. Primum bonum erat in summo stare.*

L. 1. p. 9. c. 1.

Ex illo ergo bono in multa, ex summo in infima & mutabilia lapsis, ex multis ipsis & infimis temperanda fuit medicina. Cùmque mens defluens in mutabilia, & ipsa mutabilitatem imbiberit, nec iisdem utpote mutabilibus unquam valeat acquiescere, quin aliorum fastidio ad alia atque alia deinceps exardescat; cùm mens ex corporum amore corporeos hauserit mores, & ut corpus quiete circa idem extabescit, jugi motuum circulo hilarescit: ita ipsa sistere in idipsum se nunquam possit, sed inquieta motionum spiritualium alternatione agitetur usque: operæ pretium fuit, ut lex veritasque sempiterna & incommutabilis aut illam in æternum à se amandaret exilium, aut se ipsa illi sub temporalibus mutabilibusque symbolis amplexandam repræsentaret. In eum usum collimat tota Christi historica dispensatio, ut sexcentis locis prodidit Augustinus.

VII. Tota Christi historica dispensatio æternis velandis & revelãdis servit. Rursũ ex Augustino.

Cujus ut ex infinita copia decerpam paucissima, sic ille: *Ad contemplandam veritatis æternitatem, ut ea perfrui, eique inhærere valeamus, informitati nostræ via de temporalibus procurata est, ut quantum itineri sufficit ad æterna tendentium, præterita & futura credamus.* Vides ut tota adaptetur præstruaturque intelligendæ perfruendæque æternæ veritati temporalis historia fidei. Quomodo autem nos illi adaptet refingatque, id declarat idem alibi: *Hujus religionis sectandæ caput est historia & prophetia dispensationis temporalis divinæ providentiæ, pro salute generis humani, in æternam vitam reformandi atque reparandi. Quæ cum credita fuerit, mentem purgabit vitæ modus de divinis præceptis conciliatus, & idoneam faciet spiritualibus capiendis, quæ nec præterita sunt nec futura, sed eodem modo semper manentia, nulli mutabilitati obnoxia.* Hæc prima ratio est, qua temporalis historiæ fides intelligendæ veritatis æternitati nos præparat, dum cælestibus nos informat mandatis, amoremque terrenum qui mentis oculos oblimaverat, extundens, mundat illuminatque intellectum. Mens enim simul ab amandis corporalibus desuescit, simul etiam ab iisdem cogitandis abducitur; in vacuum autem ejus sinum faciliùs illabitur & amor & cogitatio divinorum.

De lib. arbi. L. 3. c. 21.

De vera relig. c. 7.

1. Dum amorem à terrenis extricat & purgat.

VIII. 2. Dum intelligibilē veritatem corporalibus symbolis insinuat.

L. 1. de Morib. Eccles. c. 2.

Altera ratio suggeritur ab eodem, *Quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis, aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrimè comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem, veluti ramis humanitatis opacata inducat authoritas.* Quia tenebris sensibilium innutrita mens ad intelligibilem lucem ita nictitabat, ut nec ipsam tueri, nec per ipsam intueri quidquam posset: ex re fuit, corpore humano opacari lucem illam, ut & ipsam utcumque capere, & ejus authoritate ad alia complura tum veritatis oracula, tum legis edicta possemus inflecti. Unde ibidem: *Ergo refugere in tenebrosa cupientibus, per dispensationem ineffabilis sapientiæ, nobis illa opacitas authoritatis occurrat, & mirabilibus rerum, vocibusque*

Ibid. c. 7.

libro-

librorum, veluti signis temperatioribus veritatis, umbrisque blandiatur. Quid potuit pro salute nostra fieri amplius? Mirabilia Christi gesta, scripturæque verba ex Augustino non aliud sunt, quàm sempiternæ veritatis ipsa oracula, signis temperatioribus & veluti umbris opacata, eoque jam lippitudini mentium nostrarum consentanea.

IX.
3. Dum per fidem corporatæ veritati inhærentem, eidem intelligendæ adaptat.

Tertia ratio. Quia quæcumque verè, sive in sacris Prophetarum, sive in Ethnicorum Philosophorum monumentis dicta scriptaque sunt, quòd vera certaque essent, id acie mentis in summa & incommutabili veritate explorare, ut par erat, jam fractis alis, oculisque sauciis non poteramus: à corporata veritate percunctari datum est, quod ab intelligibili non liceret. Ita enim solam veritatem mentibus præsidentem consulere, solam audire, ejusque oraculis inconcussè adhærere consuescimus, dum quam nudam & in sua luce fulgurantem haud possumus, in carne nostra velut in umbra obnubilatam adimus & sciscitamur. Ita fit ut nulla veritas nobis, nisi sempiternæ veritatis aut contuitu & intelligentia, aut authoritate & fide constet. Augustinus: *Venit hominibus magisterium & adjutorium ad capessendam salutem. Magisterium quidem, ut ea quæ hic ante dicta sunt utiliter vera; non solum à Prophetis sanctis, qui omnia verè dixerunt; verùm etiam à Philosophis, atque ipsis Poetis, & hujuscemodi authoribus literarum, quos multa vera falsis miscuisse quis ambigat? illius etiam in carne præsentata confirmaret authoritas, propter eos qui illa non possent in ipsa intima veritate cernere atque discernere: quæ veritas & antequam hominem assumeret, ipsa aderat omnibus qui ejus participes esse potuerunt.* Cùm ergo naturæ rationalis nativa dignitas & beatitudo ea sit, ut in æternæ veritatis luce semper versetur, illam de omnibus consulat, in illa verum omne conspiciat, verum nihil, nisi quod illa sanxerit, existimet: inde peccato exturbata, noctique altissimæ sensibilium impacta, emergere in pristinam stationem haud poterat, nisi ipsamet veritas sensibilibus se insereret, & consulendam se audiendamque exhiberet, & quam nondum posset contuitus claritate, solaretur interim fidei authoritate. Ita mens soli æternæ veritati se credit, soli adhærescit, vera omnia, vel in pura luce, vel in signorum opacitate ostendenti.

Epist. 3.

X.
4. Dum spiritalē charitatem Dei & proximi tota struit, quæ tota est æterna religio.

Quarta ratio. Quòd tota Christi historica dispensatio moliatur nihil aliud, quàm ut spem amoremque in Deum excitet alatque: at ea est tota & una spiritalis & invariabilis religio, qua absolvi aut relaxari nulla rationalis natura potest. Duo hæc patentissima sunt, quòd una & tota quam lex æterna dictat, quam natura necessariis præsumptionibus suggerit religio, nullo alio constet quàm charitate in Deum & proximum. Item quòd Christi incarnatio non aliò pertineat tota, quàm ad charitatem Dei proximique commendandam, augendamque. Quæ cùm ita sint, nemo sanus, nemo sibi concors potest, illis consentire æternis, & his temporalibus dissentire; nemo potest legi æternæ concedere, & à temporali ejus significatione recedere; nemo potest naturæ anticipationibus morigerari, & earumdem explicatissimæ interpretationi reluctari; nemo potest eidem veritati sincerissimæ & cùm nuda est concordare, & cùm velata verbis signisque est convitiari. Augustinus: *Quæcumque ergo nobis de quibuscumque creaturis, vel præterita vel futura, divina authoritate credenda narrantur, quamvis partim priusquam ea sentire potuerimus præterierint, partim nondum in nostros sensus pervenerint, tamen quia plurimum valent ad roborandam spem nostram, & exhortandam dilectionem, dum nobis commendant per ordinatissimam seriem temporum, quàm non negligat liberationem nostram Deus, sine ulla dubitatione credenda sunt.* Et infra: *Quæcumque nobis quantum ad creaturam pertinet, vel narrantur præterita, vel prænunciantur futura, quæ ad commendandam valeant integram religionem, excitando nos ad sincerissimam dilectionem Dei & proximi, sine dubitatione credenda sunt.* Ubi illa duo pariter connectit, & integram religionem in Dei proximique dilectione sitam esse; & quæcumque temporalia fides Christiana sanxit, non aliò spectare; proindeque non posse hæc temporalia repudiari citra æternæ legis & religionis detrimentum.

De lib. arb. L. 3. c. 21.

Rursus idem Augustinus: *Quæ autem major est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer, quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est? Hoc autem ideo quia finis præcepti & plenitudo legis, charitas est: & ut nos invicem diligamus, & quemadmodum ille animam suam pro nobis posuit, sic & nos pro fratribus animas ponamus; & ipsum Deum, quoniam ipse prior dilexit nos, & filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio quàm prævenire amando, & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere.* Ita ille planum facit, tota Verbi Dei inhumanatione hoc unum agi, hoc contendi, ut Dei in nos dilectio exaggeretur, nostra in Deum proximumque exsuscitetur; id est tota fidei nostræ temporalitate æternitatem legis & veritatis divinæ constabiliri. Nam quæcumque vel in antiqui vel in novi testamenti paginis temporaliter gesta memorantur, ea ad Christum vel vaticinandum, vel præsignandum, vel postquam venit, promulgandum commendandumque omnia pertinent; cùm ergo Christus ipsamet sit charitatis summæ lex columenque tum Dei in hominem, tum hominis in Deum, tum hominis in hominem: tota procul dubio temporalis historia fidei nostræ unam charitatem legemque sempiternam significat intimatque. *Si ergo maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus, & ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem à quo prior dilectus est, inardesceret, proximumque illo jubente & demonstrante diligeret, qui non proximum sed longè peregrinantem diligendo factus est proximus; omnisque scriptura divina quæ ante scripta est, ad prænunciandum adventum Domini scripta est, & quidquid postea mandatum est literis, & divina authoritate firmatum, Christum narrat, & dilectionem monet: manifestum est non tantum totam legem & Prophetas in illis duobus pendere præceptis, dilectionis Dei & proximi, quæ adhuc sola scriptura sancta erat cum hoc Dominus diceret: sed etiam quæcumque posterius salubriter conscripta sunt, memoriæque mandata divinarum volumina literarum.* Omnia ergo Christianæ religionis temporalia quæ sanctis literis consignata sunt, ad Christum unum spectant; Christus autem ad intimandam Dei proximique charitatem totus pertinet: tota ergo Christiana fides & religio ad legem æternam, ad eamque vindicatur religionem, qua solvi nulla potest creatura rationalis. Quocirca breviùs, sed expressiùs pronunciat Augustinus, in tota Christianæ fidei temporalitate sive in tota Scriptura usque adeo solam inculcari charitatem, ut nemo ad illius loci intelligentiam attigisse existimandus sit, ex quo non charitatis documentum scintillamque exculsperit; omnino enim versibus omnibus charitatem vel apertè vel figuratè commendari. *Hoc autem ita breviter discet, ut quidquid audierit ex libris canonicis, quod ad dilectionem æternitatis, & veritatis, & sanctitatis, & ad dilectionem proximi referre non possit, figuratè dictum vel gestum esse credat, atque ita conetur intelligere, ut ad istam geminam referat dilectionem.* Vides ut temporalia ad æterna revocari, & inde inexpugnabiliter constabiliri doceat.

L. de Catech. rudib. cap. 4.

XI.
Christus ipsa veritas est, Charitasque Dei & proximi, quę æterna religio est.

Ibid. c. 26.

XII. 5. Dum æterna Deitatis ornamenta suis omnibus temporalibus eloquitur gestis, ceu signis.

Quinta ratio. Quòd historica omnia Christi ita æternis Dei ornamentis attributisque superstruantur, ut illis concussis hæc pariter concutiantur: illis certa fide stantibus, hæc magis magisque firmentur. Hinc superiùs potentiam, justitiam, sapientiam, misericordiam Dei ita per incarnationem Verbi enitescere demonstravimus, ut non possit huic fides detrahi, quin illis Dei ornamentis lux dignitasque plurima detrahatur. Quisquis ergo temporalibus Christi obtrectat, æternis Dei invidet, cùm illa his tantum splendoris accumulent. Quisquis temporalibus Christi prona fide adhæret, non tantùm temporalibus fide, sed æternis quasi præcoce & antelucana adhæret intelligentia; cùm à temporalium fide protinus in illustriorem æternorum diem provehatur. Augustinus L. de vera relig. (Cap. 8.) *Ex quo illa omnia quæ primò credidimus nihil nisi authoritatem secuti, partim sic intelligimus, ut videamus esse certissima: partim sic ut videamus fieri posse, atque ita fieri oportuisse; doleamusque illos hæc non credentes, qui nos antea credentes irridere, quam nobiscum credere maluerunt. Non enim jam illa hominis sacrosancta susceptio & virginis partus, mors filii Dei pro nobis, & resurrectio à mortuis, & in cœlum ascensio, & consessus ad dexteram Patris, & peccatorum abolitio & judicii dies, & corporum resuscitatio, cognita æternitate Trinitatis, & mutabilitate creaturæ creduntur tantùm, & non etiam judicantur ad summi Dei misericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere.* Quo in loco omnia propè fidei temporalia enumerat, eaque non tantùm jam credi ait, sed utcumque intelligi eo saltem nomine, quòd ad Dei misericordiam pertinere judicantur. Ubi enim signa corporalia quæcumque ad rei æternæ, seu ad Deitatis intelligentiam traduxisti, jam non carnaliter tantùm symbolo per fidem, sed spiritaliter Deo per intellectum copularis.

XIII. 6. Ut Christus Deus carne velatus est, ita æterna veritas & lex est, humanis affectibus, gestis, dictisque implicata & explicata.

Sexta ratio. Quòd seu justitia, sapientia, misericordia, charitas, virtus omnis, pro veritatis æternæ attributo, sive pro sempiternæ legis præcepto habeatur, perinde ad veritatis atque ad virtutis excolendæ lumina hebescunt corrupti vitiorum colluvie nostri oculi; ac proinde nube aliqua opus est utraque obumbrari, ut à nobis quoquo modo conspici possint & frequentari. Cùm ergo Christum ob oculos fidei ponimus, quid aliud quàm veritatem legemque æternam, sapientiam & charitatem tum in Deo venerandam, tum moribus æmulandam ob oculos ponimus; sed humana natura, idest sua ipsius imagine septam, ad patientiam cæcutientium, ad exercitationem proficientium, ad intelligentiam perfectiorum. Nihil ergo æterna lex naturæque religio intelligibiliter dictat, quod non Christus & intelligibiliter dictet, & corporaliter significet, quia nihil aliud ipse quàm æterna lex veritasque est, parvulorum infantiam corporaliter lactescens. Origenes (Homil. 2. in Psal. 38.): *Sapientia & scientia pars est magna virtutum, sed in præsenti vita si quis putat se cognovisse, nondum cognovit, sicut oportet scire. Qui enim cognoscit, in ænigmate cognoscit. Ergo in imagine scientiæ ambulamus & non in ipsa scientia, per quam facie ad faciem cognoscitur. Ita nihilominus & in ipsa sapientiæ imagine & nondum in ipsa sapientia ambulamus, quia nondum revelata facie gloriam Domini speculamur. Eadem audeo de justitia Dei dicere, quod in imagine justitiæ ambulamus, & nondum in illa justitia quæ est facie ad faciem incedimus. Neque enim capere poterit humana natura carne & pellibus vestita, ossibus & nervis inserta, nudam ipsam justitiæ synceramque veritatem, ferre & tolerare secundùm naturæ suæ potentiam ac virtutem. Siquidem ipse Christus est natura virtutum; ipse enim justitia, quæ humano generi non in plenitudinem splendoris advenit; quia Jesus Christus seipsum exinanivit forma Dei, ut formam servi acciperet.* Christus, ut ait Origenes, est ipsa natura virtutum, hoc est, Christus est veritas ipsa & æterna lex, quę colenda hominibus, quæ imitanda incumbit; sed tanto splendori imparibus coaptavit illa se & obvelavit; ipsa tamen eadem est. Sustentat ergo totam fidei temporalitatem æternitas, nihilque Christiana religio canit, quod non æterna lex præcinat. Hoc ipsum enim quòd infirmis coaptarit se obvelaritque, summoperè consentanea Deitati æternæque legi indulgentia est.

XIV. Hæc tutissima est ratio illuminandæ per intelligentiã æternorum, defensandæque fidei temporaliũ. L. 3. de lib. arbit. c. 1.

Cæterum historica fidei ad hunc modum ad æterna & incommutabilia vindicando, ea arte fidem tuemur, qua informavit nos Augustinus: *Quæcumque nobis quantum ad creaturam pertinet, vel narrantur præterita, vel prænunciantur futura, quæ ad commendandam valeant integram religionem, excitando nos ad sincerissimam dilectionem Dei & proximi, sine dubitatione credenda sunt. Adversus incredulos autem hactenus defendenda, ut vel mole authoritatis infidelitas eorum obteratur; vel eis ostendatur quantum potest, primò quàm non sit stultum talia credere, deinde quàm sit stultum talia non credere. Verumtamen falsam doctrinam non tam de præteritis & futuris, quàm de præsentibus, & maximè de incommutabilibus oportet refellere, & quantum datur, perspicua ratione convincere.* Ubiscumque suggerit sanctus Pater ad fidem temporalis Christi œconomiæ tutandam multiplex; utque pondus authoritatis missum faciam, quòd hujus loci sanè non sit illud expendere, ex supra disputatis nonnihil effulsit, & ex inferiùs disputandis ampliùs enitescet, quàm stultum non sit talia credere, imo quàm stultum sit talia non credere, cum toti incarnationis temporalitati veritatem legemque æternam & incommutabilem tanquam invictissimum scutum prætendamus. Ex incarnationis enim sacramento significatur nobis omnipotentia Dei summa, inexhausta bonitas, ineffabilis sapientia, justitia inviolabilis, providentia charitasque in homines infatigata; commendatur vicissim, provocaturque in Deum charitas hominum, & gratitudo animi quanta maxima cogitari potest, & justitiæ omniumque virtutum amor. Æterna hæc & incommutabilia divinarum humanarumque virtutum lumina, quæ temporali incarnationis sacramento significantur, intimanturque nobis, an stultum est credere? Imò annon stultum est non credere? An de Deo stultè illa tanta jactantur? An hominibus stultè hæc tam sancta suadentur? An non magis innata mentibus naturæ lex & conscientia intus cuique occlamat, quàm fieri potest magnificentissimè de Deo sentiendum, & quàm fieri potest flagrantissimè studium justitiæ & sanctimoniæ succendendum? An placent hæc æterna, sed displicent illa temporalia? At illa temporalia cùm sacramenta seu signa sint, non possunt non placere, si placent quæ per illa significantur. Signi dignitas vilitasque ex rei significatæ pretio tota manat; nec rei decoræ indecora, nec indecoræ decora imago esse potest; in signo & imagine, non signum & imago spectatur, sed exemplar; quæ signo & imagini, eadem exemplari inuritur contumelia. An potest citra legis injuriam refigi comminuique tabula aut æs, cui incisa prostat? Deinde sempiterna lex veritasque quo digniùs signo, qua congruentiùs imagine significabitur quàm humanitate, quæ Deitatis tanquam statua & imago Dei ipsius manu olim elaborata est? Rursus quod signum homini antiquius & accommodatius quàm homo, ipse? Cujus libentiùs digniùsque quàm hominis ab ore, Deitatis arcana, legis æternę oracula audiet, scitabiturque? Ergo Dei ad homines signum ac sacramentum, non aliud quàm homo ipse, decentius instituì potetat, ob suam utrimque propinquitatem. Denique etsi qua vilitas signo inhæreat, quia signum est, tantò decentius est: nec enim in se morari quenquam aut sistere debet, sed ultra trajice-

re:

re; sua ergo illi proderit vilitas, ne quis illi piger adhærescat. Cùm ergo stultissimum sit æterna illa & incommutabilia non credere, quæ temporalis hujus historiæ signo significata nobis sunt, & humano generi persuasa, stultissimum pariter est temporalem hanc historiam fastidire.

Sed ut ad caput redeam, omnino necesse est fide temporalis historiæ, ad bonam frugem illectari homines, & ad munditiam cordis, cujus oculo videntur æterna, perduci. Nam ut ait Augustinus: *Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cùm adhuc nequiter vivat. Nequitia est autem mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt pro magno habere, & ea concupiscere, & pro his laborare ut habeantur, & lætari cùm abundaverint, & timere ne pereant, & contristari cùm pereunt. Talis vita non potest puram illam & sinceram & incommutabilem videre veritatem, & inhærere illi, & in æternum jam non moveri. Itaque priusquam mens nostra purgetur, debemus credere quod intelligere nondum valemus; quoniam verissimè dictum est per Prophetam, Nisi credideritis non intelligetis. Fides in Ecclesia brevissimè traditur, in qua commendantur æterna quæ intelligi à carnalibus nondum possunt; & temporalia præterita & futura, quæ pro salute hominum gessit & gestura est æternitas divinæ providentiæ.*

L. de Agone Christ. c. 12.

XV. Objectionibus quibusdam occurritur.

At, inquies, cùm *stultitiam prædicationis* vocet Paulus: ecqui nos Christi religionem sapientiæ & legi æternæ vindicatum imus? Respondeo, Paulo ipsi stultum Dei *sapientius* esse hominibus; & prædicari Christum Judæis quidem scandalum, & Gentibus stultitiam: ipsis autem electis Judæis Gentibusque *Dei virtutem & sapientiam*. Idem Paulus alicubi *sapientiam* loquitur in mysterio, nempè inter perfectos, qui idem priùs stultitiam crucis ceu lac parvulis propinaverat. Quæ denique carnalibus adhuc stultitia videtur, quia carnales sunt: ea spiritalibus sapientia summa intelligetur esse. Invisibilium amore visibilia contemnere, stultum durumque est incipientibus; at progressis aliquantulum, & demum perfectis, ea est tota sapientiæ suavitas & beatitudo.

Ajes rursum, fide, non ratione, non sapientia, non legis æternæ luce perspicua Apostolos Christianam religionem propagasse. Respondeo fide incipi, fide ad intellectum & sapientiam perveniri: intellectui fidem muniri, & defensari. Scripturas easdem & in propatulo fidem continere temporalis œconomiæ Christi, quæ parvulorum lac est: & in recessu medullam intelligentiæ spiritalis complecti, quæ cibus est grandium: & ita dupliciter Scripturam interpretatos esse sanctos Patres, liquet ex innumera quam hic congerimus silva testimoniorum. Carnalibus certè populis non statim æternorum sapientiam ingerebant Apostoli, sed temporalium Christi mysteriorum fidem, cui magis congruebant; at ea temporalium fide purgatis, æterna jam & intelligibilia propalabantur.

Non ea fuit autem mens nostra, ut omnia seu fidei Christianæ arcana, seu morum statuta, quantum æternæ legi & sapientiæ consentiant, ostenderemus. Sed de sola Verbi incarnatione verba facimus. Inde tamen conjectura facilè sumitur de cæteris: quæ alii nobis oculatiores, & æternæ lucis copia uberiore perfusi, facilè eisdem æternæ legis & incommutabilis sapientię regulis accommodabunt.

CAPUT VIII.

Fusius explicatur, ut Christus lex æterna sit, ejusque temporalis œconomia sit æternæ legis & incommutabilis veritatis interpretatio longè pulcherrima.

I. Ex incarnatione emicat magnificentissimus de Deo sensus.

Non potest satis dici, quod non potest satis disci. Ergo quia caput & summa Christianitatis in hoc maximè vertitur, animus est non facilè hinc abire. Infigendum ergo altissimè hominum mentibus, non aliud Christum dici quàm legem æternam, carni tanquam cartæ impressam, ejusque temporalem œconomiam fuisse sincerissimam legis æternæ & incommutabilis veritatis interpretationem, carnalibus hominibus ab intelligibili luce ad sensibilium tenebras lapsis temperatam. Ea autem re quid facilius, quid salubrius homines credere possunt? Cùm etsi merum id esset figmentum, ne sic quidem nisi salubriter crederetur. Quid hinc enim efficitur, nisi ut homines magnificentissimè sentiant de Dei amplitudine & providentia, vehementissimèque urgeantur ad justitiæ studium & sanctimoniæ? Fingi ergo hæc & credi prodesset, ut tantum inde exundaret in Deum hominesque emolumenti. At quàm credibilia, quàm vera, quàm certa sunt, quæ usque adeo & laudi divinæ & saluti humanæ promovendæ necessaria sunt? An tutiùs enim hæc mendacio committentur, quàm veritati? An meliùs Deo sibique consulet homo fingens, quàm Deus consulens? An sagacitas hominis Dei providentiam, an nostra figmenta Dei superabunt veritatem? Quin imo quæ ficta, quæ falsa sunt, nec Deo nec homini quidquam unquam prosunt; at quæ vera & maximoperè frugifera sunt, ea ejusmodi sunt, ut si non essent, fingenda essent; sed quia fingenda omnino non sunt, indubitatissimè sunt. Quod autem nobis hoc capite proposuimus, id

Et ad justitiã aculeus.

Eam vel fingi prodesset.

Non ergo fingitur, ne pluris sit fabula quam veritas.

II. Christus est interpretatio legis æternæ per temporalia explicate. 1. Ideo libro cõparatur, in quo veritas quasi incarnatur.

Demonstratur primò iis Patrum suffragiis, ubi Christum libro comparant, cui Verbum Patris, lex æterna veritasque Deus, inscribatur: ut nullo differat Verbum æternum ab incarnato, nisi quo differt sapientia menti incubans, & chartæ infusa. Basilius Seleuciensis in sanctam Deiparam, *Ut enim verbum chartæ inscriptum, totum in charta inest, totumque in mente generante, totumque in iis qui legunt; sic Deus Verbum, quin & melius ut novit ipse, totus in proprio erat corpore, totusque in Deo ac Patre.* Et Leo Augustus in eodem auctario Bibliothec. PP. *Neque decebat, ut mens aut spiritus nostri corporis mole circumscriberentur: sed planè erat congruum, ut Verbum velut per tomum carnalis crassitudinis, iis consuesceret qui ad hæreditatem introducendi essent.* Theodoretus: *Deus universorum præcipit Jeremiæ, ut priores sermones in alio libro describeret. Charta enim exusta quidem fuit, sed lex divina permansit illæsa. Sic etiam corpore passo quod assumptum est, Verbum permansit passioni minimè obnoxium.* Possent & ejusmodi alia coacervari innumera sanctorum Patrum testimonia quibus vel impassibilitati vel immensitati divinæ patrocinantur ex hoc, quòd lex cùm chartæ inscribitur, nec à mente digreditur legislatoris, nec contumeliis chartæ aspergendis subest. At nos ipsum rei caput hîc attendimus, quòd lex æterna ut visibilis fieret, in humana natura tanquam charta se nobis exhibuit. Sed luculentissimè Theodotus Episcopus Ancyræ in Conc. Ephes. *Exemplo declaremus quo pacto quod natura cerni nequit, fiat visibile, quodque ob incorpoream naturam palpabile non est, evadat palpabile. Verbum igitur hoc quod proferimus, quo in mutuis colloquiis utimur, verbum est incorporeum, nec visu nec tactu percipi natum. At ubi verbum hoc litteras induit, elementaque suscepit, mox visibile factum tam visu hauritur,* quam

Auctar. Bibl. PP. Tom. 2. pag. 586. & 1673.

In Hierem. c. 36.

Part. 3. c. 20

quam tactu deprehenditur. Pone enim quempiam cum alio loquentem, num procedens videtur verbum? Num manu tractamus prolatum verbum? Si autem quæ dicebantur, in charta scripseris; quod prius non videbas, postea vides, & quam sermonis formam antea contrectare non poteras, postea per chartam & characteres jam contrectabis. Quid ita? quia verbum antea incorporeum, corpus chartæ elementorumque figuras induit. Age ostendamus quo pacto unigenitus Dei filius Deus Verbum, incorporeæ naturæ perinde ac Pater, &c. Et paulò post, *Fingamus regem quempiam sermonem depromere, qui libertatis vel aliorum regalium munerum quibus oportet impertiendorum decretum in se contineat, illudque in charta aliqua quam sacram vocant, litteris expressum, ad hanc vel illam civitatem mittere, &c. Ne jactet se Judæus tanquam qui purum hominem cruci affixerit: nam quod cernebatur, charta quidem erat: quod verò in ea abditum latitabat, regius erat sermo, non lingua sed natura productus, &c.* Ex quo claret quàm nihil distet Christi temporalis œconomia, ab æterna Verbi veritate, cùm ejus explicatio & quasi in charta exaratio & promulgatio sit.

III.
2. Ideo comparatur arcæ Mosaicæ in qua lex Dei.

Declaratur 2. ex eo quòd sancti Patres ita Verbum Dei seu legem æternam, in carne delituisse commentantur ut legem Mosaicam in arca; ergo ut in arca nihil admodum spectabatur, nisi lex ibi recondita; ita nec in Christo quidquam magis attendendum inculcatur, quàm lex æterna. Cyrillus in Joannem, *Constructa itaque arca ex lignis imputribilibus & inaurata, divinam quoque legem reconditam habebat, ut typus esset Dei Verbi inhabitantis & uniti sanctæ carni. Verbum enim Dei etiam lex erat, licèt non hypostaticum, sicut Filius est. Tegitur autem velamine. Verbum enim Dei incarnatum cum esset, multos latebat, corpore suo amictum & sancta carne quasi velamine contectum.*

L. 4.

IV.
3. Carne apparuit Verbum id quod erat, sed carnalibus non apparebat, nempe lex æterna.

Declaratur 3. ex eo quod doceant Verbum incarnatione sua hominibus nempè per peccatum etiam mente jam carnalibus factis apparere voluisse id quod naturaliter est, nempè legislator & lex ipsa æterna & incorruptibilis. Cyrillus Alexandrinus: *Quid vetat quominus putetur ac dicatur Deus ac Pater voluisse filium qui rex ac legislator est substantialiter, id quod est hominibus apparere?* Et paulò infra: *Cum de lege & de iis quæ divinitus prodita sunt, Deus antiquis manifestè dicat, iis nec addendum esse nec detrahendum, leges enim condere soli rerum omnium reginæ naturæ convenit, addereque & detrahere quæ velit; legem tulit Filius, & vetus quidem abrogavit, tanquam inutile, novum autem induxit, Evangelicum nimirum, idque tanquam legislator, non contracta potentia, sed authoritate divina.* Legis ergo utriusque lator fuit Verbum, utrobique id quod qua Deus intelligibiliter est, corporaliter apparuit; priùs umbratiliter, post verè corporaliter. Est enim ipse qua Deus substantialiter legislator & ipsa lex. Lex quippè animarum & mentium, non vacuum & inane quid est; sed cùm animis mentibusque præsideat omnibus, supra mentes intelligit, & supra vitam vivit; idemque proinde legislator summus & summa lex est. Quocirca & Justinus dial. adversus Tryphonem: *Postrema vero & sempiterna lex nobis data est Christus, atque testamentum fidele, post quod jam non lex, non præceptum, non mandatum erit ullum.* Ubi vides quàm expressè vocet Christum legem æternam; quamobrem ut verè æternam, nec desituram unquam, nec lege ulla alia vel abrogandam vel interpolandam argumentatur. Quippè æterna & incommutabili lege mentaliter spiritalibus hominibus infusa, carnaliter carnalibus promulgata; nulla deinceps vel abrogatio formidari, vel expectari potest immutatio.

Dial. 3. de Trinit.

V.
4. Christus carnali lingua carnali.

Declaratur 4. quia quæ Chistus foris ore loquebatur, ideo loquebatur foris, ut quæreretur intus, & in æterna quæ intus præsidet veritate, patentiùs audiretur. Verbum enim intelligibile lingua carnali, loquebatur auri carnali, cujus mens intellectualem aurem Verbo eidem intelligibiliter intus docenti apporrigeret, & auscultaret. Par enim fuerat quidem, & natura ita comparatum, ut Verbum menti intimitus oracula sua insusurraret. At cùm mens intima sua projecisset, intusque obsurduisset, nec nisi corporea aure obaudiret jam, necesse fuit, ut & corporea lingua insonaret illi Verbum divinum. Non alio tamen consilio insonaret foris, quàm ut intus revocaret; & in sacrario mentis intelligendum explanaret, quod auri corporeæ credendum commisisset. Res planior fiet uno aut altero exemplo. Cùm Christus percunctantibus, quis esset, respondit, Principium qui & loquor vobis; carnali lingua carnalibus auribus hoc credendum commisit; sed per illas ad mentem usque trajiciendum, & ibi illuminante incommutabili veritate intelligendum. Nam Verbum veritas cùm sit, loquitur utique nobis, quia intus loquitur, & intus docet; nec quidquam nos certò scire aut intelligere conscii sumus, nisi quod intro raptum excutimus, & præsidenti supra mentes veritati sistimus, ejusque de eo oraculum indubitatissimum obaudimus. Reliqua etsi fortè credimus, vel opinamur: non tamen aut scimus, aut intelligimus. Ea enim intelligimus, quæ in perspicua incommutabilis veritatis luce intus videmus. Longè aliud est fides, aliud opinio. Id unum ergo intelligimus & scimus, quod veritas intima docet. Illa ergo loquitur nobis, & principium est scientiæ & doctrinæ totius. Ita cùm ait Christus, unum se esse magistrum, credi hoc primùm potuit aure extima haustum; sed intelligi postea debuit interiori oraculo comparatum, quo liquet dubiæ seu credulitatis seu opinionis duces & magistros homines esse posse; at certæ & inconcussæ notitiæ magistrum esse Verbum divinum. Nec enim scitur quid, nisi in luce veritatis intimæ clarescat.

bus auribus insonabat, quæ mens raperet intus & intus præsidenti veritati referret.

VI.
Elucidatur id ex Augustino. Confess. l. 11. c. 8.

Augustinus, *Ipsum est Verbum tuum, quod & principium est qui & loquitur nobis, sicut in Evangelio per carnem ait, & hoc insonuit foris auribus hominum ut crederetur, & intus quæreretur, & inveniretur in æterna veritate, ubi omnes discipulos bonus & solus magister doces. Ibi audio Domine vocem tuam dicentem mihi, quoniam ille loquitur nobis qui docet nos; qui autem non docet nos, etiamsi loquitur, non nobis loquitur. Quis porro nos docet nisi stabilis veritas? Quia & per creaturam mutabilem cum admonemur, ad veritatem stabilem ducimur, ubi verè discimus, cum stamus & audimus eum, & gaudio gaudemus propter vocem sponsi, reddentes nos unde sumus. Et ideo principium, quia nisi maneret cum erraremus, non esset quo rediremus. Cum autem redimus ab errore, cognoscendo utique redimus. Ut autem cognoscamus, docet nos, quia principium est, & loquitur nobis.* Vides ut fidem ad intellectum, & verba forinsecus sonantia, & parum conspicua, ad maximè perspicuam summaque luce menti adradiantem veritatem reducat. Unde universùm pronunciari potest quod ille habet ibidem: *Hæc ad tempus facta verba tua nunciavit auris exterior menti prudenti, cujus auris interior posita est ad æternum Verbum tuum.* Rursus idem Augustinus L. de Magistro: illa temporaliter dicta à Christo verba, similiter à fide ad intelligentiam, ab aure corporis ad aurem cordis rapiens, ubi auditor, unus magister Christus, *Omne quod intelligo, scio; non omne quod credo, scio, &c. De universis autem quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est incommutabilis Dei virtus atque sempiterna sapientia. Quam quidem*

Ibid. c. 6.

Cap. 11.

omnis

omnis rationalis anima consulit, sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam sive malam sive bonam voluntatem potest. Prolixius esset quàm operosius reliqua Christi in carne dicta ad eundem modum refundere in suum fontem, & æternæ intelligibilique veritati vindicare: ut constaret non aliud ipsum aut fuisse aut gessisse aut elocutum esse quàm veritatis legisque sempiternæ interpretationem; ut quisquis ab hac alienus non est, nec à temporali ejus œconomia abhorrere possit.

VII. 5. Quando ipsi veritati audiendæ ferendæque impares jam sumus, superest ut in sui imagine doceat nos.

Declaratur 5. Ex eo quòd ante transgressionem homo in ipsam veritatem figere poterat mentis aciem, ad eamque sese moresque suos effingere; postea autem caligante & reverberata ob ægritudinem mente, opus fuit veritatis legisque æternæ simulacrum, nempe virum aliquem ad amussim legis æternæ absolutissimum, illius & contemplationi & imitationi objectari. Nam è dignitate quidem mentis est quandiu compos sui & intaminata durat, soli veritati subdi, ad eam arrigi, ad eam unam componi: at ubi à seipsa descivit, nec naturæ suæ bonum ferre ægra jam potest, æquum est ut veritatis imaginem simillimam interim complecti & æmulari studeat, id est hominem, cujus vita veritatis totius explicatio sit. Augustinus: *Deinde fidelium animam vivam, per affectus ordinatos continentiæ vigore formasti; atque inde tibi soli mentem subditam, & nullius authoritatis humanæ ad imitandum indigentem, renovasti ad imaginem & similitudinem tuam.* (Confess. l. 13. c. 34.) Ad quem enim imaginem Dei effingi aut refingi par est, nisi ad Deum? at ubi imago decolorata nimis, & obsolefacta est, nec Dei vim lucemque pati potest, ad Dei imagines alias reformatur paulatim, ut ad Deum ipsum tandem intendi aptarique possit. Isidorus Hispalensis: (L. 2. sent. c. 11.) *Multi vitam Sanctorum imitantur, & de moribus alterius effigiem virtutis sumunt; tanquam si imago qualibet intendatur, & de ejus similitudine species picta formetur: sicque fit ad imaginem similis ille, qui ad similitudinem vivit imaginis, &c. Perfectorum est jam virorum non quemlibet sanctorum imitando, sed ipsam veritatem intuendo, ad cujus imaginem facti sunt, justitiam operari. Hoc indicat quod scribitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; quia ipsam intelligendo imitatur divinitatem, ad cujus factus est similitudinem. Iste ergo tantus est, ut non egeat homine demonstratore justitiæ, sed ipsam contemplando imitetur justitiam.* Authore ergo Isidoro, duæ sunt hominum classes, rudium & perfectorum; hi cùm imagines Dei sint, ad nullum alium intueri exemplar, seseque fingere & ornare debent quàm ad ipsam Dei veritatem & justitiam; at illi cùm ipsam non possint irretorta acie tueri veritatem, ejus imaginem aliquam præstantissimam ob oculos sibi præstituere, ad eamque sese reformando, in pristinam integritatem se restituere enituntur. At nemo hominum est, qui non in rudium & informium turba ante jaceat diu, quàm inter perfectos censeatur. Quin & Petrus Cellensis L. de Panibus (Cap. 4.) advertit Christum qui imago illa est humanitus, quam intueri imitarique carnales debeant ut carnales esse absistant, nonnullis rudioribus intolerabilem adhuc esse ob splendorem nimium localemque intercapedinem; ideo martyres tanquam primigeniæ imaginis vicarias imagines præfigi, ut hos imitari, ad eumque modum gradatim ad primævum & principale exemplar redintegrari liceat. *Bene resignavit suam Deus imaginem in martyre suo, uti qui jam illam primam & veram præ clarificatione & præ exaltatione supercælesti non valemus videre imaginem juxta nos configuratam per passionem, respiciamus imaginis imaginem.* Sed ut ad Isidori sententiam uberiùs explanandam reflectamur, utra in classe locaverit ille Christi seu veritatis incarnatæ imitatores, & rudibus an perfectis eos accensuerit, dubium est. An medius illis locus assignandus est? An potius uterque, sic ut qui temporalia Christi gesta imitantur, tyronibus; qui in temporalem veritatem, emeritis annumerentur? An utriusque classis varii gradus sunt? Mihi quidem suspicio oboritur, quantum mortalem hanc vitam agitantibus perfectio potest obtingere, perfectissimis non injuria eos aggregari, qui Christi animam intueantur jugiter & imitentur. Usque adeo enim illa æternæ veritatis elimatissima & omnibus suis partibus numerisque absolutissima imago est; ita æternæ legi concors, concolorque est, ut veritatis legisque sempiternæ instar nobis in hoc mortali ævo quantumvis proficientibus non immeritò sit. Hanc animæ Christi cum incommutabili legis æternæ veritate consonantiam maximam egregiè descripsit Origenes: *Quamvis omnis qui se ad eam formam quam supra posuimus excoluerit, imago sit Dei, hoc est imago Filii Dei; tamen specialis ac propria imago ejus quæ eum totum atque ex integro suscepit & in semetipsa formavit, ipsa anima Jesu dicenda est. Quæ se per omnia Verbo ac sapientiæ Dei ita coaptavit, ut in nullo prorsus ab ejus similitudine decolor haberetur: ita ut quicumque summam perfectionis ac beatitudinis consectatur, ad illius imaginem ac similitudinem tendat, quæ primo loco & super omnes cæteros Filii Dei imago est: ita ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, in his videlicet quorum conformatione Filii Dei imaginis primatum tenet.* (In Epist. ad Rom. l. 7.) Ubi ut vides usque adeo omnia sapientiæ & legis æternæ ut ita dicam lineamenta, in anima Christi expicta sunt, ut summa totius perfectionis in hujus imitatione jam nobis posita sit.

VIII. 6. Christianus etiam omnis verus, seu justus quisque ita consuescit legi & commiscetur, ut lex ipse sibi sit, & aliis instar habeat legis.

Declaratur 6. Ex eo quòd inter homines ipsos ut quisque a carnis & vitiorum cæno magis magisque defæcatur, ita legi æternæ consuescit; ita illa imbuitur & inebriatur, ita commiscetur & concorporatur illi, ut lex etiam ipsa ipse fiat; nec sibi tantum, sed & aliis lex fiat; & ex æternæ legis norma temporales temporalibus hominibus dictet leges, ipsis quidem ut æternæ lucis insolentibus, credendas observandasque, sibi autem uni in æternæ legis sinu intelligendas & diligendas. Et hac spiritalis hominis prærogativa nihil conducibilius ad carnalium etiam salutem excogitari potuit. Si omnes enim superni luminis perinde expertes essent, exleges, infandique in se ipsos furerent, & in omne nefas ruerent. At ille unus aut rarus ex legis æternæ intuitu & penitissimo affectu legis æternitatem haurit, induitque sibi, & lex fit aliis. Quod autem unus & alter oculatior mente singulis præstat civitatibus rebusve publicis, si universo hominum generi unus aliquis longè præstantius contulerit, quid adeo mirum est? Conducebat enim plane ad omnium salutem, ut tota res hominum publica, quando legis æternæ lucem haud ferebat, hominem sequeretur, legi æternæ ita coalitum concretumque, ut citra hallucinationem pro lege æterna haberetur. Augustinus L. de vera religione: (Cap. 31.) *Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur, idest à nullo homine, sed à sola ipsa lege secundum quam judicat omnia. Omnia ergo judicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissimè intelligit, & tota charitate quod intelligit, diligit. Ita etiam quantum potest, lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam judicat omnia, & de qua judicare nullus potest, &c. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est; ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum vetandumque, discernat.* Ita ille homini sapienti non munia tantùm sapientiæ & legis æternæ inducit in alios homines obeunda, sed ipsam personam sustinendam. Quid enim sapiens, nisi quasi æterna lex ipse est, dum omnia judicat, dum judicatur à nemine; hæc enim privilegia sunt legis æternæ, omnia judicare, à nullo judicari;

Item dum intellectu jugi affectuque toto ita legi adglutinatur, ut à se in illam deficiat; denique dum temporales sancit leges, dum temporalia omnia ex æternæ veritatis ordine dispensat. Si qualiscumque hic unius civitatulæ moderator suo munere probè defungi haud satis potest, nisi affectum, authoritatem, nomen, personamque subeat legis æternæ; quam bellè consuluerit divina providentia, si ritè adgubernandæ universæ hominum reipublicæ, homini inter omnes & præ omnibus uni vim ipsam & substantiam & personam veritatis legisque æternæ indiderit?

IX. 7. Definitur Christus in scripturis veritas charitatis, & charitas veritatis.

Declaratur 7. Legum omnium temporalium, imo & scientiarum artiumque liberalium, atque adeo legis ipsius æternæ caput & summa est una charitas veritatis, & veritas charitatis. Quo enim Physica collineat, nisi ad rerum omnium caussam, non sine amatoria admiratione intelligendam? Quo Ethica, nisi ad amorem ut morum radicem admoderandum? Quo Logica, nisi ad lumen æternum quo rationalis natura omnis respergitur amplexandum? Quo urbium imperiorumque tutela, nisi ad bonum commune contutandum, quod summum ac verissimum Deus est, ut in eo sese omnes mutuò diligant, quem dissimulando fallere non possunt? Quo Scripturæ omnes, nisi ad extirpandam cupiditatem, irradicandam charitatem? Atqui Christus hoc ipsum est, & nihil aliud Christus est, quàm charitas veritatis & veritas charitatis, ut illum definiit

2. ad Thess. 2. Epist. 3.

Paulus: *Eo quod charitatem veritatis non acceperunt.* In quem locum Chrysostomus, *Charitatem veritatis vocat Christum.* Augustinus autem: *Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet philosophorum, quæ leges quarumlibet civitatum duobus præceptis, ex quibus Christus dicit totam legem prophetasque pendere, ullo modo sint comparandæ, diliges dominum Deum tuum, &c. Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honesta non aliunde formatur, quàm cum ea quæ diligenda sunt diliguntur, hoc est Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis nonnisi Deus est. Hic etiam laudabilis reipublicæ salus, neque enim conditur aut custoditur optima civitas, nisi fundamento & vinculo fidei firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum Deus est, atque in illo sincerissimè se diligant homines, cum propter illum se diligant, cui quo animo diligant, occultare non possunt.* Sic sanctus Pater scientias artesque omnes & leges humanas in unam compingit charitatis legem; similiter autem & scripturas sacras eo omnes trahit: *Non autem præcipit scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.* Jam verò Christus quod charitas ipsa sit; quod temporalia Christi omnia non aliud quàm æternam charitatis legem contineant & promulgent; quod jure Paulus legis finem & plenitudinem nunc charitatem esse dixerit, nunc Christum; quod in Christum credere nihil sit aliud, quàm credere, æternam & invariabilem regnare charitatis legem; quodque flagitiorum colluvie excæcatis hominum mentibus parum illa luceret, temporali & opportunissima per carnem promulgatione intimatam rursum esse, declarat ibidem idem Augustinus. *Non præcipit scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem &c. Non autem asserit nisi catholicam fidem, rebus præteritis & futuris & præsentibus; præteritorum narratio est, futurorum prænunciatio, præsentium demonstratio. Sed omnia hæc ad eandem charitatem nutriendam atque corroborandam, & cupiditatem vincendam atque extinguendam valent.* Et

De Doct. Christ. L. 3. c. 10.

Ibid. l. 1. c. 34. 35. 36.

ibidem: *Hæc summa est ut intelligatur legis & omnium divinarum scripturarum plenitudo & finis esse dilectio rei qua fruendum est, & rei quæ nobiscum eare frui potest. Quia ut se quisque diligat, præcepto non est opus. Hoc ergo ut nosceremus atque possemus, facta est tota pro salute nostra per divinam providentiam dispensatio temporalis, qua debemus uti non quasi mansoria quadam dilectine atque delectatione, sed transitoria potius, tanquam via, tanquam vehiculorum vel aliorum quorumlibet instrumentorum, aut si quid congruentius dici potest, ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus. Quisquis igitur scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit.* Hinc apertissimum fit, quàm Christiana fides ac religio non aliud sit quàm religio ac lex æterna charitatis, quam natura mentibus hominum insculpserat, quam transgressio obduxerat, quam eadem lex per assumptæ carnis operam resculpsit: quando tota Christi temporalis historia non aliò pertinet, quàm ad geminam charitatem ædificandam; quando non aliud docent credendum, quàm quod conducat ad geminam charitatem; quando nec scripturæ ullam particulam intelligit, qui non inde charitatem scintillare advertit; quando nec ipsi carni & temporali Christi œconomiæ insistendum est, nisi tanquam vehiculo temporario, quo ad charitatem ætenam perferamur.

X. 8. Media carne hominibus fit, quod immediate Angelis est, nempe lex æterna.

Declaratur 8. Incarnatione præstitum nihil aliud est, quàm ut fieret hominibus Verbum per carnem, idipsum quod est fuitque semper Angelis per Deitatem; utque Angelis Deitate est sapientia, justitia, sanctificatio; ita teste Paulo hominibus factus est assumendo carnem sapientia, justitia, sanctificatio. Ergo ut Angelorum non alia religio est, quàm lex ipsa æterna, quam quia mundissimam gerunt aciem mentis, semper legunt, intelligunt, diligunt; ita hominibus non alia per Christum religio est importata, quàm illa ipsa Angelorum, seu lex æterna, sed congruentibus velis propter lippitudinem oculorum nostrorum amicta. Bernardus in Cantica, *Quomodo ergo in principio erat Verbum, sed Verbum erat apud Deum, factum est autem quatenus esse inciperet & apud homines: sic nihilominus in principio sapientia erat, erat justitia, erat sanctificatio & redemptio, sed Angelis; ut esset & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique qui factus est inquit nobis sapientia à Deo, & non ait simpliciter qui factus est sapientia, sed qui factus est nobis sapientia; quoniam quod erat Angelis, factus est & nobis.* Et cùm declarasset quomodo Angelis fuerit redemptio, dum eorum lapsum adhuc pertimescendum, præmatura gratiæ exuberantia antevertit: hæc mox subjicit: *Liquet ergo sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem: & nihilominus tamen hæc ipsa quatuor esse factum propter homines, qui invisibilia Dei nonnisi per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere possunt. Sic ergo omne quod erat Angelis, factus est nobis.* Serm. 22.

XI. 9. A germanis Christianis nec in carne cogitatur aut amatur Christus, nisi ut justitia; æterna, naturæ vitæque humanæ implicata.

Declaratur 9. Nec Christum Christiani aliter aut cogitant, aut amant, quàm ut justitiam & sapientiam incommutabilem; aut si temporalia ejus gesta attendunt, non aliter illa quàm ut transitoria quædam vehicula ad nos in æternam justitiam & sapientiam trajiciendos comparata interpretantur. Paulinus ad Severum, *Habeant sanè capillos quibus juxta illam Evangelicam peccatricem vestigia Christi tergeant, & sapientiæ pedibus implicentur, ut aliud nisi sapientiam amare, nisi virtutem amplecti, nisi pudicitiam osculari nesciant; & ut extremo saltem rore verbi cælestis aspersæ, dicant, ros enim qui abs te est, sanitas est nobis.* Et paulò post, *Osculetur me ab osculis oris sui. Quod privilegium solæ sibi catholica dilectio jure vendicat, qua unica atque perfecta uni viro, ab ipsius ore Verbi petit oscula veritatis.* Et infra, *Ergo illum amemus, quem amare debitum est. Illum osculemur, quem osculari castitas est. Illi copulemur, cui nuptias-* Epist. 4.

se virgini as est. Illi subjiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est. Propter illud dejiciamur, cui cadere, resurrectio est. Christi complecti pedes, Christum amplexari & osculari, Christo nubere, illi procidere, sub illo jacere, corporalia hæc omnia videntur esse; at Christianis usque adeo persuasum est Christum corporaliter etiam ipsam esse sapientiam legemque sempiternam, ut hæc omnia rapiant ad sincerissimam intelligentiam. Quocirca Christo provolvi, est sapientiæ pedibus seu affectibus implicari; Christo libare oscula, est pudicitiam osculari; à Christo alterna expectare oscula, est veritate supernè afflari; Christo nubere, est sapientiæ virginitati se dedicare; sub Christo jacere, est terrena omnia præ amore sapientiæ conculcare; & ad hunc modum carnalibus verbis de sempiterna sapientia sermocinamur, non ut illam ad carnales detrahamus affectus, sed ut carnales ipsos affectus nostros castificemus, & ad veritatis spiritalitatem sublimemus. Ita & Marius Victorinus Afer adversus Arium:

Lib. 3. *Quid est petere in Christi nomine? Animam æternam fieri, lucem Dei videre, ad ipsum videndum venire, æternam vitam habere, non divitias, non filios, non honores, nihilque mundanum, sed spiritale omne atque omne quo uniti Deo Christo jungamur.* Vides quomodo Christum intelligamus, & quid sit petere aliquid in nomine Christi Jesu æternæ sapientiæ & justitiæ, quamque omnia hic intelligibilia sint, nulla temporalia. Hieronymus in Epist. ad Galatas, *Vivit autem in me Christus.*

L. 1. c. 2. & L. 2. c. 5. *Vivit in eo Christus, sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, cæteraque virtutes, quas qui non habet, non potest dicere, Vivit autem in me Christus.* Et ibidem: *Spem justitiæ expectamus. Spes vero justitiæ, Christus intelligendus, quia ipse est veritas, patientia, spes, justitia omnesque virtutes.* Quàm sedulò Christum satagit inculcare, non alio intellectu cogitandum quàm justitiæ, & sapientiæ, & legis æternæ; ut qui ob sensuum & phantasmatum inveteratam consuetudinem non possunt non aliquid corporeum imaginari, statim in eo corporeo veluti nucleo medullam spiritalem sapientiæ justitiæque incommutabilis sugant & degustent. Origines in Cantica:

Hom. 1. *Æquitas dilexit te, ac si dixisset, justitia dilexit te, & veritas, & sapientia, & pudicitia & singulæ quæque virtutes. Nec mireris sanè si dicimus virtutes esse quæ diligunt Christum, cum in aliis ipsarum virtutum substantiam Christum soleamus accipere. Quod & frequenter invenies in scripturis divinis pro locis & opportunitatibus aptari. Invenimus namque ipsum & justitiam dici & pacem & veritatem. Et rursum scriptum est in Psalmis, justitia & pax osculatæ sunt; &, veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit. Quæ utique omnia ipse esse, & rursum ipsum dicuntur amplecti.* Ubi ex Codicibus sacris probat ipsam virtutum substantiam Christum esse, ideoque virtutes nostras ut accidentia quædam illi adhærescere; ex adhæsione enim ad æternam justitiam justi, sapientiam sapientes, rectitudinem recti evadimus; at Christus ipsa virtutum substantia est; hoc est cùm Christiani Christum cogitant & amant, non aliud quàm sapientiam & legem æternam intelligere aut diligere contendunt.

CAPUT IX.

Rursum lex æterna Christus est, lapsis in temporalitatem mentibus se accommodans.

I. Incarnatio Verbi non est nisi caro rationi, ratio summæ rationi seu Verbo subjugata ac intimè copulata: quod non exterum humanæ naturæ, sed intimum & consentaneum est.

Declaratur 10. Illud ipsum quod elucidare aggressi sumus, frustra vel impossibilitatem, vel dissonantiam Christianæ fidei obtendi, cùm Incarnationem Verbi prædicat; quandoquidem fides Christiana non aliud quàm legem æternam prædicat mersis in sensibilia hominibus congruentissimè temperatam, quam proinde nullus nisi salutis suæ adversarius aversari potest. Declaratur autem amplius eo quòd Christus est λόγος, id est, ratio, seu recta ratio, adeo ut nihil aliud sit Verbum id est, rationem ipsam incarnari, quàm rectam rationem quæ ipsa justitia lexque sempiterna est, humanæ naturæ hypostaticè inseri, substantivè & personaliter hominem totum rationi & justitiæ vindicari. Unde ut homo Christianus fiat, non extra se dissipandus est, sed intra se recolligendus; etenim regnum Dei intra vos est, ut ait Christus; & ubi adierit rationem suam homo quilibet, & summæ æternæque rationi eam coaptaverit, carnemque suam rationi adaptarit, tunc Christi particeps erit. Unde ex veteri instrumento Paulus ait Christum non longè arcessendum, non procul quæritandum; prope enim illum esse in ore, in corde cujusque. Pronum est enim cuique divinitus adjuto, rectæ rationi carnem humanam admoderanti adhærescere, idque Christus est. Origenes in Joannem:

Tom. 1. *λόγος hoc est ratio dicitur, veluti quidquid in nobis est à ratione alienum, auferens, & nos præparans convenienter veritati, rationis participes esse.* Et paucis interjectis, *Quocirca inspice an quodammodo ipsius quatenus λόγος, id est ratio est, participes sint omnes homines: quos eum inveniendi cupidos, hac etiam ratione doceat Apostolus extra se quærere non debere, dicens, Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? Hoc est, Christum ex alto deducere: aut quis descendet in abyssum? Hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit scriptura; Prope te verbum est valde in ore tuo & in corde tuo, perinde ac si ipse Christus etiam esset verbum quod quæritur.* Non ergo peragrandæ sunt terræ, non trananda maria, ut ad Christum veniatur, qui cuique hominum intimus est; cùm enim ipse non sit nisi summa & rectissima ratio humanitati inserta, id quale sit, nemo non ex seipso potest intelligere.

II. Ideo Christiani dicendi, quicumque secundum rationem, id est, secundum æternam legem vixerunt.

Declaratur 11. Hinc est quod Christianis annumeremus eos omnes, qui quocumque loco, quocumque demum tempore vitam egerint, juxta rectam rationem vitam moresque composuere. Hæc enim tota fidei & religionis nostræ complexio est, secundum rationem, secundum veritatem, secundum legem æternam, quæ idem apud nos valent omnia, vitam degere. Hoc Christum interpretamur, rationem legemque æternam, menti corporique, vitæ moribusque hominis implicatam. Quicumque ergo è cæno sensibilium, & ex tabe vitiorum emerserunt, sive è gentilibus rarissimi, sive ex Hæbræis ante Christi natalem complusculi, & non sine cælesti afflatu veritatem Deitatis legemque æternam utcumque intelligere ac diligere potuerunt, eos fidenter Christiano nomine insignimus. Ecquid enim careant nomine qui non carent moribus? Nostri sint, qui nostris vivunt legibus. Nec illi sanè enatare ex illa colluvione corporalium cupiditatum sibi agnata, mentemque sursum exerere, & ad æternam lucem intorquere potuissent, nisi utcumque & gradatim interluxisset illis ipsa veritas Deitatis, substantiæ vitæque humanæ tegumento velata, & talis qualem carnales adhuc & intueri & imitari valerent. Si clementiùs Justinus de Socratis & aliorum quorumdam Philosophiæ Græcæ procerum salute sensit, humaniùs & hæc ipsa nobis ejus indulgentia interpretanda est. Interest enim omnino, ne cui salus sine Verbi incarnati aut incarnandi fide & gratia obtingat. Pluribus autem, an paucioribus, his, an illis hoc gratiæ fideique donum cælitus obtigerit, ea facti res est, dubia in primis & perplexa: ut non facilè in crimen vocanda sit hinc & inde opinandi licentia. Audiendus ergo nunc Justinus: *Christum primogenitum Dei esse instituti sumus; & rationem esse cujus universum hominum genus est particeps, antea ostendimus. Et quicumque cum ratione vixere,* Apolo. 2.

Chri-

Christiani sunt, quamvis athei seu nullius Numinis cultores habiti sint: quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis similes: inter barbaros autem Abraham, & Ananias, & Azarias, & Misael, & Elias, & alii complures, quorum facta simul & nomina in præsentia recensere, quia longum esse scimus, supersedemus. Perinde atque ex veteribus qui itidem tempore Christum præcessere, & absque ratione ætatem exegere, ἄχριστοι achristi & inimici Christi fuere, eorumque qui secundum rationem vixere, percussores. At qui cum ratione vixerunt, atque etiamnunc vivunt, Christiani sunt, & extra metum atque perturbationem omnem sunt. Quippe cùm ratio hominis id humanę sit animę, quod oculus corpori; ut oculo quantumvis sano, nemo quidquam videt, nisi quem lux cęlo affluens illuminat; ita ratione auspice nemo bene vitam instituit, nisi supernè illam ęterna ratio collustret. Ratio quippe nostra ita lux est, ut oculi lumina dicuntur, non infernè illuminantia, nisi supernè illuminata. Ex quo dilucidum est juxta rationem vivere perinde esse, atque juxta veritatem legemque æternam vitam moderari, id est juxta Christi leges.

III. Ut veritatis, & legis æternæ, ita & Christianitatis portio tantum, non plenitudo Gentilibus Philosophis præluxit.

Declaratur 12. Ex eo quòd rationis legisque ęternę portio Philosophis obtigerit, plenitudo Christianis. Nam illi ex residuis primęvę illuminationis reliquiis, ex innatis anticipatæ veritatis seminibus, ex rationis suæ cum summa æternaque ratione residua quadam cognatione, in æterna veritate multa & ad contemplandum verissima & ad imitandum sanctissima inspexerunt; & ea parte Christiani dogmatis consortes extiterunt. At verò seu naturę ęgritudine, seu sensuum consuetudine, seu curarum ęstu, seu vitiorum tabo, seu pueritię præjudiciis prægravati, fatiscere visi sunt in præclaro conatu. Quantis enim errorum laqueis implicati sint, argumento est sua ipsorum inter se compugnantia, patentissima nonnullorum ab ipsis sancitorum perversitas, & omnium denique sectarum interitus & oblivio. Immortalis enim est & inexpugnabilis veritas, enerve & sponte sua evanescens mendacium. Ergo illis illuxit quasi antelucanus quidam veritatis adventantis splendor, sed multa adhuc noctis caligine infuscatus. At Christianis sol totus adsplenduit, tota veritas patuit, tota lex æterna, id est, Christus se indulsit. Hinc tantus Christianæ cum saniore & austeriore Gentilium Philosophia consensus, nihil ut penè nos ratum habeamus, quod non illis quodammodo interluxerit. Nam & quæ de divina Trinitate statuimus, Platonici attigerunt. Et quæ de humanato Deo credimus, humanis non semel membris illi Deos suos illigarunt. Et quæ de morum sanctimonia disserimus, his simillima Platonici Stoicique sciverunt. Nec adeo stupenda est tanta utriusque Philosophiæ affinitas, cùm utramque æterna & summa ratio Christus dictaverit, sed illam quasi præludens & prægustandam se obiter objiciens, hanc nostram plenissimè se & cumulatissimè infundens. Justinus Martyr (Apolo. I.): *Minimè mirandum si eos qui juxta partem aliquam seminariæ rationi mores suos conformant, periculis objiciunt*, nempe Philosophos; *Verum quod secundum universæ rationi quod Christus est, notionem & contemplationem viventes in longe majora odia conjicere ope & opera sua dæmones coarguuntur, id demum admirationem excedit.* Ubi advertis Christianos & Philosophorum castissimos quosque non alio distare, quàm quòd hi rectæ rationis rivulum consectentur, illi fontem ipsum bibant, utrosque tamen perinde hac una se fide, hac religione obligasse, ut rectæ rationi se coaptent. Unde ibidem paulò infra Justinus, *Longè ampliores esse res nostras doctrinis humanis, omnibus constat. Ob id quod qui nostra causa apparuit Christus, rationalis ex parte omni factus est, corpore, ratione, & animo. Et quæcumque rectè quovis tempore dixerunt aut invenerunt Philosophi aut legumlatores, juxta eam partem rationis, quæ inventionis & contemplationis est, id ab eis est factum. Quia verò non omnia quæ rationis sunt, id quippe Christus est, perviderunt, diversa à seipsis & contraria persæpè dixerunt.* Et infra: *Non equidem quod aliena sint à Christo Platonis doctrinæ, sed quod sibi ipsis non omnino constent, &c. Pro se enim quisque ex parte nativæ sibique insitæ divinæ rationis, id quod affine sibique cognatum esset, cernens rectè promulgavit, &c. Quæcumque ergo apud omnes rectè dicta sunt, nostra Christianorum sunt. Ingeniti namque & ineffabilis Dei rationem secundum Deum & adoramus & complectimur. &c. Nam scriptores omnes propter rationis semen illis insitum, perquam tenuiter ea quæ sunt, cernere potuerunt. Aliud est enim semen alicujus & imitatio pro virili parte concessa, & aliud ipsum, per cujus gratiam inde provenientem, participatio illa & imitatio existit.* Ex quo perspicuum fit, Religionem à Christo invectam, non aliud esse, quàm illam ipsam cujus seminibus prægnans omnium natura est; cujus primordia vis ipsa impetusque naturæ in Philosophis præformavit; cujus scita mandataque omnia à recta ratione pullulascunt. Nec enim aliud Christus est quàm ratio, sed summa, sed tota, sed totam se elargiens, immergensque humanitati. Quantumvis enim è cælo suo procul affulsisset, nihil admodum ad salutem hominum tenebris suis affixorum promoverat; ut ex Philosophis compertum abundè est, qui rectam rationem consulere & perscrutari magno otio nec impari ingenio laboraverant, nec tamen illam vel penitus indagare ipsi, vel moribus assequi, nedum humano generi persuadere potuerant. Quando ergo ad illam ire homines non sufficiebant, ad homines venit summa ratio, illis se totam infudit, protinusque ad se omne hominum genus pertraxit.

IV. Christi nomine non aliud quam virtutum ipsam naturam intelligimus, humanæ naturæ hypostatice insertã.

Declaratur 13. Ex eo quòd nulla verissima virtus sine Christo sit, virtus omnis in Christo sit, virtus omnis Christus ipse sit. Unde cùm virtus quælibet portio sit rectæ rationis, legisque æternæ, & virtus tota, tota sit recta ratio, lexque æterna, haud dubio Christus cùm virtus tota omnisque sit, recta ratio lexque æterna ipse sit. Nihil ergo in Christo est, quod mentes hominum alienare, aut offendere possit. Cùm enim Christum dicimus, non aliud dicere speramus, quàm ipsam naturam virtutis, ipsam sapientiæ & justitiæ personam, ne longo anfractu & per implicatas ambages convenienda sit, & viarum lubrico aut dubitationum incerto committenda, in homines descendentem, eorum se membris, animo, moribusque implicantem, omnesque moras, & omnes dubitationes, doctrinæ vitæque suæ disciplina abrumpentem. Cùm ergo Christus virtus sit ipsamet, sed humanitus explicata, hinc nemo sine Christo nascitur, quia nemo non à natura ipsa virtutum seminibus dotatur. Hinc etiam Christi notitia omnibus naturaliter anticipata est quodammodo, quia omnium animos natura ipsa occupavit informare cognitione amoreque virtutis, seu legis æternæ, prout virtus & æterna lex humanæ naturæ coaptari potest. Hinc ut quisque credat Christo, non spargendus extra, sed retorquendus intro est, ut regnum Dei in seipso quærat, ut Christum in ore, in corde suo jam præsumptum videat. Hinc quisquis virtutem quamcumque excoluit, si modò ut virtutem, idest ut æternæ legis rivulum, ut Deitatis scintillam, non ut humanitatis gloriolam & inanem flosculum excoluit, Christum ille coluit, & verè Christianus fuit. Hinc propria & peculiaria Christianorum nomina sunt, non tantùm ut à Christo Christiani, sed & à justitia justi, à sapientia sapientes, à castitate casti, à fortitudine fortes, & ab omni denique virtute denominentur. Hinc denique hæc reciprocè inter sese commeant, ut omnes quacumque in gente, quocumque in ævo justi, sapientes, casti, prudentes, Christiani sint, quia justitia,

sapien-

sapientia, castitas, prudentia, & omnis virtus Christus est. Et vicissim Christiani qui reapse & vita, & factis, non nomine tantum sunt, justi sint & sapientes & casti, &c.

Cæterum ea hic obiter adhibenda cautio est, ne his virtutum innatis seminibus tantum tribui posse quis putet, ut citra specialem Christi gratiam, in perfectę virtutis opus, aut in sinceram animi munditiem ea adolescere posse dicantur. Hieronymus ita exponit ea scripturæ loca, *Ut revelaret Filium suum in me*. Non ait, mihi, sed in me, quia unicuique in ore, & in corde Christus, id est veritas & virtus omnis est. Item *Medius in vobis stat, quem vos nescitis*; id est, inest omnibus Christi fides seminaliter, quatenus semina veritatis virtutisque omnimodæ, quod Christus est, insita naturaliter sunt omnibus. Item *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est, etiam Christi notitia omnibus hominibus utcumque licet obscuriùs irradiatur, dum sapientiam virtutemque naturaliter non ignorant. *Non est autem ipsum, Revelaret Filium suum in me, quod si diceret, Revelaret Filium suum mihi. Cui enim quid revelatur, huic illud potest revelari quod ante in eo non erat. In quo verò revelatur, illud revelatur, quod prius fuit in eo, & postea revelatum est. Simile est illud in Evangelio, Medius in vobis stat quem vos nescitis. Et alibi, Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Ex quo perspicuum fit, natura omnibus Dei inesse notitiam; nec quenquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & justitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide & Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant; magisque judicio Dei obnoxii fiant, quod habentes in se principia virtutum & Dei semina, non credant in eo sine quo esse non possunt*. Pulcrius nihil, nihil magis ad Origenis salivam temperatum dici potuit. En ut nemo sine Christo nascitur, ut Christus non tam nobis quàm in nobis revelatur, ut pote quem seminaliter in omnium animis parturire natura occuparit, quando divinam legem virtutemque omnimodam inseminavit. En ut medius omnibus intimusque insit, ut omnes planè illuminet; & illos etiam quibus fides & Evangelium non forinsecus sonat, intrinsecus vellicet sollicitetque Christus, id est, recta ratio, lex æterna, virtutum semen insitum; cui si excolendo vacent, vitiaque & amorem terræ adulterinum excindant, adolescet in sinu mentis Christus, & in omnem se fidei & religionis plenitudinem explicabit. Idem Hieronymus in eandem Epistolam: *Faciamus & nos aliquid simile huic, quod dicitur, justus ex fide vivit, & dicamus, castus ex fide vivit, sapiens ex fide vivit, fortis ex fide vivit, & à cæteris virtutum partibus vicinam sententiam proferamus adversum eos, qui in Christum non credentes, fortes & sapientes & temperantes se putant esse vel justos: ut sciant nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est*. Et idem alibi: *Existimant quidam in eo tantum Deum negari, si in persecutione quis à gentibus comprehensus, se negaverit esse Christianum. Sed ecce Apostolus omnibus quæ perversa sunt factis, Deum asserit denegari. Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo. Negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et quotiescumque vincimur vitiis atque peccatis, toties Deum negamus; & è contrario quoties bene quid agimus, Deum confitemur. Nec arbitrandum est in die judicii illos tantum à Dei filio denegandos qui in martyrio Christum denegarunt; sed per omnia opera, sermones, cogitationes Christus vel negatus negat, vel confessus confitetur*. Consequuntur hæc omnia ad illud semel receptum & præfundatum, quòd Christus ipsamet sit sapientia & justitia & virtus omnis; hinc enim necessariò efficitur, ut quisquis sapienter justèquese agit, Christo nomen det imperatori; quisquis secus agit, Christi nomen desertor ejuret; & nemo sine Christo, id est, sine sapientia & justitia justè quidquam & sapienter agere queat.

In Epist. ad Galat. cap. 1.

L. 1.

In Ep. ad Titum. l. 1. c. 1.

Nec minus luculenter Gregorius Nyssenus Libello de Professione Christiana: *Atque idem sit & justitia, & sapientia, & potentia, & veritas, bonitasque, & vita, tum salus, incorruptibilitas, immortalitasque, tum immutari ac variari nescia virtus, & quicumque sublimis est intellectus qui per hæc nomina declaretur, omnia nihil aliud quàm Christus & sint & dicantur, &c. Ut participatione Christi Christiani appellationem adepti sumus, ita per consequens convenit, omnium quoque sublimium nominum nos asciscere communionem ac societatem. Ac quemadmodum in catena qui eam quæ in extremitate est curvaturam attraxerit, eas quæ continenter inter se cohærent, per unam attraxerit: ita quoniam Christi nomini reliqua quoque quibus ineffabilis ac multiformis illa beatitudo explicatur, natura cohærent, necesse fuerit eum qui unum arripuerit, una cum ipso reliqua quoque attrahere, &c. Fieri enim non potest quin Christus sit, & justitia, & puritas, & veritas atque cujusvis mali vitatio; neque Christianus esse potest, qui quidem verè Christianus sit, qui non illorum nominum quoque communionem ostendat in sese. Quocirca sicut definitione aliquis quid per Christianismum significetur declaraverit, dicemus, quod Christianismus sit imitatio divinæ naturæ, &c. Nam & prima hominis fabricatio ad imitationem Dei similitudinis erat, &c. Et Christianismi professio est, ut homo reducatur ad pristinam & antiquam fœlicitatem*. Plurima adglomerat Gregorius, quòd Christus non aliud sit quàm omnimoda virtus, justitia, sapientia, &c. Quòd sicut ab uno ejus nomine Christiani nominantur vulgo, ita & à reliquis ejus nominibus insigniendi sint justi, sapientes, &c. Quòd Christianismus non aliud sit, quàm imitatio divinæ naturæ, quem sibi scopum olim Platonici & castiores quique Philosophi natura magistra & stimulatrice sibi præstituerant. Quòd demum Christianismi professio, seu naturæ divinæ imitatio, non nuperum quid & ante aliquot sæcula novatum sit, sed ipsa sit humanæ naturæ proprietas, & conditionis ejus integritas; nec enim aliud molitur Christiana religio, quàm hominem dissipatum sibi reddere, & eo unde defluxit redintegrare. Quæ cum ita sint; quis non intelligat Christianam religionem, meram esse legis æternæ observatricem, naturæ solius discipulam, nihil illam novum, nihil adjectitium intrusisse; nihil profiteri nisi quod homo primùm conditus profitebatur, quod Philosophia omnis magisterio impetuque naturæ suscipiebat, Deum imitari, id est justitiam, veritatem, sapientiam, quod totum, quod solum Christus est? Multò plura & cum primis egregia in eundem scopum disserit Nyssenus eo libello, alioque consimili & germano de perfecti Christiani forma.

V. Hinc Christianæ religionis exordia statim post peccatum, ex quo caligans mens hominis æternã Verbi lucem nisi corporatam intueri non potuit, aut sectari.

Declaratur 14. ex eo quòd omnium antiquissima sit Christiana religio: nec enim tum demum cœpit cùm in plenitudine temporum Christus venit, sed cùm primùm peccato sauciata & exoculata mens hominum, ad superna suspicere jam non sufficiens humi procubuit, cœpitque confestim illi comparari de terrenis & de sensibilibus in quæ procubuerat, medicina. Ea autem non alia fuit, quàm ut qui sapientiam justitiamque sua in sede supernè fulgurantem intueri ac pati jam non possent, nedum imitari: humanis membris, sensibus, moribusque illigatam implexamque juxta se conspicerent, eam complecti & in sese effingere eniterentur. Id Christus est. Hæc Christiana religio est. Hinc Christus etiam qua homo quadantenus ab initio mundi fuit. Hinc agnus occisus est ab initio

mun-

mundi. Hinc Abraham vidit diem Christi, & gavisus est. Hinc Christus heri & hodie, ipse & in sæcula. Hinc Deus sic curat singulos quasi universos, sic universos quasi singulos; & quidquid magnificentiùs præstat universis, compendiosiùs præstat singulis; & sicut universo generi humano sapientiam incarnatam semel exhibuit, ita singulis sigillatim ætatibus, regionibus singulis, singulis hominibus exhibuit. Hinc spiritalis Christi adventus nulli unquam sanctorum defuit. Hinc denique Christiana religio longissimè latissimèque ab exordio mundi ad exitum patet, nec temporibus nec locis ullis concluditur, genus omne hominum, quin & quodammodo Angelos ipsos complectitur. Quam latè patet enim regnatque veritas æterna, sapientia incommutabilis, justitia, lexque divina & virtus omnimoda, cùm id totum idque unum Christus sit, tam latè patet diffunditurque Christiana religio. Quòd enim veritatem legemque æternam sine velo Angeli, oppanso tantisper humanitatis velo homines intelligant, diligantque, minutula ea est discrepantia, nec rei substantiam attingit omnino, & ad tempus breve dispensata est; & denique tam eadem & una est veritatis religio nudæ atque velatæ, quàm eadem est & invariabiliter una veritas nuda atque velata. Origenes in Joan. Evangel. exponens illa Christi verba, *Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi à Deo: hoc Abraham non fecit;* solvensque nodum, qui incurrebat, quo jure extollatur Abraham, quòd Christum non interfecerit, tanta temporum intercapedine ab eo semotum: *Dicerem ego quoniam veluti in laudem dici Abrahæ opinor hæc verba, hoc Abraham non fecit: juxta doctrinam servatoris docentis & dicentis, Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit, & gavisus est; fuisse Abrahæ tempore hominem, qui veritatem quam à Deo audisset, loqueretur: quem tamen Abraham ipse interficiendum non curavit. Et observa quòd homo qui tropicè intelligitur in Jesu, nunquam non advenerit in hanc vitam, & post tempora historiæ sui ipsius & antea.* Et paulò infra: *Tradimus enim & docemus, nunquam defuisse sanctis spiritualem Jesu adventum atque dispensationem.* Nec minùs perspicuè Hieronymus in Epistola ad Galatas: *Quæcumque enim toti generi humano sapientia Dei, quasi in filio præstitit: hæc eadem unicuique sanctorum semper suo ordine & dispensatione largita est.* Quæ indubitanter innuunt, nullis sæculis defuisse Christum; & quidquid carnali semel adventu humano generi contulit, id omne spiritali etiam humanitatis suæ præsentia, vel olim anticipata, vel post reducta singulis, qui virtute & sapientia floruerunt, contulisse. Quæcumque enim ipsis refulserit virtus & sapientia, cùm saltem parentali vitio sorditatis & carnalibus refulserit, non potuit nisi carnaliter affulgere; ac proinde Christus ipsis tunc, sin minùs hoc nomine, certè reipsa & nomine justitiæ & virtutis non minùs sibi familiari & peculiari affulgebat. Quamobrem Agobardus ad Fredegisum scribens, probansque non nuper cœpisse Christum; Christos Christi participatione, id est, sanctos & sapientes infusa Christi sapientia & sanctitate fuisse tradit, quicumque à mundi primordiis vel in Gentibus, vel inter Judæos pietate conspicabiles fuerunt; ideoque Christianam disciplinam non nuperam esse, non antè ignoratam, sed ab ipsa mundi origine invaluisse. *Similiter in veteri testamento, non solùm omnes sanctos Patriarchas, sed & multos etiam in Gentilitate positos credimus invisibili chrismate unctos, per quam unctionem membra Christi & unum corpus cum omnibus ad æternam vitam prædestinatis fierent.* Et nonnullis interpositis, *Siquis autem adhæc objiciendum putaverit, illud quod in Esaia vel in Apocalypsi nomen novum dicitur, quod proculdubio Christianum intelligitur; sciat sanctos doctores ita intellexisse, ut novum dicatur, propterea quia nuper dispersum, non quia nuper inventum; ac per hoc non novella vel nuper inventa est Christianorum religio, sed ab ipsa mundi origine descendens, eodem Christo doctore & institutore.* Ergo Novum Testamentum Ecclesia, & Novum Nomen dicitur Christianum, vel ab innovatione hominis per peccatum veterascentis, vel à nupera per orbem universum sui propagatione, non à nupera inventione. Cum ipsa enim natura rationali qualibet & in ipso ejus sinu efflorescit statim, cum ipsa in se redit & sibi redditur, summæ veritatis legisque æternæ admiratio & dilectio, vel amoto vel admoto, ut necessitas jubet, sensibili velo. Ea sanè Pauli mens est, cùm ait, *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Et alibi: *Expoliantes nos veterem hominem, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Ex quo liquet eam quæ per Christum fit naturæ lapsæ reparationem, non aliud esse quàm innovationem naturæ ejus quam creaverat primùm Deus in justitia & sanctitate veritatis, ejusque imaginis qua creator hominem primùm insigniverat.

[Margin notes: Tom. 21. — Lib. 2. c. 4. — Epist. ad Ephes. 4. 23. ad Coloss. 3. 10.]

CAPUT X.

Rursum Christi temporalis & corporalis historia ad intelligibilem veritatem & ad legem æternam traducitur.

1\. Declaratur 15. Ex duplici Evangelio sensibili & intelligibili, temporali & æterno, quo utroque continetur Christus, sed illo ut via, hoc ut veritas; illo ut caro, hoc ut sapientia; illo ut lac, hoc ut cibus; illo sanè in hoc collineante, & hoc illud tandem absorbente. Nisi enim puerascere cum hominibus primùm dignata esset Dei sapientia, quis nostram balbutiem infantiamque erudisset, & erudiendo emendasset? Hoc præstitit per Evangelium corporale, per eamque temporalem historiam, quam literis sacris consignatam habemus. Si nihil aliud autem quàm elementa pueritiæ & disciplinæ, quasi lac suppeditasset, nunquam excuteremus mentis infantiam, nunquam ad adultam sapientiam maturesceremus. Ergo aliud Evangelium spiritale & æternum instruxit, & illud tamen priori inseruit; tanquam medullam nucleo, literæ spiritum, carni mentem, chartæ legem. Cæterum ut infantiæ sua venustas non deest, ut puerilibus elementis sua constat utilitas, sua quoque necessitas: nec tamen diutiùs in illis terendum tempus est, sed quàm celerrimè illinc abeundum est, & ad ulteriora properandum. Hominis verò totius spes, pretium, dignitasque non ex illis vitæ doctrinæque rudimentis, sed ex ulterioribus, ubi omnino maturuit, incrementis, dimetienda pendendaque est. Ad eundem planè modum temporali œconomiæ Evangelioque corporali incredibilis adhæret pulcritudo, summa utilitas, ingens necessitas; corripi tamen & decurtari tempus infantiæ summoperè expedit, & accelerari sapientiam, Evangeliumque intelligibile maturari; Christianæ autem disciplinæ ad sapientiæ culmen per istiusmodi gradus prorepentis valor & amplitudo, non ex illis censenda est per quæ iter agitur, sed ex eo quò pervenitur. Origenes Præfatione in Evangelium Joannis, *Hanc ob causam, tum spiritu tum corpore Christiani ut simus necesse est; & corporale Evangelium prædicare quando opus fuerit, dicendo carnalibus nihil nos scire nisi Jesum Christum & hunc crucifixum. Atque hoc quidem ita faciendum est. Cum autem inventi fuerint elevati spiritu, & in ipso fructificantes, amantesque sapientiæ cælestis, hi participes efficiendi sunt Verbi & Filii Dei, regressi post incarnationem ad id* quod

[Margin note: Duplex Evangelium, sensibile & intelligibile: temporale & æternum. Utroque idem Christus continetur: illo ut via, hoc ut veritas: illo ut lac, hoc ut cibus.]

quod erat in principio apud Deum. Cæterum hæc haud frustra nos disseruisse existimamus, Evangelii sensum accurate investigantes, & Evangelium sensibile ab Evangelio intelligibili separantes. Et enim nunc nobis propositum est, ut Evangelium sensibile transmutemus in intelligibile & spiritale. Alioqui quæ enarratio erit Evangelii sensibilis, nisi accommodetur ad intelligibile & spiritale? Ubi perspicuè duplex discriminat Evangelium, & sensibile in intelligibile, temporale in æternum traduci debere demonstrat, si modò pueritia aliquando excuti & adolescere intelligentia debet. Nec excogitatum à nobis est nomen ipsum Evangelii æterni, sed à Joanne præmonstratum. Unde ibidem Origenes, *Atque equidem quod Joannes appellat Evangelium sempiternum, quod proprie dici posset spiritale, aperte viris cordatis & intelligentibus ob oculos ponit omnia de ipso Filio Dei tum mysteria ab ipsius sermonibus exhibita, tum res quarum ænigmata ipsius actiones erant.*

Apocal. 14.

II. Umbræ, imaginis & veritatis vices. Ut lex fine Evangelio, ita Evangelium sensibile sine æterno vix satis defensari potest.

Declaratur 16. Ex eo quòd ut umbra veritatis synagogæ obtigerat, ita imago Ecclesiæ hìc bellanti, veritas illic ovanti desponsa est. Necdum enim sua penetralia propalavit veritas, nec sicuti est, videndam sese nudavit. Latitat adhuc sub imaginum involucro, longè perspicuior quidem, quàm olim sub umbrarum nocte, sed necdum tamen evoluta, necdum è latebris explicata. Inest quidem subestque ipsa imaginibus veritas, sed ita inest ut latitet, ita subest, ut conspectum fugiat. Itaque sensibile Evangelium, tota Christi dictorum, gestorum, morumque historia, imago est, ænigma est, cui inest veritas, sed latens, & inconspicua, nempè litera & carne uti velo oppansa. Ergo ut legis olim umbræ Evangelicam imaginem continebant; ita Evangelii temporalis imagines ipsam veritatem & Evangelium æternum nunc complectuntur. Item ut plures olim umbris inanibus unique legis cortici inhærebant, pauci divino freti adminiculo in lege Evangelium latitans introspiciebant; ita nunc Christianorum vulgus Evangelio sensibili ad salutem sufficientissimo affigitur, nec eluctatur ultra; pauci, sed turbæ comparatione pauci, numero suo plurimi, in Evangelio temporali æternum legunt intelliguntque, & præfestinata quasi diluculi luce, ipsam sine imagine veritatem contuentur, hoc est, intelligunt; ut lato semper discrimine distet intelligentia, quæ hìc conceditur, ab ea visione, quæ speratur. Denique ut lex splendorem dignitatemque vix consequi poterat, nisi Evangelica luce quam præcurrebat, utcumque respergeretur; ita nec Evangelio temporali sua vindicari amplitudo satis potest; infidelium certè calumniæ, scandalique & stultitiæ criminationes abstergi omnino non possunt, nisi æterni & intelligibilis Evangelii fulgor quasi præcox & antelucanus ei superfundatur, & quod supra nos docuit Augustinus, temporalia æternorum & incommutabilium præsidio defendantur. Origenes Præfatione in Evang. Joan. *Jam & hoc quoque sciamus necesse est; ut lex umbram continet futurorum bonorum, quæ declarantur ab ea lege, quæ annunciatur secundum veritatem; sic etiam Evangelium quod vel à quibusdam vulgaribus intelligi existimatur, umbram docet mysteriorum Christi.* Sed præstantissimè illud explanans, *In imagine pertransit homo*, nostram hanc sententiam ex scripturis illuminat: *Ergo in imagine scientiæ ambulamus, & non in ipsa scientia, per quam facie ad faciem cognoscitur. Ita nihilominus & in ipsa sapientia imagine & nondum in ipsa sapientia ambulamus, &c. Eadem audeo de justitia Dei dicere, quod in imagine justitiæ ambulamus, & nondum in illa justitia quæ est facie ad faciem incedimus. Neque enim capere poterit humana natura pellibus & carne vestita, ossibus & nervis inserta, ipsam nudam justitiæ sinceramque veritatem ferre & tolerare secundum naturæ suæ potentiam & virtutem. Siquidem ipse Christus est natura virtutum; ipse enim justitia, quæ humano generi non in plenitudinem splendoris advenit, quia Jesus Christus seipsum exinanivit formam servi accipiens, ut formam servi acciperet.* Ubi vides nos in imagine sola veritatis virtutisque adhuc vitam agere. Nec Christum ipsum ampliùs adhuc se nobis propinasse, quam ut in forma servi imaginem Deitatis. *Quod clarius ad intellectum veniet ex sermonibus Apostoli Pauli qui tres quasdam species proprietatis designat in lege, umbram dicens, & imaginem, & veritatem. Ait namque, Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, &c. Ostendens sine dubio aliam esse imaginem rerum, quàm illam quæ legis umbra designatur. Et si quis potest describere observantiam illam Judaici cultus, consideret templum illud non habuisse imaginem rerum sed umbram: videat quoque altare umbram esse, & hircos, & vitulos, &c. Si quis verò transire potuerit ab hac umbra, veniat ad imaginem rerum, & videat adventum Christi in carne factum, videat eum pontificem offerentem quidem & nunc Patri hostias & postmodum oblaturum: & intelligat hæc omnia imagines esse spiritalium rerum, & corporalibus officiis cælestia designari.* Disertè asserit, valideque ex Apostolo probat, veritatis umbram fuisse omnia Mosaicæ legis sacramenta; veritatis imaginem esse Christi omnia in corpore mysteria; his nos præmuniri & roborari ad veritatis lucem ipsam, raris hìc quidem brevibusque, sed beatis intervallis ac veluti coruscationibus prælibandam, in regno pleniùs hauriendam. *Imago ergo dicitur hoc quod recipitur ad præsens, & intueri potest humana natura. Si potes mente & animo penetrare cælos, & sequi Jesum qui penetravit cælos, & adsistit nunc vultui Dei pro nobis, ibi invenies illa bona quorum umbram habuit lex, & imaginem Christus ostendit in carne, quæ præparata sunt beatis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quæ cum videris, intelliges, quia qui in ipsis ambulat, & in illorum desiderio & cupiditate perdurat, iste non in imagine sed in ipsa jam ambulat veritate.* Et hìc ergo mortalem agitantibus vitam raptim datur ultra imagines irrumpere, mentisque aciem infigere in ipsam veritatem, & de æternis temporalia defensare Christi sacramenta.

Hom. 1. in Psalm. 38.

III. In omnibus Christi gestis dictisque delitescebat, ceu in nucleo, medulla spiritalis intelligentiæ

Declaratur 17. Ex eo quòd quæ Christus in carne temporaliter gessit, ea penitioris cujusdam & intelligibilis veritatis ænigmata sacramentaque fuisse sancti Patres identidem asseverent, totique sint in illis enucleandis, scintillaque sapientiæ & veritatis æternæ inde exsculpenda. Hinc Clemens Alexandrinus superiùs laudato contextu Christum parabolæ comparavit, carnis quasi nucleo medullam intelligibilem contegenti. Hinc Origenes actiones Christi ænigmata fuisse dixit rerum æternarum. Hinc Augustinus, Hieronymus aliique Patrum primates Christi gesta subinde ad allegoricum sensum torquent. Hinc Gregorius Magnus in Evangelia: *Miracula Domini & Salvatoris nostri sic accipienda sunt, ut & in veritate credantur facta, & tamen per significationem, nobis aliquid innuant. Opera quippè ejus & per potentiam aliud ostendunt, & per mysterium aliud loquuntur.* Quocirca idem Gregorius temporalia Christi facta strenuè perscrutari solet, ut æternæ veritatis intelligibilem radium aliquem, sive ad dogmatis, sive ad legis illustrationem inde eliciat. Hinc Etherius & Beatus adversus Elipandum idem Evangelium ab omnibus Christianis legi advertunt, non idem intelligi, quòd in litera consistant simplices, spiritaliores intro subeant, reconditamque lucem invadant. *Primum ergo scire debet Christianus, quòd ipse Christus crucifixus quo velut lacte parvulos aluisse dicit Apostolus, ipsa vera caro ejus in qua facta est vera mors ejus, & vulnera confixi, & sanguis percussi, non eo modo à carnalibus quo à spiritualibus cogitantur. Carnalibus enim ut diximus lac est, spiritualibus cibus. Quia etsi spirituales non audiunt*

Hom. 2.

L. 1.

diunt amplius quàm qui communiter audiunt Christum, intelligunt amplius de Christo. Non æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab utrisque percipitur. Ita fit ut prædicatus ab Apostolis Christus crucifixus, & Judæis sit scandalum & gentibus stultitia, & ipsis vocatis Judæis & Græcis Dei virtus & sapientia; sed carnalibus parvulis id tantum credendo experientibus, spiritualibus autem capacioribus id etiam intelligendo videntibus. Intereft ergo non tantùm ut Chriftum legas in Evangelio, fed qualiter intelligas; omnes enim eundem legunt Chriftum, fed non omnes eadem de Chrifto fapiunt. Lacte carnis recreantur parvuli, ut grandefcant: cibo æternitatis faginantur grandiufculi. Si qua fuboffendant minùs credulos, ea ferè funt quæ in blandimenta infantiæ parvulis temporaliter in lacte carnis difpenfata funt; fed ea adultiores hoc primùm obtentu excufanda, deinde intus reconditæ veritatis legifque æternæ maximo fplendore illuminanda noverunt.

Hic poftremò non Chrifti tantùm, fed & familiarium Chrifti gefta corporalia fancti Ecclefiæ Patres tanquam arcana quædam æternæ veritatis receptacula perfcrutati funt: & fpiritales inde fenfus derivarunt, quafi ex Chrifti contubernio & fide hanc ipfi quoque prærogativam obtinuiffent, ut carnalibus factis fpiritalia æternitatis oracula delinearent. Ut uno contentus exemplo, pluribus fuperfedeam: Hieronymus in Epift. ad Galatas: *Abii in Arabiam, & iterum reverfus fum Damafcum, deinde poft annos tres veni Jerofolymam videre Petrum, &c. Sunt duo teftamenta, unum quidem à monte Sina in fervitutem generans, quæ eft Agar. Sina enim mons eft in Arabia, qui junctus eft ei quæ nunc eft Jerufalem, in Arabia quæ interpretatur humilis & occidua conftitutus. Statim itaque ut credidit Paulus, ad legem, ad Prophetas, ad veteris teftamenti jam in occiduo pofiti facramenta converfus, quæfivit in eis Chriftum, quem juffus fuerat in gentibus prædicare. Et reperto illo non eft ibi diutius commoratus, fed reverfus eft Damafcum, hoc eft ad fanguinem & paffionem Chrifti. Et indè prophetica lectione firmatus, pergit Jerofolymam locum vifionis & pacis.* Omnia ergo carnalia & temporalia Chrifti ad æternorum intelligentiam contorqueamus fidentiffimè, quando & in ejus difcipulis idem factitarunt ii, quorum nobis fummo loco authoritas eft.

IV. Nec non & in difcipulorum ejus atque Ecclefiæ.

L. 1. c. 1.

V. Specialibus exemplis id declaratur.

Declaratur 18. fpecialibus exemplis, fed ex infinita filva pauciffimis, carptimque & tumultuariè huc congeftis, fiet liquidius, quàm nihil in tota incarnationis temporalitate fuggillationi aut calumniæ pateat, quando omnia ad æternorum neceffitatem & evidentiam deflectuntur. Primùm ergo credere in Chriftum non aliud eft, quàm juftitiam, fapientiam, rationem æternam intelligere, diligere, moribufque exhibere; quocirca qui in Chriftum non credit, defperate falutis eft. Ita Origenes in Evangelium Joannis illa Chrifti verba interpretatur, *Nifi credideritis quod ego fum, moriemini in peccatis veftris. Verbi gratia, qui credit quid fit juftitia, injuriam non inferet: & qui crediderit in fapientiam, quod fatis explorate perceperit, cognoveritque eam, is nec fatuum aliquid loquetur, nec faciet. Ad hæc qui crediderit* λόγῳ *id eft rationi & filio Dei qui erat in principio apud Deum, dum illius cognitione fruitur, nihil à ratione alienum facturus eft. Sic qui credit quod ipfe eft pax noftra, haud quidquam operabitur diffidii aut belli.* Fieri ergo haud poteft, quin flagitio exitioque immoriatur fuo, qui non credens in Chriftum, id eft, in juftitiam, fapientiam, rationem: ab his fanctimoniæ falutifque præfidiis nudatur.

Quid fit credere in Chriftum.

Rurfum deliciari in Chrifto quid fit, edifferit idem Origenes: *Deliciare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Quod fi adhuc pleniùs intueri vis quomodo quis delicietur in Domino, perfpice quod Dominus veritas eft, & fapientia eft, & juftitia eft, & fanctificatio eft. Si ergo abundaveris in divitiis veritatis, fi abundaveris in intellectu fapientiæ, fi copiofus fueris in actibus juftitiæ, tunc plenè & integre deliciaris in Domino.* Ea cùm de Chrifto fententia Chriftianis infideat, mentique obverfetur, quis infimulare illos jam aufit, fuas in Chrifto delicias omnes fi collocent, illum in oculis, in ore femper habeant?

VI. Quid deliciari in Chrifto? In Pfal. 36. Hom. 1.

Rurfum quid fit Chrifto fubjici, indicat idem Origenes: *Subditus efto Domino. Verè fubjectum effe Domino non fermo profeffionis, fed opus fubjectionis oftendit. Plenius autem intelligitur quod dicimus hoc modo: Dominus nofter Jefus Chriftus juftitia eft; nemo ergo injuftè agens, fubjectus eft Chrifto qui eft juftitia. Chriftus veritas eft; nemo mendax Chrifto fubjectus eft qui eft veritas, five cum in rebus, five cum in doctrina mendacium loquitur. Dominus nofter Jefus Chriftus fanctificatio eft; nemo eft fubjectus fanctificationi, cum pollutus fit & impurus. Dominus Jefus Chriftus pax eft; nemo litigiofus & turbulentus Chrifto fubjectus eft, qui eft pax.* Quis infidelium nolit nifi facinorofiffimus, quis non faltem fimulet velle fe juftitiæ fubjici, veritati mancipari? id unum nos contendimus cùm Chrifti nos mancipia profitemur.

VII. Quid Chrifto fubjici? Ibi. Hom. 2.

Rurfum quid fit Chrifto benedicere vel maledicere, explanat idem Origenes in Numeros, & quo bonorum cumulo beentur, qui bene illi dicunt, in quæ fe mittant infortunia, qui in Chriftum maledicentiæ dentem exerunt. *Certum eft quod benedicentes Chrifto, benedicti funt, & in communionem Paternæ benedictionis affumpti. Qui autem maledicunt, maledicti funt. Si enim ad populum iftum refpicias qui maledicit Chrifto, etiam lacrymabiliter invenitur effe maledictus. Quid enim aliud evenire poffit iis qui maledicunt fapientiæ, qui maledicunt veritati, qui maledicunt vitæ, nifi ut ab iis omnibus bonis extorres & exules jaceant? Hæc enim omnia Chriftus eft, & qui maledicit Chrifto, tanquam iis omnibus bonis maledicens, perpetua maledictione damnatus eft. Ego tamen puto quod non folum ille maledicat Chrifto, qui fermonem adverfum eum maledicum profert, fed & ille qui fub nomine Chriftiani male agit, & turpiter converfatur.* An conviciabitur ergo nobis quifquam poft hac infidelium, quòd Chrifto verbis factifque benedicere dies noctefque laboremus, quòd illi maledicere nulla fortunarum vitæque jactura compelli poffimus, cùm Chriftum non aliud effe perfuafi fimus, quàm juftitiam & veritatem, cui qui maledicit, extorrem fe ipfe facit eliminatque à fummo bono? Ufque adeo autem perfuafum nobis eft Chrifti nomine non aliud quàm juftitiam & veritatem fignificari, ut qui Chriftianum nomen alioqui venditant, fi tamen illi à juftitia & veritate dictis factifve diffonant ullis, eos incunctanter hac Chriftiani nominis dignitate exauthoremus.

VIII. Quid Chrifto bene vel male velle? Hom. 17.

Item quid fit negare Chriftum, docet Gregorius Nyffenus libro de perfecta Chriftiani forma. *Ut enim qui Chriftum in perfecutionibus negat, divini nominis prævaricator eft: fic etiam fiquis veritatem & juftitiam & fanctitatem & integritatem, & fi quid aliud virtuti conveniens cogitatur, negat: & quo tempore contra perturbationes & vitia fortiter pugnandum eft, vitæ conftantiam abjicit: is à Propheta prævaricator appellatur. In his enim fingulis à Chrifto qui eft illa omnia, vita recedit, & prævaricatur.* Quæ cùm ita fe habeant, quis jam miretur, fi nulla minarum vi, nulla cruciatuum carnificina, adduci potuere Chriftiani ut Chriftum ejurarent? In Chrifto enim ipfam veritatem & juftitiam, ipfam legem æternam contineri interpretabantur. Nam cùm Chrifti fide & myfterio primùm initiati fuerant, non alio fe obligaverant vinculo, quàm flagitia facinoraque omnia deteftari, virtutem & juftitiam omni ftudio confectari. Ergo qui Chriftum ipfis excutere molie-

IX. Quid Chriftum negare?

liebantur, hoc vitiorum odium, hunc justitiæ amorem quo authorati Christo erant, unà excutere satagebant. Rursum cùm Christum vitæ decursu toto studuerant mente volvere, corde fovere, verbis factisque exprimere, non aliud in Christo magis quàm sapientiæ justitiæque & virtutum omnium sublime fastigium, & juratas cum vitiis omnibus inimicitias, admirati exosculatique fuerant. Ergo perinde erat Christum abdicare, atque sapientiam & virtutem ipsam & legem æternam floccifacere. Rursum etsi humanitatem in Christo cogitabant, sed & hanc ob unam veritatis personam qua gestabatur, maximè suspiciebant; & totam sapientiæ, justitiæ, legisque æternæ sanctimoniam in ejus animo membris moribusque implicatam explicatamque fuisse edocti erant; & non alia de causa in Christum concitata omni ævo fuisse intelligebant omnium flagitiosorum odia, & ad hoc exarsisse ut ejus nomen detestarentur, quàm quòd & virtutum splendore invidiam, & vitiorum exprobratione odium ipsorum in se inflammasset. Ergo Christi nomen execrari perinde fuisset, atque personam veritatis, & summum justitiæ columen, & sanctimoniæ totius doctorem, in eoque ipsam veritatem & justitiam & sanctimoniam execrari. Rursum etsi humanitatem in Christo credebant, sed & hanc tota justitiæ legisque æternæ sanctimonia delibutam, & suæ & omnium hominum saluti pernecessariam certò sciebant. Quòd nempe justitia ipsa & æterna lex, tum insolita naturæ, tum adventitia vitiorum cæcitate ægris hominibus non semper adradiare posset, sed brevibus & raris coruscare dumtaxat momentis. Cùm interdiu tamen noctuque meditanda lex Dei esset, jugique & intellectus & affectus complexu constringenda, opportunissimè illam in homine illo ad aliorum salutem omnium explicuisse se, & infudisse substantialiter; ut in illo veluti libro exaratam justitiam æternamque legem interdiu noctuque intueri, meditari, osculari, imitari fas esset. Ergo ejurare Christum perinde fuisset, atque ipsam justitiam æternaque legem, quam non aliter complecti jam possent homines, nisi ita velatam, ejurare.

X. *Quid sit Christum profiteri?* Rursum Christi hominis atque Dei professione non aliud homines profitebantur, quàm nec potentiam Deo deesse, qua se operi suo includeret; nec bonitatem charitatemque in homines, qua sese in eorum salutem impenderet; nec sapientiam qua citra suæ incommutabilitatis discrimen id præstaret; nec crucem nec lanienam nec contumeliam ullam esse, quam pro tutanda veritate suscipi, non deceat, non cohonestet Deum ipsum; nullam esse virtutem quantislibet calamitatibus conflictatam, quæ humanato etiam ipsi Deo ornamentum non sit allatura; nihil studio dignum præter virtutem, nihil fugiendum præter vitia; idque vel Dei incorporati experimento comprobari, & hominum saluti & Dei honorificentiæ promovendæ prodesse: crucifigi & benefacere, rem esse tantam, & tam præclaram, ut nihil magis Deum addeceat: hæc & hujusmodi alia profiteri, hoc est Christianum esse; Christianum se inficiari, non aliud est quàm hæc eadem inficiari. Ergo Christum abnegare perinde erat atque justitiam veritatem legemque æternam repudiare; quod summum nefas est. Ergo nihil est in fide Christiana ita temporale, ut non cum æternis & incommutabilibus indivulsè cohæreat.

XI. *Caro Christi non obnubilatur, sed explendescit ex hac ad intelligibilē veritatem defectione.* Declaratur 19. simulque occupatur quod objectare possent aliqui, ita nos impiorum infidelitatem propulsare, ut fidelium pietati minùs consulamus, carnemque Christi propemodum evacuemus, cui illi suavissimè adhærescunt. Secus enim atque illi existimant, carnem non evacuamus, sed stabilimus, cum illi Deitatem obducimus, cum illam supra carnem evehimus, cum illam in veritatis æternæ intelligibilitatem, quantum sospite carnis natura fas est, sublimamus. Vix enim quidquam apud sanctos Ecclesiæ Magistros inculcatius legitur, quàm quod in sacris literis sæpissimè ingeminatum adverterant, spiritu vitam donari, carnem nempe solam non prodesse quidquam; nisi carnis hinc abeuntis fuga non potuisse Spiritum Christi infundi, fidem invalescere, Evangelium propagari; Christum aliquando secundum carnem innotuisse, at nunc non secundum carnem percipi; carnem Christi viam esse, qua non immorandum, sed accelerandum est, ut ad veritatis vitam deveniatur; parvulis carne & cruce sua quasi lactescere Christum, sed enitendum, ne parvuli semper simus, ne exortes usque ut ait Apostolus sermonum justitiæ simus, sed ad perfectiora feramur, Christumque ut Dei virtutem & sapientiam amplexemur. Hoc frequentissimè, hoc ad nauseam usque inculcant Patres, ne in sola Christi carne, hoc est ne in via conquiescamus, ne pueritiæ lenociniis emolliti, fastidiamus cibum cum labore aliquo, sed magno virium incremento mandendum. Cùm enim utrinque non leve discrimen impendeat, seu contempto lacte rudes adhuc adolescentiæ cibum intempestivè invadamus, seu lacte contenti adolescere pigritemur; illud sanè gravius periculum est, hoc tamen frequentius incurritur; unde & frequentiùs illud declinare commonemur. Quoquo se res habeat modo, Christi fidem tueri, & hostium impetum avertere, viresque frangere adultorum est. Quocirca ne parvuli in Christo, suo se querantur fraudari lacte, illi sugendo indulgeant quantum volent, Christoque secundùm carnem inhærescant: sed parvulos se meminerint; nec verò dedignentur parvuli esse in eo, qui propter nos parvulus factus est, & in quo utpotè summo, parvulum esse, immanis magnitudo est. Ne rursus infideles lacti parvulorum & blandimentis infantiæ, id est, carni Christi illudant, eoque toti Christianorum genti insultasse se putent. Si infantiæ bellum inferant, non dico quòd ridiculosa jocularisque victoria de parvulis erit, sed dico, quòd ne vincent quidem. Parvulos enim cingit lacertosa juventus; incorruptibilis veritatis clypeum carni obtendere, & totam fidei nostræ temporalitatem incommutabilitate legis æternæ propugnare edocta. Augustinus de doctrina Christ. *Vide quemadmodum cum ipsa veritas & Verbum per quod facta sunt omnia, caro factum esset, ut habitaret in nobis, tamen ait Apostolus, Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed jam non novimus. Ille quippe qui non solùm pervenientibus profectionem, sed etiam viam præbere se voluit venientibus, ad principium viarum voluit carnem assumere. Unde est etiam illud, Dominus creavit me in principio viarum suarum; ut inde inciperent, qui vellent venire. Apostolus igitur quamvis adhuc ambularet in via, & ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Dominum; tamen quæ retro sunt obliviscens, & in ea quæ ante sunt extentus, jam principium viarum transierat, hoc est, eo non indigebat: a quo tamen aggrediendum & exordiendum iter est omnibus, qui ad veritatem pervenire, & in vita æterna permanere desiderant. Sic enim ait, Ego sum via, & veritas, & vita. Hoc est, per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur, &c. Ex quo intelligitur, quòd nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire, ne rebus temporalibus quamvis ab illo pro salute nostra susceptis, & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipsum qui nostram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervenire mereamur.* Hinc claret carnem Christi esse initium viarum Domini; esse viam, cui non sit immorandum infirmiter, sed quæ transcurrenda sit alacriter; hac via, hoc initio non indiguisse ampliùs Paulum, quando Christum

L. 1. c. 34.

stum jam non ut hominem & secundùm carnem noscebat, sed in anteriora extendebat sese; ac denique à temporalibus Christi adeo non argui posse Christianos impensioris in corporalia amoris, ut ex adverso vehementiùs hinc constet, quàm abhorreamus à temporalibus, & ad æternitatem veritatis toti vergamus, quando per illa ipsa quæ veritas sibi circumduxit temporalia, celeriter & quasi perfunctoriè decurrimus. Idem Augustinus, indignari quosdam, & quasi contumelia sibi fiat, excandescere ait, cùm eis dicitur, esse quæ capere necdum possint, ipsisque ideo lacte opus esse seu carnis rudimentis. Pugnabant ergo adversùm Christianæ infantiæ defensores etiam ipsi quandoque parvuli: quos ita sanctus Pater refellit: *Unde Apostolus, in Christo quidem dicit esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos; eum tamen quamvis jam gratia ejus renatis, sed adhuc carnalibus & animalibus tanquam parvulis in Christo, non ex divina virtute, in qua æqualis est Patri, sed ex humana infirmitate ex qua crucifixus est commendavit. Ait namque, Neque enim judicavi me scire aliquid in vobis nisi Jesum Christum & hunc crucifixum, &c. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus. Sed quasi carnalibus quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Hoc cum dicitur quibusdam, irascuntur, & sibi contumeliosè dici putant; & plerumque malunt credere eos potius à quibus hoc audiunt, non habere quod dicant, quàm se capere non posse quod dixerint.* Jam olim ergo, non nuper cœperunt parvuli in Christo bellaturire, & magistris Ecclesiæ facessere negotium, promptiores imperitiam vel invidiam ipsis quàm sibi mentis infantiam imputare. Sed tam puerilitcr bellant quàm sapiunt.

L. 1. de Trinit. c. 1.

CAPUT XI.

Corpus ipsum Christi seorsim spectatum, ut ad veritatem intelligibilem, legemque æternam pertineat.

I. Corpus ipsum Christi & corporea omnis œconomia ad æternæ sapientiæ & justitiæ vim rapitur & vindicatur, authoritate Scripturarum.

Declaratur 20. quod per multa jam capita constabilire pertendimus, videlicet Christum totum etiam qua in carne spectatur, non aliud esse aut intelligi quàm veritatem legemque æternam, ob lippientes ex peccati ægritudine mortalium oculos, carnali velo obseptam, ita ut Christo dissentire non possit, quisquis incommutabili veritati, quisquis legi æternæ, quisquis religioni quam natura cordibus omnium hominum inseminavit, quisquis sibi ipsi rationique suæ à summa ratione mananti, inde pendenti, inde irradiatæ consentit. Ad hoc ipsum inquam explanandum hic aggredimur & ex eo capite potissimùm, ex quo difficultatis major imminebat moles. Cognatio enim veritatis cum mente, rationis summæ cum delibatione & particula sui, id est, ratione humana, facilem exorabat consensum in utriusque copulam. At à veritate & lege intelligibili, aliena prorsus & discolor est natura corporis.

Nihilo seciùs tamen corpus ipsum Christi verissimum, nostrique quod ad naturam substantiamque attinet, quàm simillimum, intelligibilitati veritatis & æternitati legis divinæ totum vindicamus. Et ne nostrum hoc quasi commentum fingendi libidini ascribatur, præcentor nobis præivit Apostolus, qui locis compluribus admonet, corpus Christi quasi justitiam ipsam legemque sempiternam, confixum esse cruci, non tortorum manu, sed peccatorum vi; extinctum esse, non vulneribus suis, sed criminibus nostris; suffigi rursus cruci, cùm justitia vulneratur; revixisse, non modò ut corpus immortale sit, sed ut Deus totus sit, ut secundùm carnem jam non noscatur. Item Christum corporea morte priorem vitam abrupisse, ut & nos spiritali morte anteactam nequitiam claudamus; corpore resurrexisse, ut & nos in novitatem virtutum reviviscamus. Adde & Evangelia ex quibus testatum fit corpus Christi de Spiritu sancto conceptum esse, ut & nos de eodem Spiritu sancto spiritaliter renascamur. At cui hæc quadrabunt omnia nisi inhumanatę ipsi justitiæ, ipsi virtutum formæ ęternæ & intelligibili, ut non vulneribus sed peccatis sauciettur; ut animis mentibusque imitanda objiciatur; ut de Spiritu sancto seu de charitate Dei increata & personali concipiatur; ut mentium resipiscentiæ, ut virtutum restaurationis magisterium sit, & adjumentum?

II. Idem efficitur variis argumentis.

Quamobrem hoc Paulus fidenter & veraciter dixit, habitasse in Christo plenitudinem divinitatis *corporaliter*. Cùm enim Deo visum est, omnia in omnibus est, tumque ad suum cujusque modum singulis se admetitur. Ut ergo in animis est ad modum & capacitatem animorum, & in mentibus ad ingenium mentium; ita & in corporibus pro modulo corporum. Quapropter sicut animæ mentique justorum ita se infudit divina lex, ut mens eorum ipsa fiat lex; sed incomparabiliter præstantiùs animæ mentique Christi, tota veritatis legisque divinæ æternitas ita inseruit, immersitque se, ut unum jam mens illa cum veritate legeque æterna esset; illam intus ageret, per illam se foris ageret, explicaretque totam lex æterna, & quod sibi ipsa sonat, mentibus omnibus per illam mentem insonaret; suam denique vim, lucem, authoritatem, personam, substantiamque menti illi inderet: non aliter in corpus Christi ita insinuavit se tota legis æternæ intelligibilitas, & sanctimonia, ita impressit se illi, ut cum eo ipsa videatur corporascere; per illud enim quantum licet & supra quàm licet per naturam corporis, corporalibus gestis, nutibus, motibus, eloquitur sese, semet exprimit & interpretatur totam; artes suas, oracula veritatis, mores legesque virtutum, se totam corporali illa facundia promit, & promulgat. In tantum ut & tota legis æternæ veritas & sanctimonia per corporeos istiusmodi nutus actusque expromatur, & corporis hujus motiones omnes singulæque ad intelligibilem hanc significantiam evehantur. Ut enim verbis terrena lingua modulatis & utique corporeis, mentis nostræ & veritatis sensa exprimimus, ad eumque modum corpus etiam nostrum ad intellectualis naturæ societatem quodam & mirabili modo coaptamus; utque ex inopia quandoque verborum, toto corpore ad eandem intelligibilis significationis proprietatem sequacissimo utimur. Ita & Verbum, sed tanto potentiùs quanto superat infirmitatem omnipotentia, corpore suo toto, artubusque ejus & particulis omnibus & dictis factisque omnibus ac motibus tanquam loquacissimo & oportunissimo oraculo summam sapientiam effabatur jugiter, totamque legis æternæ sanctitatem edicebat. Etenim si potest anima ad arbitrium nutumque suum frangere suum corpus, vitamque suam, & cogitationes, ac voluntates ita illi inserere, ut & per illud exereat eas, effundatque: si tantillum sapientiæ rivulum quem supernè mendicat anima, respergere potest in suum corpus, & per illud foris exundare: quantò præstantiùs omnipotens sapientia Verbi corpus quod sibi asciverit, ita inflectet sibi, confingetque, ut in illo & per illud momentis omnibus, nutibus singulis, modis infinitis intelligibilitatem suam promat, veritatem explicet, legem æternam humano generi dictet, sanctimoniam persuadeat? Cùm Deitas enim sit ipsa veritas, sapientia & justitia; ita demum corporaliter illa in Christo inhabitabit, si corpus assumptum, quantum Deo fas est, raptum fuerit ad sapientiæ justitiæque naturam, & resplendescentiam. Quod ut complanetur magis, operæ pretium est pensitare seriò, non potuisse à Verbo

bo conditore rerum omnium, naturam prodire corpoream, nisi causam pro virili sua imitaretur effectus. Cùm ergo à Verbo intelligibili ut à fonte manet natura corporum, quantumvis illa in longinquum deviare, & deficere videatur à luce specieque intelligibili; illi tamen alludit, illi succinit, numerisque suis pro virili sapientiæ numeros æmulatur. Inest igitur moli corporeæ sua numerositas, inest sua veritas, inest fons intelligibilis, à quo fluxit fluitque jugiter sapor & imitatio; inest ad contemplamina veritatis, ad oracula legis sin minùs sentienda, certè significanda & promulganda ingens capacitas. Jam verò si nihil in tota corporum mundanorum compage est, quod non & summæ rationis imitatio sit, & creatricis veritatis delineatio, & Verbi quasi verbum, voxque canora; si corpus aliquod singulariter sibi copulaverit ipsa veritas, quantò illud loquaciùs, quantò facundiùs veritatem suo omni actu nutuque eloquetur? Ut istud non jam quasi corpus, sed ut aptissimum veritatis simulacrum, ut justitiæ oraculum, ut sanctimoniæ magisterium, ut legis æternæ promulgatio constans & perennis, ut virtus ipsa corporata, lapsisque in corporalitatem mentibus temperatum ex ipsis corporalibus medicamentum spectari debeat.

III. Idem ex suffragatione omnium Patrum: ac primum ex Justino. Apol. 2.

Ita præter morem excidit nobis, uno impetu & indiscriminatim hæc omnia in unum cumulum glomerare, quæ promptum esset in varia digerere argumenta. Eadem nunc incuria, ut se dabunt in manum, testimonia Patrum complusula coacervabo, ut si quando nimia in dividendo curiositas fastidium creet, hinc diluatur interdum.

Justinus Martyr: *Longè ampliores esse res nostras doctrinis humanis, omnibus constat: ob id quod qui nostra causa apparuit Christus, rationalis ex parte omni factus est, corpore, ratione & anima.* Rationalis hìc dicitur Christus factus esse ratione æterna & increata Verbi, ut textus ipse Justini, tenorque doctrinæ ejus abundè testificatur. Rationalem autem factum ait ratione, anima, corpore. Quòd videlicet summa Ratio reliquorum hominum mentem vel mentis fastigium rationemque dumtaxat radio suo perstringat; corpus autem & ipsam animam qua corpori innatat, ut insepultam tenebris ne attingat quidem, penitusque sinat in rationis exilio obbrutescere. At Christi non tantùm mentem rationemque, sed & animam corpori vegetando infusam, & ipsum corpus summa Verbi Dei ratio invasit, vindicavitque sibi, & plenissima luce veritatis perfudit. Ut ergo rationalis etiam corpore Christus est, quia Verbum Ratio est; ita & sapiens corpore, & justus, & verus est, quia Verbum æquè sapientia & justitia & veritas est.

IV. Item ex Gregorio Nysseno.

Gregorius Nyssenus contra Apollinarem, cur in Christo non sint duo filii, hinc deducit quòd naturam infimam Deitas ad se evexerit, & in suas dotes totam pertraxerit, adeo ut in Christo nihil jam sit, quod non idipsum sit atque Deitas, hoc est, quod non sit sapientia, justitia, virtus, &c. *Quidquid in natura nostra infirmum est & caducum, divinitati commixtum in id evasit, quod est ipsa divinitas.* Et paulò infra: *Quidquid enim filii videt quisquam, divinitas est, sapientia, virtus, sanctificatio, impassibilitas. Qui fieri potest, ut quod unum est, in notionem duplicem dividatur?* Etsi verum ergo corpus erat Christi, ita immersum erat Deitati, ita restagnabat superfusa ei Deitas, ut nihil emineret nisi justitia & sapientia & sanctitas.

V. Ex Origene.

Origenes Præfatione in Evang. Joan. *Quamvis Corinthius quispiam extiterit, apud quem affirmet Paulus se nihil scire nisi Jesum Christum, & hunc quidem crucifixum, admiseritque edoctus, hunc nostri causa hominem factum; is jam principia bonorum ingreditur, homo Dei factus ab homine Jesu, & ex morte ejus moriens peccato. Etenim quod ille mortuus fuit, peccato mortuus est semel; ex vita verò ipsius quoniam Jesus est illud quod vivit, vivit Deo unusquisque, & conformis factus resurrectioni ejus hoc assequitur ut vivat Deo. Quis autem ambigat, an id quod per se justitia est, quodque per se sanctificatio, atque per se perfecta redemptio est, sit bonum; quæ etiam ipsa, Jesum evangelizantes, evangelizant, dicentes eum factum fuisse nobis justitiam à Deo & sanctificationem & redemptionem, &c. Quomodo multitudo bonorum sit Jesus quæ in ipso quidem sunt, in quem beneplacitum fuit omnem plenitudinem divinitatis corporaliter habitare.* Ita inhabitat in Christo corporaliter divinitas, quia Deo implentur animæ, cùm corpori Christi conformantur; huic corpori commori, idem est atque injustitiæ mori; huic corpori rursus convivere, idem est atque Deo vivere & justitiæ; quod quid aliud est quàm corpus illud in ipsam justitiæ normam evasisse?

VI. Ex Leone Papa. Serm. 4. 5.

Leo Magnus de Nativit. *Omni homini renascenti aqua baptismatis, instar est uteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem qui replevit & virginem.* Et infra: *Factus est homo nostri generis, ut nos divinæ naturæ possimus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis. Virtus enim Altissimi & obumbratio Spiritus sancti quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem.* Ergo spiritalis nostra regeneratio corporalem Christi generationem imitatur; carni ejus conformandæ sunt animæ, ut justitiæ conformentur; caro ipsa ejus de Spiritu sancto concipitur, id est de eodem sanctitatis fonte, de quo & nos renascimur.

VII. Ex Augustino. Serm. 119. de Temp. c. 7.

Augustinus: *Et virgo est, & parit Ecclesia. Mariam imitatur quæ Dominum peperit; numquid non virgo sancta Maria, & peperit, & virgo permansit? Sic & Ecclesia & parit & virgo est. Et si consideres, Christum parit, quia membra ejus sunt qui baptizantur.* Non jam spiritalem naturam corporalis imitari gestit, sed vice versa corporalem spiritalis, utpote ita coaptatam coalitamque Verbi veritati & castimoniæ, ut ejus instar imitanda sit.

Idem Augustinus serm. 9. de Temp. *Solus sine peccato est natus, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.* Et Enchir. cap. 34. *Qualem de virgine nasci oportebat, quam fides matris, non libido conceperat.* Quamvis corporea sit hujus corporis natura, quàm spiritalis & supra spiritalem naturam provecta sit tamen, hinc liquidissimum sit, quòd fide, quòd obedientia, quòd charitate, quòd denique de Spiritu sancto concipiatur, nihil ut mirum sit si ad virtutum, ad veritatis justitiæque naturam statim rapta sit.

Idem Augustinus L. 50. Hom. 50. *Quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat, postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini. Ut qui separari à regno Cælorum timet, per ultimam sententiam summi judicis, per Ecclesiasticam disciplinam à sacramento cælestis panis interim separetur.* Eum locum in Ecclesia obtinet corpus Christi, quem in patria Deitas ipsa; quocirca & frequentissimè in antiquis Canonibus non alio insignitur nomine quàm τὸ ἀγαθὸν. Hujus corporis esu quisquis hìc beatur, beatorum delicias prægustat: quisquis interdicitur, damnatorum pœnas anticipat & jejunia.

VIII. Ex Humberto Cardinali.

Humbertus S. E. R. Cardinalis contra Nicetam arguit corpore Christi esitando non solvi jejunium, nec impleri aqualiculum, nec in secessum urgeri, quòd Christus vita æterna sit & veritas; at qui veritatem & vitam æternam comedit, is jejunium non minuit, nec abdomen infarcit, sed corpus contemnit, & mentem saginat. *Sed ò perfide Stercoranista, quia putas fideli participatione corporis & sanguinis Domini quadragesimalia atque Ecclesiastica dissolvi jejunia, &c. Caro mea verè est cibus*

cibus & sanguis meus verè est potus. Quomodo verus? Quia qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Et quæ est vita æterna? Nempe Christus Jesus, sicut ipse dicit, Ego sum via, veritas & vita. Qui ergo panem Dei manducat, carnem Christi Dei manducat: qui autem carnem ejus manducat, Christum manducat: qui Christum manducat, proculdubio vitam æternam manducat. Et paulò infra: *Nec dubitandum in quantulacumque portione ejus, fideles manducare sibi totam vitam, id est Christum: infideles autem mortem, id est judicium suum.* Vertebatur hìc quæstio de Christi corpore ut corporeæ naturæ est; an ejus esu solvatur jejunium? An reliquorum instar ciborum, digeri egerique periclitetur? An qualibet panis micula totum percipiatur? Ad hæc omnia respondet Humbertus, Christi corpus esse vitam æternam; nihil autem verendum esse ne vita æterna aut obsit jejunio, aut stomachum & intestina gravet, aut in panis fragmine non tota æquè contineatur. Supra corporis ergo naturam evectum vehementer est.

IX. Ex Hieronymo. Hieronymus in c. 5. Math. *Dominus in montana conscendit, ut turbas ad altiora secum trahat. Sed turbæ ascendere non valent, & sequuntur discipuli: quibus & ipsis non stans, sed sedens & contractus loquitur; non enim intelligere poterant in sua majestate fulgentem.* Corporeus ipse Christi motus situsque oculis ad hoc perspicacibus, & auribus in æterna arrectis, veritatis incommutabilis arcana explicant, ut in inaccesso omnibus vertice unus magister sedeat, inde se gradatim pro cujusque modulo discipulis turbisque accommodet.

Idem in c. 9. *Circumibat civitates, hoc habens operis, quod mandaverat Pater, & hanc esuriem, ut doctrina sua salvos faceret infideles.* Quo sensu Christus dixit alibi se sitire; &, Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me: quo innuitur, sanctificationem salutemque omnium illum sitiisse & esuriisse etiam corporaliter, & huic cibo venando parandoque etiam corporaliter circumcursasse. Nec id mirum, cùm David dixerit, Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

Idem in c. 12. *Isti sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant.* Et in c. 1. Ep. ad Gal. de Jacobo fratre Domini disserens, *Nunc hoc sufficiat, quod propter egregios mores, & incomparabilem fidem sapientiamque non modicam, frater dictus sit Domini.* Ex quo patet quò retorquenda sit tota cum Christi carne cognatio: fide, sanctitate, veritate consanguineus Christi quisque fit.

Idem Hieronymus in c. Math. 14. *Qui malè se habent, non tangunt corpus Jesu, neque totum vestimentum ejus, sed extremam fimbriam: & quicumque tetigerint, sanabuntur.* Comprimebant Christum turbæ densissimæ, nec tamen tangebant eum, nisi qui fide & pietate contingebant. De corpore hìc agitur, in quod irruebant constipatæ turbæ, & à quo virtus corporaliter exibat, & sanabat omnes; & tamen corporaliter etiam non tangebatur nisi spiritali fide & sanctimonia, nempe ab iis tantùm quos sanabat. Inerat ergo ipsi etiam quodammodo corpori spiritalis virtus & sensus, qui fidem & pietatem secerneret, & illi uni se indulgeret.

In c. 26. Idem alibi: *Contristabatur non timore patiendi, quia ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrum timiditatis arguerat; sed propter infelicissimum Judam, & scandalum omnium Apostolorum, & rejectionem populi Judæorum, & eversionem miseræ Jerusalem.* Et paulò post: *Postulat* (transire calicem) *non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Unde & signanter non dixit, Transeat à me calix, sed calix iste, hoc est, populi Judæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non potest, si me occiderit.* Et paulò ante: *Quæ contristatur, anima est, sed non propter mortem, sed usque ad mortem contristatur, donec Apostolos sua liberet passione.* En quale hoc esset corpus, qualis anima corpori consentiens, cui non crux, non ferrum, non mors, sed criminum atrocitas, sed injustitiæ enormitas dolorem incuteret, tristitiam generaret.

Gregorius Magnus illud commemorans, quòd transiens Jesus clamantes opemque invocantes audierit cæcos, stans sanaverit, *Quid est autem transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod per humanitatem suam nobis misertus est, qui per divinitatis suæ potentiam, à nobis mentis nostræ tenebras excludit? Qui enim propter nos natus & passus est, qui resurrexit, ascendit in cœlum, quasi transit Jesus, quia nimirum hæc actio temporalis est. Sed stans eos tetigit, & illuminavit, quia non sicut illa dispensatio temporalis, ita Verbi æternitas transit, quæ in se manens, innovat omnia.* Advertis quantum corporis hujus momenta omnia, nutus, flexusque singuli, non corporeum decorem proferant, sed intelligibilitatem spirent, sapientiam promant, veritatem addoceant, æternitatem repræsentent. X. Ex Gregorio Papa. Moral. l. 19. c. 1.

Bernardus Dominica prima post octav. Epiph. *Quemadmodum & ipse exteriùs quidem speciosus erat forma præ filiis hominum, interiùs autem tanquam candor lucis æternæ, etiam ipsis supereminens vultibus Angelorum. Apparebat enim foris homo sine culpa, caro sine peccato, agnus sine macula; sed multò speciosius & pretiosius caput ejus, quoniam caput Christi Deus. Delectabilis aspectus hominis in quem peccatum non cadit, & beati oculi qui viderunt; sed multò magis beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Cùm duplicem in Christo pulcritudinem discrevisset, alteram exteriùs in carne splendentem, alteram intus in animo: quis non venustatem corporis, colorem, lineamenta, totam oris majestatem commendatum iri expectasset? Sed & oris tamen ipsam corporisque venustatem non in alio locat Bernardus, quàm in impeccantia, in sanctimonia. Hic Christi corporis color est, hic lepor, hic vultus splendor & majestas. Aliud quidquam sive affuerit, sive defuerit, in Christi corpore cogitare, quàm spiritale decus, aliud magnifacere, nefas est. Color virtutum, decor sapientiæ, fulgor sanctitatis, flos innocentiæ, virtutis majestas, hæc una & sola & tota est etiam corporalis Christi pulchritudo. Sed ea de re alibi copiosiùs. XI. Ex Bernardo. Serm. 1.

Origenes in Lucam, *Quamvis in eodem loco sit qui mundo corde est, & is qui adhuc aliqua sorde respergitur, unus locus nec nocere quempiam poterit, nec juvare; quia qui mundum cor habuerit, Deum videbit: qui autem talis non fuerit, id quod alii cernunt, non videbit. Tale quid mihi intelligendum & de Christo; qui quondam in corpore videbatur, quod non quicumque eum videbant poterant videre. Videbant quippè tantùm corpus illius; secundum hoc verò quod Christus erat, eum videre non poterant. Porro discipuli eum videbant, & magnitudinem divinitatis illius contemplabantur. Propter quod puto & ad Philippum deprecantem atque dicentem, Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, respondisse Salvatorem, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe qui videt me, videt & Patrem. Neque enim Pilatus qui videbat Jesum, intuebatur Patrem, nec proditor Judas. Quia nec ipse Pilatus nec Judas Christum secundùm hoc quod erat Christus videbat, nec multitudo quæ coarctabat eum. Illi tantùm videbant Jesum, quos aspectu suo dignos esse sciebat.* Planè ut constipatæ turbæ premebant Christum, nec tangebat tamen illum quisquam, nisi qui fide & sanctitate tangebat, virtutemque ab eo jugiter stillantem percipiebat; ita videbant Jesum promiscuè omnes; & ille tamen unus XII. Ex Origene. Homil. 3.

videbat

videbat eum, qui in eo virtutis indolem, veritatis speciem, sanctitatem, & totum quod Pater est, videbat. Itaque nec Judas videbat Christum, nec Pilatus, nec infidelium quisquam, quia caro illa illo oculo conspicienda erat, quo conspicitur sanctitas & justitia.

L. 1. c. 2. Origenes idem in libris de principiis pulcherrimè declarat, ut Christus tanquam brevis & visibilis statua sit, in qua hominibus mente carnalibus refulgeat & recolligatur tota Deitatis invisibilis sapientia, justitia, veritas: *Vide ne fortè quoniam Filius Dei qui Verbum ejus & sapientia dicitur, & solus novit Patrem, & revelat quibus vult, id est qui capaces verbi ipsius & sapientiæ fuerint, secundùm hoc ipsum quod intelligi atque agnosci facit Deum, figuram substantiæ atque subsistentiæ ejus dicatur exprimere, id est cum semetipsam primum describit sapientia, &c. Si facta esset aliqua statua talis, quæ magnitudine sui universum orbem terræ teneret, & pro sui immensitate considerari à nullo posset; fieret autem alia statua membrorum habitu ac vultus lineamentis, specie ac materia per omnia similis, absque magnitudinis immensitate, pro eo ut qui illam immensam considerare atque intueri non possunt, hanc videntes, illam vidisse considerent, pro eo quod omnia membrorum ac vultus lineamenta vel ipsam speciem materiamque similitudine prorsùs indiscreta servaret; tali quadam similitudine, exinaniens se Filius Dei æqualitate Patris, & viam nobis cognitionis ostendens, figura expressa substantiæ ejus efficitur: ut qui in magnitudine Deitatis suæ positam gloriam miræ lucis non poteramus aspicere, per hoc quod nobis splendor efficitur, intuendæ lucis divinæ viam, per splendoris capiamus aspectum.* Ita ille Verbum incarnatum nobis Deitatem intueri jam non valentibus occursasse ostendit, & in carne sua accuratissimam totius Deitatis imaginem obtulisse.

XIII. Argumentationum temere toto hoc capite sparsarum conglobatio.

Neminem præterit quò pertineat hic locus, & quàm latè pateat. Infinita enim se rerum copia ingereret, si singula Christi momenta, singulosque corporis ejus flexus excutere vacaret, & contextus sanctorum Patrum coacervare, quibus totam illam corporalitatem ad extremas usque minutias, in æternitatis justitiæque & veritatis significandæ sacramenta inflectunt. Quæ supra inspersimus, ea argumento sunt, quid de cæteris augurandum veniat. Quàm spiritalis enim est, quàm intelligibilitati & veritati tota vindicatur caro, quæ de Spiritu sancto concipitur, quæ mente priùs quàm carne matris excipitur, quæ fide, quæ obedientia inseminatur; cujus generatio, spiritalis regenerationis exemplar & causa est; quæ peccatis occiditur, quæ justitiæ resurgit, quæ injustitiæ mori & Deo reviviscere docet mentes jam carnis imitatrices. Quàm spiritalis est, & in intelligibilitatis regionem invecta altiùs caro, quæ bonum ipsum nobis hìc est, quæ nobis eo hìc loco est quo Deus in patria; quàm qui hìc degustat, æternam prægustat beatitatem; qua qui hìc arcetur, spe fruendi Dei arcetur; quæ ita caro est, ut vita æterna sit, & nihilo magis quàm vita æterna vel digerendi vel egerendi contumelia contaminetur. Quàm spiritalis est & in ingenuitatem veritatis asserta caro, cujus consanguinitas sapientiæ & virtutum cognatione gignitur; cujus mater est, qui veritatem docet; cujus frater est, qui virtutem colit; cujus pulchritudo de virtutum temperamento efflorescit; cujus formæ lenocinia de sapientiæ illecebris; cujus lepor & lux omnis, orisque majestas de veritatis æternitate effulgescit. Quàm spiritalis est, & justitiæ gustu, legisque æternæ sensu imbuta caro, quam sola mœstificat iniquitas, exhilarat probitas; cujus sitim sedat justitia, famem placat pietas; quæ irruentibus turbis, sola tangitur paucorum fide, hanc sentit, huic benefacit; quæ conversis in se omnium oculis, non videtur nisi mentis intuitu, nisi fidei & pietatis oculo. Quàm spiritalis est, & in justitiæ ac sapientiæ mores ingeniumque ascita caro, quæ seu ascendit, discipulos ad sublimem sapientiæ apicem exaltat; seu descendit, altitudinem intelligentiæ ad multitudinis modulum extenuat; seu transit, temporalium fluxui leges æternas dispensat; seu stat, incommutabilis veritatis constantiam constantemque beneficentiam imitatur. Quàm spiritalis est, & à servitute corporum tenebrisque immunis, quam non anima suo modo sapiens & potens, sed ipsa sapientiæ omnipotentia in societatem, in familiaritatem, in personæ suæ unitatem accivit, veritatis æternæ interpretem constituit, legis oraculum esse jussit; quam æterna ratio ita sibi ut animæ corpus conseruit, ut per illam ita sese totam, sicuti per corpus anima explicaret; quam è longinquissima regionis dissimilitudine sibi proximè admovit creatrix omnium sapientia, ut tantò plura & penitiora per hanc quàm per totam creaturæ universitatem eloqueretur, quantò penitiùs hanc sibi copulavit, illam longissimè à se eliminavit. Quàm spiritalis denique illa caro est, quæ jam non secundùm carnem noscenda est; quæ cùm vescenda daretur, dictum est, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: quam postremò inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter.

At verò si cùm suam ipse fregerat evacuaveratque Deitatem Deus Verbum, carni suæ tantum lucis gloriæque circumfudit: quis suspicari jam poterit, ubi se sibi reddidit, quo cumulo, quaque exuberantia in illam exundaverit? Rem tantam mente venerari magis quàm scrutari fas est. Igitur verbum non ampliùs addam, ubi brevem Origenis locum attexuero, in Evangelium Joannis, in illa verba, Nunc glorificatus est filius hominis: *Illud Verbum quod erat in principio apud Deum Deus, non recipit exaltari. Cæterum exaltatio filii hominis, sibi facta glorificanti Deum per suam ipsius mortem hæc fuit, ut non ampliùs ipse aliud esset à Verbo, sed idem cum ipso. Nam si qui adhæret Domino, unus est Spiritus, ut de hoc & de Spiritu non ampliùs dicatur, quod duo sint; quomodo non magis diceremus id quod de Jesu est humanum, factum fuisse unum cum Verbo?* Si tunc enim cùm carnis humilitas in vacuo & inani suo Deitatem occultaverat, erumpebat tamen plenitudo Deitatis, carnisque naturam expugnabat propemodum, & in æternitatis intelligibilem rapiebat; postquam absumpta mortalitate ostentare se Deitas cœpit, palamque superfundere se humanitati, quò evecta sit hæc, quis eloqui, quis capere durabit? Uno verbo totum complexus est Origenes, cùm ait, totum quod in Jesu humanum erat, unum factum fuisse cum Verbo.

Ad has artes, in hos fines si carnem humanam Dei Verbo copulatam credimus, stultum non est credere, imò stultum est non credere. An enim mentibus in vitia, in sensus, in materiam devolutis, stultum est spem novam accendi, salutem procurari, viam ad lucem intelligibilem rursus fruendam complanari? An sola corporalia complecti & sentire insuefactis, stultum est, in ipsis corporalibus lucem adumbrare, depingere veritatem, legis æternæ illecebras inseminare? An summo bono tantum bonitatis stultum est affingere? An arti & sapientiæ summæ stultum est tantum solertiæ arrogare? An nimis magnificè de Deo sentire possumus homines? An aliquid Deo melius comminisci possumus? An veritati præstant figmenta nostra? An plura bonitatis & sapientiæ documenta nos somniando fingere possumus, quàm Deus exhibendo præstare? Vel ex eo quòd ista nos tanta tamque magnifica de charitate & sapientia Dei vel excogitare vel fingere potuissemus, capi posset conjectura de horum certissima veritate, ne mendacium veritati antecelleret, ne melius aliquid & sapientius Deo comminisci posset homo, ne pulchriora somniaret homo, quàm præstaret Deus. Vel, ut similius

milius veri est, nec ista tanta tamque exaggerata artis & beneficentiæ divinæ testimonia cogitatione saltem assequi potuisset homo, nisi Deus exhibuisset prius, & detrectanti reluctantique fidem extorsisset. Stultum ergo est ista non credere, quæ nisi veraciter credi nequiere; tanta sunt enim, ut vix exhibita cogitari, nedum ultro confingi potuerint.

CAPUT XII.

A sensibilibus abduci hominem non alio quàm Dei Hominis magisterio potuisse, adversus Philosophos maximè Platonicos disputatur.

I. Incarnandi Verbi necessitas arguitur ex necessitate Magistri. Quæstio de summo bono, cardo est totius morum disciplinæ.

OBserva I. Non aliàs majori & animorum æstu & sententiarum discrepantia decertasse Philosophos, qui ante Christi natales per orbem fama increbuerant, quàm in quæstione de summo bono. Ea enim ut summi est ad vitam beatam, ad quam suspirant omnes, momenti; ita in pugnantissimas opiniones Philosophiam sæcularem distraxerat. Cæteris eminebant tamen tres omnino, Epicureorum in corporis voluptate, Stoicorum in mentis virtute, Platonicorum in veritate incommutabili supra corpora & supra mentes incomparabiliter existente, summum bonum, vitæque finem agendæ, & totam felicitatem sive hic fruendam, sive pòst sperandam constituentium. Non Christianorum autem tantùm nunc consensu, sed & olim Gentilium, quicumque otio & ingenio & eruditione affluerent, suffragatione, Platonica ratio & Epicureos & Stoicos longè antecellebat. Et omnino intererat ad generis humani sanctimoniam, ut ne cum Epicuro in voluptate corporis, qui lutulentissimus est vitiorum omnium gurges, sordesceret: ne cum Zenone in superba virtutum conscientia, amabilique sed æquè exitiali sui insania turgesceret: sed cum Platone à sensuum voluptatibus vitiisque avocatam mentem in intelligibilis veritatis, justitiæque incommutabilis intelligentiam amoremque traduceret, inde penderet, legibus inde dictatis hæc ima moderaretur, ibi tanquam in rationis lumine, & causa rerum, & fine bonorum omnium conquiesceret.

Philosophorum olim circa eam dissidia.

II. Platonici à vero potiùs aberant, Sed Epicurei vel Stoici turbas hominum excantaverant, & ad se traduxerant.

Observa 2. Obsurduisse ad Platonicorum voces genus humanum, quòd videlicet mente sensibilium illecebris vitiisque occæcata, ad illam sapientiæ supernæ invitantis lucem caligaret. Non pauci ad Stoicos, longè plurimi ad Epicureos desciscebant, prout quisque præjudicio inolitæ cupiditatis, aut ad alendam animi superbiam virtutum umbra, aut ad saginam corporis augendam inclinabatur. Quò se verterent Platonici? Quas artes tentarent? Veritatis incommutabilis Solem videre ipsi poterant, & aliis indigitare: sed curvæ in terras & cæcutientes hominum animæ advertere aut videre non poterant. Purgare immunditiam oculorum, sordes excutere morum, pulveremque sensibilium, hoc operæ indubitanter pretium fuisset: sed hanc vulgus hominum refutabat medicinam, cui & ex ingenita corruptela, & ex aliorum Philosophorum astipulatione præjudicatum erat, finem bonorum extra hominis vel animum vel corpus incassum somniari. Ut videndæ fruendæque incorruptibili cælitus sapientiæ coaptari se, purgarique annuerent abdicatione sensibilium, & morum castimonia, necesse priùs erat, ut esse aliquam supernè sapientiam, quæ fruendam se dignis præstaret, aut intelligerent, aut crederent. Ut id intelligerent, opus erat purgata mentis acie, qua carebant; ut crederent, opus erat summa affirmantium authoritate qua destituebantur. Conclamata erat ergo spes humani generis ad veram sapientiam Philosophiæ ope aliquando appellendi.

III. Nec in Platonicis divina erat authoritas, ut credi juberent,

Observa 3. His Philosophiæ humanæ optimatibus cùm compertissimus esset, quo laborabat tota gens hominum, morbus; nec incompertum fuisse fortasse illud, quo uno sanari poterat, medicamentum. Morbus enim erat amor sensibilium, quo mentis acies ad æterna hebetabatur. Medicamentum erat fides æternorum, qua purgati ad eorumdem intelligentiam restaurarentur. Sed fides tam operosa, tot præjudiciorum victrix, tot vitiorum debellatrix, inseri non poterat nisi summa magistri authoritate, qua illi Philosophi se destitui plus satis experiebantur. Ergo cùm ad hunc se modum res haberet, statuerunt illi non contra torrentem brachia nequicquam contendere, sed arte grassari; sua occultare dogmata, ne palam suggillarentur; aliena oppugnare; in dubitationem omnia deducere; ita Stoicos & Epicureos labefactare, non vera quibus erant impares, propalando; sed falsa quæ ab iis venditabantur, denudando. Ex quibus planum fit, quàm tarda, quàm inefficax, quàm desperata foret per Philosophiam humani generis medicina; ejusque desperationis causam hanc fuisse potissimam, quòd cùm ad amorem & intelligentiam æternorum redintegrari non possent defixi in temporalitatem homines, nisi eorumdem interim fide, & consentanea fidei morum purgatione; deerat hominibus authoritas tanta quanta opus erat, ut illi fides tantarum rerum superstrueretur.

Nec in turbis purgata mens, ut intelligere possent veritatem.

Præmonstravit nobis hæc omnia Augustinus Epistola 56. *Quantum igitur pertinet ad quæstionem de summo hominis bono, &c. Profectò reperies duos errores inter se adversa fronte collidi: unum constituentem in corpore, alium constituentem in animo summum bonum. Rationem autem veritatis, qua summum bonum nostrum Deus esse intelligitur, utrique resistere, sed non prius docentem vera, quàm prava dedocentem. Idipsum rursus adjunctis personis constitue, reperies Epicureos & Stoicos inter se accerrimè dimicantes, eorum verò litem conantes dijudicare Platonicos, occultantes sententiam veritatis, & illorum vanam in falsitate fiduciam convincentes & redarguentes: sed non sicut illi errorum suorum, ita Platonici veræ rationis personam implere potuerunt, &c. Non valentes illi authoritate turbas terrenarum rerum dilectione cæcatas ad invisibilium fidem ducere: cum eas viderent Epicureis maximè contentionibus commoveri, &c. Eos autem qui adversus hanc voluptatem virtutis laude moverentur, minus difficulter eam contemplari in animis hominum, &c. Simul videbant si eis conarentur insinuare aliquam rem divinam & super omnia incommutabilem, quæ nullo attingeretur corporis sensu, sed sola mente intelligeretur: quæ tamen naturam etiam mentis ipsius excederet, eumque esse Deum propositum animo humano ad fruendum, purgato ab omni labe humanarum cupiditatum, in quo uno acquiesceret omnis beatitudinis appetitus, & in quo nobis uno bonorum omnium finis esset: non eos intellecturos, & repugnantibus vel Epicureis vel Stoicis multò quam sibi facilius palmam daturos: ita ut vera salubrisque sententia, quod perniciosissimum est humano generi, imperitorum populorum irrisione sordesceret, &c. Cum ergo talia sentirent Platonici, quæ neque docerent carni deditos homines, neque tanta essent authoritate apud populos; ut credenda persuaderent, donec ad eum habitum perduceretur animus, quo ista capiuntur: elegerunt occultare sententiam suam, & contra eos disserere, qui verum se invenisse jactarent.*

IV. Opus ergo erat Magistro cui divina authoritas & persona adesset, ut credi juberet, credentes purgaret, purgatos ad intelligentiam perveheret.

Observa 4. Quando ad videnda ac proinde amanda æterna, humano generi oculus deerat; quando ad æternorum fidem faciendam, moresque & oculos ex consequenti purgandos, Philosophiæ humanæ authoritas aberat; non aliter consuli potuisse, quàm ut homo aliquis ab ipsa veritatis æternitate susceptus, ejusque personam hìc gestans, ejus nomen & authoritatem indutus, & divina operando, & æterna docendo, & sancta præcipien-

piendo, humano generi persuaderet credere, quæ necdum possit intelligere, & fide æternorum ad eorum contuitum repararet. Minùs efficax enim fuisset authoritas, tantarumque rerum fidei commendandæ impar, nisi ipsa veritatis & sapientiæ persona suffultus magister affuisset.

V. Christus id præstitit, ergo divina fuit ejus authoritas & persona.

Observa 5. Quando non jam conjiciendo in futura invadimus, sed gesta jam res est, affuitque reapse qui personæ suæ authoritate, operum admirabilitate, sanctitate morum, doctrinæ sublimitate, totum genus hominum cælestia docuit, terrena dedocuit, à sensibus refixit, infixit intelligibilibus, tumultuantes Stoicos compressit, lascivientes Epicureos exegit, Philosophorum greges omnes aut sibi adscivit, aut dissipavit, reconditissimam Philosophiam imperitæ multitudini insevit, intelligibilia sapere fæcem vulgi condocefecit, temporalium contemptum, æternorum amorem carnalibus & perditissimis inspiravit: Si jam Socrates, si Plato reviviscerent, si è schola illa optimus quisque, & vulgatam per orbem, persuasam hominibus, nec otiosa tantùm velitatione agitatam, sed in mores invectam spectaret illam arduam castamque Philosophiam, quam ipsi intra scholæ septa cohibebant, extra efferre abstinebant, de illa persuadenda multitudini omnino desperaverant: quid illis animi esset? Aut quid demum de eo existimarent, cujus ope præstitum hoc esset? Eum non immeritò cælitus affuisse, & tota sapientia incommutabili, ipsa veritatis persona & authoritate indutum fuisse augurarentur.

VI. Christi philosophia quantum vel Platonicæ vel cuicumque domum sectæ antecelluerit.

Observa 6. Ubi primùm Christiana Philosophia spargi in orbem cœpit, vehementer obluctatos illi fuisse Stoicos & Epicureos, ut in Actis Apostolorum memoratur, utpote qui Christiano dogmate suum penitus labefactari intelligerent, hominumque spem & amorem à corporis voluptatum inquinamentis, à virtutum animi inanitate ad intelligibiles & exemplares revocari voluptates virtutesque in æternæ veritatis complexu fruendas. Platonicos autem Christianæ doctrinæ adversatos esse tunc haud perhibetur, nimirum ob stupendum per omnia propemodum nostræ ipsorumque sectæ consensum. Quin exinde conticescentibus scholis aliis, Platonici quasi animos addente sua nobiscum cognatione, extulere caput; & suam de invisibili & incommutabili veritate, de bonorum fine, de naturarum artifice Deo, de ratiocinandi fonte sententiam quam hactenus occultarant, in lucem proferre, palamque profiteri ausi sunt. Hinc illi scholæ Platonicæ primates Plotinus, Porphyrius, Jamblichus, Proclus, aliique ingenii doctrinæque copia famosi floruere; & Christianorum opera mansuefactos jam & à sensibilibus ad intelligibilia inclinatos multitudinis animos ad se pertrahere moliti sunt. Sed in cassum conatus illorum cecidit. Illi enim ipsi vel paucis mutatis Christiani facti sunt, & è schola Platonis quasi è vestibulo in Ecclesiam ingressi; vel retro in magicas artes abrepti sunt. Utcumque se ea res habuerit, cùm ingenii & eloquentiæ & eruditionis, & Principum non rarò benevolentiæ, & omnibus demum humanis essent communiti præsidiis, suam Philosophiam non dico in humanum genus, sed vel in unam gentem, in unam saltem urbem, vel in unum oppidulum invehere, & adprobare, & in mores inducere haud usquam potuere. Cùm Christiani ab omni hominum subsidio nudi, infacundi, inermes, longè operosius subtiliusque suum dogma in orbem universum intra paucos annos disseminaverint, & conjurata in se Philosophorum, & Oratorum, peritorum, & imperitorum, Principum, & privatorum, vitiosorum id est omnium hominum odia profligarint. Sola hoc potuit veritatis persona, hominum generi cælitus allapsa, uni ante cæteros & propter cæteros homini illapsa, ideo invicta, ideo victrix, quia veritas; cujus authoritate fracti sunt contumacissimi, cujus fide purgati sunt immundissimi, purgati autem ad intelligibilis lucis regionem quasi postliminio redierunt.

VII. Ex Augustino superiora demonstrantur.

Augustinus idem Epist. eadem 56. *Cum igitur tanta sit cæcitas mentium per ingluviem peccatorum, amoreque carnis, ut etiam ista sententiarum portenta, otia Doctorum disputando conterere potuerint, dubitabis tu Dioscore vel quisquam vigilanti ingenio præditus, ullo modo ad sequendam veritatem melius consuli humano generi potuisse, quàm ut homo ab ipsa veritate susceptus ineffabiliter atque mirabiliter, & ipsius in terris personam gerens, recta præcipiendo, & divina faciendo, salubriter credi persuaderet, quod nondum prudenter posset intelligi? Hujus nos gloriæ servimus, huic te immobiliter atque constanter credere hortamur, per quem factum est, ut non pauci, sed populi etiam qui non possunt ista dijudicare ratione, fide credant; donec salutaribus præceptis adminiculati evadant ab his perplexitatibus in auras purissimæ atque sincerissimæ veritatis.* Ubi sanctus Pater cardinem rei totius indigitat, causamque aperit cur Platonicum dogma inter paucos otio ingenioque abundantes ventilatum fuerit, nunquam in genus humanum, nunquam in leges moresque publicos & in populorum salutem invaluerit: Christianum verò manaverit statim in orbem totum, populos omnes, fæcemque ipsam imperitæ multitudinis imbuerit, & ab errorum vitiorumque omni contage expiarit. Cardo rei hic est, quòd nec mentium error, nec morum contaminatio expungi queat, nisi incommutabilis veritatis & justitiæ complexu; ad huius intelligentiam paucissimos & otio & acumine plurimùm abundantes traiicere poterant Platonici; multitudinem verò & curis mortalibus distentam, & sensibilium usu hebescentem, cùm sola fide intelligibilium sanari posset, deerat Philosophis authoritas, qua huic fidei populos astringerent. At ubi Christus miraculorum portentis authoritatem sibi illam paravit, qua par erat, credi homini veritatis ipsius justitiæque personam sustinenti: tum fidem rerum divinarum insinuavit humanæ genti, fide purgavit, purgatione ad intelligentiam revexit. Deerat ergo Platonicis nihil aliud quàm divina persona, qua fidem imperarent & impetrarent.

VIII. Ex eodem.

Pergit ibidem Augustinus, *Verùm illa rectissima disciplina est, in arcem fidei quàm maximè recipi infirmos, ut pro eis jam tutissimè positis, fortissima ratione pugnetur. Platonici verò qui falsorum Philosophorum erroribus illo tempore circumlatrantibus, non habentes divinam personam qua imperarent fidem, sententiam suam tegere quærendam quàm polluendam proferre maluerunt: cùm jam Christi nomen terrenis regnis admirantibus perturbatisque crebresceret, emergere cæperant, ad proferendum atque aperiendum quid Plato sensisset. Tunc Plotini schola Romæ floruit, habuitque condiscipulos multos acutissimos & solertissimos viros. Sed aliqui eorum magicarum artium curiositate depravati sunt; aliqui Dominum Iesum Christum ipsius veritatis atque sapientiæ incommutabilis quam conabantur attingere, cognoscentes gestare personam, in ejus militiam transierunt.*

IX. Ex eodem.

Et eadem Epistola paulò superiùs, *Tantùm illud attende, quoniam Plato à Cicerone multis modis apertissimè ostenditur in sapientia non humana, sed planè divina, unde humana quodammodo accenderetur, in illa utique sapientia prorsus incommutabili, atque eodem modo semper se habente veritatem, constituisse, & finem boni, & causas rerum, & ratiocinandi fiduciam: oppugnatos autem esse nomine Epicureorum & Stoicorum à Platonicis eos, qui in corporis vel in animi natura ponerent & finem boni & causas rerum & ratiocinandi fiduciam. Eo rem successione temporum esse devolutam, ut cùm Christianæ etiam ætatis exordio, rerum invisibilium atque æternarum fides per visibilia miracula salubriter prædicaretur hominibus, qui nec videre nec cogitare aliquid*

quid præter corpora poterant; beato Apostolo Paulo qui eandem fidem gentibus præseminabat, iidem ipsi Epicurei & Stoici, in Actibus Apostolorum contradixisse inveniantur. Qua in re satis mihi videtur demonstratum esse errores gentium sive de moribus sive de natura rerum sive de ratione investigandæ veritatis, qui quamvis essent multi atque multiplices in his tamen duabus sectis maximè eminebant, expugnantibus doctis & tanta disserendi subtilitate atque copia subvertentibus, durasse tamen usque in tempora Christiana. Quos jam certè nostra ætate sic obmutuisse conspicimus, ut vix jam in scholis rhetorum commemoretur tantùm, quæ fuerint illorum sententiæ; certamina tamen etiam de loquacissimis Græcorum gymnasiis eradicata atque compressa sunt; ita ut siqua nunc erroris secta contra veritatem hoc est contra Ecclesiam Christi emerserit, nisi nomine cooperta Christiano, ad pugnandum prosilire non audeat. Ex quo intelligitur ipsos quoque Platonicæ gentis Philosophos, paucis mutatis quæ Christiana improbat disciplina, invictissimo uni regi Christo pias cervices oportere submittere, & intelligere Verbum Dei homine indutum, qui jussit, & creditum est, quod illi proferre metuebant.

Ex quibus patefiunt ea propè omnia quæ paulò supra argumentati sumus; summum fuisse Platonicæ nostræque disciplinæ consensum; utramque ab iisdem hostibus Epicureis Stoicisque oppugnatam fuisse, eosdem vicissim oppugnasse; utrique fixum id in primis ratumque fuisse, totam beatitatem non in humana, sed in divina, unde ad nos irroraretur, atque incommutabili sapientia, justitiaque fruenda sitam esse; illa Philosophorum errorumque portenta à Platonis prosapia oppugnari potuisse, non expugnari; à Christianæ Philosophiæ præconibus ita eversa illa, & excisa stirpitùs esse, ut eorum vix nomen, vix supersit memoria; ubi Christiani intelligibilium fidem propagare cœperunt, tunc quasi eorum patrocinio obumbratos emersisse è latebris & simulatione sua Platonicos & maximè claruisse; sed nec tunc subjugare sibi multitudinem, & vel unum oppidum suis legibus moderari potuisse. Compressis enim per Christianos eorum hostibus, Stoicis nimirum & Epicureis germanæ Philosophiæ adulteratoribus, supererat adhuc alter obex nulla superabilis humana vi, occæcatio humanarum mentium. Hæc, cùm intelligentiam divinorum prorsus respueret, eorum interim fide medicanda erat, quam fundare non poterat nisi divina authoritas.

X. Rursus ex eodem. Sed luculentissimus superest eoque sua prolixitate nihil fastidii creaturus ejusdem Augustini contextus I. de vera relig. c. 3. *Si Plato ipse viveret, & me interrogantem non aspernaretur, vel potius si quis ejus discipulus eo ipso tempore quo vivebat, eum interrogaret cum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis sed pura mente veritatem videri, cui quæcumque anima inhæsisset, eam beatam fieri atque perfectam; ad quam percipiendam nihil magis impedire, quam vitam libidinibus deditam, & falsas imagines rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ varias opiniones erroresque generarent; quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, &c. Quam non crederent esse homines, cum ipsa verè summèque sit, cætera nasci, occidere, fluere, &c. In quibus anima tantùm rationali & intellectuali datum est, ut ejus æternitatis contemplatione perfruatur, &c. Sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur, ac dedita consuetudini hujus vitæ atque sensibus corporis, inanibus evanescit imaginibus, irridet eos qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitetur, sed mente sola & intelligentia cerni queat. Cum hæc ergo à magistro sibi persuaderentur, si ex eo quæreret ille discipulus, utrum si quisquam existeret vir magnus atque divinus qui talia populis persuaderet credenda saltem si percipere non valerent; aut si qui possent percipere, non pravis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus, eum divinis honoribus dignum judicaret? Responderet, credo, ille non posse hoc ab homine fieri, nisi quem fortè ipsa Dei virtus atque sapientia, ab ipsa rerum natura exceptum, nec hominum magisterio, sed intima illuminatione ab incunabulis illustratum, tanta honestaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta denique majestate subveheret, ut omnia contemnendo, quæ pravi homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horrescunt, & omnia faciendo, quæ mirantur, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque authoritate converteret. De honoribus verò ejus frustra se consuli, cum facilè possit existimari quantum honoris debeatur sapientiæ Dei, qua gestante & gubernante, ille pro vera salute generis humani, magnum aliquid proprium, & quod supra homines esset, mereretur, Quæ si facta sunt, &c.* Nihil appositius ad nostri dogmatis illustrationem, nihil vehementius ad ejus stabilimentum excogitari potuit. Ex iis enim quæ Plato de incommutabili veritate, de mentis acie, de sensibilium præstigiis, de purgatione oculi spiritalis philosophatus fuerat: ex abruptissima desperatione tum ipsius, tum prognatæ ab eo familiæ de ea Philosophia in carnalis multitudinis mentes moresque unquam intrudenda: ex ejusdem, longè & altioris & sanctioris Philosophiæ per Christum propagatione, & orbis universi resipiscentia, & terrenorum abdicatione, & divinorum amore flagrantissimo populorum turbis infuso; quid his ex omnibus Plato, quid cordatus quisque auguratus esset, quàm corporatam in illo concretamque fuisse veritatis & sapientiæ personam, qui consecutus hoc esset?

Et idem rursus ibidem c. 4. *Illi si reviviscerent (antiqui Platonis discipuli) quorum isti nominibus glorientur, & invenirent refertas Ecclesias templaque deserta, & à cupiditate bonorum temporalium & fluentium, ad spem vitæ æternæ & bona spiritalia & intelligibilia vocari & currere genus humanum: dicerent fortasse si tales essent, quales fuisse memorantur: Hæc sunt, quæ nos persuadere populis non ausi sumus, & eorum potiùs consuetudini cessimus, quàm illos in nostram fidem voluntatemque traduximus. Itaque si hanc vitam illi viri nobiscum rursum agere potuissent, viderent profectò cujus authoritate faciliùs consuleretur hominibus, & paucis mutatis verbis atque sententiis, Christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum Platonici fecerunt. Aut si hoc non faterentur, neque facerent, in superbia & invidia remanentes, nescio utrum possent ad ea ipsa quæ appetenda & desideranda esse dixerant, cum istis sordibus viscoque revolare.* XI. Ex eodem Augustino. Ubi advertis quàm proclivis esset è Platonis Academia in Ecclesiam Christi migratio. Quàm paucis mutatis verbis atque sententiis in nostram illi familiam asciscerentur. Quàm sola illos deterrere poterat vel superbia vel invidentia, ne nostris accederent partibus; cùm Imperatore Christo viderent ea nos esse consecutos, quæ illi tandiu frustra moliti fuerant, & tandem desperaverant. Quàm immeritò Christianæ olim Philosophiæ Gentiles quasi novellæ, quasi commentitiæ, quasi incredibili adversarentur; cùm tamen tanta esset ejus concordia cum ea philosophandi secta, quæ apud ipsos principem locum facilè obtinebat; & cujus principem, Philosophorum quendam Deum Cicero nuncupaverat. Quàm denique intempestivè & olim abhorrerent, & nunc nonnunquam resiliant hominum animi à fidei jugo, & à credendi servitute: quasi subimpudens sit imperium, quo res non ostenditur, & credi jubetur. Quippe hic unus est, in quo vertitur salus universorum hominum, cardo; cùm hoc maximè uno præsidio destituta Platonis Philosophia non potuerit, hoc uno fulta Christi Ecclesia potuerit orbem universum, & imperitorum, id est, generis humani multitudinem ab amore sensibilium solvere, & in intelligibilium divinorumque

que charitatem transferre: credi imperando, quæ nondum possent intelligi, & fide divinorum, humana eluendo vitia, & ad divinorum intuitum repurgando.

CAPUT XIII.

De eodem Christi Dei atque hominis magisterio perquam necessario.

I. Urgetur & ostenditur æternæ personę authoritas necessaria ad æternorum amorem carnalibus instillandum.

Observa 7. Totam Christi quàm nobiscum hìc egit vitam, non aliud esse quàm jugem disciplinam, quàm perenne oraculum, quàm vocem jugiter intonantem, ut hinc fugiamus, temporalia fastidiamus, ad æterna properemus, sensibilium amorem ut pestem certissimam excutiamus, cogitatum studiumque omne in Deum conferamus: quippe in ejus veritate & justitia, & errorum omnium medicinam, & virtutum sanctimoniam, & voluptatem castissimam, & summam felicitatem positam esse. Christus, Christique tota temporalis historia, vox est qua id unum personetur, exemplum est quo insinuetur, authoritas & virtus est qua credatur, charitas est qua diligatur. Rem tantam tamque arduam & operosam, hominum universitati adeo obsurdefactæ vitiis, adeo exhorrescenti, non alia potuisse quam veritatis ipsius in homine corporatæ voce, exemplo, portentis, authoritate persuaderi, ei facilè persuadebitur, qui seriò pensitaverit. Ascensu ergo & descensu, vita & morte, factis dictisque clamat Christus, hinc ut redeamus ad Deum, cum illo moriamur peccato, illi contumulemus anteactam flagitiosè vitam, in novitatem vitæ justitiæque cum illo excitemur, à terrenis avulsi apud Patrem cum illo sedeamus. Augustinus: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam. Non enim tardavit sed cucurrit, clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans ut redeamus ad eum. Et discessit ab oculis, ut redeamus ad cor, & inveniamus eum. Abscessit enim, & ecce hic est: noluit nobiscum diu esse, & non reliquit nos.* Totum institutum vitæ Christi huc spectabat, ut fugam à temporalibus ad æterna demonstraret; ea etiam de causa discessit ab oculis ejus temporalitas, ut corde æternitatem ejus consequi laboremus.

Confess. l. 4. c. 12. Unde idem Augustinus Ep. 120. *Audi potius medicinæ vocem qua sanaris, ut videas Deum, quem tibi videndum distulit; hominem autem videndum attulit, occidendum obtulit, imitandum contulit, credendum transtulit, ut ista fide ad videndum Deum mentis oculus sanaretur.* Cùm ergo veritas æterna edicat, cùm natura ipsa promulget, cùm castigatior Gentilium Philosophia non dissimulet, beari animas non aliter posse, quàm excutiendo se ab glutine temporalium, & adhærescendo æternitati veritatis, ut temporalibus infixi homines id caperent, in ipsis temporalibus excitatum esse documentum ingens, an stultum est credere? An non stultum potiùs est non credere? Saltem postquam experientia ipsa rem comprobavit. Augustinus de vera relig. c. 10. *Æterno enim creatori adhærentes, & nos æterni efficiamur necesse est. Sed quia hoc anima peccatis suis obruta & implicata per seipsam videre ac tenere non posset, nullo in rebus humanis ad divina capessenda interposito gradu, per quem ad Dei similitudinem à terrena vita homo niteretur: ineffabili misericordia Dei, temporali dispensatione, per creaturam mutabilem, sed tamen æternis legibus servientem, ad commemorationem primæ suæ perfectæque naturæ partim singulis hominibus, partim verò ipsi hominum generi subvenitur. Ea est nostris temporibus Christiana religio, quam cognoscere ac sequi securissima & certissima salus est.* Nihil magis igitur consentaneum æternis legibus, quàm ut obruta & implicata temporalibus anima, in illis ipsis quæ sola capere potuerat, æternam veritatem magistram inveniret, hortantem, viamque expedientem qua abiret hinc, & in æternitatis patriam unde huc defluxerat, revolaret. Id præstat tota Christi temporaliter gesta dispensatio; unde Augustinus Enchir. c. 53. *Quidquid igitur gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in ascensione ad Cœlum, & in sedere ad dexteram Patris, ita gestum est, ut his rebus non mysticè tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana, quæ hìc geritur. Nam propter ejus crucem dictum est, Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Propter sepulturam, Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem. Propter resurrectionem, Ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Propter ascensionem verò in Cælum, sedemque ad dexteram Patris, Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram; mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hanc fugam à terrenis ad divina, ad æterna à temporalibus, nonnè imperat, nonnè clamat æterna veritas? Et æternaliter clamat? Quid si obsurdefactis ad æterna, & sola temporalia exaudientibus, temporaliter idem clamet, an non maximè sibi consentiet? Et si eo clamet modo qui opportunissimus est ut exaudiatur, an non tunc maximè sibi obsequetur? At quis opportunior, quis efficacior id inclamandi & extremam surditatem nostram rumpendi modus, quàm ut homo hominibus clamet, sed legis ipsius æternæ personam & authoritatem gestans? Nec solùm dictis clamet, sed vitæ suæ tenore toto? Consentaneum planè est, quod intelligibiliter intellectualibus naturis usque insonat, id temporaliter temporalibus & carnaliter carnalibus intonet veritas; & non suam sibi, sed ejus vocem linguamque usurpet, quem alloquitur. Denique ut æternaliter & intelligibiliter clamat veritas, non voce ascititia aut verbo evibrato, sed sua substantia, nec aliud in ea est clamare quàm esse, & edicere aliquid quàm se ostendere: ita si illud idem temporaliter clamet, quod clamabit, hoc erit; substantia sua eloquetur; & carnalibus in carnali substantia sua id effabitur, seu id ostendet, quod intellectualibus in intelligibili substantia sua effatur, id est ostendit legendum imitandumque; veritas enim vox est, non vocem habet; vox illi est ipsa substantia.

Observa 8. Quandoquidem legis æternæ caput & summa in eo est, ut à temporalibus ad æterna festinetur; hujus autem præcepti vis eò maximè pertinet, ut quæ hìc dura sunt, constanter perferantur; quæ mollia, fortiter omittantur; ne vel horum lenocinia nos excantent, vel illorum frangant asperitates, fugamque hinc nostram retardent; Christus utriusque magisterium non edere semel, sed semper esse voluit, quandiu hìc vixit. Augustinus de vera relig. c. 16. *Satellites voluptatum divitias perniciosè populi appetebant, pauper esse voluit: honoribus & imperiis inhiabant, rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant, tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant, omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur; quæ major injuria, quàm justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur, flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant, morte multatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes, non rectè vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia quæ vitare cupientes, à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.* Et Epist. 120. c. 4. *Itaque Christus homo* ut per

II. Tota Christi vita, morum censura fuit, in duris perferendis, in voluptatibus contemnendis.

ut per eum revelaretur novi gratia testamenti, quoniam non ad temporalem sed ad æternam vitam pertinet, non utique terrena felicitate commendandus fuit. Inde subjectio, inde passio, inde flagella, sputa, contumeliæ, crux, vulnera, & tanquam superato subjectoque mors ipsa, ut fideles ejus discerent, quale pietatis præmium ab illo, cujus filii facti essent, petere atque sperare deberent. Ne ad hoc pro magno servirent Deo, ut terrenam felicitatem adipisci quærerent, cui servirent ipsi, abiicientes & conculcantes fidem suam, æstimando eam mercede vilissima. Et de agone Christ. c. 11. *Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si charitate Filii Dei non sanatur? Postremo quæ timiditas sanari potest, si resurrectione corporis Christi Domini non sanatur, &c. Nolite amare carnalia, quia in Filio Dei nec masculus nec fœmina sumus. Nolite amare temporalia, quia si bene amarentur, amaret ea homo, quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias & crucem & mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo, quem suscepit Filius Dei. Hæc omnis hortatio, quæ jam ubique prædicatur, ubique veneratur, quæ omnem obedientem animam sanat, non esset in rebus humanis, si non essent facta illa omnia quæ stultissimis displicent, &c. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem!* Vide & L. 83. qq. q. 25. At L. de Catech. rudib. c. 22. *Tunc enim & lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed charitate illius qui præcepit, fiunt quæcunque præcepit, &c. Omnia ergo bona terrena contempsit homo factus, Dominus Christus, ut contemnenda monstraret; & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quæ quamvis à viro intacta conceperit, &c. tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus etiam in civitate Bethlehem, quæ inter omnes Judææ civitates ita erat exigua, ut hodieque villa appelletur, noluit quenquam de cujusquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est cujus sunt omnia, & per quem creata sunt omnia, ne quisquam cùm in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separaverat: quamvis sempiternum ejus regnum universa creatura testetur. Esurivit qui omnes pascit, &c.*

III. *De eodem.* Hìc elucet quàm tota Christi inter homines vita, morum fuerit disciplina, vitiorum censura, virtutum norma; voluptatum dedecora, opum inania, nobilitatis fumos, gloriæ ventos, quæ arctissima sunt vincula, quibus hìc innectimur, fugitando, sectari dedocuit; contumelias, inopiam, cruciatus, mortem, quibus maximè terriculamentis ab æternorum amplexu avertimur, perferendo ferre addocuit; geminam vitiorum radicem, à temporalium vel bonorum amore, vel malorum metu fruticescentem, stirpitùs excidit; felicitatem hìc desperandam, aliunde expectandam exemplo suo persuasit; cùmque æternus Deus tantis olim portentis, tantis per Moysen editis omnipotentiæ documentis, ad sui cultum paucos homines inducere potuisset, nec potuisset nisi temporalium bonorum spe inescatos: idem homo factus universum hominum genus sibi subjugavit, sibique id est legi & veritati æternæ, non jam temporalium, sed solius æternitatis amore mancipavit. Quid hìc est, quod nisi stultissimis displicere queat? Hæc præcipere, hæc documenta dare, horum semet documentum & exemplum præstare, decet prorsus incommutabilem veritatem, & solam decet: tam decet illam hæc temporaliter temporalibus insonare, quàm intelligibiliter intellectualibus.

Rursum Gregorius Magnus: *Idcirco inter nos homo factus est, ut non solum nos sanguine fuso redimeret, sed etiam exemplo ostenso commutaret. In conversatione igitur nostra & veniendo alia invenit, & vivendo alia docuit. Studebant enim omnes superba Adæ stirpe progeniti, prospera vitæ præsentis appetere, adversa devitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos Dominus incarnatus, adversa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. Nam cùm Judæi regem sibi constituere illum voluissent, fieri rex refugit. Cum verò eum interficere molirentur, sponte ad crucis patibulum venit. Fugit ergo quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt. Sed cum fugit quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt, fecit quod omnes mirarentur, &c.* Idem habet Pastoralis curæ parte 1. c. 3. & alibi. Hìc adverte tripartita Christi opera, in dulcium aversatione, acerborum perpessione, mirabilium perpetratione; ita tamen ut mirabilium operatio non sui causa, non ostentationis ergo, sed ideo usurpata sit, ut personæ commendaretur authoritas, & tantæ authoritatis momento invalesceret exemplum, & aversandi dulcia, & dura perferendi. Idipsum innuunt illa Augustini verba L. de vera rel. c. 3. *Ut omnia contemnendo quæ pravi homines cupiunt, & omnia perpetiendo quæ horrescunt, & omnia faciendo quæ mirantur, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque authoritate converteret.* Idem Bernardus sermone ad Milit. templi c. 11. *Dilata morte homo inter homines dignatus est aliquandiu conversari, quatenus crebris & veris locutionibus ad invisibilia excitaret, miris operibus astrueret fidem, rectis moribus instrueret. Itaque in oculis hominum Deus Homo sobriè & piè conversatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo jam defuit nobis ad salutem?* Hoc ergo erat arcanum Christi consilium, ut voluptates vitiorum omnium architectas fugitare, labores ut virtutum formites ambire, dictis exemplisque suis nos addoceret; miracula non operaretur, nisi ut tanta authoritas hanc saluberrimam altiùs irradicaret doctrinam.

Moral. l. 10. c. 15.

Observa 9. Quia invictissima veritas est, & quæcumque in ipsam vibrantur criminationum tela, in authores resiliunt suos. Hinc effici ut fidei incarnati Verbi nemo obluctari potuerit, quin vitia ipse sua denudaret, suumque infringeret conatum. Quisquis enim horrescit cùm Deum audit ex summa opulentia ad nostram inopiam descendisse, non assumptæ à Deo paupertatis fidem elevat, sed suam ipsius avaritiam declarat. Ita paupertas Christi non offendit nisi avaros, nec humilitas nisi superbos, nec patientia nisi iracundos, nec crux nisi delicatos, nec mors nisi timidos. Illis enim displicent virtutes quæcumque, quibus oblectamento sunt adversa illis vitia. Ex adverso autem cuicumque compositum jus fasque animo est, sanctique recessus mentis, & incoctum generoso pectus honesto; cuicumque non aliud cordi est quàm virtus, non aliud in pretio quàm honestas; cui sordent terrena omnia, cui sapiunt divina; cui non alia opulentia placet, quàm sapientia; quem non alia oblectat voluptas, quàm justitia; quem una exaltat nobilitas ex virtutum cognatione; quem una exhilarat veritas, contristat improbitas; quisquis istiusmodi est, is non pronus, sed præceps in Christi fidem feretur. Illi enim nihil magnificentius videbitur humilitate Christi, ad superbiam hominum extundendam comparata: nihil opulentius paupertate Christi, terrenas opes, irritamenta malorum hìc omnium, damnante, & cælitus ditescente: nihil beatius cruce Christi, qua veritati & justitiæ toto sanguinis sui impendio vitæque dispendio perlitavit; nihil immortalius morte

IV. Nemo à Christi disciplina abhorret, nisi quia virtutes exhortet, & vitiis totus scatet.

morte Christi, qua vitia interiere omnia, virtutes revixere immortales; nihil Deo incorporato dignius, nihil optabilius, quàm vitam omnem justitiæ tutandæ impendere, quàm morte sua vitium interficere, virtutes excitare, quàm legem de eliminandis voluptatibus terrenis, revocandis cælestibus sancire hoc exemplo, quàm hostes beneficiis demereri, quàm crucifigentibus benefacere. Quisquis Christo credit, his se præjudiciis imbutum contestatur, his sanctimoniæ legibus se affixum, has sibi virtutes in pretio, has in oculis, has in deliciis sibi esse, has sibi tanti esse, ut vel Deo ipso dignæ videantur? Hoccine stultum est? Hoccine calumniæ patet? Hoccine inconsultæ credulitatis argumentum est? Annon potius stultum est ista non credere, quæ quisquis non credit, à credendo non alio retardatur obice, quàm virtutum fastidio, quàm æquitatis incuria, & amore terrenorum & carnis pondere? Augustinus de agone Christ. capit. 11. *Sunt autem stulti qui dicunt, Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus, poterat omnino; sed aliter facere, similiter vestræ stultitiæ displiceret. Si enim non appareret oculis peccatorum lumen ejus utique æternum, quod per interiores oculos videtur, inquinatis mentibus videri non posset. Nunc autem quia visibiliter nos commonere dignatus est, ut ad invisibilia præpararet: displicet avaris quia non aureum corpus habuit; displicet impudicis quia ex fœmina natus est. Multum enim oderunt impudici quod concipiunt, & pariunt fœminæ. Displicet superbis quod contumelias patientissimè pertulit: displicet delicatis quia cruciatus est; displicet timidis quia mortuus est. Et ut non vitia sua videantur defendere, non in homine dicunt sibi hoc displicere, sed in Filio Dei. Non enim intelligunt quid sit æternitas Dei quæ hominem assumpsit, & quid ipsa humana creatura, quæ mutationibus suis in pristinam firmitatem revocabatur, ut disceremus, docente ipso Domino, infirmitates, quas peccando collegimus, rectè faciendo posse sanari.* Qui obstrepunt ergo incarnationi, nihil aliud quàm sua produnt vitia; & quanta laborent nausea virtutum, & caducorum cupidine, patefaciunt. Ægrè ferunt tanto se authoritatis pondere urgeri, tanto incitari divini exempli stimulo ad fugam à terrenis ad cælestia, à temporalibus ad æterna capessendam, unamque virtutem amplexandam. Compendiosius ducunt obtrectare tantæ authoritati, eamque detrectare penitus, quàm illi cedere, & in meliorem frugem resipiscere. Non capiunt quàm vile & indecorum nihil sit præter vitium; ideoque nec humanitate, nec humanitatis ærumnis dedecorari Deitatem. Non capiunt quantum sit virtutis decus, & patientiæ voluptas quàm ingens, & justitiæ charitate calamitates omnes perferre, quantarum fons deliciarum sit. Non capiunt quàm digna sit virtus & patientia magistro Deo; & quàm hoc magisterio etiam per exempla firmato non dedecoretur Deus. Non capiunt terreno hebetati pulvere, quàm solus potuerit, solus debuerit Deus hanc artem informare hominibus, qua calamitatibus suis suam superstruerent fœlicitatem, peccatorum pœnas in virtutum ansas traducerent, è malis bona amplificarent. Non capiunt denique quantæ sit amentiæ incarnationi Verbi refragari, cui nullum vitium non refragatur, nulla virtus non suffragatur; quantæ demum nobis fiduciæ incrementum Christianis sit, quòd Christo testimonium dicunt non homines, sed virtutes; quod illi contradicunt non hominum ingenia, sed vitia.

V. Humilitas Christianitatis tessera non alienat nisi superbos.

Observa 10. Humilitatem penes veræ sapientiæ compotes fidei Christianæ conciliatricem esse, quæ apud insanos & mundana superbia tumentes ejusdem alienatio est. Cùm enim stirps altissima vitiorum omnium superbia sit, altissimasque in hominum animis radices egerit, ea est quæ divinæ humilitatis fidem jugumque detrectat; & ea tamen est quæ non alia, quàm Dei humilis medicina sanari se flagitat. Tantus ille morbus est, ut hanc medicinam desideret; tanta hæc medicina est, quanta dici non possit, & tamen ea minor hunc morbum non sanat. Nil mirum ergo si vim medicinæ maximam, id est Dei humilitatem, vis morbi acrior seu superbia hominis recuset, & refellere nitatur. Hoc unum maximè est, quod Platonicos præteriit, hoc potissimum est Christianæ Philosophiæ privilegium. Hoc humilitatis præsidio illi destituti, multa præclarissimè disputarunt, nec potuerunt orbi persuadere. Superbi superbos homines exasperarunt ostentata per jactantiam veritate, non mansuefecerunt. Virtutes si quas ipsi coluerunt, philosophico fœdarunt fastu; plusque alios hominesmorum superbia alienarunt, quàm conciliarunt dogmatum veritate. *Ea fuit una humani generis medicina.* Primæ hujus medicinæ partes erant frangere superbiam hominum, qua innatis applaudebant vitiis, qua sensibus suis & præsumptis opinionibus totum tribuebant; qua eos qui prædicarent esse supra ipsos aliquid sola mente spectandum, cui videndo nondum essent idonei, nec nisi morum emaculatione fieri possent idonei, exibilabant; qua denique mendacium inolitum insolitæ veritati, & seipsos Deo anteponebant. Hoc unum quod hominum omnium obstabat resipiscentiæ, amoliendum erat repagulum. At superbiam superbia qui castigaret? Superbiam tantam quæ humilitas compesceret? Non alia planè quàm Dei. Confestim ergo veritati cervices subidit humanum genus, ut vidit inanitam ejus Deitatem, obnubilatam majestatem, & extremam infandamque mortis & crucis humilitatem. Tunc divinæ humilitatis admiratores & æmulatores evasimus. Tunc ægrotare nos credidimus, & sordes vitiaque nostra non dissimulavimus; cæcitatem nostram vidimus, & allucere supernè intelligibilem veritatem eique videndæ purgandos nos esse consensimus. Hæc ars medendi Platonicos latuit superbos, & ex superbiæ mendacio somniantes suo se marte & humana vi posse, & veritatem inspectare, & inspectandam humano generi propalare, & justitiam revocare exulantem, & ad beatitudinis patriam suis auspiciis appellere. Hinc evanuerunt in cogitationibus suis, & solius humilitatis inopia pulcherrimos conatus corruperunt. Augustinus in Confessionibus, cùm ex disciplina Platonicorum dissenuisset, ut gradatim scandens ad incommutabilis veritatis contuitum pertigisset tandem, quamvis raptim: *Unde nossem ipsum incommutabile, quod nisi aliquo modo nossem, nullo modo illud mutabili certo præponeret, & perveniret ad id quod est in ictu trepidantis aspectus. Tum verò invisibilia tua per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi; sed aciem figere non valui, & repercussa infirmitate, &c. Et quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inveniebam donec amplecterer mediatorem Dei & Hominum hominem Christum Jesum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem & dicentem, Ego sum via, veritas & vita; & cibum cui capiendo invalidus eram miscentem carni: quoniam Verbum caro factum est, ut infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Jesum Christum, humilis humilem; nec cujus rei magistra esset ejus infirmitas noveram: Verbum enim tuum æterna veritas superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam; in inferioribus autem ædificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdens nos deprimeret à seipsis, & ad se trajiceret, sanans tumorem, & nutriens amorem, ne fiducia sui progrederentur longiùs, sed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam divinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens levaret eos.* Et c. 20. *Jam enim cœperam velle videri sapiens, plenus pœna mea, & non flebam, insuper inflabar scientia. Ubi enim* L. 8. c. 17. 18.

erat

erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis quod est Christus Jesus? Aut quando illi libri me docerent eam, &c. Ubi totus cardo ostenditur incarnationis in sola verti humilitate; quæ una Platonicis defuit, ut ibi per multa capita idem exequitur. Eandem enim nobiscum Verbi Deitatem, eandem patriam beatificam ait illos vidisse, sed viam humilitatis quæ eò duceret non vidisse; imò videndo patriam, ab ea longiùs longiùsque per superbiam, qua inde tumebant, deviasse. At Christus via est humilitatis, humiles humili Deo libenter adglutinamur, cum illo infirmamur, ab illo curamur, & sanamur, cum eo denique ad superna purgati remigramus. Rursus idem Augustinus: *Non sicut illi (Epicurei & Stoici) errorum suorum, ita Platonici veræ rationis personam implere potuerunt. Omnibus enim defuit divinæ humilitatis exemplum, quod opportunissimo tempore per Dominum nostrum Jesum Christum illustratum est; cui uni exemplo, in cujusvis animo ferociter arrogantis, omnis superbia cedit & frangitur, & emoritur. Ideoque non valentes illi authoritate turbas terrenarum rerum dilectione cæcatas ad invisibilium fidem ducere, &c.* Et ibidem paulò post: *Ex quo intelligitur ipsos quoque Platonicæ gentis Philosophos, paucis mutatis quæ Christiana improbat disciplina, invictissimo uni regi Christo pias cervices oportere submittere, & intelligere Verbum Dei homine indutum, qui jussit, & creditum est, quod illi proferre metuebant. Huic te mi Dioscore ut tota pietate subdas, velim: nec aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita est ab illo qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem. Non quo alia non sint præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcumque facimus, & præcesserit & comitetur, & consecuta fuerit: & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet superbia. Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est; ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Et idem alibi alloquens Platonicos: *Itaque videtis utcumque etsi de longinquo, etsi acie caligante, patriam in qua manendum est: sed viam qua eundum est, non tenetis, &c. Sed huic veritati ut possetis acquiescere, humilitate opus erat, quæ cervici vestræ difficillimè persuaderi potest.* Ubi advertis totum arcanum incarnationis, & totius Christianitatis tesseram esse humilitatem; totum humani generis morbum, & totam Platonicæ Philosophiæ in eo curando imbecillitatem fuisse superbiam. Superbia enim homo & defecerat à Deo, & à lege conspectuque supernæ veritatis sese averterat, & vitio cæcatus perspicacem, æger sanum se jactabat, & contrectari vulnera sua purgarique oculos respuebat. Superbia Platonici & suapte vi veritatem intueri, & intuendam aliis exhibere se posse fidebant, & purgandis aliorum oculis moribusque se pares esse; cùm tamen & ipsi lippirent, nec nisi trepidante acie strictimque videre possent veritatem; sensuumque & phantasmatum ac terrenorum affectuum vinculis irretiti cùm essent, purgandi magis ipsi, quàm purgandis aliis essent præficiendi. Humilitatem autem inexcogitabili exinanivit semetipsam ipsa veritas, cùm carnis nostræ sarcinam subiit, & humilitatem proposuit quam imitaremur, apposuit cui adglutinaremur, imposuit qua reprimeremur. Cùm enim innata & inextincta siti veritatem, uti fœlicitatem summam, concupiscamus, facilè inducimur ut illi coaptemur, cum ea infirmata infirmemur, cum humili humiles simus. Advertis rursus in illo Augustini Confessionum contextu allegato, intellectualibus naturis eandem incommutabilem Verbi veritatem allucere, sed aliter stantibus, aliter lapsis. Stantes enim ipsa supereminens ad seipsam erigit, lapsas autem in cœnum sensibilium, eoque lapsu & contritas & excæcatas erigere ad se non potest, nisi in idem cœnum, in eadem sensibilia descendat ipsa, sibique humili humiles adglutinet, secumque tandem sursum revehat. Quod alibi jam explanavimus, hinc totus ebullit error Platonicorum, quòd lapsam mentium naturam à stante non satis discriminaverint; ægris non medicinam porrexerint, sed cibum sanis appositum; lippientibus eandem lucem sine velo atque perspicacibus ingesserint; atque ita ægros pro sanis habendo, morbum exacerbaverint ingenti superbiæ accessione. Non poterat quidem mentibus admoveri nisi veritas, sed aliter ingerenda erat veritas sanis ut cibus, aliter ægris ut medicina; aliter grandibus ut esca, aliter in infantiam lapsis ut lac; aliter oculatis ut pura lux, aliter cæcutientibus sub carnis nubilo. Sed lapsæ de suo lapsu primùm admonendæ, & conterendæ erant, & hac primùm humilitatis medicina, non alia quàm ipsa veritate propinante, & præbibente, potandæ.

Epist. 56.

Civit. Dei. L. 10. c. 19.

VI. Christi œconomiam in æternis rationibus cur non potuerint Platonici pervidere.

Observa 11. Tametsi veritatem incommutabilem viderint Philosophi Platonici, non tamen nisi caligante & nictitante oculo, raptimque & coruscaminis instar vidisse, præstricta statim acie necdum satis sana, & ad sensibilium tenebras phantasmatumque consuetudinem protinus reverberata. Quocirca nec in ipsa veritate quam obiter & strictim & rarò videbant, videre potuerunt sæculorum contextum, & temporalis historiæ fluxum: sed res hujusmodi sensuum & litterarum beneficio experiri vel lectitare compulsi sunt. Temporalia quippe hæc omnia, & quantum inscitia nostra suspicatur, fortuita eventa, causas habent ineluctabiles in summa veritate, & rationem ordinemque inexpugnabilem, nexumque & seriem ab incommutabili sapientia æternaque lege sortiuntur. Nec beatæ mentes alibi torrentem sæculorum, & temporalium vices contemplantur seu nobis futuras adhuc, sive jam prætеritas, quàm in arte summa & veritate ipsa, unde infatigabiliter dispensantur. Sed aciem infigi veritati necesse est, altiùsque immergi, ut hæc quasi abstrusiora, & in ejus sinus penitissimos demersa introspiciantur. Non ergo id potuere Platonici, proindeque nec potuere temporalem Christi œconomiam ibi contueri; minùsque mirum accidere debuit illis, ubi hanc per orbem promulgari audiere. Minùs quoque mirum est, si Christianis Theologis jam convalescente per Christi medicinam mentis acie, & minùs titubante, non credere tantùm, sed intelligere, & in sacrario veritatis æternæ explicatam intueri quandoque obtingit totam temporalitatem Verbi incarnati. Augustinus: *Quasi verò quia præcelsam incommutabilemque substantiam, per illa quæ facta sunt, intelligere potuerunt, propterea de conversione rerum mutabilium, aut de contexto sæculorum ordine consulendi sint. Numquid enim quia verissimè disputant, & documentis certissimis persuadent, æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipsis rationibus perspicere vel ex ipsis colligere quæ sint animalium genera, quæ semina singulorum in exordiis, qui modus in incrementis, qui numeri per conceptus, &c. Nonne ista omnia non per illam incommutabilem sapientiam; sed per locorum ac temporum historiam quæsierunt, & ab aliis experta atque conscripta crediderunt?* Quo ita comperto mirari desines, eccur cùm Platonicos in æternis Dei contemplandis adeo familiares olim habuerimus, illos in temporali Christi dispensatione indaganda penitùs prætermittimus? Æternam enim Dei veritatem utcumque illi spectarunt, at aciem figere non potuerunt, ut in ejus recondito penetrali etiam temporalium cum æternis commissuras nexusque occultissimos pervidérent.

L. 4. de Trin. c. 14. 15.

VII. Qualis intelligentibus mentibus occurrat Christus.

Observa 12. Hac potissimùm, hac præstantissimè ratione informatum nobis esse Christum, ut cogitetur velut persona veritatis; velut sapientia æterna gestans hominem; velut homo gestans personam

sonam sapientiæ immutabilis; velut incommutabilis veritas corporascens in homine, per eumque explicans sese carnalibus hominibus, plus carne quàm mente videntibus, plus palato quàm intellectu sapientibus; velut eadem incorruptibilis esca veritatis, qua homo stans deliciabatur, eidem in pœnalem infantiam revoluto lactescens; velut mentium omnium vita, carnalibus factis ex carnis amore mentibus occursans, & caro facta; velut lex ipsa æterna, & justitia invariabilis corporatis mentibus corporatum se objiciens, ad exemplum, auxiliumque. Dum Christus ita informatur mentibus, plurima succrescit utilitas, larga suavitatis affluit copia. Nam cùm eidem glutinatur veritati lapsus, cui adhærebat stans, in pristinum statum redit, lapsusque sui dispendia minùs sentit. Item dum ægro miseroque eadem occursat veritas, quæ sanum beatumque beabit, jam illam anticipat prægustatque beatitatem. Item dum homini idem, qui Angelo cibus objicitur, jam angelica in contubernia unde excidit, remigrat. Item dum veritas, justitia, & persona ipsa sapientiæ legisque cogitatur Christus; obviat menti simul & summa authoritas cui cedat fides, & summa humilitas cui procumbat fastus, & summa justitia cui coaptetur vita, & summa spiritalitas cui excutiatur totus corporalium pulvis, & tota dogmatum morumque sanctimonia in unum conglomerata ponitur ob oculos. Item dum Christus ut persona veritatis cogitatur, carnales ut sibi coaptet, sese illis priùs coaptans, temporalis historia ad æternam veritatem, & fides ad intellectum revocatur, & incredulitatis latentes fibræ curiosiùs execantur, & corporalium caligo mysteriorum superfuso æternorum splendore mirum in modum illuminatur. Item dum Christus ut veritas, ut sapientia ipsa cogitatur, demulcentur Philosophorum flos delibatus Platonici: quam prope enim à nobis absint, & quantum nostra ipsis alludant, hinc patescit maximè; per illos autem reliquorum nobis Philosophorum utpote longè inferiorum conciliatur admiratio, & Gentilium omnium qui illos maximoperè admirabantur, reverentia accedit. Denique dum Christus ut veritas, ut sapientia, ut lex ipsa æterna menti obviat, natura ipsa mentis nostræ delinitur, & quodammodo titillatur, conscia sibi nimirum ingeniti sibi, & medullitus insiti cum veritate & sapientia consensus, & amoris, & cognationis; gestitque & adgaudet ad hanc formam, ut consentaneam, & olim familiarem; cùm tamen si alia se sisteret illi specie, refugeret forsan, & quasi ad novum & grave fidei jugum tergiversabunda gemeret. Hinc Augustinus, quo non alius arcana Christianæ pietatis altiùs ut mihi quidem videri solet, perscrutatus est & fœlicius, hanc nobis inculcat creberrimus Christi cogitandi formam: Docet quippe ille Christum eminere cæteris hominibus, non perfectiori participatione sapientiæ, sed *persona veritatis*. Et alibi, *Non posse hoc ab homine fieri, nisi quem forte ipsa Dei virtus, & sapientia, ab ipsa rerum natura exceptum, &c. Tanta majestate subveherer, &c.* Et ibidem, *Cum facilè existimari possit quantum honoris debeatur sapientiæ Dei, qua gestante & gubernante, ille pro vera salute generis humani, &c.* Et rursum alibi, *Non sicuti illi* (*Epicurei & Stoici*) *errorum suorum, ita Platonici veræ rationis personam implere potuerunt*. Et alibi sæpiùs in eandem sententiam.

Confess. l.7. c. 19. De vera relig. c.3. Epist. 5.

CAPUT XIV.

Eadem divinæ in Magistro generis humani personæ, & authoritatis necessitas, & efficacia prolixius elucidatur, adversus Philosophos omnes sæculares.

I. Demonstratur incar- nata veritas ex orbe subjugato mirabiliter.

QUanta fuerit necessitas, ut divinæ personæ & authoritatis magisterio ac pondere urgeretur genus humanum, quo & à vitiis revelli & ad virtutum studia impelli posset, planissimum fiet; si hinc statuatur ob oculos, quàm cassi fuerint Philosophorum id enitentium conatus, tametsi & eloquentiæ præsidio, & ingenii copia, & rationum vi ac sapientia, omnibusque humanis pollerent opibus; inde perpendatur quàm facilè, quàm invictè totum orbem statim pervagata sit Christi disciplina, totumque perdomuerit, quanquam per homines ab omni humana ope inermes, solaque magistri divina authoritate subnixos propagaretur. Id præstanter demonstrat Athanasius L. de Incarnatione Verbi Dei, *Olim Poeticæ numina Jovem, Saturnum, Apollinem, Heroasque item pro veris numinibus habuerunt, eosque per errorem venerati sunt: nunc verò postquam Christus inter homines apparuit, & illos mortales fuisse, & Christum solum inter homines verum Deum, veri Dei Verbum esse patefactum est, &c. Cæterum de græcanica sapientia, & Philosophorum grandiloquentia neminem arbitror verba requirere, quum in oculis sit ipsum miraculum. Tot enim tantisque à Philosophis Græcorum voluminibus scriptis, ne paucos quidem vel ex proximis locis adducere potuerunt, ut sua de immortalitate animæ dogmata, & placita de vita secundum virtutem instituenda amplecti vellent. Solus Christus vilibus citra ullam magnificentiam verbis, ac per homines nequaquam eruditæ linguæ in orbe terrarum plurimis Ecclesiis id persuasit, ut mortem inter contempta, immortalia in pretio haberent, temporalia despicerent, æterna suspicerent, nihil putarent gloriam in terra, solummodo autem affectarent immortalitatem. Et hæc quidem non verbo tenus à nobis jactantur, sed re ipsa veritatisque experimentis demonstrantur. Adeat enim qui velit, & spectet insignia virtutis in Christi virginibus, & in adolescentulis pudicitiam consecratam, & immortalitatis fidem adstructam in tanto Martyrum choro*. Et paulò post: *Cujus unquam dogma unum idemque à primis carceribus mundi usque ad ultima terrarum eas vires secum pertulit, ut impressa ubique sua religione orbem universum pervolaret? Aut cur si homo est Christus ac non potius Dei Verbum, non arcetur ab Ethinicorum numinibus, &c. Multi ante eum fuere reges & tyranni, complures apud Chaldæos referuntur magi & sapientes, apud Ægyptios item indosque: quis unquam horum non dico post mortem, sed cum viveret, tantum potuit ut universam terram sua doctrina repleret, & tantam vim hominum idololatriam dedoceret, quot Salvator noster ab idolis ad se transtulit? Græcorum sapientes eloquenter sciteque multa conscripserunt: quod ergo, an tale aliquid quale crux Christi designarunt: Sed fortassis usque dum viverent, illorum sophismata fidem obtinuere: imo etiam ipsis adhuc vivis, mutuis concertationibus, & controversiis jactata sunt. Dei autem Filius, quod jure omnibus est admirabile, pauperrimo verborum apparatu quum doctrinas suas traderet, sophistas illos obscuravit, eorum abolevit dogmata, omnes ad se traxit, Ecclesias suas implevit, &c. Quis ita hominibus perturbationes animæ exemit, ut scorta pudicè agerent; homicidæ ferrum deponerent; pavidi animo, robur conciperent? Quis barbaros gentesque alias persuasit immanitatem deponere, pacifica meditari, nisi Christi fides & crucis signum? Quis denique alius ita mortales certos reddidit de immortalitate animæ, ut Christi crux, ejusque resurrectio?* Et paulò post, *Quis hominum vel in vita vel post mortem, author servandæ virginitatis fuit? Ac non contra arbitratus est eam virtutem præstari non posset? Attamen noster Salvator & omnium rex Christus tantum valuit in hujusmodi præceptis, ut pueri nondum maturi legum disciplinæ, virginitatem quæ supra leges est profiteantur*. Et longè ante eodem libro, *Mortem extinctam esse, & ipsam crucem factam esse victoriam contra ipsam, neque quidquam amplius posse, sed esse mortuam verè, non tenue documentum est, sed certa fides quod illam omnes Christi discipuli contemnunt, insultant, nihilqui ex-*

hor-

horreant; ac signo crucis & fide in Christum eam ut mortuam conculcent. Olim ante adventum Christi, formidabilis erat & ipsis sanctis mors, & omnes quotquot erant vita defuncti velut perditos abolitosque lamentabantur. Nunc autem postquam Christus resuscitavit à mortuis, mors ulterius terribilis non est, & quicumque in Christum fidem habent, eam ut rem nihili pedibus terunt, ac potiùs mortem delegerint quàm Christi fidem inficientur. Certò enim sciunt mortuos non perire, sed vivere, &c. An parva est demonstratio victoriæ à Christo de morte reportatæ, quum pueri in Christo & teneræ puellæ istam vitam contemptui habeant? Et moriendi rationes meditentur? Homo certè naturaliter mortem & corporis sui dissolutionem expavescit: is tamen ubi indutus est fidem crucis, res naturales vilipendit.

II. Victoriæ per Christũ Magistrum reportatæ admirabilitas ad summa quædam capita revocatur.

Ex quibus Athanasii verbis, multa sunt, quæ seriò pensitari postulent, divinæque in magistro humani generis personæ, & authoritatis necessitatem, & efficaciam commonstrent. Nam 1. Cùm frustra in id incubuissent tandiu, insudassentque nequicquam Philosophi, ut à mutis simulacris abducerent homines; Christus exortu suo idola profligavit omnia, eamque errorum & scelerum omnium sentinam purgavit. 2. Cùm de Deo tam multa disseruissent Philosophi, & implacatis discordiis inter se dissiderent; nec seipsos, nedum vulgus hominum, certæ alicui sententiæ religare potuissent; sed infinita altercandi novandique licentia in dies, & quæ rata fuerant, convellerentur, & quæ proscripta fuerant, retractarentur: divinæ prorsus authoritatis vi ineluctabili Christus discordias omnes sedavit, novandi libidinem elisit, unius Dei cultum fidemque inconcussam non Philosophis tantùm, sed humano generi tam altè inseruit, ut secus mutire nemo jam ausit, nemo velit. 3. Nec de Deo tantùm, sed & de Dei providentia, & de controversata adeo apud Philosophos, nec satis constanter fundata animæ immortalitate, certam & inexpugnabilem sententiam constituit Christus; quo gemino fulcimento priùs vacillante vacillabat, nunc constante constat religio pietasque, & vitiorum detestatio, & pretium virtutis. 4. Cùm illa de providentia Dei, de immortalitate animæ, paucis intra scholæ pulpita persuaderent Philosophi discipulis, Christus illa totum per orbem disseminavit, barbaras quasque gentes mansuefecit, & miram dogmatum sublimitatem instillavit quibusque imperitissimis. Barbaries autem & imperitia expugnari non argumentorum machinis, non eloquentiæ jaculis, sed docentis authoritate, sola magistri divinitate flecti potuit. 5. Cùmque aliquantò proclivius sit intellectus quàm vitæ morumque consensum tantæ dogmatum sublimitati, vel accommodare, vel extorquere; an Philosophi morum concordiam impetrassent, qui ne mentis quidem assensum exprimebant? Non deerat tamen ipsis rationum copia, supererat eloquentia. Deerat ergo personæ authoritas, qua rudes & pervicaces frangerentur. 6. Nec moribus tantùm suas leges invexit Christus, quas illi inaniter auribus hominum adgarriebant; sed ita astrinxit, ut nec morte, nec crucibus, nec quacumque carnificum immanitate ab illarum scrupulosissima observatione abduci potuerit genus hominum. Quid amabo causæ est, ut sanctimoniæ leges quas dictabant philosophi, contemneret & sannis insectaretur vulgus hominum? Easdem non tanto sanè rationum aut verborum apparatu munitas ubi Christus edixit, certatim omnes amplexati sint, vitam ad illas effinxerint, nec ulla pœnarum mortisve atrocitate inde vel tantillum deflecti potuerint. Non aliud in causa esse potuit, quàm quòd homines veritatis lucem haud ferentes, hominum sui similium authoritate non facilè movebantur ad res, quarum fides vel imitatio tanti staret; at divinæ authoritatis pondere fracti ac superati sunt. 7. Cùm voluptatum cupiditas, mortis laborumque formido, incentiva essent ad omne scelus, & jam ita inolevissent, ut naturæ magis quàm vitio imputarentur; hæc execari sibi à philosophis non patiebantur homines, nec passuri erant, nisi ab eo, quem divina personæ authoritas naturæ ipsi imperitare comprobaret. 8. Nec vitia tantùm, quæ pro natura inoleverant, sed naturæ ipsius incitamenta ad vitæ tutelam, ad prolis amorem cæterosque humanos affectus expugnavit Christus, ipsi naturæ illudere docuit, suis illam legibus posthaberi persuasit. Qua id ratione consecutus esset, cùm supra rationem id quidem sit? Sed qua id authoritate impetrasset, nisi divina, & totam naturam superante? Nam quod natura hortatur, si dehortatur Christus, non obsequetur illi nisi is, qui naturæ Dominum naturæ derogare jure suo posse intelliget. Igitur quod Philosophis ne in mentem quidem venerat, ut suaderent hominibus, castitate se obligare, innatas cupidines extinguere, abdicare nuptias, vitæ mortalis pertædescere, vitam sanguinemque veritati tutandæ avidiùs impendere; id Christus hominibus, id adolescentulis, id pueris & puellis persuasit. Exinde enim castra virginum, examina martyrum de morte, de voluptate, de natura ipsa triumpharunt.

III. Ex sanctorũ Patrum verbis eadem declaratur. Præpar. Evang. L. 4. c. 4.

Athanasio Eusebius consentit, *Istorum omnium (falsorum numinum) loco, per unam hanc Evangelicam Salvatoris nostri doctrinam effectum cum sit, ut ex Græcis pariter ac barbaris, quotquot ejus verbum syncero animo non simulatè suscipiunt, eum supremæ Philosophiæ gradum attingant, ut unum eundemque summum Deum, &c. totius mundi procreatorem fateantur. Ita porro vitam quasi ad amussim exigere & conformare studeant, ut ipsum etiam oculorum sensum disciplinæ legibus contineant, nihilque non temperatum ex aspectu cum cupiditate conjuncto in animum subire patiantur, ac vel ipsa ex cogitatione radicitus omne genus fœdæ perturbationis excindant; præterea quod nullo planè jurejurando opus habeant, tantum abest ut perjurio locus esse possit, eo quod nunquam omnino jurandum esse, ac rejecto mendacio verum constanter & ubique retinendum ex illo didicerunt, &c. Ad hæc quod infinita virorum, mulierum ac puerorum, servorum pariter atque ingenuorum, ignobilium atque nobilium, nec non barbarorum simul atque Græcorum, omnibus in locis, oppidis, regionibus, & quotquot Soli subjectæ sunt nationibus, ad subeundam eorum præceptorum quibus nuper informati sumus disciplinam, denso agmine multitudo confluat, ejusmodique sermonibus aures præbeat, quibus non modo ad coercendam actionum petulantiam, verùm etiam cogitationum turpitudinem, omnesque tum ventris tum quæ sub ventre sunt, voluptates domandas excitetur. Quodque nullum non genus hominum divinæ doctrinæ præceptionibus imbuatur, ut lacessentium inimicorum injurias excelso exaggeratoque animo ferre, non mutuis ac similibus improbos homines ulcisci velit: ut iracundiæ vim, ut impotentem ac furiosum cupiditatis omnis impetum regere, ac frænare conetur; adeo ut opes fortunasque suas cum inopibus communicet, &c. Illud porrò quod sequitur, cujusmodi tandem esse putas, quod nimirum eadem genus hominum universum non Græcorum modò, sed ferocissimorum etiam barbarorum, & eorum qui in extremis terræ finibus degebant, à vecordi ferinoque ritu abduxerit, atque ad sententias philosophis planè dignas traduxerit? Cujusmodi sunt ea quæ de animi immortalitate, vitaque illa quæ postquam migratum hinc fuerit, Deo charos homines apud ipsum quasi recondita manet, imbiberunt. Cujus amore capti, tantum in brevis hujus fluxæque vitæ contemptu meditationis posuere, ut verè pueros, quotquot olim maximam ex philosophia sibi laudem pepererant: illamque jactatam perdiu mortem, & Philosophorum omnium ore decantatam, nihil nisi puerilem quandam lusionem fuisse, ostenderint. Cum ipsæ quoque apud nos puellæ tenerique pusiones adeoque barbari homines, & si oculis æstimarentur viles, servatoris nostri viribus auxilioque freti,*

hujus

hujus de animorum immortalitate doctrinæ veritatem, re ipsa potiùs quàm oratione comprobarint. Cujusmodi etiam illud est, quòd universi passim homines ejusdem nostri servatoris beneficio, sanum & constantem sensum hauriant divinæ providentiæ hanc rerum universitatem moderantis.

IV. Ex Chrysostomo potissimum: Hom. 7. in Ep. 1. ad Corinth.

Chrysostomus similiter: *Hoc est quod maximè admirabilem reddit prædicationem, quòd ejusmodi dogmata cujusmodi nec Plato nec ejus assecla potuerunt excogitare, repente potuerunt piscatores generi omnium indoctissimo persuadere ut acciperent. Neque enim si prudentibus solùm persuasissent, adeo admirandum fuisset quod factum est. Quum autem famulos, & nutrices, & eunuchos ad tantam deduxerint philosophiam, ut facerent pares Angelis, divinæ inspirationis maximam exhibuerunt demonstrationem, &c. Si magna philosophabantur & excelsa, & quæ propemodum humanam exuperant naturam, & sublimi opus habent intelligentia: quo magis stultos ostenderis eos qui sunt persuasi, eo magis ostendes sapientes & divina repletos gratia eos qui persuaserunt, &c. At hoc inquis persuasi sunt ob stultitiam. Cujusmodi dic quæso sunt hæ stultitiæ, quòd anima sit immortalis, sincerum incorruptumq; nos post hanc vitam excipiet judicium, verborum & actionum & cogitationum rationem reddemus Deo qui novit arcana, & malos quidem videbimus puniri, bonos autem coronari? Hæ verò non stultitiæ, sed magnæ sunt Philosophiæ. Hoc ipsum ergo dic quæso despicere præsentia, virtutem magnifacere, non hic præmia quærere, sed ulterius spe procedere, animoque esse adeo stabili & constanti in fide, ut nihil eorum quæ adsunt gravia & aspera, à spe impediat proposita quanta est Philosophiæ?* Idem ibidem, *Quod per syllogismos non potuerunt philosophi, hoc rectè fecit quæ videbatur esse stultitia. Quis ergo est sapientior, isne qui multis persuadet, an qui paucis, an qui nullis? Qui de maximis persuadet, an qui de iis quæ non oportet? Quantum laboravit Plato & ejus assecla de linea & angulo & puncto, &c. Quæ nobis sunt aranearum telæ; ea enim non magis quàm illæ telæ, vitæ prosunt; & quum inde nec magnam nec parvam attulisset utilitatem, vitam finiit. Quantum laboravit conans ostendere quod anima sit immortalis; & quum nihil evidens dixisset, & nulli auditori persuasisset, sic excessit. Crux autem persuasit per homines imperitos, & persuasit toti orbi terrarum; nec de rebus quibuslibet, sed de Deo disserens & vera pietate & religione & de evangelica vitæ institutione & futuro judicio; & rusticos & indoctos omnes fecit philosophos, &c. Omnes ubique philosophantur, & ostendunt omnem magni fortisque animi virtutem. Sed apud eos quoque inquis fuerunt multi mortem contemnentes. Quinam quæso: Num is qui bibit cicutam? Sed si velis ex Ecclesia tales exhibebo innumerabiles. Si enim liceret, quum ingrueret persecutio, epota cicuta excedere, essent omnes illo clariores. Quanquam ille quidem bibit, quum non esset in potestate bibere, vel non bibere, sed vellet nollet, hoc eum oportebat pati, quod jam non erat magni animi virtutis sed necessitatis. Apud nos autem contrarium omnino accidit. Non enim martyres passi sunt inviti sed lubentes, & quum esset in eorum potestate non pati, &c. Non est ergo mirandum si ille bibit cicutam, cùm in ejus potestate non esset non bibere, & ad extremam provectus esset ætatem. Dicebat enim se esse septuaginta annos natum quando vitam contempsit, si hoc est contemnere, ego enim non dixerim, imo verò nullus alius. Sed ostende mihi quempiam qui pro pietate ac vera religione tormenta fortiter sit perpessus, quomodo ego innumerabiles ubique per totum orbem terræ. Quis cum ei effoderentur ungues, forti & generoso animo tulit? Quis cum eruerentur articuli? Quis cum particulatim corpus discerperetur & separaretur à capite? Quis cum ossa extraherentur? Quis in sartagine frequenter positus? Quis in lebetem injectus? Hæc mihi ostende. Cicuta enim mortem obiisse, perinde est atque permansisse dormientem; dicitur enim ea mors esse somno suavior.* Idem alibi demonstrat quàm formidolosa ante Christi crucem mors olim

Ibid. Ho. 4.

Hom. 45. in Gen. Et To. 1. Hom. 50.

fuerit iis etiam qui virtuti stipendia faciebant, & quàm nunc imbelli etiam & balbutienti Christianorum ætati jocus & ludibrium sit, ubi de veritate defensanda agitur.

Ex his autem Eusebii & Chrysostomi locis, aliisque qui tum ex eorundem tum ex aliorum Patrum monumentis decerpi & in ingentem cumulum acervari possent, si opportunior non esset alibi ejus operæ locus; ex his inquam non ea tantùm roborantur quæ priùs summatim adnotata sunt, sed & alia complura nihilo minùs ponderanda. 1. Quòd longè accuratiora, indubitatiora, sanctiora reconditioris Theologiæ arcana turbis nunc hominum quàm olim famosissimis philosophis evoluta persuasaque sint, de Deo, de Verbo, de nexu amoris mutui, de orbis conditu, de materiæ conditione, de providentia, de immortalitate animæ, de extremo judicio, de beatæ vitæ æternitate in Dei contemplatione, de pœnis exulantium à Deo. Hæc & alia hujusmodi nec tam exactè à philosophis tradebantur, quin multis inquinarentur erroribus; nec tam indubitatè quin perpetua disputandi dubitandique licentia concuterentur; nec tam sanctè, ut non curiositate infinita & superfluarum quæstionum colluvie polluerentur; ut prophanis sancta, supervacaneis necessaria temerè commixta, perindè ludibrio & contemptui haberentur. Nec ingenium & acumen turbis hominum inseri potuit tantum, ut plura intelligerent quàm philosophi, sed fides divini magisterii authoritate fundatissima. 2. Nec non de moribus acutiùs multò castigatiùsque nunc philosophantur Christianorum rustici, quàm magnates Platonicorum. Quis enim ipsorum etsi post Socratem soli morum perpurgationi incumbere & insenescere juratus, tam scrupulosè maculas omnes animæ eluere, vitiorum nævos omnes minusculos dispicere & extergere, virtutum minutias quasque consectari studuit, atque nunc rusticuli, ancillulæ, & ejusmodi genus hominum ad ista tam accuratæ sanctitatis officia à natura minimè comparatum? Quis oculorum nutus libravit, quis linguæ ita moderatus est, quis ipsis animi cogitationibus ita suspensus invigilavit, ut nequid lasciviæ, ne iracundiæ, ne cujusquam intemperantiæ vel exiliret quidquam, vel insiliret? Quis ita à flagitio, vel facinore, non linguam, non manum, non consensum tantùm cohibuit, sed vel cogitatum? Quis ita à voluptate omni non tantùm flagitiosa, sed inculpata, & penè necessaria, non abstinuit tantùm, sed abhorruit? Quis perturbationum animi, non tempestates tantum, sed auras minimas ita compescere studuit? Jam ipsa virtutum culmina quis ita invasit, castitate corporis virginitatem animi cohonestare, opes omnes aut dilargiri paulatim in inopes, aut semel abjicere, caduca omnia calcare, inhiare æternis, mortem ceu immortalitatis januam in votis habere? Hos virtutum apices sectantur innumerabiles agricolæ servique, quibus excogitandis penè impar fuit philosophorum acumen otiumque affluentissimum. Nempe authoritas divinæ personæ fidesque illi infulta adjumentum, & compendium fuit, ut eò pertingerent veritatis sanctitatisque rustici, quò non pertigerunt philosophi. 3. Philosophis ventosa fuit lingua, vita iners; garrula philosophia, sed inefficax; crepabant virtutes, non exhibebant; joco ergo, & mimicè philosophabantur; quid mirum ergo si in mores publicos nihil emendationis intulerunt? At Christianis castra virginum, chori cœlibum, catervæ sponte inopum illico fuere. His statim juratum fuit, vita non lingua philosophari, moribus non argutiis profligare vitia, virtutes exemplis, non dictis persuadere. Nempe philosophos conjecturis tantùm & rationibus humano more semper nutantibus subnixa veritas, non satis urgebat, ut à consuetudine vitiorum expedirent se, & sursum eluctarentur. At nobis ipsa veritatis persona contuendam contrectandamque se inferens,

V. Alia ad augendam admiratione capita.

rens, serio philosophandum, excussoque conjecturarum lubrico, & dubitationum æstu, & simulationis fuco, non verbis intonandam, sed factis moribusque repræsentandam esse veritatem persuasit. 4. Nec nobis abundant tantum examina se totos virtuti mancipantium, sed illi etiam & pro illa immorientium. Nam esto ut philosophorum aliquis philosophiæ suæ vitam accommodaverit, & sermonibus conciliaverit mores; at quotusquisque magna & profutura hominum generi exempla daturus, animam vero impendere, virtutisque viam sanguine suo signare præsto fuit? Nos istiusmodi innumera millia omnis ætatis, omnis sortis, utriusque sexus exhibuimus. Nempe nobis adfuit ipsius veritatis persona, authoritas, exemplum; illis aderat veritatis tantùm conjectura, hominis vilitas, exempli perversitas. Et quando veritatem virtutemque vitæ impendio defensitarent, quam nec vitæ obsequio ornabant? 5. Unus eorum litteris venditatus Socrates, ob unius veri Dei confessionem cicutæ sorbitione sublatus est. At isne unus est qui tot nostrorum millibus æquiparetur? Unus erat ille, & philosophus, & philosophiæ apud eos castigatissimæ antesignanus, & longissimæ tractu vitæ studioque & exercitatione plurima ad virtutem induratus. Cùm nos pro uno multa millia, imo turmas innumerabiles, pro philosopho rusticos, ancillas, infantes, virgunculas, Christi authoritate semel & doctrina imbutas vero impendisse vitam ostendamus. Deinde non ultro mortem lacessivit Socrates, sed necessariò subeundam, fortiter tulit; at nostri obviarunt plerumque morti, & cùm uno verbo & nulla opera expedire se possent, mortem & cruces ambierunt. Rursus vitæ satur magis, quàm non timidus mori, potest videri Socrates; ut qui fæcem dumtaxat vitæ seniique tædium donaverit veritati; & non tam sprevisse mortem, quàm languentis senectæ redemisse incommoda, etiam cum gloriæ fœnore videatur. At nostri ipsum juventæ florem, ætatis robur, pueritiæ longam spem veritati impendere lucro duxerunt. Denique delicatum mortis genus est cicuta, & somnus magis quàm mors; has mortis delicias si parens philosophiæ fortiter tulit, id illi mirantur, & venditant? Nemo tam mollis è nostris est, qui si persecutor ingruat, cicutam non optet oretque. Sed gladios, sed cruces, sed flammas, & virgas, & equuleos, & totum ingeniosissimæ sævitiæ apparatum superare non potuit veritatis conjectura: superavit sexcenties veritatis invictissimæ persona, & authoritas ob oculos posita, & exemplum. 6. Philosophi cum suis in schola sapiebant, in propatulo cum vulgo insaniebant; illic unum Deum, hìc adulterina numina & muta venerabantur simulacra; illic verbis exornabant virtutes, hic vitiorum torrente unà raptabantur; mimum planè agebant, alternisque Philosophi & tenebrionis personam induebant, ponebantque. Nempe penes Philosophos veritas, penes populum authoritas erat; carnales populos intelligibili veritate imbuere non poterant Philosophi, poterant eorum authoritate metuque à veritate ipsimet averti; in pessum ergo ruere omnia. Veritatis ergo opus erat personam ipsam & authoritatem adesse, quæ & veritate spiritales pasceret, & authoritate populos flecteret, mimicamque illam proscriberet philosophandi cum paucis, & ineptiendi cum multis alternationem. 7. Cùm per Christum cœperit altissima dogmatum virtutumque veritas non paucis ut antea ingeniosis otiosisque insusurrari, sed imperitissimis plebejorum, & omnium planè hominum cœtibus infundi; argumento id quidem videtur esse, tunc demum ipsam veritatis personam non paucis adradiare, sed ipsi se naturæ infundere voluisse. Cùm enim veritas ipsissima naturæ se nostræ substantialiter implicuerit, tum non illud ingenij, vel otij abundantioris, vel cumulatæ eruditionis privilegium erit: sed quisquis naturæ, idem & veritatis consors erit. 8. Postremò res altissimas, virtutes operosissimas, non videre, non intelligere, & credere tamen, & exercitare, non quomodolibet, sed ut nullo vitæ discrimine, nullo pœnarum terrore hinc abducatur ullus sexus, ulla ætas, ullum genus hominum, res est tanta, quantam nulla præterquam ipsius veritatis persona huc allapsa & authoritas impetraverit. Nec enim vel hominum stultitia, vel casus, vel haustæ semel opinionis pertinacia obtendi à quoquam potest. Cùm limatissimæ de rebus divinis sententiæ, & accuratissimæ sanctissimæque de moribus humanis leges, quales olim Philosophia subodorari magis potuit quàm exhibere, & suspicari magis quàm intelligere, à nemine unquam cordato vel imperitiæ vulgi, vel erroris fœlicitati, vel brutæ contumaciæ imputari queant. Nec rursus operosiore hominum magisterio & pertinaciore studio Philosophiæ id aut consequuti sunt homines, aut verò consequi potuere; cùm necessariis vitæ artiumque illiberalium vinculis nihilo remissiùs nunc quàm antea homines distringantur. Restat ergo ut summa id authoritas veritatis ipsius præstiterit, magno planè compendio.

Porrò ne Græcis tantùm Patribus hæc debeamus omnia fidei incarnationis stabilimenta, libet paulò prolixiorem Augustini intexere locum, quo supradicta omnia complectitur. *Si hodie per gentes populosque prædicatur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c. Si ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum, ut anima sanetur, & tantæ luci hauriendæ mentis acies convalescat, dicitur avaris, Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea & ærugo, &c. Sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, &c. Dicitur luxuriosis, Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem; qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Dicitur superbis, Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Dicitur iracundis, Alapam accepisti, para alteram maxillam. Dicitur discordiosis, Diligite inimicos vestros. Dicitur superstitiosis, Regnum Dei intra vos est. Dicitur curiosis, Nolite quærere quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. Postremo dicitur omnibus, Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & ambitio sæculi. Si hæc per totum orbem jam populis leguntur, & cum veneratione libentissimè audiuntur; si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tantò fertiliùs & uberiùs usque ad barbaras nationes Ecclesiæ pullularunt; si tot juvenum & virginum millia contemnentium nuptias casteque viventium, jam nemo miratur; quod cùm fecisset Plato, usque adeo perversam temporum suorum timuit opinionem, ut perhibeatur sacrificasse naturæ, ut tanquam peccatum illud aboleretur; si hæc sic accipiuntur, ut quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruosum sit; si tali pollicitatione atque sponsione, per omnes terrarum partes quas homines incolunt, sacra Christiana traduntur; si hæc quotidie leguntur in Ecclesiis, & à sacerdotibus exponuntur; si tundunt pectora qui conantur hæc implere; si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam ut desertis divitiis & honoribus hujus mundi, ex hominum omni genere Deo summo totam vitam dicare volentium, deserta quondam insulæ ac multarum terrarum solitudo compleantur; si denique per urbes atque oppida, castella, vicos, & agros etiam villasque privatas in tantùm apertè persuadetur & appetitur à terrenis aversio, & in unum Deum verumque conversio, ut quotidie per universum orbem humanum genus una penè voce respondeat sursum corda se habere ad Dominum: quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, & in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur? Si quando autem ad disputationem venitur, Platonico nomine ora crepantia, quàm pectus vero plenum, magis habere gestimus.* Et rursum, Sed

VI. Ex Latinis Patribus elucidantur supradicta. L. de vera Relig. c. 3.

Ibid. c. 5.

Sed quoquo modo se habeat Philosophorum jactantia, illud cuivis intelligere facile est, religionem ab eis non esse quærendam, qui eadem sacra suscipiebant cum populis, & de suorum deorum natura ac summo bono diversas contrariasque sententias in scholis suis eadem teste multitudine personabant. Quod si hoc unum tantùm vitium Christiana disciplina sanatum videremus, ineffabili laude prædicandam esse, neminem negare oporteret.

CAPUT XV.

Fides Incarnationis subjugavit orbem, ex invicta veritatis vi, consensuque suo cum innata homini conscientia, & inseminatæ naturaliter religionis reliquiis.

I. Animæ rationalis cōscientia seminibus adhuc scatet veritatis & justitiæ sēpiternæ.

NOn authoritas tantùm incarnatæ veritatis subegit orbem, fregitque incredulitatis pervicaciam; sed clandestinus etiam ipsius veritatis consensus cum innata hominibus conscientia, & cum inseminatæ à natura religionis reliquiis. Connexa enim mens nostra est æternis rationibus, inde pendet, eò vergit; illis contemperata est, fibrisque & medullis intimis consentiens; illis etiam prægnans olim fuit, & ad satietatem in primo parente inebriata. Quanquam ergo per peccatum excussa illinc sit, & sensibilibus impacta; non pœnitendas tamen prioris boni servat reliquias, & veritatis quasi memoriam, gustumque residuum, & consensum penitissimum. Hinc unius magistræ naturæ discipula conscientia, & unum Deum auguratur, & ejus providentiam invocat, & animæ immortalitatis conscia sibi est; & virtutum præmia, scelerumque pœnas portendit, & justa ab injustis discriminat, & leges æquitatis ex oraculo pectoris dictat, & totius demum veritatis pietatisque seminarium suo in sinu gestat. Illo ex opulento quamvis recondito penu prompsere Philosophi, si quid veri, si quid æqui pronunciavere. Nempe ut ait Tertullianus, *lex necessaria naturæ præsumptione*, si excutiatur denique sinus ille totus nativæ conscientiæ, tota veritas, tota sanctitas effulgescet, hoc est tota Christi religio è suo quasi semine efflorescet. Hinc *regnum Dei intra vos est*. Et *propè est in ore tuo, & in corde tuo*. Et *redite prævaricatores ad cor*, & alia alibi allegata. Quibus ita præfundatis.

II. Sola Christi disciplina & religio innatę huic conscientiæ consentanea est.

Jam non alia magis de causa incarnationis fidei totum orbem accessisse, Christianæque religioni dedisse nomen argumentamur, quàm propter contemperationem illam & altissimum consensum veritatis promulgatę cum uniuscujusque hominis conscientia & naturæ anticipationibus. Deorum enim superstitio, vitiorumque lues decoloraverat illa quidem obduxeratque vultum animæ, sed alieno insidebat solo, & ad alia omnia naturaliter temperato, ideoque radices non egerat. Ubi ergo primùm flagravit emicuitque veritas, recaluere sopiti è cineribus ignes, innata ebulliere semina, erupit naturæ indoles, & excussis quæ malè inhærebant sordibus, se sibi vindicavit; formæque suæ mens cui se usque adeo coaptatam sentiebat, obviavit, indivulsèque coaluit. Minùs mirum ergo si tam facilè idololatria exolevit, quippe quæ præter naturam inoleverat. Minùs mirum si pro suis numinibus nullus Gentilium vitæ periculum adire sustinuit; opinio enim ea superficie tenus hæserat, non descenderat in animæ penetralia. Minùs mirum si ad Christi fidem orbis convolavit universus, ingenio enim naturæque suæ obsequebantur homines, & in se redibant. Minùs mirum si pro Christi fide ita ad Martyrium, uti apes ad alvearia certatim confluebant. Mens enim naturæ redintegratæ tenacior, invictissimè constabat sibi; faciliùsque execari sibi patiebatur, ea quæ minùs arctè hærebant, membra corporis, quàm sensa veritatis. Minimè mirum postremò est, si invicta semper veritas victrixque tandem fit, cùm animos hominum non foris tantùm lacessat, sed intus incessat; cùm ipsa insideat viscera, & quolibet intimo intimior sit; cùm mentem in seipsam obarmet, ejusque consensum radicatissimum, & cum natura anticipatum adversus adventitium & volatilem dissensum prætendat. Hoc telum est, quo non potest non vincere veritas inter homines, ipsa nimirum hominum conscientia, naturaliter contemperata & consentiens veritati.

Hinc genus humanum certatim ad Christi fidē convolavit.

III. Ex Chrysostomo id ostenditur. In Epist. 1. ad Corinth. hom. 7.

Chrysostomus præclare his verbis: *Atqui gentium quidem res & instituta absque discrimine tenuerunt, nostra autem susceperunt cum periculis. Quamobrem si cum majori ratione ea tenuissent, quum in eis tanto tempore essent educati, non ab eis defecissent; & maximè quum nec sine periculo liceret ab eis deficere. Postquam autem ex ipsa rerum natura cognoverunt, illa esse periculo & errore plena, propterea etiamsi mors intentaretur, à consuetis quidem resilierunt, ad nova autem confugerunt; utpote quòd hoc quidem dogma esset secundùm naturam, illud verò præter naturam.* En rei cardinem. Id quod præter naturam irrepserat, semel commoniti, protinus expuerunt homines; & quod secundùm naturam erat, quamvis hactenus latitaret, semel promulgatum, confestim amplexi sunt; non tam præconii veritatis, quàm reviviscenti ipsi naturæ suæ, & clanculario ad veritatem instinctui morigerantes. Sed ut consensus ille mentis impetusque in veritatem semel affulgentem incitatissimus patescat magis, operæ pretium est ab eodem Chrysostomo audire, quàm nullis potuerit vel discriminum, vel mortium, vel quibuscumque demum repagulis retardari. Hinc enim clarius fiet, quantum hallucinentur, qui Christianum dogma adversari naturæ arbitrantur. Turpis hæc hallucinatio est, & totius humani generis testificatione revincetur. Nunquam tam prona fidem Christianæ œconomiæ excepisset natura hominum, tam facilè non exuisset inveteratam superstitionem, tam libenter non abdicasset inolitæ vitiositatis consuetudinem, tam constanter non pertulisset acerbissimas carnificinas, si præter naturam illa fides concinnata fuisset. Illa enim retinacula abrumpere, totque impedimenta superare, nulla vis potuit, nisi consentanea naturæ. Vincit quidem naturam quandoque consuetudinis & voluptatis corruptela; sed tum quoque cùm blandimentis superatur natura, ipsa superat, & indulget sibi voluptatum amantiori. At in Christi mysterio nihil illecebrarum hujusmodi est; dura omnia & austera; crucem portare, & dignam æstimare, quam Deus portare occuparit; humilia affectare, & humilitatem nec Deo ipsi indecoram sentire. Hæc & hujusmodi alia si naturæ humanæ persuasa sunt, non deliciarum proventus eam corrupit, & ita persuasit volenti. Ergo vis insuperabilis veritatis, & altior naturæ ipsius omnique superstitione & vitiositate anterior præsumptio persuasit.

IV. Rursus ex eodem.

Chrysostomus illa eadem homilia: *Ostendamus fieri non potuisse, ut id instituerent atque cogitarent, nisi Christum secum habuissent Apostoli. Non quoniam imbecilli adversum fortes; nec quoniam pauci adversus multos; nec quoniam pauperes adversum divites; nec quoniam rudes & ignari adversus sapientes struebant aciem: sed quoniam magna quoque vis est præoccupatæ opinionis. Scitis enim apud homines nihil esse æque validum atque tyrannidem veteris consuetudinis, &c. Nihil adeo conturbat animum, etsi id fiat utilitatis ergo, ut innovare & peregrinum aliquid facere, maximè circa Dei cultum & opinionem, &c. Quidnam hoc est? Omnes qui terram habitant, sunt decepti? Et sophistæ & oratores & philosophi & scriptores & qui nunc sunt & qui fuerunt antea, & Pythagoras & Plato & Imperatores & Consules & Reges; & urbium qui fuerunt ab initio cives, & habitatores, & barbari & græci: & duodecim piscatores & tabernaculorum contextores & publicani illis omnibus fuerunt*

runt sapientiores, & ideo omnes vicerunt? &c. In Apostolis & aliud validius erat impedimentum, quod non solum antiquam sic mutarent consuetudinem, sed etiam cum periculis facerent transmutationem. Non solum enim trahebant à consuetudine in consuetudinem, sed à consuetudine omni metu libera, ducebant ad res quæ minabantur pericula. Oportebat enim eum qui credebat, statim publicari, expelli, à patria exulare, extrema mala perpeti, ab omnibus odio haberi, &c. Cum periculis & consuetudine, hæc quoque præcepta erant graviora, ea verò à quibus abducebant facilia. A stupris enim & fornicatione vocabant ad temperantiam, à vitæ amore ad mortem, ab ebrietate ad sobrietatem, à risu ad lacrimas & compunctionem, ab avaritia ad paupertatem, à securitate ad pericula, & per omnia extremam exigebant perfectionem, &c. Neque respuerunt hæc audientes sed accurrebant, & ad aspera & graviora prosiliebant, & ea quæ eis præcipiebantur, arripiebant. Quid ergo eos induxit? Annon est perspicuum, quod virtus ejus qui prædicabatur? &c. Sed præcepta quidem erant hujusmodi: videamus autem num dogma vim haberet illiciendi. Atqui vel hoc ipsum sufficiebat ad abigendos infideles. Quid enim dicebant qui prædicabant? Quod adorari oporteat crucifixum, & eum æstimare Deum qui natus esset ex muliere Judæa; & quis eis persuasisset, nisi virtus divina præcessisset: &c. Hæc ibi rursus idem Chrysostomus: *In crucem actus est & mortuus qui prædicatur. Hoc autem satis est non solum ad eos qui nolunt non attrahendos, sed & ad eos qui volunt repellendos; & tamen non expellit, sed attrahit & vincit & superat. Rursum Græci à nobis exigunt vim dicendi & sophismatum argutias, nos autem eis quoque crucem prædicamus; & quod in Judæis videtur esse imbecillitatis, hoc est in Græcis stultitia. Cum ergo non solum quæ petunt non præbeamus, sed etiam eorum quæ petunt, contraria: crux enim non solum videtur non esse signum, si ratione examinetur, sed etiam signi peremptio; & non solum non videtur esse ostensio virtutis ac potentiæ, sed etiam probatio imbecillitatis; & non solum videtur non esse ostensio sapientiæ, sed etiam opinio stultitiæ. Quum ergo signa quærentes & sapientiam, non solum non accipiant quæ petunt, sed etiam contraria audiant eorum quæ cupiunt, & deinde persuadeantur per contraria, quomodo non est virtus infinita ejus quod prædicatur.*

Ho.4. in Ep. 1. ad Cor.

V. Hinc per paucos & imperitos subjugatus orbis, nempe clandestina consensione in æternæ veritatis disciplinam pronus.

Alia id genus innumera ex eodem Chrysostomo aliisque Patribus hic congerere supersedeo. Ex his paucis satis ut arbitror superque constat, non alia quàm invictissima vi veritatis, arctissimaque cum mentibus hominum concordia, tot insuperabiles obices transiliri potuisse. Vicerunt enim paucissimi multos, infirmi validos, inermes armatos, ineruditi doctissimos, infacundi disertos, piscatores Philosophos & Oratores, abjecti tyrannos & Imperatores. Vicerunt inauditi novitate dogmatis consuetudinem inveteratam, & toto orbe receptissimam, & sapientum legibus & omnium hominum moribus roboratam. Vicerunt ultro volentes & libentissimos; tametsi contumeliæ, exilia, proscriptiones, cruces statim illos exciperent. Vicerunt austerissima vitæ disciplina omni voluptatum genere à teneris unguiculis delibutos, adduxeruntque ut his repudiatis ad illam catervatim convolarent. Vicerunt per contraria, nec nisi libentissimos vicerunt. Quòd per contraria vicerint, exinde veritatis potestas infinita ostenditur. Quòd libentissimos vicerint, exinde clandestina mentis humanæ cum divina veritate consensio significatur. Tanta enim repagula infringere summarum virium est; sed sine viribus, inopia virium, & infirmitate sola tantùm pollere, divinæ planè & inexplicabilis cujusdam omnipotentiæ ostentatio est. Similiter ultro vinci, & cùm nulla vi urgeare, cùm sola te oppugnet imbecillitas, sponte cedere, & subire jugum, clancularia conspirationis, initæque olim cum hoste confœderationis testificatio est. Rectè ergo utrumque indigitavit Chrysostomus suprà: *Cùm persuadeantur per contraria, quomodo non est virtus infinita ejus quod prædicatur?* Et rursum: *Postquam ex ipsa rerum natura cognoverunt, illa esse pericula & errore plena; propterea etiamsi mors intentaretur, à consuetis resilierunt, & ad nova confugerunt; utpote quod hoc dogma quidem esset secundum naturam, illud verò præter naturam.* Christi ergo mysterium secundùm naturam est; adversatur illi non natura, sed consuetudo; ubi convalescit natura, seque sibi reddit, excussa consuetudine, errorumque & vitiorum quæ se superfuderat illuvie, veritati ut formæ suæ, cui ab opifice coaptata est, sese recolligit & adhæréscit.

VI. Etiam humilitatis & paupertatis amor rectæ rationi & conscientiæ consentaneus est.

Quod quoniam præter fidem videtur esse, ne pigeat hìc uno exemplo id firmare quod suppeditabit idem Chrysostomus. Inopiam, infamiam, crucem ante divitias & honores & voluptates ponere, summa Christianæ, doctrinæ, & disciplinæ, & quasi breviarium est. Tota enim fides hoc in Christo jubet credere, tota disciplina hoc in nobis jubet exhibere. Illud autem soli reluctari consuetudini, quæ cum vitiis inolevit; suffragari autem, & consentire ipsi naturæ nostrarum mentium, ita declarat Chrysostomus: *Ei qui timet Deum jam nihil grave est, sed sunt gravia his qui non timent. Qui enim per virtutem passiones vincit, & tanquam umbram res præsentes prætercurrit, quomodo ab aliquo patietur malum? Quem timebit? Vel cur gravia putabit? Itaque fugiamus ad illam Petram inconcussam. Si quis nobis civitatem construxisset, & murum apposuisset, imò si segregasset nos in terram in qua nullus obturbat, & omnem abundantiam suppeditaret, non sinens nos cum ullo habere negotium, non constituisset nos in tanta securitate quanta Christus. Sit igitur si placet & civitas ænea, &c. Neque sic tamen securè viveretur. Quare? quia necesse foret & à servis & ab uxore & à pueris differre, multique mœroris esset occasio. Hic autem nihil tale, non enim offenderet etiam quod mœrorem exhibet: sed hoc mirabile quod ipsa quæ negotium videntur exhibere, illa potissimum omnis gaudii ac lætitiæ essent causa. Dic oro, quamobrem illi contristandi sint vel stomachanturi? Vis afferamus quendam in medium? Stet quis ex principibus, magnas possideat opes, civitatem inhabitet regiam, negotium cum nullo habeat, delicietur solum, & huic uni rei vacet, sedens in vertice honorum, deliciarum, ac divitiarum: opponat autem quis illi Petrum in vinculis & sexcentis molestiis si placet, & hunc inveniemus multò magis in deliciis. Nam quando tanta gaudii abundantia erit, ut & oblectetur in vinculis, cogita quanta erit gaudii magnitudo? Sicut illi qui in magno sunt principatu, quæcumque illis gravia accidunt, non sentiunt, sed perdurant in gaudio, sic sanè & hi. Propter illa ipsa enim magis gaudebant; neque enim ratione poterit quis comprehendere voluptatem quantam habent ii qui propter Christum grave aliquid patiuntur, &c. Non sic regium præceptum ut illorum verba omnia perficerunt. Regium enim præceptum necessario cogit, hic autem voluntarios & spontaneos & maximas gratias agentes. Quale præceptum regium omnes pecunias relinquere animæ persuaserit, ac contemnere domum, patriam, cognatos, & salutem suam? sed sunt piscatorum ac pellionum voces tam potentes; atque ita etiam in voluptate erant, & potentiores, ac fortiores omnibus.*

Homil. 14. in Acta.

VII. Christus naturæ reparator est, itaque ejus fides & disciplina cōsentit naturæ.

Ubi ergo veritati incommutabili justitiæque sempiternæ quod Christus Deus est, ita se mens totam indivulso amore affixerit, ut refigi inde nulla se vi patiatur; utque illi vacet uni, temporalia abjecerit omnia; ubi cruces mortesque pro illa vel tuenda vel propaganda aditas, quod Christus homo est, magnifecerit, & velut arctius cum ipsa veritate vinculum, etiam optaverit: eo loco ubi constiterit mens, tunc verè Christo initiata erit. At verò tunc demum intelliget se naturæ suæ restitutam esse, & temporalia omnia ut inferiora subesse sibi: nec inde quidquam sibi vel mali imminere, quod metuendo, crucietur; vel boni affulgere, quod

quod concupiscendo, lancinetur; se solis subesse æternis, à quibus abjungi invita non possit; unde bonis & deliciis jugibus irrigatur & securissimis; superne tanto se irrigari posse gaudio, ut intentatas deorsum lanienas, non tantùm non refugiat, aut constanter ferat, sed in votis habeat ut uberioris gaudii usuram. Quæso cùm hæc fides, hæc disciplina Christi sit, præter naturam mentis, an secundùm naturam illa est? Cùm illi se anima rationalis substernit, genio suo indulget, an obluctatur? Haud dubio se sibi tum restituit, longamque peregrinationem, qua jandiù à se aufugerat, abrumpit, & in se redit; & siquid amaritudinis, siquid doloris inter ipsa exordia experitur, sic experitur, ut æger cùm sanatur. Effricari enim non potest quæ inhæserat tandiu vitiorum labes, sine aliquo doloris sensu; sed quamvis dolet æger cùm sanatur, avidè tamen sanatur, & inter amaritudines arcana titillatur lætitia, & hic ipse dolor voluptati est. Sanè ut mens nostra dum infimis voluptatibus servit, arcana originis suæ conscientia & sensu recondito gemit identidem, & ad delicias istas nauseat amplius aliquid infinitumque suspirans: ita cùm mens eadem Chistiano primùm dogmate intingitur, clam gestit, & alto sensu gratulatur sibi, quod domum redeat; quod longam servitutem exuat tandem, & in auras nativæ libertatis respiret; quod infimis ancillari desinat; quod temporum jam non subsit vicibus; quod suas jam vires in fastidiendis inferioribus, in fruendis superioribus, in amplexanda veritate, in periculis omnibus pro illa contemnendis experiatur. Etenim mens humana in alto recessu ipsa suæ immortalitatis conscia sibi est. Ideo mortalibus extricari se, & ad æterna revocari, & per temporalia æternorum lucem amoremque sibi commendari congaudet, avideque audit, tanti esse crucis cujuslibet ferendæ & voluptatis temporalis pro æterna veritate contemnendæ constantiam, ut & Deus ipse inhumanatus, veritasque sempiterna in nostro corpore eam experiri, & exemplo suo illustrare atque authorare dignata sit. In hac tota Christi fide, nihil est quod non summoperè conspiret consentiatque cum ea naturali philosophia, quam opifex rerum sapientia menti cuilibet creatæ infudit, & in ipsa substantiæ rationalis inscripsit medulla; quæ proinde obliterari omnino non potest, quantæcumque obducantur voluptatum sensibilium fæces. Hæc ergo mentis humanæ quantislibet fœdatæ aut erroribus aut vitiis, arcana & penitissimis fibris inserta cum veritate incommutabili amicitia est. Hæc planè orbem totum promulgato semel Christi Evangelio conciliavit. Hæc unum Deum prædicantibus assensit protinus, ejus sibi medullitus conscia. Hæc providentiam ejus, judiciumque, & animarum immortalitatem & desponsam virtuti æternitatem beatæ vitæ cupidè amplexata est, innato id totum olim augurata præsagio. Hæc contemptum temporalis voluptatis, amorisque totius ad æterna & incorruptibilia bona avocationem lubens accepit, toties caducorum pertæsa, suæque & nobilitatis & æternitatis haud in totum immemor. Hæc veritatis æternæ exscensum in hæc temporalia, signatamque ejus sanguine & cruce viam ut hinc ad æterna demigremus, pronis auribus approbavit; certa non aliam menti immortali, quàm veritatem incommutabilem præire magistram debere.

VIII. Plus viriû habuit doctrinæ miraculum, quam miracula ipsa.

Postremò tandem quia venire in mentem potest, non infracta veritatis vi, non ejus cum mentibus nostris consensione pertractos esse homines ad fidem incarnationis Dei, sed miraculorum admiratione: quanquam non dissimulem plurimum contulisse miracula; haud paulò plus momenti tamen fuisse in doctrinæ ipsius citra miracula admirabilitate, certissimis documentis constat. Nam semel ter millia, iterum quinque millia irretiit Petrus una & altera prædicatione, nec ibi miracula subsidio fuere. In Actis Apostolicis & Paulus sæpiùs doctrinæ vi, rarò miraculorum stupore perculisse memoratur fideique nostræ homines adjunxisse. Hoc notavit Chrysostomus: *Non vides ut Paulus orbem converterit universum, longèque majora perfecerit, quàm Plato & omnes ejusmodi cæteri? At dices fortasse, signorum gratia hoc illum potuisse peragere. Non ex signis tantum hoc ille potuit. Nam si Apostolorum evolvas actus, sæpius illum vi doctrinæ obtinuisse comperies quàm virtute signorum; eademque jugiter utitur*. Igitur doctrina vicit, quia veritas invicta & victrix semper est, & quia clam consentiebat illi mens hominum quæ vincenda erat.

Hom. 2. in Epist. ad Ti

CAPUT XVI.

Alia quædam promiscuè de necessario hominibus hominis ejusdemque Dei Magisterio.

Multa hìc primò ex Lactantio contexentur, qui luculenter hæc pertractavit.

I. Magister nō implet suos numeros, nisi exemplis quam præceptis magis satagat docere.

Ille ergo observat 1. Frustra esse Magistri cujuscumque operam, nisi quæ præcipit, ipse faciat: quod illudere videatur, non præcipere. Verba, si facta non constent, facilè contemnuntur. Stimulantur homines exemplis, magis quàm dictis. Excusatio contumacibus non adimitur, nisi præsentibus factis doceantur possibilia præcipi. Præceptis premitur libertas nostra, exemplis relevatur. *Ne si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, &c. Reipsa dissolvat, quod verbis nitatur astruere. Unusquisque enim cum audit præcipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tanquam sibi jus libertatis adimatur, &c. Tu ipse quæ præcipis fac, ut sciam fieri posse. Cùm autem ipse non facias, quæ insolentia est, ut homini libero imponere velis leges, quibus ipse non pareas, &c. Inde evenit ut philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim malunt exempla quàm verba, quia loqui facile est, præstare difficile*.

Lactant. l. 4. c. 23. & seqq.

II. Nemo hominum omnes magistri numeros explere potest, summæ scientiæ & virtutis inopia.

Observat 2. Nullum hominem omnia absolutissimi magistri munia obire posse. Quod desit illi quanta desideratur maxima veritatis cognitio, quod desit omnis maculæ pura virtus, quod desit tandem authoritas cujus mole superentur pertinaciores. Ægrè enim morem gerent homines ei qui perinde ut ipsi & errorum fœditate maculari, & vitiis turpari potest, nec iis se immunem penitus jactabit quisquam, nisi superbus aut demens. *In homine interna & propria doctrina esse nullo pacto potest. Nec enim mens terrenis visceribus inclusa, & tabe corporis impedita, aut comprehendere per se potest, aut capere veritatem, nisi aliunde doceatur. Et si maximè possit, summam tamen virtutem capere nequeat, & omnibus vitiis resistere, quorum materia in visceribus continetur. Eo fit ut terrenus doctor perfectus esse non possit*.

III. Nec Deus, nec homo merus sed Deus idem & homo lapsis hominibus magister esse potest.

Observat 3. Nec Deum solum Magistrum generis humani esse nunc posse, quod humanarum virtutum exempla præbere in se non possit; nec hominem solum, quod is & authoritatis pondere, & virtutis cumulo, & scientiæ careat fastigio. Ergo Deum humana carne induendum esse, eaque mortali tantisper, ut quæ impossibilia possent homines obtendere præcepta, exemplo suo complanet, & authoritate urgeat, & veritate tota refulgescat. Namque homo non sibi tantùm aut hominibus aliis, sed Deo ipsi maximè liber est, à quo libertate donatus est; ne sua ergo dona contaminet Deus, ut qua nos donavit, illibatam servet libertatem, invitare legibus, provocare exemplis potest, cogere non potest. *Eo fit ut terrenus doctor perfectus esse non possit. At verò cælestis cui scientiam divinitas, virtutem immortalitas tribuit, in docendo quoque sicut in cæteris, perfectus & consummatus sit, necesse est. At id omnino fieri non potest, nisi mortale sibi*

corpus assumat. Cur autem fieri non possit, ratio clara est. Nam si veniat ad homines ut Deus, ut omittam quod mortales oculi claritatem majestatis ejus conspicere ac sustinere non possent, ipse certè Deus virtutem docere non poterit, quia expers corporis non faciet quæ docebit: ac per hoc doctrina ejus perfecta non erit. Alioquin si summa virtus est, dolorem patienter pro justitia officioque perferre; si virtus est mortem ipsam & intentatam non metuere, & illatam fortiter sustinere; debet ergo doctor ille perfectus & docere ista præcipiendo, & confirmare faciendo. Quia qui dat præcepta vivendi, amputare debet omnium excusationum vias, ut imponat hominibus parendi necessitatem non vi aliqua sed pudore, &c. Quemadmodum autem potest facere quæ docet, si non sit similis ei quem docet? Et infra: *Vides ergo quantò perfectior sit mortalis doctor quia dux esse mortali potest, quàm immortalis: quia patientiam docere non potest qui subjectus passionibus non est.* Ibid. Cap. 14. *Nec hoc tamen eo pertinet ut hominem Deo præferam; sed ut ostendam neque hominem perfecta doctrina esse posse, nisi sit idem Deus; ut authoritate cælesti necessitatem parendi hominibus imponat: neque Deum nisi mortali corpore induatur, ut præcepta sua factis adimplendo, cæteros parendi necessitate constringat.*

IV. Magister lex animata est, legem ergo æternā in humanari oportebat.

Observat 4. Magistrum esse legem vivam. Cùm ergo lex viva esse homo nullus queat, maximè ubi eluvione peccati originalis involutus & sordidatus omnis homo est, cælo nobis allabi legem ipsam vivam magistramque præesse decuit. Cùmque rursus nulla ad virtutem veritatemque via satis munita sit, nisi per deliciarum contemptum, durorumque & mortis perpessionem, legem ipsam vivam & æternam implicari carne mortali & ista in se præformare exempla oportuit, ut amabili necessitate nolentes ad hæc eadem homines coarctaret. Idem ibidem, Ibid. c. 25. *Discant igitur homines & intelligant, quare Deus summus cum legatum ac nuncium suum mitteret, ad erudiendam præceptis justitiæ suæ mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui, & cruciatu affici & morte multari. Nam cum justitia nulla esset in terra, doctorem misit, quasi vivam legem; ut nomen ac templum novum conderet, ut verum ac pium cultum per omnem terram verbis & exemplo seminaret.*

V. Magister videndus idē & imitādus nō nisi Deus homo est.

Observari 5. potest Magistrum & videndum fuisse & imitandum. Homines quidem videri poterat, sed adeo imitandi non erant, ut ex eorum contuitu congressuque afflaretur tota vitiorum contagio. Deus post peccatum nec videri jam poterat; & quanquam videri posset, non ii jam nos eramus, quibus ille imitandus esset. Quod ut paulò altiùs repetam, eademque opera dubitationes diluam, quæ nonnullis jure obrepebant, operæ pretium videtur esse. Homini in beata illa statione, in qua conditus erat, Magistra erat una veritas incommutabilis. Illam sano mentis oculo affatim intuebatur, illam quoque tum imitabatur. Virtus enim tunc omnis voluptate castissima constabat, nulla saltem umbra doloris amarescebat; ab eodem ergo fonte hauriebatur virtus atque beatitas. Sed eidem lapso virtus postmodum prosequenda est multo dolorum delibuta felle, multis objecta ærumnis. Ejusmodi virtus in veritate incommutabili, nempe quæ Patria est beatitudinis, nulla germinat. Et tamen insitum homini est, non ducem sequi, non imitari nisi veritatem legemque incommutabilem. Peccato igitur excidit ab ejus & videndæ & sequendæ potestate, non ab ejus tamen & videndæ & imitandæ cupiditate. Ergo non aliter curari potuit, quàm si veritas ipsa carnem induens, virtutesque in carne illa subamaras & purgatrices præformans, & videndam se, & imitandam iterum repræsentaret. Irenæus adversus hæreses: *Et ut viderent omnia suum regem, & ut in carne Domini occurrat paterna lux, & à carne ejus rutila veniat in nos, & sic homo deveniat in incorruptelam, circumdatus paterno lumine.* L. 4. c. 37. Quia enim veritatis luci ferendæ jam non eramus pares, in carne assumpta rutilavit, indeque ad nos reflexa temperatior advenit. Augustinus: *Factus est nobis via temporalis per humanitatem, quæ mansio nobis æterna est per divinitatem.* L. 7. de Trinit. c. 3. *Quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus qui superbia non lapsi sunt, in forma Dei & Deo æqualis & Deus præbet exemplum; ut se idem exemplum redeundi etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum, pœnamque mortalitatis, Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit, &c. Ut exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem; exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum: exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, & sentire non poterat Deum, sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul & quem sentire poterat, & quem sequi debebat.* Ne ergo & sua Deus & homo exueretur prærogativa pulcherrima: Verbo primatus per omnia vindicandus erat, ut non aliud extra ipsum virtutis cujuscumque exemplar sit, & in ipsum solum tota extendatur intentio, tota arrigatur imitatio intellectualium naturarum. Homini quoque ut solus Deus superior est, ita solus lex est quam audiat, & Magister cui pareat, & dux quem sequatur, & exemplum quod æmuletur. Ne utrique ergo suum detereretur privilegium, incarnanda fuit verbi veritas, ut & in mentium resipiscentia primatum ipsa suum obtineret, & homo soli Deo obsequi, seque aptare studeret. Idem Augustinus alibi: *Homines Deum ipsum in substantia sua videre non potuerunt; spem vero hominesuam in solo homine ponere non debebant. Quid ergo hic fieret? Hominem sequi non debebant, homo sequendus non erat qui videri poterat: Deus sequendus erat qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homini & qui ab homine videretur & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* De diversis Serm. 52.

VI. In humilitatis schemate Magister nobis exhibendus erat.

Observari 6. potest, cœlitus magistrum non alio nobis schemate, quàm humilitatis adesse debuisse; tum ut non potestate, sed veritate & amore spontaneo commendaretur & invalesceret ejus doctrina; tum ut omnium malorum stirpem fœcundissimam superbiam extirparet radicitus, omniumque deinceps virtutum purgandis animabus addictarum quandam velut parentem insereret humilitatem. Augustinus: *Ut superbia hominis quæ maxime impedimento est, ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui posset, atque sanari; discatque homo quàm longe recesserit à Deo, & quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem mediatorem redit, qui hominibus & Deus divinitate subvenit, & homo infirmitate convenit.* De Trinit. l. 13. c. 17. Et rursus alibi: *Si autem tanquam obvius placet sibi animus hominis ad perversè imitandum Deum, ut potestate sua frui velit, tanto fit minor, quanto se cupit esse majorem. Et hoc est initium omnis peccati superbia, & initium superbiæ hominis apostatare à Deo. Superbiæ autem diaboli accessit malevolentissima invidia, ut hanc superbiam homini persuaderet, per quam sentiebat se esse damnatum. Unde factum est ut pœna hominem susciperet emendatoria potius quàm interfectoria, ut cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se Dominus ad imitationem humilitatis præberet: per quem nobis æterna vita promittitur; ut prærogato nobis Christi sanguine, post labores miseriasque ineffabiles, tanta charitate liberatori nostro inhæreamus, & tanta ejus in eum charitate rapiamur, ut nulla nos visa ex inferioribus à conspectu superiore distorqueant.* De lib. arbi. l. 1. c. ult. Et rursum idem Augustinus: *Non dicit, discite à me mundum fabricare, aut mortuos resuscitare, sed quia mitis sum & humilis corde. O doctrinam salutarem; ò magistrum dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est! Noluit docere quod ipse non esset; noluit jubere quod ipse non faceret, &c. Quid ut discamus à te, venimus ad te? Quoniam mitis sum* L. de sancta virgin. c. 35.

sum, inquit, & humilis corde. Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi in te, quoniam mitis es, & humilis corde? Itane magnum est esse parvum, ut nisi à te qui tam magnus es, fieret, disci omnino non posset? Ita planè. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat. Et

In Psal. 18. alio loco: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo Non leve malum est hoc vitium: huic vitio in his personis quas videtis amplas, displicet humilitas Christiana. Propter hoc vitium dedignantur colla subdere jugo Christi, obligati arctius jugo peccati. Ab hoc vitio quod est caput omnium vitiorum, &c. Propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit, &c. Iam tandem erubescat esse homo superbus, propter quem factus est humilis Deus.* Et alibi rursum: *Quid est autem Christus qui diabolum occidit.*

In Psal. 33. *Humilitas occidit superbiam. Cum ergo Christum nomino, maximè nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus à Deo; redire ad eum nisi per humilitatem non poteramus: & quem nobis præponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Etsi existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ & Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vesti-*

In Joannem Tract. 25. *gia Dei.* Idem Augustinus alibi: *Quid superbis ò homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.* Gregorius Magnus his assentitur: *In Paradiso sano homini diabolus invidens,*

Moral. l. 31. c. 1. *superbiæ vulnus inflixit, ut qui mortem non acceperat conditus, moreretur elevatus. Sed quia divinæ potentiæ suppetit, non solum bona de nihilo facere, sed etiam ex malis quæ diabolus perpetraverat, reformare: contra hoc inflictum vulnus superbientis diaboli, medicina apparuit inter homines humilitas Dei; ut authoris exemplo humilitatis surgerent, qui imitatione hostis elati ceciderant. Contra ergo superbientem diabolum apparuit inter homines homo factus humilis Deus. Hunc potentes hujus sæculi, id est membra diaboli superbientis, eo despicabilem crediderunt, quo humilem conspexerunt. Repulsa igitur à vulnere superborum medicina nostra pervenit ad vulnus humilium. Infirma quippe mundi elegit Deus ut confundat fortia; actumque est cum pauperibus, quod post etiam divites elati mirarentur. Nam dum novas in illis virtutes aspiciunt, eorum quorum prius contempsere vitam, postmodùm obstupuere miracula. Unde mox pavidi ad sua corda redeuntes, extimuerunt sanctitatem in miraculis, quam despexerant in præceptis. Per infirma ergo confusa sunt fortia, quia dum in venerationem vitæ surgeret humilium, elatio cecidit superborum.* Et idem ipse alibi: *Quanta ergo*

L. 34. c. ult. *humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus?* Similiter Bernardus:

L. 3. de Consid. c. 9. *Imitetur cogitatio naturam: imitemur & quod dignius est authorem naturæ, summa imaque consociantem. Nonne natura in persona hominis, vili limo vitæ spiraculum colligavit? Nonne author naturæ in sui persona Verbum limumque contemperavit? Ita tibi sume formam tam de nostræ concreatione originis, quàm de*

Hom. 7. de Nativ. Domini. *sacramento redemptionis.* Leo Magnus: *Tota victoria Salvatoris, quæ & diabolum superavit & mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta.* Prosper sent. 317. *Nemo erigit quidquam ad id in quo ipse est, nisi aliquantum ad id in quo est ille, descendat.*

VII. Humilitatis Magistro Christo necessitas & laudes.

Hæc prolixè forsitan, sed necessariò hìc congerenda fuere. In iis enim non pauca sunt attentiùs pensiculanda. Primùm quidem cùm altissima illa fuerit peccati radix, quòd superbiens homo sibi quàm Deo adhærere & parere maluerit, hæc prima & præsentissima sit medicina, quòd & Deus semet evacuans adhæreat totus homini, ejusque commodis obsequatur, & homo sui juris esse desinens Deo adhæreat substantialiter, ejusque persona & nutu agatur. 2. Cùm homo non satis superbiam fugaverit naturæ contemplatione, quæ mentem ejus limo illigavit, & eo fastus impetum fregisse voluit; authoris naturæ contemplatione percellatur, non jam mentem creatam, sed ipsam veritatem increatam vili limo immersam conspiciens. 3. Ita homo ex concretione ipsa sua ad humilitatem compositus erat; & Christus ipsa humilitas est, non gestis dictisque tantùm suis, aut contumeliis & cruce, sed substantia sua & tota partium suarum coalitione. Quo liquet quantum congruat homini Christus, & quàm appositè illam quam natura instituerat humilitatem, author naturæ invictiùs constabilierit. 4. Nec diabolus nec homo peccaverat, nec peccare omnino poterat quisquam, nisi per superbiam; nec emendari ergo poterat nisi per humilitatem: Ergo non tam Christus diabolum, aut hominem, humilis superbum semel oppugnasse, semel vicisse imaginandus est; quàm ipsa humilitas ipsam superbiam jugi conflictu, stabili victoria, immortali triumpho profligare perenniter. Nec enim tam humilis est Christus, quàm ipsa humilitas. 5. Non immeritò Christus ut tota Patris sapientia & scientiarum omnium opulentia inexhausta, ad se docendos invitat nec aliud tamen docet quàm humilitatem. Eo enim uno tota superbiæ, id est tota peccati tyrannis interit: eo uno pietas in Deum, pax inter homines, summa tranquillitas beatitasque in ipsis hominum animis fundatur, construiturque. Quo enim nisi insano illo superbiæ tumore, & in Deum ferociunt & inter se furiantur, & in seipsis dilaniantur homines? Non illo ergo tantùm dicto semel verbulo, sed perpetuo statu suo, substantialique magisterio commonet Christus inculcatque illud totius sanctitatis, publicæque ac privatæ fœlicitatis compendiosissimum & peræquè indubitatum breviarium, humilitatem. Hoc est unum quod docere suscipiat sempiterna sapientia, hæc una, hæc tota doctrina ejus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. 6. Tanti est esse parvum, ut nisi à Deo & per exempla quidem sua persuadente, efficaciter sanciri non potuerit. Tanta vis est & tam incredibilis amplitudo humilitatis, ut alio non edoceatur, quàm Dei vel magisterio, vel exemplo. Tanta moles est ejus mandati, ut ab authore primùm Deo expediri necesse fuerit. Aut si mavis, tanta est mentis dignitas, ut nisi tanti exempli momento non adducatur ad decrescendum. Imitari Deum non illaudabilis inerat cupiditas ipsis in animi nostri visceribus. Nec peccato illa exciderat, quando nonnisi præpostera peccabatur Dei imitatione. Ergo ut arte Deo usitatissima, mala bene verterent, & morbus raperetur in medicinæ fructum; factus est humilis Deus, ut eum imitaretur homo superbus; & illius à superbia, quo tumebat, eo deprimeretur. 8. Humiles homines homo superbus non facilè admiraretur, nedum imitaretur. Homines enim humiles demirari, quædam jam humilitatis non aspernanda demonstratio extitisset. Ergo ut ad imitandum cruda adhuc provocaretur superbia, majestas Deitatis in exemplum adducenda erat humilitatis, ut seu tumeret homo, seu detumeret, humilem Deitatem sequi, gloriæ incremento verteret. 9. Non alius ergo quàm superbiæ obex fidem Christi respuit. Suo enim sensu de Deo sentiunt: suos Deo mores affingunt superbi, nec advertunt se non natura, aut granditate, sed vitio ab humilibus abhorrere; & suam quidem granditatem de superbia tumere, Dei autem magnitudinem de virtute totam excrescere, quæ in humilitate summa est. Hinc initio promulgatæ fidei viles tantùm Christo accedebant, ut à superbia remotiores; postmodum ad humilitatem etiam magnates provocati sunt ex innata quadam imitandi Dei cupiditate.

VIII. Tutissimum ad veritatē compendiū si ipsa veritas via nobis ad seipsam fieret& magistra. L.4.de Trin. c.18.

Observari 7. potest consentaneum quoque fuisse in primis, ut quæ meta nobis proposita erat, eadem quoque via esset apposita; unaque veritas qua & ad quam iremus, & carne sua nos duceret, & ad Deitatem suam perduceret. Augustinus, *Quia rebus ortis accommodamus fidem credulitatis, sicut in æternis speramus veritatem contemplationis, ne fides mortalis vitæ dissonaret à veritate æternæ vitæ, ipsa veritas Patri coæterna de terra orta est, cum Filius Dei sic venit, ut fieret filius hominis, & ipse in se exciperet fidem nostram, qua nos perduceret ad veritatem suam; qui sic suscepit mortalitatem nostram, ut non amitteret æternitatem suam. Ita ergo nos purgari oportebat, ut ille nobis fieret ortus qui maneret æternus; nec alter nobis esset in fide, alter in veritate.* Idem alibi, *Ut idem ipse sit in rebus pro nobis temporaliter gestis, cui per eadem fidem mundamur, ut eum stabiliter contemplemur in rebus æternis. Illi autem præcipui gentium Philosophi, qui invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere potuerunt, tamen quia sine mediatore id est sine homine Christo philosophati sunt, quem nec venturum Prophetis, nec venisse Apostolis crediderunt, veritatem detinuerunt, sicut de illis dictum est, in iniquitate. Non potuerunt enim in his rerum infimis constituti, nisi quærere aliqua, media per quæ ad illa quæ intellexerant, sublimia pervenirent, atque ita in deceptores dæmones inciderunt, per quos factum est ut immutarent gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, &c. Scientia ergo nostra Christus est, sapientia quoque nostra idem Christus est. Ipse nobis fidem de rebus temporalibus inserit, ipse de sempiternis exhibet veritatem; per ipsum pergimus ad ipsum, tendimus per scientiam ad sapientiam.* Et alio loco, *Ego sum via, veritas & vita. Si veritatem quæris, viam tene; nam ipsa est via, quæ est veritas. Ipsa est quò is, ipsa est quà is; non per aliud is ad illud; non per aliud venis ad Christum. Per Christum ad Christum venis. Quomodo per Christum ad Christum? Per Christum hominem ad Christum Deum.* Et rursus idem, *Ambulare vis, ego sum via; falli non vis, ego sum veritas; mori non vis, ego sum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus. Non est quo eas, nisi ad me; non est qua eas, nisi per me.* Et rursum, *Si dixisset tibi Dominus Deus tuus, Ego suum veritas & vita, desiderans veritatem, concupiscens vitam, viam qua ad hæc pervenire posses, profectò quæreres, & diceres tibi, Magna res veritas, magna res vita, si esset quomodo illuc perveniret anima mea. Quæris qua. Audi eum dicentem primo, Ego sum via. Antequam diceret tibi quo, præmisit quà, &c. Manens apud Patrem veritas & vita; induens se carne, factus est via. Non tibi dicitur, Labora quærendo viam, ut pervenias ad veritatem & vitam; non hoc tibi dicitur. Piger surge, via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitavit.* Denuo idem. *Viderunt* (Platonici Philosophi) *quo veniendum esset, sed ingrati ei qui illis præstitit, quod viderunt, sibi voluerunt tribuere quod viderunt, & facti superbi amiserunt quod videbant & conversi sunt inde ad idola & simulacra, &c. Illud potuerunt videre quod est, sed viderunt de longe; noluerunt tenere humilitatem Christi, in qua navi securi pervenirent ad id quod longè videre potuerunt, & sorduit eis crux Christi. Mare transeundum est, & lignum contemnis ò sapientia superba, irridens crucifixum Christum, &c. Lignum tibi humilitate ejus necessarium erat; superbia enim tumueras, & longe ab illa Patria projectus eras, & fluctibus hujus sæculi interrupta est via, & qua transeatur ad Patriam non est, nisi ligno porteris. Ingrate irrides eum quia ad te venit, ut redeas; ipse factus est via, & hoc per mare.* Et paulò antè: *Melius est non videre mente id quod est, & tamen à Christi cruce non recedere; quàm videre illud mente & crucem Christi contemnere, &c. Parvuli qui hoc non possunt intelligere, non recedentes à cruce & passione & resurrectione Christi, in ipsa navi perducuntur ad id quod non vident, in qua navi perveniunt & illi qui vident.* Idem Augustinus denuò, *Filius Dei qui semper in Patre veritas & vita est, assumendo hominem factus est via. Ambula per hominem, & pervenis ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis. Noli quærere qua ad illum pervenias præter ipsum Si enim via ipse esse noluisset, semper erraremus.* Hæc modum jam excedunt, & tamen exingenti acervo delibata dumtaxat sunt.

Ibid. l.13.c.19.

In Evang. Joan. Tract. 13.

Ib.Tract.22.

Idem Tract. 34.

Ibid.Tract.2

De verbis Dom. serm. 55.

IX. Summa antedictorum capita.

Hæc admodum autem sunt quæ eruantur ex iis aliisque id genus testimoniis. 1. Philosophi quicumque videre potuerunt mentis acie eam quò remigrandum erat Patriam, suis plerique viribus sternere sibi viam moliti sunt, tantòque aberraverunt longiùs. Eo enim tumore quo tantum sibi arrogarunt & acuminis & roboris, magis magisque excludebantur, tandemque ad insanissimas revolvebantur idolorum superstitiones. 2. Si qui impares se experti sint, ii ad dæmonum conversi auxilia, his ducibus per errorum scelerumque abrupta præcipitati sunt. Cæterùm utrisque hinc conflata pernicies est, quòd superbi superbos vel seipsos vel dæmones sequuti sunt duces, erroremque errore cumularunt, dum creaturæ quàm creatori salutem malunt debere. 3. Via ergo una erat regia, humilitas, qua suam Deo & cæcitatem nudarent, & infirmitatem; spem illi salutis totam affigerent; ejus ope, non suo acumine, ipsum agnovisse se profiterentur; nec posse se vel intuitu firmo vel amplexu qualicumque pertingere ad ipsum, nisi hominum se apporrigat ipse attemperetque & lippitudini tantisper & ægritudini. Hac humilitatis via grassati si essent, non vel transversum unguem à salutis semita deflexissent. Hæc enim ipsa Dei ad homines apporrectio, hæc divini luminis attemperatio, hæc divini ad nostram tenuitatem inclinatio culminis, Christus ipsissimus est. 4. Ex quo liquet ad Deum sine Deo non veniri; ducem non esse ad Deum, nisi Deum; viam qua Deus contingatur esse non posse, nisi Deum. Coalescit enim tandem coitque via cum meta. At quæ creatura hanc cum Deo coalitionem copulamque sibi jure arroget; Imo via utrique illigatur extremo, utque via ad Deum esse non potest nisi Deus, ita nec via ab homine ad Deum esse potest, nisi homo & Deus. 5. Ita tutissima brevissimaque occurrit hominibus via ipsamet veritas. Nam quæ tutior est ab errandi periculo via, quàm ipsamet veritas. Quæ certior est ad veritatem via, quàm ipsamet veritas. Rursum quæ compendiosior via, quam si ipsamet sit per quam itur & ad quam itur veritas. Quæ brevior trajectio, quàm per ipsam ad ipsam. Creatura quælibet & falli & fallere potest, & alioqui longus ille anfractus est, & tædiosa cunctatio per creaturas semper longinquas creatorem adire. Expeditius incomparabiliter est, si dignetur ipse per seipsum adiri, seque per temporalia viam substernere, & ad æterna perducere. 6. Nec tutissima tantùm à periculo, & compendiosissima à tædio, sed & amœnissima hæc via est, qua beatitas ipsa procurrit obviam, prægustarique interim se patitur. Nam ubi eadem veritas est, in æternitate sua fœlicitatis meta est, & in temporalitate sua ad fœlicitatem via; in ipsa via præsumitur fœlicitas, quia bibitur Veritas, ingensque in antecessum voluptas affluit. Bernardus libro de gradibus humilitatis paulò post initium, *Ego sum via quæ ad veritatem duco, Ego sum veritas quæ vitam promitto, Ego sum vita quam do. Clamat errantibus & viam ignorantibus, Ego sum via. Dubitantibus & non credentibus, Ego sum veritas. Jam ascendentibus sed lassescentibus, Ego sum vita.*

Cap.1.

X. Magister Christus nec superbia extolli, nec desperatione deprimi finit, sed humili spe, deiiciendo exaltat suos.

Observari 8. potest, illud medicinæ nostræ optandum fuisse temperamentum, ne superbiam ita deprimeret, ut excitaret desperationem. Ab utroque enim & tumoris & dejectionis discrimine, peræquè certa instabat pernicies, sive homo fiducia sui turgeret, sive inde excussus spem abjiceret omnem restaurationis. Si ad elidendam ergo su-

per-

perbiam hominis, suus tantùm illi à summis ad ima casus, & deturpatio exprobraretur, & virium inanitas; unde illi meliorum spes affulgeret? Nonne morbus remedio ingravesceret, & certa erumperet desperatio? Alendæ ergo spei, & frænandæ simul superbiæ consentanea summoperè fuit Verbi incarnatio. Quantus enim ille sit ad spem incitandam aculeus, quantus cohibendo fastui obex, animo magis, quàm calamo, & nec animo satis, nec calamo assequi possumus. Quis jam superbiat, cujus miseria non aliter quàm divinæ beatitudinis dejectione propulsanda fuit? Quis jam desperet, cui se impendit totam Dei beatitudo? Quis infletur posthac, cùm merita mala oblitterarit, cùm merita omnia vel anteverterit vel obruerit divinæ gratiæ magnitudo, & offensas beneficiis cumulaverit? Quis facilè speret ex his sordibus in æternæ sapientiæ osculum convolare? Quis non fidentissimè speret, postquam ipsa se in nostrum squallorem sapientia devolvit? Quis Filium Dei se fieri posse satis modestè confidat. Quis de eo post quam Deus factus est filius hominis nisi excors diffidat. Evehi hominem ad Deitatis consortium, vix persuadebitur nisi fidem faciat Deus dejectus adhominum contubernium. Augustinus: *Eos qui dicunt, itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miseria mortalitatis hujus, ut unigenitum Filium, Deum sibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam & carnem, mortalemque factum, mortem perpeti. Parum est sic refellere, ut istum modum quo nos per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum Deus liberare dignatur, asseramus bonum & divinæ congruum dignitati; verum etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent; sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse. Quid enim tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium conditione mortalitatis ipsius abjectas ab immortalitatis desperatione liberandas, quàm ut demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret. Quid verò hujus rei tanto isto indicio manifestius atque præclarius, quàm ut Dei Filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, & à nobis & pro nobis accipiens quod non erat, præter naturæ suæ detrimentum, nostrum dignatus inire consortium, prius sine ullo suo malo merito, mala nostra perferret; ac sic jam credentibus quantum nos diligat Deus, & quod desperabamus jam sperantibus, dona in nos sua, sine ulli bonis meritis nostris, imo præcedentibus & malis meritis nostris, indebita largitate conferat, quia & ea quæ dicuntur merita nostra, dona sunt ejus.* Non aliter ergo oportuit, non alio magis ullo decuit modo, spem mortalium ad immortalitatis fiduciam erigi, quàm si ab immortali Deo tantoperè se diligi experirentur, ut eorum causa se sua quodammodo exueret immortalitate. Eo enim invictissimè constat de Dei in ipsos amore & potestate. Qui enim quod tantò amplius est, & voluit & potuit, ut immortalem se morti addiceret: volet utique poteritque, quod expeditius non paulò est, mortalibus immortalitatem indere. Idem Augustinus: *Multi & magni sunt iidem languores mei multi sunt & magni, sed major & amplior est medicina tua. Potuimus putare Verbum tuum remotum esse à conjunctione hominis, & desperare de nobis, nisi caro fieret & habitaret in nobis.* Bernardus quoque: *Pro impiis mortuus est: videtis quantum fecit & pro qualibus; pro qualibus, ne superbiamus; quantum, ne desperemus.*

L. 13. c. 10. De Trinit.

Confess. l. 10 c. ult.

Serm. 1. in Circumcis.

Rursum spei fides addenda aut præmittenda, posse nos in Dei Filios provehi; idque non ægrè persuasum est, ubi Filius Dei, filius hominis nasci voluit. Id observavit Joannes in Evangelio, ubi cùm dixisset datam hominibus potestatem ut Filii Dei fierent, rei planè incredibili fidem statim conciliavit ex re multò magis incredibili, quòd Verbum caro factum sit. Unde Augustinus: *Ut homines nascerentur ex Deo, primò ex ipsis natus est Deus. Noli mirari ò homo quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundùm Verbum ejus. Priùs ipsum Verbum voluit nasci ex homine ut tu securus nascereris ex Deo; & diceres tibi: Non sine causa Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortalem me faceret, & pro me mortaliter nasceretur. Ideo cum dixisset, Ex Deo nati sunt, quasi ne miraremur, & exhorreremus tantam gratiam, & nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo nati sunt: quasi securum te faciens ait, Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Quid ergo miraris quia homines ex Deo nascuntur? Attende ipsum Deum natum ex hominibus.* Hilarius quoque: *Ne idipsum quod unicuique esse Dei Filium, à Deo Filio sit potestas, in aliquo infirmitatem fidei trepidæ impediret, quia per sui difficultatem ægerrimè speretur, quod & magis optatur, & minus creditur: Verbum Deus caro factum est, ut per Deum Verbum carnem factum, caro proficeret in Deum Verbum.* Chrysostomus etiam: *Cum germanus & verus Filius sempiterni esset Dei, etiam Filius David esse dignatus est, ut te filium faceret Dei; servum Patrem habere dignatus est, ut tibi servo Patrem faceret Dominum. Quod si ambigis de his quæ ad tuum spectant honorem, de illius humilitate disce credere, etiam quæ super tuam dignitatem dicuntur. Quantum enim ad cogitationes hominum pertinet, multo est difficilius, Deum hominem fieri, quàm hominem Dei Filium consecrari. Cum ergo audieris quod Filius Dei, Filius sit & David & Abrahæ, dubitare jam desine quod & tu qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei. Non enim frustra & vanè ad tandam humilitatem ipse descendit, sed ut nos ex humili sublimaret. Natus est enim secundum carnem, ut & tu nascerere spiritu. Natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.*

Tract. 2. in Joan.

L. 1. de Trin.

Hom. 2. in Matth.

XI. Quam non vilis, sed animosa magnificaque sit humilitas Christiana.

Observari 9. potest, ita superbiam hominis execandam, ita inseminandam fuisse humilitatem, ut de sua nihilo secius natura sentiret homo magnificè, ejusque proinde dignitati prospiceret, nec ullis eam vitiorum dehonestamentis commaculatum iret. Augustinus ita censet: *Nullo modo beneficentiùs consuluit generi humano Deus, quàm cum ipsa sapientia Dei totum hominem suscipere dignata est, &c. Ita enim demonstravit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non solum visibiliter nam id poterat & in aliquo æthereo corpore, ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit; ipsa enim natura suscipienda erat quæ liberanda.* Et alibi idem Augustinus: *Sunt & alia multa quæ in Christi incarnatione quæ superbis displicet, salubriter intuenda atque cogitanda sunt. Quorum est unum quod demonstratum est homini, quem locum haberet in rebus quas condidit Deus, quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne. Ut superbi illi maligni spiritus qui se ad decipiendum, quasi ad adjuvandum medios interponunt, non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem; & maximè quia & mori in eadem carne dignatus est Filius Dei; ne ideo illi tanquam Deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales.* Et rursum idem Augustinus: *Quid vobis (Platonicis) incredibile dicitur, cum Deus dicitur assumpsisse humanam animam & corpus? Vos certe tantùm tribuitis animæ intellectuali quæ anima utique humana est, ut eam consubstantialem Paternæ illi menti, quem Dei Filium confitemini, fieri posse dicatis. Quid ergo incredibile est, si aliqua una intellectualis anima, modo quodam ineffabili & singulari, pro multorum salute suscepta est? Corpus verò animæ cohærere, ut homo totus & plenus sit, natura nostra ipsa teste cognoscimus. Quod nisi usitatissimum esset, hoc profectò esset incredibilius. Facilius quippe in fidem reci-*

L. de vera relig. c. 16.

L. 13. de Trinit. c. 17.

L. 10. Civit. c. 29.

recipiendum est, etsi humanum divino, etsi mutabile incommutabili, tamen spiritum spiritui, aut ut verbis utar quæ in usu habetis, incorporeum incorporeo, quam corpus incorporeo cohærere, &c. Hoc fortasse creare recusatis, intuentes Porphyrium, &c. tam crebro præcipere, omne corpus esse fugiendum, ut anima possit beata permanere cum Deo. Sed ipse potius ista sentiens corrigendus fuit, præsertim cum de anima mundi hujus visibilis, & tam ingentis corporeæ molis, cum illo tam incredibilia sapiatis. Platone quippe authore, animal esse dicitis mundum, & animal beatissimum, quod vultis esse etiam sempiternum. Quomodo ergo nec unquam solvetur à corpore, nec unquam carebit beatitudine, si ut anima beata sit, corpus est omne fugiendum? Solem quoque istum & cætera sidera, &c. esse animalia beatissima perhibetis, & cum his corporibus sempiterna.

XII. Quantum animosæ fiduciæ per Christi humilitatè nobis accrescat, ex multis capitibus declaratur.

Ex quibus clarescunt complura amplificandæ hominis dignitati per incarnationem argumenta accessisse, studioque incitando ad repetendam supernè originem suam. 1. Hinc eluxit quàm excelso loco inter creaturas sedeat homo, qui potuerit Deo in unitatem personæ copulari. 2. Ne jam se vel dæmonibus vel creaturis ullis inclinet homo, cùm nulla arctiùs Deo adunari possit, nulla adunata sit tam arctè, nulla non infinita hinc distet intercapedine. 3. Ne mediatores jam quærat homines illos ad Deum, vel dæmones, vel quoscumque alios qui tot fraudum, tot flagitiorum hactenus fuerant architecti. Hac eadem de re mox plura hoc ipso capite dicemus. 4. Ne mortalitate vel morte sua consternetur homo, aut eo immortalitatis privilegio anteire sibi & opitulari posse dæmones arbitretur. Postquam enim mortem immortalis Deus oppetiit, ambitiosiùs oppetenda appetendaque illa est; & impensa pietati mors facinorosæ anteponenda dæmonum est immortalitati, nec mors jam aliter quàm ut immortalitatis janua interpretanda est. 5. Ex hac sua cum Deo Verbo copula certiùs assequatur homo suam cum eodem Verbo, cum veritate, cum justitia incommutabili consanguinitatem, quàm ex Platonicorum divinatione; qui & ipsi conjectando potius quàm demonstrando, de quadam nostrarum mentium cum Verbo cognatione verba fecerant. 6. Hinc etiam compertum habeat proniorem esse animæ cum Verbo, mentis cum veritate colligationem, quàm corporis cum anima & mente. Cohæsit enim insolubiliùs mens Christi Verbo, quàm corpori. Et hinc ergo illi vinculo mentis suæ cum Verbo Dei arctiùs stringendo incumbat homo, & hunc animæ nexum cum carne minoris pendat. 7. Ita se ut imaginem & præludium quoddam incarnationis Verbi homo quilibet esse intelligat, nec simile tantùm, sed quodammodo mirificentius miraculum. Quando incorporeum incorporeo minùs ægrè, quàm corporeo coalescit. 8. Ne corpus suum erubescat, aut contaminet mens, quod non menti tantùm, sed & veritati ipsi coaptatum conjugatumque esse intelligit; quodque proinde hinc indubitatiùs comperit beatitudini nihil officere, quàm per Platonicorum deliria de mundo & sideribus, quæ & animantia esse corporea, & immortaliter beatissima nugabantur.

Supersunt & alia quæ eodem pertineant nec pauca nec aspernanda. Cujusmodi est. 9. Quòd homo quanti pretii sit hinc moneatur, cùm Deus ipsum se pro illo impenderit. Pretium ergo hominis Deus est; quo quid amplius, quid ad commendandam sanctimoniam efficaciùs fingi potest? Chrysostomus ita habet: *Vis scire quantum sit pretium animarum nostrarum? Redempturus eas unigenitus, non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem. Quando ergo eam tanti emptam perdideris, quomodo poteris eam deinceps emere?* Basilius similiter, *Si primæ illius tuæ generationis es immemor, ex dependo tui redimendi gratia pretio, qualemcumque tuæ dignitatis arripe notitiam. Quanti id sit pretii, quo permutatus es, videto; tuamque adeo agnosce dignitatem. Noli proinde servire peccato, tuam potius intellige dignitatem.* 10. In Christo donata sibi omnia homo intelligat, non temporalia tantum, sed æterna & incommutabilia bona, veritatem, justitiam, sapientiam, virtutes omnes, quæ omnia sunt ipsum Verbum. Ergo his locupletatus, his splendere studeat; has suas opes ostentet, his se ornet, has effundat etiam; ne bona autem infima mendicet, quibus sordescere jam magis possit, quàm ditari. Origenes ita disserit: *Deus ergo qui nos pretiosos proprii filii pro nobis pretiosum sanguinem fundendo fecit, quomodo non cum ipso omnia nobis dedit? Nihil est visibilis sive invisibilis creaturæ, quod filio possit adæquari: nullo enim pacto creatori suo creatura potest conferri. Et si creator ipse donatus est nobis, quomodo non cum ipso creatura nobis donabitur? Quamvis sermo hic dupliciter possit intelligi, id est, quod cum illo omnia donabit. Nam & hoc potest videri, quod si habemus in nobis Christum secundum hoc quod Verbum, sapientia & veritas & justitia & pax est, & cætera omnia, quæ de eo scripta sunt, cum hac plenitudine virtutum, omnia nobis donabuntur: ut jam non in unum ex omnibus creaturis & parvum terræ hunc locum, quem nunc videmus, habitare timeamus; sed omnia quæcumque creavit Deus visibilia & invisibilia, occulta & manifesta, temporalia & æterna cum Christo pariter habeamus.* Vides in quantam amplitudinem & opulentiam divitiarum incorruptibilium hominem provexerit incarnatio Verbi. 11. Ne homo vel sibi vel cuilibet vilis jam sit, per eandem Christi dispensationem consecutus est. Naturam enim humanam non facilè vel in seipso contaminabit, vel in alio aspernabitur, qui eam seriò crediderit ad tantum nobilitatis splendorem, ad tantum sanctitatis, ad ipsum Deitatis apicem sublimatam. Quo etiam magis amplificari poterat hominum inter se charitas, quo castificari amplius poterat cujusque in seipsum amor, quàm si humanitas misceretur Deitati, & quod inde consequitur, confluerct, & in unum charitas Dei atque hominum confunderetur. Leo Magnus: *Non sit vilis homini homo, nec in quoquam despiciatur illa natura, quam rerum conditor suam fecit.* Et alibi idem: *Agnosce o Christiane dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* Chrysologus similiter: *Homo quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? Quare sic honoratus à Deo teipsum taliter inhonoras?* 12. Hæc naturæ nostræ insertio in Deum, ejus admirationem & reverentiam tum hominibus incussit tum dæmonibus: ut horum ab insidiis, illorum à contaminationibus tutior multò jam sit. Isidorus Pelusiota: *Salutaris Filii Dei in carne apparitio, quæ delendorum humanorum peccatorum causa extitit, omnes & dæmones & homines perterrefecit, his nimirum ut naturæ jam Deo copulatæ parcerent, persuadens, illos ut ab insidiis ipsi tanquam à peccato jam alienæ redditæ comparandis, abstinerent, cogens.*

In psal. 48.

In eundem Psalm.

In c. 8. Ep. ad Rom.

Serm. 4. de Collectis.

Serm. 1. in Nativit.

Hom. 148.

L. 1. Ep. 436.

XIII. Quam tuta sit per Christum ad Patrem via & mediatio.

Observari 10. potest, hoc emolumenti quoque per incarnationem Verbi invectum esse nobis, ne mediatores posthac ad Deum adsciscamus alios, neu incurramus in demones, qui quòd corporis essent & mortalitatis expertes, subdolè se nobis superiores, Deoque propiores, adeoque medios ingerebant. Sed cùm ipsorum miserrima sit immortalitas, parum auspicati erant ii mediatores, miseri nobiscum, cum Deo immortales, unumque id, ut immortaliter miseri essemus, molientes. Fortunatiùs implevit mediatoris partes Christus qui nobiscum mortalis, beatus cum Deo, temporali mortalitate ad æternam nos pervexit beatitatem. Augustinus: *Mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem habere oportuit transeuntem, & beatitudinem permanentem, ut per id quod transit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, transferret ex mortuis. Boni igitur Angeli inter miseros*

L. 9. Civit. c. 15.

morta-

mortales & beatos immortales medii esse non possunt, quia ipsi quoque & beati & immortales sunt. Possunt autem medii esse Angeli mali, quia immortales sunt cum illis, miseri cum istis. His contrarius est mediator bonus, qui adversus eorum & immortalitatem & miseriam, & mortalis esse ad tempus voluit, & beatus in æternitate persistere potuit. Ac sic eos & immortales superbos, & miseros noxios, ne per immortalitatis jactantiam seducerent ad miseriam; & suæ mortis humilitate, & suæ beatitudinis benignitate, destruxit in eis, quorum corda per suam fidem mundans, illorum immundissima dominatione liberavit. Homo itaque mortalis & miser, longè sejunctus ab immortalibus & beatis, quid eligat medium, per quod immortalitati & beatitudini copuletur. Quod possit delectare in dæmonum immortalitate, miserum est. Quod possit offendere in Christi mortalitate, jam non est. Ibi ergo cavenda est miseria sempiterna; hic mors timenda non est, quæ esse non potuit sempiterna: & beatitudo amanda est sempiterna. Rursus idem Augustinus: *Maximè verò suæ incarnationis exemplo id salubriter persuasit, ut quoniam homines plerique divinitatis avidi per potestates cælestes quas Deos putarent, ritusque varios illicitorum, non sacrorum sed sacrilegiorum ambiendum sibi arbitrarentur ad Deum, magis superbè quàm piè, qua in re pro Angelis sanctis, eis se dæmones superbiæ cogitatione apponunt: scirent homines tam proximum esse Deum pietati hominum, ad quem velut longè positum per interpositas potestates ambiebant, ut hominem suscipere dignaretur, & cum illo uniri quodammodo, ut ei sic coaptaretur homo totus, quemadmodum animæ corpus.*

Epist. 3.

CAPUT XVII.

Incarnari Deum non magisterio tantùm, sed auxilio præstando necessum fuit.

I. Cassum & sterile foret Magisteriū veritatis, ni si una suppeteret adjutorium charitatis.

ALter hìc jam nobis fons aperiendus est, ex quo multa nobis iterum decurrant argumenta suadendæ Verbi incarnationi. Inanesceret enim & in fumos iret præclarum illud Deitatis magisterium, si doceret, non juvaret: si dictaret leges, nec sufficeret vires: si lucem inferret ægris, non opem: si nudaret, nec curaret vulnera: si virtutes ostenderet, nec infunderet. Quid enim leges sine moribus vanæ proficerent, nisi ut hoc fieret quisque criminiosior, quòd ignorantiæ difflata esset causatio. Nostris ergo congruebat remediis, quoniam & oculis ad videndam, & viribus ad consequendam, ubi diluxisset, veritatem orbati eramus; cælitus ut adesset, qui nostram & illuminaret cæcitatem, & ægritudinem sanaret. Ita præclarè Augustinus, *Venit hominibus magisterium & adjutorium, ad capessendam sempiternam salutem.* Et paulò infra, *Adjutorium, quod sine gratia fidei quæ ab illo est, nemo potest vincere concupiscentias vitiosas, & si qua earum residua non vicerit, veniali remissione purgari.* Et idem alibi, *Passione ostendens quid sustinere pro veritate, resurrectione quid sperare in æternitate debeamus, excepta altitudine sacramenti, qua sanguis ejus in remissionem peccatorum fusus est.* Ubi distinctè adjutorium discriminat à magisterio, duplexque constituit adjutorium, quo donentur peccata antecta, & quo antevertantur deinceps superenturque ingruentes tentationes. Ad hoc autem muneris præstandum hominibus, consentaneam & cum primis necessariam fuisse Verbi Dei inhumanationem.

Idque adjutorium duplex.

Epist. 3.

Ad remittēca retro & antevertenda deinceps peccata. L. 18. Civit. c. 49.

II. Necessaria demōstratur incarnatio ad Gratiæ fontes aperiendos.

1. Ipsa incarnatio exēplar est & speciem Gratiæ pul.

Demonstratur 1. Nullo enim luculentiori monimento illustrari poterat gratia Dei, quam nulla præire aut invitare possunt merita bona, quam multa præcesserant merita mala; & illa tamen tum liberaliùs se in nos effudit, immeritosque & malè meritos, non suis tantùm donis, sed sua etiam substantia & persona, & tota Deitate donavit. Nihil hoc non dico ab homine excogitari, sed vel à Deo fieri potuit, vel ad commendandam Dei beneficentiam, vel ad exaggerandam divinæ in nobis gratiæ vim ac præstantiam efficacius. Quis enim posthac suis meritis fidat, quando nec suis meritis ille qui Deus homo est, hoc dignitatis columen adeptus est. Quis divinæ gratiæ non fidat, quæ quo exasperari fugarique debuit, eo quasi invitata proliχiùs affuit. Quis infirmitati suæ diffidat, quando inserta est jam humanitati Deitas, infirmitati omnipotentia. Non ergo stultitiæ est credere, sed stultitiæ est non credere Deum incarnatum, cùm eo uno maximè præsidio muniri potuerit homo, & adversus superbiam, ne de suis viribus insolesceret; & adversus desperationem, ut quorumcumque peccatorum veniam spe præsumeret; & adversus desidiam, ut invictissimi supernè auxilii fiducia invalesceret, & ad præclara quæque acueretur. Quibus nisi superbis & ingratis displiceat hæc singularis & summa divinæ testificatio gratiæ. Quos nisi inertissimos non accendat hæc omnipotentis auxilii pollicitatio. Augustinus ita habet: *Sunt & alia multa quæ in Christi incarnatione, quæ superbis displicet, salubriter intuenda atque cogitanda sunt, &c. Ut gratia Dei nobis sine ullis præcedentibus meritis in homine Christo commendaretur, quia ipse nec ut tanta unitate, Deo vero conjunctus, una cum illo persona, Filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus. Sed ex quo homo esse cœpit, ex illo est & Deus; unde dictum est: Verbum caro factum est.* Leo Magnus similiter: *Talis nativitas decuit Dei virtutem & Dei sapientiam Christum, qua nobis & humilitate congrueret, & divinitate præcelleret. Nisi enim esset Deus verus, non adferret remedium; nisi esset homo verus, non præberet exemplum.* Exempla ergo Christi ad magisterium pertinent, & ab humanitate ejus maximè proficiscuntur; remedia autem ad adjutorium spectant, & à Deitate cùm manent, inde insuperabilem illam & vim præferunt, & adferunt spem. Unde Augustinus loco allegato, *Hominibus & Deus divinitate subvenit, & homo infirmitate convenit.* Efficaciora enim sunt, & auxilia, si à Deo omnipotente, & exempla, si ab homine eamdem nobiscum infirmitatem gestante exhibeantur. Idem Leo alibi, *Infirmitatum nostrarum susceperat veritatem, & excepta communione peccati, nihil à se humanæ infirmitatis excluserat, ut & sua nobis insereret, & in se nostra curaret. Ab omnipotente enim medico duplex nobis miseris remedium præparatum est; cujus aliud est in sacramento, aliud in exemplo; ut per unum conferantur divina, per aliud erigantur humana; quia sicut Deus justificationis est author, ita homo devotionis est debitor.* Totius ergo infirmitatis nostræ consortium Deus iniit, non tantùm ut exemplo esset, quà homo hominibus prælucens; sed & auxilio, quà Deus hominem gestans, & omnipotens infirmum sustentans, & totam demum devorans infirmitatem. Quocirca idem ibidem subdit, *Per hanc salutis nostræ ineffabilem reparationem, nec superbiæ nobis, nec desidiæ locus relinquitur, &c. Justè enim nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio.*

clerrimum

De Trinit. l. 13. c. 17.

In Nativit. Serm. 1.

Serm. 16. de Passione.

Demonstratur 2. Virtus est & sapientia Patris. Ab eo ergo nos & quà sapientia est, præceptis formandos, & quà virtus est, auxilio communiendos non immeritò fidimus. Cùm enim peccati lues & lumen contenebraverit, quo æternam spectabamus sapientiam; & vires fregerit, quibus ad illam, non pedum, sed morum affectuumque progressu contendebamus: quid & ejus amplitudini & nostræ ægritudini magis consentaneum, quàm ut & quà lumen incommutabilis sapientiæ est, offusam nobis dispungat caliginem; & quà omnipotens virtus est, accisas exhaustasque vires redintegret. Bernardus inter parvos sermones, *Filius Dei apparuit, ut nos adjuvaret, & erudiret; quod potest, quia est virtus Patris & sapientia. Virtus adjuvat, sapientia erudit*

III. Verbum, qua virtus & sapiētia Dei, non illuminat tantum sed & roborat.

Serm. 11.

erudit & informat. Infirmitati auxilium est necessarium; cæcitas eruditione indiget & doctrina. An impar enim fuisset morbo nostro tanta medicina? Cùmque nos duplici affligeremur malo, illa unum levaret, alterum ægrescere fineret, latiúsque serpere. An rursus cæcitatem quidem depelleret, infirmitatem autem nihil levaret, qua tantò graviùs & periculosiùs laborabat humanum genus. Non tota enim veri lux aufugerat: caligo infusa erat multa, sed irrumpebat adhuc, interlucebatque nonnunquam veritas; at infirmitas incubuerat tota, viriumque nihil penitus residuum fecerat. An rursus ita mederetur uni morbo medicus Deus, ut eadem opera alter ingravesceret. Nam si virtutem commonstret, nec vincula quibus prohibemur, solvat: si Patriam æternam ostendat, nec repagula quibus arcemur, amoveat: si jus fasque omne elucidet, nec cupiditatem in vetita flagrantiùs effervescentem compescat: non aliud consequetur quàm ut penè intempestivo beneficio, hoc criminosiùs, quo peritiùs peccemus. An denique tantus magister, & Patris ad nos orator doceret, nec delectaret. Aut delectaret tantùm, nec flecteret. An si occalluisset homo, ille verba in ventum spargeret. An Dei sapientia, & facundia non haberet, quo auditoris molliret duritiam, pertinaciam frangeret.

IV. Magistri Christi gesta apud homines secta, de apud Deû merita irrigandæ sanctitatis erât.

Demonstratur 3. Non potuit magister talis tantusque exemplo suo prælucere, omniumque virtutum præferre facem, quin eadem opera meritorum ingentem vim cumularet, minùs sibi quàm illis quibus indigentibus se totum contulerat, profuturam. Multiplex enim illa vitæ sanctimonia, virtutumque omnium exercitatio, & apud homines bene vivendi exempla statuebat, & apud Deum comparabat merita quidvis impetrandi. Quid autem vel sibi impetraret, ipsa Deitate Deitatisque beatitate circumfluenti, quàm magisterii efficaciam insuperabilem; Vel hominibus, nullo alio bono bonis futuris, quàm omnimoda, quàm invictissima aliqua in boni amorem obsequiumque adjutoria; Bernardus: *In oculis hominum Deus homo sobriè & piè conversatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo jam defuit nobis ad salutem: Accedat & gratia remissionis peccatorum, hoc est ut gratis peccata dimittat, & opus profectò nostræ salutis consummatum est. Non autem metuendum quod donandis peccatis, aut potestas Deo, aut voluntas passo, & tam passo pro peccatoribus desit Itaque totum nobis de Christo valuit, totum salutiferum, totumque necessarium fuit, nec minus profuit infirmitas quàm majestas: quia etsi ex Deitatis potentia, peccati jugum jubendo submovit, ex carnis tamen infirmitate, mortis jura moriendo concussit.* (Ad Milites Templi c. 11)

V. Verbû nusquâ sui dissolor, etiam in carne carnisque vitæ fons est luminis & sâctimoniæ.

Demonstratur 4. Verbum vita est, non tantùm qua ipsum vivat, sed etiam qua vitam fundat; seu vita est, quia vitæ fons inexhaustus est jugiterque manans. Ergo cùm se inseruit homini in magistrum humani generis inaugurando, in illo quoque & in illius partibus membrisque, dictis factisque fontem vitæ jugiter exundantem collocavit. Porro vita non tantùm oculum vegetat, sed sensus omnes acuit, sed nervos exertat, & amplificat vires, mortemque & mortis germanas vitiositates & morbos profligat. Ergo Christi & vitæ tenor, & doctrinæ series, non magisterii tantùm provinciam implet; sed velut ex vitæ fonte vitam irrigat in homines; peccata eluit, & mortem dissipat; robur infundit, & ad omnia incitat divinæ vitæ exercitamenta. Id eleganter prosequitur Ambrosius, occasione arrepta ex eo loco Epistolæ Joannis, *Quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* (In Psalm. 16) Sic ergo ille: *Caro ergo est quæ in Christo apparuit, vel Christus in carne: ipse nostra in omnibus vita est. Ipsius divinitas, vita est; ipsius æternitas, vita est; ipsius caro, vita est; ipsius passio, vita est; ipsius mors, vita est; ipsius vulnus, vita est; ipsius sanguis, vita est; ipsius sepultura, vita est; ipsius resurrectio, vita est universorum.* Et paulò post in eum sensum torquens illa Joannis verba, *Quod factum est, in ipso vita erat*; ait, *Quod factum est ergo in ipso, vita est. Caro facta est in ipso, vita est. Infantia facta est in ipso, vita est. Judicium factum est in ipso, vita est. Mors facta est in ipso, vita est, &c. Vide quanta in ipso facta sunt, quibus vitæ nostræ conversio facta est, ut quæ perierat, redderetur, &c. Hæc est vita quæ erat apud Patrem: quia ipse qui erat in principio, ipse postea est natus ex virgine, ut esset vita morituris.* Sicut ergo ex illapsu Verbi in hominem, homo & quidquid hominis est, in Verbi proprietatem, seu in magisterium, quo informentur omnes, exaltatur; ita & in alteram hanc rapietur perequè Verbi proprietatem, seu in adjutorium, vitæque effluvium, quo convalescant homines, & ad virtutum certamina incitentur.

VI. Ne docere quidem potest Magistra veritas, maxime lapsos homines, nisi aliquid adjundat auxilii.

Declaratur 5. Nec ipsa Magistri persona sustineri aut impleri munus poterat, nisi præceptorum austeritas, supinitasque auditorum ingenti levaretur & excitaretur affuturi adjutorii spe. Quin ipsa dogmatum mandatorumque lux, ut de obsequio longè operosiore interim sileam, infundi in animum sine superno auxilio haudquaquam poterat. Denique non ægris tantùm lippientium oculis medicinali gratia opus erat, ut luci patere possent & consuescere: sed iisdem ante etiam sanis, & nequedum hac afflatis peccati lue, sine superni juvamine auxilii neutiquam temperari aut infundi poterat lux incommutabilis veritatis. Si ergo adjutorio opus erat sanis, quid ægris: Si ad legis dumtaxat ferendam lucem, quid ad amandam amplexandamque. Quod autem mentis etiam sanæ oculus necdum saucius, superno foveri indigeat auxilio, ut increatam veritatis lucem pati possit, patefit alibi copiosiùs. Quod rursus animæ peccatis convulneratæ oculus, ut veritatis quidpiam intelligat, supernè juvari vehementiùs indigeat, multis probari potest.

VII. Multis id argumentis evincitur. Primò.

Liquet 1. Quid est quod homine docente, auditorum alter intelligat, alter non intelligat: Ille quod dicitur, videat, alter cæcutiat. Nisi quia homo aurem corporis æqualiter verberat, sed magister interior in schola pectoris alterius aurem intimam aperit, eruditque, alterum exigentibus peccatis prætermittit. Augustinus: *Auditus per me factus est, intellectus per quem. Ego ad aurem dixi ut audiretis, ad cor vestrum quis dixit ut intelligeretis. Sine dubio aliquis & ad cor vestrum aliquid dixit; ut non solum strepitus iste verborum percuteret aurem vestram, sed etiam in cor vestrum aliquid descenderet veritatis. Dixit aliquid & ad cor vestrum, sed non eum videtis: si intellexistis fratres, dictum est & cordi vestro: munus Dei est intelligentia.* (In Ioannem Tract. 50.)

VIII. Idem secundo probatur.

Liquet 2. Cùm uterque capiat quid dicatur, quid est, quòd alter tantùm approbet & consentiat. Nisi quod alteri tantum se commonstrat, & quantum satis est, allucescit veritas; alteri exigentibus peccatis obnubilat se, vel minus se ostendit. Idem Augustinus: *Qui & in vobis habitat, sine dubio facit vos approbare verum esse quod dico. Nam quid dicturi simus, ignoratis: sed cum dixerimus, non ab ipsis nobis, vobis ostendemus verum esse quod dicimus, sed vos ipsi agnoscetis verum esse quod dicimus. Unde autem agnoscetis nisi demonstrante illo qui in vobis habitat.* (In Psalm. 110.)

IX. Idem tertio probatur.

Liquet 3. Suone an alterius arbitrio celatur, aut monstratur veritas. Suo nimirum. Ergo quantumvis intendat quis aciem ut videat, aut artem ut ostendat veritatem, non videbitur, nisi cum, & à quo volet. Invocare & expectare potest homo solem, non inducere aut accelerare; ergo & sol veritatis ubi videtur, præstat se, non alienis paret jussis. Vivit enimverò veritas, suoque regit omnia imperio; obviat ergo vel proripit se suo nutu, non nostro; & ubi ultro exoritur, ostenditque se, ejus id beneficium esse, non hominis monitoris

nter-

Prologo 1. L. 1. de Doctr. Christ. intrepretandum est. Augustinus: *Noverat ille (Moyses) vir, ex quacumque anima verum consilium processisset, non ei, sed illi qui est veritas, incommutabili Deo tribuendum esse.*

X. Idé quartò probatur. Liquet 4. Non utcumque procul affulgere veritatem necessum est, ut cernatur: sed ipsi infundi oculo; nec adesse tantùm, sed inesse. Tam familiariter autem donare & indere vel sibi vel alteri veritatem, quis hominum, quis Angelorum sibi arroget? Quis hoc sibi jus sine summa injuria vindicet? Sed immundis etiam oculis non imaginem veritatis, sed ipsissimam infundere & contaminare veritatem quis possit, quis ausit? Ergo ut lux videri nequit, nisi seipsa largiatur, & non sui ludat imagine; ita nec veritas.

XI. Idé quintò probatur. Liquet 5. Eo enim ex capite manavit infœlicitas Gentilium olim Philosophorum, quòd cùm acie mentis in ipsum sempiternæ sapientiæ arcanum inspicere valuissent, viribus id suis quàm divinis auxiliis arrogare maluerunt. Hinc enim dixerunt, ut ait Apostolus, se esse sapientes; hinc Deo non egerunt gratias; sed & hinc obscuratum est pœnaliter insipiens cor eorum, & sapientiæ laudem venditantes, in idola absurdissimè insanierunt; denique in desideria cordis passionesque ignominiæ præcipitati sunt. Ut experirentur enim divini esse beneficii, non proprii moliminis conspectum veritatis, ingratis subduxit se. Augustinus in Joannem: *Intelligat ergo homo, non se gaudere debere de sapientia sua, sed de sapientia quam accipit à Deo.* (Tract. 14.) *Nihil plus quærat, & non amittit, quod invenit. Multi enim facti sunt insipientes, quia dixerunt se esse sapientes, &c. Ut sint inexcusabiles. Quare inexcusabiles? Quia cognoscentes Deum, non dixit, quia non cognoverunt, sed quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, &c. Si enim Deum cognoverant, simul cognoverant, quia non eos fecerat sapientes nisi Deus. Non ergo sibi tribuerent, quod à se non habebant, sed ei à quo acceperant: non autem agendo gratias, insipientes facti sunt. Ergo Deus quod dederat gratis, tulit ingratis.*

XII. Idem sextò probatur. Liquet 6. Ex eo quòd hoc maximè supra reliquos sæculares Philosophos Platonici extulere caput, Christianæque veritati accessere proximè, quòd superni necessitatem auxilii ad veritatis indagationem palam testificari sint. Lumen quippè mentium sanxerunt esse Deum, easque proindè nisi hujus lucis supernæ gratia recreentur, penitùs contenebrescere. Augustinus: *Hi vero quos meritò cæteris anteponimus, &c. Lumen mentium esse dixerunt ad discenda omnia eundem ipsum Deum à quo facta sunt omnia.* (L. 8. Civit. c. 7. 8.) Et infra: *Quicumque igitur Philosophi de Deo summo & vero ista senserunt, quod & rerum creaturum sit effector, & lumen cognoscendarum & lumen agendarum: quod ab illo sit & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & fœlicitas vitæ, sivè Platonici accomodatiùs nuncupentur, sivè quodlibet aliud sectæ suæ nomen imponant, &c. Eos omnes cæteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur.* Quod autem lapsis maximè hominibus vehementiore opitulandum sit gratiæ juvamine, ut ad veritatis intelligentiam surgant, consensisse Porphyrium docet idem Augustinus, ipsum tametsi jam mortuum ita alloquens: *Confiteris tamen gratiam, quandoquidem ad Deum per virtutem intelligentiæ pervenire, paucis dicis esse concessum.* (L. 10. Civ. c. 29.) *Non enim dicis, paucis placuit, vel pauci voluerunt, sed cum dicis esse concessum, proculdubio Dei gratiam, non hominis sufficientiam confiteris. Uteris etiam hoc verbo apertius, ubi Platonis sententiam sequens, nec ipse dubitas, in hac vita hominem nallo modo ad perfectionem sapientiæ pervenire: secundùm intellectum tamen viventibus omne quod deest, providentia Dei & gratia post hanc vitam posse complere. O si cognovisset Dei gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum, &c.* Ego illi Philosophi & in hoc mortali & in immortali posthac ævo virium nostrarum inopiam divini adjutorii munere suppleri fatebantur.

XIII. Idé septimo probatur. Liquet 7. Sæpiùs jam inculcatum est, amore terrenorum sordidatos oculos, & exindè ad lucem veritatis fatiscentes, medicinali collyrio purgandos fuisse, idque esse Christi carnem. At quis non intelligat collyrium lippientibus oculis apponere, partes esse non tam magistri quàm medici? Et collyrium ipsum gratiæ potiùs quàm doctrinæ nomine honestandum esse? Nec eo tam lucem quàm robur ad ferendam lucem inspirari? Ergo cùm primum magisterii hujus beneficium sit ægros sanare oculos, morumque purgatione purgare mentem, & ita contemplationis aciem redintegrare, non priùs præcepta quàm auxilia instruentur. Denique intelligentiæ divinorum insolentibus adhuc, instillatur primùm à cælesti magistro fides; at res incredibiles non videre & credere, & huic credulitati emendationem vitæ operosissimam superstruere, quis nisi plurimo supernè communitus auxilio speret? Augustinus: *Quia ipsa mens, cui ratio & intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis & veteribus invalida est, non solùm ad inhærendum fruendo, verùm etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque sanata fiat tantæ fœlicitatis capax: fide primum fuerat imbuenda atque purganda. In qua ut fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius homine assumpto, non tamen Deo consumpto, eandem constituit atque fundavit fidem, ut ad Deum iter esset homini per hominem Deum.* (L. 11. Civit. c. 1.) Primum magistri Dei dictatum, fides est; fides porrò medicina & adjutorium maximum est; docet ergo juvando, & juvat docendo.

XIV. Etiam sana mens nihil docebatur sine gratiæ adjutorio, idque multis efficitur argumentis Ergo de ægra hinc coniicies. Declaratur 6. Ex supra disputatis per multa capita, satis ut quidem arbitror superque patuit, in eo fuisse humanæ reparationis summam, ut veritas æterna & incommutabilis, quæ sanarum mentium vita & fœlicitas una erat, iisdem vitiorum turbine in præceps actis, materiæque illisis, nec jam nisi materialia aut cogitatu aut amore complecti valentibus corporasceret, adglutinaret sibi illas, ab amore corporum expediret paulatim, puræque luci tandem redderet & serenaret. Ita quandiu curantur, adhuc carnalibus Veritas incarnata idem præstat, quod iisdem de statu intellectuali nondum dimotis, eadem veritas intelligibilis præstabat. Atqui creatas quaslibet mentes in primigeniæ integritatis statione durantes, veritas sempiterna non solis informat præceptis, sed roborat auxiliis; nec magistra tantùm, sed adjutrix regit; nec illuminat tantùm, sed vegetat, sustentatque. Nam 1. Veritas eadem est, & virtus omnipotens; hinc ergo adjumenta derivantur, illinc ad benè beatèque vivendum mandata. 2. Non veritas tantùm est, sed sapientia. At sapientia sapor est gustusque & ineffabilis suavitas veritatis. Hac suavitate veritatis nulla non vanitatis suavitas oblitteratur. Nullum ergo efficacius adjutorium invocari potest. 3. Plusculum est oblectari veritate; eaque suavitate & ipsi invictissimè veritati adhærere, & avocamenta omnia constantissimè fastidire, plusculum inquam id est, quàm sola illuminari veritate. An ergo quod minusculum est, præstabit veritas, non quod amplius etiam? An debebit sibi creata mens quod amplius aliquantò est, Deo debebit quod inferius? Plus sibi quàm Deo debebit? Potentior & beneficentior in se ipsa quàm in ipsam Deus? Fœlicitatis primas tantùm lineas descripserit Deus, illa ultimam manum, omnesque numeros adjecerit? 4. Quoniam mens nostra non est natura veritatis, ideò veritatis participatione & beneficio perficienda juvandaque est. Quoniam mens nostra non est ipsa natura sapientiæ, illuminanda divinitus est. Omninò enim quod ex naturæ propriæ sinu non scaturit, aliunde id venandum, aut mendicandum est. Quod natura sua non lucet, solari luce collustrandum est. Ergo & cùm natura mentis

creatæ

creatæ non fit ipsa natura virtutis, aut amoris castissimi divinorum, aut justitiæ incommutabilis, participatione & beneficentissima gratia harum in Deo primordialiter scaturientium formarum irriganda cælitus est. Si ergo veritas & sapientia intelligibilis cum carne concrevit, ut mente carnalibus se contemperaret; sicut ante carnem castissimas mentes & illuminabat magisterio, & roborabat adjutorio: ita in carne latitans easdem carnales peccato factas, & doctrinæ lumine & gratiæ robore adjutabit. Nisi auxilio minùs egere tum cœperint, cùm peccati ægritudine, & oculis orbatæ & viribus omnibus exhaustæ sunt. Augustinus: *Per hominem commemoratio aliqua signis verborum fieri potest; docet autem unus verus magister, ipsa incorruptibilis veritas, solus magister interior. Qui etiam exterior factus est, ut nos ab exterioribus ad interiora revocaret; & formam servi accipiens, ut ejus sublimitas surgentibus innotesceret, jacentibus humilis apparere dignatus est.* Eadem ergo per carnem carnalibus beneficia confert, quæ ante carnem suam necdum carnalibus. Et idem alibi: *Si enim natura nostra esset à nobis, profectò & nostram nos genuissemus sapientiam, nec eam doctrina id est aliunde discendo percipere curaremus; & noster amor à nobis profectus & ad nos relatus ad beatè vivendum sufficeret; nec bono alio quo frueretur, ullo indigeret. Nunc verò quia natura nostra ut esset, Deum habet authorem; proculdubio ut vera sapiamus, ipsum debemus habere doctorem; ipsum etiam ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem.* Ubi duas alias suppeditat sanctus Pater doctrinæ hujus rationes pulcherrimas.

Contra Epistol. fundā c. 36.

Civit. L. 11. c. 25.

XV. Aliis rursū argumentis idem persicitur.

5. Itaque ut natura nostra à nobis non est, ita nec à nobis sunt naturæ nostræ virtutes, aut ornamenta quælibet. Quid enim suum habebit, quæ nec se habet? Quid suorum non illi debebit, cui se debet? Quid non ab illo mendicabit, à quo & seipsam commodatò tantùm habet? Deinde à quo authore manat, non inordinata aut indotata manat mens; à fonte opulentiæ & pulchritudinis, non incompta aut inops erupit; à virtutum sacrario penuque inexhausto quæ prodiit, virtutum splendore perfusa prodiit. Denique summæ Veritatis natura est, ut & sui ipsius & suorum omnium origo sibi ipsa sit; reliquæ naturæ omnes ut aliunde profectæ & peregrinæ sibi ipsæ sunt, ita nihil non habent commodatitium. 6. Si creata mens suam sibi virtutem ipsa pareret, suam quoque in se, ut authorem, virtutem reflecteret. Quid ni enim refundat in se, quam effundit ex se? Et quod sibi debet, sibi imputet? At creata tamen virtus non ad creaturam ulla, sed ad creatorem refertur omnis; & in se tantillum si sistat, computrescit protinus, & vanescit. Sapientia nostra contorquetur tota in Dei speculationem, justitia in Dei imitationem, neutra retorquetur in nos; ut refluunt ergo in supernum illum fontem, ita inde effluxerunt. Has geminas loco superiore Augustinus rationes indigitavit; sed & idem istam 7. suggeret alibi. Quippe non aliter magis virtutes anima imbibit, quàm mentem coaptando incommutabilibus virtutum ipsarum formis, eisque tanquam materiam sese substernendo. Ubi enim casta fit, aut prudens, aut justa, participatione & informatione castitatis & prudentiæ & justitiæ & virtutis demum cujuslibet, ita afficitur, talisque efficitur. Hæ porrò virtutes sursum radiant in Dei gremio, indeque infunduntur in mentes nostras, & illas informant, & vegetant, & corroborant, inexplicabili, non dubia tamen informatione, ut alibi prolixiùs declarabitur. *Veritate atque sapientia quæ communis est omnibus, omnes sapientes, & beati fiunt, inhærendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus; quia & cum eum imitaturus sit, inde appetit beatus fieri, unde illum factum videt, illa scilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentia cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur: sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusq; virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate, sapientiaque communi, quibus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis virtutibus præditum, sibi ad imitandum proposuit.* Per virtutes inhæremus Deo; ut forma materię, an ut materia formæ? Utique illi ut formæ inhæremus: informanti, an efficienti? An utrumque? Ad hec omnia illustranda nihil elegantius tripartita illa quam Plato primus dicitur commentatus esse Philosophię distributione, in Physicam, Logicam, Ethicam. In hęc enim tria totus incumbit germanus Philosophus, id est summæ amator sapientiæ, gnarus Deum unum summumque esse naturarum omnium authorem, & mentium lumen, & virtutum largitorem. Augustinus: *Quamvis Plato primus istam distributionem reperisse, & commentasse dicatur. Cui neque naturarum omnium author, nisi Deus visus est; neque intelligentiæ dator; neque amoris quo benè beatèque vivatur, inspirator.* Ergo iisdem fungetur partibus incarnata veritas, ut & lumen ad intelligentiam carnalibus & ad virtutem adjutorium subministret.

L. 2. de lib. arb.

L. 11. Civit. c. 25.

CAPUT XVIII.

Ejusdem auxilii ex Incarnatione petendi necessitas, ut idem cibus esset nunc mente carnalium, qui fuerat carne spiritalium.

I. Veritas nuda sanis mētibus cibus, carne velata carnalibus lac, utrobique auxilium.

Declaratur 7. Eadem incarnarionis Verbi necessitas auxiliique inde petendi, ex eo quòd cùm mentes nostrę peccato dementatæ fuissent quodammodo, & supernorum fastidientes, temporalibus tantùm pueriliter oblectarentur: non capientibus validum sapientiæ cibum, necesse fuit ipsam lactescere sapientiam, earumque infantiæ contemperari, ut infantiæ alimento roboratæ excuterent infantiam, adolescerent, & adultæ sapientiæ gustum recuperarent. Nam parvuli eodem quo grandes vescuntur cibo, sed per nutricis carnem trajecto, & ita incarnato, & inde lactescente, eoque illos ad grandium ætatem aliquando tandem restituente. Ergo & sapientiam æternam incarnari addecuit, ut nobis lactesceret per carnem, ut ita adultos rursum saginaret per Deitatem. Jam verò cui dubium est in lacte & cibo plurimum contineri auxilii? Cibo adulti, lacte parvuli, juvantur, ut convalescant in dies, & grandescant, & perpetuò virium incremento validiùs operentur. Ergo non in magisterium tantùm, sed & in adjutorium incarnari Verbum necesse fuit. Augustinus: *Hic enim lacte nos nutrivit, qui nobis cælestem cibum promisit, & usus est materna misericordia: sicut enim mater lactans, eandem escam cui sumendæ idoneus infans non est, per carnem traiicit, & lac infundit: hoc enim accipit parvulus, quod accepturus erat ad mensam: sed quod per carnem traiicitur, congruit parvulo. Sic Dominus sapientiam suam ut lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos.* Et alibi: *Ecce panis paratus est tibi: sed cresce de lacte, ut ad panem pervenias. Et quomodo inquis cresco de lacte? Quod tibi factus est Christus ad infirmitatem tuam, hoc primo crede, & fortiter tene. Quomodo ergo mater cùm viderit filium minus idoneum ad capiendum cibum, ipsos cibos ei dat, sed trajectos per carnem suam. Nam ipse est panis quo infans pascitur, quo & mater ejus pascitur: sed ad mensam infans minus idoneus est, ad mamillam idoneus est. Panis ergo de mensa traiicitur per matris mamillam, &c.* Elegantissimè rursum, *Si nondum possumus Verbum videre Deum, audiamus Verbum carnem; quia carnales facti sumus, audiamus Verbum carnem factum. Ideo enim venit, ideò suscepit infirmitatem nostram, ut possis firmam*

II. Ex Latinis Patribus. In Psal. 30. Conc. 1.

In Psal. 13.

Serm. 58. de verbis Domi. c. 10.

locutio-

locutionem capere Dei portantis infirmitatem tuam. Et vere dictum est lac. Lac enim dat parvulis, ut cibum sapientia det majoribus. Lactare patienter, ut avide pascaris. Quomodo enim fit etiam lac, quo lactantur infantes: Nonne esca erat in mensa? Sed invalidus est infans ad comedendam escam, quæ in mensa est. Quid facit mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Conficit nobis quod capere possimus. Sic Verbum caro factum est, ut lacte parvuli nutriremur, qui ad cibum quidem eramus infantes. Verum hoc interest, quia quando cibum mater incarnatum, lac facit, cibus in lac convertitur. Incommutabiliter autem manens Verbum carnem assumpsit. Infantes igitur fovendi sunt eodem cibo, quo adulti, quo mater ipsa; sed ei ferendo cùm non sint, cibus grandium incarnatur per matrem, & ita lactescit parvulis. Ad eundem modum revolutæ in infantiam id est in temporalium quasi nugarum amorem mentes, sustentandæ tamen fuere eodem sapientiæ incommutabilis pane, quo priùs adultæ, quo parens ipsa sapientia; at is panis per carnem traiiciendus priùs,& in lac humanitatis convertendus inconvertibiliter fuit. Panis autem sapientiæ, sive lac, sive cibus cogitetur, robur etiam est, quo & infans & adultus sapientiæ filius, & ipsa sapientia valet, vigetque, & præclara omnia præstare, & adversa quælibet superare potest. Parvulis sanè non aliter robur infundi potest quàm lacte. Unde idem Augustinus: Cùm dixisset, *Inveneram incommutabilem & veram veritatis æternitatem supra mentem meam commutabilem, &c.* Subdit, *Et quærebam viam comparandi roboris quod esset idoneum ad fruendum te, nec inveniebam donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem & dicentem, Ego sum via, veritas, & vita. Et cibum cui capiendo invalidus eram, miscentem se carni; Quoniam Verbum caro factum est, ut infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua per quam creasti omnia.* Hic est fons lactis, ex quo totum robur derivatur in nos. Similiter Isidorus Hispalensis Episcopus: *Sicut cibum fortem invalidus infans capere non potest, nisi à matre prius editus, in lactis succum vertatur; ut quod in cibo non potuit uti, sugendo potetur in lacte per carnem; ita & nos cùm essemus infirmi ad conspiciendam Verbi æternitatem, factum est ipsum Verbum caro, ut enutriti per carnem, fortioresque effecti, cibum solidum, id est Verbum Domini cum Patre sempiternum contemplando ut Angeli satiemur.*

Confess. l. 8. c. 18.

L. 1. Sent. c. 14.

III. Item ex Græcis.

E Græcis similiter Irenæus: *Quemadmodum mater potest quidem præstare perfectam escam infanti, ille autem non potest robustiorem se percipere escam: sic & Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio, homo autem percipere illam, infans enim fuit, &c. Et propter hoc quasi infantibus ille qui erat panis perfectus patris, lac nobis semetipsum præstitit: quod erat secundum hominem ejus adventus, ut quasi à mamilla carnis ejus enutriti, & per talem lactationem assueti manducare & bibere Verbum Dei, & eum qui est immortalitatis panis, qui est spiritus Patris, in nobis ipsis eum continere possimus.* Et Clemens Alexand. *Verbum est omnia infanti, & Pater & mater & pædagogus & altor. Comedite, ait, carnem meam, & bibite meum sanguinem. Hæc apposita & convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit sanguinem, & ad incrementum nihil deest infantibus.*

L. 4. c. 24.

Pædagogi l. 1. c. 8.

IV. 6. Veritas rationalium naturarum ita cibus est ut eo deficientes deficiant.

Secundò, quia ut Angelica, ita natura humana intellectualis est; idem utriusque cibus, est sapientia incommutabilis. Quanquam in infantiam lapsæ sint mentes nostræ, mentes tamen sunt, eodemque proinde cibo refocillandæ, sed infantiæ accommodato. Ergo cùm ob infantiam æterna non saperent, sola saperent carnalia, cùm perinde ob mentis naturam Angelicæ supparem, æternę sapientiæ esca refici postularent, alioqui defecturæ mentes nostræ, consultissimum fuit ipsam sapientiam incarnari. Quòd autem Angelica etiam & quælibet demum creata mens, hoc immortalitatis cibo seu sapientiæ æternitate refici egeat, alioqui deficiat, exploratissimum est. Ut enim corpus corporea, ita mens intellectuali esca refoveri poscit: & nulla planè natura est quæ sibi sufficiat ipsa, nec aliunde affluentibus & supernis confortari fomentis indigeat. Sed ut ut se habeant aliæ, rationalis certè natura summi boni & sempiternæ veritatis innatam esuriem sitimque implacatam experitur indesinenter. Ergo hoc cibo potuque immortali nisi recreetur, si fame crucietur diutiùs, si hac uratur usque siti, deficiet tandem & contabescet. Quin ipsa mens non tam fame veritatis urgeri, quàm fames quodammodo ipsa & inanitas quædam aviditasque veritatis videtur esse, & inextincta quædam cupiditas, & hians semper capacitas. Quid enim mens tota est, quid tota spirat, quàm veritatis sitim & esuriem? Ergo illam inanescere necesse est, nisi ejus inanitas hoc impleatur cibo. Hoc affatim implentur Angeli, hoc impleri postulant mentes nostræ, hoc adversus imminentem defectionem refici ac roborari optant. Augustinus: *Ex quo factum est ut illud Dei Verbum per quod facta sunt omnia, & quo fruitur omnis angelica beatitudo, usque ad miseriam nostram clementiam suam porrigeret, & Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Sic enim posset panem Angelorum homo manducare, nondum Angelis adæquatus, si panis iste Angelorum hominibus dignaretur adæquari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret; sed simul integer illis, integer nobis, illos intrinsecus pascens, per id quod Deus est, nos forinsecus admonens per id quod nos sumus, idoneos facit per fidem quos per speciem pascat æqualiter. Quia enim rationalis creatura Verbo illo, tanquam optimo cibo suo pascitur: humana autem anima rationalis est, quæ mortalibus vinculis, peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, ut per conjecturas rerum visibilium ad intelligenda invisibitia niteretur: Cibus rationalis creaturæ factus est visibilis, non commutatione naturæ suæ, sed habitu nostræ, ut visibilia sectantes ad se invisibilem revocaret.* Et denuo alibi: *Panem Angelorum manducavit homo. Quid est panis Angelorum? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quomodo panem Angelorum manducavit homo? Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Sed quia diximus manducare Angelos, fratres, ne putetis morsibus fieri. Nam si hoc intellexeritis, quasi dilaniatur Deus, quem manducant Angeli. Quis dilaniat justitiam? Sed rursum mihi aliquis dicit, Et quis est qui manducat justitiam? Unde ergo beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur? Cibus quem manducas per carnem, ut reficiaris tu, ille deficit: ut reparet te, consumitur. Manduca justitiam, & tu reficetis, & illa integra perseverat. Quomodo videndo istam lucem corpoream, reficiuntur isti oculi nostri, & res est corporea quæ videtur oculis corporis. Multi enim cum fuerint diutiùs in tenebris, infirmatur acies ipsorum, quasi jejunio lucis. Fraudati oculi cibo suo, luce quippe pascuntur, defatigantur jejunio & debilitantur, ita ut istam lucem qua reficiuntur, videre non possint: & si diutius abfuerit, extinguitur & tanquam moritur in eis ista acies lucis. Quid ergo? quia tot oculi quotidie ista luce pascuntur, minor non fit, & illi reficiuntur, & ipsa integra permanet. Si hoc potuit Deus de luce corporea corporeis oculis exhibere: non exhibet mundis oculis lucem illam infatigabilem, integram, perseverantem, nulla ex parte deficientem?* Sic ille demonstrat, & cibum esse justitiam, & ejus cibi esuriem à natura mentibus insitam, & has illo cibo refici, & ejus inedia deficere, & enecari; & communem illum esse Angelis hominibusque cibum; quanquam peccato debilitati homines eum jam non capiant, esurire tamen illum, & fame interituros, nisi se carni cibus ille inserat, carnalibusque

De vera Relig. c. 10.

In Evang. Joan. Tr. 13.

que vescendum se præstet: porrò minùs mirum esse, si eo vel puro Angeli, vel carne commixto homines vegetari roborarique dicantur, cùm cibus incommutabilis sit & incorruptibilis, incorruptionemque & infatigabilem vim inspiret. Si enim cibus corruptibilis corruptionem tantisper arcet, & deficiens reficit, quid cibus incorruptibilis & indeficiens? Prosper in sententiis: *Sicut lac non transit, nisi per carnem, ut parvulum pascat, qui panem edere non potest: sic sapientia Dei quæ panis est Angelorum, nisi ad homines dignaretur venire per carnem, nemo ad Verbi contemplandam divinitatem posset accedere. Quia ergo lux à tenebris non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatem subiit tenebrarum, & per similitudinem carnis peccati, participationem dedit luminis veri.* Sed luculentè præ cæteris Hugo Victorinus, to. 3. p. 80. *Omnia per sapientiam Dei facta sunt; ad ipsam autem sapientiam facta non sunt, nisi illa solum, quæ sapientia frui possunt: hæc autem sunt ratione utentia, ea quorum pars sursum erat condita in Angelis, pars deorsum in hominibus ordinata. Igitur homo non solum per sapientiam Dei factus erat, ut esset: sed etiam ad sapientiam Dei factus erat, ut beatus esset, ut illa videlicet frueretur eo sensu quo sapientia percipi potest. Sed quia peccando sensum amisit quo sapientia frui debuisset, oblitus est ipse comedere panem suum, & refectionem illam qua vivunt animæ in corporalem commutavit delectationem. Terrenis igitur & corporalibus sensu & affectu immersus, non potuit se ad spiritalium cogitationem seu amorem erigere: sed sola ea quæ carnis sunt sapiens, spiritalium jucunditatem non agnovit. Ipsa autem Dei sapientia noluit amittere hominem, qui propter ipsam factus fuerat. Et cum ipsa sursum esset, ille deorsum, venit ubi ille erat, ut eum revocaret ad se, unde ceciderat. Factum est Verbum caro, ut homo inter homines esset, qui Deus erat supra homines. Et versus est panis ille in lac, ut à parvulis sumi possit. Sapientia sursum panis erat, & eadem ipsa sapientia deorsum lac erat. In divinitate panis, in humanitate lac. Sic enim parvuli sensu per lac humanitatis nutriti sunt, & roborati sunt ad panem divinitatis.* Ita ille rem ab origine petit, præfundatamque à nobis supra doctrinam egregiè confirmat.

Sent. 161. — Collat. 3. de Verbo Incar.

V. Ideò quotidianus id est, jugis panis est Christus veritas.

Tertiò. Ideò Christus panis quotidianus appellitatur, quia idem & Deus diis & homo hominibus panis est, non quotidianus tantùm, sed perpetuus & jugis, & nunquam finienda adversus obrepentem defectionem refectio. Tametsi enim incorruptibiles suapte vi mentes nostræ angelicæque sint suo quodam modo, quatenus vel corpori vel sibi vitam ipsis indefectibiliter quandam sufficiunt; aliam tamen & meliorem jugiter vitam supernè hauriunt, veræ incorruptibilitatis rivulum, qui si vel ad momentum exarescat, marcescunt protinùs, & quadam veluti macie conficiuntur. Hic ergo jugis, hic quotidianus panis, utique majus & efficacius adjutorium est, quàm quod magisterio continetur. Augustinus: *Dicamus illi & nos, Da nobis Christum tuum. Jam quidem dedit nobis Christum suum, adhuc tamen illi dicemus, Da nobis Christum tuum, quia dicimus illi, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et qui est panis noster, nisi ipse qui dicit, Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi? Dicamus illi Da nobis Christum tuum. Dedit enim nobis Christum, sed hominem quem novimus. Dedit hominem, eum ipsum nobis daturus est Deum. Hominibus enim hominem dedit, quia talem illum hominibus dedit, qualis capi posset ab hominibus. Deum enim Christum nullus hominum capere poterat. Factus est hominibus homo, servavit se Deum diis.* Talis ergo cibus est hominibus homo, qualis Deus diis; at Deus deos sic nutrit, ut non magisterio tantùm veritatis, sed fomento charitatis & invictissimo robore incorruptibilitatis sustentet.

In Psal. 184.

VI. Lactis. id est, carnis Christi fulcimento egent etiam hic adulti & perfecti.

Quartò. Lac autem parvulorum ita Christus homo est, ut eo & grandiusculi, & quamlibet adulti maturique indigeant, quandiu mortalis hæc agitatur vita. Ex quo dilucidius fit, quantum succi spiritalis inspiret, quantumque addat virium lac istiusmodi, quando virtutum quantalibet incrementa ab ejus necessitate neminem possint absolvere. Ipsum enim pietatis culmen ut attigerit quis, ut in contemplationis summum evaserit apicem, non diutiùs sustinebit pietatis fulgorem: sed præstricta & reverberata mentis acie ad humanitatis revocabitur mysteria corporalia, hoc est, à cibo quem primoribus tantùm labris delibare, raptimque degustare valuit, non commandere & glutire, ad lactis sibi familiare temperamentum revolvetur. Augustinus: *In ipsis quæ sumimus alimentis usque adeo non est contrarius lacti solidus cibus, ut ipse lactescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis pervenit carnem. Sicut fecit etiam mater ipsa sapientia, quæ cùm sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere parvulis, cùm Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Sed ipse homo Christus qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera resurrectione sincerum lac dicitur parvulorum, cùm benè ab spiritualibus capitur, invenitur Dominus Angelorum. Proinde nec sic parvuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum; nec sic ablactandi, ut deserant hominem Christum. Quod alio modo idipsum ita dici potest; nec sic lactandi sunt, ut creatorem nunquam intelligant Christum; nec sic ablactandi, ut mediatorem unquam deserant Christum. In hoc quippe non convenit huic rei similitudo materni lactis & solidi cibi; sed potiùs fundamenti. Quia & puer quando ablactatur, ut ab alimentis infantiæ jam recedat, inter solidos cibos non repetit ubera quæ sugebat; Christus autem crucifixus est lac sugentibus; & cibus est proficientibus; fundamenti verò ideo est aptior similitudo, quia ut perficiatur, quod struitur, additur ædificium, non subtrahitur fundamentum.* Caro ergo Christi non parvulos tantùm, sed & adultos roborare potest; & lac istiusmodi est, ut ab eo nulla hic hominum ætas ablactetur.

In Evan. Jo: tract. 98.

VII. Et ad hanc sententiam inflectendi sunt qui secus sensisse videri poterant.

Quintò, denique ad illam Augustini regulam reducendi molliter videntur, si qui alii aliter videantur sensisse, & spiritalibus viris consensisse nonnunquam, ut in virtutis stadio ubi maturuerint, jam carnis Christi lacte minùs utantur, nec nisi solido vescantur ejus Deitatis cibo. Ita Bernardus in sermone ad milites Templi deviasse ab Augustino videri potest: *Verbum panis Angelorum factum est pabulum jumentorum, ut habeat carnis fœnum quod ruminet, qui Verbi pane vesci penitus dissuevit: quousque per hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursus conversus in hominem, cum Paulo dicere possit, Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus. Quod non arbitror quempiam dicere posse veraciter, nisi priùs cum Petro ex ore veritatis illud item audierit, Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, caro non prodest. Alioquin qui in verbis Christi vitam invenit, carnem jam non requirit, & est de numero beatorum, qui non viderunt, & crediderunt. Nec enim opus est vel lactis poculum nisi utique parvulo; vel fœni pabulum jumento. Qui autem non offendit in verbo, ille perfectus est vir, solido planè vesci cibo idoneus.* Perspicuè hîc & alibi Bernardus à carne Christi ut ab infantiæ lacte & tyrocinio quosdam quasi emeritæ jam militiæ spiritales viros absolvit & quasi exauthorat. Retorquendus tamen est tum ipse, tum si quis alius eidem hac in parte suffragatur, & recolligendus est sententiæ Augustini supra allegatæ. Et quod ad Bernardum attinet, non invitus Augustino, quin imo sibi ipsi conciliabitur. Nam à nobis alibi coacervata sunt complura ejus testimonia, quibus discertissimè docet, nonnisi raptim, & per beata quidem, sed brevia momenta & veluti coruscamina interfulgere puram Verbi Dei lucem paucis etiam illis, quos adulta virtus velut in quoddam evehit contemplationis cælum. Confestim

Cap. 6.

festim enim hebetari illos lucis fulgore & obtundi confitetur; lapsosque retro imaginariis corporum excipi simulacris, id est, à Christo Deo ad Christum hominem repercuti. Uno loco id nunc obiter firmabitur: *Divina sunt & nisi expertis prorsus incognita quæ affamur, quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente statum, & necdum propalata perspicui substantia luminis, jam tamen interim pura interdum contemplatio veritatis partes suas agere intra nos vel ex parte præsumit; ita ut liceat usurpare etiam alicui nostrum cui hoc desuper datum fuerit, illud Apostoli, Nunc cognosco ex parte; item, Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Cum autem divinitus aliquid raptim & veluti in velocitate corusci luminis interluxerit menti spiritu excedenti, sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrinæ usum: continuò, nescio unde, adsunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum similitudines, infusis divinitus sensibus convenienter accomodatæ; quibus quodammodo adumbratus purissimus ille ac splendidissimus veritatis radius, & ipsi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illud voluerit, capibilior*. Ita secum ipse in gratiam redibit Bernardus, si ubi à carne Christi & ab infantiæ lacte missos fecisse quosdam videtur, ad momentum breve, & quandiu fulgor hoc repentinum intermicat, ipsum eos relaxasse interpretemur; incunctanter autem ad temperamentum eos revocasse infantiæ, è qua ætate nunquam excedimus omninò, nisi cùm in immortalem vitam hinc concedimus.

Serm. 4. in Cantica.

VIII. Lacte carnis paulatim excutitur, etsi nunquam hic tota excutiatur mentis infantia.

Sextò, denique, hoc carnis lacte juvamur omnino plurimùm, etsi nunquam totam hic excutiamus infantiam: excutimus enim illam pedetentim, sed totam non antè excutiemus, quàm excusserimus mortalitatem. Cæterùm non aliò spectat Verbi caro, quàm à carne ut expediat; non aliò infunditur lac istud, quàm ut ne lacte semper opus sit. Ideo & carnem suam Christus hinc avexit in cœlos, ut corporalibus extricati ad illum enitamur. Ideò & carnem suam ubi hìc reliquit, occuluit, ut & carni ejus ne carnaliter inhæreamus. Ideò & hæc corporalia non nunquam subtrahit sacramentorum solatia, ut ad æterna & invisibilia concitatiùs rapiamur. Postremò sic pascit infantiam nostram, ut ad maturitatem provocet firmetque: sic carnis suæ lac dispensat, sic temperat, sic denegat, ut ad solidum cibum sempiternæ veritatis propendere ac suspirare festinareque jubeat. Hugo de sancto Victore: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet. Christus discipulis corporalem præsentiam subtraxit, ut eum spiritualiter amare discerent. Erat quippè & ipse priùs secundùm eandem corporalem præsentiam Paraclitus, id est consolator: & hæc consolatio quasi lac erat, de carne manans parvulis. Propterea subtractum est lac, ut ad perfectionem spiritalis amoris convalescerent. Ascendit in cælum, ut corda post se traheret, & dilectio pergeret post dilectum. Usque hodie Christus amicos suos in scriptura sacra & sacramentis Ecclesiæ atq; aliis visibilibus virtutum exercitiis quasi quadam corporali præsentia consolatur: quorum usum dum aliquando dispensatione subtrahit, quasi quandam humanitatem suam ab oculis intuentium subducit, ut spiritalis amoris dulcedinem tantò puriùs percipiant, quo minùs foris habent etiam de opere virtutis, ad quod mentem suam per intentionem effundant*. Quo patescit clariùs quantum non luminis tantùm, sed roboris carnis Christi lacte affundatur nobis, quando roborat illa nos & cùm se aufert; & cùm se nudat, & cùm se occultat; non enim occultat, aufert, negatque se, nisi ut ejus orbitatem ferre, puræque Deitati penitùs affigi convalescamus.

Miscellan. L. 1. c. 102.

CAPUT XIX.

Ejusdem auxilii ab Incarnatione expectandi necessitas, ut justitia & incorruptibilitas physicè & immutabiliter naturæ hominum universæ insereretur.

I. Ne in eosdé casus reforretur natura nostra, substantivè & inexpugnabiliter implicanda illi erat justitia & veritas. Nec id fieri poterat nisi per incarnatione Verbi.

Declaratur 8. ejusdem auxilii non aliunde quàm ab Verbi incarnatione expectandi necessitas, ex eo quòd ut ab hominum natura expungeretur peccatum, morsque & corruptibilitas omnino excideretur; infundenda ipsi fuit justitia, vita, incorruptibilitas, non qualicumque modo, sed physicè & substantialiter. Si enim, ut olim, illineretur tantùm justitia, & accidentali inhæsione quasi appingeretur; si vita afflaretur tantùm, extimitusque aspiraretur, eadem rursus tentationum tempestate posset justitia aboleri, vita difflari, peccatoque & morti totum mancipari genus nostrum. Ut ergo semel resarciretur illata labes, nec eidem deinceps obiiceremur ruinæ, ipsa inviolabilis justitia, ipsa vita incorruptibilis physicè & substantialiter, ideòque inexpugnabiliter & indivulsè inserenda fuit naturæ nostræ. At justitia inviolabilis, vita incorruptibilis, justitiæ vitæque substantia, quæ usquam vel esse vel dici potest extra Deum Verbum? Quis autem non hinc coniiciat quantum firmitatis, quantum invictissimi auxilii roborisque accesserit naturæ nostræ per hanc inexpugnabilis justitiæ substantialem insertionem? Si enim ope aliunde lata, si gratia extrinsecùs irrorata juvamur plurimùm: quid si justitiæ ipsius invictissimæ substantia naturæ nostræ præcordiis illabatur, ut domi jam nobis abundent auxilia, & in sinu nostro victoriæ succrescant?

II. Ex Græcis Patribus id declaratur.

Iræneus: *Non poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ & immortalitati, nisi priùs incorruptela & immortalitas facta fuisset id quod & nos; ut absorberetur id quod erat corruptibile ab incorruptela, & quod erat mortale ab immortalitate?* Atanasius quoque: *Id quoque sciendum luem illam non extra corpus hæsisse, sed corpori agnatam coalitamque fuisse; & necesse erat emota corruptione vitam ei infarciri, ut quemadmodum in corpore mors extitisset, ita in eodem vita existeret. Quod si igitur extra corpus mors fuisset, extra corpus etiam oportuisset vitam ejus subsistere: si verò in corpore coaluit consertaque mors fuit, ac veluti cohærens ei dominabatur; necessum quoque fuit vitam cum corpore coalescere conserique, ut ita corpus imbutum vita corruptionem extruderet*. Et paulò infra: *Quod si solo præcepto mors ab eo depulsa fuisset, nihilo tamen minus mortale & corruptibile pro ratione suæ naturæ remansisset; sed ne hoc fieret, induit corpus incorporalem omnipotentis Dei rationem, neque jam inde mortem aut corruptionem exhorrescit, quum habeat vitam pro indumento, & per id corruptionem amoliatur*. Idem rursus alibi: *Si filius creatura esset, nihilo minus homo mortalis remaneret, utpote non coaptatus Deo. Non enim creatura per creaturam Deo coaptata fuisset, cùm ipsa coaptatorem requisisset. Neque pars rerum creatarum, salus esse poterit rerum creatarum, quum ipsa salutis sit indigna*. Cyrillus his quoque suffragatur, *Non poterat homo, natura cum esset corruptibilis, mortem effugere, nisi veterem illam gratiam reciperet, & particeps Dei fieret, qui in esse cuncta continet, ac vivificat per filium in spiritu. Communicavit igitur carni & sanguini, id est homo factus est, vita cum sit secundum naturam, & ex vita secundùm naturam, id est ex Deo ac Patre unigenitum ejus Verbum, ut carni corruptibili ratione suæ naturæ, ineffabiliter & modo quodam arcano, & quem solus ipse novit, seipsum uniens, ad suam ipsius vitam revocaret, ac participem per seipsum Dei ac Patris efficeret*. Et infra exponens illa Christi verba, *In illa die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Ego enim vivo, inquit; vita enim sum secundùm naturam, & vivens*

L. 3. c. 21.

L. de Incar. Verbi.

Orat. 3. Cōtra Arian.

L. 9. in Evang. Joan.

vens esse meum templum ostendi. Sed cùm ipsi etiam vos qui corruptibilis naturæ estis, viventes videritis, ad mei nimirum similitudinem, tunc utique manifestè cognoscetis, quia vita existens secundùm naturam, Deo & Patri qui & ipse vita est secundùm naturam, conjungit vos per meipsum, consortes quodammodo ac participes reddens immortalitatis ejus. Ego quippè naturaliter in Patre, fructus enim sum substantiæ ejus ac vera genitura, in eo existens & ex eo existens, vita ex vita; vos autem in me, ego in vobis, quatenus ego quidem homo apparui, consortes autem naturæ divinæ vos reddidi, spiritum meum in vobis collocans. In nobis enim est Christus per spiritum, ad incorruptionem transferens, id quod natura sua est corruptibile, & à morte ad immortalitatem traducens. Quia ergo mors animam corpusque invaserat, ipsamque naturæ substantiam, & veluti præcordiis insederat eaque tabefecerat, profligari non poterat satis validè, nisi justitia vitaque, non qualiscumque, sed quæ & victricem jamdiù & ferocientem mortem superare, nec ab ulla deinceps morte superari posset, in ipsam irreperet substantiam naturæ, & insuperabiliter incubaret. At justitia vitaque gratiæ, qualis Adamo stanti inerat, & quæ morti olim rudi adhuc cesserat, illam sanè victoria & dominatione diuturna roboratam expugnare jam non potuisset; & ut semel expugnasset, expugnari ab illa vicissim & parem cladem experiri rursus potuisset. Igitur necesse fuit ipsam Verbi vitam in humanitatis penetralia descendere, illis irradicari, ibi non vitam tantùm, sed vitæ collocare fontem; nostramque naturam vitæ Verbi, vitæ Patris, ipsi vitæ naturæ & substantiæ commiscere, ut à mortis metu incolumis & tutissima in æternum duret.

Eodem spectat quòd cum vita & justitia character sit Dei, paternæque imago substantiæ, hoc est, ipsemet Dei Filius, in veram vitam germanamque justitiam haud poteramus transferri, nisi Filii Dei efficeremur. At quo mortalem contaminatamque naturam sortiti, in Filios Dei eveheremur, nisi ipsamet indueremur Filii vita, justitia, substantiaque? Nam Deus exempli gratia vita est, Filius Dei est vita de vita; mortalis ergo homo quì fiet Filius Dei, nisi suam illi substantiam personamque circumdet, & insinuet, indat, addatque Filius ipsemet Dei? Cyrillus Alexandrinus: *Et habitavit in*
L. 1. in Ev. Joan. *nobis. Sumus enim omnes in Christo, & communis humanitatis persona in ipsum revivifcit. Nam & novissimus Adam idcirco nuncupatus est, qui naturæ participatione omnia locupletat ad fœlicitatem & gloriam, sicut primus Adam in corruptionem & ignominiam. In omnibus itaque Verbum habitavit per unum, ut uno constituto Dei Filio in virtute, secundùm Spiritum sanctitatis in universam humanitatem dignitas illa redundaret, adeoque per unum ex nobis in nos quoque perveniret illud, Ego dixi, Dii estis & Filii excelsi omnes.* Et Irenæus: *Propter*
L. 3. c. 21. *hoc Verbum Dei homo; & qui Filius Dei est, filius hominis factus est; ut homo capiens Verbum, atque adoptionem consequutus, fiat Filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ & im-*
Ibid. c. 20. *mortalitati.* Et idem ipse: *Qua enim ratione filiorum adoptionis ejus participes esse possemus, nisi per Filium eam quæ est ad ipsum recepissemus ab eo communionem, nisi Verbum ejus communicasset nobis caro factum?* Ex quibus claret ea demum ratione Filios Dei fieri nos potuisse, si vita, si sanctitate, si incorruptela, si Deitatis dotibus imbueremur. Imbui autem iis potuisse, si Filio Dei Verbo commisceremur.

III. Verbi incõmutabilitas commodanda erat naturę nostrę, ne iterum aberraoet. Cautiones quatuor necessariæ ad plenierem intelligentiam infra dicendorũ.

Secundò, non physicè tantùm & substantialiter justitia vitaque conserenda erat naturæ nostræ, ne rursus leviter inhærentem facileque dissipabilem vitam peccati turbo decuteret; sed etiam incommutabiliter. Nisi enim mutabilitatis radix in totum semel exureretur, de consimili infortunio periclitandum semper foret. At quæ vita, quæ justitia incommutabilis præterquam Verbi? Nam primo parenti ingens vitę vena, & exuberans justitiæ copia concredita fuerat: sed mors, sed diabolus, sed sua maximè ipsius lubricitas tantam corrupit fœlicitatem. Et postea dum temporum labuntur volumina, complures extorrem jamdiu revocavere justitiam: sed & ipsi cùm insita fluctuarentur inconstantia, affigere illam suæ naturæ nostræque & inseparabiliter constringere nequierunt. Nihil ergo supererat spei, nisi ut incommutabile Dei Verbum nostris se membris includens, justitiam vitamque sibi atque nobis inexpugnabili incommutabilitatis suæ præsidio communiret & tueretur. Quæ hìc porro ac deinceps per plura capita de immutabilitate gratiæ per Christum advectę, à nobis differentur, ea nihil officient arbitrii etiam nunc nostri sub Christi gratia indifferentię in utrumque versatili. Sed huc revocanda erunt, 1. Quòd non jam possit caput nostrum à gratia excidere, totamque naturam ruina sua labefactare, ut primò contigit. 2. Quòd non jam possit tota gentis à Christo propagatę universitas à gratia deflecti, ut tota gens Adami deflexerat. 3. Quòd principalia Christi membra, seu electi in Christo omnes, etsi à gratia quandoque cespitent, ab illa tamen non omninò unquam & ad finem usque deficiant. 4. Quòd quæ principalis Christi gratia, & efficacissima est, ea libertatis nostræ indifferentiam non extinguat, sed constringat & domet tunc, cordisque duritiem vincat. Hæc abundè sunt, ut & sua nostræ libertati indifferentia, & principali Christi gratiæ sua efficacia constet ex Verbi divini immutabilitate. Athanasius Oratione 3. contra Arianos: *Si enim ob vires suas per quas id potuit, verbo edixisset, & ita maledictio aboleretur, imperantis quidem potentia in conspicuo pateret: homo tamen ejusmodi effectus fuisset, qualis Adam ante prævaricationem fuerat, extrinsecùs accipiens gratiam, non autem eam suo corpori adglutinatam tenens. Talis siquidem antea fuit cum in Paradiso collocaretur, forsitan etiam deterior evasisset, utpotè qui jam prævaricari didicerat. Quod si evenisset ut à serpente deciperetur, iterum opus fuisset Dei loquentis imperio, ut ita maledictio solveretur: atque eo modo necessitas ejus rei in immensum recurrisset, & nihilo ob id minus remansissent homines obnoxii, servientes peccato, &c.* Sed præstantissimè Oratione 4. contra eosdem, *Ipse sibi quasi data confitetur quæ humanitas acceperat, ut eo qui Dominus erat, accipiente, & in ipso donatione istarum rerum residente, gratia ipsa firma permaneret. Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest, cujus rei specimen in Adam vidimus; quippè qui illud quod acceperat perdidit. Ut autem gratia inademptibilis esset, firmaque hominibus permaneret, ea de causa hanc donationem ut propriam sibi arrogat; dicitque se potestatem accepisse ut hominem, quam semper habet ut Deus; dicitque glorifica me, qui alios glorificat.* Et paulò post: *In summa id ubique animadvertendum est, nihil eorum quæ dicit se accepisse, ita accepisse quasi non habuisset: habebat enim illa utpotè semper & Deus & Verbum. Nunc autem dicit humanitus se accepisse, ut carne ejus in ipso accipiente, in posterum ea ex carne illius in nos firmiter possidenda traderentur.* Nec minùs perspicuè Cyrillus L. 1. in Joan. in illa verba, Et Verbum caro factum est: *Cùm factus sit homo à Deo & in ortum eductus non habens ex natura sua ut incorruptibilis sit, & immortalis, hæc enim soli Deo substantialiter insunt; obsignatus est vitæ Spiritu, habitudine ad Deum consequutus bonum quod naturam excedit, &c. Cùm autem ob transgressionem, &c. Gratia nudatus est, recessitque à terrena carne spiraculum vitæ hoc est spiritus ejus qui dicit, Ego sum vita. Oportuit ergo id quod in homine periculo obnoxium maximè erat, quamprimum servari, & conjunctione cum naturali vita, ad immortalitatem revocari, &c. Verbo nimirum omnia vivificanti ineffabili ratione, corpore unito. Decebat quippè carnem, post-*

postquam ejus facta esset, immortalitatis ipsius fieri participem. Neque enim consentaneum esset ignem virtutis suæ naturalis qualitatem sensibilem imprimere posse materiæ, eaque propemodum in se transmutare, in quibus est per participationem; existimare autem Dei Verbum quod excedit omnia, utique non posse proprium sibi ac naturale bonum, vitam nimirum, carni indere. Et rursum Cyrillus: *Postquam progenitor Adam spiritus amisit gratiam diaboli fraude, ab obsequio Dei ad inobedientiam & peccatum abreptus; adeoque natura universa in eo divini doni jacturam fecit: de cætero Deus Verbum mutationis expers, homo factus est, ut acceptum illud bonum tanquam homo, deinceps naturæ stabile ac firmum conservaret.* Ad hunc modum Cyrillus argumentatur Deum ipsum Verbum naturæ humanæ implicandum fuisse, tum quod substantialis, tum quod incommutabilis vita justitiaque sit, adeoque nihil verendum jam sit, ne fundata in eo nostra salus, sicut in Adamo, rursum collabascat. Idque ibidem consequenter illustrat loco Psalmi appositissimo: *Sic enim ad filium ait, Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis. Quandoquidem enim inquit semper dilexisti justitiam, justus enim es Deus, nec in hoc à teipso desciscere potes: odisti verò injustitiam, naturaliter siquidem tibi odium mali est insitum, tanquam Deo justitiæ amanti: propterea unxit te Deus ac Pater. Habens enim immutabilem justitiam ceu naturæ propriæ prærogativam, nunquam ad peccatum quod non nosti deflexeris, sicque affectus proculdubio, sanctam à Deo & Patre unctionem, id est spiritum, in teipso quatenus homo factus es, humanitati conservasti. Ergo factus est homo sicuti nos unigenitus, ut in ipso & primo rediviva bona fundataque spiritus gratia, toti deinceps ut par est, naturæ, sarta tectaque custodiretur, veluti commodante nobis propriam stabilitatem unigenito & Dei Patris Verbo.* Nihil elegantius dici, nihil accomodatius ad nostræ salutis inconcussam stabilitatem fieri potuit, quàm ut se suamque immutabilitatem commodaret nobis Verbum Deus, ut quæ nobis à Deo gratiæ per Adamum olim dissipatæ dona restituebantur, ea immutabiliter firmarentur. Cyrillus idem rursus alibi: *Quum hoc proprium sit naturæ mutabili, seductus fuit à diabolo Adamus; quum verò ad curandum hunc morbum necessarium esset, ut immutabile Dei Verbum, seipsum pro nobis diabolo opponeret, ut quemadmodum per illius mutabilitatem victi eramus, ita per immutabilitatem Verbi vincamus, &c.* Pergitque eundem Psalmi locum in eundem sensum commentari atque supra.

In Evang. Joan. l. 5.

Thesauri. Pag. 198.

IV. Elucidatur hæc Irenæi, Athanasii & Cyrilli doctrina.

In his porro sanctorum Patrum locupletissimis testimoniis complufcula sunt non segniter pensitanda. Videlicet quòd gratia extrinsecùs tantùm, & quasi commodatò adesset primo parenti, ideoque minùs mirum si extorta ipsi ejusque prosapiæ excussa fit. Ex ejus enim naturæ gremio non scaturiebat, sed extrinsecus aspergebatur tantùm stillatim, & volatilis in modum accidentis hærebat. Ad hæc natura Adæ tota versatilis ex bono in malum erat. Itaque & donum ipsum ex sese peregrinum, ac volatile; & Adamus donum recipiens, innatæ mutabilitatis lubrico vacillans erat. Nullus ergo merus homo quantacumque locupletatus gratiæ copia, illatam peccato Adami cladem reparare poterat. Nam & gratiam ejus & naturam ejus eadem premerent incommoda, & illum præterea in eandem prævaricationem prioris exemplum impelleret. Gratia igitur opus fuit substantiali, & natura immutabili, ut utriusque in naturam humanam insertione penitissima, tutissimo deinceps loco & extra omnem periculi aleam res nostræ essent. Ubi enim in ipso & ex ipso substantiæ nostræ penetrali scaturiet gratia substantialis & fons ipse gratiæ, ubi mutuatitia Dei immutabilitas visceribus ipsis naturæ nostræ insidebit, quid deinceps periculi, quid formidinis unde unde ingruet? Porrò hoc arcani inerat consilii, paucissimis animadversum, in creberrimis Christi illis sermonibus, quibus gratiæ munera complura accepisse se à Deo inculcat, quæ ipsi tamen intus ex propria scatebant substantia. Ideo enim accepisse se illa iterumque iterumque dictitat, ut ne iis jam insidietur peccatum aut diabolus. His enim inaccessa est dignitas Christi; & nullis patet insidiis, nulli jacturę immutabilitas Verbi. Quæ ergo natura humana à Deo recepit recidivæ gratiæ bona, ea in natura nostra recepit Verbum immutabile, cui extorqueri non possint.

V. In efficacitate Gratiæ Christi tuenda Græci Patres Latinis consentiunt.

Quam Græcorum Patrum exploratissimam sententiam contemplanti, succurrit protinus inexpectatus & indubitatus tamen ejus cum Augustini Latinorumque Theologorum doctrina consensus. Collimat enim Græcorum æquè ac Latinorum cum Augustino schola in hunc unum maximè scopum, ut gratia generalis Adamo primùm desponsa, à gratia speciali per Christum restaurata eo potissimùm nomine discreper, quòd mutabilitatem creaturæ illa sibi permitteret, hæc infrænet; illa ancipiti voluntatis nutu frustraretur, hæc voluntatem agat; consensum illa eblandiri posset, nolenti extorquere non posset; hęc ità blandiatur, ut extorqueat, & ex nolente faciat volentem; illa denique immutabilitatem consilii & omnipotentiæ Dei infringeret quodammodo, inclinaretque & attemperaret flexibilitati creatæ libertatis; hęc mutabilitatem voluntatis nostræ sistat tantisper figatque, & quamquam incolumi in utramque partem versabilitate, aliquam usuram incommutabilitatis divinæ nobis hìc quasi commodatò donet, in patria autem fœlicitatis totam obruat devoretque mutabilitatem. Morbo enim per Adæ transgressionem afflato pervagatoque in omnes homines cùm semel statuisset mederi Deus, medicinalem gratię invictissimæ efficaciam præparare meritò decrevit; alioqui inefficacem medicinam si respuisset morbi vis, alia rursus atque alia temperanda fuisset, irritique conatus in cassum repetendi. Ergo semel experiri Deo visum est vires liberi arbitrii, gratiam prout liberet, vel sequentis, vel frustrantis; ubi se gratiamque sibi famulantem illæ pessumdederunt, jam nec sua deinceps consilia, nec nostræ salutis pręsidia in incertum dimittere eventum, sed suæ totum omnipotentiæ & immutabilitati concredere consultius duxit. Quæ hìc autem de invictissima Christi gratia differuntur, non eò spectant, ut non & alia gratiæ auxilia complura ab eo dimanent; aut ut nulla Christi gratia juventur, qui illa efficacissima non donantur; aut denique ut ad singulos trahi possit homines, quod de universa hominum natura ab Atanasio aliisque Græcis Patribus de efficacissima Christi gratia prædicatur. Concessa Adamo gratia non prohibuit, quin universum genus hominum interiret. Reparatrix Christi gratia invictissimè prohibebit, ne universa iterum pereat natura.

VI. Athanasii & Cyrilli cũ Augustino consonãtia. August. l. de Corrept. & grat. c. 10. 11. 12.

Non abs re erit paucula ex Augustino contexere, & Athanasii Cyrillique relatis referendisque testimoniis ad illustrandam utrimque concordiam componere. *Saluberrimè confitemur quod rectissimè credimus, Deum, &c. Sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium. Deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Et infra: *Proinde etsi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti (Adæ prævaricatoris posteri) & quæ potentior quàm Dei unigenitus Filius, æqualis Patri, & coæternus pro eis factus homo?* Et aliquantò post: *Neque enim metuendum erat ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ista susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc mediatorem Deus ostendit, eos quos ejus sanguine redemit facere se ex malis deinceps in æternum bonos, quem sic suscepit, ut nunquam esse malus, ne ex malo factus semper*

per esset bonus. Istam gratiam non habuit homo primus qua nunquam vellet esse malus, sed sanè habuit in qua si permanere vellet, nunquam malus esset. Et rursum: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur &c. Fortissimo quippè dimisit atque permisit, facere quod vellet; infirmis servavit ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.*

Ex his Augustini paucis de cumulo propè immenso delibatis, satis liquet, 1. gratiam primo parenti collatam non invictissimè fuisse efficacem, sed à flexu versatilis ejus voluntatis pependisse. Liquet 2. nobis opus fuisse gratia potentiore, & insuperabili, ne alioqui totum de reparatione nostra consilium dissiparetur. Liquet 3. hujus indeclinabilis gratiæ copiam per Christum nobis factam esse. Liquet 4. Christum ipsum hanc esse gratiam, utpotè implicata indivulsè insertaque immutabiliter naturæ nostræ deitate. Liquet 5. infusione deitatis & proinde immutabilitatis divinæ, motus voluntatis humanæ in Christo in impeccantiam & in immutabilitatem justitiæ assertos fixosque fuisse. Liquet 6. ejusdem divinæ per Christum in nos immutabilitatis excursu & propagatione, mutabilitatem nostram in immortalitatis regno extinctum iri penitus: hìc castigari interim, & constringi hactenus, ut quamvis illæsa persistet in assensum & dissensum innata flexibilitas, non erumpat tamen, & cohiberi se non illibenter patiatur, quoties Deo visum est.

VII. Ex Cyrillo rursus de eodem. Hæc autem omnia & Atanasii & Cyrilli concinunt mirum in modum superiùs allegatis testimoniis. Quibus subtexi & hæc pauca possunt. Cyrillus adversus Antropomorphitas, *In primo autem parente omnis quidem aptitudo inerat, deferens facultatem* L. 1. c. 10. *ad amplectendam virtutem, non tamen omnino actus sive operatio ipsa aderat. Idcirco Christus ipse de nobis, sive de propriis suis ovibus dixit, Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Redditum enim est humanæ naturæ id quo Adam initio præditus fuerat, nimirum sanctificatio. Hoc verò, abundantius, mea quidem sententia significat, quod actu ipso sancti videamur, quodque operibus ipsis illustres declaremur.* Gratia primi parentis Cyrillo est ἐπιτηδειότης, δύναμις: gratia per Christum adlata est ἐνέργεια; quo quid consonantius Augustino, qui toties iterat auxilium Adamo stanti concessum fuisse istiusmodi, quod daret posse velle, posse operari; at auxilium Christi speciale id esse quod det ipsum velle & ipsum operari: seu illud fuisse adjutorium possibilitatis, hoc operationis?

Nec minùs perspicuè idem Cyrillus alibi: *Quomodo damnavit peccatum in carne misso Deus Pater* In Ev. Joan. L. 9. c. 10. *Filio in similitudinem carnis peccati? Eum quippè tametsi Deus sit secundùm naturam & ejus ex substantia genitus, ac immutabilitatem proprietatis ejus naturaliter habeat; proindeque in peccatum labi prorsus nesciat, aut in vitium deflectere: in peccatum tamen carni subjectum descendere fecit ultro, ut ipsam carnem suam effectam, ad proprietatem suam transferret, id est peccati exortem faceret. Nec enim existimabimus si mens sana nobis sit, Unigenitum factum esse hominem, ut suo templo solum id præstaret: quomodo enim ejus adventus ad nos magnificentia & utilitas pateret, si suum dumtaxat corpus servasset? Sed credemus potius Unigenitum factum esse hominem, ut qui natura universæ per seipsum & in se primo velut in primitiis humanitatis, vendicaturus esset bona.* Quàm apertè hìc impeccantiam Verbi divinæ ejus immutabilitati innixam homini Christo per eumque reliquis hominibus illi cohærentibus impertit; sospite tamen, ut pluries jam præmonui, quamdiù mortaliter hìc degimus, in utrumque indifferentia voluntatis.

VIII. Rursum ex Athanasio. Similiter Athanasius eandem Verbi impeccabilitatem ab ipso per Christum hominem utcumque in nos usque derivat. *Ubi porrò Christus, quod genus ibi mortis ac periculi fuerit? atqui illud fieri non po-* Orat. 1 cont. Arian. *tuisset, si Verbum creatura fuisset. Adversus enim creaturam creaturæ conjunctam diabolus perpetuò pugnandi vires habuisset, & homo intermedius formidine mortis semper laborasset, non habens in quo & per quem Deo coaptaretur, & liber ab omni metu evaderet. Quapropter ipsa veritas declarat non esse Verbum rem creatitiam, sed potius rerum opificem. In hoc siquidem assumptum est ab illo creatitium & humanum corpus, quo illud ut opifex & conditor renovaret in se ac deificaret, atque ea ratione nos omnes in regnum cœlorum itidem ac seipsum introduceret, &c. Ideo ea coaptatio instituta est, ut Deitas vera, & ut sic dicam, naturalis verum & naturalem hominem sibi consereret, & stabilis efficeretur hominis salus & deificatio.* Diabolus ergo jam certissimè à nobis vincitur, jam salus nostra extra omne discrimen fundatissima est, quia vero Deo humanitas nostra inseparabiliter inserta est in Christo. At id qui fiat, ne capi quidem potest, nisi illa incommutabilis copula qua Deus conseritur homini, in nos usque redundet efficacia aliquali.

IX. Reparationis nostræ & incarnationis Verbi summa in efficacia gratiæ vertitur. Postremò, ut indubitatius fiat in eo maximè verti totius reparationis nostræ cardinem, quòd Dei Verbi incommutabilitas in nostræ descenderit naturæ præcordia, innatæque peccabilitatis venam obstruxerit & arefecerit quidem in Christo absolutissimè, in nobis autem pedetentim obstruat, occludatque per invictissima gratiæ subsidia; assuendus hìc est luculentus Fulgentii locus ex libris ad Trasymundum: ubi cùm declarasset hominibus hominem mederi non potuisse, utpotè ejusdem vitiatæ originis contagio laborantem; in Angelis quoque nullam medelæ spem figi potuisse probat, quòd mutabiles & ipsi cùm sint, certam salutem, id est, incommutabilem cum Dei vita justitiaque adglutinationem consequi per eos haud possimus, qui nec sibi eam præstare valuerint. *Nec Angelico poterat hoc reparationis munus adipisci subsi-* L. 2. c. 1. *dio. Angelica quippè natura tunc homini reparando aliquatenus esset idonea, si cadendi mobilitate nunquam naturaliter fuisset obstricta. Cùm verò se juvaminis egenam, consubstantialis ruina documento testetur, profectò cognoscitur multo minus ad humanæ posse redintegrationis efficaciam redundare, quæ propriæ nequeat stabilitati sufficere, &c. Profectò cognoscitur uniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet, à casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari depravarive non posset. Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet, &c. Hunc autem quisquis sanum sapit, Filium Dei esse non ambigit, qui est virtus & sapientia Patris. Sapientia quæ cuncta disposuit, virtus quæ omnia creavit; sapientia quæ illuminat, virtus quæ adjutorium præstat: sapientia qua immutabilis, virtus quæ insuperabilis.* Igitur via prima salutis inconcussæ, non Angelo ab Angelo, non homini ab homine, non homini ab Angelo, sed homini Angeloque ab uno poterat pandi incommutabili Deo. Incommutabilis enim & insuperabilis planè virtutis erat, & residuos Angelos in lubrico stantes constabilire, ne caderent; & homines jam prolapsos restituere, & ita firmare, ne iterum caderent. Nam quæcumque gratiæ vis, vel inconstantia vel contumacia voluntatis creatæ superabilis, nec hominem à lapsu, nec Angelum à lubrico penitus exemisset.

X. Incommutabilitas Verbi quam longè aliter Christo homini atque nobis adsit. Tertiò, nec singulari tantùm homini assumpto, sed in eo & per eam universæ hominum, quos in gratiæ suæ gloriæque consortium adscivit, naturæ implicuit se quodammodo inseruitque physicè & immutabiliter Verbi Dei justitia vitaque substantialis. Cùm enim uni se infuderit, ut promoveret salutem omnium, quid adjumenti ad salutem aliorum ex eo emergeret quòd se uni conglutinaret, nisi ad insolubilis hujus secum copulæ societatem aliquam reliquos coaptaret? Deinde primitiarum in-

star

ſtar eſt Chriſtus, & quaſi delibatio naturæ noſtræ, ut quodcumque in illo oſtenſum eſt, nobis deſponſum ſit. Adde quòd capiti conferri nil poteſt, quin exundet in membra. Accedit eò quòd non malignior à Chriſto gratiæ fons profluat, quàm ad Adamo; ergo ſi cum natura iſte propagaſſet eam, qua dotatus fuerat, lætam, ſed flexibilitate arbitrii fruſtrabilem gratiam; propagabit & ille in renaſcentes ex ſe & electos ſuos auſteriorem & inanitionis ſuæ ſapore delibutam, ſed potentiorem gratiam & radici ſuæ congenerem, id eſt, immutabilitati divinæ conſentaneam. Præterea non uni, aut alteri, ſed ſingulis planè, qui à ruinæ incumbentis periculo ſubducti ſunt, Angelis, inſuperabilis mutarique neſcia affuit infuditque ſe Dei virtus, nec quævis alia illi muneri par fuiſſet. Ergo eadem ſingulis etiam qui modò ad ſalutem pertingunt, hominibus ſe imparciet; etiam liberaliùs, quandoquidem non paulò operioſius eſt, peccati ruinam ſarcire, quàm prævertere. Quæcumque ferè congeſta ſuperiùs ſunt Athanaſii & Cyrilli loca, hanc etiam ſententiæ noſtræ partem confirmant, & immutabilitatis Dei per Incarnationem ſe largientis beneficium in omnem quodam ſuo modo naturam exporrigunt. Cyrillus in Theſauro: *Exaltatur autem & ungitur & ſanctificatur propter nos, ut per ipſum gratia in omnes derivetur; ut jam natura collata, totique generi largita. Sicut ſervator ipſe in Evangelio Joannis ait, Pro ipſis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſa ſanctificati. Quæcumque enim Chriſto inſunt, eadem in nos derivantur. Quippe qui ſanctificationem non ſibi ipſi accepit, erat enim ſanctificans ipſe, ſed ut per ſe eam humanæ naturæ conciliaret, via quodammodo & principium bonorum quæ in nos fluxerunt effectus. Idcirco enim ait, Ego ſum via, per quam divina gratia quodammodo in nos deſcendit, exaltans & ſanctificans & glorificans, atque adeo deificans naturam humanam in primo Chriſto.* Illa igitur per incommutabilis gratiæ illapſum ſanctificatio principaliter quidem ad Chriſtum pertinet, ſed & ab illa aliquid reſtagnat in nos. Unde rurſus idem Cyrillus in Joannis illa verbat. *Et habitavit in nobis*, ita diſſerit: *Sumus omnes Chriſto, & communis humanitatis perſona in ipſum reviviſcit. Nam & noviſſimus Adam idcirco nuncupatus eſt, qui naturæ participatione omnia locupletat ad fœlicitatem & gloriam, ſicut primus Adam in corruptionem & ignominiam. In omnibus itaque Verbum habitavit per unum, &c.* Sed de his alibi tempeſtiviùs atque prolixiùs.

Theſauri. Pag. 197.

In Evang. Joan.

XI. incommutabilis juſtitiæ ſuæ rivulos Chriſtus in omnes naturæ noſtræ ætates graduſque reſperſit.

Quartò. Ideo natales, ideo ætates, ideo paſſiones, ideo infirmitates ſubiit hominum omnes Deus Verbum, ut omnibus inderet imprimeretque ſuæ incorruptibilitatis odorem, & perennitatem vitæ & peccati victoriam, & ſanctitatis immutabilitatem. In hæc omnia ægritudinis noſtræ vulnera reſperſit infuditque Deitatis vivificam victricemque vim; primævamque incolumitatem non integravit tantùm, ſed in melius provexit. Athanaſius contra Arianos: *Niſi opera Deitatis Verbi per corpus patrata eſſent, nunquam homo deificatus fuiſſet: rurſum niſi quæ propria ſunt carnis, Verbi dicerentur, nunquam ad plenum homo ab illis liberatus fuiſſet. Nam tametſi pauliſper quaſi datis feriis interquieviſſent, peccatum tamen & corruptio æquè ita in homine remanſiſſet, quemadmodum in primis hominibus vim ſuam & tenorem retinuit. Eaque res ita demonſtrari poteſt. Permulti fuere viri ſancti, puri omnis criminis. Siquidem Jeremias ex utero ſanctificatus fuit, & Joannes, &c. Mors tamen æquè regnavit, &c. Nunc autem poſtquam Verbum homo factum eſt, ſibique ut propria vendicavit ea quæ ſunt carnis, non ulterius illa corpus humanum, eo quod ibi Verbum Dei conſiſtat, attingunt, ſed ab eo abſumuntur: nec jam inde homines ſecundum ſuas paſſiones, peccatores & mortui permanent; ſed ſecundum Verbi potentiam reſurgentes, immortales & incorruptibiles perſeverant. Unde naſcente carne ex Deipara Virgine, ipſe dicitur natus eſſe qui aliis ortum præbet, ut noſtram originationem in ſe transferat, ne deinceps quaſi in terra manentes, in terram abeamus, ſed ut Verbo cæleſti coaptati coalitique in cœlos ſubvehamur. Eadem igitur ratione etiam cæteras affectiones corporis non incongruenter in ſeipſum tranſpoſuit, ut jam deinceps non ut homines, ſed ut ii quos ut proprios & pro ſuis agnoſcit Verbum, æternæ vitæ conſortes efficeremur.* Et paulò poſt: *Ut in Adam ex terra derivati morimur, ita denuo in aqua & Spiritu ſancto regenerati in Chriſto omnes vivificeamur: quaſi caro noſtra non amplius terreſtris, ſed rationalis facta ſit, & ut ſic dicam Verbificata, λογωθείσης τῆς σαρκός; ob rationem ſeu Verbum quod in noſtri gratiam caro factum eſt.* Et aliquibus interpoſitis: *Ipſe quidem impatibilis ex natura perſeverat, nullam noxam ex his rebus ſentiens, ſed illas profligat; Homines autem in eum qui impatibilis eſt translatis paſſionibus ſuis, ibique pereuntibus, impatibiles & ipſi deinde & liberi ab iſtis calamitatibus in æternum redduntur; ut docuit Joannes cum dixit, Et ſcitis illum manifeſtatum eſſe ut tolleret peccata noſtra, & peccatum in eo non eſt.*

Orat. 4.

Prolixior ſi cui videatur hic Athanaſii contextus, non ſatis ille rerum copiam & amplitudinem ibi conſtipatam advertit. Quàm multa enim ibi latitent profundiſſimæ Theologiæ arcana, vix mente, nedum ſtylo aſſequi datur. Primùm quidem quòd Verbum divinum divina omnia per humanam animam carnemque egerit. Idque conſultiſſimè, ut guſtum divinorum afflaret illi, & vim, & facilitatem: & inhærentem peccati luem à nobis elueret; implicataſque corruptelæ fibras flatu flammaque Deitatis exureret. Secundò quòd humana omnia Verbo cohæſerint coaluerintque, ut inde dignitatem, ſanctitatem, incorruptibilitatem haurirent, penitiſſimèque imbiberent. Dum ergo Deus homini, homo Deo complicatur, afflatur homini incorruptibilitas, corruptela omnis extinguitur. Tertiò hinc humanæ naturæ poſt Chriſtum tanta proclivitas ad immortalitatem, tanta à temporalium ſordibus alienatio. Ecquid enim cauſæ eſt, cur tam pauci quondam, nec niſi temporalium ferè commodorum ſpe illaqueati, Deo ſe addicerent: nunc autem & jam inde ex quo Chriſtus illuxit orbi, catervatim certatimque proculcari terrena, ad æterna ſuſpicari toto orbe cœptum eſt; niſi quòd illapſu Deitatis in hominem, raptu humanitatis in Deum, divinorum guſtus & ſuavitas, incorruptelæ vis & omnipotentia humanæ naturæ inoleviſſet? Quartò nec robuſtior tantùm, ſed & immaturior & omnis demum ætas, æterna ſapere, divina ſpirare addidicit. Nimirum omnem ætatem coaptavit ſibi æternitas Verbi, æternitatiſque ſpiritu, & vigore, & conſtantia infecit. Quintò nec ullæ jam calamitates, aut cruces, aut mortes, quas non rideat, alacriorque adeat vel ipſa germanæ Chriſtianitatis pueritia, eaſque non tam vitæ exitum, quàm immortalitatis aditum interpretetur. Nempè poſtquam illas adiit, priorem amaritudinem abſterſit omnem, horroremque decuſſit Deitas Verbi, ſuiſque illecebris & incorruptibilitatis ſemine conſperſit. Sextò turbulentæ quoque perturbationes animæ, quibus tranſverſi in omne nefas agebantur homines priùs, tranquillatæ non modò ſunt, ſed in divinos uſus raptæ; poſtquam induit eas & exarmavit Verbum Deus, pacique, & ſanctitati ſervire aſſuefecit. Septimò ætates iſtas morteſque & paſſiones adierant jam olim a mundi incunabulis nonnulli ab omni labe puri homines, & incredibili ſanctitate tranſegerant; nec potuerant tamen ſanctimoniam illis eam aſpirare, quæ toti hominum generi prodeſſet. Homines erant videlicet, quibus ſua domi pietatis vena vix ſufficeret, nedum in totam rerum naturam exuberaret. At Verbum, ipſamet ſanctitas & incorruptibilitas eſt; omnibus naturis ſufficit, nec illi capiendo ulla ſufficit; & quibuſcumque aſpirat inſpiratque ſe, ibi fontem gratiæ & incorruptelæ aperit; & paſſioni-

XII. Ex ſubſtantiva copula incommutabilitatis Verbi cum natura noſtra quanta virium incrementa nobis acceſſerint.

bus ipsis quas adiit, morti quam subiit, impatibilitatis, immortalitatisque fontem inducit. Octavò. Hæc omnia eo ex uno nectuntur capite, quod per incarnationem physicè & substantialiter, indivulsè & incommutabiliter universæ hominum naturæ implicata fuit divinitas Verbi, seu ipsa sanctitatis forma, ipsa incorruptelæ substantia, omnipotens vitiorum omnium victoria, virtutum insuperabilis efficacia. Hoc præfundato semel, reliqua omnis facilè consurgit fabrica. Nonò. Accedit prætereà quod per physicam Verbi incorruptibilis in naturam nostram insitionem, non in animam tantùm, sed per animam in corpus exundat incorruptibilitas. Porrò impleri anum priùs & superfluere necesse est, quàm in corpus effluat. Ideo ergo exors interim incorruptibilitatis corpus est, nec nisi in resurrectione consors fiet, quam spe interim non dubia præsumit. At ea corporis incorruptibilitas multò præstantior erit, quàm qua primus parens honestatus fuerat. Hæc enim poterat non amitti, illa omnino non poterit amitti. Nimirum ut jam sæpiùs iteratum est, medicinalis gratia quam Deus medicus porrigit, morbi vim quamcumque desperatissimam edomat. Deinde hæc medicina morbi nostri corruptionisque expultrix, est Verbum ipsummet, non semel propinatum ebibitumque, sed infusum penitissimè, implicitumque inseparabiliter & perenniter naturæ nostræ; contagemque proinde omnem seu ab animo seu à corpore avertens. Decimò & postremò hæc ingens fœlicitas spe nobis obtigit, necdum re, quod ad corpus attinet; spe amplior præsumitur, re jam aliquantula obtinetur quoad animam. Nam dum corpori Christi adunamur, incorruptionis seminibus corpus nostrum conspergitur, quibus aliquando germinantibus consurget ad gloriam. Sed & dum impii, qua homines sunt, naturæ à Verbo assumptæ fiunt participes, afflatæ illi incorruptibilitatis odorem percipiunt & ipsi, quo aliquando ad immortalitatem resurgant. Sed hæc corporis privilegia per Verbi in corpus illapsum allata, necdum re capi, jam spe præcipi possunt. Animæ autem, quanto ad illam salus & immortalitas & sanctitas Deitasque magis, quàm ad corpus pertinet, tanto plura Verbi descensus jam nunc intulit bona, nec in totum fruenda distulit. Verbi itaque incorruptibilis in humanitatem nostram insitio, in omnium hominum corpora animasque suo quodam modo propagatur. Sed ut immortalitas quam in omnes diffundet per corporum resurrectionem, aliis solario & ornamento, aliis dispendio vertet & probro; ita ejus in animas beneficentiæ propagatio longè diversos sortietur exitus, non doni, aut donantis, sed nostro te certissimè vitio.

XIII. Confirmantur antedicta ex Cyrillo. In Joann. L. 6. pag. 653.

Pulcherrimè Cyrillus antedicta confirmat omnia, & hoc postremum maximè illustrat: *Divina quippe natura Dei Verbum etiam cum carne, nos vero genus ejus, quamvis sit secundum naturam suam Deus, quod eamdem nobiscum carnem assumpserit. Itaque similis est conjunctionis modus. Ut enim conjunctus est ipse Patri, & conjunctus est per identitatem naturæ Pater ipsi: sic & nos ei inquantum homo factus est & ipse nobis.* Sic ille scitissimè explanat, quàm physicè & substantialiter consocietur nobis Verbum, homo hominibus, sicut, & qua Deus Patri Deo: & nobis, non his, aut illis tantùm, sed universis, ob ejusdem humanæ consortium naturæ. Deinde opponit sibi quod statim mentem subit, an ergo omnes æqualiter uniantur Christo & per Christum Deo? Ut quid ergo bacchantur impii? Utquid tot bona suis tantùm ovibus seligit & despondet Christus? *Dicet forsan aliquis, non vides in quod periculum te conjicias? Si enim quatenus homo factus est, ipsum suas (oves) agnoscere putabimus, hoc est in familiaritatem suarum ovium venire, quisnam extra gregem manet? Erunt universi familiares, quatenus homines, sicut ipse. Quid ergo eximii est quod ait, meæ? Aut quid ultra cæteras est, ejus ovibus?* Sic ille dubium proponit sibi solvendum. Solvit autem ad hunc modum: *Ad hoc respondemus communem quidem esse omnibus, tum qui noverint ipsum, tum qui ignoraverint, conjunctionis modum. Factus est enim homo, non gratificatus quibusdam privatim, aliis non item: sed universam naturam lapsam miseratus. Sed nihil profuturus est ille conjunctionis modus, contumacia & rebellione in eum peccantibus: contra diligentibus eum tanquam præmium aliquod singulare tribuetur. Quo enim modo resurrectionis ratio pertinet quidem ad omnes propter resurrectionem Salvatoris, qui secum totam naturam humanam suscitat: nec tamen id quidquam proderit peccati amantibus, quippe qui ad inferos ibunt præcipites, &c. Eodem modo opinor conjunctionis rationem ad omnes bonos & malos pertinere, sed non æqualiter omnibus inesse; sed iis qui credunt in eum, veræ cognationis, & prærogativæ omnis ei debitæ causam: secus facientibus ingratitudinis ac impietatis gravissimum crimen existere.*

XIV. Item ex Irenæo & aliis. L. 3. c. 20. 21. L. 5. c. 1.

Ac tandem ut accedat & aliorum Patrum calculus iis quæ paulo antè in Athanasio adnotavimus, Irenæus ita habet: *Quapropter & per omnem venit ætatem, omnibus restituens eam quæ est ad Deum communionem.* Et infra: *Verbum Dei quod habitavit in homine & filius hominis factus est, ut assuesceret hominem percipere Deum, & assuesceret Deum habitare in homine.* Et rursum: *Domino ad homines quidem deponente Deum per spiritum, ad Deum autem rursus imponente hominem per suam incarnationem: & firme & verè in adventu suo donante nobis incorruptelam per communionem quæ est ad Deum.* Ubi vides quàm accuratè exprimat vitæ sanctitatisque divinæ infusionem in naturam nostram, insertionemque in omnes ætates hominum; ut non rivulo, sed ipso fonte vitæ sanctimoniæque sibi insito tota humanitas inebrietur. His addendus est etiam

Serm. 3. de Passione. Serm. 16.

Leo Magnus: *Humanæ fragilitatis trepidationem non vinceret (Petrus) nisi victor mortis ante timuisset.* Et paulò post ex persona Christi: *Non te confundat infirmitas quam recepi; Ego de tuo fui trepidus; tu de meo esto securus.* Et idem Leo: *Excepta communione peccati, nihil à se humanæ infirmitatis excluserat, ut & sua nobis insereret, & in se nostra curaret.* Advertis quo spectet totius infirmitatis ad Deum evectio, totius Deitatis ad nos inclinatio, ut nostra in se curet, sua nobis inserat; physica Deitatis totius in totam humanitatem insinuatione, ætates nostræ omnes de æternitatis communione firmentur, de contactu vitæ obducantur vulnera, mortes immortalitatis venam excipiant effundantque, perturbationes omnes pacis æternæ contubernio serenentur. Similiter Chrysologus: *Nascitur Christus, ut nascendo corruptam redintegret naturam: infantiam suscepit ille, patitur nutrimenta, percurrit ætates, ut unam, perfectam, manentem, quam ipse fecerat, instauraret ætatem. Portat hominem, ne jam cadere homo possit; quem terrenum fecerat, fecit esse cælestem; animatum humano spiritu, spiritum vivificat in divinum; & sic eum totum tollit in Deum, ut quod peccati, quod mortis, quod doloris, quod terræ est, nil relinquat.* Sed de his alibi prolixiùs. Serm. 148.

CAPUT XX.

Ejusdem auxilii ab Incarnatione petendi necessitas quod primo vitiato aliud caput principiumque humano generi instaurandum esset.

I. Caput aliud pro Adamo sufficiendum erat, à quo natura innovata propagaretur.

DEclaratur 9. eadem auxilii per incarnationem invehendi necessitas, ex eo quòd cùm primus Adam quem uti caput & principium humano generi præstituerat Deus, collapsus esset, totamque se-

cum

cum proſtraviſſet naturam, non potuit ea reparari, quin aliud ipſi caput, ſed præſtantius & à ruinæ periculo alieniſſimum redintegraretur. Ita enim comparatum eſt humanum genus, ita æternis legibus temperatum, ut ſicut natura, ſic & naturæ conſectaria ornamentaque, adeoque & vitia, ab uno uti fonte in reliquos omnes deriventur. Ea vis eſt, ratioque animantium naturæ, imo & corruptibilium omnium ac temporalium, ut fluminis inſtar labantur, & ab uno capite reliqua fluant & diffundantur omnia. Sic natura hominum ab uno parente, ab una velut radice, in numeroſam poſteritatem ſoboleſcit. Sic & infuſa cælitus, coalitaque naturæ primùm gratia, naturæ ipſius ingenio fluxuique coaptata, ab uno parente in poſteros unà cum natura ipſa propagata fuiſſet. Sic contagio per primam tranſgreſſionem naturæ infuſa, ab uno in omnes pariter dimanat. Ergo ut natura, ut naturæ gratia, ut naturæ vitium, ita & naturæ innovatio ab uno capite, in omnes alios homines, proſerpere ac efflorescere poſtulabat.

Rationalis enim natura vegetanti & ſentiẽti conſerta, hujus legibus propagatur, cum ſuis vel viribus, vel morbis.

II. Caput autẽ iſtud novũ, prioris ruinas non farciret, niſi incommutabilitate ſeu Deitate perfuſum.

Secundò. Caput iſtud autem, à quo contagio prior abſtergenda, novitaſque & ſanctitas inſpiranda erat, addecebat quidem ut homo eſſet, hominum caput, princeps, parenſque futurus, ſuiſque vel membris vel civibus, vel filiis conſenſurus; at Deus ut pariter eſſet, & conſentaneum & neceſſe erat. Nam ſi creatura dumtaxat foret, qui creatura creaturam juvaret, inops inopem, infirma infirmam, labilis lapſam: Quì creatura tuto locaret ſalutem noſtram, quæ in lubrico mutabilitatis ingenitæ nutaret ipſa? Quì creatura Deo nos coaptaret, à quo & ipſa immaniter diſtaret? Quì creatura jacturam penſaret primi capitis, cui non multo præcelleret, pari & ipſa naufragio objecta? Quì creatura amiſſas per peccatum primigeniæ gratiæ dotes nunquam deinceps amittendas reſtitueret, quas nec ſibi immutabiliter vendicare poſſet? Quì creatura mutabilis cùm ſit, incommutabile Dei electos ſuos prædeſtinantis conſilium fulcire poſſet? Mutabili enim & vacillanti fundamento incumbentia, vacillarent pariter divina conſilia. Ergo ſalus electorum, ne collabaſceret iterum, inconcuſſo & immutabili fulcimento, id eſt Deo ipſi ſuperſtruenda fuit.

III. Ut natura, ut naturæ vitium à priori capite, ita ejuſdem recidiva ſanitas à ſecundo diffundenda erat.

Tertiò. Ab iſto inſtaurationis noſtræ fonte & capite in electa & ſpecialiter illi cohærentia membra par fuit gratiæ rivulos tam phyſicè, tam exundanter, effluere, quàm natura ipſa vitiumque naturæ effluit, quàmque gratia naturæ inſita effluxiſſet à primo Adamo in poſteros. An gratiæ enim quàm naturæ, minor ubertas? An vitij quàm beneficij prolixior vis? An ſecunda gratia primæ everſæ reſtauratrix, minus pollebit? An ſecundum caput primo impotentius erit, cujus tamen reficit labem & jacturam compenſat? An creaturæ poteſtas influxuſque longiùs ſe porriget, quàm creatoris? Secus habent hæc omnia. Nam & gratiæ quanto ſuperior, tanto diffuſior liberaliorque propagatio eſt, quàm naturæ. Et vitium naturæ infeſtum cùm ſit, non ita ei coaleſcit, nec cum ea tam facilè diffunditur, quàm gratia naturæ amiciſſima. Denique pro mortali & caduco capite, ſe Deus ipſe in caput ſubrogans, tanto majorem gratiarum auxiliorumque copiam effundet in electa ſua membra, quanto ipſi gratia inſita eſt, Adamo commendata; ipſi ſubſtantialis, Adamo accidentalis; ipſi fons gratiæ, Adamo rivulus inerat; ipſe ipſa gratia eſt, Adamus particeps gratiæ; ipſi incommutabiliter, Adamo minùs firmiter gratia aderat.

IV. Et quidem multo cum fænore damna priora compenſavit caput noſtrum Chriſtus. Multis id conjecturis aſſeritur.

Quartò. Ex his perſpicuè conſequitur, primæ ruinæ jacturam redundanter compenſatam fuiſſe, poſt caſum conſcendiſſe nos altiùs, & profuiſſe cladem, quam tanto clarior victoria & fœlicitas conſecuta eſt. Quod Chriſtus enim altiùs nos evexerit, quàm unde cum Adamo exturbati eramus, Liquet. 1. Quod Adamo accidentalis tantùm gratia inerat, nunc naturæ noſtræ ipſa gratiæ ſubſtantia, ipſa ſanctitas Deitatis ſe *infudit*. 2. Quaſi peregrina & extrinſeca, nempe extrinſecus aſpirata Adamo aderat gratia, nunc domeſtica & ſubſtantialiter implicata naturæ noſtræ eſt gratia, & in ipſo ſinu ebullit. 3. Hinc Adami gratia qua peregrina erat, & extrinſeca, abigi ab univerſa natura poterat, & amitti; at nunc ut inſerta ſubſtantiæ noſtræ haud amplius ita amitti poteſt. 4. Ut accidentariò inhærens, amiſſibilis erat altero hoc nomine; at nunc qua ſubſtantialiter coalita, fugari nequit. 5. Et illa ut peregrina & adventitia, ſuberat arbitrij poteſtati verſatili, ejuſque repulſæ patebat: at nunc ut omnipotentis Deitatis cujus rivulus eſt, ingenium majeſtatemque retinens, ſubjugat tandem in electis omnibus arbitrij liberi inconſtantiam. 6. Illa Dei ſervum, aut amicum certè, ut ſummum adoptivum conſtituebat; hæc non paulò plus conſequitur, ut Filium proprium & germanum nobis inſerat, noſque ipſi; adeoque nomine & dignitate unigeniti ac naturalis Filij utcumque nos reſpergit. 7. Paradiſus illi priori gratiæ donatus erat; quæ verò amplior ſecuriorque homini in ea perſeveranti deſponſa erat fœlicitas, ea non tanta tamen erat, quantam nobis Chriſtus advehit, dum throno Dei nos infert, & in cœleſtibus conſedere facit ſecum. Sed his ita prælibatis, ſua jam authoritas aſtipulationibus ſanctorum Patrum accerſenda eſt.

V. Ante iſta ex Cyrillo Alexandrino firmantur.

Cyrillus in Glaphyris in Geneſim, *Cenſetur etiam in ſecundum Adam Chriſtus, ac veluti ſecunda quædam radix humanitatis exortus eſt. Nova enim creatura ſit in Chriſto; renovatique ſumus in ipſo ad ſanctificationem, incorruptionemque & vitam.* Et alio loco: *Oportebat igitur, quandoquidem, pro inſita ſibi benignitate, lapſum genus in priorem ſtatum reformare volebat Deus, alterum veluti generis principium renaſci Chriſtum, & in lucem edi per ſanctam Virginem, non tamen carnalem patrem accipere, ut & cum ipſo Deum habeamus omnes patrem, per ipſum & in ipſo ad iſtius gloriæ initia redeuntes. Oportebat poſtquam homo factus eſt ſpiritum accipere, ut quoniam erat & eſt inſcius peccati, in ipſo demum ſpiritus inhabitaret ac requieſceret, tanquam in primitiis generis & radice ſecunda.* Ut igitur inſtituti, ita reſtituti generis noſtri caput aliquod & radicem præſtitui à Deo decebat; & utriuſque originem à Deo peti, ut ab ipſis prognati, divinæ originis authoritatem ſanctitatemque ſpirarent. Sed reſtitutæ gentis capiti duplex à Cyrillo vendicatur prærogativa, quod Dei Filius ſit, Deique filios faciat; quodque peccato contaminabilis nullo ſit, ideoque Spiritum ſanctum quem ſibi afflatum prævaricator Adam extinxerat, immobiliter conſtantiſſimè ſibi ſuiſque ſervet. Et idem rurſum Cyrillus, *A principio datus eſt noſtri generis primitiis, id eſt Adamo Spiritus ſanctus: verùm in obſervatione mandati piger, juſſa poſthabuit, ac demerſus eſt in peccatum, nec invenit in hominibus requietem Spiritus. &c. Poſt factus eſt homo unigenitum Dei Verbum, licèt Deus eſſe non deſineret: cumque ſimilis nobis eſſet, peccatis tamen irretitus non eſt, Spiritus ſanctus in hominis natura inſedit, velut in ipſo primo, & quaſi in ſecundis primitiis generis, ut & in nobis deinceps conquieſceret ac maneret, & in credentium mentibus cum voluptate habitaret.* Non poterat enim ſanctitas niſi per Spiritum ſanctum naturæ noſtræ conciliari; ideo ſpiraculum vitæ, id eſt authore & interprete Cyrillo, ſanctum Spiritum Deus primo parenti aſpiraverat: ſed hunc afflatum ille peccato difflavit. Sarciendo huic diſpendio unus par erat is, qui & impeccabilis eſt, & Spiritum ſanctum inſitum ſibi habet, ut ſui germen gremii, ſi homo factus, homini eandem Spiritus ſancti indivulſam immeationem concederet. Hoc accuratè diſtinxit Scriptura, ubi Spiritum ſanctum Adamo afflatum fuiſſe memorat, ſuper Chriſtum autem manſiſſe.

L. 3. p. 105.

Dialog. 6. de Trinit. pag. 591.

L. 2. in Iſai. pag. 193.

Rurſus idem Cyrillus: *Secundus Adam Chriſtus nun-*

nuncupatus est; in illo enim primo genus humanum quod non erat prius in naturam rerum exoritur, exortumque corrumpitur, quia divinam legem violavit; in secundo verò nempe Christo ad aliud velut principium revertitur, instauratum ad vitæ novitatem & incorruptionem. Est enim in Christo nova creatura, sicut Paulus ait. Datus est itaque nobis renovans Spiritus, sanctus videlicet, æternæ causa vitæ, postquam Christus glorificatus est, hoc est, post resurrectionem suam, cum diruptis mortis vinculis, omni corruptione major apparuit, revixitque totam habens in seipso naturam, secundum quod homo erat & unus ex nobis. Porrò curiosiùs inquirens causam cur post resurrectionem, non ante effusus sit Spiritus, illud rursus audies, primitiæ renovatæ naturæ Christus tunc factus est, cum spretis mortis vinculis excitatus est à mortuis. Qui ergo consentaneum esse potest, ut ante ipsas primitias vivificarentur qui post eas erant? Ubi eximium illud suggerit Cyrillus: quòd tum propriè Christus caput nostrum esse cœperit, & radix melior restitutæ gentis nostræ, postquam immortalis resurrexit. Ex tunc enim demum propagare genus suum cœpit, Spiritum sanctum infundendo. Ut primi Adami, generisque ab eo propagandi ortus tum cœperat, cùm Deus illi spiraculum vitæ, seu Spiritum sanctum insufflaverat. Unde ibidem paulò post pergit Cyrillus: *In principio quippe, ut afflatus divino Spiritu Moyses scripsit, accepto pulvere de terra cum formasset hominem mundi opifex, insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ. Quodnam est autem spiraculum vitæ, nisi Christi spiritus qui ait, Ego sum resurrectio & vita? Postquam verò ex humanitate aufugit & avolavit sanctus Spiritus, is qui nos ad divinum characterem conformare ac servare poterat, rursus hunc nobis servator elargitur, in antiquam restituens dignitatem, & in suam ipsius imaginem transformans.* Primus ergo parens tunc caput humani generis constitutus est, cùm Spiritu sancto est donatus; & Christus tunc caput se esse verè probavit, cùm Spiritum sanctum nobis reddidit. At id post resurrectionem tantùm præstitit, ut hinc clarescat quantò secundi quàm primi Adæ munera sint firmiora, tutiora, invictiora. Tum enim Christus ab omni mutabilitate absolutus, in incommutabilitatem divinam totus excesserat.

In Evang. Joan. L. 5. pag. 473.

Necessitatem porrò Capitis hujus & fundamenti inconcussi, & à vitii periculo ob divinam stabilitatem alienissimi, enucleatissimè declarat idem Cyrillus in Thesauro. *Cæterùm necesse est ut accuratiùs investigemus, quo pacto sapientia Dei ante sæcula nobis præfundata fuerit. Quemadmodum si quis architectus, domus ædificationem incipiens, cogitans secum, ut par est, ne domus successu temporis, vitium aliquod accipiat eorum quæ domibus accidere solent, firmissimum fundamentum jacit, ac veluti radicem inconcussam operibus excogitat; ut si vitium faciat, quum principium sive fundamentum salvum sit, aliam rursus domum ei superstruere possit: eademratione omnium creator Christum salutis nostræ fundamentum etiam ante mundi creationem jecit, ut cum eam per peccatum labefactari contigerit, in ipso iterum fundemur.* Nec consilii enim divini, nec nostræ salutis consultum satis esset stabilitati, si puræ rursus creaturæ, ex innato mutabilitatis vitio nutabundæ illa fuisset concredita.

Thesauri. pag. 171.

VI. Item ex Athanasio. Athanasius: *Ubi ait, Si qua in Christo nova creatura, & vetera transierunt, ecce nova facta sunt omnia. Quod si creatio innovata fuit, oportuit in hoc genere aliquem esse primum. Merus igitur homo & pulvereus, quales nos facti eramus ex prævaricatione, is esse non poterat, eo quod in prima creatione fides ab hominibus servata non fuit, eorumque culpa prima creatio perierat. Opus ergo fuit instauratore prioris creaturæ, & qui novam creaturam conservaret. Non igitur ex hominum genere alius quispiam, sed ipse Dominus, &c.* Subdit Athanasius id insinuari iis scripturæ locis: *Dominus creavit me principium viarum suarum;* &: *Ego sum via;* &: *Ipse est caput Ecclesiæ:* quòd recidivi generis principium caputque, ne eodem rursum lapsu se suosque elideret, divinæ personæ invariabili firmitate muniendum fuerit.

Orat. 3. contra Arian.

VII. Rursum ex Cyrillo. Hactenus priora illa duo firmavimus, quæ initio præfixa fuerant. Jam ut tertio quoque accedat pondus idem authoritatis & elucidatio uberior, audiendus est iterum Cyrillus: *Postquam decepit Adamum initio & vecordiæ reum statuit peccati inventor, ad mortem ita traduci contigit, pœnaque in omnes homines pervasit, velut ex radice in ramos vitio sese propagante. Regnavit enim ab Adam & usque ad Moysen. Peccantibus verò in similitudinem transgressionis Adam necessario deinceps providet suis creaturis rerum opifex, & secundam quodammodo nobis generis radicem machinatus est, quæ nos ad pristinam incorruptionem reduceret. Ut quemadmodum nos prima ac terrena imago moriendi necessitate insignivit, & interitus laqueis involvit: ita nobis rursus secundum & post illum principium, hoc est Christus, similitudoque cum ipso per spiritum mortis expertes declaret.* Et rursum Cyrillus idem: *Quemadmodum corruptionem & mortem ex eo vicimus, quod in quantum homo propter nos & pro nobis Christus revixit, per suam resurrectionem mortis imperium evertendo: omnino enim istius rei vis ad nos pertinebit, quia is qui vicit, erat ex nobis, in quantum homo apparuit. Et quemadmodum peccatum devincimus, quoniam in Christo primò devictum est, & ab eo ad nos tanquam ad genus suum hoc bonum transfunditur. Ita confidere oportet à nobis quoque mundum victum iri, cum Christus ut homo propter nos vicerit, qui principium, ut ostium & via naturæ humanæ in hoc factus est. Si enim ut Deus vicit, nihil ad nos; sin autem ut homo, nos in ipso vincimus. Alter enim Adam, ut scriptura testatur, de cœlo nobis apparuit.* Si æquum enim fuit, ut peccatum, ut peccati servitutem, ut peccati stipendium, mortem, primus Adam à se in genus suum traduceret; quantò æquius, ut melior Adam in suos transfundat sanctitatem, peccati victoriam, immortalitatem?

Glaphyrorũ L. 1. pag. 1.

In Evang. Joan. L. 11 pag. 945.

VII. Item ex Bernardo. Istam gratiæ à Christo in Christianos quasi ex spiritali traduce propagationem, elegantissimè commendat Bernardus: *Cur non aliunde justitia cum aliunde reatus? Alius qui peccatorem constituit, alius qui justificat a peccato; alter in semine, alter in sanguine. An peccatum in semine peccatoris, & non justitia in Christi sanguine? Sed justitia, inquiet, sit, cujus est, quid ad te? Esto, sed sit etiam culpa cujus est, quid ad me? Non convenit filium portare iniquitatem patris, & fraternæ fieri exortem justitiæ. Nunc verò per hominem mors & per hominem vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: quoniam non sic illi attineo, ut non & isti. Si illi per carnem, & per fidem huic. Et si infectus ex illo originali concupiscentia, etiam & Christo gratia spiritali perfusus sum. Quid mihi plus imputatur de prævaricatione? Si generationi generationem oppono; nisi quod spiritalis est ista, illa carnalis. Nec patitur ratio æquitatis, ut ex æquo contendant: sed vincat necesse est spiritus carnem; & sic efficacior causa, cujus & potior est natura: quo plus videlicet prosit generatio secunda, quàm prima nocuerit, &c. A primo homine manavit delictum, à summo cœlo egressio gratiæ: utrumque à parente; illud à primo, ista à summo. Terrena nativitas perdit me, & non multos magis generatio cœlestis conservat me?* Sic ille conglobatim rationes addensat omnes ferè, quas suprà prælibavimus, & hanc magni cùm primis momenti, quòd debeat efficacior esse causa, cujus & potior est natura. Si ergo natura peccati cùm inanissima sit, & nulla sit, & ipsum nihilum sit, diffunditur à capite ad calcem humani generis, & omnes pervagatur artus; quid gratia, cujus natura ultra naturam est, visque adeo & efficacia naturam omnem exuperat? Item si primus parens, quia primus, sobolem omnem

Epist. 190.

nem seminali contage vitiavit: quin primus restitutæ gentis, idemque summus parens Christus, non magis prosapiæ suæ omni inspirabit justitiam?

Prosper quoque L. de providentia non illepidè idem canit, vel quicumque demum carminis hujus author extiterit:

VIII. Ex authore carminis de providentia apud Prosperum.

Victus enim terrenus Adam transfudit in omnes
Mortem homines, quoniam cuncti nascuntur ab illo,
Et transgressoris decurrit causa parentis.
Sed novus è cœlis per sacræ virginis alvum
Natus homo est, aliudque bonus mortalibus in se
Fecit principium, carnemque refusus in omnem,
Et vita functos, naturam participando
Edidit, & vivos, vitam mutando creavit.

Et paulò ante de Christo: *Qui se mihi miscuit in se.* Novum se hominibus principium fecit Christus, omnibus se miscuit, in omnes se refudit, vivis sanctiorem vitam, mortuis resurrectionem contulit.

IX. Ex Augustino.

L. 6. Oper. ult. Con. Jul. n. 7.

Non prætermittendus autem, qui omnibus præmittendus fuerat Augustinus; sed ex copiosissimo ejus penu unus hic saltem promatur locus. *Secundus homo & secundus Adam dictus est Christus; cum inter Adam hominem factum & Christum hominem natum tot generationes hominum transisse videamus, nec in earum ordine possit dici secundus homo nisi Cain. Sed quia prima est mors corporis quæ facta est propter peccatum Adæ, in qua decurrit hoc sæculum. Secunda vita est corporis quæ fiet propter justitiam Christi, & facta est in carne jam Christi, in qua vita futurum sæculum permanebit. Ideo ille primus vel Adam vel Homo, iste autem secundus est dictus. Et non vis intelligere, tam grande illius fuisse peccatum, ut mortalium sæculum, hujus verò tam grandem justitiam, ut immortalium sæculum propagaret?* Familiare hoc Augustino, ut duos tantùm homines ab exordio ad exitum sæculi constituat, Adamum & Christum; in illo ut mortales & scelesti, in hoc justi & futuri exinde immortales complicentur. Quod videlicet tam grande fuerit peccatum Adæ, ut mortalium sæculum propagaret; tam grandis Christi justitia, ut justorum & immortalium sæculum ex se profunderet.

X. Ex Leone M.

In Nativ. serm. 4.

Ut denique quarto consectario, seu quartæ prærogativæ restituti humani generis, nempe ex casu dignitati & opulentiæ prolixiori, sua quoque astruantur ab authoritate præsidia, primus prodibit Leo magnus: *Qui cùm origini humanæ multum dederit, quòd nos ad imaginem suam fecit: reparationi nostræ longe amplius tribuit, cum servili formæ ipse se Dominus coaptavit. Quamvis enim ex una eademque pietate sit, quidquid creaturæ creator impendit; minus tamen mirum est, hominem ad divina proficere, quàm Deum ad humana descendere.* Capitale discrimen istud est creatæ & recreatæ naturæ hominum, quòd illi indidisset Deus imaginem suam, huic infuderit substantiam suam: illi lucem aliquam à se diffusam, huic fontem ipsum lucis, lucem ipsam largitus sit increatam: illi sanctitatis suæ simulacrum appinxerit, huic ipsam sanctitatis personam naturamque infixerit. Quapropter idem Leo ser. 2. de resurrect. *Collapsa in parentibus primis humani generis plenitudine, ita misericors Deus creaturæ ad imaginem suam factæ per unigenitum suum Jesum Christum voluit subvenire, ut nec extra naturam esset reparatio naturæ, & ultra propria originis dignitatem proficeret secunda conditio. Fœlix si ab eo non decideret quod Deus fecit; fœlicior si in eo maneret quod refecit. Multum fuit à Christo recepisse formam, sed plus est in Christo habere substantiam. Suscepit enim nos in suam proprietatem illa natura, quæ nec nostris sua nec suis nostra consumeret.* Amplissima erat naturæ formatæ à Deo dignitas, sed ineffabiliter amplior est reformatæ. Dum formatur enim, formam à Deo percipit, formæ divinæ umbram, aut effigiem, ut summum particulam: at ubi reformatur, formam ipsam substantiamque & personam Deitatis induitur.

XI. Etsi divinæ substantiæ formatione, seu inhabitatione non careret Angelus, aut primus parens.

Nec nos præterit decantatum illud toties apud Augustinum Cyrillumque in primis, nec non & Patres alios Latinos Græcosque, non accidentali tantùm participatione, sed substantiali illapsu Spiritus sancti Deitatisque totius, sanctificari naturas rationales; ideoque videri posse non Christi, Christianæque gentis privilegium, sed humanæ ante peccatum, & Angelicæ, intellectualisque totius naturæ quasi nativum gratiæ supernæ ornamentum fuisse, ut substantiva divinæ sanctitatis inhabitatione formarentur. Hoc sanè profitemur & nos, suoque alibi loco copiosè sanctorum Patrum calculis & argumentis communiemus. Nihilo tamen minus hoc Christianæ vindicamus Ecclesiæ privilegium, quòd & per Christum restauratum sit, quo per peccatum excideramus; & quòd non paulò uberiùs intimiùsque divinæ sanctitatis forma substantiva inhabitet, immaneatque nobis, peculiari Christi beneficio, quàm communi naturæ intellectualis & innocentis consortio. Consentire videtur Augustinus, ubi argumentatur primò Deum ipsum esse vitam, adeoque formam, qua vivunt piorum animæ; quandoquidem eo viduatæ tam verè moriuntur vitæ illius supernæ orbatione, quàm spoliata animabus corpora moriuntur vitæ animalis defitione: subjicit tamen Christum factum esse nobis sapientiam & justitiam à Deo, id est vitam qua divinitus vivamus. Quomodo ergo per Christum nobis dicitur obtigisse, quod rationali creaturæ commune fuisse venditatur? Nempe aut quia quo per peccatum excideramus, id Christi beneficio receptum est; aut quia illa divinæ formæ immeatio per Christum penitior, diffusior, & inseparabilior contigit. *Non ob aliud amissa justitia dicuntur mortuæ, nisi quia & animarum, licet immortaliter qualitumque vita viventium, verior & major vita justitia est, tanquam vita vitarum, &c. Ea porrò justitia quæ vivit in seipsa, proculdubio Deus est, atque incommutabiliter vivit. Sicut autem hæc cum sit in seipsa vita, etiam nobis fit vita, cum ejus efficimur utcumque participes; ita cum in seipsa sit justitia, etiam nobis fit justitia, cum ei cohærendo, justè vivimus; & tanto magis minusve justi sumus, quanto magis illi minusve cohæremus. Unde scriptum est de unigenito Filio Dei, cum sit utique Patris sapientia, atque justitia, & semper in seipso sit, quod factus sit nobis à Deo sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Hìc duo illa significantur, & de Dei justitia vivere pias mentes, tantoque magis vivere, quanto magis affiguntur illi; & ideo Christum factum nobis esse justitiam, ut redintegrato quo excussi eramus jure, de Dei justitia vivamus, & ultra antiqui juris morem, abundantiùs vivamus. Venit enim Verbum, ut hac Dei justitia vivamus, & abundantiùs vivamus, factum nobis justitia & sanctificatio.

Largius tamen illa nobis per Christum indulta est.

Epist. 111.

Succinit Augustino Prudentius in Apotheosi:

Ergo animalis homo quondam, nunc spiritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
Infundendo Deum mortalia vivificantem.

Tantum interponit discriminis, ut primus homo cum sua propagine, animalis quædam gens foret, præ Christiana quæ verè spiritalis est, non qualicumque adhæsione ad divinam formam, sed immersione altissima sui in illam, illius in se.

In Epist. 1. ad Corinth. Hom. 40.

Accedit Chrysostomus: *Videre licet ejus qui baptizatus est animam? minimè, &c. Sed ipsius solis radiis puriorem, & qualis fuit generata ab initio, imo vero illa quoque multo meliorem. Fruitur enim spiritu, qui eam omni ex parte inflammat, & auget sanctitatem.* En ut excitati quàm stantis adhuc hominis sanctitas major, & sancti Spiritus participatio auctior dicatur.

XII. Beatæ etiã gloriæ per Christum auctior cumulus.

Orat. 3. Con. Arian.

Præcellentiam sanctitatis certiorem faciet præmii cumulus; nam per Christum illatæ gratiæ merces & gloria destinatur longè magnificentior. Unde Athanasius: *Perfectum igitur in eo est & restitutum, quemadmodum ab initio fuerat genus humanum,*

num, imo potius majori gratia imbutum est. Excitati enim ex mortuis, non ulterius mortem formidamus, sed in Christo regnabimus perpetuo in cælis. Itaque & major nobis ex Christo, quam ex Adamo gratia, & merces copiosior; ut qui regni thronique & dexteræ Patris societatem in ipso & cum ipso adepti simus.

Complexus est Chrysostomus ampliorem hanc gratiarum authore & largitore Christo exuberantiam: (In Epist. ad Rom. ho. 10.) *Propterea non dixit Apostolus gratiam, sed gratiæ exuberantiam. Non enim quantum indigebamus ad peccati interitum, tantum accepimus modò ex ipsa gratia, sed multo amplius. Nam & supplicio liberati sumus, & vitiositatem omnem deposuimus, & de integro regenerati sumus, & resurreximus sepulto vetere homine, & redempti sumus & sanctificati & in adoptionem adducti, & præterea justificati & fratres effecti unigeniti, & cohæredes, & in eandem corporis unitatem redacti, & in ipsius carnem censemur, & ut corpus capiti, sic illi uniti sumus. Hæc igitur omnia gratiæ exuberantiam vocavit Paulus, interim declarans nos non medicamen vulneri par accepisse solum, sed & sanitatem & pulchritudinem & honorem & gloriam & dignitatem natura nostra multo superiorem.* Quantalibet excogitetur stantis hominis gratia, longo illam intervallo antecedit Christi gratia: idque significatum voluit Paulus, cùm tam frequens illam identidem extollit, appellitatque divitias gratiæ, exuberantiam gratiæ, gloriam gratiæ, divitias gloriæ gratiæ. Quod enim nulla satis exprimant magnificentiam gratiæ hujus, plura in unum coagmentantur vocabula. Nec sanè præstitisset id Adami gratia vel ipsi, vel ejus soboli, ut Filio Dei unigenito congeneres, consanguinei, concorporales, in unamque cum eo conserti commixtique substantiam & personam, ac exinde cohæredes, Paternæque consortes gloriæ, regiique throni consessores essent.

XIII. (Ultra Angelicos apices per Christum evectus homo est.) Nec ultra humanæ tantùm, sed & ultra Angelicæ limites naturæ per incarnationem evecti sumus. Hæc enim in unum corpus commixtio, hæc in unam cum Verbo carnem, personamque complicatio, hæc Paternæ dexteræ cum unigenito societas, regiæque sedis consessus, cui Angelo, cui Angelorum Principi obtigit? Audi Ambrosium: (In Ps. 118.) *Angeli ad ministerium, homo ad imaginem. Esto ut & Angeli ad imaginem, scriptura tamen de homine locuta est, quod sit ad imaginem. Habemus enim aliquid quod fortasse Angeli non habeant. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia. Nobis est natus Christus ex virgine, legimus enim: Puer natus est nobis, Filius datus est nobis. Nobis carnem suscepit, imo potius nos in illa carne suscepit, quando filium hominis in Dei sede constituit. Nemo lego Angelos in Dei sede nisi stantes, nisi ministerium deferentes. Non lego Angelos, sed homines consepultos Christo, & in Christo resuscitatos. Denique ait Apostolus, quia convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvificati, & simul suscitavit, simulque sedere fecit in cælestibus in Christo Jesu. Filius ergo hominis ad dexteram Dei, non Angelus, non Archangelus, nec Cherubim & Seraphim. Illi laudant, filius hominis sedet, filius hominis Angelorum ore laudatur, quod Angelos malos vicerit, de nequitiis spiritualibus quæ sunt in cælestibus, triumphaverit: quod fecerit similes Angelorum homines, in quibus ante erant contagia mortuorum.* Ultra Angelicorum ordinum fastigia sublimati ergo sunt homines, quoniam suscepti sunt in illa carne, quæ ad dexteram Dei sedet, & cui Angeli omnes proni procumbunt.

(Num. 36.) Specialiùs rem istam disceptat Jobius in Bibliotheca Photij: quadruplicemque percenset prærogativam, qua supra Angelicam nostra est insignita natura; quod nostra, non Angelorum natura ad Deitatis apicem sublata sit; quod per Christum Christique Ecclesiam inscrutabilia reconditioris Dei sapientiæ arcana Angeli didicerint; quod dispensationis Christi sacramentum mirentur, & rimentur, nec comprehendant Angeli, quo nos comprehensi sumus. Quod denique cùm Angeli æquè atque homines periissent, illorum Deus prætermisit, horum & assumpsit naturam, & salutem procuravit. Ex quo infert, si homines Angelis æquales fore in resurrectione ferantur, hactenus id valere, ut à nuptiis æquè abhorreant, nec æqualitatem ad cætera exporrigendam.

CAPUT XXI.

Ejusdem auxilii necessitas ex eo quod imago Dei primigenia, per peccatum obsolefacta, per Christum resculpenda esset.

I. (Imago Dei in nobis resculpi non poterat, & extra deturpationis discrimen statui, nisi ipsa princeps imago Verbum nobis imprimeretur.) Declaratur 1o. Tota primitus hominis sanctitas dignitasque ex imagine Dei resplendescebat, quam appinxerat illi opifex. Ubi illa vitiorum maculis decolorata, turpataque fuit, reformari nulla arte potuit, nisi per illam eandem formam, per quàm primùm fuerat elaborata. At quorsum attinuisset reformari, iterum deformandam? Ergo ne restituta, tantò turpiùs commacularetur iterum imago, insculpenda fuit altius, & efficaciùs, ne oblitterari post hæc posset. Cæterum imago Dei, Verbum & sapientia Dei est, qua formatus primordialiter homo, sanctitatis luce flammaque fulgurabat. Sed adhærescebat huic formæ suæ homo, parum tenaci glutine amoris spontanei, versatilisque voluntatis; quapropter brevì defluxit. Ne calamitas ergo rursum eadem incumberet, eadem imago Verbumque Dei infudit se penitiùs, & inseparabiliter se eidem nostræ illigavit naturæ, copulamque hanc tutissimo incommutabilitatis suæ vinculo constrinxit. Ita concrevit nobis in Christo sanctitas inviolabilis, coaluitque imago Dei, quam peccati nec labecula obscurare possit. Athanasius: *Quomodo rationales essent, si non cognoscant Patris rationem seu Verbum, cujus opera creati sunt? Nihil siquidem à brutis different, si nihil magis quàm terrena intelligant. Aut cur ita Deus eos condidisset, si ab iis cognosci non affectabat? Quamobrem ne hoc fieret, cum bonus esset, suam imaginem, Dominum nostrum Jesum Christum illis impertitus est, creavitque illos secundùm suam ipsius imaginem, & similitudinem: ut per eam gratiam, agnoscentes imaginem, id est rationem Patris, etiam ad Patris intelligentiam contenderent; quo ita cognito suo creatore, verè beatam viverent vitam. Verum stulti ex negligentia tantæ ipsis impensæ gratiæ, miris modis sese à Deo averterunt, mentesque suas quasi luto contaminaverunt, &c.* (De Incarn. Verbi.)

II. (Rationis nostræ cum summa ratione consensus.) Ante nonnulla accuratiùs ex hoc Athanasij loco exculpenda, quàm reliqua contexam. 1. Quod ratio nostra summæ rationis seu Verbi Dei delibatio quædam sit, & veluti particula, guttulaque ex illo fonte deflua. 2. Quod illa vergat, refluatque in suum principium, seu ad suam cùm æterna ratione coaptationem. 3. Quod rationalis non sit, nisi rationem summam Deumque cognoscat: quod toties alibi decantavimus præcentore Augustino, nec rationis, id est, intelligentiæ vel scintillam emicare posse, nisi ex æternæ veritatis adradiatione. 4. Quod homo brutas antecellat animantes, non eo nomine tantùm, quod utcumque ratiocinetur, & materialia non cùm materiæ tantùm concretione, sed in universali quadam sublimatione cogitet: verùm eo maximè privilegio, quod extra fines corporum excurrens, rationes æternas quæ in Verbo incommutabiliter vivunt, contempletur. 5. Quod rationi nostræ, ut ad Verbi perveheretur notitiam, ipsa Verbi summa ratio insinuanda & quasi maritanda fuerit. Nec enim veritas æterna intelligi à quoquam potest, nisi cujus mentem ipsa uti species substantiva, luxque intima, & vis supernè aspira-

ta ir-

ta irradiet. 6. Quòd hæc incommutabilis ratio veritasque Verbi ipsissima cùm sit imago Dei, ubi rationi nostræ se imprimit, tunc illam verè ad imaginem Dei effingat componatque. Quocirca avolante illa aut effugata, remanet quidem in nobis imago Dei: sed imaginis umbra potius, & larva, & inane nomen. Quid enim ejusmodi ratio, quàm quædam summæ rationis capacitas inanis & vacua? 7. Quòd ut homo imago fieret Dei, dum creatur, impertierit illi Deus *suam imaginem*, *Dominum nostrum Jesum Christum*, id est, Verbum illi suum indiderit glutinaveritque. Quod quid aliud est, quàm prælusa quædam inhumanatio Verbi, & quasi prætentata incarnatio, quum illaberetur in mentem primi hominis, eamque formaret, conformaretque Deo? 8. Sed quia copulæ hujus nexus in potestate erat mutabilis arbitrij nostri, non diu constitit. Pleniùs ergo infundi, sed & inviolabiliter connecti idem Verbum necesse posthac fuit, ut imaginis dignitatem sanctitatemque & amplificaret, & assereret. Unde Athanasius ibidem: *Quid igitur Deo conveniebat ut faceret, aut quid par erat, ut fieret? Nisi ut exemplar imaginis renovaret, ut per id denuo ipsum homines cognoscere possent? De eo autem quomodo confici potuit, nisi ipsa imago Dei Salvator noster Christus supervenirét? &c. Ut enim forma aliqua in tabulis depicta, sordibusque aliunde injectis oblitterata instaurari nequit, nisi ejus præsentia adhibeatur, ad cujus speciem primitus tabula depicta fuit, &c.*

In Nativit. Dom. ser. 2.

Non abludit Bernardus: *Rectum fecit Deus hominem, atque hæc similitudo ejus de quo scriptum est, quia rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Veracem quoque & justum fecit eum, sicut & ipse veritas & justitia est, &c. Non est qui reficiat, nisi qui fecit, &c. Novam (inquit Deus) ego facio commixturam, ubi & expressius & robustius pono sigillum, eum qui non ad imaginem meam factus, sed est ipsa imago, splendor gloriæ & figura substantiæ, non factus, sed genitus ante sæcula.*

III. Imago Dei non ex veritatis tantú luce, sed & ex sanctitatis splendore perficitur.

Secundò si cui videatur imago illa per Verbi inspirationem indulta, ad veritatis magis quàm ad sanctitatis largitionem spectare, facilè diffiabitur eò suspicio. Non potest enim Verbum ut forma coaptari menti creatæ, nisi quam Spiritus sanctus vi & auxilio luminis sui obfirmaverit. Huic sententiæ consonantissimum est, quod Græci Patres commendant, spiraculum illud vitæ, quo primus parens in imaginem Dei obsignatus est, Spiritum sanctum extitisse: ut qui vitæ incorruptibilis seu Verbi spiraculum seu spiritus sit; qui proinde Adamo insufflari haud potuerit, quin unà sanctitatis & gratiæ copia afflueret. Imago igitur creatoris, & lineamenta virtutum, & sanctitatis color venustasque gratiæ afflata erit per Spiritum sanctum inhabitantem. Ubi peccati fœditate effugatus ille Spiritus est, quo tandem modo ita reddi potuit, ut effluere haud amplius usquam posset, nisi ille naturæ nostræ se insereret, cujus est proprius Spiritus sanctus, cuique ut origini suæ cohæret indivulsè?

In Evang. Jo. pag. 122.

Consentit Cyrillus: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum. Quod autem per spiritum ad imaginem Dei fuerit obsignatus, ipse nos rursum docuit his verbis, Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Simul enim & vitam creaturæ Spiritus indidit, & suos characteres divinitus impressit, &c. Et erat in paradiso servans adhuc mandatum, & divina creatoris conspicuus imagine, per inhabitantem Spiritum. Sed cùm diaboli fraude seductus creatorem contempsisset, & imposita sibi lege conculcata, beneficii authorem offendisset, gratia sibi data spoliatus est, atque tunc primùm audiit, Terra es, & in terram reverteris, qui factus erat ad vitam. Adulterata est illa similitudo Dei incursu peccati, nec jam characteres erant amplius in ipso clari & splendidi, sed subobscuri ac tenebris involuti ob transgressionem.*

IV. Spiraculum vitæ primo homini afflatum erat Spiritus sāctus ex Græcis.

Paucula hîc quoque observanda. Superstes manet post peccatum imago, sed involuta tenebris, & decolor & distorta. Nempe ut creatorem priùs, ita pòst respectat creaturam; eosdemque habitus impetusque, eosdem mores amoresque ac priùs servat; sed quos tunc ad veritatis & justitiæ incommutabilis formam arrigebat, post ad vanitatis vesanæque libidinis amplexum contorquet. Quid ergo miramur, si imago Dei sit etiam cùm peccato servit? Quando & peccatum ipsum tenebrosa quidem & præpostera, sed imago tamen & imitatio Dei est; mentiturque & æmulatur cupiditas charitatem, curiositas veritatem, ambitus æternitatem, pigritia beatitatem; & divinæ imitationis imaginisque affectandæ necessitatem creatione ipsa nobis impactam, ne peccando quidem effugimus. Ergo ad hunc modum concordat Augustino Cyrillus in his probatissimæ Theologiæ fundamentis. Quòd Spiritus sanctus ipsa sit charitas, quâ creatura intellectualis inflammatur in Deum & sanctificatur: quòd à Spiritu sancto characteres divini insculpantur animæ, hoc est, quòd à charitate virtutum tota cohors gignatur: quòd deturpata etiam vitiis anima, prioris tamen verique & summi boni memoriam non omnem exuerit; illud adhuc quasi subodoretur, illud aucupetur; contemni nolit, falli refugiat, offendi horreat; ad omnia creata ut imparia nauseet; æternitatem sine fine, veritatem sine errore, voluptatem sine offensione affectet; pristinos characteres retentet, sed à creatore ad creaturam, à veritate ad vanitatem, amoris perversitate detortos.

Ibidem. pag. 125.

Pergit ibidem Cyrillus: *Quoniam ergo primus Adam gratiam sibi à Deo datam non servaverat, destinavit nobis cælitus secundum Adam Deus ac Pater. Mittit enim in similitudinem nostri suum Filium, natura sua mutationis & alterationis nescium, & peccati prorsus expertem, &c. Cùm autem homo factum sit Dei Verbum, Spiritum à Patre accipit, ut unus è nobis, non sibi aliquid specialiter accipiens; erat enim ipse largitor Spiritus: sed ut acceptum naturæ nostræ conservaret ut homo, & rursus radicaret in nobis gratiam quæ recesserat, is qui peccatum non novit. Hanc enim ob causam existimo sanctum Baptistam utiliter addidisse, Quia vidi Spiritum descendentem de cœlo, & manentem super eum. Avolavit enim ex nobis propter peccatum; factus autem velut unus ex nobis qui peccatum non novit, ut assuefieret porrò Spiritus manere in nobis, cùm discedendi, aut subducendi se, causam in ipso non haberet. Igitur nobis per seipsum Spiritum accipit, & naturæ vetus bonum renovat.* Et rursus infrà: *Proprius est Filii Spiritus, & non extrinsecus immittitur, sicuti nobis à Deo suppeditatus; sed inest naturaliter ipsi, quemadmodum & Patri & per ipsum procedit, sanctis prout unicuique convenit à Patre distributus. Ipse verò dicitur accepisse, quatenus homo est, &c. Tota quippe natura in Christo reperitur, quatenus homo est: sic & Pater cùm proprium Spiritum habeat, eum rursus dicitur dare Filio, ut nos in eo Spiritum lucremur. Accipit ergo unigenitus Spiritum sanctum, non sibi ipsi, est enim ejus, & in eo, & per eum datur: sed quoniam homo factus, totam habebat in se naturam, &c. Postquam enim progenitor Adam Spiritus amisit gratiam, &c. adeoque natura universa in eo divini doni jacturam fecit; de cætero Deus Verbum mutationis expers homo factus est, ut acceptum illud bonum tanquam homo deinceps naturæ stabile ac firmum conservaret.* Quæ sententia à Cyrillo ingeminata centies est. Ibi autem adnotat has ferè causas, quibus conduxerit per Verbi in carnem allapsum, integrari nobis Spiritum sancti contubernium. Quòd Verbum mutabilitatis expers sit, eoque cùm semel in nostra omnium natura, omniumque nomine exceperit Spiritum sanctum, illum à se dilabi, aut à natura demigrare non patiatur, priorisque ruinæ omnino amoliatur pericula. Quòd rursus Verbum peccati expers cùm sit, non sit com-

L. 5. pag. 472.

missurum, ut à natura assumpta Spiritus sanctus exturbetur. Quòd denique Spiritus sanctus cùm Spiritus Verbi sit, non possit non irrigare illam naturam, quæ natura Verbi facta est.

V. Spiraculi illius prioris jacturâ sarsit Christus, eum Spiritum sanctũ suis insufflavit.

Tertiò, ut monuere sancti Patres, quod insufflatur, de substantia est, non peregrinum aut adventitium aliquid. Ergo spiraculum vitæ quo afflatus est primus parens, Spiritus erat Dei, de ipsa substantia Dei promanans. Id in causa fuit, ut & Christus vitæ immortali redditus, hominesque priori restituere integritati auspicatus, Spiritum sanctum discipulis insufflando infunderet. Secundo quippe hoc afflatu procellas vitiorum difflavit, primævæ libertatis autem seu Spiritum sanctum spiravit. Utroque autem oris divini statu imago Deitatis, imago Verbi indulta est. Est enim Spiritus sanctus imago Filj, ut Filius imago est Patris. Imaginem ergo suam Spiritum suum, sanctitatis formam ipsam, ut restitueret nobis Verbum prævaricatione obliteratam, & tam altè insereret, ut abduci deinceps haud amplius possit, commiscuit ipse se naturæ nostræ, & insolubiliter seu personaliter copulavit.

Adv. Anthropo. c. 2.

Cyrillus adversus Anthropomorphitas: *Hominem ita secundum imaginem & similitudinem Dei factum dicimus, quatenus natura comparatus est, animal bonum & justum esse. Cùm vero id non tantum ratione præditum esse oporteret, sed etiam sancti Spiritus particeps, ut illustriores in se haberet divinæ naturæ characteres, insufflavit ipsi spiritum vitæ. Hic autem est Spiritus qui per Filium rationali creaturæ est suppeditatus, qui quidem ipsam transformat in formam eminentissimam, hoc est divinam. Quod enim spiritus homini insufflatus non cesserit ipsi in animam, neque etiam in mentem, ut quidam existimant, hinc videre licet, primum quidem qui insufflavit, Deus intelligitur; quod verò ex ipso insuffiatum est, proprium omnino censendum est ejus, nimirum essentiæ ejus. Atqui quonam pacto Spiritus ex Deo emissus, mutatus est in naturam animæ? aut quo pacto mens effecta fuerit? Fieri siquidem non potest ut spiritus mutetur, &c. Si enim in animam homini divinus Spiritus cessit, profectò in animam aut mentem peccatum cadere non possit, &c.* Rursus idem Cyrillus,

In Evang. Joan. L. 11, pag. 995.

Fieri non poterat, ut nos qui semel excideramus in Adam ob prævaricationem, in pristinum statum renovaremur, quàm si ineffabilis illius participationis compotes efficeremur, & unionis cum Deo. Sic enim initio natura hominis decorata fuit. Unio vero cum Deo non aliter in quoquam esse potest, quàm per Spiritus sancti participationem, propriam nobis sanctificationem inserentis, & ad suam vitam reformantis naturam corruptibilem, atque ita ad Deum & ad illius formam gloria ista privatos revocantis. Imago enim Patris perfecta Filius est; similitudo naturalis autem Filii est Spiritus ejus. Idcirco transformans in seipsum quodammodo hominum animas, divinam eis similitudinem imprimit, & supremæ omnium substantiæ effigiem insculpsit.

VI. Imaginis divinæ perfectio ex Verbi & Spiritus sãcti, id est, ex veritatis & charitatis in animam illapsu constabat.

Obiter & hic prænotabimus aliqua, ad reliqua mox properaturi. 1. Non inficiatur Cyrillus, sequestrato etiam Spiritus sancti illapsu, imaginem Dei in homine adverti posse, sed obscuram & adumbratam tantùm, utpote inanem Dei capacitatem, vacuumque hiatum & umbratile simulacrum. 2. Capacitatem illam impleri non posse innuit, nisi de Deo; nec virtutes ullas veras & castas, qui germani sunt Deitatis caracteres, inscribi mentibus posse, nisi ipsa Deitatis inhabitatione. 3. Ut enim sanctitatis virtutumque splendor inderetur animæ, insufflandus fuit ipsemet Spiritus sanctus, ut substantialiter inhabitaturus. Non Spiritus sancti donum aliquod tantùm, aut gratiæ creatæ delibatio; sed ipsa Spiritus sancti substantia ex Cyrillo insufflata est, quoniam ut ait ille, quod insufflatur, de substantia est. 4. Itaque quicumque sanctificantur, eos Spiritus sanctus substantivè immeat incolitque, & in effigiem Dei transformat. Quanquam enim & sanctificantur & ad imaginem Dei reformantur homines, per habitus affectusque fidei & charitatis cælitus infusos: his tamen habitibus effectibusque id efficitur, ut & ipsis copuletur, & ipsos inhabitet sempiterna veritas Christus, & æterna charitas Spiritus sanctus; quæ jam Dei in ipsis incomparabiliter splendidior & germana imago est. Veritatis enim sempiternæ imago verissima, non est nisi ipsá. 5. Nec ergo vel qua intelligatur, vel qua diligatur Deitas, forma vel imago ulla satis idonea & par est sine ipsa, vel præter ipsam. Nec enim vel intelligi vel diligi nisi imagine & similitudine quapiam sui potest; nec ulla tamen vel imago vel similitudo ejus talis est, qualis ipsa est; imò nulla est præter ipsam, quæ non inæstimabiliter abludat ab ipsa. 6. In illa ergo primæva statione beatitudinis necdum partibus suis omnibus cumulatæ, ingentis tamen, & ingenti claritate Deum nondum videntis, certè intelligentis; & Spiritu sancto ut lumine roborabatur homo, & Verbo utcumque tanquam specie intelligibili juvabatur? Imago autem Dei gemino hoc Deitatis illapsu efficiebatur. 7. Hac Græcorum Patrum doctrina nihil ad Augustini mentem alibi patefactam, magis appositum fieri potuit. Quid enim crebriùs iteravit Augustinus, & nos post ipsum, quàm esse supernæ in ipso Deitatis sacrario sanctitatem qua sancti, castitatem qua casti, veritatem qua veraces, justitiam qua justi simus, nec aliunde esse possimus? Item non posse virtutes nobis ullas, nisi supernarum & exemplarium illarum virtutum irrigatione obtingere. Item superna illa virturum lumina mirum quantum discrepare à natura animæ: quòd illa & mutationis & labis nescia sint, anima autem alternis vicibus ferè sapiat & desipiat. Et quæ means alia Cyrilli ubi centies ingeminat, Deitatis characteres splendidiores inscribi non posse, nisi per ipsam Spiritus sancti inhabitationem? Item Spiritum sanctum substantivè afflari & insidere sanctis animabus; item spiraculum vitæ non esse animam aut mentem, quòd hæc mutationi & peccato subjaceant, à quibus maculis Spiritus sanctus procul est.

VII. Quo minus mirum, si veritas uni alicui singulariter illapsa, & hypostatice sit infusa.

8. Ut unde abii, eò redeam, nec longè à proposito argumento ostendam me peregrinatum: cùm tanta sit familiaritas Verbi, Spiritus sancti & Deitatis totius cum natura rationali, ut hians hæc & exucca informisque fit, nisi illa formetur intimè, atque vegetetur; quid adeo insolens & invidiosum est, si uni alicui rationalis naturæ individuo infuderit se, constrinxeritque Deitas Verbi specialiùs & arctiori modo quopiam, videlicet personali, in pignus quo aliorum spes accendatur, in exemplum quo provocetur æmulatio, in auxilium quo infirmitas fulciatur? Quisquis planè stupet, refugitque quasi ad incredibile, insperatum, inauditumque quidpiam, cum Deitatis in humanitatem illapsum hypostaticum audit; non satis ille callet, aut non satis cogitat, quam frequens & quotidiana sit substantiva Deitatis ad inhabitandam naturam intellectualem illapsio. Quod enim toties usuvenit, quoties vel illuminantur vel sanctificantur mentes vel animæ, eccur semel pleniùs & plenissimè contigisse, tam arduum existimatur? Si quoties imago Dei imprimitur accuratius naturæ rationali cuipiam, toties substantia Deitatis illi ad inhabitandum infunditur: ut imago hæc eadem indelebiliter insculperetur, si Deitatis eadem substantia arctiùs & insolubiliùs se semel uni homini totam infudit, quid adeo incredibile videtur?

VIII. Gratiæ specialis per seipsâ nunc vis efficax, ex incarnatione promanat, quæ Verbum in suum jus & authoritatem nos vendicavit.

Idem Cyrillus adversus Anthropomorphitas: *Cùm autem placitum fuit Deo ac Patri instaurare omnia in Christo, hoc est ad pristinam integritatem revocare; Spiritum sanctum qui à nobis avolaverat atque recesserat, iterum nobis restituens, sanctis Apostolis eum insufflavit, dicens, Accipite Spiritum sanctum. Instauratio enim veteris illius doni & insufflationis nobis datæ, insufflatio per Christum*

fuit

Cap. 1. *fuit, transformans nos in primam illam sanctificationem, &c.* Primordialem illum Spiritus sancti afflatum cùm Christi insufflatio repararit, largior indubiè ac vehementior fuit, tum ut affrictas peccato sordes exsufflaret, tum ne reflante peccato vicissim ipsa frustrari posset. Qui fieri autem potuit ut Deitatis forma, ut ipsa sanctitatis substantia, & ita stantem inhabitaret hominem, ut ejus arbitrio repulsæque pateret: & ita lapsum postea reformaret, ut quamvis libero & ancipiti, non subesset semper, sed quandoque invictissimè dominaretur? Utrobique enim eadem forma substantiva sanctitatis creaturam rationalem immeat; utrobique libertati in utramque partem alternabundæ nil præjudicatur: ejus tamen contumacia illic permittitur, hìc prævertitur. Qui fieri inquam potuit, ut increatæ sanctitatis substantia eadem, libertati quidem creatæ nihil unquam obsit, primùm tamen dominari illam sinat, postea cùm vult, dominetur? nisi quòd Deus hominem primò permisit homini, postea sibi vendicavit: proprii priùs illum juris esse sivit, deinde in suum retraxit; seipsum ut ageret, regeretque primitus concessit, post agere electos suos ipse instituit? Id autem quid aliud est, quàm quòd humanam primò personam personæque ingenita dominii & authoritatis propriæ jura concesserit: postea in divinam personam hominem vindicaverit, divinæque personæ imperio, & efficaciæ subjugaverit insuperabili? Personæ enim proprium est, sui juris esse; suo se nutu agere, non alieno agi; imperitare, non servire. Ergo ne resilirent rursus homines à divina sanctitatis forma, ne pro suo jure lascivirent usque, & innata authoritate abuti pergerent, necesse fuit sanctitas ipsamet illos adsumeret, adsereretque sibi, authoritate spoliaret propria, in divinam illos raperet consereretque personam, regique non regere, agi non agere, condocefaceret. Ergo hoc in divinam Verbi Dei personam raptu, ille quidem qui in cæterorum pignus, exemplum, auxiliumque singulariter assumptus homo est, ab omni mutabilitatis exemptus est lubrico; electis ejus membris prout subinde irrorantur ejusdem beneficii guttulæ, regitur suaviter & multiformiter, sed indeclinabiliter circumagitur divinæ gratiæ dispensatione, etsi nec ad momentum extinguatur liberi arbitrii mutabilitas. Ubi torrens ille gratiæ in eos cum beatitudinis copia exundabit, rapientur & ipsi in consimilem impeccantiam, ut divinæ suo quodam modo conserti & ipsi personæ, divinæque mancipati authoritati: ut membra Unigeniti, capiti suo jam indivulsè cohærentia.

LIBER SECUNDUS.

CUR VERBI PERSONAM MAGIS DECUERIT carne indui. Cur de Virgine nasci. An si homo non peccasset, nihilominus carne Deus indueretur. Cur semen Abrahæ potiùs quàm Angelos Deus apprehenderit.

CAPUT PRIMUM.

Verbi personam magis decuit carne indui, quia innascibilis Pater.

I. Verbum, non aliam personam incarnari debuisse, ex ante dictis constat.

NOn potuit Incarnationis ratio & congruentia ita generatim hactenus pertractari, quin personæ Verbi singulariter implicaretur. Quæcumque enim vel de magisterio vel de auxilio hominibus temperando prolixè disceptata sunt, ea ad Verbum spectant propemodum omnia. Quocirca quæstioni hoc capite ventilandæ abundè sufficeret compendiosa superiorum omnium retractatio. Sed ne tædium augeat tanta prolixitas, pauca hìc & ferè nova, id est non antè dicta delibabimus.

II. Demonstratur præterea 1. quod Pater innascibilis sit. Adversus Marcion. l. 2. Primò itaque minùs decuit Patrem incarnari, ut qui inaccessus, invisibilis, incomprehensibilis, ex innascibilitatis suæ prærogativa specialiùs dicatur. Tertullianus contra Marcionem: *Cæterùm quia Patrem nemini visum, etiam commune testabitur Evangelium, dicente Christo, Nemo cognovit Patrem nisi Filius. Ipse enim & veteri testamento pronunciarat, Deum nemo videbit, & vivet; Patrem invisibilem determinans, in cujus authoritate & nomine ipse erat Deus qui videbatur Dei Filius.* Et paulò post: *Igitur quæcumque exigitis Deo digna, habebuntur in Patre invisibili, incongressibilique, & placido, & ut ita dixerim, Philosophorum Deo. Quæcumque autem ut indigna reprehenditis, deputabuntur in Filio, & viso, & audito, & congresso, arbitro pacis & ministro, miscente in semetipso hominem & Deum.* Et adversùs Praxeam: Adver Prax. *Invenimus enim & à multis Deum visum, & neminem tamen eorum qui eum viderant, mortuum, &c. Jam ergo alius erit, qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri, qui videbatur. Et consequens erit, ut invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majestatis, visibilem verò Filium agnoscamus pro modulo derivationis. Sicut nec Solem nobis contemplari licet, quantum ad ipsam substantiæ summam, quæ est in cælis: radium autem ejus toleramus oculis pro temperatura portionis, quæ in terram inde porrigitur.* Et infrà: *Constat eum semper visum ab initio, qui visus fuerit in fine; & eum nec in fine visum, qui nec ab initio fuit visus; & ita duos esse, visum & invisum. Filius ergo visus est semper, & Filius conversatus est semper, & Filius operatus est semper ex authoritate Patris & voluntatis, &c.* Et infrà: *Primum scilicet omnium Sermo; &, In principio erat Sermo; in quo principio prolatus à Patre est. Cæterùm Pater non habet initium, ut à nullo prolatus, ut innatus, non potest videri.* Ita ille ex innascibilitate derivat invisibilis Patris proprietatem, & ex invisibili auguratur incongressibilem. Unde quasi proprio jure illi tribuitur, quod sit invisibilis & incomprehensibilis & incongressibilis. Ex adverso autem Filius ut natus, ita ostendi viderique pronior, & versari nobiscum. Et ibidem: *Cæterum quale est, ut Deus omnipotens ille invisibilis, quem nemo vidit hominum, nec videre potest: ille qui inaccessibilem lucem habitat, ille qui non habitat in manufactis, à cujus conspectu terra contremiscit, &c. In quo omnis locus, non ipse in loco, qui universitatis extrema linea est, ille altissimus, in paradiso ad vesperam deambulaverit, quærens Adam, & arcam post introitum Noe clauserit, &c. Scilicet & hæc nec de Filio Dei credenda fuisse, si scripta non essent: fortasse non credenda de Patre, licèt scripta, quem isti in vulvam Mariæ deducunt, & in tribunal Pilati imponunt, & in monumentis Joseph reconcludunt.* Illa ergo quæ ex humanis congressibus redundare videntur in Deum dehonestamenta, minùs Filium dedecent quàm Patrem; eoque

que Praxeani seu Patropassiani hæretici meritò suggillantur, qui Patri quoque incarnationem, crucemque impingebant.

Novat. L. de Trinit.

Non dissonant ista ab his quæ excerpsimus ex Novatiano: *Ex quo intelligi potest, quòd non Pater visus sit, qui nunquam visus est; sed Filius qui & descendere solitus est & videri, quia descenderit. Imago est enim invisibilis Dei; ut mediocritas & fragilitas conditionis humanæ, Deum Patrem videre aliquando jam tunc adsuesceret in imagine Dei, hoc est in Filio Dei. Gradatim enim & per incrementa fragilitas humana nutriri debuit per imaginem ad istam gloriam, ut Deum Patrem videre posset aliquando: periculosa sunt enim, quæ magna sunt, si repentina sunt. Nam etiam lux Solis subita post tenebras, &c.*

III. Imago Patris potiùs ostendenda fuit.

Hoc aliud argumentum est, quòd videlicet priùs imago Patris quàm ipsa Patris majestas infirmis oculis ostentanda fuerit, ut per derivationem lucis ad ipsum lucis fontem portandum insuesceremus.

Nec ad anti, quos Patres mittebatur aut apparebat nisi Verbum, unde idem Deus & Angelus, in Scripturis sæpe appellitatur.

Pergit Novatianus ad aliud probationum caput ex scripturis petitum similiter, quòd creberrimè in Moisis scriptis idem Angelus modò, modò Deus vocitetur, peragatque partes & Dei & Angeli. Patri ut Angeli nomen, vel officia usurpet, haudquaquam congruit, ut qui à nullo mittitur, sicut à nullo nascitur. At Filius, quia Filius, & Deus erit & Patris Angelus & nuntius & sequester, & anticipatis illis ad Patriarchas & Prophetas congressionibus, incarnationi suæ præsultabit. *Hunc autem & Angelum & Dominum scriptura proponit, & Deum. Nam nec benedictionem seminis promisisset, nisi Angelus & Deus fuisset. Quærant quid in præsenti loco hæretici tractent: Pater fuit iste, qui ab Agar: visus est, an non? quia Deus positus est. Sed absit Deum Patrem Angelum dicere, ne alteri subditus sit, cujus Angelus fuerit. Sed Angelum dicent fuisse? Quomodo ergo Deus erit, si Angelus fuit, cùm non sit hoc nomen Angelis unquam concessum? Nisi quoniam ex utroque latere veritas nos in istam sententiam concludit, quia intelligere debeamus Dei Filium fuisse: qui quoniam ex Deo est, meritò Deus, quia Dei Filius dictus sit; quoniam adnunciator paternæ voluntatis est, magni consilii Angelus pronunciatus est.* Et paulò pòst: *Ut Deo Patri invisibilitas propria reddatur, & Angelo propria mediocritas remittatur, nonnisi Dei Filius, qui & Deus est, Abrahæ visus & hospitio receptus esse credetur. Quod enim erat futurus, meditabatur in sacramento Abrahæ factus hospes, apud Abrahæ filios futurus: cujus filiorum pedes in probationem quod ipse esset, abluit: reddens in filiis jus hospitalitatis, quod aliquando illi fœneraverat pater.* Et infrà idem confirmat: *His omnibus etiam illud accedit, ut quomodo illum & Angelum frequenter, & Deum posuit scriptura divina; sic illum & hominem ponat & Deum, exprimens eadem scriptura divina quod erat futurus, & depingens jam tum in imagine, quod habebat esse in substantiæ veritate.* Quæ omnia prolixissimè exequitur ibidem.

Hilarius quoque lib. 4. de Trinitate multus est in eodem argumento adversus Arianos contorquendo, quòd cùm Angelus idem Deusque & Dominus, quandoque & homo dicatur in sacris litteris, qui Abrahæ, Jacobo, Moisi aliisque apparebat; is Pater haud esse potuerit, ut qui nec homo, nec Angelus dicatur jure, sed Filius & Verbum, qui & à Patre mitteretur, & corporationi suæ gestiret præludere, & Deus tamen Dominusque sit, qua Dei Filius est. *Ut personarum distinctio absoluta esset, Angelus Dei est nuncupatus. Qui enim est Deus ex Deo, ipse est & Angelus Dei. Ut vero honor debitus redderetur, & Dominus & Deus est prædicatus, &c. Dei autem Angelus ob id dictus, quia magni consilii est Angelus.* Et infrà: *Virum enim licèt conspectum, Abraham tamen Deum adoravit, sacramentum, scilicet, futuræ corporationis agnoscens. Nec tamen tantæ fidei testimonio caruit, Domino in Evangelio dicente, Abraham pater noster lætabatur, ut videret diem meum, & vidit, & gavisus est.*

IV. Conglobantur argumenta, quibus sua Patrem innascibilitas vetabat incarnari, sua Filium nativitas hortabatur.

Congeri possent longè plurima in hujus rei ejusdam stabilimentum, sed ex his paucis satis superque elucescunt hæc, quæ inde elicimus corollaria. 1. Reliquis omnibus præfundandum hoc esse, quòd innascibilitas sit propria Patris, nativitas Filij. At innascibilitas occulit, nativitas producit; illa in recessu latitat, hæc in propatulum prodit; illa colligit se, sua sibi est, nec foras emicat; hæc effluit, spargitque se & latè fundit. Patri ergo qua innascibili competit, ut sit in se receptus, invius, incongressibilis, invisibilis, proindeque ab induenda carne perquàm alienissimus. At Filio qua semel nato nascentique & emicanti semper, quadrat adprimè, ut ostendat, prodigatque se, videndumque & fruendum elargiatur, ut qui nascendo hunc cœperit impetum effundendi spargendique semet. 2. Cùm una sit tamen utriusque natura, æquè inaccessus & incomprehensibilis & invisibilis natura est Filius atque Pater; sed hìc personæ magis, quàm naturæ proprietas perpenditur. Naturæ tamen divinæ consentit vel maximè bonitas & beneficentia & indulgentia, quæ sine quadam recessus sui propalatione, & sine effusione inclinantis se majestatis explicari nequaquam potest. Ergo cùm majestas bonitasque in ipso naturæ sinu dissideant, & illa Deum in se cogat, hæc dispergat; quàm convenienter diversa personarum proprietas litem hanc componet, & innascibili Patri tota majestas tuenda & in secretum suum recolligenda invisibilitas: Filio autem ex illo secreto erumpenti, bonitas propalanda, & beneficentia foris disseminanda vendicabitur? 3. Ita constabit illa ratio, quæ ex Irenæo aliisque Patribus, atque adeo ex Platonicæ philosophiæ placitis fundari posset, magni planè, & majoris quàm dici à quoquam possit momenti, ad penitiora Theologiæ arcana illustranda. Quòd incomprehensibile & invisibile Filij sit Pater; comprehensibile & visibile Patris sit Filius. Quòd videlicet natura Filij etiam sit invisibilis & incomprehensiblis, idque in Patre splendidissimè & inviolabiliter conspiciatur, in quo nihil derogatur his dotibus: rursusque natura Patris sit ad indulgentiam copiamque sui & conspectus & amoris faciendam pronissima, idque in Filio experiamur, qui ut Deitate genita & donata fruitur, ita participandam fruendamque illam donare gaudet. 4. Cùm incarnatio impleri nequeat, nisi per aliquam Deitatis injuriam, imò exinanitionem, hanc æquiùs excipiet Filius quàm Pater. Inviolabilis enim incolumitas Deitatis Patri, ut ejus authori, fontique, tuenda est; Filio ejusdem effusio vel cum dispendio nonnullo & inanitione sui mandata, sic tamen ut & Patris incolumitas ad Filium, & Filij liberalitas ad Patrem æquè pertineat. 5. Quàm valdè abhorret à carnis assumptione Pater, qui nec per umbram quidem Prophetis aut Patriarchis videri potuit? Minùs decuisset illum umbratica etiam illa dejectio, quæ Filium cohonestabat. Cur autem minùs addeceat Patrem, quod Filium decet, illud in causa est, quòd in Patre spectetur Deitas, ut in suo fonte, in Filio ut in amne inde exundante. In fonte autem suo Deitas à sordibus, à dejectione, ab creaturarum pulvere, ab extraneæ cujuscumque naturæ contagiis purissima scatet; at in amne etsi tota æquè & tanta quanta in fonte sit, minùs stupendum tamen sit, si excurrat longiùs, & insinuet se creaturis, & benefaciendo quasi sordescat. 6. Utcumque sive in carne vera, sive in simulata, sive in quacumque adumbrata aliter specie, videri Deus non potuit, quin premeret se temperaretque creaturis & imminueret: at fonti Deitatis, & Principi, & Authori, minùs convenit premi, imminuique. Censetur enim natura ex fonte suo. Si fonti ergo Deitatis minoratio quædam, aut evacuatio contingeret, ipsa Deitas minuta æstimaretur. At minui Filius, evacuarique

rique potest, extra æstimationis dispendium aut naturæ, ut cujus natura sospes & inviolata in Patre perseveret. 7. Quàm bellè concinunt sacri codices, qui Patrem invisibilem prædicare affectant; qui Filium imaginem Dei invisibilis ingerunt; qui Deum videri non posse, & visum tamen esse sæpiùs pronunciant! Mollissima horum omnium concordia suggeritur ex interpretatione Patrum suprà laudatorum. Invisibilitas Patri, visibilitas vendicatur Filio; qui imago Dei cùm sit, exhibet nobis Patrem interim, & portandæ ipsi Patris Deitati obfirmat nos. Similiter Angelum Deumque Scripturæ, & Hominem eundem demonstrant, quia Filius ut propagatio Patris est, ita à Patre mittitur diversimodè. 7. Et postremò hinc diluuntur versutiæ hæreticorum multiplices, & caput ipsum indigitatur errorum, quibus illusi sunt, illuseruntque Marcionistæ, Sabelliani, Ariani. Etenim illi hæreticorum antesignani, qui priora fatigarunt adolescentis Ecclesiæ sæcula, Deum Mosis seu creatorem mundi nisi sunt in ordinem redigere, ut multa perpessum operatumque indecora; supra hunc autem confinxere sibi Ingenitum, Silentium, Abyssum, secretum ab omnibus, invisibilem & intelligibilem Deum. Quod quid aliud erat, quàm personas non secernere, sed naturam dilacerare? Quæ enim illi Deo principi & invisibili adserebant, ea personæ Patris ornamenta sunt; quæ ab eo ut minùs decora refutabant, ea Filio tempestiviùs frangenti seipsum & nostris tum utilitatibus servienti, tum infirmitatibus indulgenti accommodata sunt. Ita Irenæus Clemens Alexandrinus, Tertullianus, aliique Patres dogma Ecclesiæ commendarunt, & personarum discriminatione, prospexerunt unitati naturæ. Praxeani autem ideo personas in unam tres conflabant, quòd non satis invisibilitatem Patris caperent, & quantum ipsam originem ipsumque fontem Deitatis incarnatione vacuari pugnaret. Ariani denique gradu movebant Filium, & ab æqualitate Patris exturbabant, quòd Angeli & nomen & officia sibi adsciverit: cùm tamen & Dei pariter nomen, officiaque sibi vendicet, & in Filii proprietate hæc in speciem insociabilia consociet; ut qua Filius, & Patri æqualis, & Patris administer sit. Cùm ergo invisibile, inaccessum, creaturis omnibus invium Deitatis arcanum, Patris proprietatem & quasi prærogativam esse minùs perpendunt, Deitatem abrogant Cerdonistæ Creatori, Ariani Verbo; Sabelliani carnem crucemque adrogant etiam Patri; & ex uno capite in hæc abierunt hallucinationum divortia.

Cyrillus Thesauri pag. 116. Cyrillus Alexandrinus eundem & Angelum & Deum fuisse commonstrat, quo duce & auspice utebatur Jacobus. Cassianus quoque his assentitur: Cassianus de Incarnat. L. 4. c. 9. *Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Vides quod evidenter hic adventus Domini ac nativitas designatur. Numquid enim Pater unquam, qui nonnisi Filio tantum visibilis esse legitur, aut in terris visus est, aut in carne editus, aut inter homines conversatus est? non utique. Intelligis ergo quod omnia hæc de Filio dicta sunt.* Sic ille ex consectante paternam dignitatem invisibilitate, soli Filio adserit incarnationis congruentiam.

V. 1. Nihil Pater extra se, nisi per Filium molitur. Secundò, nihil Pater extra se, nisi per Filium molitur. Est enim prima & tota Patris è solitudinis suæ latibulo emicantis progressio, Filius. Ergo si orbem creat, per Filium creat; si creatum regit, per Filium regit; si collapsum restaurat, per Filium restaurat. Inter illam enim principem Deitatis scaturiginem, & extremæ longinquitatis rivulum, sive creaturam, medius intercurrit Filius. Tertullianus præclarè omnino: L. 1. adversus Praxeam. *Sic omnia per Filium facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nec putes sola opera mundi per Filium facta, sed & quæ à Deo exinde gesta sunt, Pater enim qui diligit Filium, & omnia tradidit in sinu ejus, utique à primordio diligit, & à primordio tradidit. Ex quo à primordio sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo, cui data est omnis potestas à Patre, in cœlis & in terra. Non judicat Pater quemquam, sed omne judicium tradidit Filio, à primordio tamen, &c.* Pergitque declarare, ut Filius vetus omne testamentum dispensaverit, velut Patris sequester. Cùm enim omnia illi tradiderit Pater, omnia deinceps per eum administrat, tum quæ ad naturæ partum ac tutelam, tum quæ ad ejusdem labefactatæ redintegrationem pertinent. Cùmque non aliter omnia illi, quàm gignendo gradiderit, ex ipsa divinarum originum necessitate hoc nectitur vinculum, ut nec alium decuerit, quàm Filium incarnari.

VI. Est enim Filius Patris in silentio quiescentis actuosa imago: promens quod ille premit. To. 4. Bibl. Patrum. Sed nemo mihi quidem altiùs introspexisse videtur hoc arcani divini penetrale, quàm Marius Victorinus Afer. E multis libabo pauca, & ex densa caligine verborum atque sententiarum, minùs obscura quæque excerpam. Quæ eò collimabunt omnia, ut unum idemque sint quidem Pater & Filius, ac proinde consubstantiales; sed quod Pater intus, hoc Filius foris sit; quod Pater premit, hoc Filius promat; quod ille potentialiter, hic actu sit; ideoque Patris in silentio suo quiescentis imago actuosa & efficax sit Filius; ex quo conveniens est, totam foris creaturæ administrationem, sive condendæ, sive regendæ, sive reformandæ, Filio demandari. *Quod imago substantia, à substantia ejus in qua est vel subsistit, genita, in declarationem intus potentiæ: hinc Pater qui intus, hinc Filius qui foris. Rursus quod Filius logos, est in actionem festinans substantia. Vita enim logos & intelligentia logos processit in substantiam eorum, quæ sunt, intellectibilium & hylicorum; & idcirco actio ipsius tou logou, propter imbecillitatem percipientium ipsum, & patitur & passibilis est, vel potiùs passibilis dicitur.* Et paulò antè: *Et idcirco de Filio dicitur, quòd & impassibilis, & passibilis; sed in progressu passio, maximè autem in extremo progressionis, hoc est cùm fuit in carne. Illa enim passiones non dicuntur, generatio a Patre, motus primus, & creatorem esse omnium.* Et aliquantò pòst: *Jesus, hoc est, logos & semen est, & velut elementum omnium quæ sunt, maximè autem jam in energia & manifestatione eorum quæ sunt, quod in eo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, hoc est in operatione substantialiter; in Patre enim potentialiter omnia inhabitant, &c. Omne enim quod in actionem exit, imago est ejus, quod est potentialiter: & ejus quod est potentialiter, Filius, est quod in actione est, ex iis Filius & Pater homousion.* Et paulò pòst: *Potentia enim tou logou juxta suam substantiam, vita est semper substantia, secundùm quod vita est, & vivefacit, & revivefacit, & non permittit esse in morte quæcumque vivefacit. In prima igitur motione, omnia in vitam adduxit, & ita est descensio tou logou. Quod quoniam à Patre exiens, iis qui in cœlis sunt, & Angelis, aut Thronis vel Gloriis, & hujusmodi quæ sunt, dedit suam propriam vitam, potentia patria; logos enim omnium est, per quem facta sunt omnia. Et rursus quòd non esset vivefacere, nisi esset materia ad potentiam vivefaciendi, effecta est materia mortua naturæ, quæ vivefacta suas militias emisit vivificatione divina, & corrupit hominem. Sed logos, vita perfecta, complevit mysterium, & apparuit in materia, hoc est in carne & in tenebris. Quomodo enim erat possibile apparere, quòd fuisset, nisi in carne, hoc est, in sensu appareret? Omnia ergo effectus logos & in omnibus, & genuit omnia, salvavit, & regnavit, vita æterna existens in spiritu.* Quo Victorini loco nil me legere memini reconditius, & ad perspicuam incarnationis intelligentiam splendidius; illud paulò pòst excutiemus: pergamus reliqua contexere, ut ex iis simul omnibus efficaciùs postea & locupletiùs argumentatio nostra instruatur. *Ista motio nunquam requiescit, & à semetipsa exurgens, & in omne genus motus festinans: quippè vita quæ sit infinita, & ipsa in vivificatione veluti foris apparuit.* Et infrà: *Filius factus est manifesta motio, à motione Patria, quæ in occulto est.* Et infrà: *Si*

quis

quis me videt, videt & Patrem; propter hoc enim dictum est, quoniam Filius forma est Patris; non autem nunc forma esse foris extra substantiam intelligitur, neque ut in nobis adjacens substantiæ facies; sed substantia quadam subsistens, in qua apparet, & demonstratur, quod occultatum & velatum est in alio. Deus autem ut velatum quiddam est; nemo enim videt Deum: forma igitur Filius, in quo Deus videtur. Et infrà: *Spiritu enim moto à semetipso, hoc est vitæ perfectæ in motione existentis, volentis videre semetipsam, hoc est, potentiam suam, Patrem scilicet, facta est ipsa manifestatio sui, quæ generatio est, & dicitur, & juxta hoc foris existens. Omnis enim cognoscentia, secundum quod cognoscentia est, foris est ab illo, quod cupit cognoscere, &c. Juxta hunc ergo cognoscentiæ modum naturalem, foris effectam intelligentiam, natus est Filius vita factus. Non quod non fuerit vita, sed quoniam foris vita magis vita, in motu enim vita. Hic est logos, qui vocatur Jesus*

Ibid. l. 3. *Christus per quem effecta sunt omnia.* Et denuò: *Intus motus cessatio est, vel mota cessatio, cessansque motus. Debet enim Deus utriusque, cessationis dico & motus, & parens esse & ipsa substantia; quod societate & quadam forma ad utrumque fons est, & simplex ipse & unus, semperque unus ac solus, & ut supra diximus, totus. Qui cùm in cessante motu accipitur, atque intelligitur, hoc est Deus, atque ipse Pater est, semper atque ex æterno Pater, &c. Qui cùm foras spectat, hoc est autem foras spectare, motum vel motionem esse, quod ipsum hoc illud est, se videre, se intelligere, ac nosse velle; cùm autem se videt, geminus existit, & intelligitur, videns & quod videtur; ipse qui videt, ipsum quod videtur, quia se videt; hoc est igitur foras spectans, foris genitus vel existens, ut quid sit intelligat. Ergo si foris est, & si genitus, Filius.*

VII. Prolixius enucleatur, ut incolumi consubstantialitate, Patri cessatio, silentium, latibulum; Filio motus, Verbũ, declaratio tribuatur.

Nimis multa hæc vix cuiquam videbuntur, qui modò quibus quantisque fœta sint abstrusioris Theologiæ sacramentis, expenderit. Nam 1. describitur Pater Deus, ut quies, ut cessatio, silentium, potentia, latibulum, ideòque hactenus invisibilis, impervius, imperscrutabilis, in sese coactus, quo excogitari nil potest vel ad exprimendam Deitatis in suo fonte abstrusissimo solitudinem, vel ad removendam à Patris persona temporalem incarnationis dispensationem convenientius. 2. Describitur & Filius, idipsum quod Pater; sed quod Pater intus, hic foris; quod ille clam omnibus, hic palam; quod ille in quiete, hic in actu; ille in cessatione, hic in motu; ille in silentio, hic Verbum; ille potentialiter, hic actuosè: ille in latebra, hic in propatulo. Eadem ergo substantia, una utriusque Deitas, sed ibi ut in suo fonte in se subducta, hìc ut in flumine longiùs producta; ibi complicata, hìc explicata. Ergo congressum creaturæ carnisque susceptionem quantum sua dissuadet Patri, tantum sua persuadet Filio personæ singularis proprietas. 3. Hinc Filius imago, forma, vita, intelligentia, Verbum, & consimilibus appositissimè insignitur nominibus. Quippè ea omnia à motione quadam quietis foras erumpentis & ab explicatione latebræ prodeuntis repetuntur. Nam intelligentia & vita motu constant, motu nimirum stante, non fugiente, perennante, non dilabente, motu tamen. Forma, imago, Verbum in propalatione quadam latitantis arcani versantur, ut vis ipsa nominum & officium cujusque significat. Et vix ulla Filii Dei occursabunt usquam nomina, quibus non horum alterutrum designetur, vel utrumque. Porrò ea omnia Filium incarnationi contemperant in se suscipiendæ, ut quæ Deitatis ad nos motum, adventum proventumque insinuent, & ejusdem explicationem. 4. Si quasi intelligentia gignitur Filius, ea jam motio quædam est & passio, licèt immobilis motio, & impassibilis passio sit. Illa nihilominus Filium præparat, inclinatque potiùs quàm Patrem ad incarnationem. Quippè cùm Pater mera quies & beata cessatio sit ex personali proprietate, vel appropriatione, sollicitari se non patitur, seu motu in carnem, seu passione ad crucem usque. 5. Nec tantùm qua progreditur à Patre, sed aliquantò magis qua egreditur ad creandas naturas, immobiliter movetur, & impatibiliter patitur Filius; plurima enim omnipotentiæ ejus obluctatur creaturæ imbecillitas, ut cogatur ille infringere suam vim, attemperare se, & admetiri atque servire naturæ angustiis, quæ prolusio quædam est ulterioris, ubi opus erit, indulgentiæ, & ad carnem usque contemperationis. 6. Vita est Filius, quia motus, & vita vivificans, & vivificantia vivificans, & mortua revivificans; quia totius plenitudo motus & vitæ unus ipse est. Mentes ergo animasque produxit, quas vivificaret, & vivificantes efficeret; ideò & materiam mortuam ab his vivificandam condidit. Sed cùm materiæ fæx & pondus degravasset mentes, ebullissetque in peccata, cujus erant partes mortem irrepentem abigere, mortuasque substantias revivificare, nisi ejus vitæ, quæ de fonte suo rivos semper impleat arescentes? 7. Primus ille cùm sit Verbi progressus, & immobilis motus, à Patre gigni; secundus, orbem à se gignere. Si operæ pretium sit restitui collapsum orbem, an ut fatigatus cessabit? An tertium ut impar detrectabit motum? An non ex priorum motionum impetu concitatior rapietur? Eccubi enim unquam cessavit motio, vel actus quievit, vel vita interiit? Nam quæ quies principaliter est, & fontaliter, ea non usquam aut unquam movetur; & qui motus, actus, vitaque substantivè & singulariter est, is quiescit nunquam, sed movet, agit, vivificatque omnia. 8. Indubitatissimè ergo sacræ litteræ Filium & consubstantialem Patri prædicant, & tamen illum imaginem Patris esse, & manifestare Patrem commonstrant, & ex mandato Patris agere omnia, & Paterna authoritate orbem condidisse, induisse carnem, subisse crucem. Quin enim consubstantialis sit, qui una & eadem substantia est? Sed qui emicat in publicum, an potest non manifestare paternos recessus, & in extremam usque longinquitatis & dissimilitudinis regionem progredi, ibique vel in formandis, vel in reformandis naturis, hoc est ad carnem & ad crucem usque Paternæ bonitatis thesauros publicare? Postremò hinc per Filium omnia facta memorantur, ipse creat, ipse conservat, renovat, regit, judicat, beat. Quia hæc omnia à motu, ab actu, à vita proficiscuntur, ideòque à Filio. Nec enim Pater fontalis quies, & potentia, & silentium cùm sit, potest hæc præstare omnia, nisi per Filium, id est, per motum, per actum & vitam. Sicut ergo non potest Filius à se facere quidquam, quia non potest, nisi à quiete potentiaque Patris in motum & in actum prosilire: ita nec Pater nisi cum Filio & per Filium potest facere quidquam, quia nisi per actum motumque non potest quies & potentia foras exilire. Sed quod Pater facit, etiam per Filium, à seipso habet, à quo & ipse oritur Filius.

Quæ omnia eò tandem vergunt, ut omnia Pater operetur per Filium, omnia nobis præstet, omnia sit nobis per Filium. Unde & in extrema quam suspiramus beatitudine, cùm erit Deus omnia in omnibus, erit utique Pater per Filium omnia in omnibus. Per Verbum enim & species intelligibilis, & forma beans, & substantia ipsa Deitatis ac fœlicitatis summæ illabetur mentibus nostris. Cùm ergo nec creata sit primùm natura rationalis, nisi per Filium, nec illuminata, nisi per Filium, nec beanda sit ad extremum, nisi per Filium; idque ita consequitur ex beatissimis illis nexibus, quibus divinarum inter se personarum ordo constringitur: ex iisdem pariter & hoc consequebatur, ut iterata veluti creatione renovanda, & è tenebris quibus immersa erat, educenda natura eadem rationalis, futuræque beatitati redintegranda, nonnisi per Filium hæc adipisceretur. Quod scitè confirmat Cyrillus: *Pater omnia operatur per Filium. Atque hæc est su-*

VIII. In creandis, regendis, reparandis, sed maximè in beandis naturis, omnia in omnibus est Pater per Filium.

Thesauri pag. 255.

est subjectionis species, quod videatur Patris voluntati subjacere. Quemadmodum, exempli gratia, dicente Patre, Faciamus hominem, Verbum è terra pulverem accipit, & quod placitum est operatur, omnia enim per ipsum facta sunt. Docens verò Paulus quod in futuro sæculo Pater in nobis omnia rursum fiet, sapienter admodum dicit, Quando ei subjecta erunt omnia, tunc & ipse Filius subjicietur Patri, qui subjecit ei omnia, ut Deus sit omnia in omnibus. Perindè enim est, ac si dicat, Nemo existimet in futuro sæculo aliter nos participes futuros Patris, nisi per Filium rursus. Illud verò per Filium, subjectionem significat, quæ quidem quoad essentiæ rationem Filio nihil denegat, sed unitatem Trinitatis, statumque incommutabilem inducit; neque illa tunc interse dissentiet, neque inordinatis mutationibus turbabitur, quæ eodem modo se habet semper: sed erit etiam tunc temporis Pater per Filium omnia in omnibus, & vita, & incorruptio, & gaudium, & sanctificatio, & potentia, & denique quidquid sanctis in promissione situm est. Quo in Cyrilli loco non possum quin aliqua indigitem pressiùs attendenda. 1. Si quid adscribi uni per se Patri poterat, non aliud tempestivius quàm patriæ & extremæ fœlicitatis largitio; nam illa regio est quietis & cessationis, & beati silentii, & summi boni, ultimique finis, quæ ad Patrem omnia peculiariter referuntur: hæc tamen nonnisi per Filium præstat Pater: ergo nec aliud quidquam. 2. Quòd nonnisi per Filium à Patre præstentur hæc beneficia, ea vocatur Filii subjectio in scripturis. Loco enim Pauli quem Cyrillus allegat, aliisque compluribus, & toto inprimis Evangelio Joannis, eo frequentissimè nomine subjectum se Patri Christus testificatur, quòd per ipsum Pater operetur omnia. Id autem videtur hìc arcani latitare, quòd eo subjectionis nomine, eaque nominis interpretatione, tum à Filio tum à Patre, & invidia abstergatur, & injuria. Nam si per Filium omnia, hinc nec invidiosè supra Patrem clarescit, quia hæc subjectio est; nec humiliter infra Patrem demittitur, quia magis claret. Rursus si per Filium omnia, nec gloria Patris deteritur, quia hæc ad illum Filii subjectio est; nec supra Filium plus æquo evehitur, quia hæc subjectio, totius paternæ claritatis in Filium trajectio est. Itaque quòd incarnari dedecuerit Patrem, addecuerit Filium, utriusque par decus est. 3. Ut adnotat Cyrillus, quòd creandis aut beandis naturis omnia Pater per Filium & præstet, & sit, id ex natura ipsa divina & personarum proprietatibus nascitur. Qui enim est ordo essendi intus, idem emicandi foris. Ergo ut ordini essendi, ordo consentiat agendi, nihil à se Filius, nihil per se Pater, à Patre omnia Filius, per Filium omnia Pater moliatur; & tametsi quies & cessatio beatissima Pater est, ne hanc quidem beatis indulgeat nisi per Filium. 4. Non tantùm operari, sed esse aliquid in nobis Patrem, nisi per Filium, vetat Ordo, Lexque quam Deus præfixit sibi, & quæ ipse est. Nam authore Paulo, interprete Cyrillo, non tantùm operatur, sed etiam est omnia in omnibus Pater per Filium: est beatis vita, gaudium, incorruptio, sanctitas Pater per Filium.

IX. Augustini cum Græcis Patribus & cum retro Latinis cōcordia.

Nec ista Augustino pugnant, existimanti non solùm Filium, sed Trinitatem Deum priscis Patribus & Prophetis apparuisse. Ea quippè in re non facilè à Græcis & Latinis retro Patribus dissentire putandus est Augustinus. Sed non ægrè pugnantes in speciem sententiæ conciliabuntur, si & cum Græcis dicamus Patrem non esse visum, nisi in Filio, ut in sui specie & imagine, sui splendore, Verbo, & definitione: & rursum cum Augustino sentiamus Patrem & Filium non esse visos, nisi per Angelorum ministeria; sicut nec ipsos Angelos, nisi per corporea, quæ sibi ipsis aptabant simulacra. Ea est enim series & contexio consentanea, ut Pater per Filium, Filius per Angelos, Angeli per corpora se nobis conspiciendos exhibeant.

CAPUT II.

Rursus cur Verbi Personam magis decuerit incarnari.

I. Multimodæ Verbi dotes, incarnationem ipsi vēdicabant.

Tertiò ut reparationis nostræ beneficium unius Verbi deberetur incarnationi, ipsa Verbi dignitas multiplex flagitabat. Nam quis convenientiùs amissam nobis integritatem restitueret, quàm qui primùm contulerat? Quis naturæ reparator magis idoneus, quàm ejus conditor? Opus quod ipse fecerat, comminutum, quis præter ipsum reficeret? Artis ejusdem est, opificium & fingere primò, & ubi dissiliit, refingere. Formæ ejusdem est, & informia formare, & deformata reformare. Sed formæ principis & formantis omnia, & nusquam formatæ, peculiare id jus & imperium est, ut omnium formatio & reformatio ipsi debeatur. Leo magnus: *In hac autem ineffabili unitate Trinitatis, cujus in omnibus communia sunt opera atque judicia, reparationem humani generis propriè Filii persona suscepit, ut quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quique plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animavit, idem naturam nostram ab æternitatis arce dejectam, amissæ restitueret dignitati, & cujus erat conditor, esset etiam reformator.*

Quà artifex, ars & forma princeps, suum opus reficeret.

Serm. 12 de Passione.

II. Quà ratio primaria rationaliū naturarum ruinas repararet

Verbum etiam ratio primaria est, per illam ergo maximè conducebat revocari homines à vitio, quo irrationales & quasi dementes facti obbrutuerant. Athanasius ita sensit: *Obbrutescentibus mortalibus & dæmoniaca superstitione occultante & obtenebrante Dei cognitionem, quidnam à Deo fieri oportuit, &c.* Et paulò antè: *Adeo ut jam amplius rationales non viderentur, sed bruti ex moribus irrationabilesque viderentur, &c.* Etenim illud, *Verbum caro factum est*, reddi etiam potest, *Ratio caro facta est*: nempè ut homines rationales vitio suo factos, rationi restitueret. Unde Jobius: *Quando Filius λόγος, id est ratio est, & homo ratione atque imagine Dei olim cohonestatus, hisque postea excidit, comparatusque est jumentis insipientibus, & similis factus est ipsis: propterea nimirum ratio ad eos qui in irrationabilitatem lapsi erant accessit, ruinam nostram reparans, ac nos in pristinam dignitatem postliminio revocans. Verbum enim (seu ratio) caro factum est, id est naturam nostram in ἀλογίαν, in irrationabilitatem prolapsam, & nihil jam ad intelligibilia, sed ad carnalia penitus inclinatam, assumpsit, & habitavit in nobis.*

L. de Incarn. pag. 46.

Bibl. Photii pag. 579.

III. Quà imago vera imagines sui imitatrices refingeret.

Verbum imago Dei est, ad quam adumbrati nos eramus. Imprimere ergo se nobis rursus debuit, ut decolorata & fugientia primigeniæ cum ipso similitudinis reformaret lineamenta. Idem Jobius apud Photium: *Præterea ut rationalem partem ab irrationabili in servitutem redactam ipse rationale Verbum existens repararet, atque in libertatem restitueret. Adde, quandoquidem Adam victus, Dei imaginem in se innumeris obruit passionibus, & ad posteros noxam transmisit; ideo Dominus carnem induit, & in mari Deitatis suæ nostræ conditionis guttam suscepit, cum ut mortale à vita absorberetur, atque in universum genus beneficium effunderet, tum ut inexplicabile pelagus bonitatis suæ erga nos effunderet.* Ita enim necesse erat, ne obsolesceret rursus imago, naturam nostram non Deitate utcumque colorari & expingi, sed illi immergi penitùs & commisceri.

Pag. 594.

IV. Quà Filius exauthoratos ad Filiorum sortem revocaret.

Verbum Filius est, nomen ergo filii non ab alio magis quàm ab ipso decuit nobis impartiri. A quo enim filiatio quælibet, quàm à Deo Filio dimanabit? Adoptiva seu umbratica filiatio, quem nisi Filium naturalem imitabitur? Hugo de sancto Victore Tom. 3. p. 585. *Venit Filius naturalis missus à Patre, ut adoptandos in hæreditatem vocaret, & consensum suum in gratia adoptionis comprobaret. Neque enim sine consensu Filii, à Patre alieni in hæreditatem*

De Sacram. L. 2. part. 1. c. 2.

tatem ducendi erant. Misit ergo Pater pro filiis, venit Filius pro fratribus: quia in Patre & Filio paternitatis & filiationis nomen constat: ut filij nomen adoptandi perciperent, & per illum cujus erat, & ab illo à quo erat.

V. Mediatorē esse non decet nisi Verbum.

Quartò idem declaratur ex partibus Mediatoris, quas Verbum etiam quà verbum obit, sepositâ etiam omni peccatorum morborumque nostrorum contemplatione. Omnis enim creaturæ, etiam stantis, etiam intaminatæ, etiam beatæ mediator ad Patrem Verbum est; ergo & naturæ lapsæ non alius præter ipsum mediator expectandus est. Philo in Libro, Quis rerum divinarum hæres, *Illi Angelorum Principi, Verbo antiquissimo, hoc eximium donum concessit Pater omnipotens, ut in confinio stans, facturam à factore discerneret. Idem supplex immortalem appellat pro mortalibus deprecans, & à summo rege legatione ad subditos fungitur. Quod donum tam libenter accipit, ut jactet etiam dicens, Et ego steteram medius inter vos & Dominum; videlicet, nec ingenitus ut Deus, nec genitus ut vos, sed inter extrema medius, apud utrosque agens obsidem.* Complura sparsim id genus de Verbo disserit Philo, quæ à sano dogmate haud sanè dissonabunt, si expungas illa paucula, quæ insidiantur Verbi cum Patre consubstantialitati. Eusebius Pamphili illa Pauli verba ubi ait, *Legem per Angelos ordinatam, in manu mediatoris*, ita commentatur, ut mediator hîc dicatur Verbum, non quà homo, quod necdum erat, sed quà Verbum, inter Patrem & Angelos sive homines mediatoris vices obiens; ex quo infert illum non insitum ac indistinctum, sed substantivum subsistensque Verbum esse & à Patre persona discretum, quod inficiari Marcellus ferebatur. *Erat igitur Filius priusquam fieret Dei mediator & hominum, mediator Dei & Angelorum. Et illo modo erat, non ut qui velut nudum Verbum in eo subsisteret, per se non subsistens, unum atque idem cum Deo existens: neque enim hoc pacto mediator aliquorum esse poterat. Erat autem & priùs erat, tanquam scilicet filius unigenitus, plenus gratia & veritate. Intermedias autem partes supplebat suo Patri, cum ministerio Angelorum legem hominibus promulgaret.* Et rursus idem alibi, *Dei Verbum ipso antiquius mundo*, ἀρχιερεὺς πάσης νοερᾶς καὶ λογικῆς κτίσεως, *Pontifex omnis ratione atque intelligentia prædita creaturæ.* Creberrimus est Eusebius in hoc Verbi Dei asserendo pontificatu. Nec me præterit ut Philonem Platonicorum deliriorum, ita Eusebium Arianæ vesaniæ suspectum jure meritissimo esse posse; proinde non nimis innitendum esse fragili & caducæ eorum fidei in hoc negotio. Profiteor & ipse suspectam esse utriusque in hac parte fidem, ubi Verbi consubstantialitas cum Patre attingitur: illi ergo missi fiant.

L. I. contra Marcell. c. I

Demon. Ev. l. I.

VI. Ut mediatoris & id aliæ Christi hominis dotes, à divinæ ejus personæ æternis prærogativis pêdeant, & emanent.

Sed Scripturarum authoritas prælucet, quæ mediatoris personam & provinciam ex Filii Verbique ratione aptam religatamque esse non semel iterant. Quàm affectatè enim Joannes in Evangelio, Paulus in Epistolis, æternas & incommutabiles Verbi proprietates, cum humanis ejus & temporalibus, quæ nostri causa obiit, muniis, consultò & de industria ita complicant & innodant, ut explicari discriminarique vix possint. Id genus sunt illa, *Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Item: *Quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Et: *Ipse ante omnes, & omnia in ipso constant, & omnia & in omnibus Christus.* Item: *Ego sum via, veritas & vita.* Item: *Nemo venit ad Patrem nisi per me. Qui videt me, videt & Patrem.* Et: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* In ejusmodi textibus nonnulla sunt quæ perspicuè Deitatem, alia quæ humanitatem demonstrent; quædam sunt quasi dubia & media quæ trahi huc & illuc possint. Quod postremum genus eò videtur pertinere, ut humana Christi ex divinis ejus nexa, & quasi concatenata pendere insinuentur. Nam quòd invisibilem Patrem Unigenitus, ut oculatus testis, enarret commonstretque, id & Verbum Deus Angelis, Patrem in Verbo, seu in specie atque imagine videntibus: & Verbum homo hominibus præstat, quos carne sua ad Dei contuitum purgat. Quòd idem Filius sit via & veritas, quòd nemo veniat ad Patrem nisi per ipsum, id & Verbo homini hominum luci ducique quadrat; & Verbo Deo Angelorum magistro intimo, adjutorique invictissimo, quo è lapsus discrimine ad fœlicitatis securitatem perducti sunt. Quòd omnia in Christo constent, quòd omnia & in omnibus ipse sit, Verbo id Deo, an potiùs homini adscribas, ambiguum est; ita utroque nomine hoc sibi vendicat. Reliquis eodem modo enucleandis supersedeo, cùm paucis exemplis proclive sit alia accumulare innumera, quibus exploratissimum fiat, quæ humanitus nomina muniaque implevit Verbum homo, ea fuisse consentanea quædam, & imitamenta, effluviaque eorum quæ Verbum Deus divinitus ad Angelos, & ad omnes, quà compos unaquæque est, creaturas Patri Deo recolligendas adimplet. Quamobrem quòd humanos divinosque Christi titulos indiscriminatim Scripturæ plerumque interserant, & confundant: non incuria id, sed industria factum; nec caligo inde ulla, sed lux amplior altiorque infunditur, qua divinis humana accommodari aptarique intelligamus.

Præterea quis in Theologico pulvere tam rudis est, qui non persuasum habeat, naturæ cuique ut bene sit, eò refluendum esse unde effluxit, & ea refluendum via, qua effluxit? Ergo ut naturæ omnes intellectuales à Deo Patre per Verbum effusæ sunt, ita per idem ad eundem reflectantur necesse est. Ut via est, qua à principio exeunt, ita via sit qua redeunt. Ut mediator est, quo Pater ad ipsas excurrit: ita mediator sit, quo ipsæ ad Patrem recurrunt. Ut sequester est, quo Patris beneficia ad ipsas primùm condendas, sapientiæque & virtutum ornamentis locupletandis largissimè effunduntur: ita sequester sit, quo ipsarum pietas ac religio largitorem munificentissimum prosequitur. Ergo seu Pontificem mavis dicere seu mediatorem, non alius naturis rationalibus seu stantibus, seu collapsis; seu creandis, seu innovandis; sive purgandis, sive beandis; non alius, inquam, esse potest quàm Verbum ad Patrem. Ut enim non alio Pater quàm ipso, nos & creat, & illuminat, & docet, & regit, & beat; ita nec nos alio quàm ipso possumus Patrem velut conciliatore & discere, & adire, & colere, & complecti, fruique. VII. Idem prolixius.

Ea fuit sententia Hugonis Victorini, ubi Deum Patrem ita loquentem inducit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Quidquid mihi placet, in ipso & per ipsum placet Ipse est enim sapientia per quam feci omnia; ipso æternaliter disposui quidquid temporaliter feci. Et tantò amplius unumquodque meum opus diligo, quantò perfectius illud primæ dispositioni concordare video. Nolite putare quod ipse tantum sit mediator in reconciliatione hominum: quia per ipsum etiam commendabilis placita fit aspectui meo conditio omnium creaturarum. In ipso examino cuncta opera mea quæ facio, & non amare nequeo, quod intueor simile illi, quem amo. Solus ille me offendit qui ab ejus similitudine recedit, &c. Magni consilii Angelus vobis mittitur, ut qui conditis datus fuit ad gloriam, idem perditis veniat ad medelam. Ipsum audite. Ipse conditor, ipse est & redemptio. Ipse Deus mecum vos condidit, qui vobiscum homo, solus ad vos venit. Ipse est forma, ipse medicina. Ipse exemplum, ipse est remedium. Felicius fuisset semper tenuisse ejus similitudinem, sed jam minùs gloriosum non erit ad ejus redire imitationem.* Quo naturæ etiam innocentis magister duxque & mediator ad Patrem fuisse Verbum Deum satis explicatè traditur. VIII. Ex Patribus id demonstratur. Tom. I. pag. 52. 53.

Acce-

L. 5. c. 1. Accedit & Irenæus: *Non enim aliter nos discere poteramus, quæ sunt Dei, nisi magister noster, Verbum existens, homo factus fuisset. Neque enim alius poterat enarrare nobis, quæ sunt Patris, nisi proprium ipsius Verbum. Quis enim alius cognovit sensum Domini? aut quis alius ejus consiliarius factus est? Neque rursus nos aliter discere poteramus, nisi magistrum nostrum videntes, &c.* Quod primum est Pontificis ac Mediatoris munus, videlicet docere, id nec Verbo abrogari, nec alii præter ipsum cuiquam citra ejus injuriam adrogari potest. Quo enim Pater doceat seu invictas Angelorum summitates, seu stantes adhuc hominum primitias, seu peccantium ruinas, nisi per Verbum? Incarnari ergo non fuit nisi Verbi; incarnari etiam fuit Verbi Dei. Eò quippe illud inclinat ingenium nomenque suum. Indulget sibi, obsequiturque proprietati suæ, dum mentes in amentiam præcipites, & in vitia transversas, pergit nihilominus quà ars reficere, quà lux illuminare, quà forma reformare, quà sapientia erudire, quà Verbum & magister divina addocere, quà Filius ad Patrem revocare.

Quod enim ex genio personæ cujusque divinæ proficiscitur, ea incommutabiliter idipsum perstat. Quod eleganter Irenæus loco eodem explanat hoc exemplo. In orbis creatione dixit Pater ad Filium, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quod quando & quomodo Pater Verbo dixit, nisi cùm genuit? nam non aliàs, aut aliter ad Verbum aliquid dicit, quàm cùm ipsum gignit. Ergo quia gignendo Verbum, genuit Imaginem primariam & absolutissimam, simul ipsi dixit, Faciamus hominem ad imaginem; id est, ipsum genuit imaginem, ex qua omnis imago delinearetur, & similitudinem, ad quam omnis similitudo exprimeretur. Quin imo & ipsum genuit, imaginem incorruptibilem, ad quam & per quam secundariæ cujuslibet imaginis corruptio reformaretur; ipsum genuit similitudinem invariabilem, ad quam omnis deformata similitudo recuderetur. Quod ergo vel primùm insculpta, vel postea resculpta est per Verbum Deum & per Verbum hominem imago Dei naturæ nostræ, eam vim illi & potestatem, eam indolem & proclivitatem illi Pater gignendo dedit, eum quodammodo impetum illi indidit, ubi ipsum formam formarum, & imaginem imaginum, ipsissimamque naturam similitudinis ipsum genuit. Audi Irenæum: *In fine Verbum Patris & Spiritus Dei, adunitus antiquæ substantiæ plasmationis Adæ, viventem & perfectum effecit hominem, capientem perfectum Patrem, ut quemadmodum in animali omnes mortui sumus, sic in Spiritali omnes vivificemur. Non enim effugit aliquando Adam manus Dei, ad quas Pater loquens dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et propter hoc in fine, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex beneplacito Patris manus ejus vivum perfecerunt hominem, uti fiat Adam secundum imaginem & similitudinem Dei.* Ubi vides restaurationem imaginis in homine per Verbum incarnatum, connecti & consequi ex eo quod dixerat Deus Verbo, Faciamus hominem ad imaginem nostram; id autem dixisse Patrem Verbo, ut manui suæ, ut primariæ imagini; cui nihil dixit, nisi cùm generavit. Manat ergo à generatione Verbi sempiterna, ut ab ipso tanquam ab imagine unde omnis imago expingitur, & à similitudine unde exscribitur omnis similitudo, natura omnis intellectualis imaginem & similitudinem Dei, vel primùm obtineat, vel amissam recipiat, vel illæsam retineat.

IX. Ex iisdem rursum. Eodem refertur & illud Anselmi & Richardi de sancto Victore. Quando propitiari Deum, nec nisi à Deo propitiari opus erat, ut Pater per Filium propitiaretur, convenientissimum fuit. Richardus ita

Parte 1. c. 6. habet: *Principalis persona intelligitur, ad quam placandam alia interponitur. Pater autem principium est Unigeniti, Unigenitus verò principium est Spiritus sancti. Sicut igitur in mediatore & propitiatore intelligitur genitus, sic in propitiato intelligitur ingenitus, non autem Spiritus sanctus. Non enim Spiritum sanctum exigere satisfactionem decet, de eo quod Filius indulget, à quo habet idem Spiritus totum quod habet.* Propitiationem sanè exigere solius Patris est, sive Deitatis quidem est, sed ut in Patre. Ita propitiationem exhibere solius Filii est, sive Deitatis incarnatæ est, sed in Filio. Nam si Pater homo fieret, an Filium congruè propitiaret? an à Patre Filius propitiationem exhiberi urgeret? Ergo quanquam omnia quodammodo sint divinis personis communia, sunt tamen peculiaria cujusque & propria privilegia, & in commune omnia à singulis conferuntur. Omnes enim propitiantur in Patre, omnes propitiant in Filio, omnes sanctificant in Spiritu sancto.

Anselmus autem ita disserit: *Qui erat incarnandus, oraturus erat pro humano genere. Et satis convenientiùs suscipit mens humana, Filium Patri, quàm alium aliis supplicare; quamvis hæc supplicatio non fiat à divinitate, sed ab humanitate ad divinitatem.* De Incarn. Verbi c. 4.

Quintò. Non ita Pater in divinis Pater est, ut in humanis, nec Filius ita Filius. Nam penes nos proprium nihil est, & constat nihil; sed desultoria omnia, alternant omnia, & permiscentur. Qui modò Filius, fiet Pater; & qui jam Pater, prius Filius; quandoque nec Pater ampliùs post mortem Filii, nec Filius ob fatum Patris erit. Quia ergo fluit substantia nostra, retroque semper labitur, & reficitur, & rursum interit; ita quæcumque naturæ nostræ superveniunt, iisdem vicibus in orbem circumaguntur. At Deitas stat, & status ipse est; & quidquid ibi est, constat, nec corrumpitur, aut variatur, aut contrariis commiscetur. Pater ibi semel Pater est & semper, & solus; quia ipsamet paternitas est. Et Filius tota quoque & ipsissima filiatio est, atque adeo nec potest non esse Filius, nec desinere ne sit Filius, nec potest fieri Pater, nec alius præter ipsum potest esse Filius. Ergo incarnari non fuit, nisi Filii. Nam incarnatione Pater paternitatem suam minùs honestasset, à se defecisset, descivisset à Patris nomine, in Filii limites & jura invasisset, Filius hominis factus. Si verò sine patre & matre homine extitisset, repentinus & improvisus, ut Adam, naturæ tamen generabili & filiatione sola naturaliter sobolescenti copulatus fuisset, eoque præjudicasset quodammodo & innascibilitati & paternitati suæ. At mera & tota innascibilitas atque paternitas, sicut ipsa per se sapientia, ipsa justitia, & omnis usquequaque perfectio, ubi sincera & pura & in fonte suo est, nihil peregrinum, nihil recipit adventitium, nihil de alienæ cujusquam formæ commixtione. Quæ eadem & de Spiritu sancto disputari possunt. Nam & ipse, quæ beata & incomperta & impervia sibi sua ipse proprietas est, nullo extraneo aut inducto cujusquam alterius formæ nominisve consortio confundi potest. Nec ergo filii nomen vel in humana vel in quacumque creata natura subire potest, aut decet. Nam nc criminationi sit locus, non alia hìc aut necessitas aut impossibilitas prætenditur, quàm quæ ex decore & consonantia majore minoreve hauritur.

Margin notes: X. Incommunicabiles sunt, æternarum personarum proprietates. — Idque decet non intra tantum, sed extra etiam servari. — Quia externæ manationes internarum imitationes sunt. — Itaque nec Patrem decet quoquo modo filium fieri, nec innascibilem nasci, &c.

Argumentatus est ad hunc modum Athanasius, cùm Ariani, si Verbum à Patre verè gigneretur, ipsum quoque in alios filios à se prognatos Deitatem eandem propagare, paternumque sibi nomen parare posse, garrirent, ut in hominibus usuvenit. XI. Patrum suffragatio. *Cætera animalia, unaque in eis homo, à creationis principio, mutuò à se invicem per successionem progignuntur; Et genitus ex Patre olim genito naturam accipiens, meritò & ipse quoque alterius Pater efficitur. Ideò in istis nihil est propriè, Pater, aut Filius, neque in illis stabilem locum habent persona Patris, aut Filii. Nam qui Filius est, Pater efficitur; Filius quidem ejus qui ipsum genuit, Pater verò illius qui ab ipso genitus est. Verùm id in divinitate se ita non habet;*

non

non enim Deus ut homo, neque Pater ex Patre originem traxit; unde fit, ut gignat non progeniturum, &c. Quapropter in sola Deitate Pater propriè Pater est, & Filius propriè Filius, & in illis solis consistit, ut Pater semper sit Pater, & Filius semper sit Filius. Ex eadem autem personalium proprietatum immutabilitate efficitur, ut naturam ad quam generatione & filiatione descenditur, sola Filii persona assumpserit. Unde Damascenus: *Pater qui Pater, & non Filius; Filius qui Filius, & non Pater; Spiritus sanctus qui Spiritus, & neque Pater, neque Filius. Proprietas enim immutabilis. Aut quo pacto proprietas manere queat, si mutetur, & decidat? Propter quod Filius hominis fit, ut maneat proprietas immobilis. Filius enim Dei existens, filius hominis factus est incarnatus ex sancta Virgine, & non destitit ex filiali proprietate.*

Orthod. fidei. L. 4. c. 4.

De fide ad Petrum. c. 2. Fulgentius quoque his suffragatur: *Sicut ergo secundum illam divinitatem, qua unum sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum, sed solum Filium; sic etiam secundum carnem, solum natum catholica fides & credit, & prædicat. Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius Patris, quia non est natus ipse, sed unum Filium genuit; neque proprium solius Filii, quia non genuit ipse, sed solus de Patris essentia natus est; neque proprium Spiritus sancti, quia nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit; si secundum divinam quidem naturam Deus Pater de nullo nasceretur Deo, secundum carnem tamen ipse nasceretur ex Virgine, &c.* Ubi advertis, quod in temporali dispensatione carnis gestum est, id omne aptatum temperatumque fuisse ad æternas & incommutabiles personalium in Deo proprietatum leges; eamque normam non frustrà nos hactenus pro virili tenuisse, ut temporalis Christi historiæ ratio, & lex, & lux tota ab æternis & immutabilibus accerseretur.

Non dissonat à Fulgentio suo Ferrandus diaconus in Parænetico ad Reginum Comitem: *Non est natus secundùm carnem Pater, quia Filius nunquam fuit; non Spiritus sanctus, qui nec Pater fuit aliquando, nec Filius. Sed natus est Filius, ut ipse fieret Filius virginis matris, qui est Filius Dei Patris: & per temporalem nativitatem Dei omnipotentis, numerus nullo modo cresceret filiorum, neque duos filios faceret unici Filii secunda nativitas.* A quo non discedit Hugo de sancto Victore, Tom. 3. p. 585. *Factus est Filius Dei filius hominis, ut filios hominum filios Dei faceret; & ne Filij nomen ad alteram transiret personam, & essent in Trinitate duo Filij, & confunderetur Trinitatis discretio. Si enim Pater carnem assumpsisset, idem ipse & Pater, & Filius esset; Pater Filii quem genuit ex æternitate, & Filius matris à qua genitus esset ex tempore. Si autem Spiritus sanctus carnem assumpsisset, duo Filij in Trinitate essent; alter Filius Patris sine matre, alter Filius matris sine Patre. Ne ergo incommunicabile nomen divideretur, solus Filius carnem suscepit, ut unus & idem esset & Filius Dei, & Filius hominis.* Similiter Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 2. *Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus; sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, ne Filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate Filius.*

Num. 12.

De Sacram. L. 1. p. 2. c. 2.

XII. Alia ejusdé rei elucidamenta.

Quælibet ergo personalis, sicut & quælibet essentialis proprietas in Deo, est una, tota, sincera, incommutabilis, incommunicabilis. Exempli gratia Filiatio, & sapientia, illa personalis, hæc essentialis proprietas, una est, nec geminari saltem potest, vel quia Deus unitas est, & quidquid in Deo est, unitas est; vel quia tota est. Tota est autem, utpotè per se subsistens, non carptim & frustillatim, hoc enim est rerum participatarum; sed tota simul & semel subsistens; ex quo fit, ut nec duplicari possit. Si duplex enim esset, neutrum totum, sed totius dimidium utrumque esset. Sincera etiam est, nec peregrino aliquo confusa, nempè per se subsistens, ideòque seorsim & in se recepta ac impermixta; unde nec sapientia aliud quam sapientia esse potest, nec filiatio aliud quàm filiatio. Incommutabilis est, quia non mutatur, nisi id quod participata forma ut donari, ita exui potest. At quod subsistit per se, ut non deserit se, ita nec mutatur. Ut sapientia ergo in insipientiam, ita nec filiatio in paternitatem deficere potest. Incommunicabilis postremò est, quia omnis forma per se subsistens, participari ab aliis potest, formaliter communicari non potest. Sapientia divina participari potest alteri naturæ, non communicari, ita ut altera quæpiam natura sit sapientia ipsa. Ita & filiatio. Idem de innascibilitate, de paternitate, de spiratione philosophandum, ex quibus ampliùs effulgeat, quàm non aliam decuerit, quàm personam Filii incarnari.

Sed nec illud prætermittendum fuit, quòd non antè dilucidè Verbum Filius Dei per orbem promulgatus fit, quàm ubi filius hominis effectus est. Quo compertius omnino fit, quàm arctè cohæreant nomina hæc Filii Dei & Filii hominis; & quàm non alius esse debuerit Filius hominis, quàm Filius Dei: quando non priùs, non aliter quàm in Filio & per Filium hominis increbuit & in fidem receptus est Filius Dei.

CAPUT III.

Cur de Virgine Verbum decuerit incarnari & nasci.

I. Non fieri tantùm hominem, sed & nasci de fœmina Deum par erat.

Quæstioni huic præstruendum illud, quando incarnatione sua naturam nostram honestare statuerat Deus, de fœmina & ex fœmina concipi, nascique illum oportuisse, quo & beneficium suum & salutem nostram tutiùs collocaret.

Ut neuter sexus sibi vilesceret, neuter de Verbi copula desperaret.

Primò non naturæ enim dumtaxat, sed & utriusque in ea sexus dignitas commendanda erat, ne sibi alteruter vilesceret, ac de sua cum Verbo cognatione spem abiiceret. Itaque ex altero nascitur, in altero nascitur, utrumque consecrat. Virum gestat, sed illum de fœmina format. Vir Deus fit, fœmina Deum parit. Virum ipse gestat, ipsum gestat fœmina. Genuisse, ac peperisse Deum tanti est, ut fieri Deum etsi pluris sit, ita pluris tamen sit fieri Deum, ut hoc ipsum tamen gignenti, parientique debeatur. Augustinus ita prorsus docet: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ita enim demonstravit carnalibus & non valentibus intueri mente veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quod, &c. in vero homine apparuit. Ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda. Et ne quis fortè sexus à suo creatore se contemptum putaret, virum suscepit, natus est ex fœmina.* Et rursus alibi: *Detestandi illi sunt, qui Dominum nostrum Jesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant; cùm illa dispensatio utrumque sexum & masculinum & fœmininum honoraverit, & ad curam Dei pertinere monstraverit; non solum quem suscepit, sed etiam illum per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de fœmina.*

De vera Relig. c. 16.

De fide & symb. c. 4.

II. Ut totum genus liberaret, omnemque sexum; de altero, in altero nascendo.

Secundò. Non partem Deus, sed totum liberat. Totum autem, id est, utrumque sexum à se liberari, ita commodè testificatus est, in altero, de altero nascendo. Augustinus idem: *Deus cùm liberat, non partem aliquam liberat, sed totum liberat, quod fortè in periculo est. Sapientia ergo & Virtus Dei, qui dicitur Unigenitus Filius, homine suscepto, liberationem hominis indicavit. Hominis autem liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo virum quia oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat, ut fœminei sexus liberatio hinc*

L. 83. qq. q. 11.

appa-

Ad Regin. com. c. 12. *appareret, quod ille vir de fœmina natus est.* Ferrandus Diaconus: *Ut vir ex muliere, redempturus viros ac mulieres, in uno sexu temporaliter natus, ut utrumque salvaret; unum eligendo in quo nasceretur, alium unde nasceretur.*

III. Ut diabolus per quæ vicerat, vinceretur, id est per fœminam. Tertiò. Ut per naturam ipsam quam vicerat, diabolus vincendus erat: ita per utrumque sexum, quem superaverat, debellandus erat. Cùmque priorem etiam prostrasset fœminam, virumque prostrasset per fœminam, consentaneum erat, ut fœmina illum priùs, & fœmina per virum profligaret. Ita enim liberatio fieret, non utriusque tantùm sexus, sed quod specimen amplius victoriæ est, per utrumque sexum. (L. de Agone Christiano c. 22.) Augustinus: *Dominus Jesus Christus, qui venerat ad homines liberandos, in quibus & mares & fœminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem suscepit: nec fœminas, quia de fœmina natus est. Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per fœminam nobis mors acciderat, vita nobis per fœminam nasceretur; ut de utraque natura, id est, masculina & fœminina victus diabolus cruciaretur, quoniam de amharum subversione lætabatur. Cui parum fuerat ad pœnam, si ambæ naturæ in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur.* (In Nativit. Dom. ho. 6.) S. Maximus his consentaneus est: *Nascitur Christus ex fœmina, ut sicut Adam decipientem per Evam, diabolum non potuit præcavere, ita diabolus adventantem per Mariam, Deum non deprehenderet esse præsentem. Parturit igitur fœmina salutem mundi: ut quæ extiterat fomes iniquitatis, fieret ministra justitiæ, & per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum.*

IV. Ut liqueret creatoris cũ quacumque creatura copulatione, non illum maculari, sed istam emaculari. Quartò. Si vir fieret, nec de fœmina fieret, repudiasse atque hunc sexum videretur damnasse; idque alterutra de causa, vel ne ipse contaminaretur, vel quòd sexus iste salutis sanctitatisque & affinitatis cum Deo cujuslibet exors insolensque videretur. At creaturę suæ contactu non maculatur Creator, nec Creatoris sui contactus ac beneficii manantisque ab eo salutis ulla exors insolensque est creatura. Id ergo utrumque constituendum fuit, utriusque sexus honestamento provectioneque in Deum. (De diversis. Serm. 65.) Augustinus: *Tu dicis, ad nascendum ut quid elegerit fœminam? Respondetur tibi, imò ad nascendum cur fugeret fœminam? puta me non posse ostendere, quid elegerit ut de fœmina nasceretur: tu ostende, quid in fœmina fugere debuit. Sed aliquando jam dicta sunt, quia si utique fugeret fœminæ uterum, velut significaret se ex illa contaminari potuisse. Quanto autem erat per substantiam suam immaculabilior, tanto non debuit formidare uterum carnis, quasi inde posset maculari.* Non potuit ergo prætermisisse hunc sexum, quia prætermittere idem erat, atque abominari. Et sanè quibus in mentem venit ea dubitatio, eccur de fœminæ utero progredi Deo visum sit, simul pudor aliquis & contemptus subit atque adeo horror tanquam sordium & inquinamentorum ejus sexus. Absolvit ergo opifex opificium suum seque ipsum ab hac infamiæ suspicione, ostenditque nihil usquam inquinamenti esse in rerum natura, quam suis ipse manibus & condidit & honestavit. Prę cæteris autem & munditie & dignitate non deferi januas illas, quibus in orbem procedunt naturæ rationales, quandoquidem per illas summa ratio & naturæ totius opifex Deus progressus in mundum est.

V. Ut fœmina dux ruinæ fiet & dux salutis. Quintò. Erat & peculiaris hæc causa, quæ Dei indulgentiam in fœminæ salutem & solatium inclinaret, ne illam desperatio hinc invaderet, quòd peccati dux parensque fuisset. Tantæ sibi iniquitatis damnationisque conscia, si se clam præterque suam operam Redemptor orbis restaurationem aggressus esset, ab ea exortem se, conclamatamque sanationem suam non injuria suspicaretur. Ergo æquum fuit hunc illi mœrorem demi, hoc veniæ fomento, hoc incremento honoris, ut quæ venenum præbiberat, propinet jam homini salutem: quæ morbum intulerat, medicinam ex se proferat: quæ prima diabolum admiserat, prior illum in fugam agat. Augustinus ibidem: *Si vir existens, quod utique esse deberet, non nasceretur ex fœmina, desperarent de se fœminæ, memores primi peccati sui, quia per fœminam deceptus est primus homo, & omnino nullam se spem habere in Christo arbitrarentur, &c. Non creaturam damno quam feci. Ecce natus sum vir, ecce natus ex fœmina. Non ergo creaturam damno quam feci, sed peccata quæ non feci. Uterque sexus videat honorem suum, & uterque confiteatur iniquitatem suam, & uterque speret salutem. Decipiendo homini propinatum est venenum per fœminam; reparando homini propinetur salus per fœminam. Compenset fœmina decepti per se hominis peccatum, generando Christum. Inde & resurgentem Deum priores fœminæ Apostolis nunciarunt, &c.* (Sermon. 63. De diversis.)

VI. Ut infamia sexus imbellior absolveretur. Sextò. Quia flagrabat infamia, crebrisque virorum querelis fatigabatur sexus imbecillior, quòd se uxoriumque in præceps egisset virum, humanumque genus omne suo excidio implicuisset; hoc per Redemptorem expiari illum facinore, & facinori conjuncto dedecore expediebat. Qui autem, nisi ut qui per fœminam ceciderant, per fœminam surgerent? Bernardus: *Lætare pater Adam, sed magis tu ò Eva mater exulta: quia sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: & quod infœlicius est, priùs peremptores quàm parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia & tali filia: sed illa ampliùs de qua malum ortum est priùs, cujus opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir, quid causetur adversus fœminam. Qui utique dum se impudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens, Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Propterea curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam; filia pro matre respondeat; ita matris opprobrium auferat: ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fœminam, jam non erigitur nisi per fœminam, &c. Redditur nempè fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba: quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ; & pro venenoso illo cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic, Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me.* (Ser. 2. super Missus est.)

VII. Ut secũdus Adam primo, ita Evę Eva melior subroganda erat. Septimò. Ut Adamo Adamum, ita Evæ Evam subrogari decebat meliorem; ut primum, ita primam parentem restaurari par erat. Ne recidiva electorum civitas altero careret propugnaculo, quo olim muniebatur; ne liberaliùs carnali quàm spirituali propagationi consultum fuerit; ne radix altera generis nostri emarcuisse penitus & nec Dei adventantis afflatu reviviscere potuisse existimetur; ne cùm adfuerit diabolo, per quam conjugali charitate armatam Adamum expugnaret, non absit Christiano, per quam majori charitatis & propinquitatis potestate fretam, Christum conveniat. (Serm. 262.) Bernardus idem: *Ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, Evam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum homo Christus Jesus; sed divinam in eo reverentur homines majestatem. Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata, &c. Jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quàm Maria. Credulis nimirum Eva, per quam serpens* anti-

antiquis pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis; illa suggessit prævaricationem, hæc injecit redemptionem.

VIII. De Virgine etiam nasci Deum decebat. 1. Ob insignes virginitatis prærogativas. His ad hunc modum constitutis, non alio sanè quàm virgineo Deum nasci decebat partu; idque primò quidem dignitas ipsa virginitatis suadet, cui hoc honoris insigne ac specimen præcerpi præripique haud æquum est. Chrysologus luculentè: *Concepit Virgo, Virgo peperit: non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas, quidquid est humani pudoris, excusat. Aut quæ ibi verecundiæ læsio, ubi init Deitas cum amica sibi semper integritate consortium: ubi est interpres Angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, judex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater?* (Serm. 148.) Cùm virginitas tam amica Deo sit, an debuit post haberi? an sterilitati sempiternæ addici? an inhonora semper & improlis, ac desolata jacere? an quòd virtuti studeat impensiùs, infœcunda usque & ingloria lugebit? Quæ plena Deo est, quæ cum Deo jugiter congreditur, quæ Dei oscula frequentior libat, fovetur amplexibus, ea decentissimè Deum pariet. Virginitati indicta fuerat sterilitas tandiù, quandiù tantæ parenti nulla soboles par esse poterat. At ubi parturiendus fuit Deus in carne, tum virginitas cohibitam effudit fœcunditatem, condignæque prolis laudem sibi jure suo vendicavit. Deum enim corporatum ubi magis excipi concipique condecuit, quàm in virtutis corporatæ sacrario?

IX. 2. Ut mirabilis mirabiliter nasceretur. Secundò. Deus summè mirabilis mirabiliter nasci debuit. Fides ergo hinc illicitur, non refutatur. Quid enim tam insolens, quod Deo insolens sit? quid tam nimium, quod non infrà illum sit? quid tam inusitatum, quod non familiare illi sit? hoc magis stupendum foret, si non stupendo modo nasceretur. Nec Deum nasci, nisi de virgine, nec virginem fœcundari, nisi de Deo æquum fuit. Nam virginem sobolescere, portenti simile esset, nisi Deum parturiret; Deum nasci, prodigii instar esset, nisi nasceretur de virgine. (Civit. L. 10. c. 29.) Augustinus: *An fortè vos offendit inusitatus corporis partus ex virgine? neque hoc debet offendere: imò potius ad pietatem suscipiendam debet adducere, quod mirabilis mirabiliter natus est.* (Contr. Faustum L. 22. c. 64. Hom. 2. super Missus est.) Idem rursus alibi: *Partum virginis propter miraculum Divinitatis elegit.* Bernardus similiter: *Porro Deum hujusmodi decebat nativitas, qua nonnisi de virgine nasceretur. Talis congruebat & virgini partus, ut non pareret nisi Deum.* (De Incarn. pag. 51.) Atanasius ab his non dissentit: *Ideo quòd primùm ad nos accederet, ex virgine sibi ipsi corpus formavit, ut nobis argumentum non tenue suæ divinitatis exhiberet, & eum qui hoc sibi corpus formaverat, aliorum quoque conditorem & formatorem esse. Quis enim videns sine viro ex virgine sola corpus prodire, non secum cogitet, eum qui sub tali corpore appareat, esse quoque reliquorum corporum & conditorem & Dominum?* (Tom. 6. pag. 496.) Chysostomus quoque his suffragatur: *Siquidem in Deo non rerum natura est attendenda, sed ejus qui operatur virtuti fides adhibenda. Lex enim est naturæ cum mulier matrimonio juncta parit. Cùm verò innupta virgo postquam peperit, virgo rursus apparet, tum res naturam excedit. Quod igitur secundùm naturam fit, inquiratur: quod verò naturam superat, silentio colatur, non tanquam fugiendum, sed tanquam inenarrabile, dignumque quod silentio veneremur.* Qui homo suprà hominem nascebatur, supra hominem nasci debebat: ipsique nativitati suæ humanæ, quæ hominem testabatur esse, aliqua Deitatis inserere documenta, quibus se etiam supra homines esse contestaretur. Vulgato enim partu effusum, quis non jure de vulgo hominem conjecisset? At de Virgine natum, meritò intelligimus non teneri corporum legibus, naturæ Dominum esse: corpus sibi quo libitum fuit modo ipsum formasse, ut conditorem omnium; & quò mirabilior & præter usitatas leges prodigiosior est ejus nativitas, eò & Dei dignitati & nostræ de Deo æstimationi fideique magis consentire.

X. 3. Præseminata etiam in rerum natura sunt partus Virginei exempla, aut conamina. Tertiò. Ne stupor alienaret penitùs homines à fide inauditi partus, nonnullis quasi præluserat exemplis, & in ipsa rerum natura virginitatis pariturae fœcunditatem præmonstraverat Deus. Vide Epistolam Evodii ad Augustinum. (Epist. 147.) Ambrosius de Apibus differens: (Hexam. L. 5. c. 20. 21.) *Communis omnibus generatio, integritas quoque corporis virginalis omnibus communis, & partus. Quoniam neque ullo concubitu miscentur, nec libidine resolvuntur, nec partus quatiuntur doloribus, & subitò maximum filiorum examen emittunt, è foliis & herbis ore suo prolem legentes.* Et ibidem cùm ex pervagata fama, vultures sine coitu propagari memorasset, *Quid ajunt, qui solent nostra ridere mysteria, cùm audiunt, quod Virgo generavit, & impossibilem innuptæ, cujus pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in Dei matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Avis sine masculo parit, & nullus refellit: & quia Virgo Maria peperit, pudori ejus faciunt quæstionem? Nonne advertimus, quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem probaret, & adstrueret veritatem?* Pseudo-Cyprianus similiter: (In Symbolum Apost.) *Quid mirum videtur, si Virgo conceperit, cùm Orientis avem quam phœnicem vocant, in tantum sine conjuge nasci, vel renasci constet, ut semper & una sit, & semper sibi ipsa nascendo succedat? Apes certè nescire conjugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est. Sed & alia nonnulla deprehenduntur, uti hujuscemodi sorte nascendi. Hoc ergo incredibile videbitur divina virtute ad totius mundi redintegrationem factum, cujus exempla etiam in animalium nativitate cernuntur? Et tamen mirandum, cur hoc Gentilibus impossibile videatur, qui credunt Minervam suam de cerebro Jovis natam, &c. Et Liberum, &c. Venerem quoque, &c.* Et à natura veris & à fabula commentitiis, sed perinde exprimendæ fidei idoneis, partum Virgineum ita sancti Patres probare nisi sunt experimentis. Nam quod naturæ creditur, quì authori naturę naturam restauranti non permittetur? Quod fabularum nugamenta confinxere, & persuasere, quì divina oracula non persuadebunt?

Elegans autem in primis est illud Eucherii: (To. 2. Bibl. Patrum, pag. 778.) *Præbet nobis aliqua similia de semetipso ordo pariter ac status mundi, ut quod de fœcunditate Virginis in fide credimus, ex aliquo etiam in rerum specie videre possimus. Dic mihi quis intra naturam mortui lapidis, materiam vivi ignis abscondit? Aut unde frigidæ venæ algentis metalli, flammarum semina conceperunt? Ecce post arduæ hiemis sterilitatem, &c. Quis gravidum fœtibus maritat annum? Quis castum arbori subiicit fructum? Videas partum, ubi non potes invenire conceptum: Et inter hæc aliquanti incorruptibilem de corruptione nasci debuisse pronunciant. Ecce quantæ res corruptibiles sine corruptione nascuntur! Quis intra oculi pupillam, quasi intra Virginem matrem, vim lucis inclusit? Quantas deforis species intra se concipiunt lumina, & tamen inviolata videbuntur, nisi affectu peccante violentur? Remove vitium, incorrupta erit aliquoties & fœcunditas: admove vitium, nec ipsa erit casta virginitas. Ea ergo virtute protulit hominem Deus ex inviolato Virginis sinu, qua eum si velit, sine miraculo oculi, nasci jussisset ex oculo.* Par hic rei, atque styli venustas eminet, sed arcana subest & philosophia. Nam cùm intemperias agant, & ad partum Virginis tragicè exclament homines, non rei novitatem adeo, atque suam cæcitatem produnt. Quàm latè patet enim natura rerum, fœcunditas ubique virginitati conjugata occurrat. Nam ut ne phœnicem, ne vultures jam, ne apes, quorum exem-

exemplorum fides penes authores sit, atque alia ne singula & minutiora consecter exempla, paucissima sunt, quæ de maris fœminæque concubitu nascantur, incomparabiliter plura de unius intacta & solitaria fœcunditate pullulascunt. Ubi rejuvenescente natura, obstetricante vere, parturiunt & parturiuntur omnia, summa ubique fœcunditas, perspicua totius naturæ elucet virginitas. Inseminavit enim conditor ipse elementa omnia; adeoque insitis sibi, non aliunde infusis seminibus, hoc est, castissimo partu fœcundantur. Cùm ergo opifex Deus totam rerum naturam, annis singulis recursantibus, pari fœcunditate atque virginitate donet: quid adeo mirum si semel ex hominum gente Virginem eximiam, illibato pudore, intaminata prole donaverit? Etsi enim inusitatius, cur tamen difficilius videbitur, ex virgine parente hominem, quàm ex virgine planta florem exilire? Cur tamen multiplici fructu quotannis arbor, & non singulari sobole semel fæmina castè ac virginaliter gravidabitur? Quin potuerit author præstare, ut tam virgo mater hominem, quàm virgo pupilla lucem & concipiat, & fundat?

Nec prætermitti potuit illud humiliter, sed affectatè petitum à verme exemplum, quem terra virgo & mater parit. Non inaniter enim inculcarunt illud sancti Patres. Gaudentius: *Vermi seipsum jam tum per Prophetam comparare dignatus est, & hoc quidem non sine ingentis ratione mysterii. Constat enim sine coitu generantis, futuræ apis vermem nasci, cujus labores, reges & mediocres ad sanitatem afferunt. Labores enim passionis Christi quem velut apem, virginem permansurum virgo mater edidit, tam reges à regendo, summi videlicet Sacerdotes, quàm mediocres quique se sequentium, vel ordinis Levitici, vel fidelium plebis, in figura corporis ejus & sanguinis, pro salubritate vitæ communis, & agnitam dulcedinem mysteriorum, conscio ore testamur, Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* Sic ille Christum componit vermi secundùm scripturæ authoritatem, sed illi ex quo Apis erumpit, quòd virgo ex virgine nascatur, quòd mel conficiat, sufficiatque mysteriis panis & vini germinantis virgines, & virginitatem latè in ministros participesque omnes propagantis. Hoc ipsum Ambrosius paulò aliter nec minùs eleganter interpretatus est: *Magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola & pura terra procreatur, ideò illum comparatum Domino. Quoniam & ipse Salvator de sola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moysi de manna vermiculos procreatos. Digna plane & justa comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de virgine procreatur. Quin potiùs ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis & splendida; suavis & virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit; quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit.* Comparat & hic Christum vermi de matre virgine nascenti, sed illi qui de manna scaturiebat. Manna autem Maria est, cujus suavitas melliflua cùm virginitatis fragrantia in eadem Ecclesiæ mysteria propagatur. Eadem Ambrosii verba reperies in Homilia Maximi de Dominica in Ramis palmarum.

Serm 19.

In Psal. 21.

XI. Sed partu sterilium maximè prælusum, præstructaque fides est partui virgineo.

Eodem spectat & illud agmen virorum, virtute & plerumque prophetia olim conspicabilium, quos sacri codices perhibent de parentibus editos desperatæ sterilitatis. Partum virgineum partu sterilium portendebat, & adversus incredulitatem præmuniebat Deus. Insuefiebant homines spe omni prolis abdicata, prolem à Deo inopinatam excipere, & nullam sterilitatem Deo inexpugnabilem credere. Præstruebatur fides Christi per Prophetas Christi, & hæc altiùs fundabatur opinio, homines meritis & sanctitate egregios, egregia & præter solemnes naturæ leges nativitate nasci debere, & futuræ vitæ sanctimoniam inusitatam ex ipsa nativitatis insolentia ominandam esse. Jam verò ferè operosius est sterilem fœcundari, quàm virginem. Colliditur enim adversa fronte, pugnatque fœcunditati sterilitas, non virginitas: non excludit prolem virginitas, sed concubitum: non excludit concubitum sterilitas, sed prolem; ergo prole donari sterilem penè operosius est, quàm virginem. Chrysostomus: *Dicamus & causam propter quam mulieres illæ steriles fuere. Quænam igitur est causa? Ut cum videris virginem Dominum nostrum parientem, ne sis incredulus. Exerce enim hic tuos sensus, inquit, in vulva sterilium, ut cum didiceris ligatam & emortuam vulvam divina virtute ad procreationem aperiri, inde copiosis argumentis acceptis, non admireris. audiens quod pepererit; imò admirare, & obstupesce, sed ne sis incredulus miraculo. Quando igitur tibi dicit Judæus, quomodo peperit virgo? dic ei, quomodo peperit sterilis & vetula? Duo impedimenta tunc erant, & ætas intempestiva, & natura vitiata; in virgine autem unum impedimentum fuit, quod non esset particeps concubitus. Sterilis igitur jam viam parat virgini.* Subdit exemplum Angeli, qui Mariæ fidem fecit partus virginalis, argumento petito à sterilitate Elisabethæ superata. Eadem habet Chysostomus alibi.

Hom. 49. in Genesim.

To. 5. serm. 56. 57.

XII. 4. Et Adamus ex nullis nuptiis, sed ex virgine limo formatus est.

Quartò, primus parens nullis ex nuptiis procreatus est, sed vel ex terra virgine, vel Dei unius manu & afflatu formatus. Utrobique virginitas, seu terram ex qua, seu manum per quam formatus est, inspicias. Ergo non tantùm primus, sed summus parens, & primi parentis restaurator, restitutæque totius gentis author & princeps, partu virgineo effundendus fuit. Cùm ergo necesse fuerit eum de gente ipsa per peccatum superata nasci, ut eidem ipsi suam de peccato victoriam adsereret, insereretque; nec potuerit nisi virgineo puerperio nasci, inde conveniens fuit, ut de virgine gentis ab Adamo satæ nasceretur. Tertullianus ita differit, *Novissimus Adam dictus, de consortio substantiæ commercium nominis traxit, quia nec Adam ex semine caro, quod & Christus.* Ambrosius similiter, *Vides quemadmodum suis nodis præjudicia resolvantur, & suis divina beneficia vestigiis reformentur. Ex terra virgine Adam, Christus ex virgine.* Sed paulò luculentiùs idem Ambrosius alibi: *Adam de terra virgine natus est, & Christus de Maria Virgine procreatus. Illius maternum solum necdum scissum fuerat, istius maternum secretum nunquam concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur è limo: Christus Dei spiritu formatur in utero. Uterque ergo oritur cum patre, uterque virgine utitur matre; uterque sicut Evangelista dicit: Filius Dei est, sed Adam creatura est, Filius Christus vero substantia.* Augustinus his succinit, *Grande nobis mysterium divina majestas in Adæ figura præmisit. Sicut enim Deus noster cum primum Adam facere vellet, non ex conjunctione viri & mulieris hominem ut esset, effecit; sed accipiens terram, inde hominem divina quadam arte formavit: ita sine virili conjunctione, Deum in virginali alvo incorporari dispensavit. Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per Mariam Virginem procreari? Quoniam sicut Adam ex terra virgine figuratus est, ita & Christus ex virgine natus agnoscitur. Ibi tunc flatus Dei de terra vivum hominem surgere fecit ad vitam: hic mundum Spiritus sanctus de Maria Virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascitur, hic reparatur, & resuscitatur in Christo.*

L. de resurr. carnis.

Initio L. 4. in Lucam.

Serm. 37.

Serm. 13. de Tempore.

E Græcis unus omnium instar erit Proclus Cpolitanus Episcopus: *In omnium primo formato homine Adamo, pro matrice divinæ fuere manus, pro semine terreus pulvis: pro mensibus conditoris æternitas: pro parturitionis dolore, impatibilitas plasmatoris: pro paritura, divina insufflatio; pro lacte, paradisi fons: pro alimento, mensa nullo labore*

Orat. 2.

composita: pro forma, primarii exemplaris imago; pro majestate, immortalitas per gratiam: pro famulitio, animantium cum ipso formatum genus. At ita quidem formatus, editus fuit in lucem, partus nulla molestia, nullave sordes tentus. Erubescant Judæi, qui virgineum partum insectantur, & irrident, dicentes, si virgo peperit, nequaquam virgo permansit. O infœlix, Adam productus est in mundum, nec tamen ulla molestia aut labes efformatam effecit effigiem; & Deum secundum carnem natum, ipse partus lue labeque inficiet? Idcirco namque Christus Dominus secundùm carnem secundus Adam dictus est, quoniam is qui præcessit primus Adam, Christi Domini extitit figura. Lutum nimirum adumbravit figulum.

Ad idem spectat & illud Theodoti Ancyræ Episcopi: *O Virginem quæ ipsum vicit deliciarum paradisum! Ille namque sine semine genus omne plantarum stirpiumque protulit, ex virgine terra exortis plantis: hæc autem Virgo melior est illa terra. Non enim pomorum protulit arbores, sed virgam Jesse, fructum salutarem hominibus afferentem. Et illa terra virgo erat, & ista virgo. Sed ibi quidem arbores nasci præcepit Deus, hujus autem Virginis ipse Creator secundum carnem factus est germen. Neque illa terra ante arbores plantaria suscepit, neque hæc ex partu virginitatem læsit. Ille enim Dei cultura factus est: hæc autem secundum carnem Deum ipsum excoluit.* Ubi non Adami jam privilegium est, quòd de terra virgine per solum Dei Verbum inseminata nascatur: sed id cum omnibus plantis arboribusque commune ipsi est.

Conc. Eph. par. 3. c. 9.

Accedit & illud Augustini, ubi tres præcessisse edendi hominis modos, quartum superfuisse, Christoque destinatum fuisse, disserit: *Primus homo quo cadente omnes cecidimus, cujus ruina est mortalitas nostra, non est natus, sed factus, patre nullo, nulla matre, sed Deo operante. Hæc hominis prima conditio Adam de terra. Secunda conditio est hominis, qua creatur fœmina de latere viri. Tertia conditio est hominis, qua natus est homo ex viro & fœmina. Quarta conditio est Dei & hominis, qua natus est Christus sine viro de fœmina. In his quatuor conditionibus una sola nobis usitata est, cæteræ non sunt in oculis carnis, sed in fide cordis, &c. Jam ergo erat una sine viro & fœmina: jam erat altera de viro sine fœmina: jam erat tertia de viro & fœmina: quarta restabat sine viro de fœmina; sed ista quarta liberavit tres. Prima enim & secunda ruerunt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta salutem invenerunt. Exultent ergo virgines, virgo peperit Christum.*

Serm. 16. de Tempore.

Paulò aliter Chrysologus: *Quid mirum modo, si virginis habitavit in utero, qui mulierem hominis sumpsit è latere? Ipse hominem mulieris resumpsit ex utero, qui virginem viri formavit ex corpore: ac perinde homo quæ tibi videntur nova, Deo habentur antiqua.*

Serm. 141.

Nec minùs lepidè S. Eucherius: *Illa omnipotentia & virtute ex sola fœmina virum protulit, qua inter rerum principia ex solo viro fœminam procreavit. Nam si altius nascentis mundi repetamus exordia, primus homo de rudi producitur terra, secundus de viri costa, & modò hic de matre casta. Vides in Christi nativitate miraculum non jam primum esse, sed tertium.*

To. 2. Bibl. Patrũ, pag. 778.

Cyrillus denique Alexandrinus: *Oportebat igitur quandoquidem pro insita sibi benignitate, lapsum genus in priorem statum reformare volebat Deus, alterum veluti generis principium renasci Christum, & in lucem edi per sanctam Virginem: non tamen carnalem Patrem accipere, ut & cum ipso Deum habeamus omnes Patrem, per ipsum & in ipso ad istius gloriæ initia redeuntes.*

Dial. 6. de sanct. Trin.

XIII. Christo & Adamo in hac re quid conveniat, quid minus conveniat.

Ex iisdem aliisque sanctis Patribus ejusmodi testimoniorum seges copiosissima colligi posset. Ex his quæ parcè carpsimus, satis elucet, 1. Ne splendore & privilegiis antecedat primus Adam novissimum, terrenus cælestem, periturus redemptutum; hujus ut & illius originem ab puro & illimi castitatis fonte repetendam esse. Ut ergo terra nullodum compressa opere, nullo subacta semine, & quasi Virgo Adamum protulit, ita Christum Virgo peperit inviolabilis & intacta. 2. Ut Adamus Dei satu, Dei manu, Dei Spiritu formandus, nullius carnalis parentis operam desideravit, abundè contentus Deo seminante, Deo obstetricante, Deo vivificante: ita Christus divino semini, divinæ omnipotentiæ, sancto Spiritui suos natales debeat. 3. Ut Adamo unus parens Deus est, ita & Christo. 4. Et tum per Adamum carnaliter, tum per Christum spiritaliter nostra omnium tum nascentium, tum renascentium origo in Deum, ut primum summumque parentem nostrum refundatur. 5. Ex fœmina autem Virgine, quàm ex terra Virgine nasci, tum nobilius est, tum facilius. Nam seu virginitatis seu aliarum virtutum umbræ tantùm appingi possunt terræ; at fœminæ Virgini & castitatis & sanctitatis lux ornatusque uberrimus affuit. Nobilior ergo Virginis fœminæ, quàm Virginis terræ partus. Sed & minùs operosè nascitur, crediturque. Nam hominem ex homine nasci, quàm ex terra, minùs inopinatum, minùs insolens est; ibi enim unius parentis, hic utriusque supplendæ sunt vices. 6. Et quid attinet laudes eximias Adæ venditare, illasque vendicare Christo? Cùm non Adamum tantùm, sed & plantas arboresque & totas paradisi opes terra profuderit inarata & intacta hactenus & virgo, solo Dei maritata Verbo, solo Spiritu Dei gravidata. 7. Cùm quatuor tantùm excogitari queant procreandi hominis rationes, sine masculo & sine fœmina; ex masculo sine fœmina; ex masculo & fœmina; ex fœmina sine masculo: cùmque tres priores usurpatæ essent hactenus, quid adeo mirandum est, si quarta semel usurpetur? Sed cùm tres priores hominis perniciem vel non avertissent, vel intulissent, vel propagassent; quarta opus erat nativitate, quæ priorum ruinas sarciret, metumque ruinæ ac periculum invictissimè profligaret. 8. Utraque autem prior hominis conditio, seu viri de nullo viro aut fœmina, seu fœminæ de viro sine fœmina; nihilo minus aut miraculi præfert, aut stuporis infert quàm tertia, scilicet viri de fœmina sine viro. Sed illis hæc præstruebatur: ne jam sibi novum causetur incredulitas, quòd Deo vetus est; & ne tertius saltem locus negetur Christo. 9. Ubi fœmina de solo viro semel fabricata est; tum jus fundatum, tum merito præjudicatum illud est, ut & aliquando de sola fœmina vir procrearetur. 10. Tertulliani locus eximius non excidet. Sic autem ille philosophatur. Sicut diabolus Evam virginem verbo exitiali præceperat invadere, & quasi seminare; ex quo diaboli semine enixa illa deinceps est non tam homines, quàm fratricidas, & sceleстos omnes: ita sed auspicatiùs Mariam Virginem Deus Verbo suo salutifero gravidavit, ex quo salutem omnium parturivit. *Sed & hic ratio defendit, quòd Deus imaginem & similitudinem suam a diabolo captam, æmula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ; ut quod per ejusmodi sexum abjerat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Sed Eva tunc nihil concepit in utero ex diaboli verbo. Imo concepit. Nam exinde ut abjecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam. Contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem, Israel, interemptorem suum, salvum quandoque præstaret.* L. de Carne Christi.

CAPUT IV.

Iterum cur de Virgine decuerit Verbum incarnari & nasci.

I. Creator ut non corrumpit aut violat creaturam, quam ab ea nec corrumpitur, nec violatur.

QUintò, nec Creator creaturam, nec vicissim Creatorem creatura aut commaculare potuit aut corrumpere. Ergo seu in fœmina concipiatur, seu ex ea nascendo progrediatur Deus, nec nascentis majestas, nec parentis pudor aut integritas fuscabitur. Nec enim figulus, dum lutum suum contrectat, maculatur; nec Creatoris manus, dum creaturam fingit, sordescit. Cæterùm quàm non inquinatur virginea membra fingendo, tam nec inquinatur de virgine nascendo. Si non inquinatur autem nascendo, hauddubio nec inquinat. Multò enim manifestius est non inquinari lutum à figulo. Deinde Creatoris adventus & contubernium suam virgini integritatem reddiderit potiùs, quàm abstulerit: firmaverit potiùs, quàm imminuerit. Denique qui integritatem commendaturus adventabat, eam è vestigio non attrivisset. Augustinus luculentè prorsùs de his disputat: *Dicit tibi Deus creator hominis, filius hominis: Quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem de qua nascerer feci. Ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hæc quam despicis Manichæe, mater ista mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cum eam facerem, potui in illa inquinari cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic & mea non est ibi maculata majestas. Si Solis radius cloacarum sordes desiccare novit, eis inquinari non novit: quanto magis splendor lucis æternæ in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest?* Fulgentius in eandem sententiam ita disserit: *Dominus verus veram ex Virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat, ut integritatem virginitatis creator humanæ carni Dominus in conditione tribueret, & idem carnis humanæ susceptor Dominus, quod fecerat, redempturus, virginitatem carni de qua nascebatur, auferret.* Cyrillus Jerosolymitanus Episcopus: *Decebat sanè purissimum puritatis doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Jesum bene fungitur sacerdotio, abstinet à muliere: ipse Jesus quomodo ex viro & muliere proditurus esset? &c. Non reveretur autem ex membris ejusmodi assumere carnem, qui est ipse membrorum creator, &c. Qui igitur in creandis hominibus attingit membra, & non reveretur: numquid in creanda sancta carne & velamento illo Deitatis, propter seipsum reverebitur? Deus est qui in ventre etiam nunc fabricat infantes, &c.* Et aliquantò inferiùs: *De Virgine natus est, virgine efficiens anima,* ὁ παρθενοποιὸς τῆς ψυχῶν. Necesse ergo fuit jam inde à nativitatis, id est à magisterii sui exordio, ut ne dictandis post hac virtutum documentis & fundamentis dogmatum præjudicaret. Nam virginitatem qui suaderet docendo, quam temerasset nascendo? castitatem mentium qui largiretur, qui nec corporum servasset? Creatorem se Deumque qui persuaderet, cùm nihilo mirabiliùs cæteris hominibus editus esset?

L. de quinque hæresibus, c. 5.

L. 1. de Verit. prædest. & Grat. c. 2.

Catech. 12.

II. Deitas ipsa est incorruptio, non ergo virginitatem parentis temerabit.

Sextò, incorruptio ipsamet cùm sit Deus Verbum, nihil corrumpet. Incorruptibilitatis largitor, ipsum anticipatæ incorruptibilitatis florem, & resurrectionis immortalitatisque beatæ præcocem delibationem, ejusmodi est enim virginitas, non dissipabit. Verbum est veritas incorruptibilis, at veritas non potest non munda nasci; veritas non devirginat, sed castificat corpora animasque. Theodotus Episcopus Ancyræ: *Deus hodie ex Virgine apparuit, & Virgo virginitatis integritate retenta, effecta est mater. Nam incorruptionis largitor corruptionem non efficit: incorruptionis author nihil corrumpit.* Basilius de vera Virginitate disserens: *Præoccuparunt denique virtutis opere Virgines, quod in regeneratione per eam corporum mutationem quæ in resurrectione continget, in ipsis Dei virtute perficiendum est. Hic enim Angelorum instar, neque nubunt, neque nubentur: verum & virtute animæ, & corporis integritate, Angelis æquales sunt. Porro quod incorruptibilis vitæ semen è terris ad cælum transferendum singulari gloria virginitatem Dominus noster esse voluerit, & incorruptionis honestati per integerrimam castitatem corpora nostra consuescere; ex eo in primis constat, quòd cum legi in omnibus obtemperaverit, solum conjugium renuit. Oportebat enim ut qui ex intemerata virgine incorruptus etiam secundùm carnem natus erat, nec conjugii quidem corpoream experiretur corruptionem, &c. Et sicut Adam præsentis vitæ semen per conjugii voluptatem fuerat: ita & ipse futuri sæculi semen per virginitatis integritatem fieret.* Ubi notat futuræ incorruptibilitatis primitias & quasi præcoquos fructus per virginitatem hìc legi: Christum autem esse semen futuri illius incorruptibilis sæculi; ex quo liquescit, quàm consequens fuerit, ut virginitatem & in suo & in parentis suæ corpore dedicaret. Gregorius Nyssenus: *Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Decebat enim ut qui in incorruptionem omnimodam futurus erat humanæ vitæ, ab incorruptibilitate natalibus suis deserviente initium duceret.*

Conc. Eph. par. 3. c. 10.

Tom. I. pag. 667.

Tom. 3. in Nativit.

Augustinus quoque his concinit: *Quid agis Manichæe? Christianum premis, non Christum defendis. Taceat immunda vanitas, quia munda nata est veritas.* Et idem alibi: *Dignum erat ut Deo nascente, meritum cresceret castitatis; nec per ejus adventum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta; nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritalis.* Bernardus similiter: *Jam securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea: quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in matre sua. Facile erit ei, per quam mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo, ut & corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo.* Leo Magnus: *Oportuit ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris & sanctitatis hospitium, divini Spiritus virtus infusa servaret; quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ donare virtutem; ut virginitas quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis confitendo, & renascendo.*

L. adversus quinque hæreses, c. 5. Et ser. 19. de Tempore.

Serm. 4. in Vig. Nativ.

Serm. 2. in Nat. Dom.

III. Quocumque modo, etiam dum in homine assumpto nascitur incorruptio, veritas incorruptè & virginaliter nasci debet.

His Patrum suffragiis significatur 1. Deum, sive incorruptionem incorruptè nasci debuisse; nam etsi qua homo nascatur, nascitur tamen Deus; gestat enim Deitatem, Deitatisque incorruptibilitatem hæc humanitas; divinisque dotibus ita perfunditur, Deitatem ita imitatur, ut alienum ab ea sit, quidquid Deitati infestum est. 2. Cùm nascitur veritas, illibatè nascitur: virgo contaminata est veritas, & cùm carne amicitur, non ejus corruptione marcescit, sed sua illam munditie castificat. Ergo & in carne ubi nascitur, ex virgine intaminata nascetur. Ut quid enim in carne nascitur, nisi ut carni se suasque laudes inserat veritas? at quid spei superest, ut carnis vitia obruat, carnique spiritalem castimoniam inspiret, si eam nascendo deflorat? 3. Venit Deus in carnem, ut corrupta sanet, non ut sana corrumpat: ut elisa integret, non ut integra lædat; non ergo ita nascitur, ut integritatem & pudorem nascendo profliget. 4. Christus qua homo est, semen est futuri sæculi, seu semen est incorruptibilitatis; sicut primus Adam post prævaricationem, semen fuit & seminator totius corruptibilitatis. Ergo ut hic libidinoso concubitu posteros seminavit in corruptionem, ita

Christus virginali partu atque conceptu auspicari & præire debuit melius sæculum in incorruptionem. 5. Futuri sęculi incorruptibilitas laude virginitatis potissimùm floret, & eo nomine à Christo ipso maximè commendatur; ergo dux & auspex futuri sæculi ubi exoritur Christus, jam inde virginitatem dedicare atque illustrare debuit, non profligare.

IV. Virtutes spiritales, & ipsam maximè virginitatem ipsa Christo caro spirare debet.

6. An excitabat spem incorruptibilitatis consequendæ in carne mea, qui nec illam tueri potuerit in matre sua? 7. Virginitatem mentis & docendo & infundendo conciliaturus venerat. At quid spei subiicit, ut mentibus vindicet integritatem, quam corporibus eliminat? Deinde magisteria Christi etiam corporis ejus gestis moribusque consignantur. Corpus enim illud Verbo, veritati, & justitiæ ipsi substantialiter & hypostaticè vindicatum, in nomen, jura, atque officia Verbi ipsius assumitur. Unde quod in Christo corporaliter gestum est, in animabus nostris id suo modo imitandum præcipitur. Idque providè consultum est postquam mentes nostræ per peccatum corporatæ quodammodo sunt, & carnales evasere ita, ut deinceps per corpora ad incorporea Christi fuerint sublevandæ. Igitur cùm corporea Christi gesta, ipsamet fuerint sempiternæ veritatis documenta, virginitatis ut amorem accenderet legemque præscriberet, necesse fuit ut in ipso vitæ mortalis vestibulo, illam tum in suo, tum in matris corpore consecraret. 8. Corpori suo, & per suum corpus nostro mores virtutesque Deitatis inseruit Christus; huc enim pertinet Verbi in humanitatem physica insertio, aut humanitatis in Verbum, ut humanitas universa divinis moribus imbueretur. At integritatem incorruptionemque divinam quomodo in corpus suum & per suum in nos omnes diffudisset, si quæ contigua & proxima illi inhærebat mater, exors ejus fuisset?

V. Verbum etiam dũ carne nascitur, suos mores retinet & fide magis mentis, quã carne nascitur.

Septimò, Verbum nascitur, Verbum concipitur, ergo fide priùs & fide magis concipitur nasciturque, quàm carne, etsi verissimè concipitur nasciturque carne. Augustinus: *Qualem de virgine nasci oportebat (carnem Christi) quam fides matris, non libido conceperat.* Et L. 13. de Trinit. c. 18. *Et tamen ex virgine, cujus conceptum, spiritus non caro, fides non libido prævenit. Nec interfuit carnis concupiscentia per quam seminantur & concipiuntur cæteri qui trahunt originale peccatum, sed ea penitùs remotissima, credendo non concumbendo sancta est fœcundata virginitas: ut illud quod nascebatur ex propagine primi hominis, tatummodo generis, non etiam criminis originem duceret. Nascebatur namque non transgressionis contagione vitiata natura, sed omnium talium vitiorum sola medicina.* Et alio loco idem; *Deus nascitur, virgo sine viro gravidatur, viri nesciam sermo Dei maritat. Simul facta est mater & virgo; mater facta, sed incorrupta; virgo habens filium, nesciens virum. Semper clausa, sed non infœcunda. Solus enim sine peccato est natus, quem sine virili complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.* Congruunt planè Verbo nascituro illa verba, ut illud fides matris, non libido conceperit; ut ejus conceptum fides, non libido prævenerit: ut virgo mater credendo, non concumbendo sit fœcundata: ut illam viri nesciam sermo Dei maritaverit: ut denique Filium Verbum Deumque non concupiscentia carnis, sed obedientia genuerit mentis. Leo Mag. *Diligite castimoniæ puritatem, quia Christus virginitatis est filius.* Scitè id quidem: nam Verbum non tam virginis quàm virginitatis est filius; quia fide & sanctitate concipitur, etiam cùm carne nascitur.

Ench. c. 34.

Serm. 9. de Tempore.

Serm. 1. in Epiph.

Fulgentius in serm. de laudibus Mariæ: *Quoniam diabolus per serpentem Evæ locutus, per Evæ aures mundo intulit mortem: Deus per Angelum ad Mariam pertulit Verbum, & cunctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, & Christum virgo concepit. O conjunctio sine sordibus facta, ubi maritus sermo est, & uxor auricula! Hoc splendore concipitur Dei Filius, hac munditia generatur.* Maria ergo quæ sermone maritatur, quæ Deo per auriculam copulatur, fide utique concipit, quem carne concipit, ideoque virgo concipit & carne. Illa enim mentis virginitas tanta est, quanta & corpori castificando sufficit. Unde subdit ibidem Fulgentius: *Crevit ejus partu integritas corporis potiùs quàm decrevit: & virginitas ampliata est potiùs quàm fugata.*

Proclus Episcopus Constantinolitanus: *At planè Emmanuel naturæ quidem portas reseravit, ut homo; virginitatis autem claustra non violavit, neque perrupit ut Deus. Ita namque ex utero est egressus, sicuti per aurem ingressus; ita natus, sicuti conceptus: impatibiliter illapsus, incorruptibiliter elapsus.* Et alibi: *Sancta quidem virgo suum commodavit uterum, Verbum per aurem est illapsum, & Spiritus sanctus vivum efformavit templum.* Ubi constanter retinet Verbum suam proprietatem, etiam cùm carne concipitur, ut per aurem illabatur, idemque incorruptibiliter & illæso matris pudore concipiatur.

Orat. 1. ante finem.

Orat. 3.

Theodotus Episcopus Ancyræ: *Ut homo nascitur, & ut Deus Verbum virginitatem servavit. Neque enim nostrum Verbum cùm paritur, corrumpit mentem; neque Deus Verbum substantiale & subsistens, partum eligens, perimit virginitatem.* Etiam qua homo, Deitatis suæ genium & mores retentat Deus Verbum: ut ergo Verbi est dum nascitur, mentis virginitatem non temerare, sed illustrare; ita Verbi divini est dum carne nascitur, nec matris ex qua nascitur obsignatam solvere castitatem.

Conc. Ephes. part. 3. c. 9.

S. Gaudentius Brixiæ Episcopus: *Non alius ex Maria natus est, quàm qui per maternas illapsus aures, uterum virginis opplevit: sancto videlicet Spiritu ipse formans hominem suum.*

De Natali Dom. Tr. 13.

S. Zeno Veronensis Episcopus: *Mixtus itaque humanæ carnis se finxit infantem. Mariæ superbus emicat venter, non munere conjugali, sed fide; verbo, non semine. Decem mensium fastidia nescit, utpote quæ in se creatorem mundi concipit, parturit, non dolore, sed gaudio.* Et rursum: *Mira res, concipit Maria de ipso quem parit: tumet uterus majestate, non semine, &c. Parturit Maria, non dolore, sed gaudio.* Non alius Verbo, Verbique carni consentaneus fuisset conceptus, quàm ut conciperetur matris fide, non voluptate: Verbo, non semine; pareretur, matris gaudio spiritali, non dolore carnali.

De Nativit. Christ. serm. 1.

S. Hildephonsus libro de Virginitate sanctæ Mariæ: *Tam verè utero carnis concipit & generat, quàm verè utero mentis accipit & enarrat: uno enim Spiritu & ad fidem fœcundata est, & ad prolem.* Et idem alio loco: *Non expavescas partum Virgo, non metuas; neque multum sis inexperta formidine. Tantum crede, & concepisti: ama, & peperisti. Spiritus enim sanctus superveniet in te, &c. His Maria auditis, jam fidei semine gravida, priùs & Christum mente quàm ventre concipiens, respondit Angelo, &c.* Caro igitur Verbi instar habet ipsius Verbi; dotibus ejus respergitur, ejus ingenio temperatur, credendo concipitur, pariter amando. Etsi verissima caro sit, fidei semine seritur, de Spiritu sancto seu de charitate concipitur, corde priùs quàm ventre excipitur, &c.

Cap. 8.

In Nativ. B. Mariæ.

S. Epiphanius illa ad Prophetam Dei verba: *Sume tibi librum, & scribe in eo stylo hominis*: ita interpretatur, ut liber iste sit Maria Virgo, cui per Spiritum sanctum inscriptum sit Verbum incarnatum: *Sume tibi tomum, &c. Addidit chartæ, ut illa in utero velut scribendi vim declararet. Postremo, novæ subjecit, ob recentem inviolatumque castitatis in virgine florem, &c. Deinde scribe, inquit, in eo stylo hominis. Non dicit, scribet in eo quibusdam stylo hominis, neque scribet in eo homo: ne quam inde Ebion occasionem acciperet, &c. Verum Isaiæ ante* 753. *annos plus minus, dixit, scribe,* Hæres. 30.

ut ex

ut ex toto illo tempore de rei veritate constaret, quod nemo ante hos annos 753. eum qui nasciturus erat, stu propagare posset. Num igitur frustra dixit Propheta, scribe? Minimè vero. Sed ut ille idem qui Prophetæ inerat Spiritus Sanctus, ostenderet, generationis se Christi quatenus carne constabat, verè authorem & efficientem esse. Quam ejus loci interpretationem turmatim alii amplexati sunt Patres. Inde autem testatissimum fit, Verbum ut dum mente concipitur, mentis: ita dum chartæ inscribitur, chartæ integritatem puritatemque non dilacerare, non dedecorare, sed tueri & cohonestare. At cùm Verbum in carne concipi voluit, quasi ex paternæ mentis recessu, ubi carnales jam homines illud legere & intelligere nequibant, in charta exscribi se ac promulgari decrevit.

VI. Spiritalis omnis fœcunditas virginitatem inexpugnabiliter retentat.

Plura hic assuerem, nisi aptiore loco differrentur. Ex his autem observa 1. Id peculiare esse Verbi ut dum seu concipitur, seu paritur mente, mentis virginitatem non contaminet, sed nobilitet. 2. Quin partum omnem intellectualem, virgineum pariter esse. Nam intelligibile quodcumque solum, incorruptibile pariter est; & quidquid inde florum, quidquid fetuum prorumpit, sospite sua, sospite soli integritate prorumpit. Quin integritas ipsa virginitasque, non corporea utique laus est, sed intelligibilis virtus, & ex intellectualium cœlo in corporeas naturas radiat. 3. Verbum dum carnem induit, sua in illam transcribit privilegia. Ut ergo Verbum, ita & Verbi caro virginale sibi jure quodam suo arrogabat puerperium. 4. Cùm tota in primis eò collinearet incarnationis dispensatio, ut homines qui per peccatum evaserant etiam mente carnales, fierent etiam carne spiritales: spiritalitas Verbi in carnem ejus transfundenda fuit. Quando enim hanc carnem in exemplar & specimen, in causam & originem spiritalis munditiæ nobis Deus præstituebat: si carnaliter illa de conjugio, non spiritaliter & incorruptè de virgine erupisset utero, quàm tota illa spes frustrata esset? An enim illa caro virginitatem meæ indet menti, quàm suæ corrupit matri? An illa caro regenerationem mihi instaurabit incorruptibilem, quæ per generationem ipsa emersit corruptibilem? 5. Verbum è paterni sinus latebra in carnem exilire, per eamque se hominibus peccati caligine cæcutientibus repræsentare, perinde quodammodo est, ac Verbum è mentis latibulo prodire, & in charta exaratum prostare. At ibi chartæ integritas puritasque mentis virginitatem imitatur proximè. 6. Verbum etiam dum corporibus illabitur, per aures illabitur; illi maritantur aures, illo fœcundantur: at ibi constat intaminata virginitas cum fœcunditate. 7. Eam vim habet quod in scripturis commendatissimum est, Christi carnem de Spiritu sancto conceptam esse. Nam Spiritus sanctus utique fides est, obedientia est, charitas est, omnium virtutum forma & fons est. Harum utique virtutum semina Mariam fœcundarunt, carnem Christi germinarunt. 8. Conceptus omnis partusque, ab amore ut authore & parente certissimo & efficacissimo perficitur. Nam & carnales liberi non tam carne quàm amore seminantur. Torpet enim caro, frigetque ac sterilescit, nisi excitet, vegetetque ac fœcundet amor. Amor, inquam, non libido, quæ amoris intemperies ac procacitas est. At quo amore Verbum Dei incarnandum concipi seminarique, amabo te, decebat? An maritali conjugis hominis æstu, quantumvis modesto & sobrio, hominis tamen æstu & amore decebat? Quin imò decebat amore veritatis flagrantissimo, & ex anima in corpus ipsum parentis castissimæ exundante, veritatem corporari & concipi: ejusdemque divini amoris maturescentis, nec capientis se jam, sed gestientis erumpentisque gaudio, pari & in auras fundi. Et hoc fulciuntur fundamento ea quæ sacri codices, quæ sancti Patres sæpissimè decantant, Christum de Spiritu sancto conceptum esse, Mariam Verbo maritatam fuisse, fide gravidatam, corde priùs quàm corpore concepisse, obedientia & spiritali gaudio genuisse. Quæ omnia oscitanter nimis & supina mente legi solent, quasi acutè magis quàm solidè dicta, cùm tamen accuratissima & physica illa sit conceptus Christi ratio, quæ vix aliter potuerit expediri. Sed de his alibi.

Atqui Christus in carne etiã spiritualiter nascitur, & de Spiritu sancto nascitur.

VI. Corporalis Christi nativitas spiritalem nostram præformat, Ergo virginitatem illibatam retentat.

Octavò, nascitur Christus, renascitur Christianus: illa generatio hujus regenerationis exemplar, causa & sacramentum est. Nam quod in Christo corporaliter, hoc in nobis exprimendum est & spiritaliter primò, & posthac etiam corporaliter. Habitat enim in Christo Deitas corporaliter, in nobis spiritaliter primò, postea & corporaliter. Item Christus non verbis nudis, sed factis magister est; nec factis tantùm transeuntibus, sed ipsa sua substantia magister est & magisterium. Ergo jam inde à vitæ primo limine auspicatus est, ut ita nos edoceret renasci, sicut ipse voluit nasci. At Christianus renascitur de virgine matre, seu de Ecclesia; concipitur fide, non carne; gignitur charitate, non cupiditate; paritur gaudio spiritali, non corruptela carnali. Tertullianus: *Quid fuerit novitatis in Christo ex virgine nascendi, palam est: scilicet solummodo hoc quod ex virgine secundum rationem quam edimus: & uti virgo esset regeneratio nostra spiritaliter, ab omnibus inquinamentis sanctificata per Christum, virginem & ipsum carnaliter, ut ex virginis carne*. Vides virginalem spiritaliter nostram regenerationem dedicandam auspicandamque fuisse in virginali carnaliter Christi generatione. Nam quia ad incommutabile virtutum intelligibilium lumen peccato caligaveramus, necesse fuit virtutes ipsas in Christi carne corporatas nobis repræsentari. Leo Magnus, *Cujus spiritalem originem in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis: eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit & virginem*. Et infrà: *Originem quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim altissimi & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem*. Et denuò idem Leo: *Et per virgineam Ecclesiæ fœcunditatem, partus regenerationis augeri*. Et alibi rursum: *Ipse est qui de Spiritu sancto ex matre editus virgine, incontaminatam Ecclesiam suam eadem inspiratione fœcundat*. Non potuere Christiani aliter renasci, ergo nec Christus aliter nasci, nisi si deficere potuit ab imagine veritas. Augustinus his assentitur: *Ecclesia quæ imitans ejus matrem, quotidie parit membra ejus, & virgo est*. Et idem alibi: *Proindè quia veritas, & pax, & justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite: ut quod egit uterus Mariæ in carne Christi, agat cor vestrum in lege Christi. Quomodo autem non ad partum virginis pertinetis, quando Christi membra estis? Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia. Nam ipsa quoque & mater & virgo est; mater visceribus charitatis, virgo integritate fidei. Pietate populos parit, sed ejus membra sunt, cujus ipsa est corpus & conjux: etiam in hoc similitudinem gerens illius Virginis, quia & in multis mater est unitatis*. Et denuò idem alibi: *Ecclesia ergo imitans Domini sui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen & virgo & mater est. Nullo itaque modo virginitatem matri suæ nascendo Christus ademit, qui Ecclesiam suam de fornicatione dæmonum redimendo, virginem fecit*. Quibus locis Augustini includitur illa capitalis ratio qua hæc conclusio nititur, quòd Christus etiam in carne sit Deus, id est veritas, pax, justitia; ideoque & in capite & in membris, sive à Maria sive ab Ecclesia concipi & parturiri debeat eo, quo veritatem & justitiam & pacem decet modo, id est, fide, charitate, aliisque virtutibus, quibus corporalis & spiritalis virginitas splendoris & ornamen-

Christus nascitur, ut Christianus renascitur de matre virgine.

L. de Carne Christi.

Serm. 4. in Nat. Dom.

Serm. 5. Ib.

Serm. 11. de Quadrag.
Serm. 14. de Passione.

Ench. c. 34.
Serm. 12. de Temp.

ti incrementum accipiat, non dispendium. Quod ejus membra nonnisi spiritaliter, adeoque virginaliter renasci potuerint, compertum est: an ergo in capite hæsitandum?

Epist. ad Probam. c. 5. Fulgentius ab his non abludit: *Hæc igitur Ecclesia, una & vera catholica, sponsa est, quia inhæret Christo; mater est, quia fœcundatur à Christo; virgo est, quia incorrupta perseverat in Christo. Hujus sponsæ nec fœcunditate virginitas corrumpitur, nec virginitate fœcunditas impeditur. Tale namque istius est viri virginisque connubium, ut idcirco ab hoc viro fœcundetur hæc virgo, quia in hoc connubio nulla unquam potest esse corruptio. Et tanta in hac matre virginitatis perseverat integritas, ut nisi virgo semper esset, mater esse non posset.* Et paulò antè: *Typicè à viro dicitur virginis vocabulum, quia nomen à Christo ducitur Christianum. Christus enim Dei virtus est & Dei sapientia, ex quo est Ecclesia, quæ virgo in fide & charitate persistens, & sapientiam possidet & veritatem.* Ut ergo non potest non esse virgo Ecclesia, quia sapientiæ maritatur, fœcundatur de sapientia, liberos procreat sapientiæ, eoque sapientiæ conjugio, complexu, conceptu, partuque adeo non marcescit virginitas, ut mundior efflorescat: ita non potuit non esse Virgo Maria Mater Verbi & sapientiæ. Unde ibidem Fulgentius: *Hic est autem unigenitus Dei Filius, unigenitus etiam virginis filius, unus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctæ virginitatis fructus, decus, & munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritaliter sancta virginitas nubit: à quo sancta virginitas fœcundatur, ut perseveret intacta; à quo decoratur, ut permaneat pulchra: à quo coronatur, ut regnet perenniter gloriosa.* (Ibid. c. 4.)

Hom. 1. de Pascate. S. Cæsarius Arelatensis Episcopus: *Stupemus interdum ad magnitudinem novitatis, si quando audimus vel legimus, Dominum Jesum Christum ex sola fœmina, cessante virilis consortii societate progenitum. Ecce nunc peregrinantibus naturæ legibus, innumeræ per omnem terram multitudines, de solo sinu fontis, tanquam partu virginis procreantur. Gaudeat Christi Ecclesia, quæ ad similitudinem beatæ Mariæ, sancto Spiritu operatur, ditatur, & mater divinæ prolis efficitur. Cesset ergo infidelium cæcus error asserere, quod fœmina quæ sine viro filium potuit parere, virgo non potuit permanere. Ecce quantos & quantorum fratres sub una nocte nobis edidit de sinu integritatis Ecclesia mater & sponsa. Mirabaris paulo ante de incorruptione nascentem hominem; mirare nunc quod non minus novum est, etiam renascentem. Conferamus si placet duas matres, & utriusque generatio fidem nostram in alterutra corroborabit. Mariam secreto implevit allapsu sancti Spiritus obumbratio, & Ecclesiam in fonte benedicto sancti Spiritus maritavit infusio. Maria filium sine peccato genuit, & Ecclesia in his quos generavit, peccata consumpsit. Per Mariam natum est, quod in principio erat; per Ecclesiam renatum, quod in principio perierat. Illa plurimis generavit, hæc populos. Illa ut novimus Virgo permanens, semel peperit filium, hæc semper parit per Virginis sponsum. Quod ergo putabas à sæculis singulare miraculum, jam munus annuum recognosce.* Ubi sanctus Pater virginitatem Mariæ & Ecclesiæ componit, ut altera alteram astruat; nec singulare jam, sed annuum & quotidianum penè id esse commonstret; ut Virgo Christum, ut Virgo Christianos pariat. Sua enim in suos transfudit Christus, nempè caput in membra, ut non ambigant inesse capiti, quod sibi inesse membra experiantur. Incorruptè ergo & de Spiritu sancto nasci debuisse Christum, nullus hæsitabit Christianus, qui modò ipse expertus sit, quantam in incorruptionem, in quantam Spiritus sancti participationem prognatus ab Ecclesia sit.

VII. Ut de virgine Patris Deitate, ita de Virgine Matris carne nascitur. Nonò. Cùm unius & ejusdem Verbi gemina sit nativitas, altera in Deitate, altera in humanitate; illa æterna, temporalis hæc; ut temporalia omnia æternorum, ita hæc imitatio illius quàm expressissima esse debuit. Ergo ut ibi de Patre sine Matre, ita hìc de Matre sine Patre; ut ibi de Virgine Patre, ita hìc de Virgine Matre nasci debuit: utrobique virginaliter & incorruptè. Cùm enim manifestandæ & Deitati humanitas, & divinæ nativitati humana, & æternitati temporalitas tota impendatur: divinæ æternæque nativitatis lineamenta quam plurima potuerunt & quam simillima, humanæ temporalique nativitati inscribenda fuere.

L. de Carne Christi. Tertullianus elegantissimè: *Ergo jam Dei Filius ex Patris Dei semine, id est Spiritu; ut esset hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Vacabat enim viri semen, apud habentem Dei semen. Itaque sicut nondum natus ex virgine, Patrem Deum habere potuit sine homine matre: æquè cùm de virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem, sine homine Patre. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum Spiritu Dei. Caro sine semine, ex homine: spiritus cum semine, ex Deo.*

VIII. Erga Christum Patris nomen jam Deus Pater occupaverat, solum supererat matris. Erga Christum, Patris nomen jam occupaverat Deus, non poterat ergo illud ab homine ambiri. Et tamen humanæ se ut stirpi Verbum insereret, opus erat, ut vincerent, qui vincebantur. Ergo matris nomen munusque quasi hactenus vacuum invadere & implere poterat homo.

L. 4. Contra Marcionē. Tertullianus idem rursus elegantissimè in hunc modum: *De Filio hominis duplex est nostra præscriptio, neque mentiri posse Christum, ut se filium hominis pronunciaret, si non verè erat; neque filium hominis constitui, qui non sit natus ex homine, vel patre vel matre. Atque ita discutiendum cujus hominis filius accipi debeat, patris an matris. Si ex Deo Patre est, utique non est ex homine. Si non, & ex homine, superest ut ex homine sit matre. Si ex homine, jam apparet quia ex virgine. Cui enim homo Pater non datur, nec vir matri ejus deputabitur. Porrò cui vir non deputabitur, virgo est. Cæterum duo jam Patres habebuntur, Deus & Homo, si non virgo sit mater.*

L. 4. c. 13. Lactantius similiter: *Nasci eum voluit tanquam hominem, ut per omnia summo Patri similis existeret. Ipse enim Pater Deus & origo & principium rerum, quoniam parentibus caret, ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ à Trismegisto verissimè nominatur, quòd ex nullo sit procreatus. Idcirco etiam filium bis nasci oportuit, ut ipse fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spirituali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris à solo Deo Patre progeneratus est. In secunda verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine Patris officio virginali utero procreatus est.* Suffragatur Ambrosius: *Videamus igitur, hic Sol noster novus, quo fonte nascatur. Sic est verum. Deo oritur authore. Divinitatis ergo est filius. Divinitatis inquam incorruptæ, integræ, illibatæ. Intelligo planè mysterium. Ideò enim secunda nativitas per immaculatam Mariam, quia prior per divinitatem constiterat illibata: ut cui prior nativitas gloriosa extitit, ejus secunda contumeliosa non fieret: hoc est ut quemadmodum virgo divinitas ediderat, ita eum & virgo Maria generaret.* (Serm. 16.) Valida hic ratio ingeritur. De virgine Patre natum, nisi & virgo mater edidisset, non tantùm non manifestasset, non expressisset, sed vehementer dedecorasset primam fecunda nativitas. At cùm illa & prior sit, & potentior, & superior, secundam sibi coaptare, suæque omnipotenter vindicare dignitati, non ejus cedere infirmitati debuit.

IX. Accuratius ut virgineus sit in Deitate partus. Ratio altera quoque innuitur. Divinitas virgo est, & virgineus Deitatis partus; est enim ipsamet incorruptio & integritas, munditiesque. Utcumque ergo nascatur Deitas, sive in spiritu ab æterno, sive in carne ex tempore, Deitas nascitur, incorruptio nascitur, integritas virginitasque nascitur, & perfecta nascitur, & cum ingenio moribusque suis nascitur, id est, incorruptè & virginaliter. Ut quid enim hominem magis matrem,

quàm Filium etiam in carne Deum pensitabis? An homo non solet parere si virgo sit? Nec Deus nasci de quoquam solet, nisi virgo sit? Uter utri præpollebit? Cui auguranda, cui optanda victoria est? Homo Deum, an Deus hominem in suos mores traducet.

E Græcis S. Methodius homilia de Simeone & Anna: *Peperit illa primogenitum & matris unigenitum Filium; eum, inquam, qui in superis unigenitè, absque matre, ex paterna substantia eluxit: virginitatemque naturalis unitatis indivisam inseparabilemque conservavit: quique in terris nuptiali virginis thalamo, Adæ sibi naturam, immobili unione, ceu sponsus conjunxit; ac matris puritatem indivulsam, incorruptamque servavit: Eum denique qui in supernis nulla corruptione genitus, ineffabili in hisce inferioribus ratione natus est.* Nova hìc & omnium ut mihi quidem videtur, luculentissima subjicitur ratio. Nam quæ hactenus memorata est in Deitate virginitas, ipsa est unitas Dei & unitas Deus; unitas fons omnium, fons etiam Deitatis; unitas summa, eademque summa fœcunditas; ac proinde virginalis fœcunditas, & fœcunda virginitas est ipsa unitas. Verbum igitur paternæ virginitatis Filius est, quia unitatis ipsius partus est. Cùmque Patri simillimus, imò Patris similitudo nascatur, unitas & ipse est; ingeniique & naturæ suæ tenacissimus, quocumque modo nascatur, etiam in carne, non potest nisi ab unitate nasci, id est, à virginitate. Nam penes nos etiam virginitas unitate constat conjugalis enim copula duorum est: sunt enim duo in carnem unam. Præterea ex Apostolo: mulier nupta divisa est, virgo non est divisa. Denique Augustinus: *Per continentiam quippe colligimur, & redigimur in unum, à quo in multa defluximus.* Unitas ergo primigenia, ab ingenitæ unitatis virginitate ab æterno genita, nascensque indesinenter, à seipsa ne deficeret, non potuit vel in carne nasci nisi de unitate virginitatis, quo, ut ait Methodius, τὴν παρθενίαν τῆς φυσικῆς ἑνάδος intemeratam servaret.

X. Unitas Deitatis virginitas est: ab unitate nascitur Verbum, tum ut Deus tum ut homo.

L. 10. Confes. c. 29.

Chrysostomus planè his assentitur: *Sursum solus ex solo Unigenitus, deorsum solus ex sola Virgine idem Unigenitus. Sicut enim in superna generatione matrem intelligere impium est, sic & in inferiori generatione Patrem existimare blasphemum est. Pater absque defluxu genuit, & Virgo absque corruptione peperit. Nam neque defluxum sustinuit Pater, quippe qui prout conveniebat Deo, genuit: neque Virgo corruptionem sustinuit pariendo, quippe quæ spiritualiter peperit. Unde neque superna ejus nativitas explicari potest, neque progressus ejus in novissimis temporibus curiosè pervestigari se sinit. Nam virginem quidem hodie peperisse scio, & Deum sine tempore genuisse credo: modum autem generationis silentio didici venerari, non oratione curiosè illam inquirendam accepi.*

Hom. de Nativ. Tom. 6. pag. 495.

Ubi novæ suppeditantur rationes; videlicet ut quia temporalis nativitas æternam Verbi nativitatem manifestatura erat, adessent illi ea, quibus hujus obtrectatores refellerentur. Ariani enim eo potissimùm telo incessebant Verbi à paterna substantia generationem, quòd illa fluxum corruptelamque importaret. At eorum statim retundebatur impetus per Mariæ partum. Nam si fluxus & corruptionis expers fuit Maria mater, quid Deus Pater? Si incorruptibiliter potest nasci caro corruptibilis, quid Deitas incorruptibilis? Si perstat homini, nonne constabit & Deo sua cum virginitate fœcunditas? Si incorruptè potest generare caro carnem, quid Deitas Deitatem? Si caro ex carne impatibiliter elapsa est, quid Verbum ex mente? Si temporalis generatio quæ æternæ imitatio est, hanc vim habet, quid æterna?

XI. Virginalis in carne nativitas asserendæ apud nos æternitati Verbi accõmoda.

Rursum ratio hæc notari potest, quòd nonnihil incomprehensibilitatis divinæ respergi in humanitatem assumptam decuerit.

Cæterùm tametsi virgo, desponsata tamen erat Maria. Nam, ut ait Ambrosius: *Bene utrumque posuit Scriptura, ut & desponsata esset, & virgo. Virgo, ut expers virilis consortii videretur; desponsata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de sui ortu, quam de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis & lubricam famam pudoris; nec putavit ortus sui fidem matris injuriis astruendam.* Et paulò pòst: *Non mediocris quoque causa est, ut virginitas Mariæ falleret principem mundi: qui cùm desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum.* Et aliquantò infrà: *Verè desponsata, sed virgo, quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata, sed nupta. Concepit nos Virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta Maria alii nupta, ab alio repleta, quia singulæ Ecclesiæ Spiritu quidem replentur & gratia, junguntur tamen temporali ad speciem sacerdoti.*

XII. Cur desponsata nasci Christi opportunius fuerit.

L. 2. in Luc.

Bernardus autem ita habet: *Placuit eo potiùs & ordine & modo hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse; ut sicut diabolus priùs seduxit fœminam, & postmodum virum per fœminam vicit: ita priùs à fœmina virgine seduceretur, & post à viro Christo apertè debellaretur.* Et paulò infrà: *Necessario igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio, secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra servatur fama virginis matris.*

Hom. 3. super Missus est.

Quibus locis hæ attinguntur rationes, cur Virginem conjugii nomine obumbrari decuerit, 1. Ne adulterii infamia tenerrimus Virginis pudor adureretur. 2. Ut partus Virgineus diabolum celaretur, nec à salute mundi, id est, cruce Christi procuranda cruentas ille manus abstineret. 3. Ut qui fœminam seduxerat olim, & ita nos prostraverat; à fœmina priùs seduceretur, postea prosterneretur. 4. Ut Ecclesiæ typus esset, quæ Christi sponsa, ejusque membrorum Virgo mater est. 5. Ut eandem præsignaret Ecclesiam, quæ Præsuli homini conjugatur, nec nisi de Spiritu sancto tamen fœtatur. 6. Ut virginitatis & custos & testis idem accuratissimus esset conjux. 7. Addit Basilius, ut suus & nuptiis & virginitati honor constaret, sed huic amplior quàm illis: *Et virgo erat & viro desponsata, atque ad hujus dispensationis ministerium apta judicata est, ut & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur.*

Tom. 5. ho. 25.

CAPUT V.

Carnem humanam haud induisset Verbum, si homo non peccasset. Constantissima ea est sanctorum Patrum doctrina. Evincitur id eorum testimoniis apertissimis, item ex scripturis id apertè sonantibus.

Controversiam istam hactenus intactam prætermisisse non videbimur, nisi oscitantibus forsan & minùs attentis ad ea quæ dicuntur, lectoribus. Hanc enim potiùs unam pertractasse, hanc toto superiorum disputationum decursu enucleasse nobis quidem ipsi videmur. Si enim quid valeant, quid efficiant superiùs congesta avitæ Theologiæ capita omnia, seriò pendatur, ex iis hæc etiam dubitatio profligata atque exhausta esse comperietur. Illam tamen de integro adgredimur & pressiùs enodare, tum ut rudioribus consulatur, tum ut nostra ipsi vestigia relegere, sanctorum Patrum pulcherrima placita iterum iterumque osculari, quæ effugerant, quasi spicilegio accuratiori, accumulare, & præstructam semel doctrinam Ecclesiasti-

I. Ex anterioribus profligata videri posset hæc etiam quæstio.

cam novis argumentis communire possimus. Juvabit etiam eorum qui à sanctorum Patrum constantissima sententia desciverunt, & Christum etsi nullæ Redemptoris partes obeundæ incumberent, inhumanandum tamen opinati sunt, retegere hallucinationes. Denique nonnullorum sententiam pietatis specie fucatam, solido autem veritatis fundamento destitutam refellemus, de Christo Rege innocentis etiam naturæ futuro.

II. Rursum tamē enucleanda proponitur. Primum ergo id contendimus, unanimi astipulatione sanctos Patres in hanc certasse sententiam, humana natura corporatum non iri Deum Verbum, nisi ut ab interitu eam liberaret, & collapsam pristinæ redderet integritati. Nec mortalitatis ærumnas hìc moror, humana aio natura etiam immortali nequaquam induendum fuisse, nisi peccatis fuisset medendum.

III. Si homo nō peccasset, Verbum nō incarnaretur, primū ex Augustino. Primam in aciem prodibit Augustinus: *Commodius esse arbitror acervatim cogere, quæ occurrere potuerint, vel quæ sufficere videbuntur, quibus appareat Dominum Jesum Christum non aliam ob causam in carne venisse, ac forma servi accepta factum obedientem usque ad mortem crucis, nisi ut hac dispensatione misericordissima gratiæ, omnes, quibus tanquam membris in suo capite constitutis caput est, ad capessendum regnum cœlorum vivificaret, salvos faceret, liberaret, &c.* Audis non aliam

L. 1. de pecc. mer. & rem. c. 26. ob causam in carne venisse. His ille deinceps prolixissimè ex Scripturis innumera subjungit testimonia, quibus disertissimè exprimitur, non aliam Verbo idoneam fuisse causam, ut carne se obnuberet, quàm ut à peccatorum retibus humanum genus exolveret. *Non veni vocare justos, sed peccatores. Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat. Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Ut salvum faciat populum suum à peccatis eorum. In hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera Diaboli. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos simus justitia Dei in illo. Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris. Deus qui dives est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum Filii charitatis suæ, in quo habemus redemptionem. Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet primo Christus Jesus omnem longanimitatem. Humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam magnam nos salvos fecit. Quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse propemodum eorum participavit, ut per mortem evacuaret eum qui potestatem habebat mortis; id est, diabolum. Unus Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per manum ejus omnem credentem in eum. Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, &c.* Hæc ferè ex illa apud Augustinum copiosissima congerie delibavimus. Fucum facere se posse sperant inani distinctiuncula, in carne mortali passurum, nonnisi post peccatum & propter peccatum venisse; sed in carne immortali ad innoxios & immortales venturum nihilo sequiùs Christum fuisse, si à primigenia sanctitate descitum non esset. Hoc versatile scutum est, quo opinationis suæ novitatem prætexere se posse, & ingruentem undique è Scripturis & Patribus testimoniorum, veluti spiculorum nubem declinare atque illudere confidunt.

At Augustini, si ita res habeat, jacebit elumbis argumentatio, & suam de eo Pelagiani victoriam tam præclaris Interpretibus debere se profitebuntur. Nam hoc uno potissimùm ariete pulsabat hos gratiæ Christi obtrectatores & peccati parentalis inficiatores Augustinus, quòd parvulis si peccati expertes essent, nihil cum Christo commune esset, nihil in eos à Christo proficisceretur, quòd Christus quantus quantus est, non esset, non venisset, nisi ut esset peccatorum redemptor. At si venturus erat Christus ad homines in innocentiæ beatitudine stantes, & nonnihil eis utique suorum superfusurus bonorum, in parvulos etiam peccati immunes adventu suo aliquid contulisset, id nimirum beneficii, quod invexisset omnibus, si omnes peræquè à peccato se abstinuissent. Fracta itaque dissilit machina illa Augustinianæ Theologiæ operosissima, & Ecclesiæ victoria labefactatur. IV. Si Christus ad alios quā ad peccatores venit, vicerunt Pelagiani.

Scripturarum etiam authoritati apertè illuditur frigida illa cavillatione. Si enim tam expressas, tam confertas, tam conspirantes sacrarum paginarum voces contorqueamus semel, & captivas trahamus ad alienos sensus & opiniones merè arbitrarias, quis jam non intelligit, quàm lata pandatur janua, ad omnem earum authoritatem infringendam? Non enim ea jam religio & doctrina invalescet, quam sacræ literæ palam ostendent: sed quam in officina animi nostri malè feriati procudere nobis libuerit, & pro libidine confingere, eam sacris literis affingemus. Quis enim nescit, ubi suo se acumini & fingendi licentiæ permisit mens humana, quàm ingeniosa, quàm versipellis sit, ad inflectenda in præjudicatam sententiam suam ea omnia, quæ vel maximè obluctari videbantur. Non ergo opinio prius aliqua infigenda animo est, ut tum in scripturis præsidia illi & argumenta venemur; sed ejicienda sunt ex animo omnia præceptarum opinionum præjudicia, & ita adeundæ imbibendæque sunt sacræ literæ. At si quis ita comparatus ad Scripturas accesserit, quis non videt, quam in partem sit inclinandus, cùm per singulos ferè versus ingeminetur Christus, nonnisi ad peccatores sanandos venisse? V. Non ex præjudiciis nostris vexāde sunt Scripturæ, sed depositis præjudiciis audiendæ.

Deinde cùm Scripturæ omnibus versibus, omnibus etiam apicibus Christum eloquantur, & illum unum eloquantur, ut quid illum in immortali carne ad immortales homines adventum Christi tam pertinaciter silent? An nullius adeo momenti res illa erat, ut ne obiter quidem, vel uno saltem verbo attingeretur? Quin imo cùm unus sit in sententia adversariorum Christi adventus, ad homines se conferentis, & per hominum lapsum, una tantùm ex circumstantia sit variatus, quòd qui in immortali venturus fuerat, in mortali venerit carne, ad mortalitatis ægritudines evellendas; non uni huic circumstantiæ prædicandæ dedicanda erat Scriptura tota; sed ipsa Verbi ad homines, sive sanos, sive ægros, adventuri charitas, ipsa mysterii consiliique divini substantia prolixè & exertè commendanda erat. Certè nihil alienius fingi potest, quàm toto Scripturarum corpore unam exaggerari circumstantiam; ipsam autem principalem mysterii, cui tota servit Scriptura, nusquam attingi substantiam. VI. Nunquam Scripturæ de Christi adventu, nisi ut Redemptoris.

Ad hæc Scriptura non silet tantùm, sed proscribit illam commentitii adventus suspicionem. Et quidem siluisse, proscripsisse est. Nam divinæ voluntatis consilia, nisi divinis vocibus palam nobis fiant, suspicionibus & conjecturis humanis odorari, id quid aliud est quàm divinare? Sed non tacendo tantùm, mera illa esse insomnia testantur Scripturæ, verùm etiam id disertè pronuntiant, cum Dei in Filio unigenito ad nos ablegando charitatem, inde vehementiùs commendant, quòd peccatores & male meritos tanto affecerit beneficio. Non satis sibi constat veritas Scripturæ, si ad homines etiam innoxios venturus erat Christus. Non satis illa Dei charitas liquet, si sanis etiam hominibus eandem erat benevolentiam adventu Fi- VII. Immortalis Christi ad homines stantes adventum nō silent tantum, sed negant Scripturæ.

lii

lis consignaturus. At si ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia; si ad malè meritos venit, qui ad innoxios non erat venturus; tunc jure meritò extolletur Scripturæ veritas & Dei charitas, *qui dives est in misericordia & propter nimiam dilectionem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo Jesu.*

VIII. Hinc Scriptura, hinc Ecclesia Dei bonitatem stupet, quod pluribus beneficiis prosequatur Deus hominé lapsum, quá stanté.

Denique Scripturæ concentus, & sensus ipse pietatis Christianæ omnium nostrum animis insitus, id testatur, id vociferatur, misericordiæ suæ laudes hinc Deum maximè insignire, quòd de malè merentibus largiùs benè mereri affectet. Id passim canunt Scripturæ, id resonant omnes Ecclesiæ. Ideo enim ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia. Ideo conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut omnium misereatur. Ideo cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. Ideo non ex operibus justitiæ, sed per misericordiam suam magnam salvos nos fecit. Ideo infirma mundi elegit, & stulta, & ea quæ non sunt. Ideo studet Deus ostentare divitias gloriæ gratiæ suæ. Ideo peccatorum primos, primipilos, facinorosissimos elegit, minùs sordidatos sæpè posthabuit. Uno ex capite hæc manant omnia, quòd pluribus beneficiis Deus hominem prosequatur lapsum quàm stantem, noxium quàm castum. Hæc enim vena beneficentiæ in malemerentes augescentis, in ingratos redundantis, in omne Scripturæ, in omne Ecclesiæ corpus permanat. At labascunt hæc omnia, si ad innocentes etiam in carne venturus erat, & illos citra controversiam opibus suis per illud conjugium cumulaturus. Quin etiam adventus iste in carne mortali multùm extenuabitur, quòd prioris tantùm consectarium quoddam videatur esse. Nam si ad stantes venturus erat, si ad sanos, si ad divites; id etiam convenienter & quasi necessariò consequitur, ut ad lapsos, ad ægros, ad inopes veniat, relevaturus, sanaturus, locupletaturus. Hæc itaque beneficentia posterior illius prioris erit rivulus, & præ illa deteri atque elevari potiùs debebit quàm amplificari. Quod contra totum est.

IX. Rursus ex Augustino Scripturas interpretante.

Sed jam ad Augustinum nos recipiamus, audiamusque Scripturas castè & sincerè, non ex præsumptis animo conjecturis interpretantem. *Nam neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum Christum Jesum, nisi esset & Deus. Sed cùm factus est Adam, homo scilicet rectus, mediatore non opus erat. Cùm verò genus humanum peccata longè separaverunt à Deo, per mediatorem qui solus sine peccato natus est, vixit & occisus est, reconciliari nos oportebat Deo, &c.* At Christus immortalis immortalibus hominibus mediator extitisset, per ipsum enim sua Deo vota & obsequia dedicassent, hinc non paulò amplius dignitatis habitura. Et alibi idem sanctus Pater, *Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere. Venit Filius hominis quærere & salvare quod perierat. Si homo non perisset, Filius hominis non venisset. Ergo perierat homo, venit Deus homo, & inventus est homo.* Rectè sanctus Pater concludit ex eo quòd venerit salvare quod perierat, non venturum fuisse, si homo non perisset. Inculcant enim Scripturæ unum Christi adventum, nec mortalem venisse specialiter admonent, sed absolutè venisse aiunt ut servaret quod perierat. Si autem venturus erat, etsi nemo perisset, non utique venit quia homo perierat. Ut ergo venerit ad servandum, necesse est non venerit, si nemo fuisset servandus.

Enchirid. c. 108.

Serm. 8. de verbis Apost.

Ibid. Serm. 7

Et rursus idem ibidem: *Christus Jesus venit in mundum. Quare venit in mundum? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit quare veniret in mundum. Non eum de cœlo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Hæc est causa cur venerit, peccatores salvos facere. Et vocabis, inquit, nomen ejus Jesum. Quare vocabis nomen ejus Jesum? Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Nunquid ad istum populum non pertinent parvuli, quem salvum faciet Jesus à peccatis eorum. Pertinent planè, pertinent, fratres mei, &c. Sanus est, nihil mali habet, nihil vitii habet, sed tollam illum ad medicum. Quare. Quia sic solet fieri. Non times ne tibi dicat medicus, Tolle hunc tecum ipsum. Non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Vides ex Scripturis ut ingenuè concludat, aliam causam non fuisse quare veniret in mundum. Vides ut colligat peccatis illum, non meritis nostris de cœlo in terras adductum. Vides ut necessariò præstruat fidei orthodoxæ adversus Pelagianos, qui hoc effugio facilè evasissent, parvulos peccati etiam originalis puros, Christo tamen adjungi, iis beneficiis ornandos, quibus si peccatum non esset, natura hominum universa ditaretur.

Rursus ibidem Augustinus: *Medicus etiam sano præcipit temperantiam, Bonus medicus hoc facit: non vult esse necessarius ægrotanti. Sic etiam Dominus Deus creato homini sine vitio temperantiam præcipere dignatus est: quam si ille servasset, medicum postea morbo suo non desiderasset.* Larga illa erga Adamum Dei providentia id satagebat, ut inusitatiori suo ad eum adventu opus ne esset. Et infra: *Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Si non jaceres, mediatorem necessarium non haberes. Quia verò jaces & surgere non potes, mediatorem quodammodo Deus tibi porrexit brachium suum. Et brachium Domini cui revelatum est.* Mediator enim tum opus fuit, cùm peccata nos à Deo divulserunt. Nam ut ait idem: *Verbum caro factum est & habitavit in nobis. Per hominem Christum, tendis ad Deum Christum. Multum abest à te Deus, sed homo factus est Deus. Quod longè erat à te, per hominem factum est juxta te.* At longè non est factus Deus nisi per peccatum: ergo tum Deum carnem fieri, & ad seipsum mediatorem nobis fieri opus fuit.

Ibi. serm. 11

De diversis, Serm. 13.

In psal. 36. In Psal. 140.

De verb. Apost. Serm. 9.

Et rursum idem Augustinus: *Venit ille, & vocavit, & redemit, & sanguinem fudit, &c. Si tu o homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo. Parum tibi enim erat ad remunerationem, vel ad donum ejus, quia & hominem te fecit, nisi & homo pro te fieret.* Et idem alibi: *Utique ideo ille posterior venit, quia tu prius cecidisti.* Sed quid disertius loco illo: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. Si venit de cælo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus. Ipse ægrotus genus humanum est.* Subolet jam qua effugium parent, & ut Scripturarum, ita & interpretum laqueis se expediant. Sed ista Patrum interpretatio difficiliores habet exitus. Si enim is esset Scripturarum sensus, quem sibi fingunt, sanctorum Patrum erat ita interpretari, & tanti momenti latebras propalare. Augustini saltem erat, qui tanta monumentorum suorum mole doctrinam Ecclesiæ ex Scripturis communivit, qui tam copiosè effudit se, alicubi saltem apertè adventum illum Christi in carne immortali ad immortales homines futurum significare. Sed quis non videt commenta hæc esse hominum plus æquo suspicionibus suis indulgentium, & ipsas Patrum interpretationes rursus interpretationibus suis concerpentium?

X. Ex Gregorio M. Leo. Mag. Prospero: Primasio, Petro Cellensi.

Greg. l. 4. in 1. Regum c. 1. Leo. M. ser 3. de Pentec.

Gregorius Papa Augustino consentaneus est: *Et quidem nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit: si peccata deessent, eum venire non oporteret.*

Leo Magnus ab his non discrepat: *Si enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore naturæ mansisset, nec diaboli fraude deceptus,*

à le-

à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi creatura non fieret. An explicatius aliquid desiderant?

Prosper carmine in ingratos hæc eadem ex puris purissimisque avitæ patriciæque Theologiæ fontibus hausta, ita effudit:

Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnaque absolvere posset:
Necquicquam Christus mortem moriendo piaret,
Peccatum & mundi sanguis non tolleret agni,
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione nova, quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam summorum participatu.
Sed prostrata semel quanto natura profundo
Immersa, & quantæ sit mole oppressa ruinæ?
Verbum homo fit.

Quibus ille non rem ipsam tantùm firmat, sed inconcussis rationibus cingit, quas postea suo loco perlustrabimus.

In Epist. ad Hebræos. Primasius à trita Patrum orbita non recedit: *Exivi à Patre, & veni in mundum. Meritò ergo exitum vocat incarnationis suæ assumptionem manifestationemque. Quia nos foris eramus à Deo expulsi extra aulam paradisi, palatium Regis æterni, positi in carcere hujus mundi & exilio relegati. Verbi gratia; Sicut excluduntur ab aula regia rei, ejus offensam incurrentes, &c. Sed sicut bonus mediator volens eis veniam impetrare, primùm eos introducit in aulam regiam: sed ipse foras egreditur, ibique cum eis miscet sermocinandi negotium, sicque correctos & castigatos introducit eos in conspectum Regis; similiter se Dominus Jesus exhibuit, dum egressus est ad nos, &c.* En quid sit incarnatio, nempe exitus Verbi foras ad eos, qui foras ejecti, & cælesti ab aula eliminati fuerant.

L. de Panibus, c. 3. Petrus Cellensis his & ipse succinit: *Non inclinaret cœlos partus virgineus, si pomum prohibitum non contingeret Evæ tactus temerarius.* Et Ambrosius qui nobis penè exciderat: *Ergo accepit ex nobis quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro, &c.* L. de Incarn. c. 6. *Didicistis igitur quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur?*

XI. Ex Græcis Patribus, ac primum ex Irenæo, & Atanasio. Irenæ l. 5. c. 14. Atan. orat. 3 Con. Arian. E Græcis autem Irenæus: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Quod ipsum Athanasius ex scripturis roborat: *Postquam enim, inquit Apostolus, in sapientia Dei mundus Deum non cognovit, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes. Ita quoque & nos homines postquam noluimus per Verbum ejus cognoscere Deum, & servire naturali Domino nostro Verbo Dei, placitum est Deo in homine ostendere dominicam suam potestatem, & omnes trahere ad se: sed nudum merumque hominem id facere prorsus indecorum erat, ne hominem haberemus dominum, hominisque cultores efficeremur. Ista de causa Verbum caro factum est, & vocavit nomen ejus Jesum, atque ita fecit illum Dominum & Christum Pater, &c.* Et infrà rursus idem ex alia scriptura colligit apertissimè: *Cæterùm Dominus non habuit causam, ut esset Verbum, nisi quod Patris esset germen & sapientia unigenita. At cum homo efficitur, tum causa substituitur, cur eum oporteat carnem gestare. Necessitas quippe indigentiaque hominum anterior est quam illius nativitas, qua sublata carnem non induisset. Quæ autem fuerit ea necessitas, quæ causam attulit, ut homo efficeretur, ipse Dominus palam fecit his verbis, Descendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me: hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quidquam, sed resuscitem illud in novissimo die.* Et cùm infrà coacervasset plura Scripturæ testimonia: *Non igitur propter seipsum, sed propter nostram salutem, & ob demolitionem mortis & condemnationem peccati advenit.* Et paulò pòst: *Ejus enim opus sumus creati in Christo Jesu. Quod si in Christo creati sumus, ergo ille creatus non fuit, sed nos in eo creati sumus. Nam propter nostram necessitatem, Verbum quamvis conditor esset, sustinuit vocem conditi in se referri, &c. Cæterum ut fieret homo, nunquam destinatum fuisset, nisi hominum necessitas ejus rei causam præbuisset.* Sole illustriora sunt ista, nec habent quo evadant, nisi authoritatem majorum palam detrectent adversarii.

Nazianzenus de spiritali medicina sermonem habens hæc disserit: *Huic scopus est animæ pennas addere, & mundo eam eripere, ac Deo dare, &c.* XII. Ex Nazianzeno. Orat. I. *Huc magistra lex tendit, huc Prophetæ, &c. huc spiritalis legis perfector & finis Christus. Huc exinanita Deitas, huc assumpta caro, huc nova illa mixtio Deus & homo, &c. Ob hanc Deus causam animæ interventu carni junctus est, atque omnia propter omnia & pro uno illo generis nostri principe in unum coierunt. Anima nimirum propter eam quæ præcepto divino minimè paruit: caro propter eam quæ animæ cupiditati obsecuta est, simulque condemnata: Christus denique propter Adamum, hoc est, propter eum qui sub peccato factus est, is qui peccato sublimior ac præstantior erat.* Ubi non tantùm peccato eluendo instructum comparatumque fuisse docet Christi sacramentum, sed ipsam etiam humanitatem assumendam non aliis partibus coagmentat, quàm quę medicinali quadam vi ad curandos homines pollerent; ut non toto corpore tantummodo, sed partibus suis omnibus Christus vociferetur, se solis peccatoribus redimendis venisse. Et alibi Athanasii legens vestigia, hæc habet: *Quid est ex omnibus rebus quod causæ sit expers: Divinitas. Nemo enim est qui Dei causam dicere queat; alioqui id Deo antiquius esset.* Orat. 36. *Quæ autem humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extitit? Profectò ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causæ afferri possit? Ergo quoniam hìc apertè, & Creavit, & Gignit me, reperimus, simpliciter hoc censeo quod cum causa conjunctum invenimus, id humanitati tribuendum esse: quod autem simplex, causæque expers, divinitati assignandum. Age igitur, annon illud, Creavit me, annexam causam habet? Creavit enim me, inquit, principium viarum suarum in opera sua. Opera autem ipsius veritas & judicium.* Inhumanationem ergo Verbi Athanasius & Nazianzenus pertendunt totam refundere in nostræ salutis necessitatem; nam si citra hanc nostram inopiam Verbum inhumanetur, periclitabitur ejus divinitas, & ab Arianis fugillabitur, diceturque ob quendam suum cum natura creata concentum, & propter quandam consanguinitatem sua sponte corporascere. Non frustra ergo sancti Patres conspirant ut non alia incorporandi Verbi causa, quàm salus nostra adsignetur. Itaque viderint qui à nobis dissentiunt ne dum quasi in re ambigua aut ultro citroque versatili ludunt, & indulgent sibi largiùs, ea convellant munimenta, quibus summa fidei nostræ à sanctis Patribus necessariò vallata est. Quid enim machinarentur Ariani, & qua illis occurrerent Orthodoxi, declarat Athanasius: *Omnibus enim liquet illum non propter se, quasi & ipse creatum quiddam esset, neque quia cognatam essentiam affinemque habebat cum rebus creatitiis, nomine primogeniti vocatum esse, &c.* Orat. 3. adversus Arir. Caveant ergo ne inopini Arianis adversus sanctos Ecclesiæ vindices patrocinentur.

Basilius Arianos similiter grassantes eodem catholico dogmate repercutit, Verbique æternitatem propugnat; XIII. Ex Basilio. Hom. 29. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum. Vox, erat, oblitterat vocem, non erat. Et vox, Deus, oblitterat vocem, non Deus. His quæ scripta sunt, crede: quæ non sunt scripta, ne quære. Hoc Verbum Filius ille Dei, homo factus est propter Adamum qui ceciderat. Propter Adam incorporatus in corpore. Propter corpus;*

pus, nubem accepit corpus Verbum, ut ne combureret ea quæ videmus. Condescendit in carnem, ut caro illo coelevaretur. Hoc præsidio Deitatem Verbi sibi muniendam duxerunt Patres. Et hinc non abs re colligemus, quàm intutum sit in rebus Theologicis disceptandis, vel tantillum transilire lineas authoritate & consentione Patrum nobis olim præfinitas. Quanquam enim videatur primò res illa, in qua evagari paululum & nostræ indulgere sagacitati audemus, nihil admodum ad summam fidei pertinere; ut plurimum tamen quando interiores rerum fibræ, & quasi causæ viscera pertractantur, inveniuntur omnia inter se contexta esse, & ita constricta ac conjugata, ut non possint, nisi vel simul constare, vel simul labascere. Perspicuum est ejus rei exemplum nunc præ manibus. Etsi Verbum carne induendum defendatur citra Adami lapsum, quis facilè inde suspicatus esset in ruinæ periculum adduci Christianum de peccato originali & de Verbi Deitate decretum. Disjuncta hæc esse & nullo inter se nexu cohærere, præceptum omnibus penè est & præjudicatum. Sed tamen ubi propiùs accessimus ad exploranda placita sanctorum Patrum, & ea firmamenta quibus nostram illi fidem olim vallarunt, perscrutati sumus, tum patuit demum, levi hoc assultu utramque ferè duci ruinam, & ea quassari quæ inconcussa nisi sint, conclamatum est de nomine Christiano. Nimirum ut præmonui concatenata sunt omnia veritatis oracula, quæ suis sancti Patres scriptorum monumentis consignarunt, ut nihil possit concuti, quin tota moles labefactetur.

XIV. Ex Chrysostomo, Hom. 31. in Matthæum. Chrysostomus ab his non dissonat: *Non veni vocare justos, sed peccatores, &c. Adeo procul abest, ne peccatores abominetur, ut propter ipsos solos advenerit*. Quid expressius quærunt?

XV. Ex Origine. In numeros Homil. 24. Origenes similiter: *Nam pone verbi gratia non fuisse peccatum. Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari, sed mansisset hoc quod in principio erat Deus Verbum. Verum quoniam introivit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccato*. Si non peccaret homo, nec Verbum agnus fieret pro peccato jugulandus, sed *maneret hoc quod in principio erat Deus Verbum*. Apage ergo commentum nuperum illud de adventu in carne immortali. Nam in natura nostra Deus Verbum non poterat aucupari vitam, immortalitatem, splendorem. His bonis redundat Deitas, & in creaturas omnes exundat: sed mortalitatem, sed mortem, sed contumelias venabatur, quibus nos scatemus, ille egebat; his saturari, his saginari avebat bonis. Nam inde est quòd incarnari, non aliud est quàm exinaniri. Non vitæ enim nascitur, sed morti. Sed his postea.

XVI. Ex Cyrillo Alexandrino. Thesauri pa. 172. & seqq. Cyrillus in Thesauro luculentè in eadem sententiam disputat: *Ante sæcula fundavit Deus Filium suum, quantum ad suam prænotionem attinet, ut nos super eum ædificati resurgamus in incorruptionem, qui alioqui per prævaricationem in interitum & corruptionem incideramus. Sciebat enim nos per peccatum morituros, & propter inobedientiam nostram in sepulcro terræ, ut scriptum est, cubituros atque audituros, Terra es & in terram reverteris. Cùm autem quæ ex re nostra erant, etiam ab æterno præcogitaverit omnium nostrum creator, prævidit atque præfinivit eum qui propter nos & pro nobis homo futurus esset, hoc est Verbum suum, ut initium viarum & fundamentum reperiatur instauratæ in ipso humanæ naturæ in incorruptionem, &c.* Sic ille exponit illud, *Ante sæcula fundavit me*, non aliter quàm supra Athanasius & Nazianzenus, de incorporatione Verbi ab æterno apud Deum præfinita post prævisum hominis lapsum. Quanquam enim in initio temporum lapsus sit homo, hoc forte prævideral Deus ante tempora, æternoque consilio restauratorem nobis Filium prædestinarat. At verò si etiam citra lapsus nostri prænotionem corporandus erat Deus Verbum, & cum hominibus congressurus, ad hunc multò magis adventum tam eruditi interpretes ea Scripturæ verba referre debuerant. At contra de eo conspiratè silent, imò id tanquam Ariano dogmati consentaneum aversantur: nec ante sæcula fundatum unquam Christum philosophantur, nisi ut lapsis hominibus ferret suppetias. Et rursum Cyrillus paulò pòst: *Deus ac Pater præsciens quæ humanæ naturæ conducibilia forent, neque ignorans quòd in corruptionem omnino prolapsura esset, rationem verò ac modum instaurationis reductionisque ad incorruptionem ei quærens, veluti radices ei quasdam ejusmodi spei egit in Filio suo, & in adoptionem nos prædestinat per ipsum, omnique benedictione spirituali dignatur etiam nondum factos; ut quando contingeret in mortem labi per prævaricationem, veluti ex prisca illa radice, rursus in vitam repullularet, & tanquam jam ante benedicta, non in universum maledictioni obnoxia fieret, quum audiret, Terra es & in terram reverteris*. Constantissimè Cyrillus consilium incarnandi Verbi non ante prævisam generis humani ruinam Deo insedisse ait; non in incertum eventum; sive staturus sive lapsurus homo esset; sed cùm præsosset Deus certissimè labem futuram, reparatorem ab æterno allegandum nobis, nosque in eo & per eum redintegrandos decrevit. *Antea itaque fundamenti loco nobis ponitur Christus, in eoque omnes nos superædificamur, & quidem ante creationem mundi juxta prænotionem Dei omnia præscientis. Ut quemadmodum modo diximus, antiquior sit in nobis benedictio, quàm maledictio; antiquior promissio ad vitam, quàm condemnatio in mortem; antiquior adoptatio in libertatem, quàm diabolica servitus*. Et allato mox architecti exemplo ruinas fabricæ suæ per inconcussum fundamentum antevertentis: *Eadem ratione omnium Creator Christum salutis nostræ fundamentum etiam ante creationem mundi jecit, ut cum eam per peccatum labefactari contigerit, iterum in ipso instauremur. Quantum igitur attinet ad consilium & propositum Patris, etiam ante sæcula fundatur Christus: opus verò ipsum suo tempore effectum est, ita exigente rei necessitate*. Necessitati itaque uni & inopiæ nostræ sarciendæ impensa est Verbi incarnatio, nec hujus divini consilii æternitas, nisi prævisæ labi nostræ subjungi potuit. At quandoquidem æternitatem hujus divini propositi amplificare laborabat Cyrillus, ut sapientiam ante sæcula fundatam citra divinitatis Verbi contumeliam interpretaretur, multò conducibilius fuisset palam profiteri, etiam ante prævisam calamitatem nostri generis, decretam Deo & prædestinatam fuisse Verbi corporationem.

Supersedeo pluribus testibus aggerandis, primores & authoritate principes numerasse contentus, quòd rem istam non tam numero testium vel pondere profligandam existimem, quanquam momenti in eo plurimum sanè sit, quàm mole tota doctrinæ orthodoxæ. Sed antequam aggrediar ad singula doctrinæ hujus capita pertractanda, ex re erit attingere eos vel authores vel locos, qui obstare nobis existimantur: ut vel eos nobis conciliemus, vel si pertinaciter dissentiant, habeamus in posterum quò collimemus, quò spicula intendamus.

CAPUT VI.

Contrariæ sententiæ authores Naclantus & ante eum Rupertus. Eorum argumenta referuntur & confutantur.

Ut cæteros taceam, adversæ sententiæ patrocinatus est impensissimè Jacobus Naclantus I. Contrariæ sententiæ patronus

Naclāus producitur. Ejus verba & argumenta.

tus Clugiensis Episcopus, eorum qui Concilio Tridentino interfuere non postremus, Christi arcanorum indagator præcipuus. In caput primum Epistolæ ad Ephesios copiosè suam hanc ille opinationem exponit, & ex scripturis firmare molitur, sed illo potissimùm loco Epistolæ ad Romanos: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, &c.* Quæ ille sic intelligi jubet: *Qui ex incredibili dilectione Dei erga hominem, à Deo, imo & à tota Trinitate, prædestinatus, id est, longè antequam fieret ex semine David secundum carnem, definitus ac decretus est Filius Dei, non quidem in ea forma in qua est essentialiter Deus, quippe qui in illa non est prædestinatus, sed genitus Filius Dei: nec illam à tota Trinitate, sed à solo Patre accepit: non aliquo consilio, definitione, decreto, sed naturali productione: sed in ea forma in qua est essentialiter homo, Dei Filius factus & appellatus, &c. In virtute. Siquidem prædestinatus est Filius Dei in robore & potestate Verbi, non solùm ad creandum & conservandum cœlos & terram, & quidquid amplitudine comprehenditur universi, &c. Sed & mirum in modum ad elevandum, reformandum & perficiendum juxta conditionem spiritualis gratiæ: quemadmodum futurum credimus in consummatione sæculi, quando omnes resurgemus ex mortuis, quando non solum mortale hoc induet immortalitatem, sed & creatura omnis liberabitur à servitute corruptionis, &c. Propter quod singulariter prædestinatus est Dei Filius in virtute secundum Spiritum sanctificationis, &c.* Colligit ergo etiam antequam fieret ex semine David Redemptor lapsorum hominum, prædestinatum esse Filium Dei utique hominem, alioqui non prædestinatus, sed genitus diceretur: idque in virtute videlicet Verbi creatoris & servatoris omnium, ad creanda & servanda omnia, & in eandem sanctimoniam atque incorruptionem vendicanda, in quam post resurrectionem emergent: id enim esse, ex resurrectione mortuorum, secundùm Spiritum sanctificationis.

Id rursum probat ex sacris litteris: *Verbum ab æterno apud illum factum est homo. Propter quod sapientia Dei quæ Paulo asserente est Christus, ab initio & ante sæcula, Sapientis authoritate non immerito affirmatur creata. Cum hæc Paulus præmisisset, quoniam, inquit, in ipso, sine dubio dilectionis Filio, imagine Dei inconspicui, & primogenito cujuslibet creaturæ, creata sunt omnia quæ in cœlis & quæ in terra sunt, sive principatus sive potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia constiterunt in ipso.* Quibus illustriora desiderari posse negat.

Et statim rursum ex Epistola ad Hebræos præsidia sibi accersit, ut ipse quidem autumat, munitissima: *Novissimè, inquit, locutus est nobis in Filio, proculdubio humanitate vestito, siquidem & in mundum venit, ut nobis revelaret voluntatem Patris: quem Filium humanitate vestitum, hæredem constituit universarum rerum, quippe cui Pater omnia dedit in manu, & cujus pedibus cuncta subjecit, per quem Filium non solum humanitate vestitum, sed hæredem universorum effectum, fecit non modò quæ per sæcula durant, Angelos, cœlos, elementa, sed etiam sæcula, &c. Et ad majorem expressionem subjungit quòd & terram fundavit, & quòd opera manuum ejus sunt cœli.* Pergit porro illa quæ vulgò de Verbi æternitate sumuntur: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ*: ad ejusdem incorporati majestatem rapere, perinde ut illa: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c. Omnia per ipsum facta sunt, in ipso vita erat, &c.* Quæ omnia argumenta eodem fuco videntur obducta. Nam quòd Scriptura soleat Verbi nunc per semet ante carnem, nunc

II. Solvūtur argumēta Naclanti.

in carne amplitudinem & gesta admirari & memorare promiscuè, alia aliis anteponere, & vicissim postponere, & indiscriminatim permiscere, ille hinc aucupatus est ansam, quæ de Verbo nudo sine carne promuntur, ea Verbo corporato impingendi, quod vel antè, vel paulò pòst, vel ibidem ejusdem corporatio memoraretur. Quod quàm frigidum sit argumentandi genus, nulli obscurum est. Scripturas enim non sua cuique libido elucidare debet, sed Patrum doctrina hactenus in Ecclesia inexpugnabilem authoritatem nacta, & ad nos hæreditaria quadam successione transfusa. Ubi autem Patres hæc Scripturæ loca sic interpretati sunt? Ubi non potiùs ea seposuerunt quæ humanæ, & ea quæ divinæ competebant naturæ? Quid Verbi naturæ vendicari propriè magis potuit, quàm quòd splendor sit gloriæ & figura substantiæ, & Verbum in principio Deus apud Deum, omniumque opifex? Ergo corruent omnia, quæ sancti Patres adversus Eutychianos astruxerunt ex scripturis, ut ne naturæ Christi duæ in unam conflarentur. Video quantùm abhorreat hic scriptor à labe Eutychiana, sed nonnulla tamen aspergitur hujus culpæ infamia, qui alienis & inauditis interpretationibus aliò detorquet ea Scripturæ testimonia, quibus illa pestis strangulata est. Sinatur Scriptura Ecclesiasticæ adversus hæreses suffragari sententiæ, non violentis & contortis commentationibus in inauditas novitates distrahatur.

III. Cōsentit Naclanto: Rupertus, aut potius præfultat. L. 14.

Consentanea Naclanto jam olim Rupertus docuerat in libris de gloria & honore Filii hominis: ubi ex Augustino ita argumentatur: *Cum ergo de sanctis & electis omnibus dubium non sit, quod nascituri forent omnes secundum præfinitum numerum, secundum propositum Dei quo ante peccatum benedicens, Crescite, ait, & multiplicamini: & absurdum fit putare quod propter eos ut nascerentur, peccatum necessarium fuerit: quid de isto capite & rege omnium electorum Angelorum & hominum sentiendum, nisi quod & ipse maximè causam necessariam non habuerit ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus, delicias suæ charitatis habiturus cum filiis hominum? Ipse est enim sapientia Dei, quæ de isto suo proposito dicit, Dominus possedit me in initio viarum suarum, &c. quæ ita concludit: Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, &c. ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Sed & iste locus ab Arianis vexatus, à sanctis Patribus vendicatus est, quorum elucidationes suprà paucis libavimus, sed quæ abunde sunt, ut liquidum fiat abhorruisse mirum quantum ab hac interpretatione priscos omnes Christianæ Theologiæ signiferos.

IV. Solvuntur ejus argumenta, & illud maximè an suam peccato prædestinationem & gloriam debeat Christus.

Quod ad sacras litteras attinet, causa cadunt adversarii, ut qui nihil apertum præ se ferant, ut qui apertissimis revincantur, ut qui insidientur implicatioribus quibusdam tantùm locis, & ex eorum obscuritate patrocinium suæ causæ venentur illi quidem, at irruente illico antiquorum interpretum mole opprimantur. Sed nonnihil molestiæ facessunt cùm argumentantur, Cæteri electi nascerentur utique & gloriam consequerentur etsi non esset peccatum, ergo & electorum caput Christus. Suam peccato gloriam non debent electi, ergo nec suam Christus. Et non possunt non suboffendi quibus cordi est amplitudo Christi, cùm dicitur ea tota peccato deberi. Et tamen Rupertus ipse sibi discors hunc scrupulum ejecerat ex animo suo nostro que in libris de operibus Spiritus sancti: *Ecce enim* L. 2. c. 6. *homo Christus, homo justus hominibus peccatoribus multum debet. Confortentur manus dissolutæ, & roborentur genua peccatorum debilia, quia videlicet si fide & pietate eruditi sint, habent quo constringant judicem suum. Dicat enim, Ego propter vestrum peccati diem natus, propter vestram iniquitatis noctem conceptus, & qui Dominus Deus immortalis eram, mortalis homo factus sum. Dicant ad hæc peccatores fideles, peccatores pœnitentes,*

Et siquidem multum tibi debemus nos Deus Christe, quia homo factus es; at tu econtra multum nobis debes homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es. Nam nisi fuissemus peccatores, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset, &c. Nisi peccassent servi, nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura servilis. Nec enim Dominus ille pro servis sceleratis plus injuriarum, quàm gloriæ pro eisdem suscepit. Nam pro quibus in cruce pependit, pro eisdem ut interpellet, sedet nunc à dextris Dei. Perelegantia ista sunt ut vides, nec tamen ad amussim satis expensa & castigata sunt. Namque ut infrà clarescit, ex consensione sanctorum Patrum, incarnatio Verbi non ut hominis exaltatio spectanda tantoperè est, quantum ut Dei exinanitio. Quid enim Christus, quàm Deus exinanitus? Quid Deus incarnatus, quàm Deus exinanitus? Peccatores ergo non gloriam Christi, sed exinanitionem imputare sibi debent. Et hinc dilucet, quì illa superioris dubii caligo diffletur. Nam Christus cùm acuratè cogitari non debeat, nisi ut Verbum carne indutum; suam ille gloriam & amplitudinem peccato nequaquam debet, sed inanitionem, sed humilitatem carnis & crucis: prædestinationem quoque suam peccato debet, sed qua ad probra, ad crucem, ad mortem prædestinatus est: ad hæc enim Verbum destinari poterat & à Patre & à seipso, quòd his careret; sed ad gloriam & claritudinem destinari non poterat, cùm hæc congenita semper habeat, cùm gloria & splendor ipsissimus sit. Nec inficias imus refusam esse Verbi claritatem, & Deitatis opulentiam redundasse in carnem ejus; verùm hæc majestati Verbi, non peccato debentur: debetur enim peccato una Verbi inanitio, qua expiatur: non reliqua bonorum seges, ab hac exinanitione pullulans. Alioqui & peccati expiatio peccato accepta ferretur. Deinde ut præmonui, non homo glorificatus, sed Deus exinanitus est Christus. Quanquam enim inanescere & delabi in hominem non possit Deus, quin homo gloriæ cumulum adipiscatur, debet tamen id haberi præ oculis, id ponderari, id magnifieri, quod principale, quod caput est, non id autem quod accessionis loco est.

V. Ex aliis Patribus solvuntur, quæ in speciem Naclanto favere videbantur. Ex Tertulliano & Nysseno.

Occurrunt & in Patrum lucubrationibus aliqua quibus in Naclanti opinionem propendere videantur. Tertullianus de ipsa creatione hominis ita disputabat: *Recogita totum illi Deum occupatum & deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, & ipsa imprimis adfectione quæ lineamenta dictabat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus: & Sermo caro, quod & terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad Filium, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus, id utique quod finxit, Ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi, futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus.* (L. de Resur. rect. carnis.) Si in condendo homine Christus cogitabatur, si honos, si benevolentia, si largitas Dei tunc tanta in hominem, Christo impendebatur, si ad imaginem Christi homo exprimebatur, si Christi pignus erat hominis conditio, ergo propter Christum hominem futurum videtur homo conditus, non propter hominem lapsum Christus prædestinatus fuisse. (L. 2. contra Marcionem) Et alibi: *Bonitas amplius delicias adjecit homini, ut quanquam totius orbis possidens, in amanioribus moraretur, translatus in paradisum, jam tunc de mundo in Ecclesiam. Eadem bonitas & adjutorium prospexit, ne quid non boni, Non est enim, inquit, bonum, solum esse hominem. Sciebat illi sexum Mariæ & deinceps Ecclesiæ profuturum.* Ecclesia per paradisum, Maria per Evam jam tum ante peccatum præsagiebatur, ergo & citra peccatum obtigisset. Quid attinet suffragia Patrum allegare, cùm apertè Paulus illa primi parentis verba de Christo & Ecclesia interpretetur, Hoc nunc eos ex ossibus meis & caro de carne mea? Ergo jam tunc Christi & Ecclesiæ fide Adamus ante lapsum imbuebatur. A quibus non abludens Nyssenus opusc. de eo quid sit ad imaginem Dei: *Non unam quandam imaginem & similitudinem Dei possidet homo, sed & secundam & tertiam, &c. At fortasse ad imaginem quidem divinitatis est nuda anima, ad similitudinem autem incarnationis Verbi istud animæ nostræ corporisque compositum.*

Verùm hæc longiùs petita sunt, nec assensum extorquent. Nam ut antea prolixè Cyrillus nos monuit, præscius futuri lapsus nostri Deus, reparatorem æterno gratiæ consilio nobis præfundavit. Post illud ergo æternum ablegandi ad nostram sarciendam jacturam reparatoris consilium, cùm homo in tempore conderetur, potuit honestari, potuit iuformari aliqua beneficiorum Christi anticipatione. In condendo ergo homine Christus cogitabatur lapsuræ mox naturæ redintegrator futurus: in condendo homine jam suam de eo post casum gratiam Deus oppignerabat: in nondum lapso reparatorem præludebat. Non aliud sonant hæc verba, & ita à cæteris Patrum sententiis non dissonant: si aliud sonarent, permolesta hæc esset dissonantia.

VI. Ex Cyrillo Alexãdrino, & Athanasio.

Cyrillus quoque in Thesauro habet, quæ molestiam creent, nisi evolvantur: (Thesauri pag. 153.) *Si propterea creatum esse Filium dicunt, ut nos Deus per ipsum crearet, videant in quantam impietatem labantur. Videtur enim hoc pacto ipse propter nos, non autem nos propter ipsum facti esse: & nos quidem opus, ipse verò operis instrumentum: hoc igitur nobis acceptum ferat, quod sit constitutus propter nos. Si autem propter nos creatus est Filius, non verò nos propter ipsum, erimus profectò nos illo præstantiores, quemadmodum Adam muliere propter ipsum facta.* Hæc ille de Verbi Deitate adversus Arianos. An ergo de Christo seu Deo inhumanato idem laqueus nobis obtendi potest? Si enim Christus propter nos, si propter nostram dumtaxat salutem, alioqui non futurus, an ergo nos illo erimus præstantiores? Premit hunc adversus Arianos eundem locum validiùs aliquantò Athanasius; (Orat. 3.) *Si Deus volens creatitiam naturam producere, Filium in eos usus procreavit, ut vos opinamini, advertite quàm audax impietas in vestris verbis sit. Primum quia apparebit, Filium propter nos, non nos propter illum conditos esse. Non enim nos ejus causa creati fuerimus, sed ille nostri: adeo ut ipse nobis, non nos illi gratiam debeamus, quemadmodum mulier viro, &c. Et nos quidem ut essemus, creati sumus, Filius verò propter nos, non ut ipse esset, sed ad nostri usum veluti instrumentum quoddam conditus fuerit.* Et rursum ibidem: *Si propter nos Verbum factum est, priùs apud Patrem non est quàm nos. Non enim cum illud in se haberet, de nobis, sed cum nos haberet, de illo cogitavit, ut isti dicunt.* Pergit porro nova monstra indidem emergentia demonstrare: *Iam si illud conceditur, planè sequitur ut Pater Filium sibi noluerit. Non enim volens eum creavit, sed cum nos vellet, nostri gratia eum instituit.* Et rursum: *Sin autem Filius ut solus potens à solo Deo conditus est, nos autem ut impotentes ab eo facti sumus: cur non potius ante omnia de Filio ut potente, postea autem de nobis deliberat? Aut cur potentem imbecillibus non anteponit?* Et ultra urgens ita loquitur: *Et nos quidem volens, ac de nobis deliberans, creaturas appellat: illum autem quem propter nos architectatur, Filium & hæredem suum appellat. Atqui oportebat nos quorum gratia illum producit, filios potius appellari.* His ille telis configit Arianos ex ipsorum penu depromptis, quibus danda est opera, ne & nos perstringamur. Nam si Chistus, si Deus homo non venit, nec est à Deo prædestinatus, nisi sicut de Verbo Deo Ariani blatterabeant, propter nos, nostri causa, ad nostram salutem; ergo similiter retorqueri in nos poterit,

Christo nos & perfectiores & principaliores esse, & apud Deum priores, Deo ipsi antiquiores; & nomine Filii proprii proinde potiùs honestandos fuisse, quàm Christum, ut cui architectando Deus illibenter penè assenserit nostri causa; nam de illo ne in mentem quidem ipsi venerat, sed cùm charitate in nos æstuaret, & mederi nostris vellet calamitatibus, ita demum consilium cepit Verbi incarnandi.

VIII. Illa hic difficultas attingitur, si propter nos tantù præ. destinatus est Christus an ergo nos potiores sumus ipso Christo.

Salebrosum, ut vides, istud iter est quod ingredimur, & utrimque abruptum: cùm hinc dignitas Christi, inde ejus post peccatum prædestinatio apud sanctos Patres indubitatissima, in discrimem vocetur. Et quidem toto hujus tractatus decursu reliquo hanc unam maximè eliquare difficultatem enitemur, sed hic interim tamen summatim illam attingere & expedire non pigebit.

VIII. Incarnatio Verbi exinanitio, est suam ergo tantù exinanitionem nobis debet Deus Verbum.

Primùm ergo hoc uno ex cardine religatum pendet totum istud arcanum, quòd Incarnatio Verbi, non tam ut provectio ad gloriam, quàm ut exinanitio ad carnem, ad crucem, ad mortem pensitanda sit. Et quanquam caro, crux, mors nobilitentur & consecrentur Verbi ad eas dejectione, ipsa tamen incarnatio Verbi & prædestinatio Verbi incarnandi, nonnisi inanitionem, & divini fastigii ad ima inclinationem primò & per sese sonat. Nam Verbum à Patre exiens, à semetipso penè digrediens, non in aucupium gloriæ, sed in mortem, in ignominiam veniebat. Gloria enim & vita & majestas ipsemet est; à seipso ergo exire, id verò erat ignominiam, mortem, inopiamque ambire. Id ergo posterius est peccato, id nostræ imputandum est culpæ, causa hujus rei penes nos est: suam nobis Verbum incarnatum debet mortem & ignominiam & inanitionem. Si carnem enim & mortem & crucem gloriæ suæ radiis afflavit, & vitæ, gloriæ, incorruptelæ fontes esse præstitit, id sibi debet, qui non potuit quidquam attingere, quin illud bearet & consecraret: at ipsam crucis & mortis inanitionem nobis unam debet. Non ita verò comparata erat Arianorum causa. Nam totam Verbi substantiam & gloriam nativam nobis eorum vecordia adscribebat, cujus creandi non aliam causam fingebant, quàm ut per illud nos crearemur. Ergo jam è diametro pugnant nostræ & Arianorum rationes. Illi enim nobis acceptam ferebant Verbi substantiam, nos substantiæ inanitionem: illi gloriam, nos infamiam: illi vitam propriam, nos mortem mutuatitiam: illi hac arte divinitati Verbi struebant insidias, eamque in classem rerum creatarum detrudebant, nostra ratio ex adverso naturam Verbi longè semovet à contubernio naturæ creatæ, nec illam huic inclinat, nisi ex hujus sanandæ necessitate. Ita prorsus Cyrillus in Thesauro: *Observationes ex sacra Scriptura; Quod quando Filius genitum se significat, aut alius quispiam sanctorum id de ipso dicit, causam non addit. Non enim propter aliud Deus existit, aut ex Patre genitus est. Cum verò sacræ Scripturæ similitudinem illius nobiscum significare volunt, vel quod natus sit ex Virgine, statim etiam causam subjiciunt, ut cognoscamus quamobrem Verbum Dei semper existens homo factum sit, non principium existendi tunc accipiens, sed in formam servi, quantum ad habitum attinet, mutatus, atque hac ratione factus & creatus esse dicitur.* Contexit deinde utriusque generis testimonia complura, quibus Deitatis Verbi nulla causa esse profertur, at humanitatis assumendæ causa in nostræ ægritudinis medicationem conjicitur. Præclarè enim Cyrillus, *Non propter aliud Deus existit, aut a Patre gignitur:* at si similitudinem induat naturæ creatæ, etiam immortalis, etiam beatissimæ, id Deo Verbo quoddam est exinaniri, dehonestari, illud est servili schemate vilescere; causa ergo hujus rei tam inauditæ extra Deum aliqua vestiganda est. Quàm præposterum autem est, si tu tibi tribuas & inde intumescas, quod ut servitutes, ut vincula, ut mortes à Verbo decorarentur, in causa fueris; nec inde potiùs suffundaris, quod Verbum ipsum dedecoraveris compegerisque in servitutis insignia, in servi facinorosi supplicia? Difficultatis ergo hujus molem una exaggeravit nostra inscitia & superbia, quod gloriæ quàm humilitatis ansas avidiùs captemus, quodque Christum lubentiùs, sed imperitiùs constituamus nobis ob mentis oculos, ut hominem Divinitatis accessione radiantem, quàm ut Deum, humanæ & servilis naturæ, carnis, crucisque accessione exinanitum.

Thesauri. pag. 161.

IX. Nonpropter nos & posterius nobis prædestinatur Christus, sed totus simul prædestinatur, Caput & Corpus, & prius Caput quam membra.

Secundò quia non potest certa ulla spes animo præsumi, fore ut omnes homines posthac intelligant, non Deum humanitati, sed humanitatem Deo accessisse, & accessionis instar subjungendam esse, ut nonnisi Deus humanatus, id est, Deus exinanitus unquam cogitetur Christus: ut obsequamur nostræ imbecillitati, tentandæ sunt & aliæ viæ, quibus ab hisce nos laqueis exuamus. Ergo capiatur Christus, ut homo deificatus, istud certè ad nostram, id est, ad peccatorum salutem præfinitum à Deo est ante sæcula, nec tamen illius prædestinationem nostra antecedit. Nam una est Christi totius prædestinatio, id est, capitis & corporis. Æterno enim bonitatis incomprehensæ consilio statuit Deus ægræ & exangui humanæ naturæ post lapsum suum, infundere vitam & sanitatem & sanctimoniam & incorruptionem, id est, ipsam Verbi sui substantivam opulentiam omnem. Ea est totius Christi, ea est capitis & corporis, ea est universitatis prædestinatio. Nam quando Verbum caro factum est, etiam habitavit in nobis, hoc est, in universa Ecclesia: sua enim exinanitione, ab inanitate vendicavit eam omnem naturam, cui se immiscebat. Ad hunc modum nequaquam Christum antecedimus, nequaqnam priores illo & antiquiores Deo sumus, cum toti corpori divina simul vacaverit indulgentia, & Capiti hypostaticè suum adunaverit Verbum, membris pro membrorum modulo.

X. Principalius prædestinatur Caput, quam membra, etsi membra cum Capite prædestinetur.

Tertiò, si verò divinæ mentis cogitata atque consilia minutiùs scindere, & aliam libet capitis, aliam corporis reliqui scrutari prædestinationem, nihil moror, sic quoque capitis ratio principatum suum sibi merito vendicabit. Nam ante Deus capiti se insinuare statuit, & inde in contextos & compaginatos ei artus dimanare. Ea est enim capitis dignitas, ut membris antehabeatur. Ea est fontis ratio, ut priùs scateat, tum ex eo rivuli ducantur. Ante ergo totus Deitatis fons fuit sigillatim humanitati inferendus, & inde pro cujusque modulo derivandus in corpus reliquum prædestinatus à Deo est. Ita Augustinus non rarò præclarissimum prædestinationis nostræ exemplar in Christo constituit, tam nullis enim suis præeuntibus meritis membra, quàm caput ipsum prædestinantur. Non potuit enim Christus sine nobis prædestinari, truncum sine corpore caput, nec potuimus nos sine Christo, viduata capite membra; si gemina hæc cogitando, bipartiendaque videatur prædestinatio, reapse tamen individua utraque est, & inexplicabiliter altera alteri implicata. Sed capiti se membra debent, non caput membris; ut radii se soli, non sol radiis, rivuli se fonti, non fons rivulis accepto fert. Nec enim ut membris serviat, caput elaboratur; sed ut capiti famulentur, coagmentantur membra.

XI. Ita nec Adamus gratiã & ornaméta sua debebat posteris, etsi ea in illos erat trãsmissurus.

Quartò, imponit nobis plerumque contemplatio universitatis. Facilè enim assentamur nobis de generis totius multitudine, ut huic priùs salutem imaginemur à Deo destinatam fuisse, & tunc quasi ex consequenti constitutum ab eo fuisse unum aliquem eximium, per quem cæteris omnibus salus pareretur. Non ita res autem ista se habet. Nam cùm Adamo imaginem formamque suam seu Verbum suum inscripsisset Deus, & Spiritum suum seu sanctimoniam afflasset, si stetisset ille in veritate, posteros omnes tam hujus beneficii quàm naturæ suæ

con-

consortes effecisset. At ubi ille descivit, suaque clade genus universum prostravit, alium Deus Adamum, principium & caput aliud melius suffecit, cui Verbum suum hypostaticè & indissociabiliter inseruit, Spiritumque suum indivulsè, ut par est, implicavit, ut in eo genus omne restauraretur. Hìc porro ratio habetur primùm capitis, cui totius corporis & membrorum omnium fata committuntur. Ea est enim rerum natura, ut unitati multitudo, uni universitas serviat, non vicissim. Unitas enim principatur in unius summæ unitatis imperio. Opificem quippe suum omnia pro virili exprimunt. Vestigium unitatis principis omnia æmulantur. Quantumlibet in ramos frondes, flores, fructus arbor luxuriet, & copiosam explicet gloriam, uni debet se radici; non illi se radix. Et quì potuit ea res evidentiùs patescere, quàm totius generis in unum Adamum vel primum vel novissimum constipatione, ut capitis nutu membra singula & universa vel corruant vel sublimentur?

XII. Ne nos quidé propter nostram sed propter Dei, propter Verbi incarnati gloriam prædestinamur. Quintò, reluctatur adhuc animus nempe sibi subblandiens, nec nisi ægrè passurus se cum tanta consortium multitudine sub jugum agi. Sed assensum tamen impetrabimus, ut spero, si seriò spectemus priùs Deum suis quàm nostris rationibus prospicere. Omnia enim propter semetipsum fecit, omnia & propter semetipsum refecit. Nobis salutem, sibi gloriam post calamitatem nostram quæsivit: sed priùs sibi gloriam, & ita demum nobis salutem. Si enim nos sibi anteferat, quid aliud quàm ima summis permisceat; ordinem labefactet qui parens vindexque ordinis est? Quin imò cùm ordo, cùm lex, cùm æqui rectique necessitas inexorabilis ipsemet sit, quàm necesse est illum Deum esse, & nos ejus opificia ac mancipia, tam necesse est, nostras omnes rationes ejus gloriæ famulari ac posthaberi. In salute ergo nostra reparanda suam ipse laudem ante omnia meditabatur. Sapientiæ suæ, justitiæ suæ, Verbo suo præ cæteris omnibus gloriam venabatur resartæ ingentis hujus & alioqui irreparabilis ruinæ. Et hanc gloriam arte prorsus inusitata, inopina, inexcogitabili parturiebat, ut hac singulari natura passibili impassibile Verbum indueretur, pateretur, moreretur, atque ita ab universitate illius naturæ passibilitatem ac corruptelam peccati mortisque omnem exueret, & ita denique quoscumque vellet quibuscumque vellet in illa natura ditaret suæ incorruptibilitatis muneribus. Hanc Verbo suo, hanc sibi gloriam præmolitus ab æterno Deus post prævisam calamitatem nostram, ex consequenti, ut moris illi est ad nostræ salutis providentiam defluxit, & quibus quosque sigillatim exinde præsidiis ad salutem parandam instrueret, tum denique constituit. His ita conclusis atque perfectis, nostra detumescit superbia, nec palmam primariæ prædestinationis Christo præripere nos posse jam speramus. In ipso & secundum ipsum nos prædestinamur, non singuli tantùm, sed universi, non sigillatim tantùm, sed universim omnes. Illius causa nos eligimur, ad illum referimur, illi mancipamur, non ille nobis. Ita unitas principatur, ita multitudo hominum uni Deo humanato subigi neutiquam dedignatur. Sive exinaniri Verbum, sive deificari humanitatem assumptam intelligas, perinde id omne in secretario divini consilii nostris utilitatibus, nostræque omnium saluti antehabetur. Post lapsum quippe nostrum prævisum non aliud quidquam Deus antè constituit, quàm illatam sibi resarcire injuriam, quàm invictæ suæ documenta dare omnipotentiæ, quàm sapientiæ & bonitatis suæ artem ineffabilem in malis bono subjugandis, in bonis malo illustrandis explicare, quam gloriam hanc omnem Verbo suo incorporato accumulare: & quia ex his nostra etiam salus emergebat, hanc nobis quoque salutem destinavit, sed ex consequenti, ut ex corporati Verbi sui gloria defluentem. Omnino enim ut in faciendo, ita in reficiendo genere humano omnia propter semetipsum operatus est Deus, nec aliter lex æterna vel fieri vel credi sinit. Porro si hæc norma teneatur, non desciscitur ab eo quod professi sumus creberrimè, & suo infrà loco operosè demonstrabimus, humanitatem non per sese, nec propter sese in Christo spectandam esse, sed tanquam Verbi accessionem. Hìc enim obliquè tantùm illam attigimus, dum totum Dei consilium ad gloriam quandam inusitatam Verbo suo incorporato comparandam incubuisse sanximus. Ibi enim caro assumpta implicatur rationi & causæ Verbi, nec in se seorsim vel tantillum finitur conquiescere.

CAPUT VII.

Si homo non peccasset, Deus Verbum non corporaretur: evincitur id ex illustriori quadam laude Omnipotentiæ divinæ parta, per nostri lapsus curationem.

I. Cogitatio rationū ab omnipotentia petitarū non finit Deū incarnari, nisi post peccatū. ID superiùs jam contestati sumus, non tam carptis hinc inde seu Scripturarum seu Patrum testimoniis, quàm ipso corpore & tota mole antiquioris Theologiæ & orthodoxæ doctrinæ, expugnandos nobis illos esse, quibuscum nobis nunc certamen est. Nostra ergo ipsimet remetiemur vestigia, & qua ratione atque via convenientiam incarnationis suprà executi sumus, eadem prorsus, sed paulò tamen compendiosiore, non nisi post casum nostrum copulandam naturæ nostræ hypostasin Dei Verbi astruemus.

Primùm ergo quod ad omnipotentiam Dei spectat, non temerè illa præcipitanda, sed sapientiæ legibus dispensanda fuit; nec vis illa singularis qua collapsum opus refici debet, eidem adhuc integro fuit obtrudenda. At Deum, hoc est sapientiam & justitiam humanæ inseri naturæ, ea fuit omnipotens ægritudinis medicina: quæ pestis enim non hoc igne excoquatur, quæ non post hæc prævertatur? Deinde Deum humanari, spiritum corporascere, increatum creari, æternum nasci, invisibilem cerni, Deo quidem proclivia, sed insolentissima tamen quædam sunt omnipotentiæ ostenta, & præter usitatam naturarum legem stupenda. Abstinendum ergo iis erat, quandiu constabat sibi primigenia rerum naturæ institutio. Nam luxatæ naturæ par est quidem inusitatis quibusdam succurri subsidiis: at integræ cursus non est novis & portentosis concutiendus. Ad hæc quadam fidei impudentia opus est, ut illa impossibilium possibilitas, imò & facilitas credatur & prædicetur. Huic fidei jugo subjicienda jure merito est desertrix anima, & à veritate sponte devia, ut incredibilia credere, impossibilia complecti condocefacta, detumescat, & Deo subjugetur, & malè impensam serpenti credulitatem expiet. Ad hæc quid attinet reparatricem potentiam creatrici componere, & præponere quod sancti Patres identidem factitant, si creatrici ea ipsa adsignanda sunt miracula, quæ reparatrici? Nam impassibilem pati, immortalem mori, morte mortem perimi & id genus alia, non ferè admirabilitatis plus habent, quàm inaspectabilem conspici, Verbum corporascere, æternum in tempore nasci, & ut uno verbo rem absolvam, Deum hominem fieri. Nam ut immortalis, ut beata, ut omnibus ornamentis conferta sit humanitas cui Deus illabitur, id tamen ultra fidem, id præter spem, id supra admirationis aleam maximè unum est, Deum hominem fieri. Nam ut semel homo factus, moriatur, non id alienum jam est; quisquis enim homo est, humani à se nihil alienum putat. Ergo si creatricis potentiæ id, & primitus institutæ naturæ futurum erat decus & miraculum, ut Deus homo fieret, & ita inanesceret, frigida erit & inani verborum strepitu canora hæc tam fre-

frequens in ore orthodoxorum omnium comparatio. Præterea inaniter jactatur omnipotentia Dei novo consilio, novo incarnandi Verbi sui decreto, priorem suam erga hominem benevolentiam post ejus lapsum armasse, & adversus victoriam diaboli invictæ suæ specimen gloriæ, & hominis demum salutem inexpugnabili deinceps præsidio communisse, si hæc omnia ante casum nostrum jam constabant. Nam si stante homine incarnandus nihilo secius erat Deus, nihil novi ergo post ejus casum consilii, nihil novi præsidii fuit; imò ne cecidit quidem homo, nec vicit diabolus. Etenim non cecidit homo, qui in propagine sua habiturus est unum aliquem per quem altiùs assurgat: nec genus humanum vicit diabolus, cùm in humano genere censeatur unus, non homo tantùm, sed & Deus, invictus, & generi suo victoriæ author. Ad hæc quid opus erat incarnari Verbum, & ejus aspiratione ineluctabile quoddam munimentum salutis donari electis hominibus, qui stantes adhuc & sani suæ potiùs voluntatis arbitrio & in utrumque sequaci auxilio permittendi fuerant? Nam insertione Verbi in naturam nostram, non modò auxiliorum omne genus, sed & jam quandoque insuperabile quoddam gratiæ robur afflatum ei esse, non facilè negabit, qui alioqui perspexerit nihilo nos meliore loco futuros fuisse, & nihilo tutiores quàm antè. Denique quod infirmum Dei fortius sit hominibus, quod infirma mundi eligat Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt & fortia quæque domet, quod humilitate regnet, quod stultitia sapere doceat, quod scandalo crucis orbem debellet, id summum est operæ pretium omnipotentiæ divinæ, in ruinæ nostræ & injuriæ suæ reparationem reservatum. At si & antè incarnaretur, etsi impassibilem sibi carnem adscisceret, id tamen esset infirmum Dei, id humile, id stultum, id scandali instar perinde esset. Deus enim inhumanari nequit, quin inaniatur & infirmetur, & puerascat cum hominibus, & infringat denique vim inaccessæ & intolerabilis majestatis suæ.

II. Ad id promuntur suffragia Chrysologi. Serm. 141. 143.

Chrysologus: *Quia totum Deo est possibile, & tibi ne ad minima quidem operum Dei possibile est pervenire, conceptum Virginis noli discutere, sed crede: Deum voluisse nasci, piè senti, quia facis injuriam si requiris; dicente scriptura, Omnia opera ejus in fide. Sed tu hic totum vis de ratione constare, ubi totum consistit ex fide: quod tamen non sine ratione subsistit; sed ratione Dei, non tua, homo. Quid tam rationabile quàm ut Deus quidquid voluerit possit?* Lapsæ in devium rationi jure illuditur per fidei servitutem, ut ea pœna medicinali expietur: at stanti quid attinebat insultare per inusitatorum portentorum novitatem? Et alibi idem: *Quando ad opificis honorem operis restauratio non redundat? Ne amittat quis opus suum, nonne cum veterascit, revocat? & cum cadit, erigit? & cum destruitur, in melius reformat? Ergo quod in partu Virginis agitur, non est Creatoris injuria, sed salus est creaturæ. Si Deus fecit hominem, quis arguit, cur refecit? Et quod ex limo formasse dignè creditur, quare ex carne reformasse judicatur indignum? Quid pretiosius, caro an limus?* Hæc igitur opera omnipotentiæ sola excusat, sola approbat reficiendi operis collapsi necessitas. Et infrà: *Ipse hominem mulieris resumpsit ex utero, qui virginem viri formavit ex corpore: ac proinde homo, quæ tibi videntur nova, Deo habentur antiqua. Sed dices: Quæ nascendi necessitas Deo, cui suppetit faciendi potestas? Ut ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operando: quia quæ facta fuerat ut generaret ad vitam, ipsa generabat ad vitam, &c. Ut naturæ curam nativitas daret authoris, & naturæ curatio esset vivificatio filiorum.* Non de carne mortali aut immortali quidquam cavillari hic datur, absolutè in carne nasci Deum, naturæ curatio, novi supra naturam auxilii inspiratio ea est, quæ locum non habet, nisi ægrescat priùs natura.

III. Tertulliani. L. de Bapt. paulò post initium.

Tertullianus: *Quid ergo? Nonne mirandum & lavacro dilui mortem? Atqui eo magis credendum, si quia mirandum est, idcirco non creditur. Atquin eò magis credendum est. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. Cæterum incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia, quasi vana: magnifica, quasi impossibilia. Et sit planè ut putas, satis ad utrumque divina pronunciatio præcurrit. Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam ejus; & prædifficilia penes homines, facilia penes Deum. Nam si Deus & sapiens & potens, meritò in adversariis sapientiæ potentiæque, id est in stultitia & impossibilitate materias operationis suæ instituit. Quoniam virtus omnis ex his causam accipit à quibus provocatur.* Non antè, sed postquam supercilium adversus Deum extulimus, stulta mundi & infirma elegit Deus, ut ex his potentiam suam amplificaret, traduceret superbiam nostram, & fidei obsequi sibi nos edomaret. Qualiscumque porro Verbi comparatio, quædam prædifficilium & impossibilium ostentatio est, & fide sola naturam omnem superante devorari potest.

IV. Augustini. In Psal. 117.

Augustinus similiter: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Magna virtus exaltare humilem, deificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de subjectione gloriam, de passione victoriam, dare auxilium de tribulatione, &c. Non homo se exaltavit, non homo se perfecit, non sibi homo gloriam dedit, non homo vicit, non homo sibi saluti fuit; Dextera Domini fecit virtutem, &c.* Si citra lapsum hominis homini se Deus insinuaret per hypostasin, aut illi aut sibi injuriosus esset. Sibi quidem, si non totam hominis salutem ipsemet operaretur: illi autem, si totam operaretur. Nam Deitas humanæ infusa personaliter naturæ, omnium ejus bonorum certissima scatebra esse debet, nec potest non infamia quadam aspergi, si aliunde, si à libertate cuique insita exoriatur potissima salutis gloria. Hoc enim utriusque status discrimen est, quòd nunc quidem in solis electis suis totam invictissimæ suæ gratiæ efficaciam Christus exerit, reliquis Reparatoris beneficio, suæque ipsorum saluti pertinaciter repugnantibus. At in priore illo innocentis naturæ statu, nil repugnabat gratiæ. Totam ergo vim & efficaciam suam illa in omnes tunc explicasset. Rursus idem alibi Augustinus: *Quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter & fortiter, voluit facere suaviter, uniens sibi infirmitatem carnis nostræ, quam primò in se sanaret, & per hanc quasi medicinalem confectionem generi humano sanitatem restitueret.* (Serm. 19. de Sanctis.) En quàm omnipotens Deitas. Non passione, non morte Christi sola, sed ipsa Divinitatis in carnem insitione, omnis eluitur carnis ægritudo. Præproperè ergo hæc medicina tam efficax sanæ & nihil indigæ infunderetur naturæ.

V. Bernardi. Hom. 2. super Missus est.

Bernardus: *Ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem sed Angelos reficientem, vagientem sed miseros consolantem. Videas si attendas tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans.* Inexperta hæc omnia sunt usitatis naturæ legibus, & prodigiosa divinæ potentiæ ostenta, tum tempestiva, cùm natura ipsa desciviisset, cùm usitata potentia obsorduisset, cùm æger stomachus nausearet ad solita,

cùm

cùm novis irritanda esset admiratio & religio in Deum, hoc est post casum nostrum. At horum benè multa quæ tam bellè lusit Bernardus, vel horum simillima novitatis monstra, etiam in carnis immortalis assumptione ad Deum occurrissent,
VI. Hilarii. ut cuique perfacile est videre.

Hilarius: *Ut nova in se generis nostri creatione*
L. de Trinit. *constitutionem decreti anterioris aboleret, &c. Hac ultra naturæ humanæ intelligentiam à Deo gesta non succumbunt rursus naturalibus mentium sensibus: quia infinitæ æternitatis operatio, infinitam metiendi exigat opinionem: ut cum Deus homo, cùm immortalis mortuus, cum æternus sepultus est, non sit intelligentiæ ratio, sed exceptio potestatis.* Hilario igitur Deus homo, & immortalis mortuus peræquè inaudita & portentosa duo sunt. Quin si accuratiùs rem pensitaremus, altiùs descenderet Deus in hominem, quàm homo semel factus in mortem. Homini enim etiam Deo cognatius est mori, quàm Deo hominem fieri. Utroque ergo perinde humana intelligentia illuditur, proteriturque. At ubi rerum natura nequedum sauciata obsequitur imperio moderatoris, quorsum
L. 11. rationem suggillare, quorsum intelligentiam conculcare? Et paulò ante calcem: *In forma Dei manens formam servi assumpsit, non demutans, sed seipsum exinaniens, & intra se latens, & intra suam ipse vacuefactus potestatem, dum se neque ad formam temperat habitus humani, ne potentem immensamque naturam assumptæ humilitatis non ferret infirmitas: sed in tantum se virtus incircumscripta moderaretur, inquantum oportet eam usque ad patientiam connexi sibi corporis obedire. Quod autem seipsum intra se vacuefaciens continuit, detrimentum non attullit potestati, cum intra hanc exinanientis se humilitatem, virtute tamen omnis exinanitæ intra se usus sit potestatis.* Hinc elucet quamcumque carnis etiam beatæ & immortalis assumptionem, Dei exinanitionem futuram fuisse, & quandam infinitatis vacuefactionem, premente ipso seipsum, & in seipsum exerente vim potestatis inopinatissimæ. Id porro locum non habuisse, nisi ubi moderari sibi debuit, ut nostra illum ferre posset infirmitas: aut ubi ad usitatæ potentiæ contemptum ulciscendum vel fastidium refutandum nova erupit & insolita omnipotentiæ
VII. Athanasii, & Basilii. ratio.

Assentitur & Athanasius genus illud totum inusitatissimæ omnipotentiæ armandum non fuisse, nisi ubi ordinariæ potestati homines, vel contemptu, vel nausea, terga verterunt. Paulò post initium libri de Incarnat. *Quanto enim majoribus sannis apud infideles jactatur, tanto ille majora documenta suæ divinitatis præbet, cum ea quæ mortales ut impossibilia non assequuntur, ipse possibilia ostendat: & quæ ut fœda aspernantur, ea speciosa per suam divinitatem reddat: & quæ docti viri ut humana irrident, ea sua vi divina esse demonstrat.* Gradatim ergo moderanda fuit omnipotentiæ explicatio, ut extraordinaria non emicaret, nisi ubi ordinariæ illusum esset. Eccur enim illa extraordinaria, hæc ordinaria appellitabitur, utraque si promiscuè suas partes agat, & illa se ingerat, ubi nihil præter ordinem tentatum est? Pulchrè ergo Basilius hæc verba illustrans, *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*: ad Verbi inhumanationem hæc trahit, quòd ea fuerit omnipotentiæ & veluti gladii ultoris exertatio in vindictam hostium, non erupturi utique, si primæva pax constitisset. *Deinde quoniam Deus Verbum carnis debilitati sese conjuncturus erat, pulchrè additur, potentissime; quoniam maximæ potentiæ demonstrationem habet posse Deum esse in humana natura.*

In Psal. 40. Tom. 3. pag. 119.

VIII. Cōglobatio rationum à sapientia Dei petitarum, post peccatum tantū finit Deum humanari.

Secundò, sapientiæ Dei documentum est præ cæteris mirandum Verbi incarnatio, sed ejusmodi tamen, quod non primitus instituendo, sed reparando post ruinam homini sit accommodatum.

Nam ut ait Paulus, quoniam per sapientiam non cognovit mundus Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salutem conciliare credentibus. Explicuerat ergo se primùm Dei sapientia in orbis universi pulchritudine, concentu, ordine, constantia: implicuerat se quoque in fibras & in penetralia mentis humanæ, & utrimque dicta dabat, intus insonabat, foris circumsonabat, id abundè erat homini, ea erat naturæ ratio & providentia necessaria. Inde ergo recedendum non fuit, donec homo ipse deficeret. Ad solemnes enim illas & intimi & exterioris oraculi obsurdescens voces, novo & inaudito Verbi divini tonitru, novo sapientiæ incarnatæ magisterio excitandus & edocendus fuit. Deinde quorsum per stultitiam prædicationis hominem ludere, plectere, sanare, antequam homo ipse à summa sapientia deficiens stultesceret? Quorsum stultum Dei sapientius esse hominibus ostentare, priusquam ita castigari & sanari homo mereretur? Non efficient enim unquam distinctiuncularum suarum præstigiis, ut non liqueat nobis, Deum quomodocumque incarnari, id stultum Dei, id infirmum Dei esse. Summæ infirmitatis ac fatuitatis speciem præ se fert hoc unum, Deum hominem fieri. Nam æternus tempus subit, immensus loco clauditur, semper genitus renascitur, sapientia puerascit, impatibilis patitur, incommutabilis afficitur, summus deprimitur, & ne longum faciam, Deus homo fit. Nobis quippe crux, morsque horrori est, humanitas admirationi est: at Deo procul est, alienissimum est, quidquid Deus non est, quidquid summum non est. Deo consentaneum non est, quidquid Deus non est. Exinanitur ergo cùm fit homo. At exinaniri, hoc enimverò est infirmari & infatuari. Præposterum ergo erat, hoc stultæ sapientiæ, & sapientis stultitiæ vel magisterio imbuere, vel cauterio inurere & sanare hominem adhuc sanum & innoxium, & primigeniæ sapientiæ disciplinis informandum. Illa quippe ultra sapientiam sapiens stultitia, expugnandæ hominis superbiæ, suggillandæ ejus insipientissimæ sapientiæ, & ita reparandæ ejus ruinæ accommodata est, quando rationi ejus non morigerandum jam, sed dominandum, quando destruendæ sunt munitiones, & diruenda omnis altitudo adversus Deum insolescens. IX.

Hilarius: *Quia nos Christum Dei virtutem & Dei sapientiam prædicantes, æquum est humanas doctrinas non tam defugere quàm refellere. Nam cum possit omnia & in ea ipsa sapienter Deus possit, nec virtuti ejus ratio, nec rationi virtus obsistat; oportet eos qui Christum prædicant mundo, irreligiosis mundi imperfectisque doctrinis per scientiam sapientis omnipotentiæ contraire, secundum illud B. Apostoli dictum: Nostra enim arma non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructiones munitionum, rationes destruentia, & omnem altitudinem elevatam adversus cognitionem Dei, &c. Contundendæ sunt ergo insolentes adversus Deum disputationes, & destruenda rationum fallacium munimenta, & elevata ad impietatem ingenia conterenda, &c.* En quid valeat Dei humanati, id est stulti & infirmi Dei sapiens omnipotentia, contundere, destruere, conterere rebellantem mentis humanæ perfidiam. Innoxio ergo, in pace degenti, pacem meditanti, ecquid bellum indicitur, arma concrepant, clades intentatur? Idem infra: *O hæretica imprudentia & stulta mundi sapientia! Opprobrium Christi non intelligens Dei esse virtutem, & stultitiam fidei non sentiens esse Dei sapientiam. Deus ergo idcirco tibi Christus non est, quia qui erat nascitur? Quia indemutabilis crescit ætate? &c.*

Ex Hilario Hilar. l. 1

Lib. 4.

X. Ex Augustino. Epist. 102.

Sed in primis egregiè Augustinus: *Quia enim in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Hac stultitia prædicationis & stultum Dei quod sapientius est hominibus, ut non solum qui nondum certa valent intelligentia* con-

conspicere naturam Dei quam fide tenent, verum etiam qui nondum in anima sua ita incorpoream substantiam à corporis generalitate discernunt, quemadmodum certi sunt se vivere, nosse, velle, ideo sint alieni à salute, quam stultitia illa prædicationis fidelibus confert. Est paulò post: *Miris fit modis per altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, ut & nonnulli à corporeis incorporea discernentes, cum sibi ex hoc magni videntur, & irrident stultitiam prædicationis, qua salvi fiunt credentes, ab unica via longè exerrent, quæ ad vitam æternam sola perducit; & multi in cruce Christi gloriantes & ab eadem via non recedentes, etiamsi ista quæ subtilissimè disseruntur ignorant, quia non perit unus ex illis pro quibus mortuus est, ad eandem perveniant æternitatem, veritatem, charitatem.* Hic germanus est sensus stultitiæ humanam sapientiam subjugantis, quæ in cruce, & omnino in qualicumque carne Christi nititur. Nam rudes intelligibilium, sed humiles, per carnem Christi ad æternæ veritatis charitatem & beatitatem trajiciuntur, à qua longè peregrinantur, qui philosophico supercilio æterna rimantes, carnem Christi aspernantur. His enim sapientia exitio est, & à vera Dei sapientia alienatio; illis saluti est sua fatuitas, & ad sapientiæ veritatem provectio. Id præstat non crux sola, sed omnino caro Christi: non ergo locus huic est, nisi post calamitatem.

L. 1. De Doctor. Christ. c. 10. Et idem alibi: *Ad eum qui ubique est, non locis movemur, sed bonis moribus, quod non possemus nisi ipsa sapientia tanta etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, & vivendi nobis præberet exemplum non aliter quàm in homine, quoniam & nos homines sumus. Sed quia nos cum ad illam venimus, sapienter facimus, ipsa cum ad nos venit, ab hominibus superbis quasi stultè fecisse putata est. Et quoniam nos cum ad illam venimus, convalescimus, ipsa cum ad nos venit, quasi infirma existimata est. Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus;*

In Psal. 103. *& quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Et alibi eundem Pauli locum versans, spiculum ex eo inevitabile torquet in eos quibuscum hic congredimur. *Si est Verbum Dei, Deus apud Deum, lege si potes. Sed quid dicis, quia sursum est, & ideo legere non potes? Ubique est Verbum Dei, &c. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, &c. Et cum venit, hic erat: venit in carne, nunquam absens divinitate. Quare ergo legere non poteras? Quia in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, ibi constitutus in sapientia Dei. Omnia enim ibi, & ipsa nulla subtracta sunt. Ibi constitutus non poteras cognoscere per sapientiam Deum: ergo necessarium erat quod sequitur, Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, &c.* Stultitia ergo prædicationis est Verbum caro: sapientia in qua priùs erudiebatur mundus, est Verbum in principio Deus apud Deum. Sed quia legere jam non potuit homo prævaricator Verbum Dei Deum apud Deum, exhibitum est ei Verbum caro. Hæc est ars & ratio divinorum consiliorum, hæc lex æterna & necessitas medicinæ. Ergo si sanis & stantibus objiceretur Verbum caro, non tam beneficium, quàm probrum ingereretur. Exprobraretur enim quod Verbum Deum legere non potuissent, quod in sapientia Deum ubique obvium non agnovissent, quod stultitia prædicationis reformandi fuissent. Humilitatem enim prorsus sapit Verbum caro, perinde ut crux, si quibus sapit, nec enim omnibus sapit. Unde idem Augustinus alibi:

Civit. l. 18. c. 2. *Hanc passionem Christi foris in sono tantum vocis reprobi annuntiant. Probi autem in interiore homine habent tam grande mysterium, atque honorant intus in corde infirmum & stultum Dei, quia fortius est & sapientius hominibus.*

XI. Ex Tertulliano. L. 4. adver. Marcion. Tertullianus scitissimè: *Sed & cur apud Dominum optimum & profusæ misericordiæ, alii salutem referunt, credentes crucem virtutem, & sapientiam Dei esse: alii perditionem, quibus Christi Crux stultitia reputatur, si non creatoris est, aliquam & populi & humani generis offensam detrimento sapientiæ atque prudentiæ mulctasse? Hoc sequentia confirmabunt cum dicit, Nonne infatuavit Deus sapientiam mundi? Cumque & hic adjicit quare: Quoniam in sapientia Dei non intellexit mundus, &c. Igitur quia homo in sapientia non cognovit Deum, quem cognoscere debuerat, & Judæus in sapientia Scripturarum, & omnis gens in sapientia operum; ideo Deus idem qui in sapientia sua non erat agnitus, statuit sapientiam hominum stultitia repercutere.* Non crux sola, sed & sola incarnatio, amputatis aut sepositis omnibus mortalitatis insignibus, exinanitio Dei est, & infatuatio sapientiæ mundi, & per eam etiam quotidie offensam generis humani mulctat Deus detrimento sapientiæ, sapientiamque stultitia repercutit. Satis id commodè, ubi mulctanda ac repercutienda lapsi hominis superbia est, alioqui intempestivè.

XII. Ex Gregor. Papa, & Hieronymo. Moral. l. 19. c. 1. Gregorius Magnus ab his non recedit: *Quia enim non cognovit mundus per sapientiam, &c. Ac si diceret, Cum Deum qui est sapientia, nequaquam per sapientiam suam mundus inveniret, placuit ut Deum hominem factum per humanitatis stultitiam cognosceret. Quatenus ejus sapientia ad nostram stultitiam descenderet, & lucem suæ prudentiæ luto suæ carnis illuminata nostra cæcitas videret.* Stultitia non crucis solius, sed humanitatis est, nefas ergo est hanc nisi in contemptę sapientiæ vindictam arcessere. Quod egregiè confirmat Leo

In Nativit. Serm. 5. Magnus: *Nam quia in sapientia Dei, &c. Mundo ergo, id est, prudentibus mundi sapientia sua cæcitas facta est: nec potuerunt per illam cognoscere Deum, ad cujus notitiam nonnisi in sapientia ejus acceditur. Et ideo quia mundus de vanitate suorum dogmatum superbiebat, in eo constituit Dominus salvandorum fidem, quod & indignum videretur & stultum, ut deficientibus omnibus opinionum præsumptionibus, sola Dei gratia revelaret quod comprehendere humana intelligentia non valeret.* Et luculentissimè Hieronymus vel Origenes potiùs homilia 2. in Cantica, quam latina lingua donavit Hieronymus: *Si ergo videris Salvatorem meum ad terrena & humilia descendentem, videbis quomodo virtute magna & majestate divina ad nos modica quædam stilla defluxerit. Et sicuti secundum alium sensum lapis erat præcisus è monte sine manibus nostri in carne Salvatoris adventus. Neque enim totus mons fuit qui descendit ad terras, non poterat humana fragilitas totius montis magnitudinem capere: sed lapis ex monte, lapis offensionis & petra scandali descendit in mundum. Sic secundum alium intellectum stilla nuncupatur. Oportebat quippe ut quia omnes gentes in stillam situlæ reputatæ sunt, is qui pro salute omnium factus est omnia, etiam stilla fieret ad eas liberandas. Quid enim pro nostra salute non factus est? Nos inanes, & ille exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Nos populus stultus, & non sapiens: & ille factus est stultitia prædicationis, ut fatuum Dei sapientius fieret hominibus. Nos infirmi, infirmum Dei fortius hominibus factum est. Quia igitur universæ gentes ut stilla situlæ, & ut momentum stateræ reputatæ sunt, idcirco factus est stilla, ut per eum, &c.* Quo tandem cumque modo incarnationem Verbi tibi fingas, erit tamen illa totius incircumscriptæ Deitatis pelagi in unam stillam breviatio, erit illa montis immēsi in unum lapidem deciduum contractio: angustus est enim Deo homo, etsi immortalis, etsi beatus. At nisi nos in stillam situlæ priùs reputemur, nisi inanescamus, nisi ad Dei sapientiam stultescamus, non in stillam se Verbi infinitas cōpinget, non vacuefiet, non fiet stultitia prędicationis. Verbo enim Deo hominem utcumque fieri, non ampliari est, sed contrahi, & paupescere, & obscurari, & inanescere, & quodammodo infatuari.

tuari. Nec enim in hominem se extenuat, nisi ut intolerabilem magnitudinem suam dissimulet. Non ergo incarnari debet, nisi nostra infirmitas & iniquitas cogat eum se nobis suffurari, se nobis temperare. Alioqui si ad innoxios veniat incarnatus, mulcta potiùs quàm gratia illos afficiet: quibus enim venire potuerat plenus, nudus, opulentus, totus, veniet inanitus, dissimulatus, depauperatus, in stillam extenuatus sapientiæ, & stultitiæ specie fuscatus.

XIII. Conglobatio rationū à bonitate petitarum, non finit nisi post peccatum Deum jhumanari.

Tertiò, in incarnatione Verbi præ cæteris Dei laudibus resplendescit bonitas, & ea bonitas quæ miseris & immerentibus sese impendat. Nam qualiscumque Verbi inhumanatio, dignatio est, ad indignos effusior sui dejectio est, & quò majestati indignior, eò opportunior bonitati. Locus ergo non erat huic beneficio, nisi postquam indignitatis elogio transgressor homo notatus est. Indignum Deo est hominem fieri, immutabili mutabilem sibi naturam asciscere, æterno temporalem, enti summo inanescere: hanc indignitatem excusat & laudi vertit una salutis humanæ necessitas. Non tantùm crucifigi & crucifigentibus benefacere, Deum occidi & parricidas sanguine quem fundunt, deificare, summum fastigium est bonitatis; sed omnino Deum inhumanari, hominem deificari, postquam à Deo genus humanum desciverat. At si inhumanandus erat Deus etsi homo non descivisset, multum de illo bonitatis cumulo decresceit. Nam incarnari & crucifigi finitima quodammodo sunt, sunt enim inanitionis gradus. At Deum hominem fieri, id verò unum summoperè stupendum est. Non ergo tantum jam culmen bonitatis est post calamitatem nostram Deum incarnari, qui & antè incarnandus erat. At si antè fixum erat statutumque non incarnari, post irrogatam autem à nobis injuriam constituta incarnatio Verbi est, id verò longè præstantissimum est inæstimabilis bonitatis specimen: nempe malè merentibus benefacere, convitia honoribus, vulnera repensare muneribus, peccata gratiarum cumulo abundantiore opprimere. Et quidem post labem ingenitæ sanitatis, cùm Deum intueri concupisceremus ex ingenio naturæ, & nisi corporatum intueri non possemus ex vitio culpæ, bonitatis fuit amantium vota non frustrare. At ante lapsum nulla ejusmodi vota fervebant, à corpore enim potiùs in Deum mens vegeta exiliebat, non Deum in corpus inclinare laborabat. Ad hæc summæ quidem charitatis est amorem provocare beneficiis, ut amare si pigebat, redamare non pigeat: sed inusitatissimis beneficiis onerari non debet, nisi qui ad usitata torpuit. Alioqui si nullo adhuc ingrati animi nævo maculatum summis statim & extraordinariis obruas muneribus, verendum est, ne non tam provocare amorem, quàm expugnare, non tam benevolentiam conciliare, quàm ingrati animi vitium prævertere & prævertendo penè exprobrare videaris. Pertinacem enim & rebellaturum suspicaris, & hac suspicione infamas, quem omnibus etiam validissimis machinis statim oppugnas. Adde quòd amoris est, non statim summas suas vires effundere, sed ad extremum congressum copias aliquas servare, in quibus certa sit victoriæ fiducia, si cæteræ minùs ex animi sententia processerint. Erat autem Verbi incarnatio ejusmodi illecebra & inescatio ad amorem, qua animi ad cæteros aculeos duri & hebetes invictissimè ad amorem converterentur. Præterea quo illa exaggeratior charitas Redemptoris, quàm Creatoris Dei? Quæ illa Patrum admiratio, quòd Creator hominem homini, Redemptor Deum homini dederit? Nam & Creator Deum daturus erat, imò & jam dederat, si daturus erat. Viderint ergo qui Christi amplificandæ majestati velificari se jactant, & eam tamen potiùs imminutum eunt. His adde, quòd laus illa sit pereximia bonitatis, de malis benefacere, ex malis plura bona, quàm si nulla mala extitissent, exprimere. Intercedunt autem adversarii, ne post peccatum plura & ampliora bona profluxerint, qui summum bonum, Verbi nempe incarnationem etiam ante peccatum nobis inferunt. Quocirca jacere incipiunt illa quæ Joannes, quæ Paulus, quę alii Scriptores sacri magnificè de charitate Dei in nos elocuti erant, post offensam nostram multò concitatiore, nedum languescente. Denique lex illa charitatis nonnisi post ruinam nostram sancienda & ipso Dei exemplo confirmanda erat, qua quis ut alteri consulat, sibi vilescit: ut restituat, cadit: ut salvet, perit: quanquam istud vilescere, cadere, perire, cùm charitatis magnitudo sit quædam inæstimabilis, non possit non esse dignitatis, & vitæ & immortalitatis incrementum. Sed tamen nihil attinebat eam legem confirmari incarnatione ante cladem nostram. Quandiu enim nemo adhuc periit, nemo salvandus, nemo restituendus est, quid necesse est, tibi vilescas, ut illi consulas? cadas, ut illum restituas? Quid frustra invidiam illi facis intempestivo beneficio? Quid illum nequicquam oneras casus sui & vilitatis ignominia?

XIV. Ex Bernardo. In Cantica. Sermon. 71.

Bernardus: *Minoratum Propheta perhibuit, non minorem: attollens gratiam, & propellens injuriam. Nam & minoritatem natura recusat, & minorationem excusat causa. Nempe minoratus est, quia ipse voluit. Minoratus est sua voluntate, & nostra necessitate. Sic minorari, misereri fuit.* Deus ergo non decrescet in hominem, nisi excuset causa, nisi nostra necessitas urgeat. Nam minorari, non est nisi misereri? An miserebitur nondum miseros? invidiosa illos potiùs gravaret misericordia. Et alibi rursus: *Capite nobis vulpes. Vides quàm socialiter loquitur, qui socium non habet? Poterat dicere, mihi, sed maluit dicere, nobis, consortio delectatus. O suavitatem, ò gratiam, ò amoris vim! Itane summus omnium, unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est. Cum quonam tibi o admirande sponse tam familiare consortium? Nobis, inquit, capite. Cui tecum? An Ecclesiæ de gentibus? De mortalibus & peccatoribus collecta est.* Si Deus igitur nostri causa inanescat, si jacturam sui penè faciat, si in discrimen se conjiciat per incarnationem, cogit amor, triumphat amor, amoris suavissima violentia cogit & excusat. Insolentissimum est autem ut hæc audeat amor, nisi quo succurrat lapso, opem ferat desperato amico. Et rursum: *Quid dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo authoris gravamine, vel labore. Siquidem dixit, & factus sum, quemadmodum & universa. Sic beneficium creationis attenuans humana impietas ingratitudinis materiam sumebat, unde amoris causam habere debuerat. Sed obstructum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modò pro te ò homo dispendium fecit: de Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, & de Dei Filio filius hominis fieri non despexit. Memento jam te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum.* Dispendium sui fecit Verbum Deus, non cruce sola aut mortalitate, sed simpliciter quia factus est, *Caro de Verbo*, ideoque *de Domino servus, de divite pauper, & de Dei Filio filius hominis.* At hoc beneficio nisi ingratum obrui non decuit. Tanta est enim hujus moles beneficii, ut ingratissimum obruere idonea & efficax sit. Cui ergo injicitur, vel ingrati animi vitium abstergitur, vel ingrati animi suspicio & infamia aspergitur. Nam si gratum eo opprimas dono, quo ingratum, si te pro-

Ibidem. Serm. 64.

Ibidem. Serm. 11.

pter illum extenues, si dispendium tui ejus causa facias, quis non illum ingratum fuisse suspicabitur, & alioqui insanabilem, vel futurum fuisse, & ideo occupatum esse? Intempestiva hæc ergo bonitas, quæ benemerendo infamaret.

XV. Ex Hilario. L.2.de Trin. Hilarius: *Hæc si quis indigna Deo recolet, tanto se majoris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est: sed nos eguimus ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id est, assumptione carnis unius interna universæ carnis incoleret. Humilitas ejus nostra nobilitas est: contumelia ejus noster honor est: quod ille est Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati.* Ingentem ergo sustinet invidiam homo, cujus causa Deus indigna subit, humi deprimitur, caro fit. Nam Deum carnem fieri, istud est humi deprimi, humiliari, indigna pati. Eluctari hanc invidiæ molem non potuere sancti Patres, nisi reparandi casus nostri necessitate prolata. Ergo stans homo hoc invidiæ pondere non fuit dejiciendus.

XVI. Ex Ambrof. in Evang. Luc.c.2. Ambrosius: *Qui cum dives esset, propter vos pauper factus est, ut illius inopia vos ditaremini. Meum ergo paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini mea est virtus. Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret, &c. Plus igitur Domine Jesu injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus quod creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset.* Si creatoris opes non dilapidassemus, non ejus inopia ditandi essemus jam. Nam si ultro citra peccati ruinam inanesceret in hominem Deus, & sua hac inopia hominem locupletaret, si sua illum hac injuria honestaret, in dubium veniret creatoris largitas bonitasque. Ditandus enim fuerat homo de Creatoris non injuria, sed gloria, non inopia, sed copia.

XVII. Cōglobatio rationū ex justitia petitarum, nō finit Deum humanari, nisi post peccatum. Quartò, non pauciora ex justitiæ contemplatione argumenta eliciuntur. Nam ad faciendum Deo satis pro irrogata ab homine injuria, unum parem fuisse Deum ipsum, ideoque humanæ ipsum naturæ inserendum fuisse argumentantur prisci omnes Ecclesiasticæ Theologiæ interpretes, & unam hanc vel maximè causam ingerunt Verbi incarnandi. Infinitam enim peccati enormitatem abolere, & generis humani universitatem servare non poterat, nisi infinita Dei potestas. Aliqui etiam hinc quandam extruere moliti sunt incarnandi Verbi necessitatem, non quæ Verbo illideretur, carnemque ei impingeret etiam reluctanti; sed quæ infidelium animos constringeret, fideique subjugaret. Vanescit autem hic conatus, & in auras diflatur, si stent decreta eorum, à quibus hic dissentimus. Nec enim mortem, aut crucem, sed inhumanationem Verbi conantur sancti Doctores expugnare, ut necessariam, ad satisfactionis Deo exhibendæ pretium adæquandum. Ad hæc, justitiam Deus homini, dum conderet, inspiraverat, copiosam, exundantem. Ut quid ergo etiam divinam & ipsammet hypostasin justitiæ incorruptibilis infunderet, nisi in prioris collapsæ restaurationem? Ingens enim ruina fuit, quæ ita sarciri flagitavit. Integræ autem nihil opus erat addi, quo vel ruinosa atque jacens erigeretur. Quinimo si in naturæ adhuc stantis censu erat, ut Deus inhumanaretur, non poterat ea natura universa diabolo vendi, non poterat injustitiæ principi universa mancipari. Nam si Deus erat inhumanandus, non tam ipse in censu erat naturæ, quàm in ejus erat censu hominum natura. Sed nihil moror, sive illum sibi natura, sive ille sibi naturam vendicaret universam, non poterat illa in jus & potestatem diaboli transcribi. Num enim addicetur diabolo ea natura, in cujus censu Deus homo est? Num in jus & dominium diaboli transibit ea universitas, cujus portio Deus homo est? Num in censum diaboli transferetur quodammodo Deus homo? Num Deus ultor peccati, & hominem prævaricatorem prævaricatorum principi subjugari sinens, semet quodammodo includet tam fœdis nexibus, tam detestabili servituti? Et tamen hæc consequentur ex illis. Si verò naturam humanam stantem in censu Dei incarnati esse intelligamus universam, num diabolus Christum spoliabit? Et quidem non infirmitate, non inopia ignobilem, non sui dissimulatorem, sed tota immortalitatis suæ potestate & gloria circumfluentem? Num fortior illum invadet, familiam ejus & supellectilem omnem rapiet atque asportabit? Num Christus nunc infirmus sperabitur ab electis suis dæmones abacturus, & omnino atque internecinè profligaturus, quem prævalidum & immortalem illi priùs everterunt? Monstri simillima sunt hæc omnia, & sunt tamen adversariorum placitis conjunctissima. Quam sibi naturam Christus immortalis venturus vendicasset, non ea ipsi extorqueri, non ea diabolo tota vendicari potuisset; sicut & nunc totam naturæ nostræ universitatem, vel quos sibi Christus electos vendicavit, non rapiet eos quisquam de manu ejus, aut de manu Patris ejus. Amplior extitisset Christi immortalis potestas in humano genere tutando, quam diaboli in lacessendo. Ne accedere quidem, ne attentare quidem ausus esset diabolus eam naturam, cui Verbum incubiturum esse intellexisset: sicut nec nunc in justos, in Christi membra involare adgreditur, nisi jussus, aut permissus à Christo, & nonnullas adhuc in eis sollicitans vetustatis reliquias, quibus necdum Christo penitus vendicati sunt. Funditus ergo subruitur tota nunc ista Christi redemptoris dispensatio, per illum commentitium ejusdem in immortali schemate adventum, si non peccaretur. Illius enim immortalis adventus expugnator fuisse diabolus existimatur, & Christi spoliator præpotentis; ex quo eundem infirmum nunc & nudum non paulò faciliùs conjiciatur profligaturus. Si priora illa constant, hæc secunda illinc emergunt; si hæc fœdissima sunt, ejicienda ergo illa superiora sunt, unde hæc proficiscuntur.

Hilarius: *Ad ultimum in homine passus, ut potestates de honestaret, dum Deus secundum Scripturas moriturus, & in his vincentis in se fiducia triumpharet: dum immortalis ipse neque morte vincendus, pro morientium æternitate moreretur.* Nugatoria hæc videantur necesse est iis quibuscum certamus. Nam qui stat, ut Christus mortalis & mortuus ab universa natura hominum mortem exsufflaverit, & immortalis eam siverit irrepere? An divina immortalitas naturæ mortali & mortuæ inferens sese, mortem & mortalitatem profligat, immortalitatem redonat; & eidem primordialiter immortali se inferens, non hanc immortalitatem potiùs retinebat, mortis impetus cunctos retundebat? An triumphat de victore diabolo per naturam victam, nec potius triumphasset de eodem nequedum victore per naturam hactenus invictam, si huic peræquè illapsurus fuisset stanti, atque illapsus est jacenti? XVIII. Ex Hilario. L.1.de Trin.

Ambrosius in Leviticum ad Constantium: *Nam si redempti sumus, non corruptibilibus argento & auro, sed pretioso sanguine Domini nostri Jesu Christi, quo utique vendente nisi eo, qui nostro jam peccatricis successionis ære quæsitum servitium possidebat? Sine dubio flagitabat pretium, ut servitio exueret quos tenebat obstrictos.* Emerat nos diabolus voluptatis fugacissimæ pretio: redemit nos ab eo Christus sui sanguinis impendio. Vendiderat nos seque primus parens, tanquam caput, sui generis universitatem in se constipatam circumgestans. Redemit nos caput & parens alter totius generis Christus. Hæc omnium Ecclesiasticæ doctrinæ Antistitum decantatissima sententia est, hæc fidei regula, quam nec tyronibus nescire fas est, nedum Theologis. At si stante primo parente venturus erat Christus in corporis im- XIX. Ex Ambrof.

immortalitate conspicuus, ipse ergo caput futurus fuerat generis humani, non Adamus: in Christo immortali, non in Adamo principatus & fatum gentis humanæ penderet. Quis enim merus homo cum homine Deo de principe loco & de capitis dignitate certaret? Quis non ab homine Deo, quàm ab homine nudo censeri se ambiret? Quæ usquam tanta perversitas, ut non id capitis gloria circumfulgeret, quod præstantissimum? Ergo penes Adamum jus non fuisset generis sui nundinandi. Frustratoria igitur fuisset hęc tota emptionis & redemptionis alternatio.

XX. Ex Augustino. L. 3. de lib. arbit. c. 10. Augustinus: *Iniquum erat ut diabolus ei quem cœperat non dominaretur. Nec fieri ullo modo potest ut Dei summi vera & perfecta justitia, quæ usquequaque pertenditur, deserat etiam ordinandas ruinas peccantium.* Et infrà: *Cui libidini subjugaverat ille quos ceperat, ut quidquid inde nasceretur tanquam suæ arboris fructus, prava quidem habendi cupiditate, sed non iniquo possidendi jure retineret.* Hæc tota Dei justitia in nobis diabolo, cui consenseramus, addicendis, & per Christum liberandis, funditus subruitur, si Christus citra peccatum venturus erat. Illi enim venturo omne genus inerat, suberatque ut capiti principique suo: illi Adamus ipse substringebatur, ut portio quædam ejus & mancipium. In unius ergo hujus capitis potestate erat, sui corporis fata vel provehere, vel præcipitare. Nam tum membra sua caput illud immortale conglutinabat sibi arctissimè & invictissimè: prorsus ut nunc Christus beatos cælites. Etenim nihildum vitii, nihil dissidii membris adhuc innocuis affrictum fuerat, quo à capite dissonarent, vel quo ab eis capitis gratiæ averterentur. Adhærebat ergo Christo capiti immortali genus omne humanum absolutissimè, atque adeo non alterius cujusquam, sed ejus unius nutu & imperio agi regique poterat: ab eo certè emancipari per alterius cujusquam potestatem non poterat.

L. 1. Contra Adversar. Legis & Prophet. Idem Augustinus alibi: *Quod ergo Deus semper invictus sit, etiam homo victus ostendit: quia victus non fuisset, si ab invito non recessisset. Quomodo est autem victor hominis deceptor, cum à semetipso sit etiam ipse deceptus? Unde & ille qui decepit, & ille quem decepit, ambo decepti sunt, recedendo ab eo qui non potest decipi: & ambo victi sunt, recedendo ab eo qui non potest vinci. A quo utique qui plus recedit, plus vincitur, quia tantò est inferior, quanto deterior. Et ideo necesse est ut qui malum alteri priùs inferendo vincere videtur, amplius ipse bonum amittendo vincatur. Neque fieri potest ut ei sit locus melior, cùm causa sit pejor. Et quod ad tempus prævaluisse visus est diabolus homine superato, etiam sic in æternum victus est homine reparato.* Si vinci non aliud fuit, quàm recedere ab eo qui vinci non potest, non poterat genus humanum vinci, cui inerat Christus immortalis, qui vinci nequaquam potest: inerat autem, qui in eo nasciturus erat. An potest enim Deus invictus hominem efficaciùs invictum præstare, quàm semet illi substantivè & hypostaticè implicando? An homo stans in veritate, arctiùs adhæsisset Deo per suam hanc fidei & charitatis constantiam, quàm per ejusdem Dei incarnationem? Aut ergo venundari non potuisset genus humanum diabolo, aut quod nefas est dictu, etiam cum capite suo Christo venundatum esset. Non poterat enim fatum capitis à fato corporis disjungi. Una causa, atque una sors utriusque est.

CAPUT VIII.

Nisi homo peccasset, non incarnaretur Deus Verbum: id evincitur ex contemperatione ejusdem Verbi lapsis in corporalia mentibus jam necessaria.

Quintò, jam retexamus ea quæ intimiora sunt hujus sacramenti arcana, & ex iis emicare id advertamus, quod propositum nobis est stabilire. Ideo enim carne induit se Deus Verbum, ut carnalibus se & cæcutientibus post peccatum hominibus contemperaret. Ergo ante peccatum nihil opus erat ea medicina. Nam quæcumque Verbi Dei corporatio, sive mortali, sive immortali carne induenda, contemperatio & condescensus Verbi est. Ergo infirmitas aliqua priùs incubuerit necesse est, cui ita consulatur. Denuo nube carnis obumbrandus fuit Deitatis fulgor: at nube ægris tantùm oculis lux opacatur. Aut si utcumque temperari radium Deitatis opus erat oculis creatæ mentis; quid tota rerum naturæ fabrica, quàm nubeculæ instar incommutabilem sapientiam tegebat & retegebat? Ergo miraculo Deitatis incarnatæ innovari excitarique nos ad Deitatis contemplationem non opus fuit, nisi postquam vitiatis hominibus orbis pulchritudo avocamento cœpit esse potius, quàm incitamento ad supernorum contuitum. Prętere a corporascere & in sensus corporeos incurrere Deum, tum necesse fuit, cùm demersus in sensus & à mente alienatus homo, nisi sensibilia sapere & magnipendere non potuit. Adde quòd Deum incarnari, & ita se hominibus propinare, non aliud sit quàm lactescere sapientiam, & ita se rudi infantiæ coaptare. Ergo priùs necessum erat revolveremur in infantiæ sordes, & in imperitiæ puerilis nugas, quam per hęc rudimenta lactis, Deus nobis blandiretur. Et ne diutius te morer, hujus argumentationis summa hinc religata aptaque est tota, quòd hominis integri & stantis mentem divina lux incommutabilis veritatis seu Verbi non per sese corporeos, non per corporea phantasmata tantùm, non per corpora, sed ipsa ipsam per sese intus illustraret, nulla interjacente creata substantia. At ubi amore sensibilium, in sensibilia delapsi sumus, nec jam nisi sensibilia diligere & sensibilia intelligere valemus, nec nisi per sensibilia ad intelligibilia gradum possumus revocare: tunc necesse fuit corporalibus sacramentis gradus quosdam nobis extrui, quibus ad intelligibilis veritatis contuitum restituamur. Huc enim spectat tota corporalium sacramentorum, parabolarum, allegoriarum, scripturarum supellex. Huc maximè spectat ipsa Deitatis incarnatio, ut ibi occurrat menti veritas, ubi jacet mens: ut ad jacentem descendat in sensibilia, & ita excitet ad assurgendum supra sẽsibilia: ut ibi innitatur homo ubi jacet, atque ita surgat per corporea supra corporea. At verò si veritas Deus homine adhuc stante in primæva sapientiæ luce corporaretur, sive mortali, sive immortali se carne obducens, intẽpestiva & perversa foret hęc tota dispensatio. Ita enim mens humana non sursum versus, sed deorsum contendere suaderetur: nec à corporibus ad incorporea, à temporalibus ad ęterna proficere, sed retro ab incorporeis ad corporea, ad temporalia ab ęternis deficere invitaretur. Ita cõtuitum ab intelligibili veritate deflectere, & ad corporatã eandem convertere adigeretur. Ita in carne, in corpore, in temporalibus mentem amoremq; defigere, & ibi conquiescere Deo authore urgeretur. Ita Deũ imitari auderet, non ascensu, sed descensu, non profectu, sed defectu, non lucis incremento, sed quodam etiam caliginis augmento. Ita puræ lucis, & defæcatæ veritatis haustum mens nostra fastidiret, nec nisi concretione corporum cõdensatã cum suavitate potaret. Ita pręposterọ ordine mẽs veritati intelligibili propior suapte sponte, quàm corpus ullum, cogeretur retro averti, peregrinari, & per corpora perversam viã remetiri. Ita inter mentem & veritatem corpus medium interjiceretur, mediũ non ad copulationem, sed ad separationem. Nam copulari veritati integra

II Conglobatio argumẽtorum à corporatione Dei petitorum, quæ opportuna tunc fuit, cum mens in amorem & servitutẽ corporaliũ lapsæ condescendendum fuit.

tegra mens vehementer postulat, ut quæ conscia sit nihil, hoc est, nullam substantiam interponi: copulari autem per corpus abhorret, ut quæ gnara sit se corporibus esse superiorem & veritati affiniorem. Ita vel caro Verbi dehonestaretur, vel dehonestaret. Dehonestaretur, si nihil admodum utilitatis ab ea humanis mentibus ad æterna evehendis afflueret. Dehonestaret, si mentes cogeret hactenus immerentes, descendere ut ascenderent, terga luci vertere ut ad lucem accederent; per longinqua id sectari, quod propius est: per vestigia veritatis veritatem aucupari, cujus ipsæ imagines sunt; per corpoream denique naturam, naturæ spiritali, ea quæ spiritali intima sunt, longo & tædioso anfractu obvenire. Ita sanis mentibus ea infunderetur medicinæ amaritudo, quæ ægris competit. Ita culpæ vacuos eadem pœna constringeret, quæ noxios. Nam ægris reisque hominibus æquum est, pœnale medicamentum, pœnam medicinalem in corporeis sacramentis temperari, ut dum humiliantur, erudiantur: dum plectuntur, sanentur: ex pœna solatium, ex malo bonum, ex dolore sanitatem percipiant, ex ignominia gloriam, ex nocte lucem, ex inopia copiam; ac denique ex eo in quod sua se pravitate præcipites egerunt, in id emergant rursus, unde exciderunt. Istud enim omne præter naturam est homini sano, secundùm naturam est eidem ægro. Perversum iter est, si primùm sit emetiendum: rectum est, si errabundo sit remetiendum. Per corporalia ad spiritalia, per temporalia ad æterna, per carnem ad mentem, per vestigium ad imaginem, per tenebras ad lucem, non ire, sed redire decet; non institui, sed restitui æquum est. Et quàm pulchrum est ita restitui, tam fœdum ita institui. Postremò tandem non satis advertunt ii, quibuscum hic manus conserimus, quo loco res nostræ nunc sint, & quàm meliore essent, si nulla homini culpa obrepsisset. Usque adeo enim à nobis descivimus, ut beneficii in numero nunc sit, quam tunc injuriam essemus interpretati. Nam veritatem velari carne, ut ne perstringat oculos lippientes, beneficum nunc est, tunc contumeliosum fuisset. Sua illis imposuit ægritudo. Vitium inolevit pro natura. Quod ergo vitium est, eam naturam esse hallucinantur. Caligat nobis acies oculorum, ideo opacatur lux, an ergo Adamum pariter caligasse opinabimur? Balbutimus & ineptimus in divinorum notitia, & ideo lacte fovendi sumus, an ergo primo parenti lac immulgebimus? Ad corporalia afficimur vehementer, tenerescimus, delectamur, ad mera spiritalia torpemus, an eundem morbum homini primùm condito affingemus? An hos Christi tam sedulos rimatores præterit, illum quantus quantus est, medicinalem esse, medicum esse? An latet ipsam incarnationis substantiam de arte medicinæ esse, non solas circumstantias? Mortalitas enim carnis, passio, mors, hæ circumstantiæ sunt: non in his tantùm, sed in ipsa substantia hujus sacramenti, in sola hominis cum Verbo copula medicamentum est, & vis potissima residet medicinæ, ex qua in reliqua omnia derivatur. Non satis ægritudinem suam, non satis naturam suam, non satis naturæ authorem, non satis ægritudinis curatorem expenderunt, qui hæc omnia permiscent.

Permagni ut vides res ista momenti est, & ad victoriam causæ efficacissima. In ea ergo non tædebit immorari paulò diutiùs, non tantùm ut extundatur, nullam citra peccatum corporationem Verbi futuram fuisse, sed etiam, sed potissimùm ut magis magisque firmetur id quod fundamentum esse totius de Verbi incarnatione doctrinæ exploratissimum habemus. Si quis ergo delicatioris est fastidii, & ad hæc ut sæpiùs jam repetita, nauseat, ad alia transiliat, sed ne molestè ferat nos conscientiæ nostræ morem gerere, & in arce ipsa hujus sacramenti contemplanda diutissimè libentissiméque immorari.

Augustinus: *Aliud ex alio crescendo multiplicatur in benedictione tua Deus, qui consolatus es fastidia sensuum mortalium, ut in cognitione animi res una multis modis per corporis motiones figuretur atque dicatur. Aquæ produxerunt hæc, sed in verbo tuo: necessitates alienatorum ab æternitate veritatis tuæ populorum produxerunt hæc, sed in Evangelio tuo; quoniam ipsæ aquæ ejecerunt ista, quarum amarus languor fuit causa, ut in verbo tuo ista procederent. Et pulchra sunt omnia faciente te, & ecce tu inenarrabiliter pulchrior, qui fecisti omnia: à quo si non esset lapsus Adam, non diffunderetur ex utero ejus salsugo maris, genus humanum profundè curiosum, & procellosè tumidum, & instabiliter fluidum, atque ita non opus esset ut in aquis multis corporaliter & sensibiliter operarentur dispensatores tui mystica facta & dicta.* Si quæras ergo quo ex capite fluxerit multiplicitas sacramentorum corporalium, quorum princeps est ipsa Verbi incarnatio, quo ea cumque modo pingatur, respondet Augustinus, ita Deum *consolatum esse fastidia sensuum mortalium:* respondet *necessitates populorum ab æternitate veritatis alienatorum hæc produxisse:* respondet *languorem amarum & salsuginem ex lapsu Adami se diffundentem in causa fuisse, ut corporaliter & sensibiliter, & multis modis mystica facta & dicta in Evangelio, in Verbo producerentur.* Ante lapsum enim res una, veritas una, charitas una non corporaliter, non multipliciter, sed intelligibiliter & simpliciter animis immortalibus de proximo illabebatur, aut de intimo sinu scaturiebat, quando intimo intimior est menti veritas, nisi se foras anima projiciat. II. Ex Augustino. L. 13. Confess. c. 20.

Et rursus alibi sanctus Pater: *Post peccatum laborare cœpit homo, & necessarias habere illas nubes. Ante peccatum verò, cum viride agri & pabulum fecisset Deus, quo nomine invisibilem creaturam significari diximus, irrigabat eum fonte interiori, loquens in intellectu ejus ut non extrinsecus verba exciperet, tanquam ex supradictis nubibus pluviam, sed fonte suo, hoc est, de intimis suis manante veritate satiaretur. Fons enim, inquit, ascendebat de terra, & irrigabat universam faciem terræ. De qua scilicet terra dicitur, Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nondum per superbiam projecerat intima sua. Et quoniam in exteriora per superbiam tumescens, cœpit non irrigari fonte intimo, bene insultatur illi, &c. Et ideo laborans jam in terra, necessariam jam habet pluviam de nubibus, id est doctrinam de humanis verbis, ut etiam hoc modo possit ab illa ariditate revirescere, & iterum fieri viride agri. Sed utinam vel pluviam veritatis de ipsis nubibus libenter excipiat. Nam propter illam Dominus noster nubilum carnis nostræ dignatus est assumere, &c.* Videns quo nubilum carnis induerit se sol justitiæ? ut per nubes instillaret guttatim imbrem veritatis iis, quibus post peccatum exaruerat fons intimus veritatis, quo innoxii antè rigabantur? Stans enim homo rigabatur fonte interiori, loquebatur Deus in intellectu ejus, ut non extrinsecùs verba exciperet, tanquam ex nubibus pluviam; sed fonte suo, hoc est, de intimis suis manante veritate satiaretur. Sed ubi projecit intima sua, & palari per sensibilium avia cœpit, insultatur illi, per sensibiles nubes irroratur tantùm parcissimè, id est, per sensibilia omnia sacramenta sic eruditur, ut unde doctrinam, inde & humilitatem hauriat. Rursus ait designari *nomine fontis ascendentis & irrigantis omnem faciem terræ, inundationem veritatis, quæ animam satiaret ante peccatum*: nubibus autem malignam tantùm quandam imbris asperginem. Et paulò antè: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tanquam in nubilo saginam quærentes: tunc autem facie ad faciem, quando universa facies terræ nostræ interiore fonte aquæ salientis irrigabitur.* Caro igitur Verbo Deo obducta nubes est, quo L. 2. de Gen. Con. Manich. c. 4. 5. Ibid. c. 6.

quo ab interiore fonte arescentes, nec jam pares ferendæ veritatis uberrati, stillis saltem ejus per corporalia sacramenta aspergamur. Quàm fœdè ergo cæspitant, qui morbi solatia primævæ ingerunt sanitati? Quàm turpiter hallucinantur, qui pleno veritatis fonte satiatis invident spe consulendi, & fontem arefaciunt, ut pro fonte intimo imbrem irrorent? Ampliari à se putant munificentiam Christi, etiam tum, dum eam circumscribunt & angustant? Nulla denique aberratio major, quàm nec quid Verbum, nec quid caro sit, satis advertere. Verbo enim caro non advehit, non potest advehere nisi obumbrationem, angustias, inanitionem, tenebras, & id genus alia, quæ miseris necessaria sunt solatia, ægris medicamenta, sanis autem & beatis decre- Ibid. c.14. menta lucis, & fœlicitatis detrimenta. Unde infrà: *Ad hoc valet etiam quod dicitur, Semetipsum exinanivit, quia non in ea dignitate apparuit hominibus in qua est apud Patrem, blandiens eorum infirmitati, qui cor mundum nondum habebant, unde videretur Verbum in principio Deus apud Deum.* Si autem carne immortali negant Verbum exinaniri, iterum iterumque illis occinam, non satis pendunt, quid sit Verbum, & quid caro.

III. Ex Augustino rursum. Epist. 3. Epist. 119. Et alibi: *Ut ea quæ hic antedicta sunt utiliter vera, illius etiam in carne præsentata confirmaret authoritas, propter eos qui illa non possent in ipsa intima veritate cernere atque discernere.* Et rursum: *Quis est ergo ille stultus, qui tanquam luna mutatur, nisi Adam, in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens à sole justitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena convertit, & eo magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis. Sed cum redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quanto magis ei appropinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem, omnisque lux illa ingenii quæ ad inferiora vergebat, ad superiora convertitur, & à terrenis quodammodo aufertur, ut magis magisque huic sæculo moriatur, & vita ejus abscondatur cum Christo in Deo. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, & in vita sua projiciens intima sua, &c.* Quo nisus iste nostræ resipiscentiæ totus collimat, nisi ut unde defluximus, eo revolemus? Aut quo conspirat omnis nostra virium contentio, nisi ut ab inferioribus avertamur, convertamur ad superiora, ab exterioribus ad interiora, à carnalibus ad spiritalia, à temporalibus ad æterna? Ergo ea erat statio, à qua descivimus, quo suspiramus, interioribus solis & spiritalibus & æternis affixa, nullis extrà vel infrà avocamentis sollicitata. Nec ulla ergo erat aut futura erat caro Verbi, quæ ab interioribus & æternis refigeret. Quin & nunc satagimus Christum cum Apostolis etsi carne indutum, non secundùm carnem sapere; laboramus non illum ampliùs nosse secundùm carnem, etsi inter initia crudæ adhuc & recentis pietatis secundùm carnem illum sapiebamus. Si noster nunc profectus explicans sese, à carne Christi ad ejus Deitatem nos revocat, quid de homine stante & summum perfectionis apicem tenente nugamur? Ibidem paulò infrà rationem aperit Augustinus corporalium omnium signorum, quibus ad spirita- Ibidem c.7. lia animus nunc infirmus sustollitur: *Si quæ autem figuræ similitudinem non tantùm de cælo & de sideribus, sed etiam de inferiori creatura ducuntur ad dispensationem sacramentorum, eloquentia quædam est doctrinæ salutaris, movendo affectui discentium accommodata, à visibilibus ad invisibilia, à corporalibus ad spiritalia, à temporalibus ad æterna.* Ibid. c.11. Et infrà: *Quæ insinuantur nobis figuratè. Plus enim movent & accendunt amorem, quàm si sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur, &c. Credo quod ipse animæ motus quandiu terrenis adhuc rebus implicatur, pigriùs inflammatur: si verò feratur ad similitudines corporales, & inde feratur ad spiritalia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem & quietem.* Hoc nituntur fundamento omnes corporalium ad spiritalia, temporalium ad æterna nostros animos propellentium apparatus, ut animi terrenis adhuc rebus implicati, terrenis affectibus saucii, per ipsa sua oblectamenta ad consimiles his delicias spiritales illiciantur: & dum utraque ut consentanea, ut consimili quodam sapore condita degustant & admirantur, paulatim spiritalia sapere insuescant, & ea corporalibus illecebris longè suaviora experiantur tandem & anteponant. Hæc optatissima fraus est, hæc ars saluberrima divinæ medicinæ ad mentes hominum in corporalia sparsas, per ipsa corporalia deliniendas, & ad se recolligendas.

IV. Ex eodem rursus, quomodo Adamo stati lignum vitæ erat sacramenti loco. De Trinit. l.4. c.2. Idem Augustinus alibi: *Tenebræ sunt stultæ mentes hominum, prava cupiditate atque infidelitate cæcatæ. Has ut curaret atque sanaret Verbum per quod facta sunt omnia, caro factum est, & habitavit in nobis. Illuminatio quippe nostra participatio Verbi Dei est, illius scilicet vitæ quæ lux est hominum. Huic autem participationi prorsus inhabiles & minus idonei eramus propter immunditiam peccatorum. Mundandi ergo eramus. Porro iniquorum & superborum una mundatio est sanguis justi & humilitas Dei. Ut ad contemplandum Deum quod natura non sumus, per eum mundaremur, factum quod natura sumus, & quod peccato non sumus. Deus enim natura non sumus, homines natura sumus, justi peccato non sumus.* Fit Deus homo, fit Deus humilis, etiam in carne immortali. Opportunum illud est eluendæ superbiæ & immunditiæ transgressorum. Ne hanc ergo infamiam alinamus hominibus adhuc innoxiis, ut immundis veluti & superbis medicinalem Dei inhumanati humilitatem obtrudamus.

Nec nos fefellit locus ille alius ejusdem Augustini, ubi corporalia etiam sacramenta Adamo adsignat sanctus Doctor: *Nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter præsentatis voluit Deus hominem in paradiso vivere. Erat ergo ei in lignis cæteris alimentum, in ligno vitæ autem sacramentum: quid nisi sapientiam significans, de qua dictum est, Lignum vitæ est amplectentibus eam.* L.8. de Genesi ad lit. c.4. Complura hoc genus testimonia de ligno vitæ in sacramentum sapientiæ primis parentibus oblato occurrent apud eundem Augustinum, nec ex his tamen superior doctrina labefactatur, quam tam inculcatè, tam copiosè ille ubique & toto penè monumentorum suorum corpore commendat. Nam si Christus cum corpore immortali venturus erat, quin hoc sacramentum potiùs illi ob oculos positum admonebat sanctus Pater? At ex adverso & ibidem paulò post, & alibi sexcenties Christi venturi in humilitate ad reparandos casus nostros sacramenta etiam ante casum prælusa Adamo docet. Alienum id autem prorsus erat. Nam si immortalis ad immortales, mortalis ad mortales fuerat venturus, quis non exclamet immortalis adventus sacramenta immortalibus præsignanda & inscribenda fuisse, mortalis autem mortalibus reservanda? Ad hæc sacramentum sapientiæ ait Augustinus fuisse lignum vitæ, planè ut orbis universus sacramentum sapientiæ est, id est, signum simulacrumque visibile invisibilis pulchritudinis sapientiæ. Tota enim corporea à Deo natura in ortum protrusa non est, nisi ut intelligibilem veritatem suo modulo imitaretur, ejusque vestigia præ se ferret. Specialius tamen sacramentum erat sapientiæ id lignum, quo immortalitas quæ germana & indivulsa soror comesque sapientiæ est, inspirabatur. Ad hæc sacramenta non necessitas, sed voluptas Adamum inclinasset. Voluptas enim fuis-

set

set corporalium ad spiritalia, temporalium ad æterna consensum, æmulationem, defectum adnotare: voluptas ea, non necessitas fuisset: redundans quædam copia veritatis, non inopia: mentis intus de scatente veritatis fonte satietas & eructatio, & prospectus ad exteriora, non regressus in exteriora & ariditas, atque per hæc ad interiora reditio. Præterea erat lignum vitæ sacramentum sapientiæ, non autem corporandæ quoquo modo sapientiæ. Ubi enim vel apex unus quo id innuatur? Adde quòd illa sapientiæ sacramenta amplitudinem ejus concionantur, ideoque ante casum locus est eis: at corporatæ sapientiæ & verum hominem hypostaticè assumentis sacramenta, inanitionem ejus personant & humilitatem, ideoque nonnisi ad casus nostri medelam temperanda sunt. Etenim quòd orbem sapientia Dei condiderit amplissimum pulcherrimumque, eo adeo non deteritur, ut vehementer illustretur amplitudo & pulchritudo opificis. Fit enim à Creatore creatura, non fit Creator creatura: fluunt ab immutabili mutabilia, non fit ipsa immutabilitas mutabilis. At quo tandem cumque modo inhumanetur sapientia, Creator creatura fit, & vilescit: immutabilis mutabilis fit, & evanescit: æternus tempora subit & inanescit: infinitus arctatur, & quo hæc omnis inanitio continetur, Deus fit homo. Id generis sacramenta medicinalia tantùm sunt; Dei enim humilitas humanæ superbiæ medetur. Perspicua hæc

L. 1. contra advers. Leg. & Prophet. c. 15. fient ex ipso Augustino: *Quoniam rationales animæ de sapientia vivunt, quarum mors est insipientia, hujus re significandæ gratia, lignum vitæ in paradiso fructu suo mori hominem nec corpore fineret. Quod ergo inde separatus, traditus est morti, consumendus ætate, quod nequaquam illi accidisset, si semper eodem cibo frueretur, significatum est quod prius ab spiritali vitæ ligno propter peccatum anima ejus exclusa est, & ita quadam sua interiore morte jam mortua. Nam de sapientia scriptum est: Lignum vitæ est amplectentibus eam.* De corporanda sapientia incommutabili nec verbum quidem. Meræ significationi serviebat hoc sacramentum, & quidem rei quæ Adamo erat jam compertissima. Denique hujus sacramenti gratia in solam corporis immortalitatem se porrigebat, in quo nihil præposterum esse profitemur. Nam stante homine stabat ordo legitimus, ut pastus immortalis animæ de immortali intus affluente veritate suppeditaretur: robur autem & alimentum immortale corporis de corporeo mendicaretur sacramento. Tota enim quam deprecamur ante culpam perversitas ea est, ne haustum veritatis & salutis suæ spiritales animæ & immortales à corporalibus naturis vel adminiculis mutuentur. Postremò denique hoc sacramentum ligni vitæ non tam integro tunc, quàm mox lapso Adamo destinatum, usuique futurum erat. Lapsus enim & à ligno vitæ exulare confestim jussus, tam extorrem se esse intellexit immortalitatis, quàm de-

Adde ex L. 13. Civit. c. 20. sertorem veritatis. Unde ibidem: *Punire autem morte corporali fuit à vitæ arbore sperare, cùm jam fuisset spiritaliter mortuus animo, utique separatus ab alimento sapientiæ. Deus itaque quid ei contigisset in animo significare voluit, separando eum à ligno vitæ, quo significabatur sapientia.*

V. Rursus ex Augustino. Rursus idem Augustinus: *Cum enim sapiens sit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separet; Deus enim est veritas, nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat: negare non possumus inter stultitiam hominis &*

L. de utilit. credendi. c. 15. *sincerissimam Dei veritatem, medium quiddam interpositum esse hominis sapientiam. Sapiens enim quantum datum est, imitatur Deum; homini autem stulto ad imitandum salubriter nihil est homine sapiente propinquius, &c. Cum igitur & homo esset imitandus, & non in homine spes ponenda, quid potuit indulgentius & liberalius divinitus fieri, quam ut ipsa Dei sincera, æterna, immutabilisque sapientia, cui nos hærere oportet, suscipere hominem digna-retur?* Quandiu ergo non desciverat homo, veritatem mente contingebat nullo interposito corpore, vel corporeo phantasmate, sed quodam intelligentiæ, nondum visionis contactu: si caro, si homo tunc interjiceretur, copulam non tam consueret, quàm dissueret. At ubi peccato à veritate deflexit, tunc inter stultitiam hominis & sapientiam Dei medio quodam conciliatore opus fuit, homine sapiente videlicet, cujus authoritate stulti agerentur, purgarentur, Deo redderentur. At si tantæ salutis spem in homine mero homines figerent, Deo derogarent, cui uni spes naturæ rationalis debet incumbere: ergo consultissimum fuit, ut ipsa Dei sapientia hominem indueret, stultos authoritate regeret, ad contuitum sincerum veritatis redintegraret. Quisquis hîc cæspitat, in ipsa impingit Theologiæ Christianæ limina. Quæ rursus alibi firmiùs roborantur: *Sed quia ipsa mens cui ratio & intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis & veteribus invalida est, non solum ad inhærendum fruendo, verùm etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque sanata, fiat tantæ felicitatis capax; fide primùm fuerat imbuenda atque purganda. In qua ut fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius, homine assumpto, non tamen consumpto, eandem constituit atque fundavit fidem, ut homini iter ad Deum esset per hominem Deum.* De homine Deo hîc vertitur quæstio sive immortalitatem illi indias, sive mortalitatem, nihil ad rem attinet: per hominem Deum iter ad Deum est, Deo inhumanato fides & pietas superstructa est; sed tum demum quando mens nostra vitiis quibusdam tenebrosis & veteribus invalida esse cœpit, non solùm ad perfruendum, sed ad perferendum incommutabile lumen veritatis sempiternæ. Si autem hanc tantam esse indolem animæ rationalis à labe adhuc puræ detrectas, ut nullo interstitio, hoc est, nullo phantasmate interjecto, jam intellectu, etsi nondum intuitu contingat Dei sapientiam, non satis tibi constas. Eidem enim naturæ nunc nimium arrogas, nunc tui immemor aut discors nimium derogas. Vetas enim ne contingat Verbum, & jubes ut Verbo in unam hypostasin coalescat. Longè amplius est istud citra controversiam, quàm illud: & illud tamen deprecaris ut nimium, hoc comminisceris, quod nimio plus est. Si gratiæ Dei adsignas hanc hypostaticam copulam, eidem & nos hanc imputamus cum Verbo Deo cognationem. Sed similius veri est ab anima rationali modos & naturæ & gratiæ consentaneos non exilienter, Verbum utcumque contingi, quàm Verbi ipsam hypostasin adprehendi.

Civit. L. 11. c. 2. (margin, beside "bi firmiùs roborantur")

VI. Ex eodem Augustino. In exposit. Ep. ad Rom.

Idem rursum Augustinus: *Quod Verbum ex semine David caro factum est & habitavit in nobis, non mutatum & conversum in carnem, sed carne ut carnalibus congruenter appareret, indutum.* Et alio loco: *Ut contempler delectationem Domini, &c. Vult finita nocte sua, hærere in luce ipsius. Tunc* In Psal. 26. *enim erit mane nostrum morte transacta. Unde alio loco Psalmus dicit, Mane astabo tibi & contemplabor. Hæc vox humana est. Cecidit enim homo, & non mitteretur qui erigeret, nisi cecidissemus. Nos cecidimus, ille descendit. Ille ascendit, nos levamur: quia nemo ascendit, nisi qui descendit. Qui ruit, levatur: qui descendit, ascendit:* Et alibi denuò: In Psal. 29. *Vespera fit quando Sol occidit, Occidit Sol ab homine, id est, lux illa justitiæ, præsentia Dei. Ideo quando expulsus est Adam, ad vesperam deambulabat Deus. Occiderat illi Sol justitiæ, non gaudebat ad præsentiam Dei. Inde inchoata est omnis vita ista mortalis, &c. Et in matutinum exultatio, quando cœperit oriri fidelibus lux, quæ occiderat peccatoribus. Nam ideo & Dominus Jesus Christus in matutino surrexit de sepulchro, &c.* Et rursum: *Ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* *Ut det eis alimentum verbi & sempiternæ verita-* In Psal. 32. *tis,*

tis, quod amiserant dum præsumunt in viribus suis, In Psal. 17. *& ideo nec ipsas vires habent à fame justitiæ.* Et alio loco: *Quoniam anima mea completa est illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Anima completa est illusionibus, caro sanitatem non habet, quid manet unde sit lætitia, &c. Accepit ergo pœnam illusionis, amisit veritatem. Sicut enim pœna est animæ illusio, sic præmium animæ veritas. Sed in his illusionibus constituti cum essemus, venit ad nos veritas, & invenit nos coopertos illusionibus, suscepit carnem nostram, vel potiùs à nobis, id est, à genere humano. Aperuit oculos carnis, ut per fidem sanaret eos quibus veritatem fuerat monstraturus, ut sanato oculo veritas patefceret. Ipse enim est veritas, quam nobis promisit, cum caro ejus videretur, ut fides inchoaretur, cujus præmium veritas esset. Non enim se ipse Christus demonstravit in terra, cùm demonstravit carnem suam.* Verbum igitur Deum si carne obnubilare præfestines, & ita objicias hominibus adhuc intaminatis, quid aliud quàm hos ut carnales pudefacies? Nempe quibus ut congrueret veritas, carnali tegumento oblimanda fuerit. Quid aliud quàm casum immerentibus & stantibus opprobabis, cùm tanquam ad jacentes levandos Deum coges descendere? Quid aliud quàm meridiano fulgore lucis æternæ gaudentibus vesperam accelerabis? Quid aliud quàm alimentum veritatis æternæ subtrahes, & carnis, id est fœni pabulum tanquam jumentis subministrabis? Quid aliud quàm Christum, seu sempiternam veritatem specie recondendi, abscondes: spe ostendendi, dissimulabis: prætextu largiendi, suffuraberis? Nam si caro videtur, non veritas videtur, sed fide oculus mentis purgatur, ut videatur postea veritas.

In Psal. 56. Unde rursum idem sanctus Pater: *Primò veritas carne cooperta est, venit ad nos, & sanavit per carnem suam oculum interiorem cordis nostri, ut* In Psal. 64. *eam postea facie ad faciem videre possimus.* Et alio loco: *In stillicidiis suis lætabitur cum exorietur. In stillicidiis suis, id est, antequam sit fortè idonea capacitas fluminis; cum exorietur, in stillicidiis suis, hoc est, sibi congruis lætabitur. Parvulis enim & infirmis adhuc stillantur quædam de sacramentis, quia non possunt capere plenitudinem veritatis. Audi quomodo stillet parvulis dum exoriuntur, id est, in recenti ortu minus capacibus. Apostolus dicit, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi parvulis in Christo. Cum dicit parvulos in Christo, jam dicit exortos, sed nondum idoneos ad capiendam illam uberem sapientiam, de qua dicit, Sapientiam loquimur inter perfectos.* Quisquis primoribus saltem labris delibaverit Augustini doctrinam, parvulis, carnalibus, nondum ferentibus ubertatem sapientiæ, instillari Verbum carnem, adultis & perfectis infundi Verbum Deum apud Deum, & illam esse parvulorum, hanc perfectorum sapientiam, nequaquam In Psal. 73. dubitabit. Unde rursum: *Tuus est dies: Qui sunt isti? Spiritales. Et tua est nox: Qui sunt isti? Carnales. Tuus est dies, & tua est nox. Loquantur spiritales spiritalia spiritalibus, dictum est enim, Spiritalibus spiritalia comparantur; Sapientiam loquimur inter perfectos. Nondum capiunt istam sapientiam carnales: Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Ergo quum spiritales spiritalibus loquuntur, dies diei eructat verbum. Cum vero & ipsi carnales non tacent fidem crucifixi Christi, quam possunt capere parvi, nox nocti annunciat scientiam. Tuus est dies & tua est nox, ad te pertinent spiritales, ad te pertinent carnales. Illos illustras incommutabili sapientia & veritate, istos consolaris carnis manifestatione, tanquam Luna consolans noctem. Tuus est dies, & tua est nox, vis audire diem? Vide si capis. Erige quantum potes mentem tuam. Videamus si pertines ad diem, jam videamus. Si non palpitat aspectus tuus, potes videre quod audisti modò ex Evangelio, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quale est illud Verbum? Capis, ô carnalis? Non capis. Adhuc ad noctem pertines, Luna tibi necessaria est. Ergo ut non solum dies diei eructet verbum, sed etiam nox nocti annunciet scientiam, quoniam tuus est dies & tua est nox, dignare descendere; manere apud eum à quo descendis, sed venire ad quos descendis. Dignare descendere qui in hoc mundo eras, & mundus per te factus est, & mundus te non cognovit. Habeat & nox consolationem suam, habeat, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Nihil hoc axiomate capitalius, nihil indubitatius in toto Christianæ mystagogiæ corpore, hinc apta pendent omnia, huc omnia reflectuntur. Spiritales à carnalibus, dies à nocte, uno hoc discrimine potissimo sejunguntur, quòd illi incommutabili veritate & sapientia, Verbo Deo apud Deum deliciantur; hi tantæ adhuc lucis impatientes, carne Verbi tanquam nocte sublustri, tanquam nube lucida, aut luce nubilata recreantur & foventur interim, dum ad puræ lucis patientiam convalescant. Hoc limite distat à parvulorum rudimentis sapientia spiritalium. An hoc præterire potuit spiritalium primates? Videlicet tanti est, non sui animi commenta, quantumvis eruditi, & perspicacis, & pietate etiam delibuti sectari, sed sanctorum Patrum osculari vestigia. Certa hæc enim est venatio veritatis: at suæ sagacitati quisquis Christianus indulget Theologus, in veritatem fortasse impinget, fortasse aberrabit: & ut impingat, haud satis certus erit suæ fœlicitatis, sed pendebit animi, donec inventa sua ad amussim illam expenderit. Quanto satius ergo, & tutius, & compendiosius est ad Patrum oracula statim se conferre totos, & ibi conquiescere?

VII. Ex eodem rursus. In Psal. 121. Augustinus iterum: *Cujus participatio ejus in idipsum. Quid est idipsum? &c. Qui est, misit me ad vos. Ecce id ipsum, Ego sum, qui sum. Non potes capere, multum est intelligere, multum est apprehendere. Retine quod pro te factus est, quem non possis capere. Retine carnem Christi, in quam leveris ægrotus, &c. Ut autem efficiaris particeps in idipsum, factus est ipse particeps tui: & Verbum caro factum est, ut caro participet Verbum, &c. Firmitatem cordis quæsivit cum diceret, Ego sum, qui sum, & aciem contemplationis erectam. Sed nondum habes fortè contemplationem? Noli deficere, noli desperare. Qui est, voluit esse homo, ut tu es: & ideo securus ait Moysi, quasi expavescenti nomen, Qui est, Ego sum Deus Abraham, &c. Ego descendo quia tu venire non potes, Ego sum Deus Abraham, in semine Abraham spera aliquid, ut confirmari possis ad videndum, qui venit ad te in semine Abrahæ, &c.* In Psal. 134. Et denuo: *Nonne tibi videtur ratio ejus respondere & dicere, Quod dixi, Ego sum, qui sum, verum est, sed non capis. Quod autem dixi, Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob, & verum est, & capis. Quod enim ego sum qui sum, ad me pertinet: quod autem Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob, ad te pertinet: & si deficis in eo quod mihi sum, cape quod tibi sum.* Et ne consimili temperamento refocillandum fuisse suspiceris hominis integri defectum quendam insitum, cape quod paulò antè dixerat: *Tendebatis vos fortasse videre bonum omnium bonorum, bonum à quo sunt omnia bona, bonum sine quo nihil est bonum, & bonum quod sine cæteris bonum est. Tendebatis vos, ut videretis, & fortè in extendenda acie mentis vestræ deficiebatis. Hoc enim ex me conjicio, sic patior. Sed etsi est aliquis, sicut fieri potest & valde potest, acie mentis fortior me, & contuitum cordis sui diu figit in eo quod est, laudet ille ut potest, & quomodo nos non possumus, laudet. Gratias tamen illi qui in hoc psalmo temperavit laudem suam, ut & firmorum esset & infirmorum.* Quod possunt nunc ab ægritudine paulùm relevati, poterant longè vegetiùs nullo adhuc afflati

ti

ti contagio: quod raris momentis nunc possunt adhuc semisaucii, poterant multò validiùs & constantiùs ne levi quidem vulnere ullo perstricti. Et paulò antè: *Multum ad te erat gustare suavitatem Dei, quia remota erat illa & nimis alta: tu autem nimis abjectus & in imo jacens. In magna autem ista separatione missus est mediator. Non poteras ad Deum homo, Deus factus est homo: ut quoniam homo potes ad hominem qui non posses ad Deum, per hominem venires ad Deum, &c. Sed si homo solum esset, hoc sequendo quod es, nunquam pervenires. Si solum Deus esset, non comprehendendo quod non es, nunquam pervenires. Deus factus est homo, ut hominem sequendo quo potes, ad Deum pervenias quod non poteras.* Et ne subeat animum ne integros quidem & sanos potuisse, audi quid referat alibi: *Mirificata est scientia tua ex me, invaluit & non potero ad eam. Mirus mihi factus es. Non te comprehendo cum quo eram. Quam facilis mihi erat vultus Patris, quando dixi, Da mihi substantiam meam, quæ me contingit. Ecce profectò in regionem longinquam & fame contrito, multum mihi est, & labor est ante me, non possum percipere quod dimisi. Mirificata est enim inquit scientia tua ex me. Ex peccato meo factum est, ut mirificata mihi esset, & incomprehensibilis mihi existeret. Nam erat mihi facilitas contemplandi te, quando non superbia reliqueram te.* Et rursum: *Omnes ergo cives illius civitatis videndo Deum gaudent in illa magna civitate, & ampla, & cælesti. Spectaculum eis Deus ipse est. Sed nos ab illa civitate peregrinamur, peccato expulsi, ne ibi remaneremus, & mortalitate prægravati, ne illo rediremus. Respexit Deus peregrinationem nostram, &c. Misit ad captivitatem nostram, misit redemptorem, secundum quod ait Apostolus, Commendat, inquit, Deus dilectionem suam in nobis, &c.*

In Psal. 138.

In Psal. 146.

VIII. Ex Augustino rursum. Tract. 1. in Evang. Joan.

Rursum idem Augustinus: *Capiat quisque quod potest, in quantum potest; & qui non potest, nutriat cor, ut possit. Unde nutriat? De lacte nutriat, ut ad cibum perveniat. A Christo per carnem nato non recedat, donec perveniat ad Christum ab uno Patre natum, Verbum Deum apud Deum.* Et infra: *Et vita erat lux hominum, &c. In principio erat Verbum, &c. Ergo illa vita lux est hominum. Sed fortè stulta corda adhuc capere istam lucem non valent, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint, &c. Quid ergo faciet iste? Mundet, unde possit videri Deus.* Et alibi: *Modo autem quia jam cecidisti, & factus es saucius corde, unde videri illa lux non potest, venit ad te talis, qualem possis videre.* Et infra: *Quia verò Verbum caro factum est & habitavit in nobis, ipsa nativitate collyrium fecit, unde tergerentur oculi cordis nostri, ut possimus videre majestatem ejus per ejus humilitatem. Ideo factum est Verbum caro & habitavit in nobis, sanavit oculos nostros. Et quid sequitur? Et vidimus gloriam ejus. Gloriam ejus nemo poterat videre, nisi carnis humilitate sanaretur, unde non poteramus videre. Irruerat homini quasi pulvis in oculum, irruerat terra, sauciaverat oculum, videre non poterat lucem. Oculus iste sauciatus inungitur. Terra sauciatus erat, & terra illuc mittitur, ut sanetur. Omnia enim collyria & medicamenta nihil sunt nisi de terra. De pulvere cæcatus es, de pulvere sanaris. Ergo caro te cæcaverat, caro te sanat, &c. Ut quoniam Verbum caro factum est, tu possis dicere, Et vidimus gloriam ejus.* Quas hìc ambages, quæ suffugia invenient? Quo sua illis distinctiuncula carnis mortalis & immortalis? Num ejus vel odor levissimus in tanta congerie testimoniorum? Num caro immortalis, caro non est? At caro omnis collyrium est, quo purgetur oculus pulvere sauciatus, & intuendæ divinæ luci jam hebes? Caro omnis etiam immortalis, terra est, qua terrenæ sordes oculo mentis superfusæ eluantur. Caro omnis velum est,

Tract. 2.

quo Deitas se ægris & ægros sibi coaptet. Quandiu ergo sanis eramus oculis, sine carnis seu mortalis seu immortalis nubilo recreabat nos lux sapientiæ. At ubi mens terrenis affectibus sordidata, nictare jam & cæcutire ad intelligibile lumen cœpit, nec nisi corporalium imagines lambere potuit, ipsa sibi veritatem intelligibilem sensibilibus simulacris vestivit. Nec enim potuit non aliquo semper pondere & arcano instinctu vergere ad originem suam, & veritatem, æternitatem, beatitatem inter ista sensuum suorum oblectamenta captare. Ipsa ergo veritatem æternam beatamque, veram & æternam beatitatem, beatam veramque æternitatem sensibilibus integumentis personatam confinxit, & hanc errabunda in terrenis affectavit, quam votis & suspiriis cælo exprimere debuerat. Quod nostra nobis miseria, hoc ipsum sua Deo misericordia suggessit: aut ut emendatior sit nostra oratio, quod in nostræ calamitatis remedium sua Deo persuasit misericordia, hoc in votis ut nobis esset, ut votis nostris expugnaretur, nostram ille instigabat miseriam. Hæc incarnandi Verbi causa, non commentationibus arbitrariis effusa, sed præter Scripturarum fidem inconcussam, præter sanctorum Patrum consensionem conspiratissimam, ex ipsis morbi naturæque nostræ visceribus hausta est.

Et rursum idem Augustinus: *Si ergo æqualis Patri missus est, non eum æstimemus ex infirmitate carnis, sed cogitemus majestatem indutam carne, non oppressam carne. Manens enim Deus apud Patrem, factus est apud homines homo, ut tu per illum qui apud te factus est homo, fieres talis, qualis capit Deum. Non enim homo poterat capere Deum. Videre poterat homo hominem, capere Deum non poterat. Unde non poterat capere Deum? Quia oculum cordis, unde caperet, non habebat. Erat ergo aliquid intus saucium, & aliquid foris sanum. Corporis oculos habebat sanos, cordis oculos habebat saucios. Factus est ille homo ad corporis oculum, ut credens in eum qui videri corporaliter potuit, curreres ad eum ipsum videndum, quem spiritaliter videre non poteras.* Quo hìc fucus distinctionum? Nihil hìc mortalitas, nihil mors ad videndum in homine Deum conferunt. Redimendo homini impensa mortalitas, exhausta mors est, non Deo ostendendo. Caro etiam immortalis Deum corporalibus oculis exhibuisset, peræquè, & meliusculè etiam quàm mortalis. Sed non decebat per corporis oculos proficere ad Deum videndum animam rationalem, nisi si quæ oculis interioribus caligaret. Et rursus: *De corpore suo collyrium fecit luminibus nostris.* Et denuo: *Ac si dicerent, Quia abs te audivimus, nisi credideritis quia ego sum; quid te esse credemus? Ad hoc respondit, Principium: tanquam diceret, Principium me credite. Ei addidit, Qui & loquor vobis, id est, quia humilis propter vos factus ad ista verba descendi. Nam si principium sicuti est, ita maneret apud Patrem, & non acciperet formam servi, & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile Verbum sine voce sensibili audire non possint?* Et rursum Augustinus: *Et vita manifestata est. Christus verò Verbum vitæ. Et unde ergo manifestata est? Manifesta autem erat Angelis videntibus & tanquam pane suo cibantibus. Sed quid ait Scriptura? Panem Angelorum manducavit homo. Ergo manifestata est ipsa vita in carne, quia in manifestatione posita est: ut res quæ solo corde videri potest, videretur & oculis, ut corda sanaret. Solo enim corde videtur Verbum: caro autem & oculis corporalibus videtur. Erat unde videremus carnem, non erat unde videremus Verbum. Factum est Verbum caro, quam videre possemus; ut sanaretur in nobis, unde Verbum videremus.* Ruunt hæc omnia, si mundis etiam cordibus in carne immortali præsto futurum erat aliquando Verbum. Nam mors

Tract. 14. in Evang. Joan.

ibid. Tract. 35. 38.

Tractu. 1. in Epist. Joan.

qoi-

quidem & crux peccatoribus servandis dedicata fuerit; at ipsa Verbi incarnatio, nequaquam illis per sese fuerit impensa, ut quæ innocentibus etiam erat ingerenda. Nec caro Christi vulneribus oculorum occultorum mentis erit opportuna curandis, utpote quæ sanis etiam affutura erat.

IX. Ex eodem. De verbis Dom. serm. 18. Augustinus iterum: *Nondum habebat Philippus sanum oculum, unde videret Patrem, atque ideo nec unde videret ipsum Filium Patri coæqualem. Itaque aciem mentis adhuc sauciam, & tantam lucem aspicere non valentem, sanandam atque firmandam fidei medicamentis fomentisque suscepit; & ait, Non credis quia ego in Patre & Pater in me est? Qui ergo nondum potest videre, quod demonstraturus est Dominus, non quærat prius videre quod credat; sed prius credat, ut possit oculus sanari quo videat. Sola enim forma servi exhibebatur servilibus oculis, quia ille qui non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, si ab eis quos sanari voluit, jam videri potuit æqualis Deo, non opus haberet semetipsum exinanire, & formam servi accipere. Sed quia non erat unde videretur Deus & erat unde videretur homo, qui Deus erat, factus est homo, ut per id quod videbatur, sanaret illud unde non videbatur. Ipse enim alio loco ait, Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* Et paulò post: *Tota igitur opera nostra, fratres, in hac vita est, sanare oculum cordis, unde Deus videtur. Ad hoc sacrosancta mysteria celebrantur, &c. Sicut enim oculus factus ad hanc lucem temporalem videndam, &c. Sic & oculus cordis perturbatus atque sauciatus avertit se à luce justitiæ, nec audet eam contemplari, nec valet. Quid turbat oculum cordis? Cupiditas, avaritia, &c. Fecit te Deus, ò homo, ad imaginem suam. Daretne tibi, unde videres solem quem fecit, & non tibi daret unde videres eum, qui te fecit? Cùm te ad imaginem suam fecerit, dedit & hoc. Utrumque dedit tibi. Sed multum hos oculos exteriores diligis, multùm illum interiorem negligis. Detritum portas atque sauciatum. Pœna tibi est, si se voluerit ostendere fabricator tuus, pœna est oculo tuo, antequam curetur atque sanetur. Nam & in paradiso peccavit Adam, & abscondit se à facie Domini. Cum haberet ergo cor sanum puræ conscientiæ, gaudebat ad præsentiam Dei. Postquam peccato oculus ille sauciatus est, cœpit lucem formidare divinam, refugit in tenebras atque in densa lignorum, veritatem fugiens, umbras appetens. Ergo quoniam & nos inde nati sumus, & sicut dicit Apostolus, In Adam omnes moriuntur, &c. Ægrotare cœpimus, laboramus, in lecto infirmitatis sumus, sed non desperemus; quia enim ad medicum venire non poteramus, ipse ad nos venire dignatus est.* Non video quibus cuniculis elabi possint; his enim tam consertis, tam evidentibus, tam consonantibus testimoniis irretiti & constricti tenentur.
Ibidem. Serm. 18. Et rursum idem sanctus Pater: *Si vis illum mente contingere, purga mentem, purga cor tuum. Non autem mundato corde quid potuit misericordius procurari aut donari ab illo, nisi ut illud Verbum per quod facta sunt omnia, fieret quod nos sumus, ut attingere possimus illud quod non sumus? Non enim Deus sumus, sed possumus mente vel cordis acie interiore videre Deum. Peccatis acies nostræ obtritæ, obtusæ, infirmitate dejectæ, &c. Si nondum possumus Verbum videre Deum, audiamus Verbum carnem factum. Ideo enim venit, ideo suscepit infirmitatem nostram, ut possis firmam locutionem capere Dei, &c.*

Et ibidem rursus paulò post: *Lac dat parvulis, ut cibum sapientiæ det majoribus. Lactare patienter, ut avidè pascaris. Quomodo enim etiam fit lac, quo lactantur infantes? Nonne esca erat in mensa? Sed invalidus est infans ad comedendam escam, quæ in mensa est. Quid facit mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Conficit nobis, quod capere possimus. Sic Verbum caro factum est, ut lacte parvuli nutriremur, qui ad cibum quidem eramus infantes.* Et denique alio loco: *Quod contemnis in Christo, nondum est contemplatio sanati, sed medicamentum ægroti. Noli festinare ad visionem, ægrote. Angeli vident, Angeli gaudent, Angeli pascuntur & vivunt, nec deficit unde pascuntur. Sed ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Hæc est salus nostra, medicina infirmorum, cibus sanorum, &c. Collyrium carnis ad intuendum utcumque splendorem divinitatis, &c.* Noli tergiversari in carne immortali, ea enim perinde opacans Deitatem, collyrium est lippientium, medicina ægrorum, lac infantium.

X. Ex Ambrosio eadē cōfirmantur. Epist. 41. Non abhorruit ab hac doctrina Ambrosius: *Nam si hodie quocumque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua omnia intelligit, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem judicat: quanto magis ille primus homo totius erat mundi incola, & ut Græci dicunt, κοσμοπολίτης, opus Dei recens, confabulator assiduus, civis sanctorum, complantatus virtutibus, &c.* Quo tam effusa primi parentis præconia, & tam pertinax de altero illo longè meliore, optimoque silentium? Sed quid est quod Dei confabulator assiduus & civis sanctorum ante lapsum prędicatur, nisi ut hinc argumentetur Augustinus, qui pane Angelorum, qui Verbi luce pascebatur, neutiquam carne Verbi pascendum fuisse. Rursus Ambrosius: L. de Parad. c. 19. *Hic est enim cibus in quo vita definitur æterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur. Quandoquidem panis vivus atque cœlestis ipse Dominus est, qui vitam dat huic mundo. Unde & ipse ait, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam. Erat ergo panis aliquis, de quo præscripserat edendum paradisi incolis. Quis ille? Accipe quem dicat: Panem, inquit, Angelorum manducavit homo.* Quæ in Augustini sententiam prorsus recidunt.

XI. Ex Gregorio Papa. L. 1. in L. Regum. c. 1. Gregorius Magnus à trita illa per Augustinum semita nec transversum quod ajunt unguem deviavit. Itaque sic ille habet: *Anna ergo se cum viro suo ascendere abnegat, donec filium lactat, quia sancta Ecclesia tandiu vitavit alta prædicando contingere, quandiu cognovit rudes auditores suos velut parvulos alta capere nequaquam posse. Hinc namque in ipsis sanctæ Ecclesiæ primordiis factum est, ut velut parvulo Annæ filio, per trium Evangelistarum scripta, Matthæi scilicet, Lucæ & Marci lac propinaretur, qui humanitatis Dominicæ historiam scribentes, pauca de ejus divinitate tractaverunt. Sed cum parvulus Ecclesiæ populus cresceret, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi proficeret, cui lactis potus non sufficerat, pasci cibo solido perquirebat. Unde factum est ut rogatus à fratribus Evangelista Joannes, non solum humana, sed etiam angelica superans, condita cuncta transcenderet: & quem videre meruit, unigenitum in sinu Patris prædicaret, dicens: In principio erat Verbum.* Verte omnes tete in facies, non efficies, ne quidquid ad carnem Verbi pertinet, non ad lactis blanditias referatur; quidquid sinceræ divinatis est, is solidus animorum cibus habeatur. Immortalis porro caro, caro est utique, non divinitas, ergo & ipsa sapit non aliter, quàm lac infantiæ. Aut ergo primum parentem adhuc stantem, in cunas voca, & pueritiæ lusibus lactique vacare jube, aut ne carnem ullam Verbi ei obtrudas. Et rursum Gregorius idem: Moral. L. 17. c. 20. 21. *Unde & Prædicatores sancti, dum auditores suos divinitatis Verbum capere non posse conspiciunt, ad sola incarnationis Dominicæ verba descendunt. Unde subinfertur, Pulli ejus sanguinem lambunt. Ac si apertè diceretur: Ipsa quidem aquila divinitatis contemplatione pascitur, sed quia auditores ejus divinitatis percipere arcana nequaquam possunt, cognito crucifixi Domini cruore satiantur. Sanguinem namque lambere est passionis Dominicæ infirma vene-*

venerari. Hinc est quod idem Paulus, qui ad tertii cæli secreta volaverat, discipulis dicebat: Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. Acsi apertè hæc aquila diceret: Ego quidem escam meam, divinitatis ejus potentiam de longe prospicio; sed vobis adhuc parvulis incarnationis ejus tantummodo lambendum sanguinem trado.

Et rursus alibi: *Beatus Job ad illum, quem habere potuit in paradiso incommutabilitatis statum, mente recurrit, &c.* Immortalis enim homo in tantum incommutabilitatis divinæ consortium adscitus erat, ut carnis assumptæ à Verbo mutabilitate per varia sacramenta oblectari ac provehi non egeret, ipsam videlicet divinæ veritatis incommutabilitatem tota mente complexus, & ad eam ita se tenens, ut non ipse cum temporibus laberetur, sed sub eo stante laberentur tempora. Et rursum: *Obtenebrentur stellæ caligine ejus. Nox quippe illa, consensus videlicet ad culpam, quæ ad nos primi parentis est excessu propagata, mentis nostræ oculum tanta obscuritate perculit, ut homo omnis in hujus vitæ exilio cæcitatis suæ tenebris pressus, quantalibet vi ad æternitatis lumen intenderit, penetrare non possit. Post pœnam namque damnati peccatores nascimur, atque ad hanc vitam cum mortis nostræ merito venimus; & cum ad supernæ lucis radium, aciem mentis erigimus, ipsa infirmitatis nostræ acie caligamus.* Defigi ergo in præsentiarum non potest mens nostra in incommutabilis veritatis æternitate, ideoque nec figi ipsa usquam aut stare valet, nec corpus suum sibi figere & inexpugnabiliter copulare. Hinc mortalitas, hinc mutabilitas, hinc per temporalia Verbi incarnati adminicula enitendi rursus ad Deitatis immutabilitatem necessitas. Denique ut te non lateat, quæ Gregorii sententia fuerit de homine ante lapsum, utque ille Verbo Deo ita satiaretur, ut Verbo carne minùs egeret, audi quæ ille commentetur in hunc versiculum: *Percussus sum, ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quia primus homo peccando mortem incidit, propagata generis humani successio à rationis intimæ viriditate consequenter exaruit. Quare autem cor humanum ab illo aruit virore, in quo conditum fuit, subdendo manifestat, ait enim: Quia oblitus sum comedere panem meum. Panem suum in paradiso primus homo conditus habuit, quandiu inconcusso mentis vestigio conditoris sui præcepta servavit. Panis autem ejus fuit visionis divinæ delectatio, Verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, Angelorum societas, amor Dei, jubilum spiritus, contemplationis suavitas, collocutionis desiderium, securitas mentis, præsentia creatoris. Quem panem tunc profectò perdidit, cum serpentis suggestioni consensit.* Tota hæc fœlicitas, ex una Verbi Dei satietate religatur; cui si ingeras Verbum carnem, à tuo ipse proposito aberras. Non sum nescius, quàm multa suadeant non esse Gregorii Magni hos tractatus in Psalmos Pœnitentiales, sicuti nec Commentarios in librum primum Regum. Laudavi nihilo minus hos & tractatus & Commentarios, quòd vel à Gregorio VII. conscripti, vel ex Gregorii Magni libris excerpti ab aliquo sint, certè ab ejus doctrina non discedant.

Ibidem, L. 4. c. 14.

Ibid. l. 4. c. 24.

In Psalm. 5. Pœnit.

XII. Ex Bernardo. Serm. ad Milit. Templi. c. 6.

Bernardus accedat, & suo affundat lucem Gregorio. Non enim carnem Verbi objici potuisse homini, quem Verbi Dei satietas beabat, divina & æterna intelligentem, etsi nondum videntem, apertè docet: *Porro suum homo quia in quo factus est, honorem non intelligendo, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: Verbum panis Angelorum factum est pabulum jumentorum, ut habeat carnis fænum quod ruminet, qui Verbi pane vesci penitus dissuevit: quousque per hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursus in hominem, cum Paulo dicere posset: Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Cum ergo ante peccatum Verbo carnem adscribunt, hominem adhuc stantem in classes jumentorum ablegant, fænum illi ut pecori objectant, quod & homini & hominis conditori optimo contumeliosum in primis est. Deinde ne illud quidem vident, totum nunc profectum animæ esse in eo situm, ut à carne Christi ad ejus Deitatem prorepat, nimirum quia & ejus defectio hæc fuit, cum à Verbi Deitate, qua sanus oblectabatur, ad carnis umbras & necessitates defluxit. Et alibi idem Bernardus: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, &c. Inde est quod panis Angelorum factus est fænum, positum in præsepio, appositum nobis, tanquam jumentis. Verbum quippe caro factum est, & juxta Prophetam, Omnis caro fænum.* Porro etiam caro immortalis fænum est, Verbo comparata. Caro immortalis fænum est, si objiciatur menti pane Angelorum vescenti. *Ergo cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus, &c. Cognosce pecus, quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in Paradiso. Comede fœnum, quem panem & panem angelicum fastidisti.* Et alibi: *Obtulit carnem sapientibus carnem, per quam discerent sapere & spiritum.*

In Cantici Serm. 35.

In Cantic. Serm. 6.

XIII. Ex Athanasio. Orat. Contra Gẽtiles.

Utque brevitatis studio cæteros omittam è Latinis, Græci quoque in hanc conspirant doctrinam. Athanasius: *Ut igitur primum hominem ajunt sacræ Scripturæ, principio liberioris inverecundiorisque fiduciæ mentem ad Deum habuisse, & cum sanctis conversatum esse in contemplatione intelligibilium, quam habuit in eo loco quem Moyses figuratè paradisum nominavit. Sufficit enim animæ puritas, ut Deum per se speculetur, quemadmodum & Dominus dixit, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ita quidem opifex rerum genus humanum conditum in eo statu manere voluit, sed ipsi fastidio meliorum, &c.* Et alibi rursus: *Fortasse mireris cur proposita mentione de incarnatione Verbi, nunc de principio hominum verba faciamus. Verùm id non alienum est à scopo institutæ orationis. Necesse est enim nobis disserentibus de servatoris nostri adventu, etiam disserere de hominis principio, ut cognoscas nostram culpam illi dedisse occasionem, ut descenderet, &c. Siquidem Deus non solum nos ex nihilo fecit, sed & vitam, qua secundum Deum viveremus, nobis largitus est, rationis beneficio. Homines contrà aversi ab æternis, &c.* Et infrà: *Quia enim homines sese averterant à contemplatione Numinis, & tanquam in abyssum profundissimè demersi, humi oculis defixis, in generatione rebusque sensibilibus Deum requirebant, hominum mortalium ac dæmonum simulacra effigiantes, ideo hominum amator Deus Verbum, corpus assumpsit, ut hominum sensus præoccuparet, &c. Quum enim semel ad sensibilia hominum cogitatio delapsa esset, subjecit semetipsum Verbum Dei, ut per corpus appareret, quo ut homo jam factus homines in se traduceret, eorumque sensus ad se reflecteret, &c.* Vides quàm cognata sint hæc iis, quæ supra ex Augustino, Gregorio & Bernardo carpsimus.

L. de Incarnat. Verbi.

XIV. Ex Gregor. Nysseno. Cõtra Apol.

Nec minùs perspicuè suffragatur Nyssenus: *Quoniam omnes declinaverunt & inutiles facti sunt, nec erat qui posset intelligere & perquirere divinitatis sublimitatem, propterea ut magis carnali generationi appareat unigenitus Filius, caro fit: seque pro exiguitate ejus à quo suscipitur, contrahit, vel potius exinanit, ut quantum capit natura, tantum suscipiat, &c. Enimvero si omnes caliginem montis sicut Moyses ingredi potuissent, in qua vidit Moyses inaspectabilia: aut quemadmodum sublimis ille Paulus, supra tres cœlos attolli, atque in paradiso de secretis doceri rebus quæ verbis efferri non possunt: vel cum Elia, &c. Vel cum Ezechiele atque Esaia, &c. Nihil penitus*

opus

opus fuisset hac Dei secundùm carnem apparitione, &c. At quis Adamum, quis homines in integritatis primævæ fastigio stantes, non multò dilucidiùs æterna & intelligibilia contemplari potuisse sentit, quàm vel Isaiam, vel Ezechielem, velut de Moyse & Paulo taceam, Eliam? Ergo nec ipsis opus fuisset apparitione Verbi in carne. Latum enim discrimen interjacet illis atque istis. Hi enim poterant assurgere jam ad intelligibilium lumen, quia carnis deificæ fomentis adjuti fuerant olim, & ad eas vires lacte perducti, ut lacte jam minùs egerent: id est non secundùm carnem jam Christum noverant: sed carne tamen illa opus habuerant, ut ab illa se abstinerent, & se totos Deitati immergerent. At verò primi parentes ante lapsum, carne Verbi ita non egebant, ut ne priùs quidem indiguissent.

XV. Ex Nazianzeno. Orat. 39. Nazianzenus assentitur quoque: *Dei Filius hominis quoque filius, & vocari, & esse sustinet, ut qui natura sua comprehendi non potest, comprehendatur, intermedia carne, tanquam velo quodam interjecto, nobiscum versans: quandoquidem procreata natura & interitui obnoxia, imbecillior est, quàm ut puram ipsius divinitatem ferre queat.* Ante ergo quàm corruptibilitati manciparetur, valebat quod nunc non valet natura, attemperata sibi Verbi Dei voluptate recreari, non obrui.

CAPUT IX.

Non incarnaretur Dei Verbum, nisi homo peccasset: id evincitur, ex eo quod Christus Magister sit humilitatis, qua lapsi redintegrantur.

I. Ipsa Verbi incarnatio, humilitatis magisterium est, homini superbo aptum medicamentum. Ex Ambros. SUmma tantùm perstringimus fastigia argumentationum, quæ in multos se ramos frondesque diffunderent, nisi prolixitatem declinaremus. Christus humilitatis magister substantivus est: non verba, non gesta, non vita & mors, non mortalitas tantùm ejus, sed ipsa ejus substantia, humilitatis conciliatio, humilitatis magistra est. Deus in carne seu mortali seu immortali inanitus, humilitatis columen est. Ea porro humilitate non decuit nisi ingentem superbiam contundi obruique. Ambrosius: *In paradiso defecit humilitas, & ideo venit è cælo. In paradiso orta est inobedientia, & ideo obedientia cum Salvatore descendit. Inflabat caro, unde subjectio mansuetudinis inveniri non poterat in terris. Veniens Dominus Jesus primùm se exinanivit, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, &c.* Et homo enim immortalis statim factus, Patre minor fuerit Deus Verbum, seipso minor, dispar sui, discolor à Patre & à seipso, ab æqualitate patria defluus, exinanitus ergo & humilitatis restaurator.

In Psal. 118. Octo. 18.

II. Ex August. L. 3. de Lib. Arbitr. c. 10. Succinit Augustinus: *Cibus rationalis creaturæ Deus Verbum factus est visibilis, non commutatione naturæ suæ, sed habitu mortalitatis nostræ, ut visibilia sectantes ad se invisibilem revocaret. Sic eum anima quem superbiens intus reliquerat, foris humilem invenit, imitatura ejus humilitatem visibilem, & ad invisibilem altitudinem reditura.* Reliquerat homo superbiens intima sua, forasque se projecerat in visibilia: in his imis & visibilibus occurrit illi Deus, visibilis ideo & imus jam humilisque, ut illum ad se intro revocet. Et rursus idem præclarissimè: *Quoniam ergo à vanitate superbiæ priùs ad humilitatem deponendi sumus, ut inde surgentes solidam celsitudinem teneamus, non potuit hoc nobis tanto magnificentiùs, quanto blandiùs inspirari, ut nostra ferocitas non vi, sed persuasione sedaretur, nisi Verbum illud per quod Angelis se indicat Deus Pater, quod virtus & sapientia ejus est, quod corde humano visibilium rerum cupiditate cæcato videri non poterat, personam suam in homine agere atque ostendere dignaretur, ut magis homo timeret extolli fastu hominis, quàm humiliari exemplo Dei.* Eò pertinet ergo incarnatio Verbi Dei, ut humilitas consecraretur, ut deificaretur, ut cum Deo humiliari, quàm cum homine superbire jam gloriosius quiddam esset; ut superbiæ jam emendatioris esset, cum Deo abjici, & in imis jacere; ut ambiri nihil possit illustrius, quàm Dei vel humiliati consortium assequi. Ita enim efficitur ut homo liber non vi, sed sponte humilitatem amplectatur: & quam summoperè aversabatur, ad eam convolet; Deum utcumque imitari non humile quid, sed superbum & magnificum esse non immerito persuasus. Cùm vel maximè Christi humilitas una orbem subegerit, subigatque in dies. *Itaque non Christus regno terreno decoratus, nec Christus terrenis opibus dives, nec Christus terrena ulla fælicitate præfulgens, sed Christus crucifixus per totum terrarum orbem prædicatur, &c. Crediderunt autem prius pauci, nunc populi, &c. Sic tandem animadvertit terrena superbia nihil in ipsis terrenis esse potentius humilitate divina, ut etiam saluberrima humilitas humana contra insultantem sibi superbiam divinæ imitationis patrocinio uteretur.* Id operæ pretium incarnati Verbi, ut in terrenis ostenderet nihil esse potentius humilitate, humilitate subactum esse sibi orbem, humilitate jam grassandum, humilitate triumphandum, ipsam gloriæ victoriæque famem non jam posse nisi humilitate sedari. Immortalitate & gloria sibi omnibusque Deus affluit & superfluit: non ad id ergo incarnaretur: sed humilitatis inops ipse sibi, hanc extra se venatus est in natura nostra: nec amplitudinem suam insignire magis potuit, quàm dum mortalitatis humilitatem amplexus, eam protinus victricem omnium effecit & triumphalem, totiusque deinceps gloriæ arbitram.

Epist. 42.

Nec exemplo tantùm & ad potentiam humilitatis ostendendam, sed & ad eam nobis non sine pudore & probro quodam incutiendam valuit incarnatio. Idem rursum: *Ut superbia hominis quæ maximè impedimento est ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui posset atque sanari: discatque homo quàm longè recesserit à Deo, & quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem mediatorem redit, &c.* Valet quamplurimum ad conterendum fastum hominis, ei penè exprobrari quòd non potuerit ejus superbia, nisi Dei humilitate expiari. L. 13. de Trinit. c. 17.

Christum *humilem non iniquitas, sed charitas fecit: descendit enim de cælo, non onere iniquitatis, sed pondere charitatis*, ut ait Augustinus idem; nec inhumanari poterat nisi descenderet, & charitate descenderet, ideoque & humilitate, ideoque & humilitatem persuasurus superbis. Nam humilem & obedientem & non sibi placentem apparere nobis Deum, id verò est præter ordinem, nisi hominum sibi placentium contumax superbia ita comprimenda sit, & civitas Dei per Dei humilitatem restauranda. Idem rursum: *Initium peccati superbia, initium superbiæ hominis apostatare à Deo. Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum omnipotentem medicum de cælo deduxit, &c. Erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.* L. de Virgin. c. 37. In Psal. 18.

Humilitate sublimari, superbia dejici animam incommutabilis veritas & lex æterna jubet, ostenditque intelligentiæ lumine non orbatis. At viduatis ea luce hominibus in propatulo id statuendùm erat per visibile aliquod æternumque monumentum. Ea est incarnatio & humilitas Dei. Ita enim visibiliter claret, nos humilitate accedere, superbia abscedere à fastigio Deitatis Verbi. Amor enim sui, sibi non Deo adhærens; suum se sibi principium faciens, non Deum; sibi non Deo serviens, III. Ex eodem.

viens, tanto inanescit superbiendo, quanto minor est homo, quo impletur, quàm Deus, quo vacuatur. Itaque superbiendo præcipitatur homo, sed id carnales latet, At per Christum jam nec carnales id latet, qui Christi Dei culmine potiri se per humilitatem, detrudi per superbiam vident. Unde rursum: *Nec sic defecit homo, ut omnino nihil esset, sed ut inclinatus ad seipsum minus esset, quàm erat, cum ei, qui summe est, inhærebat. Relicto itaque Deo, esse in seipso, hoc est sibi placere, non jam nihil esse est, sed nihilo propinquare. Unde superbi appellantur sibi placentes. Bonum est enim sursum habere cor, non tamen ad seipsum, quod est superbiæ, sed ad Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis, miro modo quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor. Hoc quidem quasi contrarium videtur, ut elatio sit deorsum, & humilitas sursum. Sed pia humilitas facit subditum superiori, nihil est autem superius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem quæ in vitio est, eo ipso quo respuit subjectionem, cadit ab illo quo non est quidquam superius, & ex hoc erit inferius, & fit quod scriptum est: Dejecisti eos dum allevarentur. Non enim ait, Cum elati fuissent, ut prius extollerentur, & postea dejicerentur; sed cum extollerentur, tunc dejecti sunt. Ipsum quippe extolli, jam dejici est. Quapropter quod nunc civitati Dei in hoc sæculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in ejus rege qui est Christus, maximè prædicatur, &c.* Est quippe Christus *humillimus inter homines, Deus altissimus, idem humilitatis doctor & celsitudinis dator*, ut idem alibi ait. Tota illa mortalitatis & mortis humilitas consectaria est ejus humilitatis, qua Deus factus est homo, id est humilis, ut in se specimen ederet immortale & conspicabile etiam carnalibus, sectandæ jam per humilitatem altitudinis, fugitandæ per superbiam dejectionis.

Civit. L. 14. c. 13.

L. 5. de Bapt. cont. Donat. c. 8.

Seu insitæ generositatis, seu superbiæ adjectitiæ id erat, erat tamen hominibus familiare, non imitari nisi Deum, quem per vitiorum etiam tenebrosam similitudinem effingere gestiebant. Ergo humilitas Dei præstituenda ob oculos eorum fuit, quam imitari dignarentur. Hæc ratio est incarnationis. Augustinus: *Quid est autem, Christus diabolum occidit? Humilitas occidit superbiam. Cum ergo Christum nomino, maximè nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus à Deo; redire ad eum nisi per humilitatem non poteramus, & quem nobis proponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret vir aliquis humilis spiritu, sicut erant Prophetæ & Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.* Et rursum: *Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, & humilis factus est. Præcipitur tibi, ut sis humilis. Non præcipitur tibi, ut ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo, tu homo cognosce quia es homo.* Humiliari potest homo, non inferiorem naturam subeundo, sed suam vel agnoscendo; ad hoc eum prolixissimè invitat Christus, non suam agnoscendo, sed deponendo, infimam autem induendo naturam. Ergo humilitas est summa in ratione sola incarnationis Dei, & tanta quantam nec imitari propiùs, sed longo tantùm ex intervallo sequi potest homo. Et rursum alibi: *Ille Deus tantus æqualis Patri, natus de Spiritu sancto ex Maria Virgine humilis, unde sanaret superbos. Exaltavit se homo, & cecidit: humiliavit se Deus, & erexit. Humilitas Christi quid est? Manum Deus homini jacenti porrexit. Nos cecidimus, ille descendit.*

In Psal. 33.

In Evang. Jo. tract. 25.

L. 1. de Sym. ad Catech.

IV. Ex eodem.

Quin hoc ipsum humilitatis medicinalis argumentum est, quòd veritas æterna & intelligibilis corpoream sibi speciem obtendat. Eo enim & illa humiliatur, dum vili commiscetur materiæ: & homo jacere in imo sensibilium luto ostenditur, cui veritas nisi corporasceret, non coaptaretur. Caro ergo Verbi conciliatricula est fidei, qua ad intelligentiam purgamur, & humilitatis qua per imos gradus sensibilium sacramentorum ad intelligibilis lucis fastigia progrediendum nobis esse agnoscimus. Idem Augustinus: *Ad magna tendimus, parva capiamus, & magni erimus. Vis capere celsitudinem Dei, cape prius humilitatem Dei, &c. Cum ceperis humilitatem ejus, surgis cum illo, non quasi & ipse surgat secundum quod Verbum est, sed tu potius, ut magis magisque à te capiatur. Intelligebas primò titubanter atque hæsitanter, intelligis postea certius & clarius, &c. Arborem attendite. Petit ima prius, ut sursum excrescat. Figit radicem in humili, ut verticem tendat in cælum. Nunquid nititur nisi ab humilitate? Tu autem sine charitate, sine humilitate, vis excelsa comprehendere, sine radice auras petis. Ruina est ista, non incrementum. Habitante Christo per fidem in cordibus vestris, in charitate radicamini atque fundamini, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

De verbis Dom. serm. 38.

Caro, & quidquid sensibile veritati circumjici potest ad eam opacandam, via ad ipsam est, sed humilis via; seu veritas ipsa est, eademque ad seipsam via, iis via qui ab illa defecerant. Ad quos enim via veniret, ad quos veritas se in viam refingeret & occursaret, nisi quibus vires non suppeterent jam ad viam adeundam? *Via Christus est humilis Christus; veritas & vita Christus excelsus & Deus, &c. Quæ enim causa humilitatis, nisi infirmitas tua? Valde enim & irremediabiliter te obsidebat infirmitas. Et hæc res fecit, ut veniret ad te tantus medicus. Si enim vel sic ægrotares, ut tu posses ire ad medicum, poterat tolerabilis videri ipsa infirmitas. Sed quia tu ire non potuisti ad eum, ille venit ad te. Venit docens humilitatem, &c.* Hoc ipsum enim quod Deus ad hominem venit, argumento est quod homo ad Deum venire non possit, fractus viribus & effectus. Alioqui intempestivum erat, ut hominibus inclinaret se Deus, cum ad se potius illos rapere debuisset.

De verbis Dom. Serm. 54.

V. Ex Gregorio Magno.

Christi incarnatio orbi patefacta, humiles ad se rapit, superbos refutat: à nullo nisi superbo refutatur, nulli nisi humili arridet. Sapit illa humilitati, desipit superbiæ. Ita opus fuit post lapsum, ut medicina humilibus, pœna superbis indidem scateret. At ante lapsum, alienum erat humilitatem Dei extenuati & vacuefacti in hominem proponere, quæ iis maximè allubesceret qui sibi viles, sibi displicentes, semet deprimere cupidi, Deum in hæc præeuntem admirarentur. Gregorius Magnus: *Postquam incarnationis suæ mysteria publicè ostendit sapientia, postquam humilitatis exempla superbientibus præbuit, semetipsam nobis quasi transeuntibus in mediis semitis fixit: ut videlicet in eam quam quærere nolumus, impingamus: & quam transeuntes videre negligimus, tangamus offendentes, &c. Viderunt superbi vias Dei, sed intelligere noluerunt, &c. Dum in gloria præsentis vitæ superbiunt, humilitatis Dominicæ celsitudinem non viderunt. Lumen enim intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. Nam secretum quoddam pietatis est, & tanto minus ad illud animus pervenit, quanto magis intumescit; quia eo ipso foras repellitur, quo insanius inflatur.* Ex superbia enim in insipientiam homo delapsus est, humilitate ergo ad sapientiam remigrat. Quin imo cùm superbia non aliud quàm spontanea quædam & insulsissima fuerit insipientia, præfigenda illi ob oculos fuit sapientia humilis & ipsa humi-

Moral. L. 25. c. 11.

humilitas: *Quia enim prima stultitia Angeli, elatio cordis fuit: vera sapientia efficitur hominis, humilitas suæ æstimationis. Quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit, quo semetipsum nescit.*

Ibid. l. 18. c. 23.

L. 34. c. ult. Qui superbis humilitate unigeniti sui incarnati obviaturus erat, necdum superbis eandem humilitatem non objecisset Deus. Idem Gregorius: *Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei.*

Interioribus divitiis locupletabat Deus hominem in interioribus adhuc suis feriantem, necdum per externa peregrinantem. Ut ditaret foras effusum, foras effudit & ipse se, & alienis alioqui virtutibus forasque petitis illum opulentat. *An non in divinitatis suæ divitiis nobis invisibilis permanens miris nos potuit virtutibus ditare? Sed ut ad internas divitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus*, inquit Gregorius idem. Nam humilitas, paupertas, patientia, virtutes, sunt quasi exteriores, & ab exterioribus nos recolligentes ad intima, ideoque negotiosæ & laboriosæ, cum virtutes stantis hominis intima suavitate & laboris experte madescerent.

L. 20. c. 26.

VI. Ex Bernardo & Leone M. Prior est copula animæ & carnis, qua homo compingitur: secunda est hominis & Dei, qua homo redimitur. Illic charitas, hic humilitas eminet: nec injuria. Nam profligatæ per inobedientiam illius charitatis hæc reparatrix est humilitas. Quo enim nisi humilitate jactura resarcitur charitatis? Bernardus: *Quod si meminimus in prima conjunctione qua ex anima & carne compactus est homo, charitatem commendari, merito humilitas eminet in secunda: quia sola virtus est humilitatis, læsæ reparatio charitatis.*

Serm. 2. in Natali Dom.

Denique humilitas ita Reparatoris proprius est & totus census, ut non liceat eam nisi Reparatori vendicare. *Ut nequissimi hostis astutia, non potentia Deitatis, sed humilitatis mysterio vinceretur*, ut ait Leo Magnus. Incarnationis etiam ipsa substantia seclusis circumstantiis mysterium est humilitatis. Et rursum idem: *Tota victoria Salvatoris qua & diabulum superavit & mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta, &c. Omnipotens Deus causam nostram nimis malam, humilitatis privilegio bonam fecit, &c. Tota Christianæ sapientiæ disciplina in vera & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus Christus ab utero matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine & elegit, & docuit.*

Serm. 2. de Quadrag.

Serm. 7. in Epiphan.

CAPUT X.

Verbum Deus non corporaretur, si homo non peccasset: id evincitur, ex eo quod gratiæ divinæ alicujus efficacia ex insertione hypostatica humanitatis in Deitatem proficiscatur, illa autem lapso congruat homini, non integro & valenti.

I. Quadrifariam ostenditur à Verbo incarnato fuere aliqua in suos efficacia per sese auxilia, quod statui innocentiæ non congrueret.

Multis supra executi sumus, divinorum nunc quorundam auxiliorum vim, per semet efficacem, ex copulatione Dei atque hominis hypostatica dimanasse, eamque non integris, sed sauciatis hominibus peropportunam fuisse & necessariam, integris autem penè intempestivam. Quandiu enim consultum erat periclitari potissimùm vires libertatis sanæ & valentis, temperandum ei fuit gratiæ subsidium, cui illa obedire, quam etiam frustrare posset. At ubi afflictæ accisæque jacuere hominis vires, validiora jam illi adjutoria aliqua approperanda fuere, quæ versatilem libertatem invictissimè agerent, insitamque in utrumque bicornem flexibilitatem, necdum quidem exciderent, sed regerent, & secundùm Dei propositum agerent. Ergo illa disceptatio tota id quoque agebat, id expugnabat, non corporandum fore Verbum, si in statione integritatis primævæ homo permansisset. Sed juvabit obiter & strictim eandem semitam relegere, cùmque ad quatuor capita summa restricta sit ea de efficacibus auxiliis disputatio, ad incommutabilitatem Verbi naturæ nostræ commodatam; ad caput incommutabile mutabilitati prioris capitis, seu Adami medicaturum; ad imaginem divinam incommutabiliter nunc naturæ nostræ, ne rursus inquinaretur, infigendam; ad jus denique invictissimum, quo sibi Verbum naturam assumptam vendicavit: per hæc eadem nunc properè excurremus.

II. Inserta vel inferenda carni nostræ Deitas, non sivisset omnem prorsus naturâ peccato vitiari, ut nec nunc finit.

Quod ad primum ergo attinet, non potuit peccati mortisque virus, quod naturæ nostræ medullas intimas depascebatur, excoqui, & exudari, nisi justitiæ & immortalitatis ipsa substantia naturæ nostræ visceribus infunderetur. Ergo vicissim si justitiæ & immortalitatis ipsa substantia occupasset insedissetque prior humanæ naturæ præcórdia per Verbi incarnationem, non potuisset in ea irrepere ullius culpæ aut lethi venenum. Nam si has pestes insolitas jam & altissimè infixas exufflat adventans Deitas Verbi, multò magis eas illabi non sivisset, si hominem adhuc stantem prævertisset invadere. Ex adverso autem si inhumananda Verbi Deitas peccatum mortemque antevertere nequisset, multò minùs jam illapsam & grassabundam posset evertere. Idem enim præstat, idem pollet incarnanda atque incarnata Deitas: & multò procliviùs est, hostes adventantes propulsare, quàm incubantes. Ergo aut incarnanda non erat Deitas, cùm hostes irruperunt, aut eos jam non poterit profligare, semel rerum potitos.

Ad hæc, incarnatio Verbi impensa est universæ hominum naturæ. Cùm ergo in sinu naturæ nostræ ipsamet justitia & sanctitas insinuanda, atque adeo insinuata esset jam, qui in eam impetum facere, qui universæ præpollere potuisset improbitas? Nunc enim improbitas hominum ex inveterata ægritudine erumpit, & paulatim expungitur per incarnati Verbi afflatum. At natura innocua totam bibisset incarnatæ Deitatis virtutem, atque ita inviolabilis evasisset.

Adde quòd gratia parenti primo concessa, accidentis in morem inserta & inconstans erat, unde & exufflata est. At gratia increatæ Deitatis Verbi, cùm substantiva, cùm incommutabilis sit, inexpugnabiliter affixit se humanitati, aut humanitatem sibi affixit. Idque necessum erat, ne par priori labes rursus ingrueret, & alia rursus medicina exoranda esset. Ergo si incommutabiliter gratia Deitatis incarnandæ inhæsisset naturæ nostræ, quomodo nunc ruinam ejus ingemisceremus?

Præterea extrinseca quodammodo erat primo parenti gratia, non ex ipsis naturæ ejus venis scaturiens, unde & exaruit, defecitque. Nunc inserta nobis ipsa substantia Deitatis, scatet ex nostro penè gremio copia gratiæ propria & exundantissima, unde nec deficere unquam poterit. Si incarnanda fuisset & tunc Deitas, nullus eam tunc quoque peccati aut concupiscentiæ æstus arefecisset.

Ad hæc, nunc quidem divinis muneribus frustrari in totum non potest naturæ nostræ universitas, quæ tota in Christo est, cujus personam Christus gestat, cui Christus à Patre petit, cui accipit æternitatis subsidia; petit, qui repulsam pati nequit; accipit, cui auferri nihil potest. Quodcumque nobis omnipotens Christus accipit, ipsi nobisque nulla vis hostilis rapiet. Ergo si tunc quoque incarnanda erat Deitas, pari jure non potuissent donis divinis ludificari, aut per vim exui homines universi.

Rursum etsi non eadem Christi consortibus, atque Christo ipsi comperat justitiæ copia aut immutabilitas, ejus tamen & copiæ & immutabilitatis derivatio quædam infundenda est, nunc quidem

pro modulo incipientium, aut proficientium, postea autem in cælesti regno, pro exuberantia perfectorum. Immutabilitatem seu impeccantiam plenissimam beatæ vitæ merces sibi flagitat. Nunc autem ubi merendi, & præliandi opportunitas est, indifferentia sospes perstat, sed regitur, agiturque miris & inenarrabilibus modis. Hæc tantilla immutabilitatis aspiratio peccatoribus, ægris, alioqui desperatis accommodata est; ita enim quia versatiles in utrumque sunt, & quia versatilitatem suam castigant, merita accumulant, quorum tamen laus potissima victrici gratiæ imputanda. At homini sano vis aderat idonea, ut suam ipse si vellet, sisteret mutabilitatem etsi non sine gratiæ adjutorio, & inde laudis decus quoddam eximium adipisceretur. Eccur autem ex incarnando etiam Verbo propter innocentes homines, non etiam in ipsos fluxissent aliqua invictissimæ gratiæ adjutoria?

Si cui videatur autem illa Verbi etiam citra peccatum incarnandi incommutabilitas, cohibenda fuisse intra sinum assumptæ singulariter carnis, is non satis perspectam exploratamque habet amplitudinem & magnificentiam Deitatis, & incarnatæ Deitatis. Nam Deitas bonum ipsum est, fons bonorum, Sol justitiæ quoquo versum lumina sua vibrans; inserta autem humanitati, utique ad beneficentiæ inexcogitabilis edenda documenta, non potest sibi temperare, quin effluat, & inundet. Si cohibere enim sese instituerat, Deitatis finibus exilire haud debebat. Si sese autem effundat, si totam se largiatur, si altissimè se immisceat humanitati, quis hìc jam locus parcimoniæ? Tantò tunc se largiùs infunderet, quantò natura incontaminata totam munificentiam provocaret: ideòque non eam tantùm stabilitatis umbram, qua electi nunc raptim gaudent, sed eam protinus impeccantiam aspirasset, qua nunc beatos impartit. Ideò enim hos hac mercede cumulat, quòd maculæ expertes sint, & tales, qualis penè in flore innocentiæ primus parens nitebat.

Postremò nec corpus ipsum primi parentis mors aut mortalitas tabefacere potuisset, si in immortali corpore Christus affuturus fuisset. Nam suo in humanitatem illapsu Deus Verbum, vitæ sempiterna immortalitas, omnibus sui consortibus eandem vitæ immortalitatem, ideòque prorsus inviolabilem insufflasset, quam electis largietur tunc, cùm in resurrectionis suæ consortium eos adsciscet. Si enim resurrectio Christi in vitam immortalem, omnibus ei indivulsè cohærentibus aspirat novam & inamissibilem immortalitatem: eccur non eandem immortalis ipse immortalitatem innocentibus adhuc & ideò arctissimè ipsi conglutinatis inhalasset?

Audio mussitantes aliquos, ita tunc potuisse non omnia prodigi simul Christi immortalis beneficia, sed stillari & paulatim dispensari, sicut nunc nec omnia, nec omnibus accumulat. Sed ingens est horum atque illorum temporum hominumque intercapedo. Nunc enim torrentem beneficentiæ moratur nostra improbitas, tunc innocentia incitabat. Nunc angustiæ nostri animi terrenis constipati illam largitatem non capiunt, tunc defæcata puritas toti inhiabat veritati. Nunc sanitatem non patimur, & remediis ipsis, nisi attemperentur, vulneramur, tunc bono suo natura sana inebriari avebat. Nunc fonti bonorum Christo tardè & imbecillè affigimur, unde nisi stillas non libamus: tunc pura & casta natura gratiarum plenitudini se immergebat. Nunc tardè & pigrè ad sanitatem protrudimur, illam etiam plerique aversamur, & Christum vel totum vel ex parte refugimus, nostroque bono intercedimus, quorum tunc nil simile contingebat.

III. Antedicta ex Athanasio confirmantur, itē

Athanasius in hæc nobis præit: *Ipse sibi quasi data confitetur, quæ humanitus acceperat, ut eo qui Dominus erat, acipiente, & in ipso donatione istarum rerum residente, gratia ipsa firma permaneret. Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest, &c. Ut gratia inademptibilis esset, firmaque hominibus custodiretur, ea de causa hanc donationem ut propriam sibi arrogat, &c. Nunc autem dicit humanitus se accepisse, ut carne ejus in ipso accipiente, imposterum ea ex carne illius in nos firmiter permaneant.* Abstineo plura retexere eorum quæ suprà acervata sunt. Nyssenus similiter: *Terra quæ antea per malitiam defecerat, nunc per Dei cognitionem, stabilem sortem & conditionem nacta est. Nos verò omnes Dei terra sumus, qui prius in bono instabiles & propterea in maledictionem conjecti fuimus; postea verò maledictione soluti rursus constantes & stabiles in bono effecti sumus. Domino regnante exultet terra. Quasi qui dicat, ut lucente Sole terra illustratur, sic prævalente regno Domini existit in nobis jucunditas regni. Lætentur insulæ multæ. Pulchrè animas, quæ licèt tentationibus agitatæ, stabilitatem & innutabilitatem* τὸ ἑδραῖον καὶ ἀμετάθετον *retinent, insulas appellavit, &c.* E Latinis unum adjiciam Prosperum: *Cujus participatio ejus in idipsum. Quid est in idipsum, nisi quod verè & sempiternè est? Neque ulla varietate mutatur, scilicet Deitas Trinitatis, quæ nunquam non fuit quod est, nihil dissimilitudinis recipiens, nihil inæqualitatis admittens: Cui per incarnationem Verbi unitur humana natura, ut liberata à commutationibus temporalibus, incommutabili æternitate potiatur.*

ex Nysseno, & Prospero. Orat. 4. adversus Arian.

In Psalm. 9.

In Psal. 121.

Secundò, caput alterum Adamo collapso subrogandum fuit naturæ nostræ, & quidem præpotentius & immutabile, ne ruinam non tam repararet, quàm iteraret. At verò ne caput quidem nostrum Adamus extitisset ante lapsum, si Deus homo futurus erat; sed illa dignitas illibata Christum manebat immortalem. Aut si capitis gloriam Adamo adjicere pergas, quòd natura ab eo principe ad posteros omnes traduceretur; certè quod ad gratiæ propagationem pertinet, capitis dignitas Christo venturo intacta servanda erat. Exultaret in hoc campo oratio, nisi fuga prolixitatis cogeret nos habenas inhibere.

IV. Si Christus immortalis caput fuisset stantis naturæ, non ea tota cecidisset lapsu Adami.

Ad hæc id fidenter etiam pronuntiant adversarii, Verbo incarnato primatum, principatum, regnum totius & hominum & creaturarum universitatis tributum esse æterno Dei consilio: adeoque illum etiam statum naturæ insontis huic capiti religatum fuisse. At nihil inconsultius dici potuit. Si caput enim tum & princeps perinde ac nunc erat Deus homo, sed tunc immortalis, nunc exantlata mortalitate in æternitatem redux, non poterat nobis caput esse Adamus, non poterat sors nostra Adamo committi, non poterat ejus ruina gentem pessumdare universam. Caput enim nobis erat Christus, illi compaginabamur, ab illo pendebamus, & hujus potiùs inconcussa firmitate stabiliendi, quàm Adami instabilitate decutiendi eramus. Est monstri simile corpus biceps. Sed ut fuerint duo capita, ecquid tam injuriosi sunt Christo, ut genus humanum Adamo, quàm ipsi magis subjiciant? Ecquid plus virium tribuunt prævaricationi Adami, quàm sanctimoniæ Christi indeflexæ? An si tunc stetisset in veritate Adamus, justitiæ suæ traducem in posteros propagaturus erat: at Christus qui caput & ipse, sed nobilius & stabili fretum erat impeccantia, sanctimoniæ suæ rivulos in genus suum non potuisset diffundere? Ea ergo assumunt adversarii, quæ volunt: sed non advertunt quàm difficiles deinde ea explicatus habeant.

Prætereà Adamo aspirata erat justitia à Deo, sed accidentaria, sed adjectitia & penè peregrina, quæ ejus substantiæ aut naturæ supernè affusa accreverat: sed facilè dissipabilis, utpotè accidentis in morem illita & extrinseca, & lubrico voluntatis assensui obnoxia. Christi autem vel tum ut volunt venturi gratia erat substantiva, & ipsa ejus substantia ac natura sanctitatis, omnino ea de

causa

causa inamissibilis. Ergo cùm illa traiicienda esset in posteros, si peccato Adami non defecisset, trajecta indubitatissimè ista fuisset, quæ erat extra omnem deficiendi aleam. Ergo nec ipse Adamus deficere potuisset, quippè qui capiti subesset Christo immortali, cujus sanctitas indeficiens & vis omnipotens nec deficere ipsa potuisset, nec sua sibi membra deficere sivisset. Pura enim & sana Christi immortalis membra plenissimè combibissent gratias omnes à tanto capite promanantes, atque adeo excidere à gratia non potuissent, ut nec nunc possunt à gratia excidere beati cælites.

Ad hæc argumentantur sancti Patres, Adamo prostrato, aliud nobis opus fuisse caput, & fundamentum aliud generis universi, sed inconcussum & incommutabile; ne si & ipsum rursus collabasceret, alio iterum opus esset reparatore, cui eadem rursus immineret calamitas, atque ita divina semper nutarent consilia, & salus nostra fluitaret. Ideo arguunt opus fuisse Verbum incarnari, cui propria & peculiaris est justitiæ immutabilitas. Huic enim nostro jam capiti certum est, tutissimum est adglutinari, & sese penitùs committere. Si ergo non peccante, aut nondum peccante Adamo, idem erat generis universi caput & fundamentum Christus, sive mortalis, sive immortalis: cùm perinde Christus ille incommutabile caput extitisset, non potuisset ille, non potuisset sub illo genus humanum hac generali ruina prosterni.

Adde quòd sancti Patres sacris litteris, & Paulinæ in primis Theologiæ inhærentes, unanimi suffragatione tradunt, nos omnes, id est electos, ita Christo ut capiti implicatos fuisse, ut ab eo universi gestaremur, momentisque omnibus ac sacramentis vitæ ejus mortisque & redivivæ item gloriæ illigaremur. Eo ergo nascente nos exoriebamur; eo adolescente nos pariter in spiritalem juventam pubescebamus; eo tincto nos abluebamur; eo Spiritum sanctum cælitùs excipiente, nos in sanctimoniæ sacerdotium inaugurabamur; eo crucem mortemque adeunte, nos cum vitiis & concupiscentiis crucifigebamur, & moriebamur peccato; eo denique resurgente cælosque repetente, nos in novitatem vitæ reviviscebamus, & cælesti unà in throno sessitabamus. Est enim Christus, qua Caput, summa quædam & universitas sui corporis, est universitatis sacramentum. Ergo si tunc Christus non transgressuro, aut necdum transgresso Adamo venturus erat in carne impeccabili & immortali; perindè omnes homines in eo, ut in capite & primitiis, ipsam anticipassent impeccantiam & immortalitatem indeclinabilem, eaque proindè exturbari postea nequissent.

V. Antedicta confirmantur ex Nazianzeno. Orat. 40. Nazianzenus: *Quoniam omni labe peccati carere, Dei est, primæque & incompositæ naturæ: simplicitas enim pacata est, atque ab omni dissidio remota, peccare autem humanæ ac terrenæ compositionis; compositio siquidem dissidii origo est: idcirco Dominus minimè sibi faciendum putavit, ut figmentum suum auxilio destitutum relinqueret, in eoque periculo versantem, ut metuendum essét, ne ab eo separaretur, despiceret. Quin potiùs quemadmodum nos creavit, ita creatos refinxit, & quidem figmento diviniori, primumque figmentum superanti.* Divinior enim in Christo est nostra nunc regeneratio, quàm prima in Adamo generatio; quatenus peccabilitatis primævæ jactura nunc sarcitur, & invictiora jam auxilia quædam à meliori capite suppeditantur, sin minùs omnibus, certè complurimis.

VI. Ex Basilio. In Psal. 44. Basilius: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus, &c. Palam est quòd hæc de Servatore ut homine dicuntur, aut quòd Ecclesia corpus est Domini, & ipse caput Ecclesiæ. Si quis ergo datam Ecclesiæ benedictionem ad Dominum retulerit, is neutiquam erraverit. Benedixit ergo te Deus, hoc est membra tua, & corpus tuum refersit bonis suis, in sæculum, id est, in infinitum.* Ecclesiæ in Christo, Christo in Ecclesia propinata est ubertas divinorum munerum: Christo in Ecclesia, quòd ille nullius inops ut Deus, nostram omnium inopiam in se saturabat: Ecclesiæ autem in Christo, quòd ipsa per semet & indiga & indigna, & si quid erogatum esset, id facilè rursus dilapidatura esset: in Christo locupletabatur, cui & dignitas & omnipotens inerat incommutabilitas.

Athanasius: *Ita creatura in libertatem vindicata, futurum est, ut Dominus noster sit & istius & omnium filiorum adoptivorum primogenitus; & ut in ipso qui primus dicitur, ii qui post ipsum sequuntur, quasi suo principio conserti coaptatique perdurare queant.* Primogeniti honor, & capitis principatus, quo gaudet Christus, fluitaret, nisi invictissima aliqua ab eo manarent adjutoria, quibus sua sibi membra substringeret. Si versatili enim auxilio tantùm succurreret, possent omnes deficere, ipsumque hoc primatu suo viduare. At si habeat omnis generis auxilia, & in iis quædam invictissima, non deficeret unquam ab eo tota generis universitas. Et paulò infrà: *Quoniam prima per Adam & vita & janua perierat, &c. Et ideo Verbum Dei hominum amore & Patris voluntate accepit creatitiam carnem, ut eam quam mortalem reddiderat primus homo prævaricatione, ipse proprio sanguine sui corporis vivificaret, & renovaret nobis viam recentem & vivam, &c. Quod si creatio innovata fuit, oportuit in hoc genere aliquem esse primum. Merus igitur homo & pulvereus quales nos facti eramus ex prævaricatione, is esse non poterat, eò quod in prima creatione fides ab hominibus servata non fuit, eorumque culpa prima creatio perierat. Opus ergo fuit instauratore prioris creaturæ, & qui novam creaturam conservaret. Non igitur ex genere hominum alius quispiam, sed ipse Dominus ut principium esset, condi voluit, &c.* Si ideò nunc à ruina vindicavit gentem totam Christus, nec labi rursus patitur, quia non homo merus, sed Deus & Dominus est: ne priùs quidem labi sivisset, si & tunc venturus fuisset, si & tunc caput principiumque generis humani extitisset. Quàm insulsum est autem id quod ex adversariorum sententia efficitur, non Adami, sed Christi immortalis labem, naturæque sub eo principe ruinam à Christo mortali reparandam nunc esse? Plus virium Christo mortali esse ad reparandam, quàm Christo immortali ad prævertendam jacturam? Adamo invidiam conflari penè immeritò, cùm perfunctorium tantùm & penè simulatum caput generis esset ipse: verum autem caput Christus immortalis tantæ calamitatis infamia onerandus potiùs esset?

VII. Ex Athanasio. Orat. 3. contra Arian.

Cyrillus: *Adam primus homo factus est, dataque est illi via salutis à Deo: quam quidem divinum mandatum transgressus amisit. Aliam igitur viam nobis præmonstrari opus erat, qua ad pristinum statum conscenderemus. Cui quidem præmonstrandæ cùm nullus hominum par esset, ipsum Verbum Dei cùm sit natura increatum, propter nos homo creatur, voluntate Patris carnem nostram assumens, ut quemadmodum inquit Paulus, viam nobis instauret recentem ac manentem, &c. Meritò certè dicit, Dominus creavit me principium viarum suarum in opera ipsius, &c. Antè sæcula fundavit me, &c.* Athanasius & Cyrillus iisdem penè verbis hic utuntur, & urgent illam maximè Pauli vocem, qua ait, initiatam à Christo esse viam, non tantùm novam, sed *manentem:* Sicut & alibi discimus, non descendisse tantùm Spiritum sanctum super Christum, sed mansisse. Adamo enim afflatus etiam erat spiritus vitæ, ut capiti nostro, sed non manserat: via ille & princeps ad salutem fuerat, sed non manserat: mansit Christus quia Deus incommutabilis, idemque homo. Hæc autem stabilitas Deo Verbo aliena tota est, ut qui ipsamet sit incommutabilitas. Ecclesiæ ergo suæ hanc dedicavit in assumpta humanitate firmitatem insuperabilem.

VIII. Ex Cyrillo Alexand. Thesauri pag. 365.

Ibidem pag. 198. Unde idem rursus, *Primus noster parens Adam mutabilis fuit naturæ, quique interdum quidem justitiam amaret, & iniquitatem odisset; interdum verò in contrarium habitum transiliret. Quum enim hoc proprium sit naturæ mutabili, seductus fuit à diabolo. Quum verò ad curandum hunc morbum necessarium esset, ut immutabile Dei Verbum seipsum pro nobis diabolo opponeret, ut quemadmodum per illius mutabilitatem victi eramus, ita per immutabilitatem Verbi vincamus; idcirco ungitur, utpote semper & immutabiliter justitiam diligens, & iniquitatem exosam habens, quique mutari nequeat, Cum igitur dicit, Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus; ita intellige, Cum ex omnibus creatis mutabilem naturam habentibus nihil diabolo obsistere possit, tu verò ex immutabili Patre immutabilis existens Deus Verbum, semper justitiam diligis, & iniquitatem odisti, unxit te Deus, ut in te & quidem primo, hominis natura adversus eum victrix evaderet.* Id ergo incarnatione Verbi præstitum est, ut aura quædam ejus incommutabilitatis aspergeretur naturæ humanæ, & ita vinceretur diabolus, qui mutabiles homines vincebat. Hæc autem immutabilitas variè dispensata, aliter enim Christo homini, aliter nobis, rursus aliter beatis, aliter mortalibus, & denique aliter aliis atque aliis mortalibus infunditur, aut affricatur. At inde certè id efficitur, ut universam naturam non possit rursus diabolus evertere. Ergo nec potuisset universam evertere, si & ante lapsum fuisset incarnandus.

IX. Ex Ambrosio. In Psal. 39. Ab hac argumentandi ratione propè absunt & Latini Patres. Ambrosius: *Propterea incorruptibilis suscepit hanc carnem, ut faceret incorruptibilem: & immortalis, ut faceret immortalem. Si quis ergo eum sequitur, induet immortalitatem. Si quis voluntatem ejus faciet, non morietur in æternum; sed dicet ei Christus, Hodie mecum eris in paradiso. Quid est, hodie? Hoc est, de nocte transisti, mecum eris in lumine. Noli tenebras formidare, quem æterna lux suscepit. Noli timere, ne & tu cadas de paradiso, sicut cecidit Adam; sed audi quia mecum eris, quo præsente cadere non possis. Ceciderat caro in paradiso antequam susciperetur à Christo. Ibi eris susceptus, ubi & ille qui suscepit; quia non mentitus est, dicens, Volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, &c. Non dixerat Adæ, Mecum eris, quia sciebat illum casurum, ut redimeretur à Christo. Fœlix ruina quæ reparatur in melius, &c. Adam cum Christo non fuit, quando deceptus est: nam si cum Christo fuisset, in ejus præceptione mansisset, nec perire utique potuisset.* Audin ut caro fiat incorruptibilis, quia assumpta est ab incorruptibili? Ergo nec Adami caro corrumpi potuisset, si priùs suscepta vel suscipienda à Verbo fuisset. Audin ut nemo jam cadat de paradiso, quia adest Christus? Ergo si tunc affuisset, vel affuturus fuisset, nec Adam cecidisset. Audin cecidisse carnem, sed antequam susciperetur à Christo? Deceptum Adamum, sed quia cum Christo necdum erat? Deficiunt autem nunc, & peccant Christi fideles, quia ex peccati & concupiscentiæ reliquiis fit, ut non plenè bibant influentem sibi à Christo gratiam; quod de homine innocente suspicari nefas esset.

L. 3. in Lucam. Idem alibi: *Quem igitur apponeret ducem contra tot illecebras sæculi, contra tot versutias diaboli, cum sciret nobis primò contra carnem & sanguinem, deinde contra potestates, contra rectores mundi tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ, quæ sunt in cælestibus, esse luctamen? Angelum apponeret? Et ipse lapsus est, &c. Alius dux requirendus fuit, quem sequeremur omnes. Quis tantus esset dux, qui prodesset omnibus, nisi ille qui supra omnes est? Quis me supra mundum constitueret, nisi qui major est mundo?* Ergo si idem dux Christus tunc affuisset, gens humana non fuisset pessumdata.

X. Ex Augustino. L. 2. Operis ult. con. Jul. Augustinus urgenti Juliano, si Adamus posteros inquinet, non voluntatis opere, sed seminis traduce, par esse ut & Christus ad eundem modum emundet: Respondet primò parvulos quoque per baptismum non assensu voluntatis, sed efficacia spiritalis seminis expiari: respondet secundò, semen in electos etiam à Christo effundi; quo fit, ut peccare non possint, sed id in futuro sæculo potiùs apparere: *Si autem semen ex utraque parte deposcis, sicut per Adam semen carnale vitiatum est, sic viget spiritale per Christum. Quod semen insinuavit nobis Joannes Apostolus dicens, Et non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet: quod in futuro sæculo bono potiùs apparebit, ubi qui erunt, peccare non poterunt: non in hoc sæculo maligno, ubi & hi qui pertinent ad sæculum, peccata non habiturum, habent unde quotidie petant à Patre veniam peccatorum.* A Christo ergo propagatur semen, quo fiat, ut peccare non possimus, sed id apparebit in futuro sæculo; nunc ex reliquiis vetustatis peccamus quotidiè, & intercedimus, ne vim suam exerat illud semen; gratiæ vim infringimus, nec peccabiles tantùm, sed & peccatores duramus, sed id ex reliquiis vetustatis. Nam ubi vetustas omnis fuerit oblitterata, & sola Christi novitas principabitur, plena fruemur impeccantia. Ergo cùm nulla adhuc vetustas Adamum innoxium afflasset, cùm mera illum novitas & gratia à Christo immortali venturo aspirata bearet, eadem impeccantia, cui nos suspiramus, debuerat exornari.

Gregorius Magnus: *Vir à virtute nominatur, homo autem in paradiso conditus, bellum cum apostata Angelo habuit, cui tamen per conditionalem virtutem resistere non curavit. Fortis ergo conditus, sed hosti eneruiter subjugatus, vir non fuit ex congressione, qui fuit ex munere. Sic itaque factus fortis, ut damnata humana natura victori hosti prævalere non posset, si hanc ille non assumeret, qui supra homines extitisset. Factus est itaque præliator noster conditor noster. Sed utrum vir fuerit, noscitur, si ex ostensa virtute consideretur. Assumpsit nostram naturam, quæ dum in ipso vinceret, nobilitatem conditam repararet, & fieret in redemptore infirma valida, quæ in Adam fuerat fortis infirma.* XI. Ex Gregorio Magno. L. 1. in L. 1. Reg. c. 1. Eo consilio invicta virtus victrixque justitia naturam nostram assumpsit, ut indubitatam ei universæ victoriam conciliaret. Neque enim sibi vicit, sed nobis. Ergo si ante generis nostri stragem, idem consilium Dei fuisset, ut Verbum incarnaretur, invicta tunc etiam nostra extitisset natura, nec ulla potuisset diaboli vel arte, vel vi labefactari. Aut certè si quanquam incarnanda adventaret Deitas, homo cecidisset, frustra jam ex incarnatione reparatio nostra expectaretur. Calamitatem enim nostram non posset relevare, quæ non potuisset prævertere. Qui ergo inhumanationem Verbi in primo consiliorum divinorum ordine atque in apice locant, & deinde casum & calamitatum nostrarum seriem substruunt, quid aliud quàm totam invidiam & culpæ & pœnæ nostræ in Deum Verbum derivant? Addecet quidem, ut afflictæ naturæ Deus se inserat, & ita salutem adferat: abhorret autem immane quantum, ut naturæ inserat se, aut inserere se statuat Deus, vita incorruptibilis, salus firmitasque inviolabilis, & individuè atque substantivè totum se inserat naturæ, & nihilo sequiùs illam sinat in exitium præcipitem ferri.

Leo Magnus, *Nascens Christus homo verus, qui nunquam destitit esse Deus verus, novæ creaturæ in se fecit exordium, & in ortus sui forma dedit humano generi spiritale principium, &c. De impiis justi, de avaris benigni, de incontinentibus casti, de terrenis incipiunt esse cælestes. Quæ autem est ista mutatio, nisi dexteræ excelsi? Quoniam venit Filius Dei dissolvere opera diaboli, & ita se nobis, nos quoque inseruit sibi, ut Dei ad humana descensio, fieret hominis ad divina provectio.* XII. Ex Leone Magno. In Nativit. Serm. 7. Universa de vitiis victoria insertioni Dei in nostrum, nostri animi in Deum accepto fertur. Et alibi

alibi rursum: *Qui cunctorum est redemptio, ipse est omnium fortitudo.* Et rursum: *Transeat à me calix iste. Quibus verbis quandam formidinem profitentibus, nostræ infirmitatis affectus participando, curabat, & pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret.* Et paulò pòst ex persona Christi: *Ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus.* Quæ omnia idem prorsus canunt atque illa priùs Athanasij & Cyrilli, eo infusum esse carni Verbum, ut incommutabilitatem illi suam commodaret. Neque enim sibi, non singulari alicui, sed universæ hominum naturæ consulebat Deus Verbum. Unde rursus idem Leo: *Si non potest, inquit, calix iste transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Hæc vox capitis, salus est totius corporis. Hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus & pro omnibus patiens, Patri diceret, Fiat voluntas tua?* Gestabat enim in se suos omnes Christus, personam corporis agebat caput, & mortis formidinem divinæ charitatis æstu, non in se modò, sed in toto corpore suo debellabat. Omnes ergo in eo eramus, omnes vincebamus, omnes divinam voluntatem nostræ anteferebamus. Et alibi: *Nisi enim Verbum caro fieret, & tam solida consisteret unitas in utraque natura, ut à suscipiente susceptam nec ipsum breve mortis tempus abjungeret, nunquam valeret ad æternitatem redire mortalitas. Sed adfuit nobis in Christo singulare præsidium, ut in natura passibili mortis conditio non maneret, quam impassibilis essentia recepisset, & per id quod non poterat mori, posset id quod mortuum erat suscitari.* Peccabilitas animæ, mortalitas corporis, peccatum & mors individuis quibusdam vinculis colligantur. Neutro malo carere potuimus, nisi incommutabilis sanctitas & æternitas nostræ se insinuaret naturæ, & per caput nostrum in omne se corpus pro membrorum modulo diffunderet. Istud ergo auxilium ab incarnatione Verbi profectum ad peccati mortisque aculeos retundendos, ex sua origine invictam quandam præ se fert virtutem. Unde idem: *Aderat Christi discipulis protectio omnipotentis auxilii; & principibus nascentis Ecclesiæ tota Patris Filiique divinitas in præsentia sancti Spiritus præsidebat. Sed contra instantes impetus persequentium, &c.*

Serm. 1. in Epiphan. Serm. 3. de Pass. Serm. 7. de Pass. Serm. 19. de Pass. Serm. 1. de jejun. Pent.

CAPUT XI.

Nisi homo peccasset, Verbum non incarnaretur: id evincitur ex invictis auxiliis ab incarnatione manantibus, quæ universæ saltem naturæ lapsum prævertissent.

I. Imago per Verbi hypostasin insculpta naturæ stanti, universa ab ea non potuisset per peccatum deleri, ut nec nunc ab universa ea deletur.

TErtium istud est caput, ex quo philosophamur invictissima quædam ex incarnatione Verbi auxilia redundare, ac proinde redundatura fuisse in innocentes homines, & lapsum anteversura, si vel tunc incarnandi Filii sententia Deo insedisset. Imago enim Dei primis parentibus insculpta quidem fuerat, & sapientiæ ac justitiæ lumine plurimo perfusa. Sed cùm per peccatum illa oblimata ac detrita sordesceret, innovanda rursum fuit non utcumque, sed ita ut jam eidem injuriæ non subesset. Ipsa ergo princeps imago Dei, & Deus, sapientia & justitia ipsa genita à Deo & de Deo, imprimenda fuit naturæ nostræ, & inseparabiliter adglutinanda. Ita enim nullatenus jam deformari aut maculari poterit divina in nobis imago. Ergo nec deformari, aut corrumpi potuisset in primis parentibus, si jam tum ex Verbi illapsu insculpenda, adeoque insculpta fuisset. Quæ omnia iterum iterumque moneo sumi debere ex Græcorum Patrum sententia, vel de electis, vel potiùs de universa natura.

Accedit quòd imago Dei primis parentibus inscripta, non creatis tantùm gratiæ ornamentis radiabat, sed ipsa Verbi inhabitantis & Spiritus sancti incubantis præsentia. Hæc ergo non incarnatio Verbi, sed inhabitatio, ad illius status beatitatem abundè erat; eaque voluntatis arbitrio non injuria permittebatur, quæ sana adhuc erat. Si autem jam tunc hypostaticè Verbum inseras homini, illam videris parvipendere inhabitationem ejus, & voluntati hominis adhuc integræ plus æquo diffidere.

Adde quòd cùm imago primigenia Verbum per inhumanationem sibi vendicavit secundam imaginem, eamque sibi inexplicabiliter complicuit, jam hæc non potuit usquequaque deturpari: sed ex adverso, turpitudinem suam priorem in dies abstergit, & in primævam venustatem reflorescit. Ergo contumeliosè Verbo insultant, qui tametsi naturæ nostræ illapsurum esset, universam sordidari eam potuisse affirmant.

II. Ex Irenæo, Nazianzeno, & Cyrillo.

Irenæus, *In præteritis temporibus dicebatur quidem secundùm imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur. Adhuc enim invisibile erat Verbum, cujus secundùm imaginem homo fuerat: propter hoc autem & similitudinem facilè amisit. Quando autem caro Verbum Dei factum est, utraque confirmavit. Et imaginem enim ostendit veram, ipse hoc fiens quod erat & imago ejus. Et similitudinem firmam restituens, consimilem faciens hominem invisibili Patri per visibile Verbum.* (L. 3. adver. hæreses.) Et conspicabilior & firmior imago Dei in nobis per Verbi adventum facta est, non ergo evanuisset, non primò obsolevisset, si tunc quoque Verbi adventus in carnem desponsus fuisset. Nazianzenus cùm hominum flagitia multis lamentatus esset, subdit: *Quæ quoniam majus auxilium requirebant, majus etiam acceperunt. Hoc autem erat ipse Dei Filius, ille sæculis antiquior, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus & ratio, ille inquam ad imaginem suam se confert, & carnem ob carnem gerit, &c.* (Orat. 38.) Impensa est ergo incarnatio resculpendæ imagini, sed majoribus jam auxiliis. Athanasius: *Dei ratio ipsa advenit, quo hominem qui ad imaginem figuratus erat, recuperaret, &c. Nullius id negotium fuit, nisi imaginis Patris, &c.* (L. de Incarn. Verbi.) Et Cyrillus: *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, &c. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis, &c.* (L. 3. Contra Nesto.) *Quænam igitur est prior illa primi parentis imago? Nimirùm facilitas illa ad peccandum, hoc ipsum quod morti corruptionique sumus obnoxii. Quæ rursus illa cœlestis? Nullo modo cedere vitiis, non nosse delinquere, non esse morti & corruptioni subjectum, sanctificatio, justitia, & his affinia. Sed hæc, ut mea fert sententia, possidere, divinæ convenit immortalique naturæ. Est enim illa peccato & corruptione superior, sanctificatio item & justitia. Ad hæc autem nos etiam attollit ipsum Dei Verbum, dum suæ divinæ naturæ per Spiritum participes efficit. Habet ergo fratres sibi similes, & divinæ suæ naturæ portantes imaginem: quòd ad sanctificationis modum attinet. Sic namque Christus formatur in nobis, dum Spiritus sanctus nos ab humanis ad sua propria quodammodo transformat.* Quo non video quid expressius flagitari possit.

III. Ex Hilario, Ambrosio, Leone, Bernardo. L. 11. de Trinit. paulò ante finem.

Hilarius L. 11. paulò antè finem, *Totum ei naturæ quæ antea Deus non fuit, acquiritur: cum Deus esse omnia in omnibus post sacramentum dispensationis ostenditur. Nostra hæc itaque lucra sunt & nostri profectus, nos scilicet conformes effici gloriæ corporis Dei. Cæterum unigenitus Deus, licèt & homo natus sit, non tamen aliud quàm Deus,*

omnia in omnibus est. Subjectio enim illa corporis, per quam quod carnale erat, in naturam spiritus devoratur, esse Deum omnia in omnibus eum, qui præter Deum & homo est, constituet: noster autem ille homo in id proficit. Eo itaque consilio Deitas Verbi humanæ naturæ se immersit, ut eam quodammodo devoraret, & in se, in imaginem Dei eam transcriberet, essetque Deus omnia in omnibus, dum sanctitas & incorruptio in omnibus est. Si ergo ante lapsum illapsurus fuisset in hominem Deus hypostaticè, non potuisset tota humanitas in corruptionem delabi. *Exuti veterem hominem cum actibus suis, & induti novum, eum qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum. Consummatur itaque homo imago Dei: namque conformis effectus gloriæ corporis Dei, in imaginem creatoris excedit, &c.*

Hexam. L. 6. c 7.

Ambrosius, *Ipse est imago Dei Patris, quæ semper est, & erat in principio. Denique imago est, qui dicit, Philippe qui videt me, videt & Patrem, &c. Imago Dei virtus est, non infirmitas. Imago Dei sapientia est, & imago Dei justitia est. Sed sapientia divina est sempiterna justitia.* Ubi igitur naturæ nostræ hæc imago imprimitur hypostaticè, imprimitur sapientiæ & justitiæ virtus incommutabilis. Et Leo Magnus: *Cùm esset Deus in Christo, mundum reconcilians sibi, & creaturam ad creatoris sui imaginem reformandam creator ipse gestaret, &c.* Non poterat non reformari, quam creator reformandam gestabat; ergo nec potuisset deformari, si creator formosam adhuc gestasset.

Serm. 1. de Pass. Domini.

L. de grat. & lib. arb.

Bernardus denique: *Habet igitur homo necessariam Dei virtutem & Dei sapientiam Christum; qui ex eo quòd sapientia est, verem ei suadere reinfundat in restaurationem liberi consilii; & ex eo quòd virtus est, plenum posse restituat in reparationem liberi complaciti; quatenus ex altero perfectè bonus, peccatum jam nesciat; ex altero plenè beatus, nihil adversum sentiat. Sed sanè ista perfectio in futura vita expectetur; quando utraque nunc amissa libertas libero arbitrio plenè restaurabitur; non quomodo justo cuivis in hoc sæculo quantumcumque perfecto, non quomodo vel ipsis primis hominibus datum fuit eas habere in paradiso, sed quomodo jam nunc Angeli possident in cælo.* Ea ergo Verbi, id est, sapientiæ & virtutis in naturam humanam hypostatica infusio, id nobis præstare nata est, ut nec peccato jam nec morte expugnari possimus, insertam nobis gestantes inexpugnabilem Dei virtutem & sapientiam. Sed quandiù nos reliquiæ vetustatis gravant, tardè & dimidiatè Christo accedimus. Igitur in futura patria beneficiis Christi fruemur. Nunc interim quatenus ejus semen aliquod initiale in nobis manet, & viget, eatenus non peccamus. Ergo cùm innocui adhuc parentes primi plenissimè cumularentur beneficiis Christi illius immortalis, non debuerant posse peccare.

IV. Verbum naturâ assumptam sibi prorsus vendicat, illam seipso implet, ex quo aliqua ejusmodi fluunt auxilia, quibus fit, ut tota ab eo deficere non possit.

Ad quartum nunc accedimus caput hujus argumentationis, à divinis petitum auxiliis, quæ ab incarnatione Verbi in humanam naturam derivantur. Incarnatione enim Deus Verbum humanam naturam sibi vendicavit, suo illam juri suoque censui transcripsit, suam illam fecit esse & ad se pertinere. Non quà illam innata spoliaret libertate, aut dominatione; sed in superioris eam dominii ac divinæ libertatis consortium adsciscens, & Verbi aliquid, ac Verbi personam esse faciens, tantò liberiorem esse præstitit, quantò divina libertas ac dominatio humanæ antistat. Porrò nemini obscurum esse potest, hanc incarnationis rationem conjunctissimam esse cum efficacia divinorum auxiliorum. Per efficacissima enim auxilia quid molitur Deus aliud, quàm ut animam sibi vendicet, ut suo illam juri adserat, ut suam illam esse faciat, & ad se pertinere? Et quidem incarnatio ad substantiam ipsam naturæ, gratia ad operationem ejus magis spectat; ex quo liquet, ut operatio naturam consectatur, ita genus illud auxiliorum per semet efficacium ex incarnatione subnecti. Est enim consequens & consentaneum, ut cùm naturam sibi ipsam Deus humanam vendicaverit, operationes quoque ejus tanquam suæ arboris frutices sibi adroget.

Eodem vergit altera incarnationis elucidandæ ratio. Eò enim humanitatem Deus Verbum in suam rapit hypostasin, quòd eam medullitus invadat & pervadat, quòd illi insideat & incubet, quòd eam divinis dotibus imbuat, & totam deificet. Præpotentior enim natura Verbi infirmiorem naturam implet, imbuit, & divinis ita immergit proprietatibus, ut penè obruat absorbeatque. At ubi natura humana ad eum modum comparata est, perspicuum est operationes ejus non posse non ei consentire, & divinitatis ignibus ipsas quoque inflammari. Quid enim operatio, quàm naturæ quædam explicatio? Talem ergo se natura explicat, qualis est: utque deificata ipsa est, ita & in operationes erumpit deificatas.

Liquet ergo ex hac utraque contemplatione gratiam illam, quam efficacem nuncupant, consentaneam esse beneficio ac sacramento incarnationis: cùm utr obique id perficiatur, ut natura creata Deo invictissimè mancipetur, non seipsam agat regatve, sed à Deo agatur & regatur. Et rursum liquet à natura integra perinde & gratiam hanc, & incarnationem alienam esse. Quandiu enim integra constabat natura, permittenda erat ipsa sibi, ut suo judicio dominioque proprio & connato uteretur, non abuteretur: nec in alienam potestatem erat rapienda, nisi ubi propriam in aliena & devia quæque deflexit. Æquum est enim ut agatur, quæ agere se nescivit: regatur supernè, quæ regere se jam non potest.

Et ad hypostasin Verbi una quidem illa singularis adscita est beata humanitas Christi, sed hominum tamen universitati impensa est incarnatio divina. Sic enim Deus dilexit mundum, & mundum in Christo sibi Deus reconciliavit, & sancti Patres identidem inculcant asumptam à Verbo esse naturæ universitatem, assumptam esse Ecclesiam. Ergo totam hominum naturam novo quodam & peculiari jure suam fecit esse, sibique vendicavit Deus Verbum, cùm inhumanatus est: non quò singuli divina fulcirentur homines hypostasi, sed quòd Deus omnipotens in uno singulariter sibi copulato, omnes & singulos homines uni illi congeneres & consanguineos sua nobilitate vestierit, sua cognatione consecraverit, suo dominio subjugaverit.

Assumpsit Verbum illam singulariter humanitatem tanquam caput nostrum, tanquam nostras primitias. In primitiis ergo suis assumpta est omnis massa, in capite suo omne corpus asumptum est. Sed longè aliter anima caput vegetat, impletque, aliter membra cætera & corpus universum. Caput ergo nostrum homo Christus una est cum Verbo persona. In nos ut in membra rivuli quidam defluunt, qui fontem suum sapiunt, qui Christi unguenta redolent. In confesso est ab illo capite in nos omnia derivari auxilia divinæ gratiæ. In confesso est non posse derivationem penitùs à suo fonte discrepare. In confesso est capitis nostri seu assumptæ humanitatis hanc esse deificationem, quòd non à se agatur, sed à Verbo; non sua sibi sit, sed Verbi; non sui jam seorsim juris, sed in jus censumque Verbi transcripta sit. Ergo hujus scaturiginis sapor aliquis in effluentibus inde gratiis debet eminere.

Unum cum Adamo fuimus, quando illo delinquente deliquimus, pereunte periimus, unum in uno naturæ corpore, unum penè in uno personæ nomine. Nec enim unum dumtaxat in illo & cum illo, sed & unus fuimus, ut ajunt Patres. Ergo & in Christo ac cum Christo unum & unus quodammodo sumus, cùm caput nostrum, cùm Adam secundus, cùm radix altera generis totius ipse sit.

Ergo

Ergo ut qualia erant in Adamo auxilia gratiæ cælestis, talia erant in ejus posteros dimanatura: debent & in nos talia effluere aliqua, qualia sunt capitis nostri nunc melioris propria.

Exploratissimum id fiet quando expunctis omnino reliquiis vetustatis, jam sola in nobis Christi novitas radiabit. Tunc enim beatos nos jam & immortales, nulla mortis, nulla peccati labes poterit vitiare. Qui enim natus est ex Deo, non peccat, ut ait Joannes, & non potest peccare, quia semen ejus in eo manet. Nunc dimidiata nobis ex Deo per Christum nativitas contigit: tunc absolutè renascemus, cùm morte calcata resurgemus: tunc Christi membra erimus unius. Ergo tunc in jus & potestatem Verbi ita rapiemur, ut deficere deinceps non possimus. Nunc autem cùm filij sæculi adhuc sumus, cùm membra iniquitatis adhuc gestamus, cùm dimidiata ex Deo per Christum nativitate gaudemus, dimidiato etiam ejus utimur beneficio: nec versatiles tantùm, sed & proclives ex residua vetustate in peccatum sumus, Christique beneficio à lapsu, non à labendi lubrico eruimur.

Porrò si de efficacibus tantùm auxiliis per Christum collatis hìc agimus, non ideò parem vim & efficaciam omnibus quæ ab eo fluunt auxiliis communicamus. Sed cùm reliqua omnia Angelo & Adamo stanti essent communia, eandemque tunc atque nunc vim obtinerent, nihil erat causæ, cur de iis hìc tractaretur.

V. Ex Irenæo. L. 3. c. 18. Irenæus de Christo infante agens: *Jam enim expoliabat homines, auferens ignorantiam ipsorum, suam autem agnitionem eis donans, &c. Voca, inquit, nomem ejus, velociter spolia dispartire. Hæc sunt autem opera Christi. Ipse igitur erat Christus, quem portans Simeon benedixit Altissimum: quem pastores cùm vidissent, glorificabant Deum: quem Joannes in ventre matris exultans salutabat: quem Magi videntes, & adorantes, & afferentes munera, substernentes semetipsos æterno Regi, per alteram abierunt viam, non jam per Assyriorum revertentes viam. Priusquam enim cognosceret puer vocare Patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci & spolia Samariæ, contra Regem Assyriorum, occultè quidem, sed potenter omnia manifestans, quoniam occulta manu expugnabat Dominus Amalech, propter hoc & pueros eripiebat, &c.* Secundùm Scripturas gratiam Christi describit instar violentæ prædationis, & occultæ, sed præpotentis victoriæ, cujus quanta vis existat, liquet exemplis Innocentum Martyrum, & Joannis in utero Christum adorantis. Licèt enim in adultis propria libertas eniteat, non dispar ta-

Ibid. c. 22. men gratia splendescit. Et rursum: *Quoniam & ipse Christus in similitudine carnis peccati factus est, ut condemnaret peccatum, & jam quasi condemnatum projiceret illud extra carnem; provocaret autem in similitudinem suam hominem, imitatorem eum assignans Deo, & in paternam imponens regulam, ad videndum Deum & capere Patrem, donans Verbum Dei quod habitavit in homine: & filius hominis factus, ut assuesceret hominem percipere Deum, & assuesceret Deum habitare in homine secundum placitum Patris.* Quomodo in seipso insuefecit hominem percipere Deum, nisi quia omnes in seipso gestavit, Deoque conglutinavit, divinisque imbuit viribus, atque ita Deo consuescere initiavit? Et rursum:

Ibidem L. 5. *Suo sanguine redimente nos Domino, effundente Spiritum Patris in adunitionem & communionem Dei & hominum, ad homines quidem deponente Deum per Spiritum, ad Deum rursus imponente hominem per suam incarnationem, & firmè & verè in adventu suo donante nobis incorruptelam.* Et paulò pòst: *Reprobant itaque hi commixtionem vini cælestis, & sola aqua sæcularis volunt esse, non capientes Deum ad commixtionem suam: perseverant autem in eo, qui victus est Adam, & projectus est de paradiso; non contemplantes quoniam quemadmodum ab initio plasmationis nostræ in Adam, ea quæ fuit à Deo inspiratio vitæ unita plasmati animavit hominem, & animal rationabile ostendit: sic in fine Verbum Patris & Spiritus Dei, adunitus antiquæ substantiæ plasmationis Adæ, viventem & perfectum efficit hominem, capientem perfectum Patrem, ut quemadmodum in animali omnes mortui sumus, sic in spirituali omnes vivificemur.*

VI. Ex Athanasio. Orat. 4. contr. Arian. Athanasius: *Permulti fuerunt viri sancti, puri omnis criminis, &c. Mors tamen æquè regnavit ab Adam usque ad Moisen, &c. Nunc autem postquam Verbum homo factum est, & sibi ut propria vindicavit ea, quæ sunt carnis, non ulteriùs illæ passiones naturæ attingunt corpus nostrum, eo quòd ibi Verbum Dei consistat; sed ab eo absumuntur, nec jam inde homines secundum suas passiones peccatores & mortui permanent, sed secundum Verbi potentiam resurgentes, immortales & incorruptibiles perseverant. Unde nascente carne ex Deipara Virgine, ipse dicitur natus esse, qui aliis ortum existendi præbet; ut nostram originem in se transferat, nec deinceps quasi in terra manentes, in terram abeamus, sed ut Verbo cælesti coaptati, in cælos ab ipso subvehamur. Eadem igitur ratione cæteras affectiones corporis non incongruenter in seipsum transposuit, ut jam deinceps non ut homines, sed ut ii quos proprios & pro suis agnoscit Verbum, æternæ vitæ consortes efficeremur.* Iterum iterumque ingeminat, non ut homines jam spectandos esse nos, de peccatoris Adami traduce satos; sed ut ἰδίυς τῦ λόγυ, proprios Verbi: non jam terram esse nos, sed συναρμοσθέντας τῷ λόγῳ, coaptatos Verbo: omnia nostra Dei Verbum sibi vendicasse; ut ita ἰδιοποίησις non in singularem illam Christi, sed in omnem effundatur naturam humanam: ideo enim non jam peccatores & mortales perseveramus. Denique *ex aqua & Spiritu sancto regenerati in Christo vivificamur, quasi non jam terrena sit nostra caro, sed λογωθεῖσα, verbificata, propter Verbum nostri causa carnem factum.*

Et alibi denuò, ut in Christo omnes gestati fuerimus, & divinis ditati muneribus, præclarè docet: *Non enim aut indigum erat Verbum, aut unquam fuit alicujus rei egenum: neque homines ad* Ibid. Orat. 4. *id sufficiebant, ut sibi ista suppeditarent. Per Verbum autem nobis donantur; propterea tanquam ipsi data, nobis donantur. Idcirco enim homo factus est, ut quæ illi data essent, in nos transirent. Homo enim merus non dignus fuisset istiusmodi muneribus: Verbum è diverso solum & merum his non indiguisset: Coaptatum igitur est nobis Verbum, potestatemque suam nobis impartiit, & superexaltavit. In homine enim existente Verbo accepit homo.* Si ergo ante lapsum incarnandus fuisset Deus, tota hominum natura ita concessisset in ditionem Verbi, ut disjungi tota ab eo atque alienari nulla vi potuisset: sicuti quos nunc sibi Verbum homo factum penitùs vendicat, & extirpato diaboli omni dominio totos mancipat sibi uni, illi protinus impeccantiam & immortalitatem consequuti, indissociabiliter Verbo coalescunt in beata patria.

VII. Ex Gregorio Nysseno. Gregorius Nyssenus oratione in ea verba: *Tunc ipse Filius subiicietur, &c.* hæc disserit: *Fuit in mortali & interitui obnoxia hominum natura, pura & ab interitu aliena Unigeniti divinitas. Ex omni autem humana natura, cui admixta fuit divinitas, veluti primitiæ communis conspersionis, is qui in Christo est homo constitit: per quem divinitati universa humanitas προσεφύη, adnata & conjuncta est.* Ad totum hominem, ut hìc vides, pertinet illa susceptio & coalitio Verbi cum homine: hinc enim resurrectio & immortalitas omnibus prorsus hominibus competit: hinc & salus longè pluribus contingeret, si tam sequax esset divinis auxiliis anima, quàm corpus. Et paulò infrà: *Non aliàs autem potest quisquam uniri Deo, quàm si sit ei concorporalis; ut ait Paulus. Omnes enim uni Christi corpori conjuncti per participationem effici-*

efficimur unum ejus corpus. Quando ergo bonum per omnia pervaserit, tunc totum ejus corpus vivificæ subjicietur potestati; & sic hujus corporis subjectio ipsius Filii cum suo corpore contemperati, quod quidem est Ecclesia. Patri subiicitur Christus in suo corpore, quod est Ecclesia: cùm quisque nostrum resipiscit, & in meliorem frugem se recipit, Patri subiicitur Christus in hoc suo membro. Id ergo boni imputandum Christo, non nobis: in illius gratiæ potestate sumus potiùs, quàm in nostra ipsam habemus: non nos enim nosmet subiicimus, sed Christus in nobis Patri se subiicit. Et alibi rursum: *Quod in humanitate à Christo assumpta factum est, communis hominum fidei gratia est. Quemadmodum enim cùm illud quod suapte natura deorsum tendit, per aerem ad cælos vehi corpus videmus, secundum verba Apostoli, Credimus nos raptum iri in nubibus obviam Christo in aera: sic cùm audivimus, quòd nostrarum primitiarum Pater & Deus factus est, qui verus est Deus & Pater, non amplius ambigimus eundem & Patrem & Deum factum esse nostrum, qui didicimus, quòd eandem viam ingrediemur, &c.* Frustrà autem venditaret Paulus, jam nobis, hoc est electis, cælestem Patrem esse, jam nos renatos, jam ressuscitatos esse, jam consedisse in cælis per Christum, si hæc omnia alternabundæ libertati & auxiliis haudquaquam indeclinabilibus concrederentur. Contingere enim posset, ut omnis illa gloriatio in ventos spargeretur. Hæc nostrum autem, sive electorum in Christo corporatio & præsumpta jam sanctificatio & resuscitatio, nusquam constare potest, nisi incommutabili Dei prædestinantis consilio, & insuperabili auxilio innitatur.

Orat. 12. contr. Eunomium.

VIII. Ex Nazianzeno. Orat. 36.

Gregorius Nazianzenus illa Pauli verba exponens, *Tunc & ipse Filius subjicietur Patri, &c. Ut sit Christus omnia in omnibus, &c. Omnia in omnibus Deus, &c.* ait nunc nequedum totum Christum Patri subjectum, quandiu nos qui ejus membris annumeramur, lege membrorum lasciviente adhuc contra legem mentis belligeramus: tunc subjectum penitùs iri, cùm nos penitùs subjecti fuerimus. Nostra enim sibi vendicat Christus, ut caput nostrum, ut susceptor noster, ut qui nos nostraque susceperit, ut qui dum subjicimur Patri, ipse subiiciatur. Istud ergo Patri subiici per cumulum justitiæ, nos Christo debemus, non ille nobis: non illi nos donamus, sed ille nobis: vendicat enim nos ille sibi, & ita nos illum nobis: ille ut caput agit, nos ut membra agimur. *Quemadmodum salutis meæ causa maledictum vocatus est, qui maledictionem meam solvit: & peccatum, qui peccatum mundi delet, ac pro veteri Adamo novus Adam efficitur: ita contumaciam & rebellionem meam sibi ascisit ut totius corporis caput. Proinde quandiu inobediens ipse sum ac turbulentus, tum per Dei abnegationem, tum per vitiosas animi permotiones, tandiu inobediens quoque, quantum ad me attinet, Christus dicitur.* Si ut caput, nostram Christus inobedientiam ascisc it sibi, an potest illam non excutere? An potest inobediens perstare? Nonne efficacissimas habet ad hanc pestem profligandam vires? Nonne adest ei inexpugnabile robur, quo omnem propulset vitiositatem? Nonne ex divina hypostasi sua ignem spirat, quo omnes improbitatis reliquiæ in electis membris suis exurantur? *Quum autem ei omnia subjecta fuerint, (subjicientur autem & per agnitionem & per immutationem,) tum ipse quoque subjectionem impleverit, &c. Atque ita eos qui subjecti sunt, Deo sistit & repræsentat, is qui subjecit, nostra sibi vendicans.* Ita Christus erit omnia in omnibus, cùm nos Deiformes perfecerit, eritque ipse in corpore etiam Ecclesiæ totus Deus. Ut sit autem Christus totus Deus, ut sit omnia in omnibus, non tam nostro debet assensui, quàm virtuti suæ omnipotenti, quàm hypostaseos suæ Deitati. *Erit autem Deus omnia in omnibus illo restitutionis tempore, &c. Totus Deus, tum nempe, cùm non jam multa fuerimus, sicut nostris nunc perturbationibus, nihil admodum Dei, aut perparum in nobis ferentes: sed toti deiformes, totiusque ac solius Dei capaces. Hæc enim perfectio est, ad quam omni celeritate properamus.* Hæc nostra deiformitas, in votis est nobis, ut absolutissima nostræ beatitatis perfectio: sed hæc eadem Christi perfectio est, hæc Christi ad Patrem subjectio est, hæc Christi plenitudo est: sine hac semiplenus, & inobediens, & nondum subjectus appellatur Christus. Nusquam autem divina persona in tantam se nobiscum communionem commisisset, nisi ei suppeterent vires ineluctabiles, quibus suam sibi, id est suam nostramque perfectionem adimpleret. Nusquam Verbum Deus hominem induens, hominum causam & inobedientiam pariter indueret, nisi se nosque hac macula expiare omnipotenter posset. Quocirca ut ille se nobis hoc est electis suis immiscens, nobiscum fit inobediens, & mortalis: ita nos illi commixti, jam sumus obedientes & immortales, certissima præsumptione, fieri non posse quin superet Deitas. *Homo efficitur, ut per se sanctitate afficiat hominem, fermentique instar universæ massæ sit, sibique uniens quod condemnatum fuerat, totum illud à condemnatione liberet, &c.* Quæ eadem prorsus omnia parem vim haberent in Christo illo ad homines innocentes & immortales immortali venturo.

Cyrillus Alexandrinus creatum ait Christum in nobis hoc est in electis, & nos in ipso creatos, nova enim creatura sumus, quia videlicet omnipotente quadam & creatrice vi nos omnes in se Christus antequam essemus, prægestabat, præformabat, & in novam creaturam refingebat. Si autem non efficacitati potentiæque gratiæ volentes ex nolentibus, consentientes ex dissentientibus facientis, sed lubrico nutui voluntatis hæc res tota committeretur, quis non videt in quantum discrimen hæc Christi gloria coniiciatur? *Ipsius creatura sumus, creati in Christo Jesu: si autem creati sumus in Christo, Verbum igitur Dei creatæ essentiæ non est: sed quando factus est homo, in ipso creamur, & ipse quodammodo propter nos dicit, Dominus creavit me.* Et infrà: jam unctos, jam sanctificatos in Christo nos ait, non ergo dissensui voluntatum jam præsumpta illa Christi laus creditur. Cùm nos, cùm omnes quandoque homines vel Athanasius, vel Cyrillus dicunt, à Verbo pro modulo etiam quodam suo assumptos, & sanctitati atque immortalitati assertos fuisse, Paulum imitantur, quem nemo nescit de omnibus, de omnibus saltem fidelibus ea persæpè affirmare, quæ nonnisi electis conveniant. Non potuimus & nos non aliquando in interpretanda horum Patrum doctrina eodem uti genere loquendi. *Unxit verò ipsum Pater, ut per ipsum vis ac virtus ungentis etiam in nos perveniret. Nam in primo Christo naturæ nostræ bona instaurata sunt, factaque sunt nobis primitiæ divinorum bonorum in ipso & per ipsum, ut in homine & à Deo: erat enim Deus in carne.*

IX. Ex Cyrillo Alexandrino. Thesauri. Pag. 16. 117. 127.

Idem ibidem rursus munera omnia divinæ gratiæ Christum ait & petisse & accepisse à Deo pro hominibus, tum quòd homines omnes, maximè fideles & electos in se gestaret ipse, tum quòd immutabilis esset, & quæ accepisset semel, ea extorqueri aut dilabi deinceps sibi non possent. Ergo post consilium semel initum incarnandi Verbi, non potest tota hominum natura divinæ gratiæ muneribus spoliari. Ergo cùm à gratia Dei excidimus omnes, nequedum Deo ratum & fixum erat incarnari. Ergo cùm immutabiliter & inamissibiliter Verbum Deus inhumanatus accepit nobis divinæ gratiæ dona, habuit quo voluntatum nostrarum indifferentiam & hic arbitrio suo sisteret, & aliquando in beata patria penitus execaret. Audi Cyrillum: *Quum enim solus ac per se homo, tametsi aliquid boni à Deo acceperit, facilè hoc ipsum amittit, quod quidem & Adam perpessus est, destitutus per*

inobedientiam illa gratia, quæ prius illi collata fuerat; necessarium omnino fuit, ne rursum in eadem incideremus, ut immutabile Dei Verbum homo factum peteret à Patre dona, quæ ab illo proficiscuntur, ut per ipsum in quem nulla mutatio alteratiove cadit, in nostra etiam natura eadem dona stabilirentur, atque confirmarentur. Gratia enim principium nacta firmiter in Christo manet: ipseque similitudinem in nos quoque transmittit. Omnes enim in ipso sumus, quatenus homo factus est, & eandem quam nos carnem gestavit. Petit itaque & accipit à Patre propter nos, quæ ipse habet naturaliter ut Deus. Quum autem carnem assumpsit, merito sibi vendicat ea, quæ in illam & circa illam fiunt, &c.

Idem rursus alibi: naturam incommutabilem Deitatis Verbi mutabili nostræ naturæ sese commiscuisse ait, ut afflatum quendam suæ immutabilitatis ei impartiret, & ita nostræ in peccatum proclivitati mederetur. *Naturam intelligibilem ineffabili quadam coalitione permiscuit, estque idemmet simul homo & Deus. Nec enim aliter servari poterat, quod natum fuerat corruptibile: nec ad firmam & solidam virtutis cupiditatem provehi, quod instabile & fluctuans, nisi ad ejus communionem descendisset splendor Dei & Patris, hoc est Filius, qui nulli corruptioni aut mutationi est obnoxius, &c.* Quo illa autem Verbi incommutabilitas adeo jactata, quo tam decantata nostra cum ipso commixtio, & contemperatio, si nostra ad peccandum flexibilitas ne nunc quidem ullis declinabilibus auxiliis regitur? Et infra: *Atque ut naturæ nostræ humilitatem ad sublimiorem altitudinem extolleret, suammet ipsi condonavit securitatem. Cùm enim ex natura sua nec mutationi nec dolori obnoxius esset, nec ullo modo ad peccatum propelli posset, seipsum ineffabili modo naturæ facillimè ad omnia peccata labenti permiscuit, humanæ inquam: ei tanquam viribus destitutæ condonans naturæ suæ securitatem, ut deinceps firmè nostra mens bonis actionibus insisteret, carnisque vitia amputaret, interempta penitus per ejus virtutem, qui in ipsa domicilium elegit, nempe divini Verbi.* Evidentissimè illo impeccantiæ Verbi rore nos etiam conspergit, ut jam non peccemus, ubi nos gratia Christi regit, & agit secundùm propositum Dei. A Paulo Apostolo præclaram hanc doctrinam hausisse se mox tradit: *Proinde Paulus in epistolis suis scribit, Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens, &c. Damnatum est igitur peccatum, interemptum quidem in Christo primum, interimendum verò in nobis quoque, cum ipsum Christum in animos nostros admiserimus per fidem, & communicationem Spiritus, qui nos similes Christo reddit, per sanctificationis videlicet qualitatem.* Quibus simillima replicat & alibi.

Hom. 9. Paschali. — Hom. 10. — Ho. 19. Paschali.

Idem libro de recta fide, ex eo quòd Christus Verbum humanam naturam suam fecerit, suisque dotibus ac sua in primis indemutabili firmitate infecerit, peccato nos id est electos, jam superiores esse argumentatur. Ergo & superiores peccato extitissent primi parentes, si jam tum Verbum incarnandum fuisset in carne immortali. Nec enim tunc ullum fuisset electorum & non electorum discrimen. *Ut caro posteaquam Verbi omnia vivificantis caro effecta est, mox omni mortis & corruptionis imperio superior evasit: sic anima posteaquam illius effecta est, qui peccatum non novit, è vestigio statum firmum & in omnibus bonis stabilem, peccatoque quod olim tyrannidem in nos exercebat, multis partibus superiorem nacta est. Christus namque primus & solus in terra peccatum non fecit, qui proindè positus est tanquam radix & initium quoddam cunctorum, qui in Spiritu ad vitæ novitatem, corporisque immortalitatem instaurantur: quippe eam quæ ex divinitate proficiscitur, securitatem ac firmitatem, secundum quandam gratiæ communicationem in universum hominum genus transmittit.* Contra Julianum scribens paulò ante finem, hæc habet: *Improbi & desertores dæmones homines sibi vendicaverant; factus est homo Unigenitum Dei Verbum, fortissima Patris dextera, manus potestate sua cuncta continens, ut illorum impotenti dominatu liberatos, Deo & Patri offerret.* L. 4. Con. Julianum.

Incassum ergo sibi de Græcorum Patrum patrocinio blandiuntur, qui gratiæ cujuscumque efficaciam ab assensu voluntatis nostræ, non à Verbi homines suscipientis omnipotentia & immutabilitate mendicant. Nam si ideo efficax est gratia, quia assentimur, quia nos illi hanc efficaciam indulgemus, quàm frivolum est jactare, *Deum factum esse hominem, ut fortissima Patris dextera, ut manus potestate sua omnia continens à dæmonum impotenti dominatu nos liberaret*? Quàm ventosum est decantare, *animam postquam Verbi propria facta est, è vestigio statum firmum & in omnibus bonis stabilem, & peccato multis partibus superiorem, nactam esse*? Quàm nugatorium est venditare, *Christum eam quæ ex divinitate proficiscitur securitatem ac firmitatem, in universum genus humanum transmisisse*? Quàm inane est prædicare, ut Verbi illapsu in carnem, caro hominum immortalitatem & resurrectionem nacta est: ita animam copulatione Verbi cum anima, stabilitatem ad non peccandum assecutam esse? Quàm frigidum est, victoriam de peccato canere, ex eo quòd naturæ se nostræ, suamque impeccantiam Verbum commiscuerit? Quàm frustratorium est inculcare, nos hoc est electos susceptos in Christo, nos in eo creatos, nos creaturam novam in eo esse, illum in nobis Patri obedire, in nobis subjici, nos Verbo coalitos, nos Verbi proprios esse, & ideo victores esse peccati? Meræ nugæ, aniles fabulæ sunt hæc omnia Patrum scita, si tota gratiæ efficacia, qua vel justificamur, vel in accepta justitia ad finem usque perseveramus, uni accepta fertur voluntati, quæ gratiam in potestate sua habens, ei ad suum libitum assentitur. Tantum abest ergo, ut Græcos Patres inefficaci & imbelli gratiæ huic suffragari opinemur, ut in exaggeranda ejus efficacitate penè nimii esse videantur. Sed consultissimum id fuit, ut qui aliquando liberum arbitrium defensitando, gratiæ causam nil pensi habuisse visi fuerant, nunc in gratiæ robore extollendo, omnes numeros impleant, atque ita utrique orthodoxo dogmati impensissimè patrocinentur. Denique conserta usque adeo est Christi & gratiæ ratio, ut non potuerint Græci Christi mysteria indagare, quin arcana quoque gratiæ ejus propalarent. Per gratiam enim ad nos usque permanat incarnatio. nec gratia quidquam est aliud, quàm electis singulis apporrecta incarnationis participatio, incarnationis plenitudo, Christi accretio, qui omnia in omnibus adimpletur. Non est gratia quidquam aliud, quàm illius fontis rivulus, quàm Deitatis ad singulos usque refusio, singulorum in jus, in censum, in membra Verbi, personæque Verbi accessiones transumptio. Unde Damascenus: *Ecce mors Christi, ecce crux Christi hypostaticam Dei virtutem & sapientiam nobis circumdedit.* Et idem alibi: *Christus passiones sustinuit, nobis victoriam adversus ipsas & bravium comparans.* Ita per gratiam & incarnatio & actio Christi omnis nobis circumdatur.

X. Etiam Græci Patres efficaciam gratiæ ab omnipotētia Dei, & à virtute Verbi incarnati derivant.

L. 4. fidei Orth. c 11. Ib. l. 2. c. 24.

Atque ut finem faciam Græcorum suffragia corrogandi, postremus omnium sententiam ferat Leontius Bysantinus, elegantissimè cæterorum omnium in hoc negotio placita complexus in libris contra Nestorium & Eutychetem, ubi hæreticum carnis Christi jam inde ab ortu suo incorruptibilis assertorem hoc argumento expugnat: si jam tum Christus fuisset carne incorruptibilis, nihil ergo nobis cæteram ejus vitæ dispensationem profuisse. Statim enim cum ipso incorruptibilitatem & in ipso consecuti, nullo præterea indigemus adjumento.

XI. Ex Leontio Byzantino To. 4. Bibl. PP. part 2. pag. 997.

Chri-

Christi enim ut capitis nostri, ut primitiarum, ut plenitudinis, ut omnes gestantis incorruptibilitas nostra est, nostra omnium, nostra singulorum est. Ergo si ab ipso ejus exortu incorruptibilitatem, id est, cumulatissimam fœlicitatem consecuti sumus, vitæ ejus labores residui in ventos evanuerunt. *Da mihi ut hoc modo habeam mysterium incorruptibilitatis, quid opus erat ut ipse postea institutionem vitæ communis susciperet, si nos jam in ipso secundum primam corporis ejus formationem, totius mysterii perfectionem habemus, &c. Ut tu ais, erit quidem incarnatus propter nos, & propter nostram inde incorruptibilitatem; versatus verò in vita, & passus, & suscitatus, nescio quare. Si verò propositum erat suscitare eum qui ceciderat, & ex morte redimere atque ad vitam revocare, & ut corpore incorruptibili facto splendesceret; hæc nobis non aliter abunde adesse poterant, quàm si Dominus unumquodque horum in propria carne demonstrasset. Hæc autem omnia ut vos putatis, à principio unionis à Domino perfecta sunt, corpore ejus ex ipsa unione incorruptibili facto. Habemus igitur ex ipso primo mysterii initio totum mysterium, & supervacanea fuit reliqua deinceps œconomia. Sicut enim si primo remedio integra sanitas ægris restituatur, supervacua est postea opera medicorum, invaletudine superata; sic si ex ipsa unione cum carne, bonum incorruptibilitatis nobis immisit, omnis reliqua circuitio & ambitus mysterii superfluens est.* Cui non sapit hæc argumentandi ratio, is peregrinum se in omni non sanctorum Patrum dumtaxat, sed & Pauli Theologia profitetur. Omnia enim Patrum monumenta, ad hanc amussim Apostolicam exacta: hoc genere probationum passim scatent. Quin imò nulla est doctrinæ Christianæ pars, quæ magis amplitudinem, universalitatem, omnipotentiam Christi incarnationis, Ecclesiæque cum eo coalitionem extollat. Porrò hinc liquidum est, si ante omnia decrevisset Deus Verbi sui in carne immortali inhumanationem, protinus immortalitatem non qualemcumque, sed omnino inexpugnabilem omni humano generi conciliandam fuisse, atque ita nullum deinceps casum nostrum pertimescendum fuisse. In illo enim Christo immortali, ut capite nostro, immortalitatem eandem omnes præsumpsissemus, sic ut ea orbari deinde haudquaquam possemus: non aliter quàm nunc in Christo à mortuis suscitato, jam reviximus universi, nec ab illa possumus exturbari immortalitate, quam in tanto capite nostro usurpavimus.

XII. Ex Hilario. L. 1. de Trin. Ad Latinos transeamus, atque ante alios procedat Hilarius: *Ut homo factus ex virgine, naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem, sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret: ut quemadmodum omnes in se per id, quod corporeum se esse voluit, conderentur, ita rursum in omnes ipse, per id quod ejus est invisibile, referretur.* Non potest Deus tam injuriosè premere atque extenuare seipsum, ut non hanc amplitudinem & universalitatem præferat, ut si humanæ se inserat naturæ, sui aliquid universis infundat hominibus, universos sibi vindicet pro suo quemque modo, mancipetque. Si ergo immortalis ante lapsum venturus fuisset, eandem immortalitatis inconcussam firmitatem universis aspirasset. Non potest enim naturam assumere, quin totam quodammodo assumat, totamque illustret. Non potest naturæ se insinuare, quin universam pervadat, & suis imbuat proprietatibus. Ibidem paulò post: *Nos eguimus ut Deus caro fieret & habitaret in nobis, id est, assumptione carnis unius interna universæ carnis incoleret. Humilitas ejus nostra nobilitas est: contumelia ejus honor noster est: quod ille est Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati.*

Non pigebit iterare & istud quod jam semel tetigimus argumentum, ex subjectione Christi exculptum. Est enim in primis elegans, & ab omnibus penè Patribus usurpatum, etsi nos nonnisi perpaucorum verba retulerimus. Omnia ergo Christo & subjecta & subjicienda, adeoque & ipsum Christum jam subjectum Patri, & adhuc subjiciendum philosophatur ex variis Apostoli locis Hilarius. Cùm enim omnes ipse præsumpserit in se, qui per sæculorum volumina in lucem exorientur electi: cùm penes se rursum invictam habeat Christus potestatem, qua omnes homines sibi subjiciat, & ita se cum membris omnibus subjiciat Patri, hinc illa subjectio ob utramque illam causam & jam facta & adhuc facienda in sacris litteris prædicatur. *Apostolicus namque sermo secundùm Dei potestatem pro factis jam futura significat. Quæ enim per adimpletionem temporum sunt gerenda, ea jam in Christo, in quo est omnis plenitudo divinitatis, consistunt: & quæcumque futura erunt, dispensationis in his potiùs est ordo, quàm novitas. Subjecit enim omnia sub pedibus ejus, licèt adhuc subjicienda sint; ut in eo quòd subjecta sunt, Christi indemutabilis potestas sit: in eo verò quòd subjicienda sunt secundùm plenitudinem temporum succedentium, ad finem ætatum profectus sit.* L. 11. de Trin. Conjuganda necessariò hæc duo fuere, omnium futurorum in Christo anticipata præsumptio, & indemutabilis potestas Christi. Nequicquam eum in antecessum occuparet universos verbi gratia homines in seipso resuscitare, aut inlocare cœlis, nisi ineluctabili potestate ad hac succinctus esset. Ita nequicquam prævertisset, dum ipse nascitur, dum adolescit, dum terras peragrat, dum fidem seminat, dum patitur, dum crucifigitur, Ecclesiam in re suam prægestare, præfingere & sibi conformare, nisi indemutabili potestate, nec tamen hominum indifferenti libertati injuriosa ad hæc omnia perficienda polleret. Ita denique nequicquam orbem terrarum sibi atque adeo Patri subjectum ostentaret, nisi insuperabili ad eum subjiciendum potestate abundaret. Illa ergo omnium futurorum in Christo anticipatio, invictissimæ ejus potestatis argumentum est, à qua versatili hominum libertati non periculum infertur, sed confertur beneficium. Non potest ergo Deus inhumanari, quin homines quoscumque volet, invadat, sibique conserat. Unde idem Hilarius: *A dominatu vitiorum animam liberavit Dominus, anteriora nostra delicta non reputans, & nos in vitam novam renovans, & in novum hominem reformans, constituens nos in corpore carnis suæ. Ipse est enim Ecclesia, per sacramentum corporis sui in se universam eam continens.* In Psal. 125. Non se debet Christus hominibus, plenitudinem suam sibi debet: quòd omnia in omnibus adimpleatur, hoc sibi debet & brachio suo: quòd universam Ecclesiam in se contineat, maximè electorum, quòd Ecclesia ipse sit, non alternantibus hominum nutibus, sed invictæ suæ potestati debet, ne tota illa amplitudo præsumpta ludibrium ventis debeat.

Hieronymus, *Ille mortuus est, ut nos viveremus: ille descendit ad inferos, ut nos ascenderemus ad eum. Ille factus est stultitia, ut nos sapientia fieremus. Ille se de plenitudine & de forma Dei evacuavit, ut in nobis habitaret plenitudo divinitatis.* XIII. Ex Hieronymo. In c. 3. Epist. ad Galat. L. 1. & 3. Ab illa ergo singulariter suscepta Christi humanitate, in nos quoque refusa est plenitudo Deitatis, ut in Christo nos quoque suscepti, nos assumpti, nos, ut ait Paulus, comprehensi simus, cùm fugitivos suos Deus brachio suo, dextera virtutis suæ, Verbo inquam suo nos apprehendit. Et infrà exponens quomodo coexcitati Christo simul, & simul in cælestibus consedentes simus, ait hoc imputari posse divinæ præscientiæ, cui tam certa sunt quæ futura sunt, quàm quæ præterita. At rursus ait id sumendum de spiritali in novam cælestemque vitam excitatione, in quam nos Christus sacramento corporis sui implicatos provexit: *Alius verò qui resurrectionem & regnum Christi spiritualiter intelligit, non deliberat dicere, jam sanctos sedere & regnare cum Christo.*

Quo-

Quomodo enim nequaquam in carne sanctus est, cum vivat in carne, & habet conversationem in cælestibus, cùm gradiatur in terra, & caro esse desistens, totus vertatur in Spiritum, ita eum in cælestibus sedere cum Christo: regnum quippe Dei intra nos est, firmique & stabiles cum Christo sedemus sapientia, verbo, justitia, veritate. In spiritalem hanc vitæ novitatem excitavit sublimavitque suos Christus resurgens corporaliter, & ascendens in cælum, omnipotente illo dominatu, quo humanitati suæ Verbum Deus omnem subjugavit hominum universitatem. Illa Christi magnitudo, illa mysterij ejus potentia non pendet, non vacillat, non in lubrico nostræ mutabilitatis titubat: sui compos & secura constat regnatque, nec nisi nostra tamen sanctificatione adimpletur. Tam hujus ergo quàm suæ gloriæ opifex est Christus.

Idem paulò pòst edisserit, qui possit Christus creatura dici, & nos in ipso creemur in operibus bonis. *Creatur ille, qui non erat antequam fieret: aut certè de eo quod erat, transfertur in aliud, sicut & nos nunc creati dicimur in Christo Jesu, creati utique, non quia antè non fuimus, sed creati in operibus bonis: Cor mundum crea in me Deus. Sed ut ibi creatio instaurationem sonat, ita & in nobis & in Christo per singula opera & profectus creatura atque conditio accipi potest: ut quotidie in credentibus Christus creatus, natus, & conditus sit.* Ultrò citròque in Scripturis hæc reciprocantur, Christus in nobis creatur, nascitur, adolescit, maturescit, nos in Christo easdem originis & incrementi & maturitatis vices implemus. Quis cordatus non sentit penès Christum, an penès nos hujus rei potestas principalior & vis summa debeat residere? Si enim secundùm hominis, non secundùm Dei propositum efficax est gratia, nasci, pubescere, perfici Christus magis quodammodo nobis debet, quàm nos ipsi: & illa tota Christi plenitudo qua Ecclesia est, qua caput est, qua omnia in omnibus est, qua omnes secum procreat, auget, consummat, inconstans & procelloso libertatis pelago obnoxia, non ullo certo & insolubili potestatis divinæ retinaculo firmata est. Denique idem

L. 2. in Ep. ad Ephesios. Hieronymus: *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Creatio atque conditio nunquam nisi in magnis operibus nominantur. Verbi causa, mundus creatus est, urbs condita est: domus verò quamvis magna sit, ædificata potius dicitur quàm condita vel creata. In magnis enim operibus atque facturis verbum creationis assumitur. Ex quo animadvertendum est, istum novum hominem qui juxta Deum in Christo creatus est, magnum Dei opus esse, & eminere ultra cæteras creaturas, cum sic conditus esse dicatur, ut mundus, & initium viarum Dei, & in exordio elementorum omnium sit creatus.* Christus enim non singularis homo Deitate perfusus, sed Deus Verbum cogitandus est, universatem Ecclesiæ suæ indutus, caput & membra indutus, caput in capitis præcellentia indutus, & caput factus, Ecclesiam in membrorum modulo indutus, & factus Ecclesia, atque ita instar mundi melioris creatus, & ideo creatus ut par est, non tam precario hominum consentaneorum favore, quàm invicta sua potestate.

XIV. Ex Fulgentio & Prospero L. 1. ad Trasimum. Fulgentius: *Quia verò naturæ primitias suscipiens Dominus, sicut in suo corpore cunctorum fidelium corpus, sic in sua anima universorum fidelium animas per naturæ unitatem & gratiam justificationis accepit: per hanc omnem Ecclesiam in conjugium sibi perpetuæ incorruptibilitatis adscivit.* Et paulò infrà: *Quod ergo caput liberum fecit in se, hoc etiam liberavit in corpore. Quia intrans in domum fortis atque alligans fortem, hoc ibi à servitio liberavit, quod primitus in se pro servo suscepit.* Et Prosper in L. Epigramm.

Nam quod erat victum in me, ut superaret in illo,
Factus sum Christi corporis, ille mei.
Me gessit moriens, me victa morte resurgens,
Et secum ad Patrem me super astra tulit.

Confidite, ajebat Christus, ego vici mundum: Et nos enim in ipso vicimus: id est, ille vincendo nobis peperit quo indubiè vincamus, & non tam nostro nisu quàm ejus ope vincamus.

Pulcherrima sunt quæ in rem istam disputat Guillelmus Episcopus Parisiensis: ne gravemur ergo & hunc audire: *Decebat misericordissimum Deum, hominem de lacu miseriæ & de luto fæcis extrahere. Decebat eum igitur dexteram ei porrigere, sicut dicit Job 14. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Supervacua autem esset dexteræ porrectio, nisi tanta fieret ejus ad eum qui extrahendus erat alligatio, ut pondere ejus rumpi aut solvi non posset. Pondus autem generis humani non erat nisi pœna aut culpa. Adeo igitur tenere se oportuit dexteram Dei Patris generi humano, ut adhærentia ejus ad id atque ligatio, nec pœna aut culpa rumpi aut solvi posset. Quia igitur ligationem gratiæ jam priùs solverat culpa, necesse fuit majorem esse ligationem quàm gratiæ, ergo plus facere quàm faceret ligatio gratiæ in ligando. Sed gratia facit ea quæ ligat, unum gratiæ: ligatio ergo ista de qua loquimur, plus unum fecit quàm unum gratiæ: igitur fecit ligatio illa dexteram Dei Patris & humanum genus, unum naturæ.* XV. Ex Guillelmo Parisiensi. L. Cur Deus homo. Hæc planè illa est argumentatio, cui jamdudum insudamus. Cùm enim non singulari illi humanitati assumptæ, sed generi etiam humano è luto fæcis relevando suam Deus porrexerit dexteram, necessum est aliquod gratia priori validius gratiæ vinculum adhibitum fuerit. Nam si Christi gratia tam fragilis est quàm prior, non satis validè illa Dei dextera nos apprehendit. Et illicò idem ibidem: *Non potuit dextera Dei Patris hominem de lacu miseriæ extrahere, nisi ipsum apprehenderet apprehensione fortiori, quàm esset apprehensio gratiæ. Illa enim jam rupta erat, cùm esset homo ingentis ponderis tam culpæ quàm pœnæ. Oportuit igitur ut esset fortior apprehensio secunda vel unio, quàm esset unio gratiæ. Necesse igitur erat ut esset unio naturæ. De hac apprehensione ad Hebr. 1. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Ad hoc facit & illud quod tam crebrum est in Prophetis: Apprehendit manum eorum, ut educeret eos de terra Ægypti.* Gratiæ ergo per semet efficacis victoria ab incarnatione profluit, qua insolubiliter Verbo Deo humana copulatur natura. Ergo quando lapsa est humana natura, aut lapsura prævisa à Deo est, tum cepit, non ante ceperat Deus consilium Verbi sui incorporandi.

CAPUT XII.

Ecquid causæ fuerit, quamobrem Angelos Deus non apprehenderit, semen Abrahæ apprehenderit.

SOmniaverant jam olim quidam, ut hominem, ita & Angelum factum esse Verbum, ut parem labem pari remedio restitueret. Illos notat & suggillat Tertullianus: eo maximè argumento, quòd Scripturæ, extra quarum lineas transilire in divinis consiliis profana curiositate scrutandis piaculare est, hominis non Angeli ruinam à Deo reparatam contestentur. *Sed Angelum, ajunt, gestavit Christus. Qua ratione? Qua & hominem.* Contra esse nititur: *Homo perierat, hominem restitui oportuerat. Ut Angelum gestaret Christus, nihil tale de causa est. Nam etsi Angelis perditio reputatur, in ignem præparatum diabolo & Angelis ejus, nunquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre.* I. Qui somniaverint Angelicâ quoque naturâ à Verbo assumptam. L. de Carne Christi.

Origeni idem postea delirare visum est, ut testis locupletissimus est Hieronymus in Epist. ad Avi-

tum

tum de erroribus librorum περὶ ἀρχῶν, ubi & ipsa Origenis verba profert: *Cùmque dixisset Origenes juxta Joannis Apocalypsin, Evangelium sempiternum, id est, futurum in cœlis, tantum præcedere hoc nostrum Evangelium, quantum Christi prædicatio legis veteris sacramenta; ad extremum intulit, quod & cogitasse sacrilegum est, pro salute dæmonum Christum etiam in aere, & in supernis locis esse passurum. Et licèt ille non dixerit, tamen quòd consequens sit, intelligitur, sicut pro hominibus homo factus est, ut homines liberaret: sic & pro salute dæmonum, Deum futurum quod sunt hi, ad quos venturus est liberandos.* Et hæc statim Origenis verba refert: *Quanquam audax & temerarium sit, in cœlo ejus quærere passionem: tamen si spiritualia nequitiæ in cælestibus sunt, & non erubescimus crucem Domini confiteri propter destructionem eorum quæ sua passione destruxit: cur timeamus etiam in supernis locis in consummatione sæculorum aliquid simile suspicari, ut omnium locorum gentes illius passione salventur?* Quòd autem neget Hieronymus expressa esse Origenis verba uspiam, quæ Verbum naturam dæmonum seu Angelorum indutum vel induendum affirment, quanquam ex ejus dictis id consequens sit; propterea clementiùs aliqui interpretati sunt hæc ejus verba, quæ & Gregorius Nyssenus usurpavit: *Factus est omnibus omnia ut omnes lucrifaceret vel perficeret: & manifeste homo hominibus, Angelis Angelus factus est.* Quæ apud Origenem leguntur Comment. in Joan. possuntque non de hypostatica, sed de gratiæ attemperatione intelligi.

Cùm ergo in confesso sit, cùm Angeli atque homines cecidissent, assumptam à Verbo esse hominum, non Angelorum naturam: eccur similem culpam non similis vel pœna vel indulgentia prosecuta sit, id in præsentiarum inquirimus.

II. Hominem, non Angelum decuit assumi, ob nostræ imbecillitatẽ naturæ. Ex Augustino. Tra. 110. in Evang. Joa. — Primò ergo hominis etiam stantis naturam causantur sancti Patres multò imbecilliorem Angelica, ideoque ut culpæ, ita veniæ affiniorem. Natura enim Angelica, quo sublimior, eo melior erat quàm nostra, ideoque & culpa ejus tanto gravior, tanto venia desperatior. Augustinus: *Cùm vero noverimus bonorum omnium creatorem reparandis Angelis malis nihil gratiæ contulisse: cur non potiùs intelligimus, quòd tanto damnabilior eorum judicata sit culpa, quanto erat natura sublimior? Tanto enim minùs quàm nos peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt. Nunc autem in offendendo creatorem tanto execrabiliùs beneficio ejus ingrati extiterunt, quanto beneficentiùs sunt creati.* Æquum erat, quanto ex editiori loco, tanto gravior esset casus. Æquum erat, quanto plus in condendo collatum erat, tanto in reparando minus. Æquum erat, ut in quos parcior fuerat creator, effusior in eos esset redemptor. Æquum erat ut quoniam Angelis plus præsidii affuerat ne caderent, hominibus plus subsidii adesset ut resur-

L. 6. Operis ult. con. Jul. n. 12. — gerent. Et alibi idem Augustinus: *Natura quippe rationalis quanto est ipsa superior, tanto ruina ejus pejor: & peccatum ejus quanto incredibilius, tanto & damnabilius. Ideo Angelus irreparabiliter cecidit, quoniam cui plus datur, plus exigitur ab eo. Tanto itaque plus debebat obedientiæ voluntariæ, quanto plus habebat in bonitate naturæ. Unde sic punitus est non faciendo quod debuit, ut nec velle jam possit;* In Angelis itaque creatoris exuberans largitas reparatoris beneficia occupaverat, & quasi in antecessum prælargita erat: in hominibus beneficentiæ suæ modum posuerat creator, ut ultra modum se effunderet reparator.

III. Ex authore librorum de mirabilibus Scripturæ sacræ. — Non multum discrepat ab hac sententia author librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ inter rejectanea Augustini tomo tertio, ubi docet, Angelos in culmine suæ beatitatis à Deo conditos esse, quibus una perseverantia opus esset: at homines in mediocri quadam fœlicitate, à qua ulterius progredi perficique necesse haberent. Et sapientia enim & immortalitas longè absolutior Angelis, quàm hominibus effusa erat. In illos ergo jam, nondum in hos largitatem suam Deus exhauserat: illis summa omnia accumulata fuerant quibus decoctis desperati jacent, his summa quæque necdum collata, sed conferenda supererant. *Angelus ergo* — L. 1. c. 2. — *in summo honoris sui ordine constitutus, immutationem ad excellentiorem statum non habuit, nisi per contemplationem sui creatoris confirmatus, in eo statu permaneret, ubi conditus fuit: & idcirco prolapsus, iterum revocari minimè potuit, qui de sublimissimo ordinis sui statu proruit: Homo verò adhuc in terra positus, generandi officio destinatus, ciborum alimoniæ deputatus, immutationem in sublimiorem & meliorem spiritalemque vitam sine morte reciperet, si quandiu in hac conversatione positus esset, in mandati custodia permaneret. Clementia ergo conditoris homo ad illam beatitudinem ad quam peccans adhuc non pervenit, per passionem Domini revocatus, qui si inde cecidisset sicut Angelus, nunquam iterum revocaretur.*

IV. Ex Gregor. Magno. — Addit Gregorius Papa carnem, qua homo, non Angelus erat obvolutus, infirmitate sua faciliùs & culpam incurrisse, & veniam exorasse. Etsi enim nullo adhuc cupiditatis oestro percita fuerit, suæ tamen naturæ sponte caro à summis in ima vergit, mentisque vigorem tardat; culpam ergo etiam cùm non prolicit, excusat. *Duas ad intelligendum se* — Moral. l. 4. c. 9. — *creaturas fecerat Deus, Angelicam videlicet & humanam: utramque verò superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit; sed una tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo verò & spiritus est & caro. Misertus ergo creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquod constat habuisse: & eo amplius debuit Apostatam Angelum repellere, qui cùm à persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit.* Unde dicitur Verbum caro factum esse, quòd carnis maximè infirmitas & culpam excusaverit & reparatorem accersiverit. Quare idem è vestigio subdit: *Et memoratus est quia caro sunt. Ac si diceret, quo eorum infirma vis, eo districtè culpas punire noluit.* Ut beneficii vicem sibi quodammodo refundant anima & caro. Nam Verbum carni non sociaretur, nisi sequestre & conciliatrice anima: sed nec animæ unquam hypostasin suam Verbum indueret, nisi exorante carne. Veritas enim incommutabilis vix aut nec vix brutæ corporis naturæ coalesceret, nisi per animam interjectam, quæ hinc veritatis soror, inde carnis amica est: sed nec animarum naturæ prævaricatrici accederet, nisi culpam carnis infirmitas excusaret.

Et sanè cùm naturæ rationalis portionem seu humanas animas terreno & animali corpore devinxerat Deus, fidem suam quodammodo oppignoraverat, si quam hinc labem acciperent animæ, ejus se restauratorem fore. Itaque ut caro culpam excusavit & reparatorem elicuit, ita reparator copulam carnis animæ excusavit. Idem Gregorius: *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me. Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt,* — Moral. l. 9. c. 28. — *quia tanto robustiùs stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo verò idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo semetipso minor esset, accepit.* Hinc in Scripturis sæpiùs convenimus Deum, ut detrimenta ipse sarciat, per carnem nobis ab ipso copulatam importata. Ea est enim mulier quæ seducit nos. Eò pertinent illa tam crebra: *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me. Recordatus est quoniam pulvis sumus. Ipse cognovit figmentum nostrum, &c.* Convenienter enim, qui animum infra seipsum exterminaverat per carnis contubernium, eundem supra seipsum Deus extollit per Verbi sui conjugium: qui animum rationalem infirmitati alligaverat carnis, eundem incommutabilitati revincit Deitatis. *Hæc*

nostra

Ibid. c. 17. *nostra dignitas fulget per imaginem, & longè distat à beatitudinis perfectione per carnem: quia dum spiritus miscetur pulveri, quodammodo connectitur infirmitati.* Non quo litem creatori moveamus, & quasi jure constrictum agamus, ut damna illata sarciat; sed nullis non artibus misericordiam ejus provocamus.

V. Ex Isidoro Hispalensi. L. 1. Sent. c. 10. Gregorium secutus est Isidorus Hispalensis: *Apostatæ Angeli ideo veniam non habent, quia carnalis fragilitatis nulla infirmitate gravati sunt, ut peccarent. Homines autem post peccatum idcirco revertuntur ad veniam, propter quod ex lutea materia pondus traxerunt infirmitatis; ideoque pro infirma carnis conditione, homini reditus patet ad salutem, sicut & Psalmus dicit, Ipse scit figmentum nostrum: &, Memento Domine quod terra sumus: & iterum, Memorare, inquit, quæ mea substantia.*

VI. Ex Jobio apud Photium. E Græcis unus apud Photium in Bibl. Jobius proferetur, qui superiores omnes argumentationes uno ferè loco complexus est, & alias addit. Per carnem enim Deus animas rationales non tam depresserat, quàm vallaverat, ne in tantum superbiæ cumulum tumescerent, sicut Angeli, cui nulla possent succurrere remedia. Unde ergo infirmitas, inde humilitas conciliabatur, inde superbia saltem refringebatur aliquantulum, aditusque reparatori obstrui non sinebatur. *Ita quod ab initio infra reliquas ratione præditas creaturas nos esse ostendit, hoc magnæ nobis salutis causam attulisse justus judex declaravit, qui nos colligavit quidem carni ad coercendam superbiam, per quam ipsi Angelorum ordines irreparabili lapsu in præceps acti sunt; sed statim illud materiæ vinculum in infinitæ postea beneficentiæ occasionem vertit. Quænam enim aut major aut præstantior beneficentia esse possit, quàm ad dexteram Dei Patris videre sedentem nostram conditionem?* Cùmque scripturæ loca intexuisset, ex contemplatione carnis nostræ divinam indulgentiam & misericordiam invitantia, alteram hanc subjicit rationem: quòd homini nequedum per creationem suam perfecto, adjici suppleri que id quod deerat potuerit: at Angelis statim apicem perfectionis suæ adeptis, nihil superfuerit accumulandum? *Quod nequaquam à principio conditor naturam perfectam, quemadmodum Angelis, ita & hominibus tribuerit, sed modicis progressibus perfectionem tandem consequi voluerit: quamobrem & pro virtutis præmio pro molestiis toleratis perfectionem rependit. Quin & medium mortem inter & immortalitatem ipsum constituit, alterutrius eligendi facta potestate. Cùm interim Angeli & si quid aliud ratione præditum & incorporeum usquiam existit, ex ipso mox ortu naturæ perfectionem adepti sint. Unde & David dicit, Potentes virtute, facientes verbum illius: hoc est, quemadmodum nihil eos materiatum, uti nos, vel deorsum trahit, vel impedit, ita citò & absque mora jussa perficiunt. Exigebat ergo ineffabile Dei justumque judicium, ut imperfectis quidem quo tempore placitum erat, quod deerat, suppleret; quos verò ab initio perfectos reddidisset, non similis his cura provideret: sed ex æquitate judicaret, cum hos contentos illis rebus esse debere quas ipsimet occupassent, tum illis earum rerum defectus esse supplendos, quibus aliquando privati fuissent.*

VII. Altera ratio est, non jam naturæ, sed culpæ Angelicæ ac humanæ discrepantia. Ex Augustino. Secundò, sepofita nunc naturæ inter hominem & Angelum discrepantia, culpa ipsa Angeli quàm hominis multo atrocior, ideoque desperatior. Uterque superbiæ veneno afflatus est, sed Angelus & seipsum & hominem pessumdedit, superbus primò, mox invidus; inobedientiæ non reus modò, sed suasor. Æquum fuit ergo ei potiùs succurri, quem aliena, quàm quem sua unius improbitas vitiasset. Æquum fuit superbiæ potiùs imitatori, quàm primario authori opem ferri. Augusti-

L. 3. de Lib. Arbit. c. ult. nus: *Et hoc est initium omnis peccati superbia: & initium superbiæ hominis apostatare à Deo. Superbiæ autem diaboli accessit malevolentissima invidia ut hanc superbiam homini persuaderet, per quam sentiebat seesse damnatum. Unde factum est ut pœna hominem susciperet emendatoria potius, quam interfectoria, ut cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se Dominus ad imitationem humilitate præberet.* Et paulò pòst subdit, cujus exemplo ad superbiam provocati sumus, æquum esse ut ejus supplicio ab eadem avocaremur, & ita pœnas ille lueret, nos evaderemus. *Tanta charitate liberatori nostro inhæreamus, ut nulla nos visa ex inferioribus à conspectu superiorum detorqueant. Quanquam etsi aliquid huic intentioni nostræ suggereretur ab appetitu inferiorum, sempiterna nos diaboli damnatio cruciatusque revocarent.* Ita enim sempiternis justitiæ legibus cautum est, ut quibus quisque nequitia obfuit, pœna prosit: & ita de malo malum diruatur, malo bonum extruatur.

VIII. Ex Paulino. Epist. 4. ad Sever. Hunc Augustini locum expressit Paulinus: *Unus principum Angelorum fuit, antequam dejiciendo cadens fieret Zabolus, cui dicitur, Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur? Sed non sicut ille, in æternum interitum damnati sumus. Quia ille author peccati fuit, simulque pro se & pro homine punietur, qui eodem periit scelere quo perdidit. Homo autem non in finem meruit exterminari paradiso & terra esse, quia divina justitia levius judicavit, aliena mente peccasse, quàm propria. Criminosius est decipere quàm decipi: & peccatum excogitare quàm facere. Et ideo temporaliter & ad emendationem punitus est fraudis adsensor, in æternum autem supplicium destinatus mortis inventor.* Hæc justitiæ solertia fuit, ut culpa etiam humana lueretur, sed ab authore qui homini fucum fecerat. Itaque diabolus adeo non miserandus, ut bis, nempe & pro se & pro homine puniendus fuerit: homo autem, cujus crimen jam à suasore luebatur, misericordiam consequutus est. Ita nec crimen impunè abiit, nec indulgentia se negavit.

IX. Ex Gregorio Magno. Moral. l. 4. c. 10. His & Gregorius succinit: *Est adhuc aliud quo & perditus homo reparari debuit, & superbiens spiritus reparari non possit. Quia nimirum Angelus sua malitia cecidit, hominem verò aliena prostravit, &c. Quia ipse tenebras intulit, toleret sine fine quod fecit: nec unquam lumen pristini status recipiat, quia hoc etiam non suasus amisit.* Meritò non reparatur, qui non periit tantùm, sed perdidit: meritò non relevatur, qui non cecidit tantùm, sed dejecit. meritò non illuminatur, qui tenebras non passus est tantùm, sed intulit. Alienam enim qui salutem impetit, alienam à se charitatem opemque amolitur.

X. Ex Bernardo. Quod nemine præeunte, quod nullo pro liciente, quod carne non infirmante, sed enormitate quadam malitiæ peccaret diabolus, id argumenti satis habet, ut vitiositatem conjiciamus tam altè illi inoleviſſe, tam altas in eo radices egisse, ut nullis valeat medicamentis expugnari. Bernardus: *Novit in affectum malitiæ & nequitiæ transisse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse: ideoque perire necesse est pœnitere nolentes, &c. Novit superbiam Moab, quod superbus est valde, & superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ.* Ser. 1. de Adventu.

XI. Ex Anselmo. L. 2. Cur Deus homo. c. 21. Qui alieno impulsu cecidit, alieno auxilio eum sublevari par est. Qui sua sponte prolapsus est, suo & ipse nisu surgat. Anselmus, *Sicut ceciderunt Angeli nullo alio suadente ut caderent, ita nullo alio adjuvante resurgere debent, quod est illis impossibile.* Et in Elucidario: *Sicut nullo instigante ceciderunt, ita nullo adjuvante surgere debuerunt, quod erat eis impossibile.*

XII. Ex Damasceno. E Græcis unus sistetur Damascenus, qui impœnitentiam, adeoque veniæ desperationem exculpit ex eo, quòd peccare adeo libeat, adeoque delectet aliquem, ut nec ullo suadente ad peccatum agatur, nec ullo revocante à peccato absterreatur. Eadem enim nequitiæ sagina & delectatio, quæ

sua-

suasorum illecebras antevenire nata est, revocantium habenas infringere nata pariter est. *Magis excusatur, faciliùsque venia donatur, qui impellente alio, quàm qui suapte sponte peccat. Qui enim sua sponte peccat, inexcusabilis est. Itaque diabolus qui sua sponte peccavit, pœnitere nescit. Homini verò qui non sua sponte, sed incitante diabolo peccavit, pœnitentiæ locus relictus est, &c.*

In Dialogo de Manichea heresi.

XIII. Ut mutabilior est homo ob materiam qua constat, ita reparabilior. Ex Jobio apud Photium.

Tertiò, ex ingenio materiæ ex qua partim constamus, nec justitiæ, nec nequitiæ nunc quidem ita individuè unquam conglutinamur, ut non possimus in contrarium resilire. At dæmones ut materia, ita illa jugi in alterutrum fluctuatione carent, & quò primùm inclinaverint mentis suæ impetum, sive in bonum, sive in malum, inde nunquam deinceps gradum revocant. Et quidem nonnulla dæmonum quoque naturæ inhæsit sua ex origine mutabilitas, cùm è nihilo ad esse profecerint: sed ea semel etiam sese exertant, cùm primùm libertatem suam vel in bonum vel in malum deflectunt. Hominis ergo natura ut resipiscentiæ, ita reparationi opportuna est; natura autem dæmonum à malo quod amplexa semel est, refigi se vetat, & reparationi ipsa suæ intercedit. Ita philosophatur apud Photium idem Jobius. *Unde nobis à deteriore in melius & contrà ad deterius è meliori mutatio tam frequens ac continua existat: incorporeis verò aliis bonum, aliis malum sit immutabile: causam reddit, quòd in nobis cùm animi inclinatio in alterutram partem connitatur ob subjectæ materiæ fluxum atque vacillationem, illa aliquando rationem superet, interdum etiam superetur: in illis ad quos nequaquam materia irrepere potest, ratio sola in actiones omnes imperium obtineat. Quamobrem illorum casus qui sponte & imperantis more ad deterius delapsi sunt, fit immedicabilis, &c. Cùm nos interim veluti duplices quidam, ac propterea etiam malè admissorum pœnitentia ducti, nos ipsos tanquam alienos incusemus: Duo verò ubi pugnant, & hi partim vincentes, partim victi, quomodo in his aut victoria aut lapsus immutabilis sit?* Addit nulla in re diu constare nos posse, & ea ipsa quæ adjumento & saluti sunt, ut esitare, bibere, dormire, si diutiùs usurpentur, exitio futura esse. Denique subdit, illi mutationi qua ex nihilo prodierunt Angeli, hanc alteram subjungi, qua in bonum vel malum propendent irrevocabiliter. *Ac forsitan etiam ob unicam mutationem, unam quoque ipsi mentis illam in malum mutationem ostenderunt.* Non est autem hujus argumentationis hic scopus, ut Angelis omnimoda immutabilitas post boni semel aut mali electionem tribuatur, & quidem ex vi & proprietate quadam naturæ suæ. Satius est bonorum in bono inconcussam constantiam divino muneri, malorum in malo desperatam contumaciam divino judicio, nostram è malo in bonum resipiscentiam divinæ misericordiæ, non humanæ arrogare proprietati. Et nostra enim voluntas detorta semel in malum, se bonum non se unquam recepisset, nisi plurimo & invictissimo divinæ gratiæ adjutorio. Eadem autem divini adjutorij copia potuisse & Angelos ad meliorem frugem revocari quis ambigat? Itaque & humanæ & Angelicæ voluntati id convenit, ut quantumvis ad bonum se primò contulerit, non ei tamen immobiliter adhæreſcat, nisi insuperabili aliquo insuper Dei auxilio ad id constringatur: ad malum autem ubi desciverit, in eo irrevocabiliter volutetur, nisi divini juvaminis largitate emergat. Porro gratiæ hujus liberatricis copiam homini, quàm dæmoni fieri convenientius ideo est, quod hic improbitati altiùs se infixit, & totus concrevit quam sponte, quam nullo sollicitante amplexus est, nullaque carnis infirmitate degravante: quam denique & in hominem effudit: homo autem nequitiam secutus est eò tardiùs, quò tardior ipse; eò infirmiùs, quò infirmior; eò revocabiliùs, quò alieno impulsu.

Quartò, non omnes Angeli ab uno fluxerant parente primo, cujus defectione non sponte sua implicati, parentis & capitis & alterius sanctimonia flagitarent se restitui. At homines ut exitum suum debebant radici vitiatæ, ex qua pullularant: ita subrogata radice altera, sed incorruptibili, sanari se postulabant. Deinde unius generis sunt omnes homines, & penè unus homo. Quocirca uno hujus generis ad divinitatem evecto, omnes nobilitantur, omnes deificantur, omnes reparantur. At Angelo assumpto aliquo ad hypostasin Verbi, non illi cæteri Angeli forent congeneres, non consanguinei, adeoque non ea ratione juvarentur, qua nos ex inhumanato Verbo. Rursus non omnes Angeli ceciderant, ceciderant homines universi: his ergo quàm illis opem ferri æquius erat. Anselmus: *Sicut homo per alium hominem, qui non ejusdem generis, quamvis ejusdem esset naturæ, non debuit relevari: ita nullus Angelus per alium salvari debuit, &c. Quoniam non sunt ejusdem generis sicut homines: non enim sunt omnes Angeli de uno Angelo, sicut omnes homines de uno homine.* Et in Elucidario: *Angeli sunt omnes pariter creati, non ab uno Angelo, sicut homines ab uno homine nati. Ideo si Christus ab uno Angelo naturam Angelicam sumeret, illum redimeret, alii extra redemptionem remanerent.*

XIV. Quarta ratio non omnes Angeli ita unius Angeli, sicut omnes homines unius casu ceciderant. Ex Anselmo.

L. 2. Cur Deus homo. c. 21.

XV. Ex Bernardi Epist. 190.

Et ubi omnes homines uni inseruerat Deus, cujus nutu omnium fælicitas vel constaret vel præcipitaretur, fidem penè suam ut bonitatem certè obligaverat, si res ea malè verteret, meliusculè se rursus saluti nostræ provisurum. Si nobis enim aliunde reatu, cur non aliunde justitia? Quid horum simile in Angelis? Bernardus: *Cur non aliunde justitia, cùm aliunde reatus? Alius qui peccatorem constituit, alius qui justificat à peccato: alter in semine, alter in sanguine, &c. Non convenit filium portare iniquitatem patris, & fraternæ fieri exortem justitiæ. Quòd si dixerit, Frater tuus addixit te: respondebo: Sed frater meus redemit me, &c.*

XVI. Ex Jobio apud Photium.

Denique idem Jobius apud Photium, universis hominibus suppetias ferri debuisse potiùs, quàm Angelis, qui non universi ruerant, ita declarat: *Cum nos lapsi sumus, nullum reliquum fuit exemplar, quod eandem naturam integram retineret. At lapsis dæmonibus innumerabiles nihilominus incorporeorum acies invariatè consistunt, quæ & divinæ ordinationis exemplum, & nunquam flexæ rectitudinis specimen exhiberent.* Injuria enim Creatori videretur inusta, si cui naturæ tantam dignitatem ipse salutemque contulerat, ea improbitatis turbine prosterneretur universa. At ubi parte cadente pars invicta stat, utrimque laus eximia in authorem redundat, cujus hinc pietas, hinc æquitas, cujus præmiatrix ultrixque justitia, cujus denique operum pulchritudo ex hac contrariorum conflictatione splendidiùs enitescit.

XVII. Quinta ratio quia in humano pro hominibus, non in Angelica pro Angelis natura potuit Deus mori, & morte piare scelus.

Quintò, cùm hominem Deus induit, non nativitatem qui æternus, non vitam qui vita erat, captabat, sed mortem qui immortalis erat, ut mortem moriendo interimeret, & morti seipsum, id est vitam & immortalitatem insereret. Expiandæ enim offensæ divinæ, abluendæ iniquitati nostræ, morte opus erat & cruore. Hæc à nobis potuit Deus commodato accipere, non potuit ab Angelis. Quo ergo fructu naturam Angelicam assumpsisset? An ut in ea moreretur, Patrique satisfaceret? Alienum ergo erat Angeli naturam assumi. Erat autem alienum etiam per aliam quàm per Angelicam Angelos reparari naturam. Anselmus: *Diaboli verò reconciliationem impossibilem intelliges, si diligenter humanam consideres. Sicut enim homo non potuit reconciliari, nisi per hominem Deum qui mori posset, per cujus justitiam Deo restitueretur quod per peccatum hominis perdiderat: ita Angeli damnati non possunt salvari, nisi per Angelum Domini qui mori possit, & qui per justitiam suam reparet*

L. 2. Cur Deus homo. c. 21.

ret *Deus quod aliorum peccata abstulerunt*. Et in Elucidario: *Deus pro satisfactione nonnisi mortem voluit, Angeli autem immortales sunt, ideo irrecuperabiles fuerunt.*

XVIII. Sexta ratio, per hominũ reparationẽ resarcitæ sũt etiam Angelorum ruinæ. Ex Bernardo.

Sextò, homines ad id conditi à Deo, ut per ipsos ruinæ Angelorum repararentur. Itaque nodus jam non solvitur, sed inciditur. Ecquid enim ambiges cur dæmonum non sit reparatus casus, sed hominum, quando per homines & dæmonum casus hiatusque sit suppletus? Ideo enim post Angelos conditi sunt homines, quasi in vacuas eorum sedes sufficiendi: post homines verò nullæ rursus rationis compotes creatæ sunt naturæ, tanquam illis collabentibus subrogandæ. Bernardus: *Desertores Angelos perire necesse est pœnitere nolentes. Propter hoc enim & ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas Hierusalem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis patere redeundi viam. At verò hominis vice nullam postea condidit creaturam, innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem, quippe quem supplantavit aliena malitia, ideoque prodesse ei potest charitas aliena.* (Ser. 1. de Adventu Dom.)

XIX. Ex Augustino.

Ex quo clarescit Angelis quoque incarnationem Verbi perinde ut hominibus dependi. Cùm enim ruinæ Angelicæ detrimenta reparantur per homines, Angelorum etiam reparator est Christus. Augustinus: *Non enim pro Angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro Angelis fit, quidquid hominum per ejus mortem redimitur & liberatur à malo, quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, post inimicitias, quas inter homines & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione, ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur.* (Enchirid. c. 61 62.)

XX. Ex eodem & Gregor. M.

Idque innuebat Paulus, cùm Christi sanguine instaurata & pacificata ajebat esse, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cælis. Ita enim interpretatur Augustinus ibidem: *Et utique noverunt sancti Angeli docti à Deo, cujus veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri suplementum de genere humano integritas illius civitatis expectet. Propter quod ait Apostolus instaurari omnia in Christo, quæ in cælis sunt & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur quæ in cælis sunt, cum id quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur, &c. Ac sic per singulare illud sacrificium, in quo mediator est immolatus, pacificantur cælestia cum terrestribus & terrestria cum cælestibus. Quoniam sicut idem Apostolus dicit, In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cælis sunt, sive quæ in terris.* Quibus finitima sunt ea quæ disserit Gregorius: *Supernorum Spirituum ad nos conditor venit, & quia inter nos & eosdem Spiritus, discordantis vitæ scandalum reperit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate, summa creans, ima suscipiens, ima cum summis junxit. Hinc est quod de eodem Rege nato Angelorum chori in ejus annunciatione prodeunt, hymnum dicunt, & devicta prava vitæ discordia, hos quos dudum despexerant, cives agnoscunt, consono ore prædicantes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ac si apertè dicant, Quos à nobis malitia disjunxerat, jam nunc in terra nata bonitas jungat.* (Moral. l. 27. c. 8.)

Et ne præposterè suspicetur quis, nihil interfuisse ad flantium Angelorum amplitudinem, ut labes eorum civitatis contribulium lapsu abrupta, ex hominum insertione restauraretur; audiat rursus eundem Gregorium: *Qui sunt alii prærupti silices, nisi illi fortissimi Angelorum chori, qui quamvis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis Angelis diabolo, remanserunt? Prærupti enim sunt, quia pars eorum cecidit, pars remansit. Qui integri quidem stant, per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prærupti. Hanc præruptionem restituere mediator venit, ut redempto genere humano illa Angelica damna sarciret, & mensuram cælestis gratiæ locupletiùs fortasse cumularet. Propter hanc præruptionem de Patre dicitur: Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt in ipso.* Si locupletiùs mensura cælestis patriæ per Christum cumulatur, utrique cum fœnore jactura labis Angelicæ resarcitur. (Ibid. l. 31. c. 19.)

Quin & per Christum beatis Angelis abstersum esse mœrorem, quo naturæ nostræ calamitas rerumque exinde omnium tumultuatio ipsos afficiebat, atque ita cælestes etiam ordines per Christum instauratos argumentatur Theodoretus. Si enim nostro illi exhilarantur ad salutem regressu, nostra utique ruina contristabantur. Hanc ergo tristitiæ nubem exortu suo difflavit Christus. Denique naturis creatis omnibus etiam corporalibus idem ibidem conjicit emolumenti atque ornamenti plurimum per Christum accessisse, dum natura etiam corporea per ipsum ad incorruptibilitatem vendicatur. Quocirca una superest Deitas, quæ inopiæ impatiens, ditare, non ditari potest: at natura omnis creata penuriæ cujusdam suæ solatium & satietatem in Christi incarnatione nacta est. Idque compluribus innui Apostoli testimoniis ita docet Theodoretus: *Instaurare omnia in Christo quæ in cælis & quæ in terra sunt in ipso. Hæc docet apertiùs in epistola ad Romanos, Omnis enim creatura, inquit, ingemiscit, & parturit usque adhuc. Et rursus, Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Hoc etiam dicit in epistola ad Hebræos, Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Sola autem divina natura ab egestate aliena est, omnis verò creatura opus habebat incarnationis medicamento. Elementa enim quæ propter usum hominum facta sunt, corruptioni obnoxia fecit, quandoquidem hunc etiam mortalem factura erat transgressio. Invisibiles autem potestates ægrè ferebant, ut est verisimile, dum improbitatem viderent grassantem inter homines. Si enim lætantur propter unum peccatorem pœnitentiam agentem, sicut dicit Dominus, clarum est, eas ægre ferre dum vident contraria. Sed Domini incarnatio morte soluta, & resurrectione ostensa, & communis resurrectionis dato pignore tristem illam nubem discussit. Itaque appellat anacephalæosin subitam rerum mutationem. Per incarnationem enim Domini, & hominum natura resurgit, incorruptionemque induit: & creatura visibilis corruptione liberata incorruptionem assequitur, & invisibilium populi perpetuò in lætitia degunt, quoniam abscessit dolor, tristitia & gemitus.* Et idem rursus hæc eadem verba perpendens: *Ut absque Deo pro omnibus gustaret mortem*: eadem ferè verbis totidem tradit, iterumque & iterum inculcat, *Sola divina natura nullius indigebat, reliqua autem omnia opus habebant incarnationis medicamento.* Et concludit: *Pro omnibus ergo salutarem passionem sustinuit, sola enim divina natura hoc remedio non eget.* (XXI. Ex Theodoreto. — In c. 1. Epist. ad Ephes. — Idem in c. 2. Ep. ad Hebr.)

XXII. Ex Jobio rursum.

Quòd verò nulla saltem stillula tantæ munificentiæ in Angelos transfugas depluat, inde gloria Christi & hominum restauratio illustratur, quòd de principatibus & potestatibus triumphum egerit Christus, agatque jugiter, & in ejusdem gloriæ societatem nos vocet. Unde Jobius apud Photium: *Nostra insuper causa in carne peregrinatus, à diaboli qua tenebamur tyrannide nos liberavit, de Principatibus triumphans & Potestatibus in cruce, data item nobis potestate calcandi omnem virtutem inimici. Ubi si horum subiisset naturam, quosnam destruxisset? De quibus triumphasset? Qualem item quibusdam potestatem dedisset, aut in quos?*

XXIII. Ex Oecumenico.

Theodoreti sententiæ supra relatæ accessit Oecumenius, eadem exponens verba Epistolæ ad Hebræos, *Ut sine De pro omnibus gustaret mortem: ita hoc accipiendum est, quòd sine Deo seu* exce-

excepto Deo, pro omnibus aliis mortuus sit Christus. Etenim non pro solis hominibus, sed & pro supernis virtutibus mortuus est, ut interstitium maceriæ dirueret, ac uniret inferiora supernis. Cui loco simile subdit illud ubi omnia Christo subjecta perhibentur, præter eum tamen, qui subjecit ei omnia. Itaque excepto Deo, qui nec egere potest, nec subjici, cætera omnia Christo medico egebant, cætera omnia Christo reparatori subjecta sunt.

XXIV. Septimo, qui Angelorum etiã redemptor dici possit Christus.

Septimò, redemptor etiam Angelorum Christus est, sed Sanctorum, sed qua Deus, sed quòd eos non jam lapsos, verùm ne laberentur, insuperabili beatæ charitatis robore & munimine anteverterit. Frustra sunt enim qui laborant gratiam illam, qua donati sunt primùm Angeli, vel qua postea in tutissimam gloriæ arcem invecti sunt, Christi hominis merito & dono imputare. Obluctantur enim Scripturis, obluctantur Patribus, obluctantur Ecclesiis, consonantissimè vociferantibus, peccato uni expiando servire exinanitionem Verbi. Deinde longè aberrant à scopo, qui gloriæ Christi decessurum aliquid imaginantur, nisi carni ejus debeatur; accessurum, si debeatur Angelorum salus & beatitas. An illi enim non satis est & superest ad gloriam, quidquid Deitatis est? An illi minus debetur, quod ut Deo tantùm debetur? An divinæ gloriæ deficeret quidpiam, nisi à carne humana mendicaretur? Præterea etsi Verbo Deo tribuenda sit salus Angelorum, carni tamen suæ hanc gloriam ille tam prolixè communicavit, quàm reliquam omnem suam, non gloriæ tantùm, sed & substantiæ opulentiam. Nam cum suammet hypostasin, cum suam Deitatis plenitudinem infudit carni, illam utique infudit salutis Angelicæ olim architectam & potentiam & sapientiam, affudit & consectariam potentiæ sapientiæque gloriam. An carni ergo non satis est & superest ad gloriam, quod ab influente Deitate adest? An non satis & plus satis est ad gloriam Christi hominis, ut tam verè author sit gratiæ salutisque Angelicæ, quàm verè Deus est, quàm verè Verbum est? An non plus satis est, ut tam propriam habeat, & ut suam sibi arroget gloriam salutis Angelicæ, quam suam propriamque habet hypostasin Verbi, & plenitudinem Deitatis? An alienum videtur illi carni, quod meræ Deitatis est, cum mera & tota Deitas illi carni insinuata sit? An intestina est illi carni Deitas tota, & peregrina tamen illi est aliqua Deitatis gloria? Quin imo ut intimior illi Deitas, quàm ipsa sibi est, ita intima illi est laus omnis propria Verbi Dei. Sive ergo Deitati, sive carni Verbi studeant, frustra sunt, qui magnificentius vel alteri vel utrique putant fore, si carni etiam sigillatim salus Angelica accepta feratur.

XXV. Quam totã PatrũTheologiam labefacten t. qui sanctorum Angelorum salutem Christi carni imputant.

Ad hæc accedit, quòd si per carnem operata sit Deitas Verbi salutem Angelicam, patritiæ atque Apostolicæ Theologiæ fundamenta penitus convelluntur. Perinde enim & humanam salutem extruere potuerit in extranea quapiam natura sibi copulata. At hinc quàm fœda Christianorum dogmatum labefactatio! Labat enim illud, quòd in natura victa vincendus fuerit victor diabolus. Labat illud, quòd illis vicerit, in quorum corpore triumphavit. Labat illud, quòd liberatum non sit, quidquid assumptum non est. Labat illud, quòd nisi veram carnem, animam, mentem induerit, hæc vel omnia vel singula sint in nobis salutis cassa & expertia. Labat illud, quòd nisi & animæ nostræ affectus susceperit, nec sanaverit, nec invicto justitiæ afflatu posthac asperserit. Labat illud, quòd inserenda homini Deitate & Deitatis sanctimonia & immortalitate, universam naturam hominum sanctitate atque immortalitate imbuerit. Labat illud, quòd quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse communicavit eisdem. Labat & illud, quòd venerit in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum. Atque omnia demum collabascunt fidei catholicæ adversus hæreticos munimenta, & impune jam insultabunt Manichæi, Eutychiani, Nestoriani, & cæteræ id genus pestes, quod quibus argumentorum machinis prostrati olim profligatique sunt, eas dissipaverint nunc homines Christi gloriæ, ut sibi videntur, studiosi. Sed ut hæresum expugnatoribus, Ecclesiæ vindicibus Patribusque minùs tribuant, qua se fronte Paulo Apostolo objicient, qui tam instantet urget, in quo tentatus est Christus, potentem esse, & iis qui tentantur, opitulari: urget debuisse per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret: urget Pontificem posse compati infirmitatibus nostris, pro similitudine quippe absque peccato tentatum per omnia. Hæc omnia in fumos vanescunt, si alteri naturæ per alterius assumptionem succurri potuit. Denique si ex humana, id est, extranea natura Angelis opitulatus est Christus, quin potiùs ex sua, id est, divina & Angelis & hominibus opem tulit?

XXVI. Bernardi suffragatio. Serm. 22. in Cantica.

Sed audiendus & unus instar omnium hìc est habendus Bernardus: *Quomodo in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, factum est autem quatenus esse inciperet & apud homines: sic nihilo minus in principio sapientia erat, erat justitia, erat sanctificatio & redemptio, sed Angelis: ut esset & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique, qui factus est, inquit, nobis sapientia à Deo; & non ait simpliciter, Qui factus est sapientia; sed, Qui factus est nobis sapientia: quoniam quod erat Angelis, factus est & nobis.* Quid his lucidius? Et illico: *At Angelis, inquit, quomodo fuerit redemptio non video, &c. Angeli nunquam redempti sunt, alii utique non egentes, alii non promerentes: illi quidem quia nec lapsi sunt, hi quia irrevocabiles sunt: quo pacto tu dicis Dominum Jesum Christum eis fuisse redemptionem?* Respondet continuò: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens. Et hac ratione fuit æquè utrique redemptio, solvens illum, & servans istum. Liquet ergo sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem; & nihilominus tamen hæc ipsa quatuor esse factum propter homines, qui invisibilia Dei nonnisi per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere possunt. Sic ergo omne quod erat Angelis, factus est nobis.*

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE HYPOSTATICA UNIONE VERBI DEI cum Humana natura, seu de Unitate personæ in Christo.

CAPUT I.

Circa nomina & definitiones naturæ & personæ, οὐσίας & ὑποστάσεως carptim aliqua prælibantur.

I. Quando apud Græcos & Latinos, vel procusa sunt, vel latius invaluerunt vocabula Personæ, Subsistentiæ, Usiæ Hypostaseos

OBservandum primò & ante omnia, quòd vix vocibus mentem, nec vix autem mente Deum assequamur. Id in causa fuit ut divina venerari magis quàm rimari, & animi tacita contemplatione quàm verborum strepitu Deitatis arcana attingere impensiùs laboraverint Ecclesiæ Catholicæ Patres. Ratum id ergo fixumque semper fuit, unum esse Deum Trinumque; sed quo tres communi nomine signarentur, ante Sabellianam hæresin, vix satis inter omnes convenerat. Tum primùm enim personæ, dein subsistentiæ nomen invectum est, quo Trinitas adversus insidiosum unitatis patronum pariter atque hostem defensaretur. Testatum id facit Facundus Hermanensis Episcopus: *Quanquam si quis rem diligenter attendat, & altius causam repetat, inveniet, quod non sic diximus, unus, pro una persona, sed potius, una persona, pro unus ex Trinitate, dicatur. Nam sic Ecclesia Christi, etiam cum necdum ad distinctionem Patris & Filii & Spiritus sancti uteretur nomine Personæ, tres credidit & prædicavit, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, sicut testimonio Joannis supra docuimus, quo dictum est, Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt. Personarum autem nomen, nonnisi cum Sabellius impugnaret Ecclesiam, necessario in usum prædicationis assumptum est: ut qui semper tres crediti sunt & vocati, Pater, Filius & Spiritus sanctus, uno quoque simul & communi Personarum nomine vocarentur. Deinde etiam subsistentiæ dictæ sunt; quoniam Ecclesiæ placuit, ad significandam Trinitatem, & hoc nomen distinctioni personali tribuere. Quæstio itaque aliquando de novo nomine Personæ & subsistentiæ fuit; utrum ad significandam Trinitatem, quæ Deus est, deberet admitti, sicut & ipsius Trinitatis nomen admissum est: non de eo quod semper tenuit & prædicavit Ecclesia, quia tres sunt, qui testificantur in terra, & hi tres unum sunt.* Hinc liquet ante Sabellii exortum nec Personæ, nec Subsistentiæ nomen communi Ecclesiæ usu tritum fuisse, nec aliud quodvis, quo communiter appellitarentur Pater & Filius & Spiritus sanctus, sed tres dumtaxat nuncupatos fuisse. Hinc rursus conjicere licet, ut apud Latinos tractatores hæc procusa sunt primò vel latiùs invaluerunt tunc duo nomina; ita apud Græcos fabricari cœpisse ea quæ his consentiunt τοῦ προσώπου καὶ τῆς ὑποστάσεως vocabula, & si qua alia discriminandis ab essentia divina personis dedicata sunt. Hinc adeo suspicari fas est, cùm Sabelliana pestis penes Græcos ebullierit, sævieritque, vix Occidentem afflaverit, priùs Græcos quàm nostrates in hanc novorum nominum incudem incubuisse. Hinc rursus conjicere est, cùm Personæ & Subsistentiæ nomina satis accuratè respondeant vocibus apud Græcos usitatis προσώπου & ὑποστάσεως, nec casu fortuito, nec hominum consilio contigisse hanc in utraque Ecclesiæ regione nominum & sententiarum concordiam, sed Spiritus sancti supernè aspirantis ope. Neminem enim præterit, qui annales Ecclesiæ à limine saltem salutarit, quàm graviter & quàm diu æstuarint super ea re Latinorum Græcorumque ingenia, cùm in speciem tantùm & verbo tenus dissiderent, concordarent reapse; idemque & sentirent & dicerent suo quique idiomate: sed quod vernacula lingua sonabant, idem ipsum extranea & incomperta prolatum ferè repudiarent. Hinc denique augurabimur non immeritò, hac nova vocum supellectile, nihilo ferè plus accessisse intelligentiæ. Nam seu tres simpliciùs, seu tres personæ, vel subsistentiæ vel hypostases vocitentur, pari propemodum inopia laboramus. Quid enim sint tres illæ personæ, æquè incompertum est, ac cùm tres tantùm dicebantur. Facta est itaque magis accessio vocum, quibus hæreticorum coarctetur fraudulentia, quàm sensuum, quibus Catholicorum collustretur intelligentia. Id perspicuè tradit Augustinus, ubi & ea confirmat, quæ Facundus suprà nos docuit: *Essentiam dico, quæ οὐσία Græcè dicitur, quam usitatius substantiam vocamus. Dicunt quidem & illi hypostasin, sed nescio quod volunt interesse inter usiam & hypostasin; ita ut plerique nostri qui hæc græco tractant eloquio, dicere consueverint μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, quod est latinè, unam essentiam, tres substantias. Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur cum dicimus essentiam, quod intelligitur cum dicimus substantiam, non audemus dicere unam essentiam vel substantiam, tres autem personas: quemadmodum multi Latini ita tractantes & digni authoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non invenirent, quo enunciarent verbis, quod sine verbis intelligebant. Revera enim cum Pater non sit Filius, & Filius non sit Pater, & Spiritus sanctus, ille qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit, nec Filius, tres utique sunt: ideoque pluraliter dictum est, Ego & Pater unum sumus. Non enim dixit, unum est, quod Sabelliani dicunt, sed unum sumus. Tamen cum quæritur, quid tres, magna prorsus inopia, humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres personæ, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.* Ubi innuitur adversus Sabellianos hac vocum fabricatione opus tum primùm fuisse, quibus tamen non magnoperè illuminata sit arcani inaccessi intelligentia. Innuitur rursus cùm Græcorum hypostasi non quadraret omnino vox latina substantiæ, post Augustini demum ætatem excogitatum esse vocabulum subsistentiæ, quod hypostasi consonaret, unde & ejus meminit Facundus.

L. I. (Facundus)

L. 5. de Trinit. c. 9. (Augustinus)

II. Vocabula Usiæ & Hypostaseos quàm tardè à Græcis discriminata sint.

Observandum 2. Non statim atque erupit Sabelliana hæresis, invaluisse, certoque & rato usu constitisse voces illas solennes, quibus Græci Latinive Patres naturam divinam à personis discrevere. Sed, quæ rerum humanarum fluctuatio est, alternatum est perdiu, nec nisi senescente quarto Ecclesiæ sæculo hypostasis nomen ab usia seu essentia discriminatum est; nonnisi desinente quinto aut ineunte sexto, Græcorum hypostasi, latinum substantiæ nomen adaptatum est. Postremum hoc abundè clarebit componenti ea quæ superiùs loca ex Augustino & Facundo excerpsimus. Priùs autem illud patescit ex Nicæna Sinodo, quæ hypostasin & usiam promiscuè usurpavit; ex Athanasio item qui Nicænæ Synodi lumen columenque fuit & vindex invictissimus. Nicæna Synodus in expositio-

positione fidei anathema intorquet iis qui dicunt, *Erat aliquando, quando non erat; & antequam nasceretur, non erat: & quia ex nullis extantibus factus est,* ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, *aut ex alia subsistentia vel substantia*. Ubi hypostasis & usia indiscriminatim sumuntur. Neque enim Ariani qui feriuntur eo fulmine, ab alia quàm Patris persona, sed ex alia essentia prodire Filium sentiebant. Deinde Athanasius cui indubitanter perspectissima fuit mens Synodi, nihil unquam discriminis illis vocibus interposuit. In Epistola ad Africanos: *Hypostasis est usia, neque significationem habet aliam, nisi hoc ipsum quod est, quam Jeremias vocat hyparxin, id est, extantiam, his verbis: Et non audierunt vocem extantiæ. Nam hypostasis & usia idem est cum extantia; est enim & existit*. Ubi hæc tria vocabula, οὐσίαν, ὑπόστασιν, ὕπαρξιν, confundit. Et rursum contra Arianos: *Ut autem unum est principium, & ideo unus Deus: ita planè ac revera una est, quæ verè est essentia, & hypostasis una, quæ dicit: Ego sum qui sum*. Ubi evidenter hypostasis & cum essentia confuditur, & una in Deo constituitur. Nolo in tricis nominum morosior esse. Hinc dilucidum planè fit, fidem quidem, quam Spiritus sanctus afflavit Ecclesiæ, unam, invariabilem, constanterque & ubique eandem semper viguisse; at verba quæ ipsi sibi homines procudere ad explicationem fidei compulsi sunt, tempore & labore plurimo elaboranda, calumniisque & contentionibus flagrantissimis tundenda priùs fuisse, quàm publica consuetudine & pace firmarentur.

Orat. 5.

III. Ex ignorato vel dissimulato discrimine naturæ & personæ, in diversos errores ierunt Sabellius & Arius, Nestorius & Euches.

Observandum 3. non ab alia fluxisse scaturigine errores omnes, qui Trinitatis & Incarnationis dogma sacrosanctum evertere adgressi sunt, quàm ex naturæ & personæ aut ignorato aut dissimulato discrimine. Cùm enim ineffabili & inexcogitabili, non incredibili tamen ratione; quid enim homini credibilius, quàm quod Deo dignius? quid autem Deo dignius, quàm quod humana mente superius? quid proinde tam intra fidem, quàm quod supra mentem humanam est? cùm inquam Trinitatem personarum unitas divinæ essentiæ dispenset fulciatque; hæreticorum tota colluvies unitate Trinitatem, Trinitate unitatem labefactare machinata est. Similiter cùm una Christi persona duas sustentet naturas, hanc pariter vel unitatem dilacerare, vel distinctionem comprimere moliti sunt Catholicæ veritatis hostes. Hinc Sabellius & Arius hinc Euthyces & Nestorius fædissimè aberrarunt, dum naturam non secernunt à persona. Omnes tandem profligavit non novitas vocum, sed fidei antiquitas. Quin omnes & sua debellavit novitas, & errorum inter se ipsorum compugnantia. Usque adeo enim contra Arium non sunt tres Deitatis naturæ, ut Sabellio nec tres videantur esse personæ. Usque adeo contrà quàm delirat Sabellius, non est una persona, ut Ario una non placeat natura. Rursus usque adeo non est duplex Christi persona, ut Eutyches unam permisceat naturam. Usque adeo denique non est una Christi natura, ut Nestorius dupplicem somniet personam. Ita suo falsitas induit se laqueo, & intestino dissipatur dissidio. Ita veritati patrocinatur falsitas; nec potest non vincere veritas, cui suffragantur, dum sibi invicem pugnant mendacia. Id pulcherrimè disserit Vigilius Episcopus & Martyr: *Sabellii & Arii, Manichæi & Photini, Nestorii & Eutychetis sententiarum dogmata conferamus, quibus eos ita sibi invicem extitisse contrarios invenimus, ut quod magis mirum sit, eorum error veritati testimonium dicat: & inconsonæ perfidorum sententiæ, in unum rectæ fidei modulum concinant, trophæumque nostræ victoriæ eorum cassa certamina gignant. Sabellii enim perfidia Arii damnat errorem; rursus Ariani dogmatis error Sabellii impietatem excludit. Siquidem Sabellius unius naturæ probabili quidem confessione deceptus, Trinitatis unam putavit esse personam: ut ex hoc quod trium una natura est, una intelligeretur esse persona. Contra Arius tres substantias atque distinctas, sicuti verè sunt, personas accipiens, tres eorum dissimiles credidit esse naturas, &c. Audiat Sabellius in tantum Patris & Filii & Spiritus sancti tres esse personas, ut eos Arius & potestate dissimiles, & natura adversos audeat profiteri. Audiat rursus hic idem Arius, in tantum Patrem & Filium & Spiritum sanctum unius potestatis uniusque esse naturæ, ut Sabellius unam eorum dicat esse personam. Malum ergo tuum, ò Arri, illius corrige malo: & malum suum de tuo corrigat malo, ut bonum quod uterque nobiscum tenetis, commune sit vobis.* Et aliquantò infrà: *Nestorius duas inducendo naturas, duas putavit esse personas, & ob hoc arbitratus est, eo ut sacrilego dogmate duos Christos induci. Eutyches respiciens unam personam, unam censuit esse naturam, & ob hoc humanam ausus est denegare, &c. In tantum ergo non sunt duo Christi, nec duæ personæ, ut Eutyches unam dicat esse naturam. Rursus in tantum non est una natura, sed duæ, ut Nestorius duos Christos, duasque personas dicat esse*. Planum est totam hallucinationem emergere ex non intellecto naturæ personæque discrimine.

L. 1. contr. Eutychen.

IV. Varia argumenta discriminis inter naturam & personam.

Dialog. 1.

Observandum 4. discrepare igitur vehementer naturam à persona. Id probat Joannes Maxentius, ex eo quòd humana, verbi gratia, natura in uno quolibet homine non tota consistat arcteturque ita ut non in alios fundatur, ergo distat natura communis ab particularibus seu à personis. *Natura humana quamvis tota in personas singulas derivetur, non tamen qualibet persona, aut unus homo, id est, individuus, tota probatur humanitas; alioqui nequaquam innumeri homines, sive personæ, generalis hujus humanitatis existerent. Discernitur ergo à natura persona, quia personæ unam rem individuæ naturæ significant; natura verò communem cognoscitur declarare materiam, ex qua plurimæ possent personæ subsistere. Quapropter omnis quidem persona simul naturam continet, non autem omnis natura personam æquè complectitur. Alioquin sicut tres personas, ita & tres naturas sanctæ & ineffabilis illius Trinitatis Catholici faterentur*. Assuitur altera hæc ratio, quòd in beata Trinitate triplex persona sit, natura una. Tertiam adfert Ephræmius Episcopus Antiochenus, inde petitam, quòd multæ sint naturæ, utputa aquæ, iræ, belli, & hujusmodi complures, quibus nemo Philosophiæ placitis initiatus, personæ nomen aut rem tribuerit. Et omnino naturis accidentium, quin imò nec substantiarum & animantium rationis expertium nec jus personæ nec nomen competit. Differt ergo persona à natura. *Nisi quod sciendum sit sæpius in entibus naturæ dici, non necessariò tamen adduci & personæ, veluti aquæ natura, iræ, belli, pugnæque. Ubi quæso aliquis è prædictis, ut naturam, ita personam temerè appellavit?* Quartam ibi statim subtexit rationem, quòd quilibet homo duplici componatur ex animæ corporisque natura, non autem duplici æquè constet persona aut hypostasi. *Dicimus singulos homines animæ naturam & naturam corporis habere: animæ autem personam vel corporis, vel animæ substantiam & corporis habere, ne fabulæ quidem finxerunt.*

Bibl. Photii Cod. 228.

V. Duo discrimina naturæ & personæ referuntur.

Observandum 5. duplex potissimùm interesse discrimen, quo natura à persona differat. Primùm quidem quòd natura sit commune quid & universale, videlicet species; at persona sit particularis & individua. Eo quippe dissident potissimùm Ecclesiastici à sæcularibus Philosophis, quòd hi naturæ & substantiæ nomen principaliter assignaverint individuis, consequenter tantùm & secundo gradu speciebus: illi ex adverso naturas, substantias, sive essentias primariò vocent species, ex consequenti autem individua. Unde Justinianus in confessione rectæ fidei adversus tria Capitula: *Non idem est natura ac subsistentia*, φύσις καὶ ὑπόστασις. *Omnes enim sancti Patres consonanter nos docent*

aliud

aliud esse φύσιν, ὐσίαν, μορφὴν, & aliud ὑπόστασιν & πρόσωπον. Et naturam quidem, vel substantiam vel formam, hoc quod est commune significare: subsistentiam verò sive personam, hoc quod est speciale. Et Theorianus in Dialogo adversus Armenios: *Ego plurimum in his extraneos ab Ecclesiæ doctoribus dissidere video. Nam illi eruditi homines exteri individuum sive hypostasin & unum numero, definiunt substantiam ὐσίαν. Quod sanè divini Patres non admittunt. Quippe illi Patres gubernati divinitus, substantiam & naturam ὐσίαν καὶ φύσιν, esse universalia dicunt, quæ scriptores exteri speciem vocaverunt. Quapropter in sacrosancta Trinitate naturam unam & unam substantiam, hypostases verò tres tradiderunt. Natura nimirum & substantia plures hypostases certè continent. Et hominum certè natura cum una sit, infinitas habet hypostases, puta Petrum & Paulum, & homines sigillatim universos. Aristoteles autem individuum & unum numero, sive hypostasin, propriè substantiam definiit, his verbis usus Substantia quæ propriissimè primùmque ac maximè sic dicitur, est quæ neque de subjecto quodam dicitur, nec in aliquo subjecto est, velut hic homo, vel hic equus. Quo igitur pacto fieri potest ut alieni ab ovili nostro, cum doctoribus nostris hac in parte concilientur: quum hi substantiam & naturam universale quiddam, illi singulare definiant?* Progreditur deinde Theorianus ad testimonia sanctorum Patrum congerenda, quibus idipsum, discrepare naturam à persona confirmatur. Leontius de sectis: *Sciendum ergo quod ὐσία & φύσις idem est apud Patres; & similiter ὑπόστασις & πρόσωπον; & ὐσία, φύσις apud ipsos est quod Philosophi vocant εἶδος, id est, speciem; & species est quæ de pluribus ac numero diversis prædicatur: ὑπόστασιν autem & πρόσωπον vocant, quod Philosophi ἄτομον ὐσίαν, id est, individuam substantiam. At rectè quidem adjecimus individuam substantiam. Nam Ecclesiastici scriptores accidentium individua nec personam vocant, nec hypostasin.* E Latinis unus prodibit Boethius libro de duabus naturis & una persona Christi: *Peritior Græcia sermonum ὑπόστασιν vocat individuam substantiam; atque uti Græca utar oratione in rebus quæ à Græcis agitatæ latina interpretatione translatæ sunt, αἱ ὐσίαι ἐν μὲν τοῖς καθολικοῖς εἶναι δύνανται, ἐν δὲ τοῖς κατὰ μέρος μόνοις ὑφίστανται, id est, essentiæ in universalibus quidem esse possunt, in solis verò individuis & particularibus substant.*

Act. 1.

Alterum discrimen naturæ & personæ petitur ab accidentium congerie, quæ soli affunduntur personæ. Theorianus in Dialogo adversus Armenios: *Hypostasis est res existens & substantialis, in qua congeries accidentium tanquam in uno subjecto, re & effectu existit. Itaque ὐσία est ipsa res quæ est; hypostasis verò tum id quod est, tum quæ in eo veluti per accidens considerantur.*

VI. Ex Boethio cõfirmatio antedictorũ & personæ definitio.

Observandum 6. luculentè Boethium libro suprà laudato hæc omnia nomina dispescuisse, Græcis coaptasse Latina, singulisque suos fines delineasse: *Idem est igitur ὐσίαν esse, quod essentiam. Idem ὐσίωσιν, quod subsistentiam. Idem ὑπόστασιν, quod substantiam. Idem πρόσωπον, quod personam. Quare autem de irrationalibus animalibus Græcus ὑπόστασιν non dicat, sicut nos de eisdem nomen substantiæ prædicamus, hæc ratio est, quoniam nomen hoc meliori applicatum est. Est igitur hominis, &c. ὐσία quidem atque essentia, quoniam est, ὐσίωσις verò atque subsistentia, quoniam in nullo subjecto est: ὑπόστασις verò atque substantia, quoniam subest cæteris quæ substantiæ non sunt: πρόσωπον verò atque persona, quoniam est rationabile individuum.* Constat usu etiamnum nostro hæc tota Boethii doctrina, nisi quòd substantiam magis ad naturam, subsistentiam ad personam detorsimus. Ex supradictis autem liquet promiscuè haberi nobis ὐσίαν, φύσιν, μορφὴν, εἶδος, seu essentiam, naturam, formam, speciem, substantiam, iisque naturam communem denotari. Rursus indiscriminatim accipi ὑπόστασιν & πρόσωπον, seu subsistentiam & personam quibus individua indigitantur. Postremò definit ibidem Boethius personam: *Quocirca si persona in solis substantiis est, atque in his rationalibus: substantiaque omnis natura est, nec in universalibus; sed individuis constat, reperta est personæ definitio, naturæ rationalis individua substantia. Sed nos eam quam Græci hypostasin dicunt, hac definitione terminavimus.* Itaque arceantur nomine & jure personæ sive hypostaseos naturæ communes, accidentales, irrationales; gaudebit hoc nominis honore natura quæcumque erit substantialis, rationalis, singularis seu individua.

CAPUT II.

Unionum genera à Nestorio ad dissuendam personæ in Christo unitatem excogitata referuntur & refelluntur.

I. Refellitur à Cyrillo Nestorius, Pro unione physica, seu hypostatica, inducens conjunctionem accidẽtalẽ.

Unionis nomen minùs arrisit Nestorio, quàm coaptationis, sive consociationis. Itaque cum sancti Patres duarum in Christo naturarum ἕνωσιν factam pronunciassent, ille maluit συνάφειαν dicere. Quod nimirum illo, quàm isto nomine arctior unitas stringeretur. Cyrillus dialogo, Quod unus sit Christus, *Cur autem rejecto nomine unitatis, quum alioqui sit usitatum nobis ipsis, imo verò à sanctis Patribus ad nos fluxerit, conjunctionem potius vocant?* Et paulò pòst: *Fraudulentissimè igitur unum & natura, & verè Filium, hominem factum atque incarnatum, distinguentes in duo, repudiant quidem τὴν ἕνωσιν, vocant verò συνάφειαν, quam fortasse etiam alius quispiam cum Deo habet, utpote virtute ac sanctificatione tantum non ei colligatus.* Idcircò igitur respuebat unionem sive unitatem, conjunctionem verò ingerebat, quòd Christum in duos secaret filios, & in duas hypostases partiretur. Illa enim conjunctio sive συνάφεια ejusmodi est, qua quoslibet homines pietas & sanctimonia Deo conglutinat consociatque, non autem Deos facit. Sed quid illo suo συναφείας portento moliretur Nestorius, quid detestaretur Ecclesia, declarat expressius Cyrillus: *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eas connectens inter se ea tantum συναφείᾳ, quæ est secundum dignitatem, vel authoritatem, vel potestatem, & non ea potius quæ est καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, anathema sit.* Anathematismo 5. Quo & Nestorii insaniam & fidem Ecclesiæ elucidavit Cyrillus, & eas antevertit cavillationes, quibus ipsum postea Theodoretus aliique lacessiverunt. Cùm enim crebriùs inculcasset Cyrillus factam esse naturarum σύνοδον, συνδρομὴν; urgebat Theodoretus ecquid interesset inter ista unionis nomina seu genera, quæ ingerebat, & συνάφειαν, quam insectabatur: occupaverat planè Cyrillus his nominum tricis & cavillis eximere se, & palam facere quid in naturarum συναφείᾳ refutaret Ecclesia, quid in συνόδῳ vel συνδρομῇ vel ἑνώσει constitueret. Refutari enim eam conjunctionem, qua ad societatem quandam dumtaxat & consortium dignitatis, authoritatis vel potestatis coaptaret sibi Deitas humanitatem; desiderari verò eam qua naturaliter seu physicè illam sibi adunaret, ut postea exponetur, hoc est, substantivè & hypostaticè.

II. Rursus de eodem.

Solenne rursus Nestorio fuit naturas in Christo duas colligare non aliter, quàm per σχέσιν, id est, relationem, habitudinem, affectum, cognationem sive per μέθεξιν σχετικὴν, ἕνωσιν σχετικὴν, uti refert improbatque Cyrillus Epistola ad Nestorium de excommunicatione, *Unus itaque est Christus, & Filius & Dominus, non ita quasi homo, eam tantum cum Deo conjunctionem sortitus, quæ in sola dignitatis vel authoritatis unitate posita sit. Non enim honoris æqualitas naturas unit, &c. Nec*

rursus κατὰ σχετικὴν μέθεξιν, *quomodo nos Domino cohæremus, unusque, ut scriptum est, cum eo spiritus efficimur*. Et alibi: *Ab hac fide prorsus diversa est perversa Nestorii opinio. Nam simulat se confiteri Verbum, quod Deus erat, incarnatum esse, & hominem factum; sed vim incarnationis ignorans, duas quidem naturas appellat, sed alteram ab altera disjungit, Deum seorsim ponens, & hominem quoque seorsim, quem putat* συναφθέντα Θεῷ σχετικῶς, *conjunctum Deo per habitudinem quandam ex sola honoris vel authoritatis æqualitate*. Ubi σχέσις & συνάφεια rediguntur ad eundem penè sensum, nempe ad copulam quandam extimam, & socialem, consortiumque honoris & potestatis, quod sola amicitia consciscì potest.

Epist. 2.

Eodem spectabat & jactata à Nestorio ἀναφορὰ seu relatio, ex qua propter Deum utcumque insidentem sibi humanitas coleretur. Vide Cyrillum dialogo, Quod unus sit Christus, &c.

Ex illa autem umbratili confæderatione, utriusque naturæ, sive illam συνάφειαν, sive σχέσιν, sive ἀναφορὰν appellitaret Nestorius, liberaliter deinceps ex divinitate in humanam Christi naturam derivabat ἰσοτιμίαν, ἰσότητα τῆς ἀξίας, αὐθεντίαν, δυναστείαν, τῆς υἱότητος ὁμωνυμίαν, seu æqualitatem honoris, authoritatis, & potestatis, Filii etiam nomen. Vide Cyrillum in Scholiis & alibi.

Epist. 1. & 4.

Inde etiam manabat ἡ ταυτοβουλία, seu consensio voluntatis, ut exponit mentem Nestorii Cyrillus in Epistolis, ubi hanc appellat conjunctionem, κατὰ θέλησιν μόνην καὶ εὐδοκίαν.

Postremò nihil magnificentius de hac Dei hominisque copulatione exprimere sibi potuit Nestorius, quàm ut eam appellaret ἕνωσιν προσώπων, constitueretque in Christo duas quidem hypostases, sed ἓν πρόσωπον, id est, duo supposita, unam personam. Cyrillus: *Prodest autem nihil orthodoxæ fidei, etiamsi* ἕνωσιν προσώπων, *unitatem personarum prædicent aliqui. Non enim dicit scriptura, Verbum hominis personam sibi associasse, sed carnem factum esse*. Idem Epistola ad Valerianum, *Simulant enim unum se Christum & Filium confiteri, unamque ipsius personam*, ἓν πρόσωπον *esse dicunt; sed rursum cum in duas hypostases distinguant invicem disjunctas atque diversas, mysterii doctrinam prorsus pervertunt*.

Epist. 4.

Firmabat imprimis personatam istam potiùs, quàm personalem naturæ divinæ & humanæ unionem inhabitatio & operatio Verbi, humanitatem ut templum insidentis, & ut instrumentum admoderantis. Cyrillus alibi sæpè ἐνέργειαν convellit eam qua sola maximè constare incarnationem ille garriebat.

L. 4. contra Nestorium.

III. Nestorianæ conjunctionis commenta referuntur & cōfutantur à Maxentio.

Illa ferme omnia commentitiæ unionis figmenta complexus & detestatus est Ioannes Maxentius in Confessione fidei: *Horum igitur sanctorum Patrum doctrinam sequentes, abominamur omnia eorum deliramenta, qui Filium Filio copulatum, aut alterum inhabitantem in altero, alterum autem alteri confitentur unitum, secundum affectum, aut gratiam, aut dignitatem, aut æqualem honorem, sive authoritatem, aut secundum connuncupationem aut concordiam, aut illustrationem, sive secundum inoperationem, aut personalem factam credunt unitionem*.

IV. Itē à quinta Sinodo. Collat. 8. Can. 4.

Prolixiùs aliquantò & enucleatiùs dogma catholicum à Nestoriano commento sejungit quinta Synodus: *Si quis dicit secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqualitatem honoris, vel secundum authoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, vel secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, eo quod bene visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit: vel secundum homonymiam per quam Nestoriani Deum Verbum Filium & Christum vocantes, & hominem separatim Christum & Filium nominantes, & duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem & honorem & dignitatem & adorationem, unam personam & unum Filium & unum Christum confingunt dicere. Sed non confitentur unitatem Verbi Dei ad carnem animatam anima rationabili & intellectuali, secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de sancta Trinitate, talis anathema sit*. Non potuit distinctiùs & accuratiùs fides ab errore, sanitas ab ulcere discindi.

V. Refellūtur ea copiosius à Cyrillo. Ac primo, quod ex Nestoriana exmentatione Verbum nō exinanisset seipsum.

Libet hìc autem adulterina hæc omnia Nestorianæ unitionis nomina, unius Cyrilli argumentis dissipare, tum brevitatis ergo, tum maximè ut ejus genio styloque adsuescamus, quem unum præ cæteris incarnationis adyta penitissima introspexisse ac propalasse existimamus.

Primò igitur si non substantialiter infudit inseruitque se limo nostro persona Verbi, sed dignitatis splendorisque sui auram aliquam dumtaxat illi adradiavit, imo quantumlibet illi consortium impertivit authoritatis, potestatisque suæ, non ergo semetipsum exinanivit Deus, sed nos sublimavit: amplitudinem nobis contulit, non sibi abstulit: plenitudine sua nos perfudit, non inanitate nostra se vacuefecit. Nam & hominum si quis quempiam ad honoris secum adsciscat societatem, clarescere inde magis quàm obscurari solet. Cyrillus dialogo Quod unus sit Christus: *Universum œconomiæ in carne mysterium plane in contrarium mutabitur. Neque enim Deus natura existens & ex Deo Verbum, seipsum ad exinanitionem demisisse cernitur, neque humiliaverit semetipsum: sed è contrario relatus quidem fuerit homo in Deitatis gloriam, inque excellentiam omnium supremam: acceperit verò formam Dei & exaltatus fuerit, assessor Patri factus*.

VI. Verbum fieret carnis hospes, non caro.

Secundò per extimam illam & ludificatoriam Nestorii incarnationem haudquaquam id consequemur, ut Deus fiat homo, sed ut fiat hominis habitator: nec ut Verbum fiat caro, sed ut carnis fiat hospes: quando illi sola religatur inhabitatione. At nihil hìc valdè foret eximium, cùm pios quoslibet insideat & inhabitet Deus. Cyrillus ibidem: *Neque enim ut videtur, Verbum caro factum est, sed* ἀνθρωποπολίτης, *hoc est, hominis incola; & conveniens fuerit illum non hominem, sed humanum vocare: quemadmodum & qui Nazaret habitavit, Nazarenus dictus est, non Nazaret. Quin imo nihil prorsus obstiterit, si commentum illorum verum est, hominem vocari una cum Filio etiam Patrem & Spiritum sanctum. Habitat enim in nobis per Spiritum sanctæ & consubstantialis Trinitatis plenitudo. Unde & Paulus inquit, An nescitis quod templum Dei estis, & Spiritus Dei inhabitat in vobis? Quin & ipsemet Chistus, Si quis amat me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus, & mansionem in ipso faciemus. Cæterum Pater nulla ratione dictus est homo, ut nec Spiritus sanctus, quia in nobis habitarunt*. Ubi præterea innuit Cyrillus id consequi ex Nestorii vesania, quòd æquè Pater ac Filius incarnatus esset, quia & ipse humanitatem Christi inhabitavit. Consequi item toties incarnari totam Trinitatem, quoties justitiam homo quispiam adipiscitur. Tum enim animi hospitio totam excipit Trinitatis Deitatem.

VII. Verbum inhabitaret carnem, ut templum, sed corporaliter, hoc est ut corpus suum anima.

Tertiò seponenda igitur Christo est sua prærogativa, qua ipsum inhabitavit tota plenitudo divinitatis corporaliter: hoc est, non utcumque, non extimitus, non mobiliter, sed corporaliter, id est, ut anima corpus suum implet. Ita enim anima corpus insidet, ut inde fiat homo; ita ergo & Deitas insideat humanitatem, ut inde fiat Christus. At non ita homo domum insidet, ut inde unum fiat

quid-

Epistol. ad Nest. de excommunic.

quidpiam: ita ergo & sanctos Deus insideat, aut etiam meliusculè. Cyrillus, *Nam licè Verbum in nobis habitarit, omnemque divinitatis plenitudinem corporaliter inhabitare in Christo literis alicubi proditum sit: attamen non ita in illo habitavit, ut in sanctis habitare dicitur. Habitavit autem eatenus in illo quatenus caro factum est: talemque ferè carni secundum naturam unitum, non etiam in carnem versum, in ea habitationem constituit, qualem in suo corpore hominis anima efficere consuevit.* Quod præclarè demonstrant gemina illa Scripturæ loca. Nam in nobis quidem habitavit, sed in Christo non habitavit tantùm, sed caro factum est Verbum. Rursum ubi inhabitasse Deitas in Christo perhibetur à Paulo, ea adjiciuntur quibus illa inhabitatio supra alias evehatur omnes, cùm dicitur in eo habitasse plenitudo Deitatis & quidem corporaliter. Nos enim inhabitat, ut domum; Christi carnem inhabitat, ut corpus suum. Nos inhabitat Deitatis particula magis quàm plenitudo, at Christum tota plenitudo Divinitatis.

VIII.
Mundū redimeret homo magis, quam Deus, si Christus homo esset Dei hospes, non Deus.

Quartò, non extollenda usque adeo fuisset Dei dilectio, si restituendæ saluti nostræ, non proprium sed ascititium, non naturalem sed adoptitium largitus esset filium? Quid magnoperè enim mirandum est, si creaturam creaturis, si adoptivum adoptivis donavit. Quin imo salus jam mundi non tam Deo, quàm mundo ipsi authori adscriberetur. Se enim ipsum parte sui aliqua præstantiore reliquas instaurante redintegrasset. Cyrillus dialogo Quod unus sit Christus: *Ita enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Quum verò Dei ac Patris dilectionem erga mundum ita extollat, & immensam atque inexhaustam fuisse dicat: cur hæretici hanc elevant atque imminuunt, dicentes non verum Filium pro nobis datum esse, sed quemdam ex nobis per gratiam in filium adoptatum, eumque in naturalis Filii locum attollentes? Quum sit unigenitus, qui pro nobis datus est. Præterea quum Joannes apertè scribat: unigenitus Deus qui est in sinu Patris, quomodo non admiretur quispiam illorum imperitiam, qui ab administratione in carne unigenitum Dei Verbum excludant: ac potius alium quendam ut dixi introducant, extrinseca atque ascititia gloria splendidum, adventitioque Deitatis nomine præditum? Deinde quidnam eximium, aut magnoperè admirandum in dilectione Patris esse censeatur, si partem quandam mundi atque illam quidem exiguam pro ipso dedit? Quin etiam hoc fortasse rectè dici poterit, redemptum esse mundum nihil habentem à Deo, sed suas ipsius partes redemptioni inseruisse.* Difflatur planè tota illa divinæ in nos charitatis exaggeratio, si redimendis servis servum, adoptivis adoptivum, creaturis creaturam impendit; si restituendis omnibus unum ex omnibus, si toti mundo reparando mundi partem insumpsit; si denique non Deus ipse, nisi extrinseco favore affuit, sed nostram salutem merus homo sui sanguinis impendio paravit.

IX.
Meri hominis sanguine, ut impari pretio, non posset redimi genus humanum.
L. de recta fide. pag. 98. 101. 123.

Quintò nec satis tutò fundata esset humani generis redemptio, si meri hominis quantolibet divini nominis honorisque fulgore circumfusi sanguine pacta fuisset. An enim pretium illùd est omnibus par? An tanto vel tantillo constamus omnes? Cyrillus Dialogo Quod unus sit Christus, *Neque enim communem ac vulgarem hominem tradidit Deus pro nobis instar mediatoris assumptum, & afficta Filii gloria præditum, & σχετικῇ συναφείᾳ honestatum: sed omnem creaturam exuperans Verbum, ex essentia ipsius genitum, nostri simile propter nos factum, ut cerneretur omnium vitæ pretio par, τῆς ἁπάντων ζωῆς ἀντάξιος.* Et alibi, *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. Redempti enim sumus, Christo proprium pro nobis corpus impendente At si ut homo vulgaris mente concipiatur, quomodo illius corpus vitæ omnium æstimationem ad dignitatem exæquat? Si autem Deus erat carne indutus, qui omnibus dignior est, sanè cumulatissimum per illius sanguinem pretium pro totius mundi salute impensum est, & satis decenter.* Et infrà, *Qui redemptionem dedit seipsum pro nobis, &c. At si Christus suapte natura Deus non est, quomodo ipse solus suffecerit, ut omnium sit ἀντίλυτρον? At qui solus super omnes est, omnium causa mortem perpessus, solus pro omnibus satisfecit.* Et infrà: *Pretium pro universorum peccatis nequaquam sat magnum fuisset, si purus homo tantum extitisset. Quod si ut Deus incarnatus, propriaque in carne mortem perpessus mente concipiatur, universa creatura modicum quid erit ipsi comparata: adeo ad humani generis liberationem unius carnis mors abundè sat fuerit; propria enim erat Verbi, quod ex Deo natum est.* Nulla creatura singularis, tantidem est pretii, quanti universa; nulla pars exæquat totum; unus homo quantus quantus æstimetur, generi universo par erit nunquam. Quantislibet circumfluat gratiæ donis, mera creatura est, adeoque ejus non est valoris, ut vel à Deo redimente, vel pro mundo redimendo pendi par sit. Nec permagni jam seipsum faceret homo, qui tanti emptus esset; nec servitutem peccati magnoperè exhorresceret, à qua rursum vilis creaturæ impendio solvi posset.

X.
Non esset vivifica Christi caro, nisi vitæ ipsi substantivè adunata.

Sextò, nec vivifica evasisset Christi caro, si exteriori tantùm contubernio affuisset illi Deitas, nec medullitus & substantialiter inserta illi fuisset ipsa Verbi vita. Cyrillus dialogo jam sæpiùs laudato, *Nisi enim immediatè propria Verbi facta sit caro, quæ ipsi ineffabiliter supraque omnem intellectum unita est, quomodo censeri possit vivificans? Ego enim, inquit, sum panis vivificans qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. At si est caro Filii ab ipso diversi, κατὰ συνάφειαν σχετικὴν οἰκειωθέντος αὐτῷ, & gratia asciti ad æqualitatem honoris, quo pacto suam vocat mentiri cum nesciat? Quomodo autem alterius cujuspiam caro vivificare queat mundum: nisi facta sit propria vitæ, nimirum Verbi ex Deo Patre geniti, de quo Joannes ait, &c. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Et paulò pòst: *Neque enim alia ratione caro vivifica effici potest, quam secundùm propriam suam naturam corrumpi atque interire necesse erat, nisi propria facta esset Verbi omnia vivificantis. Hoc enim pacto operata est, & præstitit quæ ipsi Verbo sunt propria, vivificanti ipsius virtuti conversata. Et quidem mirum non est. Nam si verum est quod ignis, circa materiam aliquam versans, eam quæ ex natura sua calida non est, calidam efficit, immittit enim ei abundè facultatis, qua præditus est, efficaciam: quo pacto non immittit potius Deus Verbum propriæ carni vivificantem suam virtutem atq; operationem?* Quomodo caro Christi vita est, si nec vitæ est, sed alicujus hominis cui cum vita & Verbo multa familiaritas. Quomodo caro suapte natura vitæ expers, emortua & corruptibilis, non tantùm vita imbui, & corruptioni eximi potest, sed vitæ & incorruptionis scaturigo fieri, nisi vitam incorruptibilem Verbi intimitus hauriat, & caro vitæ propria fiat? An enim extima tantùm vitæ divinæ congressio id illi præstabit, ut ex ejus sinu intimo vita scaturiat; an vitæ non intùs affluentis, sed circumambientis contubernium id efficiet, ut inde vita exundet tanta, quanta universo orbi ab interitu ad vitam incorruptibilem vindicando sufficiat.

XI.
Alimonia immortalitatis nō erit Christi caro, si meri hominis caro sit.
Epi. ad Nest. de Excom.

Septimò deperit nobis mysteriorum honor, incruenti sacrificii tremenda victima sordescit, putescit alimonia immortalitatis, si hominis magna ubertate gratiæ affluentis, sed hominis tamen meri caro objicitur, Cyrillus. *Illud quoque non possum non adjicere, & incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas eulogias accedere.*

dere, eaque ratione sanctificari, utpote sacræ carnis & pretiosi sanguinis Christi Salvatoris nostrum omnium participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem suscipimus, absit hoc: neque rursus tanquam viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis tantum æqualitate Verbo consociati, aut divinam inhabitationem sortiti; sed tanquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam. Nam cum vita sit ut Deus secundum naturam, simul atque unum quiddam cum ipsa sua carne effectum est, mox vivificandi virtutem illi contulit. Et alibi rursum: *An verò qui visibilem illum, tanquam alium quemdam esse filium, & Christum præter illud ex Deo Verbum asserit, non is nostrum mysterium antropophagiam efficit, cum ad exoletas cogitationes mentem fidelium nefariè perducat, eaque humanis subjicere rationibus conetur, quæ sola & indubia fide capiuntur? Neque enim quia minimè editur divinitatis natura, propterea commune dixerit quispiam sanctum Christi corpus. Scire autem operæ pretium est, quod, sicut suprà dictum est, proprium est corpus ejus Verbi, quod omnia vivificat. Quoniam autem est corpus vitæ, vivificum est: propterea namque mortalibus nostris corporibus largitur vitam, & mortis imperium evacuat.* Anthropophagia hæc planè foret, si quamlibet sanctus, nudus tamen homo esitaretur. Quid enim nobis ejus prodesset sanctitas? hominis quippe sanctitas ad id valet. ut ipse sanctus sit, non ut alios sanctificet. Deus unus est sanctitas sanctificans; homo particeps sanctitatis est, non ipsa sanctitas est, cujus cæteri fiant participes. Quantælibet ergo sanctitatis homo etsi cibus nobis esset, sanctitatis nec minimum degustaretur. Deinde esurientibus justitiam, sitientibus veritatem, meri hominis carnes obtrudere, quid solatii demum, quid lenimenti id afferret? Denique qui nos illa Deo conglutinaret esca, qui Dei aliquando plenius fruendi gustum anticipatè daret, qui Deos efficeret, qui immortalitatem nostris ipsis corporibus clam inseminaret, qui vitam mentibus inspiraret & sanctimoniam, nisi Deitatem ipsam carni insertam implicatamque gestaret?

In Apolog. adversus Orient.

XII. Cum virus peccati intus serperet insinuanda intimè & altissimè fuit divinitas, nõ extimitus alliganda.

Octavò, nisi ipsa Deitas Verbi physicè & substantialiter humanitati se nostræ inseruisset, corruptelam peccati & mortis animæ corporique nostro infixam, altiùsque inolitam & irradicatam eximere atque extirpare neutiquam potuisset. Nam cùm morbi lues penetralia populatur, si consilium est non subsannare, sed persanare, non forinsecus apponenda, non extimitus ipsi affricanda cuti, sed infundenda visceribus ipsis medicina est, ut intestinos pervadens sinus, inhærentem mali virulentiam ejiciat. Expungendæ ergo peccati mortisque pesti, quæ medullas ipsas jam olim nostras depascebatur, Deitatis incorruptio & sanctitas insinuanda fuit ac insolubiliter illiganda humanitati nostræ; non ut Nestorius delirabat, forinsecus adjungenda. Cyrillus Epistola ad Successum: *Adserimus igitur ex Adam prævaricatione humanam naturam in corruptionem incidisse: cumque animus noster voluptatum carnis, ac motuum insitorum tyrannico dominatu premeretur, necessarium ad salutem fuisse nobis qui in terris degimus, Dei Verbum hominem fieri, ut humanam carnem corruptioni subjectam & voluptatum cupiditate laborantem propriam faceret: & cum vita sit ac vivificator, destrueret corruptionem quæ illam invaserat, & insitos motus ad concupiscentiam ac voluptatem pertrahentes compesceret. Hac namque ratione mortificari poterat in nostra carne peccatum. Meminimus etiam beatum Paulum appellasse legem peccati insitos in nobis voluptuarios motus. Quapropter quia humana caro facta est Verbi propria, desiit jam corruptioni succumbere: & quia tanquam Deus peccatum non fecit, cum eam sibi univisset, ut dixi, propriamque fecisset, desiit etiam ipsa voluptatibus & cupiditatibus subjacere. Neque hoc sibi acquisivit Unigenitum illud Dei Verbum, est enim semper idipsum quod est; sed proculdubio nobis.*

Epist. 1.

Nam si ex Adæ prævaricatione facti sumus malis obnoxii, evenient etiam nobis utique bona quæ in Christo sunt, incorruptio scilicet peccatorumque mortificatio. Factus est igitur homo, non hominem assumpsit, ut Nestorio placet.

Nonò, ludificatorium planè est, quod Nestorius unam personam seu ἓν πρόσωπον & duas hypostases in Christo constituebat. Nam si duæ hypostases sunt, seorsimque subsistunt, hinc Filius Dei, hinc Filius Mariæ, & sociali tantùm confœderatione ac contubernio, honorumque & dignitatis consortio colligantur, duæ ergo etiam personæ sunt. Nam & duo inter se homines confœderari & cohærescere ad eundem modum possunt, nec tamen his vinculis in unam religabuntur personam. At Scripturæ passim inclamant, nostræ medicinæ ratio id desiderat, vis veritatis ipsi Nestorio id extorquet, opus fuisse, ut Deus homo fieret, & in unam divina humanaque coalesceret natura personam: ergo non duæ hinc & hinc post unionem fuere Dei hominisque hypostases, sed una ex ambabus naturis hypostasis exultavit; hoc est, non levioribus illis quibus honorum dignitatumque societas stringitur, sed adamantinis planè vinculis Deitas humanitasque in unam naturalem hypostasin coaluere. Cyrillus Epistola ad Valerianum: *Deinde ubinam tandem dic mihi una persona erit? Nam unam duntaxat personam se statuere fingunt. Sed duabus hypostasibus per se & seorsim positis, omnino duæ quoque personæ erunt. Verum ingrediuntur ut legislatores: quod sibi videtur, quasi etiam rectum sit, ratum habentes omnino. Nam secernendo hypostases, inquiunt, unimus personam. Atqui quomodo id non est incredibile, & stultum, & impossibile? Nam quod ad contemplationem attinet, quivis facilè intelligit carnem alterius esse substantiæ à Verbo quod ipsi conjunctum est. Sed quia divinæ Scripturæ unum Filium & unum Dominum & unum Christum nobis tradiderunt, & ita quoque & non aliter habet fidei traditio: Ideo nos Dei Patris Verbum indissociabili unione cum sua carne anima intelligente prædita conjungentes, unum tantum Christum & Filium esse confitemur. Et quemadmodum unus tantum est Christus & Filius, ita unam tantum personam ipsius asserimus.* Scilicèt una Christo persona vindicanda est in hunc modum, quia unus est Christus, unus Filius, unus verè & substantialiter unus; non autem quòd duo Filii & duo Christi consocientur, & alter alteri insideat, unitatemque fucatam & personatam simulet. Et rursus idem Cyrillus: *Hypostasibus verò, ut tu ais, in duo divisis & seorsim ac privatim existere intellectis, quomodo congressus in unam personam fiet, nisi unum alterius esse quodammodo proprium dicatur, ut nimirum humanæ animæ proprium intelligitur ejus corpus, quamvis diversæ sit ab eo naturæ; neque enim idem est anima & corpus, &c. In Emmanuele quia Deitas proprium quiddam est ab humanitate, nisi dixerimus proprium factum fuisse corpus ipsius Verbi, per veram unionem, quomodo una absolvetur ex utroque persona, cùm utraque hypostasis propriam habeat, utpote seorsim posita? Et si id quod sumptum est, non sit proprium assumentis factum, non satis erit conjunctio per simplicem dignitatis solius & authoritatis coitionem, ad unum ac solum nobis Christum absolvendum, qui idem simul Deus sit & homo.*

XIII. Non potest in Christo una persona constitui, nisi & una hypostasis statuatur.

Pag. 179.

Decimò, per hoc fictitiæ unitatis ludibrium non unum nobis Christum, sed duos obtrudit Deos Nestorius, alterum natura, alterum copula; illum jure, hunc consortio; illum re, hunc nomine; ita tamen ut utrique pendendus uni Deo cultus dependatur. Quo flagitiosius nihil effutiri potuit. Ita demum enim fides unitatis Dei fundatissima convellitur, quam natura præcordiis inscribere antevertit: reviviscit idololatria, & creatura cum Creatore vel pro Creatore colitur; ita Deum recentem nobis confingimus, & æternitatem, qui census divinitatis est proprius, labefactamus. Ita denique latissi-

XIV. Duos Deos obtrudit Nestorius.

latissimam pandimus viam, qua creaturarum colluvio in divinum nomen & in honores non dispares insiliat; nonnullius cum Deo gratiæ & copulationis obtentu. Hæc sunt crimina, hæc portenta Nestoriani furoris. Cyrillus: *Duos nobis prædicat Deos, unum secundum naturam & veritatem, illud nimirum ex Deo Patre Verbum; alium verò præter hunc, qui simul cum eo Deus appelletur. Ut enim nemo nostri generis dicitur cum seipso & solo conversari, sed cum altero conversatur, &c. Duo prorsus erunt, & alter secundùm naturam Deus, alter verò proculdubio cùm id solum habeat, ut simul cum eo vocetur Deus, idque extrinsecus & acquisitum, recens nobis Deus extitit. Num ergo mentitur ille, naturæ & verè universorum Deus, cum dicit, Si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Et ibidem effugium Nestorii intercludens: *Sin assumptionem istam seu conjunctionem esse dicis externam ac relativam, quomodo non advertis in nobis etiam esse Deum, & nos illi conjungi relativè, & participes nos factos esse divinæ ejus naturæ. Psallit certè beatus David, Adhæsit anima mea post te. Ergo nos quoque ex sententia simul cum illo ex natura Deo dii erimus, atque vocabimur, nobisque flectetur omne genu.*

L. 2. advers. Nestorium.

XV. Non potest in societatē honoris divini adoptari persona creata.

Undecimò, nihil stolidius illa honoris authoritatisque & potestatis consociatione, quam commentus est Nestorius. Quàm iniquum enim est homini mero divinos honores aggerari; creaturam divina potestate onerari & obrui, magis quàm ornari; exæquari hominem Deo, & pari cum eo authoritate imperitare! Ita susdeque vertuntur omnia, ima summis, cælum terræ miscetur. Cyrillus ibidem: *Quomodo igitur dic mihi una adoratione putas adoranda, quæ inter se sunt adeo inæquali natura & essentiæ ratione, adeò diversis differentiis abjuncta. An vero si ornamenta hominis equo circumponas, quidquam efficies quod illi laudem afferat, an potius illud excellentius afficies injuria, cum præstantiorem naturam in ignominiam detrahas.* Et dialogo quòd unus sit Christus: *Dominum qui ipsos redemit negantes. Dualitatem enim filiorum inæqualis naturæ constituunt, & divinam gloriam adscribunt servo, æqualique honoris excellentia ornant spurium quendam, qua naturalem ac verum Filium, quum alioqui Deus manifestè dicat, Gloriam meam alteri non dabo. Quomodo enim non sit diversus separatim à vero Filio ac naturali, qui tenui ac sola conjunctione decoratus est, & ministri loco assumptus: quique ita ut nos adoptatus est, & ab alio gloriæ particeps factus, & dono gratiaque id consecutus est*: Et ibidem. *Siquidem absurdum in primis fuerit æqualitatem honoris tribuere servo cum Domino, creaturæ cum Creatore; ei qui sub jugo est, cum totius universi Domino, & quod in omnibus paret imperio, cum eo qui supra omnia est.* Et ibidem rursum. *Et circumstabunt quidem Angeli atque Archangeli, hisque eminentiora Seraphim, non ut vero Filio ac Deo ministrent atque inserviant, sed potius homini, qui filii nomen per participationem insinuationemque & nostro more adeptus, & ad divinissimam gloriam evectus est. Neque enim verentur hæretici ejusmodi blasphemias deblatterare.* Honor, dignitas, potestas, authoritasque, consectanea quædam sunt substantiæ ac personæ, quocirca consentire illi & coaptari debent, ut sive deficiant nimio plus, sive ultra modum excrescant, prodigii instar sit. Ea ergo quæ divinæ amplitudinis propria sunt, adrogare cuicumque & quantæcumque creaturæ, id verò quid aliud est, quàm divina deprimere, humana verò non sustollere, sed præcipitare. Creaturæ non ornamenta sed ludibria congerit, quisquis illi creatoris titulos affingit. Servum suggillat, qui domino comparat. Ergo ut homo assumptus dignitatis divinæ particeps & consors fiat, substantiæ prius divinæ consortium capessat, ut eosdem titulos induat, eandem personam ineat. Indivulsè coierunt

Ibidem.

Ibid. p. 168. 231.

persona & authoritas Dei; sejungi nequeunt prorsus. Fucum ne faciat tot Angelis, tot naturarum intellectualium millibus, & Domino procumbentibus ne servum suggerat, ne pro vero Filio adoptivum inopinantibus obtrudat. Qua eminent illi prærogativa naturæ, sibi & Deo medium quid interseri nusquam patientur; quidquid Creator non est, infra creaturas istas est. Verbo Deo nunquam non proni accident; sicut ante carnem, ita in carne, peræquè inclinanbunt se; seu olim nudum, seu post carnis purpura vestitum regem suum adorabunt. At carnis hominisque naturam, quantumvis Verbo addictam, si Verbi caro, si Verbi natura non sit, si Verbum ipsum non sit, jure meritoque despicabuntur.

Duodecimò ne cogitari quidem, imo nec fingi potest, qualis illa sit honoris dignitatisque ab una in aliam hypostasin refusio. Nam honor, dignitas, potestas, authoritas Verbi in eo sita est, ut sit vita, veritas, justitia, sanctitas, sempiterna, incommutabilis, primigenia, fons inexhaustus horum omnium. Hoccine verò homini cuipiam conferri potest, ut sit ipsa per se vita, ut sit veritas æterna, sit justitia incorruptibilis, fons totius sanctitatis. Non patitur tantum boni nostra persona. Abundè illi est, si vitæ guttula irroretur, si veritatis & justitiæ afflatu aliquo beetur, si sanctitatis odore respergatur. Ergo citra summum nefas non potest honorem dignitatemque ipsius per se vitæ sibi adsumere, cui vitæ vix stillula obtigit, aut ipsius per se veritatis & justitiæ & sanctitatis, cui horum luminum vix radius aliquis aspersus est. Cyrillus: *Illud mihi explices velim, quid ipsa dignitas juvit hominem, ut ipse dixistis, cum Deo Verbo conjunctum, & ex muliere natum. Num verò parem gloria & excellentia reddidit, & tantus ut esset effecit, quantum & ipsum Verbum esse credibile est. Sed quomodo non ille mentietur cum dicit, Gloriam meam alteri non dabo. An verò is non erit alius ab illo uno & secundùm naturam Dei Patris Verbo, qui propriæ hypostasis ratione verè sit ab ejus unitate disjunctus, &c. Illud quoque adjungam. Donavit, ut ille existimat, Dei Patris Verbum illi mulieris filio suam ipsius dignitatem. Sed illud quomodo sit gestum, operæ pretium est exquirere. Num ipse quoque factus est lux vera. Num ex natura Deus. Et vita & rerum opifex, & sapientia, & virtus, imago etiam & splendor substantiæ Patris & illa eximia ac supremæ illius gloriæ ornamenta in unum aliquem è creatis hominibus naturaliter influxerunt. Quid igitur eximium est in eo secundùm naturam Deo.*

XVI. Verbi honor est, idē qui ipsius per sese vitæ, & veritatis. Is creatæ hypostasi non potest quadrare.

L. 2. Contra Nestor. pag. 35.

Decimotertiò salutis nostræ anchora fides est; afficitur autem fides nostra Christo nascenti, morienti, resurgenti. Ergo si ille merus homo est, gratiæque dumtaxat donis Deo copulatus fides nostra despicabilis est, quæ in homine commoratur; salus nostra intuta est, quæ homini tantùm innititur; quin imo irreligiosa & prophana est fides, quæ Creaturæ, non creatori nos religat; conclamata salus est, quia extra Deum nulla est. Cyrillus: *Si Christi persona universæ fidei nostræ terminus & confessionis virtus præfigitur, mortemque illius ac resurrectionem confitentes, velut in Deum credentes justificamur, quis dicere audeat, ipsum Deitatis exortem esse. Siquidem est summa & caput salutis omnium, ostiumque & via, fidei in ipsum confessio.* Et infra, *Factus est Christus minister, hoc est mediator, non ut alteri fidem conciliaret, sed ut sibi ipsi, & Patri per seipsum; cui dubium esse potest, quin verus secundumque naturam Deus existat.* Et paulò infrà, *Si verò solæ humanæ naturæ conditiones in illum conveniunt, nec aliam ob causam, quàm propter nudam illam simplicemque personarum societatem colitur, inanis profectò est fidei nostræ ratio, ut quæ non Deo nos conjungat, sed homini.*

XVII. Irreligiosa fides, intuta salus nostra est, si Christo non vero Deo innititur.

L. de recta fide. pag. 119. 120.

Decimoquartò, si non unius identitate physica

K 4 hypo-

XVIII. Nisi ad hypostasin verbi evehatur humanitas, non potest inde in nos divina filiatio, sanctitas, & gratia manare.

hypostaseos, sed circumfuso forinsecus gratiæ ornatu Filius Dei est Christus, non multò præstantiùs Filius Dei est, quàm nos simus; nec author largitorque esse potest, ut nos simus; nec securiùs aut immutabilius est, quam nos simus. Nam inoperatione, inhabitatione, non parca etiam nominis, authoritatis, potestatisque in nos divinæ refusione & resplendescentia donamur nos etiam, & in Filios Dei adsciscimur. Quo ergo ille supra nos egregius privilegio, aut magnoperè eximius est? Nullo, aut ita perexiguo, ut illud non ultra metas fanè votorum, aut virium nostrarum fit. Deinde si tantillo nos superat intervallo, nihil admodum opis ab illo aut gratiæ expectandum est. Nam gratiæ fons non erit, qui à fonte abest ipse mirum quantum; non exundabit in omnes, rivulus ipse cùm fit. Ea dignitate alios non inaugurabit, quam mendicatam obtinet. Filiationem Dei qui precariò & ascititiam habet, & nomine tenus, non utique impartire aliis adgredietur. Denique si adventitia & accidentis in modum circumjecta illi est tota hæc dignitas, æquè illa ac nos spoliari & carere potest. Hæc enim est accidentium ratio, ea lex, ut involent, avolentque; adsint, absintque vicissim, non immobiliter unquam insideant. Ea est natura gratiæ precariò impetratæ, ut & precariò retineatur. Immutabilis denique non est gratia & sanctitas, nisi in primario fonte ex quo in reliqua dimanat omnia. Cyrillus dialogo quod unus fit Christus, *Qui ergo per gratiam filiationem consecutus est, & ascititiam dignitatem adeptus est, esse id quod est, largietur aliis id quod ægrè ipse nactus est? Nonne id tibi dissentaneum videtur? Omnino. Quod verò non naturaliter inest, sed adventitium est, nonne etiam fieri potest ut amittatur? Quidni. Fieri itaque poterit, ut & filius aliquando filiatione sua excidat. Neque enim extra amittendi aleam positum est, quod natura stabilitum non est.*

CAPUT III.

Unionis hypostaticæ, id est, qua Dei Hominisque naturæ inconfusæ maneant, & in unam conserantur hypostasin & personam, vera & germana elucidatio.

I. Proponitur difficultas, qui Dei & hominis una sit Hypostasis in Christo.

IMplicatissimus hic nodus est, qui fiat, ut duæ sint in Christo naturæ, suis omnibus partibus numerisque cumulatissimæ, & earum tamen una sit hypostasis; utque humanitati ejus nihil desit, & humana tamen deficiat hypostasis ac persona. An hypostasis usque adeo nihil est, aut instar nihili, ut ea deficiente à natura humana, nihil deficiat? An corpus & anima ubi coeunt in aliis hominibus, ex hac protinus copula emicat persona: ubi in Christo coeunt, nulla inde emergit, sed protinus intercipitur persona? An persona est rationalis naturæ individua substantia: cùmque humanitas Christi hoc ipsum sit, persona tamen non est?

II. Hugonis Victorini sententia profertur & laudatur.

Nemo mihi quidem videtur recentiorum fœliciùs hunc nodum secuisse, propiùsque ad mentem antiquioris Patrum Scholæ accessisse, quàm Hugo de sancto Victore; cujus proinde locum insignem hic intexere ne pigeat tametsi prolixiorem, quòd ei illustrando firmandoque per plura deinceps capita operam navaturi simus. *Sed dicet aliquis, Nonne homo assumptus persona esset, si non esset unitus Verbo. Solutio. Esset quidem persona, & haberet suam personantiam ex sua rationalitate. Nunc verò ex quo totus splendor divinitatis se infudit lucernæ humanitatis, minus lumen cedit majori: id est, homo assumptus trahit suam personantiam ex Verbo: & dicitur & est persona una cum illo, ex eadem personantia quam habuit Verbum ab æterno. Unaquæque creatura rationalis, ex hoc dicitur persona*

Tom. 3. In Apologia de Verbo Incarnato. pag 71.

quod habet excellentius: quia ergo splendor divinitatis incomparabiliter excellentior est lucerna humanitatis, merito ex eo homo est persona. Unde scriptum est, Natura naturam non consumit, sed persona personam, quia nomen juris est. Hæc diligenter intuere lector, & intelliges quare homo dicatur in personam, non in naturam assumptus: & quare Verbum dicatur assumpsisse naturam, non personam. Ideo enim homo assumptus est in personam divinam, quia factus est particeps divini luminis, ut per ipsum ab omnibus discerneretur, sicut Verbum; non in naturam, licèt persona divina sit divina natura, quia hoc esset mutari & converti in eam. Verbum verò ideo naturam hominis, non personam assumpsit, licèt id quod est assumptum sit persona, quia non trahit personalitatem, vel personantiam ex eo quod est assumptum, habens multo digniorem personantiam ex natura divinitatis. Sicut lampas in nocte dicitur lumen Ecclesiæ: in die verò, solis majore splendore superveniente, jam lampas non dicitur lumen Ecclesiæ, sed potius lumen solis. Sic homo, persona quidem esset, ex sua rationalitate, si non esset assumptus: nunc ut jam dictum est, ex eo quod in eo dignius est, id est, ex lumine divino, est persona. Qui non videt hoc, quærat à Domino intellectum. Et infra: *Hinc dicimus, quod homo assumptus est in personam Verbi, sed Verbum non assumpsit personam hominis, quia non superius ab inferiori, sed inferius à superiori, persona dicitur.* Et rursus idem alibi: *Anima quippe in quantum est spiritus rationalis, ex se & per se habet esse personam: & quando corpus ei sociatur, non tantùm ad personam componitur, quantum in personam apponitur. Ut in eo quod per unionem quodammodo unum fit cum illa, eadem quæ ipsa est persona esse incipiat cum illa. Inquantum ergo corpus cum anima unitum est, una persona cum anima est, sed tamen personam esse, anima ex se habet in quantum est rationalis spiritus: corpus verò ex anima habet, in quantum unitum est rationali spiritui. Quia verò sensus hominis in homine vivente corpus & animam simul percipit: non animam per se aut corpus per se, sed animam simul & corpus personam dicere humanus sermo consuevit.* Et infra: *Quid est persona? Nonne individuum rationalis substantiæ? Si ergo individuum rationalis substantiæ persona est, rationalis utique spiritus qui & simplicitate unus est, & natura rationis capax, propriè personam ex se quidem inquantum rationalis spiritus est, per se autem quando sine corpore est. Quando autem corpus illi unitum est, in quantum cum corpore unitus est, una cum corpore persona est. Quando verò à corpore separatur, persona tamen esse non desinit, & ipsa eadem persona quæ prius fuit. Quoniam corpus à societate spiritus decedens, eidem spiritui personam esse non tollit; sicut prius quando jungebatur ipsi, ut persona esset, non dedit. Remanet itaque separata anima à carne, eadem persona spiritus rationalis; quæ licèt fortassis secundum usum loquendi, homo jam dici non possit, quia id quod de terra sumptum erat, jam sibi unitum non habet; non tamen ideo minus persona est, & eadem persona quæ prius fuit, quando & illud sibi unitum habuit, & propter ipsam unionem una cum illo persona fuit. Sicut ergo corpus rationali spiritui junctum, non dat illi ut sit persona, sed junctum illi accipit ab illo, ut ipsum sit una persona cum illo: Sic humanitas juncta Verbo, non quidem illi dedit, ut esset persona; sed unita illi, accepit ab illo, ut una esset persona cum illo.* Et ut uno ductu excerpantur semel omnia quæ ex Hugone elucidamenta accersenda sunt, sic ille rursus: *In hoc enim quod Deus homini secundum plenitudinem se infudit, & omnia sua illi attulit, & omnia quæ hominis erant in se suscepit, verè dicitur & est Deus homo & homo Deus. Homo est Deus, non per naturam, sed per gratiam: non adoptionis, sed per gratiam unionis sive susceptionis. Deus est homo per dignationem. Cum ergo Deum hominem, vel hominem Deum prædicamus, non natura in naturam versibilitatem significamus,* sed

Ibid. pag. 74.

L. 2. de Sacr. part. 2. pag. 602. 603.

Ibid. pag. 7.

sed naturæ utriusque mutuam omnimodam participationem.

III. In Hugonis verbis supra relatis multa luculenta dicta notantur.

Non potuit, quantum equidem capio, explicatiùs & enodatiùs explanari tota vis & ratio unionis hypostaticæ, & illa extricari perplexitas quam supra indigitavimus. Ipsi æstimam hanc esse sanctorum Patrum sententiam, pluribus posthac capitibus & argumentis planum facere enitemur. Porrò ut dilucidior planiorque fiat hæc doctrina, exculpenda hîc nonnulla sunt ex Hugonis supra relatis contextibus. Primò quidem personam, sive hypostasin non aliud esse, quàm individuum substantiæ rationalis, sed seorsim per se subsistens, suum sibi, non accedens, aut adhærescens alteri. Nam qua individuum naturæ rationalis, est natura singularis: sed qua suum sibi, in se consistens, non accedens aut incumbens alteri cuicùmque, eatenus est persona. 2. Humanitas Christi est individuum substantiæ rationalis, nec tamen persona humana est, quia non per se seorsim constat, nec sua sibi est, sed velut accessio & appendix quædam subjungitur Verbo Divino. 3. Naturas inferiores insidere possunt & usurpare ac vindicare sibi naturæ superiores, & quasi subjugare, itaut illas immeent, & regant, agantque ut suas; regant inquam, agantque, non extrinsecus impellendo, versandoque, sed intimitus illabendo, physicaque commixtione & compositione, confusionis omnis experte, conferendo illas sibi. Ita forma materiam, ita anima corpus immeat, formatque, gestat, agitque, vindicat subjugatque sibi, ut suum quid, & physicè intimèque conjunctum, non ut extrinsecum aut peregrinum. 4. Id ubi evenit, tunc natura superior inferiori dominatur ac superextat, illamque in suam trahit potestatem, auctoritatem, personam. Persona enim penes naturam superiorem semper eminet, ubi plures naturæ in unum compaginantur. Ita cùm materia & forma maritantur, ratio suppositi, dignitasque & auctoritas tota ac nomen penes formam est. Ita cùm plures formæ in unum concrevere corpus mixtum, ea quæ principatum nobilitatis obtinet forma mixti, non materiæ tantùm, sed aliis quoque formis imperitat, suppositique & hypostaseos nomen ac jus jure suo sibi adrogat. Ita cùm anima corpori insilit, subiicit illud sibi, edomatque, agitque ut suum, & ad suæ substantiæ vim illud rapit. Ita cùm anima rationalis sentienti vegetantique (ut obiter utramque à rationali distare fingamus; quod nonnulli opinantur, nos exempli causa sumimus aut fingimus) & corpori supervenit, tum istud, tum illas subigit subjugatque ut suas, & suppositi personæque nomen & dignitatem sola sibi vendicat. 5. Ita ergo & cùm Deitas humanitati se implicuit, in morem naturarum superiorum, subjecit illam sibi, vindicavitque ut suam; ut suam propriamque rexit, egitque; non forinsecus administrando aut impellendo, sed immeando illabendoque medullitus, & conferendo illam sibi, sequeilli; & hoc fuit ad suam trahere personam. 6. Natura ergo inferior cùm sua exuitur aut suppositi aut personæ ratione, non aliquo exuitur ente physico, aut gradu metaphysico, non modo aliquo, non existentia, aut ulla demum qualicumque recula vel tantilla, qua priùs gauderet, & postea careat, aut qua alioqui gauderet, nisi ad naturam superiorem accederet: sed exuitur solo jure ac prærogativa seorsim privatimque per se subsistendi, & ita inferioribus imperitandi, ut nulli in eodem composito famuletur superiori. Nam animæ sentienti nihil decedit, nihil deperit aut physicæ aut metaphysicæ entitatis per adventum animæ rationalis: sed tum desinit esse aut constituere suppositum, quia suppositum aut persona ab eo quod in unoquoque summum & excellentissimum est repetitur. Et humanitati ergo Christi similiter non aliquid deficit entis, non gradus, non modus aliquis, non existentia aut forma ulla seu physica seu metaphysica, qua gaudeant alii homines: sed cùm nullo penitùs deficiat, augetur præterea completurque & quasi cumulatur Verbi Deitate, quæ ut natura princeps & forma formarum totam sibi subjugat humanitatem, & in suum jus & auctoritatem personamque trahit. 7. Nihil ergo minus habet quàm cæteri homines Christus homo, sed plus quàm cæteri homines, nempè Deitatis personalem copulam. Nihil minus habet quàm cæteri homines, nec tamen personam habet humanam: quia naturam rationalem singularem perinde habet ac cæteri homines, & perinde existentem existentia humana; ideo nihil minus habet: sed personam tamen non habet humanam, quia natura ejus rationalis non sola, non seorsim per se existit, non summum locum tenet in composito, nec jus & imperium sola sibi vendicat, ut in aliis evenit hominibus: sed accedit superiori, illi adheret & incumbit, illi mancipatur, in illius jus & potestatem transit, atque ita in ejus auctoritatem & personam adsumitur. Caret ergo personalitate humana, etsi nulla re careat: imò ideo caret, quia abundat. Non deficit ab aliis hominibus, sed ultra ipsos proficit. Non deest illi aliquid, sed superfluit. 8. Idem valent inculcata ab Hugone exempla. Illuminat aerem fax, ubi sola fax ibi lucet; at ubi illuxit Sol, jam illuminat aerem Sol: non quòd faci sua lux hebetata fuerit, aut obnubilata; sed ea sospite & incolumi, lux amplior aliunde affluxit, & aerem sibi vendicavit. Verùm appositius est alterum istud. Cùm anima rationalis seorsim spectata à corpore, sit individuum substantiæ rationalis, est utique persona; illi tamen accedit corpus in unitatem etiam personę & suppositi. Corpus si per se & solitariè subsisteret, nec accederet animæ, esset utique suppositum; ubi accedit animæ corpus, corpori nihil deperit, nihil deteritur, & tamen jam suppositum non est, sed raptatur in animæ jus & potestatem, in animæ suppositum & personalitatem. Ergo ut corpori proprium detrahatur suppositum, non aliquid detrahendum ipsi est, sed superioris naturæ consortium potiùs accumulandum. Ut compleri autem corpus ab anima naturaliter aptum comparatumque est, ita anima à Deo. 9. Ubi absumi personam à persona ait Hugo, quòd persona nomen juris sit, non ita interpretandus est, quasi jus istud, quod natura superior in inferiorem sibi adrogat, & in quo ratio personæ potissima fundatur, sit extraneum quid, & morale, & personæ magis corollarium quàm res ipsa. Nam jus istud intimum est & physicum, & personæ vim penitissimam declarat; exoritur enim ab altissima infusione & immeatione naturæ superioris in inferiorem, qua illam format, regit, gerit, agitque.

Hæc eadem sententia sæpiùs arrisit Angelico scholæ doctori, Thomæ Aquinati: *Dignius est alicui quod existat in aliquo se digniori, quàm quod existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quod in nobis quasi per se existens, propriam personalitatem habet; in Christo autem existit in persona Verbi. Sicut etiam esse completivum speciei pertinet ad dignitatem formæ, tamen sensitivum nobilius est in homine, propter conjunctionem ad nobiliorem formam completivam, quàm sit in bruto animali, in quo est forma completiva*. Et ibidem: *Sciendum quod non quodlibet individuum in genere substantiæ, etiam in rationali natura, habet rationem personæ, sed solum illud quod per se existit, non autem illud quod existit in alio perfectiori. Unde manus Sortis quamvis sit quoddam individuum, non tamen est persona, quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in suo toto. Et hoc etiam potest significari in hoc quod persona dicitur substantia*

IV. Eadem sententia est Thomæ Aquinatis. 3. p. q. 2. a. 2. ad 2.

Ibid. ad 3.

ſtantia individua; non enim manus eſt ſubſtantia completa, ſed pars ſubſtantiæ. Licet ergo hæc humana natura ſit quoddam individuum in genere ſubſtantiæ; quia tamen non per ſe ſeparatim exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet in perſona Dei Verbi, conſequens eſt quod non habeat perſonalitatem propriam. Et rurſum: *In puris hominibus ex unione animæ ad corpus conſtituitur perſona. Sed hoc ideo in puris hominibus accidit, quia anima & corpus ſic in eis conjunguntur, ut per ſe exiſtant. Sed in Chriſto uniuntur ad invicem, ut adjuncta alteri principaliori, quod ſubſiſtit in natura ex eis compoſita, &c. Sicut anima ſenſitiva in animalibus conſtituit ſpeciem, quia conſideratur ut ultima forma; non autem in hominibus, quamvis in nobis ſit virtuoſior & nobilior; & hoc propter adjunctionem ulterioris & nobilioris perfectionis, ſcilicet animæ rationalis*. Et idem denuò: *Illud quod advenit poſt eſſe completum, accidentaliter advenit, niſi trahatur in communionem illius eſſe completi. Sicut in reſurrectione corpus adveniet animæ præexiſtenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem eſſe aſſumetur*. Et rurſus idem: *Subſtantia individua quæ ponitur in definitione perſonæ, importat ſubſtantiam completam per ſe ſubſiſtentem, ſeparatim ab aliis: alioqui manus hominis poſſet dici perſona, cùm ſit ſubſtantia quædam individua: quia tamen eſt ſubſtantia individua ſicut in alio exiſtens, non poteſt dici perſona. Et eadem ratione nec humana natura in Chriſto*. Quæ omnia ſuffragari & concinere mirum in modum videntur ſententiæ Hugonis ſupra explanatæ. Nam & hic conſtituit 1. perſonam deſumi ab eo quod in unoquoque compoſito dignius eſt & principalius. 2. Perſonam non dici aut eſſe, niſi ſeparatim & per ſe ſola exiſtat. 3. Perſonam non eſſe, niſi completum & abſolutum quid ſit. 4. Ex quo fit ut ſi qua natura alteri ſuperiori accedat, ſua ſtatim excutiatur illi perſona, & ad perſonam ſuperiorem recolligatur; tum quod deſinat ſeparatim & per ſe ſolitariè exiſtere, tum quod jam incompletæ inſtar ſit, & partis in modum ſe habeat; eſt enim veluti pars totius cui adjungitur. 5. Quod natura inferior, ubi ſuperiori adglutinatur, abdicetur propria perſonalitate, id fieri non deceſſione rei, aut gradus, aut rei alicujus, quæ ipſi defluat; ſed acceſſione naturæ principalioris, cum principatu & imperio ſuo ambitiosè adventantis, & invictiſſimè incubantis dominantiſque naturæ inferiori. 6. Cùm ergo definitur perſona, ſubſtantia rationalis individua; ſubſtantia ibi dicitur, cui duplex hæc ratio conſtet, tum quod ſeorſim ac per ſe ſolitariè exiſtat & incommunicabiliter, tum quod alterius acceſſio non ſit, & partis inſtar habeat. 7. In id valent exempla Doctoris Angelici: quod natura ſentiens in bruto conſtituat ſpeciem, non in homine; id contingit, non ex eo quod aliquo minuatur, aut careat in homine, ſed quod ſuperioris hoſpitio naturæ & gloriæ fœliciùs obruatur, in bruto verò ſola jaceat & inglori. Ita quod natura rationalis in homine quolibet conſtituat perſonam humanam, non in Chriſto; non id oritur ex aliquo rei cujuſpiam detrimento in Chriſto, accremento in mero homine: ſed ex eo quod naturæ rationali nihil ulteriùs adcreſcat in nobis, at in Chriſto tota affluat Deitatis Verbi plenitudo. Carere ergo propria perſona, augmento fit. Similiter quod manus abſciſſa ſit individuum; compaginata toti, non ſit individuum; id fit non alicujus rei jacturâ, quæ per compaginationem ad totum incurratur, ſed compendio totius perfectionis, à qua abſcindebatur. 8. Ut animæ per reſurrectionem accedet corpus, & coaleſcet in unitatem perſonæ, quæ in anima præexiſtebat: ita Verbi perſonæ præexiſtenti acceſſit demum humanitas. Utrobique ideo reſultat ex geminæ naturæ unione unitas perſonæ, quia natura inferior acceſſio jam eſt, & veluti appendix ſuperioris, & totius pars: quia ſuperior immeat & incubat, & præpotenter dominatur inferiori.

Ibid. Art. 5. ad 1.

Ibid. Art. 6. ad 2.
Ib. q. 13. ar. 12. ad 2.

V.
In ſancti Thomę verbis multa advertuntur.

VI.
Hugonis ſententia ex Nazianzeno confirmatur.

Non poſſum mihi temperare, quin Hugoni patrocinium antiquius acceſſam à Gregorio Nazianzeno, cujus ille verba ipſa, non tantùm ſenſa expreſſit. Gemina enim uſque adeo ſunt quæ Nazianzenus olim contra Apollinarem diſputaverat, & quæ ex Hugone ſupra excerpta ſunt, ut una mente, una manu ſcripta eſſe videantur. *At*, inquis, *duo perfecta non continebat. Non ſanè, ſiquidem corporeo modo rem expendas. Vas enim unius modii capax duos modios minimè continebit, nec corporis unius locus duo aut plura corpora. Si autem ut intelligibilia & incorporea ea conſideres, illud animadverte, quod idem ipſe & animum & rationem, & mentem & Spiritum ſanctum continui; atque etiam ante me mundus hic ex viſibilibus & inviſibilibus conſtans, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Hæc enim intelligibilium natura eſt, ut incorporeo & indiviſibili modo & inter ſe & cum corporibus miſceantur, &c. Jam verò quonam pacto mens hominis aut Angeli, ſi cum Divinitate comparetur, perfecta dici queat, ut alterius majoris præſentia comprimatur? Neque enim radius quidam ſi cum Sole conferatur, perfectus eſt, nec humor exiguus, ſi cum fluvio, &c. An illud eos fugit quod res eadem quæ cum aliquo collata, perfecta eſt: alterius collatione imperfecta ſit, ut collis cum monte collatus, & granum ſinapis cum faba, aut alio quopiam majori ſemine, etiam ſi iis quæ ejuſdem ſunt generis majus dicatur: Angelus etiam ſi ita lubet cum Deo, & homo cum Angelo? Quocirca mens noſtra, perfecta quidem illa eſt, & principatum tenet, verum in animam & corpus: non autem ſimpliciter perfecta: Dei verò ſerva & ſubdita eſt, non principatus ſocia, nec pari honore prædita. Quandoquidem etiam Moyſes Pharaonis quidem Deus, Dei autem famulus eſt, ut ſacris litteris proditum habetur. Et ſtellæ quidem noctem illuſtrant, à Sole autem occultantur, ita ut interdiu ne eas quidem eſſe agnoſci poſſit. Et exigua lucerna magno incendio adjuncta nec extinguitur, nec apparet, nec disjungitur, ſed totum illud incendium eſt: ſuperante nimirum eo quod præſtantius eſt*.

Orat. 44.

VII.
Multa ſimiliter perpenduntur in Nazianzeni verbis.

Ut exploratius fiat quàm conſonantia ſint hæc Nazianzeni cum teſtimoniis ab Hugone priùs corraſis, diſpungenda & hìc nonnulla ſunt. 1. Unitati perſonæ præſtruendam ſemper eſſe immigrationem illapſionemque penitiſſimam naturæ divinæ in humanam, ſuperioris in inferiorem; eo enim invadit & uſucapit natura principalior potentiorque infirmiorem, & in ſuum nomen ac perſonam illam pertrahit. 2. In plurium naturarum coalitione victoriam ſemper & authoritatem & principatum, adeoque perſonam vigere penes naturam ſuperiorem; quod ipſi accedant reliquæ incumbantque & ancillentur. 3. Naturam unamquamque plenam quidem perfectamque ſuo in gradu eſſe poſſe, at naturæ ſuperiori ubi componitur, inanem & imperfectam comperiri. Ex quo fit ut quæ perfecta uſque adeo eſt, ut inferiores naturas perficiat, imperfecta tamen ſit, & à ſuperioribus perfici poſſit. Ita natura corporis abſoluta ſuis numeris eſt, nec ullo deſit proprio naturæ ſuæ bono, ut in cælis & elementis videre eſt mixtiſque. At ea tamen ubi animæ ſeu vegetanti ſeu ſentienti comparatur, jam vacua & iners oſtenditur, & ab his melioribus ornari perficique ſe gratulatur. Ita natura vegetans ſentienti, ſentiens rationali collata, ingentis perfectionis indiga demonſtratur, quæ tamen in ſe ſpectata, nullo neceſſario orbatur ornamento. Ita radius, ſcintilla, guttula naturæ ſuæ integritatem ſortiuntur; at ubi Soli, incendio, fluminique admoventur, tum eorum imperfectio denudatur. 4. Ita igitur & homo & Angelus naturam quidem perfectiſſimam conſecutus eſt uterque, at illa tamen Deo comparata, formari perficique, ut informis

& minùs

& minùs perfecta, ab eo potest: ita ergo natura superior inferiorem, potentior debiliorem invadit, pervadit, format, perficitque, & in suum nomen, jus, personamque traducit. 5. Mens hominis ipsa per se sigillatim spectata, est, ut ait Nazianzenus, τέλειον καὶ ἡγεμονικὸν, sed in corpus & animam sentientem; has enim naturas inferiores perficit regitque & in personam suam trahit, unde his perfecta & imperatoria est. At eadem mens hominis Deo comparata, jam est, ut author est idem δοῦλον καὶ ὑποχείριον, non autem συνηγεμονικὸν, οὐδὲ ὁμότιμον, non simul imperans, aut simul cum Deo persona, sed manceps, & subjugalis, præstantiorisque personæ subligata. 6. Inferiori ergo naturæ cùm propria extunditur persona, non aliquid rei intercipitur, quo deinceps careat, sed copia fit uberrima naturæ superioris: Non aliquid perfectionis intercluditur, quod cum fænore supernè compensetur, sed tota naturalis perfectio seu essentiæ seu existentiæ, sospes remanet, & inundatur atque obruitur perfectionis longè præstantioris & cumulatissimæ refusione. 7. Nec tamen una hinc exultat natura, tametsi tantoperè exaggeretur naturę in naturam infusio. Perstat duplex semper natura, sed in personæ suæ nomen ac jus rapit inferiorem præstantior; qua de re prolixiùs infrà.

VIII. Eadem Hugonis sententia ex Paschasio firmatur. L. 2. de Spiritu sancto. c. 4.

Paschasius quoque S. R. E. Diaconus Cardinalis Hugoni Victorino non sententiam tantùm, sed verba ipsa præivit, quæ ille prætermisso authoris nomine supra allegavit. *Dei quidem & hominis duplex substantia est, sed tamen una persona. Quamobrem? Quia dum formam servi accipiens, famulo Deus jungitur, minoris humilitas intra reverentiam majoris absconditur, & superioris lumine exinanita consumitur, ac sic proprietatem personæ humanitas Divinitate obumbrante vel eminente non obtinet. Ibi ergo potest esse personarum parilitas, ubi meritorum ac dignitatum consistit æqualitas. Et ideo Spiritum sanctum cum Patre & Filio unum majestatis noveris possidere privilegium, quem personæ vides obtinere jus proprium. Quod si aliquis opponat & dicat, Si in Christo Deo pariter & homine duas substantias dicimus, quare non duas simili ratione credamus personas? Non ita est. Nam qui duas personas in Christo facit, impietatem quaternitatis introducit, quam penitus rerum natura non recipit. De duabus rationalibus diversisque substantiis, præsertim de Dei & Hominis, de Creatoris & creaturæ una fieri non potest; de duabus verò personis una fieri potest, sicut legimus caput & corpus, Christum & Ecclesiam, unam tenere personam. Erunt enim inquit duo in carne una. Et sicut apud nos homines, filius Patris familias juxta Patrem, vel servus juxta Dominum personæ propriæ locum non habet; ita in Deo & homine gemina quidem substantia, sed non gemina persona est; quia persona personam consumere potest, substantia verò substantiam consumere non potest. Siquidem persona res juris est, & substantia res naturæ.*

IX. Multa animadvertuntur in verbis Paschasii.

Luculentius nihil, nihil splendidius dici potuit, & quo personæ in Christo unitas, & unitatis hujus penitissima & fundatissima ratio magis illuminetur. Et hic ergo locus excutiendus non oscitanter est. Ex eo ergo liquet, 1. Hanc esse legem inconcussam & invariabilem coalitionis plurium naturarum, maximè imparium, & maximoperè imparium, ut inferior accessio fiat superioris, personæ exuatur proprietate, & in personæ superioris jus transcribatur. 2. Personam esse nomen juris, naturam verò nomen substantiæ; hinc fit ut si substantialiter conglutinentur duæ naturæ citra ullam alterutrius jacturam incolumes, non possit natura naturam consumere, ideoque nec fiat una ex duabus natura: sed possit persona personam consumere, imo non possit non consumere persona personam, quia jus & authoritas inferioris absumitur & devoratur jure ac authoritate superioris illi se inferentis. 3. Quod verò persona sit nomen juris, perspicuum fit. Primò, quia non differunt persona & natura, nisi ut habens & habita: nam persona est habens naturam, natura est quæ habetur à persona; vel ut quod est, & quo quid est: nam persona est id quod est, natura est id quo persona est; vel denique ut id quod agit, & id quo agit: nam persona est quod agit, natura id quo agit.

X. Quod persona nomen sit juris.

At his omnibus testatissimum fit personam nomen esse juris. Nam quod persona sit ea quæ est, quæ habet, quæ agit: natura verò sit ea, quæ est, quam habet, qua agit persona, id totum jus personæ in naturam declarat, & nomen vimque personæ in quadam juris proprietate consistere palam facit. Secundò, persona non est nisi quæ per se & seorsim subsistit; at per se subsistere, juris argumentum est; in alio subsistere, servitus est, jurisque abrogatio. Item seorsim & solitariè existere, dominii specimen est; accessionis instar alteri adhærescere, juris dominiique spoliationem præsefert. Tertiò, persona est proprietas & incommunicabilitas quædam: at quid redolet proprietas, quàm jus peculiare & imperium sui in se? Quid incommunicabilitas spirat, quàm juris proprii tutelam inviolabilem? Quartò, persona non est, nisi in rationali natura: qua demum de causa, nisi quia sola ratio & mens est ἡγεμονικὸν, αὐτεξούσιον, sui juris, suæ potestatis, Dux sui, sui Domina? Reliquæ naturæ, etiam animantes, quàm rationis, liberique arbitrii, tam juris & dominii expertes sunt, ideoque personæ exortes. Quintò, naturæ substantiales tametsi rationis vacuę, ideoque nominis & dignitatis personalis inanes, suppofita tamen sunt, quod personæ quasi adumbratio & imitamentum est. Qua id de re, nisi quia umbram quoque & imaginem juris & dominii cujusdam habent, qua subsistunt per se, non innituntur alteri cuiquam, suffulciunt etiam lapsabundas accidentium naturas, eas agunt, iis dominantur? At accidentia ut alieno juri dominioque penitus mancipata, ut non per se ullatenus consistentia, sed accedentia & accidentia substantiis, personæ nec rem, nec umbram consequuntur. Sextò, hinc personam amittit quæcumque natura naturæ accedit principaliori; & in tantum amittit, in quantum accedit, quia jure superiori inferius extinguitur. Ita Ecclesia Christo copulata, in unitatem personæ quodammodo illi convenit, obruit enim absorbetque humiliorem Ecclesiæ personam persona Christi præcellentior. Septimò, ita & filius Patri, servus Domino, uxor viro ubi componitur, jure ac nomine personæ propriæ exturbatur, & in personæ superioris abstrahitur authoritatem; quia jus amplius juri præjudicat inferiori, authoritas summa minusculæ compaginata illam devorat. Sed his in exemplis ut non physica & substantialis est, sed moralis tantùm & extrinseca duorum in unum compaginatio, ita extrinsecè tantùm & umbratiliter una fit ex ambobus persona. Ubi autem physica est & substantialis copula, ibi physicè & substantialiter una fit persona. Octavò, si quo in composito duæ essent personæ, sicut plerumque duæ sunt substantiæ, discordia jugis & conflictatio intestina indubiè emergeret, totumque tandem dilaceraret. Suo enim arbitrio unaquælibet persona, suo quælibet jure uteretur, & in diversum tenderet, partesque totius quas posset, post se traheret, & totum ita distraheret. Ergo necesse est, una sit in uno quolibet persona, non aliam ob rem, quàm quia persona jus summum implicat, quod penes unum potest, penes plures non potest citra perniciem constare. Nonò, hinc ut ars & industria naturam imitatur, non aliter dissidiorum fons obturatur inter homines, quàm ut, ubi plures conveniunt, in unam quasi personam coeant, & uxor viri, filii parentum, servi dominorum, Cives Principis personæ accedant, subsintque, abdicata utcumque propria persona. Sed ut hæc abdicatio personæ propriæ ementita quodammodo est, & simulata tantùm, ideò

jus

jus suum unoquoque revocante crebrescunt jurgia. Consultiùs natura suis prospexit. At seu physicæ, seu simulata personæ propriæ expoliatio, abund commonstrat personam in jure & dominio quodam non injuria collocari. Decimò, quid est quod plures naturæ concrescere in unum compositum non unquam possunt, nisi dispares? Nam ex pluribus formis sentientibus nullum constitit, nisi portentosum animal. Nec ex pluribus animis rationalibus quidquam unum physicè coaluit. Nec ex pluribus Angelis compactum quidquam unquam est. Nec ex homine & Angelo. Ut quid hoc tam constanter indixit sibi servatque rerum natura solertissima, nisi quia si pares coirent, plura essent supposita, plures personæ; quarum unaqualibet ad suum nutum se suaque contorquente, tota discerperetur compago? At ubi dispares & longè dispares naturæ conveniunt, non invitæ suo se jure ac dominatu exauthorari patiuntur inferiores, atque ita penes superiorem summa authoritatis & personæ majestas, & totius administratio constat.

Undecimò, quocirca non immerito Paschasius Spiritum sanctum natura parem argumentatur esse Patri & Filio, quòd tertia cum iis persona connumeretur. Ibi enim dumtaxat potest esse personarum parilitas, ubi meritorum ac dignitatum consistit æqualitas. Etenim ex solemni naturarum & unionum lege, si naturæ disparis esset Spiritus sanctus, non posset tam arctè copulari Patri vel Filio, quin in jus & potestatem illius traduceretur, & obruta personalitate sua, in unam concresceret cum illo personam.

XI. Jus duplex secernendū, morale & physicum. Postremò tandem ut calumniæ amputetur occasio quælibet, jus duplex secernendum est, ex duplici plurium in unum consentientium copulationis genere oriundum. Quandoque enim plura in unum consensu tantùm extrinseco & sociali contubernio conveniunt, ut uxor & vir, servus & dominus, civis & princeps, tumque una ex his fit persona extrinsecè tantùm, & socialiter. Quandoque verò plura in unum conveniunt, physica intimaque unius in alterum immeatione, insessione, & penitissima incubatione, tumque una physicè & substantialiter fit persona. Utrobique persona est nomen juris, sed juri illi tantum præstat & antecellit istud, quantùm illi copulæ ista. Jus enim illud extrinsecum est, hoc penitùs intimum; illud voluntarium, hoc naturale; illud morale, hoc physicum; illud simulatum & fugax, & levi momento dissipabile, hoc sincerum, & inexpugnabile; illud arbitrio humano constat, ideòque minimè constat, hoc legibus naturæ ratis & incommutabilibus stat; illud superioris in inferiora jus quasi precarium est: inferiorum enim jus superioris jure premitur, non opprimitur; dissimulatur, non extinguitur; occultatur, non obruitur: hoc verò imperatorium planè jus est, & plusquam imperatorium, quo natura superior subjunctas sibi naturas dispares subjugat sibi, vendicatque potentissimè, & sola personam, sola authoritatem omnem obtinet. Utque radix altissima effodiatur juris utriusque, ideo jus illud prius umbratile & ementitum tantùm est, quia oritur ex copula plurium natura parium, quorum proinde nullum alia intimè invadere & illabi & subjugare potest, unde singulis superest jus à natura insitum, cui præscribi nullis hominum fœderibus potest; & cum jure insito, quod sospes & intactum cuique superest, propria etiam cuique persona sospes & superstes est. At jus istud ex disparium copula physica, & superioris in inferiores naturas insessione atque vendicatione proficiscitur, quocirca fieri nequit quin in potestatem dominiumque superioris concedant inferiora. Cùm ergo persona nomen juris dicitur, posterius hoc juris genus insinuatur.

XII. Idem confirmatur ex Conc. Francoford. Ne cui videatur Paschasii authoritas vilior, commendat illam vehementer, & hunc ipsum locum, quem hìc illustramus, quem admiramur, allegat Synodus Francofordiensis in Epistola ad Episcopos Hispaniæ; nec suo tantùm suffragio numerosa illa Synodus, sed & Gregorii Papæ calculo Paschasii nomen & doctrinam istam commendat. *Item sanctus Romanæ Ecclesiæ Diaconus Paschasius, in libro secundo operis pulcherrimi, quem de Spiritu sancto composuit, cujus opusculi B. Gregorius Papa Romanus in libris dialogorum mentionem fecit, in capitulo quarto ita dicit: Itaque in Deo & homine gemina substantia, sed non gemina persona est. Quia persona personam consumere potest, substantia verò substantiam non potest. Siquidem persona res juris est, substantia res naturæ.* Hæc itaque Paschasii verba non solus Hugo Victorinus selegit.

Nec multum abludit à Paschasio Rusticus Diaconus & ipse Ecclesiæ Romanæ, in disputatione contra Acephalos: *Omnia quidem sine exceptione habet nostræ naturæ Christus, non omnia verò humanæ personæ. Videmus enim unamquamque hujusmodi subsistentiarum, omne quod suum est esse, in semetipsa habentem, præter cæteras alias sequestratam. Nec enim mea anima alterius corpus per semetipsam vel primo gubernat, etiamsi secundum accidens velut filios aut servos dicimur gubernare. At verò Deus illam humanam naturam nunquam sua præsentia atque gubernatione depositam reliquit tanquam si dicat aliquis, effrænatè libero arbitrio abuti: sed & ob hoc eam creavit, non ut sua, sed ut ejus esset: & super semetipso eam fundavit, tamquam super basim quandam vel fundamentum, ut vera dicam, ut per eam perficeret propositam suæ immensæ largitati pulcherrimam dispensationem. Igitur sic omnis individua natura, persona est: sed illa omnis quæ non ad hoc creatur, ut alteri inseparabiliter unita permaneat. Nam & humanum corpus non est alterius personæ ab anima sua, alioquin ut jam dixi, erit Christus ex tribus personis, & ex quinque Trinitas sancta.* Quo loco Rusticus rationem personæ enucleatissimè aperuit, constituitque in eo primùm ut natura ornatu suo omni absoluta subsistat seorsim, & ab aliis sequestrata. Deinde ut sua sit, non alterius cujusquam. Item ut suo permittatur uti libero arbitrio. Rursus ut non fundetur & incumbat alteri cuiquam veluti fulcimento. Deinde ut alteri non accedat aut uniatur. Denique ut ne ita regatur ab alio, sicut ab anima corpus regitur: nam physicum illud & substantiale dominium jusque quod ex intestina unius in alterum invasione proficiscitur, unitatem personæ efficit: non autem jus illud accidentale & accersititium, quod domino in servos, patri in filios competit. Cæterùm persona hìc describitur quoque, ut nomen juris: nam hæc omnia eò demum revolvuntur, ut natura illa tandem careat personalitate propria, quę spoliatur suo in se jure, & juri naturæ superioris addicitur. XIII. Item ex Rustico E. R. Diacono.

Ferrandus Diaconus Ecclesię Carthaginensis Epistola ad Egypium Presbyterum: *Si non potest dici unam habere naturam, quem suscepisse alteram dicimus, potest tamen dici unam habere personam; quoniam persona illa semper manens naturæ semper manentis, ita mutabilem postea naturam sine persona voluntariè suscepit, ut humanam substantiam, non habentem subsistentem manentemque personam, in unitatem suam suscipiens, ad se faceret pertinere.* Caret humanitas propria persona, quia persona Verbi præpotentior illam ad se fecit pertinere, nempè non jure illo fluxo & putatitio, quo servi ad dominum, filii ad patrem, uxor ad maritum pertinent; sed illo physico, & hypostatico, quo corpus ad animam, natura sentiens ad rationalem. XIV. Item ex Ferrando Diac. Carth.

Eodem refertur quod ait Ephræmius Antiochenus Patriarcha in Bibliotheca Photii; *Scriptor hæc enarrans scribit, ut consubstantiale consubstantiali secundùm hypostasin non unitur, neque enim anima animæ in hypostasi unitur, nec corpus corpori. Quæ* vero

XV. Ex Ephræmio Patriarch. Antioc. Codice 228. *verò diversa substantia uniuntur, personæ unitatem absolvunt.* Non aliud in causa est, cur non coagmententur in idem unquam compositum, nisi naturæ dispares, quàm quòd immigrare ac infundere se, jusque suppositi & nomen authoritatemque personæ sibi adrogare non potest nisi natura superior in inferiorem. Pares verò & consubstantiales naturæ de eo jure decertarent potiùs & dissilirent.

CAPUT IV.

Unionis hypostaticæ lex prior, id est, Immeatio naturarum inconfusa uberiùs declaratur variis comparationibus.

I. Duplex caput unionis hypostaticæ. Prius est immeatio naturæ superioris in inferiorem. Alterū est jus physicū, quod superior in inferiorem sibi vendicat, tanquam in sui, seu suæ totalitatis partem. QUæ superiori capite congesta promiscuè sunt, ea unionem hypostaticam satis demonstrarunt duabus contineri legibus, quarum ex priori posterior ferè consequatur. Altera est ut naturarum coalescentium inconfusa fiat immeatio, altera ut natura superior invalidiorem sibi vendicet, tanquam sui, seu suæ totalitatis partem, suique juris, & ad se pertinere efficiat, non precariò, aut opinione, aut extrinsecè, & accidentariò, sed physicè, & intimè, & substantialiter.

Conjunctim autem hæc duo deinceps plurium capitum contextu stabilire aggredimur; & personæ vim in illo maximè jure ac dominio sitam esse physico & substantiali, & dominium istud naturarum immeationi superstrui, & propter ista duo unicam esse in Christi natura duplici personam, videlicet divinam: & humanitatem ejus idcircò humana carere persona, non quod vel existentia careat creata, vel subsistentię modo quopiam, aut ente ullo quo non careant reliqui homines, sed quod careat ultimo illo sui in se dominio; quod sua non sit, sed Verbi; quod in se seorsim non existat, sed Verbo accesserit; illique incumbat & infulciatur. Hæc omnia indiscriminatim & testimoniis & argumentis sanctorum Patrum communiemus, scilicet immeationem naturarum inconfusam, & jus physicum dominii, quod inde naturæ meliori accrescit. Et quia jus istud substantiale innititur naturarum immeationi, hanc priore loco tractabimus.

II. Immeatio Deitatis in humanitatem probatur primo variis comparationibus. A Theodoro Abucara. Bibl. Patr. To. II. pag. 391. Demonstratur itaque primò ista naturarum mutua immigratio, variis quas ad id excogitarunt sancti Patres comparationibus. Theodorus Abucara ita philosophatur: Sicut trium aureorum si unus igni immittatur & candescat, aurum simul & ignis est, & unum quid tamen est, consubstantiale, tum igni, tum aureis duobus aliis: ita unus ex Trinitate in humanam illapsus naturam, unus fuit, & Deo & homini consubstantialis. *Ponamus tres aureos quorum unus injectus in ignem, ignefactus, factus est ignis, remanens aurum, ut erat, &c. quia naturam carbonum, quæ erat ignis, non unum carbonem ex illis assumpsit, sed factus est sicut unus ex illis carbonibus. Ad eundem modum æternus Filius è cœlo descendens, non hypostasin nostram, sed naturam assumpsit, factusque est sicut unus nostrum extra peccatum.* Unionem hypostaticam repetit ab illapsu Deitatis in naturam humanam non priùs per se seorsim existentem.

III. A Theoriano. Theoriano placuit idem exemplum in Dialogo ad Armenios: *Sint hic velut in hypothesi tria igne potiora, quæ tamen unius naturæ sint, auri scilicet. Si horum unum in ignem conjecero, planè ignitum illud duarum naturarum erit, ignis inquam, & auri. Deinde hoc unito reliquis duobus nequedum ignitis, interrogo, quotnam sint, &c.*

IV. A Cyrillo. Cyrillo eadem comparatio usurpata est, sed inversa, ut instar ignis habuerit Deitas, cui immersa humanitas, tota incanduerit, viresque divinas
To. 2. p. 107. induta sit. *Quemadmodum igitur carbo lignum quidem natura est, verum totus omni ex parte igni plenus est, ejusque vim & efficacitatem habet: ad eundem puto modum & ipse Dominus noster Jesus Christus potest intelligi. Caro enim Verbum factum est, & habitavit in nobis. Verum quamvis esset homo nobis similis ratione dispensationis, tamen omnis plenitudo divinitatis in eo habitavit secundum modum unionis. Hinc & in carne sua planè divinissimam operandi virtutem habere cernitur.* Et L. 2. adv. Nestorium: *Dicitur carboni persimilis, propterea quod ex duabus ac dissimilibus rebus intelligitur, sed ita secundum veritatem convenientibus, ut in unitatem* L. 2. adv. Nestorium.
propemodum conjungantur. Ignis enim ubi lignum penetrarit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato quod erat.

Gregorius Nyssenus adversus Apollinarem scribens, ut si aceti guttula mari infundatur, ita humanitatem Deitati immersam imbibitamque ea fuisse ait: *Primitiæ verò naturæ humanæ, quas jam omnipotens divinitas assumpsit, ut dixerit quispiam apta similitudine usus, tanquam aceti gutta quædam immensó mari commixta, sunt illæ quidem in divinitate, non tamen in peculiaribus suis proprietatibus. Sic enim binarius filiorum numerus colligi posset.* En ut unitas Filii, unitas personæ ex illa accersatur infusione naturæ alterius in alteram. V. A Gregorio Nysseno.

Cyrillus in Scholiis ait, ut odore lilium, ita Deitate humanitatem totam & medullitus perfundi, & foris circumvestiri. *In Cantico Canticorum ipse nobis introductus est Dominus dicens: Ego flos campi & lilium convallium. Quemadmodum ergo odor res quidem est incorporea, habet autem quasi proprium corpus id in quo inest, tamen unum ex utroque intelligitur lilium, sed corrumpitur omnino ratio ipsius, unius rei discessu, in subjecto enim corpore odor est. Ita etiam in Christo intelligimus divinitatis naturam & illam excellentissimam majestatem, ut odorem suavissimum mundo dispergeret, in ipsa humanitate tanquam in subjecto sitam, &c. Igitur quod incorporale est, tanquam in suo corpore convenienter intelligi potest, quemadmodum etiam odor in flore subjecto: lilium tamen jam simul utrumque nominatur & odor & flos.* Ergo ut odore lilium, ut qualitate corpus, ut forma subjectum imbuitur & penetratur penitissimè, ita Deitate humanitas, & ibi unitas conflatur personæ. VI. Ex Cyrillo iterum. Pag. 784.

Idem Cyrillus dialogo de Incarnatione Unigeniti, humanitatem Deitate tanquam tinctura imbutam & delibutam docet: *Quum arctissima quadam unitatis dispensatione in identitatem nobiscum se demisit, juxta legem vitæ ac regulam: animamque humanam propriam sibi efficiens, peccato superiorem eam reddidit, propriæ suæ naturæ firmitate atque immutabilitate tanquam tinctura eam tingens.*

Author expositionis fidei apud Justinum Martyrem longè pulcherrima comparatione utitur ejus lucis, quæ primigenia ante Solem & sydera, cùm ex imperio Dei erupisset, quarto postmodum die in corpus Solis infusa conflataque est: *Sicut post unionem primigeniæ lucis cum corpore Solari, haudquaquam ea quis à se invicem secernat, neque hoc seorsum Solem, neque illud separatim lucem vocet, sed unum Solem lumen ipsam vocet: ita in vera luce & sanctissimo corpore, nemo post unionem sigillatim hunc quidem Filium, divinum videlicet Verbum, hunc autem itidem Filium, hominem nimirum dicet, sed utrumque unum atque eundem intelliget: sicut lumen unum & Solem unum, tum lumen contractum, tum quod lumen ipsum complexum est corpus. Item quemadmodum unum quidem lumen & unus Sol, naturæ verò duæ, altera luminis, & altera corporis Solaris: haud secus hic quoque unus quidem Filius & Dominus & Christus & Unigenitus, naturæ autem duæ, altera quæ supra nos est, altera nostra.* Ex illa igitur præfundata naturæ melioris in deteriorem intimiore pervasio- VII. Ex Justino.

Leontius L. cont. Nestor. & Eutyc.

vasione adstruitur validissimè & natura duplex & persona una. Ut enim alia est lucis, alia corporis Solaris, quod lucis conceptaculum est, natura, & unum tamen utriusque compositum aut suppositum, ob penetrationem altissimam lucis in istud corpus: ita Dei atque hominis duplex est natura, unam post alterius in alteram immeationem suppositum. Citat hunc eundem locum Leontius Byzantinus tanquam Justini Martyris ex L. 3. de Trinit. c. 3.

VIII. Idem demonstratur ex illapsu sanctitatis & sapientiæ Verbi in humanitatem.

Demonstratur 2. ex eo quod non aliter sancti Patres declararint dotes viresque Deitatis irrigatas esse humanitati, quàm ex ista insinuatione Verbi in ipsissima humanitatis penetralia. Nam nisi sanctitas incorruptibilis & ipsamet incommutabilitas Verbi infundatur penitus animæ, eamque afficiat & pervadat, quì fiet anima Christi impeccabilis? Illi enim ut creaturæ cuilibet infixa est altissimè mutabilitas, imisque hæret medullis. Non ergo expungetur, nisi æquè infigat insinuetque se medullitus divina impeccabilitas, seu sanctitas Verbi. Nam infusum vitium non evertit aut non antevertit, nisi infusa medicina. Cyrillus dialogo de Incarnatione Unigeniti: *Animamque humanam propriam sibi efficiens,* [To. 2. p. 105.] *peccato eam superiorem reddidit, propriæ suæ naturæ firmitate atque immutabilitate eam velut tinctura tingens.* Et Author dialogorum de Trinitate apud Athanasium: *Quomodo mortale istud immortalitate indutum non moritur, & corruptibile incorruptibilitate indutum non amplius corrumpitur, ita & mens per Dei Verbi unitionem deificata non mutatur.* Et paulò infrà: *Sicut lanæ albedo colore purpuræ tincta, non est bicolor, sed unicolor: ita mens coruscans & deificata, est unum quiddam, neque sunt duo* ἡγεμονικὰ. *Neque enim aliud quidem vult mens, aliud vero Verbum; sed sicut musicus & instrumentum non sunt duo musici: ita Deus Verbum & mens humana non sunt duo* ἡγεμονικὰ. *Utitur enim Verbum humana mente tanquam instrumento.* Ubi impeccabilitas Verbi humanitati infunditur veluti lanæ tinctura, hoc est, immeatione. Cyrillus rursus: *Animam rursus humanam,* [L. de recta fide. pag. 17.] *posteaquam illam propriam sibi reddidisset, suaque naturæ firmitate ac immutabilitate, perinde ac vellus colore imbuisset, peccato superiorem declaravit.*

Scientia quoque & sapientia, & tota Deitatis magnificentia humanitati illapsa est, ipsius illapsu substantivo Deitatis, seu tota plenitudine Deitatis in humanitatem confluente. Fulgentius: [Respons. 3. ad Ferrand. Diac.] *Sicut in divinitate sua totam habet nativitatis suæ naturam, sic in humanitate sua totam habet divinitatis suæ substantiam, totam majestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam.* Ex quo conficit sapere & scire animam Christi sapientia & scientia ipsa Verbi increata, qua formatur; de quo alius erit dicendi locus. Hugo quoque Victorinus Libello de sapientia animæ Christi: [To. 3. pag. 61] *Anima namque Christi idcirco omnia habere dicitur per gratiam, quæ Deus habet per naturam, quia plenitudo Deitatis in Verbo ei unita est ex tempore per gratiam, quæ in Deo ex æternitate fuit per naturam. Hoc ista ex tempore habet, quia accepit: quod ille ex æternitate habuit, quia fuit. Accepit non ut in ejus quod accepit naturam mutata transiret, sed ut in ejus consortium sublimata ascenderet, &c. Quid ergo accepit anima Christi? Plenitudinem Deitatis, plenitudinem sapientiæ, plenitudinem virtutis. Totum quod Deus est, accepit. Quomodo accepit? non versibilitate naturæ, sed firmitate personæ. Accepit non quia in illud essentialiter mutata est, sed quia ineffabiliter illi unita est, &c. Immensitatem habet, æternitatem habet, habet omnia per gratiam quæ Deus habet per naturam, &c. Sed habet personaliter unita, non naturaliter insita. Habet totum, non quod creatura æterna aut immensa esse possit, sed quod æterno & immenso unita sit. Accepit quod non habuit, sed non desiit esse quod fuit. Accepit plenitudinem sapientiæ, in qua & per quam perfectè ac plenè sapiens esset, non tamen accepit ut sapientia esset.* Non solam ergo hypostasin aut existentiam Verbi, sed totam ejus Deitatis plenitudinem unitam infusamque humanitati Christi Fulgentius & Hugo opinantur, adeoque & æternitatem, & immensitatem, & sapientiam, & scientiam, & totam demum opulentiam Divinitatis. Ubi tamen duplici hac cautela secus sentientium argumenta occupat Hugo. Primò, quòd omnibus quidem his divinæ naturæ luminibus imbuatur humanitas, & explendescat; eorum tamen effectum formalem experiatur, dumtaxat, quorum creatura patiens est. Nam cùm æternitate & immensitate æquè ac sanctitate ac sapientia divina substantialiter perfundatur, non tamen æterna aut immensa fit, sed sancta & sapiens fit, sanctitate ipsamet & sapientia increata: quia naturæ creatæ illa dissonant, hæc consonant. Ita & corpus tametsi anima rationali penitissimè insideatur, ejus quidem vita & sensu vivit sentitque, non tamen ejus ratione ratiocinatur. Formatur ergo, penetratur, locupletatur corpus anima rationali, nec tamen omnibus ejus ornamentis æqualiter illustratur. Ita humanitas tota pervaditur Deitatis substantia, nec tamen omnibus ejus dotibus similiter afficitur. Secundò, etsi totam Deitatis substantiam habeat humanitas Christi, non tamen æquiparanda Deo est; nam quæ Deus habet per naturam, ipsa habet per gratiam: aut expeditiùs quod Deus est, ipsa habet; Deus forma est, ipsa formatur; Deus opulentia ipsa est, ipsa ditatur.

IX. Idem demonstratur ex eo quod assumpta humanitas fons sit totius sanctitatis, & Spiritus sancti donorum in nos.

Demonstratur 3. non tantùm divinis dotibus affluere, sed illas etiam effluere ac in omnes spargere decuit humanitatem assumptam. Nec enim assumpta est ut ditesceret, sed ut ditaret nec ut sibi ipsa viveret, ac privata fœlicitate difflueret, sed ut vitam propagaret in omnia, publicæque fœlicitatis scatebra esset inexhausta. Quo Deum propiùs imitatur, qui bonitatis fons magis quàm bonitas, & veritatis parens quàm veritas, & vitæ sanctitatisque largitor, potiùs quàm vita & sanctitas. At verò quì fieri potuit, ut vitæ & sanctitatis, opulentiæ & fœlicitatis origo jugiter & inexhaustè manans fieret humanitas, nisi se illi Deitas horum bonorum fons unus infunderet in sinum intimum, & ex ejus gremio in alios scaturiret? Si perfundatur & incandescat tota Deitate Verbi humanitas, instar erit Verbi ipsius, vitamque & sanctitatem quacumque diffundet; ut ferrum igne fervefactum igneam vim in omnia exspirat. Cyrillus Dialogo Quod unus sit Christus: *Neque enim alia ratione caro vivifica effici potest, quam secundum propriam naturam corrumpi atque interire necesse erat, nisi propria facta esset Verbi omnia vivificantis. Hoc enim pacto operata est & præstitit, quæ ipsi Verbo sunt propria, vivificanti ipsius virtuti conversata. Nam si verum est quod ignis circa materiam aliquam versans, eam quæ alioqui sua natura calida non est, calidam efficit; immittit enim ei facultatis qua præditus est efficaciam: quo pacto non potiùs immittit Deus Verbum propria carni vivificantem suam virtutem atque operationem?* Ubi Cyrillus innuit, usque adeo altissimè imbui & inundari humanitatem Deitate tota, ut inde non ipsa formetur tantùm, sed formare alios usque possit: non inebrietur ipsa tantummodò, sed genus humanum inde perfundat.

Rursus Spiritu sancto humanitas non ut adventitio bono locupletata est, sed ut suo, intestinoque Deitatis, qua delibuta erat, effluxu. Nam Verbo insessa, Verbi bona, Spiritumque adeo sanctum pariter suis in præcordiis gestabat. Inde terribilem

ribilem se immundis spiritibus ostendebat. Inde Spiritus sancti dona & opera stupenda suo quasi jure & imperio præstabat. Inde Spiritum sanctum ore quasi proflabat, corporeaque inspiratione aspirabat. Cyrillus: *Ipsius proculdubio Spiritus est, ut qui per ineffabilem ipsius naturam procedat, & ipsi sit consubstantialis, & ita minimè indiguit virtute ab eo data, tanquam externa & aliunde adscita; sed utetur potiùs tanquam proprio Spiritu, & per ipsum terribilem se dæmoniis ostendet.* Et infrà: *Ut enim procedit ex Patre Spiritus sanctus, cùm sit ipsius secundum naturam: eodem quoque modo per ipsum Filium, cùm sit ejus naturaliter, ipsique consubstantialis. Ergo quamvis per Spiritum glorificetur, ipse tamen seipsum tanquam per proprium Spiritum glorificare intelligitur, neque ea res illi extrinsecus advenit, etsi factus homo nostri similis videatur.*

L. 4. adver. Nest. p. 104.

X. Idē demonstratur exēplis aliarū immeationum; in quibus ex inferioris commixtione nil patitur superior natura.

Demonstratur 4. Nec divina tantùm humanitati hac immeatione irrigantur, sed humana quoque Deitati adhærescunt. Hinc ut divina fit humanitas, ita humana fit Deitas. Hinc immeatio reciproca esse à sanctis Patribus quandoque pronunciatur. Hinc nativitas temporalis, mors, resurrectio, & reliqua hominis œconomia Deo ascribitur. Hinc etiam cùm propugnanda est adversus calumniatores hæreticos impassibilitas Verbi, non tamen etiam tunc abscedunt sancti Patres ab exemplis & argumentis hanc immeationem reciprocam constituentibus, sed eas promunt in exemplum immeationes è rerum natura, ubi natura quæpiam impatibilis naturæ patibili, incolumi impatibilitate sua insinuatur, ut lux diverberato aere nihil læditur, ignis dum ferrum tunditur, ipse nihil patitur. Cyrillus Dialogo quòd unus sit Christus: *Quemadmodum ferrum, aut alia quæpiam ejusmodi materia recipit quidem in se & patitur flammam: si verò percutiatur ab aliquo, ipsa quidem materia detrimentum accipit, natura verò ignis à percutiente non læditur. Ita ferè intelliges Filium quidem carne passum, divinitate verò nequaquam.* Damascenus similiter: *Quemadmodum si quis ignito ferro superinfundat aquam, quod quidem natum est pati ab aqua, ignis inquam extinguitur; incolume verò manet ferrum, non enim natum est ab aqua corrumpi. Multò magis carne passa, sola impassibilis divinitas passionem non admittit, inseparabilis ab ipsa permanens.* Basilius: *Quomodo, inquis, Deus Verbum humana fragilitate non est correptus aut inquinatus? Facilè respondemus. Sicuti & ignis de ferri proprietatibus non accipit. Nigrum siquidem ferrum ac frigidum est, attamen ignitum ac candens, ignis formam subit. Et quanquam ex eo splendens, ignem tamen sua nigredine non inficit, itemque inflammatum flammam non frigefacit: sic humana Domini caro particeps divinitatis facta est, non divinitati propriam fragilitatem impertiit.* Hic enimverò proclivè fuerat objecta refellere, si humanitatem non tota immeasset Deitas, sed sola eam Verbi personalitas terminasset, & quasi extremo attigisset digito; ubi quippè nulla naturarum communio, nulla permixtio est, nihil discriminis alterius impatibilitati ab alterius passionibus impendet. At non ita se expediunt sancti Patres, sed rata fixaque naturæ utriusque mutua invasione, utriusque integritatem tuentur.

Orth. fidei. L. 3. c. 16.

To. 1. ho. 25.

Rursum Damascenus: *Hoc miraculis claret, illud injuriis subjacet; & quæ humana sunt, Verbum sibi attribuit, peculiariaque facit. Nam ipsius sunt ea quæ sanctæ ipsius carnis sunt; & tradit carni sua secundum alternæ tributionis modum, propter naturarum in se invicem insessionem & immanentiam, & secundum unam hypostasin unitionem, & quod unus erat & idem qui divina & humana operabatur in utraque forma cum alterutrius communione.* Reciprocationem itaque idiomatum refundit primario Damascenus in naturarum mutuam immigrationem.

Orth. fidei. L. 3. c. 3. 7.

Iterum idem Damascenus: *Sciendum insuper quod etsi se invicem immeare Domini naturas dicimus, scimus tamen quod ex divina natura immeatio provenit; nam omnia pertransit quemadmodum vult, & permeat omnia, per ipsam autem nihil. Et ipsa quidem proprias glorificationes carni tradit, cùm ipsa maneat impassibilis & immunis passionum carnis. Nam si Sol nobis proprias actiones tradens, nostrarum manet expers: quanto magis Solis factor & Dominus?* Reciprocam hìc immeationem utriusque naturæ Damascenus confirmat, sed duo simul non aspernanda monet. Quòd videlicet licèt utraque natura altera alteri intimè & penitissimè præsens ac commixta sit, hæc tamen inconfusa infusio à Deitate fit exorta, ut superiore, potentiore, ac spiritaliore. Nam purioris est crassiorem inire, potentioris est infirmiorem invadere, superioris est inferiorem subjugare. Quòdque rursus cùm jus & potestas penes superiorem naturam sit, illa quidem laudes suas imbecilliori affundit, sed ejus maculis aut passionibus non confunditur. Ita lux aerem, ignis ferrum invadit pervaditque non secus; & illuminat lux aerem, candefacit ignis ferrum, non vicissim, vel tantillum tenebratur lux ab aere, vel tepefit ignis à ferro.

Ibidem.

Fulgentius ad Ferrandum: *Sicut est plenitudo divinitatis in homine Christo: sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo.* Et Ferrandus ipse in Epistola ad Egippium, *Fieretque deinceps humanitas illa divina, quæ Dei cœpisset, ex quo esse cœpisset, habere personam: divinitas illa humana, quoniam sibi in unitatem personæ veraciter humanam voluit adunare naturam.* Et in Epist. ad Anatolium: *Humana est in illo divinitas, & divina est humanitas.*

In respon. sione 1.

XI. Huic naturarum mutuę infusioni sancti Patres unitatem personæ superstruunt.

Demonstratur 5. Nec alio consilio sancti Patres hanc naturæ divinæ humanæque mutuam infusionem commendarunt, quàm ut illi unitatem personalem superstruerent: nec satis tutam & inconcussam fore arbitrati sunt unitatem personæ, nisi hoc illi fundamentum substerneretur. Luculentissimus est Gregorii Nysseni locus adversus Apollinarem: *Enimverò si quod divinum erat, cùm in humanitate positum fuisset, & quod erat immortale in mortali, quod potens in infirmo, quod immutabile & incorruptibile in mutabili & corruptibili, manere permisit in mortalitate mortale, corruptibile in corruptione, & alia in aliis eodem modo, merito quis binarium numerum in Filio Dei observarit, cum utrumque eorum quæ contraria sunt, separatim apud se numeraverit. Sin autem mortale in immortali positum immortalitas factum est, pariterque corruptibile in incorruptionem mutatum est, aliaque omnia pari ratione in impatibilitatem quandam divinitatemque conversa sunt, quis locus relinquitur eorum commentis, qui in differentiam duorum id quod unum est dividunt?* Nisi Deitas tota transfunderetur humanitati, & in suas dotes affectionesque illam traduceret, ait Nyssenus, non injuria duos Filios, id est duas personas numeratum iri. Et paulò post, *Quidquid in natura nostra infirmum est & caducum, divinitati commixtum, in id evasit, quod ipsa est divinitas. Unde ergo fieri potest ut alicui binarius iste Filiorum numerus in mentem veniat, &c. Qui enim semper est in Patre, semperque Patrem in seipso habet, ipsique unitus, sicut & olim erat, ita & est, & erit, & aliud ab illo Filius neque erat, neque erit, neque fuit: primitiæ verò naturæ humanæ quas jam omnipotens divinitas assumpsit, ut dixerit quispiam apta similitudine usus, tanquam aceti gutta quædam immenso mari commixta, sunt illæ quidem in divinitate, non tamen in peculiaribus suis proprietatibus. Sic enim binarius filiorum numerus colligi posset, si ineffabili in divinitate Filii, quæpiam natura diversi generis peculiaribus suis insignita notis agnosceretur, ita ut hoc quidem infirmum esset, aut parvum,*

vum, aut corruptibile, aut momentaneum, illud vero potens, aut magnum, aut incorruptibile, aut æternum. Quando autem omnia mortalitatis insignia in Deitatis proprietates translata sunt, nulla differentia comperitur. Quidquid enim Filii videt quisquam divinitas est, sapientia, virtus, sanctificatio, impassibilitas; qui fieri potest, ut quod unum est, in notionem duplicem dividatur? &c. Divinitas enim quod humile fuit superexaltavit, &c. Non potuit splendidiùs clarescere naturæ divinæ in humanam immeatio, & humanæ in divinam quasi absumptio, & inde effulgens divinæ personæ unitas, humanæ consumptio & inanitas. Ut enim unum perstat mare quod olim fuit eritque post hac idem, etsi illi infundatur aceti guttula; ita unus idemque qui semper fuit, est, eritque Dei Filius, etsi immensitati ejus infinitæ in tempore accesserit natura nostra. Non dissipatur enim natura humana in Deitatis mare absorpta, sed illi accensetur jam, non sibi; meliori accedit, ceditque; in ejus proprietates transit, in jus illius rapitur; non per se seorsim est, aut separatim numeratur; sed connumeratur illi, & in ejus personam conseritur.

L. 2. de Principiis. c. 6. Origenes his assentitur: *Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris omnibusque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cessit aliquando, neque ipsa ab igne separetur: nunquam dicemus hanc quæ natura quidem ferri massa est, in igne positam, & indesinenter ardentem, posse aliquando frigus recipere. Quin imo quod verius est, magis eam sicut in fornacibus sæpè fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur: sed & si qui contingere atque tractare tentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit Deus est: & ideo nec convertibilis & mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Dei Verbi unitate indesinenter ignita possedit. Ad omnes denique sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse, in hac autem anima ignis ipse divinus substantialiter requievisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit.* Viden ut impeccabilitatem ex unitate sua cum Verbo humanitati Christi conciliet, unitatem istam cum Verbo longè anteponat adhæsioni qua reliqui sancti Deo affixi fuere; & istam tamen principalem humanitatis Christi ad Verbum unitatem hauddubio personalem ad hoc maximè revocet, quòd illam tota Deitas ita immeet & inseparabiliter insideat, ut ignis massam ferri?

CAPUT V.

Eadem naturarum immeatio, cui unio hypostatica superstruitur, prolixius constabilitur ex commixtione utriusque naturæ inconfusa, quam sancti Patres prædicarunt.

1. Conglobantur Latini Græcique Patres hanc naturarum commixtionem inconfusam statuentes.

Declaratur 6. Naturæ divinæ atque humanæ immeatio inconfusa, sed penitissima, unioni hypostaticæ necessariò præstruenda, ex commixtione utriusque naturæ, quam sancti Ecclesiæ Doctores unitatis personalis vinculum ipsumque nexum esse inculcarunt. Ita enim ex Deo atque homine unam conflari personam sanxerunt, quia Deus & Homo commiscentur. Augustinus ad Volusianum: *Sic autem quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant de re, quæ quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate* (Epist. 3.) *personæ, anima unitur corpori, ut homo sit; in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis: in hac persona mixtura est Dei & hominis. Si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam, quanquam & in ipsis corporibus, aeri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis mixtura est animæ & corporis: persona autem Christi, mixtura est Dei & hominis. Cum enim Verbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus.* Non potuit inculcatiùs & expressiùs naturæ utriusque commixtio stabiliri; nec aliter explanat Augustinus, qui fiat una Dei hominisque persona, quàm ista commixtione: adeò ut persona iterumque iterumque ingeminetur non aliud esse, quàm mixtura Dei & hominis. Ex commixtionis autem cogitatione solam eliminat Augustinus alterutrius naturæ corruptionem, aut utriusque confusionem. Ergo verissima commixtione naturarum constat unitas hypostaseos, dummodo ea commixtione naturarum integritas ne luxetur.

Tertullianus contra Marcionem: *Miscentem in seipso hominem & Deum.* Et in Apologetico: *Nascitur homo, Deo mixtus.* Cyprianus: *Deus cum homine miscetur.* Leo Magnus: *Hic enim mirabilis sacræ Virginis partus, verè humanam, verè divinam una edidit prole naturam: quia non ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum in eis possit esse discretio: nec sic natura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator & illa habitaculum esset; sed ita ut naturæ alteri altera misceretur.* En cur personarum discretio non sit, quia utraque natura altera alteri permiscetur. Emergit ergo ex commixtione proprietatum consociatio, imo emergit ex commixtione naturæ infirmæ cum potentissima, finitæ cum infinita, ut in proprietatem adeoque in personam superioris inferior rapiatur. Hunc sanè Leonis locum unum abundè esse existimat Petrus Damiani, & illam alterius naturæ cum altera mixtionem, ut declaretur quomodo, *Cùm Dei Filius nil minus de humanitate, sed totum atque integrum hominem suscepisse credatur, unam tamen dumtaxat habere personam Deus homo factus asseritur.* Vide ejus opusculum de fide Catholica cap. 9. Vigilius Martyr contra Eutychen: *Non quod alius sit Filius hominis, alius Filius Dei, sed usque adeo ostendere voluit nostri generis naturam per commixtionis individuam unitatem non fuisse comsumptam, ut se etiam in cœlo positum, Filium hominis dicat.* Commixtionis individua unitas non naturam absumit nostram, sed efficit ne alius sit Filius hominis, & alius Filius Dei, hoc est, efficit ut una sit persona; commixtioni ergo naturarum, personæ unitas fertur accepta.

(Tertull. l. 2. Conc. Marc. Apol. c. 12. Cyprian. de vanitate Idol. Leo. M. Ser. 3. de Nativ. Petrus Damiani. c. 9. L. 1. contra Eutyc.)

Jam è Græcis Origenes: *Sciant isti criminatores hunc Jesum, quem jam olim Deum esse credimus Deique Filium, esse ipsum Verbum, ipsam veritatem, ipsam sapientiam. Cæterùm mortale ejus corpus & humanam in eo animam, illius Verbi non solum communicatione, sed etiam unitione & permixtione tantum divinitatis assumpsisse, ut Deus fieret.* Hoc alios pietatis ergo insignes viros à Christo secernere videtur, quòd aliquali communicatione cum Verbo donati sint cæteri, at Christi humanitas permixtionem cum Verbo adepta sit. Gregorius Nyssenus: *Tunc cum nostra natura commixta fuit Divinitas, ut sua cum Deitate commixtione, natura nostra divina fiat, & à morte atque ab adversarii tyrannide eximatur.* Cyrillus in Thesauro: *Quando nobis commixtus est, factus homo, omnes infirmitates nostras gestavit, & ipse passus esse censetur, quum omnes templi quod inhabitavit pro-*

(Origenes Lib. 3. cont. Celsum. Nyssenus Orat. Catech. 25. Cyrillus Thesauri pag. 235.)

proprietates sibi vendicavit. Quid apertius his verbis Cyrilli, πρὸς ἡμᾶς ἀνεμίχθη γενόμενος ἄνθρωπος. Et illis Nysseni κατεμίχθη πρὸς τὸ ἡμέτερον. Et Nazianzeni, ἡ καινὴ μίξις, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἓν ἐξ ἀμφοῖν, καὶ δι' ἑνὸς ἀμφότερα, *Nova mixtio Deus & homo, unum ex ambobus, & per unam ambo*. Et Synesii: τὰν παντομιγῆ φύσιν. Ex Deo & homine commixtam naturam Christum vocat, quòd Deitas & humanitas omnia sint, licèt diversis modis.

Nazianz. Orat. 1.

Synes. hymno 7.

II. Quàm enixè sancti Patres hanc inconfusam cōmixtionem ad unitatem.

Cùm ergo suffragatione conspirante eximii quique è Græcis & Latinis Patres, naturarum commixtionem exaggerare tantoperè studuerint, & unitatem personæ non alio validiore præsidio existimaverint posse communiri: permirum accidit mihi quidem, ecquid in mentem venerit nonnullis naturas separare, immediato iis interdicere complexu, personæ tantùm quasi extremi termini contactu eas admovere magis quàm connectere, aut eo quasi vinculo connectere tantùm, non insinuare, non immergere alteram alteri, non permiscere; cùm ex hac tamen insinuatione, immersione & commixtione inconfusa utriusque naturæ efflorescat unitas personalis. Cùm ex Augustino Christus sit *Mixtura Dei & hominis*. Cùm ex eodem *Persona Christi mixtura sit Dei & hominis*. Cùm ex Tertulliano Christus *Miscuerit in seipsum hominem & Deum*. Cùm ex Cypriano *Deus cum homine misceatur*. Cùm ex Leone *Personarum non possit esse discretio, quia sic natura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut natura altera misceretur*. Cùm ex Vigilio Martyre non sint duo Filii, licèt *nostri generis natura per commixtionis individuam unitatem non fuerit consumpta*. Cum ex Origene *Anima & Corpus Verbi non solum communicatione, sed etiam permixtione tantum Divinitatis assumpserit, ut Deus fieret*. Cùm ex Nysseno *Commixtione natura nostra divina evaserit*. Cùm ex Cyrillo *Verbum nobis commixtum, factum sit homo*. Cùm ex Nazianzeno Christus sit *Nova mixtio, Deus & homo*. Cùm ex Synesio Christus sit *Omnimoda mixtio*. Hæccine id valent dumtaxat, ut Deitas humanitatem attingat tantùm, quasi summatim, & terminet solummodo, quasi extrorsum, & non ut introrsum invadat, & immeet, & insideat, & demum ut se illi permisceat?

III. Penitus insinuari Deitatem humanitati, quàm animam corpori tradūt Patres.

Declaratur 7. Et ne obscurum esset quàm accurata fieret permixtio, sicut anima corpori ita permiscetur, ut in omnes ejus medullas ac recessus se infundat, ita ex sanctis Patribus Deitas humanæ in Christo naturæ permiscetur. Quin imò altiùs subit, penitiùs se insinuat Deitas homini, quàm anima corpori; idque multifariam evincitur. 1. Simplicior est, tenujorque ac purior natura Deitatis quàm animæ, adeoque immeare paratior. 2. Potentior est Deitas, ut impetum faciat, & pandat sibi viam quacumque, & obices omnes irrumpat, ac in penetralia invadat. 3. Et anima, qua media Verbum carni conglutinatur, tenujor est, quàm corpus; adeoque immeari pronior. 4. Spiritus spiritui, quàm spiritus corpori cognatior, ac reciprocæ infusioni propior. Augustinus: *Cum enim Verbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines, hoc semel factum est ad liberandos homines. Verumtamen duarum rerum incorporearum commixtio faciliùs credi debuit, quàm unius incorporeæ, & alterius corporeæ. Nam si anima in sua natura non fallitur, incorpoream se esse comprehendit: multò magis incorporeum est Verbum Dei, ac per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio, quàm animæ & corporis. Sed hoc in nobis ipsis experimur; illud in Christo credere jubemur. Si autem utrumque pariter inexpertum credendum præciperetur, quid horum citiùs crederemus? Quomodo non fateremur duo incorporea, quàm unum corporeum alterumque incorporeum faciliùs potuisse misceri? Si tamen non indignè ad ista mixtionis vel mixturæ nomen admittitur, propter consuetudinem corporalium rerum, longè aliter se habentium, aliterque notarum*. Vides quàm enixè fatagat mixtionem Dei & hominis firmare, & intimiorem persuadere quàm animæ & corporis; & quàm non alio ex fonte hìc unitatem personæ derivet.

Epist. 3.

Claudianus Mamertus operis luculentissimi de statu animæ Author: *Quærere*, inquit, *solent quidam, quomodo in Christo misceri potuit Deus & homo? Quærunt rationem hujus mysterii, quod semel factum est, cùm ipsi reddere rationem nequaquam possint ejus rei quæ fit semper, quomodo societur anima corpori, ut fiat homo. Ergo quomodo corporea res incorporeaque conjungitur, & anima corpori miscetur, ut homo efficiatur, ita homo conjunctus est Deo, & factus Christus: & tamen ut fieret Christus, duo illa incorporea (id est anima & Deus) faciliùs conjungi permiscerique potuerunt, quàm miscetur una incorporea, aliaque corporea, id est anima & corpus, ut persona hominis existat*. Hæc ille verba exscribit ex Eucherio Lugdunensi Episcopo, quibus nihil affinius dici potuit loco Augustini suprà relato. L. 3.

Damascenus: *Mens intermedia est Dei & carnis; hujus quidem ut inhabitatrix, Dei verò ut imago Mens igitur menti miscetur & intermediat mens puritati Dei & crassitiei corporis*. Mens ergo humana menti seu Verbo divino ut cognatior commiscetur; nec nisi media mente Verbum commiscetur corpori. L. 3. c. 81.

IV. Declaratur ex Patribus quàm cōmixtio hæc nihil possit Deitati advehere mutationis vel confusionis.

Declaratur 8. Permixtionem utriusque naturæ absolutissimam invexere Patres, nec ab ea quidquam, nisi vel alterutrius in alteram demutationem, vel utriusque confusionem eliminarunt. Hæc autem vitia proscripsere vel exemplis rerum corporearum, quæ quandoque citra utriuslibet detrimentum miscentur, uti lux aeri, anima corpori, prout suprà retulit Augustins: vel animadverso incorporalium à corporalibus discrimine & privilegio; nam corporalia molem locumque peculiarem sibi quæque flagitant, ideoque alia ab aliis extruduntur, vixque in unum conflari citra jacturam aliquam possunt: at incorporea nec mole gravantur qua se propellant, & unitati immensitatique propiora, insunt sibi mutuò, immeantque libentiùs: vel denique ex contemplatione prærogativæ singularis, qua Deus & supra corporalia & supra incorporalia eminet ineffabiliter, & his illisque impermixtè miscetur, inconfusè confunditur; illa invadit, non ab illis invaditur; illa penetrat, non penetratur; illa implet, non impletur. Deitas itaque humanitati potiùs, quàm humanitas Deitati miscetur, eoque incolumis & incorrupta perstat Deitas, sola augescit humanitas. Augescit enim humanitas, cui permiscetur Deitas: non augescit Deitas, quia non ei permiscetur humanitas. Immutatur humanitas, quia illam invadit, penetrat, implet Deitas; non immutatur Deitas, quia nec invadit illam, nec penetrat, nec implet humanitas. Nec Deitas confunditur, aut corrumpitur, nec humanitas, quia ita tota immergitur, ut tota supernatet ac superexstet humanitati Deitas, quia inviolabilis & incorruptibilis est Deitas, quia etsi posset, non ab opifice tamen suo violari posset aut corrumpi humanitas; quia nec summæ formæ, nec à summa forma contingere potest deformitas; quia nec incorruptelæ nec ab incorruptela formidari potest corruptibilitas; quia nec summo ordini nec à summo ordine inferri cuiquam potest confusionis vitiositas. Quantumlibet ergo permisceatur humanitati Deitas, id est forma formarum, an inde vel illa vel ista deformabitur? Quantumlibet implicetur humanitati Deitas, hoc est, ordo & modus ipsemet, an inde vel illa vel ista confundetur? Quantumlibet inferatur humanitati Deitas, id est, incorruptibilitas, an illa vel ista corrumpetur? Quando enim incorruptio corrumpere vel corrumpi, ordo con-

do confundere vel confundi: formositas deformare vel deformari potuit?

Pulcherrimè hæc omnia complexus est Leporius Presbyter in Libello emendationis, quo Nestorii hæresin ante Nestorium exortum à se temerè disseminatam, coram Africanis Episcopis ac Augustino imprimis recantavit. Ejus hæc verba refert Cassianus: *Ac sic ipse Deus Verbum totum suscipiens quod est hominis, homo sit: & assumptus homo, totum accipiendo quod Dei est, aliud quàm Deus esse non possit. Non tamen quia incarnatus dicitur & immixtus, diminutio ejus est accipienda substantiæ. Novit enim Deus sine sui corruptione misceri, & tamen in veritate misceri. Novit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti: sicut seipsum totum novit infundere, ut nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ, secundum experimentorum visibilia documenta facientes conjecturam de æqualibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, & tali confusione carnis & Verbi, quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, ut conflatili quodammodo genere, duas naturas in unam redactas arbitremur esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio, partis utriusque corruptio est. Deus enim qui capax non captabilis est, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui ubique simul totus est, & ubique diffusus est, per infusionem potentiæ suæ misericorditer naturæ mixtus est humanæ.*

Cassian. de Incarn. L. 1. c. 5.

Enimverò ut scitè advertit Leporius, quia æqualis naturæ sunt corpora, subire se invicem haud possunt, quin atterant sese vicissim, ac reciproco virium conflictu elidant corrumpantque aliquantulum. At verò ubi unius miscibilium præpotentior natura est, quia beneficentior pariter est, commiscet se alteri sine suo ipsius dispendio, nec sine inferioris compendio. Ideo lux quia apex naturæ corporeæ, limes incorporeæ est, & spiritalitatis debilitatio quædam est, aeri ita permiscetur, ut nec corrumpat, nec corrumpatur; ita perficit, ut nec inficiat, nec inficiatur; ita immeat, ut confusionem diluat. Sed præstantiùs jam anima ita infunditur corpori, ut superfundatur & emineat, suamque lucem illi ita insinuat, ut nullo ejus contagio contaminetur. Sed tantò incomparabiliùs Deitas, quantò ultra omnem comparationis aut admirationis aleam superemicat.

Orat. 41.

Nazianzenus: *Hæc intelligibilium natura est, ut incorporeo atque indivisibili modo & inter se & cum corporibus misceantur. Quandoquidem & plurium vocum auris una capax est, & plurium aspectus ab iisdem rebus in oculorum sensum cadentibus capi potest, &c.* Hoc ergo peculiare est rerum incorporearum jus, ut inconfusè & inseparabiliter permisceantur. Et perspicua ratio est, cùm enim non discludantur locis, nec disterminentur mole, tam molis videlicet expertia quàm loci, non possunt non inesse sibi omnia invicem: quòd ergo insint, non ideo confunduntur. Nam confunduntur corpora, quando quæ loco & mole naturaliter distabant, jam non distant: at incorporea ut nunquam distant, non ideo confunduntur. Quanquam & in ipsis corporibus quò quælibet eorum defæcatoria sunt, & detersa concretionis fæce, ad incorpoream tenuitatem magis eluctantur, eò citra confusionem pervadere sese & in unum plura coire audent.

V. A permixtione naturarũ quam abhorreret Nestorius, quam illam retineret Cyrillus, & quo sensu.

Declaratur 9. Vocem istam commixtionis premebat invidiosiùs, quia inde premebatur Nestorius, eamque criminabatur, qua apertissimè nudabatur ejus flagitium. Quasi inde enim naturarum confusio importaretur, permixtionem abhorrebat, & alia unioni non tam abstringendæ quàm scindendæ accomodata suggerebat vocabula. Hanc illi simulationem excussit Cyrillus, docuitque mixtionis voce usos esse Patres abusivè, nec ea mente ut naturarum tolleretur discretio, sed ut immeatio ac summa unio pateferet. Quàm opportuna autem sit jugulandæ Nestorianæ vesaniæ, constituendæque personæ unitati in Christo vox commixtionis, satis ut arbitror superque claruit ex Libello confessionis Leporii, quo hanc primus pestem detestatus est; nunquam enim crebriùs, nusquam explicatiùs efficaciùsque mixtionis nomen est usurpatum. Mihi quidem veri videtur simillimum, ab Augustino ipso dictatam fuisse illam Confessionem fidei, quam Leporius non tam scripsit, quàm subscripsit. Sanè ab his non dissonat Cyrillus, libro primo contra Nestorium: *Ea quæ nemo vel leviter cogitavit, cur tanquam reapse dicta fuerint, tuis inseruisti sermonibus, ac pro pietatis dogmate decertare te simulas? Nam mixtionis nomen posuerunt nonnulli etiam sancti Patres. Sed quia metuere te dicis, ne qua confusio contigisse existimetur, ad instar liquidorum quæ inter se mutuo commiscentur; libero te hoc metu: non sic illi senserunt: minimè; sed ea voce sunt abusi, cum summam unionem rerum inter se convenientium ostendere studerent.* Quatenus ergo commixtio discretionem naturarum adducere potest in periculum, eatenus vocem illam abusivè usurpasse dicuntur Patres, nec id consilii habuisse: at qua vox illa efficacissimè summam unionem ingerit, eam affectarunt. Ergo penitissima immeatio, sed amica tamen tutrixque distinctionis per illam vocem interpretanda est. Sicubi autem canit Ecclesia, *Nec commixtionem passus, neque divisionem*, à confusione dumtaxat, non ab immeatione naturarum cavet.

Nam ne egregius elabatur nobis Leonis Magni textus: si potest anima pro imperio in corpus sibi naturaliter agnato, illud ita pervadere intimitus ut nihil ab eo damni, nihil confusionis persentiscat: quin Deus eodem jure gaudeat, & totum hominem æquè individuè, sed æquè inconfusè sibi adunet? *Nec enim Verbum aut in carnem, aut in animam aliqua sui parte conversum est. Cùm simplex & incommutabilis natura Deitatis tota sit semper in sua essentia, nec damnum sui recipiens nec augmentum: & sic assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconveniens, aut impossibile videatur, ut videlicet Verbum & caro atque anima unus Jesus Christus & unus Dei hominisque sit Filius: si caro & anima quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam? Cùm multo sit facilius ut hanc unitatem sui atque hominis, Deitatis præstet potestas, quam ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas. Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata est; sed utrumque in uno manet, & unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus.* Diversitas est ergo, sed citra divisionem: permixtio est, sed citra confusionem.

Leo M. Ep. 11

CAPUT VI.

Eadem naturarum immeatio, unione hypostaticæ nexus, illustratur ex compositione Deitatis & humanitatis, quam sancti Patres statuerunt.

Declaratur 10. Hæc utriusque naturæ immeatio seu circuminsessio aut περιχώρησις, & commixtio seu κρᾶσις, cui ut arctissimo nexui unionem hypostaticam potissimùm illigamus, ex compositione qua Deitatem & humanitatem in unam personam compaginari sancti Patres decreverunt. Nam unio secundùm hypostasin & secundùm compositionem una eademque est Synodis, Patribusque: Christus ex utraque natura compositus

I. Compositio nem utriusque naturæ in unam hypostasin, vel in unam personam, ut inculcarint sancti Patres adversus Nestorium.

positus est, ex iisdem: hypostasis Christi composita est ex natura duplici, iisdem Authoribus. Paulus primùm Samosatenus præsultor Nestorii cùm copulam personalem infringeret, & umbratica ludificatoriaque tantùm unitate Deum homini copularet, unionem secundùm compositionem profiteri jussus est, cùmque id detrectaret, anathemate innodatus est. Denique Nestorius, Nestoriique sequaces cùm per unionum commentitiarum ludibria tergiversarentur, in quinta Synodo, ut nihil posthac superesset effugii, unionem secundùm compositionem & subsistentiam confiteri aut Ecclesiæ liminibus excedere compulsi sunt. At compositio Deitatis & hominis plusculum quid etiam sonat, quàm immeationem. Nam non illabi tantùm & inesse Deum homini necesse est, ut fiat compositio; sed innecti imprimique illi, & eum formare, unumque cum eo naturaliter, unum inquam physicè & naturaliter, non unum natura conflari. Petrus Diaconus Libro de Incarnatione & Gratia:

Cap. 5. *Quos Cyrillus anathematizat, dicens contra Nestorium: Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem, sola societate connectens secundùm dignitatem & authoritatem aut potentiam, & non magis conjunctionem quæ est secundùm unitatem naturalem, anathema sit, &c. Hinc etiam ex sanctis Patribus adunatione ex divinitate & humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur. Quod nolens Paulus Samosatenus confiteri, damnatus est ab Antiocheno Concilio: Malchioni Presbytero ejusdem Antiochenæ Ecclesiæ, viro per omnia eruditissimo, & ab universis sacerdotibus qui contra eundem Paulum convenerant tunc electo, qui summum disputationis certamen à Concilio memorato suscipiens, ita eundem hæreticum inter cætera redarguit dicens, Ex simplicibus fit certè compositum sicut in Christo Jesu, qui ex Deo Verbo & humano corpore, quod est ex semine David, unus factus est, nequaquam ulterius divisione aliqua, sed unitate subsistens. Tu verò videris mihi secundùm hoc nolle compositionem fateri, ut non substantia sit in eo Filius Dei, sed sapientia secundùm participationem.* Videns quàm acriter compositionem & declinaret hæreticus, & urgeret ut insuperabile telum veritatis Catholicus?

Colla 8. Anath. 4. Quinta Synodus: *Si quis dicit secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm æqualitatem honoris, &c. Unionem Dei Verbi ad hominem factam esse, &c. Sed non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili & intellectuali secundùm compositionem, sive secundùm subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt: & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus unus de sancta Trinitate, talis anathema sit.* Ergo nec Paulus, nec Pauli progenies Nestorius conteri, hoc est unitas personæ Christi firmari satis potuit, nisi compositione Dei atque hominis constabilita.

II. Hanc compositionem Patres illustrarunt, comparatione corporis & animæ. Epist. 2.

Declaratur 11. Ne ambigere quis autem possit, cujusmodi sit ea compositio Deitatis & humanitatis, & quàm certo inde natura altera alteri inconfusè infundatur, & penitissimè immeet: exemplo corporis & animæ illam Patres Ecclesiæ commendarunt. Cyrillus Epistola ad Succensum: *Neque in carnis naturam transiit Verbi natura, neque rursus natura carnis in Verbi naturam; sed cum utrumque in sua proprietate naturali permaneat & consideretur, juxta rationem paulo ante redditam, ineffabiliter & inexplicabiliter unitus, solam nobis ostendit Filii naturam, sed ut dixi, incarnatam. Neque enim in naturis tantum simplicibus unum verè dicitur, sed in iis etiam quæ sunt per compositionem conjuncta, cujusmodi est homo ex anima constans & corpore. Nam ejusmodi res alterius cum sint speciei, & minimè ejusdem inter se essentiæ, tamen cum unita sunt, unam hominis naturam absolvunt, quamvis adsit in compositionis ratione, differentia, secundùm naturam rerum ad unitatem concurrentium.* Vides quàm seriò compositionem Christo invehat, ejus consimilem quæ animam corpori conglutinat; unitas ergo Christi personæ est κατὰ σύνθεσιν, per compositionem. Joannes Maxentius: *Si ergo anima quæ non est corpus, sed spiritus, carni secundùm compositionem unita, nullam contractionem in minore, nullam extensionem in majore patitur membro, sed sine sui confusione tota in minore, tota esse creditur in majore: Quo pacto divinitas Dei Verbi secundùm compositionem propria carni unita, contractionem aut extensionem sive confusionem sustinuisse credenda est? Exemplo enim animæ ad carnem factæ unitionis, quam secundùm compositionem fieri non negasti, omnes Doctores Ecclesiæ & illustres viri, Dei Verbi ad propriam carnem unitionem factam docere monstrantur.* Pergit sæpiùs idem inculcare compositionis specimen, ita ut vix tuta sit hypostatica unio, nisi vera & germana atque accurata compositione constet, & qualis animam corpori constringit. Dialog. L. 2.

III. Compositionem geminæ naturæ in unâ hypostasin cōstituerunt sancti Patres.

Declaratur 12. Composita quidem magis propriè dicitur persona vel hypostasis Christi, sed ita tamen ut compositio fiat ex duabus naturis divina atque humana in unum complicatis & commeantibus. Neque enim ea fuit Patrum sententia, ut humanitas cum personalitate sola Verbi coalesceret, & ea esset unitio compositionis: sed ut humanitas cum Deitate conflueret, & ex duabus naturis componeretur una hypopasis; denique ut naturarum sit compositio in unam hypostasin. Theodorus Abucara: *Sed declaremus modum hypostaticæ compositionis. Compositam quidem dupliciter esse æterni Filii Dei hypostasin dicimus. Dicitur enim composita ex divinitate & humanitate, & dicitur rursus composita ex anima & corpore, sicut unusquisque homo.* Audis quam physicam naturarum, non metaphysicam essentiæ humanæ & existentiæ seu subsistentiæ & hypostaseos divinæ compositionem sanciat. Denique hypostasis non inter componentia accensetur, sed ut compositionis germen, & fructus. To. 11. Bibl. PP. pag. 183.

Joannes Maxentius: *In vulva prorsus* (facta est compositio:) *Nam quomodo Deum natura crederem, quem secundùm compositionem carni unitum fateor, si post partum compositionem naturarum adsererem? Hæc enim nec compositio, nec unitio creditur, sed alterius in altero habitatio.* Ibidem frequentiùs ingeminat naturarum compositionem. L. 2. Dialog.

Petrus Diaconus hæc ex Athanasio refert, insultante iis qui unionem compositionis aversabantur, libro quòd unus sit Christus, *Quomodo, inquiunt, incarnatur Deus, quomodo incorporatur, quomodo componitur ad parvum corpusculum incapabilis, quomodo unitur increatus creato, circumscriptus incircumscripto? Aut quomodo in partem magnus ille & immensus & individuus? Si autem magnitudo illa in parvo loco contracta est, aut parvum illud factum est magnum, aut pars & non omnis divinitas carni unita est, quod est impium credere.* Sic ille argumenta hæreticorum adversus Catholicos depromit. Ex his autem liquidum fit, compositionem naturarum, & ex ea emergentem alterius in alteram commeationem, & infectatos esse hæreticos, & catholicos defendisse. Unde ibidem Athanasius in Ecclesiæ fideique hostes stomachatur: *Et prolapsi sunt ex hoc quod dicunt, quomodo & quali modo, &c. Et inhabitationem pro incarnatione operati sunt, & pro unitate & compositione inoperationem humanam.* L. de Incar. & Gratia.

Damascenus: *Et composita facta est, quæ prius erat simplex Verbi hypostasis; composita quidem ex duabus perfectis naturis, divinitate scilicet & humanitate.* Partes veluti componentes sunt naturæ, ex earum compositione compingitur una hypostasis. L. 3. c. 7.

Cod. 228. Ephræmius Patriarcha Antiochenus apud Photium: *Hypostasis enim composita est, & secundum unam quidem substantiam non habet alteram; sed quoad hypostasin, utramque habet.*

Eccl. Hier. c. 3. Dionysius: *Unitas enim ac simplicitas Jesu divinissimi Verbi per assumptionem humanitatis nostræ, in compositionem simul & aspectum, sine sui immutatione, pro sua bonitate ac in homines charitate processit, nostrique secum unificam communionem benignè excogitavit, ea quæ in nobis humilia sunt divinissimis suis uniens excellentiis.* In compositionem cum natura nostra venit Verbum, ut humilia nostra suis copulando dignitatibus sublimaret. Toti ergo Deitati totam humanitatem adhærescere, non soli existentiæ conjungi & quasi conterminam fieri oportebat. Nam nisi tota se infundat Deitas, si contigua tantùm sit, si confinis & contermina solummodo, quomodo infirmitatis nostræ sinus omnes penitissimos subibit & excutiet & resarciet? Naturæ visceribus ipsis malum incubabat, ea ergo opus erat scrutaretur Deitas, & insereret se, & inexplicabiliter se implicaret, in unumque componeret.

IV. Compositio hæc Nestorium simul & Eutychetem elidit, dum & duas retinet naturas, & unam eas conflat in personam. Declaratur 13. Etenim compositio visa est sanctis Patribus maximoperè opportuna jugulandis Nestorii æquè ac Eutychetis erroribus, & vindicandæ in Christo tum naturarum distinctioni, tum personæ unitati. Si Deitas enim & humanitas unum compositione conflant; nec confunduntur ergo in unam naturam, nec sejunguntur in duplicem personam. Nam compositi partes religantur quidem sibi & cohærent strictissimè, unamque adeo coagmentant personam: non autem invadunt deglutiuntque aliæ alias, non deterunt arroduntve magnæ minusculas, ut in unam exprimantur naturam. Quin eo tota pertinet sincera compositio, ut pars quæque nobilior sua cum ignobilioribus conglutinatione, præsidio iis sit, non detrimento; injuriam ab iis arceat, non irroget; non premat ipsas, non absumat, sed augeat amplificetque. Ita forma materiæ, ita anima corpori componitur, ut pars melior sequioris integritati, incolumitati, ornamentoque invigilet, indulgeatque, non insidietur. Videlicet hoc castissimæ specimen & monumentum amicitiæ objecit nobis magistra natura, ut ex complexu arctissimo seu parium seu disparium compositi partium, omnium utilitas promoveatur: nec meliorum voracitatem provocet inferiorum impotentia, sed beneficentiam. Hæc lex & norma est germanæ compositionis. Ad hunc modum ex complexu ac insinuatione reciproca Deitatis & humanitatis, & una coaluit persona, nec alterutra defecit, aut decrevit natura. Quinta Synodus: *Cum enim multis modis unitas intelligatur, qui impietatem Apollinarii & Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum quæ convenerunt colentes, unitionem secundùm confusionem dicunt. Theodori autem & Nestorii sequaces divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur, quod est secundùm subsistentiam. Unitio enim per compositionem in mysterio Christi non solum inconfusè ea quæ convenerunt, conservat, sed nec divisionem suscepit.* Collat. 8. Can. 4. Hinc ergo Apollinarius & Eutyches naturas nimium constringebant, hinc Theodorus & Nestorius relaxabant plus æquo: illi ut geminas in unam naturam confunderent, hi ut nec in unam nisi simulatè recolligerent personam; alio & alio jaculo, idem tamen configebant subruebantque Christi mysterium. Exitiales hinc & inde uniones intersecat media unio compositionis, quæ ita naturas colligit, ut discernat: ita discernit, ut non secernat: ita conflat, ut duæ supersint: ita qualitati prospicit naturarum, ut personæ intersecat unitatem.

Non minùs accuratè Justinianus Imperator in Confessione rectæ fidei: *Unde ex utraque natura, id est, ex Deitate & humanitate Christum compositum dicentes, confusionem unitionis non introducimus, &c. Cum enim compositionem dicamus, necesse est confiteri & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci. Nec enim divina natura in humanam transmutata est, nec humana in divinam conversa est: Magis autem intelligitur, quod utraque in proprietate & ratione naturæ suæ manente, facta est unio secundùm subsistentiam.* Et paulò infrà: *Et est etiam post incarnationem unus de sancta Trinitate unigenitus Filius Dei Dominus noster Jesus Christus, compositus ex utraque natura. Compositum autem Christum confitemur, sanctorum Patrum doctrinam sequentes. In mysterio enim Christi unitas secundùm compositionem, confusionem & divisionem rejicit: & servat quidem utriusque naturæ proprietatem, unam autem hypostasin vel personam Dei Verbi eitam cum carne ostendit.* Explanatius nihil dici potuit, ut demonstraretur Christus ex utraque natura compositus esse in hypostasin unam: Compositio enim naturas non confundit, sic enim eas corrumperet, non componeret; sic eas destrueret, non construeret; dissiparet, non coagmentaret; sic non totum ex partibus compingeret, sed partes partibus absumeret, & totum labefactaret. Compositio ergo non confundit naturas, sed physicè & substantialiter eas in unum totum, in compositum, in suppositum, in hypostasin unam conglutinat. Ideo conspirarunt Patres ad hoc, ut unione compositionis incarnationem stare sancirent. Ideo ex tot Patrum commentariis in Nestorii Eutychetisque insana deliria lucubratis, nihil efficacius, nihil opportunius seligere potuit ætas posterior, & Quinta ipsa Synodus, quàm hoc compositionis vocabulum: quo uti invictissimo præsidio adversus ingravescentes hinc & indè pestes Incarnatio Verbi vallaretur.

Idem traditur à Joanne Maxentio: *Quamvis Christus divinitatis suæ simplicitam & impassibilitatem etiam post unitionem compositionemque conservet: tamen propter unitatem sibi carnem, justè ad ipsam compositus esse credendus est.* L. 1. Dialog. Et infrà: *Sicut non confundit naturas unitio, ita nec compositio; quia nec animæ & carnis naturæ, quæ secundùm compositionem unitæ sunt, confunduntur in sese.* Quo exemplo appositissimè vis compositionis elucescit.

Nec dissimulanda tamen est illa cautio, quam Scriptores Ecclesiastici compositioni huic addiderunt; eam videlicet à compositionibus cæteris non mediocriter diffidere, idque multis ex nominibus. Quocirca impropria & metaphorica hæc Dei hominisque compositio nonnullis eorum vocitata est ob ingentem, qua distat ab aliis, intercapedinem. Cæterùm quod impropria, quod metaphorica, quod aliarum dissimillima dictitetur, non id vel commeationem intimam utriusque naturæ implicationemque reciprocam solvit, vel physicam conglutinationem in unam hypostasin; nam quantum ad ea attinet, non dispar aliis, imò incomparabiliter superior aliis est hæc compositio; sed ejus ab aliis compositionibus usitatis quoad alia complura capita discriminatio insinuatur. V. Hæc tamen compositio ab aliis compositionibus plurimum distat.

Nam primò compositum vulgò non antecedit ætate, sed consequitur ea ex quibus componitur; at Christi hypostasis humanitatem tota anteivit æternitate. Theodorus Abucara: *Compositam quidem esse dupliciter Filii Dei hypostasin dicimus. Dicitur enim composita ex divinitate & humanitate; & dicitur rursus composita ex anima & corpore, sicut unusquisque homo. Sed ex Deitate & humanitate non dicitur propriè composita, sed metaphoricè. Omne enim quod propriè compositum est, non erat prius quàm copulata essent ea ex quibus compositum est: Christum verò non dicimus simpliciter, & absolutè non esse Christum ante divi-* VI. Primum discrimen. Bibl. Patr. Tom. XI. pag. 181.

divinitatis cum humanitate, ex quibus componitur, conjunctionem.

VII. Secundum discrimen. Secundò, compositum alio insignitur, quàm cujuslibet partium nomine, nec partium nomine rectè significatur, ut homo homo dicitur, non anima, non caro. Ibidem Acucara: *Quod propriè ex re compositum est, alio quodam nomine, quàm nomine earum rerum ex quibus compositum est, nominatur. Homine enim composito ex anima & corpore, non nominatur nomine hominis vel anima vel corpus. Christus tamen quodammodo compositus ex æterno Filio & humanitate, ipse æternus Filius est Christus, &c.* Utroque hoc discrimine seponit Theodorus hanc ab aliis compositionem, & metaphoricam vocat; neutro autem vel insinuationem alterius naturæ in alteram extenuat, vel physicam compaginationem in unam hypostasin. Et verò cùm Synodus Quinta, cùm Ecclesia unionem hypostaticam tam enixè exertèque per compositionem fieri inculcaverit, & hanc statuerit certissimam amussin, qua fides ab hæresi dignosceretur: plenissima res est periculi & audaciæ, eam compositionem elevare, quasi metaphoricam & impropriam.

VIII. Tertium discrimen. Tertiò, compositum constat partibus, & partes minores sunt toto; at Christus ejusmodi compositum est ex Deitate & humanitate, ut Deitas pars non sit: & si quoquo modo & abusu pars dicatur, non imperfectior toto est. Capitale enim intercedit illud discrimen, quòd in alia composita confluant naturæ indigentiores, mutua ope indigentiam quæque suam compensaturæ. Ex quo fit ut singulæ totius partes sint, & toto minùs sint perfectæ. At Deitas plenitudo totius entis & perfectionis cùm sit, ita in compositionem cum naturæ nostræ egestate coaluit, ut non perficeretur, sed ut perficeret: ditaret, non ditaretur vicissim; eoque nec pars totius esset, nec toto minor. Nec eo tamen minùs hæc compositio vera est. Si enim forma indiga materiæ indigæ concrescit immeatque, perficitque & perficitur? quid vetat formam formarum, nullius indigam, omnium prodigam, physicè infundi implicarique naturæ egenæ, eamque citra ullam beneficii reciprocationem & ornare & locupletare? An illius indigentia ad invadendam subigendamque sibi naturam ignobiliorem plus poterit, quàm hujus omnipotentia? An quia hæc nullius eget, ideo nec sua prodiget? An illa inops cùm sit, seipsam physicè dabit; hæc quia opulentia ipsa est, seipsam dilargiri vetabitur? An hæc quò opulentior, eò illiberalior esse jubebitur? illa quò macilentior, eò & suorum & sui profusior? Quod forma materiam, quod anima corpus formet vegetetque, & compleat beetque, id beneficentiæ specimen est eximium. Quin Deitas cuipiam creaturæ ubi collibuerit, munificentiam consimilem exhibeat, nemo jure intercedere potest. Quid enim in eo non gloriæ & honestatis plenissimum? Quod verò forma & anima vicissim indigeant & perficiantur, eòque partes sint & composito impares, id verò egestatis ipsarum argumentum est. Forma ergo formarum Deitas, quòd nulla prematur egestate, eò beneficentior sit, non parcior: eò sui indulgentior sit, & formet vegeteque humanitatem assumptam, & compositum unum cum ipsa coagmentet: cujus tota perfectio, cujus pretium totum & splendor Deitas una sit, cujus adeo pars Deitas non sit.

IX. Prolixiùs ostenditur, ut in composita Christi persona, Deitas nec minor toto sit. L.1. Dialog. Ita hujus nodi perplexitatem extricavit Joannes Maxentius. Cùm enim objectasset Nestorianus quis, *Omne compositum partibus constare nulli dubium est, pars autem minus est quàm totum: est ergo Deus Verbum pars Christi, quem ex divinitate & humanitate compositum asseris. Et si Deus Verbum pars est Christi, est Deus Verbum juxta vos minor Christo, cujus & est. Quod si pars Christi Deus est, quomodo Deus si imperfectus est?* Respondet ipse proculdubio Catholicus: *Non est imperfectus Deus Verbum, quia non ut perficeretur, assumptione carnis indiguit, sed ut caro præficeretur in melius commutata, carni se uniens compositus factus est, qui ante erat sine dubio summè simplex, & incompositus, perfectusque per omnia, utpote Deus, &c. Neque minor est Deus Verbum Christo, quia ipse est Christus, nec seipso minor esse potest, & assumpta carne idem mansit Deus sine dubitatione perfectus.*

Ubi duo quædam commonet nobis magni pendenda Maxentius, ad hujus enodationem dubii, ne Deitas pars compositi sit, neve Verbum Deus Christo, seu pars toto minor sit. Primum quidem quod Deitas sit summa & tota perfectio, adeoque perfectionis totalitas & ipse apex totalitatis. At totalitas perfectionis & munificentiæ, nihil vetat quin prodigat se, physicèque & substantialiter infundat menti creatæ, per eamque corpori, & immeet perficiatque, adeoque in compositionem coalescat. Et tamen cùm totalitas essentialiter sit, pars non erit: cùm perfectio tota ipsamet sit, pars ejus non erit. Itaque totalitas perfectionis & beneficentiæ, vel suo hoc nomine ad infundendum se homini assumpto physicèque inserendum, invitatur: & eo ipso nomine ne pars sit prohibetur. Etenim quæ in composito vulgari pars est, vel forma, vel anima, etiam à composito sequestrata, pars foret, & perfectionis particula: Ex adverso ergo Deitas ut ante compositionem, ita in ipsa compositione seu in physica sui in humanitatem, & humanitatis in se insertione, totalitas, non pars perfectionis est. Alterum est quod non Verbum humanitati, sed humanitas accedit Verbo, illa augescit, illa exornatur: Verbum nec augescit, nec ornatur, sed idem perstat cum carne atque ante carnem, sui semper simile, sibi uni par, & incommutabiliter idem. Sive ergo spectetur ante carnem, sive cum carne, incommutabiliter idem est, ideoque nec majus seipso, nec minus, quia humanitate nec auctum est, nec vacuatum, & vacuatum exinanitumque magis est quàm auctum. Nihil anteriori simplicitati derogavit posterior compositio; accessione humanitatis non excrevit; minor ergo non est ante carnem quàm cum carne, quia utrobique invariabiliter idem est, tam incrementi quàm decrementi nescium. Videlicet cùm compositi partes compares sunt, aut non magnoperè aliæ exuperant alias, tum & verè partes sunt, & toto minores sunt. At ubi pars compositi infinito alias transilit intervallo, nec cum aliis convenit, sed eas sibi mancipat: tū nec pars ipsa est, nec toto minor, sed ipsa totum ipsum est.

Quia verò perrarum & inusitatissimum illud est in naturæ decursu solemni, ideo nonnulli compositionem à Christo semoverunt; non eo consilio, ut Synodis œcumenicis Patrumque consonantissimis suffragiis obluctarentur; sed ne illinerentur Christo eæ maculæ, quibus usitata compositio conspurcatur. Hinc Hugo Victorinus: *Fortassis ergo cogitas quasi tria quædam, divinitatem, animam & carnem Christum composuisse, & Christum esse totum quoddam tribus partibus compositum, divinitate & carne & anima. Ergo tertia pars Christi Verbum est. Absit. Non enim pars Christi Verbum est, sed ipse Christus Verbum est. Totus Verbum sicut totus Deus: non dimidia pars Christi Verbum, & dimidia pars homo, sed totus Christus Verbum, & totus Christus homo, &c. Divinitas pars non fuit, ut ex ipsa totum esset majus ipsa; nec in ipsa pars fuit, ut in ipsa aliquid esset minus ipsa, &c. Natura divina simplex est.* Compositio ergo in Christo non est, quæ officiat divinæ simplicitati, quæ Deitatem partem esse cogat, quæ ipsam toto minorem compellat esse. Sed abstersis his nævis vera compositio est, quia Deitas humanitati substantialiter inseritur, & inexplicabiliter implicatur. Nævi autem illi eo abraduntur uno, quòd Deus totum & totalitas & incommutabilis identitas simplicitasque, eique accedit humanitas, non ut imple-

X. Quo sensu aliqui compositionem à Christo removeant.

To.3. p.599. de Sacram. L.II. part.1. c.11.

impletura totum, sed exinanitura magis illud, ipsa verò à toto implenda.

XI. *Amplius illustratur, ut in compositæ Christi personæ, verbum nō fit pars, nec minus toto.* Stuporem hinc obrepentem demulcebit stupor non dispar aut ingentior rei maximè affinis. Tres unius Trinitatis personæ sunt; nec ulla tamen earum vel pars ternarii, vel ternario minor est. Pares in unum concurrunt; nec tamen ullus, aut pars, aut toto minor est collegio. Quantò pronius est, ut quando coeunt tam dispares, Deus & homo, totalitas Deo uni vindicetur ita ut pars totius, vel toto minor esse dici ve non possit? Augustinus: *Porro autem Christus una persona est geminæ substantiæ, quia & Deus & homo est. Nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest, alioquin Filius Dei Deus antequam susciperet formam servi, non erat totus, & crevit cum homo divinitati ejus accessit. Quod si in una persona absurdissimè dicitur, quia pars rei ullius esse non potest Deus, quantò magis pars Trinitatis esse non potest, quicumque unus in tribus?* *L. 3. contr. Maximinū c. 10.*

XII. *Simplicitati Verbi nihil officit hæc compositio.* Quinimò tametsi per compositionem Verbo Deo agglutinata sit humanitas, simplex tamen remanet Verbi persona, quia inviolabilis semper viget simplicitas Deitatis; quia incommutabilis perstat ejus identitas; quia non ex duplici personalitate concrescit una persona, ut garriebant Nestoriani; quia in carne eadem permanet & invariata Verbi persona, quæ ante carnem; quia Deo nihil accrescit, quo ejus obscuretur simplicitas; quia cum gestare cœpit humanitatem, non suo, sed ejus incremento consuluit. Ferrandus Diaconus Epistola ad Severum Scholasticum, *Cùm tamen una Christi persona quæ duas, divinam & humanam, id est, simplicem & compositam videtur adunare substantias, non sit composita, sed in singulis simplex, & in utrisque simplex, & ita simplex, sicut fuit antequam in sua unitate susciperet humanam naturam, &c.*

CAPUT VII.

Inconfusa eadem naturarum immeatio demonstratur ex unione essentiali, substantiali, naturali, qua Patres naturam Christi duplicem conglutinarunt.

I. *Sancti Patres essentialem, substantialem, naturalem hanc vocāt unionē naturarum, quod altera alteram immeet.* Declaratur 14. naturæ divinæ humanæque commeatio mutua, ceu unionis hypostaticæ fulcimentum primarium, ex eo quòd ubi vim unionis hypostaticæ explanare aggressi sunt Patres, eam identidem unionem essentialem, naturalem, substantialem appellitarunt. At ea nominum magnificentia quò demum evadet, si attingit tantùm terminatque, & quasi extrinsecè concludit humanam naturam, non natura, sed naturæ Verbi apex ultimus, hypostasis? Essentialis, naturalisque unio merum ludibrium est, nisi natura naturæ, essentia essentiæ implicatur, physicèque incubat, tametsi nec confusio, nec corruptio alterutri obrepat. Si hypostatica unio solam Verbi existentiam instillat humanitati, nec totam simul Deitatis naturam & plenitudinem infundit, quare illa unio substantialis, essentialis & naturalis nuncupatur?

Cyrillus jubet constitui Christum, *Copula quæ sit secundum unionem naturalem*, συνάφειᾳ τῇ καθ᾽ ἕνωσιν φυσικῇ. Et alibi idem: *Vera illius secundum naturam unionis*, ἑνώσεως τῆς Χ̄ φύσιν, *nulla apud eos (Nestorianos) habetur ratio: etiamsi unam hanc mysterii hujus viam planam & ab omni errore tutam propositam habeant.* Et alibi: *Piè rectèque asseveramus, dum magnus ille Paulus omnem divinitatis plenitudinem in ipso inhabitasse scribit, non quidem per doni alicujus participationem, aut habitudinem, aut gratia communicationem, sed corporaliter, hoc est, essentialiter* ἐσιωδῶς. Et rursum: *Unum dicit (Nestorius) Christum Jesum Dominum, tanquam sola dignitatis ratione, non vera unione quæ sit secundum naturam*, ἐ καθ᾽ ἕνωσιν ἀληθῆ τ᾽ Χ̄ φύσιν. *Anathematismo 3. L. de recta fide pag. 53. 144. L. 2. advers. Nest. pag. 34.* Sexcenties hæc ingeminat Cyrillus, nec Nestorium ullo crebriùs pulsat ariete. At hæc unitio φυσικὴ & ἐσιώδης, naturalis & essentialis, seu substantialis deteri premique vix adeo potest, quin naturæ saltem utriusque compositionem, commixtionem, atque penitissimam immeationem designet.

Petrus Diaconus: *Propterea etiam essentialem sive naturalem factam naturarum unitionem omnimodis confitemur.* *L. de Incarnat. & Grat. c. 3.* Quod statim confirmat calculo Gregorii Nazianzeni ad Clidonium, *Si quis sicut in Propheta secundum gratiam dicit inoperasse Domini Verbum, & non essentialiter factam confitetur unitionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autem plenus sit deterioris.* Addit & suffragium Cyrilli ex anathematismo tertio quod supra retulimus. Et his ergo Patribus placuit unitio naturarum, naturalis, essentialis.

Joannes Maxentius in professione fidei eadem canit, eademque profert Nazianzeni & Cyrilli testimonia quæ Petrus. Et rursus idem ait se profiteri Christum, *In duabus proculdubio substantiis, sed naturali, non personali conventione unitis.* *Dialog. l. 1.* Ubi tutior videtur illi naturalis quàm personalis unio, cui arcanum hujus mysterii concredatur. Etenim personali unioni applaudebat Nestorius, utpote quam extimam tantùm & personatam interpretabatur, quali duo conjuges revinciuntur. At unio naturalis & essentialis hæreticorum ludificationibus diluendis accommodatior, muniendoque catholico dogmati visa est opportunior, quòd accidentalium unitionum præstigias omnes omnino abstergat, physicèque & substantialiter copulet Deitatem humanitati.

Theodorus Presbyter de Incarnatione: *Ecclesiasticum dogma non probat, ut dicamus simpliciter duas naturas in Christo, sicut Paulus, Theodorus & Nestorius: sed duas naturas substantialiter unitas*, δύο φύσεις ἐσιωδῶς ἑνωθείσας. *Bibl. Patrum. To. 11. p. 321.* Et paulò post exponens, quid illa sonet substantialis unio naturarum: *Hæc autem definitio dogmatis cùm dicit duas naturas, significat diversam substantiam duarum naturarum quæ convenerunt, divinitatis videlicet quæ assumpsit, & humanitatis quæ assumpta est. Cùm dicit, substantialiter unitas, significat non esse intelligendam unionem duarum naturarum secundum benevolum affectum, aut aliam quandam notionem habitudinis, sed ipsa substantia, & subjecto, & re consubsistere ipsas & componi.* Unio itaque illa ἐσιωδῶς demonstrat ambas naturas ipsa substantia componi, αὐτῇ ἐσίᾳ συντεθεῖσθαι, ut loquitur Theodorus.

Isidorus Pelusiota: *Tu quidem ignorare te dicebas dictum illud quid sibi velit, In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ego verò id dictum esse arbitror, pro essentialiter*, ἐσιωδῶς. *L. 4. Ep. 166.* *Non enim efficacia Divinitatis quam parit inexistentia, Templum illud impollutum gubernabat: sed essentia infinitis prædita operationibus, non particularem habens gratiam, sed fons bonorum.* Inhabitat Christi humanitatem ipsa substantia Deitatis, & fons bonorum omnium, quo illa uberrimè inundatur.

II. *Ajunt Patres incarnatione substantiatum esse Dei Verbum.* Declaratur 15. Ex eo quòd per unionem hypostaticam Deus Verbum non tantùm humanitati substantialiter & essentialiter unitus sit, sed etiam si voces istas novare & usu mollire detur, substantiatus & essentiatus sit. Cùm enim supra omnem essentiam & substantiam infinita intercapedine assurgat fugiatque creatæ mentis oculos Deitas, hoc illapsu usque adeo immersit se commiscuitque naturæ nostræ, ut ejus substantia se induerit, ejus essentia se involverit, verèque substantiata sit. Amphilochius: *O humanitas, quæ Dei Verbum corporaliter substantiasti*, σωματικῶς ἐσιώσασα. *In Christi Natal.* Et Andreas Cretensis: ὁ ὑπερούσιος εἰς ἐσίαν ἀληθῶς ἐλθὼν, καὶ ὑπὲρ ἐσίαν ἐσιωθεὶς, *In Transfigu.*

super-

ſuperſubſtantialis ad ſubſtantiam ſeu eſſentiam verè veniens, & ſupra ſubſtantiam ſuſtentatus. Sed id expreſſiùs crebriùſque Dionyſius: *Propter nos ex nobis, Dei Verbum ſupereſſentiale ſubſtantiari*, ὀυσιωθῆναι τ̃ ὑπερούσιον. Et rurſum: *Quomodo ſuperſubſtantialis Jeſus humanæ naturæ veritatibus ſubſtantiatus ſit.* Et rurſum: *Superſubſtantialis ex humana natura ſubſtantiatus eſt, & nihilominus ſuperſubſtantialitate ſuperplenus eſt ſuperſubſtantialis, abundantia quadam ſuperſubſtantialitatis. Et ad ſubſtantiam verè veniens, ſupra ſubſtantiam ſubſtantiatus eſt.* Et hæc fidem faciunt quàm phyſica, quàm naturalis & ſubſtantialis ſit copulatio immeatioque Deitatis, quando per eam expers ſubſtantiæ, utpotè ſupra ſubſtantiam Deitas ſubſtantiatur, ſicut expers candoris ferrum ignem incandeſcit.

De div. nom. c. 1.

Myſticæ Theol. c. 3. Epiſt. 4.

III. Quam naturalem, eandem hypoſtaticam unionē Patres vocant, quia voces naturæ & hypoſtaſeos quandoque promiſcue habent.

Declaratur 16. Minùs mirum accidet unionem hypoſtaticam frequentiſſimè appellari naturalem, ſeu phyſicam, ſubſtantialem & eſſentialem, ſeu ὀυσιώδη, cùm adverteris nomina hypoſtaſeos & naturæ vix apud Cyrillum alioſque antiquiores diſcriminari. Et tamen à Cyrillo maximè haurienda eſt vis & proprietas hypoſtaticæ unionis, ut qui Eccleſiæ oraculum, fidei vindex, unitatis perſonæ in Chriſto adverſus Neſtorium unus fuerit invictiſſimus aſſertor. Ergo ille hypoſtaſin & ὀυσίαν, ſeu eſſentiam promiſcuè habet: Chriſti naturas geminas ſeu geminas hypoſtaſes in unam confluxiſſe perhibet; unionem factam aſſerit naturarum ſeu hypoſtaſeon. Quæ cùm ita ſint, jam minùs novum aut inſolens eſt, ſi naturalem & ſubſtantialem dicat hanc unionem, perinde enim ipſi eſt ac ſi diceret hypoſtaticam. Quæ Cyrilli doctrina prolixiùs illa quidem eventilanda poſthac erit. Non abs re interim erit & quaſi in anteceſſum hoc prænotaſſe, jure meritiſſimo illum minùs ſollicitum fuiſſe de diſterminanda curioſiùs perſona à natura. Primùm quidem propterea quod etſi diſtet perſona à natura, poſſitque & perſonæ multiplici natura unica, & perſonæ unicæ natura multiplex conſociari; non tamen ita diſtat, ut non plurimum conveniat. Perſona enim eſt natura ipſamet ut ſeipſam habens regenſque, ut ſuo ſe jure agens, ut addicta ſubjunctaque nulli alteri, ut ſeorſim per ſe conſiſtens. Quæ omnia nihil novi entis, nihil novæ rei aut ſubſtantiæ adportant, ſed jus phyſicum, authoritatem poteſtatemque ſubſtantialem & intimam ſui in ſe. Cùm ergo perſona nihil novæ rei aut entis adjungat naturæ, nihil attinebat ſcrupuloſiùs rimari utriuſque diſcrepantiam. Deinde cùm tantillum ſit naturæ à perſona interſtitium, non poteſt duas inter naturas conflari unitas perſonæ, quin natura naturæ ſtrictiſſimè colligetur, ea ut ex colligatione & conglutinatione arctiſſima exiliat jus phyſicum & ſubſtantiale ſuperioris naturæ in inferiorem, hoc eſt perſonæ unitas. Cùm ergo perſonæ unitas ex naturarum inconfuſa coalitione emergeret, minùs anxiè Cyrillus naturam à perſona diſpeſcuit. Quia enim dummodo natura naturæ non accidentaliter, ſed phyſicè & ſubſtantialiter conſeratur, non poterit non ſuperior inferiorem vindicare ac ſubjugare ſibi, hinc neceſſariò unica erit utriuſque hypoſtaſis & perſona: ideo unio naturarum, unio naturalis & eſſentialis, unio hypoſtatica & perſonalis indiſcriminatim haberi ab eo potuere. Quia rurſus perſona nihil novi entis ſuperaddit naturæ, nec accedit aliter humanitas ad perſonam Verbi, quàm quia ejus naturæ inſeritur phyſicè, adeoque juri & poteſtati ejus mancipatur: ideo non neceſſariò naturæ & perſonæ, ſeu φύσεως καὶ ὑποστάσεως, ſemper expenſa ſcrupuloſè diſcriminatio eſt.

IV. Ex Cyrillo id declaratur.

Cyrillus in defenſione ſecundi anathematiſmi contra Theodoretum: *Neſtorio ubique perimente Dei Verbi ſecundum carnem nativitatem, & ſolam nobis dignitatum unitatem introducente, hominemque Deo copulatum eſſe dicente filiationis æquivocatione honoratum: neceſſariò nos dictis illius repugnantes, factam dicimus unionem ſecundum hypoſtaſin: verbo hoc, ſecundum hypoſtaſin, nihil aliud demonſtrante, niſi quod ſolum ἡ τ̃ λόγου φύσις ἤγουν ἡ ὑπόστασις, Verbi natura vel hypoſtaſis, quod eſt ipſum Verbum, humanæ naturæ verè unita, ſine mutatione aut confuſione, unus intelligitur & eſt Chriſtus, idem Deus & Homo. Hoc autem ut opinor etiam ipſi Theodoreto probatur, dicenti ab humana natura Deum non eſſe ſeparatum, neque humanitatem abſque Deitate intelligi.* Quo loco aliiſque compluribus Cyrillus promiſcuè ſumit φύσιν, & ὑπόστασιν, naturam & perſonam; unionemque hypoſtaticam interpretatur, qua natura Verbi & natura hominis incorruptè & inconfuſè componuntur. Eccur enim ſcrutaretur ſemper operoſiùs naturæ perſonæque diſcrimina ad adſerendam perſonæ unitatem, cùm humanitas perſonæ Verbi non poſſit accedere, niſi phyſicè conſeratur naturæ Verbi? Cùm non poſſit conſeri naturæ Verbi, quin ejus perſonæ accedat, propriæque perſonæ jure protinùs evaneſcente in jus & cenſum Verbi transducatur; cùm denique nihil ſit aliud naturam inferiorem propria perſona exui, induique aliena, quàm naturæ ſuperiori accedere, eique ſubſtantialiter inhærere.

In defenſione primi anath. contra Theodor.

Cyrillus idem: *Quia verò ait à Dei forma aſſumptam ſervi formam, doceat in medium procedens, ſi abſque hypoſtaſibus ſolæ & per ſe formæ convenerunt inter ſe. Sed exiſtimo, ipſe ſe ſtatim evertet. Non enim ſimilitudines omnino inſubſiſtentes & formæ convenerunt inter ſe per unionem diſpenſatoriam. Sed rerum ſive hypoſtaſeon concurſus eſt factus, ut inhumanationis ratio verè facta credatur.* Concurriſſe in Chriſtum ait non naturas ſine hypoſtaſibus, ſed ipſas hypoſtaſes. Et in defenſione ſecundi, *Igitur neque ſine hypoſtaſibus formas Dei & ſervi unitas eſſe dicimus.* Et in anathematiſmo tertio, *Si quis in uno Chriſto poſt unionem dividit hypoſtaſes, ipſaſque ea tantum conjunctione inter ſe connectit, quæ eſt ſecundùm dignitatem, vel authoritatem, vel poteſtatem, & non eo potiùs concurſu qui eſt ſecundùm naturalem unionem, anathema ſit.* Et in defenſione ejus contra Theodoretum, *Licet intelligamus unitas eſſe hypoſtaſes, &c.* Sexcenties alibi ad eundem modum coiiſſe in Chriſto docet hypoſtaſes Deitatis & Humanitatis, nec à natura diſcernit hypoſtaſin. Nec ea fuit Cyrilli incuria, aut inſcitia. Quis enim ſummum Eccleſiæ doctorem in eo ipſo capite quo fidei anteſignanus vindexque fuit, aut oſcitantiæ inſimulet, aut ignorantiæ? Sed ſumma hujus ſacramenti peritia in cauſa fuit, ut hypoſtaſin à natura tum non ſecerneret, cùm nihil opus erat; imo cùm nimium ſecerni non parum officiebat. Hypoſtaſes ergo coaluerunt in Chriſto, quia humanitati ejus nihil deeſt, quo minùs hypoſtaſis & perſona ſit, non apex entis, non gradus ſubſtantiæ aliquis, non cumulus ultimus, vel ut loquuntur, complementum ultimum, quo ipſe careat, & non careant alii homines: ſed tantùm ſejunctim ſeorſimque non conſiſtit, accedit hypoſtaſi Verbi, in ejus cenſum dominiumque phyſica inſitione tranſit. Non deeſt ergo ipſi aliquid, ſed ſupereſt: non deficit ab aliquo proprio humanitatis ornatu, ſed abundat ſuperiùs adventante & implicante ſe illi Verbo. Quæ ergo cojerunt, naturæ ſunt hypoſtaticæ, adeoque hypoſtaſes: ſed poſt phyſicam illam coalitionem, una utriuſque eſt hypoſtaſis, quia non ſeorſim quælibet ſtat, ſed accedit & mancipatur altera alteri, humanitas Verbo.

V. Ex aliis Patribus. In c. 7. Cæleſt. Hierar.

Maximus Martyr: *Caro ipſius Domini ſecundùm naturam & hypoſtaſin unita eſt ipſi Dei Verbo.* Et hic ergo, non æquè incurioſus, ſed æquè gnarus penetralium incarnationis, nihil laborat ſejungere ὀυσίαν & hypoſtaſin, nihilo plus enim rei ac ſubſtantiæ in una reperire eſt atque in altera;

est enim perinde utraque, naturæ rationalis individua substantia: quæ semper quidem natura est, sed tum tantùm persona est, cùm non subjungitur alteri, non accensetur & quasi appendix accedit alteri, sed per se & solitariè consistit, & sua sibi est jurisque sui.

Eo quoque spectant illa Athanasii in primis, sed & aliorum Patrum testimonia à Facundo Hermianensi corrasa, quibus duæ quandoque personæ in Christo constituuntur. Nam per duas personas in-
L. 11. c. 2. nuunt non aliud quàm duas naturas hypostaticas & plenas, quarum neutri quidquam penitùs deficiat, quominus persona sit, sed unius ad alteram concessione, atque physica commeatione fit, ut suam efficiat inferiorem superior, eam juri suo vindicet, adeoque personæ suæ accenseat.

VI. Eadem immeatio naturarũ suadetur ex Cyrillo, unam quandoque naturam Filii incarnati dicente.

Declaratur 17. Ex iis Cyrilli locis, ubi unam asseverantissimè profitetur Filii naturam; non eo quidem qui ipsi per calumniam impingebatur, Apollinaristarum sensu, quasi altera alteram attrivisset natura naturam, vel in alteram altera defecisset: sed quod citra mutationem aut confusionem, ambæ naturæ inexplicabiliter implicatæ sibi sint, & irremeabili illapsu sibi invicem immearint. Ita enim innexæ consertæque invicem, unum quodammodo sunt; ut ferrum candens, una quadantenus natura est. Sed vehementiùs una est Verbi incarnati natura, quoniam humanitas Deitati, velut guttula aceti Oceano, ut ajebat Nyssenus, infusa, & propè absumpta, & mera Deitatis accessio jam est. Cyrillus Dialog. Quod unus sit Christus: *Quis ita delirus aut imperitus sit, ut divinam naturam mutatam esse in id quod non erat, existimet, aut carnem ratione mutationis in naturam Verbi translatam esse? Neque enim id ullo modo fieri potest. Unum porrò filium & unam ipsius naturam* (φύσιν) *esse dicimus, tametsi carnem anima intelligente præditam assumpserit. Ipsius enim ut dixi facta est humanitas. Atque hoc quidem pacto neque alio ullo censetur a nobis Deus & Homo.* Non potuit apertiùs etiam post incarnationem pronunciare unam esse Filii Dei naturam, nempè quia humanitas in naturam Verbi translata est, non mutatione, sed immeatione, commixtione, compositione, physica coalitione: ex quo contigit, ut non jam sua sibi, aut in se aut per se seorsim suive juris esset, ac sigillatim numeraretur, sed ut accessio & appendix esset mancepsque Deitatis: & ejus censui adscripta, separatim non recenseretur. Unde cum objiceretur Cyrillo, *Non erunt itaque duæ naturæ Dei & Hominis*, respondet illico, *Aliud quidem est Deitas, aliud Humanitas, ratione ejus quod cuique inest. Cæterum hæc inusitato quodam modo & intellectum nostrum superante in unitatem concurrerunt, citra ulla confusionem ac mutationem. At quomodo ex duobus, humanitate nimirum & divinitate, unus censeatur Christus? Non alio modo censuerim quàm quo duæ res inter se coeunt unione inseparabili ac intellectum superante. Exempli gratia. Nonne unum dicimus hominem nostri similem, atque unam ipsius naturam, tametsi uniformis & simplex non sit, sed potius ex duobus compositus, anima & corpore?* Vides quàm expressè quàmque apertè unam Christi naturam dicat, etsi intactam sospitemque utriusque integritatem tueatur, unam inquam non mutatione alterius in alteram, sed unione utriusque inexplicabili, & imbecillioris in melioris jus assertione. Quis porrò non hinc conjiciat quanta naturæ divinæ humanæque commeatio, & immediata unitio, complicatioque physica sit, quantò Cyrillus unam etiam naturam prædicavit?

Idem Cyrillus Epistola ad Acacium, *Quapropter ea ex quibus est unus & solus Filius Dominus Jesus Christus, cogitationibus complexi, duas quidem naturas unitas esse dicimus, verum post hanc adunationem, tanquam sublata jam in duo sectione, unam esse credimus Filii naturam, tanquam unius, verùm inhumanati & incarnati.* Si ne contingunt quidem se nisi media hypostasi naturæ, si conterminæ tantùm & quasi confines sunt, quia eadem terminantur hypostasi: quo jure, amabo, tantam exaggerat unionem earum Cyrillus, ut sectio in duas, ut dualitas tollatur, & una deinceps sit natura Verbi incarnati?

Idem Cyrillus alibi: *Nam post unionem una jam intelligitur natura illa ipsius Verbi incarnati, ut proculdubio in nobis etiam ipsis convenienter intelligitur. Unus namque homo planè est ex dissimilibus rebus, ex anima inquam & corpore constans.* L. 2. cont. Nestor. pag. 11. Et declaratione in Anathematismum tertium: *Incarnati Unigeniti dispensationem accuratè inquirentes, Dei Patris Verbum admirabili inexplicabilique modo, sancto corpori animam rationis compotem habenti unitum dicimus, atque ita unum esse Filium intelligimus, quemadmodum in nobis ipsis cernere licet. Sunt sanè anima & corpus naturæ diversæ, veruntamen ea duo in unum animal componuntur.* Physica ergo & substantiali compositione Deitatem & humanitatem coaluisse autumat Cyrillus.

VII. Et si Patres non lateret discrimen personæ & naturæ, cur quandoque minus laborarint in iis secernendis.

Cæterùm ubi vel reliqui Patres, vel Cyrillus in primis duas in Christo dici prohibuere naturas, ubi unam Filii incarnati naturam statuere, ubi unionem naturalem factam esse sanxerunt, ubi naturam pro hypostasi indiscriminatim usurpavere, ubi hypostases humanitatis & Deitatis coaluisse prædicarunt: non illos tamen præteriit naturæ & hypostaseos discrimen ingens, nec illos fidei primipilos fefellit fides orthodoxa naturæ in Christo duplicis, hypostaseos unius. Sed accuratissima incuria minutias verborum aspernati, Catholicum dogma strenuissimè defensarunt. 1. Duas dici vetuere quandoque naturas, quia qui duas dicebant tum, seorsim spectabant illas, earumque immeationem intercludentes, cùm natura duplici duplicem obtrudebant personam. 2. Unam commendarunt Verbi incarnati naturam, ne extrorsum tantùm Nestorianarum unitionum præstigiis copulatæ duæ intelligerentur, unde & duplex irreperet hypostasis; sed ut physica & substantiali compositione atque inconfusa insinuatione alterius in alteram, unum compositum, adeoque unum suppositum compingerent. 3. Unionem hypostaticam interpretati sunt naturalem & physicam, ut naturæ duæ sibi physicè & substantialiter conglutinari, non affectu solo aut relatione aut honoris consortio fœderari putarentur. 4. Naturam parum discrevere ab hypostasi, quia ad unitatem personæ stabiliendam nihil ea conducit discretio. Etenim ut una fiat utriusque naturæ hypostasis, necesse est naturam naturæ illabi permiscerique: nec potest hypostasis superioris naturæ naturam inferiorem invadere & assumere quasi seorsim à natura superiore; sed tum demum naturam inferiorem adsumit hypostasis superior, cùm natura superior inferiori se insinuat altissimè, physicèque inserit, atque ita sibi illam subjugat, suoque eam juri vendicat & censui. Cùm enim hypostasis seu persona non sit nisi natura ipsa, ut per se ac seorsim consistens, nec facta alterius accessio; hæc peculiaris ratio seorsim ac per se incommunicabiliter consistendi, nec copulare, nec copulari, nec adsumere, nec adsumi potest seorsim: est enim ratio & nomen juris. Ergo non adsumit persona superior naturam inferiorem, nisi cùm natura superior inferiorem naturam alterna commeatione implicat conseritque sibi, ac consequenter imperio suo illam subjugat, & ut loquuntur Patres, suam facit esse, ad se pertinere facit. Ex quo liquidum fit quàm non necessaria sit ad unionem hypostaticam enucleandam hypostaseos à natura curiosior discriminatio. 5. Naturas deniq; hypostaticas, imò hypostases duas coaluisse in unum Christũ docuere, quòd hypostasis divina in incarnatione præsit & principetur: natura autem humana ne hypostasis sit,

ſis ſit, non deceſſione fiat rei alicujus, ſed acceſſione Deitatis ad ipſam, imò veriùs, ipſius ad Deitatem. Conſumpſit enim perſona perſonam, quia perſona nomen juris eſt; non natura naturam, aut exiſtentia exiſtentiam, aut ens aliquod præcellentius entis minuſculi exortum præfocavit. Coaluere ergo hypoſtaſes, quia coaluere naturæ, quibus ratio hypoſtaſeos nec pilum addit entis; una tamen exultavit hypoſtaſis ex hypoſtaſeon adunatione, quia non ampliùs ſeorſim duæ ac per ſe ſeparatim conſtitere & ſui quæque juris, ſed acceſſit meliori infirmior, & in ejus jus perſonamque conceſſit.

At verò ſi perſuaſum iis Eccleſiæ olim magiſtris fuiſſet, hypoſtaſin eſſe vel exiſtentiam ab eſſentia ſecretam, vel ſubſiſtentiam, aut entis gradum quemlibet & rei verum additamentum, quo careret humanitas, quod impertiret ipſi Deitas, quo uno quaſi confinio contingeret humanitatem divinitas: non iij tam oſcitanter, ne dicam, tam abſurdè decreviſſent hypoſtaſes concreviſſe, nec promiſcuè hypoſtaſin & naturam confudiſſent, nec unitionem naturalem, nec unam Verbi incarnati naturam prædicaſſent tam fidenter, nec duas uſquam prohibuiſſent naturas prædicari.

VIII.
Quàm non confiet Cyrillus duas Chriſti naturas in unà naturam.

Utque omnis eluatur ſuſpicio, ubi Cyrillus unitionem naturalem invexit, non naturas duas in unam commixtas voluit, ſed duas voluit etiam poſt commixtionem incorruptibiliter & inconfuſè perſtantes. Unitionem ergo naturalem dixit pro naturarum. Unde Ruſticus E. R. D. *Ad refellendum eos qui dicunt, quia noſtra natura non ipſa divina Verbi natura unita ſit, ſed velut accidens quoddam Verbi, tantummodo ut dignitas, ut authoritas, ut poteſtas. Prætermittens enim Cyrillus quoniam non conjungendæ ſint ſubſiſtentiæ ſecundum dignitatem, vel authoritatem, vel poteſtatem, ſolum tunc intulit ſecundum unitionem naturalem: id eſt, ipſarum naturarum: tanquam ſi quis dicat, chorus Angelicus, id eſt, naturarum Angelicarum.* Quo loco conſtat hanc maximè naturæ utriuſque inconfuſam commixtionem phyſicamque immeationem adverſus Neſtorium à Cyrillo intentam eſſe, ut jus perſonæ, quod Verbo ſoli ille accreviſſe non reſpuebat, huic compoſitioni phyſicæ ſuperſtrueretur, non extrinſecæ tantùm habitudini aut conſociationi.

Diſput. contr. Acephalos.

CAPUT VIII.

Eadem immeatio naturarum demonſtratur ab exemplo animæ & corporis, ex eoque pariter declaratur unionis hypoſtaticæ caput alterum, quod natura inferior acceſſio fiat ſuperioris.

I.
Ut ex anima & corpore una hominis, ita ex Deo & homine una Chriſti perſona exiſtit. Ex Cyrillo.

Declaratur 18. & poſtremo tandem loco illa eadem ad nauſeam uſque inculcanda geminæ naturæ commeatio, comparatione pervagatiſſima apud Scriptores Eccleſiaſticos, ſed ad hunc maximè ſcopum collineante, ut ex immeatione reciproca Deitatis & humanitatis una exiſtat Chriſti perſona, ſicut ex mutua inexiſtentia corporis & animæ, una cujuslibet hominis perſona concreſcit. Cùm enim exempli hujus penes alia complura capita latiùs ſerpens vis attendi queat, ad iſtud imprimis pertinet, ut una hominis perſona conſtruatur. At ex corporis animæque congreſſu una emicat perſona hominis, hac duplici de cauſa, quòd & anima corpus invadat immeetque ſubſtantialiter, & eo jure quo natura pollet ſuperior in inferiorem, ſuum illud eſſe cogat, ad ſe illud pertinere faciat, juri illud ſuo non æſtimatitio aut opinabili, ſed phyſico & ſubſtantiali vindicet. Qua eadem cauſa duplici & non ſejungenda, in unam pariter Deus & homo adunantur perſonam. Duplici huic fundamento totam unionis hypoſtaticæ naturam ſuperfundavimus, de poſteriore paulò pòſt diſſerere exordiemur, priori ultimam manum hìc jam addimus. Ergo accerſitum eſſe illuſtrandæ incarnationi divinæ exemplum corporis & animæ, propter eam qua inſinuantur ſibi penitiùs immeationem, liquet ex Cyrillo: *Licèt Verbum in nobis habitaverit, omnemque divinitatis plenitudinem corporaliter in Chriſto inhabitare ſacris litteris proditum ſit: attamen non ita in illo ut in ſanctis habitavit. Habitavit autem eatenus in illo, quatenus caro factum eſt: & carni* ἑνωθεὶς κατὰ φύσιν, *unitum ſecundum naturam, non etiam in carnem verſum talem in ea habitationem conſtituit, qualem in ſuo corpore hominis anima efficere conſuevit.* Et alibi rurſum, *Piè rectèque aſſeveramus, dum magnus ille Paulus omnem divinitatis plenitudinem in ipſo inhabitaſſe ſcribit, non quidem per alicujus doni participationem, aut habitudinem, aut gratiæ communicationem, ſed corporaliter, hoc eſt eſſentialiter,* οὐσιωδῶς: *ſicut in homine dicitur inhabitare ſpiritus ejus, non alius exiſtens præter ipſum.* Unitas planè perſonæ inhabitationi alterius naturæ in altera meritò concreditur, non qualicumque, ſed cujuſmodi eſt inhabitatio, & phyſica inſeſſio animæ in corpore.

Epiſt. ad Neſtor. de excommunic.

L. de recta fide, pag. 144.

II.
Ex Auguſtino & Hugone Victorino.

Idem exemplum eodem retulit Auguſtinus, *Quærere quidam ſolent quomodo miſceri potuit homo & Deus? Quærunt rationem hujus myſterij quod ſemel factum eſt, cùm ipſi nequaquam poſſint reddere rationem ejus, quod fit ſemper, id eſt, quomodo anima miſcetur corpori, ut homo fiat. Ergo ſicut corporea res incorporeaque conjungitur, ut homo efficiatur: ita homo conjunctus eſt Deo, & factus eſt Chriſtus. Et tamen ut fieret Chriſtus, duo illa incorporea, anima & Deus, faciliùs conjungi permiſcerique potuerunt, quàm miſcetur una incorporea, aliaque corporea, id eſt, anima & corpus, ut perſona hominis exiſtat.* Hæc animæ corporiſque permixtio non poteſt non penetrationem intimam importare utriuſque ſubſtantiæ. Eam autem conſequitur unitas perſonæ. Ergo & in Chriſto naturæ utriuſque pervaſionem intimam conſequitur unio hypoſtatica. Cæterùm locus hic vel Auguſtini eſt, vel ex Epiſtola ſaltem ejus tertia excerptus eſt, ubi eadem omnia iiſdem propè verbis memorat; imò paulò efficaciùs, ut ſuprà retulimus.

Serm. 25. de diverſis.

Hugo Victorinus, *Sicut anima & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Major namque unio eſt inter ſpiritalem & ſpiritalem naturam, quàm inter ſpiritalem & corporalem poteſt eſſe. Deus verò eſt ſpiritalis natura, & homo ſpiritalis natura.* Non paulò penitiorem probat eſſe inſinuationem alternam Deitatis & humanitatis in Chriſto, quàm corporis & animæ in quolibet homine: cæterùm unitatem perſonæ immeationi utrique acceptam refert: ſuperſedeo pluribus.

Summe ſenten. Tract. 1. C. 15.

III.
Neceſſaria cautione muniuntur omnia antedicta.

Ex harum autem argumentationum tum ſingularum momento, tum univerſarum cumulo, quas per complura jam capita coacervavimus, abundè quantum arbitror eliqueſcere potuit, indubitatiſſimam fundatiſſimamque eſſe in ſanctorum Patrum monumentis immeationem reciprocam ſeu circuminſeſſionem utriuſque Chriſti naturæ, eique ut primario & tutiſſimo fulcimento inniti unionem hypoſtaticam, ſeu perſonæ & hypoſtaſeos unitatem. Porrò ut calumniæ anſa omnis abſcindatur, iterum iterumque monemus, quæ paſſim uſurpavimus vocabula commixtionis, mixturæ, compoſitionis, & ſi qua hujuſmodi, iis nonnullam aliquando adhæſiſſe infamiam, quaſi Eutychianæ confuſioni patrocinarentur; ſed tunc ea ab omni ſuſpicione fuiſſe emaculata, cùm Neſtoriana labes & ſciſſio à ſanctis Patribus his maximè vocabulis fuit oppugnata, quòd iis naturæ duæ adprimè conglutinarentur. Quando ergo contutanda eſt unitas perſonæ, tutiſſimus eſt & priſcæ Theologiæ familiariſſimus earum vocum uſus: ſicut vi-

ciſſim

cissim cùm naturarum discretioni asserendæ servitur, iis temperandum est tum, ne cuipiam præbeatur ansa calumniandi. Eodem propè fato & illæ voces quibus unionem extenuabat Nestorius, ut duas obtruderet personas, in usu crebro fuerant Patribus, ut duas firmarent naturas. Itaque distat quo sensu, quoque consilio vox quæque vocetur in usum; nec inusitatum aut insolens est, sed creberrimis jam inde ab Ecclesiæ cunabulis compertum est experimentis, easdem voces horum fidei, illorum perfidiæ famulatas esse, illic cum laude accersitas, hìc proscriptas. Ancillantur enim non sensa vocibus, sed voces sensis: nec fides tam vocibus constat, quàm sententiis.

IV. *Caput alterũ unionis hypostaticæ proponitur, ut natura inferior accessio fiat superioris. Probatur id primo exemplo animæ & corporis.*

Alterum jam superest caput unionis hypostaticæ, cujus cum superiore non poterat mollior excogitari commissura. Etenim non ex sola immeatione quantumvis intimiore, unitas personæ exultaret, geminamque in unum religaret naturam, nisi natura superior inferiorem invadendo domaret, sibique subjugaret, suam efficeret, suo juri censuique manciparet: nec extrinsecè illi, sed introrsum dominaretur, eam ageret, gereretque ut suam; ac proinde natura inferior suo in seipsam jure exuta, superiori accederet, & insereretur, nec seorsim per se atque in se consisteret, sed illi meliori adhæresceret, illi incumberet & inniteretur.

Declaratur igitur 1. Vim personæ in hoc maximè emicare, quòd natura quæpiam separatim ab aliis & per se atque incommunicabiliter consistat: item consumi tum personam naturæ cujuspiam, cùm alteri potentiori adjungitur physica illa pervasione, ejusque accessio tum, & census fit: item non existentiam, aut subsistentiam ab essentia distinctam, aut aliud quidpiam naturæ additamentum, personæ nomine insigniri, sed ipsammet naturam, ut subductam ab aliis omnibus, ut sejunctim in se consistentem, ut physico sui in se jure dominioque pollentem: denique unam ideò tribuendam esse Christo personam, quod divina humanam ejus naturam iniens, intimèque pervadens, & agens, subiicit illam sibi, & ad se pertinere facit, non morali aut opinabili, aut extrorsum simulato, sed physico & substantiali & intrinseco jure. Declaratur id autem primùm exemplo animæ & corporis, quorum cùm diversissima sit natura, unica tamen est persona, quia corpus non per se seorsim ac sui juris est, sed animæ potentioris accessio, mancipium & instrumentum est.

In Scholiis. pag. 782.

Cyrillus: *Quo namque modo animam hominis suo corpori adunatam dicemus, &c. Dicimus quòd deceat cogitare, ut ipsa veritate minor omnino sit oratio, talem esse unionem ipsius Emmanuel, qualem quispiam cogitare possit esse humanæ animæ cum suo corpore. Anima enim omnia quæ sunt corporis sua facit, licèt per naturam propriam expers sit passionum corporis, &c. Et sua quidem facit Deus Verbum ea quæ sunt suæ carnis propria: quia ipsius est corpus, & non alterius.* En ut hominis una sit persona, quia anima corpus & quæ corporis sunt omnia, ad se pertinere facit. En ut ad eundem modum Christi una sit persona, quia Deitas humanitatem & humanitatis omnia sibi vindicat, & ad se pertinere facit. Et rursus idem Cyrillus: *Si unum dicis Filium, & unam hypostasin Verbi incarnatam, non ipse erit divinitatis organum, sed utetur potiùs proprio corpore tanquam organo, ut nimirum ipsa hominis anima, &c. Neque enim illam Verbi carnem dicimus factam esse divinitatem, sed potiùs divinam, ut illius propriam. Si enim hominis caro humana dicitur, quid prohibet divinam dicere eam, quæ est Verbi Dei?* En ut una in homine persona ex corpore & anima, quia corpus fit proprium animæ, fit mancipium animæ, fit organum animæ, fit peculium & census animæ, non ut extrorsum aut juxta objacens, sed ut intimitus insertum physicèque commixtum: Et in eundem modum una in Christo persona, quia humanitas non sua sibi est, sed fit Deitatis propria & peculiaris, & jure physico illi accensetur. Et rursum Cyrillus: *Alia res est divinitas, alia nostra similis humanitas quoad naturam rationalem: congressu verò secundum veram unionem, unus est ex utrisque Christus, ut sæpè diximus. Hypostasibus verò, ut tu ais, in duo divisis, & seorsim & privatim existere, ὑπάρχειν ἀνὰ μέρος καὶ ἰδικῶς intellectis, quomodo congressus in unam personam fiet, nisi unum alterius proprium esse quodammodo dicatur: ut nimirum humanæ animæ proprium intelligitur ejus corpus, quamvis diversæ sit ab eo naturæ?* Innumera id genus occurrent apud Cyrillum testimonia.

L. 1. adversus Nestorium. Pag. 51.

Ibid. l. 3. p. 91.

V. *Quod ex Cyrillo supra, idem ex Augustino hic elucidatur. Epist. 120. c. 4.*

Augustinus: *Sicut non augetur numerus personarum, cùm accedit caro animæ, ut sit unus homo: sic non augetur numerus personarum, cùm accedit homo Verbo, ut sit unus Christus.* Si pares & congeneres essent naturæ, vix aut nec vix una ex iis consurgeret persona: neutra enim alteri accederet, quia neutra cederet: id est neutra fieret alterius accessio, ideò sua cuique perstaret persona. At ubi naturæ magnoperè dispares confluunt, accedit minor majori, subnectitur illi, & accensetur, ut ejus portio & appendix, non simul & distinctè censetur, aut numeratur. Eo sensu ait Augustinus non duplicari personam, etsi duplicetur natura, vel in Christo, vel in homine; quia natura dispar cedit, & accedit superiori. Quod explicatiùs exequitur idem alibi: *Filius hominis habet animam, habet corpus. Filius Dei, quod est Verbum Dei, habet hominem, tanquam anima corpus. Sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed unum hominem; sic Verbum habens hominem, non facit duas personas, sed unum Christum. Quid est homo? Anima rationalis habens corpus. Quid est Christus? Verbum Dei habens hominem.* Disertius nec optari quidquam potuit. Non duplex in homine persona est, quia homo est anima habens corpus; at anima habens corpus, unum quid est. Quia enim anima habet corpus, suum illud facit, quasi accessionem & agnatum quid illud habet, non ut extraneum & peregrinum, ideòque adjunctione corporis non duplicatur persona. Ita & Christus est Deus habens hominem sibi adhærescentem, suumque, & veluti sui partem.

In Evang. Joan. tract. 19.

VI. *Item ex Vincentio Lirinen. Commonitorii primi. c. 20.*

Vincentius Lirinensis utrumque hunc nodum, quo gemina in unam personam constringitur Dei hominisque natura, ex hac ipsa corporis & animæ comparatione illustravit. Etenim quantumvis subjugaret, assereretque sibi, & suum faceret Deus hominem, atque ut suum gestaret, ageretque; nisi physicè & substantialiter illi commisceretur, immearetque medullitùs, simulata hæc foret & adumbrata ac propè scenica personæ imitatio, non germana inhumanatio. At ubi præit οὐσιώδης & φυσικὴ, conglutinatio & intima penetratio utriusque naturæ, & inde eminet jus physicum & authoritas substantiva Deitatis in humanitatem ut suam, ut animæ in corpus suum; tum Verbum sustinet personam hominis non simulatè & umbratiliter, sed physicè, substantivè, & sincerissimè; tum non hominem tantùm agit, sed homo est: non hominem tantùm habet, sed est homo, humana exprimit, non ut aliena, sed ut sua; gerit agitque hominem, non ut contubernalem, non ut adnexum, sed ut suum sibi proprium, ut seipsum. *Quotiescumque aliqua suscipitur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia, aut opera patrantur, ut tamen hi qui agunt, non sint ipsi, quos agunt, &c. Catholica verò fides ita Verbum Dei hominem factum esse dicit, ut quæ nostra sunt, non fallaciter & adumbratè, sed verè expresséque susciperet: & quæ erant humana, non quasi aliena imitaretur, sed potiùs ut sua gereret; & prorsus quod agebat, hoc esset: quod agebat, is esset. Sicut ipsi nos quoque in eo quod loquimur, sapimus, vivimus, subsistimus, non imitamur homines,*

nes, sed sumus, &c. Ita etiam Deus Verbum assumendo & habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine ulla tamen suæ corruptione naturæ, hæc omnino præstare dignatus est, ut hominem perfectum non imitaretur, aut fingeret, sed exhiberet, ut homo verus non videretur, aut putaretur, sed esset atque subsisteret. Quia ergo Verbum habuit carnem, non ut alienam, sed ut suam; quia humana omnia, non ut extranea, sed ut sua, hoc est, in idem secum compacta suppositum, commixtaque, eoque peculiarissimè obnoxia sibi habuit, ideò verus homo fuit. Cui statim lux aspergitur ab exemplo animæ, quæ aliena corpora potest habere, agere, movere, alienas quoque personas sustinere saltatoria gesticulatione, non tamen cum iis unam coagmentat personam. At suum corpus quia substantivè & physicè pervadit, & ita sibi mancipat, & jure physico ac substantivo regit, suum inquam corpus ita gerit, ut una cum eo persona sit, & corporalia omnia exhibeat non imitatione saltatoria, sed substantiva existentia. Ibidem Vincentius: *Igitur sicut anima connexa carni, nec in carnem tamen versa, non imitatur hominem, sed est homo, & homo non per simulationem, sed per substantiam; ita etiam Verbum Deus absque ulla sui conversione, uniendo se homini, non confundendo, non imitando factus est homo, sed subsistendo.*

VII. Idem probatur exemplo animæ in se priùs consideratæ, ut perfectæ, tum postea assumentis, vel resumentis corpus.

Declaratur 2. Eadem accessio hominis ad Deum, & inde consequuta personæ humanæ consumptio, & divinæ personæ refusio in humanitatem, exemplo ejusdem animæ. Si enim magni nominis authores infra laudandi, aliquo sunt apud nos dignitatis & fidei gradu, anima rationalis est persona integra, & partium omnium cumulo absoluta. Est enim rationalis naturæ individua substantia; est solitariè & sigillatim in se spectata non minùs, imò forsan plusculum rationalis, quàm cum corpore, adeoque non minùs persona; est perfectionis humanæ origo tota, eoque perficere ipsa corpus nata aptaque est: at à corpore perfici, melior à deteriori, ab inferiori superior, spiritalis à materiali, purior à fæculento penitùs aspernatur, eoque nec ut persona, nec ut perfecta, aut completa sit, à corpore consequitur. Animæ ergo suam obtinenti personam, accedit corpus, nec novam constituit personam, sed inseritur, accensetur que personæ animæ, quia partis & accessionis instar habet, quia advenit animæ, eique substantialiter adhærescit, quia fit animæ proprium & veluti peculium ejus & census substantivus. Non alio igitur modo suam præhabenti ab æterno personam absolutissimam Verbo Dei, ubi accessit in tempore humanitas, non alteram ab eo personam instruxit, sed in ejus unicam coaluit personam; quia non par pari accessit, non extrorsum se illi confæderavit, non juri ejus se forinsecus addixit; sed substantiva insinuatione se illi infudit & physicè adglutinavit, ideòque ejus propria fuit, accessionis & accidentis instar illi inhæsit, in ejus potestatem & censum & jus naturale concessit.

VIII. Elucidatur id ex Hugone Victorino. L. 2. de Sacr. p. 1. c. 11.

Eleganter Hugo Victorinus: *Anima in quantum est spiritus rationalis, ex se & per se habet esse personam: & quando corpus ei sociatur, non tantum in personam componitur, quantum in personam apponitur. Ut in eo quod per unionem quodammodo unum sit cum illa, eadem quæ ipsa est persona, incipiat esse cum illa. In quantum ergo corpus cum anima unitum est, una persona cum anima est; sed tamen personam esse anima ex se habet, in quantum est rationalis Spiritus. Corpus verò ex anima habet, in quantum est unitum rationali spiritui.* Et aliquantò pòst: *Quid est persona? Nonne individuum rationalis substantiæ? Si ergo individuum rationalis substantiæ persona est, rationalis utique spiritus, qui & simplicitate unus est, & natura rationis capax, propriè personam esse habet, ex se quidem in quantum spiritus rationalis est, per se autem, quando sine corpore est. Quando autem corpus illi unitum est, in quantum unitum est, una cum corpore persona est. Quando verò à corpore separatur, persona tamen esse non desinit, & ipsa eadem persona, quæ priùs fuit, &c. Sicut ergo corpus rationali spiritui junctum non dat illi, ut sit persona, sed junctum illi accipit ab illo, ut ipsum sit una persona cum illo; sic humanitas juncta Verbo, non quidem illi dedit, ut esset persona; sed unita illi accepit ab illo, ut una esset persona cum illo.* Quando tota personæ definitio soli quadrat animæ rationali, non inscitè inde concludit Hugo, ipsi etiam à corpore sequestratæ jure competere, ut sit persona; ac proinde corpus in ejus personam non componi, sed apponi; hoc est, personam hominis non ex corporis & animæ concursu coalescere, sed solius animæ personam esse totam, eique apponi & adsociari corpus. Ut autem imaginarentur homines ex corporis maximè ad animam congressu personæ hominisque nomen, & dignitatem emicare, fucum eis fecit sensus corporeus, cui plus æquo affixi sunt, & quo plusculum etiam corpus quam animam sentiunt, ut adnotavit ibidem Hugo: *Quia verò sensus hominis in homine vivente corpus & animam simul percipit, non animam per se, aut corpus per se, sed animam simul & corpus personam dicere humanus sermo consuevit.* Et paulò pòst: *Quia id quod ab humo erat, evidentiùs in homine videbatur, ab illo potiùs homo dicebatur. Sic quidem ex infirmitate sentiendi, confusio dicendi orta est: & debemus propter usum in loquendo, modum dicendi servare: nec tamen propter consuetudinem loquendi, à veritate credendi recedere.* Postremò tandem ut hæc Hugonis doctrina altiùs excutiatur, & patescat, caput & cardo rei totius peti debet ex ejus alio hoc loco: *Fecit Deus rationalem creaturam, &c. Et eam distinxit hoc modo, ut pars in sui puritate permaneret, scilicet Angeli: pars corpori jungeretur, ut animæ. Quæritur cur ita factum sit, cùm majoris dignitatis esset anima, si in sua puritate & simplicitate permansisset. Ad quod potest dici, quòd licet anima dignior esset sine corpore, tamen corpori voluit Deus eam sociare, ut in humana conditione ostenderet novum exemplum æternæ unionis, quæ est inter spiritum & Deum. Videbatur enim creaturæ, quòd non possit uniri suo creatori. Sed cùm spiritus qui excellentior creatura est, tam infimæ creaturæ, sicut est corpus, in tanta dilectione uniatur, ut non possit coarctari ad hoc, ut velit eam relinquere: patet spiritum creatum eodem modo tam summo bono uniri posse.* Ex hoc planè capite nectuntur cætera. Nam si anima nihil sua sponte corpore indiget, nec illi fæderatur, nisi vel ut illud in divinorum gustum partemque aliquam evehat, vel ut documento sit unionis cum Deo aliquantò faciliùs animabus ipsis indulgendæ, vel ut hac sui dejectione antevertatur radix intestina superbiæ, vel ut exerceatur in corpore, & meritorum coacervet segetem, quas ferè causas commentati sunt Patres copulæ hujus: Hinc consequens est, ut anima per se seorsim persona sit integrè, nec componatur, sed apponatur ejus personæ corpus, & ex consuetudine sensus corporei, quo omnia metitur vulgus, contigerit, ut persona & homo non diceretur, nisi utriusque partis coagmentatio. Hæc nos ex Hugonis sententia. Fruatur lector suo judicio.

Summa Sent. Tract. 2. c. 1.

IX. Idem elucidatur ex Rustico.

Delectatus est hac eadem sententia Rusticus Diaconus E. R. disputatione contra Acephalos, eaque similiter unitatem personæ in utraque Christi natura collustravit: *Et rursus nunc animæ defunctorum hominum absque corpore sunt, & perfectæ personæ sunt, sicut ait Dominus Saducæis, quia Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, non Deus mortuorum, sed viventium, omnes enim vivunt illi. Et non ait, Deus animæ illius & illius, sed, Deus illius. Et non dixit,*

Non

Non est Deus animarum mortuarum, sed viventium Deum esse simpliciter dixit, ut perfecto existente Abraham, & Isaac, & Jacob. Et adjecit, Omnes enim vivunt ei : & non dixit, Omnium enim animæ vivunt ei. Quumque intercederet nescio quis hæreticus, ut ne perfecta persona diceretur anima extra corpus, instat Rusticus: *Sicut extra corpus, etsi non est animal perfectum secundùm naturam, tamen rationalis animæ persona perfecta est: & rursus postquam corpus resurrectione receperit, nihilominus perfecta est hominis persona; sic quodammodo in Christo ante inhumanationem quidem perfecta erat Dei Verbi persona, & post hoc perfecta Christi persona est, & una sola persona, Deus simul & homo.* Et hic ergo ex scripturis probat animam nudatam corpore tota frui nihilominus personæ suæ integritate. Nam esto, ut animali integritas sua, vel ut ei quem vulgus appellitare solet hominem, tota ratio & perfectio constet sua, corpus adesse necesse sit; at ut anima sit individuum rationalis naturæ, adeoque ut sit persona, nihil planè corporis conducit societas, ex Rustici quidem sententia.

X. Item ex Leontio Byzantino. Non discedit ab ea doctrina Leontius Byzantinus, ubi & animam & corpus perfectæ sigillatim naturæ esse commonet, nec ad naturam alterutrius perficiendam alterius opem requiri, quamvis ad complendam hominis speciem utriusque societas desideretur. Nam & tota natura corporis in corpore seorsim est; & tota naturæ spiritalis integritas in anima sejunctim emicat; nec vel anima corpori, vel corpus animæ quidquam superaddit ad propriam cujusque naturam. Ita minùs mirum est, si anima nostra extra corporis etiam contubernium persona sit, cùm natura rationalis & singularis cumulatissimè sit. *Quod autem neque homo ex imperfectis partibus compositus est, secundùm rationem cujusdam essentiæ alterutrius partis: quamvis quoad definitionem totius hominis non recipiunt partes rationem totius tanquam totius: sic intelliges. Quid enim deest animæ habenti separatam & propriam vitam, ad hoc ut sit substantia incorporea, semper mobilis? hoc enim declarat immortalem esse eam, & interire non posse. Quid rursus deest corpori ut sit corpus, &c.* Lib. 1. contra Nestor. & Eutyc.

XI. Denique ex Augustino. Ex Tract. 19. in Joan. Augustinus denique propè abest ab eadem Hugonis doctrina, loco quem suprà insutum habes: *Sicut anima habens corpus non facit duas personas, sed unum hominem: sic Verbum habens hominem, non facit duas personas, sed unum Christum. Quid est homo? Anima rationalis habens corpus. Quid est Christus? Verbum Dei habens hominem.* Ubi tota vis dignitasque personæ vindicatur animæ habenti corpus, Verbo habenti hominem: neutro autem loco geminatur persona, quia personæ anteriori additamentum fit alicujus quod ipsi adhæreat & ipsius sit, non connumeratio alterius, quod sejunctim sit.

CAPUT IX.

Capu illud alterum unionis hypostaticæ, quòd natura inferior superioris fiat accessio, prolixiùs & multifariam explanatur.

I. Humanitas assumpta propriam non habet sibi personã, quia seorsim sibi in se non subsistit, non sejunctim à Verbo, sed ut ejus accessio. DEclaratur 3. caput hoc alterum nexus illius arcani, quo unio hypostatica constringitur; quòd ex invictissima & substantiva illa dominatione, qua natura superior inferiorem sibi arctissimè implicatam invadit, agitque & gerit ut suam, consequatur id, ut natura inferior non sit, aut consistat seorsim ac separatim, aut suo in se jure incommunicabiliter potiatur: sed conjunctim tantùm cum superiore & in superiore ejus accessio & veluti portio jam est. At persona non est, nisi quæ sejunctim ab aliis omnibus per se & in se consistit. Igitur natura illa inferior etsi nullo suorum spolietur bonorum, persona tamen non est, quia privatim ac seorsim sua sibi non est. In hunc scopulum illisus est pessumque abiit Nestorius, quòd seu duas hypostases, seu duas personas, certè duos imaginaretur seorsim ac per se consistentes, quos deinde multiplici vinculorum genere colligare machinabatur, sed incassum. Quantalibet enim honoris, nominis, dignitatis, inhabitationis, inoperationis confœderatione illos devinciret, in unam tamen reapse non conflabantur personam, qui sigillatim ac seorsim per se consistebant. Expeditior erat fides Ecclesiæ, quæ unum esse prædicat Verbum cum inserta ei carne: ut unus idemque sit & ante tempora sine carne, & in tempore cum carne: nec carnis accessione aut mutetur, aut multiplicetur: nec caro per se separatim sit, sed Verbi quasi appendix & additamentum ejusmodi, quod nec ejus immutabilitati officiat, nec unitati. Cyrillus Epistola ad Valerianum hæc Nestorii verba refert: *Si alius est, qui inhabitat, & alius similiter ille in quo inhabitare perhibetur, qua igitur ratione fieri potest, ut hypostases non dividamus, seorsumque ac per se subsistere non dicamus?* Cui respondet Cyrillus: *Duabus hypostasibus, ἰδίᾳ καὶ ἀνὰ μέρος, per se ac seorsim positis, omninò duæ quoque personæ erunt.* Vis enim personæ in eo tota est, ut seorsim per se aliquid sit, nulla substantiva cuiquam alteri adhæsione adglutinatum. Et paulò antè idem Cyrillus de Nestorianis differens: *Simulant unum se Christum & Filium confiteri, unamque ipsius personam esse dicunt. Sed rursum cùm in duas hypostases distinguant, invicem disjunctas atque diversas, mysterij doctrinam prorsus pervertunt. Ajunt enim illum ex muliere, seu illam formam servi, seorsum ac per se nomen illud quod est super omne nomen accepisse, &c.* Seorsim ac per se subsistere hominem, suaque proinde gaudere propria persona, etsi verbis dissimularet, reapse tamen sentiebat Nestorius, cùm alia homini, alia Verbo tribueret, non omnia uni & eidem Verbo; sive ante carnem, sive in propria carne unitatem personæ suæ incommutabiliter retinenti. Cardo itaque fidei orthodoxæ in eo vertebatur, ut spectaretur Christus, non quasi hinc Deo, hinc homine in unum congredientibus ex æquo compactus, sed quasi Verbum ipsum quod priùs carne carebat, nunc carne velatum. Homo itaque Nestorianis sui seorsim à Verbo juris erat, Catholicis Verbi accessio erat; illis homo suas peculiariter proprietates vendicabat sibi, his nullæ separatim homini, sed omnes & proprietates & prædicationes Verbo adscribebantur, vel ut ante carnem, vel ut in carne. Cyrillus, *Quomodo non sit diversus separatim à naturali ac vero Filio, qui tenui ac sola conjunctione decoratus est, & ministri loco assumptus; quique ita ut nos ipsi adoptatus est, & ab alio gloriæ particeps factus, & dono gratiaque id consecutus? Non est itaque dividendus Emmanuel in hominem seorsim, & in Deum Verbum.* Dial. quod unus sit Christus. Et alibi idem, *Hypostasibus vero, ut tu ais, in duo divisis, & seorsim ac privatim existere intellectis, quomodo congressus in unam personam fuit, &c.* L. 3. advers. Nestor. p. 91. Nihil planè omnibus ferè paginis apud Cyrillum decantatius, quàm spoliatam esse humanitatem Christi propria persona, atque subsistere in hypostasi Verbi, ideò tantùm, quia non ἰδικῶς & ἀνὰ μέρος, privatim & separatim consistit.

Theodorus Presbyter, *Quomodo igitur hæc Christi humanitas cùm nunquam fuerit ἐν ἰδιαζούσῃ ὑποστάσει καθ' αὑτήν, in propria hypostasi per seipsam, sed in Verbo Dei quod eam assumpsit, sortita sit τὸ εἶναι καὶ ὑποστῆναι, hypostasis unquam dicatur? vel πρόσωπον ἰδιοσύστατον καθ' ἑαυτὸ καὶ ἀνὰ μέρος habeat?* L. de Incarn. pag. 323.

Rusticus E. R. Diaconus, *Sed nostra natura in Christo non etiam persona est. Non enim in semetipsa &*

Disput. contr. Acephalos.

psa & secundum seipsam segregatim habet esse suum, sed in Verbo subsistit. Et aliquantò pòst, hanc ait esse significantiam substantiæ, quæ in personæ definitione includitur, ut separatim in se subsistat, non alteri cuiquam substantialiter adhærescat, & veluti accidens subjecto innitatur. *Etsi omnis homo individuus persona est, non tamen hæc causa est, ut persona sit idem, quæ est, ut homo sit. Sed ut sit quidem homo, hæc causa est, quod sit animal rationale de terra: ut autem sit persona, hæc causa est, eo quod sit substantia rationalis individua. Sed ut diximus illa humanitas non in semetipsa, sed in Verbo habet subsistentiæ rem: nec enim propter hoc, ut sua separatim esset, sicut nos; sed ut Verbo uniretur, & ejus esset proprium indumentum, & inæstimabile (ut ita quis inquiat) instrumentum, ut Deus esset homo, creata est, nostræ causa est salutis: illa igitur causa, magis in subjecto est, quàm subjectum*. Palmaris hæc ratio est, cur illa humanitas per se non sit persona, quòd creata sit: *Non ut sua ipsius separatim esset, sicut & nos, &c.*

II.
Rursus humanitas assumpta propriam, non habet personam, quia sua sibi, & sui sibi juris non est.

Declaratur 4. hoc ipsum, affini valdè argumento & connexo ex superiore, quòd persona qualibet, sua sibi sit, sui juris sit, non sit alterius, non pertineat ad quenquam alium. Quæcumque verò substantia alterius est, sibique abjudicata & abrepta, alterius cujuspiam juri & potestati transcribitur: capite, ut ita dicam, minuitur, ac personæ gloria spoliatur. Ea de causa membra quia corporis, partes quia totius sunt, suppositi ac personæ nomine & dignitate abdicantur. Ea de causa accidentia à suppositorum albo expuncta sunt, quia totum id quod sunt, alterius sunt, entis entia, ut appellitant Philosophi, subjecti corollaria quædam sunt. Ea de causa servi & uxores, quantum sui sibi esse, suoque in se separatim jure pollere desierunt, tantum personæ nomine orbantur. Physica enim ratione, quia sui sunt, nec ullo naturali jure per hominum conventa exui potuere, personæ sunt: at morali & civili æstimatione, quatenus sui esse desiere, personæ etiam nomine excussæ sunt & dignitate; estque servus instrumentum domini, uxor dimidium viri, & una cum eo persona. Sicut ergo hìc morali ratione contingit, ut qui alterius fit, & suus esse desiit, is à personæ nomine moraliter exauthoretur, physica similiter & substantiva ratione homo suus esse desinens, suo in se jure excussus, Verbi esse proprius & peculiaris incipiens, ejusque juri substantialiter assertus, persona per se non est, sed Verbi personæ subjungitur. Hæc solemnis & constantissima est Cyrilli sententia, ad nauseam usque ab eo inculcata, Dialogo, quòd unus sit Christus: *Unum porro Filium & unam ipsius naturam esse dicimus, tametsi carnem anima intelligente præditam assumpserit: ipsius enim, ut dixi, facta est humanitas*. Cur ergo post incarnationem etiam una sit persona Filii, ea est causa, quòd *ipsius facta sit humanitas*. Accessit enim illi, ut pars toti, ut membrum corpori, ut corpus animæ, ut aliquid ejus, non ergo alia ab ipso persona. Et rursum: *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasin unitum esse, unumque esse Christum cum sua carne, &c. anathema sit*. Caro Verbi est, Verbum cum sua carne persona unica est, qualis erat ante carnem; sicut homo cum sua manu una persona est; nec manus qua, verbi gratia, caruisset hactenus, restitutione, in duas idcircò distraheretur personas. Et rursum: *Unus ergo est Filius, unus Dominus Jesus Christus, & ante & post incarnationem, &c. Nam propria ipsius erat illa caro, ut cujusque nostrum proprium singulorum corpus*. Et paulò infrà: *Considerantes modum inhumanationis, intelligimus duas inter se indissolubili unione convenisse naturas, citra confusionem atque immutationem ullam. Caro enim caro est, & non divinitas, etiam si Dei caro facta est: itemque Verbum Deus est, & non caro, quamvis dispensatoria ratione propriam sibi fecerit carnem*. Et infrà: *Quia humana caro facta est Verbi propria, desiit jam corruptioni succumbere: & quia tanquam Deus peccatum non fecit, cùm eam sibi unisset, ut dixi, propriamque fecisset, &c.* Et idem denuò: *Quamvis igitur in Emmanuel humanitatis naturam ac divinitatis dicant, ipsa tamen humanitas propria facta est Verbi, unusque cum ipsa Filius intelligitur*. Et alibi: *Dum puellæ vitam restituit, &c. manum illius apprehendit, nempè ut ostenderet corpus suum vivificum esse; est enim corpus vitæ. Quamobrem unio Verbi cum carne naturalis & vera est, non secundum solam personarum coitionem, vel nudum favorem, &c.* Et: *Hypostasibus verò, ut tu ais, divisis in duo, & seorsim ac privatim existere intellectis, quomodo congressus in unam personam fiet, nisi unum alterius esse quodammodo proprium dicatur, ut nimirum humanæ animæ proprium intelligitur ejus corpus?* Et paucis interjectis: *In Emmanuele autem, quia Deitas aliud quiddam est ab humanitate, nisi dixerimus proprium factum fuisse corpus ipsius Verbi, per veram unionem, quomodo una absolvetur ex utroque persona, cùm alterutra hypostasis propriam utique ferat, utpote seorsim posita atque sejuncta? Et si id quod sumptum est, non sit proprium assumentis factum, non satis erit conjunctio per simplicem dignitatis solius & authoritatis coitionem, ad unum ac solum nobis Christum absolvendum, qui idem simul Deus sit & homo*. Expressissimè vim totam unionis hypostaticæ in hoc uno locat, ut humanitas non sua jam sit, sed Deitatis propria fiat, sicut corpus fit animæ, non morali, non extrinseca, non opinabili, sed physica & intestina & substantiali vindicatione. Hoc caput rei est, breve & expeditum, ut nihil opus sit per amfractus sinuosissimos moliri iter, & totam sollicitare sæcularem phylosophiam, ut existentiam ab essentia secernamus, ac intercepta humanitatis existentia, in ejus locum intrudamus divinam. Quid enim hoc aliud est, quàm rem certissimam ab incertis astruere, fideique inconcussæ nutantia subjicere fundamenta?

Epist. 1. ad Succensum.

Epist. 2. ad eundem.

L. 2. advers. Nest. pag. 91.

Rusticus loco suprà relato concinit penitus Cyrillo. Ferrandus similiter Diaconus ad Ægippium: *Persona illa semper manens naturæ semper manentis, ita mutabilem postea naturam sine persona voluntariè suscepit, ut humanam substantiam non habentem subsistentem manentemque personam, in unitatem suam suscipiens, ad se faceret pertinere*.

III.
Rursus hominis & Dei una persona est, quia incumbit, & quasi inhærescit instar accidentiũ humanitas Verbo.

Declaratur 5. hoc ipsum quòd humanitas Christi etsi nihil minus habeat quàm homines cæteri, etsi existentiam æquè ac essentiam humanam obtineat, personam tamen non suam, sed Verbi consequatur ex eo quòd Verbo ut fundamento superstructa sit, ei velut accidens subjecto inhærescat, illi incumbat, illi innitatur. Nec aliter suam illi personam inseruit Deus Verbum, quàm illam in seipso creando, suo in sinu illam fundando. Eodem pacto & corporis animæque una, & substantiæ accidentiumque una pariter conficitur hypostasis & persona. Nam & corpus suo ingenio fluxum ac dissipabile, incumbit animæ, ab eaque constringitur aliquandiù & sustentatur. Et accidentia evanidæ languidæque naturæ cùm sint, inhærescunt subjecto, ac fulciuntur. Nec necesse est suam peculiarem excutere vel accidentibus vel corporibus existentiam, sancireque ut eam aliunde mendicent: sed & existentiam & essentiam cùm lubricam & vacillantem naturaliter sortiantur, valentiore fulcimento eam postulant sublevari. Rursum etsi corporea substantia vigeat, consistatque per se: & accidentibus comparata, non stare tantùm in se, sed iis etiam substare, iisque sustentandis sufficere queat: animæ tamen ubi componitur, tum quàm marcidæ labilisque naturæ sit evidentiùs patet, quàmque fundamento spiritalis substantiæ egeat suffulciri.

Non

Non aliter homo stat ipse per se, suamque sibi personam & firmitatem sufficit, nec alieno fulcro sibi quidem videtur indigere. At naturæ superiori & supremæ, nempè divinæ collatus, tum caducum se flaccidumque experitur, & illi superincumbere ac substantivè inhærescere si detur, illi planè ut suæ subsistendi causæ, ut suæ personæ adglutinatur.

IV. Prolixe id stabilitur ex Rustico. Bibl. Patrum. Tom. 4. p. 845. Accuratissimè hoc totum exequitur Rusticus Diaconus disputatione contra Acephalos, sed & prolixissimè. Secare libet perspicuitatis ergo sententiam ejus in plura capitula. Primò ergo demonstrat rationem subsistentiæ eandem esse atque fundamenti cujusdam, cui tota congeries accidentium superstruitur: *Individuam verò subsistentiam esse, circa proportionem, velut fundamentum in quo incumbunt quæ circa sunt reliqua, sicut ipsum nomen ostendit, & tanquam maximè propriam causam, in qua universa quæ accidentia nominantur, &c. Confluunt, &c.* Secundò humanitatem Christi nullo defieri profitetur, quo abundent cæteri homines. Nam cùm objecisset hæreticus, *Quid igitur à persona minus habet humanitas, animæ aliquid rationalis, an carnis, an quantitatis?* Respondet ipse paulò pòst, *Nec enim habet aliquid minus præter alias subsistentias rationales & individuas.* Non ergo illi intercepta est propria existentia, portio major meliorque naturæ singularis. Tertiò cùm nihil desit humanitati Christi præ aliis hominibus, cur sua tamen non constet illi subsistentia propria, hanc inculcat causam, quòd Verbum ipsi ut fundamentum substernatur; adeoque non subsistat per se, cui substat, & substernitur aliud fulcimentum. *Audi cur humanitas Domini, perfecta quidem natura sit, non verò per semetipsam habens quoque personam: cur non duæ Christi personæ, sed una solaque sit? Causa enim Deus Verbum est carnis assumptæ, in quo quasi in fundamento, illa assumpta natura, quæ est forma servi, incumbit.* Et paulò pòst: *Nam si homo subsistentia esset, non oportebat, ut eum solus Deus Verbum in semetipso susciperet: & quod nostrum est, ut ita dixerim, in semetipso fundaret: sed potiùs ut aut praexistens, &c.* Quartò docet ita incumbere humanitatem Verbo, ut accidens subjecto, eoque propria carere subsistentia: *Illa humanitas non in semetipsa, sed in Verbo habet subsistentiam: nec enim propter hoc, ut sua ipsius separatim esset, sicut nos: sed ut Verbo uniretur, & ejus esset proprium indumentum, & inæstimabile, ut ita quis inquiat, instrumentum, & ut Deus esset homo, creata est, nostræ causa salutis. Illa igitur causa, magis in subjecto est, quàm subjectum.* Et infrà: *Causa ut sit illa humanitas, est Deus Verbum, & hæc comparatione Verbi non est ut subjectum, sed ut accidens.* Quintò ait humanitatem Christi respectu suorum accidentium, subjectum quidem eorum esse, & subsistere: at respectu Verbi, non subsistere, sed in eo ut subjecto inhærescere: eodem modo quo Christus caput est comparatione hominum, non autem Dei, qui potiùs ipsi caput est: ita & vir caput est mulieris, at Christi non caput, sed membrum est. *Vir ad mulierem quidem comparatus caput est: ad Christum verò jam non caput, sed aliquid aliud. Et rursum Christus ad virum quidem comparatus, caput est; ad Deum vero, nequaquam; nec enim Verbum caput est Patris, neque natura quæ ex nobis est. Sic quodammodo prout est possibile similitudinibus incomparabilia explanare, humanitatis subjectum iis comparatum quæ sibi omnino specialiter accidunt, proportionem subsistentiæ ostendit. Deo autem Verbo collatum, sicut aliquid eorum quæ insunt subsistentiæ, non secundùm personalem subsistentiam reperitur.* Sextò ait, si humanitas illa cogitatione abscindatur à Verbo, & seorsim consideretur, tum subsistentem per se & personam fore, etsi nihil advenire illi capiatur; quia nihil minus habet, quàm reliqui homines; nec quo minùs persona per se sit, id efficitur alicujus rei decessu, sed ulterioris fastigii, vel potiùs melioris fundamenti accessu. *Igitur etsi in imaginatione mentis vel speculatione tenuissima, intellecta humanitas Christi videtur & subsistentia esse & persona, nec enim habet aliquid minus præter alias subsistentias rationales & individuas, sed tamen intellecta per semetipsam hoc esse videtur, sed non jam sicut unita Sermoni.*

V. Humanitas Verbo instar habitus est, ideo creata persona non est. Declaratur 6. Humanitas nobis quidem natura & substantia est, ideòque subsistentia & persona est. At Verbo habitus est, & proinde accessio naturæ & substantiæ ejus; ideò nec subsistentia, nec persona ipsi est. Quippè Verbum Deus testante Paulo, habitu inventus est ut homo. Nemo hominum, habitu est ut homo. Nobis enim esse hominem, natura est & substantia tota, non substantiæ jam absolutæ accrementum; idcircò nobis esse hominem subsistentia & persona est. At Verbo humanitas accessit, ut habitus, jam absolutissimè existenti, idcircò in ejus personam insuta est. Cæterùm ea comparatio est ad hoc instituta, non ut unionem Dei & Hominis solutilem, & solo accidentium glutine coagulatam designet, qualis inter hominem vestemque ejus intercest, nec ad solam incommutabilitatem Verbi declarandam, cui tam nihil invehat mutationis homo, quàm nec homini vestis; sed ad hunc maximè scopum illa intenditur, ut non multiplicari hypostases significet. Pannus enim, seu pellis, seu quælibet demum vestis, per se seorsim jacens, sua per se gaudet subsistentia: at ubi circumjecta homini est, tum duo jam non sunt homo & vestis, sed unus est homo vestitus, unus est homo cum veste, unus homo habens vestem, unus homo tamque simplex persona cum veste, quàm ante vestem: ita ergo & quidem potiori jure, cùm non extimitus tantùm humanitatem induerit, sed substantiali nexu conseruerit illam sibi Deus Verbum, non duplicis tamen vel personæ vel hypostaseos est, sed una & eadem hypostasis ac persona est Verbi, habentis humanitatem, atque non habentis; vestiti carne, atque priùs non vestiti. Si enim illa vestis extrinseca circumjectio, & propriam ipsius absumit subsistentiam, & ad hominis hypostasin utcumque illam absorbet: multò magis substantiva coalitio hominis & Dei, hominis devorabit hypostasin, eamque in Verbi personam demerget.

VI. Id firmatur ex August. Athan.: Cyrill. Serm. 53. de Tempore. Augustinus: *Non formam Dei perdens, sed formam servi accipiens, & per hanc in similitudinem hominum factus, nec propria substantia, sed habitu inventus ut homo. Hoc enim totum quod sumus, vel in anima, vel in corpore nostra natura est, illius habitus. Nos nisi hoc essemus, non essemus; ille si hoc non esset, esset utique Deus.* Est quidem & humanitas natura Verbi, sed adventitia & propriæ naturæ ejus extrorsum adscita, ideòque habitus; nec eo modo natura ejus est, quo cæterorùm hominum; ideò nec persona ejus fit hæc natura, sed personæ ejus inseritur.

Orat. 3. Con Arian. Athanasius: *Aaron enim non genitus est Pontifex sed homo, & tandem progressu temporis cùm voluerat Deus, factus est Pontifex, quum superinduisset Ephod & Epomidem, &c. Itidem & Dominus noster in principio quidem erat Verbum; quando autem voluit Pater eum pro omnibus in redemptionem offerri, ac omnibus donari: tum scilicet Verbum ut Aaron vestem talarem, ita carnem è terra assumpsit, &c.* Cyrillus in Symbolum, illustrans ea Danielis verba, *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniens,* Tom. 5. part. 1. pag. 185. hæc habet: *Si homo fuisset ob copulationem cum Deo tanquam Deus honoratus, dixisset Propheta quasi Deum, vel quasi Filium Dei, eum qui cum nubibus venit, se vidisse; sed hoc non dicit, illud vero potiùs dicit, tanquam filium hominis. Novit ergo ipsum Filium Deum esse & hominem factum, hoc est in similitudine hominum factum, juxta Pauli vocem.* Humanitas ergo hypostasis altera non est, quia non tam natura Verbi est, quàm accessio, vestis, similitudo,

litudo, habitus; humanitas reliquis hominibus hypostasis est, quia natura tota ipsorum est; non Verbo, quia naturæ ejus additamentum est, si fari licet; humanitas denique aliis hominibus hypostasis & persona est, quia totum ipsis est; non autem Verbo, quia totius pars est; ideòque non hypostasis, sed hypostatica est. Hoc enim interest discriminis hypostasi & hypostatico, quòd hypostasis sit totum, hypostaticum sit totius substantiva pars quælibet. Ita tradit Theodorus Abucara in disputatione cum Nestoriano: *Est aliquid quod dicitur hypostasis, & est aliquid quod dicitur hypostaticum, & commune utrique est componi ex natura & proprietatibus. Differunt autem, quia hypostasis non est pars alicujus, hypostaticum vero pars est. V. G. Petrus non est pars alicujus, quare hypostasis est. Corpus autem Petri pars est, quare hypostaticum & non hypostasis est corpus Petri, quamvis natura est cum proprietatibus. Sed non satis est compositam esse naturam cum proprietatibus ad generationem hypostasis, sed oportet concurrere ad hoc, & non esse partem. Quia igitur pars Christi est, assumptum corpus animatum, idcirco non est hypostasis, sed hypostaticum. Et sicut non numeratur cum Petro corpus ejus, ut sint duo, alterum enim cum altero colligitur; sic neque cum Filio Dei incarnato connumeratur corpus animatum assumptum, ut sint duo.*

VII. An humanitas Christi sit rationalis substantiæ individuum.

Ergo etsi re omninò nulla deficit Christus, earum quibus non desunt homines reliqui; ejus tamen humanitas cur persona non sit, aliorum sit, cùm ejus perindè ac aliorum sit rationalis substantiæ individuum, causæ complures sunt hìc allegatæ. Quod nimirùm individuum propriè non sit, quæ seorsim per se non consistit, quæ alteri indivisè affixa coalitaque est, quæ alterius accrementum & accessio est. Quòd rursùs individuum non sit propriè, quæ pars est, quæ hypostaticum magis, quàm hypostasis est, quæ habitus magis, quàm natura, vel substantia est; nam etsi substantia sibi sit, alteri tamen accrescens, habitus instar est. Quòd rursùs substantia minùs propriè sit, quæ alteri incumbit, ut subjecto, quæ alterius naturæ quasi accidens est; quæ etsi substantia & hypostasis sit accidentibus comparata, quibus substat, substantia tamen minùs est, & omninò hypostasis non est, comparata naturæ superiori, quæ ipsi ut fundamentum substat. Ex tribus ergo vocibus cùm constet ea personæ definitio, duæ quatefactæ sunt, an tertia quoque nutat? Nam etsi anima nostra sibi inferioribusque composita, rationalis est & principatur, ad lucem Verbi ut summæ rationis, obruitur, & quasi ignis minusculus Soli confunditur.

CAPUT X.

Quòd natura inferior superioris fiat accessio, eoque utriusque una persona sit, uberius pertractatur.

I. Idem elucidatur ex eo quod Christus cogitandus sit, ut idem semper Verbum Deus, antea sine carne, post cum carne: ita enim caro, & tota humanitas in modum accessionis cogitatur.

Declaratur 7. Nexus ille alter unionis hypostaticæ, quòd videlicet natura inferior superioris fiat accessio, ideoque non jam ut altera, ab illa hypostasis computetur, sed ut ejus hypostasi adnata, utque unum quid cùm ea connumeretur. Declaratur autem ex commendatissima frequentissimaque apud Cyrillum & accuratissimos quosque arcani hujus sacramenti scrutatores, Christi seu Dei Hominis cogitandi eloquendique formula; ut non tam nunc Deus, nunc homo, vel agere, vel pati quidpiam existimetur, quàm ut idem semper Deus Verbum pensitetur, & agere, & pati quælibet, vel sine carne, vel cum carne. Ubi enim alia Deo adscribuntur, alia homini; vel etiam ubi Deus homo, alia quà Deus, alia quà homo vel laudum vel passionum elogia excipit, duplicis hypostaseos non omnis extergitur suspicio; Deus enim & homo quasi ex æquo bina quædam capita, & duo principalia tunc in unum confæderantur. At ubi non cogitatur nisi unus idemque Deus Verbum, vel sine carne priùs, vel cum carne postea, vel facere, vel perpeti omnia: tum nihil periculi superest, ne duplicis personæ opinio cuiquam suboriatur. Homo enim tunc non quasi à pari, sed ut mera accessio Verbi mentibus obversatur. Lucidior res ista fiet aggeratione exemplorum, pro copia quæ maxima ad manum est, valdè paucorum; nec fruge carebit plurima hæc illustratio, qua limatissimus ad fidei amussim, & ad pietatem nostram, Christique dignitatem accommodatissimus explorabitur mysterii hujus concipiendi modus.

II. Ita Christus sedere ad dexteram Patris cogitatur, ut Verbū quā implevit ab æterno sine carne, eandem cum carne sedem impleat. Epist. ad Valerianum.

Utque ne in hoc exemplorum ordine digerendo morosior sim, ita omnes consessum Christi ad Patris dexteram solemus ferè imaginari, ut homo Deificatus propriam Verbi sedem occuparit. In eo subolet nescio quid minùs spirans unitatem. Castigatiùs Cyrillus monet Verbum considere in sua sede, ex qua discesserat nunquam, sed nunc cum carne, priùs sine carne. Hic quia caro seu humanitas, ut accessio attenditur Verbi, omnis expungitur suspicio alterius personæ. *Considet cum ipso Patre, etiam cum carne; non jam ut homo seorsum consideratus, neque ut alius filius ab ipsius Verbo diversus, neque ut qui ipsum Verbum inhabitatorem habeat, sed ut verè Filius unus & solus, etiam tum cum factus est homo. Considet itaque tanquam Deus cum Deo, & Dominus cum Domino, & Filius verus cum Patre vero, hoc ipsum obtinens ex natura, licèt cum carne consideretur.* Et alibi: *Quid igitur jam tibi accidit, ut diceres ipsum Patrem simul secum considere fecisse humanitatem assumptam, ac non potius in suæ ipsius divinitatis sedibus constitisse ex Dei Patrisque beneplacito, ortum ex eo Verbum, etiam posteaquam factum est homo: ne ipsius humanitas tanquam ab eo diversa intelligatur, aut dicatur à nobis, cùm vera unio & unum esse illum ostendat nobis, & ejus carnem non esse ab eo alienam? Convinceris ergo in hoc quoque mendax & à recta ratiocinatione non parum aberrans.* Quotusquisque nunc fidelium etiamsi non sapiat cum Nestorio, aliter tamen eloquitur? Humanitatem assumptam, in Deitatis solio collocatam quis non cogitat, quis non prædicat? Et hoc tamen ut à Nestoriano non satis purum veneno exagitat & insectatur Cyrillus. Quippè tum humanitas spectatur, ut non accessio alterius, sed principale quid, & per se conspicuum, & in se spectabile, atque adeo ut hypostasis. Spectatur tunc ut homo deificatus, non ut Deus humanatus. Spectatur ut homo Deum habens, non ut Deus humanitatis habitu indutus. Spectatur homo ut aliquid Dei habens, non ut ipse aliquid Dei existens. Ex quo claret & quàm nostra diebus & horis singulis verba sensaque expurgari atque expiari indigeant; & quantum denique operæ studiique ponendum in eo sit, ut non occurrat nobis seu homo seu humanitas, ut aliquid Dei habens; putà existentiam, sanctitatem & cætera id genus: sed ut Deus habens humanitatem; ut aliquid inquam Dei existens, non ut aliquid Dei habens; ut Dei accessio, non ut in modum accessionis & additamenti Deum habens.

L. 2. adver. Nestor.

III. Ita Pontifex Christus cogitandus, non tam homo Deum indutus, quàm Deus hominem.

Pontifex quoque non est homo quantumlibet devinctus Deo, sed Deus Verbum homine indutus; ut in omnibus de Christo vel sermonibus vel conceptibus, non præpostero ordine primas teneat quod secundis contentum ultro est; aut in secundas detrudatur quod primas suo sibi jure vendicat; sed dux & caput sit Deitas, cui subnectatur humanitas; princeps & primaria occurset semper Deitas, eique non comes addatur, sed velut indivulsa accessio statim subjungatur humanitas. Cyrillus: *Si quis ergo dixerit Pontificem & Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum, posteaquam caro & homo nobis*

Anathematismo 10.

mo nobis similis factum est; sed hominem illum, qui ex muliere natus est, quasi alterum quempiam ab ipso diversum, &c. anathema sit. Limatior itaque cùm viris Theologis affectanda sit loquendi formula, enitendum est ut in recto semper Deitas, in obliquo humanitas locetur; ne si secus fiat, ut frequentissimè fit, principatus consectario deferatur, & caput Christi Deus suo à nobis fastigio excutiatur.

IV. Ita aptiùs dicitur Verbum carne passum, quàm humanitate, quia caro facilius cogitatur accessionis loco esse, quàm humanitas.

Tricari ne cuiquam videar, id saltem eo Cyrilli loco consequar, quo Verbum carne passum, ut Apostolici oris oraculum commendat: humanitate passum minùs probat. Etsi enim Verbum passum sit carne animata per animam intelligentem, & id unum sit humanitas; tutius tamen est carne quàm humanitate passum effari, quia caro magis intelligitur accessio alterius esse, quàm humanitas; ac proinde caro minùs in suspicionem venit quàm humanitas dominationis propriæ, atque hypostaseos affectatæ. Epistola secunda ad Successum: *Quamvis igitur in Emmanuel humanitatis naturam ac divinitatis dicant, ipsa tamen humanitas propria facta est Verbi, unusque cum ipsa Filius intelligitur. Cùm verò scriptura divina dicat ipsum carne passum, satius est nos quoque sic dicere quàm in natura humanitatis: quamvis ea locutio, nisi malitiosè ab aliquibus ita dicatur, nihil violet mysterij rationem. Quid enim aliud est humanitatis natura, nisi caro animata per animam intelligentem, in qua passum fuisse carne Dominum fatemur? Anxiam igitur & supervacaneam diligentiam affectant, cum dicunt, passum illum fuisse in natura humanitatis, quasi illam à Verbo sejungant, & extra peculiariter* (ἰδίᾳ, ἰδικῶς) *ponant, ut duo intelligantur, & non jam unus incarnatus & inhumanatus Dei Patris sermo*. Quod ergo Verbum caro factum dicatur, potiùs quàm homo, quòdque passum carne, potiùs quàm humanitate, non ea scripturæ, aut accuratissimorum Scripturæ Interpretum indiligentia aut supinitas est, sed mira profunditas. Unitati enim personæ serviunt ista, ubi carnis potiùs quàm hominis, aut humanitatis vox usurpatur, ut quæ alterius se esse, accessionis instar se habere, hypostasi propria se orbari, Verbi personæ se implicari conserique statim insinuet. Nam humanitas, seu humana natura, sua sibi est ex statu naturarum lege, sua gaudet hypostasi, nulli adhærescit alteri: at caro nusquam nisi alterius additamentum fuit.

ἀπριεγό-τατα τό ι-νυρ φασὲ.

V. Ita Verbum, etiam carne indutum, Spiritu sanctum, ut suum habebat, eo dæmones fugabat, &c.

Rursus non humanitas aut homo Spiritum sanctum accepit, quasi aliunde allabentem, ejusque mutuatitia virtute dæmones expulit, edidit que miracula; sed unus idemque Deus Verbum Spiritum sanctum, ut suum propriumque spiritum habens, eo dæmones territabat fugabatque; carnem item ut suam & propriam habens, ea res miras operabatur. Cyrillus: *Si quis unum Dominum nostrum Jesum Christum à Spiritu sancto tanquam virtute à se aliena glorificatum dixerit; efficaciamque qua contra immundos spiritus uteretur, & divina inter homines miracula operaretur, ab ipso eodem accepisse prædicaverit, & non proprium naturalemque illius esse spiritum, per quem divina signa edidit, anathema sit*. (Anathemat. 9.) Et alibi: *Neque verò dicimus vel more subservientium, vel tanquam ab alio quopiam Spiritus sancti participationem subministrasse: sed potiùs tanquam ex natura Deum, ex plenitudine sua infundentem, sanctificatos reddidisse*. (L. 3. contr. Nest. pag. 201.) Et alibi: *Periculosum est etiam dicere de sancto Spiritu, Qui carnem ipsius effecit templum. Erat enim caro propria Verbi, &c. Proprius item ipsius ille ejus Spiritus, neque unquam illud Dei Verbum sine suo Spiritu intelligitur. Præstat igitur ac sapientius est dicere, corpus quidem templum esse Verbi, & propriam ipsius carnem: credere item ipsi Verbo semper adesse Spiritum ipsius, ut etiam proculdubio Patri*. (Ibid. L. 4. pag. 105.) Et ibidem: *Quid mirum si ipsum ex Deo Verbum cùm sit ipsa vita secundum naturam, carnem sibi unitam vivificam reddidit? Propria namque ejus est, & non alterius cujusquam ab eo diversi, qui seorsim intelligatur*. (Pag. 110.)

VI. Et omnino insuefaciendus est animus, non tam carnē Deitate imbutā, quàm Deum carne vestitum cogitare. Hoc enim elimatius est.

Ad hunc ergo modum temperanda nobis firmandaque est cogitandi Christi consuetudo, ut non humanitatem Spiritus sancti plenitudine inebriatam, aut Verbi omnipotentia quasi commodatitia armatam, aut hypostasi atque authoritate divina fretam exegisse dæmones morbosque imaginemur. Tametsi enim nec palam falsa, nec usquequaque absurda sit, & doctorum quoque vulgo usitata, imò à sanctis Patribus dum incuriosiùs agunt, & ad alia majori vergunt contentione animi, usurpata sit ea cogitandi loquendique formula; minùs castigata tamen illa est, nec ad Cyrilli normam satis elimata. Ibi enim humanitas proponitur, ut accessione Deitatis locupletata, non ut ipsa Deitatis accessio facta; ut Verbum adepta, non ut Verbi facta; ut non tantùm suo sibi in se jure fidens, sed ut res divinas in potestate habens; ut denique per se subsistens ac Deo insuper plena, non ut affixa & adnata Verbo. Ergo insuefaciendus est animus, non totum in parte, sed partem in toto: non surculum cum arbore, sed arborem cum surculo: non accessionem cum principe, sed principem Deitatem cum accessione humanitatis pensiculare. Ita videbitur nobis potiùs Deus Verbum ingenitæ nobilitatis prærogativam etiam in carne retinere, ideoque etiam in carne Dominum se ostentare naturæ, Spiritus sancti fontem se aperire, miracula patrare, diffundere sanctitatem etiam in carne & cum carne & per carnem suam. Quod eximiè Cyrillus: *Gloriæ revera est Deo ac Patri, dum à nobis creditur, quòd cùm Deus sit verus, & vita, & vivificans, parem sibi ac per omnia similem ineffabiliterque & supra omnem intelligentiam genuit Filium, qui non fuit minor etiam cum in carne natus est. Sed præstantem illam egregiamque naturalis nobilitatis sibi insitæ pulchritudinem intergram omninò servavit, ita ut ipse quoque sit vita, utpote ex vita, & omnia possit, & sine labore perficiat; & his qui sunt morti & corruptioni obnoxij, incorruptionem donet*. (L. 4. cont. Nestor.) Nec minùs insignis locus hic est: *Neque enim homo ut quidam volunt, Deus est effectus, unitus Verbo: sed Verbum ipsum carne assumpta homo factum, mansit etiam Deus. Quum igitur miracula edit, ne seorsim separans à sancta ipsius carne Verbum Dei, soli ipsi vim miraculi editi tribuas: sed ita potiùs piè cogita, Unigenitum Dei Verbum hominem factum, etiam per propriam suam carnem sæpenumero operatum esse, quippe qui propriam illam sibi habuerit*. (L. 1. advers. Antropomor. c. 22.)

VII. Ita non tam dici debet Verbum uti corpore, ut instrumento, quàm uti suo proprio corpore velut instrumento.

Hinc objurgat Nestorium Cyrillus, quòd Verbum corpore velut instrumento usum esse diceret: cùm inde duplex obiiceretur persona, quarum altera alterius instrumentum esset. Docet autem nos emendatiùs loqui, ut dicamus, Verbum suo & proprio corpore uti tanquam instrumento. Nisi enim corpus ut Verbi proprium factum, ut aliquid Verbi factum, ut ejus accessio & accrementum aliquod substantiale intelligatur, seorsim segregatur, & in alteram excitatur hypostasin. *Corpore tanquam organo ipsum Verbum usum esse affirmas, ut est consequens. Sed si unum dicis Filium & unam hypostasin Verbi incarnatam, non ipsum erit divinitatis organum, sed utetur potiùs proprio corpore, tanquam organo, ut nimirum ipsa hominis anima*. (L. 2. contr. Nestor pag. 51.) Ex quo conjicies, ni fallor, quàm multa nostra reformari indigeant de Christo colloquia. Cui enim obrepsit, imò cui non volenti scientique contigit humanitatem Deitatis instrumentum vocitare? & hoc tamen ut Nestorianæ pestis afflatu aliquo contaminatum vitari jussit Cyrillus. Non enim humanitas Deitatis organum est, sed veluti organum est; est enim propria Deitatis, pertinetque ad Deitatem, non ut instrumentum foris, aut juxta positum, sed ut

ejus

ejus membrum, si fari ita fas est, ut unius cum ea totius pars.

VIII. Ita videbatur & contrectabatur Verbum in carne, sicut videtur & cõtrectatur anima in corpore suo corpus totũ in parte sui aliqua.

Rursum minùs exacta est ad veritatis amussim nostra illa ratio cogitandi, quomodo Christus videretur aut contrectaretur, dum inter mortales degeret; commentandique illa Christi ipsius de se verba: *Credis in Filium Dei? qui loquitur tecum, ipse est*: & illa Joannis de Christo: *Quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*. Jejuna enim nimis est illa interpretatio, quòd videretur, audiretur, palparetur caro, qua latitans velabatur Deitas; ab hoc sensu nec ipse multùm resilisset Nestorius. Ergo dedoceat nos Cyrillus tam macilentè de Christo sapere, addoceatque verè & reapse visum esse tum, palpatumque oculis hominum manibusque Verbum ipsum, sed in carne sua; tam verè & propriè, quàm videtur anima, cùm corpus animæ vi atque vita vigens floridumque videtur: tam verè & propriè, quàm videtur corpus, cùm pars ejus videtur; videtur arbor, cùm surculus ejus aliquis videtur. Nam totum & singulas in toto corpore partium minutias videre cui unquam contigit? Videtur ergo totum, cùm aliquid totius videtur: videtur corpus, cùm unum aut alterum membrum ejus videtur: videbatur Verbum, cùm corpus ejus videbatur. Cyrillus: *Tu credis in Filium Dei, &c. Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Vides quomodo non gestantem, non intus latentem, sed sese cum carne tanquam unum ostenderit? Certè beatus Joannes, Quod fuit ab initio, inquit, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ. Atqui divinitas est intractabilis, sed Verbum suæ carnis ratione tractabile factum est. Invisibile quidem est secundùm naturam, sed spectabile per corpus*. Idem in sanctum Symbolum cùm eadem Verbi verba ad cæcum lumini redditum retulisset: *Vidit autem ipsum cæcus non nudum, vel sine carne, sed in specie simili nobis; & credidit in eum quem vidit, non tanquam in Filium cum altero filio conjunctum, sed tanquam in unum natura, & verè, qui tamen non absque carne, iis qui erant in terra, affulsisset*.

L. 5. adv. Nestor. pag. 57.

IX. Ita una adoratione adorandum est Dei Verbũ, sive olim sine carne, sive post cum carne sua.

Sed adorantibus ea imprimis cautio necessaria est, ut non duo aliqua, vel unum in altero, aut propter alterum, sibi adorandum proponant: sed in unum tota se colligat confluatque adorandi religio, Patrem, Filium incarnatum, & Spiritum sanctum, Trinitatem unam, trinam unitatem. Utque quod ad Filium attinet, spectemus hìc tantùm; non seorsim Verbo & seorsim humanitati assumptæ procidendum est, sic enim duæ secernuntur hypostases, non Verbo propter humanitatem, non humanitati propter Verbum, non latitanti propter evidentem, non evidenti propter latitantem, non gestanti propter gestatum procumbendum est, hæc enim sunt Nestorianæ quædam veluti reliquiæ. Sed adoratur simul & semel unus sempiternè & incommutabiliter idem Deus Verbum, sive sine carne ante, sive cum carne post inhumanationem suam. Cui enim sobrio in mentem venit unquam, Regem aliter nudatum, aliter indutum sua purpura venerari? Regem propter purpuram, aut purpuram propter Regem, distincto & geminato prosequi obsequio? Ita sive antequam, sive postea quam carne nostra purpuratus est Deus Verbum, una & eadem dependitur ipsi adoratio. Aliquando tandem enim radices aget in animis, insidebitque altissimè, quod toties iteramus, & commendamus vehementer etiam atque etiam, ut quod caput rei est, ne postponatur; quod principatum tenet, ne posthabeatur; quod accessionis instar est, ne primas teneat. Deitas semper occurrat prior, ut princeps, ut caput, ut totum, ut incommutabilis & æterna hypostasis, ut juris & authoritatis, adeoque personalitatis fons sedesque, cui accessio facta est humanitatis in tempore; quæ per se seorsim non est, quæ per se seorsim cùm cogitatur, minuitur & quasi exauthoratur. Ita liquebit unicam esse adorationem Verbi incarnati. Cyrillus: *Quemadmodum una est fides in Christum, unum item baptisma, etiamsi in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credamus & baptizemur: ita planè, ut ego arbitror, una quoque Patris & incarnati Filii & Spiritus sancti est adoratio*. Et rursus idem: *Quod evidenter distinguat Nestorius, ex eo rursum perspicuum fiet, quod cum divinitate ipsum esse adorandum confitetur. Quod enim cum altero adoratur, diversum est prorsus ab eo cum quo adorari perhibetur. Nos vero una adoratione honorare consuevimus Emmanuelem, non dividentes à Verbo corpus ipsi secundum hypostasin unitum*. Ita planè ut cùm celeberrimus Philosophus quis honoratur, non animæ ejus soli, etsi in ea sola sedem fixerit Philosophia, nec corpori propter animam, sed ipsi toti honor habetur. Ibidem infrà: *Adoratur etiam cum carne, ut ante carnem erat adorandus. Erat enim & est secundum naturam Deus, & ante exinanitionem & cum exinanitionem subiisse dicitur*. Et infrà: *Num enim si quis de quocumque nostrum simili homine, vel de uno quopiam terreno Rege dicere voluerit, propter animam Regis veneror corpus ejus, propter latentem adoro quod est spectabile: non illico quivis objurget & dicat, Quid tu facies, ò bone vir? unus omnino homo est qui rerum potitur, quamvis ex duobus videatur compositus, ex anima inquam & corpore. Cur igitur nobis frustra nugaris, cum gestantem & gestatum, latentem & spectabilem appellas? & tanquam aliud cum alio simul adorare profiteris, & modum unionis contemnis; cùm divinitus inspiratæ litteræ, illud ex Deo Patre Verbum cum suo corpore unum nobis Christum & Dominum esse pronuntient*. Cardo planè rei totius in eo vertitur, ut attendatur semper Verbum primario & principe loco, cui accedat in modum accidentis tota carnis dispensatio. Ex his paucis conjicere licet, quæ de Christo alia cogitantur & pronunciantur tum multa, quàm castigato judicio, quàm severo examine trutinanda sint.

L. de recta fide pag. 29.

L. 2. adv. Nestor. pag. 55.

X. Post incarnationem quoties dicitur Filius carne amictus aut dicitur, aut subintelligitur, quia totus dicitur.

Declaratur 8. Ex eo quòd jam nec capi, nec dici potest Deitas sine carne, aut caro Christi sine Deitate. Etsi enim vel mente, vel verbis altera tantùm explicetur, complicatur & altera. Nec totum à partibus, nec partes à toto divelli se patiuntur. Utque exemplo roboretur hæc argumentatio, ubi in nomine Trinitatis tingimur, utique in nomine Christi tingimur. Qua fruge enim aut qua spe ablueremur, nisi in Christi sanguine, nisi in Christi nomine, nisi in Christi morte, nisi è mediatoris & salvatoris fontibus salutem hauriremus? Ergo ubi solus nominatur cum Patre & Spiritu sancto Filius, non sine carne sua intelligitur, nec nisi cum carne sua nos abluit, & illuminat, & castificat. Ut cùm Philosophum vocas quempiam, etsi expressiùs non nisi egregiam mentis dotem designas, totum tamen etiam cum corpore proprio animum hominemque & cogitas & significas. Non aliter carni Deitas, Deitati caro sua & contemplantibus & differentibus indivulsè adest. Cyrillus: *Nos autem post illam unionem sive Deum Verbum nominet quispiam, non sine propria carne illud intelligimus: sive Christum dicat, incarnatum Verbum agnoscimus*. Ferrandus Epistola ad Egippium, *Ad amorem commendationemque personæ unius, sic unus Christus prædicatur, ut aliquando una ejus, vel humana natura, vel divina, commemoretur, & utraque tamen intelligatur: quoniam inest unitas: ut qui unam nominet, ambas significet*. Non utique una natura alteram statim & intelligenti & loquenti inferret, si persona non aliud esset, quàm existentia, vel peculiaris subsistentiæ dos. Etenim nominata tum carne, existentiam Verbi cogitaverim fortè, non naturam; nominata

L. 2. Con. Nestor. pag. 50.

Deitate, de humanitate non veniet in mentem, utpote quæ per intermedium tantùm existentiæ vinculum quasi ex intervallo aliquo illi copuletur. At si persona non est nisi natura ipsa, ut per se seorsim consistens, & jure suo vigens, seque & sua suo nutu & dominatu agens, tum sanè nec Deitas sine carne quam, ut sibi affixum sui membrum, gerit; nec caro sine Deitate, cujus quasi appendix & accessio est, aut intelligetur unquam, aut dicetur. Idem Epistola ad Severum: *Illos qui putant Christum unam non habere personam interrogo, nominato in baptismate Filio, si non est una Dei hominisque persona, quæ persona nominatur? Si dixerint Filii Dei, nec hunc esse confitentur filium hominis quem Filium Dei: ergo omnis à regenerationis sacramento gratia mediatoris aufertur, &c. Et quomodo sine mediatore Pater reconciliatur? Aut si fortè non reconciliatur, ut quid baptismus datur? Si autem reconciliatur, per mediatorem reconciliatur. Si per mediatorem reconciliatur, mediator iste non est tantum Deus, neque tantum homo, sed Deus homo, &c. Alioqui quomodo verum erit, quia quicumque in Christo baptizamur, in morte ipsius baptizamur, si quando Filium in baptismate nominamus, non unam personam Dei hominisque, sed personam solam Filii Dei sine persona filii hominis nominamus?* Et hìc igitur in baptismo, & alibi in omnibus Christi sacramentis, nec Deitas sine accessione carnis, nec caro sine capite suo, id est Deitate usquam intelligitur, & significatur. Consignificatur enim & accessio toti & totum accessioni.

CAPUT XI.

Natura humana divinæ accessio est, ideoque una persona cum illa est, quia in ipsa sui creatione assumpta est.

I. Idem probatur ex eo quod non prius in se subsistens humanitas, sed in ipso sui conditu assumpta sit. Ex Latinis Patribus. Contra Sermon. Arian. c. 8.

Declaratur 9. Personæ vim in eo positam esse, quod natura quæpiam per se seorsim segregata, in seque collecta consistat: & humanam Christi naturam non alicujus entitatulæ penuria, sed eo tantum nomine quod superiori accesserit physicèque conglutinata sit, propria destitui, Verbi autem persona fulciri. Declaratur id autem multifariam ex eo quod non priùs in se separatim consistens, postea ad Verbum divinum assumpta sit, sed in ipsa sui creatione illi sit devincta. Augustinus: *Ipse namque unus Christus est, & Dei Filius semper natura, & hominis filius, qui ex tempore assumptus est gratia. Nec sic assumptus est, ut prius creatus post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Ac per hoc propter istam unitatem personæ in utraque natura intelligendam, &c.* Unitas personæ ex hoc capite pendet. Fulgentius:

De fide ad Petrum c. 2.

Quibus autem verbis explicabitur carnis illius excellentia singularis: cujus divina est ex ipsa sui conceptione persona, cujus origo nativitatis insolita, quæ sic Verbum caro factum est, ut una persona esset cum carne sua unigenitus ac sempiternus Deus, ipsa suæ carnis conceptione conceptus. Gregorius Magnus: *Non purus homo conceptus atque editus, post per meritum, ut Deus esset, accepit. Sed nunciante Angelo, & adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro: & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre & cum sancto Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea viscera, unde & impatibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante sæcula, temporalis posset esse in fine sæculorum.*

Moral. l. 18. c. 27.

II. Ex Græcis. Hæresi. 77. n. 29.

E Græcis ut totidem adnumerem, Epiphanius: *Non habemus hominem ejusmodi qui ad provectum divinitatis venerit, sed Deum qui è cœlo descendit; & in seipsum suam sibi humanitatem, pro eo ac potens est ipsius divinitas, effinxit. Quemadmodum Scriptura dicit, Verbum caro factum est. Ideo enim dixit, Verbum caro factum est, ne aliqui forsitan putent, primùm extitisse hominem, in eumque postea venisse Christum. Idcirco sanctum Evangelium primo loco Verbum posuit, deinde ita de carne professum est, Verbum caro factum est. Non enim dixit, Caro Verbum facta est: ut ostenderet primùm Verbum è cœlo venisse & in seipsum carnem è sanctæ Virginis utero procreasse, atque omnem perfectè naturam hominis in seipsum formasse.* Proclus: *Necessario ipsam naturam & initia, & habitus, & passiones consequuntur. Neque enim dicit Evangelista, in hominem jam perfectum introisse, sed carnem factum esse, ad ipsa naturæ nostræ primordia, (nimirum cum primum formata fuerit caro) pervenisse & ad ipsa generationis initia recurrisse.* Justinianus Imperator in Confessione rectæ fidei: *Per hoc autem quod dixit, Formam servi accepit, naturæ hominis & non subsistentiæ sive personæ unitum esse Deum Verbum significavit. Nec enim dixit, quod eum qui in forma servi erat, accepit, ne antè plasmato homini unitum esse Deum Verbum ostenderet, sicut Theodorus & Nestorius impii blasphemarunt, affectualem dicentes unionem.*

Epist. ad Armenos.

III. Cum nec puncto temporis in se constiterit, sed Verbo ut fundamento superstructe creando sit humanitas, propriam non habuit.

Ex his conjicitur ab eo etiam capite visam esse Patribus repeti debere unitatem personæ, quod non priùs seorsim per se existenti homini conjuncta sit Deitas Verbi, sed ipsa ab æterno præexistens hominem sibi ipsi verum finxerit affinxeritque simul. Idque acutè observant insinuari aure is illis verbis, *Verbum caro factum est*. Si enim humanitas præextitisset, ipsa potiùs facta esset Verbum. Horum item, *Formam servi accipiens*, hic sensus est, humanitatem non jam efformatam & priùs alicubi jacentem sibi coaptans, sed in seipso illam formans creansque. Quis enim non statim intelligit, non per se secretum, non seorsim discretum, ac consequenter nec personam humanam esse hominem assumptum, cum nec puncto temporis in se constiterit, cum ipsi Verbo ut fundamento superstructus creando sit?

IV. Gratia creata antevenit opera bona, increata antevenit ipsum esse. Verbis Apostoli. c. 2.

Declaratur 10. Commendandæ gratiæ Dei id plurimum confert, ne prius homo fuerit, & ita divinam promeruerit filiationem: sed nihil prius meriti habens, imo nec prius existens, assumendo crearetur, creando assumeretur. Certiùs antevenîri omnia merita non potuere. Augustinus: *Nunquid & ille prius vixit filius hominis, & bene vivendo factus est Filius Dei? Inde capit, & inde incæpit, & susceptione factus est; Verbum enim caro factum est. Verbum Dei unicus Dei Filius assumpsit animam & carnem hominis, non antea se promerentis, nec ad illam percipiendam sublimitatem virtute propria laborantis, sed omnino gratis. Nihil enim præcessit illam susceptionem. Susceptus est, Dei Filius susceptione factus est Virgo concepit, ante conceptum virginis homo mediator non utique prius justus fuit. Quomodo enim justus fuit, qui nec fuit?* Cassianus quoque de Pelagianis differens: *Dicentes solitarium hominem Jesum Christum sine ulla peccati contagione vixisse, eo progressi sunt, ut assererent, homines si velint sine peccato esse posse. Consequens enim existimabant, ut si homo solitarius Jesus Christus sine peccato fuisset, omnes quoque homines sine Dei adjutorio esse possint, quidquid ille homo solitarius sine consortio Dei esse potuisset. Ac sic nullam facerent inter omnem hominem ac Dominum nostrum Jesum Christum esse distantiam: cum idem utique homo nisu atque industria sua mereri possit, quod Christus studio ac labore meruisset, &c. Addiderunt Dominum Salvatoremque nostrum post baptisma factum esse Christum, post resurrectionem Deum: alterum adsignantes unctionis mysterio, alterum merito passionis.* Iidem igitur abstulere Christiano gratiam, Christo deitatem; hæc confœderatio fuit Nestorii Pelagiique assectarum; cohæ-

L. 1. de Incarnat. c. 3.

cohærent enim ista & contexta pariter sunt: ut Christo Deitas, ita Deitatis aura & delibatio quædam Christiano obvenit, gratis videlicet. Sed quanto gratiam Deitas, quanto lux umbram superat, tanto liberaliùs, tanto ante omnem meriti suspicionem collata est. Confertur gratia nihildum promerito, Deitas necdum creato; antevenit bonum opus gratia, Deitas ipsum esse. Est enim Deitas gratia omnium gratiarum summa, omnium gratiosissima. Deinde gratia Christiano datur, ut operetur, Christo ut sit; ergo illius antevertit operationem, hujus existentiam. Denique Christianus id operatur ad quod supernè per gratiam impellitur: ideo gratia antecedit tantùm ejus bona opera: at Christus ut gratiæ & bonorum operum fons & largitor in alios sit, gratia Deitatis constare substantialiter, eaque adeo ad subsistendum anteveniri postulat. Ut quod alii operando, ipse subsistendo habeat: utque alii ad operandum, ipse ad subsistendum præveniatur: utque non fugiente operandi gratia, sed constante subsistendi sanctitate ac Deitate donetur. Ut denique sicut alii Christiani sunt, quia seorsim à gratia non sunt: sic ipse Christus sit, seu una cum Deo persona sit, quia seorsim à Deitate non est, non fuit unquam.

V. Nisi in ipsa sui creatione assumeretur natura nostra, nostræ origini non mederetur, nec in unâ coiret cum Verbo personam. De Incarn. & Grat. c. 4.

Declaratur 11. Nostræ primùm origini medendum fuit; in eam enim prima mali insperserat labes; nec nisi Deitatis intercessione atque insertione grassanti malo poterat obviari. Ut ergo in ipsa seminali hominis concretione & quasi præformatione irrepebat parentalis peccati contagio, imo præcurrebat morbus, & quasi ex anteriore naturæ corruptela personam consequenter inficiebat: ita Reparatoris ipsi in materna vulva formationi inseri Deitatem necesse fuit, ut altissimam mali radicem execaret. Si vel uno aut altero momento seorsim à Deitate fuisset natura nostra, cessasset tamdiu medicina, infudisset se malum, latiùsque propagasset. Fulgentius: *Non est igitur aliquod intervallum temporis æstimandum, inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ majestatis adventum. Una quippe fuit in utero Mariæ Virginis conceptio Divinitatis & carnis, & unus est Christus Dei Filius in utraque natura conceptus, ut maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, unde in unoquoque nascentium videbatur existere.* Et rursum: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Necessarium admodum utique fuit, ut misericors Dominus & justus, iniquitatis humanæ vestigia deleturus, in ipso conceptu sibi humanam naturam dignaretur immaculatam immaculatus unire, ubi eam consueverat per inflictam peccati originalis maculam suæ parti dominioque diabolus vindicare.* Nisi ergo nullo momento à Deitate seorsim esset, nisi in ipsa sui creatione à Deitate adsumeretur natura nostra, non eveheretur ad Dei personam, & quod idem est, non sufficeret ad hominum medicinam. Quod ergo homo Deus fiat, & quod hominum medicina fiat, & idem est, & indidem est, quòd nullo videlicet temporis puncto seorsim à Deo consistat.

VI. Ideo puncto tempore absoluta est humanitatis fabrica, ne rudiménta corporis dum perpoliuntur, tantillum sejunctum à Deitate existerent. L. 3. c. 2.

Eodem pertinet quod uno momento absoluta fuerit humanitatis fabrica, ne vel tantillum temporis quo rudimenta corporis concinnantur & perpoliuntur, seorsim essent à Deitate, propriæque hypostaseos speciem facerent, & medicinæ perimerent integritatem. Id prænotavit jam Fulgentius loco proximè citato. Et Damascenus: *Obumbravit ei sapientia & virtus Dei altissimi in propria subsistens hypostasi, Filius Dei Patri consubstantialis, velut divinum semen. Et construxit sibi ipsi ex castis & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, non cum semine, sed creando, per Spiritum sanctum; non paulatim per additamenta expleta figura, sed uno contextu absoluta. Ipsum autem Dei Verbum carni hypostasis est. Non enim prius subsistenti per seipsam carni unitum est Dei Verbum, sed sanctæ inhabitans virginis uterum modo incircumscripto, in sua ipsius hypostasi ex purissimis sanguinibus Mariæ semper Virginis carnem animatam anima rationali & intellectuali subsistere fecit.* Ne unquam, ne vel puncto segregata & seorsim esset à Deitate humanitas, eam Deitas Verbi suæ in personæ gremio efformavit, formandoque sibi superstruxit, adeoque uno momento totum opus absolvit; nec enim rudimenta hominis, aut præludia naturæ nostræ, sed naturam integram sustentare sua hypostasi dignabatur. Concordat his Basilius: *Quod in ipsa est, de Spiritu sancto est. Hinc enim deprehendi licet, quod non secundum communem modum carnis constitutio Domino fuit. Conceptum namque illico perfectum fuit, non per intervalla paulatim formatum, ut planè ea verba declarant. Non enim dicit, Quod in ea conceptum est, sed quod in ea natum est. In sanctitate namque caro conglutinata, digna quidem unigeniti divinitati conjungi fuit.* Non caro ergo Deitatem expectavit, non segregatim ab illa aliquantisper constitit, sed præcucurrit Deitas, ut efficiens, ut sustentans, & humanitatem suam suis ipsa manibus, suo in ipsius hypostaseos gremio sibi adsabricavit. Hom. 25. Tom. 1.

VII. Non formatam, jam humanitatem assumpsit, sed formando assúpta Deus.

Declaratur 12. Nisi ante primordia formandæ carnis præcurrisset Verbi divinitas, non esset fæcundata virgo, non esset concepta Deitas. Ferrandus Epistola ad Severum: *Scientes quia non hominem formatum neque conceptum neque vita sua quadam vel in matris utero vivere jam incipientem Deus adsumpsit, sed omnino antequam aliquid Maria conciperet, ante omnem formati formandive hominis causam, Deus volens homo fieri, virginalis palatium ventris intravit: & virtute divinitatis munus largiens fæcunditatis, adsumpsit ex ea quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem. Et ipsa adsumptione conceptus & natus, non utique personam aliam suscepit, quia non hominem paratum invenit, &c.* Anteivit carnem concipiendam Deitas, quia non aliter virgo conciperet, nisi virtus divinitatis munus largiretur fæcunditatis, non quocumque modo, sed vicem seminis ipsa subiens; de semine enim solo Deitatis potest virginitas incorruptè fæcundari. Idem Epistola ad Anatolium Diaconum: *Deus venit ad uterum virginis, & adventu suo munus ei largiens fæcunditatis sine sorde libidinis, humanam sibi naturam potenter atque ineffabiliter adunavit, tanto vinculo unitatis, ut persona Verbi fieret persona carnis.* Et Damascenus: *Post consensum sanctæ Virginis Spiritus sanctis supervenit in eam, &c. Et virtutem divinitatis Verbi susceptivam præbuit, simul autem & generativam; δυνάμιν δεκτικὴν τῆς τοῦ λόγου θεότητος καὶ γεννητικήν. Et tunc obumbravit ei Dei altissimi in sua subsistens hypostasi sapientia & virtus, Filius Dei, Patri consubstantialis, velut divinum semen,* οἱονεὶ θεῖος σπόρος. Sed omnium luculentissimè conceptum virgineum, divinamque in humana natura hypostasin eodem nexu inclusit constrinxitque Theodorus Presbyter Raithu, eo videlicet quod prævia virgineum templum occupavit Verbi Deitas, ex eoque carnem sibi & in se formavit, adeoque eam nec vel momento temporis sejungi à Deitate sivit. *Nunquam in universum humanitas Christi agens in hypostasi cognita fuisset, nisi natura divina Verbi Dei in virginalem uterum ingressa, ex ipsa modo inexplicabili hanc naturam sibi formasset & fecisset; ita ut nec ipsa prima principia divinæ incarnationis naturam assumptam sine substantiali & naturali habitatione naturæ Verbi Dei eam assumentis habuissent. Et quid dico principia θεοπλαστίας? siquidem nec ipsa beata Virgo virtutem fæcunditati supra naturæ leges ad procreandum Filium accepisset, nisi per adventum Verbi ad hoc impulsa esset. Quomodo igitur hæc in Christo humanitas,* L. 3. c. 2. Tom. 11. Bibl. PP. pag. 313.

cùm nunquam per se in propria hypostasi fuerit, sed in Verbo Dei quod eam assumpsit, esse & subsistere, καθ' ὑποστῆναι sortita est, hypostasis dici unquam queat, aut personam habeat privatim subsistentem, per se & segregatim notam, &c. Postremò Leontius: *Virtus Spiritus sancti fecunditatem Virgini suppeditavit, & formatio substantiæ corporis ex Spiritu sancto est secundùm operationem ejus effectricem constituta; materia autem ex Virgine sumpta est. Verbum autem templum à Spiritu sancto sibi fabricatum, in ipsa prima formatione inhabitat; non expectata, ut quidam rectè dixit, consummatione templi, sed primo initio ineffabilis œconomiæ, id est, in ipsa naturæ officina unitum totum ædificium sibi circumdedit. Non enim facto corpore sic foris advenit, sed seipsum circuminduit, & naturam nostram ornat.*

L. 2. con. Nestor. & Eutych.

VIII. Ita Deitas dum formatur humanitas, non affuit tantùm, sed præfuit & præivit.

Ex quibus efficaciter colligitur, non tantùm dum creatur humanitas, adesse & inesse illi Deitatem, sed præesse & præire oportuisse, ut seminis loco esset; ut virtus omnipotens adesset, qua expugnaretur sterilitas, fæcundaretur virginitas, conciperetur & nasceretur Deitas: ut hypostasis prævia humanitatem sibi superfundandam expectaret, non expectaretur; ne dum vel tantillum expectatur fundamentum, fabrica interim humanitatis illi superstruenda collabascat, & jaceat in se, humique consistat separatim, & persona atque hypostasis terrena sit, & virginem matrem dedecoret. Ergo ut nec virgo parere nisi Deum, nec Deus concipi nisi de virgine poterat, nexu insolubili concatenata hæc duo sunt, Deus homo, Virgo mater. Nexus autem iste hinc pendet, ut concepta humanitas Deitatem ne expectet, sed concipienda expectetur, & dum concipitur excipiatur Verbo, & in ipso excipientis gremio concipiatur. Quod eò relabitur ut seorsim à Verbi Deitate nec punctum temporis esse sinatur humanitas.

IX. Si in hominem jam existentem illapsa esset Verbi hypostasis, socialis, non hypostatica fuisset ea unitio, ut sanctis obtingit.

Declaratur 13. In hominem jam existentem si illapsa esset Verbi hypostasis, socialis ea fuisset unitio, non οὐσιώδης non φυσική, seu non substantiva & naturalis. Coufœderatio magis ea fuisset duarum personarum? quàm duarum naturarum in unam personam substantiva coalitio. Quocirca etsi in sanctos homines, seu Spiritus sancti, seu totius Trinitatis Deitas descendat etiam substantivo illapsu, iisque adglutinetur, & eos sibi adglutinet, subjiciatque: etsi duæ tunc sint naturæ substantiali copula & immeatione connexæ, quarum altera alteri utpote longè superiori subsit, & subjugetur; non tamen una hinc hypostasis ex Deo & homine consurgit, quia formatus & priùs segregatim in se suique juris homo consistens, postea Deo colligatur. Joannes Maxentius in alia breviore fidei professione: *Hac de causa naturalis, non socialis adunatio sive unitio in Christo rectissimè dicitur. Quia non carni formatæ aut animatæ, quod jam hominis cujuslibet potest demonstrare personam, se Verbum univit in utero virginis, sed ex ipsis ejus visceribus sapientia sibi domum ædificavit. Alioqui si formatæ aut animatæ carni semet Verbum Dei inseruit in utero virginali, non jam naturalis, sed societatis hæc potius unitio sive adunatio dicenda est. Nec persona Verbi ad naturam carnis, sed ad personam alicujus hominis concurrisse credenda est. Sed hoc qui dicunt, errore Nestorii traducuntur.* Cognatos errores conjunxit Nestorius, ut & duas Christo inferret hypostases, & non statim à conceptus momento, sed aliquandiu postea Verbi hypostasis hominem invasisset. Justinianus Imper. in Confessione rectæ fidei pro Quinta Synodo: *Si aliquis opponere conetur dicens, quod secundùm redditam naturæ rationem, oportet naturam humanam Christi habere suam hypostasin & personam propriam, manifestus est talis, quod antè subsistenti homini unitum esse dicit Deum Verbum, & σχετικὴν, id est affectualem vel socialem factam esse unitatem. Duarum enim hypostaseon sive personarum unitionem fieri secundùm hypostasin, impossibile est.* Audis quàm asseveranter pronunciet impossibile esse, ut duæ naturæ in unam confluant hypostasin, si earum utraque priùs seorsim in se substiterit; conflari enim tunc possunt in societatem amicitiæ, non in unitatem personæ.

Athanasius: *Cæterùm homo factus est, & non in hominem venit. Et hoc enim nosse necessarium est;* Contr. Arian. Orat. 4 *nequando impii huc prolapsi alios decipiant, existimentque sicut priscis temporibus in unumquemque ex sanctis factum est Verbum, ita nunc quoque descendisse illud in hominem, eumque sanctificasse, &c.* Verbum ergo factum est ad homines, putà ad Prophetas; at in Christo Verbum factum est homo: quia illi jam homines erant, cùm ad eos Verbum se demitteret. Disertissimè autem idipsum exponit Theodorus Abucara, ubi docet Joanni Baptistæ affuisse Pag. 396. Spiritum sanctum, ita ut corpus & anima Joannis essent Spiritus sancti, ea possidentis regentisque ut sua; & mortuo tamen Joanne, non dici mortuum Spiritum sanctum. At verò corpus & animam Christi ita fuisse Verbi, ut anima illa dissiliente à corpore, moreretur Verbum Deus: & causam disparitatis adsignat, quòd Verbum non sit copulatum hypostasi hominis, corpus jam animamque suam habentis. *Joannes Baptista, quod vos non fugit, impletus est Spiritu sancto, cum adhuc in utero matris esset. Erat autem Joanni corpus & anima. Post adventum igitur Spiritus sancti anima & corpus Joannis Spiritus sancti erant. Separata igitur anima Joannis à corpore suo, mortuus fuit Joannes, non autem Spiritus sanctus, &c. Æternus verò Filius non est copulatus hypostasi alicujus hominis corpus & animam habentis: sed potius carnem & animam sibi adsumpsit, & utraque fecit propria suæ hypostasis sive personæ; nec aliter omnino fecit; sicut corpus & anima Joannis, non alterius fuit. Atque hac ratione fuit æternus Filius, sicut unus è numero hominum. Sicut autem anima Joannes à corpore suo sejuncta, ipse Joannes est mortuus, cujus anima & corpus propria erant: Sic humana anima æterni Filii à corpore suo separata, ipse æternus Filius mortuus est.* Quo evidentius dici nihil potuit.

X. Hinc hæretici qui unitatem personæ Christi sollicitarunt, non in ipso conceptu, sed postea ferè senserunt factam unionem.

Non immerito igitur quotquot hæretici unitatem personæ Christi sollicitarunt, unionem humanitatis cum Deitate qualemcumque non in ipso conceptu, sed aliquantò post factam augurati sunt: & quotquot non in ipso conceptus primordio unitatem statuerunt, unitatem quoque personæ dissuere machinati sunt. Etenim consistentium sibi seorsim jam naturarum consociatio fieri potest, non concretio; confœderatio, non coalitio; socialis, non naturalis unitio; amica, non substantiva copula. Naturale enim non est, nisi quod ab ortu est; naturale non est, nisi quod nascitur; adventitia reliqua sunt & extra naturalium classem. Item substantiva unitio propriè non est, nisi quæ in ipso substantiæ exortu illi contemperatur; reliqua omnia accidentium in modum superveniunt. Nascitur & concipitur non natura solùm, sed persona: Igitur homo divinam divinam consequi nisi nascendo & concipiendo non potuit. Rei jam natæ atque in se suis numeris absolutæ, additamenta possunt complura accrescere, sed amicitiæ glutino, non naturæ, non substantiæ, non personæ. Quæ à me non aliter proferuntur, quàm ad illustrandam Patrum à me laudatorum doctrinam.

XI. Cur Sancti & beati nō in unam cū Deo illabēte & agente illos personam coalescant.

Clarescit illud allato Joanni & Prophetarum Sanctorumque exemplo. Nam seu Verbum, seu Spiritu sanctus in eos se infuderit, ea duo videntur consequuta, ex quibus unitatem personæ contexuimus, nempe & immeatio Dei in naturam humanam penitissima, & jus inde atque dominium physicum emergens naturæ melioris in infimiorem, nec tamen unitas personæ compaginata inde est. Dilucidior res fit in illapsu substantivo Deitatis in beatas mentes. Penitior enim est hæc pervasio,

ſio, & indubitatus eſt, quod beatæ mentes ſeorſim ſuæ ſibi non ſint, nec ſuo in ſe jure agant, ſed agantur à Deo inſuperabiliter & omnipotenter, eique indivulsè adhæreſcant. Cur ergo in unam cum Deo perſonam non compinguntur? multa obſtant: ſed illud hìc valdè perſpicuum & capitale eſt, quod eos non in ſeipſo formaverit, ſed jamdiù formatos ad ſeipſum adſciverit Deus. Sui enim ſibi ſunt, qui ſemel fuerunt; jure ſuo in ſe proprio phyſicoque excuſſi non ſunt, quo ſemel gaviſi fuere; qui ſeorſim ſemel fuere, non uſquequaque coaluere cum Deo; alieni ſurculi inſeri poſſunt, adhæreſcere tam amicè non poſſunt, quàm adnati; alienæ arbores tranſplantari poſſunt, coire & conſentire ſolo æquè ac ultrò enaſcentes non poſſunt: invictiſſimum durat uſque naturæ ingenium, & quæ ſua ſibi aliquando fuit, quæ ſua ſibi nata eſt, quantumcumque conglutinetur & mancipetur alteri, ſervat odorem quo ſemel eſt imbuta recens; pondere ſuo ad ingenium ſuum reflectitur, ſua ſibi eſt ſemper; ideòque non ſubſtantivè, non perſonaliter adhæret. Nata concretaque in Deitatis ſinu humanitas, naturaliter illi ſubeſt, & ſponte phyſicèque ſubiicitur, & ex nativitatis impetu in jus & cenſum illius concedit; at extranea & foris nata, ſubigi per omnipotentiam Deitatis poteſt, non tamen ad eundem modum ſponte naturæ ſuberit, ſed cum ſubalienatione quadam, ut extranea extraneæ poteſtati ac velut neceſſitati cedet, & clam altis in medullis jus ſuum quo orbata, priſtinamque libertatem qua exturbata eſt, gemens ſuſpirabit. Non ergo in unam unquam perſonam conflabitur cum Deo, qui ſeorſim ſemel fuerit à Deo. Parco plura hujus inter Chriſtum & Sanctos diſcriminis capita hìc recenſere, quod ad hujus capitis argumentum ea minùs ſpectent. Unum hìc attexam teſtimonium ſeu Athanaſii, ſeu potiùs Maximi, ut volunt alii. Nodus primùm ita proponitur: *Sancti participarunt, & Deus Sermo participavit? Quodnam eſt hoc diſcrimen?* Quod mox ita enodatur: *Quod Sancti priùs extiterunt, & tum demum participaverunt Dei ſermonem. Hic verò non ita eſt, ſed Deus Sermo, qui erat ante ſæcula, cùm vellet fieri homo, ſanctificavit Virginem, & corpus ex ea ſibi univit; non quòd priùs extiterit, & tum demum univerit: ſed faciens, ut per ipſam unitionem exiſteret.*

Dialog. 4. de Trinitate, apud Athanaſium.

CAPUT XII.

Quod humana natura non per ſe ſeorſim conſiſtat, ſed divinæ acceſſio ſit, ideoque una perſona cum illa ſit, indidem probatur, quòd in ipſa ſui creatione aſſumpta ſit.

I. Subſtantivè tale quidque eſt, quale naſcitur & concipitur. Si qua poſt adveniant, ea in prioris perſonæ jus & cenſum tranſeunt.

DEclaratur 14. Unumquodque ſubſtantivè id eſt, quod naſcitur, quod concipitur, quod primùm in fabricatoria naturæ officina formatur. Quæ ſuperadduntur enim deinceps, ea rei jam conſtanti ſuis omnibus numeris & abſolutæ accidunt, nec ſubſtantiæ, ſed accidentium loco ſunt. Ergo qui futurus erat homo Deus, in ipſo ſui exortus diluculo Deitate indui & quaſi præverti opus habuit. Si vel uno enim temporis puncto fuiſſet homo merus, ejuſmodi ſemper extitiſſet; quia ut occœpit ſemel, perſtat rerum ſubſtantia & natura; quia natura cuique à naſcendo dicta; quia quod quiſque naſcitur, hæc illi natura eſt; quia ſi natæ jam formatæque naturæ ſuperveniſſet Deitas, accidentis in modum ſuperveniſſet, adeoque in perſonam naturæ creatæ defluxiſſet ipſa potiùs, quàm in ſuæ perſonæ nexum corripuiſſet; quia denique naturæ author rerum ſubſtantias perficit, non evertit: evertiſſet autem ſi ſuo jam gradu conſiſtentem ſubſtantiam decuſſiſſet, gradu moviſſet, & in extraneam perſonalitatem aſportaſſet.

Non potuit ergo, aut ſi mavis, non debuit; de omnipotentia enim quis Deo litem moveat? non potuit inquam niſi creando aſſumi humanitas, ſi enim vel tantillum ſeparatim in ſe conſtitiſſet, propriæque perſonæ privilegio eſſet potita, alienæ jam hypoſtaſeos inſolens fuiſſet.

Nazianzenus: *Si quis formatum hominem fuiſſe, Deumque poſtea ſubiiſſe dicat, damnationi obnoxius eſt. Hoc enim non Dei generatio fuerit, ſed generationis fuga.* Nam ut homo non eſt, niſi qui homo naſcitur: ita Deus non eſt, niſi qui Deus inter homines naſcitur. Non naſcitur quis, ſed fit deinde philoſophus; unde illi philoſophia non naturalis, non perſonalis ſubſtantia eſt, ſed accidentis in morem illinitur. Ad eundem modum ſi non naſcitur quis Deus, ſed nato jam Verbi Dei ſapientia ſuperadditur, non naturæ, non perſonæ, non denique ſubſtantiæ loco inerit illi increata ſapientia, ſed inſtar habebit volatici accidentis, quod ut abfuit aliquando, ita abeſſe poſthac poterit. Nam quæ natura ſeorſum ſemel & à Verbo ſegregata fuerit, quin ſegregetur rurſum? Non ergo penitus coaleſcet, quæ ſegregationem experta ſemel fuerit. Orat. 51.

II. Verbi proprium eſt naſci. Et in natura ergo aſſumpta concipi naſcique voluit.

Deinde quod Deus Pater eſt, innaſcibiliter eſt; quod Filius, quod Spiritus ſanctus eſt, naſcendo & procedendo eſt. Ut ergo in Deitate ſua, ita & in humanitate noſtra Deitatis imitatrice, non potuit Filius æternus eſſe, niſi naſcendo eſſet. Fulgentius: *Unus & verus Dei atque hominis Filius, unus idemque de Patre ſine initio Deus ſemper genitus, de matre verò Deus ſecundùm carnem temporaliter conceptus & natus.* Ex Deitatis ſuæ ſemper genitæ & ſemper naſcentis ingenio, naſci gignique amat; nec naturam computabit ſuam, niſi quam naſcendo adipiſcetur. Itaque nec homo fieri potuit, niſi naſcendo: nec naſci homo potuit, niſi aſcita in unitatem perſonæ divinæ humanitate: eſt enim una cum Deo perſona, quæ ſeorſim à Deo nunquam fuit. De Incar. & Grat. c. 2.

III. Si perſonæ ratio in exiſtentia conſiſteret, non adeo laboraretur ne vel dum concipitur humanitas ſeorſim exiſtat.

Declaratur 15. Non alia de cauſa tam religiosè cautum eſt à ſanctis Patribus, ut humanitas in ipſo conceptu aſſumpta crederetur, quàm quia perſuaſiſſimum erat, ſi vel momento ſeparatim à Deitate conſtitiſſet, perſonam tum fuiſſe futuram. Eſt enim perſona protinùs quæcumque natura ſeorſum ab aliis ſua ſibi eſt. At perſona quæ ſemel ſua ſibi fuerit, nunquam tam intimè amicèque concreſcet, ut una perſona fiat cum alia quapiam perſona. At verò ſi perſonæ ratio in ſola exiſtentia conſtaret, ſi quid perſona foret reapſe à natura diſtinctum, tam facilè propemodum aſſumeretur in unitatem perſonæ Verbi humanitas jam perſonata humanitus, quàm dum primò formatur. Adventu enim ſuo Verbi hypoſtaſis exiſtentiam humanam quàm facilè excluderet! Deinde cùm profitentur Patres ſuam humanitati conſtare perſonam, ſicubi oſtendatur ſegregata à Deitate: cùm profitentur non aliam illi ſubſterni quàm Verbi perſonam, quia nec ipſo ſui exortus primordio ſegregatim per ſe fuit à Deitate: totam vim perſonæ & hypoſtaſeos in eo apertiſſimè conſtitutam eſſe innuunt, quod natura quæpiam per ſe incommunicabiliter ab aliis ſegregata ſtet. Denique idcircò Leo Papa Eutychetem deteſtabatur, quod ante adunationem duas naturas diceret: ſi duas enim naturas, haud dubio ſegregatas, duas ergo & perſonas; quod abhorret à fide. *In eo verò quod Eutyches in Epiſcopali judicio auſus eſt dicere, ante incarnationem duas in Chriſto fuiſſe naturas, poſt incarnationem autem unam, neceſſarium fuerat, ut ad reddendam rationem profeſſionis ſuæ, crebris atque ſolicitis judicum interrogationibus urgeretur, ne tamquam inane aliquid præterflueret, quod nonniſi de hauſtu venenatorum dogmatum videbatur effuſum. Arbitror enim talia proloquentem hoc habere perſuaſum, quod anima quam Salvator aſſumpſit, priùs in cœlis ſit commorata quàm de Ma-* Epiſt. 11.

de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularit. Sed hoc catholicæ mentes auresque non tolerant, &c. Natura quippe nostra non sic assumpta est, ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Unde quod in Origene meritò damnatum est, &c. Ne anima ergo quidem, nedum tota humanitas præextare adunationi potuit: extitisset enim persona, nec inseri posthac potuisset Verbi personæ.

Ferrandus Diaconus Epistola ad Severum: *Et ipsa adsumptione conceptus & natus, non utique personam aliam suscepit, quia non hominem paratum invenit: sed naturam potius humanam in qua Deus ipse homo nasceretur, accepit. Habuit igitur humana natura ex quo est creata personam, sed unam cum Deo, qui eam suscipiendo creatus est. Tu proinde quisquis huic fidei contradicis, ostende mihi in Christo sine divinitate aliquando humanitatem, & tunc fatebor quod habuerit propriam etiam sola humana natura personam. Quia verò divinitas quidem Verbi Dei sine humanitate fuit, humanitas verò sine divinitate nunquam fuit, ideo habuit divina natura personam, quam humanæ naturæ quando eam suscepit indulsit.* Planissimum hìc est, ut humanitas propriam habeat personam, non existentiam ei qua exuta sit restituendam, non aliud quidvis quo destituatur addendum, sed segregandam tantum esse à Deitate, vel uno, vel primo saltem conditionis suæ puncto. Ergo quod personæ divinæ accenseatur, id ex eo consequitur, quod sejuncta à Deitate nec ad momentum sit.

IV. Corpus & anima non antè sibi unita fuerunt, quam Verbo, ideo nec constituere personam, nisi cum Verbo. Hug. Vict.

Declaratur 16. Ideo assumpsit Deitas naturam nostram, non personam, quia animam & corpus non priùs inter se unita assumpsit, sed uniendo assumpsit, & assumendo univit. Etenim si jam unita assumpsisset, personam assumpsisset, nec enim persona aliud est quàm anima unita corpori; hoc est, non aliud persona est, quàm natura ipsa, sed nulli adfixa alteri superiori. Igitur cùm persona assumi non possit, humanitas priùs creata, id est corpore & anima inter se unitis & personam constituentibus constans per se, assumi non potest. Hugo Victorinus: *Quid est homo? Anima & corpus. Propterea homo assumptus est; quia anima & corpus assumptum est. Propterea persona assumpta non est, quia anima & corpus antequam Verbo unirentur in personam, non erant inter se unita ad personam. Idcirco quia assumpta non sunt unita, non sunt assumpta persona: quia vero in eo quod assumpta sunt, unita sunt, in personam assumpta sunt.* Et alibi: *Neque enim assumpsit hominem personam, sed assumpsit hominem in personam. Ideo autem hominem assumpsit, quia carnem humanam & animam humanam assumpsit. Ideo verò personam non assumpsit, quia caro illa & anima illa priusquam Verbo unirentur in personam, non erant unita ad personam. Una unio fuit; & ad unum unio fuit, & Verbi, & carnis, & animæ. Non priùs Verbum & caro; nec priùs Verbum & anima; nec priùs anima & caro, sed simul Verbum & anima & caro.* Vides hic quàm non aliud sit persona quàm natura, ut secreta ab aliis; nam caro & anima, ut unione sua naturam, ita & personam conflant. Nec necesse est existentiam, vel aliud quidpiam superaddi naturæ, ut fiat persona; sed eadem animæ ad corpus unione & natura emergit & persona. Ut ergo ex unione corporis & animæ emergit persona humana, quia tum natura inde composita constat sibi, nec alteri accedit cuiquam: ita si non duo illa tantùm inter se, sed pariter cum Verbo uniantur, illa tum duo personam non conficient, quia ad tertium superius accedent, unumque cum eo fient suppositum ac compositum. Persona quippe totalitas quædam est, adeoque nullius pars, nullius accessio; cum ergo corpus unitur animæ, totum inde fit, adeoque persona; cum verò corpus simul & anima & inter se sibi, & Verbo uniuntur, tum corpus & anima non conficiunt totum, adeoque nec personam; sed cùm Verbo jam totalitatem suam essentialiter & personam obtinenti accedant, ad ejus totalitatem, adeoque ad ejus personam subnectuntur.

Apolog. de Verbo inc. Coll. 2.

L. 2. de Sacram. p. 1. c. 9.

V. Id confirmatur ex Joanne Maxentio. Dial. 1.

Joannes Maxentius: *Quum subsistere Deum Verbum & hominem dicis, cur unam & non duas subsistentias profiteris? Quia non homini jam in propria manenti subsistentia Deum Verbum credo unitum, aut saltem carni formatæ & animatæ, per quam cujuslibet hominis intelligitur esse persona: sed subsistentiam, sive personam Verbi naturam suscepisse humanam, quæ nunquam velut communis præter Deum Verbum subsistit; sed per ipsum orta, & ab eo suscepta, ipsius facta propria natura est, manetque non sua, sed in eo à quo suscepta est, hoc est Dei Verbi subsistentia sive persona.* En quàm disertè dicat per carnem formatam & animatam, seu per unionem carnis & animæ personam cujuslibet hominis coagmentari; & ne persona ejusmodi humana exurgeret in Christo, non seorsim, sed in Verbo & cum Verbo simul & semel factam esse corporis animæque unionem; ut non corpus fieret animæ, sed corpus & anima fierent Verbi. Nam si corpus fieret animæ, nec anima fieret cujusquam alterius, tum persona ea foret humana: at ubi & corpus & anima fiunt Verbi, persona Verbi involvuntur. Et videtur sanè eo attinere, quod hìc Maxentius, quod sexcenties Cyrillus, quod frequentissimè Patres alij loquendi genus adfectarunt, ut dicerent Verbum adunatum esse carni animatæ per animam rationalem, potius quàm carni & animæ rationali, vel animæ rationali habenti carnem. Tametsi enim his posterioribus formulis sua constet ratio, & ad alias conclusiones fortè opportunior, ubi tamen enucleanda tractatur unitas personæ, tempestivius dicitur unio facta esse Verbi ad carnem anima rationali præditam. Caro enim tunc intelligitur fieri non animæ propria, ex quo lata via erupturæ personæ humanæ panderetur: sed cum anima fieri propria Verbi, adeoque persona Verbi convestiri. Caro tunc, & anima, non rectà acie, sed obliquè spectantur, ut Verbi accessiones, adeoque alienissimæ à proprii suppositi suspicione.

VI. Item ex sexta Synodo. Act. 11.

Sexta Synodus: *Incarnatur Verbum Deus penes nos, non prius effictæ carni copulatus, aut præformato atque in sese præsubsistenti aliquando corpori implicatus, aut præexistenti animæ compositus, sed his tunc ad existentiam venientibus quando ipsis Verbum Deus compositus est. Naturaliter coævam habentia ipsis existentiæ unionem, & non ante suam cum Verbo verissimam copulationem per seipsa unquam fuere, aut cujusquam alterius hominis extiterunt, sed coætaneam habentia cum Verbi unione existentiam, non vel quantum ictus est oculi, anteriorem, ut Paulus Samosatenus & Nestorius obstrepunt. Simul enim caro, simul Dei Verbi caro fuit. Simul animata rationaliter, simul Dei Verbi caro animati rationaliter.* Advertis quàm anxiè id etiam atque etiam commonefaciant Patres, vel puncto temporis ne unioni cum Verbo caro præisse existimetur, vel prius animæ, quàm Verbo unita esse; alioqui totam incarnationis œconomiam & unitatem personæ labefactatum iri. Si caro enim vel uno momento animæ solius fuerit, erumpet protinus humana inde persona, nec Verbo deinceps coaptari poterit natura, quam creata hypostasis occupaverit.

VII. Si seorsim per se crearetur humanitas, seorsim subsisteret & persona create interim esset.

Declaratur 17. Natura quælibet singularis humana, persona est, ubi sola est. Secundùm nonnullos anima sola per se persona est, quia naturæ rationalis individua substantia est. Ergo ne vel illa, vel ista natura, personæ humanæ unquam jure polleat, cavendum est, ne sola & secreta in se sit; ac proindè cavendum, ne seorsim formetur, aut creetur. Etenim si seorsim creetur extra personam Verbi, seorsim per se tantisper erit, dum fit, ideoque persona erit propria, & alienæ posthac per-

sonæ

Act. 18.

sonæ insolens. Sexta Synodus: *Non quod persona aliud sit, quàm ipsa natura, sed in Verbi hypostasi totius humanitatis formata natura, & quæ sua sunt indeminutè operante, cum eo cui unita est hypostaticè.* Pauculis his verbis nihil expressius optari potuit; ait Synodus, non aliud esse personam, quàm naturas: cur autem natura ibi humana sit, & persona humana non adsit, causam adsignat, quia humana natura non per se seorsim, sed in ipsa Verbi hypostasi formata est. Hugo de sancto Victore: *Eadem oppositio fieret sic: Filius Dei hominem assumpsit, sed nullus homo est, qui non sit persona. Quod satis concedimus. Sed ut diximus, non erat ille homo priusquam assumeretur. Licèt enim corpus esset prius, non tamen anima. Itaque non assumpsit hominem qui prius esset, sed assumendo creavit.* Tam pertinax silentium de existentia vim personæ in se totam habente, humanitati Christi excussa, divinitus à Verbo subrogata, testatur abunde opinationem hanc ex nuperæ Philosophiæ gremio pullulasse, antiquiori porrò Theologiæ fuisse penitus incompertam. Cur enim homo assumptus persona humana non sit, in causa est non existentiæ creatæ inopia, sed ejus fabricatio in sinu Deitatis, adeoque sui in se juris abalienatio, & in jus censumque Deitatis Verbi transcriptio.

Summæ sent. Tract. ii. c. 15.

VIII. Non institui, vel destitui personam, accessu vel recessu existentiæ.

Similiter quibus visum est animam rationalem personam sigillatim esse, ii in Christo illam non esse personam, sed personæ Verbi implicari tradunt; non quod existentia careat creata, sed quod creando assumatur. Nam & jamdiu extitisse per se segregatim potuisset, & propria deinceps expoliari existentia, divinaque investiri; sed non eo tamen ad divinam traheretur personam. Rapitur enim ad divinam personam eo quod creando assumatur, assumendo creetur. Ergo prius creata, post assumi haud potest; tametsi prius creata, exui sua existentia, & aliena suffulciri posset. Implicatur ergo humanitas personæ divinæ, non quod humanitas non existat, sed quod seorsim non existat; non quod careat creata existentia, sed quod ea non fruatur solitaria; non quod existat per Verbum, sed quod existat in Verbo; non quod existentia Verbi ipsi ut subjecto adveniat, sed quod ipsa Verbo ut subjecto & fundamento superveniat. Hugo loco citato: *Sed tamen potest opponi quod anima est rationalis substantia & individuæ naturæ, quæ definitio est personæ, igitur si assumpsit animam, etiam personam. Quod utique sequeretur, si prius esset anima quam assumeretur. Est namque anima persona sicut Angelus. Quid est enim homo, nisi anima habens corpus? Sed ideo non assumpsit personam, quia non erat persona quod assumpsit. Animam namque creando assumpsit, & assumendo creavit.* Et alibi: *Sicut anima rationalis & caro ideo non sunt assumpta persona, quia ante assumptionem non habuerunt unionem; sed assumpta in personam, quia ex eo unita sunt, quod assumpta sunt: sic & anima rationalis ideo assumpta non est persona, quia ante unionem Verbi sicut per se esse non habuit, ita persona esse non habuit. Ex quo enim cœpit, uniri cœpit; & ex quo fuit, unita fuit; ex quo autem unita fuit, una cum eo cui uniebatur persona fuit.* Familiaris nihil est, nihil tritius quàm assumptam esse naturam, non personam, imò nec assumi potuisse personam. Manarunt in nos usque hæc axiomata jam inde ab ipsis propè Christianæ Theologiæ cunabulis. Sed non eorum æquè exploratus est sensus. Licèt enim planissimus per se sit, recentiorum tamen opinionum congerie obrutus propemodum est. Nam germana hæc est Patrum unanimiter conspirantium sententia, assumptam non esse personam, quia non homo priùs per se consistens & seorsim à Verbo discretus, postea Verbo hypostaticè copulatus est, sed in ipsa Verbi hypostasi creatus, eique ut fundamento superstructus homo est. Similiter assumi

Apolog. de Verbo Incar. Collat. 1.

IX. Eo sensu Patres docent, assūptam esse naturam, non personam: quia non priùs seorsim cōsistens, sed creando assumpta & in Verbi ipsius sinu creata est natura humana.

non potuisse personam cum iterum iterum inculcant, hoc unum decernunt, hominem solitarium priùs sibi suum, deinde adsumi non potuisse à Verbo; fuisset enim persona si solitarius sibi fuisset. Sensu & consensu Patrum natura, non persona assumpta est, quia non priùs creata natura, pòst assumpta est; sed creando assumpta, & assumendo creata est: assumi non potuit persona, quia quæ sua sibi priùs ac seorsim fuisset natura, non potuisset postea ita convenire cum Verbo, ut ejus natura fieret, & una cum eo persona fieret. Non fit enim natura Verbi, non fit propria solius Verbi, nisi quæ nascitur formaturque primùm in ipso Verbo.

X. Sancti Patres quodammodo impossibile esse ajunt, naturam priùs seorsim consistentem, adeoque personam assumi.

Declaratur 18. Impossibile est in unam consociari hypostasin & personam, quæ semel discretæ fuerint duæ hypostases ac naturæ: at si existentia ab essentia discreparet re, non cogitatu solo, & in ea jaceret vis personæ, nil prohibet quin hypostasi alteri jam existenti sua subtrahatur hypostasis, id est, existentia, & aliena subrogetur: adeoque nil prohibet quin duæ hypostases in unam confluant. Ergo non ab existentia pendet nomen personæ, nec penuria existentiæ propriæ deest persona propria, nec suggestione alienæ existentiæ rapitur natura quæpiam ad alienam hypostasin. Sed sustollitur natura quævis inferior ad superioris personam, quando in sua ad ipsam unitione creatur, & creatione unitur. Rusticus disputatione contra Acephalos: *Si Gentilium fabulas hactenus tenes, & putas quia præextiterunt animæ rationales corporibus suis, duæ nihilominus erunt perfectissimæ substantiæ ac naturæ, Deus & Mens: insuper Dei Verbi & unitæ illi animæ, quæ secundùm te à principio præsubsistent personæ. Ex duabus verò præexistentibus personis unam personam impossibile est fieri. Dicit enim sanctus Cyrillus in Epistola, quam & Sedes Apostolica & Synodus Ephesina confirmavit, hæc: Vel si personarum unitionem diffament quidem. Non enim dixit Scriptura, quia Verbum hominis univerit sibimetipsi personam, sed quia factum sit caro. Ecce usque adeo accusat dicentes in Christo unitionem personarum factam fuisse, ut & contra illud id ponat quod legitur, quia Verbum caro factum est.* Apertissimè hic ait, impossibile esse, ut duæ personæ semel discretæ in unam postea hypostasin ac personam contrahantur; adeoque impossibilem fore incarnationem, si anima Christi, ut nugabatur Origenes, cùm cæteris ante corpora præextitisset. Idem sensit Cyrillus sæpius allegatus, ubi negavit duas hypostases quæ seorsim fuissent, deinde in unam coalescere potuisse. Idem sentiunt quicumque Patres statuerunt, statuerunt autem prope omnes, non posse assumi personam. Eo enim sensu id negant, qui paulò suprà proditus est, quòd assumi non possit, nisi natura, dum primò concipitur & formatur; & quia necdum seorsim est, necdum etiam persona est. Idem denique sentiunt quicumque hactenus laudati sunt, unam ideo statuisse in Christo geminæ naturæ personam, quia natura humana non priùs creata est, pòst assumpta, sed creando assumpta est. Quod perridiculum foret, si æquè assumi posset creata jamdiu natura, atque dum creatur. Si potest enim assumi ad unitatem personæ humanitas priùs subsistens, eccur consentiunt Patres ideo humanitatem Christi unam esse cum Verbo personam, quia non priùs substiterat, sed creando assumpta est? Pressius inspiciantur testimonia Patrum superiùs congesta, vim & rationum unionis hypostaticæ hoc veluti cardine verti docent, quòd non præexistens homo Verbo copulatus est, sed præexistens Verbum carnem rationali anima vegetatam sibi creavit, & creando agglutinavit. Consensus tot testium huc collineat, quo & Justinianus Imperator in Confessione fidei, pro Quinta Synodo: *Unitas autem secundùm hypostasin significat, quod Deus Verbum, id est una hypostasis ex tribus Deitatis hypostasibus,*

sibus, non praeexistenti homini unita est, sed in utero sanctae Virginis fabricavit sibi ex ipsa in propria hypostasi carnem animatam anima rationali & intellectuali, quod est humana natura. Pergit deinde evincere hæc scripturæ pervagata loca, *Formam servi accipiens, Verbum caro factum est*, hoc unum sonare, quòd non præexistens natura ad Verbum evecta sit, sed in ipso Verbi sinu efformata primùm concretaque sit.

XI. Dissentit Leontius, quia impossibile ab indecoro secernit.

Nec me fallit dissentire Leontium Byzantinum in solutione argumentationum Severi, ubi non decuisse quidem ait, sed potuisse tamen humanitatem priùs per se existentem, postea à Verbo adsumi. *Quod nonnulli dicunt, quia humanitas Christi non priùs fuit formata, neque priùs in se habuit hypostasin, neque perfecta assumpta fuit, sed in Verbo habuit hypostasin, idcirco unam hypostasin amborum facere. Hoc quidem ex parte verum est, ex parte non. Etenim non habuisse in se hypostasin, neque priùs formatam esse, nos etiam dabimus; fieri verò propter hoc unam hypostasin amborum, tanquam non posset aliter fieri, neque possent Deus & perfectus homo sic uniri, hoc non dabimus. Quid enim sic, aut illo modo habenti, amplius erit Deo ad unionem? Nec enim tempus unionis vel locus vel imperfectio corporis, sed ipse modus unionis unum Christum fecit. Non igitur propter impossibile, sed quia non decebat nudam esse unquam, & sine divinitate humanitatem Domini, ideo rejicimus anteformationem.* Sic ille audaciùs excutit jugum authoritatis conspiratissimæ Patrum, qui adstipulatione unanimi unam utriusque naturæ ideo factam esse personam adseverarunt, quia non præsubsistens humanitas copulata Verbo postea est, sed creando assumpta. Si potest enim præsubsistens assumi ad personæ unitatem, falsum ergo est ideo assumptam esse ad unitatem personæ, quia non præsubsistens, sed creando assumpta est. Nobis tanti est hæc authoritas Patrum, ut dissentienti non facilè Leontio auscultemus. Quis enim rationi demum aut argumentationi locus superest, ubi sapientiam hujus mundi Dei sapientia dementavit? Cedat ergo ratio, vincat authoritas. Deinde non impossibile quidem Leontio, sed indecorum tamen videtur, ut homo priùs per se solitarius assumeretur; quid si nos impossibile non aliter contendamus, quàm quia indecorum? An potest enim Deus, qui decoris lex & norma est, quod non decet? An aliquid non potest, cùm omnipotentia sit? Quæ ergo non potest, ideo non potest, quia non decet. Utque possibile & decorum in Deo etiam distent, lubrica nobis hæc nimium videtur fore indagatio, quid possit etiam præter decorum. Obtusiùs ergo, sed religiosiùs, quod Deo indecorum, id etiam impossibile interpretabimur.

XII. Quanta incommoda nasceretur, si priùs per se consistés natura, pòst assumeretur.

Denique quid causæ sit, ut non possit omnino, vel non possit nisi indecentiùs assumi natura jam per se existens seorsim, jam sæpiùs indigitatum est. Quia nempe prophana est, quæ sine divinitate aliquando fuit: quia deflorata quodammodo & infamata est, quæ creatæ hypostasi subjacuit: quia ingenua non est, quæ creatæ personæ jure & dominio attrita est: quia non coalescet usquequaque cum Verbo, quæ extranea quandoque ab illo fuit: quia peregrinitatis vestigia elui penitùs non poterunt ab ea, quæ peregrè nata sit extra Deitatis confinia: quia peregrina erit ipsa Deitati, Deitas ipsi, nisi ab exortu concreverint: quia naturale & substantiale non erit ipsi, quod natæ jamdiu & formatæ supervenerit: quia propriam semel vel aliquandiu experta hypostasin, minùs libenter ea spoliabitur, ad eam suspirabit postea, rugamque faciet ne exactissimè cum superiore hypostasi conveniat: insuperabilis enim est naturæ impetus, sistique & retardari sanè potest, at extingui radicitus haud unquam potest.

XIII. Minus facile, minus decorū est, ut naturam propria hypostasi gaudentem spoliet Verbū, & suā suggerat.

Declaratur 19. Pronum est Verbo divino, ut naturam necdum cujusquam juri dominiove addictam, ad se faciat pertinere, hoc est ad suam coadunet personam: in vacuam enim hæreditatem nemine obluctante succedit. At ubi naturam sibi creata vendicarit hypostasis, maximè verò naturalis ipsa hypostasis, eam ut ad se revocet Verbum Deus, minùs facile, minùs decorum est. Etenim natura & hypostasis naturæ propria ita consentiunt sibi, tam amicè complicantur, ita insinuantur sibi penitissimè, ut divelli se posthac vix patiantur. Conjugium hoc est quod semel initum coalitumque, solvi nulla deinceps vi potest. Sic hypostasis propriæ naturæ, sic natura propriæ hypostasi infunditur intimè, ut confundatur, nec nisi mentis acumine ullum supersit notabile discrimen. Minùs ergo mirum est, sejungi si non possint, ubi semel confluxerint. Denique ut vim inferat Verbum, ut exturbet proprio incubantem censui hypostasin, ut in ejus se locum intrudat violentiùs, potentiori serviet natura, necessitati parebit; sed furtivo pungetur desiderio prioris quasi conjugis, ignobilioris quidem illius, sed naturalis, sed consanguinei, sed agnati & coadulti, sed primùm degustati, sed nascendo concreti sibi, & amoris primitias assecuti, & futuri in ævum convictus vota. Ferrandus Epistola ad Egypium: *Ut humanam substantiam, non habentem subsistentem manentemque personam, in unitatem suam suscipiens, ad se faceret pertinere: fieretque deinceps humanitas illa divina, quæ Dei cœpisset, ex quo esse cœpisset, habere personam.* Ubi vides quàm vigilanter occupaverit Verbum in vacuam intrare sedem, naturamque invadere, quam nulla creata prævertisset hypostasis; ne si maturasset persona creata eam sibi subigere, & si ejus postea dimoveri posset insessione, non tamen jure omni & dominio denudari. Justinianus Impertor in Confessione fidei sæpè laudata: *Neque enim humana Christi natura per se absolutè unquam dicitur: sed nec propriam hypostasin, aut personam habuit; sed in hypostasi Verbi principium habuit existentiæ.* In ipso nata Verbi sinu natura, propria proculdubio Verbi est, ideoque una persona cum ipso est; peregrè nata, minùs propria ejus esset; & si minùs propria ejus esset, una cum eo persona non esset. Ut enim una cum eo persona sit, necesse est, tam propria ejus sit, ut magis propria esse non possit.

XIV. Persona sui juris suique causa est: ut sui causa non esset humanitas, in sinu Verbi creanda fuit.

Declaratur 20. Persona quælibet totum est, sui juris est; nulli ut pars toti, nulli ut accidens subjecto, nulli in eodem composito obsequitur principaliori. Sui ergo juris est, sui causa est, nec propter aliud quidpiam est. At humanitas Christi sui causa non est, sed propter Verbum, & Verbi propria est; ideo non ante unionem, sed in ipsa unione creata est, in ipso Verbi gremio, ut ejus esset, ut alterius nec fuisset, nec esset, ut Verbi propria censeretur, unaq; cum eo persona foret. At si ante extitisset, & sua sibi fuisset, sui quoque juris & sui causa fuisset; & quantumlibet Verbo posthac coaptaretur, dici tamen non posset quòd solius Verbi causa esset, adeoque nec quòd ita propria Verbi esset, ut unam cum eo personam conflaret. Rusticus in disputatione sæpè laudata id crebrò ingerit causæ, cur humana natura propriam non adipiscatur in Christo personam, quod sui causa non sit, quod propter Verbum tantùm sit, ut ejus accidens, ejus indumentum, ejus instrumentum, atque adeo quod non fuerit antequam Verbo uniretur. *Cur non duæ Christi personæ, sed una solaque sit? Causa enim Verbum Deus est carnis assumptæ; in quo quasi in fundamento illa assumpta natura quæ est servi forma incumbit.* Et infrà: *Illa humanitas non in semetipsa, sed in Verbo habet substatiarem: nec enim propter hoc, ut sua ipsius separatim esset, sicut nos, sed ut Verbo uniretur, & ejus esset proprium indumentum & inæstimabile, ut ita quis inquiat, instrumentum, & ut Deus esset homo, creata est, nostræ salutis causa. Illa igitur causa magis in subjecto est quàm subjectum.*

Sicut

Sicut igitur, verbi gratia, in homine puro, subsistendi carnem causa est anima immortalis, qua sejuncta caro in sua non manet essentia, sed ad non esse properat incessanter, &c. Et paulò post: *Et causa ut sit illa humanitas est Deus Verbum, & hac comparatione Verbi non est ut subjectum, sed ut accidens.* Planè ut non præexistit vel accidens subjecto, vel animæ corpus: ut non priùs quàm ad usum assumatur, fabricari solet vel instrumentum vel indumentum, quia non per se quædam hæc sunt, sed accessiones: ita cùm sui causa non esset humanitas, Verboque accessura esset ut accidens subjecto, ut corpus animæ, ut vestis corpori, ut instrumentum conjunctum homini, non debuit præexistere; præexistens enim sui causa vel alterius cujuspiam esset: nec fieri posset ut solius Verbi causa esset, quæ alterius quàm Verbi fuisset: nec fieri posset ut una cum Verbo persona esset, quæ non solius Verbi causa esset.

XV. Non tam homo deificatus, quàm Deus humanatus cogitari debet quia Deus præextit, non homo. L. 3. c. 2.

Cæterùm decantatum illud huc spectat, quòd Deus humanatus sit, non homo deificatus. Eò enim innuitur non præextitisse hominem unioni. Etenim si priùs per se consistens homo ad Deitatis consortium adscitus fuisset postmodum, utique homo deificatus fuisset. Damascenus: *Quare simul caro, simul Dei Verbi caro, simul animata rationalis & intellectualis caro. Quamobrem non hominem deificatum dicimus, sed Deum inhumanatum.* Porrò quæ hìc de possibili & impossibili diximus, ea ad mentem Patrum ita loquentium, & impossibile pro minùs decoro persæpè usurpantium diximus, non ad accuratam utriusque vocis significantiam, vel ad injuriam omnipotentiæ divinæ. Sanè Petrus Pictaviensis, part. 4. summæ Sententiæ, proposita hac difficultate, præclare respondet: *Ad præmissam quæstionem, nullam novimus solutionem, nisi quam Augustinus docet, non quæramus id quod non est, ne id quod est non inveniamus. Ergo cum Filius statim animam & carnem assumpsit ex quo fuerunt, non quæramus quid fieret, si prius essent caro & anima, quàm essent assumpta. Forte enim impossibile est fuisse factum.* Quo præclarius nihil.

CAPUT XIII.

Quod humanitas non per se seorsim consistat, sed Deitatis Verbi sit quasi accessio, eoque una cum eo sit persona, probatur ex famosa illa fidei tessera, quod una sit natura Verbi incarnata.

I. Hæc fidei orthodoxæ tessera quasi facienda.

Declaratur 21. Illud idem quod jamdiu versamus, ideo humanitati non propriam adesse, sed Verbi subesse personam, quòd non per se separatim existat, sed accessionis instar adhærescat ad Verbum Deum. Declaratur autem ex decantatissimo illo fidei catholicæ axiomate, quod Cyrillus primùm, aut secundus ab Athanasio in Ecclesiam invexit, quodque deinceps tanta consensione Patrum, suffragatione Synodorum, catholicorum contesseratione, hæreticorum indignatione firmatum atque illustratum est: unam esse Verbi Dei naturam incarnatam. Nestorio enim insidiosiùs duas jactante in Christo naturas, & quod nequissimum fraudis genus est, de veritate ipsa veritati invidiam conflante, ne duarum naturarum obtentu duæ quoque impingerentur personæ, hanc aut excogitavit aut instauravit Cyrillus jam penè oblitteratam eloquendæ incarnationis formulam. Et quidem opportunissimè, ut orthodoxorum deinceps omnium conspiratione exploratum fuit, ut non injuria S. Maximus martyr hanc esse fidei summam dixerit circa Incarnationem.

II. Cur una Verbi natura incarnata aptissime dicatur, ut humanitas velut accessio Deitatis cogitetur.

Cæterum ejus oraculi hæc maximè significatio, hæc sententia sanissima est, minùs tutè duas dici in Christo naturas, nisi una dicatur Verbi natura incarnata. Propterea quòd ubi duæ dicuntur Christi naturæ, duarum statim ebullit suspicio personarum. Etenim non aliud est natura, aliud persona, sed una & eadem res cum sit, aliter & aliter significatur; quocirca plurimum periculi ingruit, ne geminata natura geminetur & persona. Deinde cum duæ dicuntur naturæ, quasi ex æquo numerantur, eoque seorsim unaquæque cogitatur; vix autem ac nec vix cogitari seorsim quælibet potest natura, quin personæ proprietate vestiatur. Denique non alia magis machina Nestorius duas scindebat personas, quàm naturæ duplicis prædicatione; atque ita ab ipsa veritate falsitati præsidia comparabat.

Si dua autem naturæ non ita statuantur ob oculos, ut binæ simul & ex æquo procedant, sed ut altera subjungatur alteri; ut una principaliter emineat, altera accessio ejus sit; una fuerit semper & pergat esse, altera nuper illi accreverit; una sua sibi sit, sui juris suæque potestatis sit, per se immutabiliter & sempiternè sit, altera illi ut subjecto accidens incumbat, illi superstruatur ut fundamento, illius juri censuique adscripta sit, illius propria & quasi portiuncula sit, per se seorsim nec sit nec unquam fuerit; tum verò omnis eluetur in geminæ naturæ professione suspicio geminatæ personæ. At id Cyrillus molitus, id consecutus est, ubi unam dixit naturam Verbi incarnatam. Eminet enim, & primas tenet, imo sola in conspectum statim se dat principaliter divinitas Verbi, nec latet interim caro seu humanitas, ex qua dicitur incarnata. Occursat itaque non Deitas & Caro, sed Deitas cum carne: non Deus & Homo, sed Deus humanatus: non duplex natura, Deitas & Humanitas, sed simplex natura Deitatis cum accessione humanitatis. Etenim ubi duæ naturæ dicuntur Deus & Homo, utraque natura per se nominatur, per se cogitatur, & per se nominari cogitativè vix potest, quin personæ cuique suæ suspicio obrepat. At ubi natura tantùm Verbi incarnata dicitur, una primariò & per se subsistens natura obversatur animo, cum naturæ alterius additamento.

III. Singula verba ejus formulæ excutiuntur.

Quamobrem singula ejus confessionis verba momenti plurimum adferre non immerito videntur ad fidei adversus Nestorianas insidias stabilimentum, nostræque hujus fulcimen sententiæ de una hypostasi Christi. Nam 1. Natura una dicitur Verbi, ac proinde perinde nobis est, seu naturam ibi pro natura strictiùs, seu pro persona laxiùs sumptam arbitreris. Namque ut paulò post planum faciemus, sancti Patres Cyrillum alii aliter interpretati sunt, aliique naturam ibi ut sonat, alii pro hypostasi positam existimarunt. Nihil aut perparum interest, utrislibet accedas; nam persona & natura non differunt nisi conceptu mentis; & seu personam vel hypostasin Verbi incarnatam, seu naturam Verbi ut principalem, & summam, & totalitate sua per se fretam, cum carnis adjunctione jam cogites, perinde est. Persona enim non aliud ad quam natura ut principatum sui tenens, ut per se consistens, ut accidentibus & additamentis omnibus substans. 2. Natura Verbi dicitur, ne ad totam Trinitatem spectare existimetur carnis assumptio. 3. Incarnata dicitur, quo caro designatur, sed obliquè, & ut non per se, nec sui causa, nec sui juris. Adeo ut unitati hypostaseos vendicandæ accommodatius sit dici naturam Verbi incarnatam, quàm naturam Verbi & carnem. 4. Una dicitur Verbi natura, nam unitas sicut & totalitas penès naturam principaliorem est attendenda. Una est enim persona Christus, quia unus est Dei Filius sempiternus & incorruptibiliter idem, priùs sine carne, nunc cum carne, semper idem, unusque semper idem, totiusque & totum; nec minùs totum priùs sine carne, nec magis totum cum carne; auctus sine incremento, nec major factus carnis accessione.

Uni-

Unitas ergo personæ tota à Verbi natura repetenda est.

IV. Ex Cyrillo antedicta probantur. Pag 48. L. de recta fide. Cyrillus libro de recta fide, hæc intexit Athanasii verba ex libro de Incarnatione: *Agnoscimus illum Dei Filium & Deum esse secundum spiritum, & filium hominis secundùm carnem :* οὐ δύο φύσεις ἕνα υἱόν, *non duas naturas, unum filium, unam adorandam, alteram non adorandam, sed unam naturam divini Verbi incarnatam, quæ simul cum sua carne una adoratione adoratur: Neque duos filios, alium quidem Filium Dei, verum & adorandum, alium verò ex Maria hominem non adorandum, &c.* Cyrillus quidem in Epistola ad Successum, in libro ad Reginas, & ad Anathematismum VIII. contra Orientales, tesseram illam fidei, de una Verbi natura incarnata, tum sanctis Patribus universim, tum Athanasio tribuit, cujus & fragmentum intexit, ubi ea formula legitur. Leontius qui altero ferè post Cyrillum sæculo scripsit, contra contendit nihil istiusmodi ab Athanasio scriptum esse, primumque inter Catholicos Cyrillum ejus formulæ authorem fuisse. Cùm enim ea formula frequens uteretur Apollinaris, adeo ut & Cyrillo ipsi ob eam usurpatam invidia conflata sit, tanquam Appollinaris errores innovanti : ecqui fieri potuit, ut Athanasius, qui contra Apollinarem scripsit, illi formulæ suffragaretur? Addit Leontius Apollinaristas & Eutychianos Gregorio Thaumaturgo, Athanasio, & Juliano Romano nonnullas inscripsisse orationes Apollinaris. Denique in famosa Collatione Catholicorum cum Severianis, quæ Constantinopoli habita est ann. 522. hoc ipsum Athanasii testimonium obtrudentibus hæreticis, Catholici exceperunt suppositicium illud esse, & in Cyrilli libros ab hæreticis insitum. Difficiles exitus habet ea quæstio, nec tanti res est, ut illi diutiùs immoremur. Abunde nobis est, ut eam formulam postquam vel invexit, vel revexit Cyrillus, in authoritatem ea recepta sit, tum à sanctis deinceps Patribus Synodisque, tum ab Ecclesia universa.

L. 2. adver. Nestor. Idem Cyrillus: *Quomodo non sit omnibus certissimum, illum unigenitum cum Deus esset natura, esse hominem factum, non simplici conjunctione, ut ille asserit, extrinsecus excogitata, aut affectiva: sed vera unione ineffabili simul & inexcogitabili? Ita & unus simul & solus intelligitur, & omnia ei dicta convenient, & omnia tanquam ab una persona dicta censebuntur. Nam post unionem una jam natura Verbi incarnata intelligitur, ut proculdubio etiam in nobis ipsis conspicitur. Unus namque homo planè est ex dissimilibus rebus, corpore & animo compositus.* His verbis unam Christi hypostasin astruit, quia unus est Deus Verbum, ante sine carne, nunc cum carne: uni illi seu carne carenti, seu carnem gestanti omnia conveniunt: una est ejus natura, una hypostasis, nec minor ante, nec major post carnis accessionem, adeoque nec aucta, nedum geminata. Ut enim si infinita esset animæ supra corpus dignitas, si naturæ exuperantia longè maxima, sive ante, sive post corporis ad animam adjunctionem, unica esset natura, unica hypostasis animæ, priùs sine corpore, pòst corporata. Ut animæ beatæ & in Dei visione conquiescenti nunc, sua & natura & hypostasis adest; ubi resurrectione recolligetur illi recidivum corpus, quia minùs egenti, & in summum amplitudinis ac beatitudinis fastigium sublimatæ recolligetur, tunc veriùs dicetur unica eademque præstare animæ natura post receptum corpus atque antea. Ita planè & incomparabiliter certiùs, Verbo perfectionem & principatum & totalitatem suam obtinenti, tam incrementi nesciam, quàm decrementi, postquam accessit caro, una constitit, una perstitit cum carnis additamento natura, una hypostasis, ne aucta quidem, nedum duplicata.

V. Rursus ex eodem. Idem Cyrillus: *Considerantes modum humanationis, intelligimus duas inter se indissolubili unione convenisse naturas, citra confusionem atque immutationem ullam; caro enim caro est, & non divinitas, etiamsi Dei caro facta est; itemque Deus Verbum est & non caro, quamvis dispensatoria ratione propriam sibi fecerit carnem. Igitur cum id consideramus, nihil illum ad unitatem concursum violamus, dum ex duabus naturis factum esse dicimus: sed post unionem naturas alteram ab altera non dividimus, neque in duos Filios unum illum impartilemque secamus, sed unum asserimus Filium, & ut sancti Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Epist. 1. ad Succensum. Duas ergo ille quidem naturas, sed ita connexas, ita in unum Filium, unamque hypostasin contexas, commendat, ut una jam sit natura Verbi incarnata, hoc est, ut natura Verbi principatum & perfectionem & totalitatem sibi vendicet, carnemque instar additamenti cujusdam agglutinet sibi; cæterum ipsa perstitat una eademque post atque ante carnis accessum, adeoque in personæ suæ nomen censumque carnem pertrahat.

Epist. 2. ad eundem. Et rursum Cyrillus : *Vocum porrò differentiam nullo modo sustulimus, quamvis eas ita dividere, ut Filio sigillatim illi ex Patre Verbo, itemque rursus ut homini filio sigillatim considerato illi ex muliere nato tribuantur, rejiciendum censuerimus. Nam unam esse Filii naturam certissimum est, sed eam incarnatam esse, & hominem factam scimus.* Alia Deo, alia homini ut seorsim consistenti vetat Cyrillus, omnia Verbo Deo jubet ascribi, ut qui unus idemque sit etiam cum carne, qui erat ante carnem.

VI. Ex Petro Diacono. L. de Incar. & Grat. c. 2. Cæterùm etsi una dicatur hìc natura, quia tamen incarnata ea dicitur, duæ planè insinuantur, sed ingeniosè ita insinuantur, ut natura princeps principatum teneat, altera quasi perfunctoriè illi accenseatur, eoque unitas personæ significatur appositissimè. Petrus Diaconus ex ipso Cyrillo probat duas naturas ea propositione designari. *Quasi aliquid aliud quàm duas naturas ineffabiliter unitas una Dei Verbi natura incarnata significet : Beato Cyrillo Alexandrinæ civitatis Antistite ad Succensum Episcopum Diocæsareæ ita scribente : Si unam enim naturam dicentes Dei Verbi tacuissemus, non inferentes incarnatam, sed velut abjicientes dispensationem ; erat illis forsitan non improbabilis sermo, simulantibus interrogare, ubi est in humanitate perfectio, aut quomodo substantia nostra subsistit. Quoniam verò & perfectio quæ in humanitate est, & essentiæ nostræ manifestatio illata est, per id quod dictum est, incarnari, jam deserant arundineam virgam sibimet supponentes.* Petro Diacono addendus est Gelasius Papa libro de duabus naturis, ubi sic habet : *Et cum dicunt unam fuisse naturam incarnatam, volentes hoc modo velut ostendere singularem, nullatenus evadunt significationem duarum Dum enim dicitur unam divinitatis naturam fuisse incarnatam, remotis ambiguitatibus altera erit, quæ incarnata est, altera qua incarnata perhibetur. Quoniam non eadem erit natura Deitatis, quæ incarnata est, & quæ est natura carnis, qua incarnata affirmatur: neque seipsa à natura Deitatis incarnata est, sed natura carnis incarnata cognoscitur.* Idem habet Ephræmius apud Photium, & Justinianus Imperator in confessione fidei.

VII. Ex eodem & Theodoro Presb. Quin imo nonnullis minùs tutum visum est in profitenda fide duas naturas Christi memorare, nec statim unam naturam Verbi incarnatam commemorare. Quippe à duabus naturis discrimen incumbit unitati hypostaseos, nisi hæc statim formula in subsidium accersatur; nec duabus naturis conciliari implicarique commodiùs potest unitas personæ, quàm Cyrilliano hoc oraculo. Petrus idem Diaconus loco citato : *Nec illis acquiescentes qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Chalcedonensis Concilii fidem refugiunt ; nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronunciantes, unam Dei Verbi naturam incarnatam minimè confitentur, æstimantes*

mantes hoc duarum naturarum professioni contrarium; quasi aliquid aliud quàm duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet. Theodorus Presbyter Raythu: *Si quis legitimè & Ecclesiasticè duas naturas in Christo confiteri vult, unam etiam naturam Verbi incarnatam, obviis manibus & toto corde amplectatur.* Ubi quippe duas naturas in primam aciem profers, exæquas illas quodammodo, & suam cuique dignitatem integram, personamque propriam adjungis. At ubi unam dicis primariam, cui innixa inhærescit altera, tum duplicis personæ conjecturam extinguis.

L. de Incar.

VIII. In ea formula voce naturæ sive personam, sive naturâ intelligat Cyrillus, res eodem recedit. Damas. l. 3. c. 11.

Rursum ea in propositione nomen naturæ pro persona seu hypostasi à Cyrillo usurpatum fuisse opinatur Justinianus in confessione fidei sæpiùs allegata, item Ephræmius Patriarcha Antiochenus apud Photium, & Eulogius Episcopus Alexandrinus in eadem Bibliotheca Photii: Ex adverso Damascenus non pro persona vel hypostasi, sed pro natura Verbi ipsa nomen ibi naturæ positum esse interpretatur, sibique consentientem allegat Leontium Byzantinum & ipsum Cyrillum. Hanc litem componere non arduum est, si medullitus Cyrilli doctrina indagetur. Illi enim hypostasis vel persona non aliud est, quàm natura, sed tota & integra, adeoque non alterius cujusquam facta velut pars & accessio. Illi nomen φύσεως & ὑποστάσεως promiscuè pro eodem habetur. Illi quò minùs persona & hypostasis sit humanitas Christi, non alicujus inopia fit, sed superioris naturæ copia. Ergo ubi natura una Verbi incarnata pronunciatur, & pro natura & pro persona ibi nomen naturæ usurpatur, quia natura, ubi tota & princeps suique juris est, utique persona est.

IX. In ea formula voce unius potest intelligi unitas compositionis, ejusmodi tamen, quæ nihil officiat Verbi simplicitati.

Rursum non pigebit cum Cyrillo ipso adnotasse, ubi una dicitur natura Verbi incarnata, unum ibi non simplicitatis, sed compositionis etiam cujusdam argumentum esse. Nam unum dicitur etiam quod compositum ex pluribus est; velut homo ex corpore compactus & anima. Ita una est natura Verbi incarnata, sed compositione & non simpliciter una, quia sic una est ut incarnata sit. Nec tamen hæc Dei carnisque compositio ita simplicitati officit, sicut corporis & animæ. Nam hæ verè sunt partes, & inopia nonnulla laborant, ideoque ante mutuam compositionem, non tam simplicitatis laude, quàm indigentia sua conspicuæ sunt. At Verbum ut nullo eget, ut omnium plenitudo est, ita facta ipsi humanitatis accessione, nec auctius, nec plenius fit, adeoque perinde simplex & incompositum durat; quia tamen revera accedit illi humanitas, quædam hinc compositio utcumque emergit. Cyrillus: *Cùm utrumque in sua proprietate naturali permaneat, & consideretur ineffabiliter & inexplicabiliter unitum, unam nobis naturam Filii ostendit, sed ut diximus incarnatam. Non enim unum ipsum in his solis, quæ secundùm naturam simplicia sunt, verè dicitur; sed in his etiam quæ sunt per compositionem conjuncta, cujusmodi est homo, ex anima constans & corpore.*

Epist. 2.

X. Item appositè non Christi, sed Verbi una natura incarnata dicitur.

Rursum non abs re observatum est à Theoriano, consultissimè non Christi, sed Verbi unam naturam incarnatam dici. Nam Christi duæ sunt naturæ, at Verbi una est natura, seu una divinitas incarnata. Puerili autem cavillatione Semieutychiani Christum & Verbum eundem esse blatterantes, unam Christi naturam incarnatam hinc fabulabantur. *Sanctus Cyrillus non dixit unam in Christo naturam, nec unam Christi naturam, sed unam naturam Verbi, ac deinde subjicit incarnatam, &c. Nam Christi nomen utrumque conjunctum significat, Deum simul & hominem. Propterea dicimus, Verbum caro factum est, sed Christus caro factus est non dicimus.*

XI. Hæc formula non à

Rursum non inscitè idem Theorianus ibidem observat, ubi hanc primò adversus Arium propositionem dedicavit Athanasius, unam de industria Verbi naturam inculcasse, ut Ario obstrueret os, qui duplex secernebat Verbum, aliud insitum, id que consubstantiale Patri, sed hypostasi non distinctum: aliud prolatitium & creatum, cui carnis dispensatio esset concredita. Unam ex adverso Athanasius Verbi naturam sanxit. *Igitur adversus hanc opinionem magnus ille Athanasius dimicans, unam naturam Verbi incarnatam dicebat, non unam increatam & Dei substantiæ propriam, aliam creatam & ab eadem alienam. Atque hinc beatus Cyrillus verbum illud mutuatus, unam dixit naturam sermonis incarnatam. Et hoc est quod ait, Uti Patres locuti sunt, Patres appellans magnum Athanasium & reliquos qui se impio Ario opposuerunt.*

Cyrillo tàtùm contra Nestorium, sed & ab Athanasio contra Arium apte usurpata.

XII. Ejus formulæ triplex sensus.

Rursum Eulogius apud Photium triplicem hujus propositionis sensum discriminat. Primum Apollinaris ex delirio haustum, ut una sit natura Verbi incarnata, quod natura Verbi carnem sibi ex se formaverit, vel in carnem se deformaverit. Alterum Eutychetis insania imbutum, quod Verbi natura in carnem conversa sit. Tertium denique & sanæ fidei consonum, quod citra mutationem aut confusionem Verbi natura jam sola non sit, sed cum carne.

XIII. Authoritas hujus formulæ propugnatur adversus Leontium.

Postremò tandem hanc propositionem probasse visa primum est Chalcedonesis Synodus, cum probavit ante omnia Libellum fidei quem Flavianus Constantinopolitanus Episcopus Theodosio Imperatori porrexerat, cui ea propositio inserta est, ut notat Eulogius apud Photium. Probavit eandem postea Synodus V. in Confessione Justininani Imperatoris insertam. Probavit denique Synodus Lateranensis sub Martino Papa sess. V. Ut mihi magis magisque mirari subeat frontem Leontij, qui ex Apollinari, non ex Athanasio eam propositionem exprompt am esse, atque ita errore Cyrilli impunè in alios omnes serpente, in omnem demum Ecclesiam invaluisse arguatur. Nec nos latet usu quandoque venisse, ut ex ipsorum ore hæreticorum raperentur verba, quibus ipsorummet hæresis jugularetur; sed id tum non errore, non oscitantia, sed de industria & consultò factitatum est. Denique superest inter opuscula Athanasij ad Jovinianum Imperatorem Epistola, cujus hæc clausula est: *Unam igitur potiùs visum est dicere & confiteri naturam Verbi, naturamque & personam incarnatam, & perfectè hominem factam.* Non hunc quidem, sed huic tamen valdè affinem Athanasii locum allegavit Cyrillus, & hunc ipsum ne adulterinum suspiceris, Ephræmius Episcopus Antiochenus laudat apud Photium his verbis: *Abutitur nomine naturæ pro hypostasi Athanasius Epistola ad Julianum (forte ad Jovinianum) Imperatorem, his verbis, Unam appellare decet, ac potiùs confiteri Verbi naturam & hypostasin incarnatam.* Hac authoritate tanta Patrum & Synodorum plus ducor, quàm Leontii argutiis & conjecturis.

CAPUT XIV.

Quod quasi accessio Verbi sit humanitas, ideoque una cum eo persona sit, probatur ex illa altera fidei formula; Quod unus ex Trinitate sit passus, quodque per incarnationem non facta sit quaternitas, sed permanserit Trinitas.

I. Ut ex ea fidei formula innuatur humatas tanquã Verbi accessio, eoque personæ ejus conserta.

Declaratur 22. Hoc ipsum ex illa quondam inter Catholicos ultro citroque perdiu exagitata fidei formula, & tandem omnium consensu receptissima, quòd unus ex Trinitate sit passus. Quo invictissimo subsidio muniebatur quidem Ecclesia adversus infestissimas & ipsi, & ipsis sibi Eutychetis & Nestorii pestes; sed cùm eo ariete Eutyches

tyches obliquè tantùm impeteretur, quo & unus ex Trinitate ac proinde Deus, & passus ac proinde homo prædicabatur, Nestorius totam congressionis molem sustinebat. Una enim utique hypostasis ingeritur, cùm unus de Trinitate passus dicitur, una videlicet hypostasis Verbi, quæ cùm passa dicitur, humanitas nimirum subintelligitur. Truncatur itaque & radicitus extirpatur spes omnis geminandæ geminata natura personæ, quando naturarum altera ut minuscula, ut obscurior, obumbratur majoris lumine, majestate superioris devoratur; non connumeratur, sed subintelligitur: non demonstratur, sed innuitur: & ad hunc modum, non sua, non per se, non seorsim; non sui juris, non sui causa esse, sed superioris accessio, veluti additamentum, veluti pars esse, adeoque una persona cum superiore esse declaratur. Id autem eximiè præstatur, cùm unus de Trinitate passus perhibetur: principaliter enim ibi natura Verbi commonstratur, in illam unam oculi, in illa animi convertuntur: obliquè autem & quasi perfunctoriè innuitur magis quàm monstratur humanitas, cùm passus dicitur. Ergo hæc vis & ratio est unionis hypostaticæ, ita confutandus est Nestorius, ita personæ unitas est enucleanda, ita humanitati propria extudenda est, & Verbi invehenda persona.

II. Hujus formulæ author & authoritas.

Hanc profitendæ fidei formulam catholicis auribus primùm intulit Proclus Episcopus Constantinopolitanus Epistola ad Armenos: *Neque enim cum Verbum dicimus passum fuisse, ratione divinitatis ipsum passum dicimus, siquidem natura divina nullam recipit passionem; sed confitentes Deum Verbum, unum ex Trinitate incarnatum, iis qui cum fide sciscitantur, causam afferimus intelligendi quare sit incarnatus.*

In summum paulò post authoritatis culmen conscendit hæc Procli sententia, ubi hanc ejus Epistolam Synodus Chalcedonensis inter illimes fidei fontes, hoc est inter sanctorum Ecclesiæ Patrum monumenta enumeravit, ut notat Facundus Hermianensis Episcopus. Ex quo idem infert non absurdè authoritate ejusdem œcumenicæ Synodi firmatam tum esse hanc sententiam, quando firmatum est Procli ad Armenos volumen, quo illa continebatur.

Initio Lib. 1.

III. Munitur illa testimoniis Augustini, Fulgentii, Maxentii. August. de bono persever. cap. 24. Fulg. de fide ad Petr. c. 13 45.

Munit illam idem Facundus Libro eodem primo compluribus Patrum suffragiis, imprimis hoc Augustini: *Fidelis qui in eo veram naturam credit, & confitetur humanam, id est nostram, quamvis singulariter suscipiente Deo Verbo, in unicum Dei Filium sublimatam; ita ut qui suscepit & quod suscepit, una esset in Trinitate persona.* Non distat autem unam in Trinitate personam, & unum de Trinitate dicere.

Accedit Fulgentius: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, unam ex Trinitate personam, id est Deum Filium, qui de natura Dei Patris solus natus est, & unius ejusdemque naturæ cum Patre est, ipsum in plenitudine temporis secundùm susceptionem formæ servilis, voluntariè in Virgine conceptum, & de Virgine natum, Verbum carnem factum.* Et infrà: *Credere etiam congruit ad salutem, unam ex Trinitate personam, id est unigenitum Deum pro nostra salute solum hominem factum.*

Joannes Maxentius in professione fidei, cum Nestorio eos sapere argumentatur, qui Trinitatem in Christo habitare dicunt, quasi Christus extra Trinitatem sit, & non potiùs unus sit ex Trinitate pro nobis passus; suamque sententiam roborat calculis Augustini, Procli, Synodique Chalcedonensis: *Nos autem unum & idem sentientes subsistentiam esse quod & personam, non dicimus Trinitatem in Christo inhabitare, sicut consueverunt Theodori Mopsuesteni & Nestorii sectatores, quasi quid extra Trinitatem sit Christus; sed Deum Verbum unigenitum Filium Patris Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis unius divinitatis esse credimus.* Subjicit varia Augustini loca, quibus *unum trium, aliquam ex Trinitate personam* non rarò nominat.

Justinianus Imperator in Confessione fidei: *Et est etiam post incarnationem unus de sancta Trinitate unigenitus Filius Dei Dominus noster Jesus Christus, compositus ex utraque natura. Compositum autem Christum confitemur, sanctorum Patrum doctrinam sequentes.* Quo explicatius ne voto quidem optari quidquam potuit. Nam ideo una est persona geminæ naturæ Christus, quia æterna & incommutabilis Verbi persona post incarnationem una & eadem est quæ priùs, carnis ad ipsam accessione atque compositione, nec melior, nec major, nec vel tantillùm auctior facta, nedum duplicata.

IV. Cum nefario sensu, eoque triplici primùm laboraret ea formula, à Catholicis plerisque respuebatur.

Cæterùm eam propositionem exhorruerunt aliquandiu ex Catholicis nec pauci nec inerudití, & ante omnes Romanus ipse Episcopus Hormisda, ea de causa in Joannem Maxentium Scythasque Monachos stomachatus. Non deerant enim adulterini quidam & nefarii sensus, qui ipsi impingerentur. Triplicem cum primis errorem recenset Ferrandus Epistola ad Severum, itemque altera ad Anatolium, quem simpliciores Catholici ab illa veluti exitiali machina erupturum suspicabantur. Primò ne dum Christus unus de Trinitate dicitur, alius extra Trinitatem existimetur, ut cùm de Patre Filius fertur, alia est à Patre persona. Secundò, ne dum unus de Trinitate passus dicitur, passa divinitas ipsa, non humanitas censeatur. Tertiò, ne dum unus de Trinitate dicitur, roget quis, quid unus? Cui si respondeas, Filius: arguat ille, ergo tres sunt Filii, vel Filius est trium; si respondeas, Deus: retorqueat ille, Non unus de Trinitate Deus est, sed Trinitas ipsa Deus est. Hæc erant spectra, quæ sibi morosior quisque fingebat. Hæc erant, quibus ne turbarentur infirmiores, reformidabant cauti & religiosi Pontifices.

V. Quanta cõpluriũ morositas in hac re.

Minùs meticulosi quidam, qui necdum tamen ex omni illo enataverant vado, unum ex Trinitate quàm unum de Trinitate malebant dicere. Ferrandus Epistola ad Severum: *Miror quomodo hi qui Dominum nostrum Jesum Christum negant unum esse de sancta & individua Trinitate, confiteri eum dicantur unum esse ex sancta & individua Trinitate. Quid harum propositionum differentia moliatur, audire cuperem.*

Alii scrupulosiores ne ex sancta quidem, aut de sancta Trinitate unum, sed in sancta Trinitate unum confitebantur, nisi ex sapore quodam hæretico hoc istis adhæsisset, ut conjicit Maxentius: *Unum autem in Trinitate dicere Christum, & unum eum ex Trinitate denegare, non Catholicorum, ut asseris, sed illorum est proprium, qui Christum à Trinitate creatum, ita esse credunt in Trinitate, ut non sit de Trinitate, &c. sicut & unusquisque nostrum est in Trinitate.* Dialog. 2.

Alii rursum ne passionis discrimini objectaretur divinitas, non simpliciter passum, sed carne passum profitebantur unum de Trinitate. Idque tametsi minùs necessarium, ut quod omnibus plus satis esset persuasum, horum tamen infirmitati indulgendum censet Ferrandus Epistola ad Anatolium: *Sed dicentes Deum passum, continuò inferamus, secundùm carnem: ne aut tota Trinitas passionem suscepisse, aut ipse Filius in substantia divinitatis, quæ est illi cum Patre communis, passus putetur. Et in hac quidem parte mos gerendus est talibus: & si sic audire desiderant, sic etiam nos loqui convenit.* Et infrà: *Propter istos ita dixi, qui nunc audientes unum de Trinitate passum, dicunt, Adde secundùm carnem, quasi aliter intelligi debeat, etiamsi ego non addam: vel addere multùm necessarium sit, quod etiamsi non addatur, apparet. Libenter tamen exigi me patior, quod ultro reddere sum paratus: incunctanter profert lingua, quod retinet conscientia.*

Alii

Alii qui sibi videbantur acutiores, non unum de Trinitate passum, sed unam de Trinitate personam passam esse urgebant. Indulgentior in hos quoque fuit Ferrandus, tametsi eum non præteriret, seu unus de Trinitate, seu una persona dicatur, verba differre, sensa convenire. Epistola ad Anatolium: *Omnis ergo Catholicus aut unum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat: aut loquens cautè, non tamen infideliter, unam personam de tribus passam fateatur. Nec ideo quempiam judicet hæreticum, qui unum de Trinitate passum illo sensu dicit, quo etiam ipse unam personam de tribus passam veraciter dicit: simulque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes. Hoc est quippe, unum de Trinitate, quod est, unam personam de tribus personis.*

VI. Pugnatum pro eo maxime, ut unus potius diceretur, quam una persona de Trinitate. Et Cur. L. I.

Quamvis autem explicatius nonnullis videretur, unam de Trinitate personam passam, quàm unum de Trinitate passum profiteri: solertioribus tamen secus visum est. Nec paucas enim, nec nullius momenti accumulavere causas, propter quas unus potiùs, quàm una de Trinitate persona Christus pronunciaretur. Facundus Hermianensis has ferè exequitur, 1. Quod Scripturæ facem præferant, unumque potiùs quàm unam personam præmonstrent, *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Hi tres unum sunt. Ego & Pater unum sumus.* 2. Quod unum potiùs, quàm unam personam dici interesset non mediocriter ad Nestoriana effugia occludenda; unam enim personam Christum Nestorius ultro agnoscebat, in persona non aliud quàm authoritatem & dignitatem attendens. Ibid. pag. 17. Facundus: *Quocirca rectè dicitur, & unus ex Trinitate crucifixus, & una ex Trinitate persona. Sed unam dicere personam, Nestorianorum nova subterfugia minùs excludit; qui convicti innumeris testimoniis Patrum, quod Deus Verbum & assumptus homo una persona sit, pro authoritatis dignitate ab eis hoc vel existimant dictum, vel existimare se fingunt; ut sic homo Jesus Christus dicatur Verbi gessisse personam, sicut etiam gessit Apostolus, qui scribens ad Corinthios dicit, Nam & ego quod donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à satana: non ut unus idemque esset Deus & homo. Cum verò & unus ex Trinitate, & una ex Trinitate persona pro nobis crucifixa rectè dicatur, hanc utilitatem qua fraus Nestorianorum à sancta & magna Synodo sufficienter exclusa est, intelligere & approbare jam debent, qui dici nolebant unum de Trinitate pro nobis incarnatum vel passum vel crucifixum.* 3. Quod unus potiùs, quàm una persona, in usu antiquissimo & primævo extitisset Ecclesiæ à Magisterio Christi ipsius & ab Apostolica institutione recentissimæ. Nam personæ & subsistentiæ nomina & ejusmodi reliqua ad Sabellii primùm labem obstruendam fabricata sunt. Idem pag. 18. *Quampiam si quis rem diligenter attendat, & altiùs causam repetat, inveniet quod non sic diximus, unus, pro una persona: sed potius una persona pro uno ex Trinitate dicatur. Nam sic Ecclesia Christi etiam cum necdum ad distinctionem Patris & Filii & Spiritus sancti uteretur nomine personæ, tres credidit & prædicavit, &c. Personarum autem nomen nonnisi cum Sabellius impugnaret Ecclesiam, necessariò in usum prædicationis assumptum est.* 4. Quod cum inter ipsa Ecclesiæ cunabula baptismus in nomine Domini Jesu initiaretur, ut fidem faciunt Acta Apostolica; nec tamen nisi in nomine Trinitatis consecrari posset, cum tam recens, & tam expressa hoc urgeret Christi à mortuis excitati ita mandantis authoritas; concordare hæc in speciem pugnantia non aliter possint, quàm quod Christus unus sit ex sancta Trinitate, ut perinde sit in nomine Trinitatis, ac in nomine Christi baptizare. *Cæterum illis sacratis verbis, id est, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, baptizati mihi videntur: nec mendaciter dictum, quod absit, existimo: baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, aut quia baptizati sunt quidem nomine Domini Jesu. Quoniam certissimè in nomine Jesu baptizabant Apostoli, & si non solius Domini Jesu, id est, Filii nomine baptizabant, verùm etiam in Patris & Spiritus sancti. Propterea verò credo quod de omnium trium personarum commemoratione, Domini Jesu nomen ad insinuandum novum baptismum magis assumptum est, quoniam ipsi consepelimur per baptismum in mortem. Verumtamen non diceretur, nisi unus esset ex Trinitate Dominus Jesus Christus.*

Multus est quoque Joannes Maxentius in eadem sententia communienda, ut unus potiùs, quàm una persona ex Trinitate Christus dicatur, quod Dioscori Nestoriique cavillationes eo pacto indeclinabiliùs elidantur. Vide responsionem primam ad Epistolam Hormisdæ. Dialogo autem secundo eos exagitat qui unum de Trinitate dicere tergiversabantur, ne unum, ceu quantitatis discretæ genus illideretur Trinitati, eamque discerperet. Compluribus sacrarum paginarum exemplis addocet numerum personis divinis inseri, & de natura etiam divina dici, Ego & Pater unum sumus: *Hinc docemur unum non esse numerum, quamvis sit origo & principium numeri, quod solidum semper indivisumque subsistit. Alioquin si unum à te reputetur in numero, non solum secundùm personas, verùm etiam secundùm naturam Trinitas numerabitur.*

Quod objectarent autem nonnnulli, si unus de Trinitate passus prædicetur, unum quoque de humanitate passum dicendum esse. Eos refellit Ferrandus Epistola ad Anatolium, tum quod per unum de Trinitate, & unum de humanitate, duæ hypostases insinuarentur, unus enim personam significat: tum quod unus quidem de Trinitate sempiternè præexistens carne assumpta passus sit, non autem unus de humanitate postea Deitati sit copulatus. *Unus autem qui propriè personam significat, unus & unus nequaquam cogitemus dicere, ne duas videamur adseverare personas. Ideo planè unum de Trinitate confitemur, & non unum de humanitate; quia Deus venit ad uterum virginis, & adventu suo munus ei largiens fæcunditatis, sine sorde libidinis, humanam sibi naturam potenter atque ineffabiliter adunavit, tanto vinculo unitatis, ut persona Verbi fieret persona carnis.* Denique ut ille ibidem philosophatur, unum de Trinitate passum, & Deum passum dicere, perinde est: at Deum passum dicere inter ipsa balbutientis fidei rudimenta edocti sumus.

VII. Non æque dici poterat unum de humanitate passum.

Postremò tandem hanc quoque morosioribus quibusdam causationem excussit idem Ferrandus Epistola eadem, quod eam propositionem primus effutiisset Eutychetis Apocrisarius in Concilio Chalcedonensi; non aucupanda autem esse ab hæreticorum ore veritatis oracula. Respondet Ferrandus: *Nec movere quempiam debet, si verè hanc sententiam, sicut à quibusdam dicitur, Eutychetis protulit Apocrisarius in Concilio Chalcedonensi. Sæpè etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in Concilio positi, sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronunciare catholicum, nec ipsam sententiam catholicis tunc inserere definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis approbasse, * quàm verba. Mirabiliter tamen Spiritus sanctus postea fideles admonuit, etiam per hanc sententiam revinci Eutychianistas, in qua duarum plena est confessio naturarum.*

VIII. Nec obest, si hanc primum formulam Eutychetia asfecla protulerit.

* potius.

Hæc summa est dubitationum rationumque, quæ catholicos olim perdiu in intestina dissidia conviciaque asperarunt. Cum enim una fides esset omnium, alii alios tamen ut hæreticos infamabant, quosque ut Nestorianos proscindebant, ab iis vicissim Eutychianistæ audiebant; non dissidio fidei, sed pacis & charitatis excidio. Quocirca rectè Vigilius: *Alii timentes ne Apollinaris & Eutychetis*

IX. Catholicorum in his olim quanta æstuatio. Lib. 1. contra Eutychen. circa finem.

chetis dogma incurrant, nolunt dicere Deum passum & mortuum, cum unam credant ejus esse personam, & hunc eundemque Deum fateantur & hominem. Si ergo unus est, sicuti & est, cur eum formidas dicere passum, quem non formidas credere unum? Ecce sunt timores inanissimi & solicitudines vanæ, quæ fecerunt orthodoxos hæreticorum sibi nomina impingere, dum voce depromi palpatur, quod expressius corde clamatur, &c.

X. Ad aliud argumentum descéditur. Post incarnationem Trinitas permansit, non quaternitas est invecta, quia caro Verbo accessit instar additaméti.

Declaratur 23. Ideo propria persona deficeri humanitatem Christi, etsi re nulla penitus deficiat, qua cæteri homines polleant, quòd separata non sit à Verbo, sed ejus sit accessio, & quasi pars, aut membrum. Etenim quòd post incarnationem Trinitas permanserit Trinitas, nec in quaternitatem defluxerit, inde augurantur sancti Patres, quòd humanitas aliquid Verbi sit, additamenti & appendicis instar illi accesserit; adeoque Verbum idem sit quod erat, tam una persona sit cum carne, quàm una erat ante carnem. Nec enim si membrum quod alicui defuisset, post accederet, eo ejus geminaretur persona: nec si animæ beatæ suum quandoque corpus subjungatur, ejus duplicabitur hypostasis: cùm igitur Verbo ita accreverit caro animata, ut animæ accrescit caro, tam una post, quàm ante hoc accrementum perdurat Verbi persona. Quin imo non tantùm geminata non est, sed nec vel tantillum adaucta est Verbi hypostasis per accessum hominis. Quia enim persona Verbi Dei plenitudo omnium, omnium redundantia est, quia perfectio ipsamet, & totalitas est, tam augmenti insolens est quàm decrementi; adeoque perfectissimæ humanitatis substantiva adglutinatione non augescit, eadem quæ prius totalitas manet, eadem plenitudo, eadem persona. Nec stupendum est adeo, si accessione humanitatis non augescit, nedum geminetur persona Verbi, quando nec accessu geminæ alterius personæ augescere potest cujuslibet in Trinitate personæ opulentia & plenitudo. Tanta Filii solius, quanta Trinitatis totius plenitudo est, & perfectio, & totalitas; quia tota est: credibilius ergo, tanta est Verbi solius, quanta Verbi cum carne plenitudo & totalitas, atque adeo & persona. Permanet ergo Trinitas, quandoquidem persona Filii cum carne, eadem est, & æquè una, æquè simplex, nec vel pauxillulum auctior, quàm ante carnem. Augeretur utique, & si libet, geminaretur persona Verbi, ampliaretur Trinitas, denique quaternitas consecraretur, si quid Verbo accederet Verbo compar, si æquè increatum, si dignitatis ejusdem, sui æquè juris ac potestatis retinens, adeoque personæ suæ peræquè tenax & ambitiosum. Accedit autem illi homo, creaturæ ejus portio, quasi radii de sole delibatio, guttulæ de mari effusio, scintillæ de incendio coruscatio: hujus augmento non augescit Deitas; hujus accessione nihil accedit Verbo, nedum nova hypostasis. Ad eundem planè modum quo animæ si accedat compar anima, aut Angelus, aut ejusdem naturæ consors, vel proximum aliquid, tum enimverò geminatur persona: at ubi animæ rationali accedit corpus, imo ubi naturæ rationali accedit sentiens natura vegetansque, tum tam una post, quàm ante hoc accrementum persona animæ viget. Ita corpori, ubi corpus aliud additur, tum ejus additamenti ratio constat, & numerus augescit: at ubi corpori allinitur accidens, nihil hoc augmento numerus aut ratio variatur. Ergo si creatura superior inferioris creaturæ, si corpus accidentis, si anima corporis, si anima ratione pollens animæ sentientis, si sentiens vegetantis accessu vel non augescit, vel ita augescit, ut non duplicetur tamen hypostasis, sed devoret humiliorem superior, eademque & æquè una perstet hypostasis superioris naturæ, post inferioris accessionem, atque ante: quanto potius creatrix natura creaturæ suæ accretione non accrescet, illamque amplitudinis suæ infinitate absorbebit, necsecum numerari, ut diversum quid patietur, aut propriam usurpare vel retinere personam, sed ut suum aliquid ipsum habebit, & perinde una erit ipsam habens, atque non habens? Quanquam ergo accessio Deitatis dicatur humanitas assumpta, & appendix, & additamentum, accedit tamen revera dignitas & perfectio non Deitati, sed humanitati. Nam Deitas essentialiter summitas & summa totalitas est, ideo nihil addi ei potest; at humanitati, ubi copulatur Deitas, ubertas maxima perfectionum omnium aggeratur.

Athanasius Epistola ad Epictetum, *Est adhuc unde magis illorum stultitiam ex altera cavillatione deprehendas. Siquidem ex eo quod narratur in Scripturis, ex Maria esse humanum corpus Salvatoris, hariolantur & somniant ex Trinitate quaternitatem fieri, quasi facto propter corpus additamento. Multum hallucinantur, qui creaturam creatori exæquant, arbitranturque Deitatem auctarium aliquod accipere posse: & ignorant non propter auctarium Deitatis Verbum esse carnem factum, sed ut caro resurgeret: neque ut melius redderetur Verbum, ex Maria prodiisse, sed ut genus humanum liberaretur. Cur igitur existimant corpus per Verbum liberatum & vivificatum, Verbo vivificanti aliquod ad Deitatem incrementum addidisse? Cum potiùs ipsi humano corpori additamentum ingens ex communione & unitate cum Verbo accesserit; ex mortali enim evasit immortale, & ex animali spiritale, & ex terreno cœlorum portas transcendit. Trinitas autem Verbo corpus ex Maria assumente, in suo ternario permansit; nec crementum in se recipiens, nec decrementum; sed perfecta semper est, & in Trinitate una Deitas agnoscitur.* Ita ille Apollinaristarum ineptias difflat, evincitque, ne quaternitas ex Trinitate fiat, non carnem Verbo ipsi consubstantialem, ut illi delirabant, invehendam esse: tum enim quaternitas magis fieret; æquaretur enim & pariter numeraretur cum hypostasibus divinis caro illis congener: sed carnem potiùs nostræ consimilem, ideoque Deitati ineffabiliter disparem, nec illi connumerandam, aut pariter & quasi ex æquo recensendam. Quippe æquè solus Deus est, ubi adest creatura; æquè unus est creator, etsi operi se suo insinuet: unus solusque est Dominus, etsi servum gestet; unus & solus est homo, etsi adsint animantia. Non augetur numerus naturæ superioris, nedum supremæ omnium, qualicumque vel sociali vel substantiali accessione naturarum infimarum. Ne caro peregrina à Deo Verbo sit, ideoque quarta percensenda sit, eam Verbo consubstantialem fingebat Apollinaris: at Verbum Patri consubstantiale est, & alter tamen seu alius ab eo recensetur. Nos autem ne peregrina sit à Verbo caro, Verbi eam esse propriam statuimus. Ut enim corpus animæ peregrinum non sit, non tamen animæ consubstantiale fingitur, sed animæ proprium esse jubetur. Pulcherrimum hunc locum Athanasii refert ad hoc idem argumentum Theorianus in dialogo adversus Armenos.

XI. Ex Athanasio.

Idem breviùs complexus est Augustinus: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, &c. Vides quemadmodum eundem hominem, quem Deum commendat, ut persona una sit, etiam Filium hominis protestetur, ne non trinitas, sed quaternitas inducatur. Sicut enim non augetur numerus personarum, cum accedit caro animæ: sic non augetur numerus personarum, cum accedit homo Verbo, ut sit unus Christus.* Corpus animæ, homo Deo non accedit ut compar, sed subjungitur ut longè dispar, & melioris authoritate atque persona ut obumbretur.

XII. Ex Augustino & aliis

Petrus Diaconus: *Hac de causa Trinitas etiam post Incarnationis mysterium Trinitas mansit, quia idem Deus Verbum etiam cum propria carne unus est ex Trinitate: non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est unus ex Trinitate.* Cohærent ergo hæc duo quæ colli-

De Incarn. & grat. c. 4.

colligavimus, ut unus sit ex Trinitate Christus, & Trinitas maneat, nec fiat quaternitas. Uni autem fundamento incumbunt ea duo, quod caro sit Verbi caro, & una maneat Verbi persona, tam una carnem habens, quàm una carnem priùs non habens. Ferrandus: *Hoc dicit, qui unum de Trinitate passum dicit. Non est quarta persona qui passus est, sed ad numerum pertinet Trinitatis.* (Epist. ad Anatol.) Vincentius Lirinensis: *Idcirco etenim vel maximè unitatem Christi prædicat, ne mysterium Trinitatem excedat.* (Commit. c. 21.)

(XIII. De hymno Trisagio, ut aptatur Christo sit.) Huc referri potest Trisagium illud, divinitus Catholicæ plebi traditum sub Proclo Constantinopolitano Episcopo, ut Annales Ecclesiastici memorant: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* Quod & in Chalcedonensi Concilio probatum fuisse advertit Damascenus. (L. 3. c. 10.) Huic Petrus Fullo Patriarcha Antiochenus sectæ Eutychianæ signifer clausulam illam addiderat: *Qui passus es pro nobis, miserere nobis:* qua impietate & unam Christo naturam, & crucem toti Trinitati impingebat. Abhorruerunt ergo tunc temporis Catholici ab hoc additamento; etsi postea eorum quidam maximè, Orientales, teste Photio, (Bibl. Cod. 228.) soli hunc hymnum aptantes Filio, cum illo ipso Fullonis additamento illum cecinerint citra piaculum, maximè verò adjectis his voculis duobus, *Christe Rex, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.* Occidentalem etiam Ecclesiam huc quoque tandem deflexisse simillimum veri est, cùm etiam nunc in anniversaria & solemni Crucis adoratione Trisagius ille hymnus decantetur.

CAPUT XV.

Quod natura inferior superioris quasi pars & accessio fiat, ideoque una persona cum illa fiat, probatur ex eo quod propriè & veraciter Deipara sit Maria.

(I. Ideo Maria verè & propriè Deipara est, quia nec caro, nec homo per sese seorsim est aut spectatur, sed Deus in carne.) Declaratur 24. unam ideo personam esse cum Verbo hominem assumptum, quod non per se segregatim sit, sed Verbi quasi pars, quasi membrum, quasi accessio sit, ex eo quod non aliter commodius Maria propriè & veraciter Deipara esse demonstretur. Nam si seorsim per se esset aut spectaretur, aut principaliter consisteret illa humanitas, nimirum hominem tantùm, non Deum genuisset peperissetque Maria: at cùm non aliter illa quàm obliquè & perfunctoriè spectetur, principaliter autem & oculis se sistat, & in seipso consistat sempiternus Dei Filius cum carne, idem qui ante carnem: tam unus post, quàm unus ante humanationem: non potest utique Maria genuisse, nisi Deum in carne, quia nec est, nec spectandus est nisi Deus in carne. An gignat enim hominem solitarium, cùm homo solitarius ille nusquam sit? An pariat seorsim hominem, cùm seorsim hominem vel cogitare nefas sit? An gignat nisi id quod est? non est autem nisi Deus cum carne. Caro, seu homo, nec per se est, nec per se cogitatur: sed Deus est cum carne, unus idemque qui ante carnem. Ergo cùm caro gignitur, non caro gignitur, sed Deus in carne. Haud aliter planè quàm quotidie gignit hominem mulier, tametsi animam, qua potissimùm eminet, & qua magis est homo, non gignat. Neque enim gignit parens carnem solam, sed gignit hominem totum, quia caro illa hominis est. Ita planè genuit non humanitatem solam Maria, sed genuit Verbum, cujus illa humanitas est. Nam ut caro est hominis, ita Verbi est humanitas: utque gignitur homo, cùm gignitur caro hominis: ita gignitur Verbum, cùm gignitur humanitas Verbi. Caro est animæ propria in aliis hominibus. Ideo carnis parens, utriusque parens est. In Christo non caro est animæ propria, sed caro animata Verbi est propria; ideo carnis parens, etiam Verbi parens est. Non peperit Elizabeth Spiritum sanctum, etsi Joannem peperit Spiritu sancto plenum, quia humanitas Joannis non erat propria Spiritus sancti: at Maria peperit Verbum, quia humanitas quam peperit, propria est Verbi.

(II. Cur Verbū pariat Maria, etsi animam non pariat parens qualibet hominis) Quæritur an etiam vulgato loquendi usu animam gignat parens, quæ carnem animæ propriam gignit? an quamvis vulgaris parens gignat carnem, gignat hominem, nec tamen gignat animam cujus est caro, peculiaris sit Mariæ ratio, ut non tantùm carnem, non tantum Christum, sed etiam Verbum gignere prædicetur? Respondeo, tametsi usus non usque adeo consentiat, posse tamen dici, quod & vulgo parens quælibet gignat pariatque animam in carne: ut ita & Maria dicatur peperisse Deum in carne. Et sanè quæ hominem totum parit, utique animam in carne parit, nam id totum est. Sive ergo consentiat sive dissentiat usus loquendi, ab casu & arbitrio hominum pendulus; constat tamen ratio physica & veritatis lex, ut quæ hominem parit, & animam in carne pariat: ut quæ carnem animæ propriam parit, & animam in carne pariat. Respondeo iterum, tametsi reluctaretur usus, nec suffragaretur ratio, ut quæ hominem parit, animam in carne parere existimetur; nihilo tamen minùs Verbi parens est Maria, quæ carnem Verbi propriam parit. Namque Verbum essentialiter totum est, idemque totum cum carne atque ante carnem, unde & eadem persona est cum carne atque sine carne. Ex accessione quippe hominis ad Verbum, non aliud fit totum præter Verbum, quasi ex Verbo & homine totum: si aliud enim fieret totum, alia persona fieret. Igitur ex accessione hominis ad Verbum, non fit aliud totum, quàm idem Verbum essentialiter totum, idemque totum cum carne, atque ante carnem. Quæ ergo carnem Verbi parit, Verbum parit, quia quæ partem parit, totius parens est: sicut quæ carnem cujuslibet hominis parit, totum hominem parit. Tametsi ergo animam non pareret in carne, quæ carnem animæ propriam parit, quia anima non totum est: Verbum tamen parit quæ carnem Verbi propriam parit, quia Verbum totum est.

(III. Ex Cyrillo superiora illustrātur. L. 2. advers. Nest. pag. 9. 18. 19.) Genuina hæc est Cyrilli, id est, Ecclesiæ, Deiparam Mariam adversus Nestorii obtrectationes tuentis doctrina. *At tu metuere te simulas, ne quis è nobis suspicetur, illud ex Deo genitum Verbum à carne terrena existentiæ initium habuisse: ac funditus tollis dispensationis in carne mysterium, cùm sanctam Virginem esse à nobis Dei genitricem appellandam negas, &c. Si proprium corpus ejus intelligitur, quomodo non prorsus proprii corporis nativitatem sibi tanquam suam vindicabit & asseret? Sed hanc hominum ita credentium rectam sacramque fidem etiam ipse probasses, si tibi ipse persuadere voluisses, ut cogitares atque confitereris verè Deum esse Christum, unumque ac solum esse Dei ac Patris, non divisum in hominem seorsim & in Deum similiter, sed eundem esse & ex Deo Patre Verbum, & ex muliere hominem nostri similem, unàque Deum permanere.* Dei Genitrix hîc adseritur Maria, quia ad Verbum Deum pertinet nativitas proprii corporis; quia Verbum nascitur, cùm caro Verbi nascitur; item quia non seorsim Verbum & seorsim homo est, ut hujus mater, non illius sit Maria; sed unus & solus est, idemque qui ante carnem, nunc cum carne Deus Verbum.

(IV. Ex eodem.) Idem ibidem oggerenti Nestorio tam non esse Mariam matrem Dei, etsi carnem Deo unitam generet, quàm nec animæ mater est quælibet vulgò mater, etsi carnem animæ unitam gignat; sed ut mater quælibet dicitur non animæ, sed hominis, ita dicendam esse Mariam matrem non Verbi, sed

Chri-

Christi. Respondet Cyrillus, & matrem esse animæ in carne, quæ mater est hominis totius: & præterea Mariam matrem esse Verbi, nec tantùm Christi, quia Christus non aliud totum est quàm Verbum, sicut nec alia persona est. Si enim aliud totum esset, alia quoque foret persona. *Gignitur enim à carne caro proculdubio; & ille rerum omnium opifex, modo & ratione quam ipse novit, ut animata sit, efficit: sed tamen mulier quæ peperit, etsi carnis tantummodo sit origo, totum hominem tamen enixa creditur, ex anima inquam & corpore, quamvis ad existentiam animæ nihil à seipsa contulerit; sed tamen qui hominem dixit, etiam animam carni unitam significavit. Ut ergo mulier quamvis solum corpus enixa, ex corpore & anima constantem peperisse dicitur, neque tamen id animi rationibus quidquam officit, quasi carnem suæ existentiæ habuerit initium; ita etiam se res habet in beata Virgine. Nam etiamsi sanctæ illius carnis est mater, attamen unitum sibi revera illud ex Deo Verbum Deum peperit.*

Epist. 1. Idem ad Monachos Ægypti: *Licet illæ terrestrium dumtaxat corporum matres fiant, non alteram tamen hominis partem, sed totum hominem qui ex anima & corpore conflatur, parere dicuntur. Nemo enim, ut exemplo res illustretur, Elisabeth carnem tantummodo, non etiam animam peperisse dixerit: peperit enim animatum Baptistam, & velut unum ex ambobus hominem, ex anima inquam & corpore. Ejusce modi aliquid peractum suscipiamus in Emmanuelis nativitate. Natus est enim ut dixi ex Dei Patrisque essentia Unigenitus ejus Verbum. Postquam autem carnem accipiens, & propriam ipsam faciens, vocatus & filius hominis, & nostro more natus est, non absurdum est, imo necessarium est profiteri, quod natus sit secundum carnem.* Et paulò infrà: *Quod si velit quispiam ut alicujus mater sit quidem σαρκοτόκος, non autem ψυχοτόκος, carnipara, non animipara, ne ineptum planè blatteronem ille se declarabit.*

V. Ex Ferrando. Epist. ad Anatol. n. 17. Pulcherrimè succinit Cyrillo Ferrandus: *Ita igitur propriè, sicut veraciter Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam: sine carne enim divinitatem sempiternam generare non posset homo mortalis, &c. Quid est, Propriè genuit? Ipsa ei materiam carnis secundum quam generatur, operante quidem Spiritu sancto, verumtamen ex suis visceribus tribuit; & ideo quem sic nasci oportuit, etiam propriè genuit, quia in humana eum natura genuit, quam nullo dubitante propriè genuit. Quisquis autem putat aut dicit ex una substantia generari nullatenus potuisse substantias duas, veraciter dicit, si separatim generatas audierit. Nunc vero in magno illo & mirabili sacramento, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundum humanam substantiam propriè nata est, quia non separatim nata.* Quàm disertè Mariam verè & propriè Deiparam commendat, quia divinitatem genuit in carne, quia non separatim nascitur humanitas; quia nec separatim humanitas ullatenus est, sed non aliud est quàm Deitas incarnata, Verbum in carne. Unde sicut non aliud est reapse, ita non aliud nasci potest, quàm Deitas incarnata, Verbum in carne. Quod statim Ferrandus expressiùs declarat his verbis: *Dicam adhuc planiùs pro captu infirmitatis meæ, si removeat Deus veritatis tenebras falsitatis à luce hujus disputationis. Propriè est nata de Patre divinitas pura, propriè est nata de Matre eadem divinitas incarnata. Et hoc distat inter unius Filii duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati propriè nascenti divinitas.* Nascitur de Patre Deitas sine carne, nascitur de Matre Deitas in carne, quia unus est idemque æternus Dei Filius, priùs sine carne, nunc cum carne; nec caro aliter, quàm ut ejus propria, ut ejus accessio, & veluti membri accrementum spectatur.

VI. Rursus pro- Declaratur 25. Propriè & veraciter Deipara est Maria, quia non hominem seorsim genuit, qui mox ad Deitatis culmen raperetur; sed ipsi carnis in ejus utero concretioni inserta fuit Deitas, nec carnem formatam assumpsit, sed assumendo formavit. Quamobrem nec punćto temporis caro illa fuit, quin Verbi Dei caro fuerit, adeoque una cum Verbo hypostasis fuerit; ac proinde carnis illius genitrix, genitrix est Dei Verbi. Et nomen ergo Deiparæ in Maria, & personæ unitas in Christo, eo ex cardine pendent, ut caro animata nec vel tantillum segregata fuerit à Verbo, aut per se separatim spectetur, aut aliud quid quàm Verbi accessio & quasi pars fuerit. Idem qui suprà Ferrandus ibidem: *Ita igitur propriè, sicut veraciter Maria Divinitatem Filii genuit, sed incarnatam, &c. Divina substantia secundùm humanam substantiam propriè nata est, quia non separatim nata est, nec humanitatem propriè natam sibi divinitas adunavit, sed adunando eam sibi propriè nata est.* Quin dicatur enim nasci, cujus est caro quæ nascitur? sicut passus dicitur Deus, quia ejus est caro quæ patitur; unde idem Ferrandus ibidem: *Ideo divinitatem Filii rectè posse à fidelibus dici passam fuisse, quia ipsius est caro quæ passa est, & ad ejus personam pertinet.* Sed non tam arctè ad Verbi Deitatem pertineret humanitas, si ad eam quandoque non pertinuisset: nec tam sincerè ejus esset propria, si alterius quandoque fuisset: nec tam accuratè coaluisset personæ unitas, si dualitas antecessisset. Unitas ista personæ, ut vera & summè propria, & propriè summa unitas sit, in ipso conceptus primordio coalescat necesse est; nam qui duo fuerint, minùs unum fient, quàm qui unum semper fuerint.

Margin: priè Deipara est Maria, quia nō ante ex ejus sanguine formata, sed simul formando assumpta, & Verbi propria caro est facta. Ex Ferrando.

Margin: Epist. eadem n. 18.

VII. Idem ex Vincentio Lirin. Commonitorii c. 20. 21. Eleganter id insinuat Vincentius Lirinensis: *Hæc igitur in Christo personæ unitas nequaquam post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta atque perfecta est. Vehementer etenim præcavere debemus, ut Christum non modò unum, sed etiam semper unum confiteamur. Quia intoleranda blasphemia est, ut etiamsi nunc eum unum jam esse concedas, aliquando tamen non unum, sed duos fuisse contendas, unum scilicet post tempus baptismatis, duos verò sub tempore nativitatis.* Execratur paulò pòst, eos qui Mariam ita Dei matrem interpretabantur, ut vulgò dicitur Episcopi, aut Presbyteri mater, quæ eum genuit, qui postea ad Episcopi, aut Presbyteri munus provectus est. Contra autem urget, Mariam ideo Dei matrem dici, quia carne Verbum vestivit, quæ nunquam cujusquam caro fuit, præterquam Verbi.

VIII. Ex Damasceno. Orthod. fidei. L. 3. c. 12. Damascenus: *Ipsum enim Verbum caro factum est, utero quidem à Virgine gestatum, Deus autem prodiens unà cum assumpta natura, jam illa quidem ab eo deificata, protinus ut in ortum producta est: ita ut simul hæc tria extiterint, nimirum quòd assumpta sit, quòd extiterit, quòd deificata à Verbo sit. Atque ita sancta Virgo Dei genitrix tum intelligitur, tum dicitur, non modò propter Verbi naturam, verùm etiam quia humana natura deificata est. Quorum simul & conceptio & existentia mirabili modo facta est, conceptio nimirum Verbi, carnis autem in ipso Verbo existentia: sic nempè ut ipsa Dei genitrix mirum quendam in modum ac naturam superantem, hoc rerum omnium fictori subministraret, ut ipse fingeretur.* Ex his liquidò constat quàm necesse fuerit, ut in ipsa sui creatione Verbo copularetur homo, ut Verbi semper esset fuissetque, adeoque una cum Verbo persona esset: quippè si anima corpus in ipsa ejus coalitione invadit, nec alterius cujusquam contrećtatione prælibari ac sibi præripi patitur: si quod alterius corpus fuerit, fastidiet anima, nec in suæ unquam consortium adsciscet personæ: si ubi redintegrari sibi postulabit in omnium resurrectione corpus, illud ipsum idem vindicabit sibi, cui olim à suo ejusque ortu consueverat: quan-

quantò æquiùs augurabimur, non aliam Verbi personæ concrescere carnem animatam potuisse, quàm quæ ad hoc ipsum efficta primùm fuisset. Ita explendescit necessitas Virginis Deiparæ, quando non aliter humanari Deum fas erat, quàm carnem in assumptione creando, in creatione assumendo, hoc est in utero virginali. Utriusque autem, nempè & Virginis Deiparæ, & unius in Verbo carne personæ veritas hinc emicat tota, quòd caro separatim per se nunquam & nusquam est, sed simul & priùs quodammodo Verbi est, quàm sit.

IX. Dum carné sibi propriâ fingit ex carne Mariæ Verbum, Virgo fœcundatur, Maria fit Deipara, Deus homo, homo Deus.

Declaratur 26. Virginis fœcunditas, & Dei nativitas, & hominis divinitas cohærent indivulsè, & ad unum hoc revocantur caput, quòd omnipotentia Filii unigeniti ex carne Mariæ carnem sibi suæ in personæ sinu efformavit, utque suam carnem animatam, & magis suam, quàm sit quælibet alia caro animæ caro, sibi vindicavit, eoque personæ coadunavit suæ. Non aliter vel fœcundari Virgo, vel Deus nasci, vel homo deificari potuit, vel Mater Dei Maria fieri; hoc autem uno, quod omnipotenti Verbo facillimum fuit, ut carnem sibi suam ex carne Mariæ fingeret, & ad se, ut suam carnem pertinere faceret, ea quatuor commodissime præstantur. Ferrandus Epistola ad Severum: *Nec ambigere oportet, quomodo credatur humana natura ex initio sui Dei Verbi habuisse personam, scientes quia non hominem formatum, neque conceptum, neque vita sua quadam, vel in matris utero vivere jam incipientem, Deus adsumpsit; sed omninò antequam aliquid Maria conciperet, ante omnem formati formandive hominis causam, Deus volens homo fieri, virginalis palatium ventris intravit; & virtute divinitatis munus largiens fœcunditatis, adsumpsit ex ea, quam habere voluit Matrem, nostri generis veram carnem. Et ipsa adsumptione conceptus & natus, non utique personam aliam suscepit, quia non hominem paratum invenit.* Ex quo liquet quàm indissociabili nexu cohæreant Virginis puerperium, & Dei incarnatio: Matris Dei, & Dei hominis nomen. Liquet item, quàm simul hæc omnia præstet Deitatis Verbi omnipotentia insuperabilis, & incomparabilis eminentia atque authoritas, ut carnem in utero fœmineo sibi formet, sibi vindicet, suam esse faciat, suæque adeo personæ subjungat, & ipse consequenter in carne sua nascatur ex Virgine puerpera Deique veraciter genitrice.

X. Idem ex Cassiano. L. 4. de Incarn. c. 2.

Cassianus ita refellit Nestorium frustrà objectantem, quòd nemo antiquiorem se pariat: *Numquid non antiquior filia hominis Dei Filius? Numquid non antiquior denique homine ipso Deus? Cùm utique nullus hominum non ex Deo: Vides ergo quod non solùm antiquiorem se Maria peperit, non solùm inquam antiquiorem se, sed authorem sui; & procreans procreatorem suum, facta est parentis parens. Quia quàm promptum utique fuit Deo nativitatem homini tribuere, tam promptum sibi. Quàm facile ut hominem nasci faceret, tam facile ut ipse ex homine nasceretur. Neque enim circumscripta est in persona sua potestas Dei, ut quod ei in omnibus licet, non liceat in se.* Omnipotens planè summitas Verbi hæc omnia facilè consequitur, ut & carnem animatam anima rationali sibi adglutinet, & ea ad ipsum substantivè pertineat, nec sua sibi sit, aut personæ propriæ jus præsumat, sed illi, ut principaliori infirmior, ut toti pars accedat: utque cum hac sua carne ex Deiparæ utero nascatur.

XI. Ex Theodoro Presbytero. L. de Incarn.

Theodorus Presbyter Raythu: *Nunquam in universum humanitas Christi cognita fuisset in hypostasi, nisi natura divina in virginalem uterum ingressa, ex ipsa ineffabili modo hanc sibi circumfinxisset & circumplasmasset, &c. Nec ipsa beata Virgo supra leges naturæ genitalem accepisset virtutem pariendi, nisi per adventum Verbi ad hoc impulsa fuisset. Quomodo igitur hæc in Christo humanitas, cùm nunquam per se in propria hypostasi fuerit, sed in verbo Dei quod eam assumpsit, esse & subsistere sortita sit, hypostasis dici unquam queat?* Ubi vides per eandem omnipotentiam Verbum & jus sibi uni usurpasse personæ, & carnem suam esse fecisse, & eam sibi in ipsa naturæ officina effinxisse & circumplasmasse, & Mariæ fœcunditatem nomenque Deiparæ indulsisse.

XII. Tam Deum Christum, quam Deiparam Mariam negabat Nestorius.

Et eodem perspicuè jure quo Christus Deus est, Maria Deipara est, æquè ac Christipara. Nec Nestorius Christiparam in Deiparæ locum obtrusisset, nisi ab homine discrevisset Deum. Cyrillus Dialogo, Quòd unus sit Christus: *Proinde si dicant adversarii sanctam Virginem nulla ratione Deiparam apellari debere, sed potius Christiparam, manifestè blasphemant, & Christum Deum & verè Filium esse negant. Nam si ipsum revera Deum esse credunt, utpote nostri simili facto unigenito, cur ipsius genitricem Deiparam appellare verentur, secundùm carnem inquam?* Et anathematismo primo: *Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, & ob id sanctam Virginem Deiparam, genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundùm carnem, anathema sit.*

XIII. Non tantum Deipara, sed & proprie & veraciter Deipara est Maria, ne pro Trinitate quaternitas fit. August. L. de prædes. SS. c. 15. Facundus l. 1.

Nec tantùm Dei Mater est Maria, sed propriè & veraciter Dei Mater est. Primò quidem quia is quem genuit filius hominis propriè & veraciter est Filius Dei Deus; alioqui non Trinitas, sed quaternitas nobis obtruderetur. Facundus Hermian. l. 1. hunc primò profert locum ex Augustino, ubi filius hominis propriè & veraciter Filius Dei appellatur, ne Trinitatis loco inducatur quaternitas: *Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo susceptio singularis, ut Filius Dei & filius hominis, simul & filius hominis propter susceptum hominem, & Filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum, veraciter & propriè diceretur, ne non Trinitas, sed quaternitas crederetur.* Hæc Augustinus; subjungit autem Facundus: *Si autem veraciter & propriè dicitur filius hominis Deus, necesse est, ut reciprocè dicatur B. Mariæ veraciter & propriè mater Dei. Cùm verò hoc adjecit dicens, Ne non Trinitas, sed quaternitas crederetur; coegit omninò ut B. Mariam veraciter & propriè Matrem Dei esse dicamus, ne non Trinitatem, sed quaternitatem credere videamur.*

XVI. Itē ne nuncupative tātum Christus Deus sit.

Secundò urget ibidem Facundus, si non propriè & veraciter mater Dei est, nuncupativè ergo tantùm & perfunctoriè mater Dei est, quod à Christianis auribus animisque non potest non alienissimum esse. Nam, *Omninò stultum ac turpe sit, & condemnationem probare Nestorii, & B. Mariam negare quod verè & propriè sit mater Dei. Nam si quæ hinc potuit esse quæstio, cum ipso Nestorio simul exclusa est, qui eam matrem Dei esse negabat.*

XV. Jugulatur & Eutyches voce Deiparæ vera & propria.

Tertiò quòd imperitiores Catholici cunctabantur propriè & veraciter Matrem Dei nuncupare Mariam, ne Eutycheti suffragari viderentur, tametsi huic eorum infirmitati serviendum cedendumque aliquandiù senserit Hormisda Romanus Pontifex, inane tamen hoc erat terriculamentum. Nam Eutycheti non poterat videri propriè & veraciter Dei Mater, quæ veram illi carnem non subministrasset. Quin imò si veram carnem Deo Maria suppeditavit, adeoque si propriè & veraciter Dei Mater est, non consubstantialis ergo Deitati, ut somniat Eutyches, sed vera est Christi caro, proindeque duplex est Christi natura. Quamobrem nomen Deiparæ profligandis hinc & inde Nestorii & Eutychetis erroribus accommodatissimum est. Ibidem Facundus: *Cùm ut isti Patres (Concilii Chalcedonensis) docuerunt, propterea secundùm veritatem mater dicta sit, quia carnem ex se omnium Domino ministravit, quod Eutyches negat: quomodo putatur Eutychiano dogmati deputandum, cui magis invenitur esse contrarium? Non enim potest B. Virginem verè & propriè dicere Matrem Dei, sed nuncupativè potius & perfunctoriè, quam non credit carnem ex se omnium Domino ministrasse. Non ergo Nestorianam tantum, verum*

verùm etiam Eutychianam hæresim destruit ista confessio, qua dicitur B. Maria verè & propriè Mater Dei.

XVI. Nec verendum hinc est, ne consubstantialis sit Maria Deitati. Epist. ad Anat. n. 17.

Quartò quod suspicabantur meticulosiores Catholici, ne si propriè Mater Dei Maria prædicaretur, consubstantialis ipsi Deitas, vel ipsa efficeretur Deitati, incassum suspicabantur. Nam Mater illa quidem Dei est propriè & verè, sed Dei incarnati; & secundùm carnem filio & matri utique non est inficianda consubstantialitas. Ferrandus: *Frustra expavescit quisquis æstimat consubstantialem divinitati matrem futuram, si veraciter & propriè Maria Mater fuerit Dei. Profectò enim quia veraciter & propriè generanti semper est consubstantialis iille qui nascitur, accepit ab ea Deus, unde ei fieret consubstantialis, & sic ex ea nasci dignatus est. Ita igitur propriè sicut veraciter Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam.* Consonat & Petrus Diaconus: (De Incarn. & Grat. c. 3.) *Beatam Virginem Mariam non propter dignitatem hominis illius, qui ex ea natus est, quem gratia & non natura Deum quidam impiè prædicare non metuunt; sed propriè & secundùm veritatem credimus Theotòcon, id est, Dei genitricem, eò quòd peperit verè & propriè Deum Verbum incarnatum & hominem factum, atque essentialiter sive naturaliter carni unitum.* Quod confirmat Joannes II. Pontifex Romanus in Epistola adversùs Eutychen scripta.

XVII. Deiparæ nomen summa quædam fidei est adversus hæreses complurimas. Damasc. l. 3. c. 12. Cyrill. l. 2. adv. Nest.

Liquidum hinc fit quàm jure dixerit Damascenus, *Hoc enim Deiparæ nomen omne dispensationis mysterium commendat.* Cùm eo & personæ unitas & natura duplex stabiliatur.

Nec nos fallit quod ait Nestorius apud Cyrillum, Arium, Eunomium, & Apollinarium flagrantissimo studio hoc Deiparæ nomen inculcare solitos, ut inde naturas confunderent, carnisque morbos illiderent Deitati. Sed illi de veritate veritati ipsi invidiam facere moliebantur. Nec enim ipsorum erat commentum nomen Deiparæ, sed in lucubrationibus Patrum, in fidelium ore ac sermonibus frequentissimum; unde apud Cyrillum, opprobrabat Julianus Catholicis in hunc modum, (Et L. 8. adver. Julianum.) *Vos Mariam Deiparam vocare non cessatis.* Idemque Cyrillus Epistola ad Cælestinum cùm præsente & jubente Nestorio dixisset Dorotheus Episcopus, *Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit. Mox ingens universi populi clamor & discessio consecuta est. Nolebant enim diutiùs cum eo communionem habere, qui tali mente, talique sensu præditus esset. Quin & hoc ipso quoque tempore plebs Constantinopolitana à Synaxi abstinet, &c.* Ex quo patet quàm familiare esset, quàm altè infixum animis fidelium nomen Deiparæ. Et Epistola ad Acacium Berœensem ait eo Nestorii anathemate adustos fuisse Patres Ecclesiæ omnes. (L. de recta fide pag. 47. 52. L. 5. c. 15. n. 7.) *Comperio namque æternæ memoriæ Episcopum Athanasium sæpiùs illam Deiparam appellare, atque etiam beatos Patres nostros Theophilum, Basilium, Atticum, Gregorium, &c.* Deiparæ τῆς θεοτόκου vocem antiquis Patribus usitatam fuisse tradit Cyrillus, quorum & suffragia profert. Ii sunt omninò novem, qui omnes natum de Virgine Deum affirmant: at ipsam Deiparæ vocem non usurpasse nisi tres, advertit Petavius, Antiochum, Ammonem & Athanasium. Quin & Athanasii contextus ille ipse est, quem in dubium vocavit Leontius Byzantinus, & Apollinaris potiùs esse conjecit; ut jam monuimus, cùm de una natura Verbi incarnata dissereremus. Ut ut res habeat, potuit non immeritò Cyrillo videri, eos Deiparam dixisse Virginem, qui Deum dixere de illa natum esse.

CAPUT XVI.

Quòd humanitati, nec existentia, nec aliud quidquam rei desit; sed eo sit una cum Verbo persona, quod seorsim per se non sit: probatur ex modo quo duo perfecta in unum perfectum concurrunt.

Declaratur 27. Non eo unam esse cum Deo Verbo personam hominem assumptum, quòd sua extundatur illi vel existentia, vel subsistentia realiter distincta, & creata, vel aliud quidquam rei, quod aliis insit hominibus: sed eo tantùm, quòd seorsim à Verbo non sit, quòd Verbo ut pars, ut membrum accesserit, quòd denique superaddatur ei plenitudo Deitatis, nec hilum autem detrahatur de plenitudine humanitatis. Declaratur autem ex eo, quòd qui detractione vel existentiæ, vel subsistentiæ, vel modi subsistendi, vel rei denique cujuscumque, humanam opinati sunt à Christo eradi personam, divinæque hypostasi locum parari, ii eodem ducti videntur fuisse argumento, quo stimulati quondam Apollinaristæ, vel anima vel mente humana Christum truncare moliebantur. Quòd videlicet ex duobus perfectis unum non emergat unquam perfectum, sed ex imperfectis, mutuaque ad strictissimam copulam & indigentia & beneficentia coarctatis. Si neutrum enim altero egeat, neutrum quo egenti opituletur abundet, neutrum vel perficere vel perfici erit idoneum, nec in unum ergo perfectum unquam conflabuntur. At si humanitas vel mente vel anima spolietur humana, ejusque in vicem Deo Verbo formetur, tum ex actu & potentia, ex perfecto & imperfecto unum perfectum, unus inquam Christus coagmentabitur. Ita garriebant Apollinaristæ, à quorum dementia etsi immaniter abhorreant, ab eorum tamen argumentatione non satis forsan distant ex Catholicis illi, qui Christo vel existentiam, vel rem quampiam & perfectionem humanam amputant, ut ex imperfecta humanitate, nempè formæ & perfectionis alicujus ornamento orbata, & Verbo perfectissimo unus perficiatur Christus. I. Errabant Apollinaristæ, dú Christum aliquo truncabant, ut id à Verbo sufficeretur, & ita ex perfecto Verbo, & imperfecto homine emergeret Christus.

Deinde sancti Patres ubi de industria Apollinaris diluere argumenta aggressi sunt, & accuratiùs explanare, qui ex duobus perfectis unum perfectum compingatur: non illi tamen unquam deesse humanitati assumptæ quidpiam causati sunt, idque à Verbo suppleri: non gradum aliquem metaphysicum, seu existentiam, seu modum deficere, & à Verbo suggeri: non denique hac pervagata nunc & tyronibus ipsis familiarissima usi distinctione, naturæ phxsicam perfectionem adesse totam, sed personæ metaphysicam deesse aliquam responderunt, & à Verbo proinde perfici quod deficit, quòd non possit ex duobus perfectis unum fieri perfectum. Non illis unquam in mentem venit hæc responsio, quæ opportunissima tamen nec abstrusa adeo erat, si in hac illi sententia fuissent; sed ex duobus perfectis unum perfectum exurgere, rationibus longè diversissimis contenderunt. II. Sancti Patres dum Apollinarem refellunt, non unquam fatentur aliquo deesse Christum hominem.

Corporalia primùm & incorporalia secernere visum est, ut ex corporalibus perfectis nunquam unum emicet perfectum, propterea quòd intercedat lex & natura corporum, ne commeent invicem & ita immeent sibi penitissimè, ut ad unitatem conflandam desideratur. At spiritalia seu corporibus, seu sibi mutuò composita, pervadere omnia & penetrare medullitus efficacia sunt, adeoque unum cum corporibus perfectis vel cum animabus itidem perfectis perfectum compaginate idonea. Corpus corpori circumfundi potest, non infundi: aut simulatè tantùm infundi, non verè: hostiliter, non amicè: hoc est, diffindendo & dilacerando, non ineundo, aut penetrando illud in quod infunditur. Nunquam ergo ex duobus perfe- III. Ut ex duobus perfectis perfectum non componatur, in corporibus tantum valet.

ctis

ctis corporibus unum efficitur. Et tamen qui continuitas unitatem imitatur, ex omnibus quodammodo corporibus unum exultat perfectum universum. At animarum genus quia incorporale est, & corporibus insinuari penitissimè valet, unum cum corporibus conficit. Ergo multò magis Deitas insinuare se animæ rationali potest, unumque perfectum cum ea compaginare.

IV. Quæ sibi perfecta, superioribus imperfecta sunt, & ab illis perfici possunt.

Visum est iisdem Patribus hominem nulla re sua truncatum, perfectum quidem esse, si sibi vel creaturis comparetur cæteris: at Dei comparatione planè imperfectum, ab eoque sexcentis & miris modis perficiendum. Et exemplis ejusmodi tota scatet mundi universitas. Vix enim quidquam est, quod suæ sibi naturæ integritate non floreat, suisque ita numeris cumulatè sit absolutum, ut perfectum dici jure meritoque possit. Et vix tamen quidquam est, quod superioribus naturis compositum non pluribus defieri, perficique aliunde posse conspiciatur. Quantumvis ergo perfectissima sit humanitas Christi, nulloque penitus rei vel entis cujusquam strigmento minuatur, perfici tamen ulterius à Deitate Verbi potest, unumque adeo cum ea constituere.

V. Perfectum idem atque totum est. At quod totum sibi est, superioris accessu in aliud rapitur totum & perfectum.

Visum est iisdem, perfectum non aliud esse, quàm totum; quod enim non factum tantùm, sed perfectum est, partibus suis omnibus abundè pollet, totumque est: at quod totum semel est, plurium proventu augescere nihilominus potest. Ita lux sideris perfecta suo modo est, quia tota; perfici tamen præterea majore Solis luce utique conspicitur quotidiè. Ita binarius suo genere perfectus est, additione tamen accrescere, & in aliud perfectum, in aliud inquam totum sustolli potest. Ita numeri omnes singulique sua vigent perfectione & totalitate: additamento tamen unitatis possunt in alterius perfecti totalitatem exurgere. Ita denique naturæ omnes cùm numerorum instar habeant, suis quæque finibus contentæ, admensisque perfectionibus exsaturatæ sunt, & superioris tamen naturæ inundatione, earum unaquælibet perficitur ulteriùs, & in amplioris coaptatur perfectionis totalitatem. Et humanitas ergo totum sui generis & perfectum est, & Deitatis tamen adventu in perfectius totum, id est, in perfectiorem hypostasin rapietur. Quid enim hypostasis, quàm totum & ultimæ perfectionis cumulus est?

VI. Homo ipse ex duobus perfectis perficitur.

Visum est iisdem Patribus suo irretiri laqueo dialecticos Apollinaristas, ubi ad unius perfecti compaginationem imperfecta desiderant. Eo enim ipso quòd illi suggerunt exemplo, liquidum fit, nonnisi ex perfectis perfectum excitari. Nam ex corpore & anima rationali unus homo perficitur. At utraque ea natura perfecta sibi est. Quid enim corpori vel numerorum vel ornamentorum suorum non affluit & superfluit? An natura corporis, quæ reliquo in universo seorsim constat, & suam venustissimè perfectionem implet, in animantibus deteritur aliquo, aut truncatur? Quin primitiæ corporum, & quasi deliciæ floresque præcerpuntur, quæ in animæ conjugium sublimentur & copulam. Perfecta est ergo natura corporis. An animæ rationalis natura erit imperfectior? an quæ superior, ea & indigentior? an plura à corpore illa, quàm corpus ab illa mendicabit? an perfectio quæ toti affluet, ex corpore in animam, & non ex anima potiùs in corpus defluet? Ergo si seorsim natura corporis perfecta est, multò perfectior seorsim erit anima. Ex duabus igitur naturis perfectis una conflatur natura perfecta. Cùmque hoc splendidissimum sit specimen plurium in unum compositum coalescentium, vix ulla alibi compositio naturarum in conspectum se dabit, quin ex perfectis perfectius componatur. Quæ enim suo in gradu atque ordine perfecta sunt, quodammodo tamen ubi in superiorum comparationem & copulationem adoptantur, imperfecta sunt, quia perfici ulterius ab iis possunt. Natura corporis perfecta est, ab vegetante tamen vita perficitur. Vita seu anima vegetans perfecta est, à sentiente tamen amplius accipiet perfectionis incrementum. Natura animantis perfecta est, cùm tot animantes orbem exornent; intelligentiæ tamen radio accedente ineffabile percipit augmentum perfectionis. Natura denique intelligens perfecta est, & si velis reliquarum comparatione perfectissima est; at Deitati collata, nec perfecta quidem est, sed perficienda. Si natura enim creata perfectam naturam perficere tamen ultra potest, quid creatrix? An creatura quæpiam majore creaturas alias superabit intervallo, quàm ipsa à Creatore superetur? An perfici ab ipsa aliæ poterunt, perfici nec à Deo ipsa poterit? an erit quod ipsa aliis, non erit quod ipsi Deus largiatur? an aliarum plenitudinem ipsa superimplebit, ejus plenitudinem nec Deus ultra amplificare poterit? Perfecta ergo quantumlibet sit humanitas, perficietur tamen à Deo: quantumvis plena sibi sit, ad Dei opulentiam jejuna adhuc & egena hiansque erit.

VII. Multò magis à Deo perfici potest perfecta quælibet creatura, quæ & à creatura alia perfici potest.

VIII. Ut in Unitrina, ita in incarnata Deitate ex pluribus perfectis unum perfectum & superperfectum.

Visum est Patribus hanc fore necessariam affinitatem utriusque sacramenti, quod fide maximum complectimur, Trinæ Unitatis, & incarnatæ Deitatis, ut ex perfectis utrumque perficiatur, ut ex perfectis utrumque superperfectum sit. Quippè ut in Trina Deitate tria sunt perfecta, & unum perfectum, ita in œconomia duo sunt perfecta, homo & Deus; imò si libet tria sunt perfecta, corpus, anima, Deus, & unum perfectum. Ut illic tria perfecta in unum perfectum, ita & hìc duo perfecta vel tria in unum perfectum confluunt. Ut illic tam unum trium perfectum est, quàm tria simul; ita & hìc tam perfectum, tam totum est Verbum sigillatim, quàm Verbum cum carne & anima conjunctim. Quin proclivior est hujus quàm illius fides; hìc enim perfecta sibi quidem est humanitas, non Verbo: sibi plena est, illi vacua; minùs ergo mirum si ex ejus perficiendæ & Verbi perficientis perfectione unum surgat perfectum. At illic tria perfectissima sunt, nec undecumque perficienda, & ex iis tamen unum perfectum & superperfectum consurgit.

IX. Seu perfecta, seu imperfecta, dú non sejunctim consistant, sed in unius superioris jus confluant, ut ejus accessiones, una fit persona.

Visum est postremò SS. Patribus seu perfecta, seu imperfecta conglobentur in unum, unam tamen eorum existere hypostasin & personam, si modò nullum eorum seorsim per se existat, sed inferiora omnia in superioris unius manum jusque conveniant, ab illo habeantur, illius sint, ad illud pertineant, ejus velut membra sint & partes. Ita radius Soli, igniculus incendio, rivulus fonti redditus, ejus supposito adglutinatur, tametsi antea sibi perfectus, quia seorsim sibi suus & totus erat. Ita numerus quilibet minor, etsi perfectus, cùm majori accedit, unus jam cum eo perficitur. Ita natura corporea quandiù seorsim sola est, perfecta utique est, suaque potitur totius & suppositi dignitate: at ubi invaditur ab anima, tum quia ejus fit, nec separatim ampliùs sua sibi est, ejus hypostasi affigitur, unumque cum ea perfectum compaginat. Ita natura animalis sejunctim quandiù subsistit, perfecta est sanè, & hypostasin sibi suam adrogat; at ubi illam subjugat sibi superior intelligentiæ vis, tum in perfectiorem hujus hypostasin ultro concedit. Quin ergo & hunc eundem in modum natura intelligens perfecta intelligatur, quandiu separatim in se suis conclusa finibus consistit: at si natura superior Deitatis Verbi superfundatur illi, tum non jam perfecta, sed perficienda; non jam totum, sed totius accessio; non jam hypostasis, sed hypostaseos Verbi, quasi pars & membrum existet? Et his omnibus exemplis quis non intelligit, quòd suæ hypostaseos seu personæ nomine & jure exturbetur natura inferior, id evenire, non decel-

decessu cujusquam suæ perfectionis, sed accessu superioris & insperatæ naturæ?

X. Supradicta omnia ex Cyrillo cōfirmantur. Dialog. de Incar. Unigen. Quæ hactenus prolixè executi sumus, locupletanda jam sunt testimoniis sanctorum Patrum, quorum ex rivulis hæc hausimus omnia. Cyrillus Apollinaristarum argumenta ita depromit: *Et probabilem quidem, ut existimant, rationem opinioni suæ prætexunt. Quæ enim, inquiunt, per compositionem ad unius perfecti constitutionem concurrunt, partes & quidem ex imperfectis conspici solent, ejus quod per se & in propria sua natura perfectum est, & compositione ex partibus non eget. Idcircò, inquiunt, cavendum omninò est ne perfectum statuamus hominem, templum quod Verbo unitum est, ut compositio quæ in Christo intelligitur, perfectam suam & irreprehensibilem perfectionem obtineat.* Hoc argumento mentem Apollinaristæ olim Christo auferebant; hoc eodem nonnulli jam existentiam humanam eidem excuspunt. Non ita Patres: neque enim quod tempestivum maximè & necessarium tunc fuisset, responderunt unquam, nihil naturæ humanæ deesse Christo, quia non unum fit natura cum Verbo: sed existentiam illi humanam interceptam esse, & hoc nomine imperfectam satis esse illam, ut à Verbi existentia seu hypostasi perficiatur. Non ita Patres unquam, sed alia magis omnia.

XI. Item ex Nazianzeno, Orat. 51. Nam respondit primò Nazianzenus in corporeis quidem naturis duo perfecta non coalescere, secus in incorporeis. *At, inquis, duo perfecta non continebat. Non sanè, siquidem corporeo modo rem expendas. Vas enim unius modii capax duos modios minimè continebit; nec corporis unius locus duo aut plura corpora. Si autem ut intelligibilia & incorporea ea consideres, illud animadverte, quod idem ipse & animum, & rationem, & mentem, & Spiritum sanctum continuit, &c. Hæc enim intelligibilium natura est, ut incorporeo atque invisibili modo, & inter se, & cum corporibus misceantur.*

XII. Ex eodem. Respondet rursus idem ibidem Nazianzenus & Angelum & hominem perfectas esse naturas sibi ipsis, at Deo collatas, utique non perfectas, sed perficiendas ab eo pendere. *Jam verò quonam pacto mens hominis, aut Angeli, si cum divinitate comparetur, perfecta dici queat, ut alterum majoris præsentia comprimatur? Neque enim radius quidam si cum Sole comparetur, perfectus est, nec humor exiguus si cum fluvio, &c. An illud eos fugit, quòd res eadem quæ cum aliquo collata, perfecta est, alterius ratione imperfecta sit? ut collis cum monte collatus, &c. Quocirca mens nostra perfecta quidem illa est, & principatum tenet; verùm in animam & corpus; non autem simpliciter perfecta: Dei verò serva & subdita est, non principatus socia, nec pari honore prædita, &c. Et stellæ noctem illustrant, à Sole autem occultantur, ita ut interdiu ne eas quidem esse agnosci possit. Et exigua lucerna magno incendio adjuncta, nec extinguitur, nec apparet, nec distinguitur, sed totum illud incendium est, superante eo quod præstantius est.* Id ergo quod seorsim ab aliis est, τέλειον, & ἡγεμονικὸν, seu extremum, perfectum, & principatum tenens, hypostasis est; at ubi principaliori illigatur, tunc nec ultimum est, nec principale, nec perfectum & totum, sed perfectioris & principalioris accessio; adeoque nec hypostasis est, sed melioris hypostaseos consors; nempè ut ait Nazianzenus τοῦ ὑπερέχοντος ἐκνικήσαντος. Quod præstantius est, superat subjugatque reliqua, suæque authoritati & personæ ea vendicat, jus totius & perfectionis summam & principatum uni adrogans sibi.

XIII. Ex Maximo Martyre. Tit. 7. pag. 134. Maximus Martyr apud Euthymium in Panoplia: *Quemadmodum lana alba, purpura colore tincta, non est bicolor, sed unius dumtaxat coloris: sic in assumpta natura, deificata hominis mente, non sunt duo ἡγεμονικὰ, principalia, Deus & mens, sed unum, videlicet deificans mentem Deus.* Vincit enim semper natura melior, & inferiorem suæ hypostasi substernit, quia suam illam esse facit. Ita & Deus mentem humanam deificat, id est, Dei esse facit.

XIV. Ex Damasceno. L. 3. c. 6. Damascenus. ἡγεμονικὸν, *seu principatum tenet animæ quidem & carnis mens, qui animæ purissimus apex est; mentis verò Deus. Et quando locum dat meliori, proprium mens Christi principatum ostendit. Cedit autem meliori, sequiturque potiorem, & ea facit quæ divinæ complacent voluntati. Locus mens facta est divinitatis, sicut & caro, non cohabitatrix, sicut hæreticorum scelesta errat opinio: Non, inquiunt, vas unius modii duo modia capiet; corporaliter immaterialia capientes.* Paucis contraxit, quæ pluribus differuerat Nazianzenus. Nec huic autem, nec illis in mentem venit, aliquo mulctare humanitatem assumptam, ut quæ imperfecta erit, Verbo perficienti coalescat; sed hoc ad dignitatem spectare senserunt tum hominis, tum Dei, ut & homo perfectissimus, nulloque viduatus assumeretur, & Dei comparatione imperfectus esset, & perficiendus subesset, non imperfectus reapse, sed perfectissimus homo. In Actione VI. Concilii Constantinopolitani, sub Flaviano, contra Eutychetem sic disputatur: *Si Deus perfectus, & homo perfectus, duo perfecta unum perficiunt Filium, quid igitur prohibet nos dicere ex duabus naturis unum Filium?*

XV. Iterum ex Cyrillo. Dialog. de incar. unig. Respondet rursum Cyrillus, si compositio omnis ex imperfectis fieret, ut Apollinari hoc largiamur, esto, caro exanimis, aut amens, ideòque imperfecta, assumpta sit, an etiam Verbum imperfectum est? Si autem Verbum imperfectum non est, ergo non ex imperfectis fit compositio. *Est enim imperfecta comparatione totius hominis, corpore & anima constantis, sola ac per se ut pars caro. Sed Deus Verbum non pars alicujus esse intelligitur, sed neque imperfectus est. Perfectissimus enim est in sua natura. Ubinam igitur ex imperfectis ad unum quiddam perfectum erit concursus?*

XVI. Ex Leontio Byzantino. L. 1. Con. Nestor. & Eutych. Respondet iterum Leontius Byzantinus, naturam corpoream & rationalem, qua utraque concrescit homo, etsi totius hominis comparatione appellitari soleant partes & imperfectæ, perfectas tamen absolutissimè esse, definitionem suam usquequaque implere, totaque proprietatum sigillatim suarum supellectile abundè exornari. Itaque compositionis legibus perfecta absolutè & simpliciter, imperfecta autem tantùm ex comparatione & nomine tenus, in unum perfectum conglomerari. *Quòd autem neque homo ex imperfectis partibus compositus est, secundum rationem cujusdam essentiæ alterutrius partis, quamvis quoad definitionem totius hominis, non recipiunt partes rationem totius tanquam totius, sic intelliges. Quid enim deest animæ habenti separatam & propriam vitam, ad hoc ut sit substantia incorporea & semper mobilis? Hoc enim declarat immortalem esse eam, & interire non posse. Quid rursus deest corpori, ut sit corpus? Quod quidem qui definiunt, ajunt esse corpus triplici dimensione; aut corpus naturale organicum potestate vitam habens; utraque enim definitio aptè conveniet corpori nostro. Non sunt igitur hæc imperfecta sumpta per se, tametsi imperfecta dicuntur quoad hypostasin totius, in quo sunt partes. Hac enim ratione non aberrabit, qui etiam mysterium Christi interpretabitur. Imperfectum enim est, si vel Deus nudus sine humanitate, vel homo item nudus sine divinitate sumatur. Ut hinc appareat duplicem esse perfectionis definitionem in Christo, unam quæ simpliciter dicitur, alteram quæ in habitudine cernitur secundùm magnum Gregorium. Perfectum namque est Verbum, & plenum, & præbens perfectionem: perfecta autem est & anima hominis, quantum ad definitionem essentiæ suæ. Sed tamen neque Verbum est perfectus Christus, non unita humanitate, quamvis perfectus Deus sit: nec anima perfectus homo est, licet perfectam substantiam habeat, corpore non simul cum ea coagitato.* Ita ille

rem

rem hanc totam scholasticè dispungit, & perspicuè satis vim personæ & hypostaseos in perfectione ultima, & totalitate collocat, ut natura qualibet singularis tum hypostasis fit, cùm perfecta, id est, cùm tota est & sola: tum vero superiori accedat hypostasi, cùm nullo fraudata suorum, superiori conglutinatur substantivè, ejusque pars esse incipit, ejusque comparatione nec totum jam est, nec perfecta. Eo uno minùs assentiar equidem Leontio, quòd ab eo quem sibi ducem præstituit, nempè Nazianzeno superiùs allegato, nonnihil deviat, cùm Verbum & hominem eodem loco habet, & comparativè tam Verbum sine homine, quàm hominem sine Verbo imperfectum fore argumentatur. Longè secus Nazianzenus, qui suam Deo perfectionem perstare incolumem & intaminatam statuit, nec ulla creaturarum comparatione deteri ac sordidari; qui imperfectum nec incendium duxit, nisi fugax scintilla accederet, nec flumen nisi gutta deflua. Ita planè nec imperfectum ullatenus Verbum est sine carne, etiam comparativè ad Christum. Ut enim incendium, nec perfectius, nec imperfectius fit, seu fuga, seu red tu scintillulæ; ita & multò vehementius, seu cum carne, seu sine carne Verbum idem unumque est, nec perfectionis augmentum, nec detrimentum ullum persentiscens. Cui enim pretium dignitatemque non addit duplici personæ divinæ consociatio, an ejus perfectionem exaggerabit factitiæ adglutinatio naturæ? Æquè igitur perfectum, seu cum carne, seu sine carne Verbum Deus, idem perfectum, æquè & idem totum, eadem hypostasis & persona.

XVII. Ex Cyrillo rursus. Nec fefellit Leontium res ista; nam loco eodem paulò inferiùs: *Et hoc est natura Trinitatis, quod est unum quid eorum qui cernuntur in Trinitate, quoniam non est ex tribus imperfectis unum perfectum, sed ex tribus perfectis unum supra perfectum & ante perfectum, ut alicubi dicit magnus Dionysius.* Ita planè incarnatio Trinitatem æmulatur, & ibi enim ex tribus perfectis naturis, corporea, rationali, divina, unum exurgit perfectum & superperfectum.

Respondet denique Cyrillus, seu perfecta seu imperfecta in unum compingantur, in unam omnia coalitura hypostasin, si modò seorsim non sint alia ab aliis, sed conjunctim omnia in unum conspirent; imò si ex omnibus unum præcellat, emineatque, & reliqua ad se pertinere cogat, habeatque & agat ut sua, tanquam membra. Esto enim id detur, ut nulla res creata aliam ad se pertrahere, suæque implicare queat hypostasi, nisi truncam, nutantem, & vinci subjugarique facilem, hoc est imperfectam & quasi dimidiatam: at omnipotentia & plenitudo Deitatis Verbi prævalebit sanè creaturam quamlibet perfectam, suaque vi nitentem, suo jure fidentem, suaque hypostasi non carituram, ad se præripere, sibi conserere, suæ hypostasi invictissimè vindicare. Cyrillus hæc habet alicubi, demonstrans qui humanitas Christi cumulatissimè perfecta sibi esse possit, & in unam tamen cum Verbo adunari personam: *Quare licet templum quod Verbo unitum est, anima humana perfectum & informatum esse credamus: non duos tamen filios adoramus, nec duos Christos agnoscimus. Ut enim tametsi Emanuelem ex sola carne & Dei Patris Verbo, juxta opinionem quam illi complectuntur, compositum statuerimus: nulla adhuc tamen ratione, huc illi se adigi paterentur, ut carnem seorsim, & unigenito rursum seorsim posito, duos Christos profiterentur: ita nos quamvis Dei Verbum humanitati nostræ secundum propriæ naturæ rationem omninò perfectæ unitum, ineffabilique, aut incomprehenso planè modo sociatum affirmavimus: non duos tamen Filios agnoscimus, aut mente concipimus; sed unum eundemque, qui quidem natura Deus existens, utpote ex Dei & Patris substantia ortus, & in extremis temporibus homo factus adoratur.* (L. de recta fide, pag. 16. — Pag. 690.) Asciscitur ad hypostasin Verbi tota humanitas existens & perfectissima, eodem planè modo, quo caro sola ascisceretur: quia fit Verbi, quia non seorsim vel est, vel esse cogitatur à Verbo, sed ut aliquid Verbi, sicut corpus fit animæ substantivo dominio, intimaque pervasione illud sibi mancipantis. Idem habet Cyrillus Dialogo de Incarnatione Unigeniti.

Si molestiam autem facessat alicui hic scrupulus, qui perfectionis nihil accrescat Verbo, si perfecta humanitas ei adjungatur: aut qui nihil humanitati perfectæ decrescat de cumulo perfectionis, si principatum & authoritatem, hoc est personalitatem suam amittat, & alienæ succedat. Proferemus primò Augustinum qui dedoceat nos divina humano metiri modulo, addoceatque non tantùm adjunctione hominis, sed ne Patris quidem aut Spiritus sancti societate exaugeri perfectionem Verbi Dei. Divinum enim omne summum est, totum est, summoperè totum est: toto autem nihil est amplius, summo nihil est superius. Divinum omne veritas ipsamet est, ipsa justitia, ipsa æternitas, infinitas ipsa: at nullo additamento augescere potest infinitas, nullo prolatari æternitas, nullo justitia amplificari, nullo ipsa propagari veritas: incrementum enim ac decrementum capit formæ participatio, non ipsius per se consistentis formæ plenitudo. Nam quidquid veritati utputa, vel justitiæ accumulare perrexeris, præcepit ipsa & anticipavit; & ab ipsa defluere, quàm refluere in ipsam quidlibet facilius est. Denique sic trina Deitas Deitate una personæ cujuslibet dignior non est, ut nec trina æternitas simplici æternitate, nec trina immensitas simplici immensitate, nec trina veritas simplici veritate diffusior. Quia nimirum singula hæc in singulis sunt, & singula in omnibus, & unum omnia. Pater in Filio est, Filius in Patre; ita tantus est alteruter, quàm uterque: veritas genita est in veritate generante, & vicissim: ideò tanta est alterutra, quanta utraque. Et Verbum ergo ita creatæ humanitatis perfectiones præceperit, ut ejus in se consertione nihil accrescat. Augustinus: *In rebus corporeis non tantum est res una, quantum tres simul; & plus aliquid sunt duæ, quàm una res. Cæterum in illa summa Trinitate, tantum est una, quantum tres simul: nec plus aliquid sunt duæ, quàm una, & in se infinitæ sunt. Ita & singula sunt in singulis, & singula in omnibus, & unum omnia.* Cui non immeritò subnectetur S. Thomas: *Bonum cratum se habet ad increatum, sicut punctum ad lineam; unde sicut punctum additum lineæ non facit majus, ita nullum bonum creatum additum in persona bono increato facit melius.*

XVIII. Ex Augustino & aliis. quomodo non crescat perfectio Verbi ex perfectæ accessione humanitatis.

L. 6. de Trin. c. 10.

S. Thom. in 3. q. 2. art. 5. ad. 1.

Proferemus secundò Bonaventuram: *Natura assumpta in Christo eo ipso est nobilior, quòd in nobiliori persona stabilitur, quia non in persona creata, sed in persona increata. Unde ordinatio ad dignius quamvis auferat rationem suppositi, tamen non aufert dignitatis proprietatem. Melius enim est subesse superiori, quàm præesse alicui inferiori; & perfectior est anima cùm possidetur à Deo, quàm cùm possidet res creatas.*

S. Bonav. in 3. d. 5. ar. 2. q. 2.

CAPUT XVII.

Cardo rei totius aperitur, modus videlicet, quo naturæ superiores inferioribus quamlibet perfectis, ulteriùs perficiendis sese infundunt, easque ad multimodam secum unitatem asciscunt.

I. Prolixè declaratur, ut quantumvis perfecta natura infe-

DEclaratur 28. Cardo caputque rei hujus totius, modus videlicet quo naturæ superiores interioribus quantumlibet suo quibusque in gradu jam perfectis, ad eas ulteriùs perficiendas sese in-

rior, à superiore ulterius perfici gestit, corporea à vivente, rationalis à divina.

fundunt, easque ad multimodam secum adsciscunt unitatem. Adeo non quippe ex imperfectis consurgit compositio quælibet, adeo non suo aliquo expolianda est Christi humanitas ornamento, ut à Verbo locum ejus subeunte perficiatur, ut nisi perfectissimæ suo in genere naturæ inferiori sese superior perfectiorque & superioris prodiga perfectionis non infundat. Adeo non natura quælibet inferior superiori coadunari tum respuit, cùm plena sibi & perfecta est; ut coadunari penitus superiori, ab eaque perfici haud possit, nisi plenissima, suique ordinis opibus locupletissima sit.

Et quidem omnia perlustranti, nonnisi triplex summatim natura occursat, divina, rationalis, corporea, si patiatur tamen summa Deitas in naturarum classem se cogi. Natura sanè creata nonnisi duplicis est generis, ut aut partes in plures lacera, per locum se fundere amet; aut loci partiumque nescia, lumine & acumine cogitandi volendique vigeat.

Harum naturarum quælibet suis circumscripta finibus, suis locupletata dotibus, suis laudibus referta, suæ perfectionis numeros partesque omnes obtinet. Quid enim corpori de naturæ corporeæ definitione, & multiplici proprietatum opulentia deficit? Quid naturæ rationali nativi desit splendoris, quid propriarum virium, quid abest ornamentorum? Plenitudine ergo sua & testificatur, & æmulatur suo quidem modulo creata quælibet natura, naturæ creatricis opulentiam inexhaustam & inenarrabilem largitatem. Si cui enim illarum naturarum vel tantillum deforet venustatis atque perfectionis agnatæ, in authoris vel parcitatem vel inopiam querela vel invidia resiliret. Perfecti ergo opificis perfecta & elimata sunt opera.

Tametsi autem natura quæcumque creata seu corporea seu rationalis, nullo frustretur propriarum sui generis opum ornatu, tametsi ultimam manum, atque limam omnipotentissimæ artis experta sit, etsi suo in ordine perfici ulteriùs nec desideret; intestina tamen esurie, & abstrusiore quadam atque inexaturabili ambitione fines suos transilire nonnihil, involare in superioris confinia gestit, & illas melioris naturæ delicias atque perfectiones degustando saltem delibare. An quia creaturæ quantælibet quantalibet opulentia egestas est? Et plenitudo qualislibet dehiscit adhuc, & perfectio deficit, & saturitas esurit? An quia hic ulteriorum pruritus, & ad superiora nisus, & ad ampliorem perfectionem irrequieta luctatio, innata quædam nobilitas est, & ingenitæ perfectionis portio est ad superiorem perfectionem anhelare?

II. Cur omnia & perficere, & perfici ulterius aveant.

An quia in sui desiderium ambitumque extimulat inferiorem superior, & nonnullius spe beneficentiæ inescat, sibique hiantem suspendit & amantem? An quia non affluit tantùm, sed diffluit bonis indigenis, & superfluit natura quævis, invitatque, quibus infundat, inferioribusque tametsi plenis, plenior ipsa meliorum copiam superfundit? An quia natura quævis superior æmulatione propioris sibi creatoris, non perfici tantùm, sed perficere avet: nec ditari tantùm, sed ditare: quod frustra erit, nisi quamlibet perfecta inferior perfici ulterius se poscat? An quia quò plura infundet inferioribus una quælibet, plura supernè hauriet, & deorsum implere cupit, ut sursum superimpleatur? An denique has suorum operum mollissimas & tenacissimas concinnavit rerum opifex Deus commissuras, ut alterna indigentia & indulgentia cohæreat universum? Nam si natura quælibet innatæ perfectionis satura, suo se claudat gremio, & sibi plaudat ipsa domi, nec aliàs boni aliquid, vel allatura, vel relatura conveniat unquam, dissilient omnia, & soluto amicitiæ glutino universitas dissipabitur. Ergo naturis ita & singulis consulitur & universis, ut perfecta quælibet sibi sit, ne si quo suorum fraudetur, cælum tundat invidia: & perficienda tamen ulteriùs ex sublimioris ac insperatæ naturæ beneficio, illi cohæreseat, ne soluto amicitiæ & beneficentiæ vinculo compago tota pessum eat.

III. Corpus quo perfectius, eò ab anima perfici aptius. Nec corporeo aliquo gradu orbandū est corpus, ut ab anima rationali perficiatur.

Rata semel ergo hac quam præfiximus lege, ut perfectissima sit corporis natura: formari tamen perficique ulteriùs ab natura rationali, & in superiorem quandam sortem poterit promoveri. Nec suorum quoquam truncari opus erit, ut ab anima perficiatur corpus: quin affluentissimè exornari, & ipso flore, deliciis ipsis naturæ cumulari corporeæ, ut ad rationalis substantiæ conjugium consortiumque decentiùs provehatur. Eccur enim suorum aliquo viduetur? an illud ut ab anima suppeditetur? sed non ideò anima conjugat sibi corpus, ut in corporea natura illud ampliùs perficiat: non ideò, ut corporeas dotes truncatas restituat, luxatas restauret, etiam cum fœnore: non hoc hujus conjugii consilium, non hic fructus est: sed ut illud supra corporis limitem sustollat, ut vitæ gustu imbuat, ut motus insiti vi vegetet, ut sensu exacuat, ut intelligentia initiet. Ut hæc anima corpori insinuet, nihil de corporis bonis corpori excutiendum est, quin præclarissimæ quæque dotes naturæ corporeæ conferendæ sunt in unum corpus, cui hæc tanta supernè munera irrigentur. Igitur quo perfectius erit corpus, hoc magis ab anima perficietur; & quo imperfectius erit, hoc ab animę perfectione longiùs peregrinabitur. Quo unumquodque enim suo in ordine superius est, eo superiori ordini propius est; & quo superiori ordini propius est, eo imbibendis superioribus bonis comparatius. Non ergo ex imperfectis perfectum fit, sed quo perfectiora concurrunt, eo perfectius exurgit totum. Nam quo perfectius unumquodque est, eo & superiori confine magis est, ejusque bonis hauriendis paratius. Non ergo ex imperfectis perfectum fit, sed ex disparibus naturis tametsi perfectis.

IV. Multo plus à Deo rationalis natura perfici potest, quàm corporea à rationali.

Quantum porrò anima corpus perficere, tantum à Deo ipsa perfici jure flagitat. In meditullio enim summæ Dei imæque corporum naturæ locata, quantum inferne rigat beneficiorum, tantum supernè irrigari sperat. Quantumlibet enim natura rationalis perfecta sit, ut sensu, ut acumine, ut imperio polleat maximo, non summa tamen hæc natura, nec summa perfectio est. Si summa non est, in summæ tamen confinio est, & confini jure, irrigationem quandam naturæ summæ, ejusque bonorum consecutura est. Devolveretur enim anima infra ipsam corporum sortem, si corporea substantia præter innatæ sibi perfectionis divitias, superioris etiam naturæ conjugio bonorumque societate bearetur: substantia verò rationalis suis ita includeretur limitibus, ut supernè perfici desperaret, nec supra se fineretur eniti, & aliquo superiorum oblectari honorum gustu, & quamvis largissimè seipsam infrà jacentibus prodigeret, nullam supernæ expectaret munificentiæ vicem. Ita illiberalior foret summa natura, quàm media; nulla enim, aut parcior à summa in mediam, quàm à media in infimam perfectionis & beatitatis ubertas dimanaret. Secus ergo hæc habent omnia, & intimiùs vegetari, formari aptiùs, ornari copiosiùs, natura rationalis à divina, quàm corporea à rationali, & debet, & potest. Quin imò non absurda hæc est conjectura, non alio magis consilio naturæ rationalis portionem à summo rerum arbitro Deo, corporibus illigatam esse, quàm ut tantumdem saltem adeoque plusculum etiam à Deo sibi præstandum esse intelligeret vitæ, justitiæ, venustatis, beatitatis, quantum ipsa corpori præstitisset.

V. Ut corpus quo sibi perfectius est, eò plus ab anima perficitur: ita natura humana quò perfectior erit, à Deo perfici erit paratior.

Porrò ut corpus non imperfectum, sed quàm latè patet hujus naturæ perfectio, omnium perfectissimum naturæ rationali maritandum est, ut perfectior copula & compositio existat: ita natura rationalis quo arctiùs colliganda erit Deitati, & inde perficienda, tanto curiosiùs suis omnibus numeris ornamentisque cumulanda est. Nam quodcumque dempseris, id naturæ rationalis proprium erit, adeoque nec à Deo supplebitur.

Nec

Nec enim vel illi Deus, vel illa Deo copulatur, ut labem naturæ mediæ reſarciat cum uſura etiam Deus, & ſeipſo impleat: ſed ut totam & perfectiſſimam naturam rationalem in ſuperioris, in ſummæ, in divinæ naturæ bona & perfectiones propellat. Non id anima largitur corpori, ut quæ corpus ſeipſo haberet; ſed obſcurius exiliuſque, id ſeipſo non habeat, ſed per animam accipiat ſplendidius venuſtiuſque; ſed ut quod ſupra corporis ſpem eſt, percipiat ab anima, vigorem vitæ, motus arbitrium, ſenſus acumen, intelligentiæ auram. Ad eundem modum non id Deus animæ affundit uberiùs, quod anima utcumque habitura ex ſe erat, tametſi ignobilius; puta exiſtentiam, & iſtiuſmodi alia; ſed extra & ſupra limites naturæ rationalis illam corripit, inexperta illi prodigit bona, in Deitatis ſortem illam tranſvehit.

VI. *Ut anima corpori, ita Deus animę & homini dat, non quę aliũde adeſſent, ſed quæ omninò aliunde non ſuppeterent.*

An quæ anima addit corpori, vitam, ſenſus, rationem, eorum ſine anima nec umbram quamlibet perfectiſſimum corpus adipiſceretur: & nihil Deus addet animæ, quod non anima occupaſſet? An poterit corpus ſupra corpora extrahere anima, vitamque & ſenſum quorum inſolens eſt natura corporea, infundere illi: & non magis Deus animam ſupra familiares animæ dotes omnes evehet, & perfectiones illi inſeret inuſitatas, inauditas, quarum alioqui nec nomen nec umbra ad animas contigiſſet? An perfectiſſimam corporis naturam anima & incolumem cuſtodiet, & ad ſuperioris naturæ & beatitatis jura gaudiaque exaltabit: & non potiùs atque potentiùs Deus naturam rationalem nullo ſuorum ſpoliabit, ſed plenam in plenioris Deitatis apicem ſublimabit?

VII. *Cùm beatas mẽtes Deus immeet, ſuique juris eſſe faciat, cur non unà cum illis conſlet perſonam.*

Quamvis autem plura & inuſitatiora perfectionum genera Deus animæ, quàm anima corpori infundat, & tantò potentiùs & tantò intimiùs infundat, quantò & potentiam animæ qualemlibet omnipotentia ſuperat Creatoris, & intimiùs permeat ſpiritus ſpiritum, quàm ſpiritus corpus: non inde tamen id efficitur, ut ſicut ex anima & corpore una ſemper & perſona emicat & natura: ita ex natura rationali & divina, una vel unquam natura, vel ſemper perſona exiliat. Quid cauſæ ſit, ut ex corporea & rationali natura, non una tantùm perſona, ſed una excreſcat hominis natura, nec poſſit tamen unquam una ex Deo atque homine conflari natura, uberrimè ſuo infrà loco elucidabimus. Quid autem cauſæ ſit, ut una ſemper ex anima & corpore perſona emergat, & ex Deo atque natura rationali ſemel tantùm in Chriſto una emicuerit perſona, id verò indaginem non mediocrem deſideraret. Cùmque elidenda ſit, non eludenda aut diſſimulanda difficultas, quando vivit de Deo anima, veriùs etiam quàm corpus de anima, annon permeat animam Deus? annon illam domat, ſibique ſubjugat, & ſui juris facit? Quin ergo ſuæ illam perſonæ coaptare dicitur, cùm ea tantùm duplici de cauſa in perſonam Verbi adſciſcatur aſſumpta humanitas? An reſpondebitur exiſtenti jam naturæ rationali adlabi & ſuperfundi Deitatem, at Chriſti humanitatem creando aſſumptam fuiſſe; ideo non illam, ſed hanc in unam cum Verbo perſonam coaleſcere? Contrà nitetur aliquis, & Adamum Angeloſque in medium adducet, in quibus & naturam ſimul condidit, & gratiam largitus eſt Creator. An iterum ad hoc reſpondebitur, illapſam tum quidem fuiſſe his naturis in ipſa ſui creatione Deitatem, non tamen illas ſuo penitùs juri ac poteſtati vindicaſſe, adeoque nec in unam ſecum perſonam conſeruiſſe, propterea quòd illa gratia in earum eſſet poteſtate, non eas in poteſtate haberet, nec indeclinabiliter illas ageret, ſed fruſtrari ab iis poſſet? Contrà ſtabit aliquis rurſum eggeretque, potuiſſe tum in ipſo ſui conditu pleniſſimo adeoque ſubſtantivo Dei illapſu pervadi penitiſſimè, & invictiſſimè ſubjugari, eaque ipſa qua nunc diffluunt fœlicitate jam tum beari ſanctos Angelos, nec tamen in unam cum Deo perſonam adoptari. Deinde an inter Chriſtum & beatas mentes alias id unum diſtat, quòd Chriſtus ab exortu jam inde ſuo, hæ aliquantò poſt ſubſtantiali immeatione Deitatis donatæ ſunt, & ſubſtantivo jure inde emergente ſubjugatæ Deo? An ſola antiquitatis prærogativa vincit Chriſtus Beatos, quorum beatitudinis largitor & parens ipſe eſt? Denique cùm beatarum mentium vita intima & ſubſtantiva ſit Deus, eaſque conſequenter ſibi adglutinet, & ad ſe pertinere faciat, quid hìc deficit quò minùs ſit hæc unio hypoſtatica?

VIII. *Variæ reſponſiones tentantur.*

An mordaciùs hærendum eſt in eo diſcrimine ſuprà prolixiùs laudato, quòd humanitatem Chriſti ſuam effecerit, ſuo juri aſſeruerit, ad ſe pertinere fecerit Deitas Verbi, quia creando eam aſſumpſit: reliquas naturas rationales etſi poſtea illabatur, non tamen illas ad ſe pertinere facit, eodem jure & æquè arctè, utpote jam alieno, vel ſuo ipſarum dominio occupatas? Itaque creando aliis illabitur, ſed non inſuperabili æquè dominatu ſibi ſubjugat: poſtea beando & illabitur & ſubjugat ſibi ſubſtantivè, ſed ſeriùs: neutrobique ergo ad ſuam illas adſumit perſonam.

An gradatim ut anima corpori, ſic Deitas mentibus illabitur, utque non tam altè in unas quàm in alias corporis partes ſe inſinuat anima, adeoque invictiùs has quàm illas domat, ſuas eſſe facit, fingitque in ſuos uſus; nam carnibus quàm oſſibus, oculis quàm carnibus, cerebro quàm oculis indit ſe penitiùs, vitæque & motus & ſenſus & cognitionis majorem facit copiam: ita Deitas gradatim indulget ſe mentibus creatis beatiſque, & quanquam omnes permeet, minùs altè tamen in alias omnes deſcendit, minùs eas locupletat, minùs ſuas facit, quàm ut unam cum iis perſonam compaginet, privilegio hoc uni præ cæteris omnibus deſtinato? Non ex qualicumque enim illapſu & permeatione etiam ſubſtantiali emergit jus illud tantum naturæ melioris in inferiorem, quantum ad fulciendam naturæ utriuſque perſonalem unitatem opus eſt; ſed penitiſſima ac pleniſſima eſſe ea debet, qualis Chriſto uni obtigit.

An principaliter uni tantùm membro, putà cerebro aut cordi inſidet anima, partes reliquas irradiat inde, regitque: eodemque pacto Deitas Verbi naturam unam rationalem invaſit, ſuamque eſſe præſtitit ſingulariter ac hypoſtaticè, ex eaque alias omnes illuminat & adgubernat?

An illud intereſt diſcriminis formæ formarum ſeu Deitati, & formæ participatæ ſeu menti creatæ, quòd iſta anguſtiis cùm ſit circumſcripta limitibus, non poteſt ſe corpori tantillam indulgere, quin totam ſe indulgeat, quia quanta quanta eſt, tantilla eſt; adeoque non poteſt inſpirare ſe corpori, quin ad unam ſecum perſonam illud ſibi conſociet? At forma formarum immanis amplitudinis eſt, vixque tantillum ejus hauſtum capit creaturæ meræ exilitas. Quocirca poteſt illa ſeipſam quaſi ſigillatim inſtillare aliis aliiſque mentibus creatis; uni autem earum ſupra creaturarum ſortem evectæ pleniſſimè quanta maxima eſt illabi, adeoque hanc ſibi ſpecialiùs vendicare, & in ſuam ſublimare perſonam.

An ut naturarum rationalium grex nobiliſſimus & numeroſiſſimus etſi corpora immeet & immeando regat, non tamen informat, nec in unam ſecum illa vel naturam vel perſonam adſociat ſibi; intus penetrat, & domat, & agit corpora, non tamen ut ſua, nec ut ſibi propria, nec ut ſui membra & partes, ſed quaſi forinſecus objacentia: grex earumdem minuſculus corpora illabitur & informat, & regit intus ut ſua, ſuæque & naturæ & perſonæ donat conſortio: Ita Verbi Deitas naturas rationales immeat, & intus movet, regitque & beat univerſas, nec tamen omnes format ut ſuas, vel ut ſibi proprias ſuæque perſonæ portiones; hoc enim uni earum ſelectiſſimæ & ſoli privilegium deſtinavit? Quamobrem

non immeritò ſuſpicamur tantumdem diſtare illapſum Deitatis in mentes beatas & in humanitatem aſſumptam, quantum diſtat illapſus rationalium naturarum in corpora cœleſtia & in corpora humana. Utrobique illapſus eſt, utrobique jus intimum naturæ ſuperioris in inferiorem; ſed longè diſpar tamen, & unitati perſonali non æquale fulcimentum.

IX. Antedictis lux & robur ex Auguſtino accerſitur. L. 11. Conf. c. 30.

Auguſtinus: *Et ſtabo atque ſolidabor in te, forma mea, veritate tua.* Ubi veritas Dei forma mentium dicitur, ſicut anima forma eſt corporum; ſed forma cui non æqualiter omnes, nec iidem æqualiter ſemper adhæreſcunt. Quoſdam enim per momenta tantùm lucidiora raptim quaſi coruſcando afficit, nempè in corporis mortalis tenebras lapſos; quoſdam jugiter vegetat, ut beatos, ſed pro modulo quemque ſuo; unum denique aſſumptum hominem pleniſſimè format, ſeque illi ut vitam propriam infundit totam, ideòque illum ut proprium ſibi, & verè ſuum corpus ſibi perſonaliter conſerit.

De Lib. Arb. L. 2. c. 16. 19.

Idem Auguſtinus: *Sicut enim tota vita corporis eſt anima, ſic beata vita animæ Deus eſt.* Et alibi: *Veritate enim atque ſapientia, quæ communis eſt omnibus, omnes ſapientes & beati fiunt inhærendo illi; beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus, quia & cùm eum imitatur, ut ſit, inde appetit beatus fieri, unde illum factum videt, illa ſcilicet incommutabili communique veritate.* Corpori quamlibet perfecto, deeſt tamen vita, quæ ſupernè ab anima illi aſpergitur. Ita animæ quamlibet perfectæ in naturæ ſuæ propriis ornamentis, deeſt tamen veritas & ſapientia ſurſum invocanda. Corpus perfectum eſt, quia à corpore nullo perfici ultra poſtulat; ſi enim à corpore perficeretur alio, corporeo in genere perficeretur, non itaque perfectum fuiſſet. At quamvis ab anima perficiatur, quia non corporeo, ſed incorporeo vitæ ſenſuſque munere perficitur, perfectum utique priùs erat corpus. Et hæc animæ præcellentia eſt, quòd perfectum quantumlibet corpus perficere ultra poſſit. Ita anima perfecta eſt, quia nulla ab alia natura rationali perfici indiget; quamvis autem à veritate incommutabili perficiatur, perfecta tamen ſuis numeris erat; quantò major enim hæc eſt veritatis perfectio, ut perfectiores naturas ulteriùs perficiat? Ex quo liquet quòd nec corpus à corpore, nec mens à mente ulla creata adſumi in unitatem ſuppoſiti poteſt; ſed corpus ab anima, anima à veritate. Unde rurſum Auguſtinus:

De vera Relig. c. 55.

Non enim aliunde ſapiens Angelus, aliunde homo: aliunde ille verax, aliunde homo: ſed ab una incommutabili ſapientia & veritate. Nam id ipſum actum eſt temporali diſpenſatione ad ſalutem noſtram, ut naturam humanam ipſa Dei virtus & ſapientia incommutabilis & conſubſtantialis Patri & coæterna ſuſcipere dignaretur, &c. Perficere ergo ad hunc modum non hominem homo, non Angelus Angelum, non Angelus hominem, ſed hominem & Angelum veritas ſola poteſt, atque adeo aſſumere ad perſonæ ſuæ unitatem veritas ſola poteſt. Etenim ſola ſuperior natura invadere poteſt ac pervadere naturam inferiorem, eamque ſibi vendicare ut ſuam & propriam ſibi, puta naturas rationales veritas, corpora natura rationalis.

X. Ex eodem rurſum Auguſtino. De Morib. Eccl. L. 1. c. 5. 6.

Et alibi Auguſtinus idem: *Ut enim corporis ſummum bonum id invenit ratio, quod eſt corpore melius, & quo ei vigor & vita præbetur: ita ſive corpus & anima, ſive anima ipſa per ſe homo ſit, inveniendum eſt, ſi quid animam præcedit ipſam, quod cùm anima ſequitur, fit in ſuo genere quam poteſt optima.* Et ibidem: *Deus igitur reſtat, quem ſi ſequimur, bene; ſi aſſequimur, non tantum bene, ſed etiam beatè vivimus.* Et alibi: *Anima hominis immortalis eſt ſecundum quendam modum ſuum. Non enim omnimodo ſicut Deus, de quo dictum eſt, quia ſolus habet immortalitatem. Nam de animæ mortibus*

Epiſt. 28.

ſancta ſcriptura multa commemorat, unde illud eſt: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Sed quod ita moritur alienata à vita Dei, ut tamen in natura ſua vivere non omnino deſiſtat; ita mortalis ex aliqua cauſa invenitur, ut etiam immortalis non ſine ratione dicatur. Et rurſum alibi: *Quomodo anima quæ inferior Deo eſt, id quod ipſa inferius eſt, hoc eſt corpus, facit vivere: ſic eandem animam non facit beatè vivere, niſi quod ipſa anima eſt ſuperius. Superior enim anima quàm corpus, & ſuperior quàm anima Deus. Anima ut præſtet aliquid inferiori, præſtatur illi à ſuperiore. Serviat Domino ſuo, ne conculcetur à ſervo ſuo.* Triplex hìc in univerſum natura diſcernitur, divina, rationalis, corporea. Rationalis mediam ſtationem ita occupat, ut ſupernè formetur, infernè formet, deſuper vivat, ſubter vivificet; huc refundat, quo inde perfunditur. Ita beneficentiæ vinculis univerſum inſuperabiliter ſibi ipſi conſtringitur. Cæterum quælibet natura inferior ſuo quidem modo perfecta eſt; unde tamen ſupernè perficiatur, ſupereſt. Supra naturam autem rationalem non eſt niſi veritas; unde idem ibidem: *Nihil potentius iſta creatura, quæ mens dicitur rationalis, nihil hac creatura ſublimius. Quidquid ſupra iſtam eſt, jam creator eſt.*

In Evang. Joan. Tract. 23.

XI. Ex eodem. In Pſal. 70. Concil. 2.

Et denuò idem Auguſtinus: *Dicam enim audacter fratres, ſed tamen verum. Duæ vitæ ſunt, una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, ſic vita animæ Deus. Quomodo ſi anima deſerat, moritur corpus: ſic anima moritur, ſi deſerat Deus.* Eſt planè ſua animæ vita, qua & vivit ipſa ſibi ſeorſim, & qua corpus vegetat; ſed ſi hoc bonorum limite cohibeatur, peiùs cum ea comparatum erit, quàm cum corpore. Corpus enim ultra fines ſuos ſpatiatur in animæ vitæque regionem, & magnam inde peregrinarum deliciarum copiam haurit. Quin ergo & anima præter innata ſibi vivendi genera, meliores ſurſum invadat divinæ vitæ fontes, & inde ſe ad ſatietatem proluat? Et ne obſcurum ſit, quàm multiplex ſupernè vita vigeat, ad quam ſuſpirent animæ, & cujus multiformi irrigatione beentur, idem ſæpiſſimè explanavit Auguſtinus: *Quando capit anima ex Deo unde ſit bona, participando fit bona; ſi mutata cœperit eſſe mala, bonitas manet, cujus erat particeps bona. Bonitatis enim cujuſdam particeps facta eſt cum bona eſſet, qua mutata in pejus bonitas integra permanet. Si recedat anima & mala fiat, non minuitur bonitas; ſi revertatur & bona fiat, non creſcit bonitas. Factus eſt oculus tuus particeps lucis hujus, & vides. Clauſus eſt, hanc lucem non minuiſti: apertus eſt, hanc lucem non auxiſti. Hac data ſimilitudine fratres intelligite, quia ſi pia eſt anima, eſt pietas apud Deum, cujus fit particeps anima; ſi caſta eſt anima, eſt caſtitas apud Deum, cujus eſt particeps anima: ſi bona eſt anima, eſt bonitas apud Deum, cujus eſt particeps anima: ſi eſt verax anima, eſt veritas apud Deum, cujus eſt particeps anima: cujus particeps ſi non fuerit anima, omnis homo mendax.*

In Evang. Joan. Tract. 39.

XII. Prolixius exponitur, ut naturarum rationalium vita ſit Deus.

Multiplex jam hìc vitæ ratio reſplendet, qua ſupernè impleatur anima, & cum ingenti fœnore compenſet eam, quam corpori vitam ipſa inſpirat. Nam & ſapientia, & veritas, & juſtitia, & bonitas, & caſtitas, & tota illa virtutum luminumque incorruptibilium multiplicitas unitatis amiciſſima, vivit utique & vita eſt, vivificatque adhærentes ſibi animas rationales. Vivit enim ſapientia, vivit veritas, quia ſupernè eſt, ubi regio vitæ eſt. Vivit bonitas, quia ex ſumma illa vitæ patria guttulæ paucæ nobis irrorantur. Vivit ſapientia, qua aſpirante hìc vivitur meliùs. Anima ergo hac vitæ ſupernæ multiplicitate, cum vegetatur, tum vivit & beatè vivit, cum orbatur, tum moritur, & multifariam moritur; & quamvis pergat fugiente & adumbrato vitæ ſimulacro & ſeipſam agitare & corpus, emortuam agit vitam, aut vitalem

per-

perpetuat mortem, moriturque veriùs quàm vivit. Cui enim non conspicuum est, sapientiam & justitiam magis esse animæ vitam, quàm sit anima vita corporis? Nam etsi corpus destituatur animæ lumine, corpus tamen esse pergit, & sui generis modum retinet; at anima sapientiæ & justitiæ extorris, quibus non conflictatur ærumnis? Tot planè mortibus quot vitiis indesinenter sauciatur, & immortaliter moritur. Turpior est & infœlicior anima exors sapientiæ, quàm corpus exors animæ: formatur ergo & vivit & venustatur copiosiùs anima de supernæ sapientiæ, quàm corpus de animæ vegetatione.

Et ne perfunctoria cuipiam, aut extima videatur ea, quam naturæ rationali veritas affluat, vita; intima & substantiva omninò illa est formatio & vivificatio. Nam cùm anima de Deo ita vivat, ut corpus de anima, tam intimè ergo, tamque substantivè Deus animam vegetat, quàm corpus anima. Cùm ita influat Deus animæ, ut lux oculo, non extimitus, sed medullitus insinuatur hæc animæ vita divina. Cùm inculcetur ab Augustino non minui sapientiam animæ recessu, non augeri accessu, ad sapientiam videlicet ipsam incommutabilem accessum recessumque animæ pertinere intelligitur. Nam accidentalis sapientiæ derivatio & recessu animæ inaniretur, & reditu ejusdem renovaretur. Cùm inter naturam rationalem & veritatem, cùm inter animam & Deum nulla interponatur creata substantia, eodem sexcenties authore Augustino, quàm corpori anima, tum animæ Deus immediatè, adeoque substantivè illabitur. Postremò ne illiberalior sit fons ipse largitatis, quàm rivulus inde defluus, ut non sua, sed seipsam corpori imprimit anima, ita non suorum aliquid, sed seipsum imprimat Deus animæ; ne rursus animæ quàm corporis macilentior beatitas sit, quàm de anima corpus, tam anima de Deo substantivè & intimè beetur. Denique ut vita corporum est anima, ita vita vitarum est Deus; & tantò verior vita Deus est, quantò animæ tametsi essentialiter viventes, eo tamen viduatæ moriuntur.

XIII. Idem ex Augustino, utque soli assumptæ humanitati non beato præterea ulli hypostasis divina communicetur. Epist. 222. Complexus est hæc omnia Augustinus loco hoc luculentissimo, ubi Consentio opinanti, *Quia justitia non in se, sed in nobis vivit, imo nos potiùs secundùm illam vivimus, ipsa verò per se justitia nequaquam vivit*: Respondet ad hunc modum: *Illud intuere, utrum rectè dici possit, vitam ipsam non vivere, qua fit ut vivat, quidquid non falsò dicimus vivere. Puto enim absurdum videri, ut per vitam vivatur, & vita non vivat. Porrò si vita ipsa præcipuè vivit, qua vivit omne quod vivit, recole obsecro quas dicat Scriptura divina animas mortuas, profectò invenies injustas, impias, infideles. Nam licet per illas vivant corpora impiorum, de quibus dictum est, quod mortui sepeliant mortuos suos, & ibi intelligantur etiam iniqua animæ non esse sine aliqua vita; non enim aliter ex eis possent corpora vivere, nisi qualicumque vita, qua omnino animæ carere non possunt; unde immortales meritò vocantur: non tamen ob aliud amissa justitia dicuntur mortuæ, nisi quia & animarum licet immortaliter qualicumque vita viventium, verior & major vita justitia est, tanquam vita vitarum. Quapropter si animæ non possunt nisi etiam in seipsis utcumque vivere, quia ex eis vivunt & corpora, à quibus deserta moriuntur: quanto magis vera justitia etiam in seipsa vivere intelligenda est, ex qua sic vivunt animæ, ut hac amissa mortuæ nuncupentur, quamvis quantulacumque vita non desinant vivere? Ea porrò justitia quæ vivit in seipsa, proculdubio Deus est, atque incommutabiliter vivit. Sicut autem hæc cum sit in seipsa vita, etiam fit nobis vita, cum ejus efficimur utcumque participes: ita cum in seipsa sit justitia, etiam nobis fit justitia, cum ei cohærendo justè vivimus, & tanto magis minusve justi sumus, quantò magis illi, minusve cohæremus. Unde scriptum est de unigenito Filio Dei, cum sit utique Patris sapientia, atque justitia, & semper in seipso sit, quod factus sit nobis à Deo sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*. Hæc planè vitarum vita, non à longè irradiat animam, non superficie tenus illi affricatur, ne intus mortua foris imitetur & mentiatur vitam: sed intus & substantialiter illam vegetat, formatque; sed ob suam infinitatem, animæque modicam capacitatem, minus, minusve, ideòque non unam cùm anima qualibet personam constituit. Nec enim unam quamlibet tota sua implet plenitudine, nec totam sibi penitùs vendicat, suamque specialiter & propriè facit: sed sui juris illam esse patitur, & seorsim per se esse sibi, propriaque authoritate & persona vigere. Soli assumptæ humanitati totam sui superfudit plenitudinem, eoque suam fecit esse, & sibi propriam, adeoque personæ illam suæ inseruit.

CAPUT XVIII.

Quod homo totus, & nec existentia, nec alio quoquam deficiens assumptus sit, probatur ulteriùs.

I. Ex sanctis Patribus totus homo assumptus est, ergo cum existentia & re sua omni. Declaratur 29. Eo personam humanam in Christo non esse, quòd seorsim non sit sibi solitariè totus homo assumptus, sed Verbo uti pars accesserit, & melioris totius accessio & portio jam sit. Declaratur autem ex eo quòd passim sancti Patres doceant Christum perfectum hominem esse, nulloque penitùs fraudari proprio hominum ornamento; at si existentia illi amputatur humana, in ejusque locum subrogatur divina, non perfectus utique homo est, sed truncus & ut summum dimidiatus. Componit enim hominem & physica animæ corporisque, & metaphysica essentiæ existentiæque conjugatio: si existentia ergo humana Christo expungitur, pars animæ, pars corporis, pars totius hominis dimidia eliditur. Ludificatoria porrò est ea cavillatio, qua causantur assumptam à Verbo naturam integram, non personam; existentiam autem ad personam pertinere, non ad naturam; ideoque non assumptam existentiam. Quo quid incertius fingi potuit? Nam illa realis existentiæ ab essentia discriminatio, quàm nova, quàm antiquæ Philosophiæ ipsi inaudita, quàm germanæ Patrum Theologiæ incomperta, quàm cordato cuique incredibilis, omnibus denique quàm incerta? An ergo fidei nostræ caput, & summa, salutis nostræ causa & subsidium, tam lubrico committi debuit fulcro? Deinde existentia utcumque capiatur, naturæ ipsius perfectio primaria & laus amplissima est: quàm caduca enim, & quàm deflua & inanis est, imo quàm nihili natura, & quàm nihilum est, nisi existat? Naturæ complementum, substantiæ columen supremum est existentia. Ergo trunca & lacera assumitur natura, nisi & existentia ejus assumitur.

II. Quam anceps sit distinctioni essentiæ ab existentia cōmittere sacramentum salutis nostræ. Rursus assumpta est natura, non illa per inane volitans, & phantasiæ jocus, vel cerebri insomnium, sed singularis & individua: at naturæ individuæ plusquam dimidium est existentia. Deinde & accidentia quoque complura & propemodum omnia ad personam pertinent, & assumpta sunt tamen, sic ut ad superiorem pertinerent personam: ergo & existentia quamvis ad personæ coagmentationem spectet, ad personam tamen Verbi abripi potuit. Denique assumpsit reparator quidquid condiderat Deus Creator, quidquid vitiaverat homo prævaricator. At non ab existentia segregatam, & per inania dispalantem naturam, sed singularem, sed existentem, & ipsam maximè existentiam, & creator creaverat Deus

& homo peccator contaminaverat. Tertullianus: *Quid dimidias cum mendacio Christum? totus veritas fuit.* Et idem alibi: *Quid à Patre Christus acceperat, nisi quod & induerat? Hominem sine dubio, carnis animæque texturam.* Ita & essentiæ & existentiæ textura homo est, & expressiùs; nam corporis ab anima dissidium neminem fallit: at essentiæ ab existentia discrimen aut nullum certò est, aut quamminimum. Dimidiatur ergo, sibique ipse homo eripitur, si sua expoliatur existentia.

L. de Carne Christi. L. de resurrect. c. 34.

Ambrosius: *Ergo cum esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma.* At quis ambigat existentiam attinere plenitudinem perfectionis humanæ, & ad hominis consummationem?

Epist. 8.

Fulgentius ad Trasimundum: *Quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem hominemque peccantem talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet; & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret.* At totus & verus homo non est, si parte altera, eaque primaria humanæ substantiæ exuitur, videlicet existentia. Itaque minuitur Mediatoris persona, nec totam reconciliandæ naturæ substantiam in se complectitur.

L. 1. c. 15.

Damascenus: *Neque enim Deus Verbum quidquam eorum quæ cum nos initio fingeret, naturæ nostræ inseruit, prætermisit; sed omnia assumpsit, corpus, animam intelligentem & ratione præditam, eorumque proprietates.* At existentiam nonne condidit? & maximè illam condidit, per quam reliqua condidit? Ergo vel hanc assumpsit, vel non totam assumpsit creaturam. Ne cavilleris autem existentiam esse ultimum actum, extremamque naturæ perfectionem, ultimo autem nihil esse ulterius, nec extremo superaddi quidquam posse. Nam existentia, esto sit ultima perfectio illo genere, at ultimæ unius ordinis supersunt maxima quæque ex superioribus additamenta. Et corporeæ enim naturæ sua est ultima & extrema perfectionis connatæ linea, ultra quam tamen vitæ animæque omnimoda superfunditur copia. Et plantæ seu vitæ vegetanti absolutissima & extrema non deest venustas sua, & præterea tamen ad vitæ sentientis evehitur beatitatem. Et animantis natura ultimo suæ perfectionis cumulo completur, rapitur tamen non ulteriùs in eadem natura, hoc enim nefas est, sed ulteriùs in superioris naturæ gaudia. Postremò & rationalis natura extremum apicem debitæ suæ integritatis tametsi videtur assecuta, augescere tamen præterea potest, non sui, sed superioris ordinis longè uberrima divitiarum copia. Itaque natura quælibet existens, adeoque ultimo dotata complemento, in superioris naturæ fines proripi, ibique plenissimè adhuc potest opulentari, & personæ inseri potentiori, ut præmissis claret exemplis.

III. Condidit Creator existentiam, eam ergo assumpsit Redemptor. L. 3. c. 3.

Et ne rursum tergiversetur aliquis excipiatque, hæc esse compositionis physicæ exempla, non metaphysicæ, cujusmodi est essentiæ & existentiæ, naturæ & personæ compositio. Contrà nititur cuneus sanctorum Patrum maximus, qui hominem Verbo ita copulari frequentissimè contestati sunt, ut corpus animæ, nusquam ut essentiam existentiæ; ergo physicam hanc philosophati sunt esse compactionem. Deinde perspicua ratio est, cur illi copulam & mixturam corporis & animæ in medium proferant, nunquam essentiæ & existentiæ; illo videlicet beatiore ævo necdum calliditates istæ ex officina Philosophorum in Ecclesiastica pulpita defluxerant, necdum fidei & salutis nostræ momenta tricis istis implicabantur. Denique seu physica seu metaphysica allegetur compositio, æquè pugnat utrobique extremo ultimoque ulteriùs apponi: pugnat enim in eodem ordine, non pugnat copia facta ordinis bonique superioris. Et ad dignitatem saltem interest summæ Deitatis, ut nulla quantislibet donis creatura cumulari perficique usque adeo possit, quin præterea Deitatis ipsius superfusione perfici & beari in immensum possit.

IV. Sancti Patres aiunt copula i Verbũ homini ut animam corpori, non ut existentiam essentiæ.

Athanasius Lib. de Incarnatione: *Porrò quæcumque ipse sua voluntate in natura formaverat, ea sua voluntate in seipsum recepit.* Et quid opus alios acervare, cùm omnes consentiant assumptum fuisse quidquid conditum fuerat condita autem imprimis fuerat natura existens, ultimoque gaudens complemento suo.

Pag. 45.

Declaratur 30. receptissimo ac solemni Patrum altero axiomate, non esse sanatum, nisi quod assumptum est; desperatæ salutis esse quod assumptum non est; minutias omnes vulnerati hominis adglutinandas esse Verbo vivifico, ejus ut contactu complexuque perenni sanentur; si quid à Verbi copula expers sit, perennem in eo futuram peccati morbique luem, & inde in alia contagio grassaturam. At existentia pars est hominis potissima, ergone ejus salus conclamata est? nam si Verbo, id est vitæ & saluti non accedit, quò decedit nisi in mortem desperatam? Ergone hominis dimidiata est purgatio? Deinde non partes tantùm naturæ physicas, corpus & animam, sed & minutissima quæque Verbo Deo sancti Patres affigere laborarunt; dolorem, metum, lachrimas, affectusque omnes; conceptus, natales, cunas, ætates omnes; esuriem, sitim, fatigationem, ærumnasque omnes; ut quocumque irrepserat peccatum, insinuaretur & medicina; utque omnia mors tabefecerat, sic omnibus vita inspergeretur. Qui ergo has omnes consectati sunt minutias, excusseruntque sinus omnes, ut nihil à Verbi copula, adeòque à sanatione exors remaneret: an illi dimidiatum hominem prætermisisse suspicandi sunt? Rursum cùm salutis inane sit quidquid assumptum non est, danda imprimis opera est, ne quid nostram fugiat diligentiam, utque omnia hominis quantulacumque admoveamus Verbo.

V. Non est sanatum nisi quod assũptum. Cavendum ergo ne res ulla hominis assũpta non sit.

Cùm verò persona humana assumpta non sit, hujus salutem quì promovebimus? an assumptam dicemus? an sanatam, tametsi non assumptam? Nodosissimam alioqui perplexitatem ita enodamus cum sanctis Patribus. Persona non aliquid est reapse à natura discretum: persona est ipsamet natura, ut seorsim ab aliis intellecta, ut nullius accessio facta, ut ulterioris substantiæ & perfectionis expers, ut tota, ut sua sibi, ut nulli superiori substantivè inserta & mancipata. Cùm ergo assumpta est tota natura, assumpta sunt hominis omnia, nihil remansit non assumptum, ac proinde nihil non sanatum; persona tamen assumpta non est, quia ratio illa totalitatis & solitudinis, & juris dominiique substantivi, quam natura alioqui sibi vendicasset, intercepta est. Denique quid Verbum non assumpserit, exceperunt sancti Patres, non existentiam humanam, non quidpiam ejusmodi, sed peccatum; hoc non condiderat, ideò non assumpsit: hoc non sanare, sed disperdere instituerat, ideò non assumpsit. Quidquid verò vel primùm creaverat, vel postea vitiatum restaurare decreverat, cujusmodi planè est existentia, id assumpsit.

VI. Diluitur illa objectio, persona assumpta non est, ergo sanata nõ est.

Athanasius Epistola ad Epictetum: *Ipse incorporeus in corpore patibili existebat, corpusque vicissim Filium Dei impatibilem retinebat, absumentem corporeas infirmitates. Ideo autem istud agebat, ut nostra suscipiens, offerensque in sacrificium, victimando absumeret; ac deinde suis nos circumvestiens, id efficeret, quod ab Apostolo dictum est, Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem.* Totum assumpsit, ut & inhærentia toti vitia exurat, & divina toti inspiret privilegia.

VII. Ex Athanasio, Nazianzen. Damascen.

Nazian-

Nazianzenus: *Si quod deterius est, assumptum est, ut per incarnationem sanctificetur, annon quod præstantius est assumetur, ut per humanationem sanctitate afficiatur? Si lutum fermentatum est, o sapientes viri, ac nova conspersio extitit, imago ipsa* Orat. 51. *non fermentabitur, & cum Deo temperabitur per Deitatem deificata? Quin hoc quoque adiiciemus, si mens ut peccatrix & damnata, rejecta & spreta est, ob eamque causam, omissa mente corpus assumptum est: ignoscendumque par est iis qui circa mentem peccant; Dei enim testimonio, de tua sententia, demonstratum est, eam sanari non posse.* Eodem incitantur stimulo, & hi, ut existentiam; & illi olim, ut mentem negarent assumptam; quòd & existentia & mens, sit ultimum complementum, sit perfectum, sit ἡγεμονικὸν, adeòque nequeat assumi. Urgentur iisdem responsis, perfecta & ultima hæc esse sibi, non Deo; cæterum si assumpta non sint, nec sanata esse; denique quò perfectiora sunt, eò digniora quæ assumerentur. An corpus enim divino complexu honestabitur, arcebitur mens? an essentia quæ limus quidam informior seorsim est, assumetur, non assumetur existentia, quæ essentiæ perfectio & lumen est, & mentis ipsius apex, & vitæ vita?

Damascenus: *Omni humanæ naturæ dicimus unitam esse omnem divinitatis substantiam: nam nihil* L. 3. c. 6. *eorum quæ plantavit in natura nostra Deus Verbum, cum in principio plasmavit nos, deficit; sed omnia assumpsit, corpus, animam rationalem & intellectualem, & eorum proprietates. Quod enim unius horum expers est animal, homo non est. Totum enim totus assumpsit me, & totus toti unitus est, ut toti salutem largiretur. Quod enim inassumptum est, incurabile est.* Si totus totam assumpsit, utique creata sua existentia existentem assumpsit: an enim existentia nihil totius est, quæ totius extrema perfectio est? An totum assumi potest, non assumpto eo, quo efficitur maximè & perficitur totum?

Ambrosius: *Confiteamur sicut in Dei forma nihil ei defuit, divinæ naturæ & plenitudinis: sic in* VIII. Ex Ambrosio & Augustino. Epist. 62. *illa forma hominis nihil ei defuisse, quo imperfectus homo judicaretur, qui ideo venit, ut totum hominem salvum faceret. Neque enim decebat, ut qui perfectum opus in aliis consummaverat, hoc imperfectum in se esse pateretur. Si enim aliquid ei defuit, non totum redemit. Si non totum redemit, fefellit igitur qui dixit ideo se venisse, ut totum hominem salvum faceret. Sed quia impossibile est mentiri Deum, non fefellit ergo: quia ita venit ut totum redimeret & salvum faceret, totum utique suscepit, quod erat humanæ perfectionis.* En quàm inculcatè, quàm enixè totum susceptum esse commendat, perfectum hominem, & quidquid est humanæ perfectionis. An toties hoc iterantibus cum sola peccati exceptione, non succurisset unquam, & existentiam pariter non assumptam meminisse sed hæc ut reor essentiæ ab existentia discriminatio necdum increbuerat.

Augustinus de verbis Apostoli: *Non enim alterius naturæ caro illius & caro nostra: nec alterius* Serm. 8. *naturæ anima nostra & anima illius. Hanc suscepit naturam, quam salvandam esse judicavit. Nihil minus habebat in natura, sed nihil habebat in culpa. Natura pura, sed non sola humana. Ibi erat Deus, ibi erat Verbum Dei. Et sicut tu unus homo, anima es & caro: sic & ille unus Christus, Deus & homo.* Quo in loco Augustini & sexcentis id genus apud illum, plura obiter adnotanda eminent. Primùm, & anima & caro Christi ab anima & carne nostra discreparent etiam quodammodo natura: si nostræ humana & creatitia, illius divina & creatrix esset existentia; est enim si semotis paulisper Philosophiæ præstigiis seriò res attendatur, est inquam existentia naturæ plusquam dimidium. Deinde *nihil minus habebat in natura: sed nihil habebat in culpa*: qua fronte dici id posset, si naturæ existentiam propriam non habebat? cur solum demitur peccatum, si demenda est & existentia? Rursus *natura pura, sed non sola humana; ibi erat Deus, ibi erat Verbum Dei.* Quàm consentaneè ad nostram mentem dictum est; nam ideò persona humana Christo deest, etsi nihil hominis illi deest, quia natura ibi tota quidem est, *sed non sola*. Nam *ibi erat Deus, ibi Verbum Dei.* Hæc ergo est totius hujus difficultatis enodatio. Totus humo assumptus est, persona tamen assumpta non est, quia tota natura assumpta est; sed natura tota tum demum persona est, cum sola est; cùm autem meliori adjungitur substantivè, tum meliori personæ coalescit. Denique & hic Augustini & alibi creberrima Patrum authoritate suffragante, Dei & hominis compositio, physica compositio est, non metaphysica; ejusdem modi est ac animæ & corporis, non ut essentiæ & existentiæ. Animæ enim & corporis perspicua, certa, indubitata: at essentiæ & existentiæ obscurissima, vacillans, aut omninò nulla coalitio est.

Fulgentius ad Trasimundum: *Filius Dei hoc adjuvat in homine quod suscepit pro homine, &c. Ideo* IX. Ex Fulgentio & Augustino rursum. *quod totus homo reatum transgressionis admisit, totum sibi diabolus captivavit; quod si totus tenebatur* L. 1. c. 13. 14. 15. *captivitatis vinculo, totus eguit liberatoris auxilio: si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere divina majestas. Totius ergo fuit hominis à Deo suscipienda natura, quoniam in toto fuit captivitas captivanda, ut tota acquireretur de captivata captivitate victoria.* Et infrà: *Sicut totum hominem diabolus decipiendo percussit, ita Deus totum suscipiendo salvavit: ut agnosceretur idem creaturæ totius conditor & redemptor.* Et rursus: *Ut plenitudo Deitatis susceptum non consumeret, sed proveheret hominem: & plenitudo humanitatis nec minoraret immensam, nec mutaret impassibilem Deitatem.* At quis inficietur ad plenitudinem humanitatis individuæ pertinere existentiam? quis hanc hominis semissem peccati veneno delibatam & ipsam fuisse addubitet? & diaboli potestati addictam, & liberandam, utque liberaretur assumendam?

Idem Fulgentius: *Qui si minus aliquid habuit humanæ naturæ, nec personam sumere Pontificis, nec offerri potuit pro peccatis. In lege enim sacerdotio* L. 1. cap. 12. Ibid. *fungi non poterat, si quis homo minus aliquid habuisset in se: nec vitiosum vel imperfectum pecus ad sacrificium cuiquam licebat offerre. Pontificem verò nostrum Jesum Christum esse quis ambigat?* Et Pontificis jam & hostiæ nomine interdicetur Christo homini, si qua hominis parte mutiletur; utrique enim necessaria cum primis muneri est integritas. At mutilatur utique, aut etiam dimidio sui curtatur, cui propria truncatur existentia. Et alibi L. de Incarn. & Grat. c. 16. idem: *Ut quidquid in homine creaverat integrum, idem Deus in se totum redintegraret assumptum.*

Augustinus iterum: *Confirmatum est in Catholica fide, hominem illum quem suscepit sapientia Dei,* In Psal. 29. *nihil minus habuisse quàm cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ; quantum autem ad excellentiam personæ, aliud quàm cæteri homines.* At quis non intelligat ex integritate naturæ esse, ut existat? an citra existentiam natura integra erit, quæ nec erit? Undenam quæso principaliter habet, ut integra sit, nisi à qua habet ut sit? an existentia erit actualitas ut vocant naturæ, complementum & cumulus ultimus naturæ, nec erit tamen de integritate naturæ? Nimis absona sunt hæc. Cur ergo personam Christus non habet humanam, si integram habet naturam humanam? Respondet Augustinus, quia *excellentiam personæ* superiore à natura Deitatis sibi copulatæ habet. Persona enim penes id se tenet, quod in unoquoque excellentissimum est.

CAPUT XIX.

Ex unione Dei & hominis, cur una exurgat perſona, non una ſimiliter natura.

I. Ex duabus Chriſti naturis non fit una natura, primo quia neutra in alteram vel mutatur, vel cōfunditur,

DUabus Chriſti naturis ſuus alibi ſpecialis dicandus eſt labor, & copioſiùs pertractandis & ab hæreticorum calumnia vindicandis. Sed quia ſcopulus hic eſt, in quem illidi ſubinde videtur perſonæ unitas, pauca hìc in anteceſſum prælibare, quantum ad hanc rem conducet, operæ pretium eſt. Licèt ergo Dei & Hominis una in Chriſto ſit perſona, quod non una ſit tamen exiſtimanda æquè utriuſque natura, argumento eſt

Primò, quod neutra alteram devoret, neutra in alteram demutetur, neutra cum altera confundatur. Nec enim abſorbet humanitatem Deitas, ſed fovet, ſoſpitatque. Eæ quippè ſunt patres, ii ſunt mores Deitatis, opera ſua moliri, non emoliri; augere, non deterere; incolumitatem ipſis adſerere, non peſſumdare; interitum propulſare, non accelerare. Cùm ergo enti ſummo immergitur natura hominis, ejus complexu magis eſt: an enim in ipſo entis ſinu hauriet non eſse? An in vitæ fonte interitum habebit? An in ſalutis & ſoſpitatis vertice labem incurret? Nec humanitas in Deitatem deficit: acceſsu enim ad Deum proficere quidlibet poteſt, non deficere: profectu ad immutabilem, non mutatio gliſcit, ſed mutationis medicina: nexu ad incorruptibilitatem ſtrictiſſimo, eliditur vaneſcitque corruptio. Porrò nec ex mutatione vel corruptione cujuſquam, ipſa quaſi enaſci & efflореſcere poteſt incorruptibilitas & immutabilitas. Non ergo mutari poteſt humanitas in Deitatem, id eſt, non ex mutatione emerget immutabilitas, non ex corruptione incorruptibilitas, nec ex defectu indefectibilitas. Nec denique Deitas cum humanitate confunditur. Callet enim pollетque Deitas illuminare, nec tenebrari: augere, nec minui: quod imum eſt, ad ſe ſuſtollere, nec deprimi; mortali immortalitatem aſpirare, ſua denique omnia & donare & habere ſibi, & totam ſe citra confuſionem infundere, eo ſaltem nomine, quod opulentia ſemet infundens, non ſit egeſtas, cui ſe infundit. Ferrandus Epiſtola ad Severum: *Naturas adunavit, non perſonas duplicavit. Naturas plane adunavit ſine confuſione permanentes, & in ſæcula permanſuras. Sic enim adunavit, ut nec divinitas in humanitatem mutaretur, nec humanitas à divinitate abſorberetur; ſed uttraque natura incolumis cuſtodita, ſuis officiis uteretur, ſuis operibus agnoſceretur, ſuis nominibus vocaretur, verumtamen perſonis propriis non diſtingueretur.* Superſedeo pluribus, ut in re infinita, nec neceſsaria.

Num. 7.

II. Secundò, quia nec nova quæpiam tertia natura fit, nec nomen ejus novum.

Secundò, ſi ex duabus una fieret natura, quod ejus tandem nomen, quæve ſpecies adlubeſcet? Nec enim natura eſt ulla, cui non ſuum peculiare nomen addictum ſit, quo fulgeat, ſeque ab aliis ſejungat. Ita cum corporis & animæ compaginatione fabricetur una natura, protinùs ejus nomen, homo eſt. Naturæ ergo illius quam Deus & homo conflarent, ecquod tandem nomen foret? An Deus? Non ergo foret homo. An homo? Non ergo Deus eſset. An Chriſtus? At id non naturæ nomen eſt, ſed officii. Ab unctione enim Chriſtus nuncupatur. Hinc Ferrandus idem: *Quoties ex duobus fit aliquid unum, nova res fit; & ſi nova res fit, novum neceſſariò naturæ nomen exiſtendo noviter ſumit. V. G. alia eſt in nobis natura animæ, alia corporis: illa ſpiritalis, iſta terrena; illa inviſibilis, iſta viſibilis. Et quia ex his duabus una eſt facta natura, novum naturæ nomen indepta eſt, ut vocaretur homo. Separatim enim dicitur anima, ſeparatim corpus; nec anima poteſt nuncupari corpus, nec corpus poteſt nuncupari anima; ſimul autem corpus & anima rectè nuncupatur homo. Nec natura animæ eſt natura corporis, nec natura corporis eſt natura animæ: ſimul autem conſtans ex natura corporis & animæ, una eſt natura humana. Proinde ſi divina natura & humana natura confirmantur unam feciſſe naturam, inveniatur etiam quam naturam, quæ nec divina appelletur, nec humana: ſed ſicut nova, ita novo nomine nuncupata. Nullus plane tergiverſator & unius naturæ contentioſus adſertor, in hujus articulo propoſitionis, naturæ, quam ex duabus unam fingit, novum nomen adponat, & eum Chriſtum dici reſpondeat; quia Chriſtus nomen officii eſt, non naturæ. Ab unctione enim Chriſtus; unctio vero temporalis diſpenſationis indicium, non ſubſtantiæ videtur eſſe vocabulum.* Eadem penè verbatim leges apud Maxentium, in libello contra Acephalos. Breviùs & explicatiùs Theodorus Abucara: *Qui autem dicit Chriſtum unam naturam compoſitam eſſe, ſicut eſt una compoſita hypoſtaſis, cogetur nominare nomine philoſophico hanc naturam & ſimiliter hypoſtaſin. Atque hypoſtaſin quidem vocaverit æternum Filium incarnatum: naturæ verò quam appellationem accommodare poterit? Si enim hanc appellet Deum, negabit humanitatem: ſi autem hanc appellet hominem, tollet Trinitatem. Sin verò hanc neque Deum, neque hominem nominet, ſtatuet igitur Chriſtum, neque Deum eſſe, neque hominem.*

Ibidem.

Opuſcul. 2.

III. Tertiò ſi una ex duabus natura cōſurgeret, nec Deus eſſet Chriſtus, nec homo: & nec Patri, nec Matri conſubſtantialis eſſet.

Tertiò, hæc natura ex Dei & hominis concretione emicans, nec Deus erit, nec homo, alia enim erit à natura Dei & hominis: ſicut homo nec anima, nec corpus nuncupatur, quia ex animæ & corporis natura exiſtit natura hominis. Rurſus hæc natura nec ſubſtantialis erit Patri, nec æqualis; ſicut nec homo Angelis conſubſtantialis eſt, nec corporibus inanimis, aut animantibus brutis, tametſi aliqua ſui parte cum Angelis, aliqua cum corporibus brutiſque conſentiat. Rurſus eodem jure nec hominibus conſubſtantialis erit natura hæc Chriſti; nec enim conſubſtantialis eſt vel Deo vel homini ea natura, quæ quapiam ſubſtantia conſtat, qua nec Deus conſtat, nec homo. Ergo hinc efficietur ut Chriſtus jam nec Deus futurus ſit, nec homo, nec Deo Patri, nec Mariæ Matri conſubſtantialis. Facundus: *Nec dici patimur unam ejus ex divinitate & humanitate compoſitam eſſe naturam, ne Patri cujus ſimplex natura eſt, conſubſtantialis non ſit: & ſicut alterius eſt perſonæ quam Pater, ita etiam alterius, id eſt diverſæ dicatur eſſe naturæ. Verum neque nobis erit conſubſtantialis, niſi ejus duæ naturæ ſint: ut ſcilicet altera ſit, in qua conſubſtantialis eſt Patri, altera verò in qua conſubſtantialis eſt nobis.* Et paulò poſt: *Tanquam ſine capite remanentes, Acephali vocantur à Græcis, quos ſignificantius nos Semieutychianos poſſumus appellare. Hi ergo ſciſſorum Eutychianorum ſchiſmatici dicunt, quoniam ſi & una prædicetur Filii Dei natura, poteſt accipi eadem una natura ſecundùm aliquid naturæ Patris conſubſtantialis eſſe, & item ſecundùm aliquid noſtræ. Hoc eſt autem dicere nec Patris eam naturæ conſubſtantialem eſſe, nec noſtræ. Namque cum aliquid habere dicitur hæc una Filii Dei natura quod Patris natura non habeat, & rurſus aliquid quod noſtra non habeat, non aliud eſt quàm eam negare conſubſtantialem & naturæ Patris & noſtræ.* Magnam paterni erroris partem ejuraverant Acephali, vel Semieutychiani. Nec enim vel mutationis, vel confuſionis quidquam vel humanæ, vel divinæ aſpergebant naturæ; ſed eo pacto in unam eas coaluiſſe naturam ominabantur, ut anima & corpus, naturæ cum ſint diverſæ, in unam hominis naturam abſque alterutrius attritione devinciantur. Qua ex una tamen fibra proſerpebat rurſus tota hæreſis. Nam compoſita hæc ex Deo & homine natura ſimplici Trinitatis naturæ, & minùs compoſitæ hominum reliquorum naturæ conſubſtantialis utique non fuiſſet, adeoque Chriſtus & à Patris & à Matris natura peregrinus extitiſſet. Leontius: *Petrus enim abſolutus, nec ejuſ-*

L. 1.

IV. Ne ita quidem una fit natura ex Deo & homine, ſicut ex anima & corpore.

Act. 7. de Sectis.

dem

dem est cum animabus naturæ, nec ejusdem cum corporibus, nec anima propriè, nec propriè corpus. Non enim quæ corporis aut animæ tradi definitio potest, eadem & Petri traditur, &c. Nunc ad Christum veniamus; quippè respondet apud ipsos divinitas animæ, humanitas corpori. Christus ergo nec ejusdem cum Patre, nec ejusdem nobiscum est substantiæ, quemadmodum & Petrus nec ejusdem est cum anima, nec ejusdem cum corpore substantiæ. Quamobrem & Christus nec propriè Deus est, nec propriè homo; nec Deus natura, nec natura homo; nec unus sanctæ Trinitatis, nec unus ex nobis, sicut Petrus nec unus ex animabus est, nec unus ex corporibus. At hujusmodi de Christo dicere, nihil est aliud quàm indubitata principia quæ habemus, subvertere: quod absurdum fuerit. Rusticus similiter: *Consubstantialitas enim pro partis, & non pro totietate substantiæ, imperfecta est. A trecentis enim decem & octo sanctis Patribus propter hoc Deo Patri consubstantialis dictus Filius, ut cognosceremus, quia nihil in eo deest Paternæ substantiæ. Similiter verò ab his qui fuerunt postea sanctis Patribus consubstantialis nobis est prædicatus, ut omnia nostræ substantiæ illum habere credamus. Igitur hæretica fraude, consubstantialitatis nomine utitur, qui ex parte hoc suscipit.* Negatque ibidem vel Angelis, vel corporibus animæ, vel animantibus rationis expertibus posse dici consubstantialem hominis naturam, propterea quòd consubstantialitas totam naturæ substantiam continet, nec consubstantialis esset natura Christi, vel naturæ Patris, si humanitatem clauderet, qua Pater careret; vel naturæ matris, si Deitatem complecteretur, qua mater esset orba.

Disp. cont. Aceph.

V. Quartò si una esset Christi natura, esset in Deo quaternitas.

Quartò, si una Christi natura confingatur, non jam Trinitas, sed vel dualitas, vel quaternitas erit hypostaseon divinarum. Nam ex Deo & homine effulgescens natura nec Deus erit propriè nec homo: sicut ex anima & carne, nec anima nec caro est. At si natura Deus non est, nec hypostasi Deus erit Christus, nec enim nisi in natura divina hypostasis divina consistere potest. Ergo una ex hypostasibus divinis detruncatur. Aut si sua Verbo Deo adseritur hypostasis, Christo nec Deo jam nec homini nova hypostasis astruenda erit, atque ita emerget nobis portentosa quaternitas. Ita argumentatur Leontius: *Sciendum ab iis qui unam in Christo naturam statuunt, necessario colligi, vel duas ut hypostases divinitatis dicant, vel quatuor, non tres, quod omnes confitentur. Nam si unam in Christo nobis naturam tradunt, unde tres nobis hypostases divinitatis depromenti? Habemus enim Patris unam, & unam sancti Spiritus: reliquam dicere nullam poterunt, unam in Christo naturam statuentes. Quippè si natura una est, non jam natura Deus erit, ut modo probavimus. Si non est natura Deus, quomodo divinitatis hypostasin habere dici poterit? Quo fit ut ipsos duas hypostases dicere colligatur. Sin dixerint tertiam hypostasin esse Dei Verbi, ut una sit Patris, altera Spiritus sancti, tertia Dei Verbi, necessario quatuor hypostases introducunt, unam Patris, unam Spiritu sancti, unam Dei Verbi, & unam Christi.*

De Sectis, Act. 7.

VI. Euriches errat dum ex duabus naturis statuit Christum, non in duabus.

Ex his & illud sepitur effugium Eutychianorum, ex duabus Christum, non in duabus autem naturis profitendum esse. Conficitur enim non ante adunationem, sed post maximè duas esse Christi naturas, ut in duabus magis sit, quàm ex duabus. Ex duabus enim esset, si utraque priùs extitisset; at in duabus verè est, quia post adunationem duæ naturæ supersunt. Nec id magis mirum, duæ ut sint in una Christi persona naturæ, quàm ut tres sint una in Dei natura personæ. Ferrandus Epistola ad Severum: *De incarnatione Christi hæc est fides mea per quam fateor, ex duabus & in duabus substantiis unam Christum habere personam. Nec movet quomodo potuerit habere duas in una Christi persona naturas, cum videamus divinitatis unam substantiam tres habere personas. Si enim mihi dicat aliquis, in Christo ostende mihi secundùm numerum naturarum numerum personarum. Respondebo intrepidus, ostende mihi etiam tu in Deitate secundùm numerum personarum numerum naturarum. Si enim non potest esse natura sine persona, nec persona potest esse sine natura.*

Num. 8.

VII. Cù anima corporis citra confusionem vel demutationem uniatur, una fit utriusque natura. Cur non ergo etiam Dei & hominis?

Nonnihil tamen negotii facessebat Catholicæ fidei adversus Acephalos assertoribus creberrima illa animæ corporisque in unam coeuntium naturam comparatio. Eccur enim non eodem modo & Deitas humanitasque in unam colligari naturam prædicabuntur, citra mutationis aut confusionis labem ullam, unaquaque natura suas sibi proprietates innoxiè & illibatè fovente, & alteri prolixè, incorruptè, inconfusèque impertiente? Nec anima enim in corpus, nec corpus in animam vel tantillum deficit: & ex utriusque tamen vinculo una exultat natura, hinc visibilis, illinc invisibilis: illinc immortalis, hinc mortalis. Deinde ex anima & corpore una fit natura, quia immeat anima corpori, illud format, domat illud frangitque in suos usus, & suum illud, ejusque omnia sua esse facit: at similiter Deitas humanitati immeat, fidetque penitissimè, illam vegetat & uti suam sibi vindicat, & tanquam partem sui aut membrum. Quin ergo & una fit cum humanitate natura? Denique cum ex anima, & corpore non una tantum fiat persona, sed & natura: cur ex Deo & homine una tantùm fit persona, non natura, cùm hæc unio illam longissimo superet intervallo?

VIII. Respondét complures, & hominis non unam, sed duas esse naturas: porrò unã tãtum personam.

His laqueis extricari se nonnulli haud aliter posse sperarunt, quàm si ut Christi, ita & hominis cujuslibet duas mordicus defensitarent naturas; nec alia hominem quàm personæ unitate religarent. Connivere primùm visus est huic responsio Facundus Hermianensis: *Dicunt igitur, sicut ex duabus naturis, id est, ex anima & carne, una composita est humana natura, sic ex Deitate & humanitate una composita est Christi natura: & ideo ex duabus quidem, sed non in duabus naturis Christum confitemur. Equidem nulla causa est, cur etiam unusquisque homo in duabus negetur esse naturis, in carne scilicet atque anima.* Si in duabus est homo quilibet naturis, sunt planè duæ ejus naturæ. Quanquam ex his duabus unam confiteri non dissimulet ibidem Facundus, aliasque proinde responsiones aggeret, de quibus infra. Rusticus: *Si igitur & illos qui duas naturas hominis dicunt, nihil subsequitur inconveniens, duas igitur naturas confitentes Jesu Christi Domini nostri, quid indecens consequetur?* Leontius de Sectis: *Nam ecce, inquiunt (hæretici,) unam hominis naturam dicimus, & in eo tamen inconfusæ sunt partes unitæ. Hoc exemplo in angustum quasi coacti defensores Synodi, se in homine quoque naturas fateri duas ajebant.* Damascenus: *Unusquisque homo ex duabus componitur naturis, anima & corpore; sicque indeminutas habere in semetipso duas naturas rationabiliter dicetur; salvat enim utriusque etiam post unionem naturalem proprietatem.* Et ad finem ejusdem capitis: *Quod autem homo duarum naturarum & dicatur & sit, testis est Deiloquus Gregorius. Duæ enim naturæ, inquit, Deus & homo, quia & duæ naturæ, anima & corpus. Et in sermone de baptismate talia dicit: Cum nos duplices simus, ex anima & corpore: & hæc quidem visibilis, illa autem invisibilis sit natura: duplex est & purgatio, per aquam & spiritum.* Et Gregorius Nazianzenus, eo fortè ipso loco quem allegavit Damascenus: *Natura enim duæ, Deus & homo: quoniam & anima & corpus: non duo tamen Filii aut Dii; neque enim & hic duo homines.* Videntur hi omnes aliique hoc consultò captasse compendium, quo elaberentur potiùs, quàm vincerent. Nam ut argutiis philosophicis abstineamus, ut ut habeat de hominis natura ad amussim philosophicam expensa & trutinata, duplex sit illa, an unica; invaluit tamen usus

L. 1.

Pag. 806.

Act. 7.

L. 3. c. 16.

Orat. 51.

apud

apud vulgus Christianorum, apud ipsos apices doctorum, reique Theologicæ principum, ut una hominis natura tolerabiliter saltem dicatur & existimetur. Quin ergo & qui unam Christi naturam eodem sensu opinabantur, in suo sensu abundare permissi sunt?

Aggrediunda igitur cominus est hæc difficultas, & expiscanda unde unde discrimina sunt & argumenta, quibus id assequamur invictissimè, ut quamlibet una pronuncietur hominis ex anima & corpore efflorescens natura, non unam tamen fas sit Christi ex Deo atque homine naturam imaginari.

IX. Respondetur pressius primò, ob simplicitatem Deitatis, nõ posse ex ea & alia qualibet, tertiã exurgere naturam.

Primum ergo licèt altiùs immeet, suumque faciat arctiùs Deitas hominem, quàm anima corpus, hinc tamen una exurgit natura, non illinc, ob simplicitatem Deitatis longè maximam. Anima quippè nec usque adeo simplex est, nec suæ qualiscumque simplicitatis tantoperè tenax, quin componi cum corpore, naturæque compositæ portio queat esse. Quin & ipsa visceribus in ipsis suæ naturæ, coagmentatione plurium, & aliqua intestina multitudine concrescit, & ab unitatis fastigio descivit plurimùm, & in corporis dissipationem ac multitudinem innatæ multiplicitatis ingenio impetuque propendet. Minùs mirum ergo si unam cum corpore naturam componit, quæ medullitus non usquequaque incomposita est, & ad corporis numerosi multiplicisque concretionem sponte quadam ingenitæ sibi multiplicitatis defluit. At Deitas simplicissima est, suæque simplicitatis tenacissima, & ipsamet est inconvertibilis & incontaminabilis simplicitas, à compositionis vel umbra vel nomine, immane quantum abhorrens. Non ergo compositæ naturæ pars erit Deitas, hoc est, non erit compositæ naturæ pars simplicitas, ne nimiùm à toto pars dissideat. Vel potiùs nec componet, nec componetur simplicitas, à quo utroque nomine & munere non minùs aliena est, quàm à tenebris lux, ab mendacio veritas. Si nec fallere enim nec falli potest veritas: si nec tenebrare ne tenebrari potest lux, perspicuè nec componere nec componi poterit simplicitas. Ubi autem hypostasin Verbi vera compositione cum assumpta humanitate coaluisse suprà disputavimus, nihil divinæ tamen simplicitati derogatum est. Si ex Deitate enim & humanitate conflaretur una natura, tum verò Deitatis simplicitas à compositionis contagio periclitaretur: secus autem si una tantùm exurgat persona. Unitas enim personæ cùm naturas inconfusè copulet, & indivisè cernat, suam superiori simplicitatem, suam inferiori multiplicitatem servat intactam sospitemque. Item unitas personæ cùm naturam inferiorem superiori non tam apponat, aut componat, quàm supponat; non tam conjungat, quàm subjungat mancipetque, nihil officit superioris simplicitati. Perstat enim natura & persona Verbi Dei eadem atque una sempiterna & incommutabilis, & æquè simplex, atque incomposita cum carne atque ante carnem. Accedit enim Verbo humanitas non ut parti pars, aut pari par, sed ut toti totius accessio, nihilo majus tamen aut melius totum illud præstitura. Quo constituto, planum jam est accessione humanitatis nec suam Verbo obnubilari simplicitatem, nec illini compositionem, adeoque nec unam ex Verbo & carne commisceri naturam.

X. Ex Facũdo. L. 1.

Facundus: *Potuit enim hominis anima in unam naturam cum sua carne componi. De Christi verò divinitate inconvertibiliter simplici, non sine blasphemia dicitur quod in unam naturam cum suscepta humanitate componi potuerit.* Anima igitur quam intestinæ compositionis rudimentis quibusdam natura sua ipsa initiavit, & cui sua qualiscumque non inconvertibiliter constat simplicitas, meritò unam cum corpore naturam componat. At Verbi divinitas, cùm simplicitas sit ipsamet inconvertibilis, nec afflatu compositionis ullo contaminari se patietur.

XI. Ex Ferrãdo. N. 8.

Ferrandus Epistola ad Severum: *Alia est Verbi, alia rationalis animæ carnisque natura: illa divina, ista humana; illa simplex, ista composita. Cùm tamen una ipsa Christi persona, quæ duas, divinam & humanam, id est simplicem & compositam videtur adunare substantias, non sit composita, sed in singulis simplex, sicut fuit ante quàm in sua unitate susciperet humanam naturam; ut haberet deinceps substantias duas, unam sicut diximus simplicem, aliam verò compositam.* Deitati Verbi non componitur, non apponitur, sed supponitur humanitas; nec tam accedit illi, quàm succedit; subjungitur, non conjungitur; subditur, non additur; nec enim ut par compari, aut ut pars parti, sed ut toti summo, nec crescere nec decrescere gnaro adnascitur. Totum porrò illud summum & summitas ipsa cùm sit, hoc accremento non augetur, ideòque nec componitur, nec unam in naturam cum eo colligitur; sed illud tamen sibi subjugat, suumque facit esse, eoque suam in personam illud coaptat, suæ simplicitatis autem jacturam nec vel tantillam facit.

XII. Anima & corpus duo sunt naturaliter sibi contemperata, sibi cupida, sibi coæva: ideo in unã conjugantur naturam. Non ita Deus & homo.

Secundò, animam corpori, corpus animæ contemperavit & quodammodo consecravit natura. Corpus animæ avidum sua egestas, animam corporis egenam sua aviditas facit. Pari hinc & inde amoris impetu, & ineluctabili naturæ imperio fœderatur hoc conjugium; nec sine utriusque dolore ac dispendio vehementi potest hoc vinculum vel sollicitari, nedum dissui; & ubi morte dissociatum erit, & corpus animæ orbitate computrescet, & anima corporis desiderio flagrabit: & nec animam ipsa beatitatis satietas sedabit, quin corpus sibi suum recolligi exardescat: nec corpus ipse interitus, & incineratio, cinerumque dissipatio cohibebit, quin se suæ formæ postulet redintegrari. Duo ergo tam coæva, & comparia, & contemperata non possunt non in unam conjugari naturam. At Deitas creaturam tota æternitate antecedens, nec egena cujusquam, nec avida, beatissimè potens habitare in semetipsa, sibique acquiescere uni, sola in silentio secum suo, creaturæ temporali, avidæ, egenæ, finitæ indulgere se largissimè poterit, in unam confœderari naturam omninò non poterit. Animam formando corpori, corpus excipiendæ animæ temperavit & prædestinavit natura: ideo nec momento corporibus antiquiores sunt animæ. Nusquam anima sine corpore vel corporis desiderio, nunquam corpus sine anima aut animæ suspirio. At & Deitas sine humanitate æternis retro sæculis antecessit: & humanitas sine Dei persona infinitis in hominibus cernitur.

Gelasius Papa hic audiendus, libro de duabus naturis, quem illi disertè vendicat Fulgentius, in responsione ad quæstionem secundam Ferrandi Diaconi, quanquam ab aliis postea perperam hoc opus adscriptum sit, vel Gelasio Cæsariensi, de quo Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis: vel Gelasio Nycænæ Synodi Actorum scriptori. Gelasius inquam Romanus Pontifex illam Eutychianorum elidens objectionem, Tam posse Dei & hominis in Christo unam dici naturam, quam in quolibet homine corporis & animæ; demonstrat eo principaliter unam dici corporis & animæ conjugio conflari naturam, quòd initialiter anima & corpus vicissim sibi sint causa existendi. *Non considerantes, quia cùm una natura dicatur humana, quæ tamen ex duabus constat, id est ex anima & corpore, principaliter illa causa est, quà nec initialiter anima alibi possit existere, quàm in corpore: nec corpus valeat constare sine anima. Et meritò quæ alterutro sibi sit causa existendi, pariter unam abusivè dici posse naturam, quæ sibi invicem causam præbeat, ut ex alterutro natura subsistat humana, salva proprietate dumtaxat naturarum.* Bibl. Patrũ To. 4. par. 1. pag. 420.

Fer-

XIII. In Facũdo. L. I. Facundus: *Deinde considerent quod sive anima, sive caro, adunationis suæ causa extiterunt, & non hunc habent naturæ finem singulariter ac separatim consistere; sed ad sui conjunctionem tendunt, & invicem sibi debent quodammodo ut existant. Nam sicut caro animæ facta est, ita & anima carni: & ipse naturalis earum intentioni est finis, pariter esse. Non enim credendum est Origenis deliramentis, qui suspicatur humanarum animarum substantias longè antequam in corporibus essent, non solum fuisse, verùm etiam peccasse, &c. Nam & cùm morte à suis corporibus animæ separantur, ad sui tamen conjunctionem similiter tendunt, & propterea unam naturam humanam efficiunt. Quod de Verbi Dei natura nefas est credere, quoniam aliquando non sola subsistiterit, sed humanæ naturæ adunatio causa ei fuerit existendi, ut ipsa sibi adunata quiesceret naturalis ejus intentio. Verum neque de humana natura dici potest, quod non possit sine Dei Verbi in unam naturam compositione subsistere; quam videmus specie sua contentam, non in aliquid tendere, cui sic naturaliter adhæresceat, ut unam cum illo naturam efficiat.* Hæc enimverò solertia, hæc ars summi conditoris, hoc universi vinculum, hæc salus rerum fuit, ut quæ in unam coalitura erant naturam, tam insuperabili vi, tam indissociabili amicitia complicarentur sibi, ut sejungi seorsimque consistere non possent. Alioquin nexu partium soluto & frigescente amicitia dissilirent naturæ tandem omnes, & membratim discerperentur. Ex adverso igitur quę seorsim consistunt, nec reciproco flagrant in complexum æstu, ea unam in naturam aptata non sunt. Unam tamen in personam vocari possunt, quia personæ accrescit multarum rerum & accidentium congeries, ultra naturæ indigentiam.

XIV. Ex Joanne Maxentio. Nec abludit Joannes Maxentius ab hac argumentatione in Libello contra Acephalos: *Si verò dixerint, sicut ex anima & carne una humana natura conficitur, quæ singulari, non plurali numero pronunciatur: ita ex divinitate & humanitate, una facta est Christi natura. Primo quidem hoc exemplum Filio Dei minimè existimo convenire, cui subsistendi causa caro non fuit. Quippè qui ante sæcula à Patre natus in propria persona incommutabiliter subsistit, sed cum Verbum caro fieret, misericordiæ fuit. Animam autem humanam ante carnem alicubi subsistere, & postmodum carni inseri, nemo ausus est adfirmare.* Præexistens quippè infinitis retro sæculis æterna Verbi natura, si cum natura deinde temporali, in unam contruderetur naturam, qui amabo ex una natura in aliam contorqueri posset, sine aliquo incommutabilitatis suæ dispendio.

XV. Ex Justiniano Imperatore. Justinianus Imperator in Confessione fidei pro Quinta Synodo: *Nec anima sine corpore, nec corpus sine anima homo est; sed ex eo quod non erat, ad hoc quod est, ex anima & corpore creatus est. Unaquæque autem creatura licet ex diversis constet, sed tamen unam illam habere dicitur naturam secundum quam à Deo creata est. Christus autem non sic, &c. Sed neque ab initio ex Deitate & humanitate, sicut homo ex anima & corpore, Christus creatus est, ut hoc sit natura Christi; sed cùm Deus esset ante sæcula Verbum, & esset ejusdem naturæ sive substantiæ cum Patre & Creatore omnium, in ultimis diebus hominis naturam secundum hypostasin sibi uniens, factus est homo, manens Deus.* Ea constanter manet rei cujusque natura, qualis ab exordio extitit. Natura enim cujusque id est quod nascitur. In aliam naturam deinceps migrare citra corruptionem non potest. Nec anima sine corpore, nec corpus sine anima in ipsis nascitur primordiis; horum ergo rectè una natura est. At Verbum in natura divina æternaliter ante humanitatem vixit; in novam ergo naturam deficere haud deinceps potuit, nec in unam cum homine compositionem compingi. Similiter & humana natura jamdiù ante incarnationem in innumeros propagata fuerat homines nulla naturæ divinæ concretos substantia; ergo non potuit non perstare deinceps quod & nata fuerat, & tandiù fuerat, nempè distincta à Deitate natura. Nec ea lex personæ indicitur, propterea quòd extra naturæ fines complurima accrescunt, quæ deputantur personæ. Verbi igitur personæ accrescere humanitas potuit, Verbi autem naturæ componi in unam naturam non potuit. Nam humanitas sic accedit Verbi personæ in unam personam, ut non ex humana & divina conflētur nova hypostasis, quæ ab utraque distinguatur: sed humanitas tota sibi eripitur, proripiturque in personam Verbi, & una eademque permanet Verbi persona quæ priùs, sed priùs sine carne, nunc cum carne sibi propria. At si Deitas Verbi in unam cum humanitate naturam conveniret, non similiter in suam naturam corriperet absumeretque humanitatem, sed in novam naturam Deitas humanitasque confluerent, ab utraque discrepantem. Hæc autem unitas naturæ tam contumeliosa foret Deitati, quàm honorifica illi est unitas personæ. Unitas enim personæ subjugat, unitas naturæ coæquat humanitatem Verbo. Illa principatum & jus in homine Deo vendicat, hæc principalem & servilem naturam æquato & confuso jure in unam conflat. Illa humanam personam occupat, divinam propagat; hæc divinam naturam deiiciendo extenuat, humanam extollendo conturbat. Illa simplicitati divinæ proficit, dum supponit; hæc officit, dum componit hominem Deo. Illa immutabilitati divinæ vehementer prospicit, dum eandem & augmenti mutationisque perinde nesciam jubet esse personam Verbi in carne atque ante carnem: hæc eidem non mediocriter insultat, dum naturam divinam in aliam novamque & hactenus inauditam naturam quasi in ordinem cogit. XVI. Una fit ex Deo & homine persona nõ natura, quia persona humana prævertitur & absumitur in divinã non ita autem potest natura in naturam.

XVII. In unã non coeunt naturam, nisi quæ utcũque cognata sibi sunt. At immanis distantia Deitatis ab homine, quantũ obviat unitati naturæ, tantum cõducit unitati personæ.

Tertiò, quæ unam in naturam coagulantur, non usquequaque infinito deviare debent intervallo. Naturæ enim incolumitas est consensio partium. At consensio esse diuturnior haud potest, nisi affinitas quædam naturæ, & ingenii morumque contemperatio intercedat. Anima & corpus non omnino dissident; summo enim in genere substantiæ cohæserunt semel, amicitiamque conglutinarunt tam arctam, tamque tenacem, ut diuturna posthac longa peregrinatione non in totum adeo potuerint, quin ubi primùm alterius alteri copia fit, in amplexus convolent, in unamque naturam fermententur. At Deus & Homo, figulus & lutum immaniter distant; nullo ne in summo quidem ullo genere consentiunt. Nam substantia quidem nomine tenus utrique adscribitur, sed reapse non cœlum terra semotius. Substantia enim est Deus, quia per se est, id est non est ab alio: per se est, id est, semper est, quia sibi non deest; per se est, id est, non potest non esse, quia non potest sibi deesse; per se est, id est, quidquid est, nullius adventitio accidentis beneficio, sed suo sibi bono est. At creatura ex adverso substantia est, quia per se est, hoc est accidentibus subest, quibus debet plurimum de eo quod est; per se est, sed potest & non esse; per se est, sed non semper est; per se est, sed ab alio, & per alium, & in alio est; ex ipso enim & per ipsum & in ipso omnia. Cùm ergo & nostra & divina iisdem nominibus insignivimus, aut divina deturpavimus, aut humana honestavimus, aut utrumque; sed ut eadem nomina sint, non eadem sanè significant. Ergo in unam naturam subitò conjugari Deitas humanitasque non possunt. At unitas personæ hac inæqualitate naturarum constringitur; quantò enim altera alteram superat, tantò omnipotentiùs & insolubiliùs illam sibi subligat, suamque facit. Rusticus contra Acephalos: *Si verum est,* quo-

Bibl. Patr. Tom. 4.

quoniam quorum diverſa ſunt genera, non eadem ſunt, & quæ ſub generibus diſtinguuntur, &c. Quorum hoc quidem genus habet, illud verò non habet, multò magis diverſa monſtrantur. Si igitur Deitas nec genus habet, nec eam ſpeciem, quæ ſupponitur generi, habere verò hæc invenitur humanitas, multò magis in una natura coadunari non poſſe demonſtrantur. Cùmque hæreticus cauſaretur in genere ſubſtantiæ Deum cum creatura conſentire, reſpondet Ruſticus: *Per ſe ſubſiſtens cum de Deo dicitur, ſignificat quod nullius alterius ad id ut ſit, indiget; cum vero de creaturis, nequaquam: à creatore enim eſſe ſumpſerunt. Subſtantia verò id eſt, οὐσία cum de Deo dicitur, ab eo quod ſit ſemper nominata eſt, in creaturis verò minimè. Igitur etſi unum nomen eſt ſubſtantiæ, non tamen una res. Non eſt igitur commune genus ſubſtantiæ Deitatis & carnis, ſed nomen commune tantummodò; hoc vero genus non eſt.* Reponente hæretico, nec animæ & corporis idem eſſe genus, cùm tamen eidem naturæ inferantur humanæ, reſpondet Ruſticus: *Magis unum ſummumque genus habent: utrumque enim ſubſtantia eſt & nomine & definitione. Anima igitur rationalis & corpus hominis identitatem naturæ circa unitionem ſuſcipiunt, eo quod & unum genus & eandem ſpeciem teneant.* Ac denique totum illud ex Deo homineque emicans, ne pertinacior aliquis ſubſtantiæ nomine & definitione, adeoque una natura circumſcribere tenderet, non ſubſtantivum ſed ſuperſubſtantivum Chriſtum eſſe contendit. Non enim acceſſu hominis ad Verbum, novum auctiuſve exurgit totum, aut aliud quàm idem ipſum Verbum, quod proinde ſuperſubſtantivum cùm ſit, totum illud quod Chriſtus dicitur, non finibus ſubſtantiæ arctatur, ſed ſuperſubſtantivum eſt. Et hunc ſuperſubſtantialem panem quotidiana oratione, qua nos informavit ipſe Chriſtus Dominus, flagitamus. Idem ibidem paulò poſt: *Verum nec illud incongruè reſponderi arbitror, quia Chriſtus nec ſubſtantiva, ſed ſuperſubſtantiva res eſt; quippè duarum perfectiſſimarum ſubſtantiarum vel naturarum. Etenim panis ille quem Dominica oratione depoſcimus, ſuperſubſtantialis dicitur, & arbitror ſic nos eum petere, ut Chriſtum potius expectemus, donec ſicut ait Apoſtolus, Formetur Chriſtus in nobis.* Non ſubſtantiva res ergo Chriſtus eſt, adeoque nec una natura, ſed ſuperſubſtantiva, quia Verbum ſeu totum ſupra ſubſtantiam eminet.

XVIII. Nã coeunt in unã naturã Deus & homo, quia nõ incarnatur niſi perſona Verbi.

Theorianus dialogo adverſus Armenos ſimiliter argumentatur: *Quorum una natura eſt, eorum eſt & communis aliqua ratio; quorum verò ratio eſt communis, eorum eſt & conſubſtantialis exiſtentia. Nuſquam autem conſubſtantialis eſt divinitas Chriſti ejus humanitati. Non igitur una eſt eorum ratio. Quorum vero non una eſt ratio, eorum naturas ſemper à ſe differre, cuivis eſt perſpicuum.* Conſubſtantialitas, ſeu congreſſus in genere ſubſtantiæ ſaltem, neceſſaria eſt naturarum plurium conciliatricula, ad hoc ut in unam fermententur naturam. Ea corpori animæque, non autem Deo & homini intercedit.

Quartò, inſeritur principaliter humanitati non Deitatis natura, ſed Verbi perſona; nec enim tota incarnatur Deitas, ne tota carni eidem implicetur Trinitas; ſed Deitas Verbi ſeu perſona Verbi carni miſcetur. Ex perſona autem Verbi & carne non una natura, ſed una tantùm exiſtere poteſt perſona. Si una enim ex Deitate & humanitate conficeretur natura, una planè foret totius Trinitatis natura atque humanitatis, adeoque incarnatio totam perinde complecteretur Trinitatem. At ubi ex Deitate Verbi & homine aſſumpto una dumtaxat exiſtit perſona Verbi, reliquæ Deitatis perſonæ à carnis vinculo explicantur. Cæterùm cùm Verbum Deus ſibi uni ſumpſiſſet peragendas diſpenſationis in carne noſtræque reſtaurationis partes, id conſultiſſimè & omnipotentiſſimè cavit, ne perſonas Deitatis alias eadem ſua exinanitione concluderet; adeoque ne naturam Deitatis totam in unam nobiſcum naturam præcipitaret. Ergo Deitatem & qua perſonam & qua ſuam immerſit carni: qua naturam autem & qua Patri & ſancto Spiritui communem continuit, nec ita immerſit, ut una cum carne conflueret natura.

Ruſticus: *Incarnata dicitur Verbi natura per Verbum, & ſecundùm quod Verbi eſt, non ipſum Verbum potius per naturam & ſecundùm quod eſt ipſa natura, ne & incarnatio & nativitas & paſſio totius ſit Trinitatis.* Et paulò poſt: *Verbum à conſubſtantialibus non natura, neque ſubſtantia, ſed ſola perſona diſcretus eſt. Unuſquiſque autem noſtrum præter communem, habet & propriam ſubſtantiam individuam & naturam; idcirco enim & multi homines nominantur.* Deitatis ergo natura tametſi eſſentialiter ſingularis & inæſtimabiliter una ſit, communis tamen eſt tribus hypoſtaſibus, ex quo fit ut comparetur naturæ noſtræ ſpecificæ, qua communis eſt; ſicut & individuæ qua hypoſtaſis eſt. At natura hominum ſpecifica non implicatur ſingularibus & propriis individuorum eventis; ne ſi naturæ communi ea quadrent, non ſingularia jam & propria, ſed communia omnibus hominibus ſint. Similiter ergo & inſertio Verbi in humanitatem peculiaris ipſi fuit, nec naturam Deitatis, quæ etſi ſingularis, communis tamen eſt, eodem ſecum carnis vinculo impedivit, ut una cum carne fieret natura. Anima autem dum ſuo ſe infundit corpori, nullo iſtiuſmodi abſterretur ſcrupulo, ne alias ſecum animas eidem adglutinet; ab hoc metu abſoluta immergit ſe profundiſſimè, & ita ut non perſonæ ſed etiam naturæ unitatem copulet. Idem Ruſticus ibidem: *Non Deus Verbum per divinam naturam, ſed divina natura per Dei Verbi perſonam unita dicitur carni. Si enim tota Trinitas incarnari voluiſſet, tunc forſan juſtè ipſa per ſemetipſam fuerat incarnanda natura, &c. Inhumanatio autem non Trinitatis communis, ſed propria eſt ſolius ſubſiſtentiæ Verbi. Incarnatus eſt igitur & Deus Verbum, & natura ejus; ſed ille quidem per ſemetipſum, & ſecundum quod eſt ipſe; illa verò non ita, ſed perſonam, &c. Duæ enim manſere naturæ, & per comparationem, Verbum potius unitum eſt carni, quàm natura ejus.*

XIX. Non fit una ex Deo & homine natura, quia non compatitur, non dolet, non gaudet, non afficitur Deitas cum homine, ſicut anima cũ corpore.

Quintò, animæ & corporis una natura fit, quia compatitur anima corpori, corpus animæ; at non compatitur Deitas humanitati, aut viciſſim; hæc igitur Dei & hominis cohæſio etſi penitior, invictiorque quàm animæ & corporis, ad unitatem naturæ tamen conflandam inefficax eſt. Quorum enim natura una eſt, æquum eſt ut conſpirent omnia, ut conſentiant partes partibus, ut compatiantur & congaudeant, & reciproco bonorum malorumque ſenſu & conſenſu fœderentur. Sic anima quanquam naturæ ſpiritalis privilegio, à corporeis paſſionibus expedita, ex corporeæ tamen naturæ ſocietate, iis afficitur, dolet, affligitur. Sic corpus etſi ſua fæculentia à vitæ ſenſuumque lumine alienum, ex animæ tamen conjugio ad hæc bona convaleſcit adgaudetque. Cùm ergo unaquæque pars extra naturæ ſuæ limitem erumpit quodammodo, ut alteri ſe implicet, in medio quaſi concurſu complexuque conferuntur ambæ, & in unam devinciuntur naturam. At Deitas ut patiendi, ita compatiendi neſcia, attertere ſe & frangere ad conſenſum uſque naturæ humanæ nequaquam poteſt. Paſſiones quidem humanitatis ſuas poteſt facere, & ut ſibi proprias adſerere, non tamen eas ſentire; hoc eſt, dominari iis poteſt, non affici; ut ſuas ſibi tribuere, non ut ſui; eas ſibi ut poſſidenti, non ut patienti vendicare. Quod totum in hoc relabitur, ut in unitatem perſonæ ſuæ, non in unitatem item naturæ & carnem

& car-

& carnis passiones adsumpserit. Idem Rusticus allegans rationes, quibus, ne una Dei sit hominisque natura, efficitur, etsi ex anima & corpore una fiat natura; *Rursus anima compatitur corpori, Deus autem Verbum nequaquam*. Et postea eodem in opere, exponens quomodo passiones carnis aspergantur Verbo, ad personam, non ad naturam Deitatis illas pertinere commonstrat: quia si ad naturam spectarent, sensus earum & experimentum in Verbo esset: at quia ad personam pertinent, jus earum & dominium in Verbo est. Distat autem immane quantum rem quampiam habere in sensu, & in censu. *Deus Verbum* (Ibid. pag. 811. 812.) *inhumanatus, pati quidem propter unitionem dicitur, propriificans ea quæ sunt passibilis naturæ, per suificationem dispensativam, ut & antea jam dixi, non autem passus est sicut caro. Nam si impassibilis simpliciter passus est, superfluè est impassibilis*. Ut autem sua impassibilitas Verbum arcet à sensu passionum carnis, ita & ab affectu affectionum animæ illud avocat. At duplicis naturæ in unam quasi maritale fœdus, hoc primum jubet, ut afficiatur alterius altera commodo & incommodo. Colligari ergo creator creaturæ poterit vinculo personæ, quod dominium dumtaxat ipsi jusque substantivum in creaturam indicit; secus autem vinculo naturæ, quo sensuum consensio & affectionum contagio imprimeretur.

XX. *Una animæ & corporis, non una Dei & hominis sit natura: quia non totam se circumscribit Deitas Verbi intra carnem assumptam, ut anima intra corpus suú.*

Sextò, duplicis naturæ in unam velut conjugalis copula, alteram alteri addicit totam consecratque; ut ne peregrinari altera licentiosiùs ausit, consortemque hac interim sui usura fraudare. Hac lege religatur intra corpusculi quandoque tenuissimi marcidique angustias anima, & quæ naturæ suæ amplitudine, vivacitate, volatilique pernicitate cælum terramque lustrare & circumcursare posset, totam se in hospitii angustissimi fines contrahit, curas omnes suas, opes, viresque ibi circumscribit, omnemque foris spatiandi aut machinandi quidpiam licentiam sibi abscindit. Totum enim sibi corpus, totam se corpori vindicat; nihil ejus sibi, nihil sui illi denegat; ejus omnia pervadit, sua omnia illi infundit; totum fit corpus animæ; fit tota corporis anima. Si vel citra animæ consortium corpus, vel extra corporis contubernium anima cursitare & moliri quidpiam aggrederetur, hæc foret conjugalis fidei injuria. At verò tota intra humanitatis limites coarctari Deitas se non patitur, in tam brevem gyrum constringi omnipotentia, infinitas, immensitas, æternitas nescit. Et ante & extra humanitatem assumptam sua Verbum æternitas immensitasque expandit: universo rerum orbi opitulari & adesse creando regendoque sua illud omnipotentia & providentia cogit. Non ergo æquo jure, non pari alternatione Deus & sibi hominem, & se homini adseruit: hominem enim totum & hominis omnia sibi uni adrogavit, in se uno circumscripsit; at non æquè totum se in homine assumpto circumscripsit, non à reliqua orbis cura se recepit, extra illum hominem & tonat, & pluit, & creat & regit orbem. Quando ergo Deus Verbum humanitatem astringit sibi totam, non se in illam totum restringit, unius cum ea personæ, non unius autem naturæ fœdus icit. Nam unius personæ fœdus hæc juris inæqualitas non sollicitat, sed confirmat: at unius naturæ societatem tanta societatis imparitas pessumdat.

(Ibidem. pag. 811.) Rusticus qui supra jam sæpiùs: *Anima nullatenus foris à corpore suo habet operationis principium. Deus autem Verbum, & in humanitate existens, in cælo & ubique consuetas operationes implevit: licet quasdam & inæstimabiles etiam per corpus. Quid enim differebat ad operationes ejus, quæ sunt ab initio, utrum non haberet, an haberet humanitatem: dum per humanitatem non plueret, non tonaret, non astra moveret, & si licet simpliciter dicere, nihil amplius per eam sit operatus, nisi sola quæ noviter propter nostram sunt facta salvationem, pro qua & inhumanatus est?* Et mox: *Alia est libertas Deitatis in carne & extra, & alia necessitas animæ: quæ obligata in corpore, secundum hoc habet eodem modo movendi simplicis corporis potestatem*. Ergo quia anima particularis quædam natura est, particulari similiter corporis naturæ dedicare se totam, vimque suam omnem subducere aliunde, illique impendere uni potest, & unam eo pacto cum corpore naturam compingere. At Deitas universalis natura & naturarum omnium origo cùm sit, peculiari alicui naturæ addicere se totam neutiquam posset, citra & suum ipsius dedecus, & universi exitium. Ex duabus naturis particularibus una ut succrescat natura, jus fasque est; ex universali & particulari, natura ut una confletur, nefas planè est. Quid enim particularis addet insuper universali? Quid pars toti? Quid nihilum enti? Ex duabus partibus unum totum ut fiat, solenne est: ex toto & totius particula ut totum aliud fiat, insuetatissimum est. Deitas omnia est; omnium portio minima est humanitas: nova ergo non emerget natura, ex utriusque consociatione. Denique ut pars rerum parti alteri coaptet se, & illi totam se contrahat & admetiatur, nihil vetat: at ut ipsa universitas omnium ita substringat se, colligatque in particulam quampiam, ut unam cum ea naturam compaginet, extra fidem est. Verùm ut natura universalis particularem invadat, sibi subjiciat, suamque faciat, adeoque ad suæ, non naturæ, sed personæ unitatem rapiat astringatque illam, veri nihil similius.

XXI. *Natura universalis cū particulari non potest in unā coartari naturā aliam.*

XXII. *Ex Deo & homine si nova exurgeret natura, in plures eam propagari deceret. At id non congruit.*

Septimò, ubi duo aliqua in unam colliguntur naturam, tum natura hæc communis est, speciemque constituit, quæ in plura sobolescere postulat individua. Quorsum enim illud attineret conjugium, si nulla inde propagandæ prolis spes affulgeret? Sic anima etsi spiritalis naturæ prærogativa, exors corporalis seminationis & prolificationis istiusmodi materialis; ex quo tamen maritata corpori est, conjugii leges prolisque numerositatem subiit. At ex Deo & homine non est compacta species aliqua communis, quæ in plures Christos possit propagari: ergo nec in unam Deus & homo cojere naturam.

(Leo. con Nestor. & Eutych.) Leontius: *Manifestum autem est hic, quare homo dicitur una & duæ naturæ. Unam naturam habet propter communicationem speciei; duas verò propter partes quæ non sunt altera in alteram mutatæ. In Christo autem cum non sit species, quomodo duæ naturæ dici possunt una?*

Theorianus adversus Armenos: *Natura de universalibus & communibus dicitur, non de particularibus aut individuis. Homo quiddam est universale, nam de Petro & Paulo & omnibus sigillatim hominibus prædicatur, quapropter & una natura dicitur, &c. Christus autem nec universale nec commune quiddam est; una nimirum est hypostasis, una persona, & quasi unum individuum. Non enim alii Christi sunt ex Deitate & humanitate constantes, de iis ut prædicetur. Ea propter una nequit esse natura. Nam particularis & individua natura reperiri nequit; sed omnis natura universalis est, deque pluribus dicitur. Ne longè abeamus, natura divina prædicatur de Patre & Filio & Spiritu sancto. Itidem Angelorum natura de Michaele, Gabriele & cæteris; hominum denique de Platone, Socrate & aliis. Quoniam ergo natura quiddam est universale, Christus autem quiddam universale non est, manifestè patet homines rectè sentientes nunquam dicturos unam naturam.*

Justinianus Imperator in sæpè laudata fidei confessione: *Homo licet ex multis constet, id est, anima & corpore, tamen ideo una natura dicitur, quoniam de omnibus hypostasibus sive personis quæ sub eadem specie referuntur, communiter prædicatur*,

tur, &c. Christus autem non sic. Neque enim unam naturam, sive essentiam significat, quæ communiter de pluribus hypostasibus sive personis prædicetur. Si enim hoc esset, multi Christi invenirentur, in quibus communitas unius naturæ prædicaretur; quod & dicere impium est.

L. 3. c. 16.

Damascenus: *Non necesse est igitur eos qui dicunt unam in homine naturam, non propter identitatem substantialis qualitatis animæ & corporis, sed propter necessitatem plurium sub una specie individuorum, unam & in Christo naturam dicere, ubi non est speciem multorum contentivam individuorum comperire.*

XXIII. Idem prolixius illustratur.

Perspicuum ex his abundè fit, quàm non possit una dici natura, quæ plures hypostases suo sinu complecti nequeat. Nam & ipsa Deitas, tametsi unitas est & unitatis apex, & ipsa unitate simplicior, adeoque à numero & multitudine alienior, quia tamen natura est, in plures se dispensat hypostases. Natura Angelorum, unitati citima, & quasi vestibulum summæ unitatis insidens, quia tamen natura est, in plura discinditur individua. Ex his conjectare fas est de aliis quæ à fastigio unitatis longiùs exulant, & in materiæ seu indivisibilitatis & multitudinis gremium allisæ sunt. Natura ergo una non est, quæ in plures secabilis non est. Non ergo una natura Christus est, sed una persona; quia persona unum singulare & incommunicabile denotat, natura unum in plura diffluens. Anima igitur & corpus una natura fit, quia & animæ plures & plura corpora, pluresque ideo ejusdem naturæ homines esse possunt. At Verbum & homo una natura non est, quia Verbi hypostases esse plures nequeunt, adeoque nec plures Christi.

XXIV. Quantò naturæ alterius brevitas, alterius infinitas inexcogitabilior est, tantò facilior est utriusq; in unā personam, desperatior in unam naturam coalitio.

Octavò, strictior quidem est invictiorque Dei & hominis in Christo, quàm animæ & corporis unitio, & illic tamen naturæ non fit unitas, sed personæ, hic & naturæ fit unitas & personæ. Ut enim cætera mente præcidamus alia, & sola perpendatur naturæ utriusque divinæ & humanæ distantia, plus hauddubio est, has in personæ solius unitatem infinitè distantes conciliasse, quàm animam & corpus intervallo sanè modico à se semota, in unam & naturam & personam devinxisse. Mirabilior enim est solius personæ unitas inter Creatorem & creaturam, quàm tum personæ tum naturæ unitas inter creaturas ipsas. Porro infinita ipsa naturarum distantia ex qua naturæ unitas desperatur, procliviorem facit personæ unius commissuram. Nam quo natura altera alteram inæstimabiliter superat, eo illam ineluctabiliùs invadet, suam faciet, & à se divelli seorsimque à se vel tantillum deflectere non patietur, eoque illam personæ suæ vendicabit. Quantò ergo naturæ alterius brevitas, alterius infinitas, utriusque disparitas inexcogitabilior est, tantò & pronior est personæ, & desperatior est naturæ inter utramque unitatis conciliatio.

Ide m Ibidē pag. 853.

Rusticus: *Ego tecum confiteor, quia & major unitio est in Domino Christo, & quæ multo majus effecit, & unam tamen naturam minimè fecit. Tanto enim unitio Deitatis & humanitatis quæ in Domino Christo facta est, & ipse effectus unitionis illam quæ fit in homine superexcellit, quanto longiùs à se distantia univit. Multum namque & quantum dici non potest, superat, ut Deitatis & humanitatis vel solum una possit esse persona, quàm ut ex anima & carne non solum una persona sit, sed & fiat una quoque natura. Deus enim infinitè, & quantum dici non potest, superat creaturam: & tantum quod distat, vicit unitio ineffabilis, in unam personam ducens, tam longè naturæ terminis sive rationibus separata. Anima vero parvum quid carnem excellit, conserva enim sunt utraque, & creaturæ, & ex nihilo factæ à Creatore.*

Nonò, hæc unitas Christi in persona una plures colligantis naturas, imitatur pulcherrimè unitatem Dei plures colligantis personas in natura una. Utrobique unitas non solitaria, simplicitas non infæcunda. Sed unitatem tamen naturæ in Deo principari congruebat, unitas enim principium est, & ab uno per unum in unum consistere omnia omnium salus est. Incolumi ergo unitate naturæ, plures sint personæ, ut & plures sint summi boni, summique unius consortes. At in Christo plures naturas in unam expediebat revinciri personam, ut mediator cum sit, recolligere Deo homines queat, nec in unam eos cum Deo naturam, sed in unius sanè personæ collegium, in conjugii fœdus, in bonorum consortium consociare aggrediatur in semetipso.

XXV. Quā deceat in Deo plures personas in unam naturam, in Christo plures naturæ in unā personam convenire.

L. 1. c. 8.

Fulgentius ad Trasimundum: *Hoc enim infirmitatis nostræ medela poscebat, ut sicut naturalis unitas in Patre manet & Filio, sic personalis unitas maneret in Christo. Et sicut personalis duas non facit in Patre & Filio substantias, sic naturalis discretio duas non faceret in Christo personas. Rursus sicut unitas naturalis Patrem non confundit & Filium, sic unitas personalis hominem non confudisset & Verbum. Et quemadmodum à genitore Deo per unitatem naturæ nunquam segregari potest unigenitus Filius, sic à susceptore Deo per unitatem personæ nunquam posset homo separari susceptus.*

L. 5. de Consid. c. 9.

Bernardus autem luculentissimè unitatem personæ in Christo componit cum unitate personarum in Deo, animæque & corporis in homine: elucidatque pulcherrimè, quid illa mediatoris inter Deum & hominem quasi mediatrix unitas cum alterutra supernè infernèque consentiat & dissentiat, quo decedat, quo præcedat. *Dico in Christo Verbum, animam & carnem, sine confusione essentiarum unam esse personam, & item absque præjudicio personalis unitatis in sua numerositate manere. Nec negaverim hanc ad illud quoque genus unitatis pertinere, qua anima & caro unus est homo. Decuit quippe familiarius similiusque cum hominis convenire constitutione, quod pro homine constitutum est sacramentum. Decuit & cum summa quæ in Deo est & Deus est unitate congruere, ut quomodo ibi tres personæ, una essentia, ita hic convenientissima quadam contrarietate tres essentiæ sint, una persona. Videsne pulchrè inter utramque unitatem, hanc collocari? in eo utique qui constitutus est mediator Dei hominisque homo Christus Jesus. Pulcherrima inquam convenientia, ut salutare sacramentum congrua quadam similitudine ambobus respondeat, salvanti videlicet & salvato.*

XXVI. Mediator, unum cum Patre natura, non persona, unum cum homine persona, non natura, ita in semetipso Deum homini conciliavit.

Postremò id summopere expediebat ut unus cum Patre in natura, unus nobiscum in persona fieret Dei Filius sempiternus, ut per unitatem cum eo nostram personalem, ad unitatem Patris proficeremus. Etenim nisi unus saltem persona nobiscum fieret, substantivo in bona divina totamque Patris summi substantiam jure nos non donasset. Si autem etiam unus natura nobiscum evasisset, à natura Patris descivisset ipse, quocirca nec ad ipsam coaptare nos potuisset. Ergo qui mediator futurus erat inter Deum & hominem, suaque cum alterutro unitate utrumque conciliaturus, & quidem substantivo vinculo constricturus, cùm non posset personali cum Patre Deo connecti nexu, quin Trinitatem confunderet, nec naturali nobiscum quin Deitatem suffunderet, unus natura cum Patre mansit, unus persona cum homine factus est, & ad eum modum in semetipso hominem Deo Patri recolligit. Denique restauratio & salus generis humani non in unam cum Deo naturam confundi desiderabat, sed à Deo nos regi gerique; Deo reddi adglutinarique; Deo impleri possiderique; à Deo nusquam resigi, nec ab eo seorsim usquam & unquam esse: at hæc omnia personalem cum Deo, non naturalem redolent unitatem. Pulchrè Athanasius

nasius de Incarnatione Verbi: *Etenim si Plato qui in magna apud Gentes fuit admiratione, dicit, Genitorem totius mundi, cum vidisset gentes tempestatibus jactari, ac jam periclitantem ne mergeretur in locum inæqualitatis, collocasse se ad gubernacula animæ, atque ita succurrisse, omniaque errata correxisse. Quid incredibile à nobis dicitur, si erranti humanæ naturæ ratio assederit, & homo apparuerit, ut eam tempestatibus jactatam sua gubernatione & bonitate conservaret?* Ad gubernacula humanitatis sedere, ne tempestate glutiatur, idem planè est, ac suæ illam personæ coaptare.

XXVII. Coglobatio disparitatũ utriusque conjugii inter Deum & hominem, animam & corpus.

Ergo ut paucis antedicta colligamus, Deitas Verbi humanitatem assumptam immeat, subjicitque sibi & coadunat arctissimè, & strictiùs utique, quàm anima carnem; nec tamen inde natura una, sed persona dumtaxat una resultat; quia inconvertibiliter simplex est Deitas, summa autem simplicitas naturam compositam regere & fulcire potest, subire & suam facere potest, componi cum ea non potest. Quia non ita Deitas & humanitas sicut anima & corpus naturaliter sibi consentanea & contemperata sunt, sui cupida, sui indiga, sibi coæva. Ideo non ita in unam possunt coalescere naturam. Quia non ita Deitas & caro, sicut anima & corpus utcumque cognata & finitima sibi sunt, quà creaturæ, quà substantiæ. Ideòque in unam facilè fœderantur naturam. At Deitas extra & supra omnes, tum naturæ, tum substantiæ creatæ fines evecta, consentire in unam cum homine naturam haud potest. Quia rursus propriè non natura, sed persona Verbi, aut si natura, sed quà propria Verbi, conseritur nostræ humanitati. Unde & Verbum incarnatur, non Pater, non Spiritus sanctus. Ita in unitatem personæ Verbi, non in communionem naturæ evehitur humanitas. Anima autem, & quà natura, & quà persona, maximè autem quà natura infunditur corpori. Quia rursus potest anima corpori, non potest Deus homini compati, condolere, congaudere, & pariter universim affici. At ea naturalis conjugii conditio est. Quia rursus intra carnem suam anima, non intra angustias humanitatis assumptæ circumscribit se Deitas Verbi, ut quæ non possit non & æternitate & immensitate sua extra regnare. At unitas naturæ has eruptiones utique sisteret. Quia rursus ex anima & corpore emergens natura una in plures homines dissecabilis est, quæ naturarum videtur esse proprietas. At ex Verbo & carne coalitio in plures ejusdem modi Christos tam secari non potest, quam nec in plures hypostases Verbi hypostasis.

XXVIII. Propositiones quædam Augustini de Roma in Concilio Basileensi damnatæ.

Cùm omnino autem effici non possit, ut ex divina humanaque natura exurgat natura una: hinc meritò explosit Basileensis Synodus sess. XXII. hactenus inauditas quasdam Augustini de Roma Archiepiscopi Nazareni propositiones, quæ eò vergere videbantur. Eæ erant istiusmodi. *Humana natura in Christo verè est Christus.* Quod omnino dici nequit, cum Christus hypostasis sit & totum, & totius hujus pars sit natura humana: nec pars de toto, aut totum de par dicatur. *Natura humana in Christo est persona Christi.* Quod iisdem de causis insulsissimè dicitur, est enim totum persona Christi. At præterea quòd ratio personæ efflorescat ab eo, quod in unoquoque magis eminet & excellit, cujusmodi in Christo non est natura humana. *Natura humana in Christo proculdubio est persona Verbi, & Verbum.* Imò nec persona Verbi, nec Verbum, sed ejus accessio & quasi substantivum additamentum est natura humana. At accessio totius perfecti non est totum. *In Christo natura assumpta est realiter persona assumens.* Quo nihil absurdius effutiri potuit. Nec enim humanitas est hypostasis Verbi, cui accedit: sed hypostaseos seu personæ Christi compositæ portio est. *Natura humana assumpta à Verbo ex unione personali est veraciter Deus naturalis & proprius.* Durissima & hæc quoque ac explodenda propositio est. Est enim homo, est Christus Deus naturalis & proprius, non autem humana natura. In hominis enim voce hypostasis, non in naturæ vocabulo continetur. *Ratio suppositalis determinans humanam naturam in Christo, non realiter distinguitur ab ipsa natura determinata.* Et hic non minor insulsitas. Nam distinguitur utique & infinito quodam intervallo humanitas ab hypostasi increata Verbi, etsi assumatur & rapiatur in divinum Verbi suppositum. Quanquam autem non aliò collimaret forsan hic Scriptor, quàm ut nulla re sibi dempta humanitas in Verbi hypostasin consereretur, ut ejus accessio quædam: non tamen ex eo in alienas adeo & à vero & ab usitato verborum usu propositiones luxuriare debuerat. Nam quòd *Non aliud sit persona, quàm ipsa natura, natura humana tota efficta & efformata in hypostasi Verbi*: dixere Patres suprà complurimi, dixit in Edicto fidei Constantinus Pogonatus. At nihil ejusmodi hinc efficitur. Synodi VI. Act. 18.

XXIX. Propositiones Arnaldi de Villanova, & Nili. Rainald. An. 1317. n. 62.

Eodem ferè spectabant & illa deliria Arnaldi à Villanova, quæ Rainaldus damnata refert à fidei Censore & Præposito Tarraconensi, habitis Doctorum cætibus: *Quod natura humana à Deo assumpta est æqualis Deo in omnibus bonis suis: & quod tam alta sit humanitas in Christo, quantum Deitas, & tantum possit. Quod quàm citò anima Christi fuit unita divinitati, statim ipsa anima scivit omnia quæ Deus scit: quia aliàs, ut dicebat, non fuisset cum ea una persona. Præcipuè quia scire est circumstantia pertinens ad suppositum individuale, & non ad naturam.* Quæ omnia, ut clementissimè dicam, inconsideratè & insulsissimè dicta sunt. Nec enim ad personam, sed ad naturam pertinet scientia: nec ad unitatem personæ necessum est ita humanitatem Deitate imbui, ut ad eam vel scientiæ, vel potentiæ, vel bonorum æqualitatem cum Deo evehatur. Imo ne id quidem æqualitatis consequi potest natura creata per hypostaticam cum Deo unionem.

Nec minùs à vero abludebat Nilus, si vera tamen refert Anna Comnena; cùm diceret per unionem hypostaticam humanitatem *natura fuisse deificatam*: φύσει θεωθῆναι. Quæ insania Alexii Augusti studio Constantinopoli synodicè damnata est, utpote quæ Deitatem & humanitatem in unam naturam misceret. Etsi enim Christus natura sit Deus, nempe Deus verè & propriè, non nuncupativè, non adoptivi instar: non tamen humanitas natura est deificata, hoc est in Deitatem conversa. Alexiado, L. 10.

CAPUT XX.

Humanitatem Christi nulla re defieri, sed eo assumi, quod eam pervadat suamque faciat Deitas Verbi, probatur ex definitione hypostaseos, seu personæ.

I. Ex Basilio ostenditur naturam & personam non differre, nisi ratione, ut universale à particulari.

IN hujus limine disputationis aliqua libavimus de nomine & definitione hypostaseos, sed strictim & perfunctoriè, quantumque necesse erat præstrui posteriori disceptationi. Nunc ergo paulò accuratiùs in eodem versabimur argumento, ut tamen ne tantillum quidem declinemus à scopo nobis proposito, & hinc exculpamus sinceram eandem unionis hypostaticæ rationem, non in rei alicujus defraudatione & alterius insertione positam, sed in naturæ inferioris ad superiorem accessione, superioris in inferiorem permeatione.

Primùm ergo hypostasis seu persona non aliud est quàm individuum, seu natura singularis seorsim

sim sibi existens & absoluta: cùm natura, substantia, seu οὐσία, φύσις, naturam communem sonet, quæ nusquam nisi in individuis reperitur. Natura ergo & persona, οὐσία & hypostasis ita se habent, ut universale & particulare, species & individuum. Ergo non re, sed ratione & conceptu tantùm differunt natura & persona. Ergo cùm naturam singularem & individuam hominis Verbum assumpserit, assumpsit id omne quod persona foret, si sejunctim & suum sibi esset.

Basilius Magnus: *Quæ est ratio communis ad proprium, eandem quoque habet οὐσία ad ὑπόστασιν.* Epist. 349. *Unusquisque nostrum per communiorem οὐσίας rationem, essendi particeps est: & per peculiares suas proprietates talis vel talis est. Sic ibidem οὐσίας ratio est communis, putà bonitas, Deitas, aut quod est hisce compar: hypostasis in proprietate Paternitatis cernitur, Filialitatis aut potentiæ sanctificativæ.* Ratione ergo tantùm discrepat persona à natura, sicut individuum à communi, sicut personæ divinæ à natura Deitatis. Et hæc Basilius, cùm satageret dispescere illa duo quantum fieri poterat: unde paulò suprà: *Hypostasin & usiam non esse rem eandem, illi ipsi, quod reor, ab Occidente fratres, satis indicarunt, &c.* Et ne ad Deitatem solam hæc spectare autumes, audi eundem alibi ita differentem: *Cum in mysticis dogmatibus enarrandis plerique sint, qui, quod nullo discerniculo distinguunt nomen communius τῆς οὐσίας à significativa ratione τῶν ὑποστάσεων, in istiusmodi abeunt suspectas piis cogitationes, &c.* Epist. 43. Et paucis interjectis utriusque discrimen ita constituit: *Omnium nominum quædam sunt, quæ de pluribus prædicantur numero inter se disjunctis & differentibus, & hæc generaliorem obtinent significationem, qualem habet homo: Istius enim prolatione nominis, communis hominum natura declaratur, non unus aliquis præciditur, qui per hoc nomen peculiariter internosci queat. Neque enim Petrus magis homo est, quàm Andreas, Joannes, &c. Alia verò nomina peculiarem magis habent significationem, per quam non commune naturæ consortium in re significata perpenditur, sed præcisa ac circumscripta rei cujuspiam finitio, quæ nullam obtineat communionem erga eos qui ejusdem naturæ sunt, juxta suam proprietatem, ceu Paulus, vel Timotheus.* Et in creatis ergo rebus, natura speciem communem, hypostasis naturam particularem & individuam designat. Frustra ergo sunt qui individuæ naturę per hypostasin seu personam adjici quidpiam arbitrantur, seu existentiam, seu modum, &c.

II. Ex Cyrillo idem demonstratur. Dial. 1. de Trin. pag. 408.

Cyrillus Alexandrinus: *Significatio οὐσίας ad aliquid commune videtur pertinere: nomen autem hypostasis de singularibus quæ subsunt huic universali, prædicatur, &c. Homo enim simpliciter nondum est Petrus & Paulus. Sed Thomam aut Petrum si dixeris, à definitionibus quidem substantiæ id quod significatur non removebis; homo enim est nihilo minus; sed in tali putà specie existere, & in propria ac particulari hypostasi existere ostenderis.* Non universalem autem speciem sibi copulavit Verbum, sed individuam humanitatem: ergo talem cui, si modò sejunctim esset, tota hypostaseos definitio & res competit. Unde Cyrillus in Apologia anathematismi primi contra Theodoretum semel iterumque inculcat copulatas in Christo esse personas non sine hypostasibus, seu factum esse concursum rerum sive hypostaseon. Copulata est enim Verbo humanitas individua, id est, quæ ad hoc ut persona sit, nihil deficit, nisi ut sola sit.

III. Ex Theodoreto.

Theodoretus Dialogo qui inscribitur Immutabilis: *Estne aliqua differentia inter οὐσίαν & ὑπόστασιν? Secundum externam quidem sapientiam nulla est. Nam οὐσία significat id quod est: hypostasis verò id quod subsistit. At secundum Patrum doctrinam, sicut differunt commune & proprium, vel genus & species ac individuum, ita differunt οὐσία & ὑπόστασις.*

IV. Ex Leontio Byzantino, Advers. Nestor. & Euty. L. de Sectis Act. 1.

Leontius Byzantinus in confutatione Nestorii & Eutychetis: *Natura rationem essentiæ recipit, hypostasis verò rationem per se essentiæ. Natura rationem speciei continet, hypostasis declarat aliquem unum. Natura rei universalis characterem seu formam declarat, hypostasis proprium à communi discernit.* Et alibi idem: *Necesse est ut de quatuor vocabulis quæ in Patrum dictis reperiuntur, paucis disseramus. Ea vocabula sunt, οὐσία, φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον. Sciendum ergo οὐσίαν & φύσιν apud ipsos idem esse: ac rursus idem ὑπόστασιν & πρόσωπον: οὐσία & φύσις apud eos est, quod Philosophi vocant εἶδος, id est, speciem. Et species est quæ de pluribus ac numero diversis dicitur. Hypostasin verò seu personam vocant, quod Philosophi vocant ἄτομον οὐσίαν, id est, individuam substantiam. Nam Ecclesiastici Scriptores accidentium individua, nec personam vocant, nec hypostasin.*

V. Ex Damasceno. L. 1. c. 6. c. 42.

Damascenus: *Quæ communia & universalia sunt, prædicantur de subjectis sibi particularibus. Commune igitur est οὐσία, particulare verò hypostasis: particulare verò, non quia partem naturæ habeat, partem non habeat: sed particulare numero, ut individuum.* Et in Dialectica: *Hypostaseos nomen duo significat. Quandoque simpliciter τὴν ὕπαρξιν, id est, existentiam: secundum quod significatum idem est οὐσία & ὑπόστασις. Unde & quidam sanctorum Patrum dicebant naturas sive hypostases. Quandoque autem existentiam per se & particulatim consistentem, secundum quod significatum, individuum ostendit numero differens, Petrum, Paulum, &c.* Quid apertius? Existentiam non hypostasin tantum, sed naturæ etiam adsignat, at hypostasin vocat individuum existens καθ᾽ αὑτὸ, καὶ ἰδιοσύστατον. Sexcenta istiusmodi occurrunt apud Damascenum.

VI. Ex Theoriano.

Theorianus in Dialogo adversus Armenos: *Ego plurimum in his extraneos ab Ecclesiæ Doctoribus dissidere video. Nam eruditi illi homines exteri, individuum sive hypostasin & unum numero, οὐσίαν definiunt. Quod sanè divini Patres non admittunt. Quippe Patres illi gubernati divinitus, φύσιν & οὐσίαν, definiunt τὰ καθόλου, id est, universalia, quæ Scriptores exteri vocarunt εἶδος, id est, speciem. Quapropter in sacrosancta Trinitate naturam unam & substantiam unam, hypostases verò tres tradiderunt. Natura nimirum & substantia plures hypostases continent. Et hominum quidem natura cum una sit, infinitas habet hypostases, putà Petrum & Paulum &c.* Prophani ergo Scriptores naturam ab hypostasi, non re, non ratione discreverant; unde nunquam ipsis in mentem venit, posse vel plures naturas in una hypostasi, vel plures hypostases in una natura complicari: at nobis sola cogitationis inter utrumque discriminatio ita fieri posse persuadet.

VII. Ex Euthymio.

Euthymius in Panoplia: *Usia, & natura, & genus, ac species, forma, & figura idem sunt in Deo secundum divinos Patres. Rursus verò hypostasis, persona, character, proprietas & individuum idem sunt. Atque usia quidem & natura de omnibus dicuntur æqualiter subjectis, quatenus omnes homines unius usiæ sunt & naturæ. Hypostasis verò & persona & individuum est, τὸ ἰδιάζοντως καθ᾽ ἑαυτὸ ὑφεστὸς, quod particulariter per seipsum subsistit, & divisionem citra corruptionem non recipit.* Et paulò post: *Quam habet differentiam commune à proprio, & universale à particulari, & non definitum à definito, eandem habet & natura ab hypostasi.*

VIII. Pugna antiquæ hujus & novæ quorumdam doctrinæ.

Temperandum est à plurium hujusmodi testium turba. His tot & tantis ac de industria rem istam tractantibus, reliquos consentaneos esse Patres Græcos, nemo sanus ambiget. Ab his quàm immaniter dissident, qui à nobis in hoc toto tractatu dissentiunt. Patres enim naturam cum specie, seu cum universali confundunt, hi cum individuo. Patres

tres individuum & hypostasin permiscent, hi dirimunt. Patres existentiam individuo innectunt, hi disjungunt. Patres individuum seu hypostasin locant in existentia per se seorsim ab aliis, hi meram existendi formam spectant, & illam in qua cardo rei vertitur, seorsim sejunctimque existendi rationem nil pensi habent. Patres discrimen naturæ & hypostaseos non in re commentitia & inconspicua locant, sed in re obvia & protrita, cujusmodi est universalium à particularibus discretio: hi existentiam ab essentia discriminantes, incertis opinationibus videntur superstruere arcanum fidei nostræ.

IX. *Idē ex Latinis Patribus.* Nec Latini ab hac Græcorum sententia dissensere. Nam Hieronymus Epistola ad Damasum, etsi tres hypostases profiteri subdubitat, ob hærentes adhuc his tum vocibus suspiciones; sensum tamen quo eas Græci interpretabantur, vehementer amplecti se clamitat: *Bene interpretantur hypostasin, & cum id quod ipsi exponunt, habere medicam, &c.* Boetius autem Libro de duabus naturis & una persona Christi: *Atque uti Græca utar oratione in rebus quæ à Græcis agitatæ, Latina interpretatione translatæ sunt:* αἱ οὐσίαι ἐν μὲν τοῖς καθολικοῖς εἶναι δύνανται, ἐν δὲ τοῖς κατὰ μέρος μόνοις ὑφίστανται. *Id est, Essentiæ in universalibus quidem esse possunt, in solis vero individuis & particularibus substant. Intellectus enim universalium rerum ex particularibus sumptus est. Quocirca cùm ipsæ substantiæ in universalibus quidem sint, in particularibus verò capiant substantiam, jure substantias particulares,* ὑποστάσεις *appellaverunt.* Et ibidem Græcos sæpiùs commendat, quòd hypostasin vocarint individuam subsistentiam. Rusticus in disputatione contra Acephalos: *In sermone quem de definitionibus contra Acephalos simul Nestorianosque conscripsi, demonstratum est, quod natura quidem communem, sicut dici solet, speciem repræsentet, persona verò sit concursus eorum quæ describunt subsistentiam rationalem.* Maxentius: *Discernitur à natura persona, quia personæ unam rem individuam naturæ significant: natura verò communem cognoscitur declarare materiam, ex qua plurimæ possunt personæ subsistere.* Dialog. 1.

X. *Rursum ex Maximo Martire.* Denique naturam ab hypostasi non distare re aliqua, sed mera ratione, expressis verbis tradit Maximus Martyr in Dialogo 1. de Trinitate apud Athanasium: *Ortho. Aliud est hypostasis & aliud Deitas, non ut alia & alia res, sed quod hypostasis aliud, aliud Deitas significet. Nam hypostasis declarat* τὸ εἶναι, *id est, esse: Deitas vero* τὸ τί εἶναι, *id est, quiddam esse. Anom. Hoc verò cujusmodi est? Ortho. Ut sunt Petri & Pauli & Timothei tres hypostases, at una humanitas.* Ex Græcorum ergo consensione, ut universale à singulari, ita natura ab individuo seu ab hypostasi non differt, nisi modo significandi & sola ratione. Ac proinde si naturam, si individuum assumpsit Verbi Deitas, assumpsit quidquid rei est in homine, atque adeo & existentiam.

XI. *Rursus humanitas assumpta non est hypostasis, sed hypostaticum, id est, hypostasis Verbi accessio. Opusculo. 25.* Secundò, humanitatem Christi non hypostasin quidem, sed hypostaticum aliquid dixere Græci: inter hypostasin autem & hypostaticum id interesse statuerunt, non quòd hypostasis connata, hypostaticum mendicata fulciatur existentia: sed quòd hypostasis totum & suum sibi sit, hypostaticum pars totius sit, cui accedit. Theodorus Abucara: *Est aliquid quod dicitur hypostasis, & est aliquid quod dicitur hypostaticum; & commune utrique est componi ex natura & proprietatibus: differunt tamen quia hypostasis non est pars alicujus, hypostaticum vero pars est. Verbi gratia, Petrus non est pars alicujus, quare hypostasis est. Corpus autem Petri pars est, quare hypostaticum & non hypostasis est corpus Petri, quamvis natura est cum proprietatibus. Sed non satis est compositam esse naturam cum proprietatibus ad generationem hypostaseos, sed oportet concurrere ad hoc & non esse partem. Quia igitur pars Christi est corpus animatum assumptum, idcirco non est hypostasis, sed hypostaticum. Et sicut non numeratur cum Petro corpus ejus, ut sint duo, alterum enim cum altero compaginatur: sic neque cum Filio Dei incarnato connumeratur corpus animatum assumptum, ut sint duo.* Et ut cavillandi ansa amputetur, anima ipsa cùm pars sit hominis, hypostaticum est, non hypostasis, quia etsi congenita existentia fruatur, non seorsim tamen, nec ut totum ea fruitur. Ita & humanitas assumpta non detruncatione rei alicujus suæ, sed sui ut partis accessione ad Verbum ut totum, non hypostasis est, sed hypostaticum. Supersedeo Patribus aliis: Damascenus præ cæteris frequentissimè de his disputat.

XII. *Rursus assumpta est natura individua, ergo existens. L. 3. c. 11.* Tertiò, non universalem, sed particularem & individuam naturam à Verbo assumptam iidem Patres pronunciant, atque adeo existentem. Damascenus naturam tripliciter spectari posse tradit, nempe vel cogitatione abstractam, vel ut omnia individua complexam, vel denique in uno aliquo individuo subsistentem. Assumptam autem à Verbo esse hac tertia ratione: *Deus igitur Verbum incarnatum, neque sola cogitatione intellectam naturam sumpsit: nam id non incarnatio, sed ludibrium & figmentum foret incarnationis: neque in specie consideratam, quandoquidem non omnes hypostases assumpsit: sed eam quæ in individuo erat, & in eadem specie. Primitias enim nostræ massæ assumpsit, non quæ secundum seipsam subsisteret, & individuum prius esset, & sic assumeretur, sed quæ in ejus hypostasi existeret.* Id ergo sciscitur, ut non seorsim, non priùs, sed in ipsa sui assumptione, & in Verbo sit, & incipiat esse humanitas individua: ut autem eo spolietur, quo à specie universali differt, & tota individui ratio perimatur, iniquum id est.

His assentitur Rusticus: *Hæret. Autumo quod quidam nostrorum melius dicant, quoniam non individua illa humanitas Christi unitioni praextitit, sed communis humana natura, ex qua illa est caro.* Rusticus: *Sed ad alia consequentia vos ducit hic sermo. Nec enim vel post unionem communis nostra natura unum quid per unitionem facta cum Deo est, sed illa individua quæ assumpta est: non enim Patres hoc de illa, sed de hac dicunt. Nec possibile est communem naturam efficere unquam personam per semetipsam. Insuper nec in semetipsa illa subsistit, sed intellectu rationalium tantummodo, qui fit ex individuis ejus, à quo & esse accepit. Sicut & ea quæ omnium genera vel species esse dicuntur apud sæculi sapientes. Si enim esset anima & non esset rationalis, non erat communis creaturarum natura, sive quod dicitur genus atque species.* Ita ille nugivendos exibilat Acephalos, qui communem, non individuam à Christo assumptam fabulabantur naturam humanam, ne individuam si sibi asciverit, asciverit & personam. Contra autem natura illa communis, quandiu communis spectatur, in nullam concrescit personam. Deinde ad omnes æquè homines illa pertinet. Denique commentum animi nostri est omnis illa universalium seu generum seu specierum fabricatio. Cùm autem naturam individuam assumpserit, cur personam non assumpserit Verbum, idem Rusticus statim declarat: *Sed nostra natura in Christo non etiam persona est: non enim in semetipsa & secundum seipsam segregatim habet esse suum.*

XIII. *Quo sensu Catholici quidā scripserint naturam communem assumptam esse. Dial. 1.* Nonnullos tamen ex choro orthodoxorum reperire est, qui non individuam, sed universalem naturam à Verbo sumptam definierint. Sed longè alio ab illis hæreticis sensu. Joannes Maxentius vim seminalem & ipsam seminum materiam, ex qua parturiuntur omnia, nomine naturæ communis videtur insignire. Ideo enim conjectat omnia bona à Deo primùm creata, nempe, in suis seminibus seu in naturis communibus. *Alioqui quomodo creator omnium naturarum universa bona & val-*

de bona fecisse credendus est? Ita & in parvulis recens ortis futuram molem perfectionemque jam inesse arguatur, nimirum in seminum vi: *Est prorsus vis ista in membris nostris, & latet perfecta & tota secundum propriam rationem in materia seminis.* Denique eos qui in lumbis Abrahæ decimati fuere, extitisse sed latuisse jam tum philosophatur, in seminibus iis, quæ postea emicuere: *Nulla res potest decimari quæ non est. Res ergo ista sive natura quæ in occulto est, quandiu producatur in lucem, quasi insubstantia à minus intelligentibus æstimatur. Quum autem nutu Dei per seriem generationum, vis seminis in feminæ fuerit vulvam transfusa, tunc quod latebat in membris extenditur, & in persona propria declaratur.* His ita præfinitis, jam indubium est naturam communem Verbo esse copulatam, id est seminalem illam corpulentamque materiam, quam à majoribus suis secundùm carnem & ab ipso usque Adamo Christus derivatam suscepit. Unde Maxentius confestim pergit: *Huic igitur humanæ naturæ quæ generalis & communis est omnibus hominibus, sine qua nulla potest persona subsistere, in sanctæ Virginis utero, quæ fide plena Deum concipere meruit, semetipsum Deus Verbum unire dignatus est: & ex materia viscerum ejus absque ullo viri semine, propria potentia & virtute semetipsum creat secundum carnem, &c.* Sed hæc ratio nihil obstrepit Damasceno. Nam illa natura communis, seu materia seminalis, individua utique sibi erat, & per tantam præcessorum seriem ab aliis ad alios transfusa, illi accensebatur hypostasi, cui accedebat, cujus portio efficiebatur: & ita demum ubi Verbo accessit, in ejus hypostasin tanquam pars ejus transcripta est. Quocirca & Ephræmius apud Photium, & Abucara, & siqui alii naturam non individuam, sed communem à Verbo susceptam causati sint, clementiùs exponendi sunt nobis, ut perspicuum est Joannem Maxentium verbis, non sententia à cæteris Catholicis distare.

XIV. Rursus ex Boethio solennis definitionis authore, cur Christi humana non sit persona.

Quartò, illuc quoque referenda est personæ definitio à Boethio tradita: *Persona est naturæ rationalis individua substantia.* Et quidem post excitatas Nestorianæ & Eutychianæ insaniæ tempestates, hæc procusa est à catholico Scriptore definitio, & in eo ipso libro ubi cum duplici Christi natura unitatem personæ conciliare enixissimè studet. Ecquid ergo in hac definitione est, quod humanitati Christi desit, ne sit ipsa per se persona? Humanitas enim illa & natura est, & rationalis, & individua, & substantia. Quin ergo persona est? Humanitas illa, nec accidens est, sed substantia; nec rationis inops, sed rationalis: nec universalis est, sed individua: quin ergo persona est, cui apprimè quadrat personæ definitio? Boetius: *Quocirca si persona in solis substantiis est, atque in his rationalibus, substantiaque omnis natura est, nec in universalibus, sed in individuis constat, reperta est personæ igitur definitio. Persona est naturæ rationalis individua substantia. Sed nos hac definitione eam quam Græci hypostasin dicunt, terminavimus.* Quæ cum ita sint, ab eodem Boetio ediscamus, quid causæ sit, quamobrem non sit duplex Christi persona. Nam toto capite quarto id agit, nec usquam tamen vel uno verbulo attingit illam existentiæ humanæ execationem, sed unam commendat copulationem Dei & hominis, infusionem Dei in hominem, hominis accessionem ad Deum, ut ea ratione non seorsim humanitas, quæ seorsim nusquam est, sed ut conjuncta cum Verbo, quæ nunquam nisi illi individuè conjuncta fuit, dignitatem personæ obtineat. (Boet. c. 4.) *Si enim non est una Christi persona, &c. Quæ est igitur facta hominis Deique conjunctio? Num ita quasi cum duo corpora sibimet apponuntur, ut tantum locis juncta sint, & nihil in alterum ex alterius qualitate perveniat? Quem conjunctionis modum Græci κατὰ παράθεσιν vocant. Sed si ita humanitas divinitati conjuncta est, nihil horum ex utrisque confectum est, ac per hoc nihil est Christus.* Unam ergo Christi personam esse colligit ex eo quod conjuncta sit humanitati Deitas, non utcumque, non quasi extrinseca appositione, sed immeatione intima & compositione, ut ex utraque Christus unus conflaretur. *Ut ejus qui solus est natura Deus, cum humana, quæ ab eo erat diversissima, conveniret, atque ita ex distantibus naturis, una fieret, copulatione, persona.* Secus verò in aliis hominibus nulla persona divina est, *Ut in quolibet homine cujus cum propria natura subsistat, nulla est ei excellentissimæ substantiæ conjuncta divinitas.* Hæc ergo excellentissimæ substantiæ divinitas conjuncta humanitati Christi, illam permeat, illam ad se rapit, illam suæ personæ adglutinat.

Rusticus in disput. adver. Acephalos hanc objectatam ab hæreticis personæ definitionem nusquam repudiat: *Omnis individua & rationalis natura persona est; quia igitur vos super Christo duas dicitis rationales naturas, duas etiam personas inevitabiliter introfertis, &c. Deus Verbum individuum est divinæ naturæ, humanitas vero natura rationalis individua, hæ vero duæ naturæ, duæ igitur & personæ.* Hæc objectante Hæretico, nihil tergiversatur Rusticus: in rerum cursu usitato ita habere acquiescit, sed in Christo aliter, ut qui summa novitas sit: quia enim non seorsim, nec sua sibi est Christi humanitas, sed Verbi est, Verbique fuit propria jam inde à sui exordio, ideo persona non est sibi, sed Verbi personæ accessio. *Etsi in reliquis rationabilibus creaturis substantia individua, persona est, sed non in Domino Christo, &c. Recole participem te esse illius divini baptismatis, recole te illo mysterio esse sermonem, cui nunquam æquum, vel simile quid contigit, quia hoc ipse in semetipso universorum Dominus fecit, sicut per prophetas ipse prædixerat, inquiens, Faciam novum in femina quod omnes mirabimini.* Sic ille in rei inusitatissimæ novitatem ac stuporem præfatur. Propriùs mox ad enodandam difficultatem accedens, subdit: *Verùm quia valdè me cogis verbo inire, quæ superexiliunt animam, prius à Deo veniam petens, ut possum, aggrediar disquirere imperscrutabilem rem. Dico autem quoniam si fides accommodanda est exemplis, omnia quidem sine exceptione habet nostræ naturæ Christus, non verò omnia humanæ personæ. Videmus enim unamquamque hujusmodi subsistentiarum, omne quod suum est, esse in semetipsa habentem, præter cæteras alias sequestratam. Nec enim mea anima alterius corpus per semetipsam vel primo gubernat; etiamsi secundum accidens velut filios aut servos dicimur gubernare. At vero Deus illam humanam naturam nunquam sua præsentia atque gubernatione depositam reliquit, tanquam si dicat aliquis, effrenatè libero arbitrio abuti: sed & ob hoc eam creavit, non ut sua, sed ut ejus esset: & super semetipso eam fundavit, tanquam super basin quandam vel fundamentum, ut per eam perficeret propositam suæ immensæ largitati pulcherrimam dispensationem. Igitur si omnis induvidua natura, persona est, sed illa omnis quæ non ad hoc creatur, ut alteri inseparabiliter unita permaneat. Nam & humanum corpus, non est alterius personæ ab anima sua, &c.*

XV. Item ex Rustico.

XVI. Item ex S. Thoma. Opusc. 3. c. 6.

Nec aliter his se laqueis expedivit Scholæ Theologicæ Antistes Angelicus: *Si quis objiciat quod cum humana natura in Christo non sit accidens, sed substantia quædam: non autem universalis, sed particularis, quæ hypostasis dicitur; videtur consequi, quod ipsa humana natura in Christo hypostasis quædam sit præter hypostasin Dei Verbi, & sic in Christo erunt duæ hypostases. Considerare debet, qui sic objicit, quod non omnis substantia particularis, hypostasis dicitur, sed solum illa quæ ab aliquo principaliori non habetur. Manus enim* ho-

hominis substantia est quædam particularis, non tamen potest dici hypostasis, vel persona, quia habetur à principaliori, quod est homo: alioquin in homine tot essent hypostases & personæ, quot sunt membra vel partes. Humana ergo natura in Christo Domino, non est accidens, sed substantia: non universalis, sed particularis: nec tamen hypostasis dici potest, quia assumitur à principaliore, scilicet à Dei Verbo. Ter ut vides inculcat, eo naturæ individuæ hypostasin præfocari, non quod aliquo mutiletur, sed quod habeatur à principaliori, nec seorsim sua sibi existat. Et ne Cajetanus ab his opusculis provocet ad summam ejusdem Aquinatis, ex hac ipsa Theologica summa deprompsimus non pauca, nec minùs perspicua in hanc ipsam sententiam testimonia.

CAPUT XXI.

Nostra hæc de hypostasi Christi sententia, firmatur assensione omnium prope Scholæ Theologicæ Doctorum.

I. Schola Theologica ut summú verbis, non sententiis dissonat à sanctis Patribus.

CUm nostra hæc sententia de unica geminæ Christi naturæ hypostasi, tam perspicuis, tam consonis fulciatur sanctorum Patrum testimoniis, non potuere ab ea recentiores Theologi usquequaque declinare. Quæ enim olim fides, eadem nunc est; eadem Ecclesia, eadem veritas, eadem Ecclesiasticæ veritatis interpres & defensatrix Thelogia, nullis temporum lapsibus nutans, aut sibi discors. Itaque id mihi quidem persuasissimum est, recentioris Theologiæ senatum ab antiquiore ut summum verbis dissidere, non sententiis: in fronte collidi, in medulla conspirare: eos autem discordiæ specie & jurgiorum suspicionibus ludificari, qui primùm quidem non satis provisum habent, quanta sit Ecclesiæ & Ecclesiasticæ fidei atque doctrinæ incorruptibilitas; deinde qui specie rerum strepituque delusi, rerum venas interiores & causæ viscera explorare minùs laborant.

II. Nostræ huic, imo Patrum doctrinæ concordat Richardus Victorinus. L. 4. de Trinit. c. 6. & 7.

Hugonis Victorini suffragium alibi jam fusè descripsimus. Cui concordat Richardus Victorinus: *Alias ergo subintelligitur proprietas generalis, alias proprietas specialis. Ad nomen autem personæ proprietas individualis, singularis, incommunicabilis.* Et ibidem: *Nomine substantiæ non tam quis, quam quid significatur. E converso autem nomine personæ non tam quid, quam quis designatur, &c. Per quid inquiritur de proprietate communi: per quis de proprietate singulari, &c. Ad nomen personæ nunquam intelligitur nisi unus aliquis solus, ab omnibus aliis singulari proprietate discretus.* Consentit veteribus naturam non aliud quàm universale definientibus, personam autem particulare seu individuum, sed sejunctim sibi & ab aliis secretum, & ita incommunicabile. Hæc enim incommunicabilitas personæ rationi implicatæ, id satagit, ne in alio quidpiam sit, vel ut species in individuo, vel ut accidens in subjecto, vel ut pars in toto. Communicatur enim species individuis, accidens subjectis, pars toti. Quocirca cùm definitio personæ Boetiana arceat & species & accidentia & partes, quanquam nomine incommunicabilitatis abstineat, vim tamen ejus retinet. Nec enim incommunicabile aliud quid designat, quàm id, quod tam inculcatè hactenus ex Græcis Latinisque ingessimus, per se seorsim, sejunctim ab aliis, ἴδιος, ἰδικῶς, κατὰ μέρος, consistere, non accedere alteri, non pertinere ad aliud, suum sibi esse, sui esse juris, esse sui causa, non rapi ad principalius aliquid.

III. Idem Magister Sententiarum L. 3. d. 5.

Magister Sententiarum: *Quare non accepit personam hominis cùm hominem acceperit? Ideo non personam hominis assumpsit, quia caro illa & anima illa non erant unita in unam personam quam assumpsit: quia non ex illis constabat persona, quando illis unitum est Verbum. Nam illa sibi invicem unita sunt simul cum Verbo, &c. Non ergo accepit Verbum Dei personam hominis, sed naturam; quia non erat ex carne illa & anima illa, una composita persona, quam Verbum acceperit; sed accipiendo univit, & uniendo accepit.* Adverte ut persona non sit assumpta, non alicujus rei inopiam in causa esse. Item si anima & caro priùs sibi quàm Verbo unirentur, jam tum personam fore, quia seorsim homo solus staret: at quia simul sibi invicem, simul Verbo principaliori uniuntur, hinc unam in personam cum Verbo, & in Verbi ipsius personam rapi. Denique concinere Magistrum antiquis Patribus, unitatem personæ Christi inde experimentibus, quòd nusquam humanitas ante suam cum Verbo copulam constiterit.

Dilucescet magis sententia Petri Lombardi ex consequentibus: *Hic à quibusdam opponitur, quod persona assumpsit personam. Persona enim est substantia individua rationalis naturæ. Hoc autem est anima. Ergo si animam assumpsit, assumpsit & personam. Quod ideo non sequitur, quia anima non est persona, quando alii rei unita est personaliter, sed quando per se est. Absoluta enim à corpore, persona est sicuti Angelus. Illa autem anima nunquam fuit, quin esset alii rei conjuncta. Ideoque non ea assumpta, persona est assumpta.* Ergo persona non aliud quàm totum quoddam est ab aliis sejunctum. Ergo anima in quolibet homine, & humanitas in Christo ex sententia Magistri, non est persona, quia pars est totius & compositi cujusdam: fit autem, vel fieret persona, per solam ab hoc toto secessionem.

Alexander de Ales: *Cùm ratio personæ asumatur ab excellentiori proprietate & digniori: dignior autem proprietas in Christo non est ex parte humanæ naturæ, sed ex parte divinæ personæ. Propterea relinquitur quod non est asumptio personæ. Distinctio enim personarum debet esse secundum id quod in ipsis personis invenitur nobilius. Quia ergo in homine asumpto nobilissimum est esse Filium Dei, ideo secundum hoc inest ei distinctio personalis, ut sit una persona cum Filio Dei.* Et ibidem: *Licet sit alia proprietas naturæ & originis in homine asumpto quàm in Filio Dei, non tamen sequitur quod alia persona. Quia persona sic dicit rem completam & definitam, ut non sit possibilis ad ulteriorem unionem & distinctam per proprietatem digniorem: quod non convenit Christo secundum quod homo.* Et infrà: *Et quod objicitur quod est rationalis naturæ individua substantia, &c. Negandum est quod non est individua, cùm sit adhuc possibile ad unionem cum digniore substantia.* Et infrà: *Aliquando creatur aliquid per se, aliquando ut in alio. Si sit creatum per se, non in alio, & sit individuum rationalis naturæ, erit persona. Si vero sit creatum ut in alio, licet sit individuum naturæ rationalis, non erit persona, quia non est à quolibet alio distincta substantia.* Subdit ea de causa nec animam esse personam, quia non seorsim per se creatur, sed infunditur corpori simul ac creatur: eodemque jure nec humanitatem Christi esse personam, quia creando assumitur, & assumendo creatur.

IV. Alexander de Ales. 3. p. q. 4. memb. 6.

Divus Bonaventura: *Ad illud quod opponitur in contrarium, quod persona est rationalis naturæ individua substantia: dicendum quod individuum in notificatione personæ triplicem importat distinctionem, videlicet singularitatis, incommunicabilitatis, & supereminentis dignitatis. Indivisum enim dicitur quod est in se individuum & ab aliis distinctum. Distinctionem singularitatis voco, quod aliquid non sit commune ad plura, sed dicatur de uno solo. Propter quod Sortes dicitur individuum, homo vero non dicitur individuum. Distinctionem incommunicabilitatis voco, quando aliquid non est alicujus pars, sive veniens in compositionem tertii; unde pes vel*

V. Bonaventura L. 3. d. 5. Art. 2. q. 2.

vel manus hominis propriè loquendo non dicitur individuum. Distinctionem supereminentis dignitatis intelligo illam quæ accipitur à digniori proprietate. Hoc enim nomen personæ sumptum est à dignioribus, unde non reperitur nisi in individuo nobilissimæ creaturæ, utpote rationalis, & ratione suæ nobilissimæ proprietatis. Quoniam ergo natura humana assumpta à Christo ordinata est ad nobiliorem proprietatem ejusdem personæ secundùm alteram naturam, hinc est quod non tenet ibi proprietatem personalitatis: cadit enim ab una proprietate, quæ quidem est supereminentis dignitatis. Nihil enodatius dici potuit, ut liqueret quod suprà multis stabilivimus, personam nil differre ab individuo rationalis naturæ; individuum non censeri quod alteri accedit, eique adglutinatur; personam esse nomen juris & authoritatis seu supereminentis dignitatis; naturam inferiorem cadere à nomine personæ, non ullius rei suæ frustratione, sed ad nobiliorem naturam copulatione sola; personam esse quod sui juris est, quod sui causa, quod habet, non habetur, quod vendicat sibi se, quod principatur.

Et ibidem Bonaventura: *Natura assumpta in Christo eo ipso est nobilior, quod in nobiliori persona stabilitur, quia non in persona creata, sed in persona increata. Unde ordinatio ad dignius quamvis auferat rationem suppositionis, tamen non aufert dignitatis proprietatem. Melius enim est subesse superiori, quàm præesse alicui inferiori. Sicut perfectior est anima cum possidetur à Deo, quàm cum possidet res creatas, &c.* Et infrà rursum: *Ad illud quod opponitur, quod anima rationalis conjuncta vel unita carni facit personam, dicendum quod verum est, quando anima & caro non conjunguntur digniori. Tunc enim non solùm ex anima & carne constituitur ipsa natura, sed ex ipsa natura hypostasis & persona. Non sic autem est in proposito. Quia anima & caro fuerunt sibi invicem unita ipsi Verbo: nec in aliquo instanti fuit anima illa, quin esset unita Verbo; & ipsa hypostasis æterna erat, in qua coæquabantur corpus & anima.*

VI. Rursus sanctus Thom. Sancti Thomæ suffragium suprà iterum jam iterumque retulimus. Pauca hìc ad cumulum ex infinitis apud eum hujusmodi testimoniis adjiciemus. Opusculo II. contra Græcos, Armenos & Sarracenos: *Spiritalis natura in naturam corpoream non convertitur, sed potest ei aliqualiter uniri propter efficaciam suæ virtutis, sicut anima unitur corpori, &c. Sicut ergo spiritalis natura unitur corporeæ per efficaciam suæ virtutis, ita & Deus potest uniri tam spiritali quàm corporali, & secundùm hunc modum dicimus Deum naturæ humanæ fuisse unitum. Est autem attendendum quod unumquodque maximè videtur esse illud quod invenitur in eo esse præcipuum: omnia autem alia videntur ei quod est præcipuum adhærere, & ab eo quodammodo assumi, in quantum id quod est præcipuum, aliis utitur secundùm suam dispositionem. Quod quidem patet non solùm in adunatione civili, in qua principes civitatis quasi tota civitas videntur, & aliis utuntur secundùm suam dispositionem, ut sibi adhærentibus membris: sed etiam in adunatione naturali. Licet enim homo naturaliter constet ex anima & corpore, principalius tamen videtur homo esse anima quàm corpus, quod animæ adhæret, & quo anima utitur ad operationes animæ convenientes. Sic ergo & in unione Dei ad creaturam non trahitur Deitas ad humanam naturam, sed humana natura à Deo assumitur; non quidem ut convertatur ad Deum, sed ut Deo adhæreat; & sunt quodammodo anima & corpus sic assumpta, anima & corpus ipsius Dei: sicut partes corporis assumptæ ab anima, sunt quodammodo ipsius animæ membra.* Nulla hìc ratio habetur minutiarum metaphysicarum, & lubricæ essentiam inter & existentiam distinctionis: sed ut omnes omnino Patres, sola animæ & corporis exempla profert Aquinas. Vim personæ divinæ in humanam etiam naturam se profundentis in una collocat immeatione & dominatione naturæ superioris in inferiorem. Unumquodque enim est, id quod est in eo præcipuum, & quod præcipuum cùm sit, cæteris utitur secundùm suam dispositionem, reliqua ei adhærent ut accidentia, serviunt ut membra.

Idem Aquinas in compendio Theologiæ: *In aliis hominibus unio animæ & corporis constituit hypostasin & suppositum, quia nihil aliud est præter hæc duo. In Domino autem Jesu Christo præter animam & corpus, advenit tertia substantia, scilicet Divinitas. Non ergo est seorsum suppositum, vel hypostasis, sicut nec persona, id quod est ex corpore & anima constitutum; sed suppositum, hypostasis vel persona est id quod constat ex tribus substantiis, corpore scilicet, & anima, & divinitate, &c. Et quia persona, hypostasis & suppositum designant aliquid integrum: si divina natura in Christo esset ut pars & non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis, una persona Christi non se teneret tantùm ex parte personæ divinæ, sed esset quoddam constitutum ex tribus: sicut in homine persona, & hypostasis, & suppositum est, quod ex anima & corpore constituitur. Sed quia divina natura est aliquid integrum, quod sibi assumpsit per quandam ineffabilem unionem humanam naturam, persona se tenet ex parte divinæ naturæ, &c. Potest autem hujusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri. Subjectum enim & accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur: unde subjectum in tali unione non se habet ut pars, sed est integrum quoddam quod est suppositum: accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti. Sic igitur suppositum Filii Dei est suppositum humanæ naturæ in Christo. Unde quidam propter hujusmodi similitudinem dicere præsumpserunt, quod humana natura in Christo degeneret in accidens, & quod accidentaliter Dei Filio uniatur: veritatem à similitudine non discernentes.* Quæ tam perspicua sunt & nostræ sententiæ tam accommodata, ut interpretis opera supervacanea penitus futura sit. VII. Idē rursus c. 211.

Sed quid apertius hac ejusdem alibi responsione? *Dicendum quod naturæ assumptæ non deest propria personalitas propoer defectum alicujus, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat: sed propter additionem alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad personam divinam.* Non defectum defectui, sed defectui additionem opponit: & personam divinam naturæ humanæ advenire docet, ut perfectionem longè eminentissimam. Et alibi rursum: *Sic igitur quia humana natura non per se separatim subsistit, sed existit in alio, id est in hypostasi Verbi Dei, non quidem sicut accidens in subjecto, neque propriè sicut pars in toto, sed per ineffabilem assumptionem, &c.* Vide & alibi ut idem sanctus Doctor personam Christi post incarnationem dicat esse compositam: *Sic dicitur persona composita, in quantum unum duobus subsistit.* VIII. Idem S. Th. 3. p. q. 4. art. 2. ad 2. q. de Unione art. 2. 3. p. qu. 2. art. 4.

IX. Scotus. Scotus cum tota contribulium suorum, sequaciumque argutissima schola, verbis dissonat, sententiis omnino concordat nobiscum. Nec enim negationes illæ quidquam aliud innuunt quàm quod sæpiùs ex sanctis Patribus iteratum est, personam esse, quæ non accedit alteri, non inest, non inhæret perfectiori, non juri & authoritati alterius excellentioris adscritur inseriturque substantivè, non est pars, non velut membrum, non ut instrumentum conjunctum eminentioris suppositi. Hæc omnia verbis negantibus describuntur, possunt æquè & fortassis meliusculè affirmantibus. Etenim personæ propria est primariò perfectio quædam absolutissima, & plenitudo ac totalitas nullius præterea egena, suo sibi in sinu plaudens & beata, ex qua omnes illæ scaturiunt negationes. Cùm ergo sancti Patres nunc ajentibus, nunc negantibus verbis personam unionemque hypostaticam edisseruerint, non deviavit schola recentior, sive in has sive in illas defle-

deflexerit voces ejusdem prorsus omnes sententiæ. Id etiam communi accrevit negantes voces amplexantibus, quòd inde liquidius fieret, personam à natura individua non re, sed ratione distare: humanitatem Christi & numeris suis omnibus absolutam, & propria tamen hypostasi nudatam esse: totum hominem assumptum, totumque adeo liberatum, totum deificatum, etsi persona non sit assumpta. Parco pluribus, genus ipsum indigitasse contentus. At vicissim qui affirmantia præhabuere verba, in lucro ponunt, quòd personæ dignitas digniùs explanetur, quòd naturæ substantialis & rationalis apex summus vacuarum inanitate vocum non obscuretur, quòd quantalibet creata perfectio divinæ perfectioni adhuc subesse, & inde perfici cumularique adhuc posse meliùs demonstretur.

X. Tiphanius.

His ducibus addicti omnes ferè Theologi sunt cæteri. E recentissimis hanc nostram sententiam luculentissimè illustravit Tiphanius eruditissimæ Societatis Jesu præstantissimus Theologus, Libro de hypostasi, cujus nobis copia tum demum facta est, cùm huic nostræ dissertationi extremam manum imponeremus. Pauciora ille è Patribus delibavit, plura è Scholasticis acervavit Theologis: commodè id accidit, ut hinc antiquorum Patrum, illinc recentiorum Theologorum accumularentur numerosissima testimonia, & unanimis utrimque consensio firmaretur. Rursus illam quidem copulæ hypostaticæ partem, quæ in eo est posita, quòd humanitas, non seorsim, non sua sibi sit, sed Verbo accedat, ejusque propria & veluti membrum aut portio fiat, hanc inquam partem Tiphanius copiosissimè persecutus est: alteram autem petitam ab immeatione atque insessione superioris naturæ in inferiorem, intactam prætermisit, quo gnavius in eam elucidandam incumbere nos ex re fuit, nec iis contentos esse, quæ non parcè suprà in id argumentum digessimus. Cùm in primis huic invasioni atque formationi naturæ inferioris à superiori infulciatur jus illud substantivum quo superior inferiorem sibi vendicat.

XI. Et ab eo plures allegati.

Allegantur autem à Tiphanio Scholastici doctores qui naturam à persona discriminant solo intellectu, Guillelmus Altisiodorensis, *l.* 3. *sent. dist.* 1. *q.* 8. Albertus Magnus *in* 3. *dist.* 5. *art.* 11. 12. *&* 13. *ad* 1. Petrus de Tarantasia apud Dionisium Carthusianum *in* 3. *dist.* 6. *qu.* 3. Henricus Gandau *art.* 28. *qu.* 5. suæ Theologiæ, *& quotl.* 4. *q.* 4. Durandus *in* 1. *dist.* 34. *qu.* 1. *num.* 16. 17. 18. *& seq.* Richardus de Media villa *in* 3. *dist.* 5. *artic.* 2. *q.* 2. &c. Scotus *in* 3. *d.* 1. *qu.* 1. *num.* 9. Hervæus *quotl.* 3. *q.* 6. Ægidius Romanus *in* 3. *dist.* 6. *part.* 2. *dub.* 3. Paludanus *in* 3. *dist.* 6. *qu.* 2. Petrus Aureolus *in* 3. *dist.* 1. *q.* 3. *art.* 4. Petrus de Alliaco *in* 3. *dist.* 1. *qu.* 1. Guillelmus OKam *quotl.* 4. *qu.* 11. Franciscus Mayoronis *in* 3. *dist.* 1. *q.* 11. Joannes Bassolis *in* 3. *dist.* 1. *art.* 1. *q.* 1. Marsilius, Nicolaus de Orbelis, Gabriel Biel, Almahiaus, Joannes Major, & alii complures. Quibus addit Fabrum Stapulensem, Clictoveum, Molinam, Salmeronem. Præter complures Philosophos, maximè antiquiores.

XII. Conciliatio tentatur hujus doctrinę cum iis, qui existētia divina existere humanitatē, eoque in divinam hypostasin rapi volunt

Quin illos quoque vel inopinos & renitentes in hanc ipsam trahemus sententiæ conspirationem, quibuscum manus conserere hactenus visi sumus, quique existentiam humanam deficere, divinam suppleri in Christo opinantur. Hæc enim fortassis verborum magis est, quàm rerum pugna, si eorum nostrumque consilium, non specie tenus, sed medullitus exploretur. Id enim nobis cordi est, ut Deitas Verbi illabatur intimè humanitati, & illi proinde ut suæ jam naturæ principetur: idem illi moliuntur, ut formet existentia Verbi humanitatem, & ita suam illam esse & ad se pertinere faciat. Id nos satagimus ne seorsim ac per se existat caro Verbi, idem illi efficiunt, non aliam quàm ipsam Verbi existentiam ei impartientes. Id curæ nobis est, ut pervadat & inebriet inundatione divinarum opum Deitas humanitatem: idem illi consequuntur, cum existentiam Verbi, cum esse Verbi, cum esse divinum prout Verbi est, humanitati assumptæ inferunt. Id laboramus ut tota plenitudine Deitatis infundente se, Deus fiat, qui tantùm homo foret, idem illi moliuntur cum existentiam, cum actum summum, cum ipsum esse Verbi Dei humanitati largiuntur. Nam Deus quantus maximus est, ipsum esse est, ipsum existere est: nec aliud est quàm ipsum esse, & existere: nec aliud est ejus esse, quàm existere. Est enim summus actus, summa existentia: & ipsa ejus essentia, ipsa substantia uno maximè existentiæ incircumscriptæ nomine significatur. Igitur cum existentiam Verbi divinam susceptæ adscribunt humanitati, idem adipiscuntur ac nos, cum immeationem effusissimam admoliebamur. Ideo enim ut innuit sanctus Thomas, cùm divinam personam definiit Richardus Victorinus, non substantiam, sed existentiam incommunicabilem dixit; quò Dei substantia, non substantia, sed mera existentia sit. Id rursum studio nobis est, ne humanitas assumpta ullo trunca sit: neu ulla re seu perfectione humana deficiat, qua cæteri homines abundent: idem illi efficiunt, cum essentiam humanam plenissimè Christo arrogant, quidquid nativæ perfectionis est, essentiæ nomine designantes. Id expugnare nos nisi sumus, ut nec humana existentia fraudaretur Christus, quam tamen superstagnans Deitatis summè existentis & ipsius entis plenitudo inundaret, perficeretque: nec illi reapse dissentiunt, cum essentiam humanam Christo tribuunt, quæ utique est, nec est nisi qua existit. Nam verborum ludibriis fucus fieri potest, porro ubi res cominus inspiciuntur, esse & existere unum & idem est: nec essentia actu ulla est, nisi quæ utcumque suo in sinu propriam nacta est existentiam: & æquè pugnat quid non seipso, sed distincta forma existere, quàm non esse id quod est, vel esse & non esse. Id rursus nos studebamus astructa naturarum permeatione consequi, ut non merus homo Christus esset, sed Deitate unctus, & quidem tota, adeoque Deus esset, & veritas & sapientia, & sanctitas & majestas summa, infinita, sempiterna: id enim est esse Deum, non nomine solo, sed opulentia gloriaque intestina Deitatis splendescere: hoc ipsum illi profitentur, cum esse Verbi divinum adjiciunt humanitati: esse enim Verbi quid aliud est, quàm per se existens & ad Patrem sese referens veritas æterna, sapientia incommutabilis, sanctitas & majestas incorruptibilis? Id à nobis providebatur, ut natura divina humanæ permisceretur, nec in unam tamen conflaretur naturam, sed sui fastigii retinentissima, quasi impermixta sibi consisteret, infusa, non confusa: idem illi præstant, cum existentiam divinam essentiæ humanæ copulant; existentia enim divina Verbi summus est personæ Principantis apex, qui naturam inferiorem suo juri ascribere eique principari potest, ad unitatem naturæ coæquari non potest. Id denique in votis erat nobis, ut humanitas quantlibet nulla re deficiens & suis numeris absolutissima, formari tamen adhuc à Verbi Deitate & ulterius perfici atque ita Deus effici posset: nec illi ab hoc scopo declinarunt, cum hominem essentiæ, Deum existentiæ nomine insignierunt. Nam homo qui esset & existeret, si suus sibi privatim esset, is Deo compositus ita obruitur Deitatis magnitudine, ut qua homo est, jam non existere, jam evanescere & vix esse, hoc est, non existere videatur.

1. p. q. 29. art. 3. ad 4.

Juvabit ergo rediisse in gratiam cum iis, quibus cum nonnihil simultatis hactenus suscepisse videbamur: nec ipsos ut spero, pigebit diluto abstersoque verborum dissidentium fuco, in unam cum sanctis Patribus sententiam confœderari.

CAPUT XXII.

Non potest pervadere, sibique substantive vindicare, id est, ad unitatem suæ personæ adsumere, inferiorem naturam nisi natura superior, atque adeo humanam, vel angelicam, nisi divina.

I. Variæ quæstiunculæ hic pullulascunt. Inprimis an rationalis natura ab alio assumi possit, quam à Deo.

COmplures velut è latere succrescunt quæstiunculæ, quas libet uno ictu, seu isto uno capite amputare. Multifariam enim controvertitur, an hæ ab illis, & quæ à quibus naturæ ad copulam hypostaticam adoptari queant; imprimis num humana ab angelica: ubi & Energumenorum curiosula se interserit disputatio: item de Melchisedeco, de Malachia, de Joanne, quos aliqui olim opinati sunt Angelos humana indutos natura. Præfanda tamen nobis est candida hæc confessio, non tam cordi nobis esse harum dubitatiuncularum nodos exolvere, & hominum, vel nostræ etiam nonnihil obsecundare curiositati, quàm operosa & magni prorsus momenti placita sanctorum Patrum circa res istas persequi, & ex iis nova rursus invictaque præsidia præstructæ de hypostasi doctrinæ comparare.

Primò igitur id ratum statumque unanimi astipulatione jubent esse sancti Patres, non posse invadi & penetrari naturam rationalem nisi à natura divina, ex quo convenienter concludes non posse Angelum, non posse nisi Deum inhumanari.

II. Non potest natura rationalis invadi & penetrari, nisi à Deo. Ex Didymo Alex.

Didymus Alexandrinus libro 1. de Spiritu sancto, quem nobis interpretatus est Hieronymus, totus pene est in hoc dogmate ingerendo. Ex eo enim quod Spiritus sanctus menti rationali illabatur, efficit illum non incorporeum tantùm, sed Deum esse. Nam si corporeus esset, incorporeæ substantiæ non inspiraretur. Rursus si incorporea tantùm vel intellectualis esset natura, non posset intellectualis naturæ penetralia inire, tum quia tenuior & defæcatior non esset, tum quia non penetratur natura intellectualis, nisi formis sapientiæ, & justitiæ, & aliis hujusmodi, quibus imbuitur, & in beatiorem quempiam ornatum venustatur. *Cùm enim creaturæ in visibilia & invisibilia, id est, in corporalia & incorporalia partiantur: nec de corporalibus substantiis est Spiritus sanctus, animæ & sensus habitator; sermonis, & sapientiæ, & scientiæ effector: nec de invisibilibus creaturis, hæc quippe omnia, sapientiæ & cæterarum virtutum & sanctificationis capacia sunt: ista verò substantia de qua nunc sermo est, sapientiæ & scientiæ & sanctificationis effectrix est.* Triplicem hìc vides naturam dispesci, sapientiæ, mentis, corporis. Sapientia, seu justitia, seu sanctitas nuncupatur forma illa summa seu Deitas, qua formantur, illuminantur, & sanctificantur mentes creatæ. Mens est conceptaculum sapientiæ & sanctitatis supernè impluentis. Corpus est mentium viventiumque naturarum mancipium organumque. In hac serie, potest superior natura inferiorem penetrare & afficere, utpote eliquatior, & efficacior, non potest inferior superiorem, utpote crassior & pauperior.

III. A sapientia mens immeari potest, & formari, nō vicissim: item corpus, ab anima.

Ideo sapientiæ seu Deitatis natura capabilis est, non capax; mentis autem natura illi comparata, capax non capabilis est. Formari enim utique evidenter potest mens à sapientia, non vicissim eam formare potest: sapientia item formare mentem & suis succis imbuere ac sapientem facere potest, non à quoquam ipsa formari, imbuique. Ibidem paulò post: *Deus cùm bonus sit, fons & principium bonorum est: facit igitur eos bonos, quibus se impertit: bonus ipse non factus ab alio, sed subsistens: ideo capabilis, non capax. Unigenitus quoque Filius ejus sapientia & sanctificatio, non fit sapiens, sed sapientes facit; & non sanctificatur, sed sanctificat: unde & ipse capabilis est, & non capax. Cum igitur invisibilis creatura, quam rationabilem & incorporalem vocare consuetudinis est, non sit capabilis, sed capax; (si enim capabilis esset, nullius boni capax esset, per se simplex ipsa subsistens:) & alterius boni receptatrix, participatione habeat bonum; & non de his quæ habentur ab aliis, sed de his quæ habent alia, intelligatur: Patre & Filio habitis magis quàm habentibus, creatura verò habente & non habita, &c.*

IV. Immeare potest animam sapiẽtia, anima carnem, ut pura crassã, dives egenã pulcra turpem, &c.

Sola quippe sapientiæ natura per semetipsam est dives & beata, ideo tam nullius capax, quàm nullius indiga. At natura rationalis eget sapientiæ afflatu, quo ex tenebrosa frigidaque clarescat fervcatque: eo ergo capax est, quo inops. Rursus sapientiæ natura capabilis est, quia opulenta & exundans; at rationalis natura, si cui alteri menti capabilis foret, quid illi quàm suam inopiam inopi jam affricaret? Ut summum ergo natura rationalis ad corpus erit capabilis, cui vitam suam inspirabit, misero miseram, nisi supernè ipsa beetur, beatam & beatificam si beetur. Ideo ergo Deitatis est haberi, quia ditat à quibus habetur: non haberi, quia nihil habere potest, quo ditescat; at natura creata avet habere, quo ditescat; non haberi, ne cum habente pauperescat. Hanc ratiocinationem præferebant extrema Didymi verba priùs exscripta, nec hìc rescribenda.

V. Ideo in scripturis sancti implentur Deo, Christo, spiritu sancto, non Angelo non beato ullo.

Eo ergo pertinet quod in Scripturis, Deo, Christo, Spiritu sancto pleni extolluntur nonnulli, nusquam autem vel Angelo, vel rationali quapiam altera pleni substantia. Est enim Deitas plenitudo sapientiæ & justitiæ qua repleamur; at natura mentis per semet non plena, sed implenda, non plenitudo, sed plenitudinis inopia & sitis est. Ibidem infrà. *Quidam etiam Spiritu sancto pleni esse dicuntur, nemo autem sive in Scripturis sive in consuetudine plenus creatura dicitur. Neque enim aut Scriptura hoc sibi vendicat, aut sermo communis, ut plenum esse dicas quempiam Angelo, Throno, Dominatione; soli quippe divinæ naturæ hic convenit sermo. Dicimus autem virtutis & disciplinæ quosdam esse plenos, ut illud, Repletus est Spiritu sancto, non aliud significantes, quàm plenos esse consummatæ perfectæque virtutis. Scriptum est de Joanne, Et Spiritu sancto implebitur adhuc ex utero matris suæ; & iterum, Repleta est Spiritu sancto Elisabeth, &c.* Cùmque ex Scripturis plurima istiusmodi consarcinasset loca, ubi Spiritu sancto pleni prædicantur aliqui, subjungit demum: *Angeli autem præsentia, sive alicujus excellentis naturæ quæ facta est, non implet mentem atque sensum, quia & ipsa aliunde completur.*

VI. Ideo & Spiritus sãctus & Sapientia infunditur, & effunditur, non Angelus.

Eodem referes quod Christum, quod Spiritum sanctum effundi, infundique memorant Sacri Codices, non Angelum, aut intelligentem quamlibet substantiam. Effunditur enim quod participatur, quod participes sui format, perficitque. At verò si naturam rationalem, quæ non perfectio ipsa est, sed perfectionis avida & bibula, effundas, quid nisi inopi inopem affricabis, & penuria cumulabis penuriam? Si urgeas autem, naturam rationalem rationali, non quidem ipsam velut perfectionem, sed velut perfectam aut perfectiorem imperfectæ infundi posse, frustra eris. Nam quamlibet perfecta, participare non participari, impleri non implere nata est: quamlibet perfecta, quod accipit, sibi accipit, non aliis: suam esuriem vix sedare sufficit, nedum alienam: quamlibet perfecta, semper perficitur, semper impletur, nedum perficiat, impleatve: quamlibet perfecta, plena fit, non plenitudo: & socias sibi naturas non sibi deplendæ implendas, sed ipsi plenitudini inexhaustæ admovet, indidem secum satiandas. Ibidem: *Effundam de Spiritu meo, &c. Ipsum effusionis nomen increatam Spiritus sancti substantiam probat. Neque enim Deus cùm Angelum mittit, aut aliam creaturam, effundam dicit de Angelo meo, aut Princi-*

cipatu, aut Throno, aut Dominatione. In solis quippe his quæ ab aliis participantur, hic sermo consentit: sicut & nunc paulò ante de charitate Dei diximus, quæ effusa est in cordibus eorum, qui Spiritum sanctum receperunt. Salvator quoque quia & ipse capabilis est, in similitudinem quoque unguenti effusus dicitur, unguentum effusum nomen tuum, &c.

VII. Incõmutabili tantum adeoque increato bono se advertere & affigere potest mens cõmutabiti.

Nec rationali naturæ capabile quidquam esse debet, nisi inconvertibile quod sit, & æternum, id est divinum. Nam fluitans sua sponte inter lucem & tenebras, bonum & malum, sapientiam & insaniam natura intellectualis, ad incommutabile quidpiam sese convertat, necessum est, ei sese affigat, inde sapientiam & lucem, inde beatam firmitatem sugat. Si convertibili enim adhæreat convertibilis, irrequieta & desperata vertigine semper rotabitur. Ibidem: *Capabilem substantiam voca, quæ capitur à pluribus, & eis suis consortium tribuit; capacem verò eam quæ communicatione substantiæ alterius impletur, & capiens aliud ipsa non capitur ab alio. Capabili enim statim inconvertibile, & inconvertibili æternum est consequens: quomodo è contrario capienti convertibile, & convertibili creabile subsequens est. Nihil ergo de creaturis inconvertibile, propter quod neque sempiternum est.*

Ita consultissimum est, mutabilia omnia ab incommutabili cardine, nec longè posito, sed intimò suspendi regique. Ita ergo natura intellectualis & libera, inter lucem & tenebras, bonum & malum per semet vacillans, ad incommutabilem veritatem & justitiam religatur & figitur, non ad aliam quamvis substantiam peræquè naturam. Ita & natura corporea cùm frustillatim dissipabilis per semetipsa sit, & in locorum plagas remotissimas dissecabilis, ad individuam animæ substantiam revincitur & constat. Ita denique natura inferior superiori, corporea rationali, rationalis divinæ, dissipabilis individuæ, mutabilis incommutabili, tanquam beatitatis suæ cardini astringitur, & à fluxu cohibetur.

VIII. Natura rationalis unius Dei sedes esse potest.

Accedit quod cum Deo sedes adsignanda sit, quam ornet, consecretque, non alia quàm rationalis natura hujus honoris candidata sit. Est enim Deo, seu sapientiæ & justitiæ propior cæteris naturis, & tam conjuncta ut nihil interponatur. Semel autem dicatam Deo sedem insidere, quæ tam procax deinde substantia ausit? quæ possit? Idem Didymus:

L. 2. de Spiritu sancto.

In corde & sensu habitare non potest creatura, nisi Deus & Sermo ejus in Spiritu sancto. Sicut ad quosdam loquitur Pater, Inhabitabo in eis & inambulabo. Et ad ipsum quidam dirigit vocem, Tu autem in sancto habitas laus Israel. Altus quippe in altis habitat universæ conditor creaturæ. Habitat verò & unigenitus Filius in mente pura & corde credentium, &c. In alio quoque loco omnis natura rationalium creaturarum, domus dicitur Salvatoris.

IX. Si quorum corda intrasse legitur Satanas, nõ per substantiam, sed per malitiæ afflatum, & per operationem erroris id intelligitur factum.

Quoniam verò in sacris litteris perhibetur implesse Satanas corda nonnullorum, ut Judæ, Ananiæ & similium: non hæc per substantiæ immeationem, sed per afflatum malitiæ & operationem erroris interpretanda est inhabitatio Satanæ. Idem ibidem: *Disputantibus ergo supra quod animam vel mentem hominis nulla creatura juxta substantiam possit implere, oborta est quæstio quod Satanas ingrediatur in aliquos, &c. A Petro dictum est, Anania quare implevit Satanas cor tuum? & de Juda loquitur ipse Salvator: quod intraverit in eum Satanas.* Respondet statim Didymus quod, *Satanas mentem alicujus & principale cordis impleat, non ingrediens in eum & in sensum ejus, atque ut ita dicam, aditum cordis introiens, siquidem hæc potestas solius est Trinitatis; sed quasi callidus quidam & nequam, ac fallax fraudulentusque deceptor, in eos animam humanam malitiæ affectus trahit, per cogitationes & incentiva vitiorum quibus ipse plenus est.* Et infrà: *Introivit Diabolus in cor Judæ non secundum substantiam, sed secundum operationem. Quia introire in aliquem, increatæ naturæ est, quæ participetur à pluribus. Imparticipabilis ergo Diabolus est, non creator, sed creatura subsistens. Unde & convertibilis atque mutabilis sanctitate decidit atque virtute.* Et denique: *Dicente Propheta, Vagens peccatrix, populus plenus peccatis, semen pessimum, filii iniqui. Si ab his qui ejus in Scripturis filii nominantur, juxta substantiæ participationem non capitur, siquidem impossibile hoc esse in creaturis frequenter ostensum est; neque alius quis potest eum capere participatione substantiæ, sed tantummodo assumptione fraudulentissimæ voluntatis.* Ex his claret, sicubi antè dictum sit à nobis, eò spiritales substantias a corporalibus distare, quod illæ possint facillimè, hę omnino non possint invicem immeare; non tam latè id sumendum esse, ut huic Didymi doctrinæ obstrepamus. Unum id certò constat, præsentiores esse posse & intimiores mutuò sibi spiritales substantias, quàm corporeas; non posse tamen tam intimè à seipsis invicem iniri atque insideri, quàm à Deo; quo se cumque modo habeat illa insessio.

Prolixiùs hæc ex Didymo non piguit decerpere, quod nusquam præclarius quidquam occurrat ad hujus quæstionis elucidationem. Ex his porro liquet non posse naturam rationalem immeari ab ulla nisi divinitatis substantia: liquet non animam animæ, non Angelum Angelo, non animam Angelo capabilem aut capacem esse; sed naturam rationalem uni Deo capacem, Deum unum illi capabilem esse: liquet naturæ corporeæ capabilem esse naturam rationalem, anima enim corpori infunditur, illud implet, ab illo participatur: liquet Deum corpori capabilem non esse, nisi animæ natura rationali conciliatricula; nec enim ad sapientiam & justitiam assurgit corpus, nisi per animam, & ad accidentariam ipsiusmet animæ sapientiam si per semet hebescit natura corporis, quantò magis ad divinam? liquet inhabitationem seu infusionem Dei in natura rationali quam implet, non esse sterilem, aut vacuam beneficii præsentiam, sed physicam esse participationem, qua natura rationalis fit sapiens & sancta, & quidem per ipsam præsentiam non inoperantis tantùm, sed inhabitantis, & quodam suo ineffabili modo informantis Dei: Liquet Diaboli operatione posse, substantia non posse animam rationalem impleri: liquet denique non posse ad unitatem suppositi assumi naturam ullam ab ulla, nisi inferiorem à superiore, non à coæquali, non ab inferiore, nempe corpoream ab incorporea, incorpoream ab increata, non autem vel corpoream à corporea, vel incorpoream ab incorporea.

X. Ex àredictis concluditur assumi non posse, nisi corpoream naturam ab anima, naturã rationalẽ à Deo.

Basilius cùm argumentatus esset nullam substantiam creatam innata, sed precaria florere sanctitate, nullam immutabilem esse, sed mutationum vicibus subesse; at Spiritum sanctum non sanctificari, sed sanctificare, nec verti ipsum, sed ad ipsum vertibiles naturas converti; concludit tandem: *Nulla creatura rationabili animæ participabilis est, ut in ipsa inhabitet* οὐσιωδῶς, *essentialiter; Spiritus autem sanctus in ipsa habitat, secundum eum qui dicit, Templum Dei sumus, & Spiritus sanctus inhabitat in nobis.*

XI. Idem efficitur ex Basilio & Maximo Martyre

Basil. l. 5. c. Eunom.

Maximus Martyr Dialogo 3. de Trinitate, negat templum cujusquam seu sedem esse posse animam rationalem, præterquam Dei: cùmque objiceretur ex Propheta illud, *Angelus qui loquebatur in me*, respondet Angelum illum vel Filium, vel Spiritum sanctum fuisse, quibus Angeli nomen quandoque tributum est. *Non possis ostendere Angelum loquentem in Propheta, unum esse ex illis conditis. Iam enim antea demonstratum est, Filium quoque & Spiritum esse Angelum.*

Lati-

XII. Ex Ambrosio, Gennadio & Claudiano. Amb. L. 3. de Spir. san. c. 18.

Latinis anteeat Ambrosius. Deitatem similiter ille astruit Spiritus sancti, ex eo quòd Sanctis infundatur, & inhabitet: *Quomodo igitur non omnia habet quæ Dei sunt, qui cum Patre & Filio habitat in sanctis, infunditur justis, inspiratur Prophetis?* Supersedeo plura ex eo carpere, quòd quæ effusiùs supra ex Didymo messuimus, ea apud Ambrosium omnia penè in libris de Spiritu sancto liceat relegere, non sine plurimo venustatis & ubertatis incremento.

Gennadius L. de Ecclesiasticis dogmatibus: *Dæmones per energicam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione uniri. Illabi autem menti illi soli possibile est qui creavit, qui natura subsistens incorporeus capabilis est suæ facturæ.* Quasi hoc sibi uni jus vendicet intactumque servet Creator in primarium opus suum, ut ejus intima penetralia solus inire & insidere possit.

L. 1. de statu anim. c. 14.

Claudianus Mamertus: *Non enim fas est credi, animas humanas ad amorem divinum participatione Angelici spiritus inflammari, quia eodem dono bonus est homo, quo bonus est Angelus, & eodem bono uterque beatus est. Ambo idipsum eadem voluntate, eodem scilicet spiritu cupiunt. Ambo hoc idem incorporea capacitate percipiunt.* Id est, ambo ejusdem doni bonique incommutabilis capaces, ideoque non sibi invicem capabiles sunt.

XIII. Item proxè ex Cassiano de Energumenis, &c. Cassian. collat. 7. c. 9. 10. 11. 12.

Cassianus percontanti Germano: *Quod istud sit animæ cum spiritibus nequam tam indiscretum permixtumque consortium, ut uniri ei possint & alloqui eam insensibiliter, & inseri atque inspirare illi quæcumque voluerint, tantaque inter ipsos & mentem unitas fiat, ut sine Dei gratia, quid ex illorum incitamento, quid ex nostra voluntate procedat, discerni penè non possit?* respondentem inducit Serenum Abbatem in hunc modum: *Non mirum est posse spiritum spiritui insensibiliter conjugari, & occultam suadendi vim ad ea quæ libita fuerint exercere. Est enim inter eos sicut inter homines quædam substantiæ similitudo atque cognatio, &c. Altrinsecus autem eas sibi inseri vel uniri, ita ut capax alter alterius esse possit, omnimodis impossibile est. Hoc namque solummodo Deitati, quæ sola incorporea simplexque natura est, rectissime tribuitur.* Hæc ibi: infrà autem pressiùs indagans, qui se arreptitis insinuent dæmones, per eosque vel scientes vel nescientes agant effutiantque quidlibet: subdit: *Quod fieri per infusionem Spiritus immundi non ita putandum est, ut in anima ipsius penetrans substantiam, & velut unitus ei, & quodammodo indutus ea, sermones ac verba per os patientis emittat. Nullo namque modo istud ab eis fieri posse credendum est. Nec enim per aliquam animæ diminutionem, sed per corporis debilitatem hoc evenire manifesta ratione deprehenditur: cum scilicet in illis membris in quibus vigor animæ continetur, immundus spiritus insidens, eisque importabile atque immensum pondus imponens, obscuritate teterrima intellectuales ejus obruit & intercipit sensus.* Ita ergo corpori soli, non autem animæ insinuari substantialiter posse immundos spiritus declarat Serenus. Hanc autem substantiæ & simplicitatis divinæ prærogativam ita prosequitur idem ipse: *Nec enim sicut crassæ huic solidæque materiæ, id est, carni spiritus admiscetur, quod fieri facillime potest, idcirco & animæ quæ itidem spiritus est, ita uniri posse creditur, ut eam quoque similiter sua natura reddat capacem. Quod soli est possibile Trinitati, quæ sic universa intellectualis naturæ efficitur penetratrix, ut non solum circumplecti eam atque ambire, sed etiam illabi ei, & velut incorporea corpori possit infundi.*

XIV. In Energumenis perversè & impotenter affectat Diabolus sedem Dei invadere, nec tamé potest.

Ex his dilucidum fit, quid in Energumenis affectent, quid æmulentur, quid non assequantur dæmones. Insolitæ enim superbiæ consuetudine, & irrevocabili impetu sedem Dei captant invadere, animam intellectualem. Ea enim singularis & propria Dei sedes est. Itaque videri volunt illabi animæ rationali, cujus medullis illabi potest una Deitas. Nec illam tantùm effingere conantur Dei in animas substantivam inhabitationem, sed eam vel maximè qua incarnata Deitas est. Hæc enim insessio multò intimior effusiorque fuit, copulamque Dei cum homine longè strictissimam peperit. Ut ergo incarnatio divina hæc duo importat, immeationem plenissimam Dei in humanitatem, & authoritatem summam physicamque in eandem ut in sui accessionem, utrumque perversi imitatores exprimere, utrumque illudere moliuntur. Hinc qui rerum speciem tantùm lustrant, reapse animæ eos illabi, & tanquam suæ principari suspicantur. Quod tamen contra est. Nam corpori possunt sese infundere, & inde animam infestare; at animæ se insinuare, & intimo illo dominio ei imperitare haudquaquam possunt.

XV. In iisdem idem tenebriosè Verbi incarnationé imitatur.

Quod autem incarnationem Verbi maximè conarentur, vel æmulari dæmones, vel ludificari, ejusque fidem vel elevare vel suggillare, satis testatum facient illa arreptitiorum examina, quæ Christo terras illustrante ac peragrante increbuerunt. Nusquam enim gentium nec ullo unquam tempore tanta illorum fuit frequentia. Et exinde perdiu calamitas illa grassata est. Nempe affectabat Diabolus quod non poterat; permittebat Christus, ut incarnationis fides conatu ipso internecini hostis astrueretur. Procliviores enim fiebant homines in incarnatæ Deitatis credulitatem, cùm dæmones infusos hominibus & quodammodo incarnatos suis ipsi oculis intuebantur; sed fidei multò magis animum adjiciebant, cùm in nomine incarnatæ veræ Deitatis improbas simias, & cassæ Incarnationis umbras flagellari fugarique cernebant.

XVI. Substantivè se insinuare, & dominari animæ rationali conatur, nec potest diabolus ut incarnationé Verbi imitetur.

Quocirca validiùs firmari possunt decreta Patrum de Verbi incarnatione, ex contemplatione irritorum circa arreptitios Diaboli conatuum. Ex umbra enim luci, ex mendacio imitationis veritati testimonium accedet. Duo illa scilicet enitebatur nequam spiritus, homini penitus & substantivè immeare & dominari. Revolve animo quæ de vatibus suis Ethnici Scriptores memorent,

Immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum.

Deum ergo pectore toto hausisse & gestare existimabantur. Item

Non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius.

Incola ergo & infessore Deo premi putabantur. Incola ad potestatem autem pertinet, qua Deus incola mentem subjugat, frequentissima recurrunt ejus testimonia,

Tunc mæstus vastis ululatus in antris,
Extremæque sonant, domita jam virgine, voces.
At Phæbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates.
Incipit Lethæa vates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum.

Domari, pati & id genus voces principatum authoritatemque evidenter produnt, non utcumque infestantis, sed incubantis dæmonis. Vix quippe vocari in dubium potest, quin vates istæ tunc dæmone afflarentur, cùm ita insaniebant; & inter energumenos sint numerandæ.

XVII. Ex Tertulliano ea confirmantur. L. de anima.

E nostris autem qui id testatum faciant, proferentur nonnulli. Tertullianus: *Quod si qui, ut Plato, perinde non putat duas animas in unum convenire, sicut nec corpora, ego illi non modo duas animas in unum congestas ostendissem, sicut & corpora in fœtibus, verum & alia multa cum anima conserta, dæmonis scilicet, nec unius ut in Socrate ipso, verum & Septenarii spiritus, ut in Magdalena; & Legionarii, numeri ut in Geraseno; quo facilius ani-* ma

ma cum anima conseretur ex societate substantiæ, quam spiritus nequam ex diversitate naturæ. Clementer habenda hæc Tertulliani verba, & ad societatem quandam, non ad insinuationem substantivam torquenda sunt; alioqui fucum illi fecerit exterior rei species, quæ simplicioribus imponit. Cautiùs Lactantius: *Qui quoniam sunt spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occultè in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt*. Sola corpora immeare sinit, & inde in animas per valetudinis vitia grassari.

Div. Instit. L. 2. c. 14.

XVIII. Augustinus in eandem sententiam flectendus. L. 11. de Gen. ad lit. c. 2. Et L. 12. c. 13.

At verò Augustinus plus negotii nobis facesset. Infundi enim substantivè & commisceri dæmones posse animæ, non obscurè videtur significare. *Quid mirum, si suo instinctu Diabolus jam implens serpentem, eique spiritum suum miscens, eo more quo vates dæmonium implere solet, sapientissimum eum reddiderat omnium bestiarum secundum animam vivam irrationalemque viventium?* Et infrà: *Non sanè mirum est, si etiam dæmonium habentes, aliquando vera dicunt, quæ absunt à præsentium sensibus; quod certè nescio qua occulta mixtura ejusdem spiritus fit, ut tanquam unus sit patientis atque vexantis*. Et paulò pòst: *Cum spiritus malignus quasi tranquillus agit, ac sine aliqua vexatione corporis, assumpto humano spiritu, dicit quod potest, &c.* Et tandem: *Ubi habent absconditam vel obrutam intelligentiam suam, quando secundum suam voluntatem & anima eorum & corpore malignus utitur spiritus?* Misceri dæmones animabus, & ita illis dominari atque abuti, ex Augustini sententia posset aliquis non injuria colligere, nisi contra tot & Græcorum & Latinorum testimonia niterentur, nisi fidissimi Augustini asseclæ & interpretes conspiratissimè intercederent.

L. 19. Civit. c. 4.

XIX. Ex Hugone id cōfirmatur.

Hugo Victorinus, si tamen is author hujus operis est, libro de Spiritu & anima, qui inter opera Augustini tomo tertio habetur, *Cùm bono spiritu assumitur anima, falli non potest, quia sancti Angeli miris modis visa sua, facili quadam ac præpotenti unitione, vel commixtione, nostra esse faciunt, & visionem suam quodam ineffabili modo in spiritu nostro informant*. Et infra: *Humanum spiritum aliquando bonus, aliquando malus assumit spiritus, nec facile discerni potest à quo spiritu assumatur, nisi quia bonus instruit, malus fallit. Fallit autem sæpe in manifestis bonis, ut cum sibi in eis creditum fuerit, ad sua seducat. Sic plerumque humanum spiritum rapit, ut quadam occulta mixtura quasi idem spiritus esse videatur & spiritus patientis & spiritus vexantis, ut in dæmoniacis videmus. Animam tamen hominis, id est, mentem nulla creatura juxta substantiam implere potest, nisi sola Trinitas. Implere autem dicitur Satanas mentem alicujus & principale cordis, non ingrediens quidem in eum & in sensum ejus, sed fraude & iniquitate, &c. Non enim participatione naturæ seu substantiæ suæ, ut quidam putant, animam implet diabolus, aut ejus habitator efficitur, sed per fraudulentam deceptionem, &c. Solius enim Trinitatis est intrare & implere naturam, sive substantiam quam creavit*. Hæc Hugo ut vides consarcinavit ex Augustini & Didymi verbis ipsissimis. Non ergo quidquam conflictationis interesse opinatus est: sed illam quam astruebat Augustinus mixturam utriusque spiritus, ad solam operationem, non ad substantiæ permeationem retulit.

Cap. 3. 27.

XX. Et ex Bernardo. Serm. 5.

Bernardus super Cantica: *Illud autem scitote, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari: ut videlicet nullo mediante sui nostrive corporis instrumento, ita nobis immisceatur vel infundatur, quo ejus participatione docti sive doctiores, vel boni sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc summo ac incircumscripto spiritui, qui solus cum docet Angelum sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, &c.* Ab his dissentire Augustinum nunquam sibi persuaserit, cui exploratum fuerit Bernardi studium propositumque ab eo nec tantillum unquam declinandi.

XXI. Ex Ruperto. L. 1 in Gen. c. 11. De Operibus Spir. sancti. L. 1. c. 26.

Rupertus: *De cœlo venit nemo, nisi qui super omnes est, & inde super omnes, quia spiritus simplex est, & nullo compositus est, unde & humanum spiritum cum corpore induere potuit, quod facere nemo potuisset ex spiritibus Angelicis*. Ad incarnationis negotium pertinere hanc de naturarum immeatione disputationem manifestè docet Rupertus, negatque Angelos inhumanari potuisse, quòd divinæ simplicitatis ea sit prærogativa, ut rationalem ineat spiritum. Et alibi idem ipse: *Quemlibet angustioris pectoris hominem implere, nonnisi Dei est. Manifestius dicamus, spiritum hominis substantialiter introire, solius Dei est. Creatus spiritus creato spiritui, id est, Angelicus spiritus humano spiritui vel humanus spiritus Angelico spiritui infundi non potest. Alter alterius capax, sive alter alteri capabilis non est. Neuter quippe alterutro subtilior est. Uterque enim creatura, uterque rationalis & immortalis est. Solus Deus natura vel substantia utroque subtilior, ac proinde utrique capabilis est*. Et alibi cum dixisset redimi nos non potuisse, nisi cælestis propitiator aliquis accederet, subdit: *Hoc autem Angelicæ naturæ omnino impossibile erat, ut scilicet hominis naturam assumeret, ut humana se anima vestiret. Nihilo quippe Angelicus spiritus humana subtilior est anima. Unde nec alter alteri, scilicet Angelicus spiritus humano spiritui capabilis est, nec alter alterius est capax. Solus denique Deus, &c.* Et alibi rursus: *Cur non misit Angelum, sive Archangelum? Videlicet quia nulli alii, nisi soli naturæ divinitatis hoc fuit unquam possibile, assumere quod non erat, & manere quod erat. Videlicet quia natura divinitatis tanto subtilior est, &c.*

L. 3. Comm. In Joannem pag. 257.

L. 11. de Vict. Verbi Dei c. c. 25.

XXII. Ex Cusano. Excitat. l. 5.

Cusanus: *Rationali spiritui non potest quidquam illabi, nisi Verbum Dei: quia est similis Deo qui est spiritus, & inter ipsum & Deum non mediat natura. Inter enim veritatem & intellectum nulla natura media esse potest. Deus veritas est, veritas autem capitur in intellectu. Solus igitur Deus illabitur intellectuali naturæ. Et sicut frigus possidet aquam quam ligat, ita vita intellectualis per illapsum intellectualem animam possidet, &c.* Palmaris hæc ratio est hujus placiti, natura mentis non menti alteri, sed soli hiat inhiatque naturæ veritatis, illi uni patet, illi se suaque pandit penetralia.

XXIII. Ex Paschasio De Spir. sāct. L. 2. c. 1.

Paschasius E. R. Cardin. Diac. penè effugerat, qui omnibus propemodum anteponendus fuerat: *Authori tantum debetur hoc privilegium, ut conscientiam possit intrare secretam. Anima verò animæ, aut Angelus Angelo, conjungi potest, infundi non potest: quia hujusmodi creaturarum genera tantùm Spiritus sancti, id est, solius Dei capacia sunt: quia figuli sui vasa sunt, ab illo solo impleri possunt: à quo de nihilo facta sunt, & sine quo vacua esse sentiuntur. Itaque substantia animæ utpote corporalis materia, alii rationali creaturæ penitus nescit infundi. Crassitudini enim exterioris hominis comparata anima, incorporea dici potest; ad authorem vero relata, cui comprehensibilis est materia sua & factura sua palpabilis, à quo intra corpus includi & colligari atque igni perpetuo mancipari potest, huic inquam authori corporea est*. Fucum mox detrahit, ne dæmones putentur in adyta animæ posse irrepere: *Corporis latebras intrare possunt, animæ verò interiora adire non possunt*. Et ad Verbi incarnationem quid

ista

ista disputatio conducat, paulò pòst manifestum facit: *Sola ergo se divina potentia, quæ & in Spiritu sancto est, rationalibus creaturis infusa & circumfusa permiscet; sicut peculiariter in illo Dominici hominis corpore, ex Maria matre suscepto gratia exuberante requievit, sicut de seipso Filius dicit, Spiritus Domini super me.*

XXIV. Summa rationum supra delibatarum. Nimis multa jam de hac priori fibula incarnationis, seu de immeatione, quam constat uni divinæ naturæ in naturam rationalem concedi debere, quod authoris illud sit privilegium operis sui primarii penetralia subire: quod natura rationalis non sibi, non æquali cuiquam obnoxia sit, sed uni Deo, utpote uni superiori seipsa: quod omnia pervadere, & ubique esse, immensitatis divinæ dos propria sit: quod sedes Dei si qua propria est, nec ullius creaturæ ausu temeranda, ea sit utique natura intellectualis: quod non magis natura rationalis alia aliam permeare possit, quàm corporea alia aliam; sed ut corpoream superior, id est, animæ substantia, ita rationalem superior, id est, divina substantia impleat: quod tenuior & spiritalior esse debeat quæ aliam penetrat: quod natura rationalis corporibus comparata, incorporea sit, ideoque illis illabi possit; at Deo comparata, corporea penè sit, ideoque ab illo possit, à seipsa non possit penetrari: quod hæc immeatio, non frigida & inefficax inhabitatio sit, sed sui infusio, & vegetatio & formatio quasi quædam benefica; non potest autem formare & perficere rationalis rationalem naturam, utpote ipsa per sese informis & formabilis, formæque indiga; quod denique meridiano sole illustrius sit, non posse formari perficique naturam rationalem, nisi à summa sapientiæ & justitiæ natura: uni enim hiat ratio veritati, voluntas justitiæ, inde impletur, alioqui vacua & inanis. Et huc cætera retorquenda. Nam ideo natura divina spiritalior est rationali, ideo subtilior, ideo immensitate effusior, ideo efficacior, ideo superior, quia veritas, quia sapientia est.

CAPUT XXIII.

Idem ipsum ex altero capite statuitur, quod non possit vendicare sibi suamque facere, & in suam adeo coaptare personam, nisi superior natura inferiorem, rationalem divina.

I. Quod divina tantù natura humanam sibi vendicare, suámque personaliter facere possit, probatur ex Athanasio. L. de Incarn. Verbi. EX capite superiore patuit, quàm procul abigendi sint ii, qui Angelos bonos vel malos humana indui posse natura opinabantur, & quàm molli manu tractandi sint textus aliqui Patrum, quibus id videtur significari. Ut plurimum enim illi non id ex instituto affirmant, sed aliud agendo, ut vulgare præjudicium tangunt, aut vestiri posse Angelos aiunt non interiore hominis substantia, sed specie extima, ac veluti personæ umbra.

Secundò hoc ipsum ex altera incarnationis lege firmabitur, quòd suam facere & ita in suam conferere personam non possit naturam nostram, vel humana, vel Angelica, sed divina tantùm natura.

Pag. 485. Athanasius id primùm sanciet, ubi Apollinaristas exagitat carnem Christi Verbo consubstantialem esse garrientes, & ita arctiùs illam cum Verbo in unitatem personæ coagulare satagentes. Præter opinionem & præter votum res illis tota cadebat. Nam caro consubstantialis Verbo nusquam in unam cum Verbo personam posset coalescere. Compos enim ejusdem substantiæ, ejusdem quoque dignitatis suæ retinentissima esset, & se sibi vendicaret, non alteri compari cederet, aut accederet. At ut duo aliqua in unam compaginentur hypostasin, necessum est, alterum ut alteri tanquam principaliori accedat & inhærescat. Quocirca divinæ personæ etsi conjunctissimæ sint, & summo, nec usquam alibi imitabili nexu consertæ, non tamen in unam possunt conglutinari hypostasin, propterea quòd consubstantiales, comparesque sunt, & sui quæque juris, sui quæque causa, sua quæque sibi, id est, nulla alterius accessio. *Quomodo proferre non erubescitis, carnem David ex semine oriundam, esse Verbo consubstantialem? Stolida sunt ista, quæ garritis, eo quod vobis in mentem non veniat, eum qui alteri consubstantialis est, eandem omnino naturam habere, sed tamen sua perfectitudine & ipsum subsistere. Quemadmodum Filium Patri consubstantialem esse ex sacris literis in confesso est, & perfectus cum perfecto agnoscitur; ita quoque & Spiritus sanctus. Consubstantialis enim est Trinitati. Dabitis igitur consubstantiali carni perfectitudinem cum Verbi perfectitudine, eritque secundum vos quaternitas non Trinitas.* II. Si caro esset consubstantialis Verbo nō posset assumi à Verbo.

Etenim quod perfectum sibi est, nec adventitio præterea incremento substantiæ vel alteri accedit, vel sibi alterum quid accedere sinit, id perfectum, id totum cùm sit, persona etiam & hypostasis est. Quidquid ergo alteri consubstantiale est, id nec ab eo perfici, nec illud perficere potest, utpote cùm iisdem vel affluat vel deficiat: nec ergo illi accedere, nec illud sibi conserere potest in unam hypostasin. Ergo quæ naturæ ejusdem consortio copulantur, unitate naturæ unitatem personæ exterminant. Sunt enim æquè perfecta, æquè potentia, ideoque seorsim consistunt. Ita suis laqueis irretiebantur Apollinaristæ. Nam cum duo perfecta non posse in unum perfectum concurrere contenderent, nunc carnem ut Verbo conglutinarent, perfectissimam utpote Verbo consubstantialem comminiscebantur. At caro nostra, Verbo comparata, imperfecta est, quapropter ab eo perfici, eique in unam hypostasin accedere potest: si fiat autem consubstantialis Verbo, jam perfecta usque adeo erit, ut perfici ulteriùs nequeat, adeoque nec Verbo copulari. *Formam servi propriam sibi fecit & vindicavit Verbum, &c. Dei caro secundum naturam facta est, non quasi consubstantialis Deitati Verbi aut consempiterna, sed quod propria illius caro per naturam facta sit & indissecabilis propter coadunationem, &c. Consubstantialitas porro unitionem secundum hypostasin non admittit, sed secundum naturam.* Quod enim suam sibi perfectionem omnibus numeris absolutam habet, id non potest alteri accedere.

Basilius: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Quoniam Deus Verbum carnis debilitati sese conjuncturus erat, pulcrè additur, potentissime. Quoniam maxima potentiæ demonstrationem habet, posse Deum in natura esse humana.* Itaque hæc Dei exinanitio est, quod homo fiat, hoc infirmum Dei, sed infirmum Dei potentissimum est, & inanitio Dei plenissimum essentiæ summæ argumentum est. Infra prolixiùs ostendemus naturam creatam quamlibet intra has angustias esse constrictam, ut sit id quod est, nec præterea quidquam; at summa essentia, summa potentia Deus manet id quod est, fit quod non erat, naturæ suæ tenax, nostræ susceptor, utriusque compos. III. Item ex Basilio. In Psal. 44.

Cyrillus Alexandrinus hominem inhumanari posse negat, Deumque evincit esse Verbum, ex eo quòd sit incarnatus. Itaque nil periclitatur Deitas Verbi ex assumptione naturæ nostræ: quin ex hoc uno vel maximè summa Deitatis culmina obtinere revincitur. Nam natura creata suos fines non transvolat, ut naturas etiam alias invadat, eas possideat, suasque faciat. *Si hominem dixerit esse humanatum, quisquamne dubitet, quin sententiam suam risu dignam sit prodituros? Nam qui homo sit secundum naturam, quomodo quod erat rursum fiet, & tanquam in aliud quidpiam transibit,* IV. Ex Cyrillo. L. 1. advers. Nest. pag. 48.

quod

quod ad naturæ inquam attinet rationem? Ita nulla natura coæqualem aut cognatam poteſt aſſumere, ſed inferiorem: inferiorem inquam natura, non naturæ corollariis: id eſt, non poteſt aſſumere niſi divina viventem, vivens ſeu rationalis corpoream.

Hilarius eundem locum adverſus Arianos tuetur, eorumque vecordiam explodit, qui inde Verbi divinitatem arietabant, ubi inexpugnabiliora eam cingebant munimenta. Quod enim homo factus ſit,
V. Ex Hilario; ex incatnatione Deitas Verbi evincitur. inde invictiſſimè defenſatur ejus divinitas. Nulla enim creatura poteſt inhumanari, nulla poteſt ſuam eſſentiam retinere incolumem, ac alienam ſibi accumulare, nulla poteſt creatura naturæ rationali ut ſuæ, ut additamento ſui imperitare. *Non intelligentes nonniſi ex veri Dei virtute eſſe, ut quod*
L.4.de Trin. *non eſſet, eſſet: nec tamen quod eſſet, eſſe deſineret: cùm naturæ infirmæ aſſumptio non eſſet, niſi ex potentis virtute naturæ: quæ cum in eo quod eſſet, maneret, poſſet tamen eſſe quod maneret. O hæretica imprudentia! Deus ergo idcirco tibi Chriſtus non eſt, quia qui erat, naſcitur, &c. Rogo hoc quid aliud eſt, quàm omnipotentem eſſe, quod Deus eſt?*

Cùmque naturarum copulatione complurium,
VI. Ex eodem l. utilitas & amplificatio alicui earum captetur, naturam humanam ſubſtantivè amplificare non poteſt, non ſufficit niſi Deus. Poteſt ergo Deus in hominem decreſcere, citra ſui diſpendium, cum hominis in Deum creſentis compendio, ſed unus id poteſt. *Cùm potior natura in inferiorem nata,*
Ibii. l. 9. & 10. *fidem præſtet, inferiorem in naturam naſci poſſe ſuperiorem, &c. Deo itaque proprium fuit, eſſe aliud quàm manebat, nec tamen non eſſe quod manſerat: naſci in hominem Deum, nec tamen Deum eſſe deſinere, &c. Dam non amittit ille quod Deus eſt, & homini acquirit ut Deus ſit, &c.* Et infrà: *Demonſtrantes infirmitatem habitus humani Dei non infirmaſſe naturam, ſed ſalva divinitatis in homine virtute, acquiſitam eſſe Dei ad homines poteſtatem, &c. Ut non defectio Dei ad hominem ſit, ſed hominis profectus in Deum.*

Geſtari agique naturam aſſumptam ab aſſumente, & tanquam inſtrumentum conjunctum admi-
VII. In jus ſuũ rapere hominem non poteſt niſi Deus. niſtrari, perſuaſiſſimum eſt. Natura ergo rationalis, cui naturæ ita obnoxia, ita addicta & ſequax ac morigera eſſe poteſt, niſi naturæ veritatis & ſapientiæ incommutabilis? Non ergo naturæ alteri rationali, cui tam obluctari, quàm morem gerere tam imperare, quàm ſervire poteſt; & ſicubi ſerviat, voluntate ſervit, non naturæ pondere & con-
Ibid. l. 9. ditione. *Neque enim defecerat natura ne eſſet: ſed in ſe humanitatem terrenæ nativitatis, manens ſibi Dei natura ſuſceperat, generis ſui poteſtatem in habitu aſſumptæ humilitatis exercens; & ex Deo Deus natus, in forma ſervi homo repertus, Deum ſe virtutibus agens.* Conveniebat ergo oppidò quàm bellè his naturis, ut in unam coaleſcerent perſonam, quando potior inferiorem agere nacta erat, & ſeipſam per illam exerere. Incarnata enim Deitas & hominem egit, & Deum per hominem egit. Quis enim non videat, quis non vel manu contrectet naturam hominis comparatam eſſe, ut per eam ſe ſapientia & ſanctitas exerat? ut à ſapientia & ſanctitate regatur ipſa, & in omnibus adgubernetur? Similiter ſe habet natura rationalis ad ſentientem, ſentiens ad vegetantem, animalis ad corpora, ut per ea ſe exerat.

Auguſtinus conjectat ſcitiſſimè, hoc verbi Dei
VIII. Ex Auguſtino agi regique hypoſtaticè homo non poteſt, niſi à Deo. L.4.de Trin. c. 20. ſacramentum tanti faciendum eſſe, ut nefas ſit ejus niſi umbram vel Angelis, vel creatis ullis naturis delegari potuiſſe. *Verbo itaque Dei ad unitatem perſonæ copulatus, & quodammodo commixtus eſt homo, &c. Hanc perſonam Angelica natura figurare antea potuit, ut prænuntiaret: non expropriare, ut ipſa eſſet.*

Agi enim regique niſi inferior à ſuperiore natura non poteſt. Inferior rationalis natura non eſt niſi Deo. Et quidem in homine ſpectare eſt omnes naturarum gradus, alios aliis ſubſtratos, ejus apici ſeu menti præſidente Deo ſeu veritate. Quò ergo ſuperveniat illi creata quævis alia ſubſtantia? Intempeſtivum id foret, tum quia occupata jam eſt, nec in vacuum locum venire poteſt, tum quia inſidens apici hominis Deus, cuilibet accedendi aditum arcet. *Omnis creatura in homine numeratur, non quòd in eo ſint omnes Angeli & ſupere-* L.83.qq.q.67 *minentes virtutes ac poteſtates, aut cœlum, & terra, & mare, & omnia quæ in eis ſunt; ſed quia omnis creatura partim ſpiritualis eſt, partim animalis, partim corporalis. Quod ut ab inferioribus conſideremus, corporalis creatura per loca tenditur, animalis autem vivificat corporalem, ſpiritalis animalem regit, & tunc bene regit, cum ipſa regendam ſe ſubjicit Deo, &c. Qui ſpiritu animam regit, & per animam corpus, quod facere non poteſt, niſi Deum habeat & ipſe rectorem, quoniam ſicut caput mulieris vir, ita caput viri Chriſtus eſt, vocatus ſpiritalis.* Omnes ergo naturæ in homine, corporalis, animalis, rationalis: quæ nova ergo accedet, aut cui ut novæ ipſe accedet? Nulli prorſus, niſi ſi divinitas veritatis dignetur non extrinſecùs tantùm regere, ſed medullitus inſidere, & ita ut ſuam, ut ſibi coalitam regere hominis naturam, ut verè caput viri Chriſtus ſit, ſicut caput mulieris vir: hoc eſt, adunet ſibi ſubſtantivè ſapientia rationem, ſicut ratio animam, anima corpus: ſubſtantivè inquam, ut fiat una hypoſtaſis, non autem una natura; una enim natura non fit, niſi ubi ſolæ inter ſe creaturæ copulantur.

Non ſatis exploratum habent qui ſecus ſentiunt, IX. Rationalis natura ſoli ſubeſt, ſoli accedere poteſt naturæ veritatis. quo loco ſit humana, id eſt, rationalis natura: nam quà rationalis eſt, ſoli naturæ veritatis ſubeſt, ſoli accedere, ſoli illi ſubjugari poteſt. Idem Auguſtinus: *Quod autem tibi videtur nihil magnum de Deo Patre dici ſi forma ſervi major eſt, quia majores videntur & Angeli:* L.3.cõt.Maximũ Arianorum Epiſ. *non rectè cogitas quem locum in rebus humana habeat natura, quæ condita eſt ad imaginem Dei. Majores Angeli dici poſſunt homine, quia majores ſunt hominis corpore; majores ſunt & animo, ſed infirmo, quem peccati originalis merito corruptibile aggravat corpus. Natura verò humana qualem naturam Chriſtus humanæ mentis aſſumpſit, quæ nullo peccato potuit depravari, ſolus major eſt Deus. Denique propter quid dictum ſit, Minoraſti eum paulo minus ab Angelis, aperuit Scriptura ubi legitur, Eum autem modico minus quàm Angelos minoratum vidimus Jeſum, propter paſſionem mortis. Non ergo propter naturam hominis, ſed propter paſſionem mortis. Natura verò hominis quæ mente rationali & intellectuali naturas cæteras antecedit, Deus ſolus eſt major: cui utique injuria facta non eſt, ubi ſcriptum eſt, Major eſt Deus corde noſtro.*

Hugo Victorinus L. de ſpiritu & anima apud X. Ex Hugone Victorino. Auguſtinum eundem, vitam ſentientem rationali, rationalem ſapientiæ ipſi ut inferiorem, ita & affinem auguratur eſſe, & quodam confinio cohærentem, ut in eandem ſubſtantivam hypoſtaſin poſſint non illibenter fœderari: *Sicut enim ſupremum animæ, id eſt intelligentia, ſive mens, imaginem ſive ſimilitudinem gerit ſui ſuperioris, ſive Dei, unde & ejus ſuſceptiva eſſe potuit ad unionem perſonalem, etiam qnando ipſe voluit abſque ulla diminutione naturæ ſuæ; ſic ſupremum carnis, id eſt, ſenſualitas, animæ gerens ſimilitudinem, ad perſonalem unionem ejus eſſentiam ſuſcipere poteſt.*

Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus in Homilia de Trinitate, infinito quodam intervallo omi- XI. Ex Eucherio natur ſuperari debere eam naturam, quæ in alterius perſonam adſciſcitur. Suam enim perſonam ideo non retinet ipſa, quia majoris naturæ lumine obſcuratur & vaneſcit, ita ut non appareat. Non utcumque ergo vinci alteram ab altera opus eſt, ſed obrui & conſumi quodammodo majeſtatis mole. *Quando ad incarnationis reſpicimus ſacramentum, Filius Virginis aſſumptus*

à Fi-

à Filio Dei, quasi creatura juxta Creatorem, personam propriam non habet. Quam ob causam? Quia parem gloriam juxta formam Domini forma servi non obtinet: quia minoris humilitas servata reverentia majoris absconditur, & superiori lumine obscurata deprimitur, & quodammodo obrumbrata consumitur. Ita Spiritus sanctus si Deus non esset, juxta Patrem & Filium personam propriam non haberet. Ubi autem esse probatur personarum parilitas, ibi meritorum ac dignitatum indivisa consistit æqualitas. Et ideo Spiritum sanctum cum Patre & Filio unum Deitatis noveris possidere privilegium, quem personæ vides obtinere jus proprium. Quæ indubium est è Paschasii verbis alibi relatis expressa esse à quocumque demum hujus Homiliæ authore.

XII. Ex Cusano. Cusanus Cardinalis enodatiùs hoc ipsum prosequitur Lib. 3. de docta ignorantia c. 4. ostenditque ideo inseri sensibilem vitam in rationalem, quòd cùm particularis & arctata sit sensualitas ad hæc & illa corpora, ex his angustiis absolvitur per vitam rationalem, & infinita quadam donatur amplitudine: eodemque prorsus modo rationalem animam quam sui & ipsam limites premunt, dum divinæ veritati & sapientiæ conseritur, infinita intelligibilis lucis universalitate tunc denique beari. *Sensualis cognitio est quadam contracta cognitio, propter quod sensus non attingit nisi particularia. Intellectualis cognitio est universalis, &c. Contrahitur autem sensatio variè ad varios gradus, per quas quidem contractiones, variæ animalium species exoriuntur, secundùm gradus nobilitatis & perfectionis: & quamvis ad maximum gradum simpliciter non ascendat, in specie tamen illa quæ actu suprema est in genere animalitatis, puta humana, ibi sensus tale animal efficit, quod ita est animal ut & sit intellectus. Homo enim est suus intellectus, ubi contractio sensualis quodammodo in intellectuali natura suppositatur, cum intellectualis natura existat quoddam divinum separatum abstractum, esse sensuali remanente temporali & corruptibili, secundùm suam naturam. Quare quadam licet remota similitudine, ita in Jesu considerandum, ubi humanitas in divinitate suppositatur, quoniam aliter in sua plenitudine maxima esse non posset. Intellectus enim Jesu cum sit perfectissimus penitus in actu existens, non potest nisi in divino intellectu qui solum est actu omnia, suppositari personaliter.*

Sed longè pulcherrimum est quod ex eodem Cusano suprà retulimus, ubi perspicuè declarat quanto eminere debeat apice dignitatis ea natura quæ aliam ut accessionem quandam sibi conficulat: *Deus antiquior intelligentia, intelligentia antiquior sensibilitate, sensibilitas antiquior vegetabilitate. Dico antiquior non tempore, sed ordine & dignitate & perfectione. Eo dicendi modo intellectualis natura in Adam, antiquior sensibili, in se univit sensibilem naturam, & factus est rex omnium vita sensibili viventium: quia ipsam sensibilem vitam in unionem antiquioris intellectualis vitæ assumpsit, & movit corpus vivens vita sensibili ad actus intellectuales. Sic Christus quodammodo in similitudine tali concipi potest, esse Messias & Rex omnium viventium vita intellectuali, quia divina vita antiquior intellectuali, in se univit vitam intellectualem hominis, & movit illam ad operationes divinas.*

L. 3. Cribrat. Alcor. c. 21.

XIII. Ex Tertulliano rursus ut natura assumens assumptâ superare debeat infinito quodam intervallo. Cohibeo calamum ne plures attexam, nec possum tamen unum & alterum qui exciderant, non proferre disertissimum hujus rei astipulatorem. Cùm enim superiùs perstricta argumenta collineent ad hæc duo, quòd nec assumens natura carere possit vi quadam infinita, ut maneat quod est, & fiat quod non est: nec assumpta natura patiatur suæ se jure & dignitate personæ spoliari, nisi immensæ cuidam assumentis majestati lucique ita immergatur, ut quodammodo devoretur: hæc rursus duo duobus qui nos fefellerant, idoneis fidejussoribus munire juvat.

Tertullianus in medium primus se dabit ut primum illud confirmet: *Non potes dicere, si natus fuisset, & hominem verè induisset, Deus esse desisset, amittens quod erat, dum assumit quod non erat. Periculum enim status sui Deo nullum est. Sed ideo, inquis, nego Deum in hominem verè conversum, ita ut & nasceretur, & carne corporaretur, quia qui sine fine est, etiam inconvertibilis sit necesse est. Converti enim in aliud, finis est pristini. Non competit ergo conversio, cui non competit finis. Planè natura convertibilium ea lege est, ne permaneant in eo quod convertitur in eis: & ita non permanendo pereant, dum perdunt convertendo quod fuerant. Sed nihil Deo par est, natura ejus ab omnium rerum conditione distat. Si ergo quæ à Deo distant, à quibus Deus distat, dum convertuntur, amittunt quod fuerunt; ubi erit diversitas divinitatis à cæteris rebus, nisi ut contrarium contineat, id est, ut Deus & in omnia converti possit, & qualis est perseverare?* Ita ergo alienæ naturæ invasio hypostatica, omnipotentiæ & incommutabilitatis divinæ singulare specimen est, nec ulli præterea annuendum. L. de Carne Christi.

XIV. Rursum ex Maximo Martyre. Maximus Martyr alterius capitis assertor elegantissimus, disputationi huic finem imponet, docebitque summatim nullius nisi divinæ naturæ lumine ita obrui abscondique posse naturam humanam, quasi luculam ex illo fonte haustam & in eum refusam, ut non emicet nec existat in propriam seorsim hypostasin: *Deo Sermo unitus homini edit prodigia, minimè segregatus à natura humana, quòd ei pro sua bonitate placuerit vim suam divinam per eam & in ea & cum ea exerere. Et veluti si quis cogitatione concesserit Solem, magnum istud sidus, per lucernam & in lucerna suam lucem emittere, non sunt duæ luces. Nec enim lucerna ut altera lux Soli opposita splendet, sed splendet Sole in ipsa & per ipsam splendente:* καὶ κατακρατοῦντος, καὶ ἰδιοποιησαμένου αὐτόν; *& ipsi lucernæ dominante, eamque ut sibi propriam vindicante, adeo ut Sol etiam accipiat ipsius lucernæ nomen. Ita Deus Verbum in rationali & per rationale animal vim suam exerens, &c.* Rationalem naturam potest summa ratio, non potest ulla alia natura, ita κατακρατεῖν, ita ἰδιοποιήσασθαι, sicut lux Solis lucem lucernæ, ita illam pervadere, ita substernere sibi, ut una lux, una ratio, una persona sit. Quæ alibi ex Hugone Victorino decerpsimus in sententiæ hujus præstructionibus, hinc videri possent mendicata. Dial. 5. de Trin. apud Athanas.

CAPUT XXIV.

Fides sententiis, non verbis trutinanda; unde in hypostasi una Christi utriusque naturæ defendenda, Orthodoxorum Patrum, quanta in rebus consensio tanta quandoque in verbis pugna.

I. Et olim & nunc verborum discrepantia nihil obstrepit fidei unitati. JAmdiu est quòd ad hanc properamus disceptationis hujus de hypostasi calcem, veniam antedictis exoraturi, sicubi à recentioribus verborum formulis deviatum tantisper à nobis est. Nam quod ad voces attinet, non tantùm à nostra nunc consuetudine aliquantulum deflexerunt sancti Patres, sed ipsi etiam inter se magnoperè dissenserunt, & quæ alii frequentavere vocabula, alii abjecere, & ab ore fidelium exulare jussêrunt. Quo æquius est humanis & liberalibus frui nos judicibus, qui Patrum sententias haud satis potuimus nisi eorundem verbis exprimere, nec singulorum verba promere, quin aliorum, quin nostratium hodie Theologorum aures fortassis & stomachum nonnihil offenderemus. Sed ut ipsi inter se Patres tantò acriùs in unam conspirant fidem, quantò eam nullo verborum conflictu temerari

merari sinunt: ita avitæ junior hodie Theologia consentit eo vehementiùs, quòd unius fidei inviolabili consentia, verborum dissidia haud magni pendit.

II. Conglobat Leontius voces Patrū quibus abutebantur hæretici. L. 3. contra Nestor. & Eutych.

Complusculа conglobavit Leontius Byzantinus eorum quæ ab antiquioribus usurpata fuerant, & à Cyrillo Alexandrino cæterisque deinceps Patribus, Nestorium vel Eutychetem oppugnantibus, proscribebantur. *Proferunt nobis ex Serapione quidem illud, Deus hominem induit: & ex Basilio, Homo deifer: & illud utrumque ex Gregoriis, quorum alter quidem dixerit, Dicatur Deus non Verbi, sed ejus qui cernebatur: alter verò, Et servi livores circa quem Dominus. Et quasdam reliquorum Patrum similes voculas veluti unguibus corradunt: cujusmodi est, suscepit, assumpsit, induit, &, duplex erat, & alia ejusmodi, quæ differentiam naturarum Christi secundùm substantiam unitarum declarant. Et præter cætera omnia, Cyrilli hypostases, &, Hominem ex virgine, &, Templum ex virgine. Deinde mixtionem, & commixtionem, & naturalem cohæsionem, & Deificationem, & sanguinem Dei, & crucem, & passionem, & quod plus est, secundùm Verbi secundùm carnem generationem, cum iidem alioqui dicant, non tamen isti audiunt.* Hæc studiosè compilata fuerant à Theodori Mopsuesteni & Diodori Tarsensis patronis, ut hinc causæ suæ præsidium aliquod pararent; & eadem vocum licentia, aut indiligentia æquè Theodoro, atque Patribus orthodoxis condonaretur.

III. Et eas veritati fidei accommodat.

At contra Leontius excipit fidei nostræ summam non in vocibus, sed in sententiæ veritate verti: ideo vocum incuriam facilè iis indulgeri, qui à linea veri dogmatis nihil delirant: at ubi ab amussi sanæ fidei deviat aliquis, tunc non vocum indiligentiam, sed dogmatis perversitatem interpretandam esse & explodendam. Cùm ergo Patres copulam hypostaticam aliàs non in relationis aut habitudinis extimo quodam fuco, sed in substantivo nexu collocent, at Theodorus & Diodorus ex adverso naturas Christi simulata & perfunctoria societatis cujusdam confœderatione nectant, hinc meritò fieri, ut earundem vocum delectus illis laudi, his crimini vertatur. *Primum igitur illud est consideratione dignum, quod non est nobis de vocibus controversia, sed de modo totius mysterii Christi. Hoc autem non simpliciter ex hac, aut illa voce, aut ex quibusdam verbis est approbandum, aut accusandum, sed ex primis principiis. Circa hæc enim omnis hæresis controversatur. Post principia enim omnes inter se de vocibus conveniunt, ita ut ipsas Scripturarum voces sibi vendicent, eas ad proprium scopum accommodantes. Quæ verò sunt horum principia? Modus scilicet unionis secundùm substantiam & secundùm habitudinem factus, &c.* Et paulò post: *Non de vocibus nobis est disceptatio, sed de ipsis rebus, & harum unione & naturali cohæsione, quam Patres secundùm substantiam factam esse senserunt, vos autem secundùm habitudinem & voluntatem eam introducitis, & ista unione anthropolatriam per vim munitis, quo quid esse potest magis impium?*

IV. Hominem Deificatum dicere vetat Cyrillus, jubet Nazianzenus, nec re tamē dissentiunt. Orat. 51.

Otiosum non erit nonnullas cursim persequi earum vocum, quas in exprimenda unitate Christi personæ ab aliis usurpatas, alii Patres quòd in alienos obliquarentur sensus, exauthorarunt. Hominem deificatum esse, & olim edixere Patres, & nunc tritissimo sermone dictitamus. Nazianzenus de duabus Christi naturis agens, *Ambo enim hæc commixta sunt, Deo nimirum inhumanato, homine autem deificato*: Θεοῦ μὲν ἐνανθρωπήσαντος, ἀνθρώπου δὲ θεωθέντος. Parco alios aggerare testes, parco recentissima frequentissimaque inculcare quotidiani usus nostri testimonia. Et tamen Cyrillus Alexandrinus, cujus in hac parte dominatur authoritas, intercedit his vocibus; *Quod verò Verbum cum esset Deus, factum sit homo, & non magis homo Deificatus intelligatur Christus, etiam ex sacris litteris enitar ostendere.* Et infra: *Igitur non hominem Deum factum dicemus, factum autem magis esse in exinanitione propter humanitatem Deum Verbum, quod erat in æqualitate Patris & forma.* Ejusque lambens vestigia Damascenus: *Quamobrem non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum*: οὐκ ἄνθρωπον ἀποθεωθέντα λέγομεν, ἀλλὰ θεὸν ἐνανθρωπήσαντα. Vocum aperta pugna, dogmatis tamen nec vel tantilla dissensio est. Cyrillus enim Nestorio obviat, merum priùs hominem Christum, & inde suo merito ad Deitatis evectum non substantiam, sed socialem copulam fabulanti. Eo sensu non est homo deificatus, nec enim homo priùs extitit merus, cui deitas; sed Deus æternus, cui post accessit humanitas, atque ita verè Deus inhumanatus est. Et universim ut ex Scripturis colligit Cyrillus, non divinitas homini, sed Deo humanitas accessit: Verbum enim quod in principio erat apud Deum Deus, caro factum est: &, Cùm in forma Dei esset, formam servi accepit. Nazianzenus Cyrillo concinit, sed hominem eo sensu Deificatum prædicat, quòd humanitas Deo sit inuncta, perfusa, inebriata, & ita verè Deificata. *L. 3. c. 2.*

V. Hominem à Deo assūptum, vel Deo conjunctum negat Cyrillus, ut Nestorio obviet, Deum hominem factum dici jubeat.

Vetat idem Cyrillus, ne hominem à Deo assumptum pronunciemus, sed Deum hominem factum: Dialogo, quòd unus sit Christus: *Splendor gloriæ formam servi accepit, non ut hominem sibi conjungens*, οὐχ ὡς ἄνθρωπον ἑαυτῷ συνάψας, *ut isti volunt, sed in illa potius ipse factus.* Et Epist. 1. ad Successum: *Factus est igitur homo, non hominem assumpsit, ut Nestorio placet*, γέγονεν ἄνθρωπος, οὐκ ἄνθρωπον ἀνέλαβεν. Et Epistola ad Valerianum: *Cogitent quod Deus Verbum non homini conjunctus est*, οὐκ ἀνθρώπῳ συνήφθη, *sed homo factus est.* Et his tamen fidei profitendæ formulis quas hìc explodit Cyrillus, quid usitatius apud Patres tum Græcos, tum Latinos, quid etiamnum in ore fidelium, in usu Theologorum tritius? Nec sannis tamen, sed laudibus prosequenda Cyrilli elimatissima diligentia, in rimis omnibus sepiendis, quibus virus Nestorianum poterat irrepere. Nestorius enim hominem Deo conjunctum, hominem à Deo assumptum jactitabat, ut inde efficeret hominem priùs extitisse, postea Verbo copulatum esse, non alia tunc sanè quàm amicitiæ & contubernii societate. Castigatissima ergo fidei formula homini tam lubrico præfinienda erat. Laudavit & secutus est Cyrillum Agobardus ad Ludovicum Imperatorem scribens adversus Felicem Urgelitanum Episcopum, dudum sopitos Nestoriani incendii ignes excitantem: *Videtur mihi etiam vestra charitas commonenda de hoc, quod Felix frequenter gaudet dicere, hominem adsumptum vel formam servi. Quanquam enim & piè dici possit, sicut & frequentissimè dictum à sanctis Patribus invenitur, tamen considerandum est quod etiam impiè dici possit, secundùm quod in Nestorio hæc verba nostris displicuerunt. Ad quod B. Cyrillus ita respondit, &c.*

VI. Patres & Deum carniferum & hominem Deiferum dixerant, Cyrillus posterius hoc nō probavit.

Emendatissima etiam censura vetat, ne hominem Deiferum dicamus Christum, sed Deum potiùs carniferum. Et tamen Basilio aliisque Patribus ea loquendi ratio placuerat. Nyssenus etiam Christum vocat hominem θεοδόχον. Nec ferè nos ab his hodie abhorremus. At Cyrillus longè elimatiùs hæc tractat, hasque detrectat voces, ut adversariorum cuniculis opportunas. *Sed fidei traditio tuis hæc de re verbis repugnat. Non enim* θεοφόρον *hominem, sed Deum inhumanatum adorare didicimus. Tu verò aliter dicis.* Et Damascenus: *Omnis deifer homo Christus dici potest, sed non naturâ Deus. Unde & Deo odibilis Nestorius natum ex virgine deiferum dicere anhelavit. Nobis autem absit deiferum ipsum aut dicere aut cogitare, sed Deum incarnatum.* Deiferi nomine sancti ferè viri ornantur, quocirca ea voce Nestorius Christum in ordinem cogere gestiebat. At Basilius eodem Verbo osten-

Nys. ho. 13. in Cantica. Cyrill. l. 1. adv. Nestor. Damasc. L. 3. c. 12.

In Scholiis c. 12.

oſtentabat plenitudinem Deitatis in Chriſto inhabitantem, a Chriſto circumgeſtatam, non utcumque, ſed corporaliter & ſubſtantivè.

VII. Aliqui non placuit dici Deum hominem, ſed Deum & hominem.

Sed quid accuratius illo ſancti Quintiani Epiſcopi adverſus Eutychianam colluvionem anathematiſmo? *Si quis Deum hominem, & non magis Deum & hominem dicit, damnetur.* Profitemur identidem Deum hominem Chriſtum, nec unius ſyllabæ, aut conjunctionis vim tanti facimus. Sed cùm graſſarentur Eutychiani, & tam naturas, quàm voces naturarum commiſcerent in unam, hæc eorum cavillatio diſſipanda & anathemate etiam elidenda fuit. Nunc ubi erroris nec ſuſpicio ulla ſupereſt, non eſt infligenda nobis tanta in verborum tricis moroſitas.

VIII. Hominem Chriſti dici vetat Cyrillus, quòd ex Latinis multi dixerant. In Ev. Joan. L. 6. pag. 632.

Cenſorio pariter mucrone confixit Cyrillus has voces, *homo Chriſti*; quòd ita alter Chriſtus, alter homo ejus videatur innui. *Igitur ſummæ impietatis eſt, & inſcitiæ, quod nonnulli dicunt inconſideratè, Homo Chriſti. Deus enim cum eſſet, homo factus eſt, &c.* Imperitiæ & impietatis rea agitur vox, quam viri ſanctitatis & eruditionis laude præclari ſectati ſunt ſæpiculè. Tertullianus adverſus Praxeam vindex fidei Eccleſiaſticæ ſic ait: *Ut impaſſibilem Deum oſtenderet, qui ſic Filium dereliquit, dum hominem ejus tradidit in mortem.* Leo Magnus: *Ut virtutem inſeparabilis à ſuo homine Deitatis, per velamen noſtræ infirmitatis abſconderet.* Quis Hilarium vel ſalutavit à limine, qui non in has voces creber impegerit? Itaque inſuefaciendus eſt animus, in vocum diſſonantia concentum quendam dogmatis internoſcere & tenere.

Leo. M. ſer. 2. in Nativ.

IX. Hominem participem Deitatis negat Maximus, ſed Deum humanitatis. Dial. 5.

Quid illud Maximi martyris in Dialogis de Trinitate inter Athanaſii opera? *Quoniam ipſe non eſt homo particeps Deitatis, ſed Deus particeps carnis & ſanguis, id eſt humanitatis.* Nemo neſcit quàm promiſcuè hæc uſurpari queant; ſed illa interdum diſtringenda fuit cenſura, ut hæreticorum fraudulentia perverteretur.

X. Hominis Dominici voce interdictum tunc eſt, cum ea abuterentur Apollinariſtæ. Orat. 51.

Hominem Dominicum Græci Latinique impunè & paſſim appellitaverant Chriſtum: ſed Apollinariſtis hinc ineptientibus, caſtigare occœpit hanc vocem Gregorius Nazianzenus: *Ne homines iſti alios decipiant, viciſſimque decipiantur, mentis expertem aſſerentes hominem Dominicum, ut ipſi loquuntur, magis autem Dominum noſtrum & Deum.* Inuſſit illam apertiùs Auguſtinus: *Non video utrum rectè dicatur homo Dominicus, cum ſit utique Dominus. Dominicus antem homo quis in ejus ſancta familia dici poteſt? Et hoc quidem ut dicerem, apud quoſdam legi tractatores catholicos divinorum eloquiorum. Sed ubicumque hoc dixi, dixiſſe me nollem. Poſtea quippè vidi non eſſe dicendum, quamvis nonnulla poſſet ratione defendi.* Cùm tanti ponderis authores hanc vocem repudiaſſent, non tamen omnes ea deinceps abſtinuere. Caſſianus: *Hic eſt perfectionis timor, quo homo ille Dominicus, qui non ſolùm redimere humanum genus, ſed etiam præbere venerat perfectionis formam, atque exempla virtutum, repletus fuit.* Si quis minus tribuat Collationibus, audiat eundem in famoſo & probatiſſimo opere de Incarnatione: *Oſtendens utique quod nunquam homo ille Dominicus ſine unitate Dei fuerit.* Et infrà: *Ita Dominicum hominem connectit Deo atque concorporat, &c.* Paſchaſius item l. 2. de Spiritu ſancto: *Divina potentia quæ in Spiritu ſancto eſt, in illo Dominici hominis corpore requievit, &c.* Vox ergo iſta uſitata primùm, expuncta deinde, revocata iterum, jamdiu exolevit uſuque communi abdicata eſt. Nec ulla fidei pars tamen periclitata eſt uſquam in tanta verborum alternantium tempeſtate. Porrò hinc clareſcit, quod ad loquendi uſum attinet, ſuorum quemque temporum conſuetudini, & Eccleſiæ in qua degit, Doctorumque authoritati ſervire debere, nec in vocibus cavillari aut rixas ſerere.

L. 1. Retrac. c. 19.

Caſs. Collat. XI. c. 13.

Caſſian. l. 5. c. 5. & l. 6. c. 22.

XI. Verbũ ſpõſum, humanitatẽ ſpõſam dici fas aliis, aliis nefas ſi.

Sponſi vices & nomen Verbo, humanitati autem ſponſæ plerique vendicavere Scriptorum Eccleſiæ veterum. Alii geminæ inde perſonæ periculum imminere ſuſpicati, in contraria abiere, nec ſponſæ partes niſi Eccleſiæ, ſponſi autem Chriſto Deo atque homini adſignarunt. Integrum nobis etiam nunc eſt, utris collibitum magis fuerit, accedere. Tertullianus ſive potiùs apud eum Novatianus libro de Trinitate: *Ac ſi de cœlo deſcendit Verbum hoc tanquam ſponſus ad carnem, ut per carnis adſumptionem filius hominis illuc poſſet aſcendere, unde Dei Filius Verbum deſcenderat: meritò dum per connexionem mutuam & caro Verbum Dei gerit, & Filius Dei fragilitatem carnis aſſumit, cum ſponſa carne conſcendens illuc, unde ſine carne deſcenderat, recipit jam claritatem illam, quam dum ante mundi inſtitutionem habuiſſe oſtenditur, Deus manifeſtiſſimè comprobatur.* Auguſtinus: *Ne quiſquam contemneret veritatem, quia de terra orta eſt, cum ſicut ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, id eſt, de utero virginali, ubi Verbum Dei creaturæ humanæ quodam ineffabili conjugio copulatum eſt.* Et alibi: *Proceſſit ad nos veniens in ipſum primum virginalem uterum, ubi ei nupſit humana creatura, caro mortalis, ne ſemper eſſet mortalis, & inde velut ſponſus procedens de thalamo ſuo exultavit ut gigas, &c.* Caſſianus: *Sicut vir & mulier unum corpus ſunt, ita majeſtas divinitatis & caro hominis uniuntur, & facti ſunt duo, id eſt, Deus atque anima in carne una, &c. Hoc magnum eſt illud ſacramentum, &c. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia: quia & caro Eccleſiæ caro Chriſti eſt, & in carne Chriſti Deus eſt atque anima: ac ſic idem in Chriſto quod in Eccleſia, quia ſacramentum quod in Chriſti carne creditur, etiam fide in Eccleſia continetur.* Ubi conjugium Chriſti & Eccleſiæ implicatum oſtendit illi anteriori connubio, quo humana natura Verbo innupſit. At Gregorius Magnus ſatius duxit, ne perſonæ in Chriſto geminarentur ex hujus conjugii occaſione, nuptias Chriſti & Eccleſiæ, non Verbi & carnis interpretari: *Tunc enim Deus Pater Deo Filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, quando Deum ante ſæcula fieri voluit hominem in fine ſæculorum. Sed quia ex duabus perſonis fieri ſolet iſta conjunctio, abſit hoc ab intellectibus noſtris, ut perſonam Dei & hominis Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti ex duabus perſonis credamus unitam. Ex duabus quippè atque in duabus hunc naturis exiſtere dicimus, ſed ex duabus perſonis compoſitum credi, ut nefas vitamus. Apertius ergo atque ſecurius dici poteſt, quia in hoc Pater regi Filio nuptias fecit, quod ei per incarnationis myſterium ſanctam Eccleſiam ſociavit.*

Aug. Ser. 12. de Tempor.

L. 4. Confeſ. c. 12.

Caſſianus. L. 5. c. 12. De Incarn.

Greg. M. hom. 38. in Evec.

XII. Hypoſtaſeõ concurſu conſtare Chriſtũ dixit Cyrillus negant alii, utrimque veriſſimè.

Hoc eodem loco vides quantum abhorreat Gregorius à perſona Chriſti duabus ex perſonis coagmentanda. Nec injuria. Nam cæteri Patres certatim in id conjurati ſunt, nec ex duabus perſonis unam unquam poſſe coaleſcere ſenſerunt. Cyrillum tamen Alexandrinum ſuprà audivimus ex hypoſtaſeon concurſu Chriſtum emerſiſſe ſemel & iterum pronunciantem, ut & Leontius ipſe ſuprà non diſſimulabat. Ergo & Cyrillus ipſe in hoc negotio omnium facilè princeps & eruditionis Eccleſiaſticæ circa Verbi incarnationem ſummus vertex, Cyrillus inquam tam accuratus cenſor, vocumque ab aliis Patribus antè uſurpatarum trutinator auſteriſſimus, eas voces in enucleando hoc ſacramento adhibuit, quas acrior poſterorum cenſura ut jam minùs tempeſtivas confixit. Nec ulla hìc vel Cyrilli inſcitia, vel poſterorum temeritas ſuſpicanda eſt. Rectè ille naturas ab hypoſtaſibus minus quandoque diſcrevit, quòd nihil rei hypoſtaſis ad perſonam adjiciat: rectè ætas poſterior hypoſtaſes à naturis vehementer diſcrevit, quòd ſin minùs res, certè ratio alterutrius longè diverſiſſima ſit.

XIII. Cyrillus duas naturas parciùs prædicabat.

Et ex adverso parciùs Cyrillus duas in Christo naturas eloquitur, ne quam Nestorianæ labi rimam aperiat. At exinde nihil in Ecclesiasticis monumentis familiarius, nihil solemnius, quàm duas esse Christi naturas, in duabus & ex duabus Christum naturis consistere. Facundus Episcopus Hermianensis: *Nestorio respondens Cyrillus, qui unum Christum in duos filios dividebat, necesse non habuit de duabus naturis adversus eum evidentiùs atque expressiùs disputare. Quin imò ne quam daret occasionem ejus erroris, parciùs de naturarum discretione locutus est: ne cum ipse naturas distingueret, ille duas personas induceret.* Qua de causa in crimen ab Orientalibus Cyrillus vocabatur; qui rursus tamen in aliorum reprehensiones incurrit, ubi fœdus coiit cum iisdem Orientalibus duas in Christo naturas exertiùs profitentibus.

L. 6.

XIV. Duas naturas confitentibus, vel reformidantibus, ut hinc & inde invidiæ conflaretur.

Memorandum enim imprimis est dissidium, quo tunc inter se Catholici altercabantur, cùm aliis duas Christi naturas religio esset confiteri, ne cum Nestorio sentire viderentur, & ideo Eutychetis affines apud cæteros audiebant: alii ut Eutychianæ confusionis invidiam declinarent, duas fidenter Christi naturas jactabant, & protinùs Nestorianæ perfidiæ aspergebantur infamia. Itaque cùm necessarium esset alterutrum, ex utrolibet invidia conflabatur. Hanc incolumi unitate fidei dissonantiam verborum & suspicionum, obtrectationumque segetem amarulentè prosequitur Vigilius: *Ecce sunt timores inanissimi & sollicitudines vanæ, quæ fecerunt orthodoxos hæreticorum sibi nomina impingere, dum voce depromi palpatur, quod expressiùs corde clamatur. Qui enim nolunt duas ore fateri naturas, quas fidei expositione defendunt, Eutychianistæ reputantur, cùm non sint. Item qui duas unius Christi naturas publicè profitentur, Nestoriani putantur esse, cùm non sint. Et videas eos luctuosis quibusdam & omni lamentatione dignis insultationibus, hæreticorum nomine se invicem accusare. Tu, inquit, Eutychianus es, & tu Nestorianus es, Apostolicæ sententiæ in totum obliti, dicentis: Videte ne cum invicem accusatis, ab invicem consumamini. Rogo vos, cùm sensu incolumes sitis, cur vocibus insanitis? Cur perverso vocis timore erratis, qui rectâ fidei stabilitate, mentis professione consistitis? Cur metuitis duas dicere naturas, cum Apostolus non formidaverit duas dicere formas?*

XV. Deû passum & mortuû dicere cunctantes ut vellicarentur.

Nec abludit aliorum scrupulositas, qui ut ibidem docet Vigilius, Deum passum & mortuum dicere cunctabantur, cùm catholicæ tamen fidei essent retinentissimi. Nimirùm Apollinaris & Eutychetis deliramenta exhorrebant, quasi horum vocum latibulis delitescentia: cùm rursus ob ejusdem silentii morositatem, aliorum fidelium suspicionibus & conviciis tanquam Nestoriani incessebantur. *Rursus alii timentes, ne Apollinaris & Eutychetis dogma incurrant, nolunt dicere Deum passum & mortuum, cùm unam ejus credant esse personam, & hunc eundem Deum fateantur & hominem. Si ergo unus est, sicuti & est, cur eum formidas dicere passum, quem non formidas dicere unum? Ecce sunt timores inanissimi, &c.*

XVI. Uni ex Trinitate passo, uni naturæ Verbi incarnatæ restitere aliquando Catholici, post assensi sunt.

Non hìc illas attingo superiùs perstrictas concertationes de uno ex Trinitate passo, de una Verbi natura incarnata. Et in his enim digladiati sunt inter se Catholici, & alii alios obliquis suspicionum contumeliarumque jaculis impetivere, uni utrimque fidei consultum volentes, sed vocum perplexis ambagibus impediti.

XVII. Templum Dei & Deû eundem dicta, aliis placuit, aliis displicuit.

Posset his annumerari exemplis, quòd templi & habitaculi nomen plerique Patres frequentavere, & secundùm Scripturas ipsas; Templum enim corporis sui, seu corpus suum Christus appellavit. Nec quidquam familiari vulgi Christiani sermone tritius etiamnunc est. At hinc hypostasin geminabat Nestorius, & accidentariæ copulationis fuco Christi mysterium illudebat. Ergo nonnulli Patres hanc quoque vocem cauteriò exurendam arbitrati sunt. Unum tantùm in medium proferam utriusque generis Patronum, sed permagni nominis. Gregorius Magnus: *Ipse conditoris templum, ipse conditor templi: ipse author operis, ipse opus authoris.* At Leo Magnus: *Nec sic creatura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator & illa habitaculum esset, sed ita ut naturæ alteri altera misceretur.* Adeo ita non discordant, ut neutrum constet, nisi utrumque constet.

Greg. M. L. 18. Mor. c. 27

Leo M. Ser. 3. in Nativ.

XVIII. An naturas cogitatione liceat disjungere, dubium apud Patres.

Subtilioris indaginis est, an liceat cogitatione naturas Christi disjungere, quas indubitatissimum est, reapsè indivulsè cohærere. Itaque alii aliò abiere, nec tamen abrupta est, imò nec vel tantisper quassata sententiæ inter Patres consensio. Athanasius, *Pater igitur est gloria Unigeniti, Deus verò carnis Christi, non quod alium Christum dicam, alium Unigenitum: non enim divido animo, quæ ab unitate dividi non debent.* τῇ γὰρ ἐννοίᾳ οὐ τέμνω τὰ μὴ τεμνόμενα τῇ ἑνώσει. Et alibi idem: *Ubi quæso tandem nefarii seorsum per se inveniunt illam carnem, quam Salvator noster assumpsit, ut audeant dicere, Non adoramus Dominum cum carne, sed disjungimus corpus,* ἀλλὰ διαιροῦμεν τὸ σῶμα, *illique soli latriam offerimus?* Sed multò expressiùs Theodotus Episcopus Ancyræ in Concilio Ephesino: *Mente autem si dividis & unumquodque seorsim contemplaris, nimirum solvis unitatem. Impossibile est enim custodire unitatem & utrumque seorsim considerare. Sed quod est unitum, insolubiliter unum factum est, & nequaquam fiunt duo. Sed mente sola divido, inquis:* ἐπινοίᾳ μόνῃ χωρίζω: *Ergo & mente unitatem solvisti. Nam quo disjungis ab altero alterum, eodem copulationem dividis.* Et infrà eosdem crebriùs objurgat hæreticos: *Qui à Dei Verbo separant hominem, & quod unitum est, separant commemoratione naturarum? duo quædam dicentes Christum, & illud,* ἐπινοίᾳ μόνῃ, *cogitatione sola, ad sui defensionem afferentes, &c. At Apostolus gloriam divinitatis humanis passionibus copulans, non cogitatione disjungens, nec ratione separare quæ unita sunt, volens, &c. Magi ei qui videbatur, thus obtulerunt tanquam Deo, non separantes naturam à natura, nec cogitatione secantes quod unitum est, &c.* Et infra: *Non tanquam unum dicamus, duplicem verò intelligamus, neque enim dissentire cogitationem à sermone decet, &c. Quod enim dispensatione & miraculo conjunctum est, id neque sermo separat, neque intelligentia, &c.* Quæ pluribus ibidem prosequitur.

Athan. L. de communi essent. Patris & Filii.

Epistol. ad Adelph.

Contrà autem Cyrillus ipse naturas cogitatione discerni annuit, cùm unitati Christi nemo impensiùs sit patrocinatus: *Sit nobis in exemplum homo nostri similis. Duas namque in eo naturas intelligimus, unam animæ, alteram corporis. Sed cùm sola discreverimus intelligentia, & differentiam subtili contemplatione seu mentis imaginatione conceperimus, non tamen seorsim ponimus naturas, &c.* Et infrà, Orientalium à Nestorianis discriminans fidem, *Antiocheni verò fratres ea ex quibus intelligitur Christus, simplici solaque intelligentia complectentes, naturarum differentiam dixerunt: neque enim, ut dixi, idem sunt humanitas & divinitas, &c.* Plura non congero, cùm res præjudicata sit, distinctione rationis & cogitationis meræ, nihil offici naturarum hypostaticæ unitati.

Cyril. Epistol. 2. ad Succens.

XIX. Quo sensu liceat vel non liceat.

Verborum tamen hæc rixa est, non rerum, & in eundem scopum vergunt tum qui ajunt, tum qui negant discerni naturas cogitatione. Cogitando enim discernuntur, non secernuntur: distinguuntur, non divelluntur naturæ: discrimen ipsarum, non dissidium; differentia, non distantia intelligitur: hæc mentis solertia confusioni ipsarum, non commixtioni interceditur; naturæ, non personæ unitati obviatur: eadem cogitatione & discriminantur, ne unum & idem natura sint,

sint, & coadunantur, ut unus & idem persona sint. Ita ergo cogitando fas est & nefas dividere: fas est naturas, nefas est personas: fas est dividere quæ simul substantivè conglutines; nefas est dividere quæ solo societatis & contubernii inani nexu copules. Unde Cyrillus: *Sciendum est quod mens quidem naturarum diversitatem considerat, neque enim idem sunt humanitas & divinitas: sed simul etiam cum hac consideratione, utriusque concursum ad unitatem contemplatur.*

Dial. de Incarn. Unig.

XX. Hinc liquet in verborũ dissidio unitatem fidei Ecclesiasticę retineri.

Ne diutiùs in hoc campo latissimo spatiemur, habenas inhibeo, & de hypostatica unitate finem facio dicendi, si paucula priùs ex his exemplis exculpsero, quæ in rem sint, ad pacis & concordiæ fœdera firmanda in stadio Theologico.

Constitit enim ex suprapositis documentis posse in qualicumque verborum conflictatione, sententias consonare: ideòque non statim desperandam concordiam, imo nec discordiam illicò suspicandam esse, si vocum species & sonus discrepet.

XXI. Liquet fidei unitatem tantò constantiùs necti, quantò nec vocum dissensione cõvellitur.

Constitit hinc majorem augurandam esse vim atque unitatem fidei, quàm si nullis vocum pugnis certaretur. Fixa enim & altè mentibus infixa est veritas fidei, quæ nullis potest verborum, nullis animorum propter verba flagrantissimis æstuationibus convelli. Invicta prorsus vis veritatis est, quæ has suspicionum & hallucinationum procellas tandem diluit, cœlumque Ecclesiæ serenat. Ita cùm Orientales à Cyrillo nonnisi vocibus dissentirent, & utrimque pro veritate certaretur, non poterat non vincere veritas. Pulchrè Facundus Hermianensis hìc monet, quod universim valeat in id genus controversiis seu dissidiis, inter homines Ecclesiæ benè vertendis, benè interpretandis: *Quis autem dignè consideraret, quis verbis explicare sufficeret, quàm sapienter ad instructionem prædestinatorum humana quoque ignorantia Deus utatur, cujus omnipotens bonitas in magnam utilitatem, cùm voluerit, noxia quæque convertit? Illa namque de beato Cyrillo consacerdotum ejus ignorantia, quæ paci Ecclesiarum aliquando contraria fuerat, si quis benè consideret, instructioni Ecclesiæ nunc assertionique proficit. Evidentius enim documentum est veræ fidei, si inter se dissidentium, inveniatur eadem de illa fuisse sententia. Nam licèt Orientales Episcopi cum aliis malè de beato Cyrillo sentirent, & ob hoc etiam vehementer insectarentur; venerabili tamen Paulo Emeseno Episcopo mediante comperimus, quod utraque pars pro una eademque fide certabat.*

L. 7.

XXII. Liquet inter Patres nunquam desperandã concordiã.

Constitit nunquam exuendam spem esse concordiæ inter Patres consuendæ, quantacumque verborum jurgia inter ipsos crepent. Id ipsum eodem approbat exemplo idem Facundus, illustratque documento Israelitarum, qui pro divino cultu cum aliorum alios lateret intentio, tantùm non ad arma convolarunt. *Quære intentionem filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manasse, atque ex altera parte Tribus Levi, & aliarum novem Tribuum Israel, & invenies utramque partem pro divino cultu fuisse sollicitam. Quære ignorantiam, & neutram invenies, quæ ad divinum cultum pertineat, sed alteram partem intentionem alterius ignorasse. Quære intentionem Synodi Ephesinæ, atque ex altera parte Antistitum provinciæ Orientis & aliarum novem provinciarum, & invenies utramque partem pro divino cultu fuisse sollicitam. Quære ignorantiam, & neutram partem invenies, quæ ad divinum cultum pertinent, sed alteram partem intentionem alterius ignorasse, &c. Vides igitur quod pro eadem religione qua rectè colitur Deus, non solùm dissentire à se invicem, verùm etiam laudabiliter pugnare adversum se religiosi ac rectissimi possunt, cum eos non ratio divini cultus, sed alterius alterum latet intentio.*

XXIII. Liquet pro rerum usu ac temporũ necessitate voces antiquari, novari, vel renovari in Ecclesia, fide incolumi.

Constitit voces à Patribus antiquis usurpatas, à recentioribus quandoque exauthoratas, quod ex iis nuperi hæretici insidias tenderent. Constitit easdem olim usitatas, postea obsolefactas, consopita hæreseos flamma cui occurrebatur, in usum denuò revocatas esse. Constitit eam vocum diligentiam elimatissimam, quam hæresum expugnatores sanxerant, postea cùm nihil ampliùs incubuit discriminis, minus curatam esse, & pristinam simplicitatem quasi jure postliminii revocatam esse. Constitit præsenti semper Ecclesiæ & Theologis ejus causam fidemque tum defensantibus, in vocum delectu idem semper juris & authoritatis arrogandum esse. Claret enim ex antedictis complures vel voces, vel vocum contextus Basilio, Gregorio aliisque veteribus familiares, quod eos alienis sensibus Neotorici inquinassent hæretici, à Cyrillo repudiatos esse, & ab eodem emendatiores formulas esse invectas loquendi: & jamdiù nos tamen impunè, imo & honestè ac necessariò, vel his vel illis, & illis frequentiùs quàm his uti solere.

XXIV. Liquet quo ad voces, serviendum esse temporibus, in quæ incidimus.

Constitit quod ad vocum solemnitatem attinet, standum semper esse ac serviendum temporibus Ecclesiæ in quæ incidimus; certi ipsam fidei substantiam, intactam usque & inviolabilem, sive his, sive illis vestiatur vocibus, permanere. Constitit non eo unquam prætextu obumbrari posse nostram ab Ecclesia successionem, quod tritæ Patrum voces olim, nunc damnentur; inauditæ olim, nunc crebrescant. His enim causationibus æquè & Nestoriani & Eutychiani, & omnes propè hæreticorum sectæ, suam prætexere possent defectionem. Constitit easdem quandoque propositiones, & catholicorum in scriptis laudatas, & in chartis aut in ore hæreticorum proscriptas fuisse. Constitit non tam verba, quàm intentionem ponderari debere, ut quàm diversa est sæpissimè iisdem verbis utentium intentio atque sententia, tam diversus sit etiam exitus, dum quod hìc absolvitur, illic anathemate feritur.

XXV. Liquet contrarias propositiones persæpè ex æquo fidei unitati accõmodari.

Constitit sæpè contrarias, & adversis frontibus pugnantes propositiones, veritati tamen, adeoque & sibi ambas præter opinionem consonare. Ita enim aliquando alii tres hypostases, alii unam hypostasin in Deo confitebantur, utrique orthodoxi: ita ex hypostasibus coaluisse Christum ajentibus aliis, alii inficiabantur: ita duas Christi naturas esse aliis arridebat, aliis displicebat: ita Deum passum, vel carne passum, vel unum sanctæ Trinitatis passum, veritatis catholicæ assertores, hìc negabant, illic affirmabant: ita assumptum esse hominem & deificatum, aliquando normæ catholicæ consonum, postea dissonum, rursus consonum fuit. Ex quo rursus

XXVI. Liquet Catholicos à Catholicis, pios à piis quandoque exagitari, ob vocum discrepantẽ sensum.

Constitit aliquando damnatos à catholicis catholicos, à bonis bonos, à sanctis sanctos, quod alii aliorum penetralia animi & intentionem pervadere non possent; verba autem sibi vel hoc tempore, vel hoc loco aliud significantia justissimæ censuræ gladio, ut sibi quidem videbatur, conficerent; quæ aliis aliud, vel alio loco, vel alio tempore designantia, æquissimo veritatis studio defensabantur. Nec enim novum aut inusitatum est, iisdem verbis aliud alils, aliud alibi, aliud aliàs significari. Verba anathematismorum Cyrilli aliud ipsi & Ephesinæ Synodo, aliud Orientalibus indicabant dogma: ideo ab his lancinabantur, ab illis propugnabantur. Sic hypostases, sic duæ naturæ, &c. Rursum homo deifer, homo deificatus non idem significabat temporibus grassationum Nestorianarum, atque ante vel post & etiamnunc. Denique tres hypostases divinæ alio sensu accipiebantur à Latinis, alio à Græcis, & ideo utrobique rectè & laudi & vitio erant. Universim ergo valet quod ex allato Cyrilli & Orientalium exemplo efficit Facundus Hermianensis: *Contigit autem nonnumquam inter unius sententiæ viros, ut cum de rebus ipsis, quæ in quæstione sunt, idem sapiunt, de se tamen invicem aliud suspicentur, cum vel à dicente minus aperitur verbis,* L. 6.

quod

quod corde conceptum est; vel ab audientibus minùs inspicitur dicentis intentio. Discernenda est autem impietas, qua de Deo male creditur, ab ignorantia qua quisque aliter de suo proximo, tanquam homo de homine suspicatur. Et si fortè videtur hominis de homine culpanda suspicio, approbanda tamen est intentio, qua veritas fieri, quam de Christo habemus, asseritur.

XXVII. Liquet tandem plurima in his tunc dispensatione & clementia utendum esse.

Constitit denique cùm ita res nostræ comparatæ sint, nec tam præclarè nobiscum agatur, ut introspicere possimus in interiora hominum cogitata, quandiù inter Catholicos certatur, de elimata verborum diligentia relaxandum esse quamplurimum, ut unitas & conspiratio fidei existat, & iniquitas suspicionum dispungatur. Ita Cyrillus quo Orientales recolligeret, tantum eis indulsit, ut plerisque visus sit, sua ipse recantasse, non aliena emendasse; & accessisse adversariis, non ipsos ad se transtulisse. Vide eundem Facundum: *Hinc ergo contigit, ut conversione Beati Cyrilli facta unitas crederetur. Et revera cui non surriperet ista suspicio, (de humanis cordibus loquimur, & humana corda gestamus,) cum &c.*

Facundus, pagin. 249. 257. 258. 266. 267.

LIBER QUARTUS.

De duabus Christi Naturis.

CAPUT PRIMUM.

Divinitas Christi ex novi Testamenti paginis demonstratur.

Sect. 1.

IN ipso Chalcedonensi Concilio inter Ægyptios & Orientales Antistites certatum diu est, ex duabus, an in duabus naturis Christus dicendus esset existere, ex duabus malebant Orientales, non ut Nestorio suffragarentur, qui in id totus incubuerat; sed ut Cyrillo & Ægyptiis adversarentur, qui in duabus dicere affectabant. Porrò nemini incompertæ sunt simultates & rixæ tum frequentes inter Alexandrinos & Antiochenos Episcopos. Perlecta tandem Leonis Papæ Epistola, in qua *duas esse in Christo naturas* asserebatur, sedata tandem illa conflictatio est, omnibus hinc & hinc Episcopis ultro subscribentibus. Tametsi autem ea Leonis Papæ formula Orientalibus quàm Ægyptiis propitia magis esse videri possit: reapse tamen ambos approbat & amplectitur, unde & utrisque peræquè arrisit. Id nos obiter huic de duabus Christi naturis tractatui præfandum duximus. Nunc ad has pergimus naturas duas nostro more in Christo, ex sanctis Patribus & Conciliis Scripturas interpretantibus, stabiliendas.

I. Demonstratur Christi divinitas ex illis Angeli verbis, Spiritus sanctus superveniet in te, &c.

Unum id potissimum moliuntur sacræ novi instrumenti literæ, ut divinitatem Christi contestentur, cui nimirum approbandæ ipsa humanitatis dispensatio tota serviebat. Itaque hinc auspicatur Evangelium Gabriel, *Spiritus sanctus superveniet in te, Virtus altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quibus ex verbis paucissimis quanta Deitatis argumenta emicent, perspicuum faciet Petrus Chrysologus: *Nec jam caro ad carnem, sed Spiritus sanctus superveniet in te. Quia quod de carne natum est, caro est: & quod de Spiritu, spiritus est. Qui ergo de Spiritu nascitur, sine controversia Deus, quia spiritus est Deus. Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Obumbrat Dei virtus, ne portatura Deum fragilitas humana succumbat. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Nemo hic communiter accipiat sanctum, sed illa singularitate qua clamatur in cælestibus, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Perspicuum faciet & Cassianus: *Spiritus sanctus Virginis interiora sanctificans, & in his potentia divinitatis suæ spirans, humanæ se inseruit miscuitque naturæ, &c. At ne ad introitum divinitatis, humana fortasse infirmitas non subsisteret, venerandam omnibus Virginem virtus Altissimi roboravit, ut corpoream imbecillitatem circumfusa umbræ suæ protectione firmaret: & ad consummandum conceptus sacri inenarrabile sacramentum, humana infirmitas non deficeret, quam divina obumbratio sustineret.* Et ibidem: *Si nasciturus itaque de sacra Virgine homo tantummodo solitarius erat, quid tanto agebatur sacri adventus nuncio? Quid tanto divinitatis ipsius apparatu? Si utique homo ex homine, & caro tantummodo nascebatur ex carne. Jussio quippè tantum ad id potuerat, aut voluntas divina sufficere. Si enim ad fabricandos cælos, fundandam terram, &c. Si ad creandam postremo omnem cælestem militiam, &c. Sola sibi tantum voluntas Dei imperiumque suffecit, &c. Cur id ad conceptionem, ut tu ais, unius hominis, parum visum est, quod satis ad procreationem divinorum omnium fuit? Sed illud utique est, quod illa omnia opera acta fuerant per jussionem Dei, nativitas autem agenda non erat nisi per adventum: quia & concipi ab homine Deus, nisi se donante, & nasci nisi se inlabente non poterat.* Et ibidem: *Ideo descendit Verbum Filius, adest majestas Spiritus sancti, virtus obumbrat Patris, utique ut in sacramento sacræ conceptionis, omnis esset cooperatio Trinitatis. Ideo, inquit, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Bene addidit ideo, ut ostenderet scilicet, ideo hæc secutura, quia fuerant illa præmissa: & quia Deus supervenisset in conceptione, ideo Deus futurus esset in partu.* Non homo ergo metus, sed planè Deus æstimabitur, qui de Spiritu sancto concipitur; concipitur enim homo de homine, Deus de Deo. Deus est cujus adventantis fulmen & majestatem intolerabilem non sustinuisset, nisi superna virtute obumbraretur parens. Deus est qui sanctus non sit, sed nascitur; nec sanctus, sed sanctum; id est sanctitas ipsa, quæ palmaris est Deitatis prærogativa, & à creaturis omnibus sequestratio. Deus est, quem sanctum præcinit Angelus, qui unum Deum ter sanctum infatigabili laude canit. Deus est, cui tota Trinitatis Deitas procreando adlaborat; cùmque verbo uno corporeum orbem & Angelicarum mentium cuneos profudisset innumerabiles, hìc labore & apparatu longè amplissimo Spiritus sanctus supervenit, virtus altissimi obumbrat, fatigatur tota Trinitas, adsunt Angeli, Virgo parit, natura rerum innovatur & obstupescit. Non hac naturæ Deitatisque fatigatione nobilitarentur nudi hominis cunabula.

Serm. 142.

L. 2. de Incarn. c. 2.

II. Itē ex illis, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, L. 8. ad Calcem.

Tum sanè dum concipitur Christus, inhabitat in eo, ut ait Apostolus, *Omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Utque ait Hilarius: *Divinitas corporalis in Christo est, non ex parte, sed tota: neque portio est, sed plenitudo; ita corporaliter manens, ut unum sint; ita unum sunt, ut à Deo non differat Deus; ita indifferens à Deo Deus, ut perfectum Deum substituerit perfecta nativitas.* Si enim plenitudo divinitatis in Christo habitat, habitat utique & Pater, nempè ut Pater in Filio, Deus in Deo. A quo non dissonat Ambrosius;

sius: *Si juxta Apostolum plenitudo omnis corporaliter divinitatis in Christo est, aut unius divinitatis Patrem, & Filium fatebuntur: aut si Patris & Filii divinitatem cupiunt separare, cum omnem plenitudinem divinitatis corporaliter Filius habeat, quid est quod Patri æstimant amplius adscribendum, cum amplius nihil sit plenitudine, & plenitudo perfectio sit? Ergo una divinitas.* Et Isidorus Pelusiota: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, Ego verò id dictum esse arbitror pro essentialiter. Non enim efficacia divinitatis quam parit inexistentia, templum illud impollutum gubernabat, sed essentia ipsa infinitis prædita operationibus; non particulare habens donum gratiæ, sed fons bonorum,* Deus ergo est non homo solitarius, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis. Dei enim afflatum vehementiorem, vel portionem aliquantulam vix portat homo, & fatiscit deficitque; at Dei plenitudinem, & omnem plenitudinem, & essentialiter corporaliterque inhabitantem nec portare nec capere potis est nisi Deus. Non inhabitat tota Deitas nisi seipsam; tota sui totius capax & capabilis una est; una se totam tota implere & impleri sufficit. Si plenitudine plenius aliquid est, major Christo Deus est. Si corporali & essentiali plenitudine potest expressior auctiorque aliqua excogitari, non primas obtinebit Christus. At nihil plenius plenitudine, at nihil expressius corporali plenitudine, at plenitudine Deitatis omni implicatur Deitas Patris, ergo Deus est Christus,

L. 3. de fide c. 6.

L. 4. Ep. 166.

III. Item ex cōspiratione omniū ejus amplitudinem confitentium.

Quocirca tam conspicuæ divinitatis suffragia Christo certatim undequaque circumsonuere, à Deo supernè, ab Angelis, ab hominibus, à diabolis; nec veritas illi tantùm, sed & falsitas; nec pietas sola, sed & impietas suffragata est. Hilarius: *Verè Dei Filium Unigenitum Deum Dominum nostrum Jesum Christum esse ac doceri, multis modis cognitum est: dum de eo testatur Pater, dum de se ipse profitetur, dum Apostoli prædicant, dum religiosi credunt, dum dæmones confitentur, dum Judæi negant, dum gentes in passione cognoscunt.* Et paulò post: *Hic est Filius meus. Quid calumniam Deo Patri professæ de Filio proprietatis afferimus? anne tibi, in eo quod dicitur, Hic est, non hoc significare videtur? Alios quidem cognominatos ab eo in Filios, sed hic Filius meus est. Donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi Filius est. Ne quæras alium, ne non hunc esse credas. Hunc ego tanquam indice digito, ac verbi significatione contingo, quia dico meus est, & hic est Filius est,* En quàm crebra, quàmque urgens præiverit Patris authoritas, & hunc, & suum, & Filium, & dilectum, & audiendum esse Christum, adeoque Deum verum esse commonentis.

L. 6.

IV. Suo sibi ipse testimonio Christus nō defuit.

Nec sibi Christus defuit, cùm toties Deum suum sibi peculiariter Patrem esse testificatus est, nec ab hac usurpanda paternæ divinitatis æqualitate, aut susceptæ humilitatis instituto avocari potuit, aut æstuantissima Judæorum invidia, mortisque & crucis infamia deterreri. Hilarius ibidem: *Humilitatis igitur professio frequens non habet hoc insolentiæ vitium, ut sibi aliena vindicet, & non sua defendat, & propriè Deo coæquanda præsumat, &c. Nec enim misit Deus Filium suum in mundum, &c. Tu credis in Filium Dei, &c. Quid nunc agimus concedentes tantùm Christo nomen adoptionis, per quod & in Patre sibi Deo nuncupando, temerariæ eum arguimus præsumptionis?*

L. 6.

V. Nec Pater,

Qui Christum igitur Deum negat, Filiumque Dei adoptione gratiæ, non proprietate naturæ illum interpretatur, & ipsi temeritatem & Patri fallaciam impingit, & nominum vim naturamque subruit omnem, ut nec Pater pater sit, nec Filius filium sonet, sed ad improprietatem, hoc est ad mendacium & ludificationem omnia veritatis oracula detorqueantur. Hilarius ibidem: *Authoritas de cœlo paterna est, Hic est Filius meus. Professio Filii de se est: Domus Patris mei, & Pater meus: Professio nominis, salus est. Cùm interrogatio fidem postulat, dicens: Tu credis in Filium Dei? Tibi quæro, hæretice, unde alia præsumptio sit? Adimis Patri fidem, Filio professionem, nominibus naturam; vim verbis Dei affers, ne sint, quod enunciant. Impietatis tuæ sola impudentia est, ut mentitum de se Deum arguas.*

Consensere protinùs discipuli, & principis sui lingua Christo assonuere, *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Quibus ex verbis ipsa per se Deitas satis emicat: sed nisi summa Christo Deitas hoc testimonio vindicaretur, eccur ex hac confessione & suam Petro fœlicitatem adgratularetur Christus, & tam ingenti muneraret eam confestim supra alios dignitatis fastigio, & non aliunde quàm à Patre sursum irradiante tantam illi veritatis lucem adsplenduisse pronunciaret? Hilarius ibidem: *Si enim adoptionis hæc nuncupatio est, & non ideò Filius est, quia exierit à Deo, quæro unde beatus Simon Barjona est confessus, Tu es Christus Filius Dei vivi? Anne cum omnibus potestas sit, per sacramentum regenerationis in filios Dei nasci? si secundum hanc nuncupationem Filius Dei Christus est, interrogo quid illud sit, quod Petro non caro neque sanguis revelavit, sed Pater qui in cœlis est? Generalis professio quid habet meriti? aut quæ revelationis est gloria in publica conscientia? Si ex adoptione filius est, unde hæc in Petro beata confessio est, hoc Filio deferente, quod est commune sanctorum? Ultra humanam autem intelligentiam se fides Apostolica protendit.*

VI. Nec Apostoli cum Filium Dei confitētur.

Usque adeò autem pervagata hæc erat persuasio, non adoptivum, sed proprium Dei Filium, ac proinde Deum fore Christum, ut & dæmones crebrò illum celebrarint Filium Dei altissimi: & Judæorum Pontifex interrogaverit ad hunc modum, Tu es Christus Filius Dei benedicti? quo dubium se animi hærere significabat, non an Christus Filius Dei esset futurus, sed eo jam explorato ratoque apud se, an hic quem percunctabatur, is ipse Christus esset, proprius Dei Filius. Et Judæi denique omnes hujus criminis reum egerunt, addixeruntque morti, quòd Christum se Dei Filium esse præ se ferret. Penes ipsos ergo veritatis desertores, etsi dubium erat an hic esset Christus, in confesso tamen erat Christum Dei Filium, Deumque fore, non merum hominem. Quocirca qui Christum negant Deum, ii & dæmones perfidia superant, & Christi interemptores Judæos. Hilarius: *Anne hujus nominis proprietatem dæmones nescierunt? Dignum enim est hæreticos non jam Apostolicis doctrinis, sed dæmonum clamore convinci. Clamant enim, & sæpè clamant: Quid mihi & tibi est Jesu Fili Dei altissimi? Invitis veritas elicuit confessionem: & naturæ potestatem testatur dolor obediendi.* Et ibidem paulò post: *Namque cùm Judæi Christum corporeum nescirent, scirent tamen eum qui Christus esset, esse Filium Dei; cùm falsis adversus eum testibus sine ulla veritatis assertione uterentur, Sacerdos ita eum interrogat, Tu es Christus, Filius Dei benedicti? Sacramentum nescientes, naturam tamen non ignorant, neque interrogant an Christus Filius Dei sit, sed an hic sit Christus Filius Dei. Error in homine est, non in Dei Filio. Et qua tandem, rogo, tu istud fide denegas, quod ne ipsi quidem negant, qui nesciunt?* Denique constans illa Christi professio, qua se non qualemcumque, sed proprium & germanum Dei Filium dictitabat, tam hæreticis displicet, quàm olim Judæis: atque adeò Christum ea de causa perimentibus Judæis consentiunt hæretici, & Dei cæde sin minùs manus, certè conscientias cruentant. Idem ibidem: *Et vide in quod te, negando Filium Dei, judaicæ impietatis consortium miscuisti. Quam enim illi damnationis in eum causam attulerint, testantur dicentes, Et secundum legem debet mori, quo-*

VII. Dæmonum & Judæorū consensione idem cōstat.

L. 6.

ri, quoniam Filium Dei se fecit. Anne non hoc etiam impiæ tuæ vocis opprobrium est, cum se Filium Dei dicat, quem tu asseris creaturam? Ille Dei confitendo se Filium, reus mortis ab his judicatur: te eum Dei Filium negando, quæro quid judices? professio enim ejus ita Judæis, ut tibi displicet.

VIII. Imò & interemptorū ejus militum. Nec cum Judæis tantùm cruentas in Christum manus infert quisquis Deitatis ejus obtrectator est hæreticus, sed ultra eorum qui ipsum cruci affixerunt, nequitiam obdurescit. Nam & qui necem intulerat Christo, miles animadversis quæ tunc contigerunt portentis, exclamavit, *Verè Filius Dei erat iste:* Qui ergo verè Filium Dei, verèque Deum negat Christum, ipso Christi interemptore facinorosior est. Hilarius, (Ad calcem L. 6.) *Loquitur namque conspectis tantæ virtutis operationibus Centurio, Verè Filius Dei erat iste. Hoc post emissum spiritum, discissum templi velum, & mota terra, & scissa saxa, & sepulchra patentia, & mortui resurgentes testantur, & homo gentilis perfidiæ confitetur: virtutis naturam agnoscit in gestis, naturæ veritatem profitetur in nomine. Tanta ratio veritatis & tanta vis fidei est, ut vincat voluntatem veri necessitas: & Christum Dominum gloriæ æternæ, verè Dei Filium esse, nec qui crucifixerat, denegarent.*

IX. Etsi diabolum fallere cuperet, erumpebat tamē Christi Deitas. Et quidem se diabolo occultabat Christus, ne crucis gloriam invideret sibi: & tamen Deum Christum suspicabatur diabolus; adeò erumpebat latibuli sui impatiens Deitas, & nec ipsa se satis premere, immensamque lucis vim cohibere poterat. Cassianus: (L. 13. de Incarn. c. 13.) *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Scilicet ut motus verborum contumelia Dominus, desereret sacramentum, dum ulcisceretur injuriam. Vides ergo Dominum, etiam in cruce positum, Filium Dei appellari: vides eos id quod nominant suspicari. Disce itaque ut superius dixi, vel à persecutoribus ipsis, vel à diabolo Filium Dei credere? Quis unquam æquavit dæmoniacam infidelitatem? Quis supergressus est? Ille eum Filim Dei esse suspicatus est, etiam cum mortem pertulit: tu negas eum cum resurrexit? Ille eum Deum suspicatus est, cui se occuluit: tu negas, cui probavit?*

X. Et ab adversariis testimoniū extorquebat. Conducebat enim plurimum ad fidem Deitatis Christi, & ad salutem nostram ea in fide fundatam, testimonia ut illi accumularentur, etiam ab hostibus, à crucifixoribus, à dæmonibus. Non paulò plus enim momenti est in ea testificatione quàm invicta veritatis potestas ab inimicis extorquet. Irenæus: *Oportebat enim veritatem ab omnibus accipere testimonium, &c. & à domesticis,* (L. 4. c. 14.) *quoniam & amici: & ab extraneis, quoniam & inimici. Illa est enim vera & sine contradictione probatio, quæ etiam ab adversariis ipsis signa testificationis profert, &c. Quoniam verè Deus, & quoniam verè homo, à Patre, à Spiritu, & ab Angelis, ab ipsa conditione, ab hominibus, & ab apostaticis spiritibus, ab erroneis, & ab inimico, & novissimè ab ipsa morte.*

XI. Sed ex Patris maximè testificatione, Deitas Christi approbatur. Sed quia omnium magnificentissima est Dei Patris suffragatio, non tantùm ex divinæ paternæque authoritatis præjudicio, sed etiam quia ejus maximè interesat, ne quis illi aliunde consociaretur Deus; trutinanda sunt paulò diligentiùs hæc ejus non semel ad Christum geminata verba, *Hic est Filius meus dilectus.* Audiendus hìc Ambrosius: (L. 1. de fide c. 4.) *Quid multa? Patrem interrogemus, cujus honori studere se dicunt, si Filius degener judicetur. Sed non est honorificentia boni Patris, Filii injuria. Non potest bono Patri placere, si Filius degenerasse potius à Patre, quàm Patrem æquasse credatur.* Et alibi idem ipse: (L. de fide contra Arian. c. 6.) *Quid est enim filius de eo quod Pater est? Alius idem.* Ui patet quàm intersit ad honorem & voluptatem patris, ut filius non substantia ab eo, non re ulla degeneret.

(Libr. de quinque hæres. c. 7.) Augustinus autem: *Quidem tu Manichæe, quandiu phantasmata somniabis? Evigila & vide, nubila tonant. Quid tonant? Hic est Filius meus dilectus. Vide in terra hominem verum, audi de cœlo Deum verum. Vide in terra hominis filium, audi de cœlo Dei esse Filium. Quod tu somnias, vanitas est: Deus tonat, veritas est.* Et alibi: *Creator summè bonus dedit etiam extremis vilibusque creaturis, ut* (L. 1. contra Maxim. c. 6.) *cum longè aliud sint quàm est ipse, hoc tamen generent quod sunt ipsæ. Nec attenditis quid mali dicatis, ut cùm homines & canes & cætera hujusmodi habeant filios veros, quos illi gignentibus creat veritas, non sit verus Dei Filius ipsa veritas. Aut si sancta Scriptura cogente permittis ut verus Filius sit, rogamus permittere, ut degener non sit. Et degener quomodo? Audiant Catholici, unde erubescant hæretici. Filius viri fortis, si non habeat fortitudinem, degener dicitur: tamen homo est, quod & pater ejus est; atque in dissimili vita, non est tamen aliena substantia. Vos Unigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, ut ipsam ei Patris substantiam denegetis. Cujus naturæ tanta subtrahitis, miror verum Dei Filium qua fronte dicatis; nisi quia infelicissimo errore non vos putatis, ad unius Patris gloriam, nisi per unici Filii contumeliam pervenire.* Plura congererem, nisi tempestivior alibi locus foret quæstionis hujus pertractandæ. Ex his quæ pauca ex multis libavimus.

Abundè liquet, quàm præposterè per Filii contumeliam Patris honori litare se fingant hæretici, cùm non possit vel Patris honor non redundare in Filium, vel Filii contumelia non resilire in Patrem. Non honoris sed doloris paterni cumulus hic est, si degenerem filium sortiatur. (XII. Quanti interfit ad Patris dignitatem, ut non degeneret Filius.) Superari se pater à filio non illibenter audit; æquari saltem se gratulatur; pigrescere autem illum & desciscere ægrè fert. Et ita afficiuntur homines. Quid ergo Deus? an degenerem Filium honori suo vertet? an degenerem Filii nomine honestabit? an Filium gignet, qui degenerare vel possit? Est planè è dignitate tanti parentis, ut non degenerem gignat; ut degenerare non possit, quem genuerit. Gignentis enim impotentiam prodet geniti imbecillitas. Etenim ubi degenerant à parentibus filii penes homines, tum cùm gignuntur, parentum vitio: sed suo postea, ubi adoleverint, degenerant. At si Filius Dei à Patre decolor sit, dehonestamentum istiusmodi debet genitori; qualis enim prodiit, talis perstitit. Deinde si ita cùm natura divina comparatum esset, ut à Patre Filius deficeret; is quoque modus foret rerum conditarum, ut à melioribus deteriora semper fruticescerent; ne nobiliùs creata, quàm increata soboles efflorescerent; & generosiùs potentiùsque procrearet creatura, quàm creator? Adde quòd etsi mortalis aliqua proles à parentibus degenerare possit, moribus tamen & qualitatibus adventitiis quibusdam duntaxat, non tota substantia degenerat unquam, nisi si quid monstrosum eiiciatur potiùs quàm gignatur. Quàm immane ergo insaniæ hæreticæ portentum istud, si non moribus, non adjectitiis ornamentis degenerem, sed substantia ipsa paterna orbatum extraneumque dicat Dei Filium? Si autem substantia congener Filius Deo Patri est, nulla parte degener est, quia in Deo substantia totum est.

Præterea si Paternæ prærogativæ consulendum eo modo fuisset, nec par ei suus fuisset Filius (XIII. Filium Dei audientes, non potuere homines augurari nisi congenerem.) æstimandus, parum consultò toties Pater & tanto apparatu ac impendio Filium suum Christum promulgasset. Quid enim inde augurari potuerunt homines, nusquam experti filios nisi parentibus consubstantiales, nec Patres nisi votis omnibus Filiorum gloriæ sibi exæquandæ studentes, quid inquam inde augurari potuerunt homines, nisi Patri congenerem & coæqualem esse Filium, quem verè Filium & suum & dilectum tam splendidè, tam frequenter Pater Deus ostentaret? Illaqueasset ergo homines Deus hoc erro-

errore, suamque ipse gloriæ præcellentiam obscurasset, qui quem naturæ imparis scisset esse, suum prædicasset Filium.

XIV. Veritas, sive Pater, sive Filius, nonnisi verè est.

Postremò verè Filius non est, si naturæ alterius est; an ergo veritas verè non est, id quod dicitur? An nec veritas verè gignitur, ubi gignitur? An nec Pater veritatis verus Pater est, qui nec verè filium, quia nec congenerem gignit? An Pater veritatis verax & veracissimus non est, cùm filium suum veritatem esse pronunciat? An ubi veritas Pater, veritatem Filium gignit, in illud veritatis adytum sacrosanctum irrepit mendacii falsitas, & pestilentia sua contaminat omnia, ut nec veritas verè gignat, nec veritas verè gignatur, nec verè Pater hic, nec verè Filius ille sit? Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax.

CAPUT II.

Divinitas Christi rursum ex ipsius de se oraculis.

I. Quo temperamento Christus Deitatem suam cogeretur premendo edere, edendo premere.

NOn potuit sibi deesse veritas, quæ nulli deest; & cujus testimonio utuntur omnia, non potuit non ipsa suo frui. Ex ipsius ergo maximè Christi verbis elucidanda est ejus Deitatis fides; cùmque multa essent, quæ eum ad silentii latebrarumque necessitatem coarctare viderentur, erupisse tamen subinde latentis majestatis radios vocesque, patefaciendum hic est.

Et primò quidem Judæorum infirmitati serviendum erat nonnihil, & multorum apud eos inolito jam olim præjudicio, non fore Christum nisi hominem, reliquis longè præcellentiorem, sed tamen hominem. Eo in errore versantibus si tota se continuò Deitatis lux aperuisset, præstrinxisset caligantes oculos, animosque exasperasset magis, quàm ad credendum inclinasset. Lacte ergo carnis hæc eorum infantia fovenda fuit interim, dum ad cibum Deitatis convalesceret; & proficientibus innuenda magis fuit quàm explicanda divinitas; aut potius ut & parvulorum imbecillitati consultum esset, & adultorum utilitati, eo verborum involucro plerumque complicanda fuit Deitas, ut & rudiores falleret, & non falleret perspicaciores; atque ita & hos fidei conciliaret, nec illos abalienaret. Petrus venerabilis Epistola ad Petrum de sancto Joanne, qua eos confutat, qui ajebant Christum nunquam Deitatem suis sibi verbis tribuisse: *Hoc plane, hoc tam Judæis, quàm cunctis superbis commune fuit: hoc ad credendam susceptæ à Deo carnis dispensationem obstitit, quia nec humiliari usque ad humana in se suscipienda, aliquando Deum posse, suspicati sunt. Imo hoc vel fateri, vel sentire, ut nefas maximum refugerunt. Senserunt Christum à prophetis prædictum, non quidem Deum, sed regem magnum, aliis Judaicæ gentis regibus multo majorem, &c. Hunc eorum intellectum sapientia Dei jam carne induta non nesciens, condescendit mentibus infirmis; & sicut lacte carnis susceptæ ante solidum Deitatis cibum eos lactare voluit, sic paulatim, non subito nec velut ex inspirato, eis latentis in homine veræ suæ Deitatis notitiam infudit.* Rursum Petrus ibidem: *Et quia Sol erat & vera illa lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, noluit luminis immensi fulgore, ægros mortalium oculos subitus apparens obtundere, sed nube carnis opposita, sobrietate verborum prætenta, ad speculandam & suo tempore pervidendam, hactenus ignoratam mortalibus Deitatis lucem, spiritualem eorum intuitum confovere. Ea de causa non ut primo tempore fecerat, se statim ut prædicare cœpit, solemni illo more Deum vocabat; sed ægris medicus pro tempore se conformans, ac velut inductionibus vel insinuationibus utens, à minoribus ad majora eos gradatim erudiens promovebat.* Ibidem rursus: *Formabat ita verba ut in quantum non solum veracem, sed & ipsam veritatem decebat, & scandala infidelium temperaret, & fidelibus atque intelligere valentibus, non minus quam tempore legis Mosaicæ se Deum clamaret.*

II. Usque adeo Deu se prædicabat Christus, ut quidam ipsum Patrē Deum esse, & hominē vere nō esse perperam quidem, sed ex ejus verbis conjecerint.

Secundò, cùm Deitatis radios ita premeret Christus, & injuriosus sibi quodammodo esset ipse, exilierunt illi tamen repaguli insolentes, tam crebri, splendidique, ut humanitatis fidem apud nonnullos everterint; Patrem Deum, Deitatisque fontem primarium ipsum esse aliis persuaserint. Licet ergo errorem errore dedoceri, & à mendacio patrocinium exprimere veritatis. Licet hostes fidei propugnandæ fidei socios & commilitones adhibere. Usque adeo enim scripturæ verba, quæ suo Christus ore maximè dictavit, apertissimè & enucleatissimè divinitatem ejus contestantur, ut hinc nonnulli Deum Patrem illum esse, alii Deum tantùm & non hominem esse autumaverint. Quis ergo sobrius non hinc coniiciat, non obscurè sed satis dilucidè, non parcè sed penè intemperantiùs prædicari Christi Deitatem, quando hinc in periculum incauti coniiciuntur, & de nimia, quod mirum est, hallucinantur fide Deitatis? Novitianus: *Hoc in loco licebit mihi argumenta etiam ex aliorum hæreticorum parte conquirere. Firmum est genus probationis quod etiam ab adversario sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur. Nam usque adeo hunc manifestum est in scripturis Deum tradi; ut plerique hæreticorum divinitatis ipsius magnitudine & veritate commoti, ultra modum extendentes honores ejus, ausi sint non Filium, sed ipsum Deum Patrem promere, vel putare. Quod etsi contra scripturarum veritatem est, tamen divinitatis Christi argumentum grande atque præcipuum est, &c. Æstiment an hic sit Deus, cujus authoritas tantum movit quosdam, ut putarent illum jam ipsum Patrem Deum: effrænatius & effusius in Christo divinitatem confiteri, ad hoc illos manifesta Christi cogente divinitate. Alii quoque hæretici usque adeo Christi manifestam amplexati sunt divinitatem, ut dixerint illum fuisse sine carne, & totum illi susceptum detraxerint hominem, ne decoquerent in illo divini nominis potestatem, si humanam illi sociassent ut arbitrabantur nativitatem: quod tamen nos non probamus, sed argumentum afferimus usque adeo Christum esse Deum, ut quidam illum subtracto homine tantummodo putarint Deum.* L. de Trin. Non dissimile est illud Hilarii, cùm adversa fronte collidentes sese de Christo Deo & Homine hæreses committit, ut aliæ alias vincerent, vicissimque vincerentur, adeoque non sibi, sed catholicæ fidei, quæ adversatur illis omnibus, & vincerent, & vincerentur: L. 7. de Trinit. *Vincant ut volunt, quia, se invicem vincendo, vincuntur, &c. Itaque dum unusquisque defendit aut damnat, veritatem fidei nostræ hæc ipsa prout sunt, religiose & defendentes & damnantes ostendunt.* Et Augustinus tract. 71. in Joan. *Errando in diversa itis, in medio est via, quam reliquistis. Huc venite, alteri ad alteros transire nolite: sed hinc atque illinc ad nos veniendo, invicem vos invenite. Audi Sabelliane; usque adeo non ipse Pater, sed alter est Filius, ut eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi Ariane: usque adeo Filius æqualis est Patri, ut Sabellianus eundem esse dicat & Patrem. Tu adde, quem tollis: Tu adimple, quem minuis: & nobiscum ambo consistitis.* Seu se premat ergo Verbi Deitas in carne, ut degeneri calumniatur Arius: seu se prodat, tanquam ipsi Patri adulatur Sabellius: alternis ergo se deprimat & extollat, ut dum se deprimit, Sabellio: dum se extollit, Ario os obturet.

III. Joannis Evangelium ut Christi sermonibus, ita testimoniis ejus Deitatis refertissimum.

Tertiò, ut liquidius fiat, quàm explicatè, quàmque frequenter Christus, seposito simulandi latitandique studio, Deitatem suam nudaverit, Joannis Evangelium ob oculos ponatur tantillum; illudque constabit, ut longè crebrioribus prolixioribusque Christi sermonibus contextum est, ita evidentioribus densissimisque Deitatis scatere testimo-

stimo-

stimoniis. Nam eo demum consilio extremus post alios Evangelium conscripsit Joannes, ut addictiores carni, infensos autem Deitati Christi revocaret hæreticos. Non potuit autem Christi Deitatem validioribus communire documentis, quàm ipsius de se Christi sermonibus. Epiphanius: *Beatus Joannes post alios veniens, cùm homines in infimâ Christi natura totos occupari cerneret, atque Ebionæos ob corpoream Christi genealogiam, &c. In errorem abductos videret, &c. Ita quodammodo est alloquutus: Quò tenditis, quòve iter habetis? Non ita ut putatis, sese res habet. Neque ex sola Maria Dei Verbum editum est; quod ab æterno Pater genuit, &c. Sed in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Hinc nobis insidiabatur Julianus Apostata, quasi cùm cæteri Apostoli merum hominem Christum prædicassent, superveniens Joannes Deitatem illi solus impegerit. Refellit hanc ineptissimam calumniam Cyrillus, & ex omnibus Apostolorum monumentis astruit Deitatem Christi, quanquam expressissima Joannes ex ipsius Christi de se verbis contexuerit argumenta.

Hæresi 69. n. 23.

L. 10. advers. Julian.

IV. Cùm humilitatis magister esset Christus, ejus de seipso verba amplificanda potius sunt, quàm extenuanda interpretãdo.

Quartò. Permagni quoque pendendum est, id quod Christus susceperat humilitatis & magisterium defungendum, & exemplum sanciendum. Hinc enim imminebat necessitas, exterendi potiùs suas laudes, quàm ornandi: tenuitatemque suam amplificandi, non dissimulandi. Itaque magnitudinem suam quantumlibuit, potuit obumbrare; id enim modestiæ est specimen, humilitatisque magistro consonat imprimis. At majestatis qua carere, vel umbram sibi, vel verbo tenus arrogasse, vel hujus arrogantiæ suspicionem excitasse, id verò totius in carne dispensationis consilium fructumque omnem pessumdedisset. Quocirca quæ ille tenuiter de se proloquutus est, ea quidem molliùs interpretari fas est, & humilitatis proposito imputare; at quæ magnificè & ex erumpentis generositatis ingenio de seipso quandoque protulit, non ea extenuare licet, nisi, quod nefas, subarroganter dicta suspicanti; sed provehenda ulteriùs, & interpretando amplificanda, ut quæ cohibenti se sibique contumeliosæ exciderint modestiæ, nec veritatis nisi partem aliquam extulerint. Chrysostomus: *Nam is quidem qui magnus est, exiguum quiddam poterit de se dicere: nec ullum id crimen erit, siquidem istud est modestiæ. Si quis autem qui parvus sit, magnum de se quippiam dicat, criminationem non effugiet; est enim illud arrogantiæ. Quapropter sublimem quidem omnes laudamus, cùm humilia de se dixerit: humilem autem nemo laudabit, siquid forte magnum de se dixerit. Itaque si multo inferior Patre Filius esset, ut vos dicitis, non oportuisset eum verba proloqui, quibus ipsum genitori suo æqualem esse constaret; id enim arrogantiæ fuisset. Quod autem is qui genitori suo sit æqualis, humilia quædam & abjecta dicat, nulli est obnoxium reprehensioni, vel crimini, cum laude potiùs & maxima istud admiratione sit dignum.* Complures ea homilia Chrysostomus constipat rationes affectatæ à Christo, cùm de seipso verba faceret, humilitatis; videlicet, ne venditatione nimia Deitatis, fidem humanitatis elevaret, ad quam tamen primùm adhærescere homines necessum erat, & hinc ad Deitatem traiici. Item ut audientium hebetudini indulgeret nonnihil, Deitatem suis ex moribus metientium, nec tantam ei adlubescere potuisse carnis crucisque ignobilitatem ex seipsis æstimantium. Item ne ex ostentatione suæ cum Patre æqualitatis & unitatis nimium exaggerata, hypostaseon discretio minueretur. Sed hoc præ cæteris commendat sanciendæ humilitatis magisterium, à quo alienissimum fuisset, ut merus homo tanta verborum delectaretur magnificentia, ut Deus hinc Deoque Patri æqualis ab hominum vulgo credi posset. Quamobrem nihil usquam gloriosius de seipso effatus

Hom. 32. Tom. I.

est Christus, quin temperamentum humilitatis continuò adhibuerit, seu paternam supra se authoritatem, seu carnis assumptæ infirmitatem memorando. Sed cùm rursus & veritati, & nostræ fidei, & Patris gloriæ prospiciendum esset, conticescente quandoque humilitate in nativum suum decus se vindicabat. Idem Chrysostomus multis locis, & alii.

Hom. 38. in Joan. Ibid. Hom. 64 Isidorus Pelus. l. 4. Ep. 166. Cyrill. L. 5. in Evang. Joan. pag. 529. Et L. 9. p. 804.

V. Ut Judæos indignãtes, quod adæquaret se Deo, non abduxerit ab ea suspicione Christus.

Excutienda hìc occurrit illa Judæorum indignatio in eum concitata, ut ait Joannes, *Quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Unde Augustinus: *Hinc ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, non quomodocumque, sed quid? Æqualem se faciens Deo. Nam omnes dicimus Deo, Pater noster qui es in Cœlis. Legimus & Judæos dixisse, Cùm tu sis Pater noster. Ergo non hinc irascebantur, quia Patrem suum dicebat Deum, sed quòd longè alio modo quàm homines. Ecce intelligunt Judæi, quod non intelligunt Ariani. Ariani quippè inæqualem Patri Filium dicunt, & inde hæresis pulsat. Ecce ipsi cæci, ipsi interfectores Christi, intellexerunt tamen verba Christi. Non eum intellexerunt esse Christum, nec eum intellexerunt Filium Dei: sed tamen intellexerunt in illis verbis, quia talis commendaretur Filius Dei, qui æqualis esset Deo.* Cui geminus est & ille alius locus & Joannis & Augustini interpretis: *Sustulerunt lapides Judæi, &c. De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. Ad illud hoc responderunt, quod dixerat, Ego & Pater unum sumus. Ecce Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici, Ego & Pater unum sumus, nisi ubi æqualitas est Patris & Filii.*

In Evang. Joan. tract. 17.

Ibid. Tract. 18. Adde Ambros. L. de fide c. 4.

Accedit præterea momenti plurimum ex eo, quòd cùm hanc Judæorum offensionem posset Christus demulcere unius verbuli lenimento, & apertiùs profiteri nihil se eo consilio dixisse, divinam ut sibi usurparet æqualitatem; pergit ex adverso gloriosiùs de se loqui, ut notat Ambrosius: *Quibus apertissimè respondit Dei Filius, ut & Dei se filium & æqualem probaret. Quæcumque inquit Pater fecerit, eadem & Filius facit similiter. Filius igitur Patri & dicitur & probatur æqualis.* Quibus Christi verbis firmatur Judæorum opinio; nam Patri Deo utique par est Filius, qui eadem cum ipso & similiter operatur. Ubi enim una operatio unaque potestas, una ibi quoque substantia est. Unde Ambrosius ibidem: *Quomodo si minor est, eadem facit, quæ Pater facit? Nam quemadmodum eadem operatio diversæ esset potestatis? Numquid sic potest minor, quemadmodum major operari, aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?*

Ibidem.

Pulchrè quoque advertit Chrysostomus, alias quidem criminationes sibi impactas studiosè diluisse Christum, at quasi affectatæ cum Deo æqualitatis suspicionem dictis factisque vehementiùs confirmare, nedum exscindere conatum esse. *Nunc autem quod legem non solvat, tot rationibus excusat; opinionem autem æqualitatis ad Patrem non modo non tollit, sed confirmat; & dicentibus illis, Blasphemas quia te Deum facis, ex operibus æqualitatem demonstravit.*

In Joan. hom. 61.

VII. Expenduntur illa Christi verba. Ego & Pater unum sumus.

Sed hæc Christi paucula verba: *Ego & Pater unum sumus*, quàm omne occludunt effugium? quàm omnem prævertunt tergiversationem? si merus homo, si creata natura, si dispar & degener Filius, hæc usurparet verba, quis non jure succenseret? quis non arrogantiæ insolentiam maledictis insectaretur? Cùm ergo hæc proferat Veritas, & magister humilitatis, & in diebus carnis inanitionisque suæ, & alioqui fastigium suum aut dissimulare aut obruere magis quàm venditare solitus, nihil hinc decerpere, nihil fas est deterere. Augustinus: *Puto autem quòd & vos quandocumque hoc audiatis,*

L. 3. cont. Maximin. c. 22. *diatis, horrescitis, nec fertis quenquam hominem, quantolibet munere sanctitatis excellat, dicentem, Ego & Deus unum sumus. Sed fortè arrogantiæ videatur si hoc de ipso aliquis dicat. Itane verò quisquam vestrum etsi non audet dicere, Ego & Deus unum sumus; saltem audet dicere, Paulus & Deus unum sunt? Sicut incunctanter dicimus, Paulus & Apollo unum sunt; Deus Pater & Deus Filius unum* Tract. 36. in Joann. *sunt*. Et alibi: *Quid vis ire in alteram partem, ut dicas, aliud est Pater, Filius aliud? Alius est, rectè dicis: aliud, non rectè. Audi ipsum Filium, Ego & Pater unum sumus. Non dixit, Pater ego sum: aut, Ego & Pater unum est. Sed cùm dicit, Ego & Pater unum sumus; utrumque audi, & unum, & sumus. In duobus istis verbis, quod dixit, unum, liberat te ab Ario: quod dixit, sumus, liberat te à Sabellio. Si unum, non ergo diversum: si sumus, ergo & Pater & Filius. Sumus enim non diceret de uno: sed & unum non diceret de diversis.* Supersedeo pluribus, ne vim testimonii ultro eminentem infregisse magis videar.

CAPUT III.

Divinitas Christi rursum ex muneribus quæ obeunda susceperat.

I. Non potuit Servator, nisi Deus esse; Quia formari & reformare ejusdem est. PRimò quidem Servatoris nomen partesque sustinuit: at Servatoris decus uni Deo optimo maximo adsignandum est. Tantundem enim debetur servatori atque creatori. Tantundem & beneficentiæ & omnipotentiæ ad refingendum, quod collapsum erat, atque ad primò fingendum, desideratur. Tantundem & plusculum fortassis gloriæ ex reformatione opificii cujuspiam demetitur, atque ex formatione. Ergo qui unus Creator est hominum Deus, unus quoque servator esse potuit; nec creaturæ ulli citra Creatoris injuriam tantum potuit vel largitatis, vel potestatis vindicari, vel gloriæ. Irenæus Lib. 4. c. 59. *Qua ratione salutem adipisci queant, si Deus is non sit, qui salutem ipsis in terra operatus est? Aut quo pacto in Deum homo migrare queat, si Deus in hominem haudquaquam immigravit?* Anceps fluxaque planè fuisset salus, quam nudus homo peperisset, nec nos ei committere satis fuisset tutum. Unde enim tantum homini vel potestatis affluxerit, vel bonitatis, meritò ambigi potest.

II. Quia vitam immortalem reddere sola immortalitas potuit. Cùmque salus hominum id flagitaret, ut corruptio in incorruptibilitatem adscisceretur: mortale imbueretur immortalitate: imago resculperetur, quæ obducta fuerat: Deique unius & veri cognitio quæ contenebrata erat per peccatum, iterum illuminaretur: hæc præstare munia non poterat nisi Deus Verbum, qui cùm Ratio & Verbum Patris sit, ipsum enarravit: cùm imago primigenia sit, imaginem restauravit: vita ipsissima cùm sit, profligavit mortalitatem, & incorruptibilem inseruit L. de Incarn. Verbi. vigorem. Athanasius: *Jam ante exposuimus non fuisse ullius alterius officium, corruptibile in incorruptibile transmutare, nisi ipsius servatoris, qui in principio ex non entibus omnia condiderat: neque fuisse ullius alterius opus exemplar imaginis divinæ hominibus restituere, nisi ejus qui erat imago Patris neque alterius mortale immortale efficere, nisi ejus qui ex se ipsissima vita est, hoc est Domini nostri Jesu Christi: neque ad alium quempiam pertinuisse de Patre docere, & idololatriam purgare, nisi rationis Verbique.* Suam Verbo palmam præripuerit, si quis præter ipsum alius has partes adgrediatur sustinendas; hæc enim peculiaria ejus sunt jura, & Deitatem ejus contestantur. Præstare quippè immortalitatem, & incorruptionem, & imaginem ac visionem Dei, Deo uni jus fasque est.

Cùm salus nostra rursum recolligere nos Deo, eique coaptare deberet; nullius creaturæ tanta erat vis ac majestas, hæc ut aliis omnibus præstare posset. Nam naturæ divinæ copiam facere, Dei solius est: simultates ob peccatum excitas, iramque & vindictam divinam avertere & condonare, nonnisi Dei solius est: sententiam mortis olim prolatam abrogare, nullius nisi ejus est, qui protulerat. At creata quælibet natura coaptari Deo potest, non coaptare; copiam Deitatis nancisci potest, non facere; mortis sententiam incurrere potest, vel ut plurimum deprecari, non rescindere. III. Quia naturæ divinæ copiam facere, Dei solius erat.

Athanasius: *Si enim ille cùm jam creatura esset, homo fuisset redditus, mansisset homo, ita ut erat, nihil coaptatus, nec coalescens cum Deo. Qui enim si creatura ille fuisset, per creaturam Creatori coaptari & conseri potuisset? aut quod subsidium à similibus ad similia pervenisset, quum & illa æquè subsidii egestate laborassent? Quomodo porro si creatura fuisset Verbum, sententiam Dei abrogare potuisset, aut dimittere peccatum? Quum sit scriptum apud Prophetas id Dei esse opus. Quis enim Deus sicut tu, auferens peccata & delens iniquitates? &c. Quoniam igitur locutus erat in Verbo, Terra es & in terram ibis, probè & congruenter per illud idem Verbum & libertas & rescissio condemnationis perfecta est.* Quanta enim cum contumelia divinæ amplitudinis, quæ ille sanxisset, irritaret alius, aspersas Creatori injurias condonaret creatura, Deitatis hostes infestissimos in sinum, quodammodo Dei, in intimumque familiaritatis vinculum contuberniumque præter Deum quilibet accerseret. Nec Athanasium Cyrillus hìc a se, aut se ab eo divelli passus est. *Si Verbum Dei est creatura, quomodo Deo conglutinati & Dii effecti sumus, uniti ipsi? Si autem creatura est & non Deus, quomodo unitur Deo? aut quis modus & ratio ipsum illi uniet? Quæ enim dissimilia sunt secundum essentiam, non utique naturaliter invicem unientur. Aut quomodo si creatura est, per ipsum salvati sumus, quum Scriptura dicat, Non legatus, non Angelus, sed ipse salvavit eos? Quomodo autem credentes in eum justificamur, si est creatura? Quomodo autem illud, Terra es, & in terram reverteris, per illum solvitur? Neque enim est opus, quod creaturæ conveniat, sententiam à Deo datam subvertere. Quomodo etiam si creatura est, peccatum delere potest, quum Propheta de ipso dicat, Quis Deus sicut tu, tollens iniquitates, &c.* Orat. 3. in Arian. Thesauri pag. 158.

Sed & gentem hominum universam ab interitu eripere nullus valebat singularis & unus homo; nec qui olim sanctitate effulserant justi, vel tentaverant rem istiusmodi. Nec dæmonum, à quibus infestabamur, catervas debellare omnes quisquam aggressus esset Angelorum. Deo ergo opus erat, qui hoc muneris obiret. Jobius apud Photium: *Quare non per hominem sit facta salvatio? Respondet tentatam quidem hominum salutem per homines non semel, per Moysen nimirum & Prophetas, sed nunquam vel unam aliquam gentem totam Judæorum puta ab illo communi morbo convaluisse: quomodo igitur humanum genus universum morbo correptum sanasent, aut fortem ligasent, atque ejus arma abstulisent? Neque rursus Angeli ullius erat, si illi commisa fuiset incarnatio, principatus & potestates in triumphum ducere, ac palam traducere. Quomodo item jubente conservo dæmonia eorumque princeps in tenebras mitterentur; quandoquidem Michael Archangelus pro solo Moysis & quidem justi corpore cum diabolo disputans, per se non est ausus judicium ei inferre blasphemiæ?* IV. Quia universum genus hominum ab interitu & dæmonum potestate solus Deus eripere poterat.

Salus quælibet alia esto ut creaturæ feratur accepta: sed à peccatis salvare, divinæ tantùm opis est; pœnas remittere, culpas donare, conferre gratiam, leges in ultionem armatas exarmare, reos non impunitate tantùm, sed bonis omnibus afficere, & principis amicitiæ statim inserere, quis adeo cæcutit, ut hæc non videat ab homuncione V. Peccata donare & amicitiæ Dei nos reddere Deus unus poterat.

nullo

nullo proficisci posse, sed à summo Imperatore Deo. Cassianus: *Ne solum utique in Christo hominem intelligeres, & Domini tibi & Salvatoris nomen adjecit: scilicet ut quem Salvatorem esse cognosceres, Deum nequaquam esse dubitares; & cùm salvandi virtus nonnisi divinæ competeret potestati, divinæ eum esse potentiæ non ambigeres, in quo potentiam salvandi esse didicisses.* Et infrà: *Cæteri non suum populum, sed Dei: & non à peccatis, sed ab hostibus salvaverunt.* Et Chrysologus: *Ipse enim salvum faciet populum suum: non alterius salvum faciet. Unde? à peccatis eorum. Esse Deum qui peccata donat si Christianis non credis, crede vel Judæis dicentibus: Cum sis homo, facis teipsum Deum, quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?* Est enim anticipatum naturaliter hominibus, & ipso humanarum legum usu firmatum, non posse nisi imperatoria potestate & summa relaxari culpas pœnasque donari legibus constitutas.

L. 1. c. 2.

L. 4. c. 11.

Serm. 143.

VI.
Dei solius est libertatem donare, vel reddere.

Sed cùm servatoris provincia sit, liberos ex captivitate, filiosque è servis efficere, quæ tandem creata natura id sibi sumet, ut libertatem divinamque filiationem suo arbitratu largiatur? Qui servat, liberat: qui salvus, liber idem est. Libertas delibatio quædam est summi principatus, imperiumque divini imperii quodammodo æmulum. Quis ergo præter summum Imperatorem Deum libertate quemquam donare ausit, quis possit? Quis æmulas Deo & quodammodo pares excitare potestates? 2. Liberatori saltem suo servire quemque necesse est: at libertas servitutem cujusquam præterquam Dei detrectat: ergo Deo soli liberatoris nomen quadrat. Deo servire, regnare est; Dei servitus libera est; quia libertas creata, etsi libertas, eoque jugi insolens, creata tamen est, & Creatoris dominio mancipata; sed liberaliter illi servit, cujus manu concreta, cujus arte temperata, cujus ingenio contemperata est. Alieni porrò dominii nescia, liberatorem quemquam præter Deum refutat, quia & liberatori perinde ac Creatori serviendum est. 3. Sed liberos, id est, filios Dei, quis tandem nisi Deus præstabit esse? An enim filios Dei pariet nisi Deus? an Deitatem sparget & disseminabit in sobolis numerositatem nisi Deus? Cyrillus Dialogo quòd unus sit Christus: *Neque enim fieri poterat, ut alia ratione servitus cum honore commutaretur, nisi id quod servituti convenit, proprium ipsius (Dei Verbi) factum fuisset, ut & ipsius gloria illustraretur. Vincit enim semper id quod præstantius est; & turpitudo ex servitute orta in nobis abolita est. Factus enim nostri similis qui nobis superior est, & servilem conditionem subiit, qui natura est liber. Idcircò etiam in nos dignitas propagata est. Vocati enim sumus & nos filii Dei; & patrem nobis vindicavimus, qui peculiariter ipsius est.* Creaturæ nota, servitus est: Creatoris propria laus, libertas & dominatio. Ut liberum conderet hominem, imaginem illi impressit suam. Hæc cùm attrita & obsolefacta esset per peccatum, cùmque altiùs infigenda esset, ne rursum dilaberetur, ipsum semet imprimere naturæ nostræ constituit Deus Verbum, ut totius libertatis divinæque filiationis formam principem & inviolabilem. Libertas enim & filiatio quædam est creaturæ supra creaturam evectio, & in fines Deitatis velut excursio. Quocirca obtingere sine vero Deitatis illapsu nulli potuit. Unde Christus: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Nec enim liberi essemus, nisi genitiva libertas seu Verbi filiatio nostræ se implicuisset naturæ. At ubi se nobis increata libertas conseruit, quis servitutem ausit impingere naturæ Verbi propriæ? quis de libertate litem movere Verbo naturæque Verbi?

VII.
Nostras ægritudines gestando sanare, Dei erat unius.
Orat. 4. advers. Arian.

Nec verò nostras sanaret Christus ægritudines, nisi idem Deus eas gestaret, gestandoque exueret. Athanasius: *Nisi quæ propria sunt carnis, Verbi dicerentur, nunquam ad plenum homo ab illis liberatus esset. Nam tametsi paulisper quasi datis feriis interquievissent, peccatum tamen & corruptio æquè ita in homine remansisset, quemadmodum in primis hominibus vim suam & tenorem retinuit. Permulti fuere viri sancti, puri omnis criminis. Manserunt homines nihilo minus mortales & corruptibiles capacesque affectionum naturæ. Nunc autem postquam Verbum homo factum est, sibique ut propria vendicavit ea, quæ sunt carnis, non ulterius illa corpus humanum, eo quod ibi Verbum Dei consistat, attingunt; sed ab eo absumuntur: nec jam inde homines secundùm suas passiones, peccatores & mortui permanent; sed secundùm Verbi potentiam resurgentes, immortales & incorruptibiles perseverant.* Et rursùs idem: *Corpus vicissim Filium Dei impatibilem retinebat, absumentem corporeas infirmitates. Ideò autem istud agebat, ut nostra suscipiens offerensque in sacrificium, victimando absumeret, ac deinde suis nos circumvestiens, id efficeret, quod ab Apostolo dictum est, Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem.* Ægritudines itaque nostras hac arte curari necesse fuit, ut non extrinsecùs allinerentur eis medicamenta, radice intus mali serpente, eò exitialiùs, quò occultiùs: sed ut ipsa Deitatis incorruptibilitas substantiva inspiraretur, & insideret naturæ nostræ penetralibus, & exustis radicum fibris omnibus, morbi luem exigeret, vitamque & sanitatem in omne genus nostrum irrigaret. Quam necessariò enim lux propulsat tenebras, tam invictissimè vita & impatibilitas Verbi humanitati nostræ infusa perturbationes morbosque nostros omnes profligavit.

Epist. ad Epictet.

VIII.
Deitatem aspergere humano generi solus Deus poterat. Id porrò est servare.

Respergendæ in homines Deitatis munus, cui demandari par erat, nisi Deo inter homines versanti? Quin imò aspergi inserique Deitas humanitati omni qui poterat, nisi se tota uni alicui, per eumque aliis infunderet hominibus? Quæ autem salutis affulsisset spes unquam, nisi ex Deitatis consortio? Hinc enim tota malorum contagio profecta erat, quòd à Dei contubernio complexuque excideramus. Quippè rationali naturæ salus non alia, non aliunde, quàm à Deo & Deus est. Et lumen illi, & vita, & cibus, & voluptas, & maritus, deliciarumque instar omnium Deus est; hinc exturbata ut omni orbatur bono, ita nullo non conflictatur malo. Tanti est hæc natura, cui formari à Deo bonum est, ut non deificari summa malorum ipsi sit. Deificari autem semel à Deo exulans non facilè poterat, nisi illi se Deitas altissimè & radicitùs insinuaret. Ubi autem physicè insinuatur Deitas humanæ substantiæ, tota pariter infunditur sanctitas, veritas, justitia, immortalitas, & salus omnimoda. Physicè enim consertam Deitati naturam quod deinceps vitium commaculare, quis incessere morbus, quæ pœna, aut damnatio infestare queat? Nazianzenus: *Homo itaque dicitur Verbum, ut per se hominem sanctitate afficiat, fermentique instar universæ massæ sit; sibique uniens quod condemnatum fuerat, totum illud à condemnatione liberet.* Et Athanasius: *Deificationem in se non sensisset homo creaturæ coaptatus, nisi Filius verus Deus extitisset: neque astitisset Patri homo, nisi naturaliter verum Patris Verbum fuisset, quod carnem induerat. Et quemadmodum neque à peccato, neque à maledictione vindicati fuissemus, nisi verè ea naturaliterque humana caro fuisset, quam Verbum sibi induerat; nihil enim nobis commune cum re aliena: ita quoque non deificatus fuisset homo, nisi naturaliter ex Patre verum & proprium Verbum fuisset quod caro factum est. Ideo enim ea coaptatio instituta est, ut Deitas vera, & ut ita dicam naturalis, verum & naturalem hominem sibi consereret, & stabilis efficeretur hominis salus ac deificatio.* Advertis quàm sedulò etiam atque etiam instet, ut physicam & naturalem constituat in Christo & Deitatem & humanitatem & utriusque consertionem: quòd alioqui naturæ humanæ salus & deificatio perfunctoria, & adumbrata magis

Orat. 36.

Orat. 3.

quàm

quàm certa tutaque esset futura. Nec enim constaret nobis salus & malorum omnium eliminatio, nisi vita & sanctitate incorruptibili ipsiusmet Deitatis, non affricta tantùm extimitus, sed medullitus infusa illigataque.

IX.
Sanctitas & immortalitas solius participatione Dei servatoris obtineri potest.

Participanda à Christo sanitas, sanctitas, virtusque omnis deinceps fuit. Nec enim servatoris nomen quod sustinet, hac nos potest spe fraudare. At immortalia hæc bonorum intelligibilium ornamenta participari nisi à Deo haud possunt. Fons enim primigenius & inexhaustus incorruptibilium naturæ rationalis bonorum virtutumque Deus est. Creatura quælibet, & quanta maxima fingi vel à Deo creante, vel ab homine cogitante potest, participare spiritalia hæc bona, non participari; mendicare, non dilargiri comparata est. Quin etiam hoc amplitudinis divinæ fastigium ultimum est, quòd non vita tantùm, sanctitas, & immortalitas sibi sit ipse, sed horum scaturigo exundans sit in omnia, & hæc bona cuncta ab ipso participentur. Ergo servator, à quo immortalis istiusmodi salus hauriretur, non potuit expectari quisquam, nisi Deus. Cyrillus: *Divinæ enim naturæ participes habitudine ad Filium per Spiritum non sola opinione, sed veritate sumus, quotquot credimus, & configurati sumus Deo, ad pulchritudinem quæ est supra creaturam reformati. Formatur enim in nobis Christus ineffabiliter, non ut creatus in creatis, sed ut increatus ac Deus in creata ac facta natura, ad suam imaginem transformans per spiritum, & ad dignitatem creatura superiorem, creaturam id est nos transferens.* Et infrà: *Numquam concipietur creatura deifica, verum id soli Deo tribuendum est, qui sanctorum animabus immittit suæ proprietatis illam per Spiritum participationem, per quem etiam conformes facti naturali Filio, dii secundùm ipsum & filii vocati sumus Dei.*

Dial. 4. de Trinit.

Ibid. Dial. 7.

X.
Secundâ salutem primâ stabiliorem largiri solius Dei erat.

Sed cùm salutem collapsam in integrum revocari ita intersit, ut ne iterum fatiscat corruatque, creatæ id quidem vires superat naturæ cujuscumque. Nam cùm primam Deus salutem contulerit non lapsus expertem, nec inconcussam, an creatura meliorem ea profligata & insuperabilem restituet? Et insultabit summo generis conditori melior ejusdem restaurator? Et suam vel potestatem divinæ anteponet vel largitatem? Et prospexisse consultiùs invictiùsque suo se molimini jactabit? Et sua inexpugnabiliter constare, divina autem in pessum abiisse consilia & beneficia? Et restitutæ nobiliùs quàm institutæ creaturæ fidem ac servitutem sibi quàm Deo impensiorem vendicabit? Apage tantum nefas. Non committet ergo Deus, ut præstantiores beneficii numeros creato reparatori concedat explendos, sibi creatori obscuriores & pauciores sumat. Non committet, ut plus creaturæ reparanti, quàm ut Deo creanti debeatur? Non committet ut profligati sui opificii salus & redintegratio, & inde emergens amplissima laus à creatura quapiam præripiatur sibi. Deinde minùs alienum fuerit, à creatura mutabili mutabilem primò condi hominem, quàm eundem collapsum, in inexpugnabilem revocari integritatem. Si ergo mutabilem condere nisi immutabilis Deus non potuit, quantò æquiùs creditur immutabilem illi salutem nisi ab eodem incommutabili Deo conflari non potuisse? Salus enimverò nimiùm ambigua foret, nisi constantior & insuperabilior foret, quàm prima illa, qua excussi sumus. Hæc autem illi firmitas inconcussa accersi non poterat, nisi ab incommutabili Deo. Nam creatura quæcumque mutabilitatis veneno intincta medullitus, & delibuta cùm sit, afflare radios immutabilitatis nullos potest, cujusmodi Christus aspirat, cùm electos suos invictissimè ad salutem perducit, vetatque ne universum genus humanum corruat iterum, ut in Adamo universum collapsum est. Athanasius: *Quum rerum conditarum natura convertibilis esset, aliique inobedientia, alii prævaricatione peccassent, &c. Ideo inconvertibilis natura requirebatur, quò homines immutabilem Verbi justitiam pro formula & exemplari ad capessendam virtutem haberent. Primo enim homine mutato, & morte per peccatum in mundum introgressa, necesse omninò fuit secundum Adam immutabilem esse, quò si denuo eum serpens invaderet, impostura illius nullam vim aut efficaciam haberet.* Cui suus statim succinit Cyrillus: *Primus parens noster Adam mutabilis fuit natura, &c. Quum hoc proprium sit naturæ mutabili, seductus est à diabolo. Quum verò ad curandum hunc morbum necessarium esset, ut immutabile Dei Verbum seipsum pro nobis diabolo opponeret: ut quemadmodum per illius mutabilitatem victi eramus, ita per immutabilitatem Verbi vincamus, &c.* Contineo me ne plura id genus loca coacervem; de eo enim alibi prolixiùs.

Orat. 2. Cont. Arian.

Thesauri Pag. 193.

XI.
Naturæ rationali Deû sequi & imitari natæ, sed in sensibilia peccato lapsæ, Deus solus Magister & Dux idoneus in assumpta carne.

Nec supernè tantùm & intimè affundenda erat à Deo salus & deificatio, sed extrorsum etiam sistendus ob oculos erat magister, quem contueri liceret & contrectare, ac perscrutari propiùs & imitari. Affixi enim sensuum consuetudini, Deum contemplari non jam poterant homines, nedum imitari. Caligabant ad lucem intimam veritatis, ad Verbum intelligibile legis æternæ obsurduerant. Sic tamen cum natura rationali comparatum est, ut non alia principaliter præter incommutabilem veritatem possit illi satis idonea dux esse & magistra; cujus hortationibus auscultet, cujus legibus obsequatur. Sic etiam natura dignitasque virtutis & justitiæ est instituta, ut & in Deitatis sinu, in Verbi Dei sacrario regnet, inde irradiet, inde instilletur. Cùm ergo nec virtus veritasque, nisi divino primariò & principaliter informari magisterio dignetur: nec natura mentium universa cuiusquam præterquam Dei magistri dictata sequi è dignitate sua esse ducat, nec nisi sensibilia capere se posse ex infirmitate post peccatum sua sentiat: quis tam obtusæ naris est, ut non hinc subodoretur, Deum esse Magistrum, cui reformanda ad virtutis veritatisque normam gens humana concredita est? Gravatur quippè mens solo Deo inferior vestigia premere cujusquam ducis, aut imperiis morigerari magistri præter quàm Dei. Augustinus: *Porrò homines Deum ipsum in substantia sua videre non poterunt; spem verò homines suam ponere in solo homine non debebant. Quid ergo hic fieret? Hominem sequi non debebant; Homo sequendus non erat, qui videri poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini & qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.*

Serm. 52. de diversis. c. 2.

XII.
A servatore auxilia expeccantur, quæ à Deo solo præstari possunt.

Nec exempla tantùm præformanda virtutis, sed adjumenta gratiæ ad eam capessendam præstanda erant à vero & germano humani generis sospitatore. Adjumenta autem ad id instruenda erant, ut & obstantes amoliretur obices, obstructasque moles peccatorum, quibus à sapientiæ & beatæ vitæ æternitate discludebamur; & vires inveterato morbo exhaustas repararet. Cæterum creaturæ nullius nisu & impendio poterat vel exasperata peccatis nostris ira divina propitiari, vel emaculari natura nostra tot vitiis conspurcata, vel inolitus ab ipsis ferè cunabulis naturæ languor persanari. Igitur divinæ opis, divinique cruoris opus erat, qui & Dei offensam, & inquinamenta naturæ expiaret, & pristinas pristinisque ampliores vires resarciret. Cadet omninò servatoris nomine, qui hæc non præstabit, nec præstabit nisi natura omni creata melior, ac proinde Deus. Irenæus ut refertur à Theodoreto: *Quemadmodum enim homo erat, ut tentaretur, ita etiam Verbum, ut gloria afficeretur; sic nimirum ut Verbum quidem quiesceret, dum tentaretur, atque in crucem ageretur, & mortem oppeteret: homo autem unà versaretur,* dum

Irenæus. L. 3. c. 21. Theodoret Dialogo 3.

dum vinceret, & sustineret, & benignitate uteretur, & à morte in vitam rediret, & in cœlum assumeretur. Quasi dicat cum Proclo, Deus solus pati nequibat, homo solus salvare non poterat: igitur factus est Deus homo, ut pati posset ex uno, salvare ex altero. Et Cyrillus Dialogo, quòd unus sit Christus: *Neque enim communem ac vulgarem hominem tradidit Deus pro nobis, instar mediatoris assumptum, & ascititia sibi gloria præditum, & stricta quadam conjunctione decoratum: sed omnem creaturam exuperans Verbum, ex essentia ipsius genitum, nostri simile propter nos factum, ut cerneretur omnium vitæ pretio par*. Tanti erat natura rationalis, cui unus superextat Deus, ut illi redimendæ par pretium non esset, nisi Deus. Recusari ergo abiicique potuisset à Deo creatura quælibet, quæ has sibi reconciliandi hominis partes sumpsisset, naturæque nostræ relevandæ; utpotè quæ impar, nec tanti esset. At Deus Dei Filius is est sanè, qui & iram Patris sedat, & pro universa hominum natura ab interitu eximenda pretium longè exuberantissimum persolvit.

De recta fide. pag. 98.

Idem Cyrillus: *Redempti sumus Christo proprium pro nobis corpus impendente. At si ut homo vulgaris mente concipiatur, quomodo illius corpus vitæ omnium æstimationem ac dignitatem exæquat? Si autem Deus erat carne indutus, qui undequaque dignissimus est, sanè cumulatissimum per illius sanguinem pretium pro totius mundi salute impensum est & satis decenter*.

XIII. Fides spesque nostra Christo servatori affigitur, quæ Deo uni affigi potest.

Illum autem servatorem ex quo tantus in nos beneficiorum affluit proventus, utique fide & spe tota complectimur. Fides autem spesque collocanda non est nisi in Deo. Præter illas enim diras, quibus eos devovent sacræ literæ, qui spem suam reponunt in homine, quique ponunt carnem brachium suum; nulli obscurum est, si fiduciam spemque salutis in creata natura quapiam semel defigamus, fore ut nulla supersint præterea impensioris cultus argumenta, quibus Deum prosequamur. Ecquod enim amplioris potestatis aut divinitatis specimen excogitari potest, quàm ut salus & sanctitas & beatitudo universa ab aliquo expectetur? Nihil amplius præstare potest Deus, ergo hæc tam ampla præstare non potest nisi Deus, quia nulla idem præstabit creatura atque Deus. Spes igitur fiduciaque salutis Deo uni innititur; & cui innititur, is Deus est; Christo autem innititur, Deus ergo Christus est.

De recta fide. pag. 119.

Cyrillus: *Si in Christi persona universæ fidei nostræ terminus & confessionis virtus præfigitur: mortemque illius confitentes, & resurrectionem, velut in Deum credentes justificamur: quis dicere audeat ipsum Deitatis exortem esse? Siquidem est summa & caput salutis omnium, ostiumque & via, fidei in ipsum confessio. Per ipsum namque & in ipso ipse quoque Pater à nobis cognoscitur*.

In Confess. fidei adversus Tria Capitula.

Et Justinianus Imperator: *Non enim homo aliquis pro nobis semetipsum dedit, ne in hominem fides & spes nostra sit; sed in ipsum Deum Verbum nostram fidem habeamus*. Non salus hæc, sed certa pernicies conflata nobis esset, si per hominem merum servati, fideque & spe tota ei affixi, adeoque creaturæ addicti & adglutinati, tantò magis avocaremur à Deo.

XIV. Nisi Deus Christus esset, Christianum nomen religionis majestatem dedecoraret.

Et Christiano nomini quanta imprimitur contumelia, si nudus homo Christus est? Ecquid enim de creaturæ nomine gloriamur, eoque ornari nos, & nobilitari gestimus? Si ut Platonici à Platone, ita Christiani à Christo, ergo sectæ istud non religionis nomen est, non sanctimoniæ, non deificationis. At nemo Christianus non magnificentius aliquid spirat, nemo non hujus nominis gloriam incomparabilem auguratur, seque illi vix parem sentit, & sanctitate plurima Deitatisque plurima irrigatione perfundi se avet, ut ne Christianum nomen dehonestet. Ergo huic nomini inesse vim & naturam Deitatis præjudicatum Christianis omnibus est; idcircò enim & quantacumque sanctitatis ubertate exundarint quicumque alii, nullus ab his agnominari se passus est.

Orat. 36

Nazianzenus: *Si adhuc hominibus placerem, inquit Paulus, Christi servus non essem. Si creaturam colerem, Christianus utique non appellarer. Cur enim Christiani nomen venerabile est? Annon quia Christus Deus? Nisi fortasse hoc humano more facio; amicitia nimirum cum eo conglutinatus. Atqui & Petrum honore prosequor, nec tamen Petrianus vocor; & Paulum, nec tamen Paulianus nominatus sum. Non fero me ab hominibus nomen ducere, qui à Deo sum creatus. Proinde si quia Deum ipsum existimas, ideo Christianus vocaris, voceris sanè, & maneas in nomine, atque adeo in re*. Quàm præposterum enim foret, ut conditos à Deo homines, quisquam alius suo nomini adsereret? quàm injuriosum conditori Deo, ut reparatoris potiùs hominis nomine homines censerentur? quàm probrosum hominibus, ut de creaturæ potiùs quàm de Creatoris nomine insignirentur? Christiani ergo nomen, ut participatæ deitatis in Christiano, ita plenissimæ deitatis in Christo monumentum est, à cæteris per eum hominibus participandæ.

CAPUT IV.

Humanitas Christi vera nostræque consubstantialis declaratur.

I. Quanta scripturarum sollicitudo, ad Christi humanitaté prædicandá.

Utriusque testamenti paginæ magnoperè invigilant prædicandæ Christi humanitati. Hanc vaticinantur futuram, hanc præsentem indigitant, hanc avectam prosequuntur, hanc ut cognatam cognatæ non eloquuntur, tantùm, sed repræsentant. Nam scripturæ littera caro quædam Verbi est, & sapientiæ æternæ temporale integumentum. Tanta etiam bonorum copia ab assumpta carne in nos dimanavit, tanta ab ejus fide complexuque exundant quotidiè in fidei tyrones, qui ad hanc statim carnem velut ad pietatis elementa adhærescunt, ut Deitatem quandoque quàm humanitatem suam latere æquiori animo passurus sit Christus.

II. De genealogia Christi, Leo Epist. 13. Avit. Epist. 3

Quid apertius propagine generis ab Adamo usque repetita in Evangelio Lucæ? *Ut Adam primum & Adam novissimum ejusdem ostendat esse naturæ*, ut ait Leo. Et Alcimus Avitus: *Posco nunc his proavorum successionibus ac nepotum, ex memorato patre usque ad virgineum fœtum, toto derivatæ hæreditatis accessu, phantasmatis linea ducatur an traducis?* Si phantasma enim carnis, non veram carnem induisset Verbum, quàm lubrica foret illa proavorum operosa & accurata pernumeratio, ut ab illis phantasma propagaretur? Ideo & hanc Evangelii partem detruncaverant Manichæi. Adeo nimirum Scripturæ littera & caro Verbi consentiunt, ut utraque vel eodem vulnere sauciando, vel eodem fidei obsequio exosculanda fuerit. Quid illud apud Joannem, fidei totius columen & compendium: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis?* De quo Leo: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. In nobis utique quos* Serm. 10. in Nativ. *sibi Verbi divinitas coaptavit; cujus caro de utero Virginis sumpta nos sumus. Quæ si verè nostra, id est, verè humana non esset, Verbum caro factum non habitasset in nobis. In nobis autem habitavit, qui naturam nostri corporis suam fecit*. Quantillum enim contulisset nobis beneficium, si forinsecus tantùm inter nos habitasset, & suo nos contubernio honestasset? Non ita effricanda tantùm extrinsecus erat peccati tabes, quæ serpebat intus, sed immeatione penitissima in sinus animæ carnisque intimos invadenda erat, & exurenda Verbi Dei afflatu & incubatu.

III. Nisi caro Christi nostræ sit con-

Declaratur autem primùm hominis assumpti veritas, ejusque nobiscum consubstantialitas omnimoda,

gener, non solùm verè nos dicimur ejus caro, & cum eo mortui, sepulti, redivivi.

moda, ex eo quòd Ecclesia assumpta in illo est, Verboque coaptata, illius uti Capitis corpus, membrorumque compaginata universitas, illique commortua, consepulta, conresuscitata, unà etiam in paterno considet solio. At gloriosiùs hæc, quàm constantiùs dicuntur ab Apostolis & sanctis Patribus, ventosiùs quàm solidiùs præsumuntur à fidelibus, nisi ejusdem ipsius massæ nostræ delibatio & portio Christus est. *Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, Ephes. 2. *Convivificavit nos in Christo & conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu*. Nempè ut hìc ratio constet & fides, illud in causa est, quia ut ait idem, *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*. Si corpus enim Christi, si plenitudo Christi Ecclesia est: si vicissim caput & plenitudo Ecclesiæ Christus est, caput & corpus vicissim immeant, implent & implentur, unàque mortem adeunt, unà ineunt sepulchrum, unà reviviscunt, unà in superna sede regnant; & quod caput est mysterii, ut ait idem Paulus, *In Christo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter, & sumus in illo repleti*: vel ut ait Joannes, *De plenitudine ejus accepimus*: & ubi, *Verbum caro factum est, habitavit in nobis*, id est in Ecclesia quæ caro illa est. Nam ut ajebat suprà Leo, *Caro ejus de utero virginis sumpta nos sumus*. Et Tertullianus Libro de Resurrectione carnis, de Christo ait: *Hic sequester Dei atque hominum appellatus, ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in cælum, pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Secura estote caro & sanguis, usurpastis & cælum & regnum Dei in Christo*. Concidit & difflatur in ventos spes hæc omnis, & præsumpta salutis regnique fiducia, si non portio naturæ nostræ Christus est; expertes ergo Deitatis nos jacemus, illudque beneficii quantum quantum est, extraneæ aut imaginariæ humanitati, non nostræ exhibetur.

Rom. 4.

Ephes. 2.

Ephes. 1.

IV.
Si nostræ expers humanitatis est Christus, expertes Deitatis ejus & nos erimus.
L. 2. de Trin.

Si expers enim est Christus nostræ humanitatis, quàm expertes nos ejus futuri simus Deitatis, sæpenumero testatus est Hilarius: *Ut homo factus ex Virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem, sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret: ut quemadmodum omnes in se, per id quod corporeum se esse voluit, conderentur: ita rursum in omnes ipse, per id quod ejus est, invisibile, referretur*. Vides ut universum genus humanum in Christo existat, fiatque ejusdem invisibilis Deitatis consors. Et alibi de Christo exponens hæc ejus verba, *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, ait, *Civitatem, carnem quam assumpserat, nuncupat; quia ut civitas ex varietate ac multitudine consistit cohabitantium, ita in eo per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur. Atque ita & ille ex nostra in se congregatione fit civitas, & nos per consortium carnis suæ sumus civitatis habitatio*. Et rursus: *In Filio Dei & filius hominis, ut & filius hominis esset Dei Filius, naturam in se universæ carnis assumpsit: per quam effectus vera vitis, genus in se universæ propaginis tenet*. Et paulò pòst: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, naturam scilicet in se totius humani generis assumens*. Et demum: *Ut omnes unum sint, ego in illis & tu in me. Mirabilis ergo in Sanctis Deus est, quos cùm conformes corporis gloriæ suæ fecerit, per se qui mediator est, etiam in unitatem paternæ majestatis assumet, dum & in eo per naturam Pater est, & ille rursum per societatem carnis in nobis est*. Adverte quàm frequenter quàmque enixè hoc urgeat Hilarius, in quo caput est, & summa dis-

In Evang. Matt. can. 4.

In Psal. 51.

In Psal. 67.

pensationis, in quo vertitur cardo totius salutis nostræ, quòd universi generis humani corpus in Christo sanctificatum existat; quòd Christus uti civitas sit, quam fideles omnes inhabitent: quòd Verbum naturam in se totius humani generis assumpserit: quòd ita per carnem suam in nobis sit Christus, nosque in Christo, ut cum ipso & per ipsum in paternæ etiam unitatem majestatis redigamur. Ergo nostra est illa caro, nostra humanitas cui ita conserimur, cui consertam Deitatem ita participamus.

V.
In carne sua nos omnes Christus revexit in cælum.

Idem non ineleganter docet Ambrosius, eò torquens illa verba Psalmi, *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales*, quasi major rediret quàm exierat Christus semper optimus maximus, quia cum carne redibat victrice, & in carne sua totam Ecclesiam gestabat revehebatque. *Quamvis scirent Angeli nihil Deo accedere ex carne potuisse, quia infra Deum omnia sunt: tamen trophæa crucis, crucis principatum super humeros ejus, & triumphatoris æterni manubias intuentes, quasi eum quem emiserant, cæli portæ capere non possent, licèt ejus nunquam capiant majestatem, majorem viam quærebant aliquam revertenti, &c. Sed quia æternæ sunt justitiæ portæ, eædemque novi & veteris Testamenti quibus cælum aperitur, non mutantur utique, sed elevantur: quia non unus homo, sed totus in omnium Redemptore mundus intrabat*. Attolli itaque ac dilatari necesse fuit Christo in cælum remeanti portas, quia non unus homo, sed totus in Christo mundus intrabat, totus enim in Christo est, totus in Christo ad dexteram Patris sedet. Et Chrysologus: *Credimus sanctam Ecclesiam, quam sic in se suscepit Christus, ut eam divinitatis suæ faceret esse consortem*. Et præstantissimè sanctus Maximus Taurinensis Episcopus: *In Salvatore omnes resurreximus, omnes reviximus, omnes ad cælestia transmigravimus. Est enim in illo Christi homine uniuscujusque nostrum carnis & sanguinis portio. Ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo: ubi dominatur sanguis meus, me sentio dominari: ubi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. Quamvis enim peccator, de hac communione gratiæ non diffidat; quia etsi peccata nos prohibent, substantia nos requirit: & si delicta propria nos excludunt, natura communio non repellit. Nam propter bonitatem divinitatis, peculiarem nobis Salvator debet affectum, quia sicut Deus noster in seipso est, ita & sanguis noster in illo est*. Et paulò pòst: *Non tam immitis est Dominus, ut non diligat carnem suam, membra sua, viscera sua. Ait sanctus Apostolus, Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut Christus Ecclesiam. Nihil ergo de venia desperemus, nihil de odio timeamus. Habemus prærogativam sanguinis nostri, in Christo enim caro nostra nos diligit*.

L. 4. de fide ad Grat. c. 1.

Serm. 60.

Hom. 6. in festo Paschæ.

VI.
Summa antedictorum, ut in carne sua, adeoque nostra nos omnes gestarit, expiarit, beaverit Christus.

Ex his liquet 1. Quòd cùm Christus non medicus tantùm, sed medicamentum ipse sit naturæ totius, nihil sibi peculiare habet; ergo ut cæteris hominibus medendum est, incorruptibilis justitiæ & sanctitatis divinæ infusione in eorum corruptibilem carnem, ita Christus justitiæ & sanctitatis increatæ commixtio quædam est & inconfusa contemperatio cum carne nostra mortali. Si Deitatem autem suam commiscuit carni non nostræ, sed extraneæ, nihil hinc spei, nihil salutis ad nos redibit. 2. Arrabo Christus est, seu primitiæ, Deoque in eo portio carnis nostræ substantivè conseritur, in spem totius summæ illuc quandoque redigendæ; at nisi nostra ejus est caro, cadimus pulcherrima hac spe. 3. Sacramentum Christus est naturæ totius, ut cum eo omnis natura & moriatur, & resurgat, & in cælum conscendat, & Patri consideat; & quidquid in eo demum præcessit, idem in tota Ecclesia consequuturum expectetur. At nisi ejus & nostra humanitas eadem sit, incassùm expectamus ejus privilegia in nos refusum iri. Nam naturæ disparis dispares sunt prærogativæ. 4. Non imagina-

ginaria tantùm æstimatione, sed physica & substantiva consertione & Adamo primo complicamur, ut ejus originali inficiamur lue: & Adamo coagmentamur novissimo, ut ejus in nos justitia Deitatisque societas quædam redundet. Quàm physicè ergo nostra caro, caro Adami est, & proinde vitio Adami coinquinata; tam physicè nostra caro, caro Christi est, adeoque justitiæ & Deitatis Christi consors. 5. Ita physicè & propriè, non opinativè tantùm aut arbitrariè omnis homo unus homo est cum prævaricatore Adamo, antequam regeneretur: & omnis homo, unus homo est cum secundo & primi reparatore Adamo, postquam regeneratus est. Alioqui nec omnes in primo morerentur, nec omnes in secundo vivificarentur. Utrobique ergo naturæ consubstantialitas desideratur, ut hæc omnium constituatur hominum in duos homines compactio. 6. Jam usurpavimus cœlum in carne & sanguine Christi; nec injuria, regnare nos credimus, ubi portio nostra regnat; nec temerè de charitate Dei in nos confidimus mirum quantum, quia in Christo caro nostra nos diligit, nec potest vel ille vel quisquam alius non diligere carnem suam. Corrumpitur autem pulcherrima hæc fiducia & inanescit, si alterius generis caro vel humanitas in Christo est. Denique infigendum hoc altissimè est & etiam atque etiam imprimendum animis, non potuisse naturæ nostræ ægritudinem & corruptibilitatem sanari, nisi Deitatis seu sanctitatis ipsius & incorruptibilitatis insinuatione physica in totius humanitatis penetralia; ideoque & veram esse nostram in Christo carnem, cui infusa Deitas est: ut quid enim nostræ sanandæ, medicina non nostræ infunderetur? & illam Deitatis infusionem ad omnem suo quodam modo, & pro membrorum modulo Ecclesiam pertinere, quæ tota cum primitiis suis, hoc est, cum Christo commiscebitur tandem, ejusque combibet Deitatem, utpotè corpus ejus & plenitudo, ut ait Paulus. Quod scitissimè exequitur Gregorius Nyssenus:
Tom. 2. pag. 12. *Ex omni autem humana natura cui admixta fuit divinitas, veluti primitiæ communis conspersionis, is qui in Christo est homo constitit, per quem divinitati universa adnata est humanitas.* Et infrà: *Quando ergo instar primitiarum omnes semoti fuerimus à vitio, tunc tota naturæ conspersio commixta cum primitiis, & effecta unum continuum corpus, boni tantùm in se suscipiet principatum: & sic universo corpore nostræ naturæ contemperato cum divina & ab interitu aliena natura, illa Filii quæ dicitur subjectio fit per nos.* Revera enim tota hominum natura, seu tota Ecclesia cum primitiis suis in Christo commixta & Deitati concreta ac contemperata est. Sic Christus per nos subiicietur Patri, sicut per Christum nos adsidebimus Patri. Denique quàm breviter, tam elegánter
L. 5. c. 12. De Incarnat. Cassianus: *Quia & caro Ecclesiæ caro Christi est: & in carne Christi Deus est atque anima; ac sic idem in Christo quod in Ecclesia; quia sacramentum quod in Christi carne creditur, etiam fide in Ecclesia continetur.*

VII. Servare idē est ac assumere. Nostrā ergo assumpsit naturam Servator.

Non servavit Verbi Deitas nisi quod assumpsit; nam assumere, id fuit servare. Salus enim creaturæ rationalis unica est, copula cum Deo. Salus illi universa, non Dei donum aliquod, sed Deus. Vita illi Deus est; cibus illi veritas est; justitiæ & sapientiæ forma Deus illi est; beatitas ejus Deus est. Salus ergo illi tota Deus est. Conglutinari ergo Deo, salus hæc illi est. Non immeritò ergo pervagato hoc fidei axiomate decantatum est, non servatum esse, nisi quod assumptum est. Si ergo non nostram, sed extraneam assumpsisset naturam, huic, non nostræ salutem conciliasset. Item non sanavit infirmitates, nisi quas suscepit & suscipiendo sanavit. Sanavit enim verbigratia mortalitatem, eam in se excipiendo, & insuperabili Verbi vivacitate expugnando. Sanavit dolorem dolore, metum metu suo, & ægritudines omnes naturæ puras à peccato subeundo profligavit, amplectendo jugulavit. Hi siquidem morbi omnes, Verbi vitæ & incorruptibilitati immersi, absorpti absumptique sunt, & in totum evanuerunt. Eos ergo a Verbo assumi, hoc ipsum fuit absumi. Totam ergo assumpsit naturam nostram, ut inculpatas naturæ omnes pariter assumeret & absumeret ægritudines. Rursum in ea diabolum vicit natura, cui perennem de eodem voluit conciliare victoriam. Illi enim naturæ diabolum subjugavit, per quam subjugavit. Quippè naturæ illi victricem invictamque Verbi inseruit potestatem, illi vincendi inseruit fiduciam, illam diabolo reformidandam exhibuit. Ergo ut prodesset nobis reportata à Verbo de nostris hostibus victoria, in nostra, non in nostræ umbra naturæ, non in aliena debellare eos debuit natura.

Augustinus: *Ut per eandem naturam quam se decepisse lætabatur diabolus, vinceretur, nec tamen homo gloriaretur, nec iterum superbia nasceretur.* Et Ench.c.108.
alibi idem: *Pertinebat etiam ad justitiam bonitatemque creatoris, ut per eandem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat.* Quod prolixiùs edisserit Ferrandus Diaconus L.13.de Trinit.c.17.
Epistola ad Anatolium Diaconum: *Justè victus & justè punitus, quia ea caro vicit in Christo, quæ victa fuerat in Adam. Hæc namque fuit justitia Dei, ut per illam carnem mortis authar vinceretur in Christo, quam vicerat in Adam: Et illa caro sine peccato moreretur, ut deleretur omne peccatum, quæ fuerat mortua per peccatum; mirabiliter operante gratia salvatoris, ut mors pœna peccati, medicina fieret peccatorum. Peccavit Adam & mortuus est, omnesque posteros suos æternæ mortis compedibus alligavit; mortuus est Christus, & quia non peccaverat, omnes peccatores à mortis dominio liberavit. Si ergo alia esset natura carnis, in qua non peccaverat Christus, & mortuus est, non per justitiam, sed per potentiam diabolus vinceretur. Oportebat autem per justitiam vinci. Justitia verò ipsa fuit, ut in ea carne veniret redemptor, quam fecerat supplicio obnoxiam remanere tentator.* Num. 5.

VIII. Magister idoneus nobis lapsis nō erat nisi homo verus.

Nec Magistri, nec Mediatoris, nec Sacerdotis perfungi munere poterat, nisi verus homo. Nam magister hominibus homo plurimùm congruit, tum ob naturæ consensum & amicitiam, tum ob efficaciam exempli. Augustinus: *Quod non possemus, nisi ipsa sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, & vivendi nobis præberet exemplum non aliter quàm in homine, quoniam & nos homines sumus.* Et, *Non est ergo passio Christi ex indigentia, sed ex misericordia. Præbuit enim exemplum patientiæ nobis de nobis, id est homini de homine, carni de carne.* L.1.de Doct. Christ.c.11. L.2.de Actis cum Fœlice Manich.c.9.

IX. Mediator tā verus homo, quam verus Deus esse debebat.

Jam verò mediator qui nos Deo recolligeret, idem tam homo quàm Deus verus desiderabatur. Nam ut jam inculcatum sæpius est, non externis tantùm & perfunctoriis subsidiis adminiculanda erat humanæ reipublicæ salus; nec mediatore opus erat, qui tametsi natura vel à Deo, vel ab homine extraneus, sed gratia apud utrumque præpollens, leniret simultates, & qualemcumque pacem ac concordiam fœderaret. Fluxa hæc omnia forent extrinseco & umbratili favoris veluti fuco simulata, offensarumque rursus & inimicitiarum irruente tempestate dissipanda. Mediator Dei & Hominis Deus ipse atque homo ut esset, & in se primùm utramque constringeret naturam, necessum erat; atque ita & Deum totum in se habens, & totam similiter reparandi generis universitatem, substantivo & indissociabili vinculo utrumque conciliaret. Hic germanus & proprius est, non ascititius mediator; hic est qui sua ad utrumque consubstantialitate, recusari à neutro potest; hic est, cujus nexu inita concordia diffui aut divelli haud amplius potest. Hilarius: *Ejusdem periculi res est, Christum Jesum, vel spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare, &c. Mediator ipse in se ad salutem* L.9.de Trin.

lutem Ecclesiæ constitutus, & illo ipso inter Deum & Hominem mediatoris sacramento, utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque. Et alibi: *Quos cum conformes gloriæ corporis sui fecerit, per se, qui mediator est, etiam in unitatem paternæ majestatis assumet: dum & in eo per naturam Pater est, & ille rursum per societatem carnis in nobis est*.

In Psal. 67. Vide Ferrandum. ibid. n. 6.

X. Sacerdos pro hominibus nonnisi homo est maxime si idem victima.

Sacerdos denique pro hominibus, nisi verus homo non satis idoneus esset; cùm vel maximè ideò sacerdos esse debuerit, quia idem victima. Ecqua enim fuerit alia hujus victima sacerdotii, quo genus humanum Deo reconciliatur, quàm humani generis summa quædam & delibatio in ipso sacerdote consistens? An pro hominum enim universitate pecus afferetur Deo? An tanti nos nobis esse videmur? Pluris sanè Deo sumus, qui tam longè super reliqua, tam propè juxta se nos admovit. Quin homo potiùs offeratur pro hominibus? Æquius fuerit hoc pretium: sed & æquius fuerit, hoc honoris culmine decorari hominem, quàm pecudem. Nam Deo immolari, non cruciatus est, sed beatitas; nec exitium, sed decus; nec mors, sed immortalitatis janua. Et quid in votis habere optatius, quid ambitiosiùs prehensare rationalis quælibet natura possit? Totius ergo hominum reipublicæ sacerdos accipere debuit à nobis, quod offerret pro nobis, ut utraque & emolumenti & ornamenti accessione ne fraudaremur, iidemque essemus & quod offerretur, & pro quibus offerretur, & utroque modo sanctitatem nobis compararemus. Quin etiam cùm offerri & offerre Deo paris sit & compendii & decoris, idem ipse seipsum sacerdos immolare debuit, atque ita verus homo esse debuit, ut in eo omnis homo velut in summam & in caput suum compaginatus, & sacerdotis & victimæ fungeretur munere, sanctitate perfunderetur.

L. de Incar. c. 6.

Ambrosius: *Ergo ex nobis accepit quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro: & quod nostrum non erat, ex suo nobis divina sua largitate conferret. Secundum naturam igitur se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo præmium est*. Et Augustinus: *Suscepit à te, in quo moreretur pro te. Suscepit à te, quod offerret pro te, quo exemplo doceret te*. Ferrandus: *Oportebat namque eum sicuti sacerdotem, quod pro nobis offerret, à nobis accipere. Si autem non accepit ex Maria carnis materiam, non accepit à nobis, quod posset offerre pro nobis: & quomodo fungi potuit sempiterni muneris sacerdotis? Sacerdoti nostro nos oportuit immolandam Deo victimam dare: Filius autem Dei Patris unigenitus in carne mortali sacerdos noster effectus, non aurum, non argentum, non hircorum sanguinem, sed corpus obtulit proprium. Victima ergo nostra, corpus est ejus: & si corpus ejus accepit, à nobis itaque corpus accepit; & hoc tunc accepit, quando eum sancta Maria concepit*. Brevis est & arcta conclusio; jubet sacrorum lex à populo victimam dari: Christus victimam carnem suam sacerdos obtulit, ergo hanc carnem ab hominum genere acceperat, pro quo & immolavit. Nihil absolutius dici potuit.

In Psal. 70.

Epist. ad Anat. n. 4.

XI. Caro Christi lac infantiæ nostræ necessarium est post lapsum in corporalia.

Mentis nostræ oculo ob amorem temporalium sordidato, & hebescente ad contemplationem æternorum, necesse fuit æternam veritatem & sapientiam corporali contegi involucro, ut instar habeat libri, cujus spiritalem intellectum litera exterior exterioribus oculis per eosque interioribus etiam insinuat. Hæc ratio fuit medicinæ nostræ, ut qui peccati merito in corporalia devoluti eramus, per ipsa corporalia ad æternorum intelligentiam gradum moliremur. Ergo qui humanæ obtrectant Christi naturæ, graduum adminicula evertunt, quibus ad supera enitebamur: librum exteriorem concidunt, quo spiritalis veritas inspirabatur nobis: & denique lac infantiæ nostræ subtrahunt, quo ad solidum cibum roborabamur.

L. 1. adver. Felicem & Elipandum.

Etherius & Beatus: *An fortè duos libros credis, unus qui literas contineat, alter qui intellectum? Sed hic non nos poteris illudere, quia nullus liber sine litera est, & nulla litera sine intellectu. Et litera in libro aperto legitur, ut quod legitur intelligatur; & cum intellexerit, jam gaudet, quia quod foris legebat, intus invenit. Et qui conciderit ipsum librum, paginam & literam concidit: intellectum literæ concidere non potuit. Et tamen & litera exterius & intellectus interius unus liber est, & sine utroque esse non potest. Sic est Christus liber noster: exterius pagina & litera, quod est homo, corpus & anima: intus divinitas, tanquam intellectus in litera*. Et paulò inferiùs: *Sed miro modo cum interior scriptura libri magis obscura sit, amplius hominum mentes turbat exterior; & vident illa quæ videri per hominem non possunt: ista quæ possunt per hominem videri, mira ratione non vident*. Quo acutius nihil dici potuit ad suggillandos eos, qui Christi divina cùm fateantur, inficiantur humana. Perinde est enim ac si de interiore libri sententia concordarent, sed ipsum codicem literasque videre se abnuerent; cùm oculis obvius sit liber exterior, abstrusior autem intellectus, nec iste nisi per illum innotescat. Præposterus ergo hic est error, quo videri invisibile potius, quàm visibile existimatur. *Nam & ipsi Manichæi in divinitate credunt æqualem Deo Patri Filium, & eum veram carnem habere non confitentur; & mira perversitate, quod vident, negant: & quod non vident, confitentur. Mira perversitate incredulitas ejus interiorem partem libri confitetur, & exteriorem partem libri negare non erubescit, cum ex utroque unus sit liber. Et cum exteriorem partem libri negat, & interiorem non habet. Quia nullus lector sine libro intellectum interioris libri invenire potest*.

XII. Veritas est Christus, ergo vera in eo omnia, vera caro, vera humanitas.

Veritas est Christus, ergo vera est in eo utraque natura. Quippè in veritate nihil mendacii, in luce nihil tenebrarum est. Deinde coaptatior est Verbo vera humanitas, quam simulata; nam vera humanitas, veritas humanitatis est, simulata mendacium est; veritas autem veritati, quàm mendacium magis haud dubio consentit. Rursum humanitas vera opus est Verbi, minùs ergo mirum est, si ei substantivè conglutinetur: at figmentum & umbra humanitatis nec opus est Verbi, nec conjugari potest Verbo, quod veritas est. Item qui non veram, sed simulatam Christi prædicant humanitatem, se veritate ipsa veraciores videri volunt; veritati enim carnem quasi veram gestanti credi vetant: sibi non veram eam carnem dicentibus credi jubent. Rursum si Deum decebat hominem fieri, quin reapse fiebat? Si minùs decebat, cur vel simulatè fiebat? Nullius enim rei indecoræ decora simulatio est. Item an naturarum umbras pluris facit Verbum, quàm naturas ipsas? Ut conjugio suo illas dignetur, has longè abigat? Hoccine fuerit judicium veritatis, quo pluris fiat umbra, quàm veritas? Denique per varias olim umbras & simulacra humanitatis præluserat Deus Verbum: an ergo umbris umbræ & simulacris prælndebatur simulacro? Non ergo in plenitudine temporis tantùm & in novissimis diebus incarnatus est, sed inter ipsa mundi primordia, cùm humana specie identidem Patriarchis & Prophetis visendum se ingereret. Nam si vera incarnatio, non nisi umbratilis fuit: illa ergo olim umbratilis, vera fuit.

L. de Carne Christi. L. 4. de Trin.

Tertullianus: *Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit. Maluit, crede, nasci, quàm ex aliqua se parte mentiri*. Hilarius autem: *Virum licet conspectum, Abraham tamen Deum adoravit, sacramentum scilicet futuræ corporationis agnoscens*. Et infrà: *Sacramenta legis mysterium dispen-*

dispensationis Evangelicæ præfigurant; ut Patriarcha videat & credat, quod Apostolus contempletur & prædicet. Namque cum lex umbra sit futurorum, veritatem corporis umbræ species expressit. Et Deus in homine & videtur & creditur & adoratur, qui secundum plenitudinem temporis esset in homine gignendus. Revolvunt nos in egena legis elementa, & in servitutis pristinæ ignobilitatem, qui carnem Christi adumbratam tantùm, non veram fuisse causantur. Quid enim præstat Evangelium legi, si perinde ut lex, nonnisi figuris pascitur & umbris? Quin imo si penes nos umbræ tantùm volitant, quid in lege quàm umbrarum umbræ & figurarum figuræ erant? Nam si tum erant umbræ, & figuræ, ergo nunc corpus, & veritas. Quare Hilarius ibidem, *Accipit umbra corpus, & species veritatem, & visio naturam.* Nam si hæc non est veritas hominis, nec illa erat tunc hominis figura. Ecquid enim causæ est, ut tunc tam rari figuris illis adhærescerent, earumque ebibita medulla fidem Christi salutemque assequerentur: nunc autem orbis terrarum universus se Christo devoverit? Eccunde illa tunc raritas, hæc nunc mole sua laborans multitudo, nisi quia tunc umbræ paucos alliciebant, nunc rei veritas & lux clarissima genus humanum pertraxit? Ita author est Leo Magnus serm. 9. in Nativ. *Promissum quidem hoc à constitutione mundi, & multis significationibus rerum atque verborum semper fuerat prophetatum, sed quantam hominum portionem figuræ illæ & mysteria obumbrata servarent, nisi longa & occulta promissa adventu suo Christus impleret: & quod tunc paucis credentibus profuit faciendum, innumeris jam fidelibus prodesset effectum?* Imaginem pauci venerabantur, ad rei veritatem omnes occurrunt, obstupescunt, adhærescunt. Nec aliud Christus quàm veritas est, etiam qua homo; unde Fulgentius: *Christus Dei filius qui seipsum veritatem profitetur, sicut verus est Deus, sic verus est homo: in quo sicut est plenitudo divinæ naturæ, ita est & plenitudo humanæ substantiæ. Inest enim illi naturalis veritas divinitatis, naturalis veritas animæ rationalis, & naturalis veritas carnis.*

Ad Donat. c. 14.

CAPUT V.

Veritas carnis Christi specialibus argumentis demonstratur adversus Manichæos & Phantasiastas.

I. Assumpsit Deus carnē, cujus in hominis cōdi. tātæ prerogativæ.

DEclaranda expressiùs est veritas carnis in Christo, cui invidiosiùs insultant, quamque proscindunt maledictis, ut vilem, sordidam, ærumnosam & fæcum sentinam quandam. Contrà autem carnis privilegia in prima sui conditione nemo facilè percenseat, ut minus mirum sit, si in reparatione quoque suas partes agat. Nam homo priùs limus, quàm viveret: prior ergo nomen hominis occupavit caro. Deinde finxit Deus hominem manu sua, & consilio beatæ Triadis: at quantum dignitatis accrevit carni, ex tangentis, decerpentis fingentis Dei manu? Præterea finxit Deus hominem ad imaginem suam, hoc est ut interpretatur Tertullianus ad imaginem Christi, ut illud non opus Dei tantùm creatoris esset, sed & pignus Redemptoris. Ad imaginem quippè Dei totus homo ex eodem vix satis intelligitur, nisi corporatus Deus jam præsumatur. Denique tanto apparatu tantoque ut ita dixerim nisu Dei consulentis fingentisque creatus homo est, quantum non injuria suspicamur, ad merum hominem non pertinere: In illo ergo limo Christus cogitabatur homo futurus, sibique incarnando Verbum Deus hunc præstruebat honorem.

Hæc elegantissimè exequitur Tertullianus: *Hominem memento carnem propriè dici, quæ prior vocabulum hominis occupavit. Et finxit Deus hominem, limum de terra.* Et paucis interpositis: *Persequar itaque propositum, si tamen tantum possim carni vindicare, quantum contulit ille qui eam fecit jam tum gloriantem quod illa pusillitas, limus, in manus Dei, quæcumque sunt, pervenit, satis beatus, etsi solummodo contactus. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, consilio, opere, sapientia, providentia, & ipsa imprimis adfectione, quæ lineamenta dictabat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & Sermo caro, quod & terra tunc. Ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi in carne futuri, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus.* Audis quò ille se Dei labor intenderet, non ad merum hominem effundendum, quod de facili, & ludibundus potuisset, sed ad præfingendum Deum hominem.

L. de Resur. carnis.

II. Nec Creator tantùm, sed & Redēptor carni multa cōntulit beneficia. Non ergo ut vilē assumere abstinuit.

Nec ex conditione tantùm carnis, sed ex ejusdem restauratione constat, permagno eam apud Deum fuisse in pretio. Carnem enim dilexit, quam redemit, cui æternam, cui temporalem contulit salutem, quam leprosam emaculavit, cæcam illuminavit, beneficentiæ & omnipotentiæ suæ donis cumulavit. Quam tantoperè dilexit, non utique repudiavit, non ut indignam copula sua damnavit, quam ita ornavit amando, dignamque effecit. Tertullianus: *Si hæc sunt homo quem Deus redemit, tu hæc erubescenda illi facis quæ redemit: & indigna, quæ nisi dilexisset, non redemisset? Nativitate reformata regeneratione cœlesti, carnem ab omni vexatione restituit, leprosam emaculat, cæcam perluminat, paralyticam redintegrat, dæmoniacam expiat, mortuam resuscitat, & nasci illam erubescit.* Utatur ergo Deus judicio suo, carnemque ne indignam assumi ducat, quam dignam duxit & diligi, & redimi, & tot beneficiis onerari.

L. de carne Christi.

III. Carnis animæque honor & dedecus vicissim commeant.

Quid quod animæ totus honor in carnem redundat? Carni enim animam uti particulam sui afflavit Deus. Vilis ergo non est, quæ aura divina, quæ afflatu deitatis decoratur. Nam satius est ut dignitas animæ refluat in carnem, quàm ut vilitate carnis anima sordescat. Quid quod animæ vita & sagacitas & sapientia omnis per carnem exeritur, & sopita stertéret ratio, nisi carnis instrumento freta erumperet; quò minùs mirum est si æterna Dei sapientia & ratio, è latibuli sui arcano per carnem foris emicuit, seque & divinas artes suas ob hominum oculos explicavit. Tertullianus ibidem: *Hæc cùm ita sint, habes & limum de manu Dei gloriosum, & carnem de afflatu Dei gloriosiorem, &c. Deus vero animæ suæ umbram, spiritus sui auram, oris sui operam vilissimo alicui commiserit capulo, & indignè collocando, utique damnaverit. Collocavit autem, an potiùs inseruit & immiscuit carni, &c.* Contaminavit carnem non natura, sed culpa: indulgent sibi homines, naturamque quàm seipsos culpare malunt, hinc carni invidiam faciunt. At Deus carnis pretium probè novit, cui tanti pretii concredidit animam, in quam animæ gloriam omnem refudit. Nam etsi dominetur anima, idipsum in laudem carnis cedit, quòd per carnem & vitam & principatum ferè exerceat anima. Idem ibidem: *Etsi magis animam invehi atque dominari credendum est, ut magis Deo proximam, hoc quoque ad gloriam carnis exuberat quod proximam Deo & continet, & dominationis compotem præstat. Artes per carnem: studia, ingenia per carnem: opera, negotia, officia per carnem: atque adeo totum vivere animæ carnis est. Ita caro dum ministra & famula animæ deputatur, consors & cohæres invenitur: si temporalium, cur non & æternorum?*

L. de resurr. carnis.

Quid quod virtutes pleræque de carne depen-

dunt & litant Deo? Virtutumque palmaris charitas, & charitatis apex martyrium, carnis laus & prærogativa est? Quid quod sacramentis, ceu sanctitatis fontibus, prior caro os admovet, & per carnem anima gratiæ latices haurit? Ergo quæ virtuti, quæ sanctitati & gratiæ usque adeo familiaris & amica est, à contubernio & complexu Verbi Dei non est arcenda. Quid enim Verbum Deus, quàm virtus & sanctitas & gratia? Tertullianus: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut & anima muniatur, &c. Et sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, & seras & aridas escas, & adpendices hujus officii sordes, caro de proprio suo officio instaurat. Virginitas quoque & viduitas & modesta in occulto matrimonii dissimulatio, & una notitia ejus, de bonis carnis Deo adolentur. Age jam quid de ea sentis, cum pro nominis fide in medium extracta, & odio publico exposita decertat, &c. enisa reddere Christo vicem moriendo pro ipso, & quidem per eandem crucem sæpè, nedum per atrociora quoque ingenia pœnarum?* Si injuriosa Verbo extitisset caro, injuriosa & virtuti & sanctitati foret. Secus autem si virtuti & sanctitati consentanea est & adhærescit caro, consentanea erit & adhærescet Verbo. Si non potest virtus & sanctitas plurima animæ nisi per carnem, vel insinuari, vel exprimi, non potuerit etiam nisi per carnem Deus Verbum animabus virtutem sanctitatemque instillare. Nam si caro animæ accommodum est ad virtutem omnem excitandam instrumentum, quidni & Verbo opportunum sit instrumentum ad virtutem sanctitatemque omnem & exprimendam & imprimendam? Nimirum Verbi consortio nexuque dignam præstabit faciliùs virtutis quàm naturæ commendatio.

IV. Virtus ipsa carni plurimum debet.

L. de resurr. carnis.

V. Ne resurgeret quidem caro, nisi à Verbo esset assumpta.

Denique omnia carnis ornamenta summatim conglobat Tertullianus ibidem, eo quidem consilio, ut carnis astruat resurrectionem, sed quæ eò facilè deflectantur, ut ejus coaptatio cum Verbo Deo suadeatur. Nam quæ per resurrectionem consors & cohæres futura est æternæ & beatæ vitæ, indigna sanè non est copulari cum Verbo, quæ vita est æterna. Contrà autem si repudiata foret à Verbi conjugio, & resurrectionis & æternæ pariter vitæ exors & exhæres foret. Postremò hinc maxima carni spes redivivæ & beatæ vitæ affluxit, quod eam in Christo jam usurpavit. Nam si Christus non surrexit, nulla cuiquam spes superest resurgendi; nec enim nisi de Verbi vita reviviscere potuit caro Verbi propria, & in omnem deinceps carnem ejusdem melioris vitæ prorogatrix. *Igitur ut retexam, quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit; quam de suo afflatu ad similitudinem suæ vivacitatis animavit; quam incolatui, fructui, dominatui totius suæ operationis præposuit; quam sacramentis suis, disciplinisque vestivit; cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi adpreciat, hæccine non resurgit, totiens Dei? Absit ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, adflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem in æternum destituat interitum.*

VI. Si carnē tes. Puisset Verbū, nec simulacrum ejus induisset.

Si veram carnem Deus Verbum non adsumpsisset, nec ejus induisset simulacrum. Si turpe enim est carnem fieri, turpe est & credi, turpe videri, turpe apparere. Quod esse Deus noluisset, nec videri voluisset. Si caro eum dedecebat, dedecebat & carnis opinio. Utquid enim carne quidem vera abstineret, sed circumjecto sibi carnis ludibrio, veræ carnis opinionem & infamiam sustineret? Nam respuenda veritate, & subeunda simulatione carnis, caro perinde existimatur factus, & de mendacii dedecore insuper periclitatur. Tertullianus: *Si nasci se Deus noluisset, quacumque de causa nec hominem se videri præstitisset. Nam quis hominem videns, cum negaret natum? Itaque quod noluisset esse, nec videri omnino voluisset. Omnis rei displicentis etiam opinio reprobatur. Quia nihil interest utrum sit quid, an non sit: si cum non sit, esse præsumitur. Planè interest illud, ut falsum non patiatur, quod verè non est, Sed satis erat illi, inquis, conscientia sua. Quantò ergo digniùs quantòque constantiùs humanam sustinuisset existimationem verè natus, eandem existimationem etiam non natus subiturus cum injuria conscientiæ suæ?* Et alibi: *Si aspernatus est carnem ut terrenam, &, ut dicitis, stercoribus infersam, cur non & simulacrum ejus proinde despexit? Nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est. Sequitur statum similitudo.*

L. de carne Christi.

L. 3. cont. Marcion.

Huc accedit, quòd apud Veritatem Deum pluris est veritas rei cujuslibet, quàm mendacium. Vera igitur quàm adumbrata caro accommodatior Deo est. Si caro autem necessaria erat, ut invisibilis Deus inter homines versaretur, hunc illi usum tempestiviùs carnis substantia præstitisset, quàm umbra; ne Veritatis judicio veritas falsitati posthaberetur. Tertullianus: *Sed quomodo inter homines conversaretur, nisi per imaginem substantiæ humanæ? Cur ergo non potiùs per veritatem ut verè conversaretur, si necesse habebat conversari? Quantò digniùs necessitas fidem, quam stropham administrasset?* Et paulò pòst: *Cæterum si ad certum spectamus, nulla substantia digna est, quam Deus induat. Quodcumque induerit, ipse dignum facit, sine mendacio tamen. Et ideo quale est ut dedecus existimarit veritatem potiùs quàm mendacium carnis?* Nisi vera extiterit Christi caro, cùm carnem omnibus dictis gestisque ita præferret, quid ejus, id est, quid veritatis vita fuerit tota, quàm mendacii cujusdam prolixa contextio? Augustinus: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Quomodo est in eorum doctrina veritas; quæ id prædicat, quod in carne Christi erat falsitas? Quomodo in Christo non erat ullum malum, in quo erat tam grande mendacium? Quia videlicet hominibus nimium mundis malum est caro vera, & non est malum falsa pro vera. Malum est caro vera nascentis ex David semine, & non est malum lingua falsa dicentis, Palpate & videte, &c.* Utcumque enim carnis immunditias atrociter exaggerent, immundior est nimium quantum falsitas quam caro, saltem judice veritate. Quare idem Augustinus: *Quis non ingemiscat homines qui se Christianos esse dici volunt, timere ne polluatur veritas de Virginis utero, & de mendacio non timere?*

Ibidem.

L. de Contin c. 10.

Contr. Epist fundamenti c. 8.

VII. Quā contaminari non possit Deus, magis clarē assumpta vera carne quā simulata.

Quin ex re fuit tantò magis adprobari incontaminabilem esse Deitatem, quòd naturæ cuilibet commixta etiam infimæ, mundaret illam magis, quàm ex illa inquinaretur: & ornaret magis, quàm sordesceret. Si autem ne discrimen incurreret contaminationis, non commisit se nisi simulatæ carni, non virtutis ergo suæ, sed phantasmatis beneficio tutus fuit. Tertullianus: *Qui ergo inquinari non poterat ut phantasma, non jam virtute divina incontaminabilis erat, sed phantasmatis inanitate.*

L. 4. cōt Ma

VIII. Hoc luculentissimo exēplo constare debebat, Deo nō adversari, nisi peccatum.

Ad hæc expediebat lucidissimo hoc experimento constare, non adversari Deo nisi peccatum; nullamque naturam quocumque in rerum gradu sitam divini contubernii expertem esse, nisi voluntatis vitio. Gregorius Nyssenus: *Si ergo in vitio quidem natum esse Deum nostra assereret ratio, opportunè posset qui contradicit, nostram insectari fidem, ut qui ea opinaremur, quæ divinæ naturæ minimè congruant. Non enim fas est dicere ipsam per se sapientiam & bonitatem & incorruptionem, & si est aliqua sublimis intelligentia & sublime nomen, transmutatum esse in contrarium. Si ergo Deus quidem est vera virtus, nulla autem natura tanquam adversa statuitur virtuti, sed vitium: Deus autem*

Orat. Catech. c 15

tem non gignitur in vitio, sed in natura hominis; sola autem est indecorata & turpis quæ ex vitio est affectio, in qua nec genitus est Deus, nec ea est ejus naturæ, ut gigni possit. Cur pudet eos fateri Deum humanam attigisse naturam, perinde ac si ratio virtutis consideretur contraria conditioni hominis? Neque enim rationis & intelligentiæ esse participem, neque scientiæ esse capacem, neque quidquam aliud ejusmodi, quod est proprium humanæ essentiæ, repugnat rationi virtutis.

IX. Insũt & carnĩ semina numerique sapientiæ.

Quæ Nysseni ratio pulcherrima mihi quidem videtur & invictissima. Nam si Deus ipsa per se sapientia & justitia est, non abhorret ille, nisi ab insipientia & injustitia: à natura ergo hominis, vel carnis non abhorret, quia nec ista, nec ulla penitus natura vel insipientia est, vel injustitia. Quin imò cùm Deus ipsa sit per se sapientia & per se justitia, propendet quodammodo ad ineundam cum natura hominis & carnis copulam: quòd hæc natura sit avida bibulaque sapientiæ & justitiæ; aptaque nata sit vel ipsa caro, ut per eam media anima rationali exerat se, suasque dotes & artes explicet sapientia atque justitia. Creatrix quippe naturarum omnium sapientia atque justitia, summis imisq; cunctis numeros inscripsit suos, & ineffabilia quædam summæ artis & rationis lineamenta: quæ si cominus inspicerent quicumque carni obtrectant, non obtrectarent jam ut alienæ à Deo naturæ, sed adgauderent ut consentaneæ, numerorumque suorum elegantia æmulanti æternos & incorruptibiliter viventes in summa sapientia numeros.

X. Si naturarũ dignitatem spectes, perinde õnes indignę Deo sunt. Sed illas Deo sua commendat indigentia.

Et quidem si ipsarum per se naturarum dignitas esset pendenda, omnes æquè abjiciendæ forent, & divino longè arcendæ congressu, utpote ab altissimo & inaccesso Deitatis fastigio æquè summotæ, quia infinitè dissitæ. Cùm ergo peræquè omnes dignæ indignæve sint, nil Deo dignum superest, nisi indigis, indignisve benefacere. Non intercluditur ergo à divinæ copulationis spe, nisi vitium, aut si qua natura est Deo minimè indiga. Quæcumque autem indiga est, indigentiæ nomine satis superque commendatur, dignaque fit. Nyssenus Orat. Catech. c. 27. & 28. *Nihilo tolerabilior videtur esse turpitudo & dedecus, quòd Deus cælestis corporis figuram susceperit, quàm terrestris. Ab ejus enim qui est altissimus, & ad cujus altitudinem non patet aditus, natura, ex æquo distat omnis creatura, & sunt omnia ei æqualiter subjecta. Quamobrem si terrestrem naturam existimabunt indigam, quæ cum Deo connectatur, neque ulla invenietur digna. Quod si ex æquo omnia sunt indigna, unum superest quod Deo conveniat, nimirum egenti benefacere. Ubi ergo est morbus, illuc medicatricem venire potestatem confitentes, quidnam credimus alienum ab eo quod ut decet de Deo est existimandum? Sed nostram ludibrio habent naturam, &c. Sed jam dictum est quod solum vitium est sua natura turpe, &c.*

XI. Infimo nostro non factus est infimus Deus, sed misericordissimus, eoque summus.

Infimum quoque nostrum & quidem maximè honestari, liberarique substantivo cum deitate nexu postulabat. Si nostra autem non fuit vera in Christo caro, expers eit hujus beneficii nostra caro, quæ inops maximè erat. Nostrammet ergo assumpsit Deus, ut infimum cum ipso nostrum consurgeret, non cum infimo nostro ipse descenderet. Fulgentius: *Suscepit ergo Filius Dei animam nostram, id est, melius nostrum, quia melior est meliore nostro, de quo Joannes dicit, Major est Deus corde nostro. Sed non sprevit etiam carnem nostram, id est infimum nostrum suscipere, quia totum hominem venerat liberare: nec potuit infimo nostro infimus fieri, per quem infimum nostrum in illud nomen quod super omne nomen est, meruit exaltari.*

L. 3. ad Trasym. c. 34.

XII. Non minus vera est caro servatrix, quam salus nostra quã tota salutis dispensatio

Tam vera est salus nostra per carnem, quàm vera est caro quæ operata salutem est. Et vicissim tam ludificatoria est salus, quàm caro. Nam per carnem passio, per passionem salus. In simulata carne passio umbratilis, ludibriumque salutis extiterit. Quin sine vera carne nec verè passus est, adeoque nihil passus est, nec mortuus est, nec resurrexit; atque ita spes nostra omnis intercipitur, & evertitur totum Dei opus, & Christiani nominis fructus corrumpitur. Quin etiam Christi gesta in carne omnia vanescunt in fumos, & præstigiæ quædam meraque mendacia sunt, & nec verè congressus cum hominibus est, nec convixit, nec virtutes edidit, sed fabulam egit, fucum fecit. Illud autem in primis propudiosum fuerit, quod adumbratæ carnis simulatam ipse cum subierit passionem, hoc nos exemplo præceptoque impulerit ad veram pro ipso passionem veramque mortem oppetendam. Verior ergo nostra passio fuerit, quo verior caro: eoque amplior & sincerior charitas, lausque discipuli quàm magistri prolixior. Tertullianus: *Iam nunc cum mendacium deprehenditur Christus caro, sequitur ut & omnia quæ per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint, congressus, contactus, convictus, ipsæ quoque virtutes. Si enim tangendo aliquem liberavit à vitio, vel tactus ab aliquo, quod corporaliter actum est, non potest verè actum credi, sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licuit. Putativus habitus, putativus actus: imaginarius operator, imaginariæ operæ.* Ita demonstrat vitam Christi totam in ventos abituram: pergit autem ad passiones: *Sic nec passiones Christi ejus fidem merebuntur. Nihil enim passus est, qui non verè est passus. Verè autem pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus. Totum Christiani nominis & pondus & fructus mors Christi negatur, quam tam imprese Apostolus demandat, utique veram, summum eam fundamentum Evangelii constituens, & salutis nostræ & prædicationis suæ, &c. Porro si caro ejus negatur, quomodo mors ejus asseveratur quæ propria carnis est, &c. Negata vero morte dum caro negatur, nec de resurrectione constabit, &c. Proinde resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est, &c.* Irenæus autem: *Hoc autem idem & illis occurrit, qui dicunt eum putativè passum. Si enim non verè passus est, nulla gratia ei, cum nulla fuerit passio; & nos cum incipiemus verè pati, seducens videbitur, adhortans nos vapulare & alteram præbere maxillam si ipse illud non prior in veritate passus est; & quemadmodum illos seduxit ut videretur eis ipse hoc quod non erat, & nos seducit, adhortans perferre ea quæ ipse non pertulit. Erimus autem & super magistrum dum patimur & sustinemus quæ neque passus est, neque sustinuit magister.*

per carnem & passio, &c.

L. 3. advers. Marcionem

L. 3. c. 20.

XIII. Male consulitur Christo, si cum carne exuatur etiã, ornatu & voluptate tot virtutum, quæ per carnem exeruntur.

Ita arrodunt Christi dignitatem, qui dum carne ipsum exuunt, exuunt & virtutum ornamentis, quibus extra carnem nihil loci est. Nec enim tantum laudis est, expertem esse carnis, quantum cruces & lanienas carnis superare invicta patientiæ vi. Hujus patientiæ laus & voluptas tanta est, ut eam vel Deus tota si qua foret, carnis indignitate pacisci velit; nec induenda carne ut obstrepunt, periculum adibit imminutæ Deitatis, sed fortiter exantlandis calamitatibus carnis, inexperta virtutum documenta, eademque Deitatis argumenta edet. Nec enim tam carere carne pulchrum est, quàm per carnis passiones justitiæ litare, totamque patientiæ virtutumque istiusmodi è carne efflorescentium voluptatem exhaurire. Tertullianus: *Numquid subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantaque documenta quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos vero ratio & structio, satis apertè non sermonibus modo in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini sustinendo*

L. de Patien.

probant his quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis. Et quod supra acutè solidèque tetigit Irenæus, gloriam Christi multò antecellerent Christiani, si ille quidem veræ carnis exors, exors quoque foret virtutum, quæ ex carne domanda demetuntur: hi autem carne, id est amplissima laudum segete cingerentur.

XIV. Nisi vera sit Christi caro nec ea, nec per eá ipsa Deitate pascimur in Sacramento. Denique si vera non est Christi caro, nec vera ejus membra nos censebimur, nec in sacramento corporis & sanguinis ejus, solido æternitatis cibo pascemur, sed umbra & inani ludibrio. Nam quomodo pinguescam de Dei carne, si caro non est. Quomodo saginabor de Deitate, si ejus ad me vehiculum caro deest. Si fallit & hiantem fugit caro, quantò magis Deitas? Si exteriori & contrectabili frustramur substantia, quantò magis interiori & incorporali? Nisi autem pane hoc vero vescamur, qui membra evademus Christi? Tertullianus (L. 3. contra Marcionē.): *Caro nec caro: homo nec homo: proinde Deus Christus nec Deus. Cur enim non etiam Dei phantasma portaverit? An credam ei de interiore substantia qui sit de exteriore frustratus? Quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in aperto?* Et Irenæus (L. 5. c. 2.): *Neque vere redemit nos sanguine suo, si non vere factus homo est, &c. Sic autem secundum hæc videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est, neque panis quem frangimus, communicatio corporis ejus est. Sanguis enim non est nisi à venis & carnibus & à reliqua quæ est secundum hominem substantia, &c. Et quoniam membra ejus sumus, & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipse nobis præstat, Solem suum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult; eum calicem qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem: & eum panem qui est à creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora*. Membra igitur Christi eo sumus, quo ejus corpore & sanguine vescimur, augemurque: non larva ergo, sed verum corpus, verusque sanguis ejus est. Nam si frustramur carne, quantò magis Deitate? Sic ergo & Dei & carnis phantasmate pasti, non membra, sed umbræ quædam spectrique portiones nos ipsi erimus.

XV. Quo aspernabilior per sese est caro & vitiis propior, eo artius conferēda Verbo liberatori. Carni ipsi nostræ quo magis adhæserat opinio vilitatis, ampliorem circumfundi à Deitatis consortio dignitatem conducebat, ut hoc velut fræno à finitimis sibi vitiis inhiberetur. Quo aspernabilior enim caro, eo & proclivior est, & excusatior sibi videtur esse ejus in voluptates prolapsio. At ubi Deitati innexa semel est, Christique membrum, & sempiternæ sapientiæ justitiæque accessio & veluti portio extitit, exhorret jam sordes infimas, ad superna anhelat, sanctimoniæ & Spiritus sancti domicilium se esse sentit & admiratur. Augustinus (De verbis A. post serm. 18 c. 1. 2.): *Si ergo Dominus noster Jesus Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra ejus non essent nisi animæ nostræ; quia verò corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex anima & corpore constamus, profectò illius membra sunt & corpora nostra. Si ergo unusquisque cupiens fornicari, vilescat sibi, & in seipso contemnat seipsum, saltem non in se contemnat Christum: Non dicat, Faciam, nihil sum, omnis caro fœnum. Sed corpus tuum membrum est Christi. Quo ibas; Redi. Quo te tanquam præcipitare cupiebas. Parce in te Christo; agnosce in te Christum*. Et infra: *Propter corpus Christi corpora nostra sunt membra Christi. Proter inhabitantem Spiritum Christi corpora nostra sunt templum Spiritum sancti. Quid horum in te contemnis. Christum, cujus membrum es. An Spiritum sanctum cujus templum es.*

XVI. Superbi Philosophi carni salutis spē fere abscisderant. Eviluerat etiam nimio plus natura corporum philosophis apud Gentiles quasi patritiis, ut quæ exspes insolensque beatitudinis foret, eoque abjicienda jactabatur. Conflictabantur secum ipsi tamen, cùm sydera rationalibus vegetari mentibus, eoque immortalia simul & beata esse animantia prædicarent. (Hanc restituit Christus.) Multò efficaciùs patrocinata est nostris corporibus Deitas Verbi, spemque beatitudinis & immortalitatis ferè dilapidatam resarsit, cùm corpori humano sese implicuit, eoque immortalem beatitatem reliquis hominum corporibus quasi oppigneravit. Augustinus (Civit. l. 10. c. 29.): *Cum vos etiam dicatis in cœlestibus esse immortalia corpora immortaliter beatorum, quid est quod ut beati simus omne corpus fugiendum esse opinamini, ut fidem Christianam quasi rationabiliter fugere videamini; nisi quia illud est quod iterum dico, Christus est humilis, vos superbi*. Æstuabat enim mentis superbia in contemptum carnis, seque beatitatemque suam sibi uni vendicabat excusso abdicatoque corpore. Cùm tamen non in summa, sed in media statione consistens mens, hinc Deo subsit, hinc carni præsit; beneficentiamque ut illinc hauriat, præstare hìc debeat; alioqui illic ingrata, hìc superba, beatitatem non corpori invidebit, sed sibi. Postquam autem Verbum caro factum est, jam caro & menti commendatior, & fœlicitatis immortalitatisque suæ certior est.

XVII. Sapientia in cōmutabili magis illuxit assumpto humano corpore quā mundana universitate. Sed & amplior hinc etiam humano corpori accrevit admiratio, quod cum sapientia rerum opifex universam hanc mundi corporei fabricam in ornamentum sui effudisset, latebat tamen adhuc, & humani generis parti longè maximæ necdum satis illuxerat. At ubi humano se induit corpore, eaque edidit quæ hominem assumptum condecebant, tum verò omnem dispulit caliginem, orbemque totum splendidissimo fidei lumine collustravit. Testificandæ ergo summi opificis Deitati plus contulit corpus humanum, quàm mundanum. An igitur phantasma est, quod Deitati efficaciùs suffragatur, quam orbis universus? An larva & spectrum est, quod fidem Deitatis effudit & constabilivit ubique gentium? Athanasius (L. de Incar. Verbi.): *Quandoquidem spes non erat, ut homines ex administratione rerum naturæ, istiusque universitatis Deum cognoscerent, merito factum est, ut humanum sibi corpus assumeret in instrumentum, eique incubaret; ut quoniam ipsum in rerum universitate deprehendere non poterant, saltem in parte ista non incognitum haberent; & quia suspicere nequibant ad invisibilem illius potentiam, saltem ex similibus ratiocinando, eam intelligere & contemplari valerent. Nam quatenus homines erant, ex corpore illius, corporisque quod paris cum ipsis conditionis erat, operibus divinis citiùs & propiùs ipsius Patrem omnipotentiamque divinam cognoscere potuere, facilè dijudicantes non esse hominis, sed divini numinis opera, quæ ab illo fiebant. Quod si secundum eos absurdum est ex operibus corporis, Verbum Dei omnipotentis cognosci, absurdum itidem fuerit eum ex universitate rerum deprehendi*. Non inane igitur corporis simulacrum fuit, quod instar fuit corporeæ universitatis, Deumque expressiùs fœliciùsque hominibus significavit & persuasit.

XVIII. Ruentes in corporalia post peccatum verò corpore assumpto excepit homines Deus. Postremo irrita & in cassum cecidisset ars illa pietatis in nos divinæ & solertia misericors, qua ruentibus in corporales formas hominibus objecit se medium, corporeumque se repræsentavit, ut defluentem in corporeos Deos religionem in se exciperet, reflecteretque sursum in suum fontem. Cassa hæc consilii divini esset sagacitas, nisi vero se corpore Deus obvelasset. Non enim simulacrum inane corporis simulacrum esse potuit Deitatis, sed verum corpus tota Deitatis plenitudine delibutum & exundans, summi Numinis veluti simulacrum fuit, non vacuum, sed plenum & superfluens, cultumque omnem in corporalia numinum figmenta lascivientem ad se pertraxit. Chrysostomus (Tom. 6. pag. 593.): *Postquam enim homines Deo derelicto statuas sibi humana forma sculptas finxe-*

finxerant, *quibus in creatoris contumeliam*, *cultum deferebant*: *propterea Dei Verbum cum Deus esset*, *hodie in hominis forma apparuit*, *ut mendacium dissolveret*, *& occultè in seipsum cultum omnem transferret*. Et Cyrillus Hierosolymitanus: *Relinquentes homines Deum fabricaverunt idola*. *Deo itaque in humana figura falso adorato*, *Deus verè homo factus est*, *ut solveretur falsum*. Non expugnavit Deus errorem errore, mendacium mendacio non profligavit; corporeum numinum figmenta figmento corporis non dissipavit, sed vero corpore deificato & Deitate vera verèque corporata, errorem veritate, superstitionem religione emendavit. Nam si falsa tunc numina in vero corpore, nunc verum numen in falso corpore oberraret oculis, inquinaretur utrobique mendacii contagione religio: & hìc quidem tantò fœdiùs quàm illic, quantò fœdius est ab ipsa veritate concinnari mendacia, nec vero Deo satis esse in seipso præsidii, nisi imponat & fucum faciat, ut umbraticum cultum eblandiatur.

Catechesi. 12.

CAPUT VI.

Veritas carnis Christi adversus Apollinaristas.

I. Refellitur stolidũ Apollinari commentum, de carne Verbo consubstantiali, quo mutabilis divinitas efficitur.

Declaranda nunc veritas carnis in Christo adversus Apollinaristas eosque omnes qui confusionis infamia laborarunt, carnisque naturam & passiones per Verbi Dei mutationem aliquam aggressi sunt exponere. Cujus erroris tanta insulsitas est, tanta stoliditas, ut illum retulisse, refutasse abundè sit. *Affirmat enim Apollinarius nequaquam adventitiam esse carnem illam ob naturæ nostræ instaurationem*, *ab unigenito Filio secundùm dispensationem assumptam*: *verùm carnalem illam naturam in Filio jam inde à principio esse*, ait Gregorius Nazianzenus. Hunc Apollinaris sensum affingebat his verbis: *Nemo ascendit in cœlum*, *nisi qui descendit de cœlo*, *Filius hominis qui est in cœlo*. Itemque his: *Secundus homo de cœlo cœlestis*. Quasi Verbum Deus carnis substantiam non novam creando; sed occultam expromendo, vel insitam exprimendo, aut ex sui veluti condensatione effundendo exhibuisset Deitati suæ æternaliter concretam, & ab ea indiscretam. Quo stolidius nihil, nihil impassibilitati divinæ contumeliosius dici potuit. Nec inficias ibat ipse, quin passa esset Deitas Verbi, ut pergit ibidem Nazianzenus: *Sed quod omnium indignissimum atque atrocissimum*, *ipsum unigenitum Deum omnium Judicem*, *vitæ authorem*, *mortis extinctorem*, *mortalem esse docet ac probare nititur*, *propriaque sua divinitate passum esse*, *atque in triduana illa corporis morte*, *divinitatem quoque simul cum corpore mortuam fuisse*, *sicque rursus Patris opera à morte ad vitam revocatam*. Hæc refert, nec refellit Nazianzenus, nisi dum refert, id abundè ratus esse.

Orat. 4.

II. Quaternitatem temere ab eodem objectatam, in eum validè repercutimus.

At Athanasius Epist. ad Epictetum multis insectatur hoc Apollinaris, postea & Eutycheris similiter insanientis portentum. Quàm immane enim prodigium illud est, si consubstantialis Patri Deo Verbi divinitas circumcisa, si sapientia æterna cruci confixa æstimetur! *Quis ita impius fuit*, *ut vel verbis diceret*, *vel animo cogitaret*, *ipsam Deitatem quæ Patri est consubstantialis*, *circumcisam fuisse*, *& ex perfecta imperfectam esse redditam*: *& illud corpus quod in cruce pependit*, *non corpus humanum*, *sed ipsam opificem rerum sapientiam fuisse*?

Rursum non jam Trinitas erit, sed quaternitas locum regnumque invadet, accedente nempe carne jam consubstantiali Deo. Quanquam illi ex adverso quaternitatem quasi ex nostro dogmate emergentem nobis objectarent, ut subdit ibidem Athanasius. At nobis cùm caro accessio sit tantùm Verbi, non quarta tribus, sed accessio unius è tribus accedit. Ipsis autem cùm tribus consubstantialibus consubstantialis sit & caro, meritò connumerabitur, quartumque locum implebit.

III. Patre etiam consubstantialis foret carni.

Rursum si caro consubstantialis est Verbo, cùm Patri consubstantiale sit Verbum, erit & Pater Deus consubstantialis carni, quod monstri instar habet. Erit enim creatis rebus accensendus jam non Filius tantùm, ut somniant Ariani, sed & Pater, utpote rei creatæ consubstantialis. Athanasius ibidem: *Vel inde scilicet rei absurditatem spectes*, *quod aiunt illud quod ex terra originem habet*, *consubstantiale esse Verbo*, *cum Verbum Patri consubstantiale sit*, *juxta Patrum protestationem*: *id si admittas*, *erit Pater quoque terreno corpori consubstantialis*. *Quid igitur causæ est*, *quod Arianos insectemini*, *quum aiunt Filium creaturam esse*, *cùm vos Patrem ratiocinemini consubstantialem esse rebus creatis*?

Adde Ambr. L. de Incar. c. 6.

IV. Sed meritò stomachum movet illa Verbi deformatio in carnem, ossa, pilos. idem ibid.

Sed cui non stomacum moveat illa Verbi Dei demutatio & deformatio in carnem, ossa, pilos? *Quin etiam in aliam impietatem transitum fecitis*, *asserentes Verbum in carnem*, *ossa*, *pilos*, *nervos*, *imò prorsus in corpus*, *mutata priori natura abiisse*. Et infra: *Quum inalterabilis planè & incommutabilis sit Verbi substantia*, *ipso teste Salvatore*, *Videte*, *inquit*, *quod ego ipse sum*: *Paulo quoque id indicante*, *Jesus Christus heri*, *& hodie*, *ipse in sæcula*.

V. Et incarnatio & Mariæ puerperium tanescit, si nihil ex nobis sumpsit Verbum.

Et quorsum totus ille Verbi in Mariam & in orbem adventus, si sua illi caro concreta erat ante sæcula? Si nihil ex Maria sumpsit, nihil ex nostris adsumpsit, quid incarnatio, quid nativitas ejus, nisi præstigiæ quædam? *Si enim consubstantiale Verbum est corpori*, *superfluum est*, *ut Mariæ vel mentio vel usus habeatur*: *cum corpus illud ante Mariam ab æterno constiterit*, *quemadmodum & Verbum*, *si modo illud est coæternum corpori secundùm vestram disciplinam*, *Quorsum igitur necessarius fuit Verbi adventus*: *an ideo scilicet*, *ut sibi consubstantiale corpus indueret*, *vel mutatus alienatusque à sua ipsius natura*, *in corpus degeneraret*? *Non enim seipsum Deus assumit*, *ut sibi quod consubstantiale est induat*.

VI. Si Verbum per sese mori poterat, nil opus erat inhumanari.

Si Deitas enim Verbi ipsa per se pati quidpiam potest, nihil opus erat naturam ut humanam sibi accerseret, cùm mortem ipsa posset oppetere, hominumque salutem constituere. Theodoretus: *Passus namque est secundùm humanitatem*, *impassibilis verò mansit ut Deus*. *Quod si ut impii dicunt*, *secundùm divinitatem passus est*, *supervacanea utique fuit carnis assumptio*. *Nec enim passibili humanitate indigebat*, *cum passionem posset natura divina recipere*.

Epist. 130.

VII. Apollinaris & Eutychetis cũ Ario consanguinitas.

Observavit Vigilius Martyr ab Arii voragine fluxisse Apollinaris & Euthychetis fœculentam hæresin. Dum enim Verbi carnisque unam delirant esse naturam, carnisque cruciatus Verbo illidunt ipsi, à paterna longè illud exturbant æqualitate: dumque Mariæ Filium ita interpretantur, ut nihil ejus substantiæ sumpserit, consentiunt Ario perinde argumentanti Dei esse Filium, etsi divinæ substantiæ in totum sit expers. *Tandem reperimus Eutychianam amarissimam hæresin*, *ex Apollinaris amarissimo fonte derivatam*, *usque ad canulentam Arrii voraginem turbidis ferri meatibus*; *quibus in tantum perfidiæ copula jungitur*, *ut omnia ad divinitatis contumeliam referat*, *quæ Christus secundùm dispensationem carnis*, *aut locutus est*, *aut peregit*. Et rursus: *Nec hinc eos Ariana hæresis insolubili quæstionis laqueo retineat obligatos*, *tali objectionis syllogismo utens*: *si Filius Dei natus ex homine matre*, *nihil ex ea habuit quod humanæ esset naturæ*: *sine dubio natus ex Patre*, *nihil ex eò habuit*, *quod ejusdem possit esse naturæ*.

L. 1. paulò ante finem.

Idem L. 3.

VIII. Asseritur à Fulgentio Verbi impassibilitas, utpote sapientiæ, veritatis, &c. L. 3. ad Trasi. c. 29.

Sed omnino ineluctabile est istud argumentum Fulgentii; passionum mutationumque quarumlibet impatiens natura Verbi, utpote quod sapientia sit & virtus, & lux & veritas & lætitia, ipsa per se incommutabiliter vigens, sincera & incontaminata, nulla subjecti corruptela, nulla contrarii conflictatione inquinabilis, in summo agnatæ impassibilitatis sacrario fulgurans. *Dei Filius Verbum, & sapientia Patris, ipse est salus, de quo Propheta dicit, Salus nostra cito veniet. Ipse virtus & sapientia, Christus enim Dei virtus, & Dei sapientia. Ipse saturitas, quia panis est qui de cœlo descendit. Ipse via, ipse veritas, ipse vita. Idem gaudium & lætitia nostra, de quo Propheta dicit, Et factum est mihi Verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei. Ipse lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. His nominibus superius designatis incommutabilis atque impassibilis invenitur. Ægrotare non potest salus. Infirmari non potest virtus. Nescit saturitas esurire. Via nequit errare. Sapientia non mutatur. Vita non moritur. Lumen non extinguitur, nec veritas depravatur, nescit tristari lætitia, Deitas non potest superari.* Hoc insuperabile penitus telum est, illud ergo ut declinarent.

IX. Refellitur causatio aientium quāvis impassibile, pati potuisse ex omnipotentia. Epist. 144.

Effugium hoc sibi primum nonnulli captabant, ut Verbum impassibile quidem, sed & omnipotens esse prætenderent, idque omnipotente vi obtinuisse, ut quamlibet impassibilis natura, pateretur. Hanc tergiversationem refert, multisque insectatur Theodoretus. Demonstrat enim eò omnipotentiorem esse Deum, quò ea non potest, quæ posse impotentiæ est: Nam, exempligratia, mentiri, desipere, mori mutarique posse, non omnipotentiæ argumentum est, sed impotentiæ; sicut & quòd mori non possit anima, non infirmitas, sed potentior vivacitas est. Omnipotentia ergo id sua Deo præstat, ut nec pati possit, nec mori, & nec velle id possit: ea enim si vel velle posset, ex impotentia posset. *Nos igitur omnia quidem posse Deum universorum dicimus, sed omnium vocabulo sola honesta & bona comprehendi.* Deinde ostendit nec errare, nec mentiri posse Deum, nec sua se Deitate aut dominatione spoliare. *Multa ergo impossibilia sunt Deo, sed hæc impossibilia non imbecillitatem arguunt, sed potentiam maximam demonstrant. Neque enim cum de anima nostra dicimus, impossibile esse illam mori, imbecillitatem ejus enunciamus, sed immortalitatis potentiam prædicamus. Sic igitur cum immutabilem, impassibilem, immortalem Deum esse confitemur, nec passionem, nec mutationem, nec mortem tribuere illi natura possumus. Quod si dixerint, Quodcumque vult potest Deus, dicendum illis est, nihil velle facere quod naturæ non congruat. Natura autem est bonus, nihil ergo vult mali. Natura est immutabilis, mutationem ergo non recipit.*

Dialog. 3. de Impatibili.

Prolixiùs alibi hoc ipsum edisserit, multaque exequitur impossibilia, quæ omnipotentiam Dei magis magisque commendent; putà mentiri, perperam agere, &c. *Horum nihil posse non infirmitatis, sed immensæ potentiæ signum est; posse autem, non potentiæ utique, sed impotentiæ, &c. Adeo enim verax est, ut impossibile sit mendacium in eo unquam esse. Veritatis itaque potentia impossibilis mentione significatur.* Et tandem concludit: *Si ergo multa sunt Deo impossibilia, quotquot videlicet ipsius naturæ repugnant, quid causæ est cur alia omnia quæ naturæ sunt, omittentes, ut bonum esse, justum, verum, &c. solas immortalitatem & impatibilitatem mutabiles esse dicitis, & mutari posse in illis conceditis, Deoque potentiam infirmitatis indicem adsignatis?*

X. Non potest voluntas in exitium naturæ suæ ferri.

Præterea non potest sic voluntas adversari naturæ, ut quod hæc respuit, illa imperet. Cùm vel maximè in Deo voluntas & natura unum idemque sit, non potest consociari & impassibilitas & patiendi voluntas. Ubi autem non idem quod natura voluntas est, utcumque voluntas se agat, natura constat invicta. Author Dialogorum, qui in alterum Athanasii tomum conjecti sunt: *Cùm naturam divinam passioni obnoxiam esse demonstrare nequeant, voluntatem calumniari non dubitant, & de natura rogati, de voluntate respondent: si natura passionis capax est, habeat locum voluntas: sin licet decies millies de voluntate constiterit, fieri non potest, ut naturæ proprietas subvertatur: qui non insaniant? qui quia voluit, passum esse dicunt? Quis enim sanæ mentis homo ignorat, requiri necessariò voluntatis cum natura consensum; nec in contrarias ferri eas & moveri partes, sed manere quidem naturam in terminis propriis, velle vero naturam quod naturæ & intelligentiæ conveniat? Itaque naturam & voluntatem inter se committit, qui aliud ferre naturam, aliud suadere voluntatem dixerit.* Hoc intercluso. Athan. To. 2. pag. 257.

XI. Eliditur alia aliorum causatio, passum esse Verbum impassibiliter. Dialog. 3. de Impatibili.

Effugium alterum commenti sunt alii, causati impatibiliter passum esse Verbum, quo nihil pugnantius, nihil insulsius imaginari quisquam possit, ut mihi quidem captasse risum videantur, qui tam ineptas nugas effutiebant. Theodoretus: *Eran. Impatibiliter passum esse dicimus Orth. Et quis compos mentis ridiculas istas verborum ambages ferat? Impatibilem enim passionem nemo unquam audivit, nec mortem immortalem. Quod enim est impatibile, passum non est: & quod passum est, impatibile non manet. Nos verò divinum Paulum clamantem audimus, Qui solus habet immortalitatem.* Et apud Athanasium seu Maximus seu Theodoretus, ut vult Petavius, sive quivis alius author dialogi adversus eos qui impatibiliter passum dicunt Verbum: *O stultam sapientiam! O jocularïam disputationem! Passus est impatibiliter. Antequam audiam hoc verbum, quid significet, passus est, obliviscor. Nam quod adjicitur, impatibiliter, id & mortem & sepulturam & resurrectionem tollit, in quibus salutis nostræ cardo vertitur. Si enim passus est, quomodo impatibiliter? si impatibiliter, quomodo passus est? Loquemur sine voce, intelligemus sine mente, &c.* Et paulò infra: *Iam patientia quomodo demonstrabitur ex impassibili passione? Quomodo dicitur patiens, si dolorum sensum non capit? Qua re ostenditur illa ineffabilis planèque incomparabilis Dei in homines amoris propensio, si dolorum expers fuit passio:* Parco pluribus evertere cavillationem futilitate sua sponte evanescentem.

XII. Itē eorum, qui, nō passum, sed cōpassum Verbum garriebant.

Effugium peræquè insulsum aliorum fuit, qui Verbum non passum, sed compassum dixere; seu affectum esse, sin minùs patiendo, certè carni suæ compatiendo. Hanc cavillatoriam ludificationem pulcherrimè exagitat Claudianus Mamertus Lib. de statu animæ, ubi nec affici, nec pati, nec compati Deum posse astruit ex omnimodæ incommutabilitatis prærogativa. *Sequitur scilicet ut quem dicis affici, astras commutari. Quidquid afficitur, patitur. Pati vero non est, nisi patibilis creatæque substantiæ. Quæ quoniam à summa essentia quæ Deus est, ut existeret, vocata de nihilo est, inter illud de quo facta est, & illud ad quod facta est, media: ita superioribus affici potest, ut proficiat: sicut inferioribus, ut deficiat. De anima quippe loquor humana. Igitur nec nihilum affici aliquo pacto potest, quia substantiam non habet: nec Deus, quia detrimenta non sentit, augmentave non recipit. Afficiuntur autem media, vel profectu, vel defectu. Enimverò quidquid afficitur, patitur: & quidquid patitur, non esse Deum nemo sanorum inficiaverit.* Sic ille suo more altissimè repetit mutabilitatis omnis originem, ut ab ea Deum abesse longissimè palam faciat. Afficiuntur autem mutanturque naturæ inter Deum & nihilum mediæ, vel profectu ad Deum, vel defectu ad nihilum; & hoc totum est mutari, ab imo ad summum, à nihilo ad Deum, ultro citroque ire vel redire. Non ergo Deo ipsi competit vel affici vel mutari, sed afflatu reflatuve suo afficere L. 1. c. 3.

ficere & mutare omnia. Pergit ille: *Cum is ipse cui contradicimus, haud dubie fassus sit, crucifixo homini Deum fuisse compassum. Quidnam quæso istud est? Non sensit patientis sensu, sed sensit compatientis affectu. Quid est, sensit, quidve, non sensit? Aut quomodo passus est, si non sensit? Numquid si quispiam dicat, ambulat ille, & ille coambulat: aut loquitur ille, & ille colloquitur: non & colloquentem loqui, & coambulantem ambulare significat? Aut si quis ait, mortuus ille est, & ille commortuus, nonne utrumque mortuum fuisse comprobatur? Nam qui commoritur, utique moritur. Ergo & qui compatitur, utique patitur. Passa est igitur, si compassa divinitas.* Et infrà: *Quod dicis, ut lux plagam non sentit, ita divinitas vulnus in passione non sensit. Si ita est, vulnerari ergo potuit, et si sentire non potuit; unumque fuit insensibilitatis, aliud corruptibilitatis. Non enim pro incorruptibilitate non doluit, si vulnerari potuit: quia lux insensibilis est, pariter & vulnerabilis.* Et infrà: *Non igitur dicendum est, non afficitur passibiliter Deus, sed, non afficitur Deus. Si non afficitur, non sensit compatientis affectu.*

XIII. Quiè Catholicis & quo sensu Verbum cõpassum esse scripserint. L. 2. contra Eurych.

Cæterùm seposita tantorum virorum authoritate, ratio eorum ipsa plus satis habet momenti ad extorquendum assensum à cordato quolibet. Et tamen & nomine magno, nec impari eruditione complusculi Deitatem carni affectu & compassione quadam consociavere. Vigilius Martyr: *Passionis injurias etiam divinitas pertulit, sed passionem sola ejus caro persentit: sicuti solis radium vel flammæ corpulentiam rectè dicimus posse quidem gladio secari, non posse tamen dirimi, &c. Dicam adhuc manifestius, confixa est divinitas clavis, sed ipsa penetrari non potuit, &c. Perferre passionem naturæ est utriusque, sed cedere passioni non est utriusque naturæ, cum sit unius denique personæ.* Sed & Alcimus Avitus: *Sicut & ipsa caro nostra, resurrectionis dono impassibilis futura post mortem est, sic Deus qui sentire obitum non potest, suscepto corpori cui unitus adhæserat, sine patiendi acerbitate compatiens, nec defuit in salutis nostræ glorioso agone, nec doluit. Contra hujus distinctionis sensum hæresis adversa se subrigens, veris cruciatibus nec Christum patitur inclinari: cum in ipsa divinitate in qua inveniri non potest afflictio corporalis, interdum tamen pietatis reperiatur affectio.* His adversa fronte collidi videntur ea quæ ex Mamerto supra exscripta sunt. Sed expressiùs adhuc Etherius & Beatus: *Non enim natura cælestis crucis sensit injuriam, sed pes conditionis humanæ in sanguine passionis intinctus est. In illo enim patibulo nihil pertulit Deus patientis sensu, sed pertulit compatientis affectu. Nihil pertulit pro diversitate, sed pro unitate personæ. Nihil Deus pro infirmitate passus est, sed pro dignatione compassus est.* Hæc planè ipsissima sunt verba, in quæ Mamertus invehitur; & ab eo fortassis excerpta, in quem stylum ille distrinxerat. Nam hi ab ejus ævo longè abfuere. Porro tametsi usurpata sint ab his ea verba, quibus compatientis affectus Verbo adsignatur, & in quæ stomachabatur Claudianus Mamertus; errorem tamen ipsum execrati sunt, nec impassibilitati Verbi labem intulere ullam, utpote cui passiones non adscripsere, nisi propter personæ unitatem.

Epist. 2.

L. 1.

XIV. Ut lex chartæ, ita Verbum carnis dilaniatione impatibiliter compatitur.

Cæterùm sospite & incolumi impassibilitate sua qui tamen passus esse carne, crucique fixus dicatur Deus Verbum, felicissimè illi videntur elucidasse qui ita Verbum carni, ut veritatem seu legem chartæ, illigatum esse interpretati: ut conscissa charta veritas lexque inviolabilis permanet, & conscinditur tamen quodammodo; ita confossa carne sua Verbum incommutabile demonstrant non confodi quidem, sed ea tamen injuria respergi. Ita Theodotus Ancyranus Episcopus: *Cum imperiale Verbum secundum se impatibile, taleque sit, quod sua ipsius natura nec manibus contrectari, nec discindi possit; & tamen ipsum quoque discissum dicitur, quia chartæ & literarum passionem tanquam propriam in se transfert. Cernis hinc quo pacto id quod nulli secundum se passioni obnoxium est, eo ipso passioni subjiciatur, quod cum patibili natura communicationem sortiatur. Neque enim sermo, quod ad propriam naturam attinet, dilaniatus est; & tamen chartæ elementorumque passionem in se excepit. Ne igitur jactet se Judæus tanquam qui purum hominem cruci affixerit. Nam quod cernebatur, charta quidem erat: quod verò in ea abditum latebat, regius erat sermo, non lingua, sed natura productus. Verbum namque unigenitus dicitur, non prolatitium, sed substantiale ac subsistens, neque in propria natura patiebatur aliquid, cum esset impatibile, sed illius quod cernebatur patique poterat, passiones in se transferebat. Et quemadmodum sermo regius, & literarum naturam in se suscepit, & chartæ passionem sibi ipsi appropriavit; ita unigenitum Dei Verbum crucifixi corporis passiones sibi fecit proprias.* His elegantiora ne à Theodoto quidem desiderare quisquam poterat.

Cõc. Ephesini par. 3. c. 10

XV. Adeo nõ patiebatur Verbum, ut impatibilitatẽ carni suę patienti, & tãdẽ toti naturę immortalitatẽ impatiretur.

Per passiones suas Christus nostras profligavit passiones, impassibilitatemque impertiit omnibus & adseruit: at si Deitate cum carne in confusionis concreationem coalescente, passus esset, exors esset ipse hujus potestatis, exortes essemus & nos hujus beneficii; nam passiones nostras qui debellasset, quem suæ totum prostravissent? Impassibilitatem qui donasset aliis, quam nec ut Deus ipse obtinuisset? Ergo necesse est, ut indivisè quidem, sed & inconfusè implexa carni Deitas & superextans, adeo non passiones ipsa persenserit, ut impatibilitatem suam commodaverit tandem carni patienti, & ab ipsa in omnia ejus membra refuderit, quo semel passi impatibiles, & semel mortui immortales deinceps exciteremur omnes. Fulgentius, *Quomodo verbum crucis, virtus est Dei, si in cruce divina substantia potuit infirmari? Vel qualiter nos ad immutabilitatis atque incorruptionis gratiam perducturus est Christus, si ipse secundum divinam naturam probatur in deterius commutatus? Cum divinæ naturæ sit proprium, nec defectum capere, nec profectum.* Nequicquam carnis infirmitates suscepisset, quasi conterendas, si conterendus ab ipsis fuisset. Si autem inviolabilis Deitas in carne tantùm passiones excepit, nec iis se passa est vel attingi, potuit utique & eas perdomare, & carnem ipsam suam eximere tandem, & impassibilitatis suæ rivulos quaquaversum diffundere.

L. 3. ad Trasi. c. 3.

XVI. Passibile nõ erat Verbũ quod per carnis passiones impassibilitatem affudit humano generi.

Nec sibi tantùm aut carni suæ, sed ipsis carnis suæ passionibus membrorumque deinceps suorum vim quandam inspiravit divinitas Verbi, passionum excantatricem, & initiatricem impassibilitatis. Ut passio justitiæ ergo exhausta, jam non passio, sed passionum medicina fit, & dolor voluptatum scatebra, & mors immortalitatis aditus. Non ergo passionum incursu de impassibilitatis suæ statu depulsus est, qui passionibus ipsis impassibilitatis suæ auram afflavit. Theodotus Episcopus Ancyranus: *Quam ob causam naturæ humanæ passiones sibi proprias fecit? Quia passiones per passionem adimere, mortemque morte abolere, ac similia similibus voluit debellare. In se suscepit crucem, suam fecit alapam, vincula sua fecit, ut Dei propriæ effectæ passiones adversus passiones acciperent potestatem. Neque enim Dei natura læsa est, nec per sui mutationem passiones in se suscepit, sed virtutem illis divinam contra ejusmodi passiones tribuit. Mors namque velut ipsius Dei facta, mortem destruit.* Etenim, adeo non Verbum quasi carni concretum, passioni succubuit, ut nec caro ipsa posthac succubuerit; adeo non de impatibilitate sua decessit, ut ipsis passionibus impatibilitatem concesserit; adeo non mortem subiit, ut morti ipsi immortalitatis radicem inseruerit. Idem ibidem, *Si enim Deus non sibi proprias*

Conc. Ephesini. par. 3. c. 10.

Ibid. c. 9.

asserit passiones, unde passionibus Christi tot recte facta? Quomodo sunt facta virtutes? Quomodo morte perempta esset mors, nisi Deus propriam sibi eam fecisset? Sed istæ passiones propria facta Dei, virtutem quidem tot rerum bene gestarum ex divinitate perceperunt: ut quæ Deo appropriatæ fuerint; substantiæ verò divinitatis non nocuerunt, in sua semper impassibilitate duranti. Unde jam abrogandus est pristinus vocum usus, & passio non jam passio, nec mors, mors; sed passionum medela, & impatibilitas immortalitasque nuncupanda est. Ibidem inferiùs: *Nam etsi passiones naturaliter dicuntur & sunt, sed tamen nostrarum fuerunt medicina passionum. Nequaquam ergo de cætero hæc passiones appelles, sed passionum nostrarum potius medelam.* Quam spem nobis pulcherrimam corrumperet Dei cum homine in unam naturam coalitio, & utriusque æqua per passionem mortemque prostratio.

XVII. Si impatibilitas Verbi periclitaretur, de ea nos merito spe abjicere-mus. Epist. 145.

Omnis planè impassibilitatis consequendæ spes fracta nobis jaceret & extincta, si passiones Christi divinam etiam impassibilitatem in discrimen conjecissent, nedum à natura nostra insitam passibilitatem ejecissent. Theodoretus: *Factus quippe est homo Deus Verbum, non ut passibilem redderet naturam impassibilem, sed ut passibili natura impassibilitatem largiretur.* Qui enim præsidio nobis foret, qui nec sibi fuisset? Quæ passionibus non cederet humanitas, quibus cessisset & Deitas? Quare ut ait Atticus Episcopus Constantinopolitanus:

Parte 2. Act. 1. Conc. Ephes.

Mortuus est immortalis existens, ut morti mortem inferret: & resurrexit, nostram constituens resurrectionem. Et hæc omnia suscepit non natura Deitatis, sed assumptione carnis: illa quidem in azylis habitans suæ impassibilitatis: hæc autem omnia passus & tolerans, ut fieret optimi instituti dux & legislator.

XVIII. Pro nostra non debuit immolari, nisi nostræ cognata caro & natura.

Enimverò quid necesse erat, in unam ut concresceret naturam Deitas cum carne, atque unà pateretur, quæ à peccato intaminata & incontaminabilis fulgebat? Fas enim æquumque erat, ut quæ peccaverat, eadem pateretur natura, sui generis culpam suo expiaret sanguine, pretiumque suum dependeret de suo. At Deitas ut à peccato, ita à peccati pœna immunis, ita carni copularetur, ut suam magis ipsi immunitatem & impeccantiam infundere, quam ejus passionibus perfundi posset.

L. de incarn. n. 6.

Ambrosius: *Nam quæ erat causa incarnationis nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur? Quod peccaverat igitur, hoc redemptum est. Non est ergo immolata divinitas Verbi, quia non peccaverat divinitas Verbi: & ideo non est Verbi natura in carnis conversa naturam, quia immunis peccati divinitas, pro peccato quod non fecerat, se non debebat offerre.*

XIX. In unione personali dominatur natura Verbi, & naturam inferiorem sub jugat sibi, nõ se illi.

Et quod caput est rei totius, consertæ quidem sunt in Christo Deitas & humanitas, penitissimaque immeatione implicitæ, sed ita tamen ut natura superior suo fruatur dignitatis privilegio, & invadat inferiorem, non invadatur vicissim: afficiat non afficiatur: agat, nec agatur: operetur per carnem, non propter carnem patiatur. Usque eò valet enim nominum proprietatumque reciprocatio, ut natura infima superioris locupletetur & perficiatur formatione; non ut superior inferioris quasi contagione polluatur. Organum est caro Deitatis, ut per Deitatem agatur: non Deitas carnis, ut hæc per illam patiatur. Accessio est caro Deitatis, ut in ejus jura & prærogativas adsciscatur: non Deitas carnis, ut in carnis devolvatur injurias.

L. 3. c. 15.

Damascenus: *Patienti enim carni conjuncta erat divinitas, impassibilis manens, passiones perficiens salutares, & operanti Dei Verbi divinitati conjuncta erat sancta anima, intelligens & videns quæ perficiebantur. Igitur proprias glorificationes divinitas corpori transfundebat: at ipsa permanebat passionum carnis immunis. Non enim quemadmodum per carnem divinitas Verbi operabatur, hunc etiam in modum per divinitatem ejus caro patiebatur. Nam caro divinitatis organum est.*

XX. Exēplo ferri candentis id patet.

Nec ipsa enim corporum commixtio tam temeraria aut tumultuaria est, ut non suus constet superioribus honos & authoritas illibata. Ignis ferro combibitur, nec ejus tamen vel nigrescit fuligine, vel frigore tepescit, sed luce flammaque sua illud candefacit; quo æquius est arbitrari Deitatem non temerari humanæ carnis cruciatibus, sed & carni & cruciatibus ipsis afflare divinum quendam incorruptibilitatis vigorem? Basilius: *Quomodo igitur, inquis, Deus Verbum humana fragilitate non est correptus, aut inquinatus? Facile respondemus, sicuti & ignis de ferri proprietatibus non accipit. Nigrum quidem ferrum ac frigidum est; attamen ignitum ac candens, ignis formam subit. Et quanquam ex eo splendens, ignem tamen sua nigredine non inficit: itemque inflammatum flammam non frigefacit: sic humana Domini caro particeps divinitatis facta est, non divinitati propriam fragilitatem impertiit.* Fructus quippe totus incarnationis Dominicæ decoquitur, si de luto nostro sordidatur Deitas, non de Deitatis incorruptibili lumine limus noster innovatur. Idem ibidem: *Disce itaque mysterium. Ob hoc enim Deus in carnem venit, ut insitam carni mortem interficeret. Nam sicut venenorum antidotum corpori permixtum ac perfusum, omne superat noxium ac lethale: itemque ut in domo aliqua tenebræ luminis adventu diffugiunt: sic mors in natura dominans humana, divinitatis præsentia disparuit.*

To. 1. p. 606.

CAPUT VII.

De pulchritudine carnis Christi.

I. De Christi carnis pulcritudine sententiæ variæ.

MAgno contentionis æstu controvertitur hæc quæstio circa Christi carnem, dum mortalis inter mortales degeret eximia floruerit formæ venustate, an pravitate oris vilescere affectarit; an nec deformitate, nec formositate notabilis, auream sectatus mediocritatem, eo hominum sensibus affixorum animos oculosque, nec illexerit, nec alienaverit. In varias itum est sententias, quamvis suffragandi Christo ubique par studium, Patrumque vestigia venandi insistendique cura non dispar.

II. Sola sapientiæ & virtutum pulcritudo in carne etiã Christi cogitãda proponitur.

Nobis hæc postrema animo jam olim insedit sententia, ut & Christi dignitati magis consentanea, sanctorumque Patrum consona doctrinæ unanimi, tam à turpitudine ipsum, quàm à mollicie & lenociniis formæ abfuisse; neutroque conspicuum, unam innocentiæ & justitiæ, sanctimoniæ & veritatis, virtutumque omnium pulchritudinem præ se tulisse. Quandocumque ergo humana Christi pulchritudo occursabit animo, si carnalium ejurare præjudicia, si Christianum quid sapere, si quid spirare Theologicum & ad antiquæ sinceræque Patrum fidei normam exactum elimatumque meditamur, non nitor oris, non formæ lepos, quantus fingi poterit maximus, illi affingatur, sed modestiæ venustas, sed justitiæ & innocentiæ flos, sed sanctitatis virtutumque lux emicans erumpensque & effulgurans ex carne, & in vultus corporisque totius compositione explicans sese, ut nec carnis pulchritudo, nisi de intelligibili virtutum lumine splendeat.

III. Christus tẽporalia omnia aspernari, quod erat institutum ejus, nõ edocuisset, si formæ elegantiã magnifecisset.

Primò enim id consilii capessiverat Christus, ut à temporalibus refigeret nos, æternisque infigeret, ut à corporeis trajiceret ad incorporea, ab humanis ad divina. Hoc ille unum carnis suscepta dispensatione moliebatur, ad hoc & carnem & totam in carne vitam composuit. At conspicabilior oris elegantia pulcherrimo instituto moras injecisset. Num corpoream enim venustatem persuasisset

sisset floccifacere, quam ipse præcipuam vultu ostentasset? An quos in admirationem sui temporali & caduco coloris flore rapuisset, eos temporalia quælibet & caduca dedocuisset admirari? Annon exemplis quàm verbis, ut assolet, efficacior, formæ dignitatem magnifacere, & mirari, & excolere ut divinum quid, nos instituisset? Clemens Alexandrinus: *Non sine causa Dominus habere voluit vilem corporis formam. Ne quis videlicet formositatem laudans & pulchritudinem admirans, absisteret à sermonibus Domini, &c. in rebus mortalibus ac transitoriis adhærens, abscinderetur ab intelligibilibus.* Virtutum ergo magister ab infimis ad summa evehere aggressus humanum genus, vultus elegantiam indubiè fastidivit & contrivit, ut cujus rarissima sit cum pudicitia, cumque omni virtutum agmine concordia. Ut nunc enim post ruinam suam comparata est hominum natura, ubi venustiorem oris imaginatur formam, & lenocinia oculorum & vultus suavitatem ubi oculis haurit, rapitque introrsum, non potest non emollescere & lascivire, carnique altiùs & altiùs immergi. Et utcumque non emasculatam, sed virilem quodammodo pulchritudinem comminiscaris, humanum tamen & caducum & temporale quidpiam complectetur admiratio, & his acquiescendo divinorum æternorumque longam hauriet oblivionem. Facessat ergo à magistro virtutum, virtutum corruptela, pudicitiæ hostis implacata, terreni amoris gluten primarium. Defigatur in Christùm amor & admiratio omnis: cùmque ab eo temporalem corporeamque omnem illecebram exulare persuasum nobis fuerit, tum nisu toto æternam ejus divinamque justitię & veritatis pulchritudinem complectamur.

Stromatum L. 6.

IV. Incarnatio est exinanitio, & humanæ totius gloriæ abdicatio.

Secundò, quid carnis assumptio quàm exinanitio est? quid exinanitio quàm aucupatio vilitatis, dignitatis & elegantiæ abdicatio, carnalis totius pompæ fuga & humanæ gloriationis detestatio? Pompa autem hominum & gloriatio in ipsa primùm vultus pulchritudine superbit. Cùm ergo Christus nobilitatem, opes, aliaque omnia humanæ ostentationis ornamenta repudiaverit, altiùs inhærentem formæ gloriam primitùs abjecit. Nec enim assumptam contemnere, sed non assumendo contemnere & contemnendam sancire decebat. Sicut & nobilitatem & opulentiam non adscivit priùs, & pòst abjecit, sed in totum fugit. Nam assumendo consecrasset, & tum sibi, tum humano generi, ne abjicerentur, præscripsisset. Quippe semel assumpta & consortio Deitatis cohonestata, conculcari posthac piaculare videretur. Denique ipsa prima carnis assumptio, plenissima fuit exinanitio, plenissima ergo fuit humanæ de oris elegantia gloriæ ejuratio. Cyrillus exponens hæc verba, *Speciosus forma præ filiis hominum*, hæc habet: *Nemo autem potest dubitare, quin pulchritudo intelligatur de ea quæ est in gloria & natura Deitatis, omnia superantis. Quandoquidem carnis gloriationem nemo adscripserit Christo; nec in gloriam ipsius censuerit. Absit hoc. Totum enim mysterium Incarnationis ipsius est exinanitio & humiliatio; sicut scripsit de eo Isaias Propheta: Et vidimus eum, & non habebat speciem neque pulchritudinem: sed species ejus inhonorabilis, deficiens infra omnes filios hominum.*

L. 1. Glaphy. in Exod.

V. Totum pulchritudinis nomen in Christo occupavit Deitas & implevit.

Tertio, totum in Christo pulchritudinis nomen occupaverat Deitas, nihil ut etiam in carne, nisi ex resplendescentia latentis & erumpentis Deitatis & justitiæ, virtutumque concentus nitescere posset. Mentes etiam oculosque & admirationem hominum in se totam convertere pulchritudo Deitatis debet, totam suspendere, ut nec tantillum vacet de corporis pulchritudine vel cogitare. Est enim Christus Verbum Deus cum hominis accessione. Est Christus ergo ipsa per se subsistens, æterna, infinita & incommutabilis pulchritudo, substantiæ humanæ velo obumbrata. An ergo summæ pulchritudini accersenda est alia à carne præterea pulchritudinis accessio? An venustari illa per carnem se concupiit, & non potiùs obumbrari? Obscuritas ergo vilitasque formæ, quàm specialior venustas ejus instituto accommodatior erat. Etenim species carnis decoloratior, & exinanitioni obumbrationique Deitatis congruebat, & totam pulchritudinis laudem Deitati intactam illibatamque ita servabat, nihil ut ex ea præcerperet. Deinde pulchritudinem Deitatis incredibili quadam ratione magis imitatur corporum informitas quàm forma. Nam formosa Deitas est, non formæ alicujus lumine, sed formarum omnium anticipatione quadam imparticipata, & antecellente formas omnes informitate. Clemens Alexandrinus: *Quomodo autem quæ est in Ecclesia apud nos œconomia accepisset finem absque corpore: cum etiam ipse qui est caput Ecclesiæ in carne quidem informis transiit & specie carens, docens nos respicere ad id quod est divinæ causæ informe & incorporeum?* Hæc ille penitus aurea & Christiano Philosopho dignissima. Informitas ergo corporis, mirum dictu! formæ formarum Verbo, ipsique pulchritudini attemperatior fuit, utpote quæ à contemplanda summa pulchritudine minùs avocaret, nec præcerperet aut prophanaret pulchritudinis nomen: ipsamque Deitatis pulchritudinem ex ineffabili formarum omnium exuperantia redundantem propriùs æmularetur, expressiùsque repræsentaret. Denique ut summæ pulchritudini quasi accessio alia ex carnis specie expectaretur, id insulsum penitus dissonumque est. Cyrillus: *Ut intelligamus ea quæ carnis sunt, collata cum gloria Deitatis prorsus nullius esse momenti. Filius enim apparuit* ἐν εἴδει ἀκαλλεστάτῳ, *in specie valde deformi.* Insulsum est, inquam, quasi non tota exhausta sit per Deitatem virtutesque omnimodas admiratio, desiderare adhuc scrutarique in carnis terrena substantia fugientis pulchritudinis lineas discolores.

L. 1. Stromat.

L. 1. Glaphy. in Exod.

VI. Interest nostra, ne pulchritudo alia quàm pietatis & modestiæ existimetur.

Quartò, id etiam atque etiam commendandum, inculcandumque erat hominibus Christianæ pietatis documentum, & in quo plurimum momenti est ad salutem, ut ne qua existimetur esse pulchritudo, quàm justitia virtutumque sanctimonia; ut satis pulcher videatur, quisquis justus & sapiens est; ut deformitas non alia refugiatur, quàm nequitia: ut quò justior quisque, hoc pulchrior; quò iniquior, hoc turpior videatur: ut denique vultus ipse corpusque totum non ad aliam expingatur effingaturque pulchritudinem, quàm sanctitatis & justitiæ. Erumpunt enim ex animæ latibulo, eminentque & extant in propatulo, in fronte, in corpore toto virtutes æquè & vitia: nec faciem statim venustant virtutes, aut deturpant vitia, sed non rarò in plurima vultus venustate lascivit turpitudo conspicua vitiorum, contrà autem ingens virtutum species sublucet emicatque in nonnulla oris deformitate. Quin etiam cum vultus nitore insociabilis non rarò virtus est: ea imprimis quæ lapsus restaurat nostros, quæ carnis castigat lasciviam, quæ palloris amica est, quæ macilentiæ & jejuniorum socia; quæ pædore & humilitatis sordibus enitescit, quæ austeritate spectabili voluptatibus indicit exitium, quæ denique deformatione maximè corporis animæ primævam pulchritudinem reformat. Non potest ergo ad omnimodam & pulchritudinem & virtutem componi corpus: corrumpunt enim exterminantque corporeæ pulchritudinis partem aliquam nonnullæ virtutes. Utri ergo serviet, utri dicabitur corpus? An coloris suavitatem virtutis austeritati anteponemus? An pulchrius opinabimur, cuticulam nitere quàm sordescere humilitatem? Non ita obbrutuisse facilè credendus est quisquam, ut non virtutis squallorem carnis munditiis antehabeat. Ergo ne verbis

bis tantùm, ne factis dumtaxat sanctitatis magisterium insigniret Christus, sed ut ipso vitæ suæ tenore, ipsaque corporis sui structura, totiusque substantiæ suæ temperamento, virtutes commendaret, vitia proscriberet, solam justitiæ pulchritudinem & inscribendam animo, & explicandam in corpore, in nostra amandam, in aliena carne magnifaciendam ac dissuaviandam persuaderet: non formosissimi vultus elegantia spectabilem hominum se conspectibus offerre debuit, sed animo & corpore sola justitiæ & sanctitatis venustate insignem. Nam oris pulchritudo aliis naturæ sorte, Christo voluntatis arbitrio obtigerit; suum enim ipse corpus suo sibi voto finxit. Ergo si formæ splendorem in carne gestasset, ambiisse illum & magnifecisse, ambiendumque & magnifaciendum commendasse videretur.

Ennar. in Psalm. 44. Augustinus etiam in cruce ingentem Christi enituisse pulchritudinem, nempe ex justitiæ & sanctitatis lumine tum maximè fulgurante; solis autem Judæis ob incredulitatem quadrare illa apud Prophetam verba, *Vidimus eum, & non habeat speciem neque decorem*; denique ubicumque justus est, ibi & pulchrum esse Christum philosophatur. *Sed Judæorum personam gerebat Propheta cum diceret, Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem. Quare? quia non intellectu Intelligentibus autem & Verbum caro factum, magna pulchritudo est. Mihi autem absit gloriari, dixit unus amicorum sponsi, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, &c. Nobis ergo jam credentibus, ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus, Verbum apud Deum. Pulcher in utero Virginis, ubi non amisit divinitatem, &c. Pulcher ergo in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cælo, pulcher in intellectu. Summa & vera pulchritudo justitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, ubi deprehendis injustum. Si ubique justus, ubique decorus.* Et carnis pulchritudinem hìc venatur Augustinus in Christo, nec aliam tamen indicat, quàm ex justitia efflorescentem: ideo & tam pulchrum prædicat in ligno, quàm in cælo, quia & tam sanctum: ideo nonnisi Judæis deformem visum ait etiam in cruce, idque non deficiente in ipso specie, sed in ipsis fide: ideo enim deformem illius visum, quia visum injustum: denique totam Christi pulchritudinem etiam penes carnem, esse *in intellectu*, derivari *ex justitia, quæ vera & summa pulchritudo est*.

C. 14. in Cantic. Philippus Abbas Bonæ Spei illa verba explanans, *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*, geminam Christi pulchritudinem dumtaxat exponit, quà Deus est, ex paterna æqualitate: quà homo est, ex omnimoda impeccantia: *Mihi ergo tu pulcher es, mihi præcipuè decorus illucescis, qui & Deus in homine, & homo sanctus super homines innotescis: quem Filium Deo Patri æqualitas naturæ configurat, & hominem lex peccati & generalis hominum conceptio non obscurat.* Facessat ergo à contemplatione Christi alterius cujusquam pulchritudinis cogitatio.

VII. Christus in cruce etiam pulcherrimus, nec deformis, nisi cæcitati impiorum. De verbis Dom. Serm. 50.

Rursum Augustinus: *Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem. Talis in cruce apparuit, talem se spinis coronatus exhibuit, fœdum & sine decore, quasi amissa potentia, quasi non Filium Dei. Talis visus est cæcis. Ex persona quippe Judæorum hoc dixit Isaias, Vidimus eum & non habebat speciem neque decorem, quando dicebatur, Si Filius Dei est, descendat de cruce.* Ergo nec in cruce deformis videtur, nisi quia cæcis & quia injustus videtur. Nam nisi cæcutirent, stupendam planè justitiæ adeoque pulchritudinis speciem in illa carne ex illa cruce effulgescentem suspicerent. Cui succinit Bernardus, cur geminata voce *pulcher & decorus* in Canticis dicatur sponsus, ita acutè edisserens: In Cantica Serm. 45. *At certè in utraque Christi substantia dignum expressit omni admiratione decorem, in altera naturæ, in altera gratiæ. Quàm pulcher es Angelis tuis Domine Jesu in forma Dei, in die æternitatis tuæ in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidam perpetuus minimèque fucatus candor vitæ æternæ. Quàm mihi decorus es Domine mi, in ipsa tui hujus positione decoris. Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit.* En ut humana Christi pulchritudo, non ex formositatis fascino, non ex venustuli vultus lenocinio æstimanda est, sed ex pietate & charitate: ut ex contemptu etiam pulchritudinis pulchrior radiet, quia justior sanctiorque. Nec dissonat locus alter In Cantica Serm. 28. Bernardi, ubi tanta scatere pulchritudine Christum in ipsa crucis obnubilatione argumentatur, ut omnis inde scaturiat in omne genus hominum pulchritudo. *Nigrescit candoris zelo, lucro pulchritudinis. Multos candidos facit unius denigratio; non cum tingitur culpa, sed cum afficitur cura, &c. Nigrum sensus renunciat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium; nam fidelium mentibus formosus valde. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, formosus confessione latronis, Centurionis fide. Quàm formosum adverterat, qui exclamavit, Vere homo hic, Filius Dei erat.* Advertis quàm constanter contendant sancti Patres, nec crucis fœditatem ex vultus deturpatione, sed ex justitiæ fuga, vel ex Deitatis absentia depromere, ut conviciatoribus videbatur Judæis: nec carnis formositatem ex coloris aut vultus nitore, sed ex justitiæ in ipsa cruce tum maximè refulgescentis venustate derivare: nec ullatenus pati, ut corporea vel pulchritudo vel turpitudo loco ullo, numerove sit, aut verò vel in mentem veniat contemplantibus Christum suum Christianis. Denique nec sputa, nec vulnera, nec sanies, nec pallor ulla impressisse vestigia fæditatis visa sunt, nisi qua de peccato generis nostri, & de assumpta carnis peccati similitudine pullulabant. Quibus tamen quia innocentiæ lux, justitiæque & mansuetudinis & veritatis decus eximium supernatabat, hinc pulchritudo vehementior renidebat. Idem Bernardus: *Ipse autem vulneratus est* Serm. 25. in Cantica. *propter iniquitates nostras, &c. Ecce unde niger,* Serm. 2. in *&c. Denique seipsum fecit peccatum, & nigrum di-* Dom. 1. post *cere verear, &c. Ergo formosus in se, niger pro-* Epiph. *pter te. Quàm formosum & in mea forma te agnosco Domine Jesu, non ob divina tantum quibus effulges miracula, sed & propter veritatem & mansuetudinem & justitiam.*

VIII. Speciosus forma præ filiis hominum, non corporis, sed justitiæ pulchritudine exponendus est Christus, ex consensu Patrum.

Quintò, unde augurantur aliqui corpoream in Christo pulchritudinem quandam luculentiorem, is ipse locus Psalmi XLIV. à sanctis Patribus detorquetur aliò, & ad intelligibilem aut justitiæ aut Deitatis pulchritudinem designandam traducitur. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Operæ pretium est suffragia germanorum corrogare interpretum, hoc est, sanctorum Ecclesiæ Patrum, ut planum fiat omnibus, quænam hìc demum tantoperè extollatur venustas.

In Psal. 44. Chrysostomus scitè notat, non speciosiorem forma aliis hominibus, sed speciosum præ cæteris laudari, quòd pulchritudine polleat non majore, sed alia, & cujus expertes planè vacuique sint alii, nisi ab ipso conspergantur. *Hoc autem dicit, non per comparationem; non enim dixit, speciosior, sed speciosus forma præ filiis hominum. Hæc pulchritudo est alia ab illa.* Planè Christum pulchritudo condecet, non tantùm quæ auctior uberior-

riorque in ipso sit, quàm in aliis hominibus; sed quæ tota in eo sit, & ab illo in alios effluat. Istiusmodi autem non est oris formositas, sed ea veritatis sanctitatisque pulchritudo, quæ statim innuitur, *Refusa est gratia in labiis tuis*. Quæ enim intus ex Deitatis adyto exundabat, refusa foris est, *Refusa est, velut si diceret quispiam, quæ erat intus, scaturiit, emanavit*. Et denique cujusmodi sit hæc venustas & gratia, declarat Chrysostomus: *Hic autem speciosus forma præ filiis hominum, significans gratiam, sapientiam, doctrinam, miracula*. Hæc planè est Christi formositas.

IX. Psalmus ipse solam justitiæ pulchritudinem appingit Christo homini, ex Chrysost. Theodoret. Isidor. Cyril. &c.

Theodoretus eundem ejusdem Psalmi versum non dissimiliter interpretatur: *Sciendum quod propheticus sermo non divina, sed humana Domini Christi demonstrat. Non enim hominibus Deum Verbum compararet, &c. Psalmus autem ejus pulhcritudinem vocat, non corporis, sed virtutis, & totius justitiæ*, οὐ τὸ τοῦ σώματος κάλλος, ἀλλὰ τῆς ἀρετῆς καὶ πάσης δικαιοσύνης, *quæ non admisit labem peccati, sed fuit omnis maculæ expers*. Nec ullo id adstruit argumento, sed cùm statim subdatur, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua*, & rursus, *Intende, prospere procede & regna, propter veritatem & mansuetudinem & justitiam*, hinc non absurdè conjectat, speciem illam qua uti gladio armari jubetur, & vincere, & regnare, non caducum esse & evanidum formæ vultusque florem, sed hanc ipsam veritatem & mansuetudinem & justitiam, quæ tela sunt utique ad vincendum & præsidia ad regnandum invictissima. *Manifesto per hæc docens, veritatem & mansuetudinem & justitiam, ejus esse pulchritudinem, & potentiam & arma & victoriam*.

L. 3. Ep. 130.

Isidorus Pelusiota: *Rursum speciosum forma præ filiis hominum, atque item speciosum in stola sua eundem vocat, propter divinam & lapsus omnis expertem assumptæ humanitatis virtutem*.

Basilius verò in eundem Psalmum, totius hujus pulchritudinis, quæ in humanitate renidebat, fontem, divinam scilicet Verbi naturam maluit interpretari. *Speciosum igitur forma Dominum appellat, quum aciem mentis pressius intendisset in ejus divinitatem. Non enim carnis pulchritudinem laudat. Nam scribitur, Vidimus ipsum, & non habebat speciem, &c. Palam itaque est quod propheta hic inspecta claritate Filii, & illinc resilientis splendoris irradiatione copiose circumfusus, animamque habens hac tanta pulchritudine perculsam, ad divinum amorem spiritualis illius pulchritudinis promotus est, quæ ubi semel humanæ affulsit animæ, cætera omnia quæ eatenus diligebantur, turpia esse conspiciuntur & rejectitia*. Ut notat Basilius, usque adeo sacer vates Deitatis pulchritudinem totus hauserat, ejusque luce usque adeo superfusus erat, ut nullam præterea pulchritudinem respectare aut magnifacere posset. Quo in Christum animo si essent nostrates, tota in eo corporeæ formæ admiratione supersederent. Cyrillum quoque Alexandrinum supra allegavimus, de Deitatis pulchritudine cani ista conjectantem.

X. Ex Latinis Patribus idem confirmatur. L. 3. contra Marcion.

E Latinis Tertullianus Chrysostomo consentit: *Nam etsi tempestivus decor apud David supra filios hominum, sed in allegorico illo statu gratiæ spiritalis, cum accingitur ense sermonis, qui verè species, & decor, & gloria ipsius est*. Quæ supra erat Theodoreti argumentatio. Cùm ubi specie dotatur insigniori, ibi & ense accingatur Christus, quàm hic ensis, tam illa species ad spiritalem intellectum rapi debet. Quin imo ut alibi festivè arguit idem Tertullianus, cui ensis ad præliandum porrigitur, intempestiva ingereretur de formæ lenociniis adulatio. *Rideo si quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestivitate decoris & labiorum gratia blandiebatur*. Exasperat enim proscribitque formæ mollitiem armorum feritas, nec porest unus idemque & armis sævire & vultus nitore blandiri.

In Psal. 44.

Augustinus autem speciosum forma præ filiis hominum argumentatur, non humana, sed superna floruisse pulchritudine, nempe ex eo quòd est præ filiis hominum. Nam si corporeo formositatis flore radiasset tantùm, eo cum hominibus, non præ hominibus eminuisset, *Ut homo non habebat speciem neque decorem: sed speciosus forma ex eo quod est præ filiis hominum*. Et alibi: *Et ipse sponsus, non carne sed virtute formosus*. In Psal. 118

XI. Ita & ubi dicitur, non erat ei species, non ad fæditatem oris hęc spectant, sed ad exinanitionem Deitatis.

Sextò, locus ille similiter Isaiæ, quo deturpatur Christi facies, ut speciei omnis & decoris orba, non ad nativæ formæ ignobilitatem significandam pertinet, sed vel ad passionis acerbitatem contestandam, vel potius ad Deitatis majestatisque supernæ quasi simulatam quandam fugam, revera autem non fugam, sed latebram penitiorem. Ita enim non discordare visus est sanctis Patribus Isaias cum Davide, fæditatis lamentator cum pulchritudinis præcone. Ita visus est, *Speciosus forma præ filiis hominum*, is cui, *non erat species neque decor*, quia Deitas unde speciosus, humanæ formæ tenebris obscurata & quodammodo exinanita erat, unde non erat, id est, non eminebat, sed quasi oblimatus delitescebat ejus decor. Nam humana forma quamlibet elegans, formæ divinæ latibulum & contenebratio est. Cyrillus: *Ut intelligamus ea quæ carnis sunt, collata cum gloria Deitatis, prorsus nullius esse momenti. Filius enim in specie apparuit valde deformi*. Quoniam autem tempore passionis, in altiores se latebras Deitas Verbi demersit, ideo tum maximè abfuisse species omnis prædicatur. L. 1. Glaphy. In Exod.

XII. Sive passionis, sive totius vitæ mortalis tempore.

Quanquam Origenes non de passionis tantùm illa commentatur Isaiæ verba, sed de toto inanitionis Christi tempore, vitæque inter nos mortalis; & eruditè annotat non tam oris turpitudinem iis verbis declarari, *Non erat ei species neque decor*, quàm præcipuæ cujusdam elegantię & egregiæ venustatis fugam: *Fatemur scriptum de Jesu corpore despicabili, quamvis non habeatur apertè adscriptum, parvum fuisse, ac vile. Est autem locus apud Esaiam prædicentem, venturum eum non supra modum decora specie, nec excellenti pulchritudine*. οὐκ ἐν ὡραίῳ εἴδει οὐδέ τινι ὑπερέχοντι κάλλει. Quo laudata superiùs formæ mediocritas conspicuè insinuatur. l. 6. contra Celsum.

XIII. Judæis tantum fædus, videbatur, nobis tam pulcher, quam justus etiam in cruce.

Augustinus autem has voces, *Vidimus eum, & non erat ei species, neque decor*, Judæorum esse vult, ut supra semel & iterum nos ipse docuit, ut non Christo formam sua passio, sed Judæis oculos sua cæcitas corruperit, ne pulcher illis videretur, qui & qua Deus pulchritudinis scaturigo erat, & qua homo in tam infracta cruciatuum patientia, tam pulcherrimus erat, quàm justissimus. *Ergo persequentibus fædus apparuit. Et nisi eum fædum putarent, non insilirent, non flagellis cæderent, non sputis inhonestarent: sed quia fædus illis apparebat, fecerunt illi ita. Non enim habebant oculos unde Christus pulcher videretur*. Ac si dicat, non cruciatibus fædatus est, sed quia fædus videbatur, ideo est cruciatus. Fædus autem videbatur iis, quorum oculi ad justitiæ & sanctitatis lucem caligaverant. In Psal. 127.

XIV. Vel ideo in passione fædus, quia peccatis nostris oneratus. In Isaiæ. Cap. 52. Epist. 140.

Hieronymus autem ipsam paupertatem, nuditatem, pœnarumque acerbitatem interpretatur esse fæditatem illam, quam Isaias vaticinatur. *Hinc erit majus miraculum, quod inglorius erit inter homines aspectus ejus, non quo formæ significet fæditatem, sed quo in humilitate veniret, & paupertate*. Et in Epistola ad Principiam virginem: *Qæritur quomodo pulchrior sit cunctis filiis hominum, de quo legimus in Esaia, Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem. Nec statim scriptura dissonare videtur: quia ibi ignobilitas corporis propter flagella & sputa & alapas & clavos & injurias patibuli commemoratur*. Non ergo ipsius

fius in vultu deformitas, sed paupertatis, quam toto hic vitæ curriculo circumgestavit, sed passionum quibus demum sublatus hinc est, fæditas exaggeratur. Et postremò peccati ipsius circumvolitabat turpitudo, cujus speciem amiciverat sibi Christus, luebatque pœnas. Unde idem Hieronymus: *Esaiæ, Despectus erat & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat, & loquebatur Patri, Deus Deus meus quare me dereliquisti?*

In Isaiæ. Cap. 53.

XV. Nec Justinus aliquè verà oris deformitatem Christo tribuerunt.

Justinus quoque Martyr deflecti eodem potest, ut non aliam deformitatem impingat Christo quàm ex inopia, & habitus fortunæque vilitate. In Dialogo cum Tryphone Judæo, *Cum ad Joannem venisset Jesus, & Josephi fabri lignarii filius haberetur, informis videlicet, quemadmodum scripturæ annunciaverant, apparens, faberque adeo & ipse putaretur esse, fabrilia namque cum in hominibus esset, faciebat opera.* Et infrà, *Homo informis, inhonoratus, & patibilis in lucem edi sustinuit.* Hic planè inopis, despicabilis, & inhonoræ vitæ tenor, nihil altius ultra rerum corticem introspicientibus inhonesta quædam & deformis fæditas apparebat. Cùm reapse ex internæ supernæque pulchritudinis & opulentiæ redundantia inenarrabili proficisceretur iste ignominiosæ hominum gloriæ, indecorique decoris, & inopis opulentiæ contemptus. Quocirca Chrysostomus: *Diffusa est gratia in labiis tuis. Quomodo ergo dicit alius propheta, Vidimus ipsum, & non habuit speciem, nec pulchritudinem, &c. Non dicit de deformitate, absit: sed de despicabili vitæ statu. Cum enim semel humanitatis personam suscepisset, quæcumque erant vilia & contemnenda pervasit, ut qui nec sibi matrem regiam asciverit, nec in magnifica domo fuerit educatus, sed in fabri lignarii humili domuncula, &c. Hæc autem faciebat, ex superabundanti quadam copia humanum fastum conculcans.*

In Psal. 44.

XVI. Etsi nec fæditatem, nec elegantiam oris Christo Patres notabilem tribuerint, elegantiam tamen potius abstergere certarunt.

Septimò, tametsi eò antedicta connitantur omnia, ut tum elegantior species, tum notabilis æquè fæditas à Christi carne amandetur: majori tamen nisu certarunt sancti Patres, ut specialem ab ipso oris elegantiam, quàm ut deformitatem abstergerent. Liquet id ex contextorum superius locorum congerie, & post hac subtexendorum, quibus vultus informitas Christo sæpius aspergitur, quàm abstergitur; humana sanè carnis formositas nunquam appingitur, expungitur autem frequentissimè. Liquet rursum quod cùm Celsus apud Origenem Christianis convitiaretur de Christi vultus inelegantia, totiusque corporis vilitate: non magnoperè hanc à Christo labem amoliri certat Origenes, & informem ejus formam extitisse ultro profitetur. Liquet iterum quia non alia in votis habenda visa est melioris olim notæ Christianis pulchritudo, quàm quoad animam sanctitas & beneficentia; quoad corpus, immortalitas. Oris autem carnisque totius inelegantia, corporis immortalitati nihil obest, animæ autem sanctimoniæ prodest non mediocriter. Liquet postremò ex eo quod suam nobis speciem Christus non hìc corporeis fruendam oculis obtulerit, sed hac exutis mortalitate, mundatis animis distulerit potiundam. Interim autem fidem nostram alere instituerit informitate magis sua, & carnis obscuritate divinitatis radios obumbrante. Speciosus ergo Christus est, sed immortalis immortalibus, beatus beatis, quibus per speciem propalatur suæ Deitatis: informis idem Christus est, mortalis mortalibus, caro carnalibus, quibus per fidem obumbratum se repræsentat.

XVII. Ut nunc res sunt, fidei & virtuti alendæ accomodatior est informitas. De verbis Apost. Ser. 22.

Augustinus: *Nunc per fidem ambulamus, tunc per speciem. Quid est per speciem? Speciosus forma præ filiis hominum. Quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c. Propter fidem tuam factus est deformis Christus, manet autem speciosus Christus. Speciosus forma præ filiis hominum videbitur post peregrinationem. Modo autem qualis videtur? Et vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem, sed vultus ejus abjectus. Homo in plaga positus & sciens ferre infirmitates. Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam quam perdidisti non recepisses. Pendebat ergo in cruce deformis; sed deformitas illius pulchritudo nostra erat. In hac ergo vita deformem Christum teneamus. Quid est deformem Christum? Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hæc est via, credere in Christum crucifixum; hujus deformitatis signum in cruce portamus; de ista deformitate Christi non erubescamus; hanc viam teneamus, & ad speciem perveniemus.* Ita planè conducebat mortalibus, plurima peccandi prurigine laborantibus, & ex carnalis pulchritudinis cogitatione ad flagitii licentiam faciliùs accendendis, quàm ad supernorum exemplarium lumina, deformior, quàm speciosior se objiceret is, quem castissimo complexu amoris constringere juberentur, ut & à corporeorum admiratione vel sic abducerentur. Quin & crucis dehonestamentum accedere necesse fuit, quo oblitteraretur vel qualislibet umbra carnalis formositatis. Denique fidei consentanea omnino est informitas, non species. Fidem ergo nostram cùm carne sua præstrueret Christus, informitati quàm speciositati propior fuerit.

Clemens Alexandrinus: *Dominum verò ipsum facie deformi natum, per Esaiam Spiritus testatur: Vidimus eum, &c. Et quis melior aut præstantior Domino? At non ea pulchritudine carnis, quæ oculis corporis videtur, quæ solet oculis & imaginatiore concipi. Sed veram & corporis & animæ pulchritudinem Propheta innuit: animæ quidem, beneficentiam: corporis vero, immortalitatem.* Hæc nimirum pulchritudo ea est, quam præ se tulerit, qua eminuerit Christus, animæ sanctitas, corporis immortalitas; non ille cutis colorisque flos, non illa blandientis formæ suavitas, qua non rarò flagitiosus quisque præpollet. Quam enim carnem morborum intemperies, & innata contagio depascitur, mortisque intestinæ lues, quantumlibet extrinsecus fucata renideat, imponatque spectantium oculis, pulchram equidem nunquam dixero. Ecquid enim turpius morbo, quid fœdius & informius morte prævioque mortis satellitio? Pulchra ergo caro non est, nisi eadem immortalis. Cùm ergo immortalitatem induit Christus carni suæ, tum & formositatem vindicavit illi, eamque speciem qua immortales bearet. Quandiu autem mortale hic agitavit ævum, struendæ fidei per informitatem potiùs suam, quàm ostendendæ speciei studuit.

VIII. Vera carnis pulchritudo, non est nisi immortalitas. Pedagogi L. 3. c. 1.

Bernardus ab his non abludit, dum illa Christi verba exponit, *Noli me tangere.* Sic enim habet: *Illa igitur dignè me tanget, quæ Patri consedentem suscipiet; non jam in humili habitu, sed in cælesti carne, ipsa, sed altera specie. Quid deformem vis tangere? Expecta ut formosum tangas. Nam qui deformis modo, tunc formosus. Deformis tactui, deformis aspectui, deformis denique deformi tibi, quæ sensibus plus inhæres, fidei minus. Esto formosa & tange me. Esto fidelis & formosa es. Formosa formosum & dignius tanges & fælicius.* Et paulò post: *Non ergo in pelle nigra, quæ hactenus sanè ingerenda fuit oculis persequentium, ut contemnerent occidendum, aut etiam amicorum, ut recognoscerent redivivum: non inquam jam in pelle occurret nigra, sed in veste alba, speciosus forma, non modo præ filiis hominum, sed etiam præ vultibus Angelorum. Quid me vis tangere in humili habitu, servili forma, specie contemptibili? Tange cælesti decorum specie, gloria & honore coronatum: divina quidem majestate tremendum, sed ingenita serenitate gratum & placidum.*

In Cant. serm. 28.

Qui-

XIX. Tum verè pulcher fuit Christus, cù absorpta mortalitate totus Deus fuit.

Quibus ille prolixè approbat formosum Christum non antè præsumendum, quàm assertus immortalitati, informem servi formam forma Dei devoravit, & jam totus Deus, exundante Deitatis pulchritudine humanitatem condecoravit. Ergo etiam quà homo de divina pulchritudine venustatus est, unde & mortalium oculis subripuit se, velut intolerabilem lucem, beandisque servavit. Quandiu autem mortalis & moriturus, occidendusque hìc egit, obnoxiam contemptui, & opportunam inferendæ morti informitatem consultò gestavit. Cùm denique Caro Christi in sacramentum instructa sit, informitatem fidei nostræ, quandiu hac fungimur mortalitate, suæ informitate mortalitatis non incongruè præmonstravit. Utque nostra hìc magis informitas atque dejectio, tum oris, tum vitæ totius, quàm formositas, speciem beatam promeretur; ita & in Christi carne præseminata est informitas, unde formositas immortalitatis demeteretur. Etenim fœda radix est, è qua frondium, florum fructuumque & arboris totius germinat pulchritudo. Unde Augustinus: *Ascendet sicut virgultum & sicut radix de terra sitienti. Quare ut radix? ideo quia non est ei species neque honor. Passus est, humiliatus est, conspuntus est, non habebat speciem, homo apparebat, cum Deus esset. Sed quomodo radix non est pulchra, sed intus habet vim pulchritudinis suæ: Attendis arborem pulchram, amœnam, foliis virentem, fructibus opulentam, laudas totam illam pulchritudinem. Si radix ostendatur tibi, nulla pulchritudo in ea est, &c.* Ita ergo carnis Christi, sicut & fidei nostræ, cujus illa & sacramentum & fulcimentum est, tanquam radicis informitas ne delicatos offendat, quando ex ea pulchritudo omnis effrondescit.

L. 50. hom. 36.

XX. Verba Hieronymi, suffragãtis corporeæ Christi pulchritudini. Epist. 140.

Suffragatores tamen adducuntur corporeæ in Christo speciositatis Hieronymus, Chrysostomus, Origenes. Hieronymus quidem Epistola ad Principiam: *Nisi habuisset & in vultu quiddam oculisque sidereum, nunquam eum statim consequuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent.* Et alibi idem ipse: *Arguit in hoc loco Porphyrius & Julianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim secuti sint Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti: cum tantæ virtutes tantaque signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent vidisse non dubium est. Certè fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide & succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos & stipulam & festucas sibi copulent, quantò magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat?* Et alibi: *Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod unus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus & videntibus lucra destrui sua, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudiem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* Quibus Hieronymi verbis, incredibilis planè majestas & pulchritudo Christo etiamnum mortali affunditur. Quid enim sidereum illud in oculis vultuque? Quid fulgor & majestas divinitatis occultæ in facie relucens? Quid igneum jubar ex oculis radians? Quid fulgur illud tam blandum, ut discipulos protinus illexerit, & conciliaverit indivulsè; tam terrificum, ut & imminentes Pharisæos compescuerit, & invadentes prostraverit sicarios?

In c. 9. Math.

Ibid. in c. 21.

XXI. Itẽ Origenis In Matth. tract. 35.

Accedat & Origenes qui sæpè non una forma visum esse ab omnibus Christum etiam secundùm carnem, sed pro cujusque meritis & dignitate, ex prisca traditione commemorat approbatque. *Venit ergo traditio talis ad nos de eo, quoniam non solum duæ formæ in eo fuerunt, una quidem secundùm quam omnes eum videbant, altera autem secundùm quam transfiguratus est coram discipulis suis in monte, quando & resplenduit facies ejus tanquam sol, sed etiam unicuique apparebat secundùm quod fuerat dignus. Et cùm fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur.* Quàm pulchellam narrationem paribus communit conjecturis. 1. Exemplo mannæ, cujus sapor cujusque merito & desiderio temperabatur, indubio ad Christum præformandum præludio. 2. Ut æmuletur caro Verbi ipsam Verbi naturam, quod non ab omnibus æquè conspicitur, sed pro cujusque munditie, acieque. 3. Argumento etiam illud est, quòd manus in eum injecturi satellites, quem sæpiusculè concionantem & in triviis locisque publicis versantem viderant, non dignoscebant *propter transfigurationes ipsius*; & tandem cùm indicium ipsis ab osculo Judas fecisset, ejus vultu ac voce prostrati sunt. 4. Quum nec contactu quidem idem omnibus esset, sed ab aliis ut unus è vulgo, ab aliis ut vivificus, morborumque & mortis abactor sentiretur, quin & visu aliis alius erat, pro singulorum fide & sanctimonia. 5. Et postea quàm seipsum excitavit à mortuis, visus est quibus voluit, & quando, & quandiu: nec ipsis Apostolis semper, nec ea lucis gloriæque copia circumfluens, qua par erat, quaque reapse affluebat; sed pro ipsorum patientia, & indulgentia sua.

Si cui sapiunt hæc, per me licet. Emunctioribus tamen subolebit hauddubio prisci hujus rumusculi fons, cui & nutabundus assentitur Origenes. Christiani quippe vulgi magna pars carnalium est, carni Christi ceu lacti affixorum, & ex moribus suis divina dimetientium. His grande incrementum gloriæ Christo videtur accessurum ab hac formæ elegantia, a versatili & alternante, per vicesque promicante & dehiscente pulchritudine. At quibus jam abscessit hæc pietatis infantia, & in temporalium corporaliumque fastidium grande, grandeque æternorum desiderium ematuruit, iis longè pulchrior videbitur constans Christi informitas, aut certè formæ mediocritas, & elegantiæ omnis nitorisque abdicatio. Quid enim pulchrius quàm pulchritudinis contemptus? Quid splendidius quàm nitoris corporei abstersio, avocatioque ad incommutabilis veritatis intelligibile lumen contuendum? Quid formosius informitate à formis corporeis ad æternam formam formarum admirandam abducente, summæque formæ potiorem informitatem imitante? Quid venustius venustate non coloribus & lineamentis, sed virtutibus ultro emicantibus animos magis quàm oculos ad se convertente? Quid florentius corpore de sola pulchritudinis intelligibilis redundantia florescente? Quid elegantius carne totam carnalium elegantiam & cupiditatem proscribente? Ita alius aliis conspiciebatur Christus, quia quò quisque alacriùs ad intelligibilis pulchritudinis amorem excitabatur & inflammescebat, eò plura & expressiora ejus lineamenta in Christi carne ceu in virtutum quodam simulachro dispiciebat. Quibus autem oculos animosque fascinaverat corporeæ formositatis amor, iis satius erat fædum quàm pulchrum apparere Christum. Talibus enim placuisse, flagitium est. Tam fædis pulchrum videri, fædissimum est. Tam turpibus turpem videri, pulcherrimum est.

XXII. Eliduntur suprapositæ objectiones. Qualis pulchritudo Christũ deceat.

Nec abnuerim equidem, quin sidereum aliquid radiaverit in Christi vultu ex latitantis majestatis quadam velut exundantia, ut placuit Hieronymo: sed id non jugiter, verùm quandoque tantùm, & raró, ut cum discipulos sibi accivit, cum perterrefe-

XXIII. Quo sensu sidereum quid in vultu Christi radiaret.

refecit milites, cùm quæstuariam turbam Templo exegit. At hinc nullum elicitur pro singulari oris venustate argumentum. Ut enim rarò ejusmodi quid præstitit, ita rarò fulgorem illum & insolentem majestatis lucem sibi circumvestivit. Deinde qui contumeliis crucique addixerat composueratque se totum, non utique sidereum sibi circumfuderat jubar, quo & contumelias & cruces averteret, & in sui vel amorem vel terrorem omnes converteret. Denique ex illa ipsa virtutum indole, quæ ex animo emergebat, explicabatque se in corpus, ebullire quandoque poterat vel tanta pietatis suavitas, vel tanta zeli asperitas, quanta vel conciliandis discipulis, vel deterrendis hostibus satis esset. Ad hanc sententiam si Hieronymus & Origenes inclinari se patiantur, facilè & sibi invicem, & aliorum Patrum doctrinæ consonabunt. Ita enim nec conspicabili quadam elegantia enituerit Christus, ut conspirant Patres; & tamen seu de Deitatis rapido & raro coruscamine, seu de virtutis effervescentia igneum quid, ubi opus erat, radiaverit, prout Hieronymus ominatur: eoque ut differit Origenes, velut multiformis extiterit, & aliàs aliis splendidior apparuerit.

XXIV. Id confirmatur ex Hieronymo ipso.

Hieronymus sanè, qui corporeæ pulchritudini reliquis impensiùs suffragari visus est, quo ex lumine eam accenderit, liquet ex Epistola ad Principiam: *Quæritur quomodo pulchrior sit cunctis filiis hominum, de quo legimus in Esaia, Vidimus eum, &c. Nec statim Scriptura dissonare videtur, quia ibi ignobilitas corporis propter flagella, & sputa, & alapas, & clavos, & injurias patibuli commemoratur, hic pulchritudo virtutum in sacro & venerando corpore. Non quo divinitas Christi hominibus comparata non formosior sit, hæc enim non habet comparationem: sed absque passionibus crucis universis, pulchrior est virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.* Hìc patentissimè claret, quæ demum pulchritudo in corpore Christi authore Hieronymo collocanda sit, nempe *Pulchritudo virtutum in sacro & venerando corpore*. Planè in corpore micat pulchritudo, sed pulchritudo virtutum. Quippe caro illa de Virgine, de Deo, de Spiritu sancto concepta, non potest non esse sanctitatis & virtutum sacrarium, non potest non virtutibus consusa quodammodo & concreta esse, non potest de contemperata sibi insitaque omnimoda sanctitate, non incredibiliter venustari.

XXV. Itē ex Origene. Quàm alienum à Christo sit formæ illecebris homines inescasse.

Origenes autem quàm non formæ Christi illecebris patrocinetur, promptum est declarare ex Libris ejus contra Celsum, adversus quem nihil admodum pro astruenda Christi pulchritudine depugnat. Deinde cùm pro cujusque meritis aliam atque aliam Christi formam auguratur affulsisse, ut hæc meritorum vis à virtutibus depromitur, ita & formæ venustas à virtutibus solis illuminanda est. Quàm alienum enim foret, & ab Origenis potissimum ingenio dissentiens, ut virtutum merces ex corporeæ qualiscumque pulchritudinis contuitu fructuve decerperetur? Postremò cùm Evangelica lex resigat nos totos à corporeis, & ad incorporea trajiciat, præposterum omnino fuisset, corporeis quenquam adoriri & expugnare blanditiis, nedum ipsos gregis arietes & austerissimæ vitæ antesignanos. An ad vilem, ignobilem, inopem, cruciabilemque hìc vitam formæ lenociniis quenquam Christus inescasset? An crucem sectandam statim indixisset, simulque conciliatriculam ostentasset oris speciem? Quin aspera, ignobilia & informia adhibuit subjugando orbi instrumenta, ut gloria sit virtutis Dei. Nec venustulos, sed fœdos rudesque legit Apostolos, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt confunderet.

XXVI. Chrysostomus cæteris

Chrysostomus superest, popularior ipse, eòque pronior ad formæ corporeæ patrocinium: *Erant enim ei affixi non pauci amantes admirantesque ipsum, & videre semper cupientes. Et certè quis ab authore talium signorum non invitus recederet? Aut quis vel faciem solam aspicere, osque ipsum ex quo talia profluebant, non desideraret? Neque enim dum signa faceret tantum, admirabilis erat; sed & dum conspiceretur solummodo, multa scatebat gratia: Idque Propheta dixerat, Speciosus pulchritudine præ filiis hominum, &c. Cui in monte non concionanti solum, sed & silenti adhærebant, eodem nunc modo etiam post miracula permanent, ex solo aspectu non parvam utilitatem assequentes. Nam si Moysi facies resplendebat, & Stephani vultus Angelicus videbatur, quid de ipsius Domini facie debemus æstimare?* At ne reliquis Patribus, & ne secum ipse committatur Chrysostomus, danda hìc opera est. Nam 1. cùm versum illum prolixissimè explanaret, *Speciosus forma*, &c. ad corporis pulchritudinem nunquam deflexit. *Speciosus forma præ filiis hominum, significans gratiam, sapientiam, doctrinam, miracula.* Τὴν χάριν, τὴν σοφίαν, τὴν διδασκαλίαν, τὰ θαύματα. Quæ eadem quatuor supra allegato in Matthæum loco commemorat. At ibi pulchritudinem his maximè verbis designat, *Non cum signa faceret tantum, admirabilis erat, solus ipse conspectus multa scatebat gratia.* Ἀλλὰ καὶ φαινόμενος ἁπλῶς πολλῆς ἔγεμε χάριτος. Quænam sit autem hæc χάρις, declarat, dum alibi ea verba exponit, *Diffusa est gratia in labiis tuis. Quæ est autem hæc gratia? Per quam docebat, per quam fecit miracula.* Vides quàm distent χάρις & κάλλος, gratia & pulchritudo. 2. Quanta esset differentis gratia, testatum fecit Evangelista, *Numquam sic locutus est homo.* De flore autem pulchritudinis insigniori, altum est, nec rationis inane silentium. Ergo ob parem doctrinæ & miraculorum admirabilitatem affigebantur illi turbæ, nec ab eo tantillum sejungi se nisi ægrè patiebantur, idque innuit Chrysostomus, idque frequenter usuvenit, ut quamvis venustate oris minus polleat magister, ut orator aliquis, imo etsi vultu subobscurior sit, ex eloquentiæ tamen admiratione convertat conglutinetque sibi turbas, auresque & oculos omnium ad se rapiat. 3. Quæ exempla allegat Chrysostomus Mosis & Stephani, ea non perpetuam, sed repentinam & per intervalla coruscantem lucem indicant.

Patribus & ipsi sibi conciliatur. In Matth. hom. 28.

In Psal. 44.

XXVII. Ex Basilio & Chrysostomo rursum. Basilius. hom. 25.

Propè abest Basilius ab Hieronymi supra verbis; *Anna & Simeon in exili infante magnum Deum adorantes, non quod videbant contemnentes, sed divinitatis ipsius amplitudinem glorificantes. Pellucebat enim divinitas per humanum corpus, perinde atque lux quædam per vitream capsulam eos illuminans, qui cordis oculos mundos habebant.* Pellucebat divinitas per humanum corpus, non omnibus, sed mundis corde, mentisque oculos fide purgatos gerentibus. Non ergo ad constantem aliquem radium corporei leporis hæc pertinent, sed ut summum ad rarum & inusitatum aliquod fulgur paucis conspicuum. Denique quæ Christi pulchritudo corporea fidelibus cogitanda & amplectenda sit ex Chrysostomo, patebit ex iis quæ loco supra relato subjungit. *Sed fortè nunc his verbis adeo nonnulli incensi sunt, ut desiderent effigiem ejus videre: sed dummodo velimus, multo illam venustiorem, dummodo hìc benè vixerimus, illam aspiciemus, cum immortalitatem adepti, obviam in aera, ipsi immortali incorruptibilique corpore rapiemur.* Vera enim pulchritudo corporis est immortalitas, de animæ immortalis beatitate, id est, de incorrupta charitate exultans. Huic incumbendum, huic inhiandum est; ut Christianus sempiternæ & pulcherrimæ veritatis discipulus, ne in suo quidem, nedum in ipsius veritatis corpore, ullam imaginetur, ullamve auguretur, aut deflagret pulchritudinem, nisi ab ipsius primigeniæ veritatis & justitiæ pulchri-

chritudine defluentem, & per animas immortaliter beatas in immortaliter beata corpora redundantem. Id verò ex Christi, id ex nostra Christianorum dignitate est.

CAPUT VIII.

Veritas animæ & mentis creatæ Christi adversus Arianos & Appolinaristas.

I. Ariani & Apollinaristæ quam diverso consilio, pari flagitio, sua Christū anima & mente exuerent.

VErbo & carne sola compingebant Christum, optimaque hominis parte, anima & mente truncabant tum Ariani, tum Apollinaristæ, dispari consilio, pari flagitio. Illi nimirum Deitati Verbi insidiabantur, animæque & mentis illi demandabant vices, ut & affectiones, perturbationes, totamque mutabilitatem ei unà impingerent, adeoque paternam ipsi extunderent æqualitatem. Hi verò assumptæ, ut sibi videbantur, consulebant humanitati minùs cum Verbo in unam hypostasin coalituræ, si propriè mentis freta imperio, sui juris, propriæque sejunctim potestatis esset.

II. Contra fides pugnat. Assumpta est anima & mens, quia servata. De fide & symbolo. c. 4.

Adseritur igitur primò sua Christo anima, & creata mens, pervagato illo effato, sed cujus non æquè pervulgata medulla est: non salvavit Verbum nisi quæ adsumpsit, salvavit autem animam & mentem, adsumpsit ergo. Augustinus: *Si quis tenuerit catholicam fidem, ut totum hominem credat esse susceptum à Verbo Dei, id est, corpus, animam, spiritum, satis contra hæreticos munitus est. Quippe cum ista susceptio pro salute nostra gesta sit, cavendum est, ne cum crediderit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem.* Sed quid causæ sit, quamobrem non potiatur salute, nisi quod implicatur susceptione, nostra plurimum refert vestigare.

III. Salus ipsa & libertas Verbū est. Ideo nō salvatur, nisi quod assumitur. L. de carne Christi.

Tertullianus: *Si ut animam salvam faceret, in semetipso suscepit animam Christus, quia salva non esset, nisi per ipsum, dum in ipso, &c. Si animas nostras per illam quam gestavit, liberare susceperat, illam quoque quam gestavit, nostram gestasse debuerat, id est, nostræ formæ, cujuscumque formæ est in occulto anima nostra.* Quidquid ergo liberatur, liberatur *per ipsum, dum in ipso.* Liberatur, dum gestatur: gestatur autem anima nostra, dum gestatur anima nostræ formæ. Salus enim libertasque ipsa Verbum est, & quidem tam prodiga sui efficaxque, ut salutem & libertatem non ei tantùm quam gestat, sed omnibus quoque ei quam gestat, consertis & consanguineis animabus inspiret mentibusque. Rursus animæ mentesque tam cognatæ contextæque sunt aliæ aliis, ut singularum fælicitas in omnes refundatur; nec possit una earum quælibet Verbi conjugio nobilitari, quin toti quàm latissimè patet animarum mentiumque generi & ignobilitas servitusque excutiatur, & libertas inseratur dignitasque. Ergo & animarum inter se consertio, & Verbi Dei inexhausta efficacia id præstat, ut quæ uni illabitur, eadem in omnes perlabatur Verbi vis & substantia, salutis libertatisque largitrix pro cujusque modulo.

IV. Christus dum vincit, omnibus vincit, quia omnes homines & omnia hominum in eo sunt. L. 1. Ad Trasym. c. 13.

Fulgentius: *In quo enim passus est ipse & tentatus, potens est his qui tentantur auxiliari. Si ergo in eo quod tentatus est, tentatis auxilium donat, profectò in quo tentatus non est, tentatis auxilium non ministrat. Quo conficitur, ut hi qui Christo solam carnem humanam assignant, & animam denegant, in sola carne quærant auxilium Christi, in anima verò remaneant destituti. Filius Dei namque hoc adjuvat in homine quod suscepit pro homine, &c. Dignum nam que fuit, nostræque saluti conveniens, ut Deus verus ex vero Patre solus substantialiter natus, veram hominis quam ipse fecit animam carnemque susciperet, in utraque cum tentatore pugnaret, in utraque vinceret, ac deinceps in utraque tentatis subministraret auxilium, cum in utraque infirmis & morituris victoriæ præberet exemplum.* Dum ait Paulus: *In quo tentatus est, potens est his qui tentantur auxiliari*, perinde est ac si dicat vulgatæ nostræ suffragaturus Theologiæ: quod suscepit, id liberavit. Nam nec suscipit, nisi ut tentetur & patiatur: liberat autem dum tentatis & patientibus auxiliatur. Authore autem Fulgentio, ideo tentatus tentatis, passus patientibus, corpore & anima corporibus animabusque auxiliatur, quia pugnando pugnandi præbet exemplum, vincendo autem & vincendi indit fiduciam, & hostis enervat vires, & in victoriæ nos suæ vocat societatem, & quantulum opus est virium, ut prostrato insultemus adversario, id abundè promeretur, id largè subministrat. Nam commilitonum dum vincit unus, hostemque omnium profligat, omnium victoria est; dum vincit unus Christus, omnibus ut vincant, & exemplo & auxilio adest; dum vincit unus, vincendi artem, fiduciam, facultatemque qua perfunctus ipse est, omnibus libens accommodat. Nec enim vicisset, si unus vicisset, vincique partes suas supinus pateretur; non vicisset unus, nisi in omnibus vicisset.

Gregorius Nazianzenus: *Atque omnia propter omnia in unum cojerunt, & propter unum generis nostri principem; anima nimirum propter eam quæ præceptum transgressa est; caro propter eam quæ animæ cupiditati obsecuta, simulque condemnata est; Christus denique propter Adamum, hoc est, propter eum qui sub peccato factus est, is qui peccato sublimior ac præstantior erat. Ob hanc etiam causam, veteri novum substitutum est, & per passionem is qui passus fuerat, in pristinum statum revocatus est; ac pro unaquaque rerum nostrarum, unaquæque res ejus qui nobis sublimior est, repensa. Idcirco generatio & virgo; idcirco præsepium & Bethehelem. Generatio propter plasmationem. Virgo propter mulierem, Bethlehem propter Eden, præsepium propter paradisum, res parvæ & conspicuæ propter magnas & ab oculis remotas, &c. Idcirco lignum adversus lignum, & manus adversus manum: illæ inquam fortiter extensæ adversus incontinenter extensam: illæ clavis confixæ & constrictæ, adversus remissam & solutam: illæ orbis extrema conjungentes, adversus eam quæ Adamum è paradiso exturbavit.* Prolixa hæc elegantia est, non tædiosa. Quid enim ad recreandum tædium hac concinnius venustate antithetorum, qua Deus totius parens concinnitatis, ita generis nostri collapsi restitutionem primæ ejusdem institutioni coaptavit, ut singula singulis, & paria paribus, sed recidiva collapsis, invicta afflictis respondeant? Quando ergo omnia erant restauranda, id est, recapitulanda, ut ait Paulus, & ad principium, à quo defluxerant, cum non pœnitendo etiam in melius progressu retorquenda, necesse erat, ut sufficeretur caput capiti, parens parenti, Christus Adamo, Evæ Maria, lignum ligno, &c. Et illorum lapsum horum victoria restauraret. Ergo necesse quoque erat & animam animæ, mentem menti, corporique corpus, & singulis singulas medicinas morbis temperari: ut cùm anima mensque parentis primi prævaricationis suæ virus & exemplo & contagio in posteros propagasset, anima rursus, mensque parentis secundi, sanctitatis suæ fonte posterorum animas & mentes cum docendo, tum infundendo irrigaret.

V. Ut primus vitiaret, ut secundus Adam emacularet, totam uterque naturā habuit. Orat.

VI. Victoria Christi nobis non congrueret, nisi per mentem nostrā vicisset. L. 3. Orthod. fidei. c. 18.

Damascenus: *Deum perfectum & hominem perfectum dicentes Christum, omnino cuncta ei tribuemus, & patris naturalia & matris. Nam factus homo est, ut quod victum vincat. Non enim impotens erat qui omnia potest, & omnipotenti potestate & virtute eripere à tyrannicè detinente hominem. Sed accusationis & querelæ materia erat tyranno,*

no, si à Deo vim pateretur. Eum ipsum igitur qui lapsus est, victorem demonstrare volens, miserator Deus & amator hominum homo factus est, simile simili reparans. Quod autem rationale animal & intellectuale sit homo, nemo reclamat. Quomodo igitur homo factus, carnem inanimatam, aut animam irrationalem assumpsit? Non enim hoc homo. Quid autem ab humanatione utilitatis accepimus, eo qui primo passus fuerat non salvato, neque conjunctione divinitatis roborato ac renovato? Quod enim inassumptum est, insanabile est. τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. Placuit hoc breviter & scitè dictum Damasceno, quòd inassumptum, insanabile. Qui ippe cùm una sanitatis ratio sit, indivulsa copula cum Deitate, quæ germana sanitas salusque est. Sed de eo paulò post. Nunc argumentationi incumbimus Damasceni, qua de causa assumptus à Deo homo est, ut victor hominis vinceretur ab homine diabolus, nec à Deo solo omnipotentiæ magis quàm justitiæ legibus oppressum se quiritaretur: ea ipsa effici, ut anima mensque hominis assumenda fuerit à Deo, ut ab hac diabolus debellaretur: tum quia nec homo esset qui animæ mentisque expers esset humanæ: tum quia non ab eo quem vicerat vinceretur diabolus, si mentis animæque domitor humanæ, à divina & increata Verbi mente edomaretur. Adde quòd nec aliis ille cederet aut succumberet hominibus, non eadem Deitatis mente, sed tantò dispari utentibus, nec nobis succresceret ejusdem debellandi fiducia. Ergo qui mentem Adami robustissimam fregerat, reliquasque hominum nihilo validiores & eo afflictas casu invaserat diabolus, in congenerem relaxandus fuit Christi mentem, ut ab ea repercussus elisusque, & nostras desuescat vincere jam fractus, & non injustè se vinci expostulet.

VII. Sola Dei sanctitas restaurare poterat genus nostrum, & universum, & ita ut universum rursus cadere non posset. L. de Incarnat. Christi.

Athanasius: *Porro quæcumque ipse sua voluntate in natura formaverat, ea sua voluntate in seipsum recepit, ut genituram ex fœmina, incrementum ætatis, numerum annorum, laborem, esuriem, sitim, somnum, dolorem, mortem & resurrectionem. Ideoque ubi corruptum fuerat humanum corpus, eo suum corpus projecit Jesus: & ubi tenebatur anima humana in morte, ibi exhibuit humanam suam animam, ut ipse invictus à morte, tanquam hominem se præsentem ostenderet, & solveret catenas mortis ut Deus; ut ubi seminata fuerat corruptio, inde exoriretur incorruptibilitas; & ubi regnaverat mors, præsens ipse immortalis in forma animæ humanæ immortalitatem exhiberet, atque ita participes nos efficeret suæ incorruptibilitatis & immortalitatis per resurrectionem, &c. Quomodo igitur dicitis quod pro interiori homine qui in nobis est, supercælestis mens in Christo fuerit? Non potuit aliud pro alio in redemptionem dari, sed corpus pro corpore, anima pro anima reddenda fuit, & integrum aliquid pro integro homine.* Caput hic summamque rationis hujus complexus est Athanasius, quamobrem non sit liberatum, nisi quod assumptum. Nimirum cùm vitii mortisque corruptela totam hominis naturam invasisset, omnesque & singulas ejus tabefecisset particulas, sanari non alia poterat medicina, quàm si incorruptibilis Verbi sanctitas toti se illi, singulisque ejus partibus infunderet, suamque affricaret incorruptibilitatem. Quanquam enim primus generis humani parens peccati sui granditate commaculare potuerat, & in se velut in radice totam vitiare naturam à se propagandam, non tamen ipse vel alius quisquam tanta abundare potuerat sanctitate, quæ in omnem similiter naturam refunderetur: & ut quisquam potuisset, non ejusmodi fuisset sanctitas, cui consimilis ruinæ nullum impenderet discrimen. Divina ergo & incommutabili Verbi sanctitate opus fuit, quæ fœcundæ imprimeretur radici, ut fœcunda in homine assumpto fieret ipsa radix, ac inde & in totam spiritalis seminis propaginem spargeret sese, & insitæ mutabilitatis fluxum incommutabilitatis suæ retinaculo cohiberet, ne tota rursus natura funditus interiret.

Cyrillus Alexandrinus Athanasii quasi succentor: *An non apertissimum est, unigenitum Dei Filium similem nobis, hoc est hominem factum esse, quo nimirum terrenum hoc corpus, vita propria per œconomicam unionem illi immissa, ab inducta corruptione liberaret? Animam rursus humanam, postea quam illam sibi propriam reddidisset, suæque naturæ firmitate ac immutabilitate, perinde ac vellus colore imbuisset, peccato superiorem declararet? Quemadmodum ergo caro postea quam Verbi omnia vivificantis caro effecta est, mox omni mortis & corruptionis imperio superior evasit: sic anima, ut ego quidem sentio, postea quam illius effecta est, qui peccatum non novit, è vestigio statum firmum, ac in omnibus bonis stabilem, peccatoque quod olim tyrannidem in nos exercebat, multis partibus potentiorem nactus est.* Ut ergo per unum hominen in omnes homines, per unum corpus in omnium corpora, ita per unam animam in omnes animas, & per unam mentem in omnium mentes, tanquam per unam radicem in omnem stipitem ramosque universos salus & vita sanctitasque incorruptibilis à Verbo se diffudit.

VIII. Per unum in omnes, per unius singula in omnium singula, primum lues, post sanctitas fluxit. L. de recta fide, pag. 17.

Nec illam ibi omisit Cyrillus rationem aliam, quam suprà obiter tetigerat Athanasius, pro singulis singula in pretium pendenda fuisse Redemptori, pro corporibus corpus, pro animabus animam. *Et quidem carnem suam dignum, citra controversiam, liberationis pretium pro omnium carne dependit: Animam verò justum pro mortalium omnium animabus pretium exhibuit.* An corporum enim omnium pretium de corporis alicujus opulentia dependeretur, & animarum pretio æquè solvendo nulla esset anima, mentium nulla mens? an nobilioris substantiæ restauratio ab ignobiliori mendicaretur? an primas jam post restitutionem carni deberet anima? Non ima summis ita miscuisset, ordinisque perturbasset leges Verbi incarnatio, quæ rebus in integrum reducendis, ordinique restituendo impensa est.

IX. Ut corpus pro corporibus, ita pro animabus & mentibus omnium unius anima & mens dependi debuit.

Adseritur denuo sua Christo mens & anima. Totus perierat homo, ergo totus susceptus est. Anima & corpore peccaverat, diabolique subjerat captivitatem, & anima ergo & corpore liberandus fuit. Fulgentius: *Attendamus quid perierit terreni hominis lapsu, & agnoscamus quid quæsitum fuerit hominis cælestis adventu. Consideremus quid in se peccato vendiderit servus, & apparebit quid suscipiendo redemerit Dominus, &c. Sicut est inchoatum animæ cupiditate peccatum, sic est carnali comestione perfectum. Et ideo quod totus homo reatum transgressionis admisit, totum sibi diabolus captivavit. Quod si totus tenebatur captivitatis vinculo, totus eguit liberatoris auxilio. Si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere divina majestas. Totius ergo fuit hominis à Deo suscipienda natura, quoniam in toto fuit captivitas captivanda, ut tota simul acquireretur de captivata captivitate victoria.* Nec ab eo abludit Nazianzenus: τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον, *Quod assumptum non est, curationis est expers. Quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur.* Et infrà: *Si ut simili per simile sanctificato peccati damnationem solvat, profectò quemadmodum carne propter carnem damnatam, & anima propter animam opus habuit, ita etiam mente propter mentem, utpote quæ in Adamo non solum peccaverit, sed & prima affecta fuerit, quemadmodum medici in morbis loquuntur. Quod enim mandatum accepit, hoc mandato quoque minimè paruit; quod autem minimè paruit, hoc etiam eò audaciæ progressum est, ut illud violaret; quod autem violavit, hoc imprimis quoque salute indigebat; quod autem salute indigebat, hoc etiam assumptum est. Ita fit ut mens assumpta sit. Hoc nunc velint nolint demonstratum est geometri-*

X. Totus homo perierat alienatione à Deo, totus salvari debuit copulatione cum Deo. L. 1. ad Trasim. c. 13.

Orat. 51.

cis,

cis, ut ipsi ajunt, ac necessariis demonstrationibus. Quippe ut morbus erat alienatio à Deo, ita sanatio fuit copulatio cum Deo, sed tam indivulsa, ut abalienatio deinceps non sit pertimescenda. Utque unius morbus & alienatio à Deo reliquos eadem calamitate homines implicuit, ita copulatio cum Deo indivulsa unius, omnium medicina fuit, omnesque Deo unà conseruit. Sanari autem imprimis oportuit mentem, utpote quæ in peccatum morbumque & prior & altiùs immersa fuerat; quæque in ruinam traxerat sequacem sibi & cohærentem carnem.

XI. Perversum est assumi quod pecudis, omitti quod hominis.

De sede & symb. c. 4.

Asseritur idem rursus. An adsumpsisset Verbum quod pecudis est, contempsisset quod hominis proprium? Nam si mens abest, pecus est assumpta, non homo. Augustinus: *Et cum homo excepta forma membrorum, quæ diversis generibus animantium diversa tributa est, non distet à pecore, nisi rationali spiritu, qui mens etiam nominatur: quomodo sana est fides, qua creditur, quod id nostrum susceperit sapientia Dei, quod habemus commune cum pecore, illud autem non susceperit, quod illustratur luce sapientiæ, & quod hominis proprium est?*

L. 83. qq. q. 80.

Nihil sanè insulsius hoc Apollinaristarum placito. Quocirca teste eodem Augustino, ut hac se illi extricarent absurditate, satius quandoque opinati sunt esse, ut caro sola, quàm ut caro animata, sed expers mentis, adeoque pecus Verbo copularetur. *Cùm secum ipsi cogitarent, fatendum esse, si ita est, ut unigenitus Dei Filius, Sapientia & Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, belluam quandam cum figura humani corporis suscepisse credatur, displicuerunt sibi, non tamen ad correctionem, ut redirent ad veritatis viam, totumque hominem à sapientia Dei susceptum esse confiterentur nulla diminutione naturæ, sed ampliore usi audacia, ipsam etiam animam totumque vitale hominis alienantes ab eo, solam carnem humanam suscepisse eum dixerunt.*

XII. Peccati meritique perinde insolés caro sine anima, & anima sine mente.

De Incarn. c. 7.

At seu carnem inanimem, seu animam amentem assumpserit, quorsum hæc pertinebit susceptio, cùm neutra aut peccato aut merito sit obnoxia? Ambrosius: *Quid autem opus fuit carnem suscipere sine anima, cùm utique insensibilis caro & irrationabilis anima, nec peccato sit obnoxia, nec digna præmio?*

XIII. Ne humanā quidem carnem Deus assumpserit nisi anima rationali formatā assumpserit.

Dialog. 4.

Quin nec illud assequebantur Apollinaristæ, ut humanam potiùs quàm belluinam carnem adscivisset sibi Deitas Verbi. Nec enim caro humana est, quæ ab humana & rationali anima viduata est. Author Dialogorum de Trinitate apud Athanasium: *Neque caro est humana, quæ non sit anima rationis participe prædita. Quomodo enim caro possit esse humana, quam anima rationis particeps non animaverit? Nam caro est caro, & anima est anima. Tunc verò dicitur homo, quum anima rationis particeps incorporatur, & corpus animatur.*

XIV. Nec homo verus Christus est si ratione & méte caret humana.

Orat. 51.

Certè ut homo Christus esset, si humana orbatus esset mente, nunquam efficeretur. Nam homo ab humana mente nomen, ordinem naturamque consequitur. Nazianzenus: *Si animatus quidem, verum mentis expers est, quo tandem modo hominis nomen substinebit? Neque enim homo animal est mente carens. Atque illud necesse est, ut species quidem & larva humana sit, anima autem equi cujuspiam, aut bovis, aut alius animalis mentem non habentis. Ac proinde illud quoque esse quod salutem consequatur; atque ego ab ipsa veritate delusus sum, ut qui alio honore affecto, ipse glorier, neque jactem*. Ubi hæc alia exprimitur ratio, hinc effici, ut brutis animantibus per incarnationem Verbi dignitas fœlicitasque, non hominibus accersatur. Etenim illi naturæ hæc bona accesserunt, quæ cum Verbo coaluit: coaluit autem juxta Apollinaris portentosa insomnia cum Verbo natura belluinæ propior, quàm humanæ, videlicet rationis exors.

Epist. 1.

Postremò, ut ait Petrus Venerabilis: *Hominem certè Salvatorem esse fateris. Quod si hominem fateris, cur hominem negas? Cur in eodem verbo tibi te contrarium non advertis? Quando namque stulte, hominem sine anima vidisti? Aut igitur ostende mihi sine anima hominem, aut si Christum dicis hominem, ex carne & anima eum fatere hominem, &c. Nulla ratione vocare poteris hominem, quem ratione subtracta facis semihominem.*

XV. Præposterū esset, infimo nostro donari, summo nostro negari copulam Verbi.

Asseritur idem ipsum denuo. Præposterum erat, infimum nostrum, seu corpus nostrum sua cum Verbo copulatione honestari, summum autem nostrum, videlicet animum posthaberi, eaque immane quantum dedecorari repulsa. Non potuit Veritatis judicio antehaberi infimum summo, præponi optimo deterius, anteferri mancipium domino, postponi animus corpori, lux caligini. Cùm vel maximè totius dispensationis fructus hic expectaretur, ut suo animus imperio in corpus, suo corpus erga mentem servitio, sua omnia loco ordinique primigenio restituerentur. Augustinus: *Sed si execrandi sunt illi qui eum negant humanum corpus habuisse, quod est infimum in homine, miror quod isti non erubescant, qui hoc eum negant habuisse quod est optimum in homine. Multum enim lugenda est mens humana, si vincitur à corpore suo, siquidem in illo homine non reformata est, in quo ipsum corpus humanum jam dignitatem formæ cælestis accepit.*

De Agone Christi c. 19

XVI. Quò melior carne mens, eò aptior Deo conseri, ab eoque perfici.

Deus optimus maximus meliori summoque nostro faciliùs confœderavit sese; melior est enim meliore nostro, summoque nostro major; potestque & in melius & in majus sua cùm eo coaptatione illud provehere. Quippe mens eò melius majusque nostrum est, quò excipiendis à Deo in melius majusve incrementis paratius. Fulgentius: *Suscepit ergo Filius Dei animam nostram, id est, melius nostrum, quia melior est meliore nostro; de quo Joannes dicit, Major est Deus corde nostro. Sed non sprevit etiam carnem nostram, id est infimum nostrum suscipere, quia totum hominem venerat liberare: nec potuit infimo nostro infimus fieri, per quem infimum nostrum in illud nomen, quod super omne nomen est, meruit exaltari*. Non poterat ergo Deitas infimi nostri accessu deprimi: poterat summum nostrum Deitatis accessu sublimari. Ubi autem posse optimum nostrum Deitate quasi vicaria suppleri, non autem adjuncta Deitate perfici & in melius promoveri, opinatur Apollinaris, quid nisi animum Deo coæquat, & à veritatis orbita nimium quantum aberrat?

L. 3. ad Trasim. c. 34.

XVII. Solemne Deo est non benefacere corpori, nisi per animá

Nec in summi largitate beneficii deflexit Deus ab ea lege, cui se quasi astrinxerat ipse, ut corpori nonnisi post animam & mentem, & per animam mentemque benefaceret. Quæ enim primaria entium nobilitas est, vitam priùs animæ affudit, & per animam instillavit corpori. Quid ergo? vitam non qualemcumque, sed divinam, vitarumque vitam, annon etiam priùs elargietur animæ, & per animam corpori quoque irrigabit? Petrus Venerabilis: *Cùm nihil humana caro nisi otiosam essentiam retineret, inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Quo facto, collatum est carni ab aliena, quod ex propria substantia non habebat, ut vivere, sentire, atque uti ratione ad omnia posset; sine qua non solùm ista non habere, sed nec etiam illam suam vilem diu integram conservare materiam valuisset, &c. Quomodo ergo fieri potest, ut ad salvandum totum hominem Deus hominem assumens, partem quæ minima est hominis assumpserit, & eam quæ excellentissimè major est, dereliquerit? Quo certè ordine fieri potuit, ut summa contemnerentur, infima susciperentur?*

L. 2. Epist. 1

XVIII. Maximè verò sanctitas Verbi carni,

Quin imò, cùm non ad vitam tantùm, sed ad sanctitatem Deitatis imbibendam assumeretur natura creata, ut propè absurda ad sanctitatem cas-

nisi per animam & mentem irrigari potest. Hom. 51.

ro est; ita bibula ejus & appetentissima mens. Nazianzenus: *Si quod deterius est, assumptum est, ut per incarnationem sanctificetur; annon quod præstantius est, assumetur, ut per inhumanationem sanctitate afficiatur? Si lutum fermentatum est, ô sapientes viri, ac nova conspersio extitit, imago ipsa non fermentabitur, & cum Deo commiscebitur, per divinitatem deificata?* Nefas quippe sanctitatis & deificationis receptaculum carnem potiùs admovere Verbo Deo, quàm mentem, cui uni vel maximè quadrat ea laus, & supra carnem prærogativa.

XIX. Repudiasse mentē Deus, nec ut minùs indigā, nec ut minus dignam nec ut alienam, nec ut insanabilem potuit. Cap. 13.

Adseritur rursus idipsum. Si mentem à copula sua repudiasset Verbum, an ut alienam, an ut minùs indigam, an ut minùs dignam, an ut insanabilem repudiasset? Nihil horum citra piaculum affirmari potest, non ergo repudiavit. Latiùs hæc persequitur Augustinus contra Felicianum: *Vellem tamen ab hujusmodi prædicatoribus quærere cur accepta carne animam dispensatio mediatoris omiserit? Nisi fortè aut innoxiam sciens, medicinæ indigentem non crediderit: aut à se alienam putans, redemptionis beneficio non donaverit: aut ex toto insanabilem judicans, curare nequiverit: aut ut vilem, & quæ nullis usibus apta videretur, abjecerit. Horum duo in ipsum totius hominis Creatorem blasphemi spiritus incredulitate desipiunt. Quomodo enim dicetur omnipotens, si curare non potuit desperatam? Aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus verò aliis, uno animæ causa nescitur, altero meritum non metitur. Aut intelligere causam putandus est animæ, qui eam ad accipiendam legem, habitu insitæ rationis instructam, à peccato voluntariæ transgressionis nititur separare? Aut quomodo ejus generositatem novit, qui ignobilitatis vitio dicit esse despectam, prælata carne, quam non inflatu Dei, sicut animam, sed de limo terræ constat esse plasmatam?*

Et ibidem statim breviùs & acutiùs idem concludit: *Si originem utriusque, gnarus rerum contemplator attendas, pretiosior est animæ substantia: si transgressionis culpam propter intelligentiam, pejor est causa. Ego autem Christum & perfectam sapientiam dico & scio, & piissimum esse non dubito: quarum primò meliorem & prudentiæ capacem non despexit; secundò eam quæ magis fuerat vulnerata, suscepit. Neque enim aut sapientiæ convenit de duobus æquè suis, insipientissimam plus amare; aut perfectæ pietati, magis indigentem non juvisse.*

L. 1. ad Trasim. c. 14.

Quadripartitam illam Augustini argumentationem pulcherrimè Fulgentius complexus est: *Ad extremum dicatur, cur ab illa ineffabili divinitate non fuerit animæ natura suscepta cum carne? utrum à Deo non fuerit facta? an peccato non fuerit vitiata? an carne viliorem universalis medicina despexit? an peccati vulnere sauciatam omnipotens curare nequivit, &c. Illa igitur omnipotens virtus & pia sapientia nec despexit velut extraneam quam à se noverat factam: nec sprevit sanandam, quam sciebat graviùs vulneratam: nec eam quam carne potiorem fecit, à remedio salutis exclusit; sed sicut totum hominem diabolus decipiendo percussit, ita Deus totum suscipiendo salvavit, ut agnosceretur idem creaturæ totius conditor & redemptor, qui potuit & quod non erat, facere; & quod dilapsum fuerat, reparare.*

XX. Cum substantive mediator sit, tam totus homo, quā totus Deus esse debuit Christus.

Adseritur rursum. Impar esset Christus implendo nomini, obeundoque muneri mediatoris, nisi tam totus homo esset, quàm totus Deus. Mediatoris enim non perfunctorium munus, sed substantiam obtinet; nec fugaci interpellatione, sed constanti personæ suæ structura dissidentes priùs Dei hominisque naturas in sempiternum confœderat. Non ergo animam mentemque nostram quæ à Deo prima dissilierat, eidem recolligeret, nisi eam ipse gestaret, in seque ipso individuè & substantivè Deo conglutinaret. Fulgentius: *Oportet agnoscere*

L. 1. ad Trasi. c. 15.

pariter & tenere, non in cassum hominem Jesum Christum mediatorem Dei & hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem, hominemque peccantem, talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet: & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret. Atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset, ut plenitudo Deitatis susceptum non consumeret, sed proveheret hominem; & plenitudo humanitatis nec minoraret immensam, nec mutaret impassibilem Deitatem. Ac sic hominis natura, quæ mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur; quo nihil est melius. Ecquis enim animam mentemque suam Deo reconciliatum adglutinatumque iri nisi protervus speraret, quam nec in Christo quidem cum Deo coire potuisse perhiberetur?

XXI. Nec Pontifex nec victima Christus esset, si qua humanitatis parte truncus esset.

Utque mediatoris pontificisque finitima sunt nomina, perinde à pontificis dignitate caderet Christus, si mentis humanæ inops esse. Quin imo nec victima pro humano genere piacularis omnino foret, quia & victimæ sacerdotisque affinia sunt connexaque arctissime nomina. Ideo enim sacerdos, quia victima teste Augustino, ut suo infra loco demonstrabitur. Cæterum nec victimæ, nec pontificis obiret ritè vices, si qua naturæ nostræ parte truncatus esset. Id enim tum sanxerat Deus, cùm in figura contingebant omnia, nequa sui parte minutus asscisceretur pontifex, & neque etiam vel tantillum maculosa truncave admoveretur victima. Fulgentius: *Ipse sacerdos & victima, unus idemque & oblator muneris & munus factus est oblatoris, ut nec oblator à muneris qualitate desisceret, nec munus oblatoris merito discreparet. Qui si minus aliquid habuit humanæ naturæ, nec personam sumere pontificis, nec offerri potuit pro peccatis. In lege enim sacerdotio fungi non poterat, si quis homo minus aliquid habuisset in se: nec vitiosum vel imperfectum pecus, ad sacrificium cuiquam licebat offerre.*

L. 1. ad Trasi. c. 12.

XXII. Nec homini toti nisi de toto homine præformare potuit exempla justitiæ. Ibid. c. 11.

Sed nec præformare nobis exempla potuit, quæ consectemur, nisi ejusdem compos animæ & mentis, impeccantiam & sanctitatem non in nuda Deitate, quam exorare magis possumus quàm æmulari, sed in consimili nobis animo præmonstret. Fulgentius: *Christus pro nobis mortuus est, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Nam si Dei Filius animam humanam in carnis susceptione non habuit, & hoc beatus Petrus de ejus creditur divinitate dixisse, quid est quod pro magno in laudem dicitur Christi, quia divinitas ejus immunis esse potuit à labe peccati, cùm Dei sit proprium non solum non peccare, sed etiam à peccato salvare? Qui propterea solus potest donare indulgentiam, quia solus admittere non potest culpam. Si autem hoc ad Christi carnem creditur inferendum, quomodo ab animabus nostris servari justitia poterit, quibus exemplum Apostolice memoratum susceptio Christi non dedit?*

XXIII. Veritas Christus nō potuit hominem mentiri. Ep. ad Victricium. 1.

Denique nec constitisset sibi veritas, si carnem induta exanimem vel amentem, ementita esset hominem, non exhibuisset: nec hominibus veram, quia nec plenam contulisset salutem. Paulinus Nolanus Episcopus; *Alioquin in tenebris Apollinaris erravimus, si hominem assumptum à Deo, animam mentis humanæ vacuam, qualis est pecorum & jumentorum, dicamus habuisse; & eum hominem quem suscepit Dei Filius, qui necesse est ea veritate qua veritas est, & qua creavit hominem, totum susceperit, ut opus suum plena salute renovaret. Nulla est autem salus nostra nisi plena est.*

Adseritur denuo indeclinabili sacrorum codicum autho-

xxiv. Sacræ paginæ apertissime Christo vendicāt animam & mentem, & ejus affectus.

authoritate, ubi disertissimè adscribuntur eæ Christo affectiones quæ humanæ mentis animæque peculiares sunt. Esuriit enim sitiitque, ex itinere fatigatus est, somnoque indulsit. Iratus, tristatus, & collætatus quandoque describitur, & ad insolita etiam aliqua obstupuisse. Quin & in potestate sua positum contestatus est, animam ut suam poneret, reciperetque. Denique commendatam in paternas manus animam moriens exspiravit, eaque corpore suo exuta, infernos adiit lustravitque lacus. His omnibus defungi muneribus mens & anima hominis potuit, Deitas Verbi nuda non potuit, & turpissimæ perpetuæque cavillationis ludibrium sacris litteris aspergitur, si ubi tam expressè animam Christi commemorant, non animam tamen, sed vicariam animæ significant Deitatem.

L. de Incarn. c. 7.

Ambrosius: *Nam quis potest negare quod susceperit animam, cum ipse dicat, animam meam pono pro ovibus meis: & iterum, propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam ut iterum sumam illam?* Et infrà: *Sensu hominis dixi animam meam esse turbatam, sensu hominis esurivi, sensu hominis rogavi, qui rogantes exaudire consuevi. Sensu hominis profeci, sicut scriptum est, Et Jesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines. Quomodo proficiebat sapientia Dei? Si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis.* Quoniam autem vim eorum contextuum ubi animam suam Christus commemorat, infringere se posse sperabant adversarij, ea regerendo loca quibus animam suam Deus hauddubio metaphoricè nominat, ut Esaiæ 1. *Neomenias & Sabbatha vestra odit anima mea:*

xxv. Refellitur cavillatio inepta, etiā Deo animā tribui.

Occludit Ambrosius hoc effugium. 1. Quia & ibi anima Christi non absurdè potest intelligi, qua Deus jam tum se vestire præsumeret, insuesceretque, & nos Deum Hominem complecti insuefaceret: & quæ tum intempestiva repudiaret sacrificia, sacrificii veri nomen decusque in unam se susceptura. 2. Immensum nescio quid distat Propheta ab Evangelista, & quàm amica illi, tam huic inimica metaphorarum umbrarumque licentia. 3. Animam obiter nominat & perfunctoriè Esajas, at Evangelista sæpiùs & accuratiùs inculcat, & ex propriis illam describit factis, moriendi, resurgendique: siquidem potest Deus sine anima execrari Neomenias & Sabbatha, non potest Christus sine anima emori & reviviscere. *Non per parabolam hoc dicitur, nec perfunctoria significatione, in qua aliud dicitur & aliud intelligitur, sicut illud, Neomenias & Sabbatha vestra odit anima mea. Licèt etiam illud ad Christi animam possit referri, quæ ideo posita est ut aboleret Judaicæ superstitionis errorem, & unius sacrificii institueret veritatem. Sed de hoc dubitent prophetico, evangelicum hoc refutare non possunt, de animæ proprietate dictum, cum de morte Domini & resurrectione sit dictum.*

xxvi. Nam & membra Deo affinguntur, citra periculum assūptæ carnis.

Augustini quoque affinis huic est argumentatio. Cùm exhilaratus, cùm constristatus, cùm has aliasque affectuum humanorum vices subjisse describitur Christus, tam vera his insinuatur anima ejus, mensque humana, quàm humanum corpus indicatur, ubi ea quæ corporis sunt propria, consignantur. Tam pronum est enim hæc, quàm illa, vel ad veritatis fidem, vel ad metaphoræ audaciam referre. Cæterum quod Dei quandoque & iræ & lætitiæ meminere sacri codices, Dei quoque & manus atque brachia memorant: utrobique plano & indubio allegoriæ sensu. Sed ut corporis Christi fides non hinc elevatur, quod ad Deum eadem quandoque membra transferuntur: ita nec animæ Christi obnubilatur veritas, etsi humani affectus Deo nonnunquam appinguntur.

L. 83. qq. q. 80.

Nec ficte aut figuratè accipienda quisquam vel dementissimus dixerit, cum dicta sint ab eis qui res gestas ut meminerant, narraverunt. Sicut ergo ista corpus eum habuisse testantur, sic eum indicant habuisse animam affectiones illæ, quæ non possunt esse nisi in anima, quas nihilominus eisdem Evangelistis narrantibus legimus. Et miratus est Jesus, & iratus, & contristatus, & exhilaratus, & multa talia innumerabilia. Non enim possunt dicere etiam in veteribus libris, dictam esse iram Dei & lætitiam, & nonnullos hujus generis motus, nec ideo tamen esse consequens, ut Deum habuisse animam credendum sit. Dicta sunt enim illa propheticis imaginationibus, non narratoria manifestatione. Nam & membra Dei dicta sunt, & manus, & pedes, & oculi, & facies, & similia, & quemadmodum ista non indicant eum habere corpus, sic nec illa animam. Non ergo historica Evangelii lux propheticis est umbris offundenda. Quin his umbris lux illa potiùs augescit. Tantò enim indubitatiùs veram Christus animam accepit, quantò umbraticam Deus præcepit. Nunquam enim ad humanorum affectuum umbram declinasset Deus, nisi ad eorum veritatem inclinaturus se tandem fuisset. Nunquam humanæ carnis animæque sibi quasi præludendo umbratilia accersisset velamina, nisi ipsam quandoque substantiam induendus. Prægestiebat enim homo fieri, & jam tum humanitatis simulacra quædam præsumebat, ut ex Tertulliano & aliis supra Patribus ostensum est.

xxvii. Non nostrā, sed suam mortem obiit, vicitque Christus, si non, ut nos, animam exspiravit.

Athanasius autem, si mors Christi emigratio fuerit non animæ rationalis è corpore, sed Deitatis quæ locum obtineret animæ, hinc urget, non nostram omnium, sed sibi propriam illum oppetiisse mortem, adeoque nec nostram exarmasse: quia illam nimirum evertit mortem, quam in se convertit. Nec verò culpam animarum nostrarum exhausit, si non exhausit pœnam; nec animarum exhausit pœnam, si non ejus à corpore abscissionem subiit. L. de Incar. *Expirationem nemo dixerit, demigrationem Deitatis, sed secessum animæ. Si enim post emigrationem Deitatis mors supervenit, eaque fuit corporis extinctio, propriam nimirum mortem obivit, non nostra perfunctus est, &c. Qui quæso mors corpori supervenisset, nisi Verbum Dei & interiorem & exteriorem hominem sibi circumposuisset? Aut quomodo pro omnibus succidaneam victimam ad liberationem se dedisset? Aut quomodo potentia mortis planè dissoluta fuisset, nisi Christus illud quod ex cogitatione voluntateque peccandi vitiatum erat, ipse in seipso restituisset impeccabile, videlicet animam? Quid igitur secundùm vos? Regnatne mors in interiori homine? In quo ergo regnat nisi in anima quæ arbitrio suo peccavit? Sicut scriptum est, Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Pro qua suam animam reposuit Dominus, pensationem redemptionis* Qua Athanasii philosophia nihil penitius, nihil solidius. Pœna peccati mors, animæ potius inflicta, quàm corpori est. Etenim anima peccati omnino conscia & rea, vix autem caro; quo & pœna illi, quàm huic altiùs imprimatur, æquum est. Deinde peccato verè emoritur anima, quatenus Deo vita sua intimiore vivificari, volens desinit; ex quo consequitur, ut & vivificare corpus ipsa suum nolens desinat, & sursum exanimis, deorsum semper animare non sufficiat. Denique cujus culpa fuit, adglutinatio ad corpus voluptuaria, par est, ejus pœna ut sit divulsio à corpore cruciabilis. Pœnam hujusmodi, seu mortem veram non pro nobis subiisset Christus, nisi anima humana præditus fuisset.

xxviii. Ad inferos non descendit Christus nisi animā habuerit. L. de Incar.

Cyrillus denique evincit ad inferos non descendisse Christum corpore, ut quod in sepulchro jacuerit: nec nuda Deitate, ut quæ ubique sit, nec idonea degentibus illic spiritibus, prout affirmat Petrus, prædicare; ergo anima rationali. *Vivificatus spiritu, in quo & iis qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui aliquando increduli fuerant. Neque enim, ut arbitror, dixerit quispiam nudam solamque Deitatem unigeniti per se ad inferos descendisse. Siquidem invisibilis existens, spiri-*

ſpiritus qui illic erant, prædicare omnino non potuit. Præſtantior eſt enim Deitas, quam ut cerni poſſit. Sed neque imaginaria quadam apparentia, divinitatem in animæ ſpeciem transformatam concedemus. Sed perinde atque iis qui adhuc in carne verſantur, ita etiam animabus in inferno prædicavit, proprium ſuum geſtamen habens, animam ſibi unitam.

CAPUT IX.

Idem elimatius pertractatur, oſtenditurque Verbum non niſi media mente corpori copulatum eſſe.

I. Eſurire & ſitire, hilarari & triſtari inſignia ſunt naturæ mutabilis Verbo ergo non quadrant.

ADſeritur hinc etiam ſuæ Chriſto humanæ veritas animæ & mentis. Eſurire & ſitire, hilarari & triſtari, ſilere & ſermocinari, inſignia ſunt ſubſtantiæ commutabilis, ex aliis in alios affectus viciſſim alternantis. At Verbum ſubſtantia eſt incommutabilis, aut ſupra ſubſtantiam incommutabiliter idipſum eſt. Ergo illa affectuum fluctuatio non a Verbo, ſed à mente creata proficiſcebatur. Si hæc enim finxiſſet vel Chriſtus in ſeipſo, vel Scriptura de Chriſto, innixa his figmentis Chriſtiana fides labaret tota. Auguſtinus: *Tantum cognoveram ex iis quæ de illo ſcripta traderentur, quia manducavit, bibit, dormivit, ambulavit, exhilaratus eſt, contriſtatus eſt, ſermocinatus eſt, non hæſiſſe carnem illam Verbo tuo, niſi cum anima & mente humana. Novit hoc omnis, qui novit incommutabilitatem Verbi tui, quam ego jam noveram quantum poteram, nec omnino quidquam inde dubitabam. Etenim nunc movere membra corporis per voluntatem, nunc non movere: nunc aliquo affectu affici, nunc non affici: nunc proferre per ſigna ſapientes ſententias, nunc eſſe in ſilentio, propria ſunt mutabilitatis animæ & mentis. Quæ ſi falſa de illo ſcripta eſſent, etiam omnia periclitarentur mendacio, neque in illis literis ulla fidei ſalus generi humano remaneret.* Veritati incommutabili par utrimque immineret diſcrimen, ne ſi iſta fingeret, veritatis: ſi verè ſubiret, immutabilitatis ſuæ jacturam faceret.

L. 7. Confeſ. c. 19.

II. Et incommutabilitati verbi eſt eſt conſulendum, à qua in animas & corpora noſtra plurimus fructus dimanat.

Nec tuendæ dumtaxat immutabilitati Verbi, ſed ab eo potiſſimùm diffundendæ in animas & corpora noſtra, neceſſe eſt coaptari & coaleſcere ipſi tam animam mentemque, quàm corpus hominis. Incommutabilitatis enim ſuæ auram afflatumque dum inſpirat animæ, mortem ab ea omnimodam diſſipat: dum corpori, corruptibilitatem ejus exſufflat: conſulendumque ideo imprimis eſt incommutabilitati Verbi, ne ea labefactetur, ex qua fructus omnis inhumanationis exurgit. Athanaſius; *Talis fuit illa diſſolutio, quum interim Deus Verbum intranſibiliter ſe haberet ad corpus & ad animam, & ad ſeipſum qui erat in ſinu Patris, ad ſpecimen incommutabilitatis, &c. Ut in morte mortem diſſolveret per exhibitionem animæ, & per ſepulchrum corporis in ſepulchro corruptionem aboleret. Ex orco verò & ex ſepulchro immortalitatem & incorruptibilitatem oſtendit, in forma nobis conſimili noſtram viam emenſus, noſtramque detentionem relaxans. Vos autem ſolam carnem agnoſcentes, neque peccati condemnationem oſtendere poteſtis, neque mortis diſſolutionem, neque reſurrectionis conſummationem, neque Verbi incommutabilitatem; eo quod extra ſacras litteras evagamini, ea loquentes quæ Ariani cavillantur.*

L. de ſalutari adventu Chriſt.

III. Ex Ario doceri Apollinaris debuerat, non poſſe verbum obire partes animæ ſine jactura ſuæ incommutabilitatis.

Ita incauti in Arianorum baratrum delabebantur Apollinariſtæ, corruptaque Verbi per variabiles animæ vices, quas ei defungendas ingerebant, incommutabilitate, paternam quoque ei ſubſtantiam & æqualitatem denique abrogabant. Inſidiabatur Arianus Deitati, conſulebat Apollinariſta humanitati, ille hoſtiliter, hic imprudenter Chriſtum laceſſebat, animam mentemque humanam excutiebat uterque, ille ut cùm Deitas obiret animæ munera, ſubiret & mutabilitatem, caderetque à paterna æqualitate; hic ut Deitati implenti locum animæ, tanquam animæ conſereretur caro, arctiùſque in unum coaleſceret. Sed importuniſſimum hoc erat humanitatis compendium, quod Deitatis diſpendio inſtruebatur. Ecquod enim carni à Deitatis illapſu emolumentum, ſi ut carni illaberetur, ab immutabilitate ſua, hoc eſt, à ſeipſa delaberetur? Epiphanius: *Negant inſuper humana illum anima præditum fuiſſe. Quod certo conſilio ita præſtruunt, ut veram ex Maria Virgine carnem reliquaque quæ ſunt hominis propria, illum accepiſſe fateantur, ſi unam animam excipias. Nimirum ut cum famem, ſitim, labores, itinera, ſudorem, ſomnum, indignationem audieris, ac dixeris, propter humanam quam aſſumpſerat naturam, opus illis habuiſſe, ſtatim objicere poſſint, per ſe ſe hæc præſtare carnem, niſi anima prædita ſit non poſſe. Et quidem vere hoc ab illis dicitur. Quid eſt igitur, inquiunt, aliud quàm quod his omnibus illius divinitas indigebat? Ut cùm indigere divinitatem ipſius dixerint, velut peregrinum eundem promuntient, & à Patres eſſentia ac natura prorſus alienum.*

Hæreſ. 69. n. 19.

IV. Pleraque animæ munia paſſione conſtant, vel non ſine paſſione ſtant.

Vitæ ſeu vegetantis, ſeu ſentientis, ſeu intelligentis humanitus munia, niſi propria hominis anima exercere non poteſt; Deitas certè Verbi humanitus & vitaliter haudquaquam poteſt. Quippe hæc omnia alternatione ſua mutabilitatem præſeferunt. Deinde vices iſtæ non tantum in agendo, quantum in patiendo ſitæ ſunt, ſi qua famoſioribus Philoſophis fides eſt. Et agit enim anima & patitur, afficit & afficitur; cùmque vel dolet, vel mœret, vel iſtiuſmodi quaſi ſauciatur affectibus, utique patitur, & corpori ſuo inter ſentiendum compatitur. At Verbi non eſt vel mutari vel pati. Epiphanius: *Si nihil præter carnem habuit, quomodo famis recordari potuit? aut ſi ex anima ſola conſtaret & corpore, ita ut ratione careret anima; propriaque mente hominis & intelligentia, qui tandem eſurire vel eſuriem cogitare potuit? Dolore vero quomodo potuit affici, ſi anima mente, ac ratiocinandi facultate, deſtituta fuerit?*

Hæreſ. 77. n. 30.

V. Rationalis etiam animæ & ſubſtantia & operatio mutabilitati implicata neceſſario eſt, ut ejus vices non poſſit implere verbum incommutabile.

Verùm ea ipſa rationalis vita, quæ à paſſionis mutationiſque injuria longiùs videtur abeſſe, nequaquam hinc poteſt extricari: nam ne alternantium ſeu cogitationum ſeu affectionum fluctuationem rurſus inculcem, ſubſtantia ipſa vitæ rationalis ineluibili mutabilitatis veneno primordialiter imbuta eſt. Hoc enim capitale diſcrimen intereſt Verbo & menti, quod propria ſit Verbi, utpote Veritas, immutabilitas; propria ſit mentis creatæ mutabilitas. Mens enim creata quælibet, cùm non ſit natura ipſa veritatis & ſapientiæ, nunc ſapit, nunc deſipit: nunc veritati ſubeſt, nunc vanitati: ad veritatem proficit, ad vanitatem deficit; & hic ejus naturæ ſubſtantivus ordo & impetus eſt, hic inſitæ ejus mutabilitatis niſus, ut à vanitate ad veritatem, ab inſipientia anhelet & indefeſsè ad ſapientiam eluctetur. Ita comparata eſt ejus ſubſtantia, ita radicitus inſtitutæ ſunt ejus operationes, ut jugi & inquieto mutabilitatis ſuæ profectu ad ſupernæ & incommutabilis ſapientiæ enitatur complexum. Cùm enim non ſit ipſa natura veritatis & ſapientiæ, cederet in ejus perniciem immutabilitas, qua vanitati & fatuitati immobiliter affigeretur. Conſultiùs ergo mutabilis ejus inſtituta eſt & ſubſtantia, & operatio, ut mutabilitate proficiente ad ſapientiæ & veritatis, proindeque ad immutabilitatis conſortium progrederetur. Veritas autem ipſa & ſapientia immutabiliter idipſum eſt, nec vel profectu vel defectu variari poteſt; nec veritas vanitati, nec ſapientia ſtultitiæ contagio contaminari poteſt. Mens enim ſapiens, poteſt & deſipere: ſed ſapientia tam non poteſt deſipere, quàm nec lux tenebreſcere, nec caligo luceſcere, nec calor frigeſcere, nec frigus

cale-

caleſcere. Quin etiamſi mens quæpiam beata veritati ita ſe affixerit, ut refigi nulla creata vi poſſit, adeoque immutabiliter illi adglutinata adhæreſcat: non ipſa illa tamen ejus operatio omnem mutabilitatis aleam ſuperavit. Quid enim illa intellectionis & dilectionis tenax & conſtans adhæſio eſt, quàm niſus pertinax, fluxuſque vehementiſſimus, impetuſque irrequietus & indefeſſus ad veritatem? Et quid hic niſus, quid fluxus impetuſque, quàm motio quædam infatigabilis à caligine ad lucem, ab inſipientia ad ſapientiam? à caligine utique & inſipientia qua tenebreſceret, ſtulteſceretque, ſi vel tantiſper in ſe conquieſceret. Jugis ergo hæc & infatigata motio, jugis utique mutatio in melius eſt, progreſſioque ad incommutabilem veritatem. Veritas autem ipſa & ſapientia, ſibi utique nec latet nec friget, ſed in incommutabili lumine fructuque ſuo conquieſcit.

VI. Rurſus ut veritas ſola incommutabilis, mẽs creata eo mutabilis neceſſario ſit, ut ad veritatem cõnitatur, cũ ipſa veritas non ſit. L. 7. Confeſſ. c. 10. 17.

Quæ cùm ita ſe habeant, perſpicuum jam eſt in quantum præcipitetur diſcrimen incommutabilitas Verbi Dei, ſi rationis mentiſque humanæ partes ſuſtinere compellatur. Operationes enim humano animo defungendæ mutationi implicatæ ſunt. Cùm ergo incommutabilitatis uſuram aliquam percipere mens humana debeat à veritate, cavendum nobis eſt, ne præpoſteris noſtris argumentationibus veritas ipſa Verbi mutabilitate muniiſque noſtræ mentis polluatur. Auguſtinus: *Vidi qualicumque oculo animæ meæ, ſupra eundem oculum animæ meæ, ſupra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, &c. O æterna veritas, &c.* Et infrà: *Quærens quid mihi præſto eſſet integrè de mutabilibus judicanti, & dicenti, hoc ita eſſe debet, illud non ita, &c. Inveneram incommutabilem & veram veritatis æternitatem, ſupra mentem meam commutabilem, &c.* Et ſexcenties alibi naturam mentis in quadam mutabilitate, ſeſe perpetuis ad veritatem niſibus auſpicatiùs explicante: naturam autem veritatis conſtituit in incommutabilitate, & velut in immobili cardine, circa quem & ad quem mentium omnium mutationes progreſſioneſque conſpirant. Quo autem Dei conſilio veritatis immutabilitas dum inhumanata eſt, non animæ mutabilitatem ſibi adſciſcere, ſed immutabilitate ſua unam aliquam eximiam & per eam omnes hominum mentes beare conſtituerit, eleganter explanat Theodoretus: *Et quemadmodum corpus ſumpſit corpore non egens, ſed ut corporibus omnibus per illud præſtaret immortalitatem: ſic & animam ſumpſit corpus gubernantem, ut omnis per illam anima immutabilitatem adipiſceretur. Licèt enim immortales ſint animæ, non tamen immutabiles. Multas enim eaſque frequentes ſubeunt mutationes, cùm modò his delectantur, modò illis. Quo ſanè fit etiam, ut peccemus cum ad deteriora propendemus.* Et paulò poſt: *Factus quippe eſt homo Deus Verbum, non ut paſſibilem redderet impaſſibilem naturam, ſed ut paſſibili naturæ impaſſibilitatem largiretur.*

Epiſt. 145.

VII. Non viderũt Apollinariſtæ quàm immaniter diſtet vita mentis noſtræ à vita veritatis ipſius; ut illius vicem hæc implere nõ poſſit.

Caput ipſum reique totius cardo, à quo aberrantes omne Incarnationis ſacramentum contaminarunt Apollinariſtæ, in hoc verti videtur; quòd cùm hominis mens vita ſit quædam intelligens, quia vitam quoque & intelligentiam & Scripturæ paſſim & Philoſophorum ſcholæ Deo adſcribunt, illius hujuſque vitæ & intelligentiæ infinitum & inæſtimabile intervallum non ſatis penſitaverint. Tametſi enim & veritati Deo & menti hominis vita & intelligentia tribuatur, ea tamen Dei vita eſt, cujus diſſonantiſſima tantùm umbra ſit vita noſtra: ea Dei intelligentia eſt, quæ per neſcientiam meliùs exprimatur: atque adeo ea Dei vita & intelligentia eſt, quæ noſtræ, vel vitæ, vel intelligentiæ, locum viceſque implere neutiquam poſſit.

VIII. Iam vitam de Verbo vivit mens; quam caro non poteſt vivere.

Etenim Veritas Deus vita eſt mentium, non corporum; vita enim corporum anima eſt; vita animarum veritas eſt. Finge tibi quàm multipliciter vivant, & delicientur, & cibentur, & ſaginentur animæ de veritate: quam nimirum contemplantur, quam depereunt, qua implentur & exſaturantur medullitus ſibi infuſa: quàm dilucidum eſt, non poſſe corpus vivere hanc veritatis vitam? Ergo vivificari corpus non poteſt à veritate Verbo, quia corpus non eſt anima, non eſt mens, non eſt vitæ veritatis idoneum receptaculum.

IX. A ſummo per media ad ima defluit Deitatis derivatio.

Rurſum vita Deus eſt, ſed per loca & per tempora æquè immutabilis. Vita eſt anima, ſed mobilis per tempora, immobilis per loca. Cùm ergo per loca & tempora moveatur corpus, vivificare moverique poteſt utique per animam, loco immobilem, tempore mobilem; ſicut & anima moveri vivificarique à Deo poſtulat penitùs immobili. Hæc rerum & naturarum contextio eſt à ſummo ad ima per media conſona progrediens.

X. Mens noſtra quædam fames & ſitis eſt veritatis. Ejus locum implere non poteſt ipſa veritas, quæ ipſa ſui ſaturitas eſt.

Rurſum intelligentia eſt veritas, ſed vel mentibus ipſis incomprehenſibilis, nedum mentis loco comprehenſibilis. Intelligentia eſt, non ut ratio ab his ad illa excurrens: non ut mens extra ſe ad ſuperum vel extimum aliquid ſe movens; ſed ut lux ſibi lucens, eoque nec ſe latens; ut veritas in ſe conquieſcens, & eo non ſe neſciens. Intelligentia eſt, ſed noſtræ uſque adeo præcellenter diſſimilis, ut quod jam dixi, per neſcientiam aptiùs ſignificetur. Denique mirum in modum diſcrepat mens veritatis avida & jejuna etiam tum dum illa fruitur: & veritas ipſa, non ignara ſui, ſuique ſibi conſcia. Ex quo cordatis omnibus liquidò conſtat non poſſe illius mentis creatæ locum ab iſta veritate ſuppleri.

XI. Antedicta ex Auguſtino confirmantur. L. 2. ad Simpl. q. 2.

Auguſtinus: *Cùm enim dempſero de humana ſcientia mutabilitatem, & tranſitus quoſdam à cogitatione in cogitationem; cùm recolimus ut cernamus animo, quod in contuitu ejus paulo antè non erat: atque ita de parte in partem crebris recordationibus tranſilimus: unde etiam ex parte dicit eſſe Apoſtolus noſtram ſcientiam. Cùm ergo hæc cuncta detraxero, & reliquero ſolam vivacitatem certæ atque inconcuſſæ veritatis, una atque æterna contemplatione, cuncta colluſtrantis, imò non reliquero, non enim habet hoc humana ſcientia, ſed pro viribus cogitavero, inſinuatur mihi utcumque ſcientia Dei.* En quàm diſcolor eſt intelligentia noſtra divinæ comparata, vix ut ejus imago obſcuriſſima ſit; nedum tanta ſit cognatio, ut alteri ſufficiatur.

L. 8. de Geneſ. ad lite. c. 20.

Et rurſum idem Auguſtinus: *Spiritalem creaturam corporali præpoſuit Deus, quod ſpiritalis tantummodo per tempora mutari poſſit, corporalis autem per tempora & loca. Exempli enim gratia per tempus movetur animus, vel reminiſcendo quod oblitus erat, vel diſcendo quod neſciebat, vel volendo quod nolebat: per loca autem corpus vel à terra in cœlum, vel à cœlo in terram. Omne autem quod movetur per locum, non poteſt niſi & per tempus ſimul moveri: at omne quod movetur per tempus, neceſſe eſt etiam per locum moveri. Sicut ergo ſubſtantiam quæ movetur per tempus & locum, præcedit ſubſtantia quæ tantum per tempus: ita ipſam præcedit illa, quæ nec per locum nec per tempus. Ac per hoc ſicut per tempus & locum movet corpus, ipſe tantum per tempus motus conditus ſpiritus: ita per tempus movet conditum ſpiritum, ipſe nec per tempus nec per locum motus conditor ſpiritus.* Per hos gradus defluit vita motuſque omnis à ſummo immutabilitatis fonte ad extremum uſque ſubſtantiæ corporeæ rivulum. Qui ergo immutabilitatem Verbi omnium opificis vivificando movendoque ſine media anima corpori inclinabant, non inclinabant ſanè, ſed præcipitabant.

XII. Idem ex Dionyſio, non tam mens Deus dicitur, quã mentis privatio, quia ſupra mentem. De divin. nom. c. 7.

Dionyſius: *Hanc igitur amentem & rationis expertem & fatuam ſapientiam Dei ſuperlatè laudantes dicamus, omnis mentis & rationis, omniſque ſapientiæ & intelligentiæ cauſam eſſe.* Parco plura id genus acervare, ex quibus diluſceſceret, Deum veriùs dici ἄλογον & ἄνουν, quàm λόγον & νοῦν; quod

per negationes minùs abſurdè nobis æſtimetur, quàm per ullas affirmationes. Non ergo mens Deus eſt, & ratio, & vita, noſtræ tam affinis & citima, ut noſtræ locum poſſit ſupplere, cùm negatione mentis, & rationis, & vitæ, veriſimiliùs ſignificetur.

XIII. Strues argumentorum, quibus efficitur, carnem niſi mediante anima & mente aſſumptâ non eſſe.

Adſeritur denuo ſua Chriſto mens creata, & anima rationalis. Natura enim corporea rationis, mentiſque vacua, impatiens etiam eſt Deitatis excipiendæ, Deitas enim intelligibile bonum eſt; non ergo niſi in intellectuali natura conſidere poteſt. 2. Item Deitas Verbi, veritas eſt & ſapientia & ſanctitas; at caro animæ mentiſque expers, non ſapit veritatem, non capit ſapientiam, ſanctitatem non ſentit. 3. Item operatione faciliùs quàm ſubſtantia attingitur Deus, unde tot creatæ mentes amore & intellectu copulantur Deo, non autem ſubſtantivo & perſonali nexu. Ergo cùm ſubſtantia corporea ne operatione quidem ſua Deum contrectare poſſit, quantò minùs ſubſtantivo illum vinculo complectetur? 4. Item ne creatæ quidem gratiæ & ſanctitatis habitum corporea capit natura, niſi per mediam animam mentemque qua vegetatur; ergo increatam divinæ hypoſtaſeos gratiam niſi per eandem non capiet. 5. Item hinc anima juſti ſedes ſapientiæ eſſe in ſacris literis celebratur, quia non alia magis ſedes à Deo inhabitatur: ſapientia enim & juſtitia Deus juſtam utique & ſapientem animam inhabitat inſidetque, id eſt ſui participem facit. Si inſeſſio hæc & inhabitatio cujus conſortes ſunt juſti omnes, ad animam eorum, non ad carnem pertinet: quid illa eximia & obſtupeſcenda, qua humanitatem in ſuæ aſſumit perſonæ unitatem? 6. Item inhabitat in Chriſto plenitudo divinitatis coroporaliter, ſuntque in eo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Inhabitat ergo illum Deitas, non quomodocumque nec ut homo domum, ſed ut juſtitia animam, ut ſapientia mentem, ut ſcientia intellectum. Inhabitat enim non extrinſecus vel intrinſecus inambulando, ſed formando, vegetando, illuminando, ſanctificando, beando. Ad hunc autem modum inhabitari anima poteſt, caro immediatè non poteſt. 7. Item nec rationalem animam caro ſuſcipit, niſi media vegetante aut ſentiente: Niſi enim tota vitæ ſentientis ſupellectile prius caro inſtrueretur, ad vitam rationalem nimis abſurda & bruta hebeſceret. Quantò minùs vitæ divinæ guſtum niſi mediante rationali vita experietur? 8. Item Incarnationis divinæ vis in altiſſima Deitatis in naturam aſſumptam immeatione ſita eſt. At ea immeatio Deitatis in carnem animæ & mentis expertem, vix aut nec vix cogitari poteſt. Nam caro impelli huc illucque: ali & creſcere: ut ſummum colores & ſonos & id genus ſenſibilia ſentire poteſt; at quorſum ad hæc Deitas? Viciſſim Deitas intelligibilia vel aſpergere lumina, vel accendere amoris incendia poteſt, at quorſum hæc ad carnem? Nullus ergo huic locus immeationi. 9. Item vix anima ipſa, menſque capit immeantis flumina Deitatis, & bona Dei omnem intellectus amoriſque vim ineffabiliter antecellentia. Mentis enim lumina, & amoris incendia beatis infundit omnibus, at præter hæc ineffabilem & inexcogitabilem quandam & exuberantiſſimam divinorum bonorum copiam invergit naturæ aſſumptæ, hoc eſt plenitudinem Deitatis, nullo intellectu, nullo amore capiendam. Si vix hæc capit rationalis anima, nec vix capiet irrationalis natura. 10. Item quod veritas & ſapientia ſempiterna & incommutabilis induat ſe anima rationali, illam geſtet, illam agat, per illam & ſua & ejus propria peragat munera, per illam vires ſuas legeſque explicit, id perfacile & perexpeditum eſt imaginari. Mens enim à veritate & juſtitia agi impellique ſuas ad omnes operationes prona & ſequax eſt; nec non & veritas atque juſtitia ſuas leges modoſque per mentem exerere & oſtentare adeo comparata eſt, ut veritas ſine mente ne cogitari quidem à nobis poſſit. At quod veritas & ſapientia atque juſtitia ſine mente media conveſtiat ſe corpore, id verò præter fidem eſt: nam nec corporis proprias operationes, utputa ſurſum aut deorſum moveri, frigore aut colore imbui, ſatis appoſitè veritati aut juſtitiæ accommodabimus: nec leges veritatis & juſtitiæ per corpus exanime & amens ſatis liquidò poterunt explicari. 11. Perſona Verbi filiatio eſt, non ergo naturæ cuiquam commodari poteſt, niſi quæ filiationis non ſit inſolens: at natura corporea ſejunctâ à rationali abhorret à nomine & proprietate filii, aliena ergo eſt à geſtanda æterni filii perſona. 12. Ne adumbrata quidem deificatio per qualemcumque Deitatis irrogationem, & ſanctificantis gratiæ aſperginem, corpori niſi per mediam mentem imprimi poteſt, nedum illa numeris omnibus perfecta & pleniſſima Deificatio, qua Chriſtus fit non adoptione, non nuncupatione, non perfunctoriè Deus, uti ſanctis Angelis hominibuſque indultum eſt, ſed rei veritate, & perſonæ proprietate. An caro enim fiet propriè Deus in Chriſto, quæ in nobis niſi mentis mediæ beneficio, ne umbratiliter quidem & nuncupativè Deus fieri poteſt?

XIV. Superiora confirmantur ex Petro Cluniacenſ. L. 2. Epiſt. 1.

Complura ex his unum in cumulum aggeravit Petrus Cluniacenſis Abbas: *Qua ratione fieri potuit, ut natura quæ per ſe nec ratione intelligere, nec ſenſu ſentire, nec qualibet vita vivere poteſt, ſummæ illius majeſtatis capax eſſe valuerit: cum conſtet quod nulla creatura creatoris ſuſceptibilis eſſe poſſit, niſi eum & intellectu agnoſcere, & amore diligere, & ſpontaneo valeat obſequio venerari? Et cum ſecundum ſcripturam, non corpus, ſed anima juſti ſedes ſapientiæ eſſe dicatur, nec niſi per imaginem ſuam, quæ non in corpore, ſed in anima humana eſt, Deus in ſanctis hominibus ſedere, ambulare, inhabitare gratia mediante ſcribatur; quid de homine illo ſentiendum eſt, quem non ut alios ſanctos ſola gratia replevit, ſed in quem ſecundum Hieronymum tota divinitatis unda ſe contulit; & in quo ſecundum Apoſtolum tota plenitudo divinitatis inhabitat: & ipſe perſonaliter totus Deus, totum hominem de maſſa hominis aſſumptum replet? Numquid ita apud rationale animal ratio ſopitur, ut gratiam Dei non niſi rationali anima mediante hominibus credat infundi: ipſum autem Deum, remota anima brutæ carni in ſempiternum perſonaliter fateatur uniri?* An ſummum beneficium, quin ipſum ſummum bonum tam intempeſtivè largietur Deus, ut naturæ nihil ſentienti, adeoque ingratiſſimæ illud conferat? An caro Deum nec ſentire nec amare poterit, & Deus eſſe ipſa poterit? An quæ nec ſtillam divinitatis capere poteſt, puta gratiam & charitatem participatam, totam capiet plenitudinem Deitatis? An ſedes ſapientiæ poſthac non anima juſti erit, ſed caro? An caro quæ ne rudis quidem & adumbrata imago Dei eſt, ſed extremum veſtigium, & quædam regio diſſimilitudinis, imago Dei conſubſtantialis & genitiva ſimilitudo & imago Deus fiet?

XV. Et ex Fulgentio. L. 1. ad Traſym. c. 18.

Fulgentius ſimiliter: *Habitavit in nobis. Ubi autem maximè Verbum potuit habitare quàm in illa ſubſtantia quam ad ſuam imaginem fecit, hoc eſt, in anima illius hominis quem ſuſcepit? Quod propheticè per Salomonem ſpiritali gratiæ cernimus intimatum, cum dicitur anima juſti ſedes eſſe ſapientiæ. Nam ut oſtendatur Chriſtus in animæ ſubſtantia ſpecialiter habitare, Paulus nobis porrigit ſuæ atteſtationis in veritate ſubſidium, qui dicit, in interiorem hominem habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Ecce & animam nominat & cor appellat, ubi Chriſtum habitare confirmat, Unde liquido cognoſcitur, Verbum Deum totum hominem ſuſcepiſſe, cum probetur habitationem Filii Dei, in anima magis quam in carne monſtrare.* Si aliorum hominum non carnem inha-

inhabitat Verbum Deus, sed mentem, quantò magis assumpti hominis non carnem inhabitabit nisi per mentem? Molliùs enim & opportuniùs sedet ratio, sapientia, Veritas, Verbum, in mente quàm in carne: in imagine sua, quàm in vestigio. Si Christus ipse seu Verbum sua jam carne vestitum, animas potiùs quàm corpora suorum inhabitat fidelium, carnemque suam ipsam rapuit ad vim indolemque spiritalitatis & inhabitationis spiritalis, quantò magis assumptæ naturæ animam magis quàm carnem insidet idem Verbum?

XVI. Ex Nazianzeno, & Damasceno. Orat. 14. L. 3. Orth. fidei, c. 18.

Nazianzenus: *Hic nempe homo juxta Apollinarem, non perfectè assumptus, aut honore affectus, sed maxima ex parte abjectus, & abalienatus. Siquidem maximum in hominis natura est divina imago, mentisque facultas*. Damascenus: *Quod secundum imaginem suam est, renovare volens Deus Verbum, homo factus est. Quid autem secundùm imaginem, nisi mens? Quod melius igitur est, relinquens, deterius assumpsit? Mens enim intermedia est Dei & carnis; hujus quidem ut inhabitatrix; Dei verò ut imago*. Advertis quo jure mens carni insignem hanc præripiat prærogativam, ut Verbo ἀμέσως conjungatur: nimirum quia imago Verbi mens est, caro autem non imago, sed umbra & dissimilitudo. Si autem conjugabilis fuerit Verbo caro, non mens, jure merito ergo vendicet sibi caro nomen imaginis, eoque mentem spoliet.

XVII. Summa erroris Apollin. quod Verbum deformarit & instar habere duxerit mentis nostræ, ideoque illud huic subrogarit.

Sed cortice rerum delusi Apollinaristæ, nec ipsa naturarum penetralia introspicientes, quam vim haberet imago Dei Verbo non adverterunt. Illi enim Verbum tanquam mentem Angelicæ vel humanæ similem, aut paulò præstantiorem imaginati, facilè mentis humanæ vices à Verbo sustineri posse exindè hallucinati sunt. At mentem, qualemcumque nos capere possumus, nostræ vel Angelicæ affinem, vel etiam multò superiorem, immaniter exuperat natura Verbi. Homo quippe vel Angelus mens est, veritatem sitire & vestigare nata, & complecti ac bibere cupida, eoque beata. Verbum autem veritas est, mentium meta & fœlicitas; non tam mens, quàm mentium vita & beatitas. Etsi enim conscia sui sibi sit veritas, nec se lateat, sed & se & omnia non vestigando, sed essendo superintelligibiliter intelligat; digniùs tamen veritas sui conscia, quàm mens veritatis bibula & dicitur & cogitatur, quanquam ne sic quidem pro dignitate sua, sed pro balbutie nostra dicitur & cogitatur. Inest enim menti esuries quædam veritatis, est veritas satietas & beatitudo omnimoda mentium. Ex his dilucescit in quo sita sit dignitas & vis imaginis mentibus nostris impressæ. Sed & ex his liquescit, quàm non possit mentis creatæ locus à Verbo impleri. Quibus enim illud placuit, ii naturam veritatis in naturam mentis creatæ priùs deformarunt, atque ad eum modum illam huic subrogarunt.

XVIII. Ex Patribus probatur, quod media anima & mente Deus assumpsit carnem. Ex Augustino. Epist. 3. ad Volus.

Adseritur adhuc creata Christo mens. Non potuit cohærere carni Verbum nisi media mente, ex omnium Ecclesiæ Catholicæ Patrum astipulatione: ergo priùs assumpta mens quàm caro; priùs inquam, id est principaliùs & immediatiùs. Superfluum non erit, id prætermittere, de ordinaria Dei potestate nos verba facere. Extraordinariæ enim limites rimari, quis possit, quis ausit? Certum nobis est cum sanctis Patribus sobriè sapere. Augustinus: *Ipsa enim Deitas animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptavit*. Et infrà: *Cum enim Verbum Dei permixtum est animæi habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus. Verumtamen duarum rerum incorporearum commixtio facilius credi debuit, quam unius incorporeæ & alterius corporeæ. Nam si anima in sua natura non fallitur, incorpoream se esse comprehendit: multo magis incorporeum est Verbum Dei: ac per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio quàm animæ & corporis*. Et alibi rursum: *Verbum particeps carnis effectum est, rationali anima mediante*. Audis ut non aliter permisceatur carni Verbum, quàm dum animæ carnem habenti permisceatur? Audis ut defensandæ adversus gentiles incarnationi Verbi, abundè sit Augustino, faciliùs copulari Verbum animæ, incorporeum incorporeæ in Christo, quàm animam carni, incorpoream corporeæ in quolibet homine? Incorporeum ergo Verbum non copulatur carni, nisi dum copulatur animæ corpus habenti. Ep. 120. c. 4.

Idem Augustinus: Si lux visibilis visibilibus sordibus non polluitur, *Quanto minus igitur poterat pollui Verbum Dei, non corporeum neque visibile, de famineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum anima & spiritu, quibus intervenientibus habitat majestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretiùs? Unde manifestum est nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa humana anima maculata est*. En ut Verbum habitat in anima & spiritu, *Secretiùs ab humani corporis fragilitate*, nec inhabitat carnem, *nisi intervenientibus anima & spiritu*, ex quo efficitur perspicuè, non maculari Verbum carnis contactu, cum nec ipsa anima, qua mediante carnem attingit, maculetur. L. de fide & Sym. c. 4.

Idem Augustinus: *Si ergo visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari: quanto magis invisibilis & incommutabilis veritas, per Spiritum animam, & per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberavit?* Idem hic valet ac superior contextus. Sed præterea seriem indigitat naturarum consociabilium. Quadrat enim consentitque veritas menti, quem spiritum ille vocat, mens animæ, anima corpori. Hujus catenæ media siqua abruperis, non cohærent extrema. Non enim veritas intelligibilis animæ brutæ consonat, nedum corpori. Non mens rationalis corpori insensibili aptatur. Sed veritas seu regio quædam æternarum & immutabilium rationum menti harum speculatrici valdè consentit. Mens æternarum legum exploratrix, animæ sensibilium vestigatrici lubens accedit, ex æternarum regularum amussi, hæc sensibilia & expensura, & administratura. Anima sensibilium venatrix curiosula, corpori ultro adhærescit, sensibus instructo ad scrutanda corporalia idoneis. His gradibus caro veritati & veritas carni admovenda est, non quasi abruptis gradibus præcipitanda. De Agone Christ. c. 18.

XIX. Ex Ambrosio. L. de fide resurrect.

Ambrosius: *Et ideo non est despicienda carnis humanæ natura, quæ in sanctæ Trinitatis substantiam atque consortium per Dominum Christum ingredi meruit. Verbum enim Dei quod Dominus Christus est, quique totius creaturæ primatum tenet, ad imaginem suam quam prius ipse condiderat venit. De qua imagine scriptum est: Et plasmavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Et carnem præter carnem, mediante anima rationali, ex sancta Maria virgine suscipiens: & similia id est animam & carnem, per similia purificans, factus est per omnia homo, absque peccato*. Quid magnificentius in ornamenta carnis conferri potuit, quàm ut *in substantiam, & consortium sanctæ Trinitatis* ascisceretur? Non tamen id consequi potuit, nisi *mediante anima rationali*. Nimirum quia cùm Verbum *primatum teneat totius creaturæ*, à summo vertice ad extremum illum locum descendere, nisi per mediam suam imaginem seu per mentem creatam haud consentaneum fuit.

XX. Ex Gregorio Papa. Moral. l. 18. c. 12.

Gregorius Papa: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hac in re per obumbrationis vocabulum, incarnandi Dei utraque potuit natura signari. Umbra enim à lumine formatur & corpore. Dominus autem per divinitatem lumen est; qui mediante anima in*

ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum, in ejus erat utero corporandum, dicitur virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, corpus in te humanitatis accipiet, incorporeum lumen divinitatis. Quia umbratica & quodammodo tenebrosa est natura corporum, copulari illi incorporeum Deitatis lumen non potuit, nisi *mediante anima*, quæ in confinio quodam collócata est luminis & caliginis, hinc divinæ sursum luci adgaudens, hinc crassæ carni consentiens.

XXI. Ex Pseudo-Cypriano. In expositione Symboli. Constrinxit superiora ferè hujus argumentationis capita omnia PseudoCyprianus: *Substantia Dei quæ per omnia incorporea est, inferi corporibus vel capi ab eis principaliter non potest, nisi aliqua media sit substantia spiritalis, quæ capax esse divini spiritus possit. Verbi gratia, ut si dicamus, Lux omnia quidem membra corporis illustrare potest, à nullo tamen eorum nisi à solo oculo capi potest, solus enim oculus est qui capax sit lucis. Et Filius ergo Dei nascitur ex Virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem Deumque media generatus. Anima ergo media, & in secreta rationabilis spiritus arce, Verbum Dei capiente, absque ulla quam suspicaris injuria, Deus natus est ex Virgine. Et ideo nihil ibi turpe putandum est, ubi sanctificatio Spiritus inerat, & anima quæ erat Dei capax, particeps fiebat etiam carnis.* Mollissima ergo commissura est anima, qua constringatur Deus carni: utpote hinc Dei capax, inde carni amica; illuc assurgens, hìc adnascens. Rursum inter corpoream & divinam naturam, media est substantia spiritalis; etsi enim & spiritalem vocitemus Dei naturam, nostræ hoc ille imbecillitati indulget. Divina enim spiritali amplius superextat, quàm spiritalis corporeæ substantiæ. Rursum Deus lux est, non uti sol corporum, sed veluti sol mentium veritas. At huic soli mens tanquam oculus occursat. Quid ergo attemperatius soli quàm oculus, aut oculo quàm sol, id est, menti veritas, veritati mens? Qui ergo Deitatem carni sine media mente copulant, perinde est ac si solem radiare jubeant, cæterùm oculos ad usuram & laudem lucis natos claudi. Denique mens velut arx quædam est, & vertex summus in fastigio entium creatorum eminens. Ubi ergo Deus in hæc terrarum ima exscendere ad nos bonus statuerit, hac utique secretiori & sublimiori arce excipiendus fuit.

XXII. Ex Etherio & Beato. L. 1. adversus Elipandum. Luculentè prorsus jam suprà laudati Etherius & Beatus: *Nullus liber sine littera est, & nulla littera sine intellectu. Et littera in libro aperto legitur, ut quod legitur, intelligatur. Et cùm intellexerit, jam gaudet, quia quod foris legebat, intus invenit. Et qui conciderit ipsum librum, paginam & litteram concidit, intellectum litteræ concidere non potuit. Et tamen & littera exterius & intellectus interius, unus liber est, & sine utroque esse non potest. Sic est Christus liber noster; exterius, pagina & littera, quod est homo, corpus & anima: intus Divinitas, tanquam intellectus in littera; quem librum Judæi concidere potuerunt; intellectum tamen quod est Divinitas ejus, nec concidere nec separare potuerunt.* Ut liber constat pagina, littera, & intellectu, ita Christus corpore, anima, & Deitate; adeo ut corpus paginæ, anima litteræ, intellectui Deitas congruat; utque alia hujus similitudinis pulcherrima membra hìc amputem, sicut non coaptatur paginæ intellectus, nisi per litteram: ita non coalescit Deitas corpori, nisi per animam. Quàm absurda enim charta est, & per semet aliena ab intellectu, nec eum nisi per litteram sibi adhærentem consequitur: tam insolens corpus est Deitatis, id est, veritatis gestandæ, nisi per animam rationalem, qua vegetatur.

XXIII. Ex Gregor. Nazianzen. Orat. 1. Jam ut ad Græcorum quoque suffragia accedamus, Gregorius Nazianzenus: *Ob hanc causam Deus carni mixtus est per mediam animam: ac res inter se disjuncta ac dissidentes per rei cum utraque earum affinitatem & cognationem copulatæ sunt*, καὶ συνεδέθη τὰ διεστῶτα τῇ πρὸς ἄμφω τοῦ μεσιτεύοντος οἰκειότητι. Orat. 51. Et alibi: *Mentem meam contemnis ut Deum cum carne devincias, perinde atque si aliter astringi nequeat; ob idque intermedium parietem tollis. Mea autem ratio, hoc est hominis minimè sapientis & eruditi, quænam est? Mens menti ut propinquiori & conjunctiori jungitur, & per eam carni, inter divinitatem & carnis molem intervenientem.* Orat. 35. Et rursus: *Nimirum ut tu homo contumeliosè salutem consequaris, qui Deitatem idcirco contemnis, quia crassitiem tuam suscepit, per intermediam mentem cum carne conjunctus.* Constanter planè urget Nazianzenus non coalituram carni Deitatem, nisi interjecto animæ, quasi glutino. Cùm enim natura animæ affinis quodammodo sit & supernè Deo, & infernè corpori, opportunissima intercurrit conciliatrix. Quod autem jactantiùs obstrepebat Apollinaris, non licere per leges Philosophiæ, ut mens menti, sed ut mens carni conjungeretur, næ ille ab orbita Philosophiæ immensum nescio quid aberrabat. Nec nos enim dissimulamus mentem humanam humanæ, aut Angelicam Angelicæ, aut Angelicam humanæ, aut omnino creatam creatæ in unam personam concrescere non posse: propterea quòd cùm ejusdem naturæ ordinisque sint hæ mentes, nulla aliqua alteram ita invadere penitus, & invictè sibi subjugare valet, ut eam deinceps habeat tanquam accessionem sui, sequacemque per omnia tanquam suam. Ad hunc enim modum invadere & medullitus immeare, item subjicere & invictissimè vindicare sibi non potest naturam quampiam, nisi inferiorem superior, degenerem nobilior, veluti carnem anima, materiam forma, sentientem naturam rationalis, rationalem animam veritas incommutabilis & sapientia sempiterna. Verbum autem tametsi mens dicitur & est, non id genus tamen mens est, ut homo vel Angelus, sed ut jam iterum iterumque inculcavi, & ad fastidium usque ingerendum est, mens est, sicut veritas, sicut sapientia, sui sibi, omniumque in se conscia, adeoque præpollens mentem creatam illabi & immeare, subjicere & sibi propriam vindicare.

XXIV. Ex Damasceno. Orth. fid. L. 3. c. 6. 18. Damascenus suo more Nazianzeni legit vestigia: *Unitum est igitur carni, mentis medio, Verbum Dei, mediantis inter carnis crassitiem & Dei puritatem.* Et infrà: *Mens enim intermedia est Dei & carnis: hujus quidem ut inhabitatrix, Dei verò ut imago. Mens igitur menti miscetur, & intermediat mens puritati Dei, & crassitiei carnis.*

XXV. Ex Origene. Hom. 3. in c. 3. Levitici. Origenes denique: *Adipes verò qui offeruntur in munere, operientes interiora & renibus cohærentes, potest sancta illa ejus anima intelligi; quæ interiora quidem id est divinitatis ejus secreta velabat: renibus autem, hoc est, corporali materiæ quæ ex nobis castè sumpta fuerat, cohærebat; & media inter carnem Deumque posita deificandam, sanctificandam sacris altaribus, & divinis ignibus illustrandam, & conservandam secum ad cœlos naturam carnis imponit.* Et rursum alibi: *Hac ergo substantia animæ inter Deum carnemque mediante:* L. 2. de Princip. c. 6. *non enim possibile erat, Dei naturam corpori sine mediatore misceri: nascitur ut diximus Deus homo, illa substantia existente, cui utique contra naturam non erat corpus assumere. Sed neque rursus anima illa, utpote substantia rationabilis contra naturam habuit capere Deum, in quem velut in Verbum & sapientiam & veritatem tota jam cesserat. Unde & meritò pro eo vel quo tota esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, etiam ipsa cum ea quam assumpserat carne, Dei Filius & Dei Virtus, Christus Dei sapientia appellatur.* His nihil splendidius dici poterit, si modò non immeritò inhærentem abstergas suspicionem Origeniani circa animarum ante corpora præexistentiam erroris.

Cæte-

XXVI. Animæ & mentis in homine duo nomina & officia, sed substantia una.

Cæterùm promiscuè hactenus habuimus animam & mentem, tamensi sigillatim quandoque utramque propter diversa munia memoravimus, non propter diversam substantiam. Et hoc enim Philosophia sæcularis Apollinario imposuerat, ut animam videlicet sentientem à mente sequestraret, & illam donaret Christo, hanc amoliretur. Quod Scripturis vehementer obstrepit, quæ quanquam spiritum seu mentem ab anima ob munerum diversitatem quandoque secernant: unam tamen præter corpus totius animæ substantiam esse alibi sexcenties profitentur. Unde Theodoretus: *Arius & Eunomius corpus quidem assumpsisse ajunt, sed animæ partes divinitatem obiisse: ita ut humilia omnia tum verba, tum facta huic tribuant. Apollinarius verò animam etiam ipsam cum corpore assumpsisse ait, non tamen rationalem, sed animalem, seu vegetativam quam vocant. Mentis enim vices, inquit, divinitas implevit. Animæ autem mentisque distinctionem ab externis didicit Philosophis. Cùm divina Scriptura ex anima & corpore constare hominem doceat. Formavit, inquit, Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Et Dominus in sacris Evangeliis, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Idem habet & alibi.

Epist. 145. Tom. 1. pag. 450. Tom. 3. pag. 975. Tom. 5. pag. 324.

XXVII. Triduo mortis an caro Verbo cohæserit, anima ad inferos descenderit.

Unum superest, quod molestiam creare possit, si medio quasi animæ nexu, Deitas Verbi carni copuletur. Nimirum mortis triduo divulsum iri Verbum à carne assumpta, cùm caro ab anima tunc divulsa fuerit. Dimissam sanè illo triduo fuisse à Verbo carnem nonnulli veterum sensisse videntur. In his est Epiphanius, Ambrosius, Hilarius, Leporius in libello Emendationis. Longè certissima autem est aliorum tum Græcorum tum Latinorum doctrina, ne tum quidem factum esse Verbi à carne sua dissidium, cùm ab illa secessit anima. Etenim Athanasius Lib. de salutari adventu Christi contra Apollinaristas disputans, & Gregorius Nyssenus adversus Eunomium scribens Arii discipulum, negant potuisse in Christo Verbum fungi vices animæ hoc argumento, quòd si ita res haberet, nec mortalis, nec mortua unquam extitisset Christi caro, cùm nulla vis mortis quantacumque potuerit Verbi Deitatem ab assumpta carne separare. An Judæi enim contra Verbum ipsum prævaluissent? an disjuncta à Verbo caro incorrupta perstitisset? an animam carni sociare rursus potuit, nisi Verbi Deitas, quæ utrique semper cohæserat? Augustinus similiter constanter affirmat morte solam animam à carne sejunctam fuisse, tumque tum animam tum carnem sejunctim Christum dici propter utriusque cum Verbo copulam. His consonant Fulgentius, Damascenus, aliique posterioris ævi Patres Græci Latinique. His ita constitutis non aliter solvitur objecta difficultas, quàm quòd corpus exanime ad animam tamen pertineat, animæque tandem aliquando recolligendum sit. Ejusmodi igitur ordo, & relatio corporis ad animam brevi redituram, in causa fuit, ut nec ab eo Verbum secederet. Pertinebat anima ad Verbum, eique cohærebat; pertinebat corpus ad animam, tametsi brevis secessio facta esset. In libro de Hypostasi, sive de unitate personæ Christi, Patrum suffragia protulimus, qui eò unam hominis æquè Dei Verbi personam extitisse argumentabantur, quòd tota illa humanitas, non sua sibi, non sui juris esset, sed Verbi propria, & ad Verbum pertineret. Atqui illo mortis triduo caro Christi in tumulo jacens, ad Verbum pertinebat, ad animam Christi pertinebat, cui reddenda brevi erat. Vel tunc ergo à Verbi persona non dissociabatur, hujusque tam indivulsæ unionis causa imprimis erat ea, quòd etiam tunc corpus illud ad Christi animam pertineret.

Epiph. hær. 20. & 69. Ambrs. de Symbolo c. 11. Hilar. in Mat. Can. 33

Tract. 47. in Joan.

Spectat ad illud idem mortis triduum & hæc altera quæstio, an verè tunc anima Christi ad Inferos descenderit. Possunt sanè loca Scripturæ, quæ ad id proferuntur, in alios torqueri sensus, cùm sepulcra Inferorum nomine non semel in sacris litteris designentur. Nec illud dissimulandum est, descensum ad Inferos prætermissum esse in antiquis Symbolis, Nicæno & Constantinopolitano; quin & in eo quo Romana, & quo Orientales Ecclesiæ utebantur, si qua fides Ruffino, Symbolum interpretanti Aquilejensis Ecclesiæ, qua articulus ille continebatur. Tanta nihilominus est antiquorum utriusque Ecclesiæ Patrum ab ipsis usque primis Christiani nominis temporibus concordia & conspiratio, tanta proinde omnium consensio Ecclesiarum in hunc Christi ad Inferos descensum, ut sine injuria fidei catholicæ nemo secus sentire possit. Non æquè omnibus convenit, ad quæ inferna loca, sunt enim plura, ut plures sunt defunctorum ordines, Christus descenderit, & quos inde abstraxerit. Qua in re nil tutius, nil sapientiæ & sobrietatis regulis accommodatius, quàm communi fidelium sensui & credulitati adhærescere; liberatos scilicet à Christo, non Philosophos, non quoscumque alios, nisi qui in gratia & amicitia Dei vivis excessissent.

CAPUT X.

Diluuntur argumenta Apollinaristarum.

I. His verbis abutebatur Apollinaris Verbum caro, factum est. Ea catholicè exponuntur à Nazianzeno, Orat. 51.

Scripturas primò, quod nullis non usitatum fuit hæreticis, in erroris sui patrocinium allegabant Apollinaristæ, & illud imprimis, *Verbum caro factum est*; ex quo conficiebant, intercepta anima & mente, sola carne & Verbo constare Christum. Respondet Nazianzenus per synecdoche Scripturis usitatissimam, carnem pro toto homine usurpari, ut his locis, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*; &, *Ad te omnis caro veniet*; &, *Benedicat omnis caro nomen sanctum ejus*. Respondet 2. Ibidem similiter & animarum nomine homines quandoque significari in sacris litteris, ut cùm dicitur Jacob descendisse in Ægyptum *cum septuaginta animabus*, & de Joseph dicitur, quòd *ferrum pertransiit animam ejus*. Ut ergo hic animæ nomine non expungitur caro: ita nec illic carnis voce oblitteratur anima. Respondet 3. Prolixioris erga nos amoris divini significandi gratia, Verbi cum carne copulam memorari, ut ad infimum usque nostrum, qui summus erat, se exinanisse demonstretur. *Huc accedit, quod non aliter Dei erga nos amor testatus esse poterat, quam ex eo quod caro in memoria fuerit, quia nostra causa ipse usque ad deteriorem partem sese demisit. Carnem enim anima viliorem esse nemo sanæ mentis inficiabitur*. Respondet 4. Tametsi socia adeoque dux in peccatum sit anima, peccati tamen infamiam ad carnem maximè adhæsisse, quòd per peccatum ad infima quæque & ad carnem maximè voluntas deflectatur. Unde caro peccati, & corpus peccati, & similitudo carnis peccati in sacris litteris; quia sentina quædam vitiorum & veluti fæx caro est. Ergo cùm dicitur, *Verbum caro factum est*, perinde est ac si diceretur, peccatum & maledictum pro nobis factum est, quo nihil ad exinanitionis ejus & infiniti cujusdam in nos amoris testificationem significantius dici potuit. *Itaque hic locus, Verbum caro factum est, eandem vim & significationem habet, cum eo quod peccatum quoque ipsum & maledictum factus esse dicitur*.

II. Et ab Augustino. Epi. 120. c.

Respondet similiter Augustinus: *Tanquam diceret, O homines, nolite desperare vos fieri posse filios Dei, quia & ipse Filius Dei, hoc est, Verbum Dei*

caro

caro factum est, & habitavit in nobis. Reddite vicem & efficimini Spiritus, & habitate in illo qui caro factus est, & habitavit in vobis. Nos mutabiles in melius commutandi, participes efficimur Verbi; Verbum autem incommutabile, nihil in deterius commutatum particeps carnis effectum est, rationali anima mediante. Neque enim homo Christus, ut Apollinaristæ hæretici putaverunt, aut non habuit animam, aut non habuit rationalem. Sed more suo Scriptura ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. Nec enim quia scriptum est, Videbit omnis caro salutare Dei, animæ ibi non sunt intelligendæ. Copulatio animæ cum Verbo, mentis cum veritate, solemnibus naturæ legibus quasi consentanea est, nec miraculi tantum præsefert. At copulatio Verbi cum carne, vel copulatio Verbi cum anima tam arcta & intima, ut ad carnem usque animæ adjunctam se exporrigat, id verò inusitatissimi cujusdam & penitùs inauditi amoris monumentum est; quo homines non jam ex animæ nobilitate, sed ex carnis, cui immersi jacent, limo censendi, in spem ac fiduciam erigantur, fore ut & ipsi quamvis carnales, absterfa mundataque carne, Verbo eidem & veritati coaptentur.

III. Altera Apollin. argumentatio, quod in uno quopiã non possint simul esse duæ mentes, duo perfecta, duo imperatoria

Hoc exturbati Scripturæ sacræ præsidio, ad rationis arcem confugiebant. Non possunt duo perfecta in unum perfectum coalescere; non possunt duo ἡγεμονι' in unum consentire ;] non, possunt duo capita uni coaptari corpori; non possunt duæ mentes, duæque voluntates liberæ in eodem pectore consociari. Etenim dum primatum & principatum, regimenque & imperatorium jus unaquæque mens, utpote mens, & ex innata libertate, imperatoria jugique nescia natura, sibi vindicabit, intestino dissidio totum ipsum proscindetur & dissiliet.

IV. Respondet Athanasius, ex perfecta natura utraque corporea & rationali hominem, humana & divina Christũ exurgere. L. de Incar.

Respondit obiter Athanasius: *Ita appellabitur perfectus Deus & perfectus homo Christus. Non quod divina perfectitudo in humanam perfectitudinem transeat, quod est impium: neque quod duæ perfectitudines seorsim sint constituendæ: neque verò secundùm profectum augescentis virtutis, aut acquisitionem justitiæ, absit: sed secundùm rationem existendi sine defectu plenam,* ἀλλὰ καθ' ὕπαρξιν ἀνελλιπῆ *ut unus sit perfectus utrimque per omnia, idem Deus & Homo.* En ut duo perfecta in unum perfectum concurrunt, Deus & Homo in unum Christum: non uno in aliud absumpto: non utroque sejunctim constituto: non homine sensim proficiente, gradatimque induente Verbum: sed ut corpore & anima in unum hominem, ita Deo & homine in unum Christum substantiva coalitione coeuntibus. Nam etsi perfecta natura corporea est suo in genere moduloque, perfici tamen ulteriùs à natura vitæ rationalis potest, evehique in ordinem superioris perfectionis, & ad consortium vitæ multiplicis. Similiter etsi perfecta est rationalis natura suo in gradu locoque: ad ulteriorem tamen protrudi potest perfectionem, suaque ad veritatem incommutabilem cooptatione sublimari in vitam usuramque Deitatis. Ita ex pluribus perfectis, in suis unoquolibet gradibus, unum perfectum vel superperfectum potest concrescere, ut docebit nos statim Nazianzenus.

V. Respondet Naziãzenus perfecta pene omnia ex pluribus perfectis coagmentari. Orat. 51.

Respondet ergo rursum Nazianzenus: *At, inquis, duo perfecta non continebat, &c. Jam verò quonam pacto mens hominis vel Angeli, si cum divinitate comparetur, perfecta dici queat, ut alterum majoris præsentia comprimatur? Neque enim radius quidam si cum sole comparetur perfectus est; nec humor exiguus si cum fluvio, &c. An illud eos fugit quod res eadem, quæ cum aliqua collata perfecta est alterius ratione imperfecta sit; ut collis cum monte collatus, & granum sinapis cum faba, aut alio quopiam majori semine, (etiamsi iis quæ ejusdem sunt generis, majus dicatur) Angelus etiam si ita lubet cum Deo, & homo cum Angelo.* Ex quo compertum est quàm inanes essent germanæ Philosophiæ, rerumque naturæ imperiti Apollinaristæ, ubi buccis crepantibus ex duobus perfectis non posse unum consurgere perfectum personabant. Contra enim totum est. Perfectiora enim quæque non consurgunt, nisi ex plurium perfectorum in unum coagmentatione. Ex natura enim corporeæ valdè perfecta & anima vegetante exurgit planta. Ex natura vegetante perfecta, cui nihil vel essentiæ vel proprietatum inde fluentium desit, emerget animal accedente vita sentiente. Ex natura animantis perfectissima & substantia rationali excrescit homo. Si ergo similiter ex homine perfecto & Deo perfecto confletur Christus, manabit per hæc omnia naturæ lex inconcussa, ut ex perfectis pluribus unum perfectum compaginetur. Natura enim superior inferiori, nempe divina rationali, rationalis sensibili, sentiens vegetanti, vegetans corporeæ, ita eminet, ut quantumlibet perfectam, perficere ulteriùs possit. Imposuit ergo hominibus parum oculatis species corporis animantium extima, quæ palam imperfectam se prodit, ubi ab anima sejungitur. Reapse enim corpus istiusmodi exanime, qua corpus, omnes perfectionis nativæ numeros implet; integritatem essentiæ obtinet & proprietatum naturæ suæ: sed species seu figura partium extrinseca, & coagmentatio, & contemperatio quia excipiendæ animæ adaptata est, imperfecta indubitanter est, quandiu animæ complexu fraudatur. Imperfecta est ergo figura membrorum, congeries partium dissimilium, qualitatum temperies, donec advolet anima: sed substantia ipsa corporis suo in genere est absolutissima. Longè perfectissima est natura rationalis. Incomparabiliter supra hanc utramque assurgit natura veritatis & sapientiæ; utpote quæ cum aliis in unam equidem possit personam, non in unam autem naturam concurrere.

VI. Respondet idem non posse duas simul pares sociari mentes, sed posse mentem creatam & veritatem incommutabilem sociari, ut utraque regnet, sed in alia omnia regnet mens veritati obaudiens. L. 3. c. 6. 18.

Respondet idem ibidem Nazianzenus ad alterum ejusdem dubitationis caput: *Quocirca mens nostra perfecta illa quidem est, & principatum tenet, verum in animam & corpus; non autem simpliciter perfecta; Dei verò serva & subdita est, non principatus socia, nec pari honore prædita. Quandoquidem etiam Moyses Pharaonis quidem Deus, Dei autem famulus est, ut litteris sacris proditum habetur; & stellæ noctem illustrant, à sole autem occultantur, ita ut interdiu ne eas quidem esse agnosci possit; & exigua lucerna magno incendio adjuncta, nec extinguitur, nec apparet, nec disjungitur; sed totum illud incendium est, superante nimirum eo quod præstantius est.* Cui ad verbum concinit Damascenus: *Unitum est igitur Dei Verbum carni, medio mentis, mediantis inter puritatem Dei & crassitiem carnis. Principatum enim animæ & carnis, mens tenet, quid animæ purissimum: mentis verò Deus. Et quando locum dat meliori; proprium mens Christi principatum ostendit: cedit autem meliori, sequiturque potiorem, & ea facit, quæ divinæ complacent voluntati.* Et infrà: *Assumpsit igitur carnem animatam anima rationali, & intellectuali; moderatrix enim carnis ipsa, à Verbi divinitate regebatur.* Jam indigitavimus quo ex fonte manarit hic error; Verbum Ariani Deitate abdicare machinabantur, & in creaturarum classem detrudere. Ideo illud nihil aliud, quàm uti mentem vel Angelicæ vel humanæ simillimam aut aliquantò superiorem imaginabantur. Ex quo efficiebatur, ut in eodem Christo simul sociare illud non possent cum mente humana, ne duæ mentes imperio & authoritate ferè pares, certè nihil invicem concessuræ, & altercarentur mutuo, & totum discerperent. Si autem Verbum illi non tam uti mentem veritatis & justitiæ appetentem & mutabilem, quàm ut veritatem sempiternam & justitiam incommutabilem, & sui, & suorum omnium bellè sibi consciam, ob oculos animi sui constituissent, nunquam illam de prin-

principatu fœdissimam altercationem Verbum inter Dei & mentem hominis suspicati essent. Cui enim non continuò persuasissimum sit, fore ut sempiterna veritas & incommutabilis justitia recentem naturâque sua mutabilem hominis mentem invaserit, subjugaverit sibi, rexeritque indeclinabiliter: & mens ipsa hominis principatum sui ultro veritati & justitiæ concesserit, tam liberrimè, quàm libentissimè? Nec enim insociabilia sunt plura simul imperia, dummodo alia aliis gradatim sint obaudientia, unique summo reliqua morigerentur omnia. Tametsi autem carni, animæque partibus inferioribus principetur naturæ suæ privilegio mens, longè tamen præpotentiùs mentibus principari veritas & justitia nata est. Ergo veritas mentis, mens animæ, anima corporis principatum obtineat, regimenque, nihil discordiæ, rixarum nihil reformidabimus. Quin ex adverso nisi mens veritati & justitiæ serviat, nec imperare inferioribus ipsa satis poterit, nec inferiora illi obtemperare. Quippe quo jure dominatur anima corpori, & mens animæ, ut natura superior inferiori; eodem & longè ampliori jure dominatur veritas menti.

VII. Cyrillus respondet Verbo perfecto tam posse addi & accedere perfectum aliud, quam imperfectum. Dial. de Incarnat.

Respondet iterum Cyrillus inimicam sibi ipsi esse suaque sponte labare ratiocinationem Adversariorum. Nam si ex imperfectis fiat compositio qualibet, nec aliter constare queat, cùm ergo ex carne sola & Verbo consurgat Christus, an Verbum imperfectum esse censebunt? Si Verbum autem imperfectum non est, sed perfectissimum, & tamen cum carne componitur, non ergo ex imperfectis exurgit omnis compositio. *Si quis enim velit divinum illud templum rationali anima privare, non ex imperfectis duorum congressus erit: multum enim abest. Est enim profectò comparatione totius hominis, anima inquam & corpore constantis, sola hæc per se ut pars, caro. Sed Deum Verbum non pars alicujus esse intelligitur, sed neque imperfectus est. Perfectissimus enim est in sua natura. Ubinam igitur ex imperfectis ad unum quiddam perfectum erit concursus?* Quippe perfecto & cumulatissimè pleno Dei Verbo, tam pugnat accedere & accrescere partem aliquam, quam totum. Nam si totum jam est, si perfectissimè expletum est, tam impatiens est partis cujuspiam, quàm totius cujuslibet accessionis. Toti enim nec pars additur, nec totum, Quin nec parti totum adjungitur, sed pars; atque adeo nec carni quæ pars imperfecta est, posset Verbum accedere, quod οὐσιωδῶς totum est. Sed veritati mens substantivè & personaliter accedit, componiturque, toti tota, perfecta perfectæ, plena plenæ, quia & tota mens formari, & tota veritas formare, ad ordinemque vitæ superioris, illa sublimari, hæc sublimare apta nata est. Denique concurrunt in unum perfectum duo perfecta, quia perfectio summa mentis est, formari vegetarique à veritate; perfectio veritatis est, formare & vegetare mentem. Creaturæ enim perfectio, in vacuo quodam creatoris receptaculo posita est. Quocirca dum tota veritas totam mentem perficit formatque & vegetat, non perfectior fit veritas, sed perfectam mentem perfectiorem efficit.

VIII. Argumentur rursus Apollinaris non assumptam animam, ne affectiones & peccata ipsa assumerentur.

Finitimum superiori est hoc aliud, quod adversus catholicam veritatem intorquebatur telum. Si animam assumpsisset Verbum, affectiones etiam animæ perturbationesque subisset, ac proinde peccatum ex iis uti radicibus prosserpens germinansque latissimè non declinasset. Ut ergo radicitus fibræ omnes peccatorum excindantur, abjicianturque à Christo, eliminandæ ab eo sunt passiones animæ; quæ ab anima divelli cùm neutiquam possint, ablegandа ab eo est anima ipsa.

IX. Respondet Athanasius, affectus animæ, ut à Deo conditi sunt, puros esse à labe, regi præterea à deitate in Christo.

Respondet Athanasius huic argumento quod ipse sibi objicit libro de Incarnatione statim post initium, respondet autem totam ab opifice Verbo assumptam esse naturam, quam ipse condiderat, non quam vitiis superseminatis diabolus adulteraverat. Natura autem animæ per se vitiorum immunis & pura est, nativosque affectus ex se fundit expertes maculæ, mentique ad æquitatem propensæ morigeros. Ex regimine insuper Verbi mentem totam sibi potentissimè vendicantis, aura odorque peccati omnis propulsatur. *Igitur quia natura, non fictione Dominus homo factus est; neque insitum ex natura, neque opere patratum statuere possumus in opifice peccatum; quamvis in nostra natura etiamnum pugna ejus rei quam serpens induxit, reperiri posset, & seminationis progressus aliquis, propter nostram imbecillitatem: Verbi tamen incarnatio secundum naturam Dei facta, nostrorum vitiorum susceptibilis non fuit, quæ ex vetustate etiam hoc tempore nobis hærere solent. Inde enim est quod docemur exuere veterem hominem, & induere novum; atque in eo miraculum est, quod Dominus homo factus est, sine omni peccato, eo quod novitas in totum facta sit, ut ostenderet vires suas.* Ubi duo advertis. Quod nec affectus ingeniti animæ propendeant in vitium, nisi post hominis primi transgressionem assumpti: sunt autem quales conditi fuerant à conditore. Quodque prætermissa etiam affectuum in bonum conspirantium castimonia; cùm non Deus in hominis, sed homo in Dei censum & invictissimam potestatem concesserit, ex suæ sanctitatis ingenio Deus Verbum animam carnemque hominis gessit rexitque.

X. Respondet Epiphanius regente Deitate, ita mentem, uti carnem à peccato procul fuisse. Num. 79.

Respondet Epiphanius in Ancorato, ex carne quàm ex mente gestanda majorem excitari peccandi suspicionem. In carnem enim incentiva vitiorum omnia refundunt Scripturæ. Ergo ut carnis suæ veluti frænos regebat, & pro incommutabilis justitiæ legibus inhibebat, effundebatque Deus Verbum: ita & assumptæ animæ moderabatur affectibus, ut intra sanctimoniæ metas se continerent. *Jam verò si ex eo quod mentem susceperit, in peccati potestatem venisse dicatur: multo sanè magis id ex eo consequetur, si carnem induisse fateamur, citra quam peccatum perfici non potest. Manifesta sunt enim opera carnis. Scio enim quod non habitet in me bonum, hoc est in carne mea, &c. Quippe Deus Verbum cœlitus à Patre descendens, ac carnem de sua voluntate suscipiens, corpus suum quodam velut fræno regebat; & ab inutili omni carnis actione prout vellet, cohibere poterat: atque ubi libitum erat, liberè ferri permittebat in eas tantum corporis necessitates, quæ rationi convenientes, ac suæ divinitati consentaneæ viderentur. Neque verò mente reverа præditus, ut & cæteris humanæ naturæ partibus, in rationis expertes cupiditates sese committebat; nec ea quæ carnis propria sunt, perinde ac nos aut agebat, aut cogitabat; sed sic tanquam Deus ista faciebat, carne, anima, mente, & cum toto velut hominis instrumento, inter homines degens, & cœlitus à Patre procedens subsistensque Dei Verbum.*

XI. Respondet Cyrillus in naturæ mutabilis & incommutabilis & incommutabilis conglutinatione hanc vincere, illam suo bono vinci.

Respondet Cyrillus Dialogo de Incarnatione, adeo non mutabilitate mentis humanæ abreptum iri Verbum Dei per abrupta peccatorum, ut immutabilitate potiùs Verbi mens assumpta imbuatur penitus, justitiæque indissociabiliter affigatur. Eccur enim ita collibuit Apollinaristis, ut meliorem deterior, inferior superiorem natura vincat, divinam humana, mutabilis incommutabilem, infirma omnipotentem? Quantò procliviùs creditur ab omnipotente imbecillam, ab incommutabili mutabilem, à superiore inferiorem, humanam à divina in melius superatum iri? Cùm vel maximè ipsa mutabilitas naturæ sequioris in melius æquè flexibilis sequaxque sit, melioris autem incommutabilitas omnem in deterius flexibilitatem decoxerit & profligaverit. *Animamque humanam propriam sibi efficiens, peccato eam superiorem reddidit, propriæ suæ naturæ firmitate atque incommutabilitate tanquam tinctura eam intingens.*

Respondet Nazianzenus quæ in prioris objectionis

ctionis responsione tum ex eo retulimus, quæ ad hanc etiam diluendam plurimùm valent.

XII. Refellitur denique Apollinaris argumentũ sola carne opus fuisse, ut Deus videri posset. Opus enim erat, non tantùm ut videretur, sed ut fieret homo.

Postremò tandem objectabant, Verbo inter homines congressuro non fuisse opus, nisi corpus hominis, quo videri contrectarique posset; neutiquam autem animam mentemve, utpote quæ ipsa invisibilis & incontrectabilis sit.

Respondet Nazianzenus jam non Arianis tantùm, sed & Manichæis patrocinaturos Apollinaristas; æquè enim in phantasmate carnis, quàm in carne vera hominum se congressibus inferre poterat, & Manichæam fabulam agere. Si autem abhorret à veritatis ingenio, ut umbris illudat, fucumque faciat, ergo non sola carne, sed & mente hominis induatur, ut agat hominem; nam si sola carne homo velit videri, æquè mimum aget & imponet. Non igitur ut videatur tantùm, sed ut simile simili curet, utque omnium carnem in sua, omnium animas in sua gerat, mundet, sanctificet, beet, ideo Deus factus est homo. *Porrò autem quam humanitatis assumptæ, aut, ut ipsi loquuntur, incarnationis causam afferant videamus.* (Orat. 51.) *Siquidem ut Deus alioqui incomprehensibilis comprehendatur, ac sua carne quasi velo quodam cum hominibus versetur, scita sanè hæc ipsis larva est & hypocrisis fabula. Ut interim non dicam alio quoque modo fieri potuisse ut nobiscum versaretur, quemadmodum in ignis rubo, & forma humana. Si autem ut simile per simile sanctificato, peccati damnationem solvat, profectò, quemadmodum carne propter carnem damnatam & anima propter animam opus habuit, ita etiam mente propter mentem.*

CAPUT XI.

Veritas affectuum animæ in Christo.

I. Veritati affectuum humanorum Christi, aperte suffragantur Scripturæ. In Ps. 83.

PRimùm quidem humanæ affectus animæ suscepisse Verbum, patentissimè contestantur sacri codices; ut fracta profligataque in omnibus eorum jaceat fides & authoritas, si quod tam disertò proficentur hac in parte, hæreticarum cavillationum licentia eludatur. Unde Augustinus: *Tristitiam sic assumpsit, quomodo carnem. Nolite enim putare quia hoc dicimus, non fuisse tristem Dominum. Si enim hoc dicimus quia non erat tristis, cùm Evangelium dicat, Tristis est anima mea usque ad mortem; ergo & quando Evangelium dicit, Dormivit Jesus, non dormivit Jesus; & quando Evangelium dicit, Manducavit Jesus, non manducavit Jesus: surrepit vermiculus putredinis, & nihil sanum relinquet, ut dicatur quia corpus non erat verum, & carnem veram non habuit. Quidquid ergo de illo scriptum est, factum est, verum est. Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem. Quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram.* Vides quò serpat & quàm latè grassetur hæc Scripturas cavillatoriè intepretandi licentia, ut cum veritate affectuum, veritas ipsius animæ, & carnis veritas perinde periclitetur, & tota humanitatis dispensatio jam ludibrio sit.

II. Cùm verus fuerit homo, constat & affectuũ veritas. Aug. Civit. L. 14. c. 9. Ambros. in Psal. 61.

Secundò, cùm verus fuerit homo, vera quoque tristitia & reliquis humanæ affectibus animæ præditus fuit. Augustinus: *Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus erat hominis animus, falsus erat humanus affectus.* Et Ambrosius: *Unde valdè errare eos res indicat, qui carnem hominis à Christo ajunt esse susceptam, affectum negant; & contra ipsius Domini Jesu venire consilium, qui hominem ex homine tollunt, cùm homo sine affectu hominis esse non possit. Nam caro sine affectu, & præmii immunis & culpæ est.*

III. Vacillaret fides naturæ assumptæ, si humanos affectus nescisset.

Etenim si cùm tot humanorum affectuum experimentis hominem se verum esse exploratissimum fecerit, vacillarunt tamen resilieruntque ab hac fide hæreticorum examina, Christumque toto tum phantasmatis opinione contaminarunt: Quid si homo humanis affectibus immunis visus esset? Ergo ut utriusque naturæ suæ fidem faceret, & gemina hac velut anchora fidem nostram salutemque fundaret, passionem suam prædixit ut Deus, extimuit ut homo. Chrysostomus: *Multis in locis eum passionem prædixisse, atque ut eveniret, optasse comperimus, ejusque rei causa venisse: quomodo ergo hic dicit: Si possibile est? Imbecillitatem naturæ ostendit humanæ, quæ utcumque avelli à præsenti vita nolebat, sed recusabat, & tergiversabatur propter insitum illi à Deo jam inde ab initio præsentis vitæ amorem. Si enim postquam ipse tot tantaque dixerit, carnem illum non assumpsisse ausi sunt quidam asserere; si nihil horum dictum fuisset, quid non dixissent? Idcirco prædicit quidem illic ut Deus, & advenire passionem exoptat; refugit autem hic, & deprecatur ut homo.* (To. 1. Ho. 32.)

IV. Ideo & mortem timere affectalissimè testatus est.

Quodque majorem excitat stuporem, Petrum humano affectu à morte crucis dehortantem, acerbissimè increpuit Christus, & probroso Satanæ elogio perculsum absterruit; & ipse tamen mortem crucis exhorruit postea, & deprecatus est. Nimirum tanti intererat ad salutis nostræ stabilimentum, veram ut ejus humanitatem, veramque carnem indubitata fide complecteremur; ut naturæ assumptæ veritatem, quàm virtutis & constantiæ firmitudinem, pluribus ferè & invictioribus documentis astruere operæ pretium fuerit. Chrysostomus: *Ergo qui discipulum contumeliis affecit, adeoque graviter in illum invectus est, ut & Satanam post tantas laudes appellaret, quia dixerat, ne crucifigaris; quo pacto nolebat ipse crucifigi?* (To. 3. Ser. 8.) Et infrà: *Si enim his omnibus gestis, malignum os diaboli per Marcionem Ponticum, & Valentinum & Manichæum Persam & alios plures hæresum authores, sermonem de dispensatione potuit, quantum in ipsis est, subvertere, & satanicam vocem emisit, ut diceret, eum neque incarnatum esse, &c. si nihil horum contigisset, nonne multò amplius, &c.*

V. Hos affectus non sanavit non vicit nobis, si nõ assumpsit.

Tertiò, ut sanari hos maximè in nobis affectus, ita & à Verbo suscipi conducebat; assumendo enim gestandoque sanavit. Neque enim despondere nos animum decet, & exterreri his perturbationum intestinis tumultibus, quibus ipsam Dei virtutem inexpugnabilem & omnipotentem impetitam fuisse audimus. Sed ex quo ille turbatus est, nos perturbari abstinimus; quia ille timuit, nos timore vincimus: quia illum tristitia afflictavit, nos incorruptibili gaudio serenamur. Harum enim perturbationum vires in se excepit, sustinuitque ut eliderет: oppugnari ab iis voluit, ut expugnaret: fregit illas subeundo, fractasque nobis substravit. Augustinus: *Nunc anima mea turbata est. Quid est hoc? Quomodo sequi jubes animam meam, si turbari video animam tuam? Quomodo sufferam, quod grave tanta firmitas sensit? Quale fundamentum quæram, si petra succumbit? Sed videor audire in cogitatione mea, respondentem mihi Dominum meum, & quodammodo dicentem, Magis sequeris, quia sic me interpono ut sufferas. Audisti ad te vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem infirmitatis tuæ. Vires suggero ut curras, nec reprimo quod acceleras, sed transfero in me quod trepidas, & substerno qua transeas. O Domine Mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam: Nam quod tu tantus, tua voluntate charitatis turbaris, multos in corpore tuo, qui sua infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris.* (Tract. 52. in Joann.) Altera jam hæc ratio est, ne ipsa sua perturbatione perturbentur infirmi, neu hinc in desperationem agantur, quòd tumultuantes suo in pectore experiantur affectus, cùm eosdem firmitas ipsa imperturbabilis Deitatis sua in carne senserit. Tertiò denique sua intus in anima pertur-

bari

bari voluit Christus, ut & perturbatis similiter nobis suggereret quid facto opus esset, propulsandis sedandisque his tempestatibus: *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam, inquit, Pater salvifica me ex hac hora; sed propterea veni in hanc horam. Pater clarifica nomen meum. Docuit te quid cogites, docuit quid dicas, quem invoces, in quo speres, cujus voluntatem certam, atque divinam, tuæ voluntati humanæ infirmæque præponas.* Cùm ergo nostros dignatur Christus affectus induere, & exemplo nobis est, & solatio, & auxilio. Exemplo, fortiter agere, perfugere ad Deum, ejusque nos addicere voluntati præmonstrat. Solatio, ne quis de perturbationum procella desperet, cùm ab ea nec Deum in nostra carne immunem abiisse intelligat. Auxilio, dum ipse hujus intestinæ tempestatis vim primus experitur & frangit, victoriæque suæ potestate & gloria naturam nostram inseminat ornatque.

VI. Hos affectus induit Christus, ut nobis esset exemplo, solatio, auxilio.

Joan. tr. 60.

Idem Augustinus: *Quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, non ei timeamus quasi deficiat: non perit, sed nos quærit. Nos, inquam, nos omnino sic quærit. Nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando turbamur, non desperatione pereamus. Quando turbatur qui non turbaretur nisi volens, eum consolatur qui turbatur & nolens.* Et infrà: *Quantum itaque bonum de participatione divinitatis ejus expectare & sperare debeamus, cujus nos & perturbatio tranquillat, & infirmitas firmat?* Vides quantum solatii accumuletur nobis, dum nolentes conturbamur, ex contemplatione ejus qui nostra causa volens turbatus est: & quantum hinc spei incrementum. Si enim ejus nos perturbatio tranquillat, si infirmitas firmat, si timor intrepidos, si tristitia lætos præstat, quo nos bonorum cumulo gloria & Deitas ejus perfundet? Denique quantum hinc admirationis accrescit; si infirma enim nostra in Christo de contactu Deitatis tantum imbibunt splendoris & gloriæ, ut perturbatio tranquillet, ut tristitia exhilaret, ut infirmitas corroboret, quid melior naturæ nostræ portio, & divinæ luci aptior propiorque?

In c. 22. Luc.

Ambrosius: *Ego autem non solùm excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem ejus majestatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur: & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem prædico. Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo & dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem.* Invident ergo Christi laudibus, non student, qui affectus humanos ab illos ablegant, specieque consulendi obtrectant. Nam si cum his affectibus non pugnavit, nec vicit: si non vicit, nec victoriæ nobis vel documentum præivit, vel auxilium. Splendidius ergo est has perturbationum æstuationes sustinuisse & vicisse sibi nobisque, quàm nec sustinuisse, nec vicisse. Deinde cujus crucem non inhonorem, sed gloriæ fontem prædicamus, ecquid ejus tristitiam excusare satagimus? an à Deitate longiùs abest tristitia, quàm crux? Postremò si tristitiam non accepit nostram, nec suam nobis lætitiam rependit; venit enim humanis divina retaliaturus; nostra assumpsit, sua ut vicissim largiretur.

Ser. 3. de Pas.

Leo Magnus: *Tristis est, inquit, anima mea usque ad mortem. Et iterum, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Quibus verbis quandam formidinem profitentibus, nostræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro timore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum dives & misericors negotiator cœli, & commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, & sua tribuens: pro contumeliis honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam: & cui ad exterminationem persequentium poterant plusquam duodecim millia angelicarum servire legionum, malebat nostram recipere formidinem, quàm suam exercere potestatem.* En qualem nobiscum pepigit commutationem Deus, nostris ut se indueret, suisque nos vicissim vestiret: ea lege nostram sibi conjugavit naturam, infudit se illi, illam sibi. Ergo ex ea formidavit, illam ex se intrepidam invictamque præstitit. Si tam arcta enim naturæ utriusque consertio, si tam intima commixtio est, ut nostra formidine induatur Verbum; annon & Verbi firmitate incommutabili nostra afflabitur humanitas? reciproca enim sunt hæc. Deinde, ut ait Leo, affectus infirmitatis nostræ participando curabat, subeundo pellebat, quia dum omnipotentissimæ & inexpugnabili Verbi naturæ commiscentur humani affectus, ejus incorruptibilitatis odore quodam perflantur: & si quid in eis decolor inerat, id totum excoquitur & expiatur. Hinc est quod ante Christi passionem formido prostravit Apostolos, & Petrus ipse Dominum pernegavit. Quia, ut ait ibidem Leo, *humanæ fragilitatis trepidationem non vinceret, nisi victor mortis antè timuisset.* At qua si his Jesu Verbis roboratus, *Non te confundat infirmitas quam recepi: Ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus:* sumpsit statim de exemplo remedium. *Ut tremefactum repente membrum, rediret ad sui capitis firmitatem.* Utque rursus idem ait: *Passionem mortalitatis nostræ ad hoc misericordia subiit, ut sanaret: ob hoc virtus recepit, ut vinceret.* Unde ista Christi formido omnium ex se fidelium, Confessorum, Martyrumque constantiam tot laboribus & cruciatibus nobilitatam profudit. *Si non potest, inquit, calix iste transire à me nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Hæc vox capitis, salus est totius corporis; hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus & pro omnibus patiens, Patri diceret, Fiat voluntas tua?*

Ser. 7. de Pas.

Apud Cyprianum author sermonis de Passione Christi: *Invasit illico timor tuus eos, quos tu timueras, & prostrati solo jacuere exanimes, & armatam cohortem vox unius hominis terruit: & latens in humanitate omnipotentia, te discipulis pavidum, coram persecutoribus terribilem exhibebat. Sed ut fieret voluntas Patris, & sacrificium carnis à timore & tristitia inchoaret, suberant victimæ desolatorii carbones, quos obedientiæ liquefactus adeps extinxit. Et cum traheretur vinctus ad præsidem, non supplicavit apparitoribus, sed Petri compescuit zelum, nec gladiorum passus est adhiberi suffragia, imo & Herodis & Pilati contempsit fastigia, nec potuit altitudo potestatum extorquere ad interrogata responsum.* Ubi duo adnotat sanè pulcherrima. Primum quàm formidolosa fuerit Christi formido, & terrificus timor; cùm illa ipsa passionis hora armatam cohortem una voce exterruit & prostravit; gladium Petri, quin & duodecim Angelorum legiones in auxilium advolaturas cohibuit: regum præsidumque fastigia contemptim habuit, & nec responso dignatus est, nisi ubi collibuit. Ut minùs mirum sit, si Christi timor timorem à suis abigat, qui tantum timoris hostibus incussit. Alterum est, Sacrificium carnis à timore & tristitia inchoandum fuisse; his enim præludebatur cruci, aut crux ipsa potius præsumebatur animo, & ex amoris impatientia anticipabatur quodammodo. Ut argumento jam fuerint timor & tristitia incredibilis cujusdam fiduciæ, qua

VII. Christi formido martyrum omnem constantiam ex sese effudit

VIII. Timor Christi quam terrificus hostibus, & cruci prælusorius.

qua crucem præcipiebat animus, & quasi cunctantem occupabat, & carnificis tardiorem manum velut sacerdos amor anteveniebat.

L. 1. de Mystica exposit. Tabern. Mosaici.

Petrus Cellensis: *Ideo etiam clamat in cruce humanitas, non causa querimoniæ, sed causa doctrinæ, dicens divinitati, Ut quid dereliquisti me? Quasi, Ad hoc me dereliquisti, non personali separatione, sed auxilii retentione, ut probares si tanta in me perseveraret patientia, quanta est adjuncta gratia: ne immerito humanitati illi sapientia unita dicatur, cujus tanta in passione patientia non probaretur.* Ita conducebat, externis intimisque cruciatibus quasi dilaniandam propinari humanitatem; ut invictissima ejus patientia & fortitudo, de omnipotentis sapientiæ nexu scaturiens, specimen sui aliquod & monumentum ederet, quod posterà admirarentur sæcula, & quà datum esset, æmularentur.

IX. Nostras Christus passiones induens, sua nos vestivit impassibilitate.

Sext. Synod. Act. 14.

Athanasius denique prout recitatur: *Similitudinis Domini ad nos utilitas magna est, eo quod & nos assimilamur ad eum. Nisi enim ille assimilatus fuisset hominibus, non poterant homines Deo assimilari; sed ad Deum hominem factum homines assimilantur. Oportuerat itaque eum qui ut nobis similis fieret, descendit, in hoc maximè similem fieri, in quo transmutari indigebamus. Transmutari autem egebamus, secundùm passiones, ut hæc in impassibilitatem transferrentur. Nullus igitur diffidat de passionibus audiens, existimans verti Deitatem; sed supervenisse ei passionem ex carnali atque animali motione conjectet, & supervenisse & victam fuisse. Ideoque namque advenit, ut vincatur: ideoque victa est, ut omnis natura humana per cognationem beneficium capiat. Ex hoc quippe incipientes transfiguramur omnes, ex passibilibus impassibiles, & ex mortuis viventes effecti.* Sapiunt planè ista Athanasii stylum geniumque in incarnatione Christi exploranda felicissimè versatum. Quæ ut summatim stringantur, dum nostram induit, suam nobis similitudinem Verbi Deitas infudit; succedit nostris passionibus, ut sua nos impassibilitate convestiret. Quis ergo passionibus Christi obtrectet, queis impassibilitas in omne genus hominum delabitur? Quin imo, quem fructum ex impassibili Deitate caperemus nos passibiles, nisi passibilitatem nostram illa suæ consertione & compilatione impassibilitatis absumptam devorasset? Nam ut ait Ambrosius: *Illud suscipere debuit & sanare, unde culpa manaverat, ut originem erroris & quasdam prorumpentis delicti fores clauderet.* Sunt prorsus ut nunc est, sunt affectus nostri, *origo erroris & quædam prorumpentis delicti fores.* Ex his enim semel peccato vitiatis tota vitiorum colluvies exundat; hinc omnis animæ corporisque corruptela. His ergo maximè incorruptibilitatem Verbi aspergi par erat, ut inde naturam in omnem impassibilitas animæ corporisque respergeretur.

In Psal. 61.

X. Nulla affectuum tempestas Christi mentem deposuit à tranquilla Deitatis contemplatione.

Quartò, modum tamen consentaneum sibi, nobisque inconcessum tenuit Christus in humanis affectibus excipiendis. Namque primò quantalibet harum perturbationum incursatio, nunquam mentem ejus à superna arrectissimaque Deitatis contemplatione deposuit, aut verò vel tantisper deflexit. Augustinus illa expendens verba, *Ex exaltans caput meum*, hæc habet: *Mentem ipsam humanam hic accipiendam puto, quod caput anima non absurdè appellatur; quæ ita inhæsit & quodammodo coaluit excellenti supereminentiæ Verbi hominem suscipientis, ut tanta passionis humilitate non deponeretur.* Quamobrem molliter interpretandus est Ambrosius, ubi ait. *Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret: & sequestrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur.* Nec enim delectatio Deitatis à mente Christi humana etiam tunc sequestrata est, cùm passionis atrocitas sæviret; sed ut summum hactenus cohibita, ut à mentis apice

In Ps. 3.

In c. 22. Luc.

ne deflueret ad inferiora animæ volumina in carnem vegetandam sparsa. Unde Hugo de sancto Victore: *Anima illa secundùm aliud carni unita fuit, & secundum aliud divinitati. In eo quod carni unita fuit, vita carnis ipsa fuit. In eo autem quod divinitati unita fuit, vita ipsius divinitas fuit. Quod igitur in sensu carnis ad tempus dolorem sustinuit, in societatem Deitatis plenum & perfectum gaudium semper possedit. Ubi enim perfectè jungebatur, plenè & perfectè beatificabatur. Ubi autem ad tempus minus habuit ex dispensatione, postea suppletum est in glorificatione.* Quo in constituto, jam integrum cuique est pensitare, quàm lato discrimine affectus animæ Christi à nostris discreparent. Quæ enim anima totis pertumescebat deliciis Deitatis, ejus interim tristitia aut mæstitudo à vulgari nostra, quæ sola fellis conditur amaritudine, quantum distaret, quis mente capere, quis satis effari potest? Quæ intimæ sibi conscia erat Deitatis, & omnipotentiæ suæ certa, quis, & qualis, aut quà parte nostro timori comparandus erat ejus timor? Quæ totam combiberat Verbi beatitatem, & beatitatis tranquillitatem, quæ demum & quàm nostræ dispar ejus erat perturbatio? Quanquam enim ista partiamur in portiones animæ quasi dissimiles, eadem tamen individua unius animæ substantia suo in gremio & illum deliciarum supernè torrentem, & hunc infernè rivulum amaritudinis capiebat. Sed quàm facilè evanescebat mæroris stillula voluptatum pelago infusa: aut nubecula fugax cœli totius serenitati offusa!

De Sacram. L. 2. p. 1. c. 6.

Alterum, quo à nostris dispescebantur affectus animæ Christi, discrimen inde petitur, quòd nostris multa inolevit vitiositas ab originis nostræ primùm, deinde & à pravæ consuetudinis contagio: utque hæc etiam absint, à congenita ignorantia saltem. At Christus inculpatos dumtaxat animæ nostræ accepit affectus, ab omni vitiositatis nævo, & ab ignorantiæ etiam macula puros. Basilius: *Quod autem dicunt in ipsam Deitatem humanos affectus incidere, eorum est qui parum compotes mentis existunt; neque sciunt alios carnis affectus, alios carnis animatæ, & alios animæ quæ corpore usa est. Carnis igitur proprium secari, imminui, dissolvi. E contrario carnis animatæ, fatigari, dolere, esurire, sitire, sopore detineri. Animæ corpore utentis, tristitiæ, metus, curæ & id genus alia, quorum aliqua naturalia & necessaria sunt animanti, aliqua ex voluntate prava, quæ propter vitam malè institutam, & neglectum virtutis usum, invehuntur. Unde apparet Dominum naturales affectus ad veritatis confirmationem suscepisse, & non assumpta per phantasma humanitatis. Pravas autem affectiones quæ puritatem animæ nostræ inquinant, eas tanquam immaculata Deitate indignas, abjecisse creditur: ob hoc enim dictus est in similitudine natus carnis peccati. Non enim in similitudine carnis, ut his videtur, sed in similitudine carnis peccati. Quapropter carnem nostram cum naturalibus affectibus induit, peccatum autem non fecit.* En quàm scitè distribuat Basilius affectiones in eas, quæ ipsius per se sunt corporis, item quæ sunt corporis ut animati, denique quæ sunt animæ corpori implicatæ. Et quando de his postremis hic ventilatur quæstio, eas à Verbo assumptas præscribit, quæ innoxiæ & intaminatæ sunt, tum quia eas tantùm assumpsit, quas condidit, ut sibi jam familiares: tum rursus propterea quòd cùm vitiaverit alias vel origo, vel consuetudo contaminata, ab utraque contaminatione, & nascendi, & vivendi purissimus extitit Christus; tum rursum quia inquinamenta omnia anteverrebat Deitas Verbi; tum denique peccati non carne peccati, sed vera carne, similitudine autem tantùm carnis peccati obvelavit sese.

XI. Inculpatos tantùm & puros affectus induit Christus, quales condidit.

Epist. 165.

Quod ad illos attinet autem congenitos naturæ effectus, quibus non flagitij quidem, sed vel ignorantiæ

XII. Admiratus ut sit Christus

ſtus ſine ignorantiæ ſuſpicione.

rantiæ inhæret ſuſpicio vel nævus quilibet alius, immunes ab iſtiuſmodi ſordibus aſſumpti ſunt. Sic admiratio ignorationis proles comeſque penes nos, affecit tamen animam Chriſti, in qua coacervati erant omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Auguſtinus: *Quiſquis miratur, ſecundum conſuetudinem qua homines loquuntur, inopinatum atque improviſum ſibi eſſe ſignificat, quo miratur.* Quomodo ergo admiratus eſt Jeſus Centurionis fidem, cujus utique non neſcius erat? Cùm enim ejus ipſe opifex & largitor eſſet, ejus etiam & conſcius erat & præſcius? *An verò alius eam in corde Centurionis operabatur, quàm ipſe qui mirabatur?* An ergo non erat admiratio, quia nec ignoratio? Imo. *Sed Jeſus qui omnia præſciebat, quod mirandum aliis commendabat, mirando laudabat*, Non ſimulata ergo erat illa admiratio, ſed vera & tanto verior, quanto ab inſcitiæ & mendacij periculo alienior. Neque enim ante lapſum primus parens non opera Dei mirabatur, etſi ſupernè eorum ſcientia abundè potiebatur infuſa: nec qui in arcana naturæ jamdiu altiùs ſubjerunt philoſophi, non mirantur tanto vehementiùs, quanto diutiùs contemplantur: nec beatæ mentes cœlitum, divinam pulcritudinem ideo mirantur tepidiùs, quia jamdiu contuentur. Vitium iſtud eſt infirmatæ per peccatum animæ, ſola rerum novitate excitari & oblectari, ad ſolita autem quæque hebeſcere & frigere. Numquid non pudet enim ad minutum quid, ſed inſolitum in admirationem corripi & tragædias agere: ad longè maxima autem naturæ miracula, quæ ob oculos ſemper verſantur, nec vel minimum affici? Pudet planè hujus moris intempeſtivi; ſed & pudet ejus, unde ille ſcaturit, imbecillitatis, qua non ſufficit anima, nec niſi ad breve tempus durat in mirabilium admiratione, vel in delectabilium delectatione; ſed fatiſcit & nauſeat, & inquieta laſſitudine jactat ſe ab his ad illa, nec uſquam conquieſcit. Nimirum quæ in Dei admiratione, quem ante peccatum coram contemplabatur, non hæſit, ſed volens defluxit, culpa ipſa ſua plectitur, ut nec in rei ullius vel admiratione vel oblectatione perduret; ut pœnali iſta fatigetur tandem jactatione, & ad pulcritudinis fontem tandem aliquando redux, ibi & inſatiabiliter oblectetur, & infatigabiliter admiretur. Sic admirabatur Chriſtus, non quæ nova ſibi & priùs incomperta, ſed quæ admirabilia, & quæ forſitan tanto mirabiliora, erant quanto & maxima erant & vulgatiſſima. Id enim & admirationem auget, ſi eadem & maxima ſint, & maximè obvia.

L. 1. con. Adv. legis & Prophet. L. 1. c. 7.

XIII. Poſt peccatum in noſtra jam poteſtate non ſunt paſſionum initia, crementa, finis. Erant in Chriſti poteſtate, qui reparavit naturæ ruinas.

Tertium diſcrimen iſtud eſt, quod nos neceſſitate, non voluntate his affectibus ſubdimur, Chriſtus voluntate, non neceſſitate. Chriſtus illis imperabat, nos ſervimus. Ille volens concitabat, nos inviti concitamur. Ille modum finemque ad voluntatis ſuæ libitum ponebat, nos præter modum & ultra metam rectæ rationis arbitriique noſtri abripimur. Ille denique horum affectuum primordia, incrementa ac ceſſationem omnimodam in poteſtate habebat; nos totius poteſtatis hujus vacui, caſſique, nec affici incipimus cum libet, & incipimus etſi non libet: nec quantum nec quantulum volumus, afficimur: nec fini demum ipſi moderamur, ſed & diutiùs & breviùs afficimur, quàm vel ratio optet, vel voluntas. Scilicet qui Deo non fuimus dicto audientes, æquum eſt, ut nec nobis ſimus; qui ab illo diſcordavimus, nec nobis concordemus; & quando principem imperandi ſerviendique legem repudiato Domini Dei jugo perfregimus, par eſt, ut reliquo, qui inde nectebatur, ordine perturbato, jam nec imperet intus in nobis, qui imperare, nec ſerviat qui ſervire natus erat. Hujus autem ordinis reſtaurator Chriſtus, in ſeipſo primùm imperij ſervitiique vices formavit.

L. 14. Civit. c. 9.

Auguſtinus: *Etiam Dominus in forma ſervi agere vitam dignatus humanam, ſed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, ubi adhibendas eſſe judicavit, &c. Verum ille hos motus certæ diſpenſationis gratia, ita cum voluit, ſuſcepit animo humano, ut cum voluit factus eſt homo, &c. Etiam dum nolumus, flemus. Habemus ergo eas ex humanæ conditionis infirmitate, non ita autem Dominus Jeſus, cujus & infirmitas fuit ex poteſtate.* Et alibi idem: *Non eſt ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, ſed poteſtate turbatum, ne nobis deſperatio ſalutis oriatur, quando non poteſtate, ſed infirmitate turbamur. Carnis quippe gerebat infirmitatem, ſed qui non ſolum homo, verum etiam Deus erat, ineffabili diſtantia, univerſum genus humanum animi fortitudine ſuperabat. Non ergo aliquo eſt cogente turbatus, ſed turbavit ſemetipſum, quod de illo evidenter expreſſum eſt, quando Lazarum ſuſcitavit. Nam ibi ſcriptum eſt, quod turbaverit ſemetipſum, ut hoc intelligatur & ubi non ſcriptum legitur, & tamen eum legitur fuiſſe turbatum, Affectum quippe humanum, quando oportuiſſe judicavit, in ſeipſo poteſtate commovit, qui hominem totum poteſtate ſuſcepit.* Quod ſemel ergo commonuit Scriptura, quòd turbaverit ſeipſum Jeſus, id ad omnes affectuum motus conſimiles pertinet, ut & eos in ſeipſo non ultro effterveſcentes ſuſtinuiſſe, ſed quieſcentes rationis & voluntatis nutu excitaſſe intelligatur. Nam primò qui hominem totum non neceſſitate, ſed voluntate ſuſcepit, quidquid etiam hominis eſt, voluntate & poteſtate ſuſtinuit. Ejus etiam infirmitas ex poteſtate erat, ait Auguſtinus. Deinde ſuſpenſa in Deum tota, & cæleſtibus ebria deliciis anima, ut his deorſum vel lætis vel aſperis affici poſſet, & ad ea adverteret, inuſitatæ hauddubio poteſtatis erat. Rurſum qui non homo ſolùm, ſed Deus erat, & ineffabili diſtantia univerſum genus humanum ſuperabat, non humano tantùm cujuſmodi ante peccati ægritudinem erat, non eo tantùm quod beatarum Deoque immerſarum mentium eſt, ſed divino prorſus & Verbi proprio ac omnipotente imperio ſuam gerebat regebatque humanitatem. Omnipotens enim Verbi ſanctitas ſic animam ſuam, ut anima carnem agebat: pro ſua ergo & omnipotentia & ſanctitate naturalibus ejus affectibus moderabatur. Unde idem Auguſtinus: *Turbaris tu nolens, turbatus eſt Chriſtus, quia voluit. Eſurivit Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit. Dormivit Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit. Contriſtatus, verum eſt, ſed quia voluit. Mortuus eſt Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit. In illius poteſtate erat, ſic vel ſic affici, vel non affici. Verbum enim animam ſuſcepit & carnem, totius hominis ſibi coaptans in perſonæ unitate naturam. Nam & anima Apoſtoli Verbo illuſtrata eſt, anima Petri Verbo illuſtrata eſt; aliorum Apoſtolorum ac ſanctorum Prophetarum Verbo illuſtrata ſunt animæ; ſed de nulla dictum eſt, Verbum caro factum eſt; de nulla dictum eſt, Ego & Pater unum ſumus. Anima & caro Chriſti cum Verbo Dei una perſona eſt, unus Chriſtus eſt. Ac per hoc ubi ſumma poteſtas eſt, ſecundum voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc eſt, turbavit ſemetipſum.* Triplici hoc igitur imperio Chriſtus animæ ſuæ perturbationes ratione & voluntate anteveniebat, regebatque ad nutum, nempe & primigenio hominis innocentis, & peculiari mentium beatarum, & ſingulari ſuo longèque excellentiſſimo & præpotentiſſimo, videlicet omnipotentis Verbi animam ſuam ad veritatis ſanctitatiſque ſuæ leges indeclinabiliter agentis moderamine.

In Joannem Tract. 60.

XIV. Triplici jure Chriſtus moderabatur ſuis affectibus, innocentiæ, beatitudinis Deitatis.

In Joann. Tract. 49.

Sophronius in Epiſtola quæ relecta eſt in Synodo ſexta, his aſſentitur: *Quæ humilia & humana ſunt, ita ſponte ſimul & naturaliter, manens etiam in his Deus, demonſtrabat. Erat namque ipſe ſibi* ταμίας *ac reconditor paſſionum humanarum & actionum. Et non ſolum reconditor, ſed & arbiter, quanquam natura paſſibilis erat, qua incarnatus erat naturaliter. Et ideo erant humana ejus ultra hominem,*

Seſſ. 11.

haud

haud quidem quod natura humana non fuerit, sed quid sponte factus est homo; & homo factus, sponte hæc recipiebat, & non tyrannicè, vel necessitate, ut nos plerumque & involuntariè; sed quando & quantum volebat, & permittebat ipse, tam iis qui afflictiones ingerebant, quam passionibus ipsis, quæ secundùm naturam agebantur, adnuebat. Quia ergo non homo tantùm, sed & Deus erat, humana ultra hominem obibat, eoque erat ipse sibi suarum moderator & arbiter affectionum.

Nec ab his abludit Maximus Martyr disputatione cum Pyrrho: *Timorem ex natura, utpote indicem facultatis insitæ naturæ ad tuendum se, volens propter nos bonus ut pote admisit. Non enim in Domino sicut in nobis ea quæ naturæ sunt, voluntati antecedunt: sed sicut cum verè esuriebat, non esuriebat sicut nos, sed supra nos: voluntariè enim esuriebat & sitiebat: sic cum timuit verè, non sicut nos, sed supra nos timuit. Et ut in universum dicam, omne in Christo naturale habebat conjunctum cum ratione sua modum, qui supra naturam est; ut & natura per rationem comprobaretur, & dispensatio per modum*. Timor ergo hominem, modus timendi Deum prodebat. Hominis est enim timere, sed Dei est hominem gestantis, nonnisi cum sibi collibitum fuerit, timere.

L. 4. c. 20.

Damascenus denique: *Denique naturales nostræ passiones secundùm naturam & super naturam fuerunt in Christo. Secundùm naturam quidem, nam movebantur in ipso, quando sinebat carni, ut pateretur propria: super naturam verò, quia naturalia in Domino non præcedebant voluntatem. Nihil enim in ipso coactum conspicitur, sed omnia sponte; volens enim esurivit, volens sitivit, volens timuit, volens mortuus est*.

XV. Exordia tãtùm perturbationum erant in Christo.

Quartum discrimen quod superioris consectarium quoddam est, inde exprimitur quod Scripturæ perhibent, *Cœpit pavere & tædere*. Ut exordia tantùm & quasi rudimenta in eo fuerint humanarum perturbationum, quibus se hominem esse profiteretur, eoque persuaso, illam statim serenaret procellam. Origenes: *Considera quia non dixit, Tristabatur & tædiabatur, sed, cœpit tristari & tædiari, &c. Factus est secundùm humanam naturam tantum in principio tristitiæ & pavoris, ut ostendat discipulis suis præsentibus, maximè Petro magna de se existimanti, rebus ipsis, quod postea eis dixit, Quia spiritus promptus est, caro autem infirma*. Et paulò post: *Quando dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem, Tale aliquid significare videtur, tanquam si dicat, Tristitia cœpta est in me, ut non omnimodo sim sine gustu tristitiæ; non semper, sed usque ad tempus mortis in me est, ut cum mortuus fuero peccato, moriar & universæ tristitiæ, cujus principium tantum fuit in me*. Prægustationes ergo tantùm, & tristitiæ, & timoris, & aliarum id genus tumultuationum attribuit Christo, ex authoritate sacrarum litterarum. Cumque ajunt illæ ad mortem usque contristatum fuisse Dominum, non incrementum molemque tristitiæ eo insinuari, sed finem & tempus, ultra quod ne his quidem passionum primitiis locus esset, author est & interpres idem Origenes.

In Matth. tract. 35.

In 26. Mat.

Cui astipulatur Hieronymus: *Illud quod suprà diximus de passione & propassione, etiam in præsenti capitulo ostenditur, quod Dominus ut veritatem probaret assumpti hominis, verè quidem contristatus sit; sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœperit contristari. Aliud est enim contristari, & aliud incipere contristari. Contristabatur autem non timore patiendi, sed propter infœlicissimum Judam, &c.* προπάθειαν seu propassionem mavult Hieronymus appellare quàm passionem, tristitiam formidinemve & omnem demum affectionem animæ Christi. Allegatque causam, *ne passio in animo illius dominaretur*. Invalescit enim viresque suas diuturnitate exaggerat passio quælibet, unde abrumpenda opprimendaque statim est, ne ultra limitem efferatur.

Sed quia duriuscula est illa Origenis suprapositæ interpretatio in hæc verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, iisque videtur etiam mæstitiæ vis vehementior significari: quia passim alibi acrior impetus & quasi turbo quidam perturbationis incubuisse Christo videtur, ut cum *infremuit spiritu & turbavit semetipsum*, cum dixit, *Nunc anima mea turbata est*, cum lachrymatus est, cum cruento permanavit sudore, cum se derelictum à Patre amarulentiùs conquestus est: amabo, an hæc erant initia tantùm & tentamenta quædam affectionum & propassiones, an potiùs procellosæ & sæviores æstuationes?

XVI. Exordia autem passionum, seu propassiones dicuntur, quod rationem non antevolarent, sed sequerentur. L. 3. d. 15.

Propassio igitur commodiùs exponenda est, passio istiusmodi quæ quantumvis concitata & diuturna, morigeratur tamen rationi, illam præeuntem sequitur, non antevolat: servit, non turbat, nec à superuorum contemplatione illam sevocat aut refigit. Præluxit nobis in hanc sententiam Magister Sententiarum: *Afficitur quis interdum timore vel tristitia, ita ut mentis intellectus non inde moveatur à rectitudine, vel Dei contemplatione, & tunc propassio est. Aliquando verò movetur & turbatur, & tunc passio est. Christus vero non fuit ita turbatus in anima timore vel tristitia, ut à rectitudine vel Dei contemplatione aliquatenus declinaret*. Ita Magister propassiones à passionibus sejungit, Christoque juxta Hieronymum non passiones, sed propassiones solas adsignat. Sed tunc quartum hoc discrimen à primo suprapofito non dissidebit, nec quartum jam, sed primum erit. Erit tamen interstitium aliquod primo & quarto ubi quintum fuerit antè enucleatum.

XVII. Rursus affectus Christi cùm à Verbo & à Mente Verbo Deo ebria agerentur, ac æterna & intelligibilia agebantur.

Quintum ergo discrimen affectionum animæ Christi à nostratibus istud est, quòd defensandæ carni caducæ, vitæque mortali veluti munimenta quædam nos quidem motus affectusque nostros addicimus; Christus autem non in mentis tantùm intellectualis apicem totus supernè arrectus, sed in arcem ipsam Verbi & veritatis incommutabilis & inviolabilis justitiæ abreptus, & quantusquantus erat, carne, anima, mente inde suspensus, ipsas carnis animæq; suæ affectiones eò retorquebat, inde illas agebat, inde concitabat, frænabatque. Erant ergo istæ quidem humanæ & animales, nostrarumque quod ad naturam attinet, simillimæ affectiones; sed non humanis, ut plurimum, aut animalibus vacabant rebus, nec mortalis vitæ curis fatigabantur; quin à mente Verbo divino ebria, & à Verbo ipso per intermediam mentem cùm regerentur, non ad alia ferè quàm ad intelligibilia & divina spectacula excitatæ aut assurgebant, aut deprimebantur. Ergo cum exhilaratus est Christus, caro ipsa ejus & anima carni illigata exultavit in Deum vivum. Cum contristatus est Christus, non tam de adventante carnis suæ morte, quàm de Apostolorum defectione contristatus est. Cum timuit, non tam sibi mori certo, & avido, & in crucem jam prominenti, quàm suis timuit à diabolo perfidiæ principe dissipandis. Supernè igitur à veritate & justitia Verbi incommutabili, & à mente inde fæta excitabantur, fovebantur, & regebantur hæ motiones animæ, carnem quidem, sed Verbi carnem vegetantis. Cùm ergo exciri vel hinc vel illinc possint passiones animæ, nempe vel mortalium vel immortalium rerum studiis finibusque: nobis quidem vitiorum fæci immersis, ab ima carnis sollicitudine plerumque illæ exhalantur, & altiùs evectæ mentem ipsam obnubilant, & à luce intelligibili obumbrant; Christo autem à superna veritatis & mentis scatebra affluebant, & ad momenta rationis summæ sanctimoniæque librabantur.

Tract. 60. in Joan.

Augustinus: *Sive igitur isto loco ipsum Judam pereuntem miserando turbatus est, sive sua morte propinquante turbatus est, &c*. Et alibi: *Præsignavit*

In Psal. 91. *gnavit Dominus in sua infirmitate te, non se: non enim timebat pati, tertio die resurrecturus. Si prorsus quomodo homo pateretur, & non quomodo Deus pati veniret, & si sciret se post triduum resurrecturum, nullo modo formidaret moriturus, quod non formidavit Apostolus in fine sæculi resurrecturus. Ait enim: Compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolvi & esse cum Christo, &c. At cum appropinquaret ipsa passio, quomodo exultabat, quomodo gloriabatur? Bonum certamen certavi, cursum consummavi, reposita est mihi corona, &c. Iste gaudet coronandus, & tristis est ille coronaturus?* Quæ non eò pertinent, ut tristitia vera à Christo abstergeatur, sed ut ejus stimuli denudentur & fines. Etsi enim de morte tristabatur aliquantùm, sed de resurrectione multò plus hilarescebat: Etsi de morte tristabatur aliquantùm, sed de facinorosa Judæ proditione, de defectione Apostolorum, de Judæorum facinore & exitio, de generis humani pervicacia plurimum mortis suæ fructum repudiatura, infandum est quantò plus tristaretur. Erat enim hæc tristitia carnis humanæ, sed erat & Verbi divini: ergo qua carnis erat, esto nonnihil ad carnis compendia conniveret: sed qua erat Verbi, iis afficeretur, quibus Verbum Deum affici consentaneum erat. At Verbum decebat per animam assumptam affici & moveri, non tam de carnis cruciatu, quàm de peccati progressu, de contemptu justitiæ.

Inc. 12. Lucæ. Ambrosius: *Tristis est anima mea usque ad mortem: non propter mortem, sed usque ad mortem tristis est Dominus; quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam qui corpus suscepit, omnia debuit subire quæ corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur*. Et infrà: (Inc. 12.) *Tristis autem est, non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, & aliud videretur. Tristis videbatur, & tristis erat*. Non potuit enucleatiùs expedire veram tristitiam, quæ non Divinitatem attingeret, sed animam, & quidem corpori incubantem, & pro ejus salute excubantem. Sed quibus aculeis hæc humana Christi tristitia extimularetur, continuò explanat: *Tristis videbatur, & tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Cæterùm quàm constanter se morti obtulerit, connexa declarant: quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi dignatione suscepit. Nec illud distat a vero si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos. Et ideo dixit, Transfer hunc calicem à me. Non quia Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos perire volebat. Unde & dixit, Pater dimitte illis hoc peccatum, ne exitialis esset populo passio sua, futura omnibus salutaris*. Audis non pro sua passione tristatum fuisse Christum, sed pro Apostolorum dispersione; item, quia nos parvulos relinquebat; denique propter Judæorum immane sacrilegium, pœnasque ideo luendas. Hæc erant enimverò quæ sapientiæ æternæ animam tristitia contraherent, quæ ex anima in carnem ipsam ejus mæroris sensum refunderent: hæc erant propter quæ dolenda mærendaque animam & carnem sapientia Dei sibi coaptaret. Nec tamen abnuet Ambrosius, nonnullo etiam mortis metu mæstitiaque aspersam fuisse Christi animam; quippe qui paulò antè dixerat, *Transfer à me calicem hunc. Quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans*. Sed ubi nonnihil animam carnemque suam propriæ ipsarum naturæ permiserat Verbum, tum verò æquum erat, ut ad sua studia propriosque suos mores illas sursum ad se raperet, nec nisi de verè dolendis mærendisque, id est, de peccatis peccatorumque suppliciis sineret contristari.

Hieronymus: *Erubescant qui putant salvatorem timuisse mortem, & passionis pavore dixisse, Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Post biduum Pascha facturus, tradendum se, ut crucifigatur, novit, & tamen non declinat insidias, non territus fugit, in tantum ut cæteris etiam ire nolentibus pergat intrepidus*. Et infrà: *Constristabatur autem non timore patiendi, quia ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrum timiditatis arguerat; sed propter infœlicissimum Judam, & scandalum omnium Apostolorum, & rejectionem populi Judæorum, & eversionem miseræ Jerusalem*. Non amolitur à Christo tristitiam, sed carnales temporalesque tristitiæ causas, ut illam cælestibus & divinis consecret studiis, & Verbi caro carnalisque ipsa vita, naturam & ingenium Verbi ac sapientiæ redoleat. Et statim: *Si autem tristitiam animi, non affectum salvatoris erga perituros, sed passionem heretici interpretantur, respondeant quomodo exponunt illud quod ex persona Dei per Ezechielem dicitur, Et in omnibus istis contristabas me*. Vides ut animæ carnique Christi eandem studeat inserere tristitiam, quæ Deo ipsi adsignatur, eandem inquam, non quoad mutabilem affectum, sed quoad spiritalem & religiosam minimèque carnalem, aut temporalem tristitiæ causam. Vides iterum quid causæ prætexat Hieronymus, ne hæc Christi tristitia passio sit, sed propassio, nempè quòd non ex metu mortis, sed ex spiritali affectu erga perituros exoriatur. Unde paulò pòst, *Postulat ut si possibile est, transeat ab eo passionis calix; postulat autem non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Unde & signanter, non dixit, transeat à me calix, sed calix iste, id est populi Judæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non potest, si me occiderit, habens legem & Prophetas qui me quotidie vaticinantur*. In c. 26. Matth.

XVIII. Multiplex Patrum concordia dissidentium specie tenus.

Etsi nonnulla videri possit esse conflictatio coacervatorum hactenus ex sanctis Patribus suffragiorum, reapse tamen consonant omnia, & sibi, & veritati. Nec enim Deitas, sed anima Christi sensusque carnalis mutabilibus his subjacuit affectibus. Hinc affectum fuisse metu, aut mærore, alii annuunt, alii renuunt, nempè illi de homine, hi de Deo verba faciunt. Rursus mortem timuisse, de eaque impendente turbatum tristatumvè esse, hi consentiunt, illi dissentiunt; nimirum de prælusorio & obnoxio, statimque dissipabili per mentis imperium tristitiæ sensu, omnes consentiunt; de vehemente & contumaci, rationisque frænorum impatiente, omnes dissentiunt. Rursum initia tantùm affectionum animæ, ideoque propassiones potiùs appellitandas, aliqui assignant, alii nec earum provectoria augmenta abnuunt; scilicet illi de affectibus carnali vitæ ex imæ naturæ genio prospicientibus, hi de iisdem infimæ animæ affectibus, sed ad spiritales & divinos mores finesque per mentis contextum evectis interpretandi sunt. Cùm Verbi carnem induti istæ essent affectiones, ut Verbum dominatur carni suæ solumque principatur, & modicæ accessionis loco caro est; ita in ejus affectionibus principabatur Verbi sapientia, & ad suum ingenium carnis illæsas proprietates retorquebat.

XIX. Et Christiani eo suspirant, non ut affectibus careant, sed ut ad æterna arrectos habeant.

Postremò tandem ut à capite delabamur ad membra, & ex membrorum consideratione, gloria capitis magis splendescat: *Pereant argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. Et Dominus novit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Turbetur planè animus Christianus, non miseria, sed misericordia. Timeat ne pereant homines Christo, contristetur cum perit aliquis Christo, concupiscat acquirere homines Christo, lætetur cum acquiruntur homines Christo. Timeat & sibi ne pereat Christo, contristetur peregrinari se à Christo, concupiscat regnare cum Christo, lætetur dum sperat se regnaturum esse cum Christo. Ista* Aug. Tract. 60. in Joan.

sunt certè quatuor quas perturbationes vocant, timor & tristitia, amor & lætitia. Habeant eas justis de causis animi Christiani, nec philosophorum Stoicorum, vel quorumcumquem similium consentiatur errori; qui profectò quemadmodum vanitatem existimant veritatem, sic stuporem deputant sanitatem: ignorantes sic hominis animum quemadmodum corporis membrum desperatius ægrotare, quando & doloris amiserit sensum. Hæc habet Augustinus in nostram sententiam appositissima. Si enim eò Christiani enituntur, non ut omninò non afficiantur, sed ut spiritaliter & religiosè tam mente, quàm anima, & carne afficiantur: & non alia vel contrahatur mæstitia, vel lætitia distendatur sensus ipse animalis, quàm qua mens sursum affixa divinis ex rebus impletur, & in cohærentem sibi animam redundat: quid de ipso Christo existimandum est? Si nostræ ad ipsum spiritaliter convertuntur affectiones, ejus utique ad nos spiritali charitate prævia divertebant.

XX. Stolidum portentum est Sapiens Stoicorum, affectibus vacuum. Civit. L. 14. c. 8. — Sed Augustino vehementer assentimur, stuporem magis quàm sanitatem Stoicis placuisse, dum ἀπάθειαν seu affectionum vacuitatem sapienti suo imperarunt. Nam ut ait Augustinus idem ipse: *Apud nos juxta Scripturas sacras, sanamque doctrinam, cives sanctæ Civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque: & quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam. Dolent in re, quia ipsi in semetipsis adhuc ingemiscunt, adoptionem expectantes, redemptionem corporis sui. Gaudent in spe, quia fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria. Item metuunt peccare, cupiunt perseverare: dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis, &c. Non solum autem propter semetipsos his moventur affectibus, verum etiam propter eos quos liberari cupiunt; & ne pereant, metuunt: & dolent, si pereunt: & gaudent, si liberantur.* Et infrà: *Hi motus, hi affectus de amore boni & de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus, ut ea quæ vera vitia sunt, virtutes vocentur. Sed cum rectam rationem sequantur istæ affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos, seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit.* Ut & veritas jam Scripturæ & Christi exemplum atque authoritas sileatur, si quis nobis è Stoicorum officina prodeat sapiens, ita compositus, ut nec suis nec aliorum vel virtutibus in lætitiam aut amorem efferatur, vel vitiis in metum aut tristitiam, nec re istiusmodi moveatur ulla, quis non hoc portenti genus, & stuporis ac stoliditatis monstrum detestabitur? Non ita cæcutiebant Stoici, quin hoc viderint; unde affectionibus abrogatis, constantias seu ἀπαθείας subrogarunt, prout exponit Augustinus ibidem: *Quas*

Ibid. c. 8. — *enim Græci appellant ἀπαθείας, Latinè autem Cicero constantias, Stoici tres esse voluerunt, pro tribus perturbationibus in animo sapientis, pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem: pro ægritudine verò vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis gratia, tristitiam maluimus dicere, negaverunt esse posse aliquid in animo sapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum, quod facit sapiens. Cautio devitat malum, quod debet sapiens devitare. Gaudium de bono adepto est, quod ubique adipiscitur sapiens. Tristitia porrò quia de malo est quod jam accidit, nullum autem malum existimant posse accidere sapienti, nihil in ejus animo pro illa esse posse dixerunt.* Hæc Stoicorum ventosa erat sapientia, à quibus Platonici & Peripatetici vehementer dissentiebant, qui nec radicitus elidendas extirpandasque, sed adhibito rationis fræno moderandas suadebant has animi affectiones.

Cæterum ut ait Augustinus, *Hos, id est, Stoicos Cicero in libris de finibus bonorum & malorum, verbis magis quam rebus adversus Platonicos seu Peripateticos certare convincit, &c. Videtur ergo mihi etiam in hoc ubi quæritur, utrum accidant sapienti passiones animi, an ab eis sit prorsus alienus, de verbis eos potius, quàm de rebus facere controversiam. Nam & ipsos nihil hinc aliud quam Platonicos & Peripateticos sentire existimo, quantum ad vim rerum attinet, non ad vocabulorum sonum.* Et infrà: *Sed ut ait Tullius, Verbi controversia jamdiu torquet homines Græculos, contentionis cupidiores quam veritatis.* XXI. Sed verbis magis, quã rebus Stoici & à nobis & à vero abludebant. Civit. l. 9. c. 4. & 5.

Etenim quid illæ sunt motiones seu affectiones animi, quàm voluntates quædam, quàm quidam amores, quibus vel in bonum fertur homo, vel à malo refugit? Seu voluntas autem, seu amor laudari culparive non potest, nisi prout in bonum, vel in malum inclinatur. Num ergo voluntas amorve sapientis de summo bono & vero, sive sibi sive aliis obtingente, non lætabitur, & ut obtingat, concupiscet? Num de peccati contagio vel sibi vel aliis inhærente, non contristabitur; & ne inhæreat, metuet? An velle enim & amare satis potest verum bonum, nisi eo vel adepto gaudeat, vel amisso aut dilato tristetur? Nisi illud idem ut adipiscatur, cupiat: & ne frustretur, metuat? Et quis tam delirus insimulabit has affectiones circa verum bonum tam sanctè sese explicantes? An ista non erit, lætitia, sed gaudium? Nec cupiditas, sed amor? Nec metus, sed cautio? Sed quid hoc aliud est quàm tricari in verbis? Et re quidem consentire, de vocibus autem ineptas movere rixas? Unde Augustinus: *Interest, qualis sit voluntas hominis; quia si perversa est, perversos habebit hos motus: si autem recta est, non solum inculpabiles, verum etiam laudabiles erunt. Voluntas est quippe in omnibus: imo omnes nihil aliud quàm voluntates sunt. Nam quid est cupiditas & lætitia, quàm voluntas in eorum consentionem quæ volumus? Et quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in dissentionem, ab his quæ nolumus?* Et rursum: *Recta itaque voluntas est bonus amor, & voluntas perversa malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia. Fugiens quod ei adversatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona si bonus.* Hæc Christiana philosophia est, non verbis amans rixari, sed ex arce ipsa veritatis explicatissima fundens oracula. Utque ait idem: *Christiana eruditio Deo mentem subjicit, regendam & juvandam: mentique passiones ita moderandas atque frænandas, ut in usum justitiæ convertantur. Denique in disciplina nostra non tam quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur: nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis: nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur: contristari cum afflicto, ut liberetur: timere periclitanti, ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat.*

Civ. 14. c. 6. — Ibid. c. 6. — Ibidem. L. 9. c. 5.

XXII. Affectuum tranquillatio summa, non vacuitas, Stoicis arridebat, sed eam superba fiducia jam hinc præsumebant. — Sed ut in suo fonte retegatur hallucinatio Stoicorum eos affectus uti vitiosos insimulantium, quos Apostolis sanctisque viris, adeoque Christo ipsi inhæsisse Scripturæ perhibent, nescio quæ illos delusit sui insania, & cognata supercilio philosophico superbia? Posse se, dum etiam mortale hoc exigitur ævum, malum vitiumque omne declinare, ideoque nec tristari unquam sperarunt, quin & consequi ut nunquam hi congeniti affectus vel obreperent inopinantibus, vel reluctantibus insilirent. Quæ utraque spes pulcherrima est, sed intempestiva, nec in hoc corruptibili corpore potiunda. Nam multa necesse est nos hic contristent, & nostra, & aliena peccata, sine quibus hic non vivitur: multa quoque necesse est perturbationum tumultuatio & incautos nos opprimat, & invitos quandoque, nisi sursum sublevemur Dei auxilio, pertrahat. Ad illam ἀπάθειαν

quæ

quæ utraque hac peste careat, suspirandum hìc est, ut hoc exutis corpore obveniat, non inaniter insolescendum, quasi jam obvenerit. Augustinus: *Omnino non dolere, dum sumus in hoc loco miseriæ, profectò sicut quidam etiam apud sæculi hujus literatos sensit & dixit, non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. Quo circa illa quæ ἀπάθειαν græcè dicitur, quæ si latinè posset, impassibilitas diceretur, si ita intelligenda est, ut sine his affectionibus vivatur, quæ contra rationem accidunt, mentemque perturbant, bona plane & maximè optanda est, sed nec ipsa hujus est vitæ; non enim qualiumcumque hominum vox est, sed maximè piorum, multumque justorum atque sanctorum. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. Tunc itaque ἀπάθεια ista erit, quando peccatum in homine nullum erit.* Animæ à Deo conditæ bonæque naturæ præsumptio, hanc in Stoicis præsagiebat futuram beatitatem: sed philosophica superbia eam intempestivè præsumere, quàm ingemiscendo promereri malebat. (L. 14. Civit. c. 9.)

CAPUT XII.

Veritas passionum corporis Christi, earumque necessitas, & carnis ejus ante resurrectionem corruptibilitas.

I. Dissidia Eutychianistarum circa carnis Christi passibilitatem.

Ventilata olim quæstio hæc fuit inter primarios Eutychetis sectarios Julianum Halicarnassi Episcopum & Severum, an caro Christi ex naturæ suæ ingenio & quasi necessitate corruptibilis aliquando fuerit, saltem antequam è mortuis resurgeret, an à primo sui ortu ex afflata sibi incorruptibilitate Verbi, omnem exuerit & ipsa corruptibilitatem? Theodorus Presbyter: *Dissidere cœperunt orta inter eos disceptatione, utrum dicendum esset corpus Christi, natura aliquando corruptibile, an nunquam, sed potiùs ab ipsa unione sublatam esse proprietatem naturæ corruptibilis, tanquam duæ naturæ factæ essent una, & differentia substantialis naturæ non ampliùs nosceretur; quasi melior pars, id est divina, simul cum ipsa unione vicisset, & ad suam proprietatem in puncto temporis, minorem partem à naturali proprietate ejus transtulisset.* (L. de Incarn. Domini.) Julianus ergo incorruptibilem semper extitisse carnem Christi philosophabatur. Confusis enim duabus in unam naturis, conflandæ sunt & proprietates: nec potest una natura simul & corruptibilis & incorruptibilis esse; denique non potest superior eaque omnipotens natura inferioris corruptibilitatem vitiumque omne non excoxisse & devorasse. Severus autem, ut Dei & hominis in Christo aliqua superesset distinctio, etsi naturas confunderet, proprietates tamen sequestrabat, ac proindè corruptibilem natura sua Christi carnem assentiebatur.

Accesserunt Juliano Gaianitæ de quibus Leontius: *Confitentur ergo Gaianitæ Deum Verbum è Virgine naturam humanam assumpsisse, perfectè ac verè: sed post unionem esse corpus incorruptibile dicunt. Omnes enim malorum species Christum perpessum ajunt, qui & esuriverit, & sitierit, & defatigatus fuerit: at non eodem ista quo nos passum esse modo. Ajunt enim nos quidem naturali quadam necessitate tum esurire, tum sitire: sed Christum hæc omnia sponte sustinuisse. Non enim, inquiunt, naturæ legibus serviebat. Alioqui fatebimur passiones istas ei præter voluntatem accidisse, quod absurdum est.* (De Sect. Act. 10.)

II. Hæretici impassibilitatem ex carne, passionem ex Deo repetebant, nos carne passibilem & passum confitemur, sed ita ut si vellet, posset non pati.

At ex fidei orthodoxæ norma nos Catholici, *sponte dicimus ipsum serviisse naturæ legibus, volentemque concessisse corpori, ut sua perpeteretur eodem modo, quo & nos patimur;* ut ait ibidem Leontius: utque Theodorus ibidem ait, ut naturas in Christo duas, ita discrepantes utriusque proprietates profitemur. Illis ergo nobisque hoc interjacet discriminis, quòd cum passum esse Christum carne & esurisse & sitisse verè consentiamus, illi carne incorruptibili, sed ex dispensatione Verbi passum esse garriant: nos autem carne passibili passum, sed ita ut penès ipsius animæ Deitatisque potestatem esset, præstare ne quid pateretur. Illi impassibilitatem ex carne, passionem ex Verbi omnipotentia repetunt: nos passionem passibilitatemque in carne, non patiendi potestatem in Verbo & mente Verbum complexa collocamus. Illis & nobis verè passus est, & fuit in ejus potestate pati vel non pati; eo concordamus: sed hoc discordamus, quòd illis passus est carne impassibili, nobis carne passibili: illis potuit non pati ob impassibilitatem carnis, nobis potuit non pati ob omnipotentiam Verbi: illis potuit pati ob omnipotentiam Verbi, nobis potuit pati ob passibilitatem carnis & conniventiam Verbi. Omnipotentiam igitur Verbi nos suspendimus, illi impendunt ut patiatur caro; naturam carnis impassibilem illi somniant, etsi passuræ: nos passibilem arguimus, quia passuræ.

III. Refellitur impassibilitas temerè concessa carni ad patiendum assumptæ.

Refellitur ergo primò hæc commentitia carnis Christi impassibilitas. Si enim primo statim sui illapsu Verbum suam carni inspiravit impassibilitatem, eccur eam posteà hoc dono spoliavit? an sui pœnituit beneficii? nonnè sine pœnitentia & irretractabilia sunt dona Dei ex Apostolo? An concessisset quod retractandum esset? Deindè cùm vita Christi inter homines hominis, passionum quædam fuerit contexta & continuata series, nullo aut vix ullo abrupta interstitio: quorsum attinebat impassibilitatem conferre, cujus ei usura omnis interdiceretur? An degustanda libandaque tantùm quasi primoribus labris propinabatur, ut ejus desiderio magis magisque ægrescerent passiones? Denique si unio Dei cum homine hanc importat proprietatum commixtionem, & melioris naturæ amplitudine absorbet ægritudines omnes inferioris: ergo dissuendus erat hic nexus, ut caro pati posset. Si enim vi unionis & natura fit impassibilis, nisi divulsa unione non patietur. An potest enim & impassibilis perstare, & simul pati? Leontius Byzantinus: *Orth. Quomodo passiones pro nobis suscepisset, si ex ipso principio unionis negatum esset, esse similem nobis, passibilem & mortalem? Hæret. Passus est, sed non necessitate naturæ, verùm ratione œconomiæ, permittente Verbo, ut pateretur. Orth. Quod dictum est, nihil ab ænigmate differt. Quomodo enim naturam habebat superiorem, quàm ut pati posset, & rursus sinebatur præter naturam quæ carnis sunt, pati? Si enim unio Verbi carni impassibilitatem dedisset, nunquam eam dono quod semel tribuisset, privasset. Præterea si ex unione Verbi accepisset non posse corrumpi, tempus est ut audeas nefariè evellere admirandam & supra naturam unionem. Siquidem non poterat pati, quod ex unione erat à passione liberum, nisi unione prius sublata: sicuti neque tenebræ unquam erunt, nisi lumine recedente. Considera autem & hoc quod si sustinuit Verbum ut cum patiente congrederetur, sustineret etiam ut corpori passibili uniretur.* (L. 1. adv. Nestor. & Eutyc.) Miserius est utique pati, quàm pati posse: si ergo carni patienti affixum nihilominus adhæsit Verbum, quin & passibili adhæsit? si passionem à sua carne non propulsavit, cur propulsaverit passibilitatem? an obluctatur unioni passibilitas, non obluctatur passio? an libuit portentosa potentiæ licentia, ut passuræ carni impassibilitatem inderet: utque pateretur, priùs pati non posset? Quantò præstabilius est, ut non ex dispensatione quidem caro impassibilis pateretur, sed quæ passura erat, passibilis esse ex naturæ suæ ingenio permitteretur.

Refellitur 2. Contumelia planè fit Verbo Deo, si ejus omnipotentia eò destinatur, ut caro im-

IV. Refellitur passio carni per omnipotentiam Verbi Dei afflicta. Quæ ordinis perversitas est.

passibilis patiatur. E dignitate enim ejus est potiùs, ut caro naturæ suæ lege passibilis, impassibilitatem plenissimè aliquando hauriendam prægustaret interim aliquoties, & Verbi sibi immeantis ope passiones superaret invictissimè. Præterea non ea ratio est miraculorum, quibus suam sibi insignit Deus omnipotentiam, ut rerum naturas ab ingenita præstantia deturbet, earumque dispendio & contumelia gloriam sibi venetur. Quin imò ubi præter leges naturæ molitur quidpiam naturæ opifex, & naturale decus illæsum incolumeque præstat, & supernis insuper ac insperatis adornat dotibus. Non potest enim de naturis à se conditis non bene mereri; utpotè quarum injuria in authorem resiliret. Ergo si quid in suam ipsius carnem insolenter & præter ejus naturam molitus est Deus Verbum, non id enisus est, ut caro impassibilis pateretur, sed potiùs ut passibilis superandis invictissimè passionibus impassibilitatem consequeretur. Denique progressus ipse rerum ab ea institutus Dei sapientia, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, non eò vergit, ut à summis ad ima retro fluant & labantur, sed ut ab imis ad summa gradatim sese provehant. Ordo igitur sapientiæ alibi passim inconcussus, non in ipsa sapientiæ carne labefactandus erat, ut ex impassibili patiens, sed ut ex passibili primùm & patiente, denique impassibilis efficeretur. Idem Leontius ibidem: *Non enim si secundum naturam erat, supra quam ut pati posset, apta ad patiendum per Verbum facta esset. Contra potius aliquando passiones caro superabat, tribuente ei Verbo ut plurimum dominatum in passiones, ut naturalis coagmentatio Verbi cum carne insuperabilis esset.* Et aliquantò infrà; *Actus vero supra naturam evehit ac elevat, & ad perfectiora roborat, & ad ea quæ non potuisset efficere, si in iis quæ sunt secundum naturam mansisset. Quæ igitur supra naturam sunt, non interimunt quæ sunt secundum naturam, sed potius deducunt, impellunt, ut & ea quæ secundum naturam sunt, possimus, & virtutem ad ea quæ supra hæc sunt, accipiamus.* Et denique: *Definitque miraculum esse quod miraculum est, cum id quod est supra naturam mutat; ac magnificentia quæ naturæ violentiam adhibet, in contumeliam vertitur.*

V. Christo detrahitur, si statim ei datur impassibilitas. Præstat enim passione sua vera impassibilitatem sibi & omnibus conferre.

Refellitur 3. Qui impassibilem statim ab ortu Christi carnem venditant, splendorem ejus nostrumque non adaugent, sed perditum eunt. Nam ipsi quidem ea impassibilitas, quà nec esuriret, nec sitiret, nec dormitaret, non tam gloriæ compendio fuerit, quàm dispendio. Nostri enim causa impassibilitatem vel contempsisse vel distulisse, ipsa impassibilitate pulchrius & gloriosius est; passibilitate sua & passione passibilitatem passionesque omnium hominum & consolatum esse, & deliniisse, & nobilitasse, impassibilitate ipsa clarius est. Denique passibilitate sua, & sibi, & humano generi impassibilitatem peperisse, impassibilitate quavis magnificentius est, & ad amplitudinem Dei Verbi accommodatius. Nam incorruptibilitas & justis, & iniquis, aliqualis post hanc vitam competet: at nec his, nec illorum ulli, illud insigne gloriæ tribuetur, ut passibilitate sua omnium impassibilitatem compararit.

VI. Si ab ortu Christus impassibilis fuisset, & nos in baptismo impassibilitatē consequeremur.

Deinde universam generis humani naturam in uno seipso Christus complectebatur. In illo passi omnes sumus, consepulti omnes, omnes à mortuis sumus excitati, omnes etiam authore satis idoneo Paulo ad dexteram Patris consedemus. Cum illo mortalitate fungimur, & immortalitatem nanciscimur. Sacramentum Ecclesiæ unus ille est, gestatque corporis sui, cujus caput est, unus personam. Ergo si impassibilis ab exordio statim ortus sui ille fuisset, impassibilitatem ejus jam inde & nos combibissemus, & tota mortalitate perfuncti, absorptaque in victoriam morte, incorruptibili jam beatitate gloriæ perfrueremur. Quò ergo postea Christi passio pertineret? Quò nobis jam immortalibus mors? quò impossibilibus ejus passio? quò nobis jam omni expiatis ægritudine, jam plenissima sanitate, jam impassibilitate donatis, quò, inquam, aspera & tædiosa illa medicina, quam vita sua mortali & ærumnosa condiit nobis & temperavit Christus? An cælesti medico tam præposteram collibuit adhibere medicandi disciplinam, ut sanitatem semel totam cumulatissimè infunderet, deinde permolesta & diuturna medicamentorum aggeratione fatigaret?

Denique non sibi quidquam Christus, utpote nullo indigus, & ipsa opulentior opulentia, sed nobis recepit omnia, quæcumque carne sua recepit. Ergo & impassibilitatem si in ipso divæ parentis sinu recepit, recipiendo nobis contulit. Jam tum ergo totum peregit explevitque mysterium. Parta enim & sibi & nobis impassibilitate, non erat ulteriùs, quo quamlibet avara se spes erigeret. Supervacanea ergo fuerit reliqua in carne dispensatio. Quo nihil insanius fingi potest. Idem Leontius; *Ne existimemus magnum aliquid de carne Domini dicere, si ei tribuamus quod nec ipsam honoravit, & quod honorem nostrum abstulit. Nec enim Verbi erat privare eam nostris proprietatibus, manentem alioqui nobiscum: nec erat humanitatis affinitatem nobiscum habentis, delere similitudinem patiendi, nisi velimus excidere ab ejus imitatione & similitudine. Nec vero ea quæ communiter justi & injusti etiam post resurrectionem habebunt, immortalitatem dico, & non posse interitum capere, & imprimis non esurire, non sitire, non expetere somnum, tanquam grande aliquid carni Christi projiciamus. Hic enim verè dici potest gloria in confusione eorum, qui per honorem & nos & carnem Domini inhonorant. Carnem quidem Domini, cum eam iis quæ nostra sunt, privant: nos vero cum faciunt ut ab iis quæ carnis Domini sunt, excidamus; non enim glorificabit non compatiens, quæ per passionem glorificat.* Quæ enim tandem lenimenta passibilitati nostræ ab impassibili Christi carne accersamus? quæ imitandi incitamenta?

Idem aliquibus interpositis; *Quid opus erat, ut ipse postea institutionem vitæ communis susciperet, si nos jam in ipso secundum primam corporis ejus formationem, totius mysterii perfectionem habemus? &c. Erit quidem incarnatus propter nos, & propter nostram inde incorruptibilitatem; versatus vero in vita & passus ac suscitatus nescio, quare. Si vero propositum erat suscitare eum qui ceciderat, & ex morte redimere, atque ad vitam revocare, & ut corpore incorruptibili facto splendesceret; hæc nobis non aliter abundè adesse poterant, quàm si Dominus unumquodque horum in propria carne demonstrasset. Hæc autem omnia ut vos putatis à principio unionis à Domino perfecta sunt, corpore ejus ex ipsa unione incorruptibili facto: habemus igitur ex ipso primo mysterii initio totum mysterium, & supervacanea fuit reliqua deinceps œconomia. Sicut enim si primo remedio integra sanitas ægris restituatur, supervacua est postea opera medicorum, semel invalitudine superata: sic si ex ipsa unione cum carne bonum incorruptibilitatis nobis immisit, omnis reliqua circuitio & ambitus mysterii superfluus est.* Ita ille ex intima & arcana Athanasii & Cyrilli Theologia; imò ex Joannis & Pauli. Nam Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; id est, ad totam Ecclesiam pertinet illa Verbi unio; Ecclesia enim caro est Christi & corpus Verbi. Item si unus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & conresuscitavit nos cum Christo Deus, & consedere fecit in cælestibus. Ergo si ille ab exortu suo impassibilis, impassibiles & nos jam inde effecti, quid præterea vel passionibus ejus juvamur, vel nostris nequicquam confligtamur?

Refellitur 4. ex sacris litteris, quarum suffragia

VII. Scriptura consulitur, & quâ carnem Christus assumpserit, stantis an lapsi Adami.

gia idem Leontius ibidem corrogavit, & in hanc sententiam interpretatus est: *Neque derelictum est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem*. Juxta allegatum ibi Psalmum, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Nempè ut ait Leontius: *Tanquam nata apta ad corruptionem, non vidit corruptionem*. Rursus Christus ipse: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Et Apostolus de eo: *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*. Et Esaias: *Homo in plaga existens, & sciens ferre infirmitatem*. Quæ demum autem hæc infirmitas, nisi ex carnis passibilitate?

L. de Sectis Act. 10.

Quoniam autem ita per gratiam, incorruptibilem Christi carnem Gaianitæ garriebant extitisse ante resurrectionem, sicuti postea, & etiam nunc: manducasse tum autem ex dispensatione ac sitiisse & bibisse, sicut & post resurrectionem legitur manducasse: acutè observat idem Leontius, proditum quidem esse Evangelicis litteris, quod redux à mortuis manducaverit Christus, non quod esurierit: qui ergo nihil esuriens manducavit, ex dispensatione utique id potuit: at antea cùm esuriret & comederet, non ex dispensatione, sed ex naturali carnis inopia hæc patiebatur, quanquam integra perstaret penes Verbum potestas, ut nec esuriret, nec manducaret caro ejus. Postremò tandem quia suo quodam modo impassibile fuerat Adami corpus ante transgressionem, Christus autem alter Adamus est, ex Scripturis hęc testificantibus colligebant impassibile fuisse Christi corpus. At ut ut habeat de Adami carne ante lapsum, nam animale illud erat ex Apostolo, nondum spiritale; animale autem, id est animalibus obnoxium necessitatibus edendi, bibendi, &c. Etsi abundè affluerent quibus hæc defectio reficeretur, & in arbitrio ejus esset, ne morte ulla abrumperetur à corporis vinculo. Utut, inquam, hæc se habeant, non tamen induit sibi carnem Deus Verbum Adami innocentis, sed ejusdem ægri, nostrumque omnium parentalis ægritudinis contagio afflatorum consimilem. Assumpsit enim quam sanavit; sanavit autem ægram & passibilem. Item assimilatus est per omnia non Adamo, sed fratribus per Adami traducem morte implicatis. Denique assumpsit, cui se imitandum præstitit; non Adamo autem stanti, sed collapso generi humano exemplum se præstituit, ut sequamur vestigia ejus. Leontius: *Unde corpus protoplasti incorruptibile erat? non enim in constitutione sua habebat, ut immortalis esset, ac multo magis non habebat ut esset incorruptibilis: alioqui nunquam ligno vitæ ei opus fuisset, &c. Sed de his non est disputandi tempus. Non venit Dominus, ut salvaret Adam à peccato vacuum, ut ejus similis fieret: sed peccato irretitum, & jam lapsum, ut eum miseratus consuscitaret. Alioqui quomodo debitum pro nobis solvisset, aut ruinam resarcisset, aut norma virtutis factus esset?*

Ibid. L. 1.

VIII. Quo sensu Patres aliquam carni Christi tribuant impassibilitatem. L. 2.

Refellitur 5. eadem Aphthartodocetarum vesania coacervatione suffragiorum è Græcis Patribus corrasorum, quæ videre est apud eundem Leontium. Sicubi autem Patres iidem nonnullam corpori Verbi adscribere visi sunt incorruptibilitatem, trifariam illos, ne secum ipsi confligentur, conciliat Leontius. 1. Ut corruptio intelligatur ea quæ per peccati luem imprimitur. Porrò ab illa purum & intactum usquequaque fuit Christi corpus. 2. Ut incorruptibile dictum sit, sed post resurrectionem, quòd priùs corruptibile erat. 3. Ut incorruptibile dictum sit etiam in diebus carnis suæ, quòd quanquam ex ipsa suæ carnis natura id insitum haberet, ut corrumpi posset, Verbi tamen hypostasin velut incorruptelam combibisset, & tanquam pignus quod numquam penitùs corrumpi & computrescere permitteretur. *Si quis verò dicat secundum arrabonem incorruptibilitatis, jam corpus habere Verbi incorruptibilitatem, propter quam, licet naturam corruptibilem haberet, non est permissum ut corrumperetur, non contendam*. Hactenus ex Leontio.

Quæ eadem propemodum contexuit Fulgentius Epistola adversus incorrupticolas istos conscripta. *Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem. Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit*. Ea ergo erat natura carnis ejus, quæ sponte putresceret, nisi resurrectio maturata fuisset. Insuit autem ibi Fulgentius hunc Augustini locum valdè opportunum ex Epistola ejus ad Consentium: *Constat itaque, neque ullo modo dubitandum est, corpus Christi quod licet corruptionem putredinis in sepulchro non senserit, quia scriptum est, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, clavis tamen & lancea corrumpi potuit; nunc omninò in incorruptione persistere: & quod in contumelia passionis mortisque seminatum est, nunc esse in gloria vitæ æternæ: & quod ex infirmitate potuit crucifigi, nunc in virtute regnare: & quod erat corpus animale, quoniam ex Adam sumptum est, nunc spiritale esse, quoniam spiritui nunc inseparabiliter copulatum est.*

Epist. ad Regin. c. 4.

Epist. 146.

Necesse enim erat, ut in carne sua Ecclesiæ suæ Christus & sacramentum esset & exemplum; ideoque mortalitatem & corruptibilitatem nostram tam veram gestaret, quàm veram & indubiam nobis suæ incorruptibilitatis spem additurus erat. Nisi enim mecum corruptibilis esse potuit, nec ego incorruptibilis cum illo esse potero. Fulgentius ibidem: *Consequens est ut idem Christus ex infirmitate mortuus, ex virtute autem Dei suscitatus, nostris inveniatur exemplum præbuisse corporibus. Humiliavit enim se Christus usque ad susceptionem totius infirmitatis nostræ, ut sicut ait Apostolus, reformetur corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Consentit & Leontio & Fulgentio Ferrandus Diaconus in parænetico ad Reginum Comitem: *Habens nostri generis carnem, &c. corruptibilem, quia famem, sitim, dolorem, mortem voluntariè quidem, sed tamen veraciter sensit: incorruptibilem, quia nullius in se delicti, vel originalis, vel proprii stimulum sentiens, iniquitati nulli victus cupiditate consensit; nec sepulta potuit pervenire ad corruptionem putredinis, beneficio resurrectionis.*

IX. Ex triplici naturæ nostræ statu quæ sigillatim sumpserit Christus.

Sed audiendus hic imprimis est Boethius de duabus Christi naturis & una persona, ubi tres naturæ nostræ secernit status, & quid ex quoque Christus induerit in hunc modum edisserit: *Respondendum est, tres intelligi hominum posse status. Unum quidem Adæ ante delictum, in quo tametsi ab eo mors aberat, nec adhuc ullo se delicto polluerat, poterat tamen in eo voluntas esse peccandi. Alter in quo mutari non potuisset, si firmiter in Dei præceptis manere voluisset. Tunc enim id addendum foret, ut non modo non peccaret, aut peccare vellet, sed ne posset quidem peccare aut velle delinquere. Tertius status est post delictum, in quo mors illum necessariò subsecuta est, & peccatum ipsum, voluntasque peccati. Ex his igitur tribus statibus Christus corpore naturæ suæ singula quodammodo indidit. Nam quod mortale corpus assumpsit, ut mortem à genere humano fugaret, in eo statu ponendum est, quod post Adæ prævaricationem pœnaliter infictum est. Quod verò non fuit in eo voluntas ulla peccati, ex eo sumptum est statu, qui esse potuisset, nisi voluntate se insidiantis fraudibus applicasset. Restat igitur status ille cum nec mors aderat, & adesse poterat delinquendi voluntas. In hoc igitur Adam talis fuit ut manducaret & biberet, ut accepta digereret, ut laberetur in somnum, &c. quæ omnia habuisse Christum dubium non est, &c. Quam indigentiam fuisse in Christo nullus ignorat, sed potestate, non necessitate; & ipsa indigentia ante resurrectionem in eo fuit.* Ergo impeccantiam accepit Christus ex eo statu qui perseve-

rantiam Adami consequuturus erat: mortalitatem corporis ex eo qui lapsum ejus consequutus est: esuriendi sitiendique inopiam ex illo ipso in quo versabatur Adamus ante lapsum; & ut ex illo statu hanc ille non hausisset corruptibilitatem, hausisset utique indubitatiùs & copiosiùs ex eo, ex quo traxit & mortalitatem. Nam quid esuriendi sitiendique & istiusmodi multiplex necessitas, quàm quædam mortis procrastinatio?

Bernardus; *In quo magis commendare poterat benignitatem suam, quàm suscipiendo carnem meam?* Serm. II. de Epiph. *Meam inquam, non carnem Adam, id est, non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantoperè declarat ejus misericordiam, quàm quod ipsam suscepit miseriam?*

Caput ipsum cardinemque rei hujus attigit & indigitavit Hugo Victorinus: L. 2. de Sac. p. 1. c. 7. *Poterat justè Salvator in carne sua quam sine culpa assumpsit, pœnam quoque mortalitatis & passibilitatis infirmitatem non assumpsisse; sed eam non solum supra id quod nos sumus mortales, quia peccator non erat; sed supra id etiam quod primus homo ante peccatum fuit, quia probandus non erat, gloriam immortalitatis induisse. Primus quippè homo quia probandus erat, talis esse debuit, qui & peccare & non peccare potuisset, ut voluntatis non necessitatis esset utrumque. Quia verò peccandi & non peccandi possibilitatem habuit, oportebat ut & moriendi & non moriendi possibilitatem haberet. Christus autem homo quia perfectus ab initio & probatus inventus est, ad perfectionem vel probationem expectatus non est. Et idcircò sicut liberum arbitrium habuit, nec tamen ita ut peccare posset: ita quoque & immortalitatem quandam in se habere debuit, & ita ut mori omninò non posset. Sed quia caro peccatrix à pœna peccati liberari non potuit, nisi caro ejus quæ sine peccato erat, pateretur: infirmitatem passibilitatis & mortalitatis in carne assumpta, retinuit potestate, sustinuit voluntate, non passus est necessitate.* Nihil enucleatius, aut ad limam antiquæ Theologiæ accuratius dici potuit.

x. Refellitur 6. commentitia incorruptibilitas ex ea ratione longè diversissima, qua sancti Patres explanarunt, qui necessitate, qui voluntate Christus & esuriem & sitim & dolorem & passionem & mortem demum ipsam passus sit. Hæc enim ille subiit & necessitate & voluntate; necessitate quod ad naturam carnis attinet; potestate seu voluntate, quantum ad Verbi & ad animæ Verbo hypostaticè coadunatæ omnipotentiam. Porrò nec illa carnis necessitas hanc potestatem minuebat: nec potestas ista illam necessitatem, nisi post resurrectionem excussit. Superna voluntas necessitati carnis intercedere poterat, eamque vel ad tempus suspendere, vel in totum abolere: suspendit quandoque, nunquam nisi post devictam mortem abolevit. Ima autem carnis necessitas, supernæ voluntatis potestati intercedere aut officere nunquam potuit.

Ostenditur, quin necessitate, qui voluntate & potestate passus sit Christus.

xi. Augustinus ex ipso Evangelii textu apertissimè id significante colligit, mortuum esse Christum non necessitate, sed potestate. Nec enim cruciatuum vis spiritum illi extorsit, sed prius Scripturas omnes implere advigilavit; clamavit sitire se, acetum delibavit, exclamavit voce prævalida, & diuturnioris, si libuisset, vivacitatis teste, exclamavit, inquam, consummata esse omnia, tumque inclinato capite emisit spiritum, emisit nempè volens & præfestinus, mortemque cunctantem occupavit. Unde admirati sunt satellites tam citò mortuum, cùm unà suffixis duobus crura ad maturandam mortem frangenda fuerint. Tract. 31. in Joann. *Ait, Perfectum est, & inclinato capite reddidit spiritum. Videtis potestatem morientis, quia hoc expectabat volens, donec omnia complerentur, quæ de illo prædicta fuerant ante mortem futura. Dixerat enim Propheta, Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto: expectabat ut hæc omnia complerentur. Posteaquam completa sunt, dixit, Perfectum est; & abscessit potestate, quia non venerat necessitate. Ideo quidam plus mirati sunt istam potestatem morientis, quàm potentiam miracula facientis. Ventum est enim ad crucem, ut corpora deponerentur de ligno, & inventi sunt latrones viventes. Supplicium quippè crucis, ideo durius erat, quia diutiùs cruciabat, &c. Illi cruribus fracti coacti sunt mori. Dominus autem inventus est mortuus, & admirati sunt omnes. Et qui eum vivum contempserant, mortuum sic mirati sunt, ut dicerent quidam: Verè Filius Dei est hic. Erat ergo in illo potestas summa: nec hora cogebatur mori, sed horam expectabat, qua opportunè fieret voluntas, non qua inviti impleretur necessitas.* Non potuere plura spontaneæ & minimè necessariæ mortis argumenta edi. Hanc autem potestatem quis non advertat penes Verbum esse, non penes carnem? Nam *abscessit potestate, quia non venerat necessitate.* Perstitit ergo in carne eadem potestas, eadem absoluta ab omni necessitate libertas quæ ante carnem, non ergo carnis hæc erat potestas. In potestate fuit non discedere, sicut fuerat non accedere: Verbi autem non carnis potestas fuerat, non accedere ad carnem. Denique consultò operiri dum Scripturæ implerentur omnes, tumque mortem carnis remissionemque animæ etsi præmaturam accelerare, hæc sanè non carnis, sed vel Verbi, vel mentis potestas est.

Quam potestate & voluntate mentis verbique, carnis verò necessitate mortuus sit Christus expenditur.

Idem alibi planiùs: *Quando Christus animam posuit? Quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat. Ibi potestas erat, quando poneret animam, & quando sumeret.* Ibid. Tr. 47. Potestas hæc ergo non in carne, sed in Verbo. Potuit non mori, potuit quando libuit mori, potuit ante mortem mori, id est, non expectata mortis necessitate præmori, non quia caro per seipsam erat incorruptibilis, sed quia *principatus in Verbo erat.* Et rursus: *Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit. Dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit. Mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit, &c. Ubi summa potestas est, secundùm voluntatis nutum tractatur infirmitas.* Ibid. Tr. 49. Non ergo ideo esuriit, quia voluit carne impassibili esuriem pati: sed quia *summa potestas ubi est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas,* finiturque caro passibilis quæ sua sunt pati, quæ posset per voluntatis potestatem passionibus eximi.

Concinit Athanasius: *Potestatem habere ponendæ aut sumendæ animæ pro arbitrio & ubicumque placuerit, non proprium est hominum, sed potentiæ Verbi.* Orat. 4. cōt. Arian. *Homo quippè non ex sua potestate, sed ex necessitate naturæ, idque invitus & nolens mortem obit: Dominus contrà, ipse quidem immortalis, carnem autem mortalem gestans, potestatem habuit ut Deus segregandi se à corpore, illudque assumendi, quando vellet.* Vides ut hanc non moriendi potestatem in Verbi potentiam, non in carnis naturam refundat.

Et Hugo Victorinus disertè: *Scriptum est, Et clamans Jesus voce magna tradidit spiritum. Non Judæus ejecit, neque Pater extraxit, sed ipse spontè tradidit. Non violenter ablatus est, sed sponte datus. Potestatem, inquit, habeo ponendi animam meam, &c. Ipsa ergo anima emissa est potestate morientis, non violentia occidentis.* L. 1. de Sacr. p. 1. c. 11.

Quin etiam incorruptibile corpus Christi pronunciat Cyrillus, non quidem ex propria corporis natura, sed ex Verbo, quo substantivè vegetabatur, quodque totius incorruptibilitatis veluti fons est. *Incorruptibile namque est Christi corpus, & divinam in seipso naturam habet, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Primitiæ porrò nostræ atque radix nostri generis Christus est: quod genus hoc ipso quod cum Deo junctum est, ad incorruptionem recreatur.* L. 9. de adorat. in spiritu & ver. Hæc ergo carnis incorruptibilitas ex Verbo non ex carnis natura repetitur.

Chry-

Tom.6. pag. 845. Chrysostomus similiter: *Ascendit Jesus in montem, & transfiguratus est coram illis. Quid est, transfiguratus est? Modicum quid de divinitate patefecit & inhabitantem Deum monstravit*. Hic splendor quasi prælusorius & præmaturatus quidam incorruptibilitatis gustus, non utique de natura carnis per seipsam impassibilis manabat, sed de latitante Deitate carnemque passibilem irradiante.

XII. Quo sensu sanguinem Christi Dionysius Alexand. incorruptibilem dixerit. Postremò huc pertinent, quæ adversus Paulum Samosatenum disputavit Dionysius Alexandrinus Epistola adversus eum conscripta, ubi ejus errorem, errandique causam ita describit: *Surrexit itaque primum Samosatensis loquens iniqua, qui diceret esse corruptibilem sanguinem Jesu, qui est Deus Israel, Jesus, & qui omnem corruptionem & passionem & mortem solvit, qui redemit nos à servitute corruptionis. Sanguinem mortalis & patibilis hominis dicit, quia dixit Dominus gloriæ discipulis, Accipite & dividite, novum testamentum est in meo sanguine: & quia dixit idem, Qui pro vobis effundetur*. Ita ille philosophicis oblectabatur argutiis, & ex eo quod sanguis Christi dividatur, corruptibilem evincebat: nempè cùm divisio, sit quædam dissipatio ac totius dispersio in minutias. (To.11. Bibl. PP. pag. 284.)

Respondet autem primò Dionysius Dei sanguinem incorruptionis & incorruptibilis voluptatis torrentem esse, adeoque non esse corruptibilem, cùm vel maximè totum Christi corpus quoscumque attigisset, à quavis illos morborum & passionum lue expurgaret, & quandam expiraret incorruptelæ auram. *Non oblivisçar torrentis voluptatis. Fons enim vitæ est, & in lumine videbo lumen ex lumine. Spem habeo in alis ejus, quæ corrumpi non possunt, quæ sunt manus divinæ, & hominum creatrices, & quæ vitam suppeditant; quæ oculos formaverunt; tetigerunt mortuos, & revixerunt; aurem plantaverunt; manus Dei Israel qui est Jesus, torrens voluptatis, fons vitæ qui est apud Patrem*. Et posteà: *En in omnibus ostendimus torrenti iniquitatis, non esse corruptibilem sanguinem sanctum Dei nostri Jesu Christi, nec esse hominis mortalis sicut nos, sed Dei veri, qui est torrens voluptatis iis, qui eum participant*.

Respondet 2. Dionysius dividi & effundi Spiritum sanctum, ita contestantibus sacris literis, nec tamen hinc illi corruptionem illidi. Itaque & sanguinem Jesu, ejus spiritu formatum ac vegetatum, transfusaque ejus in se incorruptibilitate conditum, citra corruptionem dividi ac diffundi. *Si enim sanguis sanctus corruptibilis est, quia dividitur & effunditur, sic erit Spiritus sanctus sicut sanguis vitæ, &c. Apparuerunt dispertitæ linguæ, &c. Effundam de Spiritu meo, &c.*

Ex quibus liquidò claret, non eo aberrasse à fidei tramite Samosatenum, quod utcumque corruptibilem Jesu adhuc mortalem vitam degentis sanguinem affirmaret: id enim contra incorrupticolas fides Ecclesiæ confirmat. Sed vel quod reapse de facto corruptum fuisse ac computruisse suspicaretur, ubi vel in poculo divisus, vel in cruce effusus est. Non ita autem se res habet; nam nec sanguis nec caro vidit corruptionem, eam præveniente ac amoliente Verbo. Vel quod in poculo mystico ubi dividitur, corrumpi arbitraretur ac dividi, cùm indivisibiliter dividatur, & totus in singulis signi guttulis contineatur, atque ita tam citra corruptionem quàm citra divisionem dividatur. Vel quod in calice mystico talem Christi contineri sanguinem arbitraretur, qualis ante resurrectionem erat, corruptibilis etsi non corrumpendus, & non potiùs qualis post resurrectionem fuit, penitus incorruptibilis. Quo sensu, jure meritòque torrens voluptatis & incorruptelæ largitor, & Spiritui sancto consentaneus quodammodo à Dionysio esse commendatur.

CAPUT XIII.

Circa affectus animæ, & passiones corporis Christi Domini, Hilarii sententia expenditur.

QUanquam nonnihil ultra metas evectus videatur esse Hilarius, ea tamen congerit argumenta, ad amplificandam Verbi in carne assumpta amplitudinem, & ab affectuum passionumque procellis alienissimam tranquillitatem stabiliendam, ut ea permagni intersit non prætermitti. Quod ergo ad timoris & mæstitiæ & reliquas id genus perturbationes attinet, sic ille eas à Christo amolitur. (I. Quibus argumentis Hilarius videri possit affectus humanos à Christo removisse.)

Primùm quidem qui ab Apostolis timorem exemerat, qui ad mortem illos crucemque hortatus fuerat, an is ipse verbis quàm factis animosior, & quasi immemor sui mortem postea reformidavit? *Interrogo an ratione subsistat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis terrorem mortis propellens, ad gloriam eos sit martyrii adhortatus, dicens, Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus? Et cum non timendos esse, qui corpus occiderent, monet, ipsum illum mors à timore passionis corporalis exterruit?* (II. Christus ipse Apostolis timorem exemerat. L.10. de Trinit.)

Præterea si tres pueri in medias præcipitandi flammas, si Apostoli, si quandoque Martyres inaudita cruciatuum immanitate excarnificandi, & dum etiam excarnificarentur, non timore, non mærore ullo perculsi sunt; quin mortem quasi cunctabundam occupare, votisque accelerare ausi: si cruces, si carnifices provocare: si tantum potuit fidei vis invicta, & robustior Christi charitas, quàm vitæ hujus cupiditas, ut omnem formidinis tristitiæve exortum præverteret, absumeretque. Quid de Christo æstimandum est, quo duce hi merebant milites? Quo hortante pugnabant? Quo animos invictumque robur clam suggerente vincebant? *Quod si illi fidei calore & beati martyrii gloria, timere nesciunt quæ timentur; Christus etiamsi vitiorum nostrorum origine esset conceptus, tamen per crucem mansurus Deus, & mundum judicaturus, & rex æternorum sæculorum futurus, tristis metu crucis esset? Et tantorum præmiorum immemor, turpis metus anxietate crepidaret? Daniel Prophetæ prandio alendus, Leonum locum non timet; Apostoli cædi se pro Christi nomine & pati gaudent; Paulo libatio sua corona justitiæ est, desecanda colla sua percussoribus cum hymnis martyres tendunt, & ædificatos sibi congerie lignorum ignes cum canticis scandunt. Usque eo sensus fidei perempto in corporibus naturalis infirmitatis metu, corpora ipsa ad sensum non sentiendi doloris emutat, ut per animæ propositum, firmitas corpori invehatur; animatumque corpus id in se tantum sentiat, in quod animæ studio commovetur; ut quod pati animus gloriæ cupiditate contemnit, id se pati corpus anima vegetante non sentiat*. Si fidei æstu, si charitatis flamma ita exardescebat animus quandoque Martyrum, & formidinis & mæstitiæ expers, quin alacritate & spe effervescens, penè anticipato adventantis æternitatis gaudio, hinc ita abripiebatur, ut vix corporis dolores ipsos sentiret; quid anima Christi beatarum ebria torrente toto deliciarum, & Verbi complexu fœlicissima, sapientiæque medullitus affixa, an timori aut mærori patebat ulli? (III. Nonnulli Martyres ne affati quidem timore mortis sunt.)

Rursus in cujus potestate erat non mori, qui extorqueri sibi vitam nulla vi posse conscius sibi erat, qui spiritum quando voluit tradidit, qui cùm primum sibi collibitum esset, à morte rediturum se præsciebat, an timore ac mæstitia mortis angi is potuit? *Quem dolorem mortis timeret, potestatis suæ libertate moriturus? Humano enim generi aut vis exterior, &c. Unigenitus autem Deus ita potestatem habens resumendæ animæ ut ponendæ, ad peragendum in se mortis sacramentum, cùm poto* (IV. Conscius sibi Christus erat suæ ad non moriendum potestatis.)

aceto, consummasse se omne humanarum passionum opus testatus esset, inclinato capite tradidit spiritum, &c. Incidat in Dominum vitæ mortis metus, si quod emisso spiritu mortuus est, non libertatis suæ ad moriendum usus est potestate. Quod si ex se mortuus est, & per se spiritum reddidit, non est terror mortis in potestate moriendi.

V. An metuebat, qui terrebat? An metuendus metuebat? An terrebatur, qui perterrefecit milites ad corripiendum ipsum armatos? Qui irruentibus ultro obviavit, qui uno verbo prostravit cohortem, an vocem illi metus compresserat, an torpefecerat animum? *Anne metuit, qui armatis ad corripiendum se, obvius prodiit? Et in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt; & majestatem ingerentis se ad vincula non ferentes, supinatis corporibus reciderunt?*

VI. An metuebat Christus exaltari, glorificari, vincere, id enim est mori? Præterea cùm pro Christo mori vita sit, an mortem id est vitæ fontem Christus ipse exhorruit? Cùm pro se morientibus largiatur vitam, eaque spe alacres ad mortem incitet, an fugitabat ipse, & tergiversabatur? Cùm gloriæ fastigium in morte crucis sibi desponsum esse nosset: cùm crucem non aliter libentiùs & frequentiùs quàm exaltationem & glorificationem suam appellitaret: cùm cruce sua spoliaturum se infernas potestates, triumphaturumque esse, ut ait Apostolus, non nesciret, an sublimari, an clarificari, an vincere, an triumphare detrectabat? *Cùm enim pro eo mori vita sit, quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependat?* Et infra: *Cur exeunte ad proditionem Juda non memineris dictum fuisse, Nunc honorificatus est filius hominis? Si enim passio honorificatura eum erat, quomodo tristem eum metus passionis effecerat, nisi fortè tam irrationabilis fuerit, ut pati timeret, quæ se essent glorificatura patientem?* Et aliquantò infrà: *Atqui Apostolus loquente in se Christo loquutus, & salutis nostræ per Dominum opus memorans, mortem Christi ita significat, ut carne se spoliet, & potestates cum fiducia dehonestet, & de his in semetipso triumphet. Si mors ipsa aliud est quàm potentum dehonestatio, quàm fiducia, quam triumphus, adscribe infirmitatem. Sin autem hæc è contrario, quis rogo furor est, totum hoc ad imbecillitatem & contumeliam rapere naturæ, quod & voluntas est, & sacramentum, quod & potestas est, & fiducia, & triumphus?*

VII. An timebat mortem, ad quam ut ad triumphum venit. Qui autem non tergiversatus, non cunctatus sit, sed ad mortem planè quasi ad triumphum ovans processerit Christus, statim Hilarius exponit: *Triumphus planè est, quæri ad crucem, sed offerentem se non sustineri: stare ad sententiam mortis, sed inde consessurum à dextris virtutis: configi clavis, sed pro persecutoribus orare: acetum potare, sed sacramentum consummare; deputari inter iniquos, sed paradisum donare; elevari in lignum, sed terram tremere: pendere in cruce, sed Solem ac diem fugere: exire è corpore, sed revocare animas in corpora: sepeliri mortuum, sed resurgere: demum secundum hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundum Deum in his omnibus triumphare.* Et paulò antè: *Tu verò quo sensu rationis intelligis Dominum nostrum Jesum Christum ad quod festinat timere? Et consternantem fortes, infirmitate trepidare? Et vulnera non permittentem doleri, vulneratum dolere? Et contumelia crucis dehonestari, cui crux consensus ad Deum est, & reditus ad regnum?*

VIII. Verba scripturæ ut Hilarius interpretetur. Hæc autem Christi verba: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, magnificè interpretatur, ut non propter mortem, sed usque ad mortem tristis extiterit, ut cui mors non tristitiæ causa sed finis fit, ideoque votis maturanda, non metu deprecanda. *Non ejusdem significationis est tristem esse propter mortem, & tristem esse usque ad mortem. Quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors causa tristitiæ est. Ubi verò tristitia usque ad mortem est, mors jam non tristitiæ est causa, sed finis.* Calicem autem à se transferri cùm orat, non tamen pati metuit ex Hilario; nempè cùm Petro dixerit ut vagina conderet ensem, quòd bibendus sibi calix esset: *Legeras, reconde gladium tuum in vagina, calicem quem dedit mihi Pater, non bibam? Quomodo enim per patiendi metum, transferri à se deprecaretur, quod per dispensationis studium festinaret impleri? Non enim convenit ut pati nolit, quod pati velit.* Non à se ergo quasi metuens, sed securus sui, membris suis, Apostolis suis, atque ita sibi orat amoveri & transire calicem, ne impares sint passioni obeundæ, unde ipsos statim adit, hortaturque ut vigilent, orentque, ne tentationi cedant: *Anne adhuc tristitiæ causa & transeundi calicis deprecatio, in obscuro est? Vigilari enim secum ob hoc jubet, & orari ne in tentationem intrent; spiritu quidem prompto, sed infirma carne. Nam qui non scandalizandos se per constantiam fidelis conscientiæ pollicebantur, in scandalo per infirmitatem carnis erant futuri. Non ergo sibi tristis est, neque sibi orat: sed illis quos monet orare pervigiles, ne in eos calix passionis incumbat; quem à se transire orat, ne in his scilicet maneat.* Denique orasse se indicat ne Petri fides deficiat: unde ab Angelo factus certior, & exhilaratus, dormire & quiescere jubet Apostolos: *Dominum pro fide Petri ne deficeret, oravisse subjecit; post multam Domini precem Angelum adstitisse, confortantem eum, &c. Misso ad tuitionem Apostolorum Angelo, & per eum confortato Domino, ne pro his tristis esset, jam sine tristitiæ metu existens ait, Dormite jam & requiescite.*

IX. Corpus de Spiritu sancto conceptum, & anima beata, Verboque imbutum, an dolebat instar nostri? Hactenus Hilarii mentem & argumenta cursim explanavimus, quod ad animæ Christi affectiones spectat. Jam verò passiones corporis ejus convenienter antedictis exequitur, & ita elevat, ut omnem doloris sensum illi abrogasse videatur.

Primò enim corpus Christi ejusdem quanquam cum nostris naturæ, non tamen ejusdem originis: quippè non semine mortali, sed de Spiritu sancto conceptum: & de matris quidem sanguine, sed virginis: anima imbutum humana illa quidem, sed ipso beatitudinis fonte inebriata, nec ad dolendum composita: denique Verbo perunctum, adeoque perfusum vi dolorum ægritudinumque omnium medicatrice, unde & attactu morbos fugabat & mortes. Corpus istiusmodi non ita ut cæterorum hominum dolebat. *Quid per naturam humani corporis concepta ex Spiritu sancto caro judicatur? Caro illa, id est panis ille, de cœlis est. Et homo ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus, & passus est, sed naturam non habens ad dolendum. Naturæ enim propriæ ac suæ corpus illud est; quod in cœlestem gloriam transformatur in monte: quod attactu suo fugat febres: quod de sputo suo oculos format.* Et infrà: *Habuit corpus, sed originis suæ proprium; neque ex vitiis humanæ conceptionis existens, sed in formam corporis nostri, virtutis suæ potestate subsistens.* Et inferiùs: *Non ambiguum est, in natura ejus corporis infirmitatem naturæ corporeæ non fuisse: cui in virtute naturæ fuerit omnem infirmitatem corporum depellere; & passionem illam, illata licet corpori sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse. Quia quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen vitiosa infirmitatis nostræ forma esset in corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit; quod licet sexus sui officio genuerit, non tamen terrenæ conceptionis suscepit elementis, &c. Et corpus illud corporis veritas est, quod generatur ex virgine: & extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumpsit exordium.* Et aliquantò antè: *Si homo Jesus Christus per initia corporis atque animæ nostræ vixit in corpore, & non ita, ut corporis sui, sic &c.*

sic & animæ suæ princeps Deus, in similitudine hominis constitutus & habitu repertus ut homo natus est, parem dolorem senserit corporis nostri, &c. Quibus videtur Hilarius doloris sensum Christo abstersisse, quod caro ejus de Spiritu sancto concepta, de Virgine sumpta sit; quod item animæ suæ corporisque sui princeps Deus Verbum impatibilitatis suæ jura in corpore assumpto retineret. *Atque ita & ex corporis nativitate homo natus sit; nec sit in hominis vitiis, qui non sit in origine: quia Verbum caro factum est, non potuit non caro esse, quod factum est: & Verbum licèt caro factum sit, non tamen amisit esse quod Verbum est.*

x. Quæ dolores, ipsi morbos omnes sanabat, caro an dolebat ipsa. Præterea corpori ipsi Christi vis inerat dolorum sedatrix omnium, vulnerum medicatrix, depultrix morborum omnium: non ergo illi simul inerat doloris ægritudinisque natura. An manus enim quæ aurem restituit amputatam, dolorem sui ipsa sensit clavi quo confixa est? an quæ suum doluisset, alienum abegisset dolorem? *Producens ergo hac aurem manus, clavum dolet? & sentit sibi vulnus, qui alteri dolorem vulneris non relinquit? Compungendæ carnis metu tristis est, cujus attactui licet carnem donare post cædem? Quod si hæc in Christi corpore virtus fuit, qua rogo fide naturaliter infirmus fuisse defenditur, cui naturale fuit, omnem humanarum infirmitatum inhibere naturam?*

xi. Et in martyribus sæpè doloris sensum oppressit charitatis fervor. Postremò si fervor animi, si fidei & charitatis flamma in Martyris pectore ita quandoque effervebat, ut sua corpus vulnera & cruciamenta non fortiter tantùm ferret, sed contemptim sustineret, & irrideret, & nec sentiret: quid illud corpus quod Verbo, quod anima Verbo delibuta formabatur, an non extra dolendi sensum per supernæ charitatis æstuantes exundantesque delicias rapiebatur? *Si filio hominis originem Spiritus sanctus per sacramentum conceptionis invexit; nempè & Altissimi virtus virtutem corpori, quod ex conceptione Spiritus Virgo gignebat, admiscuit. Nam cum per transfusæ in corpus animæ consortium, sensus animati corporis vivat, & ipsum ad illatum dolorem corpus, anima corpori permixta vivificet: quæ ubi cælestis spei, ac fidei suæ beato calore, terrenæ in corpore suo originis despexit exordium, sui quoque sensus ac spiritus corpus efficitur in dolore, ut pati se desinat sentire quod patitur.*

xii. Errasse Hilarium sensit Claudianus Mamertus. A fidei regula superioribus capitibus expensa nonnihil dissonare hæc, quæ strictim ex Hilario corrogavimus, nemo tam obtusæ mentis est, qui non suspicetur. Et quidem fidenter errasse hac in quæstione Hilarium pronunciat Claudianus Mamertus in luculentissimo tractatu de statu animæ, etsi errorem qui incautò obrepserat, confessionis gloria abundè eum diluisse fateatur. *Pictavius*

L. 3. *Hilarius inter complura præclarissimarum disputationum suarum, quiddam secus sentiens, duo hæc veris adversa disseruit. Unum quod nihil incorporeum creatum dixit. Aliud, nihil doloris Christum in passione sensisse. Cujus si vera passio non fuit, redemptio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quando Beatus Hilarius opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevit, sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum.*

xiii. Excusat Hilarium Philippus Bonæ Spei Abbas Epist. 5. Pronior ad excusationem Hilarii fuit Philippus Abbas Bonæ Spei; qui non aliud moliri Hilarium interpretatur, quàm ut doloris naturam, id est, necessitatem eam à Christo abstergeat, qua & invitus homo quilibet pati & dolere cogitur; & quantumvis restitet, animoque reluctetur, ferrea & ineluctabili dolendi necessitate constringitur. Non dolet enim qui dolore adeo non gravatur, ut adgaudeat & hilarescat. Non dolet, qui cruciantibus gratulatur. Non dolet, qui dolere se non dolet, id est, non gravatè fert, quin imò corporis lanienam, ut lætitiæ fontem spectat, Eò pertinet exemplum vel trium puerorum, vel reliquorum Martyrum, ab Hilario relatum, quibus non corporis impassibilitas, sed animi gaudium exæstuans fideique robur, non doloris sensum, sed dolendi ægritudinem & mœrorem omnem antevertendo devorabat.

Adfert Philippus hunc Leonis Papæ locum, qui Hilarii verba imitari, & eidem vel censuræ, vel excusationi patere videtur. *Expavescens in Christo diabolus quadraginta dierum noctiumque jejunium, explorare callidè voluit, utrum hanc continentiam donatam haberet, an propriam: ut non metueret deceptionum suarum opera resolvenda, si Christus ejus esset conditionis, cujus & corporis. Continentiam quippè qua diebus quadraginta Christus nihil comederat, non sicut Moyses & Elias donatam recens receperat, sed ab origine propriam, id est, naturalem habuerat: qui etsi corporis nostri erat, nostræ tamen conditionis non erat; quia sicut nihil in origine vitiosum, sic in opere nihil sibi repugnans, vel contrarium sentiebat.* Ex hom. in Domin. 1. Quadr. Quæ ad sententiam Hilarii proximè videntur alludere. Nam ut ait idem Philippus: *Dicit Hilarius necessitatem in Christo passionibus non fuisse; id est, eum non sicut nos necessariò doluisse: sed dolores nostros ita, cum voluit, suscepisse, ut posset eas non solum divina, sed etiam humana, tam animi quàm corporis fortitudine pœnaliter non sensisse. Quod contra vos dicitis Christum ejusdem infirmitatis cujus & nos per omnia excepto peccato naturaliter extitisse; sed passiones vel dolores passionum operante divino miraculo differre potuisse: cessante autem miraculo sicut & nos necessariò post jejunium esurisse, vulneratum necessario doluisse, &c.* Epist. 7. Epist. 5. Subiicit statim suam de Adamo sententiam, quòd nec is ante culpam, nisi volens vel dolere vel mori potuisset, ob ingenitam & inviolabilem ante peccatum in corpus suum imperatoriam animæ planè potestatem. Undè cùm Christus intaminata conceptus sit origine, pati & ejus anima in carnem suam, & caro ipsa ejus potestate erat freta, ut si vellet, esuriret; si nollet, non esuriret; si vellet, doleret; si vellet, non doleret. Idem Philippus: *Quia enim à regula sanctitatis, illius vel origo vel conceptio non dissensit, nullum creatoris elementum dum hic viveret, contrarium sibi sensit: sed tale corpus habuit, ut & liberæ voluntatis esset, & per omnia voluntariæ voluntatis.* Epist. 5. Et paulò antè: *Sic esuriem corporis potestativa suscepit voluntate, vel voluntaria potestati: habeni spiritalis munere conceptionis inolitum, ut posset talibus non gravari.* In Cantic. c. 13.

xiv. Paria cum Hilario sentire videtur Theodorus Abucara. Bibl. Patr. To. 11. pag. 398. Accedere ad Hilarii sensum videtur Theodorus Abucara: *Voluntate libera, non necessitate naturali esuriit. Cujus rei evidens argumentum est, quod cùm quadraginta diebus & noctibus jejunasset, postea esuriit. Si enim aer potestatem in ejus carnem habuisset, ut in carne cujusque nostrum, non unum diem, vel duos, vel tres transegisset, quousque esuriret, sicut factum in eo esse videmus. Sed quando volebat, permittebat naturæ, ut quæ erant ejus operaretur, &c.* Ne autem de Deitatis voluntate hæc intelligenda causeris, subiicit ibidem Adamum ab his necessitatibus ante transgressionem fuisse immunem, peccato iis mancipatum esse. *Æternus tamen Filius corpus Adamæum assumpsit: id est, ipse sibi ex sanguinibus purissimis Virginis Mariæ corpus purum & ab omni macula liberum formavit. Hac de causa non habuit mors imperium in eum, nec ante mortem fames, &c.* Denique corpori ipsi Christi immunitatem à moriendi, esuriendi dolendique necessitate vindicat, non tantùm, quòd expers maculæ & peccati sit, & Adami ante lapsum simile: sed etiam quòd deificatum ab exortu suo sit, & ὁμοθέον, ut vocat illud Nazianzenus, quasi dicat tota Deitatis impassibilitate perfusum. *Summatim dicam corpus æterni Filii à principio suæ formationis, & inconfusæ unionis hypostaticæ, perfectissima deificatione deificatum fuisse, & factum sine mutatione idem atque ille qui unxit, & audeo dicere simul Deum, ὁμοθέον, Verum*

rum æternus Filius concessit ei degere vitam more corporum humanorum, ut diabolum lateret. Vides ut corpori ipsi hoc adserat jus non dolendi, haustum ex deificatione sua. Unde postea ait nec qui transfiguratum, nec qui redivivum à mortuis Christum splendor circumvestivit, extrinsecus accersitum esse, sed ab imis præcordiis, ubi hactenus comprimebatur, emicuisse, quia nempè caro erat exortu suo deificata. *Ne existimaremus hanc gloriam, quæ in carne Filii post resurrectionem ostensa est, extrinsecus advenisse, quin potius ostensam esse, quæ in ipsa à principio unionis hypostaticæ latebat, testimonium manifestum dedit, quando ante passionem coram tribus discipulis suis, in monte Thabor in propria carne sua divinam gloriam ostendit, quam etiam post resurrectionem patefecit. Erat enim, ut jam diximus, caro æterni Filii à principio suæ formationis deificata perfecta deificatione.* Colligitur ex his, ut esuriret, ut doleret, ut moreretur caro deificata, miraculo opus fuisse, quo vis gloriæ intima cohiberetur ne erumperet: non tantùm ne erumperet ex Deitate in corpus, sed ne erumperet ex ipso corpore, cui ut absolutissimè deificato inerat utique ab ortu, sed dispensatoriè comprimebatur.

XV. Et author Elucidarii apud Anselmum. Author Elucidarii apud Anselmum calculo etiam suo Hilarii doctrinam firmat: *D. Cùm scriptum sit de eo, Speciosus forma præ filiis hominum: erat corpore pulcher? M. Secundùm naturam talis fuit, qualis in monte discipulis apparuit. Sed quia homines ejus claritatem ferre non poterant, sub larva apparuit, quæ forma despicabilis fuit.* Et rursus interrogante discipulo, *Erat passibilis & mortalis?* respondet Magister, *Passio vel mors peccati est pœna, sed ipse absque peccato venit, & sine peccato vixit. Igitur secundùm naturam impassibilis & immortalis fuit: sed secundùm potentiam utrumque esse voluit & passibilis & mortalis.* Audis ut natura impassibilis sit, & talis, qualem se in monte exhibuit: sed per potentiam esse, ut passibilis esset; adeoque miraculis locum fuisse, non ut ne quandoque doleret vel pateretur, sed ut aliquando dolere patique posset.

XVI. Suis ipse verbis purgatur Hilarius. L. 10. de Trinit. Nec negat Hilarius doluisse Christum carne sua mortali: *Passus igitur unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates, sed passus virtute naturæ suæ, ut & virtute naturæ suæ natus est.* Passum dicit & tam verè passum, quam natum. Et ibidem: *Habens in se doloris corpus, sed non habens dolendi naturam; dum & hominis habitus est, & origo non hominis est, nato eo de conceptione Spiritus sancti.* En doloris corpus: sed abest natura dolendi, quia dolendi meritum, quia dolendi necessitas abest ab eo qui à peccatis purissimus est. Et infrà: *Succumbere ergo tibi videtur virtus ista vulneris clavo, &c.* Dolet ergo, sed non succumbit; dolet, sed dolere se non dolet, non gravatè fert; dolet, sed non succumbit, quia doloribus suis vincit & triumphat. Et alibi: *Igitur cum esuriit Dominus, non inediæ subrepsit operatio, sed virtus illa quadraginta dierum non mota jejunio, naturæ suæ hominem dereliquit.* (Can. 3. in Matth.) Ex natura ergo hominis corporisque assumpti esuriit, non ex miraculo; habuit ergo naturam esuriendi, qui suprà dicebatur non habere naturam dolendi. Quæ ne collidantur adversa fronte, statuendum est, ut & naturam habuerit dolendi ex corpore, & non habuerit ex Deitatis potestate, ex animæ etiam Deo inunctæ privilegio. Pergit ibidem Hilarius: *Non enim erat à Deo diabolus, sed à carne vincendus: quam utique tentare ausus non fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem, quæ sunt hominis, recognovisset.* En esuritionis infirmitatem homini familiarem. Et alibi: *Quod in crucem actum unigenitum Dei Filium, & morte damnatum eum, qui nativitate quæ sibi ex æterno Pa-* (In Psal. 53.) *tre est, naturalis & æternus sit, frequenter, imò semper prædicamus non ex naturæ necessitate potiùs, quàm ex sacramento humanæ salutis, passioni fuisse subditus intelligendus est, & voluisse se magis passioni subiici quàm coactum. Et quanquam passio illa non fuerit conditionis & generis, quia indemutabilem Dei naturam nulla vis injuriosæ perturbationis offenderet: tamen suscepta voluntariè est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœna sensu læsura patientem. Non quod illa lædendi non habuerit pro ipsa passionis qualitate naturam; sed quod dolorem divinitatis natura non sentit. Passus ergo Deus est, quia se subiicit voluntarius passioni, &c. ipse tamen à natura suæ virtute non excidit ut doleret.* An potuit inculcatiùs ingerere Hilarius, ubi doloris sensum à Christo abigit, non carnis, sed Deitatis se causam agere, utpotè cui Ariani passionem impingebant: nec humanæ se, sed divinæ naturæ Verbi impassibilitatem defensitare? Denique passum expressè admonet, sed voluntarium, non coactum.

Postremò Magister sententiarum à quo non dissonat sanctus Thomas, Hilarium purgat, existimatque non aliò eum collimasse, quàm ut Deitati Verbi consuleret, propulsaretque obstrepentes impassibilitati ejus Arianos: ut meritum dolendi patiendique, hoc est peccatum à Christo depelleret, unde intemeratam ejus originem exaggerat & discriminat à nostra: ut denique necessitatem dolendi à Christo, id est, à Verbo carnem gestante amoliretur; quia licèt necessitas dolendi carni ejus incumberet ex natura sua, hanc tamen necessitatem sponte & citra necessitatem subiverat, pergebatque subire Verbum. Quocirca nec propriè necessitas erat, quæ erat voluntaria. *Dici potest Christum voluntate, non necessitate suæ naturæ hos defectus sicut & alios suscepisse, scilicet necessitatem patiendi in anima, simul autem patiendi & moriendi in carne. Verùm hanc necessitatem non habuit ex necessitate suæ conditionis, quia à peccato immunis, sed ex sola voluntate accepit.* XVII. Hilarium purgat Magister sent. & S. Thomas. In 3. d. 15. & 16.

Philippus autem Abbas Bonæ Spei dum adversus Joannem quendam fervidiùs quàm consideratiùs tuetur Hilarium, penè commisit, ut & ipse à benevolo quopiam vindice tuendus esset. Est tamen haudubiò unde officiosior quis Philippo patrocinetur, nec non & Theodoro Abucaræ. Num enim errare periclitatur, qui carni ipsi Christi ut deificatæ jus quoddam ingens adsignat, & velut naturam nihil patiendi, nihil dolendi? Nonne carnis de Spiritu sancto conceptæ, ab omni peccato puræ, tota Verbi Deitate perfusæ, natura, seu naturalis prærogativa est, ut à dolore & patiendi quavis necessitate vacet? Cùm ergo caro Christi, spiritaliter, non carnaliter formata sit, cùm tota sanctitate potita & quasi concreta sit, cùm Verbo fœta sit, prout hæc ejus conditio expenditur, nulla ei patiendi necessitas imminebat, quinimò naturalis inerat immunitas. Deinde si inerat carni ejus vivifica vis, ægritudinum quarumlibet expultrix, nec tamen hæc nisi eo volente emicabat, & rarò emicabat: num non poterat similiter inesse superior omni dolore virtus, nec tamen erumpere, aut impressos effugare, aut occupare dolores, nisi cùm Verbo principanti collibuisset? Inerat ergo carni Christi radix intima impassibilitatis, sanctitas nimirum & Deitas; quanquam compressa & veluti recepta in interiores latebras & Deitate & sanctitate, nativæ caro permitteretur passibilitati. Itaque utrique dicendi modo locus est, nec alter alterum perimit. Nam dici potest, ut vulgo dicitur, & passibilem naturaliter fuisse carnem Christi, & miraculo præstitum ne quandoque pateretur: ac rursus dici potest ut dixit Philippus Abbas, & impassibilem naturaliter esse carnem Christi, & miraculo effectum tamen esse ut pateretur. Sola hic verborum compugnantia est, quæ nefas est ut graves inter se Theologos committat. XVIII. Philippo ipsi & Theodoro Abucaræ patrocinium paratur.

mittat. Ubi enim caro Christi naturaliter impassibilis dicitur, non caro mera spectatur, sed caro substantiva & sanctitate & Deitate Verbi concreta, cui ut in tantam provectæ sublimitatem naturalis hæc, & legitima adhæret prærogativa, nihil ut doleat, vel patiatur: atque adeo cui vel dolore vel pati non accidat citra id miraculum, quo prærogativa hæc, & Verbi Dei impassibilitatis in suam carnem naturale effluvium cohibeatur. Ubi autem caro Christi naturaliter passibilis dicitur, vel caro mera, vel caro adglutinati sibi Verbi prærogativis nonnullis fraudata attenditur, cui ita nudæ & naturale est pati, & miraculo obtingit non pati.

XIX. Hieronymus certè Hilario patrocinatur, & unus omnium instar est. Quantum in his momenti sit ad excusandum Philippum, suo quisque nutu arbitretur, suo quisque fruatur judicio; quod ad Hilarium certè attinet, abundè mihi quidem videtur ille purgatus esse iis quæ hactenus disputata sunt. Censorio autem Claudiani Mamerti judicio ut minus hac in parte tribuam, movet me major aliquantò Hieronymi authoritas Epistola ad Lætam: *Cypriani opuscula semper in manu teneat: Athanasii Epistolas & Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet. Cæteros sic legat, ut magis judicet, quàm sequatur.* Non ita de Hilario censeret, nec inculpatis authoribus his illum accenseret Hieronymus, si illusa negataque Christi Passione pessundatam ab eo totam Verbi in carne dispensationem existimasset.

XX. Vera ratio Hilarii desensitandi. Jam verò sanæ de affectionibus animæ Christi doctrinæ vendicare Hilarium, perfacile id verò est & perexpeditum. Nec enim de veritate, sed de causa harum animi perturbationum ille litigavit: nec contristatum fuisse Christum inficiatus est, sed nostri, non sui causa contristatum fuisse: nec sibi sed nobis illachrymatum, nobis non sibi timuisse contendit. Quod verè contristatus, quod exhilaratus sit, quod timuerit, id sanè catholica fide cautum est: qua de causa autem hoc affectuum æstu fluctuatus sit, id verò Theologorum conjecturis permissum est, qui in alias aliasque eunt sententias, etsi diversas, nec sibi tamen nec veritati compugnantes. Non propter mortem, sed usque ad mortem tristatum Christum, ubi interpretatus est supra Hilarius, non tristitiam refutavit, sed causam indagavit tristitiæ, cujus nec causa esset, si ipsa non esset. *Ubi tristitia usque ad mortem est, mors jam non tristitiæ est causa, sed finis.* Quæ morte finitur, vera erat tristitia. *Non ergo sibi tristis est, neque sibi orat, sed illis quos monet orare pervigiles, ne in eos calix passionis incumbat.* Verè tristis est, qui nostra non sua causa tristis est. Et rursus: *Misso ad tuitionem Apostolorum Angelo, & per eum confortato Domino, ne pro his tristis esset, jam sine tristitiæ metu existens, &c.* Et infrà: *Nam qui nobis tristis est, id est, propter nos tristis est, necesse est ut propter nos sit confortatus & nobis.* (L. 10.)

XXI. Apud Augustinum & alios eadem penè dicta occurrunt. Ne unus autem videatur Hilarius hanc usurpasse licentiam torquendæ in subalienos & insuetatos sensus Scripturæ, Christique tristitiæ à cura sui corporis in nostræ unius spiritalis salutis studia deflectendæ; plurima illum cingit caterva idem pari audacia, an pietate factitantium. Complures supra adduximus, quibus adde Augustinum: *Corporis sui, id est Ecclesiæ gerebat personam, sicut & alibi cum dixit, transeat à me calix iste, pro nobis loquitur. Nisi forte putetur timuisse mori, sed non verè timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus dissolui & esse cum Christo. Non enim fortior est miles, quàm imperator. Miles autem coronandus gaudet mori, & Dominus coronatus timet mortem? Sed infirmitatem nostram repræsentans, pro suis infirmis qui timent mori, hæc dixit; vox illorum est, non capitis.* (Enar. 2. In Psal. 21. Mag. sent. In 3. d. 15.)

CAPUT XIV.

Communicatio idiomatum seu proprietatum utriusque naturæ in Christo, multis ex capitibus statuitur.

I. Ex geminæ naturæ copula in personam unà fluit idiomatum communicatio. Ex Deitatis Verbi cum humana natura in unam personam copulatione, reciprocam effluere idiomatum seu proprietatum refusionem, tyrunculis etiam ipsis & nuperrimè initiatis exploratissimum est. Sed hujus alternæ communicationis aperienda hic fundamenta, & subiicienda oculis sunt nonnulla obstrusioris Patrum doctrinæ capita.

II. Ideo utrique Nestorius intercedit. Orthodoxæ huic sententiæ obloquebatur Nestorius; & quanquam Deitati vendicari non abnueret, quæ Templi seu hominis erant propria; Deum tamen natum, Deum trimestrem, Deum passum & occisum dici credive vetabat, tanquam hæc essent Arianorum vel Apollinaristarum impia quædam deliramenta: reapse autem quòd accidentario tantùm vinculo personas ille duas necteret in Christo, hinc quæ hominis erant, Deo affingere cunctabatur. In Epistola ad Cyrillum: *Rectum & Evangelicæ traditioni consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse fateamur: illudque nexu usque adeo sublimi, divino, & admirabili ipsi conjunctum esse statuamus, ut divina natura ea sibi vendicet, quæ corporis alioqui sunt propria. Verum propter illud communicationis nomen, nativitatem, passionem, mortem, cæterasque carnis proprietates divino Verbo ascribere, id demum mentis est Ethnicorum more errantis, aut certè insani Apollinarii, & Arii, aliorumque hæreticorum morbo aut alio etiam graviori laborantis.* Quam Nestorii perfidiam confixit Cyrillus anathematismo quarto, vetans voces, quæ de Christo proferuntur, in duas personas, vel hypostases dividi; quamvis secundùm aliam & aliam naturam ei tribuantur.

III. Adseritur tamen ex Patribus hæc communicatio. Namque ut ait Augustinus: *Ex forma servi crucifixus est, & tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum: quid tamen propter quid, & quid secundum quid dicatur, adjuvante Domino prudens, & diligens, & pius lector intelligit.* (L. 1. de Trinit. c. 11.) Nec immeritò sanctus Pater divinæ opis lucisque opus esse docet, ut interluceat quid secundum quid dicatur. Est enim res ista nonnullis ambagibus impedita. Unde rursus idem: *Atque hoc totum & Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. Quod si difficilè intelligitur, mens fide purgetur, magis magisque abstinendo à peccatis, & benè operando, & orando cum gemitu desideriorum sanctorum, ut per divinum adjutorium proficiendo, & intelligat, & amet.* (L. 4. c. ult. Ibid.) Nec Hilarium præteriit hujus placiti catholici difficultas, non aliter quàm divinæ omnipotentiæ præjudicio superanda, fideique benè impudentis audacia: *Deus ergo idcircò tibi Christus non est, quia qui erat, nascitur: quia qui indemutabilis est, crescit ætate: quia qui impassibilis, patitur: quia vivens moritur: quia mortuus vivit: quia omnia contra naturam sunt? Rogo hoc quid aliud est, quàm omnipotentem esse, quod Deus est?* (L. 4. de Trinitat.)

IV. Nec logica tantù prædicatione, sed physico jure ea constat. Primùm ergo ut ab apertioribus ad obscuriora gradum faciamus, in confesso nunc quidem omnibus est, alterna communicatione prædicari de Deo quæ sunt hominis, de homine quæ sunt Dei, ideo quòd una Dei atque hominis persona atque hypostasis est. Unus enim idemque cum sit Deus & homo, non verbo tenus, sed ipsa re, sua facit esse unius, sibique consequenter uni attribui jubet, quæcumque alterutrius naturæ sunt. Sicut unus ex anima & corpore compactus homo cum sit, tum quæ animæ sunt, tum quæ corporis ornamenta, ei uni promiscuè tribuimus, non logica tantum & verbali licentia, sed jure physico substantivoque domi-

dominatu. Ejus enim unius physicè propria sunt, quæcumque vel animæ, vel corporis sunt.

V. Verè enim, propriè & physicè, personę sūt quęcumque alterius ejus naturæ propria sunt. Orat. 35.38. 39.

Nazianzenus: *Quod erat, permansit: quod non erat, assumpsit*. Et rursum: *Progressus Deus cum humanitate, unum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum & spiritu, quorum alterum deificavit, alterum deificatum est*. Et denuo: *Corpus etiam honore afficit, quandoquidem hoc etiam per deificationem Deus est*. Ex quibus id emergit, cùm qui Deus æternus erat, verus homo factus sit, tam verè & physicè ejus esse, eique tribui totam hominis ærumnarum & passionum seriem, quam verè & physicè homo est. Nam pati morique & alia id genus hominis naturæ & nomini implicata, infixaque nunc indivulsè sunt: unde pati & mori non verbo, sed re tribuitur ei, qui non verbo, sed reipsa homo est. Et vicissim homo deificatus est, homo inquam non voce nuda, sed rei proprietate deificatur & naturaliter substantivèque Deus est: ergo ei non affectata verborum gloria, sed simplici veritatis jure homo iste sua habet, sibique tribui poscit, quæcumque Dei sunt. Nam Deum fieri, non aliud est, quàm quæcumque Deus est fieri. Ita ergo humana Deo, divina homini omnia, non canoras nugas, sed rerum simplicem secuti veritatem adsignamus.

In Ev. Joan. Pag. 667.

Cyrillus: *Cæterum Servatoris nostri in Evangeliis voces neque duabus hypostasibus, neque personis dividimus. Neque enim duplex est unus & solus Christus, etsi ex duabus & differentibus rebus in unitatem indivisibilem collatis intelligatur; quemadmodum videlicet homo est anima & corpore, sed ex utroque unus*. Et illicò: *Ubi igitur personæ attribuendæ sunt Evangelicæ voces, hypostasi nimirum Verbi incarnati: Dominus enim unus Jesus Christus secundum voces*. Ubi duo etiam adnotat. Primùm unus cùm sit Christus, unus ex homine & Deo, unum compositum, unum totum, totius sunt, totique attribuendæ sunt eorum, quibus constat, proprietates. Deinde Christus est hypostasis Verbi incarnati, uni ergo illi seu prout Verbum, seu prout incarnatum est, omnia refundenda. Quàm non solo autem verborum strepitu, sed verissimè, incarnata physicè est Verbi hypostasis, & totum istud est physicè perfectissimum, tam verè & expressè Deo humana, homini divina tribuuntur.

Cyril. To. 5. par. 2. p. 189.

Proclus Episcopus Constantinopolitanus apud Cyrillum in sanctum Symbolum: *Incarnatur absque conversione is, qui speciei est expers: nascitur secundum carnem, qui principio caret, &c. Non in eo quod erat, sustinens contumelias, sed in eo quod factus est, &c.* Maximus Martyr: *Sicut homo ex animali & eo quod ratiocinatur compositus, est una persona; ita etiam una persona ex Deo & forma servi existit. Itaque veluti si pars ratiocinatrix quæ homini inest, dicat, Ego sum ille ad imaginem Dei factus, ita comparatus ut interire non possim: rursus pars illa ratiocinatrix dicat, Ego sum terra & cinis: non loquitur modo animal, modo id quod ratiocinatur, sed id ipsum quod ratiocinatur modo quæ sibi propria sunt, modo quæ animali convenient; loquitur. Ita homo & Deus sermo unica existens persona, &c.* Et quid apertius Scripturis ipsis uni Christo tam varia accumulantibus, & ex unius consortio naturæ alteram extollentibus? Scitum est in primis illud Thomæ, carnem contrectantis, & quasi Deum contrectasset, confitentis. Unde Dionysius Alexandrinus contra Paulum Samosatenum: *Manibus suis exquisivit eum, & non est deceptus, carnem Dei attrectans, profunda Dei in profundo, intra divinum latus manibus Deum quærens.*

Dial. 5. de Trinit.

In Psal. 54.

Hilarius: *Ita ut naturæ posterioris adjectio nullam defectionem anterioris afferret; neque qui jam homo esse cœperat, id quod ante hominem manebat, Deus scilicet esse desineret*. Et Augustinus: *Quoniam itaque gemina quidem substantia, sed una persona est, propterea quod dictum est, Descendi de cœlo, refertur ad Dei excellentiam: quod verò adjunctum est, Non ut faciam voluntatem meam, refertur ad hominis obedientiam; utrumque autem Christus, id est Deus & homo*. Et infra: *Hanc unitatem personæ Jesu Christi Domini nostri, sic ex natura utraque constantem divina scilicet atque humana, ut qualibet earum vocabulum etiam alteri impartiat, & divina humanæ, & humana divinæ, beatus ostendit Apostolus, ubi ait: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, &c. Exinanivit semetipsum factus obediens usque ad mortem, &c.* Et ibidem: *Quis est ille qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo? Respondetur voce Apostolica, Christus Jesus. Ergo & illa divinitas hujus humanitatis nomen accepit. Item si quæramus, Quisnam sit factus obediens usque ad mortem crucis? Rectissimè respondetur, ille qui cum in forma Dei esset, &c. Ergo & ista humanitas illius divinitatis nomen accepit. Apparet tamen idem ipse Christus, geminæ gygas substantiæ, secundum quid obediens, secundum quid æqualis Deo*. Ubi vides ex Scripturis elici hanc reciprocationem proprietatum, nec valdè anxium esse Augustinum, ut nomina usurpet concreta, aut hypostaseos propria; sed indiscriminatim Deitati humana, humanitati divina ut largiatur.

L. cont. ser. Arian. c. 7. 8.

Idem Augustinus: *Ita planè & caro Christus, & anima Christus, & Verbum Christus, nec tamen tria hæc tres Christi, sed unus Christus. Hominem interroga, & de teipso fac gradum ad ea quæ supra te sunt, etsi nondum intelligenda, saltem credenda. Quomodo est enim unus homo, anima & corpus, sic unus Christus Verbum & homo. Ergo & de homine quære, Ubi est Paulus Apostolus? Modo si quis respondeat, In requie cum Christo, verum dicit: item si quis respondeat, Romæ in sepulchro, & ipse verum dicit. Illud mihi de anima, hoc de ejus carne respondit, nec tamen ideo duos dicimus Apostolos Paulos, &c. Ex quo consortium carnis & animæ hominis nomen accepit, jam & singulum atque separatum utrumlibet eorum nomen hominis tenuit*. Ita Christus sepultus fuit, Christus simul descendit ad inferos, Christus cœlis simul insidebat, secundùm aliud & aliud, ut ibidem subiicit, iteratque alibi. In Joann. Tract. 47. Ibid. Tr. 69. 78. & Ser. 58. de verbis Dom.

L. 5. de Inc. c. 7.

Cassianus paulò exertiùs: *Et quomodo idem ante mundi ortum, qui nuper ortus? Scilicet quia idem in homine nuper ortus, qui ante ortum omnium Deus. Et ideo Christus totum nominatur quod Deus, quia tanta est Christi & Dei unitas, ut nemo utique jam omnino possit vel Christum dicens, non Deum in Christi nomine dicere, vel Deum dicens, non Christum in Dei nomine nuncupare. Et sic unito sibi penitus per majestatem sacræ nativitatis, utriusque substantiæ sacramento, quidquid erat, scilicet homo & Deus, factum est totum Deus*. Ubi quod erat homo & Deus, factum est totum Deus, nil mirum si & in homine Deus & in Deo homo intelligitur, unique Deo tum divinæ tum humanæ proprietates infunduntur. Quò refertur & istud Fulgentii ad Ferrandum Epist. de baptismo Æthiopis: *Ideo Dei Filius non solùm secundùm veram divinitatem, quam habet de natura Patris, sed etiam secundùm carnem, quam veram naturaliter habet de corpore genitricis, Deus verus & creditur & prædicatur à nobis. Quoniam æterna divinitas Filii cum plena humanitate sua, & eadem plena humanitas Filii cum æterna divinitate sua, una est in Trinitate persona*. Nec ab his etiam abludit illud Leonis Papæ luculentum præ cæteris: *Ab illo tempore quo in B. Virginis utero Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare quod Deus est. Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam utraque natura, sed neutra se ab alterius connexione disjungit. Nihil ibi ab invicem vacat, tota est in majestate humilitas, tota in humilitate majestas. Nec infert unitas confusionem, nec dirimit* Serm. 3. de Pass.

pro-

proprietas unitatem. Aliud est passibile, aliud inviolabile, & tamen ejusdem est contumelia, cujus & gloria. Ipse est in infirmitate qui & in virtute: idem mortis capax, & idem mortis est victor.

VI. Summa rationum antè libatarũ ex Patribus.

Ergo plus satis his palam fit, ultro citroque commeare has proprietatum naturæ utriusque vices, & Dei quæ humana, hominis quæ divina sunt, non dici tantùm, sed esse. Quia nimirum una persona est Christus, cui quæ singularum partium sunt, toti tribuuntur. Quia Deus factus est homo, & quàm verè & naturaliter factus est homo, tam verè & physicè factus est quæcumque sunt hominis consectaria. Quia homo factus est Deus, & quàm verè deificatus est, tam verè omnia sibi vendicat quæ Dei sunt. Quia unum compositum & unum totum ex utroque conjugatum Christus est, & quocumque demum partis aut veluti partis sui nomine insigniatur, totum tamen intelligitur atque toti omnia adsignantur. Quia Christus una est simplex hypostasis Verbi incarnati, jure ergo illi adseruntur omnia quæ seu Verbi, seu ejusdem ut incarnati sunt propria. Quia quod fuerat homo & Deus, jam totum est Deus, atque ita Deo in hominis etiam nomine eminenti omnia adjudicantur. Quia etiam secundùm carnem, hoc est etiam in carne, Deus est Christus, & ideo etiam quæ carnis sunt, Deo donantur. Quia denique nihil ibi ab invicem vacat, totaque est in humilitate majestas, tota est in majestate humilitas: atque ita & quæ humilitatis sunt, majestati, & quæ majestatis sunt, humilitati adscribuntur.

VII. Rursus stat cõmunicatio idiomatum, quia Christus totus Deus & totus homo est, & totus utrumque, & alterutro utrumque. Naz. Or. 31.

Secundò eodem vergit quod apud sanctos Patres decantatum est, Christum & totum Deum & totum hominem esse, & totum utrumque, & in alterutro utrumque designari: ex quo fit ut & humana de Deo dicantur, quia Deus homo intelligitur: & divina de homine, quia homo Deus censetur. Athanasius in Oratione, Unum esse Christum: *Idem & patitur & servat, & per ipsam passionem victoriam parat, idem Deus, idem homo, utrumque simul velut unum, singulum velut solum*: τὸ συναμφότεροι ὡς ἓν, ἑκάτερον ὡς μόνον. Nazianzenus: *Non duo factus, sed unum ex duplici natura fieri sustinens. Ambo enim Deus, nimirum quod assumpsit & quod assumptum est.* Damascenus: *Totum Deum & totum hominem eundem totum Deum etiam cum carne ipsius, & totum hominem cum superdivina ejus deitate.* Ambrosius: *Non dividuus, sed unus, quia utrumque unus, & unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore.* Leo Papa: *Utrumque Deus de potentia suscipientis, utrumque homo de humilitate suscepti.* Et alibi: *Ubi nihil est alterius naturæ, quod non sit utriusque.* Et infrà: *Dum exaltans & exaltatus, glorificans & glorificatus ita sibimet inhæserunt, ut sive in omnipotentia, sive in contumelia, nec divina in Christo careant humanis, nec humana divinis.* Augustinus: *Utrumque Deus & utrumque homo. Sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem.* Et alibi: *Ibi totus homo: totus homo cum Verbo, & Verbum cum homine: & homo & Verbum unus homo: & Verbum & homo, unus Deus.* Si totum, si utrumque homo est, si totum & utrumque Deus est, jure illi & quæ hominis & quæ Dei cumque sunt, uni addicuntur.

Dam. L. 3. c. 7.

Ambros. de Incarn. c. 5.
Leo Ser. 3. in Nativ. & 10.

Aug. Lib. 1. de Trin. c. 7.
In Psal. 56.

VIII. Cur non inter animam & corpus eadem sit reciprocatio proprietatum. Variæ responsiones. To. 1. p. 380.

Nescio quid se offundit dubitationis ab illo exemplo animæ & corporis, quæ cùm in unum æquè coeant suppositum, non tamen ea proprietatum gaudent usura reciproca, ut vel corpus intelligere, vel anima mori prædicetur. Respondet Hugo Victorinus, id eo evenire quòd arctior sit Verbi & carnis, quàm animæ & corporis copulatio, ideoque societas amplior ineatur. *Nec caro est anima, nec anima est caro, nec homo est caro, vel anima: sicut Deus est homo, & homo est Deus, & Christus est utrumque. Quod inde contingit, quia major est unio inter Deum & hominem, quàm inter carnem & animam. Non enim anima unita carni totum quod habet per naturam confert ei, cùm ipsa non sit capax multorum quæ sunt animæ: sicut Deus unitus homini, totum se infundit ei.* Cui succinit Bernardus: *Non erraveris, Deum videlicet hominem, & hominem Deum verè catholicèque pronuntians. Non autem similiter vel carnem de anima, vel animam de carne, nisi absurdissimè prædicans, etsi similiter anima & caro unus sit homo. Nec mirum si non æquè potis anima sit, sua illa vitali, etsi non parum valida intentione connectere atque suis affectibus astringere sibi carnem, ut sibi divinitas hominem illum qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, &c. Inde est quod nec morte incidente intercidi potuit ullatenus hæc unitas, etsi carne & anima ab invicem separatis.*

L. 5. de Consid.

Responderet paulò aliter Maximus Martyr suprà relatus, etenim animam ipse inducebat ajentem, se esse vim intelligendi, se esse terram & cinerem: sed horum usus ab arbitrio hominum pendens est, qui verbis leges suo nutu & nonnunquam parùm providè præscribunt. Responderet Damascenus nec de Deitate dici posse quòd sit humanitas, nec de humanitate quod sit Deitas: imò nec de Deitate dici posse quòd sit passibilis, nec de humanitate quòd impassibilis: *Divinitatem igitur dicentes, non de illa nominamus ea quæ humanitatis sunt propria; non enim dicimus Deitatem aut passibilem, aut creatam: neque de carne seu humanitate prædicamus ea quæ Deitatis sunt propria; nam neque dicimus carnem, id est humanitatem increatam: at verò de hypostasi, sive hanc ex utraque, sive ex alterutra natura eam nominemus, utriusque naturæ proprietates prædicamus.* Et infrà: *Naturam Verbi passam carne nondum nunc usque audivimus: at Christum carne passum edocti sumus, &c. Quod Deitas homo facta sit, aut incarnata, aut inhumanata, nullo modo audivimus: at quod Deitas unita sit humanitati in unam suarum hypostaseon, dicimus.* Jam ergo discriminis nihil superest. Et quidem paulò alieniores fuere antiquiores è Patribus ab hac vocum scrupulositate, & promiscuè non Deo tantùm, sed ipsi etiam Deitati incarnationem passionemque tribuerunt: sed ita tamen ut & ipsi nonnunquam hanc eandem vocum diligentiam ut necessariam usurparent. Augustinus de Maria Deipara: *Quia ergo non erat illa mater divinitatis, &c.*

Ibid. c. 11.

In Ev. Joan. Tract. 8.

IX. Rursũ constat hæc cõmunicatio, quia & quæ carnis sunt, Verbi jam propria sũt, & carnis nomine Christus ipsumque Verbum intelligitur.

Tertiò eodem redit quòd caro per inhumanationem fiat propria Verbi, nec sua jam sibi sit, nec sui juris, sed in ejus Verbi & nomen & authoritatem transcribatur. Hoc enim ita perfecto & præfinito, jam de Verbo prædicantur quę carnis sunt, quia quæ carnis sunt, jam carnis non sunt, sed Verbi, cùm nec ipsa caro sua fit, sed Verbi. Cùm autem de carne prædicantur quæ sunt Verbi, carnis nomine non mera caro, sed Verbum incarnatum intelligitur, atque ita ipsius carnis nomine Verbum innuitur, & suis ornamentis decoratur.

Athanasius: *Cum edentem, esurientem, nascentem illum referunt sacri Scriptores, &c. feruntur ista de Deo: quandoquidem corpus illud quod comedebat, quod nascebatur, quod patiebatur, non alterius cujusquam, sed Domini erat.* Et alibi: *Ut enim hoc proprium ejus corpus, ita & corporis passiones, ipsius passiones appellantur, etsi eæ non pertingerent ad divinitatem. Nam si id corpus alterius fuisset, passiones quoque alterius dici debuissent. Sin autem contra, Verbi erat ea caro, Verbum enim caro factum est, necesse est passiones carnis ejus quoque dici, cujus est illa caro.* Cyrillus Alexandrin. Dialogo Quòd unus sit Christus: *Deus carnem passibilem induit, eamque propriam suam declaravit, ita ut ipse diceretur pati. Nec enim alterius cujusquam, sed suum ipsius corpus passum est.* Et alibi: *Ergo passio dispensationis erat, sua quidem ducente Deo Verbo,*

L. de Incar.

Orat. 4. cõt. Arian.

Scholia de incar. c. 28.

Verbo, quæ sunt propria carnis, &c. Nec id mirum, cùm ipsam hominis animam videamus, si quid corpus passum fuerit, extra passionem quidem manentem quantum pertinet ad naturam suam; attamen non extra passionem esse intelligi, eo quod proprium sit corpus ipsius quod patitur, &c. Et rursum alibi: *Cujus est corpus proprium, jure illi etiam omnia quæ sunt corporis, solo excepto peccato tribuuntur.* Et rursum alibi, passiones corporeas Verbi ait esse per appropriationem dispensatoriam κατ᾽ οἰκείωσιν οἰκονομικὴν, eo quòd Verbum sibi voluerit & corpus & corporis passiones appropriare, ἰδιοποιεῖσθαι. Nec enim potest suum facere corpus, quin adglutinatas corporis passiones in se transcribat. His subscribit Augustinus: *Sicut enim nos qui ex anima & corpore constamus, cùm simus invisibiles secundùm animam, visibiles autem secundùm corpus, omnia quæ visibiliter sive honoris & beneficiorum accipimus, sive contumeliæ vel injuriæ patimur, ad animam quæ invisibilis est, tanquam ad principem necesse est ut referamus, quia ipsa corpori principatur. Nam & cum simus secundùm animam immortales, cum mortui corpore fuerimus, nos mortui dicimur. Ita & Dominus secundùm carnem & contumelias passus & vincula, &c.* Ergo id quod principatur, cætera sibi vendicat & sua facit, seu Deus in Christo, seu anima in homine.

Epist. ad Valer.

In Apol. Anathem. 12. contra Orientales.

L. de fide cōtr. Manich. c. 26.

x. Item quia conjuncti velut instrumenti omnia Verbo vendicātur.

Quartò, quia humanitas Verbo ut instrumentum conjunctum accessit, ab eoque agitur & gestatur, hinc rursus quæcumque carnis sunt, Verbo ut principanti omnium causæ tribui necesse est. Athanasius: *Cùm esset Deus, proprium quoddam corpus cepit, eoque ut organo utens, homo factus est propter nos. Ideoque quæ propria sunt carnis etiam de illo referuntur, nimirum quia in carne consistebat, qualia sunt esurire, sitire, pati, &c. Quin & ea opera quæ sunt propria Verbi, qualia sunt mortuos excitare, cæcis visum refundere, hæmorrhoissam sanare, ea quoque omnino corporis ministerio peragebantur. Et quemadmodum Verbum carnis infirmitates bajulabat ut suas, neque id mirum, erat enim caro ipsius: ita rursus cum caro suo ministerio divinitatis operibus inserviebat, illa opera in carne fiebant, quia caro illa erat corpus Dei.* Et ita sanè conducebat inferi Deum humanis, hominem divinis operibus, ut cum Deo homo usquequaque coalesceret: *Nisi enim opera Deitatis Verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo deificatus esset: rursum nisi quæ propria sunt carnis, Verbi dicerentur, nunquam ad plenum homo ab illis liberatus fuisset.*

Orat. 4. in Arian.

xi. Item quia immeat natura naturam.

Quintò, ex immeatione naturæ alterius in alteram proficiscitur ista proprietatum reciprocatio. Id eadem opera sancti Patres & persuadebunt & elucidabunt.

In Jo. p. 711.

Cyrillus: *Quemadmodum enim carbo natura lignum est, & alioqui totus per totum igne plenus est, ejusque vim & efficaciam habet: sic & Verbum ignis existens ut Deus factum est caro, & habitavit in nobis &c. & per suam carnem Deo dignissimas habere cernitur operationes.* Et idem rursus: *Cæterum tanquam in imagine licet in carbone conspicere unitum quidem humanitati Deum Verbum, non tamen abjecisse quod est, sed potiùs transformasse assumptam seu unitam naturam in suam gloriam & operationem. Quemadmodum enim ignis ad lignum accedens & in id penetrans, comprehendit quidem ipsum: & quamvis à ligni statu ac natura non excellat, tamen speciem illius viresque transmutat, & in eo quidquid sibi proprium est operatur, & cum ipso jam quasi unum aliquid æstimatur, idem intellige & in Christo. Unitus enim ineffabiliter humanitati Deus, servavit quidem ipsam in eo quod est, & ipse permansit quod erat: ipse tamen semel unitus, quasi unus jam cum ipsa putatur, ea quæ sunt illius, sua faciens, conferens autem ei etiam ipse naturæ suæ operationem.* Vides quàm expressè insinuationem substantivam Dei in humanitatem, substernat huic idiomatum communioni. Et rursum: *Commiscuit se nobis Deus Verbum, &c. Commixtus nobis factusque homo omnes infirmitates nostras gestavit, & ipse passus esse censetur, cum omnes templi quod inhabitavit, proprietates sibi vendicasset.*

Scholia de Incar. p. 783.

Thes. pag. 115.

Damascenus nihilo obscuriùs: *Hoc miraculis claret, illud injuriis subjacet. Et quæ humana sunt, Verbum sibi attribuit ac peculiaria facit. Nam ipsius sunt ea, quæ sanctæ ipsius carnis sunt, & tradit carni suæ, secundùm alternæ attributionis modum, propter naturarum in se invicem immanentiam, & hypostaticam unitionem.* Damascenus ergo istam proprietatem ἀντίδοσιν ait fieri διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν, id est, propter naturarum mutuam immeationem. Et infra: *Hic est modus τῆς ἀντιδόσεως, utraque natura vicissim alteri communicante quæ sua sunt, propter hypostaseos identitatem, & ipsarum in invicem immanentiam ac insessionem.*

L. 3. c. 14.

Leontius Byzantinus: *Ut Verbi gratia in lampade licet cernere, aliud enim est lucerna, aliud rursus substantia ignis flammea; inter se autem & in seipsis unita, unam faciunt ambo lampadem. Ut si quis dicat, etsi durum videatur, ignis est ligneus & lignum igneum: & hoc quidem participavit splendorem ignis, ille verò, id est ignis terrenam crassitudinem ex fæce: & alterum alteri reddidit vicissim idiomata, cum ambo alioqui in proprietate sua, fixa & non confusa permaneant.*

L. 1. contra Nest. & Eut. Bibl. Patr. To. 4. par. 2. pag. 969.

Theodorus Presbyter: *Proprium est naturæ Dei Verbi quæ assumpsit naturam humanam, esse Filium Dei: proprium vero naturæ assumptæ, esse Filium hominis. Commixtis ergo & immeantibus his naturis in invicem, commiscentur immeantque similiter in invicem & voces, & fiunt ambæ unus Filius Dei simul & hominis.*

L. de Incar.

Nyssenus: *Illa excelsa & Deo decora nomina in hominem descendunt. Ita ut Dominus gloriæ is qui in cruce visus est, nominetur, propter temperationem naturæ ipsius cum eo quod est humile, & quod gratia nominum ex divino ad humanum transeat.*

Orat. 5. adv. Eunom. Orat. Catec. c. 25.

CAPUT XV.

Communicatio idiomatum non logica tantùm sed physica, ex natura alterius in alteram immigratione, an possit, & qualis possit constitui.

I. Censura rationum superiori capite prolatarum pro communicatione hac stabilienda.

Quas capite superiori exploravimus radices alternæ idiomatum communicationis inter utramque Christi naturam, non omnes æquè se porrigunt. Nam quod instrumentum sit Deitatis humanitas, ideoque divinorum etiam operum gloria adornetur, id quidem oppidò magnificum est, & latissimè patet, non tamen tam latè se fundit, quàm ista proprietatum communicatio. Sunt enim divina quædam opera, in quæ nullus hujus instrumenti usus est. Sunt & divinæ proprietates, æternitas, immensitas, invisibilitas, quibus illuminatur homo Christus, & ab his tamen tota ratio instrumenti alienissima est. Rursus quod naturæ sibi commisceantur inconfusè, ne id quidem valere universim potest, ut alterna & omnimoda fiat proprietatum refusio. Nam etsi immeet, immergetque divina natura in humanam, non vicissim tamen humana in divinam. Capabilis enim est Deitas, non humanitas; capax est humanitas, non Deitas. Permeare ergo illa potest, hæc permeari, non vicissim. Et tamen tam humanæ Deo, quàm divinæ homini proprietates impartiuntur. Præterea peculiares sunt quædam proprietates Deitatis, quæ vix ac nec vix quidem communicari posse cum humana natura videntur per hanc penitissimam insinuationem. Quod enim homo Christus prædicatur creator rerum omnium, æternus,

ternus, incommutabilis, immensus, independens, num id eo fiet, quod hæ Deitatis opes infundantur humanitati, illam imbuant & forment? Minimè gentium. Nam nec istæ dotes capitales sunt humanitati, nec humanitas earum capax. Ergo ex his perspicuum fit, non posse ullum generali proprietatum utriusque naturæ communicationi substerni fundamentum, quàm personæ, seu hypostaseos unitatem.

II. Immeationi naturarú plus æquo indulserunt aliqui, ideò à fide devii.

Expendetur alibi opportuniùs ratio instrumenti, & inde redundans in Christum hominem gloria. At quod nonnullam saltem adscripserint sancti Patres communicationem idiomatum immeationi mutuæ naturarum, in id nunc incumbendum est tantò studiosiùs, quod hinc bacchandi & ab Ecclesiasticæ fidei regula evagandi occasiones venati sunt complures nuper avitæ Theologiæ desertores. Ita enim omnem divinitatis opulentiam infuderunt humanitati susceptæ, ut tum cætera, tum ipsam etiam immensitatem & omnipræsentiam ei affingerent, ex quo & Ubiquistarum nomen atque infamiam sibi asciverunt.

Ergo media hìc carpenda via est, abruptis hinc & inde hallucinationum errorumque hiatibus interjecta, ut & Patrum doctrinæ, & fidei orthodoxæ cautum sit, & naturarum Christi mutua immigratio, mutua naturalium proprietatum communicatio, nec tollatur funditus, nec ultra lineas effundatur.

III. Immeationi naturarum prolixè astipulâtur Patres Græci.

Primò ergo insinuari penitissimè Deitatem humanitati, & ita illam suis dotibus irrigare, suis proprietatibus imbuere, suis nominibus, quantum fieri potest, ornare, palam faciunt comparationes, quibus illi omnes utuntur antiquissimi Incarnationis interpretes. Nyssenus: *Quomodo ignis videtur in lucerna subjectam apprehendere materiam, &c.* Et rursum: *Atque omnia quæcumque in Deo Verbo piè considerantur, etiam in assumpto à Verbo faciens. Ita ut non per divisionem peculiariter in utroque hæc videantur esse, ut si quis dicat aceti guttam vasto mari immixtam, per hujusmodi mixtionem maris qualitates induisse, quia non amplius secundum naturam hujus liquoris qualitas in immensitate præpotentis immaneat.* Et rursus idem: *Primitiæ humanitatis, quas jam omnipotens divinitas assumpsit, ut dixerit quispiam apta similitudine usus, tanquam aceti gutta quædam immenso mari admixta, sunt illæ quidem in divinitate, non tamen in peculiaribus suis proprietatibus.*

Orat. Catec. c. 10.
Orat. 4. cōt. Eunom.

Nazianzenus: *Quem exultationis oleo præ consortibus suis perfudit, cum humanitatem divinitate unxit, ut faceret utraque unum.* Instar olei ergo Deitas illapsa est humanitati.

Orat. 5.

Basilius: *Sed quomodo in carne divinitas? Quemadmodum ignis in ferro, non ex progressu, sed ex partitipatione. Non enim in ferrum ignis currit, aut accedit, verùm in loco remanens, suarum particeps virium ferrum reddit: cumque totum se illi communicet, nihil propterea de sua natura, nihil de suis viribus amittit. Sic & Deus Verbum cum nostram accepit humanitatem, &c.* Et ibidem paulò post: *Quomodo inquis Deus Verbum humana fragilitate non est correptus, aut inquinatus? Facilè respondemus. Sicuti & ignis de ferri proprietatibus nihil recipit. Nigrum quidem ferrum ac frigidum est, attamen ignitum ac candens, ignis formam subit. Et quanquam ex eo splendens, ignem tamen sua nigredine non inficit: itemque inflammatum, flammam non frigefacit. Sic humana Domini caro particeps divinitatis facta est, non divinitati propriam fragilitatem impertiit.* Et ibidem illicò: *Ob hoc Deus in carnem venit, ut instam carni mortem interficeret. Nam sicut venenorum antidotum corpori permixtum ac perfusum, omne superat noxium ac lethale: itemque ut in domo aliqua tenebræ luminis adventu diffugiunt ac pereunt, sic mors in natura dominans humana, divinitatis præsentia disparuit.* Quæ intimior usquam penetratio vel fingendo cogitari optarivè potest, quàm ignis in ferrum, medicamenti in corpus, lucis in domum? Nec penetratio tantùm, sed adglutinatio, & informatio, proprietatumque meliorum effusio. Et rursum Basilius: *Carbonem quem forcipe tulerat de altari, &c. Carbones nominantur, tunc cum floridus ille flammæ aspectus pertransiit, & ignis versatur circa concretionem crassioris materiæ. Fortè igitur figuratè innuit Christi adventum in carnem. Verbum enim caro factum est. Et caro hæc Deitatis illustrationem excipiens, juxta id quidem quod erat corporeum, sensibilis erat: secundum vero unionem ejus cum Deo, pellucida erat & effulgens.* In c. 6. Isai.

To. 1. ho. 14.

Cyrillus Alexandrinus: *Ut carbo natura lignum est, & alioqui totus per totum igne plenus est, ejusque vim ac efficaciam habet: sic & Verbum ignis existens ut Deus, factum est caro, & habitavit in nobis.* Et alibi: *Animam humanam posteaquam sibi propriam reddidisset, suæque naturæ firmitate ac immutabilitate, perinde ac vellus colore, imbuisset, peccato superiorem declarat.* Et rursum: *Dicitur carboni similis, propterea quod ex duabus ac dissimilibus rebus intelligitur, sed ita secundum veritatem convenientibus, ut in unitatem propemodum conjungantur. Ignis enim ubi lignum penetrarit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato quod erat.* Et denuò: *Si ignis hic sensibilis vim suæ naturalis operationis in materias immittit, ad quas accesserit, adeo ut aquam ipsam tametsi natura sua frigidam, ad qualitatem quæ præter naturam ipsius est, transferat, & calidam faciat: quid mirum, si cum vita secundùm naturam sit Verbum, carnem suam vivificam reddidit?*

In Ev. Joan pag. 711.
L. de recta fide, pag. 17.
L. 2. contra Nest.
Ibid. L. 4.

Maximus Martyr: *Quo ipse sit Deus & homo, quemadmodum ignis in materia, lucem præbens iis qui ad lucem accedunt, ita ut neque à materia segregetur, qui cum unitus est, nec materia ipsa consummatur, sicut nec rubus ille, cujus fit mentio apud Mosen*. Et denuò: *Et quemadmodum cauterium animadverto ignem simul & ferrum, ita Jesum intelligo esse Deum inhumanatum.* Et rursus: *Veluti si quis cogitatione concesserit Solem per lucernam & in lucerna suam lucem emittere, non sunt duæ luces. Nec enim lucerna ut altera lux Soli opposita splendet, sed splendet Sole in ipsa & per ipsam splendente & ipsi lucernæ dominante, eamque ut sibi propriam vendicante, adeo ut Sol etiam accipiat ipsius lucernæ nomen: ita etiam Deus Sermo in eo quod est rationis particeps, & per animal ratione præditum exerens, facit pro sua bona voluntate animal, supra quàm ferat propria animalium natura, perfectum, neque tamen prohibet, quo minus sit animal ratione præditum.*

Dial. 5. de Trin.
Dialog. 4.
Dialog. 5.

Leontius Byzantinus ex libro 3. Justini Philosophi & Martyris de Trinitate, ut jam tum vulgari errore circumferebatur, hæc luculentissima decerpsit: *Sicut post unionem primi luminis cum corpore Solis, nullus jam ea dirimere poterit, neque Solem vocabit per se separatim, neque rursum lumen disjunctè, sed unus Sol & unum lumen dicitur: Sic in verò lumine & in sanctissimo corpore, nemo poterit dicere post unionem hunc quidem separatim Filium, scilicet Deum Verbum, hoc verò, scilicet hominem non Filium: sed potius unum & eundem in utraque natura intelliget, sicut unum lumen & unum Solem, lumen susceptum & corpus quod lumen suscepit. Rursum sicut unum quidem lumen & unus Sol, naturæ verò duæ, una quidem luminis & altera corporis Solis: Sic etiam hìc, unus quidem Filius, qui est Dominus, & Christus & unigenitus; naturæ verò duæ, una supra nos, & altera nostra. Et rursus sicut operationem luminis quatenus lumen est, nemo separabit à corpore ipso lumen recipiente; si vero ratione separet, agnoscet naturam cujus est propria operatio: sic in uno Filio Dei omnem operationem nemo se-*

L. 1. contra Nest. & Eut.

mo separabit ab una Filiatione: à natura verò cui est cognatum quod sit, ratione separabit. Hæc author ille perantiquus.

L. 3. c. 8. & 17. Damascenus: *Timeo carbonem tangere propter ignem ligno conjunctum: adoro Christi simul utrumque, propter divinitatem carni conjunctam.* Et infrà: *Caro deificata dicitur, non secundum transmutationem, sed secundum dispensatoriam unionem, secundum hypostasin inquam inseparabiliter unitur, & secundum mutuam in invicem naturarum ingressionem, quemadmodum dicimus fieri ignitionem, &c. Nam perinde atque ignitio non transmutat igniti naturam in eam quæ est ipsius ignis, sed ostendit quod ignitur & quod ignit; & non unius, sed duorum est ostensiva: ita & deificatio non unam naturam constituit compositam, sed duas, & unionem secundum hypostasin.*

IV. Summa eorum doctrinæ. Hac tanta exemplorum vi expugnabitur, ut spero, naturam inferiorem à potiori, à divina humanam non attingi tantùm & extrinsecè aut perfunctoriè inaurari, sed intimè perfundi, ac permeari, vegetari imbuique divinis dotibus, quantum natura creata increatas potest opes viresque combibere. Id enim principaliter efficiunt hæ comparationes, & in eum scopum destinantur. Ita enim aceti gutta immenso mari infusa, sapore maris inficitur: ita quod inungitur, unguenti odore ac succo penetratur: ita ferrum ignis ardore ac luce candescit, inflammaturque: ita corpus antidoti vi ac liquore penitissimè imbuitur: ita carbo igni hausto rutilat & ardet: ita vellus murice inficitur: ita aqua fervida ignis haurit proprietates: ita lux minuscula solari lumine inebriatur, eique jam commixta non apparet: ita lumen primigenium solari corpori postea infusum, illud lucis suæ majestate penitùs, & non extrinsecùs tantùm decoravit. Prætereà testantur plerique horum Scriptorum, eo animo hæc à se exempla proferri, ut in divinas proprietates naturam humanam sublimari demonstretur. Ad hæc expresse profitentur, non reciprocam ubique esse hanc proprietatum communicationem: lucescit enim fervetque ferrum ex illapsu ignis, non vicissim ignis nigrescit frigescitque ex ferri conjugio: & in cætera quoque exempla id valet, ut natura superior suas inferiori vires inspiret, non ejus autem ægritudinibus ipsa afficetur: & ad eum modum majestate Deitatis physicè imbuatur humanitas, non autem infirmitate humanitatis Deitas inquinetur.

V. Favent & Patres Latini. Nec parciores horum exemplorum fuere Latini nostrates. Augustinus: *In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis, in hac persona mixtura est Dei & hominis, si tamen recedat author à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam: quanquam & in ipsis corporibus, aeri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis mixtura est animæ & corporis, persona autem Christi mixtura est Dei & hominis.* (Epist. 3.) Subdit, cùm incorporea sit anima, incorporeumque multò magis sit Dei Verbum, *per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio, quàm animæ & corporis.* Gregorius (Hom. 1. in Ezechiel. Et hom. 8.): *Quid electri specie nisi Christus designatur? Electrum quippe ex auro & argento est. In electro dum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit. Illud ad claritatem proficit, hoc claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio natura divinitatis unita est natura nostra, in qua adunatione humanitas in majestatis gloriam excrevit, divinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, &c.* Alcuinus (L. 6. contra Felicem.): *Si cognovimus Dominum Jesum Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus. Quasi qui dicat: Etsi cognovimus lanam, priusquam admixtione sanguinis conchylii fieret purpura: sed nunc jam non cognovimus lanam, sed purpuram, quæ, &c.* Et idem rursum (L. 4. contra Elipandū.): *Si calix ex auro argentoque fabricatur in ministerium altaris sancti, in quo sacramenta salutis nostræ spiritali benedictione conficiuntur, ita tamen ut aurum in suæ naturæ permaneat fulgore, & argentum proprio candore locis opportunis circumfingat auri fulgorem, &c.* Illa præ cæteris urgenda hoc loco est mixtura corporis & animæ, ab Augustino sæpiùs inculcata, & multò major auguranda atque intimior incorporei Verbi & animæ incorporeæ. Hìc planè inanis erit verborum strepitus, si extimitus tantùm contingit natura divina humanam, & non ingreditur, non insidet, non afficit, informatque illam ulla suarum virium, id est, sui ipsius infusione.

VI. Rursus sancti Patres commixtionem naturarum statuunt Græci primò. Secundò commisceri, contemperari, & penè fermentari naturas ipsas sanxerunt sancti Patres. An ergo hæc extrinseca tantùm formatio est? Unam illi deprecati sunt naturarum confusionem aut mutationem, aut utriusque naturæ in unam naturam concretionem: at proprietatum melioris naturæ in sequiorem, opumque divinarum inundationem in humanitatem, id verò evincere omni contentione pugnarunt. Irenæus: *Qui semper humano generi adest, adest unitus, & consparsus suo plasmati, & caro factus est.* (L. 3. c. 18. 21.) Et infrà: *Filius hominis factus est commixtus Verbo Dei.* Et alibi: (L. 4. c. 17.) *Per quem commixtio & communio Dei & hominis facta est.* Nazianzenus carmine de vita sua: ὡς τὴν πρὸς ἡμᾶς τοῦ Θεοῦ λόγου κρᾶσιν &c. οὐχ ὡς προφήτης, &c. ἀλλὰ σωθεὶς ὥσπερ αὐγαῖς ἡλίου, &c. (Carm. 1.) Et rursum: καινὴ δ' ἔπλετο μίξις. Et alibi: *Huc assumpta caro, hinc nova illa* μίξις, *Deus & homo.* (Carm. 1.) Et rursum: *Quod meum erat accipiens, quod suum est mihi largiatur per novam hanc* ἀνάκρασιν. (Orat. 1.) Et denuò: *Deo copulari, & fieri Deum* ἐκ τῆς μίξεως. (Orat. 24. Orat. 36.) Et alibi: ὦ τῆς καινῆς μίξεως, ὦ τῆς παραδόξου κράσεως. (Orat. 38. Orat. 39.) Et rursum: διὰ τοῦτο τὰ ἄμικτα μίγνυται. (Orat. 5.) Rursum: τὰ γὰρ ἀμφότερα ἐν τῇ συγκράσει. Et infrà probans multò æquiùs animam, quàm carnem Verbo misceri & fermentari: *Si lutum fermentatum est, ò sapientes viri, ac nova conspersio extitit, imago ipsa non fermentabitur, & cum Deo temperabitur, per divinitatem deificata?* Athanasius: *Primitias nostras circumamictus, eisque* ἀνακραθείς. (Athan. Or. 5. cont. Ar.) Nyssenus: *Benevolentiæ causa, carni, & sanguini* κατακίρναται. (Nyssen. ho. 15. in Cant.) Et oratione in hæc verba, Tunc ipse Filius subiicietur, &c. *Ex omni humana natura cui divinitas admixta fuit.* Et infrà: *Oportebat carnem per suam cum Verbo* ἀνάκρασιν, *id fieri quod Verbum est.* Et libro de anima: *Valdè novus hic mixtionis ac unionis modus, miscetur & manet usquequaque immixtus ac inconfusus.* Et infra: *Dicitur apud nonnullos, & potissimum Eunomianos, unitum esse Deum Verbum corpori non secundum essentiam, sed secundum utrasque facultates. Non enim substantias unitas aut mixtas esse contendunt, &c.* Et idem rursum: *Sic quod humanum est, cum Deo commixtum est, &c.* Et infrà: *Ut integrum Dei hominem redderet, anima & corpore ad Deitatem* ἀνακραθέντα, *&c. Animam propterea sanctificat per* ἀνάκρασιν *ad seipsum, ut per primitias totam sanctificet massam.* (Or. 1. cont. Eunom.) Possem ex eodem uno sexcenta alia his adferre similia, nisi pigeret me puderetque tantæ copiæ. Cyrillus Alexandrinus: *Unus enim Christus ex humanitate & Deo Verbo* κεκερασμένος. (Thes. p. 197.) Damascenus: *Omnibus quidem rebus infusus est Deus ut continens naturam: sanctæ autem carni Deus Verbum secundum hypostasin unitus est & commixtus inconfusè ad id quod nostrum est.* (L. 1. Orth. fid. c. 18. L. 4. c. 19.) Et rursum ait quòd humiliatio, exinanitio, pauperies *dicuntur de Verbo Deo ex admixtione ad humanitatem.* Et infrà: *In his omnibus mixtio est divinitatis ad humanitatem.* Et alibi denique: *Ex quo Deus Verbum inconfusè ad id quod nostrum est, contemperatus est, & sine mutatione carnem deificavit.* Affatim est Græcorum. (Orat. 1. de Imag.)

VII. Item Latini. Latini nihilo parciùs hanc utriusque naturę mixtionem inculcarunt, & erumpentem inde proprietatum

tatum communicationem, quantam naturæ increatæ infinitas, creatæ tenuitas finit. Tertullianus: *Agnoscunt hominem Deo mixtum, & negant hominem*. Et alibi: *Nascitur homo Deo mixtus*. Novatianus: *Ut divinitate sermonis in ipsa concretione permixta, etiam Deum illum secundùm Scripturas teneamus*. Et infrà: *Hic est enim legitimus Dei Filius qui ex ipso Deo est, qui dum sanctum istud assumpsit, & sibi Filium hominis annectit, & illum ad se rapit atque transducit, connexione sua & permixtione sociata, præstat & Filium illum Dei facit, &c.* Et rursus: *Ut dum Filius hominis adhæret in nativitatem Filio Dei, ipsa permixtione fœneratum & mutuatum teneret, quod ex natura propria possidere non posset, &c. Atque ideo Christum ex utroque connexum, ut ita dixerim, ex utroque contextum atque concretum, &c. Cum ergo tam ex eo quod Deus est, quàm etiam ex illo quod Deus est, Christus intelligatur esse permixtus, &c.* Cyprianus: *Deus semper cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est*. Hilarius: *Ut homo factus ex Virgine, naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem, &c.* Augustinus: *Quippe Dei Verbo ad unitatem commixtus est homo, &c.* Et infrà: *Quippe Verbo Dei ad unitatem personæ copulatus & quodammodo commixtus est homo*. Cassianus ex Leporii palinodia ad Episcopos Gallicanos scripta, hæc exscribit commendatque: *Non tamen quia incarnatus dicitur & immixtus, diminutio est accipienda substantiæ: novit enim Deus sine sui corruptione misceri, & tamen in veritate misceri*. Paulinus Nolanus Episcopus in carmine de Celso puero: *Advenit & fit homo, & mixtum, perfectus utroque, ostendit fragili carni inesse Deum*. Leo Magnus: *Non ita ut ille habitator & illa habitaculum esset, sed ita ut naturæ alteri altera misceretur*. Et alibi: *Ita ut naturæ carnis immixtus Dei Filius*. Qui tamen confusionem deprecatur alio loco: *Ea tamen ipsa quæ inseparabiliter facta sunt, nulla commixtione confundimus*. Prosper in carm. de Providentia, sive quis alius ejus author:

Qui cum Patre Deo semper Deus, inque paterna
Majestate manens, miscetur conditioni
Humanæ, & Verbum caro fit
Qui se mihi miscuit in se.

Et carm. de Ingratis:

Ut nos insereret summis, se miscuit imis.

Claudianus Mamertus hæc admiratur & exscribit Eucherii verba: *Quærere quidam solent, quomodo in Christo misceri potuerit homo & Deus, &c. Ut fieret Christus, duo illa incorporea, id est, anima & Deus, facilius conjungi permiscerique potuerunt, quàm miscetur una incorporea, aliaque corporea, id est, anima & corpus, ut persona hominis existat*. Chrysologus: *Quia humanitati permixta Deitas, Deitati consociata pietas, miscuit hominem & Deum*. Et alibi: *Audistis inaudita ratione in uno corpore Deum hominemque misceri*. Vigilius: *Carnis naturam ita per suscipientis commixtionem, in Verbi transisse personam, &c. Quam carnem in sacræ Virginis utero, ineffabili societatis permixtione ita sibimet adunavit, ut Verbum homo, & homo Deus fieret, &c. Usque adeo ostendere voluit, nostri generis naturam per commixtionis individuam unitatem non fuisse consumptam, &c.* Alcuinus: *Archangelus verbum auribus infudit, Deus se membris miscuit humanis*. Agobardus Lugdunensis Episcopus adversus Felicem scribens, suprapositа descripsit verba Vigilii. Bernardus sæpissimè ingeminat hanc mixtionem animæ & limi in hominem, Dei & hominis in Christum, & tandem concludit: *Ex Deo & homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusæ sunt autem & commixtæ hæ duæ species in utero Virginis tanquam in mortariolo, sancto Spiritu tanquam pistillo illas suaviter commiscente*. Vide & Sermonem 2. in Nata-

Lib. de Carne Christi. In Apolog. L. de Trint. L. de Idol. van. L. 2. de Trin. L. 4. de Trin. c. 13. 20. L. 1. de Incarn. c. 5. Ser. 3. de Na. Serm. 4. de Epiph. Serm. 15. de Passione. L. 1. de statu animæ, c. 19. Serm. 5. 148. L. 1. L. 6. cont. Felic. Ser. 3. in Vigil. Nativit.

li Domini de tribus mixturis, ubi hoc ipsum ex instituto molitur. Et denique: *Unus Christus unaque persona, Verbum, anima & caro etiam mortuo homine perduravit. In utero Virginis, ut sentio ego, commixtio hæc & fermentatio facta est, & ipsa mulier quæ miscuit ac fermentavit.* (L. 5. de Consid.)

VIII. Hinc ingens proprietatũ cõmunicatio conjicitur.

An conjuratus iste Patrum senatus nugas agit, & commixtionem ad nauseam usque inculcat, hanc vocem amat, hanc osculatur, hanc frequentat identidem, cujus significationem execratur? Nam si naturæ non permiscentur, si non concrescunt inconfusè, si non fermentantur, si quod in permixtione solenne est, inferiorem superior non format, non suis viribus imbuit, quo illa mixtionis tam fastidiosa iteratio? Deinde quid mixtione velint intelligi, satis & super declarant, cùm naturas etiam concrescere, etiam fermentari, veluti pistillo contundi & ita permisceri ajunt. Ad hæc cùm ita misceri ajunt ut anima miscetur corpori, imò tantò penitiùs, quantò incorporea sibi mutuò quàm corporibus libentiùs altiùsque illabuntur, nugatoria est ista jactantia, si anima corpori vitam, motum, sensum, & omnem denique suarum opum copiam infundit, at Deitas humanitati extimitus tantùm, ut ita dicam, sese affricat & obducit. Media ergo terenda est via, ut nec cum ubiquistis immensitatem divinam naturæ Christi humanæ affingamus, nec extrinseca tamen duntaxat copula humanitatem Verbi adunemus.

IX. Rursus in hac quoque mixtione Patres locarunt unionem personalem.

Tertiò, in hac quoque naturarum immeatione constituerunt sancti Patres hypostaticæ unitatis consibulationem. Ita enim hominem Deitate perfundi imbuique medullitus sanxerunt, ut deificaretur. At quæso te, quò istud demum recidit, si delibat tantùm Deitatis humanitas superficiem, si attingit illam tantùm & terminat, si extrinsecùs tantùm format & sustentat? Excute quæ corrasa sunt ex Patribus superiùs, sive dum comparationes referimus, sive dum mixtioni suffragamur, perspicies manifestè in hac quoque mixtione vim unitatis personalis locatam ab illis esse. Ad cumulum tamen aliqua insuper adjiciam. Nazianzenus: *Perfectus autem non modò propter divinitatem, qua nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem divinitate inunctam, & effectam idem quod id à quo uncta est, atque ut audacter loquar, ὁμόθεον, id est, simul Deum*. Gregorius Nyssenus: *Nos equidem etiam corpus quo passionem suscepit, divinæ naturæ contemperatum, illud factum esse per contemperationem dicimus, quod quidem est natura quæ assumpsit*. Et alibi: *Atque nunc quidem est in nobis contemperatus qui naturam continet in essentia, tunc autem cum nostra natura commixta fuit divinitas, & in ea naturæ nostræ cum divina commixtione, nostra effecta est divina*. Damascenus: *Unitæ sunt igitur naturæ secundùm hypostasin, & in se invicem insessionem habentes, inconfusè unitæ sunt*. Et infra: *Sicut ait Gregorius Theologus, Quorum hoc quidem deificavit, illud verò deificatum est, ausim & dicere ὁμόθεον, id est, simul Deum: & hominem fieri eum qui ungit, & Deum eum qui unctus est: hæc enim non secundùm transmutationem, sed secundùm dispensatoriam unionem, unionem, inquam, secundùm hypostasin, secundùm quam inseparabiliter Deo Verbo unitur, & in se invicem naturarum ingressionem, sicut dicimus ferri ignitionem*. Et rursus idem alibi: *Sicut gladium flammeum non audeo attingere, non propter ferri, sed propter ignis illi uniti naturam: sic Filium Dei Verbum carni conjunctum veneror*. Et rursum: *Quemadmodum in sancta Trinitate tres personæ inseparabiliter simul & inconfusibiliter uniuntur: inseparabiliter quidem propter naturæ unitatem, & quod in se invicem sine confusione immaneant: inconfusibiliter verò propter personarum differentiam, sive existentiæ modũ, ingenitum, inquam, ac genitum, &c. Sic etiam se res habet in Verbi Dei incarnatione, in qua duæ natu-* ræ

Orat. 42. Ora. 4. con. Eun. Orat. Catho. ch. c. 25. L. 3. c. 8, 17. L. de duabus Christ. voluut. Orat. cont. Acephalos.

ræ inseparabiliter simul & inconfusibiliter unitæ sunt : inseparabiliter quidem propter personæ unitatem, & in se invicem inconfusam naturarum im- Orat. 1. de Imag. *mansionem, &c.* Et alibi : *Ex quo Deus Verbum caro factus est, & inconfuse commixtus nostræ naturæ, carnemque sine immutatione deificavit, per mutuam in invicem Deitatis ejus & carnis ejus inconfusamque immigrationem.* Cui non persuasissimum est, formam illam qua humanitas deificatur, non illinendam illi perfunctoriè esse, non juxta, non in superficie apponendam, sed insinuandam medullitus, ut intrinsecè homo Deus sit, non quasi fuco gloriæ hujus oblinatur? Quò illa fastidiosiùs ingesta naturarum immigratio atque immansio, nisi ut venas humanitatis interiores Deitas pervadat & formet? Denique hæc infessio mutua naturarum non per ludibrium componitur infessioni personarum divinitatis reciprocæ, sed hinc quàm sancta, quàm intima sit, & quantæ communionis origo aut derivatio, declaratur.

IX. Rursum, sola Deitas capax, natura nostra capabilis. Hinc quoque efficacitur communicatio aliqua.

Quartò, huc refer quæ alibi prolixè disputata sunt tum ex aliis, tum imprimis ex Didymo Alexandrino, de capabili hominibus divinitate, de capace divinitatis natura hominum. Liquebit enim inde hanc esse divinæ naturæ prærogativam: quod humanis mentibus illabatur: at sterilis & inops beneficii inhabitatio non esset in numero reponenda prærogativæ singularis, Deoque consentaneæ. Liquebit capabilem Deum esse menti, mentem Deo capacem, quòd Deus sapientia & justitia sit, mens autem sapientiæ & justitiæ bibula. Liquebit ipso divinæ substantiæ in animam illapsu sapientem & sanctam illam effici, non ergo creatis tantùm donis, nam & citra hunc illapsum specialem creata possent æquè dona irrigari. Liquebit etsi immeatio quodammodo mutua sit, quòd non possit Deus menti illabi: quin ut Deus menti, ita mens Deo & præsentissima sit & conjunctissima: nihilo tamen seciùs Deo soli capabilitas, animæ soli capacitas tribuitur, quòd Deus impleat, mens impleatur, Deus formet vegetetque, mens vegetetur. Liquebit illabi non posse menti Angelum quamlibet sanctissimum, quod vix aliter constare potest, quam ideo quòd non possit mentem formare Angelus, cùm forma ipse non sit, vel sanctitatis, vel justitiæ, sed formæ illius vel inops, vel compos, non suæ naturæ sponte, sed precariò. Liquebit ita Deum animæ, ut animam carni capabilem esse, & vicissim ita animam Deo, ut carnem animæ capacem: at carnis capacitas ad animam, animæ ad carnem capabilitas non in præsentia tantùm intima, sed in substantiva communicatione agnoscitur. Denique excute contextus ibi congestos è Patribus, ubique clarebit hanc infusionem naturæ melioris in sequiorem physica & substantiva constare participatione.

XI. Ideo utriusque naturæ præsentia mutua est, non immeatio, id est, nõ communicatio.

Eodem referendi sunt qui expressiùs monuerunt immeationem Deitati uni, ut principanti, adscrendam. Etsi enim præsentia mutua necessaria sit, illa tamen una immeare alteram existimanda est natura, quæ participatione sui alteram perficit. Damascenus: *Sciendum vero quod licet invicem immeare Domini naturas dicimus, scimus tamen quod ex divina natura immeatio provenit; nam omnia pertransit quemadmodum vult, & omnia permeat, per ipsam autem nihil. Et ipsa quidem proprias glorificationes carni tradit, cum ipsa maneat* L. 4. c. 19. *impassibilis & immunis passionum carnis.* Et alibi: *Immanentia autem non ex carne, sed ex Deitate facta est; nam impossibile est à carne permeari divinitatem; sed natura divina semel carnem permeans, dedit carni ad seipsam ineffabilem immeationem quam unionem dicimus.* Vides ut immeationem istam interpretetur unionem. Vides ut illam à dominatu & efficacia divinitatis proficisci velit. Vides ut proprietates ideo Deitatis in carnem derivari, non vicissim carnis in Deitatem refluere doceat. Rusticus: *Inhabitare Deus à nobis dicitur in carne indivisè atque incessanter, non autem caro inhabitare Deum. Et templum Dei dicitur caro, sed nequaquam templum carnis Deus: & hujusmodi unitionem Deus fecit & non caro, caro autem passa est & minimè fecit.* Ambrosius similiter: *Complens omnia, nusquam ipse confusus: penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus.* Disput. con. Acephal. L. 1. de fide c. 7.

CAPUT XVI.

Eadem proprietatum Deitatis communicatio quanta possit concedi humanitati assumptæ.

I. Ex inconfusa commixtione proprietates Deitatis humanati cõmunicari diserte docet Nyssenus. Orat. 4. Con. Eunom.

Quinto verbis expressis nec ulla tergiversatione evidentiam suam declinari passuris, etiam atque etiam sancti Patres hanc proprietatum Deitatis in humanitatem definiunt communicationem. Gregorius Nyssenus: *Hæc Dei dextera omnium effectrix unitum secum hominem ad propriam celsitudinem extulit* διὰ τῆς ἐγκράσεως: *quod ipsa est secundum naturam, etiam illum faciens. Est autem ipsum Dominus & rex. Christus enim rex nominatur. Hæc etiam illum effecit. Ut enim in altissimo factus est, superexaltatus est, sic etiam alia omnia factus est, in immortali immortalis, in luce lux, in incorruptibili incorruptibilis, in invisibili invisibilis, in Christo Christus, in Domino Dominus. Nam cum pars altera in corporalibus temperationibus multis modis exuberat, quæ minor est, transformari solet in eam partem quæ prævalet. Hoc autem in mystico sermone plane per vocem Petri docemur, quod humilitas ejus qui ex infirmitate crucifixus est, ipsa infirmitas autem carnem declarat; hoc per temperationem cum infinito & interminato non mansit in propriis* μέτροις καὶ ἰδιώμασι, *mensuris & proprietatibus, sed dextera Dei sublime elatum est, atque servi loco factus Dominus, & pro subdito Christus Rex, pro humili altissimus, & pro homine Deus.* Quæ hìc diverticula? Quis cavillationi locus? Ex temperatione id effici pronuntiat, ut pars inferior non maneat in propriis mensuris & idiomatis, sed ad superioris rapiatur dotes, præsertim ubi infinita quædam intercapedo intereſt virium & majestatis: ideoque Christum hominem ex copula Deitatis imbui immortalitate, luce, incorruptibilitate, regno, dominatione.

II. Idem rursus.

Idem paulò post hoc totum esse profitetur Dominicæ incarnationis arcanum, ut ex commixtione naturæ incorruptibilis & divinæ cum corruptibili & humana, non utraque qualis antea penitus perduraret, non melior in sequiorem descisceret, sed inferior superioris majestate, incorruptibilitate, divinitate imbueretur. *Nos dicimus unigenitum Deum suam vivificam virtutem mortali & corruptibili naturæ admiscuisse, nostramque mortificationem per attemperationem ad se in vitalem gratiam & virtutem transmutasse. Et hoc asserimus esse secundum carnem Domini mysterium, quia qui est incommutabilis in mutabili gignitur, ut ab eo quod deterius est, in melius transferens, & immutans dispositioni mutabili vitiositatem, aboleret à natura absumptum in seipso peccatum.* Ex quo clarescit, quantum divinis opibus & immortalitate atque sanctitate inebrietur ex sua cum Deo Verbo copulatione humanitas Christi, quando ad nos usque effluunt ejusdem beneficii derivationes.

Idem infra perspicuè id deducit argumenti, ex eo quod Deitas sit incommutabilis & efficacissima, humanitas mutabilis & parum efficax; ex quo proclive est, hanc in illius ingenium & majestatem abripi. *Scientes ex iis quæ didicimus quod divina quidem natura, semper una eademque & eodem modo se habet: caro verò per semetipsam hoc quidem est, quod de ipsa ratio & sensus assumit: sed cum divinitate temperata non amplius*

manet in propriis terminis & proprietatibus, sed ad id quod prævalet & supereminet, assumitur. Et ne tamen obliqua cuipiam obreperet suspicio confusionis, occupat Nyssenus hunc amoliri à se errorem: *Carnis tamen & divinitatis proprietatum inconfusa manet contemplatio, quandiu in seipsis horum utrumque spectatur, tale quid dicens, Verbum ante sæcula erat, caro autem in extremis temporibus facta est, &c. Hæc enim sunt clara etiamsi quis sermone non explicet, &c.*

III. At ex Nysseno proprietates Deitatis non possunt omnes communicari humanitati.

Ex quibus postremis Nysseni verbis liquet non temerè & effusè adeo hanc proprietatum seu idiomatum communicationem physicam explicandam esse, ut visum est nonnullis eorum, qui ab Ecclesiæ gremio nuper exiliere. Liquet enim humanitatis proprietates refundi physicè in Deitatem non ullas omnino posse: Est enim incommutabilis Deitas, ideoque novitatis impatiens; est perfectissima, ideoque nec crescere potis nec decrescere: est immigrationis hujus efficiens, non patiens, capabilis, non capax, suarum prodiga, non alienarum opum egena. Liquet rursum nec omnes Deitatis proprietates ita posse humanæ naturæ physicè infundi, ut ex iis formetur quodammodo & afficiatur. Nam ut ajebat Nyssenus, caro non potest æterna vel effici, vel prædicari. Æternitas enim ita Deitatis propria est, ut non possit ulli naturæ creatæ quadrare. Et quod de æternitate urgeo, quia dilucida valde res est, nec ullis cavillationum umbris obscurari potest, id de compluribus aliis conjiciendum est, quæ ita de proprio censu Deitatis sunt, ut in eorum communionem physicam & substantivam natura nulla creata possit cooptari. Num potest enim humanitas ut efficitur sancta, vivificaque ex consortio Deitatis seu sanctitatis & vitæ, ita effici incommutabilis, independens, creatrix, increata, essendi pelagus, necessaria ut non possit non esse, immensa, spiritalis penitus, incorporea? Perspicuum est Christum hominem his nominibus decorari, quia una est cum Verbo Deo persona: at his divinis proprietatibus ita formari physicè & essentialiter, ut sanctitate, majestate, dominatione, omnino non posse. Liquet denique ex Nysseno ne in iis quidem proprietatibus quibus à Deitate inficitur humanitas, ullam confusionem esse suspicandam, aut naturæ utriusque in unam naturam coalitionem. Nec animæ enim & corporis ulla ex mixtione confusio emergit, quanquam proprietatum suarum anima copiam faciat corpori largissimam, quanquam concrescat quodammodo cum corpore anima, & ex ejus contactu afficiatur; cùm Deitas nec concrescere possit, nec affici. Quod autem nec in unam cum quoquam alio naturam possit divinitas coalescere, prolixè alibi patefactum est.

IV. Rursum Nyssenus unionem hypostaticam.

Idem infrà Nyssenus: *Atque omnia quæcumque in Deo Verbo pie considerantur, etiam in assumpto à Verbo faciens. Ita ut non per divisionem sejunctim hæc videantur esse, sed temperatione cum divinitate, secundum id quod præpotentius est, recreata corruptibilis natura, potentiæ Deitatis particeps facta sit: ut si quis dicat aceti guttam vasto mari immixtam, per hujusmodi mixtionem maris qualitates induisse, quia non amplius secundum naturam hujus liquoris qualitas in immensitate præpotentis immaneat. Sic noster sermo, non numerum Christorum, ut criminatur Eunomius, sed unionem hominis cum Deo affirmans, mortalis cum immortali, servi cum Domino, &c.* Quibus in verbis Nyssenus substantivam proprietatum Deitatis insinuationem in carnem apertissimè demonstrat, & hanc hominis cum Deo hypostaticam interpretatur unionem, quòd non ἰδιάζοντας seu privatim sejunctimque sint naturæ, sed inferior in superiorem rapta absorptaque in ejus ut præpotentis immensitate quodammodo delitescat.

L. contra Apolinarem.

Sed quo Solis radio non clariora sunt ista? *Enimvero si quod divinum erat, cum in humanitate positum fuisset, & quod erat immortale in mortali, & quod potens in infirmo, & in mutabili atque corruptibili quod immutabile erat atque incorruptibile, manere permisit in mortalitate mortale, corruptibile in corruptione, & alia in aliis eodem modo, merito quis binarium numerum in Filio Dei observarit: cum utrumque eorum quæ contraria ratione spectantur, separatim apud se numeraverit. Sin autem mortale in immortali positum immortalitas factum est, pariterque corruptibile in incorruptionem mutatum est, aliaque omnia pari ratione in impatibilitatem quandam divinitatemque conversa sunt, quis locus relinquitur eorum commentis, qui in differentiam duorum id quod unum est dividunt?* Unitatem personæ derivat ex proprietatum communione, non qualicumque, non extrinseca & morali, non logica seu verbali, sed substantiva, qua nimirum mortali immortalitas, corruptibili incorruptibilitas infundatur, & id genus alia, ubi non extrinsecus affricari, non verbo tenus affingi, sed substantivè imprimi atque infundi humanæ naturæ divinas dotes necessum est. Pergitque porro nihilo segnius: *Mortale quidem absorptum est à vita, & quidquid in natura nostra infirmum est & caducum, divinitati commixtum, in id evasit, quod est ipsa divinitas. Unde ergo fieri potest, ut alicui binarius iste Filiorum numerus in mentem veniat?* Et paulò post: *Primitiæ naturæ humanæ quas jam omnipotens divinitas assumpsit, tanquam aceti gutta immenso mari commixta, sunt quidem illæ in divinitate, non tamen in peculiaribus suis proprietatibus. Sic enim binarius filiorum numerus colligi posset, si in ineffabili Filii divinitate quæpiam diversi generis natura peculiaribus suis idiomatibus insignita agnosceretur, &c.* Et tandem: *Quidquid Filii videt quisquam, divinitas est, sapientia, virtus, sanctificatio, impassibilitas: qui fieri potest ut quod unum est, in notionem duplicem dividatur, cum nulla sit differentia, qua numeri distinctio nitatur?*

V. Quomodo mortali carni Christi inesset immortalitas.

Non erit alienum occupari ac statim dilui eam dubitationem, quæ jamdiu fatigat animum, hinc nempe colligi, non nisi post revectam ab inferis Christi animam, carnemque excitatam, huic tam prolixæ locum fuisse divinarum opum atque in primis immortalitatis in eam exuberantiæ, adeoque periculum esse, ne eò usque protrahatur incarnatio, aut unio hypostatica. Non fefellit Nyssenum hæc erumpens è latere adversus ejus sententiam difficultas. Itaque carni Christi etiam mortali inhæsisse immortalitatis radicem, hoc est, Deitatem, totamque adeo inhabitasse immortalitatis plenitudinem affirmat, sed temperasse sibi, & sese coercuisse ne erumperet, donec æternitatis consilio definita mortalitatis ætas explicaret se, atque exhauriretur. Non aliter quàm cineribus subest ignis quasi sopitus, & fallit, qui mox excitatus emicat. *Et quemadmodum in ligno ignis intra superficiem conditus & sopitus, videntium vel tangentium fallit sæpe sensum, suscitatus autem apparet: sic in morte quam fecit pro sua potestate qui animam suam à corpore disjunxit, &c. Veluti vitæ in natura corporis contecto suscitabulo sive igniculo, in dispensatione secundum mortem rursus accendit, & suscitavit potentia suæ Deitatis, &c.* Itaque ab exordio inerat carni deificæ eamque vegetabat Verbi Deitas, quæ vita, quæ immortalitas ipsissima est: sed premebat ipsa sese, ut nihilo secius caro totius mortalitatis suæ vices impleret.

Orat. 4 contra Eunon.

Si necdum elucidata satis videtur quæstionis obscuritas, rursum idem Nyssenus illam explanare conatur, perstrictis obiter immortalitatis radiis, qui ex ipsa mortali Christi carne dimanabant longè latèque. Cùm enim voce, cùm contactu carnis abigebat morbos, mortuos excitabat, hi erant utique rivuli quidam immortalitatis vitæ-

vitæque incorruptibilis per carnem scaturientes, cujus fons ipsi inerat carni, sed ita moderabatur sibi, ut mortalitati suæ carnem permitteret, per quam in omnes homines spargebat immortalitatem. *Itaque divinitate utrique hominis parti copulata, in utraque perspicua excellentis naturæ indicia patuerunt. Corpus enim attactu suo morbos curans, divinitatem præ se ferebat: animus autem potenti illa voluntate divinam virtutem indicabat.* Complura id generis exempla aggerat, quibus patet mortalem Christi carnem jam tum infectam delibutamque fuisse divinæ immortalitatis substantia, ita ut rorem immortalitatis ubique spargeret, quanquam ipsa interim mortalitati addicta, mortique esset. Permirum non immeritò istud quidem videbitur, qui possit caro Christi simul & mortalitate sua perfungi, & immortali vita ac substantia Deitatis vegetari; qui possit mortalitatem suam retinere, fugare alienam; qui possit mortem ipsa oppetere, & ab aliis propulsare. Sed in Christo rerum admirabilitas fidei conciliatrix, non adversaria est. Omnia enim in illo nova, omnia ultra spem, omnia supra admirationis aleam.

VI. Idem ex Damasceno, L. 3. c. 7. Nysseno subscribit Damascenus, & proprietates Deitatis humanitati transcribit, non reciprocè. Ergo de physicâ communicatione intelligendus est. Alioqui humana quæque etiam de Deo prædicantur. Cùm monuisset Deitatem immeare, non immeari, consequenter illud inde colligit. *Et ipsa quidem proprias glorificationes carni tradit, cum ipsa maneat impassibilis & immunis passionum carnis. Nam si Sol nobis proprias energias tradens, nostrarum manet expers, quanto magis Solis factor & Dominus?* Jam nimis multa superiùs ex Damasceno, parco itaque pluribus.

VII. Ex Chrysologo & Algero. Serm. 59. Inter Latinos plus æquo in hanc sententiam incubuit author librorum de Incarnatione Verbi, qui extat inter opera Augustini appendice tomi quarti; verba ejus Scriptoris referre supersedeo, quòd Origenis non saporem tantùm sed errores etiam exprimere videantur. At manifestè Chrysologus, *Deus unus constat in Christo: quia quidquid est & Deitate & humanitate, Deus unus est. Desiit in Christo substantiarum diversitas, ubi caro cœpit esse, quod spiritus; quod homo, Deus; quod nostri corporis & Deitatis, una majestas.*

L. 1. de Sacram. c. 1. Algerus: *Cur enim hoc minus Deus faceret homini sibi personaliter unito, quàm per eum facit anima corpori sibi unito? Confert enim participium nominis & naturæ quam habet, ut ab anima animatum vivat & sentiat, quod ex se non habebat. Sed & ignis ferrum transverberans, ignitum reddit: candoremque suum & calorem conferens, ipsum scintillare, flammescere & urere contra suam naturam facit. Cum ergo omnis ignis igniat, anima animet, quid Deus nisi hominem sibi unitum deificet, & super omnem creaturam exaltatum, puritatis, omnipotentiæ & Deitatis etiam prærogativa secum glorificet?* Nihil hic offuciarum, nihil strophâꝛum offundi potest. Quàm intimè & essentialiter ferrum in ignis, corpus in animæ proprietates, lucem vitamque rapitur, tam intrinsecè & substantivè humanitas à Deitate in divinas transfertur dotes. Quocirca & infra omnipotentiam

Ibid. c. 14. Christo homini vendicat, & convenientem omnipotentiæ quandam effigiem immensitatis, non ut caro ejus ubique sit, sed ut ubicumque voluerit, protinus adsit: *Ut quod habet Deus per naturam, hoc ipsa per gratiam.* Et paulò post: *Ut per omnipotentiam quæ ei data est in cælo & in terra, ubicumque quomodocumque sibi placuerit, non de loco ad locum transeundo, sed ibi ubi est remanendo, & alibi ubicumque voluerit existendo, tota & integra substantialiter sit, & in cælo & in terra. Quam enim omnipotentiam ab eo qui totus ubique est, reciperet, si ipsa ubicumque vellet, substantialiter*

Ibid. c. 15. *tota esse non posset?* Et rursus: *Quomodo tamen corpus Christi & cælo & mundo præsens, & dividatur indivisum, & sumatur inconsumptum, ratio stupet, fides ipsa miratur: sed ex adjunctæ divinitatis potentia, quæ ubique tota præsens est in corpore suo spiritali, imò per omnipotentiam sibi collatam, divino jam facto, id fieri posse non diffidens, veneratur.* Et denique infrà: *Quod diversis locis, diversisque temporibus sacrificatur, non multa tamen corpora, sed ubique unum Christi corpus est, quod à diversis sumitur, & unum idemque corpus integrum est, omnipotentiæ quæ Christo etiam pro carnis parte collata est, attribuendum est. Quia & in cælo & in terra præsens etiam corporaliter potest esse, ubicumque quomodocumque sibi placuerit; ut ideo ubicumque voluerit, sit caro Christi, contra naturam carnis integra & præsens, quia facta in cælo & in terra omnipotens.* Sine anfractu rem expedit Algerus, non tantùm quà Deus est, sed ex parte carnis omnipotentem arbitratur esse Christum, quia universim præjudicatum est, quidquid Dei est per naturam, id homini Christo indultum esse per gratiam.

Sed ne inconsideratiùs evagetur hæc ratio, non est transilienda linea quam sibi nobisque præscribit Algerus. In consortium adrogatur caro Christi omnipotentiæ divinæ, ut & divinam imitetur immensitatem. Num statim ei affingetur immensitas, & caro Christi ubique locorum erit? Nusquam id Algero in mentem venit. Sed ubicumque & quomodocumque voluerit, erit illa caro. Omnipotens est Deitas, & ideo ubique est: omnipotens est caro, nec ubique illico est, sed ubicumque vult adest. Tenenda ergo est hæc norma, & ad eam exigendæ sunt quæstiones aliæ complures. Etsi enim eadem sit omnipotentia, Deo tamen insita, homini peregrina: Deo propria, homini adjecta est: Deo sua, carni precaria: Deo nativa, & infinitæ compos amplitudinis, homini attemperata, & ad naturæ creatæ modum fracta. Non ergo carnis cum Deitate adæquatio inprovida, aut ulla increatæ majestatis injuria ex hac ejus proprietatum in carnem illapsione aut interpretanda est aut reformidanda. Creata enim natura finibus suis non tota potest egredi, ideoque divinam infinitatem ita capit, ut aliquo modo non capiat; ita apprehendit, ut non comprehendat.

VIII. Ex eodē Algero tēperatur hæc cōmunicatio.

IX. Eadem communicatio arguitur ex vi medicatrice & salvifica, quæ carni inerat Christi. Sextò, aliud suppeditatur argumentum ineluctabile ex carne Christi vivifica. Ex illa enim exibat virtus, & sanabat omnes. Id eò fiebat, quòd caro esset Verbi, vimque Verbi vivificam combibisset. Nec enim potestas hic quædam extrinseca tantùm fingenda est, sed vita divinitatis carnem suam mediante anima rationali inebrians, ex eaque se in omnia foris effundens. Audiendus hic Hilarius, carnis Christi admirator eximius, & elementorum quibus illa in hanc medicatricem virtutem coaluit, gnavus scrutator: *Non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam, sed omnis causa nascendi invecta per spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est, cùm tamen haberet in originis nativitate, quod Dei est.* Et infra uberiùs explanans quid illa valeret carnis Christi de Spiritu sancto conceptio: *Passus quidem Dominus Jesus Christus dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur, sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exercuit: cùm & pœnali ministerio illa deſæviit, & virtus corporis sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se desævientis excepit. Habuerit sanè illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, & super fluctus eat, & non degravetur ingressu, neque aquæ insistentis vestigiis cedant, penetret etiam solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur. At verò si Dominici corporis sola ista natura sit, ut sua virtute, sua anima feratur in humidis* L. 10.

& in-

& insistat in liquidis, & extructa transcurrat, quid per naturam humani corporis, concepta ex Spiritu sancto caro judicatur? Non adventitiis Dei donis carnem illam affluxisse vult Hilarius, ut solida penetraret, ut calcaret undas, ut pestes mortesque effugaret; sed hanc ejus fuisse naturam, hanc propriam & naturalem ejus fuisse fermentationem, quod nimirum de Spiritu sancto concepta sit, id est, quod Deus sit, quod divina scateat Verbi substantia & virtute. *Naturæ enim propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam transformatur in monte, quod attactu suo fugat febres, quod de sputo suo oculos format.* Et infrà: *Habuit enim corpus, sed originis suæ proprium, neque ex vitiis humanæ conceptionis existens, sed in formam corporis nostri, virtutis suæ potestate subsistens.* In quem sensum quàm multa alia toto illo libro congerit, ut & ipsa sui commixtione cum Deitate, id enim demum est de Spiritu sancto concipi, naturam illius carnis demonstret divinis ad omnis generis miracula viribus abundasse.

Serm. 143. Chrysologus: *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria divinitatis totam vidit inhabitare virtutem!* Vis ergo illa salvifica, illa morborum medicatrix inhabitabat in interioribus Christi, in anima, in carne, inde effluebat & in vestes, & ea erat plenitudo divinitatis. Et rursus: *Tetigit fimbriam vestimenti ejus, quia in Christo nil postremum credidit, nil judicavit extremum.* Serm. 35. *Quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria, &c. Sicut unguentum quod descendit in oram vestimenti ejus. Videtis in fimbriam vestimenti hujus totam plenitudinem divini Chrismatis, totam divini capitis transisse virtutem.*

X. Item ex vi, qua caro per sese dolori & morti obnoxia poterat hæc effugare. Serm. 11.

Eodem redit quod etsi natura carnis Christi dolori mortique esset obnoxia, inerat tamen illi vis omnipotens, qua si vellet, & quandiu vellet, dolores mortemque procul arceret. Idem Chrysologus: *Et cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Hoc non est infirmitatis signum, sed est insigne virtutis; quia cum dicit, Postea esuriit, quadraginta diebus & quadraginta noctibus probat in illo esuriem non fuisse. Esuriem sentire & vincere, est laboris humani, divinæ virtutis est esuriem non habere. Ergo Christus non jejunio lassescit, non esurit fame, &c.* Et Ambrosius: *Quasi arbiter exuendi suscipiendique corporis, emisit spiritum, non amisit.* Et Augustinus absolutissimè: *Demonstravit spiritus Mediatoris quàm nulla pœna peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe Dei Verbo ad unitatem commixtus est homo. Hinc ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo eam tollit à me, sed ego pono eam à me, & iterum sumo eam, &c.* Ex eo ergo quod Dei Verbo commixtus erat homo, inerat homini assumpto vitæ vivacitas invicta, & potestas immortalitatis, vis amoliendæ quandiu voluisset, & admittendæ quando libuisset mortis. Mortali ergo carni Christi inerat ab immixta Deitate copia & potestas tam sibi quàm aliis mortem vel procrastinandi, vel amoliendi penitus, vel exigendi: sed hac potestate ad nutum voluntatis suæ utebatur, quæ incommutabili sapientiæ & justitiæ non obsequio tantùm inhæserat, sed substantivo nexu coaluerat.

L. de Incar. Dom. sacram. c. 5. l. 4. de Trinit. c. 13.

Supersedeo pluribus Patrum calculis duo hæc approbare, suo alibi loco opportuniùs uberiùsque disceptata, carnem Christi jam inde ab exortu suo tinctam fuisse ex insinuatione Deitatis Verbi, vi quadam incorruptibilitatis aspiratrice, mortis morborumque propulsatrice, quam tum in se, tum in cæteros homines, seu inhibens, seu effundens, ex æternæ æquitatis consilio dispensabat. Utque carni ejus vivificæ inerat ea vis & potestas etiam tum quando dissimulabatur & premebatur, ne cujusquam morbos curaret; ita inerat qua & seipsam a morte & ærumnis vitæ eximeret, etiam tum cùm sese his volens lubensque permittebat.

XI. Ex Cyrillo illustratur illa carnis Christi virtus vivifica. l. 4. in Evan. Joann.

Cyrillus Alexandrinus eandem vitæ & immortalitatis irrigandæ ubertatem in carne Christi etiam mortali ex coaptatione ejus cum Verbo, elegantissimè ac frequentissimè prosecutus est: *Vivifica facta est caro Salvatoris, utpote vitæ secundum naturam, Verbo nimirum divino unita. Hanc etiam ob causam in mortuis suscitandis, non verbis tantùm & nutu Deo convenienti Salvatorem esse operatum comperimus, sed carnem suam quasi cooperatricem ad hoc potissimum adhibuisse, ut illam quoque vivificare posse ostenderet, ac veluti unum quid cum ipso factam esse.* Et infrà: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Habet enim caro in seipsa Verbum, quod vita est secundum naturam, &c. Quia Christus per propriam carnem in nobis est, omnino resurgemus. Incredibile enim est, imo impossibile, ut vita eos in quibus est, non vivificet. Quemadmodum enim scintilla multis paleis inseritur, ut semen ignis servetur: sic etiam Dominus noster Jesus Christus per carnem suam in nobis vitam ingerit, ac veluti semen quoddam immortalitatis inserit, totam quæ in nobis est abolens corruptionem.* Ecce vitam Verbi carni propriæ insertam, & inde explicantem se in totum corpus Ecclesiæ. Unde Dialogo, quod unus sit Christus: *Nam si verum est quod ignis circa materiam aliquam versans, eam quæ alioqui ex sua natura calida non est, calidam efficit, immittit enim ei abundè facultatis, qua præditus est, efficaciam: quo pacto non potius immittet Deus Verbum propriæ suæ carni vivificantem virtutem suam atque operationem?* Physicè ergo vivificante Dei virtute imbutum Christi corpus, moderante voluntatis sapientia, vitæ & salutis torrentes quocumque libuisset diffundebat. Et ne comminiscatur aliquis minutias tantùm aliquas virtutis vivificæ, utpote creatitias qualitates inhæsisse carni Christi, sedulò expendenda sunt Cyrilli aliorumque Patrum verba, qui non aliud unquam quàm Verbum ipsum vitamque Deitatis incorruptibilem inculcant carni suæ implicatam. Et rursus idem Cyrillus idem urget ex ipsis Christi verbis: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me:* Ubi una eademque vita triplex Christianæ pietatis sacramentum explicat, Trinitatem, Incarnationem, Eucharistiam. Misit enim vivens Pater Filium, cùm vita vitam genuit: vivit propter Patrem Christus, quandoquidem illa ipsa Verbi vita & vitæ Verbum carni se inseruit: & nos propter Christum vivimus, quando vivificæ carnis esu perfundimur ejusdem vitæ substantivæ affluxu. *Vivit propter Patrem, quia ex vivente Patre genitum est. Oportuit enim modis omnibus eum vitam esse secundum naturam, quia ex vivente & vita Deo Patre ortum ducebat. Quoniam vero corpus ex sacra Virgine sumptum sibi adscivit, fecit illud vivificum, & id quidem valde congruè, est enim corpus vitæ omnia vivificantis, &c.*

XII. Idem efficitur ex sanctitatis divinæ communicatione.

Septimò, sanctitudine ipsa Deitatis increata inungi totam Christi humanitatem, nec extrinsecè tantùm aut perfunctoriè seu moraliter oblini, sed medullitus ipsa animæ carnisque præcordia penetrari ac consecrari, recentiores etiam Theologi confertim assentiuntur. Calamum prohibeo ne hìc præpoperè delibetur argumentum, proprio & prolixo tractatu inferiùs prosequendum. Obiter tantùm admoneo quæ hactenus argumentati sumus in hujus sententiæ stabilimentum ex variis capitibus, ea ad sanctitatem Deitatis animæ rationali inspirandam potissimùm valere. Exempla enim permeationum, inculcata

item verba immixtionis, concretionis, contemperationis, fermentationis: rursus capabilitas Deitatis, capacitas humanitatis eò vergebant, ut Deitatis immixtione substantiva deificaretur humanitas, id est, sanctificaretur. Est enim non aliud quàm eximia quædam & ad summum provecta cumulum sanctitatis ratio, deificatio. Ad hæc nusquam expressiùs Deitas, quàm ut sanctitas, ut charitas, ut justitia & veritas intelligitur. Quocirca unum cum Deo fieri, proprietatibus divinitatis locupletari, non aliud omnino est quàm sanctificari: unde Angelus ad Mariam: *Quod ex te nascetur sanctum*. Denique vita Deitatis ad carnem suam non vivificandam tantùm, sed vivificandi vi incorruptibili dotandam, non nisi per animam rationalem trajiciebatur. Ergo per animam ad carnem transfluebat Deitatis vita, & ita priùs animam sanctificabat, & exinde immortalitatis à sanctitate convenienter ac naturaliter promicantis radios in carnem usque propagabat.

XIII. Non tamen omnium Deitatis virtutum capax est humanitas, & quas capit, non totas capit, ut Deo æquari possit.

Quibus ita conclusis, quid periclitatur fides, si non sola sanctitas, sed aliæ etiam divinitatis dotes, quarumcumque capax erit natura humana, illi non dissimiliter infundantur? Video non omnium perinde bibulam esse posse naturam creatam. Abhorret enim ab æternitate, ab immensitate, ab independentia, ab omnimoda incommutabilitate. Sed his & ejusdem modi aliis sepositis, supersunt divinæ opes innumeræ, nec nostro ingenio vel eloquio comprehensibiles, quibus humana possit Christi natura perinde ut sanctitate ditari. Quin & his etiam imbui potest, non illa quidem ut adæquet absolutissimam numeris omnibus Deitatem, sed ut quàm minimo poterit interstitio sequatur. Ab insidente enim sibi æternitate, non æterna quidem, sed immortalis, sed sempiterna, sed vicissitudinum expers, sed temporum dominatrix existet. Ab immensitate ipsam vegetante, id consequetur, non ut ubique sit, sed ut ubicumque & quomodocumque sibi libuerit, adsit. Ab independentia ita formabitur, non ut nec Deo obnoxia sit, sed ut omnibus extra Deum dominetur, Deoque subesse id summi genus esse imperii experiatur. Ab incommutabilitate hoc impetrabit, non ut radix intima & congenita mutabilitatis penitus exuratur, sed ut impeccantiæ inconcussum teneat verticem. Quæ argumentandi ratio ad cætera ejusdem gradus alia porrigi debet, ut rara Deitatis perfectio occursare animo possit, qua non possit & debeat formari suo modo humanitas Christi, quam plenitudo divinitatis inhabitat, quæ plena est gratiæ & veritatis, quæ sua nos omnes implet plenitudine: formari inquam substantivè & intimè, non ut perinde æterna, aut independens, & aliis id genus laudibus insignis audiat atque ipsa Deitas, sed ut intra lineas creatæ capacitatis perficiatur. Nam nec sanctitate ipsa divina ita Christus homo perficitur, ut sanctitate exæquet humanitas Deitatem. Longè aliud enim semper est, sanctitatem esse & habere: sanctitatem donare & accipere: santificare & sanctificari: sanctitatem & sanctum esse: natura & obnoxiè sanctum esse: Deum principaliter esse, & Deo accedere atque accenseri. Ita & beatorum hominum atque Angelorum mens cùm Verbi divini essentia tanquam specie intelligibili formetur, non tamen exhaurit hujus formarum formæ infinitatem, nec illius totam assequitur amplitudinem, sed suo quæque modulo ab illa collustratur. Ita & pii sanctique hìc omnes ex nuperorum etiam scriptorum assensu, imo ex sanctorum Patrum unanimi consensione cùm inhabitatione substantiva Deitatis sanctificentur, non omnes tamen consequuntur numeros infinitæ sanctitudinis, sed admensam sibi sanctitatis portionem capiunt, quantam capiunt. Potest ergo infinitæ formæ præsentia finitum sui fructum dimetiri; potest divina quæpiam perfectio & tota inesse, nec se tamen totam imprimere: potest tota excipi, nec tota capi: quia non deest formæ capabilis infinitas, sed deest sibi finita naturæ creatæ capacitas.

XIV. Quam non verendum, imo quam impossibile sit ut ex Deo & homine una natura fiat.

Quod autem expavescunt aliqui, ne una tandem exurgat natura ex Deo & homine, si physicè humanitas divinis formetur viribus, inani pavore sollicitantur. Supra enim palam fecimus, ne posse quidem ex Deo & natura ulla creata unam unquam existere naturam. Summa enim & inenarrabilis naturæ divinæ exuperantia, & incircumscripta amplidudo naturam quamlibet aliam non componet sibi, sed supponet; nec maritabit sibi, sed mancipabit; non ut sociam adjunget, sed ut accessionem subjunget; eminebit ipsa una; intacta intactam devorabit; id est, in personæ, non in naturæ suæ unitatem illam adsciscet, Simplicitas similiter divina naturam quamlibet aliam permeabit, non permeabitur; afficiet, non afficietur; perficiet, non concrescet; permiscebitur & impermixta durabit, atque ita concretionem unitatemque naturæ procul arcebit. Hæc & hujusmodi alia superiùs explanata argumento sunt, ex animali & corporea substantia posse unam tum naturam, tum personam, ex rationali autem & divina non posse unam naturam, sed unam dumtaxat personam coagmentari, quod non tanta sit, imo quod infinito intervallo minor sit animæ ad corpus, formæ ad materiam, quàm Dei ad animam exuperantia magnitudinis & simplicitatis. Unitatem enim naturæ inter duo quædam facit exæquatio quædam & concretio mutua: unitatem verò personæ tanto faciliùs conciliat, quanto inferiorem antecellit natura superior, nec eam secum paria facere patitur. Impossibilitas ergo ista compaginandæ unius ex Deo & homine naturæ, non ex eo proficiscitur, quod induere se in animam rationalem, eamque formare medullitus Deus non possit, potest enim; ut in beatis, ut in justis, ut in Christo supra fidem fecimus: sed ex eo quod quamvis permisceatur, impermixta tamen perstet divinitas, non concrescat, non afficiatur, non coæquetur, suæ simplicitatis & infinitatis retinentissima.

XV. Sanctitatis divinæ exéplo id declaratur.

In ejusdem etiam ambiguitatis vado æstuarent ii, qui sanctitatem Christo homini increatam communicant. Quæ enim sanctitatis & aliarum divinarum opum discrepantia? Eccur formari poterit humanitas sanctitate, non poterit aliis dotibus increatæ substantiæ? Ecquid causæ est quamobrem possit sanctitas increata formare intrinsecè animam rationalem, non possit alia Deitatis quæpiam perfectio? Si sanctitas ita format, ut nec accidentis in morem suffulciri & inhærescere postulet, nec partis instar compleri perficique flagitet, quin iisdem legibus cæteræ quoque divinæ dotes provinciam partesque formæ sustinere erga Christum hominem finuntur? An divinæ intercedimus largitati? An nostris ipsi divitiis à Deo affluentibus invidemus? Denique si ex consociata humanitati sanctitate increata, nihil discriminis impendet in duplicem Christi naturam, quin æquè innoxiam auguramur fore reliquarum Dei perfectionum præsentiam? Ecquid venit in mentem iniquis suspicionibus istis solam absolvere sanctitatem, reliquas Dei dotes incessere? Quin æquius sit arbitrari, ut sanctitatem, ita & reliquas divinitatis prærogativas, suo gaudere amplitudinis & simplicitatis fastigio, ut in unam cum peregrina quavis substantia naturam confluere abnuant; at capabilitatis largitatisque beneficentissimæ eodem pollere ingenio, ut ubi ex re est, creatis se naturis infundant?

XVI. Et existentiæ divinæ juxta aliquos.

Nec dispar est ratio existentiæ divinæ, quam alii Theologi humanitati Christi in creatæ vicem existentiæ sufficiunt. Perinde enim poterit proprietas quævis alia atque existentia Dei Verbi cum humana natura communicari. An dicent non debere existentiam Verbi divinam nomine formæ con-

contaminari? At per quam fit humanitas existens, ea utique illi existendi forma est. Et quid attinet de nominum tricis litigare? Esto ne forma dicatur, vel existentia, vel sanctitas, vel quælibet alia divinitatis proprietas, dummodo peræquè ita humanæ infundatur Christi naturæ, ut illam insigniat, ornet, vegetetque. Quid enim molimur aliud, quàm ut ita cæteris Dei opibus ditescat humanitas, sicut divina vel existentia, vel sanctitate, sive formæ nomen usurpandum in istiusmodi sit, ab inhærentium suspicionum nævis priùs emaculatum, sive omnino sit repudiandum? An rursus existentiam Verbi divinam causaberis extrinsecè tantùm adesse humanitati assumptæ? At non extrinsecè tantùm existit natura humana; quid enim naturæ intimius quàm existere & esse suum? Sed & hìc rursus de vocibus digladiamur. Sive extrinsecè enim sive intrinsecè libeat, per me licet, dum tam verè reliquis divinæ naturæ dotibus locupletetur Christi humanitas, sicut divina existentia existens, sanctitate sancta esse pronunciatur. Quippe cum de re constabit, nunquam de vocibus controversiam faciemus.

XVII. Cum Deitas sit ipsum esse, ipsaque sanctitas, per existentiam & sanctitatem omnes Deitatis opes simul communicatur.

Nec dissimulabimus hoc loco, quid suspicionis animum nostrum subjerit. Quàm vero illud consentiat aut dissentiat, æquus lector arbitrabitur. Usque adeo ergo inculcatum à sanctis Patribus est, & ipsis fidelium mentibus vulgo præjudicatum, tota divinarum proprietatum opulentia humanam Christi naturam imbui ac redundare; ut nec illi ab hac sententia deviare potuerint, qui terga illi vertere videbantur, in eamque penè imprudentes quam refugiebant, reflexi sint. Nam existentia seu esse, non separata quæpiam, aut solitaria Deitatis perfectio est, sed perfectionum plenitudo & quasi pelagus. Deus enim est, & ipsum esse est; summus actus, summa existendi necessitas & infinitas est, nec præterea quidquam; cum quidquid præterea menti potest succurrere, jam illa essendi & existendi laude præceptum occupatumque sit. Ergo cùm una existentia Deitatis humanæ Christi naturæ condonatur, tota divinarum proprietatum congeries illi affunditur. Similiter sanctitas non injuria existimari potest ipsa esse divinitatis plenitudo. Nec enim sanctificari aliud est, quàm deificari: & pleniùs sanctificari non aliud quàm pleniùs deificari: absolutissimè demum sanctificari perinde est atque absolutissimè deificari. Ac vicissim qui deificationis gradus sunt imi, summi, medii, iidem prorsus sunt sanctificationis. Ex quo dilucida collectio est, sanctitatem ac Deitatem unum atque idem esse. Quæcumque enim mente agitetur Dei perfectio, si ea creatæ inungatur naturæ cuipiam, illam protinus consecrabit ac sanctificabit. Ergo cum plenissimam divinæ sanctitatis copiam infundunt Christo homini, totam illi insinuant divinarum proprietatum magnificentiam. Quantum enim deesset divinitatis, tantum & sanctitatis deficeret. Ergo cum humanam Christi naturam plenissimè deificari ac sanctificari acquiescunt, nulla eam fraudatam volunt Dei perfectione, quantum capax est natura creata.

XVIII. Rursus ut Deitas etsi intimè perficiat, extrinseca tamen forma possit dici.

Nec ab hac concordiæ spe nos absterret, quod quidam tenacissimè & velut rei cardinem esse contendunt, ut extrinsecè tantùm Deitas humanitatem formet seu attingat. Et nos enim illis assentiemur, si venas interiores eorum sententiæ perscrutati fuerimus. Deitas quippe si quam formet naturam creatam, etsi intimè & medullitus formet, extrinseca tamen forma dici potest & debet. Neque enim eadem ejus conditio est, quæ reliquarum formarum: istæ enim omnes vel elanguidæ vel dimidiatæ sunt, ideoque vel accidentium vel partium more, alteri cuipiam adhærescunt. Subjecto ergo affiguntur intimè, quo egent sustentari, perficique. At Deitas nullius egena, nec fulcimenti, nec complementi indiga, rei quam format, nec affigitur, nec mancipatur. Etsi inest formatque intrinsecè, non defigitur tamen, nec constringitur, sed libera & expedita, extrinsecè etiam dominatur, & ubique regnat. Cum ergo extrinsecè formare Deitas Verbi dicitur naturam humanam, vel divina sanctitas piam quamlibet mentem, vel divina essentia instar lucis & formæ intelligibilis beatos in Patria animos, non id consilii Theologis est, ut intima permeatio, inhabitatio, atque informatio repudietur, sed ut à Deitate abstergeatur ea indigentiæ ac servitutis infamia, quæ formis creatis omnibus inolevit. Forma enim creata intimè adglutinatur, quia fulciri perficique eget: quia uni subjecto ita affigitur, ut ad alia non possit spatiari: quia concrescit cum subjecto ita, ut non afficiat illud tantùm, sed ab eo etiam afficiatur. At Deitas nec afficitur, nec astringitur, nec eget natura creata quam format: sed sui unius compos, sibi beata & libera, per omnia vagatur & regnat, & extrinsecè magis adest, quia nulli serviliter & obnoxiè inest.

Fiet aliqua lucis accessio, si alia cominus Dei rebus in omnibus præsentia dispiciatur. Est enim opifex opificio suo cuilibet intimè præsens, & ipso intimo interior, ipsis penitior penetralibus. Exterior tamen etiam tum rei cuilibet, tum rerum omnium acervo seu universo prædicatur, quia etsi inest, non illigatur tamen, non coarctatur, non continetur. Dominatrix ergo illa ut intelligatur esse præsentia, exterior dictitatur, quia extare, supervolitare, circumcingere, dominationis documenta sunt, nec id quod intimum est, abigunt, sed quod servile atque obnoxium. Eodem recidit, quod Deus ubique esse fertur, & tamen nusquam esse. Eo nempe quod quamvis rebus insit omnibus, ut creator, ut sospitator, non inest tamen, quia inaccessus, incomprehensibilis, sibi suus, & in suæ supercilium celsitudinis evectus. Ita ergo quamvis intima naturæ creatæ formet & perficiat Deus, extrinsecè tamen adesse & formare rectè imo & rectiùs dicitur, quia non fulcitur, non concrescit, non devincitur, sed imperatoria libertate dominatur.

XIX. Idem declaratur exemplo præsentiæ Dei in rebus.

Instant aliqui, ad tres Deitatis personas, non ad solum Verbum spectaturam incarnationem, quandoquidem communes sunt, non Verbi propriæ eæ dotes, quarum in humanitatem infusio propugnatur. Sed hunc nodum jam illi abscidere runt, qui vel sanctitatem, vel existentiam Deitatis homini Christo addixere. Etsi enim hæc sint tribus personis communia, non tamen adglutinantur humanitati, nisi ut Verbi sunt jam propria. Eadem ergo conditione reliqua etiam ornamenta, non ut communia, sed ut peculiaria Verbi eidem carni vendicabuntur. Quid enim communius tribus ipsa Deitate? Fit homo Deus, sed Deus Verbum. Unde Rusticus: *Incarnata dicitur Verbi natura per Verbum & secundum quod Verbi est, non ipsum Verbum potius per naturam, & secundum quod est ipsa natura, ne & incarnatio, & nativitas, & passio totius sit Trinitatis.* Et infrà: *Igitur Deus Verbum secundum semetipsum quidem unitus est carni, una enim persona & una subsistentia facta est cum carne: secundum naturam verò conjunctus est potius quàm unitus, duæ enim mansere naturæ.*

XX. Divinæ dotes humanitati communicatur. ut Verbi propriæ.

In disp. con. Aceph.

Rursus alii urgent, cum post resurrectionem Deitas carni suæ copiam fecerit longè ampliorem gloriæ suæ, & immortalitatis, tum ergo cumulatam fore dicendam incarnationem, & tum Christum magis Deum quàm ante, & magis Filium, si incarnatio & Deificatio hominis hac gloriæ & divinarum proprietatum infusione contineatur. Non nobis unis, sed omnibus prorsus Theologis incumbit semel eluctanda hæc difficultas. In confesso enim omnibus est, resurrectione sua Christum quasi rursum gigni, in splendoribus Sanctorum tum quasi renasci, ad eum tunc destinari hæc ver-

XXI. Verbi incarnatio perfecta ab exordio fuit, non tãtum post resurrectionem.

ba Patris, Ego hodie genui te, &c. Exinde totum Deum censeri, qui Deus & homo priùs habebatur. Plura de his tractatu infra peculiari de Filiatione Christi. Ergo expedienda omnibus ratio est, quì constent ista, quæ ex Scripturarum oraculis, & Patrum suffragiis consonantibus constant sanè inconcussa, nec tamen Christus postea quàm ab exordio magis Deus, vel Dei Filius extiterit. Dum alii ergo perspicaciores enodatius aliquid nobis extricent, id nos unum refricabimus, quod supra jam monuimus. Etsi mortalitatem suam in terris caro Christi explicaret, incoctam tamen illi concretamque fuisse vim quandam divinam immortalitatis in alios etiam omnes homines propagandæ, qua morborum virus fugabat, mortuis vitam refundebat, ægritudines a se etiam ipsa quandiu vellet repellebat, ut famem, sitim: mortem ipsam si libuisset, æternum ablegasset. Inusitatum est, non tamen à majestate hujus sacramenti alienum, & mortalem esse carnem Christi, & vi tamen intima pollere immortalitatis, tum sibi, tum aliis conciliandæ, cui ad æterni consilii sui nutum moderetur. Immortali sanè & beata cælestibusque deliciis diffluente anima vegetabatur intimè illa caro. Id unum abundè erat ad ipsam carnis immortalitatem. Est enim anima de Deo vivens plenissimè, scaturigo exundans immortalitatis in corpus suum. Ut anima ergo beata inerat, sed premebatur, ne explicaret quod complicabat: ita & Deitas carni inerat & immortalitas, atque incorruptibilitas, & gloria, & quidquid per resurrectionem emicuit; sed cohibebatur tum, dum destinata mortalitatis ætas exhauriretur.

LIBER QUINTUS.

DE DUPLICI CHRISTI & voluntate & operatione.

CAPUT PRIMUM.

Duplex Christi voluntas & operatio ex duplici ejus natura demonstratur.

I. Monothelitæ humanam voluntatem abscindebant à Christo, adeoq; & operationem.

EUtychianæ perfidiæ extrema ferè hæc fuit propago, quæ coarctata undique tum veritatis lumine, tum Ecclesiæ Catholicæ ineluctabili auctoritate, duas ut Christi profiteretur naturas; eò denique contumaciùs conspiravit, ut voluntatem saltem unam, unamque ejus operationem retineret, quibus ex reliquiis tota Monophysitarum pestis aliquando repullularet. Christo nimirum bellè consuluisse sibi videbantur Monothelitæ, si animæ corporisque substantiam Verbo Deo copulatam professi, volutatis humanæ facultatem & potentiam adimerent dumtaxat, ut voluntas Verbi increata animam ἀμέσως, immediatè, & per animam corpus ad sua impelleret munia, atque ita una ejus esset & voluntas nempe divina, & operatio nempe à Verbo ceu fonte suo scaturiens, & per animam corpusque tanquam per instrumenta quædam in externum usque opus sese effundens. Actione XIII. sextæ Synodi, hæc referuntur ex Theodoro Pharanita Monothelitarum antesignano; *Omnia quæcumque scripta sunt de Domino Jesu Christo, sive ad Deum, sive ad animam, sive ad corpus, sive ad utrumque, hoc est, animam & corpus attinentia, singulariter simul & indivisè agebantur, incipientia quidem & ut ita dicam effluentia ceu à fonte, à Verbi sapientia & benignitate atque virtute, mediante verò intellectuali anima & corpore procedentia. Et ideo una operatio totius, utpote unius ejusdemque salvatoris nostri, hæc omnia & sunt & dicta sunt.* Et infrà: *Opportunum est nos ita sentire & dicere, omnia quæque in humanatione de salvatore Christo scribuntur, unam cognoscere operationem; hujus autem opificem & creatorem, ipsum Deum Verbum; instrumentum verò, humanitatem.* Et Actione XII. ex Epistola Sergii Constantinopolitani ad Honorium Papam: *Qemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, & disponitur ab intellectuali anima, ita & in Domino Christo tota humana ejus consperfio, ab ipsius Verbi Deitate agebatur semper, eratque θεοκίνητος*, id est divinæ motioni sequax & morigera.

Ex quibus claret hos Eutychianorum extremos surculos, ita Verbum animamque & carnem Christi contexuisse, ut quamvis ore tenus duas jactitarent naturas, unam reapse tamen in sinu & clam opinarentur; ideoque & humanam interciperent ac præfocarent voluntatem, ne ut imperatoria vis ea est, naturæ suæ nomen caputque sibi vindicaret: & rursus unam obtruderent Christi operationem, sicut unius hominis una est operatio, tam toto homine penes Verbum, quàm corpore penes animam non alium, quàm bruti & inanimi instrumenti locum explente.

II. Ostenditur ex adverso duplex operatio, adeoque duplex voluntas ex natura duplici.

Demonstratur autem primò ex adverso duplex Christi fuisse & voluntas & operatio, sicut & duplex natura: & ideo duplex voluntas atque operatio, quia duplex natura. Nusquam enim sejungitur natura quælibet ab operatione sua; & quorum natura una est, horum operationem unam esse: quorum duplex, duplicem, totidem commonstratur experimentis, quot visuntur in rerum universitate naturæ. Martinus Papa in Secretario I. Concilii Lateranensis hæc refert ex Basilio contra Eunomium, *Quorum operatio una est, horum essentia una est*. Et ex Cyrillo in Thesauro, *Solent enim quæcunque habent eandem operationem, ejusdem esse essentiæ: & differentiam naturæ in his esse, impossibile est.* Et Damascenus: *Duas igitur actiones in Christo asserere necessarium est, propter duplicem naturam. Nam quorum natura diversa, illorum diversa actio: & quorum diversa actio, illorum & diversa natura. Et è diverso quorum natura est eadem, horum & actio est eadem; & quorum actio una, horum & substantia una est, secundum divinorum interpretes Patres.* L. 3. fidei Oth. c. 15.

III. Naturarum infinito quodam intervallo distantium non potest una & eadé esse operatio.

Non potest enim natura longè dispar & dissimillima eadem pollere virtute, aut verò eadem operatione defungi atque natura præcellentissima, & in summo naturarum vertice, quin ultra naturarum omnium apicem, & extra omnem comparationis aleam collocata. Natura enim quælibet prout est, pollet: & prout pollet, operatur. Modo substantiæ contemperatur modus virium, & modo virium operatio adaptatur. Humanæ ergo atque divinæ naturæ, id est, creatæ & creatricis, infimæ & summæ, infirmissimæ & præpotentissimæ non eadem potest esse vis, non eadem facultas, non una proinde operatio. Quid enim aliud quàm susdeque vertuntur omnia, & summis ima permiscentur, si idem potest polletque, si idem præstat efficitque humanitas atque Deitas, hoc est, infirmitas atque omnipotentia? Damascenus: *Consubstantialis enim existens Deo & Patri secundum divinitatem, æqualis erit & secundum actionem: & consubstantialis nobis existens secundum humanitatem, æqualis nobis erit secundum actionem. Dicit enim Beatus Gregorius Nyssenorum Episcopus, quorum actio una, horum omnino & virtus eadem; nam omnis actio virtu-* L. 3. c. 15.

tis

tis est perfectio. Atqui impossibile est increatæ & creatæ naturæ unam naturam, aut virtutem, aut actionem esse. Ambrosius Lib. II. ad Gratianum, prout refertur Act. IV. Sextæ Synodi: *Æqualis ergo in Dei forma, minor in susceptione hominis, carnisque passione. Nam quomodo eadem possit esse, æqualisque natura? Quomodo autem si minor est, eadem facit similiter, quæ Pater facit? Nam quemadmodum eadem operatio diversæ est potestatis? Numquid sic potest minor, quemadmodum major operari; aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?* Et Actione X. refertur ex Cyrilli sermone XXXII. Thesaurorum hic locus: *Neque enim unam naturalem operationem dabimus Deo & creaturæ; ut ne id quod creatum est, ad divinam deducamus essentiam; neque iterum id quod naturæ divinæ præcipuum est, ad locum qui creaturis congruit, deponamus. Quorum enim operatio & virtus indifferenter una est, his necesse est & speciei unitatem servare.* Cùm igitur Dei & Hominis una voluntas & ex consequenti una confligitur operatio, exæquatur homini Deus, & Deo homo; quippe qui idem possint idemque faciant, atque ita nec Deus jam is est, cui æquatur homo: nec homo qui Deo par est: & tota mysterii copula labefactatur.

IV. Quàm distant naturæ tam distant & operandi facultates & operationes.

Præterea ex naturæ cujuslibet visceribus ebullit facultas seu virtus operandi, non ad modum naturæ tantùm admensa, sed ad naturæ cujusque ingenium peculiariter temperata. Quocirca quanta naturarum, tanta & operationum varietas est facultatumque, ex naturarum penetrali se effundentium, & in operationes sese refundentium. Obtinet ergo suas vires Deitas, obtinet & suas humanitas: suas unaquælibet ex se in se fundit, & extra sinum suum operando effundit. Virtus ergo operandi & operatio inde exiliens, quæ à Deitate manat, non manat illa ab humanitate, nec vicissim. Quin imò quàm dispar est utriusque indoles naturæ, tam dissimilis est utriusque & operatio & operandi facultas. Augustinus ut refertur Act. VIII. sextæ Synodi lib. V. adversus Julianum Pelagianum: *Motus animi quid est, nisi motus naturæ? anima enim sine dubitatione natura est; & ideo voluntas motus naturæ est, quia motus est animæ.* Et Leo Magnus Epistola ad Flavianum: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis.* En ut cuique naturæ speciales sunt vires, viriumque germina operationes, ex intimo substantiæ gremio naturaliter prorumpentes. Utputa hominis est flere Lazarum, Dei est resuscitare: hominis est clavis figi, Dei est Solem obscurare orbemque tremefacere. Unde ibidem Leo: *Sicut ergo non ejusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum, & eundem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ ad vocis imperium excitare redivivum: aut in ligno pendere, & in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere: aut clavis confixum esse, & paradisi portas fidei latronis aperire; ita non ejusdem naturæ est dicere, ego & Pater unum sumus, & dicere, Pater major me est.* Tam discordantia opera, ut non ejusdem sunt naturæ, ita nec ejusdem facultatis operandi aut operationis.

V. Nec perfectus homo fuerit Christus, si non habeat peculiarẽ hominis & voluntatẽ & operationem.

Adde quod nec Deus perfectus, nec perfectus homo fuerit Christus, nisi tum divina, tum humana ornatus sit & voluntate & operatione. Nec enim aut Deus aut homo est perfectus, cui deficit eorum aliquid, quæ Dei vel hominis sunt propria ornamenta. Eccubi verò homo est usquam aliquis, cui non humana adsit voluntas, adsit & propria operatio? Unde in Consultatione II. Concilii Lateranensis sub Martino Papa: I. *Perfectus non esset Deus, neque perfectus idem homo, magis autem nec penitus Deus nec homo existeret, dum constet, quia Deus naturaliter non est, qui divinam secundum naturam voluntatem & operationem non habet, nec iterum homo naturaliter poterit esse, qui minimè habet humanam secundum naturam voluntatem & operationem.*

VI. Nec rationalis anima aut humana fuerit, nisi ut verum intelligere, ita & bonum diligere possit.

Deinde si non pecudis, sed hominis assumpta est anima, adeoque intellectu suo munita; quin & voluntate, nam indivulso nexu hęret intellectui voluntas, & vel simul adest, vel una abest. Quis enim sibi mentem fingat, quæ veritatis luce lucere, non igne ardere nata aptaque sit; quæ summi boni pulchritudinem admiretur, nec exardescat; quæ intelligat, nec propendeat ad diligendum summum bonum? Bruta planè & demens fuerit istiusmodi mens, mentiumque gradu movenda. Martinus Papa in Concilii Lateranensis Consultatione V. hæc refert ex Gregorio Nazianzeno: *Si animatus est, siquidem sine intellectu, quomodo est homo; quia homo non est animal sine intellectu, atque necesse erit, secundum figuram quidem hominem eum esse, animam autem equi cujusquam, aut bovis, sive alterius bruti animalis eum habere. Si autem intellectualis & non sine intellectu est homo; intellectualis autem naturaliter per omnia & voluntarius est, &c.*

VII. Ex unitate operationis, ut in Deitate personarum, ita in Christo naturarum ęqualitas colligetur.

Ad hæc non alio frequentiùs aut validiùs ariete pulsati sunt à sanctis Patribus Ariani, eorumque imitatores Macedoniani, quàm quod necessum sit unam esse eandemque cum Patre Deo Filii & Spiritus sancti substantiam atque naturam, quando una est & operatio. Cùm enim creationem orbis, cùm administrationem ejusdem, cùm sigillatim opera omnia sacri Codices, nunc tribus conjunctim, nunc singulis seorsim adscribant, & quæ uni alicui nunc, postea alteri è tribus adsignent indiscriminatim; ubi una operatio est, ac proinde una sibique par operandi virtus, unam quoque substantiam & naturam esse argumentati sunt catholicæ veritatis vindices. Ergo ut ne una Deitatis & humanitatis natura sit in Christo, danda est opera, ne una constituatur operatio aut voluntas. Si ex una enim operatione una colligitur personarum divinarum substantia, quid causę erit, ut ne in Christo valeat ea collectio? Corrasa sunt complura ad hoc Patrum suffragia Consultatione IV. Concilii Lateranensis sępius jam memorati, & posthac memorandi sub Martino Papa. Ex Ambrosio: *Quomodo si minor est, eadem similiter facit, & quomodo eadem operatio diversæ substantiæ est?* Et infrà: *Ergo si unius voluntatis & operationis est cum Patre & Filio Spiritus sanctus, unius est essentiæ, quoniam per sua opera Creator ostenditur.* (L. 2. ad Gratia. Idem L. 3) Ex Basilio: *Quomodo differentia substantiæ, ubi identitas operationis cognoscitur? Immutatis namque substantiis, immutatas oportet esse & operationes.* (L. 1. cont Eunom.) Ibidem: *Quomodo diversitas essentiæ in Trinitate, ubi identitas operationis reperitur?* Ex Nysseno: *Ergo operationis identitas in Patre & Filio & Spiritu sancto luculentius ostendit similitudinem naturæ.* (Epist. ad Eust.) Ex Cyrillo: *Operabuntur similiter quæque eandem sibi sortita sunt naturam. Quibus autem essentiæ ratio dissimilis, his erit in omnibus operationis ratio dissimilis.* (In Evan. Jo.) Parco pluribus.

VIII. Cum tanti intersit duas Christi naturas cõfiteri, & eæ non pateant nisi per operationes, duas confiteri operationes necessum est.

Cùmque tantum momenti habeat ad salutem nostram utriusque in Christo naturę discriminatio, non patescant autem naturæ nisi per operationum suarum documenta, in quantum fides salusque nostra committitur periculum, si una Christi pronunciatur operatio? Quis enim non inde unam quoque conjectet naturam, sicque suam nostramque spem omnem dilapidet? Aut si duplex ingerenda inculcandaque erat hominibus natura Christi, unde illa luculentiùs quàm ex duplici operationum genere elucidari potuit? At verò geminę naturę fidem indicere, unam autem utriusque operationem ostentare, quid amabo, hoc aliud fuerit, quàm insidiari saluti spеique nostrę, laqueosque instruere, quibus irretiremur? Ambrosius: *Ille sum-*

summa tenere fidei pronunciatus est, qui & Dei Filium cognovit, & hominem non negavit. Ipse igitur utrumque unus, inseparabilis numero, & agnoscendus operis distinctione, non varietate personæ. Leo Magnus: *Quamvis ab illo initio, quo in utero Virginis Verbum caro factum est, nihil unquam inter divinam humanamque substantiam divisionis extiterit, & per omnia incrementa corporea unius personæ fuerint totius temporis actiones: ea ipsa tamen quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus; sed quid cujus naturæ sit, & ex operum qualitate sentimus. Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis; cùm ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur.* Athanasius Actione X. Sextæ Synodi refertur ex Orat. IV. contra Arianos: *Si viderimus eum per instrumentum propriæ carnis divinum quid agentem, sive loquentem, cognoscamus quia Deus existens hæc operatur: & iterum si viderimus eum humanè loqui vel pati, non ignoremus quod carnem induens factus est homo.*

In Psal. 61.

Serm. 15. de Pass.

IX. Unitas personæ naturas copulat, non operationes confundit vel perimit.

Præterea non aliud Christus est, quàm duæ naturæ in unum contextæ & coagmentatæ supposituum: quin ergo earum utraque pro genio quæque suo & velit & operetur? Nam illa naturarum conjugatio neutri quidquam abstulit, sed alteram alteri, summæ imam accessionis instar adglutinavit, Eo autem constituto, neutra destituitur ornatu suo quocumque. Deinde nihil periclitatur unitas personæ, tametsi duplex tum voluntas, tum operatio ejus prædicetur. Nam si naturæ substantiæque geminatio unitatis personalis non solvit vinculum, non solvet utique voluntatis & operationis concors duplicitas. Maximus Martyr disputatione cum Pyrrho: *Etenim si nihil aliud est Christus præter naturas duas, ex quibus & in quibus est, perspicuum est quod convenienter naturis suis Christus, id est ut unaquæque apta nata erat, unus existens, & idem, & volebat, & operabatur, &c. Sicut enim numerus naturarum unius & ejusdem Christi si piè intelligatur & dicatur, non dividit Christum, sed differentiam naturarum etiam in unione custodiri demonstrat; sic numerus voluntatum & operationum, quæ secundum substantiam in ejus naturis insunt, non divisionem inducit, absit, sed earum etiam in unione custodiam tantum & incolumitatem declarat.* Cùm ergo duplex operatio multò minus adversetur unitati personæ, quàm duplex natura: refragetur autem vehementer naturæ duplici simplex operatio, duplex indubitanter operatio astruenda est.

X. Inutilis & emortua jacebit natura, nisi sua se voluntate & operatione agat.

Simulachra gentium quia aurum & argentum, non homines sunt, ideo os habent & non loquuntur. Illis, quod dictu nefas, suum Monothelitæ Christum fabulati sunt simillimum, qui detruncata voluntate, qua sua se sponte ageret, inutilis immotusque jacebit, & alieno tantùm arbitrio impulsuque huc & illuc feretur. Unde in Lateranensi Synodo Consult. II. *In quo typo sine operatione & voluntate omnino, id est sine intellectu & anima immobilem ipsum gloriæ Deum Dominum nostrum Jesum Christum dogmatizaverunt, similiter Gentilium idolis inanimatis, de quibus dicit magnus David, Idola Gentilium argentum & aurum opera manuum hominum, os habent & non loquentur, &c. Quoniam tale est omne quod sine operatione & voluntate est.* Quo enim animata ab inanimis distant, nisi quod proprio se nutu nisuque id est sua se voluntate & operatione agunt illa, hæc alieno aguntur imperio & impulsu?

XI. Hominis ut natura, ita operatio una est Christi ut illa, ita & hæc duplex.

Quanquam autem consequatur operatio naturam, unica unicam, duplicem duplex, non ideo tamen ut tergiversatores cavillabantur hæretici, duæ in quolibet homine erunt operationes, ob duplicem animæ & carnis, spiritalem corporalemque naturam; atque adeo non jam duæ tantùm, sed tres saltem in Christo. Sed ut in quolibet homine unica natura est, ita & simplex operatio: ut in Christo duplex natura, non triplex: ita non triplex, sed duplex est operatio. Tam autem non fit una composita operatio ex divinæ humanæque contextu, quàm non fit una natura ex Deo atque homine: quanquam ex anima & carne, ut una natura, ita una & operatio confletur. In disputatione Maximi cum Pyrrho, ita objectat Pyrrhus: *Si propter differentiam naturarum in Christo duas dicitis operationes, & non propter unam personam unam operationem, duæ reperientur in homine operationes, propter differentiam substantiæ animæ & corporis ipsius. Quod si hoc ita est, tres erunt operationes Christi, non duæ.* Cui respondet Maximus: *Quæ vos ad tollenda ea quæ sunt naturalia objicitis, hæc ipsa contra naturas ii objiciunt qui contra eas pugnant, &c. si non dicitis tres in Christo naturas, quomodo tres operationes inferentur, &c.* Nec tamen crimini verti posse duxerim, si quis tres Christo operationes adscripserit, eo prorsus modo, quo tres eidem naturas, corpoream, rationalem & divinam tribuerunt nonnulli Sanctorum Patrum. Unicuique enim naturæ sua peculiaris & propria est operatio.

CAPUT II.

Idem ex eodem capite demonstratur, quòdque voluntas & operatio naturam consequatur, non hypostasin.

I. Voluntas & operatio sequitur naturâ, non personam: ideo in Deo Trino unica est ergo ideo & in Christo duplex est.

Demonstratur denuo duplex esse Christi voluntas & operatio ex eodem naturæ duplicis fundamento, quod nec ipsi concutere moliti sunt unquam Monothelitæ. Voluntas enim & operatio vel naturalis est vel hypostatica, id est, vel naturam consequitur vel hypostasin. Si naturalis concedatur, ergo ubi natura duplex est, erit & duplex voluntas atque operatio; aut ex adverso ubi fuerit unica voluntas atque operatio, erit & unica natura. Non est autem Christi natura una, sed duplex, ergo & voluntas atque operatio duplex est. Si autem hypostaticam obtrudant nobis voluntatem & operationem; & quia una Christi hypostasis est, unusque operans & volens unus, unam ideo ejus obganniant esse & voluntatem & operationem: ergo cùm in Deo tres sint hypostases, triplex erit Dei & voluntas & operatio, quod à fidei regula immaniter alienum est. Ut ergo in trino unoque Deo non propter trinitatem hypostaseon triplicatur, sed ob unitatem naturæ una constat voluntas & operatio: ita in Deo atque homine Christo, non una est propter unam hypostasin, sed duplex ob duplicem naturam tum voluntas, tum operatio.

Maximus Martyr disputatione cum Pyrrho: *Cum recusent isti fateri esse voluntatem naturalem, dicturi sunt esse hypostaticam, aut præter naturam? Si enim hypostaticam esse dixerint, erit igitur sic quidem Filius alia voluntate, quàm Pater. Si præter naturam, occasum interitumque substantiarum ejus docebunt. Siquidem quæ secundùm naturam sunt, ab iis intereunt quæ sunt præter naturam. Hoc autem libenter ipsos interrogarem. Deus universorum & Pater, vult quatenus Pater, an quatenus Deus? Si quatenus Pater, alia erit ejus voluntas præter voluntatem Filii, non enim Pater est Filius. Si verò quatenus est Deus, Deus autem est Filius, Deus item Spiritus sanctus, igitur concedent voluntatem esse naturæ, id est naturalem.* Et strictiùs paulò pòst: *Si cum operationibus inferuntur personæ, igitur cum personis, ut consequens est, inferentur operationes: & coacti eritis vestras regulas secuti, aut propter unam operationem sanctæ Deitatis, unam ejus personam dicere; aut propter tres ejus personas, tres quoque ejus operationes.*

Quæ

L. 3. Orth. fidei c. 14 15.

Quæ argumenta Maximi totidem verbis exſcripſit Damaſcenus. Theorianus quoque in Dialogo adverſus Armenos: *Quinam voluntates appellare debemus? Naturales, an hypoſtaticas? Naturales. Quippe ſi voluntates hypoſtaticas dicimus, tres in ſancta Trinitate voluntates concedemus, quoniam tres ſunt hypoſtaſes: igitur ut una voluntas eſt in ſancta Trinitate, quoniam una natura: ſic duæ voluntates in Chriſto ſunt, quoniam duæ naturæ.* Denique Agatho Romanus Pontifex in Epiſtola quæ habetur Actione IV. ſextæ Synodi: *Si perſonalem quiſpiam intelligat voluntatem, dum tres perſonæ in ſancta Trinitate dicuntur, neceſſe eſt, ut tres voluntates perſonales, & tres perſonales operationes dicantur, quod nimis abſurdum & prophanum eſt, &c.*

II. Solenne ſtatóque Patribus eſt, quæ eſſencial t r prædicãtur, in Deo ſimpla eſſe, in Chriſto dupla.

Præterea ſolenne illud Theologiæ & Oeconomiæ, ſeu Deitatis & Incarnationis diſcrimen à ſanctis Patribus commendatum eſt, quod quæ eſſentialiter prædicantur, ea ſimpla in Deo, in Chriſto dupla ſint omnia. Sic natura in Deo una, duplex in Chriſto; proprietas naturæ conſectaria quælibet in Deo unica, in Chriſto gemina. Ita denique voluntas & operatio Dei una eſto, Chriſti duplex. Idem Agatho in Epiſtola ſupra laudata: *Quidquid de eadem ſancta Trinitate eſſentialiter dicitur, ſingulari numero tanquam de una natura conſubſtantialium perſonarum comprehendamus, paternis inſtitutis ſic edocti. Cùm verò de una earumdem trium perſonarum ſanctæ Trinitatis, ſeu de Filio Dei Deo Verbo, & de myſterio ejus ſecundum carnem adorandæ diſpenſationis confitemur, omnia duplicia unius ejuſdemque Domini Salvatoris noſtri ſecundum Evangelicam traditionem aſſerimus, id eſt, duas ejus naturas prædicamus, &c. Et unamquamque naturam, proprietatem naturalem habere confitemur; & habere divinam, omnia quæ divina ſunt; & humanam, omnia quæ humana ſunt abſque peccato.*

III. Obiter indicantur diſſidia & pugnę Monothelitarũ, ut nihil apud eos conſtaret.

Adde quod niſi naturalis approbetur, & pro naturæ geminatione geminetur voluntas atque operatio Chriſti, lubrica ſunt omnia, nec uſquam erit ubi pedem figas. Perſpicuum id facit fluctuatio Monothelitarum, qui ex his in alias aliaſque jugi turbine ſententias raptabantur, & nunc divinam tantum Chriſto voluntatem attribuentes, Deum tantum illum perempto homine ſuſpicabantur; humanam modò tantum voluntatem affingentes illi, merum hominem, cæterorum inſtar conſultantem & huc illucque nutabundum fingebant. Nunc hypoſtaticam philoſophati voluntatem, in diſcrimen adducebant Deitatis beatam Trinitatem triplici voluntate deinceps laboraturam. Modò mera voluntatis copula geminas Chriſti connectebant naturas, & ad eum modum Neſtorio ſuffragabantur. Denique unam eamque œconomicam nomine voluntatem commenti, ſcopulos omnes evaſiſſe ſe ſperabant, cùm ſuo hoc ipſo allideruntur commento, Verboque ante œconomiam ſeu ante adſumptionem carnis, divinam abrogarent voluntatem, aut eam ipſa œconomia interimerent. Pulcherrimè fluctuationem hanc deſcripſit Maximus Martyr diſputatione cum Pyrrho, de Pyrrhi ipſius anteceſſore Patriarcha diſputans: *Nihil tam à tuo anteceſſore abalienavit, quàm mutabilitas ejus & inconſtantia, id eſt in alias alio tempore abire ſententias, & in nullo ſenſu permanere. Aliquando enim eos qui hanc unam voluntatem, divinam appellant, approbans, eum qui incarnatus eſt, dicebat tantummodo Deum eſſe. Aliquando verò eis aſſentiens, qui dicebant eam voluntatem eſſe* βουλευτικὸν *id eſt, conſultricem, hominem ſolum introducebat, more noſtro conſultantem, nihil à Pyrrho & Maximo differentem. Quandoque verò vocans hanc voluntatem hypoſtaticam, cum differentia perſonarum ſimul inducebat differentiam voluntatum in perſonis divinis ejuſdem ſubſtantiæ. Aliàs eos complectens, qui eam voluntatem* ἐξουσιαστικόν *id eſt ſuæ poteſtatis dicebant, unionem introducebat ſecundum habitudinem. Poteſtas enim, & authoritas & alia ejuſmodi, manifeſtè* γνωμικὸν *id eſt ſententiæ, non naturæ motus ſunt. Aliquando cum eos qui voluntatem vocabant* προαιρετικὸν καὶ γνωμικὸν *id eſt electricem & ſententialem, ſibi adjungebat, & dominos ſuos faciebat, non ſolum Chriſtum faciebat hominem merum, ſed mutabilem & peccatorem. Siquidem* γνώμη *id eſt ſententia, oppoſitorum eſt dijudicatrix, & eorum quæ ignorantur indagatrix, & in iis quæ non ſunt manifeſta, conſultatrix. Interdum eos ſequens qui œconomicam voluntatem in Chriſto dicebant, faciebat eum ante œconomiam non habuiſſe voluntatem.* Ita illi abrupta ſemel anchora fidei, per compugnantium errorum vortices huc & illuc in certum naufragium jactabantur.

IV. Exemplo hominis & ipſius Chriſti oſtenditur nõ poſſe diverſas proprietates in unam copulari, ſicut poſſunt unã vel naturam vel perſonã.

Ad hęc poſſunt quidem duę Chriſti naturę in unum quid, nempe in unam hypoſtaſin componi: nequaquam autem duæ voluntates in unum compoſitum ex utraque coagmentatum poſſunt concreſcere. Confluunt enim & veluti in unum coagulantur ſubſtantiæ quidem ipſæ, puta Deitas & humanitas in Chriſtum, anima & corpus in hominem quemlibet. At adverſariæ & invicem conflictaturę ſubſtantiarum proprietates, implicari ſibi mutuò & contexi in unum haud ulla ratione poſſunt. Non enim ex mortalitate corporis & immortalitate animæ, non ex gravedine corporis & pernicitate animæ conflatur quidquam unum in uno quolibet noſtrum. Non etiam in Chriſto ex finitate & infinitate, ex æternitate & temporali ætate, aut ex creato & increato concreſcere poteſt media quæpiam & utroque ſapore temperata qualitas. Ergo ſimiliter nec ex voluntate Dei & ex voluntate hominis voluntas uſquam una contexetur. In diſputatione Maximi cum Pyrrho, aiebat Pyrrhus: *Sicut ex duabus naturis unum aliquid compoſitum dicimus, ſic ex duabus voluntatibus naturalibus unam aliquam compoſitam dicamus. Ut qui duas voluntates dicunt, propter naturalem in Chriſto voluntatum differentiam; & qui unam dicunt, propter ſummam unionem, non amplius propter nudas ſeu ſolas voces inter ſe pugnent.* Cui ſtatim os obturat Maximus: *Ex eo erratis, quod ignoratis compoſitiones eorum eſſe, quæ ſunt in hypoſtaſi, non eorum quæ in alio ſpectantur. Atque hæc quidem eſt omnium tum Philoſophorum Gentilium, tum ſapientum Doctorum Eccleſiæ communis ſententia. Quod ſi voluntatum compoſitionem dicitis, cogemini etiam aliorum naturalium compoſitionem dicere, ſi modo vultis conſentaneo de veſtro dogmate diſſerere; aliorum inquam, creati & increati, finiti & infiniti, mortalis & immortalis, corruptibilis & incorruptibilis.* Rurſus inſtat Maximus, ut ex duabus voluntatibus unum quid conflетur, non illi quadrabit voluntatis nomen; non enim partes & totum eodem gaudent nomine. Deinde ſi una jam foret Chriſti operatio compoſita, ea nec Patris, nec matris operationi eſſet concors, aut concolor, quocirca & diſcordis minimèque conſanguineæ ſubſtantiæ ſuſpicionem non immeritò excitaret. *Quomodo autem ex voluntatibus compoſitum voluntas appellabitur? Non enim quod compoſitum eſt, appellatione componentium appellari poteſt. Aut certè ex naturis quod conſtat, natura appellabitur ſecundum veteres hæreticos. Præterea voluntate à Patre eum ſeparatis, cùm compoſita voluntate compoſitam, & ſolam ſignatis naturam.* Ubi & quarta ratio obiter tangitur, tam non poſſe ex duabus voluntatibus unam voluntatem, L. 1. c. 14.
quàm nec ex duabus naturis unam naturam in Chriſto coagmentari. Hæc ad verbum eadem habet Damaſcenus.

V. Natura rationalis ſine exitio ſui nõ poteſt ſua fraudari voluntate ac libertate.

Accedit ad hæc quòd natura rationalis & libera non poteſt ſua fraudari voluntate, & concomitante vel conſequente propriam voluntatem propria pariter operatione. Nam rationalis natura, vita quædam eſt, eaque quantum creatis indultum

eſt

ca naturis vivacissima: videlicet in eo sita ut sua se sponte moveat, suo se quò libuerit impetu libret. Deinde voluntatis non disciplinę, ergo naturæ. Nam discendo non consequimur, ut velimus, aut velle possimus, sed nascendo. Natura ergo hominis conjunctissimam sibi gestat voluntatem. Item ratio ipsa dominatrix quædam vis est, spectare summa & appetere, ac frui; despicere infima, & pro imperio regere naturæ suæ ingenio comparata. Non potest igitur rationi non colligari voluntas. Præterea quo distat homo à pecude, nisi quòd pecudem agit natura, non hominem? Animantium enim principem manu emisit, & jam revereretur creatrix ipsa natura, suoque potiri principatu liberum patitur, ut agat ipse se, non agatur: regat, non regatur extrinsecùs: ne qui extra principatur, domi serviat. Ad hæc imago Dei insculpta naturæ est humanę: imago nempe dominatricis omnium naturæ, in societate quadam & divini impertitione dominij splendescit. Dominari autem nisi voluntas non potest. Denique cùm nulli non homini voluntas insit, ea est sanè hominis natura, natura enim est, quæ omnibus par adest. Ergo seu hypostaticam, seu Oeconomicam, seu Gnomicam, seu quocumque demum alio nomine libeat Christi voluntatem insignire; naturalis illa certè est, nec potest deesse, cui humana nulla ex parte deest natura. Attigit hæc omnia Maximus cum Pyrrho disputans: *Si quæ naturalia sunt, non docentur; ut autem velimus, nulla doctrina comparatum est; nullus enim unquam velle docetur; natura igitur homo volendi facultatem habet. Rursus si natura homo est rationis particeps: quod autem est rationis particeps, natura etiam liberæ potestatis est: libera autem potestas, ut patres sentiunt, voluntas est: igitur homo natura voluntate praditus est. Præterea si in ratione carentibus ducit quidem natura, ducitur vero in homine, qui libera potestate secundum voluntatem movetur, est igitur natura hominis insitum velle. Item si homo factus est ad imaginem beatæ & supersubstantialis Deitatis; est autem divina natura liberæ potestatis: homo ergo & ipse ut verè ejus imago, natura est liberæ potestatis; si autem natura liberæ potestatis, ergo natura compos voluntatis. Iam enim dictum est definiuisse Patres τὸ αὐτεξούσιον, id est, liberam potestatem, voluntatem. Deinde si omnibus hominibus inest velle, & non his inest, illis non inest: quod autem communiter in omnibus spectatur, naturam signat in individuis, quæ sub ipso sunt: ergo homo natura voluntatem habet.* Ita in unum aggerem complura beatus Martyr hæc argumenta congessit.

VI. Injuriosum est Christo auferre apicem naturæ humanę voluntatem.

Eadem ferè complexus est omnia Damascenus libro de duabus Christi voluntatibus. Ac primum quidem cum homo naturarum omnium conglobata & velut in compendium missa universitas quædam sit, cæteris sui partibus cæteras inferiores participat naturas, ratione autem & voluntate naturam imitatur Angelicam & substantiam inter creatas summam. Et quidem voluntas rationi præest, illam incitat suo nutu & moderatur; corpori etiam ipsi incubat & imperitat. Qui ergo humanæ voluntatis expers esset Christus Monothelitarum, is cassus esset orbusque ea vita, qua maximè homines sumus, qua Angelis accedimus, qua corpus regimus, qua rationem & sequimur & incitamus. *Ei autem cum naturis corpore vacantibus & mente præditis ratio communis est, & qui rationem sequitur appetitus, quæ voluntas dicitur, primusque mentis est motus. Qui enim vult, is intelligentia movetur & ducitur; cum vult ratiocinatur, & cogitat & judicat. Hæc autem appetitio libera est, &c. animi solius qui rationis princeps est, propria est per se vita, intelligentia, & appetitio, quæ rationi obtemperat, quæ voluntas vocatur. Præterea animi est id quod verissimè & maximè proprie hominem à natura Angelorum sejungit, in corpore habitare, eique vitam & motum largiri, libereque suo arbitrio movere & impellere corpus, naturalique imperio corpori in quo est, ut servo sibi à natura dato, præesse. Itaque magis ad Dei simulacrum homo effectus est, quàm Angelus; Angelo enim non est à natura servus datus & dominatio &c.* Ergo cum voluntate excutitur Christo humana propriè vita, qua æquatur quodammodo Angelis, qua propriè sejungitur ab Angelis, qua antecellit quadamtenus Angelis, qua dominatur corpori, qua se agit, se movet, qua verè & principaliter vivit, vitamque Dei omnium dominatricem maximè æmulatur.

Deinde eodem authore Damasceno, plurima animantis vita in perpetiendo magis, quàm in agendo aut efficiendo quidpiam versatur. Influit enim in animantis sensus, ceu in conceptacula quædam patula & obnoxia, jugis sensibilium torrens, & hæc excipere atque perpeti, his pulsari & affici, idverò sentire, id vivere est. At voluntas vita quædam est efficacior, quæ non patitur, sed agit; non ducitur, sed ducit & imperat, tum sibi, tum reliquis. Voluntas ergo quoddam est vitæ genus prænobile & imperatorium, & quasi vitæ summum fastigium cùm reliqua vitæ genera humi reptent & serviant, sensumque aliqualem perpetuis passionibus redimant. *Passiones dicuntur, quia natura omnis creata patiendo movetur & operatur. Sola autem Dei natura non patitur, sed impatibiliter movetur, & immobiliter operatur. Quædam tamen earum, energiæ seu operationes magis quàm perpessiones, quædam magis perpessiones videntur esse. Rectius enim vitam, actionis: mortem autem & sectionem & lapsionem, perpessionis nomine appellaveris.* Pergit vegetantem & sentientem vitam in perpessione collocare. Deinde: *Intelligentia autem, appetitus cum ratione, cogitatio, quæstio, &c. actiones nominantur. Quanquam autem intelligentia potius actio videtur esse, & appetitus perpessio: omnis enim patitur, qui appetit: tamen appetitum eum, qui est cum ratione, energiam dicimus, propterea quod liber est, imperatque irrationalibus passionibus, & judicat, & gubernat, &c.* Intelligentiam ipsam rerum formis imprimi, ideoque & affici, & pati, cui non exploratum est? Sola ergo superest voluntas quæ Deum propriùs effingat, quæ cum ipso sit ἀπαθὴς, ἀπαθῶς κινουμένη, καὶ ἀκινήτως ἐνεργοῦσα; quæ ideo verè vivat, verè agat, passionis expers, quæ veluti quoddam ad mortem præludium est. Vitam ergo humanam Christo amputant qui voluntate ipsum humana obtruncant.

VII. Vita reliqua pene repeat, sola volūtas vivit & imperat.

Rursus ex eodem regiam vivit vitam voluntas, cùm reliquorum vita precaria sit, & obnoxia, ac servitutis vinculo implicata. Voluntate sola Rex est homo, & animantium Imperator. Mens enim regnandi instrumentum quoddam est, & imperii subsidium, non ipsum imperium. An ergo ut Regi Deo, ut Verbo principi factorique omnium, naturam hominis, Reginam & ipsam suo quodam modo adornemus copulemusque sponsam, suo priùs illam regno, id est, sua voluntate spoliabimus? *Præsunt natura, quæ ratione utuntur, rationis expertibus. Quod si homo ut rationis particeps, omnis ejus naturæ quæ rationis expers est, Rex est factus, &c.* Est enim voluntas, ut idem ibidem definit, αὐτοκράτορος τῆς κίνησις αὐτεξούσιος, *Dominatricis mentis liber motus.*

VIII. Non potest divina volūtas obire munia humanæ id est esurire, sitire, &c.

Præterea ut idem monet, non satis aptè quadrat hominis naturæ divina voluntas, nec humanæ voluntatis locum vicesque sufficere satis consentaneè potest. Vult enim Deus, vult homo, sed non ea, non eo vult Deus modo atque homo. An enim esculenta & poculenta, an somnum & id genus alia volet Verbum Deus, & ex impulsu hoc suo humanitatem suam aget? Hæc planè velle, quid aliud est, quàm esurire, sitire, dormitare; quæ à natura & voluntate Verbi quantùm abhorreant, quis

non

non videt? Vult quidem Verbum Deus ut homo hæc velit: sed hæc ipse velle tam non potest, quàm nec esurire, nec sitire, nec dormitare. *Quæ sunt ejus voluntates, eæque aliæ & aliæ pro naturarum differentia. Divina enim omnia complectitur voluntas, utpote omnium præpotens, &c. Neque enim quæ sub humanam voluntatem cadunt, ea divina sunt voluntatis. Nam cùm à primo ortu natura humana & esculentorum, & poculentorum, & somni cæterorumque id genus cupiditate ducatur, hæc tamen divina non desiderat. Neque enim hæc appetit, etiamsi naturam humanam hæc velit desiderare naturaliter, & quemadmodum & quando præscribit.*

IX. Verbum hominem, hoc est, imago imaginē assumpsit, ergo voluntatem, in qua magis imago est.

Denique ex eodem Damasceno, cùm divinam gestet homo imaginem, ut congenitam nobilitatis suæ tesseram, eamque non alibi magis insculptam gestet, quàm in imperiosa & dominatricis omnium naturæ velut æmula voluntate: ubi Verbum germana Dei imago & primigenia, imprimere se naturæ nostræ ut secundariæ imagini constituit, non utique voluntatem repudiavit nostram, hoc est imaginem suam. Cui enim lubentiùs illabatur imago, quàm imagini? *Iam cum ad Dei imaginem & simulachrum effecti simus ex ea parte, quæ intelligentia & libertate continetur, si voluntatem liberam Christus non accepit, profectò ad Dei simulachrum non fuit effectus.* Et opusculo, *Quomodo ad imaginem Dei facti simus*, in libero maximè arbitrio, quòdque teneat principatum homo, animusque corpori imperet, imaginis censet dignitatem.

X. Operatio & voluntas ipsamet est natura, ut exiliens & promicans. Ergo auferri nō potest sine exitio naturæ.

Quo eodem commentario de Imagine Dei eleganter describitur à Damasceno substantiæ & operationis, animæ & voluntatis indivulsa coalitio, ut operatio seu energia non aliud sit quàm vigor naturæ erumpens, aut natura ipsa emicans ex se & exiliens; unde si cui naturæ sua intercipiatur operatio, quasi ipsa sibi eripitur, orbatur seipsa, inersque jacere & squallere cogitur, sensimque contabescere & inaniri. Similiter voluntas naturæ rationalis energia & efficacia est, aut ipsa est substantiva ratio promicans & insita alacritate exultans & dominatrix, ut tam non possit sua voluntate exui, quàm nec seipsa. Quocirca voluntate & operatione humana quisquis Christum viduat, perinde est ac si humanitate orbatum, hominem tamen esse jubeat, & arcana hæc mysteria in ludibrium sibi rapiat. *Est enim actio naturalis, uniuscujusque naturæ vis & motus. Rursus actio est vis naturalis, uniuscujusque essentiæ interpres. Item operatio, seu energia vis est animi intelligentis, naturalis & prima, perpetuo motu agitabilis; hoc est perpetuo motu agitabilis ejus ratio, naturaliter semper ex ipso ceu fonte profluens.* Vivax enim animus irrequieto semper versatur motu, & hæc ejus vitæ vivacitas est: unde ipse sibi excutitur, si alienis tantùm, non suis cietur impulsibus. *Atque ut rem in pauca contraham, operatio est naturæ cujusque physica facultas & motio, qua separata res in nihilum recidit. Quid est ergo quamobrem Christus humanæ naturæ operationem non habeat? cùm præsertim sublata naturali cujusque actione, naturæ interitus consequatur.* Damasceno ergo his locis omnibus aliisque, ἐνεργείας, seu operationis nomine tum operatio ipsa, tum operationis facultas, seu tum δύναμις, tum κίνησις comprehenditur: & voluntas ipsa eodem operationis nomine complicatur. Est enim voluntas & quælibet animæ intelligentis facultas, non vis aliqua tantùm, sed operatio, non δύναμις tantùm, sed ἐνέργεια, quia insomnis, quia pervigil, quia irrequieta, quia vivax efficaxque, nunquam sopitur, nunquam torpet, sed vivit, movet, à quiete ceu à morte abhorret. Quo minùs mirum est, si qui voluntatem, iidem operationem humanam Christo abscindebant.

Non prætermitti tamen debet quod idem commemorat Damascenus, voluntatem aliquo sensu hypostaticam dici posse, non eam qua homo vult, sed qua hoc vel illud, hoc vel isto modo vult. Nam absolutè velle, naturæ est: in hanc verò vel illam rem voluntate inclinari, itemque remissiùs vel vehementiùs voluntate incitari, personæ est arbitrio se suo agentis. Voluntas ergo illa naturalis est, hæc hypostatica. Non potest tamen hypostatica consequi, nisi naturalis antecedat. Nec enim aliud & aliud, alio & alio modo velle quis potest privato & hypostatico suo judicio, nisi à natura vim ipsam volendi sit consecutus. Ergo in Christo constituenda priùs est naturalis humana voluntas, & tum hypostaticam etiam ei largiemur voluntatem, qua admoderante hominem Deo, ea vellet & eo vellet modo, ut Deum hominem addeceret. Et horum in aperto est ratio. Natura enim est quod communiter omnibus congruit; hypostasis est singulare quid & individuum. Velle autem simpliciter, omnium hominum est. Hæc vel illa velle, hoc vel alio modo velle, non omnium jam est, sed singulorum peculiare. *Natura ut placet sanctis Patribus, commune quiddam est & infinitum, & quasi infima species, ut homo, &c. Hypostasis est quoddam singulare & per se subsistens, &c.* Et infrà: *In natura humana omnes eæ proprietates quæ à Deo effectore datæ sunt omnibus hominibus, naturales vocantur, &c. Earum autem distinctio & differentia ad hypostasin spectat, &c. Voluntas & velle, naturæ est: varietas voluntatis & variis modis velle, hypostaticum est.* Et Libro eodem de duabus Christi voluntatibus, paulò inferiùs: *Voluntas ad naturam pertinet, & velle simpliciter. Omnis enim homo vult, &c. Quomodo autem velle, ut bene aut male: aut aliquid, ut hoc vel illud, non est naturale, sed γνωμικὸν, vel ὑποστατικὸν arbitrii & hypostaseos.* Ita quod jactabatur identidem, & adulterabatur à Monothelitis, catholicæ sententiæ vindicandum est velle Christi Gnomicum & Hypostaticum, quod utique physicæ & naturali superfundabatur voluntati.

XI. Est quidē & hypostatica voluntas in Christo, sed naturali superstruenda

CAPUT III.

Idem demonstratur ex eo quod ad medelam & ad exemplum assumenda fuerit voluntas & operatio.

I. Quantò altiùs volūtati inhæserat peccati lues tantò ea assumendo sananda erat

Demonstratur rursus voluntatem humanam præ cæteris coaptandam fuisse Verbo, nempe medico ægram, ut convalesceret: erat enim illa præceps in abrupta defectionis, totumque hominem suo implicuerat exitio. Illi ergo primùm comparandum fuit medicamenti subsidium. Quò attineret autem tota Verbi dispensatio in carne medicinalis, si pharmacum reliquo aspergeret corpori: vulnus autem ipsum attrectare aut curare abnueret? Non curatur nisi cui ipsa Verbi substantia, tanquam vitæ & sanitatis incorruptela infunditur. Cùm ergo non ipsa animæ substantia potentiis suis trunca, & torpida atque obrigescens peccati lue laboret, sed in voluntate potissimùm sua ægrescat, ingravescatque in die inquietæ hujus potentiæ morbus, hic nimirum facienda medicina est. Damascenus: *Ut ait Gregorius Theologus, quod non est assumptum, id curatum non est. Quid enim præter voluntatem peccaverat? Quod ergo offenderat, quod peccaverat, id majore egebat curatione. Quod si neges assumptum ab eo esse, quod peccaverat, fateare necesse est ab eo naturam quæ peccaverat & ægrotabat, non esse susceptam.* Et idem alibi: *Si volens Adam obedivit, & cum voluisset, comedit: igitur voluntas in nobis est προπαθὴς, id est, primò affecta & ægra. Et hanc cum natura Verbum incarnatum non suscepit: non ergo extra peccatum facti sumus.* Quæ eadem ad verbum habebat

L. de duabus Chr. volunt.

L. 3. fid. Orth. c. 14.

bebat Maximus Martyr in Disputatione cum Pyrrho.

II. Si potuit voluntas, potuit & tota natura non assumi & sanari tamen.

Martinus Papa luculentissimè argumentatur totum carnis assumptæ sacramentum collabascere, nisi sit adsumpta cum toto homine etiam hominis voluntas. Nam si sanari potuit, etsi adsumpta non sit, ea quæ gravissimè sauciata erat voluntas nostra potuit ergo & reliqua, adeoque tota hominis natura non adsumi, & cumulatissimè tamen à morbo suo recreari. Potuit ergo, imò & debuit Verbum Deus tota illa carnis gestatione, suique defatigatione supersedere. Potuit ergo ut voluntatem, ita naturam reliquam compendio majore & minore impendio relevare. Potuit ergo non aspersa medicina revalescere, non infusa vita reviviscere, non impressa sapientia sapere, non inserta sanctitate sanctificari tam natura tota, quàm potissima ejus portio voluntas. Non ergo sua morte mortem interemit nostram, non timore suo nostrum discussit timorem, non tristitia sua nostram serenavit, non perturbatione sua tranquillavit nos, non per omnia assimilatus fratribus est, ut simili simile curaret, utque similitudine nostra indutus, suam nobis refunderet; non denique in quo tentatus & passus ipse est, potens est iis qui tentantur similiter opitulari. Quandoquidem voluntatis expers, adeoque operationum & perturbationum voluntatis immunis, nostras & voluntates & voluntatis infirmitates invictissima virtute sua fulcit & corroborat. Et Scripturæ ergo authoritas & mysterii dignitas salutisque nostræ procuratio nefario Monothelitarum ausu evertitur & conculcatur. Audiamus Martinum Pontificem & Martyrem ex Cyrilli dogmate ita disserentem: *Sicut minimè mors destrueretur si non fuisset mortuus, ita in unaquaque carnis passione intellige. Si enim non formidaret, non utique libera natura à formidine facta fuisset. Si non esset contristatus, non liberaretur à tristitia, nec unquam de his aliquando natura nostra secura fieri potuisset. Et in omnibus quæ secundum humanam naturam facta sunt, eandem rationem conservans, inveniens carnis passiones in Christo motas fuisse, non ut obtineant sicuti in nobis, sed ut motæ destruerentur per virtutem inhabitantis carni Verbi, in melius transmutata natura, &c. Dispensationis denegat verbum dissensionis illorum argumentatio, cum minimè confitentur secundum sanctos Patres, quia sicut per mortem mortem destruxit, ita & tristitia nostram tristitiam, & perturbatione atque timore timorem, & compendiosè passionibus voluntatis omnes passiones nostræ naturæ*. Ita ille magnificè voluntatis nostræ perturbationes, per consimiles, sed inculpatas Christi perturbationes sanandas prædicat fuisse, ideoque excitandas in illa fuisse, *ut motæ destruerentur per virtutem Verbi carnem inhabitantis, natura in melius transmutata*. Si illæ ergo non erupissent in Christo, nec compressæ fuissent: at erumpere ideo sinebantur, ex humana ejus voluntate, ut ab inhospitante Verbo omnipotente protinus invaderentur, & non in ipso tantum, sed in omni natura eliderentur.

Martinus idem ibidem rursus legens Nazianzeni vestigia: *Omnia assumens & uniens sibi substantialiter quæ sunt naturæ nostræ sanavit, id est, carnem, animam, intellectum, operationem, voluntatem, per quas sponte Adam præceptum transgressus est, qui totus deliquit, & totus damnatus est. Si enim dimidiam naturam culpasset Adam, juxta quod Gregorius Theologus ait, dimidius & assumptus esset, & salvatus*. Decurtatur Incarnatio, si quid hominis assumptum non est, decurtatur salus hominum, latiùsque serpit morbus quàm medicina, nisi quàm totus peccavit, tam totus Verbi copula reparetur homo.

III. Toto Verbo hoc est, tota medicina

Sexta quoque Synodus Actione x. ex Cyrillo c. XXIV. de Thesauris, eadem intexit quæ suprà Martinus. Et ibidem ex L. VII. Cyrilli in Evangelium Joannis: *Mortis subingressa memoria turbare pertentat Jesum: Divinitatis autem potentia commotam statim subjicit ægrimoniam, & continuò ad incomparabilem transformat audaciam quod formidine fuerat superatum*. Et ibidem: *Utiliter commovebantur in Christo quæ humana sunt, non ut mota prævalerent atque accrescerent, quemadmodum & apud nos; sed ut mota per virtutem Verbi abscinderentur, ad meliorem quemdam & diviniorem statum transmutata natura in primo Christo; ita enim fas erat & non aliter, ut etiam ad nos ipsos sanationis modus transiret*. Non ergo voluntas, non voluntatis propagines, seu operationes & affectiones radicitus extirpandæ Christo sunt, nostra ut instruatur medicina: quia nec nos ut curemur, hoc toto naturæ nostræ instrumento detrucandi sumus. Sed humana illi voluntas & voluntaria omnis affectio donanda sua est, & plurimo inficienda Verbo, toto Deo, tota Verbi firmitate invictissima, & incommutabili impeccantia, & sanctitate, imbuenda fuit, ut ejusdem beneficii potiundi spes nobis fiat, arrha etiam quædam concedatur.

imbuendam est, quidquid sanandū est.

IV. Tam assimilatus est nobis Deus, quā assimilare totos sibi nos voluit.

Sexta eadem Synodo Act. XIV. legitur ex Athanasio quod efficaciùs idipsum evincat. Commiscere se nobis Deus ad hoc instituit, ut suam nobis ipse similitudinem, nostram sibi indueret. Eò pertinet totum illud, quo fit Deus homo, ut homo fiat Deus. Intererat autem nostra plurimùm omnium, ut immutabili impassibilique sua voluntate nos Deus Verbum convestiret: ergo & ipse nostra voluntate amiciendus fuit. *Similitudinis Domini ad nos utilitas magna est, eo quod & nos assimilamur ad eum. Nisi enim ille assimilatus fuisset hominibus, non poterant Deo homines assimilari; sed ad Deum hominem factum adsimilantur homines. Oportebat itaque eum qui, ut nobis similis fieret, descendit, in hoc maximè similem effici, in quo transmutari indigebamus. Transmutari autem egebamus secundum passiones, ut hæc in impassibilitatem transferrentur, &c. Ideo advenit Christo affectio, ut vincatur: ideo victa est, ut omnis natura humana per cognationem beneficium accipiat. Ex hoc quippe incipientes transfiguramur omnes, ex passibilibus impassibiles, & ex mortuis viventes effecti*.

V. Sanctificari & deificari in Christo decuit operationē & voluntatem humanam, non extingui.

Præterea voluntas & affectio humana per suam ad Deitatem Verbi coaptationem, deificanda fuit, non absumenda; sicut & natura humana per suam cum Verbo coalitionem consecrata est & deificata, non absumpta. Neque enim eo constat restaurationis nostræ summa, ut quæ vitiatæ sunt naturæ nostræ portiones, eæ execentur radicitus & intereant; sed ut incolumes ipsæ quidem perstent, à vitio autem purgatæ castificentur, & deificentur Verbi insita sanctimonia. Voluntas ergo non præfocanda erat, ne in peccatum deflueret, sed prævertenda astringendaque incommutabili sanctitati per Verbi illapsum. Deinde non minus à carne jam quàm à voluntate imminebat periculi, ne in peccati contagium abriperemur: caro enim peccati jam est, & inexhausta quædam vitiorum sentina. At ut carnem à peccati lubrico relevaret, non assumere abstinuit, sed assumendo deificavit Verbum Deus: ergo & voluntatem similiter. Postremò ex opificii cum opifice suo conglutinatione, nihil exitii, dispendii nihil importatur opificio. Integrare enim opus suum, non detruncare: reficere & perficere, non debilitare aut luxare opifex adsolet. Deificare ergo potuit Deus hominem, augere, cumulare potuit: diminuere autem vel tantillo ejus ornamento, nedum summo, utpote libera & imperatrice voluntate, neutiquam potuit.

Damascenus: *Quemadmodum caro deificata est, & transmutationem sua natura non est passa: hunc in modum & voluntas, & actio, deificata sunt, & proprios non sunt egressæ terminos*. Maximus L.3.c.18.

mus Martyr disputans cum Pyrrho ex eo quod Nazianzenus Velle Christi deificatum dixerat, sospites in eo duas esse voluntates argumentatur, cum ex adverso unam indidem Monothelitæ somniarent. Nam ut illuminatio & illuminantem & illuminatum signat, ita deificatio deificantem & deificatam prodit voluntatem: *Præterea si voluntatis deificatio est contraria duabus voluntatibus, sicut isti sentiunt, deificatio etiam naturæ erit contraria duabus naturis*. Et Act. IV. Synodi sextæ ex Epistola Agathonis Papæ, eidem innitentis Nazianzeno: *Si divinam & deificatam habuit, duas utique habuit voluntates. Quod enim natura divinum est, deificari non indiget; quod vero deificatur, non est profecto natura divinum*. Idem habetur Act. VIII. paulò ante finem. Et Actione XVIII. *Quemadmodum sanctissima atque immaculata ejus caro, deificata, non est perempta, sed in proprio sui statu & ratione permansit: ita & humana ejus voluntas deificata, non est perempta; salvata est autem magis secundum Deiloquum Gregorium, dicentem, Nam illius velle quod in salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum est totum*. Insomnia ergo sunt hæc delirantium hæreticorum, & in suam ipsorum perniciem furentium consilia, ut voluntatem ne peccato consentiat, extinguere occupet Deus, & nihilo, antequam emerserit, immergat. Ita enim naturam hominis totam & universum genus nostrum non sanctificando, non deificando, sed inaniendo præfocandoque debuerat à peccato liberare.

VI. Creator creatura reparat, nó truncādo creatas dotes, sed divinas adjiciendo - Anchorati. n. 79.

Longè aliæ sunt artes beneficentiæ divinæ: & voluntatem & naturam totam ab interitu vindicare instituit, non naturales interimendo dotes, sed divinas insuper accumulando. Denique Epiphanius *Si ex eo quod mentem susceperit, in peccati potestatem venisse dicatur, multo sanè magis id ex eo consequetur, si carnem induisse fateamur, citra quam peccatum perfici non potest. Manifesta sunt enim opera carnis*. Et sanè quidem proclivius est voluntatem recens creatam & intaminatam coagulare Verbo Deo, & creando coagulare, atque ita à peccati vel suspicione vindicare; quàm carne olim contaminatam; & per tot avos atavosque contagioso traduce derivatam. Nec enim carnem sic assumendo creavit, ut voluntatem, sed originali propagatione seminatam olim assumendo mundavit. Quantò facilius voluntatem ex opificis manu recentem?

VII. Sanctitas ea præstruēda erat nobis, non ut voluntate truncaremur, sed ut eam Deo subjiceremus.

Demonstratur idem denuo: Non illud nobis præstruendum erat exemplum, coaptari Deo nulla arte nostram potuisse voluntatem, sed interimendam fuisse, ne rebellaret, totamque ne hominis naturam à Deitatis abalienaret consortio. Quid enim inde nobis spei refulsisset? Aut quanta potius incubuisset desperatio? Qui enim voluntate nostra numquam exuendi eramus, in peccandi quandam abjecti necessitatem, à Deo æternùm exularemus. Præstabilius ergo fuit, hanc ipsam potissimum voluntatem & operationem, qua resilire à Deo potis est substantiæ quælibet rationalis, ab omnipotente Verbo corripi, & suavissimis invictissimisque nexibus incommutabili justitiæ obligari: ut hinc etiam nobis ejusdem impeccantiæ hic sperandæ æmulandæque amor, post hanc vitam consequendæ fiducia inferatur. Adde sanctitatis nostræ summam in eo verti, non ut propria careamus voluntate, divino autem nutu tanquam inanimes agamur: sed ut voluntatem propriam liberamque divinæ utique superiori & liberiori mancipemus, ejusque jussa & consilia libentes volentesque complectamur. Quæ nobis ergo ponebatur ob oculos æmulanda sanctitas Christi, non in humanæ voluntatis amputatione constituenda illa quidem fuit, sed in ejusdem volentis libentisque ad omnem divinæ voluntatis auram pronissima consensione. Ad hæc, contumeliosa hæc est humanæ divinæque voluntatis æquiparatio, si consociari altera alteri non posse, si perinde imperiosa utraque & perinde impatiens consortis esse existimetur. Si enim quàm divina non potest parem, tam non possit humana superiorem pati, quæ divinæ prærogativa est voluntatis, quæ humanæ subjectio? Exemplum hinc sanè cum primis exitiale manaverit, quo pietas & religio universa à fundamentis convellatur.

VIII. Intererat & id exemplo Christi sanciri, humanam voluntatē non extingui, sed illustrari & augescere sua ad divinam conjūctione & subjectione.

Interest ergo ad pietatis stabilimentum, ut intelligatur, & splendidissimo, quod Christus ipse per seipsum exhibeat, documento constet, creatoris imperium creaturæ suæ compendio esse & ornamento, non detrimento, non dedecori: creaturæ dignitatem integritatemque suo in obsequio, ac creatoris servitute augescere & illustrari, non deminui, non sordescere: divinæ voluntati humanam non loco cedere, quasi insociabilem & æmulam, sed accedere quasi mancipem & obnoxiam: humanam libertatem non divini insolentem imperii, faciliùs extingui quàm principatu suo orbari, sed tum liberiorem esse cum Deo servit; tum principari liberrimè, cum secundas imperii partes sustinet: denique ut ratio & lux & sapientia humana non decedit, non obscuratur, non interit divinæ rationis, increatæ lucis, & sapientiæ incommutabilis allapsu, sed perficitur, magisque & magis inclarescit: ita libertatem seu voluntatem humanam omnipotentis Dei voluntatis conjunctione non deprimi aut aboleri, sed liberiorem libentioremque fieri, utpote ipsi libertatis & dominii scatebræ immersam.

IX. Non divina tantum, sed & humana voluntate ac operatione vincēdus erat diabolus, ut & nobis spes ac fiducia accederet ejus vincendi.

Denique ad perterrendum peccati principem diabolum, ad animum nobis exaggerandum, quo debellare eum audeamus, non divina, sed humana Christi voluntate domandus frangendusque ille primùm erat, elidendusque: conterere ut illum & nos humana nostra divinitus adjuta voluntate aggrederemur. Nam si divina tantùm fregit illum & omnipotens voluntas Verbi, quid spei nobis accrescit ab hoc exemplo? Quid fiduciæ ab hac victoria? An humana nos id consequemur, quod nec Christus potuit nisi divina voluntate?

Theodorus Abucara Opusculo VII. *Quia vita compositio & ordinatio Adæ, ad Adam & ad posteros ejus pertinebat, cum videret illam diabolus à se victam esse, non personam Adæ & reliquos homines, victos esse reputavit, sed ipsam naturam. Sic enim aiebat, quia Deus creavit hominem, qui neque mihi, neque peccato resistere posset. Idcirco Deus Verbum assumpta natura humanitatis perfecta, usus est libera ejus voluntate & sensibus, & naturalibus potentiis omnibus convenienter naturæ, & ut oportebat, & secundum voluntatem Dei, atque ita vicit diabolum, non opposita ac suppeditata in luctatione virtute divina, & ampliore quam naturali: sed ut decebat Deum & legem, usus naturalibus & omnibus naturæ partibus & potentiis, & organis sic compositis, sicut conveniebat, ut mensura humanitatis postulabat. Atque ita vicit, & ostendit naturam victricem; & naturæ deinceps victoria & justificatio attribuitur*. Sibi enim vicerit, non nobis, si divina tantùm vicit voluntate. Ut ergo & mihi Christus vicerit, in mea necessum est ut pugnet vincatque voluntate: tum ejus victoria, mea erit, mihique & exemplo proderit & auxilio, si in mea reportetur libertate.

Athanasius ut refertur in sexta Synodo Act. XIV. *Tolerat autem & perturbationem carnis sub ipsa morte adveniente. Etenim quomodo obediens esset, nostram pro nobis obedientiam complens, nisi & contra haberet adversitatem, & adversitatem vinceret: Nobis siquidem quando ex carne infestatio fit, si inobedientes fuerimus mandato, victi carne, hoc modo peccatum emergit. Ergo & in Domino, adversitatem quidem fieri oportebat à carne*

ne,

ne, obedientiam verò vincere. Quamvis enim Deus est, veram in carne & secundum carnem obedientiam complet, & voluntati carnis, voluntas prævalet Deitatis. Sicut prædixit, quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris: propriam voluntatem dicens ipsam carnis. Nam caro propria ejus erat, neque enim voluntas Filii divina, à voluntate Dei separata est. Oportebat quippe moveri carnis voluntatem, subjici verò voluntati Deitatis: & ita hominum inobedientiæ solvuntur per hanc admirabilem obedientiam, qua Christus obedivit pro nobis. Et paulò infrà: *Nullus hominum est, qui non seipsum abstraxerit à voluntate Dei ex aliqua parte, vel re, vel tempore. In solo autem Christo inseparabilitas voluntatis servata est; quem adsequentes, conjunctionem ad Deum lucramur, unitionemque salutarem, ad similitudinem ejus, ad similitudinem divinæ unitionis.* Hoc ergo roboramur exemplo, hac recreamur spe, non nostra ut nobis exculpatur voluntas, ejusque in locum inseratur divina: sed ut nostram divina invadat, vendicetque sibi, & liberrimam quidem ipsa, sed & omnipotentissima ipsa suum ad nutum agat.

X. Et naturæ & ejus authori cōtumeliosum est, si possint reliqua ima non possit rationis apex Deo personaliter copulari.

Demonstratur idem denuo: Si totum hominem coaptasset sibi Deus Verbum, & solam repudiasset voluntatem, fabricam ipse suam, imò & fabricæ suæ columen dehonestasset, eamque hac repulsa incussisset ei injuriam, quæ in eum resiliret. Quàm præposterum enim foret, quàm conditoris æquitati adversarium, ut caro & limus Deitatis consequeretur hypostasin; voluntas autem intellectualis, quæ in fastigio sedet conditarum omnium naturarum, ab ejus dignitatis consortio desperatè dejiceretur? Quàm infensum rectæ rationi, ut quo apice nostro Deum proximè contingimus, amore & voluntate nimirum nostra, & quo adhæremus illi maximè, & reliqua nostra pondere suo deorsum vergentia illi suspendimus, eo nefas sit copulari illi substantivè, cùm reliqua nostra substantivam hanc copulam sint adepta? Quàm intempestivum ut creatori repugnet usque adeo creatura quæpiam, ut coalescere cum illo non possit? An potest enim inimicum sibi aliquid & infestum vel æmulum & insociabile creator creare? Annon creando adsimilat sibi, & contemperat, quidquid creat? Numquæ inter naturas conditas principatum tenet, ea conditori adversatur ita, ut in ejus hypostasin & dominium, in jus & censum ejus adsciscì nequaquam possit? Nonne quò sublimior & absolutior est creata quævis natura, eò cognatior Deo, & contemperatior est, ejusque obsequio addictior, & copulæ arctissimæ cum eo avidior paratiorque? Nonne si quam pugnet Deo commisceri creaturam, vilissimam quamque, non nobilissimam pugnabit? Denique cùm Verbum ipsum voluntas sit & consilium, Verbum & imperium Patris, quænam in ejus amplexum conjugiumque creata convolabit natura celeriùs, quàm quæ voluntas & ipsa est, consiliumque & imperium: licèt imum summo, & creatum increato, affine tamen quodammodo? Epistola Agathonis Act. IV. sextæ Synodi: *Itaque si ab eo humana voluntas sicut & natura, suscepta est & salvata, & quod à susceptore salvatum est, non ei poterat esse contrarium. Nihil enim sibi contrarium creator omnium condidit, vel per incarnationis mysterium assumpsit.* Et S. Maximus disputans cum Pyrrho: *Si opus & fabricatio ejus est libera potestas naturæ, hanc autem potestatem Verbum caro factum, opinione istorum cum natura secundum unionem inexplicabilem non assumpsit, aut quia improbavit fabricam suam, tanquam non bonam, eam à se rejecit & amandavit; aut quia nobis invidit curationem ejus, &c.*

CAPUT IV.

Ex sacris litteris duplex Christi voluntas & operatio demonstratur.

Demonstratur rursum hoc ipsum. Si veritati de omnibus, si cuique de seipso adjicienda fides est, quantò vehementiùs veritati ipsi de seipsa testificanti arroganda erit? Cùm ergo toties inculcat Christus venisse se, non ut suam, sed ut Patris voluntatem faciat: cùm ait Patri, *Non quod ego volo, sed quod tu*, nonne exploratissimè indicat aliam esse suam qua Verbum caro factum est, aliam Patris & suam ipsius, qua Verbum Patri consubstantiale est, voluntatem? Augustinus: *In hoc quod ait, Non quod ego volo, aliud se ostendit voluisse quàm Pater: quod nisi humano corde non posset; cùm infirmitatem nostram in suum non divinum, sed humanum transfiguraret affectum. Homine quippe non assumpto, nullo modo diceret Patri unicum Verbum, Non quod ego volo. Numquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle quàm Pater. Hæc si distingueretis, Ariani hæretici non essetis.* Quæ enim humanæ voluntati propria sunt, de divina consultò interpretabantur Ariani, ut & divinæ illiderent humanas ægritudines ac perturbationes, & ex consequenti suam illi corrumperent Deitatem.

I. Dupplicem suam voluntatem Christus apertè demonstravit verbis.

l. 3. adversus Maxim. c. 60

Ambrosius similiter: *Quod autem ait, Non mea voluntas, sed tua fiat, suam ad hominem retulit, Patris ad divinitatem. Voluntas enim hominis, temporalis: voluntas divinitatis, æterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii; una enim voluntas, ubi una divinitas.* L. 10. in Luc.

Præterea ubi dicitur voluisse Christum latere, nec potuisse, divinæ id quidem non quadrat voluntati, utpote omnipotenti, cui hoc est posse, quod velle: imò cui hoc est facere, quod velle. Ergo humana ibi voluntas insinuatur cum infirmitate conjuncta. Maximus Martyr: *Item aliàs, Et surgens inde abiit in fines Tyri & Sidonis, & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Si Christus quatenus Deus, erat virtus per se subsistens: quatenus autem homo, infirmitas. Etsi enim, inquit divinus Apostolus, crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Igitur quatenus homo & non quatenus Deus, ingressus domum, non voluit ut aliquis sciret, & non potuit latere. Habuitque quatenus homo potestatem volendi.* Damascenus: *Si humanam voluntatem Christus non accepit, quæcumque voluit, divina voluntate voluerit, necesse est. Ita cum in domum quampiam clam ingredi voluit, non potuit. Non igitur divina voluntas rerum omnium est præpotens, sed infirma & imbecilla. Has ineptias homo & nugas pellito.*

II. Itemque factis.

Disp. cum Pyrrho.

L. de duabus Christ. vol.

Præterea ubi obediens usque ad mortem crucis fuisse Christus commendatur in Evangelicis Apostolicisque monumentis; quin imò ubi in Psalmis ait ipse, In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui: humana hìc, non divina significatur voluntas. Divina enim voluntate imperat obaudientibus, non obedit imperanti cuiquam: Patrique æqualis est, non obediens; imperii collega, non famulus. At ubi exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, tum verò fuit obediens usque ad mortem. Maximus Martyr ibidem: *Et divinus Apostolus in Epistola ad Hebræos de eo ait, Factus obediens, &c. Volens igitur obedivit, an non volens? Siquidem non volens, tyrannis meritò, & non obedientia dicetur: sin verò volens, obediens autem non quatenus Deus, sed quatenus homo, fuit: quatenus enim Deus, nec obediens, ut Patres sentiunt, nec inobediens: hæc enim ad secundos pertinent, & eorum sunt, qui sunt sub manu & potestate alterius, ut ait divinus Gregorius: igitur*

III. Obediens usque ad mortem non fuit nisi voluntas creata.

igitur quatenus homo etiam poterat velle. Et B. David in Psalmo, &c.

L. 4. c. 18. Damascenus similiter: *Ut homo igitur volebat ut calix transiret. Hæc naturalis timoris verba. Verumtamen non mea fiat voluntas, id est, secundùm quod sum alterius à te substantiæ: sed tua, id est, mea & tua secundum quod sum tibi consubstantialis. Hæc bonæ audaciæ verba, &c. Enimvero quia ipse totus erat Deus cum humanitate ejus, & totus homo cum ejus divinitate: ipse ut homo in seipso & per seipsum subjecit, quod humanum erat Deo, formam nobis optimam & exemplum relinquens, & obediens Patri factus est.*

IV. Tristari dolere, & id genus alia, humanæ erant voluntatis. Præterea turbari, tristari, hilarescere, indignari, atque adeò esurire, sitire, quid aliud quàm voluntates sunt: in has enim formas omnes componit se fingitque & refingit voluntas? At divinæ & increatæ voluntati quis nisi adprimè insanus hanc affectuum infirmitatem & inconstantiam impingat? Humanæ ergo hæc erant officia voluntatis. Synodus Lateranensis sub Martino Papa Consultatione II. hæc ex Ambrosio allegat: *Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit, quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus est; & ideo ait, Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu; nemo enim moriturus exultat. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet, &c. Ut homo dubitat, ut homo turbatur; non turbatur virtus, non turbatur ejus divinitas; sed turbatur anima, turbatur humanæ fragilitatis assumptio.*

Augustinus similiter, ut eadem Synodo Consult. IV. allegatur ex Lib. XIV. Civitatis: *Non ex carne tantùm afficitur anima, ut metuat, cupiat, lætetur, agrescat, verùm etiam ex seipsa his potest motibus agitari. Interest autem qualis sit voluntas hominis: quia si perversa, & perversos habebit hos motus: sin autem recta est, non solùm inculpabiles, verùm etiam laudabiles erunt. Voluntas quippè in omnibus; imo omnes nihil aliud quàm voluntates sunt. Nam quid est cupiditas & lætitia, nisi voluntas in eorum consensione quæ volumus? Et quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in dissensione ab his quæ nolumus?* Cùm ergo voluntates sint quædam, eæ quæ vulgatiùs perturbationes, seu passiones, vel affectiones animæ nominantur, quoties sacri Codices has tribuunt Christo, tribuunt autem passim, toties humanæ ejus voluntati suffragantur.

V. Esurire itē, sitire, &c. Præterea cibum potumque appetere, voluntatis munia sunt, obsecundantis tum quidem carnis suæ inopiæ, sed voluntatis tamen, annuentis cupientisque. Jam quis divinæ voluntati adsignet hanc cibi potusque cupiditatem? aut quis ea affectum fuisse Christum inficietur, cùm ipse conceptis verbis sitire se pronunciarit, eumque aliquando exhaustum jejunio diuturniore esuriisse clament Evangelistæ? Damascenus: *Non est divinæ voluntatis, cibi aut potus cupiditate duci, aut ex loco in locum redire, aut alia ejusdem generis exequi, sed humanæ.* Et libello de humana forma, ad imaginem Dei facta, tam longum intervallum demonstrat intercedere, voluntatem divinam inter & humanam, operationem quoque divinam inter & humanam, quàm inter naturam Dei atque hominis. *In Christo ut duæ naturæ sunt, duæ sunt etiam actiones, itemque duæ voluntates, quibus alio & alio modo vult, pro naturali duarum naturarum distinctione, ut Dei more & hominum more. Sed ita ut qua ex parte natura est divina, modo quodam omnia cohibente & ab omni perpessione libero: qua autem humana natura est, imbecillo quodam & perpessioni admixto velit omnia. Et alia quidem atque alia in eo est naturalis actio. Alia enim divinæ naturæ, alia humanæ est actio; ut alia potest agere Deitas, alia humanitas. Nam nec ea potest agere divina natura, quæ humanæ sunt: nec humana, quæ divinæ. Ut exempli causa, non res creat aut molitur natura humana; nec comedit, aut loco movetur divina.*

De duabus Chr. volūt.

Præterea ubi hominem, ubi humana præditum anima testificantur Scripturæ, humanam eadem opera voluntatem contestantur. Nec enim, ut suprà dictum est, natura hominis, aut animæ est, quæ non suam ex se profundat voluntatem: nec voluntas hominis aut animæ potest esse ulla, quæ non ex animæ ipsius visceribus effundatur. Ut aliena enim quis velit voluntate, maximè autem ut homo divina, aut Deus humana, id verò inauditum & præter omne naturarum fas insolentissimum est. Ut enim qui alienis videt oculis, is nihil videt, & lumine cassus est: qui alienis audit auribus, surdus is est, & nihil audit: qui alterius sapit, id est agitur sapientia, is nihil sapit; ita qui aliena ducitur voluntate, non sua, is nihil vult, & serviliter non spontaneè ducitur. Sed ut reliqua vitæ munia missa faciam, quæ mortis potiùs quàm vitæ speciem præ se ferunt, nisi ab ea proficiscantur substantia, quæ vivere & vivendo sese agere existimatur: voluntas certè quæ aliunde imprimitur, non potest ejus esse voluntas, cui imprimitur. Cujusque enim voluntas dicitur, intestina motio & libentia, in cujusque sinu enata, qua suus sibi quisque est, sese agit, non ab extrinseco movetur aut agitatur. Tam pugnat ergo ut velit quis alterius voluntate, quàm ut se agat & non se agat, moveatur ab extrinseco, & non ab extrinseco impulsu. Sed ut homo divina afficiatur, velitque voluntate, id quidem multò inconsideratiùs dicitur. Nec enim facultas qualibet substantiam animæ regit, sed substantia animi & ipsas facultates suas, & per facultates suas qualibet alia regit. An ergo anima creata volet quidpiam per voluntatem divinam, tanquam per vim quandam & facultatem sibi obsequentem? Synodus Sexta Act. IV. multa ex Augustini libris accumulat adversus Julianum editis, quibus voluntatis emanatio ab substantia & natura cujusque propria exprimitur. *Motus animi quid est, nisi motus naturæ? animus enim sine dubitatione natura est: proinde voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi.* Et idem Augustinus: *Veritas dicit, quandiù est voluntas ulla, à natura non potest separari, &c. Ab illo est voluntas, cujus est voluntas: ab Angelo, scilicet voluntas Angeli, ab homine hominis, à Deo Dei. Et si operatur Deus in homine voluntatem bonam, id agit, ut oriatur ab illo bona voluntas, cujus est voluntas.* Ne illa ergo quidem quæ supernè inspiratur, & quæ facit ex nolentibus volentes, aliundè quàm ex propria hominis creatur voluntate. Ergo voluntas hominis Christi ab ipsa ejus anima scaturiebat.

VI. Non sese agit natura voluntate, nisi sua, non aliena.

CAPUT V.

Priscarum hæresum incendia in Monothelitis reviviscebant.

I. In Monothelitis reviviscebant Arius, & Apollinaris.

Demonstratur rursum Christi duplex & voluntas & operatio. In Monothelitis enim reviviscebant consopitæ jam olim antiquissimarum hæresum flammæ. Nam & Arius & jurata in ejus perfidiam Eunomianorum, adeoque & Macedonianorum cohors; & Apollinaris Eutychianorum præsultor; & Eutychiani ipsi; quin & quod magis mirere, cum suis asseclis Nestorius, & tota illa quæ hinc ab Eutychete, inde à Nestorio defluxit colluvies sectariorum in plures pluresque sectarum minutias dissecta, ad unius in Christo voluntatis patrocinium conspiraverant. Nam Arius quidem humanæ voluntatis vices alternas & perturbationes atque ægritudines gestiebat Verbo

Deo impingere, locum supplenti mentis & voluntatis humanæ, & nefario hoc consilio de paternæ illum consubstantialitatis & æqualitatis gradu deturbabat. Et quicumque secundùm Arium Deitati Verbi insidiati sunt, hanc potissimum voluntatis unius aucupati sunt calumniam. Apollinaris autem, Verbum ut carni sine mediæ animæ vel mentis glutino copularet, hoc validissimè premebat argumentum, ut certa Christo adsereretur impeccantia, humanam illi abrogandam esse voluntatem, cui ex insitæ mutabilitatis lubrico, nativa adhæresceret ad peccandum proclivitas. Ille itaque ut Verbi Deitatem affligeret, hic ut eam carni constringeret arctiùs, obeundas illi mentis & voluntatis humanæ vices demandabant. Et quanquam minùs insanire in speciem Apollinaris primò videretur, quàm Arius, reapse tamen eodem devolvebatur, Verbumque carni suæ consubstantiale, adeòque à paterna consubstantialitate longè alienum delirabat. Maximus Martyr,

Disput. cũ Pyrrho. *Si Synodi propter vocem unius voluntatis Apollinarium & Arium anathematizaverunt, quia uterque eorum hac voce ad probandam suam hæresin abutebatur; Apollinarius quidem ut carnem ejusdem substantiæ cum Verbo ostenderet, Arius vero ut Filium diversæ substantiæ à Patre introduceret: quomodo possumus nos pii esse, si voces hæreticis contrarias non confitemur?*

II. Item Nestorius & Eutyches. Jam verò non tantum qui Deitati obstrepuerunt, sed & qui incarnationem hinc & illinc adversa fronte impetiverunt Nestorius & Eutyches, in unius voluntatis defensione, tutissimum sui erroris præsidium collocarunt. Et quicumque postea vel cum Nestorio dividere, vel cum Eutychete confundere naturas aggressi sunt, unius in Christo voluntatis dogmate tanquam invictissimo se contutati sunt propugnaculo. Nam si una est utriusque naturæ voluntas, vicit Nestorius, quia unio non alia est, quàm ut ipse ajebat ταυτοβουλία, seu voluntatis identitas, & αὐθεντία, ac dominatio præpotens, qua hominem sibi Deus tanquam inanimum aliquid subiicit. Rursum si una est utriusque naturæ voluntas, vicit Eutyches, quia una ubi voluntas & operatio est, una est & natura; quia si duplex post unionem superesset natura, duplex superesset & voluntas: quia nonnisi ex naturarum confusione exoriri potest proprietatum naturalium confusio. Quo ergo confugient, & ad utros se recipient Monothelitæ? A neutris enim expedire se satis possunt. Hinc saltem intelligant ab una se & recta veritatis orbita deflexisse, quando in tot compugnantium, & tum à veritate, tum à seipsis dissentientium sententiarum divortia sunt delapsi. Synod. Later. Conf. IV. *Omnem hæresim sanctæ Synodi condemnare noscuntur; & tam unam in Christo voluntatem & operationem commentantes, Arium, Eudoxium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, sed & omnia impia eorum conscripta: cum quibus merito & eos qui in hoc illis consentiunt, id est uni voluntati & operationi, scelerosos hæreticos, Theodorum & Nestorium qui secundum gratiam & operationem, ac dignitatem, æqualemque honorem, similemque voluntatem & authoritatem, relationem, virtutem, affectum, complacitum, unius hominis appellationem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse delirant. Propter hæc enim, id est pro unitione, consonanter una operatio & voluntas dogmatizata est ab utrisque, & tam confundentibus atque dividentibus magnum dispensationis dominicæ mysterium. Et confundentibus quidem propter stultam secundum sensum eorum, unius naturæ compositæ rationem; dividentibus autem, propter ineptam secundum eos æqualitatem honoris similisque voluntatis, atque authoritatis modum; & ideo utrique à veritatis prædicatione ceciderunt.* Ita Synodus natales commonstrat & incunabula prima Monothelitarum, ut qui ex prodigioso dissimillimorum portentorum, Nestorianorum inquam & Eutychianorum conjugio effusi sint; origenem autem suam altiùs repetant ab adulterino Arianorum & Apollinaristarum, omniumque Deitatis infensissimorum hostium partu.

III. Hinc patet, quam contexta sibi sint omnia fidei capita, ut uno quolibet convulso habent universa. Sexta Synodus eadem ibidem Epistolam Agathonis Papæ habet, in qua hæc leguntur in eandem sententiam: *Unam voluntatem, unamque operationem asserentes duarum naturarum in Christo, &c. Quod Ariani & Apollinaristæ, Eutychiani, Timotheiani, Acephali, Theodosiani & Gaianitæ & omnis omnino hæreticus furor, sive confundentium, sive dividentium incarnationis Christi mysterium docuit. Confundentes quidem sanctæ incarnationis mysterium, eo quod Deitatis & humanitatis Christi unam naturam dicant, unam eum sicut unius, voluntatem & operationem personalem habere contendunt; Dividentes autem inseparabilem unitionem, duas naturas quas salvatorem habere cognoscunt, non per unitionem, quæ secundum hypostasin facta cognoscitur, uniunt: sed blasphemantes, per affectum voluntatis, tanquam duas hypostases, id est duos quosdam, per concordiam jungunt.* Et hic per easdem hæresum imagines stemma pertexitur Monothelitarum, quo illorum ostenditur consanguinitas, recens quidem cum iis qui Verbi in carne œconomiam dispari pugna, pari vesania labefactabant, altior autem & antiquissima cum iis qui ipsam Verbi Deitatem gradu movere & in ordinem redigere moliebantur. Ut hinc clarescat, quanta pernicies ab iis immineret fidei catholicæ, per quos nec Trinitatis Deitas, nec assumptæ carnis dispensatio tuta & incolumis nobis constabat. Et hinc rursus claret, quàm connexa aptaque invicem & indivulsè concatenata fidei orthodoxæ sint sacramenta, ut vel uno quamlibet in speciem mediocri convulso periclitentur, & collabascant. Cùm enim trinæ uniusque divinitatis fidei vehementer assentirentur: cùm unam Christi personam, naturas geminas amplecterentur Monothelitæ, quis non illorum fidem sanam illibatamque laudibus in cœlum tulisset? Arrodere illi voluntatem dumtaxat & operationem humanitatis assumptæ, id est, limbum fidei extremum attrectare ausi sunt, & omnia illa quæ firma & inconcussa stare videbantur, protinùs corruunt, & in præceps delabuntur.

IV. Ut Nestor. & ita Eutych. ita & Monothele. tarum error ex non intellecta personæ ac naturæ discrepantia exortus est. Quàm propior autem extiterit cognatio Monothelitarum cum Nestorianis & Monophysitis, ita declarat Joan. Damascenus libro de duabus Christi voluntatibus: *Intelligendum est autem ex verborum confusione & ambiguitate, hæreticorum errorem extitisse. Exempli gratia Monophysitæ & Acephali unam tantum naturam ex eo esse probabant, quod idem esse dicerent* φύσιν *&* ὑπόστασιν, *ne in duas hypostases Christum dividerent; itemque Nestoriani quod duas personas dicerent. Sic ii qui Monotheletæ dicti sunt, quod ignorarent differentiam voluntatis naturalis & hypostaticæ seu Gnomicæ, factum est ut unam in Christo ponerent voluntatem.* Quod ergo Nestorium primò, inde & Eutychetem transversos egit in errorem, illud ipsum & Monothelitas fefellit, minùs penficulatum discrimen naturæ & personæ. Naturam enim à persona neuter discrevit, ideo alteri duplicem natura duplex personam, alteri unicam naturam personæ unitas persuasit. Monothelitis perinde ut hypostatica Christi voluntas una est, ita naturalis una visa est, nequedum ipsis satis explorata naturæ & hypostaseos differentia. Ut enim juxta fidei orthodoxæ placita, duplex Christi natura est, sed una hypostasis, quia divinæ ut principaliori accedit & in jus substantivum mancipatur natura humana: ita duplex est Christi voluntas naturalis, unaquaque suam sibi propriam vindicante natura; sed voluntas hypostatica una est, quia idem est volens unusque Deus Verbum, utraque sua voluntate eodem collineans, & divina huma-

nam

nam indeclinabiliter atque impeccabiliter adgubernans.

V. Antedicta firmatur ex ipsis errorum authoribus.

Pauca hic jam decerpam ex iis priscorum hæreticorum in unam voluntatem & operationem suffragiis, quæ plurima consarcinavit Sydonus Lateran. Consul. V. Ex Lucio Ariano Episcopo quondam Alexandrino: *Quomodo unus Christus, nisi una persona, una composita natura, sicuti hominis qui ex anima & corpore extat, cognoscimus? Si autem animam habuit, sicuti adulteratores adulteratas nunc Ecclesias docent, oppugnant se motus Dei & animæ, quoniam se movet horum utrumque, & in diversas operationes ducitur.* En ut Verbum Ariani dilancinent, & Angeli vel animæ instar sibi pingant, quod ab æmula anima ejusdem contubernio corporis propellatur vel eam propellat? En quibus accinant Monothelitæ.

Ex Apollinari: *Organum & quod movet, unam solet perficere operationem. Quorum autem una est operatio, horum una est essentia. Una ergo essentia facta est Verbi & Carnis.* Ex eodem: *Judæi corpus crucifigentes, Deum crucifixerunt: & nulla divisio Verbi & Carnis in divinis Scripturis reperitur: sed est una natura, una subsistentia, una operatio.* En ut una operatio unicam comitetur Verbi carnisque naturam, & cruce atque passione ipsa Verbi Deitas discerpatur.

Ex Nestorio: *Inconfusas custodimus naturas, non secundum substantiam, arbitrio tantum copulatas. Propter quod earum unam voluntatem & operationem & dominationem videmus, dignitatis æqualitate ostensas.* En ut Nestorius Christum in duas diffindat personas, dum voluntatis & operationis unitatem conatur nobis invehere. Vide plura loco allegato Synodi Lateranensis.

CAPUT VI.

Aliis argumentis duplex Christi voluntas & operatio evincitur.

I. Propria esse debet aliqua operatio Verbi incarnati, nec est nisi humanitatis assumptæ.

DEmonstratur rursum duplex Christi operatio, adeoque voluntas, cui operatio adaptatur, ex eo quòd aliqua necessariò stabilienda sit ejus operatio usque adeo propria & peculiaris, ut in ejus communionem nec Pater nec Spiritus sanctus vocetur: at hæc non alia quàm humana operatio potest excogitari, quæ ita sit Verbi propria, ut non sit Patris & Spiritus sancti, ad eum modum quo est Verbi: sicut & humanitas assumpta ita est Verbi peculiaris, ut eodem ipso jure nec Patris sit nec Spiritus sancti. Quia enim solus se carni implicuit Verbum Deus, illius etiam dumtaxat accessio facta est humanitas, in ejus unius jus personale & proprium censum adscripta est; ex quo id etiam efficitur ut omnis operatio humanitatis, veluti peculium sit Verbi proprium, tanquam ex proprio ejus agro succrescens arbor, vel in propria arbore fructus enatus. Est autem præterea Verbi operatio divina, cum Patre & Spiritu sancto communis. Ergo duplex est Christi operatio.

II. Hæc propria Verbi operatio humana, census est & pretium, quo redempti sumus.

Dionysius, prout refertur Consultatione V. Synodi Lateranensis: *Discreta est autem benignissima erga nos Dei operatio, per hoc quod secundùm nos ex nobis integrè & verè substantialiter plasmari voluit Verbum, qui supra substantiam esse cognoscitur, & operatus est, & passus, quanta humanæ ejus operationi congruunt præcipua & probabilia. In his namque Pater & Spiritus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundùm benignissimam & misericordem voluntatem, & per omnem sublissimam & ineffabilem Dei operationem, quam operatus est similis nobis factus, incommutabilis eo quod Deus & Dei Verbum.* Qui ergo humanam infirmat Christi operationem, is proprium Verbi censum dilapidat, peculium ejus exhaurit; totum quem demessuit ex sua in carnem inanitione, corrumpit fructum; infitam illi & velut inoculatam humanitatem, infrugiferam & æterna sterilitate damnatam calumniatur: suum denique ipse pretium pecuniamque, qua redemptio ejus persoluta est, improvidè dissipat. Quibus enim faceret satis Patri Deo Verbum Deus nostris exasperato flagitiis, iramque ejus in nos & vindictam propitiaret, has habuit sibi proprias & de censu suo profectas opes, ut prolixior alibi planum faciet horum disceptatio. Cùm ergo propria aboletur humanitatis operatio, libertatis nostræ pretium decoquitur, & incarnationis fructus quantus quantus expectabatur, excutitur totus & conculcatur.

Dionysii locus ille idem refertur Act. IV. Sextæ Synodi, ex eoque ita Patres argumentantur: *Si ergo secundùm aliam operationem una est Patris & Filii & Spiritus sancti operatio, & secundùm aliam nulla ratione Pater & Spiritus sanctus eidem naturali ratione communicant, duæ proculdubio operationes in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo, vero & perfecto Deo, & homine vero atque perfecto dicendæ sunt.*

III. Ante carnem una erat Verbi operatio cum Patre communis. Si una est & post carnem assumptam, erit ergo eadem Patri communis, & ita passus erit Pater.

Præterea si una foret Verbi incarnati operatio, ea ad Patrem æquè & Spiritum sanctum, atque ad Verbum pertineret: nam Verbi ante carnem una erat operatio cum Patre ipsi & Spiritu sancto communis: nec per carnem suo jure Pater ac Spiritus fraudari potuere. Ergo ut ante carnem, ita post carnem assumptam si una est Verbi operatio, ea ad Patrem quoque & Spiritum sanctum attinebit. Ergo tota carnis gestatio, & mortalis inter mortales vitæ agitatio, & passio, & resurrectio, non Verbi unius propria erit, sed ipsi cum Patre & Spiritu sancto communis. Passus ergo erit & Pater, atque ita in Patripassianorum & Sabellianorum insanissima deliramenta revolvemur. In Sexta Synodo Act. IV. *Si igitur una est eadem, una & divinitatis & humanitatis Christi communis operatio, quod absurdum est dici: Ergo dum Filius Dei, qui Deus & homo est, humana est operatus in terris, pariter & Pater cum eo naturaliter operatus est; quia quæ Pater facit, eadem & Filius facit similiter. Sin autem quod veritas continet, dum humana quædam operatus est Christus, ad solam Filii personam redigitur, quæ non est eadem ac Patris, secundum aliud profectò & aliud operatus est Christus, ut secundum divinitatem, quæ facit Pater, eadem & Filius faciat: similiter secundum humanitatem quæ sunt hominis propria idem ipse operabatur ut homo; quia idem ipse Deus est & homo.*

IV. Verbi operatio ante carnem una erat, non ea per carnem conquievit, sed accessit altera.

Ad hæc, si Dei atque hominis una est operatio, ergo ante Dei atque hominis adunationem nulla erat Verbi Dei operatio. An ergo ante carnis indumentum tota æternitate torpuerat iners Verbum, & operabatur nihil omninò? An operabatur tum quidem & mundum condebat conditumque administrabat, sed accessu carnis illa conquievit operatio, eique nova nempè Theandrica successit? Maximus Martyr disputans cum Pyrrho: *Si ut vos loquimini, ex unione accessit ei operatio, ante unionem igitur vacabat operatione, & per vim fabricatus est mundum, ut vestra fert opinio.*

V. Si una foret Christi operatio, ea nec creata dici posset, nec increata.

Adde quòd una hæc operatio à Deo atque homine exiliens, nec creata dici poterit nec increata, cùm his tamen nil medium possit interjacere. Nam creatam Verbi operationem quis sanus mente sibi fingat? non potest enim esse aut verè cogitari operatio creatoris creata, æterni nupera, infiniti finita, omnipotentis & incommutabilis egena, & opis atque adjumenti quo conservetur indiga. Rursum increatam operationem humanæ quis sobrius tribuat naturæ? creatæ creatricem, temporali æternam, infirmæ omnipo-

tentem, mutabili immutabilem? Cùm ergo nec creatæ nisi creata, nec increatæ nisi increata possit esse operatio naturæ, sua cuique ac proinde duplex permittenda est. Maximus idem ibidem: *Necesse est vobis, ut creatam, aut non creatam dicatis operationem: siquidem nulla penitus intermedia est inter creatam & non creatam. Si creatam dicetis, solam naturam creatam indicabit operatio creata. Si non creatam, solam naturam increatam signabit. Oportet enim omninò naturalia naturis convenire. At quomodo fieri potest ut naturæ creatæ & quæ cœpit esse, operatio sit increata & sine principio, atque infinita, & creatrix, & conservatrix? Vel naturæ increatæ & principio carentis operatio sit creata, & cœpta atque terminata, & quæ ab alia natura, ne dissolvi queat, conservetur?*

VI. Cùm humanitas sit instrumẽtum Verbi conjunctum, ut corpus animæ, alia ejus, alia Deitatis operatio est.

Demonstrari etiam potest duplex Christi operatio ex ipsa adversariorum argumentatione, ut suis ipsi se telis confodiant, dum fidei bellum indicunt. Humanitas Christi instrumentum est Deitatis Verbi, ergo alia est humanitatis, alia Deitatis operatio. Contra illi concludebant post Apollinarem, instrumenti & ejus qui instrumento utitur unam esse operationem.

At primò abstergenda est ea, quæ ad instrumenti nomen adhærescit, separationis suspicio. Nam & viri quique sancti instrumenta sunt Verbi, nutu suo illos liberos tametsi & libentes agentis. Sed non ita humanitas instrumentum est Verbi, ut sejunctum aliquid ab ipso, sed ut idem atque ipsum, non natura, sed hypostasi. Quocirca non humanitas nutu Verbi agitur, sed Verbum ut Deus & homo, nunc seipsum agit, ut Deus, nunc ut homo: jam operatur quæ Deum, jam quæ hominem se addeceant. Sicut homo, idem ratio, idem corpus, nunc ratiocinatur, qua rationalis est; nunc cursitat, qua corporeus est: & quidem philosophatur cum corpore, non per corpus: & cursitat cum ratione, non per rationem: unde duplex & longè dissimillima operatio est philosophari & cursitare, etsi unus idemque est qui philosophatur & cursitat, quique si libet & cursitat philosophando, & cursitando philosophatur. Maximus Martyr ajente Pyrrho, *Nonne nutu Verbi cum ipso copulati caro movebatur?* respondet, *Dividis Christum, cum sic loqueris. Nutu enim ejus movebantur Moyses & David, & quicumque fuerunt apti & idonei ad capiendam divinam operationem, depositis humanis & carnalibus proprietatibus. Nos verò qui sanctos Patres sicut in omnibus sic etiam in hoc sequimur, dicimus, quod ipse Deus universorum factus homo sine mutatione, non solùm idem tanquam Deus, convenienter suæ divinitati voluit; sed tanquam idem homo, ut humanitati suæ conveniebat, item voluit.*

VII. Elucidatur res exemplo ferri seu gladii candentis, cujus est operatio duplex, sectio & ustio.

Secundò, quoniam humanitas instrumentum est Verbi conjunctum & conglutinatum ipsi substantivè, tota Verbi Deitate ut ferrum igne pervaditur, & ex hac penitissima divinæ substantiæ & vitæ virtutis formatione humana supra hominem operatur: dum tangit, morborum pestes abigit: dum tangitur, vim vivificam quaquaversum spirat: dum loquitur, ventos sedat, maria tranquillat. Sed & hæc ipsa duplex est operatio, non simplex, tametsi ab humanitate Deitatis oleo medullitus perfusa proficiscitur, eòque minùs perspicacibus imponere & una videri possit. Duplex, inquam, est operatio, perinde ut ferri seu gladii igne candefacti. Sectio enim à ferro est, ustio ab igne, nec id est sectio quod ustio, aut ustio quod sectio, etsi nec sine sectione ustio est, nec sectio sine ustione. Ferrum unum & idem ignitum urit & secat, sed alia atque alia operandi virtute, alia & alia operatione. Conjunctissimæ sunt, sed duæ tamen operationes nec confundendæ nec divellendæ, planè ut duæ sunt conjunctissimæ, nec tamen conflatæ in unam naturam. Ita Verbi incarnati, vel carnis Verbo deificatæ, duæ sunt naturæ, tametsi individuo vinculo constrictæ; duæ sunt & operationes, tametsi indivulsè cohærentes. Aliud est enim ægrum contingere, aliud morbum ejicere: aliud est linguam in verba vibrare, aliud fluctus componere, ventos cohibere. Maximus adversus Pyrrhum: *Alius ex alia actione effectus est, non unus; sicut in gladio igneo demonstratum est. Etsi enim copulatæ sunt inter se operatio ignis & operatio gladii, videmus tamen effectum ignis ustionem, & ferri effectum sectionem; quamvis non sint sejuncta inter se, &c.* Quæ paulò explicatiùs edisserit Damascenus: *Et in ignito quidem gladio, quemadmodum naturæ salvantur ignis & ferri, sic & duæ actiones & perfectiones eorum. Habet enim ferrum incidendi virtutem, & ignis urendi: & incisio actionis ferri perfectio est operisque absolutio; combustio verò, ignis. Et salvatur horum differentia in combusta incisione, & in incisa combustione; tametsi neque combustio sine incisione fiat post unionem, nec incisio sine combustione. Et neque propter duplicitatem naturalis actionis, duos ignitos gladios dicimus: neque propter singularitatem igniti gladii, confusionem substantialis eorum differentiæ inducimus. Sic & in Christo divinitatis ejus divina & omnipotens actio: humanitatis autem quæ secundum nos. Absolutio autem humanitatis, quod tenuit puellam manu & erexit: divinitatis, vivificatio. Aliud enim hoc & illud aliud; etsi ab invicem inseparabiles sunt in Dei virili operatione.* Nihil enucleatius dici potuit.

L. 3. Orth. fid. c. 15.

His adde Theorianum in Dialogo adversus Armenos: *Ad demonstrandas actiones Christi duplices non opus est longo sermone, &c. Nam expuere, lutumque de sputo conficere, cæcique pupulas inungere, hominis omnino actio est. Quippè divinitatem expuere non dicimus, si non insani sumus. At lutum illud in oculum & lucem convertere, id verò divinitati omninò attribuemus. Ejusmodi quis infinita reperiet, si oracula divina diligenter inspexerit. Erit autem res tota perspicua de gladii quoque candentis exemplo. Nam is pariter & secat & urit. Estque dubio procul ustio non ferri, sed ignis: sectio verò non ignis, sed ferri: & diversarum naturarum actiones sunt ustio & sectio: verum propter unionem non ignis tantùm esse dicimus hanc ustionem, sed etiam ferri. Sic enim loqui solemus, Hoc ferrum urit.*

VIII. Triplex operationum genus in Christo, extremæ sunt altera solius Deitatis, altera solius humanitatis, ut creare, & esurire.

Tertiò, majoris perspicuitatis gratia, necessariò triplex hic genus actionum Christi adnotandum est; nam aliæ erant penitus divinæ, in quibus nullæ erant humanitatis partes, ut mundum creare: aliæ merè humanæ, a Deitatis natura alienæ, ut comedere, flere: aliæ denique mixtæ, ab utraque natura, & summa & ima, quasi corrivatæ. Ita distinxit Sophronius in Epistola quæ habetur in Actione XI. Sextæ Synodi: *Unius Filii cuncta esse certificamur, omnesque ejus & voces & operationes esse credimus, licèt quædam earum sint* θεοπρεπεῖς, *quædam* ἀνθρωποπρεπεῖς, *aliæ medium quendam ordinem obtineant, tanquam & Deo dignum, & humanum simul quid habeant.* Similiter Maximus Martyr in Epistolam Dionysii IV. *Siquidem ut Deus tantùm operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat; ut homo tantùm, etsi Deus erat, quando comedebat & tristabatur: mixtim autem operabatur miracula, cæcis oculos illiniendo restituens, hæmorrhoissæ fluxum solo tactu sistens.* Quæ tria operum genera illustravit Damascenus exemplo hominis, qui sola mente quandoque divina contemplatur, solo corpore nonnunquam humi reptat; & mentis & corporis opera scriptitat aliquid, vel pulchellum aliquod & ingeniosum opificium elaborat.

L. 3. Orth. fid. c. 15.

Præfundata jam hac operationum Christi distributione, perspicuum est non jam posse unam ejus opera-

operationem existimari. Nam mundum condere, absentem sanare ita Deitatis est, ut nullus ibi sit humanitatis locus. Rursum esitare, lacrymari non est operatio Deitatis. Nulli enim naturæ operatio ulla potest affingi, quæ non habeat insitam sibi illius edendæ facultatem. At nec humanæ naturæ facultas indita est creandi, nec divinæ esuriendi aut lacrymandi. Quanquam ergo homo factus creet Deus, & Deus factus lacrymetur homo, nec humanitate tamen creat, nec Deitate lacrymatur, duæque sunt longè dispares hæ operationes. Damascenus loco allegato: *Atqui unam naturalem operationem Dei & creaturæ, nequaquam is qui probè sapit, dederit, secundùm beatum Cyrillum. Neque enim vivificat Lazarum humana natura, neque lacrymatur divina potestas: nam lacrymæ, humanitatis propriæ: vivificatio autem, vitæ per se subsistentis. Attamen utrumque communiter utrique convenit naturæ, ob identitatem hypostaseos.*

IX. Sed & actiones merè humanæ, ut pati, esurire, à Verbo sunt suo quodam modo, eas regente, & deificante. Ita passio ab homine est, Deificatio passionis à Deo.

Cæterùm antequam ad tertium seu mixtum progrediar operationis genus, ad quod propria instrumenti ratio spectat; nonnulla etiam instrumenti suspicio ad secundum genus derivatur, earum videlicet quæ sunt humanitatis peculiares. Nam etsi vel esitat, vel lacrymatur, vel patitur suæ naturæ sponte humanitas, nec speciali Deitatis ope fulciri flagitet, ut ad hæc convalescat; in his tamen ipsis operationibus merè humanis defungendis, infusa sibi vegetatur Deitate, & eadem sibi principante regitur, unde & sanctitatis dignitatisque copia quædam locupletissima & infinita perfunditur hæc omnis ejus passio & operatio. Qua ergo in his merè humanis actitandis formatur tamen interim à vegetante, & agitur à principante sibi Verbo, & dignitatis cumulo quodam immenso cohonestatur humanitas, hactenus instrumentum Verbi in his etiam est: atque ita etiam qua instrumentum est Verbi, alia ejus est, alia Verbi propria operatio. Damascenus: *Patienti carni conjuncta erat divinitas, impassibilis manens, & passiones perficiens salutares, & operanti Dei Verbi divinitati conjuncta erat sancta anima, intelligens & videns quæ perficiebantur. Igitur proprias glorificationes divinitas corpori transfundebat: at ipsa permanebat passionum carnis immunis. Non enim quemadmodum per carnem divinitas Verbi operabatur, hunc etiam in modum per divinitatem ejus caro patiebatur: nam caro divinitatis organum est.* Verbo igitur creanti mundum, seu administranti & conservanti, aderat mens humana, nempè admiratrix, non opitulatrix: at carni crucem perpetienti aderat Deitas, non admiratrix tantùm, sed carnem suam formans, regens, honestans, ejusque passionibus dignitatis & meriti vim quandam ineffabilem aspergens.

Ibidem.

X. At in medio operationum genere ut tangendo sanare ægros, perspicuè duplex est operatio.

Quod ad tertium seu mixtum jam attinet operandi genus, ubi suas agere partes humanitas, suas videtur & Deitas, ut cùm luto illito cæcus illuminatur, hìc enimverò manifestissima splendet ratio instrumenti; nec enim humanitas nisi ex infusa sibi supernæ Deitatis virtute, lutum affricando visum oculis redintegraret. Hæc operatio igitur saltem una sit, an duplex, disceptandum hìc est. Nam Monothelitæ undequaque exagitati, huc tandem confugiebant, ut sicut una est scriptitatio calami atque hominis calamo scriptitantis, & ubique una est operatio instrumenti atque instrumento agentis; ita Verbi & humanitatis quandiu ea instrumentum merum Verbi est, una esset operatio.

Verum Catholici Patres duplicem quoque & hìc Christi operationem propugnarunt. Quippè ut natura ipsa humana divinæ quidem ita implicatur, ut & ab ea formetur, & ab ea indeclinabiliter geratur, regaturque; nec tamen hæc arctissima copulatio ex duabus naturis unam compaginat naturam, sed unam duntaxat hypostasin: ita etsi humana operatio, puta contactus, divinæ, nimirum illuminationi, strictissimè connectatur, non ex duplici tamen operatione una concrescit operatio, sed unus operans, idest una hypostasis comprobatur. Non potest enim altiùs incurrere & implicare se operatio in operationem, quàm natura in naturam: si ergo ex naturæ in naturam incursu non una exultat natura, nec una similiter ex operationis in operationem illapsu emicabit operatio; sed ut illic unus emergit utramque habens naturam, quod est una hypostasis: ita hic unus consurgit operans operatione utraque, quod non aliud est quàm una pariter hypostasis. Damascenus: *Quemadmodum unitas naturas cognovimus, & se invicem immeantes, & earum tamen differentiam non negamus, sed & numeramus, & easdem inseparabiles cognoscimus: sic & voluntatum, actionumque conjunctionem cognoscimus, & differentiam intelligimus, & numeramus, & divisionem haudquaquam inducimus, &c. Unus est qui hoc & illud existit, quique hoc & illo modo, id est divinitus & humanitus vult & agit.*

Ibidem.

XI. Etsi una esset corporis & animæ operatio, quia una natura, non ita una foret Dei & hominis.

Quartò, quid causæ sit autem quamobrem nunquam consenserint sancti Patres, ut hæc saltem tertiæ classis operatio una, non duplex prædicatetur, sicut & hominis cujuslibet & instrumenti quo agit, operatio una ex pervulgatis philosophorum placitis existimatur, aut sicut animæ & corporis quo anima instrumento utitur, una non duplex est operatio, perfacile jam est suspicari. Nam disjuncti cujuslibet organi operatio & principalioris agentis, una nomine tenus dicitur, quæ revera duplex est & sui longè dissimilis; quippè cum agat aliud, aliud agatur; illud vitali, hoc exanimi & bruto cieatur motu: & demum quantum inter naturas, tantundem saltem inter operationes discriminis interjaceat. Corporis autem & animæ, esto id largiamur ut una sit operatio, minùs id mirum erit, cùm & una sit natura quæ ex eis concrescit, utpute hominis: ex adverso ergo non erit una Dei atque hominis operatio, perinde ut non una est natura.

XII. Ut natura, ita voluntas & operatio non potest una effici ex duabus tam immaniter distantibus.

Præterea quantumvis conglutinentur voluntates & operationes Dei atque hominis, in unam tamen nunquam coalescent vel voluntatem, vel operationem; quia non possunt in unam coalescere seu voluntatem seu operationem voluntates & operationes usque adeo dispares, nempè creatrix & creata, incommutabilis & mutabilis: inconvertibiliter simplex, & dividua atque composita: consubstantialis Deo Patri, & congener matri homini. Potest ergo altera conferi alteri & coaptari ut in instrumento vel voluntas voluntati, vel operatio operationi, quanquam tanta sit utriusque intercapedo; imo tantò procliviùs & expeditiùs, quantò major est utriusque intercapedo. Quo enim altera alteram magis exuperat & antecellit, eo propensius illam ut obnoxiam invadit, ut egenam format, ut sequacem regit agitque. At cùm inæstimabilis adeo sit utriusque distantia, hinc vetatur, ne una fiat vel dicatur ex utraque confluens. Nisi si mente quis vel fronte ad hæresin obstinatus, id est ad insaniam & contumaciam, vel fingere audeat, vel garrire, eandem unam operationem esse, & creatam, & creatricem sui: & compositam, & inconvertibiliter simplicem: & Deo simul & homini congeneam atque consubstantialem. Damascenus: *Necesse est igitur duorum alterum, aut unam actionem in Christo dicentes, unam dicere & substantiam. Aut si veritati adhæremus, & duas substantias secundùm Evangelium & sanctos Patres confitemur, duas etiam actiones cum illis confiteri. Consubstantialis enim existens Deo & Patri secundùm divinitatem, æqualis erit & secundùm actionem. Consubstantialis etiam nobis existens secundùm humanitatem, æqualis erit secundùm actionem. Dicit enim B. Gregorius Nyssæorum Episcopus, Quorum actio una, horum omninò*

Ibidem.

& virtus eadem; *nam omnis actio virtutis est perfectio*. *Atqui impossibile est increatæ & creatæ naturæ unam naturam, aut virtutem, aut actionem esse*. Naturarum ergo divinæ atque humanæ immanis inæqualitas ad hæc duo conducit plurimum, ut altera non sit nisi alterius accessio, adeoque in unam cum ea conflentur hypostasin, nec agat nisi ut alterius instrumentum, utque altera alteri nec in unam naturam, nec in unam, vel voluntatem, vel operationem possit conjugari. Quo enim altera alteri magis eminet, eo illam & invadit potentiùs, & penitiùs permeat, & agit invictiùs, eoque illam & ut accessionem in essendo, & ut instrumentum in operando, suæ adglutinat hypostasi: sed ut ne in unam, vel naturam, vel potentiam, vel operationem concrescat, infanda hæc intercedit discrepantia.

CAPUT VII.

Fusiùs pertractatur, ut humanitas Christi, Deitatis fuerit instrumentum.

I. Etsi quodã suo modo omnipotens sit humanitas, tamen ut ad patiẽdum, ita & ad creãdum non potest esse instrumentum Deitatis. Ex quo duplex elucet operatio.

EX elucidata accuratiùs instrumenti natura, qua ad humanitatem spectat deificatam, & implicabitur magis nodus supra libatæ jam difficultatis, & continuò magis explicabitur.

1. Non potuit magnificentiùs quidquam dici, quàm quod habet Damascenus: *Divina ejus voluntas omnium efficax erat, adjunctam habens omnium potestatem, & impassibilis. Humana autem ejus voluntas, à tempore cœperat, & naturaliter non omnipotens erat, sed qua Dei Verbi facta fuerat, propriè & secundùm naturam, eatenus omnipotens erat*: Ὡς δὲ τοῦ Θεοῦ λόγου ἀληθῶς καὶ κατὰ φύσιν γενομένη, καὶ παντοδύναμος. Omnipotens ergo erat & humana Christi voluntas, non ex naturæ suæ officina hanc laudem sibi accersens, sed qua Dei Verbi propria erat, hoc est ut interpretari licet, qua Dei Verbi instrumentum erat.

L. 3. c. 18.

An ergo creare etiam potis erat, & ea quæ creatricem desiderant impendi sibi & insudare virtutem, efficere volebat hæc voluntatis assumptæ præcaria omnipotentia? Minimè gentium ex eodem Damasceno: *Operanti Dei Verbi divinitati conjuncta erat sancta anima, intelligens & videns, quæ perficiebantur*. Aderat ergo creanti Dei Verbi omnipotentiæ testis, & admiratrix, & adgratulatrix, non autem cooperatrix humanitas. Et ibidem: *Si una Christi actio esset, eadem foret & humanorum & divinorum effectiva. Atqui nihil quod in iis quæ secundùm naturam sunt, maneat, contraria agere potest. Non enim ignis frigefacit & calefacit, non exsiccat & humectat aqua. Quomodo igitur natura Deus existens, & natura factus homo, miracula & passiones una actione absolvit?* Ergo creare & pati, id est ea quæ Deitatis & quæ humanitatis propria sunt, simul subire eadem vel voluntas vel natura nulla omninò per seipsam potest. Ita ergo omnipotens est creatura assumpta, ut creatricis & creantis omnipotentiæ Verbi nec instrumentum esse possit. Quo magis clarescit quàm non possit Deitatis & humanitatis, tanquam efficientis & instrumenti una esse vel voluntas vel operatio, quando ad ea quæ humanitatis propria sunt, utputa pati, tristari, mori, nec insolens horum Deitas tali instrumento uti possit, nec objecta his humanitas agi se tum ab omnipotentia Verbi deposcat: ad ea autem quæ sunt Verbi propria, puta creare, nec Deitas instrumentum deposcat, nec humanitas instrumenti vicem possit supplere. Non igitur una est operatio Christi Dei atque hominis tanquam agentis & organi: quando nec cùm Deus creat, nec cùm homo patitur, quæ peculiaria sibi sunt, homo tum Dei organum est.

L. 1. c. 15.

2. Cujusmodi instrumentum Deitatis sit assumpta à Verbo caro, frequentissimè idemque elegantissimè exequutus est Cyrillus, & quidem in Evangelium Joannis: *Vivificat igitur sanctum Christi corpus eos in quibus fuerit, & in incorruptione conservat, nostris commixtum corporibus, Corpus enim non alterius cujusdam, sed ipsius secundum naturam vitæ intelligitur, totam habens in seipso uniti Verbi virtutem, & eadem ut ita dicam qualitate præditum, imo verò ejus efficacia* ἐνεργείᾳ *repletum, per quam omnia vivificantur, & in suo esse conservantur*. Caro Verbi, caro est vitæ, totamque Verbi vitam combibit in se & expirat ex se, & vi vivificatrice eadem qua Verbum scatens, omnia vivificat, quibus commiscetur. Nimirum ut ferrum igne inflammescens, ignefacit, sic caro Christi vitam Verbi qua perfusa est effundit: sed ut hic, ita & illic una non est, sed duplex operatio. Unde & Cyrillus ait carnem plenam esse operationis ἐνεργείας Verbi: non unum autem est, quo impletur, & quod impletur. Rursus idem: *Postquam vivificum illud Dei Verbum in carne inhabitavit, in suum bonum eam, hoc est, ad vitam reformavit: & omnino ei ineffabili unionis modo conjunctum, vivificam reddidit, non secus ac ipsum est, secundùm naturam*. Et rursus ibidem: *Vita enim est secundum naturam, inquantum & ex vivente Patre genitum est. Sed nihilo minus etiam sanctum ejus corpus conjunctum aliquo modo & ineffabiliter unitum Verbo vivificanti, idcircò ejus esse reputatur, & quasi unum cum ipso censetur*. Et infrà: *Quia Christus per propriam carnem in nobis est, omnino resurgemus, Incredibile enim est, imo impossibile, ut vita eos in quibus fuerit, non vivificet*, Et alibi: *Quemadmodum carbo natura lignum est, & alioqui totus per totum igne plenus est, ejusque vim & efficaciam habet; sic & Verbum ignis existens ut Deus, factum est caro & habitavit in nobis*. Omnia ergo id genus testimonia eodem collimant, ut humanitas intelligatur ita continere virtutem vivificam, & operationem vivificatricem Verbi, sicut carbo seu lignum continet teste Cyrillo δύναμιν καὶ ἐνέργειαν ignis: quocirca ut capite superiori ex Maximi Martyris & Damasceni authoritate argumentabamur, ut carbonis igniti alia est tum natura, tum operatio, qua lignum est, & qua igne fervet: ita & alia est natura & operatio carnis & Verbi carnem vegetantis.

Ex Cyrillo res elucidatur. L. 3. p. 324.

L. 4. pag. 354. 361. 363.

L. 8. ad fin.

III. Obiicitur Cyrilli locus pro una operatione, & multipliciter solvitur.

Sed excutiendus cum primis hìc est Cyrilli locus, qui contra tendere & molestiam creare videtur. *Dum principis synagogæ filiam suscitavit, dicens: Filia surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est, eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam & congeneam per hæc ambo ostendit operationem*: μίαν τε καὶ συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἀποδείκνυσι τὴν ἐνέργειαν. Unam hìc utriusque naturæ operationem conceptis verbis pronunciare videtur; quamobrem hoc Cyrilli contextu magnum errori suo præsidium suppetere jactabant unius professores operationis. Cùm ergo hoc se tueretur Pyrrhus,

L. 4. In Ev. Jo: pag. 361.

Respondit Maximus Martyr cum eo disputans, eliquatissimam alibi dilucere Cyrilli sententiam, maximè autem Thesauri hoc loco: *Nemo enim unam esse naturalem operationem statuit Dei & creaturæ: ne videlicet id quod creatum est, ad divinam essentiam evehamus: neve è contrario divinæ naturæ excellentiam ad locum creaturis convenientem deprimamus. Nam quorum operatio & vis omninò eadem est, ea etiam speciei unitate conveniunt*. Quo ex loco exploratissima fit Cyrilli sententia, ita ut vocari in controversiam non possit.

Thes. pag. 268.

Respondet rursus eo loco duas potius operationes a Cyrillo constitui & disertè secerni. Secernit enim jussum omnipotentem qui à Deo, & tactum

qui

qui à sancta carne proficiscebatur, at hæ duæ sunt uno quidem supposito conjunctæ, sed naturæ disparitate diversissimæ operationes. Unde ibidem: *Hanc ob causam in suscitandis mortuis non verbo tantum & imperio Deum adducente Salvatorem operatum esse comperimus, sed carnem suam quasi cooperatricem adhibuisse, &c.* Et paulò post: *Itaque non solo verbo mortuos excitari vult, sed ut ostendat vivificum esse suum corpus, mortuum tangit, &c.* Duæ semper ergo dispescuntur & connectuntur statim operationes, omnipotens Deitatis imperium, & deificatæ carnis contactus. Unde rectè Maximus: *Non pugnat hæc authoritas cum duabus operationibus, sed contra potius eas defendit.*

IV. Quomodo una esset vivificatio per Verbum incarnatum. Respondet tertiò idem ibidem unam à Cyrillo & congenerem dici operationem utriusque, nempè vivificationem, quæ utique etsi & à Deo omnipotenter imperante, & à carne humanitus tangente exoriatur, una tamen est, non duplex. Quorsum enim duplex vivificatio? an ut idem bis resuscitaretur? Quorsum duplex sanatio? an ut semel æger, semel & iterum revalesceret? Præterea una est vivificatio, atque ita utriusque una operatio & carnis tangentis & Dei imperantis, quia ut unum idemque Verbum incommutabiliter idipsum est, post carnem atque ante carnem: ita una est ejus operatio vitæ & salutis efficacissima, tam post carnem quàm ante, tam cum carne quàm sine carne, tam per carnem quàm per semet priùs carnis expertem. Perinde ac si quis ignis sine materia, & ejusdem post in materia illapsi unam dicat & eandem esse operationem, nempè inflammare: Ita Verbum suo in carnem illapsu pristinam sibi cum Patre vivificandi omnipotentiam nihil detritam aut deminutam esse, ut testatum faceret, per ipsam suam carnem vim istam & operationem vivificatricem, unam suique semper similem profundebat. Una ergo est operatio, sed Verbi, tum extra, tum intra carnem, nempè vivificatio: sed non una est operatio Verbi & carnis, quia non unius est operationis omnipotenti jussu imperare, & humana carne contingere. Maximus: *Cum vellet demonstrare unam esse divinitatis sine carne & cum carne operationem, sicut si quispiam unam esse operationem ignis sine materia & cum materia ostendere volens, diceret, Ignem cum materia & sine materia urere: sic Pater Cyrillus non dixit unam operationem duarum naturarum, sed unam operationem dixit divinam & paternam, quæ essentialiter in Verbo Dei incarnato inerat: qua non solum jussu suo omnium rerum effectore miracula incorporaliter operabatur, siquidem etiam post incarnationem habebat eandem operationem communem cum Patre incorporeè operante: sed tactu etiam propriæ carnis hæc ipsa miracula corporaliter ostendebat.* Quod ipsum explicatiùs tradit idem Maximus Epistola ad Nicandrum apud Euthymium in Panoplia: *Idcirco unam Verbi sanctæque ipsius carnis & conjunctam utriusque actionem dicit: unam propter unionem, conjunctam propter partes: ut quæ ipsius sit tum in mandato omnipotenti, tum etiam attactu sanctæ carnis. Utroque enim modo Deus Verbum eam præstitit, ut per carnem etiam vitam tribuendo, ipsam quoque planè vivificam factam esse ostenderet. Quemadmodum & ignis per ferrum comburens conjunctione sua cum ferro facit, ut ferrum quoque vim habeat comburendi: ut jam non ignis tantùm natura sua, sed ferrum etiam conjunctione comburat. Divinam igitur Verbi in miraculis peragendis actionem, non Verbi solum ipsius natura esse patet, sed etiam sanctæ illius carnis propter conjunctionem in persona, quæ sociam in divinis adhibuit, ut doctor ait, quemadmodum & anima corpus adhibet, propriis operibus explendis.* Ut ergo quamlibet duæ sint operationes ferri & ignis, secare & urere: rectè tamen dici potest una esse combustio, quæ ab igne & à ferro efficitur: Ita quamvis duæ Cyrillo sint operationes Verbi & carnis, imperando vivificare & tangere: una tamen potuit dici vivificatio, quæ à Verbo imperante & à carne tangente pullularet.

Adv. Pyrrh.

V. Cyrillus luculentè per unam Verbi incarnatam & naturam & operationem, duas demonstrat, sed unam simul innuit hypostasin. Cæterùm non abs re erit duas illas quibus per magna nobis videtur affinitas intercedere, Cyrilli sententias paulò accuratiùs expendere. Altera est qua unam naturam Verbi incarnatam, altera qua unam cognatam per ambas naturas pronuntiavit operationem. Ut enim illic natura, ita hic operatio, una in speciem & in verbo tenus dicitur, reapse duplex approbatur. Una enim est natura Verbi, sed cùm incarnata additur, altera nempè carnis natura indigitatur. Non aliter, una est Verbi operatio, nimirum mortuorum vivificatio: sed cùm per carnis contactum ea se explicare innuitur, altera, contactus nimirum ipse, operatio insinuatur. Et quantum elucidamenti emicat ad arcanam penitissimamque Verbi in carne dispensationem intelligendam ex illa priori sententia Cyrilli, haud multò minus ex hac posteriore effulgescit. Nam ubi duæ naturæ explicantur, ne duplicis statim erumpat personæ cogitatio, conducibile utique visum est Cyrillo unam dicere naturam Verbi incarnatam, hoc est, principalem Christi naturam ob oculos statim ac primò inferre, humanam autem tanquam accessionem, velut è latere, & obliquè subjungere: Ad eundem modum, ne ubi duæ affirmantur Christi operationes, ebulliat suspicio duplicis personæ, consentaneum Cyrillo visum fuit, unam dicere operationem per utrumque, id est, unam vivificationem mortui, per omnipotentis Deitatis imperium, & per humanæ carnis contactum facta; aut si mavis, unam dicere operationem per ambas naturas, hoc est, unam vivificationem mortuorum priùs solo Deitatis imperio, nunc & assumptæ carnis contactu procuratam. Quod totum quid aliud est quàm unam principaliter & naturam & operationem ostentare, alteram illi cohærentem aliqua significatione innuere: hoc est, veritatem sine fuco promere, invidiam illi insidiantem & ingruentem calumniam propulsare?

VI. Ex tripartito prius operationum genere, terrii tantùm generis pars dimidia, ejusmodi cótinet operationes, quales omnes esse Monothelitæ sperabant. Ne pungatur autem aliquis scrupulo quopiam, dum audivit vivificationem mortui hominis unam dici operationem Dei & carnis, quasi jam extuderint nobis aliquid Monothelitæ, audiat Doctorem scholæ Angelicum: *Sic igitur operatio, quæ est humanæ naturæ in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis: non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi, & divinitas ejus. Habet tamen humana natura in Christo, inquantum est natura quædam, quandam propriam operationem præter divinam; ut dictum est.* Itaque cùm tripartitam fecerimus antea operationum Christi distributionem, quarum aliæ verè divinam, ut creare; aliæ humanam purè sapiunt naturam, ut esitare; aliæ denique mixtæ sunt, ut contactu mortuos vivificare; postremum hoc genus in duplicem secuimus operationem. Alia enim est operatio tactus, alia autem mortui exsuscitatio. Et quidem tactus est humanitatis, exsuscitatio autem propria Deitatis operatio; & nefas est hanc utramque operationem in unam conflare aut commiscere, ut suprà evicimus. At verò ut postremi hujus generis altera tantùm pars, nempè ægri sanatio, mortui exsuscitatio perpendatur attentiùs, potest ea & Deitati ut causæ principi, & humanitati adrogari ut instrumento; vivifica enim vis utrique inest, aut castigatiùs ut loquar, vivifica & una Deitatis virtus & operatio per carnem erumpit, seseque profert. Hoc sensu planè orthodoxæ fidei consonantissimo, una est utriusque naturæ virtus, una operatio, alterius ut causæ principis, alterius ut instrumenti. Hoc unum si Monothelitæ sensissent, nec à veritate, nec ab Ecclesia dissensissent. Sed hoc fortasse in suam

3. p. q. 19. ar. 1. ad 2.

in suam impacti sunt hæresin, quod de omni, hoc est de triplici illo operationum Christi genere id philosophati sunt, quod de tertii tantùm generis parte dimidia sentire fas erat. Cùm enim illi indiscriminatim id de omni Christi operatione pronuncient, quod nos ad istam vim mortuorum vivificatricem & portentorum effectricem coarctamus: uti nos congenitam humanitati nullam vim profitemur, qua excitaret mortuos, & id genus miranda ederet, sed eam à Deitate in carnem derivamus: ita necesse erat ut illi affuisse assumptæ humanitati nullas vires sentirent, vel ambulandi, vel esuriendi, vel tangendi, vel intelligendi, vel volendi, sed vires has omnes & ex consequenti operationes à Verbo in carnem trajectas esse. Quod quid aliud est, quàm non corpus, sed animam ipsam Christi interimere, & veluti membratim discerpere?

VII. Ejusmodi erat instrumentum Verbi humanitas, ut imperatoriam præferret potestatem, adeoque & voluntatem. 3. Ut à Cyrillo gradum faciamus ad alios, quale Deitatis instrumentum sit caro assumpta, quàm non servile, quàm non precarium, sed regium & planè imperatorium sit istud organum, declarat Chrysostomus, ubi advertit Christum non orando plerumque, sed jubendo, & humana etiam voce ineluctabile imperium suum promulgando, morborum pestes mortesque fugasse, protenta etiam manu in summæ potestatis & dominationis argumentum. *Non dixit, Si oraveris Deum, sed, Si velis potes me mundare. Neque ait, Domine munda me, sed ipsi cuncta commisit; eumque conferendæ sanitatis Dominum esse confessus est, atque in ipso constituit omnium potestatem. Idcirco non dixit, Mundus esto: sed, Volo, mundus esto, &c.* Et paulò infrà, *Extendens manum, tetigit eum. Quod est certè inquisitione dignissimum. Cur cum eum voluntate & sermone mundaret, manus sua adjecit & tactum? Mihi prorsus videtur, non ob aliam illud fecisse causam, quàm ut hinc quoque ostenderet, non se subditum esse legis, sed dominum, & quod cuique mundo nihil sit prorsus immundum.* Et paulò pòst: *Christus ostendit quod non ut famulus, sed ut Dominus curet & tangat. Non enim tangentis manus immunda facta est per lepram, sed per sanctam manum corpus omne leprosi mundatum est.* Ergo jussu & voce, manu & tactu Christus non instrumenti servitutem, sed imperatoriam planè præferebat potestatem.

Homil. 26. in Matth.

VIII. Quin & manibus Christi creatrix virtus inerat. Nec incredibile cuiquam videbitur tam absolutum deificatæ humanitatis imperium, cui creatrix ipsa quodammodo & omnium dominatrix inerat potestas. Unde Augustinus: *Fecit quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi. Panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit, multiplicata.* Audis in manibus Christi fuisse vim illam creatricem rerum, feminumque in naturæ sinu fundatricem. Et Chrysologus: *Christus imponit lutum & collyrio materiali fingit, & procurat oculos, non recurat; ut creante, non medicante manu, inde homini suppleret lumina, unde hominem fecerat totum.* En quali manu oculos cæci contigerit Christus, non medicante, sed creante. Et rursus Augustinus: *Resurrectio animarum fit per substantiam Patris & Filii æternam & incommutabilem; resurrectio verò corporum fit per dispensationem humanitatis Filii temporalem, non Patri coæternam.* Et infrà: *Resuscitationem animarum ex substantia sua Pater facit per substantiam Filii, qua illi æqualis est, animæ quoque fiunt participes illius incommutabilis lucis, non corpora. Resuscitationem autem corporum Pater facit per filium hominis.* Nemini dubium est hanc esse potestatem omnino creatricem, omniumque imperatricem, qua rursus corpora è pulvere excitabuntur. Hac potestate fretum instrumentum cujusmodi sit, satius est cujusque ingenio & conjecturæ permittere.

Tract. 24. in Joann.

Serm. 186.

Tract. 23. in Joann.

IX. Quin ad res ei conjunctas defluebat. Sed hinc vehementior excitatur admiratio, quod virtus illa ipsa tot operatrix portentorum, non in humanitate illa seu instrumento cohibetur, sed ex ea tanquam ex causa primaria, & velut ex fonte suo in proxima quæque sese diffundit, & in ipsas vestium fimbrias usque defluit. Unde Hilarius: *Est autem magna virtutis Dominicæ admiratio, cum potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & usque in vestium fimbrias operatio divina procederet. Non enim divisibilis & comprehensibilis erat Deus, ut corpore clauderetur.* Et Chrysologus: *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria divinitatis totam vidit inhabitare virtutem! O quàm docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstravit! Audiant Christiani qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem.* Numquid non Deitatis est instrumentum hæc vestis fimbria, de qua tota rapitur sanitas? quam tota Deitatis inhabitat virtus? si fimbria instrumentum tantæ admirabilitatis est, quid ipsum corpus? si ex corpore in fimbriam tantum emanat, quanta in ipso corpore redundat & superfluit vis? Quin ulteriùs etiam serpsit mirificæ potestatis sanctitatisque vis. Nam quia semel in Ægyptum fuga evasit, afflavit regioni ipsi Christus odorem sanctimoniæ incredibilem, quo per complures deinceps sæculorum lapsus, eximia fidei & religionis suavitas inde orbem universum pervasit. Unde Chrysostomus: *Ægyptus suscipit & tuetur insidias fugientem tyranni. Namque tactu ipso Domini gustum quendam sanctificationis adipiscitur, ut cum illum audierit ab Apostolis prædicari, hujus quasi privilegii honore decoretur, quod Dominum prima susceperit. Et certè solius hic Palæstina videbatur esse primatus, sed facta est postea illa ferventior. Denique si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, Paradiso quovis eremum illam videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus, &c.* Instrumento ergo an causæ principi similior est humanitas, cujus non vestis tantùm, non vestis modò limbus extremus, sed hospitium, sed hospitatrix ipsa regio virtutem combibit sanctimoniæ totius spiratricem, eamque per plura sæcula propagat?

In Matth. Can. 9

Serm. 34.

Hom. 8. in Matt.

X. Quàm longè aliter Christi humanitas est instrumentum Deitatis, quàm alii Sancti. 4. Ergo ut & ad Cyrillum latiùs jam evagata reflectat se nostra hæc disputatio, ab eoque cujus authoritas in enucleandis Christi mysteriis una maximè dominatur, hujus instrumenti deifici eliquatissima edisçatur ratio; non aliter fingenda figendaque in animo est tota operationum Christi natura, quàm quòd Verbum Deus incommutabiliter idem persistens post carnem atque ante carnem, eadem vi pollet, eandem exerit, & in easdem explicat operationes in carne, cum carne & per carnem, atque sine carne ante carnem assumptam. Cæteri ergo quantalibet conspicabiles sanctitate homines impellebantur à Deo, ut instrumenta ad operum admirandorum effectionem: at Christus, insita sibi virtute, proprio suo spiritu, ea operabatur cum carne sua, quæ ante carnem. Unde Cyrillus: *Illi quidem à spiritu ad opus efficiendum impelluntur, & dimensam habent gratiam: hic verò ut Deus operatur, & tanquam per proprium Spiritum sine labore miracula perficit.* Et alibi: *Si quis unum Dominum Jesum Christum à Spiritu clarificatum dixerit, propria virtute ipsius tanquam aliena utentem, ac vim & efficaciam ab eodem accepisse, qua contra immundos spiritus operaretur, & divina inter homines miracula patraret: ac non potius ipsum Spiritum, per quem divina signa edidit, illius proprium esse confessus fuerit, anathema sit.* Spiritum ergo sanctum miraculorum omnium effectorem,

L. 4. advers. Nestor.

Anathematismo 9.

ctorem, non emendicatum aliunde, non adventitium ut assolent vulgaria instrumenta, sed proprium suumque habebat, eoque tanquam spiritu suo prout libebat, miracula operabatur Christus etiam in carne. Nam proprium hominis Christi fuisse Spiritum sanctum, vel id unum abundè argumento est, quòd quem ut Deus in cœlos avectus Apostolis immisit postea, eundem ut homo afflatu corporeo iisdem prius inspiraverat. Pluſculum hoc videtur mihi quidem significare, quàm vulgo soleant instrumenta.

> XI. De eodem prolixius, utque magis cogitandus sit Verbum Deus in carne & per carnem operans familiaria sibi miracula.

XI. Itaque magnificè quidem Cyrillus vim Verbi vivificam carni quoque ejus impressam, ut calorem aquæ, ut ignem ferro argumentatur, tum locis supra accumulatis, tum his etiam, Dialogo, quòd unus sit Christus: *Operata est caro, & præstitit quæ ipsi Verbo sunt propria, vivificanti ipsius virtuti conversata. Et quidem mirum non est. Nam si verum est quod ignis circa materiam aliquam versans, eam quæ alioqui ex sua natura calida non est, calidam efficit: immittit enim ei abunde facultatis, qua præditus est,* τὴν ἐνέργειαν; *quo pacto non potiùs immittit Deus Verbum propriæ suæ carni* τὴν ζωοποιὸν ἑαυτοῦ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν? Sed aliquanto magnificentius est illud, quod præfundatam ab eo de unione hypostatica sententiam consequitur; ut non tam caro velut instrumentum à Verbo impelli roborarique capiatur, quanquam nec à veritate id usquequaque abludit: quàm, quod ad veritatis amussim expensius est, & ad mysterii dignitatem splendidius, Verbum ipsum cum sua carne & per eam omnipotenter, ita ut ante carnem operari intelligatur. Ita enim caro ultra instrumenti gloriam evehitur, aut instrumentum longè cæteris præcellentissimum demonstratur esse. Ecquod enim instrumentum Spiritum sanctum ut suum & proprium habet? Ecquod illum ex se effundit, quibus vult? Ecquod instrumentum corporeo etiam flatu expirat & inspirat aliis Spiritum sanctum? Ecquod instrumentum vult, jubet, imperat? Instrumenti enim est famulari, non principari. Ecquod instrumentum fons est principalis virtutis & efficaciæ, non quo sibi tantum plenus sit, sed exundet in alia longissimè? Ecquod instrumentum in cohærentes etiam sibi vestes, vestiumque fimbrias, non vitam tantùm, sed vivificandi vim disseminat? Ecquod instrumentum suo etiam hospitio, hospitalique regioni toti odorem afflicat sanctitatis, quem nec sæculorum longa series oblitteret? Ecquod denique instrumentum alia sibi conserit instrumenta quæcumque sibi libuerit, & principali virtute atque efficacitate illa obarmat? Hæc nemo non concesserit privilegia esse potiùs causæ principantis, quàm ancillantis ei instrumenti. Ergo instrumentum sit humanitas Deitatis, sed singulare, sed eximium, sed incomparabile, sed inauditis præfulgens prærogativis. Nam & conjuncta quæ appellitantur instrumenta, utputa suæ cuique homini manus, vitam ipsæ quidam animamque obtinent, qua vegetantur, num dispergere etiam in alia quælibet eam possunt? Num vitæ scaturigines sunt quaqua versum exilientis? Num imperio, num jussu suo animant & vivificant quoscumque libuerit? Num ea virtute qua ab formante ipsas anima donantur, donare possunt vestes aut circumjacentia quæque?

> XII. Imperatorio, cujusmodi Christi est humanitas, instrumento propria voluntas nihil officit, quin prodest mirum quantum, & per necessaria est.

XII. Sed ea ipsa, quam Monothelitæ amoliebantur, ne rationi officeret instrumenti, assumptæ humanitatis voluntas libera, instrumenti rationem adeo non elevat, ut incredibiliter nobilitet. Ita enim demum instrumenti nomen implet substantia intellectualis, ut quia libera est, quia sua se sponte agere, quia regere & imperare in alia, quia Dei instar dominari nata est, in causæ principalis prærogativas, inque ejus dominii societatem & collegium adsciscatur. Instrumenti est servire causæ principi; voluntatis liberæ est principari. Sed cùm principabitur voluntas libera, numquid non ex norma veritatis, ex legibus justitiæ principabitur? Ita sanè. Ergo dum principabitur aliis, veritati & justitiæ, legique sempiternæ parebit: Et tantò fœliciùs invictiùsque sic principabitur, quantò libentiùs his serviet. Ergo voluntas libera instrumentum nihilo secius erit veritatis & justitiæ sempiternæ: & quo addictiùs veritati serviet, quà instrumentum, eo potentiùs quà libera omnibus dominabitur. Non ergo tum instrumenti servitus intercedit libertati voluntatis, quando veritati voluntas mancipatur. Ea est enim veritatis dominatio, quæ libertatem sibi servientem, hac ipsa servitute liberiorem ampliorisque dominii compotem præstet. Hinc ergo est, quod Christus quà homo, & instrumentum Deitatis est, & omnia tamen propemodum privilegia obtinet causarum principum; & jubet, & vult, & quos vult vivificat, & Spiritum sanctum ut suum habet, & humano suo ore aspirat, &c. Verbum enim ipsum, seu veritas, & justitia sempiterna jubet, & vult voluntate sua humana, quam assumpsit, vult ergo & jubet imperiosissimè & liberrimè, & ut causa princeps: operatur carne humanâ sua, operatur ergo potentissimè & regiè. Cyrillus de recta fide: *Nam et si Verbum fuerit incarnatum, nihilo tamen secius, ut Deus operabatur cum propria carne, habente & ipsa ab eo virtutem.* Cum carne operabatur, sed ut Deus. Pag. 116.

CAPUT VIII.

Theandrica operatio non una, sed duplex operatio est.

> I. Ut Dionysii authoritate & voce abuterentur Monotheletæ ad unius voluntatis cômentum astruendum.

I. Dionysii maximè authoritate ceu munimento tutissimo vallaverant se unius vindices operationis, & quam ille primus Theandricam dixit Christi operationem, hanc illi unam, & omne genus operationum Christi complexam interpretati & sub tanti Patris clypeo delitescentes, impunè ferocire se & Ecclesiæ Catholicæ illudere posse sperabant. Dionysii verba ex Epistola ejus IV. ad Cajum sunt hujusmodi: *Cæterum neque divina ut Deus gerebat, neque humana ut homo; sed inhumanato Deo, novam quandam Deivirilem operationem nobiscum conversando exhibebat,* καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος. Alibi paulò aliter rem eandem dixerat, ἀνδρικὰς Ἰησοῦ θεουργίας. Novam ergo hanc Christi operationem, & unam, & solam ejus operationem commentabantur. Idque tam fidenter, imo tam fraudulenter, ut in Pseudo-synodo sua Cyrus Patriarcha Alexandrinus pro nova, unam subjecerit Deivirilem operationem; postea & Sergius Constantinopolitanus Episcopus, oppressa Deivirilis voce, unam absolutè pronunciaverit operationem. Quem eorum fucum denudavit Martinus Romanus Pontifex in Synodo Lateranensi Consul. III. *B. Dionysio asserente novam quandam Deivirilem operationem inter nos conversatam: uterque eorum apertissimè contra Patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo capitulo novam immutando, & unam pro nova asserendo, &c. Sergius autem immutationem novæ cum illo confirmans, & non solum hoc, sed & Deivirilem amputans penitus vocem, & unam absolute in Christo Deo dogmatizans operationem.* In hanc Cyri imposturam debacchatus est statim atrociter Sophronius, unde purgare illum adlaboravit Pyrrhus Constantinopolitanus Episcopus, ut narratur ibidem ex quodam Pyrrhi volumine: *Unum autem capitulum reprehendit Sophronius reverendissimus, utpote testimonium Dionysii beatæ memoriæ falsantem permutatione unius vocis, &c. Unam enim secundum veritatem pro nova continebat denominatum volumen, sed non malitiosè, absit,*

> Eccl. Hier. c. 3.

> Can. 7.

sit, juxta meum verbum. Sed quoniam non aliter potest nova intelligi, nisi una. Ita mutuam sibi navant operam; & invicem patrocinantur veritatis adulteratores.

II. Theandrica operatio duplicem continet operationem. Probatur id ex nomine ipso.

Ex adverso definitum est in præfata Lateranensi Synodo Consul. v. c. xv. Theandrica operatione, non unam, sed duas indivulsè, verùm & inconfusè connexas Deitatis atque humanitatis operationes significari. Idque

Liquet 1. Ex ipso nomine operationis Theandricæ, seu Deivirilis, quod ut Deum atque hominem connectit, non confundit, ita & naturam atque operationem humanam atque divinam copulatas arctissimè, non confusas tamen declarat. Martinus Papa: *Certum quoniam non unam secundum illos, ostendere volens operationem sanctus Dionysius, sed duplicem, duplicis naturæ compositivo sermone abusus est, duas unius ejusdemque in unitione operationes ostendens.* Et Maximus Martyr contra Pyrrhum, *Contra, vox ipsa quadam circuitione, per numeratas naturas, earum operationes tradidit.* Et denique Sophronius ipse in Epistola quæ recitata est Act. XI. Sextæ Synodi: *Per elegantem & compositam dictionem, uniuscujusque substantiæ atque naturæ unamquamque perfectam significantem operationem.* Si altera enim alteram oppressisset & quasi devorasset operatio operationem, ut illi hallucinabantur, nempè major minorem, humanam divina, non hæc Deivirilis, sed divina tantùm operatio fuerat vocitanda. Quod Collutho emunctioris naris hæretico subolverat, eaque de causa Theandricam operationem ille proscripsit, ut quæ geminæ vocis contextu, geminæ quoque operationis copulam ostenderet. Martinus Papa ita perhibet: *Propterea namque recusavit Colluthus asserere Deivirilem operationem, eo quod talis vox duas significat operationes, id est, divinam & humanam, &c. Ideo Colluthus Deodecibilem tantum & non Deivirilem operationem asserebat, &c.* Non humanam, non divino humanam, sed Deodecibilem, nefariè quidem, sed ut ait ibi Martinus Papa, *sibi consentiens* & convenienter suo dogmati statuebat. Cum enim illi divina humanam occupasset atque absorpsisset operatio, ea ex consequenti, nec humana, nec Theandrica erat, sed divina tantùm seu Deodecibilis.

Consultatione 3. Synodi Lateran.

Ibidem.

III. Item Theandrica vox tã geminas, operationes, quam geminas naturas designat.

Liquet 2. Theandricæ enim operationis vox, ut naturarum, ita operationum incursum tantùm & immeationem penitissimam commonstrat, citra confusionis ullius utrobique suspicionem. Si substantia enim Christi est Deus homo, quin ejus operatio sit Deivirilis? Si substantivè Deus homo, duplicis tamen substantiæ & naturæ gigas est, quin ejus operatio Deivirilis, duplex operatio erit? Si substantia substantiam divina humanam ita invadit, permeatque inexplicabiliter, sed inconfusè, ut qui Deus homo est, idem sit perfectè Deus & perfectè homo: quin profitemur etiam operatione divina humanam ita pervadi, ut in Theandrica operatione & perfectè humana, & perfectè divina operatio numeretur? Maximus Martyr contra Pyrrhum: *Non unam operationem declarat, sed novum & arcanum modum demonstrationis operationum naturalium Christi, convenienter modo arcano mutuæ circummeationis naturarum Christi inter seipsas; & novam atque admirabilem ac naturæ rerum ignotam conversationem ejus secundum humanitatem, ac modum reciprocæ communicationis secundum inexplicabilem & arcanam unionem.* Cui concinit Damascenus totidem verbis, urgetque nihil causæ esse, quamobrem ex duplici operatione, una fiat operatio, cui nomen sit Theandricæ, & non pari jure ex duplici natura, fiat una, quæ appelletur Deus homo.

L. 3. c. 19.

IV. Theandrica operatio si una sit, nec simplex, nec composita erit, nec naturalis, nec personalis.

Liquet 3. Ut enim disputat Martinus Papa Consult. III. Synodi sæpiùs laudatæ, si una est operatio, quæ Theandrica dicitur; vel ea simplex est, & Patri Deo competet, cujus si operatio Theandrica est, erit & persona humanata, itaque ad Sabellium deficiemus. Vel composita est, & Verbum cujus antea simplex, nunc composita operatio est, mutationis fluxum subibit, & a seipso deficiet, & à Patre. Vel naturalis, atque adeo ut non una erit naturalis operatio Verbi cum Patre Deo, ne una quidem erit natura atque substantia. Vel personalis, atque perinde alienabitur à Patre Verbum, nec ejusdem consors erit maiestatis, utpotè in proprietatibus personalibus usque adeo discolor & degenerans. Quo ergo se cumque vertant, in scopulos illiduntur, nisi geminæ operationis fidei subscribant. Vide verba sanctissimi Martyris & Pontificis loco jam citato.

V. Cõmittitur Theologiæ œconomia, nisi utrobique ex æquo operatio naturam sequatur.

Liquet 4. Non enim committenda est Theologiæ Oeconomia, id est Deitatis elucidationi ratio incarnationis, cùm Theologiæ propalandæ promulgandæque tota famulata sit Oeconomia. At Theologiæ placitum illud est solemne & inconcussum, unam esse operationem, ubi una est natura; geminam ubi gemina; nec triplicatis hypostasibus triplicari operationes, ut quæ naturæ ex sinu efflorescant. Ergo & Oeconomiæ operatio Theandrica, ne à Theologiæ sacrosanctis legibus resiliat, cùm duplici ex natura fundatur, duplex & ipsa erit, nec personæ unitati, sed naturarum numero accommodabitur. Maximus Martyr: *Quomodo autem si de una operatione vocem accipiamus, non hunc divinarum rerum Doctorem hac ratione sibi & reliquis Patribus repugnantem dicimus? Omnes enim communiter docuerunt, quæ sunt ejusdem substantiæ, ejusdem esse operationis: & quæ sunt ejusdem operationis, ejusdem substantiæ esse, &c.* Cùmque hoc diverticulo elaberetur Pyrrhus, *Hoc in Theologia dictum est à Patribus, non autem in Oeconomia*; hoc illi effugium intercludit Maximus: *Si in Theologia tantum dicta sunt ista a Patribus, igitur opinione vestra post incarnationem non est conjuncta Theologia de Filio cum Paterna. Quod si non est conjuncta Theologia, seu ratio & doctrina Deitatis, neque connumeratur Filius cum Patre in invocatione baptismi, & reperietur fides vana & prædicatio. Rursus si non est conjuncta Theologia de Filio cum Patre, nec erit ejusdem substantiæ. Qua enim ratione differunt, natura etiam omnino different.* Pugnabat sanè & conflictabatur secum ipsa hæc Monothelitarum responsio. Nam si in Theologia seu in sententia de Deitate, fixum est ratumque illud toties apud sanctos Patres decantatum axioma, quæ unius sunt naturæ, unius esse operationis, & vicissim: atque quæ alterius sunt naturæ, alterius esse operationis, & è converso: ergo in Verbo, qui unus est trinæ Deitatis, locum habet, & immutabiliter locum habebit hoc effatum. Cùm ergo per incarnationem nil Verbo incommutabili præjudicatum sit, nihil derogatum, non poterit ejusdem cum ipso Deo operationis esse quidquam, quod non continuò ejusdem cum ipso naturæ sit: & vicissim, quod alterius ab ipso erit naturæ, erit & alterius operationis. Si secus enim res habeat, non ut garriunt Monothelitæ, paulò aliis legibus fulcietur œconomia atque Theologia; sed Theologiam Verbi contaminabit œconomia, Deitatemque ejus & consectantia paternam æqualitatem privilegia labefactabit. Operatio enim Verbi quæ ante carnem in arce regnabat Deitatis, nec ulli se nisi divinæ & omnium summæ patiebatur conjungi naturæ; per carnem usque adeo eviluit, ut in censum naturæ creatæ jam transierit. Denique hujus sententiæ insulsitatem explosit Christus ipse non semel: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Quæcumque Pater facit, & Filius hæc similiter facit.* Et complusculis alibi locis suam & paternam operationem, & similem & eandem, & indissociabilem, & adprimè unam esse profitetur. Ex quo ita colligere fas est, ut paterna operatio non est nisi

Disput. cum Pyrrho.

divinæ

divinæ naturæ, ita Verbi divina operatio quæ cum paterna eadem est & indiscreta, non est nisi divinæ ejus naturæ.

VI. Accuratiùs excutitur textus Dionysii adversus Monothelitas.

Liquet 5. Theandricam operationem non simplicem, sed duplicem esse, ex humanæ divinæque inconfusa societate coalitam. Et ne vel argumentationum vel authoritatum diutiùs consectemur rivulos, ad ipsum caput & fontem hujus authoritatis adeundum est, & argumenta inde haurienda. Illa ipsa Dionysii Epistola IV. sumenda in manus & excutienda. Amplificandæ Christi majestati totus ille ibi studet, & quamvis verum hominem, supra homines tamen illum præcellentissimè eminere declarat. Ac primò quidem negat aliquoties hominem esse Christum, non quò hominem verè non profiteatur, sed ut hac orationis effervescentia, quantum ille cæteris anteeat hominibus, conjectandum insinuet. Ergo etiamsi humanam Christo abrogaret operationem, nec eam tamen verè abrogaret; sed eadem arte ejus supra vulgares hominum operationes sublimitatem exaggeraret. At nusquam operationem humanam Christo aufert, ergo per Dionysium æquè incolumis & penè tutior est Christo humana operatio quàm natura. *Nos Jesum, non humanitus definimus, &c. Ut summatim dicamus, ne homo quidem erat, &c. In qua si divinus quispiam intueatur, supra mentem etiam cognoscet ea quæ de humanitate Jesu affirmantur, excellentis quoque negationis virtutem obtinere. Nam ne homo quidem erat, non quòd non esset homo, sed quòd ex hominibus natus, homines longè superaret.* Itaque seipsum ipse interpretatur, nec humana Christi oblitteranda, sed amplianda per has negationes suscepisse se palam testatur.

Deindè naturam operationi individuè colligat Dionysius: *Etiam ad substantiam verè veniens, supra substantiam substantiatus est, & supra hominum conditionem gessit ea quæ sunt hominis.* Ubi ait, ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνήργη τὰ ἀνθρώπου, energiam verè humanam commendat. Quam si cavillator hæreticus causetur humanam non esse operationem, quòd supra hominem sit: suis se implicabit retibus, & ad parentes suos præter spem suam, ad Eutychianos inquam ita illaqueatus pertrahetur. Si humana enim non est operatio, quia supra hominem: ergo neque humana erit substantia aut natura in Christo, quia juxta eundem ibidem Dionysium, *Supra substantiam substantiatus est, & supra homines homo erat.*

Rursus ait ibi Dionysius: *Cæterùm divina non ut Deus agebat, nec humana ut homo, sed homine facto Deo novam quandam Deivirilem operationem ostendebat.* Non negat, imò vehementer affirmat, & divina operatum esse & humana, sicut & Deum fuisse & hominem; sed ut homo supra homines, homo tamen; ita humana operatione fungebatur, sed supra homines, humana tamen. Nam si humana operatio non est, quia non ut homo, sed ut Deus ea fungebatur; ergo nec divina erit operatio, quia nec ut Deus tantùm, sed ut homo eam exerebat. Paria enim omnia facit Dionysius; nec magis humanam à divina, quàm divinam operationem ab humana patitur opprimi aut absumi.

VII. Inquiritur quam latè pateat Theandrica operatio.

Vindicato jam satis & super catholicis partibus Dionysio, ventilanda superest non ignobilis disputatio de Theandrica operatione, quàm latè nimirum illa pateat, & quibus tandem finibus circumscribenda sit. Cùmque triplex genus operationum Christi discreverimus suprà, earum quæ Deitatis, sicut mundum creare; earum item quæ humanitatis specialiter propriæ sunt, ut esurire & esitare; earum denique quæ mixtæ sunt quodammodo ex utriusque naturæ confluxu, ut tactu carnis mortuum exsuscitare. An exporrigendum est ad hæc omnia Theandricæ operationis genus & nomen? an ad extremam tantùm classem earum quæ mixtæ dicuntur, arctandum?

VIII. Mixtas tantùm Maximus Theandricis annumerat, itemque Sophronius. Scholia in Ep. 4. Dion.

Antiquissimus Dionysii interpres Maximus Martyr, cujus præcipua fuit in debellandis Monothelitis industria, & laus inde atque authoritas egregia & palmaris, mixtas tantùm operationes Theandricarum nomine honestavit. *Illam miscellaneam operationem solam Deivirilem appellavit; siquidem ut Deus tantùm operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat: in quantum verò homo tantùm, etsi Deus erat, quando comedebat & tristabatur: mixtim autem operabatur miracula, cæcis oculos illiniendo restituens, hæmorroissæ fluxum solo tactu sistens.* Quæ totidem ferè verbis alter exscripsit Dionysii interpres Pachymeres in eandem Epistolam. Quin & Sophronius ipse in quo authoritatis longè plurimum est, ea in Epistola quæ intexta est Actioni Synodi VI. Theandricas operationes nonnisi mixtas illas tertii generis interpretatur. Utque rationis ipsa expendantur momenta, expressiora atque patentiora extant in mixtis istiusmodi operationibus naturæ utriusque argumenta. Cujus enim est tangere, quàm hominis? cujus est mortuum excitare, quàm Dei? Cùm esurit autem Christus, dum contristatur, quas ibi partes agat humanitas, valdè perspicuum est: sed Verbi Dei quæ sint munia, perobscurum illud est, nec satis explicatum. Dum similiter absentem sanat, dum Solem obscurat Christus, quid operetur Deitas, in promptu est: quid autem humanitas in operto est. Ergo mixtæ operationes Theandricarum nomen vel solæ obtinent, vel maximè & indubitatissimè obtinent.

IX. Etsi eæ magis propriè Theandricæ sint, possunt tamen aliquo etiam modo omnes Christi operationes Theandricæ dici.

Cùm ergo nos minimè prætereat, dum fidem orthodoxam adversus Monothelitas tuemur, quantum momenti sit in Sophronii & Maximi authoritate atque sententia, nihil illis derogabimus, nihil nobis arrogabimus ultra sobriæ Theologiæ modum, si cùm primum locum inter Theandricas operationes mixtis illis adseruerimus, secundùm illas reliquis quoque Christi operationibus ejusdem nominis gloriam aliquam impertiamur.

X. Probatur id primò ex Dionysio universim ajente, nec humana ut hominem, nec divina ut Deum esse operatũ.

Primò enim universim & Dionysius & in ejus sententiam jurati Maximus, Pachymeres aliique adfirmant, nec ut Deum divina, nec ut hominem humana operatum esse Christum; sed & in divinis operationibus hominis, & in humanis Dei aliquas partes fuisse. Ergo ex Deo atque homine mixtæ quodammodo fuere omnes Christi operationes, ac proindè omnes Theandricæ. Alioquin non ita indiscriminatim, non ita inconsideratè pronunciandum erat, nec divina ut Deum, nec humana ut hominem operatum esse; sed circumspectiùs ajendum fuerat, divina quidem ut Deum, humana ut hominem plerumque peregisse; rarò autem, nempè dum miracula ederet, divina ut hominem, humana ut Deum effecisse, dum & tangendo suscitabat mortuum, & suscitando tangebat. At nullum sibi limitem figit Dionysius: *Cæterùm neque divina ut Deus, neque humana ut homo agebat, sed in humanato Deo novam quandam Deivirilem operationem exerebat.*

XI. Item ex eodem Theandricæ operationis principium est Deus homo: at idem est omnium operationũ principium.

Secundò, Theandricæ operationis principium indigitat Dionysius, Deum hominem factum. At Deus homo factus non tantùm edebat miracula, sed & procul positos sanabat ægros, & esuriebat atque tristabatur. Utque summatim dicam, à Deo homine facto, non tertium tantùm mixtumque genus operationis, sed & primum & secundum profluebat, & sui fontis saporem triplex hic rivulus pro suo quisque modulo, aliqualem sanè servabat. Dionysius loco jam allegato: *Ad substantiam verè veniens, supra substantiam substantiatus est, & supra hominem operatus est quæ sunt hominis.* Esuriit sanè etiam supra hominem, tristatus est supra hominem, quia qui esuriebat, quique tristabatur,

batur, erat supra hominem. Nam substantiæ dignitate profluentes inde qualeslibet operationes non poterant non saltem tenuiter irrorari.

XII. Tertiò ob immeatio-nem Dei in hominem, omnes operationes dei ficabantur.

Tertiò, Theandricis operationibus pulcherrimum Maximus Martyr substruit fundamentum, sed quod ad tria illa operationum genera, sin minùs ex æquo, certè quadantenus pertineat; Incursum videlicet intimum, insessionemque naturæ divinæ in humanam, qua immeatque & incubat penitissimis ejus medullis. Infusa autem tam intimè implicataque tam inexplicabiliter Deitas humanitati, non poterat non igne suo afflare, odore suo respergere, perfundere dignitate & sanctimonia sua totam cum suis omnibus etiam minusculis operationibus humanitatem. Cùm enim humana illa se promerent, ut esuries, tristitia, &.id genus alia, an ad hæc usque Deitatis incendium non attingebat? an tam longè vibrari lucemque suam propagare non poterant illi radii? Non satis altè injecerat, non satis validè sibi vindicaverat humanitatem Deitas, si hos humanitatis fructus subinde germinantes, elabi sibi, intactosque & inglorios abire patiebatur.

XIII. Quartò Theandrica operatio artari non debet ad miracula exteriora.

Quartò, mixtum illud tertiumque operationis genus sola ferè amplectitur ea miracula, quæ per carnem suam Verbi omnipotentia edidit. An ergo eæ tantùm Theandricæ erunt operationes? Quid mentis voluntatisque exercitamenta? Quid jugis in superna contemplationis amorisque flagrantissimi contentio? An hæc humana tantùm erant? an nihil omnino aut tenuiter adeo afflabantur ex Verbi numine, ut nihil supra modum hominis nanciscerentur? Cùm ergo miracula obstupefaciendis hominibus ederentur, ideoque foris & in propatulo gererentur per carnem, non pertinebunt nisi ad carnem Theandricæ operationes? Et animæ intus intra velum opera, sanctimonia & deliciis Verbi quanquam multò copiosissimè delibuta, ad tanti nominis gloriam non assurgent, sed inhonora & in ultimæ classis angustias dejecta sordebunt? Non possunt hæc mentibus auribusque virorum Theologorum probabilia videri. At proinde, vel non ad sola miracula cohibendæ sunt operationes Theandricæ, vel nullæ Christi operationes etiam quæ merè humanæ & videri & dici quodammodo possunt, non inter miracula sunt connumerandæ.

XIV. Quintò erat humanitas organum Deitatis in omnibus prorsus operationibus.

Quintò, etiam dum patitur, dum tristatur, & omnino dum ea actitat quæ inter merè humanas computantur operationes, nihilo seciùs instrumentum est deitatis humanitas, ergo eæ etiam Theandricæ sunt operationes. Nam quæ humanitas ut instrumentum divinitatis peragit, in iis primas sibi jure suo vendicat Deitas Verbi, secundas tantùm carni suæ concedit. Quod autem in his latitantibus etiam operationibus humanitas & agat & agatur ut instrumentum Dei Verbi, authores locupletissimi commendant Athanasius & Cyrillus, quorum nomini non illibentes assurgent, quorum in sententiam manibus pedibusque quod ajunt descendent Sophronius & Maximus. Cyrillus de recta fide: *Pulchrè autem per utramque partem dispensationis sacramentum perfecit. Carne sua tanquam aliquo organo ad carnis opera naturalesque ægritudines ac cætera officia vituperationis expertia: anima rursum ad humanas inculpatasque affectiones utebatur. Nam & esuriem, & sitim, & longioris itineris laborem, & stuporem, & metum, & tristitiam, & angorem, & ipsam denique in cruce mortem pertulisse traditur.* Audis quàm nudè humana suo ex genere sint hæc omnia? Theandrica tamen in Christo sunt hæc opera. Hæc ille humana exercitabat, non ut homo, sed supra hominem, ut ait Dionysius, quia ut instrumentum divinitatis, testificante Cyrillo; & ante Cyrillum Cyrilli magistro, Athanasio inquam. Nam Athanasius ita: *Habitavit, inquit Apostolus, corporaliter divinitas in carne, quod idem est ac si dicas: Quum Deus esset, proprium quoddam corpus cepit, & eo utens ut organo, homo factus est propter nos. Ideoque quæ propria sunt carnis, ejus dicuntur esse, nimirum quoniam in carne erat, ut esurire, sitire, pati, fatigari, aliaque id genus, quæ caro in se recipit.* Gemina sunt hæc Athanasii & Cyrilli loca, consonantque in id, ut non ad insolita tantùm signa, sed etiam humillimas ad operationes, instrumentum sit humanitas Verbi. Nam ex Athanasio Verbum esurire, sitire, pati, mori dicitur, non logica tantùm reciprocatione, sed quia quæ instrumento peraguntur, ea reducuntur omnia in causam dominatricem.

Pag. 18.

Orat. 4. contra Arian.

XV. Sextò ut tristari, esurire, & id genus alia in Christo Theandrica fuerint, maximè crucifigi & mori.

Sextò. Erant enimverò illa ex suo genere merè humana, sed in Christo multa divinitate condiebantur. Esurire humanum est, sed esurire cùm velis, quantum velis, quandiu velis; esurire justitiam, sapientiam, & incorruptibilem potiùs veritatis cibum salutemque hominum, quàm escam corruptibilem: esurire spiritaliter ipsa carne de Spiritu sancto concepta, & sitis illius qua in Deum inhiantes conflagrant piorum animæ, sacramentum gestare, & incitamentum, & levamentum; ad hunc modum esurire non humanum, sed divino humanum, seu Theandricum est. Tristari humanum est, sed tristitiam antevenire, & cunctantem arcessere, & nutu suo modum illi finemque facere; & tristari de cruce minùs sua quàm de culpis hominum; & tristitia sua tristitiam omnium superare, & tristitia sua perpetuam & inviolabilem suis quibuscumque libuerit lætitiam & serenitatem creare, ita tristari non humanum tantummodo, sed Theandricum est. Et ne longum faciam, si per omnes species discursare aggrediar, quid magis humanum quàm pati & mori? Quid minùs divinum? Quid ab afflatu & aura Deitatis disjunctius? Sed ita pati & mori, ut passionibus tuis impassibilitatem omnium paciscaris, ut morte tua vitam humano generi & immortalitatem beatam promerearis: ita pati, ut cruces ipsas consecres, ut passiones in impassibilitatis fontes quosdam demutes; ita mori ut morte mortem interimas, vitamque nunquam intermorituram & tibi & aliis construas, non humanum hoc est, sed saltem divino-humanum. Esuries ergo, & tristitia & mors, etsi ubi simpliciùs spectantur, istiusmodi sunt, ut ultro fluant ex natura hominis, nec ad eas opus sit à principante Deitate specialius agi roborarique humanitatem uti instrumentum: ubi pressius tamen atque ut in Christo sese habuerunt, illas vacat enucleare, tum verò tot scatere miraculis, tot divinis circumfluere virtutibus comperiuntur, ut jam minùs mirum accidat, si Athanasius & Cyrillus Deitatem Verbi ad eas exerendas humanitate sua tanquam instrumento usam esse sanxerint. Ausculta etiam Theodorum Ancyranum Episcopum in homilia quæ tertiæ parti Synodi Ephesinæ intexta est: *Hominis inquis passiones, non audeo Deo tribuere? Ergo neque eum passionibus salvare hominem dicis, neque cruce quasi titulo notasse potentiam diaboli, neque nostrum peccatum affixisse ligno, neque suis passionibus sanasse hominum passiones, neque morte dicis eum destruxisse mortem. Si enim Deus non sibi proprias asseruit passiones, unde passionibus Christi tot rectè facta? Quomodo sunt factæ virtutes? Quomodo morte perempta esset mors, nisi Deus illam propriam sibi fecisset?* Et infrà: *Cur autem vocas vilia quæ Deus propter salutem hominum amplexus est? Nam etsi passiones naturaliter dicuntur & sunt: sed tamen nostrarum fuerunt medicina passionum. Nequaquam ergo de cætero hæc passiones appelles, sed passionum nostrarum potiùs medelam.* Et idem infrà: *In se suscepit crucem, suam fecit alapam, vincula sua fecit, ut Dei propriæ effectæ passiones adversus passiones acciperent potestatem. Neque enim Dei* natura

natura læsa est, nec per sui mutationem passiones in se suscepit; sed fortitudinem illis divinam contra ejusmodi passiones tribuit. Mors namque velut ipsius Dei facta mortem destruit, & moriens ille mortis tyrannidem solvit, quoniam simul Deus & homo erat. Mortuus ergo est, non ut homo tantùm, sed ut Deus homo; morsque ejus non humana tantùm est, sed Theandrica. Decet enim hominem mori, non Deum: sed morte mortem interimere, vitamque omnibus mortalibus immortalem fundare, non hominem tantùm, sed & Deum decet. Quanquam ergo discriminari possunt Christi operationes in θεοπρεπεῖς, ἀνθρωποπρεπεῖς & θεανδρικάς, quia generatim & suo ex genere atque à singularibus denudatæ circumstantiis, aliæ divinam præseferant amplitudinem, aliæ hominis ostendant infirmitatem, aliæ denique majestatis & infirmitatis consociata exhibeant documenta: Cùm sigillatim tamen excutiuntur singulæ quæ ἀνθρωποπρεπεῖς dicuntur, tanto intelliguntur divinitatis lumine convestiri, tanto sanctitatis perfundi succo, potestatis ad omne genus humanum locis omnibus, omnibus ætatibus sanctificandum, ornandum, beandumque tanta & tam inenarrabili copia communiri, ut & ipsæ θεανδρικαὶ, atque adeo θεοπρεπεῖς cognominari postulent. An de divinitatis enim sibi consertæ afflatu plurimum redolet & ideo Theandrica operatio appellitanda est, qua tangitur mortuus & reviviscit: nec eadem nominis gloria afficiemus operationem, qua oppetitur mors & interimitur? Qua tangitur crux & consecratur? Qua aditur passio, & impassibilitatis fons efficitur? Qua unius morte corporea, omnium immortalitas comparatur? Qua extinguitur unus, & genus omne hominum reviviscit? An tactus usque eò efficax, ut unus aliquis suscitetur, Theandricus est: & mors in totius humani generis exsuscitationem una efficacissima, humana tantummodo, non Theandrica est? Denuo hic loqui & procul absentem Centurionis filium sanare, θεοπρεπὲς est: Tristari autem hic loci, nunc temporis, & omnium ætatum, ubique gentium tristitiam serenare, tranquillare mœrores, an hoc θεοπρεπὲς non est, sed merè humanum? Quis tam iniquus rerum æstimator hoc senserit? Nec enim minùs efficaciter tristitia Christi omnium dispunxit tristitiam, & mors Christi omnium abolevit mortem, quàm tactus mortuum excitavit, quàmque jussus absentis diluit morbum.

CAPUT IX.

Rursus quàm latè pateat Theandrica operatio.

I. Argumenti hujus abrupta difficultas.

SEptimò & ea ipsa quæ merè divina dici & videri solent, ineffabili tamen communione in hominem refluebant. Non me latet latibulum istud esse valdè arcanum & penè impervium. Quocirca non possum non hic hærere & titubare, ex innatæ caliginis conscientia & ex circumfusa arcano huic adyto immensi luminis ubertate. Quæ enim ornamenta, quæve majestatis effluvia à Deo in hominis exundent operationes, etsi exiliter & jejunè, utcumque tamen sublucebat. At in Dei operationes proprias quid usurpare, potuerit mens humana; caro humana, tota humanitas, quid interesse, quid interserere se, quid conspirare, quid conniti, quid denique si fas est, suo modo cooperari, id verò quis animo suo percipere, quis lingua mortali si modò sobrius est, eloqui aggrediatur? Sed etsi hæc penetralia non detur perscrutari, fas erit tamen circumlustrare; & non quidem qualis & quanta sit hæc societas, sed quòd aliqua sit & cum primis stupenda edisserere.

Namque primùm quidem substantiæ & personæ divinæ substantiva homini communio indulta est: Ecquid ergo vetat ne & divinæ operationis aliqua indulgeatur societas? An dignior enim, an secretior est, an ab humano contagio alienior operatio Dei aliqua, quàm substantia, & persona? Et quid operatio Dei, quàm ipsa ejus substantia est? Nec enim Deus iners quadam substantia est, quæ quasi pigra obtorpescat, & subindè alternantibus operationibus quasi expergefiat, ut in creatis usuvenit substantiis. Sed totus & semper operatur Deus, & totus operatio est, & substantia ipsa ejus substantiva operatio est, utpotè summum actualitatis, ut vocant, & efficacitatis apicem obtinens. Ergo cui humanitati insinuata penitus est Deitatis substantia, operatio quoque & substantiva operatio Deitatis illapsa pariter est; nec potuit substantiæ divinæ plenissima concedi communio, quin aliquanta etiam operationis divinæ communio impartiretur.

II. Substantia Dei ipsa operatio & summa actualitas est. Particeps substantiæ, sit ergo utcumque particeps & operationis.

Præterea illa de qua supra pauca libavimus, naturarum in Christo reciproca insessio, etsi dominatum Deitati suum incolumen servet, ut insideat magis Deitas, insideatur humanitas; illa impleat, hæc impleatur: quodam tamen suo modo reciproca est. Ergo inde si humanis operationibus insit Deitas: quin divinis inerit, vel intererit humanitas? Cum insidere, non insideri: implere, non impleri sit Deitatis, secus autem humanitati: insideat ergo impleatque suis etiam operationibus Deitas humanitatem. Plusculum enim interesset, ut homini sua Deus, quàm ut sua homo communia haberet Deo. Ergo si operationes humanæ & merè humanæ tamen plenissima communione tribuuntur: par etiam est divinas homini operationes quantum fieri poterit, effusissimè communicari.

III. Operationum mutua suo quodam modo refusio fit.

Præterea latiùs patet quàm vulgo soleant æstimare, illud quod Leo Magnus in Epistola ad Flavianum effatus est, & quod exinde in fidei normam receptum, Agere utramque naturam quæ sua sunt, cum alterius communione. Ut enim nullæ sunt humanitatis actiones, quæ non ex communione & inflatu Deitatis infinitum nescio quid & inexcogitabile pretii & dignitatis incrementum hauriant: ita divinis operationibus Verbi socia & consors accedere debet humanitas, ut tam humana sint, quæ ut Deus agit; quàm divina quæ quà homo operatur. Damascenus hic arrectis auribus est audiendus: *Agit utraque in Christo natura cum alterius communione. Communicat igitur divina natura carni operanti, tum quia divinæ voluntatis nutu permittit ut patiatur, & operetur quæ sibi propria sunt: tum quia operationem carnis omnino efficit salutarem. Quod quidem non humanæ operationis erat, sed divinæ. Caro autem communicabat divinitati Verbi operanti, tum quia corpore suo ut organo, divinas perficiebat operationes, tum quia unus erat qui operabatur divinitus simul & humanitus.* Advertis reciprocari ultro citroque operationum communionem inter geminas Christi naturas. Adeo ut ne passiones quidem expertes essent operationis divinæ sibi consociatæ, & vim vivificam atque salutiferam eis imprimentis. Si passiones autem quæ in tripartita illa & jam sæpiùs inculcata operationum distributione, à mixtis & Theandricis secernuntur vel maximè, mixtæ tamen ipsæ sunt cum divina operatione, & ex consequenti Theandricæ: quis jam non suspicabitur, & eas similiter Deodecibiles, quæ à mixtis & Theandricis dirimebantur, humanæ societatis exortes non esse, mixtisque & Theandricis & ipsas iri connumeratum? Sed adhibeamus aures animosque eliquatiès hæc expedienti Damasceno: *Sciendum est autem, quod sancta ipsius mens etiam naturales suas operabatur operationes, intelligens & cognoscens, quod Dei sit mens, & quod ab universa adoretur creatura, & reminiscens suas dum hic ageret ærumnas atque passiones. Communicat autem*

IV. Ex Leone & Damasceno hæc firmantur.

L. 3. c. 19.

autem operanti deitati Verbi, & dispensanti & gubernanti universa, intelligens, & cognoscens, & dispensans, non ut nuda hominis mens, sed ut Deo secundum hypostasin unita, & Dei mens constituta. Quid amabo fieri potuit ad nostram sententiam appositius? Ergo divinis etiam Verbi operationibus, quibus universum orbem dispensat atque gubernat, quæ minimè mixtæ aut Theandricæ videri in rerum cortice hærentibus potuissent; his inquam ipsis interest humana Christi mens, nec otiosa, aut supina interest, sed ut *intelligens, cognoscens, & dispensans*, unà cum Verbo, adeoque ut quædam cooperatrix, ut mixtæ sint etiam hæ & Theandricæ operationes. Sed ne dubia tibi hæc videatur esse collectio, illam ab ipso audi Damasceno, qui eam statim & ne verbulo quidem interjecto elicuit: *Hoc igitur manifestat Theandrica operatio, quod inhumanato Deo, sive homine facto, & humana ejus operatio divina erat sive Deificata, nec exors divinæ ejus operationis: & divina ejus operatio exors non erat humanæ ipsius operationis, sed utraque cum altera contemperanda erat.* Quid expressius his Damasceni verbis, ut divinis etiam & Deodecibilibus & ab humano consortio in speciem remotissimis operationibus interesse tamen, unàque conniti & cooperari humanitas affirmetur, nec ullæ sint Christi, quo illæ cumque tandem modo spectentur operationes, nisi mixtæ & Theandricæ? Nam si dispensanti & gubernanti universum adest Verbo humanitas, ut dispensans, prout ipsa sonant Damasceni Verba; cui præterea operationi quantumcumque divinæ & à creaturis semotæ, non æquè consors & indissociabilis collega intererit & quodam suo modulo nobis inexcogitabili atque inexplicabili cooperabitur humanitas?

V. Etiam secundum naturam humanam Filius est Patris omnipotentis Christus.

Præterea quod item ex Dionysio manavit Christianæ Theologiæ scitum, *Nec ut Deum divina, nec ut hominem humana operatum esse Christum*, sed ut Deum hominem omnia; latissimè etiam patere nobis quidem videtur. Quid enim seponendum hinc erit, si stat quod alibi constantissimè ex arcana & indubia sanctorum Patrum traditione firmamus, ne à Patre quidem Deo jam ut Deum tantùm, sed ut Deum hominem nasci; nasci à Patre Deo non in Patris ipsius tantùm sinu, sed & in matris gremio, ampliatione quadam & veluti extra solennem alveum exundatione æternæ generationis, non fundi tantùm à Deo Patre Verbum, sed effundi etiam in carnem, ut quod ait Augustinus, secundùm utramque substantiam Filius sit Dei Patris omnipotentis. Si humanitas ut Verbi accessio, & tanquam membrum, aut portio ejus aliqua, penetrali & clandestinæ huic Verbi à Patre manantis generationi implicatur; quantò propensiùs in societatem quarumlibet aliarum Verbi operationum advocari illam existimabimus? Nam profluere à Patre Verbum sempiterna generatione, & divinius est, & Deodecibilius, & à creatarum naturarum non communione tantùm, sed vel comprehensione longè remotius, quàm vel orbem condere, vel conditum non dissimili omnipotentia & providentia administrare. Ergo ut ab illius generationis, ita ab hujus sanè administratione, & a cujuslibet operationis societate non usquequaque alienabitur mens humana & caro assumpta.

VI. Christus humano ore & afflatu afflat Spiritū sanctum.

Præterea par momentum in eo est quod non semel jam ex Augustino atque Cyrillo monuimus, quod corporeo afflatu Spiritum sanctum insufflaverit Apostolis Christus, argumentum esse id splendidissimum & specimen cum primis luculentum ejus communionis, in quam Deitas Verbi creaturam assumptam ascivit, sublimavitque præter mentem, ultra expectationem aut existimationem nostram, ultra denique ipsas propemodum præfixæ naturis creatis modestiæ & sobrietatis metas. Proflare enim corporaliter atque ita ipsam Spiritus sancti substantiam inspirare Apostolis, quid hoc aliud est, quàm non quidem spirandi, at certè inspirandi Spiritus sancti nonnullam sibi quoque ut homini, quanquam inæqualem, quanquam accommodatam homini, aliqualem tamen, eoque ineffabiliter admirabilem & obstupescendam impartitam facultatem clamitare?

Una enim eademque operatio est, qua Verbum Deus & spirat ex se, & Sanctis inspirat Spiritus sancti substantiam; una hæc inquam operatio est, illic se premens extra se, se hic extra se promens: illic latitans, hìc erumpens: illic intra riparum obices instar amnis fluens, hìc copiosiùs superfluens. In societatem ergo hujus operationis adoptatur quodammodo humanitas, cùm veluti suum suo ex pectore, authoritate quin etiam sua, Spiritum sanctum etsi non spirat, at certè afflat. Si operationis ergo qua effunditur Spiritus sanctus, assumptæ humanitati societas est aliqua cum Verbo Deo, an ejus qua creatura funditur, qua sustentatur, qua regitur, ut arcanæ magis & inaccessæ communione fraudabitur? Quid enim æternis illis internisque operationibus magis ἀκοινώνητον? Si hæ tamen aliquatenus communicantur, quid obstabit præterea, ne & cæteræ utcumque communes sint? Non sic enim in communionem æternæ spirationis vocatur natura creata, ut & ipsa spiret Spiritum sanctum. Apage hanc à nobis audaciam. Sed ut omnes assentimur Deiparam Verbo temporaliter in carne gignendo cooperatricem Deo, atque ita Dei genitricem extitisse: ita inspirando in fidelium mentes Spiritui sancto cooperatricem Verbo suam quoque humanitatem ut instrumentum ejus conjunctum adhibitam esse, ultro profitemur.

Corrogatis jam Patrum suffragiis & juvabimur & recreabimur. Leo Magnus: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est: Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est.* Nullo stringitur limite hoc effatum, in omnia se porrigit, latissimè dominatur. Et rursùs: *In tantam unitatem ab ipso conceptu Virginis Deitate & humanitate connexa, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana.* Par utriusque ad alteram societatis & communionis fœderatio; nulla sine Deo aguntur humana, non tantùm quòd unà Deus sit, qui humana actitat, sed & quòd plurimo Deitatis succo inficitur & consecratur actio quælibet humana: ita nulla sine homine aguntur divina, non tantùm quòd homo sit qui divina perficit, sed quòd in divina operatione aliquæ sint etsi incompertæ nobis, etsi nec cogitatu nec sermone nostro assequendæ, hominis partes.

VII. Antedicta firmantur Patrum testimoniis. Leonis. Leo M. Ep. 10. Ep. 81.

Augustini testimonia jam suprà retulimus, quibus multiplicandorum panum in manibus Christi potestatem viguisse, resuscitandorum corporum facultatem in humanitate Christi, sicut & resuscitandarum animarum in ejus Deitate positam fuisse significat. At eadem cum creatrice omnipotentia perfici hæc oportere nemo ambigit, qui Christianæ Philosophiæ saltem attigerit rudimenta. Unde & Chrysologus suprà nos docuit, non medicante, sed creante manu, eadem nimirum qua oculos primùm formaverat, eosdem deformatos reformasse cæco nato Christum. Ergo divinæ etiam & merè divinæ operationis, cujus sanè modi est rerum creatio, societatem cum Verbo assumente assumpta humanitas impetravit. Ergo Theandricæ sunt etiam hoc genus operationes.

VIII. Augustini & Chrysologi.

Gregorius Nyssenus: *Itaque divinitate utrique hominis parti commixta, in utraque perspicua excellentis naturæ indicia patuerunt. Corpus enim attactu suo morbos curans divinitatem præseferebat, Animus autem potenti illa voluntate divinam virtutem indicabat. Quemadmodum enim tangendi sensus est corporis proprius, sic animi proprius est voluntatis*

IX. Gregorii Nysseni. Orat. 1. de Resur. To. 3.

tatis motus. Accedit leprosus corpore jam dissolutus atque confectus. Quomodo curatur à Domino? Animus vult, corpus tangit. Utroque modo expellitur morbus. Consociatam argumentatur Nyssenus tam voluntatis creatæ nutui, quàm carnis contactui omnipotentiam divinam. Nec injuria. Propiùs enim abest ab ea dignitate natura animæ rationalis, quàm carnis. Ergo si quem tetigit mortuum, omnipotenter suscitavit; quantò magis quem voluit absentem persanavit? Nam nisi præsentem utique tangere nequibat: sed ex quantocumque intervallo remotum poterat velle sanare. Si ergo voluntati æquè ac tactui, imò & æquiùs & arctiùs illigata erat virtus divina, tam animæ voluntate absentem sanavit, quàm carnis tactu suscitavit præsentem. Illud ergo quod in exemplum Deodecibilis & merè divinæ operationis suprà memoratum est, & à cæteris secretum, quòd absentem solo jussu sanaverit Centurionis puerum, illud ipsum, inquam, divinæ atque humanæ operationis consortio & colligatione totum constat. Theandrica sunt ergo illa etiam selectissimæ nobilitatis opera θεοπρεπῆ.

X. Græcorum. Dion. Epist. 4. Sophr. Act. XI. Sextæ Synodi.

Dionysius: *Divina non qua Deus agebat, nec humana qua homo, sed ut Deus homo.* Sophronius: *Sicut enim in Christo utraque natura indeminute proprietatem suam custodit, ita & operatur utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo operante quod Verbi est, cum communione scilicet corporis: & carne exequente quod carnis est, communicante ei videlicet Verbo in eadem operatione, &c. Neque enim divisè operabatur propria, ut & divisionem earum suspicemur.* Et Ephræmius Patriarcha Antiochenus apud Photium ait similiter Christum, *Neque divinitatis propria, neque propria humanitatis divisim egisse.* Nullo limite hæc angustantur, amplissimè se diffundunt; cùmque Christus & quà Deus orbem condat regatque, & quà homo humana patiatur & agat: nec illa nec ista divisim peragit, sed ut operanti humana homini cooperatur Deus, totam Deitatis plenitudinem & sanctimoniam humanis infundens operationibus: ita operanti divina Deo cooperatrix adsistit humanitas, pro suis & ipsa viribus unà conspirans & adlaborans. Consentit his Damascenus locis suprà jam allatis, ex quibus hunc eundem nobiscum sensum obiter strictimque exculpsit clarissimus Petavius magnum illud omnimodæ eruditionis penu, & eruditissimæ societatis eximium ornamentum.

L. 3. c. 15. 19.

Dog. Theol. de Incarn. L. 8. c. 11. n. 8. & 10.

Nam & mentem Christi hominis non solum proprias & naturales suas functiones obire ait, intelligendo cognoscendoque se Dei esse mentem, & à creaturis omnibus adorari; sed etiam cum divinitate Verbi operante communicare, & cum ea providere rebus omnibus, & mundum administrare, quà Dei mens est, & ejus hypostasi propria subsistit. Ita Petavius, qui ipse ibidem hanc nostram de Theandricis operationibus latiùs effusis sententiam suo etiam calculo confirmat.

XI. Rursus Latinorum. Leo Serm. 9. de Quadrag. Gelas. L. adv. Nestor. & Eutyc.

Utque ad Latinos iterum nos referamus, Leo Magnus: *Licet ex quo Verbum caro factum est, ita in Christo Dei atque hominis una persona sit, ut in nullis actionibus fiat naturæ utriusque divisio.* Et Gelasius Papa: *Ita deinceps pariter hunc eundem Dominum Jesum Christum & Deum explesse quæ humana sunt, & hominem gessisse quæ divina sunt, ut in utroque hunc eundem unum veraciter existentem omnis confessio Christiana concelebret.* Denique Hilarius: *Locutus & gerens homo universa quæ Dei sunt; loquens deinde & gerens Deus universa quæ hominis sunt.* Nullius hîc interpretis opera desideratur, nec verborum sententia interpretando longiùs tendenda est. Conceptis verbis ait Hilarius universa quæ Dei sunt, hominem & gessisse & locutum esse: & vicissim Deum universa quæ hominis, Atque universa quæ hominis sunt, gessisse Deitatem cooperatricem, & divinitatis ornamenta omnia infundentem, nemo ambigit: at universa quæ Dei sunt, æquè gessisse hominem, proculdubio ex moduli sui naturæque finibus cooperantem, similiter pronunciat Hilarius. Quumque ille dicat, *universa quæ Dei sunt, hominem gessisse & locutum esse*, nemini obscurum est, quum ea quæ Dei maximè specialia sunt, locutus sit homo. Ut cùm ait, *Ego & Pater unum sumus. Ego in Patre & Pater in me. Antequam fieret Abraham, ego sum, &c.* Ergo & universa quæ Dei peculiaria sunt, homo idem gessit.

Hilar. L. 9.

XII. Et Græcorũ. Basil. Orat. 25. in Christ. Nat. Naz. Orat. 5.

Et è Græcis iterum Basilius: *Deus in carne, non ex intervallo operans ut in Prophetis, sed consertam sibi humanitatem & unitam possidens.* Et Nazianzenus: *Si quis tanquam in Propheta dicit secundum gratiam inoperatum, & non secundum substantiam conjunctum & complasmatum esse Verbum, sit vacuus melioris operationis, magis autem plenus adversæ.* Et Chrysostomus: *Ego sum resurrectio & vita: id est, non expecto dum alterius operationem excipiam, sed à meipso omnia facio.* Ex quibus efficitur, non transeunte & per interruptas vices repetita operatione Verbi actam fuisse humanitatem, sed jugi & secundùm substantiam & secundùm operationem coaptatione potitam esse. Indulgebat enim se Prophetis interdum, moxque cessabat operatio divina; non ita edenti miracula humanitati aderat, & continuò abscedebat operatio divina, ut illæ tantùm essent Theandricæ operationes; sed cùm Deitatis substantia nunquam discederet, nec abscedebat aut cessabat unquam divina operatio, quin & operanti conspiraret humanitati, & eam sibi sociam adsciscerct operanti.

Chrysost. Hom. 26. in Matth.

XIII. Tripartita tamen operationum Christi distributio retinetur.

Quod septimo igitur loco stabilire adorti eramus, operationes etiam primi generis, & maximè θεοπρεπεῖς cum humanitatis communione effici: sicut & secundæ classis, seu ἀνθρωποπρεπεῖς & merè humanæ, non sine plurima Deitatis aspirantis cooperatione eduntur, id jam ut arbitror abundè approbatum & constitutum est. Nec tamen explodimus, aut omnino illam repudiamus tripartitam operationum Christi enumerationem, quam à Sophronio Maximoque, summis planè Theologis traditam accepimus, sed germanum ejus sensum ex aliorum Patrum consensione expiscamur. Sunt enim profectò operationes penitus divinæ, sunt penitus humanæ, sunt miscellæ & geminæ: si earum nempè genus dumtaxat & natura indagetur; vel si id quod eminet & in propatulo est, attendatur tantum, & ipsa rerum medulla altiùs non introspiciatur. Nam mundi gubernacula moderari, suo ex genere, est maximoperè θεοπρεπὲς, nec aliud homines vulgò suspicantur; ita pati & mori hominis mortalis naturæ valdè consentaneum est, nec ullam horum cum Deo societatem iniri posse facilè imaginamur. Sed abducto cortice, ipsa rerum & mysteriorum penetralia subeunti, liquidò claret & mortem communione necessaria ad Deum incarnatum pertinere, & regimen mundi ad animam deificatam. At ubi tactu carnis suscitatur mortuus, hic verò & natura ipsa & rerum evidentia clamitat quid cujusque naturæ sit.

XIV. Ut Theologi cũ Patribus concordent, & ut Christi humanitas creationi rerum se interserat, etsi nec instrumentum esse queat creationis rerum.

Rursum observa cautè cum primis & suspenso gradu incedendum esse, cùm merè divinarum operationum societas humanitati assumptæ condonatur. Scopulosus hic planè & perdifficilis locus est, & obstantibus hinc & inde Theologorum effatis implicatus. Cavesis enim ne creandi operatio permittatur humanitati, ne creatura creet, ne transiliat præscriptas creatis naturis lineas, ne eò revolvatur usque, ut suæ sibi originis causa sit, ne denique præjudicatis & nullo jam ausu sollicitandis Theologorum placitis obstrepat. Et si qua alia istiusmodi est operatio, quam Deo creatori ut eximiam dedicaverint, nulloque creaturæ etiam in organi vicem famulantis accessu violari debere,

ratum

ratum fixumque Theologis sit; eam quoque nostri non fuit consilii assumptæ humanitati impartire. Non discedimus tamen à Damasceni aliorumque quos suprà conglobavimus Patrum authoritate, atque à rationum unà accumulatarum defensione non deterremur. Nam etsi creare non permittatur quidquam assumpta creatura, sed dispensare tamen orbem & regere, ut dixit Damascenus, & moderari poterit, ut moderantur Angeli, sed tantò præcellentiùs, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit, sic tamen ut objecta creatis substantiis repagula non irrumpat. Rursum etsi creare non permittatur, sed ipsi interesse rerum creationi seu administrationi, quæ continuatio quædam est creationis, & intelligere & admirari, & adgaudere, & conspirare unà, & rationibus aliis innumeris quas divinæ potentiæ præstare, quàm menti nostræ excogitare promptius est, sociam & consortem atque collaboratricem se adjungere ne arceatur. Nam nec Verbi Deitas pati sinitur aut compati, nec mori aut commori, sed morienti tamen humanitati adest, tristitiæque & morti se interserit, unàque cooperatur ineffabiliter, dignitatem & pretium, & sanctimoniam & inexplicabilia aspergens Deitatis ornamenta. Ut ergo etsi non moritur, nec tristatur Deitas, mors tamen & tristitia hæc penitus Theandrica est Deoque consentanea: ita etsi non creat humanitas, communis tamen est cum humanitate creatio seu administratio orbis, fitque humana hæc operatio divina, sicut humana sive humanata facta est Verbi divinitas. Rursum non ratiocinatur corpus, sed ratiocinanti tamen menti quàm stupenda se socium inferat communione, quis non experiri magis potest, quàm eloqui? Usque adeo sequax & morigerum menti corpus est: adeo frangendo, fingendoque suas ad artes corpori armata mens & præpotens est, ut animi contemplamina combibisse corpus ipsum & effundere atque coram explicare velle videatur. Denique molestia nonnunquam creatur non mediocris, ex corporeæ imaginationis societate intempestiviùs se intelligenti menti interserente, & corporalia quæque rei intelligibili consona ingerenti signa, & intelligentiæ denique vestigia singula pressim legente. Si intelligibili animo cooperatur corpus ab intelligendi munere alienum & valdè absurdum: quin & creanti Verbo, hoc est administranti mundum, cooperetur humanitas, etsi non creans, sed substantivæ tamen suæ cum Verbo creante copulationis aliquo gaudens privilegio?

Ex his porrò liquet manifestissimè, quàm Theandrica operatio quælibet, non una, sed duplex operatio sit. Quod enim in creatione humanitas, quod in passione Deitas confert, tam illa non creans, quàm hæc non patiens, diversum omnino est ab eo quod creationi Deitas, passioni humanitas confert. Conjunctissimæ ergo sunt hæ operationes duæ, non una, etsi Theandrica dicatur operatio, sicut conjunctissimæ sunt duæ naturæ, non una, etsi Deus homo dicatur.

XV. Etsi conjunctæ sint operationes, duæ sunt tamen, & quid à quaque natura sit, discretum est.

In Joannem Tract. 78.

Rursum observa, etsi operationum ingens adeo sit communio geminas inter naturas, quid ex quaque tamen proficiscatur, diligenter dispiciendum esse. Ejus enim naturæ est operatio, ex qua principaliter effluit, & ex qua in alteram sibi contextam refunditur. Unde Augustinus: *Agnoscamus geminam substantiam Christi: divinam scilicet qua æqualis est Patri; humanam qua major est Pater, &c. Sicut unus est homo, anima rationalis & caro: sic unus est Christus, Deus & homo; ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis & caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Idem de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulcro? Christus Jesus, sed in carne sola.* Pluribus accumulandis de industria supersedeo, ut in re exploratissima.

XVI. Rursus de eodem.

Observa iterum, etsi utraque forma non operetur quæ propria sibi sunt, nisi cum alterius communione: non posse tamen tribui formæ cuique, nisi quæ naturæ ejus & ingenio propria & consonantia sunt, nequaquam autem ea quorum ipsi nonnulla ex naturæ alterius conjugatione societas est. Itaque mærore affectæ, passionibus divexatæ, mortem oppetenti humanitati adest Deitas, & imprimit se, suamque sanctitudinem, & ea sibi vendicat omnia: nec tamen dici, aut existimari potest Deitas aut mærori aut passionibus, nedum morti subesse. At non aliter gubernanti orbem anima assumpta adest Deitati, unàque quasi adlaborat; nec tamen creare ipsa orbem, vel gubernare arbitranda est. Eò pertinet illud Rustici Diaconi in disputatione contra Acephalos: *Anima nullatenus foris à corpore suo, habet operationis suæ principium. Deus autem Verbum & in humanitate existens, in cœlo & ubique consuetas operationes implevit, licet quasdam & inæstimabiles etiam per corpus. Quid enim differebat ad operationes ejus, quæ sunt ab initio, utrum non haberet, an haberet humanitatem, dum per humanitatem non plueret, non tonaret, non astra moveret; & si licet simpliciter dicere, nihil amplius per eam sic operatur, nisi sola quæ noviter propter nostram sunt facta salvationem, propter quod humanatus est.* Non videtur mihi quidem adversari Damasceno hæc Rustici sententia. Etsi enim semel atque iterum inculcaverit Damascenus dispensanti orbem Verbo adesse suam quam assumpsit mentem, ut intelligentem quid fieret, & adgratulantem & *pariter dispensantem*; non tamen hinc efficitur ut anima illa vel tonare, vel pluere, vel rotare cœlos, vel creare, vel dispensare orbem dicenda sit, ne in modum quidem causæ ancillantis & instrumenti, sicut tangendo dicitur ægros recreasse aut suscitasse extinctos. Hæc enim reciproca inter naturas operantes quæ sibi propria sunt, communio, nec principalem nec famulantem causam constituit eam, quæ eo gaudet fœdere. Ideo nec Deitas pati aut mori dicitur, etsi & in mortem & in passionis minutias omnes largissimum dignitatis & sanctimoniæ imbrem impluerit.

XVII. Instrumenti nomen ab infamia vendicatur.

Observa denique cùm instrumenti nomen homini Christo hactenus adsignaverimus frequentissimè, eluendam quoque expiandamque esse invidiam, qua illud olim quandoque propter nefarias hæreticorum commentationes flagravit, sic ut à nonnullis sanctorum Patrum aliquando explosum sit. Nam & Ariani ut à Paterna æqualitate dimoverent Christum, & Apollinaristæ ut animam ipsi excuterent humanam, & Nestoriani ut à Deo hominem disjungerent, & perfunctoria tantùm operationis societate in speciem duas hypostases copularent, hi non eodem consilio, sed non dispari flagitio, instrumenti nomen Christo passim impingebant. Hunc fucum deprehendit, exsufflavitque præ aliis Cyrillus, instrumentique nomen hactenus approbavit, ut non Christus totus, quod malè speraverat Arius, sed sola humanitas; nec caro sola, quam nobis fraudem nectebat Apollinaris, sed anima & caro pariter instrumentum esset, non qualecumque, sed conjunctum ut corpus animæ, manus corpori, ut & hinc Nestorius profligaretur. Semel & iterum jam supra retulimus Cyrilli testimonium, ubi docuit, Verbum tanquam organo usum esse anima corporeque suo ad inculpatas affectiones atque ad salutares exantlandas passiones. Sed hoc ipsum adversus triplicem pestem communitum præsidium invadere & inde pestilentiùs grassari statim cœpit Eutyches, & Eutychetis sinu effu-

effusa quinta demum lues Monothelitarum. Si organum enim non sejunctum, sed conjunctum est Deitati humanitas, ut animæ corpus, corpori brachium, perinde ergo una visa est Eutycheti natura, Monothelitæ operatio utriusque, sicut corporis & animæ, vel corporis & brachij. Adversus malè hinc coagmentatam naturarum unitatem alibi disputatum est, ubi confutatus Eutyches. Adversus autem unitatem operationis ex contemplatione instrumenti improbè fabricatam, præter ea quæ hoc toto capite & superioribus executi sumus, unum hic expediemus ex Maximo verè maximo Teologo testimonium, unumque ex testimonio emicans argumentum. Apud Euthymium in Panoplia sic habet ille: *Si vos quidem instrumentum naturale esse dicetis, Verbum ex opinione vestra, carni erit æquale tempore, vel caro erit coæterna Verbo. Quidquid enim naturali utitur instrumento, habet hoc æquale tempore, quemadmodum corpus anima. Ac jam tempus est ut naturam divinam inter creaturas numeretis; aut certè corpus esse dicatis increatum.* Quo uno loco & Eutychetis retunditur vecordia & Monothelitarum. Namque ut alibi statutum est, nisi coæva sint duo aliqua, nisi & loco & tempore coextensa sibi, & coaptata, ut neutrum alterius excedat fines, non poterunt ea in unam naturam satis commodè coire, atque adeo nec in unam operationem. Æternitas ergo Verbi cum natura temporali, infinita ejus immensitas cum substantia brevi & angusta nec in naturæ, nec in operationis unius societatem coalescet unquam. Itaque non ita homo Deitatis, ut corpus animæ instrumentum erit; est enim corpori atque animæ ætas suppar, compar diffusio, æqua coaptatio, ut neutrum extra alterum excurrat.

Pag. 669.

CAPUT X.

Voluntas Christi creata impeccabilis demonstratur esse.

I. Non cedere, sed accedere impeccabilitati debet volūtas creata Christi.

NErvos omnes eò contendebant Monothelitæ, non ut suam Christo impeccantiam extunderent, sed ut eo tanquam indeclinabili telo humanam ejus incesserent, perimerentque voluntatem; ut quæ ob insitam sibi mutabilitatis ægritudinem cum impeccantia sociari ac coalescere non posset, facesseret ipsa, & meliori locum concederet. Contrà igitur nitendum nobis est, & ad hoc dimicandum, ut ipsi creatæ voluntati concilietur & indissociabili amicitiæ fœdere conglutinetur incommutabilis sanctitas atque potentissima peccandi impotentia. Nec enim impeccantiæ locum concedere vacuum debet creata voluntas, tanquam adversariæ & infestæ; sed ut amicissimæ accedere, & unà conseri; nec eodem tantùm diversari hospitio, sed hospitium ipsamet ejus & domicilium sese præbere.

II. Impeccātia cum Christo nata & concreta est cum de Spiritu sācto sit conceptus.

Radix autem impeccantiæ primaria ex prima & immaculata Christi conceptione proserpere visa est sanctis Patribus. Nam de Virgine, de Virginis fide & obedientia, de Spiritu sancto conceptus, & in ea carne conceptus, quæ adeo non peccato serviret, ut peccatorum omnium medicamentum foret, his tot sanè tantisque præsidiis impeccabilitatem suam satis tutam atque communitam obtinet. Virginitatis enim & fidei & obedientiæ proles, nonne inusitatam quandam spirat sanctitatem, & virtutum indolem, castimoniamque morum inviolabilem, cum ipsa natura seminatam atque concretam? Item de Spiritu sancto, seu de sanctitate Deitatis & Charitate substantiali concipi, quid hoc aliud est, quàm substantiam sanctitatis inexpugnabilem ab ipso suæ originis fonte bibere? Nam si adumbrata nostra ex Spiritu sancto regeneratio id præstat, ut eatenus quis nec peccet, nec peccare possit: quid illa generatio, cujus hæc tantummodo umbratile simulacrum est? Denique cum ex increatæ sanctitatis & castissimæ virginalisque pudoris ac fidei conjugio quodam intemeratissimo, conciperetur peccatorum omnium medicina, quid ibi jam suspicari possumus, nisi peccati contagio inimicissimum, omnique ad peccandum libidini, aut vel nutui levissimo insensissimum? Concreta ergo & quasi macerata cum Christi ipsa humana substantia est impeccabilitas quædam invictissima.

III. Ex Patribus id astruitur, & primùm ex August. Serm. 4. de Verb. Apost.

Testimonia Patrum aggegari nihil opus est; hac opera & labore alibi defungemur, ubi hoc ex eo dem capite sanctitatem Christi, quæ ab impeccabilitate nihil admodum discrepat, deducemus. Pauca strictim hic aspergam. Augustinus: *De Virginis corpore non assumpsit vulnus, sed medicamentum: non assumpsit quod sanaret, sed unde sanaret.* Idem alibi: *Non dicimus nos Christum fœlicitate carnis à nostris sensibus sequestratæ, cupiditatem vitiorum sentire non potuisse. Sed dicimus eum perfectione virtutis, & non per carnis concupiscentiam procreata carne, cupiditatem non habuisse vitiorum. Aliud est enim non habuisse cupiditatem malam, aliud non potuisse sentire; sensisset enim si habuisset, non enim sensus ei defuit quo eam sentiret; sed voluntas affuit, qua non haberet. Nec mireris Christum quamvis hominem verum, tamen per omnia bonum, noluisse habere cupiditatem malam. Nam quis præter vos cupiditatem negat esse malam, qua cupiuntur mala?* Illa ergo carnis fœlicitas qua peccandi libidine caruit, in eam *à perfectione virtutis*, & à voluntate fluxit. Ibidem mox suggillat Julianum, quod ei non videretur *Castitas integra, ubi magnitudine & perfectione voluntatis bonæ non solum non committuntur, sed nec cupiuntur illicita.* Et statim: *Christus ergo qui legem perfectissimè implevit, nulla illicita concupivit, quia discordiam carnis & spiritus, quæ in hominum naturam ex prævaricatione primi hominis venit, prorsus ille non habuit, qui de Spiritu & virgine, non per concupiscentiam carnis est natus.* Non inopia ergo voluntatis humanæ, sed *magnitudine & perfectione voluntatis bonæ*, à peccati & peccabilitatis labe purus fuit Christus. Caro ejus incontaminata & incontaminabilis usque perstitit, non quia orbata fuit congenitæ voluntatis consortio, sed quia voluntati inconcussam complexæ sanctimoniam non dissensit. Et eo pertinebat illa virginitatis maternæ & charitatis atque sanctitatis increatæ conspiratio. Ibidem Augustinus: *Sic igitur Christus abstinuit à peccato, ut abstineret etiam ab omni cupiditate peccati: non quod eam non posset habere si vellet, sed non rectè vellet, &c. Proinde ille vir perfectus, non per concupiscentiam natus, quæ indifferenter appetit & illicita & licita, sed de Spiritu sancto & virgine Maria, quidquid concupivit, licuit: quidquid non licuit, non concupivit. Natus enim de carne per sanctum concipiente Spiritum, absit ut in se haberet discordiam carnis & spiritus.*

L. 4. Op. ult. contra Jul. n. 48.

Ibid. n. 57.

Ibid. n. 58.

IV. Ex Leone. Epist. 11.

Leo Magnus: *Non alterius naturæ erat ejus caro quàm nostra nec alio illi quàm cæteris hominibus anima est inspirata principio; quæ excelleret, non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantia voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati: & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.* Compugnantia voluntatum, non ex natura hominis, sed ex lege peccati sata est. Ut ea ergo peccandi pronitate explicaretur Christus, non luxanda illi erat hominis natura, sed redintegranda; non curtanda, aut obtruncanda erat anima suo apice, hoc est sua voluntate, sed *virtutis sublimitate*, & voluntatis ipsius seu *mentis mode-*

moderamine regenda erat caro, & tota carnalium affectionum familia ultro sequax & dicto audiens.

V. Ex Bernard. Ser. in feria 4. hebd. pen.

Bernardus: *Hoc autem Verbum quia carnem purissimam & animam sanctissimam unierat sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui, tum quia sapientia & justitia erat, tum quia nulllam habebat prorsus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ.* Nobis quidem lege mentis frangenda lex carnis est subinde rebellantis, & implacata tumultuantis pertinacia. At Christo cum nulla istiusmodi adhæsisset membrorum lex exlex, nulla carnis contumacia inolevisset, quantò promptius erat lege mentis obsequentissimum corpus moderari? Ut quid ergo legem mentis, seu voluntatem illi creatam exturbare satagebant Monothelitæ, quasi non posset in ipso sana sanam & morigeram regere carnem, quæ in nobis ægra pervicacem & bellaturientem domitat supernè adjuta?

VI. Ex Athanasio.

Athanasius Libro de Salutari adventu Christi, vocem Monothelitarum in Præceptoribus suis jam tum obstrepentem ita effingit: *Si omnia assumpsit, omnino utique & humanas cogitationes habuit: impossibile est autem humanis cogitationibus non inesse peccatum: quomodo igitur peccati expers fuit?* Nænias istas putissimas jam olim ergo occinuerant hæretici, exsibilaverant Catholici Patres; & in primis hallucinationem illorum denudavit Athanasius, in eo vehementer conspicuam, quòd pœnam pro natura interpretarentur. Illa enim vitiosarum cogitationum seges non ex voluntatis atque animæ natura pullulat, sed ex diaboli satu & peccati spontanei supplicio. Nam ut ait Athanasius, *Si vitiosas peccatricesque cogitationes creavit Deus, qua ratione peccantem condemnat?* Adamus autem *rationalis quidem erat natura, in cogitationibus autem suis liber, sed inexpertus vitii, solum quod bonum erat cognoscebat*, καὶ ὥσπερ τις μονότροπος ὤν. *Sed peccatrices & captivatrices cogitationes superseminavit diabolus rationali creaturæ, jam in prævaricatione constitutæ, & à Deo divulsæ.* Ad quid ergo Christus? num ut naturam discerperet, & quas ejus portiones sauciaverat diabolus, ipse amputaret, totumque truncaret speciei consulendi? Minimè. Sed, *Ipsemet Dei Filius supervenit, ut eam in suam naturam restitueret, per novam originem & genituram admirabilem; non primam distrahens constitutionem, sed inspersam ignominiam detrahens.* Et tandem ipsi illi maxime naturæ quæ peccaverat, quæ in peccatum nimio pondere vergebat, inserenda erat impeccabilitas, ut fiducia consimilis gigneretur nobis, non absimilis gratiæ nobis saltem aspergendæ. Nam istuc demum est, medici nomen & vices implere, non partes ægras amputare, sed sanare: non curtare corpus, sed redintegrare: morbos amputare, non membra: sanitatem inexpugnabilem ægris membris inserere: & quod fuit morbi caput, ibi sanitatis jugem scaturiginem aperire. *Quod si in peccatrice natura impeccabilitas non apparuisset, quomodo peccatum in carne damnari potuisset, &c. Aut cur ab Apostolo dictum est, Ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit gratia?*

VII. Antedicta valent non tantùm ad vitiosâ concupiscentiâ prævortendam, sed ad frænandam etiam naturaliter insitam mutabilitatem.

Non me fallit hæc omnia ad id valere, ut effricetur è Christo cupiditas illa peccandi, quæ peccato primi parentis in ipsum ejusque sobolem omnem irrepsit: minùs autem dilucere, an ea etiam expungatur mutabilitas flexibilitasque ad peccandum, quæ & ante culpam Adamo inerat, & ex qua titubavit defluxitque tandem in vitium Adamus: quæ denique in omni substantia creata jam inde radices egit altissimas, cum è nihilo prodiit, & in nihilum relabendi impetum jam inde cepit. Sed qui in suprà acervata & testimoniorum & rationum momenta altiùs defixerit mentis aciem, facilè intelliget, non potuisse illam quæ semel se infunderat, peccandi libidinem antevenire & præfocari, nisi ea sanctitatis plenitudine, quæ non concupiscentiæ tantùm prævertendæ, sed & insitæ naturalique mutabilitati frænandæ sistendæque sufficeret. Nam fæcundata virginitas, Spiritus sancti obumbratio, medicinæ omnibus profuturæ temperatio, non expiandæ tantùm concupiscentiæ, sed omnibus peccabilitatis & ingenitæ mutabilitatis radicibus funditus extirpandis pares & idoneas se fore pollicentur.

VIII. Altera impeccantiæ radix est divina Verbi hypostasis, cujus organum est voluntas mẽs & tota natura hominis.

Radix altera impeccantiæ ipsa est Verbi hypostasis, quæ seu per principalem naturam, hoc est, Deitatem, sive per accessionem & accrementum, hoc est, humanitatem suam operetur; ipsa operatur, una atque eadem incommutabiliter vera, & Veritas ipsa, sancta & Sanctitas ipsa. Nec verò per carnem tantùm operari, sed & per voluntatem humanam instar organi sibi obsequentem omnipotenter potest. Natura enim superior per inferiorem ut agat, inferior per superiorem ut agatur: illa principetur, hæc serviat, æterna lege comparatum est. Agit per corpus natura intellectualis; agit per naturam intellectualem divinitas. Non corpus corpori instrumentum est, non anima animæ, non mens menti, non Deus Deo, quia nec inferior. Sed corpus animæ, anima menti, mens Deo, inferior superiori, instrumenti in vicem famulatur. Sed nec caro menti, sine media anima, nec anima Deo, nisi media intercedat mens, nedum caro Deo nisi interjecta anima atque mente conglutinabitur. Qui ergo non mentem, non animam, non naturam illam intellectualem divinæ & substantiæ & operationi subjugant formandam, regendam agendamque, sed solam corporalem naturam: ii naturarum gradus evertunt, perfringunt rerum leges, Deum gradu suo deturbant, in ordinem illum cogunt, non alia ei indulgent quàm creaturæ intellectualis privilegia, ejus jugo naturas exolvunt rationales, has illi adæquant, & denique sanioris Philosophiæ atque Theologiæ fundamenta omnia labefactant. Quamobrem enim voluntatem ipsam cteatam à Verbo Deo invadi substantivè atque hypostaticè, ac proinde indeclinabiliter agi posse negant, nisi quia affines & geminas esse has imaginanter naturas: nec alteram ab altera posse formari aut subjugari penitùs existimant: sed quasi de principatu sint concertaturæ si committantur, occupandæ hujus altercationis gratia, ablegata altera, vacuam alteri sedem imperii permitti jubent. Hoccine est Theologum agere, tam superbè de homine, tam humiliter de Deo, tam flagitiosè de homine atque Deo sentire? Hoccine est Christianum dogma, ita Deum atque hominem comparare, ut utriusque consortium ideo dissolvatur, ne vel cogatur Deus hominem pati parem, vel Deum homo superiorem?

IX. Ex August. Enchir. c. 40

Augustinus: *Homo Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui filius hominis, & filius hominis qui Filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ista gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* Ut peccandi potestas excidatur, non minuendus homo est, sed augendus; non execanda est voluntas propria, sed inserenda est Verbi persona. Nam quæ voluntas à Verbo Deo regetur atque gestabitur, timendum illi nihil est ne titubet aut à recta exorbitet justitiæ semita. Quocirca idem Augustinus: *Qui victus est, homo tantum erat, & ideo victus est, quia superbè Deus esse cupiebat. Qui autem vicit, & homo erat & Deus, & ideo sic vicit natus ex Virgine, quia Deus humiliter non quomodo alios sanctos, regebat illum hominem, sed gerebat.* Reguntur alii Sancti à Deo, non geruntur: ideo vacillant sæpiùs, & in peccati lubrico lapsant nutantque. At Christi voluntas gestabatur à Verbo, ut sua, ut Verbi per assumptionem propria, ideoque omnipotenter & indeclinabiliter agebatur. Et rursum idem; (L. 13. de Tr.)

Contr. ser. Arian. idem. *Ut autem mediator & Dei & hominum homo Christus Jesus, non faceret propriam quæ Deo adversa est voluntatem, non erat tantùm homo, sed Deus & homo, per quam mirabilem singularemque gratiam humana in illo sine peccato ullo posset esse natura. Propter hoc ergo ait, Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit, ut ea causa esset tantæ obedientiæ, quæ omnino sine ullo peccato esset hominis quem gerebat, quia de cœlo descenderat, hoc est, non tantùm homo, verùm etiam Deus erat.* Obtinendæ ergo impeccabilitati non decurtanda est humanitas, sed adsciscenda divinitas: non luxanda anima est, sed Deo committenda. Egregiam enim laudem an reportabit Deus, si impeccabilem præstabit animam, cui propriam priùs voluntatem radicitus exciderit? Num ille non potest nisi per vulnera sanare? & multando benefacere?

x. Ex Ambrosio & aliis Latinis. Apolog. David. l. 2. c. 4. Epist. 11. Ambrosius: *Nemo sine peccato nisi unus Deus. Si igitur non potest non esse Deus, qui Dei Filius est, utique Dei Filius arbiter justitiæ, non est obnoxius culpæ.* Impeccantia tota ex Deitate existit perfecta, non ex imperfecta minutaque capite natura hominis. Et Leo Magnus: *Veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.* Moderabatur carnem & animam non Deitas tantùm, sed mens etiam propria, & per mentem Deitas. Mens enim & à Deo moderante regi, & carnem suam ejusdem moderaminis tenore regere instituta est. Fulgentius: L. 1. ad Trasim. c. 27. *Deitas non potest superari. Propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non potuit.* Et brevissimè Gregorius Moral. l. 27. c. 1. Magnus: *Redemptor noster homo sine peccato est, filius sine adoptione.* Conjunctissima enim sunt hæc duo, & quia Filius est non adoptione, sed natura, verusque Deus, ideo & homo à peccato intactus est. Serm. in Feria 4. hebd. pœn. Bernardus denique: *Hoc Verbum quia carnem purissimam & animam sanctissimam unierat sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui; tum quia sapientia & justitia erat, tum quia nullam habebat prorsus legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ.* Et hic ergo impeccantiam derivat ab insuperabili Deitatis moderamine, non carnem tantùm suam, sed & animam totam invictissimè regere potentis pollentisque. Utque moderanti Deitati expeditissimè morem gerat anima, non illam truncat voluntate, sed munit augetque sanctitate. Conducit enim impeccantiæ non mutilatio, sed integritas & sanctificatio voluntatis. Et L. de anima. Tertullianus: *Solus enim Deus sine peccato, & solus homo sine peccato Christus, quia & Deus Christus.* Si ideo sine peccato, quia Deus, etiam cum propria voluntate sine peccato vigebit, quia & eò usque Deus valebit.

xi. Ex Græcis. Luculentissimè Græci quoque Patres suffragati sunt huic Verbi impeccantiæ in humanam maximè voluntatem ex ejus hypostasi refusæ. Dialogorum Dial. 4. de Trin. de Trinitate author apud Athanasium: *Ap. Ergo alii Sancti mentem habuerunt immutabilem? Orth. Non. Ap. Quamobrem? Nonne in illis quoque fuit Verbum? Orth. Sed fuit in Sanctis non per unitionem, sed pro gratia spiritus diversè in ipsis vim suam exerentis. Hic vero omnis plenitudo Deitatis. Deinde Sancti quidem fuerunt participes sermonis, hic verò Sermo seu Verbum participavit humanam naturam. Ap. Quid illud est Sancti participarunt, & Deus Verbum participavit? Quodnam est hoc discrimen? Orth. Quod Sancti prius extiterint, & ita participaverint Dei Verbum; hic verò non ita est. Sed Deus Verbum qui erat ante sæcula, quum vellet fieri homo, sese illi insinuando sanctificavit Virginem, & ex ea univit sibi corpus quod non quidem prius existeret & tunc uniretur, sed faciens ut per ipsam unitionem existeret.* Innata igitur mutabilitas peccandique potestas nulli mortalium nisi Christo expuncta est, quia reguntur aliorum voluntates à Verbo, Christi voluntas etiam gerebatur: participes fiebant alii homines Deitatis, hic Dei Verbi hominem participabat, hominem totum sibi induebat, anteibat & præcipiebat ipsum hominis exortum, ut eum sibi manciparet, sibi affingeret & confingeret, & ad mores atque ad ingenium Deitatis totum illum temperaret.

Ibidem prolixiùs eliquatur & personæ divinæ & impeccantiæ pariter à Verbo in mentem assumptam derivatio. xii. Ex iisdem. *Ap. Duo igitur sunt ἡγεμονικὰ, id est, principantia, Verbum & mens. Orth. Nequaquam, sed ipse sermo menti principatur. Sicut lanæ albedo colore purpuræ tincta, non est bicolor, sed unicolor, ita mens coruscans & deificata unum est, neque duo sunt principantia. Neque enim aliud quidem vult mens, aliud autem Verbum: sed sicut musicus & instrumentum non sunt duo musici, ita Deus Verbum & mens humana non sunt duo ἡγεμονικά. Utitur enim Verbum humana mente tanquam instrumento.* Totus hic Scriptor est in adserenda personæ unitate; sed in ejus argumentis paria sunt momenta ad impeccabilitatem à Verbo, non in carnem, sed in mentem & voluntatem assumptæ creaturæ trajiciendam. Neque enim dissonare à justitia potest voluntas, quam sic moderatur modulaturque Verbum Deus ut lyram musicus. Hoc interest quòd homo mortalis instrumento utitur mortuo & irrationali; at Verbum Deus immortali & rationali etiam organo uti callet. *Ap. Sed musici instrumentum est mentis expers. Orth. Sed & musicus est mortalis, hic verò Verbum immortale cum sit, mente utitur instrumento. Et sicut mens in nobis corpore utitur ut instrumento ad ea quæ corporis sunt perficienda, ita illic Verbum Deus mente utitur ut instrumento, ad ea quæ mentis sunt operanda.* In hoc summa vertitur hujus sententiæ, ideo etsi non sine tædio importuniùs inculcanda. Non instar mentis nostræ fingendus nobis deprimendusque est Deus Verbum, ut tantundem calleat polleatque quantum mens nostra, nempe corpus agitare, aut animam spontaneæ motionis cassam & inanem: mentem autem & voluntatem subigere & informare nihilo plus valeat quàm mens nostra aliam, humana humanam, aut Angelica Angelicam, aut Angelica humanam, aut denique creata creatam. Quisquis ita sapit, cum Ario sapit & insanit. Immane & infandum nescio quid distat Verbum à mente nostra, eique nimio plus antecellit, quàm ipsa corpori. Atque adeo æqua lance trutinantibus rem hanc totam, non potest non esse compertissimum, multò faciliùs agi & incitari, regi gerique voluntatem humanam à Verbo, quàm ab ipsa corpus. Si tantum enim creatura creaturæ præpollere potest, ut eam sibi vindicet, ut suam sibi conserat, utque rem sui juris suæque omnino ditionis propriam & peculiarem agat; quantò expeditiùs æquiùsque aget regetque Creator creaturam quamlibet? Nunquam ergo vel Monothelita, vel Apollinarista quisquam purgabit se satis ab Arianæ vesaniæ contagione.

xiii. Ex Nazianzeno. Orat. 51. Nazianzenus: *Mens nostra perfecta quidem est & ἡγεμονικόν, verum in animam & corpus. Non autem simpliciter perfecta: Dei verò serva & subdita est, non συνηγεμονικὸν, οὐδὲ ὁμότιμον, non inquam principatus socia, neque pari honore prædita.* Id planè agunt, id moliuntur hæretici, ut reformidanda Deo sit mentis atque voluntatis humanæ consociatio, ne illa ut natura compar ejusdemque fastigii æmula principari ambiat, & hinc jurgia atque dissidia inflammescant. Obluctari Deo, detrectare ejus jugum, affectare imperium ne Deo quidem obnoxium, non hominis natura, sed culpa est; non natura, sed naturæ vitium & corruptela est. Nec enim opifex adversarium sibi suum concinnavit opificium; nec æmulum sibi, sed mancipium procreavit. Natura ergo ipsa per se quæ-

quælibet, etiam mens, etiam voluntas creata, suopte nutu in Dei famulatum tota propendet. Sed hæreticis facilè imposuit superbia sua, è cujus eruperunt sinu, in cujus sinu adoleverunt, ut quæ naturæ pestis est, naturam ipsam esse somniarent.

XIV. Ex Maximo. In Panoplia p. 134. Maximus Martyr apud Euthymium: *Sicut lana alba si purpureo colore inficiatur, non est bicolor, sed unicolor, sic in assumpta natura, deificata mente hominis, non sunt duo ἡγεμονικά, sed unum, deificans mentem Deus.* Quæ ipsa ferè verba sunt primò allegata ex Dialogo IV. de Trinitate apud Athanasium. Et Damascenus: *Principale carnis &*

L. 3. c. 6. *animæ est mens, quæ est pars animæ purissima; ita principale mentis Deus. Et quidem dum à meliore permittitur, proprium mens Christi principatum ostendit; pervincitur tamen & obsequitur meliori, & ea vult quæ divina vult voluntas.* Non opprimit, non premit principatum voluntatis Deitas, sed regit & regendo firmat, ampliatque; nec enim servilibus tantùm, sed liberis naturis & imperatoriis imperare, imperandoque imperium ipsarum roborare atque propagare, è dignitate est summæ Deitatis. Non potest non concordare sibi opifex, ex quo conveniens est, ut & opificium consentiat opifici. Principatus ergo opificij nihil obstat ex natura sua imperio opificis, quin obsequitur illi ultro & obsecundat.

XV. Ex Cyrillo. Cyrillus Alexandrinus scitè observat in verbis Christi hunc indigitari impeccabilitatis fontem. Nam cum Judæorum criminationibus incesserentur varia Christi opera in carne & per carnem gesta, & illa purgat, & se extra omnem peccandi aleam collocat Christus hoc potissimum nomine, quod *à seipso faceret nihil*; quod *Pater in ipso manens, ipse faceret opera*; quod *Nihil posset facere, nisi quod viderit Patrem facientem.* Istiusmodi autem omnia eò pertinent, ut Verbum sibi in carne constituto & operanti per carnem, eam usurpet impeccantiam, quam à Patre cui consubstantialis est, æternam accepit & incommutabilem. Sive per carnem enim, sive sine carne operetur quidpiam, si à justitiæ tramite vel tantillum deviaret, à parente suo, à seipso desciceret, à natura sua

L. 5. in Evan. Joa. pag. 530. & substantia resiliret. *Siquidem in creaturis tanquam mutationi in pejus obnoxiis, fructus animi ad pietatem & virtutem propensi fuerit bonum: in divina verò & omnia supergressa substantia non ita. Quippe dempta omni alteratione & mutatione, fructus erit deinceps substantiæ incommutabilis bonum, veluti in igne calor, aut in nive frigus. Neque enim ignis habet propriam efficaciam in voluntate, sed potiùs naturalem & substantialem, quæ aliter se habere non possit, nisi fortè nutu & vi ejus à quo creatus est compellatur. Non igitur quemadmodum nos ad placendum Deo ex prælectione, ac optione impulsi, ita hæc loquitur unigenitus; sed velut propriæ naturæ legibus insistens, nihilque aliud cogitare aut agere sciens, quam quod in ejus qui genuit ipsum, voluntate positum est. Ecqui enim omnino fieri possit, ut consubstantialis & una Deitas, ipsa contra seipsam dissideat?* Dissideret autem à seipsa Verbi Deitas, si quid Paternæ voluntati, & Deitati, atque sempiternæ justitiæ legi adversum quocumque modo, etiam per assumptam voluntatem moliri posset.

XVI. Ex eodem. Tom. 5. p. II pag. 691. Disertiùs idem significat Dialog. de Incarnat. unig. *Quemadmodum igitur, quia facta est caro Verbi omnia vivificantis, mortis atque interitus imperium superat: eodem planè modo, quia anima facta est ejus, qui peccare nescit, firmum deinceps atque incommutabilem in omni bono statum obtinet; & peccato quod imperium prius obtinebat, incomparabiliter validiorem. Primus enim homo Christus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et paulò post: *Quemadmodum gestavimus imaginem terreni, gestemus imaginem cœlestis. Imaginem terreni vocavit labilitatem ad peccandum, & mortem inde nobis incumbentem; imaginem verò cœlestis, hoc est Christi, firmitatem ad sanctificationem, reditumque ex morte & corruptione ad incorruptionem & vitam.* Si potuit caro; potuit utique & anima, potuit & voluntas incorruptibilitatem Verbi sugere & combibere. Nec enim mutabilior est natura voluntatis, quàm carnis: nec illa ad peccatum, quàm hæc ad corruptionem declivior. Rursum superioris formæ, qua ab hac labe expurgetur, tam capax, & tam cupida saltem est voluntas, quàm caro: quin tanto cupidior ejus appetentiorque, quanto supernis & incommutabilibus propior. Denique incorruptibilitas Verbi ea est, cui alludat consentiatque magis voluntatis, quam carnis natura. Justitia enim Verbi indeficiens, & sanctitas, veritasque incommutabilis, hæc verò ejus est incorruptibilitas genuina. Si hæc utcumque aspergi potest carni, ne computrescat: quanto potiùs voluntati, ne peccati lue contabescat. Ergo multo minus voluntati à peccato, quam carni à corruptione impendet discriminis, si Verbo gestanda utraque demandetur. Quare pergit ibi Cyrillus: *Totum itaque Verbum toti homini unitum esse dicimus. Nihil enim melius in nobis, hoc est, in anima nostra effecisset, si in solam carnem adventus sui labores ac fructum contulisset. At verò per utrumque pulcrè effectum est dispensationis mysterium. Usus autem est velut instrumento, propria quidem carne ad carnis opera, & naturales infirmitates, & quæcumque reprehensione carent: & rursus etiam propria anima ad humanas & vitii expertes affectiones.* Ita redundabat in humanitatem Verbi impeccantia, cum & corpore & anima ac mente tota tanquam instrumento uteretur, & tam longè à culpa hæc summoveret, quàm ipsum est. In ipsum enim reflecteretur instrumenti sui lapsus. Facessant ergo quibus placet incorruptibilitatem Verbi, reformandæ & à corruptela vindicandæ carni, non voluntati sufficere & contemperari. Quid enim hi quàm ipsam Verbi incorruptibilitatem corrumpunt, quam corporum includunt finibus, & ab intellectualis naturæ honoribus alienant?

Cyrillus idem Epistola I. ad Succensum, vecordiæ hujus insulsitatem apertiùs traducit. Quippe incorruptibilitas in carnem non aliter trajicienda fuit, quàm per animam & voluntatem, per hæc enim in illam influxerat mortis & corruptelæ necessitas. Quocirca ut morbo consentiret ratio medicinæ, ut è voluntate tabes in carnem serpserat, ita indidem derivanda erat carnis incorruptela. Et sanè natura rerum pressiùs & diligentiùs pensiculata, non alia est carnis incorruptio, quàm incorruptæ mentis redundantia quædam & quasi restagnatio. Obnoxia est enim natura carnis, & ad hospitis dominæque mentis honorem, vel ignominiam, aut honestatur, aut deturpatur. Incassum ergo sperarunt Monothelitæ, posse in carnem nisi per mentem & voluntatem corrivari Verbi incorruptibilatem. *Adserimus igitur ex Adam prævaricatione humanam naturam in corruptionem incidisse. Cumque animus noster voluptatum carnis ac motuum insitorum tyrannico dominatu premeretur, necessarium ad salutem fuisse nobis qui in terris degimus, Dei Verbum hominem fieri, ut humanam carnem, corruptioni subjectam, & voluptatum cupiditatibus laborantem, propriam faceret: & cùm vita sit ac vivificator, destrueret corruptionem, quæ illam invaserat, & insitos motus ad concupiscendum, ac voluptatem pertrahentes, compesceret. Hac namque ratione mortificari poterat in nostra carne peccatum. Meminimus enim B. Paulum legem peccati appellasse insitos in nobis voluptuarios motus. Quamobrem quia humana caro facta est Verbi propria, desiit jam corruptioni succumbere: & quia tanquam Deus peccatum non fecit, cum eam sibi unisset, ut dixi, propriamque fecisset, desiit etiam illa voluptatibus* XVII. Ex eodem. Epist. 1.

bus cupiditatique subjacere. Quo ex contextu excul-pi possunt longè pulcherrima germanæ Theologiæ verèque Paulinæ effata. Liquet enim hinc consertam esse carnis animæque mortem, perinde ac substantiam, & ab anima in carnem defluxisse. Liquet rursus tabem carnis vocari à Paulo peccatum, voluptatis videlicet pruritum, & scabiem, intemperiem libidinis, & effrænam per fas nefasque effervescentiam. Hæc enim & carnis tabes est, & animæ macula, & utriusque corruptela, mortisque scaturigo. Liquet id, quod docet Apostolus, legem peccati in carne esse, habitare in nobis id est in carne nostra peccatum; ideoque per carnem seminali propagine non carnis tantùm mortalitatem traduci, sed & mortalitatis radicem atque parentem, peccatum. Liquet item quàm non injuria radix incorruptibilitatis carnis in animæ impeccantia defigatur. Liquet denuo, quàm non possit carni incorruptio indi, nisi per animæ impeccabilitatem. Purgari enim carnem quid attinet, contaminatæ animæ hospitio protinus inquinandam? A carne autem munditiem in animam refluere, præter naturam rerum est, animæ dignitati injuriosum, sanctitatis naturæ contumeliosum. Ergo cùm impeccabilitatis animæ velut umbra comes & pedissequa sit carnis incorruptio, non umbra luci, sed lux umbræ præmittenda fuit.

XVIII. Ex Epiphanio. Num. 79. 80. Epiphanius in Anchorato: *Deus Verbum mente revera præditus, ut & cæteris humanæ naturæ partibus, non committebat se in rationis expertes cupiditates; nec ea quæ carnis propria sunt, perinde ac nos, aut agebat, aut animo cogitabat. Sed sic tanquam Deus in vera carne è Maria virgine genitus, ista faciebat, carne, anima, mente, & cum toto velut instrumento hominis inter homines degens, ac cælitus à Patre procedens, subsistensque Dei Verbum*. Advertis, ut non voluntatis mentisque creatæ ex naturæ suæ ingenio labilitatem, sed Verbi immutabilitatem; non infirmitatem instrumenti, sed causæ principantis omnipotentiam contemplari jubeat, omnis ut peccati suspicio à Christo exulet. Non ergo eradicanda atque abjicienda voluntas creata, quasi mutabilis & sui ex se impos; sed omnipotenti & immutabili Verbo intrepidè committenda. Et ibidem: *Nam si vim suam sanctis quibusdam viris afflaverit, qui propterea constanti testimonio sancti, justi, & ætate sua provecti sine ulla reprehensione vixisse dicantur: quanto magis ille ipse, in quo omnis plenitudo divinitatis habitare corporaliter voluit, quamvis veram è Maria virgine carnem, & humanam animam cum mente ac cæteris hominis partibus acceperit, in seipso ita continere omnia, utpote Deus, potuit, ut neque in nequitiam spargerentur, neque maligni hostis fraude delitiis infringerentur, neque voluptatum illecebris caperentur, nec Adami delicto subjicerentur*. Quæ Epiphanii argumentatio plurimum habet virium. Si enim disjunctas piorum voluntates, nec ullo sibi hypostatico nexu implicatas, Verbum ita regit, ut inter vitiorum abrupta vacillare eas, aut collabi non sinat: si ab hujus vitæ periculis explicatas, & in superna collocatas patria, disjunctas etiam à se & seorsim sibi consistentes, omni tamen exuit peccandi potestate, & inconcussæ affigit sanctitati: quid conjectandum nobis superest de voluntate ea, quam coaptare sibi & commiscere voluit substantivo & personali vinculo? Num in disjunctas ampliorem exeret omnipotentiam, quàm in conjunctissimam? Num in alienas, quàm in suam? Num in eas quarum causa & jus atque potestas seorsum est, quàm in illam quam suo juri & censui, quæ authoritati atque ditioni totam singularissimè mancipavit? Num potest Verbi Deitas impeccantiam suam in beatorum omnium voluntates longissimè transfundere & evibrare, non poterit in unam aliquam, quam sibi eximiam de proximo copulaverit? Hæ sunt Monothelitarum intemperiæ, ut Verbum velint, quo aliis abundat, sibi deesse; aliis irrigare, sibi exarescere. Consequenter Epiphanius subdit: *Si sursum imperfectus est, infra quoque imperfectus erit. Si sursum perfectus, etiam infra perfectus erit. Neque verò in alio quodam perfecto habitasse dicitur, sed in seipso perfecisse omnia*. Perfectus & impeccabilis tum qua Deus, tum qua homo: tum supra, tum infra; & ideo qua homo, quia qua Deus: ideo infra, quia supra. Nam si separatis instrumentis, nempe aliis sanctis, & beatis, quantò magis conjuncto: si aliis, quantò magis seipso invictissimè, indeclinabiliter & impeccabiliter operabitur?

CAPUT XI.

Radices aliæ ejusdem impeccantiæ, voluntatem Christi creatam afficientis.

I. Tertia radix impeccantiæ est divina sanctitas, totâ humanitatê & proinde voluntatem perficiens. Radix tertia ejusdem impeccabilitatis Christi, non expugnantis ab humana ejus natura voluntatem creatam, sed hanc ipsam voluntatem insidentis, & omnes inde peccatorum illecebras insidiasque propulsantis, ab eadem Verbi Deitate existit, non jam ut causa participante, voluntatem tanquam versatile instrumentum omnipotenter torquente: sed ut forma humanitatem totam, & ipsam præ cæteris voluntatem formante, vegetante, & totam divinæ justitiæ & sanctitatis plenitudinem infundente. Est enim Deitas Verbi forma ipsa sanctitatis, ipsa sanctitas & justitia, per semetipsam in se vivens & consistens, substantiva, plenissima, æterna, immutabilis. Hac forma sanctitatis imbui perfundique penitissimè humanitatem assumptam, alibi demonstratur. Voluntatem autem hac imprimis forma vegetandam fuisse ex eo perspicuum fit, quod sanctitatis sedes, & justitiæ domicilium, sit voluntas. Naturarum enim intellectualium sanctitas atque justitia ex voluntate censetur. Ut pulcherrimis enim dotibus locupletatæ refulgeant reliquæ facultates, improbitatis macula atque infamia non everretur, nisi voluntas probè affecta sit, & justitiæ lumine perfusa, splendorem sanctitudinis quaquaversum spargat. Ubi autem voluntatem creatam Christi sanctitas increata Deitatis inebriaverit, quis ejus impeccantiam postea in dubium vocet? Quis summo lumini peccatorum tenebras sociari posse existimet?

Origenes, nonnullis quæ hallucinationum ejus suspicionem non immerito creabant, circumcisis, eleganter hanc impeccantiæ Christi radicem illustrat: *Ita ut fuisse quidem in Christo humana & rationabilis anima credenda sit, & nullum sensum, vel possibilitatem eam habuisse putandum est peccati. Si massa aliqua ferri, semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta: si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus hanc quæ natura ferri massa est, in igne positam & indesinenter ardentem, posse aliquando frigus recipere: quin imo quod verius est, magis eam, sicut in fornacibus sæpè fieri, oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur. Sed & si quis contingere atque tractare tentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; & ideo nec convertibilis & mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Dei Verbi unitate indesinenter ignita possedit*. En unde inconvertibilitatem hauserit natura Christi humana, non obtruncato sibi vertice, sed corona redimito: hoc

hoc est, non excisa voluntate, sed sanctitatis æternæ fonte ditata. Quæ incommutabilem enim penitus hauserat sanctitatem, tam non poterat ulla contaminari nequitia, quàm nec frigefacere potest ferrum igne candefactum. Si autem respegatur in alios quoque sanctitate & beatitudine inclytos homines, ejusdem substantivæ Dei justitiæ ros aliquis, non inde illi eandem si immortales jam sunt; aut ullam omnino impeccabilitatem hauriunt, si hac nostra gravantur adhuc mortalitate. Non enim id præstatur parca irroratione, quod inundatione effusissima: nec scintilla sic inflammat, ut incendium: nec afflata unguenti suaveolentia sic nullo dissipari potest ab hoste, ut ipsa unguenti suo in vase substantia. Ibidem Origenes: *Sicut ergo aliud est unguenti substantia, aliud odor ejus: ita aliud est Christus, & aliud participes sui. Et sicut vas ipsum quo substantiam continet & unguentum, nullo genere recipere potest aliquid fœtoris; hi verò qui ex odore ejus participant, si se paulò longius à fragrantia ejus removerint, possibile est, ut incidentem recipiant fœtorem: ita Christus velut vas ipsum in quo erat unguenti substantia, impossibile fuit, ut contrarium reciperet odorem; participes verò sui, quàm propinqui fuerint vasculo, tam odoris erunt participes & capaces.* Et quanquam quæ exhalatur odoris suavitas, non ventoso tantùm constet accidente, sed solido & substantivo vapore: nihilo tamen minùs tam suavitas illa, quàm vapor iste dissipabilis est, & putoris afflatu contaminabilis; nequaquam autem unguenti suo in vase substantia: ita non impeccabiles continuò existunt, qui substantiva perfunduntur & quasi suffiuntur Dei sanctitate homines meri.

III. Ex eodem. Idem valet quod passim alibi idem Origenes ex Scripturis demonstrat factum esse nobis Christum sapientiam & justitiam & sanctificationem. Qui enim ut Verbum Deus sibi & Angelis beatis justitia est & sanctitas: idem quà Verbum caro factum, fit nobis justitia & sanctitas. Ut cùm homines per peccatum terrenis allisi affixique consurgere enitique non possent, ad ipsam rursus justitiam suo ex fonte bibendam: fons ipse ad eos in terras, in eorum naturam defluxerit, & inde fluxerit in eos. Ita quod sibi erat Deus, factus est nobis homo Christus justitia & sanctitas. At quæso qui fiet homo Christus justitia & sanctitas, nisi ipsa maximè voluntate? An ut commodiùs sedeat justitia in homine Christo, sedes ejus comminuitur? Quæ enim specialior justitiæ sedes quàm voluntas? Quo justus quisque est, nisi voluntate; unde justitia in totum hominem hominisque opera omnia derivantur, nisi ex voluntate? Divina ergo justitia & sanctitas voluntati assumptæ implicanda maximè fuit. Testimonia ex Origene alibi relata sunt. Pauca addam. *Dicit Apostolus. Qui se jungit Domino, unus spiritus est, &c. Intellexi quod Dominum dixerit virtutes, quæ Christus est, id est, Verbum, Sapientiam, Veritatem, Justitiam, cæteraque hujusmodi, &c. Ergo qui se jungit Domino Christo, jungit se sapientiæ, jungit se justitiæ, jungit se pietati & veritati, & cum his omnibus unus efficitur spiritus.* Et alibi: *Sicut ergo Salvator sapientia est, & pax, & justitia, ita est & expectatio vel patientia. Et sicut participatione justitiæ ejus justi efficimur, & participatione sapientiæ ejus sapientes, ita & participatione patientiæ ejus patientes efficimur. Est enim velut fons quidam perennis, de quo haurire possumus & patientiam, & justitiam, & sapientiam, & quæcumque sunt virtutum bona.* Et rursum: *Omnia quæ sunt Dei Christus est. Ipse sapientia ejus, ipse fortitudo, ipse sanctificatio, ipse justitia, ipse sanctitas & redemptio.* Hæc autem jam nobis non est, nisi quà hominem indutus Deus Verbum, eo enim quasi vehiculo immortalia sanctitudinis ornamenta in nos trajicit: ut ergo in hominum solas voluntates justitiam transvehit, ita per humanam transvehit voluntatem.

Hom. 10. in Numer. — In Psal. 36. — Hom. 7. in Jeremiam.

IV. Ex Basilio. Const. Monast. c. 4. Quàm nulla peccati congressione expugnari potuerit sanctitas Christi, imò & sanctitas Christus, describit Basilius: *Quæ igitur vita fuit liberatoris nostri? Quam ille dum inter nos versaretur, vitæ rationem secutus est? Peccatum quidem non fecit. Qui enim à peccato vinci justitia potuisset? aut quo pacto veritatem vanitas superasset? quave ratione infirmitati virtus debellata cessisset? aut postremò quomodo quod nihil est, de eo quod est, victoriam reportasset? Semper enim est Deus, quippe cujus natura nec originem habet, nec finem unquam est habitura. Peccatum verò ipsum est nusquam, nec in propria ipsum per se substantia esse ulla sua cognoscitur.* Peccati ergo cùm tanta sit infirmitas vanitasque & mera inanitas, quanta ineptire dementia existimandi sunt, qui si committatur ei creata voluntas, substantivæ Dei sanctitatis præsidio infessa intus circumque vallata, addubitant adhuc utro inclinatura victoria sit? quin & palmam peccato augurantur?

V. Ex Cyrillo. L. 9. de ador. in spiritu. Cyrillus: *Totum tornatile ex auro puro. Id est totus undique Deus; non perinde, atque ea quæ orta sunt, sanctificatus. Neque ut Angeli, qui cum in quadam sua natura intelligantur, illius gratia & gloria decorati sunt, ac tanquam auro mundo Spiritus munere quodammodo illiti: sed quod suapte natura sit illa ipsa res, nempe Deus, illa nimirum purissima & suprema natura.* Sanctitate quasi illinuntur Angeli hominesque sancti, Christus ipsa sanctitatis substantia est. Nec enim ita res animo cogitanda est, quasi voluntas ejus divina oblinatur, aut etiam copiosiùs perfundatur sanctitate: ita enim accideret, & tanquam peregrinum atque adventitium aliquid accederet sanctitas voluntati assumptæ. Quod totum contra est. Nam sanctitati divinæ viventi & consistenti per se ipsam accessit, immersaque est, & quasi obruta absorptaque & natura & voluntas creata. Intelligendæ ergo Christi impeccantiæ quisquis studet, non tam voluntatem creatam cum accessione & quasi cum præsidio divinæ & incommutabilis sanctitatis ob oculos animi sui constituat: quàm ipsam divinam & substantivam sanctitatem & ipsam justitiæ naturam cum voluntatis humanæ sibi adglutinatæ additamento, eandem & æquè inexpugnabilem existimet perstare, ac priùs. Quanquàm & alicui si libeat sanctitatem divinam ut formam voluntati creatæ adventantem infusamque imaginari, habebit alicubi etiam astipulatorem Cyrillum, nihilo segnius impeccabilitati Christi patrocinantem. Ita enim alicubi habet: *Animamque humanam propriam sibi efficiens, peccato eam superiorem reddidit, propriæ suæ naturæ firmitate atque incommutabilitate tanquam tinctura eam tingens.* Delibuta naturæ assumptæ voluntas immutabilitate divina, quid habuit à peccati fluxu metuendum?

Dialog. de Incarnat. Unigen.

VI. Quarta radix peccantiæ Christi, est Spiritus sanctus, cujus plenitudinem habebat in se. Raddix quarta impeccantiæ Christi est Spiritus sanctus, quo & formabatur & regebatur, non ut alii, non ut aliorum quisquam, sed plenissimè & invictissimè. Nam ut ait Hieronymus: *Requiescet Spiritus Domini. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, nequaquam per partes, ut in cæteris Sanctis, sed juxta Evangelium quod Hebræo sermone conscriptum legunt Nazaræi, Descendit super eum omnis fons Spiritus sancti.* In ipso fonte igitur Spiritus sancti, in fonte sanctitatis & charitatis, nihil inquinamenti potuit permisceri. Spiritus autem sanctus qui amor Deus est & charitas substantiva Patris & Filii, quam in homine sedem nisi voluntatem potissimùm occupabit? Amor enim voluntatis laus & proprietas est. Et Basilius: *Quæ circa Christi in carne adventum dispensata sunt, per Spiritum sanctum gesta sunt omnia. Primò enim adfuit ipsi carni Dominicæ, dum illi factus est unctio, & insepara-*

L. 4. in Isai. — L. de Spir. sanct. c. 16.

parabiliter conjunctus, *sicut scriptum est*, *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est Filius meus dilectus. Et, Jesum à Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto. Deinceps omnes operatio simul præsente Spiritu sancto peragebatur. Hic aderat simul quum & à diabolo tentaretur. Deductus est, inquit, Jesus à Spiritu in desertum, ut tentaretur. Tum edenti miracula simul aderat. Si enim, inquit, in Spiritu ejicio dæmonia, &c.* Ubi ex Scripturis duo munia investigat Basilius Spiritus sancti, humanitatem Christi & implentis, ceu materiam solet vegetare forma; & inter operandum regentis, ut instrumentum agit & impellit causa primaria. Quo ex utroque emergit impeccantia; perinde ut ex Verbi Deitate humanitatem suam sibi propriam & permeante & admoderante emergebat. Quamquam enim Verbi solius propria sit humanitas, ut quæ ei soli, non Patri, non Spiritui sancto in unam accesserit coalueritque hypostasin; impleri tamen illa formarique & regi potest à Spiritu sancto, ut à Spiritu Verbi, ut ab ejusdem cum Verbo substantiæ, ut à fonte totius sanctimoniæ, ut à sanctitatem non hypostasin impertiente.

VII. Quinta radix est Pater ipse, in Verbo etiã incarnato manens & ipse faciens opera per Verbũ suũ.

Radix quinta impeccantiæ est Deitas ipsa Patris omnipotentis, quæ per Verbum suum humanitati Christi conseritur quodam arcano, certissimo tamen nexu; illam vegetat non hypostatica susceptione, sed substantiva immeatione; illius operationes omnes, tanquam arboris à se ut radice principe prognascentis fructus vendicat sibi, tanquam authori fontique principali. Hæc procuIdubio origo est altissima & abstrusissima immutabilitatis, & ab omni peccati nævo longissimè summotæ sanctitatis. Præluxit nobis Christus in hujus indagationem, & hanc ipse viam demonstravit, præivitque firmandæ suæ impeccabilitatis. Nam Judæorum suspicionibus calumniisque cùm discerperetur, patrocinium sanctimoniæ suæ ab ipsa usque Patris sui sibi insidentis, sibique in eadem opera conspirantis authoritate repetivit. *Verba quæ ergo loquor, à me ipso non loquor, sed Pater in me manens ipse facit opera.* Audis ut opera verbaque sua sibi abjudicet, in Patremque ut authorem refundat omnia, quo inexpugnabilius innocentiæ suæ præstruat munimentum. Et vertebatur hîc utique causa operum Christi humanorum, in quæ nimirum calumniandi libidine Judæi extimulabantur. Ergo Christi in carne operationes, ut à conviciatorum invidia, ut à peccati vel suspicione tutæ denique sint, arcessenda conciliandaque ipsis est principalis Dei Patris authoritas, ut cùm hinc manare intelligentur, abstineat se jam maledicentia ab iis lacessendis. Duo autem notat Christus, quod immaneat sibi Pater, quodque ipse faciat opera. Quæ duo & ad Verbi & ad carnis naturam pertinent; aut ut ad amussim Cyrilli & castigatioris Theologiæ mea ipse verba exigam & emendem, hæc duo usque adeo ad Verbi Deitatem pertinent, ut ad eandem incarnatam æquè pertineant & porrigantur. Nam ut Pater ante sæcula in Verbo est, & per Verbum sæcula operatus est: ita in Verbo carnem accincto perinde Pater est, & per Verbum carne succinctum similiter operatur. Nec enim suum sibi est Verbum, sed quidquid est, Patris est. Nec ipse principaliter operatur, sed per ipsum Pater operatur: ab eoque authore adest illi operatio, à quo est substantia. Cùm igitur Verbum ut causa princeps humanitate sua tanquam instrumento ad operationes quaslibet utebatur, agebat quidem Verbum per carnem, sed & agebat Pater per Verbum. Obsequebatur caro Verbo, Verbum Patri; carnis opera in Verbi jus, censumque adrogabantur, Verbi opera jusque & census æquè ac ejus substantia authoritati paternæ, præjudicata jam olim divinarum originum lege, adscribebantur. Quæ cùm ita sint, scrupulum ex animo ejiciant Monothelitæ, ne quid jam metuant voluntari Christi creatæ: committant illam saltem impeccantiæ & incommutabilitati Patris Dei, qui cùm illam ejusque affectus motusque omnes per Verbum suum ciendos, agendos regendosque & deificandos susceperit, cùm causam ejus ipse sustineat, cùm authoritati nominique suo illam adrogaverit, abundè potest pollerque eam & ab intestinis insidiis, & ab irruentibus periculis tutari.

VIII. Ex Cyrillo L. 9. in Joan. pag. 892.

Cyrillus: *Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor, Pater in me manens ipse facit opera. Tantum quippe habeo cum eo similitudinis substantialis, ut meæ voces ejus sint: & quæ facio ego, hæc ejus facta credantur. In me enim manens, propter identitatem substantiæ, ipse facit opera. Nam cum una sit in Patre & Filio & Spiritu sancto Deitas, omnis sermo Patris, utique est per Filium in Spiritu; & omne opus sive miraculum per Filium in Spiritu agitur, tamen tanquam à Patre. Efficax est enim Patris natura, per Filium præclare emicans. Alius præterea sensus afferri potest, quem incarnationis ratio commode suppeditat, &c. Tantum non ait, Ne hæc forma humana existimationem mihi convenientem ac debitam eripiat, neque nudi ac vobis similis unius alicujus hominis meos sermones esse putetis, sed verè divinos, ipsosque convenientes Patri, perinde ac mihi. Operatur autem in me manens, quippe sum in ipso, & ipse in me.* Et statim: *Cum verba mea audiveritis, verba etiam Patris audivistis; sed & spectatores operum & virtutis ejus fuistis. Per me enim loquitur, ut per suum Verbum; peragit autem & operatur miracula, ut per suam rursus virtutem.* E paterno igitur fonte manantem impeccantiam ubi per hypostasin Verbi voluntas assumpta exceperit, abundè cautum ei erit.

L. 11. in Joan. pag. 97.

Rursus idem Cyrillus explanans, qui salutis humanæ provinciam mandaverit Verbo suo Pater, qui Patri obsecutus est Filius; non uti supplici aut servo imperatum esse à Patre memorat, sed ut virtuti, ut sapientiæ suæ, sicut in Psalmo fertur, *Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*; non aliter quàm homo manui quandoque suæ & industriæ elaborandum quidpiam operis hortando mandat; non aliter denique quàm Sol fingi potest, radio suo illuminandum orbem commendare. Ut Sol ipse radio suo illuminat, homo manu & arte sua opificium molitur suum: ita Deus Pater Verbo tanquam virtute & sapientia sua præstitit, quidquid per illud præstitum nobis est. Quocirca aliena erant à lapsus periculo voluntatis & carnis assumptæ opera, perinde ut Patris ipsius summi & Dei, in quem denique ea infamia reflecteretur.

IX. Fructus hic potissimus œconomiæ, ut vnluntas donaretur impeccantiæ vel dore, vel aura aliqua, pro Christi & nostro, pro hujus & futuræ vitæ modo.

Postremò ne cui permirum illud accidat, si tot præsidiis vallare impeccabilitatem Christi satagimus; hic enim unus est potissimùm fructus, qui ex temporali tota ejus dispensatione decerpitur, ut immutabilitatis & impeccantiæ divinæ consortium atque usuram aliquam natura nostra nancisceretur. Ex divina autem immutabilitate & impeccantia, nec quandiu in hac conflictamur mortalitate, gustum aliquem sumere, & veluti præcocem quendam fructum in spe prælambere: nec postquam mortali hac sarcina corporis exoluti fuerimus, pleniorem haustum consequi poterimus, nisi per voluntatem. Voluntas enim & hîc donante & adgubernante Deo, justitiæ ita affigitur, ut ab ea defluere, quamvis possit, constantissimè nolit: & illic ita insolubiliter eidem constringitur, ut ab ea divelli nec velit, nec velle possit. Et illa ergo prælibatio, & hæc prolixior divinæ firmitudinis & impeccantiæ usurpatio, voluntatis operæ pretium est. Cùm ergo Christus quæ nobis aspergere atque irrorare divina constituerat ornamenta, horum plenitudinem ipse in humanitate sua præceperit; nonne consentaneum est, ut & voluntati suæ creatæ divinam abundantissimè infundere immutabili-

tatem atque impeccantiam occupaverit, quo nobis spem extrueret, fontemque aperiret ejusdem gratiæ & tunc prægustandæ, & olim prolixius hauriendæ. Non decuit enim in eo qui incarnationis ejus fructus, finisque unus est potissimus, perfringi legem alia in omnia pervagatam. Cyrillus: *Quoniam primus Adam gratiam à Deo sibi datam non servaverat, destinavit nobis cælitus secundum Adam Deus & Pater. Mittit enim in similitudinem nostri suum Filium, mutationis, & alterationis nescium, & peccati prorsus expertem; ut quemadmodum per inobedientiam primi hominis divinæ iræ subjecti fuimus, ita per obedientiam secundi, maledictionem fugiamus, & ejus mala cessent. Cum autem homo factum sit Dei Verbum, Spiritum à Patre accipit, ut unus è nobis, non sibi aliquid specialiter accipiens, erat enim ipse largitor Spiritus, sed ut acceptum naturæ conservaret, ut homo; ac rursus radicaret in nobis gratiam, quæ recesserat, is qui peccatum non novit.* Claret hinc scopum incarnandi Verbi hunc admodum fuisse, ut mutabili & prævaricatrici gentis nostræ radici, radix alia subrogaretur immutabilis & incorruptibilis, quæ incorruptionem suam efflorescentibus ex se surculis omnibus inspiraret. Quod radix hæc secunda obtinuit, non sibi, sed surculis quos prægestabat, obtinuit: sua ergo in voluntate creata præsumpsit, & usucapere anticipavit eam immutabilitatem & impeccantiam, quam nostris voluntatibus participandam fruendamque trajicere decreverat. Quocirca pergit ibidem Cyrillus: *Avolavit ex nobis propter peccatum Spiritus; factus est autem velut unus ex nobis qui peccatum non novit, ut assuefieret habitare in nobis Spiritus, cum discedendi ac subducendi se ab eo causam non haberet. Igitur nobis per seipsum Spiritum accipit, & naturæ vetus bonum renovat.* Et rursum: *Postquam Adam sancti Spiritus amisit gratiam, diaboli fraude in peccatum abreptus, adeoque natura universa, in eo divini doni jacturam fecit: de cætero Deus Verbum mutationis expers, homo factus est, ut acceptum illud bonum tanquam homo deinceps stabile ac firmum conservaret.* Et nonnullis interpositis: *Ergo factus est homo sicuti nos Unigenitus, ut in ipso & primo rediviva bona fundataque Spiritus gratia, toti deinceps ut par est naturæ, sarta tecta custodiretur: commodante nobis propriæ naturæ stabilitatem Unigenito & Verbo Patris, natura hominis jam in Adam condemnata, ut mutabilis, & in lapsum & errorem prona.* Si immutabilitatem ergo suam commodare nobis Verbum caro factum statuerit, nostræ cum primis eam inseret voluntati, ubi nempe cardo ipse vertitur insitæ mutabilitatis. Quin ergo assumptæ quoque voluntati suæ eandem inseruerit?

L. 2. in Evang. Joan. pag. 123.

Ibidem. l. 5. pag. 471.

CAPUT XII.

Impeccabilitas libertati voluntatis Christi creatæ nihil officiebat. Exemplo divinæ libertatis id primum evincitur.

I. Naturæ lumina à consuetudinis præjudicio secernenda sunt in indagine libertatis.

ANticipato hoc præjudicio mentes hominum informasse videtur natura rerum, ut nec voluntas sit humana, nisi libera, nec libera sit, nisi quæ in utramque partem versatilis, paribus quasi momentis vel in bonum propendeat, vel in malum, & suo arbitrio atque nutu vel huc vel illuc se convertat. Ex præjudicata hac hominum vulgo anticipatione insurgebant Monothelitæ, & in Ecclesiæ fidem ferociebant, jactitabantque nec voluntatem Christo nisi humanam & liberam, nec liberam concedi posse, nisi ad malum atque ad bonum flexibilem; satius autem esse in totum orbari voluntate, quam peccandi proclivitate pariter implicari. Cæterum quod in aliis propemodum omnibus, id & in hac usuvenit hominum vulgi præsumptione, ut naturæ vestigia confuderit, nec omnino tamen oblitteraverit corruptela peccati, & consuetudinis vitium. Nam voluntatem hominis cum libertate conjunctam esse, & liberam voluntatem ipsam per se spectatam in naturis creatis, perinde à boni atque à mali necessitate exolutam esse, & in utriusque confinio fluctuantem hærere, & suopte impetu vel huc vel illuc sese librare, id natura duce atque magistra persuasi & in animi intus recessu conscii nobis sumus. Nec fucus ibi pertimescendus est ullus. At verò libertatem quancumque ita desultoriam bicipitemque esse debere; aut ipsam creaturæ libertatem, ubi obstructo mali aditu ad bonum coarctatur in beata patria, atque ligata peccandi potestate insolubilibus justitiæ legibus vinculisque constringitur, tum eam pulcro libertatis nomine aut honore spoliari, & in servitutem retrudi, id sanè non naturæ magisterium est, sed congenitæ nobis originaliter, & pœnaliter inscitiæ documentum: nec divinæ veritatis anticipatio, sed humanæ vanitatis hallucinatio est.

II. Non omnis statim libertas boni malique indifferentiam continet, etsi humana, etsi meræ creaturæ cujuslibet libertas eâ continet.

Quid enim vanius, quid ineptius est, quàm nostrum ad modulum omnia revocare: & ubi ad superiorum nobilitatem nostra extollitur & illuminatur facultas aliqua, tum illi quasi pessumdatæ & conclamatæ illacrymari? Esto enim, alternare, & inter bonum malumque æstuantis in modum fluctuare nata sit hominum libertas, num statim in illud idem vadum contrudenda est libertas omnis? Num nulla nobis melior & superior natura & à malo abhorret vehementiùs, & bono insolubiliùs adhærescit? Et illa quo nobis melior fit, num libertatis laude defraudabitur, & servili statim alligabitur compede? Hanc opinionis vecordiam non magistra nobis insusurravit natura, non artifex inscripsit veritas, sed naturæ & veritatis adulteratrix quædam & jam inde ab origine nobis insolita, provectaque per vitiorum consuetudinem imperitia, & amabilis insania, qua nobis suppalpamur, nostrisque moribus superiora & divina omnia metimur. Deinde si voluntas libera flagrantissimo & beato amore justitiæ radices exurat omnes potentiæ ejus, quæ ad peccandum pertinebat, nec extra æquitatis leges deviare jam ultra possit, hoc suo in melius incremento tanto, num id consequetur, ut nec voluntas jam sit, nec libera, sed in ergastulum aliquod atque in servitutem ablegandа? Ab hac importuna & absurda opinatione abhorret mirum quantum intima conscientia & ratio.

III. Deus summe liber est & alienissimus tamen ab ea boni & mali indifferentia.

Eluendis ergo his non naturæ, sed vitii quod pro natura inolevit, præjudiciis; & evertendis quæ illis innitebantur, Monothelitarum argumentis; hoc est, voluntati Christi humanæ à servitute pariter & peccabilitate, in libertatem atque impeccantiam vendicandæ, adstruenda sunt hìc obiter ea fundamenta, quibus libertas eo sincerior comprobetur, quo à peccandi potestate alienior, devinctiorque justitiæ erit. Perspicuum est autem non hìc exagitari à nobis, nisi Monothelitas. Quod ad Orthodoxos enim Theologos attinet, etsi eorum aliqui libertatem Deo vendicent, & Beatis, ubi alii abrogant: puta in divinis processionibus Deo, in amanda justitia Deo & Beatis; hæc tamen inter eos vocum magis quàm rerum controversia est. Nempe libertatem aliter alii definiunt. Indifferentiam ad utrumlibet alii includunt libertati, alii abjudicant. Itaque in re conveniunt, vocibus discrepant. Nobis ad verba ipsa sanctorum Patrum magis videntur accedere, qui & Deo & Beatis libertatem attribuunt, etiam ubi nullus est prorsus indifferentiæ locus.

Primò ergo incurrit in oculos libertas Dei optimi maximi. Quis enim mentis compos Deo vel libertatem detraxerit, vel peccandi potestatem affinxerit?

rit? Illic summa ejus detereretur perfectio, hic justitia commacularetur.

Nam quantum dignitatis in libertate sit, quantumve perfectionis, cui non est exploratissimum? Hoc enimverò fastigium quoddam omnibus aliis eminere videretur dignitatibus, omnibus longè perfectionibus anteire. Quo magis Deo perfectionum omnium cumulum & quasi pelagus complectenti adjudicanda est. Deinde laus omnis dignitasque obscuratur, nisi sui sit juris, suæque liber potestatis, cui illa adrogatur. Quam enim sibi laudem afferat, qui nec se sibi potest asserere? Quam sibi peculiarem attribuat dignitatem, qui nec se sibi potest vendicare? Quid suum habeat proprium, qui nec suus sibi est? Nisi juris sui sit, nihil juris rem in ullam habet: nisi suæ potestatis sit, in sua nihil habet potestate. Ornamentis ditari potest amplissimis, cumulari potest, obrui potest, frui non potest, qui nec sui fruendi jus impetravit. Cedunt omnia ejus & ornamenta laudum & emolumenta fructuum, in ejus censum & laudem, in cujus potestate ipse est, qui sui liber non est. Tanta ergo ut injuria à Deo propulsetur, libertatis arcem ipsam columenque summum occupare censeatur.

Denuo prærogativa hæc videtur esse propria Deitatis, libertas. Quid enim tam proprium Dei, tam proprium & singulare libertatis, quàm dominari? Quæ creavit, quæ perpetuato creationis beneficio sustentat & regit omnia, non potest in ea non dominari, non potest nisi summa & plus quàm imperatoria libertate dominari. Creaturæ ergo est subesse, creatoris præesse: illius est servire, hujus est dominari; idque jam inde à primis universæ creaturæ cunabulis. Quo enim, nisi jussu & imperio, creavit Deus? Quo, nisi obsequio & servitute, extitit è nihilo creatura? Ergo creare, imperare est: creari, servitutis argumentum est: sustentari & regi, nostræ servitutis perpetuum monumentum est. Adde quod si qua creatis indulta est naturis libertas, à Deo ut fonte suo illa dimanavit. Nec enim boni cujusquam vel tenuissimi aura, nisi à Deo ut summo bono afflatur. Et verò libertatem quæ creatura quamlibet inverecunda arrogare sibi & venditare ausit, nisi quam Deus manumiserit? Nam si libera est, nec precariam à Deo libertatem impetravit, jam ergo adversus Deum insolescet, ejusque detrectabit imperium. Quæ si non possint nisi nefariè dici, ratum ergo fixumque est, libertatem à Deo creaturis aspergi primariis, in ipso autem ut in scaturigine quadam inexhausta totam consistere.

IV. *Impeccabilitas Dei multis argumentis astruitur.*

Constituta jam Dei libertate, exulare ab ea omnem peccandi potentiam, vel impotentiam magis, omnemque longissimè abesse vel tantillum à summa justitiæ & sanctitatis lege desciscendi proclivitatem, manifestius est, quàm ut argumentis sit evincendum. Nam justitia summa tam non potest in injustitiam deficere, quàm nec summa lux tenebrescere: nec enim summa lux fuerit quam expugnaverint tenebræ, nec summa justitia quam peccatum labefactaverit. Justitia prævaricari, & sanctitas peccare tam non potest, quàm nec calor frigefacere, aut calefacere frigus, nec contrarium res quælibet effectum parturire. Item lex ipsa justitiæ Deus est. Quæ enim supra creatas mentes lex æterna regnat, nisi voluntas Dei? At lex transgredi nequit, cum transgressio sit quædam à lege defectio. Non potest quod legi collibuerit, præter legem esse. Non potest & arridere & reluctari legi unum idemque aliquid. Rursus immutabilitas Dei ab ejus libertate eluit suspicionem omnem. Nam ut nostra ad peccandum pronitas à mutabilitate nostra progignitur, ita ex immutabilitate divina efflorescit indefectibilis impeccantia. Denique perfacile est varia divinæ naturæ ornamenta expendenti, ex singulis vel ex complusculis argumenta depromere constituendæ ejus impeccabilitati.

V. *Hinc libertas tanto splendidior evadet, quanto divinæ propior.*

Ex his autem eruitur id quod in animo erat colligere, potestatem peccandi in nobis quidem cum libertate coaluisse, sed libertatem ipsam per se & in genere suo spectatam, expeditam esse & absolutam ab integrato istiusmodi contubernio. Ex quo & illud exprimitur, si humana alicubi libertas ab illa peccandi defectibilitate expediatur, tantò illam splendidiorem fore; meriti atque laudis an capax futura sit, infra dicetur. Nam primò quidem perfectio unaquæque suo in fonte sincerior est & pellucidior, quàm in scatentibus inde rivulis, qui quo longiùs excurrunt, eo peregrinis sordibus inquinantur. Libertas ergo creata quò suæ origini propior accesserit, id est quò impeccabili Dei libertati consentanea magis fuerit, eo illimior fuerit puriorque & liberior. Deinde quotusquisque non id naturæ instinctu & ex ingenio virtutum omnium summoperè enititur, ut Deum, quàm proximè poterit, imitetur? Quis non ex ea sedula & affectatissima imitatione uberrimam se gloriæ segetem demessurum sperat? Quo autem gradu propiore ad Dei cognationem & necessitudinem potest quisquam attingere, quàm si ad beatissimam impeccantiam eluctetur? Ad id ergo si contigerit, num ob nimiam cum Deo affinitatem suam libertate cadet? Num quia Deum de proximo æmulatur, servituti addicetur? Num libertate quidem gaudebit indefectibili, sed quo Dei similior, eo erit laudis inanior?

VI. *Alia & alia ad idem argumenta.*

Rursus libertas cum immutabilitate in Deo primum coaluit: ubi defluxit in creatas naturas, defluxit & ab immutabilitate. Si instillet igitur Deus naturæ alicui creatæ immutabilitatis & impeccantiæ suæ beneficium, num refugiet hujus contubernium & aversabitur libertas? an potiùs ad ingenium redibit suum, & cum ea concrescet, mutuoque complexu & augescet & cohonestabitur? Ut increata enim libertas increatæ immutabilitati conserta & confœderata est invictissimè, si participata libertas participatæ immutabilitati & ad modulum creaturarum dimensæ accedat, quis mente sobrius non huic copulæ benè ominetur? quis malè auspicari ausit? quis alteram alteri exitio fore, & non magis ornamento atque adjumento auguretur? Deinde peccandi potestas & tota creaturæ mutabilitas adhærescit quidem essentiæ ejus, sed ut macula, ut labes & imperfectio. Non, inquam, ut portio aliqua aut dos egregia substantiæ creatæ, sed ut nævus & ægritudo. Si portio hæc foret nostræ substantiæ, vel ornamentum aliquod egregium, nec imminui citra jacturam, nec exuri in totum fortasse posset citra exitium. At si macula nonnihil abstergitur, quia radicitus elui & excindi nequaquam potest, nonnihil splendoris accrescet. Si labs sarcitur, quia redintegrari penitus non potest, meliusculè se habebit natura. Quis autem usque adeo vecors est, ut abstersa macula & resarta labe aliqua, quasi afflictis & desperatis rebus nostris, conclamet intercipi nobis & interire laudem omnem, virtutis decus totum marcescere?

VII. *Alia rursus argumenta.*

Adde quod cùm mutabilitas creatæ substantiæ, declivitasque ejus in nihilum, ex quo nuper emersit & in peccatum nihilo finitimum & consanguineum, excidi fibricitus & elidi haudquaquam penitus possit: comprimi tamen obruique potest, & constringi atque ita coerceri, ut delitescat tantùm, non erumpat, non prosiliat, non se vel tantillum promat, non vel transversum unguem extra justitiæ & pietatis lineas deviare queat. Præstatur illud autem per ubertatem sanctitatis, per justitiæ vim affluentissimam & inexpugnabilem, per virtutum agmina victricia, per charitatis ante omnia invictam & insuperabilem potestatem. His retinaculis cohibetur, his vinculis constringitur, hac sanctitatis mole obruitur potestas peccandi, ut nusquam compareat. Si tam præclarè agatur ergo cum voluntate aliqua creata, condolebimus illi ut capite mi-

nutæ & libertatis jacturam passæ, an congratulabimur, ut libertatis augmentum atque fastigium nactæ? condolebimus ut in servitutis jugum adactæ? an invidebimus ut in serenioris libertatis auras respiranti? Nec enim virtutes libertatem atterere, sed augere, ornare & illuminare natæ sunt. Et quò virtus atque sanctitas copiosior est, hoc locupletior est libertatis ornatus. Et ubi summum gradum virtus sanctitasque indepta est, tum & peccandi obruit potestatem, & uberiore gloria libertatem circumcingit. Alioquin præstabilius esset in ima aut in media virtutum statione commorari, quàm in extremum culmen grassari, & ibi spoliari libertate; essetque beatius inter vitia & virtutes fluitare, quàm è vitiis in arcem virtutum evolare, beatius inquam quia liberalius, & à servitutis discrimine remotissimum.

VIII. *Rursus alia.* Deinde serpsit mutabilitas in cæteras quoque naturas naturarumque particulas. Itaque & corpus nostrum corruptibilitati mancipatum est. Spes nobis supernè affulsit revocandi aliquando in incorruptionem corporis nostri. Num corpus tunc non erit, quia immortale & incorruptibile erit? Num immortalitas & incorruptio substantiam periment? Quis hoc suspicari possit, nisi qui immortalitatem cum morte & incorruptibilitatem cum corruptione unum aliquid idem esse, in eosdemque effectus conspirare imaginetur? Ergo si corruptibile corpus cùm incorruptione donatur, perficitur, non deficit; ornatur & augescit, non deteritur, non dedecoratur: quin animæ, quin voluntati & libertati nostræ hoc ipsum annuimus largimurque, ut quamvis peccabilitati addicta hìc sit, ubi impeccabilis fiet, tum naturæ suæ non perniciem, non dedecus, non laudis jacturam, sed salutem & beatitatem consequatur? Nec enim mutabilitas animæ quàm corpori inextricabiliùs implicuit se, aut non eadem spes illi atque huic ostensa est evadendi.

Postremò mentis saltem atque voluntatis non dissimilis est causa. Germanæ sunt enim hæ vires, & adeo indiscretæ, ut fallant, nec satis dispici possit, duæne sint quæ unam simulent, an una quæ duas ementiatur. Atqui menti in rebus contemplandis subrepit aberratio rara aut frequens, aliqua tamen, quia non idem ipsa est atque sapientia incommutabilis. Si quam ergo mentem sors fœlicior evehat, tantoque veritatis lumine collustret, tanto cum sapientia incommutabili illam devinciat nexu, ut caligare atque exerrare haud possit amplius, num vicem illius gememus? num mentis humanæ nomine atque gradu exturbabimus? num laudem ei omnem decutiemus? Nemo vigilans hæc dixerit. Ergo & voluntati si aberrandi à recto justitiæ calle potestas omnis elidatur, quantum elidi potest, non obtrectabimus, non libertate, non laude & gloria cecidisse garriemus, sed congratulabimur ut liberiori, ut laudum gloriæque messem amplissimam nactæ.

IX. *Alia rursus ad idem argumenta.* Ut finem faciam enim hujus argumentationis urgendæ, perfectio omnis accessu suo ad Deum incrementa sua, discessu decrementa habet. Et mens & voluntas animæ, & sanitas corporis propiùs à Deo abest, quo mutabilitatis & mortalitatis suæ laqueis tenacissimis quia explicari non usquequaque & radicitus potest, minùs implicatur saltem; ergo tanto suo in genere & ultra suum genus perfectior est harum facultatum unaquælibet.

X. *Superiora muniuntur authoritate Augustini. Pelagiani peccabilitatem ut substantiam libertatis exsullebant ante Monothelitas, L. 1.* Testimonia sanctorum Patrum congerenda nunc sunt, ex quibus deprompta est superior omnis argumentatio. Augustinus in extremo opere contra Julianum, objectanti eidem Juliano, quòd liberum id diceret, quod nisi unum velle non posset, respondet: *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum? Liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi justus non potest? Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? An potius intelligere debes esse quandam beatam necessitatem, qua Deus injustus non potest esse?* Et paulò post: *De natura etiam Dei vide quid sentias homo, qui dicis cogi hominem ut bonum velit, si malum velle non possit. Numquid enim Deus cogitur velle bonum, quia velle non potest malum, quoniam est omnino immutabilis? Natura verò humana quamvis mutabilis, quantum, ad id pertinet quod condita est, bona est: qua non solum sine vitio facta est, verùm etiam cum per vitium mala est, capax est boni, quod bona sit.* Et postea ibidem vehementiùs bilancem humanæ libertatis intentanti, ejusque occasum intonanti, si malum velle nequeat, respondet constanter: *Ergo nec in Deo est arbitrii libertas, quia malum facere non potest, sicut negare seipsum non potest, qui & nobis summo illo præmio largiturus est, ut non quidem ipsi Deo, sed tamen Angelis ejus æquales, nec nos peccare possimus.* Ubi liquet in apice & principatu libertatis cohærere illam amicissimè & individuè cum immutabilitate & impeccantia. Liquet ante Monothelitas hoc fuisse Pelagianorum consilium, hoc certamen, ut bicornem indifferentiam libertati creatæ inexorabiliter in quocumque statu adsererent. Liquet ex adverso certasse Catholicos Patres, ut prophanum istud dogma everterent. Liquet non abrogasse sanctos Patres potestatem peccandi ab humana hic libertate, sed ut stolonem à radice mutabilitatis erumpentem agnovisse, eamque in ratione universali & natura libertatis contineri pernegasse. Liquet hactenus ex divina libertate ad humanam explorandam argumentatos esse sanctos Patres, ut anceps in malum bonumve potestas, sicut in ratione non continetur divinæ libertatis, ita nec in humanæ; etsi ab illa semper absit procul, huic autem eò usque adhærescat, donec extirpetur. Si enim irrita esset consecutio hæc, Deus & liber est & peccare non potest, ergo & homo liber erit, etsi peccare non possit; non ea tam multus abuteretur Augustinus adversus Julianum, nec hostem Ecclesiæ tam ruinoso & dissipabili responso ab Ecclesiæ pomærio amoliretur. Liquet denique quia libertas Dei cum pari immutabilitate conjuncta est, libertati nostræ eò anhelandum esse, ut & impeccantiam ipsa consequatur, tantò liberior tunc futura, quantò libertatis apici & largitori propior. Summa enim justitia & Dei naturam constituit, ut peccare non possit, & nostram continebit in beatitudinis patria mercedem, ut peccare nec ipsi possimus; sed summa justitia quæ & Deo & nobis, illi ultra omnem modum, nobis pro nostro modo, impeccabilitatem conferet, libertatem non auferet, sed consecrabit. Si autem à divina ad Christiani cujuslibet libertatem indagandam philosophatur Augustinus, quantò magis ad Christi, qui & Deus & homo est?

Rursum idem Augustinus ajenti hæretico, *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*; respondet ad eundem modum, *Nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.* Et rursus idem alibi: *Cuicumque creaturæ rationali præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ. Ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cujusquam gratia, sed natura sua nec potuit, nec potest aliqua conversione mutari, nec potuit nec poterit aliqua mutatione peccare.* Ubi immutabilitati divinæ acceptum refert, quòd peccare Deus non possit, negat tamen necessitate illum urgeri; voluntate, non necessitate ait illum nolle peccare, nec posse velle peccare. Summa enim in eo voluntas justitiæ est, & ejus hæc voluntas justitia ipsamet est; cùmque quidquid est, incommutabiliter sit, non necessitate, sed incommutabili libertate justus & impeccabilis est. Et natura quidem Dei est istiusmodi. Id autem ubi creaturæ ratio- XI. *Ex eodem: & libenter & necessario summa justitia Deus est, & ut summa justitia operatur.* *Lib. de nat. & grat. c. 46.* *L. 3. cont. Maxi. c. 12.*

tionali supernè conceditur, gratiæ est, non naturæ; cujus gratiæ ea est indoles & ea vis, naturam ut perficiat, non conficiat; atque adeo libertatem naturaliter inditam exornet, non extinguat.

XII. Ex eodem ut immortalitas corpori, ita impeccantia libertati creatæ supra, non contra naturam, & naturæ summa est perfectio.

Sed ut altiùs perscrutemur fontes ipsos & divinæ impeccantiæ & nostræ peccabilitatis, audiendus est Augustinus ibidem: *In omni mutabili natura nonnulla mors ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse quod erat. Proinde & ipsa anima humana quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercumque secundum modum suum, nunquam desinit vivere, habet tamen pro ipso suo modo quandam mortem suam: quia si justè vivebat, & peccat, moritur justitiæ: si peccatrix erat, & justificatur, moritur peccato, ut alias ejus mutationes taceam, de quibus longum est disputare. Et creaturarum natura cælestium mori potuit, quia peccare potuit; nam & Angeli peccaverunt, & dæmones facti sunt, quorum diabolus Princeps est. Et qui peccaverunt, peccare potuerunt. Et cuicumque creaturæ rationali præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ. Ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, &c.* Peccatum ergo mors est animæ, peccabilitas mortalitas ejus est, impeccabilitas immortalitas. Nam vita animæ Deus est, tam verè quàm vita corporis anima. Ergo ut mortalitatis prima radix, quod ad corpus attinet, non alia est, quàm quia corpus non sibi vita ipsum est, sed eam aliunde emendicat, eaque & donari potest & frustrari: & semel donatum, potest vel ea avolante vel seipso fatiscente viduari. Ita peccabilitas seu mortalitas animæ hinc primò emergit, quòd anima non ipsa sibi vita est, non est ipsa justitia, non est substantia veritatis ipsa & sapientiæ, qua nisi supernè formetur & vegetetur anima, exanimis & emortua jacet. Nam si corpus vitam sibi ipsi intus funderet, nunquam desineret vivere, quia nunquam seipsum desereret. Si anima fons ipse vitæ & justitiæ & sapientiæ sibi intra se esset, immortaliter & impeccabiliter viveret, quia à seipsa nunquam divellitur. Sicut & eam vitam immortaliter & inamissibiliter obtinet anima, quæ ipsa sibi est, quamque in corpus suum derivat. Deus igitur eo impeccabilis & immortalis est solus, quo ipsa est justitia & sapientia. Cùm ergo ita comparatum sit cum animæ & corporis natura, ubi corpus mortale per naturam suam, auxilio gratiæ in immortalitatem evehitur, hoc est, cùm inseparabiliter nexuque inexplicabili animæ astringitur, num naturæ ejus aut perfectioni jactura ulla invehitur? nonne potiùs perfectionum cumulus & naturæ beatitas importatur? Similiter igitur ubi animæ ex natura sua peccabili impeccabilitas seu consentanea ei confertur immortalitas, hoc est cum vinculis inexpugnabilibus constringitur vitæ suæ, hoc est, justitiæ & sapientiæ incommutabili, non natura ejus violatur, non libertas discerpitur, sed augetur perficiturque.

CAPUT XIII.

Impeccabilitas libertati voluntatis Christi creatæ nihil officiebat. Id secundo exemplo beatorum efficitur.

I. Libertas erit verissima, quæ cũ impeccãtia in præmiũ donabitur: illi promerendæ minor interim libertas datur, peccare & non peccare potis.

Alterum hoc est argumentandi genus, quo libertas Christi creata à potestate peccandi eximatur. Liberi sunt etiam Angeli hominesque quotquot beatitudinem sunt consecuti, nec tamen inde ad peccandum declinare unquam poterunt. Non ergo insociabilis est libertas cum impeccantia. Quin imò eò defæcatior sinceriorque beatarum mentium libertas est, quò peccare omnino non possunt: ad eamque in præmium adipiscendam libertatem magnam, indulta primùm est libertas hæc minor, qua possint non peccare, quamvis possint & peccare. Non ergo ita statuendum est, hic quidem vigere libertatem, dum possumus & non peccare & peccare: at ubi absorpta fuerit in victoriam & mortalitas corporum & peccabilitas animarum, devorante has ægritudines beatitate, tunc libertatem unà obliteratum iri. Non ita se res habet. Sed ex adverso, cunabula hìc tantùm & rudimenta libertatis incœptamus, numeris suis absolutam & maturam non nisi cum beatitudine percipiemus. Prior illa ad meritum donata interim est, posterior hæc servatur in præmium. Per hos enim incrementorum gradus mutabilem mentium naturam & mutabilitate sua in melius progressuram, mutabilitate sua ad immutabilitatem aliquando grassaturam, decuit promoveri. Quippe divinæ naturæ proprietas est impeccantia & beatitas, hoc est summa justitia, qua id utrumque Deus consequitur. Beatæ autem naturæ non ea proprietas est, sed inopia, sed aviditas, sed hæc promerendi studium & industria, sed in navatæ operæ & exantlati laboris mercedem horum adeptio. Possibilitas ergo non peccandi, sed & peccandi, non essentia libertatis est, sed gradus; non natura, sed tyrocinium; non substantia, sed præludium, & ad industriæ meritique experimentum necessaria interim statio.

II. Ex Augustino, ingens bonum est non posse peccare, sed mutabilis creatura eo promoveri debuit per minoré libertatem, quæ potest peccare. L. 3. Op. ult. con. Jul. nu. 56.

Augustinus: *Catholica veritas prædicat ab optimo Deo sic esse hominem conditum, ut necessitatem peccandi non haberet; nec peccaret si peccare nollet, cum etiam semper nolle utique posset. Quis enim tam sit mente cæcus ut non videat, sicut homo est primitus conditus, magnum bonum esse naturæ, posse non peccare; quamvis majus sit, non posse peccare? Atque ordinatissimè constitutum, ut hoc prius esset, unde fieret hominis meritum, & illud esset postea benemeriti præmium.* Magnum ergo bonum est libertas, quæ potest non peccare, quod cautè & circumspectè dixit Augustinus. Nec enim dixit, magnum bonum esse potestatem peccandi & non peccandi, quanquam nec istud à vero penitus deviaret. Sed consideratiùs dictum est, magnum bonum esse, posse non peccare: hæc enim voluntatis perfectio est, & boni nomen obtinet: at posse etiam peccare, non perfectio, sed imbecillitas est creatæ voluntatis; nec bonum aliquod, sed boni infirmitas. Utcumque posset quoque dici, magnum bonum esse quòd possit corrumpi, vel non corrumpi corpus; sed circumspectiùs diceretur, magnum bonum esse corpus, quod possit non corrumpi; ea enim ratio quædam & dignitas boni est: quòd autem posset & corrumpi, boni labes & occasus est. Magnum ergo bonum est, posse non peccare: sed multò majus, non posse peccare: sed in ordinatissimo sapientiæ imperio, à minori ad majus bonum provehi oportuit mutabiles creaturas, & in imo meritum, in summo gradu præmium comparari.

III. Julianus ex naturæ necessitate, Augustinus ex merendi & crescẽdi lege ab imperfectis ad perfecta, peccabilitatem libertati addebat. Ibid. n. 58.

Et ibidem cùm dixisset Julianus: *Ita fit ut etiam possibilitas peccandi, capax boni malique, sed voluntarii sit; quoniam boni proprii capax esse non poterat, nisi capax esset & pravi.* Quo Julianus bicipitem indifferentiam ad bonum & malum sejungi à libertate non unquam posse argumentabatur. Ejus hæc insomnia à Philosophis gentilibus hausta, ita Augustinus convellit: *Dic potius si vis verum dicere, hominis naturam capacem boni & pravi prius factam. Non quod non posset solius boni capax fieri; sed quod ab ipso gradu ordinatissimè surgere debuit, ut si non peccasset, quando peccare posset, ad eam beatitudinem perveniret, ubi peccare non posset. Quia sicut jam dixi, utrumque magnum bonum est, quamvis minus unum, alterum majus. Minus est enim posse non peccare, majus autem non posse peccare. At oportebat à merito boni minoris, ad premium pervenire majoris. Nam si boni proprii sicut dicis capax esse non poterat humana natura, nisi capax esset & pravi, cur post hanc vitam piè gestam, boni solius erit, & non mali capax, ab omni*

omni scilicet aliena non solum voluntate, vel necessitate, verum etiam possibilitate peccandi? Augustino adversus Julianum tota erat de libertate altercatio, hanc iste in ambigua ad bonum & malum necessariò collocabat indifferentia: ille hanc indifferentiam non ex naturæ necessitate libertati adjunctam disputat, sed ex lege incrementorum à minoribus ad ampliora bona faciendorum; ut sicut corpus nostrum primò exile & enerve, postea grandescit & roboratur: ratio primò balbutit & ineptit, postea maturescit & sapit; ita libertas primò nutat & languet, postea perficitur & invicta fit. Aut potius ut corpus non ex naturæ, sed ex meriti consequendi necessitate corruptibile est, ubi autem incorruptibilitate præmiabitur, tum natura ejus non deficiet, sed perficietur: ita & libertas animi.

IV. Ut mortalitas corporis ita labilitas libertatis ubi devorabitur à beatitudine, utriusque natura non deficiet, sed perficietur. Ench. c. 105.

Sed ut ineluctabiliter constet de libertate hìc certamen Augustino esse adversus Julianum, audi geminum illis contextum alium: *Sic enim oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset & male: nec gratis si bene, nec impune si male: postea verò sic erit, ut male velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato.* Et paucis interpositis: *Ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere quàm bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit, quamvis sit melius quod peccare non possit. Sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit, in qua possit etiam mori, quamvis major futura sit, in qua non possit mori.* Advertis quàm disertè exprimat devorata per beatitudinis allapsum & mortalitate corporis & peccabilitate voluntatis, superstitem fore libertatem, quin multò liberiorem tunc futuram, cùm servire non poterit peccato. Nec minus insulsum aut explodendum esse, qui neget absumpta peccabilitate superesse libertatem, quàm qui neget extincta mortalitate corporis substantiam incolumen perpetuari. Itaque si mortale primùm corpus, si labilis voluntas hanc vitam veluti tyrocinium exigentibus donata à Deo conditore est, datum id est ordini rerum, & gradui profectuum, non necessitati naturarum.

V. Utraque ergo non naturæ pars, sed imperfectio, qua absterfa, illa perficitur. De Corr. & Grat. c. 11. 12

Apertissimè rursus: *Posset enim perseverare (Adamus ante lapsum) etiam, si vellet; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset & male. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato: quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis merces meriti?* Et infra adhuc liquidiùs: *Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare: novissima erit multo major, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multo major, non posse mori.* Attende ut impeccantiam beatâ gloria invectam, libertatis non interitum interpretetur Augustinus, sed restaurationem; non dispendium, sed incrementum: sicut & corporis beata tunc immortalitas, non naturæ corporeæ per se corruptibilis exitium erit, non diminutio, sed redintegratio & fælicitas. Ex quo id concluditur, & mortalitatem corporis & peccandi possibilitatem voluntatis, non essentiæ aut substantiæ portionem esse, qua truncata mutilentur, sed maculam, qua abstersa integrantur & magis splendescunt.

VI. Ex eodem Augustino triplex ratio, cur non statim impeccabilis creata sit libertas Angeli & hominis. Primò ut boni immutabilitas Dei esse propria & nativa laus intelligeretur.

Cæterum causas admodum tres videtur nobis Augustinus indigitasse, quamobrem, cùm æquè libertatem primùm impeccabilem Angelo hominique posset Deus impartire, atque corpus homini usquequaque incorruptibile; præstabilius tamen duxerit & corpus mortalitati, & libertatem peccandi possibilitati primùm permittere. Prima earum est, ut inde testatum fieret, impeccantiam & immortalitatem Dei unius esse peculiarem, naturis aliis precariò obtingere. Nam si cum natura ipsa simul & beata immortalitas, atque immutabilis in bono libertas conjuncta & quasi congenita atque coalita fuisset, hæc non irrigata supernè beneficia, sed domestica atque adnata naturæ bona videri potuissent. Naturam simul condidit quidem, simul gratiam largitus est Deus, sed cùm deseri gratia, atque deserere, repudiari atque repudiare potuerit, id satis erat argumenti, ut à natura gratia secerneretur. At si & congenita & indivulsè adglutinata fuisset naturæ gratia, non satis utriusque discrimen diluxisset, non satis Deitatis prærogativa eluxisset, quæ cùm justitia sit, nec ab ea deseri, nec deserere ipsam potest: quæ cùm summa sit, nec meliori inhærere, nec non inhærendo peccare potest. Augustinus: *Ideo ista natura non potest omnino peccare, quia non potest se ipsa deserere; nec meliorem habet, cui debeat inhærere, & cujus possit desertione peccare.*

L. 5. Op. ult. con. Jul. n. [illegible]

VII. Secundò ut nasceretur natura id quod est, antequam supra se proveheretur.

Altera ratio hæc est, quod natura quævis creata ex nihilo cùm eruperit, ibi mutabilitatis rudimenta posuit, & exinde intestina laborat mutabilitate. Cùm hæc ejus natura sit, consentaneum est, sibi ut aliquandiu saltem permittatur. Nam quod quidque nascitur, hæc ejus natura est. Si naturæ statim atque esse exordiuntur, in superiorem aliquem gradum protruderentur, nunquam id essent, quod sunt: nunquam insita ab adventitiis dispescerentur. Postulat ergo rerum ordo, ut sibi primò constent naturæ, inde ad meliora faciant progressum. Etenim & natura & insita naturæ mutabilitas ita desiderant administrari, ut & naturæ bonum insitum dispescatur ab adjectitiis, ne si adjectitiis occupetur & quasi anticipetur, indigenis propriisque omnino carere videatur: & mutabilitas non comprimatur priùs, quàm usui fuerit, cesseritque in bonum naturæ gradatim proficienti. Utque summatim dicam, extare debuit creaturam rationalem & ex Deo esse, unde libera est; & de nihilo, non de Deo esse, sicut Verbum, unde mutabilis & peccabilis est. Augustinus: *Male aliquid velle, vel male aliquid etiam nolens facere omnino non posset, nisi de nihilo facta esset, id est, si Dei natura esset. Sola enim Dei natura de nihilo facta non est, quia nec facta est, & ideo nullo modo mutari potest.* Et ibidem paulò post: *Putas ad naturam liberi arbitrii pertinere, ut possit utrumque, & peccare scilicet, & non peccare: & in hoc existimas hominem factum esse ad imaginem Dei, cum Deus ipse non possit utrumque, &c. Angelus ergo vel homo propterea peccare potuit, propterea isto Dei munere, quod est liberum arbitrium, male uti potuit, quia non est Deus, hoc est de nihilo factus est à Deo, non de ipso Deo.* Vides ut possibilitas peccandi non ex natura libertatis derivetur, quâ imago Dei ea est, cùm Deus ea careat: sed quà ex nihilo excita est, & mutabilis est; & mutabilitati suæ propterea aliquantisper permittenda, originis ut suæ non supernæ tantùm, sed infernæ ne sit unquam immemor.

Ibid. n. 38.

VIII. Tertio ut existeret omne bonorum genus, est autem genus boni non mediocre mortali corpore immortalitatem, labili voluntate mereri impeccantiam

Tertia denique ratio hæc est, quod nulli bonorum gradui, etiam mediocri, etiam infimo invidit summum bonum: quin omnia ex se bona effudit, summa, media, ima; & summa quidem mediis, media imis meliora, sed meliora tamen simul omnia, quàm tantummodo summa. Etsi non summorum autem, in permagnorum tamen numero bonorum est voluntas, quæ non peccare possit, etsi & peccare possit: sicut & immortalitas istiusmodi, qua possit quis non mori, quanquam possit & mori. Quantum enim boni, quantumque pulchritudinis & splendoris adsit voluntati, quæ possit non peccare, quanquam possit & peccare, multis conjecturis patescit. Quantum enim decus est, non peccando cùm peccare possit, impeccantiam promereri? Sua se industria divinitus adjuta in melius promovere? Mutabilitate sua immutabilitatem emercari? Suæ sibi secundùm Deum fælicitatis authorem & architectum esse? Secundariam Deo navas-

navasse operam, & auxiliares ei manus suas adjunxisse, non ad condendam rudem naturam, sed ad illam partibus suis omnibus explendam, atque beandam? Si impeccabilem statim voluntatem Deus addidisset, decus istud omne & lumen prævertendo extinxisset.

IX. Ex eodem Augustino non ad libertatem, sed ad meritum nobis necessaria est peccandi possibilitas. Id conceptis verbis ille docet.

Subire statim mentem videtur hæc dubitatio. Si libera, imo liberrima potuisset condi voluntas, à peccandi tamen potestate prorsus aliena, quin ea & promereri potuisset cumulatam fœlicitatem? Non ergo ad meritum relicta est peccandi possibilitas, cùm merito accumulando idonea abundè sit impeccabilis libertas. Hanc perplexitatem amputavit & abrupit Augustinus, ubi disertè & conceptis verbis, nec semel & iterum, sed frequentissimè inculcavit, si vinciatur aut abscindatur peccandi potestas, libertati quidem, non autem merito locum ullum superesse posse, *Magnum bonum naturæ, posse non peccare: quamvis majus sit, non posse peccare: atque ordinatissimè constitutum, ut hoc prius esset, unde fieret hominis meritum, & illud esset postea bene meriti præmium.* Et infrà: *Ab ipso gradu ordinatissimè surgere debuit, ut si non peccasset, quando peccare posset, ad eam beatitudinem perveniret, ubi peccare non posset.* Et paulò post: *Minus est enim non peccare, majus autem non posse peccare: at oportebat à merito boni minoris, ad præmium pervenire majoris.* Et ibidem: *De quibus sanctis Angelis sine dubitatione credendum est, quod acceperint non posse peccare pro merito permansionis suæ, quoniam steterunt, quando aliis cadentibus, etiam ipsi peccare potuerunt.* Et demum ibidem absolutissimè potestatem peccandi Angelis hominibusque relictam ait, non quod ea sit libertatis pars dimidia, cum beatis sospes & integerrima constet libertas sine ulla peccandi possibilitate: sed *potius credendum, ideo fuisse istam naturam & boni & mali capacem primitus factam, ut horum alterum diligendo meritum compararet, quo boni solius vel mali solius capax postmodum fieret.* Et alibi rursum: *Sic oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset & male: nec gratis si bene, nec impune si male. Postea verò sic erit, ut male velle non possit.* Supersedeo plura conferre, ex his enim plus satis enitescit, eo totam collimare Augustini doctrinam, ut peccandi possibilitas non ipsi per se libertati adhærescat necessariò, id enim vehementer refugit & exemplo beatorum refellit: sed eidem ad comparandum meritum dimittatur. Id autem nugatorium planè foret, si execta peccandi possibilitate, merito perinde locus esset. Non ergo ut libertas sit, sed ut meriti vel demerendi capax sit, necessaria est peccandi possibilitas.

L. 5. con. Jul. operis ult. n. 56. 58.

Ench. c. 105.

X. Id ex eodem liquet rursus, quod si impeccantiam statim dones, nihil sit ulterius, quod merendo comparetur.

Secundò, id amplius elucescit ex Augustini argumentatione. Nam merito præmium coaptari & eminere tamen debet. Quod autem aptius præmium cohibitæ & voluntariè frænatæ peccandi potestati, quod præcellentius, quàm impeccabilitas? Quid æquius enim, sed & quid magnificentius, quàm ut qui peccare noluit, cum potuit, nec peccare posthac velit, aut velle possit? At si ad accumulandum meritum, impeccantiam statim indulgeas, ecquid præmii deinceps adjicies? Quid ipsa amplius impeccantia excogitabis? Non potuere nisi minora bona condonari voluntati in merendi loco atque officio adhuc conflitutæ: nam si maxima illi bona, & in his facilè primas partes sibi vendicantem impeccantiam ingessisses, non ea meritorum, sed præmii & beatitudinis statio fuisset. Augustinus supra: *Magnum bonum naturæ posse non peccare, quamvis majus sit non posse peccare, atque ordinatissimè constitutum, ut hoc prius esset, unde fieret hominis meritum, & illud esset postea bene meriti præmium.* Item: *Oportebat à merito boni minoris, ad præmium pervenire majoris.*

XI. Id tertiò liquet quia impeccantia.

Tertiò, non potest impeccantia nisi ab æstuantissima charitate, à sanctitate & justitia ad summum cumulum plenissima & exundante proficisci. Quanta enim charitas est, quæ Deo ita adglutinat, ut ab eo nulla deinceps vi vel minimum possis avocari? Quanta & quàm exuberans justitia, quæ insitam mutabilitatem frænat, quæ totam Dei justitiam unàque ejus immutabilitatem combibit? Quæ istiusmodi est, non potest non maxima esse. At si hæc prodigatur libertati, dum stipendia facit, dum meret, dum pugnat, quid illi emeritæ postea & triumphanti amplius aut magnificentius reservabitur? Num rependi potest aliquid amplius summa charitate & justitia? Num charius, num beatius, num triumphalius aliquid excogitabimus summa & cumulatissima charitate atque justitia? Ergo ne permisceantur omnia, minores à majoribus discriminandæ sunt virtutes: ut minoribus adhæreat adhuc propria rerum conditarum mutabilitas, majoribus illa effricetur & absit longissimè: sed illæ minores merita parent, majores in præmia illis despondeantur. Augustinus: *Perferre necessitatem boni, non habendo possibilitatem mali, tam magnum est bonum, ut Sanctis servaretur ad præmium.* Et ibidem: *Non ergo aliter non esset virtus in nobis, nisi voluntatem malam sic non haberemus, ut habere possemus. Sed pro hujus minoris virtutis merito, accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem sic non haberemus, ut nec habere possemus.*

non est nisi summa justitiæ charitas, quæ jam ipsa est beatitudo, merendi insolens.

Ibid. nu. 61.

XII. Id quartò liquet, quia Angelis beatis in sui conditu, hic unus deerat apex beatitudinis, ut peccare nō possent.

Quartò non tantùm meriti in loco non est, non tantùm in mercedis numero est, sed beatitudinis & præmii fastigium est impeccabilis libertas. Hinc Augustinus Angelos philosophatur in ipso sui conditu beatos fuisse, sed hoc unum tamen eorum defuisse beatitudini, quòd necdum de permansione sua securi essent, id est, quòd nondum totam exuissent peccandi possibilitatem. Jam beatis suo quodam modo, jam Deo utcumque fruentibus, id tamen unum deerat, id ad fœlicitatis cumulum desiderabatur, id meritis largiendum differebatur. Deinde quid Deo cognatius, quid naturæ divinæ propius, imò quid ejus magis peculiare, quàm non posse peccare, quàm immutabilem esse, quàm indefectibili libertate gaudere? Hoc ergo Dei donorum extremum est, quia Dei bonorum summum est. In præmium ergo post cætera omnia cedit, non in meritum. Augustinus ubi suprà: *Pro hujus minoris virtutis merito, accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem sic non haberemus, ut nec habere possemus. O desideranda necessitas! Donabit eam veritas, ut sit certa securitas, sine qua non potest esse illa, cui non est aliquid addendum, jam plena nostra fœlicitas.* Audis ut certa hæc impeccantiæ securitas ultimus sit apex beatitatis: dum enim adest illa, nihil est quod fœlicitati addatur: dum abest, quantæcumque fœlicitati est quod addatur, columen bonorum omnium & tutamentum cæterorum omnium. Et rursum: *Cum quæritur quare homo possit habere malam voluntatem, &c. Origo ipsius possibilitatis invenitur ea esse & causa, quia etsi magnum bonum est rationalis creatura, non tamen est quod est Deus, cujus solius est inconvertibilis incommutabilisque natura.* Quod ergo tam Dei proprium est, id non potest nisi mercedis & summi boni locum obtinere.

Ib. n. 42.

XIII. Id quintò liquet, quia impeccantiæ animæ comes est immortalitas corporis. Utrumque si statim largiaris, meriti locus non superest.

Quintò, impeccabilitas animæ & immortalitas corporis, ea lege copulantur, qua anima copulatur corpori. Ex hoc enim conjugio maxima initur societas bonorum omnium. Exinde bonorum animæ consors est corpus, ad eaque fruenda etiam ultra naturæ suæ fines evehitur. Bonorum quoque corporis anima socia est, eaque non illibenter degustat. Et vicissim mala sua & corpus cum anima & anima dum corpore communicat omnia. Hinc primitus homo è manibus Dei recens, ut anima poterat non peccare, ita poterat corpore non mori: sed quia peccare poterat, poterat & mori. Nec alio & alio, sed uno eodemque voluntatis nutu, vel non peccabat, nec moriebatur, vel peccabat

& mo-

& moriebatur. Nobis jam ex illo lapsu afflictis, indeclinabilis & peccandi & moriendi necessitas incumbit, nisi supernis gratiæ auxiliis, nunc anima, postea corpus sublevetur. Denique ubi in integrum omnino restituemur, & corporis immortalitatem, & animæ impeccantiam recipiemus deinceps inamissibilem. Ergo si libertas impeccantiæ dono beata primùm à Deo condita esset, simul corpori & beata immortalitas collata foret; nec enim suis ipse legibus, hoc est, sibi ipsi adversatur Deus in naturarum conditione. At quæ tunc merendi ratio? quæ inopia meritis supplenda? Corpori immortali, animæ incommutabiliter sanctæ quid ad cumulum potest accedere beatitatis? Num optatius, aut beatius affundi potest aliquid, vel corpori, quàm incorruptibilitas, vel animæ, quàm sanctitatis incommutabilitas? Denique meritum omne in labore aliquo adeundo, in superando discrimine, in nisu & sudore collocatum est. Præmium & merces certamini rependitur, victoriæque qua periculorum aspera superentur. At corpore immortali, anima inexpugnabiliter tuta & certa sui, quos labores, quos casus subeas? quæ dura fortiter feras? quæ adversa vincas? Scitè Augustinus: *Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare: novissima erit multò major, non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori; novissima erit multò major, non, posse mori.* Vides ut animam corpori, corpus animæ contemperet, utriusque sortem connectat, parem utrique & immortalitatis & mortalitatis vicem coaptet; sed utriusque omnimodam incorruptibilitatem, in præmium reservet.

L. de Correp. & grat. c. 12

XIV. Id sextò liquet, quia & dæmones ad peccãdi necessitatẽ pervenerũt voluntate in utrumque ancipiti.

Sextò, dilucidius id quidem fit, si ex adverso spectetur libertas dæmonum, quæ ferrea necessitate coercetur, ne ad justitiam inclinare, vel ab injustitia declinare possit. At ut necessitatem istam incurrerent, in confesso est, libera eos voluntate, nulla necessitate peccasse. Indifferentia ergo libertatis in bonum & malum dimittenda prius sibi fuit, non ut libertas ipsa constaret, cùm ea vel supplicio vel præmio suffocata atque elisa, sospes & superstes sit libertas: sed ut merito bono vel malo daretur locus, & inde ad præmium vel ad supplicium iter aperiretur. Augustinus possibilitatem ad utrumque ut ipsam libertatis naturam ventitanti Juliano respondet, *Quid dicis de diabolo de quo scriptum est, Ab initio diabolus peccat: possibilitatem peccandi habet, an necessitatem?* Cumque ostendisset iturum in errores Origenis aut Origeni attributos, qui solam peccandi possibilitatem diabolo adscripserit: ita enim resipiscere posset & eximi pœnis, & in beatitudinis remigrare regionem; subdit: *Restat igitur ut ante supplicium ignis æterni, etiam necessitas ista peccandi magna sit diabolo magni pœna peccati. Neque hinc excusetur à crimine, quoniam & ista vindicta est proxima crimini, ut eum delectet sola malitia, nec possit delectare justitia. Ad hanc autem jam pœnalem peccandi necessitatem non utique pervenisset, nisi prius libera voluntate, nulla necessitate peccasset.* Audis ut à crimine nec diabolum excuset, eumque ideo liberum esse astruat, & inde adversus Julianum argumentetur. Stat ergo etiam cum hac necessitate libertas. Sed ad hanc liberam necessitatem non utique præcipitaretur, nisi sine necessitate, sola libertate peccaret. In radice ergo sua libera dicitur ab Augustino illa peccandi in diabolo necessitas, in quam semetipse ex summa non peccandi facilitate dejecit. Similiter ergo nec ad non peccandi necessitatem, nisi peccandi possibilitate pervenitur. Unde ibidem: *Non eas ita condidit cum primum condidit ut eis esset habendæ malæ voluntatis ulla necessitas, sed tantummodo possibilitas, ubi meritum compararet, atque inveniret in eis bona voluntas, non deserta præmium, deserta supplicium.*

L. 5. oper. ult. cont. Jul. n. 47.

Num. 61.

Septimò, quod momenti plurimum habet, ut expugnetur nullam potuisse impeccabilem condi creaturam liberam, etsi libertatis in utrumque versatilis usu, possit illa impeccantiam promereri, id colligitur perspicuè ex Libris de liberò arbitrio. Totus ibi in eo est Augustinus, ut Manichæorum calumnias refringat, ostendatque bona omnia valdè à Deo condita esse, nec ullum reprehensioni locum patere. Nam quidquid nobis recta ratio persuaserit fieri debuisse, illud ipsum Deo demonstravit atque proculdubio persuasit eadem recta ratio, quæ Deus ipse est. Nam si quid fieri debuisse rectè judicamus, id judicamus ideo, quia mens nostra æternis rationibus connexa est, in quarum lumine quid debuerit, quid non debuerit fieri perspicimus. Ergo quidquid fieri debuisse recta ratio nos docet, id Deo priùs persuasit; id igitur creatum est & alicubi est, etsi nostros oculos fugiat, sicut & tam multa alia nos fugiunt. Quapropter si melior sit creatura rationalis, quæ nunquam peccaverit, ideoque fieri debuerit, crede factam esse, & istiusmodi esse Angelos sanctos. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.* Et postea: *Potest ergo esse aliquid in rerum natura, quod tua ratione non cogitas. Non esse autem quod vera ratione cogitas, non potest. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit. Humana quippe anima naturaliter divinis, ex quibus pendet, connexa rationibus, cum dicit, melius hoc fieret quàm illud, si verum dicit & videt quod dicit, illis quibus connexa est, rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiamsi hæc in rebus factis non videt.* Quo ex principio semel præstituto, ultro emergit voluntates liberas creari non debuisse, nisi cum possibilitate peccandi. Nam cùm omnes ejusmodi creaturæ sint, ita ergo creari debuerunt: quia si aliter debuissent, utique aliter & creatæ essent.

XV. Id septimò liquet, quia ex Augustino vix aut nec vix ulla potuit creatura statim condi impeccabilis.

L. 3. c. 5.

Pergit ibidem Augustinus votis eorum, qui impeccabiles optant creaturas rationales, obsequi & quàm maximè potest obsecundare. *Si te delectat creatura, quæ perseverantissima voluntate non peccat, non est dubitandum quod eam peccanti rectâ ratione præponas; sed sicut eam tu cogitatione præponis, sic eam creator Deus ordinatione præposuit. Crede esse talem in superioribus sedibus & in sublimitate cœlorum: quia si bonitatem conditor præbuit ad eam condendam, cujus prævidit futura peccata: nullo modo non eam præberet bonitatem, ut creaturam conderet, quam peccaturam non esse præscivit.* Inania sunt hæc & nugatoria, si potuit & debuit condi creatura, quæ non modò non peccaret, sed nec peccare posset. Quis enim non istam potiùs quàm illam creari optet & urgeat? Si quod optimum factu est, id à Deo factum est, quis non conjiciat creatas ab ipso voluntates aliquas & liberas & tamen statim ab exordio suo impeccabiles? Si omnia simul bona, summa, media atque ima à Deo condita sunt, cùm multò majora sint bona voluntates quæ peccare non possint, quàm quæ possint: ergo si illæ condi potuerunt, quis non constituat conditas fuisse? Si argumentatur Augustinus creaturas etiam minusculas, etiam frustula tantùm boni minutissima consecutas, creari tamen debuisse, quia meliora sunt simul cum inferioribus superiora, quàm sola superiora: quis non probabiliùs argumentetur creari debuisse maximas & perfectissimas creaturas, quæ peccandi possibilitatem ne habuerint quidem? Num enim carere potest summis, non potest imis pulchritudo universitatis? Quid in causa est, ut naturas rationales, quæ possibilitatis peccandi immunes semper fuerint, etsi non videamus usquam, alicubi tamen esse suspicari nos & conjectare non patiatur Augustinus? Cur eas quæ non peccaverant unquam, etsi aliquando peccare potuerunt, in summo locat vertice? Nisi

XVI. Idem rursus ex eodẽ.

quia

quia non hic est creatæ naturæ modus, ut beata sit, sed ut fiat: non ut nascatur, sed ut promereatur: non promereatur autem, nisi interim careat & periclitetur & laboret: Deo autem uni beatitas & beatitatis securitas, sua sit ipsius natura.

CAPUT XIV.

Statuendæ Christi libertati non quaslibet necesse est indifferentiæ umbras consectari, non eas saltem quæ obedientiæ adversantur.

I. Qui libertatem Christi in indifferentia qualibet locant agrè se expediunt. Súmatim de diversa Dei, Christi, Beatorum ac mortalium libertate, merendique ratione.

QUod prolixiùs infrà & edisseretur & inculcabitur, id obiter duxi in antecessum hic præfandum; nimirum longè aliam esse tum libertatem tum merendi rationem, sive Dei, sive Christi, sive beatorum Angelorum hominumque, sive viatorum eorundem, sive dæmonum: nec alio ex fonte manasse complusculas sive de libertate, sive de merito controversias inter Catholicos Theologos excitatas, quàm ex alia & alia definiendæ libertatis explicandique meriti ratione. Alia est libertas Dei, alia Christi, alia meræ creaturæ: alia similiter merendi ratio. Quin & Deus ipse aliter & aliter liber est in gignendo Filio, in amando seipso, in condendo mundo regendoque, in amanda justitia. Aliter Christus liber est quà Deus, aliter quà Deus homo. Aliter Angeli hominesque liberi sunt, ante lapsum & post lapsum, in via & in patria. Aliæ ab aliis sunt hæ libertates, & ejusdem libertatis alij & alij status sunt, aliæ & aliæ rationes. Varietati libertatum respondet diversitas meritorum. Etsi de Christo nobis tantùm sermo est, non possumus tamen non strictim aliquid ad ejus libertatem illustrandam delibare de cæterorum agentium liberorum ratione.

Cùm autem præjudicatum ferè sit vix posse indifferentiam à libertate sejungi, hinc tota æstuatio, ut in Deo, ut in Christo, ut in Beatis aliquas indifferentiæ fibras venentur; cùm illi beata necessitate in tam multis astringuntur. Dei nulla indifferentia est in gignendo Filio, in amanda justitia; an ergo nulla libertas? De vocibus ut ego arbitror pugna est, libertatis nomine aliud alij capiunt. De re ipsa ut in Deo se habet, Theologis omnibus convenit. Ubi de re convenit, de verbis certandum non est. Nobis videtur satius, convenienter Augustino & aliis Patribus, Deo in his etiam libertatem tribuere, sed sui generis libertatem, longè diversissimam ab aliis libertatis generibus: ut re non dissentiamus ab his qui hanc libertatem negant, etsi voce dissonemus. De Beatis non multùm dispar ratio est. In quibus nulla fruuntur indifferentia, ut in amando Deo, & in exequendis divinis mandatis, in his an liberi sint? æquè altercantur hinc & hinc Theologi, de vocibus ut existimo certantes, de re enim omnes consentiunt. Nobis videntur sancti Patres & illis libertatem adsignare, sed longè disparem à nostra viatorum, atque adeo longè aliam ab ea, quam Theologi quidam Catholici illis denegant.

Tota superest de Christo viatore quæstio, quem fides liberum & liberatorem prædicat. Huic constantissimè ab omnibus libertas, sed indifferentia non eadem ob omnibus vendicatur. Duplex nobis quidem videtur indifferentia illi juxta sanctorum Patrum & priscorum Theologorum normam tribui debere. Altera voluntatis humanæ, solutæ intrinsecus & extrinsecus ab omni necessitate, & per sese indifferenter se habentis ad res quaslibet & actiones in seipsis spectatas, licèt ad eas indeclinabiliter paternis mandatis, & impeccantia propria determinaretur. Altera voluntatis divinæ Verbi Dei, qui & ante carnem assumptam & in carne assumpta liberrimus est, ipsa libertas est; & siquid à Patre præcipitur, ipse cum Patre præcipit, ipse præceptum ipsum est; ideoque liber & indifferens præcipit sibi, quidquid præcipit, & exequitur.

Utique huic & libertati & indifferentiæ sua adhærent, sua consentiunt merita, à meræ creaturæ meritis sanè diversissima. Diversa sunt & merita, quæ Deo, quæ beatis Angelis denegari vix possunt, nisi contentionis, quàm veritatis amantiores simus. An Deus enim, an Beati laudes nostras non merentur, etiam ubi justitiam necessariò & indeclinabiliter amant coluntque? Sunt utique & hæc merita, sed à nostris remotissima. Ita & Christi merita non ex nostris metienda sunt, ut nec nostra libertas ejus libertati æquanda, aut verò comparanda est.

Si quis ægrè ferat aliqua tribui merita, vel Deo, vel beato Angelo hominique amanti justitiam & æternæ legis præceptis obsequenti, non litigabimus de verbis, ubi de re constat. Esto, dignitas hæc dicatur, non meritum. Digni sunt enim, qui hac de causa laudentur. Infra tamen liquebit priscos Scholæ Theologicæ Magistros non abhorruisse ab hoc usu loquendi, & merita hujusmodi quædam, sed longè diversissima à nostris Deo & Beatis vendicasse.

Nec aliter censendum de Verbo Incarnato, per increatam voluntatem suam & indifferentiam carnem assumente, regente, agente, ad mortem & ad mortem usque crucis inclinante; si quis molesta ferat, hinc aliqua colligi merita, etiam sepositè voluntate humana; facile annuemus hanc dignitatem potiùs dici, quàm meritum. Sicubi nobis excidit, ut istud meritum appellaremus, id unum voluimus, ut dignus esset unigenitus Dei Filius tam liberè & indifferenter in carne moriens, quàm in carne nascens, qui & summas à nobis laudes, & è Patre quidvis consequeretur, eo sanè seu dignitatis, seu meriti genere, quo Deo mundum condenti, & tot bonis cumulanti debentur & laudes & gratiarum actiones impensissimæ. Et Creatori & Redemptori orbis Deo liberè & indifferenter tanta beneficia in nos congerenti, si qui non dignitatem tantùm, sed meritum ascribat, quo laudibus afficiatur, faciles esse debemus in hac verborum licentia: cum constet propterea & laudes & quidvis illi deberi. Eo sanè, imo liberiori loquendi usu antiqui Theologi dixere quandoque, & Beatos propter charitatem beatificam & indeclinabilem patriæ mereri, & parvulos recens baptizatos mereri vitam æternam: quod non aliud est, quàm hæc illis seu laudum, seu gloriæ præmia deberi, & dignos illos esse, qui his afficiantur.

Nostræ certè partes hìc erunt, humanam maximè Christi voluntatem & libertatem, à Verbo Deo gestatam & Deificatam, meritaque inde scaturientia perscrutari; atque illam ex sanctis Patribus firmare creatæ libertatis indifferentiam, non quæ obedientiæ jugum & paternas per omnia leges quasi refugeret & detrectaret; sed qua humana Christi voluntas ex se indifferens & indeterminata erat ad actiones actionumque circumstantias quaslibet in seipsis spectatas. Hic enim longè uberrimus est fons meritorum Christi Redemptoris. Nec silebimus tamen illam Christi Dei increatam voluntatem & indifferentiam nascendi, moriendique in carne, & existentem inde dignitatem summam: cùm de ista tam multa dixerint sancti Patres, quorum colligendis sententiis nostram hanc operam studiumque omne dicavimus.

Alii alias indifferentiæ venas præter supradictas consectati sunt. Itaque nonnulli nullo præcepto Patris imperatam Christo mortem fuisse senserunt, ex quo de aliis quibuscumque ejus operationibus pronum est conjectari quid senserint. Alii mortem quidem speciali & ineluctabili mandato præceptam, sed circumstantias ejus omnes ex loco, tempore, genere ipso, infinita quadam varietate muliplices, nulla Patris lege dictatas fuisse, sed ejus potestati permissas, ut in his periculum

culum sui faceret libertas & dominium suum experiretur. Alii eo nomine liberum viguisse arbitrium Christi censent, quod semet in se replicatis actibus retorquendo, mortem tametsi imperatam ita amplexaretur, ut etiam non imperatam amplexaturus tamen esset. Alii expectatum ejus consensum in primo incarnationis momento, antequam ei Pater quidquam expressius imperaret. Alii denique existimant in potestate ejus fuisse, ut per operationes numero diversas paternis obsequeretur præceptis.

II. *Scripturæ eam ablegāt à Christo in differentiā, quæ perpetuæ constātissimæ obedientiæ cōtraria est,*

Non ex scripturæ, non ex sanctorum Patrum penu prompta sunt hæc omnia. Quo enim ex scripturæ textu expiscati sunt hæc? Qua ex Patrum authoritate tantæ quæstionis nodum aggressi sunt enodare? Scripturæ obedientiam Christi commendant ad paternæ voluntatis momenta singula suspensam atque accuratam, voluntatem item sequacem & devotissimam: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus, volui.* Et Christus ipse: *Non mea voluntas, sed tua fiat. Veni non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me Patris.* Ubique voluntas vigil & arrecta, prona & alacris ad obsequium; nusquam deliberatio alternans, nusquam electio nutabunda, nusquam vel nubecula ejus quam hi magnificaiunt indifferentiæ. Quid illa frequentiùs iterata? *Nondum venit hora mea.* Et *Nondum ascendo ad templum.* Et *Nondum venerat hora ejus.* Nonne patenter hæc insinuant horarum temporúmque momenta, non humana, sed divina voluntate homini Christo dispensari? Et quod de temporis, hoc de aliis circumstantiis statuendum est. Sed quid expressius hac Christi contestatione, *A meipso facio nihil?* Num suopte consilio & voto faciebat nihil, si ejus humano consilio & voto omnia Pater permiserat? Si ne ad mortem quidem ullo eum obligaverat præcepto? Nam cum ejus operum principatus morti ejus crucique debeatur, si hanc paterna voluntas præcipere abstinuerat, quorsum attinuisset de reliquis mandandis satagere? Num potiùs nihil nisi à seipso fecisset? Ecquid ergo innocentiæ suæ præsidium adversus criminationes Judæorum sibi Christus hinc accersebat, quòd à seipso faceret nihil, sed Pater in ipso manens, ipse faceret opera? Si Patris ne mandato quidem agebatur, cassum erat & ludificatorium totum hoc innocentiæ ejus patrocinium. Quin etiam nisi Patris imperio non opera tantùm singula, sed & singulæ operum circumstantiæ præfigerentur, non satis validè hoc scuto propulsabantur sycophantarum calumniæ. Nam accusationes hærebant plerumque non operibus ipsis, sed circumstantiis; ut quod Sabbatho ægritudines curaret, non aliis potiùs diebus. Prætendenda igitur erat ipsis circumstantiis operum, paterna voluntas & cooperatio.

III. *Ubique valet illud Christi, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Ex tenore ipso & serie operum dictorumque Christi omnium liquidò constat, tum omnium virtutum, tum præ cæteris obedientiæ, insignia nobis & itura in posterorum memoriam atque imitationem monumenta ut ederet, consilium ejus scopumque primarium fuisse. Quia enim, ut ait Paulus, per unius inobedientiam cecideramus omnes, ut iisdem vestigiis medicina progrederetur, quibus gliscebat morbus, per unius rursus obedientiam excitari nos operæ pretium erat. Ad accuratissimam autem obedientiam pertinebat, nihil ut suo consilio, nihil suo nutu, omnia ex paternæ voluntatis præceptione perageret. Nam sicubi permittebatur humano frui judicio imperioque, vacabat tum ergo & otiabatur obedientia, cessabatque tum hæc nostræ medicinæ ratio & vis capitalis.

IV. *Ubique valet illud Christi, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Penticulentur pressiùs facta, dictaque Christi, ut Evangelicis consignata sunt codicibus, non captat ille, ubi non obediat Patri, ubi se sibi vendicet, sed ubi obediat, ubi jure & nexu indivulso se Patris esse, ejusque nutu se agi testificetur. Paternam ubique prætendit authoritatem, idque ornamento sibi, non libertatis dignitatisque dispendio esse interpretatur. Affectatissimè inculcat suam doctrinam non esse suam, sua opera non esse sua, sed Patris, & nusquam non illud videtur canere, *Quæ placita sunt ei, facio semper*: vel *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Valent hæc, latissimèque patent ad omnia singulaque Christi gesta, gestorumque circumstantias, & circumstantiarum minutias: nusquam vacare illud potest, *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Mortem autem imprimis Paterna voluntate sancitam atque imperatam fuisse illud extremum evincit testimonium, cum ad crucem gradum faceret, *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite, eamus hinc*: Audis ut ad mortem Paterno mandato ducatur.

V. *Humanis suis gestis patrociniū innocentiæ accersit Christus, ex eo quod Pater per Verbum etiam carne vestitum operetur, omnia.*

Ante omnia verò illud observari par est, quod toto ferè regnat Joannis Evangelio, ubi suam Christus innocentiam tuetur, ea ipsum verba usurpare quæ Verbi ad Patrem Deum conglutinationem, atque indissociabile collegium, operumque societatem significent. Nam nihil Pater nisi per Verbum & cum Verbo: nihil Verbum nisi cum Patre & ex Patre molitur. Non summam operis cujuslibet, non circumstantes ullas operum fibras in privata sua potestate Verbum habet, sed Paternæ voluntatis nutus his etiam minutissimis moderatur. Eo spectant illa, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Pater in me manens ipse facit opera.* Paternam authoritatem atque voluntatem suis omnibus obtendit; quia quo ex fonte ipsa substantia Verbi manat, eodem ab authore opera Verbi omnia, operumque adjuncta proficiscuntur. Cæterum ex his Christus humanis suis gestis dictisque defensionem parat. Quamobrem, amabo, nisi quia non minùs addicta devinctaque Paternæ voluntati atque authoritati adhærebant Verbi cum carne, quàm Verbi priùs sine carne opera, operumque circumstantiæ? Nam nisi Paternæ voluntati alligata peræquè sint & obsequentia humanitatis atque divinitatis Verbi opera, vel operum minutiæ circumstantes, cavillatorium est & fraudulentum, quod nefas, totum hoc Christi hominis patrocinium.

VI. *Et sane accessio Verbi cum jam sit humanitas, vindicatur prorsus Verbo, Verbique ad authoritatem paternā adglutinationi.*

Deinde quid causæ tandem erit, ut Verbi Dei opera affixa magis sint Paternæ voluntatis legibus, quàm Verbi carnem induti? An caro Verbum emancipavit, & non potius Verbum carnem suam suis Patrisque legibus mancipavit? Num caro accessio Verbi cum jam sit, potest non vindicari penitius Verbo, Verbique proprietati, & Verbi ad authoritatem Paternam adglutinationi? Num accessio principali prædominatur atque præpollet? Num humanitas in suum ingenium versatile traducit rapitque hypostasin Verbi, & non ipsa magis rapitur astringiturque ad Verbi cum Patre nexum vinculumque? Agit humanitas Verbi personam, an agitur; Præit an sequitur & obsequitur? Sicubi enim deliberat Christus homo, ut nullo Patris imperio devinctus, sed ad utrumlibet flexibili permissus facultati, tum agit, non agitur humanitas: tum sequitur & obsequitur, non præit, non imperat persona Verbi. Verbum enim Deus Paternæ voluntati affixus in totum est, nec sua privatim authoritate usquam consultat.

VII. *Non debet solutior libertas humanitatis fingi, quam Verbi, paternis mandatis addicti*

Adde quod inficetius nihil fingi potest, quàm si amplior humanitati quàm Deitati Verbi solutiorque libertas deposcatur. Liber enim est Deus Verbum, & origo quædam inexhausta libertatis, quanquam Paternæ addictissimus voluntati, & nec transversum ut ita dicam unguem ab ea deflectere potens.

potens. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Num angustiores sunt hi limites, quàm ut illis humana Christi libertas contineatur? Num ultra hæc pomæria proferre suæ libertatis fines gestiet humanitas? Num arctum est homini, quod Deo latum est? Num libertate divina libertas hominis ambitiosior solutiorque volet esse, & latiùs regnare?

VIII. Quin Verbo per carnem accessit non libertas solutior, sed servitus.

Quin imò non immeritò aliquis adverterit, præfata Christi verba, etsi coalitionem atque collegium Verbi Dei cum Deo Patre describant, nonnullo tamen humilitatis ex carne assumpta emergentis temperamento aspergi. Purganda enim erant Verbi in carne gesta dictaque: ideo Verbi incarnati ad paterna imperia devotio atque obsequela humiliùs aliquantò declaratur, quàm Verbi Deitatem Patri coæqualem addeceat. Non ergo Verbi hominis quàm Verbi Dei libertas solutior est à paternæ voluntatis momentis, sed devinctior atque obligatissima. Non enim per humanitatem Verbo accedentem accessit libertas amplior, sed servitus.

IX. Pater Verbũ suum sẽper gignit, & per illud operatur omnia, quod valet ad minutias etiã circumstantiarum.

Caput autem ut hujus argumentationis teneamus, Verbi proprietas contuenda est. Ut non à se est, ita nec à se operatur Verbum, sed Pater & Verbum usque gignit, & per Verbum operatur omnia. Cùm ergo Verbum in carne & per carnem operatur, quia utique Verbum operatur, tunc quoque per Verbum Pater operatur. Ad paternum ergo principium, ad patriam authoritatem retorquenda sunt omnia Verbi, seu ante carnem, seu per carnem opera, operumque quælibet momenta. Unde & *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Omnium in carne dictorum gestorumque ad minutissimas usque circumstantiarum fibrillas principatus, & cardo, flexus atque imperium penes Verbum erat: Verbum autem quia non suum sibi, sed quidquid est, Patris est, paterna authoritate atque voluntate operabatur. Igitur penes humanitatem Christi non erant ullæ nisi obsequii partes; igitur non humana voluntas volvebat cardinem alicujus deliberationis: non regebat ipsa clavum, quo sibi ipsa & Verbo sibi obsecundanti moderaretur, sed principabatur humanitati Verbum, Verbo Pater; namque *Caput Christi Deus*, id est, caput hominis & princeps Deus Verbum; caput Verbi & principium Pater.

X. Non poterat captare humanitas assumpta, ubi soluta esset à lege divinæ voluntatis.

Sed quorsum affectaret humana Christi voluntas ubi minùs divino obligaretur atque regeretur imperio? Num illam pertædesceret obedientiæ? num à Deo regi agique gravaretur? Num voluntatem legemque Dei, ut graviorem excussisse aliquando eaque exonerari gestiret? Num deificata illa voluntas res suas sibi agere, sibi privatim consulere, seorsim à Deo moliri aliquid oblectaretur. Num creato consilio, quàm divino; suo nutu, quàm Dei lege regi, magnificentius atque optabilius arbitraretur? Facessant ab illo sanctitatis sacrario hæc deliramenta. Nostrum est, non ejus, nostrum est, inquam, ita desidere, ut lege Dei gravari nos suspicemur; ut cum Deo & sub Deo regnare, angustius esse imaginemur & coactius: ut liberius pulchriusque arbitremur, quidquid nostra nobis libido, quàm quòd justitiæ veritatisque sempiternæ lex suggesserit; ut denique libertatem jactemus, nec pœnam potiùs, aut certè infirmitaten intelligamus esse, quòd divino destitui gubernaculo, aut vitiosarum perturbationum procellis, aut insitę mutabilitatis salo huc & illuc ęstuante fluctuamur, & de naufragio momentis omnibus periclitamur.

XI. Quin & nostra pietas id ambire debet, divino per omnia imperio & gubernaculo agi.

Votis omnibus id potiùs atque viribus agendum est, ut divina semper præluceat voluntas. Quò quisque à vitiorum carie sanior, quò sanctior quisque est, eò divina se quàm humana vi agi per omnia concupiscit. Quippe laus obedientię affectanda est, non detrectanda. Ut quod tuo consilio ages, honestum atque laudabile sit, sed obedientię tamen pulchritudine frustrabitur. Captare ubi facias bene, & nulla tamen astringaris ad id lege, quid hoc aliud est quàm de tuo principatu gaudere? quàm non totum divinæ potestati mancipari velle? quàm divinæ authoritatis ampliationem, tuæ libertatis jacturam existimare? Nec dum amor omnis abstersus est quo in seipsum quisque insanit, si alicubi affectat nulla Dei lege premi; si lubentiùs suæ quàm divinæ voluntati obsequitur; si ubi Deo servit, nullo vinculo astringi cupit, ut tum sibi magis quàm Deo serviat. Virtutis fastigium atque laudis ille demum assequitur, qui propriæ semel potestatis ambitum hunc omnem abdicaverit, Deoque per omnia imperanti obaudire, id libertatis suæ columen esse existimaverit.

XII. Non poterat non eas circumstantias eligere Christus, quæ divinæ legi erant accommodatiores.

Sed vix etiam aut nec vix quidem ullæ fingi poterunt circumstantiæ, quas humanæ voluntatis Christi arbitrio permiserit Deus. Earum enim aliæ aliis aptiores utique atque ad Dei gloriam propagandam conducibiliores erant. Nullus hìc alternandi locus erat Christo, ut qui non posset pro sapientia ineffabili qua scatebat, non intelligere; nec posset pro flagrantissima justitiæ charitate qua fervebat, non complecti eam in unoquoque genere circumstantiam, quæ præ aliis erat divinæ gloriæ atque voluntati accommodatissima. Nam quoquo se habeant modo cæteri homines, non poterat humana Christi voluntas non perfectissimam sectari rationem agendi, & ad justitiæ sempiternæ, seu ad divinæ voluntatis amussim cæteris accuratiorem. Nam si minùs perfecta perfectioribus vel semel antetulisset, ea prorsus extitisset, non libertatis humanæ copia, sed divinæ nonnulla inopia charitatis. Sicut autem allubeat plures comminisci circumstantias, quæ laudi divinæ atque justitiæ omnes peræquè sint opportunæ, ut in harum optione humana libertas indifferentiam oblectet suam: verendum est, ne ista nimiùm puerascat Theologia, & in re valdè seria nugas agat. E pluribus enim viis ad eundem scopum convergentibus, si unam deligas quæ cæteris nec longior, sed nec compendiosior sit: nec implicatior, sed nec expeditior: quæ tandem laus hujus delectus? quis fructus hujus indifferentiæ? quid commodi abundabit ex hac libertatis jactatione? Nonne hoc est in re nihili ovare, & libertatem in ludicra & nugatoria dissipare imperia? Nonne vir prudens optaverit ex his pluribus unum aliquod utilitate vel honestate antestare cæteris, ut illud præposuisse laudi sit, utque libertas vim suam non sine aliquo compendio exerat? Nonne si plura peræquè honesta & justitiæ consentanea occurrant, vir pius experierit, horum aliquod divino sibi imperio præcipi, ut delectus laude obedientiæ cumuletur?

XIII. Nec beati Angeli hominisque ullam aucupãtur indifferentiam, sed æternã de singulis legem legũt diligũt exequuntur.

Beatis sanè mentibus nulla istiusmodi circumstantiarum fluctuans electio competit, in creaturæ quam dispensant administratione. Veritatem enim incommutabilem legemque æternam semper legunt, intelligunt, diligunt; utque omnia ibi ab opifice sapientia à fine usque ad finem, seu minutatim sigillatimque constituta intuentur, ita invariabiliter exequuntur. Nunquam enim cessat, nunquam feriatur rerum artifex sapientia; rationibus sempiternis, industriaque & sanctimonia inenarrabili, minutias opificii sui, & extremas etiam partes ordinat & dispensat: suo quæque loco, suo singula locat tempore, ut sine pulchritudinis dispendio atque universitatis injuria moveri imperata statione nihil penitus queat. Nec nullæ sunt tamen partes creatæ seu Angelorum seu beatorum hominum sapientiæ; sunt planè, sed secundæ, sed nusquam primæ. Itaque quod illa dictat, hæc auscultat: ubi illa imperat, hæc obtemperat: quò illa præit, hæc sequitur & obsequitur. Quid insipientius enim, quàm si sapientia secunda primæ vel semel velit præire? Quid tam præpo-

sterum, quàm si priori posterior, creatrici creata, summæ ima, illuminanti illuminata, aliquando ambiat anteire & quasi prælucere? Quid absurdius, quàm si mens beata moliatur quippiam quod veritas non suadeat, quod justitia non imperet? nisi dux sit veritas, nisi auspex sit justitia, quò itur Nisi in abruptas voragines? Si quid veritas nec hortetur nec dehortetur, si quid justitia nec vetet nec præcipiat: quanquam inaniter id quidem fingitur, nec justitiæ atque veritatis ordini quidquam usquam elabitur: sed ut id demus prout fingitur, satius erat in totum eo abstinere, & vires in eo collocare totas atque industriam, quod veritatis & justitiæ legibus esset coaptatum.

Si quis hinc scrupulus pungat animum, quòd Beatorum libertas jam extra merendi stationem sit: hic verò moveri quæstionem de libertate Christi, quæ merita subinde nova accumulet: non ægrè ea quidem difficultas diluetur. Ideo enim nil novi merentur Beati, quòd in meritorum meta, præmijque fruitione jam sint. At Christus cùm non comprehensor tantùm, sed & viator esset, merebatur utique, non solùm ex dignitate divinæ personæ, non tantùm ex perfusione divinæ sanctitatis, sed etiam ex dignitate ac sanctitate consummatissimæ charitatis, qualis Beatorum est. Si enim infusa Neophytis per Baptismum charitas, suo sibi jure & merito cælestem patriam vendicat; quid consummatissima charitas in anima Christi beata, mortale corpus agitante? Sed de his infrà.

XIV. Si circũstantiæ autẽ indifferentes objiciantur, equid meriti ex earũ delectu.

Sed quando Christi libertas meritis ejus præfundatur, quid tandem meritorum colligit ex earum delectu circumstantiarum seu operationum, quas nihilo magis ad justitiam intererat antehaberi cæteris quàm posthaberi? si perinde omnes conducunt ad honestatem atque ad sanctimoniam, quòd hæ illis præponantur, nec pietatis specimen est, nec meriti ullius semen. Si autem aliæ aliis plus conducunt, jam quod ad Christum spectat, vanescit indifferentia; nam qui de summa charitatis & perfectionis laude nihil potest remittere, non potest honestiora minùs honestis non anteferre. Igitur aut æqualis occursat rerum honestas, tumque in delectu quamvis sit indifferentiæ locus, locus non est merito; aut inæqualis, & tum merendi seges amplissima exurgit, sed indifferentia quod Christum quidem attinet, procul amandatur.

XV. Nec charitas Christi in Deũ merito vacabat quę ab indifferentia procul erat.

An verò ubi legis æternæ vinciebatur nodis humana Christi voluntas, ut putà cum Deum toto corde, tota anima, tota mente diligeret, an infrugifera hæc laudumque & meritorum sterilia erant? Charitas quæ meritorum omnium scaturigo copiosissima una est, in Christo exaturerat, & flamma sua nimiùm æstuante interceperat absumpseratque sibi meritorum fontes? Quis tam sui, tam humani generis hostis est & salutis publicæ adversarius, ut defluentes in nos charitatis Christi rivulos, meritorumque exundantes vortices dissipare atque exinanire malit, quàm insusurratam sibi inter humanæ Philosophiæ tyrocinia de creata libertate opinionem abjicere, aut Christiano dogmati tantisper accommodare?

XVI. Præcipuorũ saltem operum substãtia imperata erat à Patre, nec tamen meriti expers.

Utque acumen omne suum atque ingenium intendant, quidquid optioni voluntatis humanæ commissum dicent, longè minus id erit, quàm quod ex legis æterno præcepto, ex charitatis intimæ imperio ineluctabili dictabatur. Nam perfectissima quæque occupavit lex æterna approbare, & sequaci atque devotæ voluntati imperare. Operosissima quæque & laborum periculorumque plenissima imperat sibi charitas intima, ubi apicem attigit. Si hæc vacua & cassa sunt meriti, quid residuum facient Christo, ex quo laudem meritumque sibi nobisque colligat? An juvabit rimari angulos omnes, atque circumstantiarum minutias nullius ad pietatem momenti explorare, ut ex hoc scilicet agro fœcundissimo merita Christo omnia accrescant?

Si tam latè patet meritum quàm libertas, & libertas quàm indifferentia, & indifferentia quàm circumstantiarum delectus; ergo ipsa operum substantia expers erit laudis & inops meriti; ergo vel mors ipsa Christi nihil profuit. Nam detrectare utique non potuit mortem à Patre imperatam; ut variis eam circumstantiis suo libitu condire potuerit, at mors ipsa semel præcepta, utique oppetenda fuit. An ergo ut libertas & indifferentia, ita & meritum soli circumstantiarum delectui imputabitur? At quis tam rudis Christianæ Theologiæ, ut non in ipsa Christi morte, amputatis excisisque aliis omnibus, spem nostram collocatam esse fateatur? Morte enim sua mortem omnium prostravit & evacuavit.

XVII. Fons meritorum potissimus in ipsa Christi morte, non in circumstantiis.

Sed & mortem & mortem crucis, atque adeo minutissimas quasque mortis circumstantias, æternę legis divinæque voluntatis imperio præceptas prædestinatasque ab æterno fuisse, scrutanti Scripturarum oracula, non potest non esse exploratissimum. Nam *proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Pepercerat utique Pater, si mortem imperare abstinuerat; sed sibi non pepercit Filius, si etiam non imperatam sibi imperavit. Nec tradidit pro nobis Filium Pater, sed cunctante Patre ipse se Filius tradidit. Retractanda ergo aut castiganda est Pauli sententia. Quin nec illud Christi constabit, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Commendanda enim impensiùs erat charitas Filii, paternam cunctationem prævolantis, & longè vehementiori amoris æstu nos depereuntis. Obtrectant ergo Patris luminum charitati & beneficentiæ, qui Filii mortem crucemque Patris voluntati imputare cunctantur; cumque ab eo sit omne donum optimum & omne bonum perfectum, hoc donorum longè optimum, bonorumque multò perfectissimum, mortem Christi, ei se debere dissimulant. Sed quæ Patris injuria non illico retorquetur in Filium? Una est Patris Filiique æterni voluntas, unum imperium. Nec ergo divinæ Filii voluntati referetur accepta mors Christi, sed humanæ ejus voluntati. An ergo acquiescemus, ut Princeps fuerit, clavumque tenuerit voluntas humana in capessendo mortis pro nobis subeundæ consilio, traxeritque in assensum suspensam hactenus & conniventem sibi voluntatem divinam & Verbi Dei & Patris? Non ergo Patris, non Verbi Dei charitas evehenda laudibus tantum, quantum animæ assumptæ. Non ergo Deitati principaliter, sed priùs humanitati nostra salus adscribenda est. Non ergo ante tempora sæcularia æterno & incommutabili Deus consilio morte Filii vitam nobis redintegrare constituit, sed temporali & humano voluntatis assumptæ consilio acquievit. Quod ergo salutis nostræ fundamentum singulare est, mors Christi, non diligenti, non prædestinanti, sed conniventi & permittenti Deo imputabitur. Quòd ergo incommutabilis Dei Filius in assumpta humanitate passus sit, quòd vita mortem occubuerit, quòd Deitas quodammodo morti concesserit cedendoque vicerit, & morte vitam pepererit, dux & princeps facti hujus est humana, non divina voluntas. Quod ergo præclarius est, & ad laudem oppidò quàm magnificentissimum, primas ibi partes humanitas invadit, suaque cum Deo communicat ornamenta: & creandi quidem regendique mundi gloria penes Deum est, quia minor est: at ejusdem morte crucis restaurandi provehendique in melius, quia gloria est ineffabiliter copiosior, hanc præcerpet humanitas, sibique principaliter adseret, tum in ejus societatem adsciscetur Deitas. Obscurum jam non est, quàm insulsa sit ea sententia, cui conjuncta est tanta absurditatum seges. Non quo animus nobis sit obstrepere aut invidere laudibus hu-

XVIII. Ex paterno imperio Christum adiisse mortẽ probatur.

humanitatis deificatæ, sed laudes ejus deitate ipsa fulcire, ne vacillent, laboramus. Cæterum Deum pro hominibus occumbere, vitam pro mortalibus occidi, justitiam pro peccatoribus interfici, tantę molis, tantæque pietatis & misericordiæ & justitiæ consilium est, ut illud capessere ne humanitatis quidem deificatæ sit, sed deitatis humanandæ & tandem humanatæ: ut illud constituere, Deitatis sit, humanitatis assentiri; non ex adverso, constituere humanitatis, connivere Deitatis; ut denique principatum ejus laudis & principalem ejus gloriam sibi vendicet una Deitas, & ne humanitati quidem suæ in ea re nisi secundas assentiendi & obsequendi vices concredat. Et qui assumpta humanitas ejus gloriæ palmam Deitati præriperet, quam ne Deus quidem Filius prælibare ausus est ipse, sed Patri ut suo bonorumque omnium fonti refudit, ab eo in se statim reflectendam? *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Utque altiùs repetam, sed & obiter stringam caput hujus dogmatis, morti Christi implicabatur Verbum Deus qui ipse Christus est; in mortem autem pertrahere, aut tradere Verbum Deum, non est humani consilii, non est humani arbitrii, non est authoritatis atque potestatis humanæ; non est, ut audacius aliquid effari liceat, Verbi ipsius Dei: sed Patris Dei, cujus authoritate & tanquam Paterna potestate contraditus est in mortem & crucis mortem Deus Filius.

XIX. Circumstãtiæ omnes operũ Christi sunt maximi momẽti & fructus, unde & divina eas præfinire volũtas occupavit.

Iterum Paulus: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Obedientiæ præit imperium. Porro non mortem tantùm, sed mortem crucis obedientia Filii exhausit. Si genus autem mortis Paterno imperio sancitum est, ergo & aliæ circumstantiæ. Nam hallucinatur quisquis existimat, tam parvi esse momenti has quasi minutias, ut iis Deus vacare supersederet, easque humanæ menti atque voluntati dimitteret ventilandas. Electorum capillos numerare, arborum volaticas frondes excutere, suæ Deus esse curæ voluit, nec horum rejectaneorum quidquam ejus providentiam atque consilium fugit. An ergo in sacramento voluntatis suæ nostræque salutis maximo, singula complecti & diffinire dedignatus est? Et quid non hîc maximum est? Quid non divinæ laudis, humanæque medicinæ refertissimum? Minutissimis circumstantiis implicabatur ipsa Deitas incarnata; ubi substantiam inserebat suam, uum voluntatem & curam & consilium abstinebat advertere?

XX. Rursus quod Paterno ex imperio mortem audierit Christus.

Sed quid manifestius ipsa Christi oratione qua calicem deprecabatur? Nonne ibi patentissimum est, humanam voluntatem tergiversari & fugitare, divinam imperare & urgere, ut passio & mors adeatur, & humanam tandem divinæ concedere? *Non mea voluntas, sed tua fiat. Spiritus promptus, caro infirma.* Si nullo Patris adigebatur imperio ad hauriendum calicem, si sua tantùm & humana voluntate eò inclinabatur, ut quid sollicitabat Patrem ut transiret calix? Ut quid iterum & iterum eadem instantissimè illum prece pulsabat? Ut quid indeclinabili tandem Patris imperio atque voluntati humanam inflectebat & inclinabat voluntatem? Si subeunda cruce, suam magis quàm Patris implebat voluntatem, eccur non suæ tandem, sed Paternæ se voluntati obsecuturum pollicetur? Cum ergo duplex ibi reluceat voluntas, humana naturali impetu à morte abhorrens, divina ineluctabili imperio mortem indicens, quis jam non intelligat non humano arbitrio, sed divino mandato mortem Christi imputandam?

XXI. Et Creatori & creaturæ cõtumeliosum est, si nostrę libertatis & laudis seges exarescat per divinę legis

Postremò tandem monstri simile est, prædicari Christum nulli Patris mandato cum libertate, nulique proinde cum laude & merito mortem gessisse; itaque vigilasse divinam providentiam, ne ulla sua lege aut quàm rarissima operationes Christi diffiniret, scilicet ne libertate, & meriti cujuscumque laude ipsum defraudaret. Injuria fit divinæ providentiæ, si ejus legibus solvuntur operationes omnium multò præstantissimæ, nec ab ejus consilio & nutu, sed humano arbitrio librantur. Injuria fit ipsis Christi operationibus, quæ magis utique honestantur si divina primitus, pòst humana, quàm si humana primùm dispensentur providentia. Injuria fit humano generi, quod frustratur fructu uberrimo longè plurimorum Christi factorum, quæ non possunt non æternis legibus ex necessitate subjacuisse. Injuria fit denique rerum ipsi naturæ, qua cum pessimè comparatum est, si cùm primùm obedientia invictissima opifici suo subjicitur, illico libertate multatur, addicitur servituti ingenuitas, laus & meritum omne oblitteratur.

imperium;

CAPUT XV.

Antedicta ex Patribus confirmantur.

I. Ex Augustino ãte dicta confirmantur. Quantũ libertas qua de hic agitur, à libertate distet omniũ, seu Angelorum viatorum.

Antequam pergam ad antedicta ex sanctis Patribus confirmanda, illud hîc etiam atque etiam contestandum nobis est, longè aliam esse hinc Christi & Beatorum, sive hominum, sive Angelorum, tum libertatem, tum merendi rationem inde reliquorum quorumcumque viatorum. Horum enim libertas cum omnimoda indifferentia, etiam peccandi & non peccandi conjuncta est, atque ex hujus indifferentiæ suæ flexu in bonum, deflexuque à malo, meritum omne colligit. At seu Christi seu Beatorum libertas, ut indifferentiæ ad peccandum flexibilis impatiens est, & solam illam indifferentiam retinet, de qua supra, ad res rerumque circumstantias in seipsis spectatas: ita longè alia est, & longè diversa ratione meritum comparat. Accedit enim proximè ad Deum, ad divinam libertatem, laudis meritorumque cumulum ex ipsa sua impeccantia vel ex differentia ejusmodi, quæ impeccantiæ non pugnet, colligentem. Ita prorsus decet, ut qui vel naturæ suæ, ut Deus, vel personæ suæ, ut Christus, vel beatæ & consummatæ charitatis privilegio, ut beatorum Cœlitum quilibet, immutabilitatem atque impeccantiam consecutus est; is & libertate & merendi ratione præcellentissima & longè alia potiatur, quàm creaturę merę quęcumque, nativę mutabilitatis atque indifferentię omnimodę lubrico permissę, & tantum adjutę divinitus, quantum necesse est, ut pugnando, connitendoque, suique periculum faciendo, ad beatam incommutabilitatem atque impeccantiam eluctentur. Hac cautione semel præmissa, ad percensenda Patrum suffragia fidentiùs deinceps progrediemur. Exordium autem fiet ab Augustino, cui adeo proni acquiescimus tanto liberiores esse sanctos Angelos, beatosque homines, quanto æternam legem atque veritatem attingentem à fine usque ad finem fortiter, & disponentem omnia suaviter, jugiter contemplantur, gestorumque suorum genera & circumstantias & minutias quasque ibi præfinitas legunt, & invictissimè diligunt, & indeclinabiliter exequuntur. *Quia & sancti ac sublimes Angeli habent contemplationem & actionem suam. Id enim agendum sibi imperant, quod ille quem contemplantur, jubet; cujus æterno imperio liberaliter, quia suaviter serviunt.* Nec gustum quidem ullum hujus delectationis habent ex obedientia inexpugnabili profluentis, qui interituram ibi suspicantur libertatem. Saginatur hac delectatione & nitescit libertas, non marcescit. Hanc obedientiam suavissimam imperant sibi beatæ mentes; lex ipsæ sibi sunt, quia legem æternam combibunt, eaque inebriantur; satius autem ducunt suo, id est, legis omnium creatricis atque imperatricis servire imperio, quàm suo, id est, privatæ & angustæ crea-

creaturæ. Ibidem: *Angelica sublimis natura non peccat, quia ita particeps est legis æternæ, ut solus eam delectet Deus, cujus voluntati sine ullo experimento tentationis obtemperat.* Et rursus alibi: *Ac per hoc sublimibus Angelis Deo subditè fruentibus & Deo beatè servientibus subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas, vel infirma, vel prava; ut hoc de subditis, vel cum subditis agant, quod naturæ orbo poscit in omnibus, jubente illo cui subjecta sunt omnia. Proinde illi in illo veritatem incommutabilem vident, & secundum eam suas dirigunt voluntates. Fiunt ergo illi participes æternitatis, veritatis, voluntatem ejus semper facientes, &c. Moventur autem ejus imperio, &c. Nec ita ut ab ejus contemplatione resiliant aut defluant, sed simul & illum sine loco & tempore contemplantur, & ejus inferioribus jussa perficiunt.* Vides, ut operationum suarum singula minutatim momenta legant beati Angeli in sempiternæ veritatis libro præfinita, & morigerentur. An ergo nec in infimæ creaturæ administratione liberi sunt? An liberiores essent, si pulchritudinem ordinis inquinare possent & omnia susdeque vertere? Enimverò ideo latissimè dominantur in regenda creatura, quia ab æterna lege delirare non possunt. An ergo quia liberi non sunt, ideo dominantur? An quia nec sui compotes sunt, famulantur ipsis cætera? An quia domi serviunt, ideo foris regnant? Adeone adversatur libertati recta dominatio, aut rectæ dominationi libertas? Quid quòd vel pravis vel infirmis, liberis tamen voluntatibus mortalium præsunt Angeli, an liberis non liberi præsunt? An hi illis dominantur & tamen liberi non sunt: illi his subjiciuntur & liberi sunt? Nonne hoc est, cœlum terræ miscere. Ut ne in hos ergo laqueos nos induamus, necesse est Angelis beatis libertatem concedi, sed nostræ longè dissimilem, sed divinę simillimam, sed fruendo meritorum præmio, non colligendis meritis idoneam. Sunt enim meta, non in via, non in curriculo, ut nos mortales, ut Christus ipse mortalis.

II. Rursus idem Augustinus: *Illic Dei voluntas qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos ignem flagrantem, in spiritibus summa pace atque amicitia copulatis & in unam voluntatem quodam spiritali charitatis igne conflatis, tanquam in excelsa & sancta & secreta sede præsidens, velut in domo sua & in templo suo, inde se quibusdam ordinatissimis creaturæ suæ motibus, primò spiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit, & utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, sive incorporeis, sive corporeis rebus, sive rationalibus sive irrationalibus spiritus, sive bonis per ejus gratiam, sive malis per propriam voluntatem. Sed quemadmodum corpora crassiora & inferiora, per subtiliora & potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per Spiritum vitæ, & Spiritus vitæ irrationalis per Spiritum vitæ rationalem, & Spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator per Spiritum vitæ rationalem pium & justum, ille per ipsum Deum, ac sic universa creatura per creatorem suum.* Hic est providentiæ contextus, quo Deus *ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ* omnia religat; & cùm per sanctos & beatos spiritus cætera omnia administret, non illorum consilio, sed suo, non illorum delectu, sed suo, minutissima quæque perinde ac summa adgubernat. Ibidem: *Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permitatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica.* Administros hujus providentiæ quis libertate spoliabit? Sed & huic providentiæ quis momentorum & circumstantiarum diligentiam & delectum excutiet? Nec tantæ potestatis consortes Angeli carere possunt libertate; nec tam inexpugnabilis ordo providentię creato & versatili arbitrio credi & fluitare potest.

Margin notes: Ibid. c. 18. — L. 8. de Gen. ad lit. c. 24. — Ex eodem. L. 8. de Trin. c. 4.

III. Denique idem Augustinus: *Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quia velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt; semper legunt, & numquam præterit quod legunt. Eligendo enim, & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui.* Audis quid legant? Incommutabilitatem consiliorum divinorum; hanc eligunt, hanc diligunt, hujus voluptate ceu torrente inebriantur, alienantur à seipsis, in eam absorbentur, in idipsum cum ipsa confiantur; quòd illa vult, volunt: quò delectatur, delectantur: quòd imperat, sibi imperant: cùm illi serviunt, sibi serviunt: imò non illi serviunt, sed cùm ipsa dominantur, nec sua jam tantùm quæ angustior est, sed & divina longè potentissima libertate fruuntur & principantur. Hæccine videtur alicui libertatis labes?

Margin note: Ex eodem. L. 13. Confess. c. 15.

IV. Emulantur hanc beatorum libertatem ad veritatis oracula momentis singulis pendulam & sequacem, quicumque hic illam beatitatem justitiæ esuriunt, & pro virili sua prælambunt. Fibras omnes negotiorum quæ manibus teruntur, ad æternam legem referunt, hanc rimantur, hujus assensum dissensumve suspensi explorant, seduli & gestientes sequuntur: sicubi mutum est hoc oraculum, suæque eos optioni dimittit, ægrè id quidem ferunt, quod homine & non magis Deo duce utendum sit: quod homini sibi, & non magis Dei uni serviendum sit: quod obedientiæ voluptate incomparabiliter uberiore quàm propriæ potestatis, vel tantisper fraudentur. Augustinus idem: *Ubique veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt. Omnes unde volunt, consulunt; sed non semper quod volunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit: sed potiùs hoc velle, quod à te audierit.*

Margin notes: Ex eodem Augustino rursus, ut libertas beatorum nihil obscuretur ex addictissima divinis imperiis obedientia. — L. 10. confess. c. 26.

Si pius hic quisque id cupidissimè expetit, si beatus quisque id assequitur, ut mentis & voluntatis suæ lubrico nusquam sit locus, sed præfulgeat anteeatque semper lex & justitia Deus: quid Christus, pietatis & beatitatis & summæ ipse compos & nostræ omnis largitor? Si veritatem & justitiam qui videt sive Angelus, sive homo beatus, jam ab ea deinceps vel minimum deviare, aut sejunctim ab ea actitare nec vult, nec potest; quid Christus homo, qui veritas & justitia factus est? Quantò sanè ampliùs est esse, quàm videre virtutem, tantò à legibus veritatis & ordine minus potest expediri. Gestatur humanitas illa à persona veritatis, ab eaque agitur; num ergo potest veritas per suam aliquam naturam agere quidpiam, quod non suo principaliter ordine contineatur? Gestat & illa humanitas personam veritatis & sapientiæ incommutabilis: num ergo sapientia seorsim creata & mutabili frui & gaudere malet? Unitas personæ hoc nexu constat, quod sui juris non sit humanitas, nec sibi seorsim sua sit, sed in jus, in censum & authoritatem Verbi substantiva cum eò copulatione sit ascita: num ergo se sibi aliquando ad momentum saltem vindicabit, ut sui sit juris, per se diffiniat aliquid, sua privatim & seorsim authoritate gaudeat, nec ipsa jam Verbi accessio sit, sed ejus potiùs voluntati atque imperio Verbum accedat & assentiatur? Hoc demum est sollicitare atque diffuere fœdus unitatis personalis.

In res quidem ipsas, rerumque circumstantias summum imperium summamque ad eas in seipsis spectatas indifferentiam, retentant constantissimè & Beati omnes & Christus; sed ea in differentia ideò laudi est, ideò libertati Christi & Beatorum congluit, quia obedientiæ quæ divinis legibus debetur, inimica non est.

Jam si aggrediar testimonia conglobare sanctorum Patrum, qui inevitabili paternæ voluntatis imperio Christum mortem crucis adiisse consentiunt, vereor ne in immensam molem caput istud excrescat.

V. Ex eodem. Augustinus ex sermone in festo sancti Laurentii, ut refertur à Beda in eum Pauli locum, *Factus est obediens usque ad mortem*, hæc habet: *Humiliavit se Christus: habes, Christiane, quod teneas. Christus factus est obediens. Quid superbis? Quousque factus est obediens Christus? usque ad incarnationem Verbi, usque ad participationem mortalitatis humanæ, usque ad trinam diaboli tentationem, usque ad irrisionem populi Judæorum, usque ad sputa & vincula, usque ad alapas & flagella Si parum est, usque ad mortem. Et si adhuc aliquid de genere mortis addendum est, mortem autem crucis. Habemus tale humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum.* Perspicuè non mortem tantùm, sed genus mortis, & conjuncta morti eventa subiisse Christum ex obedientiæ humilitate inculcat, ut qui superbia & inobedientia à Deo defeceramus, per hæc eadem vestigia revocaremur.

VI. Ex Gregorio Papa. L.1.in C.1.l. 1.Regum. Gregorius Magnus: *Silo missus, sive missio interpretatur. Quid namque per hanc missionem, nisi summi Patris injunctum Unigenito præceptum obedientiæ designatur? Quid est etiam quod in Silo immolare dicitur, nisi quia non aliter se morti dedit, quàm à Patre mandatum habuit? Non quippe immolaret in Silo, si aliter moreretur quàm à Patre præceptum habuisset. Unde & per semetipsum dixit: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Hinc Paulus ait: Factus obediens Patri usque ad mortem crucis. In Silo igitur & adoravit & immolavit, quia tam vivendo quàm moriendo Patris sui voluntatem fecit.* Num potuit inculcatiùs docere Gregorius, non humano consilio, & Patre Deo tantùm annuente, sed divino Patris consilio & imperio, humana autem voluntate dicto audiente & vitam & mortem Christi ad minutissima usque eventa dispensatam fuisse? Et rationem ille capitalem non tacet. Christus enim à Patre missus est, & incarnatio ejus & tota in carne dispensatio, missio est. Neque enim semel mittitur à Patre, sed ut gigni à Patre non definit, ita nec mitti in carnem definit, quia generationis ampliatione quadam, gignentis authoritate mittitur, & carni inseritur. Ergo si tota carnis dispensatio, missio est, non missi, sed mittentis consilio atque arbitrio illa tota administratur. Missus est Filius à Patre, ad carnem, ad vitam mortalem, ad mortem, ad vitæ mortisque genus & momenta, quia nisi missione Patris & arbitrio atque authoritate implicari his omnibus Verbum Dei neutiquam posset. Universim enim nulli foris operi immiscetur persona quæpiam divina, nisi authoritate & missione ejus à qua intus manat, si ab aliqua manat; & manando, eò usque funditur, quò effunditur.

In Cant.c.1. Idem Gregorius: *Aureæ etiam manus esse dicuntur, quia quidquid exterius inter homines operabatur, interius in divinitatis pulchritudine disponebatur.* Nihil omnino, nec pilum circumstantiæ ullius patitur Gregorius pulchritudine hac eximia spoliari, quæ ex divinæ, quàm ex humanæ voluntatis dispositione uberior scatet. Ita enim res habet; quamlibet deificata voluntas hominis Christi, humana tamen erat voluntas & creata: nec tanta pulchritudine contexere atque illuminare potuisset, quas arbitrio suo rexisset operationes, quanta illas Deitatis lex & sapientia creatrix cumulavit.

VII. Ex Anselmo L.1.cur Deus homo c.9. Anselmus quoque in eadem est sententia, quanquam hærentibus in verborum cortice videri possit minus assentiri: *Non ergo coegit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum, sed ipse sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam, sed propter obedientiam servandi justitiam, in qua tam fortiter perseveravit, ut inde mortem incurreret. Potest etiam dici, quia præcepit illi mori Pater, cum hoc præcepit Pater, unde incurreret mortem.* Ex Anselmo Pater Filio non imperavit mortem, sed imperavit ut & justitiæ suæ faceret satis, & hominum saluti consuleret, quæ nisi morte sua præstare nequibat. itaque mortuus est non necessitate abjiciendæ vitæ, sed necessitate servandæ justitiæ. Eccur enim justo & incontaminato Filio mortem Pater indixisset? Ergo illi mortem non imperavit. Sed justitiæ irrogatas eluere injurias, & imaginis suæ exitium propulsare, eccur Filio non mandasset? Mandavit ergo. Sed ad hæc una patebat via per mortem. Ergo mors adeunda fuit. Perinde ergo inevitabilis incubuit moriendi necessitas, tametsi obliquè & quasi è transverso irruens. *Sic ergo voluit Deus Pater mortem Filii: quia non aliter voluit mundum salvare, nisi homo tam magnum aliquid faceret.* Et antea: *Ipse cum Patre sanctoque Spiritu disposuerat se non aliter, quàm per mortem, celsitudinem omnipotentiæ suæ ostensurum mundo.* Et mox: *Quemadmodum enim secundum humanitatem non habebat à se voluntatem juste vivendi, sed à Patre; ita quoque illam voluntatem, qua ut tantum bonum faceret, mori voluit, non potuit habere, nisi à Patre luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum; & sicut Pater tradere, dando voluntatem, dicitur, ita non incongruè fit, si impellere asseritur.* Ibid.c.10. Et paulò pòst: *Hoc etiam modo indeclinabiliter & sponte servando acceptam voluntatem à Patre, Filius factus est illi obediens usque ad mortem, & didicit ex his quæ passus est obedientiam, id est, quàm magna res facienda sit per obedientiam.* Subministrat hìc Anselmus intactam nobis hactenus rationem statuendæ Christi obedientiæ. Nam ut largiamur adversariis quod contendunt, nullum Christo à Patre incubuisse mortis exantlandæ mandatum, ergo arbitrii sui libertate hanc voluntatem Christus homo capessivit. Num eam illi non Deitas Trinitatis infudit? Num bona & usque adeo bona voluntas potest ex humani animi agro efflorescere, & non supernè à Deo inspirari? Utique non potest, nisi Pelagianorum sordibus immergi rursus libeat, Christoque eam abrogare laudem quam illi Augustinus toties jure meritissimo adseruit, ut sit gratiæ merita omnia antevertentis & prædestinationis gratuitæ exemplar & lumen splendidissimum. Eam autem voluntatem bonam si homini Christo prævertebat Deus inspirare: num poterat ille non assentiri? num poterat, non qua vocabatur, sequi; non qua impellebatur, obsequi? Utique non poterat. Nec sic ergo efficiunt adversarii quod volunt, donatis etiam quæcumque volunt.

VIII. Ex eodem. L.2. cur Deus homo c.16. Ibi. c.18. Idem Anselmus: *Semper habuit potestatem servandi vitam; quamvis nequiverit velle servare ut numquam moreretur.* Et infrà: *Non potuit non mori, aut velle non mori, postquam de Virgine natus est; non significatur in illo ulla impotentia servandi aut volendi servare vitam suam immortalem, sed immutabilitas voluntatis ejus, qua se sponte fecit ad hoc hominem, ut in eadem voluntate perseverans moreretur, & quia nulla res potuit illam voluntatem mutare.* Ubi quod Augustinus alijque Patres sexcenties monuerunt, hoc Anselmus confirmat, eadem voluntate mortuum esse Christum, qua natum. Non humanæ autem, sed divinæ arbitrio voluntatis natus, id est carni infusus Verbum Deus est. Neimpe mortalem nasci & mori duo quædam sunt conjunctissima. Ad mortem enim nascitur, quisquis mortalis nascitur: & nativitas ipsa jam gradus, jam progressio ad mortem est. Ergo cùm divina utique non humana voluntate mortali se corpori coaptavit Deus Verbum, morti nondum humana, sed divina jam tum voluntate se consecravit.

Denique Anselmus idem alibi mentem suam aper-

apertissimè explicat: *Nec humana natura in isto homine passa est aliquid ulla necessitate, sed sola libera voluntate. Nec alicui violentiæ succubuit, sed spontanea voluntate, &c. Nec ulla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non enim illi homini Pater ut moreretur cogendo præcepit, sed ille quod Patri placiturum & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Denique quoniam Pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamvis liberam, non immerito dicitur quia eam velut præceptum Patris accepit. Hoc itaque modo obediens fuit Patri usque ad mortem.* Non amandat Anselmus à Christo nisi cogentem necessitatem, & qua invitus serviliter ad mortem adigatur; non detrectat autem quin *necessitate servandæ justitiæ, immutabilitate voluntatis bonæ, ut sponte faceret quod Patri placiturum sciebat, ut datam à Patre bonam hanc voluntatem moriendi nec abjiceret*, sed eam tanquam Patris imperium interpretaretur, necesse fuerit ad mortem crucis usque obediens esset. Cùm ergo vires omnes nervosque contendat Anselmus, ut hanc moriendi necessitatem elevet, vimque emolliat paterni præcepti: non potest tamen non assentiri Scripturis Patribusque, ineluctabili liberrimæ obedientiæ vinculo adductum fuisse illum, ut moreretur. Quin imò si quis Anselmi doctrinam scrutetur altiùs, propior ille est, ut hac necessitate redimendi per Christi mortem humani generis, Deum ipsum obliget, quàm ut ea hominem Christum absolvat.

IX. Ex eodem. Medit. c. 4.

Porro manifestissimè Anselmus locis his omnibus illam Christo indifferentiam vendicat, qua ex sese ad actiones passionesque suas omnes earumque circumstantias in seipsis consideratas indifferens prorsus erat, nec ad eas nisi charitate sua divinæque voluntatis authoritate inclinabatur.

X. Ex Cyrillo Alexandrino. In Joan. L. 4. paulò post init.

Cyrillus Alexandrinus similiter etsi prima specie nullam indicere Christo videatur ex obedientia moriendi necessitatem, reapse tamen eam indicit & constringit arctiùs. *Quid in Christo voluntarium & non voluntarium? Ludibria, convitia, mors corporis, &c. Hæc enim propter nos volens sustinuit, sed si fieri potuisset, ut citra passionem ullam opus nostræ salutis impleret, pati certè noluisset; sed quia Judæi omnino & inevitabiliter ausuri erant, quod in eum patrarunt, passionem suscipit, & voluntarium facit quod præter voluntatem erat, propter utilitatem quæ ex passione promanatura erat, Deo ac Patre consentiente, & omnia libenter pro salute omnium pati comprobante.* En non expresè mandavisse, sed consensisse Patrem ait, ut mortem Christus exciperet, an ergo obedientiæ necessitatem evertit? minimè gentium; sed ante transgressionem abhorruisse, post transgressionem hominis, ejusque expiandæ divinum consilium, non consensisse tantùm huic morti Deum, sed incommutabili decreto sanxisse eam atque imperasse censet. Unde paulò pòst: *Si possibile est, transeat à me calix iste. Si fieri potest, inquit, ô Pater, ut mortem minimè patiendo, vitam eis restituam qui in mortem ceciderunt, transeat iste calix: veruntamen quando aliter fieri nequit, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Vides ut abhorreat à morte humanitas, sed Patri eam infligenti consentiat: non humanitati mortem optare antevertenti annuat Pater. Quocirca humanitatem labantem firmat statim Deitas. Unde ibidem Cyrillus: *Vides ut rursum natura hominis etiam in ipso Christo quantum ad eam pertinet, viribus defici comperiatur, sed per unitum sibi Verbum ad fiduciam Deo dignam, & generosam animi vim revocetur, ut jam non quod sibi libuerit, sed Dei voluntatem ac propositum sequatur, eoque magno studio properet, quò nos Creatoris lex invitat.*

XI. Ex eodem.

Cùm autem ex hac quam Patri Filius præstitit obedientia statim insidiaretur fidei nostræ Arianus, Filiumque Patre minorem hinc argueret: non, quod obvium & peremptorium fuisset, non inquam, respondet Cyrillus, mortem non Christo imperatam à Patre, sed ab ipso sibi, Patre connivente: non respondet, imperatam homini ab homine Christo mortem, annuente Deo: non respondet, hanc totam hominis esse subjectionem, adeoque Verbo Deo nihil hinc creari posse molestiæ: sed agnoscit Verbum ipsum Deum *descendisse de cœlo, non ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui miserat*, in redimendo per suam in carne mortem genere nostro. Itaque obedientiam & subjectionem adeo non excutit ab homine Christo, ut eam tribuat Deo in carne Christo, quem Patri nihilo seciùs consubstantialem coæqualemque eò pertendit, quòd Filius etiam inter homines suam cum Patre germanitatem obediendo non infirmet, sed muniat: quòdque voluntas paterna cui obtemperat Filius Deus, ipsa sit Filii voluntas, & ipse sit Filius; unde cum Patri obtemperat, sibi morem gerit. *Quemadmodum ergo nos ex eo quod subjecti sumus & parentibus obsequimur, ab ipsi natura diversi non efficimur; sed cum simus id quod sunt, ex hominibus nimirum homines & perfectam humanitatis rationem retinentes, obsequium instar præclaræ cujusdam virtutis colimus: ita de Patre & Filio censendum est. Nam cum sit id quod est, ex Deo nimirum Deus, perfectus ex perfecto, character immutabilis substantiæ genitoris, nihil quidem aliud cogitabit, quàm quod ille cogitaverit, cujus est consilium ac Verbum: sed eadem plane cum Patre volet: iisdem plane ut ita dicam consubstantialitatis legibus ad omnia volendum cum Patre bona, una cum ipso constrictus. Noli ergo quisquis es, ô bone, offendi, cum dicentem audies, descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Cum enim doceret velle se pro omnibus mori, propterea quod ita divina natura velit; nolle autem propter crucis passiones & quod ad carnem attinet, quæ mortem aversatur, isthæc loquitur. Et quidem multis verbis ostendimus involuntariam quodammodo videri in Christo quatenus homo est, crucis passionem, &c.* Quæso quid his verbis disertius? Διδάσκων γὰρ ὅτι τὸ ὑπὲρ πάντων τεθνάναι θελητὸν μὲν ἔχει διὰ τὸ οὕτω βεβουλῆσθαι τὴν θείαν φύσιν, ἀνεθέλητον δὲ διὰ τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ πάθη, καὶ τὸ ὅσον ἧκεν εἰς τὴν σάρκα παραιτούμενον τὸν θάνατον.

XII. Ex Cyrillo rursum. L. 11 in Joh. c. 6.

Sed pulcherrimè iterum Cyrillus quomodo nativitate, vita & morte sua Verbum carne velatum Patrem clarificaverit, & ex obedientia: *Clarificasse igitur suum Patrem ac Deum dicimus, consummato opere quod accepit ab eo, non tanquam servus, aut in ordinem ministrorum redactus, idque velut ex necessitate, ne dominus omnium in servorum numero censeatur, servilisque naturæ, Hominum quippe aut Angelorum est, supplicum & servorum more divinis nutibus subjici, eisque ministrare. Sed quod virtus ac sapientia genitoris sui existens, eam quæ sibi in manus tradita quodammodo erat nostri emendationem, cumulatissimè perfecerit. Sicut nimirum divinus Psaltes aiebat, manda Deus virtuti tuæ, &c. Quomodo virtuti suæ præcipiat Deus, operæ pretium est explicare, &c. Supponamus hominem fabrum ferrarium, &c. Quomodo operabitur, &c. Virtuti manuum suarum & artis sapientiæ mandando, quod perficere statuerit, &c. Tale quid in Deo intelliges, &c. Idem etiam de sole & igne dici potest. Mandat enim quodammodo sol lumini ex se procedenti illuminare universa, &c. Similiter etiam ignis suæ naturæ proprietati quodammodo imperat, ut quæ sui sunt muneris impleat; non tamen idcirco dicimus, radium & lucem servilis ministerii vicem ratione solis tenere, aut calorem igni comparatum. Utrumque enim per ea quæ naturaliter ei propria sunt operatur, &c. Tale quid de Deo & Patre intelliges & Verbo, quod ex ipso secundùm naturam est genitum, cum aliquid ei*

huma-

humanum demandari dicitur. Clarificavit ergo in terra Patrem ac Deum sapientia & virtus ejus, Christus, perfecto opere quod dedit ei. Attendis ut coactam & servilem abigat a Christo homine atque Deo obedientiam: liberalem autem, & filio, non servo consentaneam, Verbo ipsi Deo quodammodo adaptet. Nam ut brachium hominis, ut ratio animæ, ut radius Solis, ut calor flammæ imperium excipit, dictoque morem gerit, non ut disjunctum & servile ministerium; sed ut consanguinea & ejusdem naturæ atque dominii consors proles quædam: ita Verbum & priùs sine carne, & post cum suâ carne, opera Patris omnia sibi demandata exequitur, non servili necessitate, sed genita Deitate, Deitatis & voluntatis consubstantialitate, Filiali libertate, sed & inexpugnabili ejus à quo manat Patris authoritate; ita Patris imperio, sicut suo obediens, cùm imperium Patris ipsemet sit.

XIII. Filii libertas & filiatio idē, neutri officit obedientia Patri præstita.

Quis enim gravatum iri Filium, & de libertate periclitaturum suspicetur, nisi possit à Patris obedientia resilire? Nonne ex adverso, ut Filii dignitate servitus evertitur, astruiturque libertas: ac rursus Filii nomine oculis ingeritur statim & mentibus reverentia in Patrem & obsequium: sicut quo Patri obsequentior, eo Filii gloria splendidior quisque est, ita & eo libertatis certior? Libertas aliis adventitia atque precaria, Filio adnata & substantialiter insita est. Subjectio similiter servi ad dominum per peccati labem invecta est, sed Filii ad Patrem, ea sanè ad naturæ ingenium & legem constituta est. Ergo Filii ad Patrem tenacissima obedientia cum libertate ab ipsis utriusque cunabulis coaluit, & ita complicuit se, ut dissui nequeat. Si non possit enim non obaudire Patri, eo ne minùs liber existit, quo Filius magis eminebit? Adeone insociabilis cum filiatione libertas, ut quo illa crescit, hæc extenuetur: quo illa splendescit, hæc obscuretur? Quin intelligitur potius natura filiationis, congener esse obedientiæ, sed obedientiæ istiusmodi, quæ ut æqualitatem non imminuit, ita nec libertatem elidit. Verbum ergo Deus qui Filius est, & filiatio ipsamet est, totumque filiationis nomen & ingenium anticipavit, sua ad Patrem subjectione nec æqualitati Deitatis, nec integritati suæ libertatis quidquam derogabit. Nam ut exemplis insistam Cyrilli, quòd radius Solis, calor flammæ, ratio animæ, ars mentis imperia detrectare nequeat, sed inevitabili constringatur necessitate parendi, in causa est, non inæqualitas, non servitus, sed identitas substantiæ, ejusdemque & dominii & libertatis societas: ita quòd non possit Verbum seu ante carnem, seu cum carne non implere mandata & voluntatem Patris omnem, adscribendum id totum est, non servili vinculo, quo rebus ipsis astringatur, id enim infestum foret libertati, sed liberæ in Patrem charitati, sed consubstantiali cùm Patre filiationi, ejusdemque & naturæ & voluntatis & libertatis germanitati. Ad hunc modum cùm se habeat Verbi in carne tota dispensatio, ut ea defungeretur Verbum, tanquam virtus & sapientia & ars Patris, ad omne Patris imperium sequax; quis jam solutam à divinis imperiis humanæ Christi voluntati, moriendi vivendique optionem vendicare ausit? Hæc ex Cyrilli doctrina. Sed hæc eadem

XIV. Ex Chrysostomo.

Chrysostomus non minus splendidè, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. En inquiunt sponte factus est obediens, cum ei minimè esset æqualis cui obedivit. O stolidi ac dementes! hoc de illo nihil detrahit. Quandoquidem nos etiam amicis obedimus, neque id tamen nos minores facit. Sponte Filius Patri obedivit, non quasi in servilem conditionem decidisset, sed hoc ipso maximè servans suspiciendam illam germani Filii dignitatem, magnum inquam honorem Patri exhibendo. Honoravit Patrem, non ut eum tu propterea hoc honore spoliares, sed ut magis suspiceres ac venerareris; ut vel hinc germanum Filium agnosceres ac suspiceres, quod omnium maximè Patrem honoravit. Quantum habuit celsitatis, tantumdem etiam humanitatis subiit. Quemadmodum omnibus major est ac nemo illi æqualis, ita Patrem etiam honorando omnes vicit; non coactus neque invitus, sed hoc etiam virtutis ipsius fuit.* Audis ut exaggeratissima obedientia præstantissimæ filiationis sit argumentum, præstantissima filiatio, excidium servitutis sit & libertatis incrementum, ac proinde ut primis nectantur extrema, ut summa obedientia libertatis exaggeratio quædam sit. Concordant hæc Augustini sententiæ alibi relatæ, qui eo nos adoptivos arguit, Christum natura & proprium Filium, quòd nos peccare possimus, Christus non possit. Degeneres enim arguit à Patris substantia defluxus à charitate paterna.

In Epist. ad Philip. hom 7.

CAPUT XVI.

Unde meritum colligere possit Christi libertas, cum necessitate boni vinciatur.

I. Cum possibilitas peccandi, sin minus libertati, certe merendi potestati conjuncta sit, quomodo mereretur Christus.

HActenus quidem operam dedimus, ut exulante peccandi potestate, immigrante in ejus locum beata boni necessitate, spontaneaque justitiæ immutabilitate, sua tamen integra & illibata constaret Christo libertas. Sed cùm multis congestis in unum argumentationibus atque Augustini testimoniis id expugnaverimus, ut merendi saltem facultas à peccandi possibilitate non dissocietur, in nostros videmur nos induisse laqueos, cùm Christo & uberrima affuerit promerendi facultas, & abfuerit tamen peccandi possibilitas.

II. Duplex ratio merendi

Ut hujus modi caput ipsum explicare ordiamur, duo nobis saltem longè diversissima comparandi meriti genera secernenda sedulò sunt. Alterum est cùm voluntas sibi permissa, paribusque in bonum ac malum momentis propendens, adjuta etiam ut bonum velle possit, non ut insuperabiliter velit, suo se nutu atque impetu, quo sibi libitum est, confert. Si enim pondere toto ad bonum sua se agat sponte, cùm proclive perinde fuisset ad malum declinare, tum dubio procul meriti laudisque copiam sibi parat ingentem. Alterum est cùm voluntas longè optima, bonoque inserta altiùs, justitiæque inseparabiliter affixa, omnem peccandi possibilitatem aut prævertit, aut decoxit atque exussit; cùmque eo flagrantiùs invictiùsque justitiam complectatur, non ideo laudis inops aut meriti expers est, sed & modo præstantiore & uberiore proventu laudum meritorumque acervos sibi accumulat. Prius illud promerendi genus creaturæ, hoc posterius creatoris proprium & singulare est. Illud naturæ mutabilis, hoc immutabilis. Illud mutabilitate sua immutabilitatem aucupantis, hoc immutabilitate sua mutabilitatem omnem antevertentis. Illud naturæ penuriam suam industria sua supplentis, hoc innatam ubertatem & satietatem bonorum omnium eructantis. Illud naturæ è nihilo adhuc recentis, & à bonorum apice longiùs peregrinantis, sed gradum magno nisu illuc molientis: hoc ipsius bonorum culminis & substantivæ atque inconcussæ beatitatis. Illud naturæ est, quę substantia inops, laborando atque operando locupletatur; hoc substantivę ipsius opulentię & fœlicitatis. Illud voluntatis per semetipsam mutabilis, tametsi robustę, & cui nisi facto sui periculo, credenda non est beatitas: hoc voluntatis cum justitia & veritate coalitę naturaliter, & inseparabiliter concretæ. Illud creatę naturę cui bona stillatim irroranda sunt, suum ut modum teneat, & intelligat, quo ex fonte illa sibi supernè influant, &

& fonti ipsi, non sibi gratuletur: hoc increatæ & creatricis naturæ, cui bonum & beatum esse, non labor, non merces, non adventitium est, sed natura. Illud denique naturæ est, bonis minoribus refertæ, iisque viam sibi ad majora instruentis; hoc naturæ Dei, vel personæ Christi, sanctitatem & beatitatem substantivam jam cumulatissimè obtinentis, sed minuscula quæpiam bona, non tam suæ, quàm alienæ utilitati profutura desiderantis.

III. Quomodo justitia & sãctitas Dei mereatur laudes.

Num enim laudabilis non est, aut meritorum sterilis est Deus, quia seipsum negare, & à justitia deviare nusquam potest? Num si minus justitiæ & sanctitatis illi afforet, plus laudis & meriti circumflueret? An potiùs, quò justior, eò laudabilior? Et quò sanctior atque in amore justitiæ invictior, eò admirationis, & reverentiæ amplius promeretur? An nisi Deus ita benefaciat, ut possit & malefacere, laudum ipsi hostias litare absistemus? Condidit nos è nihilo, cùm posset hoc beneficio supersedere. Nihil abnuo. Sed etsi necessaria bonitatis erumpentis exundatione nos profudisset, num nullas à nobis laudes, num grates sibi nullas vel referri, vel certè haberi promeruisset? Sed ut à creandi beneficio referamus oculos ad sanctitatem ejus atque justitiam, num quia ab his deficere nullatenus potest, hinc illi nihil laudis, nihil religiosi cultus debetur? Qui meriti vocem impropriè hìc usurpari volunt, nobiscum sentiunt, profitentibus, hoc esse diversum merendi genus.

IV. Et ea ratio me rẽdi splẽdidior.

Promeretur haudd ubio Deus, sed ut Deum decet; promeretur non ut inops, sed ut exundans bonis; non ut suspectus, & probandus, atque ad examen vocandus virum justitiæque: sed ut justitia ipsamet invictissima & indefectibilis. Promeretur non ut à superiore mercedem, sed ut à clientibus honorem: non præmia, sed tributa. Promeretur denique non sibi profutura, sed aliis; honorem videlicet, eos à quibus impenditur, honestaturum: & vectigalia, quibus illi ipsi ditescant, qui persolvunt.

V. Christo magis congruit splendidior illa merendi ratio.

Utra merendi ratio Christum addeceat, nulli dubium esse potest. Nam etsi natura ejus humana per se mutabilis sit, immutabilitati Verbi jam ab exordio sui primo adscripta est. Etsi per se inops sit, opulentiæ Verbi conglutinata est. Etsi per se à beatitate longè absit, beatitati & contemplationi Verbi immersa est. Etsi per se versatilis sit, impeccabilitati & sanctitati Verbi substantivæ implicata est. Ergo quod ad voluntatem, libertatemque attinet, censendus etiam de Deo est, non solùm de homine; divinumque etiam, non merè humanum, sive creatum promerendi genus usurpat. Deinde quæ promeretur, non tam sibi quàm aliis promeretur: nec quæ sibi desunt, sed quæ superant & supereffluunt. Nam ea ipsa corporis immortalitas quam morte emit, & priùs illi debebatur, & peccati experti, & Deo; cùm eam ergo accepit, non tam sibi, quam nobis accepit; nosque in seipso jam tum immortalitate inaugurare præcepit. Hæc de Dei censu ille habuit. De hominis censu illud habuit dominium, illam indifferentiam, qua rebus omnibus à Patre imperatis abstinere posset, si ipse in seipso, si illæ in seipsis spectarentur, & non ad eas sua charitate & obedientia, Patris mandato & authoritate adduceretur. Sed hæc indifferentia alienissima erat à peccandi potestate, devinctissima erat obedientiæ paternis mandatis exhibendæ, & longè diversissima ab illa quæ viatorum cæterorum propria est, & omnimoda indifferentia, & merendi ratione huic consentanea.

Ergo cùm duplex sit ratio comparandi meriti, & illa in reflectenda ad bonum mutabilitate sua, in periculo virium suarum faciendo, in edendo bonæ voluntatis experimento, in operatione ancipiti & operosa gnaviter & infatigatè defungenda: hæc in dignitate naturæ personæque suæ, in justitiæ insuperabilis magnitudine, in voluntatis incommutabili sanctitudine, in indifferentiæ insitæ consociatione cùm impeccantia & obedientia omnimoda consistat, non illam, sed hanc iniit Christus de divino maximè censu, cui eatenus humanitatem suam vindicavit. Hoc autem ex germana sanctorum Patrum Theologia, ex Cyrilli cùm primis & Augustini sententia firmare si paulò prolixiùs pergam, nemini fastidium exoriatur in re tam pulchra tantique ad nostram salutem momenti.

VI. Non sibi tãtùm, sed nobis maximé merebatur Christus; ideo decuit ut mereretur velut sãctitas ab omnibus participanda.

Primò igitur flexibilis in utramque partem libertatis rectus usus in utentis commodum redundat, non in aliorum emolumentum. Nam ubi repensa illi erit merces sua peculiaris, abundè expleta & cumulata erunt ejus merita, nec erit quod prætereà desideret, aut de aliis satagat. Vires suas periclitatus est quis, constantiam suam approbavit, voluntatis suæ à malo aversæ, ab bonum conversæ experimenta dedit, dubitationis aleam omnem & suspicionis sustulit: hæc ad ipsum præclara sunt, sed quid ad alios? Num certos perinde nos fecit aliorum perseverantiæ atque suæ? num quia ad portum ipse appulit, minus alii per incerta arbitrii tanquam æstuosi pelagi fluctuantur? Hinc Adamus nostri princeps parensque generis, etsi in veritate constitisset, non eandem statim posteris constantiam suam affudisset. Genuisset quidem bonus bonos justusque justos, non ejus tamen merito, sed naturæ nihil vitiatæ instituto bonos atque justos. Cùm ergo Christus sanctimoniam & beatitatem non sibi, sed aliis promerendam susceperit, alia ipsi terenda fuit via, alia libertatis meritique ratio ineunda. Justitia illi obtinenda exerendaque tanta, quæ non ejus sinu cohiberetur, sed in omne restagnaret humanum genus. Non privata ipsi sua voluntas humana per justitiæ delectum approbanda Deo fuit, sed tanto impluenda fuit sanctitatis flumine, ut in omnes hominum cæterorum voluntates ejus plenitudo exuberaret. Non bonum tantummodò eligere debuit, quo posset abstinere; eo enim seipsum forsitan insignisset, nobis nihil admodum contulisset: sed tanto impetu in bonum raptari debuit, ut adhærentem sibi humanæ totius naturæ universitatem, secum pariter quodammodo corriperet. Ipsamet ergo natura sanctitatis atque justitiæ debuit esse Christus, & ad hunc modum aliis hominibus sapientiam & sanctitudinem irrigare. Quisquis verò industria sua & labore sanctus est, sibi sanctus est, non aliis; sanctus est, non sanctitas; sanctus est, non sanctificans; sanctus est, id est particeps sanctitatis, non participanda ab aliis sanctitas.

VII. Ex Cyrillo. In Evang. Jo L. 5. pag. 542.

Cyrillus: *Quemadmodum quoniam est secundum naturam sapientia & lux & potestas, sapientiam dat sapientiæ capacibus, lumen lumine indigentibus, robur robore carentibus: ita quoniam est Deus ex Deo, & substantiæ in omnia regum obtinentis liber atque ingenuus fructus, quibuscumque libuerit, dat libertatem; cæterum ab eo qui secundum naturam eam non habet, nemo vere liber fieri poterit. Cùm verò ipse Filius volet aliquos liberos facere, proprium ipsis inserens fructum. verè illi liberi audient, ab eo qui jus & potestatem habet, hanc dignitatem consecuti, non autem ab aliquo eorum, qui aliunde mutuantur, & exoticis veluti gratiis splendescunt.* Hæc Cyrillus in ea Christi verba commentatur, *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Et paulò antè eodem collimans, & hæc verba illustrans, *Servus non manet in domo in æternum*, ita philosophatur: *Necessariò itaque Christus ostendere vult, eum qui natura sua servus est, nec ad aliorum libertatem, nedum ad suam sufficit, nullo modo sibi ipsi præstare libertatem posse, quippè cùm naturæ suæ ratione illa careat; nam qui ab alio sibi gratiam accipit, quomodo ad aliorum libertatem suffecerit? Uni verò ac naturali Deo libertatem aliis dare competit. Clarè ergo demonstrat* ser-

servum necessariò esse, quodcumque non manet in æternum, hoc est, quodcumque ut eodem semper modo sit, à natura non habet. Ut libertatem igitur nobis & sanctimoniam promereretur; nec sibi tantùm eam haberet, sed in nos & in omnes ubertim effunderet Christus, hoc inquam ut posset, ab incommutabili justitia sua habuit, à natura ipsa sanctitatis & lucis, quæ ipsemet est. Porrò sanctitas tanta, quanta sanctificandis omnibus sufficiat & superet, extinguendæ etiam omni funditùs in peccatum defectibilitati sufficit & abundat. Et vicissim sanctitas tantula, quæ possibilitatem peccandi non stirpitùs excidat, nec aliis quibusvis sanctificandis par esse potest. Istiusmodi ergo meritum quod ad omnem hominum naturam pertineat, non à flexibili in omnem partem voluntate, & minutæ jejunæque adhuc justitiæ compote, sed ab infinitudine quadam sanctitatis omnem devorantis peccandi indifferentiam repetenda est.

VIII. Ex eodem. Dial. 7. de Trin. to. 5. part. 1. pag. 644.

Cyrillus idem: *Si creaturæ participatio deficare potest rem creatam, quomodo non etiam verum erit id quod è converso? Lædit enim potiùs quàm juvat revera, Dei secundùm naturam esse participem. Sed nunquam concipietur creatura deifica, verùm id soli Deo tribuendum est, qui sanctorum animabus immittit illam suæ proprietatis per Spiritum participationem, per quam etiam conformes facti naturali Filio, Dei secundùm ipsum & filii vocati sumus Dei.* Et Dialogo, Quòd unus sit Christus: *Per Spiritum ejus habitare Christum in nobis. In nobis enim est per Spiritum in quo clamamus Abba Pater. Nulla itaque ratione erimus minores etiam nos. Siquidem nos Deus ac Pater iisdem rebus dignatus est. Nam & nos per gratiam sumus filii & Dii. Translati autem sumus omnino ad eandem illam supereminentem atque admirandam dignitatem; utpotè inhabitante in nobis unigenito Dei Verbo.* Perspicuum hinc fit sanctificationem nostram provectionemque in Dei filios, non creatæ principaliter voluntati, non merito quod creata voluntas suo sibi marte peperisset, imputari potuisse, sed divinæ & incommutabili Verbi sanctitati, qui Deus cùm sit, deificare potest: sanctitas cùm sit, sanctificare potest: spiritus principium cùm sit, eo nos consecrare potest: Filius & filiatio ipsa divina cùm sit, in nos migrare, immigrandoque filios Dei creare nos potest; cùmque hæc possit omnia ex Deitatis principaliter natura, inde etiam principaliter hæc in nos gratiarum fluenta sunt derivanda, subministrante & alvei instar devehente humana voluntate.

IX. Vires liberi arbitrii in Adamo paruerant, alia erat tenenda via.

Secundò humani vires arbitrii in primo parente Deus periclitatus fuerat, ecquid ultra attinebat iis fidere, & earum lubrico immutabilitatem sui consilii committere? Cùm vel maximè dissipata suis artibus divina circa hominum salutem consilia jactaret tumeretque diabolus; & interesset plurimùm ad Dei laudem, ut hanc ejus retunderet jactantiam, prædestinatorumque hominum salutem inconcusso restitueret infulciretque fundamento: num cratæ rursus voluntatis incerto concredenda fuit & incolumitas nostra & Dei victoria? Si enim existimetur Christus humanum genus redemisse sua morte, quam non imperaverat Pater, sed ejus versatili permiserat optioni, quid si mortem detrectasset? quid si tantum pretii pro re tantilla, pro hominum salute impendere refugisset? quid si Theandricam suam omnium hominum vitæ, jure & merito antehabuisset? fas enim id erat per Patrem: num divina rursus consilia frustrarentur, victorque diabolus insultare pergeret? Si excipias præscisse Deum consensionem ab humana Christi voluntate præstandam incunctanter & huic præscientiæ spem nostram victoriamque suam superstruxisse: assentiar equidem perlibenter, sed & unde præscierit, indicabo. Imbuendam enim præscivit immutabilitate Verbi sui assumptam ab eo humanam voluntatem, immutabili proinde fundamento gloriæ suæ salutisque nostræ consilia committere nihil cunctatus est. Nam sapientiæ & omnipotentiæ Dei non est, quem velit certissimum & indubitatum eventum, dubiæ & ancipiti causæ permittere.

X. Ex Cyrillo Thesauri pag. 238.

Cyrillus idem rursum: *Est igitur Unigenitus quidem secundùm naturam, quippe qui solus existit è Patre, Deus ex Deo, lumen è lumine. Primogenitus autem propter nos, ut tanquam immortali cuidam radici, creatura insita & infixa, ex eo etiam qui semper est, germinet. Omnia enim per ipsum facta sunt & subsistunt, & per ipsum servantur.* Vide ut cùm prior radix contabuisset, nosque tabefecisset, eam labem resarserit Deus in melius, radicemque aliam immortalem suffecerit & incorruptibilem, ne in aqua rursus quod ajunt, spei nostræ fundamenta ponerentur: Et Dialogo Quòd

Tom. 5. par. 1. pag. 725.

unus sit Christus; *Deus existens natura, & ex Deo atque ex supernis, descendit ad nostra, novo & inusitato modo genitus, secundùm carnem factus est Spiritus, ut videlicet sancti atque incorruptibiles etiam nos in ipso maneamus; ex ipso tanquam ex principio & radice secunda, in nos transmissa gratia.* Vide quàm refugerit Deus in incertum rursus eventum jactare restaurationis nostræ spem, sed enim occupaverit radicem nostram secundam Spiritu sancto formare, Verbi sui totiusque Deitatis plenissima sanctitate inundare.

XI. Ex eodem. In Evan. Jo. pag. 123.

Cyrillus idem: *Quoniam ergo primus Adam gratiam sibi à Deo datam non servaverat, destinavit nobis cœlitus secundum Adam Deus ac Pater. Mittit enim in similitudinem nostri Filium suum, natura sua mutationis & alterationis nescium, & peccati prorsus expertem, ut quemadmodum per inobedientiam primi, divinæ iræ subjecti fuimus, ita per obedientiam secundi maledictionem quoque fugiamus & ejus mala cessent. Cùm autem homo factum sit Dei Verbum, Spiritum à Patre accipit, ut unus è nobis, non sibi aliquid specialiter accipiens, erat enim ipse largitor spiritus; sed ut acceptum naturæ nostræ conservaret ut homo, & rursus radicaret in nobis gratiam quæ recesserat, is qui peccatum non novit.* Quæso quid

Ibidē p. 473.

expressiùs dici potuit, ut demonstraretur labem mutabilitate primi parentis invectam, secundi immutabilitate reparandam fuisse: ideòque non promeruit Christus restaurationem nostram opere aliquo suo, quo ex humanæ voluntatis facultate ancipiti potuerit usquequaque supersedere: tum enim nihil prodesset incommutabilitas Verbi, & in prima rursus discrimina resorberemur. Et rursus: *Ergo factus est homo sicuti nos Unigenitus, ut in ipso & primo rediviva bona, fundataque Spiritus gratia toti deinceps, ut par est, naturæ sarta tecta custodiretur; veluti commodante nobis propria naturæ stabilitatem Unigenito & Dei Patris Verbo, natura hominis tum in Adam condemnata, ut mutabili, & in lapsum erroremque prona.* Et alibi: *Animam rursus humanam, posteaquàm illam sibi propriam reddidisset, suæque naturæ firmitate ac immutabilitate, perinde ac vellus colore imbuisset, peccato superiorem declaret.* Et statim: *Sic anima posteaquàm illius effecta est, qui peccatum non novit, è vestigio statum firmam ac in omnibus locis stabilem, peccatoque multis partibus potentiorem nacta est. Christus proinde positus est tanquam radix & initium quoddam cunctorum, qui in Spiritu ad vitæ novitatem corporisque immortalitatem instaurantur: quippè eam quæ ex divinitate proficiscitur, securitatem ac firmitatem, secundùm quandam gratiæ communicationem, in universum hominum genus transmittit.* Anxiè atque instanter adlaborat Cyrillus, non voluntatis humanæ flexui ambiguo, sed ipsissimæ Verbi incommutabilitati in totam Christi animam refusæ, salutem nostram nusquam vacillaturam committere.

L. de recta fide, pag. 17.

Tertiò

XII. Ex hypostasi & dignitate Verbi immensa meriti vis & laus conciliatur operibus Christi omnibus, idque abundè est.

Tertiò, imbuit humanitatem totam & operationes omnes ab ea profluentes non hypostasis tantùm, sed dignitas etiam Verbi Dei & sanctitas, meritumque ipsis & pretium addit infinitum. Imprimitur enim non naturæ tantùm assumptæ; sed operibus ejus etiam quantuliscumque Verbi odor atque aura infinitæ cujusdam sanctitudinis; quatenus opera humananitatis omnia, à Verbo, ceu à radice cui affixa est humanitas, pullulascunt. Otiosum est ergo alias meriti fibrillas nimis anxiè undecumque aucupari, cùm hæc sit stirps laudum & meritorum feracissima, aliasque omnes promerendi rationes abundè complexa. Nam operationi & passioni Christi cuicumque humanæ, ad quam ille ex sese alioqui indifferens, sola adigitur sua in Patrem charitate, seu in paternas leges obedientia, ubi immensam quandam conciliavero, à Verbi copula honestatem atque sanctitatem, num præterea aliquid ad meritum ejus pretiumque amplificandum desiderabitur? Num alia erit honestatis meritique ratio, quam Verbum Deus anticipare atque operibus per assumptam naturam à se erumpentibus aspirare nequiverit? Nec me fugit libertatis in indifferentiæ bilance nutantis spontaneum ad justitiam impetum, quem sibi ipsa supernè adjuta imprimit, ingentis meriti laude florescere: sed non ea sola acervandi meriti via est; sed ea libertatis est nequedum in amore justitiæ penitus & indivulsè defixæ; sed ea creaturæ meræ laus est. Quod ad nauseam usque inculcatum ex Augustino superiùs est, num laudabilis Deus non est, quòd nisi justus esse non potest? num laudabilia non sunt Dei opera, quæ justitiæ legibus, id est, suis ipse constrictus facit? num laudabilia non sunt Dei Verbi emicantia per humanitatem suam opera, quæ iisdem justitiæ legibus tenentur? Quis tam inops rationis & pietatis est, ut non intelligat operum hominis Christi atque passionum, dignitate & sanctimonia Verbi tota scatentium, meritum esse vel ex hac una contemplatione tantum, quantum nulla satis laude, nullo honore, nullo præmio satis idoneo compensari queat? Supervacaneâ luderem in opera, si authoritate Cyrilli aliorumque Patrum argumentationem istam communire satagerem, cùm eò pertineat integra tractatio de Christi sanctitate. Sed quia finitima huic est quarta ratio, utrique simul peculiaribus testimoniis præsidium parabimus.

XIII. Sepositis operationibus, ipsa Verbi in nostra natura hypostasis, promerebatur, vel effundebat in nos omnia gratiæ dona.

Quartò igitur hypostaticæ copulæ vis & majestas universam quodammodo perfudit humanam naturam, divinæque cujusdam dignitatis societate cohonestavit. 2. Infudit se Deitas Verbi homini Christo, ut Capiti principaliter & longè copiosissimè, sed & ab eo in omnia ejus membra defluxit. Ornamenta & emolumenta capitis in membra non possunt non redundare. 3. Quin imò quidquid supernè accepit Christus, non sibi, sed nobis accepit: gestabat enim in se causam atque personam totius naturæ: quocirca cùm dives ipse affatim esset, & nullo non abundaret bono, quidquid homo factus accepit gratiarum & donorum cælestium, nostro omnium nomine viceque nostra nobis refundendum accepit. 4. Item in illa singulari humanitate suscepit quodammodo totam Ecclesiam, adsumpsitque & vindicavit sibi omne genus humanum, juri suo censuique adscripsit omnes homines, omnes subjugavit.

Adverte quæso præcidi & seponi hic à me opera Christi, & quà Dei & quà hominis omnia, solamque indagari copulam humanæ substantiæ cum divina hypostasi substantivam, ab omnibus quæ inde fluxerunt operibus segregatam. Ex uno hoc substantivo perennaturoque Dei in hominem illapsu, scaturiunt quatuor illi fontes uberrimi meritorum Christi in omne genus hominum ubertim exundantes. Nam ut retrogrado recursu fontes illos rursum perlustrem; per unum reliquos omnes homines suæ potestati, suoque censui vendicavit Verbum, & diaboli atque peccati imperio erutos, justitiæ suæ regno mancipavit. Rursum cùm unus causam humanæ naturæ totam personamque sustineat, quidquid illi accumulatum est beneficiorum, non potest id totum non in omnem humanam rempublicam redundare. Rursum cùm unus omnium Caput & vertex præstitutus fit, plenitudo gratiæ à capite in membra omnia necessariò dimanat. Postremò ubi Deitas Verbi humanam invasit naturam, omnipotenter & effusissimè invasit, & prout dignum ipso fuerat; invasit ergo verè universam naturam, totam corripuit, totam vi sua & dignitate & vita & sanctimonia pervasit, ut universam defluere posthac non sinat.

Poterat ergo Deus Verbum mortalis vitæ quam in carne transegit, labore toto & perpessione abstinere se. Una naturæ nostræ cum divina hypostasi adglutinatio, cumulatissima erat restauratio humani generis. Fluxisset ex illo fonte uno torrens meritorum & gratiarum, quo perfunderentur homines omnes, & à peccati sordibus emacularentur. Ibi satis erat meriti atque causæ, cur à diaboli carcere eximeretur tota humanitas, cujus portio cum Verbo regnaret. Satis erat meriti, cur à vitiis elueretur natura, cujus portio Deus esset. Satis erat causæ, ut sanctitate perungerentur membra, quorum caput tota unguenti plenitudine perfusum esset. Satis erat meriti atque causæ ut Deus homo omnes quoscumque vellet, naturæ secum humanæ consanguinitate devinctos, nobilitatis suæ atque opulentiæ id est sanctitatis atque justitiæ communione sibi ampliùs devinciret.

XIV. In ipsis Christi operibus spectanda potius est sanctitas à Verbo operante, quam ab humana voluntate.

Quorsum ergo mortalis vitæ curriculum, mortisque tandem exhaustum supplicium? Ut non substantiæ tantùm humanæ, sed operationibus etiam omnibus irrigaretur vis vivifica, & sanctitas efficax, justitiaque Verbi exuberans, hinc in omnes membrorum Christi operationes atque passiones emanatura. Nam quemadmodum cùm natura Christi humana à Verbo assumebatur, sanctitas Verbi in omnes naturæ ejusdem consortes defluebat: ita cùm operatio vel passio quælibet humana Christi à Verbo eas vegetante deificabatur, deificationis hujus beneficium in omnes operationes passionesque cæterorum hominum derivabatur. Næ plus æquo fastidiosus haberi debet, cui fons iste ad sanctificationem nostram parum largè fluere videbitur!

XV. Hæc substantiva merendi ratio dignior est & Christo magis consentit.

Cæterum in hoc utroque genere promerendæ humano generi sanctimoniæ, seu per solam naturæ cum Verbo totius consociationem, seu per operationum passionumque ejus in divinæ sanctitatis pelagus demersionem, nusquam locus est omnimodæ illi indifferentiæ per contrariorum & contradictoriorum abrupta desultoriæ. Ista enim meriti comparandi ratio perampla quidem illa est, sed creaturis meris consentanea, quæ suæ sibi substantiæ inopiam industria & labore solantur. At illa Deo carnem induto dignior, suæ certo dignitatis, substantiæque suæ ipsius pretio cumulum exuperans omnium meritorum. Et tandem mediator est Christus homo Dei atque hominum, suis ut meritis homines Deo recolligat. At mediatoris nomen & personam sustinet, non tantùm operatione, sed etiam constante sua in duabus naturis hypostatica unitate. Recolligit enim hominem Deo in seipso, substantivo & insolubili nexu naturam utramque copulans; & in seipso universum genus humanum consocians Deitati. Accedunt & operationes, passionesque quibus reconciliationem cumulavit, sed & his eadem dignitatis atque meriti vena infunditur, à Verbi, unde manant, sanctitate infinita.

XVI. Ex Cyrillo. L. 5. in Joan. pag. 471.

Cyrillus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Eum enim qui ante sæcula Deus erat ex ipsa genitus,*

tus, hodie genitum esse dicit, ut nos in eo susciperet in filiorum adoptionem: tota quippe natura in Christo reperitur in quantum homo est: sic & Pater cum proprium Spiritum habeat, eum rursus dicitur dare Filio, ut nos in eo spiritum lucremur, &c. Accepit ergo unigenitus Spiritum sanctum, non sibi ipsi; est enim ejus, & in eo, & per eum datur, sicuti jam antea diximus; sed quoniam homo factus, totam habebat in se naturam, ut eam omnem instauraret, atque in pristinum statum restitueret, &c. Postquam enim progenitor Adam spiritus amisit gratiam, diaboli fraude ab obsequio Dei ad inobedientiam & peccatum abreptus, adeoque natura universa in eo divini doni jacturam fecit, de cætero Deus Verbum mutationis expers homo factus est, ut acceptum illud bonum tanquam homo naturæ deinceps stabile ac firmum conservaret. Audis ut Spiritum & sanctimoniam nobis promeruerit Christus homo, non voluntatis in utrumque omnino flexibilis auspicato flexu, sed commodata potius humanitati suæ Verbi immutabilitate, excipiendo in se, ut in capite & persona generis totius humani, pelagus divinæ sanctitatis, illoque nos omnes irrigando. Itaque cùm Verbum caro factum est, tunc Ecclesiæ universæ id est Christo toti, capiti & corpori, dictum est à Patre, Ego hodie genui te: quod perinde est ac si dicas, tunc nobis Christum promeruisse adoptionem in Dei filios. Item cùm Christus Spiritum cœlitus sibi advolantem accepit, non sibi, sed Ecclesiæ accepit, hoc est, tum nobis Spiritum sanctum promeruit; nec tantùm promeruit, sed contulit.

XVII. Ex eodem. Rursum ubi Christus in cælos receptus, suæ filiationis columen attigit, attigit & nostræ; cùmque dixit ei Pater, *Sede à dextris meis*, in solidum ei dixit, ut cum tota Ecclesiæ universitate sederet, & tanquam filius Patri consederet. Cyrillus: *Ascendit in cælum propter nos & pro nobis,*

In Joan. l. 9. Pag. 764. *ut & inventus ut homo, tanquam Filius in virtute, & cui cum carne, audiit in solidum, Sede à dextris meis; filiationis gloriam toti humano generi per seipsum adoptione transmitteret. Unus enim est ex nobis, in quantum homo apparuit à dexteris Dei & Patris, &c. Apparuit itaque tanquam homo, pro nobis Patri, ut nos qui ab ejus vultu propter veterem prævaricationem repulsi fueramus, rursum coram Patre sisteret. Sedit ut Filius, ut & nos tanquam filii per eum nuncuparemur, ac Dei filii. Ideoque Paulus qui contendit habere se Christum loquentem in seipso, communia esse humanæ naturæ docens ea, quæ erga ipsum peculiariter facta sunt, ait, quia & conresuscitavit nos, & consedere fecit in cælestibus in Christo.* Cum resurgit à mortuis, cum cælos conscendit, cum dexteram Patris occupat Christus homo, conresuscitat nos secum, & evehit una in cælum, consortesque thronorum cælestium facit. Promeretur hæc tunc nobis, suo mirabili modo, nempe cum Verbum humanitati suæ hanc vim dignitatemque resurgendi & consedendi Deo impertit, per eamque naturæ hominum universæ. Vides quale sit hoc merendi genus.

XVIII. Ex Cyrillo rursus. Item dialogo Quod unus sit Christus: *Siquidem Deus Pater nos iisdem rebus dignatus est. Nam & nos per gratiam sumus filii & Dii. Translati porro sumus omnino ad eandem illam supereminentem atque admirandam dignitatem, utpote inhabitante in nobis unigenito Dei Verbo.* Ad hunc modum Filius Dei est Christus homo, quia genuina Verbi filiatio seu persona humanitati insinuatur: & ad eundem modum Christianus quilibet fit Dei Filius, quia ut ait Paulus, inhabitat illum Christus. Humanitas ergo Christi ita cælestia nobis omnia promeretur gratiarum ornamenta, dum illa ad nos devehit, & quæ sursum à Deo accipit ut caput, ut parens & princeps Ecclesiæ, ea eidem Ecclesiæ transfundit. Tota ergo humana natura conjugata Verbo est hypostaticè, ut tota in universis hominibus Verbi opulentia locupletaretur. Per omnes ætates assumpta humanitas provecta est, ut omnibus ætatibus hominum singulorum sanctimoniam Verbi inspiraret. Labores & passiones in vita mortali & crucem demum mortemque subiit acerbissimam, ut & his à Verbo sanctitas Deum propitiatura, & nihil non ab ipso impetratura aspergeretur, his inquam non tantùm prout à Christo capite, sed & prout a toto ejus corpore per infinitos sæculorum lapsus exantlandis.

Nec sum nescius cruce cum primis propitiatum esse Patrem, meritumque & pretium quo redimimur, quoque castificamur, ex illa potissimùm morte defluere. Sed cruci ego totam jam inde ab ortu primo vitam ærumnosam imputavero, mortemque totam mortalem vitam tot laboribus atque calamitatibus confectam interpretabor. Ut ut sit, cruce mundum redemit, non quia voluntatis humanæ optione cum recusari prorsus posset, ultro excepta est; sed quia Verbi passio fuit; cruce Patrem propitiavit, quia proprii Filii Dei mors fuit, dignitate & pretio ineffabili accedente cruci & morti à Filio Deo & Verbo; accedente dignitate & pretio ab illa quoque indeclinabili obedientia voluntatis Christi humanæ ad paternas leges, in iis sanè rebus ad quas per se spectatas erat ipsa prorsus indifferens.

CAPUT XVII.

Rursum ut mereatur Christus, etsi boni necessitate constringatur.

Quintò ut ea, quæ Christus sibi promeruit ipsi, attingamus, puta resurrectionem, consessum paternæ dexteræ, judicis potestatem, regiam in omnes creatas naturas authoritatem: nec ista merita à voluntatis humanæ arbitrio, quæ morte non imperata emercari hæc elegerit, sed à Verbi potissimùm majestate horum omnium jus atque meritum sempiternè & inamissibiliter obtinente, & in carne sua illud retinente, illudque ei impartiente, accersenda sunt. Resurgit ergo à mortuis Christus, quia Verbum vita est substantiva, nec poterat diutiùs vitæ caro morti subesse, non poterat vitæ caro non reviviscere. Assidet paternæ dexteræ Christus, quia hæc est propria Verbi sedes, qua æternùm sedet, qua ante carnem sedit, qua cum carne sedebit; nec enim induendo carnem, intercipi sibi passus est deitatis suæ jura; idem est prius sine carne, post cum carne consessor paternæ dexteræ. Judicat Christus, quia Verbo suo & veritate & sapientia sua judicat Pater; judicare enim sapientiæ est & veritatis, seu sine carne ante lapsum, seu cum carne post lapsum hominis. Regnat Christus, quia regia potestas Verbi non per carnem exauthorata est, sed impartita carni ipsi. Suum ergo jus omne Verbi Deitas in humanitatem suam transcripsit, & hoc est principale penu meritorum ejus; nec qualicumque modo transcripsit, sed seipsum illi imprimendo, secumque substantivum jus sibi concretum. Aut ut ad rationem Cyrilli convenientiùs dicam, merita humanitatis ad hæc sibi accrescenda, ita interpretanda sunt, quod non jura Verbi effundantur in humanitatem, sed quod Deitas Verbi prærogativas suas, quas ante carnem obtinuit, easdem in carne illibatas retineat, & perinde imperet, judicet, æqualitatemque paternam & immortalitatem habeat. I. Et quæ sibi meretur Christus, Deitas Verbi in carne meretur.

Si cui autem scrupulum moveat, quod Paulus, & Theologi passim resurrectionem consessumque in cælis imputent passioni Christi, meritisque, quæ per crucem sibi acervavit, nihil moror equidem, quin vehementer assentior. Sed passioni ipsi & cruci pretium inde aspergo, unde II. Et quæ passione meretur, Verbi per carnem patientis dignitate meretur.

de & toti hominis dispensationi, ex Verbi Dei amplitudine. Num enim passio & mors Verbi Dei in carne, eo uno nomine quod Verbi Dei passio est & mors, non infinitatem pretii sui satis explicat? Num suppetiæ ferendæ sunt, & defectus supplendus est à consensu ancipiti voluntatis humanæ in divina mandata? Si cui autem altiùs præjudicatum hoc infixumque sit, non constare rationem meriti, nisi voluntatis accedat assensus spontaneus, id est, quiðita præstetur ut suspendi omnino & negari possit: acquiescat is saltem Paulo qui ne hunc quidem consensum ab alia repetit quàm increata Verbi voluntate. Ait enim, *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens, &c. Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, &c. Quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Contextu uno cohærent hæc omnia; & gloriæ paternæ æqualitas, nomenque omni nomine superius collatum Christo in cælos exaltato est, non tantùm quia ad usque mortem crucis Patri obaudivit, sed etiam quia exinanivit semetipsum, servili mortalique hominis forma sese obnubens, cum posset in paterna æqualitate consistere, ex eo quod hanc non rapina invasisset, sed natura obtineret. Cardo igitur voluntatis, sed divinæ, non humanæ, dominatur in hoc negotio; quæ videlicet ad carnis mortalis exinanitionem, & in ea quæ inde consequebantur, passionem inquam & mortem sese inclinavit sua sponte, nulla cogente necessitate, nulla peregrina urgente præceptione, sed Patris mandato, id est sua sponte, quia mandatum Patris Verbumque & consilium ipse est. Ita liquidò testatur Paulus, summatim docens, quia ex paterna gloria ultro in nostram miseriam devolaverat, & homo factus mortalis, mortemque passus fuerat, ideo meruisse eum, seu mavis, dignum fuisse eum, ut cum sua carne in paternam sedem reduceretur. Hic porro perspicuum est principari, dominarique divinam Christi voluntatem. Nec defuit sanè passioni & cruci, omnibusque crucis præludiis consensus voluntatis humanæ Christi spontaneus, & liber, & indifferens ad hæc per sese spectata, eoque suo etiam modo meritorius: sed uberrimus semper meritorum seu dignitatis fons in Verbo erat; & hæc voluntatis humanæ indifferentia nihil obstrepebat impensissimæ obedientiæ indeclinabilique consensioni cum divinis imperiis, actiones omnes actionumque minutias præscribentibus.

III. Ex Cyrillo. Pauca ex Cyrillo seligam testimonia ex immensa eorum congerie, quæ sunt ad manum. Epistola ad Valerianum: *Cum Christus nostræ conditionis dispensationem consummasset, satanamque protrivisset, & omnem ejus vim fregisset, novam viventemque nobis viam in cælum instauravit, in cælum ascendens, ut vultui Dei ac Patris pro nobis appareat: consideatque cum ipso, etiam cum carne, non jam ut homo seorsim consideratus, neque ut alius Filius ab ipsius Verbo diversus, neque ut qui ipsum Verbum inhabitantem habeat, sed ut verè Filius unus & solus, etiam tum cum factus est homo. Considet utique tanquam Deus cum Deo, & Dominus cum Domino, & Filius verus cum Patre vero, hoc ipsum obtinens ex natura, licet cum carne considereiur.* Et infra: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Etenim Deus Verbum homo factus & inter homines numeratus, nihilominus Judex erit tanquam Deus & Dominus, & tanquam unus Filius, quippe cum sic quoque Deus & Pater in ipso sit. Habet namque Patrem in se manentem, & ipse vicissim in Patre inest.* Non secernit duplicis juris nomen, etsi utcumque posset, quo paternæ gloriæ consessum, & judicandi authoritatem consecutus sit Christus homo, alterum quà Filius Dei legitimam hæreditatem nactus, alterum quà laborum à se exhaustorum mercedem adeptus est. Utrumque commiscet Cyrillus & in unum conflat Filii proprii & germani nomen; nimirum quia laboribus ipsis meritum & dignitas maximè conciliatur ex Filii amplitudine. Nam ut per hypostaticam unitatem caro jam Verbi est, anima jam Verbi est; & totus homo Verbi est, & ipsum Verbum est, ideoque paterna debetur jam tum hæreditas carni, animæ, homini-que assumpto: ita passiones Verbi sunt, crux & mors Verbi sunt, Verbique dignitate & pretio perfunduntur, quocirca & paterna ipsis debetur hæreditas. Ita utrumque jus in unum complicatur, & in unam veluti stirpem coalescit.

IV. Ex Eodem. In Evan. Jo. pag. 171.764. Denuo Cyrillus illa Christi verba elucidans: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, &, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, &, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus:* hæc habet: *Non est autem propriè donatio illa quæ Filio initium dominandi rebus omnibus tribuat, sed repetitio potiùs ac reversio etiam cum carne ad potestatem qua præditus erat ante carnem.* Quod ipsis Christi verbis confirmat, qui non aliam orabat à Patre claritatem, quàm illam ipsam qua ante carnem potiebatur. *Cum factus est homo, tunc etiam hoc pacto dominari cœpit; ita tamen ut dignitatem divinam propter carnem non amiserit, sed rursum ad id quod erat initio, cum carne quoque redierit. Quod autem priorum sint repetitio quæ de Christo feruntur, probat ipse dicens, Pater clarifica me illa claritate quam habui priusquam mundus esset apud te.* Et alibi: *Nec enim ascendit Christus ut seipsum conspectui Dei Patrisque manifestaret; erat quippe, & erit, & est semper in Patre & in oculis sui genitoris; ipse enim est quo semper gaudet. Sed ascendit nunc quasi homo, insolita quadam & inusitata ratione conspiciendum se præbens Verbum, quod olim humanitate vacuum erat. Itaque propter nos & pro nobis, ut inventus ut homo, tanquam Filius in virtute, & qui cum carne audiit in solidum, Sede à dextris meis, filiationis gloriam toti humano generi per seipsum adoptione transmitteret.* Et Paulò post: *Conresuscitavit nos & consedere fecit in cælestibus in Christo. Propria namque est Christo, ut secundùm naturam Filio, consessus dignitas & gloria: quam ei uni congruenter ac verè tribuendam esse dicimus. Sed quia considens nostri similis est, quatenus apparuit homo, Deusque simul de Deo intelligitur, ad nos etiam quodammodo dignitatis illius gloriam transmittit.* Constanter loquitur Cyrillus, nec aliam usquam commentatur gloriam seu paterni consessus, seu judiciariæ potestatis, humanitati Christi affusam, quàm quæ ex naturali Verbi filiatione, in Verbum totum, ac proinde in accessionem ejus, seu in humanitatem assumptam redundaret.

V. Naturæ & proprietati filiationis magis congruit hæc meriti ratio substantiva. Sextò, aliter servus indebitam, aliter Filius debitam promeretur hæreditatem. Servus adventitio & facilè solubili obsequii vinculo astringitur, casu & voluntate servus est, non substantia, unde sic adhæret domini imperio, ut possit & resilire. At filius non casu, sed natura, non voluntate, sed substantia filius est, & ad obsequium naturæ instinctu substantiæque suæ impetu inclinatur, nec nisi natura penitus depravata potest à paternis deviare mandatis. Benemereri ergo de aliquo, & servi est & filii: sed aliter & aliter. Servi est, fidei suæ utpote ambiguæ & nutantis specimen dare, & constantiam approbare: filii est, innatæ & inconcussæ charitatis experimenta edere, & naturæ voluntatisque suæ pondus inevitabile sequi. Servi ergo est insitam frænare inconstantiam, & ultronea optione defigere se in obsequium Domini: cumque fidei documenta dederit quæ poterat non dedisse, præmia quoque percipere, quibus caruisse poterat. At filii est amabili amandi necessitati obsequi, ob-

secun-

secundare naturæ, obsequia præstare quæ respuere non potest, hæreditatem capessere qua defraudari non potest. Unde enim servo merces, filio hæreditas addicitur? Unde filio quantislibet obsequiis patrem demeruerit, non ulla tamen merces, sed sola hæreditas rependitur? Eccur filius de mercedis nomine erubescit? Eccur ut laborum ampliùs exhauserit filius quàm servus, servo merces plurima, filio nulla destinatur? Eccur ad hunc modum res habent, nisi quia aliter merces, aliter hæreditas promerenda est: nisi quia aliter servus domino, aliter filius obsequitur patri; servus ambiguè, filius necessariò: servus voluntate in utrumque flexibili, filius filiali charitate voluntatem indeclinabiliter agente; servus serviliter, filius liberaliter: nisi quia pretium omne mercedis complectitur, & immenso nescio quo pondere superat hæreditas; sicut & filii charitas tenacissima omnem servi fidem complectitur & superat: nisi quia denique labores à filio decursi non aliam induunt quàm filii naturam & dignitatem, atque adeo non aliam promerendi rationem; utpotè quòd natura filii dignitates alias omnes & merita anticipet, & antecedat immenso quodam intervallo.

Christus ergo quia etiam quà homo, paternam hæreditatem & gloriam capessivit ut Filius, omninò ut hæreditatem capessivit suo sibi Filii nominè & jure debitam, nempè filii nomine dignitatem omnem & omne meritum occupante, & aditis ab eo passionibus infundente. Demeruit Patrem, promeruit gloriam ut Filius, non flexibili in omnem partem voluntate, sed inexpugnabili Filii charitate. Promeruit gloriam, ut hæreditatem filius, non ut mercedem servus. Promeruit passione, cruce morte, & tamen solo Filii nomine: quia pretium his omnibus adjungebat, & omne aliud pretii meritique nomen præcontinebat Filii charitas dignitasque nativa. Ita ergo & Christus si Patris gloriam, si rerum potestatem, si hominum servitutem meruit, meruit ut indubius, ut securus, ut extra periculum indifferentiæ positus; si insudavit, si dura & aspera perpessus est, non quasi luctabundus & incertus, sed ut naturæ suæ, ut Filii nomini, ut paternæ charitati indulgens copiosiùs.

VI. Ex Cyrillo, L. 5. in Evan. Joa. pag. 510. Cyrillus hæc Christi verba explanans, *Et à me ipso facio nihil*: quibus Christus humana sua opera purgat à contumeliis adversariorum, ex eo quòd hæc ipsa Verbi sint per carnem opera, quod ut Filius, ut Deus, ut Verbum & voluntas & mandatum Patris, à Patre dissentire non potest, nisi dissentiret & à seipso, *Neque vero in absurdas opiniones delapsi putabimus, Filium in his ostendere virtutem aliquam habitu & praelectione comparatam; verùm potiùs fructum naturæ immutabilis, consultare ad aliquid agendum haud Deo dignum existimantis. Siquidem in creaturis tanquam mutationi in pejus obnoxiis, fructus animi ad pietatem & virtutem propensi fuerit bonum: in divina verò & omnia supergressa substantia, non ita. Quippè dempta omni alteratione & mutatione, fructus erit deinceps substantiæ incommutabilis, bonum, veluti in igne calor, aut in nive frigus. Neque enim ignis habet propriam efficaciam in voluntate, sed potius naturalem ac substantialem, quæ sese aliter habere non possit, nisi fortè nutu & vi ejus à quo creatus est compellatur, Non igitur quemadmodum nos ad placendum & obsequendum Deo ex praelectione & optione impulsi, ita hæc loquitur Unigenitus; sed velut propriæ naturæ legibus insistens, nihilque aliud cogitare aut agere sciens, quàm quod in ejus qui genuit ipsum voluntate positum est. Ecqui enim omninò fieri possit, ut consubstantialis & una deitas ipsa contra seipsam diffideat?* Valet hæc regula in omnes Christi secundùm hominem operationes, has enim conviciis proscindebant Judæi, has ille hoc scuto defensat. Ergo humanæ omnes operationes, non ex hominis prælectione aut optione, qualem experimur in nobis, proficiscebantur, aut meritum consequebantur & pretium: sed ex propria Filii unigeniti natura, incommutabiliter sancta, & invariabiliter paternis, hoc est, suis legibus addicta & orginem habebant & meritum. Consultare enim an domino obtemperet, servi est fidei ancipitis, & ad utrumlibet indifferentis. Filii autem an patri morem gerat & ad omnia gratificetur, non est consultare, sed impetu naturæ irrevocabili compelli. Illic mercedis spes est, hìc totius hæreditatis securitas. Nec humana Christi voluntas inter obedientiam & contumaciam dubia & anceps consultabat, sed indeclinabili pondere tota in obedientiam propendebat, tametsi ad res actionesque ipsas per sese indifferens.

VII. Ex eodem. L. 6. in Joan. ad calcem. Luculentiùs adhuc, si quid tamen luculentiùs optari queat idem Cyrillus in hæc verba: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Ubi Christus mortis suæ hoc præmium demonstrat, quò à Patre diligatur. Num tantumdem non diligeretur, etsi mori pepercisset? Tantundem planè, sed dilectio rependitur Filio Filium se operibus suis approbanti, quæ rependeretur eidem quiescenti, & sola se substantia Filium demonstranti. In operibus enim ejus non ipsorum per se operum valor à Patre ponderatur, sed Filii natura & ingenium, Filii charitas & pretium, Filii specimen & experimentum. *Enimvero diligitur à Deo & à Patre Filius, non tanquam extra dilectionem positus, nisi occasio illa de nobis incidisset. Erat enim semper dilectus. Et sic quidem dictum interpretemur, quod quæ natura insunt aliquibus, vel etiam per habitum contingunt; tunc maximè grata sese exerunt specie, cum ad effectum perducuntur; veluti ignis quidem habet sibi proprium naturaliter calorem: cum vero operatur in materiam & ligna, tunc maximè qualis quantaque vis insit ei dignoscimus, &c. Sic divina & ineffabilis natura cum aliquid eorum quæ ipsi propriè competunt, & naturaliter insunt, operatur, tunc maximè & ipsa apud seipsam gratior apparet, & sic apud nos cernitur. Unde sapientia in libro Proverbiorum ait, Ego eram cui adgaudebat, &c. Adgaudebat suæ sapientiæ perfecto orbe terrarum. Suæ quippè sapientiæ vim & energiam in actum deductam cernens, tunc maximè sibi lætandum censebat. Sic igitur hoc loco accipiemus. Cùm enim Deus & Pater sit dilectio, juxta Joannis vocem; & non tantùm bonus, sed ipsamet bonitas; quando vidit Filium suum per dilectionem erga nos & bonitatem incomparabilem, servantem germanas & veræ suæ ipsius naturæ notas, meritò dilexit, non velut aliquam suorum erga nos meritorum mercedem ei tribuens dilectionem: sed quemadmodum diximus, veritatem suæ ipsius substantiæ genuinam in Filio conspiciens, ac veluti quibusdam necessariis & ineluctabilibus naturæ illecebris ad id invitatus, &c. Dilectionis enim opus, elegisse pati, idque cum ignominia, propter aliquorum salutem, &c. dilectus igitur existens semper propter naturam, dilectus fuisse etiam censebitur quod per dilectionem nostri genitorem suum oblectaverit: cernentem illinc omninò puram & vividam nulloque fuco elucentem suæ ipsius naturæ imaginem.* Filii seu extra carnem seu post carnem assumptam, quia unus idemque Filius est, non est incerta & nutans electio, sed natura est Patri obsequi & gratificari; non aliter quàm ignis calere. Sive plura autem sive pauciora ignis suo calore afficiat, non aliud quàm ignis est, nec pretium suum amplificat aut elevat. Ita Filius sanctitas ipsamet est, paternis legibus addictissima. Ubi ex his paternæ charitatis imperiis, mortem pro nobis pertulit, nihil amplius quàm Filius est Dei sempiternus, sed Filium se pluribus experimentis approbavit. Præcellentiam ergo suam & meritum pretiumque Verbum incarnatum non tam auxit, quàm ostendit? non tam novis augmentis amplificavit, quàm novis demon-

monstravit documentis. Nam si merita aliqua aut pretium aliud, quàm quod in Filii nomine jam præsumitur, alicubi captaret, num ergo Filii exuperaret pretium? num ultra Dei Filium aliquid sibi sumere auderet? num ultra æqualem Deo Patri Filium, pretio sibi & merito aliquo peculiari blandiretur? num Patri præsumeret extra Filium aliquas exhiberi posse amoris illecebras? num ultra paternam hæreditatem quam nomine Filii capessit, aliquid prætere promereretur? num de Filii dignitate, de Patris in Filium charitate, de tota paternæ æqualitatis hæreditate, se quasi minùs exacturarum fuisse, & nova alibi pretia, nova præmia captasse demonstraret? Ergo ut his occurratur incommodis, omne pretium meritumque Christi etiam passionum permiscendum est cum dignitate Filii, spectandumque ut fructus non creatæ solùm voluntatis, ambigua se potestate versantis, sed naturæ & sanctitatis incommutabilis per varias cruces novos merendi titulos, aliosque & alios meritorum modos captantis, nec tamen vel sic aliud promerentis, quàm quod sibi jam ut Filio Dei incarnato debebatur, sive hoc meritum, sive dignitatem malis appellare.

VIII. Ex eodem. In Joannem pag. 688. Rursus idem Cyrillus illa versans Christi verba: *Pater gratias ago tibi quia audisti, me: Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter circumstantem turbam dixi, &c.* Rationem astruit universim, propterquam seu dum oraret, seu dum pateretur, non posset non exaudiri Christus à Patre, hanc videlicet, quod ratio & voluntas Patris ipse sit, nec possit non adlubescere Patri, quod Patris Verbo & voluntati allubuit, neque enim discors sibique diffidens Trinitas Deus est. Christus ergo iram Patris in nos sævituram propitiavit atque exarmavit, ut sua cuique ratio & voluntas iram mulcet, excutitque. *Quemadmodum verò & nos per propriam rationem inducimur non facere, quod visum est: sic & Dominus Verbum existens ac consilium Patris, amicum nobis reddit Patrem, &c. Cum verò par pari gratias agit, nullam essentiæ diminutionem hoc includit. Quid igitur indicat? Quod propter turbam hæc dicat, sermeque ait, Simulavi precationis speciem, & œconomicè dixi, me gratias agere. Sciebam enim quod ubique me audias. Quippe non est secum diffidens nec sibi immorigera una Deitatis natura.* Ergo quod voluntas Filii seu precibus, seu passionibus significata exaudiatur semper à Patre, in causa est, non voluntatis humanæ alacritas ad ea amplectenda, quæ suæ fuerant optioni dimissa; sed Verbi dignitas, & cum Patre consubstantialitas, concorsque aut una potius voluntas, pretium infinitum & omnipotentem efficaciam humanis etiam ejusdem Verbi seu operibus seu precibus seu passionibus concilians, ut exaudiretur semper *pro sua reverentia.* Nec enim voluntatis humanæ alacritas etsi momenti meritique oppidò quam maximi, reverentiam Patri Deo incussisset, aut vim intulisset quodammodo ad annuendum; sed Filii majestas tam enixè, tam anxiè voluntatem suam significantis, ea sanè est quam revereatur & exaudiat Pater. Cyrillus idem: *Cum necessarium esset, ut Christus ad quodvis bonum opus ducem se nobis præceptoremque exhiberet, valido clamore & supplicatione tanquam unus ex nobis ad Deum accessit: à quo etiam tanquam verus naturalisque Filius qui repulsam pati non posset, exauditus est.* Exauditus est ob reverendam Filii majestatem, qui utcunque oraret, non poterat non exaudiri, quia Filius, quia beneplacitum, quia consilium & voluntas Patris ipse est. Conciliavit nos denique & in æternum conciliat Patri, ut Filius Patri assidens, assidens autem ut homo factus, & totam Ecclesiam indutus. Illi enim qualitercumque se habeat, non potest non abblandiri, & per omnia ut Filio assentiri Pater. *Cum ab initio itaque Pater illi abblandiretur, ex eoque oblectationem caperet quotidie, isque vicissim voluptatem Patri afferret, quomodo nunc demum vultui Dei apparere dicitur? Sanè Verbum Dei novo nunc modo apparet; non amplius carnis expers sicut in principio, sed in forma & natura humana. Ad hunc itaque modum pro nobis apparere, humanamque naturam, tametsi exosam proscriptamque prius ob peccatum Adæ, in conspectu Dei Patris offerre traditur. Verbum proinde ut homo factum est, oculis paternis velut in seipso primo nos sistit: quo nimirum Patri commendatos nos reddat, veteribusque noxis expiatos ad vitæ novitatem per spiritum instauret, ac tandem dignos efficiat, qui in conspectu Patris simus, quos in filios coaptavit.* Hæc enimverò ratio est, qua demereat Patrem Filius, qua ab eo quidvis promereatur, non dubius, non incerto voluntatis indifferentis & fluctuabunde creditus, sed certus majestatis suæ, certusque quamlibet voluntatis suæ, seu per preces, seu per passiones, significationem, non posse non arridere Patri, non posse non exaudiri à Patre: nec exaudiri se unquam quasi perfunctoriè, aut precariò, aut ob diu librata, & diu suspensa, & tandem ad obedientiam inclinata piæ electionis officia; sed pro sua reverentia, & pro suæ & substantiæ & voluntatis identitate cum Patre. Contineo me ne plura infarciam; alius erit opportunior de his differendi locus.

(l. de recta fide. pag. 161. 167.)

Septimò, incarnationis Verbi consilium labefactatur omnino, & in fumos dissipatur, si redemptio generis nostri cruci quidem debeatur, crux autem in humanæ voluntatis arbitrium versatile, & suo se flexu, non obedientiæ insolubili vinculo adgubernans referatur. Frangendæ enim superbiæ hominis, inculcandæque humilitati, & spei totius atque fiduciæ in unum Deum misericordissimum colligendæ consecrata est incarnatio. At si salus nobis fluxit à cruce, crux autem fructus est humanæ voluntatis, assumptæ quidem à Verbo, sed suo nutui tum permissæ, & creata vi atque electione spontanea in mortem injusam incumbentis, videntur cristæ surgere hominibus; pars magna & longè maxima salutis nostræ imputari incipit creatæ voluntati, ut quæ clavum tenuerit, impetum & pondus rei impresserit, rem ad exitum fœlicem & auspicatum perduxerit. Si ita habeat, plus & ferè totum debebitur naturæ creatæ; caput & cardo restaurationis locabitur in voluntate creata, atque ita non penitus fomes superbiæ conteretur. Eccur ergo omnia humana merita antevenire statuit in ipso Christo divina gratia? Eccur de Spiritu sancto conceptus est, Deusque ut fieret, non merita habuit ulla, sed ut merita colligeret, Deus fuit? Eccur quidquid præclarum Christi est, non humanis viribus, sed divino beneficio adsignandum est, si quod longè præclarissimum ejus fuit specimen, mundi per crucem restauratio, ejus principalem laudem præcerpit humana voluntas, suoque consilio & suis viribus imputat? Prorsus ut misericordiæ Dei meræ ascribatur nostra reparatio, in sacramento crucis unde illa scatet, principatum teneat Deitas necesse est, cardinem moveat, momentum & pondus rei ipsa imprimat; quidquid est pretii, ipsa maximè adjiciat: ut tam divinæ gratiæ sese debeat Christianus, quàm Christus.

(IX. Etsi cruci & carni Christi salus nostra debeatur, principaliter tamen debetur Deitati & sanctitati Verbi, inhumanatæ.)

Augustinus: *Hic omnino granditer & evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruerit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur iste homo ut una fieret persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo quàm Dei Filius, &c. Unde naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic & sola Dei gratia, fideliter & sobriè considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant* X. Ex August. Enchir. c. 36.

ligant homines per eandem gratiam se justificari à
Ibid. c. 40. *peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum.* Et infrà: *Modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto, &c. insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tanquam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis, &c. Ac sic in natura humanæ susceptione fieret quodammodo ista gratia illi homini naturalis, qua nullum peccatum possit admittere.* Si Christus præcurrentibus meritis Deus fieri promeruisset, Deusque factus nostram peperisset salutem, in humana merita nostra refunderetur salus, non in divinam indulgentiam. Cautum ideo prospectumque est, ut omne meritum anteverteretur divinæ hypostasis præfestinato beneficio. Denique ut quid, ut ait Augustinus, ista gratia homini Christo naturalis quodammodo extitit, qua peccare non posset, nisi ut & dignitas ejus, & meritorum quæ nobis comparaturus erat, copia,
Vide & L. de præd. Sanct. c. 5. non humanæ voluntati cum innata mutabilitate luctanti, magnasque vires suas ingenti nisu & contentione exertanti accepta referretur, sed divinæ misericordiæ, quæ peccandi possibilitatem execuisset, & justè fortiterque quidvis & agendi & patiendi inexpugnabilem constantiam inseruisset?

CAPUT XVIII.

Eadem colligendi meriti ratio impeccabili libertati consentanea copiosius exponitur Christoque vendicatur.

I. Omnia nostra Verbum assumendo sanctificat, dignitate & merito cumulat.

Octavò, eadem coacervandi meriti ratio, impeccabili Christi libertati adprimè consentiens, ulteriùs confirmatur ex receptissimo axiomate & hactenus à nobis ad nauseam inculcato, non esse servatum, nisi quod à Verbo assumptum est; expersque salutis & spei melioris exors omnino id fore, quodcumque à Verbi personali copula fuerit alienum. Hujus porro axiomatis ut ne corticem solum lambamus, sed in ipsam medullam invadamus penitius; tota ratio ejus hinc pendet, quod servari, non aliud sit quam Verbo copulari: salus non alia quàm conglutinatio cum Verbo Deo: in Christo non singularis hæc humanitas, sed universa Verbo coadunetur: sola denique substantiæ humanæ cum divina copulatio salus sit & sanctificatio generis humani, etsi reliqua omnia præsecentur. Ex hoc porro emicat nostra assertio, ex Verbi illapsu personali in naturam nostram, redundare copiam seu dignitatis seu meritorum tantam, quanta ad salutem nostram omnium satis est & super. Nam si servatur, quidquid assumitur, ergo in ipsa assumptione seu copulatione Verbi situm est meritum saluti conflandæ idoneum. Hinc est porro quòd nullas humanæ seu animæ seu carnis minutias passi sunt sancti Patres à Christo abscindi, ne a Verbo, seu à fonte salutis consequenter abalienarentur. Hinc animam, & mentem, & animæ affectus omnes adversus Apollinaristas: hinc carnem, & nostræ quidem consanguineam, & carnis consectarias appendices omnes, adversus Manichæos & Manichæorum nepotes feros vendicarunt Christo, ne si quid horum Christo deficeret, id à Verbi copula depulsum, meritique & sanctitatis inde manantis peregrinum foret. Verbo enim Deo id debetur jure meritissimo, ut quam substantivè naturam insederit, suamque fecerit, eam pervadat & sibi vendicet universam, eam congressu & consanguinitate sua nobilitet & sanctificet usque quaque, eam denique à peccati & mortis servitute ut suam, ut vitæ & libertati assertam absolvat.

Nyssenus: *Cum nostra natura immixta fuit divinitas: & in ea nostra naturæ commixtione cum divina, nostra effecta est divina, ut quæ à morte sit exempta, & ab adversarii exempta tyrannide.* II. Ex Nysseno. Orat. Catech. c. 25.
Et Oratione in ea Verba, Tunc ipse Filius subjicietur, *Ex omni autem humana natura, cui admixta fuit divinitas, veluti primitiæ communis conspersionis, is qui in Christo est homo constitit: per quem divinitati universa adnata & conjuncta fuit humanitas. Quoniam ergo in illo deleta fuit universa natura vitii, qui peccatum non fecit, sicut dicit Propheta, nec inventus est dolus in ore ejus: simul autem cum peccato deleta quoque fuit mors, &c.* Istud est quasi physicum & substantiale meritum, dum natura Verbi naturæ humanæ inserit seipsum, hoc est, sanctitatem & salutem.

III. Ex Cyrillo.

Cyrillus Alexandrinus Dialogo, Quod unus sit Christus: *Eo ipso quod Verbum caro factum est, sublata sunt ea quæ ex maledictione & condemnatione humanæ naturæ acciderant. Quocirca si salutis nostræ radicem convellunt, & spei nostræ fundamentum subvertunt, quid deinceps de nobis fiet?* Ex quo conficit, & nasci, & in carne nostra nasci hominem debuisse Christum, quòd à salute arceantur quæcumque à Verbi conjugio hypostatico abdicabuntur. Et paulò post: *Cum vero corpus factum sit ejus qui peccatum non novit, idcirco & quidem optimo jure, peccati tyrannidem excussit: communicatisque cum illo proprietatibus Verbi, quod ineffabili modo ipsi unitum est, sanctum & vivificum effectum est, & divinæ facultatis operationisque plenum. Nos vero in Christo tanquam primitiis transformati etiam sumus, & interitu atque peccato superiores declarati.* Et infra evidentiùs: *Neque enim fieri poterat, ut alia ratione servitus cum honore commutaretur, nisi id quod servituti convenit, proprium ipsius factum fuisset, ut & ipsius gloria illustraretur. Vincit enim semper id quod præstantius est.* Si meritum istud quo à nobis peccati mortisque labes abstergitur, à sola voluntate, non principaliter ab ipsa naturarum consertione proficisceretur, corruerent hæc omnia Patrum Theologiæ firmamenta. Peræque enim voluntas potuisset sua merita conferre in peregrinam atque in consanguineam naturam, peræquè in dissimilem & discolorem atque in iisdem affectam dotibus.

Athanasius autem præstantissimè: *Id quoque sciendum, lucem illam non extra corpus hæsisse,* IV. Ex Athanas. L. de Incarn
sed corpori agnatam coalitamque fuisse: & necessum erat, emota corruptione vitam ei infarciri, ut quemadmodum in corpore mors extitisset, ita in eodem vita existeret. Quod si igitur extra corpus mors fuisset, extra corpus etiam oportuisset vitam eis subsistere. Sin verò in corpore coaluit, consertaque mors fuit, ac veluti cohærens ei dominabatur, necessum quoque fuit vitam cum corpore coalescere conserique, ut ita corpus imbutum vita, corruptionem extruderet. Viden ut servatum sit quidquid assumptum est, & assumendo servatum sit, quandoquidem servatur haud dubio à peccato quidquid à justitia præpotente assumitur: & à morte servatur, quidquid à vita divina in penitissimam assumitur coalitionem?

Et idem rursus pulcherrimè: *Si enim ob vires* Orat. 3. cont. Arian.
suas per quas id potest, verbo edixisset, & ita maledictio aboleretur: impetrantis quidem potentia in conspicuo pateret, homo tamen ejusmodi effectus fuisset, qualis Adam ante prævaricationem fuerat, extrinsecus accipiens gratiam, non autem eam suo corpori conglutinatam tenens. Similiter ergo quamcumque aliam ineas meriti Christi, nostræque salutis rationem, per eam extrinsecùs tantum quodammodo oblinetur nobis sanctitas sospitasque, nec inhærebit insinuabiturque tam altè & tam substantivè, quàm si ipsa Deitas Verbi, ut justitia & salus primigenia, intelligatur nostræ inserta substantiæ. Et paulò post: *Et que-*

quemadmodum neque à peccato, neque à maledictione vendicati fuissemus, nisi vere ea naturaliterque humana caro fuisset, quam Verbum sibi induerat: nihil enim nobis commune cum re aliena. Ita quoque non deificatus fuisset homo, nisi naturaliter ex Patre verum ac proprium fuisset illius Verbum quod caro factum est. Ideo enim ea coaptatio instituta est, ut Deitas vera & ut sic dicam naturalis verum & naturalem hominem sibi consereret, & stabilis efficeretur hominis salus ac deificatio.

V. Ex Basilio, Epist. 65. Basilius Magnus: *Si aliud esset cui mors dominaretur, & aliud à Domino assumptum esset, non cessaret mors quæ ipsius sunt peragere; non nostrum lucrum facti fuissent carnis Deum gestantis cruciatus: non occidisset peccatum in carne: non vivificati essemus in Christo, qui in Adamo mortui eramus: non recreatum quod cecidit: non instauratum, quod corruptum: non placatum Deo, quod per imposturam serpentis erat abalienatum. Hæc enim omnia tolluntur ab iis, qui cæleste corpus habentem dicunt Dominum advenisse.* Si artifex & arbitra meritorum sola humana voluntas est, quid obstat quin parta in carne cælesti merita gestantibus terrenam carnem hominibus velit indulgere? Voluntati enim quis hos limites circumscribit? At si meritum dignitasque Deitatis Verbi nostram met naturam vegetantis principaliter attendatur, ejus sanè omnis utilitas in nostram unam redundat naturam.

VI. Ex Nazianz. Orat. 31. Nazianzenus: *Somnum capit, ut somnum benedicat: fortasse etiam fatigatur, ut fatigationem sanctificet: fortasse etiam lachrymas fundit, ut lachrymas laudabiles reddat.* Quippe ut substantiæ, ita & operationi humanæ infunditur Verbi Deitas, dignitas, meritumque: & ea ratione potissimum ipsæ Christi passiones actionesque omnes infinitam quandam sibi arrogant dignitatem, quæ consimiles membrorum suorum passiones actionesque potis est honestare. Efficacia enim Verbi permeat erumpitque per caput in membra, per singularem hanc humanitatem in universam naturam hominum, per humanas suas operationes in operationum nostrarum omnium perpurgationem.

VII. Ex Tertulliano & aliis Latinis. Tertullianus è Latinis chorum ducat, Lib. de Resurrectione carnis, adversus carnis Christi inficiatores. *Quàm indignum Deo dimidium hominem redigere in salutem, &c. Diabolus validior in hominis injuriam intelligetur, totum eum elidens: Deus infirmior renunciabitur, non totum eum relevans. Quomodo denique salvus habebitur, qui poterit & perditus dici? Carne scilicet perditus, anima vero salvus.* Quin animæ assumptæ merita in carnem non assumptam resiliant, si voluntas in his meritis principetur sola? An veteres illi Theologi fidem nostram tam levibus adminiculis committebant? Leo Magnus: *Nisi novus homo nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis Patri consubstantialis esse dignaretur & matri, naturamque sibi nostram solus à peccato liber uniret, sub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas; nec aliter possideremus triumphantis victoriam, si extra nostram esset confecta naturam.* (Epist. 13.) Posset quin imò vel in Angelica natura, vel in cælesti saltem carne, vel in humana, sed qualis in Adamo ante lapsum, meritum comparari, quod voluntatis arbitrio ad lapsos homines effunderetur: atque ita collectio illa pervagatissima sanctorum Patrum ineptissimæ futilitatis rea ageretur. Sed si meritum istud quode agimus spectetur, constant inconcussa omnia avitæ doctrinæ fulcimenta. Boetius: *Ut secundum Eutychen quoque non sit salvum genus humanum, quoniam non is qui æger esset, & salvatione curaque egeret, assumptus est.* (Lib. de perf. & nat. c. 5.)

VIII. Ex Hilario. In Psal. 68. Hilarius: *Pauper & dolens sum ego, salus Vultus tui Deus suscepit me. Hunc pauperem in salutem vultus Dei, qui forma Dei est, suscepit: id est, assumptum hominem Unigenitus Deus qui Imago invisibilis Dei est, in æternitatis suæ vita, quæ in Deo salus esse intelligitur, collocavit.* In Verbi vita collocari, hoc sanè salute donari est. Augustinus: *Si Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra ejus non essent nisi animæ nostræ: quia verò & corpus suscepit, profectò illius membra sunt & corpora nostra.* (Serm. 18. de verb. Apost.) Eucherius: *Non nobis natus est, si nihil sumpsit ex nobis: nihil de nostro suscepit, nihil nobis contulit. Quod enim induit, hoc liberavit: quod Deo junxit, specialiter hoc redemit. De nostro est quod appendit, de suo est quod donavit. Meum testor esse, quod de cognata mihi carne processit, ut meum sit quod triumphavit. Meum, inquam, testor esse quod cecidit, ut meum sit quod resurrexit.* (Hom. 1. de Nat.) Prosper carmine de Providentia, sive quis alius author ejus libri:

Sed mortale meum subit, ut quia morte teneri
Vita nequit, pereat mihi mors, &c.
Qui dum nostra suis sociat, junxit sua nostris:
Ut non humanis fidens homo, totus in illum
Se referat, &c.

Et Prosper ipse alibi: *De corruptione redimitur vita infirmorum, quia corpus mortis nostræ corpus factum est ipsius vitæ.* (In Psal. 101)

IX. Ex Cusano. Excitatio. L. 3. pag. 419. Supersedebo pluribus proferendis suffragatoribus, si unum insuper attexuero Cusanum Cardinalem, qui argumentationis hujus vim penitissimè inspexit & propalavit: *Sapientia sibi humanam induit naturam, & factus est Christus Dei sapientia Deus & homo, nostra sapientia, ut alterius mundi desideria in ipso experiremur. Et quia natura nostra caduca non potuit sursum ferri, nisi desideria illa terrena in ipsa natura nostra forent mortificata, hinc Christus est, in quo est plenitudo, replens omnes defectus nostros. Oportebat igitur in eo qui adimplere venit omnem defectum nostrum, purgationem reperire omnium desideriorum temporalium. Horum autem purgatio est per sensibilem pœnam. Attende. Si concipis omnium hominum Christum humanitatem habere, & ipsum esse hominem non in latitudine speciei humanæ, neque extra, sed ut terminum speciei perfectissimum, vides planè quomodo tua humanitatis natura in ipso multo intimiùs est, quàm in fratre, filio, aut patre.* In Christo est nostra omnium humanitas, non ut in commentitia illa universali natura, quam mentes hominum vel fabulantur, vel philosophantur quandoque, quæ nusquam est, nisi in hominum intellectu: sed ut in vertice ac principe naturæ absolutissimo. Quocirca nostra sapientia, nostra justitia, nostra peccatorum expiatio Christus est, quia nostra omnium natura in ipso, ut in radice sua, succis imbuitur immortalibus Deitatis, veritatis & justitiæ incommutabilis. Quapropter ipsa Christi passio, ex qua meritorum fons uberrimus scatere non immeritò existimatur, eò maximè merita parat infunditque nobis, quòd carnem carnisque affectus omnes non singularis tantùm hominis Christi, sed omnium qui in eo ut apice & radice naturæ insunt, contrucidat, & in novitatem vitæ restaurat. Idem Cusanus alibi: *Voluit autem Christus Dominus omnia humanæ naturæ facinora, nos ad terrena attrahentia, in suo humano corpore, non propter se, cum peccatum non fecerit, sed propter nos penitus mortificare & mortificando purgare: ut omnes homines ejusdem humanitatis cum ipso, omnem peccatorum suorum purgationem reperirent in seipso.* (L. 3. de docta ignorant. c. 6.)

X. Docent Patres si humanam mentem non assumpsisset Verbum, salutem carni tantum nostræ partum iri: Ergo à Verbi hypostasi salus paritur, meritumque.

Nonò, ubi Appollinaris, animam vel mentem humanam saltem à Christo proscribentis, errorem insectantur sancti Patres, hac illum machina quatiunt creberrimè, quòd ita salus corpori tantùm nostro, non animæ, non menti saltem nostræ parta fuisset. Corpori enim salus obtigisset, cui Deitas ipsa illaberetur: anima ut Deitatis copulæ, ita & salutis cassa tabesceret. Ergo juxta

juxta hanc hypothesin ratio merendi non ab humana voluntate, quæ tum nulla extitisset, sed à conjunctione una Deitatis arcessenda esset. Fulgen-
L. 1. tius ad Trasimundum: *Si Dei Filius absque anima rationali solam accepit hominis carnem, inferiorem, partem illius ovis domum retulit, meliorem vero, quod absit, errori perpetuo dereliquit. Nam manifestum est, quoniam hoc revocavit, quod propriis humeris reportavit*. Et mox: *Hoc enim Deus in nobis salvavit, quod pro nobis accepit: & illam Deus Dei Filius naturam fecit participem salutis æternæ, quam sibi conjunxit in uni-*
XI. Ex Fulgentio. *tate personæ*. Et infrà: *Quia verò naturæ primitias suscipiens Dominus, sicut in suo corpore cunctorum fidelium corpus, sic in sua anima universorum fidelium animas, per naturæ unitatem & gratiam justificationis accepit. Per hanc omnem Ecclesiam in conjugium sibi perpetuæ incorruptibilitatis adscivit, &c.* Ergo stirps meritorum est ipsa divinitatis cum natura creata copulatio, qua salus & incorruptibilitas paratur ei naturæ qualicumque quæ assumitur, sive carni, sive animæ, sive utrique. *Quod ergo Caput liberum fecit in se, hoc etiam liberavit in corpore. Quia intrans in domum fortis atque alligans fortem, hoc ibi à servitio liberavit, quod primitus in se pro servo suscepit: nec aliud est in corpore regnantium, quàm quod in Capite præcessit ad cœlum*. Et ut hìc etiam passio ipsa Christi enucleetur, audi quid paulò infrà idem subiiciat: *Si ergo in eo quo tentatus est, tentatis auxilium donat; profectò in quo tentatus non est, tentatis auxilium non ministrat. Quo conficitur ut hi qui in Christo solam carnem humanam assignant, & animam denegant, in sola carne quærant auxilium Christi, in anima verò remaneant destituti. Filius Dei namque hoc adjuvat in homine, quod suscepit pro homine*. Et infrà rursus: *Si totus tenebatur captivitatis vinculo, totus eguit liberatoris auxilio. Si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere divina majestas. Totius ergo fuit hominis à Deo suscipienda natura, quoniam in toto fuit captivitas captivanda, ut tota simul acquireretur de captivata captivitate victoria*. Jacent hæc omnia, nisi ratio aliqua merendi inusitata & prorsus divina intelligatur, quæ ex dignitate Deitatis, splendorem pretiumque suum, id est seipsam naturæ assumptæ imprimentis, effloresceret. Et hoc permagni momenti est, ut Deo uni tota salus accepta feratur. Ut enim ait Augustinus: *De cu-*
In Ps. 117. *jus genere caro illa suscepta & suspensa est, pro qua factum est quidquid ab illa interiore divinitate per exteriorem carnem virtute immortali mortaliter factum est*.

XII. Ex Theodoreto & Nazianzeno. Lib. Brev. C. 3. Ex Græcis autem Theodoretus in Ecclesiastica historia, ut citatur à Liberato in Breviario: *Sacramentum dispensationis imperfectum explanare præsumens Apollinaris, animamque rationalem qua corpus resurgit, privatam salute confirmans. Si enim animam non assumpsit secundùm illius rationem, Deus Verbum, neque medicinam animæ tribuit, neque honorem dedit, sed corpus quidem terrenum ab invisibilibus virtutibus adoratur, anima verò secundùm divinam imaginem facta, in inferiore permansit, contumeliis induta peccati*. Ergo sola carnis solius assumptio non expers esset meritorum. Ergo ea merita aliunde etiam, quàm ex humana voluntate proficiscuntur. Ergo & animæ susceptæ merita certè aliqua & longè maxima indidem scatent, unde & carnis. Et Nazian-
Orat. 51. zenus: *Si quod deterius est, assumptum est, ut per incarnationem sanctificetur, annon quod præstantius est, assumetur, ut per humanitatis susceptionem sanctitate afficiatur? Si lutum fermentatum est, ac nova conspersio extitit, imago ipsa non fermentabitur & cum Deo temperabitur, per divinitatem deificata?* Apertè scopum demonstrat, in quem destinatur singularum hominis partium cum divinitate conjunctio; nempè ut cum Deitate, cum forma ipsa & substantia sanctitatis concrescant & fermententur, atque ita sanctificentur, non in capite tantùm, sed in membris. Et de vita ac morte de factis & dictis, de affectibus & cruciatibus similiter argumentandum, ea in Christo cum divinitate concrevisse, & fermentata esse cum divina sanctitate, & inde principalem vim suxisse sanctificatricem. Idem paucis interpositis: *Si autem ut simili per simile sanctificato, peccati damnationem solvat; profectò quamadmodum carne propter eamdem damnatam, & anima propter animam opus habuit, ita etiam mente propter mentem, &c.*

Decimò, ut Adamus, ita & Christus naturam ipsam immutavit, affecitque totam personæ suæ tanquam radicis qualitate. In Adamo uno omnes periimus, quando omnes ille unus fuimus. In Christo uno omnes reviximus, quando unus ille omnes fuimus. Adamus innocens innocentiam propaginis universæ gestabat, nocens noxam intulit: radicis enim tam vita quàm lues in omnia inde pullulantia proserpit. Ergo & Christus, radix altera, cohærentem sibi omnem sobolem substantiva sua sanctimonia perfudit, sepositis etiam interim operum & passionum suarum meritis. Nec me prætereit flagitioso opere suo Adamum & sibi & proli exitium conflasse. Sed & antè quàm boni vel mali operis quidquam ab eo existeret, eo uno nomine quod sanctus & innocens erat, sanctitatem & innocentiam posteritati omni reapse trajecturus erat, si tantummodò perseverasset. Quin ergo & Christi sanctitas hypostatica peræquè efficax sit, feraxque meritorum? Deinde etsi flagitio suo semet Adamus contaminaverit, propaginem tamen suam nonnisi totius in seipso naturæ vitiatione vitiavit. Itaque jamdiu peccato illo grandi elapso, jam etiam ut credere par est expiato ejus reatu, vitiosos tamen filios genuit, quia vitiato semine: mortales genuit, quia mortalis: corpore & animo inveteratos genuit, quia de reliquiis suæ vetustatis. Quin ergo & Christus multò æquiùs de substantiæ suæ puritate nos expiet? Gregorius Nysse-
nus: *Quomodo autem mortis initium cùm extitisset in uno, simul etiam ad universam pervasit humanam naturam: eodem modo etiam principium resurrectionis per unum ad universam extenditur humanitatem. Nam in humana rursus ab illo assumpta concretione, cùm post dissolutionem anima rursus rediisset ad corpus, veluti à quodam initio, per ejus virtutem, unio ejus quod fuerat separatum, ex æquo transiit ad universam humanam naturam*. Itaque utrobique lex viget eadem inconcussa, ut qualis radix, talis sit & arbor tota: quale caput, tale & corpus omne. Innocens & immortalis Adamus innocentiam & immortalitatem, nocens & mortalis noxam & mortalitatem proli omni portendat inferatque. Nec aliter Christus substantiæ suæ qualitate suos omnes imbuat. Hæc radicis, hæc fontis, hæc capitis natura est, hæc efficacitas, hoc merendi genus proprium & singulare.

XIII. Ut Adamus vitiavit, ita Christus sanctificavit naturà in seipso, eam gestando, ut radix altera.

XIV. Ex Nysseno. Orat. Catec. c. 16.

Cyrillus etiam in hoc argumentandi genere plurimùm versatus est Libro de recta fide: *Quod si mortis imperium ut vita & Deus abolevit, necessarium est, ut id quod mortem pertulit, ipsius proprium extiterit, quo nimirum idem ipse ex mortuis ad vitam rediens, corruptionem è medio sustulisse, incorruptionisque beneficium in totum genus nostrum transmisisse dici queat. Sicuti enim in Adam omnes morimur, ita & in Christo omnes vivificamur. Et iterum: Nam ut per hominem mors, ita per hominem rursum est resurrectio mortuorum*. Et infrà: *Cùm primus parens noster Adam, mandatum quod acceperat, proculcasset, divinamque legem neglectui habuisset, humanam naturam dicimus quodammodo fuisse derelictam, execrabilemque & mortalem effectam. At simul atque unigenitus Dei id quod prolapsum erat in incorruptionem instauraturus advenit, semineque Abrahæ apprehenso,*

XV. Ex Cyrillo. To. 5. part. 2. pag. 134. 140. 143.

fratribus suis assimilatus fuit; tunc unà cum antiquo illo maledicto, inductaque corruptione, desertionem quam humana natura in suo principio perpessa fuerat, conquiescere oportuit. Et infrà: *Quo nimirum corpus nostro simile, sibique proprium factum assumens, tanquam homo in terris apparet, omnis peccati ignarus, atque ita Deo Patri per omnia obsecutus, humanam naturam in semetipso justificaret, mortisque vinculis eximeret, innocentiæ stola à Deo Patre coronandam. Etenim perabsurdum fuerit per inobedientiam prioris Adæ, &c.* Sexcenta istiusmodi apud Cyrillum, Augustinum,

Vide Cyril. Tom. 4 p. 96. 471. Tom. 5. par. 1. p. 227. 756. Tom. 6. p. 8. 9. 180, 81. 120. &c.

aliosque Patres testimonia occurrent, quibus clareat, naturam totam in Adamo atque in Christo ita constipatam, ita obnoxiam fuisse, ut de radicis stirpisque suæ ingenio medullitùs imbueretur; & hanc vim fuisse radicis alterutrius, ut succo suo totam propaginem suam inficeret, naturamque omnem non solùm operando, sed vel maximè existendo afficeret.

XVI. Homines nõ Angelos sanctificavit Redemptor, assumendo illorum, non horum substantiam.

Undecimò, idem ex eo emergit, quòd non Angelis Christus, sed solis hominibus merita sua contulit. Nam si voluntatis solius nutu res tota transigebatur, poterat perinde in carne humana etiam pro lapsis Angelis facere satis Patri. At humanitatem hanc singularem vendicando suæ hypostasi, & homo factus, nonnisi humanam honestabat naturam & commendabat Patri, atque ut sibi consertam, suamque conciliabat, nec hujus substantivæ deificationis aura ulla ad Angelos pertinebat. A-

Orat. 1. cont. Arian. Orat. 3.

thanasius: *Eadem ratione qua omnes sanctificans, ipse Patri suo sanctificare se ait; non quo Verbum sanctum efficiatur, sed quòd ipse in seipso omnes nos sanctificet. Ita quoque illud, superexaltavit eum, non ideo est ut ipse exaltaretur, cum sit altissimus; sed ut ipse quidem pro nobis justitia fiat, nos verò in eo exaltemur, portasque cœlorum ingrediamur.* Et alibi: *Neque à peccato, neque à maledictione vindicati fuissemus, nisi verè ea naturaliterque humana caro fuisset, quam Verbum sibi induerat: nihil enim nobis commune cum re aliena, &c.* Nec Angelis ergo commune quidquam est cum natura nostra assumpta. Unde Apostolus, Angelos non apprehendit, semen Abrahæ apprehendit. Ipsum enim apprehendere, non aliud sonat quàm Deitati, sanctitati & saluti conglutinare. Unde Nyssenus homil. De eo, quid sit, ad imaginem Dei & similitudinem, paulò antè finem: *Etsi enim minutus fuerit homo post prævaricationem paulò minus ab Angelis, tamen per unigeniti Dei Verbi secundùm hypostasim unionem in ipso majus quippiam est factus. Ille siquidem qui ad imaginem Dei quondam erat factus, quiddam conjunctum Deo nunc factus est, &c.* Dum enim naturæ humanæ adglutinat se Verbi Deitas, eique ideò universæ nobilitatem, pretium, amoremque Patris, id est, seipsum conciliat: perspicuum est, hoc quidquid est beneficii, cum Angelis non communicari.

XVII. Loca omnia perlustravit Christus, ut omnia sanctificaret præsentia sua.

Duodecimò, eodem redit quod animadversum à Patribus est, loca omnia supera, terrena, infera à Christo perlustrata esse, ut ipsa ejus præsentia verè lustrarentur, expiarentur, consecrarentur. Ut enim dum naturæ insidet nostræ Deitas, illam protinus mundat, nobilitatque: ita quascumque mundi partes suo honestat ingressu, illis illicò lu-

Athanasius. L. de Incarn.

cem sanctitatemque infert. Athanasius: *Omnes enim rerum naturæ partes attigit Dominus, omniaque ab omnibus præstigiis asseruit, &c.* Et Fulgen-

Fulgen. l. 3. ad Thrasim.

tius; *Restabat ad plenum nostræ redemptionis effectum, ut illuc usque homo sine peccato à Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus à Deo, peccati merito cecidisset: id est, ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri, & ad sepulchrum ubi consueverat peccatoris caro corrumpi: sic tamen ut nec Christi caro in sepulchro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur.* Id enim per seipsum Christus inferebat naturæ humanæ, ut posthac nec infernos subiret dolores, nec ex sepulchro spem resurgendi abiiceret: ideò & infernum & sepulchrum adiit, utrimque redivivus emersit. Merita hic vix alia comminisci poteris, quàm cujusmodi contendimus. *Ad sepulchrum perveniret caro justi, quousque fuerat caro devoluta peccati: & usque ad infernum descenderet anima Salvatoris, ubi peccati merito torquebatur anima peccatoris. Hoc autem ideò factum est, ut per morientem temporaliter carnem justi donaretur vita æterna carni: & per descendentem ad infernum animam justi, dolores solverentur inferni.*

CAPUT XIX.

Eadem meriti comparandi ratio ex implicata affixaque humanitati sanctitate ac dignitate Verbi divina, prolixiùs elucidatur.

I. In Christo omnes conresuscitati sumus, & cõsedimus in cœlestibus.

DEcimò tertiò, resurrectione & ascensione sua in cœlum Christus nostram promeruit, nostram effecit de morte victoriam, & à terrenis in cœlestia, atque in paternæ gloriæ consortium exaltationem. In illo enim omnes conresuscitati sumus, omnes in paterni solii consessu unà collocati. Omnem enim in seipso Ecclesiam gestabat caput nostrum, omnem præformabat, omnem per varios gradus ad summum provehebat gloriæ fastigium: & quidquid in seipso experiebatur antè, hoc Ecclesiæ suæ præstruebat, hoc promerebat, hoc oppignerabat. Si voluntatis unius arbitrium attendas, cruce sua nostram abundè resurrectionem & in cœlos raptum poterat Christus mereri: & tamen nisi ipse resurrexisset, cassa & conclamata foret nostræ spes resurrectionis: nisi cœlos conscendisset, æternùm inde exularemus. Ergo hæc alia promerendi ratio constituenda est, qua Deitas Capiti nostro hypostaticè incubans, æternitatem suam & paterni solii collegium illi adscribit, & quidquid in eo explicat per variam mysteriorum seriem, id omne corpori ejus communicat.

II. Ex Athanasio. Orat. 2. cont. Arian.

Athanasius: *Ideo & Deus exaltavit illum. Subintulit, ideo, non mercedem virtutis aut profectus, sed causam significans ob quam resurrectio facta esset. Et cur alii quidem homines ab Adamo usque in præsens tempus morerentur, & mortui permanerent; iste verò solus integer ex mortuis resurrexerit, causa ea est, quam ipse priori loco statuit, quod cùm Deus esset, homo factus est, &c. Atque iste homo e cœlo & cœlestis appellatur, eo quod Verbum e cœlo descenderit, ideoque sub imperio mortis detineri non potuit, &c. Ea de causa cum Verbum esset Deus, caro factus est, ut corpore mortificatus, vivificaret omnes sua potentia, &c. Ut mors illius, redemptio sit hominum, & abolitio mortis: & ut resurrectio & exaltatio per illum in nobis firmitudinem & stabilitatem habeat.* En ut suam, en ut nostram Christus resurrectionem operetur. Quia Deus & vita erat, detineri à morte non potuit; resurrexit ergo, & eadem opera implicatam sibi, ut alteri radici, ut summo apici naturam omnem suscitavit, seu resurgendi jure dotavit.

III. Ex Cyrillo. In Evang. Joan. L. 11. pag. 1003.

Cyrillus autem horum arcanorum indagator solertissimus; *Quemadmodum enim revixit destructa mortis potentia, non sibi ipsi resurrectionem implens, inquantum Verbum est ac Deus, sed nobis per seipsum & in seipso illud tradens; tota enim hominis natura in Christo de mortis vinculis triumphabat: ita nequaquam sibi dilectionem à Patre accepisse censebitur. Erat enim semper & ab æterno dilectus: sed ut nobis dilectionem à Patre conciliaret, hanc ab eo accipit, etiam cùm homo factus est. Quemadmodum ergo conformes resurrectionis & gloriæ ejus erimus, ac facti sumus, ut in primitiis generis & in primo Christo; ita & dilectionis veluti confor-*

formitatem habuimus, primas in omnibus tribuentes unigenito, & naturæ divinæ in nobis incomparabilem bonitatem jure mirantes, quæ sua sunt, creatoris largientis, & quæ sibi uni conveniunt, communicantis. His quid dilucidius optari potest? Verbum fit caro, ut nativa Patris dilectio, sibi etiam ut incarnato, atque ita carni suæ & universæ naturæ humanæ adhærescat. Non potest enim Pater non diligere Filium, etiam incarnatum, etiam universæ hominum naturæ consanguinitate involutum. Accedit enim caro, ut in personam unigeniti, ita & in dilectionem Patris in unigenitum Filium. Similiter Verbum ut vita carnem suam extinctam statim resuscitat, & cognationem omnem suæ carnis seu omne genus hominum in æternitatem vitæ pariter excitat. Nam ut dilectionem & sanctimoniam, ita & vitam immortalitatemque suam Pater Filio etiam incarnato, etiam universitatem corporis sui & Ecclesiæ gestanti donat: & ita nobis Christus meretur, dum merita, id est, dignitatem non accidentariam, sed substantivam Deitatis Verbi, carni suæ & per carnem suam Ecclesiæ suæ communicat.

IV. Ex eodem. Thesauri p. 196. 197.

Idem Cyrillus alibi: *Quemadmodum igitur non quatenus est Deus, sed quatenus homo, propter nos & pro nobis portas cœlorum ingreditur, nos in eas per se introducens, eamque propter nos viam instauravit: ita etiam cum sit altissimus, exaltatur propter nos ut homo, ut nos exaltemur in ipso gestante similitudinem nostri: utque ita reformaret nos in seipsum, ad imaginem creatoris instaurans naturam, pristinoque statui restituens.* Et ibidem mox: *Exaltatur, & ungitur, & sanctificatur propter nos, ut per ipsum gratia in omnes derivetur: ut jam naturæ collata, totique generi largita. Sicut Salvator ait, Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati. Quæcumque enim Christo insunt, eadem in nos derivantur. Quippe qui sanctificationem non sibi ipsi accepit, ipse enim erat sanctificans, sed ut per se eam humanæ naturæ conciliaret. Idcirco ait, Ego sum via, per quam divina gratia quodammodo in nos descendit, exaltans & sanctificans & glorificans atque adeo deificans naturam humanam in primo Christo.* Et Dialogo, Quòd unus sit Christus, *Instaurata in ipso humana natura in novitatem vitæ, in sanctificatione atque immortalitate, per resurrectionem a mortuis. Ita enim abolita est, irritaque facta mors, cùm naturalis vita non sustinuit proprium suum corpus interitui subiici, &c.* Vides qua constantia resurrectioni Christi nostram adsignet, ascensioni nostrum in cœlos provectum. In seipso enim Christus Ecclesiæ suæ incrementa & gloriæ tandem cumulum non prælineabat tantùm, non despondebat modò, sed præstruebat, sed initiabat, sed efficiebat. Etenim ut commortui illi sumus, ita & conresuscitati, & conlocati unà in cœlestibus. Unde rursus: *Cum nobis mortuorum resurrectionem pollicitus esset, dolores non abnuit, ut conculcata morte, atque à mortuis exurgens, primitiæ dormientium fieret: credimusque proinde futurum, ut corruptionem tollat, mortisque incursum à nostris corporibus arceat, cùm sit vita secundum naturam, & vivificans, quippe ut Deus. Ut vero præterea nobis viam perviam & facilem ad supera ostenderet, ascendit ad eum, qui in cœlis est Patrem & Deum, cum unita sibi, menteque informata carne.* Debetur enim vitæ increatæ Verbo, ut de eo corpus ejus non tantùm primò constructum vivat, sed & postea extinctum reviviscat: quin etiam debetur illi, ut & membra ejus omnia de eadem vitæ ejus plenitudine aspergantur. Et quod debetur illi, utique id meretur, sed meretur modo longè nobilissimo, non precariè, non obnoxiè, sed summo jure, & infinitæ dignitatis ac substantivæ Deitatis majestate. Vide eundem hæc sæpiùs alibi replicantem.

(Hom. Pasch. 25.)

(Cyrill. Epist. ad Nest. de Exc. p. 72. L. de recta fide, p. 150. 158. 176. To. 6. part. 1. pag. 122. 124.)

V. Ex Ambrosio. L. de fide Resur.

Succinit his Ambrosius: *Si enim non resurgemus, ergo Christus gratis mortuus est, ergo Christus non resurrexit. Si enim nobis non resurrexit, utique non resurrexit, qui sibi cur resurgeret, rationem non habebat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cœlum, resurrexit in eo terra.* Vides quousque pertineat efficacia resurrectionis Christi, efficacia vitæ Verbi divinæ, ut non tantùm jure suo meritoque, insitaque vitæ exundantia corpus suum, caput nostrum, sed & omnem Ecclesiam, quin & universum genus humanum in immortalitatem resuscitet; atque adeo totam ipsam rerum creatarum universitatem in quandam veluti juventutem innovatura tandem sit. Prudentius:

(Hymno 9. Cathemer.)

Ad brevem se mortis usum,	*Hunc Patres sanctique multi*
Dux salutis dedidit,	*Conditorem prævium*
Mortuos olim sepultos	*Jam revertentem sequuti,*
Ut redire insuesceret,	*Tertio demum die,*
Dissolutis pristinorum,	*Carnis indumenta sumunt*
Vinculis peccaminum.	*Eque bustis prodeunt.*

Constanter resurrectioni Christi nostra adscribitur, ut formæ cui imprimimur, ut fonti de quo aspergimur, ut vitæ infinitæ & efficacissimæ qua afflamur, ut majestati cui propter incarnationem consanguinei efficimur.

VI. Ex Cusano. L. 3. de docta ignor. c. 6. 8.

Cusanus luculentè nostrum hoc dogma executus est: *Hoc agit maximitas humanæ naturæ, ut in quolibet homine sibi per formatam fidem adhærente Christus sit idem ipse homo, unione perfectissima, cujuslibet numero salvo. Per quam hoc verum est, quod ipsemet ait, Quidquid uni minimo ex meis feceritis, mihi fecistis. Et è converso quidquid Christus Jesus passione sua meruit, illi meruerunt qui unum sunt cum ipso, salva differentia graduum meriti, secundum differentiam graduum unionis cujusque cum ipso, per fidem charitate formatam. Hinc in ipso circumcisi, in ipso baptizati, in ipso mortui, in ipso denuo per resurrectionem vivificati, in ipso Deo uniti & glorificati fideles existunt.* Hæc ille convenienter antedictis, quòd Christus summus sit apex naturæ humanæ, & extremus perfectionis limes, ideoque omnes homines in se complicet multò veriùs, quàm illa universalis seu specifica natura: ideoque in eo ut nostro vertice, ut exemplari forma ipsius humanæ naturæ verè inhumanata, omnes contineri nos ait, & pariter cum eo atque in eo nasci, mori, resurgere, deificari. Et idem infra: *Induit igitur in Christo humana natura immortalitatem, qui est primitiæ dormientium. Non est autem nisi una indivisibilis humanitas, & omnium hominum specifica essentia: ita ut eadem etiam humanitas sit Christi & omnium hominum, distinctione numerali individuorum inconfusa remanente. Hinc manifestum est omnium hominum qui temporaliter ante, aut post Christum fuerunt, aut erunt, humanitatem, in Christo immortalitatem induisse. Quapropter patet rationem hanc concludere, Christus homo resurrexit, hinc omnes homines resurgent per ipsum post omnem temporalis corruptibilitatis motum, ut sint perpetuò incorruptibiles. Et quamvis omnium hominum una sit humanitas, sunt tamen individuantia principia, ipsam ad hoc vel illud suppositum contrahentia, varia & diversa: ita quod in Christo Jesu erant solùm perfectissima & potentissima, & essentiæ humanitatis propinquissima, quæ divinitati unita fuit, in cujus virtute potens erat Christus propria virtute resurgere.* Acutè philosophatur, quamobrem cùm Deitas Verbi per assumptam humanitatem tanquam summus perfectionis vertex omnes complectatur homines, non omnes tamen paribus afficiat beneficiis. In causa esse ait, quod ab ipsa rationali natura, seu à rationis & veritatis lege longiùs aliqui peregrinentur, ideoque ab exemplari forma humanitatis etiam inhumanata longiùs resiliant. *Adverte naturam immortalitatem in Christo induisse. Propter quod omnes quidem sive boni sive mali resurgemus, sed non omnes immutabimur per gloriam,* &c.

&c. ut idem ibidem paulò pòst. E dignitate enim est & ex merito Verbi incarnati, ut vitam & immortalitatem inspiret omni carni sibi utcumque cognatæ.

VII. Mediator est Christus nō gestis tantū suis, sed sua in primis substantia, qua Deus & homo est.

Decimò quartò, Christus mediator est, non tantùm vel gestis, vel dictis, vel contumeliis etiam suis in gratiam nos cum Deo Patre & seipso recolligens; sed præterea, sed priùs substantiæ ipsius suæ stabili perennitate, ut jam diximus. In seipso enim primùm, id est, in sua ipsius substantia, qua Deus & homo est, Deum homini, hominem Deo conciliavit, & inexpugnabili pacis nexu conseruit. Non mediatorem tantùm agit Christus, sed est mediator; non extrinsecùs tantùm operando, sed priùs essendo Deitati nos readoptat. Et agit quidem ille mediatorem, sed ideò agit, quia est, & priùs est quàm agat. Itaque ante ulla ejus vel facta, vel dicta, vel si velis etiam cogitata in assumpta carne, jam mediator est, jam Deum homini sociavit, jam paternam omnem benevolentiam sibi affixam, secum defixit in homine. Itaque ut esse, antetius quid est quàm operari; ita priùs in seipso substantivè Christus Deum & hominem consociavit, Patrisque in Verbum sempiternam dilectionem temporali suæ naturæ & Ecclesiæ sibi conjunctæ conciliavit, quam ulla ejus vel sensa, vel verba, vel opera emicare cogitentur. Sed ut operatio, naturæ explicatio est & decus; ita mediationem suam substantivam Christus toto excursu vitæ mortalis, & cruce sua maximè explicuit & complevit. Porrò ita Deum homini copulare, istud est genus perillustre promerendi hominibus opes gratiasque tantas, quantas ex Dei copula substantiva derivari expectarique par est. Nihil attinet enim de verbis digladiari. Meriti nomen infrà ostendetur etiam hìc quadrare.

VIII. Ex Cyrillo, L.3. in Evan. Joan. p. 266.

Cyrillus: *Igitur quod ad mediationis quidem spectat imaginem, typus Christi censendus est Moyses, qui divina decreta filiis Israel utique ministrabat. Sed Moysis quidem mediatio ministratoria erat, Christi verò mediatio mystica & libera, utpotè qui naturaliter ad ea quorum mediator est, attingit & ad ambo pertinet, humanitatem nimirum, cujus mediator est, & Patrem Deum. Est enim natura Deus à substantia genitoris non separatus, & ipsi inexistens, in quantum ex ipsa etiam intelligitur. Est verò etiam homo, quatenus caro factus est, seipsum nobis similem faciens, ut per ipsum, id quod longè natura dissitum erat, Deo conjungeretur.* Viden quì mediator sit Christus, essendo priùs quàm operando? Primigeniæ ergo hujus mediationis dignitas & meritum quanti sit, quis verbis, quis vel mente possit assequi? Et rursus: *Mediator est enim Dei* (Ibid. l. 9. p. 769.) *& hominum, per seipsum & in seipso humanitatem Deo conjungens. Ut enim editus ex substantia Dei & Patris, unum est cum Patre, totus existens in ipso, & ipsum habens in seipso; quatenus autem factus est homo sicut & nos, exors tamen peccati hominibus conjungitur, & interliminium veluti quoddam factum est, continens in seipso quæ ad unitatem & amicitiam concurrunt.*

IX. Ex Athanas. Orat. 4. adv. Arian.

Athanasius: *Ego in illis & tu in me, ut absolute in unum perficiantur. Certum est Verbum in nobis esse factum, quippè quod nostrum corpus induerit. Tu autem in me Pater, tuum enim sum Verbum. Et quia tu in me, eò quòd tuum sim Verbum; ego verò in illis per corpus meum, & quia per te in me hominum salus perficitur, rogo te ut & ipsi fiant unum secundum rationem mei corporis & secundùm ejus perfectitudinem; ut & ipsi perfecti reddantur, cùm habeant cum corpore meo unitatem, & in eo unum fiant, & quasi quos ipse gestem, pariter unum corpus fiant, & unus spiritus, & in virum perfectum evadant.* Tota Christi mediatio paucis his verbis constringitur, *Ego in eis, & tu in me.* Ita enim per unum Christum ex Deo & homine coalitum, nos homunciones cum Deo coalescimus, & in gratiam redimus.

X. Ex Cypriano, Hilario, Fulgentio. Cypr. L. de Idol. vanit. Hilar. Can. 8 in Matth. Et in Ps. 67.

E Latinis Cyprianus: *Deus semper cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem.* Ita perducit, quia induit: ut tam indivulsa sit nostra cum Deo conciliatio, quàm Christi ipsius ex Deo & homine coalitio. Hilarius: *Docet in se etiam mediatoris officium, qui cùm sit receptus à nobis, atque ille profectus ex Deo sit, Deus per illum transfusus in nos sit.* Et alibi: *Mirabilis ergo in sanctis Deus est, quos cum conformes gloriæ corporis sui fecerit, per se qui mediator est, etiam in unitatem paternæ majestatis assumet: dum & in eo per naturam Pater est, & ille rursum per societatem carnis in nobis est.* Itaque ut cæteros faciam missos, vel in alium locum seponam, ubi vacabit de Mediatore Christo disputare, unum hìc Fulgentium adjiciam, ubi nulla humanæ naturæ parte Christum viduari posse argumentatur, ex eo quòd Mediator sit, Deum in se homini copulans, & totum copulans, ideòque totum hominem in se complexus. Si qua portio autem humanitatis Christo deforet, ea ut divinæ Verbi copulæ exors foret, ita totius Christi advocationis fructu frustraretur. (L. 1. ad Trasim.) *Cunctos præterea qui salutis esse cupiunt æternæ participes, oportet agnoscere pariter & tenere, non in cassum hominem Jesum Christum Mediatorem Dei & hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se habet substantiam divinitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem hominemque peccantem talis utique mediatoris necesse erat ut interveniret persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet: & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret. Atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset, ut plenitudo Deitatis susceptum non consumeret, sed proveheret hominem; & plenitudo humanitatis nec minoraret immensam, nec mutaret impassibilem Deitatem: ac sic hominis natura, quæ mutata fuerat in deterius, per illud tota redintegraretur, quo nihil est melius.*

XI. Interpellat Christus pro nobis etiam nunc apparens vultui Dei pro nobis.

Decimò quintò, interpellat nunc etiam Christus pro nobis in paternæ dexteræ majestate regnans. Interpellat autem, dum *apparet vultui Dei pro nobis.* Apparere enim hominem eundem atque Deum, istud enim verò est pro homine Deum interpellare. Apparere Deum homini mixtum, istud est Deum homini propitiare. Apparere Verbum carni humanæ conglutinatum, istud est paternam benevolentiam carni conciliare. Apparere hominem divinæ Filietatis hypostasi & sanctitate tota inunctum, istud est Deum humanæ naturæ placare. Apparere denique verticem summum & Principem naturæ nostræ in divini solii collegio, istud est omnem hominum naturam in ejusdem gloriæ spem jusque adoptare.

XII. Ex Cyrillo. Thesauri p. 196.

Cyrillus Alexandrinus: *Paulus ad Hebræos ait, Præcursor pro nobis introivit Jesus, non in exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Quemadmodum igitur semper in cœlis & coram facie Patris existens, nunc pro nobis ingreditur & apparet coram Patre: ita vicissim nunc exaltatur pro nobis, & glorificatur, accipitque nomen quod est super omne nomen: ut quemadmodum in ipso etiam in cœlum ingredimur, & apparemus coram Patre, ita etiam in ipso glorificati & exaltati, filii quoque vocemur.* Et alibi: *Cùm ab initio igitur Pater illi abblandiretur, ex eoque oblectationem quotidiè caperet, isque vicissim voluptatem Patri afferret: quomodo nunc demum vultui Dei apparere dicitur? Sanè Verbum Dei novo nunc modo apparet, non amplius carnis expers & purum sicut in principio, sed in forma & natura humana. Ad hunc* (L. de recta fide pag. 167.)

ita-

itaque modum pro nobis apparere, humanamque naturam (esto illa propter Adami prævaricationem quandoque exosa proscriptaque fuerit) in conspectu Dei Patris offerre traditur. Verbum proinde ut homo factum est, oculis paternis velut in seipso primò nos sistit; qua nimirum Patri commendatos nos reddat: veteribusque noxis expiatos, ad vitæ novitatem per spiritum instauret, ac tandem dignos efficiat, qui in conspectu Patris simus, quos in filios cooptavit. Non nudum ergo Verbum, sed carne sua indutum, sed Ecclesia sua vestitum, sed omni humana cognatione amictum apparet vultui Dei, & Patris utique gratiam sibi toti, id est, corpori etiam suo, cognationi etiam suæ ebblanditur. Non potest enim sibi temperare paterna dilectio, quin effundatur in Filium etiam incarnatum, etiam totius humanæ naturæ causa & persona indutum. Unde Gregorius Magnus: *Per hoc pro nobis Patri loquitur, per quod semetipsum nobis similem ostendit. Loqui quippè ejus vel interpellare, est ipsum se pro hominibus hominem exhibere.* Plura de his alibi.

Moral. l. 24. c. 2.

CAPUT XX.

Genus aliud meriti ex divina Christi voluntate ac libertate profluum indagatur; aut sin minùs meriti, certè dignitatis.

I. Adversus Arium & Nestorium primaria meritorum Christi ratio à Verbi dignitate & sanctitate derivatur.

VErbi Dei majestatem Ariani nostris contaminaverant sordibus, parique ac nos liberi arbitrii mutabilitate, & obnoxia hac promerendi Patris arte obscuraverant. Christum hominem merum Nestoriani, meritis suis ad Deitatis consortium provectum esse postea somniarant. Cùm isti ergo in explicandis Christi meritis tam malè de Christo & de Christi Ecclesia mererentur, contrà nitentes sancti Patres longè alia Christi merita & ab hæreticorum calumniis tutissima prosecuti sunt. Itaque summa contentione animi incubuere, in merito & dignitate Verbi Dei exaltanda, qua quia Deus est, quia veritas & justitia est, seu sine carne, seu cum carne spectetur, omnia ei laudum ornamenta, omnia gloriæ præmia jure meritissimo debentur. Ad eum modum compendiosissimè anfractus omnes intercluduntur, nec sinuntur vel ante carnem Ariani, vel post carnem Nestoriani in divinitatem Christi quasi ex insidiis impetum facere. Cyrillus: *Si credis ipsum Verbum cùm Deus esset, factum esse carnem, cur illum gloriæ Dominum quasi non habeat suam, gloria à Spiritu data dicis indiguisse? Et eum intra mensuram computas creaturæ, quæ omnia extrinsecus habet, atque donata? Creaturæ namque audire convenit, Quid enim habes, quòd non accepisti?* Et paulò infrà: *Gloria revera est Deo ac Patri, dum à nobis creditur, quod cùm Deus sit verus & vita & vivificans, parem sibi ac per omnia similem, ineffabiliterque & supra omnem intelligentiam genuit Filium: qui non fuit minor etiam cùm in carne natus est, sed præstantem illam egregiamque naturalis nobilitatis sibi insitæ pulchritudinem integram omninò servavit, ita ut ipse quoque sit vita, utpote ex vita, & omnia possit, & sine labore perficiat, & his qui sunt mortui corruptionique obnoxii, incorruptionem donet.* Congenitæ ergo majestatis retinentissimus, & Patre non minor, etiam cùm in carne natus est æternus Filius, si sibi, si nobis ut membris suis vitam, gloriam, incorruptionem accipit, id omne ut suæ amplitudini, ut suæ incarnatæ Deitati debitum propriumque accepto fert, & Patri idipsum debet, quia & seipsum, cui hæc debentur, Patri debet.

L. 4. adver. Nest. p. 106. 107.

II. Ratio altera nunc expenditur, quod cùm posset

Ea est indubiè primaria Christi meritorum ratio. Nunc altera vestiganda est seu meritorum, seu dignitatis ratio, quæ ab ejus voluntate, seu ab obedientia libera proficiscatur. Et quidem non rarò sancti Patres illam maximè Verbi voluntatem ac Deitatem contemplantur, ut obedientiæ nutu incarnatam, & ita salutis nostræ opificem. Non obnoxiè, non dependenter, sed liberaliter & divinæ consubstantialitati accommodatè mittitur Verbum à Patre, obedit & subiicitur Patri, tanquam manus vel brachium Patris, tanquam virtus & voluntas ipsa Patris. Ex hac porrò obedientia, qua (ut humanam interim voluntatem seponamus) incarnatus passusque est Filius Deus, quis dubitat laudum illi meritorumque segetem uberrimam accrevisse? Est enim hæc obedientia prorsus libera, & si velis, etiam indifferens ad utrumlibet. Non quòd possit Filius non audire Patris jussa, sed quòd unà cum Patre ipse jubeat, ut qui jussum & mandatum & lex & imperium & denique voluntas Patris ipse sit. Tam indifferenter ergo Filius incarnatur & moritur, quàm jubet Pater incarnari & mori. Cyrillus: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. Ait missum se à Deo & Patre, vel ratione incarnationis, per quam mundo cum carne illuxit, beneplacito & nutu Patris: vel ut Verbum ex Genitoris mente prodiens quodammodo, & voluntatem suam adimplens: non ut alienæ voluntatis executor assumptus, sed ipse cùm sit & Verbum vivens, & manifestissima Patris voluntas, promptè servans eos qui perierunt.* Secreta etiam ratione carnis, impleri à Verbo voluntatem Patris admonet, sed tam liberaliter, tam indifferenter etiam, quàm à Patre imperetur: quia una voluntas est, qua Pater jubere, qua Filius parere vult, ipse Filius. Ibidem mox: *Cùm ergo Filius sit bona Patris voluntas, perficit opus ejus, salutem tribuens credentibus in eum.*

non incarnari, non mori, & incarnatus & mortuus sit Deus Verbum. Hinc illi meritum, seu mavis dignitas, cui Pater omnia tribuat.

In Ev. Joan. L. 2. pag. 197. 198.

III. Ex Cyrillo. Ibid. l. 10. pag. 882.

Cyrillus idem hoc ipsum perspicuè ex Paulo colligit, apud quem Verbum cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & ad crucis usque mortem factus obediens. Ubi satis lucidum est admirandam prædicari divinam potissimùm voluntatem Verbi, qua sese exinanivit incarnatione, & passione. Advertamus animos Cyrillo: *Nam cum Deus & Pater omne genus hominum corruptum salvare voluisset, cum creaturarum omnium vires id longè excederet, ipse dispensationem illam subiit, quippe cum Dei ac Patris voluntatem Deus unigenitus agnosceret. Sic autem in subjectionem voluntariam ultro descendit, ut etiam ad mortem usque, eamque turpissimam se demitteret. Quia verò ista passus est, idcirco & Deus, inquit, superexaltavit illum. Habes igitur in subjectione voluntaria voluntatum Patris adimpletionem, quas loco mandatorum Filius apud se esse ait. Nam cum Patris consilia ut Verbum intelligat, ejusque profunda scrutetur, imò verò cum sit sapientia & virtus Patris, voluntatem ejus ad opus perducit, mandati loco eam habens, atque ita humano more eam nuncupans.* Ad Deum Verbum omnia transfert, qui consilium & voluntas Patris cum ipse sit, omnem in salute hominum procuranda, & carne sua dispensanda implet Patris voluntatem, ideoque nullis non laudum præmiorumque cumulis ornandus est cum carne sua.

IV. Ex eodem. Tom. 5. part. 1. pag. 718.

Et Dialogo, quod unus sit Christus, idipsum colligit ex alio Pauli testimonio, ubi dicitur Christus pro gaudio sibi proposito sustinuisse crucem: *Deus enim & ex Deo secundum naturam existens Verbum & splendor gloriæ, factus est homo, &c. Demittens se ad exinanitionem, & pro gaudio sibi proposito dedecus contemnens, humanitatisque miseriam atque indigentiam non aspernatus. Voluit enim ut Deus carnem morti & peccato obnoxiam morte ac peccato superiorem declarare, pristinæque integritati restituere, propriam eam sibi faciens, &c.* Et sanè gaudium & superexaltatio de

quia Paulus, ipsi in primis exinanitioni Verbi rependi debuit, id est, ipsi substantiæ incarnationis; nam summa exinanitio Verbi hæc est, quod homo factus sit. Ideò ut primùm in carnem se dejecit, ei ita incarnato & exinanito ob eam obedientiam Patri præstitam, ob eam ingenitæ bonitatis redundantiam, summa jam tum gloria, & hominum servitus salusque debebatur. Vide & Epistolam 1. ad

Pag. 17. 18. L. de recta fide. Pag. 161. 162. Monachos Ægypti. Et alibi denuò: *Mortem pro nobis subiit, non ut homo quispiam nostri similis, sed ut Deus carne indutus, qui corpus suum pro mortalium omnium vita obtulit.* Denique in defensione Anathematismi XII. adversus Theodoretum: *Quia mundo salutare erat pati, & rursus Verbum ex Deo genitum in propria natura pati non poterat, pulchro artificio negotium dispensationis aggreditur, & corpus proprium fecit, quod pati posset, ut corpore passibili pati diceretur, ipse manens alioqui propria natura impassibilis. Quia verò carne passus est volens, hac ratione Salvator omnium est nominatus.*

Otiosum foret plura coacervare, vel ex Cyrillo, vel ex Athanasio, vel ex cæteris Patribus, cùm nulli qui eos vel primoribus labris degustarit, obscurum esse possit, Verbi voluntati ut principanti, ut sua sponte huc se inclinanti, ut abstinere toto hoc labore compoti, tam reliquam dispensationem in carne totam, quàm ipsam incarnationem imputandam esse, ideòque illi & à Patre & ab hominibus omnia gloriæ ornamenta jure meritoque rependenda esse.

V. Ex Hilario. E Latinis autem Hilarius frequentissimè idemque disertissimè obedientiam & subjectionem adsignat ipsi personæ Verbi divinæ, tam ante carnem, quàm in carne, sed liberalem, sed filialem & generosam, & à consubstantialitatis apice nihil degenerantem. Sepositis ergo interim partibus humanæ voluntatis, sola ipsa Verbi divina voluntas, ut ante carnem, ita in carne & per carnem Patri obediens, jussa ejus capessens, ad omnem ejus nutum pronissima, quanta Patris charitate, quanta gloriæ ubertate ab eodem Patre debuit cumu-

L. de Syn. adv. Arian. lari? *Vel in eo quidem maximè non comparatur, nec coæquatur Filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est, dum pluit Dominus à Domino: dum ad dexteram Dei tum consedit, cùm sibi ut consederet, dictum est: dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus qui se misit, obsequitur. Sed pietatis subjectio, non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem facit naturam: dum per id quod cùm & innascibilis Pater Deus est, & unigenitus Filius Dei Deus est, Deus tamen unus sit: & subjectio Filii doceatur & dignitas: dum ei ipsi nomen si Filius nuncupandus subjicitur.* Centies alibi idem ipse Filium Patri Deitatis unitate comparem, innascibilitatis & Patris authoritate majorem Patrem inculcat; itaque citra detrimentum æqualitatis naturalis, subjectum & obaudientem Patri Filium esse qua Filium, sive ante carnem, sive in carne, sed in carne maximè, de carnis ipsius ingenio. Hanc autem Verbi subjectionem & obedientiam in carne sua Patri exhibitam, quis nullius meriti aut laudis dicat extitisse? Aut quis hoc quodcumque fuit meriti, cum carne communicatum fuisse ambigat?

VI. Ex Augustino. L. 4. de Trin. c. 20. Augustinus Hilario consentaneus est: *Si autem secundùm hoc missus à Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille Filius, nullo modo impedit, ut credamus æqualem Patri esse Filium, consubstantialem & coæternum: & tamen à Patre missum Filium. Non quia ille major est, ille minor; sed quia ille Pater, ille Filius: ille genitor, ille genitus: Filius enim à Patre est, non Pater à Filio. Secundùm hoc jam potest intelligi, non tantùm ideo missus dici Filius, quia Verbum caro factum est: sed ideo missus ut Verbum caro fieret, & per præsentiam corporalem, illa quæ scripta sunt, operaretur; id est, ut non tantum homo missus intelligatur quod Verbum caro factum est, sed Verbum missum ut homo fieret. Quia non secundùm imparem potestatem vel substantiam, vel aliquid quod Deo Patri non sit æquale missus est, sed secundùm id quod Filius à Patre est, non Pater à Filio. Quid ergo mirum si mittitur, non quia inæqualis est Patri, sed quia est manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera?* Mittitur ergo Verbum Deus, & mittentis authoritati obaudit, ut caro fiat, & in carne compleat omnem Patris voluntatem. Hæc pietas, hæc obedientia, hæc subjectio fraudari laudibus & gloria sua nequaquam potest. Et alibi: *Ab ipso sum, & ipse me* Tract. 31. in Joan.
misit. Quod autem videtis me in carne, ipse me misit. Ubi audis, ipse me misit, noli intelligere naturæ dissimilitudinem, sed generantis authoritatem. Quærebant ergo eum apprehendere, sed nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora ejus, hoc est, quia nolebat, &c. Si tua hora, voluntas est illius, illius hora quæ est nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit, qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Tempus enim expectabat, quo moreretur, quia & tempus expectare voluit, quo nasceretur. Potuit ergo Verbum non nasci in carne, potuit non mori, voluit sua sponte, qua Patris ipse voluntas est, & nasci in carne & mori. Hæc summa ejus pietas, summa in Patrem charitas, summa in homines misericordia, summa laudum, & quando hujus quoque vocis licentiam exoravimus, meritorum seges.

VII. Ex eodem. In Psal. 91. Idem alibi rursum: *Non timebat Dominus pati, tertio die resurrecturus. Si prorsus quomodo homo pateretur, & non quomodo Deus pati veniret, & si sciret se post triduum resurrecturum, nullo modo formidaret moriturus, &c.* Et infra: *Prorsus tristis fuit Christus, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem, &c.* Vides quam voluntatem tristitiæ, cruci, morti substernat, ut merita illis quanta par est, irriget, nempè eam ipsam qua carnem suscepit, nempè divinam. Sola enim divina voluntas incarnationis suæ arbitra fuit. Cui consonat Paulinus:

Ep. 17. ad Delphin. *Hoc Dei Verbum de quo pluvia voluntaria est, quia non necessitate subjecti, sed Dei æqualis adsensu, & pietatis officio obediens Patri Filius, humiliavit se usque ad mortem crucis, sicut dixerat per Prophetam, voluntarie sacrificabo tibi. Quia idem Dominus sacerdos & victima semetipsum pro nobis obtulit, & propria potestate animam suam & deposuit, & resumpsit.* Adverte, unde voluntarium & liberum assensum aucupetur: videlicet ex eo quod Filius non necessitate subjecti, sed Dei æqualis assensu & pietatis officio obedierit Patri in humanatione sua.

VIII. Ex Tertulliano. Tutum erit jam etiam Tertullianum percontari. Nec enim vacillabit ejus fides, ubi præiverunt suffragatores authoritatis ineluctabilis Hilarius, Augustinus, Paulinus, quibus & reliquos consentire Patres, & compendii tantùm gratia prætermitti certum est. At quia Tertullianus hanc creberrimus semitam trivit, vestigia ejus legamus. *Ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus. Tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus, eum qui jubet & eum qui facit. Nam nec juberet, si ipse faceret, &c.* Sospite itaque unitate substantiæ, docet juberi Filium à Patre. Et infrà: L. adversus Praxeam.
Filius ergo visus est semper, & Filius conversatus est semper, & Filius operatus est semper, ex authoritate Patris & voluntate. Et inferiùs: *Apud nos autem solus Filius novit Patrem, & sinum Patris ipse exposuit, & omnia apud Patrem audivit & vidit; & quæ mandatus est à Patre, ea & loquitur. Nec suam sed Patris perfecit voluntatem, quam de proximo, imò de initio noverat.* Complurima id genus apud Tertullianum passim occurrent, quibus planissimum est obedientiam æquè in carne atque ante carnem Patri à Filio Deo & Verbo dependam esse, citra unitatis substantivæ jacturam, & vel

vel hinc maximè meritis laudibusque cumulatissimam.

IX. Ex Novatiano. L. de Trinit. Tertulliani mentem magis aperiet Novatianus: *Quamvis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre: & hoc ipsum quod est, habere se, quia Pater dedisset. Inde denique & ante carnis assumptionem, sed & post assumptionem corporis, post ipsam præterea resurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitit pariter & præstat. Ex quo probatur, nunquam arbitratum illum esse rapinam quandam divinitatem, ut æquaret se Patri Deo, Quin imò contra omni ipsius imperio & voluntati obediens atque subjectus, etiam ut formam servi susciperet, contentus fuit, &c.* Etsi præstita in carne obedientia & per carnem, ex carnis creatæ genio, servitutis & dependentiæ notas peculiares præseferat; aliquam tamen ut ante carnem, & post devoratam in gloria infirmitatem carnis, ita in ipsa carne mortali obedientiam à Verbo Deo, præstitam esse, eamque Patri demulcendo peropportunam perspicuè hic colligis. Et infrà: *Qui obedierit semper Patri & obediat, &c. Quid enim tam evidens potest esse, hunc non esse Patrem, sed Filium, quam quod obediens Patri Deo proponitur.* Et infrà: *Missum præterea se esse dicit, ut per hanc obedientiam qua venit Dominus Christus, missus non Pater sed Filius probaretur.* Et infrà: *Qui quoniam ex Deo est, meritò Deus, quia Dei Filius dictus sit, quoniam adnunciator paternæ voluntatis est, magni consilij angelus pronunciatus est.* Et denique paulò antè metam totiùs operis: *Idem est denique, quod nihil ex arbitrio suo gerit, nec ex consilio suo facit, nec à se venit, sed imperiis paternis omnibus & præceptis obedit: ut quamvis probet illum nativitas Filium, tamen morigera obedientia asserat illum paternæ voluntatis, ex quo est ministrum.* Hæc ille audacule, citra dispendium tamen consubstantialitatis.

X. Comparatio meriti hujus cum superius explanato. Verùm hoc genus alterum meriti, seu dignitatis, ex divinitate una profluit, in eoque parando si aliquæ sunt, perobscuræ sanè sunt humanitatis partes. Non multum etiam ab altero priori dissidet hoc posterius, etsi nonnihil dissidet. Illic sola substantia spectabatur, hic etiam operatio Verbi: illic una majestas Deitatis, hìc obedientia: illic essentiæ dignitas, hic libertas: illic sanctitas substantiva Deitatis, & incommutabilis justitia, hic voluntas carnis crucisque eligendæ vel repudiandæ compos. Hæc ergo nonnulla utriusque intercapedo est. At consonantia utriusque permagna oppidò est rursum, quod utrobique meriti merendique voci venia præfanda sit; quod utrobique longè aliud à cæteris sit hoc meriti genus; quod utrobique dignitas meritumque ex una Deitatis majestate in humanitatem derivetur; utrobique voluntatis & libertatis humanæ ratio minus videatur haberi; utrobique meritum ejus generis est, quod Deo ipsi appingi potest, qui quoniam incommutabiliter justus & justitia ipsa est, nostris laudibus & impensissimis obsequiis coli utique meretur: utrobique demum ratio meriti divina prorsus est, & vix ullo nisi materiali creatæ naturæ officio subnixa, etsi hoc posterius meritum ab assumpta humanitate nonnihil etiam exprimatur, utpote cùm manet ab obedientia Verbi in carne & per carnem exhibita.

XI. Meriti alia ratio ex humana voluntate & libertate Christi vestigatur. Orat. 2. adv. Euno. Sed humanæ jam voluntatis Christi merita propria indaganda sunt & creatæ ejus libertatis. Nam obedientiam morte crucis maximè consignatam, non divinæ, sed humanæ Verbi naturæ imputandam aliquando sancti Patres commendant, unde proclive erit, fontem meriti etiam in humana natura indigitare. Gregorius Nyssenus: *Tunc propter nos factus est obediens, sicut & peccatum, & maledictio propter dispensationem pro nobis susceptam factus est, cùm natura hoc non sit, sed propter amorem & benevolentiam in hominum genus factus est.* Sic ille adversus nefarium obedientiæ Verbi non præconem, sed obtrectatorem, consubstantialitati ejus cum Patre hinc insidiantem. Et infrà: *Perspicuum est, quod quando Paulus dixit, ipsum factum fuisse obedientem, sic dixit, quemadmodum dicit, & ipsum factum fuisse carnem & servum, & execrationem & peccatum propter nos.* Pluribus ille ibidem imperatoriam prosequitur Verbi dignitatem, ut ipsum ante carnis assumptionem ab obedientiæ sordibus purum omninò fuisse demonstret. Damascenus L. de forma hominis ad imaginem Dei facta: *Obtemperabat ultro divina illius & paternæ voluntati voluntas humana, &c. Non enim descendi, ut id quod vellem facerem, sed id quod tu qui me misisti: non ut humana mea voluntas suo arbitratu tuæ repugnet, &c.* Et L. de duabus Christi voluntatibus: *Quoniam autem una est Christi persona, unusque Christus, sit ut unus sit qui utraque natura velit. Ita tamen, ut qua ex parte Deus est imperet & censeat: ut autem homo, pareat & obediat: imperet quidem ut Deus paterna divinaque voluntate cum Patre & Spiritu: ut autem homo nostra voluntate divinæ suæ ac paternæ voluntati morem gerat. Neque enim Patri obedit divina sua voluntate: quippè cum divina voluntas nec pareat, nec imperium recuset. Quandoquidem hæc sunt, ut ait Gregorius Theologus, eorum qui in ditione alterius sunt & servi formæ, quam ex nobis Christus assumpsit.* En quàm expresse obedientiam à Verbi natura abstergeat, solique illinat carni. Damasc. pag. 495. 496. 484.

XII. Obedientiæ duplex consideratio in Christo. Apol. David poster. c. 7. Et è Latinis Ambrosius: *Excelsus per naturam, sed humiliatus per misericordiam: sublimis in divinitate, sed mitis in corpore. Itaque ubi humiliatus, ibi obediens. Ex eo enim nascitur obedientia, ex quo humilitas, & in eo desinit. Quum enim obediens dicitur factus usque ad mortem, mors autem non divinitatis, sed corporis fuit, non utique obedientia divinitatis fuit illa, sed corporis: nec humilitas majestatis illa, sed carnis.* Non abutar otio, ut actum agam, & rem omnibus persuasissimam, densioribus testimoniis nequicquam cingam; unum id non abs re monebo, nihil inter has & superiores Patrum sententias suspicandum esse dissidii, etsi adversis signis committi collidique inter se videantur. Obedientia enim aliqua est sordidior, & servitutis squallorem præseferens, cujusmodi est creaturæ ad Deum, servi ad dominum. Alia est obedientia non liberalis tantùm, ut Filii in Patrem, sed divina & Verbi propria, cujus cum Patre non una tantùm substantia, una Deitas, una majestas est, sed una etiam voluntas, una dominatio, una imperatrix libertas & omnipotentia. Hic enim ubi Filius Patri obtemperat, sibi obtemperat: ubi Patris voluntati & imperio obsequitur, suæ voluntati, suo imperio obsequitur; ubi Patrem jubentem audit, sese jubentem audit. Hæc obedientia posterior nobiliorque à nonnullis Patribus attribuitur Verbo Deo; illa prior, quæ est humilior, ab aliis amovetur. Nulla hìc umbra discordiæ. Sed ubi hæretici aucupantur occasiones altercandi & per cuniculos impetum faciendi in veritatem Ecclesiasticæ fidei, tum verba diligentiùs trutinanda sunt, ne ex his grassandi licentiam arripiant. Nec mihi in mentem venit proferre in medium illa de Verbi Dei obedientia & subjectione testimonia, quo temerè iis abutendum nunc censeam: qui serviendum potiùs existimo temporibus & utilitatibus Ecclesiæ, linguamque fidei causis & fidelium gustui attemperandam; sed ut ne quis resiliat, ubi in hæc inciderit inter evolvenda Patrum monumenta & inanibus dissidii suspicionibus fatigetur.

XIII. Humanæ Christi libertati impeccabili duplex inest ratio meriti. Ergo cùm penes voluntatem & libertatem humanam Christi stirps etiam meritorum, perindè ut obedientiæ adsignanda sit, elucidari nunc opus est, ecquod sit istud meritum. Ex nullo enim cum peccandi

peccandi potentia & mutabilitate conflictu extundi illud potest. An ergo ipsa Christi voluntas humana sanctitatis & charitatis pondere in impeccantiam omnimodam abrepta, hinc colligebat meritorum ingentem messem, quod in mortali corpore, in exhauriendis mortalitatis calamitatibus nihilo seciùs volutaretur? Quis enim laudis vacuam, quis inopem meriti calumnietur voluntatem impeccabilem, si pro justitia doloribus ærumnisque acerbissimis exagitetur? Quin imò duplex hìc meriti ratio in promptu est. Nam primùm quidem, etsi sola spectetur voluntatis impeccabilitas seu charitas tanta, quæ peccare non modò nolit, sed nec etiam possit, summæ dignitatis summique meriti illa proculdubio est, & tum corpori suo privatim, tum publicè cognato sibi humano generi quidvis à Deo impetrare potest. Secundò, si voluntas illa impeccabilis, seu charitas exundantissima amiciri intelligatur mortali corpore, cruciatibusque pro veritate atrocissimis conflictari, hinc rursus illi vena largissima meritorum. Et duplex ista ratio meriti nonnihil dispar illa quidem, affinis tamen est superiùs explanatis. Ubique enim in his regnat illud, quod veluti caput est, unde cætera religata pendent omnia: quòd nempè summæ sanctitati insit dignitatis, pretii meritique infinitas quædam quasi substantiva. Ita Dei in seipso sanctitudini, ita Verbi incarnati increatæ justitiæ, ita Verbi in salute hominum dispensanda obedientiæ ad Patrem, charitati ad nos pertinenti, debetur jure meritissimo, debetur pro meritis suis quidquid laudis vel ornamenti vel præmii in mentem venire potest. Libet hìc invidiam semel deprecari hujus vocis, præmii. Quod enim debetur laudis & honoris, id præmium utcumque dici potest. Si non potest citra piaculum vocitari præmium, id quod inferiores etiam dependunt merito & majestati superioris, temperandum erit hac voce, & auribus fidelium serviendum erit. Veniam quoque nos orabimus nostræ licentiæ, & exorabimus, ut spero, cùm satis liquet quid velimus, & quantum à verborum litibus abhorreamus. Ergo similiter deificatæ Christi humanæ voluntati, seu impeccabili charitati debebatur quævis laudum & mercedis copia; etsi nullus hìc cum mutabili ad peccandum flexibilitate conflictus existat.

XIV. Cõsentiunt Ecclesiæ & Scholæ Primates. Quòd ergo merita Christo hinc accreverint, quòd voluntas ejus humana flagraret charitate æstuantissima & impeccabili, atque spiritu ipso Verbi, id est suo, tanquam charitatis increatæ chrismate inuncta deificaretur, non pauci ex nupera & hodierna Theologiæ schola acquiescunt. Charitate enim beata Christum meruisse consentiunt; cui nulla peccandi potestas, nulla ad inobedientiam flexibilitas comes est. Horum suffragia inferiùs congeremus. Nunc ut cœpimus, Patrum oracula rimemur, & ex humana Christi libertate, & impeccabili voluntate ac charitate fontem meritorum derivemus. Apertissimè enim id Scripturæ pronunciant, cum Christi charitatem in Patrem & in homines, cumque obedientiam extollunt. Et nemo cordatus non statim in summi pretii meritique numero hanc obedientiam ponit, ex tanta profectam charitate quæ peccare nec velit, nec possit. Sed irruunt statim vulgaria præjudicia, liberum arbitrium non esse hominibus, nisi ubi ad utrumlibet facultas est; nec merito locum esse, ubi libertas exulat. Quid absolutius ergo, quàm ut Christi merita etiam humana alterius esse ordinis æstimentur, & divinitatis sapore condiri, cum & Christus ipse quamvis homo, Deus etiam sit tamen; nec tamen omni indifferentia & ad utrumlibet flexibilitate fraudari humanam Christi voluntatem, cùm ex seipsa intrinsecùs indifferens prorsùs sit ad res actionesque in seipsis spectatas, nec ad eas nisi paterno imperio, & obedientiæ filialis suavitate determinetur?

Cyrillus: *Naturam namque nostram omnes fatemur, ex illa in Adam transgressione in maledictionem & mortem fuisse devolutam. Ad hæc laborasse etiam facilitate peccandi in carne, &c. Propterea novissimus Adam est appellatus, non quod prioris illius vitiis laboraverit, sed quod in seipso & quidem primo hominis naturam transgressionis illius veteris crimine liberaverit. Quamvis enim illa fuerit in Adam damnata, at certè in Christo probatissima & imprimis admirabilis apparuit.* Et alibi: *Quoniam propter Adæ prævaricationem regnaverat supra omnes peccatum, factum est caro Dei Verbum, &c. Fuit etiam liber à peccato, ut in eo, & in eo solo innocentiæ laudibus natura hominis coronata, Spiritu sancto ditaretur, ac sic reformaretur ad Deum per sanctificationem. Transit enim ad nos quoque gratia correpta à Christo, &c. Unctus est igitur exemplo nostro Filius innocentiæ laudibus, natura hominis in ipso illustrata, & digna jam sortiri Spiritum sanctum, non discessurum jam sicut antea, sed mansurum magis in ipsa. Ideoque scriptum est, quod descendit quidem Spiritus in eum, mansit autem super eum.* Innocentiam hìc & impeccantiam naturæ humanæ in Christo admiratur Cyrillus, eaque nos etiam consequenter utcumque irrorari affirmat: tantæ enim sanctimoniæ id debetur, ut stirpi suæ quidlibet impetrare possit. XV. Cyrillus. l. 3. adver. Nest. pag. 92. 93. Scholia de Incarn. pag. 779.

Nyssenus: *Inobedientia peccatum est electionis sive voluntatis, non corporis, &c. Invenit Christus quod perierat, & super humeris suis totam assumit ovem, non solam ovis pellem, ut integrum Deo hominem redderet, animo & corpore ad divinitatem retemperatum. Anima autem non est peccatum, sed peccati per imprudentiam capax facta est: quam propterea per temperationem, sive ad seipsum assumptionem sanctificat, ut per primitias totam sanctificet massam.* Voluntatem ipsam liberam & sua sponte utrolibet proclivem, quia peccatum per illam erat, assumptam maximè à Verbo & cum Verbo commixtam tradit, ut ita sanctificaretur, & sanctitatem suam in cognatas sibi voluntates nostras derivaret. Quod perindè est ac si dicat, voluntatem Christi humanam sanctitate & charitate sua, qua ardebat, id meruisse, id potuisse, ut nostras etiam voluntates charitatis flammis accenderet. XVI. Nyssenus. Orat. 2. con. Eunom.

Nazianzenus ipsam voluntatis humanæ obedientiam à Deo Verbo assumptam philosophatur, ut hac commixtione cum Verbo honestaretur, deificaretur, vi & efficacia Verbi infinita imbueretur ad imprimendum sese, suamque sanctimoniam inferendum humanis omnibus voluntatibus. *Ejusdem speculationis etiam est, quod ex his quæ passus est, obedientiam didicit. Clamor item & lachrymæ, tum quod supplicaret, atque exauditus sit, ac denique reverentia, quæ omnia nomine nostro mirabiliter efficiuntur ac contexuntur. Nam quà Verbum, nec obediens erat, nec inobediens. &c. Ut autem servi forma, ad conservos & servos sese demittit, atque alienam formam suscipit, totum me simul cum infirmitatibus meis in seipso ferens, ut quod deterius est, in seipso absumat & conficiat, non secus ac ceram ignis aut terræ vaporem Solis radius, atque ipse ob hujusmodi conjunctionem, bonorum illius particeps fiam. Quocirca reipsa obedientiam honore afficit, eamque perpetiendis doloribus experitur.* Adverte, oro, ut Christi in nos merita, beneficia atque influentes gratias interpretetur. Nulla hìc luctâ cum peccabili libertate, nulla cum indifferentia bicorni concertatio, & ex victoria laus meritumque: sed infinita sanctitas charitasque inspiratur coalescitque humanæ Christi voluntati, obedientiæ, passioni, & ita his pretium meritumque conciliat infinitum, & vim efficacem spargendæ in homines ejusdem sanctitatis. XVII. Naziázenus. Orat. 36. pag. 580.

Maximus Martyr: *Quomodo mortale istud immortalitate indutum non moritur, & hoc corruptioni* XVIII. Maximus Martyr.

Dial. 7. de Trin. inter opera Ath. tom. 2.

ptioni obnoxium, incorruptibilitate indutum, non amplius corrumpitur, ita & mens per Dei Verbi unitionem deificata, non mutatur, &c. Sicut lanæ albedo colore purpuræ tincta, non est bicolor, sed unicolor: ita mens coruscans & deificata, est unum quiddam, neque sunt duo ἡγεμονικά. Utitur enim Deus Verbum humana mente, ut instrumento, &c. Itaque in passione voluntaria usus est tanquam instrumento, mente: in rebus vero corporeis, corpore; ita quæsitum & inventum id quod perierat, servavit. En ut servarit nos Christus, voluntaria passione, & per mentis humanæ assensum voluntaria; non ita ut mens humana suæ mutabilitati & peccabilitati permitteretur aut committeretur, & ex hoc certamine laudem meritumque victrix obtineret, sed quòd substantivè Verbo copulata infinitam inde charitatem sanctitatemque hauriret, suæque eam aspergeret passioni, & per passionem suam humano generi.

XIX. Damascen. L. de duabus Christ. volum. pag. 486.

Damascenus: *Ut enim ait Gregorius Theologus, Quod non est assumptum, nec curatum est. Quid enim præter voluntatem peccaverat? &c. Improbat igitur mala, & bona sequitur Christus, dum paternæ voluntati, ut homo liberè obsequitur. Delectus enim liberæ est voluntatis. Sed non nostro more consultabat aut judicabat, nec duorum contrariorum, virtutis dico & vitii rationem ducebat, aut eorum notitiam habebat, sed solius boni, in quo est decretum divinæ voluntatis. Ita quod Adamus debebat, ipse dissolvit.* Meritum perspicuè ex ipsa impeccabilitate derivatur.

CAPUT XXI.

Longè alia Dei quàm creaturæ, Beatorum quàm mortalium libertas est, meritique colligendi ratio: hæc nempè, non illa ex conflictu cum insita sibi mutabilitate. Ex Scholæ Theologicæ antiquis Proceribus id probatur.

I. Supra explanata differentia libertatis & meriti, probatur ex Scholæ Doctoribus.

Lubet præter morem nostrum recentiores Theologos hìc præmittere, ut agmen claudant accumulandi postea antiqui Patres. Ne cui ergo insolens videatur nostra hæc Christi libertatis & meriti interpretatio; Scholæ Theologicæ ipsos Proceres accersemus nobis astipulatores. Non patimur enim nobis fuccum fieri, aut discordiæ inter antiquissimos hodiernosque Theologos suspiciones afflari. Unitatem fidei & Christiani dogmatis consensum in tanta temporum & locorum intercapedine admiramur vehementissimè, & osculamur, ut Spiritus sancti Ecclesiam suam vegetantis argumentum in primis conspicuum: & illas dissidii opinationes opinantium potiùs incogitantiæ imputamus, qui clandestinas concordiæ fibras fallentesque nexus pervidere non potuerunt, verborum pugna delusi.

II. Ex Hugone Victorino: In quæst. ad Epi. Pauli ad Rom. q. 150. Tom. I.

Hugo de sancto Victore hanc Patrum doctrinam luculentissimè tradidit: *Quæritur an Christus obediendo Deo Patri aliquid meruerit? Volunt quidam probare, quod non meruerit aliquid, quia nec secundum divinitatem, nec secundum humanitatem. Deus, inquiunt, non potest aliquid accipere: vel per aliquid quod faciat, aliud non priùs debitum acquirere: ergo non potest mereri. Similiter secundùm quod est homo, est bonus & diligit: sed non potest non esse bonus, vel non diligere: ergo ex necessitate bonus est, vel diligit, quomodo ergo potest mereri?* Hæc tunc adversus Christi merita ex ejus Deitate & humanitatis ipsius impeccabilitate objectabantur. Advertamus ergo num quas indifferentiæ venas rimetur Hugo, ut meritum influat in Christi libertatem: *Solutio. Mereri geminam habet significationem. Dicitur enim mereri, cum per bonum opus efficitur dignus aliquo, quo priùs non erat dignus: secundùm quam significationem videtur nobis quod nec secundùm divinitatem, nec secundùm humanitatem Christus aliquid meruit etiam in ipsa morte. Dicitur etiam aliquis mereri, cum bonum aliquod facit quod sit dignum remuneratione: secundùm quod Deus dicitur etiam mereri, cum beneficia præstat, pro quibus tenemur eum in æternum laudare: & Christus secundùm humanitatem in sua passione meruit nobis introitum æternæ vitæ. Prius quidem nobis multa meruit; sed sola passio non solùm pretiosa, sed etiam pretium mundi fuit.* Et idem alibi: *Christus libero arbitrio fecit quidquid fecit, licet non potuerit peccare: non necessitate, hoc enim esset quasi ex coactione. Potest concedi quod Christus meruit immortalitatem, id est, talem obedientiam exhibuit, quæ tali remuneratione digna fuit.* Dilucidissima hæc sunt, ita Christus ut homo meretur, quamvis ita bonus sit, & Deum ita diligat, ut non possit non bonus esse, & non diligere; meretur, inquam ita, ut Deus, qui nostras laudes & gratiarum actiones meretur, quia beneficus, quia bonus, quia bonitas & beneficentia ipsa est. Et hæc ratio meriti longè alia est, quàm quæ à creaturis meris usurpatur, sicut & libertas alia.

III. Vuillelmus Parisiensis suffragatur, Par. 1. de Universo, par. 1, c. 21.

Vvillelmus Parisiensis: *In causis verò quæ per sapientiam, vel productionem & electionem operantur, libertas est super operari & non operari, & nulla necessitas impellens vel cogens eas ad operandum: nisi forte quis dicat, voluntatem sive imperium Creatoris cogere causas hujusmodi adimplere vel exequi jussa ejus vel beneplacita. Ubi cavendum est tibi à sermone coactionis, &c.* Etsi vulgato usu ita dicatur, negat tamen propriè dici, quòd amore ad aliquid quis cogatur: coactio enim est, ubi vim patitur à majore infirmitas inferioris: at amore conditoris non cogitur usquam creatura, quia non eo infirmatur, sed roboratur. *In vehementer amante totam voluntatem amor occupat & possidet, ut contrarium voluntatis jubentis non velit: & si amor fuerit fortissimus atque firmissimus, nec velle possit: qualis amor est in sanctissimorum Angelorum consortiis erga Creatorem; ubi dubium non est quin quemadmodum amor ille nec minui, nec ullo modorum tepescere potest apud eos, sic nec voluntas adimplendi quidquid jubere eisdem fuerit dignatio Creatoris: & hujusmodi voluntatis fortitudo atque immutabilitas ex immutabilitate & fortitudine est amoris in Creatorem.* Et infrà: *Scire debes quia quemadmodum bonitas Creatoris per hoc ipsum quod nec potest minui nec mutari, & per hoc ipsum quod non potest nisi bene agere, non solum non minus libera est, imò hæc est ei ex ultimitate & supereminentia libertatis: sic nec præclaris illis ac nobilibus substantiis quod non possunt vel non amare Creatorem, vel non velle quod sciunt ipsum velle, non est ex debilitate suæ virtutis ullo modorum, vel ex depressione vel læsione aliqua libertatis.* Et mox: *Necessitas obedientiæ voluntariæ non contradicit libertati.* Ubi triplicem libertatis & meriti gradum statuit: primum naturæ cujuscumque rationalis creatæ, in potestate operandi & non operandi: alterum naturæ divinæ, quæ non potest non justè omnia velle & agere, quæ supereminentia libertatis est: tertium denique beatarum mentium, quæ ultra creaturæ sortem evectæ, & illapsu Numinis deificatæ, non possunt non æternæ legi per omnia consonare. Ut Deo autem ob incommutabilitatem justitiæ debetur summa admiratio honorque eximius, ita & Beatis pro suo modo. Nam indeclinabili beatorum sive Angelorum sive hominum justitiæ debetur meritissimò sive à Deo, sive ab hominibus, quidquid ipsis in votis est. An enim Deus minùs exaudiet vota plus amantium? An amori tepidiori, quàm flagrantissimo proniores accommodabit aures? An ob amoris cumulum decrescet de cumulo meritorum? An si frigidiùs ames, erunt aliqua: si æstuantiùs, nulla præmia erunt meritorum? Ecquid ergo Beati tan-

ti tanta nobis à Deo impetrant, ſi nil de Deo benemerentur? Si quo carerent autem ipſi, num illud ſibi non impetrarent, procliviùs etiam quàm nobis? Si cujus Beati Deo fruentis corpus adhuc mortale geſtaret anima, nonne beatæ ejus & inexuperabili charitati atque juſtitiæ non protinùs deberetur etiam corporis immortalitas? Deberetur utique & merito ſuo illi rependeretur. Hæc eſt enim natura rerum, hæc lex æterna, ut animæ apicem juſtitiæ tenenti corpus immortale concedatur? & de fonte vitæ quam ſurſum potat, ipſa ſuum ſibi corpus inebriet & immortale reddat. Quod de beatis mentibus argumentati ſumus, Chriſtum intuebamur, qui qua beatus ab exortu ſuo, & Deus, libertatem & meritum ejuſdem ordinis etiam in humanitate ſua obtinuit.

IV. Magiſter ſententiarũ & S. Thom. L. 3. d. 18.

Magiſter Sententiarum: *Nec ſolùm hoc meruit Chriſtus, quando Patri obediens crucem ſubiit, ſed etiam ab ipſa conceptione ex quo homo factus eſt, per charitatem & juſtitiam & alias virtutes, in quarum plenitudine fuit ſecundum hominem conditus, ſibi tantum meruit, quantum poſt per martyrii tolerantiam. Tanta enim plenitudo ſpiritalium chariſmatum in eo fuit, quod in eis proficere non potuit: & ideo melior ipſius anima fieri non potuit, quàm ab initio ſuæ conditionis extitit, quia proficere in meritis non valuit. Unde Gregorius ait: Non habuit omninò Chriſtus juxta animæ meritum, quo potuiſſet proficere: in membris autem quæ nos ſumus, quotidie proficit. Non ergo plus meruit ſibi per crucis patibulum, quam à conceptione meruit per gratiam virtutum. Non ergo profecit ſecundùm animæ meritum, quantum ad virtutem meriti: profecit tamen quantum ad numerum meritorum. Plura enim habuit merita in paſſione, quàm in conceptione, ſed majoris virtutis non extiterunt in merendo plura, quàm ante fuerant pauciora.* Quid his appoſitius ad noſtram ſententiam? Duplex ratio meriti diſpeſcitur, altera ejus quòd per charitatem, juſtitiam cæteraſque virtutes quæritur: altera ejus quòd per paſſiones & mortem. Per ſolas ergo virtutes, per charitatem, per juſtitiam, per ſanctitatem ſeu creatam ſeu increatam meretur Chriſtus jam inde ab exortu ſuo, quidquid alia poſt ratione per labores & crucem ſuam rurſum commeruit. At in illo priori merito per juſtitiam & ſanctitatem parto, nihil deſideratur libertatis indifferentia, ut planum eſt: citra enim cujuſcumque indifferentiæ contemplationem, dignus eſt tanta & creata & increata ſanctitate delibutus homo Chriſtus, digniſſimus inquam eſt, cui & corporis ſui impaſſibilitas, & omnium hominum redemptio religioque & ſalus rependatur. Et ſanè in noſtrum unoquoque ea prima eſt ſpecies meriti. Nam pueri à luſtrali fonte recentes, ob infuſa gratiæ cæleſtis & juſtitiæ dona, digni ſunt, quibus gloria tum animæ tum corporis convenienter donetur. Nulla autem ibi indifferentis libertatis opera. Sed ſi harum virtutum opera ſpectes, ubi jam locus erit aliquis indifferentiæ, non qualicumque, ſed illi quæ opera ipſa in ſeipſis ſpectat.

Non abludit ab his ſanctus Thomas. Docet enim ille quidem libertatem Chriſti, tametſi *determinata ſit ad bonum, non tamen determinatam eſſe ad hoc vel illud bonum: & ideo pertinere ad Chriſtum, eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, ſicut ad Beatos.* Sed nihilo tamen minùs, per ipſam beatificam charitatem affirmat idem ſanctus Doctor Chriſtum mereri, quia nimirùm ipſe idem viator eſt. *Nec tamen per charitatem meruit, in quantum erat charitas comprehenſoris, ſed in quantum erat viatoris. Nam ipſe fuit ſimul viator & comprehenſor. Et ideo quia nunc non eſt viator, non eſt in ſtatu merendi.* Per charitatem ergo beatificam ſi idem viator quis ſit, & per liberum arbitrium confirmatum in bono, mereri adhuc potis eſt, tametſi peccandi poteſtas exciſa ſit. Sed

3. p. q. 18. ar. 4. ad 3.

3. p. q. 19. ar. 3. ad 1.

nimirùm id proprium eſt Chriſti & Beatorum, quorum & libertas & merendi ratio à noſtra mirum quantum diſtat. Ita perſpicuè alibi tradit idem ſanctus Doctor, ubi liberam Chriſti voluntatem meriti capacem eſſe conſtituit, etiam ubi ad unum determinata eſt, putà ad diligendum Deum, quia videlicet vel ſic non coactè, ſed ſponte Deum diligit. *Vel dicendum, quod ſi etiam eſſet determinatum ad unum numero liberum arbitrium Chriſti, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt: tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis ſive meriti, quia in illud non coactè, ſeu ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.* In 3. d. 18. q. 1. ar. 2. ad 5. Ubi palam eſt, alia & alia tam libertatis, tum meriti genera diſtingui debere. Alia eſt enim libertas quæ ſola ſpontaneitate conſtat, & non coactione, qualis eſt Dei in proceſſionibus divinis & in diligendo ſeipſo, qualis Chriſti & Beatorum in diligendo Deo & deteſtanda injuſtitia: cui libertati ſuum laudit & meriti genus proprium & peculiare eſt. Alia eſt ex eodem S. Thoma libertas, quæ etſi in bono confirmata & ad bonum determinata eſt, nec ad malum vergere unquam poteſt; in poteſtate tamen habet bonum hoc vel illud amplecti, vel non amplecti; cujuſmodi aliqualem facultatem Chriſto & Beatis tribuit ſanctus Thomas circa particularia quædam bona, cujuſmodi libertas Dei eſt in creandis & gubernandis creaturis: *Liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad unum ſecundum numerum, ſed ad unum ſecundùm genus, ſcilicet ad bonum, quia ad malum non poteſt; ſed tamen hoc poteſt facere & non facere. Et hoc non excludit libertatem arbitrii, quia poſſe peccare nec eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anſelmus. Et hæc quidem determinatio ex perfectione liberi arbitrii contingit, ſecundùm quod per habitum gratiæ & gloriæ terminatur in eo, ad quod eſt naturaliter ordinatum, ſcilicet, in bono. Quia liberum arbitrium licèt in nobis ſe habeat ad bonum & ad malum, non tamen eſt propter malum, ſed propter bonum.* Ibidem. Huic libertati ſuum quoque proprium ſepoſitum eſt merendi genus. Alia denique eſt libertas, quæ ad malum quoque perindè ut ad bonum verſatilis eſt, cujuſmodi eſt meræ cujuslibet creaturæ conſtitutæ in via hac ad beatam patriam. Huic etiam cohæret peculiaris & ſejuncta ab aliis merendi ratio. Niſi hæc ſedulò diſtinguantur, ibitur in errores hinc & inde fœdiſſimos. Si Patri gignenti Filium ſecundam, ſi creanti mundum primam vel tertiam libertatis ſpeciem tribuas: ſi Chriſto & Beatis tertiam, ſi viatoribus primam vel ſecundam adſcribas libertatem, peræquè errabis; hoc eſt, ſi Chriſti & Beatorum libertatem in peccandi indifferentia, ſi noſtram viatorum in ſola ſpontaneitate conſiſtere & mereri poſſe dicas.

VI. Bonaventura. In 3. d. 18. ar. 1. q. 1.

Bonaventura Magiſtro ſuccinit: *Ad perfectionem meriti duo concurrunt, videlicet ipſe habitus gratuitus, & ipſius habitus actus vel uſus. Si ergo loquamur de merito quantum ad habitum qui reddit habentem dignum præmio, ſic abſque dubio concedendum eſt, quod à principio ſuæ conceptionis Chriſtus meruit. Quia omni bono & præmio dignus fuit propter plenitudinem gratiæ, quam Deus animæ ſuæ contulit & infudit. Et ab hoc non diſcordat aliquis doctor Catholicus.* Hoc primum genus eſt meriti, divinæ dignitati magis finitimum. Ita enim dignus eſt Deus, cui laudes grateſque perſolvantur maximæ, quia non habitus tantùm, ſed ipſa ſubſtantia eſt juſtitiæ & virtutum omnium. Quod autem hæc juſtitiæ & virtutum ſubſtantia non exanimis jaceat, ſed vivax vita ipſa ſit, adeòque operatio ſubſtantiva ſit, hinc etiam Deo dignitas & admiratio accedit. Nec inde meritum fuſcatur, ſed illuminatur magis, quod non poſſit Deus non operari, ut juſtitia, ſicut non poteſt non eſſe ipſa juſtitia. Id enim ſummoperè admirandum & laudabile eſt, quod ſit ipſa vita juſtitiæ, id eſt, non ſubſtantiva tantùm juſtitia, ſed operatrix & otii

impa-

impatientissima. Ergo similiter cùm sanctitas Christi hominis habitualis & substantivè in actus justitiæ erumperet, & obedientiæ & virtutum omnium, non hinc illi decessio, sed summa accessio fiet novorum meritorum, quòd non substantiva tantùm justitia sit, sed operatrix etiam & cessandi nescia. Quocirca ibidem Bonaventura subdit, dici posse quòd à primo conceptus sui puncto per actus etiam & exercitia virtutum Christus meruerit: *Hoc enim datum est ei per gratiam perfectissimam, ut in primo instanti in quo incœpit esse, non tantum haberet habitum virtutum, sed etiam actum. Unde simul cœpit esse, & usum comprehensionis habere. Et anima Christi in eodem instanti habuit creari, & infundi, & gratia informari, & exire in actum meriti, qui quidem consistit in motu bonæ voluntatis.*

VII. Idem denuo. Ibid. q. 2. Idem Bonaventura ibidem: *Ad illud quod opponitur, quod potentia determinata ad unum non facit opus de genere laudabilium; Dicendum quod determinatio potentiæ ad unum potest esse dupliciter, videlicet per necessitatem naturæ, & per confirmationem gratiæ. Si sit per necessitatem naturæ, tunc tollit arbitrii libertatem, ac per hoc tollit dignitatem meriti. Si autem sit determinatio per confirmationem gratiæ, cum talis confirmatio simul stet cum libera voluntate, sic non tollit ab ipso opere bonitatem moris, cùm sit voluntarium, ac per hoc nec qualitatem meriti. In Christo autem fuit liberum arbitrium determinatum ad unum, non per necessitatem naturæ, sed per confirmationem gratiæ.* Ad hæc stomachantur nonnulli, nec voluntati ad unum coarctatæ quomodocumque, laudis ac meriti vel tantillum affingi posse vociferantur. Nimirùm præ oculis non habent, nisi illud genus meriti, quod ex lucta cum versatili indifferentia, & ex hujusmodi victoria emicat. Et ita constrictæ ad unum voluntati non injuria meritum abrogant. Et aliud meriti momentum ponderare debuerant, quo Deus, qua summa justitia est, laudem cultumque nostrum suo merito deposcit: quo beatæ mentes quidvis à Deo & à nobis, vel præmii, vel obsequii impetrare valent: quo recens initiatorum justitia primula æternam mercedem flagitat: quo Christi habitualis sanctitas & substantiva justitia digna erat præmiis summis cumulari. Genus istud meriti si illis etiam operibus justitiæ adscribatur, quæ à voluntate ad unum determinata promicant, non est quod quisquam jure succenseat; quamquam & hæc voluntas ad unum determinata, per sese & sua sponte indeterminata & indifferens dici posset ad operationes in sese spectatas, ad quas ex sola obedientiæ virtute determinatur.

VIII. Idem rursus. Idem ibidem mox ramusculum hujus meriti alium demonstrat, quem & nos suprà indigitavimus. Si enim qui comprehensor est, idem sit viator, & ærumnas mortali huic vitæ familiares perferat, hinc nova meritorum messis accrescet. Beatæ enim & indeclinabili charitati, ultro se sui corporis gloria fraudanti, calamitates crucemque exantlanti, quis tam vecors est, ut nihil præmii, nihil laudis deberi nugetur? *Ad illud quod obiicitur, quod habens munus gloriæ, non facit opus remunerabile: dicendum quod illud verum est, quando aliquis est simpliciter in statu Patriæ. Cùm autem non tantum est in statu comprehensoris, verum etiam in statu viatoris, tunc opus ejus esse potest remunerabile propter statum viæ. Et sic est reperire in Christo secundum divinam dispensationem. Nam sicut anima Christi propter conjunctionem sui cum divinitate habet statum patriæ: sic propter conjunctionem sui cum carne, habet statum viæ & miseriæ pro illo tempore. Et ideo sicut potuit esse in statu viatoris simul & comprehensoris, sic habuit gloriam ad comprehendendum & gratiam ad merendum.* Est enim hìc colluctatio voluntatis non cum insita sibi mutabilitate, sed cum corporis sui mortalis calamitatibus, cum sensu dolorum acerbissimo. Qua ex pugna reportatam victoriam nemo æquus censor & æstimator meritorum laude præmioque frustrabitur.

Idem hoc ipsum confirmat exemplo Angelorum: *Et in simile de Angelis, in quibus ponimus vim administrativam, & contemplativam: secundum quarum unam merentur, & secundum alteram fruuntur & præmiantur.* Et infrà alio exemplo probat, copulationem carnis mortalis cum anima etiam beata ad merita paranda conducere, sicut ex adverso animæ exulanti à Patria facultas merendi excidit unà cum corpore mortali. *Anima enim nostra simul dum à carne separatur, amplius non habet merendi vel demerendi statum.*

Idem ibidem concedit, *quod Christus propriè loquendo non meruit sibi substantiale præmium*, nimirum *propter hoc quod anima Christi non esset ad unionem idonea, nisi esset beatissima & deiformissima, quod quidem fit per gloriæ influentiam.* Quare cùm gloria animæ antecesserit omne meritum, eam non promeruit Christus. Et ad eum sensum sancti Patres negant plerumque sibi ipsi meruisse Christum, aut pro se mortuum esse. Et mox: *Charitas Christi secundum motum ipsius in Deum, qui erat maximus & intensissimus, plus tenebat rationem præmii quam meriti: imo erat ipsum præmium: ideò cum esset ipsum præmium, non merebatur substantiale præmium.* Non abludebamus ergo à Bonaventura, cùm libertatem impeccabilem seu summam charitatem, libertatem præmii nuncupabamus: cui tamen facultas est merendi, id est, dignitas assequendi complura præmia minuscula. IX. Ex eodem. Ibidem art. 2. q. 1.

Et quoniam videri solet hominibus vulgarium præjudiciorum nimis tenacibus, illam merendi rationem multò luculentiorem esse ex conflictu cum indifferentiæ bicipitis flexibilitate, idem Bonaventura ibidem has suspiciones exufflat: *Ad illud quod obiicitur, quod gloriosius est habere præmium per merita: dicendum quod illud veritatem habet in eis, qui solum habent uniri Deo per conformitatem affectionis. In istis enim est gratia, & gloria quasi accidentalis, per modum acquisitionis, & à natura sua nati sunt indifferenter esse boni & mali. Secus autem est de homine assumpto à Verbo, qui non solum unitus est Deo per conformitatem affectionis, sed etiam unione personali, ut non dicatur divinus, sed Deus. Et pro tanto isti homini gratia est quodammodo naturalis, & multo gloriosius est ei habere gloriam à prima sua creatione, quàm habere eam per acquisitionem: sicut multò gloriosius est esse Deum, quàm Dei servum.* Facessant ergo illæ præjudiciorum ineptiæ, longè pulcherrimum esse, facere quidpiam boni, cùm possis & non facere: non peccare, cùm possis & peccare. Pulchrum istud quidem est, & merito præmiandum, sed creatæ & servili naturæ pulchrum, quæ peregrina & hospes est gratiæ, cui justitia adventitia est, cui bonum & sanctum esse, non natura, sed votum, sed accessio est. At longè pulcherrimum est, natura justum esse, natura Deum esse, gratiæ & gloriæ præmia omnia tanquam naturæ suæ ornamenta propria suo sibi jure meritoque vendicare. Hæc merendi ratio longè præstantissima, ideoque adserenda Christo fuit. X. Idem denuo.

Denique idem Bonaventura duplex merendi genus in ipsis hominibus discriminat: *Est meritorium de genere operis, & est meritorium ex radice charitatis. Meritorium de genere operis dicitur, quod est opus virtutis de se: hoc autem est arduum & difficile. Alio modo dicitur meritorium omne opus quodcumque sit, dum tamen ex radice charitatis procedat.* Et rursus idem: *Sicut virtus commendabilior redditur ex peccatis, sic potentia benefaciendi commendabilior redditur ex potentia malefaciendi; non quia vitium aliquid addat bonitati virtutis, nec potentia deficiendi aliquid addat potentiæ benefaciendi; sed quia ex præscientia oppositi magis in* XI. Idem denique Bonaventura. In 2. d. 24. dub. 1. Ibid. d. 44. art. 1. q. 1.

sua

sua bonitate clarescit. Sicut apparet magis virtuositas hominis, qpando potest mala facere & non vult, quàm si nec posset, nec vellet: Et ideo laudatur vir justus in hoc, quod potuit mala facere, & non fecit, &c. Vides radicem meriti nostri, exurgentem ex debellatione insitæ in malum cupiditatis vel mutabilitatis: arduum enim id est, ideoque laudabile. At tale meritum Christo ne impingamus. Multò enim pulcrius ipsi est, & laudis meritique uberius, charitatis & sanctitatis redundantia, non restitando & confligendo conculcasse, sed omninò antevertisse & præfocasse ipsam mutabilitatem libertatis. Missa facio & alia complura ejusdem Bonaventuræ testimonia.

In 3. d. 18. ar. 1. q. 2. ad 1. & 2.

XII. Alensis. Alensis: *Mereri non solum dicitur secundùm illas rationes de indebito facere debitum, vel de debito facere magis debitum, &c. Secundùm quas rationes non potest poni mereri in Christo: sed etiam mereri dicitur, de debito habitus facere debitum usus, secundùm quem modum * non dicitur meruisse à principio conceptionis. Quia cum secundum habitum gratiæ & virtutum esset dignus omnibus bonis non exeundo in actum virtutis, ex ipso etiam actu habuit dignitatem, & debebatur ei omne bonum, &c.* En ergo duplex meriti genus, posterius ex opere, prius sanctitatis & charitatis congenitæ. Et ibidem: *Sicut Angeli qui jam beati sunt, duplicem habent operationem: unam qua contemplantur Deum, aliam qua ministrant nobis: & secundùm illam qua contemplantur, non merentur, sed jam sunt beati in substantia præmii: secundùm verò ministerium quo ministrant nobis, merentur excellentiam & augmentum ipsius præmii. Secundùm istum modum magni consilii Angelus Christus homo, duplicem habuit operationem animæ secundùm partem rationis, unam qua contemplabatur gloriam deitatis, secundùm quam erat comprehensor & beatus: aliam secundùm quam operabatur dispensationem nostræ redemptionis in corpore mortali, secundùm quem modum merebatur & erat in statu viatoris.* Duo potius hìc sunt & diversi meritorum modi. Nam si solus habitus gratiæ & virtutum meritorius est, quin & meriti alicujus sit opus ejus qualecumque? Num enim in loco meriti penes Deum est, habitu illum diligere, non est autem actu diligere? Sed si charitas sit præmii, non meretur præmium substantiale quod ipsa est, quanquam alia quævis mereri possit. At si congrediendum præterea sit cum mortalitatis ærumna, ex hac pugna emergit aliud meritum.

3. p. q. 17. ar. 3. memb. 3.

* Non videtur abundare.

Ib. membr.

XIII. Conglobatim alii. Ut rei infinitæ finis sit aliquis, glomeratim pro hujus nostræ sententiæ suffragatione numerabo eos Theologos qui Christum ea ipsa dilectione meruisse arbitrantur qua Deum diligebat, ubi nulla indifferentiæ vel suspicio est. Cujus doctrinæ vindices à Vasquesio recensentur *in 3. p. disput. 74. c. 2.* Gabriel, Almainus, OKamus, Major, Scotus, Antisiodorensis, Ferrariensis, Cajetanus, Viguerius, & Thomistici gregis complures. Qui quanquam non unam terant semitam in libertatis & meriti Christi explanatione, assentiuntur tamen omnes ea dilectione qua abstinere se non poterat, Christum meruisse. Et *cap. 4.* idem Vasquesius authores pernumerat qui Christum per opera præcepti verè meruisse autumant, non obstante determinatione voluntatis ejus ad bonum & impeccabilis libertatis, Bonaventuram, Scotum, Albertum, Thomam de Argentina, Durandum, Paludanum, Marsilium, Alexandrum. Suffragatur his apertissime Doctor Angelicus 3. *p. q. 19. art.* 3. Sed complananda est ea difficultatis moles, qua plerique absterriti sunt, discriminatione merendi generum diversissimorum.

CAPUT XXII.

Idem prolixiùs ex Patribus Græcis statuitur discrimen libertatis & meriti ex indifferentia emergentis, sed in meris creaturis adhuc peregrinantibus.

DEi, Christi hominis, beatorum Angelorum, Adami stantis, hominis per medicinalem Christi gratiam convalescentis, liberum arbitrium, meritumque non unius, sed longè diversissimi generis, aut status est. Ut elucescant magis magisque horum discrimina graduum, hìc duo nobis accuratiùs stabilienda sunt. Primò, meræ creaturæ non aliam esse primùm posse, aut debere libertatem, quàm quæ peccare possit, & non peccando meritum sibi comparet. Secundò, Christum quia non homo tantùm, sed Deus est humanatus, non alia quàm impeccabili libertate mereri potuisse, & quia impeccabili, tantò copiosiùs meruisse. I. Varia discrimina & gradus: secerni debet libertatis & meriti.

Quod ad primum attinet, naturam creatam rationalem quamlibet non alia instrui potuisse libertate, meriti sui architecta, quàm ad bonum malumque indifferente, & per indifferentiæ hujus suæ appulsum spontaneum ad justitiam, incommutabilem justitiæ charitatem promerente, unanimis est sanctorum Patrum sententia. Basilius homilia, quod Deus non est author mali: *Sed cur in structura, inquis, non habuimus, ut peccare non possemus? Ita ut ne volentibus quidem contingeret, ut peccaremus? Quoniam inquam & tu servos, non quando vinctos in custodia retines, benevolos esse tibi existimas, sed cum sponte omnia quæ erga te oportet, videris agere. Sic item Deo eum puta fore amicum, non qui coactus, sed qui sponte sua & virtute illi obtemperat. Virtus verò ex voluntate perficitur, non ex necessitate. Qui ergo factorem reprehendit, quod non tales nos natura fecit, qui peccare nequeamus: nihil aliud opinari videtur, quam naturam ratione carentem ea esse potiorem, quæ rationis est particeps: & illa quæ non moventur, nec mente ducuntur iis quæ eligunt, judicant, conferunt, omninò, præstare.* Ne subeat animum improba tergiversatio, potuisse condi naturas liberas & impeccabiles, atque ita Basilii nutare doctrinam. Contra enim inconcussa Basilii constat doctrina. Nam quæ impeccabilis natura est, non creata sed increata natura est: si creata autem est, impeccabilis natura non est. Merito quidem & in locum præmii accedere poterit impeccantia, sed quod præmium est, id natura non est, sed naturæ post adiicitur. Unde idem Basilius: *Dicimus virtutes invisibiles esse sui arbitrii, æquè ad virtutes atque ad vitium vertibiles, & ob id opus habentes auxilio Spiritus.* II. Meras creaturas non alia quam indifferente ad bonū & malum libertate instrui debuisse ad merendum, probatur ex Basilio. De Sp. sanc. c. 16.

Gregorius Nyssenus: *Si vitæ humanæ præesset necessitas, ex ea parte falsa fuisset imago: qui enim fieri posset ut natura nescio quibus necessitatis legibus astricta, naturæ rerum omnium dominatricis imago diceretur? Quod ergo per omnia Deo erat assimilatum, oportebat omnino habere in natura, quod sibi imperaret, & sui esset dominii, ut virtutis esset præmium bonorum participatio.* Concludit Deum non esse authorem mali, quòd hæc sit proprietas liberi arbitrii, ut sua potestate se agat quocumque vult. Permirum illud accidet alicui, quòd cum Deus beata necessitate justus sit, dissimilis illi fore homo coniicitur, si qua necessitate ad bonum constrictus conderetur. Etenim hæc imaginis perpolitio foret, non obscuratio. Nec absterrebit nos tamen hæc difficultas, à tuendo Nysseni placito. Nam si impeccabilis esset ex naturæ suæ constitutione libertas nostra, non imago esset Deitatis, sed ipsa veritas. Ergo ut imago sit, imitetur, non assequatur veritatem: & quæ Deo natura est, ei præmium sit operæ. Deinde necessariò justus & justitia Deus est, sed hæc III. Ex Nysseno. Orat. Cat. c. 5. 25.

justi-

justitia, ut sua natura, ita & sua ipsius voluntas est: at si Angelus, vel homo à sui creatione impeccabiliter justus esset, non hanc sibi ipse impeccantiam, sicut nec naturam sibi suam progenuisset. Denique omnium extra naturam suam immutandorum potens est Deus, & eo Dominus: ergo & imago ejus homo vel Angelus, eorum omnium quæ naturæ suæ adjectitia sunt vel erunt, arbiter esse debet, ut Dei dominium æmuletur.

IV. Ex Nazianzeno. Orat. I. Gregorius Nazianzenus causas vestigans, quamobrem rationalis anima corpori terreno sit conserta, ait, *Ut per colluctationem cum rebus inferioribus ad superna gloriæ hæreditatem perveniat, rebus scilicet fragilibus tanquam aurum igne purgata: eaque quæ in spe posita sunt, non solum ut Dei beneficium, sed etiam ut virtutis præmium obtineat. Quod summæ Dei bonitatis argumentum est, nimirum facere, ut virtus nostra quoque ex parte aliqua sit, nec natura tantum nobis inseratur, sed etiam per voluntatem & liberi arbitrii in utramque partem agitationes excolatur.* Imago itaque Dei hoc flagitat, ut in utrumlibet proclivis sit, & quod justitiam colat, non Dei tantùm beneficio, sed à seipso habeat: sicut & Deus, à seipso habet, non alieno cujusquam beneficio, quod justus sit. Itaque si impeccabilis Numinis imago statim impeccabilis crearetur, à perfectione imaginis descisceret, quod à seipsa non haberet ullatenus, quam Deus à seipso habet justitiam. Servato autem graduum discrimine, perfectissima erit tunc demum imago Dei, cum non justitiam tantùm, sed & impeccantiam habebit, & quidem ex parte aliqua à seipsa, sicut Deus habet, & à seipso habet, quanquam imaginis veritatisque permagna intercapedo est. Vides hìc rursum unde meritum promat Nazianzenus, ex lucta cum terreno corpore, & ex insitæ ad utrumlibet flexibilitatis recto moderamine.

V. Ex Cyrillo. L. 9. In Ev. Jo: pag. 730. Cyrillus eadem pulsatus quæstione, eccur condiderit Deus hominem Angelosque, quorum lapsum præsciebat, respondet: *Quid hinc sequitur? Nimirum ut præcognitionis causa aut nihil omnino creare debuerit, aut certè creaturam nullam rationis compotem producere, &c. Illud autem maximè considerandum illis arbitror, naturæ opificem intellectualibus creaturis voluntatis suæ habenas commisisse, & spontaneo motu eo ferri permisisse quo quisque velit.* Hanc solemnem, hanc inviolabilem rerum legem, ut vides, arbitratur Cyrillus, ut vel creatura nulla rationalis condatur, vel condita sibi permittatur, ut suæ sibi sortis ipsa sit artifex; quam autem ipsa sibi elegerit, hanc postea invariabiliter teneat. Et alibi: *Sanè cum hominis mens*
L. 3. contra Julianum. *rerum agendarum aut non agendarum nacta sit potestatem, eique concessum sit ut arbitrario motu feratur in quodlibet, &c. Agendi enim arbitrio rationalem creaturam honestari decebat, & solertiam in benefactis liberæ voluntatis fructum exhibere.* Paulò post verò Alexandri cujusdam Philosophi hæc verba profert & commendat: *Cùm enim fieri non posset, ut natura nobis virtutes inessent, data nobis potestate quam tenebat ipsa natura divina, earum adeptionem non in alio quoquam, sed in nobis ipsis ut esset, effecit; ut quod ab illa non possemus, id per nos ipsi capere veluti ab illa possemus. Ergo si virtutes à natura duceremus, nullus vitio relinqueretur locus. Quando autem id fieri nequit, nam usque eo solum nobis natura procedit, ut virtutis capaces simus: necessariò id quod capax est ejus, cui aliquid contrarium, etiam contrarii capax est.* Quo quid accuratius dici potest? Homo & Angelus & rationalis quælibet creatura justitia ipsa non est, sed justitiæ capax. Non potest autem justitiæ capax esse, quin & injustitiæ capax sit. Nam si solius justitiæ capax foret, ipsa foret justitia. Cùm ergo hæc sit ejus natura, talis à naturæ opifice debuit procreari. A naturæ enim fonte profluit natura pura & puta: & quanquam aliter videri soleat incuriosis rerum æstimatoribus, non aliud est, talem esse naturam, quàm talem à naturæ authore & modulatore prodiisse, & vicissim.

Athanasius Epistola ad Serapionem: *In Deo* VI. Ex Athanasio.
cùm sit Spiritus sanctus, meritò & ille fuerit immutabilis & inconvertibilis. Natura contra rerum nascentium & conditarum convertibilis est; ut quæ foris sit & extra substantiam Deitatis, & ex non entibus emerserit. Omnis enim homo, ut ait ille, mendax: & omnes peccaverunt, & indigent gloria Dei, &c. Quod si creata habent convertibilem naturam, & ipse Spiritus sanctus est immutabilis, ejusdemque cum Filio incommutabilitatis, liquet eum creaturam non esse: &c. Et Libro de communi essentia Patris & Filii, &c. *Rectus Dominus Deus, eo quod sit veritas ipsa, ipsa justitia ob immutabilitatem substantiæ.* Capitale ergo istud voluntatis creatæ & increatæ discrimen est, quod voluntas increata est ipsamet justitia & veritas, ideoque incommutabilis, & hinc meritis laudibus efficienda: voluntas autem seu libertas creata justitia ipsa non est, sed justitiæ capax, ideoque & injustitiæ capax, & ad utrumque versatilis, & ex spontaneo ad justitiam flexu præmia sibi laudesque parans.

Didymus Alexandr. Lib. I. de Spiritu sancto: VII. Ex Dydimo Alexādrino.
Immutabilem autem substantiam Dei tantùm & Unigeniti Filii ejus manifestissimè tradunt divina eloquia, convertibilem & mutabilem omnem creaturarum substantiam prædicantia. Ergo quoniam substantia Spiritus sancti, non convertibilis, sed inconvertibilis demonstrata est, non erit creaturæ ὁμούσιον. Esset quippè & creatura immutabilis, si cum Patre poneretur & Filio, eandem habens inconvertibilitatem. Omne enim quod alieni boni capax est, ab hac substantia separatur. Tales autem sunt cunctæ creaturæ. Deus verò cum bonus sit, fons & principium bonorum est. Facit igitur eos bonos, quibus se impertit, bonus ipse non factus ab alio, sed subsistens; ideo capabilis, non capax. Cùm igitur invisibilis creatura non sit capabilis, sed capax, & alterius boni receptatrix, participatione habeat bonum, &c. Altissima hæc est stirps hujus dogmatis. Justitiæ ipsi competit inconvertibilitas, quia nullius capax ut egena est. At naturæ creatæ, quæ non capabilis, sed capax est, consentit mutabilitas, qua se ad incommutabilem justitiam convertat, & ipsam simul, simul ejus bibat immutabilitatem. Capaci naturæ mutabilitas competit & graduum ætatumque series, ut mutabilitatem suam gradatim in melius explicet: capabili autem convenit cum immutabilitate æternitas. Igitur antequam creatura rationalis suam ipsa mutabilitatem & capacitatem explicet, conferatque se sua sponte ad justitiam, inconvertibilem & æternitatis justitiæ compotem eam creari, à lege naturarum abhorrebat. Unde idem infrà: *Capabili statim inconvertibile, & inconvertibili æternum est consequens: quomodo è contrario capienti convertibile, & convertibili creabile subsequens est. Nihil ergo de creaturis inconvertibile, propter quod neque sempiternum est. Non solum igitur quod in hominibus est rationale, convertitur & creatur, verùm etiam in omnibus creaturis hæc eadem conversio reperitur. Nam & Angelorum conversiones & ruinas divina eloquia testantur.* Addit denique ex dæmonum lapsu constare nobis Angelos bonos *in primo statu non per immutabilitatem substantiæ, sed per sollicitius in Domino servitium permanere.*

Origenes: *Non enim vi res agitur, neque necessitate in alteram partem anima declinatur. Alio-* VIII. Ex Origene & Irenæo. L. I. in Epist. ad Rom.
qui nec culpa ei, nec virtus posset ascribi: nec boni electio præmium, nec declinatio mali supplicium mereretur: sed servatur ei in omnibus libertas arbitrii, ut in quodcumque voluerit, ipsa declinet, sicut scriptum est, Ecce posui ante faciem tuam vitam & mortem, ignem & aquam, &c. Irenæus: *Id quod*

L.4.c.29.71. 72. Damasc.pag. 69. 92. 146. *quod semper erat liberum & suæ potestatis in homine semper servasse Deum & suam exhortationem, ut justè damnentur qui non obedierunt ei, quoniam non obedierunt: & qui obedierunt & crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate.* Affatim hæc sunt, reliquos enim Patres his consonare, & ex eadem arbitrii indifferentia proprietatem naturæ creatæ meritique ejus elicere, facilè omnes acquiescent. Plura in hanc rem ex iisdem sanctis Patribus, alibi ut spero acervabimus.

IX. Ex Maximo probatur lõgè aliter de Christo philosophãdum esse. Quòd autem non sit eidem legi subjugandus Christus, etiam qua homo est, consentiunt iidem nostri dogmatis Antistites. Et quidem apertissimè Maximus Martyr in Disputatione cum Pyrrho: *Demonstratum est prius authoritate Patrum, voluntatem esse potestatem natura liberam. Est autem sciendum dici liberam potestatem æquivocè, sicut & naturam. Aliter enim accipitur in Deo, aliter in Angelis, aliter in hominibus. In Deo quidem supersubstantialiter, in Angelis verò tanquam concurrente adgressione cum habitu, & omnino interpositionem temporis non admittente, in hominibus autem tanquam habitu prius tempore ipsa adgressione cogitato.* Libertas ergo & meritum in Deo est supersubstantialiter, incommutabili enim justitiæ summa libertas est ipsa justitiæ incommutabilitas, & maxima laudum seges. Angelo libertas est bilanx, & mutabilis illa quidem in utrumque, sed nulla cum terreno corpore societas, nulla hinc torpedo, ideo major ad bonum proclivitas. Homini tardior ex terrena concretione facultas. Non ergo paribus momentis pensanda sunt hæc omnia. Ne autem Christum eadem usum esse libertate ac cæteros homines imaginemur, monet nos idem Maximus, dum γνώμην seu consultatricem & deliberatricem vim ab eo eliminat his verbis: *Qui γνώμην seu sententiam in Christo dicunt, hominem merum eum esse tradunt, consultantem more nostro, ignorantem & dubitantem, & contraria habentem. Siquidem de iis in quæ cadit dubitatio, & non de eo in quod non cadit, quispiam consultat. Nos enim quod simpliciter natura bonum est, naturaliter appetimus: id autem quod aliquomodo bonum est, quærendo & consultando experimur, &c. In humanitate autem Christi quæ non merè more nostro per se existebat, sed divinè: Deus enim erat, qui propter nos & sicut nos & ex nobis in carne apparuit, non potest dici sententia. Ipsum enim esse, id est, ipsum divinè subsistere habebat naturaliter cognationem cum virtute, & à vitio alienationem, sicut magnus Ecclesiæ oculus Basilius ait in interpretatione Psalmi 44. In eandem inquiens sententiam accipies, quod de eo apud Esaiam dictum est, Priusquam cognoscat puer aut eligat prava, eliget bonum, &c. Illud enim, priusquam, declarat quod non sicut nos quærendo & consultando, sed divinè subsistens per ipsum suum esse habebat ex natura bonum.* Ergo ex Maximi placito, ut nos bonum universale ita sectamur, ut ab eo nusquam deviare possimus; ita bonum quodlibet particulare, sed honestum & justitiæ consentaneum Christus amplectebatur, ex eo quòd Deus esset in homine, cujus ipsum esse justitia indeclinabilis est. Longè alia ergo Christi libertas atque nostra, & nostræ hujus nescia indifferentiæ, atque adeo longè alia merendi ratio. Eadem verbis totidem exscripsit Damascenus. L.3.c.4.

X. Ex eodem. Apud Athanas. tom. 2. Idem Maximus rursus Dialogo V. de Trinitate, ubi hæc primò sibi obiicit: *Siquidem is excellit, qui animi proposito & delectu justus est; quinam id potuit homo? Hominis enim propositum veram justitiam non implet perfectè. Sin verò natura justus est, Deus est. Sin autem justificatus est aliqua Dei in ipso agentis efficacitate, ipse interim nihil agens, qui ipsimet agunt, sunt eo præstantiores.* Hujus nodi, quem ipsissimum jandiu tractamus, sic aggreditur extricationem: *Imo qui justitiam veram non præstiterunt, ii qui audierunt, Sedebitis & vos in duodecim thronis, judicantes duodecim Tribus Israel? &, Vos estis lux mundi? Etiamsi tamen isti veram justitiam præstiterunt, non sunt tamen ipsamet justitia. Deus autem Verbum qui ipsamet est justitia, accepta servi forma, factus est nobis justitia & sanctificatio & redemptio. Is, inquam, qui justitia est, factus est justitia, si humanam naturam respicias: ut nos qui justitia non eramus, sua gratia justificaret. Estque idem Deus & homo, ita ut quatenus quidem est Deus, sit justitia: quatenus verò est homo, sit factus justitia.* Nos itaque justi, id est, voluntatis flexu libero justitiæ delibationem adepti; at Christus justitia est, tum qua Deus, tum qua homo est. Nam qua Deus, justitia est semper; qua homo, justitia factus est nobis: utrobique tamen justitia magis, quàm justus est. Nam si Maximi, si Cyrilli, si Athanasii, si elimatiorum Patrum normam teneas, non homo deificatus est, sed Deus inhumanatus: non homo substantivæ justitiæ particeps factus est, sed justitia ipsa substantiva inhumanata est. Conticescant ergo blatterones, qui justitiam Christi nostræ posthabebant, eo quòd nostra labori & industriæ, Christi autem justitia nativitati & substantiæ ejus accepta referatur. Justitiam enim esse substantia & origine, incomparabiliter pulchrius & meriti laudumque feracius est, quàm justum esse per justitiæ scintillas multo conflictu & labore exculptas. Unde idem Maximus paulò antè: *Christus perfectus non evasit ulla exercitatione, sed in ipso conceptu, ex ipsa unitione, natus Emmanuel, Deus & homo est.*

Dionysii Alexandrini verba ipsa expressisse videtur Maximus, qui in Epistola adversus Paulum Samosatenum Joanni inediam & laborem plurimum sectanti anteponens Christi sanctitatem hæc habet: *Joannes in admiratione erat, cum neque pane vesceretur, neque vinum biberet; at Christus edebat & bibebat, &c. Ob id planè apparebat quod Christus magna puritate & justitia incomparabili Joanni antecelleret: quia in Joanne erat opus & labor justitiæ, in Jesu verò natura.* Et infrà: *Nisi enim fuisset Christus idem qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi. Nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut & Pater Christi & Spiritus sanctus. Unde & volens mortuus est, volens excitatus à mortuis, operatus miracula, qui erat Filius Dei unigenitus. Ipse est qui petebat divinam gloriam, quam habebat antequam mundus fieret. Non quòd hac esset privatus, quod absit; sed petebat ut nobis manifestaretur: ut glorificaremus eum fideles, qui glorificatus est in potentia, justus natura ut Deus, non exercitatione & laboribus, ut homo omnis ex numero piorum, quos necessariò sequuntur defectus, &c.* Audin ut libertas & merendi ratio Christi à nostra mirum quantum discrepet? Est enim ille natura justus, & ipsa natura justitiæ: ideo glorificari petit, cujus natura est ipsamet gloria. Eadem enim est justitiæ gloriæque germanæ substantia & natura. Sed nobis petit, nobis meretur justitiæ gloriæque suæ communionem; id enim jure meritissimo debetur justitiæ inhumanatæ, ut in omnem humanam naturam beneficentiæ suæ & efficacitatis rivulos dispergat. XI. Ex Dionysio Alexãdrino. To. 2. Bibl. PP. pag. 742.

XII. Ex eodem. In respons. ad qq. Pauli Samosat. ad q. 7. Dionysius idem Alexandrinus alibi hanc eandem doctrinam luculentè exequitur: *Hoc est quod ait sanctus Apostolus, Esse in forma Dei Jesum Christum, esse in Deo Patre Filium Patris; Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Hoc dicit, Quia non sicut qui per virtutem & labores & fatigationes & certamina rapiunt regnum Dei: (scriptum enim est, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:) sic Christus Jesus consummatus laboribus virtutis, comparavit esse se æqualem Deo: quin potius operuit cœlos virtus ejus, & laudis ejus plena est terra, &c.* Quæ quanquam ad Verbi naturam propriè pertineant, existimat tamen Dionysius Verbum etiam ut incarnatum sua retentare

tare privilegia, & non justum labore, sed natura esse, & ipsam esse justitiam humanatam, & cum carne etiam sua congenitam sibi gloriæ & majestatis æternitatem possidere. Denique idem infrà: *Christus non erat homo sanctus, sed Deus sanctus.* Nempè non homo sanctitatis, sed sanctitas ipsa humanitatis particeps.

Gregorius Nyssenus ait imaginem divinam nobis à Deo inditam, at similitudinem quæ virtutibus expolitur, nostræ potestati permissam; *Permisit nobis ut essemus illius similitudinis effectores, quo merces operis nostra foret, ne nostræ similitudinis laudem auferret.* Et infrà: *Quamobrem coronaris, si Creator omnia dedit? Unum igitur dedit, alterum inchoatum reliquit, ut te ipse perficiens, dignus fias, qui à Deo præmium consequaris.* Et alibi: *Sic propria electione unusquisque nascitur, unde fit, ut nos ipsi Patres quodammodo simus nostri, qualescumque nos volumus electione gignentes, & aut marem aut fœminam, vitii aut virtutis ratione fingentes.* Et rursus idem: *Natura creata quasi in confinio bonorum & malorum constituta est, ut arbitratu suo capax utrorumque sit, quibus animum adjungere voluerit, &c. At natura divina procul est ab hujusmodi differentia, quippè cui bonitas non sit adventitia, &c.* Hoc ergo ille discrimen Deo & naturæ creatæ interjicit, quòd Deus sive ante carnem, sive in carne ipsamet sit bonitas, non ex arbitrio libertatis in confinio quodam pendulus boni & mali. Idque inferiùs conficit hoc ineluctabili argumento, quòd non posset alioqui Verbum sui communione omnia locupletare, nisi ipse ipsamet esset substantivæ bonitatis opulentia: quare cum Verbum incarnatum ad sui participationem omnes provocet, non aliter effingere animo illud nobis debemus, quàm ut sanctitatem ipsam inexhaustam & incommutabilem, per carnem assumptam hominibus omnibus sese infundentem. *Si communione boni in bonis numerantur Filius & Spiritus sanctus, sequitur si à bonitate separentur, diversum quiddam à bonitate censendos esse, &c. Jam non bonorum suppeditatrix existimabitur divina natura, &c. Nihil beneficii in eum qui inferioris conditionis est, conferet, sed elaborabit ut suam penuriam depellat; ut proinde falsum esse oporteat quidquid traditur de providentia, de judicio, incarnatione, omnibusque illis quæ aut per unigenitum facta sunt, aut adhuc peragenda creduntur, quippè qui ut par est, in proprii & privati boni procuratione occupatus sit, dimissa hujus universitatis administratione. Si enim firmiter semel in animis hominum insideat persuasio hæc, Redemptorem nostrum non esse in omnis bonitatis abundantia perfectissimum, difficile non erit perspicere, quorsum evasura sit hæc blasphemia. Nam si hæc ita se habent, vana est fides, inanis prædicatio, &c.* Itaque cum incarnatæ sapientiæ tribuatur origo nostræ sanctificationis, non aliter illa etiam ut incarnata venire nobis in mentem debet, quàm ut natura ipsa justitiæ, non adventitiis, non emendicatis, sed indigenis innatisque opibus affluens & exundans per carnem assumptam.

XIII. Ex Nysseno. Or. 1. in hæc verba · Faciamus hominem, &c.

L. de vita Moys. Hom. 2. in Cant.

L. 1. contra Eunom.

Gregorius idem Nyssenus idem nostræ & Christi libertatis interstitium declarat: *Dicunt Deum posse si velit, eos etiam qui resistunt, necessario compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem. Ubi est ergo in his liberum arbitrium? Ubi est virtus? Ubi laus eorum, qui se rectè gerunt? Est enim solum inanimorum aut irrationabilium, aliena voluntate ad id quod videtur adduci.* Vides in quo vis meriti sit, nempe in iis quibus justitia peregrinum quid & labore ac vigili studio captanda est. At Christo ut esse ipsum divinum est, ita justitiæ summum columen cognatum innatumque est. Unde rursus idem: *Quod si quis ad perfectam virtutem assequendam, difficillimam esse viam obiciat, quum incommutabilis sit solus naturæ Dominus, mutabilis autem humana natura: quomodo ergo fiet ut in bono immutabiliter hæreat, quod natura mutabile est? Huic respondemus Athletam nullum coronari, qui non legitimè certaverit: certamen porrò non esse legitimum, si nullus qui cum pugnes, adsit adversarius. Quamobrem si adversarius non est, corona non erit; victoria enim nisi aliquid victum sit, esse non potest. Cum illo igitur quod in natura nostra mutabile est, tanquam cum adversario nostro, ea ratione compositi decertemus, ut ipsum non deiicientes, sed cadere non permittentes, victores simus.* Nihil ut existimo expressius dici potuit. Apage autem ut hanc eandem Christo vel libertatis laudem, vel meriti ansam offeramus, ex strenua decertatione cum insita mutabilitate. Meræ creaturæ istud est, non Dei, non Dei vel incarnati. *Nunc igitur id quod formidandum videbatur, nempè naturam nostram mutabilem esse, nobis tanquam alas, quibus ad majora volemus, præbere demonstravimus.* His alis ad attingendam invadendamque justitiam opus haud ei erat, cui ipsa justitia substantia erat, cui substantiva & hypostatica Verbi sanctitas primum erat essendi & existendi initium ac fundamentum.

XIV. Ex eodem, Orat. Catech. c. 31.

L. de perfect. Christiani, forma.

Basilius: *Rursus in humanitatem à Deo assumptam respiciens, ait, Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Pro eo quod est, Reliqui quidem homines labore & exercitatione & attentione sæpè numero assequuntur amorem honesti & probitatis, ac malitiæ totius detestationem. Tibi autem naturalis est ad boni prosecutionem proprietas, & ad iniquitatis fugam perquam familiaris alienatio.* Et alibi: *Creatura enim ita comparata est, ut si progressum aliquem faciat, & Deo placeat, sanctificationem pro mercede accipiat: quoniam natura utitur libera, ut ad utrumlibet possit inclinari: ad electionem scilicet boni & prioris, &c.* At in c. 7. Esaiæ: *Et quoniam nostræ quidem naturæ inclinatio ad utraque peræque propendet, & quidem plerumque ad id quod malum est deflectit: subinde autem & ad id devergit quod bonum est, &c. At non etiam Dominus sic: sed ejus ad bonum familiaritas statim à nativitate inclaruit. Quid enim scriptum est? Quoniam priusquam noscat vel præponat mala, eliget bona.*

XV. Ex Basilio In Psal. 44.

L. 3. adv. Eunomium.

Athanasius autem totus est in hac doctrina inculcanda: *Cum enim rerum natura convertibilis esset, aliique prævaricatione, &c. Ideo inconvertibilis natura requirebatur, quo homines incommutabilem Verbi justitiam pro exemplari haberent, &c. Quomodo omnia quæ Patris sunt, Filii fuerint, nisi & immutabilem naturam parentis possideat? Non ut obnoxius legibus, non ut in alterutram partem deflexibilis, &c. Sed potius ut Deus & Verbum Patris, &c. Justus natura & sanctus cum sit, justitiam diligere pronunciatur.* Et alibi: *Quod igitur scriptum est, Fidelem esse eum ei, qui ipsum fecerat, non cum aliis similitudine congruit, neque hunc sensum habet, quasi credendo gratiosus sit factus; sed quia ipse est veri Dei Filius, & dignus cui habeatur fides, in iis quæ dicit aut facit, cum immutabilis persistat, & invariabilis in humana dispensatione carnisque præsentia.* Et infrà cùm fidelem à Paulo Christum dici interpretetur prolixiùs, non aliam memorat quàm Verbi Dei incarnati fidem hoc est immutabilitatem: *Solus ex omnibus Deus verus & fidelis est, &c. Fidelis manet, abnegare seipsum non potest. Quocirca meritò Apostolus dum recenset corporalem Verbi adventum, hæc verba attexuit, Apostolum & fidelem ei qui fecit ipsum: indicans hominem factum Jesum Christum, ipsum eundem heri & hodie esse immutabilemque in sæcula, &c. Moyses fidelis in domo, Christus super domo, ut qui eam constituerit, dominusque ejus & architectus sit, ut Deus eam sanctificet, &c.*

XVI. Ex Athan. Orat. 2. adv. Arian.

Orat. 3.

Cyrillus Alexandrinus: *Christus igitur est illud in omnibus perfectè bonum, unum autem omnium & sapientia & scientia est, &c. Unde Esaias, Antequam*

XVII. Ex Cyrillo. l. 4. in Ev. Jo: pag. 411.

quam sciat puer aut bonum aut malum, reprobat malitiam eligendo bonum. Neque vero sic desipiemus, ut putemus divinum illud ac cœleste genimen cogitatione discernendo, & eligendo id quod melius est, malum aversari, & amplecti bonum: sed quemadmodum si quis de igne dicat, reprobari ab eo frigus, propterea quod frigidum non admittat: non denotat in eo voluntatis electionem, sed naturæ potius constantissimam suo in statu firmitatem: sic etiam de Christo. Naturalia enim sunt in Deo cuncta bona, nec extrinsecus invehuntur. Latissimo intervallo hæc libertas a nostra dissidet, dissidet & genus laudis mercedisque debitæ. Et rursus: *Igitur creatura nequaquam est immutabilis & invariabilis, neque eadem manere potis natura; sed uni & soli secundùm veritatem Deo id competit. Hoc autem in Filio luculentè cernitur, quippè qui peccatum non fecit, nec in ejus ore inventus est dolus, sicuti Petrus ait. Deus igitur & ex Deo secundùm naturam Filius, eoque peccati nescius, & qui quod suæ naturæ est, nusquam egreditur. Ideoque cum placita Patri ubique se facere confitetur, &c.* Et infrà: *Nemo inter mortales impenetrabilis fuit telis peccati, &c. Atqui gloria Dei præ cæteris est nullo modo labi posse in peccatum, quod quidem soli reservatum est Christo: solus enim factus est liber, quia non fecit peccatum, quamvis in mortuis, id est in hominibus deputatus.* Et denuò: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Christus non fecit peccatum. Omne siquidem peccatum gignitur ex mutatione à meliori in id quod pejus est, & gignitur in iis qui mutationi sunt obnoxii à natura. At qui nescius est omnis mutationis, & inconcussa firmitate propriis insitus est bonis, neque id ab alio, sed à seipso, quomodo peccare is potest?* Et paulò ante calcem ejusdem libri: *Cum Deus Pater sit dilectio, & non simpliciter bonus, sed ipsa bonitas, quando vidit Filium suum per dilectionem erga nos, & bonitatem incomparabilem, servantem germanas & veras suæ ipsius naturæ notas, merito dilexit, non velut aliquam suorum in nos meritorum mercedem ei tribuens dilectionem, sed veritatem suæ ipsius substantiæ genuinam in Filio suo conspiciens, ac veluti quibusdam necessariis ac ineluctabilibus naturæ illecebris ad id invitatus.* Ut enim libertas ista impeccabilis inexplicabilibus justitiam nexibus amplectitur, ita & sua illi gloria ac veluti merces ineluctabili necessitatis lege protinùs rependitur, nimirum congenita beatitas.

L. 5. Ibid.

L. 6. ibid.

CAPUT XXIII.

Ex Latinis Patribus firmatur idem discrimen libertatis meritique inter Christum & Creaturas meras, quod illi non sit, his sit necessaria indifferentia boni & mali.

I. Ex Latinis Patribus ostéditur indifferentiã requiri ad nostrã nunc libertatis & meriti rationem. Primo ex Bernardo. Serm. 81. in Cantic. L. de Grat. & lib. Arbitr.

LAtinos nunc Doctores eadem via ac ratione consulemus, atque suprà Græcos: nimirum ut priùs de Angeli atque hominis libertate & merito ex indifferentia ad utrumlibet emergente sciscitemur, inde de Christo citra indifferentiæ opem vendicante sibi egregium cujusdam libertatis & singularis meriti verticem.

Quod ergo meræ creaturæ libertas non sibi ullum aucupetur meritum, nisi ex vergentis deorsum mutabilitatis victoria, docebit nos ille primùm, quem plerique suspicantur ab hac sententia alienissimum. Is est Bernardus, cujus ea loca quæ libertatem ab omni indifferentia eximere in speciem videntur, nihil attinet huc aggerare, obvia sunt enim, & ab aliis curiosè satis decerpta. At his iisdem ex locis ea seligam, quæ Angeli hominisque, dum in merendi statione adhuc versantur, libertatem & meritum ex indifferentia bicipiti exurgere testificantur, ut ex his facilè quis de tota Bernardi sententia sententiam ferat. Ergo sic ille habet, *Arbitrii libertas hæc est planè divinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter vitam & mortem, sed nihilo minùs inter lucem & tenebras, & cognitio judicii, & optio eligendi, &c. Unde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne enim quod feceris bonum malumve, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur. Et ut meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala, & non fecit, sed & qui potuit non facere bona, & fecit; ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit facere bona, & non fecit. Ubi autem non est libertas, nec meritum.* Quas hìc ambages, quæ diverticula captabunt? Lucidissima & planissima sunt hic omnia. Meritum & libertas ex mali & boni ancipiti potestate repetitur: & laus bene facienti rependitur, quia potuit non benefacere; pœna malefacienti, quia potuit non malefacere. Nec indifferentia ista utcumque comes tantùm est libertatis & meriti, sed prorsus necessaria, utpotè ex cujus victoria laus omnis pullulascit.

Serm. 81. in Cantica.

II. Ex eodem rursum.

Idem Bernardus alibi: *Soli inter animantia datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrii. Datum autem non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret, si non peccaret, cum peccare posset. Quid namque gloriosius ei esse poterat, quàm si de ipso diceretur, quod Scriptura perhibet dicens, Quis est hic, & laudabimus eum? Unde ita laudandus? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quæ? Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit. Hunc ergo honorem quandiu absque peccato fuit, servavit. Amisit cum peccavit. Peccavit autem quia liberum ei fuit. Nec aliunde profectò liberum, nisi ex voluntate arbitrii, de qua utique inerat ei possibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit ad usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi.* Hæc gloria naturæ conditæ, hinc laus homini atque Angelo, si non peccet, cum peccare possit. Ideo data est peccandi possibilitas. Nec conditi primùm hominis dumtaxat, sed etiamnunc hæc in sacris paginis mirabilia merita evehuntur, si potest quis transgredi & non transgreditur, si potest facere mala & non facit. At inquies, si homo ex calcata potestate peccandi gloriosior, an Christus inglorius, qui qua caruit, premere illam non potuit? qui mala non fecit, quia facere non potuit? Nemo sobrius ita sentiat. Sed hinc claret Christi aliam esse meritorum & libertatis rationem.

L. de grat. & lib. arb.

III. Ex eodem & Hug. Vict.

Id inferiùs cum per Christum docuisset restitui nobis, quæ in Adamo excussa erant bona, *Sic profectò Dei in nobis reparamus imaginem: sic antiquo honori illi capessendo, quem per peccatum amisimus, per gratiam præparamur. Et beatus qui de se audire merebitur, quis est hic & laudabimus eum? mirabilia enim fecit in vita sua: qui potuit transgredi & non esse transgressus: facere mala & non fecit.* Ubi & lapsis, ruinasque suas resarcientibus hominibus, hanc merendi materiam adsignat Bernardus, ut peccandi insitam potestatem ac proclivitatem coerceant. Cui concinit Hugo Victorinus: *Sciendum quod liberum arbitrium solummodo ad futura se habet. Quod in præsenti est, non est in potestate nostra ut tunc sit, vel non sit: sed utrum in futuro ita se habeat, vel non, in potestate est liberi arbitrii. Nec ad omnia futura se habet: sed ad ea tantum quæ possunt fieri, & non fieri.* Et infra cum bonos malosque nunc Angelos, vel bono vel malo nunc indivulsè implicatos monuisset, subiicit, *Et tamen isti natura & illi mutabiles sunt, unde Hieronymus, Solus Deus est, in quem peccatum cadere non potest,* cæte-

Summ. Sent. Tract. 3. c. 9.

cæteri cum sint liberi arbitrii, in utramque partem possunt flecti. Nimirum hæc bonorum in bono, malorum in malo immutabilitas Angelorum ex fluitantis primo voluntatis spontaneo nutu semel exorta, innatæ indifferentiæ originem semper spirat. Idem habet & alibi Hugo: *Propter hoc erat liberum arbitrium in illis, quoniam in illis erat voluntas potens moveri & ferri suo appetitu in utrumque*. Et paulò suprà: *Ex quo autem voluntas erat, libertas erat; quia voluntatis est libertas, quoniam potens erat per se moveri, ut ultro iret huc vel illuc sine coactione, &c.* Ubi vides quid sit creaturæ rationali non cogi, nempe per se ultro moveri posse huc vel illuc.

L. 1. part. 5. de Sacram. c. 22. 20.

IV. Ex Ruperto. L. 1. in Gen. c. 15. 16.

Rupertus: *Quid ergo, inquis, si creaturam suam salvam esse voluit, quare non talem creavit, ut omnino non esset alicujus vitii perceptibilis? Ad hæc inquam, Quod generat homo, aliud non potest esse quàm quod est ipse: quod operatur, nullatenus esse potest quod est ipse, &c.* Et infrà: *Igitur contra Creatorem quærendum, cur non creaturam suam sic fecerit, ut esset naturæ inconvertibilis, vel nullius vitii perceptibilis: quia videlicet tale hoc est, ac si quæras de figulo, cur non omne figmentum quod finxit, tale sit, qualis est ipse vel filius quem genuit de seipso*. Et rursus: *Curiositati nostræ debet sufficere, quod talem creaturam potuit facere Omnipotens, quæ capax ejusdem factoris possit existere, & divinitatem quam non habet per naturam, valeat consequi per industriam. Igitur commutabilem esse oportuit Angelum & hominem, &c.*

Ib. L. 3. c. 30. Et alibi in ejusdem dubii elucidatione desudans: *Respondemus nihil præter Deum inconvertibile vel incommutabile esse per naturam, nullamque nisi proficiendo, vel operam cum gratia Dei adhibendo, statum virtutis incommutabilem assequi creaturam*. Potest ergo libertas creata incommutabilitatem assequi, sed per industriam suam divinæ gratiæ opitulatione suffultam. Itaque per indifferentiæ suæ & mutabilitatis usum æternis legibus accommodatum necesse est illam ad beatæ libertatis seu charitatis incommutabilitatem grassari, quia non Deus, non Dei Filius, non Verbum corporatum est, sed Dei opificium & mera creatura.

V. Ex Anselmo

Anselmus negat quidem meriti nostri radicem in potestate peccandi figendam esse, cùm & Deo & Angelis nunc beatis summæ laudes meritò tribuantur, istiusmodi impotentis potestatis expertibus; sed eò tamen rem devolvit, ut nihil meriti accrescat creaturæ, nisi quam peccandi potestas comitata sit: igitur meritum non ex illa potestate, sed ex charitate manat, quæ cum illa potestate præliatur, eamque debellat: *Angeli non sunt laudandi de justitia sua, quia peccare potuerunt, sed quia per hoc quodammodo à se habent quod peccare nequeunt. In quo aliquatenus similes sunt Deo, qui à se habet quidquid habet. Dicitur enim dare aliquis, quod non aufert, quando potest: & facere esse aliquid, qui cum possit idipsum facere non esse, non facit. Sic itaque cum Angelus potuit auferre sibi justitiam, & non abstulit; & facere se non esse justum, & non fecit; rectè asseritur ipse sibi dedisse justitiam, & seipsum justum fecisse. Hoc igitur modo habet à se justitiam, quia creatura eam aliter à se habere nequit, & idcirco laudandus est de sua justitia; & non necessitate, sed libertate justus est; quia impropriè dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est nec prohibitio*. Adverte hic laudis meritique stirpem serpere ex eo quòd potuerit creatura facere malum, & non fecerit: non facere bonum, & fecerit. Adverte liberam etiamnunc perseverare naturam Angelicam, ex eo quòd incommutabilitatem voluntatis ipsa sibi libera & versatili electione consciverit. Adverte Anselmo eam voluntatem non cogi, & liberam esse à coactione, quæ ita sui juris est vel fuit aliquando, ut in utrumlibet propenderet,

L. 1. cur Deus homo c. 10.

Adverte quod suprà delibavimus, non posse nos incommutabilem Dei justitiam eoque liberrimam, ut par est, imitari, nisi mutabili & in alterutrum bicipiti libertate instruamur. Novum id & insolens videbitur nonnullis, sed Anselmi, sed Patrum omnium suprà laudatorum laudandorumque inferiùs consensio est. Nam eò est liberrima Dei & summè laudabilis justitia, quòd eam habet à seipso: id est, à natura sua, ideoque incommutabiliter. Ergo necesse est, ut & creatura Dei æmulatrix, justitiam liberè, id est, à seipsa habeat, non autem à natura sua, ergo ab industria, ideoque mutabiliter. Adverte denique, ut libera & laudabilis sit justitia naturæ creatæ, non quancumque indifferentiam venatos esse sanctos Patres, sed indifferentiam boni & mali, peccandi & non peccandi. Sic enim prælucebant sacræ litteræ, monebantque factam esse Adamo potestatem ignis & aquæ, vitæ & mortis. Item eum meritis laudibus non fraudandum, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Deinde perspicuum est, eum meritò præmiandum, qui cùm posset nequiter agere, nequitiam abjecit, potestatem suam cohibuit: at verò si extra boni malive limites indifferentiam quandam nugacem quis comminisci possit, næ in hujus usu vel nullam vel frigidam laudem nanciscetur. Idem Anselmus: *Hoc itaque modo potuit ipse sibi dare justitiam, quia potuit sibi auferre eam, & potuit non auferre. Quomodo ille qui stetit in veritate in qua factus est, non fecit cum potuit, ut eam non haberet: & ita eam ipse sibi dedit, & totum hoc à Deo accepit. Ab eo enim acceperant ambo habere, & posse tenere, & posse deserere. Hoc ultimum ideo Deus dedit, ut possent sibi dare aliquo modo justitiam. Si enim nullo modo eam possent sibi auferre, nullo modo possent sibi dare*. Ita ergo liberè quis habet, quod habet à seipso: nec habet à seipso, nisi quod sibi dat: nec sibi dat, nisi quod potest vel potuit auferre. Hæc ille de meris creaturis. L. de casu diaboli c. 17.

VI. Ex Tertulliano. Adver. Marcio. L. 2.

Ad antiquiores nunc me refero Theologos, ut & horum astipulatione hanc nostræ ac divinæ libertatis laudisque discrepantiam astruam. Tertullianus: *Oportebat igitur imaginem & similitudinem Dei, liberi arbitrii & suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum imago & similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas & potestas, &c. afflatus Dei utique liberi & suæ potestatis, &c. Bonus natura Deus solus. Qui enim quod est, sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura. Homo autem qui totus ex institutione est, non natura in bonum dispositus est, sed institutione, &c. Ut ergo bonum jam suum haberet homo, emancipatum sibi à Deo, & fieret proprietas jam boni in homine, & quodammodo natura, de institutione ascripta est illi quasi libripens emancipati à Deo boni libertas, & potestas arbitrii, quæ efficeret bonum ut proprium jam sponte præstari ab homine, &c. Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando. Quoniam aliàs & positum hominem sub judicio Dei, oportebat justum illud efficere, de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Cæterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate*. Idem hic afsonat quod priùs, non natura bonum esse hominem, sed industria, ideo bicipiti ornandum libertate, boni & mali potente, ut ex delectu boni merces ei jure repensaretur. Quod de omni rationali creatura peræquè valet. Et infrà non posse creaturæ impeccantiam utpotè divinitatis singularem dotem donari, ita describit eleganter: *In his imago, & non usque ad ipsam vim divinitatis. Sic nec usque ad integritatem à delicto, quia hoc soli Deo cedit, id est, veritati, & hoc solum imagini non licet. Sicut enim imago cùm* omnes

omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipsa caret, non habens motum: ita & anima imago spiritus, solam vim ejus exprimere non valuit, id est, non delinquendi fælicitatem. Cæterùm non esset anima, sed spiritus: nec homo qui animam sortitus est, sed Deus. Huc omnia redeunt. Deus veritas ipsa est, ideo incommutabiliter justus. Creatura non est veritas, sed ejus ut summum imago, ideo non incommutabiliter statim justa, sed nisu & mutabilitatis suæ conculcatione immutabilitatem justitiæ consecutura.

VII. Ex Hilario. Enarr. in Ps. 1. Hilarius idipsum disertissimè tradit: *Qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine sua, non sine ratione & modo usus est. Nam unicuique nostrum libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum malumve esse lex cogeret: sed qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris ac præmii bonitatis necessitas mereretur, cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non sineret? Voluntati ergo permissa bonitas est, ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret, & esset nobis æternæ hujus beatitudinis profectus atque usus ex merito, non necessitas indiscreta per legem.* Ex bilance libertatis totum reperitur meritum nostrum, unam ergo eam merito colligendo idoneam esse nobis, ideoque ita à Deo institutam jure argumentamur. Si enim ad bonum indissociabiliter revincta condi potuisset voluntas nostra, & meriti interim capax, rueret funditus & dissiliret hæc Hilarii cæterorumque Patrum consonantissima adversus Manichæos doctrina. Nunc autem necessitas boni Deo summam laudem advectat, quia hæc ejus natura est: creaturæ nullam afferret, quia nec natura ejus hæc esset, nec industria.

VIII. Ex Ambros. L. de Noe & arca c. 13. Ambrosius: *Natura hominis contrariorum capax est, ut & malitiæ in ea sit vis, & virtutis ingressus.* Et alibi: *Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non requiramus, nec derivemus in alios, sed agnoscamus ea quæ propriè nostra sunt. Quod enim possumus non facere, si nolumus, hujus electionem mali nobis potiùs debemus quàm aliis adscribere. Ideo etiam in judiciis istis voluntarios reos, non ex necessitate compulsos culpa constringit, pœna condemnat.* (L. 1. Hexam. c. 6.) Ecquis enimverò dæmones nunc malo indeclinabiliter affixos non confitetur, meritis pœnis affici, nequaquam autem novas promereri? Ecquis non videt si liberi adhuc dicendi illi sunt, eò esse liberos, quòd in hanc necessitatem voluntate sua sint delapsi? Ergo nec libertas nec merces nisi ex stirpe indifferentiæ. Et rursum: *Non enim servili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, sive ad virtutem propendemus, sive ad culpam inclinamur.* (L. 1. de Jacob.) Et rursum alibi: *Et quia sine peccato est, creatura non est. Omnis enim creatura peccatorum capacitati obnoxia est, sola autem est à peccato immunis & immaculata sempiterna divinitas.* (L. 3. de Spiritu sanct. c. 9.)

IX. Ex Hieronymo. In c. 1. Mal. Hieronymus: *Dominus respondit Esau & Jacob de una stirpe generatos; hoc est, vitia atque virtutes de uno cordis fonte procedere: dum ex arbitrii libertate in utramque partem, ut volumus, declinamus.* Et alibi: *Hæc universa dicuntur, ut liberum hominis monstretur arbitrium. Dei enim vocare est, & nostrum credere: nec statim si nos non credimus, impossibilis Deus est, sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut justè voluntas præmium consequatur.* (In Isaiæ c. 49. v. 4.) Et in illa Isaiæ verba: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*, hæc idem habet: *Liberum servat arbitrium, ut in utramque partem non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit.* (In Esaiæ c. 1) Dilucidum est in ambigua bilance boni & mali nostram statui libertatem, & hinc meriti segetem accrescere. Qui rursus: *Qui asserunt ita hominem debuisse fieri, ut malum recipere non posset: hoc dicunt, Talis debuit fieri, qui necessitate bonus esset, non voluntate. Quod si talis fuisset effectus, qui bonum non voluntate, sed necessitate perficeret, non esset Deo similis, qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur.* (In Epist. ad Philem.) Quos hìc refellit Hieronymus, non id illi flagitabant, ut homo invitus & reluctabundus ad bonum torqueretur, sed ut immutabili charitate bonum vellet. At eam coactionem fore contestatur Hieronymus; nam quod Deus bonum indeclinabiliter velit, hæc illi non coactio, non necessitas, sed natura est, & essentia & voluntas: nam natura ipsa Dei voluntas boni & charitas est: cùmque non sit Deus capax mali, non potest dici quod ad bonum cogatur, & à malo per vim abstrahatur. At cùm natura creata & boni & mali patiens sit, cùmque natura ejus non ea sit, ut bonum invariabiliter velit, inde fit ut nisi suo seipsa nutu & bicornis indifferentiæ spontaneo flexu agat ad bonum, sed ab alio astringatur statim ut velit, nec possit nolle bonum; hæc non natura, sed coactio sit; non voluntas, sed necessitas.

X. Ex August. L. de Contin. c. 6. Augustinus: *Non autem potestas Deo defuit talem facere hominem, qui peccare non posset; sed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare si vellet, non peccare si nollet: hoc prohibens, illud præcipiens: ut prius esset illi bonum meritum non peccare, & postea justum præmium non posse peccare. Nam etiam tales sanctos suos in fine facturus est, qui omnino peccare non possint.* En qua ex vena meritum fluat, ex libera ad peccandum & non peccandum potestate: non ex quacumque indifferentia, sed ex hac singulariter. Cui consentaneus est author Libri de vera & falsa pœnitentia: *Vult Deus in unoquoque bonum, & in nullo malum. Sed sic vult ut homo, quem non vult peccare, non desinat esse homo. Non tamen vult ita hominem non peccare, ut eum velit bovem statuere. Non enim haberet quem remuneraret, nec cui fulgorem suæ claritatis infunderet, nec quem cohæredem statueret, nec in quo imaginem & similitudinem suam inveniret. Nec illius qui totus justitia est, fuit, aliquem sic creare ut non posset peccare, nisi hoc promereretur in humana libertate. Vult itaque fieri bonos salvo utriusque esse, ut ipse remaneat Deus, & iste homo.* (Cap. 16.) Cùm Deus justitia sit, adeoque non deceat creatæ & increatæ naturæ discrimina ab ipso perturbari, impeccantiam Deo propriam & naturalem non consequetur homo, nisi humanæ libertatis, id est, ad utrumque versatilis merito.

Rursus Augustinus: *Si ergo quæritur cur Deus tentari permiserit hominem, &c. Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo malè vivere suaderet, &c.* (De Gen. ad litt. L. 11. c. 4) Ad laudis cumulum postulat, non tantùm ut malo consentire possit homo, sed etiam ut ad id à tentatore diabolo urgeatur. Et alibi, *Et liberum voluntatis arbitrium dedit. Non enim esset optimus, si Dei præceptis necessitate, non voluntate serviret.* (De agone Christiano c. 9.) Et idem rursus alibi: *Sive autem iniquitas, sive justitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate. Porrò si in potestate non esset, nullum præmium, nulla pœna justa esset.* (L. 22. con. Faust. c. 78.)

XI. Ex Prosp. co. Cap. 18. Prosper contra Collatorem: *Dubitare fas non est Adamum accepisse tale liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, posset in bonis quæ naturaliter acceperat, perseverare quia vellet, & merito voluntariæ perseverantiæ in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset.* Vides unde scateat immutabilitas bonæ voluntatis, nempe ex merito perseverantiæ voluntariæ, id est, qua perseveravit qui poterat & non perseverare. Et author quicumque demum ille sit, carminis de Providentia:

Cur non sum bonus? Hoc non vis. Cur sum malus? Hoc vis.

Erro,

Erro, ais, & vellem non posse errare; duobus
Subjacet hæc votis sententia: nam penitus te
Aut esse exanimum cupis, aut rationis egenum.
Error enim est ejus, qui cessit limite recti,
Quique potest ad iter Christo ducente reverti,
At quem nulla viæ suscepit linea, nusquam
Declinat, nullumque timent non stantia casum.
Numquid cura Deo de bobus? Nunquid ad ullas
Fit verbum Domini volucres? &c.

Exanimum aut brutum cassumque rationis fore hominem auguratur, si talis condatur, qui errare non possit. Et sanè errare non posse, aut summæ naturæ est, ut veritatis: aut infimæ & brutæ, ut pecorum & inanimorum: at mediæ ut rationalis naturæ est, & posse errare, unde infra summam est: & posse non errare, unde est supra imam: & ab ima ad summam proficere, id est, ad impeccantiam peccabilitatis suæ debellatione eluctari.

XII. Ex Juliano Pomerio. De vita Cōtem. l. 1. c. 3.

Julianus Pomerius: *Quos dæmones divina sententia eo supplicio condemnavit, ut quia noluerunt perseverare cum possent, nec velint reparari, nec possint. Siquidem prævaricationis eorum fuit, quod irrevocabiliter judicii eorum animadversione percussi sunt, & ad damnationem justissimam profectò pertinuit, quod voluntatem redeundi ac facultatem penitus amiserunt, Sicut è contrario voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt, & divino justoque judicio actum est, ut quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria fœlixque necessitas.* Utrobique voluntatem liberam astrinxit voluntaria necessitas hìc boni, illic mali; verùm hæc merces fuit illius voluntatis, quam nulla necessitas, sed indifferentia boni malique comitabatur.

XIII. Author. L. de vocat. Gent. L. 2. c. 12.

Author Librorum de Vocatione Gentium: *Ut noverimus multis qui jam judicio rationis utuntur, ideo liberum esse discedere, ut non discessisse sit præmium: & ut quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Non ergo deputaretur meritis eorum, non præmio donaretur perseverantia in bono, nisi possent discedere.

XIV. Ex Fulgentio. Cap. 3.

Fulgentius Libro de Fide ad Petrum: *Ut autem hæc dilectio haberet justam & congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem: ut esset eis possibile sive ad eum qui supra eis est, intentionem sanctæ dilectionis erigere: sive ad se, vel ad ea quæ infra eos sunt, pravæ cupiditatis semetipsos pondere declinare.* Laus igitur & merces charitati Angelorum ut repensaretur, necesse fuit, ut deficiendi possibilitas & inesset eis & subesset. Et L. 1. de veritate prædestinationis: *Talis est homo creatus, ut & peccare & non peccare posset, propria voluntate; ac propterea in eo dignè punitus est voluntariæ prævaricationis lapsus, quia nulla fuit ad peccandum naturali carnis aut animæ necessitate constrictus.*

XV. Non ad statis tantum, sed & ad lapsæ naturæ statum ista spectant.

Video quid contra oggeri possit, eam esse primigeniam libertatis & laudis naturam, cum homo sanus & integer staret; at nunc ubi non jam meritis, sed gratia discernimur & prædestinamur ex Augustino, rem secus se habere. Contra autem pleraque testimonia ex superiùs congestis, illa etiam quæ ex Augustino, Augustinique sectatoribus fidissimis decerpta sunt, vel ad lapsos & resurgentes homines peræquè spectant, vel si ad primævum innocentiæ statum allundunt, ea tamen utuntur argumentatione, quæ perinde vim & pondus nunc obtineat. Quid enim causæ est, quamobrem tunc impeccantia diceretur esse præmium, alternante voluntate promerendum, nunc non ita? Quid causæ est, quamobrem tunc inanimus & amens foret, & bos potiùs quàm homo, si ad bonum ex necessitate devinciretur, nunc non ita? Quid causæ est, quamobrem nunc perinde ut tunc indifferentia boni malique debellanda supersit, & non æquè ex ejus proculcatione, & boni delectu ultroneo merces exurgat? Sed ipsa Bernardi, Prosperi aliorumque antè relata testimonia iterum excute, & disertè nobis etiamnunc eam unam merendi ansam porrigi comperies.

XVI. Rursum ex iisdem.

Sed libet conglomerare alia eorundem suffragia ut id expugnetur invictiùs, quod videlicet etiamnunc inde nobis meriti vena manet, quod cum cadere possimus, stemus: cum nolle bonum possimus, imperemus ipsi nobis ut velimus: nec qualicumque indifferentia, sed boni & mali indifferentia, boni æternam constantiam, malique odium inexpugnabile promereamur. Author L. de Vocatione Gentium gratiæ nunc efficacem victricemque vim ita primùm declarat: *Qui in cordibus trahendorum hoc egit, ut crederent: hoc effecit, ut vellent, &c. Dilecti sunt & dilexerunt: quæsiti sunt & quæsierunt: & quod eos voluit Deus velle voluerunt.* Ita præfixa gratiæ efficacitate, jam superesse tamen boni malique ancipitem potestatem, & ex ejus conversione ad bonum, exculpi omne meritum, ita docet: *Qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem quæ potest nolle, non auferat, &c.* (L. 2. c. 27. 28.) *In præsentis agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, & ab insidiante superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licèt innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis, &c.* Et denique hoc meriti proprii decus esse quod insita expugnetur mutabilitas: *Ab ipso donatur ne in tentatione superentur, ut qui gloriatur in Domino glorietur, ipsamque gloriam, iisdem quibus eam impertit, ascribit: ut quamvis auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant unde caderent, ipsorum sit meritum quod steterunt.* Quid his lucidius? Et suprà: *Voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, &c.* (Ibid. c. 26.) *Quæ opitulatio quod à multis suscipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ.* Et ipse Prosper: *Nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum: ut quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii.* (Resp. 6. ad Capitula Gall.) Leo Magnus: *Donet licèt sanctis suis quotidianam gratia divina victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam. Quia & hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili, ne de confecto prælio superbiret, semper voluit superesse, quod vinceret.* (Serm. 1. de jejun. Pentec.) Bernardus: *Est ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat. Destrueret autem si necessitatem ei ullam imponeret, quo minus liberè pro arbitrio sese volveret, sive in malum, consentiens appetitui, sive ad bonum, gratiam sequens, &c.* (L. de Grat. & lib. Arbit.)

XVII. Indifferentiæ gradus varii.

Ex his abundè confectum, ut reor, expugnatumque est, non aliam naturæ rationalis & hominis etiamnunc post suum lapsum esse libertatem, meriti demeritique radicem, quàm bicornem mali bonique indifferentiam. Quanquam enim ea in re sint gradus aliqui non contemptim prætereundi: longè alia enim hæc indifferentia in Angelo est, atque in homine, longè alia in homine stante & lapso: nusquam tamen aliqua deest indifferentia, boni malique bibula, & ideo præmii aut pœnæ certa. Cum ingenita mutabilitate pugnavit Angelus, cum tentatoris astutia pugnavit præterea homo, cum insitæ nunc & in ima præcipitis cupiditatis pruritu certandum est nobis: non una pugnandi materia, pugna tamen nonnulla semper est. Et nunc quidem cum cupiditate, quàm olim cum ingenita mutabilitate iniquior foret certandi lex, nisi validioribus instrueremur auxiliis. Itaque tunc pugna mollior, sed leviora auxilia: nunc robustior gratia, sed hostis validior. Utrobique non coronatur nisi pugnax & victrix indifferen-

tiæ ancipitis, nec cupiditatis præcipitis libertas.

XVIII. Discrimen meriti in stante & reparata natura.

Nec his adversantur sancti Patres, ubi merita nostra non aliud profitentur esse, quam Dei dona: ubi coronari nos in misericordia & miserationibus. ubi coronari à Deo dona sua: ubi libertatem nihil aliud quàm liberari, quam salvari: ubi quæ futura erat meriti merces, si homo in veritate stetisset, hanc muneris nunc esse divini æternam gloriam contestantur. Invictissima enim nunc auxilia cùm subministrentur, etsi pugnat libertas nostra, non tamen ita pugnat, sicut cùm leviùs adjuta, sibi deinceps uni permittebatur. Deinde quod qualiacumque nunc à Deo sufficiantur auxilia, id post lapsum non est nisi divinæ largitatis; unde & eidem refundenda est, quæ inde seu merces, seu gloria reportatur. Ideo ergo tunc merces meriti, nunc gratiæ munus est vita æterna. Quanquam & tunc quoque gratiæ donum illa esset, & nunc meriti merces sit. Etenim Paulo qui bonum certamen certaverat, reposita erat corona justitiæ, quam redderet ei justus judex: & laus æterna erat ei desponsa, qui fecerat mirabilia in vita sua, qui cum posset transgredi, non erat transgressus: cùm posset facere mala, non fecerat. Nulla ergo in his Patrum sententiis augurandа dissensio est.

XIX. At Christo longe alia congruit ratio meriti & libertatis. Ex Anselmo

Hactenus primam partem hujus capitis executi sumus, nunc in alteram incumbamus, planumque faciamus, Christo singularem propriamque fuisse longè aliam libertatis suæ exercendæ, mercedisque quærendæ rationem.

Anselmus L. 2. cur Deus homo, cùm ea quæ super descripsimus de creatis naturis disputasset, nempe, *Cum Angelus potuit sibi auferre justitiam & non abstulit, rectè asseritur ipse sibi dedisse justitiam, & seipsum justum fecisse. Hoc igitur modo habet à se justitiam, quia creatura eam aliter à se habere nequit, & idcirco laudandus est de sua justitia, & non necessitate, sed libertate justus est:* Pergit statim ad Dei & Christi hominis justitiam ac libertatem longè dissimillimam enucleandam: *Quapropter quoniam Deus perfectè habet à se quidquid habet, ille maximè laudandus est de bonis quæ habet & servat, non ulla necessitate, sed propria & æterna immutabilitate. Sic ergo homo ille qui idem ipse Deus erit, quoniam omne bonum quod ipse habebit, à se habebit, non necessitate, sed voluntate, & libertate, & à seipso justus & idcirco laudandus erit. Quamvis enim humana natura à divina habeat quod habebit, idem tamen ipse à seipso, (quoniam duæ naturæ una persona erunt,) habebit, &c. Ex hoc à parte video, quia & peccare non poterit, & tamen laudandus erit de justitia sua.* Libertas ergo & laus Christi hominis divinæ convenit, & nostræ disconvenit. Convenit enim divinæ, quia ut Deus, ita Christus homo (quia idem Deus est) justitiam etsi incommutabiliter habet, libere tamen habet & laudabiliter, quia à seipso: habet enim à Deo, id est, à seipso. At Angelus, & homo, ut justitiam laudabiliter & liberè id est, à seipso habeat, necesse est ut eam primò commutabiliter habeat: quia eo uno nomine illam habet à seipso, quod sibi eam non abstulerit, cùm posset auferre. Convenit ergo Deo, & Christo homini, & meræ creaturæ, justitiam habere liberè, id est, à seipso, ideoque laudabiliter; disconvenit autem, quod mera creatura ut habeat à seipsa, habet per industriam mutabilitatis victricem; Deus habet per naturam incommutabilem, ideoque à seipso; Christus homo habet per personam Verbi, incommutabilitatem suam suæ etiam humanitati aspirantis. Anselmus ibidem rursus rogatus, cur non tales condidisset Angelos & primos homines qui peccare non possent, & tamen de justitia laudandi essent, respondet: *Quoniam non potuit, nec debuit fieri, ut unusquisque eorum esset idem ipse qui Deus, sicut de homine isto dicimus.* Hæc enim est Dei vel sine carne vel incarnati propria & peculiaris prærogativa, quod justitiam habeat incommutabiliter, & tamen illam habeat liberè & laudabiliter; quia illam habet à seipso, id est, per substantiam suam; per naturam nempe, si Deus sine carne; per personam, si Deus incarnatus intelligatur.

XX. Ex authore libri de vocat. Gentiú. L. 2. c. 28.

Author librorum de Vocatione Gentium, prolixè ostendit sanctis nunc id à Deo donari, *ut quamvis auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant unde caderent, ipsorum sit meritum, quod steterunt:* negat incommutabilis animi fortitudinem nunc ulli donari, nempe ut ne excidatur stirpitus illa luctandi vincendique & triumphandi seges. Eam tamen affuisse Christo profitetur, unde necesse est, alia illi certaminum & meritorum coronarumque genera & non paulò illustriora adornari. *Potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre discipulo, ut sicut ipsum Dominum nihil ab explendæ passionis proposito deterrebat, ita nec beatum Petrum ulla tunc formido superaret. Sed hæc stabilitas illius tantummodo propria fuit, qui solus verè potenterque dicebat, Potestatem habeo iterum sumere eam. In cæteris vero hominibus donec caro concupiscit adversus Spiritum, & spiritus adversus carnem; & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam non hujus, sed alterius vitæ est verè perfecta & secura fœlicitas.* Jactamur hic ergo nos inter mutabilitatis pericula, incommutabilis autem animi fortitudo in præmium nobis destinatur: at Christus ea fretus incommutabilitate, quia animo jam beatus, quia idem ipse Deus, cùm solis doloribus luctabatur, & merita inde laudesque ratione multùm dispari colligebat.

XXI. Ex Tertulliano.

Tertullianus libro de anima: *Quod à Deo est, non tam extinguitur, quam obumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est Deus: extingui non potest, quia à Deo est. Itaque sicut lumen aliquo obstaculo impeditum, manet, sed non comparet, si tanta densitas obstaculi fuerit: ita & bonum in anima à malo oppressum pro qualitate ejus, aut in totum vacat occulta salute, aut qua datur radiat inventa libertate. Sic pessimi & optimi quidam, & nihilo minus unum omnes animæ genus; sic & in pessimis aliquid boni, & in optimis nonnihil pessimi. Solus enim Deus sine peccato, & solus homo sine peccato Christus, quia & Deus Christus.* In libertatis, in meriti, in boni & mali, in peccati & justitiæ negotio, Christus homo non creaturis accensetur, sed Deo conjungitur, quia & Deus ipse est.

XXII. Ex Fulgentio. Cap. 2.

Fulgentius de fide ad Petrum: *Idcirco mediator, quia idem Deus & homo verus, habens cum Patre unam divinitatis naturam, & humanitatis unam cum matre substantiam. Habens ex nobis usque ad mortem iniquitatis nostræ pœnam, habens incommutabilem de Deo Patre justitiam: propter iniquitatem nostram temporaliter mortuus, propter justitiam suam & ipse vivus semper, & immortalitatem mortalibus largiturus, Qui perfectam quidem humanitatem suam in ipsa divinitatis suæ perfectione servavit, veritatem vero mortalitatis nostræ per susceptionem mortis, veritate atque incommutabilitate suæ immortalitatis absorbuit.* Hæc duo Christus incommutabilis Dei justitia, & passibilis crucique addicta hominis natura. Hinc illi merita, hinc laudes, luctanti non cum indifferentia, sed cum cruciatibus, vincenti per incommutabilitatem suam, & hoc divinæ suæ incommutabilitatis velut igne nostra & peccata & supplicia exurenti.

XXIII. Ex Cassiano. Coll. 6. c. 16.

Cassianus hic non abs re forsan subjungetur: *Mutabilitati etiam supernas potestates subjacere, declarant illi, qui de eorum numero corruptæ voluntatis vitio ceciderunt. Unde neque illi immutabilis naturæ esse putandi sunt, qui in illa qua creati sunt beatitudine perseverant, eo quod in contrariam partem non fuerint similiter depravati. Aliud*

nam-

namque est immutabilis naturæ esse, aliud virtutis industria bonique custodia per immutabilis Dei gratiam non mutari. Quidquid enim per diligentiam vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire, &c. Et idcirco Deus solus immutabilis vel bonus dicitur, qui bonitatem non industriæ studio, sed naturaliter possidens, non potest aliud quid esse quàm bonus. Nulla igitur virtus potest immobiliter ab homine possideri, &c. Utrum de Christo homine conjectandum sit, nemo non perspicit. Nec enim ille industriæ lapsantis studio, non virtutis industria nutante, sed substantiæ suæ seu personæ immutabilitate justitiam tenet & convenientem justitiæ tantæ mercedem obtinet.

XXIV. Ex Gregor. Papa. Moral. l. 15. c. 4. Cui consonat Gregorius Magnus: *Ipsi quoque Angelici spiritus mutabiles ex natura sunt conditi, quatenus aut sua sponte caderent, aut ex arbitrio starent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhærere, à quo creati sunt, hanc ipsam in se mutabilitatem suam, standi jam immutabilitate vicerunt.* Et alibi: L. 12. c. 17. *De Sanctis scriptum est: Cœli enarrant gloriam Dei. Qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent: sed dum immutabili veritati studiosè semper inhærere desiderant, inhærendo agunt ut immutabiles fiant. Dumque ad hanc toto affectus se tenent, quandoque accipiunt ut super semetipsos ducti, vincant hoc quod in semetipsis mutabiles extiterunt.* Et alibi: L. 5. c. 28. *Mirè omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit: ut & qui permanere nollent, ruerent: & qui in conditione persisterent, tantò in ea jam digniùs, quantò ex arbitrio starent: & eò majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent. Quia ergo & ipsa quoque natura Angelica est in semetipsa mutabilis, quam videlicet mutabilitatem suam vicit per hoc, quod ei qui semper idem est, vinculis amoris alligatur.* Hæc de Angelis & hominibus creberrimè & inculcatissimè, nusquam de Christo. Nobis adversaria comparatur mutabilitas nostra, qua cum congrediamur, quam configamus, & inde lauream capiti nostro aptemus. Tota mutabilitas & indifferentia eo destinatur, ut ejus prostratione immutabilitatem lucremur. Ea pugnandi, ea vincendi merendique ratio est. Quid hæc ad Christum? Quo ergo venas mutabilitatis atque indifferentiæ rimari, quas ei affingamus? Illa enim indifferentia quam sancti Patres meris creaturis adjungunt, aut committunt potiùs, ut pugnacem, ut oppugnandam & expugnandam adversariam, in boni malique ambigua bilance nutat. At hujus nec umbram Christo affricare fas est.

XXV. Ex Ambrof. Ambrosius quoque Enarratione de arbore interdicta: *Sed utique, inquiet calumniator, Deus non debuit hominem permittere, ut peccaret. Sed stulti hoc dicunt, non considerantes quia Deus statuam non fecit lapideam aut ligneam, sed hominem perfectum condidit, & suæ mentis arbitrum, ut intelligeret quid boni appeteret, & quid mali contemneret, &c.* Et paulò superiùs: *Si sciebat eum posse peccare, quare non revocavit eum à peccato? Respondetur, quia non victorem, nec eum qui legitime non certaverit, non decet coronari.* Et ibidem de Adamo: *Victus est, quia non pugnavit, succubuit voluntate, non necessitate.* Hinc ergo pugnandi, hinc vincendi, hinc ovandi tota materia sufficitur nobis, unde non potuit Christo suppeditari, ex ambigua ad bonum malumque indifferentia: quam si naturæ rationali statim ab exortu suo surripias, aut Deus erit, aut stipes.

XXVI. Ex Lactatio. L. 5. c. 7. Lactantius quoque præclarissimè hoc idem pertractat: *Deus non exclusit malum, ut ratio virtutis constare posset. Quomodo enim patientia vim suam nomenque retineret, si nihil esset quod pati cogeremur? Quomodo laudem mereretur devota Deo suo fides, nisi esset aliquis qui à Deo vellet avertere? &c. Si enim virtus est, malis ac vitiis fortiter repugnare: apparet sine malo ac vitio nullam esse virtutem, quam Deus ut absolutam perfectamque redderet, retinuit id quod erat ei contrarium, cum quo depugnare posset. Agitata enim malis quatientibus, stabilitatem capit.* Pugnat ergo natura rationalis cum insita mutabilitate, cum inolita cupiditate, cum irruentium dolorum acerbitate, & tot malis quatientibus agitata, stabilitatem capit: cum solis dolorum acerbitatibus pugnavit Christus, & hinc merita accumulavit sibi nova, quibus non sibi, sed nobis bonæ voluntatis incommutabilem stabilitatem quæreret.

CAPUT XXIV.

De indifferentia illa, quæ Verbi magis, quàm carnis propria est, ad induendam carnem & subeundam crucem, quid senserint Græci Patres.

I. Quatuor genera indifferentiæ, de quibus superiùs disputatum est. Complures hactenus commemoravimus indifferentiæ species valdè diversas; & nisi fallor, quadruplicem distinximus. Prima est boni & mali, peccandi & non peccandi, quam meræ creaturæ libertati & merito ostendimus necessariò inhærere; à Christo autem illam omni studio abstersimus. Secunda est boni alicujus eligendi præ aliis, citra ullum hinc & hinc peccandi periculum. Hanc Christo minimè necessariam demonstravimus, quòd pleræque ejus, aut omnes etiam actiones passionesque & earum ipsæ circumstantiæ paternis æternisque & consiliis & imperiis ita præfinitæ essent, ut ab iis non posset deificata, beata, & impeccabilis ejus voluntas resilire. Tertia est, qua erga has ipsas actiones passionesque, & earum circumstantias, in seipsis spectatas, indifferens prorsus erat humana Christi voluntas per se, ad easque non earum vi ulla, non ulla sibi intrinseca necessitate, sed sola Patris jubentis charitate ferretur. Hanc à sanctis Patribus nunquam repudiatam, aliquando approbatam vidimus; hanc omnino amplexi sumus. Quarta est indifferentia Verbi potiùs quàm assumptæ humanitatis, qua liberè & indifferenter unà cum Patre voluit, cùm posset & non velle, carnem induere, & adire crucem. De hac non nulla in superioribus capitibus delibata jam sunt.

II. Quarta species indifferentiæ hic operosiùs exponenda. Sed quia sancti Patres hujus & libertatis & indifferentiæ sæpissimè meminerunt, operæ pretium duximus eorum hic suffragia paulò accuratiùs expendere; ut si quid hinc lucis extundi possit ad quæstionem istam extricandam, nostra opera in eo non desideretur. Quanquam enim hæc indifferentia propria sit Verbi, ut quæ incarnationem ipsam anteiverit, æternisque Patris & Filij decretis implicata sit: quia tamen tam liberè & indifferenter Deus Verbum crucem subiit in tempore, quàm liberè & indifferenter illam subire ante sæcula decreverat, sola voluntatis suæ immutabilitate devinctus, qua fit, ut tam immutabiliter eadem perseveret indifferentia, quàm eadem voluntas; ideo sancti Patres plurimum momenti in hac indifferentia esse existimarunt. Erat enim in tempore hæc jam indifferentia Verbi incarnati, quæ in carne exercebatur; dum in tempore crux adiretur tam indifferenter, quàm indifferenter ante tempora eam adiri constitutum fuerat. Non debet sanè hæc doctrina proferri ultra fines, quos sibi præstituerunt sancti Patres, quorum hic vestigia sectamur. Illud ergo unum conabimur, singulorum suffragia scrutari atque expendere.

Meritorum sanè Christi fontem largissimum jam demonstravimus in voluntate Christi humana, per seipsam prorsus indifferenti ad actiones passionesque suas & earum circumstantias in seipsis

seipsis spectatas, & in charitate ejus flagrantissima atque indeflexa obedientia, denique in hypostasi & sanctitate Verbi Dei, carni suæ carnisque suæ gestis dictisque omnibus infinitam quandam dignitatem, summumque pretium conciliante, ut nihil præterea desiderari possit. Quod ergo hic de Verbi Dei carnem induentis & crucem obeuntis voluntate indifferenti ex Patribus assuemus, quasi ex redundanti additum cujusque judicio permittetur.

III. Ex Cyrillo Christus, hoc est, Verbum & carnem & mortem subiit, liberè, etiã indifferenter.

In Ev. Joan. L.2.pag.197.

Cyrillus ante alios prodibit: *Ait missum se à Deo & Patre, ut Verbum à Genitoris mente prodiens quodammodo, & voluntatem suam adimplens, non ut alienæ voluntatis executor assumptus, sed ipse cùm sit Verbum vivens & manifestissima Patris voluntas, promptè servans eos qui perierunt, &c. Cùm ergo Filius sit bona Patris voluntas, perficit opus ejus, salutem tribuens credentibus in eum.* Voluntas Patris eadem & Filii est, & Filius ipsamet voluntas est: non ergo Dei Patris voluntati ut alienæ, sed ut suæ voluntati obsequitur Deus Filius, seu ante carnem, seu in carne & per carnem, sibi obsequitur, sibi morem gerit. Porro unus est Christus, una hypostasis, una natura Verbi incarnata; Deus anima & carne humana amictus, in toto vitæ mortalis decursu, in mortis & crucis exitu, Patris, id est, suam Verbi adimplens voluntatem. Et infrà: *Non possum ego à meipso facere quidquam, &c. Nam cum una in Patre & Filio Deitas intelligatur, erit utique eadem etiam voluntas; neque vero in Patre, neque adeo in Filio sanctoque Spiritu dissentire unquam à se natura divina censebitur, sed quod Patri placuerit, hoc tota vult Deitas.* Nihilo tamen seciùs, quidquid in carnis dispensatione gessit pertulitque, à seipso, liberè, indifferenter gessit & pertulit Christus Deus, quia una Patris Filiique voluntas est, his definiendis penes se liberrima & indifferens. Et tanquam principio atque origini innascibili authoritas quidem Patri defertur, ideoque negat quandoque Christus, se à seipso quidquam facere; sed cùm unitas interim summa identitasque constet, tam liber tamque indifferens est in hoc consilio capessendo Filius quàm Pater, atque adeo liber & indifferens in eo exequendo.

Ib. L. 5. pag. 493. 525. 527. 530. 808. Et to. 5. par. 1. pag. 51. 54. 57.

Et rursum: *Dicit vero, Nihil à meipso facio, non ut minister aut famulus, aut in morem discipuli alicujus opperiens jussa Patris, &c. Sed, Non sum peculiari voluntate dissitus, quæ non insit Deo ac Patri: quæcumque Pater natura sua vult ac statuit, hæc etiam utique in me sunt, quia ex illius sinu effulsi, & verus sum fructus substantiæ ejus.* Quæ verba Christi non divinis, sed humanis ejus factis à calumniantium invidia tuendis prætendebantur. Nam & in carnis suæ administranda dispensatione Filius tam inculpatus, tam liber erat quàm ipse Pater, cujus sanctitas, libertas, consiliumque ipsemet est. Et infrà: *Filium omnia facere ex voluntate Patris, non eum minorem arguet aut ministrum, sed ex ipso & in ipso, atque consubstantialem. Quandoquidem enim is est sapientia Patris & vivens consilium, fatetur se nihil aliud facere quàm quod scilicet Pater velit, cujus est sapientia & consilium; quippe cùm intelligentia quæ in nobis est, seipsa nihil agat, sed quidquid omnino nobis libuit, adimpleat.* Nonne tam liberum & indifferens est hominis qualibet in re consilium, quàm homo ipse? Multò magis tam Filius, quàm Pater Deus.

IV. Idem Cyrillus. Ibid. pag. 660. 705.

Cyrillus idem ibidem: *Hoc igitur vult ostendere cum dicit, Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo accipere eam, se non jussum ut servum & ministrum, sed neque ex necessitate, vel à quibusdam coactum, sed volentem ad id venisse. Hoc mandatum accepi à Patre meo: Nequis enim dicat, præter voluntatem Filii non posse Patrem sumere animam ejus, neque ex eo in una Deitate Patris & Filii dissidium faciat: quando dicit se mandatum accepisse, in hoc consentientem voluntate ostendit Patrem, & tanquam ab una mente & sensu ad id se venire fatetur, &c.* Hìc profitetur Christus, se à seipso animam suam ponere, sua potestate, non jussum, non ut servum, non necessitate, sed voluntate: à nemine sibi tolli, sed à se poni vitam, acciri mortem. Cùm enim præcepit Pater, ipse sibi præcepit: cùm Patri obaudit, sese audit. Nihil ergo Patris præceptum obstrepit indifferentiæ; sicut qui sibi quid constanter imperat, tam liber & indifferens exequitur imperium, quàm imperavit. Porro hæc sunt Verbi incarnati verba, suam in vita vel libanda vel reparanda potestatem non frustra jactantis. Et infrà: *Gloria crux. Etsi enim tempore passionis multas contumelias pertulit, summa tolerantia & sponte: tametsi quia cùm posset non pati, propter nos ultro mori sustinuit, propter aliorum commodum id subire summæ animi præstantiæ & supernæ gloriæ tribuendum est.* Planissimè laus meritumque inde exculpitur, quòd cùm posset non pati passus est. Ex indifferentia ergo hæc libertas meritique seges exurgit. Tam liber enim & indifferens Christus est in cruciatu crucis temporaliter perferendo, quàm in ejus consilio ante tempora ineundo. Nec enim indifferentiam suam libertas amittit, cùm sibi incommutabiliter consentit. Quare idem Cyrillus: *Revertitur in cœlum, quodammodo perfectis etiam cum carne Deitatis operibus, non ut minister in operando forsan alterius, sed ut sapientia & virtus existens Dei & Patris. Non enim arbitrabimur eum aliter Deitatis opera cum potestate implere. Omnia enim à Patre, sed non absque Filio.* Cum potestate igitur opera sua omnia perfecit Christus, quia Dei Filius in carne, quia sapientia & voluntas libertasque ipsa Patris ipse est. Nec tanquam duo aliqui nefario dissidio discriminandi sunt, quorum alter liberrimè & indifferenter, alter necessariò mortem crucis oppetat: sed unus in carne Dei Filius, totam sibi induens & cooptans, totam sua generositate imbuens humanitatem, qui liberrimè mortem adit, cum plenissima potestate ejus à se abigendæ. Ibid. L. 11. pag. 947.

V. Ex Cyrillo rursus, quæ Christi libertas, quæ ad mortem crucis indifferentia. L. 12. pag. 1051.

Cyrillus idem infrà: *Nisi tibi datum esset desuper. Desuper datam Pilato potestatem ait, non quasi Deus ac Pater crucis passionem invito Filio imposuerit: sed quod ipse unigenitus seipsum supplicijs offerat pro nobis, & Pater mysterium illud impleri sinat. Datum igitur esse à Patre, hoc loco idem est ac si diceretur Pater consensisse & permisisse, Filius verò voluisse. Turbam quippe prævaluisse Christo, nemo sibi persuaserit, &c.* Cùm necessitas mortis Christo impacta vel à Patre, vel à Judæis videri posset, utramque suspicionem eliminat Cyrillus. Et à Judæis quidem perspicuum est non esse superatam Christi voluntatem, qui illorum insidias toties, cùm nondum afforet hora præfinita, evaserat. Patrem autem non tam imperasse, quàm ultro semet offerenti consensisse & permisisse, Filium autem ipsum sua sponte morti semet objectasse docet Cyrillus. Nec ulla hic compugnantia sententiarum suspicanda est. Nam cùm unus sit Deus Pater & Filius, unaque sit voluntas, ut & substantia utriusque, cùm mysterium crucis æterno, sed liberrimo atque etiam indifferenti utriusque consilio præfiniatur, potest ut res tanta per humanam balbutiem utcumque edisseratur, potest, inquam, dici Pater imperasse, Filius obedisse ut Patris authoritas suspiciatur: potest rursus dici, uterque jussisse, & Filius sibi ipsi morem gessisse, ut utriusque æqualitatis habeatur ratio: potest denique dici, Filius ultro voluisse, & mortem provocasse, Pater autem acquievisse & permisisse, ut Filij libertas & evitandæ crucis summa potestas significetur.

Quin nec ulla propriè Patris esse ad Filium destinata præcepta Cyrillus idem arbitratur, sed humano more & minùs proprio præcepta dici, cùm reapse

reapse consensio & identitas voluntatis ista sit inter Patrem & Filium. *Habes igitur in subjectione voluntaria voluntatum Patris adimpletionem, quas loco mandatorum Filius apud se esse ait. Nam cum Patris consilia ut Verbum intelligat, ejusque profunda scrutetur, imo verò cum sit sapientia & virtus Patris, voluntatem ejus ad opus perducit, mandati loco eam habens, atque ita humano more eam nuncupans.* Non humanæ ergo voluntati hæc indifferentia libertatis adsignanda est, quasi suo illi nutu consultandum seorsim, eligendumque aliquid Deus permiserit: sed surrigendus est animus noster ad ipsam Verbi principantis, & cum Patre Deo æterna concoquentis consilia indifferentiam, plenissimamque potestatem mortis vel asciscendæ, vel refellendæ,

Ibid. l. 10. pag. 882.

VI. Ex eodem iterum. Dialog. 5. de Trinitate.

Cyrillus idem rursus: *Nemo dixerit Filium in aliam quàm Patris voluntatem abire, sed potius eadem cum ipso sentire & velle, præsertim cum ex ipso & in ipso secundùm naturam sit. Ut enim videatur honorare Patrem, & eum à quo est genitus, perfectis ac summis laudibus persequi, interdum ait, Sacrificium & oblationem noluisti, &c. Ut facerem voluntatem tuam Deus: interdum verò: Descendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Reliqua ergo obedientia carnis, ab illa pendet, qua fluxit in carnem mandante Patre, ipso sibi imperante Filio, id est ultro & indifferenter volente, tam Patre, quàm Filio.

Sed quid evidentius illo Cyrilli loco in Dialogo, Quod unus sit Christus, ubi intercedit eorum sententiæ, qui claritatem nominis repensatam homini assumpto statuebant, ut qui morte luisset, gloria perfunderetur. Contrà autem nititur Cyrillus Verbo Deo propter nos incarnato, & ipsam incarnationis inanitionem & acerbitatem crucis, & gloriæ restitutæ mercedem vendicare: *Imo verò quomodo non sit multò satius dicere, datum id esse à Patre naturali Filio propter nos incarnato, ut etiam in humana natura intelligatur Deus & in summa celsitudine constitutus, qui se pro nobis humiliavit: ne novus quidam ac recens Deus Angelis atque hominibus proponatur, cui Deitatis gloria essentialiter non insit, sed extrinsecus advenerit, tanquam sola voluntate Dei ac Patris? Ipsi itaque Verbo ex Deo Patre genito dicimus esse datum nomen, quod est super omne nomen, &c. Si quidem verum est, quod non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, &c. Oportuit itaque eum qui propter nos ad humanæ naturæ conditiones sese demisit, naturali suo splendore atque excellentia nequaquam destitui; sed exinanitum, nostrique similem factum, plenitudinem Deitatis habere, & in humilitate celsitudinem: & id quod natura ipsi inest, quasi acceptum habentem propter humanitatem, ab omnibus adorari.* Ubi scopum totius doctrinæ suæ ob oculos nobis præstituit Cyrillus, quo nihil ad fidei nostræ lucem ac magnificentiam splendidius, nihil majori studio ut mihi quidem videtur inculcandum. Ut ne videlicet Christum dividamus, ne Jesum solvamus, ne novum recentemque confingamus nobis Deum, ne hominem precaria vestitum Deitate comminiscamur; sed ob animi fideique illuminatæ oculos ponamus nobis, sempiternum Dei Verbum Patri auscultare, nostram naturam indui, atque ita exinaniri suapte sponte, ultro morti occurrere, ideoque veluti in præmii loco, in hac & cum hac etiam sua carne, æterni nominis gloria & rationalis totius creaturæ religione honorari. Ita non periclitabimur de recentis numinis invidia. Ita in cruce obeunda summam & indifferentem etiam libertatem agnoscemus. Idem Cyrillus alibi sæpiùs ingeminat, permisisse Patrem, ut Filius neci traderetur. Et rursus alibi: *Corpore quod mori posset assumpto, ad humana natura infirmitates seipsum demisit, in eoque veluti proprio spontaneam mortem sustinuit.*

Ho. 4. Pasch. L. de recta fide. Pag. 344.

Ob eam verò mortem & passionem, summæ gloriæ coronam promeruit. Vides ut in carne adeunda, ut in cruce subeunda princip[e]tur libera & indifferens Verbi voluntas, & inde meritum gloriæ recuperandæ pullulet.

VII. Ex Chrysostomo. In Evang. Joan. Ho. 59

Chrysostomus eandem prorsus Christo crucem mortemque oppetenti indifferentiam libertatis adscribit, eandem præcepti paterni vim interpretatur: *Sic habeo potestatem ponendi animam, ut nemo invito id facere possit.* Hæc apud illum Christus: nam nos, velimus, nolimus, mortem etiam renitentes subimus vi illatam: *At Christus etiam insidiis circumventus, sui juris erat, ut moreretur, vel non.* Postea autem ad paterna mandata Christum componens: *Hoc præceptum accepi à Patre. Quodnam? Mori pro mundo. Priusne ergo accepi à Patre. Quodnam? Mori pro mundo. Priusne ergo accepit, & inde paruit, & prius quid esset faciendum, ut disceret, opus habuit? Et quis nisi expers rationis hoc dixerit? Sed præceptum à Patre se accepisse dicens, nihil aliud ostendit, quàm idem Patri videri, quod ipse facit.* Viden quo evadat hoc Patris præceptum? Consensus nimirum ipsissimus est voluntatis divinæ, qui ubi Patris authoritas, genitique nativitas perpenditur, illius præceptum, hujus obsequium humano usu dictitatur: ubi æqualitas substantiæ, Filiique ad nostram salutem alacritas in mentem venit, tum Filii ultronea oblatio, Patris assensio permissioque nuncupatur. Et rursum ibidem explanans qui Christus animam se à seipso ponere testificetur: *Qui à seipso ponit, præcepto non indiget. Et causam cur faciat, affert, quod scilicet, sit pastor, & Pastor bonus. Bonus autem Pastor ad ovium custodiam hortatore non indiget. Quod si in hominibus usuvenit, multo magis in Deo. Ideo Paulus inquit, quod seipsum exinanivit. Nihil autem aliud hoc in loco præceptum signat, quàm cum Patre concordiam. Quod si humiliter & humanè locutus est, auditorum imbecillitati tribuendum.* Non abnegandum ergo præceptum est, sed cum sanctis Patribus interpretandum: nec indifferens moriendi potestas inficianda est, sed præcepto concilianda. Hallucinantur enim & ab orbita Patrum deviant, qui ut indifferentiam astruant, præcepto obstrepunt: aut ut præcepto locus sit, indifferentiam amoliuntur. Utrumque Christus profitetur, utrumque sancti Patres conciliant. Et quidem si ab humana voluntate principaliter hæc indifferentia repeteretur, vix aut ne vix quidem illa cum præcepto in impeccabili libertate posset consociari. At si hæc indifferentia teneatur, quam Scripturæ, quam Patres loquuntur, à Deitate Verbi, à voluntate omnipotente Verbo ipso, carnem, carnisque mortem spontaneè liberrimèque amplexante emergens, hæc sanè cum paterna voluntate, seu cum paterno præcepto arctissimè confæderatur. Christus enim ipse quando *seipsum exinanivit, in similitudinem hominum factus*: quando *à seipso animam suam posuit, nemine eam tollente*: quando *oblatus est quia ipse voluit*, hominem à Deo non disjunxit, sed indifferentis potestatis principatum Verbo Deo vendicavit.

VIII. Ex eodem. In Epist. ad Hebr. ho. 28

Chrysostomus idem: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Hoc est, licebat ei nihil pati si voluisset. Neque enim peccatum fecit, neque inventus est dolus in ore ejus, sicut ipse dixit in Evangeliis, Venit mundi princeps, & in me non habet quicquam. Erat ergo ei promptum si voluisset, non venire ad crucem, Potestatem enim, inquit, habeo ponendi animam meam, &c.* Luendum morte crimen est necessariò omnibus hominibus; hac necessitate absolutus erat Christus, ut labis purus: eatenus ergo poterat non mori. At si præcepto Patris ageretur, mori utique adigebatur. An ergo ludificatorium est, à necessitatis uno vinculo eum eximere, cùm altero adhuc vinciatur? Igitur præcepto quidem teneri sentiendum est, sed quod sibi ipse san-

sanxerit, cum volens lubensque carnem, carnisque mortem, summa libertatis indifferentia assumpsit. Unde idem Chrysostomus apertiùs alibi: *Quemadmodum & Christus sibi non placuit. Quid est, non placuit ipsi sibi? Poterat nulla ferre opprobria, poterat quæ passus est non pati, siquidem quæ sua erant, spectare voluisset. Et quare non dixit, seipsum exinanivit? Quoniam non solum ostendere voluit quod homo factus est, sed quod & conviciis impetitus est, &c.* Liquet hinc illam crucis adeundæ vel recusandæ indifferentiam primariò & principaliter in eam refundi potestatem, qua se Christus Deus exinanivit, ut homo fieret. Ex eodem enim fonte manat reliqua omnis indifferentia ad carnis affectatrices omnes ærumnas.

In Epist. ad Rom. ho. 17.

IX. Ex Theodoreto. In c. 12. Ep. ad Hebræos.

Nec alia eorum sententia qui Chrysostomum imitantur. Theodoretus: *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem. Potuisset inquit non pati, si hoc noluisset, sed passionem sustinuit, beneficio omnes afficiens. Servatoris autem gaudium est salus hominum. Pro hac passionem subiit.* Nec enim Theodoretum latuit præcepto paterno obligatum fuisse Christum, & hoc illi cum suavissimum, tum fructu meritisque fuisse uberrimum, ut paterno imperio per omnia obsequeretur. Unde alibi idem: *Tunc dixi, Ecce venio, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei. Accedens tibi, ait, omne studium adhibeo, ut tua præcepta impleam, & secundum tuam voluntatem vivam.* Ergo ea Christo indifferentia libertatis quærenda est, quæ præceptis divinis non refragetur.

In Psal. 39.

X. Ex Oecumenio. In Ep. ad Hebr. c. 12.

Oecumenius dilucidè nobis suffragatur, & consentaneam præcepto amplexatur indifferentiam. *Qui gaudio sibi proposito, &c. Ipsi inquit licuisset cum gaudio & gloria degere in hoc mundo; ait enim, Potestatem habeo ponendi animam meam, & recipiendi ipsam; sed non voluit: imo voluntariè crucem sustinuit, &c. Aut ita accipe, sicut & Gregorius ait, Qui cum liberum inquit fuisset, manere in propria gloria, & divinitate, non solum exinanivit semetipsum usque ad formam servi, sed & crucem sustinuit ignominia contempta.* Indifferentia hæc, retinendæ propriæ gloriæ & divinitatis, aut suscipiendæ carnis crucisque, penes quam Christi naturam principaliter resideat, nihil attinet admonere. Ergo siquam crucis subeundæ aut repudiandæ indifferentiam sancti Patres Christo adsignant, ut aliquam prorsus adsignant, ea à Verbo derivanda est.

XI. Ex Theophylacto. In c. 10. Joa. Evang.

Theophylactus omnium præstantissimè Cyrilli & Chrysostomi sententias & verba penè ipsa sectatus est: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, &c. Vidit Deus & Pater etiam Filium suum, eandem erga nos declarantem bonitatem, atque ita mori voluisse pro nobis, & diligenter observare characteres bonitatis paternæ, dilexit merito: non quasi mercedem quandam mortis pro nobis, dilectionem dans Filio, sed spectans inadulteratam substantiam in Filio, & quodammodo quibusdam naturæ vinculis necessariis & inevitabilibus ad hoc vocatus.* Hæc ille ex Cyrillo, ubi claret prosiliisse Filium & penè occupasse paterna imperia in carne & cruce suscipienda. Claret rursus mercedem Christo pro nobis morienti rependi quidem à Patre, sed longè aliam ejus esse rationem ac vulgi creaturarum. Claret denique hanc moriendi indifferentiam & alacritatem principaliùs naturæ Verbi divinæ arrogari. Ac rursus idem Chrysostomum exprimens: *Nos etiam præter voluntatem ab aliis interficimur. At Dominus nunquam involuntariè passus est, quod non aliter morti obnoxius erat, nisi quantum libebat. Hoc mandatum inquit se accepisse à Patre, ut moreretur pro mundo. Usque adeo inquit non sum adversarius Deo, ut & istud ipsum mori à Patre mihi demandatum sit.* Ultro prosilit, & penè prævertit, ut carnem & mortem subeat, & tamen idem jubetur. Nempe quod humanæ naturæ præceptum est, id divinæ hypostasi consensus cum Patre unius voluntatis est: unde in Christo ex humana natura & divina hypostasi conflato, idem præceptum, idem indifferentis voluntatis votum spontaneum est. Quocirca idem Theophylactus: *Tunc dixi, Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam, &c. Voluntas autem Dei Patris est, quod Filius pro mundo immoletur.* Ac infrà: *Qui proposito sibi gaudio, &c. Licebat enim ipsi non pati, non mori, &c.* Nulla hìc conflictatio, aut si qua est, verborum est, non rerum. Verbo enim etiam incarnato superest incolumis libertas omnipotens quam cum Patre habet communem, quo poterat mortem vel accrescere vel effugare. Sed quod ei cum Patre consilium sedit, quia consubstantialis ei est, hoc illi etiam mandatum appellitatur, quia Filius est, hoc præceptum inculcatiùs dicitur, ubi incarnatus est: unus tamen idemque semper est sui juris & summè liber.

In c. 10. Epi ad Hebr. Ib. in c. 12.

XII. Ex Nysseno. Ora. 11. adv. Eunom.

Gregorius Nyssenus Eunomianos perstringit, quod Patrem impassibilem, Filium verò passibilem, ideoque quasi sponte naturæ suæ & penè necessariò ad passiones pro nobis subeundas defluxisse fabularentur. *Si igitur naturæ necessitate beneficium incarnationis à Filio hominibus factum esse dicunt, nullam omnino gratiam habent, quia non ad liberam potestatem, sed ad naturalem necessitatem, quod factum est, referunt.* Inde ergo Filii beneficium in homines amplificatur, quod non aliqua necessitate naturali, sed libera & in utrumque declivi voluntate, cùm posset non pati, pati voluerit, & ea de causa passibilem sibi carnem conglutinaverit.

XIII. Ex Basilio. L. de Spirit. San. c. 8.

Basilius etiam elegantissimè: *Ideo dicit Dominus; Omnia mea tua sunt: tanquam ad ipsum origo rerum conditarum referenda sit: Et tua mea: quod ipsi à Patre condendi authoritas provenit. Non quod Pater ad operandum Filii auxilio sit usus, neque quod ipsi particularibus mandatis uniuscujusque operis ministerium commissum sit. Nam illud quidem servile est, & à divina dignitate immenso semotum intervallo: sed quod Verbum plenum paternis bonis à Patre resplendens omnia facit ad similitudinem ejus qui ipsum genuit.* Eo qui Pater imperet, Filius obsequatur, seu extra carnem, seu per carnem. Eo enim Filius Patri obsequitur, quod sibi, quod naturæ & indoli suæ obsequitur, quod in omnibus suis gestis dictisque seipsum, id est Patris similitudinem explicat. Ita superiùs Cyrillus interpretabatur. Pergit Basilius: *Itaque cum ait, Ego ex meipso locutus non sum: & rursum, Sicut dixit mihi Pater, ita loquor: &, Quemadmodum mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Non quod caruerit libero voluntatis arbitrio impetuque, neque quod ex signis ab imperante datis occasionem expectarit, his utitur verbis: sed ut declaret suam sententiam unitè & indivulsè Patri cohærentem. Proinde quod dicitur, mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio velut obedienti præscribentem quid facere debeat: sed juxta sensum Deo dignum intelligamus, voluntatis traditionem, instar formæ cujuspiam in speculo relucentis, à Patre in Filium sine tempore dimanantem.* Quæ interpretando obscurari magis possent quàm illustrari, ita Sole ipso illustriora sunt.

XIV. Ex Maximo & Sophron. Dial. 4. de Trin.

Maximus Martyr: *Corpus animatum crucifigi potest, voluntariè autem pati non potest corpus, quod non fuerit animatum simul & rationis particeps. Et hoc illud est impium scelus eorum, qui Christum negant anima præditum fuisse. Cum enim corpus absque anima non potuerit voluntariam perpessionem sentire, necesse est Verbum Deum qui loco animæ fuerit, passum esse, aut nullum prorsus fuisse voluntariæ passionis sensum.* Ipsam naturæ humanæ voluntatem libertatemque passionibus

bus Christi ut adprimè necessariam vendicat. At ne nimium tibi indulgeas in ejus amplificanda libertatis indifferentia, statim immutabilitatem astruit humanæ libertati ex ejus cum Verbo copula. Et infrà: *Sicut mens in nobis utitur corpore ut instrumento ad ea quæ corporis opera efficiuntur, ita illic Verbum utitur mente ut instrumento, ad ea quæ mente efficiuntur, &c. Itaque in passione voluntaria usus est mente ut instrumento, &c.* Nefas ergo est ullam absolutam imaginari indifferentiam in humana Christi mente circa passionem, nisi si quam à Verbi omnipotentia derivet. Et Sophronius in Epistola quæ est lecta in VI. Synod. Act. XI. *Erat ipse sibi dispensator humanarum passionum, & actionum, imo & arbiter, quanquam natura passibilis erat, qua naturaliter incarnatus erat. Et ideo erant humana ejus ultra hominem; haud quidem quod natura humana haud fuerat; sed quia sponte factus est homo, & homo factus sponte hæc recipiebat, & non tyrannicè, vel necessitate, ut nos plerumque, & involuntariè, sed quando & quantùm volebat & permittebat ipse, tam iis qui afflictiones ingerebant, quàm ipsis passionibus, quæ secundùm naturam agebantur, adnuebat.* Ita Sophronius.

XV. Ex Damasceno. L.3.c.14.15. 18.

Damascenus: *Quia unus est Christus, & una ejus hypostasis, unus est & ipse volens divinè & humanè. Et quia duas habet naturas voluntarias, voluntates duas in ipso dicimus, &c. Unus est Christus, idemque volens secundùm utramque naturam.* Et infrà: *Sicut caro deificata est, & transmutationem suæ naturæ non est passa: hunc in modum & voluntas & actio deificatæ sunt, nec proprios tamen egressæ terminos.* Et infrà: *Patienti carni conjuncta erat divinitas impassibilis manens, & passiones perficiens salutares: & operanti Verbi divinitati conjuncta erat sancta anima, intelligens & videns quæ perficiebantur. Igitur proprias glorificationes divinitas corpori transfundebat, &c.* Et tandem: *Non enim humanitus faciebat humana, non tantùm enim homo, sed & Deus, &c.* Et infrà: *Quando voluit divina ejus voluntas, ut humana ipsius voluntas eligeret mortem, voluntaria ipsi passio facta est. Non enim secundùm quod Deus solum voluntariè seipsum tradidit in mortem, sed etiam secundùm quod homo.*

Ex Theodoro Abucara, Opuscul. 7.

Theodorus Abucara: *Deus Verbum assumpta natura humanitatis perfecta, usus est libera ejus voluntate, &c.* Et mox interroganti, *Mens humana quæ luctabatur cum diabolo, movebaturne à seipsa, an ab alio?* respondet ad hunc modum: *Sicut non dicitur mens tua, aut pes, aut manus moveri: tu enim es qui mentem tuam & membra ac potentias moves & moderaris, sicut vis: sic Deus Verbum ipse erat, qui propriam mentem humanam, & sensus, & naturales habitus, ac potentias movebat & gubernabat, prout volebat.*

CAPUT XXV.

Ex eadem indifferentiæ radice penes Verbum libertatem quoque & meritum Latini Patres exprimunt.

I. Anselmus aliquam in Christo homine mortem eligente indifferentiam venatur. Cap. 10.

ANselmus præsultabit cæteris antiquioribus postea proditutis. Certum enim nobis est, rem hanc totam non aliter pertractare, quàm audiendis sigillatim excutiendisque Patrum sententiis, ut ne qua subeat suspicio, nostris nos conjecturis plus æquo indulsisse. Ille itaque Lib. 2. Cur Deus homo, ut jam suprà ostendimus, eo docet liberè Christum & laudabiliter justitiam amplexari, quamvis immutabiliter id faciat, quia hanc justitiam habet à seipso: & quamvis ut homo, habeat à Deo; quia ipse tamen homo Deus est, eam ipsum contendit habere à seipso. Et rursum capite sequenti idem Anselmus hominem Christum probat potuisse mori, potuisse non mori, quia ut Deus, ita omnipotens idem erat. *Dubium non est quia sicut Deus erit, ita omnipotens erit. Si ergo volet, poterit animam suam ponere, & iterum sumere. Poterit igitur nunquam mori si volet, & poterit mori & resurgere. Si igitur voluerit permittere, poterit occidi: sed si noluerit, non poterit.* Ecce ut indifferentem moriendi potestatem Christo astruat. Pergit autem venari quid Christus ad salutem nostram promerendam obtulerit, *quod Deus ab illo non exigeret ex debito.* Et tandem mortem ipsam Christi ita persolutam concludit in hæc verba: *Videamus si fortè hoc sit vitam suam dare, sive ponere animam suam, sive tradere seipsum morti, ad honorem Dei. Hoc enim ex debito Deus non exiget ab illo; quoniam namque non erit peccatum in illo, non debebit mori.* Ex quibus tandem hoc efficitur: *Video hominem illum planè, quem quærimus, talem esse oportere, qui nec ex necessitate moriatur, quoniam erit omnipotens: nec ex debito, quia nunquam peccator erit: & mori possit ex libera voluntate, &c.* Igitur captat Anselmus ex aliquo unde potuerit libertas indifferens abstinere, sed hanc ad omnipotentiam Verbi religat.

Idem manifestiùs adhuc; *Cum quæritur utrum idem Deus homo potuerit servare vitam suam, ut nunquam moreretur, dubitandum non est, quia semper habuit potestatem servandi; quamvis nequiverit velle servare, ut nunquam moreretur: & quoniam hoc à seipso habuit, ut scilicet velle non posset, non necessitate, sed libera potestate animam suam posuit.* Itaque & præceptum moriendi & indifferentia hìc consociantur, sed miro & inusitatissimo modo, ac sospite impeccantia. Nam ut ibidem ait Anselmus, *Non magis ipse factus est homo ad hoc ut moreretur, quàm ut vellet mori.* Qui ergo ad hoc homo erat, ut moreretur, quomodo poterat non mori, & poterat non velle mori? Quia quæ immutabiliter vult Deus immutabilis, eorum multa potuit & potest adhuc non velle, & indifferenter prorsus ea vult. *Dei voluntas nulla cogitur necessitate, sed ipse se spontanea sua servat immutabilitate, quando dicitur aliquid necessitate facere, &c. Ex eo quia Filius Dei assumpsit hominem ea voluntate ut moreretur, probat eundem hominem non posuisse non mori, &c. Apparuit Filium Dei & assumptum hominem unam esse personam, ut idem sit Deus & homo, &c. Idem igitur homo sua voluntate non potuit non mori & mortuus est, &c. Quomodo ergo voluntas Dei nulla necessitate facit aliquid, sed sua potestate, & voluntas illius fuit voluntas Dei, nulla necessitate mortuus est, sed sola sua potestate.* Frustra sunt ergo qui præceptum moriendi, ut indifferentiæ exitiale amoliuntur. Non ita Anselmus. Sed indifferentia præcepto ipso quodammodo antiquior excogitanda est, & consensus Verbi ad carnem carnisque suæ mortem amplexandam liberrimus, & æternus, & immutabilitate sua nihil vel libertati vel indifferentiæ suæ etiam postquam factus est homo. Hanc mentem esse Anselmi acquiescit Petavius. Item Alexander de Ales (*part.* 3. *q.* 18. *memb.* 3. *art.* 1. & 3.) cui & ipse subscribit.

II. Idem ex eodem Ansel. Ibid. c. 16.

Petavius Theolog. dogm. Tom. 3. pag. 534. 535. Tom. 4. pag. 815. 816.

III. Ex eodem. Ibid. c. 18.

Idem Anselmus ad hoc naturas divinam atque humanam copulatas ait, ut altera alteri suppetias ferret in salutis nostræ opificio: & humana passibilitatem, divina omnipotentiam conferret. *Quapropter cum dicimus, quia homo ille qui secundùm unitatem personæ idem ipse est qui Filius Dei Deus, non potuit non mori, aut velle non mori, postquam de Virgine natus est; non significatur in illo illa impotentia servandi, aut volendi servare vitam suam immortalem: sed immutabilitas voluntatis ejus, qua se sponte fecit ad hoc hominem, ut in eadem voluntate perseverans moreretur, & quia nulla res potuit illam voluntatem mutare.* Subdit exemplum ejus qui proposuit sponte aliquid

quid se facturum, & postea perficit, non necessariò perficit, sed liberè, quia liberè proposuit. Ita liberè moritur Christus, quia liberè proposuit mori quà Deus ante sæcula; & factus homo in tempore idem semper propositum voluntatis retinuit, semper liber, semper indifferens. Videre mihi videor renuentes naturarumque discrimina prætendentes; sed inducant illi animum aliquando tandem, non naturam tantùm duplicem, sed unam quoque revereri personam. Hoc eos monet ibidem Anselmus: *Ad hoc enim valuit in Christo diversitas naturarum & unitas personæ, ut quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret divina, & si divinæ minime conveniret, exhiberet humana: & non alius atque alius, sed idem ipse esset, qui utrumque perfectè existens, per humanam solveret quod illa debebat: & per divinam, posset quod expediebat.* Cùmque illud Prophetæ adduxisset: *Oblatus est, quia ipse voluit*, subjicit aliquantis interjectis: *Si vis omnium quæ fecit & quæ passus est, veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse quia ipse voluit. Voluntatem ergo ejus nulla præcessit necessitas. Quare si non fuerunt, nisi quia ipse voluit: si non voluisset, non fuissent. Sic utique nemo tulit animam ejus ab illo, sed ipse posuit eam & iterum sumpsit eam, quia potestatem habuit ponendi animam suam & iterum sumendi eam.*

IV. Ex eodem. Idem apertissimè hanc libertatis indifferentiæque vim in Verbi Dei voluntate divina declarat his verbis: *Dominus itaque Jesus cum mortem sustinere voluit*, c. 13. Ibid. *quoniam suum erat & pati & non pati, debuit facere, quod fecit, quia quod vult, fieri debuit: & non debuit facere, quia non ex debito. Nempe quoniam ipse idem est Deus & homo, secundum humanam, ex qua fuit homo, sic accepit à divina natura, quæ alia est ab humana, esse suum quod habebat, ut nihil deberet dare, nisi quod volebat: secundum personam vero sic à seipso habebat quod habebat, & sic perfectè sibi sufficiens erat, ut nec alii quidquam retribuere deberet, nec ut sibi retribueretur, dare indigeret.* Hæc ille. Ubi perspicuè vides naturam Christi humanam à divina id accepisse, ut nihil deberet dare, nisi quod volebat. Et sanè cùm humanitas in jus & censum Verbi Dei singulariter concessisset, non poterat in mortem adigi, nec paterno ullo obligari præcepto, nisi cui Verbum & olim æterna & etiamnunc temporaliter assumpta voluntate sua consentiret liberrimè, & pro Filii dignitate omnipotente, id est, ita ut si nollet, nec à Patre quidquam præciperetur: id est, si nollet, nihil sibi ipse cum Patre præciperet.

V. Assentitur Rupertus. L. 9. In Ev. Joan. Rupertus suffragari videtur huic quoque sententiæ: *Non ergo animam ejus tulit quis, quomodo jure tollitur ab unoquoque nostrum, quos in semetipso primus parens immortalitate exhæredavit. Sed ego, inquit, à meipso scilicet spontanea morte moriendo, pono eam in manu Patris, dicens, Pater in manus tuas, &c. Itaque propter morti nihil debentem innocentiam, potestatem habeo ponendi vel non ponendi animam. Quod si posuerim eam, consequenter propter interpositæ conditionis justitiam, potestatem habeo sumendi eam, scilicet ut resurgam, & omnes mihi consurgere faciam. Fortè dicis, Quare ergo pones pro ovibus animam tuam? cùm potestatem habeas etiam non ponendi eam. Ad hæc ille: Hoc mandatum accepi à Patre meo. Quod est hoc mandatum nisi charitas?* Meritum Christi mortis perspicuè hic Scriptor ex potestate indifferenti ad moriendum exprimit. Sed hæc indifferentia non inde oritur quòd nullo vinciatur præcepto, cùm charitas maximum mandatum sit: verùm ex eo quòd nullo mortis debito, seu nullo reatu obligetur ob divinam personam & inde manantem sanctimoniam, atque ita mortem ultro eligat, ultro eam cum Patre sibi præcipiat.

VI. Et Philippus Abbas. Philippus Abbas Bonæ Spei: *Quia ex hoc quod homo factus est, habuit ut posset mori: ex eo autem quod sine peccato factus est, habuit ut posset & non mori: rectè dicit Augustinus, quia ejus infirmitas fuit ex potestate, & mors ejus venit ex misericordiæ voluntate.* Bonæ Spei. Epist. 7. Et infrà: *Sicut potuit non pati, cum nondum pateretur: sic potuit non mori, cum non moreretur, si vellet non solum divinitas quæ in illo suaviter omnia disponebat, sed etiam ipse homo qui disponenti personaliter cohærebat.* Et infrà: *Ita ut sine culpa sancti Spiritus opere gigneretur, & ideo nullius necessitatis vinculo stringeretur. Peccato enim necessitas debebatur, ipse autem nullo debito tenebatur. Liber autem à debito, id est, tam pœna, quàm peccato, cùm posset non mori, non solùm si Deo, sed etiam si ipsi homini complaceret, elegit tamen mori, ut nostræ æternæ mortis debitum aboleret.* Evidentissimè igitur Christo potestas adseritur moriendi, vel non moriendi pro suo nutu. Nempe ex eo quod voluntas Verbi Dei consentaneè Verbo, id est, sibi, etiam cum Verbum caro factum est, mortem liberrimè eligat, quia & Verbum & sicut Verbum eligit, cum ejus detrectandæ potestate. Nam ne cessare divinum præceptum censeres, mox subdit, obedientia mortuum esse, sicut Adamus ex inobedientia. Et humanæ voluntatis cum Verbi divina voluntate consensum statim præclarè exequitur: *Unde grates non modicæ non solum Deo, qui unitus est homini, sed etiam ipsi referendæ sunt homini: qui ex quo Deo personaliter est unitus, ita eidem est voluntate per omnia counitus, ut sicut eum hominem pro nobis voluit Deus pati, ita idem ipse homo pro nobis voluerit pati: & assumptus assumenti nec ad modicum obmutiret, sed disponenti suaviter ipse assensu spontaneo fortiter obediret.* Indifferentia ergo illa Christi hominis non cum impeccantia tantum sed cum præcepto paterno conciliamda est.

VII. Et Hugo Victorinus. Item Guibertus Abbas. Hugo Victorinus (quæst. 74. in Epistolam ad Romanos) contra impeccantiam Christi proponit hanc vulgatam difficultatem: *Christus cum venit in Hierusalem, potuit ire in Galilæam: & si iret tunc in Galilæam, nunc non pateretur: & si non pateretur, non impleret imperium Patris, cujus imperio passus est. Sic potuit tunc non pati in Hierusalem, & inobediens esse, & sic peccare.* Quem nodum ira ille solvit. *Solutio. Potuit sic quidem non ire Hierusalem: potuit ergo non implere præceptum Patris, hoc non sequitur. Si enim non pateretur tunc, quod possibile erat, unde ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, si hoc inquam esset, quod tunc non pateretur, non esset imperium Patris eum tunc pati ibi. Sed hæc duo simul esse impossibile est, quod Pater præcepisset eum tunc pati, & quod ipse tunc non pateretur. Hæc est communis solutio.* Patentissimè ex illa quam Christus præsefert, potestate ponendi animam suam, infert Hugo potuisse illum non pati: & tamen ad patiendum præcepto Patris astrictum fuisse profitetur. Qui hæc constent cum impeccantia Christi, non aliter exponit, quàm quia si non pateretur, nec Pater Filio, adeoque nec Filius sibi ipsi præcepisset. Et Guibertus Abbas (L. 2. Pignor. sanct. c. 5.) *Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam. Planè ab homine animam tolli possibile constat, cui patiendo atque moriendo casualis experientia horis & momentis omnibus astat; at verò is de quo crebrò retexitur, quia nondum venerat hora ejus, cui nimirum eventus horarum, & horæ eventuum immutabiliter subsunt, animam ponit, quia per se sumptam, & à se creatam, quando vult & quomodo vult, emittit. Hominibus etenim extorquetur: ab eo autem, qui quidquid est, à se est, & in quo nihil fit, nisi quod voluntarium est, sponte sumpta, sponte resolvitur. Quæ enim illi foret moriendi necessitas, quem in sua secunda nativitate sancti semper est Spiritus in concipientis utero comitata libertas?* Ita Guibertus.

VIII. Item Ambrosius. In Ps. 39. Ad antiquiores nunc Theologos gradum referamus, Ambrosius: *Scriptum est etiam non solum in* capi-

capite, sed in omni legis complexione, venturum hominem ad conservandum hominum genus, qui omnia vellet, quæ Deus vellet. Unde intelligis, quia divinitatis ejusdem est, qui ejusdem est voluntatis. Unde etiam ad sacrificium passionis voluntarius accessit, meritoque prædixit, voluntariè sacrificabo tibi. Quod voluntarius ad crucem accesserit, divinæ Verbi voluntati principaliter adsignat, quæ una est cum Patris voluntate, & quæ ita accessit, ut posset discedere, quæ denique suam sibi humanam conformabat voluntatem. Et alibi: *Pater honorificat Filium, non vis ut Filius honorificet Patrem? &c. Cur non accipiam religiosis auribus Filium Patri in susceptione corporis obedientem, cum religiosè accipiam Patrem Filio deferentem?* Et infra: *Ab iis qui cum fustibus venerant, comprehenditur. Sed Dominum omnium mysteria, non arma tenuerunt. Denique locutus est, & ceciderunt retrorsum. Volenti ergo injicit manus turba, &c.* Et Ambrosiaster: *Quod Christus ipse se obtulit, aut Deus illum tradidit, unum est, quia amborum una voluntas est.* Indiscriminatim utraque Christi voluntas laudatur in adeunda morte ultro promicans, sed divina principante, & Patri quidem indissociabiliter cohærente, at cruci & morti ita incumbente, ut posset supersedere.

In c.2.Lucæ. Ibid.in c.22. In c.5.Ep.ad Ephes.

IX. Ex eodem. L.4. de fide, c.5.

Ambrosius iterum: *Nihil Filius facit, nisi quod placeat Patri, quia una voluntas, una sententia est, una est vera charitas, unus operationis effectus. Denique ut scias charitatis esse, quia non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit facientem Patrem, cum præmisisset, Quæcumque enim ille fecerit, eadem & Filius similiter facit, subjecit, Pater enim diligit Filium. Ergo quod dicit Scriptura, quia non potest, ad inseparabilis & individuæ charitatis retulit unitatem. Quod si naturaliter est, ut verè est, inseparabilis charitas, inseparabilis utique est etiam operatio naturaliter, & impossibile est ut opus Filii cum patria non conveniat voluntate: quando id quod Filius operatur, operatur & Pater: & quod Pater operatur, operatur & Filius: & quod loquitur Filius, loquitur & Pater, sicut scriptum est, Pater meus qui in me manet, ipse loquitur: & opera quæ ego facio, ipse facit. Nihil enim Deus Verbum sine Patre fecit; non operatur sine Patre: non sine patriæ voluntate sacrosanctæ illi se obtulit salutaris mundi totius hostia passioni.* Ita consertæ sibi sunt divinæ hypostases, ita cùm carne sua Verbum unus est sanctæ Trinitatis, ut opera Verbi in carne omnia, non aliter cogitanda sint, si paulò castigatiùs satagamus ea expingere nobis, quàm ut opera Patris per Verbum suum humana mente & carne indutum operantis. Quocirca carnis opera doloresque & mors ipsa voluntariè & cum indifferentia adiri meritò prædicantur, quia voluntas divina voluntatem humanam sibi coaptans ita hæc elegit, ut potuerit non eligere.

X. Ex eodem, L.5. de fide. c.5.

Idem Ambrosius alibi: *Denique mandatum quod esset, ostendit, dicens, Pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed pono eam à meipso. Vides ideo dictum, ut ostenderet liberam sibi ponendæ ac resumendæ animæ potestatem. Hoc mandatum accepi à Patre meo, sive ut aliqui Latini habent, præceptum. Non utique secundùm divinitatem, sed secundùm incarnationem datur, ad subeundæ victoriam passionis.* Et rursus idem alibi: *Quæ est enim charitas Filii, nisi quia se pro nobis obtulit, & suo sanguine nos redemit? Eadem autem charitas & in Patre est: quia scriptum est, Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium proprium daret. Tradidit ergo Pater Filium, & Filius ipse se tradidit. Tradidit Pater volentem, tradidit offerentem, &c.* Denique: *Sicut potestatis suæ esse significat ponere animam & liberæ voluntatis: ita etiam quod secundùm mandatum deposuit Patris, suæ ac paternæ voluntatis significat unitatem.* Cujusmodi sexcenta reperies apud eundem, ubi & indifferentia, & præceptum, & impeccantia non aliter coalescunt, quàm eo quem ad fastidium usque jam inculcamus modo.

L.1.de Spiritu sancto. c. 11. L.4. de fide c.5.

XI. Ex August. L.4. de Trinit. c.13.

Augustinus similiter docet, quòd Christus carnem seu vitam mortalem, *Non deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe Dei Verbo ad unitatem commixtus est homo. Hinc ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me, &c. Neque enim jure cujusquam potestatis exutus est carne, sed ipse se exuit. Nam qui posset non mori si nollet, proculdubio quia voluit, mortuus est.* Quid dilucidius? Sed homini Christo hæc facultas aderat, quia *Dei Verbo ad unitatem commixtus erat homo.* Et alibi idem: *Potestatem habeo ponendi animam meam, &c. Quamvis non dixerit, hanc potestatem, sed hoc præceptum accepi à Patre meo, &c. Si ut homo accepit hanc potestatem, nec nos dubitamus, quod in quantum homo est Christus, minor est Patre. Si autem ut Deum, vis accepisse hanc potestatem, gignendo eum Pater æqualem sibi, dedit ei rerum omnium tantam, quanta ipsi Patri est, potestatem, &c. Præceptum quoque aut ut homo accepit, aut ut Deus. Si ut homo, nulla quæstio est, ut homo est Pater minor. Si ut Deus, non hinc ostenditur minor, quia nascendo id accepit, non indigendo. In Verbo enim unico Dei, præcepta sunt omnia Dei, quæ ille gignens dedit nascenti, non, cum genuisset, addidit indigenti.* Et infrà idipsum compendiosiùs: *Facit autem Filius sicut homo mandatum Patris; nam sicut Deus, ipse est mandatum Patris, quia ipse est Verbum Patris.*

Con. Maxi L.3.c.14. L.3.c.24.

XII. Ex eodem. L. de Nat.& grat.c.23.

Idem Augustinus: *Illi etiam nasci, potestas misericordiæ, non conditio naturæ fuit. Sic etiam mortuus est potestate, & hoc est pretium nostrum.* Subdit mortuum esse Christum, *non necessitate peccati, sed obedientiæ voluntate.* Ubi similiter & præceptum & impeccantiam & indifferentiam moriendi vides, sed hanc à Verbo Deo manantem, cui & nasci & mori in carne libera potestas, non ulla necessitas fuit, nisi cujus author ipse sibi fuit. Et alibi: *Non quod ego volo, ait, sed quod tu Pater. Sed quid possit mali velle Christus? Quid postremò aliud posset velle, quàm Pater? Quorum una est divinitas, non potest esse dispar voluntas. Sed ex persona hominis transfigurans in se suos, ostendit quandam hominis propriam voluntatem.* Et alibi rursum: *Dominus voluntate passus est, non necessitate, &c. Illius voluntaria passio, &c.* Et infra, si voluisset, potuisse non mori Christum, ex eo probat: *Quandoquidem uno temporis puncto stillam quandam potestatis suæ, si vera stilla dicenda est, exeruit, quando eum tenere voluerunt, & ad unam interrogationem ejus, Quem quæritis? redierunt omnes retro, & ceciderunt.* Et denuo: *Tristitiam sic assumpsit, quomodo carnem, &c. Voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem, &c.* Nempe ut posset & non suscipere.

In Ps. 31. In Ps.34. Concil. 2. In Ps. 93.

XIII. Ex eodem. In Ev.Joan. Tract. 20.

Idem Augustinus denuo: *Ambulavit Filius super mare: caro ambulabat, divinitas gubernabat. Quando ergo caro ambulabat, divinitas gubernabat, an Pater absens erat? Si absens erat, quomodo ipse Filius dicit, Pater autem in me manens, ipse facit opera sua? Si ergo Pater in Filio manens, ipse facit opera sua, ambulatio illa carnis super mare, à Patre fiebat, per Filium fiebat. Ergo ambulatio illa opus est Patris & Filii inseparabile.* Nec aliter philosophandum de opere quolibet, vel dicto Verbi incarnati. Peragebat & eloquebatur ergo omnia Pater per Verbum suum incarnatum summa cum potestate, & liberrima atque in utrumque omnipotenti authoritate: ita ut indifferentiæ hujus & liberrimæ potestatis primus cardo penes Patrem sit, qui toto hoc labore poterat supersedere, eademque ex genitoris dono liber-

bertate potitur Verbum incarnatum. Et rursum alibi de morte Christi verba faciens ait: *Inclinato capite, tradidit spiritum: videtis potestatem morientis, quia hoc expectabat volens, donec omnia complerentur, &c. Abscessit potestate, quia non venerat necessitate: ideo quidam plus mirati sunt istam potestatem morientis, quam potentiam miracula facientis.* Communicatur humanæ etiam voluntati, ut vides, hæc potestas sui libera & mortis arbitra. Et rursus: *Dominus quando voluit, carnem in utero virginali accepit: quando voluit, ad homines processit: quandiu voluit, inter homines vixit: quando voluit, à carne discessit: hoc est potestatis, non necessitatis.* Sed quàm principetur Verbum in his, idem ostendit: *Quando Christus animam posuit? Quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat. Ibi potestas erat, quando poneret caro animam, & quando sumeret.* Et alibi: *Ostendit potestatem se quidem omnis hominis accepisse, ut liberet quos voluerit, damnet quos voluerit, &c.* Et in Appendice Sirmundi: *Mandatum Patris est ipse Filius: Quomodo enim non est mandatum Patris, quod Verbum Patris?* Et infrà: *Mandatum non in tempore datum, sed mandatum natum.* Ubi ergo hoc mandatum sui potens, & cum indifferentia consentiens in mortem, imprimitur menti assumptæ, illam prorsus coaptat sibi & conformat.

Ib. Tract. 31. Ib. Tract. 37. Tract. 47. Tract. 111. Serm. 16.

XIV. Ex libello Emendat. Leporii. Leporius Presbyter in libello emendationis, ex ejusdem Magisterio Augustini hæc habet: *Sicut agnus coram tondente mutus, convitia sustinet, & flagellatur, & maledictam mortem author vitæ veniens in carnem non respuit. Sed hæc omnia non ut unus ex nobis necessitate consummat, sed potestatem habens animam suam ponere, & potestatem habens iterum sumere illam, dignanter suscepit voluntate.* Et illico recantans quæ olim malè senserat de passione Christi, quam ab eo ut homine mero exhaustam jactitarat: *In hoc utique haud dubiè in se susceperat totum hominem Deus, ut hæc quæ nos tanquam Deo putamus indigna, non per se solus homo ageret judicio naturali, sed Deus per hominem, atque in homine, ipse homo nobis factus potestate & mysterio divinæ dispensationis impleret.* Ad eum modum si nostra omnis de Christo & contemplatio & oratio ad unguem recuderetur, & Verbum ipsum humana sua & voluntate & carne voluisse & passum esse intelligeremus, non gravatè potestatem liberrimam mortis vel respuendæ vel suscipiendæ confiteremur.

XV. Leo Magnus Hilar. Fulg. Greg. Tert. Leo Magnus. Ser. 5. de Pas. Leo Magnus: *Transeat à me calix iste, &c. Non sicut ego volo, sed sicut tu, &c. Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis. Illud optavit ex nostro, hoc elegit in proprio. Nec enim æqualis Patri Filius omnia esse possibilia Deo nesciebat, aut ad suscipiendam crucem sine sua in hunc mundum descenderat voluntate, &c.* Rationalis voluntas reticetur ut divinæ complicata, & perinde volens lubensque & tota prominens in crucem, potestate ideo, non necessitate. Unde rursus: *Tradi Dominum passioni, tam fuit paternæ, quàm ipsius voluntatis. Ut enim non solum Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione, &c.* Hieronymus: *Dicendum quod divinæ sit potentiæ ponere animam quando voluerit, & rursum accipere eam.* Fulgentius in Epistola ad Reginum: *Apparet ex hoc verum dolorem non necessitate, sed voluntate sensisse, veraque mortis acceptatione pro nobis animam suam propria potestate posuisse.* Subdit, *infirmitates animarum nostrarum si quas habuit Christus, veras quidem, sed voluntarias habuisse.* Ut potuerit, si vellet, his carere: nempe majestate & omnipotentia Verbi, nec sibi, nec carni suæ ullam undecumque necessitatem infligi sinente, nisi nutu & permissu suo. Tertullianus: *Pater, inquit, transfer poculum istud, &c. Ipse erat voluntas & potestas Patris, & tamen ad demonstrationem sufferentiæ debitæ, voluntati se Patris tradidit.* Gregorius vel si quis alius exponens illud: *Ut vincas cum judicaris: Tu verò cum mortis injustè sententiam acceperis, quia solus homo inter homines ab omnibus peccatis es immunis; vincis ergo omnes judicatos cum judicaris, vel tu Deus Pater in Filio, vel tu Deus Verbum in homine assumpto.*

Ibid. ser. 17. Hier. ad Hebidian. q. 8. Tertull. l. de Orat. Greg. in Ps. 4. Pœnit.

XVI. Bernardus Alcuinus. Et luculenter Bernardus: *Quia voluit, oblatus est. Non modo voluit, & oblatus est, sed quia voluit. Solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam. Nemo eam abstulit ab eo. Ultro cum accepisset acetum, dixit, Consummatum est, nihil restat adimplendum, jam non est quod expectem, & inclinato capite factus obediens usque ad mortem, tradidit spiritum. Quis tam facilè quando vult, dormit? Magna quidem infirmitas mori: sed planè sic mori, virtus immensa, &c. Solus in mortem tradidit animam suam, qui solus virtute propria regressus ad vitam. Solus potestatem habuit ponendi, qui solus facultatem habuit æquè liberam resumendi, imperium habens vitæ & mortis. Digna ergo charitas tam inæstimabilis, humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis, digna planè accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccata mundi.* Suspendit merita Christi Bernardus ab ejus potestate libera & morte voluntaria. Nam ut ipse rursus ait: *Dum sponte & tantùm in corpore moritur, & vitam nobis & justitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non solvisset: si non voluntariè moreretur, meritum mors illa non habuisset.* Ex illa mortis optione quam fas erat recusare, meritum Christi non immeritò derivat. Sed divinæ prorsus id erat potestatis, & Filii Dei proprium, cui à Patre mortis præceptum non imponitur, nisi volenti, & qui cum Patre ipse sibi præcipit. Nec prætereundus Alcuinus: *In hoc quod ait, Tradidit semetipsum, voluntariè se tradentis, non conditionaliter servientis ostendit affectum. Dicit & ipse David sub persona Sanctorum, Voluntariè sacrificabo tibi. Si Sanctorum sacrificia quæ Deo offerri solent, voluntaria fuisse manifestum est, quomodo hoc solum sacrificium, in quo totius mundi redemptio est, per necessitatem fuisse calumniaris, & non per voluntatem sponte seipsum offerentis? Sicut idem in Propheta alio loco ait: In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei. Volui, inquit, non sicut tu dicere soles, debui: debita enim, ait, servitute Patris subjectus est. Quod quidem debitum & conditionale servitium ab Ecclesiasticæ fidei veritate alienum omnino esse dignoscitur. Catholica namque veritas in uno eodemque Christo credit & confitetur secundum veram substantiam carnis omnes ejusdem carnis quas suscepit infirmitates, voluntarias habuisse Christum, cum voluisset.* Subdit voluntariam & veram in Christo extitisse famem, mortem, sepulturam, &c. *Quas passiones propterea in carne voluntarias habuit, ut in veritate carnis divina potentia, quæ nec pati potuit aliquando, nec mori, infirmitatem & mortem devinceret.* Liberæ igitur illius potestatis cardo primarius ab ipsa divinitate Verbi suspenditur, cui integrum erat carni suæ passiones vel ingeri, vel abstergi. Sicubi autem hujus indifferentiæ radius aliquis humanitati videtur communicari, id eo modo fit, quo & actiones vitæ sentientis in homine aspergi dicuntur aura aliqua libertatis animæ rationalis, cùm ipsæ & rationis & libertatis per sese insolentes sint. Ita sanè indifferentia qua de hic agimus, tota Verbi Dei propria est; propriam autem sibi indifferentiam habet Christi voluntas humana longè diversam, de qua superiùs; qua nimirum per sese libera & indifferens est ad res actionesque ipsas in seipsis spectatas, nec ad eas nisi sua in Patrem charitate agebatur.

Bern. ser. in feria 4. hebdom. pœnosa. Ser. ad Mil. Tem. c. 11. L. 6. contra Fel. Urg. Ep.

LIBER

LIBER SEXTUS.

De Sanctitate & Gratia Christi.

CAPUT PRIMUM.

De sanctitate Christi; inde primùm hausta, quod de Spiritu Sancto conceptus sit.

I. Non potuit de Spiritu sancto concipi, nisi ipsamet sanctitas. Lucæ 1.

HINC Christo copiosissimæ sanctitatis auspicia, quod de Spiritu sancto conceptus est. Ita ominatus est Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, &c.* Quid enim de Spiritu sancto, nisi sanctitas nascatur ipsamet? Quid de fonte gratiæ, nisi gratia? Quid de incommutabili sanctitate, nisi incommutabiliter sanctus? Quid de Deo, nisi Deus, cui de Deo nihil usquam desit? Et quia tota cum Spiritu sancto Trinitatis, tota Deitatis plenitudo aderat, quid inde nisi plenitudo nascatur sanctitatis: Cassianus: *Ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: hoc est illius Filius nuncupabitur, quo generante est generatus. Dei ergo Filius Jesu Christus, quia & à divinitate genitus, & à divinitate conceptus. Si autem Dei Filius, ergo indubitanter Deus. Si autem Deus, ergo gratia Dei non carens, neque enim ea re unquam caruit, quam ipse fecit. Gratia enim & veritas per Jesum Christum facta est.* Et infra: *Omnis ergo in eo gratia, omnis virtus, &c. Nihil unquam Deo de Deo defuit.* Quæ exscripsit Paulinus Aquil. l. 2. adv. Fœlicem.

L. 2. de Incarn. c. 6.

Ibid. c. 7.

II. Idem augurandum ex Virginis sãctificatione. L. 2. c. 3.

Nec non & de ipsa Mariæ Virginis per Spiritum sanctum castificatione, auguranda fuit proli copia sanctitatis largissima. Utrimque enim sanctitas vel Spiritui sancto propria, vel Mariæ inserta in fœtum defluxit. Cassianus: *Spiritus sanctus veniet in te, &c. Pulcherrimè loquens Angelus, divinitate verborum majestatem divini operis explicuit. Spiritus enim sanctus Virginis interiora sanctificans, & in his potentia divinitatis suæ spirans, humanæ se inseruit miscuitque naturæ: atque id quod alienum à se fuerat, suum fecit, virtute id sua scilicet, ac majestate præsumens.* Inseruit ergo se, immiscuitque Mariæ sanctitas Spiritus Dei, atque ita sanctissimæ prolis procreatricem inspiravit fœcunditatem.

III. Quæ ideo concepit fide, obedientia, charitate.

Quo minùs mirum est, si mente priùs concepit, quàm ventre: si animi obedientia, non carnis concupiscentia: si fide, non libidine gravidata est. Nam de Spiritu sancto quæ concipit, mente utique antè quàm corpore fœcundatur. Quæ de charitate Deo fœcundatur, spiritali charitate magis, non carnali cupiditate maritatur. Quam ergo fæcundat Spiritus sanctus, illam spiritaliter utique priùs quàm corporaliter: & ideo corporaliter, quia priùs spiritaliter fœcundat. Et quid hinc auspicemur proli, quàm ipsam sanctitatis virtutumque naturam? Ut nimirum effectus causæ, prolesque parenti non dissentiat. Augustinus: *Nam nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse, sed naturæ ab omni peccati nexu omnimodo liberæ: non qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis, cum obligatione peccati, cujus reatus per regenerationem diluitur: sed qualem de virgine nasci oportebat quam fide matris, non libido conceperat.* Et Leo Magnus: *Virgo regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem priùs conciperet mente, quàm corpore.*

Ench. c. 34.

Serm. 1. in Nativ.

IV. Cæteræ parentes carnali libidine fæcundantur, Maria spiritali charitate.

Concipiuntur cæteri homines non tam de carne, quàm de libidine utriusque parentis. Exprimit enim utriusque semen non casta & nativa fœcunditas, sed insanientis quodammodo amoris effervescentia. Quæ sentina autem alia vitiorum omnium, quàm amor summorum immemor, & infimorum sordibus immersus? de vena igitur adeo lutulenta quicumque defluimus omnes, nimirum parentali contagio inquinamur. Non cupiditas autem viri, sed charitas Dei, æstuansque in superna amor, mentem Mariæ priùs, inde & carnem gravidavit. Incubans Verbi Dei charitas, seu Spiritus sanctus, flammasque animæ ejus subjiciens, illam de amore justitiæ fœtavit, per illam corpus etiam excivit, & ad seminandam, concipiendam, efformandamque divinam prolem solo sanctitatis amore fœcundavit. Qui natus hinc est, de justitia satus, justitiæ & charitati coalitus, concretusque, meritò justitiæ totius specimen futurus præsagitur. Hugo Victorinus: *Rectè de solo viro concepit mulier, quia id quod concipit, in altero quidem de carne viri sumitur, in altero autem per amorem viri ministratur. Non itaque hoc solum de viro concipit, quod de viro accipit: sed hoc etiam de viro concipit, quod ex se, de amore viri accipit. Concepit Maria de Spiritu sancto, non de substantia Spiritus sancti semen partus acceperit: sed quia per amorem & operationem Spiritus sancti, ex carne virginis divino partui natura materiam ministravit, &c. Hoc igitur solum virgo concepit, quod de sua carne per amorem & operationem Spiritus sancti accepit.* Quam Hugonis sententiam laudat Bonaventura.

L. 2. part. 1. c. 8. de Sacr.

Bonaventura in l. 3. sent. art. 1. q. 1. Alensis & alii.

V. Si homo nõ peccasset, de vena divinæ charitatis fluxisset cõjugalis amor, prolis salor.

Si cui insolentior videatur concipiendæ per divinam charitatem corporaliter prolis, is quem sancti Patres præiverunt modus, sed quem omnium explicatissimè prosecutus est Hugo Victorinus; hunc demet stuporem nuptiarum castitas, & tantùm non futura virginitas, nisi primorum parentum peccato fuissent incestatæ. Arrectus enim tunc in superna totus amor, procreandis tamen liberis dedisset operam. Ad seminandam prolem extimulasset tunc non carnis cupiditas, sed Dei charitas. Amor conjugum mutuus divinæ tunc charitatis extitisset rivulus. Quæ ergo tunc de amore viri concepisset, non alio interim magis quàm divinæ sanctitatis æstu efferbuisset. Genus hinc prognatum exuberantis originaliter justitiæ traducem excepisset, & quodammodo concretam cum ipsa substantia combibisset sanctitatem. Hanc integritatem exortus humani restauraturus, in seipso primùm illam carnaliter usurpavit, & permonstravit Christus, ut & nos spiritaliter hìc experiamur. Augustinus: *Si peccato non fuisset dehonestata natura, absit ut opinemur tales futuras esse nuptias in paradiso, ut in eis ad prolem seminandam, non natura voluntatis, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum: sed æstu libidinis membra genitalia moverentur. Nec sicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fœtus vi turbidi vitiaretur ardoris, sed obsequeretur imperio tranquillissimæ charitatis.* Et Gregorius Magnus, vel si quis alius: *Voluit immaculatus Dominus, ut homo sine macula nasceretur peccati; & absque vitio carnalis delectationis, humanæ sobolis progagaretur successio. Et ideo talem fecit Adam, ut absque peccato filios ederet, si in conditoris obedientia perstitisset. Posset namque fieri, ut sicut absque delectatione fructus suos terra*

L. de peccato Orig. c 35

In Psal. 4. Pœnit.

terra germinat, ita sine peccato filium mulier pareret. Et sicut ipse à Deo Adam purè conditus fuerat, ita homo hominem purè procrearet. De vena igitur divinæ charitatis fluxisset maritalis amor, de illa seminasset, concepisset, genuisset, peperisset, propagatum esset genus humanum. Nec à contemplatione ac delectatione cælestium mentem deposuisset filiorum seminatio, quin inde imperium, inde stimulum, inde exortum accepisset. Pergit ibidem Gregorius: *Sed Dei hominumque mediator, sicut nobis quam perdideramus vitam contulit, ita etiam hanc in nobis generationem reparavit. Unde & de Virgine & sine peccato nasci voluit: ut ex hoc patenter ostenderet, quia hoc etiam nobis inter innumera beneficiorum suorum dona conferret.*

VI. In sanctitatem ut renascitur Christianus ita nascitur Christus, quia de Spiritu sancto.

Nascitur Christus de Spiritu sancto, de quo Christianus omnis renascitur; hanc enim regenerationem spiritalem sua ille carnali generatione dedicavit. At quisquis de Spiritu sancto renascitur, illo ubertim perfunditur sanctitatis flumine; & ad sanctitatem participandam pertinet tota hæc nativitatis innovatio. Ergo multò indubitatiùs ubi de Spiritu sancto Christus nascitur, sanctitatis substantiam & plenitudinem inde sibi derivat. Sanctitas ergo quæ nobis jam natis superfunditur & affricatur, & quasi circuminduitur: illi exorienti substantialiter commiscetur concrescitque & veluti concorporatur. Leo Magnus: *Cujus spiritalem originem in baptismo quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua batismatis, instar est uteri virginalis: eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit & Virginem.* Et rursum: *Nascens Dominus noster Jesus Christus, novæ creaturæ in se fecit exordium: & in ortus sui forma dedit humano generi spiritale principium.*

Serm. 4. in Nativ. — Serm. 7. Ibid.

VII. In sanctitatem ita nascitur Christus, ut renasceretur Christianus cum omnino renascetur, hoc est, cum resurget.

Quin etiam ita nascitur Christus, ut Christianus non tantùm per baptismum, sed etiam ut per resurrectionem renascitur, si solam corporis demas mortalitatem, quem nostræ saluti impendendam suscepit. Initiatur enim nobis sanctitas per baptismum, ejusque plenitudo resurgentibus destinatur. Duplex ergo est nostra regeneratio, altera hic per baptismum partim vera scilicet quoad remissionem peccatorum, partim & maxima ex parte præluforia, & in futurum projecta: altera olim per resurrectionem, qua cumulus gratiæ & sanctitatis cum immortalitate corporis advehetur. Aut si mavis, unica est regeneratio nostra per baptismum, sed ex qua hic non germinat nisi peccatorum remissio, præseminatur autem pullulatura aliquando tandem in resurgentibus absolutissima & animæ & corporis incorruptibilitas. Sanctitas ergo baptismi prælambitur hic tantùm, plenissima resurrecturis promittitur, cum mors, & lex peccati in corpore nostro hic bellaturiens, absorbebitur in victoriam. At Christus dilata tantisper immortalitate corporis, de cætero hoc nascendo consecutus est, quod nos quomodocumque renascendo, id est summam gratiæ & sanctitatis exuberantiam. Quod autem nostra per baptismum regeneratio, imitatio jam quædam & præsumptio sit resurrectionis, liquet ex emersione ab aquis, quam ita sancti Patres interpretati sunt: liquet item ex eo quòd Christus non tradidit Apostolis baptismi formulam & præceptum, nisi post suum à mortuis reditum: liquet denique ex eo quod per complura sæculorum volumina non collatus solempniter sit baptismus, nisi in pervigilio Paschæ & Pentecostes, ut resurrectionem Christi baptismus noster æmulari insinuaretur. Leo Magnus: *Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus noster Jesus Christus posteaquam resurrexit à mortuis, discipulis suis in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, & formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens, Euntes, &c. De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse.* Qui rursus idem: *Dum Salvatoris nostri ortum, invenimur nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi origo est populi Christiani, & natalis capitis natalis est corporis. Universa summa fidelium fonte orta baptismatis, sicut cum Christo in passione crucifixi, in resurrectione resuscitati, in ascensione ad dexteram Patris collocati, ita cum ipso sumus in hac nativitate congeniti.* Conformamur ergo & nascenti & resurgenti Christo per baptismum, quia talis nascitur Christus, qualis resurgit, dempta carnis mortalitate.

Epist. 4. c. 3. — Serm. 6. in Nativ.

VIII. Ideo carnalem concupiscentiam nescivit Christus, quam & nos iterum renascẽdo nesciemus, id est, resurgendo.

Utque eliquatiùs id pateat, per baptismum reatus concupiscentiæ, quæ originalis est labes, eluitur, non ipsa extinguitur concupiscentia; quæ reтram subinde exhalat vitiorum luem, totamque variis contaminat flagitiis mortalium vitam. Eam resurrectio abolebit penitus, & sedata in posterum omni spiritus & carnis pugna, totum hominem summa vestiet sanctitate. At Christus, de Spiritu sancto natus cum sit etiam secundum carnem, nullam carnis spiritusque sensit discordiam; quam enim formaverat, sibi utique contemperaverat carnem Spiritus sanctus. Ergo quæ nobis resurgendo renascentibus spondetur, ea Christo nascenti collata est uberiùs sanctitas, ut non à peccato tantùm, sed & à peccati assultu quolibet immunis foret. Nemini autem obscurum est, quanto ampliùs sit documento sanctimoniæ, peccati cupiditatem nec sentire, quàm sentire & profligare. Eam enim peccandi pruriginem, non dico sequi, aut consentire, sed vel sentire, etsi peccatum non est, jam tamen malum est, jam vitium est, peccati confinium est, sanctitatis decrementum est. Quantò enim copiosior invictiorque sanctitas est, quæ intestinos hostes occupat, quàm quæ expectat? quæ exoriri vetat, quàm quæ exortos debellat? Augustinus: *Nec mireris Christum quamvis hominem verum, tamen per omnia bonum, noluisse habere cupiditatem malam. Nam quis præter vos cupiditatem neget esse malam, qua cupiantur mala? Quis inquam præter vos persuadere conetur non esse vitium, quam cupiditatem confitetur esse vitiorum? & non esse malum, cui suadenti si consentiatur, fit opus malum?* Sanctitati enim, legique æternæ sanctitatis omnia præceptrici adversarium est, peccata non tantùm perpetrare, sed vel concupiscere: non opere tantùm, sed etiam desiderio complecti: non assensu tantùm, sed vel delectatione prosequi. Augustinus ibidem: *Nam qui concupiscit mala, & resistens concupiscentiæ suæ non ea perpetrat, implet quidem quod scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas; sed non implet quod ait lex, Non concupisces. Christus ergo qui legem perfectissimè implevit, nulla illicita concupivit: quia discordiam carnis & spiritus qua in hominum naturam ex prævaricatione primi hominis venit, prorsus ille non habuit qui de Spiritu & Virgine non per concupiscentiam carnis est natus.* Ubi proserpunt igitur tot cupiditatum vepres, tot spinæ vergentium ad illicita desideriorum, illud animæ solum necesse est vitiosum esse. Christus autem cum & mente & carne de Spiritu sancto conceptus concretusque esset, ipsa substantialiter sanctitate quodammodo maceratus compactusque, nihil concupiscere potuit quod non liceret; nil ei non licere potuit, quod concupisceret: pruritum vitiorum nec carne sensit, quia exundans animi sanctitas & Spiritus sancti omnipotentia carnem ipsam sanctimoniæ contemperavit. Augustinus ibidem: *Sic igitur Christus abstinuit à peccato, ut abstineret etiam ab omni cupiditate peccati; non enim ut existenti resisteret, sed ut illa prorsus nunquam existeret. Proinde ille vir perfectus, non per concupiscentiam natus, quæ indifferenter appetit & illicita & licita, sed de Spiritu sancto & virgine Maria, quidquid concupi-*

L. 4. Oper. ult. con. Jul. n. 48. — Ibid. n. 58.

cupivit, licuit: quidquid non licuit, non concupivit. Natus enim de carne per sanctum concupiente Spiritum, absit ut in se haberet discordiam carnis & spiritus.

IX. Quin imo ita cóceptus est Christus, ut peccati medicina ipse esset.

Permira ergo è Spiritu sancto infusa carni ipsi sanctitas est, nec ad id tantùm infusa, ut exors illicitarum esset cupiditatum, sed ut ad persananda istiusmodi vulnera præsentissimum etiam foret medicamentum. Hinc enim quod à sanctis Patribus ventilatum sæpiùs est, eliquescit, qui non fuerit Christus in lumbis Abrahæ à Melchisedeco decimatus, perinde ac Levitæ cæterique ejusdem Abrahæ posteri. Ex illis enim Abrahæ lumbis traxerunt alii fervorem vulneris, Melchisedeci sacrificio medicandum: Christus inde traxit materiam medicaminis & sacrificii, quo non adumbratè ut tunc factitabatur, sed verè peccati vulnera omnia obducerentur. Augustinus: *Nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahæ secundum animam, secundum carnem verò & Levi & Christus: sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem. Cùm enim sit in semine & visibilis corpulentia, & invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Abraham vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariæ, quia & ipsum eo modo conceptum & exortum est: Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio verò conceptionis ejus non à semine virili, sed longè aliter & desuper venit. Ille est igitur decimatus in Abraham qui sic est natus, &c. Per legem scilicet repugnantem legi mentis, & invisibilem concupiscentiam, &c. Non autem & ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud unde curabatur.* Propagabatur ergo ab Adamo in posteros vulnus & medicamentum vulneris: vulnus in libidine propagante filios & semetipsam in filios: medicamentum in substantiæ portione quæ sine concupiscentiali seminatione, in Virgine de Spiritu conciperetur aliquando, & totius morbo generis mederetur. Augustinus ibidem: *Eadem namque caro non Abrahæ tantum, sed ipsius primi terrenique hominis, simul habebat & vulnus prævaricationis, & medicamentum vulneris. Vulnus prævaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur: medicamentum autem vulneris in eo, quod inde sine ope concupiscentiali in sola materia corporali per divinam conceptionis formationisque rationem de Virgine assumptum est.* Et de verbis Apost. serm. 14. c. 10. *Christus peccatum non habet: nec originale traxit: nec suum addidit: extra voluptatem carnalis libidinis venit, non ibi fuit complexus maritalis, de virginis corpore non assumpsit vulnus, sed medicamentum; non assumpsit quod sanaret, sed unde sanaret.* Quàm incredibili ergo sanctitatis vi dotari oportuit illam carnem, ut non tantùm non generali contagie afflaretur, sed ut per illam ipsa contagio exsufflaretur; ut in antecessum etiam quasi præsanctificata, in Abrahamo non decimaretur; ipsa ut medicatrix ab ea quæ curanda erat, tot ante sæculis secerneretur.

L. 10. de Gen. ad lit. c. 20.

X. Virginaliter conceptus, eoque à peccatis purus, non potest non statim omni gratiæ copia ornari.

Non igitur hæc sola innuitur peccati immunitas, sed inexplicabilis justitiæ & sanctitatis ubertas, quæ hanc peccati immunitatem non potest non consectari. Vitia enim adversantur naturæ, & extrorsum in eam irruunt; virtutes in ejus sinu ultro scaturiunt, & exundant. Non aliunde igitur accersenda justitia est, nec longè peregrinandum, ut hæ quasi exoticæ opes advehantur. Sed excutiendi sunt tantùm naturæ intellectualis recessus intimi, ut innati & medullitus inhærentes virtutum seminales thesauri ultro abundare intelligantur. Ad extima ne evagetur, sed se intra se totam recolligat mens, protinus illucescentem sibi veritatem mundo oculo combibet, protinus supernè asplendentem incredibili venustate justitiam toto amore amplexabitur; suo ipsa in gremio lucem veritatis, facemque justitiæ ardere demirabitur; & intimiora hæc sibi bona esse, tametsi gratuita, quàm sibi ipsa sit, nec nisi exteriorum inferiorumque incursu ac tumultu ab hac se justitiæ fœlicitate virtutumque omnium arce dejici posse confitebitur. De Spiritu sancto igitur concipi, non id tantùm est, quod sine peccato concipi, sed in ipso justitiæ virtutumque sinu concipi; quia nec sine peccato potest quis concipi, nisi omnibus simul induatur gratiæ & sanctitatis ornamentis. Pulcherrimus hic oppidò foret differendi locus, ut virtutes omnes ex agro mentis quasi ultro enasci demonstrarentur & efflorescere; utque eæ quantolibet proventu ex animo quolibet frutificescant, non aliud laborandum esse, quàm ut extirpentur ea, quæ forinsecus inspersa illi sunt vitia; sed has moras duci non patitur nimia argumenti quod tractamus prolixitas: unicus Damasceni locus addetur: *Naturales enim sunt virtutes, & naturaliter & æquè in omnibus insunt: etsi non omnes æquè operemur ea quæ sunt naturæ. Nam ex eo quod secundùm naturam est, in id quod præter naturam est per transgressionem lapsi sumus. Verùm Dominus ex eo quod præter naturam, ad id quod secundum naturam nos reparavit. Hoc enim est secundum imaginem & secundum similitudinem. Et exercitatio & ejusmodi labores, non ad acquirendam virtutem, quæ forinsecus sit inducenda, excogitati sunt; sed ad inductam & præter naturam pravitatem expellendam. Quemadmodum & ferri rubiginem, non naturalem existentem, sed ex negligentia contractam, per laborem detergentes, naturalem ferri splendorem nitescere facimus.* Vitiorum igitur rubigo extrinsecus affricta nobis inhæsit; eam quisquis effricuit, delitescentium & indigenarum virtutum splendore protinus enitescit. Nec eo extenuatur divinæ gratiæ beneficentia: etenim veritas & justitia menti intimiores sunt, quàm sibi ipsa; quanquam ergo à summa veritatis & justitiæ gratia splendor omnis menti affundatur, ab ipso exteriorum cœno emaculatæ; intestinus tamen ille innatusque splendor non injuria æstimatur; cum & Deus animæ intimior sit, quàm ipsa sibi.

L. 3. fidei Orth. c. 4.

Non abhorret ab hac sententia quod habet Anselmus: tametsi purus homo aliquis de virgine vel quomodolibet sine peccato conciperetur, non posse illi non affundi simul à Deo æquè largam justitiæ virtutumque supellectilem atque Adamo, cum conditus primùm est. *Quapropter etiamsi purum hominem sic faceret Deus, necesse esset eum non minori præditum justitiâ & beatitudine quàm fuit Adam, cum primum factus fuit.* Quæ non de absolutissima utique, sed de ordinaria, & ad decori leges astricta Dei potestate, ab Anselmo dici equidem existimo.

L. de concepti virginali. c. 13.

XI. Quanto Christi de Spiritu sancto concepti uberior sanctitas, quam Adami, manu Dei effor mati.

Sed ex eo quod Christus non de libidinis æstu, sed de virginea fide, & de divina Spiritus sancti charitate editus sit, an is illi gratiæ sanctitatisque modus admetiendus est, qui Adamo stanti, & ab opificis Dei manibus recenti? Imo verò copia ultra modum liberalior, & eo nomine potissimùm, quod Adami sanctitas innatæ mutabilitatis non restringebat fluxum, adeoque & ipsa defluere poterat, defluxitque tandem: at Christo sanctitas ita concreverat, ita per Spiritum sanctum commixta illi substantialiter & veluti concorporata fuerat, ut dissociari divellique haud unquam potuerit. Gratia Adamo ad naturam accreverat, Christo cum natura ipsa concreverat; illius substantiæ afflata erat, hujus substantia ipsa erat. Augustinus: *Profectò modus iste, quo natus est Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam perso-*

Ench. c. 40

persona unitate, ut idem ipse esset Filius Dei qui filius hominis, & filius hominis qui Filius Dei; ac sic in natura humana susceptione fieret quodammodo ista gratia illi homini naturalis, qua nullum peccatum possit admittere. Adamo quippe jam substantiæ suæ numeris omnibus perfecto, gratia insufflata est, quocirca & exsufflari potuit; at Christum per Spiritum sanctum concipi quid aliud est, quàm cum gratia ipsa concrescere & concorporari, adeoque ab ea exturbari non posse? Ibi enim naturæ mutabili gratia superstruitur, eaque nutante collabascit; hìc gratiæ immutabili superfundatur natura humana, quamobrem longè exulant pericula ruinarum.

XII. In sanctitate Adamus evehitur ut adoptivus; Christus nascitur ut Filius. Quid quòd de Spiritu sancto ac de superadventantis Deitatis plenitudine concipi non potuit, nisi qui proprius & germanus Dei Filius erat futurus, ut supra disputatum est? At Adamo ut servo, ut adoptitio, gratis & aliunde indulta est amicitia Domini Dei, eaque excidere potuit. Germano verò Filio Patris amicitia & gratia cum natura ipsa transfunditur, & coalescit, nec peccato ullo potest oblitterari. Augustinus: *Unus enim naturaliter Filius est, qui nescit omnino peccare. Nos autem potestate accepta efficimur filii, inquantum ea quæ ab illo præcipiuntur, implemus.* (Lib. 2. de ser. Do. in Mon. c. 23.) Gregorius Magnus: *Huic mediatori in legislatoribus similis nullus est; quia isti gratuitò vocati, ex peccatis ad innocentiam redeunt, & ab his quæ intra semetipsos experti sunt, prædicando alios reducunt. Redemptor autem noster homo sine peccato est, Filius sine adoptione.* (Moral. l. 27. c. 1.) Cohærent hæc planè ut quia est Filius sine adoptione, ideo sine peccato sit; quia naturaliter Filius est, ideo nesciat omnino peccare. Qui enim adoptatus in filium est, abjudicari potest, nec ultra erit filius: at qui de Spiritu sancto natus est Dei filius, non potest non esse quod natus est. Illi adjectitia est filiationis gratia, huic substantiva; abrogari ergo illi potest, huic non potest. Tam indivulsum huic est, ut Filius Dei sit, quàm illi ut homo sit; ut enim ab homine conceptus homo est & substantialiter, & proinde inamissibiliter: ita de Spiritu sancto conceptus & substantialiter & peræquè inamissibiliter sanctus & Dei Filius est.

XIII. Ideo de Spiritu sancto concipitur Sanctum. Idque innuebat Angelus cùm ab eo non sanctus quomodolibet, non simpliciter sanctus, sed Sanctum prænunciatus est, qui de Spiritu sancto concipiendus erat; Sanctum, id est, ipsa sanctitatis substantia, quæ tam non possit à sanctitate vel tantillum delirare, quàm nec lux tenebrescere, nec vox silere. Bernardus: *Attende quæso quàm reverenter dixerit, Quod nascetur ex te sanctum. Ut quid enim ita simpliciter sanctum & sine additamento? Credo quia non habuit, quid propriè dignève nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima unico Patri erat uniendum. Si diceret sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite sanctum; puta quidquid illud sit quod Virgo genuit, sanctum proculdubio, ac singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.* (Ho. 4. super Missus est.)

XIV. Nec nos, qua renati sumus de Spiritu sancto, peccamus. Quin nec nos ipsi, qua filiationem divinam prælambimus, hìc peccamus; authore enim Joanne, *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Quantulum ergo de Spiritu sancto in Dei filios nasci cœpimus, divinoque semine & divinæ naturæ prælusorio consortio affici, tantum nescimus peccare; nec peccamus, nisi de reliquiis vetustatis necdum innovatæ; ubi autem innovati penitùs erimus, nec peccare usquam poterimus. Ergo & Christus qui non ex parte uti nos, sed totus de Spiritu sancto natus est, & ipsa quasi concretio gratiæ est, peccandi potentiam vel impotentiam potiùs excussit omnem.

CAPUT II.

De sanctitate Christi inde hausta, quòd Spiritu sancto unctus sit, adeoque tota Deitate.

I. Spiritus idè sanctus, qui Deitatis, etiam assumptæ humanitatis sanctitas, & velut oleum est, quo Christus inungitur. UBi omnipotentis gratiæ specimen Christum perfecit & perpolivit Spiritus sanctus in sinu virgineo, non abscessit tamen, non circumalludere & adgaudere contentus fuit, sed totum infudit se illi. Unde Lucas: *Jesus autem plenus Spiritu sancto reversus est ab Jordane.* Et alibi: *Hunc Jesum à Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto.*

Primaria ergo & palmaris hæc est sanctitatis forma, Spiritus sanctus, quo velut oleo inunctus, quo velut unguento perfusus & inauguratus est Christus, & sacrosanctum hocce Christi seu uncti nomen consecutus. Ut qui personaliter & propriè specialiùsque sanctitas est Deitatis, idem ipse assumptæ humanitatis sanctitas esset, & hoc ipsum Christi nomen oleum sanctitudinis redoleret. Ambrosius: *Plerique arbitrati sunt unguentum Christi esse Spiritum sanctum. Et bene unguentum, quia oleum lætitiæ nuncupatum est, quo plurimarum redolente copula gratiarum, verum illum Deus omnipotens Pater unxit Principem Sacerdotum.* (Luc. Evang. c. 4. Act. Apost. c. 10.) Deinde cùm ex Actis retulisset ut suprà, & ex Palmo: *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis,* subdit: *Pulchrè oleum lætitiæ dixit, ne creaturam putares. Olei enim ejusmodi natura est, ut nequaquam naturæ alterius humido misceatur. Lætitia quoque non corpus ungit, sed intima cordis illuminat, &c. Et bene oleum lætitiæ dicitur, quo unctus est Christus. Neque enim usitatum fuit ei oleum & commune quærendum, quo aut vulnera curantur, aut æstus levatur: cùm fomentum vulnerum suorum salus mundana non quæreret, nec receptionem corporis fatigati virtus sempiterna deposceret. Nec mirum si habet oleum lætitiæ, qui facit exultare morituros, tristitia mundum exuit, mæsta fœtorem mortis abolevit.* (L. 1. de Spiritu sancto c. 8. Psalm. 44.) Et rursum: *Quis potest Spiritum sanctum judicare dominationis & divinæ potestatis exortem, qui replevit orbem, & quod ultra totum orbem est, replevit Jesum mundi totius Redemptorem? Scriptum est enim, Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane. Quis igitur alius, nisi qui ejusdem esset plenitudinis, complentem omnia possit implere?* (Ibid. c. 7.) Denique idem ait nomine Christi indicari *Deum Patrem à quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum quo unctus est.* (Ibid. c. 1.) Palam ergo est nomine Christi totam ad edendum sanctitatis operæ pretium constringi Trinitatem, Patrem ut qui ungit, Filium ut qui ungitur, Spiritum ut ipsum sanctitatis unguentum. Palam est rursus non donum aliquod, sed ipsammet Spiritus sancti personam & substantiam designari, cùm Deus hinc esse evincatur, quòd implentem omnia Jesum impleat, quòd ungat omni creatura superiorem, quòd denique olei instar omni creaturæ impermixtus emineat & superferatur. Palam est iterum, cur unguentum sit Spiritus sanctus, quia *plurimarum redolens copula gratiarum* est. Cur item oleum lætitiæ sit, neque enim Christo opus fuit medicinali oleo, quo ejus vel foverentur vulnera, qui salus erat mundi; vel relevaretur æstus, qui virtus est sempiterna; sed oleo lætitiæ, ut qui abterso peccati mortisque mærore, de innocentiæ vitæque suæ exundantia orbem erat exhilaraturus. Qui ergo Spiritu sancto ceu oleo lætitiæ ungitur Christus, is substantia ipsa sanctitatis est, lux innocentiæ, hilaritas gaudiumq; gratiæ sempiternum. Mæstitia enim peccato affixa est, aut pœna tantùm, aut & medela: lætitia sanctitatis & comes & proles est; ideoque Spiritus sanctus, ut sanctitas Deitatis, ita & voluptas gaudiumque est, & verè oleum lætitiæ.

Ambrosii mentem & ipsa propè verba secutus est Pa-

II. Impleri Christus homo & Deus nō poterat, nisi Deo, & toto.

L. 3. de Spir. sanct. c. 10. Ib. L. 2. c. 1.

est Paschasius S. R. E. Diaconus: *Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto. Tria hæc proprietates suas evidenter demonstrant, munus, munerans, muneratus: ungens, unctus, unguentum. Fas non est ut hic Spiritus sanctus à quo filius hominis Christus jam Dei Filio plenus impletur, aliud quàm Deus esse credatur.* Et infrà: *Sola ergo se divina potentia quæ & in Spiritu sancto, est rationalibus creaturis infusa & circumfusa permiscet, sicut peculiariter in illo Dominici hominis corpore, ex Maria matre suscepto, gratia exuberante requievit, sicut de ipso Filius dicit, Spiritus Domini super me. Si ergo Spiritus sanctus facturæ subjectæ esset conditionis, ut dicunt, tam impossibile quàm indignum Deo erat, ut creatura ulla animam vel corpus impleret, in quo jam Filius Dei, id est Deus inerat, in quo jam, ut ait Apostolus, plenitudo divinitatis inhabitabat. Si creatura est Spiritus sanctus, quomodo potest corruptio incorruptelam ac majestatis capacem fragilis conditio possidere? Si Spiritus sanctus unius est creata ex plebe facturæ, quomodo creatura cum Creatore, id est, cum Filio Dei valet exæquari? servus cum Domino unum in anima Salvatoris præsumit hospitium, & quasi in eo præsentia sibi non sufficeret authoris, famulus accedit ad cumulum sanctitatis? Sed recognoscit socium sibi templum cœleste collegium. Nec mirum si in illa illustris & beati corporis anima Filius & Spiritus sanctus unum sortiuntur habitaculum, quibus commune constat esse & cœlum.* Et rursus:

Ibid. c. 2.

Ergo quem Filius Dei inter ipsa suscipit exordia, Spiritus sanctus non susceptor, sed sanctificator intravit. Ille enim nascitur, hic infunditur. Bellissimè & hic argumentatur Spiritum sanctum seu sanctitatem qua perungitur Christus, non creatitium esse aliquid posse, sed ipsam Deitatis substantiam. Quo enim impleatur Filius Dei Deus, quàm Deo? Quo Filius hominis, quia idem Filius Dei, ideo jam Filio Dei plenus, impleatur præterea & quasi superimpleatur quàm Deo? Quis ut ait ille ibidem: *Nisi ejusdem plenitudinis implentem*

Ibid. c. 1.

omnia possit implere? Quis Deum nisi ipsa Deitas sanctificabit? Quid Deo minus, animæ corporique jam totam Verbi substantiam obtinenti, accedet ad cumulum sanctitatis? Quæ creatura, non corruptio est, si incorruptelæ: non fæculentia est, si munditiæ divinæ componatur? Quæ ergo creatura sanctificabit humanitatem, Verbi Deitate jam substantialiter imbutam? Quæ creatura deificatæ humanitati apposita, non obscurare illam magis quàm illuminare, & sordidare magis quàm emundare æstimetur? Quæ sanctitas creata non sanctificari magis ex tantæ animæ contactu possit, quàm sanctificare? Quis Verbi Dei hospitium proprium invaderet, unàque hospitaretur, nisi æquè Deus & unus cum eo Deus Spiritus sanctus? An creatura regiam ipsam sedem, Verbo Deo infessam, involare auderet, unàque considere, & illi ex se splendorem sanctitatis eximium quasi superfundere? Ergo Spiritu sancto nisi Deo & substantiali ipsa Deitatis sanctitudine non potuit humanitas Christi sanctificari. Format igitur substantialiter animam Christi Spiritus sanctus, sed informat ut sanctificator, non ut susceptor: ad sanctitatis cumulum, non ad personæ fulcimentum: ut animam Verbi, cujus Spiritus ipse est, non ut animam suam.

In c. 1. Epist. ad Hebr.

Hæc ex Ambrosio Paschasius, sed & Primasius ejus vestigia legisse videtur: *Unxit te Deus, Deus tuus: unctus est non oleo visibili, sed plenitudine Spiritus sancti, qui à die baptismatis in specie columbæ super eum requievit. Nec ex tempore baptismatis solummodo plenitudo Spiritus sancti in eo mansit, sed potiùs ex tempore conceptionis, juxta quod Isaias testatur, Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, &c. Oleo autem exultationis seu lætitiæ dicit illum unctum, quia Christus nunquam peccavit, nunquam tristitiam habuit ex recordatione peccati. Quid est enim oleo lætitiæ ungi, nisi maculam non habere peccati? Sanctorum enim conscientia tunc magis ac magis hilarescit, atque in lætitiam prorumpit, quando nulla peccati gravioris recordatione mordetur, Spiritus siquidem sanctus qui requievit in Christo, custodivit illum, ut sine peccato conciperetur, sine peccato nasceretur, & sine peccati macula ab hoc mundo transiret.* Solus singulariter oleo exultationis delibutus est Christus, quia solus sanctitudine unctus, quæ & peccatum & peccandi potentiam omnem expungeret. Ex semente enim peccati exoritur larga mœstitiæ seges, ex impeccantia gaudium inexpugnabile.

Cæterùm non abs re monuit Primasius non tum demum Spiritus sancti plenitudine perfusum fuisse Christum, cùm Joannis baptismum subiit; tametsi tum demum visibili specie advolarit illi Spiritus sanctus. Exaggeratiùs nonnunquam conspicuus hic in baptismo allapsus Spiritus sancti ita prædicatur, quasi minus aliquid antea affuisset. Cavendus hic error est. Ad Ecclesiam pertinet quidquid in baptismo peractum est. Itaque plenitudinem Spiritus sancti bis percipit Christus, sibi nobisque: sibi dum concipitur, nobis dum baptizatur; nam quod ipsi contulit conceptus de Spiritu sancto & Virgine, id nobis confert baptismus de Spiritu sancto & aqua. Augustinus: *Dominus ipse Jesus Spiritum sanctum non solùm dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est plenus gratia. Et manifestiùs de illo scriptum est in Actibus Apostolorum: Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Nec sanè tunc unctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum sanctum. Sed ista mystica & invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est, id est, &c. Si enim de famulo ejus & præcursore ipso Joanne scriptum est, Spiritu sancto replebitur jam inde ab utero matris suæ, quoniam quamvis seminatus à patre, tamen Spiritum sanctum in utero formatus accepit; quid de homine Christo intelligendum est vel credendum, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritalis fuit?* Id moliebatur Augustinus eo capite, unde decerptus hic locus est, ut Spiritus sanctus personali proprietate donum esse Patris & Filii demonstraretur. Personali ergo hoc dono cùm seipsum filium hominis donet Filius Dei, non creato aliquo munusculo seipsum afficit, non creata gratia inungit sese, sed ipsamet substantia Spiritus sancti. Cùm autem de Spiritu sancto conceptus sit, idemque Spiritu sancto inunctus sit; ut de eodem unctus, quo conceptus, ita tunc unctus, quando conceptus est. Ut nimirum Christi *in carne ipsa conceptio, non carnalis, sed spiritalis* fuerit bifariam, propter Spiritum sanctum, & causam conceptionis efficientem, & formam sanctificationis semet infundentem. Sed quod in conceptu invisibiliter peractum, propter sanctificandum Christum caput, in baptismo visibiliter iteratum est ad sanctificandum Christum corpus, seu Ecclesiam.

III. Dum concipitur Christus, sibi: dū baptizatur, nobis accipit Spiritū sanctum.

L. 15. Trinit. c. 26.

Nec dissentiunt à Latinis Græci. Quorum princeps Irenæus: *In Christi nomine subauditur qui unxit, & ipse qui unctus est, & ipsa unctio in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Filius, in Spiritu qui est unctio. Quemadmodum per Esaiam ait sermo, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me. Significans & ungentem Patrem & unctum Filium & unctionem qui est Spiritus.* Qui ungit Pater & qui ungitur Filius, substantialiter personaliterque Pater ipse est & Filius. Ergo & unctio Spiritus sanctus non effusum aliquid stillatumque ab illo est, sed persona ipsamet & substantia Spiritus sancti. Ex qua

IV. Sanctificādo Christo, non suorum aliquid, sed se & se totam Trinitas impendit.

L. 3. c. 20.

quâ utcumque conjecturâ assequi licet, quàm omnem modum omnemque cumulum excedat ineffabiliter immensa Christi hominis sanctitas, cui tota Trinitas adlaborat, cui tota Trinitas non suorum aliquid, sed seipsam totam impendit; nam & Pater ungit, & Verbum ungitur, & Spiritus sanctus unctio est. Ea ergo hæc sanctitas est, qua & Deus totus, quantus maximus est, includatur, & qua nil nisi Deus includitur.

V. Rursum ut Spiritus sanctus, qua divinæ sanctitatis character, Christum homninem sanctificet. L. 5. contra Eunom.

Basilius: *Unctio Spiritus in nobis, ut Joannes dicit, & quid dixi in nobis? Imò enim & in Christo Domino secundum carnem. Jesum inquit à Nazareth, ut unxit eum Deus Spiritu sancto & virtute. Christus igitur per Spiritum & unctione quæ est in Spiritu. Quare non per alienum à Deitate unctio Domini est, & nomen Christi, & qui ab ipso Christiani vocantur. Verè enim deplorandum esset, si etiam salutis nostræ nomen à creatura inciperet, &c. Spiritus ergo non est creatura, sed sanctitatis Dei character, & omnis sanctificationis fons.* Et Libro de Spiritu sancto: *Quæ circa Christi in carne adventum dispensata sunt, per Spiritum gesta sunt omnia. Primo enim adfuit ipsi carni Dominicæ, dum illi factus est unctio & inseparabiliter conjunctus, sicut scriptum est, Super quem videris Spiritum sanctum descendentem & manentem super eum, hic est Filius meus; & Jesum à Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto. Deinceps omnis actio præsente Spiritu sancto peragebatur. Hic aderat simul cum & a diabolo tentaretur. Deductus est, inquit, Jesus à Spiritu in desertum, ut tentaretur. Tum edenti miracula simul aderat. Si enim, inquit, in Spiritu ejicio demonia. Nec deseruit excitatum à mortuis. Accipite Spiritum sanctum, &c.* Spiritus sanctus igitur est sanctitatis Dei character, & omnis sanctificationis fons, non ex se effundendo aliquid, sed semet infundendo; ita enim unxit Jesum non creato dono, sed seipso: & Christi nomen dignitate informavit, non aliquo de se expresso, sed semetipso Deo impresso: & Christianorum nomen æternamque salutem dedicavit, quæ creaturæ cuicumque accepta referri nefas est: & denique fides & indivulsus comes Christo adhæsit, ineffabilem sanctimoniam gestis omnibus ejus inhalans.

L. de Spiritu sanct. c. 16.

VI. Verbû Spiritu sancto, ut suo humanitatem suam tegebat, ut anima corpus. Hom. 29. in Luc.

Origenes: *Accepto itaque baptismo Salvator plenus Spiritu sancto, qui super eum in specie columbæ de cœlis venerat, ducebatur à Spiritu. Quia enim quotquot Spiritu Dei ducuntur, hi filii Dei sunt; iste autem extra omnes propriè Filius Dei erat, ideo & ipsum oportebat Spiritu sancto duci. Siquidem scriptum est, Ducebatur autem in desertum à Spiritu.* Non quasi forinsecus adventans, ducemque se exhibens, sed ut intus hospitans formansque animam, ut anima corpus incolit & format: ita ducebat Christum Spiritus, sicut agit ducitque corpus suum anima.

Hom. 1. in Epist. ad Ro.

Chrysostomus ab his non dissonat: *Christus autem quod unctus sit dicitur, quod & carnis erat. Dices, Quo tandem unctus est oleo? Oleo certè minimè est unctus, sed Spiritu. Consuevit autem & hos sacra scriptura Christos vocare. Quod enim in ipsa unctione principem locum obtinet, Spiritus est.*

VII. Discrimen quadruplex inter Christum & nos, dum ungimur eodem Spiritu.

Quanquam autem & ille Christus & nos Christiani ab eodem Sancti spiritus unguento incorruptibili, aliter tamen ille, aliter nos: & prolixius ille, quàm nos; & perseverantiùs ille, quàm nos; & quia ille, ideo consequenter nos. Hæc quatuor supersunt nobis hoc capite enucleanda, quod inunctus sit Christus Spiritu sancto & largissimè, & permanenter, & causaliter, & principaliter, cùm nos & parciùs, & amissibiliter, & propter ipsum, in ipsoque dumtaxat perungamur.

VIII. Primum & secundum, quod Christus plenissimè & inamissibiliter inunctus sit.

Quod ad primum ac secundum attinet, quòd Spiritus sancti quasi rore nos conspergamur, adeoque statim possimus exarescere, Christus autem fonte ipso plenissimè & inexhaustè ditatus sit, fidem faciunt verba Evangelica, *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, &c.* Duo enim ibi gratiæ singularis lumina hæc sunt, quòd Spiritus sanctus, totus nimirum quantus quantus est, non aliqua ejus portio Christo incubuerit; & quòd non advolaverit, statimque avolaverit, sed manserit super eum. Cùm ex adverso nobis Deus *effundat de Spiritu suo*, non totum Spiritum suum; Et, *Spiritus ubi vult, spiret*, & quando vult, & quandiu vult. Utrumque innuitur ab Isaia: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus, &c.* Septemplicis gratia Spiritus plenitudinem ejus designat; requiescere autem in Christo dicitur, quia eo in uno certam sibi & singulariter æternam sedem defixit. Quòd autem uni Christo & totum se, & æternum hospitem addixerit Spiritus sanctus, ex eo rursum conjicere fas est, quòd solus ipse *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Nisi enim & totus & individuus illi insedisset Spiritus sanctus, non utique illam sibi uni peculiarem impeccantiam esset adeptus. Ut enim Matri Deiparæ, & à peccato, & à peccandi potestate immunitas sit concessa, non ita tamen ut Christo. Mariæ enim ligata magis quàm exusta peccandi potestas est; & forinsecus magis circumjecta, quàm innata est impeccantia; & à Christi sanctitate cùm ille in matrem rivulus defluat, quantumvis & largus & illimis manet, non adæquat tamen fontem. Isaia 11.

IX. Ex Origene. Indivulsus à Verbo etiam incarnato Spiritus suus. Hom. 6. in Numeros.

Origenes ita præclarè: *In omnibus qui prophetaverunt, requievit Spiritus sanctus, nec tamen in aliquo ipsorum ita requievit sicut in Salvatore, &c. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, &c. Supra nullum alium Spiritus Dei requievisse septemplici hac virtute describitur; per quod sine dubio ipsa illa divini Spiritus substantia, quæ quia uno nomine non poterat, diversis vocabulis explanatur, requiescere super virgam quæ de stirpe Jesse procederet, prophetatur, &c. Dicit Joannes Baptista, &c. super quem videris Spiritum descendentem, & manentem in eo, ipse est. Si dixisset Spiritum descendentem, & non addidisset, manentem in eo, nihil præcipuum præ cæteris habere videretur. Nunc autem addidit, Et manentem in eo, ut esset hoc signum in Salvatore, quod in nullo alio posset ostendi. De nullo alio scriptum est, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. De nullo alio scriptum est, quia manserit in eo Spiritus S. &c. Quia enim solus est sine peccato, idcirco in ipso solo mansit & permansit Spiritus sanctus.* Mansit & permansit cum Jesu & in Jesu Spiritus sanctus, quia totus & indissociabilis adhæret insidetque Verbo seu ante carnem seu post carnem Spiritus suus.

X. Ex Athanasio, quàm totum se, tam totum Spiritum suum assumptæ humanitati Verbum Deus infundit.

Rursum sacræ literæ docent plenitudinem Deitatis habitasse in Christo, nos de plenitudine ejus accepisse; nos denique arrhas dumtaxat & primitias percepisse Spiritus, cujus summa cumulusque in Christo sit. Nos enim inanes penitus tanti boni stillatim illud libamus; at Verbum spiritu suo nunquam cassum, sibi illum habet ut Deo, sibi illum donat ut homini; cùmque idem sit, qui habet, qui donat, qui accipit, quantum habet, tantum donat & accipit; neque enim invidet sibi suam opulentiam. Athanasius: *Dominus inspirans in ora Apostolorum dicit, Accipite Spiritum sanctum, ut intelligeremus quod ex plenitudine Deitatis ipsius ipse Spiritus existat, qui Discipulis tribuitur. In Christo enim inhabitat, hoc est, in carne ejus omnis plenitudo divinitatis corporaliter, sicut & Evangelista Joannes dicit, Nos ex plenitudine ejus accepimus. Siquidem corporali specie, hoc est, sub imagine columbæ visus est Spiritus sanctus descendere, & manere super eum. In nobis enim dumtaxat primitiæ & arrha dumtaxat divinitatis inhabitat; in Christo verò omnis plenitudo divinitatis. Sed ne quis arbitretur eum, eo quod non haberet, Spiritum accepisse. Ipse enim Spiritum* Lib. de humana natura suscepta.

cœli-

cœlitus ut Deus demisit, ipse eundem humi ut homo accepit; ex seipso igitur in seipsum descendit, nimirum ex Deitate sua in suam humanitatem. Hoc nimirum caput est indeficientis plenitudinis, quod Spiritum sanctum, id est, suum qui accipit Christus homo, idem ab æterno præhabet Christus Deus; utque qui præhabet, accipit; ita quantum maximum præhabet, accipit. Nec enim aut non donare, aut parciùs sua sibi bona donare potest; nec totum se & irrevocabiliter indefectibiliterque naturæ assumptæ potest largiri, quin & Spiritum suum eidem peræquè indefectibili plenitudine & irrevocabili donatione elargiatur. Itaque quàm homo non est sine Verbo, nec Verbum sine Spiritu sancto suo, tam homo Christus non potest esse sine Spiritu sancti intima sibi congenitaque plenitudine.

XI. Ex Chrysostomo, Christus ut unus ideo toto Spiritu sancto nos ut multi donamur, ideo partibus. In Psal. 44.

Chrysostomus his gemina habet: *Christus nunquam unctus est oleo, sed Spiritu sancto. Et ideo adjecit, præ consortibus tuis, hoc ipsum significans, neminem ita unctum fuisse ut ipse. Multi enim fuerunt ante ipsum Christi, id est uncti, sed nemo sic. Sicut enim agni multi, sed ipse eximius; sic & multi filii, sed ipse Unigenitus. Sunt enim omnia ejus eximia; non ea solum quæ pertinent ad divinitatem, sed ea etiam quæ ad humanitatem.* Et paulò post: *Joannes dicit: Nos omnes ex plenitudine ejus accepimus. De ipso autem, non ad mensuram dat Spiritum Deus. Et rursum: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem: illic autem non ex Spiritu, sed totus venit Spiritus; & ideo dixit, Non ad mensuram dat Deus Spiritum.* Omnia planè Christi & hominis & Dei sunt eximia; nos enim multi filii, ille unigenitus; ideò nos ut multi partibus donamur, ille ut unus & unigenitus totum obtinet Spiritus & sanctitatis patrimonium. Nos multi, multitudo post unitatem est, principatur enim unitas; multitudinis propria est partitio, imminutio, egestas; unitas sectionis nescia, totum obtinet.

XII. Tertium discrimen, quod Christus in sese, nos in ipso spiritū accipiamus. L. 3. c. 15.

Quod ad tertium spectat, in Christo & per Christum dumtaxat Spiritus sanctus nobis indulgetur. Insufflaverat enim illum Deus olim primitus naturæ nostræ; at postquam peccatis fuerat effugatus, contaminatæ naturæ hospitium aversatus est, donec eidem rursus per Verbi consortium consecratæ immigravit. Irenæus: *Hunc enim Spiritum promisit per prophetas effundere in novissimis temporibus super servos & ancillas, ut prophetent; unde & in Filium Dei filium hominis factum descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, & requiescere in hominibus, & habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, & renovans eos à vetustate in novitatem Christi.* Et idem alibi: *Hæc igitur in semetipso recapitulatus est, adunans hominem spiritui, spiritum collocans in homine, ipse caput spiritus factus est, & spiritum dans esse hominis caput, per illum enim & videmus, & audimus, & loquimur.* Recapitulavit igitur Christus omnia, id est ad caput suum revexit genus humanum, eique reddidit fœlicitati, in qua conditus primùm fuerat. Illius autem cardo fœlicitatis erat contubernium Spiritus sancti, cujus afflatu sanctificabatur, cujus inflatu impetuque agebatur homo. Peccatis conspurcatum genus abominaretur usque, refugeretque Spiritus sanctus, nisi Verbum Deus cum Spiritu suo insereret se eidem naturæ, pristinamque redintegrans munditiem, eam rursus in Spiritus sancti domicilium consecraret. Cùm assumptæ igitur naturæ Spiritus sancti plenitudinem infudit Verbum, non sibi, sed nobis infudit: *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Verbo enim sua sanctitas incircumscripta & inenarrabilis constat. Ut quid ergo sanctificat se? An carnis accessione & sanctificatione incrementum aliquod fiet ejus sanctitati? Neutiquam; nam sanctitati ipsi sanctitas superaddi haud ulla potest, nisi exscindatur ipsa sibi, sibique postea replicetur. Ergo si in carne sanctificatur, non ipse, sed tota in eo hominum natura sanctificatur. Si Spiritu sancto ungitur, non ipse qui Spiritus sancti fons & largitor est, sed totum in eo genus nostrum ungitur. Christus enim homo, medicinale sacramentum est. Medicinæ nihil inditur, quod non ad aliorum salutem condiatur. Sanctitudinis igitur unguentum, quo Christus est, unguentum medicinale est, quo generis humani universitas ad pristinam pristinaque florentiorem restauratur incolumitatem. Athanasius hæc edisserit luculentissimè: *Salvator quamvis Deus esset, & in regno Patris perpetuo regnaret, ipseque largitor Spiritus sancti esset, tamen nunc in præsentia inungi dicitur: at iterum cum sicuti homo spiritu inungitur, nobis hominibus, quemadmodum in exaltando, & resuscitando fecit, ita quoque isthic spiritus incolatum contuberniumque conciliat. Atque id indicans suis verbis Dominus in Evangelio dicit, Ego misi eos in mundum, & pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Hæc verba usurpans, satis indicavit se non esse eum qui sanctificatur, sed qui sanctificat. Non enim ab alio sanctificatur, sed ipse seipsum sanctificat, ut nos in veritate sanctificemur. Qui autem seipsum sanctificat, Dominus est sanctificationis. Qua ratione igitur id fit, aut quo pacto id dicit, nisi ad istum modum? Ego qui Verbum Patris sum, mihi jam homini Spiritum tribuo, ac me jam hominem factum sanctifico; ut deinceps in me qui veritas sum, sermo enim tuus, ait ille, veritas est, ut in me inquam omnes sanctificentur. Si autem in nostram vicem seipsum sanctificat, atque id agit cum homo factus erat, satis constat & evidens est, descensionem Spiritus in eum ad Jordanem, ad nos pertinere, eo quod ipse ferebat nostrum corpus; neque id ad meliorationem Verbi, sed ad nostram sanctificationem factum esse, ut ipsius unctionis participes essemus.* Orat. 2. adv. Arian.

XIII. Quartum discrimen quod Spiritus sanctus sit proprius Christi.

Quartum jam hinc cœpit dilucescere Christi privilegium, quòd Spiritus sanctus non quasi extrorsum corrivetur in ipsum, sed intus scaturiat, ut vena sanctitatis intestina, Verbo enim in humanitatem medullitus immeante, unàque commixto, & veluti concreto, fons ipse Spiritus sancti, seu Verbum ex quo ille procedit, intimus est, & penitissimè insertus eidem humanitati. Irrigatur ergo hæc & restagnat inundante in ipsis ejus penetralibus Spiritus sancti & totius sanctitatis ubertate. Hinc apta religataque pendent cætera omnia. Hinc enim de Spiritu sancto concipitur, cùm Verbum charitate Spiritus sui Mariam & spiritaliter primò & corporaliter ex consequenti fæcundat. Hinc rursus de Spiritu sancto concipitur, cùm Verbum humanitati se commiscet, pariterque Spiritum suum, ut sanctitatis formam principem eidem contemperat & inspirat. Hinc tota inebriatur plenitudine sanctitatis, cujus ad nos stillæ rorantur tantùm, quia inserit illi se Verbum cum Sp itus sui plenitudine. Hinc manet permanetque in ea sola Spiritus sanctus, ut qui eo jam indissociabiliter colligetur nexu carni Verbi, quo Verbo ipsi. Hinc causa est caputque salutis nostræ, remigrationisque Spiritus sancti in naturam hominum, cum naturam nostram non possit non prehensare posthac, & osculari, & exornare Spiritus sanctus, quam Verbum ut suam sibi naturam coaptavit. Hinc denique omnia à Spiritu sancto in humanitatem Christi confluunt ornamenta sanctitatis, quòd jam natura Verbi est humanitas, Spiritus Verbi est Spiritus sanctus; nec intimius quidquam aut conglutinatius excogitari potest, quàm natura Verbi & Spiritus Verbi. Hinc enim postremò ipsius humanitatis ore insufflatus est Spiritus sanctus; usque adeò Spiritus sanctus spiritus est illius humanitatis, ut spirando illum inspiret; usque adeò spiritus Verbi Dei, spiritus idem est ejusdem Verbi hominis; usque adeo quæcumque Verbi Dei sunt propria, fa-

cta sunt etiam propria Verbi hominis, ut non tantùm qua homo accipiat, sed etiam donet Spiritum sanctum, & corporaliter insufflando donet. [L. 5. in Ev. Jo: pag. 472.] Cyrillus præclarè: *Accipit ergo unigenitus Spiritum sanctum, non sibi ipsi; est enim ejus, & in eo, & per eum datur; sed quoniam homo factus totam habebat in se naturam, ut eam omnem restauraret, & in primævum statum restitueret.* Et rursus: [Ib. pag. 123.] *Cum homo factum sit Dei Verbum, Spiritum à Patre accipit, ut unus è nobis; non sibi aliquid specialiter accipiens, erat enim ipse largitor Spiritus: sed ut acceptum naturæ nostræ conservaret ut homo, & rursus radicaret in nobis gratiam, quæ recesserat, is qui peccatum non fecit. Hanc enim ob causam existimo sanctum Baptistam utiliter addidisse, quia vidi Spiritum descendentem de cœlo & manentem super eum. Avolavit enim ex nobis propter peccatum; factus autem est velut unus ex nobis qui peccatum non novit, ut assuefieret porro Spiritus manere in nobis, cum discedendi aut subducendi se causam in ipso non haberet.* Christus ergo Spiritum sanctum non tam accipit, quàm habet & præhabet ut ejus scatebra; & cum accipit, non sibi accipit, sed nobis, ut quem peccata abegerant, impeccabilitas reducat: nec jam avolare possit ab ea natura Spiritus sanctus, cui indivulsè conglutinatum est Verbum, à quo is dimanat. Et rursus idem illustrans ea verba, *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*: hæc habet: [Ib. pag. 169.] *Fieri enim non potest, ut qui ad certum modum accipiunt spiritum, cum alteri quoque largiri possint. Nusquam enim sanctus sancto Spiritus sancti largitor fuit. Sed eum omnibus de sua plenitudine largitur Filius. Non igitur ad mensuram dat; neque ut illi partem quandam exiguam Spiritus habet, idque participativè. Sed cum sit etiam ipse largitor, utique manifestum est, illum totum habere substantialiter in seipso.* Ex eo quod οὐσιωδῶς habeat Christus Spiritum sanctum, & ejus principium ipsemet largitorque sit, efficitur indubitanter ut totam sanctitatis plenitudinem obtineat ipse, & ex ea in omnes pro cujusque modulo dilargiatur. Sed præstantissimè rursum Cyrillus: [L. de recta fide pag. 34.] *Spiritum suum impertit, quem quidem Verbum quatenus ex Deo Patre procedit, immittit, & ex propria natura in nos quasi ex fonte quodam transfundit. Quin etiam facultate hac propter unionem & incarnationis œconomiam æqualiter quodammodo cum homine communicata, corporaliter quoque ut homo inspirat. Insufflavit enim in sanctos Apostolos dicens, Accipite Spiritum sanctum.* Et paucis interjectis: *Patet ergo & Spiritum Filii quoque proprium esse, nec solùm quatenus Verbum ex Patre prodiit: sed etiamsi cogitetur secundum nos homo factus, divinitatis proprietatibus, ut in propria natura, non destitutus.* Nihil hac verborum gloria magnificentius; proprium esse Christo ut homini Spiritum sanctum, quia humanitas Verbi propria est natura jam, ideoque spiritus Verbi proprius est humanitatis; usque eo, ut Spiritum sanctum inspiret humanitas, communicata sibi quodammodo divina Verbi facultate.

CAPUT III.

De sanctitate Christi inde hausta, quod Deitate Verbi adeoque substantiva sanctitate Divinitatis perunctus sit.

[I. Quod Deitas sanctitas ipsa sit, eaque inungatur Christi humanitas.] Altera hæc est sanctitatis forma, qua humanitas Christi exornatur, Deitas Verbi, adeoque substantiva sanctitas Deitatis. Alteram dixi formam, quæ altera potius est ejusdem formæ contemplatio. Simplicissima enim est, unaque sanctitas, qua & Spiritus sanctus, & Verbum, & Pater, & tota Deitas corusçat; qua assumpta etiam emicat humanitas. Sed tum ut sacris obsequamur literis, quæ non abs re, sanctitatem nunc à Spiritu sancto derivant, nunc à Deitate Verbi: tum ut diutiùs & citra tædium spectaculo vacemus rei pulcherrimæ, eandem & invariabilem sanctitatis lucem cum aliqua varietatis amænitate circumspicimus.

Ungitur ergo humanitas Christi, & sanctificatur ipsa Verbi Deitate, & hinc etiam Christi nomen exurgit. Supersedere poteram constituendæ hujus sententiæ labore, eo jam perfunctus non perfunctoriè, ubi primam partem unionis hypostaticæ in eo cumprimis vigere ostendi, quod Deitas Verbi humanitatem permeet, eique se inexplicabiliter implicet & immisceat. Immeatio ista enim pernitissima plusculum etiam insinuat, quàm perunctio. Sed quia contemplandæ sanctitatis Christi voluptas, non labor est: & afflari nos hinc suavissima sanctitatis aura spes votumque est, libet hoc sanctitatis unguentum paulò diutiùs pertractare.

Demonstratur ergo primò, quòd forma sanctitatis, qua medullitus & substantivè imbuitur Christus homo, sit ipsamet Deitas Verbi, quæ impermixtè commiscetur ei, inconfusè infunditur, cum eaque quodammodo concrescit & coagulatur. Cui enim non exploratissimum est ipsammet sanctitatis essentiam esse Deitatem? Cùm quælibet sanctitas ejus irradiatio sit, ejus imitatio & quasi simulatio quædam sit: cùm tota sanctitas quocumque ad ipsam accessu augescat, evanescat recessu: cum improbitas quæ adversatur sanctitati, non sit nisi à Deitate alienatio: cum ter sanctus collaudetur à supernarum substantiarum beatis cætibus, quasi reliquis ejus laudibus aut huic uni posthabitis, aut uni huic illigatis; cum reliquas Dei proprietates allambant saltem creaturæ pleræque omnes, hanc autem tanquam ipsius Deitatis summum apicem summarum id est intellectualium naturarum delectus tantùm & quasi flos delibatus contingat. Cùm ergo Deitas sit sanctitas ipsamet, & ungatur Deitate tota Verbi assumpta humanitas, hinc principaliter sanctificatur. Quodque hìc mirandum maximè & gratulandum occurrit, conformatio Christi ipsa non aliud quàm sanctificatio est: non tantùm quia à causa sanctitatis principe seu à Spiritu sancto efformatur: non tantùm quia eidem formando formatoque implicat se adglutinatque Spiritus sanctus; sed quia potissimum ut homo quilibet mixtura est animæ & carnis: ita Christus substantialiter *Mixtura est hominis & Dei*: id est, mixtura est sanctitatis & humanitatis; adeoque procreatio Christi, non aliud, quàm principalis hæc & inaudita sanctificatio est. Idque commendat scriptura his Angeli verbis ad Mariam, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi duo quædam elucent, maximi ad id quod hìc versamus, momenti. Alterum est, quod sanctum nuncupatur nasciturus Christus. Cujus enim procreatio est mixtura sanctitatis & humanitatis, is merito appellatur sanctum. Alterum est, cur Christus vocetur sanctum, duplici ex causa præstatur, ex Spiritus sancti adventu, de quo supra, & ex virtutis Altissimi seu Verbi divini præsentia, quam hìc sanctitatis formam expendimus.

[II. Ex Grego in Naziãzeno. Orat. 5.] Gregorius Nazianzenus luculenter: *Pater veri illius & germani Christi, quem exultationis oleo præ consortibus suis perfudit, cum humanitatem divinitate unxit, ut faceret utraque unum.* χρίσας τὴν ἀνθρωπότητα τῇ θεότητι, ὥστε ποιῆσαι τὰ ἀμφότερα ἕν. Unctione igitur ista conflatus est ex utraque natura unus Christus. Ergo Deitas Verbi unguentum fuit, nam ex Deitate Verbi sola & humanitate unus extitit Christus. Ergo Christus ab hoc unguento seu à Deitate Verbi nominatus est, non tantùm ut supra ab unctione Spiritus sancti. Ergo idem est incarnatio & unctio & sanctifica-

Orat. 41. ctificatio. Idem Gregorius alibi: *Perfectus non modò propter divinitatem, qua nihil perfectius; sed etiam propter humanitatem unctam Deitate, & idem effectam cum eo quo uncta est, atque ut audacter loquar ὁμόθεον, id est simul Deum*. Ungitur homo, fitque idem cum unguine; fit autem idem cum Deo Verbo: Verbum ergo ipsa unctio est. Rursus fit idem cum ungente, sive cum unguento homo, fit ὁμόθεος, fit unus Deus: incarnatio ergo non discrepat à sanctificatione.

III. Ex Damasc. L. 3. c. 3. L. 4. c. 15. Pressit suo more vestigia Nazianzeni Damascenus: *Christus autem nomen hypostaseos dicitur, nec uno modo dicitur, sed duarum naturarum significativum est. Ipse enim seipsum unxit, ungens quidem ut Deus corpus Deitate sua, unctus autem ut homo. Nam ipse est hoc & illud. Siquidem unctio humanitatis est Deitas*. Idem hic concinit, Christum dici ab unguento Deitatis Verbi, qua & ungitur, & unus cum Verbo Christus fit humanitas. Idem rursus: *Natus est igitur ex ea Filius Dei & Deus incarnatus: non Deifer homo, sed Deus incarnatus. Non sicut Propheta, operatione inunctus, sed totius ungentis præsentia: ut homo quidem sit ungens, & Deus unctus; non transmutatione naturæ, sed unione secundum hypostasin. Idem enim est & qui ungit & qui ungitur; ungens ut Deus seipsum ut hominem*. Ungentis Verbi totius præsentia substantiali, non operatione volatica ungitur & coagmentatur & sanctificatur Christus. Ut nasci Christum perinde fit ac sanctificari humanitatem, quod ipsemet testatum fecit verbis conceptis: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum*. Filium enim Dei fieri hominem, mitti in mundum, sanctificari, res una est, eademque atque Verbum incarnari, seu Verbo humanitatem inungi; inungitur enim substantiali Verbi formatione.

IV. Ex Cyrillo. Dial. de Inc. Unig. pag. 691. L. de recta fide pag. 17. Propè abest Cyrillus ab unctione, cùm tincturam invehit, & Deitate incommutabilis Verbi infici colorarique ait naturam humanam. *Animamque humanam propriam sibi efficiens, peccato eam superiorem reddidit, propria suæ naturæ firmitate atque incommutabilitate tanquam tinctura eam tingens τῆς ἰδίας φύσεως τὸ ἄτρεπτον καθάπερ τινὰ βαφὴν ἐγκαταχέουσα αὐτῇ*. Quæ verba eadem rursus idem inculcat alibi Cyrillus. Intingitur humanitas incommutabilitate Verbi, ut peccato omni superior fit, quod quid quæso est, nisi sanctitate propria naturæ divinæ, ideoque impeccabili, quia incommutabili, vegetari?

V. Ex Eusebio. Demonst. Evang. L. 4. Eusebius autem unguentum illud singulare, quod consecrando summo Pontifici olim Deus condiri sanxerat, & in alios usus quoslibet vetuerat tanta pœnarum interminatione profanari, interpretatur esse Verbum Dei, qui Patris odor & fragrantia cùm sit suavissima, jugiterque ab eo exhalet, chrisma ipsummet fuit, quo Christus summus Pontifex in primo sui ortu inauguratus est. Sicque Moyses peregit omnia eo, qui in monte præmonstratus fuerat, modo, id est, sensibilibus signis intelligibilia Deitatis adumbravit arcana. *Hujus itaque ingenitæ atque supremæ divinæ essentiæ virtutem illam quæ omnia valet, omne bonum præstat, omnem pulchritudinem subministrat, divinus Spiritus proprio & convenienti exemplo conferens atque accommodans appellat. Quare & Christum & unctum eum, qui illius particeps sit, vocat. Oleum verò in his noli miserationes accipere, neque in rebus adversus mœrorem, sed id quod certæ plantæ fructus emittit, quod ex humida materia nihil habet admixtum, quod lumen auget, quod fessos sublevat, quod labores aufert, quod eos qui unguntur hilares facit, quod instar luminis de seipso vibrat splendores, &c. Ut exhilaret faciem in oleo. Huic igitur exemplo supremam ejus Dei qui omnium est Princeps omniumque Rex, virtutem comparans oratio, eum qui solus hoc toto unctus est, quique divinæ atque aliis incommunicabilis paternæ fragrantiæ particeps factus, & qui solus ex illo genitus Deus Verbum, communicatione gignentis ingeniti, Deus de Deo est declaratus, Christum atque unctum vocavit*. Ita ille Verbum depingit, ut odorem fragrantissimum & ipsammet suaveolentiam ex paterna Dei substantia jugiter exhalante inspiratam assumptæ humanitati, ex hoc divino Chrismate in summi Pontificatus dignitatem assurgenti. Necui autem parum arrideat hæc ex Eusebio sententia, ut qui in Arianam vesaniam propensior usque fit, libet idem ipsum ex Cyrillo firmare. Hæc ergo ille habet: *Sicut enim nemo sanæ mentis putaverit divinitatis fragrantiam inesse rerum conditarum naturæ, id enim cum primis stultum est: ita divinitati increatæ & omnia supereminenti, nemo ex ipsa effundi instar odoris affinxerit Filium alterius generis & naturæ. Ex Dei enim ac Patris substantia ineffabili modo natus est unigenitus, totam nobis genitoris naturæ fragrantiam exerens in seipso. Quapropter ipsum quasi in persona sponsæ Ecclesia ex gentibus conflata his vocibus alloquitur, Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te, traxerunt te*. Adeo non ergo suspectus hinc esse debet Eusebius, ut consubstantialem Patri Filium indidem probet Cyrillus, quòd Patris sit nativus odor, & velut unguentum tota Deitatis suavitate conditum. Dial. 3. de S. Trin. p. 502.

Ne taciti prætermittantur Latini, Chrysologus ita habet: *Posteaquam Dei Filius sicut pluvia in vellus, toto divinitatis unguento, nostram se fudit in carnem, ab unguento nuncupatus est Christus: & hujus nominis extitit solus author, qui sic Deo perfusus est & infusus, ut homo Deusque, esset unus Deus. Hoc ergo unguenti nomen effudit in nos, qui à Christo dicimur Christiani, & impletum est illud, quod cantatur in Canticis Canticorum, Unguentum effusum nomen tuum*. Et hic ergo ipsam Verbi Deitatem appellat unguentum, quo non superfusa tantùm, sed ita infusa delibutaque humanitas est, ut homo Deusque idem, unus Deus esset. Cùm ergo Christus à Chrismate dicatur, & Chrisma istud Deitas sit Verbi, nasci Christum perinde est ac si dicas ungi Deitate, adeoque deificari, id est, excellentissimè sanctificari. VI. Ex Chrysol. Serm. 60.

Demonstratur 2. ex eo quòd tota substantialiter sanctitas, tota sanctitatis veluti massa in Christo est. At sanctitatis summa non est nisi ipsa Deitas. Tertullianus causam edisserens ejus vacillationis, qua Joannes videtur hæsitasse cùm illum discipuli de Christo percunctati sunt; ait portionem Spiritus, qua locupletatus fuerat Joannes, ab eo tum discessisse, & in Christum veluti massam summamque totius sanctimoniæ concessisse. Et ista quidem parùm consentanea est Tertulliani opinatio, nec ulla fuit Joannis in fide Christi vacillatio: sed illud inde Christi decus eximium addiscimus, quòd ipse *Massalis summa sit*, cui nulla deest portio sanctitatis. *Ipso jam Domino virtutum, Sermone & Spiritu Patris operante in terris & prædicante, necesse erat portionem Spiritus sancti, quæ ex forma prophetici moduli in Joanne egerat præparaturam viarum Dominicarum, abscedere jam ab Joanne, redactam scilicet in Dominum, ut in massalem suam summam*. Quæ autem massalis summa seu sanctitatis seu Spiritus sancti, nisi Deitas Verbi? VII. Súma, fons plenitudo totius sanctitatis in Christo non potest esse nisi Deitas. Adv. Marc. L. 4.

Fontalem hanc sanctitatis & exuberantissimam plenitudinem elegantissimè describit Chrysost. expendens hæc verba: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. Non habet*, inquit, *donum participabile, sed ipse fons est & radix bonorum omnium. Ipse vita, ipse lux, ipse veritas, non in seipso bonorum divitias continens, sed in universos diffundens, quibus diffusis plenus permanet; neque ex eo quod aliis suppeditet, minuitur; sed divitias suas elargitur sem-* VIII. Ex Chrysost. ut plenitudo sanctitatis nō possit esse nisi Deitas. Ho. 13. in Jo.

semper uberius; cumque omnes his bonis impartiat, in eadem permanet perfectione. Quod autem ego fero, participabile est; ab alio enim id accepi, & exigua pars totius est, & quasi gutta parva ad immensam abyssum, & infinitum pelagus comparata; imò neque exemplum hoc sufficiens est, ad quod volumus ostendendum. Nam si guttam è pelago acceperis, ea tamen pelagus, etsi visu percipi nequeat, minuitur; de illo autem fonte hoc dici non potest; sed quantumcumque quis hauriat, nihil deficit. Christi hæc erat dignitas, ut non tantùm per ipsum, sed etiam de ipso: nec de Dei cum ipso plenitudine, sed de propria ipsius, tamquam Dei plenitudine, hauriremus gratiæ & sanctitatis rivulos; & ipse non participaret aliunde sanctitatem, sed in se participandam propinaret, non his aut illis, sed omnibus, idque tam indefectibili copia, ut quantumlibet effluerct in alios, ipse sibi superefflueret. Non impleret Christus omnes numeros nominis munerisque hujus amplissimi, si hanc sui expectationem tantisper falleret. At non alia istiusmodi est, nisi Deitatis sanctitas substantiva, de qua persuadeatur quod *gratia & veritas facta sit* per ipsam; quodque *de plenitudine ejus* omnes percepimus; quæ non aliunde delibata, sed intus spontanea scateat: non supernè participetur, sed præbeat se infernè omnibus participandam: non paucis se propinet, sed omnibus sufficiat & abundet; nec hauriendo exhauriatur, nec implendo omnia, vel tantillum ipsa depleatur. Hæc Christi sanctitatem non patiuntur esse, nisi increatam & essentialem.

IX. Idem ex Bernardo. Hom.70. in Cantic. Bernardus similiter sentit: *Quod si plenitudo virtutum in Christo, & liliorum, & fortassis propterea ipse se lilium appellavit, quod totus versetur in liliis, &c. Habent lilia & aliqui sodalium, sed non copiam. Omnes enim ad mensuram Spiritum acceperunt, ad mensuram virtutes & dona. Solus ille non habet modum, qui habet totum*. Alii virtutum & gratiæ lilia habent, & non lilia sunt; & aliqua habent, non omnia. Christus lilium est ipsemet, seu sanctitas & gratia; nec modum habet, quia totum habet; totum autem habere necessum erat, qui partes aliis adsignaturus erat.

X. Idē ex Petro Cellensi. L. de Panibus c. 14. Ne autem longiùs abeamus ab odore unguenti, de quo suprà, hinc quoque plenitudinem adeoque substantiam ipsam sanctitatis Christo conciliat Petrus Cellensis: *Totum siquidem cornu olei, id est, gratiæ plenitudo funditur in capite filii hominis, quia benedictio Domini effusa est super caput justi justificantis omnes justificatos, totaliter & originaliter, non particulariter. Totum inquam ei infunditur unguentum, cui non ad mensuram dat Deus Spiritum, &c. Una quidem causa, sed effectus multiplex; sicut unus Spiritus, sed multæ gratiæ. Jesu soli tota simul gratia affuit, & tota gratia Jesus totus, infinitè affluit. Totus unctus, quia totus sanctus: totus unctus, quia totus desiderabilis: totus unctus, quia Spiritu sancto totus plenus. Vidimus enim gloriam ejus quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate*. Vides ut plenitudo unguenti, ut omnipotentia universos sanctificandi, ut totalitas & origo sanctitatis, ut tota gratia, non Christo adsit, sed Christus ipse sit; & ita scatere ac exundare gratia & veritate, ea sit quam ostentat & exaggerat Joannes, gloria Christi, tanquam Unigeniti. Nec enim quasi Unigeniti gloria foret, sed multò dispar discolorque & ingloria penitus, si sanctitas esset creata, accidentalis, participata, finita. Ut ergo gratia sit ex qua vel Unigenitus gloriam sibi suam applaudere, nobisque ostentare possit, non alia sit quàm ipsa Deitatis gratia sanctitasque.

XI. Ex eodem. Petrus Cellensis ibidem: *Invenitur præterea penes Patrem unicum unguentum mirabile & incomparabile, redolens super omnia aromata, &c. Sentit quidem supra se, nec usurpare præsumit ad ungendum se hoc unguento omnis ordo supernarum virtutum. Sanctis namque beatificos se reputant illi cœlestes spiritus, si vel odorem senserint, cujus unctionem, non sibi, sed proprio Patris Filio paratam & propriam recognoscunt, &c. Usibus sapientiæ suæ Pater hoc unguentum æternaliter destinavit, & ut singulariter præ omnibus consortibus suis confrueretur, ordinavit. Filius, inquit, meus es tu, ego hodie genui te. Hoc æternæ & singularis generationis unguentum adoret, non tangat creatura. Qui enim tetigerit, lapidibus obruetur*. Unguentum quo sanctificatur Christus, peculiare ipsi est; odor ejus tantùm ad creaturas respergitur, non unctio; ne contingi quidem illud à quoquam fas est, ut suprà Eusebius in hoc eodem exemplo argumentabatur. Unguentum hoc denique Christi est, quo æternè & singulariter generatur. Quibus Petri Cellensis vocibus apertissimum est, unguentum vocari ipsam Deitatem Verbi, qua tota humanitas Christi permadescit. Denique quod cum dicitur ungi Filium à Patre, eo Deitatis unguentum significetur, pergit ibidem Petrus: *Quod si quæris quomodo ungat Filium Pater, & Filius non ungat Patrem, si dilectio est ipsa unctio, & Filius sic amat Patrem, quomodo Filium Pater? Respondeo quia Filius à Patre est, non autem Pater à Filio; vel quia Pater genuit Filium, non autem Filius Patrem. Sic namque alius est qui ungit, & alius qui ungitur, quia alius est Pater, alius Filius; sed eadem unctio est, qua ungit Pater, & qua ungitur Filius, quia idem Spiritus sanctus sicut à Patre procedit similiter & à Filio*. Ungit ergo Pater Filium gignendo ipsum, & substantiva sua sanctitate atque dilectione, quæ Spiritui sancto propriè attribuitur, perfundendo.

Cæterum si hæc subiiciantur oculis, pressiùsque dispiciantur, quæ hìc ex Petro Cellensi & paulò suprà ex Eusebio atque Cyrillo contexuimus, emerget lux ingens dogmati huic nostro illuminando peropportuna. Elucescit enim 1. Verbum esse odorem, quem Pater uti flos immarcessibilis exspirat incorruptum; imò suffimentum esse fragrantissimum, summis divinæ Patris naturæ aromatibus temperatum; aut si mavis, sicuti Patris tanquam lucis æternæ, candor ipse est: ita Patris naturæ tanquam unguenti inæstimabilis ipse odor & suaveolentia est. Emicatio enim Patris & progressio Filius est, veluti lucis abstrusæ candor effulgurans, veluti unguenti reconditi odor effusus. 2. Ungitur ergo Verbum, cum gignitur: quia natura divina tanquam paterno unguento, tanquam virtutum omnium proprietatumque divinarum condimento perfunditur. Verbum adeo ipsum Christus est, quia ungitur; & quanquam Christi nomen non propriè nisi per humanationem suam consequatur, non injuria tamen illud arrogare sibi poterat merito æternæ à Patre Deo generationis seu unctionis. 3. Quis hinc non adstupeat quàm consonantia sint æternis temporalia, divinis humana Christi? Cùm qui unctus æternaliter erat, Christus temporaliter fit; seu sibi ipse in antecessum præluderet, seu potiùs seipsum æternum temporalis idem ipse imitetur & simulet & expingat. Non sanè decebat vel Patrem vel Spiritum sanctum nostræ permisceri naturæ, sed qui Christus seu unctus essentialiter, personaliter, æternaliter erat, idem Christus nobis essentialiter & personaliter, sed temporaliter fieret. 4. Enimverò cum temporalis generatio Christi æternæ ejus extensio quædam & ampliatio sit generationis, ita æternæ diffusio quædam extensioque unctionis est. Et quid hinc nisi Christum auguremur? Ungit enim Pater Verbum tota Deitate, cùm generat suo in sinu; ungit Pater Christum tota Deitate, cum generat in virgineo Mariæ sinu. Unguentum utrobique Deitas est; ungens utrobique Deus Pater est; ungere utrobique generare est; unctus utrobique seu Christus idem Verbum est, ibi sine carne, hìc cum car-

XII. Summa antedictorum.

ne. Un-

ne. Ungitur eodem Deitatis unguento, ab eodem ungente Patre, eadem unctione generationis, unus idemque unigenitus Dei Filius, ibi sine involucro, hic cum involucro carnis; sed sive nudus, sive involutus intingatur, eadem unctio, eadem generatio, vel æternæ unctionis & generationis extensio quædam stupenda, idem divinæ sanctitatis unguentum est. 5. Minùs mirum accidet hoc quidem contemplanti, temporalis dispensationis consilium ad hoc unum collineasse, ut per temporalia exprimerentur æterna, vel ut ad æterna revocarentur, quæ peccati incursu deflexerant ad temporalia. Ad hoc enim impetrandum inseri, insuescere & coalescere opus fuit æterna temporalibus, temporalia æternis, ut labes dissidiumque quo dissilierant resarciretur. Itaque unctio æterna Verbi propagata ad Christum hominem in tempore est; generatio ejusdem sempiterna Verbi ad Filium usque hominis expansa explicataque est; implicata temporaliter humanitas est æternæ sanctitatis generationi, seu intemporali Verbi unctioni. Ita substantialis divinorum omnium refusio in humana, humanorum omnium medicatio fuit, & replicatio in divina. Sed ante cætera par erat sanctitatem ipsammet divinam humanis inseri, quòd ad sanctitatem maximè humanitati redintegrandam pertineret œconomia temporalis. 6. Utque tota incubuerat generi nostro improbitas, ita expungendæ illi par non erat, nisi tota sanctitas, quæ ut tanto muneri fungendo esset, non alia esse debuit quàm imparticipata, substantiva, infinita, indefectibilis; ut universis sufficeret, nec deficeret; in omnigenam copiam exuberaret, nec usquam aresceret.

CAPUT IV.

Sanctitas Christi hominis increata, ex eo, quod factus sit nobis justitia à Deo, & sanctificatio, & redemptio.

I. Expenditur verba Apostoli, ut justitia factus nobis Christus fit. Cor. I. c. I.

Demonstratur denuo Jesum Christum hominem in creata Deitatis Verbi sanctitate vegetari, ex eo quòd ut ait Paulus, *Factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Non ait enim quod genitus sit justitia & sanctitudo, sed quod factus: nec quod simpliciter factus sit, sed nobis; quo abunde dilucidum fit ad humanitatem ejus hæc attinere. Rursum non ait, quod justus, & sapiens, & sanctus effectus sit; sed justitia ipsamet, & sapientia, & sanctitudo, quæ divinitatis insignia sunt ipsissima. Ne partium ergo dissidentium conflictu dissiliat Apostolica sententia, intelligamus Christum hominem non sanctum esse, sed sanctitatem, non justum sed justitiam, non sapientem, sed sapientiam esse ipsammet, quod sapientia & justitia atque sanctitate ipsa Deitatis substantiva formetur. Ita enim & factus erit, quia homo: & justitia erit, quia etiam in homine Deus est. Ita nobis factus erit, quia justitia factus est, non justus; nam qui justus est, sibi est, suoque exultat sibi bono; at justitia non sibi tantùm est, quod est, sed omnibus justificandis adest. Ita nobis factus est, qui sibi erat, & Angelis erat sapientia, & justitia, & sanctitas; hæc sibi erat, & Angelis erat, qua Deus; hæc homini fuerat stanti: sed hæc ipsa ut homini jam mente carnali fieret, caro factus est. Ita quamvis factus sit, justitia tamen est, id est, quamvis justitia & sanctitate Deitatis formetur, non fit tamen justus & sanctus, sed fit justitia & sanctitas, quia sanctus portione sanctitatis quis fit, sanctitas ipsa totalitas est. Item quia sanctitas Deitatis simplicissima est, itaque formare potest, largiri se potest, concrescere, vel in concreti nominis mores ire non potest. Item quia etsi donatur humanitati, non tamen participatur, nisi imparticipabiliter, quia tota donatur, non pars; nec velut participata, sed ut ab omnibus participanda donatur. Item quia tota & omnipotens sanctitas non homini se, sed hominem sibi mancipat; nec subjecti concretioni se, sed subjectum suæ ipsius vindicat simplicitati; justitia ergo est sanctitasque Christus homo, non justus & sanctus, quia in melioris & præpotentioris censum ingeniumque accersitur humanitas, non vicissim; quippè minutas & particulares formas subjectum suffulcit, affigitque sibi, & in suos mores componit: at forma universalis simplicissima, omnipotens, & per se subsistit semper, & subjecti sui subjectum fundamentumque verius ipsa est, nec illi se subjugat, sed illud sibi: & illud quidem emendat, amplificatque, ipsa verò nec augmenti, nec detrimenti, nec ullius mutationis patiens est.

Bernardus luculentè in hæc verba: *In principio sapientia erat, erat justitia, erat sanctificatio & redemptio, sed Angelis; ut esset & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique qui factus est nobis inquit sapientia à Deo; & non ait simpliciter, qui factus est sapientia, sed qui factus est nobis sapientia; quoniam quod erat Angelis, factus est & nobis.* Et paulò pòst: *Liquet ergo sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem. Et nihilominus tamen hæc ipsa quatuor esse factum propter homines qui invisibilia Dei nonnisi per ea quæ facta sunt intellecta conspicere possunt. Sic ergo omne quod erat Angelis, factus est nobis.* Et ne hæsites, quomodo Angelis redemptio fit, aut cur hominibus, necesse fuerit, ut fieret, quod Angelis erat, non factus fuerat; absolvit hoc dubium paucis ibidem verbis: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens.* Ergo ex suo in res corporales lapsu per peccatum, ad hoc diminutionis redacta est natura nostra, ut nonnisi incumbendo ubi cecidit resurgere, & per conjecturas visibilium ad invisibilia creatoris eluctari possit. Natura Angelica sanctitati & justitiæ incommutabili nullo discludente obice inhæret, & quantum potest, de ipso fonte, pleno ore bibit, tantumque potest, quantum amat. Ab illa, aut proxima beatitatis statione collapsus homo in sensibilia, nisi sensibili & carnibus nostris obvolutæ sapientiæ & justitiæ eidem os apprimere, seque totum affigere non potuit. Ideo qui erat Angelis, nempè Deus Verbum, factus est nobis Verbum caro sapientia, & justitia, & sanctitas. Cùm igitur carnem sugimus Verbi, eandem combibimus justitiam & sanctitatem Verbi Dei, quam sugunt & combibunt Angeli; eidem fonti, sed obducto, labra admovemus; eodem proluimur latice. Ergo carni Christi, seu Christo homini inserta est sanctitas & justitia Verbi increata. Etenim si qua homo est, creata tantùm afflueret justitia, non idem nobis factus esset, qui erat sibi ante sæcula; non idem nobis fieret, qui est Angelis; non fieret nobis justitia, & sanctitas, sed sibi justus, sanctusque; non eo nos restitueret, unde defluximus, nempè ad Angelorum contubernium, & ad naturæ intellectualis privilegia, cujus etsi postrema, utcumque tamen portio nos sumus. Denique ut Verbum Deus Angelis, ita Verbum caro hominibus, non justus est, sed justitia: nec justitia qualisbet est, sed justitia justificans. At Verbum caro qua caro, justificans esse justitia non potest, nisi justitia ipsamet Deitatis carnem hanc vegetet, & formet. Unde Bernardus ibidem, *At verò justitiæ tuæ tanta ubique fragrantia spargitur, ut non solum justus, sed etiam ipsa dicaris justitia, & justitia justificans.*

II. Eadem ex Bernardo explanatur uberius. Serm. 22. in Cantica.

III. Philosophi ventosâ se-

Postremò tandem ut pulcherrimo Apostoli dicto lux amplior ex Bernardo accedat eodem ibidem, qua-

ctabantur sanctitate; Christus veram intulit, quia divinam.

quatuor illa non temerè indigitavit Apostolus, sed notos etiam sæculari philosophiæ quatuor virtutum veluti cardines, una contineri excellentissima sanctitate Christi, vel sanctitate Christo; & præter eum frustra inanibus earum umbris inhiare & ludificari homines insinuavit. *In Christo nempe rerum plenitudo est sine numero & sine modo. Nam & sapientiæ ejus non est numerus; & justitia ipsius sicut montes Dei, sicut montes æterni; & sanctitas singularis, & redemptio inexplicabilis. Dicendum & hoc, & quia frustra hujus sæculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum nescierint, qui factus est nobis sapientia docens prudentiam; & justitia delicta donans; & sanctificatio in exemplum temperantiæ continenter vivens; & redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens, &c. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Ubinam quæso vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Unde vera justitia, nisi de Christi misericordia? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione?* Nequicquam consectabantur Philosophi humanæ justitiæ rivulos & malignè fluentes & cœnosos: unde labor eorum omnis incassum fuit, verbisque tantùm philosophati sunt, nec garrulitate sua genus humanum veræ justitiæ conciliarunt. Adeundus erat fons ipse justitiæ, & quando hominibus in ima & in seipsos maximè allisis, non occursare poterant nisi humana, in homine aliquo invocandus supernè erat expectandusque ipsius justitiæ & sanctitatis divinæ: eo ex uno ut in omne genus hominum non quadripartita tantùm, sed omnimoda exundaret virtus sanctitasque. Ecquando enim homines veram justitiam vel cogitando vel fando contigerunt? Quandonam moribus assecuti sunt? Qui effundere in alios potuerunt? Paucissimi, & privatim, & verbis solis, votoque magis quàm re virtutem explicuere Philosophi. At Christus ut qui vera esset justitia sanctitasque Deitatis, ubi illuxit orbi, confestim non jam clanculùm, sed publicè, nec paucitas aliqua, sed generis humani universitas, non buccis crepantibus, sed factis ad virtutum amussim elimatissimis philosophari cœpit perstititque deinceps. Nimirum quandiù humana captabatur sanctitas, frustra desudabatur; postquam autem divina & omnipotens & infinita Verbi sanctitas naturæ nostræ insevit se, inolevitque, diffluente quaqua versum vitali succo effloruit genus universum.

IV. Ex Origene Christus est natura virtutum ipsa. Hom. 2. in Psalm. 38.

Consonant Bernardo Patres alii. Origenes in primis: *Neque enim capere poterit humana natura carnibus & pelle vestita, ossibus & nervis inserta, nudam ipsam justitiæ sinceramque veritatem; ferre & tolerare secundum naturæ suæ potentiam & virtutem. Siquidem ipse Christus est natura virtutum; ipse enim justitia, quæ humano generi non in plenitudinem splendoris advenit, quia Jesus Christus semetipsum exinanivit forma Dei, ut formam servi acciperet.* Ac si dicat, justitia qualem Angeli hauriunt, intolerabilis jam erat hominibus peccato infirmatis: obtundi ejus ergo splendorem obvolvique opus fuit formæ servilis nube, ut lippientibus temperaretur. Quo enim alio demum prospici nobis poterat consilio? Cùm nec ipsam lucem increatæ sanctitatis ferre, quia ægri: nec ea tamen carere possemus, quia rationales. Rationalis quippe natura, ut Angelicæ compar, aut suppar, eodem quo illa cibo pascitur, eodem potatur fonte, eodem bono beatur. Eadem ergo sanctitate & justitia Deitatis, qua vegetantur Angeli, eadem prorsus vegetari egebamus ob naturam compares, nec poteramus, quia culpa dispares, nisi ipsamet justitia sanctitasque nostræ se carni animæque commiscuisset.

V. Ex eodem ut Christus fit ipsa substantia &

Ex quo id emicat cum primis necessariò hìc advertendum, ad justitiam incommutabilem naturæ nostræ insigendam, totum à Deo destinatum esse incarnati Verbi mysterium. Nec tam consectarium velut aliquod incarnationis est ista corrivatio sanctitatis increatæ in humanitatem, quàm finis ejus primarius, & ab unitate personali indistinctus. Ideo enim quod nascitur, statim sanctum nomine proprio insignitur; ideo ait, quem Pater sanctificavit & misit in mundum; ideo Christus ob sanctitatis unguentum; ideo justitia & sanctificatio nobis fit; ideo Isaias ait, *Surgere fecit ab oriente justitiam*, id est, Filium in carne sibi excitavit. Ideo denique Verbum caro factum est, hoc est, justitia sempiterna Deus Verbum invasit pervasitque & mancipavit sibi naturam humanam, hoc est personaliter & substantivè, adeoque infinitè & incommutabiliter sanctificavit, non sanctitatem illi illinendo, sed illam subsistenti per se sanctitati vindicando. Effusio ergo sanctitatis divinæ in humanitatem, non corollarium est, sed ipsa substantia incarnationis; proindeque Christus substantialiter & personaliter est justitia & sanctitas. Justitia inquam, non justus, sanctitas non sanctus; quia non humanitati accedit sanctitas, sed sanctitati humanitas: non oblinitur aut adhærescit homini justitia, sed homo justitiæ; non per se subsistenti homini adjungitur accessionis instar, & personæ additur justitia: sed per se subsistenti & æternaliter præexistenti justitiæ personamque suam incommutabiliter retinenti subjungitur, accensetur que humanitas. Nimirum si naturæ creatæ superstrueretur sanctitas, vel sua, vel aliorum, cùm corruptibile sit quidquid creatum est, quantacumque maxima foret illa sanctitas, ex fundamenti mutabilitate labefactaretur aliquando forsan, ut in Angelis & Adamo patet. Ut ergo inexpugnabile nobis salutis æternæ instrueretur præsidium, non committenda fuit naturæ creatæ justitia quantalibet, sed justitiæ per se subsistenti, naturaque sua inconcussæ & immutabili natura creata superfundanda fuit. Origenes: *Ait Prophetes esse Christum veritatem & justitiam, & putamus ab Apostolo solum dictum esse, quia Christus sit justitia & sanctificatio & redemptio & sapientia. Fortè autem & Apostolus instructus à Prophetis novit animatam esse justitiam & viventem. Quæ est ista justitia? Unigenitus Dei. Quia autem non solùm ab Apostolo ortum est, Christum esse justitiam, & viventem & subsistentem justitiam, &c. Quis enim, inquit Isaias, surgere fecit ab Oriente justitiam, & vocavit eam ad pedes suos? Vocavit justitiam; manifestum est animatam eam esse, si ambulet vocata. Vocavit autem Christum Pater, quo ob nostram salutem ad nos iter faceret, & descenderet de cœlo ad nos. Vocavit eum de Oriente, non de isto sensibili, sed de Oriente lucis veræ. Pater vocavit Filium, imò ut vere dicamus, Deus hominem vocavit, justitiam ad pedes suos, id est, incarnationem Filii sui.* Audis ut Christus etiam qua homo, sit justitia vivens, animata, subsistens; non justus, sed justitia; non justitia justificata, sed justitia justificans; quia non sanctitas humanitatis, sed humanitas sanctitatis accessio est; non homo fit sanctus, sed sanctitas induitur homine; sicut non homo fit Deus, sed Deus fit homo; nec sanctitas homini, sed homo sanctitati per se subsistenti & ante sæcula subsistenti accedit, & accidentis instar inhærescit. Ut igitur homo non fit divinus, sed Deus: ita non tam fit sanctus, quàm sanctitas. Etsi minùs scrupulosè verba trutinantibus subrepat sæpiusculè, ut & sanctus dicatur Deus, qui sanctitas potiùs est; sanè excusabilius illud est, ut Christum qua hominem sanctificari & sanctum esse dicant; cùm castigatiùs, ut ego quidem interpretor, diceretur, Christum qua hominem sanctitatem fieri & esse, quàm sanctum; quia fit & est Deus, qui aptiùs prædicatur sanctitas, quàm sanctus. Ideoque non sanctus, sed sanctum, id est sanctitas ab Angelo prænominatus est.

persona sanctitatis, cui accessit & inserta est humanitas Cap. 6.

Hom. 5. in Isaiam.

In confesso quippè est præstitutum esse nobis Chri-

VI. Ex eodem. Ut Christus non tam sanctus quàm sanctitas & sanctificatio sit. Hebr. 2.

Christum, non ut justum quem imitemur, sed ut justitiam quam bibamus; nec ut sanctum quem miremur, sed ut sanctitatem inexhaustam, qua perluamur. Unde Apostolus: *Qui enim sanctificat & qui sanctificantur, ex uno omnes*. Nempè Christus qui sanctificat, & nos qui sanctificamur, ex uno summo Patre Deo sumus. Christus ergo sanctificat, sanctitasque est potiùs quàm sanctus aut sanctificatur. Origenes idem in Jeremiam: *Sanctificatio nostra Christus est. Quia & ille sanctificans, & nos sanctificati ex uno omnes sumus. Sicut ipse justitia Christus, ipse veritas, ipse sanctificatio, similiter & ipse etiam sustentatio. Et non aliquid justum sine eo, neque patiens quod in se non habet Christum*. Et rursus idem Origenes: *Cùm Christus sit universa sapientia, & quilibet sapiens, quatenus sapientiam capit, sit Christi, in quantum est sapientia, particeps. Quod idem etiam de sanctificatione & de redemptione sentiendum est. Ipsa quippè sanctificatio unde Sancti sumunt sanctificationem, & redemptio Christus nobis factus est*.

Hom. 4 in Jeremiam. In Ev. Joan. pag. 170.

VII. Ex eodem, ut Christus sit fons totius justitiæ.

Rursum omnia Dei Christus nobis est. Cùm enim parvuli & carnales peccato evasissemus, nec contingere jam potis essemus ad Deitatis fastigiam, inseruit se illa carni nostræ, ut à carnalibus carnaliter sugatur Deitas ipsamet sanctitasque increata, qua spiritales spiritaliter inebriantur. Ergo cùm carnalibus Verbum caro omnia sit, quæ spiritalibus Verbum Deus, erit eis sanctitas & justitia increata & incircumscripta. Origenes idem: *Omnia quippe quæ sunt Dei, Christus est. Ipse sapientia ejus, ipse fortitudo, ipse sanctificatio, ipse justitia, ipse sanctitas & redemptio, &c.* Et rursus idem: *Sicut ipse Christus est justitia, ex qua omnes justi fiunt; & ipse est veritas, ex qua omnes in veritate consistunt; & ipse vita, ex qua omnes vivunt; ita ipse est lex, ex qua omnes in lege sunt*. Et idem alibi: *Sicut ergo Salvator sapientia est, & pax, & justitia, ita est & expectatio, vel patientia. Et sicut participatione justitiæ ejus justi efficimur, & participatione sapientiæ ejus sapientes, ita & participatione patientiæ ejus patientes efficimur. Est ergo velut fons quidam perennis, de quo haurire possumus & patientiam, & justitiam, & sapientiam, &c.*

Hom. 5. in Jeremiam. L. 3. in Ep. ad Rom. Hom. 2. in Ps. 36.

VIII. In Scripturis Christus homo justitia & sapientia ipsa prædicatur. Multis evincitur argomentis, quod ea sit sanctitas increata, qua sanctus est Christus.

Demonstratur 4. ex eo quòd & sacræ litteræ frequenter, & sancti Patres creberrimè Christum appellitent ipsam justitiæ & sapientiæ virtutumque substantiam. Nam quoties Scripturæ Christum denominant Veritatem, Justitiam, Sanctificationem, Æquitatem, Sapientiam, Sanctum neutro genere, Vitam, toties ipsam ejus humanitatem increatis & incorruptibilibus his Deitatis summæ proprietatibus vegetari significant. Nam si creatæ forent hæ dotes, 1. nimiùm exaggerata foret hæc quidem verborum gloria, in tanta rerum inopia, & à simplicitate divinorum Codicum immane quantum dissentiens. 2. Hæc eadem virtutum nomina & ornamenta passim alibi eadem Scriptura soli adrogat Deitati. 3. Non ita abstractis & nullo limite septis nominibus efferrentur creatæ laudes, sed concretis vocibus & ex subjecti angustiis coarctatis. 4. Non ostenderentur humano generi creatarum virtutum justitiæque lumina, tanquam fontes unde haurienda foret omnibus justitia virtusque. Denique nec in creatis viribus totum spei, sanctificationis salutisque nostræ præsidium satis cautè collocaretur.

Increatæ igitur cùm sint hæ dotes, quòd non Verbo Deo tantùm, sed Verbo carni facto, seu humanitati ipsi tanquam iis formatæ adscribantur, constat liquidò 1. quia apertissimè de ejus carne hæc omnia in Scripturis pronunciantur; de carne enim dicitur, *Quod nascetur ex te sanctum*. De carne dicitur, *Qui factus est nobis justitia*. In carne dicitur, *Ego sum veritas*. De carne dicitur, *Qui dat vitam mundo*. 2. Quæ subesse nobis spes potuisset, si vel humanitati assumptæ tam parcus fuisset justitiæ suæ donator, fore ut prolixior in nos foret. 3. Quod Angelis præstat ut Deus, nobis præstat ut Caro; at Angelis increatam sanctitatem osculandam bibendamque præbet, ergo & eandem carni inseruit, quam potaremus. 4. Caro ipsa Christi fons totius sanctitatis constituta est; at nulla creata sanctitas irrigari in alios potest, est enim sanctitas sanctificata, non sanctificans. Denique imitandus nobis tantùm præfigeretur Christus homo, non exugendus, non participandus, si creata tantùm polleret sanctitate: at non in exemplum tantùm accurrit, sed maximè in adjutorium. Ergo non creata tantùm floret sanctitate, quam imitari; sed increata inexhaustaque, qua irrigari contendamus.

IX. Quo sensu Deitas dici possit forma sanctitatis.

Postremò etsi increata justitia sanctitasque formet humanitatem Christi, atque ita ex subjecto creatæ naturæ & forma increatæ justitiæ concrescere videatur Christus, justusque & sanctus dici magis debere, quàm justitia & sanctitas: quòd nihilominus etiam postquam inhumanatus est, prælucente Scripturarum Patrumque authoritate, sanctitas potiùs & justitia agnominandus sit, ex suprà disceptatis jam utcumque diluxit. Nam 1. sanctitas divina, sicut & Deitas ipsa, essentialiter simplex est, ideoque non ita cum quoquam componi, vel concrescere potest alio, ut vel transversum unguem ab altissima simplicitate deflectatur. Etsi ergo carni copuletur, simplex permanet, nec sanctum quasi concretum quid existit inde, sed mera sanctitas. 2. Sanctitas forma quidem est, sed omnipotens, & omnipotenter formans. Cæteræ ergo formæ alternis præsunt, subsuntque subjecto, quia non infinitè præpollent; nec ita frangere illud ac subjugare sibi possunt, quin vicissim infringantur nonnihil, serviantque ipsi. At forma omnipotens invictissimè dominatur, nec servit subjecto ullatenus, adeoque ejus concretione & compositione non commaculatur. 3. Sanctitas divina forma æterna est, cui in tempore accessit humanitas. Quam ergo illa ab æterno occupaverat simplicitatem concretionis omnis expertem, retinuit incolumem, nec accessione carnis corrumpi eam passa est. At reliquæ formæ rarò coævæ, ut plurimum juniores subjecto, ubi illi accidunt, jure merito in ejus censum ingeniumque descifcunt. 4. Sanctitas divina forma est, sed essentialiter per se subsistens, ideoque quanquam largiatur sese subjecto, non tamen illi inhæresfcit, non illi incumbit, sed sibi sua est, per seque constat. Quòd enim forma per se subsistens sit, non eo vetatur elargiri se, aut formare quod libuerit cumque subjectum; sed eo arcetur haud dubio, ne subjecto veluti innixa ac mancipata concrescat. Duo hæc enim formis in aliis disjungenda planè sunt; quòd perficiant subjectum, quòdque incumbant illi. Illud laudis & copiæ cujusdam est, hoc inopiæ & languoris argumentum. Quippè quòd perficiant subjectum, ubertatem produnt innatæ sibi perfectionis, & beneficam largitatem. Quòd autem beneficium reciprocari expostulent, sustentarique se à subjecto, languida ipsarum egestas nudatur. Forma ergo princeps, & per se subsistens, formansque non formata, formarum aliarum laudes suo quasi jure sibi sumet, & subjecta perficiet arbitratu suo formabitque; non tamen earundem statim maculis inquinabitur, non egebit, non incumbet, non serviet, non concrescet subjecto, sed illud dumtaxat ornabit, perficiet, formabitque, Quò enim amplior est, quò minùs indiga, hoc beneficentior erit, & sui prodiga. 5. Quin imò quia forma per se subsistens est, non adiicit se subjecto, sed subiicit sibi subjectum: non tam illi se donat, quàm illud sibi vindicat. Non accedit enim homini san-

ni sanctitas divina, sed succedit divinæ sanctitati homo, eique coalescit. Non igitur propter hominem, qui sanctitas erat, sanctus fit; sed propter Deum formamque sanctitatis principalem, qui sanctus fuisset homo, sanctitas ipsamet quodammodo fit: & qui justus fuisset, justitia fit. Subjectum enim formæ servit, non vicissim: subjectum formæ coaptatur affingiturque, non vicissim. 6. Quin rursus sanctitas divina, ut forma princeps, subjectum quoque ipsa est & fundamentum, cui humanitas tanquam forma accidentalis inhærescit. Formæ ergo formatæ subjecto fulciuntur, at forma formans nec formata, quia per se subsistens est, subjecti loco ipsa est; quæ alioqui subjecta ejus esse viderentur, ei ut subjecto & inconcusso fundamento innituntur. Non ergo quasi ex subjecto humanitatis & forma sanctitatis concresceret, ita sanctus dicendus est Christus; sed quia & forma humanitatis & subjectum humanitatis sanctitas per se subsistens est, nonnisi sanctitas dicendus est Christus. Septimò tandem & postremò hinc dilucidius fit, quod ob circumfusam caliginem elucidari magnoperè postulat: Ecquid causæ sit, ut ex contemplatione Deitatis & humanitatis, una exiliat persona, non natura. Quia enim sanctitas & simplicissima, & æterna, & per se subsistens, & præpotenter excellit, non ita concrescit homini, ut sanctus fiat; sed permanet sanctitas, quod erat: & fit homo sanctitas, quod non erat; non tamen ex utroque unum aliquod naturæ quasi tertiæ specimen exurgit. Una ergo perstat sanctitas, prius sine carne, nunc cum carne. Ita & Deitas Verbi tota infunditur carni, non ut ex utriusque mixtura tertia quæpiam coagmentetur natura; sed ut Deitas perstet quæ erat, non tamen jam sine carne. Quia ergo & Deitas & sanctitas per se subsistens forma est, naturam longè inferiorem potest quidem illa sibi subjungere ad censum suæ personæ, non autem sibi conjungere eandem ad consortium naturæ.

Tria satis jam ut arbitror inculcata sunt hæc, ex quibus pateat conclusio. Si enim æquitas, justitia, sanctitas, aliæque hujusmodi proprietates increatæ sunt: si Christo ut homini eas sacræ litteræ appingunt: si invictis constat argumentis etiam abstractas & universales de Christo homine prædicari; hinc liquebit abundè quàm jure meritoque Christi humanitas divina Verbi sanctitate formari prædicetur à nobis, & Christus homo ipsa virtutum substantia, ipsa justitia & sapientia esse pronuncietur.

X. Ex Origene & Dionys. Alex. Hom. 1. in Cant. Origenes luculentè omnino: *Æquitas dilexit te, ac si dixisset, Justitia dilexit te, & veritas, & sapientia, & pudicitia, & singulæ quæque virtutes. Nec mireris sanè, si dicimus virtutes esse, quæ diligunt Christum, cùm in aliis ipsarum virtutum substantiam Christum soleamus accipere.* Est Origeni Christus *substantia ipsa virtutum*. Dionysius quoque Alexandrinus ait Joannem Baptistam exercitatione plurima jejuniisque virtutem excoluisse, at Christum nec ideo jejunasse, nec labore istiusmodi ullo parasse sibi justitiam, sed ipsam justitiæ virtutumque naturam ipsum extitisse. (Epist. cont. Paul. Samos.) *Joannes quidem in admiratione erat, cùm neque pane vesceretur, neque vinum biberet: Christus verò edebat & bibebat. Atque ille quidem in solitudine vivens, asceticam vitam agebat, ut Deo placeret: Dominus verò Jesus versabatur cum Apostolis & reliquis, non separatus ab eis quibuscum erat: & ob id planè apparebat quod Christus magna puritate & justitia incomparabili Joanni antecelleret, quia in Joanne quidem erat labor & opus justitiæ, in Jesu verò natura.* Ascititia erat Joannis justitia, & quasi summatim affricta; ideò & fuga sæculi eremique frequentia fovebatur, ne descisceret. At Christus medulla ipsa erat justitiæ increatæ, cui nihil jejunia secessusve addere, nihil demere contubernia convictusque hominum possent. Et paulò pòst: *Justus natura ut Deus, non exercitatione & laboribus sicuti omnis homo ex numero piorum, quos necessariò sequuntur defectus.* Christus natura justus, & natura ipsa justitiæ est, utpote Deus; at homo Deus est, ergo & homo natura ipsa justitiæ est. Nam justitiæ studia oblinere quidem possunt colorem aliquem, quo justus quis audiat; at natura ipsa medullaque justitiæ Deitas humanitati infusa est. Idem paulò pòst: *Christus non in exercitatione ostensus est per virtutem & fidem in Deum, naturalis enim justitia & divina virtus est.*

Cyrillus ab his non dissentit: *Quanquam multi Sancti sunt, & potestates ratione præditæ, atque etiam in terra homines; attamen participatione ejus qui natura & solus est sanctus, vereque hoc existit, Sancti nuncupantur. Sicuti enim ille vera lux est, dignitatis tamen hoc aliis impertit: Vos enim, inquit, estis lux mundi: Sic etiam qui solus est sanctus cum Deo & Patre & sancto Spiritu, dat velut ex sua plenitudine suis consortibus sanctificationem.* XI. Ex Cyrillo. L. 5. in Isai. Orat. 4. To. 2 pag. 666. Et alibi idem Cyrillus: *Igitur mortuum quidem semel Christum intellige, sed eundem ex natura sanctum sanctorum esse, tanquam Deum. Est enim verax Joannes qui ait, Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus. Est enim Christi particeps universa, non modo visibilis, sed etiam invisibilis creatura. Angeli namque & Archangeli, illæ etiam quæ supra hos sunt naturæ, ipsa denique Cherubim non aliter quàm per Christum solum in Spiritu sancto sancta sunt.* L. 4 de Ador. in Spir. sanct. Necesse quippè est, cujus participatione sanctificantur omnes, eum non participatione sed essentia sanctum & sanctitatis ipsam esse substantiam. Idem Cyrillus Epistola ad Acacium de Capro emissario: *Neque enim dicimus Christum fuisse peccatorem, absit hoc. Sed hunc justum, imò illam ipsam justitiam, peccare enim non novit, victimam fecit Pater pro mundi peccatis.* Scitè quæ victima pro peccatis est, nescia peccati ipsa est; nec peccati insolens est, nisi ipsa justitia: nam justus, ut justitiæ est, ita injustitiæ esse potest manceps.

XII. Ex Maximo Martyre. Dial. 5. de Trin. Maximus Martyr: *Deus sermo qui ipsamet est justitia, accepta servi forma factus est nobis justitia, sanctificatio & redemptio. Is inquam qui justitia est, factus est, si naturam humanam respicias, justitia, ut nos qui justitia non eramus, sua gratia justificaret. Estque idem Deus & homo: ita ut quatenus quidem est Deus, sit justitia: quatenus verò est factus homo, sit factus justitia.*

XIII. Ex Basilio. In Psal. 44. Basilius similiter: *Propter veritatem & mansuetudinem & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Ut cum tu sis ipsa veritas & mansuetudo, omnes exemplo tuo ad mansuetudinem & bonitatem reducantur.* Quæ ne longè petita videantur, aut inani verborum sono magis quàm solido veritatis dogmate niti, veniat in mentem eorum quæ tam frequenter inculcavimus, non hominem deificatum esse Christum, sed Verbum humanatum, sapientiam incarnatam, sanctitatem ipsam & veritatem corporatam. Ita enim elucebit Christum hominem, qua homo est, non aliud esse quàm sapientiam & sanctimoniam incommutabilem nube carnis nostræ obumbratam. Unde Cyrillus: *Hunc Pater signavit Deus. Et si tanquam unus vestrum appaream, homo nimirum cum carne, unctus sum tamen & signatus à Deo Patre in omnimodam similitudinem cum ipso, &c. Observandum est, cum Filium hominis divina dona largiturum ait, ipsumque ad imaginem Dei ac Patris signatum esse, nullam ferre separationem, quæ assumptum ex Virgine templum à vero Dei Filio sejungere queat, sed se unum esse statuere atque ita intelligi velle.* L. 3. In Ev. Joan. p. 300.

CAPUT V.

Sanctitate increata sanctus est Christus, cum plenitudine divinitatis inhabitetur.

I. Ut plenitudo Deitatis & sanctitatis corporata sit in Christo.

DEclaratur 5. Sanctitate Deitatis increata afficiï perficique humanam Christi naturam, ex eo quod plenitudo divinitatis corporaliter ipsam inhabitet, teste Apostolo, & quod quæ Deus habet per naturam, ea habeat omnia anima Christi per gratiam. At quorsum attinebit illa inhabitatio Deitatis in Christo, si Deitatis dotibus, in primis autem sanctitate non imbuatur humanitas? An potuit inhabitare lux humanitatem, nec eam illuminare? An verò aliud est illuminari luce sanctitatis, quàm inhabitari? An cum Deitas lumen incorruptibile sanctitatis sit, incorporari potuit naturæ humanæ, nec eam sua ipsa luce imbuere? Non dono enim à se diffuso, sed substantiali sua luce format perficitque Deus, cum incorporatus inhabitat. Dona enim sua diffundere quasi eminus poterat, etsi non inhabitaret, etsi saltem non corporaliter inhabitaret, etsi denique non tota plenitudine inhabitaret. At si & inhabitet, & tota plenitudo divinitatis, & corporaliter, seipsa indubitanter format, sanctificatque.

II. Nec æquetur tamen humanitas Deitati.

Nec ex eo tamen rectè efficitur, ut creatori exæquetur creatura, quanquam eadem explendeat sanctitate & justitia, vel quacumque demum laude alia; nec ut æquè sancta sit humanitas atque Deitas. Gratia enim offertur humanitati id totum, quod natura Deitati inest; magnificentius enim est, id quodcumque decoris est, natura obtinere quàm gratia: necessariò, quàm precariò. Deinde habet humanitas, quod Deitas non habet, sed est; præstantius autem inenarrabiliter est, esse, quàm habere; quod enim habetur, forinsecus accersitur, & alieno beneficio naturæ inopia resarcitur.

III. Ut anima Christi sanctitatem divinam participet, & non participet.

Anima ergo Christi, sanctitatem divinam & participare dici potest & non participare. Participare quidem, quia non est ipsa Dei sanctitas, sed eam accipit: non participare autem, quia non donum aut aspirationem ejus aliquam, sed ipsam: nec ipsam particulatim, aut minutatim, sed totam plenissimè & substantialiter accipit. Rursum dici potest, & per gratiam sanctificari & non per gratiam. Per gratiam quidem, quia ex creatæ naturæ solo non effrondescit ipsa per se sanctitas, sed supernè donatur: non per gratiam autem, quia non naturæ ejus, aut personæ jam consistenti superfunditur sanctitatis forma; sed sanctitas substantiva Dei, propria est ejus persona, & fundamentum, cui tota humanitas superstructa est. Rursus dici potest, per naturam sancta esse, & non per naturam; per naturam, quia non afflatum, non particulam, sed ipsam naturam substantiamque sanctitatis & totam obtinuit; non per naturam autem, quia alia est natura animæ, alia natura sanctitatis; & illa quidem sanctificari, hæc sanctificare apta est. Rursum dici potest anima Christi esse justitia, & non esse; esse quidem quia formatur imbuiturque sanctitate simplicissima & per se essentialiter subsistente, quæ adeo non dat esse iustum, sed iustitiam: & quia ut homo fit Deus propriè & personaliter, non nomine tenus, ita fit iustitia; Deus enim iustitia magis quàm iustus est: non esse autem, quia natura animæ non est natura justitiæ, sed eam combibit.

IV. Ut Sanctis omnibus antistet sanctitas Christi hominis.

Anima ergo Christi non æquatur Deitati, quanquam nec participatione, nec gratia, nec habendo sanctificari, sed per naturam & essendo sancta esse, sanctitasque ipsa esse prædicetur. Nec rursus in ordinem cogitur sanctorum hominum vel Angelorum, quamvis & participatione & gratia sanctus esse perhibeatur quandoque. Sed prior illa verborum dignitatisque gloria, creaturis illam omnibus anteponit, non creatori æquiparat; hæc temperatio posterior, creatori illam supponit, non creaturis aliis coæquat.

V. Ex Hugone Victorino. Tract. de Sapientia animæ Christi. Tom. 3.

Hugo de sancto Victore: *Si omnes hac sapientia sapiunt, quicumque sapiunt, multò magis hac sapientia sapit illa anima, quæ ipsi sapientiæ unita fuit; quæ non sorte participationis ex illa viguit, sed privilegio unitatis plenitudinem possedit. Quid enim de sapientia minus habere poterat, cui ipsa plenitudo sapientiæ incorporata erat? In quo, ait, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, &c. Quid est, corporaliter? Unum facta est cum illa, in qua habitat, & per illam; unum etiam cum illo, in quo illa habitat. Quomodo unum? non versibilitate naturæ, sed unitate personæ; una persona, non una essentia. Ergo incorporata est divinitas habitaculo suo, cui plenitudinem infudit, veritatem sociavit. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem: Quales? requiescet super eum spiritus Domini, &c.* Sapientia de qua hìc agitur, Spiritus sancti sapientia, seu sanctitas est ipsamet, cuius plenitudo animæ Christi incorporata est. Quomodo enim posset divina sanctitas animam Christi plenissimè & corporaliter inhabitare, & non informare? Si enim non ipsa informat sanctitas divinitatis, nec corporaliter ergo inhabitat, nec plenitudo divinitatis inhabitat. Deest aliquid sanctitatis & sapientiæ, deest plurimum, deest totum, si non informat sanctitas Deitatis. *Apostolus testatur plenitudinem ibi esse, & nos dicimus quod tota sapientia non est in domo sua? Ergo dimidia intus habitat, & dimidia foris. Et ubi quæretur, si domi non invenitur? In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ubi plenitudo est, nihil deest.*

Deinde scrupulum eximit Hugo nonnullis inhærentem, verentibus ne coæquetur Deitati anima; *Ergo, inquiunt, tantam sapientiam habet anima Christi, quantam Deus habet.* Respondet primò comparationi locum non esse, ubi unus est; at anima Christi & Verbum Deus, unus Christus est. *Quid facit comparatio, ubi unus solus est? Una est sapientia Dei, qua sapiens est anima Christi, nec participando sapiens est, ut hoc, vel illud, in illa, vel per illam sapiat, sed plenitudinem habendo, ut totum possideat.* Respondet secundò, utcumque instituatur comparatio, non esse parem Deitati animam; quia quod illa est, hæc habet; etsi enim totam habet anima sapientiam seu sanctitatem, non tamen est; Deitas autem non habet, sed est. *Non ergo dicamus tanta aut quanta, sed dicamus, tota sapientia Dei in anima Christi est, & ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens est; nec tamen æqualis Deo anima Christi est, quia sapientia Dei non est. Porrò longè aliud est sapientia sapere, & aliud sapientiam esse; quia qui sapientia sapit, quod habet, aliunde accepit; qui sapientia est, ex semetipso habet, quod sapit. Illic gratia, hic natura; & idem illic gratia, quod hic natura; nec tamen illic gratia naturam ad immensitatem commutat, nec hic natura ad mensuram gratiam coarctat.*

Denique idem Hugo locum illum expendens Ambrosii, ubi docet inesse Christo per gratiam, quæcumque Deo insunt per naturam, ita habet: *Anima namque Christi idcirco omnia habere dicitur per gratiam, quæ Deus habet per naturam, quia plenitudo Deitatis in Verbo ei unita est ex tempore per gratiam, quæ in Deo ex æternitate fuit per naturam. Hoc ista ex tempore habet, quia accepit, quod ille ex æternitate habuit, quia fuit, &c. Quid ergo accepit anima Christi? Plenitudinem Deitatis, plenitudinem sapientiæ, plenitudinem virtutis. Totum quod Deus est, accepit. Quomodo accepit? Non versibilitate naturæ, sed firmitate personæ. Accepit, non ut illud essentialiter fieret, sed ut cum illo personaliter unum esset.*

Attigit hæc strictiùs Richardus à sancto Victore: *Sed*

VI. Ex Richardo Victorino. l. 4. de Contempl. c. 18.

Sed de anima Christi quid dicimus, quam omnem gratiæ plenitudinem accepisse, negare non audemus? Nam quidquid Pater habet ex natura, ipsa accepit ex gratia. Nam in ipsa inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Si accepit omnem plenitudinem gratiæ, ergo & plenitudinem sapientiæ, ergo & plenitudinem potentiæ. Si ergo æqualem sapientiam, æqualem potentiam habet cum Patre, quod negari non potest, numquid Patri æqualis erit, & creatura creatori coæquari poterit, quod omnino fatendum non est? Sed si æqualem potentiam, æqualem sapientiam, absque dubitatione habet, quomodo ei omnino coæquari non valet? Assentitur & iste ex inhabitante Deitatis plenitudine indubitanter inferri, ut sanctitas increata formet humanam Christi animam; inde etiam qua mole difficultatis urgeatur, non dissimulat, nempè ne anima Deo Patri æqua jam sit; quæ æqualem ipsi sapientiam justitiamque Verbi videlicet substantiam sit adepta. Sed quia alieno loco & cursim hæc attingebat, abstinuit à vestiganda hujus nodi explicatione, contentus inscrutabilia Dei complura alia indicasse.

Ex his porrò perfacilis erit & perexpedita conciliatio locorum ex sanctis Patribus complurium, quæ in speciem adversari videbantur sibi; cùm nunc Christus homo sanctificari & Spiritum sanctum accipere, nunc non sanctificari, sed sanctificare affirmetur. Sanctificatur enim quia humanitas non est ipsa natura sanctitatis, sanctificat autem quia tota substantialiter perfunditur natura sanctitatis, unumque personaliter cum ea fit. Sicut ferrum candefactum, ignem accipit, & ignefacit.

VII. Quanto discrimine sanctus sit Christus, & sancti sint homines alii.

Declaratur 6. ex discrimine quo sanctus sapiensque fit Christus, atque alii Sancti. Participatione enim increatæ sanctitatis & sapientiæ afficiuntur alii, & suo quique modulo perficiuntur: at Christus homo non participatione sapientiæ fit sapiens, sed insertione increatæ sapientiæ fit ipsa persona sapientiæ. Beneficium sapientiæ reliqui percipiunt, hic personam; in reliquis habitat Verbum, in hoc Verbum fit caro. Fiunt ergo reliqui sapientes, hic fit sapientia; sanctificantur alii, hic fit ipsa sanctitas. Triplicem naturam alibi discrevimus, corpoream, intelligentem, & utriusque creatricem sapientiam. Inferior à superiore formari perficique apta nata est, hoc avet, hoc suspirat. Corpus ab intelligente vita, vita intelligens ab incommutabili sapientia vegetari supernè, bearique postulat. Vulgatissimis experimentis compertum est, & nulli non exploratissimum, quo beneficiorum proventu naturam corpoream natura intelligens cumulet. Inde prudens quisque conjectabit, largiore bonorum copia naturam intelligentem à natura veritatis honestatum iri. Nam & bonorum omnium feracior liberaliorque veritas est, & eorum capacior avidiorque natura intelligens. Ergo cùm sicut anima & corpus unus est homo, ita Deus & homo unus sit Christus; ut anima non potest non vivificare corpus per suam ipsius substantiam, ita non potest Deus veritas sanctitasque non sanctificare hominem assumptum per suam ipsius substantiam. Infunditur enim corpori vegetando substantia animæ, cùmque vita sit anima, non potest non inde corpus vivere; ita & infunditur homini deificando substantia Deitatis, cùmque sanctitas sit Deitas, non potest non inde homo sanctificari. Nec anima radium aliquem in corpus jaculatur aut scintillam vitæ suæ, sed tota vita qua vivit ipsa, substantivè corpus format, vivificatque; ita nec Deitas animæ assumptæ aspergit lucem aliquam à sua sanctitate diffusam, sed ipsamet substantia suæ sanctitatis eam illuminat. Dubitantium autem, an increata Verbi sanctitate formetur Christi anima, hinc vel hallucinatio vel hæsitatio manavit, quòd naturam Verbi à natura sanctitatis discreverint. Si persuasum enim fuisset, non aliud magis de Verbi substantia cogitari debere, quàm quòd sit veritas, sapientia, justitia, sicut substantia animæ est vita: tam non dubium fuisset sanctificari sanctitate substantiva Verbi humanitatem assumptam, quàm dubium non est vivere vita animæ corpus animatum.

VIII. Triplex ratio habendæ sanctitatis, ut natura, ut persona, ut participatio sanctitatis.

Et hinc magis liquet triplex genus sanctitatis habendæ; aliter enim eam habet Christus Verbum, ut natura sanctitatis: aliter Christus homo, ut persona sanctitatis: aliter Christianus, ut particeps sanctitatis. Natura sanctitatis Verbum Deus est, eoque nec sanctus est, sed sanctitas: nec sanctitatem habet, sed est: nec ex parte, sed tota natura sanctitatis & justitiæ legisque & veritatis sempiternæ ipse est. Persona sanctitatis Christus homo est, quia naturæ sanctitatis substantivè & personaliter concretus est; ideòque sicut natura, ita & persona sanctitatis, sanctitas magis quàm sancta est; nec tam habet, quàm est sanctitas; nec diminutè, sed totaliter sanctitas est. Participatio autem sanctitatis mirum quantum distet tum à persona, tum à natura sanctitatis. Natura enim & persona minùs discrepant, at ab utraque immaniter degenerat participatio. Et hinc magis magisque inclarescit Scripturæ sapientia inenarrabilis, quæ Christi hominis sanctitatem rariùs iis obscuravit vocibus, quæ nostræ quadrent; frequentissimè autem iis illustravit nominibus, quæ divinam penitùs redoleant excellentiam. Nam & natura & persona veritatis atque justitiæ jure merito appellitari debet Sanctum, Veritas, Justitia, Sanctificatio, &c. nos autem paucis inde guttulis irrorati, utcumque dicimur sancti justique.

IX. Ex Augustino. Cap. 10.

Augustinus de Agone Christiano: *Nec eos audiamus, qui sic dicunt ab illa æterna sapientia susceptum esse hominem, qui de Virgine natus est, quomodo & alii homines ab ea sapientes fiunt, qui perfectè sapientes sunt. Nesciunt enim proprium illius hominis sacramentum, &c. Aliud est enim sapientem tantum fieri per sapientiam Dei, & aliud est ipsam personam sustinere sapientiæ Dei, &c. Quapropter aliter sunt sapientes cæteri homines, quicumque sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt: & aliter ille unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui sapientiæ ipsius, per quam sapientes fiunt quicumque homines, non solum beneficium habet, sed etiam personam gerit. De cæteris enim sapientibus & spiritalibus animis rectè dici potest, quod habeant in se Verbum Dei per quod facta sunt omnia: sed in nullo eorum rectè dici potest, quod Verbum caro factum est.* Hoc igitur proprium est hominis assumpti sacramentum, ut alii sapientes fiant per sapientiam, ipse personam sustineat sapientiæ: veritatis & sanctitatis alii beneficium habeant, hic personam gerat: nec verò quasi scenica simulatione personam velut adumbratam gerat, sed physicè & substantivè, persona sit ipsissima sapientiæ & veritatis: ut alii sapientes sint, ipse sapientia; alii sancti, ipse sanctitas.

CAPUT VI.

Sanctitas increata Christi hominis demonstratur ex ejus impeccabilitate.

I. Impeccabilitas propriè non est, nisi sanctitas divina.

Declaratur 7. sanctitate increata divinitatis formari animam Christi, ex eo quòd illa sit impeccabilis. At impeccabilis non esset, nisi imbueretur forma ipsa impeccabilitatis, seu sanctitate inviolabili Deitatis. Quòd homini Christo omnimoda constet impeccabilitas, omnibus in confesso est Christianis. Quòd germana non sit impeccabilitas, nisi quæ à sanctitate divina proficiscatur, inexpugnabiliter animam insidente, id com-

compluribus explanari poteſt argumentis. Nam primò quidem impeccabilitas eſt indefectibilis quædam ſanctitas, & ſanctitatis copia quædam & redundantia exuberantiſſima. At iſtiuſmodi non eſt niſi ſanctitas divina. Deinde impeccabilitas nonniſi ex infinita ſanctitate emergere poteſt: cùm enim formam contrariam, ſeu potiùs informitatem peccati exigat omninò, & infinita vi ita eliminet, ut irrumpere nuſquam & nunquam poſſit, incircumſcripta quædam ſanctitas opus eſt. Rurſum impeccabilitas omnipotens & inexpugnabilis victoria juſtitiæ & ſanctitatis eſt; nam impotentia ad peccandum, non impotentia eſt, ſed potentiæ incredibilis & redundans ubertas. Peccatum enim languor & impotentia verè eſt. Non poſſe igitur peccare, perinde eſt ac non poſſe languere, non poſſe infirmari, non poſſe in impotentiam defluere vel præcipitari? at hæc non poſſe, omnipotentiæ ſpecimen eſt. Deinde impeccabilitas frutex eſt immutabilitatis; ut pronitas ad peccandum quæ nulli non ſponte ineſt creaturæ, è radice fruticeſcit innatæ mutabilitatis. Inſuperabiliter enim cohærere juſtitiæ, nec excuti inde ulla vi poſſe, eximium eſt immutabilitatis ſpecimen. At immutabilis ſanctitas nulla eſt præter increatam. Etenim quocumque demum creato valletur propugnaculo, ab ingenita mutabilitate immunis & abſoluta non erit mens creata: cùm enim donum illud ſeu munimentum gratiæ quodcumque creatum ſit, intinctum eadem & ipſum eſt mutabilitate, nec immutabilitatis, qua caret, virtutem imprimere valebit. Immutabili igitur ſanctitate humanitas Chriſti intrinſecùs roboranda fuit, ut verè extra lubricam eſſet peccandi aleam. Quippè ſi extrinſecùs tantùm quibuſdam vallaretur divinæ providentiæ præſidiis, ne ſubrepere poſſet peccatum, hæc quidem à peccato immunitas aliqualis foret, non tamen germana & intima proprietas impeccantiæ, ex ſanctitatis gremio efflorefcens.

II. Ex Tertull. & Ambroſio. Tertull. Lib de anima.

Tertullianus: *Solus enim Deus ſine peccato, & ſolus homo ſine peccato Chriſtus, quia & Deus Chriſtus.* Impeccabilis ergo Chriſtus eſt, quia Deus, id eſt, eadem perfuſus ſanctitate indefectibili, quæ Deus eſt.

Ambr. Hexam. L. 1. c. 4.

Ambroſius ſimiliter: *Ipſe eſt primogenitus omnis creaturæ, ſive quia ante omnem creaturam, ſive quia ſanctus, quia primogeniti ſancti ſunt, &c. Sanctus autem Dominus ſupra omnem creaturam, etiam ſecundùm corporis ſuſceptionem, quia ſolus ſine peccato, ſolus ſine vanitate: omnis autem creatura ſubjecta vanitati eſt.* Et alibi idem Ambroſius: *Si igitur non poteſt non eſſe Deus, qui Dei Filius eſt: utique Dei Filius, arbiter juſtitiæ, non eſt obnoxius culpæ.* Si ſecundùm aſſumptam naturam impeccabilis eſt, nec tamen impeccabilis niſi quia Deus, neceſſe eſt à Deitate profluere in naturam aſſumptam, impeccabilitatis ſeu ſanctitatis ipſiuſmet divinæ fontem.

Apolog. 2. pro David. c. 4.

III. Ex Cyrillo, ut divinam impeccãtiã & immutabilitatẽ inſeri naturæ in Chriſto noſtræ oportuerit.

L. 1. in Iſaiam Orat. 4.

Cyrillus hi. conſentit: *Divina autem & ſuprema natura in ſublimitate quadam, non noſtra, ſed propria & ſibi congruente collocata eſt, ad quam malitia acceſſum non habet, vitiique omne genus excutit; non tentata aliquando, perturbationibus vacua, imò natura ſua & eſſentia malitiæ non obtemperans. Non aliter credo, quàm ſi quis de luce dicat, quòd refragetur eſſe caligo; ut enim lux non ſit, ferre non poteſt. Quod in ipſo Chriſto verum eſt. Et ſi enim genitus fuit ſecundùm carnem per ſanctam Virginem Deus natura & ex Deo natus Verbum, tamen ex vulva erat & ante ipſam, imò & ante omne ſæculum ſanctus ut Deus, à ſua prærogativa non deturbatus propter humanitatem: ſed nec humana neglexit propter adminiſtrationem; ita ut credatur verè noſtræ conditionis fuiſſe, & noſtram hanc creationem ſanctificaſſe.* Enixè ut vides id ſatagit, ut impeccantia proprietas ſit unius Deitatis, & veluti proprius ejus cenſus: ut enim non poſſe tenebreſcere, inſigne ſummæ lucis eſt: ita non poſſe ab æterna lege deviare, ſupremæ ſanctitatis eſt. Et hanc tamen ait eandem impeccantiæ prærogativam Verbo in ſua carne conſtitiſſe illæſam. Ex quo efficitur ut refuſa ſit in naturam aſſumptam aſſumentis ſanctitas Deitatis. Et rurſus: *Quis ex vobis arguet me de peccato, &c. Creditur is ſolus naturam habere noſtra ſuperiorem. Cùm namque omnes homines ſubjecti ſint offenſis & delictis, nemoque ſit cujus vita reprehenſione omni ex parte careat: hic ſolus etiam cum homo factus eſt, divinam ſibi retinuit dignitatem. Nam Dei natura meritò cenſeri poteſt major, quàm ut poſſit delinquere. Itaque ait, Venit Princeps mundi hujus, & in me non inveniet quicquam.* Audin ut Chriſtum ab omni peccandi potentia expiet, & hoc tamen proprium divinitatis privilegium aſtruat eſſe: ex quo quis non videt ſanctitate Deitatis ipſa locupletatam eſſe Chriſti humanitatem? Ib. L. 4. Or. 5.

Et alibi rurſum: *Animamque humanam propriam ſibi efficiens, peccato eam ſuperiorem reddidit, propriæ ſuæ naturæ firmitate atque immutabilitate tanquam tinctura eam tingens.* Et ſtatim: *Quemadmodum quia facta eſt caro propria Verbi omnia vivificantis, mortis imperium ſuperat: ita quia facta eſt anima ejus qui peccare neſcit, firmum deinceps atque immutabilem in omni bono ſtatum habet, & peccato quod antea imperium obtinebat, incomparabiliter validiorem.* Quàm expreſsè impeccabilitate, id eſt incommutabili ſanctitate & juſtitia Verbi Dei animam Chriſti non ſupernè irradiatam, non externè obvallatam oſtendit, ſed medullitus imbutam, & in ipſis penetralibus ſuis intinctam. Et Epiſtola 1. ad Succeſſum hoc inſtitutum fuiſſe incarnandi Verbi primarium demonſtrat, ut inhærentem graſſantemque in altiſſimis naturæ noſtræ medullis legem peccati infuſa divinæ ſanctitatis incorruptibilitate excuteret, & inexpugnabili communiret pietate. *Adſerimus igitur ex Adami prævaricatione humanam naturam in corruptionem incidiſſe: cùmque animus noſter voluptatum carnis ac motuum inſitorum tyrannico dominatu premeretur, neceſſarium ad ſalutem fuiſſe nobis, qui in terris degimus, Dei Verbum hominem fieri; ut humanam carnem corruptioni obnoxiam & voluptatum cupiditate laborantem propriam faceret; & cùm vita ſit & vivificator, deſtrueret corruptionem quæ illam invaſerat, & inſitos motus ad concupiſcentiam & voluptatem pertrahentes compeſceret.* Dial. de Incar. Unig. p. 691. Tom. 5. part. 1.

Et rurſus idem Cyrillus: *Quemadmodum enim caro poſteaquam Verbi omnia vivificantis propria effecta eſt, mox omni mortis & corruptionis imperio ſuperior evaſit: Sic anima, ut ego quidem ſentio, poſteaquam illius effecta eſt qui peccatum non novit, è veſtigio ſtatum firmum & in omnibus bonis ſtabilem, peccatoque quod olim tyrannidem in nos exercebat, multis partibus potentiorem nacta eſt.* Altiſſimè igitur infixa eſt animæ aſſumptæ ſanctitas incommutabilis Deitatis, ut inſitam omni creaturæ mutabilitatem, & in bonum malumve propendens quaſi paribus momentis pondus anteverteret, bonoque inſeparabiliter aſtringeret. Nec enim è dignitate fuiſſet incarnati Verbi, ſi extrinſeco tantùm præſidio gratiæ quaſi circumexcubantis vallata fuiſſet humanitas adverſus peccatum, imbellis ipſa & exanguis enervíſque, inſitæque ignaviæ dedecus externis precariiſque munimentis defenſans. Sed inſeri illi penitiſſimè vim inexpugnabilis ſanctitatis operæ pretium fuit, & intimis inſpirari præcordiis invictiſſimam victricemque totius peccati juſtitiam, ut proprio, non mendicato vinceret robore; nec precario & aſcititio, ſed inteſtino ſuoque floreret honore. Deinde cùm mali lues intus ſerperet, lexque peccati, aut ſaltem mutabilitas ſinus penitiſſimos naturæ infeſtaret, quo externa ſubſidia, quo excubiæ circumpoſitæ? Altiùs infigi prævertique penitiùs incorruptibilitatem juſtitiæ increatæ opus fuit, ut eruptura immutabilitas præſecaretur.

L. de recta fide c. 18.

Cyrillo

IV. Ex Athanasio idem rursus. Orat. 1. contr. Ar.

Cyrillo hæc omnia præcinuit Athanasius: *Quum rerum conditarum natura convertibilis esset, aliique prævaricatione, alii inobedientia peccassent, neque in studiis ulla firmitas subsisteret, subinde bono in aliud mutato: adeò ut qui in præsentia esset justus, paulò post talis non appareret; ideo inconvertibilis natura requirebatur, quo homines immutabilem Verbi justitiam pro formula & exemplari ad virtutem capessendam haberent. Primo enim homine mutato, & morte per peccatum in mundum introgressa, necesse omnino fuit secundum Adam immutabilem esse, quo si denuo serpens eum invaderet, impostura illius vim nullam aut efficaciam haberet. Ideo enim serpens in conatibus suis elanguescit, & viribus destituitur, quia Dominus est inconvertibilis & inalterabilis.* Hic ergo scopus incarnandi, hic fructus incarnati Verbi fuit singularis, ut naturæ per mutabilitatem innatam jam collapsæ, ne collabi rursus conterique post aliqualem restaurationem posset, inspiraretur sanctitas incommutabilis, seu Deitas Verbi. Et rursum: *Si verbo edixisset Deus, & ita maledictio aboleretur, imperantis quidem potentia in conspicuo pateret, homo tamen ejusmodi effectus fuisset qualis Adam ante prævaricationem, extrinsecus accipiens gratiam, non autem eam suo corpori adglutinatam tenens.* Anxiè laborat hic sanctus Pater, ne gratia medicatrix extrorsum admoveatur, sed ut adglutinetur infundaturque penitissimè, altiùsque irrepat, quàm perrepserat morbus. Impeccabilitas ergo Christi, quæ naturæ totius medicina fuit, non ab circumfuso auxiliorum divinorum munimine repetenda est, sed ab intima sanctitatis divinæ forma, cui tam pugnabat peccare, quàm luci caligare, aut igni frigere.

Orat. 3. (margin, beside "Verbi. Et rursum")

V. Ex Origene. L. 2. de Princip. c. 6.

His præeuntibus fidei Catholicæ antesignanis, jam tutum erit Origenem illis valdè assentientem producere: *Ferri metallum capax est frigoris & caloris. Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris omnibusque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus hanc quæ natura quidem ferri massa est, in igne positam & indesinenter ardentem posse frigus aliquando recipere. Quin imò quod verius est, magis eam sicut in fornacibus sæpè fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur; sed & si quis contingere atque tractare tentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit Deus est; & ideo nec convertibilis & mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Dei Verbi unitate indesinenter ignita possedit.* Ut ferrum ignem venis omnibus ita combibit, ut frigere nequaquam possit, quin ignis propemodum efficitur; ita anima Christi ita medullitus pervasa est igne Deitatis, ut inconvertibilitatem & omnimodam impeccantiam induerit, hoc est, sanctitatem inviolabilem.

VI. Ex Basilio. Constit. Monast. c. 4.

Succinit & Basilius: *Quæ igitur vita fuit liberatoris nostri? Peccatum quidem non fecit. Qui enim à peccato vinci justitia potuisset? Aut quo pacto veritatem vanitas superasset? Quave ratione infirmitati virtus debellata cessisset? Aut postremo quomodo quod nihil est, de eo quod est, victoriam reportasset? Semper est enim Deus: quippe cujus natura neque originem habeat, neque finem unquam sit admissura.* Si Christus homo exors peccati est, quia nec justitia peccato, nec vanitati veritas, nec firmitas infirmitati cedere usquam aut servire potest: ergo Christus, qua homo, confunditur & commiscetur unumque fit cum justitia, & veritate, atque firmitate, seu inconvertibilitate divina.

Utque rursus ad Latinos me referam, Fulgentius præclarè in hæc verba: *Dei Filius Verbum & sapientia Patris, ipse est salus, &c. Ipse virtus & sapientia, &c. His nominibus incommutabilis atque impassibilis invenitur. Ægrotare non potest salus, infirmari non novit virtus, nescit saturitas esurire, via nequit errare, sapientia non mutatur, vita non moritur, lumen non extinguitur, nec veritas depravatur, nescit tristari lætitia, Deitas non potest superari. Propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non novit.* Impeccantia ergo divina seu sanctitas incommutabilis imprimitur etiam humanitati assumptæ.

VII. Ex Fulgentio. l. 3. Ad Trasim. c. 29.

VIII. Deificatur humanitas ergo divina sanctitate inebriatur.

Declaratur 8. ex Deificatione humanitatis; ita enim illa commiscetur & fermentatur quodammodo cum Deitate, ut deificetur, hoc est, ut fiat θεός, & ὁμόθεος. Deitas autem quid nisi justitia immarcessibilis, & incontaminabilis sanctitas? Ergo humanitas cum deificatur, impeccabilis eo fit, quòd unum fit cum sanctitate increata. Hinc porrò est quod cum verè deificetur, in Dei modum sanctificetur, id est, summa statim totaque perfundatur sanctitate, ut nullo vel decremento minui, vel augmento crescere posthac possit. Creata enim quantalibet justitia, & deficere potest, & proficere, nisi fluxum ejus restringat Deus. At divina sanctitas cumulatissimè & indefectibiliter plena est, cumque nullo deficiat, non potest proficere: cumque nusquam profecerit, non potest deficere; & ideo defectus profectusque impatiens, quia incommutabilis. At Christus homo sanctitate nec crevit, nec decrevit unquam, ergo in summo incommutabilis justitiæ vertice consedit ejus anima, verè Deificata, verè consterta cum Deo, verè fermentata cum incommutabili sanctitate.

Hinc rursus ut verè Deificata, & divinis informata moribus Christi anima, sapientia & gratia ita crevit, ut Deum crevisse decuerit; non incrementis quæ ipsa perciperet, sed documentis quæ exhiberet. Non crescit Dei sanctitas, etsi sanctiora in dies nobis commonefaciendis edat opera; ita nec Christi augescebat sanctitas, etsi experimenta quotidie ampliora sanctitatis promeret. Incommutabiliter mutabilia operari, hoc verò Deitatis ingenium est. Divina ergo & increata erat sanctitas animæ Christi, quæ incrementa addebat aliis, ipsa nesciebat: & proficiendi nescia, omnium profectus dispensabat.

IX. Ex Nazianzeno. Orat. 38.

Nazianzenus: *Conceptus quidem ex Virgine, &c. Progressus autem Deus cum humanitate, unum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum ac spiritu, quorum alterum deificavit, alterum deificatum est. O novam mixtionem! o incredibilem temperationem! ὢ τῆς καινῆς μίξεως, ὢ τῆς παραδόξου κράσεως.* Advertis ut fermentari commiscerique Deitatem cum humanitate asserat, & eo hanc deificari. Et rursus: *Corpus enim honore afficit, quandoquidem hoc etiam θεώσει θεός, deificatione Deus.* Quanto potiùs anima Deus fit? Et denuò: *Perfectus autem non modò propter divinitatem, qua nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem unctam Deitate, idemque effectam quod id à quo uncta est, atque ut audacter loquar ὁμόθεον, id est, simul Deum.* Christum victimam hic commendat expertem maculæ, seu peccati; hanc autem à quolibet peccato alienationem accersit ab eo, quod humanitas sit Deificata, id est, ὁμόθεος, simul Deus, adeoque simul justitia, & sanctitas, & veritas, hoc enim Deus est. Et rursum: *Si lutum seu corpus fermentatum est, ac nova conspersio extitit; imago ipsa id est anima, non fermentabitur & cum Deo temperabitur, per divinitatem deificata?* Quod ut ad impartiendam animæ impeccabilitatem divinam pertinere intelligas, præmiserat ille hæc ibidem verba: *Si quod deterius est, assumptum est, ut per incarnationem sanctificetur; annon quod præstantius est assumetur, ut per*

Orat. 39. Orat. 42. Orat. 51.

ut per inhumanationem sanctificetur? Sanctitatem ergo humanitati irrigari docet per deificationem, per fermentationem cum Deitate, per commixtionem & commacerationem quandam cum divina sanctitate. Nec suspicari autem possum, quæ hinc humanitati accedat sanctitas, nisi divina. Quo enim illa μίξις, κρᾶσις, ζύμωσις, θέωσις, Mixtio, Concretio, Fermentatio, Deificatio, & quo tanta verborum pompa, si creata tantùm sanctitas hìc homini Christo aspergitur?

X. Ex Athanasio. Orat. 4. contra Arianos. Athanasius hæc eadem senserat: *Christus Dei virtus & Dei sapientia. Quem quæso sapientia profectum cepit? Homines certè, neque id mirum, cum ex numero creaturarum sint, extendi aliquo modo ampliarique & progressus facere in virtute possunt. Contra vero Filius ejus qui solus est Deus, qui quæso habere potuit, quò ulterius porrigeretur, &c. Corporis igitur erat proficere, quo proficiente profecit in eo exhibitio Deitatis coram illis qui ipsum videbant. Quanto autem magis divinitas revelabatur, tanto pleniùs gratia crescebat, hominis apud homines.* Sapientia sanctitasque ipsa sibi nec ampliatur usquam, nec exteritur, quia immutabiliter summa est; sed omnium incrementa per eam vel ostentantem se, vel occultantem rursus dispensantur. Istiusmodi erat Christi hominis sanctitas; ut quæ non aliter cresceret, quàm cùm per ejus opera in dies splendidiora crescerent homines. Ergo anima Christi germanitus Deificata, & sanctitate defectus profectusque impatiente imbuta erat. Unde ibidem Athanasius: *Non sapientia, quatenus sapientia est, progressus fecit; sed humanitas in sapientia profecit, transcendens paulatim humanam naturam, Deificata nimirum, & organum sapientiæ facta ad energiam Deitatis, ejusque splendorem in omnibus declarans.* Profectus ergo humanitatis Deificatæ non alius fuit, quàm ut per ejus opera subinde admirabiliora Deitas eluceret hominibus. Sed quia hìc Deificationis rationem aliam indigitavit nobis Athanasius, quatenus organum Deitatis fit humanitas, æquum est & huic elucidandæ nos aliquantulum immorari.

IX. Humanitas est instrumentũ Verbi conjunctum, ergo sanctitate pollet increata. Declaratur 9. Forma ipsa increatæ sanctitatis animam Christi fulgere, eo quòd instrumentum esset Deitatis, & sapientiæ, & Verbi, & Artis artium, ac proinde expers & immunis ab omni errandi peccandive suspicione. Nam duplici jam subsidio fulcitur adversus omnia lapsus discrimina, munimine nimirum Deitatis regentis, & ejusdem vita vegetantis. 1. Instrumentum enim Deitatis humanitas est istiusmodi, ut non extrinsecus tractetur, agaturque tantùm, sed introrsum formetur etiam, inspireturque afflatu vitaque ipsa principalis agentis. Id genus corporis instrumentum est manus, & corpus ipsum animæ, non extrinseco impulsu, sed intestina ejusdem vitæ, formæque substantivæ inspiratione. Ad hunc modum cùm anima Christi atque caro, propria fit Verbi anima & Verbi caro, à Verboque agatur ad inculpatas quaslibet actiones: non forinsecus tantùm velut advigilante ejus moderamine, sed ipsa penetralia vegetante incommutabili ejus sanctitate formatur agiturque. 2. Gestatur enim agiturque humanitas, non ad aliquantulæ, aut quantæcumque justitiæ edenda exempla, sed ad summæ & absolutissimæ & planè divinæ, & quam imitari non graventur homines imagine Dei insignes, ideòque soli Deo imitando naturæ suæ præcellentia addicti. At nisi sanctitate divina intus foveatur, qui ad peragenda divinæ justitiæ documenta poterit adaptari? An foris promet, quò intus erit vacua? An simulabit decus, quo orba erit? An humana cùm polleat sanctitate, divinam ostentabit? An gestis suis plus addet justitiæ, quàm ipsa obtineat? An imponet hominibus, & divinam sanctitatem imitari gestientibus, dicta factaque in exemplum obtendet humanæ justitiæ fuco adumbrata? 3. Denique cum humanitas semel assumpta à Verbo, jam Verbi natura sit, nec agat quidquam nisi agatur à Verbo, refundanturque in personam Verbi Dei & nomen quæcumque ab ea proficiscuntur gesta, dicta, sensa: infinita quadam sanctitudine necesse est & ipsam intus inebriari, & ejus omnia permadefieri, ut Verbo citra contumeliam adscribi queant. Nam quæ per quancumque demum naturam, Verbi propria erunt verba, facta, consilia, ea nisi introrsum scateant sanctimonia quadam infinita, & tanta, quanta Deum addeceat, his Verbum Deus dehonestabitur. Instrumento ergo suo sibique conjunctissimo indit insufflatque Verbi Deitas eandem ipsam sanctitatem divinam & incommutabilem, qua ipsa pollet.

Epiphanius in Ancorato: *Quis est adeo temerarius, ut asserat ex eo quod Salvator carnem induerit, carnis illecebris adductum, &c. Quippè Deus Verbum cælitus à Patre descendens, ac carnem de sua voluntate suscipiens, corpus suum velut quodam fræno regebat, & ab inutili omni carnis actione, prout vellet, cohibere poterat: atque ubi liberum erat, liberè ferri permittebat, ad eas dumtaxat corporis necessitates, quæ rationi convenientes, ac suæ divinitati consentaneæ viderentur. Mente verò reapse præditus, ut & cæteris humanæ naturæ partibus, non in rationis expertes cupiditates committebat se; nec ea quæ carnis propria sunt perinde ac nos, aut agebat, aut animo cogitabat: sed sic tanquam Deus in vera carne, anima, mente, & cum toto velut hominis instrumento inter homines degens, ac cælitus à Patre procedens, subsistensque Dei Verbum.* Peccant cæteri homines, & carnis, & mentis corruptela non dispari; neutro Christus aut peccavit, aut verò peccare potuit, quia utroque utebatur ut instrumento, & pro sua dignitate utroque ad omnia potiebatur omnipotens & incommutabilis Verbi Dei sapientia. Quippè par est eadem refulgescat sanctitate Verbum, seu seorsim per se, seu per instrumenta quæpiam quodvis moliatur. Nec Verbi sanctitatem his ejus instrumentis extrorsum affore suspiceris. Sunt enim hæc instrumenta non casu oblata, non correpta obiter, & protinus abiicienda, sed conserta, concretaque ipsi, & in unum cum eo substantivè conflata, & quod inde palam est consequi, eodem vitæ & sanctitatis immortali vigore fermentata. Unde ibidem Epiphanius: *Si sursum imperfectus est, infra quoque imperfectus erit. Si sursum perfectus, infra quoque erit perfectus. Nec in alio quoquam perfecto habitavit, sed in seipso omnia perfecit.* Et paucis interjectis: *Idem Deus & Homo, nihil confusum præstitit, sed ambo commiscuit in unum. Ita non in nihilum abiit, sed terrenum corpus divinitate confirmans, in unam vim adunavit, in unam divinitatem adduxit, unus existens Dominus, unus Christus.* Audis hominem commixtum Deo, in eandem vim, in eandem Deitatem, adeoque in eandem impeccabilitatem conflatum esse.

XII. Ex Epiphanio. c. 79.

Ibid. c. 80.

Cyrillus similiter: *Quia facta est anima ejus, qui peccare nescit, firmum deinceps atque immutabilem in omni bono statum habet, & peccato quod antea imperium obtinebat, incomparabiliter validiorem, &c. Usus autem est velut instrumento, propria quidem carne ad carnis opera, & naturales morbos, & quæcumque reprehensione carent; & rursus etiam propria anima, ad humanas & vitii expertes affectiones.* En auxilia, quibus impeccabilitas Christo homini adseritur; quod incommutabilem statum & firmitatem sua cum Verbo coagulatione adipiscatur, quodque Verbi Dei sit instrumentum.

XIII. Ex Cyrillo, Dial. de Inc. unigen.

Theodorus Abucara: *Deus Verbum assumpta natura humanitatis perfecta, usus est libera ejus voluntate, & sensibus, & naturalibus potentiis omnibus convenienter naturæ, & ut oportebat, ac secundum voluntatem Dei, atque ita vicit diabolum.* Et paulò infra:

XIV. Ex Theodoro Abucara. Opusculo 7.

infrà: *Sicut non dicitur mens tua, aut pes, aut manus moveri, tu enim es qui mentem tuam, ac membra, ac potentias moves & moderaris, sicut vis; sic Deus Verbum ipse erat, qui propriam mentem humanam, & sensus naturales, habitus ac potentias movebat, & gubernabat, ut volebat.* Deus Verbum sic mentem humanam, sic animam corpusque movebat, ut suam unusquilibet homo mentem movet animamque & corpus: at hic motus non extrinsecus imprimitur, sed permanante introrsum vi intima & vitali inspiratione.

XV. Ex Leo Magno Epist. 11. E Latinis Leo Magnus: *Nihil enim carnis suæ habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.* Ut impeccabilis usquequaque fuerit Christus homo, id consequutus ex *moderamine Deitatis & mentis*. Deitas enim mentem, mens reliqua moderabatur omnia sanctissimè. At nisi Deitas ipsam indeclinabili sanctitate armasset priùs mentem, non satis idoneam habuisset adgubernandæ reliquæ humanitatis administram. Deinde cùm per mentem actus humanitatis regeret omnes, quos ut Verbi jam actus conspergi decebat divina sanctitudinis fragrantia, mentem utique priùs ipsam eadem sanctitate infici æquum erat.

XVI. Ex Augustino. L. 13. de Trin. c. 18. Augustinus: *Hoc ita gestum est, ut homo non glorietur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Qui enim victus est, homo tantùm erat; & ideo victus est, quia superbè Deus esse cupiebat. Qui autem vicit, & homo erat, & Deus; & ideo sic vicit natus ex virgine, quia Deus humiliter, non quomodo alios sanctos regebat illum hominem, sed gerebat.* Prostratus fuerat per peccatum homo, quia homo, hoc est mutabilis, & à bono in malum versatilis. Si sublevasset illum victor homo quispiam alius, ab eadem rursus mutabilitate idem iteratus lapsus, & à superbia casus gravior imminebat. Redintegrandi ergo fuimus per Deum Hominem, ut homo commodatitia utens divinæ sanctitatis immutabilitate, hac & quia immutabili tutam à lapsu, & quia commodatitia securam à fastu sibi nobisque spem & victoriam excitaret. Vicit planè Deus per hominem, quem non ut alios regebat, quasi extrinsecus, sed gerebat, sed implebat, formabatque ut suum, ut seipsum.

XVII. Ex Bernardo. Feria 4. hebd pœnosæ. Bernardus: *Hoc autem Verbum quia carnem purissimam & animam sanctissimam unierat sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui, tum quia sapientia & justitia erat, tum quia nullam prorsus habebat legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ.* Planè corpus justitiæ incommutabilis, anima sanctitatis incorruptæ, id est, Verbi, extra omnem aleam peccandi in tuto est, quia sic justitiæ vita pervaditur, ut animæ vita corpus irrigatur.

XVIII. Ut corpus animæ, ita mens humana Christi adglutinatur Verbo: ab eoque agitur, hoc est, à sanctitate & veritate. Hinc sequitur effusio sanctitatis increatæ in eam. Declaratur 10. Christi hominis impeccabilitas, profecta maximè ex infusa humanitati sanctitate divina. Etsi mens quolibet in homine mero principatum teneat, in Christo tamen secundas agebat partes, primas suo sibi jure & ineluctabili potestate Deo Verbo vindicante. Unum erat igitur in Christo ἡγεμονικόν, unum caput princepsque & dux ad omnia, Verbum, ineluctabiliter & mentem & reliqua hominis universa suo nutu suisque legibus agens & administrans. Quia enim æterna & indeclinabili lege, meliora imperant, serviunt infirmiora: qua lege famulatur corpus animæ, anima rationi, ratio menti: ea ipsa mens subjugatur veritati & justitiæ. Suo quippè ingenio propriæque naturæ spontè agitatur corpus, eùm nulli servit animæ; & anima sentiens sibi dux & arbitra est ipsa, cùm rationi mentive non accedit: & mens cùm sua sibi separatim est, suo se nutu imperioque regit. At cùm hæc omnia substantivo nexu ad superiores religantur subiguntur que naturas, jam superiorum legibus nutibusque vivunt. Igitur cùm in Christo ita mens singulariter adglutinata mancipataque fuerit veritati, ut alibi passim corpus animæ, anima rationi: unum est in eo ἡγεμονικόν veritas, principatuque & imperio veritatis tota agitur mens, mentique contexta humanitas. Quàm non potest ergo ab æquitatis orbita delirare veritas, tam non potest peccare assuta veritati humanitas. Quàm non potest à seipsa deviare, à seque divelli veritas, tam non potest à veritate deflectere affixa veritati humanitas. Sed observanda cum primis hìc est ea & animæ in corpus, & rationis in animam, & mentis in rationem insinuatio penitissima, & naturæ cujuslibet superioris in inferiorem sibi subligatam, ex qua id consequitur, ut primatus regnumque penes superiorem solam invalescat. Nec enim superior in morem exterorum hostium, obsidione vallat, expugnatque inferiorem, & sibi subiicit reluctantem: blanditiis grassatur, amando debellat, insinuat se, infunditque penetralibus, se suasque opes omnes inferiori infundit, priùsque se illi adjicit totam, quàm illam sibi subjiciat. Similiter ergo ut veritas & justitia sempiterna humanitatis assumptæ fieret ἡγεμονικόν, hunc sibi principatum se tota emercari debuit; seque illi antè totam impendere, suam sanctitatem, suam justitiam, sua omnia, quàm parta potiretur ditione. Utque paulò altiùs in adyta legis æternæ ultro aperientis se nobis invitantisque, caput oculosque inferamus, hoc ideò cautum est, ut imperium superioris naturæ in inferiorem, tantò superiori sit honorificentius, quantò compendiosius inferiori; & tantò ad perennitatem constantius, quantò accommodatius libertati. Est enim breve quod violentum; nec cuiquam decorum est alterius contumelia honestari & imperare. Quamobrem quia mollissimis commissuris constat naturæ contextus universæ, & amicitiæ maximè glutino vinciuntur omnia; ut anima in corpus, ut ratio in animam, ut mens in rationem, ut veritas in mentem principatum sibi pararet, quo inferiori prodesset servitus, satagendum fuit. Ideò inferior superiori naturæ & superior inferiori ita commiscenda inconfusè, ita fermentanda fuit, & in unum conflanda, ut si regnat forma superior, superiori regnatrice imbuatur natura inferior: si servit inferior, non alii serviat quàm sibi, cum superiori commixtæ: si subjugat inferiorem superior, priùs se subjugandæ infuderit: si ascribitur in censum superioris inferior, in ejus quoque substantiam & ornamenta omnia adscribatur; si jus & authoritatem inferioris devorat superior, consors & collega accedat inferior; denique æqua reciprocatione, ut inferioris substantiam superior pervadit dominandam, ita superioris substantiam inferior invadat participandam.

Eleganter hoc edisserit Gregorius Nazianzenus; *Quocirca mens nostra perfecta illa quidem est,* ἡγεμονικόν, *id est, principatum tenet; verùm in animam & corpus non autem simpliciter perfecta; Dei verò serva & subdita est, non* συνηγεμονικόν, *id est, principatus socia, nec pari potestate prædita. Quandoquidem, &c. & stellæ noctem illustrant, à Sole autem occultantur, ita ut interdiu ne eas quidem esse agnosci possit; & exigua lucerna magno incendio adjuncta, nec extinguitur, nec apparet, nec disjungitur, sed totum illud incendium est, superante nimirum eo quod præstantius est.* XIX. Ex Nazianzeno. Orat. 51. Ne discerpantur naturæ, naturarumque plurium in unum aliquid contextarum compages, unum in uno quolibet ἡγεμονικόν, unum caput ducemque reliquis præstitui & imperare necesse est. Reliquorum igitur principatus sit penes mentem, mentis penes Deum; ideoque Christi caput sit Deus, mentis in Christo ἡγεμονικόν sit veritas. At quoties ad hunc modum superabit natura præstantior, & sub jugum aget inferio-

inferiores, cùm ipsarum solatio & emolumento conjunctam esse velit authoritatem suam. Ita enim principatur diei lux Solis, non quo stellarum lumina extinguat, sed se illis commisceat, ut non tam hebetentur sidera, quàm & sua & Solis mutuatitia luce diem pariter accendant, & cum Sole regnent. Ita si ingenti incendio facula accedat, non hæc obscuratur, sed magis magisque resplendet, & incendii non dispar portio fit. Ita rivulus flumini illapsus in ejus nomen jusque devolvitur, sed in ejus amplitudinis gloriam famamque coaptatur. Ita denique omnis natura inferior superiori & cum compendio suo perit, & cum libertatis incremento famulatur.

XX. Ex Athanasio, vel Maximo potiùs Martyre. Dialog. 4. Nec à Nazianzeno multùm discrepat author Dialogorum de Trinitate apud Athanasium: ubi objectanti hæretico, *Duo igitur in corpore illo fuerunt ἡγεμονικὰ, id est, cæteris imperantia, nempe Deus sermo & humana mens*: respondet orthodoxus: *Nequaquam, sed ipse sermo menti ἡγεμονεύει, id est, imperat. Sicut lana albedo colore purpuræ tincta, non est bicolor, sed unicolor: ita mens coruscans & deificata, est unum quiddam, neque sunt duo ἡγεμονικὰ. Neque enim aliud quidem vult mens, aliud Sermo: sed sicut musicus & instrumentum non sunt duo musici: ita Deus sermo & mens humana non sunt duo ἡγεμονικὰ. Utitur enim Sermo humana mente tanquam instrumento*. Rursusque excipiente Appollinarista, *sed musici instrumentum est mentis expers*, reponit Catholicus, *sed & musicus est mortalis: hic vero sermo qui immortalis est, mente utitur ut instrumento. Et sicut mens in nobis utitur corpore, ut instrumento, ad ea quæ corporis opera efficiuntur: ita illic sermo utitur mente, ut instrumento, ad ea quæ mente efficiuntur*. Aureolus locus hic est, & accuratiùs paulò evolvendus. Ac primò quidem ut efficiat unum in Christo esse ἡγεμονικὸν, duplicem adhibet comparationem: lanæ albæ quam purpura, & lyræ quam musicus corripit. Nam musicus lyram ut instrumentum occupat pulsatque, seque operis totius principem & ducem plus satis prodit. At non lyræ incorporatur lyricen. Ergo succurrat majestas purpuræ, quæ lanam albam ita inficit, ita subigit, ita sibi subjugat, ut dominetur purpura, consorsque dominii purpuræ coalescat albedo. Deinde quia proclive est imaginari unum esse ἡγεμονικὸν, cùm lyram tractat musicus, lyra enim sua se agere sponte apta nata non est: at non perinde pronum est sibi fingere, qui mens quæ essentialiter dominatrix vis quædam est & imperatoria, fiat superioris causæ instrumentum, & spontaneum mancipium. Occurit hæsitationi præfatus author, & a pari, vel à minori ad majus argumentatur: si anima enim sentiens corporea & mortalis mortale corpus subagitare, & præter corporis naturam sursum, antrorsum, retrorsum & quaquaversum impellere in suos usus prævalet, eique ut instrumento valdè morigero ἡγεμονικῷ se præbere: si rursum animæ sentienti quæ non inglorio jam exultabat in corpoream naturam dominio, & τὸ ἡγεμονικοῦ gloriam degustaverat, potest anima rationalis præesse, & veluti instrumento imperitare, vimque suam indeclinabiliter dominatricem in ejus medullas inspirare; quantò omnipotentiùs mentem ipsam etsi natura sua ἡγεμονικὴν, reginamque naturarum inferiorum, & imperatricis tenacissimam generositatis, æterna veritas & justitia sibi subjicier, & ineluctabili dominatu continebit? Veritas enim menti præcellentiùs eminet, quàm mens corpori: creatrix est enim veritas mentis, non mens corporis. Et mens non corpori tantùm, sed & mentis simulacro non ignobili seu facultati sentienti dominatur. Veritas ergo menti præpotentiùs & æquè substantivè dominabitur. Sed & mens veritatis vim imperatricem naturamque combibere altiùs potest, quàm corpus mentis. An mentis enim potest vim & rationem sentire corpus? sed veritatis naturam atque potestatem intelligit hauritque totis visceribus mens. Ergo quamvis insitatius sit, proclivius tamen est, ut veritas menti physicè se conferat, eique ut instrumento conjuncto coalitoque principetur, quàm ut mens corpori.

Author Libri de sancta Trinitate ad calcem tom. VI. operum Cyrilli: *Anima Domini omni modo ad malum est immobilis, ut quæ ipsum Verbum Deum non secundùm affectionem, sed secundùm unionem in se habeat. Et illa quidem ἡγεμονίαν obibat corporis; ipsius autem Deus Verbum erat ἡγεμὼν, quem liberè sequebatur, & divinam illius voluntatem implere vel maximè desiderabat, ὡ τῆς ἁγιότητος ὑπερβάλλοντι, ob summam sanctitatis eminentiam*. Dux Princepsque Verbum in omnia est humanitati, quam sibi sequacem præstat divinæ sanctitatis perfusione. Et Cyrillus ipse: *Si unum dicis Filium & unam hypostasin Verbi incarnatam, non ipse erit divinitatis organum, sed utetur potiùs proprio corpore tanquam organo, ut nimirum ipsa hominis anima*. Ut animæ instrumentum corpus est, ita Verbi anima; ut igitur anima ad vitales operationes per corpus explicandas seipsam corpori ut vitæ formam implicat, ita Verbum ad intaminabilis sanctitatis opera per humanitatem exerenda, eidem se inserit ut incorruptæ sanctitatis vitam. Quia hoc est quod sexcenties commonuit Cyrillus, non sola operatione aut ἐνεργείᾳ copulari Verbum carni, atque ita velut extrinsecùs adesse. Adest enim operatione etiam, agitque humanitatem Deitas, sed medullitus adest, vel inest potiùs, inflatuque penitissimo substantivæ sanctitatis suæ eam agitat. XXI. Ex Cyrillo. L. 2. adv. Nesto.

Quin imò ne nutu quidem Verbi carnem agi ut diceretur, passus est Maximus Martyr æquo animo, ne qua hinc abrumpendi, aut laxandi ejus vinculi, quo arctissimo constat Christus, occasio arriperetur. Non tam enim nutu Verbi movetur caro, quàm Verbum ipsum carni infusum, se ipsum non sine carne sua quocumque movet. In Disputatione cum Pyrrho: *Pyr. Quid igitur? nonne nutu Verbi cum ipso copulati caro movebatur? Max. Dividis Christum cum sic loqueris. Nutu enim ejus movebantur Moyses & David, & quicumque fuerant idonei ad capiendam divinam operationem, depositis humanis & carnalibus proprietatibus. Nos verò qui sanctos Patres, sicut in omnibus, sic etiam hic sequimur, dicimus quod ipse Deus universorum factus homo sine mutatione, non solùm idem tanquam Deus convenienter divinitati suæ voluit; sed tanquam idem homo, ut humanitati suæ conveniebat, item voluit*. Erat ergo Deus Verbum & justitia incommutabilis volens voluntate humana, quia illam induerat ut suam; illam non regebat, sed gerebat; illi intimiùs intimo ejus se inseruerat; illi se substantialiter complicuerat. XXII. Ex Maximo Martyre.

Declaratur II. Ut altissima radix impeccantiæ & sanctitatis Christi effodiatur, pensitanda pressiùs sunt hæc ejus in carne verba, cùm amolire- tur à se sycophantarum criminationes, & quod hìc auspice ipso molimur, sanctitatis suæ patrocinia sursum aucuparetur. Apud Joannem, *Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera*. Hæc profectò altissima est radix innocentiæ & sanctitudinis. Verbum enim cùm Verbum sit Patris, nihil fari usquam, nihil operari potuit, nisi fante & operante per ipsum Patre. Et quæcumque per carnem mentemve & totam humanitatem assumptam facta dictaque explicuit Deus Verbum, ipse quidem per humanitatem, sed & per ipsum Pater ea explicuit. Erant ergo illa Verbi per carnem, Patris per Verbum sensa, dicta gestaque omnia. Id enim concep- tis verbis ipse contestatur in carne, *Pater in me manens, ipse facit opera*. Deinde humana facta in quæ dentem calumniatores Judæi infixerant, hoc uno purgabat potissimùm, quòd non tam sua essent hæc, quàm Patris opera, ut principis prin- XXIII. Quin & Pater ipse immanens in Verbo suo etiam incarnato, operatur omnia sanctissimè.

principiique cardinalis. Rursum non potest Verbum non esse alterius Verbum; non possunt Verbi opera non esse ejus opera, cujus Verbum est. Nam si substantia ipsa, planè & substantiæ germina, videlicet opera, à Patre sunt, & Patris sunt. Deinde non emortua languidaque substantia Verbum est, quæ in operationem pòst cieatur: sed operatio substantialis est & essentialis motio; ideoque semper dicitur & semper nascitur à Patre; & cum est in carne, gignitur in carne, ingigniturque carni à Patre; & cum operatur in carne & per carnem, ipsum ut operationem suam in carne & per carnem explicat; adeoque operatur Pater per Verbum suum in carne. Denique incarnatione Verbi nihil Patri decessit de paternis prærogativis. Ergo ut per Verbum necdum incarnatum, ita & per Verbum postea incarnatum operatur omnia Pater; & Verbi tam in carne quàm extra carnem omnia, Patris sunt opera.

Cæterùm ex his elucet longè uberrima & confirmatissima Christi hominis sanctitas, cum ejus carnem ipsi primario & abstrusissimo sanctitatis parenti fontique adglutinemus; cum ejus opera à summo cardine Deitatis resumamus. Sed illa pensitanda sunt studiosiùs verba, *Pater in me manens, ipse facit opera.* Manet enim Pater in Verbo, non utcumque, sed substantiæ identitate. Operatur ergo per Verbum Pater, dum vitam substantiamque suam operantem, vel operationem substantivam illi indit gignendo. Operatur ergo sanctissimè per carnem Verbum Deus, ut immanens, id est ut substantivè innexus infususque sanctitatis totius thesaurus. Aut si mavis operatur inculpatissimè sanctissimèque Pater per Verbum incarnatum, ut in eo manens, hoc est, ut substantivam suam sanctitatem & operationem, sanctamque & operantem substantiam illi indens, carnique ingignens.

Postremo quia ubi adest Pater & Filius, non abest Patris Filiique connexio Spiritus sanctus, non tantùm omnia per Verbum operatur Pater, sed per Verbum in Spiritu sancto. Quocirca & Verbi incarnati opera omnia à Patre sunt per Filium in Spiritu sancto. Quanquam ergo humanitatem sola gerat Verbi hypostasis, ob individuum tamen nexum Verbi cum Patre à quo procedit, & Spiritu sancto, qui ab ipso etiam procedit, Patri etiam ac Spiritui sancto ineffabiliter illa humanitas devincitur, & undecumque haurit inexhaustum pelagus sanctitatis.

XXIV. Ex Cyrillo, L. 9. in Evan. Jo, pag. 782.

Cyrillus Alexandrinus relata Christi verba in hanc nostram sententiam ita commentatur: *In me enim manens propter identitatem substantiæ, ipse facit opera. Nam cum una sit in Patre & Filio & Spiritu sancto, omnis sermo Patris, utique est per Filium in Spiritu: & omne opus sive miraculum per Filium in Spiritu agitur, tamen tanquam à Patre.* Et infrà statim: *Alius præterea sensus afferri potest, quem incarnationis ratio commode suppeditat. A meipso, inquit, non loquor, pro eo quod est, non seorsim, neque contra Dei ac Patris placitum. Quia enim in humana forma videntibus apparuit, idcirco Deitatis naturæ tribuit verba sua, tanquam in persona Patris, quin etiam & opera. Ac tantum non ait, ne hæc forma humana existimationem mihi convenientem ac debitam eripiat, neque nudi ac vobis similis unius alicujus hominis meos sermones esse putetis, sed verè divinos ipsique convenientes Patri, perinde ac mihi. Operatur enim in me manens, quippe sum in ipso, & ipse in me, &c. Per me enim loquitur, ut per suum Verbum; peragit verò & edit miracula, ut per suam rursus virtutem.* Hinc exploratum fit, quò pertineant illa Christi verba, nempe ad ejus in carne impeccabilitatis ab adversariis impetitæ patrocinium. Sicut enim impeccabile Verbum Deus est, quia per ipsum operatur Pater, sanctitatis & justitiæ & veritatis origo: ita & impeccabile est Verbum incarnatum, quia & per ipsum incarnatum omnia operatur idem Pater; & operatur Pater per Verbum, sive carnis priùs expers, sive carne postea vestitum, non extrorsum obversans, sed introrsum manens, sanctitatis & substantiæ suæ infusa identitate.

Idem Cyrillus Alexandrinus alibi hæc Christi verba perpendens, *Ego quæ placita sunt ei, facio semper:* hanc Christi impeccantiam non ex delectu, aut consultatione scatere affirmat, sed ex consubstantialitate Verbi cum Patre, ex voluntatis & operationis identitate. Germen enim naturæ Patris incommutabilis & incommutabiliter sanctæ cum sit Verbum, non potest spirare aut redolere, nisi quod à radice fugit. Sive igitur sine carne, sive cum carne operetur Verbum, hæc opera florum instar sunt, non tam ex ipso, quàm per ipsum de paterna radice erumpentium. Non potest autem non permanare incorruptæ sanctitatis succus ex stirpe in surculum floresque surculo adnascentes. *Non igitur quemadmodum nos ad placendum Deo ex praelectione impulsi, ita hæc loquitur unigenitus, sed velut propriæ naturæ legibus insistens, nihilque aliud cogitare, aut agere sciens, quàm quod in ejus qui genuit ipsum, voluntate positum est. Ecqui enim fieri omnino possit, ut consubstantialis & una Deitas ipsa contra seipsam dissideat? Etsi enim propriè & per seipsum subsistat Deus & Pater, similiter & Filius & Spiritus sanctus, tamen nusquam sancta atque consubstantialis Trinitas in partes distrahetur. Ad hæc illud etiam considerandum venit, nulla ratione Filium posse à naturali cum Patre identitate distrahi. Quia enim ei placita se facere confirmavit, ex hoc magis ei consubstantialis esse, & Deus ex Deo verus ac secundum naturam comperietur.* Audis ut impeccabilitatem Christi, ejus cum Patre consubstantialitati superstruat: ex ejusdem enim substantiæ à Patre in Filium propagatione fit, ut nec Pater nisi per Filium, nec Filius quidquam, nisi quod per ipsum Pater, operetur. At non potest Pater per Filium operari, quod sibi dissentiat. Et quia per incarnationem jus & authoritatem suam Pater non infregit, sed quodammodo ampliavit, per incarnatum Filium operatur Pater, nec operatur incarnatus Filius, nisi quæ per ipsum Pater: adeoque consubstantialis de stirpe patria Filius, etiam in carne non redolet, non spargit, nisi totam paternæ sanctitatis fragantiam. *Deus igitur Filius & ex Deo secundùm naturam peccati ac mutabilitatis nescio, nec exorbitante unquam ab eo quod ejus naturæ consonet. Ideoque cum placita Patri ubique se facere confitetur, nemo scandalizetur, neque minore loco quàm quo Pater est, ipsum esse putet. Sed piè potius sentiat ipsum ut Deum de Deo secundum naturam concedere cum suo genitore in idem velle & in idem operari; εἰς ταυτοβου, καὶ λιαν ταυτοεργιαν.* Planè ut florum odor & venustas non tam ex surculo, quàm ex radice per surculum affluit; ita operum Christi sanctitas incorrupta ex Patre per Verbum inhalabatur.

XXVI. Ex Leo Mag. Serm. 17. de Pass.

Leo Magnus: *Non ergo aberat à Patre Filius, nec à Filio Pater; & illa Deitas incommutabilis & inseparabilis Trinitas nihil sui poterat a se habere discretum. Quamvis enim susceptæ incarnationis dispensatio ad unigenitum Dei Filium, propriè pertineret, sic tamen Pater non abjungebatur à Filio, quemadmodum caro non dividebatur à Verbo.* Operabatur ergo Pater per Verbum, Verbum per carnem, atque ita Pater per carnem. Sed Pater per Verbum in Verbo manens, & Verbum per carnem in carne immanens, atque ita & Pater in carne manens; manens autem in carne Pater, non ut incarnatus, sed ut incarnans Filium: ut generans in carne Filium, ut denique sanctificans pariter generansque, ut docet veritas ipsa, *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.*

In

In edisserenda igitur Christi sanctitate, ut par fuit, à Spiritu sancto exorsi, per Filium in Patrem progressi, hìc tandem conquiescimus.

CAPUT VII.

Sanctitas increata Christi hominis ex eo, quod sit caput Ecclesiæ.

I. Capite plenitudo sanctitatis inesse debuit: ea non est nisi Deitas.

DEclaratur 12. Sanctitas Christi hominis, qua caput Ecclesiæ est, non creatæ tantùm gratiæ ornamentum esse aliquod, sed ab ipsa justitia & sanctitate divina proficisci.

Primò, igitur in capite plenitudo divinitatis insidet, & sanctitatis, cujus in membra singula portio dumtaxat aliqua derivatur. Quippe ut capiti animantis cujuslibet plenitudo inest vitæ, sensusque tum exterior quinquepartitus, tum exterioris stirps sensus interior, unde in corpus reliquum dimanat tenuis veluti rivulus, sola tangendi facultas: ita in Christo Ecclesiæ capite sedem fixit plenissima sanctitatis ubertas, ut inde artus cæteri suo quisque modulo irrigentur. At plenitudo sanctitatis non est nisi divina & increata sanctitas. Nam gratiæ creatæ quantalibet copia, inopia est, non plenitudo: rivulus est de fonte, non ipse fons: delibatio est de plenitudine, non ipsa plenitudo. Ecquod enim creatum est donum, quod non suo statim limite innatisque angustiis & egestate prematur? Deinde quod amplius excogitari potest naturæ divinæ decus, quàm ut plenitudo sit sanctitatis & primarium justitiæ domicilium, unde in omnia se diffundat? Sanctitas enim specialior est dos Deitatis; sanctitas quasi arcanum est adytum sinusque reconditissimus naturæ divinæ in seipsam refugæ, & à creaturarum contagio secretæ. Ergo plenitudo maximæ sanctitatis non erit nisi Deitas. Denique in caput velut in arcem corporis invasisse sedemque ibi suam fixisse potissimum videtur animæ vitæque substantia, ac in reliqua membra inde dumtaxat irradiare. Ideo quippe spiraculum vitæ in faciem Adæ inspiratum à Deo fuisse describit Moyses. Non quo animus mihi sit philosophicas movere lites, animæque substantiam in solum caput relegare: sed utcumque animæ substantia totum permeet corpus, capiti tamen ita principaliùs pleniusque incubat, ut reliqua inde omnia regere atque impellere ad vitæ munia videatur. Ergo in Christo ut in capite sanctitas substantiva & increata consedit: ut alii accidentali dumtaxat justitia veluti effulgescentia quadam illustrentur, illi substantia lucis ipsa & sanctitatis inhæreat.

II. Ex August. Epist. 57.

Augustinus: *Quid est ergo? Hoccine interesse arbitramur, inter caput & membra cætera, quod in quolibet, quamvis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta aut Apostolo, quamvis divinitas habitet, non tamen sicut in capite quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis? Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus, quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinquepartitus. Ibi enim & visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus. In cæteris autem solus est tactus.* Quid si sensus interior, qui propriè sensus est, qui solus per exteriores quasi administros sentit, quique in solo capite totus est, attendatur, quanta hinc eminebit capitis præcellentia? Quàm substantiva hinc in capite præ membris cæteris præsentia animæ? Quid autem illud est, nisi increata deitatis sanctitas, quæ ad gratias justis hominibus affusas, instar habeat sensus interioris ad exteriores compositi? Gratia enim nobis quasi extrinsecus appicta, Christo infixa medullitus est; nobis commodata & aliunde pendula, atque obnoxia, Christo interior est & propria.

De agone Christ. Cap. 20.

Quocirca idem Augustinus: *Quomodo ergo anima totum corpus nostrum animat & vivificat, sed in capite & vivendo sentit, & audiendo, & odorando, & gustando, & tangendo, in cæteris autem membris tangendo, tantum: & ideo capiti cuncta subjecta sunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum: quia ipsius animæ quæ consulit corpori, quodammodo personam sustinet caput, ibi enim omnes sensus apparent. Sic universo populo Sanctorum tanquam uni corpori caput est mediator Dei & Hominum homo Christus Jesus. Et propterea sapientia Dei & Verbum in principio per quod facta sunt omnia, non sic assumpsit illum hominem, ut cæteros sanctos, sed multo excellentiùs, multoque sublimiùs; quoniam ipsum solum assumi oportuit, in quo sapientia Dei Patris hominibus appareret, sicut eam visibiliter decebat ostendi. Quapropter aliter sunt sapientes cæteri homines, quicumque sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt: & aliter ille unus mediator Dei & Hominum homo Christus Jesus, qui sapientiæ ipsius per quam sapientes fiunt quicumque homines, non solum beneficium habet, sed etiam personam gerit.* Expressissimè ex eo quòd Christus caput sit Ecclesiæ, Deitate & sapientia increata formari ipsum commendat. Quippe caput non foret sine vitæ plenitudine: nec plenitudo vitæ foret, aut sapientiæ, nisi ex præsentia substantiva & personali Verbi. Eminet nimirum caput ad consulendum, totoque interiore sensu instruitur, qui consulat, velut intestinum oraculum. Et capiti ergo Ecclesiæ insidebit intimum justitiæ & veritatis oraculum, Verbum Dei, quo toti corpori consultatur.

III. Triplex Capitis munus minus belle obit, nisi infusa illi Sãctitas divina.

Secundò, triplex capitis in membra præcellit auctoritas; quod membra nectat, quod vivificet, quod regat. At munera hæc obire haud sufficeret Caput Ecclesiæ, nisi substantia ipsa sanctitatis divinæ communitum. Nam peccati labe dissipati usque adeo eramus, ut nisi invictissimo divinæ potestatis nexu recolligi nos posse spes nulla superesset. Confracto nimirum gratiæ vinculo, quo in primo generis nostri capite constringebamur, tenacius aliquod desiderabatur, & nulla mortalium vi dissipabile. Rursus vivificare non erat nisi ejus, qui vitam sanctitatis seu Spiritum sanctum spirat æternaliter, suoque illum in sinu spirat, & copularis sibi membris inspirat. Denique imperitare sanctis omnibus, creatæ sanctitati invidiosum magis, quàm magnificum foret. Solius enim Verbi est, qui unigenitus est, qui primogenitus, qui initium viarum Dei, qui principium, ut in omnibus primatum teneat. Ita sentire videtur

IV. Ex Chrys. Hom. 26. in Epist. 1. ad Corin.

Chrysostomus: *Dictus est Christus caput Ecclesiæ, &c. Oportet exactam accipere unionem, & causam, & principatum primum; neque hæc simpliciter, sed & hinc quod peculiariter præcellit, Deumque addecet, cogitare.* Tria capiti hæc demandat munia, ut nectat, ut agat, ut principetur, sed præstantissimè, & ut Deum decet, θεοπρεπῶς; ergo nisi Deitate non poterit Christus implere partes Capitis Ecclesiæ. Quanquam enim qua homo est, sit caput hominum; non tamen esset caput hominum, si merus esset homo. Sed caput hominum est, homo tota Deitatis sanctitate ut influat, potestate ut religet, authoritate & persona subnixus, ut imperet, & capitis munera defungatur θεοπρεπῶς.

V. Ex August.

Sed quod ad vinculum attinet quo devincienda sibi membra Ecclesiæ sunt, non aliud à Deitate Verbi esse, Christus exploratissimum fecit, *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Unum esse nos optat & optando præstat, non cum Deitate, sed in Deitate; in Patre & Filio. Unde Augustinus: *Vult esse suos unum* L. 4. de Trin. c. 9. *sed in ipso; quia in seipsis non possent, dissociati ab invicem, per diversas voluptates & cupiditates, & immunditias peccatorum; unde mundantur per mediatorem, ut sint in illo unum.*

Jam quantum ad causam vitæ & sanctitatis illigatam

VI. Ex Gregor. l. 2. Moral. c. ult.

tam Capiti, & inde membris aspirantem, Gregorius hanc esse substantiam Verbi ait, cujus est Spiritum sanctum spirare, suo fovere gremio, suis inspirare membris: *Mediator autem Dei & hominum homo Christus Jesus, in cunctis eum (nempe Spiritum sanctum) & semper & continuo habet præsentem, qui & ex illo idem Spiritus per substantiam profertur. Rectè ergo cùm in sanctis prædicatoribus maneat, in mediatore singulariter manere perhibetur: quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit; caput autem corporis usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur, & tangat: ita membra superni Capitis in quibusdam virtutibus emicant, ipsum vero Caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo Spiritus in illo manet, cui se ad votum substantialiter exhibet, & à quo per naturam nunquam recedit.* Christus ergo homo ut Caput Ecclesiæ sit, Spiritum sanctitatis substantialiter habet, & ideo habet, quia à verbo ipso Spiritus sanctus substantialiter profertur.

VII. Ex Irenæo, L. 3. c. 18.

Quod ad principatum denique capitis in membra, nec creatæ sanctitati adsignari illum potuisse, sed Verbo essentialiter principanti dicandum esse author est Irenæus: *Et Verbum homo universa in semetipsum recapitulans, uti sicut in supercælestibus & spiritalibus & invisibilibus princeps est Verbum Dei; sic & in visibilibus & corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum assumens, & apponens semetipsum caput Ecclesiæ.* Videlicet quod ait Paulus omnia in Christo recapitulata, & ipsum in omnibus primatum tenere. Caput igitur Ecclesiæ homo Christus est, quia principalis illi sanctitas & authoritas adglutinata est Verbi, primatum per omnia sibi vendicantis.

VIII. Idem efficitur ex præcellentia Capitis supra membra omnia.

Tertiò, in uno Capite Christo exuberat vitæ & sanctitatis copia plenior, quàm in omnibus membris simul coacervatis. Quin imò membrorum omnium gratia in unum velut cumulum congesta non est, nisi uti guttula è Christi velut Oceani cujusdam immensitate stillata. At hæc plane ventosa foret verborum ostentatio, si creata tantùm foret Christi Capitis sanctitas. Nulla enim creata sanctitas est vel capi potest, quam non collatæ in unum innumerabilium justorum gratiæ facilè adæquent, adeoque multis partibus superent. Nulla creata sanctitas est, è qua decerpta innumerabilium justorum gratia, guttulæ instar habeat. Ergo ne assentatoria laudum inanitate, Capiti nostro blandiamur, sanctitatem illi conciliemus generis ordinisque præstantioris, ut universa illi membrorum gloria ne conferri quidem, nedum æquari possit. Nam & animantis capiti plus inest vitæ incomparabiliter, quàm corpori reliquo, quia longè alio genere inest.

IX. Ex Etherio & Beato. L. 2. adversus Elipandum.

Etherius & Beatus: *Cùm sit caput & corpus una substantia, tamen multùm distat inter caput & corpus, cum tantum unum sensum habeat communem, & cæteros quatuor solum sibi vindicet caput. Multùm ergo distat inter Christum hominem & omnem omnino sanctorum multitudinem quæ de Adam ducit originem. Cum omnibus virtutibus soli homini Christo non poterit æquari aut comparari totus ille exercitus.*

X. Ex Chrysost. In Psa. 44.

Chrysostomus: *Speciosus forma præ filiis hominum. Significans gratiam, sapientiam, doctrinam, miracula, &c. Omnis enim gratia effusa est in illud templum. Non dat enim illi Spiritum in mensura. Nos enim de ejus plenitudine accepimus; illud autem templum integram & universam accepit gratiam. Hoc Esaias quoque significans dicebat, Requiescet super ipsum Spiritus sapientiæ, &c. Sed illic quidem est integra & universa gratia; in hominibus autem parum quid & gutta ex illa gratia. Propterea non dixit, Do Spiritum, sed, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, &c. Quantum terræ Sol respicit, tantum pervasit hæc gratia; & hæc gutta ac stilla Spiritus implevit universum orbem terrarum scientia. Per eam signa fiebant, omnium peccata solvebantur. Gratia tamen quæ data est in tot regionibus, est aliqua tantum pars & arrha doni. Dans enim, inquit Apostolus, arrham Spiritus in cordibus nostris, hoc est, partem operationis, &c. Tot gratias in tot gentes quæ in baptismo suscepta est gratia in universum terrarum orbem extendit. Hæc autem omnia facit stilla Spiritus. Quod enim stilla esset, declaravit cum dixit, Effundam de Spiritu meo: & cum arrham appellavit. Per hoc enim clarum est, parum quid ex toto datum esse. Quocirca Joannes quoque dicebat, Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus; ex eo quod, ut ita dixerim, superfluebat, ex eo quod redundabat, ex eo quod supereffundebatur, omnes accepimus.* Non laus hæc foret, sed importuna & intemperans jactatio, si creata tantùm gratia in Christi Capitis nostri labiis refusa esset. An enim creatæ alicujus dotis stilla & arrha est, quæ totum in orbem tanta largitate exundat?

XI. Caput Ecclesiæ non esset, si merus homo esset Christus. Huic nomini consentanea nō est sanctitas nisi divina. Epist. 57.

Quartò, exors esset à Capitis dignitate Christus homo, nisi idem Deus esset. Quantavis enim abundarent illi gratiæ & sanctitatis creatæ decora & ornamenta, in membrorum numero esset, non in vertice. Est igitur Caput Ecclesiæ ut homo, nec tamen Caput Ecclesiæ foret, nisi esset Deus & homo.

Augustinus præter memoratum antea discrimen capitis & membrorum, quòd non æquè in membris hospitetur omnis plenitudo divinitatis atque in Capite; alterum hoc superaddit, quòd Caput una sit cum Verbo persona. *An etiam præter hoc quod tanquam in templo in illo corpore habitat omnis plenitudo divinitatis, est aliud quod intersit inter illud caput & cujuslibet membri excellentiam? Est planè, quod singulari quadam susceptione hominis illius una facta est persona cum Verbo, &c. Singularis est ergo illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis quantalibet sapientia & sanctitate præstantibus ullo modo potest esse communis.*

De agone Christ. c. 20.

Et idem alibi Augustinus: *Aliud est enim sapientem tantùm fieri per sapientiam Dei, & aliud est ipsam personam sustinere sapientiæ Dei. Quamvis enim eadem natura sit corporis Ecclesiæ, multum tamen distare inter Caput & membra cætera quis non intelligat? Si enim Ecclesiæ Caput est homo ille, cujus susceptione Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, membra cætera sunt omnes Sancti, quibus perficitur & completur Ecclesia.* Perspicuum hinc efficitur, conciliari Christo nomen Capitis, non gratiæ creatæ beneficio, sed substantiva plenitudine Deitatis, & increatæ sanctitatis atque sapientiæ persona; & illam ipsam plenitudinem Deitatis, qua Caput constituitur, manare ex eo quòd personam sustineat Deitatis. Nam & capiti animantis cujuscumque infundit se plenitudo animæ, quia caput sustinet personam animæ. Augustinus ibidem: *Quia ipsius animæ quæ consulit corpori, quodammodo personam sustinet caput, ibi enim omnes sensus apparent.* Sanctificatur igitur Christus homo ut Caput, hoc est ut persona ipsa sanctitatis & sapientiæ: nos ut membra, id est ut afflatu sapientiæ illuminati. Idem ibidem: *Quapropter aliter sunt sapientes cæteri homines, quicumque sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt: & aliter ille unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui sapientiæ ipsius per quam sapientes fiunt quicumque homines, non solùm beneficium habet, sed etiam personam gerit.* Et alibi: *Fortè putat quispiam vestrum, quia homo ille susceptus à sapientia Dei, æqualis erat cæteris hominibus, &c. Si tanta est excellentia capitis ad cætera membra, quanta excellentia est Capitis universæ Ecclesiæ, id est illius hominis quem voluit Deus mediatorem esse inter Deum & homines?* Etenim quò plurium membrorum, quò nobilioris corporis caput est, hoc circumfluere & honestari debet ampliori glo-

Enarr. in Psal. 29.

ria;

ria; universæ igitur Ecclesiæ seu omnium creaturarum Caput esse non poterat, nisi quem supra totius creaturæ fastigium personæ divinæ amplitudo evexisset. Et idem alibi: *Quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, in forma Dei, & Deo æqualis, & Deus præbet exemplum: ut se idem exemplum redeundi etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum, pœnamque mortalitatis Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit, &c. & venit ad nos, &c. ut exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse primatum tenens.* Quo Augustini testimonio constat, creaturis maximè intellectualibus caput, seu ad exemplum, seu ad influxum, seu ad primatum, esse non posse nisi Deum Verbum; eique adeo consentaneum fuisse incarnari, ut naturæ rationali per peccatum in carnalia allisæ, contemperaret se, & in carne Caput esset carnalibus à carne emergentibus. Ambrosius denique: *Non enim dixit, Caput Christi Pater, sed Caput Christi Deus; quia divinitas utpote creatrix, Caput est creaturæ. Et bene dixit, Caput Christi Deus, ut & divinitatem Christi significaret & carnem, hoc est, incarnationem in Christi nomine, in Deo autem unitatem divinitatis, & magnitudinem potestatis.* Adeo non mera humanitas caput est, ut quasi capite minuta sit humanitas, caputque sortita sit Verbum Deum, cùmque naturam hominum universam velut in radice complectatur, naturæ pariter universæ suum restituit caput Verbum Deum.

L. 7. de Trin. c. 1.

L. 4. de fide: c. 1.

XII. Prolixiùs idem declaratur, Caput Ecclesiæ esse nō potuisse, nisi divina sanctitate Perunctum & Deum.

Non pauca ex his testimoniis decerpimus argumenta, quibus exploratum fiat, non alio nomine Christum hominem Caput esse Ecclesiæ, quàm quod increatæ justitiæ & sapientiæ seu Verbi Dei non beneficium tantùm, sed personam sustineat. Nam primò quidem in vivente quolibet, caput animæ quasi personam sustinet; cùm enim in capite explendescat vitæ plenitudo, sentiendi potestas omnis, judicandi arbitrandique authoritas, majestas verticis, influxus in omnia membra & imperium, palam est personam & authoritatem animæ in Capite consedisse. Ergo & in Capite Christo persona consederit Deitatis.

Deinde quo corporis amplitudo & nobilitas præcellit, eo & caput ampliùs excellere par est. At Ecclesia cùm complexio sit naturarum omnium intellectualium, sanctitatis & beatitudinis cumulo refulgentium, ejusmodi corpus est, cui præcellere & præesse non possit nisi Deus. Creatura enim intellectuali quidquid superius est, jam non creatura, sed Creator est. Menti enim subesse omnia, præesse sola veritas incommutabilis potest. Voluntati liberæ servire omnia debent, servire ipsa nisi justitiæ invariabili non debet. Multò vehementiùs mentium liberarum sanctitate & fœlicitate tota affluentium universitati imminere & principari non poterit, nisi veritas & justitia incommutabilis. Rursum quod beatis Angelis caput est semperque fuit Verbum Deus, idem caput hominum fuit quandiu Angelis non multùm dispares in primigeniæ sanctitatis fœlicitate steterunt. Dilapsis ergo in corporalium amorem cùm se coaptavit concorporavitque idem Verbum, Caput se carnalium mortaliumque in carne mortali constituit idem ipsum, quod immortalium & carnalis immunditiæ expertium caput futurum erat. At homo carnis amori seu implicatus, seu explicatus, mens tamen est, mentisque generositatem spirat usque, nec nisi veritati incommutabili ancillari dignatur; nec nobilitatis hoc insigne infringere, sed restaurare adgressum est Verbum, cùm carnem induit. Ergo caput esse non poterit homini nisi Verbum, id est naturæ intellectuali veritas æterna, voluntati liberæ justitia incommutabilis: sed homini spirituali priùs & carne mentali, caput erit Verbum carnis expers: homini postea amoris perversitate in carnalia demerso, caput erit Verbum carni immersum; utrobique tamen caput erit menti veritas, sed carne mentali, caput erit veritas sine carne; mente carnali, caput erit veritas non sine carne. Principaliter ergo caput est Verbum, etsi caro factum; & caro non erit ratio ut caput sit, sed contemperatio & coaptatio Verbi, præter quod nullum caput esse possit. Verbi enim est in omnibus primatum tenere. Postremò cùm Capitis ratio & nomen authoritatem personæque principatum ostentet, ut humanitas in Verbi authoritatem personamque concedit, ita capitis dignitatem sua ad Verbum, quod principaliter caput est, accessione consequitur. Humanitati caput Verbum est, non ergo seorsim ipsa sibi, nedum Ecclesiæ caput est. Caput Christi Deus, hoc est, interprete Ambrosio, caput hominis assumpti Deitas Verbi; at in illo homine assumpta est generis humani universitas, seu Ecclesia: ergo & Ecclesiæ Caput Deus. Caput Christi Deus, Christus autem Ecclesia esse dicitur, Caput ergo Ecclesiæ Deus, Caput Christi Deus, hoc est, Deitas humanitatis caput est, humanitas Deitatis corpus est; cùm huic humanitati nos conserimur, Deum quoque caput nanciscimur. Ergo sic Christus homo hominibus caput est, ut potissima capitis præcellentia, & authoritatis principalitas, & jus, & personæ dominatus à potiore Verbi natura in humanitatem redundet. Denique quod summum in unoquoque est, id caput est; ergo in Christo caput est Verbum, & totius Christi quo Ecclesia etiam continetur, caput est Verbum; nec caput tamen esset Verbum humanitatis in corporalium sordes afflictæ, nisi corporatum. Capitis igitur natura, vis, authoritas, vita, opulentia, majestas tota penes Verbum; capitis coaptatio ad membrorum calamitatem, & contemperatio paranda per carnem fuit. Unde Ambrosius: *Quis enim illorum fuit, cui subjecta essent omnia, quibus ipse donavit quod erant? In quo benedicuntur omnes sancti ejus, quia ipse est super capita omnium caput. Caput enim mulieris vir; caput viri Christus, & super vertices montium, quia ipse est supereminens vertex universorum.*

L. de Bened. Patriar. c. 11

XIII. Post lapsum primi Capitis, aliud instauratium esse non debuit, nisi incommutabili sanctitate fultum.

Quintò, nisi impeccabili, adeoque increata floreret Christus homo sanctitate, restitutæ caput Ecclesiæ haud satis idoneum esset. Cùm enim mutabilitate sua in præceps ijsset primum humani generis caput, primusque parens Adamus, suoque exitio membra sua seu genus universum illaqueasset: subrogari caput aliud ad sarciendam priorem labem non potuit, nisi quod sua immutabilitas extra ejusdem aleam discriminis collocaret. Nam si caput alterum perinde ac priùs versatili libertate claudicasset, gratiaque tantùm creata, ideoque lubrica fuisset instructum, iterata ruina meritò formidaretur. Et quantum inde redintegrasceret morbus? Quanta salutis desperatio? Quæ peccati mortisque victoria? Quæ in Deum invidia conflaretur, qui illudere, quàm consulere visus esset? Ergo adornari aliud non potuit nobis caput, quàm sanctitate incommutabili fretum.

XIV. Ex August. Oper. ult. cont. Jul. l. 6. n. 7. L. con. Mendac. c. 20.

Augustinus: *Et non vis intelligere tam grande illius fuisse peccatum, ut mortalium sæculum; hujus verò tam grandem justitiam, ut immortalium sæculum propagaret.* Et alibi idem Augustinus: *Qui natus est ex Deo, non peccat: hæc enim nativitas si sola esset in nobis, nemo peccaret: & quando sola erit, nemo peccabit. Nunc autem adhuc trahimus, quod corruptibiles nati sumus; quamvis secundum id quod renati sumus, si bene ambulabimus, de die in diem renovabimur interius.* Duplici igitur adhuc parenti, duplici capiti cohæremus, Adamo ex reliquiis vetustatis, ex novita-

tis primitiis Christo; idque unum satis hic agimus, ut ab illo resigamus nos, huic nos affigamus. Quod peccamus & morimur, ex Adamo capite nobis obrepit; ex Christo capite autem sugimus pedetentim impeccantiæ & immortalitatis succum. Quandiu etsi in dies minùs minùsque, utcumque tamen obligamur capiti vetustatis, tandiu & peccato servimus, & morti paremus; sed quia interim arctiùs in dies Capiti novitatis obstringimur, & immortalitatis semina in corpore, & inconcussæ sanctitatis germina in animo colligimus.

XV. Ex Basilio Seleuciæ Episc. Orat. 39.

Basilius Seleuciensis: *Nam cum generis nostri primordia propter peccatum fuissent prædamnata, altero fuit opus authore impeccabili, cujus beneficio totum corpus cum capite reconcinnatum, cum hominibus rursum conjungeretur.* Quorsum autem ejus impeccabilitas instaurando corpori prodesset universo, si æquè imbelles & quolibet tentationum incursu facilè superabiles membris suis vires tantùm suppeditaret? Peccabili capiti impeccabile suffectum est, lapso inconcussum, superato insuperabile; sed quid hinc demum emolumenti accrescit corpori, si eodem pergit conflictari malo, nec invictiores ab invictiori capite virium experitur affluxus? Transfudisset membris suis prius illud caput si perstitisset, gratiam & sanctitatem eandem, qua ipsum vigebat, nempe æquè blandam, æquè facilem & vinci & vincere: An ergo posterius caput, quo opulentius, eo sordidius erit & illiberalius? An quo invictius ipsum est, eo corporis sui ægritudinum erit incuriosius? An potius non potest capitis fœlicitas non refluere in membra? Nec impeccabili sanctitate locupletatur caput, nisi ut eadem corpus utcumque irrigetur? Namque bonum capitis, in commune bonum corporis est. Nec enim suum sibi est caput, sed quidquid est, corpori est. Ergo quæ ab incommutabiliter sancto capite Christo in membra ejus stillantur gratiæ speciales, ex fontis sui saporem retentant, & electis ejus membris, & secundùm Dei propositum ad justitiam & ad perseverantiam vocatis, invictum robur ingenerant; quo quanquam innata naturaliter, adultaque per vitiosam consuetudinem peccandi potestas, necdum extinguitur, constringitur tamen domaturque insuperabiliter, & atteritur, exediturque paulatim, donec tota post abjectas corporis mortui exuvias exteratur. Sicut enim mortales sumus quandiu hìc agimus, & per corporis tamen Christi esum præseminatur in nobis jam hinc immortalitas: ita peccare faciles pronique adeo sumus, quandiu mortalitatem hanc agitamus, & futuræ tamen impeccabilitatis jam hinc succum aliquem præsumimus. Ideo autem nec tota immortalitate, nec tota statim donamur impeccabilitate, quia irroramur tantùm de capitis Christi sanctitate, necdum largè compluimur, necdum innundamur. Hæremus enim adhuc capiti vetustatis, paulatimque & diu ab illo abrumpimur, ut in hac diuturniore medicinæ nostræ mora experiamur, quid inter utrumque intersit, & quantum innovationis nostræ debeamus authori.

XVI. Ex Athanasio, ut gratiæ ab Christo capite defluæ electorum salutè invictissimè operentur. Orat. 3. contra Arian.

Athanasius: *Quia oportebat eum in omnibus primatum habere, etiam principium viarum efficitur, &c. Quoniam prima per Adam & via & janua perierat, & ex paradiso ad mortem devergebamus, &c. Ideo Verbum Dei hominum amore & Patris voluntate induit creatitiam carnem, &c. Quod si creatio innovata fuit, oportuit in hoc genere aliquem esse primum. Merus igitur homo & pulvereus, quales nos facti eramus ex prævaricatione, is esse non poterat, eo quod in prima creatione fides ab hominibus servata non fuit, eorumque culpa prima creatio perierat. Non igitur ex genere hominum alius quispiam, sed ipse Dominus, ut principium esset, condi voluit, &c. Ne ulterius secundum primam illam viam homo viveret, sed quasi subsistente novæ creaturæ exordio, Christum in se possidens, hujus novæ creaturæ principem, in reliquum tempus se ei comitem præberet, qui ita de se loquitur, Ego sum via; idque in erudiendis Colossensibus Apostolus dixit, Ipse est caput Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens.* Et aliquantò post: *Ubi porro Christus, quod genus ibi metus, aut periculi fuerit? Atqui illud fieri non potuisset, si Verbum creatura fuisset. Adversus enim creaturam creaturæ conjunctam, diabolus perpetuo vires pugnandi habuisset, & homo intermedius formidine mortis semper laborasset, non habens in quo & per quem Deo cooptaretur, & liber ab omni metu evaderet.* Et paulò post: *Non deificatus fuisset homo, nisi naturaliter ex Patre verum ac proprium illius Verbum fuisset, quod caro factum est; ideo enim ea coaptatio instituta est, ut Deitas vera, & ut sic dicam, naturalis, verum & naturalem hominem sibi consereret, & stabilis efficeretur hominis salus & deificatio.* Ubi vides quàm totus in id incumbat Athanasius, ut restaurandis hominibus Caput adsignet impeccabili sanctitate armatum, non ut suo ipsum gaudio privatim fruatur, sed ut corpus eo perfundat, membrorumque salutem tutissimam & inexpugnabili gratiæ propugnaculo septam tueatur.

XVII. Ex eodem, ut gratia Christi Capitis fit, quæ non sinat omne rursus naturâ coruere. Idem. Orat. 4.

Idem Athanasius: *Tametsi paulisper quasi datis feriis interquievissent peccatum & corruptio, æque tamen in homine remansissent, quemadmodum in hominibus primis vim suam & tenorem retinuerunt. Eaque res ita demonstrari potest. Permulti fuere sancti, puri omnis criminis. Sed vel sic manserunt homines nihilominus mortales & corruptibiles, capaces interim affectionum naturæ. Nunc autem postquam homo Verbum caro factum est, sibique ut propria vendicavit ea, quæ sunt carnis, non ulterius ea corpus humanum, eo quod ibi Verbum Dei consistat, attingunt, sed ab eo absumuntur; nec jam inde homines secundum suas passiones, peccatores & mortui permanent; sed secundum Verbi potentiam resurgentes, immortales & incorruptibiles perseverant.* Et ibidem infra: *Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest, cujus rei specimen in Adam vidimus, quippe qui illud quod acceperat perdidit. Ut autem gratia inademptibilis esset, firmaque hominibus custodiretur, ea de causa hanc donationem, ut propriam sibi arrogat.* Et infrà: *Nunc autem humanitus dicit se accepisse, ut carne ejus in ipso accipiente, in posterum ea ex carne illius, in nos firmiter possidenda traderentur.* Et gratiam ergo & gloriam & immortalitalitatem accepit Christus homo, & sibi nempe ut capiti, & nobis ut corpori, eo consilio, ne excuti deinceps & exturbari his bonis possimus, Nam creaturæ mutabili, nempe Adamo, quæ concredita fuerant, adempta sunt: at Verbo immutabili & omnipotenti nihil bonorum quæ sibi nobisque in sua carne accumulavit, vel excuti potest, vel excidere.

XVIII. A Christi immutabili sanctitate manant efficacia salutis auxilia aliqua. Orat. 2.

Denique idem Athanasius: *Primo enim homine mutato, & morte per peccatum in mundum introgressa, necesse omnino fuit secundum Adam immutabilem esse, quo si denuo serpens eum invaderet, impostura illius vim nullam, aut efficaciam haberet. Ideo enim serpens in conatibus suis elanguescit, & viribus destituitur, quia Dominus est inconvertibilis & inalterabilis. Sicuti enim prævaricante Adamo in omnes homines peccatum dimanavit; ita quoque Domino inhumanato & serpentem evertente, in omnes homines istiusmodi vigor transmeavit.* Audis ut immutabili sanctitate opus fuerit pollere caput nostrum, eodemque vigore membra ejus irrigari pro suo quæque modulo.

CAPUT VIII.

Increata sanctitate Christi capitis ejus membra irrorantur aliquantulum.

I. Ut membra Capiti confœciant, substantiva hujus sanctitas aliqualiter his quoque aspergitur.

CAput nostrum Christus, tota Deitatis sanctitate ditatum, non volatica tantùm qualitate & accidentali gratia locupletabit sua membra, sed substantivo quodam divinæ naturæ consortio, & ipsa, & seipsum in ipsis honestabit. Quàm non consentanea enim foret, quàm invidiosa capiti, quàm membris indecora, tanta & istorum inopia, & illius opulentia? Itaque quia caput ubilibet animæ personam sustinet, persona Verbi justitiæque & sanctitatis incommutabilis non sit nisi Christus homo: at quia eodem vitæ succo & caput & membra vegetantur, eadem quoque substantiva sanctitate deitatis, & Christus & Ecclesia, id est, & caput & corpus, seu Christus totus inhabitetur. Nec absint tamen creatæ gratiæ dona amplissima, sed hæc instrumenti instar habeant, quo ornatiora increatæ sanctitati copulentur Christi membra.

Præter accidentalis igitur gratiæ ornatum, increata quoque sanctitate consecrari membra Christi, id verò ingredimur accuratiùs pertractare, & sanctorum Patrum unanimi consensu astipulantium communire suffragiis & argumentis.

II. Probatur id primo ex eo quod Ecclesia ipsa à Verbo assumpta suo modo est, ut ajunt Patres

Declaratur id itaque primò. Ecclesia est humanitas assumpta; Ecclesia una persona est suo quodam modulo, cum humanitate assumpta & Verbo; permanant ergo & reciprocantur eadem in utramque vel emolumenta vel detrimenta; redundat igitur substantiva sanctitas humanitatis assumptæ in totam Ecclesiam; sicut vicissim reflueret in humanitatis assumptæ dedecus, inopia membrorum ejus.

III. Ex Hilario. In Psal. 51. In Matth. Can. 4.

Hilarius luculentè: *Universis enim patet, ut consortes sint corporis Dei, atque regni, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; naturam scilicet in se totius humani generis assumens.* Et idem rursus: *Civitatem, carnem quam assumpserat, nuncupat; quia ut civitas ex varietate ac multitudine consistit cohabitantium, ita in eo per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur. Atque ita & ille ex nostra in se congregatione sit civitas, & nos per consortium carnis suæ sumus civitatis habitatio.* Assumpsit igitur Verbum naturam totius humani generis; tota Ecclesia compago est corporis assumpti, cujus caput est Christus: commeant ergo ultro citroque corporis totius commoda.

IV. Ex Leo Mag. Serm. 10. in Nativ.

Leo Magnus: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. In nobis utique quos sibi Verbi divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis sumpta nos sumus.* Interprete ergo satis idoneo Leone magno, Verbum caro factum est, in Christo Capite: & habitavit in nobis, membris ejus; ut personam Verbi gerat solum caput, sed hospitium tamen Verbi sint, & de vita atque sanctitate Verbi tanquam animæ recreentur membra omnia. Idemque paulo post, *Quia in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis repleti in illo. Totum igitur corpus implet tota divinitas: & sicut nihil deest illius majestatis, cujus habitatione repletur habitaculum; sic nihil deest corporis, quod non suo habitatore sit plenum. Quod autem dictum est, Et estis repleti in illo, nostra utique est significata natura, ad quos illa repletio non pertineret, nisi Dei Verbum nostri sibi generis & animam & corpus unisset.* Interprete rursus locupletissimo Leone, habitat quidem in Christo Capite omnis plenitudo divinitatis, sed & membra replentur in illo, & ad nos quoque pertinet omnis illa repletio; ut sicut nihil Deitatis est quod non impleat, ita nihil membrorum corporisque sit quod non impleatur: & sicut inhabitat in Christo etiam Pater, etiam Spiritus sanctus, etsi non personali, sed substantiali tamen copula: ita inhabitetur non solùm assumpta caro personali, sed & tota Ecclesia substantiali inhabitatione; nam ut ad plenitudinem Deitatis inhabitantis spectat & Pater & Spiritus sanctus, ita ad plenitudinem corporis inhabitandi pertinet tota Ecclesia. Et rursum idem Leo: *Hanc incarnationis Dominicæ fidem, per quam tota Ecclesia corpus est Christi, inconcusso corde servantes.* En ut se ad Ecclesiam universam exporrigat incarnatio. Et rursum: *Ut susceptus à Christo, Christumque suscipiens, non idem sit post lavacrum, qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati fiat caro Crucifixi.* Quis non occlamet fucum fieri nobis hac verborum ludificatoria magnificentia, si per incarnationem celebretur Ecclesia fieri corpus Christi, Christianus quilibet caro Christi, repletus in illo de plenitudine divinitatis hospitantis; & tamen nulla sanctificet nos inhabitatio Deitatis?

Serm. 8. de Quadrag. Serm. 14. de Passione.

V. Ex Chrysol. Serm. 60. Epist. 2. Petri. c. 1.

Chrysologus: *Credimus sanctam Ecclesiam, quam sic in se suscepit Christus, ut eam divinitatis suæ faceret esse consortem.* Intueri videtur Chrysologus ad illa Petri verba: *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Libet hìc rursum exclamare, quorsum hæc verborum ostentatio, quod nos Christus in se susceperit, quod deitatis suæ consortes nos effecerit, quod divinæ naturæ quasi collegium & societatem consecuti fuerimus, si nec inde tamen sanctificamur?

VI. Ex Gregorio Magno. Moral. l. 4. c. 14. In Psalm. 4. Pœnit.

Gregorius Magnus: *Sicut redemptor noster una persona est cum congregatione bonorum, ipse namque caput est corporis, & nos hujus capitis corpus.* Et rursum: *Christus cum tota sua Ecclesia, sive quæ adhuc versatur in terris, sive quæ cum eo jam regnat in cælis, una persona est. Et sicut est una anima, quæ diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus sanctus vegetat & illustrat. Sicut namque Christus qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu sancto conceptus est, sic sancta Ecclesia quæ corpus ejus est, eodem Spiritu sancto repletur, ut vivat.* Edisseruit tandem nobis Gregorius quid valeat illa non ventosa, sed solida veraxque gloria Ecclesiæ, quæ corpus & caro Christi est, quæ in illo impleta, & Deitatis consors est. Hæc enim ad id valent, ut sicut anima quanquam principatum personamque suam & authoritatem in solo ostentet capite, substantivè tamen ipsa permeet in omnes artus, suosque illos & eodem quo caput spiritu vegetet, tametsi non eadem copia: ita Deitas Verbi ad personæ divinæ excellentiam evexerit solam Christi humanitatem, ceu Caput nostrum: ejus tamen corporis membra omnia pervadat ipsa, & Spiritu suo sancto, seu substantiali sanctitate eadem qua caput, etsi minùs minùsque copiosè perfundat. Non potest enim membrum Christi quodcumque non vivere de Spiritu Christi. Dona quippe & effluvia gratiæ creatæ obstringere utcumque & obligare poterunt Christo, non tamen ei ut Capiti membra pro dignitate tanti Capitis coagmentare. Etenim dona in non concorporeos etiam quoslibet effundi solent. At membris non munera, sed substantivæ ipsius vitæ ejusdemque Spiritus irrigatio propria & peculiaris est, & suo illis quasi innato jure adserenda. Ibidem Gregorius: *Istud est corpus, extra non vivificat Spiritus. Unde dicit beatus Augustinus: Si vis vivere de Spiritu Christi, esto in corpore Christi. De hoc Spiritu non vivit hæreticus, non vivit Schismaticus, non vivit excommunicatus, non enim sunt de corpore. Ecclesia autem Spiritum vivificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhæret.*

VII. Ut membra corporis Christi recolligi non possint in

Ex quo sanctissimi Pontificis testimonio claret non posse corpus & membra Christi vivere, nisi de Spiritu Christi, de substantivo inquam ejus Spiritu,

unũ corpus, nisi uno Spiritu Christi vivant.

ritu, non de accidentali tantùm afflatu ejus Spiritus. Vivitur enim de substantia, non de dono aliquo animæ spiritusque. Regi, impelli, ornari potest corpus de animæ munere aliquo; sed vivere non potest nisi de animæ ipsa substantia. Valet anima beneficio aliquo suo & qualitate à se deflua corpus agere, venustare; sed vivificare nisi substantia sua non valet. Defluit igitur à capite in membra non aura tantùm aliqua, non aspiratio tantùm vitæ aliqualis, sed substantialis spiritus vitæ. Ut scitè Gregorius dixerit, *Ecclesia Spiritum vivificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhæret*. Nimirum universitas Ecclesiæ corpus est Christi, nec inani ostentatione, aut æquivocatione futili id dicitur, sed firma certaque veritate. Quantumlibet enim per lapsus temporum, locorumque tractus semotissimos sparsa videantur corporis hujus & dissipata membra, religantur tamen omnia cohærentque sibi, capitique suo aptata nexaque constant, quia Spiritu sancto conglutinantur & constringuntur omnia, cujus æternitas omnibus temporum voluminibus, cujus immensitas omnibus locorum intervallis præsto adest. Non absunt membra, quæ animæ adsunt; dispersa non sunt, quæ substantiæ uni recolliguntur: juxta sunt, quæ indivisibili spiritui hærent. Ac vicissim non possent non distracta discerptaque à compage unius corporis videri, quæ & loci & temporis tanta alienantur intercapedine; adeoque nec membra unius corporis dici possent, nisi illa Spiritus sanctus, quà æternus immensusque est, pervaderet omnia, & substantivo vinculo colligaret. Ad hunc modum una persona, unus homo, unum corpus est Christus & Ecclesia, non accidentariæ tantùm gratiæ adminiculo, sed incorruptibili increatæ sanctitatis, sanctique Spiritus substantia omnia sursum deorsumque & quaqua versum permeante. Unde Etherius & Beatus: *Non cum Patre & Spiritu sancto unus est homo, sed cum tota Ecclesia unus est homo; quia caput & corpus una persona est Christus.*

L. 1. adv. Elipan.

VIII. Ex Augustino rursus, ut Christus & Ecclesia una dicatur quãdoque persona.

Augustinus quin etiam creberrimus est in hac inculcanda Christi & Ecclesiæ, Capitis & corporis personæ unitate. *Erunt duo in carne una*; *Sacramentum hoc magnum est*, *ait Apostolus*, *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia*, *&c. Igitur jam non duæ, sed una est caro*, *&c. non dividuntur personæ*. Et alibi: *Ipse unus*; *sed unitas unus*, *& ipse unus non in uno loco unus*, *sed à finibus terræ clamat unus*. *Quomodo à finibus terræ clamaret unus*, *nisi in multis esset unus*? Et rursus: *Sicut enim corpus unum est*, *inquit Apostolus*, *& membra multa habet*, *omnia autem membra corporis cùm sint multa*, *unum est corpus*, *ita & Christus*. *Non ait*, *ita & Christus & corpus*; *sed corpus unum*, *membra multa*, *ita & Christus*. *Totum ergo Christus*. *Tenete hoc*, *& fixum omnino commendate memoriæ*, *tanquam filii Ecclesiasticæ eruditionis & fidei Catholicæ*, *ut cognoscatis Christum caput & corpus*, *eundemque Christum Verbum Dei unigenitum*, *æqualem Patri*; *& inde videatis quanta gratia pertingatis ad Deum*, *ut ipse voluerit esse vobiscum unus*, *qui est cum Patre unus*. Advertis quàm anxius instet, & ex Apostolo id efficiat, ut Christus & Ecclesia unus sit Christus. Ex Apostolo enim, Corpus unum, membra multa, & id totum Christus. Ex Apostolo Christum induimus. Ex Apostolo nos semen Abrahæ sumus, semen Abrahæ unus Christus est. Ex Apostolo Christus & Ecclesia sunt duo in carne una, adeoque non jam duo, sed una caro. Quod quid aliud est quàm Incarnationem Verbi ad nos usque propagare, ejusque ambitu concludere Ecclesiam justorum? Idque apertiùs ibidem Augustinus: *Christus & Ecclesia*, *duo in carne una*. *Refert ad distantiam majestatis duo*: *duo planè*, *non enim & nos Verbum*: *non enim & nos in principio Deus apud Deum*; *non enim & nos ille per quem facta sunt omnia*. *Venitur ad carnem*, *& ibi Christus*, *& ille & nos*. Et rursum idem: *Admiramini*, *gaudete*, *Christus facti sumus*. *Si enim caput ille*, *nos membra*, *totus homo ille & nos*. *Donec occurramus omnes*, *&c. in virum perfectum*, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. *Plenitudo ergo Christi*, *caput & membra*. *Quid est caput & membra*? *Christus & Ecclesia*. Et Prosper: *Ex multis membris unum corpus efficimur*, *dum sive in pluribus*, *sive in singulis unus est Christus*, *quia & caput in compage*, *& compago omnis in capite*.

In Psal. 37.
In Psal. 54.
In Psal. 142.
In Evan. Jo. Tract. 21.
In Psal. 117.

IX. Ex Athanas. Lib. de humana natura suscepta.

E Græcis omnium instar erit Athanasius: *Non ibi de divinitate ejus verba facit*, *cum asserit eum Dominum & Christum à Deo factum esse*; *sed de humanitate ejus*, *quæ est universa Ecclesia*, *quæ in eo dominatur & regnat*, *postquam ille crucifixus est*, *& inuncta est ad regnum cœlorum*, *&c.* En ut humanitas à Verbo suscepta, sit tota Ecclesia; quæ inuncta est, quæ Christus est, quia Christi corpus est. Quæ putida foret futilisque jactantia, & à fidei simplicitate immaniter dissentiens, si Verbo, si Capiti suo non cohæresceret Ecclesia afflatu aliquo ejusdem spiritus & vitæ.

X. Ad summa quædam fastigia religatur hæc doctrina.

Jam ut conglobentur in unum quæ expendendis sparsa sunt variis Patrum testimoniis, unoque obtutu lustranda sistantur, hæc maximè è sacris litteris oracula unitatem membrorum cum Capite Ecclesiæ, & ejusdem vitæ spiritusque & substantivæ sanctitatis à capite in membra derivationem sanxerunt. Quod duo sint in carne una, adeoque non jam duo, sed una caro; Quod corpus unum, multa membra, totumque Christus; Quod excrescat Ecclesia in unum perfectum virum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; Quod divinæ efficiamur consortes naturæ; Quod Verbum caro factum sit, & habitarit in nobis, seu in tota Ecclesia; Quod plenitudo divinitatis habitarit in Christo, & nos in illo repleti simus. Hæc in speciem tam magnifica, reipsa plus æquo extenuabuntur, si à Christo Capite in nos nonnisi accidentalis gratiæ donum redundet. Vix enim egregiæ hujus qualitatis tanta erit laus, visque tam stupenda, ut unam cum Christo carnem, unum Christum, unum nos efficiat virum perfectum in Christo, & plenitudinem Christi, & Deitatis consortes, & Verbi hospites, & plenitudine divinitatis repletos. Permirum est, si hæc tanta creatæ qualitatis beneficio præstari possint: etsi indubium sit creatæ sive habitualis gratiæ beneficio præparari membra, & ornari, ut à Christo, ut à Spiritu Christi inhabitentur. Similiter cum sancti Patres Christum & Ecclesiam pronunciant unum Christum esse, unam personam, unum hominem; Ecclesiam esse humanitatem à Verbo assumptam; assumptam esse à Verbo naturam universam humani generis; carnem de Virginis utero sumptam nos esse; carnem regenerati esse carnem crucifixi; Corpus Christi seu Ecclesiam repleti & vivere de Spiritu Christi; nonne præcipitatur elisaque jacet hæc omnis verborum gloria, si accidentaria tantùm sanctitate nos ornat, non etiam ipsamet nos inhabitat Verbi & Spiritus sancti vita, cujus membra sumus? Rursum quæ tandem foret ista capitis & membrorum dissimilitudo, si illud & persona & substantia Deitatis ipsa floreret, hæc illius increatæ gratiæ ne stilla quidem recrearentur? Non consonat hoc caput his membris: non consonat ut tam opulentum & tam illiberale sit caput: non consonat ut tam exucca & exanguia tanti capitis membra sint, cujus & substantiæ & spiritus & formæ inania sunt. Rursum non erit corpus Christi, quod non vivet de Spiritu Christi: nec vivet de Spiritu Christi, nisi vivat de substantia Spiritus Christi. Nam membra jam non sunt, quæ de vita spirituque capitis non inflantur. Nec vivunt membra nisi de sub-

substantia vitæ, nec vivificat spiritus vitæ, nisi illapsu substantiæ suæ. Opera enim vitæ esto ut qualitatibus peragantur, sed vita ipsa qualiscumque de substantia & forma expectatur. Rursum quò & locorum & temporum intervallo dissipatiora videntur esse Christi corporis membra; si corpus illud unum est, si membra hæc reapse sunt, eò satagendum impensius est, ut inviolabili quopiam religentur nexu, solidoque vinculo. Jam gratiæ habitualis qualitas, quæso te, cujusmodi vinculum est, quo ita justi omnes sibique ipsis & Christo capiti constringantur, ut sibi membra vicissim & Christi corpus videantur? Tutius juxta & dignius est, ut etiam Spiritus ipse Christi compagem tanti corporis conglutinet, firmetque adversus tot temporum locorumque huic unitati insidiantium impetus. Igitur substantia Deitatis seu Spiritus Sancti sanctitas huic muneri una par est: hæc in omnia tempora locaque quamlibet distractissima regnat indivisè: hæc sibi cohærentes omnes justos in se ut in unitatis nodum compaginabit: hæc Christi membra, Christi corpus, Christi carnem nos efficiet, sed propriè & veracissimè, utpote de spiritu & substantia Christi viventes. Membra enim sunt capitis corporisque unius, quæ una substantia formaque indivisa ejusdem spiritus vegetantur. Denique Capitis prærogativæ nulli non sunt exploratissimæ, earumque potissima hæc est, ut animæ personam gerat, authoritatemque & principatum in membra exerceat omnia. Non tamen capitis unius est vivere de substantia animæ. Quin imò capitis laus est officiumque, ut cùm sedes animæ primaria sit, eam tamen substantialiter corpus in reliquum refundat, abundè omnibus sufficcturam, pro modulo membrorum.

XI. Quod Christus homo accepit, nobis accepit. Accipit autem substantivam Spiritus inhabitationem.

Declaratur 2o. Inficias nemo ierit, quin substantialiter Christus Spiritum sanctum habuerit semper ut Deus, & acceperit ut homo tanquam sanctitatis formam principem. At quod accepit Christus, non sibi, sed nobis accepit. Nimirum Verbo Deo affluebant omnia, nec ut acciperet quidquam opus erat. Sed nostræ inopiæ opitulari cum penès se statuisset, egenus factus est cùm esset dives, ut nos illius inopia ditaremur; hoc est, naturam nostram velut ipsam egestatis essentiam induit, eique divitias infudit Deitatis, ut tota exinde natura hominum locupletaretur. Quidquid ergo Verbum caro factum in carne sua excepit gratiæ & sanctitatis, non sibi accepit, jam bonis omnibus superexundanti, sed nobis. Ergo Spiritus sancti substantiam, non dona tantum accidentalia cùm acceperit, nobis non sibi accepit. Ergo cùm substantivè sanctificatur quà homo, non sibi, sed nobis sanctificatur. Idque professus ipse est, *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & illi sanctificati in veritate*. Et rursum cum ad Jordanem irruente supernè Spiritu sancto oppletus est, non sibi ut qui jam olim de Spiritu sancto conceptus fuerat, sed Ecclesiæ cujus tunc vices personamque sustinebat, hanc substantivam Spiritus sancti plenitudinem destinabat. Athanasius: *Salvator quamvis Deus esset, & in regno Patris perpetuo regnaret, ipseque largitor esset Spiritus sancti; tamen nunc in præsentia inungi dicitur, ut iterum cum sicuti homo Spiritu inungitur, nobis hominibus quemadmodum in exaltando & resuscitando fecit, ita quoque isthic Spiritus incolatum contuberniumque conciliet. Atque id vindicans suis verbis Dominus in Evangelio dicit, Ego misi eos in mundum, & pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Hæc verba usurpans satis indicavit, se non esse eum qui sanctificatur, sed qui sanctificat. Non enim ab alio sanctificatur, sed ipse seipsum sanctificat, ut nos in veritate sanctificemur. Qua ratione igitur id fit, nisi ad istum modum? Ego qui Verbum Patris sum, mihi jam homini tribuo Spiritum, ac me jam hominem factum sanctifico, ut in me qui veritas sum, omnes sanctificentur. Si autem in nostram vicem se ipsum sanctificat, satis constat descensionem Spiritus in eum in Jordane ad nos pertinere, eo quod ipse ferebat nostrum corpus; neque id ad meliorationem Verbi, sed ad nostram sanctificationem factum esse, ut ipsius unctionis participes essemus, ac de nobis diceretur, An ignoratis quod templum Dei sitis, ac Spiritus Dei habitet in vobis? Cum enim Dominus ut homo in Jordane lavaretur, nos illi ipsi eramus qui in Domino & à Domino lavabamur. Et cùm ille reciperet Spiritum, nos illi ipsi eramus, qui per Dominum Spiritus ipsius capaces reddebamur*. Etsi illam columbam non assumpserat in persona sua, aderat tamen ibi in substantia sua Spiritus sanctus, utque Patres turmatim consentiunt, nostrum præmonstrabat baptismum, Christique corpori seu Ecclesiæ se addicebat. At quid augurandum hinc ostenditur, nisi & baptizatis omnibus, etsi non personam, sed substantiam tamen Spiritus sancti largiendam? An enim baptismi figuram substantiali præsentia condecoraret, ipsum autem baptismum leviori munusculo prosequeretur? An pluris faceret figuram quam rem?

Orat. 1. cōtr. Arian.

XII. Quidquid accepit Christus homo, ut Caput accepit, membris impartiendum.

Rursum quidquid sanctitatis & gratiæ substantialis Christo accumulatum est, ei non ut singulari homini, sed ut naturæ totius principi, ut capiti, ut radici, ut primitiis renovatæ gentis concreditum id omne est. Personam ergò sanctitatis & justitiæ solus gerat, quia personæ est principatus & majestas; ille autem unus præ cæteris eximius princeps est & caput, radix & primus iterum parens; sed substantiam sanctitatis & justitiæ eandem toti generis universitati impertiat. Nec enim generis alterius aut deterioris notæ spiritu vel succo aluntur rami, quàm radix, membra quàm caput, alumni quàm Pater familias, gens tota quàm primitæ. Exploratius id quidem efficitur ab exemplo Adami, qui humano generi cujus dux caputque & stirps erat, eandem penitus qua spirabat ipse, sanctitatis vitam transcripturus erat, non degenerem, aut obscuriorem. Cyrillus: *Requiescet super ipsum spiritus Dei. A principio enim datus est nostri generis primitiis, id est Adamo, verum inobservatione mandati piger, & remissus jussa posthabuit, &c. Post factus est homo unigenitum Dei Verbum, licèt Deus esse non desineret; cumque similis nobis esset, irretitus tamen peccatis non est, Spiritusque sanctus in hominis natura insedit, velut in ipso primo, & quasi in secundis primitiis generis, ut & in nobis deinceps conquiesceret & maneret, & in credentium mentibus cum voluptate habitaret*. Et rursum Cyrillus: *Quin & in nobis habitasse Verbum utiliter asserit, altissimum nobis istud revelans mysterium; sumus enim omnes in Christo, & communis humanitatis persona in ipsum reviviscit. Nam & novissimus Adam idcirco nuncupatus est, qui naturæ participatione omnia locupletat ad fœlicitatem & gloriam, sicuti primus Adam in corruptionem & ignominiam. In omnibus itaque Verbum habitavit per unum, ut uno constituto Filio Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, in universam humanitatem dignitas illa redundaret*. Et denuò: *Spiritum propter nos accipit, ut omnem sanctificet naturam. Non enim in suum commodum venit, sed ut nobis omnibus principium, & via, & janua sit bonorum cælestium*. Et rursum: *Accipit ergo unigenitus Spiritum sanctum, non sibi ipsi, est enim ejus & in eo, & per eum datur; sed quoniam homo factus totam habebat in se naturam, ut eam omnem instauraret, & in primævum statum restitueret, &c. Secundus Adam Christus nuncupatus est, &c.* Idem rursum Cyrillus: *Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati. Quæcumque enim Christo insunt, eadem in nos derivantur. Quippe qui sanctificationem non sibi ipsi accepit, ipse enim erat sanctificans, sed ut per se naturæ humanæ eam conciliaret, via quodammodo, &* prin-

In Isaiam. l. 2. tit. 1.

In Evang. Io. pag. 96.

Ibid. Pag. 124 471. 993.

Thesau. pag 197.

principium bonorum, quæ in nos fluxerunt, effectus.
Dialog. 6. de Trinit. Et alibi: *Ut in ipso demum spiritus inhabitaret & requiesceret, tanquam in primitiis generis & radice secunda.* Si prima radix, tam liberaliter vitii sui contagem adulterata profundit, & nisi viriata fuisset, justitiæ suæ transfudisset hæreditatem in posteros; non potuit secunda radix, tanto beneficentior, quantò opulentior, non ipsam sanctitatis suæ quasi paternam substantiam in progeniem omnem suam transmittere.

XIII. Per Christũ insuefactus est Spiritus sanctus in hospitari in natura nostra. Rursum Verbum Deus caro factus, Spiritu sancto inungi implerique voluit, ut illum peccatis jam olim alienatum, demulceret, iterumque in natura nostra assuefaceret hospitari. Cùm enim Spiritus sanctus Verbi Dei sit Spiritus, non potuit quin in carne Verbi Dei conquiesceret, adeoque cum tota hominum natura in gratiam rediret. Per Christum ergo adductus est, & insuefactus habitare substantialiter Spiritus sanctus in humana natura. Nisi enim substantivè nos incolat, ecquid opus erat Christum ut substantivè impleret? Ut operari in nobis suesceret rursus, in Christo tantum operaretur? At si meditabatur in Christo, prætentabatque quod universæ naturæ præstiturus erat, ut in illo, ita in ista substantivus hospes, non extrinsecus tantùm operator inhabitat. Irenæus: *Hunc enim promisit per Prophetas effundere in novissimis temporibus super servos & ancillas, ut prophetent: unde & in Filium Dei filium hominis factum descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, & requiescere in hominibus, & habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, & renovans eos à vetustate in novitatem Christi.* (L. 3 c. 19.) Quod eleganter quoque Cyrillus: *Quoniam ergo primus Adam gratiam sibi à Deo datam non servaverat, destinavit nobis cœlitus secundum Adam Deus ac Pater, &c. Cum autem homo factum sit Dei Verbum, Spiritum à Patre accipit, ut unus ex nobis, non sibi aliquid specialiter accipiens, erat enim ipse largitor Spiritus, sed ut acceptum naturæ nostræ conservaret ut homo, & rursus radicaret in nobis gratiam, quæ recesserat, is qui peccatum non novit. Hanc enim ob causam existimo sanctum Baptistam addidisse, quia vidi Spiritum descendentem de cœlo & manentem super eum. Avolavit enim ex nobis propter peccatum, factus est autem velut unus ex nobis qui peccatum non novit, ut assuefieret porro Spiritus manere in nobis, cum discedendi aut subducendi se causam in ipso non haberet. Igitur nobis per seipsum Spiritum accipit, & naturæ vetus bonum renovat.* (In Evan. Jo. pag. 122. 123.) Hæ fuere artes divinæ in nos pietaris, hæc astutia misericors, ut sibi quasi imponeret, & Spiritum sanctum à Verbo Deo indivulsum, Verbo carni conglutinaret, & in hunc modum naturæ omni perennem deinceps conciliaret hospitem. Non gravatur enim justos homines substantivè incolere, ut qui portiones sint Dei hominis, quem non potest non incolere, & in quo incolendæ carnis consuetudinem revocavit.

XIV. Sponsa Ecclesia Christi in ipsũ substantiæ & sanctitatis societatem asciscitur. Declaratur 3. Sponsus est Christus, sponsa Ecclesia; conjugii ergo jura substantiam sponsi omnem addicunt sponsæ, ipsamque maximè sanctitatis substantiam, quod Christi peculiare patrimonium est, & in cujus societatem fructumque adoptari se sponsa maximè ambit. Sponsi sponsæque una persona est; at unius personæ non potest non eadem esse substantia, idem peculium, eadem sanctitatis dignitatisque præstantia. Sponsus tamen sponsus est, caputque sponsæ, & principatum nomenque personæ & authoritatem jure suo sibi uni servat, & personæ suæ velut accessionem sponsam sibi copulat; cæterum bona omnia largissimè eidem affundit transcribitque. Etherius & Beatus: *Cum in carne Christi habitat Verbum, in nostra natura habitat, quia caro nostra est. Illi carni adjungitur Ecclesia, & fit Christus totus una persona, caput & corpus. Et cum in sacris voluminibus aut caro, aut homo, aut corpus Christi nominatur, non solum Christus, sed tota Ecclesia intelligitur.* (L. 4.) Subdit deinde locum Esaiæ, quem in hanc sententiam sæpiusculè interpretatus est Augustinus: *Induit me vestimento salutis, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* (Cap. 61.) Ubi una eademque persona sponsus & sponsa nominantur, quia Christus & Ecclesia una persona est; unius autem personæ unum sanctitatis patrimonium & una substantia est. Cùm enim caro Verbi Verbo conjugata est, tum jure conjugii substantiva omnis Verbi sanctitas in carnem profluxit; ergo & cùm Ecclesia conjugali vinculo copulatur Christo, imo cum Ecclesia illi carni à Verbo assumptæ adjungitur & quasi accrescit, eadem Verbi substantiva sanctitas in hanc quoque sponsam suam transfunditur. Fulgentius similiter allegato eodem Esaiæ testimonio, *Ecce unus est sponsus & sponsa, &c. Quia vero naturæ primitias suscipiens Dominus, sicut in suo corpore cunctorum fidelium corpus, sic in sua anima universorum fidelium animas per naturæ unitatem & gratiam justificationis accepit. Per hanc omnem Ecclesiam in conjugium sibi perpetuæ incorruptibilitatis ascivit.* (L. 1. ad Trasim. c. 10.) Augustinus quoque: *Omnis Ecclesia sponsa Christi est; cujus principium & primitiæ caro Christi est; ibi juncta est sponsa sponso in carne.*

XV. Jam hinc Pignus Spiritus & Spiritum ipsũ accipimus. Quia ad has cum Deo nuptias subarrhati jam sumus, pignus accepimus Spiritum sanctum: ut ait Apostolus, *Qui unxit nos Deus, & qui signavit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Pignus porro non minutius aut dispar aliquid, sed rei dandæ portio jam est præsumpta & anticipata. Dabit autem seipsum Deus beatis beatissimique conjugii copula castissima in cælo perfruentibus, seipsum inquam substantialiter fruendum dabit, non donum aliquod, non aliquid aliud à seipso, minusque adeo seipso, adeoque impar sibi, & capacitati nostræ futurum, & cruciandis proinde quàm beandis nobis opportunius. Si seipsum substantialiter solidèque tunc dabit, & nunc in antecessum desponsæ sibi Ecclesiæ dat pignus Spiritum sanctum, substantiam ipsam dat Spiritus sancti. Nam qualitas qualicumque sanctitatis & gratiæ nomine adornata, non est tamen satis idonea, quæ arrha sit ejus cui impatientiùs inhiamus substantivi Dei in nostras animas illapsus beatifici. Quin intepesceret vehementer spes nostra, suspicioque subiret, ne à substantia Dei extorres in æternum esse juberemur, quando prælibatio & portio præcepta futuræ beatitatis solis constaret accidentibus, & quamlibet ingentium, præ concupita tamen Dei substantia tenuium donorum jejunitate. Paschasius Ecclesiæ Romanæ Diaconus: *Dedit nobis pignus Spiritus; daturus seipsum, dat jam in præsenti pignus Spiritum sanctum. In terrenis negotiis arrhæ quantitas, contractus illius pro quo intercesserit, quædam portio est; pignoris verò ratio, meritum rei pro qua poni videtur, excedit. Hic verò majestati pignus suum quia nescit præferri, necesse est exæquari. Nequeunt enim perfecta transcendi, &c. Qui Dei pignoris loco tribuitur, fas non est, ut aliud quàm Deus esse credatur.* (L. 1. de Spiritu sanct. c. 11) Deitatem Spiritus sancti hinc adstruit Paschasius, quòd Deus seipsum daturus, pignoris interim loco Spiritum suum donarit; ergo qua pignus est, seu qua vita est nos sanctificans, Deus est. Nam si non etiam substantia increata, sed dono tantùm creato Spiritus sancti sanctificamur, pignus erit non Spiritus sanctus, sed donum istud gratiæ creatæ. Corruet ergo Deitas Spiritus sancti, hinc adstructa quod Deus sit, nec possit Dei pignus non esse Deus.

Eodem redit altera arrhæ jam in Christo præsumptæ ratio; illi enim ut primitiis nostris, ut potissimæ portioni de solido quidquid impensum est, arrhæ instar est, qua toti naturæ oppigne-

pigneravit Deus Deitatis suæ consortium. De quo aliàs.

XVI. Sancti omnes Christum induunt, ut vitam, ut formam, ut justitiam.

Revolvitur eodem & illud, quod Christum induimus juxta Paulum, non circumjecto velut amictu, eo obumbrati, sed intestina permeatione illi insinuati, ac infusi, ejus vitam, sapientiam, justitiamque combibentes & sanctitatem; ut sit Christus vita eorum, qui cum Paulo dicent, Jam non ego vivo, vivit verò in me Christus; ut sit Christus forma eorum quibus ait Paulus, Donec formetur in vobis Christus; ut sit Christus justitia & sanctificatio, prout nobis à Deo factus est, teste Paulo. Ad hunc videlicet modum Christum induimus, non corporaliter, sed quo spiritaliùs, eo veriùs, cum induimur intus forma sanctitatis & justitiæ & vitæ supernæ, quod totum Christus est, & ad quod nobis invehendum caro Christi vehiculum est. Ita in unam quodammodo cum Christo coimus personam, dum totis medullis ipsum, ut formam sanctitatis haurimus; ita adsciscimur in ejus sponsam, in ejus ramos, in ejus membra, in ipsum Christum. Quippe in eundem scopum intuentur omnes istæ à rebus vulgatis mendicatæ similitudines capitis & corporis, sponsi & sponsæ, radicis & arboris; idque unum efficiunt, ut in unum Christum compaginata Ecclesia, de Christi substantiva sanctitate vegetetur. Damascenus:

L. 4. c. 11. *Quicumque baptizati sumus, Christum induimus; Christus autem est Dei virtus & sapientia. Ecce mors Christi, id est crux, hipostatica Dei virtute & sapientia circumdedit nos.* Induimus planè Christum, quando sapientiam & justitiam induimus; utque substantialiter ea nos indui, exploratius fiat, audi Nyssenum:

Orat. in ea verba, Tunc ipse Filius subjicietur, &c.

Si non amplius vivit Paulus, qui cum Christo est crucifixus, sed vivit in eo Christus; quidquid à Paulo fit & dicitur, meritò refertur ad Christum, qui vivit in ipso. Verba enim Pauli dicit à Christo dici, qui dixit, An quæritis experimentum Christi in me loquentis? Bonas quoque actiones non dicit esse suas, sed eas attribuit gratiæ Christi quæ in ipso habitat. Rei cujusque substantiam consequuntur deinceps operationes propriæ; si ergo operationes sermonesque Pauli omnes, non Pauli sunt, sed immanentis viventisque in eo Christi, substantialiter utique incolebat illum Christus. Quo enim ex alio quàm substantivo quopiam sanctitatis principio, nempe ex Spiritu sancto opera sanctitatis proficiscantur? Origenes:

L. 6. in Epist. ad Roman. *Sic unusquisque habere in se probatur spiritum Christi. Christus sapientia est; si sit sapiens secundum Christum, & quæ Christi sunt sapiat, habet in se per sapientiam spiritum Christi. Christus justitia est, si quis habet in se justitiam, per justitiam Christi habet in se spiritum Christi. Christus pax est, si quis habet in se pacem Christi, per spiritum pacis habet in se spiritum Christi. Sic & charitatem, & sanctificationem, & singula quæcumque Christus esse dicitur, qui habet hæc, spiritum Christi in se habere credendus est, & sperare quod mortale corpus suum vivificabitur propter inhabitantem in se spiritum Christi.* Indui ergo Christo, sapientia, pace, justitia unusquisque censendus est, cum Spiritum Christi & sapientiæ & justitię induit, imbibitque, ita ut opera justitiæ & sanctitatis à Spiritu Christi magis sint, quàm ab ipso: & à Spiritu Christi sint non extrinsecus excitante tantum, sed ipsis incubante præcordiis.

CAPUT IX.

Rursum substantiva Christi capitis santitas in ejus membra refunditur.

I. Aspergi ipsâ Deitatis sanctitatem

Declaratur 4. Ut divina consilia Scripturæ, ut Scripturas interpretantur sancti Patres, eo necesse fuit per incarnationem illigari carni nostræ Deitatem sanctitatemque increatam, ut infixam altissimis medullis peccati mortisque tabem exureret, & tanquam illata vita mortem, justitia peccatum, luce tenebras effugaret. At jocularis illa videri poterit simulatio, nisi eadem deinceps substantia sanctitatis divinæ inseratur iis omnibus, quos incarnati Verbi gratia à peccatis expurgat, redintegratque immortalitati. Nam si satis efficaciter, si satis invicte profligari non potuit peccatum, peccatique stipendium mors, nisi infusa Deitatis immortali sanctitate, infundi utique illam par fuit iis membris, quibus ægritudo inhæserat, & pro suo quidem membrorum modulo, utcumque tamen infundi vel aspergi. Ergo quod capiti, ut membrorum omnium ægrotantium principi infusum est, refundendum protinus est in nos, quorum calamitati illa medicina est temperata. Nobis ergo ut membris totam morbi luem peccatique & mortis impetus omnes sustinentibus aspergenda irrigandaque est santitatis increatæ substantia, si modò ea una est tantæ ægritudini par medicina.

opus fuit, ut peccatum & mors deleretur.

II. Ex Hilario. L. 2. de Trin.

Hilarius: *Ut homo factus ex Virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem, sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret; ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse voluit, conderentur: ita rursum in omnes ipse per id quod ejus est invisibile, referretur.* Deitatis igitur admixtione, non humanitas tantùm assumpta, sed Ecclesiæ universitas sanctificata est; non opinatione sola aut extrinseca imputatione, frustratoria enim fuerit ea sanctificatio, nec inolitis singulorum maculis eluendis idonea; sed ut ait Hilarius, quàm verè corporeus nobiscum est Christus, corpore humano indutus, tam verè sancti cum Christo sumus, invisibili & increata ejus sanctitate Deitatisque ipsius aspersione perfusi. Et rursus idem: *Si enim nos per corporalem naturam Deus naturæ suæ diffidentes homo genitus apprehendit, factus ipse quod sumus; nostrum est ad apprehendendum nunc id quod est ipse, contendere, ut in eam gloriam festinatio nostra se misceat: atque ita apprehendemus id in quo fuimus apprehensi, si naturam Dei consequamur, Deo ante naturam hominum consequente.* Et rursum: *Ergo quia nonnisi ex assumptione carnis nostræ hi morbi essent nostri corporis auferendi, &c.* Et denuo: *A dominatu vitiorum animam liberavit, anteriora delicta non reputans, & nos in vitam novam renovans, & in novum hominem reformans; constituens nos in corpore carnis suæ. Ipse est enim Ecclesia, per sacramentum corporis sui in se universam eam continens.* Si creatis tantùm donis & qualitatibus donamur, non etiam inhabitatione substantiva Deitatis, hoccine est, quod Ecclesia ipse est, & universam eam continet? Hoccine est quod morbi nostri auferuntur ex assumptione carnis nostræ? Hoccine est quod miscemur Deo, Deique naturam ita apprehendimus & consequimur, sicut ipse nostram?

In Psal. 131

In Psal. 125

III. Ex Athanas.

Quid Athanasium, quid Cyrillum memorem, qui toti sunt in hac exaggeranda incarnationis Verbi necessitate, ut vitæ sanctitatisque increatæ in naturam nostram immigratione vitia mortisque vincula exolverentur? Athanasius:

L. de Incarn. Verbi.

Id quoque sciendum, luem illam non extra corpus hæsisse, sed corpori agnatam coalitamque fuisse: & necesse erat emota corruptione vitam ei infarciri, ut quemadmodum in corpore mors extitisset, ita in eodem vita existeret. Quod si igitur extra corpus mors fuisset, extra corpus etiam oportuisset vitam ejus subsistere: sin verò in corpore coaluit, consertaque mors fuit, ac veluti cohærens ei dominabatur, necessum quoque fuit vitam cum corpore coalescere consérique, ut ita corpus imbutum vita, corruptionem extruderet. Et rursum: *Probè Propheta locutus est, Gestavit infirmitates nostras; nec dixit, Curavit infirmita-*

Orat. 4. contra Arianos

mitates nostras : ne quasi extra corpus humanum consistens corpusque sanans uti semper fecit , obnoxios iterum morti homines relinqueret. Et alibi frequentissimè in hoc instat Athanasius, ut inserta ipsa Deitatis substantia abigantur morbi mortalitatis nostræ.

IV. Ex Cyrillo Epi. 1. ad Succes.

Cyrillus item : *Adserimus igitur ex Adam prævaricatione humanam naturam in corruptionem incidisse, cumque animus noster voluptatum carnis ac motuum insitorum tyrannico dominatu premeretur , necessarium ad salutem fuisse nobis , qui in terris degimus, Dei Verbum hominem fieri , ut humanam carnem corruptioni subjectam, & voluptatum cupiditate laborantem , propriam faceret ; & cum vita sit , ac vivificator, destrueret corruptionem quæ illam invaserat, &c. Quapropter quia humana caro facta est Verbi propria , desiit jam corruptioni succumbere ; & quia tanquam Deus peccatum non fecit , cum eam sibi univisset ut dixi, propriamque fecisset , desiit etiam illa voluptatibus cupiditatique subjacere, neque hoc sibi acquisivit unigenitum illud Dei Verbum , sed proculdubio nobis.* En artem profligandi peccati interitusque, videlicet inserta Verbi præsentia.

V. Oleum sanctitatis, quo Christus ungitur, in ejus membra defluit.

Declaratur 5. Eodem oleo increatæ sanctitatis ungitur quisque Christianus, ut hoc nominis asserquatur, quo Christus ipse, etsi nec tanta copia , nec principaliter, aut ad personæ excellentiam & authoritatem. Capitis enim, ut ad nauseam usque jam inculcatum est, hæc sunt peculiaria insignia , ut & ubertate vitæ & personæ imperiique principatu reliqua antecellat membra. Sed cùm intacta hæc illi constiterint, membra tamen omnia, ejus beneficio, & suo quæque modulo ungentur oleo exultationis eodem , quo Christus ipse est. Macarius : *Quemadmodum ab igne accenduntur multæ lucernæ & lampades ardentes : cunctæ verò lampades ac lucernæ ab unica natura accenduntur & lucent. Haud aliter etiam Christiani accenduntur & splendent ab unica natura ignis divini , Filii Dei, habentque lampades ardentes in cordibus suis, & agentes in terra, lucent in conspectu ejus, sicut & ipse. Ait enim , Propterea unxit te Deus , Deus tuus oleo lætitiæ. Idcirco cognominatus est Christus, ut eodem oleo quo ipse unctus est, nos etiam uncti efficiamur Christi : ejusdem ut ita dicam substantiæ & unius corporis. Ait rursum, Qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno omnes. Quare similes aliquatenus sunt Christiani lucernis habentibus in se oleum, id est, fructus justitiæ ; ac nisi accendantur in eis lucernæ à lucerna numinis divini, nihil sunt. Dominus erat ardens lucerna, propter Spiritum divinitatis substantialiter in ipso manentem, & incendentem cor illius secundum naturam humanam.* Macario authore , substantialiter in Christo erat oleum increatæ sanctitatis : & nos eodem oleo ungimur, ideoque non Christiani tantùm , sed Christi sumus , ejusdem cum Christo substantiæ & concorporei : & ita de Christi oleo ac lumine consubstantiali locupletamur ; ut lucernæ aliæ ab aliis oleo eodem eodemque lumine ditescunt. Chrysologus : *Sicut Reges triumphorum suorum titulis nuncupantur , & subjectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta : ita Christus bonorum suorum titulis nuncupatur : à Chrismate enim vocatus est Christus , qui divinitatis unguentum aridis jam mortalium membris pius mediator infudit. Et ut à Chrismate Christus , sic Jesus vocatus est à salute ; qui ob hoc nos divino infudit unguento , ut ægris certam salutem, perditis perpetuam redderet sanitatem.* Hinc monemur Christum à divinitatis unguento nuncupatum, quo nimirum perfudit nos. Etenim salutiferum unguentum aridis mortalium membris aspergi conducebat : Ergo Christiani dicimur , quia eodem ipso substantivæ Verbi sanctitatis oleo ungimur. Rursum idem : *Posteaquam Dei Filius sicut pluvia in vellus nostram se fudit in carnem toto divinitatis unguento, ab unguento nuncupatus est Christus, &c. Hoc ergo unguenti nomen effudit in nos, qui à Christo dicimur Christiani ; & impletum est illud quod cantatur in Canticis Canticorum, Unguentum effusum nomen tuum.* Et Augustinus : *Christus à Chrismate. Non solum autem caput nostrum unctum est, sed & corpus ejus nos ipsi, &c. Concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, ut in illo & nos Christi essemus. Ideo ad omnes Christianos pertinet unctio, &c. Inde autem apparet Christi corpus nos esse, quia omnes ungimur, & omnes in illo, & Christi & Christus sumus ; quia quodammodo totus Christus caput & corpus.* Quid expressius dici potuit ut eadem unctione, eodem oleo ungi, & idem ipse Christus fieri Ecclesia commendetur cum Christo ? Quin & Christus ipse non tam unctus, quàm unguentum ipsum : non tam Christus, quàm Chrisma dicitur, quo nos ungimur ; sed & Ecclesiæ Chrismate solemni designari traditur à sanctis Patribus . Augustinus : *Unus magnus Sacerdos, cui fusum est super caput ex oleo Christo ; ipsum oleum appellat Scriptura Christum.*

Hom. 43. — Serm. 57. — Serm. 60. — In Psal. 26. — L. qq. in Levit. q. 19.

VI. Rursus unum idem oleum à plenitudine Christi in nos stillet.

Oleo igitur Deitatis irrorari nos, seu substantiali ejus sanctitate, liquet ex eo quod præ participibus suis unctus sit Christus , hoc est ejusdem olei copia longè exundante. Item quod teste Macario qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno omnes, id est, eodem sanctitudinis oleo ardent & lumine, licèt non æqualiter. Item quod non aliter Scripturæ appellitant Spiritum , quo Christus & quo nos ungimur , etsi de pulcritudine ejus nos hauserimus. Item quod ab eodem Chrismate ille Christus , nos Christiani cognominemur ; at à Deitatis Chrismate nomen illi Christo est , ergo & nobis eadem Deitatis unctio Christianis nomen addidit. Item quod non Christiani tantùm, sed Christus simus : nec Christi tantùm, sed omnes unus Christus ; & Christus non tam Christus seu unctus sit, quàm Chrisma ipsum oleumque sanctitatis. Item quod cùm medicinaliter infusum naturæ nostræ fuerit Deitatis unguentum , ut peccati mortisque morbos & pestes omnes excinderet, infudi utique oportuerit illud , non tantùm sano & innoxio capiti, sed languentibus mortalium membris . Denique si eodem quo Christus perfusus est, nos non saltem conspergamur increatæ sanctitatis oleo , eccur concorporari nos Christo ait Augustinus, & membra ejus fieri, ut ungamur in eo, & Christi simus, & Christus simus? Eccur Chrysologus divinitatis unguentum ait infusum esse aridis mortalium membris ? Eccur Macarius consubstantiales nos Christo fieri ait, & eodem cum ipso ungi oleo, & Christos fieri ; & de ejus ipsissimo oleo & lumine flagrare nos, sicut plures de una lucerna accenduntur?

VII. Suos sibi Christus conglutinat & corpore suo, & Spiritu suo substantivo utroque vinculo.

Declaratur 6. Duplici nos sibi glutino coaptavit Christus, utroque substantiali , ne unitas capitis cum membris , qua universa hominum salus , Deique laus continebatur potissimùm , parum certis nexibus committeretur. Corpore nimirum suo , & Spiritu suo impertiit nos , atque ita se nobis, nosque sibi substantivè infudit conseruitque. Et nemo quidem Catholicus ambiget , quin corporis sui substantia saginet nos Christus in principe Sacramento , atque ita nos sibi substantivè coagulet & fermentet. Quod autem exinde conveniens & consentaneum sit, ut & Spiritus sancti sui substantia ipsa , non deciduo tantùm aliquo fructu & creato dono nos sanctificet, plurima sunt quæ id suadeant. Nam primò caro Christi vehiculum est Spiritus sancti ; quibus ergo invehitur, non potest non advehere concretam sibi quodammodo substantiam Spiritus sancti. 2. Rursum caro Christi via est qua trajicitur in totam naturam divinitas ; quibus ergo dispensatur caro, in eos per deificam carnem trajicitur Deitas. 3. Item cùm caro Christi in

in esitantes immigret, sed & paulò pòst demigret, supereſt ea avolante fructus aliquis. An accidentium ſupellex quamlibet elegans? at pluſculum forſan de ſubſtantivo Dei in nos adventu expectabatur. 4. Rurſum ſeipſum, non ſua tantùm nobis ſanctificandis impendit Chriſtus. Ut ergo non corporis tantùm ſui defluas dotes, ſed ipſammet corporis ſui ſubſtantiam prodigit: ita & Spiritus ſui non munuſcula tantùm, ſed ſubſtantiam affundet. 5. Cùm autem caro à munere ſanctificandi ſubaliena, ſubſtantialiter tamen nobis ſanctificandis impendatur: quantò convenientiùs Spiritus ſancti ſubſtantia noſtræ ſanctificationi, quæ propriæ ejus ſunt partes, ſemet impendet? 6. Item nec tantoperè opus erat Chriſtianæ genti carnem abdicanti, & in ſpiritalia penitus imminenti, carnali copula vel ſecum ipſam, vel cum ſuo capite devinciri; & tamen carnali hac copula per Chriſti carnem conſultum illi eſt. Quantò æquiùs creditur eam, & ſibi, & ſuo capiti conſtringi vinculo Spiritus ſancti ſubſtantivo magis magiſque indiſſociabili? 7. Frangenda multifariam eſt natura corporis, ut in loca ſpargatur plura, & veſcenda porrigi inviolabiliter poſſit, veſcenteſque conglutinet; ut his vicibus fungendis aptetur caro, in Spiritum reformanda quodammodo eſt. Quin ergo vehementiùs fungatur hoc munere ipſe Spiritus, cujus hoc ingenium eſt? 8. Et cominus inſpicientibus id forſitan argumenti ſatis eſt, ut Spiritus ſancti ſubſtantia inſeri ſanctificandis fidelibus per Euchariſtiam exiſtimetur, quòd Spiritus ſanctus ſuum ſibi inflectit, ſuiſque moribus adaptat vehiculum, carnem videlicet Chriſti, ſuam illi naturam vimque inſpirat, loca inſidendi plura, illocaliter loca implendi, ſanctificandi. Ut indubitatius ſit, ſin minùs nobis, certè oculatioribus, quod ſubſtantia Spiritus ſancti, quàm quod caro Chriſti per Euchariſtiam erogetur; propterea quod non poſſet ita ſpiritaliter erogari caro Chriſti ipſiſſima, niſi ut per eam ſeſe Spiritus ſanctus erogaret, eamque ad immenſitatis, & ſpiritalitatis, & ſanctitatis ſuæ vim naturamque proriperet. 9. Quippe carnem ipſam capitis in membra ſpargi, poterat minùs neceſſarium videri. At ſpiritum capitis ſubſtantialiter membris ineſſe, id verò ad corporis integritatem nemo non deſiderat. Ergo ſi caput noſtrum membra ſua eo uſque complicare ſibi voluit, ut & ſuam carnem illis inderet, ſimillimum veri eſt Spiritus ſui ſubſtantiam non denegaſſe. 10. Præit nobis conceptis verbis in hanc ſententiam Chriſtus dum ait, *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam*. Inſipida enim & infrugifera planè fuerit vel Chriſti caro, niſi Spiritum invehat Deitatis. Quò nobis enim carne Dei veſci, ſi mens noſtra perſtat jejuna inopſque? Quò nobis de carne Dei ſubſtantivè ſaginari, ſi mens noſtra de Deo non ſaginatur, ſi ſola mandat Deitatis ſimulacra? An carnem noſtram pluris facit Deus, quàm mentem? An de Deo plus capit caro noſtra, quàm mens? An poteſt caro noſtra de ſubſtantia Dei veſci, non poteſt mens noſtra? An verò caro Dei prolixior eſt, ſuique liberalior, quàm Spiritus Dei? An vitæ ſanctitatique inſinuandæ & propagandæ opportunior eſt caro Dei, quàm Spiritus Dei? An rurſum caro Dei ſanctificare aliter poteſt, quàm invehendo Spiritum Dei? Vehiculum enim caro iſta eſt, ſed veræ Deitatis.

VIII. Ex Cyrillo. L. 11. in Joã. pag. 998. Cyrillus: *Ut ergo ad unitatem cum Deo & inter nos contenderemus, atque nos unà commiſceremur, licet corporibus & animis alii ab aliis differamus, rationem quandam excogitavit unigenitus, per convenientem ſibi ſapientiam & conſilium Patris. Uno enim corpore, ſuo nimirum, fideles omnes benedicens, per myſticam communionem, cum eos ſibi, tum etiam inter ſe concorporales efficit. Quis enim eos qui per unum illud ſanctum corpus ad unitatem cum Chriſto conjuncti ſunt, deſtituerit, & à naturali inter ſe unione removerit?* Sic ille alteram per corpus Chriſti copulationem noſtram proſequitur. Deinde ad alterum unionis genus per Spiritum ſanctum ſe confert: *De unione verò ſpiritali dicemus rurſus, nos omnes accepto uno & eodem Spiritu, ſancto nimirum, commiſceri quodammodo & inter nos & cum Deo. Licèt enim multi ſimus, & in unoquoque noſtrum Chriſtus Spiritum Patris ac ſuum inhabitare faciat, unus tamen eſt & indiviſibilis, qui ſpiritus invicem diſtinctos quatenus ſingulariter ſubſiſtunt, in unitatem colligit per ſeipſum, & omnes velut unum quid cerni facit in ſeipſo. Quemadmodum enim ſanctæ carnis virtus concorporales reddit eos in quibus eſt, eodem opinor modo, unus in omnibus indiviſibilis inhabitans Dei ſpiritus ad unitatem ſpiritalem omnes cogit*. Advertis quàm accuratè diſpeſcat utrumque noſtræ cum Deo & cum fidelibus aliis copulæ nexum, & utrumque ſubſtantivum inſinuet, corpus & ſpiritum Chriſti. Si ſpiritus enim niſi per ſua dona nos non incoleret adunaretque, non utique cum Chriſti corpore componeretur, quod ſubſtantivè percipimus; nec indiviſibilitate ſua adeo jactata juvaret nos & vinceret, cùm donorum tantùm diſtributione diſpeſceret nos potiùs; nec ſpiritalem unitatem ſatis ſtringeret, quam corporali adeo imparem eſſe ſineret. Et tamen ait Paulus, *Unum corpus & unus ſpiritus*, ut unitas ſpiritalis arctiſſima ſit in corpore adeoque maximè ſubſtantiva. Ecquis enim æquo ferat animo, cum conglutinatio corporis Chriſti & à carne & à ſpiritu ejus expectetur, ſtrenuius has partes obire carnem, quàm ſpiritum? Et ibidem Cyrillus: Ibid. pagin. 1001. *Ego in eis & tu in me, ut ſint conſummati in unum. Eſt enim nobis Filius, corporaliter quidem ut homo, nobiſcum commixtus & unitus per Eulogiam myſticam; ſpiritualiter autem ut Deus ſui ſpiritus virtute & gratia, ſpiritum qui in nobis eſt inſtaurans ad novitatem vitæ, & divinæ ſuæ naturæ conſortes faciens.* Et paulò pòſt: *Conſummati ergo ſumus in unitatem cum Deo ac Patre, Chriſto mediante. Suſcipiendo quippe in nobis & corporaliter & ſpiritaliter eum, qui natura & vere Filius eſt, qui ſubſtantialem cum eo habet unionem, ſupremæ naturæ participes & conſortes facti glorificati ſumus.* Cùm ait Chriſtus, *Ego in eis*, non ſuorum aliquid, non ſua omnia, ſed ſeipſum in nobis fore pollicetur, ſe ipſum & carne ſua & ſpiritu ſuo; cumque ſubdit, *Ut ſint conſummati in unum*, unitatem conſummatiſſimam non qualicumque retinaculo committit, ſed ſibi ipſi ſumit aſtringendam; & quidem nobis adhuc carnalibus compertum ſatis eſt, quàm conſummatam unitatem carne ſua ſubſtantivè impartienda præſtet Chriſtus; ſpiritalibus autem, utputa Cyrillo, aliiſque de Patrum ſenatu optimatibus peræquè liquebat, ſpiritus Chriſti ſubſtantiva fideles in omnes refuſione aliquanto perfectiorem colligari unitatem. Adunare enim Deo proximoque, adeoque in totum ſanctificare, denique unitatem ſeu charitatem ſanctitatemque conſummare, non indoles, non natura carnis eſt, ſed Spiritus ſancti: & his muneribus cùm defungitur carnis Chriſti ſubſtantia, ſubſtantiæ ſpiritus famulatur, & obſequentem ſe ſequacemque illi præbet.

IX. Ex eodem. Dial. 1. de Tr. Cyrillus idem: *Unitatem verò cum Deo, non in nudis ac ſolis voluntatum propenſionibus aſſequimur, ſed alia nos quoque ratio in hoc conjungit arcana & neceſſaria. Ut enim nos divinus Paulus docuit, unum corpus multi ſumus, ex eo quod de uno pane participamus.* Et paucis interpoſitis, *Concorporei facti ſumus in Chriſto, una carne paſti, & uno ſancto Spiritu ad unitatem obſignati. Et cum Chriſtus ſit indiviſibilis, neutiquam enim diviſus eſt, unum omnes ſumus in ipſo. Ideoque ad Patrem cœleſtem dicebat, ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus. Vide enim ut in Chriſto & ſancto Spiritu* omnes

omnes unum sumus, tum secundum corpus, tum secundum spiritum. Disertè negat Cyrillius sola voluntatis inclinatione, aut verò qualitatibus solis nos & Deo & nobis invicem adhærescere; substantivè enim nos & corpore & spiritu Christi constringi. Utrumque enim præmonuit Paulus cum dixit, *Unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus*. Et alibi: *Unum corpus, unus spiritus*. Nec abs re duo hæc in unum connexuit Cyrillus; quippe ut corpora carne Christi, ita mentes nostras spiritu Christi connecti oportuit: & tantò magis substantia spiritus connecti mentes, quàm substantia carnis corpora, quantò mentium quam corporum unitas plus ad sanctimoniam & salutem adfert momenti; & quantò ex unitate mentium facilè coalescunt corpora, non vicissim; & quantò denique carnis ipse esus ad mentes magis pertinet, quàm ad corpora. Quippe caro Christi velut cortex est & nucleus, quo Deitas occultatur, trajiciturque in nos. Cùm ergo carne carnem commandimus, spiritu nostro spiritum Christi carni ejus infusum sugimus, eoque increatæ sanctitatis succo saginamur.

X. Ex eodē, ut nos & corpore, & Spiritu suo inhabitet Christus. L. 4. advers. Nestor.

Idem rursum Cyrillus: *Quemadmodum verò vivificum est illud ipsius Verbi corpus, quod sibi proprium fecit per veram unionem; sic nos quoque qui illius sanctæ carnis participatione fruimur, omnino vivificamur, cum in nobis maneat Verbum, non solum divino modo per sanctum Spiritum, verum etiam humano per sanctam illam carnem, pretiosumque sanguinem*. Habitat in nobis Christus non solum corporaliter, σωματικῶς, vel ut homo, ἀνθρωπίνως, sed etiam πνευματικῶς spiritaliter, vel θεικῶς ut Deus: id est non solum corporali & humano, sed etiam spiritali & divino modo. An ergo corporalis & humanus ille inhospitandi modus proprius erit & substantivus, iste autem spiritalis & divinus tantum umbratiliter peragetur? An per accidentia creata incolet nos θεικῶς, per carnem verò deificam ἀνθρωπίνως? An potius quia carnali ad huc gravamur mente, quę carnis sunt magnificamus, quæ spiritus sunt insuper habemus? Et unio corporalis per carnem Christi, pulsat animum & obstupefacit; unio vero spiritalis per Spiritum sanctum, aspernabilior, & prope ludicra videtur, solisque verbis fucata? Longè alia constaret animo sententia, si infixum altè menti esset, totum carnis Christi apparatum spiritui præstrui; carnis ejus esum sanctificandæ menti maximè servire: corporalem cum eo humanamque copulam spiritali copulæ famulari, ideoque tam veram, tam substantialem esse spiritus Christi in nos, quàm carnis Christi immigrationem.

XI. Ex eodem. L. 4. In Joan. pag. 354. 376.

Rursus idem Cyrillus: *Dedit ergo suum corpus Christus pro vita omnium, & per ipsum rursus in nobis vitam inserit. Postquam enim vivificum illud Dei Verbum in carne inhabitavit, in suum bonum eam, hoc est ad vitam reformavit, & omnino ei ineffabili unionis modo conjunctum, vivificam reddidit, non secus ac ipsum est secundum naturam. Proinde Christi corpus vivificat eos qui ejus sunt participes*. Et aliquanto pòst: *Quia enim vivificanti unita est Verbo, idcirco facta est tota vivifica, ad potioris virtutem evecta. Licet igitur natura carnis per se vivificare nequeat, idipsum tamen præstat, Verbum vivificum in se habens, & totam ejus efficacitatem proferens*. Et statim, *Quapropter de reliquis omnibus verè dicitur quod caro non prosit quidquam: de solo Christo non poterit, propterea quod in ea vita habitet, hoc est unigenitus, &c. Totum demum corpus suum vivifica virtute spiritus replet. Spiritum enim deinceps carnem suam nominat, ita tamen ut non propterea carnem esse neget; sed quia perfectè ei est unita, & tota ejus vivificam vim induit, idcirco spiritum quoque eam nominat. Si enim qui Domino adhæret, spiritus cum eo unus est, quomodo non potius proprium ejus corpus unum cum ipso nominabitur?* Nimirum illis Christi verbis, *Spiritus est qui vivificat*, & his pariter, *Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt*, interpretatur Cyrillus spiritum vocari carnem Christi, quod imbuta adeo sit & inebriata Spiritu sancto, ut vim ejus & nomen meritò obtineat: ex quo pronius est conjectare cum substantia carnis Christi substantiam Spiritus Christi unà hauriri.

XII. Ex Nisseno.

Gregorius Nyssenus Oratione in illud, *Tunc ipse Filius subjicietur, &c.* hæc habet Cyrillo apprimè consonantia; *Gloriam quam dedisti mihi, dedi eis. Suam ut puto hic dicit gloriam Spiritum sanctum, quem dedit discipulis per insufflationem. Neque enim possunt aliter uniri, qui sunt à se invicem disjuncti, nisi unitate spiritus simul in unam conjungantur naturam, &c. Deus enim Verbum qui ante mundum gloriam Patris habebat, postquam in ultimis diebus caro factus est, oportebat carnem quoque per contemperationem cum Verbo, illud effici quod est Verbum: fit autem, id accipiendo quod ante mundum habuit Verbum. Id autem erat Spiritus sanctus*. Caro per κρᾶσιν suam seu contemperationem cum Verbo, spiritu Verbi usque adeo intincta est, ut idem evaserit quadantenus quod Verbum; atque ita nobis invehat inspiretque substantiam spiritus Verbi.

XIII. Ex Paulino Episcopo Nolano. Epist. ad Alethium.

Contexuit & hæc duo carnis Christi & spiritus Christi substantialia dona Paulinus Episcopus Nolanus: *Qui ita per Christum Deo juncti & insiti sumus, ut Dei arrhabonem teneamus in terra nostra, Spiritum sanctum quem dedit nobis: & nostri pignus habeamus in Deo carnem Christi: quia intervallum illud immensum quo à divinis mortalia disparantur, medio &; inter utraque communi interventu suo, velut quodam ut sic dixerim ponte continuat, ut ejus tramite terrena cœlestibus conserantur*. Deum hominibus, homines Deo devinxit Christus, mutuamque fidem alternis obligavit pignoribus. Nam & pignus nostri habemus in Deo, carnem Christi: & pignus Dei tenemus in nobis, spiritum Dei. Reciproca hæc est per arrhas ultro citroque adsignatas fidei obligatio. Quàm verè ergo caro nostra in Deo est per Christum, tam verè spiritus Dei in nobis est per eundem Christum.

CAPUT X.

Substantiva Deitatis sanctitas, seu Spiritus sanctus, ut imago Verbi, Christi membris imprimitur.

I. Ex Scripturæ locis cōpluribus sanctificat animas hospitio suo Spiritus sanctus.

Declaratur 7. sanctificari fideles, infusa eorum mentibus substantia Spiritus sancti, qui increata Deitatis sanctitas est. Id autem uno calculo Græci Patres efficiunt ex eo quod Spiritu sancto, ut Verbi imagine formemur; & ita juxta Paulum, conformes simus imagini, idest formati imagine Filii Dei, seu Spiritu sancto. Quod Spiritu sancto signemur, *in quo signati estis in diem redemptionis*, ait Paulus. Quod eo ungamur, *Et unctio quam accepistis ab eo, manet in nobis*, ait Joannes. Quod eo vivificemur, *Vivificabit mortalia vestra corpora per inhabitantem ejus Spiritum in vobis*, ait Paulus. Quod eo sanctificemur, & consecremur in templa ejus, *Nescitis quod templum Dei sitis, & spiritus Dei habitat in vobis, templum Dei sanctum est quod estis vos*, ait idem Paulus. Quod ejus in animis nostris hospitio, & Deus in nobis maneat, & nos in Deo permaneamus, *In hoc cognoscimus quod in Deo manemus & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis*, ait Joannes. Quod eo nobis infuso, tanquam Deitatis semine, & novæ substantiæ primordio, renovemur & regeneremur in Dei filios: *Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter per Jesum Christum*, ait Paulus. At his omnibus significatur

non

non doni alicujus largitio, sed præsentia Spiritus sancti substantiva, quia ipse substantialiter imago est, & sigillum, & unguentum, & vita, & sanctitudo, & animarum templorumque hospes, & innovatæ ad pietatem vitæ forma. Si gratia autem tantùm creata nos donaret, nec suam ipse insereret nobis substantiam, imponeret nobis quod dictu nefas, scriptura, & ipsam semper substantiam personamque Spiritus sancti pollicitando, inani nos spe ludificaret. Nec enim dicendus fuerat Spiritus sanctus imago Filii, sed imaginis pictor: nec sigillum, sed sigilli insculptor: nec unguentum, sed unguenti largitor: nec hospes, sed inhospitantis gratiæ conditor: nec effusum regenerationis nostræ semen, sed seminis creator.

II. Ex Athanas. Luculenta hæc scripturæ testimonia conglobavit Athanasius Epistola ad Serapionem, ex iisque fundatissimam fidem de divinitate Spiritus sancti roboravit: quòd hæc nomina atque munera sustinere non possit Spiritus sanctus, nisi pari cum Patre Filioque & consubstantiali Deitate fulgeat. At hujus teli quo ille hæreticos confecit, vim nos catholici aciemque hebetamus, si hæc nomina atque munia subire potest creatæ gratiæ sola qualitas habitualis. *Iam & unguentum dicitur Spiritus & sigillum, quum Joannes scribat, Et unctio quam accepistis manet in vobis, &c. Paulus autem ait, In quo quum credideritis, signati estis in diem redemptionis. Quod si res conditæ eo signantur & inunguntur, & de omnibus docentur: ipse autem Spiritus & sigillum & unguentum est, in quo omnia inungit & signat Verbum, quæ similitudo aut cognatio unguenti & sigilli cum rebus inunctis aut sigillatis? Quapropter non utique erit Spiritus sanctus ex creaturis. Nunquam enim sigillum ex sigillatis, vel unguentum ex inunctis fuerit; sed proprium Verbi quod inungit & sigillat.* Ultro patet non sigilli, aut imaginis divinæ in nobis insculptorem, aut unguenti deifici infusorem esse Spiritum sanctum, sed sigillum & unguentum esse ipsum; Verbum autem sigilli unguentique sui seu Spiritus sui esse largitorem. Et ibidem rursus: *Sigillum porro formam Christi sigillantis habet; ejusque participes efficiuntur, qui signantur, formati secundum ipsum, dicente Apostolo, Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Ita porro consignati merito consortes efficimur divinæ naturæ, ut Petrus dixit. Atque ita omnis creatura particeps fit Verbi in spiritu; & per spiritum dicimur omnes participes Dei.* Si particeps Verbi, si divinæ consors naturæ effici quis abundè potest percepto tantùm gratiæ creatæ beneficio, quin altercari rursum & sopitas exsuscitare lites ausit Macedonianus quispiam, atque creaturam nihilo minus causari Spiritum sanctum, etsi eo nobis infuso divinę Verbi Dei naturæ qualecumque consortium impetremus? Ita nostris ipsi manibus emolimur antiquissima & hactenus inconcussa fidei nostræ propugnacula.

III. Ex Athanas. rursum. Athanasius ibidem: *Nescitis quod templum Dei sitis, & Spiritus Dei habitet in vobis, &c. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Jam si Spiritus creatura esset, non efficeretur per eum consociatio Dei in nobis, sed creaturæ conjungeremur, alienique efficeremur à natura divina.* Creaturæ non est Deo copulare, creaturæ non est copiam facere Deitatis: æquum est, ut creatis donis ad tantæ copulæ splendorem præparetur animus, sed ipsa copula copiaque Deitatis ab ipsa sine medio expectanda est. *In Deo manemus & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Si autem præsentia Spiritus, qui nobiscum est, efficimur consortes divinæ naturæ, insanierit profectò si quis hoc dicat fieri per spiritum creatum, & non per Spiritum Dei. Ob eam enim causam in hominibus est, & ii in quibus est, deificantur. Quod si ille deificet, ambiguum esse non potest, quin hujus natura Dei sit natura.* His planissimum est, Spiritum sanctum à sanctis Patribus prælucente splendidissimo Scripturarum lumine unanimiter prædicari, ut formam ipsam sanctitudinis, qua in Deos, & in divinæ naturæ collegas evehimur.

Idem ibidem: *Quin etiam Filii imago est Spiritus sanctus. Quos enim præcognovit, eos etiam prædestinavit conformes imagini Filii sui. Igitur quum pro eorum confessione Filius res condita non sit, neque etiam ejus imago res condita fuerit.* Fracta & elumbis jacet hæc tota Catholicorum Patrum argumentatio, si imago Filii qua formamur, seu gratia qua conformamur Filio, res est tantùm creatitia; idem quippe dedecus in Spiritum sanctum fidei catholicæ hostes repercutient. IV. Ex eodem.

Basilius: *Quod si homines non possunt ad similitudinem informare materias, nisi idea ipsorum participent, quomodo ad similitudinem Dei creatura ascendet, nisi divino ejus charactere participarit? Divinus vero character non sicut humanus est, sed vivens & vere existens imago, imaginis effectrix; per quem omnia quæ participant, imagines Dei constituuntur. Imago quidem Dei Christus est, Qui est imago, inquit, invisibilis Dei: Imago vero Filii Spiritus, quo qui participant, Filii conformes fiunt, secundum illud, Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus.* Et infrà: *Sed & imago vera justè appellabitur, non ex imagine divina sicut nos. Propterea namque cum ipse imaginem exprimat, non ab imagine exprimitur, & cum unguentum ipse sit, non ungitur. Unctio verò Spiritus in nobis. Et quid dixi in nobis? Imò & in Christo Domino secundùm carnem: Iesum, inquit, à Nazareth unxit Deus Spiritu sancto. Christus igitur per Spiritum & unctionem quæ est in Spiritu: quare non per alienum à Deitate, unctio Domini est & nomen Christi, & qui ab illo Christiani vocantur: vere enim deplorandum esset, si etiam salutis nostræ nomen à creatura inciperet.* Unguentum est Spiritus sanctus, quo inunctus est Christique nomen adeptus Christus; unguentum inquam istud est Spiritus sanctus, non creati unguenti author. At nos eodem ungimur unguento; nec enim in unctionis & unguenti nomine Christum inter & nos discriminis quidquam interposuere vel Scripturæ, vel Patres, quàm penes copiam & principalitatem. Deinde Christianum nomen quo constat salus omnis, à creato unguento derivari æquè contumeliosum foret. Similiter ergo imago est Spiritus sanctus, non effector tantùm creatæ imaginis, qua ad Filii similitudinem expingamur. V. Ex Basilio. l. 5. adv. Eunom.

Cyrillus autem totus est in imagine Deitatis hac adserenda, quæ per Spiritus sancti substantiam imprimitur, *Imago quippe & similitudo, & tanquam facies Dei ac Patris est Filius; lumen autem ab illo in nos missum est Spiritus sanctus, per quem obsignamur, ad primam imaginem reformati per sanctificationem.* Et infrà: *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis; formatur autem Christus in nobis sancto Spiritu nobis divinam quandam formam per sanctificationem & justitiam indente. Sic enim, sic in animis nostris elucet character substantiæ Dei ac Patris, reformante, ut dixi, sancto Spiritu nos, per sanctificationem in ipsum.* Et alibi: *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, non absque sanctificatione Spiritus animum homini datum esse significans, sed nec expertem penitus naturæ divinæ fuisse constitutum. Nec enim ad supremam illam imaginem animal tam vili ortu præditum expressum fuerit unquam, nisi formationem illam per Spiritum, ceu pulcherrimam quandam faciem, voluntate nimirum Dei nactus esset. Nam cùm unigeniti substantiæ sincera imago sit Spiritus ejus, ut Paulus scribit, Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, eos in quibus extiterit, conformes reddit Patris imagini, id est Filio.* Audis ut Spiritus sanctus indat imaginem Filii, inexistendo, non tantùm creando, adeoque imprimendo se substantivè, non infundendo tan- VI. Ex Cyrillo, L. 1. in Isaiã. Orat. 5. L. 4. Orat. 2. L. 11. in Joan. pag. 988.

tantùm quidpiam aliud à se. Quippè imago Filii ipse est, non imaginum Filii delineator; facies Filii ipse est, non faciei expictor; seipsum ergo substantivè indet, non modò à se aliquid creatum effundet. Deinde cùm imago Dei divinæ sit naturæ consortium, nulla creatura est, nulla creata qualitas, qua comparata Deitatis consortium qualecumque comparemus. Nam creata qualitas quantalibet exaggeretur, creata nihilo secius est; eaque donati præstantioris naturæ copiam adipiscemur, sed creatæ tamen, non increatæ, non divinæ naturæ consortes efficiemur. Denique spiraculum illud vitæ, quo afflatus est à Deo primus parens, authore Cyrillo, suffragatoribus plerisque Theologiæ Græcæ ducibus, Spiritus sanctus seu imago divina extitit. Spiritus ergo sancti substantia, non ejus creata tantùm quæpiam gratia inspirata est nam si creatæ solùm gratiæ aura afflata esset, diceretur Spiritus sanctus eam inspiralle, non inspiratus esse; diceretur spirator extitisse, non spiraculum.

VII. Ex eodem. Cyrillus idem ibidem paulò pòst: *Nostra ad Deum reversio non aliter per servatorem Christum facta intelligitur, quàm per participationem Spiritus & sanctificationem. Spiritus enim est qui nos conjungit, atque ut ita dicam, unit cum Deo; quo suscepto participes & consortes divinæ naturæ reddimur, eumque suscipimus per Filium & in Filio Patrem. Scribit Joannes, In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Quid porro Paulus? Quoniam, inquit, estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, &c. Ita ut si nos forsan expertes essemus Spiritus, ne in nobis quidem penitus agnosceretur esse Deus. Quomodo igitur assumpti sumus, aut quomodo naturæ divinæ consortes redditi sumus, si neque Deus in nobis est, neque nos ei adhæremus per hoc quod vocati sumus ad participationem Spiritus? Atqui participes & consortes cuncta exuperantis substantiæ & templa Dei nuncupamur.* Adverte quàm constanter Cyrillus aliorum insistens vestigiis & exemplis Patrum, nostræ sanctificationi non donum modò creatum interserit, sed unam totamque Trinitatem ad partes vocat, ut formemur Spiritu sancto, hoc est imagine Filii in quo Pater est. Deinde cujuslibet naturæ consortium, nisi substantiali ejus refusione nusquam cuiquam obtingit: nec enim consors vitæ fit corpus, nisi insinuata vitæ seu animæ substantia: nec particeps lucis fit aer, nisi lucis ipsam hauriat naturam; nec naturæ ergo divinæ consortes per Spiritum evadet quisquam, nisi per Spiritum divina ei inhospitetur substantia. Nec verò prætexi potest, ita creaturam suis exilire finibus, Deumque fieri: Non enim fit anima corpus, etsi fit particeps substantiæ animæ: nec aer in lucis naturam deficit, etsi substantia lucis ei infunditur. Denique non vacat illud, quòd sacræ litteræ nusquam non ipsissimum nobis inesse Spiritum sanctum deprædicant. Vel illud unum, quòd templa simus Spiritus sancti, ad quæ dona ejus rapi potest? An enim donorum vel creatarum qualitatum templa usquam sunt? An verò potest incolere templa sua Spiritus sanctus, nec ea sanctificare? Et unde ergo templorum sanctitas venanda est, nisi ab inhospitante numine? Et quid aliud est templa sanctificari, quàm à sanctitate ipsa, id est, à Spiritu sancto inhabitari?

VIII. Ex Cyrillo. Cyrillus idem paulò infrà: *Unio cum Deo non aliter in quoquam esse potest, quàm per Spiritus sancti participationem, inserentis nobis propriam sibi sanctificationem, & ad suam vitam reformantis subjectam corruptioni naturam, atque ita ad Deum & ad Dei formam gloria ista privatos revocantis. Imago enim Patris perfecta Filius est, similitudo verò naturalis Filii est Spiritus ejus, Idcirco transformans in seipsum quodammodo hominum animas, divinam eis similitudinem imprimit, & supremæ omnium substantiæ effigiem insculpit.* Et rursum: *Divinæ enim naturæ participes ha-*

Dialog. 4. de S. Tr. p. 530.

bitudine ad Filium per Spiritum, non sola opinione, sed veritate sumus, quotquot credimus, & configurati sumus Deo, ad pulchritudinem quæ est super creaturam, reformati. Formatur enim Christus ineffabiliter, non ut creatus in creatis, sed ut increatus ac Deus, in creata & facta natura, ad suam imaginem transfigurans per Spiritum, & ad dignitatem creatura superiorem nos transferens. Et infrà cùm probasset non solo voluntatis consensu Patri Deo Verbum simile esse, sed substantia; nec enim similitudo Filii ad Patrem, ex voluntate usquam, sed ex natura deducitur; *Neque enim nos eadem solum cum Patre voluntas ad imaginem & similitudinem ejus naturalem efformarit, sed hoc præstiterit etiam sola naturæ similitudo, & ex ipsa substantia prodiens per omnia conformitas. Ad imaginem ergo divinam quomodo nos formati sumus? Quod inhabitantem Filium habemus & characterem divinum in nobis suscepimus, eoque ditati sumus. Per ipsum enim conformati sumus ad Deum. Species autem illa omnium suprema nimirum Filius per Spiritum nostris animabus imprimitur.* Expressiora ne in mentem quidem venire possunt, ut substantiva Spiritus sancti inhabitatio demonstretur; quid enim aliud hæc sonant, non opinione, sed veritate consortes nos fieri naturæ divinæ per Spiritum sanctum: non ut creatum, sed ut increatum & Deum formari in nobis Christum per Spiritum: non sola voluntatis consensione filios Dei nos effici, sed Filio, qui imago & species Patris est, per Spiritum sanctum nobis impresso; quid hæc, oro, quàm substantialem Deitatis produnt in animas nostras illapsionem? Mens imago Dei est, necdum quidem numeris omnibus perfecta, hians adhuc, cumulumque venustatis suæ supernè invitans; sed quantislibet creatis obruatur bonis, sive naturalia, sive naturæ limites prætergressa jactitentur illa, hiabit adhuc insatiabiliter, nec nisi parta increati hospitis satietate conquiescet. Dialo. 5. Ibi.

IX. Ex eodem Cyrillo. Thesauri pag. 360. Expressiùs adhuc idem Cyrillus: *Signati estis Spiritu promissionis sancto. Si Spiritu sancto signati ad Deum reformamur, quomodo erit creatum id, per quod divinæ essentiæ imago & increatæ naturæ signa nobis imprimuntur? Neque enim Spiritus sanctus pictoris instar in nobis divinam essentiam depingit, aliud quidpiam ab illa existens; neque hoc modo nos ad Dei similitudinem ducit, sed quod ipse sit Deus, & ex Deo procedat, in cordibus eorum qui ipsum suscipiunt, velut in cera invisibiliter instar sigilli imprimitur; & naturam suam per communicationem & similitudinem sui ad archetypi pulchritudinem depingit, Deique imaginem homini restituit.* Non pictor imaginis in nobis divinæ, sed ipsemet imago divina est Spiritus sanctus, quæ nobis imprimitur, Deique nos similes facit; adeoque Deus ipse est, quia Dei imago ad Dei similitudinem summas reformans creaturas non potest non esse Deus. Quæ Cyrilli argumentatio labat, si Spiritus sanctus pictor creatæ in nobis Dei imaginis, seu gratiæ tantùm habitualis creator est; itemque si potest creata quæpiam qualitas imago Dei ita venditari, ut Dei nos similes consortesque efficiat. Sed absit ut patritiæ olim Theologiæ fundamenta convellamus, & ea ipsi nos labefactemus munimenta, quibus Deitatis Spiritus sancti fidem Patres nostri sepiverunt. Imago igitur Deitatis ne fit usquam ulla propria, & secundarum princeps emendatrixque imaginum seu mentium, ne sit nisi Deus ipse. Etenim sui planè similis, unus est; in longam dissimilitudinem reliqua defluunt universa. Sui saltem similitudo unus est, quia ut non similis tantùm Deo, sed ut similitudo sit, necesse est ut Deitatem penitus assequatur; similitudo enim non erit, quæ vel tantillum præ se feret dissimilitudinis. Sui saltem similitudo primaria, citimarum similitudinum imaginumque seu natura-

rum

rum intellectualium reformatrix unus sit ipse: quæ enim similitudo ab elimatissima similitudine adeoque æqualitate deflexerit vel tantisper, refingere imagines omnes, & ad primigeniam integritatem restaurare non poterit.

X. Ex eodem. L. 9. In Evan. Joan. p. 811. Postremò idem Cyrillus: *Si quis Spiritum sanctum ex substantia Dei esse negat, quomodo creatura demum erit Dei particeps accepto Spiritu? aut quomodo templa Dei nuncupabimur & erimus, si creatum aut alienigenam spiritum accipiamus, non autem illum qui ex Deo est? Quomodo naturæ divinæ consortes, juxta sanctorum voces, qui Spiritus participes sumus, si creaturis ille connumeratur, & non potius ex ipsa in nos divina procedit natura; non ut alienus ab ea nobis subministratus, sed ut ita dicam, qualitas veluti quædam in nobis est & in Sanctis habitat?* Hæc nimirum germana qualitas est, qua sanctificamur: hæc qualitas teste Cyrillo Spiritus sanctus est, qui inest nobis ποιότης ὥσπερ τίς τῆς θεότητος, veluti qualitas Deitatis. Non itaque tantùm veluti creatæ qualitatis author, sed veluti increata qualitas sanctitatis inest Sanctis Spiritus sanctus, nosque supra creaturarum sortem sublimat. Nam sanctitas emersio quædam est è classibus rerum creatarum, & insertio quædam in fines Deitatis; & sanctitate non tam creatura suo in genere perficitur, quàm supra genus omne creatum in societatem divinæ adsciscitur naturæ.

XI. Ex Primasio. In c. 8. Epist. ad Rom. Pulcherrimè Primasius in hanc sententiam: *Quia & ipsa creatura, id est ipse homo, cum jam signaculo imaginis propter peccatum amisso, remansit tantùm creatura. Ipsa itaque creatura, id est ipsa quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, sed tantùm vocatur creatura, liberabitur à servitute interitus.* Imagine igitur Dei & forma sanctitatis ultra limitem creaturarum quisque prætervehitur: nec jam mera creatura est, sed creatura consors Deitatis; idque non assentatione nugatoria, sed ea quæ sacras decet paginas veritatis simplicitate. Hæc Primasius verba exscripsit ex Augustino. (August. l. 83. qq. q. 67.)

XII. Rursum ex Cyrillo. Dial. 7. de Trin. p. 638. Utque finem tandem faciam, agmen claudet longè elegantissimus, quique citra piaculum prætermitti non possit, nec verò ulla deludi tergiversatione Cyrilli locus: *A. Nonne ad imaginem Dei fabricatum esse in terra hominem dicimus? B. Quis dubitat? A. Quod autem divinam nobis imprimit imaginem, & signaculi instar supra mundanam pulchritudinem inserit, nonne spiritus est? B. At non tanquam Deus; inquiunt, sed tanquam divinæ gratiæ subministrator. A. Non ipse itaque in nobis, sed per ipsum gratia imprimitur. B. Videlicet. A. Oporteret igitur imaginem gratiæ, non imaginem Dei vocari hominem.* Et cùm insufflatum memorasset Adamo olim Spiritum sanctum, itemque Apostolis postea à Christo, *At si ab essentia spiritus dissita esset gratia per ipsum, quidni clarè dixit Beatus Moses, producto in lucem animali, inspirasse universi creatorem gratiam per vitæ spiritum; Christus autem nobis, Accipite gratiam per ministerium Spiritus sancti? Atqui nuncupatus est quidem in illo spiritus vitæ. Vita enim vera est Deitatis natura.* Quid apertius, quid unquam explicatius? Spiritus sancti substantiam ab ejus efficientia disertè distinguit, nec ejus efficientia sola, sed propria substantia nos formari, efficique Dei imagines ex scripturis creberrimè & asseverantissimè pronunciantibus concludit.

XIII. Summa antedictorum. Jam verò ut dissipata sub unam velut oculi aciem colligam argumenta, substantiva Spiritus sancti copulatione sanctificari nos, eoque ut imagine Filii Filio nos conformari, claruit 1. Ex sacris literis, quæ substantiam ipsam Spiritus sancti infundi, dari, imprimi, inhabitare concelebrant, et in nobis formari Christum, conformes fieri Christo, ungi, signari, deitatis consortes fieri; dona ejus ut ab eo divulsa nunquam meminere; quin charitatem, quod ejus donorum facilè palmam obtinet, simul cum eo inesse, & ab eo intimiùs præsente inspirari monent, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Præter charitatem igitur creatam qua Deum diligimus, data est charitas increata qua inhabitamur. 2. Ut Cyrillus & Athanasius monent, non unguenti infusor, sed unguentum: non imaginis & sigili pictor, & sculptor, sed imago sigillumque: non spiraculi author, sed ipsum spiraculum perhibetur esse in sacris literis Spiritus sanctus: at contra essent hæc omnia, si imago, unguentum, sigillum, sanctitasque esset tantummodo gratia creata. 3. Corruit funditus tota moles argumentationum qua Spiritus sancti Deitas adversum Macedonianos extructa est, si sanctificare, deificare, Deitatis consortium præstare, imaginem divinam imprimere principaliter & sola potest creatura quælibet. Nam ex eo Deus ostendebatur Spiritus sanctus, quòd hæc obiret munia. 4. Quin imò quomodo creatura deificat? Creatura deitatis consortes efficit? Creatura ultra creaturarum sortem extollit? Hæret in ignobilitate creaturarum, quem nulla nobilitat divinæ substantiæ aspersio. 5. Nulla creata qualitas Deo cumulatissimè assimilat, distat enim ipsa immane quantum à Deo. 6. Divinitas sola sui ipsa similitudo & imago est; præter ipsam enim nulla talis est, qualis ipsa est. 7. Ut summum similis Deo est creatura quælibet; similitudo autem Dei, quæ non tantùm similis sit, sed similes efficiat Deo justorum mentes, in choro creaturarum nulla est, quia istiusmodi similitudo per omnia similis, nulla dissimilitudine discors, adeoque veritati esse compellitur æqualis. 7. Ideo tam sollicitè imaginis nomen adrogarunt sibi Verbum Spiritusque, intercesseruntque ne creatarum naturarum apices, ne mentes Angelicæ hoc invaderent hominis. Sunt enim mentes Angelicæ humanæque ad imaginem, non ipsæ imagines. Imago enim Patris non est nisi Filius, imago Filii Spiritus sanctus. 8. Etsi creata imagine seu gratia accidentaria exornetur natura intellectualis, nondum acquiescet. Necdum enim sedata fames ejus est; animæ sitis illa altior & substantiva, nisi Deitatis substantia irrigetur, irrequieta & ægra contabescit. De Deo enim ipso fames est animæ, Deum esurit, de Deo saginari avet.

CAPUT XI.

Substantia Spiritus sanct, quia sanctitas ipsamet est, formantur & sanctificantur, dum inhabitantur.

I. Inhabitatione Spiritus sancti, animas sanctificari, consentiunt Patres. Declaratur 8. non accidentaria tantùm gratia, sive charitate sanctificari Christi membra, sed substantiva Spiritus sancti præsentia, ex eo quòd Spiritus sanctus hanc sibi quasi peculiarem habet prærogativam, ut sanctitas sit, non efficiens tantùm illam & creans, sed sui infusione substantiali eam adglutinans animæ. Vix ullam in rem aliam majori conspiratione consenserunt sancti Patres, quàm ut Spiritum sanctum traderent ipsam esse sanctitatis formam, cujus non efficientia tantùm, sed substantia sanctificemur.

II. Ex Athanasio. Epist. ad Serapionem. Athanasius: *Id Joannes docuit, In hoc cognoscimus, quod in Deo manemus, & Deus in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Si autem ex præsentia spiritus participes efficimur divinæ naturæ, insanierit profectò, qui hoc dicat fieri per spiritum creatum, & non per spiritum Dei. Ob eam enim causam in hominibus est, & ii in quibus est, deificantur. Quod si ille deificet, ambiguum esse non post, quin ejus natura, Dei sit natura.* Et ut Spiritus sanctus non tantùm det aliquid nobis, quo sancti efficia-

efficiamur, sed ipse detur: nec per aliquid à se effusum nos deificet, sed præsentia sui intima id præstet; eoque Deum se probet, quòd naturam suam inserendo, deitatis consortium inserat. Quid autem sanctitas quàm deificatio? Aut verò quæ forma deificationis, quàm Deitas? Sicut forma illuminationis est lux ipsa, nec particeps fit lucis aer, nisi lucis præsentia, ita non deificat nisi Deitas, nec consors quisquam fit Deitatis, nisi præsentia Deitatis.

III. Ex Basilio. Hom. 15. de fide. Basilius: *Dicitur enim spiritus tuus bonus. Et rursus, spiritus rectus. Item, Spiritus sanctus. Et Paulus ait, lex spiritus vitæ. Horum nihil aliunde illi accessit, nihil postea est factum. Sed quemadmodum calefacere minimè ab igne separatur, nec à luce splendere, sic nec à Spiritu sanctificare & vivificare.* Ex sacris paginis evincit sanctitatem esse specialiter Spiritui sancto attributam, ipsumque personali proprietate ceu formam esse sanctitudinis, sicut lux & calor formæ ipsæ sunt, quibus lucescunt omnia & calescunt. Et alibi idem:

L. 3. adver. Eunomium. *Principatus enim, & potestates, & omnis creatura talis, quæ ex attentione & studio sanctificationem habent, non jure naturæ sanctæ dicentur. Appetentes enim bonum, secundum amoris quem ad Deum habent proportionem, sanctitatis mensura participant. Et sicuti ferrum quod in medio igne jacet, ferri naturam non amisit: vehementi tamen cum igne conjunctione ignitum, cum universam ignis naturam in semetipsum acceperit, & colore, & calore, & actione ad ignem transit: sic sanctæ virtutes ex communione quam cum illo habent, qui natura sanctus est, per totam suam substantiam, acceptam & quasi innatam sanctificationem habent. Diversitas verò ipsis à Spiritu sancto hæc est, quod spiritus natura sanctitas est, illis verò participatione in est sanctificatio.* Qua comparatione ferri ignescentis, nihil splendidius, nihil invictius fingi potuit. Quippè ferrum non afflatu longinquo, non influxu aliquali, sed substantiva immeatione ignis incandescit, & veluti naturam induit, nec tamen ignis est, sed ignis particeps. Ita sanctorum animæ non creatis tantùm gratiis, sed ipsa Spiritus sancti Deitate ceu forma sanctitatis imbuuntur, & ita fiunt veræ participes sanctitatis. Rursum idem Basilius:

L. de Spiritu sanct. c. 26. *Forma dicitur esse in materia, & potentia in eo quod est ejus capax, & habitus in eo qui secundum illum affectus est. Itaque quatenus Spiritus sanctus vim habet perficiendi creaturam rationalem, absolvens illius fastigium, formæ rationem obtinet, &c. Et quemadmodum ars est in eo qui nactus est illam, ita gratia spiritus in eo qui recepit eam; semper quidem præsens, sed non perpetuò operans.* Ubi & alia coacervat id genus exempla complura, ut inesse demonstret sanctorum mentibus Spiritum sanctum, sicut inest forma materiæ, ars menti, habitus animo, &c.

IV. Ex Gregorio Nazianzeno. Orat. 23. 37. Gregorius Nazianzenus: *Spiritum sanctum verè sanctum, neque enim alius talis est, nec eodem modo. Neque ex accessione sanctitatem habet, sed est* αὐτοαγιότης, *ipsamet sanctitas.* Et idem alibi: *Quæ imperfectæ deitatis utilitas? Imò quæ Deitas, si imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideretur? Desideratur enim si sanctitate careat. Hanc porrò quomodo habere queat, nisi spiritum habeat? Si enim alia quædam præter illum sanctitas est, quæ tandem illa intelligenda sit, dicat quispiam; aut siquidem eadem hæc est, quid afferri potest quamobrem non jam inde à principio fuerit?* Personalis hæc planè prærogativa honoris adseritur Spiritui sancto, ut sit αὐτοαγιότης, sanctitas ipsamet: utque sit perfectio Trinitatis. Quocirca apex ultimus Deitatis & extremus perfectionis cumulus est, sanctitas, seu persona Spiritus sancti. Hinc facilis exurgit conjectura, cur creatæ formæ accessione numeros omnes sanctitatis nemo assequatur. Quippè cum sanctitas sit suprema perfectio, & super perfectæ deitatis extremum fastigium, Trinitatisque complementum summum, nulli fas est creaturæ sanctitatis nomen aut sanctificandi provinciam affectare soli, & sejunctim à Spiritu sancto.

Cyrillus: *Qui participatione sanctificantis Dei ad sanctitatem vocati sunt, sobriè id quod sibi datum est, in sese conservant: participes verò sanctitatis quæ ipsis indita est, alios efficere nequeunt.* V. Ex Cyrillo. Thesauri p. 138. *Nemo enim mortalium qui spiritum ex participatione accepit, aliis illum suppeditare potest, siquidem & ipse accepit à Deo. Soli autem hoc convenit sanctitatis fonti, sanctitatem iis quibus voluerit conferre. Quocirca Angeli, &c. Filii autem longè alia ratio est; nam ipse ut sanctitatis fons discipulos sanctificavit, dicens, Accipite Spiritum sanctum. Idipsum porrò Pater etiam præstare invenitur.* Nostræ sanctificationis architectus ut unus sit Deus, in causa est sanctitatis natura. Cùm enim sanctitas non sit nisi Spiritus sanctus, nec fons largitorque Spiritus sancti sit, nisi Pater Deus & Verbum, omnino sanctitatem indere, seu Spiritum sanctum dare non potest, nisi Pater & Verbum, à quo & spiratur, & inspiratur. Et cùm sanctitatis nomen declarasset istiusmodi esse, quo natura, non officium Spiritus sancti indigitetur, *Ipsam enim illam sanctificantem vim atque virtutem, quæ* Ibid. p. 351. 352. *ex Patre naturaliter procedit, & imperfectis perfectionem tribuit, dicimus esse Spiritum sanctum. Supervacaneum enim est, ut apparet, per medium aliquod sanctificari creaturam; quum Dei benignitas non dedignetur ad minutissimas etiam res pervenire, easque per Spiritum sanctum sanctificare.* Acsi dicat, cum sanctitas summarum creaturarum summa sit perfectio, supremusque fastigii apex, non aliquid modò creatum est, Quod enim naturarum creatarum altissimas & perfectissimas perficit ulteriùs & altiùs evehit, id extra limites creaturæ est, Tanti est igitur sanctificare naturam intellectualem, ut id Deus seipso præstare ex dignitate sua ducat. Sanctitas enim secretio quædam est & fuga à creaturis, & in incommutabilis naturæ adyta confugium; non ergo sita est sanctitas in sola creaturæ alicujus participatione, sed in nudæ mentis in Deitatis refugum secretumque penetrale omnimoda discessione.

Cyrillus idem: *A. Deificare posse eos qui dii non sunt, numquid genitæ & factæ naturæ convenit? B.* VI. Ex eodem. Dial. 7. de Trin. p. 644. *Non dixerim sanè. Quod enim minus est, ad eam sublimitatem aliud nequaquam evexerit, &c. A. Nunquam concipietur creatura deifica, verùm id soli Deo tribuendum est, qui sanctorum animabus immittit suæ proprietatis illam per spiritum participationem, per quam conformes facti naturali Filio, dii secundum ipsum & filii vocati sumus Dei.* Quia sanctitas Deitas est, sanctificare & deificare non distant. Deificare autem quis nisi Deo par valet? Nec efficienter tantùm influendo, sed inhabitando sanctificare, inconcessa creaturis, soli Deitati innata vis & majestas est. Etenim sanctitatis Deitatisque fontem ipsum contineat necesse est, tam causa quæ efficiendo, quàm quæ semet imprimendo deificat. Cùm enim hæc seipsam tantùm imprimat, & Deitatem tamen imprimat, Deitas ergo ipsa est. Ut ergo non Deus, sed Dei particeps fiat quis, imprimatur illi insideatque præsentissima Deitas; sicuti ut aer non lux, sed lucis particeps evadat, natura lucis ipsa perfunditur.

Et Dialogo eodem infrà: *Cùm in vitium se convertisset Adam, & præ nimio carnis studio, ad-* VII. Ex eodem, ut velut templa sanctificemur tacti Spiritus præsentia. Ibid. p. 633. 639. *missi peccati morbo laboraret, Spiritus ad divinam ipsum effingens imaginem, & qui signaculi instar ineffabiliter impressus erat, recessit.* Peccato expuncta est sanctitas, discerpta est imago Dei, abactus est Spiritus sanctus. Itaque non imaginem inscripserat Spiritus sanctus, atque ita discesserat; sed semet jugiter imprimens, imaginem seipso perenniter infigebat, nec nisi peccato effuga-

effugatus abscessit, ejusque abscessu splendor imaginis evanuit. Quamobrem ut Filius de Patre Deo non semel nascitur, sed semper: ut Spiritus sanctus de Patre & Filio non semel, sed semper spiratur; ita & imago Filii Spiritus sanctus, non semel, sed semper inspiratur sanctis, imprimiturque jugiter, donec peccato intercludatur.

Et ibidem rursus: *Deus ergo est Spiritus, qui ad Deum efformat non tanquam per ministerialem gratiam, sed tanquam divinæ naturæ partipationem seipsum dignis largiens.* Sanctificandis ergo seipsum largitur; nec ministerialem tantùm, adeoque nec creatam tantùm gratiam largitur, sed seipsum. Sanctificat ergo Spiritus, non efficiendo tantùm, sed semet dando. Et paulò pòst ibidem: *Templa autem Dei, adeoque Dii quamobrem vocamur & sumus? Interroga adversarios utrum simus reipsa nudæ subsistentia carentis gratiæ participes? At ita res non est; nullo modo. Templa enim sumus existentis & subsistentis Spiritus. Vocati autem sumus propter ipsum etiam dii; præsertim cum divinæ ejus & ineffabilis naturæ participes facti simus communione cum ipso.* Sanctificamur, non quomodocumque, sed ut templa. Templa autem sanctificat Deus, non donis suis, sed seipso. Ita enim natura duce præjudicatum est, & veluti anticipatum in mentibus hominum, nullius creaturæ, sed summi Dei præsenti majestate consecrari templa. Dona templis appendere hominum est, ut Dei præsentiam invitent; non his tamen sanctificantur templa votivis hominum muneribus, tametsi decorantur. Quin & appensa vota, ut templi ornamenta & membra substantiali numinis allapsu consecrantur. Similiter ergo cùm Dei templa simus, non dono tantùm & radio aliquo, sed etiam divinitatis substantia præsenti sanctitatem percipiemus: operationes autem nostræ creatæque virtutes & gratiæ splendorem & dignitatem illæ quidem non mediocrem adjicient, sanctitatem etiam conferent, sed ejus consecrationi veluti præluforiam, quam Deus templis suis sua præsentia confert. Quanquam enim iis ex virtutibus lux sanctitatis rutilet, templa tamen Sole ipso divinæ sanctitatis postulant splendescere, eoque præsentem luminis fontem inferente, præ ea penè obscuratur lux illa virtutum quantacumque. Ideo ergo cùm diversetur in nobis tota Trinitas, Spiritus sancti tamen templa specialiùs agnominamus, quod sanctitas Spiritus sancti veluti proprius sit census, & sanctitate divina flagitent se templa honestari. Quamobrem idem Cyrillus: *Et eam ob rem dii nuncupamur, non gratia solùm ad supernaturalem gloriam evecti, sed quod Deum jam in nobis habitantem atque diversantem habeamus, juxta illud Prophetæ; Quia inhabitabo in ipsis, & inambulabo inter eos. Alioqui respondeant quæso nobis, qui tanta pleni sunt inscitia, quomodo templa Dei simus, juxta Paulum, inhabitantem in nobis Spiritum habentes, nisi Spiritus sit natura Deus?* Perspicuè ait non gratia sola, sed præsentia Deitatis nos, ut templa, inhabitari.

L. 1. in Joan. pag. 93.

VIII. Ex Ambrosio. E Latinis paucos ut perstringam, Ambrosius varia consuit Scripturæ suffragia, quibus bonitas, rectitudo, sanctitasque peculiariùs Spiritui sancto

L. 1. de Spir. sanct. c. 5. adrogatur. *Videamus utrum bonitatem habeat cum fons sit, principiumque bonitatis, &c. Quid est enim Spiritus, nisi plenus bonitatis? Qui cum sit inaccessibilis natura, receptabilis tamen propter bonitatem suam nobis est, complens virtute omnia, sed qui solis participetur justis, simplex substantia, oppulens virtutibus, unicuique præsens, dividens de suo singulis & ubique totus, &c. Bonus ergo Spiritus, bonus autem non quasi acquirens, sed quasi impertiens bonus est. Non enim accipit à creaturis, sed accipitur Spiritus sanctus; sicut non sanctificatur, sed ipse sanctificat.* Ubi non largitio aliqua, sed præsens conjunctio Spiritus sancti, ut principalis bonitatis sanctitatisque fons apertè sanctis conceditur. Quod & paulò pòst apertiùs etiam innuit: *Non ergo potest sanctificatio & corruptela unius esse naturæ. Et ideò non potest gratia sancti Spiritus, & creatura unius esse substantiæ.* Non sanctitas tantùm dicitur Spiritus sanctus, sed sanctificatio, hoc est, forma qua sanctitas inditur. Item gratia Spiritus sancti negatur creatæ esse naturæ; adeoque gratia Spiritus sancti est ipsemet Spiritus sanctus. Nec immeritò. Cùm enim sanctitas id sit, quo summa quælibet creatura supra seipsam evehitur, non potest sanctitas principalis esse creatura, quia creatura suprà creaturam non evehitur per creaturam. Cùm denique sanctitas maximè propria & singularis Dei prærogativa sit, omnisque creata natura Deo profana sit, Deique tantùm nutu benefico auram sanctitatis aliquam adipiscatur: non potest creata qualitas excogitari ulla quæ sit forma sanctitatis præcipua & summa. Ideo & gratia creata ac virtus quælibet præparatio quædam est ad inhabitationem Spiritus sancti substantivam, qua principaliter sanctificantur justi omnes, ut templa Dei.

Rursus idem Ambrosius: *Non ergo sanctus Spiritus de substantia corporalium, hic enim corporalibus incorpoream infundit gratiam. Sed nec de substantia invisibilium creaturarum est, nam & illæ sanctificationem hujus accipiunt, & per hunc reliquis mundi operibus antecellunt: sive Angelos dicas, sive dominationes, sive potestates, omnis creatura expectat sancti Spiritus gratiam.* Non injuria premitur sæpiusculè hoc argumentum, est enim perelegans, & cardinem continet ejus in qua versamur quæstionis. Ea non est creata natura, qua summæ creatarum naturarum perficiuntur ulteriùs, & prætervehuntur limites creaturæ. At istiusmodi est forma sanctitatis, seu gratia inhabitans. Hic enim est rerum contextus & quàm mirabilis, tam certa compaginatio naturarum inter se omnium, ut quod summum in unaqualibet inferiore eminet, id illi à superiore non extrinsecus adradiante, sed venis medullisque substantialiter influente imprimatur. Sic vitam corporibus animæ inferunt, sic sanctitas quæ vitarum vita est, animabus supernè irrigatur. Natura enim corporea ad hoc demum provehitur supremum columen, ut vivat atque eo ultra seipsam exultet, in superiorisque irrumpat confinia naturæ. Vitam ergo ipsi natura animarum superior non aliter quàm substantiali immeatione suppeditabit. Non aliter natura mentium supra seipsam eluctatur, cùm adipiscitur sanctitatem, insilitque in bona naturæ divinæ peculiaria: sanctitatem ergo illi impartiet divinitas præsentia sui substantiva. Est enim vita mentium sanctitas, uti vita corporum animatio; ideo & Spiritus vitæ à Paulo dicitur Spiritus sanctus, ut animadvertit Ambrosius hoc eodem capite. Quanquam id interfit, quòd anima corpus, ut forma materiam: Spiritus sanctus animam, ut Deus templum inhabitet; unde ibi compositio naturarum, hic sanctificatio templi sola, sed verissima, & consecratio intelligitur.

IX. Ex eodem Ibid. c. 4.

Augustinus: *Nesciunt enim principium ex quo sunt omnia, & imaginem ejus per quam formantur omnia, & sanctitatem ejus in qua ordinantur omnia.* Et rursus: *Revera magnum est mente conspicere generationem quæ non fit ex aliquo tempore, sed æterna est; & ipsam charitatem & sanctitatem, qua generator & generatus ineffabiliter sibi copulantur.* Et rursum idem alibi: *Unius substantiæ Trinitatem, Principium ad quod recurrimus, Formam quam sequimur, & Gratiam qua reconciliamur: unum Deum quo authore conditi sumus, & similitudinem ejus per quem ad unitatem reformamur, & pacem qua unitati adhæremus.* Et rursum: *Quapropter etiam Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ & æqualitate consistit; sive*

X. Ex Augustino. De agone Christ. c. 14 16.

L. de vera Relig. c. ult

L. 6. Trinit. c. 5.

ſive enim ſit unitas amborum, ſive ſanctitas, ſive charitas, ſive ideo unitas quia charitas, & ideo charitas quia ſanctitas, &c. Hæc Spiritus ſancti nomina in unum conſpirant aliquid, quo ſanctitas deſignetur; nam & Unitas & Charitas, & Ordo, & Nexus, & Uſus, & alia id genus ſancti Spiritus cognomenta palam faciunt in eum ut in fontem refundi omne pelagus ſanctitatis. Ut minùs mirum jam ſit, ſi cùm Deitatis perſonis omnibus in commune ſanctitas competat, ſpeciali tamen illam jure ſibi vendicet Spiritus ſanctus.

XI. Ex Didymo, quomodo Spiritus ſanctus ſit effector ſanctitatis.

Cæterùm quia & ſanctitatis largitor effectorque non rarò celebratur Spiritus ſanctus in commentariis ſanctorum Patrum, ſuſpicari poſſet quiſpiam ejus nos non ſubſtantia, ſed efficientia ſola ad ſanctitatem informari. Ut ergo dematur hæc ſuſpicio, & niteſcat qua mente largitorem ſanctitatis Spiritum ſanctum appellitaverint Patres, libet egregium attexere teſtimonium Didymi Alexandrini: *Nec de corporalibus ſubſtantiis eſt Spiritus ſanctus, animæ & ſenſus inhabitator, ſermonis, & ſapientiæ, & ſcientiæ effector. Nec de inviſibilibus creaturis; hæc quippe omnia ſapientiæ & cæterarum virtutum & ſanctificationis capacia ſunt; iſta verò ſubſtantia de qua nunc ſermo eſt, ſapientiæ & ſcientiæ & juſtificationis effectrix eſt.* (L. 1. paulò pòſt init.) En quam enucleatè effectorem ſanctificationis, non ipſam inhærentem animæ ſanctitatem Spiritum ſanctum vocitet. Ergone concident quæ tanta mole authoritatis Patrum conſonantiſſimè hactenus ſtruximus? Minimè gentium. Nam paulò pòſt explicatiùs idem Didymus explanat, qui effector ſit ſanctificationis Spiritus ſanctus, quia nimirum ſuam inſerit nobis ſubſtantiam, & Sanctos ad hunc modum nos efficit. Quin ex Scripturis hoc exprimit his verbis: *Spiritus ſanctus immutabilis eſt ſanctificator, ſcientiæ divinæ & univerſorum attributor bonorum: & ut breviùs dicam; ipſe ſubſiſtens in his bonis, quæ à Domino largiuntur. Nam eundem Evangelii locum Matthæus Lucaſque deſcribens: alter ex his ait, Quantò magis Pater cæleſtis dabit bona petentibus ſe? alter verò, Quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit Spiritum ſuum ſanctum petentibus ſe? Ex quibus apparet Spiritum ſanctum plenitudinem eſſe donorum Dei; & ea quæ divinitus adminiſtrantur non abſque eo ſubſiſtere; quia omnes utilitates quæ ex donorum Dei gratia ſuſcipiuntur, ex iſto fonte dimanant.* Ex conflictu utriuſque loci Scripturæ liquet, Spiritum ſanctum aut ipſa eſſe dona, aut quod ſimilius veri eſt, non abſque Spiritu ſancto dari dona: & *plenitudinem donorum ipſum eſſe*, & Dei dona quælibet & gratiæ *non ſine eo ſubſiſtere*. Itaque hæc accidentaria dona vel præludia fuerint, vel conſectaria quædam ſubſtantivæ Spiritus ſancti inſeſſionis, prout enucleatiùs exequitur ibidem Didymus: *Igitur manifeſtum eſt non à corporalibus tantùm, ſed & ab incorporalibus creaturis extraneum eſſe Spiritum ſanctum, quia cætera ſubſtantiæ hanc ſubſtantiam ſanctificationis accipiunt: iſte verò non tantùm non eſt capax ſanctificationis alienæ, ſed inſuper attributor eſt & creator.* Ergo cùm *cætera ſubſtantiæ ſubſtantiam ſanctificationis accipiunt* Spiritum ſanctum, & tamen creator effectorque ſanctificationis eſt Spiritus ſanctus, hæc in ſpeciem vocum compugnantia bifariam ſedari poteſt. Vel enim quia ſeipſum ſubſtantivè immergendo ſanctos efficit, ideò effector ſanctificationis dicitur: nam & cauſæ formalis nonnulla efficientia eſt; facit enim lux lucidum, calor calidum, & ſanctitas ſanctum; adeoque lux illuminationis & ſanctitas ſanctificationis effectrix quodam ſuo modo eſt, ob formalis & effectricis cauſæ affinitatem quandam incredibilem. Vel quod conſentaneum magis videtur & accommodatum recentioris cum antiqua Patrum Theologia concordiæ, & ſanctitas eſt noſtra ſubſtantivè Spiritus ſanctus, & creat tamen, efficitque ſanctitatem noſtram, quia creatitiæ virtutes gratiæque complures vel præfultrices anteeunt ejus in nos deſcenſum, vel comites cingunt, vel conſectantur. Idque magis approbant & Didymi verba, & Scripturæ loca ab eo allegata, & alibi paſſim obvia; id flagitant Patrum textus complures, utriuſque ſanctimoniæ indices; id denique extorquet neceſſaria noſtrorum temporum cum antiquioribus Theologis non aliter firma conſenſio. Sed mordicus id tamen retinendum eſt, ut principalis forma ſanctitatis ſit ipſa Spiritus ſancti in noſtris mentibus inhoſpitans ſubſtantia. Cùm enim de ſanctitate nomen ſibi proprium & ſpecialis inſigne gloriæ ſumpſerit, æquum eſt ut ſuum impleat nomen, nec vicaria tantùm qualitate creata ſuo munere perfungatur, ne formam ſanctitatis ullam principalem præter ſe eſſe vel dici ſinat. Quocirca ut advertit Didymus: *Ipſa vox Spiritus ſancti non eſt vacua appellatio, ſed ſubjacentis eſſentiæ demonſtratrix, Patri Filioque ſociæ, & à creaturis penitus alienæ.* Non vacat planè quod Spiritus nominatur ſanctus ſeu ſanctitas, eo enim & Deitati adſeritur, & ab omni creaturarum contubernio ſequeſtratur. Non ergo creatura ulla idem ſanctitatis nomen uſurpabit principaliter.

CAPUT XII.

Rurſum formantur juſti & ſanctificantur ſubſtantia Spiritus ſancti, quia ubique ille infunditur, quia ejus tantùm capaces ſumus, quia ſolus immeare poteſt & implere.

I. Multiplex argumentatio pro ſubſtantiva Spiritus ſancti inhabitatione in juſtis, ex eo quòd hinc ejus immenſitas, & divinitas evincitur.

Declaratur 9. Philoſophantur ſancti Patres Deum eſſe Spiritum ſanctum, quòd ubique ſit; ubique eſſe demonſtrant, quòd juſtorum mentes ubique inhabitet, ſanctificetque. Niſi ſubſtantialiter ergo inhabitet, ſanctificetque, caſſa & enervis eſt argumentatio. Arguunt item identidem prædicari in oraculis Scripturarum plenos Spiritu ſancto piorum animos; at implere animos non poſſe niſi Deum: qualibet enim creaturarum congerie referciantur, vacui & inanes ſunt; adeoque Spiritum eſſe Deum qui impleat ea, quæ ſola potis ſit implere divinitas. Denique concludunt Deum Deo Patri Filioque æqualem eſſe Spiritum ſanctum, quòd capabiles ejus ſint mentes noſtræ, inirique & immeari ab eo poſſint, quæ ab ulla creatura ſe ad eum modum pervadi, penetrarique ſua penetralia haudquaquam paſſuræ ſint. Nec enim corpora niſi animæ, nec animas niſi Deus invadere & penetrare, altiſſimoſque ſubſtantiæ ſinus rimari poteſt. His igitur efficitur ſubſtantialis inhabitatio Spiritus ſancti in mentibus juſtorum.

II. Ex Didymo, ubique eſt Spiritus ſanctus, qui juſtos ubique inhabitat.

Didymus Alexandrinus: *Spiritus ſanctus cùm in pluribus ſit, non habet circumſcriptam ſubſtantiam.* Cùmque Spiritum ſanctum à Chriſto Diſcipulis inſufflatum eſſe perhibuiſſet, atque ita eos univerſum in orbem diſſipatos eſſe: *Diſtabant inter ſe longiſſimis ſpatiis, aderat autem eis inhabitator Spiritus ſanctus, incircumſcriptam habens ſubſtantiam. Demonſtratur Angelica virtus ab hoc prorſus aliena. Angelus quippè qui aderat Apoſtolo verbi gratia in Aſia oranti, non poterat ſimul eodem tempore adeſſe aliis in cæteris partibus mundi conſtitutis. Spiritus autem ſanctus non ſolum ſejunctis à ſe hominibus præſto, ſed & ſingulis quibuſque Angelis, Principatibus, Thronis, Dominationibus inhabitator aſſiſtit. Et ut homines ſanctificans alterius, quàm ſunt homines, eſt naturæ: ſic & alias creaturas ſanctificans, alius ab earum eſt ſubſtantia. Quoniam omnis creatura non ex ſua ſubſtantia, ſed ex communione alterius ſanctitatis ſancta perficitur.* (L. de Spirit. ſa ct.) Vides ut ſuperioris ſubſtantiæ ac proinde divinæ communione ſanctificari

affir-

affirmet naturas intellectuales, non ex sua substantia sanctas esse: adeoque nec principaliter donis creatis & virtutibus & piis operibus sanctificari; sed ad Spiritus sancti sanctitatem supernè excipiendam præparari. Cùm autem naturæ intellectuales sparsæ per universum orbem sint, hinc ubique esse, ac consequenter Deum esse Spiritum sanctum evincitur.

III. Ex eodem. Firmatur id autem vehementiùs ex argumento, quo obviantem nonnullorum cavillationem infringit ibidem Didymus. Nugabantur enim non eadem sanctitate Angelos atque nos, atque adeo non Spiritu sancto Angelos sanctificari: *Necessariò deducentur, ut dicant multò melioris homines esse substantiæ, cum hi per communionem Trinitatis habeant sanctitatem; & Angeli propria natura sancti, ab ea sint alieni*. Nullum hinc effugium usquam patet. Si sua natura atque adeo si creata tantùm qualitate sancti essent Angeli, infra homines longè jaceret eorum sors, ut qui non creata forma solùm, sed communione Trinitatis sancti fiant, præter creatas gratiæ dotes.

IV. Ex eodem Deus est Spiritus sanctus, quod mentes impleat, quas Deus solus potest implere. Pergit autem ibidem Didymus: *Quidam etiam Spiritu sancto pleni esse dicuntur; nemo autem sive in scripturis, sive in consuetudine plenus creatura dicitur. Neque enim aut scriptura sibi hoc vindicat, aut sermo communis, ut dicas plenum esse quempiam Angelo, Throno, Dominatione. Soli quippe divinæ naturæ hic convenit sermo. Dicimus autem virtutis & disciplinæ quosdam esse plenos, ut illud, Repletus est Spiritu sancto, non aliud significantes quàm plenos esse consummatæ atque perfectæ virtutis*. Adaggerat postea sylvam ingentem ex scripturis, plerosque Spiritu sancto plenos fuisse affirmantibus. *Angeli autem præsentia, sive alicujus alterius excellentis naturæ, quæ facta est, non implet mentem atque sensum; quia & ipsa aliunde completur. Quomodo enim ex plenitudine quis accipiens salvatoris, plenus efficitur sapientia, & virtute, & justitia, & sermone Dei: sic qui Spiritu sancto plenus est, statim universis donationibus Dei repletur, sapientia, scientia, fide cæterisque virtutibus*. Implere naturas rationales solius est substantiæ divinæ; implet autem eas Spiritus sanctus, ergo divinæ substantiæ est, ut concludit Didymus: ergo sua substantia eas implet, ut ex Didymi conclusione concludimus. Quòd impleat piorum mentes Spiritus sanctus, passim contestantur sacræ literæ. Quòd sola divinitatis substantia mentes creatas implere possit: Liquet ex eo, quòd sacræ literæ non alio quàm Deo plenos deprædicant animos. Liquet ex communi hominum sensu, qui supernè tantùm impleri se posse quasi magistra & duce natura præjudicatum habent. Liquet ex dignitate mentis, quæ impleri se alio quopiam quàm Deo, ægrè passura est. Liquet ex immensa quadam capacitate mentis, quæ Deum potest capere, Deum esurit, sititque. Quocumque ergo alio occupetur, occupari potest, impleri non potest; inferciri & distineri potest, adeoque distendi, & tamen non implebitur, non satiabitur, adhuc esuriet, vacua & inanis adhuc dehiscet. Liquet denique, quòd nec corpora & inferiora quælibet mentem implere possunt, sed inquinare; nec mentes aliæ alias, putà Angeli Angelos, vel Angeli homines implere possunt, nisi ut inanitas inanitatem repleat, & egestas ditet egestatem, & miseria miseriam beet. Mentis enim natura impleri postulat superna & veritate, & charitate; implere autem mentes indigas indiga non sufficit. Postremò non implentur naturæ inferiores nisi superiorum substantia, corpora animarum, animæ mentium, mentes Dei. Impleri autem sapientia, & virtute, ubi quælibet mens fertur, Deo impletur, quia Spiritus sancti hæc dona sunt, nec ab ejus substantia divelli possunt; prout libro eodem prolixè demonstrat Didymus ex novi testamenti literis, ubi promiscuè Spiritus sanctus pro ejus donis, dona ejus pro ipso, vel cum ipso proferuntur: *In multis quoque aliis locis Apostolus memorat in Spiritus sancti substantia Dei munera commorari*. Et paulò pòst: *His qui se audire poterant, manifestissimè probat, non alia hæc bona, quàm sancti Spiritus esse substantiam*. Et statim: *Spiritus sanctus substantia est bonorum Dei*. Et Paulo Apostolo Petrum suffragatorem adsciscens, *Novit Petrus discipulus Domini Jesu, largitionem Spiritus sancti donorum Dei esse naturam*. Cùm igitur repleri, vel plenum esse quempiam sapientia, justitia, gaudio, aliisque id genus virtutibus refertur, non eo tamen evertitur fundatissima sententia, quòd non repleantur mentes nisi de Dei substantia. Ex constantissima enim scripturarum consensione hæ virtutes à substantia Spiritus sancti disjungi haud quaquam possunt, pariterque cum ea infunduntur.

V. Rursus Deus ex eodem est Spiritus sanctus, quia infunditur, at proprium est Dei infundi. Denique ibidem Didymus: *Effundam de Spiritu meo, &c. Ipsum quoque effusionis nomen increatam Spiritus sancti substantiam probat. Neque enim Deus cum Angelum mittit, aut aliam creaturam, Effundam dicit de Angelo meo, aut Principatu aut Throno aut Dominatione. In solis quippe his quæ ab aliis participantur, hic sermo consentit*. Et paulò pòst: *Ex quibus universis docemur capabilem Spiritus sancti esse substantiam, & ex hoc increatam. Capabilem substantiam vocat, quæ capitur à pluribus, & eis sui consortium tribuit: capacem verò eam quæ communicatione alterius substantiæ impletur, & capiens aliud ipsa non capitur ab alio. Capabili quippè statim inconvertibili æternum est consequens: quomodo è contrario, capienti convertibile, & convertibili creabile subsequens est*. Non effunditur nisi substantia & quidem increata. Non effunduntur enim nisi ea, quæ ab aliis participantur; at quæ ab aliis participantur, non sunt ipsa participata, adeoque divina sunt & substantialia. Item non tantùm effunditur spiritus, sed de spiritu; nec in paucos, sed in omnes: non potest autem nisi divina existimari substantia, cujus defluente guttula replentur creaturæ omnes. Denique quòd Spiritus sancti capaces sint mentes, & mentibus capabilis sit Spiritus sanctus, id est, quòd mentes eum possint capere, & ipse capi ab iis possit, argumenti satis est, ut & Deus esse, & substantialiter mentibus inesse intelligatur. Propterea quòd summæ creaturæ non pateant, nec perviæ sint, nisi creatoris substantiæ. Sedes enim

VI. Ex eodem immeantur animæ à Spiritu sancto, quæ solius Dei capaces sunt. creatoris non alia magis est, nec aliò se quàm creatore insideri natura mentium patietur. Cùm naturarum creatarum nimirum hæc suprema sit, naturas omnes alias infra se despectat, non intra se receptat; deorsum jacentes contemnit, non supernè sibi affluentes excipit; illas init ipsa, non initur; invadit, non invaditur: earum sinus intimos scrutatur, incubatque, non vicissim iis permeabilem se præbet aut perscrutandam. At increatæ creatoris substantiæ ultrò sinus pandit intimos, eaque impleri & insideri, subjugarique se gratulatur; eam enim interim participat, & allambit, combibitque.

VII. Ex eodem, quomodo intraverit Satanas in cor Judæ. Quia verò *intrasse in cor Judæ Satanam*, commemorant sacri codices, inde suspicari quis posset, non sola creatoris substantia impleri naturam rationalem. Itemque ex eo quod dicitur, *Quare implevit Satanas cor tuum?* Respondet Didymus implesse Satanam cor Judæ & Ananiæ, non substantia sua, sed operatione, & mala voluntate. *Introivit non secundum substantiam, sed secundum operationem: quia introire in aliquem, increatæ naturæ est, ejus quæ participatur à pluribus. Imparticipabilis ergo diabolus est, non creator, sed creatura subsistens*. Non enim diabolus sua ipsius nequitia Judam informavit, sed ei comparem inspiravit; at Spiritus sanctus sua ipsius sanctitate substantiva justos formar, ideo illos immeat.

VIII. Idem ex Athanasio. In Disput. con. Arian. in Con. Nic. Athanasius ab his non multùm abludit: *Ait Apostolus, Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus; si igitur causa malorum operum in hoc est, quod Spiritus sanctus non sit cum peccatoribus, nec in iis habitet, consequens est Angelos esse administros peccati, nisi ubique habeant Spiritum sanctum.* Cùmque pari argumento evicisset cum justis ubique gentium hominibus esse Spiritum sanctum, quod non expientur à peccati sordibus nisi intima ejus conjunctione, *Si igitur Angelis adest Spiritus sanctus, & sanctis animabus Patrum, quæ Deo placuerunt, Apostolisque præsto fuit, ipsis inter se longa intercapedine ob prædicationem regni cœlorum distantibus, certè universa implet Spiritus sanctus, ubique essentialiter præsens, non aliter quàm Deus Pater & unigenitus Filius ejus.* Plumbei sunt hi pugiones, quibus confoditur hæresis, fidesque defensatur, nisi substantia Spiritus sancti ipsamet inest sanctificandis mentibus.

IX. Idem ex Cyrillo, & aliis. Cyrill. Catech. 16. Basil. L. de Spir. sanct. c. 9. Cyrillus Jerosolymitanus prosequitur hoc argumentum paulò prolixiùs. Basilius quoque monet cogitandum esse Spiritum sanctum, *Intelligibilem substantiam, virtute infinitam, magnitudine incircumscriptam, &c. Ad quam omnia convertuntur quæ egent sanctificatione, &c. Qui nusquam non adest; sanctificationis parentem, &c. Natura inaccessum, sed qui capi possit ob benignitatem, &c. Qui singulis totus adest, & totus ubique est; qui sic dividitur, ut nihil ipse patiatur; cujus sic omnes participes sunt, ut ipse maneat integer.*

Orat. 37. Nazianzenus quoque: *Omnia essentia sua implens, omnia continens, &c. Sanctificans, non sanctificatus, &c. Impertiens non particeps, implens non impletus.*

X. Ex Ambrosio. L. de Spiritus sanct. c. 7. Jam ut & Latinorum suffragia corrogemus, occurrit imprimis Ambrosius à Didymi suprà relatis sententiis non multùm dissonans: *Cum omnis creatura certis naturæ suæ sit circumscripta limitibus, &c. Quis audeat creaturam appellare Spiritum sanctum, qui non habeat circumscriptam determinatamque virtutem? Et ideò cum Dominus servulos suos Apostolos destinaret, ut agnosceremus aliud creaturam esse, aliud gratiam spiritalem, alios alio destinabat, quia omnes simul ubique esse non poterant. Dedit autem omnibus Spiritum sanctum, qui licèt separatis Apostolis, sic inseparabilis gratiæ munus infunderet, &c. Angeli ad paucos mittebantur, Spiritus autem sanctus populis infundebatur. Quis igitur dubitet quin divinum sit, quod infunditur simul pluribus, nec videtur?* Vides ut substantialiter infundi, non per efficientiam tantùm necesse sit, cum hinc immensitas & ex immensitate divinitas eliciatur. Et infrà.

XI. Ex eodem. Idem Ambrosius ibidem: *Quis ergo audeat dicere creatam Spiritus sancti esse substantiam, qui cùm illuxerit in cordibus nostris, divinæ cernimus pulchritudinem veritatis, & distantiam creaturæ divinitatisque cognoscimus, ut opus segregetur ab authore? Aut de qua creatura Deus ita locutus est, quod aut Dominationes aut Potestates effundat aut Angelos? Sed, De Spiritu, inquit, meo effundam. Non Spiritum ait, sed de Spiritu. Neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus sancti.* Consentit planè cum Didymo & verbum è verbo reddit.

XII. Ex Paschasio. L. 1. de Spiritu sancto. Nec abludit ab Ambrosio Paschasius S. E. R. Diaconus: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Manifestæ majestatis est, posse plurima subtilitate incorporeæ divinitatis infundere, & sine detrimento integrum permanere.* Et paulò pòst: *Fas non est, ut hic Spiritus sanctus à quo filius hominis Christus jam Dei Filio plenus impletur, aliud quàm Deus esse credatur. Nam si creatura esset, quomodo penetrare posset incorpoream naturam omnia penetrantem? Capax enim sui est Trinitas. Sicut ego in Patre, & Pater in me.* Monet acutè Paschasius nullam naturam penetrari posse, nisi superioris substantiæ puritate & tenuitate. Compar enim disparve substantia quælibet crassa nimis est. Itaque corpora corporibus infundi & immeare nequeunt, quia nulli corpori ea suppetit tenuitas, quæ aliis inviolabiliter invadendis par sit. Ita nulla anima animam, nulla mens mentem aliam subire medullitus potest, quia anima animæ, mens menti, crassitie quadam sua & densitate obluctatur. At animæ mentesve corporibus illabuntur haud ægrè, tenuitatis suæ prærogativa. Mentibus ergo illabi non poterit nisi creatoris substantia, quæ simplicitate & incorporalitate sua mentes immaniter superat, easque velut sibi corporeas subigit, & permeat. Idque illustratur ipsius exemplo Deitatis, ubi Pater in Filio, Filius in Patre, quia summa & æqua simplicitas, capaces sui vicissim capabilesque præstat Deitatis hypostases. At eadem nusquam alibi summa simplicitas est.

Idem rursus ibidem: *Adverte Deum ex operum dignitate. Apostoli pleni Spiritu sancto per omnem mundum thesauros salutis erogaturi, cœleste hoc munus in se circumferunt, in alios manibus impositis transferunt. Accipientibus sine damno agitur largientis. Credentibus totus traditur, & totus à tradentibus possidetur; infusione ejus universus orbis impletur; sine attenuatione dilatatur, sine divisione dispergitur, &c.* Et paulò pòst: *Adverte quod dixit, Effundam de Spiritu meo; & non dixit, Effundam Spiritum meum, id est, tantum de eo quantum possit mundus accipere, dispensando.* Et ibidem: *Si creatus est Spiritus, de quo unquam Angelo vel Archangelo lectum est, quod se quiquam animæ intrinsecus susceptus infuderit? Dic mihi si unquam ex creaturis ullam legeris potestatem, atque virtutem, quæ multa simul impleat, atque possideat; & quod majus est, indeminuta, atque indivisa permaneat? Impossibile est, ut spiritualis ac rationabilis creatura cognatæ sibi naturæ unquam valeat infundi. Itaque res materialis materialem nescit penetrare substantiam. Solus Deus in quo intelligitur Spiritus sanctus, simplex, subtilis, purus, in facturam vel Angelicam, vel humanam, virtute incorporeæ divinitatis illabitur, quæ sola sui operis penetratrix, occulta humani cordis ingreditur. Quælibet autem creatura cœlestis in tantum infundere vel implere hominem non potest, ut abdita cogitationis humanæ scire possit.* Quasi dicat, creatis naturis & summis, putà intellectualibus: & omnibus, nempè quaqua versum sparsis, substantialiter inesse, divinæ immensitatis, adeoque Deitatis argumentum est. Eis autem non inesse tantùm, sed infundi, summæ & non participatæ, imò participandæ substantiæ insigne est. Non infundi verò tantùm, sed eas implere, nec eas implere tantùm, sed de sui portione & quasi frustulo replere eas & superfluere, incredibilis cujusdam & planè divinæ infinitudinis exaggeratio est. Quod autem & inesse & infundi naturis intellectualibus documentum sit divinæ substantiæ, constat ex eo quòd pervadi illæ non possint, nisi subtilitate ac simplicitate eas tantò ampliùsque antecellente, quàm ipsæ antecellunt corpora. Constat rursus ex eo quòd soli opifici jus & potestas sit in opificium suum insinuandi se, inhabitandique, & rimandi latebras ejus altissimas. Constat denique ex eo quod voluntatis mentisque liberæ arcana rimari, nulli fas sit, nisi illi, cui servit creata libertas. Soli Conditori Dominoque licet creaturæ suæ quantumvis liberæ, sibi tamen ancillantis perscrutari penetralia. *Authori tantum debetur hoc privilegium, ut conscientiam possit intrare secretam. Anima vero animæ, aut Angelus Angelo conjungi potest, infundi non potest, quia hujusmodi creaturarum genera tantum Spiritus sancti, id est, solius Dei capacia sunt; quia figuli sui vasa sunt, ab illo solo impleri possunt à quo de nihilo facta sunt, & sine quo vacua esse sentiuntur.* Subdit animam corpori incorpoream esse, Deo corpoream; ideò & pervadere eam posse corpus, & pervadi à Deo. Quare triplex hic obiter

XIII. Ex eodem. Ibid. c. 12.

L. 2. c. 1.

obiter rursus libatur ratio, cur Dei solius substantia naturam mentium penetrare possit & implere. Quòd nimirum sola Dei substantia summè incorporalis naturam mentium, sui comparatione corporalem facilè permeet: quòd soli figulo fas sit jusque latebras sui operis omnes pervadendi; quòd denique mens menti infundi non possit, etsi conjungi possit; quia non infunditur nisi forma participanda, adeoque superioris naturæ; item mens mentem occupare potest, implere non potest: mens enim Dei capax nullo minore bono impletur; etsi ei ergo infarciatur naturis creatis, vacua erit adhuc & egena.

XIV. Ex Bernardo. Serm. 5. in Cant. Bernardus paucis hæc eadem complexus est: *Illud autem scitote nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari; ut videlicet nullo mediante sui nostrive corporis instrumento ita nobis immisceatur & infundatur, quo ejus participatione docti sive doctiores, vel boni sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc summo atque incircumscripto Spiritui, qui solus cum docet Angelum sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus infunditur puris.* Illuminandis sanctificandisque mentibus ex Bernardi suffragio solus illabitur, solus illabi potest Deus, duplici de causa, quia solus ea puritate viget, qua spiritibus se incorruptè inserat: & quia solus forma est, cujus participatione sapientia & sanctitas accedat. Nullius enim substantiæ sinus cuiquam penetrandus patet, nisi ei à quo perfici potest. Perfectio igitur sanctitasque non largitione constat gratiarum tantùm accidentalium, sed infusione immixtioneque gratiæ ipsius substantivæ & increatæ.

XV. Ex Ruperto. Rupertus novi nonnihil aspergit luminis ab exemplo incarnationis, quæ eo nomine uni Deo peragenda incumbebat, quòd naturam humanam permeare & subjugare sibi, supernamque perfectionem illi infundere nulla valeret, nisi Dei unius potestas. De Victoria Verbi Dei L. 11. c. 25. *Cur non misit Angelum sive Archangelum? Videlicet, quia nulli alii, nulli nisi naturæ divinitatis hoc fuit unquam possibile, assumere quod non erat, & manere quod erat. Et unde illi hoc possibile? videlicet quia natura vel substantia divinitatis tantò subtilior est anima rationali, ut eam penetrare possit. Fideliter hoc inter cætera Patres Catholici sumpserunt, & scripserunt pro argumento veritatis contra hæreticos, quod Spiritus sanctus æquè ut Pater & Filius Deus sit, quoniam & ipse humanæ animæ est capabilis, & capax ejusdem anima rationalis. Nisi enim Deus esset, neque humano, neque Angelico spiritui capabilis esset, &c. Solus Deus, unus Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus cùm vult, & prout vult, rationali animæ vel spiritui sese infundit, & in eo mansionem facit.* Audis quàm disertè Rupertus profiteatur hoc invictissimum fuisse telum, quo adversus hæreticos orthodoxa fides & Spiritus sancti Deitas propugnaretur, quòd infundi in animos non posset, nisi divina esset ejus substantia. Audis quàm enucleata sit Ruperti sententia, ita fidelibus infundi substantiam Spiritus sancti, sicut humanitati assumptæ infusa est Verbi substantia, vigente & hic & illic eodem Deitatis privilegio, ut sola possit mentium substantias substantialiter penetrare. Audis denique solius Dei hanc audiri in Scripturis vocem, quòd inhabitet in animis, quòd mansionem in iis faciat, quòd anima justi sit sedes sapientiæ. Nulla ergo natura creata tam procax erit, quæ Dei sedem invadat. Nulli creatæ naturæ tantum virium suggeret Deus, ut ab ea exturbari possit sua sede. Insessore Deo mens nobilitata, nullius præterea patiens erit. Sed & quam sibi sedem Deus certam & peculiarem dedicaverit, qua naturis omnibus interdixerit, non eam squallere vacuam sinet, non vicariis tantùm qualitatibus & accidentariis tantùm donis implebit, sed implebit seipso, quæ non alio, quàm ipso potest impleri. Audi postremò Rupertum obviantem dubio jam enodato de intrante in aliquorum corda diabolo. *Proindè notandum, quòd quamvis dicatur quis plenus dæmonio, non sic implet hominem ille spiritus, ut penetret animam ejus, sed cavernas corporis irrepere potuit, quò ebrietas sive febris; animamque deprehensam in suis sedibus exagitat atque affligit.* Hæc illi præiverat Paschasius suprà laudatus L. 2. c. 1. *Corporis latebras intrare possunt dæmones, animæ verò interiora adire non possunt. Sciendum ergo quod spiritalium nequitiarum dolosa subtilitas, illa membrorum loca suo turbat incursu, quæ interdum vino nimio, vel febricio fatigantur accensu.* Consentit dæmonum irruptioni in homines, ut eò usque perrepant, quò morbi; immorentur iis sedibus quibus ægritudines inveterascunt. Ad animæ verò sacrarium ne contingere quidem vel respectare ausint, emicantibus è divino solio radiis terrefacti, & exambitæ olim divinæ sedis & memoriam & pœnam sempiternam circumgestantes.

Jam ut more nostro summa persequamur vestigia dissipatarum argumentationum, substantiali copulatione atque informatione Spiritus sancti piorum mentes sanctificari, ex sanctorum Patrum astipulatione conficitur. XVI. Summa antedictorum 1. Quia Deitas Spiritus sancti ex ejus immensitate, immensitas ex eo elicitur, quòd ubique locorum Angelos hominesque sanctificet. 2. Summis creaturis, nempè intellectualibus, & quidem omnibus, putà Angelis hominibusque, perfectio non qualiscumque, sed summa videlicet sanctitas, à Spiritu sancto non totum se, sed sui dumtaxat rorem guttulamque instillante infunditur: non ergo donorum tantùm, sed substantiæ planæ divinæ ros & guttula hæc est, quæ tantùm pollet. 3. Non infunditur cuiquam, nisi natura spiritalior puriorque: nam si par crassities utrobique, aut par sit tenuitas, neutra alteram subigere aut irrumpere poterit. At summis spiritibus & inter naturas creatas gradum puritatis summum obtinentibus spiritalior non est nisi divina substantia, ideò sola iis sanctificandis infunditur; sed & substantialiter ergo infunditur. 4. Subire viscera & medullas naturæ rationalis soli fas est authori Deo & creatori. Rei enim ditionisque alienæ inserere se finibus, sinusque versare intimos & explorare atque incubare, quis nisi procacior ausit, & ut ausit, quis possit? Lustrare arcana latebrasque sui opificii, & insidere solus opifex potest. 5. Ne cogitationes quidem naturæ liberæ aut voluntatis perscrutari potest quisquam nisi Creator, nedum substantiam. Altior enim adhuc substantiæ recessus est & reconditior quàm operationum, cùm istæ inde promicent & explicentur. Etenim si substantiam mentis mens alia quælibet peragrare posset, inde utique erumpentes pervideret cogitationum voluntatumque nutus. 6. Non illabitur naturæ cuiquam nisi natura seu forma superior, quæ participandam se illi supernè propinat. Neque enim effrænis curiositas, aut vagandi licentia enormis naturas exagitat, ut aliæ in alias impetum faciant, insideantque vi & injuria oppressis. Sed providentiæ ratio & lex beneficentiæ inferiores superioribus subjugat, domitasque & permeabiles præstat, ut harum exuberante opum copia, illarum impleatur egestas; & religata ad hunc modum alia ex aliis pendeant, & beneficii obsequiique vinculis nexa constrictaque cohæreant universa. Non ergo illabi, nisi quæ perficere eadem potest natura. Nec excipit quæquam illabentem, nisi à qua perfici possit. Perficere autem & formare mentes non potest nisi forma & natura veritatis atque sanctitatis. Mens quippè mentem steriliter impleverit. Nec enim

mentis illapsu perficietur, quæ mens jam est, nec voluntatis, quæ æquè voluntas est. At veritatis & sanctitatis infusione repleri se formarique avidè mens quælibet exposcit, utpotè quæ per se horum inops & appetentissima sit. Mens autem quantalibet sanctitatis largitate exundans, mentem aliam formare illabique non potest, quia perficere non potest. Sibi enim habet, quæ habet; sibi accepit, non aliis; inopiæ suæ levamentum accepit, non alienæ; participare jussa est, non participari; particeps est sanctitatis, non sanctitas ipsa participanda; rivulus est de fonte parente suo, non fons rivulorum parens. 7. Utque id largiamur, illabatur mens menti, ditior inopi, sanctior sordidæ; non eam tamen implebit. Nam ut occupare, ut distendere possit quidvis aliud mentem, at implere sola Creatoris substantia potest. Capacem enim increatæ substantiæ naturam replere & satiare nec tota poterit creaturarum universitas ingesta. Quamobrem nec donorum virtutumque ubertas quanta maxima optari vel cogitari potest, mentem omninò implebit, increatæ gratiæ capacem. Cùm ergo pleni vel repleti Spiritu sancto celebrantur aliqui, substantia ejus utique pleni sunt, alioqui vacui & inexaturabiles futuri. 8. Nec Scripturarum authoritas, nec innata naturæ præjudicia quoquam alio mentes humanas repleri posse suadent, quàm divina substantia. 9. Et ad manum obvia est, oculisque ultro se infert natura corporum, lexque invictissima, quæ vetat immigrare corporibus corpora, non tam molis & densitatis repagulo, quàm vel inutilitatis odio; ecquid enim inde frugis emergeret, cùm par ubique inopia parem consectetur naturam? vel ne in animarum jura irrumpat natura inferior. Animarum est enim corporibus immigrare, quia animarum est corporibus benefacere. Animarum est autem corporibus benefacere, quia substantialiter scatent animæ novo bonorum genere, & plenissimo vitæ proventu, cujus in totum expers est natura corporea, & cujus tamen siti uritur. Similiter ergo nec mens menti illabetur, sed Deus illabetur unus, quia unus benefaciet; & benefaciet, quia fons inexhaustus est sanctitatis & veritatis substantivæ, cujus inops & avidissima est mentis natura. 10. Simulata tamen est quædam, & quæ imperitos deludat, corporum in corpora clancularis poris hiantia insinuatio. Ita & imponere potest incautioribus diaboli in quosdam homines, per operationem, non per substantiam illapsio; aut si per substantiam, non in animos, sed in corpora & in spiritus animales invasio. 11. Saltem si libertas mentis creatæ, & retinentissima sui in se dominii potestas, omnipotentis Dei propemodum æmula spectetur, non illa sanè in substantiæ suæ latebram & conscientiam admittet, nisi Spiritum sanctum, qui *etiam profunda Dei scrutatur*; qui *Dominus Spiritus est*: de quo dicitur, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

CAPUT XIII.

Substantia Spiritus sancti sanctificantur justi, ex eo quod ille sit donum.

I. Donatur justis ipsemet Spiritus sanctus, utpotè donum.

DEclaratur 10. Sanctorum animis non creatarum tantùm gratiarum, sed increatæ Spiritus sancti substantiæ copiam fieri, ut hac velut principali vita sanctificentur. Est enim Spiritus sanctus personali prærogativa Donum; non donatur autem prolixius usquam, quàm sanctificandis naturis intellectualibus; nec donatur verè, si non ipse, sed munera ejus aliqua gratiæque infundantur. Tunc enim non donum, sed donorum largitor fuerit: nec speciali proprietate hoc sibi nomen arrogaverit, quod æquè Patri Filioque commune sit, eorumdem nempè donorum authoribus. Ergo donatur ipsa ejus substantia & persona, & ad eum modum ipse quidem Donum est; donatores verò sunt Pater & Filius, qui & ejus spiratores, vel potiùs unus ambo spirator donatorque.

Athanasius: *Quoniam Verbum est in Patre, & Spiritus è Verbo donatur, ideò vult, ut nos accipiamus Spiritum, ut cùm eum acceperimus, tunc habentes Spiritum Verbi existentis in Patre, videamur & nos per Spiritum unum fieri cum Verbo, & per ipsum cum Patre.* Istiusmodi donum est Spiritus sanctus, in quo sit Verbum, & in Verbo Pater, ut per eum Patri copulemur. At quæ nobis cum Patre obtingit copula per Spiritum Verbi, si non ipse Spiritus, sed ejus creata tantùm gratia condonetur? II. Ex Athanasio. Orat. 4. contr. Arian.

Nazianzenus tria secernit tempora, quibus datus est Apostolis Spiritus sanctus, ante passionem Christi, concessa dæmones abigendi potestate; post ejus resurrectionem, insufflato Spiritu sancto; post ejus denique ascensionem, allapsis cœlitus linguis igneis. *Verùm primò quidem obscurè, secundò expressiùs, nunc verò perfectiùs, utpote qui non jam operatione sola præsens sit, ut priùs, sed οὐσιωδῶς, substantialiter adsit, & simul versetur. Nam cum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritum quoque corporaliter apparere conveniebat: & cùm Christus ad sese reversus esset, eum ad nos descendere.* Operatione priùs sola adest Spiritus sanctus, cùm nos sibi præparat, & quasi forinsecus excitat vellicatque, ut mundemus animum, sedemque illi instruamus; at post οὐσιωδῶς, & substantiva sui infusione inest. Deinde cùm Filius non efficientia, sed substantia donaverit se nobis, affueritque, Spiritum sanctum qui specialius donum est, substantivè quoque dari & inesse congruebat. Denique cùm hinc demigraret Christus, alium Paracletum, videlicet Spiritum sanctum datum iri spopondit, eoque levare visus est ingravescentem ex ejus absentia mærorem; ergo quàm substantialiter aderat Verbum in carne sua, tam aderit ineritque Spiritus sanctus. III. Ex Nazianzeno. Orat. 44.

Idem Nazianzenus alibi; ut radii à Sole, & rivuli à fonte non dissecantur, tametsi longiùs se exporrigant; ita Filius & Spiritum sanctum à Patre, qui deitatis fons & caput est, non disjungi ait, quanquam in nos usque se effuderint. *Ut lucis radii mutuam relationem natura individuam habentes, nec à luce disjunguntur, nec à se invicem discinduntur, lucisque beneficium ad nos usque trajiciunt: eodem modo Salvator quoque noster & Spiritus sanctus, geminus ille Patris radius simul & ad nos usque veritatis lucem ministrant, & Patri uniti sunt.* Rursumque gemini è fonte uno erumpentis fluminis exemplo relato, *Haud dissimili modo bonorum quoque omnium Deus, ille veritatis rector & salvatoris Pater, prima illa vitæ causa & stirps immortalitatis, & ille sempiternæ vitæ fons, biflua quadam & bifida Filii & Spiritus sancti intellectuali ad nos missa gratia, nec ipse essentiam suam quicquam læsit, nec enim ob illorum ad nos adventum imminutionem ullam subiit, & hi ad nos usque processerunt, nec tamen à Patre ullo modo separantur.* Quo Gregorii loco nihil splendidius, nihil ad hujus sententiæ subsidium efficacius scribi potuit. Nisi enim substantialiter ad nos se diffunderet Verbum & Spiritus sanctus, Patre in inaccessis unitatis suæ latibulis demorante, nullus erat huic dubitationi locus, quomodo Verbum & Spiritus ad nos defluendo à Patre sursum consistente non discinderentur. Deinde exempla substantivum comprobant allapsum; & lux enim per se, & aquæ ipsissima substantia longissimè protenditur & evagatur per radios rivulosque, etsi à fonte non discinditur. Rursum Patrem quidem per se nec mitti nec donari innuit Nazianzenus, sed insistere unum imperviumque in adyto suo, ut qui mitti donarique à nullo ulteriore possit fonte vel IV. Ex eodem. Orat. 41.

paren-

parente; mitti autem donarique Filium & Spiritum sanctum. At efficientiæ & dona æquè à Patre in nos redundant; ergo de substantiali donatione hìc vertitur quæstio. Deinde Spiritus sanctus ita profluit ad nos, sicut Filius; at filius substantivè ad nos migravit per incarnationem, ergo & Spiritus sanctus per sanctificationem. Denique ita consentit cum Athanasio Nazianzenus; copulamur enim cum Patre per Verbum ejus Spiritumque ab eo ad nos pertinentem.

V. Ex Basilio. L. 5. adversus Eunom.

Basilius similiter: *Ille quidem ex Deo manans per se est subsistens: quæ autem ex ipso manant, efficientiæ sunt ipsius. Hunc Spiritum sanctum effudit in nos copiosè Deus per Jesum Christum; effudit, non creavit; dedit, non fabricatus est.* Seponit dona, ut efficientias quasdam Spiritus sancti; sed præterea effundi & dari ait ipsum Spiritum sanctum; & tanquam Deum, non fieri, non creari, sed dari & effundi. Gratiæ virtutesque creatæ creando dantur, efficiendo infunduntur: at Spiritus sanctus non creatur, sed effunditur; non efficitur, sed datur; ipsa ergo ejus substantia datur. Latet ergo in Doni nomine argumentum Deitatis; nam creata gratia creatur priùs, quàm datur; creatura est, non Donum; nec tanti est, ut tanquam excellentius summumque Dei munus, Donum vocetur.

VI. Ex Didymo L. 1. de Spir. sanct.

Didymus quoque complura congerit scripturæ loca, quibus testatum sit Spiritum sanctum dari, propriumque ejus esse, ut detur. *Novit Petrus discipulus domini Jesu, largitionem Spiritus sancti donorum Dei esse naturam. Ait quippè ad eos, qui objurgabant introitum ejus ad Cornelium, Si itaque æqualem gratiam dedit illis Deus, præbens eis Spiritum sanctum, &c. Et rursum ad suos, Agnitor inquit cordium Deus, testimonium tribuit eis, dans Spiritum sanctum sicut & nobis, &c. In hunc sensum etiam congruit illud, quod multis locis dicitur Spiritum sanctum dari à Domino. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et illud, Quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus se?* Et paulò ante cùm varia ex Paulo enumerasset Dei dona, spem, gaudium, pacem, & alia id genus, & in Spiritu sancto ea dari ex eodem Paulo animadvertisset, *his probat non alia hæc bona, quàm Spiritus sancti esse substantiam.* Nisi daretur ipsemet substantivè Spiritus sanctus, non utique personale hoc suum Doni nomen per omnes scripturas ventilasset.

XII. Ex Augustino, qui ex Scripturis colligit donũ esse Spiritum sanctum. L. 15. de Trinit. c. 19.

Ut gradum jam faciamus ad Latinæ Theologiæ lumina, facilè omnibus anteit Augustinus, & personaliter Donum Dei Spiritum sanctum esse conficit ex sacris paginis. Cùm enim ex Joanne allegasset hæc Christi verba, *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Et aquam hanc vivam ex eodem ipso Joanne interpretatus esset de Spiritu sancto, *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum*. Hinc validam planè conjecturam exprimit, ut & aquam illam vivam interpretretur Spiritum sanctum, de qua Christus ad mulierem Samaritanam verba facit, quamque præcellenter nuncupat Donum Dei. *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*. Colligit id ipsum ex alio Pauli loco, *Unicuique nostrum datur gratia secundùm mensuram donationis Christi*. Hanc Christi donationem, seu donum demonstrat Spiritum sanctum esse, quia *Ascendens Christus in altum, &c. Dedit dona hominibus*, id est, dedit Spiritum sanctum. Item ex Petro in Actis, *Baptizetur unusquisque vestrum, &c. Et accipietis donum Spiritus sancti*. Et ex eodem Simonem magum increpante, *Quia donum Dei æstimasti te per pecunias possidere*. Et alibi,

Actor. c. 10.

Quia in nationes donum Spiritus sancti effusum est. Et ne donum Spiritus sancti audiens suspiceris aliud esse Spiritum sanctum, aliud donum ejus, occurrit Augustinus, *Sanè admonendi sunt, quandoquidem donum Dei jam vident dictum Spiritum sanctum, ut cum audiunt donum Spiritus sancti, illud genus locutionis agnoscant, quo dictum est, in expoliatione corporis carnis. Sicut enim corpus carnis nihil est aliud quàm caro, sic donum Spiritus sancti nihil est aliud quàm Spiritus sanctus*. Cur autem nunc donum, nunc dona nominentur, hanc suggerit rationem; *Porro autem dona ob hoc ambo dixerunt & Propheta & Apostolus, quia per donum quod est Spiritus sanctus, commune omnibus membris Christi, multa dona quæ sunt quibusque propria dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa & alii alia, quamvis ipsum donum à quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, id est Spiritum sanctum*. Substantia ergo Spiritus sancti, est Donum; efficientiæ Spiritus sancti, sunt dona; donorum alii alia habent; Donum ipsum unde dona dimanant, omnes habent.

VIII. Ex eodem donum est Spiritus donatoribus Patri & Filio æquale.

Utque indubitatius fiat dari ipsam substantiam Spiritus sancti, ejusmodi donum esse dicitur, quod dantibus æquale sit; nec ex eo quòd detur, ejus quidquam deteritur Deitatis. *In tantum ergo donum Dei est, in quantum datur eis quibus datur. Apud se autem Deus est, etsi nemini detur: quia Deus erat, Patri Filioque coæternus, antequam cuiquam daretur. Nec quia illi dant, ipse datur, ideo minor est illis. Ita enim datur, sicut donum Dei, ut etiam seipsum det sicut Deus. Non enim dici potest non esse suæ potestatis, de quo dictum est, Spiritus ubi vult spirat. Et illud Apostolicum quod jam supra commemoravi, Omnia hæc operatur unus atque idem spiritus, dividens propria unicuique prout vult. Non est illic conditio dati, & dominatio dantium; sed concordia dati & dantium*. Quibus ex verbis exculpi multa possunt. Primò, donum non est, si non ipse datur. Dator, non donum est, si creatas tantùm dispertit gratias. Deinde donum propriè ipse est, & substantialiter datur, si hinc apud quosdam periclitatur de Deitate sua, quòd ii vereantur ut donum donatori par esse queat. Adde quòd hunc laqueum expediret facillimè Augustinus, si non substantiam, sed efficientias aliquas Spiritus sancti dari responderet. Nec tamen ita respondit, etsi proclive id, in promptuque erat. Adde rursum, non minor dantibus esse Spiritus sanctus docetur, quia seipsum ipse dat, idemque donum & donator est; ergo tam substantialiter datur, quàm dat. Denique dat tota Trinitas, datur Spiritus sanctus, non ideò minor Spiritus sanctus quia datur, sed æqualis quia dat: sicut & Filius à tota Trinitate incarnatur, nec ideo minor est, quia & seipsum ipse carni includit, nec seipso minor est.

IX. Ex eodem Deus est Christus, qui Deum donavit Spiritum sanctum.

Non obnubilatur Deitas Spiritus sancti tametsi detur, sed Deitas Christi inde plurimum illustratur. Quin recepto in cœlos Christo, tum demum effusissimè dari Spiritum sanctum oportuit, ut summota ex oculis humanitate, jam Christum non secundùm carnem humiliùs saperemus, sed divinitatis ejus documenta invictissima acciperemus. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Glorificando enim Jesu, ostentandæque ejus Deitati supremum hoc argumentum ex Spiritus sancti donatione destinabatur. Augustinus: *Ipse est igitur, qui de cœlo etiam datus est die Pentecostes, id est, post dies decem, quàm Dominus ascendit in cœlum. Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est, qui dat Deum?* Fœneum hoc erit argumentum, nec Deitas Christi hinc constabilietur, sed in majus coniicietur discrimen, si Spiritum sanctum dare pactus, non potuit liberare fidem, & dona tantùm ejus diffudit. Contra autem si Deum dabit, Deum se esse invictissimo comprobabit documento: & planè summum Deum, cui donandi Dei authoritas adsit. Erat autem utrumque cumprimis consentaneum, ut nec Spiritus sanctus dare-

L. 15. de Trinit. c. 26.

tur,

tur, nisi à Jesu jam in gloriam Deitatis abrepto, & toto etiam secundùm hominem Deo: nec alio magis receptam Deitatis suæ gloriam insigniret Christus, quàm substantivo Spiritus sancti dono. Consentaneum inquam erat, ut & Deus esset qui Deum daret: & Deus esset, quem Deus daret.

x. Ideo nec Apostoli dabant Spiritû sanctum, sed prece invitabant.

Quamobrem scitè advertit Augustinus ibidem, Spiritum sanctum non dari nisi à Deo. Ab Apostolis enim manus imponentibus, & ab Ecclesia prævijs Apostolorum vestigiis inhærente, invocatur Spiritus sanctus, non datur. Hæc est sacrarum paginarum elimatissima, tametsi paucis animadversa diligentia: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*: Et, *Videns Simon quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus*. Invitari ab homine potest, donari non potest Spiritus sanctus: nam Deum non dat nisi Deus. *Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippè ut veniret in eos, quibus manum imponebant: non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiamnunc servat Ecclesia. Denique & Simon magus deferens Apostolis pecuniam, non ait, Date & mihi hanc potestatem, ut dem Spiritum sanctum; sed, Cuicumque, inquit, imposuero manus, ut accipiat Spiritum sanctum*. Quorsum hæc autem doni dantisque tam exaggerata dignitas Deitasque, nisi detur Spiritus sancti Deitas ipsa & substantia? An sonis inanibus & canoris vocibus tota hæc scripturarum turgescit grandiloquentia?

XI. Procedit Spiritus sanctus, ut donum, eoque differt à Filio.

Quin quod usqueadeò Spiritus sanctus substantivè donum est, ut ipsum procedere, sit dari: ipsum spirare, sit dare: differat à Filio, & Filii nomine abstineat se, quòd procedat Filius ut natus, ipse ut datus: denique qua datur, non ad dantem dumtaxat referatur, sed & ad nos quibus datur? Quis tam procax tergiversator hanc perspicuitatem, lucemque tantam declinari posse speret aut obscurari? Augustinus: *Et illud elucescit quod solet multos movere, cur non Filius sit etiam Spiritus sanctus, cum & ipse à Patre exeat sicut in Evangelio legitur. Exiit enim non quomodo natus, sed quomodo datus. Quod enim de Patre natum est, ad Patrem solum refertur, cum dicitur Filius, & ideo Filius Patris, & non noster. Quod autem datum est, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus dedit. Itaque Spiritus sanctus, non tantum Patris & Filii qui dederunt; sed etiam noster dicitur qui accepimus. Sicut dicitur Domini salus, quia dat salutem: eadem etiam nostra salus est qui accepimus. Spiritus ergo & Dei est qui dedit: & noster qui accepimus*. (L.5.de Trin c.14.) Nisi daretur personaliter & substantivè, an ejus procedere idem esset ac dari? An distaret ejus hypostasis ab hypostasi Filii, quòd huic competat nasci, illi dari? An qua datum donumque duplici relatione respectaret, & à quo datur, & quibus datur? Sole ipso clariora sunt hæc. Non ad efficientias, sed ad substantiam Spiritus sancti spectat procedere seu exire à Deo, & distare à Filio. At exire à Deo, idem ipsi est ac dari: distare à Filio, idem ipsi est ac non nasci, sed dari; ergo ad ejus substantiam non ad efficientias pertinet dari. Denique non ejus donorum largitas tantùm, sed ipsa ejus substantia & persona qua donum est, non solum dantem, sed nos etiam intuetur: an ergo non dabitur nobis donum substantivè, quod substantivè ad nos refertur? Postremò quomodo noster est etiam Spiritus sanctus, nempè ut nobis datus, sicut dicitur, *In Spiritu & virtute Heliæ*; itemque ad Moysen, quæ exempla refert Augustinus, *Tollam de Spiritu tuo*: quomodo inquam noster est, quibus datur, & Dei Patris Filiique à quibus datur, nisi substantia ejus ipsa nobis datur?

Obstrepere poterat aliquis, & æternitatem prætexere Spiritus sancti, ne procedat ut donum, cùm ex tempore, non ante tempora nos simus, quibus donatur. Sed occupat Augustinus hanc causationem, donum videlicet esse, quidquid per se donari comparatum est, etsi necdum detur. Ab æterno ergo donum est, quia donabile est, etsi ab æterno datum non est. *Sed quia sic procedebat ut esset donabile, jam donum erat, & antequam esset cui daretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse & antequam detur; donatum autem nisi datum fuerit, nullo modo dicitur*. Ante orbis conditum donum erat, non ergo propter efficientias ullas donum est. Donum erat ab æterno, substantia ergo sua, non donis creatis & temporalibus donum est. Donatum in tempore idem est, quod donum erat ab æterno; ut donum non erat nisi substantia ipsa Spiritus sancti. Denique quid insulsius, quid à divinis mysteriis dissonantius, quàm donum seu donabile esse Deum ipsum, donatum autem esse non aliud quàm creatarum qualitatum congeriem?

XII. Et ante sæcula donum est Spiritus sanctus, quia donari aptus pronusque.

L.5.de Trin. c.15.

XIII. E dignitate est Dei dantis, ut Donū det non inferius seipso.

Est porrò è dignitate naturæ intellectualis, quæ verticem occupavit naturarum à Deo conditarum; est longè vehementiùs è dignitate Dei, ut summus Creator summam creaturam muneretur dono non alio, quàm Deo ipso. Creatæ quippe dotes, virtutumque habitus, largitatis divinæ, esto ut prolusiones sint quædam, sed danti longè impares sunt; ac proindè si fari licet, accipienti impares sunt; quanquam enim ultra ejus meritum sint, sunt tamen infra ejus capacitatem, infra esuriem, infra expectationem. Ideo qui terminus Deitatis est, jam donum est, quo proxima Deo natura intellectualis ei colligitur. Augustinus: *Et utique Spiritus sanctus Dei donum est, quod quidem & ipsum est æquale donanti*. (Ench. c.37.) Et rursus idem: *Eum donum Dei esse prædicant, ut Deum credamus non seipso inferius donum dare*. (l. de fide & Symb. c.9.) Ut Deus non seipso inferius dat, ita mens creata non Deo inferius capit. Nec Dei ergo donantis, nec mentis accipientis potestatem exæquat & exhaurit, adeòque nec propriè & singulariter Donum denominari potest, nisi quod Deus sit ipse. Et postremò interest ad proprietatem Spiritus sancti, ut ipse detur; quia ejus procedere est dari, & quia non alio magis nomine ejus relatio declaratur. Nam in nomine Spiritus sancti vix umbra aut vestigium relationis deprehenditur, quæ perspicua valdè est in nomine doni. Augustinus 4. de Trinit. c. 20. *Sicut natum esse, est Filio à Patre esse; ita Spiritui sancto donum Dei esse, est à Patre & à Filio procedere*. Ergo ut tuta illi sit suæ fides processionis, substantialiter detur necessum est. Et alibi: *Spiritus sanctus relativè dicitur, cum & ad Patrem & ad Filium refertur, sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine. Apparet autem cum dicitur donum Dei, donum est enim Patris & Filii, quia & à Patre procedit & à Filio*. (L.5. c.11.) Ergo ut relationis ejus constet veritas, substantivè ipse donandus est.

XIV. Hinc Christus insufflando dedit Spiritū sanctum.

Accedit corporalis Christi in Apostolos post resurrectionem insufflatio, qua Spiritum iis sanctum inspiravit. Eo enim abundè testificatus est, à seipso seu à Verbo perinde ac à Patre procedere Spiritum sanctum. Eandem ergo Spiritus sancti substantiam corporaliter inspirando infudit, quam divinitus spirando effundit. Non quo flatus ille Christi substantia fuerit Spiritus sancti, cui enim tam excordi in mentem id veniat? sed ut testatum fieret, ita à Deitate Verbi inspirari Spiritum sanctum, sicut à carne Verbi flatus ille corporeus aspirabatur. Augustinus: *Nec possumus dicere quod Spiritus sanctus & à Filio non procedat; neque enim frustra idem Spiritus, & Patris & Filii Spiritus dicitur. Nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem Discipulorum ait, Accipite Spiritum sanctum. Neque* (L.4.de Trin. c.20.)

enim flatus ille corporeus cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore substantia Spiritus sancti fuit, sed demonstratio per congruam significationem non tantùm à Patre, sed & à Filio procedere Spiritum sanctum. Quis enim dementissimus dixerit, alium fuisse Spiritum quem sufflans dedit, & alium quem post Ascensionem suam misit? Si ea insufflatione proditur procedere Spiritum sanctum à Filio, inspiratur ergo Apostolis eadem substantia Spiritus sancti, quæ à Patre procedit. Nam si creatas tantùm gratias infudit Christus, cum Spiritum sanctum insufflando dedit, imbelle hoc erit & exangue argumentum, ut substantia Spiritus sancti à Verbo prodire demonstretur.

XV. Idé ex Bernardo & aliis. Ser. 8. in Cát.

Bernardus quoque eadem tradit: *Insufflavit inquit eis, haud dubium quin Jesus Apostolis, id est, primitivæ Ecclesiæ, & dixit, Accipite Spiritum sanctum. Osculum profectò fuit. Quid? Corporeus ille flatus? non, sed invisibilis Spiritus, qui propterea in illo Dominico flatu datus est, ut per hoc intelligeretur, & ab ipso pariter tanquam à Patre procedere: tanquam vero osculum quod osculanti osculatoque commune est*, Etherius quoque & Beatus: *Quia Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit, ipsum Spiritum sanctum insufflavit Apostolis, ut manifestè ostenderetur, quod ipse esset Filius Dei, à quo procedit Spiritus sanctus. Et ipsa est tertia in Trinitate persona, qui donum Patris & Filii dicitur, quem tunc dedit & postea de cœlo misit. Quomodo non est Jesus Christus verus Deus, qui dat Spiritum sanctum? imo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quam consuetudinem in Episcopis etiam nunc servat Ecclesia.* Ita pii & eruditi Augustinianæ Theologiæ sectatores. Cæterùm non insufflavit Christus Spiritum sanctum, nisi redux à mortuis; & accepta, ut ipse ait, omni potestate, & in jura splendoremque Deitatis revectus, nec jam hominem se, sed Deum gerens, & ipsa humanitate Deitatem præferens, Deitate humanitatem devorans; adeòque jure suo summum edens Deitatis argumentum, in Spiritu sancto inspirando, Donoque Deo donando.

L. 1. advers. Elipan.

XVI. Ex Cyrillo. L. 9. in Ev. Jo. pag. 810.

Versatus est in hac quæstione Cyrillus omnium frequentissimè & elegantissimè: *Quomodo si alterius est substantia Filius, Patris Spiritum tradit ut suum? Scriptum est enim insufflasse Discipulis suis, dicendo, Accipite Spiritum sanctum, &c. Idcirco enim Christus insufflavit corporaliter, ostendens quod sicut ex ore humano spiritus prodit corporaliter, sic & ex divina substantia Deitati convenienter, Spiritus qui ex eo est, profunditur.* Arguitur consubstantialis esse Filius Patri, quia eundem Spiritum insufflat Apostolis ut suum. At quàm obtusa esset hæc argumentatio, si sola insufflavit creatæ gratiæ dona? Quin regeri poterit jaculum, negarique congener Filius Patri, cùm Pater substantiam Spiritus sancti profundat, Filius autem qualitates aliquas Spiritus sancti nomine in speciem honestatas afflet.

XVII. Ex eodem, dari Spiritū sanctum à Filio, non aliud est, quàm procedere.

Conducit non mediocriter ad ejusdem rei ampliorem elucidationem illa Græcorum Patrum solemnis disputatio de Spiritus sancti à Filio processione. Cùm enim vix unquam ἐκπορεύεσθαι, seu procedere dicant Spiritum sanctum à Filio, ab eo tamen creaturis immitti dispensarique consentiunt, eoque Filium Patri satis exæquari contendunt. At ea Spiritus sancti per Filium in nos effusio, si ea est quæ Filium Patri exæquet, si processioni à Patre potest æquiparari, si indubitatum nobis argumentum est processionis à Filio, non donorum, sed ipsius substantiæ Spiritus sancti effusio est. Cyrillus: *Dissolvens enim peccata ejus, qui ipsi adhæret, proprio suo Spiritu inungit, quem quidem immittit ipse, ut Verbum ex Deo Patre, & ex propria sua natura in nos transfundit. Communem vero quodammodo hanc rem faciens cum administratione in carne propter unitatem, etiam ut homo inspiravit corporaliter. Inspiravit enim Apostolis dicens, Accipite Spiritum sanctum. Neque ex mensura dat Spiritum, ut ait Joannes, sed ipse eum immittit ex seipso, sicut & Pater.* An immittere Spiritum ex seipso, ex propria natura, eoque consequi Patrem à quo Spiritus procedit, non aliud est quàm dona aliqua creata spargere? Et rursum: *Sanctum porrò Spiritum dices eum, qui ex Deo Patre per Filium profunditur naturaliter, & spirationis, quæ prodit ex ore, suam nobis existentiam manifestat.* Et rursus alibi: *Profunditur quidem seu procedit Spiritus sanctus à Patre ut à fonte, tribuitur autem creaturæ per Filium, unde insufflavit in Apostolos, &c.* Si à Patre πρόεισιν, vel ἐκπορεύεται, à Filio autem χορηγεῖται, eademque Patris & Filii dignitas est, eandem planè substantiam nobis Filius infundit, quam Pater ex se effundat. Rursum idem: *Unus est Spiritus, una & perfecta sanctificatio, qui à Patre per Filium naturaliter præbetur*, φυσικῶς χορηγεῖται. Si dona tantùm creata dilargitur nobis Filius, an naturaliter distribuere Spiritum sanctum, eoque processionem ejus à Patre æmulari dicendus est? Et rursum: *Licèt enim ex Patre Spiritus sanctus πρόεισι, venit tamen per Filium & proprius est ejus.* Eadem igitur substantia, quæ prodit à Patre, per Filium irroratur nobis, & ita Filii proprius est Spiritus sanctus. Nec enim nisi adumbratè & tenuiter proprius est Filii Spiritus sanctus, si donorum ejus dispensator tantùm est. Sed luculentè rursus, *Cùm verus sit fructus substantiæ ejus, Patris proprium Spiritum sanctum secundùm naturam sibi vendicat Filius, procedentem quidem ex Patre, sed per ipsum Filium creaturæ traditum, non tanquam per ministrum aut famulum, sed ex ipsa quidem Dei & Patris substantia procedentem, in eos autem effusum qui digni sunt per Verbum consubstantiale, & quod ex ipso effulget, &c. Quia vero Patris Spiritus, Spiritus est Filii, & Patris qui mittit, aut qui eum se daturum sanctis pollicetur, rursus eum ut proprium largitur Filius, propter identitatem substantiæ, quam habet cum Patre, & in omnibus Patrem operari per eum apertissimè ipse significavit.* His ex verbis Cyrilli multifariam concludere liceret substantia ipsa Spiritus sancti sanctos vegetari per Filium inspirata. Nam si consubstantialem se Patri comprobat Filius, eo quòd Spiritum à Patre procedentem ipse effundat in nos, ergo ipsam ejus substantiam effundit in nos, quam & Pater profundit. Si Pater enim substantiam fundit Spiritus sancti, Filius dona, prorsus periclitabitur consubstantialitas Filii. Si rursus Filius effundendo in nos Spiritum à Patre procedentem, testificatur in omnibus Patrem operari per ipsum, ergo funditur in nos per Filium substantia ipsa Spiritus sancti à Patre procedens. Si rursum secundùm naturam vendicat sibi Filius Spiritum Patris, & φυσικῶς distribuit, ejus ergo substantiam, non dona tantùm tribuit. Si denique Filius Spiritum Patris largitur, non ut famulus & minister, sed ut Filius æqualis Patri, ergo non creatas tantùm Spiritus sancti gratias elargitur, sed substantiam. Vices autem ageret famuli, si Pater quidem substantiam spiraret ex se, ipse verò dona Spiritus sancti dispensaret.

Dial. de Inc. Unig. pag. 706.

Dial. 1. de Trin. p. 423.

In sanct. Symb. pag. 190.

L. 1. in Joan. pag. 22.

Ibid. l. 9. p. 824.

L. 11. in Jo. pag. 987.

XVIII. Græcorum & Latinorū consensio.

Porrò quæ de Spiritu sancto ut dono & donabili superiùs ex Augustino disputata sunt, si cum his quæ de Spiritu sancti effusione per Filium ex Græcorum fontibus obiter sunt hausta, componantur, non minimum affinitatis comperiuntur habere. Rariùs enim Græci rationem doni in Spiritu sancto expendunt; rariùs Latini procedere illum à Patre, diffundi in creaturas per Filium commemorant. Sed perfacilis est & per-

perexpedita amborum concordia, si donum Patris per Filium Spiritus sanctus esse pronuntietur. Quid enim aliud est quod ajunt Græci, prodire Spiritum sanctum à Patre, infundi verò seu donari creaturis per Filium, quàm quod consonant Latini, donum esse Spiritum sanctum Patris & Filii, seu Patris per Filium? Adeo ut ambarum partium consensu Spiritus sanctus non eos tantùm à quibus, sed eos etiam quibus datur infunditurque respectet. Nam ut donum & ad dantem & ad accipientem refertur; ita infusio seu distributio & ad infundentes & ad excipientes refertur. Denique etsi ab æterno non sit creatura cui detur, est tamen donum Spiritus sanctus, quia prodit ut donabilis: ita etsi ante tempora non sint justi, quibus infundatur à Filio; prodit tamen à Filio ut infusio dispensanda vel dispensabilis in creaturas. Quocirca consentit adprimè Græcorum Latinorumque Theologia in Spiritus sancti explananda processione, qui consensus ipse est.

XIX. Summa antecedentorum. Nunc quæ sparsim in plurima testimoniorum sylva oberrantes argumentati sumus, carptim hìc contexamus. Primò non vacat quod tam constanter ingerunt Scripturæ Donum Dei esse Spiritum sanctum, & ipsummet donari; non est autem vel divinæ largitatis vel Scripturæ simplicitatis, Dei dona tantoperè exaggerare, ut cùm creatæ donentur tantùm virtutes, Deus ipse donari jactetur. 2. Ex suffragatione sanctorum Patrum, personalis proprietas Spiritus sancti est, ut sit Donum, ergo persona & substantia ejus ipsa donatur. 3. Si dona tantùm creata dispergit Spiritus sanctus, non seipsum etiam præterea, non ergo donum ipse, sed donator est; nec à Patre Filioque differet eo nomine, qui & ipsi donatores sunt. 4. Cùm donatores verò sint Pater & Filius, ipse verò Donum, donatur ergo ipsemet, & nomen suum partesque seipso implet, non vicaria qualitate. 5. Eo consilio datur hoc Donum, ut non aliquo Dei bono fruamur, sed Deo, & per Donum Verbi copulemur Patri, dum percipimus Spiritum Verbi, in quo Pater est. At hæc spes difflatur & vanescit, si creatis tantùm donis afficimur. 6. Non adeo propriè & specialiter donum est Filius, & tamen quia principalis donator non est, nisi Pater, ut fons summus Deitatis, dedit seipsum, donatusque est à Patre Filius substantialiter: ergo & Spiritus sanctus substantivè donabitur, cùm speciale donum ipse sit. 7. Alium Paracletum pollicitus est Christus, cum in cœlos ipse hinc abiturus esset, qui locum ejus impleret, sarciretque damnum & levaret tædium ejus demigrationis. At frustratoria hæc fuisset spes, nisi tam substantialiter Deus advolaret Spiritus sanctus, quàm Deus avolabat Filius. Nec enim creatis donis, aut præsentia per efficientias aliquas, compensaretur præsentia Verbi per carnem suam nobiscum versantis. Fraudaremur & illa Christi pollicitatione, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Nec enim præsens adest, qui nec corporis adest, nec spiritus substantiali præsentia. Ergo cùm carnem ceu lac infantiæ hinc abduxerit, æquum est ut Spiritus sui substantia adsit grandescenti Ecclesiæ. Nam præsentia carnis in Sacramento non tangitur eo loco, ut planum est. 8. Donum quod principaliter Dei donum sit, & hoc insigniatur nomine, non aliud esse potest, quàm Deus ipse. Bona enim quæcumque creata nullius momenti & planè nihil sunt, nec apparent, ubi divinæ largitatis & opulentiæ radios incurrunt. Donum Deo dignum, Deoque par, & quod suum Deus Donum esse singulare profiteatur, non ullum est nisi Deus. Similiter naturæ rationali donum conferri præcellentissimum, & quod præ cæteris omnibus Donum nuncupetur, ejusque inanitatem esuriemque adimpleat, nullum potest nisi Deus ipse substantialiter. Percepto gratiarum creatarum cumulo capax adhuc Dei vacuusque superest abstrusior mentis sinus. 9. Donum est Spiritus sanctus, sed eo non inferior dantibus, quod & ipse seipsum dat. Ergo quàm substantivè dat, tam substantivè datur. 10. Christi Deitas hoc se commendavit singulari monumento, quod Spiritum sanctum donarit; Deus enim est qui Deum dat, & summus Deus. Atsi Deum non dat, sed Dei seu Spiritus sancti dona creata, ejus divinitas in discrimen adducitur. 11. Plenitudinem Spiritus sancti ea de causa non effudit, nisi postquam exuta mortalitate in cœlum avectus est, suæque Deitati se totum vindicavit. At creatas gratias dilargiri potuisset adhuc mortalis, & reapse dilargitus est. Donum autem Dei & Donum Deum non donavit, nisi totus Deus. 12. Ideo nec ab Apostolis nec ab Ecclesia datum Spiritum sanctum, sed precibus invitatum ut ipse descenderet, & scripturæ fidem faciunt, & sancti Patres testificantur. 13. Quid quod corporaliter afflavit illum Apostolis Christus devicta morte redivivus? An plus significavit corpore, quam præstare potuit Deitate: & ore quidem corporeo spiritum afflavit, invisibili autem Verbo solas qualitates virtutesque creatas infudit? 14. Adde quod Patribus Græcis non alia magis progressio Spiritus sancti à Filio celebrata fuit, quàm qua in creaturas diffunditur; ergo cùm substantia ipsa Spiritus sancti à Filio progrediatur, substantiam quoque ipsam in nos diffundi non obscurum est. 15. Græcis autem magnopere concinunt Latini, quibus procedere Spiritum sanctum idem est ac dari; ideoque ille non est Filius, quia procedit non ut natus, sed ut datus. Datur autem à Patre & Filio, & à Patre per Filium creaturis, adeoque effunditur per Filium in creaturas. Quid consonantius hæc Græcorum Latinorumque sententia? Sed & utrorumque consensione, tam substantialiter datur, quàm substantialiter procedit, is cui procedere idem est, ac dari. Effunditur substantialiter per Filium in creaturas, quia substantialiter procedit à Filio; nec procedit à Filio, nisi qua effunditur vel fusilis est, donatur vel donabilis est creaturis.

CAPUT XIV.

Substantia Spiritus sancti sanctificantur justi, ex eo quod ille sit Charitas.

I. Deus charitas est, qua Deum, qua proximum diligimus, inhabitans, inspiransque creatos actus habitusque dilectionis, ex Joanne & Augustino. DEclaratur II. substantiva Spiritus sancti vegetatione, præter creatos charitatis actus habitusque, sanctificari piorum, seu Angelorum, seu hominum mentes, ex eo quod ille sit charitas. Id perspicuè deducitur ex superiore capite, ubi Spiritus sanctus Dei Donum esse demonstratus est, omnium proculdubio maximum. At donum Dei maximum est charitas, tum qua ipse nos diligit, tum quam ei nos rependimus vicissim: ergo Spiritus sanctus ea est charitas, adeoque sanctitas nostra. Augustinus: *Si in donis Dei nihil majus est charitate, & nullum est majus donum Dei, quàm Spiritus Sanctus, quid consequentius quàm ut ipse sit charitas, qui dicitur & Deus, & ex Deo?* Quod nihil obstrepit vulgatissimæ doctrinæ de creatis habitibus actibusque charitatis. (August. l. 15. de Tr. c. 19.)

Porrò non tantùm charitatem qua seipsum Deus, vel qua nos diligit, sed & qua ipsum nos, vel ipsos invicem nos diligimus, ipsam esse Spiritus sancti substantiam, evidentissimè pronuntiat Joannes: *Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non cognovit Deum, quia Deus dilectio est*. Ibi enim verba fiunt de dilectione proximi, qua nimirum diligimus invicem: (Joann. Ep. 1. c. 4.)

de ea

de ea autem dicitur, quia Deus dilectio est. Augustinus, cùm ea intexuisset verba Joannis, *Ista contextio satis apertèque declarat, eandem ipsam fraternam dilectionem, nam fraterna dilectio est, qua diligimus invicem, non solum ex Deo, sed etiam Deum esse, quam videmus tanta authoritate prædicari.*

Aug. l. 8. de Trin. c. ult.

II. Ex iisdem rursum.

Deinde in contextu Joannis eodem, *Omnis qui diligit, cognoscit Deum: qui non diligit, non cognovit Deum, quia Deus dilectio est.* Nisi Deus illa ipsa est charitas, qua fratrem diligimus, quomodo qui diligit fratrem, novit Deum; qui non diligit, non novit Deum? Non cohærent consequentia his quæ antecedunt. At si ut ait ille, Deus dilectio est, & proximi dilectio est, qui fratrem diligit, dilectionem utique novit, qua diligit, eoque Deum novit. Quin imo illa dilectio qua fratrem quis amplectitur, usque adeo Deus est, ut qui fratrem diligit, Deum jam notiorem habeat quàm fratrem. Dilectionem enim suam eo explorationem notioremque habet, quàm fratrem, quo interiorem in animo suo illam gestat, mentisque oculo nudiorem, cùm caligante tantùm corporis oculo fratrem vel fratris superficiem contueatur. Augustinus: *Nemo dicat, non novi quid diligam. Diligat fratrem, & diliget eandem dilectionem. Magis enim novit dilectionem, qua diligit, quàm fratrem quem diligit. Ecce jam potest notiorem habere Deum, quàm fratrem. Planè notiorem, quia præsentiorem; notiorem, quia interiorem; notiorem, quia certiorem. Amplectere dilectionem Deum, & dilectione amplectere Deum.* Charitas qua frater diligitur, interior, præsentior, certiorque nobis est, eoque notior, quàm frater qui diligitur; ideò & Deus qui charitas illa ipsa est, notior interiorque, præsentior certiorque nobis est. Ita philosophatur post Joannem Augustinus.

L. 8. de Trin. c. 8.

III. Ex iisdem ut Deus ipsa sit charitas qua inhabitamur augemurque & agimur ad habitus actusq; creatæ charitatis.

Tract. 9. in Epist. Joan.

Collineat eodem Joannes verbis sequentibus: *Si non diligis fratrem, quem vides; Deum quem non vides, quomodo potes diligere?* Consequitur enim hoc ad illud: Qui fratrem non diligit, dilectionem non videt: & proinde Deum qui dilectio est, non videt, non amat. Augustinus: *Si non diligis fratrem, quem vides, Deum quem non vides, quomodo potes diligere? Quare non videt Deum? Quia non habet ipsam dilectionem. Ideo non videt Deum, quia non habet dilectionem. Ideo non habet dilectionem, quia non diligit fratrem. Propterea ergo non videt Deum, quia non habet dilectionem. Nam si habeat dilectionem, Deum videt, quia Deus dilectio est.* Qua Apostoli & Augustini argumentatione nihil absurdius, si Spiritus sanctus non est charitas, qua proximum amplectimur. Idque breviùs strinxit idem alibi: *Fratrem videt humano visu, quo videri Deus non potest. Sed si eum quem videt humano visu, spiritali charitate diligeret, videret Deum, qui est ipsa charitas, visu interiore quo videri potest. Itaque qui fratrem quem videt, non diligit; Deum, quem propterea non videt, quia Deus dilectio est, qua caret qui fratrem non diligit, quomodo potest diligere?*

L. 8. de Trin. c. 8.

IV. Ut Deû videat & diligat, qui videt & diligit charitatem.

Videri posset Joannes nimius etiam fuisse in commendanda fratrum, incuriosior autem in Dei dilectione, quam nec verbo attigisset: nisi dum commendat fratrum dilectionem, quæ Deus est, Deum pariter inculcaret. Qui enim fratrem diligit, suam ipsam dilectionem priùs utique & ampliùs aliquantò diligit. Ideo enim fratrem diligit, quia decus ipsum dilectionis, & incredibilem quandem pulcritudinem mentis oculo coram occursantem admiratur amplexaturque. Impensiùs ergo dilectionem quàm fratrem diligit, ac proinde impensiùs Deum, qui dilectio est, diligit. Sic nexu individuo gemina colligatur charitas. Augustinus: *Cùm ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem. Nec fieri potest, ut eandem dilectionem non præcipuè diligamus, qua fratrem diligimus. Unde colligitur duo illa præcepta non posse esse sine invicem. Quoniam quippè Deus dilectio est, Deum certè diligit, qui diligit dilectionem; dilectionem autem necesse est ut diligat, qui diligit fratrem.* Et rursus idem alibi: *Quid ergo? qui diligit fratrem, diligit & Deum? Necesse est ut diligat Deum, necesse est ut diligat ipsam dilectionem. Numquid potest diligere fratrem, & non diligere dilectionem? Necesse est, ut diligat dilectionem. Quid ergo? Quia diligit dilectionem, ideo diligit Deum? Utique: ideo. Diligendo dilectionem, Deum diligit. An oblitus es, quod paulo ante dixisti, Deus dilectio est? Si Deus dilectio est, quisquis diligit dilectionem, Deum diligit.*

L. 8. de Trin. c. 8.

Tract. 9. in Epist. Joan.

V. Ut pulcritudo dilectionis oculo mentis intus adradiet.

Non consentiret enim, non incumberet quisquam in castum & religiosum amorem proximi, nisi suo intus in animo spectaret obversantem quandam venustatem dilectionis, & radiantem unitatis ordinis, legisque æternæ pulchritudinem, eamque vehementer adamaret, ejusque imperiosa suavitate in complexum proximi inclinaretur. Antequam ergo fratrem diligat quis, diligit formam legemque splendidissimam dilectionis; non foris, sed intus obversantem videt, amatque, ipsamque per seipsam videt, & ipsam per seipsam amat. Lux enim illa & pulchritudo interior charitatis & justitiæ, forma est non tantùm quæ, sed & qua videatur: non modò quæ, sed qua diligatur; id est & ipsa videtur, & per seipsam videtur: & ipsa amatur, & per seipsam amatur. Sicut & lux corporea, & incorporeis finitima, & naturarum spiritalium prærogativas de proximo allambens, ea est quam videt quis, & qua videt quis. Ita & lux lexque charitatis una eademque est, quæ diligitur, & qua diligitur. Quia non extrorsum radiat, sed venis medullisque insinuata mentes afficit perficitque. At verò universalis & summa, omnibusque obvia dilectionis pulchritudo, incommutabili & intelligibili luce mentibus sese ubique ingerens, non potest non esse Deus. Ita quod in solo cortice Scripturarum hærentibus poterat videri subtiliùs quàm solidiùs, & gloriosiùs quàm veriùs à Joanne Apostolo disputatum, constat inconcusso altissimoque niti fundamento, nec posse ullatenus fratrem diligi, quin diligatur ipsa dilectio, quæ Deus est.

VI. Ex Augustino ut prima omnium diligatur ipsa charitatis pulchritudo. An Philosophi Gétiles hanc pulchritudinem justitiç dilexerint.

L. 8. de Trin. c. 6.

Apertius id fiet si attexamus locum Augustini valdè affinem rei, quam versamus: *Cur ergo alium diligimus quem credimus justum, & non diligimus ipsam formam, ubi videmus quid sit justus animus, ut & nos justi esse possimus? An verò nisi & istam diligeremus, nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex ista? Sed dum justi non sumus, minus eam diligimus, quàm ut justi esse valeamus. Homo ergo qui creditur justus, ex ea forma & veritate diligitur, quam cernit & intelligit apud se ille, qui diligit: ipsa verò forma & veritas non est quomodo aliunde diligatur.* Frater igitur qui videtur & diligitur, ex invisibilis formæ contuitu & dilectione anteriore & interiore diligitur. Quisquis enim fratrem piè diligit, aut propter justitiam in eo refulgentem amat, aut propter dilectionem in eo flagrantem redamat: aut propter pulchritudinem dilectionis ipsius, legisque summæ & intimæ in qua cernit, quàm justum quàmque decorum sit, ut mutuo omnes amore cohæreamus. Priùs ergo diligitur sive justitia sive dilectionis pulchritudo interior, animæque insita, quàm propter eam quisquam diligatur. Ea autem charitatis venustas nec alibi quàm in anima ipsa nostra est, nec aliud quàm Deus est. Nec enim foris cernitur, sed intus: & intelligibilis cùm sit, nusquam nisi in intellectuali natura est. Cùm item forma sit justitiæ & charitatis æterna, incommutabilisque, Deus est utique. Priùs ergo diligitur Deus quàm frater, quia dilectio proximi Deus est; id est, quia forma, lex & pulchritudo per quam & propter quam diligitur proximus, Deus est.

Obii-

Obiiciet forſan aliquis, potuiſſe & Gentilium atque Idololatrarum aliquos proximum diligere, propter hujuſmodi pulchritudinem dilectionis & juſtitiæ. Cui reſpondebimus, non aliud plerumque Gentilibus etiam Philoſophis viſam eſſe & dilectionem & virtutem quamcumque, quàm dotem aliquam egregiam mentis humanæ. Ita Stoici non aliud, quàm ſuæ ipſorum mentis ſuæque interioris pulchritudinis admiratione & amore afficiebantur. Si ſupponas autem eorum aliquos intellexiſſe & dilexiſſe pulchritudinem dilectionis, & virtutis cujuslibet, tanquam legem æternam & incommutabilem & Deum ipſum: jam hinc claret eos veræ fidei & pietatis vel participes, vel candidatos fuiſſe.

VII. Ex eodem.

Rurſum Joannes ibidem ſæpiùs ingeminat, quod *Deus charitas eſt*. Ait etiam quod *Charitas ex Deo eſt*. Deus eſt ergo ex Deo. Non ergo Pater. Sed vel Filius, vel Spiritus ſanctus, qui uterque & Deus & ex Deo eſt. Uter ergo? Hunc nodum ipſe mox expedit, ubi ſubdit, *Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo*. Et ibidem: *In hoc cognoſcimus, quia in ipſo manemus & ipſe in nobis, quia de Spiritu ſuo dedit nobis*. Cùm ergo & dilectio id præſtet, & Spiritus ſanctus, ut in Deo maneamus, & in nobis Deus, ſupereſt ut Spiritus ſanctus ſit dilectio, & ita charitas ſit Deus ex Deo. Ex horum Joannis verborum conflictu hanc eandem exculpſit concluſionem Auguſtinus: *Spiritus itaque ſanctus de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere & ipſum in nobis. Hoc autem facit dilectio. Ipſe eſt igitur Deus dilectio*. Et infrà: *Quapropter ſi ſancta Scriptura proclamat: Deus charitas eſt, illa quæ ex Deo eſt, & in nobis id agit, ut in Deo maneamus, & ipſe in nobis, & hoc inde cognoſcimus, quia de Spiritu ſuo dedit nobis, ipſe ſpiritus ejus eſt charitas Deus*. Dicuntur hæc omnia & concluduntur tum à Joanne, tum ab ejus interprete Auguſtino penè nugatoriè, niſi ea dilectio qua fratres exoſculamur, ſubſtantia ipſa Spiritus ſancti eſt, intus inhabitans, inſpiranſque flammas charitatis per actus habituſque creatos.

L. 15. de Tri. c. 17. 19.

VIII. Ex eodē ut propriè ſive appropriate charitas ſit Spiritus ſāctus.

In promptu præterea eſt, cur charitas Spiritus ſanctus eſſe potiſſimum feratur. Quanquam enim id nominis & Pater & Filius & tota Trinitas uſurpet quandoque ſuo jure, nomen enim ſubſtantiæ eſt; id tamen adſignatur Spiritui ſancto ſpeciaiùs, ut propria quædam teſſera ejus perſonæ. Quid enim charitas, & quid item Spiritus ſanctus, quàm communio connexioque Patris & Filii? Auguſtinus: *Si charitas qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonſtrat amborum, quid convenientius quàm ut ille dicatur charitas propriè, qui Spiritus eſt communis ambobus?* Quid aptius autem quàm ut qua ſecum ipſa conſtringitur Deitas, eadem & naturæ intellectuales Deitati, ſibique ipſis devinciantur connexione, & ea ſit charitas ſanctitaſque ipſarum? Idem Auguſtinus: *Amplectere dilectionem Deum, & dilectione amplectere Deum. Ipſa eſt dilectio, quæ omnes bonos Angelos & omnes Dei ſervos conſociat vinculo ſanctitatis; noſque & illos conjungit invicem nobis, & ſubjungit ſibi*. Audis ut dilectionem vocet Deum, eamque dicat eſſe ſanctitatem. Et rurſus: *Quia revera magnum eſt mente conſpicere generationem, quæ non ſit ex aliquo tempore, ſed æterna eſt; & ipſam charitatem & ſanctitatem, qua generator & generatus ineffabiliter ſibi copulantur*. Dilucidè hic Spiritus ſanctus ſingulari proprietate & charitas & ſanctitas & copula nexuſque eſſe demonſtratur.

L. 15. de Tr. c. 19.

L. 8. de Trin. c. 8.

De agone Chriſt. c. 16.

IX. Tanti eſt dilectio Dei ut Deus niſi de Deo diligi poſſit, ut forma dilectionis per ſe ſubſiſtente, & nos inhabitante.

Sed imprimis perpendenda eſt charitatis in Deum ferventis dignitas & admirabilitas tanta, quanta Deo uni poſſit adſcribi. Quamobrem nonniſi de Deo diligi poteſt Deus. Deus eſt quem diligimus, & quo diligimus. Infunditur Deus ipſe, ut diligatur ſeipſo. Diligit ipſe ſeipſum in nobis. Auguſtinus: *Habentes ergo tantam fiduciam, amemus Deum de Deo; imò quia Spiritus ſanctus Deus eſt, amemus Deum de Deo. Quid enim plus dicam, amemus Deum de Deo? Certè quia dixi: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis; ideò eſt conſequens ut quia Spiritus Sanctus Deus eſt, nec diligere poſſumus Deum, niſi per Spiritum ſanctum, amemus Deum de Deo. Hinc ergo eſt conſequens*. Non tantùm de dono Dei creato diligitur Deus, ſed de Deo, de Spiritu ſancto, qui datus eſt, quique inſpirat charitatem. Tanti enim eſt Deum diligere, ut non niſi de Deo diligi queat. Tanti eſt diligere Deum vehementiùs, ut Deus unus id in nobis & per nos queat; nec habitum & actum amoris tantùm vel affectionem infundat nobis, ſed & ſeipſum ut formam charitatis principem inſerat, ſed formam hypoſtaticam per ſe ſubſiſtentem, eoque inhabitare & inhoſpitari potiùs dicendam, quàm informare.

non propriè informāte. Serm. 2. de diverſ. c. 2.

X. Amari non poteſt Deus niſi habeatur, quia de ſeipſo amatur.

Idcirco nec amari Deus poteſt quin habeatur. Cætera quippè bona etiam cùm abſunt, & tum maximè diliguntur cùm abſunt; nec amando comparantur, ſed multo præterea & caſſo plerumque labore aucupanda ſunt. At Deus amando habetur, nec amaretur niſi haberetur; quia amor ſui ipſe eſt: amoris ſui creati principium increatum & inteſtinum ipſe eſt; charitas ipſe eſt; & cùm diligitur Deus, tam habetur, quàm habetur charitas. Auguſtinus idem: *Erigite vos ab luculenta iſta cupiditate, ut maneatis in illuminatiſſima charitate. Deum non vides: ama, & habes. Quàm multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur? numquid hoc eſt aurum amare, quod aurum habere? &c. Deus nobis de compendio ſe offert; clamat nobis, Amate me, & habebitis me, quia nec poteſtis amare me, niſi habueritis me*.

Ibid. c. 3.

XI. Ut Deus ſine Deo, ita charitas ſine adjutorio Dei non poteſt haberi.

Et hinc eluceſcit mirum in modum, quàm non meritis noſtris, ſed divinæ imputanda ſit indulgentiæ charitas, quæ plenitudo legis eſt, & quæ ſola legem uſquequaque implet. Perinde enim eſt charitatem ſine Deo haberi, ac Deum ſine Deo haberi: perinde eſt charitatem nobis à nobiſmetipſis ſuppetere: ac Deum de noſtræ gremio mentis ſcaturire. Auguſtinus: *Sicut enim divina teſtantur eloquia, Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quiſquis ergo contendit haberi poſſe Dei charitatem ſine Dei adjutorio, quid aliud contendit, niſi haberi Deum poſſe ſine Deo? Quis autem hoc dicat Chriſtianus, quod nullus audet dicere inſanus?*

L. de patientia c. 18.

XII. Præſentia ipſa Spiritus ſancti inſcribitur cordi lex Chriſti, ſeu charitas. L. de ſpir. & lit. c. 16. 19. 21.

Hinc ſexcenties Auguſtinus monuit inhabitante Spiritu ſancto fieri, ut Deum, ut legem, ut juſtitiam diligamus; inhabitante inquam, & ut fonte intimo profundente habitus actuſque illos charitatis quibus Sancti effervescunt, non extrinſecùs tantùm adjuvante: *Hic autem Spiritus Domini, cujus dono juſtificamur, quo fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas eſt; ſicut præter hunc Spiritum peccare delectat, ubi ſervitus, &c. Hic Spiritus ſanctus per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris, &c.* Et infrà: *Cùm verò adeſt vivificans Spiritus, hoc ipſum intus conſcriptum facit diligi, quod foris ſcriptum lex faciebat timeri*. Rurſum: *Quid ſunt ergo leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti, qui eſt digitus Dei, quo præſente diffunditur charitas in cordibus noſtris, quæ plenitudo legis eſt, & præcepti finis?* Dilectio, voluptas, delectatio juſtitiæ Spiritus ſanctus eſt, ideo datur ipſe filiis novi teſtamenti, & *præſentia ſua* diffundit charitatem ſeu habitus & actus creatos, quibus inflammeſcimus.

XIII. Conſonant Auguſtinus & Fulgent. L. 1. de ver. præd. c. 9.

Pronus in ſententiam Auguſtini Fulgentius concedit: *Deus charitas eſt. Quoniam igitur Deum charitatem eſſe divinis claret eloquiis, profectò manifeſtum eſt, quod nemo Deum habere poſſit, ſi ſe homi-*

homini Deus ipse non dederit, &c. Sine charitate enim nec Deus diligi potest, nec proximus. Ut autem Deus diligi possit, ipse se tribuit, quia Deus charitas est, & Deum nonnisi charitate diligimus. Nisi ergo Deum accipiamus, Deum diligere non valemus.

XIV. Ex Bernard. Bernardus vel quicumque non inglorius Author Libelli de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei; *Amor Dei vel amor Deus Spiritus sanctus, amori hominis se infundens, afficit eum sibi. Et amans semetipsum de homine Deus, secum unum efficit & Spiritum ejus, & amorem ejus. Sicut enim non habet corpus unde vivat, nisi de Spiritu suo; sic affectus hominis qui amor dicitur, non vivit, hoc est, non amat Deum, nisi de Spiritu sancto.* Quæso quid accuratius dici potuit? amor Dei Deus est, Spiritus sanctus est: infundit ille se homini, afficit eum, unum secum efficit; ut sic animus amet Deum de Spiritu sancto, sicut corpus vivit de anima; ut denique amet seipsum Deus de homine, sicut homo amat Deum de Deo. Omninò enim non potest amari Deus nisi de Deo, ut ait rursum Augustinus: *Deus Spiritus sanctus qui procedit ex Deo, cùm datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum & proximum, & ipse dilectio est. Non enim habet homo unde diligat Deum, nisi ex Deo.* (L. 15. de Tr. c. 17.)

XV. Ex Augustino rursum, Deus nō est patientia, spes, &c. sed est charitas. Familiaris & obvia tergiversatione interpretantur quidam charitatem dici Spiritum sanctum, non per modum vitæ inhabitantis, qua impleamur, sed causæ extrinsecæ & efficientis, qua incitemur ad diligendum Deum; sicut & patientia & spes nostra dicitur Deus, quia hæc in nobis efficit. Interclusit autem hoc effugium Augustinus, ubi advertit non absolutè patientiam dici Deum, sed patientiam nostram, quia ab ipso nobis est patientia; sed charitatem sine additamento dici, ideòque charitatem verè esse. *Neque enim dicturi sumus non propterea Deum dictum esse charitatem, quòd ipsa charitas nulla sit substantia, quæ Dei digna sit nomine; sed quod donum Dei sit, sicut dictum est Deo, Quoniam tu es patientia mea. Neque enim propterea dictum est, quia Dei substantia est nostra patientia; sed quod ab ipso nobis est, sicut alibi legitur, Quoniam ab ipso patientia mea. Hunc quippè sensum facilè refellit Scripturarum ipsa locutio. Tale est enim, Tu es patientia mea, quale est, Tu es Domine spes mea: &, Deus, meus misericordia mea, & multa similia. Non est autem dictum, Domine charitas mea, aut, Tu es charitas mea, aut, Deus charitas mea; sed ita dictum est, Deus charitas est, sicut dictum est, Deus spiritus est. Hoc qui non discernit, intellectum à Domino, non expositionem quærat à nobis.* (L. 15. de Tr. c. 17.) Vides quàm expressè non patiatur dici quòd divina substantia sit nostra patientia: sed latum discrimen charitati & patientiæ interponendo, non patiatur negari, quin divina substantia sit nostra charitas. Et ex Scripturis discrimen istud eliciat, adeoque ex rationis lumine satis conspicuo. Perspicuum enim est quòd Deus nec patientia sit, nec fides, nec spes, quòd his omnibus inhæreant nævi complurimi. Hæc ergo dare potest efficiendo, non esse, aut indere inhabitando. At charitas sanctitasque ab omni imperfectionum contaminatione puræ sunt, ideòque Deus charitas substantivè & sibi est, & nobis.

XVI. Ex eodem crescit non charitas ea, quæ Spiritus sanctus est, sed ea quæ noster ad eum accessus vel recessus est, nempè per habitus & actus. Quia iterum cavillari posset aliquis, & causari charitatem, qua justificamur & Deum diligimus, non esse substantiam Spiritus sancti, propterea quod charitas in Deum nostra augetur minuiturvè, cùm Spiritus sanctus nec augescere possit, nec tenuari: Respondet Augustinus Spiritum sanctum nec crescere, nec decrescere, sed nos vel crescere dum ampliùs, vel deficere dum minùs ipsum habemus. Potest enim eadem invariabilis forma & ampliùs haberi & minùs; potest & altiùs infigi & minùs. *Dum tamen constet sine Spiritu sancto Christum nos diligere & mandata ejus servare non posse: & id nos posse atque agere tantò minùs, quanto illum percipimus ampliùs. Proinde non solùm non habenti, verùm etiam habenti non in cassum promittitur: non habenti quidem, ut habeatur: habenti autem, ut ampliùs habeatur.* (Tr. 74. in Jo:) Unde in Christo est plenitudo, nec ad mensuram datus est illi Spiritus. *Cæteris autem ad mensuram datur, & datus additur, &c. Neque enim ipse dividitur Spiritus, sed dona per ipsum; nam divisiones donationum sunt, idem autem Spiritus.* Proclive & expeditum erat responsum, si diceretur non dari ipse Spiritus sanctus, eoque nec crescere vel decrescere, nec dividi ejus substantiam, sed ejus dona creata, & dari, & his subesse vicibus. Non ita Augustinus, sed dari ipsum pertendit, ipsummet haberi plùs vel minùs, nostro non ipsius profectu defectuve; ita quippè plus minùsve à nobis habetur, sicut à Christo tota plenitudine & citra mensuram habetur, videlicet substantivè. Hoc planiùs Augustinus alibi explicat: *Quomodo se probet unusquisque quantum in illo profecerit charitas, vel potiùs quantum ipse in charitate profecerit. Nam si Deus charitas est, nec proficit nec deficit Deus. Sed dicitur proficere in te charitas, quia tu in ea proficis.* (In Ep. Joan. Tract. 9.) Cùm ergo nos quidem capiamus incrementa in charitate, charitas autem decrementi & incrementi insolens sit, illa sanè charitas Deus est, quàm ibi describit Augustinus.

XVII. Quo sensu dicat Augustin. non ea justitia justos nos esse qua Deum, ex Magistro sententiarum. Molestiam rursus creare possent ejusdem loca Augustini nonnulla, quibus justos nos esse ait, non ea justitia, qua Deus est justus, sed qua nos justos facit. Cùmque justitia non sit nisi charitas, & tota justitiæ legisque plenitudo sit charitas, convenienter efficietur, nec Dei charitate à nobis Deum diligi, sed donata à Deo: *Charitas quippè Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur: & Domini salus, qua nos salvos facit: & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit. Hæc est justitia Dei, quam non solùm docet per legis præceptum, verùm etiam dat per Spiritus donum.* (L. de Spir. & lit. c. 32.) Et alibi rursum: *Sicut ergo quod legitur, Domini est salus, non ea salus intelligitur, qua Dominus salvus est; sed qua salvi sunt, quos ipse salvos facit: sic cum legitur Dei justitia in eo quod scriptum est, Ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, non est illa intelligenda qua Deus justus est, sed qua justi sunt homines quos gratia sua justificat.* (Epist. 120. c. 30.) Et alia id genus plura. Respondet autem ad hæc Magister sententiarum, non aliam & aliam esse justitiam seu charitatem qua justus est, nosque diligit Deus, quaque nos justi efficimur Deumque diligimus: sed aliam & aliam esse rationem & causam, qua una eademque justitiæ & charitatis forma Deo competit & nobis; ideoque secundùm aliud & aliud dici justitiam Dei & nostram, etsi una eademque sit Dei & nostra. Dei enim est per naturam, nostra per gratiam; Dei ut propria, nostra ut participata, ab eoque mendicata; Dei ut tota in fonte, nostra ut stillatim irrorata. Quod firmari potest exemplo vitæ, quam anima corpori imprimit. Vita enim corporis & eadem est atque animæ, & non eadem. Eadem est, quia suammet ipsius vitam, ceu seipsam vitam anima indit corpori. Non eadem rursus est, quia aliter anima, aliter corpus vivit: anima per seipsam, corpus per animam: anima per naturæ suæ vim, corpus per animæ beneficium: anima ut vita, corpus ut vivens: anima ut vivificans, corpus ut vivificatum: anima immortaliter, corpus mortaliter. Palam est autem non eandem esse, sed lato discrimine distare vitam innatam & emendicatam: essentialem & accidentariam: per se subsistentem & participatam: immortalem & mortalem. Quo ergo modo alia est

est animæ vita & corporis; quia alius est vitæ ejusdem vivendæ modus: eo ipso alia est sanctitas Dei & nostra, quia longè dispar est ejus obtinendæ modus. Cui responso favent Augustini testimonia non pauca de sapientia, quæ similiter eadem est & non eadem Dei & nostra; quia eadem cùm sit, illi tota per essentiam adest, nobis participatione instillatur, *Sic dicitur ista hominis sapientia, ut etiam Dei sit. Tunc enim vera est.*
L. 14. de Tr. c. 12. *Nam si humana est, vana est. Verùm non ita Dei, quo sapiens est Deus. Neque enim participatione sui sapiens est, sicut mens participatione Dei. Sed quemadmodum dicitur justitia Dei, non solùm qua ipse justus est, sed quam dat homini cum justificat impium.* Ergo alia justitia Dei & nostra, quia nostra ex participatione, Dei autem per essentiam: at una & eadem justitia & sapientia potest & per essentiam Deus esse, & per participationem irrigari creatis mentibus: ergo non alia & alia erit forma, sed alius & alius ejus habendæ modus.

Responderi rursus non absurdè posset, hoc unum
XVIII. Rursus ad id dubium. iis locis satagere Augustinum, ut, ubi ait Apostolus, *Ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti*: commendetur gratia, qua merita hominum omnia & bona opera prævertantur. Quocirca eo Apostoli loco contendit justitiam nostram dici, nostris meritis partam; justitiam autem Dei à Deo nobis donatam. Frustraretur autem scopo suo Augustinus, si justitia Dei eo loci intelligeretur, qua ipse justus est. Ideo frequentiùs urget justitiam Dei dici, non qua justus est ipse, sed qua justos facit, quæ cùm ex adverso opponatur justitiæ nostræ seu operibus partæ, jure merito gratuita esse, & merita omnia anteire convincitur. Huic autem instituto Augustini nihil adversatur, quin imò suffragatur etiam atque etiam vehementer nostra hæc sententia. Nam si justitia qua justi sumus, ipsa est substantiva Dei justitia, cujus inhabitatione sanctificamur, hoc evidentissimo constabit argumento quàm gratuita sit, & à Dei largitate bona opera prævolente impertranda. Ut enim argumentantem audivimus jam non semel Augustinum, si charitas Deus est, non potest haberi Deus sine Deo: non donat Deum nisi Deus: charitas Deus Dei unius donum est: liberali donatione impetrandus est Deus charitas, non præeuntibus meritis emercandus.

XIX. Habitus charitatis creatæ non inexploratus August. Responderi rursum posset non ea tantùm nos justos esse increata & substantiva Dei justitia & charitate, sed præterea copiosa actuum virtutumque supellectile adornari. Actus enim affectusque
L. de morib. Eccl. c. 11. & habitus tum charitatis tum aliarum virtutum in animæ domicilium certatim confluunt, illudque Deo præparant hospitaturo. Augustinus enim ipse habitum charitatis peculiarem & creatum adstruit, tractans illud verbum Apostoli, Nec mors, nec vita poterit nos separare à charitate Dei, *Charitas Dei hic dicta est virtus, quæ animi nostri rectissima affectio est, qua conjungit nos Deo, qua eum diligimus.* Virtus animi & affectio non est substantia Spiritus sancti. Similiter alibi idem sanctus
De Doctrina Christ. l. 1. c. 10. Pater: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se ac proximo propter Deum.* Motus animi non est substantia Spiritus sancti. Extra controversiam ergo est actus quosdam motusque creatos charitatis ebullire ex justorum animis, eorumque ubi effluxerunt, vestigia quædam notasque residuas superesse, & pronitates seu habitus ad eosdem actus imposterum procliviùs validiùsque exerendos. Et aliarum virtutum non dispar ratio est. His ergo ceu justitiæ & sanctitatis luminibus atque formis mundari animos & illuminari, sanctificari etiam verisimillimum est; quanquam & his velut præludiis ad principatum regnumque sanctitatis seu ad Spiritum sanctum excipiendum præparentur.

Non dissentit Magister sententiarum quod ad reliquas attinet virtutes, quin earum infint creati actus habitusque piorum mentibus; unius charita- XX. Eum ablegavit Magister sent.
tis habitui intercedit, ejusque in locum subrogat Spiritum sanctum, à quo & ab animo citra habitus intermedii operam ullam actus charitatis effun-
Dist. 17. duntur: *Alios actus atque motus virtutum, operatur charitas, id est Spiritus sanctus, mediantibus virtutibus, quarum actus sunt, utpotè actum fidei, id est credere, fide media: & actum spei, id est, sperare, media spe. Per fidem enim & spem prædictos operatur actus. Diligendi verò actum per se tantùm sine alicujus virtutis medio operatur, id est diligere.* Allegatque scripturæ authoritatem, quæ Spiritum sanctum charitatem nominat, non fidem, non spem, ut aliter charitatis, aliter fidei speive motiones à Spiritu sancto insinuet pullulare; has habitus intervento, illas immediatè.

Conflata hinc Magistro invidia est, quòd habitum charitatis proscripserit; jure an perperam, XXI. Ideo in invidiam adductus.
ambiguum est. Erroris infamiam quæ illi incubuerat, propulsarunt ab eo docti, cordatique non pauci; quorum in partes propensior equidem sum. Nam forma aliqua creata constare justificationem nostram, in fidei dogma jam receptum est. An autem habitus pertinax, an actus fugax, ea forma sit, inter principes Theologos controvertitur; & nihildum satis eliquatum est. Cùm ergo actus creatos charitatis in Deum vehementer approbet Magister, tametsi perennem habitum unde illi dimanent, ablegarit, nullam in partem Catholici dogmatis injuriosus esse videri potest.

Nec tam declinandæ invidiæ, quàm enucleandæ veritatis causa à Magistri authoritate discede- XXII. Nobis Scriptura & Augustinus habitû charitatis approbant.
re, visum est nobis, & creatum quoque charitatis habitum profiteri. Prælucet in hanc sententiam Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Ubi Spiritus sanctus dari perhibetur, sed & ab eo præterea diffundi charitas. An actus? Et quidni pronitas etiam in actus? Nec tam actus diffunditur, utpote fugax, quàm habitus constans & perennis; quod enim infunditur, non ut statim effluat, seu ut afluat perfletque infunditur. Prælucet & Augustinus, ubi supra charitatem definiit affectionem quæ nos conjungit Deo, & qua Deum diligimus, & virtutem. At virtus non actus est, sed habitus, à quo actus manent. Item affectio non actus est, nec ab uno, aut altero actu affricatur: sed ab actuum continuata serie imprimitur altiùs habitus quidam, quo animus afficitur. Item conjungit nos Deo non actus raptim emicans & vanescens, sed perennis quædam copula, otiosos & aliud agentes nihilo seciùs Deo conjungens.

Ne dissipata fugiant argumenta, quibus confe- XXIII. Summa antedictorum.
ctum est, consecrari piorum animos ipsa Spiritus sancti substantiva charitate, præter habitus charitatis creatæ quos illi subsidiarios non denegamus, strictim hîc obiterque unum in cuneum conglobanda ea sunt. Et 1. quidem Joannes de dilectione verba faciens qua invicem diligimus, expressè ait, quia Deus charitas est. 2. Ait ibidem, qui non diligit proximum non nosse Deum, quod consequenter non diceretur, nisi dilectio ipsa proximi casta nimirum & religiosa Deus esset. Quod cùm ita habeat, qui proximum diligit, suam ipsam dilectionem utique novit, & ideo Deum novit; imò Deum amplius novit, quàm proximum, authore Augustino, quia plus novit dilectionem intus, qua diligit, quàm fratrem quem foris diligit. Nec enim tam incitatur ad diligendum meritis proximi, quàm ipsa intus animo conspicua & fulgurante dilectionis venustate inintelligibili, incorruptibili, æterna, quæ ideò Deus est. 3. Ait ibidem Joannes charitate effici, ut Deus in nobis maneat, nosque vicissim in se manentes gestet;

& paulò

& paulò pòst, Spiritui sancto hæc eadem adsignat munia; charitas ergo nostra in Deum est Spiritus sanctus. 4. Charitas absolutè nuncupatur à Joanne Deus; at idem alibi in sacris litteris passim non patientia, sed patientia mea; item spes mea, salus mea appellatur. Nempe charitas simpliciter Deus est, ideoque & sibi & nobis forma est, qua diligatur: at patientia, spes, fides cum ipse substantivè non sit, nobis est, efficiendo, non informando: nam quod ipse formaliter non est, efficiendo præstare potest, non substantivè vegetando. 5. Charitatis in Deum nostræ immemor non fuit Joannes, tametsi illam tantum qua proximo glutinamur, attigisse videatur iis, qui in viscera scripturarum non satis altè defigunt mentis aciem. Si proximus enim non diligitur nisi charitate, & charitas Deus est, dum commendatur diligendus proximus, commendatur eadem opera charitas Deus & charitas Dei. Si Christiana charitate proximus non diligitur, nisi stimulante charitatis ipsius intelligibili pulchritudine legisque æternæ & justitiæ, quæ charitatem conciliat omnibus in omnes, luce incorruptibili & venustate prolectante: antiquior & flagrantior est amor, quo pulcritudinem charitatis quàm quo proximum deperimus. Ac proinde cum charitas hæc incorruptibiliter & intelligibiliter pulcherrima Deus sit, ante Deus quàm proximus diligitur, & prius Dei quàm proximi amor collaudatur. 6. Ut sapientiæ, ita charitatis hoc est singulare decus, ut non tantum formæ sint quas, sed etiam quibus efficientibus & juvantibus, sapiunt & amant, quæcumque sapiunt & amant. Perinde ac lux est non tantum quæ videtur, sed qua videtur. Interest enim permultum ad gloriam lucis, ut non videatur lux, nisi luce: seu ut lux seipsam per oculum purgatum videat, seipsa fruatur. Ita interest ad majestatem sapientiæ incommutabilis, ut non intelligatur, nisi seipsa efficiente, adjuvante, perficiente intellectum, seu ut ipsa per intellectum sese videat & fruatur. Ita ergo & ad amplitudinem interest charitatis substantivæ seu Deitatis, ut non ametur nisi seipsa: seu ut ipsa sit voluntatis creatæ vita, qua Deum diligat, & per eam se Deus diligat. 7. Diligere Deum tantæ molis, tantæ dignitatis operæ pretium est, ut aliqualiter per creatæ qualitatis habitum obtingere possit, perfectè & cumulatè nisi per substantiam ipsam charitatis increatæ non possit. Eodem planè jure, quo videre Deum, nisi per divinam essentiam informantem mentes nostras non possumus. Charitas enim hic est eadem quæ in patria erit, etsi tanta non est. Ut ergo in patria illapsu Dei substantivo in animam & videtur & amatur Deus de Deo, hoc est inhabitante & vegetante intellectum & voluntatem divina essentia: ita in patriæ prægustationibus non amatur hic Deus, nisi de divina Spiritus sancti substantia animam implente & roborante. 8. Deus non amatur nisi habeatur, ea enim lex est spiritalium & summorum bonorum. Ergo amando habetur, quia charitas Dei Deus est. 9. Ita invictissimè probat Augustinus, gratiam idest dilectionem justitiæ, non à meritorum nostrorum, sed à divinarum largitionum fonte scaturire, quia charitas seu Deus non habetur nisi à Deo; quia pretium non est Dei, nisi Deus. 10. Denique cum dilectio Dei, seu qua diligit, seu qua diligitur Deus, proprium sit munus Spiritus sancti, non vicaria tantum qualitate, sed seipso illud implebit; administra autem utetur charitate habituali & facultate libera.

CAPUT XV.

Vivunt justi vita vitarum, idest justitia divina, adeoque implentur substantia Spiritus sancti, & sanctificantur.

Declaratur 12. sanctificari & vegetari justorum animas substantia ipsa Spiritus sancti. I. Deus vita animarū est, ergo inest iu ftis, quos vivificandosā-ctificat.
Est enim Deus vita animæ, sicut anima vita est corporis; at animæ substantiva infusione vivit corpus, ergo & Dei substantivo illapsu vivit anima. Quod vita animæ sit Deus, perinde ut anima corporis, oraculis sacrarum literarum, suffragiis sanctorum Patrum, consensione vulgi Christiani fideique nostræ tyrunculorum exploratissimum est, nihil ut in ore frequentius sit omnium, nihil decantatius, quàm animas de Deo vivere, Deique discessu emori. Cum ergo vita sit animæ Deus, intimè illam & substantivè implet ad sanctitatem, sicut intimè anima corpus ad consentaneæ opera vitæ vegetat. Nam vita non eminus ostendenda, non circumspargenda est, non illinenda est etiam, sed inspiranda medullitus est, nec alioqui vivificat. Deinde non illiberaliùs vitam affundet Deus animæ, quàm anima corpori: cum & Dei largitas & potestas tanto sit amplior, quam animæ: & tanto dignitas sit præstantior animæ, quàm corporis. Denique alienum est ab instituto viri Theologi arcana fidei extenuare, & dictata pietatis infringere; quodque Christianæ sanctimoniæ aura quædam superna fidelium etiam vulgo insusurravit, ut Deum tanquam animæ vitam invocent, nostrum non est subsannare, aut philosophicis infirmare cavillis, sed fovere pro virili, & roborare hæc pietatis præsagia, & innata animabus suæ cum divinitate cognationis auguria. Cum vel maximè Scripturæ, Patresque consonent, Deumque vitam animæ subinde appellitent, viderint, qui minutiùs hæc & frivolè dici garriunt.

Secundò, suis finibus non usque adeo coarctantur naturæ singulæ, ut non ad superioris confinia irrepant aliquantulum, & de ejus gustu quodam recreari se ac nobilitari gestiant. II. Ita compara tæ sunt naturæ omnes ut fœlicitatem à superioribus expectent inferiores.
Singulis quin imo naturis extrema perfectio & beatitas non accumulatur nisi naturæ superioris afflatu inflatuque substantivo. Sua quippe sibi fœlicitas unus Deus est, creata omnia ad fœlicitatem supernè anhelant. Et omnia quidem ad fruendum Deum insito rapiuntur impetu, suumque in fontem unde effluxerunt, laborant refluere; sed infima quæque medio in conatu viribus defecta fatiscunt, & in proximè superioris, Deoque propioris naturæ, tanquam in divini simulacri complexu beatifico conquiescunt. At naturæ intellectuales quas inter & Deum nihil creatum interjacet, eodem instinctu in Deum enitentes, ab eo formantur, beanturque. Naturam omnem quisquis animo velut oculo perlustraverit, constare omnia animadvertet & devinciri hoc mutuæ beneficentiæ vinculo, & superiora omnia inferioribus substantivè infundi ad elargiendam beatitatem. Sic animæ corporibus illabuntur; sic formæ in materiam se insinuant; sic corpora tenuiora quęque & defæcatiora, lucisque affiniora puritati, quantum per leges corporum fas est, crassioribus immeant, & informationem quam pręstare non possunt, certè ementiuntur. Denique jacent omnia squallentque inhonora, obscura, sordida, nisi superiorum illapsu illuminentur. Et ut ne horum exempla se obtruderent invitis, lex ipsa & ratio ordoque rerum ita sancit. Ita enim serviunt ima superis quibus indigent, quibus implentur. Ita imperant supera infimis, quibus benefaciunt. Ita compendiosa, adeoque liberrima est imorum servitus. Ita suavis est, quia beneficus superiorum dominatus. Ita cohærent ima summis,

ſumma imis ; & amicitiæ vinculo inſolubili nectuntur. Ita nulla pars naturæ ſuperbit, quia aliunde & supernè perficitur. Ita nulla infima ſuperis invident, quia eorum illapſu impluuntur. Ita omnia in omnibus ſunt, & in nulla natura etiam infima quidquam deſideratur, quia innatam penuriam inferiorum, ſuperiorum compenſat largitas. Ita Deum imitantur ſupera, dum inferis benefaciunt, Deique vicem illis præſtant. Ita & Deum ut ſibi prolixiùs influat, invitant. Ita enituntur omnia in Deum, & ſurſum verſus ad illum conſpirant, & quæ in eo non poſſunt, in ejus proxima imagine acquieſcunt. An contextio hæc & concatenatio rerum ibi abrumpetur, ubi invictiſſima eſſe debuerat? An anima ſola ſuperioris Deitatis vegetatione fruſtrabitur? Non ita ominandum nobis eſt. Sed etſi propriè informari non poſſunt à divina forma animæ noſtræ, quod ea per ſe ſubſiſtens, & concretionis compoſitioniſque inſolentiſſima ſit, impleri tamen ea & inhabitari, & ſanctificari conſecrarique poſſunt, ut ſedes animatę, ut domus ſpirituales, ut templa Dei viventia.

III. Ex Augusti. L. 1. de mor. Eccl. Cath. c. 5. 6.

Auguſtinus: *Eſt ergo ſummum corporis bonum, non voluptas ejus, non indolentia, non vires, non pulchritudo, non velocitas & ſi quid aliud in nobis corporis numerari ſolet, ſed omnino anima. Nam & iſta quæ commemorata ſunt, præſentia ſui exhibet corpori, & quod antecellit omnibus, vitam. Quamobrem non videtur mihi anima eſſe ſummum hominis bonum; ſive animam ſimul & corpus, ſive animam ſolam hominem dicimus. Ut enim corporis ſummum bonum id invenit ratio, quod eſt corpore melius, & quo ei vigor & vita præbetur: ita inveniendum eſt ſi quid animam præcedit ipſam; quod cum anima ſequitur, fit in ſuo genere quam poteſt optima, &c. Deus igitur reſtat, quem ſi ſequimur, bene: ſi aſſequimur, non tantum bene, ſed etiam beate vivimus.* Vitam ſummumque bonum corporis ab animę pręſentia petit, ita & animę à Dei. Negat in ſuo etiam genere optimam eſſe naturam quamque, niſi ſuperioris vegetetur pręſentia ſubſtantiva; ita enim contextę, aliæque aliis implicatæ naturæ ſunt, ut quæ ſola ſibi fuerit, orba truncaque fuerit. Et alibi: *Sicut enim tota vita corporis eſt anima, ſic beata vita animæ Deus eſt.* Ubi corporis quidem ſimplex indicatur vita, quam ab anima mendicat: animæ autem vita duplex, altera ingenita, quam corpori irrorat: altera qua ſupernè irroranda à Deo eſt.

L. 2. de lib. arbit. c. 16.

IV. Ex eodem. Tr. 23 in Jo.

Alibi idem Auguſtinus illa verſans Chriſti verba, *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*, hæc habet: *Inſinuavit nobis Chriſtus animam humanam & mentem rationalem, quæ ineſt homini, non ineſt pecori, non vegetari, non beatificari, non illuminari, niſi ab ipſa ſubſtantia Deo, eamque animam facere aliquid per corpus & de corpore, atque habere ſubjectum corpus, &c. beatitudinem tamen ejus, qua fit beata ipſa anima, non fieri niſi participatione illius vitæ ſemper vivæ, incommutabilis æternæque ſubſtantiæ, quæ Deus eſt. Ut quomodo anima quæ inferior Deo eſt, id quod inferius eſt, hoc eſt corpus facit vivere, ſic eandem animam non facit beate vivere, niſi quod ipſa anima eſt ſuperius. Superior enim anima quam corpus, & ſuperior quam anima Deus. Anima ut præſtet aliquid inferiori, præſtatur illi à ſuperiore.* Nihil explicatius optari potuit. Non illuminatur, non vegetatur, non beatificatur anima niſi *ab ipſa ſubſtantia Dei*; at ſantificatio illuminatio quædam eſt animæ, aliàs tenebreſcentis, vegetatio eſt marceſcentis, beatificatio eſt & ſumma quædam beatitatis. Quid enim beatius ſanctitate, aut quæ beatitas ſine ſanctitate? Quid beatius charitate, & quæ beatitas ſine charitate, quæ ſanctitas quoque eſt? Ergo ut beatitas nulli per ſe ineſt creatæ naturæ, ſed aucupanda forinſecus eſt, ut beatitudo corporis eſt ab anima; ita beatitatis animæ ſumma caputque, nempe ſanctitas & charitas ſupernè à Deo vegetante imploranda eſt.

V. Vita animæ eſt Deus. ut Veritas, Juſtitia, Charitas.

Tertiò, vitæ ſpecies multiplex gradatim ab imo ad ſummum conſurgit. Vegetanti enim ſentiens, ſentienti ſuperextat rationalis, rationali intellectualis; & hactenus pollent creaturæ. Sed & intellectuali præterea ſupereminet vita vitarum, ſeu veritas & juſtitia. Quod enim natura veritatis & juſtitiæ antecellat naturæ mentium, dementis eſt dubitare. Veritas enim & juſtitia incommutabilis eſt, eodemque ſemper modo ſe habet, nec mendacii aut injuſtitiæ nævo, aut verò ſuſpicione ulla inquinatur: at mens ſubinde mutatur, nunc ſapit, nunc deſipit, & inter veritatem & mendacium, juſtitiam & injuſtitiam identidem fluctuatur. Veritas mentis lux lexque eſt, & arbitra rectrixque ſecundùm quam mens judicat, ſecundùm quam mens judicatur, de qua nulla mens judicat. Quod argumenti ſatis eſt ſuperque, ad præcellentiam veritatis ſupra naturam mentium evincendam. Quod autem veritas & juſtitia vivat, & vita quædam ſit, & vita vitarum ſit, ex antedictis evidentiſſimè concluditur. Nam mentium naturæ non anteponenda, ſed longo pòſt intervallo ponenda foret juſtitia, ſi mens viveret, juſtitia non viveret. Eccui enim non perſuaſiſſimum eſt, naturam viventem non viventi antehabendam? Deinde cùm gradibus creſcant naturæ, & de vita inferiore ad meliorem vegetioremque procedant, ut ſupra ſenſum ratio & mens, ita ſupra mentem juſtitia genus vitæ nobilioris eſt. Denique veritate & juſtitia meliùs beatiùſque vivunt mentes, ergo juſtitia & veritas vita eſt, & vitarum, id eſt mentium vita. Quod denique vita juſtitiæ ſubſtantivè vivificentur piorum mentes, liquet ex contextu vitarum, quæ conſociari & aliæ aliis, ſummæ imis ita implicari amant. Vegetanti enim ſentiens intexitur vita, & non ſine voluptatis ſenſu fiunt animæ vegetantis opera. Ita & ſenſibus ratio ſe commiſcet, ſenſuſque agit vel cohibet omnes, & ipſa per ſenſus ſentit, quæque ſentit, judicat. Ita & ſenſibilium judicem rationem contemplatrix æternorum mens regit, non foris aut juxta aſſidens, ſed intus vivificans, & ſubſtantivè infuſa, adeoque identificata. Ita ergo & ſectatricem æternorum mentem æternitas ipſa charitatis & veritatis ſubſtantivè infuſa vivificabit, & tanquam vita ſumma ſubjunctam ſubjectamque ſibi vitam adminiſtrabit. Si quis enim acriùs intendat infigatque altiùs oculum mentis in interiora arcana perpetuæ hujus naturarum commiſſuræ, facilè advertet quo vitæ genera ſurgunt in altum, eo conſentire ſibi magis, magiſque coaptari. Proclivior eſt enim copula & coaptatio rationis cum ſenſu, quàm ſenſus cum vegetatione; ſed & aptior eſt & contemperatior contextio mentis cum ratione, quàm rationis cum ſenſu: denique veritas & juſtitia menti, quàm mens rationi coaptatur cohæretque longè arctiùs. Quæ uſquam enim aptior commiſſura, quàm juſtitiæ cum mente, ut vita juſtitiæ vitam mentis, ſeu vivens juſtitia viventem mentem formet, ineat, agat, regat? Non tam neceſſaria, nec tam arcta eſt rationis cum ſenſu, vel ſenſus cum vegetatione connexio. Quamobrem & plantæ vegetantur, nec ſentiunt: & bruta ſentiunt, nec intelligunt: & utcumque tamen conſtant. At mentes ſine veritatis & juſtitiæ copula non conſtant, ſed informes, vitioſæ miſeræque tabeſcunt.

VI. Ex Auguſti. Epiſt. 111.

Auguſtinus: *Quod videbatur tibi nihil vivum ſecundùm ſubſtantiam ineſſe juſtitiæ, ideoque te non poſſe adhuc Deum, id eſt, viventem naturam juſtitiæ ſimilem cogitare: quia juſtitia, ſicut dicis, non in ſe, ſed in nobis vivit, imò nos potiùs ſecundùm illam vivimus, ipſa verò per ſe juſtitia nequaquam vivit. Ad hoc ut tibi ipſe reſpondeas, illud intuere, utrum rectè dici poſſit vitam ipſam non vivere,*

vivere, qua fit ut vivat, quidquid non falso dicimus vivere. Puto enim absurdum tibi videri, ut per vitam vivatur, & vita non vivat. Porro si vita ipsa præcipuè vivit, qua vivit omne quod vivit, recole obsecro quas dicat Scriptura divina animas mortuas, profectò invenies injustas, impias, infideles. Nam licet per illas vivant corpora impiorum, &c. non ob aliud amissa justitia dicuntur mortuæ, nisi quia & animarum licet immortaliter qualicumque vita viventium, verior & major vita justitia est, tanquam vita vitarum. Species igitur vitæ plurima & diversissima est, sed *verior & major vita justitia est, & tanquam vita vitarum.* Quippe vita vitarum est, quæ animarum mentiumque vita est. Vita vitarum est, quæ jam viventibus, imò de innatæ præsumptæque jam vitæ plenitudine exuberantibus in corpora, vitam velut egenis & emorientibus infundit. Vita vitarum est, qua si careant vitæ mentium, etsi vivant, etsi corpora vivificent, mortuæ sunt. Ibidem Augustinus: *Quapropter si animæ non possunt in seipsis utcumque vivere. quia ex eis vivunt corpora, à quibus deserta moriuntur; quanto magis vera justitia etiam in seipsa vivere intelligenda est, ex qua sic vivunt animæ, ut hac amissa mortuæ nuncupentur, quamvis quantulacumque vita non desinant vivere? Ea porro justitia quæ vivit in seipsa, proculdubio Deus est, atque incommutabiliter vivit. Sicut autem hæc cùm sit in seipsa vita, etiam fit nobis vita, cum ejus efficimur utcumque participes: ita cùm in seipsa sit justitia, etiam fit nobis justitia, cum ei cohærendo justè vivimus, & tanto magis minusve justi sumus, quanto magis illi minusve cohæremus.* De hac vitarum vita vivunt mentes, non ejus tantùm efficientias excipiendo, sed ei maximè cohærendo, hoc est, non tam extrinseco influxu quàm intima vivificatione; perinde ut usuvenit in aliarum vitarum deorsum refusione, & multò ampliùs. Possunt enim & corpora nulla vegetari anima, & in suo genere splendescere. Possunt & plantæ & animantes suæ numeros pulchritudinis implere sine superioris allapsu vitæ, nec tamen aut emortuæ audient aut vitiosæ. At non possunt mentes fruitione justitiæ & vitarum vitæ viduari, quin turpes & mortuæ comperiantur. Vita ergo vitarum est justitia, quæ summis alioqui vitis vivificandis tantoperè necessaria est.

Serm.13. de verb.Do.c.6 Rursus idem alibi Augustinus: *Unde vivit caro tua? de anima tua. Unde vivit anima tua? de Deo tuo. Unaquæque harum secundùm vitam suam vivat. Caro enim sibi non est vita, sed anima carnis est vita. Anima sibi non est vita, sed Deus est animæ vita.* Pergitque edisserere quàm necesse sit animæ, ut nec secundùm carnem vivat, nec secundùm seipsam, sed secundùm Deum, qui vita ipsi est. Quippe si vitam vivit vel carnis vel suam, vita interim sua propria & summa, quæ Deus est, defraudatur, atque ut ait Paulus, vivens mortua est. Quanquam enim plenissimè vita Dei non perfruantur mentes, nisi abdicata exutaque hujus vitæ mortalitate, ubi ut ait Augustinus alibi: *Vita sub Deo, vita cum Deo, vita de Deo, vita ipse Deus:* ejusdem tamen vitæ hic arrhas præcipiunt; sicut quamvis plenissima ibi tantùm potituræ sint justitia, justificantur hìc tamen, id est, justitiæ divinæ irrigatione ad eam vehementiùs sitiendam accenduntur. Unde idem Augustinus: *Est planè ille summus Deus vera justitia, vel ille verus Deus summa justitia, quam profectò esurire & sitire ea nostra est in hac peregrinatione justitia: & qua postea saturari, ea nostra est in æternitate plena justitia.*

Serm.107.de diversis.c.4.

Epist.121.

VII. Ex Claudiano Mamerto l.3.de animæ statu.

Claudianus Mamertus in opere pulcherrimo de animæ statu: *Tria sunt, vivificatum, vivificans, vita. Aliud est vita corporum, aliud vita vitarum. Corpus est vivens, anima viva, Deus est & vita. Ita videlicet ut anima quæ in se viva est, corpori unita sit, ut sic corpus sine anima non vivat, sicut ipsa sine Deo.* Cunctatur hic non immeritò vitam appellare animam, cùm vita non sit nisi Deus, qui vivit ut vita à nullo vivificanda, cùm anima vita sit, hìc vivens, illinc vivificanda.

VIII. Ex Augustino rursus, ut Deus in justis vivat, videat, velit amet, judicet, &c. In Psal. 46.

Augustinus rursum: *Ipse certè est Dei virtus & sapientia: & quid dicit Scriptura de ipsa sapientia? Anima justi sedes sapientiæ. Si ergo anima justi sedes est sapientiæ, sit anima tua justa, & eris regalis sella sapientiæ. Et revera fratres, omnes homines qui bene vivunt, qui bene agunt, secundum charitatem piam conversantur, nonne Deus in illis sedet, & ipse jubet? Obtemperat anima sedenti in se Deo, & ipsa jubet membris. Anima enim tua jubet membro tuo quò moveatur pes, quò manus, quò oculus, quò auris, & jubet ipsa membris tanquam famulis suis, sed & ipsa servit interiùs, insidenti sibi Domino suo. Non potest inferiori se bene imperare, nisi superiori se non fuerit dedignata servire. Deus sedet super sedem sanctam suam.* Ut animæ intus vivificanti serviunt sui membra corporis ad vitæ corruptibilis munia: ita Deo insidenti ut vitæ summæ famulantur mentes ad munera vitæ incorruptæ. Non posset corpus ex se ea vitæ qualiscumque opera moliri, nec possent mentes per se vitam actitare divinam. Instrumento utitur anima corpore suo, & Deus mente nostra consimiliter. Et rursus Augustinus idem: *Magna res, magna res dicta est, thronus sapientiæ anima justi: id est, in anima justi sedet sapientia tanquam in sella sua, tanquam in throno suo, & inde judicat quidquid judicat. Ergo erant throni sapientiæ, & ideo dixit illis Dominus, Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim Tribus Israel.* Simpliciùs Scripturas Scripturarumque interpretes interpretemur, & reapse insidere sapientiam in mentibus justorum, & per eas veritatis oracula dispensare, charitatis flammas spargere fateamur.

IX. Deus solus habet immortalitatem, quia vita vitarum unus ipse.

Quartò, etsi immortales suo quodam modo sint animæ hominum mentesque Angelicæ, quatenus nec esse desinunt unquam, nec vivere vitam naturæ suæ insitam: mortales sunt tamen rursum, quandiu meliore vita quæ desuper ipsis à Deo aspergitur orbari possunt. Hinc est quòd solus apud Paulum Deus habet immortalitatem, quia summa vita incommutabiliter est: at mens creata, etsi particeps summæ divinæque vitæ fiat, non ea tamen ipsa est, nec eam immutabiliter habet. Hinc est rursum quòd mortuæ in sacris litteris dicuntur animæ impiorum; moriuntur enim corpora dilabente vita animæ, moriuntur tantò veriùs animæ dilabente vita Dei, quantò vita Dei vitam animæ antecedit. Hinc & ipsa corporum mortalitas; indefectibiliter enim sua corpora vegetarent animæ, si indefectibiliter & ipsæ vegetarentur à Deo: at ubi à Deo deficientes nolunt immortaliter vivere sursum, non possunt immortaliter deorsum vivificare. Excussa enim à superno vitæ fonte, & emortua à Deo suo anima ægrescit, languet, & semiviva semimortuaque contabescit, viribusque in dies desit; nec corpus suum nisi ægrè ægra propellit, & tandem à se diffluere finit, ipsa diffluens. Hinc corporum immortalitas olim speratur, postquam immortaliter de Deo vivent animæ, nec ab eo divelli jam usquam poterunt. Tanta enim vitæ viriumque copia supernè inebriabuntur, ut ejus deorsum derivatione mortalitatem corporum absorpturæ sint. Hinc quod ait Apostolus, *Per peccatum mors*, hoc est, per mortem animæ, mors corporis; non arbitraria tantùm pœna, sed necessaria rerum concatenatione. An mortalis enim anima immortaliter vivificasset? an emortua supernè anima mortem infernè profligasset? an semiviva plenissimam & indefectibilem sufficisset vitam? an vitæ à Deo in animam, ab anima in corpus gra-

gratim decurrentis abrupto excursu inter Deum & animam, fluere potuisset perennis vita ab anima ad corpus? an perenniter effundere pergeret anima, quod haurire desiisset? an vacua impleret, & mortua immortaliter vivificaret? Igitur per peccatum mors, quia peccatum mors est animæ, quæ vitam supernè haurire ubi desiit, vitam jam haustam aliquandiu diffundere potuit, perenniter diffundere non potuit. Quàm verè igitur corpore mortales sumus, tam verè vita substantiva animarum Deus est; quia eo tantum mortales sumus, quod supernæ vitæ usura fraudatæ animæ & plusquam semimortuæ, non prævalent immortaliter vivificare. Quàmque verè redintegrata animarum immortalitate, resurgent in immortalem vitam corpora, tam certò vita animarum Deus est; quia sufficient corporibus animæ indefectibiliter vitam, quam indefectibiliter à Deo haurient, atque ita authore Paulo *suscitabit Deus mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum ejus in nobis*, hoc est, immortaliter vivent corpora de animabus, quia animæ immortaliter vivent de vita sua Spiritu sancto.

X. Ex August. Epist. 112. Augustinus: *Recole obsecro, quas dicat scriptura divina animas mortuas: profectò invenies injustas, impias, infideles. Nam licèt per illas vivant corpora impiorum, de quibus dictum est, quod mortui sepeliant mortuos suos, & ibi intelligantur etiam iniquæ animæ non esse sine aliqua vita: non enim ex iis aliter possent corpora vivere, nisi qualicumque vita, qua omnino animæ carere non possunt, undè immortales meritò vocantur: non tamen ob aliud amissa justitia dicuntur mortuæ, nisi quia & animarum licet immortaliter qualicumque vita viventium verior & major vita justitia est, tanquam vita vitarum.* Et rursus alibi: 13. Civ. c. 2 *Quamvis anima humana veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quandam etiam ipsa mortem suam. Nam ideo dicitur immortalis, quia modo quodam quantulocumque non desinit vivere, atque sentire. Corpus autem ideo est mortale, quoniam omni vita deseri potest; nec per seipsum aliquatenus vivit. Mors igitur animæ fit, cum eam deserit Deus; sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei id est totius hominis mors est, cum anima à Deo deserta deserit corpus. Ita enim nec ex Deo vivit ipsa, nec corpus ex ipsa.* Et paulò pòst: *Impiorum namque vita in corporibus, non animarum, sed corporum vita est.* Et quid mirum si mortalis est vita, quam mortua suppeditat anima? Sed quanta est naturaliter animæ vita, quæ etiam mortua potest vivificare? Imo quanta est Dei in animabus vita, cum etsi vivificent, si Deus absit tamen, mortuæ sunt? Sed quantumvis vivificent ex intacta & inamissibili infimiore vita, languidè tamen & defectibiliter vivificant ob inflictum lethale vulnus, & detruncatam superiorem vitam.

XI. Ex Scripturis ut Deus sit summa vita, vitam omnibus inspirãs ex se, & ad se. Cæterum antequam ad alia ingrediar susceptæ disceptationis munimenta perlustranda, libet hic paulò interiores subire divinarum literarum recessus, & quid ibi de Deo ut justitia, ut vita vitarum, ut sanctos piosque omnes vivificante, sacra canant oracula, perscrutari.

Primò igitur quod Deus unus vivat, unus vita sit, unus sibi vitæ fons & origo sit, & hanc sibi affectatiùs vindicet prærogativam, liquet ex familiari illo contestandi more; *Vivo ego, dicit Dominus*, & in ore hominum ipsorum, *Vivit Dominus*. Et in ore Christi, *Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*. Nempe quia unus *habet vitam in semetipso, & Filio dedit habere vitam in semetipso.* Vitam ergo in semetipso cum nullus hominum, nullus Angelorum habeat, non tam vivunt illi, quàm vivificantur: Deus unus cum in semetipso habeat, & vivit & vivificat. Vita autem quam in semetipso solus habeat Deus, utique justitia est & charitas, veritasque. Nam vitam & sentiendi & utcumque cognoscendi amandique & pecudes & homines & Angeli in semetipsis habent. At ubi dicitur Deus apud Baruch, *Pulchritudo justitiæ*; & Christus apud Joannem, *Veritas & vita*; & apud eundem, *Deus charitas est*, nimirum insinuatur vita vitarum justitia, veritas, charitasque, quam solus in semetipso Deus habet. Et quia solus eam in semetipso habet, *solus habet immortalitatem* teste Paulo; & teste Joanne juratur, *Per viventem in sæcula sæculorum*. Cui enim non à semetipso suppetit, sed mendicata aliunde vita affluxit, defluere illi perinde potest, & exarescere. Summa ergo vita est veritas, charitas & justitia, & hæc vitæ in seipsa manentis æternitas est; & omnis alia vita hinc fluit, & huc suspirat. Mentibus enim creatis *hæc est vita æterna, ut cognoscant*, & ament veritatem & charitatem Deum. Animantibus reliquis hæc est vita qualiscumque aut vitæ simulatio, ut sentiant & osculentur veritatis & charitatis Dei vestigia, in pulcritudine & voluptate sensibilium adumbrata. Veritas ergo charitasque unde pendet omnis vita, unde exit, quò redit, ipsa primitus vita est, & in semet vitam habet. Vita enim est principium primum sese agendi movendique, quod non aliunde impellitur, sed alia impellit agitque omnia. At mentes creatæ supernè impelluntur ad vitæ circa veritatem charitatemque alludentis munia: non ergo vitam habent à semetipsis, nec tam vivunt, quàm vivificantur. Utque mentes ab ipsa per se veritatis & charitatis prima vita, ita ab eadem ad vivendum & vitaliter operandum incitantur animantes per ejus vestigia sensibilibus impressa; ergo nec suam ipsæ vitam in semetipsis propriè habent. Ergo primus fons totius vitæ ad vitam circa se vel circa sui vestigia agitandam incitans supernè & mentes, & animantes, Deus est veritas charitasque & summa vita. Solus enim sese per se movet, solus omnia per seipsum ad seipsum movet pro cujusque naturæ modulo.

Secundò, nec vivunt mentes animæque nisi de Deo, & sua primùm à Deo, pòstque Dei à se discessione exanimantur. Etenim, *In ipso vivimus & movemur*. Et pii cujusque, *Spiritus vivit propter justitiam*; & *peccato mortui, justitiæ vivimus*: Et *hæc est vita æterna ut cognoscamus solum Deum*, & hæc vita de Deo est & Deus est: nam de Christo ait Joannes: *Hic est verus Deus & vita æterna*. Et idem ait, *Qui habet Filium habet vitam, qui non habet Filium, vitam non habet*. Et ex eodem quisquis habet charitatem, *habet vitam æternam in seipso manentem*. Denique *vita nostra abscondita est cum Christo in Deo*. Et vita æterna simpliciter alibi vita dicitur, *Si vis ad vitam ingredi*. Contexere alia possem istiusmodi innumera, sed genus ipsum vides. Quàm perspicuum autem hinc fit mentium vitam, & æternam vitam esse Deum & justitiam & charitatem; adeoque ut vivant hanc vitam mentes nostræ, non solis inde qualitatibus quibusdam irrigandas esse, tunc enim de his qualitatibus vixerint, non de Deo: nec solis quas eliciunt operationibus vivere existimandas esse, nec enim vivit corpus de suis per animam operationibus, sed de animæ substantiva præsentia operationes & anteeunte & efficiente. Ita ergo & mentium vita si Deus est, præsentia substantiæ suæ eas priùs vivificat, & deinde ad supernæ vitæ incitat motiones. XII Ex iisdẽ vivunt animæ de Deo ut veritate & charitate.

Rursum etsi corpora vivificent animæ à Deo deficientes, mortuæ tamen sunt, corporum enim agunt vitam, non suam. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Ita vivere, hoc est mori; hoc enim est, corporis vitam vivere, animæ mentisque vitam desursum hauriendam exuere. Quæcunque anima ejusmodi est, *vivens mortua est*. Est enim *peccatum ad mortem*. Imo omnis *per peccatum mors*. Ubi quippe desiit vita summa viribusque supernis vegetari anima, ubi sibi vivere desiit, emarcuit XIII. De absentia mors animarum ex iisdem Scripturis.

cuit tota, tabidéque & elanguidè corpus cœpit vivificare, atque ita in corporis quoque mortem vergere. *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Et quamlibet in ſpeciem vitæ curſitent peccatores, *mortui ſepeliunt mortuos ſuos*, hoc eſt, mortui mortuam agunt vitam. Alienati enim ſemel à vita Dei, ut ait Paulus, id eſt, à vitæ fonte exerrantes, ſuperius jam præmortui, inferius agunt animam, vitamque fugientem diutius expirant. Nec minutè iſta, aut ludibundè, aut familiari oratoribus & exaggerata rerum amplificatione dicuntur, ſed tam ſimpliciter, quàm Scripturarum divinarum ſimplicitatem decet; tam ſolidè & veraciter, quàm ſolida & veracia eſſe par eſt piorum hominum, Angelicarum mentium judicia, & Dei ipſius ac veritatis oracula. Mortui ſunt indubitatiſſimè quicumque etſi in corpore agunt adhuc, longè tamen à Deo agunt; vivunt certiſſimè qui corpore mortali mortuoque exuti, Deo vivunt: *Non enim eſt Deus mortuorum, ſed viventium*. Quippe illi vera vita excuſſi, in umbra vitæ languent: hi umbra vitæ adjecta, in ſole vitæ degunt.

XIV. Sed ſpecialiter vita animarum eſt Spiritus ſanctus.

Tertiò, hæc ſanctarum mentium vita peculiariùs à ſubſtantia Spiritus ſancti informatur. Ille enim eſt *Spiritus vitæ* apud Paulum. Ille eſt *ſpiraculum vitæ* Adamo inſufflatum ad vitam ſpiritalem, juxta Græcos Patres. Ille eſt propter quem *inhabitantem ſuſcitabuntur mortalia corpora noſtra*. Infuſa enim animæ vita immortalis Spiritus ſancti, refundetur tandem in corpora, in quæ ſe prius effuderat mors animæ. Ille eſt charitas, quæ æterna & abſolutiſſima eſt mentium vita. Ille eſt denique qui uti divinæ inſitum medullitus vitæ principium, ut forma vitæ ſubſtantialiter mentem vivificans, facultates ejuſdem animæ, habituſque omnes excitat impellitque ad vitæ opera; ille eſt quo vivimus & movemur, imo ille vivit in nobis; ille in nobis gemit *gemitibus inenarrabilibus*: ille *poſtulat pro ſanctis*: ille eſt *Spiritus Patris noſtri, qui loquitur in nobis*: ille eſt per quem *vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Ille eſt qui in ſanctis contriſtatur ab iis qui *contriſtant Spiritum ſanctum*. Ille eſt qui de fide diſputabat vincebatque in Stephano illos, *Qui non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur*. Ille eſt quo repleti Apoſtoli cœperunt loqui; ille eſt quo pleni Filii Dei omnes aguntur: *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*. Ille eſt qui *clamat in nobis, Abba Pater*. Ille eſt ſine quo non poſſumus *dicere Dominum Ieſum*. Ille eſt cujus tam multiplex vitæ fructus in ſanctis efflorescit, teſte Paulo: *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas*. Hæc copioſa ſunt vitæ germina, hi vitę multiplicis fructus de Spiritu ſancto, per animam, quam vegetat, pullulantes. Ille ergo in ſanctis inhabitat, ille in ſanctis orat, clamat, gemit, loquitur, vivit, triſtatur, gaudet; nec tam ſancti hæc omnia per ſpiritum, quàm ſpiritus ipſe in ſanctis, ſicut docet Chriſtus, *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*. Et Paulus: *Vivo jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Qui hæc omnia traduxerit ad ſolas qualitates & gratias accidentarias, quas ſanctis impartiat Spiritus ſanctus, quid ille ſcripturas quàm veluti inani grandiloquentia in caſſum tumeſcentes & fucum facientes criminabitur? Authoritas veritatis clamat, *Spiritus inhabitat, ſpiritus vivificat, ſpiritus loquitur, ſpiritus poſtulat in ſanctis, ſpiritus orat & gemit, ſancti ſpiritu vivunt, ſpiritu aguntur, ſpiritu ducuntur, ſpiritu implentur, in eis ſpiritus contriſtatur*. Et hæc omnia diſſlabit uno verbo licentioſus interpres?

CAPUT XVI.

Sanctitas, & virtutes non habitibus tantum creatis, ſed Deitatis ſubſtantiva vegetatione imprimuntur.

I. Non cōquieſcit anima juſti in virtutibus, ſed per eas ad Deum ſuſpirat, eo impleri ardet.

DEclaratur 13. Imprimitur menti ſanctitas virtutum, non per habitus tantum creatos, qui virtutum nomine celebrantur, ſed ipſa potiſſimum infuſione Deitatis ſubſtantiva. Juſtitia enim verbi gratia non tantum eſt habitus inhærens animę & creatus, ſed primitus & principaliter Deitas eſt; ita & veritas, ſapientia, charitas, fortitudo, & reliqua virtutum lumina, non qualitates tantum accidentariæ & creatæ ſunt, ſed naturæ divinæ increata ſunt ornamenta. Creatarum autem virtutum ſeu actus ſeu habitus non ipſi propter ſeſe expetuntur, nec in eis conquieſcit anima, ſed evehitur ulterius, & per eos increatis virtutum nominibus quæ in Dei ſubſtantia radiant, adglutinatur. Nam ſi accidentariis virtutum habitibus actibuſve contenta, pigreſceret anima, nec anhelaret ſuperius ad Deum, quantolibet virtutum proventu non impleretur, non ſatiaretur, quæ Deum capit. Denique ſolari radio clarior eſt mentis & voluntatis creatæ egeſtas, & ſtimulante egeſtate inſitus utrique impetus in aucupium ſummi boni verique, in cujus charitate & fruitione beetur. Non venatur autem ſeu mens, ſeu voluntas ſummum bonum verumque, non ſequitur, non aſſequitur illud, niſi per virtutes. Virtutes ergo non ſibi acquieſcentis animæ dotes ſunt, aut creato quolibet bono ſeſe circumſcribentis; ſed proſilientis extra & ſupra ſe eruptiones ſunt, & nexus quidam ac vincula quibus colligatur cum ſummo bono.

II. Ex Auguſtino. L. de moribus Eccleſ. c. 6.

Auguſtinus: *Non mihi videtur anima eſſe ſummum hominis bonum, &c. Ut enim corporis ſummum bonum id invenit ratio, quod eſt corpore melius, & quo ei vigor & vita præbetur; ita inveniendum eſt ſi quid animam præcedit ipſam, quod cùm anima ſequitur, fit in genere ſuo quàm poteſt, optima, &c. Nemo autem dubitaverit quin virtus animam faciat optimam. Sed rectiſſimè quæri poteſt, utrum iſta virtus etiam per ſeſe, an niſi in anima eſſe non poteſt, &c. Quòdlibet autem eorum ſit, ſive etiam per ſeſe eſſe poſſit virtus ſine anima, ſive niſi animæ ineſſe non poſſit, proculdubio aliquid anima ſequitur, ut virtutem aſſequatur*. Sic ſanctus Pater agnoſcit virtutem dici poſſe, vel qualitatem animæ inhærentem, vel illud extra & ſupra ſe poſitum, ad quod anima per virtutes pertingere feſtinat. Illud autem ad quod per virtutes gradum molimur, nec anima eſt, ut quæ & ante virtutes ſibi aderat; nec virtus ipſa, utpote quę jam obtinetur; ergo Deus eſt. *Id erit aut ipſa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At ſi ſeipſam ſequitur ut virtutem adipiſcatur, ſtultum neſcio quid ſequitur, &c. Si autem virtutem ſequitur, hanc aſſequi cupiens, quomodo ſequitur id quod non eſt, aut quomodo aſſequi cupit quod habet &c. Deus igitur reſtat, quem ſi ſequimur bene: ſi aſſequimur, non tantum bene, ſed etiam beatè vivimus*. Virtutes ergo non eo comparatę ſunt, ut ſeipſa fruatur mens, ſtultum enim id & ſuperbum foret: ſed ut ſummo fruatur & adhęreſcat Deo, Frui autem & adhęrere Deo qui obtinget, niſi ſubſtantiali ejus inſinuatione? Sic enim corpus fruitur vita animę, ſic materia fruitur copula formę, ſic aer lucę. Etenim ſi efficientias tantùm & creatas à Deo gratias conſequatur anima, his fruetur, non Deo, his ſaturabitur & beabitur, quibus implebitur, non Deo.

III. Ex eodem virtus non tantùm dicitur habitus, ſed Deus

Sed eo loci Auguſtinus abſtinuit ab enodatione accuratiori hujus queſtionis, utrum Deus dici debeat virtus, an ſolus animę habitus. *Aut igitur virtus eſt præter animam, aut ſi non placet* voca-

ipse, ad quē religamur, per habitus virtutum. *vocare virtutem, nisi habitum ipsum & quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, &c.* Rem in medio relinquit, etsi hanc in partem propensior, ut Deus sit virtus præter animam, quam per virtutum habitus anima sequatur; utcumque se res habeat, efficit quod instituerat, virtutes non sui causa esse, sed ut animam superiori & summo bono devinciant. Verùm aliis in operum suorum monumentis non passus est nos pendere dubios animi, aut in ea re alternare: sed passim & expressissimè Deum nobis, ut justitiam, ut castitatem, ut veritatem commendavit, cujus participatione justi castique & veraces omniumque demum compotes virtutum existamus. *Dominus justitia est; non enim tibi fingere debes Deum quasi idolum. Invisibilibus similis est Deus, & ea in nobis sunt meliora, quæ sunt invisibilia.* Et rursus alibi: *Amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia & veritas & sanctitas & justitia & charitas, & si quid aliud tale dicitur; non sicut sunt ista in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ.* Non hic dubius hæsitat, sed constantissimè affirmat Deum esse justitiam, sanctitatem, & virtutem omnimodam, non cujusmodi sunt habitus virtutum in animabus, sed ut in fonte incommutabilis sanctitatis.

Serm. 17. de verbis Apost.

L. de Catech rudib. c. 26.

IV. De participatione fiunt animæ, justæ, castæ, &c.

Participatione autem incommutabilis in Deo justitiæ & sanctitatis, fieri nos justos & sanctos, & participationem hanc non alio magis constare, quàm Dei præsentia & inhabitatione, declarat idem Augustinus: *Quando capit anima ex Deo, unde sit bona, participando fit bona, quomodo tuus oculus participando videt. Nam lumine subtracto non videt, cujus particeps factus videt, &c. Hac data similitudine intelligite fratres, quia si pia est anima, est pietas apud Deum, cujus fit particeps anima: si est casta anima, est castitas apud Deum, cujus est particeps anima: si bona est anima, est bonitas apud Deum, cujus est particeps anima: si est verax anima, est veritas apud Deum, cujus est particeps anima.* Participatio hæc vix sine vegetatione substantiva capi potest. Nam ad hoc valet relatum lucis exemplum, quæ seipsa oculum implet & format. Deinde quid adeo affectatè consimiles cognominesque nostris virtutibus virtutes divinas percenset, nisi ut harum vegetatione formentur illæ? Rursum ibi non enumerat nisi eas virtutes quæ puræ sunt ab omni nævo, non fidem, non spem, non patientiam: hæ enim in Deo non sunt, ob orbitatem boni adjunctam. Denique participes Dei non sunt, nisi quæ substantiæ divinæ quasi portionem capiunt; nec enim naturæ corporeæ aut inferiores quælibet, sed summæ tantummodo inter creatas dicuntur esse participes & consortes naturæ divinæ, quia etsi efficientias Dei naturæ omnes capiant, inhabitationem non capiunt nisi intellectuales.

Tract. 39. in Ioan.

Planius id facit frequens apud Augustinum ejus participationis admiratio, hoc nomine, quòd illa quæ nobis participanda obversatur divina justitia, nostro ad eam profectu non proficiat, non defectu deficiat: sed nobis inde aversis incolumis & intaminata perstet, & expectet convertendos. Nam anima & accessu corporis juvatur, & tabescit discessu, & semel dilapsum non iterum iterumque recolligere sibi potest. Divinæ ergo vitæ admirabilitas propria & singularis hæc est, ut nec crescat nec decrescat, crescentibus per eam, vel decrescentibus ab ea mentibus, iisque & aversis perstet, & rursum conversis præstet se. *Pius homo, sed plus est ipsa pietas; pius enim à pietate, non pietas à pio. Potest enim pietas, etsi ille qui pius erat, factus est impius. Ipse perdidit pietatem, pietati nihil abstulit, &c. Castitas planè plus est quàm castus: si enim castitas non esset, unde esset iste castus non haberet: si autem noluerit esse castus, castitas integra perseverat, &c. Quia ergo anima participando fit bona, si mutata cœperit esse mala, bonitas manet cujus erat particeps bona. Bonitatis enim cujusdam particeps facta est: qua mutata in pejus, integra bonitas permanet. Si recedat anima, & mala fiat, non minuitur bonitas; si revertatur, & bona fiat, non crescit bonitas. Factus est oculus tuus particeps hujus lucis, & vides; clausus est, hanc lucem non minuisti; apertus est, hanc lucem non auxisti.* Planè ut in orbem corporeum infinita quædam lucis majestas propagat se in omnia, omniaque implet seipsa, nescia perinde incrementi atque decrementi, seu posito discludatur obice, seu amoto excipiatur: ita in mundum intelligibilem lux quædam veritatis & sanctitatis sine limite sese diffundit, & substantia sua substantias omnes implet, nisi aliquod interferatur repagulum, quo tamen nec amoto augescit, nec admoto decrescit ipsa.

In Evan. Jo. Tract. 39.

V. Ideo adhæsione ad Deum anima virtutibus omnibus dotatur.

Eliquatiùs adhuc clarebit quo tandem modo donetur Sanctorum mentibus participatio justitiæ virtutisque cuislibet divinæ, si coacerventur Scripturæ non pauca, Augustini autem fidissimi Scripturarum interpretis multò plura loca, ubi sola mentis ad Deum adhæsione justitiam virtutesque omnes participari perhibetur. Adhæsio quippe & adglutinatio mentis ad Deum nulla aptior venire in mentem potest, quàm qualis est corporis ad animam, sepositis materiæ & formæ nævis. Adhæret enim reapse corpus animæ & materia formæ cuilibet substantivæ, illique ut stabilimento suo innititur, non vicissim. At si non substantiali copulatione Deo adglutinatur mens, sed gratiis tantùm ab eo creatis donatur, non sanè Deo adhærescit, nec adhæsione illum participat. Paulus disertè: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Isaias autem: *Qui adhæret Domino.* Et in Psalmis: *Adhæsi testimoniis tuis Domine.* Deuteronomium: *Ei soli servies, ipsi adhærebis.* Et ibidem: *Ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei.* Sed pulcherrimum est illud Psalmi, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Quod toties in hunc sensum commentatus est Augustinus, ut. Epicureus voluptati, Stoicus sibi ipsi vel virtuti suæ adhærescere bonum esse censeat, Christianus autem proclamet, Mihi adhærere Deo bonum est. *Veritate atque justitia quæ communis est omnibus, omnes sapientes & beati fiunt, inhærendo illi.* Et paulò antè: *Voluntas ergo quæ medium bonum est, cum inhæret incommutabili bono, eique communi, non proprio, sicuti est veritas, tenet homo beatam vitam; eaque ipsa vita beata, id est, animi affectio inhærentis incommutabili bono, proprium & primum est hominis bonum. In eo sunt etiam virtutes omnes, quibus malè uti nemo potest.* Et alibi sexcenties nostra ad Deum adhæsione virtutibus nos omnibus informari inculcat.

De liber. ar. L. 2. c. 19. &

VI. Virtutes hauriuntur coaptando animum incommutabilibus regulis & luminibus, quæ in summa veritate vivunt.

Eodem attinet quod quemquam negat alterius justitia justum fieri, aut prudentia prudentem, sed coaptando animum incommutabilibus regulis luminibusque virtutum quæ in Deo vivunt, ceu in veritate incommutabili, omnibusque obvia & communi. At hic nemo tam obtusus est, qui non de causa veluti formali disputari conjiciat. Lato enim discrimine disjungitur privatæ alicujus animæ justitia à communi & universali justitia. Illa enim ceu brevi circumscripta subjecto, quod informat, exilire inde & in alias animas dispergere se haudquaquam potest. Hæc verò justitiæ forma communis & prima, utpote subsistens per se ipsa nulli adeo mancipatur subjecto, ut non exspatiari ubilibet possit, omnesque simul animas & mentes sibi tantummodo coaptatas informare. Nimirum justitiæ creatæ habitus inhæret animæ, illique ita infigitur, ut non possit refigi, & in alias migrare. At justitia prima subsistit ipsa in sese, nec inhæret animæ, sed anima ipsi: ideoque inhærentes sibi omnes

omnes animas formare una sufficit. Augustinus : *Veritate enim atque sapientia, quæ communis est omnibus, omnes sapientes & beati fiunt inhærendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus: quia & cum eum imitatur ut sit, inde appetit beatus fieri unde illud factum videt, illa scilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentia cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur: sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incommutabiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi; quibus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit*. Coaptari affigique animas increatis virtutum luminibus quid aliud amabo est, quàm substerni & adaptari?

L. 2. de liber. arbitr. c. 19.

VII. Imprimuntur à Deo virtutes animæ, ut ceræ forma quæquã à sigillo. In Psal. 70.

Sed & imprimi ipsius præsentia Deitatis animabus virtutes, & velut ceram annulo obsignari, verbis conceptis asserit idem Augustinus: *Ut autem hoc sit aliquid, convertit se ad illum à quo creatus est. Recedendo enim frigescit, accedendo fervescit: recedendo tenebrescit, accedendo clarescit. A quo enim habet ut sit, apud illum habet, ut ei bene sit*. Non tantùm à Deo, sed etiam apud Deum habet anima ut ei bene sit; quia non tantùm donorum largitor, sed intimus hospes illi Deus est. Pergit autem paucis interjectis: *Ergo quisquis vult ita similis esse Deo, ut ad illum stet, fortitudinemque suam, sicut scriptum est, ad illum custodiat, non ab illo recedat: ei cohærendo signetur, tanquam ex annulo cera: illi affixus habeat imaginem ejus, faciens quod dictum est: Mihi autem adhærere Deum bonum est*. Ergo ceu annulus ceræ, ita Deus imprimitur animæ, virtutesque imprimit opera eadem: nec semel imprimitur, sed semper; unde necessè est illi semper affigi, illi semper inhærere, ab illo non recedere; ut expressè monet Augustinus. Quisquis enim ab eo vel tantillum recedit, protinus frigescit & tenebrescit. Denique ut ad formandos divina substantia animos hæc valere exploratius sit, audi quæ statim subjiciat: *Porro autem si perversè voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet à quo formetur, non habet à quo regatur, sic ipse velit sua potestate uti: ut quomodo Deus, nullo formante, nullo regente vivat; quid restat nisi ut recedens ab ejus calore, torpescat; recedens à veritate, vanescat?*

VIII. Tripartita virtutũ distributio huc pertinet Cap. 19.

Ad cumulum accedit, ut non aliena ab Augustini disciplina, virtutum tripartita distributio apud Platonicos familiaris, quam paucis verbis complexus est apud Augustinum ad calcem tomi quarti author Libelli XXI. sententiarum: *Tria sunt genera virtutum, primæ civiles politicorum; secundæ purgatoriæ, quibus exuitur anima vitiis; tertiæ exemplares, quæ jam contemplanti menti imprimuntur à Deo, ubi totum vivit, ubi totum semper beate vivit*. Quod Platonicum dogma finitimum planè est Ecclesiasticæ sanctorum Patrum Theologiæ. Et apud hos enim nonnulla species est, etsi valdè decolor & obsoleta virtutum earum, quæ temperandæ ad justitiæ normam reipublicæ terrenæ vacant, nec ultra vitam hanc caducam vota sua exporrigunt. Splendidius planè earum est genus alterum, quæ purgandis animarum sordibus invigilant, & à Spiritu sancto necdum inhabitante, sed excitante & adlaborante accessuque suo paulatim vitia omnia exurente suggeruntur. Tertium denique genus facilè palmam rapit, ex iis contextum virtutibus, quę purgato jam animo, imprimuntur à Spiritu sancto, præsente & inhabitante, totamque Deo animam, animæque Deum adglutinante.

IX. Ear summũ genus est Exemplariũ: quarũ apex Deus est.

Utque paulò diutiùs insistamus collustrando nobisque vindicando Platonico huic de tripartito virtutum genere dogmati, civiles virtutes non aliud videntur esse quàm habitus illi cardinesque quatuor tritissimi virtutum, quandiu humi reptant, nec oculos arrigunt sursum, quandiu humana curant, & divina ne pensitant quidem. Purgatrices autem erunt eædem ipsæ, ubi nonnihil incaluerint circumfuso & propiùs afflante divinæ charitatis igne; tunc enim emaculandis vitiis, Deoque propitiando incumbent. Exemplares denique tum non immeritò pronunciabuntur, cùm infusa adultaque cælestis charitatis flamma conflagraverint, unaque jam innoxio incendio ardebit regnabitque in anima charitas Dei, & charitas Deus. Etenim quælibet virtus ubi adolevit maturuitque ad cumulum usque suæ perfectionis, tum in radios flammasque charitatis ita immergitur, ut non appareat, & charitas quodammodo fiat; cùmque Deus charitas sit, tunc omnimoda Deus est virtutis forma, & in omnibus omnia est, & hæ sunt virtutes verè exemplares. Augustinus: *Una ibi (in patria) virtus erit, & idipsum erit virtus præmiumque virtutis, quod dicit in sanctis eloquiis homo qui hoc amat, Mihi autem adhærere Deo bonum est. Hæc ibi erit plena & sempiterna sapientia, eademque veraciter vita jam beata. Perventio quippe est ad æternum ac summum bonum, cui adhærere in æternum, est finis boni nostri. Dicatur hæc & prudentia, quia prospectissimè adhærebit bono, quod non amittatur: & fortitudo, quia firmissimè adhæredit bono, unde non avellatur: & temperantia, quia castissimè adhærebit bono, unde jam non corrumpatur: & justitia, quia rectissimè adhærebit bono, cui merito subjiciatur*. Quadruplex ergo tum virtus commixta conflataque in unam erit charitatem, & unica tum virtus erit charitas, eadem virtus & virtutis præmium. Sed ne de patriæ tantùm beatitate ita sentire Augustinum existimes, subdit statim: *Quanquam & in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est; nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, justitia est. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est*. En ut in hac quoque vita non putet esse veram, & è Christiani nominis dignitate germanam virtutem, nisi charitatem. Non quod habitus illi quatuor virtutum civilium evanescant, ubi accessit Dei charitas; sed quod ubi adsunt, eos charitas tanquam satellites & administros habet; & sicubi deessent, omnium locum & munia impleret, & vel eos non desideraret, vel statim procrearet. Una ergo virtutis Christianæ nomen & majestatem adæquat impletque charitas. Charitas autem Dei in anima Deus ipse est infusus animæ, habitum charitatis subjunctum per eumque reliquos virtutum habitus sequaces habens, animamque vivificans & adgubernans. Idem; *Charitas usque adeo est donum Dei, ut Deus vocetur*. Et rursus idem: *Audite Apostolum dicentem, Deus charitas est. Qui habet charitatem, Deus in illo manet, & ipse in Deo. Si charitatem habes, Deum habes. Quid habet dives si charitatem non habet? Pauper si charitatem habeat, quid non habet? Tu fortè putas quod ille sit dives, cujus arca plena est auro; & ille non sit dives, cujus conscientia plena est Deo. Non ita est fratres. Ille verè dives esse videtur, in quo Deus habitare dignatur*. En quàm inculcatè Deum esse charitatem & sanctos substantialiter inhabitare pronunciat.

Epist. 52.

Serm. 13. de Verb. Dom. De Tempore Serm. 44.

X. Quod in patria perficitur, hic incipitur, ut præter habitum charitatis Deus charitas sit.

Minùs abhorrent vulgo ab illapsu Deitatis substantivo in beatorum animas approbando, quàm in sanctorum mortaliter hìc degentium. At ex illo istud nectitur. Nam eadem quæ ibi perficitur, hìc inchoatur justitia sanctitasque, quia eadem charitas. Charitas enim teste Paulo nunquam excidit. Charitas eodem authore plenitudo legis & justitiæ est. Si ergo charitas beatorum Deus est substantivè illabens, charitas viatorum ejus illapsionis exordium est. Augustinus, *Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta,* pro-

L. de Nat. & grat. c. ult.

provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est. Et rursus alibi: *Una ibi & tota virtus est, amare quod videas: & summa fœlicitas, habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur, unde aspergitur aliquid humanæ vitæ, ut in tentationibus hujus sæculi temperanter, fortiter, juste, prudenterque vivatur.* Et rursum: *Est plane ille summus Deus vera justitia, vel ille verus Deus summa justitia, quam profecto esurire & sitire, ea nostra est in hac peregrinatione justitia; & qua postea saturari, ea nostra est in æternitate plena justitia.* Cui non hinc pateat consummatam patriæ æternæ justitiam & charitatem esse Deum ipsum, cujus tamen aspergimur hic rore quasi antelucano inter hujus vitæ tenebrosa discrimina? Ibi fons, hic rivulus, sed & de substantia fontis rivulus manat.

L.12.de Gen. ad Lit.c.26.

Epist. 112.

XI. Stoici adhærebant sibi. Christiani Deo, utrique per virtutes.

Eodem intuetur Augustinus, ubi non semel Epicureorum Stoicorumque & Christianorum in ultimo fine constituendo rationes pugnantissimas enucleat. Epicureus enim per voluptatem adhæret carni: Stoicus per virtutem adhæret menti: uterque adhæret homini, & fruitur seipso, ille bono infimo, hic bono medio, neuter summo. At Christianus adhæret Deo, eoque uno fruitur. Non ergo Christianus virtutem à Deo disjungit, nec aliunde venatur virtutes quàm ex adhæsione ad Deum. *Agnovistis quomodo irrisi sint in sancto Psalmo, Qui confidunt in virtute sua. Tales fuerunt Philosophi, qui Stoici nuncupati sunt. Illi Epicurei secundum carnem viventes, isti secundum animam viventes: nec illi, nec isti secundum Deum viventes. Ideo cum ad urbem Atheniensium venisset Apostolus Paulus, sicut in Actibus Apostolorum legitur, contulerunt cum illo quidam Philosophorum Epicureorum, secundum carnem viventes: & Stoicorum quidam contulerunt cum illo secundum animam viventes, contulit cum illis secundum Deum vivens. Dicebat Epicureus, Mihi frui carne, bonum est. Dicebat Stoicus, Mihi frui mea mente, bonum est. Dicebat Apostolus, Mihi autem adhærere Deo, bonum est. Dicebat Epicureus, Beatus cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus, Imo beatus, cujus est in fructu virtus animi ejus. Dicebat Apostolus, Beatus cujus est nomen Domini spes ejus.* At si virtus non nexus est & gluten, quo Deo copulemur, si præparatio mera non est, qua de Deo substantivè vivamus, eoque fruamur, sed ipsa per sese seorsim totum est decus animæ splendorque eximius, per virtutem fruitur animus seipso, adhæretque sibi, non Deo, & à Christianis in Stoicorum castra desertor abit.

De verbis Dom. serm. 13.c.7.

XII. Animorum forma quodammodo Deus est ex August. ut ejus inanes animi informes sint. L.1.de Gene. ad lit.c.1.4.5

Suffragantur & illa Augustini loca passim obvia, ubi formam naturæ intellectualis Deum esse tradit, & nisi Deo inhæreat, informem fore. Hæc enim forma ad veritatis illuminationem & ad charitatis sanctificationem pertinet, nec potest nisi substantivo illapsu mentibus insinuari. Hæc ille habet alicubi, de spiritali & corporali creatura differens: *An utriusque informis materia dicta est cœlum & terra? spiritalis videlicet vita, sicuti esse potest in se, non conversa ad creatorem: tali enim conversione formatur atque perficitur; si autem non convertatur, informis est.* Et paulò pòst: *Tenebræ erant super abyssum, ut translato verbo tenebrosam abyssum intelligamus, naturam vitæ informem nisi convertatur ad creatorem: quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus; & illuminari, ut non sit tenebrosa.* Natura intellectualis est instar terræ, est tenebrosa abyssus, est materia informis, donec sua ad Deum conversione formetur: ergo cùm à Deo formatur, illi Deus infunditur: sicut & cùm materia corporalis formatur, substantivæ formæ allapsu perficitur. Et infrà: *Ut per id quod principium est, insinuet exordium creaturæ existentis ab illo adhuc imperfectæ: per id autem quod Verbum est, insinuet perfectionem creaturæ revocatæ ad eum, ut formaretur inhærendo creatori, & pro suo genere imitando formam sempiterne atque incommutabiliter inhærentem Patri.* Et paulò pòst: *Creatura intellectualis vel rationalis, &c. Aversa à sapientia incommutabili, stultè ac miserè vivit, quæ informitas ejus est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen sapientiæ, quod est Verbum Dei.* Inhærendo Verbo, ut Verbum inhæret Patri, formatur, quæ alioqui informis erat, creatura rationalis.

XIII. Ut aer lucis, ita anima Dei præsentia, non semel, sed jugiter illuminari & consecrari eget.

Quod autem formanda ad sanctificationem sit natura intellectualis per ipsam Dei præsentiam, apertissimè demonstrat idem Augustinus, ubi non semel illuminandam & sanctificandam esse mentem nostram, sed jugi & perenni Dei inhabitantis, formantisque, illuminantis & sanctificantis præsentia vegetandam esse commonet; sicut aer non semel affulgente luce illuminandus est, sed perpetuo ejus splendore collustrandus. *Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem & secundum animam & secundum corpus mutabilis res est, nisi ad incommutabile bonum, quod est Deus, conversus substiterit, formari, ut justus beatusque sit, non potest.* Et infrà: *Tota ejus actio bona est, converti ad eum à quo factus est, & ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri. Non fieri & recedere, sicut à corporis medico sanari & abire, &c. Eo quippe ipso cum ab illo non discedit, ejus ipse præsentia justificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante & custodiente Deo, dum obedienti subjectoque dominatur, &c. Sicut aer præsente lumine non est factus lucidus, sed fit: quia si factus esset, non fieret: sed etiam absente lumine lucidus maneret. Sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur. Ille itaque semper operetur hominem bonum atque custodiat qui incommutabiliter bonus est; semper ab illo fieri, semperque perfici debemus inhærentes ei, & in ea conversione quæ ad illum est permanentes, de quo dicitur, Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Si præsentia Dei justificatur, si præsente Deo illuminatur homo, si inhærendo illi perficitur, si conversus ad eum formatur ut justus sit, si ab eo semper præsente ita semper justificatur, ut aer à luce semper præsente illuminatur, palam est his omnibus præsentiam Dei substantivam prædicari.

L.8.de Genè. ad lit.c.10. 12.

XIV. Intima Dei ut boni sui præsẽtia vegetatur mẽs

Eodem attinet quod Deus animæ bonum est, non foris aucupandum, non extra & eminus fruendum, sed intimum, & in penetrali animæ sacrario amplexandum. At animæ intimum non est, nisi quod eam vegetat; sicut & corpori intimum nihil est præter formas quibus vegetatur. Si adest enim Deus tantùm, ut agens, & qualitates habitusque virtutum instillans, intimum bonum hæ virtutes sunt, quibus intus perficitur anima; at extimum tantùm Deus erit bonum; extimum enim est quo non immeatur anima, & non medullitus vegetatur. Augustinus: *Quid superbit terra & cinis, quoniam in vita sua proiecit intima sua? Cum enim anima per seipsam nihil sit, quidquid autem illi esse est, à Deo sit, in ordine suo manens, ipsius Dei præsentia vegetatur, in mente atque conscientia. Itaque hoc bonum habet intimum. Quare superbia intumescere, hoc illi est, in extima progredi, & ut ita dicam inanescere, quod est, minus minusque esse. Progredi autem in extima quid est aliud quàm intima projicere, id est, longè à se facere Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu?* Projicit intima sua mens, cùm superbiendo Deum à se abjicit, cujus præsentia vegetabatur. Ergo intimum animæ bonum Deus est quo vegetatur formaturque; efficienter autem formari à Deo posset, etsi non esset intimum bonum. Accedat & Bernardus: *Et ni fallor,*

Musicæ l.6. c.13.

Serm. 74. in Cantica.

lor, *unius Angeli animæque decor ipsa* (*Sapientia*) *est. Quid enim vel hæc vel ille absque sapientia, nisi rudis deformisque materia est?* Quàm intimum igitur materiæ bonum est forma, tam Deus animæ intimum bonum est.

XV. *Omnes ubique locorũ justi sibi præsentes sunt, quia unius summæ justitiæ vita implentur.*

Rapi quoque eodem potest, quod ait Augustinus, justos omnes etsi locorum interstitio remotissimos alios ab aliis, secum esse tamen conjunctissimos, quia in Deo sunt, Deus in eis est. Vix satis commodè id comprehenditur, nisi unà capiatur substantialis vita summè simplex & summè una, cui cum justi omnes cohærescant, ab eaque formentur, non possunt non esse sibi præsentissimi. (In Psal. 94. L. 10 Confess. c. 34.) *Non loco longè quisque est à Deo, sed dissimilitudine, &c. Et duo justi similiter, alter sit in Oriente, alter in Occidente, secum sunt, quia in Deo sunt.* Et alibi rursum de intelligibili luce Deo verba faciens, *Ipsa est lux, una est, & alia non est; & unum omnes qui vident & amant eam.* Lux enim summè una & in se collectissima, quoscumque format, unum efficit, & secum & ipsos invicem.

XVI. *Variæ comparationes Patrum, ut anima à Spiritu sancto ad quendam modum peculiarem formetur.*

Formæ instar imprimi substantiam Spiritus sancti, & ita sanctitatem virtutesque inseri piorum animabus, magnoperè præterea suadent comparationes, quibus id à sanctis Patribus illustratur. Origenes ait ita substantia Spiritus sancti formari pios, ut sanctificentur, sicut medicinæ arte, ut medici fiant; & quamvis participetur à multis Spiritus sanctus, non tamen corporeum esse & scindi; sicut & ars incorporea à multis participatur, nec secatur; id tamen esse discriminis, quod per se subsistat Spiritus sanctus, non autem ars illa. (Origen. l. 1. de Princ. c. 1.) *Cum de Spiritu sancto multi sancti participant, non utique corpus aliquod intelligi potest Spiritus sanctus, quod divisum in partes corporales percipiat unusquisque sanctorum; sed virtus profectò sanctificans est, cujus participium debent habere omnes qui per ejus gratiam sanctificari meruerunt. Et ut facilius quod dicimus possit intelligi, ex rebus humanis, quamvis imparibus, sumamus exemplum. Multi sunt qui disciplinæ, sive artis medicinæ participant, & nunquam putandum est omnes eos corporis alicujus, quod medicina dicatur, in medio positi, auferre particulas, & ejus participium sumere, &c. Spiritus sanctus longè differt à medicinæ ratione, vel disciplina, pro eo quod Spiritus sanctus subsistentia est intellectualis, & propriè subsistit & extat, nihil autem tale est medicina.*

(L. 1. de Spiritu sancto.) Arrisit eadem comparatio & Didymo: *Quomodo disciplinæ & virtutis assumptor signaculum & figuram in suum recipit ejus scientiæ, quam assumpsit: sic & is qui Spiritus sancti particeps efficitur, per communionem ejus fit spiritualis pariter & sanctus.* Itaque in modum formæ copulatur sanctis Spiritus sanctus conjunctione substantiva.

(L. de Spiritu sancto.) Basilius quoque supra relatus est prolixiùs, unde pauca hæc verba resumo: *Ut forma est in materia, & virtus in eo quod illius est capax, aut ut habitus in eo quod illo afficitur.* Ita nimirum Spiritus sanctus in anima justi. Et ibidem: *Itaque quatenus Spiritus sanctus vim habet proficiendi rationales creaturas, earum summam perfectionem absolvens, formæ rationem obtinet.* Et ne ad operationem Spiritus sancti meram cavillator aliquis hæc detorquere machinaretur, ibidem: *Et ut ars in illo qui eam nactus est, ita Spiritus gratia in illo qui eam excepit, semper quidem præsens, non tamen continuè operans. Quandoquidem & ars potestate quidem est in artifice; actu verò tum cum secundum ipsam operatur. Sic etiam Spiritus semper quidem adest iis, qui digni sunt, sed pro eo ac necesse est, operatur.* Non potuit disertiùs affirmari Spiritum sanctum obtinere vicem quodammodo formæ substantivè sanctificantis.

XVII. *Hæc inhabitatio Spiritus sancti, per peccatũ amissa, per Christum est recepta.*

Cæterum eximiam hanc esse populi Christiani prærogativam, ut qui in Capitis sui Christi Dei consortium ascitus sit, sensisse videtur Cyrillus: nec olim ante Christiana tempora id concessum fuisse ulli, ut ad sanctitatem impetrandam Spiritus sancti substantia formaretur. (L. 5. in Evan. Joan. pag. 474. 475.) Afflatus enim primo parenti Spiritus sanctus, substantialiter illi incubabat; at ab illo per peccatum ubi exufflatus est, nonnisi per Christum iterum eodem modo aspirari potuit. *In principio, sicut scripsit Moyses, accepto pulvere de terra cum formasset hominem universi opifex, insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ. Quodnam autem est spiraculum vitæ, nisi Christi spiritus, qui ait, Ego sum vita & resurrectio? Postquam verò ex humanitate aufugit Spiritus sanctus, is qui nos ad divinum characterem conformare atque servare poterat, rursus hunc nobis servator elargitur, in antiquam illam restituens dignitatem, & in suam ipsius imaginem transformans. Sed si ita res habet, quomodo fuit in Prophetis? Consideremus ergo in sanctis quidem Prophetis, velut uberem quandam illuminationem & prælustrationem fuisse spiritus, quæ dirigere posset ad futurorum comprehensionem, & occultorum notitiam. In iis vero qui credunt in Christum, non simpliciter illustrationem spiritus fuisse censemus, sed ipsum spiritum inhabitare penitus & hospitari confidimus. Unde jure quoque templa Dei dicimur, quum nullus sanctorum Prophetarum Dei templum appellatus sit unquam.* Subjungit illa Christi verba de Joanne Baptista, omnium retro virorum maximo, & quo tamen major dicitur quisquis in regno cælorum minor est. Regnum autem cælorum, ut ait alibi Christus, intra nos est; hoc est, interprete Cyrillo, *Inhabitat in nobis per fidem Spiritus sanctus.* Cùm ergo tanta sanctimoniæ præcellentia floreret Joannes, quomodo anteponitur illi tamen baptizatorum quilibet minimus? Non aliter hunc conflictum sedat Cyrillus, quàm quod non ita inhabitaret Spiritus sanctus in Joanne, ut in Christiano quolibet. Quocirca ubi primùm copiam sui Christus Joanni fecit, confestim ille baptizari se à Christo enixè flagitavit, gnarus baptismo se Spiritus sancti plenitudinem & inhabitationem consecuturum longè quàm antea mirabiliorem. *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Vides ut perfectus cum esset, quantum in homines & in natos mulierum cadebat, tamen regenerari quodammodo & refici se rogat per sanctum Spiritum? Vides ut regeneratis inferiorem se profitetur, cùm regeneratione sibi opus esse ait? Nam si præstantior futurus non erat baptizatus, quid erat necesse ut rogaret se baptizari? Sin autem sciebat se præstantiorem fore accedente baptismo, quomodo non priorem dignitatis locum tribuet jam baptizatis? Majorem igitur ipso Joanne Christus esse ait minimum regni cælorum, hoc est & recens baptizatum, & nihil dum eximium re præstantem, propter hoc duntaxat quod genitus ex muliere Joannes Baptista, hic verò ex Deo natus est, ut Scripturis proditur, & factus est divinæ naturæ particeps, ipsum Spiritum sanctum incolam in se habens; atque adeo jam Dei templum est & audit.* Tantæ perspicuitati nulla offundi potest caligo, nulla insidiari cavillatio. Nec minùs dilucidè alibi idem Cyrillus perscrutatur hæc Scripturæ loca: (Thesauri Pag. 351.) *Nihil ad perfectum adduxit lex. Lex per Angelos ministrata est. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta.* Cujusmodi complura aggerare nulli non perfacile est. Ex iis autem elicit hoc discrimen utriusque Testamenti, quod illud vetus per creaturas, hoc novum per creatoris seu per Spiritus sancti substantiam dispensetur, *Lex per Moysen, &c. Quocirca si magna quadam differentia est inter ministerium Moysis & Mediatoris Dei ac hominum Jesu Christi, necessarium est ut legem Moysi imperfectam esse fateamur, nihil enim perfecit, ut Paulus testatur: at Salvatoris nostri gratiam veram & perfectam esse credimus. Quænam igitur hæc gratia est? Non alia certè quàm Spiritus*

sancti

sancti in corda nostra facta infusio, juxta Pauli sententiam. Quomodo igitur erit vera in nobis gratia, si subministrata nobis est per creaturam sanctificatio, sicut & lex per Angelos?

XVIII. Conciliantur Patres, qui ajunt negantque hoc esse privilegiũ Ecclesiæ Christi.

Nazianz. Orat. 44. Athan. Ora. 2. contra Arian. August. serm. 185. de temp.

Accedunt & astipulatores Cyrillo Patres alii. Suprà enim relatus est Nazianzenus, ubi priùs per operationem, κὴ ἐνέργειαν, post Christi Ascensionem substantivè, οὐσιωδῶς infusum Spiritum sanctum fuisse tradidit. Relatus est & Athanasius qui in Jordane Christum ait, non sibi, sed nobis Spiritum sanctum accepisse. Relatus est Augustinus, ubi verba facit de die Pentecostes: *Affuit ergo in hac die fidelibus suis non jam per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis; atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti.* Et quorsum labor attinet rogandi Patrum suffragia, cùm veritas jam olim edixerit, *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus?*

At quomodo non conflictantur ista secum? nam & Joannes Spiritu sancto plenus fuisse ex utero matris prædicatur: & ante baptismum nonnulli Spiritu sancto allabante perfusi sunt: & denique moles illa & numero & pondere gravis argumentorum, cui tandiu jam insudamus construendæ, omnem naturæ intellectualis sanctitatem indiscriminatim à Spiritus sancti substantia repeti cogit.

L. 83. qq. q. 62.

Explicat hunc nodum Augustinus. Antè enim latenti operatione, post Christi ascensum etiam visibili apparitione datus est Spiritus sanctus; antè minore copia, post longè uberiore. Sicut & Verbum ante carnem assumptam suis aderat, sed latentiùs parciùsque. Denique de spiritu adoptionis idem sentiendum, quod de adoptione Judæorum alibi disputatum est.

XIX. Copia Spiritu sancti & olim erat, sed major post Christum. Cap. 123.

Et quanquam dissentire aliquantulum, ac veteribus sanctis, ipsique primo parenti derogare videatur author perantiquus quæstionum ex utroque mixtim testamento apud Augustinum; reapse tamen si molli manu tractetur, solam abundantioris copiæ gloriam Christianis præ antiquis & præ Adamo etiam vendicare comperietur. Id enim colligit ex eo quod *salvi facti simus per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum.* Abundè ergo nunc effusus est Spiritus sanctus per Christum, qui huc venit, ut vitam habeamus & abundantiùs habeamus. Quod autem idem author subdit: *Pignus est immortalitatis Spiritus sanctus, qui enim accipit eum, & manet in ejus dilectione, transacta hac vita pergit ad eum cujus Spiritum habet. Incongruum est enim, ut qui hinc exit habens Spiritum sanctum, apud inferos teneatur. Signum est enim victoria Christi qua vicit mortem, Spiritus ejus, ut in quo fuerit Spiritus ejus, ab inferis teneri non possit.* Scitum id quidem est, sed ex quo nihil ritè colligitur, nisi quod ibidem illico contexitur: *Ac per hoc in veteribus Sanctis non ita fuit Spiritus sanctus, sicut nunc est in fidelibus, quia exeuntes de sæculo, apud inferos erant.* Fuit ergo & in illis Spiritus sanctus, sed non ita ut nunc in fidelibus; nam si Spiritu sancti exortes penitus fuissent, sedes illis non in inferis illis, ubi à beatificante sapientia non longè alienabantur teste Augustino, sed in inferno inferiori adsignanda fuisset. Unde idem mox: *Si autem in Adam vel in cæteris sic dicatur fuisse Spiritus sanctus, sicut nunc est in fidelibus, quæ nova dona dedit Deus, cum regnum Filii sui dedicavit in nobis?* Utroque hoc argumento non copia, sed par nostræ copia Spiritus sancti & Adamo & veteribus ante Christum Sanctis denegatur.

Cui assentitur Augustinus ipse: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Non alium Spiritum etiam Prophetæ habuerunt, qui Christum venturum prænunciaverunt, sed modus quidam futurus erat donationis hujus, qui omnino antea non apparuerat. De ipso hic dicitur.*

Tract. 52. in Joan.

Nusquam enim legimus antea congregatos homines accepto Spiritu sancto linguis omnium gentium locutos fuisse. Et alibi de Apostolis ipsis: *Jam itaque habebant Spiritum Discipuli quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant; nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo & non habebant: qui quantus habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minùs, dandus eis erat ampliùs: habebant occultè, accepturi fuerant manifestè: quia & hoc ad majus donum Spiritus sancti pertinebat, ut eis innotesceret quod habebant, &c. ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, Spiritum qui ex Deo est accepimus. &c.* Quare Gregorius: *Antè quidem Discipulorum mentibus idem Spiritus sanctus inerat ad fidem, sed tamen manifesta datione non nisi post resurrectionem datus est.* Et Leo Magnus: *Cum in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis. Quoniam & Patriarchæ & Prophetæ & Sacerdotes omnesque Sancti qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus sancti sanctificatione vegetati.* Et Hieronymus Damaso: *Dixit pater ad pueros suos, Celeriùs proferte stolam priorem, & induite eum: stolam quam Adam peccando perdiderat, stolam quæ in alia parabola indumentum dicitur nuptiale, id est, vestem Spiritus sancti.* Sed luculentissimè Tertullianus, sive potius Novatianus: *Habentes eundem Spiritum fidei, &c. Unus ergo & idem Spiritus, qui in Prophetis & Apostolis, nisi quoniam ibi ad momentum, hic semper: cæterum ibi non ut semper in illis inesset, hic ut in illis semper maneret: & ibi mediocriter distributus, hic totus effusus: ibi parcè dat, hic largè commodat; nec tamen ante resurrectionem Domini exhibitus, sed per resurrectionem Christi contributus.* Ex quibus elucet, ita consentaneum fuisse æternis legibus, ut veritas charitasque consertis manibus, & iisdem penè vestigiis ad nos procederent; & ubi umbræ veritatis, ibi tyrocinia charitatis præluderent: ubi pleno lumine veritas, statim pleno ubere charitas pariter adesset: & mutuis officiis certarent, plenitudo veritatis in carne revelata plenitudinem charitatis infundere, plenitudo charitatis manifestè illapsa plenitudinem veritatis propalare.

Ibid. Tract. 74.

Hom. 26. in Evang.

Serm. 1. de pentec.

L. de Trin.

CAPUT XVII.

Quo sensu forma esse, & formare, vel informare dicatur divina sanctitas naturam creatam; abstergitur invidia hujus vocis; recentiores cum antiquis Theologis in gratiam redeunt; & non tam ut forma, quàm ut hospes sanctificare Deitas sua templa demonstratur.

UNum in scopum hactenus omnia tela direximus, ut non tam creatis dotibus, etsi & harum copia abundet, quàm ipsa inhospitantis substantia Deitatis sanctificari naturam rationalem expugnaremus. Dum autem scrinia veterum Scriptorum perscrutamur, ex eorum consuetudine id etiam nobis inhæsit quasi affricatum, ut Deitatem formam esse sanctitudinis ipsam dictitaremus, qua formantur Sancti & vegetantur. In hanc vocem formæ conflagravit invidia ingens jam inde ab incunabulis Theologiæ Scholasticæ. Piaculare enim jamdiu est, Deitati illudere sordes & nomen ipsum formæ istiusmodi, qua afficiamur. Æquum est recentiores antiquioribus conciliari Theologis, & utrorumque conspiratione orthodoxa placita vallari. Nam nostris id animis altissimè infixum jam olim est, vocum arbitrium penes homines esse, ideoque illarum tam varias esse & procellosas vices, quàm temporum: at constantiam dogmatis & unitatem fidei in Ecclesia

I. Antiqua & nova cõcordat Theologia, & voces quidem aliæ aliàs placent, sed unitas dogmatum constat in concussa.

Catholica ab exortu suo in hæc tempora inconcussam perennare & porro perennaturam. Sed hominibus plerumque imponit sua supinitas aut hebetudo, ut discordiam ibi dogmatum suspicentur, ubi verborum rixa duntaxat est: & quia latentes concordiæ venas rimari haud sufficiunt ipsi, inerti calumniandi licentia imperitiam temeritatemque suam produnt.

II. Deum multi Patrũ dixere formã. Confess. L. 12. c. 28.

Quod ergo antiquis Theologis usitatissimum fuerit, formæ nomen Deitati ipsi adscribere, otiosum penè est demonstrare, cùm suprà testimoniis eorum id abundè constiterit. Pauca insuper aggerabo ex Augustino: *Fecisti omnia, non de te similitudinem tuam, formam omnium, sed de nihilo dissimilitudinem informem, quæ formaretur per similitudinem tuam.* Et alibi: *Stabo atque solidabor in te, forma mea, veritate tua.* Et rursus: *An materia dicta est spiritalis vita, sicuti esse potest in se non conversa ad Creatorem: tali enim conversione formatur atque perficitur, si autem non convertatur, informis est.* Et mox: *Tenebrosam abyssum intelligamus naturam vitæ informem, nisi convertatur ad Creatorem, quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus.* Et infrà: *Informitate quadam tendit ad nihilum, &c. ut formaretur inhærendo Creatori.* Et mox: *Ut convertatur ad id ex quo est, quod aliter formata ac perfecta esse non possit.* Et infrà: *Intellectualis vita nisi ad Creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter.* Et alibi: *Quia homo mutabilis res est, nisi ad incommutabile bonum quod est Deus conversus substiterit, formari ut justus beatusque sit, non potest.* Et rursum: *Cùm possit homo particeps esse sapientiæ, ita est ad imaginem Dei, ut nulla natura interposita formetur.* Et infra: *Nulla interposita substantia, ab ipsa veritate formatur.* Sexcenta hoc genus testimonia ex uno possent decerpi Augustino. Claudianus Mamertus: *Accede formatrici formæ, quo possis esse formosior.* Bernardus: *Unus Angelis animæque decor ipsa sapientia est. Quid enim vel hæc, vel ille absque sapientia, nisi rudis deformisque materia est? Ea ergo ille non modo formatus, sed & formosus fuit. Sed & perdidit eam cum fecit suam.* Rupertus: *Speciosus forma præ filiis hominum: Divinitas hic propriè signatur hoc nomine, quod est forma. Divinitas namque forma est: forma utique non formata, sed tantum forma est.* Forma est ergo Deitas, qua Christus formosus est, forma per quam formantur rationales creaturæ, forma cujus inanes quotquot sunt, informes fluitant, forma cujus exul non est nisi rudis deformisque materia. Quæ cum ita sint, dabitur, ut spero, venia, si quando etiamnunc formari animas hac forma confidamus, & ita eloquamur, cùm Patribus id familiare adeo quondam fuerit, nec potuerit non aliquid nobis oblini interdum ex eorum familiaritate; & quandoque etiam surrepat quædam oblivio temporis nostri cui serviendum est, nobisque videamur illis ipsis interesse sæculis, quorum lumina miramur, oracula meditamur.

(Margin: L. 11. c. 30. — L. 1. de Gene. ad lit. c. 1. & 4. — Ibid. c. 5. 9. 17. — L. 8. c. 10. — L. 83. qq. q. 51. — L. 1. de statu animæ c. 26. — Serm. 74. in Cantica. — L. 1. c. in Evang. Joan.)

III. Cõsultò tamen posteriorum diligentia abstinuit ea voce.

Sed nihilo tamen seciùs ea ipsa loca sanctorum Patrum ubi cum maximè formam nobis prædicant esse Deitatem, ita hanc formam ab aliis formis dispescunt, & tanto semovent intervallo, ut jure merito posterorum diligentia consultius duxerit abstinere hoc genere loquendi. Cùm enim Philosophia Peripatetica invasit scholas, latiùsque percrebuit, ex ejus placitis forma cœpit non aliter accipi, quàm ut in rerum natura vulgo interpretamur, tanquam pars totius, melior illa quidem, sed pars tamen, & egena, vacillansque, nec non & affixa ac circumscripta materiæ suæ angustiis. Cùm vox ergo formæ in hunc usum jam astricta esset, consultum fuit, illi interdicere limitibus Deitatis. Nec id insolens videri debet: nam & ipso castigatissimo Patrum ævo, cùm illi etiam majorum gentium Patres florerent, exoleverunt verba quæ quondam dominabantur: invaluerunt quæ situ priùs squallebant, ut alibi observavimus, & compluribus exemplis palam fecimus. Quo sanè fidei Christianæ constantiam, non tantùm non labefactari, sed vehementer etiam constabiliri monuimus jam suprà, cùm ea nullis temporum, nullis verborum unà cum tempore senescentium aut exorientium vicibus vel tantillum à veritatis norma excutiatur.

IV. Vocum discrepantia oritur persæpe ex dogmatis consensione.

Jam verò ut adgrediamur ad ea indaganda, quæ ad formæ & informationis voces aut penitus eliminanda aut parciùs adhibendas impulerunt recentiores Theologos, ex altissimo Christiani dogmatis sensu, ex ipso penu antiquioris Theologiæ deprompta esse illa aperiemus. Ut voluptati sit atque admirationi, animadvertere, quì verborum dissensio ex sententiæ consensione proficiscatur.

V. Cum Patres Deum dicãt esse ipsam hypostasin sanctitatis, hospitium illi magis, quam materiam quærunt, & hospitem magis illum quam formã esse fatiunt.

Primò ergo sanctis Patribus exploratissimum fuit, Deitatem & esse & dici sanctitatem, charitatem, gratiam, sed hypostaticam, sed per se subsistentem, in se subductam, penes se refugam, concretionis nesciam, impatientem compositionis, retinentissimam suæ simplicitatis. Ergo ea sanctos non tam informari, quàm inhabitari sensere: quòd hypostasis ipsa sanctitatis & gratiæ hospitium magis quàm materiam desideret. Et ubi informari nos ea decrevere, nihil aliud quàm intimam hospitis præsentiam inculcatam voluerunt. Atque ut apertè rem ut est dicam, præsentia Dei substantiva consecratur & sanctificatur anima: hæc præsentia tam intima est, quàm animæ in corpore: tam libera & absoluta, quàm hospitis in ædibus. Ideo ergo nunc forma ob interiorem, nunc potius hospes & inhabitator ob liberam simplicemque præsentiam nuncupatur. Utrumque constat, utrumque distat: ita forma est, ut hospes magis sit: ita incola est, ut forma penitius subeat. Utrumque astrui, utrumque destrui potest, quia utrumque utcumque est, neutrum absolutissimè est, sed aliquid est, quod hoc utroque minùs impropriè insinuatur. Nam quia sanctitas Deus est, formæ instar habet: quia per se subsistens & liberrima, atque ab omni servitutis vel compositionis nævo absolutissima est hypostasis, ideo hospitari lubentiùs, & inhabitare & inambulare pronunciatur. Hilarius: *Ubi duo atque tres pari spiritu ac voluntate collecti sint, ibi se medium eorum pollicetur futurum. Ipse enim pax atque charitas est: sedem atque habitationem in bonis ac pacificis voluntatibus collocavit.* Pax est & charitas, sed cui sedes, domusque, non materia adornetur: quæ in medio nostrum stet, non inhæreat, & nos ei potius stanti inhæreamus. Ambrosius: *De ipso dictum est Verbo, hoc est, Filio Dei: Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: ubicumque enim sancti, ibi in medio Dei Verbum, in singulorum præcordiis, complens maria & terras.* Medius in præcordiis, sed stans. Et infra: *Excipiendo Christum Zachæus, exclusit avaritiam, relegavit perfidiam, renunciavit fraudibus: aliter enim non ingreditur Christus, nisi ut vitia excludat, quia non cohabitat erroribus.* Inhabitatio, non informatio, nempe Christi, seu hypostaticæ sapientiæ. Et alibi idem: *Sequamur illud quod bonum est, illi inhæreamus, illud imitemur: illius præsentia, illius communicatio nos meliores faciat, mores nostros coloret, illius quædam nos societas informet.* En quid informari Deo: de ejus societate, congressu, familiaritate, præsentia colorari, atque consecrari. Et rursus idem: *Quid est enim spiritus, nisi plenus bonitatis? Qui cum sit inaccessibilis natura, receptabilis tamen propter bonitatem suam nobis est: complens virtute omnia, sed qui solis participetur justis, simplex substantia, opplens virtutibus, unicuique præsens.* Simplex substantia, & ideo inaccessa: receptabilis tamen & participabilis, quia præsens, & complens virtute omnia.

(Margin: Can. 18. in Matth. — L. 1 de Abel & Cain. c. 8. — Ibid. l. 2. c. 4. — L. de bono mortis. c. 9. — L. 1 de Spiritu sãcto. c. 1.)

VI. Rursum ex Patribus, u

Idem Ambrosius, ut hypostaticam justitiam, & per

Deus & Hospes, & Forma, & Hospes magis sanctorum, quam forma sit. per se subsistentem, nec ullius materiæ seu fulcimenti vel indigam vel patientem insinuet, Christum nobis ipsum quantus maximus optimusque hypostasi sua est, ipsam esse justitiam & sapientiam L. 1 de Virg. declarat: *Non vides quia adest Christus? Non vides quia Christus est Dei virtus, quia Christus est Dei sapientia, quia Christus est sanctitas, quia Christus est castitas, quia Christus est integritas, &c.* Et mox: *Erras mulier, quæ putas ab aliis Christum de monumento esse sublatum, & non potestate propria resuscitatum. Sed nemo tulit Dei virtutem, nemo tulit Dei sapientiam, nemo tulit venerabilem castitatem. Non tollitur Christus de monumento justi, nec de suæ virginis secreto & piæ mentis arcano.* Ubi vides justitiam quæ arcanis piorum mentibus incubat, non formam, sed personam esse, Christum ipsum esse, hospitem animi magis quàm dotem. Et infrà: *Æternis virtutibus intenta mens supra mundum labitur. Supra mundum enim justitia est, supra mundum charitas, supra mundum castitas, supra mundum bonitas, supra mundum est sapientia; & si in hoc mundo sit, supra mundum tamen est. Supra mundum erat justitia, cum omnia regna mundi & universam ejus gloriam diabolus offerret. Supra mundum est ille, qui tollit Deum in corpore suo.* Itaque charitas & sanctitas supra mundum erat, sedetque in summo rerum vertice, & sibi affixos quosque sanctificat, & exaltat. Denique: *Facitè vos dignos videri, quorum in medio Christus sit. Ubi enim pax, ibi Christus, quia pax Christus. Ubi justitia, ibi Christus, quia Christus est justitia. Sit in medio vestrum, ut videatis eum, ne dicatur vobis, Medius autem vestrum stat, quem vos non videtis.* Epist. 82.

VII. Ex August. maxime. Augustinus idipsum docet, ubi incommutabilem quandam necessariò constare justitiam argumentatur, quæ accedentibus justis præsto est, recedentibus iisdem non deficit, sed manet, ut resipiscentibus rursum occurrat. *Quia ergo anima participando fit bona, si mutata cœpit esse mala, bonitas manet, cujus erat particeps bona: bonitatis enim cujusdam particeps facta est, cum bona esset, qua mutata in pejus, bonitas integra permanet. Si recedat anima & mala fiat, non minuitur bonitas; si revertatur & bona fiat, non crescit bonitas.* Et alibi idem: *Omnis ista hominum justitia quam & tenere animus humanus rectè faciendo potest, & peccando amittere, non imprimeretur animæ, nisi esset aliqua incommutabilis justitia, quæ integra inveniretur à justis, cùm ad eam converterentur; integra relinqueretur à peccantibus, cum ab ejus lumine averterentur.* Hæc justitia ita libera & sui juris, ita absoluta, ad quam converti jubentur animi, & sursum eniti, ut ejus adsplendescentia formentur. Hæc justitia ita libera & sui juris, ita absoluta, hæc nostro vel accessui vel recessui obnoxia, non tam ut forma, quàm ut hospes intelligitur: aut si & forma est, extrinseca magis quàm intrinseca dici non immeritò potest, quia tametsi intimè inest, non implicatur tamen, non mancipatur materiæ suæ, sed sua sibi semper est & in sese collecta. Tract. 39. in Joann. L. 83. qq. q. 81.

VIII. Ex eodem. In Evan. Jon. Tract. 70. Eodem refertur & illud ejusdem argumentum. Deus vita est, nos vitam habemus. Ille vitam habet, quia vita est: nos vitam habemus, dum ipsum habemus, at vita neutiquam sumus. Si autem forma propria & non hospes tantùm nobis inesset Deitas, etiam vita ipsa essemus. Est enim homo anima sua. Sed non ita justitia est homo, sicut anima est. *Nunquid nos vita quod est ipse, hoc erimus, cum in illa vita, hoc est, in ipso esse cœperimus? Non utique: quia ipse existendo vita, habet vitam, & ipse est quod habet, & quod vita est in ipso, ipse est in seipso: nos autem non ipsa vita, sed ipsius vitæ participes sumus: atque ita ibi erimus, ut in nobis ipsis, non quod ipse est, esse possimus; sed nos ipsi non vita, ipsum habeamus vitam, qui seipsum habet vitam, eo quod ipse sit vita.* Vita enim ipsa per se subsistens, non habet, nisi quod est, nec est, nisi quod ipsa sibi est: inhospitari ergo nobis illa potest, at informare & concrescere nobiscum non potest: habere ipsam nos possumus, esse ipsa non possumus.

Eodem pertinet & illud argumentum ex hom. ejusdem de Ovibus, ut omnium sit bonum justitia, necesse est ut nulli certæ velut materiæ addicatur. Nam si uni informandæ affigatur, arctabit ipsa sese, & universalitatem suam circumcidet. At ut omnium sit, nullius erit propria forma: sed penes se eminebit, omnium publicum, nullius privatum bonum. *Deus & tuus est & ejus qui sic dixerit, Deus meus, quomodo tu dicis. Singuli dicunt Deus meus & Deus meus: ille omnium est, communiter omnibus se ad fruendum præbens, in omnibus integer, in singulis integer: non enim qui dicunt, Deus meus, singuli dividunt inter se, &c.* IX. Ex eodem. L. de Ovibus c. 16.

Eodem referes & illud, quod forma hæc divina, ita insit, ut subsit tanquam fundamentum, & superextet tanquam fastigium. Non ergò more cæterarum formarum inest, quæ inesse ita debet, ut suffulciat & superemineat: *Est forma quædam, forma non formata, sed forma omnium formatorum. Forma incommutabilis sine lapsu, sine defectu, sine tempore, sine loco, superans omnia, existens in omnibus, & fundamentum quoddam in quo sunt, & fastigium sub quo sunt. Si dicis, quia omnia in illo sunt, non mentiris: dictum est enim, Omnia in sapientia fecisti. Ergo in illo sunt omnia, & tamen quia Deus est, sub ipso sunt omnia.* Formam prædicat, nec tamen in nobis eam esse meminit, sed nos in ipsa, & ipsam supra nos. X. Ex eodem. Serm. 38. de Verbi Dom.

Quo refertur & illud apud eundem sæpiùs expressum, vitam & justitiam nobis, non in nobis ipsis, sed in Deo esse. Nempe vita & justitia sua sibi est, sursum regnans, & in seipsa habitans beatissimè: nos quasi extrinsecus eam habere censemur, quia non ipsa sumus, sed circa ipsam vel in ipsa. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. Non participando, sed in semetipso. Nos enim non habemus vitam in nobis ipsis, sed in Deo nostro.* Quisquis ergo vitam & justitiam participando habet, non in semetipso habet: si non in semetipso, extra seipsum ergo; non ergo ea sic informatur, ut propria dote sua. XI. Ex eodem. Serm. 64. de verbis Dom.

Eodem denique spectant illa quæ supra hoc ipso capite ex eodem Augustino retulimus, ex libris ejus maximè de Genesi ad literam carpta, ubi informes auguratur fore mentes, nisi ad incommutabilem sapientiam convertantur: conversione enim ad ipsam sua formari. Extima, exertissima, in se complicata & absoluta à materiæ nexibus est illa forma, ad quam converti jubentur animi, & sursum eniti, ut ejus adsplendescentia formentur. XII. Ex eodem.

Secundò, non tam justitia in justo, quàm justus in justitia esse & inhærere arbitrandus est. Tametsi enim corporeos tantùm sensus, eorumque præstigias sectantibus, videri soleat justus sive Angelus, sive homo, solidum quid & per sese subsistens, justitia verò adjectitium quid & accidentarium, & quasi accessio: longè tamen aliter accurata veritatis lex rem definit. Nam justitia ipsa solidum est & permanens ac ubique diffusum bonum, particulares naturas suffulciens, adornans, perficiens, exuperans, earum ipsa fundamentum, fulcimen, apex. Quocirca incumbunt justitiæ justi omnes, non justis justitia. Augustinus: *De Spiritu sancto dictum est, quod sit donum tuum, & in dono tuo requiescimus, ibi te fruimur, requies nostra, locus noster.* Et in Soliloquiis paulò post initium: *Deus à quo averti, cadere: in quem converti, resurgere: in quo manere, consistere est: Deus à quo exire, emori: in quem redire, reviviscere: in quo habitare, vivere est.* Et alibi: *Deus in medio ejus non commovebitur. Deo sedes est conscientia piorum. Et ita sedes Dei est in cordibus hominum, ut si ho-* XIII. Deus ita justitia est, ut non tam in justis sit, quam justi in ipsa. L. 13. Confess. c. 9. In Psal. 45.

si homo ceciderit à Deo, Deus in se maneat, non quasi cadat, non inveniendo ubi sit. Magis enim te sublevat ut in illo sis, quàm in te incumbat, ut si te subduxeris, cadat. Ille se si subduxerit, cades tu: tu te si subduxeris, non cadet ille. Et rursum:

In Psal. 122.

Antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus. Et quando dignatur habitare in sanctis, non sic sunt sancti Domus Dei, ut ipsa subtracta cadat Deus. Aliter enim nos habitamus in domo, aliter Deus in sanctis. Tu habitas in domo. Si subtracta fuerit, cadis. Deus autem sic habitat in sanctis, ut si ipse discesserit, ipsi cadant. Quicumque ergo sic portat Deum, ut sit templum Dei, non putet sic à se portari Deum, ut terreat Deum, si se subducat. Væ illi si se subtraxerit Deus, quia ipse cadit, nam Deus in se permanet. In quibus nos habitamus, ipsa nos continent: in quibus Deus habitat, ipse illos continet. Substantiva igitur & per se subsistens justitia Deus, ita informat, ita incolit justos, ut illos potius ipsa excipiat, illos sibi innitentes sustentet, illos suo sinu foveat, sua vi suffulciat. Inhabitat justitia, & inhabitatur: inhabitat, quia intima cordi est: inhabitatur, quia extima etiam est & superextat, æternæque & immensæ amplitudinis majestate supereminet. Et rursum alibi:

Tract. 8. in Epist. Joan.

Qui manet in dilectione, in Deo manet & Deus in eo. Vicissim se habitant, qui continet & qui continetur. Habitas in Deo, sed ut contineaeris. Habitat in te Deus, sed ut te contineat, ne cadas: ne fortè sic te putes domum Dei fieri, quomodo domus tua portat carnem tuam. Si subtrahat se domus in qua es, cadis: si autem tu te subtrahas, non cadit. Deus integer est cum eum deseris, integer cum ad illum redieris.

XIV. Æternæ immensæque formæ insunt omnia, non ipsa inest ulli

Et sanè cui ob oculos mentis versabitur divina justitiæ æternitas, immensitas, & nulli obnoxia, omnia nutu suo librans majestas, ut cætera ejus sileam nunc ornamenta: is illam esse, illam super omnia esse, & præ illa nihil cætera esse, nec esse nisi quòd illi insint, subsintque, indubitatissimè confitebitur. Incumbunt enim atque adhærescunt alioqui ruitura temporalia æternæ, particularia infinitæ, obnoxia omnipotenti atque omnitenenti, velut accidentia substantiæ veritatis atque justitiæ. Unde Gregorius Magnus:

L. 1. in l. 1. Reg.

Neque enim est alius extra te: potest hoc & ad justitiæ statum pertinere, quia electorum esse est in Deo per justitiam manere. Et quia unigenitus Dei Deus est, extra eum non est aliquis, quia nemo electorum nisi in ipso est. Et l. 8. Moral. c. 10. *Extra se per inobedientiam missus homo, mentis suæ locum perdidit, quia tenebrosis itineribus sparsus, ab inhabitatione se veri luminis elongavit. Unde & aptè adhuc subditur, Neque cognoscet eum amplius locus ejus. Locus quippe hominis, sed non localis, ipse conditor extitit, qui hunc ut in semetipso consisteret, creavit. Quem nimirum locum tunc homo deseruit cum seductoris verba audiens, à conditoris amore discessit. Sed cum omnipotens Deus redimendo se homini etiam corporaliter ostendit, ipse ut ita dixerim fugitivi sui vestigia subsequens, ad retinendum quem amiserat hominem, locus venit. Si enim appellari locus conditor nequaquam posset, Deum laudans Psalmista non diceret, Filii servorum tuorum habitabunt ibi. Ibi enim non dicimus, nisi cum locum specialiter designamus.*

Duo ibi quædam Gregorius suggerit. Primum loci in rem locatam non pauca esse beneficia perenniter irrigua, ideoque opportuniùs locum creaturæ rationali in Deo, quàm vicissim adsignari. Deinde scripturas sacras locum quendam spiritalem indigitare in quo conquiescant, quo foveantur, protegantur, contineantur animæ rationales, nec alium sanè quàm ipsum Deum. Ex quo patet qui interpretanda sit illa informatio animæ per Deitatem, cùm jam compertum sit, justitiam & sanctitatem incommutabilem, æternam, incircumscriptam, locum potiùs esse & sedem in qua justi omnes conquiescant.

XV. Ut Pater in Filio ita uterque in nobis per Spiritum. At Pater in Filio est, ut hypostasis in hypostasi In Evan. Jo. Tract. 111.

Tertiò, ut Pater in Filio, ita Filius in nobis est per Spiritum sanctum, inhabitatque & conglutinatur. At Pater in Filio est, & vicissim Filius in Patre, non ut forma, sed ut hypostasis in hypostasi, ut persona personæ insidens, & in unitatem tamen multò intimiorem conspirans, quàm si forma materiæ conjugaretur. Ergo & in justo justitia habitat, ut persona, ut in persona, ita tamen divinæ increatæque personæ coalescente unitate, ut non interior sit materiæ formæque copulatio. Augustinus: *Volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. In Patre cum Christo erimus, sed ille sicut ille, nos sicut nos, ubicumque corpore fuerimus. Si enim loca dicenda sunt, & quibus non corpora continentur, & locus est cuique rei ubi est, locus Christi æternus est ubi semper ipse Pater est; & locus Patris Filius est, quia, Ego, inquit, in Patre, & Pater in me est: & in hac oratione, Sicut tu, Pater, inquit, in me, & ego in te. Et locus interea noster ipsi sunt, quia sequitur, Ut & ipsi in nobis unum sint. Et nos locus Dei sumus, quoniam templum ejus sumus, sicut orat pro nobis qui mortuus est pro nobis, vivitque pro nobis, ut in ipsis unum simus: quia factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, quæ nos sumus. Sed quis idoneus loca ista, vel quæ sunt in locis istis sine spatiosis capacitatibus & sine corporeis molibus cogitare?* Reciproca ergo insinuatione & omnino penitissima insident sibi divinæ personæ, & nobis insident, & nos ipsis insidemus. Locus Patri Filius est, locus Filio Pater, locus justi ipsis, & ipsi justis vicissim: & nulla hìc formæ aut subjecti ratio, sola illocalis loci, & spiritalis spatii contemplatio viget, quæ personas personis connectit implicatque medullitus.

Nec consultius quidquam fieri potuit, quàm ut justitia hominis non in seipso esset, sed in Deo. Forma enim subjecti propria quodammodo fit: at persona sui semper est juris, & in se subducta. Ergo quia justitia proprius est Dei census & peculiaris ejus substantia, æquum est ut habeat illam homo; sed non in semetipso, verùm in divina persona quam sibi insidentem circumferat, vel cui incumbens circumferatur. Præclarè hoc idem Augustinus ex Christi verbis colligit; *Filio Pater dedit habere vitam in semetipso. Sicut habet, sic dedit habere. Ubi habet? In semetipso. Paulus ubi habet? Non in semetipso, sed in Christo. Tu fidelis, ubi habes? Non in temetipso, sed in Christo. Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Tract. 22. in Evan. Joan.

Nec potest magnificentiùs Pater quàm in Filio, sapientia quàm in semetipsa locari. Gregorius: *Habet sapientia Dei locum, si quis intelligat, non localem. Nam teneri corporaliter non potest Deus, sed ut dictum est, locus intelligitur non localis. Locus sapientiæ Pater est, locus Patris sapientia, sicut ipsa sapientia attestante dicitur, Ego in Patre, & Pater in me.* Et idem alibi: *Locus intelligentiæ ejus est mens humana, quam hæc Dei sapientia dum repleverit, sanctam facit.* Ita ergo in loci soliique consortium nos Deus vocat, cùm ut in Filio sapientia & justitia ipse est, ita & nos in eodem illocali loco esse jubet.

L. 19. Moral. c. 3.

Ib. L. 18. c. 28

XVI. Ex eodem.

Enimverò quo tota hominis sanctitas conspirat, nisi ut Deo adunetur, ipsamque Dei secum unitatem æmuletur quàm fieri poterit enixissimè? At Dei in seipso unitas, hypostaseon unitas est, & tantò admirabilior invictiorque est hæc unitas, quò personas etiam in summæ & summè individuæ unitatis identitatem constringit. Æmula ergo hujus unitatis nostra cum Deo unitas, non tam Deum nobis ut formam materiæ copulat, quàm ut personam personis penitiùs infundit. Bernardus: *Nunc cùm & ipse in Patre & Pater in ipso sit, non est quo claudicet unitas, sed verè perfectèque unum.* Serm. 71. in Cantica.

unum sunt ipse & Pater. Sic igitur anima cui adhærere Deo bonum est, non ante se existimet ipsi perfectè unitam, nisi cùm & illum in se, & se in illo manentem persenserit. Non quia vel tunc unum dicatur cum Deo, sicut unum sunt Pater & Filius; quamvis qui adhæret Deo, unus spiritus est. Et mox: *Quid ergo dicit Filius? Ego in Patre, & Pater in me est, & unum sumus: dicit homo, Ego in Deo, & Deus in me est, & unus spiritus sumus.* Ex hac ergo immanentia mutua fit, ut Pater & Filius unum sint, Deus & justus quisque unus spiritus sint. Longè præclarior illa, sed hæc tamen illius æmula est unitas, & illius etiam imitatrix miraculi, quo plures hypostases in unitatem multò penitissimam coagulantur.

XVII. Idem luculentissimè ex Hilario.

Sed omnium luculentissimè Hilarius inhabitationis hujus quasi contextum quendam & concatenationem prosequitur, cùm Patrem in Verbo, Verbum in assumpto templo, & Christum in nobis, atque ita denique Patrem in nobis habitare perhibet. Aurea sunt sancti Patris verba, non pigebit illa otiosiùs & exscribere & osculari: *Cælum hoc præteribit & non erit, sedes autem manet in æternum. Necesse est verò ut inhabitatio habitatore suo digna sit. Quæramus ergo quæ habitatio Dei sit. Nempe is qui dixit, Pater enim in me, & ego in Patre. Et rursum, Ego & Pater unum sumus. Et de quo dictum est, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: digno & sufficiente Filio in quo Pater per eandem naturæ habitet virtutem, &c. In hoc ergo cælo Deus inhabitat, digno majestatis suæ & divinitatis habitaculo. Sed est & alia complacita Deo & electa habitatio, eorum scilicet de quibus dictum est, Habitabo in his, & deambulabo in ipsis, Vos estis templum Dei, &c. Idem quoque Apostolus ait, Qualis de limo, tales & de limo: & qualis cælestis, tales & cælestes. Cælestis ergo est secundus Adam, quia Verbum caro factum est, &c. In hoc ergo Verbo Deus tanquam in cælo habitat, in eo scilicet utique quod ex se ac suum est, manens, per eum in eis quoque qui cælestes sunt, habitans, sicut ipse ad Patrem ait, Ut omnes unum sint, sicut ego in illis & tu in me. Ergo si qui in Adam limus fuimus, nunc cælestes sumus in Christo, & Christus habitator est nostri, per habitantem Christum in nobis, etiam ille quoque habitator est nostri, cui est habitans Christus in nobis, habitatio.* Quæ præclara adeo sunt, ut non possint nisi sordescere interpretando & obscurari.

In Psal. 122.

CAPUT XVIII.

Aliis argumentis demonstratur hoc ipsum, non tam ut forma, quàm ut hospite intimo sanctificari justos quoslibet inhabitante Deitate.

I. Ut Christus per Eucharistiam, ita Spiritus sanctus in nobis, ut hospes intimus

QUartò, ut Christus in nobis per Eucharistiam, ita Pater in ipso, ita ipse in Patre, ita spiritus ejus & sanctitatis Deitas in Sanctis quibuslibet. Ergo non tam formæ ad materiam, quàm hospitis ad hospitium apposita comparatio est, si modò hospes intima penetralia iniisse existimetur. Eximiè Dionysius Alexandrinus Epistola contra Paulum Samosatenum: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu. Est in Christo Pater Christi & Spiritus sanctus, &c. Qui est Dominus mundi, qui habet in seipso & vivificum ac Dominum Spiritum, verùm seipsum exinanivit. Quamobrem & mysterium illud inenarrabile sic ab illo vocatur, novum testamentum Dei, dare seipsum nobis in mystica cœna, &c. Deus igitur qui habitat in nobis secundùm testamentum quod disposuit nobiscum, dicens, Accipite & dividite inter vos. Hæc est exinanitio Dei facta ad usum nostrum, ut possimus capere eum, &c. Non relicto Patre in nobis habitavit. Apage, imò dicit, Ego & Pater veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus, &c. Exinanitio vocat Apostolus, capi a nobis mysterium vitæ per manus ejus incontaminatas & incorruptibiles & divinas, ut possimus qui sumus fideles ejus, capere eum & fieri mansio ejus, accipientes eum totum, &c. Qui seipsum exinanivit Jesus Christus, habens in seipso caput, Patrem; caput enim Christi est Deus: fecit potentiam in brachio suo, & exaltavit humiles, ut ipsi capiant Altissimum, & ipse habitet in nobis.* Inculcatè urget Patrem in Verbo, Verbum incarnatum in nobis per Eucharistiam, atque ita Patrem ipsum in nobis habitare. At Eucharistia non formam, sed hospitem nobis insinuat Christum, cujus tamen præsentia intima utique consecramur ut templa ejus, & ita sanctificamur.

Resp. ad q. 7.

II. Ex eodem rursum. Serm. 14. de Passione.

Cui consonat Leo Magnus: *Nova creatura de ipso Domino inebriatur & pascitur. Non enim aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm ut in id quod sumimus transeamus; & in quo mortui, consepulti & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus.* Is ergo fructus ab hoc sacramento redundat, ut tam intimè Spiritum Christi quàm carnem, & spiritum per carnem ipsam ejus percipiamus. Exufflatur ergo illa formæ incumbens invidia. Et Hilarius: *Si Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, &c. Ita omnes unus sumus, quia in Christo Pater est, & Christus in nobis.* Quæ ibidem prolixè exequitur: & infrà: *Habitat enim in nobis Christus, & habitante Christo, habitat Deus: & cum habitat in nobis Spiritus sanctus, habitat tum in nobis spiritus Christi, &c.* Quæ Hilarii verba exscripsit Fulbertus Carnotensis Episcopus, quibus & hæc scitè adjungit: *Dum corpori & sanguini ejus communicamus, audenter fatemur, nos in corpus illius transfundi, & ipsum in nobis manere. In nobis ipsum manere dico, non solùm per concordiam voluntatis, sed etiam per naturæ unitæ veritatem, &c. Sume panem vitæ, interioris hominis alimentum, incarnatæ Deitatis vitale pulmentum. Sume vinum de torculari crucis expressum. De fide interioris hominis procedit divini gustus saporis, dum certè per salutaris Eucharistiæ infusionem, influit Christus in viscera animæ sumentis.* Parco ex Cyrillo Alexandrino & aliis Patribus ea hìc retexere, quæ alibi prolata sunt, ut liqueret Christum & spiritu suo & carne sua copulari, & inhabitare nobis voluisse, atque ita nosmet sibi consecrare. Inde etiam emergit, non esse morosiùs formæ & informationis voces vel exagitandas, vel defensitandas.

L. 8. de Trin.

Epist. 1.

III. Inhabitat Spiritus sanctus etiam corpora nostra, ut hospes, non ut forma.

Quintò, corpora etiam nostra inhabitat, sanctificatque Spiritus sanctus, & de ipsis membris nostrorum corporum agebat Paulus, eaque ne fornicatione contaminarentur, templa esse Spiritus sancti intonabat. At hospes esse nostrorum corporum Spiritus sanctus, utcumque potest, forma verò neutiquam potest. Ergo quanquam ille animas longè penitius insideat quàm corpora, non tamen putidiùs urgenda est formæ proprietas. Novatianus: *Hic est spiritus Christi, qui nos Dei faciat templum, & nos ejus efficiat domum, qui interpellat divinas aures pro nobis, gemitibus ineloquacibus advocationis implens officia, & defensionis exhibens munera: inhabitator corporibus nostris datus, & sanctitatis effector, qui in nobis id agens, ad æternitatem & ad resurrectionem immortalitatis corpora nostra perducat, dum illa in se adsuefacit cum cælesti virtute misceri, & cum Spiritus sancti divina æternitate sociari. Erudiuntur enim in illo & per ipsum corpora nostra, ad immortalitatem proficere, &c.* Nihil accuratius dici potuit. Corporibus ipsis nostris inhabitator datus est Spiritus sanctus, & sanctitatis effector, ut illa in se adsuefaciat cum cælesti virtute misceri, cum divina æternitate sociari, & ita ad resurrectio-

L. de Trin.

nem

nem & beatam immortalitatem erudiat. Hospitis quàm formæ ratio, ut vides, tempestivior hìc est. Et quidem per animam infundit etiam se corpori nostro Spiritus sanctus, ut author est Augustinus: *Spiritus Dei habitat in anima, & per animam in corpore: ut & corpora nostra templum sint Spiritus sancti, quem habemus à Deo. Venit enim Spiritus ad animam nostram, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, & totum possidet qui principale tenet. In te quippe illud principatur quod melius est. Tenens Deus quod melius, id est, cor tuum, mentem tuam, animam tuam, profectò per meliorem possidet & inferiorem, quod est corpus tuum.*

Serm. 18. de verbis Apo.

IV. Idem præclarissimè ex Ambros.

Sed scitissimè Ambrosius à contubernio Spiritus sancti corpus nostrum imbui docet quodam veluti sensu & gustu spiritalium virtutum, ut in eas ipsum quoque jam conspiret, jam cælestia sapiat, jam æterna meditetur: *Os justi meditabitur sapientiam. Jam enim & ipse exterior homo justi in interioris hominis transfusus est disciplinam, & in ejus conformatus naturam, ipsius exercet officia, ut caro meditetur quod mentis interna est. Sed ne hoc incredibile tibi videatur, audi Apostolum dicentem, quia Dominus Jesus transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fieret corpori gloriæ suæ. Quis audeat dicere carnem sine peccato, carnem assumptam ex Virgine, carnem Spiritu Dei in Mariam superveniente generatam, quæ in nullo discrepavit à sapientiæ disciplinis, interioris hominis exortem fuisse virtutum, nec in usus ejus transire potuisse: cum supra hominem fuerit, quod tactu ejus sanabantur ægroti, cæcis refundebatur aspectus, mortui resurgebant? Competenter ergo scriptum est, Os justi meditabitur sapientiam: eo quod totus homo sit spiritalis, non utique terrenus. Qualis enim terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes.* Quæ Ambrosii melleas delicias plurimùm sapiunt. Itaque corporum nostrorum confœderatio jam inde aliqua est cum Spiritu sancto, postquam de Spiritu sancto caro ipsa Christi concepta est: exinde enim carni ipsi Christi spiritalitas virtutum omnium & totius sanctitatis conserta & coalita fuit quodammodo, ut non mente tantùm, sed & carne intelligibiles sanctitatis leges saperet, esuriret, sitiret, hauriret Christus. Ex quo spes nobis quoque sufficitur & jam præsumitur, qui qualis cælestis, tales & celestes sumus, qui jam nunc conformari incipimus corpori sanctitatis & claritatis Christi, ut ore ipso carneo, ut toto corpore sapientiam & virtutes meditemur, per Spiritum sanctum id assecuti, non tam informantem, quàm incolentem corpora nostra.

In Psal. 36.

V. Ut Deus in justis, ita & justi in Deo manent: nec ulla hic formæ suspicio.

Sextò, manent & justi in Deo, sicut Deus in justis, & utrimque à Deo in justos exuberat sanctitas. At cùm justi in Deo habitant, non tamen iniquiores ullæ hinc ebulliunt suspiciones formæ & materiæ, partis & totius, absoluti & pendentis. Quin imo ubi Deus inhabitare sanctos dicitur, spatiosè in illis versari & deambulare & quasi jactare se ambitiosiùs in aula pectoris humani fertur, ut inde argumenti satis sit, ad materiæ & formæ expuendas suspiciones. Materia enim formam coarctat, & ne liberiùs spatietur, angustias suas obtendit. Ambrosius: *Cum dilatares cor meum. De Salomone dicitur, Latitudo cordis ejus sicut arena maris. Cor latius ut Patris & Filii & Spiritus sancti sustineat mansionem.* Et infrà: *Portio mea Dominus, &c. Et inhabitabo in illis. Quid magnificentius hospite cœlesti? Quid beatius possessione divina? Et deambulabo, inquit, inter eos. Alii queruntur de sui ruris angustiis, in te Deo est ampla possessio, in quo deambulare se dicit, hoc est, laxa spatia habitationis inveniens, &c. Cui mundus angustus est, tu ei ampla es domus, &c.* Et hanc cordis latitudinem in qua Deitas Trina experietur, donat charitas. Nam ut ait Augustinus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non dixit inclusa, sed diffusa. Verbum enim quod est, inclusa, quasi angustias sonat: quod est, diffusa, latitudinem insinuat.* Et Hilarius in illud Psalmi: *Et ambulabam in latitudine: Angusta peccantium sunt corda, & hospitio Deum mens polluta non recipit. Patulum enim domicilium inconceptibili Deo opus est, & idcirco in amplitudine Propheta ambulat, quia in eo Dei in se loquentis habitatio est.*

In Psal. 118.

Serm. 36. In Appendice Sirmundi.

In Psal. 118.

VI. Putant aliqui & justos omnes inesse sibi mutuo. An possint inesse Angeli Angelis, mentes mentibus. Ex Villel. Paris.

Septimò, aptum contextumque superiori hoc etiam argumentum est, quod sancti ipsi sese vicissim inhabitant, nec tamen ulla hìc Philosophorum calumnia perstrepit. Nam cum in Deo sint, cum Deus in ipsis, cum unum cum Deo sint, non possunt non & unum inter seipsos esse, atque ita sese quodammodo immeare. Et quia refragari videbantur Patres, quos alibi confertim laudavimus, & hoc uni summæ Deitati decus asserere, ut penetralia inire possit naturæ rationalis; respondet Vvillelmus Parisiensis, altiùs & invictiùs Deum subire in recessus animarum, quàm ullos creatos spiritus, non tamen inde ab illo hos eliminari, quin imo ut stipatores & administros unà inferri. *Quod si fortè dixerit, quia animam humanam sibi sedem propriam & habitaculum nulli communicabile beata & gloriosa Trinitas retinet & reservat, quod multi ex sapientibus Christianorum dixerunt, fortassis non improbabiliter hoc dicet. Quanquam verum sit quia & non minus probabile est, consortium sanctissimarum substantiarum ei jugiter famulantium nunquam eidem displicere, nunquam ipsum repellere, & propter hoc ab ingressu sanctarum animarum eas non excludere, quæ non nisi ad implenda jussa ipsius, nunquam nisi ad parandum & ornandum ei habitaculum in animabus humanis eas ingrediuntur. Nec opinandum est ullo modorum, ut præclara illa familia creatoris sit ei, vel esse possit in quocumque loco corporali vel spiritali ad compressionem, vel coangustationem, vel ad aliquid aliud, quod eidem displiceat, quin potius ad gloriam & honorem: cum potius dominantissimam ipsius majestatem stipatam ac circumdatam nobilissimo divitiarum suarum comitatu esse deceat, quàm solitariam.* Sic ille sanctos omnes sanctis mutuò insinuat, & in unum omnes constipat, quod quæ Deo ampla est & spatiosa habitatio, ea & justis omnibus abundè pateat: quod Deus non excludat sanctos, quin secum inferat suo in sinu eos ubique gestans; quod majestati summæ speciosius sit stipari, quàm solitariam sedere; quod Deus non possit amicos suos & justos velut æmulos abigere, aut usquam effugare; quod denique etsi unà cum sanctis omnibus in justi cujuslibet anima incolat, summo tamen culmine dominantissimæ majestatis exertus refugusque adeo sit & inaccessus, ut unus sit & solitarius, & in quoddam animarum penitius adytum solus invadat. Sanè Cusanus luculentè prosequitur rem istam totam.

Par. 2. de universi c. 87. 90. 91.

Cusanus l. 9. Excitat. p. 629.

VII. Et ex Bernardo. L. 5. de Consider.

Arguté ista Bernardus quoque disceptat; *Adsunt Angeli & Archangeli; sed ille germanior nobis, qui non modo adest, sed inest. Quod si dicas, posse inesse & Angelum; non inficior. Memini scriptum, Et Angelus qui loquebatur in me. Atqui differentia in hoc est. Inest Angelus suggerens bona, non ingerens: inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic inest, ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur & participetur. Ita ut unum proinde cum nostro spiritum esse dicere, quis non timuerit, etsi non unam personam, unamve substantiam. Habes enim, Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Angelus ergo cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis animæ inest, Deus ut vita.*

VIII. Et ex Claudiano Mamerto. Aug. & aliis.

Claudianus Mamertus: *Dilige Deum t[illegible], dilige in Deo tuo carum tuum, imaginem Dei tui. Ille te perinde diligendo Deum, in Deo diligat. Si uterque unum quæritis, ad unum tenditis, semper*

apud

L.1.de Statu animæ.c.ul. *apud invicem eritis, quia in uno consistitis. Non autem video quod fieri queat ut corpora in unum posita, præsentia sibi esse non possint*. Ita Christianæ Philosophiæ vertex invictissimam suggerit præsentiæ hujus rationem. Quod enim corporibus est loci proximitas, id ipsum spiritalibus substantiis est morum & amorum similitudo. Procul sunt, quæ dissident; propè absunt, quæ consentiunt. Intimior justitia quàm locus: penitiùs ergo adsunt sibi, qui uno justitiæ, quàm qui uno loci vinculo nectuntur. Sed præsentia justi justum honestat, præsentia justitiæ justificat. Et Augustinus: Serm. 41. de Tempore. *Charitas ipsa vera est quæ corporaliter separatos consuevit spiritualiter copulare atque conjungere; Duo enim qui se sancto amore diligunt, etiamsi unus sit in oriente, alius in occidente, ita in charitate conglutinante junguntur, ut nunquam ab invicem separentur*. Nec me fugit, quantum reluctetur & ab his abhorreat effascinata popularibus præjudiciis & sensuum præstigiis hominum imaginatio, & plerumque imaginationi mancipata mens. Sed si vel semel, si vel obiter & raptim expedire se mens queat ab his vinculis, & tantillum respirare in auras sinceræ veritatis, si justitiam esse perinde ut locum corporeum, & magis esse, latiùsque regnare cogitet, si constare sibi individuam & indissociabilem illam perpendat, nihil jam poterit superesse dubii, quin justorum animæ in uno justitiæ gremio strictiùs sibi copulentur, quàm corpora in uno quolibet loco. L.de Trinit. Quod pulchrè affirmat Novatianus: *Quando duorum una sententia est, veritas una est, fides una est, una atque eadem religio est, unus etiam Dei timor est, unum sunt, etiamsi duo sint: ipsum sunt, dum ipsum sapiunt. Etenim quos personæ ratio invicem dividit, eosdem rursus invicem religionis ratio conducit. Et quamvis idem atque ipsi non sint, dum idem sentiunt, ipsi sunt; & quum duo sint, unum sunt, habentes in fide societatem, etiamsi gerant in personis diversitatem*. Æquius est enim interiorem præsentiam adsignari una justitia, quàm uno loco conjunctis: cum justitia & intimior, & unitatis tum amantior sit, tum efficacior: locus autem exterior sit, & corporeæ naturæ legibus in multitudinem ac discerptionem projectior.

IX. Sanctificantur animæ, ut Dei templa, qui ipse ipsa est sanctitas.

Octavò, pensiculandum illud etiam est, ecqua sanctitatis ratio ad nos pertineat. Scripturis enim videtur ipsa rationis lux adsentiri, non aliter nos, quàm ut templa Deo consecrati, & eo nomine sanctitatis laudem adipisci. Nam Deus sanctitas est, sanctus & ter sanctus est, sanctum ipsum est. Sanctitas non immeritò proprius quidam Dei census videtur. Quid enim causæ est quamobrem possit natura rationalis intra ordinis sui limites tot aliis ornamentis à Deo locupletari, non possit sanctitate? Naturaliter enim sapiens esse potest, & perspicax, & libera, & dominatrix, & dotibus aliis splendescere innumeris, at naturaliter sancta & justa esse non potest. Nimirum naturaliter deificari non potest. Sanctitas enim proprietas est Deitatis. Extrinsecus ergo sanctitas advenit naturis creatis, & illis ut hospitiis, ut templis suis inhabitat. Sanctitas enim Deo est, esse id quod est, suum sibi esse, in inaccessis suæ majestatis adytis conquiescere, procul à contagio degeneris & creatæ cujuscumque naturæ. Sanctitas autem nobis in eo sita est, ut Deo obversemur, ei congrediamur, templa ejus simus, ab eo collustremur: ut verè sanctitas una sit, sed Deo substantiva, nobis relativa; ab illo ad nos usque diradians, illi intima, nobis superfusa. Tertullianus initio libri de cultu fæminarum: *Cum omnes templum simus, illato in nos & conservato Spiritu sancto, ejus templi ædituus & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat*. Non nostra ergo aut forma, aut res est sanctitas, sed res Dei, & forma Dei, Deusque: nostra autem est ut templi quod inhabitat dignatione gratuita: *Potens est enim beatissimè manere in semetipso; templo autem suo quod sunt omnes Angeli & homines, sic impartire habitationem suam, ut illi ex ipso habeant tale bonum, quo beati esse possint, non ex eis ille talem domum, sine qua beatus esse non possit*: ut ait Augustinus. L.1.con.adver. leg.& Proph c.2. Ench. c. 56. Qui idem alibi, declarans quid tota sit Ecclesia, Angelorum hominumque compage una coalescens, quam in symbolo fidei post confessionem Trinitatis profitemur: *Rectus confessionis ordo poscebat ut Trinitati subjungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori civitas sua*. Et quàm extima nobis sit, naturæque nostræ superveniat sanctitas, apertius facit idem Augustinus: Tract.48.in Evang. Joa. *Si bene cogitemus, in Deo sumus: & si bene vivamus, Deus in nobis est, fideles participantes ejus gratiam, illuminati ab ipso, in illo sumus & ipse in nobis: sed non sic unigenitus Filius. Ille in Patre & Pater in illo, tanquam æqualis in eo cui est æqualis. Denique nos aliquando possumus dicere, In Deo sumus & Deus in nobis; Ego & Deus unum sumus, nunquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus continet te: Deus est in te, quia templum Dei factus es*. Serm. 26. de verb. Dom. Et alibi: *Tu ipse es templum Dei, templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem*.

X. Quantum intersit inter sanctitatem Dei & templi.

Tanta ergo nostræ divinæque justitiæ est intercapedo, quanta numinis & templi. Et si velis, cum una sit sanctitas numinis & templi, quia non alia quàm numinis potissimum sanctitate templum consecratur: usque adeo tamen aliter numinis, aliter templi est illa sanctitas, ut infinitum quoddam interjaceat intervallum. Numinis enim propria & substantiva, templi emendicata & accidentaria sanctitas est: quamvis enim una sit, quod numini substantivum est & proprium, id templo adjectitium & accidentis in morem affusum affricatumque est: quod illi intimum, huic extimum est. *Templum Dei sanctum est quod estis vos. Jam videte quantum ille vivat, quando lapides templi ejus sic vivunt*: ut ait Augustinus: additque: Serm. 6. in Append. Ser. *Deus quis similis tibi? Lapides vivi dicunt habitatori suo, Deus quis similis tibi?* Vivimus enim, & de Deo vivimus, sed Deo comparati, in lapides descìscimus. Sancti sumus, & Dei sanctitate sancti sumus, sed Deo compositi, illitam duntaxat velut lapidibus templi sanctitatem præferimus. Et ne nimis extenuasse sanctitatem nostram ex templi contemplatione videamur, audiamus demum & suspiciamus Hilarium: In Psal.126. *Sion in qua templum fuerat, eversa est. Et ubi sedes æterna Domini, ubi requies sempiterna? Quod habitabile ei templum? Nempe illud de quo dictum est, Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Hæc domus & hoc templum Dei est, doctrinis & virtutibus Dei plenum, & sanctitate cordis, divini capax incolatus, de quo idem Propheta testatus est, Sanctum templum tuum, mirabile in æquitate. Sanctitas, æquitas, continentia humana Deo templum est*. Nostra ipsa sanctitas Deo templum est. Æquitas, continentia & virtus quælibet, hominem non sanctificat vi sua, & per sese, sed qua templum Dei est. Ne ipsa quidem ergo virtus & sanctitas nostra, sanctitas est, nisi quatenus Dei templum est, & de circumfulgentia numinis illuminatur.

XI. Scripturæ varius formæ suffragantur, sæpissime templo, sedi, hospitio, &c.

Nonò, si Scripturarum medullas scrutari libeat, variùs ad formam alludi, frequentissimè ad hospitium, ad domum, ad templum, ad sedem, ad inhabitationem, mansionem, inambulationem, insessionem exploratum erit. Minùs mirum ergo si ad id deflexerint lubentiùs nuperi doctores, quod in sacrarum paginarum oraculis magis eminebat. Nec injuria Spiritus sanctus hoc modo Scripturarum

rum verba temperavit, ut familiariùs occurſaret legentium animis templi quàm materiæ, & hoſpitis Dei quàm divinæ formæ cogitatio. Eſt enim omnino accuratior & ad normam veritatis elimatior illa ſanctitatis noſtræ ratio, quæ nos ut templa ab inhabitante numine, quàm quæ ut materiam ab illapſa forma ſanctificari jactat: quanquam ut inſinuetur, quàm intimus influat in penetralia ſpiritalis ſui templi Deus, conſultiſſimum quandoque fuerit, ut & formæ materiæque voces uſurpaverint ſancti interpretes dogmatis noſtri. Non abutar otio in exſcribendis hîc confertim teſtimoniis Scripturarum, quæ templi & hoſpitij divini ſanctitatem extollunt, cum jam ſuperius ſæpiſſimè & toto penè hoc tractatu ea inculcaverimus. Illud unum etiam atque etiam admirabor quod ait ipſe Chriſtus de Spiritu ſancto: *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Hoſpitis enim & formæ, templi & materiæ mentionem feciſſe non immerito videbitur. Apud vos manebit, ſicut Verbum erat apud Deum. Eſt apud Patrem Deus Verbum, manet apud nos Spiritus ſanctus, ut perſona, ut hypoſtaſis, ut hoſpes intimus. Quæ intima inſinuatio ut expreſſiùs denotetur, in Patre eſt Filius, in nobis eſt Spiritus. Auguſtinus: *Apud vos manebit, & in vobis erit. Erit in eis ut maneat, non manebit ut ſit. Prius enim eſt eſſe alicubi quam manere. Sed ne putarent quod dictum eſt, apud vos manebit, ita dictum, quemadmodum apud hominem hoſpes viſibiliter manere conſuevit, expoſuit quid dixerit, apud vos manebit, cum adjunxit & dixit, In vobis erit.* Tam extimus enim eſt quàm hoſpes, tam intimus quàm forma, quàm conſcientia. Tam extimus quàm hoſpes, quia abſolutus & liber, quia ſimplex & impermixtus, quia inacceſſus & independens: tam intimus quàm forma, quia præſentia ſua verè ſanctificat conſecratque templum ſuum. Fulgentius etiam: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quod ſi venientes Pater & Filius ad eum, apud quem manſionem faciunt, non interius, ſed exterius ſunt, dicatur nobis, ubi ad eum veniant, & manſionem apud eum faciant? Interim quod interiùs in ſuis fidelibus inhabitet Chriſtus, Paulo prædicante cognovimus qui ait, In interiore homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris, &c. Spiritum quoque ſanctum ſic Filius Dei promiſit fidelibus ſuis, ut apud eos maneat, & in ipſis ſit, &c. Quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce apud quos manet, in eis eſt Spiritus ſanctus. Dicatur quæ hic poteſt eſſe diverſitas in eo quod apud eos manet & in eis eſt? Etenim in uno loco utraque præpoſitio ponitur, & Spiritui ſancto utriuſque rei poſſibilitas aſſignatur, ut apud quos manet, in eis ſit.* Ergo ut apud Patrem Filius cum creditur, hypoſtaſis ejus propria innuitur, ita cum apud nos manet Spiritus, ſanctitas illa hypoſtatica & per ſe ſubſiſtens, nec inſtar formæ accedens cuiquam, aut adjectitia demonſtratur. Rurſum ut apud Patrem cum Filius creditur, ea præcellentia Deitatis oſtentatur, qua tametſi plures hypoſtaſes complectatur, in ſummæ tamen unitatis individuum apicem coit: ita cum Spiritus ſanctus apud nos manet, ut hypoſtaſis abſolutiſſima, coagulatur nobiſcum in eam unitatem, quæ formæ & materiæ copulam exprimat vel exuperet. Denique cum Verbum apud Patrem eſt, ut in Patre ſit, & cum Spiritus ita apud nos manet, ut in nobis ſit, demonſtratur divinarum & creatarum etiam, ſed rationalium hypoſtaſeon ſpiritalitas tanta eſſe, ut immeare ſe atque pervadere medullitus poſſint.

Tract. 74. in Evang. Joa.

L. 2. ad Monim.

CAPUT XIX.

Aliis rurſum argumentis divinæ formæ invidia eluitur, & ad intimam inhabitationem copulamque cum Deo traducitur noſtra ſanctificatio.

I. Spiritus Sãctus connexio eſt Patris & Filii, Dei & juſtorum. Ibi nulla formæ ſuſpicio.

DEcimò, Spiritus ſanctus cui noſtra ſingulariùs accepto fertur ſanctificatio, connexio eſt, communio eſt, unitaſque Patris & Filii, & conſequenter juſtorum cum Patre & Filio. Hæc perſonalis ejus proprietas, hæc dos peculiaris eſt hypoſtaſeos ejus. Ergo non tam ut forma, quàm ut hypoſtaſis inhabitans connectit adunatque Patrem Filium, juſtos & Deum. Auguſtinus: *Eſt quiddam quo ſe ipſa ſummitas majeſtatis narrat & prædicat, non impar gignenti atque narranti Verbum, quo ille qui Verbum gignit oſtenditur. Eſt quædam ſanctitas, omnium quæ ſancta fiunt, ſanctificatrix; ipſius incommutabilis Verbi per quod narratur illud principium, & ipſius principii quod pari ſe Verbo narrat, inſeparabilis & indiviſa communio.* Spiritus ſanctus ergo ſanctitas eſt, connexio eſt: connexio inquam Patris & Filii, ſed & juſtorum cum Deo connexio, cùm juſtorum non alia ſit ſanctitas, quàm ſua cum Deo in Chriſti corpore copulatio. Unde idem: *Multi unum corpus ſumus in Chriſto. Ac per hoc nemo poterit eſſe juſtus, quandiu fuerit ab unitate hujus corporis ſeparatus. Quemadmodum enim membrum ſi præcidatur ab hominis vivi corpore, non poteſt tenere ſpiritum vitæ: ſic homo qui præciditur de Chriſti corpore, nullo modo poteſt ſpiritum tenere juſtitiæ.*

Epiſt. 43.

Epiſt. 50.

Idem Auguſtinus: *Ergo Spiritus ſanctus ineffabilis eſt quædam Patris Filiique communio, & ideo fortaſſe ſic appellatur, quia Patri & Filio poteſt eadem appellatio convenire. Nam hoc ipſe propriè dicitur, quod illi communiter.* Sed multò præclariùs infrà ſanctitatem ex hac ratione connexionis idem ſanctus Pater religat: *Quapropter etiam Spiritus ſanctus in eadem unitate ſubſtantiæ & æqualitate conſiſtit. Sive enim ſit unitas amborum, ſive ſanctitas, ſive charitas, ſive ideo unitas quia charitas, & ideo charitas quia ſanctitas, manifeſtum eſt, quod non aliquis duorum eſt, quo uterque conjungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatoremque ſuum diligat; ſintque non participatione, ſed eſſentia ſua, neque dono ſuperioris alicujus, ſed ſuo proprio, ſervantes unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Hîc advertis charitatemque & ſanctitatem, ipſam eſſe unitatem connexionemque, qua Unigenitum Genitori conglutinat Spiritus ſanctus, non tam ut forma & acceſſio, quàm ut hypoſtaſis abſolutiſſima pollens hac vi. Alibi rurſus Spiritum ſanctum nuncupat *charitatem & ſanctitatem, qua generator & generatus ineffabiliter ſibi copulantur.* Et rurſus alibi non duos, ſed unum Deum eſſe argumentatur Patrem & Filium, *quia tanta eſt ibi charitas Spiritus ſancti, tanta pax unitatis.* Et rurſus: *Si accedentes ad Deum multæ animæ, per charitatem una anima eſt, & multa corda unum cor: quid agit fons ipſe charitatis in Patre & Filio? Nonne ibi magis Trinitas eſt unus Deus? Inde enim nobis charitas venit de ipſo Spiritu ſancto.* Ergo non tantùm Patrem Filio, ſed & juſtos ſibi invicem, Deòque Spiritus ſanctus ita copulat, ut hæc unitas charitaſque, ipſamet ſanctitas ſit.

L. 5. de Trin. c. 11.

Ib. L. 6. c. 5.

De agone Chr. c. 16.

In Evang. Jo. Tr. 24.

Ib. Tr. 39.

II. De eodem prolixiùs. Serm. 11. de verbis Domini.

Quod apertiùs idem ſanctus Doctor profitetur alibi: *Inſinuatur nobis in Patre authoritas, in Filio nativitas, in Spiritu ſancto Patris Filiique communitas, in tribus æqualitas. Quod ergo commune eſt Patri & Filio, per hoc nos voluerunt habere communionem, & inter nos & ſecum, & per illud donum nos colligere in unum, quod ambo habent unum, id eſt, per Spiritum ſanctum Deum & donum Dei. In hoc enim reconciliamur divinitati, eaque* delecta-

delectamur. Claret hinc abundè eodem Spiritu sancto nostram cum Deo, atque Patris cum Filio communionem fœderari: & tum Deo, tum sibi mutuò Sanctos cohærere per Spiritus sancti personam, qua Deus ipse trinus in unitatem colligitur. Unde infrà rursus: *Quisquis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ad quem ergo in Trinitate propriè pertineret hujus communio societatis, nisi ad eum Spiritum, qui est Patri Filioque communis*? Ut ex adverso impietas omnis in unitatis quodam exitio sita est, infrà ibidem: *Quem spiritum immundum adversus seipsum divisum Dominus ostendit propter Spiritum sanctum, qui non solùm adversum se divisus non est, sed etiam quos colligit, efficit indivisos, peccata quæ adversum se divisa sunt, dimittendo, eosque mundatos inhabitando*. Nec enim peccati lues alia est, quàm alienatio animæ à Deo, à seipsa, à cæteris naturæ ejusdem consortibus: ut sanctitatis ea est indoles, hominem Deo, sibi fratribusque recolligere. Sed cardo sanctitatis in nostra ad Deum religatione vertitur, unde & religioni ipsi nomen inditum. Quin imò Dei sanctitas in suo ad seipsum recessu, in unitate sibi individua, in indissociabili hypostaseon trium connexione effulgescit. Sed hìc non tam formæ, quàm vinculi & nexus ratio Spiritui sancto adscribitur, quo sanctitatis munera impleat.

III. De eodem rursum.

Sed illud præ cæteris mandandum est animis, altiùsque infigendum, quod accidentibus, quod formis accedentibus assequitur rerum conditarum natura, id per completas & subsistentes hypostases Deum obtinere. Itaque sua Deo sapientia est, Filius unigenitus: sua Deo sanctitas & connexio charitasque est, Spiritus sanctus ab utroque manans. Non enim personæ illæ extimæ sibi sunt, ut nobis usuvenit: nec formæ illic accidentariæ aut consectariæ sunt, ut nobis moris est; sed formæ subsistentes, personæ immanentes. Itaque amborum sanctitas & connexio, est persona ipsa Spiritus sancti. Et nos ergo cùm ascìscimur in societatem Patris & Filii ejus Jesu Christi, teste Joanne, per Spiritum sanctum huic nos divino collegio, huic unitatis regno inserentem ascìscimur.

L. 2. ad Monimum.

Quod eleganter Fulgentius: *Petimus ut ea gratia qua factum est, ut Ecclesia Christi corpus fieret, eadem gratia fiat, ut omnia membra charitatis manente compage, in unitate corporis perseverent. Hoc autem dignè petimus, illius in nobis dono Spiritus fieri, qui est, unus Spiritus, & Patris & Filii. Quia sancta naturalis unitas, & æqualitas, & charitas Trinitatis, quæ unus solus & verus est Deus, unanimitate sanctificat quos adoptat. In illa quippe substantia Trinitatis, unitas est in origine, æqualitas in prole, in charitate autem unitatis æqualitatisque communio. Quia igitur ex ipsa, si dicendum est, communione Spiritus sancti charitas una demonstratur Patris & Filii, quam communionem beatus Apostolus tali sermone commendat, Gratia Domini nostri Jesu Christi & charitas Dei & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Et alio loco, Si quod solatium charitatis, si qua communicatio Spiritus, propter hoc dicitur, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Ubi ex Scripturis adstruitur nostra sanctitas ex communicatione Spiritus sancti proficisci, hoc est, ex ea consociatione quam cum Patre & Filio per Spiritum sanctum consequimur, quo & ipsi inter sese connectuntur.

Serm. de Bapt. Chr. Ser. de Spiritu sancto. Serm. 3. de Pent.

Pseudo Cyprianus: *Pater eligit, Filius diligit, Spiritus sanctus conjungit & unit*. Et alibi: *Spiritus sanctus creaturam suam sanctus ipse sanctificat & consociat sibi, & charitatis nexu statuit & conquadrat*. Et Bernardus: *Spiritus sanctus quasi specialiter spiritus dicitur, quòd ab utroque procedat, firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis, tanquam propriè sanctus; quòd sit donum Patris & Filii omnem sanctificans creaturam*. Donum est, & sanctificator convenienter illi facultati, qua firmissimum & indissolubile vinculum est Trinitatis.

IV. Idem rursus cōfirmatur, ut nostra sit sāctitas Spiritus sanctus qua nos Deo convertit, non ut forma, sed ut persona.

Sed nemo, mea quidem sententia, elegantiùs hoc arcanum dogma prosecutus est authore præstantissimo Libelli de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei, inter opera Bernardi: *Dicitur hæc unitas spiritus non tantùm quia efficit eam, vel adficit ei spiritum hominis Spiritus sanctus, sed quia ipsa ipse est Spiritus sanctus, Deus charitas: cum per eum qui est amor Patris & Filii, & unitas, & suavitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quidquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis, & veritate unitatis; hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod consubstantiali unitate, Filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium: cum in amplexu & osculo Patris & Filii mediam quodammodo se invenit beata conscientia, &c.* Disertè ait suo modo fieri homini ad Deum, quod Patri ad Filium, vel Filio Deo est ad Patrem Spiritus sanctus, nempe unitas, osculum, amplexus, & quidquid commune est amborum, seu omnimoda communio. Sanctitas ergo justi, vel hominis, vel Angeli, non tam divina est sanctitas ei affixa, & in morem formæ adhærescens, quàm ipsa ejus consociatio & communio, osculum, amplexus, connexioque cum Deo per Spiritum sanctum.

Vide Cusanum. L. 10. Excit.

V. Gratia ipsa habitualis & creata, est unio & connexio animæ cū Deo.

Undecimò, nec illa inhærescens & accidentaria gratia creata, qua justorum mentes Deo primùm ornantur & conciliantur juxta Tridentinam Synodum & constantissimam sanctorum Patrum doctrinam, aliter imaginanda nobis est, quàm ut exordialis quædam connexio copulaque cum Deo: ita ut sanctitas irradietur nobis potissima ab ipso Deo cui copulamur. Eò refertur illud Augustini: *Neque prudentia cujusquam fit prudens alius, neque fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur, sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit*. Hæc animi conversio & coaptatio ad lumina virtutum supernè rutilantia, virtus animi est, seu in motu, seu in habitu sita, & ea sanè animum sanctificat: non absolutè tamen, & ipsum sibi affigendo, sed refigendo potiùs, & extollendo ad incommutabiles cælitus virtutum formas, quibus coaptatus, cohærescensque animus, inde non paulò excellentiùs diviniùsque sanctificatur. Et alibi: *Nemo venit ad Patrem nisi per me. Huic hæremus per sanctificationem. Sanctificati enim plena & integra charitate flagramus, qua sola efficitur, ut à Deo non avertamur*. Sanctificari ergo est adhærescere Deo, ita ut eo magis cui adhærescimus, quàm vel actu vel habitu quo adhærescimus, sanctitas conferatur. *Ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur*: ut idem ait. Justitia ergo est nostra, religari Deo.

De liber. arbitr. L. 2. c. 19.

L. 1. de moribus Eccl. c. 13.

L. de vera Relig. c. ult.

Ideo solus secundùm substantiam sapiens & justus est Deus; ille enim est ipsa substantia justitiæ, cui nos accedimus, vel quæ nobis accedit, ut ei connectamur. Idem Augustinus: *Deus propterea solus sapiens rectè dicitur, quia solus secundùm substantiam suam sapiens est, non secundùm accidentem vel accedentem participationem sapientiæ, sicut sapiens est rationalis quæcumque creatura*. Et expressiùs Bernardus: *Dicitur ergo rectè charitas & Deus & Dei donum. Itaque charitas dat charitatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen est substantiæ: ubi donum qualitatis*. Et tamen idem Bernardus: *Deus æternitas, Deus charitas est, &c.* Et paulò post: *Quid tam amabile quàm amor ipse quo amas & quo amaris? Amabiliorem tamen juncta æternitas facit*. Non sibi ipse, non aliis obstrepit Patribus, ut donum interpretetur solam charitatis & gratiæ qualitatem: sed

L. 3. cont. Max. Arian. Episc.

Epist. 11.

L. 5. de Consider.

ſed quia ſecundùm ſubſtantiam ſolus Deus juſtus eſt, homo autem vel Angelus per accidentem, vel accedentem gratiam qua Deo ut ſubſtantivæ juſtitiæ conglutinatur, ideo precaria ſemper eſt & accidentaria creaturæ rationalis juſtitia. Inhabitat enim nobis ipſa quidem juſtitia ſubſtantiva, ſed actibus habitibuſque velut accidentariis vinculis devincta.

VI. Hæc confirmantur ex ſancto Th. Sed omnem dubitationis nebulam exufflabit angelicus ſcholæ Doctor, qui eliquatiſſimè & Spiritum ſanctum perſonaliter ac ſubſtantialiter dari nobis atque inhabitare, & tamen gratiæ creatæ præcurrentibus donis ei nos & adornari & colligari conteſtatur. (1. P. q. 43. a. 3.) *Illud ſolum habere dicimur, quo liberè poſſumus uti vel frui: habere autem poteſtatem fruendi divina perſona eſt ſolum ſecundùm gratiam gratum facientem. Sed tamen in ipſo dono gratiæ gratum facientis, Spiritus ſanctus habetur & inhabitat hominem. Unde ipſemet Spiritus ſanctus datur & mittitur.* Et ſtatim ibidem: *Ad primum ergo dicendum quod per donum gratiæ gratum facientis, perficitur creatura rationalis ad hoc quod liberè non ſolum ipſo dono creato utatur, ſed ut ipſa divina perſona fruatur. Et ideo miſſio inviſibilis fit ſecundùm donum gratiæ gratum facientis, & tamen ipſa perſona divina datur.* Denique: *Gratia gratum faciens, diſponit animam ad habendam divinam perſonam.* Perſpicuè tradit ipſam divinam perſonam Spiritus ſancti dari, mitti, haberi, inhabitare, perſonam inquam, non formam: cui gratia creata animas ornet concilietque. (L. 3. Excita. pag. 410.) Cuſanus id quoque ſcitiſſimè exponit.

VII. Sanctitas omnis in quadam ad Deum relatione, Verbi, Chriſti, Eccleſiæ. Duodecimò ſanctitas omnis creata in pondere quodam & relatione ad Deum maximè collocata eſt. Quin Verbi ipſa & Spiritus ſancti perſona, ad authorem ſuum ingenitum, mera relatio eſt, tametſi ſubſtantiva & ſuperſubſtantialis. Hæc ſanctitas, hæc charitas Dei in ſeipſo inenarrabilis, inexcogitabilis. Implicatur huic Verbi relationi humanitas aſſumpta, ut & ipſa tanquam Filii unigeniti acceſſio referatur ad Patrem. Quin imò & quos dedit Pater Filio; quos Filius ipſe in membra ſibi conſeruit, in quibus ipſe adimpletur, quicumque plenitudo Chriſti ſunt, & ipſi quoque complicantur hac & ad Patrem contorbuentur relatione. Nemo non videt qui gradus hìc ſint diſpeſcendi; aliter enim Deitas Verbi, aliter humanitas quæ Deitati acceſſit, aliter Eccleſia quæ acceſſionis acceſſio eſt, increata illa relatione, ſeu Verbi hypoſtaſi continentur, & ad Patrem totius Deitatis & ſanctitatis fontem convertuntur. Sed iſta tamen eſt longè pulcherrima cum Deo unitas, & noſtræ artifex ſanctificationis. Quanquam enim afflemur tantum odore aliquo, & ſummatim veluti perſtringamur vi ineffabili divinæ & increatæ relationis ſeu hypoſtaſeos Verbi, tanquam membra qualiacumque accedentis ei humanitatis, dignitas hinc tamen nobis aſpiratur eximia quædam, quam nulla creatorum donorum copia alioqui adipiſci valeamus. Allinitur enim nobis color aliquis & decor ac veluti odor increatæ ſanctitatis. At hæc relatio rapit nos nobiſque ſubripit, ut hinc avulſos ad Deum totos projiciat, & in hoc infatigabili impulſu noſtra omnis quies & charitas & ſanctitas æſtimetur. Porrò à ratione formæ & informatione ſunt hæc hauddubio ſubaliena: non ergo putidè illi uni immorari debemus.

VIII. Ex Patribus id firmatur. (Inter Opuſcula. pia. n. 86.) Hauſta eſt hæc ratiocinatio à Berullio Cardinali. Satius erit ipſum conſuli, quam hic exſcribi; tum brevitatis ergo, tum quod ſententiarum verborumque pondus vix unquam exprimi à nobis poſſe ſperemus. Conducet potiùs aliqua contexi è Patribus quæ cum familiaria alioqui ſint & uſitata, tamen in medulla eandem ſententiam complectuntur. Quod enim eo maximè nomine ſanctitatem arrogemus nobis, quod Chriſto concorporei & conſanguinei, quòd portio ejus & corpus ſimus, quòd in unam cum eo perſonam, in unum Chriſtum confluxerimus, id eo utique tandem vergit, ut irrepſerimus nos etiam quaſi furtivè in ſanctuarium hypoſtaſeos divinæ Chriſti, ſeu Verbi incarnati, eaque afflemur; utque ea non eſt niſi relatio ad Patrem, ita & nos ex hac noſtra ad Deum relatione maximam nobis laudem ſanctitatis tribuamus. Leo magnus: *Advertite, quis nos in ſe ſuſceperit, & quem ſuſceperimus in nobis. Quoniam ſicut factus eſt Dominus caro noſtra naſcendo, ita & nos facti ſumus ipſius renaſcendo. Ideo & membra Chriſti, & templum ſumus Spiritus ſancti.* (Serm. 3. in Nativit.) Caro Chriſti, membra Chriſti ſumus, ideo Spiritu Chriſti vegetamur, ita ad Deum referimur. Et rurſum: *Non enim dubium eſt, naturam humanam in tantam connexionem à Filio Dei eſſe ſuſceptam, ut non ſolum in illo homine qui eſt primogenitus totius creaturæ, ſed etiam in omnibus ſanctis ſuis, unus idemque ſit Chriſtus: & ſicut à membris caput, ita à capite membra dividi non poſſunt.* (Serm. 14. de Paſſione.) Viden unum eundemque Chriſtum eſſe, capite membriſque compactum, & tota ſua plenitudine conſpirantem & convergentem ad Patrem Deum, ponduſque ſuæ hypoſtaſeos, ſeu ſubſtantivæ relationis imperum, acceſſioni etiam ſeu, humanitati & Eccleſiæ ſuæ imprimentem? Et rurſum: *Multum fuit à Chriſto recepiſſe formam, ſed plus eſt in Chriſto habere ſubſtantiam. Suſcepit enim nos in ſuam proprietatem illa natura, &c.* (Serm. 2. de Reſurrect.) In proprietatem Filii, id eſt, in relationem ad Patrem aſſumpta eſt humanitas, cui religata ſubhæret Eccleſia. Et infrà: *Implet Jeſus proprietatem nominis ſui, & qui ſedeti ad dexteram Patris, idem totius habitator eſt corporis, &c.* In Paterno conſenſu ubi jam totus eſt Deus, ubi devorata eſt à majeſtate humilitas, ubi in Deitatis vim præpotentius abrepta eſt caro, inhabitat, geſtatque totum ſuum corpus, & totum cum ſuo corpore refert ad Patrem.

IX. Idem rurſus ex Auguſt. (Tr. 108. in Joan.) Id ex verbis ipſis Chriſti exculpſit fœliciſſimè Auguſtinus: cùm enim ait Chriſtus: *Sanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritus eſt*: Sermo iſte Verbum eſt. Græcè enim λόγος, Sanctificari nos ergo in Verbo orat. Subdit autem: *Et pro eis ego ſanctifico meipſum*: In ipſo utique tanquam Verbo & veritate ſanctificandos nos profitetur. Quid eſt autem ſanctificari nos in Chriſto, quam in ejus membra cooptari, ut jam Chriſtus ipſe nos ſimus. Tunc ergo ſanctificamur in veritate, in Sermone ſeu Verbo: quia Chriſti ſanctitate ipſa imbuimur, quæ non alia magis intelligitur quàm hypoſtaſis ipſa ejus, & increata ad Patrem relatio. *Sanctificat itaque Pater in veritate, id eſt Verbo ſuo, in unigenito ſuo ſuos hæredes, ejuſque cohæredes, &c. Quid eſt, Pro eis ego ſanctifico meipſum? Niſi eos in meipſo ſanctifico, cum & ipſi ſint ego. Quoniam de quibus hoc ait, membra ſunt ejus, & unus eſt Chriſtus, caput & corpus.* Quid his dilucidius? Et paulò infra: *Ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Quod quid eſt aliud, quàm in me, ſecundùm id quod veritas eſt Verbum illud in principio Deus, in quo & ipſe Filius hominis ſanctificatus eſt ab initio creationis ſuæ, quando Verbum factum eſt caro, quia una perſona facta eſt Verbum & homo. Tunc ergo ſanctificavit ſe in ſe, id eſt, ſe hominem in ſe Verbo, quia unus eſt Chriſtus, Verbum & homo, ſanctificans hominem in Verbo. Propter ſua verò membra, Et pro eis, inquit, ego, id eſt, quod proſit etiam ipſis, quia & ipſi ſunt ego: ſicut mihi profuit in me, quia homo ſum ſine ipſis, & ego ſanctifico meipſum: hoc eſt, ipſos in me tanquam meipſum ſanctifico ego, quoniam in me etiam ipſi ſunt ego.* Quo quid enucleatius fieri potuit? Cùm enim Verbum relatio ad Patrem ſit, cùm veritas ſeu æqualitas relatio ad eundem totius entis fontem ſit, cujus creata omnia ſimilitudinem affectant, æqualitatem non aſſequuntur, ſolus Filius aſſequitur, & ipſa æqualitas ſeu veritas eſt: tum hominem Chriſtum, tum Eccleſiam Chriſti cor-

corpus in Verbo & veritate sanctificari, non aliud est quàm eadem ad Patrem relativa Christi persona, suo tamen ut par est modo, implicari. Ideo & eadem nos Pater amplectitur charitate qua Filium, tanquam Filij plenitudinem. Idem Augustinus: *Ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit & ego in ipsis. Quomodo autem dilectio, qua dilexit Pater Filium, est & in nobis, nisi quia membra ejus sumus, & in illo diligimur, cum ille diligitur totus, id est, caput & corpus?* Quod ex scripturis ut vides apertè colligitur.

Tract. 111. in Joan.

9\. Spiritus sanctus mittitur, procedit, requiescit: quæ personæ magis sunt, quàm formæ.

Decimo tertiò Spiritus sanctus datur, mittitur, procedit, requiescit. At hæc personæ sunt magis, quàm formæ, ut dilucidum est. Et quod ad Doni rationem attinet, ita datur Spiritus sanctus, ut datus est Filius, qui natus datusque nobis est, non ut forma, sed ut persona, & datur quotidie Christus totus & in dono Spiritus sancti datur. Et cùm dari sit mitti, mitti utique hypostaseos est. Cùm secundum Græcos Patres procedat ad naturæ rationalis sanctificationem, procedere proprietas est personæ. Denique super quos requiescit Spiritus sanctus, quibus supervenit, quibus superfertur, nam hæ Scripturarum voces sunt, illis certè persona potius est inhospitans, quàm forma incubans. Præclarè Augustinus philosophatur Spiritum sanctum tanquam alium consolatorem proripiente se in cœlos Christo subministratum esse, sed invisibilem, ideoque spiritali charitati alendæ augendæque accommodatiorem. Missus est ergo Spiritus sanctus, ut Christi terras tunc illuminantis corporali majestate vicarius, futurus, ut alius paracletus, id est consolator. *Visui interiori ipse est utique melior, quo eos consolaturus fuerat Spiritus sanctus, non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium pectoribus infusurus.* Et quod ait Christus: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos*, singulis sanè verbis divinæ potius personæ contubernium innuit quàm formæ illapsum: nam abire, venire, mitti, personæ est.

Tract. 94. in Joan.

CAPUT XX.

Idipsum postremo novis adstruitur conjecturis, quod Spiritus sanctus, ut persona inhabitans, magis quàm ut forma informans justos sanctificet.

I. Ubi forma sanctitatis dicitur Spiritus sanctus, quam hæc forma efficiens insinuetur. C. ult. l. de vera Rel.

Decimò quartò, ubi forma significatur esse sanctitudinis nostræ seu Filius, seu Spiritus sanctus, forma hæc efficiens magis, quàm informans, qua agamur, non qua agamus videtur describi. Augustinus: *Ecce unum Deum colo, unum omnium principium & unam omnium sapientiam qua sapiens est quæcumque anima sapiens est, &c. Ipsam quoque veritatem, nulla ex parte dissimilem in ipso principio & cum ipso veneremur, quæ forma est omnium, quæ ab uno facta sunt, & ad unum nituntur. Unde apparet spiritalibus animis per hanc formam esse facta omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia, &c. Principium ad quod recurrimus, formam quam sequimur, gratiam qua reconciliamur.* Formæ hujus efficaciam laudat. Et ibidem: *Præcessit forma omnium, summè implens unum de quo est; ut cætera quæ sunt, in quantum sunt, uni similia per eam formam fierent.* Sed planissimè alibi: *Non ergo ita se debet homo ad Dominum convertere, ut cum ab eo factus fuerit justus, abscedat, sed ita ut ab illo semper fiat. Eo quippe ipso cum ab illo non discedit, ejus ipse præsentia justificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante & custodiente Deo, dum obedienti subjectoque dominatur. Neque enim sicut operatur homo terram, ut culta atque fæcunda sit, qui cum fuerit operatus, abscedit, relinquens eam, vel aratam, vel satam, vel rigatam, vel siquid aliud, manente opere quod factum est, cum operator abscesserit; ita Deus operatur hominem justum, justificando eum, ut si abscesserit, maneat in absente quod fecit: sed potius sicut aer præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret: sic homo sibi præsente Deo illuminatur, absente autem continuo tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur. Ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est. Semper ab illo fieri, semperque perfici debemus, inhærentes ei, &c.* Ubi lucis & aeris exemplum promitur, non ut informationis, sed ut perpetuæ & indeficientis operationis ratio habeatur. Ad nauseam autem ferè inculcat hic Augustinus jugi & irrequietæ operationi divinæ nostram imputandam esse justificationem. Et infrà: *Spiritalis creatura nonnisi intrinsecus incorporaliter adjuvatur, &c. Quo sapiens ac beata fit, nonnisi intrinsecus adjuvatur, æternitate, veritate, charitate creatoris. Extrinsecus vero si adjuvari dicenda est, &c.* Ubi auxiliatrici cuidam gratiæ adscribit illam Dei præsentiam. Et rursum: *Vivit anima ex Deo cum vivit bene, non enim potest bene vivere, nisi Deo operante in se quod bonum est.* Hic vitam liquet dici Spiritum sanctum, non tam ex more & similitudine informantis, quàm effectricis formæ.

Ibid. c. 43.

L. 8. de Genesi ad lit. c. 12.

Ibid. c. 15.

L. 13. Civit. c. 2.

II. Nazianzenus & Cyrillus Augustino cõsentiunt. Orat. 37.

Et ne Græcos diutiùs sinamus obmutescere, doceat nos Gregorius Nazianzenus cujusmodi formæ vicem in nobis impleat Spiritus sanctus; *Spiritus sapientiæ, prudentiæ, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Dei, utpote horum omnium efficiens.* καὶ γὰρ ποιητικὸν τούτων ἁπάντων. Item Cyrillus: *Quemadmodum spiritus nullam in essentia separationem subit, quamvis diversis modis dona sua emittat, & pro uniuscujusque modulo dignis largiatur: idem tamen & ipsum est, ac diversimodè & impatibiliter in omnibus operatur.*

Thesauri pag. 48.

III. Sanctos ut instrumẽta agit ad bonum Spiritus inhabitans, efficiẽtis id causæ speciem præfefert.

Decimò quintò sanctos agit torquetque ad omnia Spiritus sanctus velut instrumenta, ergo instar habet potius formæ effectricis & imperatoriæ, quàm devinctæ & penè mancipatæ suo subjecto. Quid Scripturas, quid Patrum commentarios excutere agrediar, cum non aliud omnibus ferè paginis personetur? Pauca ex immenso acervo delibabimus, ut mori & instituto nostro nec hic desimus. Augustinus: *Habitet in te qui non potest vinci, & securus vinces eum qui vincere solet; sed quos, nisi in quibus non habitat Deus?* Et rursum: *Vicistis mundum quia major est qui est in vobis, quàm qui est in mundo. Noli te extollere: vide quis in te vicit. Quare vicisti? Quia major est qui est in vobis, quam qui in hoc mundo. Ergo humilis porta Dominum tuum, esto jumentum sessoris tui. Bonum tibi est, ut ipse regat & ipse ducat.* Vides ut principantem & efficacissimam causam esse profiteatur Spiritum sanctum in sanctis habitantem. Quod idem præclariùs alibi: *Opera misericordiæ, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt, sive cum in publico sumus, sive cum in domo, &c. Quia intus sunt omnes ipsæ virtutes quas nominavi. Quis enim sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est imperatoris qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exercitum suum agit quod ei placet, sic Dominus Jesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, id est, in mente per fidem, utitur his virtutibus quasi ministris suis.* Id convenientius utique divinæ dignitati: opportunius nostræ humilitati, cum ab interno illo, & omnipotente hospite agamur ab omnia: id denique longe tutius ad victoriæ nostræ securitatem. Idem: *Quando illi martyres perhibent testimonium, ipse sibi perhibet testimonium. Ipse enim habitat in martyribus, ut perhibeant testimonium veritati. Audi unum ex martyribus ipsum Apostolum Paulum; Nunquid experimentum vultis accipere*

Tract. 4. in Epist. Joan.

Ibid. Tr. 7

Ibid. Tr. 8

Serm. 43. de verbis Dom.

ejus

ejus qui in me loquitur Christus? Dum perhibet ergo testimonium Joannes, Christus sibi perhibet testimonium qui habitat in Joanne. Et infrà: *Cum dixisset, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, ne putaret quisque à se sibi esse quod diligat Deum, continuò addidit, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ut ergo ames Deum, habitet in te Deus, & amet se de te, id est, ad amorem suum moveat te, accendat te, illuminet te, excitet te.* Ad causæ imperatricis efficaciam revocat illam inhabitationem Dei. Et alibi: *Quomodo de interiori palatio quidquid jusserit Imperator, per imperium Romanum emanat; quidquid videtis agi per provincias, quantus motus sit ad unam jussionem Imperatoris intus sedentis; movet ille solum labia cum loquitur, & movetur omnis provincia cum fit quod loquitur. Sic & in unoquoque nostrum intus est Imperator, in corde sedet: si bonus, bona jubet, & bona fiunt: si malus, mala jubet, & mala fiunt. Cùm ibi sedet Christus, quid potest jubere nisi bona? Cum possidet Diabolus, quid potest jubere nisi mala?* Luculentè Prosper: *Implet igitur Spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum.* Denique Bernardus: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Angelus ergo cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis animæ inest, Deus ut vita. Itaque sicut anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus gustat, tangit in toto reliquo corpore: sic Deus diversa in diversis spiritibus operatur, verbi gratia, in aliis amantem se exhibens, in aliis agnoscentem, in aliis alia facientem, sicut unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Vita inest animæ Deus, sed operando magis quàm informando: quod enim ita operatorium, id & magis imperatorium est.

L. 5e. hom. Hom. 16. — Ep. ad Dem. — L. 5. de Consider.

IV. De Deo vivere, Deū diligere est, operari aliquod est.

Decimò sextò, Deum habere, Deum possidere, de Deo vivere, Deo formari & vegetari, perinde est ac Deum contemplari & amare. At quanquam veritatem intimam & in ipso sinu conscientiæ fulgurantem videamus & diligamus, ipsam tamen videre & diligere est quoddam incitari & contendere, atque infatigabiliter anhelare ad aliquid quasi extimum nobis. Distat enim immane quantum, esse veritatem, & contueri sive diligere veritatem. Sibi intima veritas est, ideo sese non quærit, & cùm sese intelligere ipsa ac diligere perhibetur. Nulla mente capi, nulla voce enarrari potest illa intelligendi & diligendi ratio, nostræ sapientiæ & charitati longè dissimillima, longè exertissima, & in quodam incomprehensibilis simplicitatis inaccesso recessu locata. At naturæ rationali etsi intima sit veritas, non tamen ipsa est, ideo quærenda est credendo & diligendo, videndo & amando: & quanquam teneatur, quærenda tamen semper est, quia non in anima tantùm, sed supra animam est: quia etsi in anima, non tamen est ipsa anima; ideoque extra animam est: quia cùm supra animam sit, extra animam utique est. Itaque inest animæ, tamen non est verè forma animæ, quia ita intima est ut & extima sit: ita interior, ut & superior exteriorque sit: ita participata, ut & imparticipabilis supersit.

Elucidari poterit hæc ratiocinatio, si vitam animæ duplicem advertas: alteram quæ ipsa est, alteram cui suspirat, quæ supra ipsam est. Illam essendo obtinet anima, hanc magis operando, quàm essendo. Vitam enim sapientiæ & sanctitatis cùm essendo non assequatur, operando ergo amplexabitur. Informatio autem ut vulgò sentiunt, ad essendum magis pertinet quàm ad operandum.

Sed ne nimis videatur res ista deteri & extenuari à nobis, si ad operationem inclinetur, adverte vitam ipsam substantivam non multùm ab operatione abludere. Nam vivere aut operari quoddam est, aut sine operatione aliqua vix constat. Ubi enim otiari & ab omni actione cessare penitus substantiam aliquam cogitaveris, exanimasse illam videberis. Quo mortuæ à vivacibus enim naturæ distant, nisi quòd illæ jacent, hæ ultro moventur? Cùm ergo vita ipsa sit quædam vitalis motio, cùm intelligere & diligere vivere sit, hæc vita ut perficiatur, ad summam veritatem contendit, ut de ea vivat, id est, ut operatione & vivacitate sua tota illi inhæreat.

Nec immeritò creatæ naturæ vita quodammodo projecta est ad extimum & summum aliquid operatione sua venandum, cùm ei intus in sua substantia non possit exoriri vera fœlicitas. Ita non aberrant qui sola videndi & amandi adhæsione colligari Deo animam sensere, nec ab aliis dissonant, qui vivere de Deo animam testantur. Est enim vita animæ non otiosa formatio quædam, sed vegeta & vivax atque irrequieta incitatio ad bonum suum, & fruitio boni sui, & velut inexaturata per spiritales quasdam intellectus & voluntatis delitias satietas.

V. Ex August. L. de moribus Eccl. c. 6

Augustinus: *Si non placet vocare virtutem nisi habitum ipsum & quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse potest, oportet ut aliquid aliud sequatur anima, ut ei virtus possit innasci: quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo potest ad sapientiam pervenire.* Ita virtus seu vita animæ aliquid aliud sequitur, nempe Deum, quem nemo invitus amittit. & eum sequi, eum allambere ut fontem ipsum justitiæ, hæc vita, hæc virtus est animæ. Et alibi: *Deus nullius boni participatione bonus est, quoniam bonum quo bonus est, ipse sibi est: homo autem cum bonus est, ab illo bonus est, quod à seipso esse non potest. Illius enim spiritu boni fiunt, cujus capax creata est nostra natura per propriam voluntatem.* Voluntate ergo aucupamur & fugimus vitam justitiæ. Et alibi: *Unde esse potuerunt justi animi, nisi inhærendo eidem ipsi formæ quam intuentur, ut inde formentur, &c. Et unde inhæretur illi formæ, nisi amando?*

Epist. 54. — De Trinit. L. 7. c. 6.

Ex eodem rursum.

Hallucinationis enim fucus iste est, qui hominum vulgo imponit, dum operationes vivaces & gestientes imaginantur in anima, animæ autem substantiam ipsam residem & inertem jacere, situque & veterno torpere autumant. Quin ipsa animæ substantia vivere, & vita esse, & operando emicare intelligenda est, ut hæc vera sit vita, sapere, intelligere, diligere, æstuare in æterna, & hanc vitam vivat anima, dum Deum diligit. Nam si vivere est sapere, dum sapit Deum anima, dum veritatem & justitiam sapit, tum vita illi Deus est, tunc de sapientia & justitia vivit, tunc vitam Dei vivit. Unde Augustinus præclarissimè: *Ut enim sic dicam, ipsam quodammodo legem vivit, qui cum dilectione justitiæ justè vivit: non proprio ac transitorio, sed communi ac stabili gaudens bono. Et ideo Paulo non erat lex imponenda qui dicit, Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Quis ergo audeat legem Christo imponere, qui vivit in Paulo?* Vivit ergo Christum, vivit legem, vivam justitiæ vivit, quisquis cum dilectione justitiæ vivit, quia vita est charitas, quia diligere est vivere. Et alibi rursum: *A Deo est civitatis sanctæ & origo & informatio & beatitudo. Nam si quæritur unde sit, Deus eam condidit. Si unde sit sapiens, à Deo illuminatur. Si unde sit fœlix, à Deo quo fruitur, subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhærens jucundatur: est, videt, amat: in æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.* Omnis de Deo vita animæ huc redit, quòd videat, & amet. Origo illi à Deo, ut sit: sapientia illi à Deo, qua videt, sanctitas qua amat. Qui idem rursus: *Cùm verò se erigit anima ad aliquid quod ipsa non est, & quod supra ipsam est, & à quo ipsa est, percipit sapientiam, justitiam, pietatem, sine quibus cum esset, mortua erat, &c.*

In Expos. Ep. ad Galat. — De Civ. Dei L. 11. c. 24. — Tr. 19. in Jo.

Et infrà: *Amicus sponsi stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi, non propter vocem suam: hoc est, participando, non existendo, audiunt & vivunt, & omnes qui audiunt, vivunt, quia omnes qui obediunt, vivunt.* Audire & vivere, obedire & vivere, hæc ad operationem perspicuè spectant.

VI. Deus animę cibus est, & vestis & domus, & omnia, & nihil omnium.

Decimò septimò, vita Deus animæ est, ut cibus quo vescitur & saginatur: ad operationem id autem magis pertinet, quàm ad substantialem informationem. Sed qui vita nobis est, idem vestis est qua induimur, domus est quam incolimus: hæc jam extrinseca magis sunt. Verùm qui vita est, qui cibus est, quomodo idem vestis domusque erit nobis, nisi ut ita omnia in omnibus sit, ut nihil omnium sit, sed supra omnia & præter omnia? Eliminanda ergo procul est suspicio omnis rixæ inter Doctores, nec nuperi antiquioribus derogare temerè jactandi sunt. Veritati & Scripturæ obsecundant omnes, quæ ideo tam varia de Deo pronunciat, ut cùm non posse hæc constare omnia compertum sit, assurgat mens nostra, & nihil horum propriè ita habere, omnia quodammodo ita se habere concludat. Habent enim hæc singula aliquid quod alludant ad Dei in nobis inhabitationem, habent quo abludant. Ideo non dissident ajentes à negantibus, dum illi ad lineamenta quædam similitudinis respectant, hi ad dissimilitudinis notas interpunctas.

VII. Ex Ambrosio. L. de Isaac. c. ult.

Ambrosius: *Videat illud bonum ex quo pendunt omnia, ipsum autem ex nullo. Eo igitur vivit atque intellectum accipit. Vita enim fons est summum illud bonum, cujus in nobis accenditur desiderium, cui appropinquare & misceri, voluptas est: quod ei qui non videt, desiderio est: & ei qui videt, vita est.* Vita est, sed quia pascit & delectat videntem. Et alibi idem: *Non ergo jam nostram illam vitam, sed Christi vitam vivimus, vitam innocentiæ, vitam castimoniæ, vitam simplicitatis omniumque virtutum.* Vita est, sed quam agimus, quam exerimus, quam vivimus, non qua otiosi & supini sumus. Et Enarrat. 2. in Genesim: *Jam enim non vitam nostram, sed Christum vivimus. Nobis enim vivere Christus est.* Et rursus: *Christi divinitas vita est: ipsius æternitas vita est: ipsius caro vita est: ipsius passio vita est. Ipsius mors vita est, ipsius vulnus vita est, &c. Caro facta est in ipso, vita est: infantia facta est in ipso, vita est, &c.* Caro, passio, infantia vita est, nempe non qua formamur, sed qua vescimur, quam sapimus, quam amando vivimus. Et alibi: *Quia Verbum tuum vivificavit me. Hæc est enim animæ nostræ vitalis substantia, qua alitur, pascitur, gubernatur. Nec quidquam aliud est, quod vivere faciat rationalem animam, quàm alloquium Dei.* Vita est Deus animæ, quo nempe alitur, pascitur, augetur. Nam vesci & pinguescere, id opiparè vivere est. Et denique: *Hic est panis vitæ. Qui ergo vitam manducat, mori non potest. Quomodo enim morietur cui cibus vita est? Quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam? Accedite ad eum & satiamini, quia panis est: accedite ad eum & potate, quia fons est: accedite ad eum & illuminamini, quia lux est, &c.* Vita, panis, fons, lux, omnia Deus est justis, & nihil horum, sed supra hæc omne bonum & decus ineffabile.

(Margin: L. de fuga sæculi c. 8. — In Psal. 36. — In Psal. 118. Oct. 17. — Ib. Octon. 18)

VIII. Ex August. L. 22. Civit. c. 1. L. 1. cõt. Adv. Leg. & Prophet. 15. Tract. 26. in Joan.

Augustinus: *Deus ipse illis est tanquam vita victusque communis.* Et alibi: *Ipsa sapientia beatarum cibus immutabilis animarum.* Et alibi idem sanctus Pater: *Deus summa substantia, & solus verus rationalis creaturæ cibus.* Et rursus idem alibi: *Credere in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit in eum, manducat, invisibiliter saginatur.* Cujusmodi testimoniorum nubes densissima stipari hic posset, nisi in re apertissima moras trahere tæderet. Liquet hinc cùm vita animæ Deus dicitur, non ad meram informationem spectari, sed vitam, id est, victum, cibum, sanguinem animæ Deum prædicari; ut vita hæc non minùs intima sit, quàm si forma animæ foret, nec minùs substantiva, sed actualior exertiorque sit & quasi vivacior vita.

IX. Ex Bernar.

Bernardus serm. 71. super Cant. vitam hanc nostram in Deo, Deique vicissim in nobis, non otiosam, sed actuosam & voluptuosam ita describit: *Etenim gaudium Domini fortitudo nostra. Ita ergo & cum pascit, pascitur: & pascitur cum pascit, simul nos suo gaudio spiritali reficiens, & de nostro æquè spiritali profectu gaudens. Cibus ejus pœnitentia mea, & cibus ejus salus mea, cibus ejus ego ipse. Nolite mirari hoc, & manducat nos, & manducatur à nobis, quò arctius illi astringamur. Non sanè aliàs perfectè unimur illi. Nam si manduco, & non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondum in illo ego. Quod si manducor quidem, nec manduco, me in se habere ille, sed non etiam in me esse videbitur.* Hæc copula cum Deo, hæc sanctitas nostra, hæc vita Dei in nobis, nostra in Deo & de Deo, non quasi otiosè formari, sed manducare & manducari, de Deo deliciari & pinguescere, ac vicissim in Deum trajici concoquique. *Ac per hoc in Deo manent & Deus in eis, manducantes Deum & manducati à Deo.* Unum est quo ratio hæc refringi videtur posse, quòd parvulis inhabitat post lustralis aquæ fontem Spiritus sanctus, nec tamen illos adhuc ad istam exsuscitat vitæ spiritalis explicationem. Verùm quàm certum est hospite Deo consecrari novella hæc templa Spiritus sancti, tam obscurum est quid id fiat. Hanc difficultatem non semel animadvertit & detrectavit Augustinus. Non debet autem ob aliqua dubitationum nubila, lux statim omnis, quæ alibi passim rutilat, dissimulari. Nec scopus ille noster fuit, unum aliquid ita statuere, ut cætera labefactarentur; sed incomprehensibilem potius divinæ in nobis præsentiæ modum variis rationibus adumbrare.

X. Speciale aliquid est Dei præsentia in anima, quod quale sit, utcumque potest, perfectè exprimi non potest.

Substantiva enim Dei in animabus sanctis & sanctificatrix præsentia, speciale aliquid & sui generis est quod exempla aliunde transumpta ubicumque effingant, non assequantur. Est Deus in anima, ut hospes, ut forma, ut vita, ut cibus, ut operatio, ut causa effectrix, sed adumbratè hæc omnia, reapse autem præter hæc & supra hæc omnia aliquid, quod nec fando, nec cogitando assequi possimus. Ideo hæc ab aliis benè affirmantur, quia utcumque congruunt: ab aliis non malè negantur, quia non parum abludunt. Unum est quod omni virium contentione expugnare conati sumus, ipsa potissimùm substantiva Dei præsentia nos sanctificari, quanquam creatis virtutibus & gratiæ donis abundè locupletemur: id perinde constat, sive formam, sive operationem, sive potentiam, sive causam effectricem in nobis illam Dei præsentiam interpreteris.

XI. Quin capi nix potest, quomodo anima corpus vivificet.

Nec moveat te ista alternatio, nam circa animæ ipsius nostræ illapsum in corpus, quod nos sumus, peræquè æstuamus. Unum enim perinde extra omnem est aleam dubitationis, substantiva animæ præsentia vegetari & vivere corpus: at ratio peculiaris & propior hujus præsentiæ, tam densis obsita tenebris est, & tot anfractibus implicata, ut incassum hactenus per tot lapsus sæculorum in ejus indagatione desudatum sit. Et quidem animam corpori suo incubare ac vitam infundere non aliter magis quàm intentione facientis, hoc est, effectrice informatione, & operatoria præsentia, disputavit prolixè Augustinus, dum adhuc Philosophicis velitationibus delectaretur. Et hoc sanè non nihil luminis aspersit antedictis, ubi præsentiam Dei in anima ad operationes deflectebamus.

(Margin: L. 6. Music. c. 5.)

bamus. Sed alibi idem ſanctus Pater, nihil abſtruſius hoc animæ corporiſque concentu, nihil hoc nodo inenodabilius eſſe præſetulit. *Et iſte modus quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt, & hoc ipſo homo eſt.* Si incomprehenſibiliter vivificat anima corpus ſuum, quin Deus animam incomprehenſibiliter vivificet? Si illud, quin & iſtud æquo animo patimur latitare? Dum ratum ſit tamen & animæ corpus & animam Dei præſentia vivere. Gregorius: *Anima in corpore vita eſt carnis, Deus verò qui vivificat omnia, vita eſt animæ. Si igitur tantæ eſt magnitudinis, ut comprehendi non poſſit vita vivificata, quis intellectu comprehendere valeat, quantæ majeſtatis ſit vita vivificans?*

(De Civitate. L.21.c.10. — Hom.7. in Ezech.)

XII. Utrumque ſui generis aliquid proprium eſt & ſpeciale.

Eſt enimverò copula animæ & corporis egregium quid & ſingulare, ac ſui propriè generis, & cujuſmodi nihil ſit in reliqua rerum natura. Eſt & inhabitatio veritatis ac ſanctitatis in anima multò certius, peculiare aliquid & admirabilitatis pleniſſimum, ſui generis & modi, ſupra omnem modum & omne genus, cujus ſi qualiacumque exempla vel imitamenta alibi veſtiges, innumera invenies: ſi accuratiſſima, nulla prorſus. Quocirca rectè Fulgentius: *Hæc utique Patris & Filij & Spiritus ſancti in nobis habitatio, non localis eſt, ſed immenſa: non comprehenſibilis cogitatione, ſed venerabilis fide.* Hinc ergo noſtra omnis æſtuatio, quòd ſenſibus corporeis excantati, neſcire nos opinamur quidquid nullo per ſenſus infuſo ſimulacro ſatis aptè conquadrat: aut dum aptare uſquequaque ſatagimus, quæ ex parte tantum aliqua conſentiunt, emicante & in oculos irruente diſſonantia ſuffundimur.

(L.2.ad Traſ.)

XIII. Tutius tamen eſt Dei inhabitationem in anima prædicare, quam informationé.

Nec diſſimulabimus tamen tempeſtivius tutiuſque nobis videri, & Scipturarum Patrumque oraculis accommodatius, ut hæc inhabitationis, quàm informationis gratia dicatur. Frequentiùs enim Scripturæ, frequentiſſimè Patres inhabitationem inculcant, minùs frequenter informationem, & eo tantum conſilio, ut extrinſecam tantum habitationem, non intimam præſentiam interpretantibus pudorem incutiant. Ideo & hæc *habitationis gratia* propriè dicta eſt Auguſtino ipſi, cui formæ & formationis voces familiariores quàm cæteris fuerant: *Fatendum eſt ubique eſſe Deum per divinitatis præſentiam, ſed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi proculdubio gratia dilectionis agnoſcitur, non dicimus, Pater noſter qui es ubique, cum & hoc verum ſit, ſed, Pater noſter qui es in cœlis, ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod & nos ipſi eſſe debemus.*

(Epiſt. 57.)

Non pigebit, ut ſpero, hic audiſſe Alenſem, patritiæ Theologiæ veſtigia lambentem; *Dicendum quod eſt gratia creata & increata in habente gratiam. Gratia increata eſt Spiritus ſanctus, & dicitur Spiritus ſanctus gratia, ſecundùm quod dicitur Donum: & dicitur Donum, ſecundùm quod dicitur Amor, &c. Spiritus enim ſanctus facit nos gratos, quia facit nos Dei formes; hoc autem facit, quia Amor eſt, &c. Cùm datur nobis Spiritus ſanctus, transformat nos in divinam ſpeciem, ut ſit ipſa anima aſſimilata Deo. Ex alia parte debemus intelligere gratiam creatam, velut ſimilitudinem & diſpoſitionem, ex parte animæ rationalis, ex qua habet, quod ſit accepta Deo & aſſimilata. Ibi eſt forma transformans, & hæc eſt gratia increata; ſimiliter ibi eſt forma transformata, quæ derelinquitur in transformato, ſcilicet in anima ex transformatione, & hæc eſt gratia creata, &c. Anima rationalis non poteſt ſe habere per immediationem ad gratiam increatam, niſi diſponatur prius, & propterea neceſſaria eſt gratia diſponens ipſam.* Et mox, *Gratia increata ſine medio unius animæ, nec requiritur medium ex parte informantis, ſed ex parte recipientis, ſcilicet animæ, per quod uniatur, & hæc eſt gratia creata.* Ita ille. Quæ antedictis quàm conſentanea ſint, facilè intelligis.

(XIV. Antedicta omnia confirmantur ex ſententia Alenſis. — Part.3.q.61. m.2.Ar.2.)

XV. Et Petavii. L.11. de Incarn. c.7.

Poſtremò agmen claudet præſtantiſſimus Petavius, *Nunc de cauſa ipſa ſanctitatis, hoc eſt de forma ſanctificante, unde Chriſtus homo tantam habuit gratiam, agendum ſupereſt nobis. Manifeſtum eſt ipſam Verbi divinitatem ſive perſonam, quæ eſſentia ſua ſanctitas eſt, humanam per ſeſe, vique propria ſanctam facere naturam. Communis hæc antiquorum Patrum eſt ſententia, &c.* Et infrà: *Si ideo ſanctus eſt homo Chiſtus, quod verus ſit Dei Filius, non adoptivus, ſequitur propria illi & naturalia eſſe divinitatis ornamenta, quorum primarium eſt ſanctitas, &c. Itaque ſubſtantivè & naturaliter ſanctitas ipſa divinitatis humanam naturam ſanctam efficit*, Et infrà: *Et inſuper eximium ad idem probandum argumentum, ex communi ſumptum & admirabili complurimorum Patrum ſententia, de juſtificationis & adoptionis in Dei filios gratia, quæ ſingularis, propriaque novi teſtamenti, Chriſti demum merito ac beneficio in Chriſtianam eſt Eccleſiam importata; ut non accidenti aliqua qualitate, vel omnino creata re ſola, velut forma, ſancti & adoptivi Dei filii homines fierent: ſed ipſamet applicata nobis divinitate ac perſona increati ac primarii doni, qui eſt Spiritus ſanctus. Quam quidem vulgo in Theologorum ſcholis traditam & uſu receptam opinionem apud Græcos Latinoſque Patres paſſim occurrere, crebris illorum & expreſſis teſtimoniis fidem fecimus in octavo de Trinitate libro.*

LIBER SEPTIMUS.

De Scientia Chriſti.

CAPUT PRIMUM.

Circa plenitudinem Scientiæ Divinæ & Beatæ in anima Chriſti, exponitur ſententia ſancti Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi.

I. An totum Deum videat anima Chriſti, conſulitur Fulgentius.

PULSAVIT quondam Fulgentium Ferrandus Diaconus hac quæſtione, *Utrum anima Chriſti ſuſceptricis Deitatis plenam habeat omnino notitiam: & quemadmodum norunt ſe invicem Pater & Filius & Spiritu ſanctus, ita idem Filius ſeipſum, per id quod homo eſt, in eo quod Deus, noverit, ex utraque atque in utraque ſubſtantia totum capiens Patrem*; an non omnem comprehendat divinitatis eſſentiam, *ne qualibet creatura inveniatur capere creatorem*. Ubi quæſtio palam vertitur, an anima Chriſti non beata tantùm viſione Dei jam inde ab exordio conceptionis ſuæ fruatur: ſed etiam an ita totum videat Deum, ut nihil ipſam lateat, ut denique totum comprehendat.

Reſpondet diſertè Fulgentius, Deum unum trinumque ab anima Chriſti totum videri, & comprehendi, ita ut ipſam nihil effugiat; cumque in-

comprehensibilis natura Dei astruitur, ad homines atque Angelos id attinere, non *ad Deum Angelorum, vel hominum*.

II. Respondet totum videre, ex Scripturis.

Demonstrat autem primò suam sententiam Fulgentius ex sacris litteris: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*. Nempe Christo homini, nam Christo Verbo non datur, sed de ab eo potiùs datur & profunditur Spiritus; cæteris autem datur *secundum mensuram donationis Christi*. In nos effudit Deus non spiritum suum, sed ut ait Propheta, *de spiritu suo*: & *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*; non plenitudinem, sed de plenitudine quasi irrorationem percepimus, & abundè atque ultra vires opulentati sumus; at de Christo, *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum*: etenim *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Quia enim *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ideo *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Quo hæc autem plenitudo Spiritus in Christo? Nempe quia *Spiritus scrutatur profunda Dei*: Nempe sicut nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis; ita nec quæ Dei, nisi Spiritus Dei: & sicut non potest suum homo latere spiritum, ita nec Dei quidquam latere potest animam, quæ totum hausit Dei Spiritum: nempe quia *requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii, &c. Spiritus scientiæ, &c.* Non ad sanctitudinem ergo tantùm, sed & ad sapientiam Deitatis imprimendam animæ Christi, affusa ipsi est plenitudo Spiritus sancti. Ex his autem claret de anima Christi verba facere Apostolum cùm ait, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*. Unde idem

III. Idem probat ex plenitudine spiritus in Christo.

Respons. 3. ad Ferrandū.

Fulgentius: *Quod si animæ Christi non ad mensuram dedit Deus spiritum, necesse est ut nihil minus habeat sapientiæ, nihil minus scientiæ. Spiritus enim ille, spiritus est sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis. Ac per hoc non solum ad divinitatem Christi, sed ad ejus quoque animam illa perfectionis prærogativa pertinet, quam ipsi Christo beatus adsignat Apostolus dicens, In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Si enim non ad mensuram accepit spiritum sapientiæ & scientiæ, necesse est, ut omnes thesauros sapientiæ & scientiæ habeat. Quod si ei aliquid ejus plenitudinis demitur, consequens est, ut ad mensuram accepisse spiritum prædicetur*. Et statim ibidem: *In quantum enim spiritus datur, in tantum cognitio divinitatis accipitur: ubi autem spiritus non est mensura, necesse est, ut plena sit divinitatis immensa notitia. Tota enim plenitudo datur, ubi spiritus non ad mensuram datur. Non autem plenitudinem, sed de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ubi ostenditur etiam in illa gratia speciei, quæ datur pro gratia fidei, non ipsam plenitudinem, sed de plenitudine ejus nos esse accepturos, gratiam pro gratia*. Et ne quis hanc mensuræ omnis impatientem plenitudinem, non ad animæ, sed ad Verbi naturam detorqueret, *Non accipit Spiritum sanctum divinitas Filii, cum qua unius naturæ est Spiritus sanctus, & ex qua habet, quidquid habet: imo de qua est, id quod est: quia quod naturaliter habet, hoc est. Restat itaque ut anima Christi Spiritum sanctum accipiat, quem tamen non ad mensuram accipit, sed totum accipit. Ubi enim mensura non esse dicitur, plenitudo perfectionis, & perfectio plenitudinis invenitur*.

IV. Item ex eo quod plenus sit gratiæ & veritatis.

Fulgentius ibidem rursus ea Joannis illuminans verba, *Plenum gratiæ & veritatis*, luculentissimè commentatur naturam Christi utramque mutuò complicatam insinuari: ut gratia sit humanitatis assumptio, veritas autem Dei Verbi natura; & qua Deus autem, plenus sit gratiæ, quia totus homo: & qua homo plenus veritatis, quia totus Deus. Non est autem, qua homo, plenus veritatis, si qua ex parte immensitas veritatis illi obnubiletur. *Nescio quomodo accipimus unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, si vel illi plenitudini veritatis aliquid plenitudinis gratiæ deesse dicimus, vel illi plenitudini gratiæ non totam inesse veritatis plenitudinem æstimamus. Cùm utique in eo certissimè unigenitus à Patre plenus agnoscatur gratiæ & veritatis, si non solum in ipso uno plena gratia humanitatis, plenaque divinitatis veritas agnoscatur; sed etiam plenitudo veritatis in seipsa plenitudinem gratiæ, qua est tota humanitas in divinitate sua: & plenitudo gratiæ plenitudinem habeat veritatis in se, qua est tota divinitas in humanitate sua: ita ut plenitudo veritatis plenitudinem in se habeat gratiæ, & plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis. Non autem tota plenitudo veritatis habetur, quando veritatis ipsius aliquid ignoratur, quod absit ut de Christo sentiamus*.

V. Idem probat ex unione hypostatica, quod qui Deus est, nō potest se vel parte nescire.

Demonstrat secundò Fulgentius ex unionis hypostaticæ beneficio hanc exundare in animam Christi, sapientiæ atque scientiæ exuberantiam, qua totum videat, totum complectatur Deum Unum Trinumque. Nam hæc anima cum Verbo Deo unus Christus est, unus Deus, una persona est. Num ergo sui plenè conscius non est Christus? num Christi aliquid Christum latet? num sui sibi notitiam invidet Christus? num suam sibi lucem suffuratur? an operosius est Deum scire, quàm Deum esse? an potuit substantiam, nec potuit scientiam Dei consequi? an Deus seipsum non omnino comprehendit? an Deus est, cui aliqua inscitiæ nebula adhærescit? an tandem cui concessum est, ut totam Deitatis substantiam obtineat, ei scientiam Dei complecti vetitum est: quasi scientia Dei abstrusior sit quàm substantia, aut aliud omnino quàm ipsa substantia Dei? Postremò si animæ & Dei una persona est, num illa ne personam quidem suam penitùs intelliget? num personam divinam & totam capiet essendo, nec totam capiet intelligendo? Si potest autem anima illa Verbum Deum, potest utique non majorem Filio Patrem, potest & manantem à Filio Spiritum sanctum scientia & beata intuitione complecti. *Et quia unigenitus Deus æqualis est Patri, nec potest totum nosse Filium qui totum non noverit Patrem, caveamus ne cum anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi uni Christo ex aliqua parte, non solum Patris, sed etiam sui & Spiritus sancti cognitio denegetur. Quàm verò perdurum est, & à sanitate fidei penitus alienum, ut dicamus animam Christi non plenam suæ Deitatis habere notitiam, cum qua natura, unam creditur habere personam?* Ita Fulgentius.

VI. Item ex eo quoe Christus sit Dei Sapientia & Virtus.

Demonstrat tertiò. Christus est ex Paulo *Dei sapientia & virtus*. Utque non dissimulem id illi adprimè quadrare quà in principio erat Verbum: sed tamen quà Verbum caro factum est, ipse, authore eodem Paulo, *Factum est nobis sapientia à Deo*, nempe *ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus*. Nam ante lapsum de plenitudine Verbi hauriebamus, in principio Dei apud Deum: sed post lapsum in carnis vitia & mortem, de plenitudine Verbi carne obducti & in carnem usque nostram lutulentam defluentis irrigamur. At si Christus homo sapientia est quam participamus, non ergo particeps sapientiæ, sed ipsa sapientia ipse est. Nam qui partem sapientiæ quantamcumque decerpsit, sibi utendam fruendamque decerpsit, non dispergendam, non dispergendo inaniendam. Quanta maxima enim cogitetur portio, si portio tamen est, non plenitudo ipsa, sibi potest, aliis non potest abundare: sibi locuples esto, ut sit, reliquos omnes non potest ditare. Fontis est, ebibi ab unoquoque passim & superfluere, nedum exhauriri: rivus quamlibet largiùs irrigando tandem exarescet. Ergo ut quod ait Apostolus, participes Christi nos efficiamur, necessum est,

ut non

ut non particeps ipse sit sapientiæ, sed sapientia ipsa sit. Fulgentius: *Non enim existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo: quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsi sit, &c. Quod si anima Christi minorem habet in aliquo divinitatis suæ notitiam, non in se habet totam sapientiam totamque virtutem: participium ergo habet, non ipsa est Christus, si partem habet notitiæ divinitatis suæ. Nos autem participes Christi Apostolus asserit, dicens, Participes enim Christi effecti sumus. Unde ipsi Christo dicitur, Unxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Non Christi participes, sed Christo comparticipes appellitasset nos Paulus, si ejusdem divinæ sapientiæ partem tametsi opimiorem sortitus ille esset, nos suam quisque particulam. At quoniam non cum ipso, sed ipsius participes existimus, tota sapientia ipse est, nos pro modulo nostro sapientes.

VII. Item ex eo quod animã veritatis nihil possit latere veritatis. Demonstrat 4. Christus sapientiam atque Dei scientiam omnigenam aliis donat, & sibi à seipso accipit: ergo etsi minutias aliis largiatur Angelis hominibusque, sibi non malignè, non minutatim, sed totam ubertatem infundit. Nam donare alios ita ut non pauperescat: implere cæteros, ita ut non depleatur, inexhaustæ plenitudinis est. Sed donare sibi, implere seipsum, nemo potest nisi prolixissimè. Ut quid enim sibi de sua copia invideat? Eccur seipsum bonis suis defraudet? Quid causæ est quamobrem injuriam sibi faciat? Num lubebit divitiis & affluere simul & frustrari? Cæteros opibus suis vel aspergere, gratuitæ largitatis est: sibi quantumcumque habeat, non totum aggerare, malignitatis est. Sibi enim debet quidquid habet: citra injuriam suis seipsum fraudare non potest. An in anima sua ne sapientia quidem totum sapiet? Veritatis animam aliquid veritatis latebit; & aliquid si latebit, hoc indubio immensum nescio quid erit & inæstimabiliter admirandum, spectarique dignissimum, & tamen ab hoc spectaculo vel ipsa veritatis & sapientiæ anima arcebitur? Contumeliosa videntur ista non tantùm animæ, quæ bonorum suorum dispendio multatur, sed ipsi multò ampliùs sapientiæ, quæ reprehensionem incurret.

Fulgentius hæc Augustini verba expendens: *Qui dat, non ad mensuram accipit:* sic habet: *Ipse est qui dat, ipse est qui accipit. Et quia potens est ad mensuram dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens, spiritum dat: formam servi accipiens, spiritum accipit. Sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ad mensuram accipit. Ad mensuram quippe dat multis filiis, sed non ad mensuram accipit unicus Filius, qui sic est verus homo, ut verus sit Deus.* Et infrà: *Quis dicat animam Christi aut minus percipere veritatis, aut minus habere aliquid charitatis? Ipse autem Christus est veritas. Quomodo ergo illa anima minus in se notitiam veritatis habere dicitur, quæ ipsius veritatis anima singulariter invenitur?*

VIII. Ex immeatione naturæ divinæ in humanã prorsus illuminatur anima Christi. Demonstrat 5. quia hypostatica copula naturæ vicissim immeant & immeantur, fit tota humanitas Deitatis, fit tota Deitas humanitatis. Sed immeat præpotentiùs atque liberaliùs Deitas humanitatem, invaditque illam medullitus, ejusque penetralibus se totam cum opulentia sua, quæ sua una substantia est, infundit, adglutinatque. Ut candefactum ergo ferrum jam calet, jam lucet, jam fervet radiatque, etsi genio suo horum rude & insolens: ita anima Verbo Deo ebria, jam totam Deitatis induit virtutem, & totam sapientiam & lucem & omnipotentiam & immutabilitatem, quia his aliisque naturæ Verbi dotibus imbuitur & informatur. Et quod ad immutabilitatem quidem attinet atque omnipotentiam, non immeritò prætendi potest, naturam animæ creatam aspergi his bonis posse, non plenissimè perfundi; nec immutabile usquequaque aut omnipotens fieri posse, quidquid è nihilo emersit. Sed scientia & sapientia ita coaptantur naturæ mentis, ut informis & inquieta sit mens, nisi inde tota perfundatur; & quantum sibi scientiæ sapientiæque beatæ subducitur, tantum caliginis atque informitatis relinquatur.

Fulgentius loco citato: *Sicut naturaliter totus est homo verus, sic totus Deus verus. Quia sicut in divinitate sua totam habet nativitatis suæ naturam, sic in humanitate sua totam habet divinitatis suæ substantiam, totam majestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam. Sic enim humanam naturam Deus unigenitus suscipere dignatus est, ut ipse sit Deus, qui homo est; & idem sit homo, qui Deus est. Proinde sicut est plenitudo divinitatis in homine Christo, sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo. Sicut ergo Christus homo singulariter habet ut verus Deus sit, sic totam divinitatem suam singulariter novit.* Ecquid enim attineret ut anima divinitatem haberet totam, nec totam intelligeret? Num nullo infamatur dedecore, cùm bona sua nec ipsa nosse prædicatur? an verò plura potest bona habere, quàm nosse? an plura potest capere, quàm intelligere? Quin ex adverso num capit quidquam anima seu mens, non intelligendo? num habet, non noscendo fruendoque? Num capit mens Christi totam Verbi Deitatem, nec totam intelligit, id est, totam capit & non capit? Num totam habet, nec totam noscit, id est, totam habet & non habet? Nam quod veritatis præterit mentem, id mens non habet, id non capit: si quid ergo ipsam præterit, non totum habet. Nec de aliis naturæ divinæ ornamentis omnibus fas est similiter argumentari. Nam exempli gratia, immutabilitatis plusculum anima rationalis potest intelligere, quàm habere: at sapientiæ & veritatis & scientiæ tantum habet, quantum intelligit.

Demonstrat 6. Christo homini tanquam Capiti inest tota exuberantia & sanctitatis & sapientiæ, cujus ros tantùm aliquis membris instillatur. Quibus ergo argumentorum machinis expugnatum est, totam, hoc est, increatam ipsam sanctitatem Deitatis vegetandæ humanitati imprimi, iisdem evincitur & totam Verbi sapientiam animæ mentique assumptæ aspirari. Nam domicilium sapientiæ totius caput est; nec absolutum expletumque suis omnibus numeris caput est, cui vel tantillum desit sapientiæ: nec sapientia usquam extra caput extorris esse, suaque à sede peregrinari existimanda est. Nec verò parciùs membris suis sapientiam, quàm sanctitatem irrigare caput decet. Totam ergo Dei scientiam Christo homini nisi largiamur, & capitis dignitati & membrorum saluti videbimur insidiari. Nam quid de capite suo blandientur sibi membra, quod suis & ipsum tenebris obscurari suspicabuntur? Quid arrogabit sibi caput in membra, cùm possit aliunde ea lux membris affulgescere, quæ sibi connubilata est? IX. Item ex eo quod caput est Christus & fons sapiẽtiæ totius.

Fulgentius ibidem hæc ex Augustino pauca verba præcerpit: *Capitur habitans Deus ab aliis amplius, ab aliis minus: de ipso verò Capite nostro Apostolus ait, Quoniam in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Tum hæc subjungit: *Attende quæso in his verbis B. Augustini, discretionem Capitis membrorumque certissimam. Ab illis ergo quibus ad mensuram dat Deus Spiritum, capitur habitans, ab aliis amplius, ab aliis minus. Quid est autem capi, nisi intelligi atque cognosci? Cum autem de Christo idem B. Augustinus loqui vellet, ait: Quoniam in ipso, &c. Quocirca ab illo plenitudo capitur divinitatis, in quo ipsa divinitatis inhabitat plenitudo. In eo autem capitur, in quo cognoscitur. Illi ergo in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non potest ipsius plenitudinis plena non inesse notitia.* Epist. 17. Caput est in quo maxima vitæ capacitas. Non capitur autem sapientia nisi intelligendo. Si Christus

ergo

ergo Caput est, eorum quos inhabitat & inambulat Deus, maximè qua Caput, Deum capit, nec nisi intelligendo capit.

X. Non tamen ita videt anima Christi Deitatẽ, ut Deitas seipsam, atque ita nec comprehendit. Cæterùm, quia invidiosum est ita philosophari, quòd à creata creatrix comprehendatur substantia; & infinita veritas à finita mente, dum tota capitur, circumscribatur; quòdque tantundem videat intelligatque anima creata Deum, atque Deus seipsum: occurrit Fulgentius, Etsi totus videatur Deus, non tamen finiri aut comprehendi, quia non ita videtur ab anima, sicut à seipso, etsi tantus videtur ab anima, quantus à seipso, Seipsum enim videt alia mente, alia vi, alia naturæ lucisque efficacitate, seipsum denique videt, essendo id quod videt. Nam quæ vident beatæ mentes in Deo, hæc ipsa non ita vident ut Deus, quia nec eadem mente, nec eadem vi & acie, nec eadem luce, aut si eadem luce, sed mendicata, sed temperata & diminuta: nec ergo illa ipsa quæ vident, comprehendunt; nec ergo quæ totum videbit anima Christi, circumscribet. Rursum se videt Deus essendo id quod videt, non foris captando, non extra se aucupando quod videat; sed sui conscientia intima, est videndo, videt essendo, nec aliud illi est videre & esse, quia summè videre & summè esse, idipsum est. Non ita anima Christi. *Possumus planè dicere animam Christi habere plenam notitiam Deitatis suæ; nescio tamen utrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam Deitatem noverit, quemadmodum seipsa divinitas novit. An hoc potius dicendum est, quia novit quantum illa, sed non sicut illa? Ipsa enim Deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse quod novit: anima autem illa sic totam Deitatem suam novit, ut ipsa tamen Deitas non sit. Deitas ergo illa, ipsa est naturaliter notitia sua: anima verò illa ab ipsa Deitate, quam planè novit, accepit ut noverit. Naturaliter ergo Deitas Christi hoc est quod novit; anima verò illa in eo quod scit Deitatem suam, non hoc se invenit esse quòd novit. Non ergo quemadmodum se noverunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, sic animæ suæ secundùm divinitatem notus est Christus, Quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet unam cum Trinitate naturam.*

CAPUT II.

Sententia Fulgentii de plenitudine scientiæ divinæ & beatæ in anima Christi, recentiorum quorumdam suffragatione roboratur.

I. Hugo Victor. eidem plenitudini scientiæ Christi suffragatur, quod in Christo sit plenitudo divinitatis seu sapientiæ. IN Fulgentii sententiam remis velisque, quod ajunt, delatus est Hugo de sancto Victore, cùm eadem quæstio ætate sua collatis hinc & inde argumentis disceptaretur, & eisdem illam ferè probationibus communivit.

Primò enim quia *Inhabitat in Christo omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: Divinitas autem sapientia & lux ipsamet est. Plenitudo ergo sapientiæ habitat in Christo, nimirum in anima; nec enim corpus, sed *anima justi sedes est sapientiæ*. Num potest autem plenitudo sapientiæ inhabitare in anima Christi, nec ab ea intelligi? Et quid aliud est inhabitare in mente, quàm ab ea intelligi? Num lux sapientiæ mentem implet, nec illuminat? Num illuminat, nec intelligitur? Si qua lucis & sapientiæ portio non intelligitur à mente, ea nec illuminat, nec inhabitat illam. Ubinam divagatur

Libello de sapientia animæ Christi. To. 3. ergo, si domi non est? Hugo: *Quid enim de sapientia minus habere poterat, cui ipsa plenitudo sapientiæ incorporata erat? In quo, ait, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, &c. Quod si plenitudo divinitatis, ergo plenitudo sapientiæ Dei. Quid enim est divinitas Christi, nisi sapientia Dei? Ergo plenitudo sapientiæ Dei habitat in humanitate Christi. Ubi? in carne, an in anima? Sedes sapientiæ anima justi; & domus sapientiæ anima Christi, &c. Apostolus testatur plenitudinem ibi esse, & nos dicimus quod tota sapientia non est in domo sua. Ergo dimidia intus habitat, & dimidia foris. Et ubi quæretur, si domi non invenitur? Ubi plenitudo est, nihil deest: ubi nihil deest, totum est.*

Eodem pertinet & illud Apostoli: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*, **II. Item quod in eo sint omnes thesauri sapientiæ & sciẽtiæ Dei.** Thesauri sapientiæ videlicet menti committendi sunt; an ita absconditi ut nec ipsi pateant? In mente non sunt, quæ mentem fallunt. Sed absconditi sunt in Christo, non à Christo: in Christo ut in mundissimo vasculo, ne ab impuris videantur & contaminentur, ut mundis suo tempore denudentur. *Absconditi sunt: portat & non videt? Absit ab intellectu nostro ut sic sentiamus. Sed absconditi sunt, non ut ab eo abscondantur, sed ne in eo ab impiis videantur. Absconditi sunt ut tempore opportuno proferantur. Ut in eo dignè custodiantur, &c. Reconditi sunt velut in vase sincero, velut in habitaculo mundo, ne fortè quis valeat eis maculam ingerere, &c.*

Eodem collimant & illa Apostoli: *Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in homine? Et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* **III. Item quod Spiritus Christi idẽ sit & Dei, qui scrutatur profunda Dei.** Itemque: *Spiritus scrutatur profunda Dei*. Et passim tamen spiritus Dei idem & spiritus Christi vocitatur. Eum corporeo afflatu aspirat Christus ut suum: eum in cœlos revectus effundit Christus in discipulos *omnem veritatem* edocendos. An aliqua ergo veritas ipsi non patebat homini Christo? An nescire poterat Christus profunda Dei quælibet, quæ spiritus Christi suo jure scrutabatur? Hugo ibidem: *Ergo ut spiritus Dei spiritus est Christi, & illi etiam noverunt quibus ea per spiritum revelata sunt; ergo anima Christi multo magis hæc novit; & plenè ac perfectè novit, quæ ipsius spiritus plenitudinem accepit. Non enim inquit ad mensuram dat Deus spiritum. Et vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Nos etiam quicumque hæc noscere & quantumcumque noscere meremur, de ejus plenitudine, non plenitudinem, sed gratiæ portionem accepimus, &c. Rursum, cum autem venerit spiritus ille veritatis quem ego mittam vobis, docebit vos omnem veritatem. Quare prius ipse ab illo spiritu veritatis, omnem veritatem magister non didicit, quem ad docendum omnem veritatem discipulis misit? Sed misit spiritum, & spiritum non amisit: cujus charismata hominibus fidelibus prout voluit, distribuit, & plenitudinem ipse retinuit. Aliis eum infudit, sed eum à se non effudit: alios replens, se non evacuans: se non minuens, & alios ditans. Ergo quod spiritus Dei novit, & anima Christi per spiritum Dei novit: & plenè novit, quia spiritus Dei plenitudinem habuit.*

Secundò, magister hominum Christus fideique dux & author, quæ nobis enarrabat credenda, eorum oculatus testis utique esse debebat, & indubitanter erat, ut adseverat ipse, *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. **IV. Item quod quæ credenda Christus docuit, ea ipse vidisse debuit.** Et alibi strictiùs: *Quod vidit & audivit, hoc testatur*. Nec sanè fidem rerum tantarum tutò committeremus, nisi ei qui non credidisset, sed oculato experimento vidisset palpassetque. Vacillat enim fides & incerta pendet, ludibriumque non injuria pertimescit, nisi ad aliquem continuato tramite revolvatur tandem, qui rem ipsam oculis viderit, & cujus oculis viderint, qui ejus authoritati, seu ἀκοῇ, super nusquam interruptum traducem se committunt. Cùm ergo fidei nostræ caput & fons sit Christus homo, quod orbis terrarum, omniumque retro & post sæculorum fidei consignavit, vidit utique suis oculis, & cumulatissimè vidit, sic ut nihil ipsum latue-

latuerit, ut tantò constantiùs & incunctantiùs illi nostra omnium credulitas inniteretur. *Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi filius, & cui voluerit filius revelare*, ait ipse, stirpem indigitans ex qua nostra efflorescit fides, non qualemcumque sapientiam & intuitum divini arcani, sed eum ipsum quo peræquè Patrem Filius, ac Filium Pater contuetur. Hugo ibidem: *Ergo reconditi in eo sunt, sed absconditi ab eo non sunt omnes thesauri sapientiæ, &c. Deum*, inquit, *nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Si enarravit, & vidit. Unde hoc probamus? qui de terra est, de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est: & quod vidit & audivit, hoc testatur. Ergo vidit. In quo vidit, in divinitate, an in humanitate? Fortè in divinitatt vidit, in humanitate enarravit. Illi ergo qui audierunt, in quo viderunt? Aut si non viderunt, quare audierunt? Vidit ergo in divinitate, vidit & in humanitate, tamen ex divinitate sua; & illi quæ audierunt, nonnisi ex illustratione divini luminis videre potuerunt.*

V. Item ex eo quod Christus ipse sapiens, vel potius ipsa sapientia est.

Tertiò, sapiens quisquis jure audit, nonnisi sapientia sapiens est, ut luce lucet omne lucidum. Nec verò accidente tantùm quopiam adjecto atque adventitio, fluxo, & desultorio sapientiæ creatæ constat magnificum hocce sapientis nomen, sed infusa cœlitus sempiternæ Deitatis sapientia, & incubante medullis animæ rationalis, eamque vitæ & lucis melioris succo inebriante. Christus ergo homo, qui non sapiens tantùm, sed ipsa sapientia est, qui lux, qui veritas est, nonne totam combibisse existimandus est sapientiæ increatæ infinitatem? Nam inter sapientes & sapientiam immanis quædam constituenda est distantia. Ea porrò aut nulla erit, aut minima, nisi cæteris affricari tantùm aut alludere, Christo tota Dei sapientia & intelligentia insidere atque affigi pronuncietur. Hugo: *Cum igitur animas sapientes dicimus & sapientia sapientes dicimus, istam sapientiam cogitemus, & ipsam solam credamus esse qua sapiunt, quacumque rationales mentes vim intelligendi atque discernendi perceperunt. Hæc est inquit vita æterna ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Cognitio itaque Dei vita æterna est. Et quid est cognitio Dei? Numquid accidens? Ergo amor Dei accidens est, & beatitudo accidens est, & in accidentibus est beatitudo nostra? Quare non magis Deus sit beatitudo nostra? Ipse est sapientia qua cognoscimus: ipse amor quo diligimus: ipse gaudium quo exultamus. Ergo una sapientia est, qua omnes sapiunt, nec tamen uno modo sapiunt, quia participando sapiunt. Quod si omnes hac sapientia sapiunt quicumquo sapiunt, multo magis hac sapientia sapit illa anima, quæ ipsi sapientiæ unita fuit. Quæ non sorte participationis ex illa viguit, sed privilegio unitatis plenitudinem possedit.*

VI. Item quod infinita sit sapientia, quæ ab omnibus participari debet

Quartò, cum sapientia Christus sit, non particeps sapientiæ; sed cum Christi hominis participes sint, quicumque sapiunt, non ullo fine claudenda est animæ Christi sapientia. Hugo: *Hoc est ergo unum & verum lumen omnium spirituum rationalium præcipuè sanctorum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quod sine diminutione sui ab omnibus participatur, & cum idem sit in omnibus, non tamen ab omnibus eodem modo percipitur. Ipsum enim quidquid est, totum est, & ubique totum est, nec minus aut majus in eo est, &c. Participatio alias major, alias minor est; participatus autem non alias major aut minor, sed idem ipse totus, ac plenus, & perfectus ubique est.* Et rursus: *Creatura sapiens est, quia in ipsa, sapientia est; creator verò sapiens est, quia ipse sapientia est. Nullus tamen sine sapientia sapiens esse potest, sive ea quam habet, sive ea quæ ipse est. Anima igitur Christi si sapiens est, imo quia est, aut illa proculdubio sapientia sapiens est, quam habet, aut illa quæ ipsa est, &c.* Nec tamen anima Christi cùm sapientia ipsa esse dicitur, naturæ suæ fines exilire conjectetur. Anima enim illa & sapientia est, & non est; non est, *versibilitate naturæ*; est, *personæ unitate*. Est *una persona, non una essentia*, ait Hugo. Est, quia non participat, sed totam comprehendit: non est, quia non ex naturæ suæ, sed ex gratiæ beneficio consecuta illam est. Unde Hugo: *Plenam & perfectam & totam Dei sapientiam in anima Christi fuisse credimus, & ex ipsa sapientia eandem animam planè ac perfectè sapientiam, non ex ipsa participando, sed totam possidendo; quam singulariter concepit, & ineffabiliter comprehendit. Quare ineffabiliter comprehendit? Quia secundùm plenitudinem accepit.* Comprehendit ergo Christus homo totam sapientiam & visionem Dei, nec particeps est sapientiæ, sed sapientia à Deo nobis factus est, ut participes Christi ii sint, quicumque sapientiæ participationem assequentur.

VII. Item quia nullo profectu Christus majorem subinde sapientiam est adeptus.

Quintò, Christus non provectu, sed ortu Deus est; nec enim per ætatis & virtutis incrementa ad Deitatem & propria Deitatis ornamenta enitendo sese protrusit, sed in ipsa divinitatis purpura & in opum divinarum redundantia natus est. Ad sapientiam ergo summam & omniscientiam beatissimam non postea crepsit, quum adultus, aut à mortalitate in cœlestem immortalitatem avectus est, sed divinas has dotes & à Deitatis nomine inseparabiles in primo statim suo consecutus est ortu. Utque Deus statim perfectus homo extitit, ita & confestim homo perfectus effulsit Deus: nulla hominis parte caruit Deus, nulla Dei laude caruit homo. Hugo: *Neque enim idcirco Deus homo inter homines conversari voluit, ut quasi per intervalla temporum sapientia aut virtute proficiens, meritum sibi compararet, & seipso melior fieret: sed ut ea sapientia & bonitate quam ipse in divinitate sua plenam atque perfectam semper habuit, & in humanitate sua plenam atque perfectam semel & simul accepit, dispensationem salutis humanæ secundùm ineffabilem ordinationem suam compleret.* Et mox: *Sicut Deus quando homo esse cœpit, quod hominis erat accepit; sic & homo quando Deus esse cœpit, quod Dei erat accepit. Quapropter sicut Deus perfecta sapientia & potestas & bonitas est, ita homo ex quo Deus factus est, perfectè potens, & sapiens, & bonus in Deo factus est.* L. 1. de Sacramentis, p. 2. c. 6.

VIII. Item ex eo quod vita animæ Christi sit divinitas.

Sextò, divinitas Christi vita est animæ assumptæ, fuitque jam inde ab initio, sicut vita corporis ipsa est anima. Ne corpus autem suum anima Christi ad immortalitatem statim vegetaret, remorata illam est paterna voluntas, & administrandæ salutis nostræ regula ab æterno præfixa, & corporis passionibus illigata. At ne tota statim influeret in animam vita Deitatis, plenissimoque deliciarum & omniscientiæ torrente illam inundaret, nullo repagulo vetabatur. Nec enim ea scientiæ aut sapientiæ divinæ quantulacumque ex parte jactura, emolumento nobis, aut præsidio futura erat; quin nobis potiùs dispendium ominaretur, ex mediocri penu deprompturis nostram copiam; & ipsi divinitati Verbi illiberalitatis aliquam afflaret suspicionem, quæ animam suam, & se propemodum ipsam vitæ & beatitatis suæ ubertate quadantenus fraudaret. Hugo: *Anima illa secundum aliud carni unita fuit, & secundum aliud divinitati. In eo quod carni unita fuit, vita carnis ipsa fuit. In eo autem quod divinitati unita fuit, vita ipsius divinitas fuit. Quæ igitur in sensu carnis ad tempus dolorem sustinuit, in societate Deitatis plenum & perfectum gaudium semper possedit. Ubi enim perfectè jungebatur, plenè & perfectè beatificabatur.* Ibidem. Anima quantum potest corpori suo vitam suam inspirat totam. Anima Christi ubi salutis nostræ dispensationem explevit, corpori suo quantam maximam potuit, vitæ immortalitatisque copiam infudit: & parciùs infundendo, non magis illi, quàm sibi fraudem fecisset. Ergo & divini-

vinitas exuberantiam vitæ & sapientiæ beatæ quantam fieri potuit, maximam animæ assumptæ elargita est. Vita enim non moderamine ac dimensione voluntatis dispensatur, sed naturæ impetu tota profunditur. Si voluntate humana promerente, divina præmiante, sua Christo accumularetur beata sapientia, tum sanè finis, & modus aliquis teneri posset: at quando hanc anima accipit sapientiam, non ut mercedem, sed ut vitam, ut substantiam, ut suæ personæ divinæ dotem, cessat voluntas, vacat modus, erumpit natura, obicis, finisque haud patiens.

IX. Nec tamen æquatur scientiæ Dei scientia humanæ animæ. Postremò quo ab hac sententia deterreri solent Theologi nonnulli, id Hugo quàm inane nulliusque momenti sit, magna rationum mole evincit. Nam quod ajunt, *Ergo tantam sapientiam habet anima Christi, quantam Deus habet*, & creatura æquatur Creatori: non advertunt non tantam, sed eandem esse sapientiam animæ Christi atque Dei? porrò ejusdem ad seipsam nec æqualitatem esse, nec comparationem omnino ullam. Etsi autem anima Christi ut plenè sapiens sit, plenam habeat sapientiam, atque adeo divinam, quæ sola verè plena est: aliter tamen habet quàm Deus. Illa enim habet sapientiam gratia, Deus natura: illa habet sapientiam, Deus est sapientia. Longè aliud autem est ipsam esse sapientiam, aliud sapientia supernè affusa sapere. Hugo: *Quid facit comparatio, ubi unus solus est? Una est sapientia Dei, qua sapiens est anima Christi, nec participando sapiens est, ut hoc vel illud in illa, aut per illam sapiat, sed plenitudinem habenda ut totum possideat. Non ergo dicamus tota aut quanta, sed dicamus tota sapientia Dei in anima Christi est, & ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens est, nec tamen æqualis Deo anima Christi est, quia sapientia Dei non est. Porro longè aliud est sapientia sapere, & aliud sapientiam esse: quia qui sapientia sapit, quod habet aliunde accepit; qui sapientia est, ex semetipso habet quod sapit. Illic gratia, hic natura: & idem illic gratia, quod hic natura: nec tamen illic gratia naturam ad immensitatem commutat; nec hic natura gratiam ad mensuram coarctat, &c. Et longè aliud est idem habere, & idem esse: quia habere pertinet ad gratiam, esse pertinet ad naturam*. Quæ Hugonis responsio firmatur decantato illo Ambrosii axiomate: *animam Christi omnia habere per gratiam, quæ Deus habet per naturam*. Nec enim eo coæquatur Ceatori creatura, cùm latissimo intervallo distent modi per gratiam & per naturam quidpiam obtinendi. Et sanè quod de sapientia atque visione & comprehensione Deitatis objectant, ut invidiam faciant huic sententiæ, retorquetur hoc eadem fortassis vi in hypostasin, quam eandem habet anima Christi atque Deitas Christi, nec de æqualitate tamen inter animam & Deitatem inde emergente controversiam quisquam movit.

X. Nec ex scientia licet arguere ad omnipotentiã, immensitatem, &c. Cùm insurgunt rursus omnipotentiam & æternitatem & immensitatem ex communione hypostaseos perinde copulatam infusamque animæ Christi fuisse, nec tamen illam vel æternam, vel immensam, vel omnipotentem esse: ita nec sapientia divina tametsi sibi adglutinata sic affici, ut per illam sapiat & omnia æquè ac Deus sciat: permagno discrimine hæc distare Hugo respondet. Quod nimirum natura animæ ultro avida bibulaque sit scientiæ & sapientiæ, adeoque vegetari à sapientia, & scientia non possit, nisi quo sciat & sapiat: at verò impatientem esse naturam animæ tum æternitatis, tum immensitatis, tum omnipotentiæ, & quæcumque demum alia finibus & ingenio naturæ creatæ adversantur. *Si anima illa scit omnia, quia unita est scienti omnia, ergo debet dici omnipotens, quia unita est omnipotenti. Ad hoc dici potest quod naturaliter anima est capax scientiæ, & illud ei collatum est sine mensura, cujus ipsa naturaliter capax est: sed cùm idem sit esse Deum, quod omnipotentem esse, non potuit illud conferri creaturæ.* Summæ Sentent. Tr. 1. c. 6. Ita Hugo, qui & Fulgentii se vestigia sectari profitetur.

XI. Accedit Hugoni Richardus & ultra provehitur. Accessit Hugo Fulgentio, Hugoni astipulator Richardus suus à sancto Victore, nec paulò liberaliùs; nam & potentiæ divinæ consortium sine limite, non tantùm sapientiæ, animæ Christi condonavit, & immensitatis in ejus etiam corpus restagnationem quandam infudit, eoque viam communivit ad alias naturæ divinæ maximè singulares & impervias proprietates, ultra omnem opinationis & intelligentiæ nostræ modum, animæ & humanitati toti assumptæ impartiendi; dum naturæ tamen creatæ conditio supersit incolumis. *De anima Christi quid dicimus, quam omnem gratiæ plenitudinem accepisse, negare non audemus? Nam quidquid Pater habet ex natura, ipsa accepit ex gratia. Nam in ipsa habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Si accepit omnem plenitudinem gratiæ, ergo & plenitudinem potentiæ, & plenitudinem sapientiæ. Si ergo æqualem sapientiam, æqualem potentiam habet cum Patre, quod negari non potest, nunquid Patri æqualis erit, & creatura Creatori coæquari poterit, quod omnino fatendum non est? Sed si æqualem potentiam, æqualem sapientiam absque dubitatione habet, quomodo ei omnino coæquari non valet? Sed quid hoc de anima Christi dicimus, quando circa corpus ejus juxta fidei assertionem multa credimus atque tenemus, quæ humana ratio impugnat, & impossibilia judicat?* Part. 1. L. 1. c. 18. de Contempl. Pergit obstupescere quanta corpus Christi in Sacramento circumstent portenta, imprimis incredibilem immensitatis divinæ æmulationem, & concludit tandem: *Si igitur tam incomprehensibilia sunt, tam incredibilia videntur quæ de corpore Christi veraciter creduntur, quanto magis illa quæ circa animam Christi considerantur, omnem humanam rationem longè excellentiùs supergrediuntur?* Cùm infinita quædam sapientia & visio Dei & beatitudo homini Christo vindicatur, caligat & hebescit ad hanc infinitatem mens nostra, & ad hoc Richardi effugium necessariò recurrit.

XII. Accessit & Petrus Lombardus. Accessit & Hugoni & Richardo Petrus Lombardus, totidemque ferè verbis Hugonis sententiam expressit: *Dicimus animam Christi per sapientiam gratis datam in Verbo Dei, cui unita est, quod etiam perfectè intelligit, omnia scire quæ Deus scit, sed non omnia posse quæ potest Deus, nec ita clarè & perspicuè omnia capit ut Deus, & ideo non æquatur Creatori suo in scientia, etsi omnia sciat & ipse.* Dist. 14. Non ergo quod pauciora videat vel in Deo, vel in creatura, quàm Deus, anima illa Deo concedit: sed quod non eodem videat oculo, nempe creato, cujus acies quamlibet perspicax, divinæ comparata, hebescit. Ergo quæ sciri possunt omnia, scit illa mens; sed quia non ita sciri possunt à creata, quàm ab increata mente & luce, ideo non minora, sed minùs videntur ab illa quàm ab ista. *Nihil scit aliquis quod ejus anima ignorat, sed Christus secundum omnium concessionem omnia scit, ergo anima ejus omnia scit.* Et revera non tam anima scit, quàm homo per animam; ita non tam anima Christi scit, quàm Verbum per animam suam. Num ergo Verbum quæ per animam suam scit, potest non penitùs scire? num potest ex parte aliqua ignorare? Denique Magister addit: *Si verò quæritur quare Deus non dederit ei potentiam faciendi omnia, ut scientiam: responderi potest quia naturaliter capax est scientiæ, & ideò id congruè ei datum est sine mensura, cujus ipsa naturaliter capax est; non est autem ei datum posse omnia facere, quæ Deus facit, ne omnipotens & per hoc Deus putaretur.* Creatæ enim naturæ ad sciendum quàm ad faciendum vis major suppetit; plura potest scire, quàm facere; ut quæ rebus sciendis contemplandisque nata sit, non creandis.

CAPUT III.

Eadem Fulgentii sententia de divina & beata omniscientia animæ Christi, antiquiorum Patrum astipulatione communitur, ac priùs Latinorum.

I. Ut cuique integrum sit, favere, vel refragari Fulgentio antiquorum Patrū consensus exploratur.

NUnc & ætate, & ætatis affectatrice authoritate superiores aucupari astipulatores, animus est; non quòd hanc sententiam mordicus arripere ac pertinaciter defensare aggrediamur: sed facultas cuique ut sit, expensis rationum atque suffragatorum momentis, de ea maturiùs atque absolutiùs pronunciare. Occursat autem Hugoni ævo compar, & familiaritate devinctus

II. Favere illi videtur Bernardus. Hom. infr. Oct. Epiph.

Bernardus qui etsi tantam componere litem hæsitet aut dissimulet, non usquequaque tamen occulere potuit propensiorem in Fulgentii dogma animi sui consensionem. Nam versans illa Lucæ verba de Jesu, qui ætate & sapientia proficiebat, *Multi multa dixerunt, & diversi diversa sentiunt, de quorum sententiis non est nostrum judicare. Alii animam Christi ex quo creata est & assumpta in Deum, æqualem cum Deo sapientiam habuisse putarunt. Alii verò creaturam Creatori adæquare timentes, sicut ætate, ita eum sapientia profecisse dixerunt, Evangelistæ innitentes authoritati qui ait: Jesus proficiebat ætate & sapientia & gratia. Nec mirum, inquiunt, si minor dicatur fuisse sapientia, cùm mortalis atque passibilis, ac per hoc beatitudine minor tunc fuisse veracissimè prædicetur. De horum sententiis judicet quisque ut velit: mihi sufficit scire & credere Dominum Jesum, ex quo cum Deo in unam assumptus est personam, fuisse perfectum Deum, ac per hoc perfectam sapientiam, perfectam justitiam, perfectam beatitudinem, perfectam fuisse virtutem & esse: & quidquid de eo secundum substantiam dici potest, de eo potuisse dici etiam cum in utero fuisset matris, non ambigo. Nec ideo aut resurrectionem, aut mortalitatem, aut passibilitatem abrogamus, cùm eum non phantasticè, sed verè hominem esse confiteamur, & veram hominis fuisse naturam, in qua potuit proficere. Utrum ætate, aut sapientia, ipsi videant, qui de hujusmodi contendere norunt.*

Hic sustinere assensum & neutrò præcipitare se velle sententiam dissimulat Bernardus, sed quò propendeat, odorari facile est naris emunctioris hominibus. Nam cùm animæ Christi ex quo in arcem Deitatis abrepta primùm est, vendicet perfectam beatitudinem perfectamque sapientiam, perspicuum est, utri accedat earum opinionum, quarum altera Christum hominem aliqua sapientiæ incrementa cum ætatis progressu fecisse, altera ex quo in Deum evectus est, æqualem cum Deo sapientiam habuisse pronunciabat. Si enim perfectam & beatitudinem & sapientiam sortitus est ab ortu primo, ex quo Deus extitit, quid inde, quæso, quid conjectabis, quàm nullum incrementis propagandis locum fuisse? Nec enim perfecta sapientia augescere potest: nec quæ augescere postulat, ea perfecta audit, sed inops & jejuna. Cùm in primis de ea differamus perfectione, quæ nomen & substantiam Deitatis condeceat. Denique ex Bernardi verbis ultro emicat, ultro citroque eam quæstionem ventilari, nec ulli culpam aut invidiam adhærescere, si *æqualem cum Deo sapientiam* animæ Christi ab ortu suo obtigisse, Fulgentio consenserit. Quin imò si curiosiùs expendas verba sancti Patris, constabit exarsisse certamen, an à primo statim ortu nacta sit æqualem Deo sapientiam anima Christi, an verò ad eam per incrementa progressa sit? quin ad eam autem aliquando tandem, & abjectis saltem mortalitatis nostræ exuviis attigerit, ne controversum quidem fuisse.

III. Ex eodem evidentiùs. Ho. 2. super Missus est.

Sed cavillationes omnes amputat, omniaque intercludit effugia locus alter Bernardi: *Virum igitur dixerim fuisse Jesum, non solùm jam cùm diceretur vir Propheta, potens in opere & sermone, sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra, Dei Mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat Jesus necdum natus, non ætate, sed sapientia: animi vigore, non viribus corporis: maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potiùs non minùs fuit sapientia Jesus conceptus quàm natus, parvus quàm magnus, &c. Nec fuit hora in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur. Sed à principio perfectus, à principio inquam plenus fuit Spiritu sapientiæ & intellectus, Spiritu consilii & fortitudinis, Spiritu scientiæ, &c.* En quàm explicatè confirmet non sapientem, sed sapientiam ipsam fuisse Jesum statim à conceptu suo, cui nec demi quidquam deinceps potuerit, nec addi. Quocirca cum profecisse illum Lucas ait *gratia & sapientia*, ita interprete Bernardo commentandum est, *non secundum quod erat, sed secundùm quod apparebat*, ut postea uberiùs exequemur. Ex his Bernardi mens abundè constat.

Isidorus Hispalensis: *Quid est ergo, faciem meam videre non poteris: nisi quia quamvis usque ad parilitatem Angelicam, humana etiam post resurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum Deum indefessa consurgat, videre tamen ejus essentiam plenè non prævalet, quam nec ipsa perfectio Angelica in toto vel integrè attingit scire, secundum Apostolum qui ait, Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, ut subaudias & Angelorum. Sola enim sibi integrè nota est Trinitas, & humanitati susceptæ, quæ tertia est in Trinitate persona.* Dilucida usque adeo sunt ista, ut interpretando implicari, quàm explicari, & obumbrari magis possint quàm illuminari. Nec Isidoro enim, nec orthodoxo ulli Theologo dubium est, videri à Beatis clarè & palam Deum; sed æquè compertum, *non in toto, non integrè, non plenè*, ut ait Isidorus, videri, hoc est, non comprehendi. Cum ergo conclusis hujus limite regulæ creatis omnibus naturis, jam excipitur, *Sibi enim soli nota est Trinitas & humanitati assumptæ*, quid hìc ambigi, quid obtendi potest? Nonne anima Christi à reliquarum segregatur creaturarum choro, ut eximia, ut una cum Deo Verbo persona, ut cui tantundem nota est Trinitas atque sibi? Quanquam ut jam in Fulgentij & Hugonis mente elucidanda præstructum est, inter contuitum quo se Deitas, & quo illa Deitatem anima contemplatur, magnum jaceat interstitium. IV. Isidorus Hispalensis. Comm. in Exod. c. 39.

V. Et Gregorius Magnus.

Gregorius Magnus adversus Agnoetas hæreticos plurimum stomachatur, qui non Deitati Christi ignorationem affingebant, ab Arianis enim, quorum id fuit flagitium, abhorrebant vehementer: sed humanitati à Verbo susceptæ. Et illos tamen ut hæreticos insectatur, & à Nestorio non dissentire revincit. *Res autem valdè manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret? Scriptum est, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. Si omnia, proculdubio dies judicii & hora. Quis ergo ita desipiat, ut dicere præsumat quia Verbum Patris fecerit quod ignorat? Scriptum quippe est, Sciens Jesus quia Pater dedit ei omnia in manus. Si omnia, profectò diem judicii & horam. Quis ergo ita stultus est, ut dicat quia accepit Filius in manibus quod nescit?* Hæc ille. Quo nomine autem affinis est Nestorianæ vesaniæ Agnoeta, nisi quod non satis intelligit *sapientiam Dei incarnatam*, quisque dicit *esse aliquid quod Dei sapientia ignoret*, nempe in anima hominis assumpti? Ergo ut à Nestorii laqueis nos extricemus, ut Agnoetarum hæresin despuamus, ex quo sapientiam Dei inhumanatam profitemur, totam Dei sapientiam animæ assump- L. 8. Ep. 42.

tæ il-

tæ illabi & communicari assentiamur, nullus ut posthac ignorationis suspicio aspergi possit humanitati assumptæ. Nam si quid Deus videat aut sciat, quod homo assumptus nesciat, seu diem judicii, seu quidvis aliud, latissima jam ergo panditur Agnoetis via, Nestoriani ergo recalescent cineres, unitas personæ Christi concutietur, non plenè sapientia Dei hominem induerit, quia nec plenè homo sapientiam Dei induerit. Si plenam enim sapientiam imbibisset, non aliquid utique nescisset. Ergo in Fulgentii sensum forsan delabitur Gregorius, dum labefactari ait inhumanationem sapientiæ Dei, si humanitas assumpta aliquid minùs sapiat quàm ipsa sapientia Dei; quia si minùs aliquid quàm ipsa sapit, non ergo totam sapientiam Dei sapit, non ergo sapientiam Dei totam ebibit hausitque, non ergo sapientia Dei ipsa est. Deinde jacent omnia argumenta Gregorii, quibus ignorationis maculas omnes tam sedulo eluit ab homine Christo, si quid minus videat humanitas, quàm Deitas Christi. Quorsum enim allegare quòd sapientia Dei ipsa Verbum sit? quod in principio erat Verbum & Deus erat Verbum? quod omnia per ipsum facta? Hæc promulgant omniscientiam Christi Dei: num etiam Christi hominis? Num qua homo Verbum est? num qua homo author & creator est diei ultimi? Minimè gentium. Ergo ut sua vis constet illis argumentationibus, quæ non uni Gregorio, sed plerisque sanctorum Patrum placuere, nihil sapientiæ, nihil scientiæ Verbi, nihil Verbi fugisse humanitatem assumptam consentiendum est: siquid enim Verbi, siquid sapientiæ, siquid scientiæ & luminis & visionis divinæ, quod ipsum Verbum est, humanitatem assumptam latet, siquid fugit, non plenè inhumanatum est Verbum, nutat incarnatio, reviviscit Nestorius.

Moral. l. 1. c. 8. Idem Gregorius: *Nec obstat ab omnimoda mediatoris scientia quod dicitur, ne forte peccaverint. Nam cuncta sciens, sed in semetipso ignorantiam nostram suscipiens, atque dum suscipit docens, nonnunquam quasi ex nostra dubitatione loquitur, sicut dicit, Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem super terram?* Ubi perspicuè *omnimodam scientiam* Christo mediatori atque adeo homini adsignat: sed & *cuncta scire* ipsum affirmat, usque adeo, ut dum suorum se membrorum infirmitate atque ignorationis simulacro vestiret, vel tum ignorantiæ mereretur.

VI. Ambrosius. l. 5. de fide. c. 8. Ambrosius hanc eandem torquet quæstionem, & sententiam suam eadem prope ratione temperat, quam supra in Bernardo advertimus. De futuro judicii die non percunctarentur Christum Apostoli, nisi abundè persuasi, ab eo nec istud, nec quidvis aliud posse ignorari. *Interrogatus ab Apostolis, qui utique non sicut Arius intelligebant, sed Filium Dei futura scire credebant. Nam nisi hoc credidissent, nunquam interrogassent.* Et quamvis tunc Christus certa de causa & inferiùs enucleanda, scire se dissimulaverit, non hac tamen repulsa suam de omniscientia Christi opinionem exuerunt Apostoli, sed eadem rursus percunctatione pulsant excitatum à mortuis. Usque adeo infixum illis erat, nihil nescire Christum, ut ne ajenti quidem se nescire, fidem adjecerint. Et tum sanè Christus qui plenius jam post resurrectionem Deum se præferebat, & Apostolos de pietatis infantia protrudere ultra atque roborare constituerat, jam non dissimulat se scire, sed ipsis ut nesciant expedire; & inter ipsum & ipsos quantum intersit, jam serio commonefacit, *Non est vestrum scire tempora & annos, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ubi Ambrosius: *Attende quid dixerit, non est vestrum scire, Iterum lege, non est vestrum. Vestrum dixit, non meum. Jam enim non secundum perfectionem, sed secundum profectum humani corporis & nostræ animæ loquebatur.* Officiosius ergo dum mortale adhuc nostrum agitaret corpus & ævum, & ad nostros mores atque sermones accommodatius dixerat se nescire, ut & cum ipso nescire dignaremur, ne si sciens taceret & celaret nos quidpiam, contristaremur. *Mavult enim Dominus nimio in discipulos amore propensus, pendentibus his quæ cognitu inutilia judicaret, videri ignorare quod noverat, quàm negare. Plusque amat utilitatem nostram instruere, quàm suam potentiam demonstrare.* Sciebat ergo etiam ut homo, sed intempestivam discipulorum curiositatem ne duriùs retundendo, illos à se subalienaret, nescire se fingebat saluti nostræ impensiùs, quam suæ famæ serviens.

Sed quia non digladiabantur tunc tractatores Catholici, nisi cum Arianis, Verbi ipsi Deitati ignorationem impingentibus, ipsumque adeo ex arce & fastigio Paternæ æqualitatis exturbantibus; in causa id fuit ut quo Deitati absolutius prospicerent, totam hanc ignorationis suspicionem in animam Christi devolui, eique adhærescere nonnulli eorum paterentur. Nec juvabat eos mediocriter quod alibi Jesus, ut ætate, adeoque qua homo, ita sapientia profecisse perhibetur. Ab his vehementer dissentit Ambrosius, & tam abruptæ, præcipitique sententiæ committere se magnopere detrectat. *Sunt tamen plerique non ita timidiores ut ego. Malo enim alta timere, quàm sapere. Sunt tamen plerique eo freti quod scriptum est, Et Jesus proficiebat ætate & gratia & sapientia apud Deum & homines, qui dicant confidenter quod secundum divinitatem quidem, ea quæ futura sunt, ignorare non potuit: sed secundùm nostræ conditionis assumptionem, ignorare se quasi filium hominis ante crucem dixit, &c. Ego autem, &c.* Nonnulla hic tangit scripturæ loca quibus ad humanos mores ita Deus ipse Pater verba sua in scripturis temperat, ut ignorare & ipse aliquid videatur, aut subdubitare. *Multo magis arbitror, quòd Filius qui cum hominibus conversatus est, & hominem egit, & carnem suscepit, nostrum assumpsit affectum, ut nostra ignoratione nescire se diceret, non quod aliquid ipse nesciret. Nam etsi homo in veritate sui corporis videbatur, erat tamen vita, erat lux, & virtus exibat de illo, quæ vulnera sauciorum, majestatis suæ authoritate sanabat, &c. Nihil ergo fuit, quod ignoraverit Dei Filius, nihil enim fuit, quod ignoraverit Pater.* Ergo præcipitem & inconsideratam videtur Ambrosius eorum sententiam censorio mucrone confodere, qui Christo satis consultum ab Arianorum calumniis putabant, si ignorantia à Deitate in humanitatem ejus reflecteretur. Prospiciebant enim Christo Deo, non autem Christo homini, atque adeo nec jam Christo Deo, quia & Christus homo Deus est, Christus homo lux est, vita est, virtus est: nec virtus autem esset, si saucia aliorum curaret corpora, vulnus inscitiæ ab anima ipse sua non propulsaret; nec vita esset, si qua sapientiæ ac proinde vitæ summæ portione frustraretur; nec lux esset, siqua ignorantiæ nocte tenebresceret. Nec enim ignorationem tantum extremi judicii, sed quamcumque à Christo homine ablegant: nec illam tantummodo scientiam, sed omnem penitus, & nullo limite circumscriptam adscribunt illi hæc elogia vitæ, Lucis, virtutis. Non possunt hæc nomina ad aliquid sigillatim pertinere: latissimè patent, nihil non complectuntur; Lux, vita, virtus tam omnem latebram & caliginem & ignorationem amolitur, quàm hanc speciatim extremæ horæ. Si potest lux & vita & sapientia Christus homo ignorare, aut non contueri vel in creatoris vel in creaturæ substantia quidvis aliud, potest & diem atque horam illam; si hanc non potest, nec quidvis aliud.

Sed nec illi ipsi tamen quorum minùs providæ audaciæ insultat Ambrosius, hanc ignorantiam homini Christo, nisi ante resurrectionem aspergebant. Deinceps ergo divinæ sapientiæ plenitudinem illi liberaliter impartiebantur; non ergo vel

Margin notes in the right column:
- Beside "Catholici, nisi cum Arianis": VII. Omnem inscitiam ab anima Christi ut amoliatur Ambrosius.
- Beside "proficiebat ætate & gratia": L. 5. de fide. c. 8.

Dei vel creaturæ aliquid ipsum latere patiebantur, nam ea fuisset ignorantiæ rursus injuria.

VIII. Hieronym. q. 5. Hieronymus Epistola ad Damasum: *Quod tu hoc tantum quæras, quare vir justus aliquid ignoraverit & contra suam fecerit voluntatem. Ad quod districta responsio est, nullum hominem, excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuisse scientiam & certissimam veritatem*. Plena hæc scientia & certissima veritas, vix constat, nisi cum omniscientia ejusmodi quam extruxit Fulgentius.

IX. Leporius emendatus. Leporius Presbyter in libello emendationis quem ad Africæ Episcoporum, maximè autem ad Augustini mentem fidemque edidit & obsignavit: *Ad objecta respondit, Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare. Sed nunc solum dicere non præsumo, verùm etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam: quia dici non licet, etiam secundùm hominem ignorasse Dominum prophetarum*. Vides quàm districtiùs & inclementiùs agant Africani Episcopi, cum iis quos mitiùs habuerat Ambrosius. Adolescebat nimirum fides seseque in dies apertiùs explicabat. Unde jam anathemate feriuntur, qui inscitiæ nebulam vel minimam homini Christo asperserint. Omniscentia autem quàm latè pateat, cujusque conjecturæ permittimus.

X. Augustinus. Annot. in Job. c. 38. Augustinus: *Quis autem meminit fuisse se, aut cum esset, scire potuit esse se in lumbis Patris sui? Quandoquidem nec illud tempus quisque recolit, quo non parentibus sed in seipso natus est, quo tempore certè nemo dubitat quod jam erat, & vivebat, & sentiebat. Omnia autem scit illa sapientia, quæ format omnia, non tantum illa supercælestia, sed etiam illa mortalia. Et quia Christus Dei virtus est & Dei sapientia, scit ista ille qui etiam mortaliter natus est, non conditione mortali*. Nolim tam accurate pensitres, quàm plenam omnium scientiam infundat Augustinus animæ Christi, quàm unde infundat, videlicet quia Christus Dei virtus est & Dei sapientia. Hoc, amabo, jure quem sapientiæ, quem scientiæ beatæ ejus modum pones? Quem limitem figes? Quousque pertinebit, vimque suam exporriget illud magnificentiæ insigne, Dei virtus & Dei sapientia, non quam participat, aut quam plenam habet, sed quæ ipse est? Metam quamcumque demum præstitueris, ultra prosiliet, & effundetur in immensum Dei virtus & sapientia. Enimverò substantiæ & personæ attemperanda coaptandaque sunt, quæ adjunguntur cætera illis omnia, vel consequuntur. Christus igitur homo, cùm substantivè & personaliter sit Dei virtus & sapientia, num illi postea admetieris gloriæ & beatitatis, scientiæ & sapientiæ certum aliquod dimensum? Num parciorem tibi Deum finges, & quasi illiberaliùs promentem sua, cùm seipsum humanitati illi tam prolixè & sine limite donaverit? Ut prioribus reliqua consentiant, cui substantiam seu hypostasin suam totam sine fine & sine limite donavit Deus Verbum, totam proinde sapientiam & beatitatem suam sine fine & sine modo affudit.

In Psalm. 3. Pulcrum est & illud Augustini: *Et exaltans caput meum. Mentem ipsam humanam hic accipiendam puto; quod caput animæ non absurdè appellatur, quæ ita inhæsit, & quodammodo coaluit excellenti supereminentiæ Verbi, hominem patientis, ut tanta passionis humilitate non deponeretur*. Quid illud est, humanam mentem Christi ita inhærescere & quodammodo coalescere supereminentiæ excellenti Verbi, nisi demergi atque devorari in Verbi sapientiæ pelago?

L. 83. q. q. 75. Et rursum idem: *Si pietas hoc non admittit ut primò ex parte videret homo dominicus, deinde ex toto, quanquam in sapientia proficere dictus sit, &c.* Agnoscit consentaneum non esse pietati, ut sapientia Christi hominis progressus aliquos habuerit, sed ex toto statim ab exordio sapientiam illi affuisse, & sapientiam ipsum fuisse.

Et alibi rursum: *Quia verò Dominus noster Jesus Christus Magister nobis missus est, etiam filium hominis dixit nescire diem illum, quia in magisterio ejus non erat, ut per eum sciret à nobis. Neque enim aliquid scit Pater quod Filius nescit, cum ipsa scientia Patris ille sit, qui sapientia est ejus. Est autem sapientia ejus, Filius ejus, Verbum ejus*. Citra tergiversationem, de Christo ut homine verba hic facit Augustinus, ut qui sit filius hominis, ut qui magister nobis à Deo destinatus sit, ut qui diem judicij nescire se dixerit. Interpretatur autem nesciri ab eo, id est non doceri, nec nobis aperiri ab eo, utique sciente, & omnia sciente, quod nihil sciat Pater nisi conscio Filio, quod scientia ipsa & sapientia Patris sit Filius: videri potest exorbitare à rationis regula tam familiaris hæc & Augustino & aliis Patribus argumentatio, si possit nescire quidpiam Christus homo eorum, quæ sciat Christus Verbum. Esto enim Christus Verbum sit scientia & sapientia Patris, & omnium Patri conscius, num statim ejus anima certam consequetur scientiam diei extremæ? Nam si anima Christi vel in creatoris vel in creaturæ substantia, sive rerum extantium sive non extantium sed possibilium possit nescire quidpiam, æquè poterit nescire diem justicij, quamvis in confesso sit Verbum esse scientiam & sapientiam Patris. Si autem ex eo quod Verbum scientia & sapientia Patris est, non potest nescire anima Christi diem judicii, perinde nec aliud quidvis nescire potest, & plenissimam indipiscitur omniscientiam. Ratio enim illa regnat latissimè, nec ullis se sinit coarctari cancellis. Ergo aut improvida turpissimaque æquivocatione laborant omnium ferè Patrum de Christo placita, aut anima Christi cùm scientiæ & sapientiæ divinæ anima sit, nihil nescit, seu æternorum, seu temporalium, seu existentium, seu possibilium.

In Psal. 36. Conc. 1.

Claudet agmen qui ducere debuerat & reliquis jure suo anteire Fulgentii suffragatoribus Alcuinus, qui eandem sententiam iisdem scripturæ testimoniis, iisdem argumentis, iisdem denique verbis à Fulgentio mendicatis & exscriptis confirmat; ut supervacaneum sit decerpere ex ejus disputatione quidpiam, cùm ea ad verbum è Fulgentio sit excerpta, & supra in recensendo Fulgentii dogmate explanata. XI. Alcuinus. L. 2. de Trin. c. 11. 12. Et l. 3. c. 8.

CAPUT IV.

Ecqua è Græcis Patribus pro Fulgentii dogmate corrogari possint suffragia.

E Græcis jam Patribus libet nonnulla ambire suffragia quæ in Fulgentii sententiam conspirent, aut ex quibus saltem Christi hominis beata & divina scientia quàm latissimè se diffundat, magis patescat. Hoc enim omnino nobis propositum est, non pertinaciter pro Fulgentii sententia contendere, sed ejus fundamenta aperire, liberum cuique de ea judicium permittere, beatæ certè ac divinæ hominis Christi scientiæ inæstimabiles thesauros aperire. I. Ex Græcis Fulgentio videtur suffragari Eulogius Alexan.

Familiam ducet Eulogii Alexandrini Episcopi argumentatio & authoritas, qui ut ait Photius, dum insectatur Palestinos Monachos pravi Agnoetarum dogmatis architectos, & homini Christo ignorantiæ nebulam aliquam offundentes, hæc ajebat: *Neque enim humanitas Christi in unam inaccessibilis & substantialis sapientiæ hypostasin admissa, quidquam rerum præsentium vel futurarum poterit ignorare. Neque falsum esse potest quod dixit, Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. An ergo & Patri, nihil non audentes, ignorantiam ascribent?*

Per-

Pergit ignorantiam non Christo capiti, sed corpori, id est Ecclesiæ adjudicare, cujus personam sibi Christus frequenter induit: aut certè ea loca scripturæ, ubi Christus quasi nescius interrogasse quidpiam vel addubitasse dicitur, ita interpretari, ut non magis ignorantiam ejus ullam protendant, quàm ubi voces eædem de Deo ipso, vel interrogante, vel humanum in modum hæsitante in iisdem litteris produntur. Porrò Eulogius omnem penitùs ignorantiam à Christo ejicit, uno eodemque cuneo, quod anima ejus ad hypostasin ascita sit substantivæ sapientiæ Dei: quod quæcumque habet Pater, ejus sint: quod non magis ignorare quidpiam possit, quàm Pater. Tametsi hæc ad vindicandam Christo extremæ diei scientiam instruantur, perinde tamen valent ad omnium seu extantium seu possibilium scientiam ei adrogandam.

II. Idem Eulogius ut ab homine Christo ignorantiā omnem eliminet. Photius Bibl. C.230.

Et ibidem Eulogius pag. 883. non possibilium ignorantiam, extantium autem scientiam Christo homini adsignat: sed ut homo est, seu ex penu proprio & veluti peculio humanitatis, ignorationi obnoxium; ut Deus autem est, & Homo Deus, divinæque scientiæ plenitudine humanitatem etiam suam ditans, nihil penitùs ignorare posse pronunciat; & ad hunc sensum retorquendos esse sanctos Patres, si dum Arianos debellant, & ignorantiam à Verbo Deo amoliri enixiùs certant, minùs scrupulosè ornamenta humanæ ejus naturæ explicuerunt, & ignorantiæ nævos ab eo minùs sedulò abstersere. *Nudæ puræque humanitatis signum proprium est ignorantia, Hac ratione ergo Christi humanitati ut simplici & puræ humanitatis naturæ considerata, adscribi poterit ignorantia. Et hoc est quod Theologus explicavit, quando dixit, Scit quidem ut Deus, nescit verò ut homo.* Et eodem referente Photio idem Eulogius: *Quod si qui ex Patribus ignorantiam in Salvatore ex parte humanitatis admiserunt, id tamen non ut dogma sanxerunt, sed Arianorum insaniam repressuri, qui omnia quæ in Christo erant, humana ad Unigeniti divinitatem transtulerunt, ut increatum Dei Verbum creaturam ostenderent, rectius hæc de humanitate dici posse existimarunt, quàm humana ab illis ad divinitatem trahi. Etsi forte quis dixerit etiam Patres figuratè seu anaphoricè locutos esse, religiosius videbitur judicasse.*

III. Photius ipse.

Ne à Photio digrediamur, operæ pretium erit ex ipso aliqua hìc exscribere, ubi quod diem judicii cum Angeli nesciant, solatio id esse Apostolis ait: ut autem id cum Christo homine nesciendum sibi sit, id adeo non solatio, sed dedecori futurum. *Non inde affligantur, aut magistrum incusent, si docere nollet, quæ nec incorporeæ & supremæ substantiæ sciunt. Quid ergo? annon satisfactum hinc Apostolis, ut sine tristitia ferrent petitionem non obtinere, nisi etiam Filius, illa sapientia exhypostata, in eorum ignorantiam assumatur? Et quodnam quæso solamen, quæ consolatio erit Dei ignorantia colentibus Deum, ejusque providentia & sapientia cælesti opus habentibus? Potius desperationis quoddam profundum, impietas, densæ tenebræ, extrema ægritudo & error non miserandus erit, Deum habere ignorantiæ subjacentem.* (Epist. 218.) Quanquam hæc Photius differat ad ablegandam à Verbo Deo ignorantiam, ex abundanti valent ea & à Verbo homine illam propulsare. Nam Verbum caro factum est, & hic homo Christus Deus est, coliturque tanquam Deus, estque lux & veritas & sapientia per hypostasin. Non decet autem ut Deus colatur, in quo aliqua nescientiæ caligo supersit. Non decet ut magistrum profiteamur summum audire, qui & ipse aliqua nesciat. Non decet ut personam sapientiæ ulla ex sui parte ignorantiæ cuiquam addicamus. Non decet tandem ut Christus homo Deus esse possit, nec possit plenissimè Deitatem scire; quasi operosius sit Deum scire, quàm Deum esse. Unde ad primum Fulgentii argumentum revolvitur hæc Photii collectio.

IV. Damascenus.

Damascenus: *Communicat (mens & anima Christi) operanti divinitati Verbi, gubernanti & dispensanti universum, intelligens & cognoscens & dispensans, non ut nuda hominis mens, sed ut Deo secundum hypostasin counita, & Dei mens constituta.* Audis ut mens creata Christi pensanda jam sit, nimirum ut Dei mens, ut universa cum Verbo dispensans, & proinde intellectu universa comprehendens. Hinc patentissimè exprimitur scientiam animæ Christi diffundere se ad ea omnia, quæ scientia Dei quam visionis dicunt, complectitur: cùm enim horum omnium dispensatrix sit, imperij sui limites utique mentis contuitu perlustrare potest. Sed Dei mens, ut ait Damascenus, nihil ne etiam rerum possibilium perscrutatur? an immensa illa & intacta atque recondita splendidissimaque divinæ omnipotentiæ opulentia Dei mentem latet? an potest ipsa mens Dei à thesauris divinæ potestatis vel contuendis arceri?

Idem Damascenus: *Nos autem dominatorem ipsum dicimus & dominum omnis creaturæ, unum Christum, eundem Deum simul & hominem, & omnia scientem, nam in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* (Ibid. c. 21.) Homini Christo aptat omniscientiam, reconditosque & arcanos omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. His autem in thesauris maxima pars est rerum possibilium. Quocirca nisi & possibilium scientiam impetret anima Christi, ingenti laborat inopia, & infinitis spoliatur thesauris. Sed quid causæ tandem est, quamobrem Verbum Deus animam suam defraudaverit ea potestate, qua pollet ipse in omnia possibilia? Ecquid in extantia omnia suum cum illa communicavit imperium, & omniscientiam, à possibilibus autem vel contuitu delibandis cohibuit?

V. Idem Damascenus. Ibid. c. 22.

Et rursum: *Qui verò proficere ipsum dicunt sapientia & gratia, ut horum incrementa suscipientem, non à prima carnis conceptionem unionem factam astruunt, neque secundùm hypostasin adorant unionem. A Nestorio autem vana sapiente persuasi habitudinariam unionem & nudum incolatum falsò prædicant; non cognoscentes neque ea quæ dicunt, neque de quibus disserunt. Nam si verè unita est Deo Verbo caro à primo existentiæ suæ momento, magis profectò in ipso existet, & hypostaticam ad ipsum habebit identitatem. Quomodo ergo non perfectè ditata est omni sapientia & gratia? Non ipsa quidem per gratiam participans, ut nos; neque secundùm gratiam ea quæ Verbi sunt participans, sed potius propter unionem hypostaticam, humanis divinisque omnibus unius Christi propriis factis, quandoquidem idem Deus est & homo, gratiamque & sapientiam, & omnium bonorum plenitudinem mundo irrigat uti fons.* Luculentus cum primis est locus iste Damasceni, & in Fulgentii patrocinium efficacissimus. Nam 1. si convellitur nexus hypostaticus utriusque naturæ, & in Nestorii deliria defluitur, ubi vel tantillum ignorantiæ affricatur homini Christo, ex qua per ætatis curricula erepserit, nonne omniscientia ejus Deo coæquatur? Nam si quid minùs unquam scierit, ignorabat ergo & progressus facere poterat, atque ita totum mysterium labefactatur. 2. Merum incolatum Dei in hominem obtrudunt, qui nesciri, & proficiendo sciri aliquid potuisse ab homine Christo comminiscuntur. Perfacilè enim sciens in nesciente inhabitarit. At si hominis cum Deo copula hypostatica sincerè retinetur, non potest vel extantium vel possibilium quidquam unquam nescisse & per augmenta didicisse Christus homo. Nam mens imbuta substantivè & hypostaticè atque informata Verbo, id est, ratione summa rerum omnium, & sapientia atque scientia Dei plenissima & incircumscripta, mens illa inquam, quid amabo te ignorare aut ignorasse unquam potest?

Num

Num potest ea nescire quorum ratione & scientia imbuitur penitissimè & inebriatur? Si cujus rei scientia & ratio non est Verbum Deus, poterit ejus scientia & ratione orbari mens Verbo Deo fœta. 3. Non participat Christus gratiam aut scientiam Verbi, id est, non ex parte capit, sed ex toto capit, imò non capit, sed est. At si possibilium nescientia laborat & caligat etiam ipse, non totum ergo Verbum capit, nedum est: non ex toto, sed ex parte habet; & participat perinde ut nos, quanquam copiosiùs, participat tamen lucem & scientiam Verbi, seu Verbum ipsum. Itaque ex Damasceno æquè ac suprà ex Gregorio Papa liquet quanta affinitate connecterentur Agnoetæ Nestorianis. 4. Irrigat Christus homo tanquam fons largissimus in animas omnes beatas scientiam omnem, qua perfusi beantur. Irrigat ergo & rivulos ejus scientiæ, quæ simplicis intelligentiæ dicitur, & mera possibilia contemplatur. Nam & hujus irroratione aliqua asperguntur beatæ mentes, quamlibet parciore. At irrorare aliis Christus homo hanc nequibit, nisi ejus cumulatissimam plenitudinem ipse nactus sit. Ut enim jam sæpiùs inculcatum à nobis est, ubi totum non est, portio tantùm est; portio autem omnis brevis est & egena: nec de paupere rivo irrigari & abundare potest tota beatarum mentium æternitas.

VI. Author Dialogorū de Trinitate.

Author Dialogorum de Trinitate ad calcem sexti Tomi operum Cyrilli: *Quanquam enim Dominus naturam ignorantem assumpsit, divinas tamen ei prærogativas & dotes impertivit: habebatque anima Domini omnem sapientiam, divinam juxta & humanam, omnem notitiam eorum quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt, non natura, non gratia, sed propter unionem personalem cum eo qui solus est sapiens, & omnia prius etiam quàm oriantur, ante sæcula novit.* Redeunt argumenta jam ingeminata sæpiùs. Si divinas prærogativas habuit humanitas, ergo omniscientiam, omnis modi, omnisque metæ insolentem. Si non gratia adeptus est homo Christus sapientiam, ergo non ex parte, nec ad mensuram, nam quod precariò impetratur, minutatim utique participatur. Si ex personæ suæ jure & proprietate scientiam obtinet homo Christus, omnigenam ergo scientiam, & effracto omni repagulo in possibilia perinde atque in creata creandaque omnia effusam obtinet. Divina enim hypostasis jus ipsi est abundè magnificum ad has opes usurpandas. Si denique habuit anima Christi omnem scientiam ac *sapientiam divinam juxta & humanam*, non video quid ulteriùs desiderari possit.

VII. Cyrillus, ex quo Lux, Veritas, Sapientia mētem humanam induta nihil potest nescire, l. 3. advers. Nestor.

Sed quando primaria ad expugnandam hanc amoliendamque à Christo ignorantiam qualemcumque machina, ex unionis hypostaticæ sacrario depromitur, adeundus est omnium ejus ante alios conscius arcanorum Cyrillus Alexandrinus: *At enim in sapientia factum esse incrementum dicis: tametsi quomodo id non stultum sit? Credimus enim ex ipso ventre atque utero virgineo, ipsum Emmanuel cum Deus esset, hominem prodiisse, plenum proculdubio sapientia & gratia, quæ ipsi φυσικῶς inerat. Quodnam igitur is incrementum suscipiet, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ: qui supernæ gratiæ simul cum Deo Patre largitor est?* En caput ex quo error serpsit Agnoetarum, Nestoriana scilicet vesania. En qui per ætatis curricula progressus fecisse Christum in sapientia garriebant, qui nempè nec statim Deum extitisse, sed meritorum gradibus eò eluctatum esse nugabantur. En ut ex adverso Cyrillus nisi omniscientia statim Christo homini plenissima donetur, non constaturam profitetur unitatem hypostaticam. En catholici hujus dogmatis summa in quo vertatur, nimirum quòd Christus intelligendus contemplandusque sit, ut veritas mentem animamque & corpus hominis induta. Veritas autem sempiterna, induta hominis mentem, ne sic quidem nescire quidquam potest: lux sempiterna mentem hominis induta, ne sic quidem caligare aut tenebrescere ullatenus valet: omniscientia Dei & Deus Verbum ipsa, mentem hominis induta, nec sic nescire potest vel extantium vel possibilium aliquid: sed omnem sapientiam habet insitam sibi φυσικῶς, ut ait Cyrillus, adeòque ultra omnem modum limitemque, sed in ea sunt omnes thesauri sapientiæ, &c. Nec discordat Cyrillus ab aliis Patribus, cùm omnem sapientiam Christo inesse ait natura; nam alii Patres mentis subtili contemplatione humanam naturam à Deo segregantes, negabant natura ei competere omnium scientiam; Cyrillus autem suo more & elimatiùs accuratiùsque ad fidei amussin Christum contemplari solitus, ut sapientiam mente & carne hominis indutam, ei naturaliter inesse omnium scientiam affirmavit. Ut enim sapientia per assumptam etiam mentem nihil nesciat, sapientiæ ipsius natura est; mentis non natura, sed gratia, aut ut castigatiùs eloquar, non natura, non gratia, sed persona & personæ dos atque proprietas est.

VIII. Quàm non nescierit diem judicii Christus homo, ex eodem.

Ad hanc normam exploranda sunt quæ alibi Cyrillus habet de extremæ diei inscitia, quam videtur interdum ita anxiè abstergere à Verbo Dei, ut minùs satagat si ea Christo homini illinatur. Præ cæteris autem locis ejus eximia sunt quæ prolixè disputat in Thesauro, ubi tamen juxta regulam ab Eulogio suprà prælineatam, sic interpretandus est inscitiam Christo homini indicere, ut quæ etiam ut homo scit, non ex humanæ naturæ ingenio & acumine sciat, sed superfuso divinitus lumine. Et ipsa Cyrilli verba si sinceriùs excutiantur, ista suadent. Inseram hæc pauca tantùm: *Nam si Spiritus omnia scrutatur, etiam occulta Dei, ut scriptum est, novit profectò omnia quæ in ipso sunt. Quod si spiritus qui omnia scit, omniaque inquirere potest, à Filio accipit: Ille enim, inquit, de meo accipiet: quomodo Filius censebitur ignorare, qui Spiritui omnia scienti suppeditat?* Hac argumentatione non à Verbi tantùm natura, sed & ab humana Christi mente omnis quantillacumque ignorationis nubecula dispungitur. Nam Spiritus omnia scientis & profunda Dei perscrutantis plenitudinem obtinet mens Christi creata, & de ea plenitudine corporeo etiam afflatu suos impartit. p.219.& seq.

IX. Dionysius Alexandr. Cont. Paul. Samos. resp. ad q. 5.

Nec alia in sententia versatus est Dionysius Alexandrinus: *Crescit igitur Verbum Domini quotidie, & multiplicatur Spiritus sanctus in Ecclesia Dei. Non igitur homo sicut nos erat, qui crescebat ætate & sapientia, sed Deus genitus puer, & datus nobis Filius æternus, & erat ante sæcula, & verè nobis crevit, & crescit quotidie, & anni ejus non deficient. Immutabilis est enim Christus, utpote Deus Verbum.* Et antè: *Accretio igitur Dei ad Ecclesiam pertinet.* Proclive & perexpeditum fuisset hæc incrementa ut ætatis, ita sapientiæ ad hominem Christum ablegare, & compendio hoc Deitatem Verbi conturari. Sed emendatiùs differit Dionysius; Christum etiam in homine Deum esse, & ad Deitatis ingenium atque dignitatem expendi debere; crescere sapientia non est ex dignitate Dei etiam in homine assumpto; quia si crescit, priùs deficiebat: defieri autem sapientia, quid aliud est quàm stultescere? Jure ergo meritoque in humanitatis negotio Deitatis majestatem consulit Dionysius; utque Deus non merito & labore atque industria est, id quod est: nec profectu in dies seipso major meliorve fieri gestit, sed totum semel & simul est, atque natura: sic Deus in homine assumpto suorum tenax morum, suæque retinentissimus majestatis, non per merita & industriæ documenta fit Deus, sed nascitur; nec per incrementa sapientiæ adolescit, perficiturque, sed perfectus exoritur. Nec enim Deus unquam fuerit, qui aliquando non fuerit: nec perfectionis sum-

summum fastigium unquam attigerit, qui aliquando infra delituerit: summitas enim naturæ est, non beneficii. Ita ergo decet, ut Christus sapientia nec profecerit, nec proficere unquam potuerit, quia inopia sapientiæ per profectum perficiendæ nec in assumpta natura Deum decet. Si non omnia autem etiam è possibilitatis inanitate nunquam evocanda statim scisset, scire hæc utique postea & proficere potuisset.

Origenes allegoricè suo more hæc pertractans, X. Origenes. Hom. 14. in Ezech. *Plus erat in Paulo quàm in Timotheo, cum esset vas electionis. Et verè magnum vas in domo Timotheus rursum capit, quæ ego capere non possum. Et est forsan aliquis qui etiam me minus capiat. Sunt quædam quæ solus Christus capit, & idcircò clausa est janua templi Dei, &c. Quia Dominus Deus Israel solus ingreditur & egreditur per eam. Quare ingreditur? Ut cognoscatur. A quo? A duce. Quis ad portam clausam dux iste? Salvator est qui panem comedit, qui portam cum Patre claudit, qui spiritali pascitur cibo, &c. Clausa est janua ut nemo videat magnum sacerdotem, panem in sanctis sanctorum comedentem, &c. Quædam esca est qua solus tantummodo vescitur. Excellens quippe ab universa conditione natura ejus, & ab omnibus segregata, facit eum quotidianum panem de Patris natura comedere.* Ex Origene: *Sunt quædam quæ solus Christus capit.* Num etiam sunt quædam, quæ nec Christus capit? Non ita visum illi; nam statim ad ejus naturam omni creatura præstantiorem, adeòque ad ejus divinitatem se recipit. Quorsum hoc? Nisi quia & Christi hominis capacitas atque scientia de Deo expendenda atque censenda est; ut cum etiam qua homo Filius sit Dei Patris omnipotentis, eidem cum Patre mensæ assideat, eodem & tanto vescatur pane, eadem perfruatur beatitudine, ac verè sedeat ad dexteram, id est, in æqualitate regnet Paterna, etiam ut homo est.

XI. Athanasius, quam nihil Christus nescierit, etiam qua homo. Or. 4. cont. Arian. Athanasius ignorantiam, quam Christo ex ejus interrogationibus conjectatam attribuebant Ariani, refellit ex eo quod sciscitari soleamus non raro ea ipsa, quæ adprimè nota & comperta habemus. Addit autem, *Quod si contentiosiùs premant istas interrogationes, audiant in divinitate ignorationem non esse, sed id proprium esse carnis.* Videtur planè ignorationis nonnihil homini Christo affricare, sed contra totum est, omniscientiam metas omnes prætergressam reapse illi addicit. Nam suam sententiam explicat primò Athanasius, dum respondet percunctationes frequentissimè fieri de rebus quæ sunt exploratissimæ. Ergo huic responso acquiescit Athanasius, huic patrocinatur sententiæ, qua etiam Christus homo ab omni ignorationis exolvitur suspicione. Si contentiosum autem funem trahere pergant Ariani, secunda eos responsione repercutit, qua etsi largiamur Arianis quod volunt, nihil tamen consequuturos demonstrat: esto enim, ignoravit quidpiam Christus, sed ut homo, non ut Deus; ita oblatrantium adversus Deitatem Verbi, os obturatur, ut nec mutire posthac possint. Non ergo assentitur Athanasius quod etiam ut homo quidpiam nescierit Christus; sed eo Arianis donato, cassa & irrita eorum fore adversus divinitatem Verbi molimina redarguit. Mentem autem suam Athanasius abundè satis propalat primo responso, & iis etiam quibus secundum substruit. Addit enim: *Atque idem ille qui secundum eos existimatur ignoratione laborare, is est qui cogitationes discipulorum præcognoscebat, certiorque erat quæ in cogitationibus singulorum laterent. Et quod magis est, ipse solus cognoscit Patrem, & dicit, Ego in Patre & Pater in me. Cuivis ergo manifestum est ignorationem ad carnem pertinere, ipsum autem Verbum, quatenus Verbum est, omnia antequam fiant, scientia præcognoscere. Non enim quia homo factus est, desiit esse Deus, neque quia Deus subsistit, abducit se ab eo, quod humanum est, absit; sed potius quum Deus erat, assumpsit carnem: & in carne existens, deificat carnem; & quemadmodum in ea interrogationes faciebat, ita quoque & in ea mortuum excitabat, &c.* Quo sensu ignorationem animæ Christi patiatur aspergi, planum hìc facit. Non tantùm enim id non concedit, & eo concesso ostendit Arianos nihil efficere: sed etiam eam animam non aliter ignorantiæ mancipat, quàm quod ex proprio naturæ humanæ sinu non scaturiat omnium scientia, sed supernè sit invocanda; unde statim ait Christum Deum exploratas habuisse cogitationes cordium: communicatum autem id est cum humanitate: item deificasse suam carnem, ergo Deitatis dotes etiam in animam sunt transfusæ: denique uti per carnem excitabat mortuos, etsi ipsa per se sua vi caro non polleret hac potestate; ita per animam sciebat omnia, etsi anima suæ naturæ sponte tenebris inscitiæ obnoxia sit. Quocirca sicut Christus qua homo nescit, quia scientiam non suo in gremio, sed supernè haurit: ita & qua Deus Filius nescire quodam non multùm dissimili modo potest, quia non à se, sed à Patre discit, sicut non à se, sed à Patre nascitur. Et verba ipsa Christi ad hunc modum interpretatur Athanasius: *A Marco solum relatum est, Neque Filius novit diem illam. Lege Marci narrationem tecum in animo, & sentes Domino diem illam & horam nequaquam occultam fuisse, &c. Nec Filius, nisi Pater, &c. Sciens enim se nihil distare secundum substantiam à Patre, sed unitum se esse Patri Deo, suam præcognitionem subindicavit sub Patris præcognitionem, quemadmodum ipse inquit, Ego & Pater unum sumus: & rursum, Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Et paulò ante compertum fuisse homini Christo diem judicii apertissimè declarat: *Si architectus novit quando absoluturus sit ædificium, &c. Qui non affirmaremus Dominum Jesum qui mundum condidit, eumque consummaturus est, diem consummationis cognitum habere? Si enim ignorabat, qui quæso cum ab eo quæsitum esset de consummatione sæculi & de secundo adventu ejus, vera potuit respondere?* Subjungit complurima ex Evangeliis quibus Christus extremi judicii tempora præmonstravit. Ubi duplici probat argumento nec ut hominem quidem ignorasse Christum illius diei atque horæ momenta. Primò quod judex ipse cum sit, prout homo est, tempus judicii à se peragendi utique prænovit. Deinde quod de adventu suo secundo interrogatus, tam multa responderit. In disp. Cócil. Nicæ adv. Arian.

XII. Epiphan. Ancorati n. 21, 22. Epiphanius nodum illum aliter expedit, sic tamen ut ab homine perinde ac à Deo Christo proscribatur ignorantia. Diem illum solus Pater scit, nimirum practicè, solus enim jam judicavit, cum diem principaliter præfinit, & judicandi munus Filio delegavit: Filius nescit, practicè similiter, quia judicandi provincia mandata sibi, nondum defungitur. *Licet non judicet Pater, jam judicavit; &c. Pater diem illam & horam duobus modis, hoc est, scientia & actione cognoscit. Novit enim quando futura sit, ac jam etiam judicavit, cum Filium judicaturum esse constituit, & sic actione ipsa cognovit. Porro Dei filius quando ventura sit dies illa novit, adeoque hanc inducit, nec ignorat. Nondum tamen eam ex illa cognitione produxit, hoc est, nondum actione cognovit. Adhuc enim impii impiè se gerunt, &c.* Et ibidem absolutiùs: *Pater novit & fecit, filius novit, sed nondum fecit.* Hinc nefas est suspicari cadere ignorantiam in hominem Christum; quin imò cum homo Christus Judex à Patre constitutus sit, ex Epiphanii argumentatione, præscit utique diem illum, sed procrastinat. Eadem prolixiùs scripsit Epiphanius adversus hæreses. Refert & sugillat, sed quo jure, viderit ipse, hanc sententiam Epiphanii Photius. Photius Ep. 128.

XIII. Basilius, Epist. 141. Basilius: *Propter te & horam & diem judicii ignorat. Quanquam nihil latet veram illam sapientiam. Nam per illam omnia sunt condita. Nemo*

enim

enim mortalis usquam est qui opus suum quod fecit, ignoret, &c. Quanquam cum in Evangeliis seipsum adnumeravit ignorantibus, propter multorum infirmitatem. In Actis vero Apostolorum, tanquam perfectis seorsim disserens, per sui ipsius exceptionem, dicit, Non est vestrum nosse tempora vel articulos temporum, quos Pater in sua ipsius constituit potestate. Ergo certæ dispensationis gratia dissimulavit Christus articuli illius extremi conscientiam, cùm rudes adhuc alloqueretur; ad provectiores autem & ad altiora sapientiæ culmina jam properantes verba faciens postea, compertum sibi tempus illud insinuavit, ipsis interim ignorandum. Authore ergo Basilio, diem illum sciebat etiam ut homo; sciebat autem, *quia nihil latet illam veram sapientiam. Nam per illam omnia sunt condita.* Jam decantatum sæpiùs est, latissimè serpere hanc rationem, & humanitati assumptæ omnem penitùs Verbi sapientiam atque scientiam aggerare. Denique cùm Basilius & Athanasius aliique ajunt servisse nostræ saluti Christum, dum ignorantiam assumpsit, veram ignorationem vix ac nec vix significant assumptam. Quem enim illa nobis fructum præstitisset? Dedecori potiùs dispendioque vertisset id nostro, si magistrum sortiti essemus ignorantiæ mancipatum, si ducem nacti essemus ex parte aliqua cæcutientem, si Deum colere juberemur, sapientiæ non plenam copiam, sed minutias tantùm aliquas consecutum. Conducit autem nobis non mediocriter & ad exemplum & ad adjutorium, si quæ probè callebat, nullo veritatis dispendio, magno humilitatis compendio, callere se dissimulabat, atque ita & supercilium ex scientia intumescens, & pruritum curiositatis ad scientiam insanientis retundebat.

XIV. Chrysost. Hom. 78. in Matth. Chrysostomus: *Patrem Filius optimè novit, & eo prorsus pacto, quo Pater Filium; diem autem illam ignorat? Præterea etiam Spiritus Dei profunda investigat, Filius vero nec tempus quidem judicii novit? Sed quomodo quidem judicare oporteat, non fugit eum, & arcana singulorum clam eo non sunt: quod autem multo vilius est, id ignorat? Adhuc quomodo is per quem omnia facta & sine ipso factum est nihil, diem illam ignorabit?* Vides ut argumenta eliciat à sola Deitate Christi, quo nec ab homine Christo diem illam nesciri comprobet. Nam quod ab anima Christi dies illa & hora jam tum sciretur & celaretur, probat tum ex eo quod omnia diei illi conjuncta descripserit, tum quod Judex & Dominus ejus diei sit qua homo, tum ex ipsis ejus verbis, *Vigilate quia nescitis qua hora Dominus vester veniet. Non dixit se nescire, sed quia ipsi nesciunt.* Et sanè ut adventum Domini nesciant servi, ad acuendam eorum diligentiam id quidem pertinet: ut autem Dominus reditum suum nec ipse sciat, non potest id non in ejus improvidam maximè incuriam aut insulsitatem redundare. Unde author Operis imperfecti apud eundem Chrysostomum: *Meritò suam scientiam denegat, quæ non ex eo; sicut & alibi cum* Hom. 5. *esset bonus, bonum se denegavit, quia bonitas ejus erat ex Patre. Et ne propter dispensationem humanam æstimetur scire se negasse, non dixit, Neque filius hominis, quia secundum divinitatem dixisset, non secundum humanam naturam. Nam inter filium Dei & filium hominis nihil interest.* En ut de Deo Verbo astruat dici, quod nesciat diem judicii, quia non à se, sed à Patre scit; non autem de Christo homine; cùmque nihil intersit inter Filium Dei & filium hominis, peræquè exulat ab eo ignorantia quælibet. Sed sentio huic Scriptori minus hac in re constare fidei. Certè Chrysostomus ipse, quod Christus nescire se dixerit diem illam, Apostolos ipsos ita interpretatos esse, non quod nescierit, sed quod docere tum noluerit, argumentatur ex eo quod ipsum à mortuis excitatum hac eadem rursus percunctatione adoriantur. *Noverunt enim quod prius dixerat, nemini cognitum esse diem illum, repellentis fuisse sermonem, non ignorantis, sed differentis responsionem. Unde rursus aggressi eadem percontantur.* In acta Ho. 2. Nihil ergo nesciri posse à Christo, jam tum odorabantur Apostoli, cùm Christus inscitiæ alicujus umbra sese occultabat.

XV. Andreas Cæsariensis. Andreas Cæsariensis Apocalypsis hæc verba expendens, *Et Dominus Deus spirituum Prophetarum misit Angelum suum, ut ostendat servis suis, quæ oportet fieri cito. Qui Prophetarum Deus est, Angelosque tanquam spiritus administratorios ad servos suos, ut quæ futura sunt, illis patefaciat, subinde mittit, certum est eum nihil quidquam latere, adeoque diem & horam consummationis sæculi non ignorare, ita ut isthæc nunc tandem per Patrem eum discere oporteat, qui omnes sapientiæ & scientiæ thesauros tanquam Deus in se abditos habet.* De Christo homine verba hìc fiunt, ille enim dominus est Prophetarum, ille per Angelorum ministeria Joanni aliisque futurorum arcana pandit, ille à Patre accepit omnium horum manifestationem, ut ex initio Apocalypsis colligit ibidem Andreas. Christum ergo hominem nihil latet: habet ille ut Deus omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei.

XVI. Refellitur Leontius. L. de Sectis Act. 10. Parco hujusmodi Patrum testimonia ad dispellendam à Christo homine quancumque ignorantiam conspirantia, copiosiùs hoc est tædiosius coacervare. Abundè multa sunt hæc ad retundendam, atque adeò ad opprimendam Leontii futilitatem, qui ita differit de Agnoetarum dogmate: *Nos dicimus non adeo subtiliter de his inquirendum. Nec Synodus ipsa curiosius de hoc dogmate sollicita fuit. Sciendum tamen complures ex Patribus ac propemodum universos videri dicere quod ignoret. Nam quum per omnia nobiscum unius esse substantiæ dicatur, & nos ignoremus, nimirum ignorabat & ipse. Quin & ipsa scriptura dicit eum profecisse tam statura, quam sapientia, discentem id scilicet quod ignorabat.* Miror si possit quisquam hæc Leontii sine stomacho legere. Quo enim ore, qua fronte imponit tot Græcis, tot Latinis Patribus, quos supra certatim turmatimque audivimus ita scripturæ verba commentantes, ut & ignoratio ultimæ horæ, & profectus sapientiæ ab humanitate Christi longissimè ablegaretur?

CAPUT V.

Nihil ignorantiæ à sanctis Patribus Christo homini adscriptum esse.

I. Athanasii sententia excutitur circa scientiam animæ Christi, & à suspicione purgatur. Orat. 4. contr. Arian.

Duriusculè videntur aliquando nonnulli sanctorum Patrum disputasse de animæ Christi scientia, ut hinc oborta sit nonnullorum licentior suspicio, de ea imminuenda, aut insuper habenda.

Athanasius cum primis prolixissimè nodum hunc versat, & sexcenties inculcat nesciri diem extremum à Christo quà caro, quà homo est, sciri quà Deus est & Verbum & scientia Patris. Et tamen eo ipso loco, qui ad Leontii suspicionem opportunissimus est, non obscurè insinuat, etiam homini Christo, sed non quà homini, verùm quà divinis locupletato sapientiæ hypostaticæ thesauris exploratissimum fuisse diem illum. Nam idem ipse aliam responsionem adhibet ad objecta Arianorum, nec nisi eorum obstinata importunitate compelli se ait, ut ignorari aliquid à Christo, sed ut homine, largiatur, nempè ut eo etiam dato, vanescere ostendat conatus Arianorum. Rursus & Paulo compertum fuisse ait suum in cœlos raptum, sed dissimulatum, sicut & Christus diem adventus sui celatum voluerat. Rursum omnia descripsisse Christum, quæ conjuncta sunt cum adventu suo, adeò-

que nec ejus horam nescisse argumentatur: at ea effabatur Christus homo, an ergo nec ipse quæ loquebatur intelligebat? Rursum notat ex Actis redivivum à mortuis Christum, non jam dixisse, quod nesciret, *sed non est vestrum scire. Jam enim cum caro illius resurrexerat, deposueratque mortalitatem, & deificata erat, non decuit eum carnaliter respondere, utpote jam in cœlum ascendentem: sed ut divinitus nos doceret, non nostrum esse scire tempora, vel articulos rerum, quos posuit Pater in sua potestate. Quæ autem potestas est Patris nisi Filius? Christus enim Dei, Dei potentia & Dei sapientia. Noverat igitur omnia Filius, utpote Verbum & ratio Patris, & hoc ipsum suis verbis satis præ se ferebat, minimè ejus rei ignarum se esse, non aliter quam si ad istum modum dixisset: Novi quidem illud, sed non est vestrum scire. Propter vos enim in monte sedens carnaliter locutus sum, &c.* Ergo jam immortalis Christus etiam qua homo sciebat diem illum, & sciebat quia potentia & sapientia & ratio Patris est; hæc erat autem & priùs mortalis, ergo & priùs sciebat; sed quia non ex natura carnis aut humanitatis sciebat, scire se dissimulavit quandiu fuit in diebus carnis suæ, quandiu servilis formæ humilitate Deitatem suam obumbravit. Denique mens Athanasii dilucescit ampliùs ex interpretatione loci alterius, quo Jesus sapientia profecisse dicitur. Progressus enim istos non ad scientiæ in anima adolescentis incrementa revocat, sed ad documenta ejus, quæ foris in dies majora & splendidiora ederentur. *Ista enim augescente magnitudine corporis, una crescebat in eo divinitatis manifestatio, innotescebatque apud omnes ipsum esse templum Dei, Deumque in ejus corpore existere.* Et paulò post: *Non sapientia quatenus ipse sapientia est, progressus fecit, sed humanitas in sapientia profecit, transcendens paulatim humanam naturam, & deificata, organumque effecta sapientiæ, ad Deitatis energiam, & ad manifestationem ejus relucens in omnibus.* Totum progressum in exteriora majoris in dies singulos sapientiæ experimenta perspicuè transfundit.

II. Ità Basilii. Epist. 191. Basilius: *Nemo novit diem, non aliud subindicat, quam rerum tum præsentium tum futurarum scientiam Patri cum primis adscribendam esse, primamque omnium causam Patrem esse.* Et infra: *Neque Filius ipse novit, nisi Pater, hoc est, Causa & principium à Patre est, cur Filius cognoscat.* Quam expositionem multùm ibi commendat. Interserit autem & hæc, *Ignorantiæ illam vocem qui sic acceperit, tanquam quæ illum congruat qui omnia secundùm Dei dispensationem suscepit, & tum sapientia, tum gratia apud Deum profecit & apud homines, haudquaquam aberrabit à pietate & sensu Scripturæ religioso.* Video ignorantiæ vocem aptari humanitati. Sed primò, ea ipsa ibi inculcatiùs adaptatur divinitati citra ejus ullam contumeliam, in authoritatis tantummodo paternæ commendationem. Secundò, & humanitati consentit vehementiùs vox ignorantiæ, ob humilitatis solemnem professionem; nam vehementiùs suæ ornamenta Deitatis deprimit & extenuat Christus, quàm alioqui par esset, ob carnis exinanitionem. Tertiò, ea ignorantiæ vox consentanea magis est humanitati, sed ex dispensatione, ut ait Basilius. Quartò, humanitas progressus fecisse perhibetur sapientiæ, sed & gratiæ. An ergo & gratia quapiam priùs informiter caruit, qua deinde fit venustatus? Num in ortus sui primordio non fuit *Sanctum Dei*? Ergo ut gratia, ita sapientia profecerit, non augescendo, sed auctiora opera exerendo.

III. Ex Origen. Tract. 30. in Matth. Origenes: *Audebit autem aliquis dicere, quoniam homo qui secundùm Salvatorem intelligitur proficiens sapientia & ætate & gratia, &c. qui proficiebat quidem super omnes, non tamen ut veniret jam quod erat perfectum, priusquam propriam dispensationem impleret, nihil mirum si hoc solum nescivit ex omnibus, id est, diem consummationis & horam, &c. Post dispensationem autem impletam nequaquam hoc dixit, postquam illum Deus superexaltavit, &c. & in Actibus Apostolorum, &c. Non est vestrum nosse tempora, &c.* Non omnem profligare videtur à Christo homine ignorationem. Sed primò quidem hanc opinationem prædamnat Origenes, cum ita illam referre aggreditur, *Audebit aliquis, &c.* Alterius cujuslibet quàm suam esse mavult hanc interpretationem, eamque statim nimiæ notat audaciæ. Secundò, saltem à recepto in immortalitatem Christo omnem amovet nescientiam. Tertiò, consentaneam magis suæ menti subtexit statim expositionem; ut Christus nesciat, non in capite quod ipse est, sed in corpore suo, quod est Ecclesia, sicut & in corpore suo, seu in Ecclesia nequedum Christus authore Paulo usquequaque subjectus est Patri. *Si ergo benè dicitur hoc de Filii subjectione ad Patrem futura, ut tunc hi qui futuri sunt Christi, & adhæserunt ei, cum ipso Christo subiiciantur Patri; quare non & de die illa & hora neminem scire, neque Filium, similiter exponemus? Donec enim Ecclesia quæ est corpus, nescit diem illum & horam, tandiu nec ipse Filius dicitur scire, ut tunc intelligatur scire, quando scirent & omnia membra ejus.* Quartò, denique quid senserit Origenes, ex alibi relato ejus placito elucescit, ubi sic animam Christi perversam imbutamque penitissimè à Verbo docuit fuisse, ut ferrum ab igne. *Hoc modo etiam illa anima quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit Deus est, &c. Ad omnes Sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse, in hac autem anima ipse ignis divinus substantialiter requievisse credendus est, &c.* Non ergo potuit proficere in gratia, quæ Verbo toto semper imbuta fuit: nec ergo potuit proficere in sapientia, quia & Verbum sapientia est, & sapientia specialiùs dicitur, quàm gratia aut sanctitas. Cui nihil unquam Verbi, cui nihil unquam sapientiæ defecit, quomodo profecerit, quomodo ignoraverit? Quintò, Origenes idem alibi: *Ad te hæc dico, qui corporaliter audis, quod Jesus ætate proficeret. Intellige ergo, quia ætate animæ proficiebat, & magna fiebat anima ejus, propter magna & ingentia opera quæ faciebat.* Et rursum: *Puer autem crescebat, & confortabatur, & replebatur sapientia. Aliud est partem habere sapientiæ, aliud sapientia esse completum.* Si non partem, sed totum sapientiæ fontem complexus erat, nihil ergo ignorabat. Hom. 11. in Lev. Hom. 19. in Luc.

IV. Et Nazianzeni. Gregorius Nazianzenus, qui ignorantiam Christo ut homini non omnem abstersisse existimatur, si penitiùs inspiciatur, ab ea opinatione procul aberit. Nam primò, argumentatur Christum non latuisse horam illam, quando nihil eorum eum fefellit, quæ illius horæ articulum antecedunt. Ut ergo diei callet initium, qui noctis finem noscit: ita horam illam probè tenet, qui omnia quæ illam anteibunt, prænunciat. Prænunciavit autem ea omnia Christus ut homo. *Qui verò constat, ipsum ea quidem quæ horam illam antecedunt, & quæ velut in ipso finis articulo sunt, ex actissimè scire, ipsam autem horam ignorare? Ænigmati quippe res hæc similis est. Perindè videlicet ac si quis ea quæ ante murum sunt, certissimè se nosse affirmet, murum autem ipsum ignorare se fateatur; aut diei finem probè sciens, noctis principium minimè cognoscat.* Secundò, ubi ergo ait Gregorius, *Eccui igitur dubium esse potest, quin horam quidem ut Deus cognitam habeat, ignoret autem ut homo, si quis partem aspectabilem ab ea disjungat, quæ mente sola perspici potest?* ne secum ipse confligat, ita interpretandus est ac si dicat, humanitatem ex se ignoraturam, nisi Deitati copularetur; & nescire ut homi- Orat. 36.

hominem, id est non ex vi ac luce humana scire. Quod genus de Christo differendi sanctis Patribus familiare cum primis est. Tertiò, Gregorius alteram statim subjungit sententiam, quòd Filius etiam ut Deus nesciat diem illum, sed solus Pater sciat, quia scientia hæc à Patre in Filium derivatur. *Sin secus, hanc secundam expositionem referemus, quod quemadmodum singula alia, ita rerum quoque maximarum cognitio in genitoris honorem, ad causam ipsam referenda est.* Ergo ut cum de Verbo Deo id intelligitur, nulla affricatur ipsi inscientia, sed ejus scientiæ principium & origo demonstratur: ita & cum de Verbo homine idem ipsum exponitur, nullus ei illinetur ignorantiæ nævus, sed supernus scientiæ in eum defluentis fons indigitabitur. Quartò idem Gregorius quomodo Christus in sapientiæ stadio progressus fe-
Orat. 30. cisse feratur, ita explanat, *Proficiebat ut ætate, ita & sapientia & gratia, non quod hæc in illo incrementum caperet; quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse potest? sed quod hæc paulatim detegerentur & eluxerent.* At si quid nescisset Christus, honestior uberiorque illi proficiendi ratio apprecanda foret, ut non insitæ tantùm scientiæ pulchriora in dies exhiberet documenta, sed ut ejus quæ deerat, augmenta aliqua compararet.

V. Ex Cyrilli Alexand. To. 3. p. 800. Cyrillus Alexandrinus: *De die illo nemo novit, &c. Quatenus enim homo intelligitur, nostri similis, non utique noverit quæ in Patre sunt. Qua verò natura Deus est & ex Patre extitit, novit utique diem illum.* Non aliter capiendum hoc est,
In Ev. Joan. pag. 138. quàm quod de Joanne ipse suggerit, cum diceret, *Et ego nesciebam eum*, tametsi pridem jam nosset Christum. *Cùm se nescire Dominum Joannes Baptista dicit, non mentitur si humanitatis & creaturæ conditio spectetur; sed uni Deo cuncta nosse tribuit, qui per sanctum Spiritum, ad comprehensionem rerum occultarum hominem illuminat, &c.* An enim Christi quàm Joannis inscitia ignobiliùs interpretanda est?

Sed & Dialogo, quòd unus sit Christus, ubi interpretis incuria effecit, ut impingere videatur Christo infanti inscitiam, contrà omninò sapit. *Neque erat impossibile ut Deo & Verbo ex Patre genito, corpus sibi unitum etiam ex ipsis fasciis attollere, atque ad perfectam ætatem transferre. Facillimum quoque fuisset etiam in infante sapientiam* ... *id est, demonstrare admirabilem: cæterùm hoc aliquid monstri simile fuisset, & à ratione incarnationis alienum. Mysterium enim tacitè modestèque peractum est.* Non ait tribui potuisse infanti Christo stupendam scientiam, sed manifestari potuisse; tribui enim, nihil habet portenti simile, cùm inconspicuum id totum sit, manifestari autem non potuisset sapientia mirabilis, nisi jam indita.

Item in Thesauro Christo ut homini tribuit in-
Pag. 218. scitiam diei illius: nimirum ut alibi ea Verbo Deo tribuitur, non quo nesciat Verbum, sed quo non à se, sed à Patre hanc scientiam hauriat: ita homini Christo nescire diem illum competat, non quo reapse nesciat, sed quod non à se, sed à Deo demonstrante sciat. Et sanè ibidem Cyrillus notat ignorari non potuisse diem ab eo qui, quæ præibunt omnia, præsciebat; at Christus homo & præsciebat & prædocebat omnia diei illius horæque præludia.

L. de recta fide p. 139. Item Cyrillus alibi: *Secretorum divinorum ignorationem neque probrosam esse creaturæ neque inusitatam.* Unde subdit, εἰ καὶ ἀνθρωπίνως, λέγεται ἀλλ' οἶδε θεϊκῶς. *Etsi humanitus nescire dicitur, sed divinitus scit.* Et hoc ipso tamen loco nescientiam omnem à Christo homine indubitanter eluit, si quis non oscitanter expendat sancti Patris verba. Nam primò non ait, quod nescierit, sed quod nescire dicatur. Secundò, non ait quod Christus homo nescierit, sed quod humanitus nescierit, sed divinitus scierit; hoc est, non humana sagacitate, sed divinæ lucis plenitudine. Tertiò, subdit & ignorationem præ se tulisse Christum cum sciscitatus est ubi jaceret Lazarus; at tumulum Lazari non nesciebat Christus homo; ergo hæc ignoratio accipienda est, non quòd qua homo verè ignoret, sed quod non humanis præsidiis nitatur, ne ignoret. Quartò, subjungit ibidem quod resuscitationem Lazari ἐνήργησε θεϊκῶς; at quamvis divinitus, non humanitus excitavit Lazarum, humanitate tamen sua, ut divinitatis organo, & vitam divinitatis totam & combibente & expirante excitavit: ergo etiam illa quæ non humanitus, sed divinitus scivit, humanitate tamen sua rescivit, ut divinæ lucis purissimo receptaculo. Quocirca ad Verbum etiam ut humanam sustentat vegetatque naturam pertinent, quæ habet ibi Cyrillus: *Quòd Dei sapientia & virtus sit, non potest ea nescire quæ in ipsa latent.* Sapientia enim humanam induta animam, vel sic nescit nihil.

Idem rursum scribens adversus Theodoretum, hæc primùm ejus verba refert: *Non igitur Verbi Dei ignorantia, sed formæ servi, quæ tanta per tempus illud sciebat, quanta Deitas inhabitans revelabat.* In def. Anathemat. 4. Quæ Theodoreti voces Nestoriana fuligine oblitæ planè sunt. Cyrillus autem hæc reponit: *Siquidem est unus & idem propter veram unionem, & non alius atque alius, disjunctimque & divisim, ejus omninò erit etiam ipsum scire, & existimari ac videri nescire. Itaque novit quidem etiam ipse deitus ut sapientia Patris: quoniam verò mensuram ignorantis humanitatis subivit, dispensative proprium facit hoc cum aliis, quanquam sicut dudum dixi, ignorans nihil, sed sciens omnia cum Patre.* Meridiana in luce cæcutire mihi videntur qui hinc impactam à Cyrillo homini Christo ignorantiam suspicantur. Contra enim primò, ejusdem esse personæ ait & scire & videri nescire: non autem scire & nescire: scire ut Deum, nescire ut hominem. Si autem ut homo verè nesciret, ejusdem esset etiam scire, & nescire. Secundò, ibidem statim subdit humanitus quidem fami & siti Christum fuisse obnoxium, sed qua Deum, vitam & panem & vivificum fuisse: & hæc in exemplum invehit. At Christus etiam homo & carne sua panis & vivificus & vita erat; sed quamvis hæc illi homini congruerent, non humanitus tamen, sed deitus, id est non humano ad hæc, sed divino subsidio pollebat. Tertiò, quod dixerat Theodoretus, *tanta per tempus scisse humanitatem, quanta inhabitans Deitas revelabat*, explodit Cyrillus ut Nestorianæ labis expressa vestigia, in Prophetarum enim classem detrusum iri Christum. Ex sententia autem Cyrilli unus est idemque Christus: *Ignorans nihil, sciens omnia cum Patre*: Deitus omnia sciens, humanitus *nescire visus*; hoc est, quod omnia sciat, ex majestate Deitatis jure suo obtinens: quod nescire videatur & existimetur, humilitatem in carne sua commendans.

Postremò Cyrilli ab imperitorum interpretum supinitate vindicandi ut finem faciam, ingeminanda hic sunt quæ jam supra ex eo delibavimus, ubi nullus cavillandi locus est, ubi ejus sententia extricatissima est. VI. Cyrilli rursum. L. 3. cont. Nest. *At enim in sapientia factum esse incrementum dicis. Tametsi quomodo id non stultum sit? Credimus enim ex ipso ventre, atque utero virgineo, ipsum Emmanuel cum Deus esset hominem prodiisse, plenum proculdubio sapientia & gratia, quæ illi naturaliter inerat. Quodnam igitur is incrementum susciperet, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ? Qui supernæ gratiæ simul cum Deo & Patre largitor est? Quomodo igitur proficere dictus est? Ut ego arbitror, quia Deus Verbum pro incremento & ætate sui corporis, divinorum illorum bonorum quæ sibi inerant, manifestationem admetiebatur. Consideremus enim illum, quamvis homo jam nostri similis factus esset, initio latere studuisse, veluti sine stre-*

pitu ac tacite mysterii vim paulatim disponentem. Illuminanda hinc sunt, siqua Cyrillus alibi subobscuriùs edisseruit, quanquam nec alibi obscurus est iis, qui non in cortice verborum hærent & tricantur, sed in ipsam sensus medullam introspiciunt, quique in primis capitale illud & palmarium Cyrilli dogma tenent, ab eo constantissimè inculcatum, Christum non hominem Deiferum, non hominem Deo imbutum esse, sed Deum inhumanatum, seu sapientiam & veritatem anima & carne humana amictam, divinasque suas dotes in hac etiam assumpta natura sospites & illibatas retentantem, atque explicantem, nisi quantum nostræ salutis suscepta dispensatio & passionis subeundæ consilium reprimi eas interim & suspendi cogebat. Sapientiam autem atque sanctitatem Deitatis totam in animam ejus derivari nihil vetabat ille obex, quando inde nec propalabatur affectata latebra mysterii, nec corporis passibilitas allevabatur. Quocirca scientiam animæ à scientia Verbi Dei nunquam ille seponit, aut deponit, sed absolutè Christum sapientiam esse Patris, thesauros omnes sapientiæ & sapientiæ in eo esse, incrementi cujuslibet impatientem esse ejus sapientiam pronunciat, & ea demum quæ divinæ sapientiæ propria sunt, cum humanitate ejus communia facit. Exploratius id fiet si hoc ultimum ejus intexuero testimonium ex ejus Glaphy-
Pag. 381. ris in Numeros: *Non sicut in Prophetis locutus est Deus & Pater, ita & in Filio. Sed illis per spiritum suggerebatur cognitio eorum, quæ discenda erant: hic autem novit non* διδακτῶς *Patris consilia, utpote sapientia, & consilium genitoris. Ad hæc beati Prophetæ contemplationem Dei per ænigmata receperunt, Deum enim nemo vidit unquam, sed à solo suapte natura Filio videtur*. In Filio utique inhumanato locutus est Pater, longè præcellentiùs quàm in Prophetis. Quo constat hæc præcellentia? Quod Filius sit sapientia & consilium Patris, & solus ita Patrem videat, ut à nemine præterea ita videatur. Sed hæc Verbi Dei privilegia sunt: quid ergo hæc ad naturam assumptam? Si homo Christus aliqua docebatur, aliqua celabatur, ergo διδακτῶς & more Prophetarum affabatur, non ut sapientia ipsa. Ergo ut ne profligari patiamur Christi hominis supra Prophetas alios insignia privilegia, non aliqua sciat & aliqua nesciat, sed sapientia sit tota & consilium Patris, Patremque solus pro sua Verbi dignitate intueatur. Nam si hæc Verbi sunt, non homini assumpto communicata, non ergo in prophetando præcellit tantoperè Christus homo; quin imò forsitan deprimetur, si Verbum Deus per hominem assumptum ea effatus esse existimetur, quæ nec homo ipse assumptus caperet.

VII. Hinc refellitur Leontius.

Ex his abundè ut arbitror liquet quàm futiliter Leontius supra allegatus dixerit Patres propemodum omnes conspirasse ad aliquam Christo homini ignorantiam adscribendam. Græcos ille indubitanter innuit, & tamen Græcorum Antistites perlustravimus, & ab ea hallucinatione vehementer abhorruisse planum fecimus. Eulogio ergo potius, ejusque suffragatori Gregorio Papæ, quorum suffragia superiùs retulimus, lubentiùs acquiesco, affines esse Nestorianæ insaniæ, qui aliquam homini Christo attribuerint ignorantiam. Nec inficias tamen iverim, quin æstu disputationis abreptus aliquis, dum adversus Arianos Verbi Deitatem animosiùs quàm cautiùs defendat, incuriosiùs erga humanam ejus naturam agens, aliquam inscitiæ labem illi passus sit imprimi. Cujusmodi forsan extitit Eusthathius Episcopus Antiochenus, cu-
L. 11. p. 462. jus verba Theodori Mopsuesteni sententiæ valdè consentanea refert Facundus Hermianensis: Quanquam si extarent reliqua tanti viri scriptorum monumenta, constare atque dilucere uberiùs nobis mens ejus posset, & castigari atque emolliri possent forsitan verba illa, quæ Facundus refert, alioqui sobrietati fideique catholicæ valdè adversaria. Sed unius aut alterius inconsideratior sententia non tradenda statim jactandaque temerè est tanquam unanimis Patrum consensio.

VIII. Sed purgari præ cæteris eget ipse Fulgentius. Et purgatur sedulo. L.1.ad Trar. c.7. Et l.3.c. 18.

Sed purgandus si fieri possit ab hac labe præ cæteris Fulgentius ipse, quod mirum. Nam qui alibi infinitam & ipsam divinitatis sapientiam homini assumpto ingessit, idem ipse infanti Christo immanis cujusdam ignorantiæ nebulam videtur offundere. Verba enim illa Isaiæ torquens, *Priusquam sciat puer eligere bonum & malum*: eaque Christo crudiùs in speciem illidens, hæc ait: *Anima igitur humana quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum malumque in infante Christo nescisse dicitur, quæ secundum evangelicam veritatem in puero Jesu sapientia & gratia profecisse narratur. Sicut Lucas ponit, &c. Nam sicut carnis est ætate proficere, sic est animæ sapientia & gratia profecisse: quæ tamen sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam, quæ hominibus rationis causa concessa est, non haberet*. Nec ego dissimulo potuisse hæc imponere minùs sagacibus, & scriptorum penetralia minùs altè rimantibus; ut hinc existimaverint Christum ex Fulgentii sententia humanæ huic ignorantiæ priùs dum puerasceret obnoxium fuisse, quàm ad infinitam illam divinitatis sapientiam adultior proveheretur. Sed tam absurdum, tam sui disparem atque intestino secum dissidio conflictantem non equidem facilè fuisse autumaverim Fulgentium. Nam 1. non qualiscumque, sed immanis hæc erit inscitia, qua infans Christus bonum malumve nescierit, ut ait ille, & in eadem tenebricosissima caligine versatus fuerit, qua homines alii vel pueri; quod quàm profanum sit, quis non sentit, & quàm detestabile, non dico Fulgentio, sed vel tyroni Christiano, & nostris mysteriis nuper initiato? 2. Ergo ne Joanni quidem antecursori suo Christum Fulgentius æquiparaverit, cùm ille, non iste præcoqua rationis & sapientiæ luce imbutus sit. 3. Non sapientiæ tantùm, sed & gratiæ atque sanctitatis progressus eosdem atque ætatis fecisse Christum argumentatur Fulgentius. Num ergo illi materna in alvo delitescenti, & inde erepenti, & infantiam paulatim excutienti, tam parcè & illiberaliter gratiam atque sanctimoniam instillat, quàm scientiam? Num puerum & infantem Christum sibi pingit tam sanctitatis inopem, quàm sapientiæ? Imò tam nullius primò sanctitatis, quàm nullius sapientiæ? An cùm necdum bonum malumve sciret, ut omnis erat sapientiæ jejunus & inanis, ita & gratiæ, ut paribus postea incrementis ad utriusque culmen enixus sit? Quæ Christianæ aures ad hæc non exhorrescant? Cui tam profana tamque flagitiosa Fulgentii sensa extitisse suadebitur? 4. Cui non exploratissimum est, quàm juratus sit Fulgentius in verba & sententias Augustini? Augustinus autem, ut infra comprobabitur, tenebras ignorantiæ, quæ mentibus nostris tandiù incubant, donec eas adultior ætas dispellat, ab originali peccato proficisci & exhalari philosophatur, & inde adversum Pelagianos hæreticos de peccati parentalis traduce facit conjecturam. Non ergo eam Fulgentius Christo ignorantiam offundit, quam à peccato effundi Augustino consentiebat. 5. Non potuit Fulgentius adeò secum ipse dissidere, ut Christum & in altiores præcipitaret primò ignorantiæ tenebras, & in expressiorem postea sapientiæ increatæ plenitudinem sustolleret. 6. Rationes acervat complures Fulgentius ad Ferrandum scribens, quibus Christo homini omnem astruat sapientiam divinitatis. At hæ pondus idem obtinent in infante Christo, vel puero, atque in eodem adultam jam aut maturiorem ætatem assecuto. Quippè ex unitate personæ insurgit Fulgentius. Tam una autem erat utriusque naturæ persona in puero, quàm in viro Christo: tam una in matris tunc primùm utero, atque nunc

nunc demum in Patris folio. *Cum de anima Christi loquimur, de illo loquimur rationali spiritu, ad quem non solum Deus per gratiam venit, sed quem ipsa divinitas in unitate suscepit. Anima quippè illa cum Verbo unus est Christus, anima illa cum Verbo unus est unigenitus Deus.* Hæccine de Christo non prædicabuntur, nisi cunas, nisi pueritiam eluctato? Hæc planè ab ipso incarnationis puncto in illum quadrant, & ex his omniscientiam exprimit Fulgentius. Pergit autem, *Quàm verò perdurum est & à sanitate fidei alienum, ut dicamus animam Christi non plenam suæ Deitatis habere notitiam, cum qua natura unam creditur habere personam?* Num in unam personam cum Verbo non coaluit illa anima, nisi per ætatis decursum, ut & adolescendo ad pleniorem in dies notitiam Deitatis gradatim conscenderet? Et inferiùs, *Non existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo, quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit.* Et hæc in primum incarnati Verbi momentum cadunt. Brevitati consulo ne plura congeram. 7. Et ipsi sacrarum literarum contextus quibus innititur Fulgentius, prout ab eo etiam explanantur, non ætatis progressu augescentia, sed primo jam inde ab ortu collata congestaque in humanitatem Deitatis omnia ornamenta contestantur. Id genus sunt hæc: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Denique: *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* 8. Cùm ergo Fulgengentius l. 1. ad Trasimundum id moliatur unum, ut adversus Arianos & animam à Christo humanam ablegantes, & Deitati vices animæ defungenti ignorantiam imputantes, ex adverso ipse & animam Christo humanam adserat, & ab ignorantiæ criminatione vindicet Deitatem Verbi: expeditissimum fuit & obvium causæ suæ compendium, ut ex illa ipsa quam Ariani obtendebant ignorantia, animam abstrueret, Deitatem emacularet, & suis ipsos armis adversarios confoderet. Itaque fidei perduelles suis ipsos retibus illaqueat, & ignorantiam ex qua Deitati depulsa anima insidiabantur, arripit ipse, astruitque & revocandæ animæ & Deitati propugnandæ. Non ergo ex animi sui sententia, nec ex rato sibi, fixoque judicio, sed ex adversariorum placito argumentatur Fulgentius. 9. Si contentiosiùs instes, disertè verbisque conceptis, nec ex aliena tantùm, sed & ex sua concessione ignorantiam ab eo affingi Christo, respondeo iterum ignorantiam illam simulatam, quæ celandam primùm sapientiæ intimæ plenitudinem, & deinceps paulatim per ætatum gradus promendam experiundamque obumbrabat, & consilio Fulgentii adversus Arianos ibi præliantis abundè sufficere, & cum reliquo ejus alibi dogmate consentire. Nam ignorantia quædam fuit umbratica, cùm tanquam nescius & ignorans tandiù se suaque facta componeret, & nec cibos ipsos infantiæ suo, sed materno delectu assumeret. Denique ut proficiebat sapientia, quia majora in dies edebat argumenta latitantis sapientiæ: ita ignorabat & deficiebat sapientia, cùm ab iis sapientiæ edendis documentis sese continebat. Si ibi proficitur, hìc deficitur; si ibi scitur, hìc nescitur. Porrò hæc obumbrata ignorantia satis habet momenti ad animam astruendum Christo. Nam quæ sunt animæ propria non effingeret, si animæ vacuus esset: non fucum faceret veritas, nec, exanimis si esset, animam ementiretur.

IX. Purgatur & Hilarius. L.9. de Trin. Hilarius jam ipse quoque excutiendus venit: *Non ergo quia nescire se diem & momentum Filius dixit, nescire credendus est. Sicuti neque cum secundum hominem aut flet, aut dormit, aut tristis est, Deus obnoxius esse aut lacrymis, aut somno, aut timori est confitendus. Sed salva unigeniti in se veritate, secundùm carnis infirmitatem, fletum, somnum, inediam, sitim, lassitudinem, metum pati necesse est; & secundùm hominis naturam diei atque horæ professus est inscitiam.* Ita concludit Hilarius, cùm quæstionem illam prolixè & accuratissimè pertractasset. Cæterùm ex his ejus verbis qui animam Christi ab eo ignorantiæ subjugatam augurantur, perfunctoriè nimis & oscitanter tanti doctoris sensa & latebras quas frequens captat, videntur perlustrasse. Nam animam Christi ipsam diei extremæ præsagam consciamque fuisse, & perinde omnis inscitiæ alienissimam, quanquam non ex innata hominis naturæ luce, sed ex superfusa Deitatis sapientia id esset consecuta, ex omnibus Hilarii argumentis quæ plurima eo libro coacervat, jam palam facere aggrediar. Inscitiam enim iis à Verbo Deo rationibus abstergit, quæ & hominem assumptum, non vi humanitatis, sed ut divinis perfusum prærogativis complectuntur. Ac

Primò quidem cùm cogitationes hominum non exortas tantùm, sed præseminatas & mox ebullituras prævideret Christus, arguit & diem judicii à se faciendi præscisse, ne alieni quàm sui sagacior aut curiosior fuisse videatur. At illa cogitationum suis in lustris adhuc latitantium præsaga scientia, non Dei tantùm, sed & hominis erat Christi. *Sciebat Jesus ab initio qui essent non credentes, & qui esset traditurus eum. Naturæ ergo ejus virtus quæ cognitionem rerum non extantium capit, & quiescentium adhuc animorum subituras inquietudines non ignorat, id quod per se, intraque est, nescisse existimabitur, & alieni potens, impotens sui esse?*

Secundò, ex eo quod omnis plenitudo habitet in ipso, & per eum reconcilientur omnia, ait non posse nesciri ab eo diem absolutissimæ reconciliationis, seu extremi judicii. At plenitudo habitat in Christo homine; reconciliandi partes sustinet Christus homo. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso. Cùm igitur omnis in eo sit plenitudo, & omnia per ipsum & in ipso reconcilientur, & dies illa reconciliationis nostræ expectatio sit; hanc ille diem ignorat, cujus & in se tempus est, & per sacramentum ejus est?*

Tertiò, dies illa solemni appellatione identidem vocitatur dies Domini, an ergo Dominus nescit diem suum? At dies Domini, est Domini Christi, seu Verbi ut inhumanati dies, potestatem enim judicandi accepit à Patre, quia Filius hominis est. An ergo Christus homo diem Christi hominis nescit? Alio potiùs quocumque nomine insigniendа fuerat dies illa, quàm ut dies Domini nesciretur ab ipso, cujus esset dies, cùm naturæ omnes aliæ tam solertes & oculatæ sint suis in rebus præsagiendis. *Nemo quod per se & intra se est, nescit. Christus aderit, & adventus sui diem ignorat? Dies suus est secundùm eundem Apostolum, quia dies Domini sicut fur nocte adveniet, & ignoratione ejus detineri intelligendus est? Humanæ naturæ quod agere diffiniunt, quantum in se est, præsciunt, & sequitur gerendorum cognitio voluntatem agendi; Deus verò natus, quod in se & per se est, nescit?*

Quartò, in ipsum Patrem Verbi Deum redundaret invidia, si Filio unigenito scientiam illius diei invidisset; cùm vel maximè mortis oppetendæ diem ipsum non celaverit. At Pater est Deus unigeniti sui secundùm utramque substantiam, divinam & humanam: ergo & secundùm utramque adsciscendus fuit Filius in conscientiam consiliorum omnium, & illius maximè diei, à quo consiliorum omnium momenta & cardines pendent. Item diem horamque passionis suæ præscivit Christus homo, ergo & gloriæ suæ diem præscire debuit. Subiniquum videlicet fuerit, ignominiæ & crucis diem scien-

ſcientia antevenire, & quodammodo anticipari: nec ſimiliter eum diem certa præſumi atque prægustari conſcientia, quo crucis ignominia inenarrabili gloriæ fœnore compenſabitur. *Jam verò quanta impietatis geminatur occaſio! Præter infirmitatem Chriſti etiam Deo Patri deputabitur vitium, ut Unigenitum ſuum & dilectionis ſuæ Filium, diei hujus cognitione fraudaverit, malignitatiſque affectu ſcientiam futuræ conſummationis inviderit. Et cùm non ignorabilem ei eſſe diem paſſionis & horam voluerit, diem virtutis ejus & clarificandi in Sanctis ſuis horam negaverit, & ademerit beatitudinis cognitionem, cui mortis indulſerit præſcientiam? Humanæ iſtud conſcientiæ non poteſt ferre trepidatio, ut hoc ſibi de Deo præſumat arbitrium, & ei vitia humanæ demutationis adſcribat, ut aut aliquid Filio Pater deneget, aut aliquid Deus natus ignoret.*

Quintò, intererat ad ſalutem hominum, ut ab iis dies ille occuleretur, ut expectationis incerto ſuſpenſi, ne mandatæ ſibi operæ indormiſcerent, ſed inſomnes excubarent. Num etiam ut Chriſto homini celaretur, vel ejus vel noſtra intererat? num & illi, ne ſecuritas fraudi eſſet, verendum erat? Sed quia Chriſtus homo ſacramentum humanæ totius eſt naturæ, perſonamque prægeſtavit Eccleſiæ ſuæ; idcirco ſicut venit in ſimilitudinem carnis peccati, ita venit & in ſimilitudinem animæ neſcientis: Nam peccati proles eſt inſcitia & parentis comes individua. Utraque peſte laborabamus: utriuſque non veritatem, ſed imaginem & ſimilitudinem, conjunctamque cum ſimilitudine infamiam ſubiit Chriſtus homo, in noſtri ſacramentum & remedium. Utque ex ſimilitudine carnis peccati, veram ejus carnem extitiſſe ominamur, ita ex ſimilitudine animæ ignorantis, veram ejus animam humanis animabus conſubſtantivam conjectarunt ſancti Patres, etſi tam ab ignoratione abſit procul ejus anima, quàm caro à peccati contagione. Sed quia ſacramentum Eccleſiæ univerſæ erat Chriſtus, quamlibet alienus ab inſcitia, ſimilitudinem inſcitiæ ſibi obumbrabat, ut nobis neſciendum diem illum, non verboſo, ſed ſubſtantivo magiſterio ſuo intimaret. Et ita videtur Paulus admonuiſſe cùm ait, *In agnitionem ſacramenti Dei & Patris Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*. In Chriſti ſacramento, aut potiùs in Chriſto ſacramento affirmat eſſe theſauros omnes ſapientiæ & ſcientiæ, ſed abſconditos. Abſconditos nempè, quia ſacramentum eſt, & perſonam interim præludit Eccleſiæ, cui occulenda tantiſper ſunt illa arcana. Audi Hilarium: *Deus Chriſtus ſacramentum eſt, & omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauri in eo latent, &c. Sed meminiſſe nos convenit occultos in eo iſtos ſcientiæ theſauros eſſe: neque idcircò quia occulti ſunt, non ineſſe; cùm per id quod Deus eſt, in eo inſint: per id verò quod ſacramentum eſt, occultentur.* Et infrà: *Et quia ſacramentum ipſe eſt, videamus an in his quæ neſcit, ignorans ſcit.* Pergit ex Scripturis oſtendere, videri Deum quandoque neſcire quæ interrogat, quæ non noſſe ſe ait, quæ modò ſe noſſe ait, quaſi priùs ſibi incomperta: non quò hæc neſciat, ſed quò taceat, & neſcire Dei tacere ſit. *Quanquam igitur non obſcurum ſit, ignorationem Dei non ignorationem eſſe, ſed ſacramentum, dum per diſpenſationem agendi, aut proteſtandi, aut demonſtrandi, ſic neſcit, ut ſciat, & ſic non neſcit, ut neſciat, &c.* Et infrà: *Si itaque dum Filius ſecundum ſacramentum neſcit, ut taceat; è contrario neceſſe eſt ideò diem Pater ſolus oſtendatur ſcire, quia non tacet.* Et aliquantò poſt: *Filius itaque diem idcircò quia tacet, neſcit, & Patrem ſolum idcircò ſcire ait, quia ſolus uni ſibi non tacet.* Non ergo neſcit, ſed tacet diem illum, & tacet quia ſacramentum eſt, & ſacramentum eſt, quia homo eſt; ſicut ait ibi: *Ut in naturæ demutabilis ſuſceptione ſacramentum eſſet.* Referebat enim non neſciri, ſed taceri à Chriſto homine hominibus diem illum.

Sextò, unde cùm reſumptus à mortuis aſſertuſque immortalitati Chriſtus homo, deſtitit mortalium membrorum ſuorum perſonam geſtare, nec jam Deitatem in ſacramento hominis detinuit, ſed hominem in lucem rapuit Deitatis, non jam ſe neſcire ait diem illum, ſed Eccleſiæ neſciendum fidenter indicit. Non eſt veſtrum noſſe tempora, &c. Nec aliter Apoſtoli interpretati erant cùm ſe neſcire ajebat, niſi quòd tempus tacendi prætenderet; unde quaſi poſt reſurrectionem jam effluxiſſet tempus tacendi, iterata ſciſcitatione laceſſunt. Cùm hæc tradit Hilarius, ignorantiam ab homine etiam Chriſto amandat, nam etiam à mortuis redux, homo tamen erat, & quòd ad corpus quidem attinet, per reſurrectionem innovatus & in jura Deitatis aſſertus eſt: quod ad animam verò ſpectat, non ita conſtat, quid novorum ei acceſſerit Deitatis ornamentorum. *Ipſi certè nunc poſt reſurrectionem de temporibus interrogant, quibus antè ignorantibus dictum eſt, ne Filium quidem ſcire. Nec videri poſſunt ſecundum aurem intellexiſſe, neſcire Filium, cùm ipſi eum tanquam ſcientem rurſum interrogent. Sed ſacramentum neſciendi, diſpenſationem intelligentes eſſe tacendi, nunc poſt reſurrectionem loquendi tempus jam arbitrantes eſſe, interrogant. Atque illis Filius non jam ſe neſcire ait, ſed quod ſcire non ſit eorum, quæ Pater in poteſtate ſua poſuerit. Si itaque Apoſtoli hoc quod neſcit Filius diem, diſpenſationem eſſe intelligunt, non infirmitatem; nos Filium ob id tantùm diem dicimus neſcire, &c.* Advertis, ut non neſcientia hæc Chriſti hominis fuerit, ſed diſpenſatio & ſacramentum tacendi. Tacere autem æquè poterat & digniùs poterat quod ſciret. Imò non taceret niſi quod ſciret. Nam ſi neſciret, non taceret, ſed neſciret. Si neſciret, non ſacramentum eſſet neſciendi, ſed neſcientia.

X. Purgatur, & Ambroſius, ne quid ignorantiæ adſcripſerit Chriſto homini. L. 2. de fide c. 4.

Ambroſio nunc ſtudii operæque nonnihil impendendum eſt, ut ab inconſtantia ſaltem eximatur; qua viſus eſt nonnullis nunc exploſiſſe à Chriſto homine ignorantiam, nunc ſupiniùs ſe egiſſe. *Mihi prodeſt ſcire quia propter me Chriſtus ſuſcepit meas infirmitates, mei corporis ſubiit paſſiones, pro me peccatum, hoc eſt pro omni homine, pro me maledictum factus eſt; & pro me atque in me ſubditus atque ſubjectus, pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me ſervus, pro me filius ancillæ, pro me diem judicii ignorans, pro me neſciens diem aut horam. Nam quomodo poſſet diem neſcire, qui diem fecit & tempora? Quomodo poſſet diem ignorare judicii, qui & horam judicii futuri expreſſit & cauſam? Factus ergo maledictum, non ſecundùm divinitatem, ſed ſecundùm carnem.* Hinc venantur occaſiones imputandæ Ambroſio veriùs ignorantiæ. Sed ut alia interim Ambroſii loca differam, quibus apertior fiet ejus ſententia, hunc ipſum obiter excutiamus. Primò igitur diem judicii ignorans ibi dicitur Chriſtus, ſed & vitis, & lapis, & agnus ibidem: quid ſi tam impropriè illud quàm iſta? An licet ſententiam authoris captare ex loco, qui totus metaphoris contexitur? Secundò dicitur Chriſtus pro me diem judicii ignorans: ſed dicitur etiam pro me peccatum. Quid ergo ſi ut peccati ſolam induit ſimilitudinem, ita & ſolam ignorantiæ ſpeciem & imaginem? Tertiò dicitur Chriſtus non neſcire diem judicii & horam, *qui ejus & horam expreſſit & cauſam*. At horam cauſamque expreſſit Chriſtus homo humano ore: an ergo nec ipſa quæ loquebatur, intelligebat?

XI. Iterum de eodem. L. 5. de fide c. 8.

Rurſus ex Ambroſio illud objectatur: *Medium utique nomen eſt Filii. Nam & filius hominis dicitur, ut ſecundum imprudentiam aſſumptionis noſtræ diem futuri judicii neſciſſe videatur.* At eo ipſo capite inculcatiſſimè tradit Ambroſius, nec ab homine Chriſto diem illum ignorari potuiſſe. Nam

Nam primò verba ipsa quæ objectantur in ignorantiæ patrocinium, non habent, quòd nescierit, sed quòd nescire visus sit. Nam similitudinem ignorantis animæ, ut & carnis peccatricis assumere, non erat nisi veri hominis, nequaquam autem Deitatis. 2. Hoc ipsum paulò ante calcem illius capitis disertissimè pronunciat Ambrosius, nam cùm eorum retulisset opinionem, qui quà hominem nescisse, quà Deum scisse diem judicii sentiebant, subdit: *Hæc alii sentiant, ego autem, &c. arbitror quòd Filius qui cum hominibus conversatus est, & hominem egit, & carnem suscepit, nostrum assumpsit affectum, ut nostra ignorantia nescire se diceret, non quòd aliquid ipse nesciret. Nam etsi homo in veritate sui corporis videbatur, erat tamen vita, erat lux, &c.* Expressè ergo negat filium hominis nescisse, etsi nescisse se dixerit; ignorantiam ergo umbraticam & sacramentalem intelligit Ambrosius, quatenus figuram & personam gestans Ecclesiæ, *nostra ignorantia nescire se dicebat*, non sua. Ergo & priùs ubi dixit, *visum esse nescire*, non existimavit, quòd nescierit, sed quòd nescire visus sit. 3. Quin imò ne visus quidem est nescire Apostolis; etsi nescire se dixerit. Suspicati enim sunt non nesciendi, sed tacendi esse dispensationem; unde redivivum ab inferis, redivivâ pulsant iterum curiositate: ut eodem capite tradit Ambrosius. *Ipse Dominus interrogatus ab Apostolis, qui utique non sicut Arius intelligebant, sed Filium Dei futura scire credebant, nam nisi hoc credidissent, nunquam interrogassent, &c. Non est vestrum scire tempora, &c.* Ergo etsi nescire se dixerat primùm Christus, non tamen nescire visus fuerat Apostolis, jam nimirùm olfacientibus mysteria & sacramenta illi familiaria. 4. Ambrosius ipse probat Christum hominem non ignorasse, eo quòd dixerit, *Non est vestrum nosse tempora, &c.* nec dixerit, Non est meum aut nostrum. Nam etiam tum Christus homo erat. *Non est vestrum. Vestrum dixit, non meum.* Subiicitque nec Apostolos ipsos nescisse, unde Paulus, *De temporibus & momentis non habetis opus, ut vobis scribamus.* Ad quæ Ambrosius ita commentatur: *Itaque ne Apostolus quidem Christi servus dixit, se nescire momenta, sed non opus esse doceri populum.* An usque adeo obtusum aut sui disparem libet Ambrosium fingere, ut quæ Christo abrogaverat, eodem capite Apostolis indulgeret? 5. Quin etiam probat apprimè compertum fuisse homini Christo diem illum, ex eo quòd signa & circumstantias omnes prædocuerit. *Nunc consideremus quibus modis scientia colligatur, & ostendamus ipsum Filium demonstrasse, quod & diem sciret. Quod enim scimus, aut tempore, aut loco, aut signis aut personis declaramus, ordine. Quomodo igitur nescivit judicii diem, qui & horæ judicii & loci signa expressit?* 6. Arcanum hoc taceri, non nesciri à Christo conducebat nobis, ut ait idem ibidem; *Scivit ergo omnia. Sed quæramus qua ratione designare momenta noluerit. Si quæramus, non ignorantiæ inveniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat, ut dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, &c.* 7. Sed quid manifestius his tandem Ambrosii verbis? *Mavult Dominus nimio in discipulos amore propensus, pendentibus his quæ cognitu inutilia judicaret, videri ignorare quod noverat, quàm negare.* Et mox nimiæ notat audaciæ eos, qui ignorasse ut hominem dictitabant, seque ab eorum opinione longè abhorrere profitetur, etenim sibi Christum, etsi hominem, sed lucem & vitam esse. Non ergo hæc est Ambrosii inconstantia, sed Ambrosii interpretum oscitantia.

XII. De eodem. Nescientia igitur Christo homini adscribenda utique est, sed qualem scripturæ, qualem interpretes scripturæ sancti Patres, qualem denique ipsa hominis assumpti dignitas adscribi patiuntur, œconomicam, sacramentalem, prout Ecclesiæ universæ personam sustinebat, & consecrabat, & non dissimilem ejus similitudinis carnis peccatricis, quam subivit, sicut nec peccati dissimilis est ignorantia. Ex hac porrò ignorantia & dignitas Christi hominis defensatur, & Verbi prospicitur Deitati, & anima in Christo humana esse propugnatur. Et in causa in primis hoc fuit, quamobrem hanc ignorantiam Christi exaggerarent sancti Patres quandoque: quò nimirum unde Ariani insidias struebant Deitati Christi, hinc sospite Deitate, animæ ejus quam illi evertebant, defensio pararetur. Id fuit consilii Fulgentio ad Trasimundum scribenti ut supra, & Ambrosio.

Ne solus autem prætermitti videatur Augustinus, sic ille: *Potest & ipse dies adventus Domini rectè numerari inter occulta Filii. De illo enim dictum est, quod nemo eum sciret, neque Angeli, neque virtutes, neque filius hominis. Quid ergo tam occultum quàm id quod ipsi etiam judici occultum esse dictum est, non ad cognoscendum, sed ad prodendum?* Et alibi: *Quia verò Dominus noster Jesus Christus Magister nobis missus est, etiam filium hominis dixit nescire diem illum; quia in magisterio ejus non erat, ut per eam sciretur à nobis. Neque enim aliquid scit Pater, quod Filius nescit, cùm ipsa scientia Patris ille sit, qui sapientia est ejus. Est autem sapientia ejus Filius ejus, Verbum ejus. Sed quia nobis scire non proderat, quod quidem ille noverat, qui nos docere venerat, non tamen hoc quod nobis nosse non proderat; non solùm sicut magister aliquid docuit, sed sicut Magister aliquid non docuit. Tanquam Magister enim sciebat, & docere quod proderat, & non docere quod oberat. Sic autem quodam genere locutionis nescire Filius dicitur quod non docet, ideò nescire dicitur, quòd nescire nos facit; quomodo quotidiè loquimur. Lætum enim diem dicimus, quia lætos nos facit, & tristem diem, quia tristes nos facit, & pigrum frigus, quia pigros nos facit. Quomodo dictum est à Domino, Nunc cognovi. Dictum est Abrahæ, Nunc cognovi, quòd timeas Deum. Hoc Deus noverat, & ante illam probationem.* Vides quàm multiplex hinc succurrat præsidium ad suam Christo homini vindicandam omnium scientiam. Nam quia Magister nobis instructus est ut homo, nihil quidem nescit, cùm sit sapientia & scientia Patris; sed nescit, quæ non prodit, quia offutura: nescit, quæ docere nescit, quia docere nequit, nisi ut prosit: nescit, ut Deus nescit, vel noscit, quia nescire aut noscere nos facit. Parco plura contexere ex Augustino.

XIII. Idem ex Augustino confirmatur. In Psal. 9. In Psalm. 36. Conc. 1.

Vide & in Ps. 101. & in Ps. 109. & l. 1. con. Adv. Leg. & Proph. & l. 1. de Trin. c. 12.

Nec Chrysologus ab hoc suffragatorum examine depellendus est, qui omnium scitissimè ex interrogationibus Christi ejus scientiam prodit. *Quis tetigit vestimenta mea? Dum interrogat, velut ignorantiam profitetur. Exisse virtutem de se sentit: ad quam exierat, nescit? Quod præstiterat, novit: cui præstiterat, ignorat? De persona dubitat, qui certus est de salute collata? Verum non ignorantis errore, sed majestate Dominus hic scientis, & præscientis interrogat: nec quod occultum sibi esset requirit, sed & ipsum sibi benè esse cognitum sic demonstrat, dum taliter quærendo, cunctis ignorantibus solus aperit, quod latebat. Interpellatricem tacitam & suggerentem cogitationibus solis, ac post tergum virtutis suæ consiliis adhærentem, non ut discussor nescius, sed ut præscius inquisitor producit in medium, &c.* Acutè ut assolet, suspiciones ignorantiæ retorquet in scientiæ demonstrationem.

XIV. Chrysolog. Serm. 36. 64.

Anselmus suo quoque calculo omniscientiam Christi etiam in puero, etiam in utero matris confirmabit. *Cur non similiter poterit ille homo esse verè ignorans, sicut verè mortalis erit?* Ad quod respondet: *Illa hominis assumptio in unitatem personæ nonnisi sapienter à summa sapientia fiet. Et ideò non assumet in homine, quod nullo modo utile, sed valdè noxium est, ad opus quod idem homo facturus est. Ignorantia namque ad nihilum illi utilis esset, sed ad multa noxia. Quomodo enim tot & tanta opera*

XV. Anselmus ut omnem à Christo ignorantiã ablegat. L. 1. Cur Deus homo. c. 13.

quæ

quæ facturus est, faciet, sine summa sapientia; aut quomodo illi homines credent, si eum sciant nescium? Pergit argumenta in eundem scopum jaculari: *Deinde si nihil amatur, nisi quod cognoscitur, sicut nihil erit boni quod non amet, ita nullum bonum erit, quod ignoret. Bonum autem nemo perfectè novit, nisi qui illud à malo scit discernere: hanc quoque discretionem nullus scit facere, nisi qui malum non ignorat. Sicut igitur ille de quo loquimur, omne perfectè sciet bonum, ita nullum ignorabit malum. Omnem ergo habebit scientiam; quamvis eam publicè in hominum conversatione non ostendat.* Cùm urgetur autem, quid tantùm sapientiæ ad infantem, reponit: *Sapienter assumet Deus mortalitatem, qua sapienter, quia valdè utiliter utetur. Ignorantiam verò non poterit assumere sapienter, &c.* Et tandem concludit: *Ut breviter absolvam quod quæris, ex quo homo ille erit plenus Deo, semper in seipso erit, unde nunquam erit sine ejus potentia, & fortitudine, & sapientia.*

Aggeravit, ut vides, Anselmus complura, eaque peregregia in unum cumulum tela, quibus omnem à Christo etiam in exortu sui primo profligaret ignorationem. 1. Quòd mortalitas in salutis nostræ pretium assumpta sit, ignoratio autem nullius pretii aut momenti futura erat. 2. Quòd sapientia nihil assumpserit nisi sapienter, ignorantia autem nec sapienter assumi, nec à sapientia assumi potest, ut nec lux à tenebris. 3. Quòd ignorantia Magisterio Christi offutura mirum in modum esset, nam quis nescienti fidem adjiceret? 4. Quòd ignorantia ipsi Christi detrahat sanctitati & charitati. Nam si quod ignoret seu bonum seu malum, non satis nec pro sua dignitate, aut illud amando exosculari, aut istud odio execrari poterit. 5. Quòd ex quo homo ille fuit Deus, invasit hominem Deitas, hoc est, mentem sapientia ipsa. Quid nesciat autem mens, quæ omnium scientia & sapientia formatur?

XVI. Bernardus item. Nec effugiet luculentus Bernardi textus ex hom. 2. de laudibus B. Mariæ, ubi profectum Christi in sapientia ita exponit, omnis ut præeuntis inscitiæ suspicio expungatur: *Nam quod de sapientia & gratia hìc dictum est, non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accideret, quòd antè non haberet, sed quòd accidere videretur, quando volebat ipse, ut videretur. Tu homo cum proficis, non quando, nec quantum vis proficis: sed te nesciente, tuus moderatur profectus, tua vis disponitur. At verò puer Jesus qui disponit tuam, ipse disponebat & suam; & quando volebat, & quibus volebat, sapiens apparebat; quando & quibus volebat sapientior; quando & quibus volebat sapientissimus: quanquam in se nunquam esset nisi sapientissimus. Similiter & cùm semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat.* Ita ille ea sapientiæ, quæ & gratiæ incrementa, Christo infanti adscribenda ex Evangelii authoritate philosophatur. At quis nisi Nestoriana intinctus fuligine reapse gradatim grassatum esse Christum senserit ad summum gratiæ & sanctitatis culmen, & non in ipso sanctitatis fastigio, atque in ipsa ut ita dixerim purpura Deitatis natum esse? Ergo cùm sapientia & gratia passibus æquis progrediantur, ita omnem in exortu suo primo consecutus est sapientiam, ut & gratiam.

XVII. Titus Bostrens. Sed quia Græcis magis adhæsit suspicio irrogatæ Christo homini ignorantiæ, reflectatur ad eos disputatio, & nonnullos qui imprudentibus nobis propè exciderant, sciscitemur. Titus Bostrensis (In Comm. in Ev. Lucæ.) hæc habet: *Implebatur sapientia & gratia, non quòd ejus accessionem ullam caperet: semper enim ex divinitate quod plenum & perfectum est habebat: verùm ideò quòd Deus Verbum unà cum corporis ætate, paulatim sapientiæ atque gratiæ ostensionem explicaret.*

Isidorus Pelusiota: *Consummationis, inquiunt, diem Dominus ignoravit. Absit. Verùm inutiles quæstiones explicare recusabat. Alioqui quonam pacto diem & horam ignorare poterat sæculorum effector, in quo omnes thesauri sapientiæ siti sunt? Non erat ignorantis ipsa diei extremi signa & terrores prædicere, eumque velut præsentem certis notis atque indiciis describere.* Vides, ut constanter defendat non nescisse Christum hominem, quod effector sit sæculorum, quod omnibus refertissimus sit thesauris sapientiæ Dei: quo nomine, non hæc tantùm extremi judicii, sed alia æquè omnis ignorantia aut scientiæ defectio propulsatur. XVIII. Isidorus Pelus. L. 1. Ep. 117.

Atque ut eo me referam unde exorsus sum, & ad antiquiores majorumque gentium Patres redeam, Gregorius ipse Nazianzenus fundamentum adstruit orthodoxi hujus dogmatis, cui reliqua inædificantur omnia. *Proficiebat ut ætate, ita etiam sapientia; non quod hæc in eo incrementum caperent. Quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse poterat? Sed quod hæc paulatim detegerentur, & elucerent.* Et paulò explicatiùs alibi: *Si quis eum ex operibus perfectum fuisse, aut post baptismum, vel resurrectionem à mortuis in Filium adoptatum dixerit, quemadmodum quos Græci ascriptitios inducunt, anathema sit. Neque enim id quod initium habuit, aut proficit, aut perficitur, Deus est; tametsi hæc de eo dicantur, quod paulatim sese patefecerit.* Ubi non illud tantùm animadverti velim, quod profectum Christi in sapientia citra ullum prioris in eo sapientiæ defectum commentetur: sed hoc etiam atque etiam mandari animo, altissimèque infigi, quod summa & caput est hujus universæ de Christi scientia lucubrationis nostræ, & tentati quantum fas erit in Fulgentii sententiæ Patrocinium operis; Quod videlicet tam profectus quàm defectus seu sapientiæ seu gratiæ vel quicumque alius à Deo alienissimus sit, à Deo inquam vero, seu natura illum, seu persona Deum esse confiteamur. Non potest enim non absolutissimè perfectus esse Deus, adeoque tam proficere non potest, quàm nec defecisse. Ideò anteambulones quosdam Nestorii jam tum exagitat, & proscribit Nazianzenus, qui per vera sapientiæ incrementa Christum non sustollebant, sed præcipitabant. Cùm enim ad ampliorem sapientiam progredi videbatur, reapse à divinitatis vertice retro & in præceps labebatur. Nam Deus non est qui perficitur, quia qui perficitur, perficiendus cùm erat, deficiebat. XIX. Nazianzenus iterum. Orat. 20. Orat. 51.

Porrò nonnullius operæ fuit pretium, paulò curiosiùs atque prolixiùs expendere sententias Patrum seu Latinæ seu Græcæ Ecclesiæ propè omnium, tum ut ipsis eximeretur ea obliquæ suspicionis nota, qua de Christi scientia minùs commodè minusque religiosè sensisse à quibusdam existimantur: tum ut sectariis in Calvini & Lutheri cœno sese volutantibus, & infanti pueroque Christo non multò dissimilem nostræ igorantiam impingentibus occurreretur: tum denique ut Leontio aliisque paucis Catholicæ Ecclesiæ Theologis qui sanctos Patres hac in parte sequiùs interpretati sunt, ne facilè omnes assentiantur. Nam quum in confinio Nestorianorum oberrent Agnoetæ, non facilè his acquievisse existimandi sunt sancti Patres, qui ab illis vel illorum præluforibus tantoperè abhorruerunt: horum autem errori cùm se adjungant Novatores nostri, Nestoriani veneni contagia ne sperent posse se usquequaque declinare. XX. Consensus Patrum quâ alienus ab Agnoetis priscis, novisque.

CAPUT VI.

In Fulgentii sententiam de omniscientia Christi beata & divina ampliùs inquiritur, ejusque fundamenta altiùs explorantur, percurrendo summa capita suprapositæ doctrinæ Patrum.

I. Videri possunt Patres plerique favere Fulgẽtio, dum docent proficereChristũ in sapientia nõ potuisse.

UNius Fulgentii constabiliendæ sententiæ, adstruendæque ad ejus mentem omniscientiæ Christi, navata hactenus à nobis opera videri potest. Nam expungere à Christo omnem ignorantiæ nubeculam vix ullus satis potest, nisi qui Fulgentio consentaneum se & suffragatorem præbuerit. Siquid enim anima illa minùs Deo scivit, hoc nescivit: siquid minùs in Deo vidit, hoc ignoravit: si quid nescivit, æquè diem judicii nescire potuit: si quid ignoravit, expugnare hanc ignorantiam, & proficere potuit: aut si ignoravit, & expungere ignorantiam proficiendo non potuit, sua illi offuit amplitudo, sua Deitas fraudi fuit. Conducibilius enim fuerit si quid perfectionis deficit, semper proficere, quàm ne novè proficiendo imperfectionem pristinam prodas, semper deficere. Atque ut quantum Fulgentio & Hugoni Victorino, in congestorum supra è sanctis Patribus testimoniorum authoritate, ad suæ sententiæ defensionem, præsidii sit, clariùs enitescat; libet hìc ad summa quædam capita revocare, quæ ex iis fusè supra & sparsiùs argumentati sumus. Illud porrò iterum atque iterum præfari & profiteri non pigebit, non obstinatè nos pro hac Fulgentii sententia certare, sed ejus fundamenta aperire conari, ut integrum deinde cuique sit suo frui judicio.

Primò ergo cùm tam unanimiter Patres conspirant, ne quid Christus unquam verè in sapientia profecerit, nullam planè sapientiæ aut scientiæ divinæ particulam illi detrahunt. Nam si quid ejus animam latebat divinæ omniscientiæ, ad id labore & industria eniti, quod nascendo non obtigerat, decori compendioque fuisset. Quopiam enim deficere, nec posse ad id proficere, aut virium inopiæ est, aut superbiæ jactantiæque. Non in laudem ergo, sed in vituperium Christi vergeret, si quapiam ipsum defecisse scientia, nec proficere tamen potuisse venditaretur.

II. Dum docẽt nõ profecisse nisi extrinsecus edendo majora.

Secundò, non proficere nisi ampliora in dies edendo latentis sapientiæ argumenta, ejus est, qui totam & nec ullis deminutam minutiis sapientiam complexus sit. Nam si quid intus desit, quid totus in externa propendet? si est quò ipse proficiat, eccur venditet se nonnisi aliorum profectibus crescere? Enimverò Dei unius est, nostris incrementis crescere, nostris augeri progressibus, non suis, quia plenitudo jam ipse est, augmenti profectusque nescia. At ubi non tota affluit plenitudo, ne illa subeat gloriatio. Gloriosiùs enim quàm veriùs, qui proficere ipse domi potest, extrinsecis aliorum profectibus crescere jactitatur.

III. Dum negãt profecisse, quia ab utero Deus erât.

Tertiò, cùm Nazianzenus, Cyrillus, aliique eò proficere Christum non potuisse conjectant, quòd ab utero Deus esset, quòd Deus non sit, qui proficit, & qui perficitur: vanissima sunt hæc omnia, & plumbeis pugionibus incessebantur hostes Ecclesiæ, si potuit Christus homo & Deus esse, & tamen non omnem Dei scientiam pro humanæ naturæ modulis exæquando, nescire aliquid aut minùs scire, ad idque proficere, aut amputata proficiendi spe, turpiùs deficere.

IV. Dum ajunt nõ nescisse dié judicii, quia lux & sapientia Patris est.

Quartò, cùm Athanasius, Augustinus, Ambrosius, aliique consentiunt Christum non nescisse diem judicii, quia lux, quia scientia, quia sapientia Patris est, & de homine tamen Christo verba faciunt, quid inde ad omnem aliam nesdientiæ umbram difflandam, præsidii accedat, nulli non patet. Nam quodcumque illam animam latuisse contenderis, seu in Dei substantia, seu in creaturæ natura, sive rerum extantium, seu in sola extandi possibilitate, æquè hanc latebram explorabit, illuminabitque lux & scientia & sapientia Patris. Aut non ideò diem illum scit, quia sapientia Patris est: aut æquè omnia alia scit, quia sapientia Patris est: ad omnia enim æquè valet vis & ratio sapientiæ, ut nihil omninò ipsam lateat.

V. Dum ajunt non nesci-r, quia omnium conditor est.

Quintò, cùm omnes propemodum vetant nescire diem illum hominem Christum, quia author & opifex est omnium, adeoque diei illius: quid amabo significant, nisi Deitatis prærogativas, & præ aliis omniscientiam cum homine assumpto esse communicatas?

VI. Dum insciẽtiá ab utraque promiscuè Christi natura propulsant.

Sextò, non ita anxiè satagunt plerique Patres naturas Christi discriminare, ubi de diei illius nescientia, vel de progressu in sapientia controversia movetur. Ut plurimum enim utramque naturam promiscuè habent, & nescientiam à Verbo Deo abstergunt rationibus ab humana exprompti natura; eandem aliàs ab homine assumpto ut depellant, iis argumentis dimicant, quæ à divinitate petuntur. Nihil diligentius hac indiligentia, si Fulgentio studeas, nihil hac incuria accuratius. Non enim ulla hìc auguranda rerum perturbatio est, sed immeationis inter naturas altissimæ, divinæque in humanam cum toto laudum suarum choragio illapsionis indubitatissima persuasio.

VII. Dum ajunt etiam humanam animam scire divinitus.

Septimò, eodem vergit, quod ajunt scire divinitus θεϊκῶς, nescire humanitus, ἀνθρωπίνως. Nam etiam anima illa scit θεϊκῶς. Eccur autem diem extremi judicii sciet ad hunc modum, nec reliqua perindè omnia sciet & videbit ad eundem modum? Si omnia autem quæcumque scit, scit θεϊκῶς, divinum in modum, quia Deus, prout Deus, ut Deum decet, quantum Deum scire decet: cui non persuassissimum est, ita scire illum omnia, ut nihil penitùs nesciat?

VIII. Dum ignorare Christi non aliud ajunt esse, quàm tacere.

Octavò, cùm ignorantiam Christi interpretantur, non infirmitatem nesciendi, sed sacramentum tacendi: cùm Christum hominem eo quidpiam nescire ajunt, quod non præstet nos scire; apertissimè ut videri potest, divinam omniscientiam Christo homini adserunt. Divinæ enim tantummodo omniscientiæ est, ut eò nesciat, quia taceat: eò nesciat, quia scientiam suam minùs impertiat.

IX. Dum in Deo etiam aucupantur aliqua verba ignorationem simulantia.

Nonò, si quid admiratur, si quid interrogat, si quid nescire se significat Christus homo, ne hinc arripiat aliquis occasiones illi obstrependi, illicò sancti Patres Scripturarum testimonia venantur, quæ Deum ipsum & admiratione correptum, & interrogationes iterasse, & nescisse quidpiam loquuntur. Quorsum hæc autem divinitatis exempla, nisi eadem omniscientia & Deo naturaliter insita, & homini Christo personaliter & substantivè indita, æquè utrobique periclitetur, eodemque clypeo contutanda sit?

X. Dum ajunt nostrum nõ esse, sed Christi, ut sciat abstrusissima paternæ potestatis arcana.

Decimò, illud singulari animadversione dignum monent, quòd Christus revectus ab inferis & immortalis ad Apostolos dixit: *Non est vestrum nosse momenta vel tempora, quæ Pater posuit in sua potestate*. Non enim ait, Non est meum, sed, Non est vestrum. Suum etiam ut hominis esse insinuat arcana Patris omnia perscrutari. Antea dixerat nesciri diem illum ab Angelis, nesciri à Filio, sciri à solo Patre. Hìc inculcat quòd Pater diem illum posuerit in sua potestate. Hac iterata contestatione plus satis demonstratur, vix abstrusius aut incomprehensibilius quidquam esse in Deo, quàm ejus diei notitiam. Nam quod nec Angeli sciunt, qui scientem omnia sciunt: quod Filius ipse quodammodo nescire potest dici, quia nonnisi per Patrem & in Patre scit: quod Pater posuit in sua potestate, & peculiare sibi esse voluit arcanum, ut solus sciret, id nemo non videt omnium reconditissimum esse. Exaggeratiùs sanè non potuit à Christo commendari illius diei incomprehensibilitas. Et tamen illum scire, cùm ait nostrum non esse, non dissimulat suum esse.

Unde-

XI. Diei illius extremæ arcanum quàm abstrusum:

Undecimò, non abs re erit huic argumentationi paulò diutiùs immorari. A nobis alicubi, frequenter autem à sanctis Patribus animadversum est, Incomprehensibile Deitatis Patrem esse; aut si mavis incomprehensibilitatem Deitatis Patri specialiùs & magis propriè adsignari. Quanquam enim omnia divinitatis communia sint tribus, nonnulla tamen singulis quasi specialia sunt attributa, uti eorum personali proprietati magis consentanea. Ut ergo Verbi est manifestare Patrem, propalare illum, quia imago, quia Verbum, quia species, quia facies, quia diffinitio ejus est: ita Patris est antecedenter in adyto Deitatis occultari, majestati suæ latibulum prætendere, lucem inhabitare inaccessibilem, nec nisi per Filium prodire. Ergo quòd solus Pater sciat diem illum, quòd illum Pater suæ potestatis & conscientiæ unius esse voluerit, id ejus prodit maximè incomprehensibilitatem. Rursum quia videri dies illa non in se, nec enim extat, sed in rationibus divinis & æternis potest, in quibus à beatis mentibus videntur, quæcumque videntur omnia, non usquam alibi Christus homo diem illum videt; nam utique videt. Porrò rationes æternas seu essentiam divinam ita contuendo pervadere, ut omnium in ea contextus sæculorum videatur, & ipse sæculorum finis atque cardo, quò collineant, unde religantur omnia, id unum fortassis est, quod Pater posuit in sua potestate, id inconcessum Angelis est, id comprehensionis divinæ quanta maxima naturis creatis potest obtingere, columen est. Illud autem homini Christo concessum est, ut profitetur ipse cùm ait, Non est vestrum, &c.

XII. Dum ajunt ita sapiĕtia crevisse, ut gratia, nempè ut intus crescere nõ posset.

Duodecimò, non aliter sapientia quàm gratia apud Deum & homines profecisse Christum consultò à Luca proditum advertunt sancti Patres, ut eadem nimirum gratiæ, quæ sapientiæ incrementa interpretemur; vel potiùs ut eandem sapientiæ atque gratiæ & sanctitatis copiam exundantissimam, omnisque nesciam augmenti perinde ac decrementi affluxisse illi intelligamus. Nam qui sanctum erat, qui sanctus Dei, qui vita, qui sanctificatio, ut sacræ litteræ commendant, qui tota Deitatis sanctitate formabatur, nulla ei præterea gratiæ aut sanctitatis accessio fieri poterat: cùmque gratia crescebat, non ampliùs abundabat ipse, sed in alios exundabat. Ergo similiter sapientia crescebat, cùm sapientiam in alios latiùs largiùsque diffundebat, quia sapientia Deitatis tota scatebat.

XIII. Dum scientiam Christi amplificant ex cœlu Verbi personæ, qui ad omnia æquè spectat, etiam possibilia.

Decimò tertiò, cùm Damascenus, Cyrillus, aliique testificantur divina donatam hypostasi humanitatem, nec in ignoratione extremæ diei, vel rerum extantium ullarum versari potuisse, nec se ad majorem scientiam crescendo protrudere: num divinæ hypostaseos prærogativa solam extremæ diei notitiam complectitur? num ad res extantes modò vel extantiam quandoque adeptas aut adepturas porrigitur? num ad possibilium arcanos thesauros non assurgit? num divinæ personæ census brevi rerum extantium modulo arctatur, & ibi deficit? Cùm divina hypostasis det esse Deum, suam secum adnectat dotem Deo dignam, omnium etiam possibilium perscrutationem.

XIV. Dum ajunt Deitatem Christi negari, si dicatur sapientia profecisse intus.

Decimò quartò, cùm Damascenus, Eulogius, aliique non ab ipso conceptus exordio Deum ab iis constitui Christum arguunt, qui quà hominem ignorasse ipsum quidpiam vel proficiendo ignorantiam ejecisse blatterant: non hanc vel illam, sed omnimodam inscitiam à Christo homine eliminandam demonstrant. Nam quodcumque nesciri ab ipso seu creatarum, seu creandarum, seu creabilium naturarum exceperis, eodem te impetam telo, si quid nesciebat aliquando, tum Deus necdum erat.

XV. Dum ajunt reviviscere Nestorium, si quid ignoret Christus.

Decimò quintò, ubi Damascenus merum incolatum Dei in homine, non hypostaticum nexum Dei cum homine invehi conqueritur ab iis, qui ignorantiæ fuligine Christum hominem oblinunt, totumque in iis reviviscere Nestorium: quid existimandum nobis superest, nisi non constare nexum hypostaticum, nisi reciproca naturarum immeatione, atque adeo totius Dei sanctitatis & sapientiæ in hominem assumptum transfusione? Nam quidquid ab anima illa nesciri causaberis, æquè & dies judicii & aliud quidpiam sospite fibula hypostaticæ unionis, ignorari ab ea poterit, & tota illa proruet verborum de Christo magnificentia.

XVI. Dũ docent omnia quæcumque habet Pater, & omnès thesauros sapientiæ, Christi esse.

Decimò sextò, cùm Cyrillus, Athanasius, Ambrosius aliique nesciri à Christo homine nihil potuisse præscribunt, quia omnia quæcumque habet Pater, ejus sunt; quia thesauri omnes sapientiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, non ab eo, sed in eo: nonnè hanc effusissimam & infinitam confirmant divinarum proprietatum refusionem atque restagnationem in naturam humanam? Hæc autem tam pertinet ad quamlibet aliam, vel scientiam inferendam, vel inscitiam dimovendam, atque extremæ diei. Nam non omnes thesauri scientiæ in eo sunt, si possibilium longè opulentissimi ab ejus conscientia absunt: non omnia Patris ejus sunt, si abstrusæ illæ, nec unquam in palam extrudendæ divitiæ, ne ejus quidem notitiæ permittuntur.

XVII. Dum ajunt Christũ non esse Participem sapientiæ, sed ipsã sapientiam.

Decimò septimò, cùm Damascenus aliique sanxerunt, non participem esse Christum hominem sapientiæ Dei, sed sui participatione alios locupletare, ab eoque ut fonte rivulos universum in orbem derivari, Fulgentio apertè suffragati sunt. Nam si sola novit extantia, partem ergo tantùm aliquam, & satis præ altera jejunam indeptus est, particeps ergo est, participans, non participandus, rivulique jejunitatem, non inexhaustam fontis plenitudinem præferens.

XVIII. Dũ docent fidei dedecus imminere, si Deo nostro ignorantiam illinamus.

Decimò octavò, inuri dedecus allegant fidei & pietati nostræ, si Deum nobis præstituamus, qui ignorantiæ labe aliqua offuscetur: cùm vel maximè primarium ejus in nos Dei beneficium, sit magisterium: quod corrumpitur omnino, fideique naufragio absorbetur, si quid nesciat, qui nescientiam nostram sanare profitetur. Quo argumento palam est nullam non Deo & Magistro Christo homini scientiam vendicari.

XIX. Dum ajunt nihil posse nesciri à mente Dei.

Decimò nonò, cùm Damascenus aliique negant nesciri quidquam posse ab anima Dei, à mente Dei, seu à mente Christi hominis, quæ revera mens Dei est, nonnè evidenter insinuant nullum limitem ejus omniscientiæ affigendum? Cùm enim eo sciat nomine, quòd mens Dei sit, eo sanè jure nec possibilium inaccessos creaturis meris specus nescire potest.

XX. Dum ajunt non nescire ipsum nisi in persona Ecclesiæ suæ.

Vigesimò, cùm Dionysius Alexandrinus, quæ nescit Christus, in Ecclesia sua, quia corpus ejus est, nescire ipsum causatur, nonnè ab omni penitus nescientia Christum summovet? Nam in Ecclesiæ suæ sacramento, & propter delicta sua se à Patre derelictum queritur, & Patri nequedum subjectus est, & à quibus demum alienissimus ipse est, eorum causam & ignominiam ultro subit. Sic ergo nescit quidpiam, ut peccat, ut Patri rebellat, non ipse qui caput est, sed ipse ut corpori suo membra, fideles suos coaptans.

XXI. Dum ajunt nihil latere posse Deum Prophetarum.

Vigesimò primò, in Christo ut Domino & Deo Prophetarum Andræas Cæsariensis nec fumum inscitiæ ullius hærere potuisse efficit. At Deus Prophetarum num quidpiam nesciet? num ea sciet duntaxat quæ & Prophetis denudata patent, præterita vel futura? Num ex his plurima tantùm sciet? Insignior ergo & oculatior Propheta fuerit, nequaquam autem Deus Prophetarum?

XXII. Dum ajunt nesciri diem judicii, quia non à se, sed à Patre scientiam ejus habet.

Vigesimò secundò, quòd nesciat Christus homo diem judicii, quia non à se, sed à Patre hanc haurit scientiam, id ipsi cum Verbi Deitate commune est. Et non pauci sanctorum Patrum indiscriminatim ajunt, nesciri ab eo, quia à Patre docetur,

quo

quo & homo & Deus Christus continetur. Commodiùs hæc Patrum doctrina cohæret, si scientiam cum substantia sua omnem & Deo Verbo Pater indere intelligatur dum æternaliter generat, & homini Verbo eandem cum substantia scientiam dum temporaliter incarnat; quia & hæc incarnatio illius generationis quædam est extrà propagatio.

XXIII. Dum ajunt Verbũ omnia scire, etiam in assumpta humanitate.

Vigesimò tertiò, eodem vergit quod scitè Cyrillus docet, non hominem assumptum quæcumque scit, instar Prophetæ, à Deo docente scire, sed Deum ipsum Verbum qua pollet ante inhumanationem, omnigena & incomprehensibili sapientia, eadem in anima assumpta pollere. Christi enim omnia ad hunc modum contemplatus est Cyrillus, ut humanitas accessionis instar habeat semper: principatus autem sit penes Verbum, ex eoque ipsi humanitati emolumenta ornamentaque divinitatis omnia multò copiosiùs accumulentur. Sed quia controversiæ hujus cardo in hoc vertitur maximè, ei quantum Deus dederit elucidando, libet incumbere paulò diutiùs, & ab alio capite rem ordiri.

CAPUT VII.

Fulgentii doctrinæ de omniscientia Christi beata & divina, fundamenta altiùs eruuntur.

I. Verbum Patris est species & imago plena.

Animadverti illud in primis par est, relucere in eo potissimum proprietatem Verbi Dei personalem, quod sit Verbum Patris, imago & similitudo Patris, species & vultus Patris Dei, manifestatio & definitio Patris. Quæ uno Verbi nomine includuntur omnia. Nam Verbum imago est & species & definitio ejus, cujus est Verbum. Per Verbum enim tanquam per definitionem describit se Deus Pater exprimitque tantùm, quantus à nullis creatis mentibus capitur. Per Verbum tanquam per speciem exhibet se contuendum fruendumque Deus & Pater mentibus beatorum, pro suo cujusque modulo. Per Verbum denique tanquam per imaginem sui peregrinantibus nobis in regione longinquitatis & dissimilitudinis, utcumque vi radiorum tenebras nostras irrumpens innotescit.

II. Verbum illabitur mẽti humanitatis assumptæ.

Cùm ergo menti intellectuali ἑνώσει & per eam animæ membrisque corporeis, adunatum plenissimè est Verbum Dei, usque adeò ut unam in personam cum ea coalesceret, totum indubitatissimè Verbum illapsum insertumque est illi tam beatæ menti, ut hanc unam sepositis aliis ex toto homine, interim perscrutemur. Nam nisi totum menti illi Verbum se infundat, ecquid nobis tam exaggeratè hæc adunatio decantatur? Non est eximia tantoperè unio, quæ non totum homini Deum contibulat. Non est hæc largitas & beneficentia Deitatis tanta, quantam venditant sacri codices, eorumque interpretes, sancti Patres. Non est hæc Dei in nos dilectio tanta, quanta prædicatur; majorem utique & cogitatione & voto complecti possumus. Sed nisi totum se menti illi Verbum infundat, ecqui in unam cum ea personam coalescet? Denique nisi totum se menti illi Verbum infundat adglutinetque, ecquid suffurabitur sui sibi? Nam unus Christus cum sit Deus & homo, atque una persona, si quid subtrahit sui, sibi subtrahit, seseque defraudat. Ut ne incurramus ergo in hæc discrimina, perfectus Deus Christus ut sit, prout perfectus homo est, tam tota Verbi Deitas infundatur humanitati, quàm tota divinitati Verbi subjugatur humanitas.

III. Hinc nihil Verbi fugit mentem assumptam.

Ergo cum Verbum totum id est, tota Paterna species, & sapientia, & manifestatio substantivè & in solidum menti illi infundatur, scit, sapit, videt illa mens totam sine ullo limite Deitatem Verbi, rerumque omnium tam possibilitatis sinu numquam emersurarum, quàm emersarum naturas & rationes æternas. Ex duobus quæ præfundavimus, quod Verbum ex proprietate personali sit species & imago Deo par, omniumque ratio sempiterna, & quod idem Verbum totum & in solidum illabatur menti Christi creatæ, ex duobus inquam his præjactis ante fundamentis, ultro erumpit hæc conclusio. Siquid enim vel Dei, vel creaturæ extantis, aut non extantis latet illam mentem, alterutrum consequitur æquè permolestum & salebrosum, ut aut illius ratio & species Verbo non contineatur, aut Verbum non ex toto se homini suo, vel sibi potiùs indulgeat. Non facilè emerges gemino ex hoc scopulo, quin vel deitatis vel dispensationis jacturam facias aliquam.

IV. Scitpt enim cujus specie & definitio impressa in mente vivit & radiat.

Nam seu creatæ, seu creabilis, seu increatæ naturæ quidpiam non sciat, non videat illa mens, an potest nescire mens, cujus speciem gestat? An potest non videre, cujus specie & imagine illuminatur? An potest ignorari res, cujus species & imago menti impressa vivit? An potest nesciri id, cujus ratio æterna in animo præsens & radiantissima circumfertur? Num si definitionem, rationem, speciem, formam rei cujuspiam in animo, in mentis sinu præsentem, viventem, lucentemque geras, eam rem poteris nescire? Quid ergo aliud est præterea venandum, ut scias? Aut quo alio profligari nescientia debet, quàm aucupanda combibendaque animo specie, forma, diffinitione & scientia rei sciendæ?

V. Verbo ut specie illustrantur & Beati, sed ut Verbi participes, ideo ex parte.

Nec me fugit vegetari etiam beatas Angelorum hominumque mentes Verbo, seu specie intelligibili, nec omnia tamen quæ hac specie continentur, illis repræsentari, aut sciri, conspicique. Sed non ex toto, non in solidum infunditur, suique copiam facit illis mentibus Verbum Deus. Efficit illas participes sui, non seipsum: nam earum quælibet Verbi hospes & particeps est, nulla earum Verbum est. Si participes tantùm Verbi sunt, partem ergo tantùm capiunt speciei summæ, non totum. Ex adverso igitur quia particeps Christus non est Verbi, sed Verbum, non ex parte, sed ex toto ebibet mente sua plenitudinem illius speciei.

VI. Ut Deus fiat homo Christus, tota imbuitur Deitate Verbi, hoc est specie & sapientia omnium.

Nec me fugit rursus eò pertinere hypostaticam unionem, ut homo sit Deus, & totus homo sit totus Deus, non ut homo videat totum Deum. Sed ut homo sit Deus & totus Deus, imbuatur oportet divinitate tota, eaque medullitus perfundatur & inebrietur, ex quo id nascitur incunctanter, ut videat totum Deum, & omnia in Deo seu extantia seu merè possibilia intueatur. Nam inebriari tota Deitate Verbi, id est, specie & imagine tota & æquali Paternæ Deitatis & ratione rerum omnium sempiterna, mens Christi humana non potest, nisi & totam Patris Deitatem & rerum omnium etiam mere possibilium rationes intueatur. Ex eodem igitur capite pendet & ut sit totus Deus, & ut totum videat Deum. Nam nisi mens illa inundetur tota Deitate Verbi seu tota specie Deitatis, rerumque omnium ratione, nec Deus erit, sed Dei particeps; nec totum conspiciet Deum, vel omnia in Deo, sed portionem. Si autem tota inundetur specie Deitatis, & rationum omnium ratione principe & exemplari, tum non Dei particeps, sed Deus erit; nec ex parte, sed ex toto & Deum & in Deo omnia pervidebit. Unio ergo hypostatica etsi eo principaliter destinatur ut homo sit Deus, ex consequenti id præstat tamen, ut & homo Deus totus totum videat Deum.

VII. Deus est veritas & sapientia tota mens ergo Christi seu Christus homo fit veritas & sapientia.

Idque enucleatius fiet, si sedulò attendas non aliter meliùs Deum nostris mentibus occursare, quàm ut infinitam quandam veritatem, ut omnigenam sapientiam, ut sanctitatem & justitiam incommutabilem. Ergo cum homo fit Deus, fit ille homo infinita veritas, fit omnigena sapientia. At amabo te, num potest mens fieri veritas ipsa infinita, nec veritatis tamen capere infinitatem? Num

potest

poteſt mens illa ita imbui impleríque omnigena ſapientia, ut fiat & ſit illa ſapientia, & aliquid tamen illius ſapientiæ non capere, non attingere? Num ignara veritatis mens, ſit & eſt veritas? An inops ſapientiæ eſt ſapientia? Quòd ergo incarnatio ad hoc pertineat, ut homo fiat Deus, hinc efficitur, ut convenienter ad hoc quoque valeat, quo homo videat totum Deum. Quia enim Deus eſt veritas ſui ſibi conſcia, eſt ſapientia ſui contemplatrix, quin imò quia Deus eſt vita ſui intelligens & diligens, eſt intellectio ſuimet, & dilectio vivens, & ſubſiſtens, & immutabiliter perennans, cùm mens hominis aſſumpti fit Deus, fit veritas ſui ſibi conſcia in totum, fit ſapientia ſui contemplatrix in ſolidum, fit vita ſui ex toto intelligens, diligenſque, fit intellectio & dilectio Deitatis vivens & infatigabiliter perennans. Cæterum jam obiter monui, mentis nomine hominem à me nunc intelligi, cùm dicitur mens aſſumpta fieri Deus, ſeu ſumma veritas.

VIII. Quid pleroſque abduxerit à Fulgentii ſententia.

Id rurſus lucidius fiet, ſi cauſam indigitavero, quæ à Fulgentii ſententia nonnullos abduxit. Imaginati ſunt enim exiſtentiam rei cujuſque ab ejus eſſentia differre: illam humanitati Chriſti interceptam, ejuſque in locum invaſiſſe hypoſtaſin Verbi: adeo ut non alia Deitatis dos quàm exiſtentia, ſequeſtratis ornamentis aliis omnibus, commodetur humanitati aſſumptæ. Ex hoc autem quòd exiſtentia Verbi ſolitaria, & præfocatæ exiſtentiæ humanæ vicaria indatur menti hominis aſſumpti, non facilè elicitur, quòd tota Verbi ſcientia & ſapientia eam in mentem corrivetur. Sed ut rixati philoſophos permittamus inter ſpinoſa illa eſſentiæ & exiſtentiæ dumeta, nobis viſi ſunt ſancti Patres exiſtentiam divinam humanitati Chriſti eo conferre, ſeu ad hoc hominem extollere, ut ſit & exiſtat Deus, quòd tota Deitas illabatur vegetandæ humanitati, quòdque hinc illa humanitas ad cenſum & jus ſubſtantivum Verbi pertineat, tanquam ejus acceſſio & accrementum. Ex hoc autem illapſu copioſiſſimo & infinito Dei in hominem, ſeu omnigenæ ſapientiæ in hominis mentem, quis non videt id conſequi, ut totam ſuo modo capiat ſapientiam, cui tota illabitur ſapientia?

IX. Minus operoſum ut homo Deũ totum videat, quam ut Deus totus ſit.

Ut enim quod alibi jam delibavimus, hìc rurſus obiter revocemus in mentem, non paulò operoſius eſt Deum eſſe, quàm Deum videre: non paulò incomprehenſibilius eſt, quò homo Deus ſit totus, quàm qui ab homine Deus videatur totus. Etenim eſſe ipſum pretioſius ubique eſt, ampliuſque quàm operari: illud quippe præit, hoc ſuccedit: illud radicis & ſtirpis vicem gerit, hoc ſurculi inſtar inde fruticeſcit. Hinc operatione tam crebrò ad illa contingimus, ad quæ ſubſtantivè aſſequenda, nihil ſpei ſubeſt, nihil virium ſuppetit, ne vota quidem audent. Operatio enim latiùs vagatur, quàm ſubſtantia, quaſi ſolatium ſubſtantiæ; ut quæ ſuis circumſcripta finibus eſt, nec ultra lineas ſpatiari ſinitur, operationes ſaltem ſuas quaqua verſum liberiùs jaculetur. Ergo perfecto & conſtituto hoc ſemel, quòd homo Deus ſit totus, non jam gravatè feramus Fulgentium ajentem, quòd ab illo homine Deus videatur totus. Latiùs enim patet operari, quàm eſſe: ſpatioſiùs poteſt homo videre, quàm exiſtere: capacior eſt mentis acies, quàm ſubſtantiæ ſinus: plura poteſt capere complectique facultas animæ, quàm ſubſtantia.

X. Nec tamen comprehendit Deitaté humanitas, vel eſſendo, vel videndo.

Nec me præterit quàm ſolidis & inconcuſſis tum Patricia olim Philoſophia, tum noſtra caſtigatior Theologia nitatur fundamentis, ut divinam præſtruat incomprehenſibilitatem. Nec enim comprehendi à mente creata Chriſti Deum prout à ſeipſo comprehenditur, aut Fulgentius, aut Hugo pronunciarunt. Quin diſcrimina ediderunt complura quæ ſupra perſtrinximus. Sed citra diſpendium incomprehenſibilitatis ullum, ut homo eſſendo ita Deum totum capit, ut Deus totus ſit: ita urgemus videndo ita Deum capi ab illo homine, ut totus videatur Deus, & omnia in Deo. Abiicienda ſemel enim illa perſuaſio, quæ Deitatem affricabat tantùm humanitati, non imprimebat: illinebat, non infundebat: ſummatim & quaſi ſuperficie tenus admovebat, non inſerebat medullitus, non permiſcebat. Tota ergo infunditur Deitas humanæ ſubſtantiæ, ut nihil deficiat, quin totus ſit Deus: ita & tota infundetur humanæ menti, ut nihil deſit, quin totus videatur Deus & omnia in Deo, nec tamen videndo hìc, aut eſſendo illic comprehendetur, aut finietur Deus.

XI. Multis probatur, quod aſſumptio hominis à Verbo, ejuſdem beatificatio ſit.

Accedet & aliquid hinc lucis, ſi humanitatis aſſumptio ejuſdem beatificatio eſſe demonſtretur. Eo enim definito, nihil jam controverti poterit, quin ab exortu conceptuque ſuo Deus infans humana etiam mente Deum & in Deo omnia clarè perviderit. Quod autem incarnatio Verbi, hominis aſſumpti beatificatio ſit, multis ſuadetur conjecturis. Nam primò quid beatius quàm Deum eſſe? Videre Deum beatitudo eſt, quid eſſe Deum? Stare & videre lucem, & audire vocem ſponſi, beatum eſt, quid ipſum eſſe ſponſum? Eſſe Dei participem paulò cumulatiùs beatitudo eſt, quid non participem Dei, ſed Deum eſſe? 2. Non beatus, ſed beatitudo ipſa Deus eſt. Ergo cùm infunditur humanitati Deus, infunditur illi beatitudo. Imò cùm fit homo Deus, quia Deus beatitudo ipſa eſt, non tam beatus fit homo, quàm fit beatitudo. Ecqua autem beatitudo, quæ ſe non intelligit? Num beata eſſe poteſt, niſi adſit beatitatis ſuæ conſcientia? Beatius quidem eſt Deum eſſe, quàm Deum vel totum videre, ſi disjungi hæc uſquam poſſunt: ſed nec Deum eſſe uſquequaque beatum erit, niſi ſe Deum intelligat eſſe, qui eſt: & tantum ſe intelligat eſſe, quantus eſt. Amens enim & impos ſui, beatus haudquaquam eſt, nedum beatitudo ipſa. Qui enim adgaudeat ſibi, & in ſinu delicietur ſuo, ſui ignara mens, aut non in totum gnara, & in quantum non gnara, in tantum extranea ſibi & peregrina à ſe, id eſt à beatitate? 3. Niſi beatus ſit qui Deus eſt, beatius ergo eſſe poterit quidpiam. Niſi beatus ſit, erit quò ultrà ſuſpiret, & anhelet; erit quò aſſurgat altiùs: quanquam Deus jam ſit, pœnitebit illum ſuæ ſortis; etſi totam combiberit Deitatem, plura adhuc ſibi deſieri bona ejulabit. 4. Illapſus animæ in corpus, beatitas corporis eſt, nempè vivificatio: ergo & illapſus Dei in animam, erit animæ Chriſti beatitas. Num illiberalior enim eſt, aut ſterilior Deus animæ uni egregiæ præ omnibus, quàm animæ omnes corporibus omnibus? Et quidem beatæ animæ illapſio in corpus, pleniſſima eſt corporis beatificatio: ſed & hìc miſeræ adhuc animæ in corpus infuſio, nonnulla & non pœnitenda corporis eſt fœlicitas. Quid ergo? Dei ſeu beatitudinis ipſius inviolabilis & inexhauſtæ effuſio in animam non erit animæ illius beatitas? 5. Sed Verbi in primis ſeu ſpeciei, qua formantur, ut videant Deum, & beantur beati omnes, infuſio ſingularis in animam omnibus egregiam, an aliud unam ex eſſe poterit quàm animæ illius beatificatio? 6. Et hinc conſultò Paulus, *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei*, hoc eſt, ut eſſet Filius Dei, non adoptione, ſed natura. Prædeſtinatio enim ad finem ultimum, & ad beatitatem ſpectat. Nos in gloriam beatitatis, ille in gloriam divinæ Filiationis prædeſtinatus eſt. Imò & illius & noſtra prædeſtinatio in gloriam collineat & beatitatem ſummam: ſed ejus beatitas in naturali, noſtra in adoptiva filiatione poſita eſt. Imitatur enim adoptio naturam: prædeſtinatus eſt ille, ut ſit Filius Dei proprius: prædeſtinamur nos in adoptionem filiorum, vel ut conformes ſimus imaginis Filii. Ergo ut noſtra prædeſtinatio ad beatitatem intuetur, ſed adoptivis conſentaneam & admenſam: ita ejus prædeſtinatio ad beatitatem vergit, ſed Filio proprio & naturali accommodatam. Sed ad ſcopum prædeſtinationis,

nis, nos diù peregrinando tandem pervenimus: ille in ipso prædestinatæ filiationis, adeoque beatitatis fastigio natus est. 7. Nos filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus, ut ait Joannes. Sumus & erimus, ut interpretatur Augustinus, aut ipse Paulus; sumus spe, erimus re. Expectamus adoptionem filiorum, ut ait ille; attigimus, & expectamus; attigimus spe, expectamus re: spe enim salvi facti sumus. Ergo adoptio nostra, nostra beatitas est, quæ hic in spe præsumitur, illic re tenetur: similes enim ei erimus, & filii, quando videbimus eum sicuti est. Si adoptio nostra, beatitas extrema est, quid filiatio Christi hominis propria & substantiva, nonne & hæc ejus beatitas erit? Sed inde ille cœpit, quò nos votis omnibus properamus. Adoptionem nos expectamus, ille in filiatione, hoc est in beatitate natus est. 8. Et cui non comperta est hæc filiationis utriusque discrepantia? Filius proprius nascitur, adoptivus acquiritur postea: ille nascitur, hic fit: quia ille natura, hic voluntate: ille origine, hic labore: hic aliunde accersitur, ille indigena, & ex ipso substantiæ gremio ceu fructus proprius sobolescit. Ergo nostrum est laborando & desudando grassari ad beatam adoptionem, Christi fuit nascendo ipsam beatitatem filialem adipisci. Sed labore præmii modus admensus comparatur, natura modum nescit, totum flagitat. 9. Adoptivis munuscula, aut hæreditatis delibatio modica destinatur, ut extraneis, ut precariò adscitis, ut meritorum mediocritate censendis: at naturali filio tota hæreditas addicitur, tota adnascitur. Christus homo igitur cùm etiam quà hic homo est, Dei Filius sit natura, non adoptitius; totius hæreditatis paternæ, hoc est summæ & infinitæ beatitatis hæres composque suo jure est, & quidem ab exortu ipso suo. Si autem paternæ beatitatis portionem ipsi aliquam adsignes, quamlibet prælargam & prolixam, jam ergo adoptivorum numero illum habes, & Elipando & Nestorio tandem blanditis. 10. Gignit homo filium, naturæ suæ totius jam tum compotem, hæreditatis autem jure fretum, & spei indubium, necdum autem compotem, quia extra substantiam est, & adjectitiis peregrinisque bonis constat hæreditas. At cùm opulentia Dei Deus ipse sit, cùm hæreditas Dei substantia ipsa ejus sit, non potest Filium nisi beatum & beatitudine sibi comparem generare. Nam qui paternæ totius naturæ compos nascitur filius, nascitur & hæreditatis totius compos, quia hæreditas natura ipsa & substantia est. Christus igitur homo quia Filius Dei proprius nascitur, beatus nascitur; qua enim substantia Deitatis Filius nascitur, eadem beatus nascitur, quia substantia illa beatitas est ipsa, & paterna hæreditas. Et quidem ut substantia, ita & hæreditas, non dispar, non minor Filio quàm Patri suppetit, etsi Filio à Patre suppetit, & Filio homini Christo à Patre Deo per gratiam unionis suppetit. 11. Exundasset & in corpus beatitas, ut & substantia Deitatis, nisi æternum dispensationis pro salute nostra initæ consilium obstitisset. Naturæ enim legibus ita comparatum erat, ut corpus Dei ab exortu suo ea gloriæ copia gauderet jam tum, qua nunc gaudet. Sed emenda passionibus ejus salus nostra obstitit. Ut beatitas autem animæ æquè suspenderetur, tantum abest ut conducibile nobis id foret, ut jacturam potiùs inferret. 12. Quin imò si ad amussim fidei & pietatis expendere hæc libeat, beatissimum fuit illud corpus, etiam tum cùm nasci morique jussum est. Nam natura corporis cùm fruendo Deo non sufficiat, beata est dum illi impenditur, dum illi discerpitur, illi immolatur, atque justitiæ simulacro induitur, qua nihil beatius.

XII. Fulgentio favent & illæ voces, quibus sibi homini Christus orat gloriam suam æternam & Patris.

His accedit quòd tam frequenter Christus ea qua apud Patrem sempiterna floruit gloria & claritate, hominem se indui & exornari postulavit; quòd Christus ex authoritate Scripturæ atque Ecclesiæ, in gloria est Dei Patris: quòd denique Christus homo sedet ad dexteram majestatis in excelsis. Ex his quippè nascitur id quod extorquere molitur Fulgentius, ut humanitas ipsa polleat, gaudeatque beata omniscientia Verbi Dei. Nam 1. Cùm orat Christus, *Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te*: ipsissimam Verbi sempiternam claritatem satis disertè suæ orat humanitati. At quæ claritas Verbi sempiterna, quàm quòd Verbum sit æquale genitori, quòd tota sit Patris species & sapientia? 2. Quòd non de nominis sui fama per orbem spargenda Patrem ibi Christus compellet, liquidum fit ex ipsis ejus verbis; postulat enim claritatem, quam habuit priusquam mundus esset: at non percrebuerat ejus nomen toto orbe, ante ullus quàm esset orbis. 3. Et quid patentius illa ingeminatione, *apud te*, *apud temetipsum*? Apud Patrem enim clarificari se postulat, nempè ubi *in principio erat Verbum*, *Deus erat apud Deum*. Vel ubi *Unigenitus est in sinu Patris*. Verbi autem gloria in sinu Patris, apud Patrem, humanitati ejus transcribenda, & ea ipsa qua sempiternè fruitur, vix alia fingi potest quàm Verbi cum Patre æqualis sapientia, scientia, substantia. Finita autem quantalibet gloria, non utique Verbi gloria est. 4. Ut Paulus ait, *Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Vehementius hoc etiam est. Nam gloria Patris utique summa & infinita, & omnis expers metæ est. Et in ea tamen Christus homo est. Quin gloria Patris spirare nescio quid videtur divinæ maximè incomprehensibilitatis, quæ Patri specialiùs attribui solet. Ut hinc innuatur ne incomprehensibilitatis quidem adyta humanitati assumptæ occlusa aut obvelata esse prorsus, sed ei patere, quantum fas est pro modo naturæ creatæ in increatam hypostasin ejusque jura & majestatem assumptæ. 5. Ideò Paulus receptum in cœlos Christum jam non hominem audet appellare, sed totum Deum innuit: & absorptam quodammodo in divinitatis pelago humanitatem annuit, cùm ait, *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Quì autem totus Deus est jam, si divinæ gloriæ dimensum tantùm suum & modulum habet, non plenitudinem? Quì jactatur esse in gloria Dei Patris, qui illius beatæ gloriæ umbram tantùm & vestigium obtinet? 6. Nec sum nescius quod Christus sibi hæc oret, quasi eorum vacuus hactenus: sed in mentem quoque venit vox paterna: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. Quo sempiterna Verbi gloria & beatitas prolixiùs quidem posthæc humanitati aggeranda significatur: sed & infusa jam illi fuisse perhibetur. 7. Sed viris Theologis & præjudicia à sensuum consuetudine affricta effricare jam insuefactis, quid illa quæso est consessio Christi hominis ad dexteram Dei Patris omnipotentis? Num sessio illa aliud sonat quàm gloriam & beatitatem: aut dextera aliud quàm æqualitatem? Ergo quòd Christus homo sedeat ad dexteram Patris, hinc efficitur, quòd paternæ gloriæ, adeoque sapientiæ & visionis beatæ æqualitate potiatur quodam suo modo, & tamen sine modo: suo modo, quia homo est, & tamen sine modo, quia idem Deus est. 8. Nam si celebritatem nominis Christi apud homines Angelosque hìc tantùm spectandam contendas, næ tu Christum externis satis liberaliter instruis gloriæ opumque præsidiis, sed intus vacuum inopemque dimittis; & ad ostentationem tantùm, non ad solidam veramque & Deo dignam beatitatis ex intimo sinu scaturientis gloriam illum exornas. 9. Sed si Cyrilli vestigia premamus, qui ut jam iterum & tertiò alibi monuimus, non tam hominem Christum ad Verbi Dei solium, atque ad Patris consessum conscendisse tradit, quàm Verbum Deum eandem gloriam sedemque quam ab æterno sine carne obtinet, etiam cum carne propria obtinere; tum sanè di-

nè divinæ beatitatis æqualitas cum homine assumpto communicata esse intelligetur. Si eundem enim gloriæ & beatitatis verticem insidet Verbum cum carne animata atque priùs, & ita sedet Christus homo ad dexteram Patris, & in gloria est Dei Patris: perspicuè hinc colligitur Christum hominem in ipso paternæ beatitatis vertice consedere. 10. Si quid minus videt Dei vel in Deo Christus, non sedet ad dexteram, non in æquali gloria cum Deo Patre est, non obtinet claritatem Verbi apud Patrem, quæ ipsum mundi conditum antecessit. Quid attinet autem commentitiam quandam infinitatem ementiri, ut gloria Christi seu visio beata quamvis finita sit, infinita tamen fingatur, & hanc umbraticam inanemque infinitatem argutiis nescio quibus & cavillis substruere? Quid hoc aliud est quàm veritati de mendacio adulari? Num quia sæcularis Philosophia intercedit ne infinitum quid vel creator moliatur, vel creata expectet natura: ideò limites affigemus divinæ & omnipotentiæ & beneficentiæ? Sed nec erat necesse de infinito infinitam movere controversiam; nam hypostasis saltem Verbi infinita cùm sit, adglutinatur humanitati, & existit formaturque humanitas hypostasi infinita. Quin ergo & intellectus ille assumptus infinita imbuetur specie Deitatis seu Verbo toto? Non enim tunc infinita creabitur ulla natura, sed creaturæ finitæ infinitus creator coaptabitur. Num operosius est hypostasi infinita, quàm infinita specie formari? An creaturæ sinus capit illam infinitatem personæ, nou hanc speciei? An difficilius est infinitè videre, quàm infinitè esse & existere?

XIII. Ex sanctitate Christi hominis infinita novæ exprimuntur conjecturæ.

Postremò ex ipsa Christi hominis sanctitate compleres etiam emergunt conjecturæ, obiter hìc indicandæ. Nam 1. si sanctitate Deitatis tota formatur illa humanitas, quin etiam omni sapientia beetur, quid prohibet? Eadem Dei & hominis assumpti sanctitas, utrobique tota, sed aliter atque aliter; quin ergo & eadem erit sapientia, & species beatifica, utrobique tota, sed aliter atque aliter? 2. Nec exempli tantùm vicem habet sanctitas, sed juris meritique. Nam plenitudini vel mensuræ sanctitatis temperatur copia vel effusior vel parcior beatæ sapientiæ & visionis Dei. Hæc enim illius vel merces est pone sequens, vel comes individuo nexu cohærens. Ergo illi animæ quam sanctitas infinita & divina cohonestat, sapientia & beatitudo nulla par est, nisi infinita & divinæ æqua. 3. Et vicissim si quid minùs scit, minùsve sapit mens illa, minùs etiam vel bonum diligit, vel malum exhorrescit, adeoque minus habet charitatis minusque sanctitatis. Nam summum bonum quo plùs intelligitur, plùs diligitur; quo plùs diligitur, plùs intelligitur: & ex adverso si obscuratur intellectio, extenuatur & dilectio: si tepescit dilectio, tenebrescit & intellectio. Denique paribus incrementis vel decrementis, proficiunt & deficiunt lux veritatis & flamma charitatis, & inde exultans flos sanctitatis. Ergo si quid illa assumpti hominis mens summum bonum minùs ex toto videt, minùs etiam ex toto diligit, & de vertice exturbatur sanctitatis divinæ, quæ non potest non esse summa. 4. Et ubi jam illa ex infinitatis metu tergiversatio? Nam infinitam sanctitatis formam capit illa anima, ergo & infinitam speciei & scientiæ formam capiet. Potest infinitè sancta esse, ergo & infinitè sapiens esse. 5. Si omnes aliquando tandem libeat ludificationes amputare, si physicè potest crescere dilectio beatæ illius mentis, verendum est, ne deficiat ergo illi aliquid dilectionis divinæ, ex quo efficietur, ut absit nonnihil à laude summæ sanctitatis. 6. Et quàm invidiosum est sanctitati beatæ illius animæ, ejusque in Deum charitati derogare quidpiam, tam indignum est sapientiæ ejus detrahere. Nam quidquid in Deo de Deo, vel de rebus nunquam extituris ipsam latere dixeris, quæram, num & illud ab ea videri non possit? & cùm æquè possit ac reliqua quæ ab ea videntur, quæram eccur non videatur? Adest enim jus meritumque: adest & facultas. Ubicumque limitem defixeris, instabo ut illum emoliar ultraque proferam, quòd & sanctitatis jus ultra pateat, & vires Deo auxilianti, mentique contemplanti non desint. 7. Et quid tandem venit in mentem, sapientiæ metas præscribere, ultra quas creata mens eam non capiat? Nec enim sapientia mentem quam occupat, angustat, sed ampliat; & si angustaret, non utique sibi angustaret. Quò sapientior mens quælibet, eò sapientiæ & sitientior & capacior. Quò insipientior vicissim, eò fastidiosior sapientiæ & incapacior. Nostris id saltem & quidem quotidianis credamus experimentis. Quò rudiores & vacui ad scientias quaslibet accedimus, eò luctaminis plus & molestiæ subeundum. Quò ornatiores plurimo jam scientiarum aliarum apparatu, eò ampliorem in sinum nova quælibet addiscenda congerimus. Sapientia itaque mentem exacuit, & quò amplior, magis exacuit. Sapientia mentem implet, sed implendo amplificat. Extrudunt se corpora ab eodem hospitio; nec plura simul eadem in sede consociari possunt. Ex adverso spiritalia virtutum & scientiarum examina quasi connexa mutuò & concatenata, dissociari se ægrè ferunt, & quò densiora, eò latiùs & commodiùs eadem in mente commorantur.

XIV. Antedicta omnia revocantur ad tria summa capita.

Quæ hoc capite disputata sunt, sanctorum Patrum testimoniis suffulcire otiosum fortasse fuerit, cùm quæ superioribus capitibus copiosissimè & forsan non sine fastidio acervavimus, in hujus confirmationem præstructa non immeritò videri possint. Sed ne nostro videamur defuisse instituto, pauca hìc velut in cumulum aggerabimus. Ad tria autem maximè capita colliguntur, quæ sparsim & quasi tumultuariè hactenus sunt hìc disputata. 1. Cùm Verbum sit species & imago Patris consubstantiva, omniumque summa ratio, non potuit absolutissimè coaptari menti assumptæ, nisi ut scientiam & contuitum illi inderet divinitatis totius rationumque omnium æternarum. 2. Incarnatio quædam est & quidem peraximia ac singularis humanæ naturæ beatificatio, qua homo fit totus Deus, non tantùm videt Deum totum. 3. Non satis tuta est infinita & divina Christi hominis sanctitas, si infinita & divina ejus scientia ac beatitas periclitetur. Ad hæc tria priscæ & inconcussæ Patrum authoritatis patrocinium omne revocabo.

XV. Et probatur rursum ex Augustino. L. 6. de Trin. c. 10.

Primò igitur Augustinus ita habet: *Imago si perfectè implet illud cujus imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ. In qua imagine, speciem nominavit (Hilarius) credo propter pulchritudinem, ubi jam est tanta congruentia & prima æqualitas & prima similitudo, nulla in re dissidens, & nullo modo inæqualis, & nulla ex parte dissimilis, sed ad identitatem respondens ei, cujus imago est. Ubi est prima & summa vita, cui non est aliud vivere & aliud esse, sed idem est esse & vivere. Et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere, & aliud intelligere, sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse, unum omnia. Tanquam Verbum perfectum cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium, & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi Deus novit omnia, quæ fecit per ipsam.* Advertis ut Verbum sit imago & species Deitatis Paternæ, & ars atque complexio rationum omnium, quibus & mutabilia & exanima & temporalia & nunquam extitura, in Deo incommutabiliter vivunt, & æternaliter existunt. Hæc ergo Deitatis coæqua species, & omnium æterna ratio, menti imprimi sine modo, infinitè, incomprehensibiliter, quì potest, nisi ut omnem ab ea expungat nescientiam? Et video quidem eò destinari hanc copulam ut homo fit Deus, seu ut assequatur

homo

homo esse divinum Verbi: sed esse Verbi est ipsum vivere, ipsum intelligere, quia esse, vivere & intelligere idipsum est. Cùm ergo accipit homo ut sit Verbum, accipit ut sit vita & intelligentia & ratio, non tantùm ut vivat, ut intelligat, videatque rationes omnes quæ sunt in Verbo.

XVI. Ex eodem rursus ut Verbum sit species summa omniũ. L. 7. de Trinit. c. 3. Sed ut hanc quoque proprietatem Verbi quod sit species summa & sapientia omnium gnara, ad incarnationem spectare pateſiat evidentiùs, audiendus rursum Augustinus: *Cur ergo in scripturis nunquam ferè de sapientia quidquam dicitur, nisi ut ostendatur à Deo genita vel creata: genita scilicet per quam facta sunt omnia, creata verò vel facta sicut in hominibus, cum ad eam quæ non creata nec facta, sed genita est, convertuntur & illuminantur? In ipsis enim fit aliquid quod vocetur eorum sapientia. Vel illud scripturis prænunciantibus aut narrantibus quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: hoc modo enim Christus facta sapientia est, quia factus est homo. An propterea non loquitur in illis libris sapientia, vel de illa dicitur aliquid, nisi quod eam de Deo natam ostendat aut factam, quamvis sit & Pater ipse sapientia, quia illa nobis sapientia commendanda erat, & imitanda, cujus imitatione formamur? Pater enim eam dicit, ut Verbum ejus sit, non quomodo profertur ex ore verbum sonans, aut ante pronunciationem cogitatur, spatiis enim temporum hoc completur: illud autem æternum est, & illuminando dicit nobis & de se & de Patre quod dicendum est hominibus. Ideoque ait, Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: quia per Filium revelat Pater, id est, per Verbum suum. Si enim hoc verbum quod nos proferimus, temporale & transitorium, & seipsum ostendit, & illud de quo loquimur: quanto magis Verbum Dei per quod facta sunt omnia? Quod ita ostendit Patrem sicuti est Pater, quia & ipsum ita est, & hoc est quod Pater, secundum quod sapientia & essentia est.* Ubi liquet Verbum esse ipsam Patris Dei manifestationem, Patri coæqualem, eo mentes nostras formari & illuminari cùm Deum intelligimus utcumque; illud nobis dici, ut audiamus; & irradiari à Patre, ut videamus Deum. Sed & Christus homo sapientia est, Verbum Deus est: copulavit enim illi animatæ carni, seu potius animæ corporatæ Deus Pater Verbum suum, nec aliter quàm generando & dicendo copulavit, & totum copulavit, utique totum dicendo, totumque ingenerando illi animæ. Qui potuit autem totum ingenerare illi menti, totumque dicere & dicendo copulare Verbum suum, nisi ut illa mens totum audiret, totumque perciperet? Nisi totum audisset mens illa, qui vel ex parte nobis revelaret? Nam revelat nobis Patremque dicit Christus jam homo hominibus, ruinas suas resarcientibus. Ille ergo homo revelat solus Patrem, & solus adeo novit Patrem: nempe totum, ut vel particulatim revelet.

XVII. Quod assumptio animæ ejus beatificatio fuerit, ex Leone Magn. Epist. 11. ad Julian. Secundò, quod incarnatio Verbi humanæ fuerit naturæ beatitas & glorificatio, disertè tradit Leo Magnus: *Cum simplex & incommutabilis natura Deitatis, tota sit semper in sua essentia, nec damnum sui recipiens nec augmentum; & sic assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat.* Beatificat ergo naturam, dum assumit; glorificat, dum assumit. Quid enim beatius quàm Deum esse? Quid ad gloriam uberius, quàm Deum effici? Quàm non beata autem mens, quæ Deum non videt? Quàm non beata perinde ut Deum decet illa mens, quæ Deum totum non videt; quæ id quod est, non videt, sui ignara ex parte.

XVIII. Ex August. In Psal. 15. Augustinus similiter: *Tu es qui restitues mihi hæreditatem meam. Ut nota sit & his quos libero, claritas qua eram apud te priusquam mundus fieret. Non enim restitues mihi quod non amisi. Sed restitues his qui amiserunt ejus claritatis notitiam, in quibus quia ego sum, mihi restitues.* Quænam hæc hæreditas, aut cui restituta? Nempe gloria Verbi sempiterna ante mundi ortum, Christo homini restituta, non quod ei unquam defuerit, sed quod hæc ejus claritas necdum mundo illuxerat. Et expendens illa Christi verba, *Manifestavi nomen tuum hominibus, &c. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te*: ubi Christus glorificatum à se Patrem apud homines, vicissimque glorificandum se à Patre non apud homines, sed apud ipsum Patrem testatur; hæc ita commentatur Augustinus: *Dicendo clarificari à se Patrem, super terram, se autem à Patre, apud eundem Patrem, modum profectò utriusque clarificationis ostendit. Ipse quippe Patrem clarificavit super terram, cum gentibus prædicando: Pater verò ipsum apud semetipsum, ad suam dexteram collocando.* Et infrà: *Illam claritatem quam habui in prædestinatione tua, jam tempus est ut apud te habeam, etiam vivens in dextera tua.* Quid illud autem est, non ad pedes volvi, sed ad dexteram Patris sedere? *Credimus quod sedet ad dexteram Dei Patris: nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat, &c. Ad dexteram ergo intelligendum est dictum esse de summa beatitudine, ubi justitia & pax & gaudium est. Sicut ad sinistram hædi constituuntur, id est, in miseria, propter iniquitates & labores & cruciatus.* Si summa beatitudo per dexteram illam insinuatur, utique & æqualis divinæ & divina ipsa: alioqui nec summa est, nec ad dexteram exaltanda, sed deprimenda ad pedes est. Dextera enim æqualitatem omnimodis portendit. Ergo cùm Christus qua homo ad dexteram sedeat Patris, sedet in æquali beatitudine & omniscientia; quanquam aliter & aliter: sicut & qua hic homo, Deus est, sed aliter quàm Pater. Et rursus alibi: *Beatus est, & à beatitudine quæ dextera Patris vocatur, ipsius beatitudinis nomen est dextera Patris. Nam si carnaliter acceperimus quia sedet ad dexteram Patris, ille erit ad sinistram.*

In Evan. Jo. Tract. 105.

L. de fide & symb. c. 6.

L. de Symb. Catch.

XIX. Ex Novatiano. Cui consentit Novatianus sive quis alius author libri de Trinitate apud Tertullianum: *A summo cælo egressio ejus, & usque ad summum regressio ejus. Quoniam usque ad summum non quisquam in cælum ascendit, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælis, repetens hoc ipsum dicit, Pater clarifica me eo honore quo fui apud te priusquam mundus esset. Ac si de cælo descendit Verbum hoc tanquam sponsus ad carnem, ut per carnis adsumptionem filius hominis illuc possit ascendere, unde Dei filius Verbum descenderat; merito dum per connexionem mutuam & caro Verbum Dei gerit, & Filius Dei fragilitatem carnis adsumit, cum sponsa carne conscendens illuc, unde sine carne descenderat, recipit jam claritatem illam, quam dum ante mundi institutionem habuisse ostenditur, Deus manifestissimè comprobatur.* Ex quibus claret, eo regressum cùm carne, unde egressus fuerat sine carne, videlicet ex æqualitate ad æqualitatem gloriæ Paternæ: & hanc claritatem homini indutam, quasi Deus quasi exuerat; & filium hominis etiamtum cùm in terris nobiscum diversaretur carne mortalis, jam in cælis tum, id est, in arcanis divinæ omniscientiæ penetralibus mente beata habitasse, & ibi vidisse quæ nobis non videntibus credenda dictabat; denique eam claritatem suæ humanitati flagitasse, qua Verbum sempiternè fruitur, quæque non aliud est, quàm gloria ipsa Verbi & sapientiæ scientiæque omnium interminatæ; qua beata gloria nondum satis illa anima exaturabatur, donec in suam carnem ea redundaret. Ita enim & beatæ nunc cælitum animæ precibus fatigare non desinunt divinam omnipotentiam, ut vindicet eorum sanguinem, sive

five ut sua ipsis corpora redintegret, quibus orbari se tandiu submoleste ferunt.

XX. Ex Cyrillo. In Evan. Jo. L. 11.

Cyrillus Alexandrinus Christi verba illa eadem expendens: *Ipse quidem se clarificare Patrem ait, opere consummato super terram quod sibi ab eo datum fuit. Sed gloriam claritatemque sibi vicissim rependi postulat, non alienam, nec ascititiam, sicuti nos, sed propriam.* Et infrà: *Perfectis operibus ad suam gloriam revertitur, & veterem claritatem recipit: veruntamen ut jam adhuc hominis forma indutus, & tanquam qui non habeat id petit, &c.* Et paulò pòst: *Gloriam itaque suam incarnatus nempe repetit. Neque vero hæc dicit, quod gloriæ suæ expers sit, si eam non acceperit: nec enim dignitatum suarum expers unquam Verbum fuit, cum sit Deus verus; sed quod ipsum suum templum ad gloriam sibi perpetuò inhærentem referat, imo vero cum sua carne seipsum ad illam recipiat, propter quam ignobilitatem illam interea subiit. Ne videretur enim quibusdam novam & insolitam gloriam petere, eam mundo ipso antiquiorem ostendit, idque apud suum Patrem.* Apertissima sunt hæc Cyrilli verba, nec ipsis tamen Christi vocibus apertiora, postulantis sibi homini ultimum cumulum gloriæ & beatitatis apud Patrem, ejus ipsius qua ut Deus Verbum sempiternè gaudet. Hæc porro æterna & propria Verbi gloria, ut de redundantia sua in corpus utcumque refluat, propria tamen est mentis, veritatem & sapientiam & Verbi gloriam id est Verbum ipsum bibere & haurire avidæ validæque. Intexit autem ibidem Cyrillus locum Apostoli, quo illud idem æquè ineluctabili vi & luce proditur: ubi ait Christum ex forma Dei, in qua æqualis erat Patri, exinanisse semetipsum, & decursu exhaustoque humilitatis diutino curriculo tandem considere rursus in gloria Dei Patris.

XXI. Plenitudo Spiritus sancti in homine Christo infinitam quandam copiam ut sanctitatis, ita & scientiæ illi conciliat.

Tertiò, quòd non ad mensuram, sed ultra omnem modum & citra ullum finem Spiritus Christo homini sit infusus, id & ad sanctitatem non magis quàm ad sapientiam pertinet. Nam spiritus est pietatis, & fortitudinis, & timoris Domini, quibus sanctitas ædificatur: sed & spiritus est sapientiæ & intellectus, scientiæ & consilii, quo scientia & sapientia declaratur. Item spiritus est quo charitas diffunditur, sed & spiritus est veritatis qui docet omnem veritatem. Rursum spiritus est qui sanctitas & charitas est Deitatis, sed & spiritus est qui scrutatur profunda Dei. Ergo plenitudo Spiritus sancti in Christo tam infinitæ ipsius scientiæ, quàm sanctitatis scaturigo est. Novatianus: *Hic est qui in modum columbæ posteaquam Dominus baptizatus est, super eum venit & mansit, habitans in solo Christo plenus & totus, nec in aliqua mensura aut portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulatè admissus, ut ex illo delibationem quandam gratiarum cæteri consequi possint, totius sancti Spiritus in Christo fonte remanente, ut ex illo donorum atque operum vena ducerentur, Spiritu sancto in Christo affluenter habitante. Hoc enim jam prophetans Esaias ajebat, Et requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, &c.* (L. de Trinit.) Plenissimo quippe fonte ditari Christum hominem decebat Spiritus sancti, ut ex eo delibationem consequeremur nos, non sanctitatis tantùm, sed & sapientiæ, nec sapientiæ solum, qua hìc mortale corpus circumferentes initiamur, quasi ad gustum futuræ vitæ præsumendum, sed illius copiosissimæ, qua illic cumulabimur.

CAPUT VIII.

Scientia Christi beata à conceptus ejus exordio prolixiùs demonstratur. Et de Prophetica ejus scientia.

I. Refelluntur Novatores Christo infanti nescientiam adscribentes.

UT manifestius fiat quibus conviciis, sibilisque explodenda sit Novatorum hæreticorum impietas, qui ut corporis ita mentis & sapientiæ infantiam ac pueritiam Christo affingunt, quam paulatim nostro more decoxerit: non abs re erit paulò altiùs substantiæ intellectualis perscrutari privilegia, ejusque cum veritate & sapientia incommutabili familiaritatem, ut ne dicam, quod non absurdè dixero, quandam veluti consanguinitatem.

II. Angelicæ mentes ab exortu suo sapientia Verbi ut luce intima illuminabantur, ex Augustino.

Observa itaque primò, mentes Angelicas primo statim suæ creationis puncto formatas fuisse ab increata Verbi sapientia, non ut artifice tantùm à qua prodirent, sed ut luce qua illuminarentur, ut vita qua vegetarentur; ut quæ informes alioqui & tenebrosæ & emortuæ forent, si vel ad momentum illa & luce & vita intima frustrarentur. Namque ut ait Augustinus: *Oportebat ut primatum creaturæ obtineret illa natura, quæ creaturam per Creatorem, non Creatorem per creaturam posset agnoscere.* (L. 5. de Genesi ad lit.) Quàm præposterum enim fuisset, ut creatura rationalis quæ primum hauddubio obtineret inter naturas creatas locum, Dei notitiam ab infimis his naturis venaretur & mendicaret? atque ita ad Deum non tam conscenderet, quàm descenderet? & in regione dissimilitudinis Dei notitiam captaret? & in regionem longinquitatis peregrinaretur, ut Deum quæ patria & originalis ipsi regio est, conveniret? & propior ipsa Deo cùm sit quàm hæc omnia, ut propiùs Deo accederet, ab eo priùs in hæc ima discederet? Æquius ergo erat ut creaturam in Creatore, quàm in creatura Creatorem vestigaret.

III. Ex eodem rursus; ut informes sint & inquietæ, nisi superne à Deo vegetentur.

Et idem rursus: *Informis materia dicta est cœlum & terra, spiritalis videlicet vita, sicuti esse potest in se non conversa ad Creatorem. Tali enim conversione formatur atque perficitur. Si autem non convertatur, informis est.* (Ibid. l. 1. c. 1.) Et ibidem: *Spiritalis informitas eo quod dictum est, Tenebræ erant super abyssum. Ut transacto verbo, tenebrosam abyssum intelligamus, naturam vitæ informem, nisi convertatur ad Creatorem; quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus; & illuminari, ut non sit tenebrosa.* (Ibid. c. 5.) Et infrà: *Non enim habet informem vitam Verbum Filius, cui non solum hoc est esse, quod vivere, sed etiam hoc est ei vivere, quod est sapienter & beatè vivere. Creatura autem quanquam spiritualis & intellectualis vel rationalis, quæ videtur esse illi Verbo propinquior, potest habere informem vitam; quia sicut non hoc est ei esse quod vivere, ita nec hoc vivere, quod sapienter ac beate vivere. Aversa enim à sapientia incommutabili stultè ac misere vivit, quæ informitas ejus est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen sapientiæ Verbum Dei; à quo enim existit ut sit, utque vivat, ad illum convertitur, ut sapienter & beatè vivat.* Adverte ut informis, ut tenebrosa & exanimis quodammodo natura intellectualis elanguescat, nisi ab incommutabili sapientia Verbi formetur, illuminetur, vivificetur. Non magis enim sibi forma, aut lux, aut beata vita est natura illa, quàm nec sibi natura corporea: utque natura corporea partibus quamlibet suis numerisque omnibus absoluta, sursum tamen hiat, insitaque fervet prurigine ad formam lucemque & vitam superioris animarum naturæ, qua vegetata beetur: ita superior ipsa substantiarum rationalium natura, ad supremum tamen aliquid suspirat lucis vitæque beatissimæ culmen, unde formetur atque illuminetur. Quin universim natura omnis inferior, dum gradatim anhelat conspiratque ad summæ natu-

naturæ deguſtationem, niſi ab ea, ſi nihil intercedat medium, vel ab iis quæ mediæ interſunt, formetur, inquieta fluitatione jactatur, nec unquam conquieſcit. Quod cùm ita habeat, quis opifici omnium ſapientiſſimo optimoque ita obtrectet, ut opificii ejus principem naturam, informem, tenebroſam, emortuamque ab ejus arte atque officina erupiſſe effutiat?

IV. Ex eodem, ut ad exemplar intelligibilis veritatis corporeum mundum adminiſtrent. L. 5. c. 9. ibid. L. 15. de Trinit. c. 13.

Et idem rurſum: *Sed multum eſt ac difficillimum, capere quomodo dicatur, Deo non temporaliter jubente, neque temporaliter audiente creatura, quæ contemplatione veritatis omnia tempora excedit, ſed intellectualiter ſibimet impreſſas ab incommutabili Dei ſapientia rationes, tanquam intelligibiles locutiones, in ea quæ infrà ſunt, tranſmittente, fieri temporales motus in rebus temporalibus, vel formandis, vel adminiſtrandis.* Et alibi: *Habet quidem nuncios, id eſt, Angelos, non tamen qui ei quæ neſcit, annuncient: non enim ſunt ulla, quæ neſciat: ſed bonum eorum eſt de operibus ſuis ejus conſulere veritatem; & hoc eſt quod ei dicuntur nonnulla nunciare, non ut ipſe ab eis diſcat, ſed ut ab eo ipſi, per Verbum ejus ſine corporali ſono, nuncient quod voluerit, ab eo miſſi, ad quos voluerit, totum ab illo per Verbum ejus audientes, id eſt in ejus veritate invenientes, quid ſibi faciendum, quid, quibus, & quando nunciandum ſit.* Cùm modulando enim ad legis æternæ normam univerſo orbi præpoſiti ſint Angeli, & ad illum mundo intelligibili ſeu ſempiternæ veritati attemperandum jam inde à primo ſui exortu deſtinati, neceſſario ad hanc obeundam provinciam inſtrumento deſieri non potuere. Quàm neceſſaria autem eſt veritatis æternæ contemplatio perſpicua, ut ad eam corporeus orbis pro virili ſua parte effingatur? Num ritè hoc egregium molientur ſimulacrum, niſi & exemplar illud primigenium intueri detur, & in eo præſignatas ſimulacri ſui rationes & lineas & minutias demum omnes?

V. Summa veritas & ratio per angelicas mẽtes, utpote medias, ad materiam deſcendit, atque ita rerum omniũ ſpecies & rationes antè Angelicis mentibus imprimit, quam rebus ipſis. L. 2. de Gen. ad lit. c. 1. 8.

Et rurſus alibi: *Neque enim ſicut pecora, ſolo ſenſu corporis vident Angeli hæc ſenſibilia, ſi quo ſenſu tali utuntur. Agnoſcunt ea potius, quæ meliùs noverunt interiùs in ipſo Dei Verbo, à quo illuminantur ut ſapienter vivant; cùm ſit in eis lux quæ primò facta eſt, ſi lucem ſpiritalem in illo die factam intelligamus. Quemadmodum ergo ratio qua creatura conditur, prior eſt in Verbo Dei quam ipſa creatura quæ conditur; ſic & ejuſdem rationis cognitio priùs fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non eſt, ac deinde ipſa cognitio creaturæ poſtea in genere proprio. Neque enim ſicut nos, ad percipiendam ſapientiam proficiebant Angeli, ut inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicerent, qui ex quo facti ſunt, ipſa Verbi æternitate, ſancta & pia contemplatione perfruuntur; atque inde iſta deſpicientes, ſecundum id quod intus vident, vel rectè facta approbant, vel peccata improbant. Nec mirum eſt quod ſanctis Angelis ſuis in prima lucis conditione formatis priùs Deus oſtendebat, quod erat deinceps creaturus. Neque enim intellectum Dei noſſent, niſi quantum ipſe monſtraſset.* Alienum quippe & præter naturarum legem foret, ſi æterna ratio rerumque architecta omnium, ad extremas uſque longinquitatis lineas, id eſt, ad materiam uſque progrederetur, nec per medias trajiceretur Angelicarum mentium ſubſtantias. Occupant enim iſtæ medium interſtitium, quod verticem ſummum idearum & & earum extremum receptaculum ſeu materiam interjacet. Omnis enim architecta naturarum ratio, ſeu idea, priùs Angelicæ menti imprimitur, quàm in materia exprimitur. Omnium rerum rationes priùs Angelica mens in Deo videt ſurſum fulgentes, quàm deorſum in materia obſoleſcentes. Priùs exemplar æternum ſuſpicit, quàm materiam illo adumbratam, ejuſque imitatione regendam deſpiciat.

VI. Creaturarũ

Et rurſus idem: *Procul dubio univerſam creaturam in qua ipſi ſunt principaliter conditi, in ipſo Verbo Dei priùs noverunt, in quo ſunt omnium etiam quæ temporaliter facta ſunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta ſunt: ac deinde in ipſa creatura, quam ſic noverunt, tanquam infrà deſpicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cujus incommutabili veritate rationes ſecundum quas facta eſt, principaliter vident. Ibi ergo tanquam per diem; unde & concordiſſima unitas eorum, ejuſdem veritatis participatione dies eſt primitus creatus: hic autem tanquam per veſperam, ſed continuò fit mane.* Et infrà: *Mens itaque humana priùs hæc quæ facta ſunt, per ſenſus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit: & deinde quærit eorum cauſas ſi quo modo poſſit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac ſic inviſibilia ejus per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpicere. Quod quanta tarditate ac difficultate agat, & quanta temporis mora propter corpus corruptibile quod aggravat animam, etiam quæ ferventiſſimo ſtudio rapitur ut inſtanter & perſeveranter hoc agat, quis ignorat? Mens vero Angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, poſteaquam illo ordine creata eſt, ut præcederet cætera, priùs ea vidit in Verbo Dei facienda quàm facta ſunt: ac ſic priùs fiebant in ejus cognitione cum Deus dicebat ut fierent, quàm in ſua propria natura: quæ itidem facta in eis ipſis etiam cognovit, minore utique notitia quæ veſpera dicta eſt.* Obſcurior ergo & decoloratior eſt rerum in ſeipſis cognitio, eoque veſpera meritò nuncupatur; quæ noćteſceret penitus, niſi ad Creatoris laudem retorta tanquam in diluculum intercepta nocte reſplendeſceret, & per Verbi ipſius individuam contemplationem dieſceret. Nam quod noſtra corporalis dies ex corporum temporumque lege non patitur, dies id Angelica obtinet, ut veſpera & mane & dies miſceantur. Ergo cùm natura intellectualis principem teneat inter naturas locum, num naturaliter non niſi tenebricoſam & veſpertinam rerum notitiam flagitat? Cùm natura illa lux dicatur & ſit, cùm dies dicatur & ipſa ſit, num lux illa & dies naturaliter veſperaſcere tantùm & tenebreſcere novit? Cùm præeſſe moderandis rebus omnibus debeat, num veſpertina tantùm fruitur luce, regnumque ſuum nonniſi ſub caligine videt, & tantùm non cæcutiendo palpandoque adminiſtrat?

in ſeipſis cognitio veſpertina eſt, Angelica autem natura lux eſt; reſque omnes primũ in Verbo Deo contuetur, poſt in rebus ipſis. Ib. l. 4. c. 24.

Ibid. c. 32.

VII. Eædem rationes conglobantur & referuntur ad Chriſtum.

Hinc plus ſatis claret, quàm non teſtimonia tantùm, ſed argumenta ipſa Auguſtini permagni ſint momenti, ad aſſerendam Angelis ipſo ſtatim in ſui conditu, Dei rerumque in Deo omnium contemplationem. Ea porro non minùs, quin imò non paulò plus momenti habent, ad eandem Chriſto homini copioſiùs affundendam ab ortu ſtatim ſuo in alvi maternæ aula. Nam 1. æquè præpoſterum eſt, ut mens creata Chriſti, non creaturarum tantùm cæterarum, ſed & Angelicarum mentium princeps & regina, nonniſi in Dei veſtigiis Deum videret, in regione diſſimilitudinis Deum quæreret, à Deo longinquiſſimè peregrinaretur ut Deum veſtigaret, Dei notitiam à rebus infimis mendicaret; à ſe quæ non media, ſed Deo citima eſt, diſcederet in hæc ima, ut Deo accederet; ac demum ipſa quidem Deus eſſet, eoque omnium domina, ſed Dei notitiam infimis naturis deberet, eoque omnibus eſſet obnoxia. 2. Æquè mens illa hominis Chriſti informitati, caligini, mortique addicitur, niſi forma, luce, vitaque Verbi beata ſtatim donetur. Nam mens illa noſtris conſanguinea & ſoror, nec ipſa ſibi aut vita, aut lux, aut forma eſt, ſed ſupernè his cœlitus bonis imbui flagitat. An potuit autem vel ad momentum mens vitæ non vivere, aut mens lucis tenebreſcere, aut mens formæ formarum, ſeu Verbi propria, informiter fluitare? 3. Æquè mens illa hominis aſſumpti cùm ut ſuprà audivimus, Verbo ſocia & co-

mes, & plusculum etiam, nempe quasi Verbi portio ab exordio suo extiterit, una omnium moderatrix, num imperii sui conscia non erat? aut regendarum à se naturarum imperita? aut legum & rationum in hoc regimine æmulandarum cæca? 4. Æquè insulsum est existimare, à Verbo Deo rationes rebus omnibus suas quibus constant longissimè imprimi, citra conscientiam animæ mentisque sibi coalitæ, & suæ; & cùm Angelicas mentes ut sibi propiores, hoc naturæ suæ privilegio non defraudet, mentem Angelis tantò excellentiorem & sibi arctiùs conglutinatam inhonoram ab eo indecoramque prætermitti. 5. Æquè ineptum est decolorata dumtaxat & vespertina, hoc est pene nulla donare rerum notitia illam mentem, quç ipsa naturaliter lux erat & dies, sua autem cum Verbo copulatione, longè præcellentissimè lux erat lucis, & diem dies illuminans. Dies enim hæc vespera illa seu tenebricosiore notitia non tam illuminarur, quàm noctescit.

VIII. Quod suprà de angelica, hic de humana mente vendicatur, servata mediocritate nostræ naturç.

Observa 2. quæ de Angelicis suprà, hoc idem de humanis mentibus æstimandum esse, cum nonnullo tamen temperamento, quo illorum naturam nostræ eminere non illibentes assentimur.

Et si mens hominis enucleatiùs perpendatur, non multùm dispari jure pollere comperietur: quippe & ipsa inter naturam corporum infimam, & veritatis summam media, ab hac pendere, illi imminere; ab hac regi, illam regere nata; ideoque ut illam regat, hujus contuitu & exemplaribus imbuenda legibus.

Rursus mens hominis ut soror veritatis, aut cognatissima natura, non sine injuria potest à veritate ablegari procul, ut ejus vestigiis inhæreat, umbrasque magis ejus quàm radios inter illa venetur. Quàm intempestivum enim ut per corpora mens illuminetur? hoc est, lux per tenebras, dies per noctem lucidetur? imago simillima in rebus dissimillimis Deum quæriret?

Præterea mens hominis pari informitate turpatur, nisi supernè formetur. An ergo ipsa formando corpus beabit, nec supernè formabitur, ut & ipsa beetur? Et pari exanimatur morte, nisi superna irrigetur vita. An verò vitam ipsa inferiori corpori suam seu seipsàm prodiget, nec à superiori vitam cum fænore recipiet?

IX. Ex August. pœna est nunc, non natura, quod à temporalibus nunc venamur notitiā æternorum.

Et quæ suprà Augustinus de Angelis disserebat, ea in homines non obscurè redundabant. Nam quod rationes rerum principaliter in incommutabili veritate viventes per sensibilia à nobis utcumque olfieri, vix autem aut nec vix attingi ajebat ob infirmitatem naturæ nostræ & corpus corruptibile, quo anima degravatur, satis apertè innuebat quod ab illo arceamur rationum æternarum sacrario, in causa esse non naturam instituti hominis sed pœnam damnati. Item ubi ajebat in natura intellectuali quæ peccato contenebrata non est, priorem esse rerum in æterna apud Deum veritate, quàm in propria singularum naturą notitiam, satis insinuabat, non hanc esse Angelicæ tantùm, sed intellectualis cujuscumque naturæ & rationalis pro suo cujusque modulo prærogativam: quæ ratio cùm sit, summæ rationis delibatio est, & inde rerum rationibus inebrianda, non in materiæ fœculentiam inops & nuda statim ab exortu suo præcipitanda, nisi ex gravissimo aliquo suo facinore.

X. Profertur Augustinus.

Sed & expressissimè Augustinus id argumentatur ex Apostoli verbis: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum, satis ostendens ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non corporeis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminata.*

L. 3. de Gen. ad lit. c. 20.

Deinde adnotat ex Genesi, quàm consentanea fuerit non aliarum naturarum, sed lucis, seu Angelicæ naturæ creatio creationi hominis, subditque: *Quia & ipsa natura scilicet intellectualis est, sicut & illa lux, & propterea hoc est ei fieri, quod est agnoscere Verbum Dei, per quod fit.* Audis æquari quadantenus hominem Angelo, & ipsam hominis naturam esse lucem: hoc esse illi fieri, quod agnoscere Verbum Dei: itaque refundi in hominem à culpa purum Angelica illa privilegia, anticipatæ contemplationis rerum omnium in Verbo Dei, priusquam in seipsis decoloratiùs conspiciantur.

Ibidem. L. 8. c. 18.

Et rursum: *Certissimè tenere debemus Deum, aut per suam substantiam loqui, aut per sibi subditam creaturam. Sed per suam substantiam non loqui, nisi ad creandas omnes naturas: ad spiritales autem atque intellectuales non solum creandas, sed etiam illuminandas, cum jam possunt capere locutionem ejus, qualis est in Verbo ejus, &c. Si ergo Adam talis erat ut posset capere illam locutionem Dei quam mentibus angelicis per suam præbet substantiam, non dubitandum est quod ejus mentem per tempus moverit, miro & ineffabili modo, non motus ipse per tempus, eique utile ac salubre præceptum veritatis impresserit; ut quæque transgressori pœna deberetur, ea ipsa ineffabiliter veritate monstraverit: sicut audiuntur ea omnia bona præcepta in ipsa incommutabili sapientia, quæ in animas sanctas se transfert ex aliquo tempore, cum ipsius nullus sit motus in tempore. Si autem ad eum modum Adam justus erat, ut ei adhuc opus esset alterius creaturæ sanctioris & sapientioris authoritas, per quam cognosceret Dei voluntatem atque jussionem, sicut nobis Prophetæ, sicut ipsis Angeli: cur ambigimus per aliquam ejusmodi creaturam ei esse locutum Deum, talibus vocum signis quæ intelligere posset? Illud enim quod postea scriptum est, cum peccassent, eos audisse vocem Domini Dei ambulantis in paradiso, quia non per ipsam Dei substantiam, sed per subditam ei creaturam factum est, nullo modo dubitat, qui fidem catholicam sapit.* Quanquam videatur hic Augustinus inter hanc utramque alternare sententiam, per creaturam mediam, an per suam ipse substantiam Adamo audiendum videndumque repræsentaret se Deus, non tamen dubius animi aut sententiæ incertus hac in parte unquam fuit. Sed his de Genesi libris dubia tantùm excitare, & omnem in partem ventilare aggressus erat. Toto autem reliquorum ejus operum contextu inculcatissimè & ad nauseam usque propemodum commendat, & Dei contemplatione beatum creatum Adamum esse, quanquam multum dispari illius quam hinc avectus, consecuturus fuerat: & inter mundas animas & Deum, seu videndum, seu audiendum, nihil medium intercedere: & peccatum solum inter veritatem & mentem interstare: & etiamnum repentinis coruscationibus quasi crepusculum aliquod primigeniæ illius lucis raptim nobis interfulgere. Sed & hoc ipso ex loco supra relato, si quis naris sit paulò emunctioris, facilè ei subolebit, quam in partem propendeat Augustinus. Nam 1. Ecquod usquam vel in sacris Paginis, vel in Augustini commentariis extat vestigium, quo diluceat Adamo opus fuisse intermedia authoritate & quasi magisterio Angelorum? Nihil est unde hoc vel subodorari possimus. 2. Ibidem ait Augustinus, etiamnunc in animas sanctas transferre se incommutabilem sapientiam, illisque imprimere bona quævis præcepta: at cui persuadebitur tam elanguidam & exanguem Adami mentem conditam à Deo esse, ut ne sanctis quidem nunc post illam ruinam animabus coæquari possit? 3. Eo loci satis prodit Augustinus, quid discriminis stantem inter & lapsum Adamum constituendum sit: nam post prævaricationem jam ipsæ testantur scripturæ, per corporales imagines congressum esse Deum cum illo, per sensibilium amorem ab intelligibili luce ad corporales tenebras fæcesque afflicto. 4. De solo temporalium præceptorum contuitu in æternæ legis libro, quæstionem ibi versat Augustinus,

non

non de quocumque legis æternæ seu Verbi contuitu. Non paulò enim operosius est, & oculatioris mentis operæ pretium in Verbo rimari & perspicere seriem & contextum temporalis & arbitrariæ rerum administrationis, quàm in eodem pervidere ea quæ invariabiliter necessaria sunt, nec potuere aliter se habere. Non pauci hoc etiamnunc possunt, illud paucissimi.

Ib. l. 9. c. ult. Et rursus ibidem: *Ac per hoc etiam illa exstasis, quam Deus immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, ut & ipsius mens per exstasin particeps fieret, tanquam Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei intelligeret novissima. Denique evigilans, tanquam Prophetiæ plenus, cum ad se adductam castam mulierem suam videret, eructavit continuo quod magnum sacramentum commendat Apostolus, &c.* Ut ergo in æternæ secretarium veritatis inferre oculos tam altè, tam perspicaces non potuerit Adamus, ut temporalia ibi atque arbitraria dispiceret eventa; at amputatis tamen moris confestim ad id admissus, atque abreptus est, immisso divinitus somno, Prophetica luce circumfusus. Sed opportunior alibi se dabit locus quæstionis hujus pertractandæ diligentiùs.

XI. Hinc argumenta ad Christi scientiam.

His porro argumentis omnibus Christo homini plenissima Deitatis rerumque in Deitate omnium inspectio clara ab ipso conceptu suo invictissimè adseritur. Nam 1. Si peccati sordibus inquinatur mentis oculus, ne non longè dissitam, sed affusam sibi divinam lucem pati & tueri possit: & hæc non natura, sed pœna est nostra: nulla sorde vitiatum gerebat oculum mentis illa hominis Christi anima, nullo peccati vulnere sauciatum; poterat ergo statim æquè saltem divinam lucem oculo mentis tueri, ac solis lucem oculo corporis. 2. Si mens hominis quælibet lux & ipsa est; & hoc est ei creari, quod illuminari: hoc est ei fieri, quod est agnoscere Verbum Dei: quid mens hominis Christi? Nonne pulchriùs dicitur ipsa lux fuisse? Et non aliud esse illi creari, quàm agnoscere Verbum Dei, & illud complecti, illud ebibere, ei concrescere & in unam coalescere personam? 3. Si Adamus ex sola hominis inculpati nativa prærogativa, visione Dei, hoc est contemplatione non obscura, nulla interposita fruebatur creatura: quid Christus, melior Adamus & Adami restaurator, & humanitatis totius cum fœnore redintegrator, & Deus homo? 4. Ecquis suspicabitur inter illam Christi hominis mentem & Deum interstitium aliquod fuisse, vel mediam intercedere potuisse ullam creaturam, per quam ut Deo propiorem mens illa Deum conveniret, conspiceretque? Mediatrix est mens illa creaturarum omnium ad Deum, ipsa sine medio cohæret Deo, & arctissimè inexplicabiliterque cohæret. Non ergo ut intelligat Deum, creaturæ cujuspiam mediæ interventu eget. 5. Si is erat Adamus, cui nullius creaturæ sanctioris & sapientioris opus esset authoritas, ad cognoscendam Dei voluntatem: attingebat utique, conspiciebatque in divina ipse substantia, & Deum, & in Deo temporalia etiam & contingentia præcepta, teste supra Augustino. At Christo homini, quis ita insaniet, ut dicat opus fuisse authoritate creaturæ sanctioris atque sapientioris, qua ad Deum proveheretur? Quin ipse est cujus opus nobis fuit authoritas media & conciliatrix, qui cæcutientibus divinæ interim fidei & pietatis dictata credenda inspiraret, oculos mentis eo purgaret, videndoque Deo redintegraret.

XII. Prophetę & sapientes etiamnunc ut in æternitatis lumine versentur quàdoque, & ibi hauriant, quæ in nos effundant.

Observa 3. Ex hominibus ipsis longè à Deo post peccatum peregrinantibus, terræque allisis, assurgere aut abripi potius aliquos in Prophetas, qui raptibus mentis avecti hinc & in superna devolantes, in æternitatis lumine diversentur, intelligibili luce & veritate fruantur aliquoties & aliquandiu, eventorum etiam futurorum sæculorumque contextum in incommutabilis veritatis libro coram legant & intelligant, atque inde ad nos relapsi, de sua saturitate eructent nobis minutias aliquas, quo ceu lacte alatur fides nostra, spesque ad supera sustentetur.

XIII. Ex August. In Psal. 30. Conc. 1.

Augustinus: *In excessu mentis duo intelliguntur, aut pavor, aut intentio in superna, ita ut quodammodo de memoria labantur inferna. In hac exstasi fuerunt omnes sancti quibus arcana Dei mundum istum excedentia revelata sunt. De hoc mentis excessu, id est exstasi, Paulus cum loqueretur, seipsum insinuans ait, Sive enim mente excessimus Deo, sive temperantes sumus vobis, charitas enim Christi compellit nos. Hoc est, si ea tantum agere vellemus, & ea tantum mente contemplari, quæ mentis excessu intuemur, vobiscum non essemus, sed essemus in supernis, tanquam contemptis vobis. Et quando nos ad illa interiora & superiora infirmo passu sequeremini, nisi rursus compellente nos charitate Christi, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, nos considerantes esse servos, & non ingrati ei à quo accepimus altiora, propter eos qui infirmi sunt, non contemneremus inferiora, & temperaremus nos eis qui non possunt nobiscum videre sublimia? Hoc ergo ait, Sive mente excedimus Deo. Ille enim videt quid nos videmus, &c. Tantus autem fuit ille mentis excessus, ut diceret, Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit.* Vide quàm promptum fuerit viris hujusmodi, hinc excedere ad superna, ibi contueri *arcana mundum istum excedentia*, inferna oblivisci omnia, per mentis contemplationem *nobiscum hic non esse, sed in supernis esse*, & ibi commorari, *videre interiora, superiora, sublimia, quæ Deus videt*, ad quæ infirmi sequi eos non possunt, utque cum stimulante charitate abrumpunt se illinc, & ad infirmos refovendos se referunt, Verbum Deum imitentur, qui à forma & beatitate Dei ad nostram ultro infirmitatem & miseriam devolavit.

Et rursus idem: *Et quid Propheta? quoniam ego cognovi quoniam magnus est Dominus, mente volante ad superna, erecta à carne, transcendente creaturam cognovit quoniam magnus est Dominus. Non omnes possunt videndo cognoscere, laudant quod fecit, quoniam suavis est, &c. Propheta loquebatur qui intravit in sanctuarium Dei, qui audivit forte ineffabilia verba quæ non licet homini loqui, qui dixit quod posset ab hominibus dici, & tenuit apud se quod non posset dici. Ergo & audiatur ad quod possumus, & credatur ad quod non possumus. Si illi diceremus, Rogamus te explica magnitudinem illius, nonne forte responderet nobis, Non est valde magnus quem video, si à me poterit explicari? Redeat ergo ad opera ejus, & dicat nobis, Habeat ipse in conscientia magnitudinem Domini quam vidit, quam nobis credendam commendavit, quo nostros oculos perducere non potuit, & enumeret quædam, quæ hic Dominus fecit, ut & nobis qui magnitudinem illius sicuti ille, videre non possumus, dulcescat ex operibus suis quæ possumus capere.* Vides quo Prophetæ usque eluctarentur, ad conspiciendam Dei non ex operibus, sed in substantia ipsam sua magnitudinem, nobis hoc est parvulis ne fando quidem auditam, sed intolerabilem, & modicè ex operibus ejus subolfaciendam, aut ex Prophetarum verè videntium fide credendam suspicandamque. In Psal. 134

XIV. Ex eodem ut Prophetæ futura contuerentur in luce veritatis summæ. L. 4 de Trin. c. 17.

Et alibi: *An ipsorum hominum quorundam mentes in tantum evehantur Spiritu sancto, ut non per Angelos, sed per seipsas futurorum instantes causas in ipsa summa rerum arce conspiciant?* Et paulò post de Philosophis gentilibus, *Per ea quæ facta sunt, Deum cognoscentes, non sicut Deum glorificaverunt, &c. Et cum idonei non essent, in æternitatem spiritalis incommutabilisque naturæ, aciem mentis tam constanter infigere, ut in ipsa sapientia conditoris & rectoris universitatis viderent volu-*

volumina sæculorum quæ ibi jam essent, & semper essent, hic autem futura essent ut non essent, atque ut ibi viderent conversiones in melius non solum animorum, sed etiam corporum humanorum usque ad sui modi perfectionem; cum ergo ad hæc videnda nullo modo essent idonei, ne ad illud quidem digni habiti sunt, ut eis ista per sanctos Angelos nunciarentur. Ex quibus elucet germanum egregiumque futurorum scientiæ seu prophetiæ modum eò pertinere, ut *in ipsa summa rerum arce conspiciantur instantes causæ futurorum, & acie mentis constanter defixa in incommutabili sapientia rectrice omnium, ibi videantur sæculorum volumina semper stantia, semper præsentia.* Nisi enim ad hanc sinceram intelligentiæ à temporalibus & corporalibus omnibus defæcatissimæ rationem evehatur mens, non attingitur apex propheticæ sapientiæ. Ut testis est idem Augustinus: *Cum omnino sano atque integro corpore in alienationem rapiuntur: sive ita ut per sensus corporis corpora videant, &c. Sive penitus avertantur à sensibus corporis, & nihil per eos omnino sentientes, illa spiritali visione habitent in similitudinibus corporum. Sed cum malus in hæc arripit spiritus, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas; cum autem bonus, fideles mysteria loquentes, aut accedente etiam intelligentia veros Prophetas.* Ex triplici ergo visorum genere, cum seu corporalia per sensus corporis, seu corporalium incorporalia simulacra per internos sensus, seu intelligibilia per mentis ipsos occultos oculos conspiciuntur, non fiunt veri Prophetæ, nisi tertio hoc & postremo genere, intelligentia videlicet intelligibiles æternæ veritatis campos perlustrante, in eaque æternas temporalium, stantes fluentium, præsentes futurorum rationes perspiciente. Idonei ad id non fuere Philosophi sæculares. Quanquam enim ad æternæ veritatis lumen oculos valuerint sustollere, sed aciem defigere non potuere, ut non solum Deum intelligerent, quem utique intellexerunt, sed in Deo etiam sæculorum volumina in iisque corporum resurrectionem futuram pervidérent.

L. 12. de Gen. ad lit. c. 19.

XV. Gentiles Philosophi utcumque contemplari potuere veritatem, non tamen aciē defigere, & in ea cōtextum temporalium videre.

Et alibi rursum, quod Prophetæ tempora permisceant omnia, & quæ multis post annis eventura nobis sunt, jam ut ob oculos suos posita eloquantur, id innuit usu ideo venire, quod divinæ compotes sapientiæ, & quia in Deo hæc præsentia semper stant, quæ nobis futura instant, conspicientes, non nostræ semper imperitiæ, sed suæ quandoque scientiæ verba accommodent. *In Prophetia bene miscentur futura præteritis, quo utrumque significetur: quia ea quæ ventura prophetantur, secundum tempus futura sunt; secundum scientiam verò prophetantium, jam pro factis habenda.* Et alibi: *Itaque cantat ei Propheta in futurum, & utitur verbis quasi jam præteriti temporis, tanquam facta dicit quæ futura erant, quia apud Deum & quod futurum est, jam factum est. Ibi ergo Propheta videbat futura nobis, jam vero facta in illius providentia & prædestinatione certissima, &c.* Intulerant ergo oculos Prophetæ in arcem æternitatis, ubi stant omnia, ubi præsto sunt quæ futura nobis sunt, & linguam calamumque aliquando oculis suis attemperabant. Advertit alibi Augustinus Prophetas abrupte nonnunquam exordiri solitos, tanquam ab æterna luce huc repente delapsos: denique non tam ipsos quandoque, quàm per ipsos Deum & vidisse, & promulgasse res futuras.

In Psalm. 3.

In Psal. 84. In Psal. 2. 4. 36. 141.

XVI. Nec ad beatā visionē Dei attollebantur Prophetæ.

Et tandem usque adeo supera illa luce inebriabantur Prophetæ, ut, ne hallucinandi hinc nascere tur occasio, monendi fuerimus non semel, nec dum tamen illos in illud beatitudinis ultimæ & cumulatissimæ pelagus demersos esse, quanquam haustus inde aliquos aliquando etiam largiores præsumpserint. Augustinus idem ipse præclarè: *Ego dixi in ecstasi mea, Projectus sum à facie oculorum tuorum. Assumpta enim mente vidit nescio quid sublime, & quod vidit, nondum ibi totus erat: & quadam si dici potest quasi coruscatione facta luminis æterni, ubi sensit non se ibi esse, quod potuit utcumque intelligere: vidit ubi esset, & quemadmodum malis humanis infirmatus & coarctatus esset, & ait, Ego dixi in ecstasi mea, Projectus sum à facie oculorum tuorum. Tale est nescio quid quod vidi in ecstasi, ut inde sentiam quàm longè sum qui nondum ibi sum. Jam ibi erat qui dixit, assumptum se in tertium cælum, & ibi audiebat ineffabilia verba quæ non licet homini loqui. Sed revocatus est ad nos ut gemeret, prius perficiendus in infirmitate, & sic postea indueretur virtute: animatus tamen quia vidit aliquid rerum illarum pro dispensatione officii sui, adjecit dicens, Audivi ineffabilia verba quæ non licet homini loqui.* Delibatio ergo quædam beatæ visionis futuræ præcipitur à Prophetis, non plena ingurgatio; ut hoc nimirum quasi præsumpto sapore & in eam inflammescant ipsi, & alii per ipsos succendantur vehementiùs.

In Psal. 37.

Quæ Prophetis æterna luce per beatiora quædam intervalla donandis, hactenus congesta sunt, eadem Christo beatæ scientiæ fruitionem statim ab exordio incarnationis jugem perennemque vendicant. Nam 1. si Prophetæ frequentiùs & diutulè in illo lucis & veritatis sempiternæ sacrario hospitabantur, quid Christus Prophetarum dominus & Deus? Eò enim abripiebantur Prophetæ, ut ventura Christi mysteria beatitate quadam præcoce & anticipata prævidérent. Christus ergo qui cum necdum esset, jam Prophetas tamen sui præsagio beabat, ubi primùm fuit, non illico hujus beatitatis compos fuit? Necdum erat, & à quibus præsentiebatur beabat, & ubi erat, nec videbat ipse, nec sentiebat, nec beabatur? An fœlicitatis & beatæ scientiæ author & largitor qui semper fuit, inops & expers aliquando ipse fuit? 2. Si ex illo intelligibilis beatitatis cælo non avocabantur Prophetæ, nisi ut nostræ vulgique infirmitati servirent, Verbique ad nos ex æqualitate paterna delapsum imitarentur: quid Verbum homo, an quà homo nobiscum ita erat, ut non emineret interim, non vacaret intus supernis, & sibi, & Deo? 3. Si ad nos etiam revoluti Prophetæ, mente adhuc in superis commorabantur, & sobria illa divinarum contemplationum temulentia adhuc madescentes, abruptè ordiebantur loqui, & res atque tempora perturbabant omnia, & quæ divino oculo sibi quasi commodato hauriebant supernè, humano ad nos ore atque sermone profundere vix satis poterant: quid Christus Prophetarum Deus, & scopus, & votum, & Propheta ipse maximus? Si futura Prophetæ non in obscura rerum creatarum caligine, quasi fugiente ad vesperam luce, sed in matutino splendore videbant, in ipsa arce lucis, ubi sempiternæ vivunt causæ rationesque omnium. 5. Si tam perspicuè videbant Prophetæ divina, ut in eis videret Deus, & Verbum Deus per eos se ipse contueretur & promulgaret, quid in seipso homine ipsum Verbum? Non potuit certè quæ aliis exprompserat, sibi occultare.

XVII. Hinc argumenta ad Christi sciētiam.

Observa 4. illis etiam divinam lucem sine medio adsplendescere quandoque viris in Ecclesia doctioribus, quorum sapientia & æternarum divinarumque rerum intelligentia fundamenti instar est, cui parvulorum turba seu Christianorum vulgus innititur. Non satis enim Ecclesiæ, non satis humani generis saluti consuleretur, si non essent usquam nisi rudes & parvuli fidei lacte fovendi. Quæ usquam enim Respublica solo parvulorum grege constitit, aut constare potuit? Si omnes in infantia & cunis repent, & late potandi sint, ubi nutrices à quibus lac sufficiatur? Si omnes in nido fidei velut imbelles implumesque pulli delitescant, ubi nidi vindices, & ini-

XVIII. Sunt & etiā nunc, ac fuere, Contēplatores aliqui veritatis summæ, quibus parvulorū grex innititur.

inimicarum avium propulsatores? Sed si omnes parvuli, ubi parvulorum parentes, ubi saltem grandiusculi? Num parvuli gignent parvulos, aut parvuli dici esseve possunt, qui possint & gignere, & alere, & tueri parvulos? Si omnes denique fide nutriuntur sola, vacillabit hæc brevi, nisi alicujus oculati testis sapientiæ innitatur? Quid enim est credere, nisi cum nescias, scienti incumbere? Nam si nesciens nescienti, credens credenti adhæreat, nec ad aliquem tandem scientem & oculatum testem deveniatur, cujus traduce ad nos traditione certa credendorum fides propagata sit, nonne temeraria hæc erit & errorum incerto fluitans opinatio? Non ergo prospectum satis esset Ecclesiæ, nisi simplicium credulitati substerneretur sapientum authoritas, qui eorum quæ viderint fidem facere, parvulos gignere, fovere, & defensare queant.

XIX. Ex August. In Psalm. 8. Augustinus: *Benè autem non ait, Fecisti, sed, Perfecisti laudem. Sunt enim in Ecclesiis etiam hi, qui non jam lacte potantur, sed vescuntur cibo, quos idem Apostolus significat dicens, Sapientiam loquimur inter perfectos. Sed non ex his solis perficiuntur Ecclesiæ, quia si soli essent, non consuleretur generi humano. Consulitur autem cùm illic quoque nondum capaces cognitionis rerum spiritalium atque æternarum nutriuntur fide temporalis historiæ, &c.* Et paulò pòst: *Cùm videntur cæli, opera digitorum Dei, id est, intelliguntur Scripturæ producta usque ad infantium tarditatem, & eos per humilitatem historicæ fidei quæ temporaliter gesta est, ad sublimitatem historicæ fidei quæ temporaliter gesta est, ad sublimitatem intelligentiæ rerum æternarum benè nutritos & roboratos, erigunt in ea, quæ confirmant. Isti cæli, id est, libri, opera sunt digitorum Dei. Sancto enim Spiritu in Sanctis operante confecti sunt.* Et paulò suprà: *Quapropter si digitos Dei, eosdem ipsos ministros, Spiritu sancto repletos, propter ipsum Spiritum qui in eis operatur, rectè accipimus, quoniam per eosdem nobis, omnis divina scriptura confecta est, &c.* Vides infantiam vulgi Christiani incumbere temporalis historiæ fidei, ceu lacti quod ipsis affluit à cælis, id est, à sacris Scripturæ libris, quos digiti Dei, id est, perfecti & sapientes viri, non lacte ipsi, sed solido vescentes incommutabilis veritatis pabulo, conscripserunt; sed nec hoc lacte parvulos sustentari, nisi ut grandescant, & ad eorum usque robur adolescant à quibus lactantur, hoc est, *ad sublimitatem intelligentiæ rerum æternarum.* Hac ergo intelligentia rerum æternarum, hoc inquam solido cibo fruuntur, qui lac infantibus immulgent, qui lacte eos ad hoc roborant, ne lacte semper egeant, qui Scripturas ceu lac parvulis attemperatas conscripsere olim, vel etiam nunc interpretantur. Eodem enim spiritu, eadem sapientiæ maturitate interpretandæ deinceps usque sunt, atque primo semel conscriptæ fuere. Non enim eò parvulis hactenus prosunt, quod conscriptæ olim sunt, sed quod diebus singulis commoda interpretatione infunduntur.

XX. Ex eodem. In Psal. 17. L. de fide & Symb. c. 1. Et rursus: *Et revelata sunt fundamenra orbis terrarum. Et revelati sunt Prophetæ, qui non intelligebantur. super quos ædificetur orbis terrarum, credens Domino.* Et rursus alibi: *Sub ipsis ergo paucis in symbolo constitutis, plerique hæretici venena sua occultare conati sunt; quibus restitit & resistit divina misericordia per spiritales viros qui catholicam fidem non tantum in illis verbis accipere & credere, sed etiam Domino revelante intelligere atque cognoscere meruerunt. Scriptum est enim, Nisi credideritis, non intelligetis.* Propulsandis profligandisque hostibus fidei non par esset imbellis inermisque infantia, solo lacte pasta: unde spiritales viros intelligentia armatos, non sola munitos fide, ceu vallum & pernecessarium atque inexpugnabile præsidium Ecclesiæ suæ Deus instruxit.

Et rursum Augustinus: *Ipsi sunt montes qui illuminantur à Deo. Et primitus illuminantur, ut ab ipsis lumen descendat ad valles, vel ad colles; quia non tantæ sunt altitudinis, quantæ sunt montes. Ipsi sunt per quos nobis prærogatur Scriptura, sive in Prophetia, sive in Epistolis, sive in Evangelio, &c. Montes magni sunt, colles minores sunt. Montes ergo vident, colles credunt. Qui vident, pacem susceperunt, & attulerunt ad illos qui credunt. Qui enim credunt, suscipiunt justitiam, quia justus ex fide vivit. Angeli vident, annunciant quod vident, & credimus nos. Joannes ille, In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Videbat, prædicavit nobis, ut crederemus.* Cui loco affinis est hic aliter: *Suscipiant montes pacem populo & colles justitiam. Montes excelsæ animæ sunt: colles parvulæ animæ sunt. Sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam. Quæ est justitia quam colles excipiunt? fides, quia justus ex fide vivit. Non autem exciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, ut possint parvulis trajicere quod possint parvuli capere, & vivere ex fide colles, quia montes pacem suscipiunt.* Præstringerentur & hebescerent lippientes parvulorum oculi, si Sol ipse veritatis fulgurans in eos irrueret; montes ergo ille seu purgatiores sapientium mentes priùs illuminat, sinceræ lucis jam patientes, ab eisque ad ægram infantium teneritudinem fracta & temperata vi sua reverberatur. (In Psal. 124. Tract. 1. in Evan. Joan.)

XXI. Ex eodem. In Psal. 36. Postremò cardini huic tota fides infixa vertitur, ut nesciens scienti, tanquam vitis ulmo adhæreat & acquiescat. Augustinus: *Non parva pars scientiæ est, scienti conjungi. Ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis, Quod videt Deus, crede tu.* Hæc est fidei ratio tota, quod Deus videt, credere: id quod nescimus, scienti credere & videnti. Sed Deo qui credemus nisi eloquenti? eloquentem autem Deum quis audiet, quis capiet, nisi egregia quæpiam, & sapientia atque virtute supra cælos evecta mens eaque rarior corvis albis? Augustinus: *Dixit Dominus Domino meo. Audivit hoc David. Audivit in spiritu, ubi nos quando audivit, non audivimus, sed loquenti quod audivit & scribenti credidimus. Audivit ergo prorsus, audivit in quodam secretario veritatis, in quodam mysteriorum sanctuario, ubi Prophetæ in occulto audierunt, quod in aperto prædicaverunt.* Fides ergo sancit, ut nesciens scienti conjungaris Deo, & quod ille videt, tu credas. Sed non ille quæ videt, credituro parvulo eloquetur, nisi per intermedium aliquem, qui *in secretario ipso veritatis, in mysteriorum sanctuario videat, audiatque, quæ parvulis referat, elementis fidei committenda.* (In Psal. 109.)

Vergunt hæc omnia eò, ut sanctiores atque sapientiores aliquorum hominum mentes humano per omnes ætatum lapsus generi aspergantur, qui veritatem contueantur dilucidiùs, etsi non ea claritate, quæ hanc mortalitatem emensis despondetur; & quæ contuiti fuerint, lippientibus & cæcutientibus ad illam lucem cæteris credenda insusurrent; atque illorum sapientiæ & authoritati horum fides & infantia innitatur. Augustinus: *Cælum cæli Domino. Qui erexit & sublimavit quorundam sanctorum mentes in tantum, ut nulli hominum, sed ipsi Deo suo docibiles fierent. In cujus cæli docibilis comparatione, quidquid carneis oculis cernitur terra dicenda est, quam dedit filiis hominum, ut ejus consideratione quantum possunt, conjiciant creatorem quem infirmis adhuc cordibus sine isto conjecturæ adminiculo videre non possunt.* Et paulò pòst: *Sic sunt illi magni cælum terræ cum parvulos nutriunt, ut etiam cælum cæli se esse intelligant, dum cogitant, in qua spe parvuli nutriantur. Sed tamen quia jam illi non ab homine neque per hominem, sed per ipsum Deum car-* (In Psal. 14.)

carpunt sinceritatem ubertatemque sapientiæ, acceperunt parvulos, &c. Nescio quid expressius optari possit. Ultimum hoc addo; *Curramus in domum Domini, jucundetur anima nostra in his, qui ea nobis dicunt. Qui enim ea nobis dicunt, priores viderunt ipsam patriam, de longinquo clamantes ad posteriores, In domum Domini ibimus, ambulate, currite. Viderunt illam Apostoli, & dixerunt nobis, Currite, ambulate, sequimini, in Domini domum ibimus. Et quid dicit unusquisque nostrum? Jucundatus sum in his quæ dixerunt mihi, in domum Domini ibimus.* Proclivius est homini, fidem homini habere: familiarius est homini sperare, quod homini alteri jam obtigisse, jam prægustatum esse perspicit. Ut immortalium ergo bonorum fides spesque insereretur hominibus omnibus, eorum prælibatio quædam in antecessum indulgenda nonnullis fuit, ad quorum experimenta & authoritatem reliqui componerentur.

In Psal. 121.

XXII. Hinc denique argumenta ad scientiam Christi.

Authorem & consummatorem fidei nostræ Jesum, speique nostræ antistitem & sponsorem quantò abundantiori divinorum contuitu & sapientia donabimus, qui Prophetas, qui Apostolos, qui sapientiores quoslibet fidei præcones donavimus tam copiosè? Illi enim credulitas nostra uni incumbit: illi ut scienti & videnti, nos nescii & oculis adhuc infirmis lippientes per fidem acquiescimus; ille non scripturas canonicas ceu lac infantiæ nostræ vir ipse & robore sapientiæ maturus temperavit calamo, sed sapientibus eas scriptoribus inspiravit. Ille denique non aliter fidei nostræ conditor est, quàm ut ipse ait: *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ita enim conducebat inconcusso fidem nostram solidari fundamento, dum adhærescit & superstruitur, non homini qui sapientiam salutarit à limine, & interlucentes ejus radios raptim aliquos hauserit, sed qui totam toto hauserit pectore, totam perviderit, semperque viderit, videnfque non videntibus nobis enarraverit. Aut si ad gustum Cyrilli hæc condiri malis, inconcussa stat fides nostra, innixa non hominis sapientiæ & rerum æternarum intelligentia utcumque initiati authoritati, sed affixa & credula ipsi sapientiæ & veritati, per assumptum hominem cui se tota infudit, hominibus sese repræsentanti. Audi Augustinum: *Deum nemo vidit unquam. Et unde innotuit Moysi Deus? Quia revelavit servo suo Dominus. Quis Dominus? Ipse Christus, qui præmisit legem per servum, ut veniret ipse cum gratia & veritate. Deum enim nemo vidit unquam. Et unde illi servo, quantum capere posset, apparuit? Sed unigenitus inquit filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Quid est in sinu Patris? In secreto Patris. In secreto Patris, qui Patrem novit, ipse narravit. Nam Deum nemo vidit unquam. Ipse verò venit & narravit quidquid vidit. Quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem. Omnis illa creatura est, typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat.* Vides ut superfundanda fuerit fides nostra non jam Moysi, qui per ænigmata tantùm conspicatus esset Deum; sed Filio unigenito, qui in sinu Patris cum vidisset omnia, fidem sibi, quæ vidisset & videret enarranti, jure merito impetraret.

Tract. 3. in Evang Joã

CAPUT IX.

Circa omniscientiam Christi hominis aperitur sententia Cusani Cardinalis. Et novis tum veterum, tum Recentiorum Doctorum testimoniis fulcitur.

I. Cusani Card. sententia de omni scientia Christi.

Superioris doctrinæ de Christi hominis omniscientia interminata, nemo penitiùs Cusano fundamenta introspexit. Illi ergo hoc postremum caput dedicasse singulariter non pigebit. Tumultuariè autem loca ab eo decerpta contexemus, quod abundè supra laboratum jam sit à nobis, ut in certa quædam capita argumentationes omnes digererentur.

Ergo Cusanus ita patrocinatur omniscientiæ Christi: *Omne id quod omnes homines intellectu vigentes scire possunt, actu erat Christus. Homines possunt scire linguas, & unus plures quàm alius. Christus autem est vivus sermo seu Verbum Dei. Homines possunt esse docti, Christus sapientia viva. Homines possunt vivere vita rationali, Christus vita ipsa rationalis, &c. Et ita de omni perfectione acquisibili per hominem, quoniam verum est Christum esse actu omnem perfectionem. Et scias quod nemo est ita perfectus quin possit esse perfectior, & ideo perfectio omnium hominum cum recipiat magis & minus, non est proportionabilis ad perfectionem Christi, cum illa sit altissima, qua nulla potest esse major, aut altior. Maximum autem quo non potest esse majus, actu est omnia; quoniam in sua maximitate, actu omnia complicat quæ sunt possibilia, majus & minus recipientia.* Duo hìc argumenta è superioribus stringuntur. Primò cum Christus sit optimus, maximus, & ipsa summitas in ordine intelligentium, est actu omnis perfectio possibis. Ergo eum nihil latet, cum nihil sit quod sigillatim patere non possit. Deinde Christus est ipsa ratio omnium & sapientia viva humanam mentem induta: quam ut aliquid fallat, fieri omnino non potest: quod paucis intertextis expressiùs docet: *Dicit Evangelica litera Judæos dixisse, Quomodo hic literas scit, cum non didicerit, &c. Ipse quidem Sermo est & ars omnipotens, per quam Deus fecit & sæcula. Omnia igitur scivit, quia ars cum ingenio concurrebat, quoniam est ipsa ars atque intellectus omnium scibilium. Non fuissent Judæi admirati, si credidissent Christum vivum Verbum & sermonem omnium sermonum formabilium. Sicut si quis conciperet Scripturam aliquam esse vivam vita intellectuali, non admiraretur si Scriptura seipsam intelligeret sine doctore, quando adverteret quod esse ipsius esset vivus intellectualis sermo.* Innuit Verbum esse in mente creata Christi, quodammodo ut artem omnium scibilium, omnia ergo scivit: item Verbum seu omniscientiam indutam mente humana, in ea etiam sibi constitisse & omnia scisse.

L. 10. Excit. Pag. 682. 683.

Et alibi denuò Cusanus: *Humanitas in Christo inest sic contractè suppositata: sed in summa altitudine sua permanens: ait enim, Quod dedit mihi Pater, majus omnibus est. Ut ipse sit solus altissimus secundùm naturam humanitatis, non cadens à veritate, sed ei inhærens; inhæret enim purissima humanitas veritati suæ essentiæ, quæ est Verbum Dei, per quod omnia facta sunt.* Ratio & mens creata Christi ita à Verbo prodiit, ut à Verbo non exiret, à veritate omnipotentissima non caderet; caderet autem & longè peregrinaretur, si quam in ignorationem sive existentium sive possibilium rerum deflueret. *Assequimur nos obscuram humanam vitam & variè defectuosam: quia humanitatem in casu à veritate participamus. Sed ipsa humanitas Christi cum sit in veritate essentiæ suæ, unita Verbo vitæ, &c.*

II. Ex eodem. Excitat. l. 5. pag. 416.

Et rursus idem: *Quia sapientia spiritus est, qui nulla clauditur sive terminari potest creatura, ideo una in se manens sibi innumerabiles desponsat animas rationales. Sed sola anima Christi una, qui unctus est præ consortibus suis, illi sapientia in supremo gradu unionis est unita. Habitat enim ipsa divinitas seu sapientia in ipsa, non participativè, sed in plenitudine, &c. Scientia igitur in Christo est scientia omnipotentiæ, quia incontracta & ab omni defectu & terminatione absoluta.* Conjugii hypostatici hæc lex, ut animam sponsus suam seu Verbum non defraudet, non fallat ulla suæ plenitudinis parte; illam ergo necesse est omnipoten-

Ibi. l. 7. Pag. 578.

rentiæ suæ scientia ornet, & thesauros absconditos possibilium rerum ne illi suffuretur.

Idem Cusanus alibi: *Sicut igitur imago inter*
III. Ex eodē Cusano. L. de visione Dei c.10. *quam & exemplar non potest mediare perfectior imago, propinquissimè subsistit in veritate cujus est imago; sic video naturam tuam humanam, ô Jesu, in divina natura subsistentem. Omnia igitur in natura tua humana video, quæ & video in divina; sed humaniter illa esse video in natura humana, quæ sunt ipsa divina veritas in natura divina. Quæ humaniter video esse in te, Jesu, similitudo sunt divinæ naturæ, sed similitudo est sine medio juncta exemplari, &c. Intelligis omnia ut Deus, & hoc intelligere, est esse omnia: intelligis omnia ut homo, & hoc intelligere, est esse similitudinem omnium. Nec enim res intelligitur per hominem, nisi in similitudine. Lapis non est in intellectu humano, ut in causa vel ratione sua propria, sed ut in specie & similitudine. Est igitur in te unitum intelligere humanum ipsi intelligere divino, sicut perfectissima imago veritati exemplari.* Et paucis interpositis iterum premit illum locum: *Hoc inter tuum humanum intellectum & alterius cujuslibet hominis interesse video, quod nemo omnium scit omnia quæ per hominem sciri possunt, quia nullius hominis intellectus est ita conjunctus exemplari rerum omnium ut similitudo veritati, quin possit propinquius conjungi, & magis in actu constitui, & ideo non tot intelligit, quin plura intelligere posset per accessum ad exemplar rerum, à quo habet actualitatem omne actu existens. Tuus autem intellectus actu omnia per hominem intelligibilia intelligit, quia in te natura humana est perfectissima, & exemplari suo conjunctissima.* Argumentatio ipsa plus satis dilucida est. Amolitur autem illam difficultatem, cujus mole plerique deterrentur, quod mens humana Deitati exæquetur. Facessat ille metus. Deo intelligere omnia, est esse omnia, & supra omnia esse, atque incomprehensibile quid, ultra compertos nobis aut usitatos sciendi modos infinita quadam intercapedine semotum. Animæ Christi scire omnia, non est esse omnia, sed omnium similitudine imbui tum creata, tum exemplari increataque, id est, Verbo ipso.

IV. Ex eodem. L.5.Excitat. pag.490. Et rursus pulcherrimè: *Christus est Verbum Patris abbreviatum super terram. Humanitas Christi est quasi liber vivus, in se habens Verbum vivum Patris, & est quasi conclusio omnium librorum, & scripturarum, & figurarum, & formarum, & artium & scibilium & operabilium. Sicut conclusio est breve Verbum complicans omnia in virtute, quæ per libros multos non possunt sufficienter explicari. Conclusio autem est propter quam scribuntur omnia, & similiter per quam omnia scribuntur. Nam quæ scribuntur, non sunt, nisi explicatio ejus. Sicut vides quomodo Verbum est manens apud Patrem, & est missum in mundum, mediante natura humana, sicut verbum intellectuale magistri, manet apud magistrum, & mittitur in chartam mediantibus literis & figuris.* Ut hominis sapientia committitur & illigatur cartæ, ita sapientia divina humanæ naturæ Christi. Una sapientia est hæc, quanta quanta est, per sensibilem naturam sese exprimens & expromens.

Ibid.pag.500 Et infrà: *Quantum intellectus est in actu, tantum veraciter possidet & comprehendit. Sed intellectus qui penitus est in actu, ita quod nihil addi est possibile, cum omne id quod potest intelligi, intelligat actu, hic intellectus est tractus ad infinitum actum, qui est Deus, & omnia possidet tanquam hæres universorum, & hic est Christus quia unctus præ consortibus suis. Verus igitur est hæres homo ille, cujus humanus intellectus est penitus in actu, omnia in se comprehendens & possidens propter unionem supremam ad divinum intellectum. In Christo igitur est plenitudo perfectionis per unionem imaginis cum veritate sua in supremo gradu, ita quod major esse non possit. Et nisi esset personalis, major esse posset unio.* Itaque vicissim hæc commeant, & ex deitate Christi omniscientia, & ex omniscientia deitas ejus elicitur. Nam si intellectus ejus creatus est actu omnia intelligibilia, copulatus ergo est strictissimè universali veritati, ergo hypostaticè: & reciprocè, si hypostaticè id est penitissimè & summè conserta est mens ejus cum veritate omnium exemplari, nulla ipsam veritas, nulla pars sapientiæ fugit.

Denique idem Cusanus: *Sicut si scientia philosophiæ æterna esset, & generaretur homo, qui omnem* L.7.Excitat. Pag.556.559.
philosophiæ artem haberet, cui nihil addi posset, tunc non esset alia ars æterna, & alia genita. Esset quidem simile si philosophia esset in se ars subsistens, &c. Philosophiam inhumanatam, nihil sui lateret ipsam, nequidem ut inhumanatam. Et huic sanè competeret Magisterium in humana gente universa. Ibidem mox: *Intellectus conjunctus creatrici sapientiæ, quia in eo inhabitat divinitas, est spiritus vivificans omnem viventem intellectualem naturam. Omnis intellectus est semper docibilis. Sed intellectus Christi est in quo est ars omnipotentiæ, ideo doctor docens, seu illuminatrix lux est & Magister ob sapientiam ad quam assumptus est, quæ est omnium artifex.* Ars omnipotentiæ fæta est rationibus rerum omnium etiam possibilium, nec in lucem unquam vocandarum. Ergo ea cum sit in mente Christi humana, nihil eorum illam prætérit, nisi si potest earundem rerum & sapientiam atque artem, & nescientiam sociare unàque complecti.

Astipulatur eidem sententiæ Alexander de Ales in hæc verba: *Dicendum ergo quod comparatione habita scientiæ animæ Christi ad divinam scientiam secundum illud quod scitur, est dicere animam Christi æquè scire sicut Deus, quia scit omnia quæ Deus. Comparatione verò habita quantum ad medium propter quod scitur, vel quantum ad modum quo scitur, non erit dicere æqualitatem. Quia Deus scit omnia per seipsum sicut causam omnium; anima verò Christi, non per seipsam causam, imo per causam Deum. Ecce inæqualitas quantum ad medium. Præterea clarius & luculentius est cognitio Dei, quam cognitio animæ Christi de rebus omnibus, quia ipse Deus omnes res videt in se, anima verò Christi, non ut in se, sed ut in Deo. Ex quo patet inæqualitas quantum ad modum.*
V. Suffragatur Alensis. 3 p.q.13.m.7

Et rursus idem Alensis, cum aliqua protulisset eorum, quæ supra cogesta sunt, tum argumenta, tum suffragia Patrum, quibus omnis prorsus expungitur ignoratio à mente Christi creata, & hoc etiam extremum: *Si aliquis oculus haberet similitudines omnium visibilium, virtus visiva unita illi oculo, haberet cognitionem omnium sensibilium: ergo cum intellectus animæ Christi unitus sit intellectui increato, in quo sunt omnium rerum rationes & ideæ, intellectus Christi habebit cognitionem omnium sine ignorantia alicujus.* Respondet Alensis *hoc concedendum esse. Nam cum intellectus animæ Christi unitus fuerit intellectui increato, cui omnia patent, nec ulla latent, ignorantia eum detentum fuisse nullatenus credendum est.* Quæ eadem verbis totidem habet idem alibi, ubi intercedit, ne peræquè omnipotentia atque omniscientia humanitati Christi tribuatur. *Dicendum quod omniscientia non ponit causalitatem, ut principium rerum, sed solummodo ponit similitudinem ad res omnes. Et ideò cum anima, sicut dicit Augustinus, ad similitudinem totius sapientiæ facta sit, est omnium similitudo in potentia per intellectum. Scientia autem nihil aliud est, quam assimilatio intellectus ad rem. Erit igitur anima per naturam capax omniscientiæ. Omnipotentia verò ponit causalitatem & principium rerum omnium. Quod nullo modo potest convenire habenti principium, sive ei quod est de principio. Talis autem est omnis creatura & rationalis anima. Ex quo evidens est, quod nullo modo est capax* om-
3.p.q.5.m.2. art.1.
Ibi.q.13.m. & q.14.m.23

omnipotentiæ. Et ibidem rursus scrupulum emergentem ex infiniti ratione ita amolitur: *Infinita est anima quantum ad potentiam cognoscendi. Non enim determinatur ad aliqua cognoscibilia, quin adhuc possit in plura, si essent: & ideo quantum est de se, est infinita potentia. Quantum verò ad potentiam operandi, anima rationalis est finita, &c.*

VI. Et Robertus Pullus. Part. 3. c. 23.

Robertus Pullus paucissimis verbis omnia complexus est, quæ ad hanc sententiam pertinent. *Mox ex quo Deus homo, homo in tantum provehitur, ut non plus scire, nec melior esse queat, &c. Humanitas Christi in pueritia, plena erat sapientia. Sed cui plenitudo inerat sapientiæ, profectò nihil sapientiæ deerat.*

VII. Item Petrus Pictaviens. Senten. par. 4. c. 11.

Petrus Pictaviensis expressiùs rem eandem edisserit. *Sapientiam quæ propriè est in anima habuit Christus creatam, qua sapiens fuit, & ea scivit, quæcumque scit sapientia increata quæ est id quod ipse: quia ab æterno sapiens est Pater & Filius & Spiritus sanctus*. Cùmque objiceretur, ergo æqualem fore sapientiam creatam increatæ, respondet, *Licet anima Christi sciat, quidquid Deus scit, non tamen adeo perspicaciter sicut Deus: & quod omnia scit, hoc ipsum habet à Deo, & ideo ei non æquatur*.

VIII. Bonaventura Et alii complures. L. 3. sent. de 14. art. 2. q. 3.

Omniscientiam Christo homini tribuit & Bonaventura, sed speciale aliquid addit, quod non pigebit ab ipso audisse. *Si loquamur de cognitione, quantum ad actum considerationis, sic dicendum est, quòd anima Christi nunquam tot cognoscit, quot cognoscit ipsum Verbum. Per nullam enim gloriam potest adeo sublevari creatura, ut simul & in actu judicet de infinitis, cum hoc sit infinitæ virtutis. Si vero loquamur de cognitione habituali, sic potest concedi, quod scit omnia, quæ cognoscit ipsum Verbum sibi unitum. Et hoc patet sic. Quia cùm anima Christi cognoscat ipsum Verbum habitu glorioso, ita perfectè, quod non potest perfectius ipsum cognoscere; & ipsum Verbum æternum promptam habeat voluntatem ad aperiendum ipsi animæ omnia quæ in ipso relucent: nec aliquid in ipso reluceat, quod non sit natum cognosci ab anima Christi; anima Christi habet aliquid, quo facilis est ad cognoscendum omnia, quæ Verbum cognoscit*. Ita ille. Qui idem mox inquirit ecquid causæ sit, quamobrem non ita omnipotentia, sicut omniscientia impartita sit humani-

Ibi. ar. 1. q. 3.

tati. Ait autem: *Cùm anima cognoscit in Verbo, cognoscere ipsius animæ plus est in recipiendo ab ipso Verbo, quàm in agendo in ipsum Verbum, &c.* Bonaventuræ, vel omniscientiæ potiùs Christi astipulantur, ut nihil eum lateat, etiam possibilium præter Albertum, & quem alibi protulimus Magistrum, etiam Scotus, Gabriel, Almainus, Marsilius, Etsi nonnihil inter istos discriminis observari possit, ut jam in Bonaventura patefactum est.

IX. Conclusio.

Ex quibus abundè patet Fulgentii sententiam olim receptissimam tritissimamque fuisse, non tantùm inter Patres, sed etiam inter antiquiores Scholæ Theologicæ optimates. Paulatim verò cœptum ei restitari, ubi quæstiones de infinito è media Philosophia obrepserunt. Meas partes esse dux aliorum sententias referre, expendere testimonia & argumenta. Aliorum esto judicium, an satiùs sit limitem illum amplecti, quem tanti nominis, & tanto numero posteriores Theologi præfixerunt humanæ scientiæ Christi. Quod verò suprà alicubi retulimus per Inquisitores Tarracone damnatam hanc Arnaldi de Villanova propositionem, quòd anima Christi sciret omnia quæcumque scit Deus: ne facilè proscribi potuisse credatur, quod tot olim Patribus & Theologis placuit: rectè advertit Gabriel Vasquez hujus erroris non meminisse Bernardum Lutzemburgensem contra hæreses, verbo *Arnaldus de Villanova*, neque Gabrielem Prateolum in Elencho hæresum, eodem

In 3. par. dis. put. 50 c. 3.

verbo: sed nec in Concilio, neque à Pontifice ullo quidquam legi definitum de re istiusmodi. Ita Vasquez, etsi alienus ipse ab ea sententia. Sanè Basileensis Concilii sessione XXII. inter errores Augustini de Roma, hic quoque inuritur, *Anima Christi videt Deum tam clarè & intensè, quantum clarè & intensè Deus videt seipsum*. A qua opinatione quantum abhorreat & Fulgentius & Hugo Victorinus, suprà non semel admonuimus. Si verè autem confixa fuit à Censoribus fidei hæc Arnaldi Villanovani propositio, *Quod quàm citò anima Christi fuit unita divinitati, statim ipsa anima scivit omnia, quæ Deitas scit*: in causa id hauddubio fuit, quòd novator iste humanitatem prorsus æquaret Deitati. Id liquet ex prima ejus propositione, ab iisdem Censoribus confossa: *Quod natura humana à Deo assumpta, est æqualis Deo in omnibus bonis suis: & quod tam alta sit humanitas in Christo, quàm Deitas & tantum possit*. Huic subjungebatur illa propositio de scientia.

Hist. Univers. Paris. Tom. 3. pag. 121.

X. Summa defensionis hactenus institutæ pro Fulgentii doctrina, pro omniscientia Christi, & pro incomprehensibilitate divina.

Enimverò in eo summa rei verti videtur, quod non satis animum adverterint Theologi quidam, ad immane illud discrimen, quo scientia & sapientia Dei increata distat à quacumque demum sapientia & scientia creata, etiam ipsius hominis Christi. Idcirco enim omniscientiam creatam Christo homini tribuere reformidarunt, ne hoc nomine ille increatæ Dei omniscientiæ exæquetur. Hoc illos metu scrupuloque absolvunt sancti Patres cæterique Theologi suprà laudati, qui infinito quodam intervallo hanc ipsam infinitam Christi hominis omniscientiam ab increata omniscientia Dei differre ultro confitentur. Parum enim est scientiam à scientia differre sive in rerum quæ sciuntur multitudine, sive in lucis copia, qua sciuntur. Permagnum autem est distare scientiam à scientia toto ipso sciendi genere. Etsi oculus, vel per oculum potiùs anima sentiens videat, sentiat & imaginetur corpoream rem aliquam totam, quanta illa vel oculo, vel sensui, vel imaginationi patere potest: non tamen hæc cognitio æquari unquam poterit rei ejusdem ipsius cognitioni, quam anima rationalis, vel mens Angelica assecuta fuerit. Hæc naturæ intellectuali propria cognitio illam animæ sentienti propriam superabit, non extensione, non intensione, sed toto genere, & modo sentiendi ac sciendi longè præcellentissimo. Itaque etsi dicatur vel oculus, vel anima sentiens tantum videre ac sentire rem illam corpoream, quantum videri ac sentiri potest, ac proinde illam hoc genere sentiendi comprehendere: hæc tamen ipsa omnibus numeris absolutissima cognitio ac comprehensio immane quantum distabit & deficiet ab intellectuali, vel rationali ejusdem rei corporeæ cognitione. Quantum intellectualis vel rationalis notitia à sensibili differat, facilè intelligimus, quia has in nobis ipsis vires experimur. At intellectuali Angelorum, atque rationali hominum cognoscendi & sciendi rationi, quantùm ea antecellat, quæ Dei propria est, etsi quis non intelligit, credit tamen indubitatissimè & ultro profitetur. Cùm ergo illa Christi hominis omniscientia à Fulgentio aliisque asserta, illo contineatur genere scientiæ intellectualis vel rationalis, cujusmodi naturæ Angelicæ atque humanæ in quantumcumque majestatis fastigium exaltatæ convenire potest, certissimum est eam infinita quadam intercapedine distare ab illa earundem rerum scientia, quæ divinæ naturæ propria & consentanea est. Distat enim ab ea, etsi non eò quòd pauciores res complectatur, etsi non eò quòd non ea luce, sed longè obscuriore eas videat: sed toto genere; ita ut nulla unquam fieri possit hujus & illius scientiæ non dico exæquatio, sed ne comparatio quidem. Non aliter omninò, quàm ut nulla institui prorsus potest comparatio ejus notitiæ, quâ oculus corporeus & quâ mens Angelica lucem Solis intuetur. Eandem enim

pror-

prorsus lucem oculus animantis sentit, & mens Angelica intelligit. At hæc mentis intelligentia illum oculi corporei intuitum infinito post se reliquit intervallo. Hæc, ut mihi quidem videtur, germana ratio est vendicandi Fulgentii ab invidia, qua à nonnullis aspersus est: tuendæque Christi omniscientiæ, & à divina comprehensione sejungendæ. Etsi enim mens creata Christi vel totum Deum, vel in Deo res omnes extantes aut possibiles videre & intelligere dicatur; hæc tamen visio atque intellectio sui generis est, creatæ naturæ consentanea est, increatæ Dei de seipso & de rebus quibuslibet cognitioni longissimo cedit intervallo, nec verè comprehensio dici potest, quia etsi totum & totaliter videat, non tamen omni, non summo genere videndi videat, sed inferiori & angusto. Ita quanquam oculus corporeus lucem totam Solis & totaliter videret, non comprehenderet tamen, quia infimo tantum videndi genere illam videret, non superiori, hoc est, intellectuali: non supremo, hoc est, divino. Multò plus autem discriminis atque distantiæ est inter genera ipsa videndi, infimum, medium, supremum, quàm inter varios gradus ordinesque videndi in eodem genere. Itaque pluris est lucem corpoream mente utcumque & subobscurè intelligere, quàm eandem oculo corporeo perfectissimè & accuratissimè pervidere. Non existimo quenquam tam obtusæ mentis esse, qui non hoc suæ ipsius mentis privilegium intelligat. Hinc autem facile est conjicere, quantum eminere debeat medio videndi generi supremum, hoc est, divinum & increatum, si tantoperè præstet medium infimo, creatum creato. Sed tota aberrandi & altercandi occasio enata nimirum hinc est, quod increatam Dei, & creatam quamlibet etiam Christi hominis intelligentiam promiscuè quidam habuerunt, quasi ejusdem generis illæ essent, nec anteire altera posset alteri, nisi plura videndo, vel eadem ipsa quidem, sed clariùs pervidendo. Cùm longè præcellentius sit, Deique amplitudini incomprehensæ accommodatius, ut toto genere hæ distent videndi ac intelligendi rationes, & incomparabiliter antecellat divina intelligentia intelligentiæ cuicumque creatæ, in earum etiam rerum intellectione, qua mens creata & totas & totaliter perviderit. Nemo enim inficias ierit, quin mens creata aliquam saltem rem & totam & totaliter videre possit. An ergo tunc ne Deus quidem eandem rem absolutiùs comprehenderit? Quis ita desipiat? Quis non divinam cujuscumque rei visionem creatæ cuicumque ejusdem rei comprehensioni incomparabiliter & ineffabiliter præstare sentiat? Nihil ergo periclitatur divina incomprehensibilitas, seu illa Dei prærogativa singularis, qua sibi uni comprehensibilis est, etsi finatur mens creata Christi res in Deo omnes, vel Deum ipsum tantum videre, quantum à creata mente videri potest, quæ Fulgentii sententia est; quia vel tunc superesset quædam infinitè perfectior ratio videndi Deum resque in Deo omnes, nempe increata, & creaturis omnibus inconcessa. Ut Christi anima exhauriat totam videndi Dei, resque in Deo omnes possibilitatem, sed sui tamen generis tantùm visionem obtinebit, id est creatam, intellectualem, medii ordinis; Deum, resque in Dei essentia implicatas alio, eoque supremo videndi genere, hoc est divino, increato, longèque præstantissimo, ne attinget, ne delibabit quidem. Non ergo Deum, non res in Deo ullas comprehendet, ea quæ propria & verissima comprehensio est. Et quanquam de beata visione sermo sit, ubi ipsa Verbi Dei increata essentia fungitur vice speciei intelligibilis; nihilo tamen minùs vel illa ipsa Dei visio, quam anima Christi creata per increatam illam speciem consequetur, creata & ipsa erit; atque adeo sui generis, suique ordinis, finita & terminata; sin minus in lucis qua videbit, rerumque quas videbit copia, certè ipsis sui generis limitibus; cùm suo genere & creata & mediocris sit, & infra increatam Dei de seipso visionem atque comprehensionem infinito quodam interstitio jacens.

Laboravit autem & Petavius nec infeliciter, in conciliandа Fulgentii doctrina cum sententia scholæ Theologicæ receptissima, quæ Christo homini scientiam coæquat divinæ scientiæ visionis, non autem scientiæ simplicis intelligentiæ. Cùmque ut ipse ait, non sint, nisi quæ actu sunt; adeoque cùm non sint, nisi quæ scientiæ visionis obversantur; hinc illud efficitur, universè posse asseri animæ Christi omnia esse cognita; eo quòd sub generali hoc nomine, cùm *omnia* dicimus, ea potissimum continentur, quæ simpliciter *entia* sunt, hoc est *actu*, &c. Quæ autem etsi possunt esse, nunquam tamen erunt, *non entia* vocantur absolutè. De Incar. L. 11. c. 3. n. ult

LIBER OCTAVUS.

DE FILIATIONE CHRISTI HOMINIS propria & naturali, nequaquam adoptiva. De Servitute Christi, quà homo est.

CAPUT PRIMUM.

Christum non esse adoptivum Dei Filium, demonstratur primum ex sacris litteris sanctorum Patrum interpretatione elucidatis.

I. Christus homo Filius Dei est proprius & naturalis ex sacris litteris.

CHRISTUM etiam quà homo est, non adoptivum & ascititium, sed proprium & naturalem esse Filium Dei, nec alia etiam quà homo est, quàm germana veraque Verbi æterni & incommutabilis filiatione ad Deum Patrem referri, testatissimum faciunt sacri codices. Ex iis pauca excerpemus tumultuariè, quibus & sanctorum Patrum aliqua attexemus elucidamenta.

II. Probatur quia & Filius absolutè dicitur, & Patris, & omnia Patris illi data sunt.

Occurrit primum illud, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* Ubi de Filio incarnato verba fieri à Baptista, tum quæ antecedunt, tum quæ consequuntur, palam faciunt. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Hæc Verbo congruunt incarnato. At filiatio hìc non adoptiva & simulata, sed vera & naturalis significatur. Singulariter enim ibi Christus homo, Filius dicitur; singulariter Filius non Dei quasi adoptatus, sed Patris quasi ab eo genitus & proprius Filius nuncupatur; singulari amoris paterni prærogativa decoratur præ Angelis hominibusque Deo in filios adoptatis; singulari denique & veræ suæ filiationis & totius in se paternæ Joann. 3.

næ dilectionis privilegio unus gaudet, quod omnia Pater in manu ejus dederit. Cui enim adoptivo omnia sua donat Deus Pater? Hæreditatis utique frustula adoptivis adsignantur: naturali Filio tota hæreditas addicitur. Cui Pater dedit omnia, dedit & seipsum, dedit & æqualitatem secum, dedit ergo & naturalem filiationem. Nam æqualis Deo Patri non adoptivus utique est, sed naturalis Filius. Augustinus: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus. Adjecit, omnia dedit in manu ejus: ut nosses & hic qua distinctione dictum sit, Pater diligit Filium. Quare enim? Pater non diligit Joannem? Et tamen non omnia dedit in manu ejus. Pater non diligit Paulum? Et tamen non omnia dedit in manu ejus. Pater diligit Filium, sed quomodo Pater Filium, non quomodo dominus servum: quomodo unicum, non quomodo adoptatum; itaque omnia dedit in manu ejus. Quid est omnia? Ut tantus sit Filius, quantus est Pater. Ad æqualitatem enim sibi genuit eum, &c. Ergo cum ad nos Pater dignatus est mittere Filium, non putemus aliquid minus nobis missum quàm est Pater, &c. Si ergo æqualis Patri missus est, non eum æstimemus ex infirmitate carnis, sed cogitemus majestatem indutam carne, non oppressam carne.* Verus ergo & proprius est Filius, qui Filius singulariter dicitur, cui Pater singulariter Pater est, cui tota hæreditas datur, cui paterna æqualitas non negatur, cujus majestas induitur carne, non opprimitur; nec ex naturali in adoptivum per carnem desciscit, sed etiam cum carne & patriam retentat æqualitatem, & germanam filiationem.

In Evang. Jo. Tract. 14.

III. Item quod suã Christus nostramque filiationem diligentissime secernit. Joan. 20.

Insigne est & aliud: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Ubi non otiosa est Verbi Dei in verbis tam affectata diligentia, ne diceret, ascendo ad Patrem nostrum, sed discerneret se inter & nos, & aliter sibi, aliter nobis Patrem esse Deum demonstraret. Nec usquam alibi, cum toties de Deo ut suo, itemque ut nostro Patre verba fecerit, commiscuit se nobis; sed Patrem vel simpliciter Patrem, vel suum dixit, nobis autem communi nomine Patrem nostrum ut invocaremus instituit. In tanta carnis humilitate quam hìc gessit, in tam stupenda fastigii sui Deitatisque depressione, suam tamen hanc nobilitatis prærogativam curiosissimè retinuit, nusquam vel tantillum decessit de filiationis suæ dignitate; omnia nostra in se humillima transtulit, sua nobis altissima contulit; nusquam tamen vel suam nobis naturalem, vel nostram sibi adoptivam filiationem accommodavit; nusquam eodem nomine sibi nobisque Deum Patrem esse consensit. Non vacat in tanta humilitate, tanta ingenitæ nobilitatis ostentatio; non vacat in tanta divinitatis totius exinanitione, filiationis solius affectata exaltatio; non vacat quod in ipsa cruce Patrem singulariter invocat. Funditus enim interit tota crucis utilitas, si crucem subit adoptivus pro adoptivis. Quod ergo in summa humilitate vendicatur filialis nobilitas, hinc non infuscatur, sed illuminatur humilitas. Augustinus: *Cui dicimus Pater noster? Patri Christi. Qui ergo Patri Christi dicit, Pater noster, quid dicit Christo, nisi frater noster? Non tamen sicut Christi Pater, ita & Pater noster. Nunquam enim Christus ita nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos & se. Ille enim Filius æqualis Patri, ille æternus cum Patre, Patrique coæternus; nos autem facti per Filium, adoptati per unicum. Proinde nunquam auditum est de ore Domini nostri Jesu Christi, cum ad discipulos loqueretur, dixisse illum de Deo summo Patre suo, Pater noster, sed aut Pater meus dixit, aut Pater vester: Pater noster, non dixit. Usque adeo ut quodam loco poneret hæc duo, Vado ad Deum meum, inquit, & Deum vestrum: quare non dixit, Deum nostrum? Et Patrem meum dixit, & Patrem vestrum; non dixit nostrum. Sic jungit ut distinguat: sic distinguit ut non sejungat. Unum nos vult esse in se, unum autem Patrem & se.* Perspicuè ergo Christo homini, etiam ut homini, non alius Pater est, quàm Verbi Pater: nec aliter ipsi Pater est, quàm Verbo; nec alia ipsi Filiatio inest, quàm naturalis & propria Verbi: quia videlicet non aliud Christus homo est, etiam qua homo; quàm Verbum cum carne: unde & idem ipsi & eodem modo Pater est ac Verbo. Ambrosius: *Dic, Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata. Patrem dicis, quasi filius; sed noli tibi specialiter aliquid vindicare. Solius Christi specialis est Pater. Nobis omnibus in commune est Pater, quia illum solum genuit, nos creavit. Dic ergo & tu per gratiam Pater noster, ut filius esse merearis. Ecclesiæ contuitu & consideratione te ipse commenda.* Capreolus Episcopus Carthaginensis: *Potuit namque dicere, Ascendo ad Patrem nostrum & ad Deum nostrum. Quia multum distat inter dominationem & conditionem, inter generationem & adoptionem, inter substantiam & gratiam. Ideoque hic non permixtè, nec passim dicitur, Ascendo ad Patrem nostrum, aut Deum nostrum; sed ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & ad Deum vestrum. Aliter enim illi Deus Pater est, aliter nobis. Illum siquidem natura coæquat, misericordia humiliat: nos verò natura prosternit, misericordia erigit.* Constanter insistunt hi Ecclesiæ Patres, adoptivus ut ne Christus homo dicatur, sed etiam qua homo non aliter Dei Filius sit, quàm quia à Patre genitus, quia natura Patri coæquatus, quia substantia, non gratia Filius est; quia denique idem unusque in carne est, qui ante carnem. Cyrillus Jerosolymitanus: *Dicebat confidenter, Vado ad Patrem meum & ad Patrem vestrum Non dicit, ad Patrem nostrum; sed dividens, primum dicit, quod erat proprium, ad Patrem meum: qui ejus Pater est natura: deinde subdit, Patrem vestrum, qui est per adoptionem.* Et infrà: *Hominum itaque Pater est κατὰ χρηστικῶς; Christi verò solum natura Pater est Deus, non per adoptionem: & hominum quidem in tempore, Christi verò ante tempora.*

In Joann. Tract. 21.

L. 6. de Sacr. c. 4.

Catech. 7.

IV. Pater de cœlo intonat & Filium, & Suum & Dilectum.

Nec minùs splendida est Filiationis propriæ, non adoptivæ testificatio, Patris illa semel iterumque intonata vox, in baptismi humilitate & in montis claritate uniformis, *Hic est Filius meus dilectus*: ut seu claritatem Deitatis in monte diradiantem, seu humilitatem carnis in baptismo dehiscentem spectemus; peræquè unum singulariter Filium, & proprium & dilectum suspiciamus. Ambrosius: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Hoc est, non Elias Filius, non Moyses Filius, sed hic est Filius, quem solum videtis. Recesserant enim illi, ubi cœpit Dominus designari.* Adoptivus ab adoptivis non adeo diligenter secerneretur. Quanti autem sit Christi filiationem discutere & scire, subjungit ibidem Ambrosius: *Vides hanc non solum insipientium, sed etiam perfectorum, imo etiam cælestium fidem esse perfectam, Filium Dei scire.* Et alibi idem tractans paulò copiosiùs, *Petrus in monte Moysen & Eliam cum Filio Dei vidit, nec erravit in natura, nec erravit in gloria. Denique quid facere deberet, non illos sed Christum interrogavit. Nam etsi tribus parabat obsequium, unius tamen expectabat imperium. Sed quoniam vel tabernaculorum numerum deferendum tribus simpliciter æstimavit, emendatur Dei Patris authoritate, dicentis, Hic est Filius meus dilectissimus, ipsum audite, id est, Quid conservos tuos cum Domino socias tuo? Hic est Filius meus. Non Moyses filius, non Helias filius, sed hic Filius. Sensit emendationem Apostolus, procidit in faciem, consternatus Patris voce & Filii claritate. Sed elevatur à Filio, qui jacentes erigere consuevit. Unum vidit, solum vidit Dei Filium: recesserunt enim servuli, ut solus Dominus, qui solus designabatur, Filius videretur.* Epiphanius in Ancorato, cum eamdem Patris vocem præmisisset, *Profectò si unigenitus est Filius, æqualis huic esse nemo potest, aut cum*

L. 7. de Luc.

L. 1. de fide. c. 5.

Num. 49.

cum eo comparari, qui similis Filio sit, in filiis Dei Ejusmodi quippe gratia filios scriptura commemorat, quorum nemo cum illo qui naturalis Filius est, adæquari possit. Cæterùm si Ambrosii vestigia legere libeat tantisper, plurima ex illo uno Patris testimonio erumpent testimonia, quæ adoptionem à Christo abstergeant. Nam adoptivorum Dei filiorum facilè principes extiterint Moyses & Elias, quibus tamen Christum Petrus anteponit, cum illius ab unius nutu & imperio se pendere significat, nec nisi jussu ipsius, & secundùm ipsum cæteris obsequium defert. Et increpatur tamen à Patre Deo quod conservos suos cum Domino suo utcumque sociaret. Et paterna vox solum Christum prædicat, solum pronunciat Filium, non Moysen, non Eliam Filium, sed Christum solum, & Filium, & suum, & dilectum declarat. Et confestim quasi exauthorati adoptivi Moyses & Elias diffugiunt, & solus cernitur Christus, ut Filii dignitate supernè illustrata solus potiatur.

V. Nostra adoptio imitatio & delibatio quædam Filiationis Christi propriæ.

Illa quoque Christi apud Joannem verba injuriam adoptionis à germano & proprio Filio amovent, *Ego in eis, & tu in me. Omnes unum sint sicut tu Pater in me, & ego in te. Ego & Pater unum sumus. Ut & ipsi in nobis unum sint*. Ubi copulatio quædam & Christi cum Patre, & nostrum cum Christo, per eumque cum Patre, sed longè dispar monstratur. Nostra enim cognatio illius imitatio dumtaxat esse describitur, nostra ergo adoptiva, illa naturalis. Item nos unum simus, ille unum est cum Patre; nos ergo adoptione, ille nativitate; nos gratia, ille natura.

L. 4. de fide. c. 2. Ambrosius: *Nos unum erimus, Pater & Filius unum sunt. Nos secundum gratiam, Filius secundum substantiam. Alia autem per conjunctionem, alia per naturam unitas. Denique vide quid ante præmiserit, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te. Considera ergo quod non dixit, Tu in nobis, & nos in te; sed tu in me & ego in te, ut se à creaturis separaret. Et addidit, Et isti in nobis, ut etiam hic suam potentiam & Patris à nobis secerneret: ut quod nos in Patre & Filio sumus, non natura videatur esse, sed gratiæ. Quod autem Filius & Pater unum sunt, non hoc Filius accepisse per gratiam, sed naturaliter ut Filius possidere credatur*. Ubi hoc insuper adnotat Ambrosius, quod se à nobis Christus sejungat semper, nec in cognatione ad Patrem nos sibi conjungat unquam; sed semper se unum Patri primùm conserit, inde nos sibi accersit. Quod tanta humilitas haud sanè tam diligenter satageret, si adoptione nobis eadem complicaretur.

VI. In flagrantissima Judæorum invidia perstat Christus Patrem sibi homini Deū propriè vendicare.

Præclarum est & illud Christi apud Joannem suffragium quo adoptionem abdicat, & naturalem exertissimè inculcat filiationem: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*. Ut quid enim communem omnium Patrem sibi uni adrogat, si communiter ipsi nobisque adoptionis gratia Pater est? Ut quid suum vocat, qui omnium est? Homo enim hominibus loquitur: si ut homo igitur adoptivus est, quid suum ut proprium Patrem usurpat, cujus non propriè, sed abusivè filius est? Denique cum ardentissima flagraret invidia, quod homo cum esset, Deum se Deoque Patri æqualem Filium jactaret, ut quid eam accumulat, quam uno verbo sedare posset, si qua hominem, longè disparem se & degenerem filium nempe adoptivum simpliciter profiteretur? Cum ergo tanta invidiæ flamma, tanto odiorum, insidiarum, minarumque discrimine non deterreatur, quin qua homo Deum sibi propriè & specialiter Patrem adroget, indubitatissima & ad salutem summoperè necessaria non immerito conjicitur hæc esse fides, quod Christus homo non adoptivus, sed proprius & naturalis Filius est Dei Patris, idemque in carne Filius qui ante carnem. Cyrillus illa ipsa verba ita commentatur:

L. 1. in Evāg. Joan. *Observandum autem rursus, Patrem suum vocare unicè ac peculiariter Deum, puta quod ipsa etiam solus secundum naturam sit ex ipso & verè genitus. Nam si rationem istam non habet, sed ita nobiscum est Verbum Filius, ut unus ex nobis, adoptione nimirum & sola Patris voluntate, quamobrem quæso communem illam & omnibus propositam gloriam solus sibi arrogat cum ait, Nolite facere domum Patris mei, non autem potius domum Patris nostri? Hoc enim dicere magis forsitan consentaneum erat, si se unum ex iis qui natura non sunt filii Dei, agnoscebat. Cum autem Verbum seipsum non inter filios per gratiam adscriptum, sed ex substantia Dei ac Patris esse cognoscat, extra numerum aliorum se collocat, Deum suum Patrem nuncupans. Decet enim eos qui in filiorum numerum vocati sunt, & ascititia dignitate præditi, ita Deum compellare precando, Pater noster qui es in cœlis. Unus autem ac solus ex uno existens unigenitus, suum Patrem Deum merito nuncupaverit*. Nemo adoptivorum suum præsumit Patrem appellitare Deum, qua nulli privatim, sed omnibus in commune Pater est: nec ideo omnium quia singulorum, sed potius ideo singulorum quia omnium; ideo singulorum Patrem, quia Ecclesiæ, cujus singuli membra sunt; ideo singulorum, quia singuli membra sunt unigeniti, id est Ecclesiæ, quæ unum cum Capite suo Christo corpus est. At Christus in carne suum fidenter Patrem Deum dictitat, quia ejus unius natura Pater est, nec aliter quàm natura Pater est. Ambrosius: *Dic ergo & tu per gratiam, Pater noster, ut filius esse merearis, Ecclesiæ contuitu & consideratione te ipse commenda*. Pater enim, totius Pater est, non membri cujuslibet; Deus ergo Pater est Ecclesiæ totius, & ideo singulorum, quia membra sunt Ecclesiæ. L. 1. de Sacr. c. 4.

VII. Alium aut aliter Patrē suū qua Verbi, & qua hominis, nūquā insinuat Christus. Epist. ad Episc. Gall. & Hispan.

Sexcenta sunt loca istiusmodi, ubi Patrem suum specialiter & seclusis aliis omnibus Christus Patrem appellat, complura acervavit Adrianus Papa: Ea autem cum ad solam deitatem pertinere cavillarentur Fœlix & Elipandus, urget Pontifex, eccubi aliter Christus suum qua homo est Patrem dixerit? An cum in carnis humilitate tam libens & tandiu volutaretur, hanc tamen solam dissimulavit inanitionis suæ partem, quod ex naturali adoptivus evaserit? An propriam Verbi filiationem usurpavit semper humanitas, & propriam sibi adoptionem cautè celavit? An infra nos abjecit se pro nobis, & tamen cum adoptivus esset æquè ac nos, hoc clàm habuit, & solam Verbi majestatem ostentavit? An omnia nobiscum communia habere affectavit, sed communi nomine Patrem nostrum invocare Deum ambitiosiùs abstinuit? Insulsa & inficeta sunt hæc omnia; & disertè Paulus ait, *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Unde Adrianus Papa loco allegato, *Scimus enim, quia non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod homo verus erat, illum nimirum qui traditus est, id est, hominem*; ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur. Rom. 8.

VIII. Claritatem Filius à Patre repetit, Patri repensurus. Joann. 17.

Quid quod ita orat Christus? *Pater clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*: & revera cruce ipsa clarificatus est, cum is ipse qui cruci affixerat, exclamarit, *Verè Filius Dei erat iste*. Planè de clarificanda humanitate hìc agitur, & quidem per crucem; & tunc Filius Patris singulariter dicitur, & Pater ejus specialiter Deus invocatur, & verè Filius Dei, non impropriè appellatur. Et quidem subimpudenter adoptivus clarificari se flagitaverit, reciprocam autem clarificationem Patri rependere nonnisi profligato pudore toto spoponderit. At qui natura Filius est, jure suo suam sibi claritatem redintegrari postulat, paremque gloriæ redundantiam cum Patre paciscitur. Hilarius: *Qui cruci affixerant, verè Dei Filium confitentur. Prædicationi consentit effectus. Dominus dixerat, Clarifica Filium tuum. Non solum nomine contestatus est esse se Filium, sed proprietate, qua dicitur tuum. Multi enim nos filii Dei, sed non talis* L. 3. de Trin.

lis hic Filius est. *Hic enim & verus & proprius est Filius; origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione.* Qui ergo adoptivum sentit Christum, sua illum exuit claritate, qua nec qui fixerat cruci, illum fraudavit. Synodus Francofordiensis: *Pater de cœlis intonuit, & eum Filium suum nominavit. Christus de terris in cœlos clamavit, & se Filium nominavit: & vos cum Judæis adhuc increduli estis? Latro in cruce eum Dominum nominavit. Centurio morientem eum videns clamavit, Vere Filius Dei erat iste. Sed & dæmones eum vere Filium Dei summi cum sua legione proclamaverunt, sicut in sanctis legitur Evangeliis. Et Elipandus cum sua legione negat adhuc eum verè Filium Dei esse?* Etsi humilitatis ergo tenacissimus, suæ tamen hujus propriæ filiationis retinentissimus semper visus est Christus, nec eam adoptionis contumelia decolorari passus est; à Patre, à seipso, ab Apostolis, ab inimicis, à dæmonibus ipsis suæ dignitatis testimonia expressit, probè gnarus fore ut totius humilitatis pretium & exemplum vanesceret, nisi sua ipsi dignitas constaret. Quid enim adeo mirum si adoptivus & filii solo nomine, non veritate donatus, pro reliquis adoptivis in discrimen venit?

In Epist. Synod. ad Epi. Hispa.

IX. Manifestavit Christus nomé Patris qui ut Deus tantùm clauerat hactenus.

Rursus apud Joannem Christus ad Patrem ait, *Manifestavi nomen tuum hominibus.* Deus enim hactenus nonnihil ut Deus, utque creator rerum inclaruerat: necdum crebuerat Patris nomen, quod tantò quàm Dei splendidius tamen est, quantò creaturas omnes antecellit opifex omnium Verbum. At adventu suo Christus sinum ipsum Deitatis & arcana paternæ filialisque proprietatis propalavit orbi, dum Filium Dei se comprobavit. Inanis autem hæc jactatio est, totaque in fumos abit, si Filius tantùm gratia adoptionis est Christus. Quantillum enim decus accedit Deo, si hominem sibi in filium adoptasse jactetur? Quàm inglorium est Patris nomen, quod adoptione paratur? Quàm frigidè venditatur hujus arcani propalatio orbi facta, quòd filium Deus adoptivum nactus sit? Quàm non novum hoc est, cùm tot Angelos hominesque sanctos Deus olim sibi adscivisset in Filios, & ad eum modum Pater jamdiu audiret? Adrianus Pontifex in Epistola suprà laudata: *Ait enim, Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Nomen paternum tunc manifestavit hominibus, cum se Patris Filium verum, & non putativum, proprium innotuit & non adoptivum.*

X. Christus homo & Filius & Unigenitus, & in sinu Patris, Patré enarrat.

Rursum: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Enarravit utique Christus homo; at idem est Filius, & Unigenitus, & in sinu Patris. Nam quia filii nomen adoptivis indultum est, atque ita nonnihil decoloratum, ne qui humano ore Deitatem nobis enarravit Christus, utcumque & consimiliter aliis filius esse existimetur, præmittitur Unigenitus. Quis enim adoptivorum nomen unigeniti vel ambiat, vel speret? Adoptivus enim nec genitus est, nedum unigenitus. Adoptivus voluntate adsciscitur, non natura; ideoque adoptivus turba est, non unigenitus. Denique ut omne amputetur dubium, in sinu Patris est, inde scaturiens, ibi conquiescens: inde existens, ibi consistens; non alius ergo quàm natura Filius. Sinus enim genitale solum est, & naturæ penetrale. Sicut ergo ante carnem, ita post carnis accessionem, non alius nec aliter Christus Filius est, quàm unigenitus Filius in sinu Patris.

Hom. 4. de incomp.

Chrysostomus: *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Primum Unigenitus dixit, deinde Filius: cùm enim propter nominis communitatem, gloriam ejus plerique minuant, unum ex hoc vulgari filiorum numero esse arbitrantes; nomen etenim filii commune omnium est; hinc quod ejus præcipuum est & peculiare, ac nemini è cæteris tribui potest hominibus, id est, unigenitus, ante posuit, &c. filii nomen & hominibus datur & Christo, sed nobis abusivè, illi propriè. At verò Unigeniti nomen, ejus unius est; nec ulli è cæteris vel abusivè convenit. Ut igitur ab ea quæ nemini congruat nisi uni ipsi appellatione, alteram quoque illam multitudinis propriam, ejus esse propriam arbitreris, ea propter primum Unigenitus, post Filius dixit. Sed si minus hæc tibi sufficiant, inquit, tertium illud addam; crassum quidem atque humanum, verùm efficax satis, ut vel humi jacentes homines ad intelligendam Unigeniti gloriam erigat. Quodnam illud est? Qui est in sinu Patris.*

XI. Si nō verba, sed facta pésitentur, Christus Filii Propri nobilitaté & authoritatem ubique præ se fert.

Nec ea tantùm loca quibus Filii, vel Unigeniti, vel Patris nomina inculcantur, sed tota Christi doctrina propulsandæ adoptionis obscuritati adlaborat. Non enim ut adoptivus unquam, non ut precaria donatus authoritate, non ut alieno suffultus beneficio loquitur, aut docet, sed ut verè Filius, ut natura Filius & Dominus, ut ingenita nobilitate fretus, ut sua sibique propria authoritate pollens, docet, imperat, vetat, destruit, struitque ad arbitrium suum omnia. *Ego autem dico vobis.* Quæ novandi sanciendique fiducia non emendicatam, sed propriam & congenitam authoritatem spirat. Chrysostomus: *Ego autem dico vobis, quoniam qui irascitur fratri suo temerè, reus erit judicio. Vidisti perfectam utique potestatem, vidisti dignitatem, quæ latorem certe legis deceret. Quis enim Prophetarum unquam sic locutus est, quis justorum, quis Patriarcharum? Nullus omnino. Nam illi per singula sæpius inferebant, Hæc dicit Dominus. Sed non ita loquitur & Filius. Illi enim Domini verba, hic verò Patris annunciat. Cum autem dico Patris: sua utique dico Mea enim inquit tua sunt, & tua mea. Et illi conservis suis loquebantur, hic servis.* Quid magis obnoxium hac justorum olim voce, Hæc dicit Dominus? Quid magis imperatorium hac Christi fiducia, Ego autem dico vobis? Decebat nimirum illud servos, hoc Dominum: illud ut summum è servis adoptivos, hoc germanum & natura Filium. Si Christus autem humanitate adoptivus æquè fuisset, quæ ejus erat humilitas, & modestiæ pudor, tam regias in carne voces neutiquam usurpasset. Ex his autem fas est & alia Christi verba expendere, nec imparem in illis amplissimæ dignitatis exaggerationem observare. Consentaneum autem est, ut se quandoque infra seipsum depresserit; ut autem supra seipsum extulerit se vel semel, alienissimum est.

Hom. 16. in Matth.

XII. Idé liquet ex apparatu incarnationis seu conceptionis Christi.

Eodem spectat prolixissimus ille apparatus quo Christi conceptio præstruitur. Angelus adest, Virgo convenitur, Spiritus sanctus allabitur, virtus Altissimi obumbrat, exinanitur Verbum, tota Trinitas adlaborat. An tanto nisu editur adoptivus infantulus? an tam enixo Deitatis totius conatu precaria filiatio comparanda fuit? Supersederi poterat hoc labore tanto, & unico verbulo, uno jussu adoptio concedi poterat, & in plures etiam propagari. De gignendo igitur Filio, non de adoptando laborabatur; de natura Deitatis, non de gratia adoptionis effundenda. Ad hoc non immeritò intendebatur nixus ingens Deitatis ipsius, & tanta pompæ magnificentia. Nec poterat de tanto Deitatis allapsu adnisuque nasci concipique nisi Deus verus, verusque veri Dei Filius. Paulinus Aquileiensis, Cassiani verba aut excerpens, aut effingens: *Vides quemadmodum nativitatem Dei indicaturus, divinitatis opera præmiserit. Spiritus enim sanctus, inquit, veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Pulcherrimè loquens Angelus excellentia verborum majestatem divini operis explicuit. Quid enim tanti apparatus opus erat in nativitate unius infantuli, ut tu vis, adoptivi? Pater obumbravit, Spiritus sanctus impregnavit, Filius incarnatus est. Cur parum fuit jussio dicentis, sicut in cæteris*

L. 1. cont. Felic.

teris omnibus creaturis, ad unius hominis procreationem, si tantummodo purus homo natus est, & non Deus, vel etiam Dei Filius verus? Sed illa utique omnia opera Angelicarum potestatum, vel omnium creaturarum facta sunt per jussionem Dei: nativitas autem Dei Filii agenda non erat, nisi per adventum & operationem sanctæ Trinitatis. Quia & concipi Deus ab homine, nisi se donante, & nasci nisi se inlabente non poterat. Et ideo Archangelus superventuram Virgini majestatem sacram indicabat. Videlicet ut quia agi tanta res per humanum officium non valebat, ipsius adfuturam diceret majestatem in conceptu, qui erat futurus in partu. Et quia Deus supervenit in conceptione, ideo futurus erat Deus in parturitione. Et quid de Deo nisi Deus nasci potuit? Et denuo: *Nomen quod Angelus concipienti Virgini prædixit, id est Filium Dei, firmissimè tenete, credite & prædicate. Dei enim Filius Jesus Christus est, qui & de divinitate genitus, & de divinitate conceptus est, &c. Nihil unquam Deo de Deo defuit; semper enim cum Deo Deitas, semper in Filio proprietas; idem in hominis exiguitate, qui in Dei majestate.*

Ibid. l. 1.

XIII. Supra Angelos, supra creata omnia Christũ sua filiatio evehit.

Tantò melior Angelis effectus, quantò præ illis differentius nomen hæreditavit. Cui enim dictum est Angelorum, Filius meus es tu? ait Paulus ad Hebræos. Et nos quidem cùm attigerimus cumulum columenque adoptionis per resurrectionem innovati in immortalitatem, erimus sicut Angeli Dei: at Christus præcellentissimum præ ipsis Angelis nomen Filii sortitus est. Ergo aliter Christus, aliter Angeli nuncupantur filii; ille nempe natura & generatione, hi gratia & adoptione. Chrysostomus: *Nam si est gratia Filius, non solum non est Angelis præstantior, sed etiam minor. Quomodo? Quoniam homines quoque justi vocati sunt filii: & nomen filii, nisi sit filius proprius & germanus, non potest ostendere excellentiam.* Primasius: *Illis differentius atque excellentius nomen filiationis hæreditavit. Nam quanta distantia est inter nomen filii & servi, tantò ille majoris dignitatis est præ Angelis, quoniam ille creator, secundum divinitatem dico, illi creatura. Ipse quoque homo in hoc est major omnibus Angelis omnique creatura, quia potestas quæ erat in Verbo ante omnia sæcula, requievit in illo homine assumpto à Verbo ex tempore conceptionis.* Et paulò pòst: *Quia Filius Dei esset in veritate, non adoptivus, sed proprius.* Cùm præstantia Christi super Angelos, & super omnem creaturam, in Filii nomine vertatur, Filius hauddubio est non adoptione, sed natura. Et hoc est nomen super omne nomen, quod ipsi datum esse testis est idem Paulus. Unde sacrosyllabus Concilii Francofordiensis: *Si igitur juxta hæreticos adoptivo nomine censetur, ut nos puri & ingrati homines, quo ergo pacto Apostolus eum nomen perhibet super omne nomen habere? Adoptivi etenim nomen non est super omne nomen, sed commune, & intra hominum tenetur mensuram.*

Hom. 2. in Epist. ad Heb.

In Epist. ad Hebr.

XIV. Cruces & cõtumelias Christi non silent Scripturæ, at adoptioné omnino tacent Contra Secund. Manich. c. 5.

Postremò tandem spontanea Christi dedecora curiosissimè eloquuntur Scripturæ, cruces & contumelias accuratissimè inculcant, nec tamen usquam vel tenuiter innuunt adoptionis nomen & ignominiam. Augustinus: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, quos ei Pater ad fraternam societatem non æqualitate substantiæ, sed adoptione gratiæ generavit. Lege itaque Scripturas, nusquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei. De nobis autem sæpissimè legitur.* Et Concilium Francofordiense: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus & vita æterna. Tu vero quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum, unde tibi sensus iste venisset, voluissem scire: unde hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchæ nescierunt, Prophetæ non dixerunt, Apostoli non prædicaverunt, sancti tractatores hoc nomen tacuerunt, doctores fidei nostræ non docuerunt: fortè in tertium cœlum raptus fuisti, & ibi audisti arcana verba, quæ huc usque sanctæ Dei Ecclesiæ ignota essent, si tu in tertium cœlum raptus non esses.*

In Epist. Sy.

CAPUT II.

Naturalis filiatio Christo homini adseritur, adoptiva propulsatur variis argumentorum machinis.

I. Incarnatione non deficit Deus in hominé, sed homo in Deum proficit etenim Verbum incõmutabiliter Filius est, est ergo & in carne: at homo mutabilis est & proficere potest.

ADseritur I. naturalis filiatio Dei Christo secundùm humanam etiam naturam, & depellitur adoptiva, ex eo quòd naturam nostram Verbum Deus sibi conseruit, non ut participatione humanæ obscuraretur divina, sed ut participatione divinæ sublimaretur & illuminaretur natura humana: non ut qui naturalis erat Filius Dei, in adoptivum deficeret, sed ut qui adoptivus alioqui foret, proficeret in naturalem. Contumeliosa enim Deo, homini parum compendiosa foret utriusque consertio, si non humana in Deum proficerent, sed divina in hominem deficerent. Sed & impossibilis est ea Verbi incommutabilis à suo in aliud nomen exauthoratio, & à naturali in adoptivam dejectio filiationem. Incommutabiliter enim est, quod est; cùmque natura Dei Filius sit, non potest non esse etiam in natura assumpta naturalis æquè Filius. Potest quidem humanitas mutabilitatis suæ beneficio provehi in apicem summum germanæ filiationis, non potest autem Deitas Verbi ex illo apice ob suam incommutabilitatem tantisper declinare. Qui ergo immutabiliter Filius Dei natura est, etiam in assumpta natura, & homo factus, Filius Dei natura erit: at qui mutabiliter est quidquid est, etsi adoptivus erat futurus, fiet consortio Deitatis Verbi Filius naturalis.

II. Ex August. Epist. 120. D. 4.

Augustinus: *Descendit ergo ille, ut nos ascenderemus; & manens in natura sua, factus est particeps naturæ nostræ, ut nos manentes in natura nostra, efficeremur particeps naturæ ipsius. Non tamen sic: nam illum naturæ nostræ participatio non fecit deteriorem, nos autem fecit naturæ illius participatio meliores, &c. Ut adoptionem filiorum reciperemus. Ut videlicet hujus gratiam beneficii discerneret, ab illa Filii natura, qui missus est Filius, non per adoptionem factus, sed semper genitus Filius; ut participata natura filiorum hominum, ad participandam etiam suam naturam adoptaret filios hominum, &c. Nos igitur mutabiles in melius commutandi, participes efficimur Verbi: Verbum autem incommutabile, nihil in deterius commutatum, particeps carnis effectum est, &c.* Nostræ ergo mutabilitas, suæ incommutabilitas naturæ Verbo profuit, ut etiam qua homo factus, non aliter quàm natura Filius Dei esset: natura incommutabili non deficiente, natura mutabili proficiente ad filiationem naturalem.

III. Ex Gregorio L. 1. Moral. c. 16.

Gregorius: *In terra ei similis non est, quia etsi adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accepit. Qui bene etiam servus dictus est, quia formam servi suscipere dignatus est. Nec majestati injuriam intulit assumpta humilitas carnis: quia & ut servanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec divina humanitate minuit, nec humana divinitate consumpsit.*

IV. Ex Synodo Francoford. In Epist. Sy.

Synodus Francofordiensis: *Quis negat meliorem esse proprietatem in filio, quam adoptionem? Et dum omnipotens Dei Filius nostræ fragilitatis naturam in unitatem suæ personæ adsumere voluit, ut esset mediator Dei & hominum, cur non debuit ex meliore filiorum dignitate & multo excellentiore, nostram sibi in unitatem personæ adsociare humanita-*

nitatem, quatenus ex sua gloriosa & propria nobilitate, nostræ servitutis redimeret ignobilitatem. In copulatione nobilis ignobilisque naturæ, æquum plane erat, ut vinceret nobilitas ignobilitatem, immutabilitas mutabilitatem: & traheretur homo ad nobilitatem filiationis propriæ, non præcipitaretur Deus ad ignobilitatem adoptivæ.

V. Incarnatione Verbum cupit fieri filius, sed hominis, nã Dei jam erat perfectissimè, & omnẽ eam Filiationẽ jam exhauserat.

Adseritur 2, eadem propriæ filiationis dignitas homini Christo. Nec enim Verbum caro factum est, ut novo quopiam modo fieret Filius Dei, nempe adoptione: sed ut qui omni modo & verè proprièque erat Filius Dei, fieret Filius hominis, novam autem Dei Filiationem, puta adoptivam, non sibi, sed hominibus compararet. Qui enim sempiterne & incommutabiliter proprius erat Filius Dei, quo consilio fieri vellet improprius? Qui natura est, cur fieret gratia? Qui essentialiter est, cur participatione? Qui origine, cur adoptione? Qui verissimè & plenissimè, cur simulatè & umbratiliter? Totam Filii rationem exhausit præcepitque nascendo Filius Dei sempiternus, nec jam superest alia quæpiam filiatio Dei, quam quocumque modo ambiat sibi induere. Si quis in adoptione splendor, si qua lux est filiationis, eam jam anticipavit Verbum Dei Filius, sed ut rivulum fons, ut radium Sol anticipat. Cùm ergo Verbum fit caro, novam quidem filiationem sibi mercatur, sed ad hominem matrem, non ad Deum Patrem. Aut si quam de novo molitur filiationem ad Patrem, non eam sibi jam abundè & redundanter Filio, sed hominibus molitur. Essentialem quippe filiationem effundens in naturam assumptam, maternum quidem nomen parenti donabit, Filii Dei nomen ejusdem naturæ consortibus hominibus largietur: at exinde ut Filii Dei novum & inexpertum nomen ipse mutuetur, ab æternæ ejus filiationis plenitudine immaniter abhorret. Augustinus: *Hæc etiam adoptio vocatur, &c. Ab hac generatione gratiæ discernitur ille Filius, qui cum esset Filius Dei, venit ut fieret filius hominis, donaretque nobis qui eramus filii hominum, filios Dei fieri.* Et infrà: *Neque enim jam desperandum est, participatione Verbi fieri posse homines filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus est filius hominis.* Et infrà: *Verbum caro factum est, id est, qui Filius Dei erat, homo factus est, naturam suscipiendo nostram, non amittendo suam, per quod & nobis recipientibus eum potestas daretur, ut qui eramus homines, filii Dei fieremus, participatione incommutabilis boni in melius commutati.* Et alibi: *Verbum suum quod manet in æternum, fœno quod non manet in æternum fratrem fecit. Natura unigenitum, unicum natum de substantia sua, fratrem adoptivis tot fratribus fecit. Noli mirari quia particeps eris æternitatis illius, factus est ipse prior particeps fœni tui.* Et rursus: *Ut homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus: Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus. Non quæsivit quidem nisi matrem in terra, quia jam Patrem habebat in cœlo: natus ex Deo per quem efficeremur; natus ex fœmina per quem reficeremur. Noli ergo mirari o homo quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundum Verbum ejus. Prius ipsum Verbum voluit nasci ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo, &c.* Nasciturus igitur in terra Dei Filius, non quæsivit sibi nisi matrem; nec enim alium Patrem, nec alio modo Patrem sibi, quàm à quo sempiternè nascitur quæsivit; spemque nobis fecit divinæ adoptionis, non adoptivè ipse quasi renascendo, sed naturaliter & ex Deo Patre & ex homine matre nascendo.

Epist. 20. c. 4

Ibid. c. 36.

In Psal. 101.

In Evan. Jo. Tract. 2.

VI. Incarnatione participat Deus humana, nec fit adoptivus: sicut cõmunicat divina, nec proprios filios non esse facit.

Adseritur 3. Etsi carnem induendo ad ima nostra defluxit, nosque ad summa sua provexit, non tamen ima ejus imis nostris coæquata penitus sunt, ut nec summa nostra summis ejus æquiparantur. Utque aliis supersedeam enumerandis, ad naturæ ejus divinæ consortium adsciscimur, sic tamen ut non naturales sicut ipse, sed adoptivi filii nuncupemur; ita & ille ad naturæ nostræ consortium devolutus est, sic tamen ut non adoptivus, sed naturalis Dei Filius permaneret. Participatione Deitatis, permanet homo adoptivus: quin ergo & participatione humanitatis, permaneat Verbum Filius Dei naturalis? Vincit quod priùs inolevit, quodque primas partes & principatum occupavit in natura qualibet. Itaque Verbum Deus quod sempiternè fuit, in qualibet natura assumpta idipsum erit, Filius Dei naturalis: & homo merus quantalibet Deitatis infusione, perstabit quod semper fuit, adoptivus. In Christo autem ipso, vincat quod melius est, nec humanitas Deum ad suam dejiciat adoptionem, sed Deus hominem ad suam rapiat propriam & germanam filiationem. Augustinus: *Verumtamen ipsa participatio illius in inferiora nostra, ut nostra esset in superiora illius, tenuit quandam & in carnis nativitate medietatem, &c. Sicut autem inferiora ejus quibus ad nos descendit, non omnimodo coæquata sunt inferioribus nostris, in quibus nos hic invenit: sic & superiora nostra quibus ad eum ascendimus, non coæquabuntur superioribus ejus, in quibus eum illic inventuri sumus. Nos enim ipsius gratia facti erimus filii Dei, ille semper natura erat Filius Dei. Nos aliquando conversi adhærebimus impares Deo, ille numquam aversus manet æqualis Deo. Nos participes vitæ æternæ, ille vita æterna.* Agobardus adversus dogma Felicis, hunc adfert locum ex Hieronymi libro de similitudine carnis peccati contra Manichæos: *Cùm Verbum caro factum est, non per assumptum decrevit assumptor, sed in assumente crevit assumptio: creaturæ enim poterat per creatorem infirmitatis substantia commutari, creatoris autem in creaturam non poterat æternitatis natura converti.*

De peccat. Mer. & remiss. l. 2. c. 24.

VII. Ne nostra quidẽ adoptiva filiatio esset, si non esset Christi propria, cum hujus participatio illa sit.

Adseritur 4. Naturalis Christo homini Filiatio Dei, ut & nostra nobis constet & adseratur adoptio. Nostra enim filiatio filiationis ejus delibatio quædam est, & imitatio multò dispar. Si ergo filiatio ejus adoptiva dumtaxat est, nostra decoloratior adhuc est, & minusculum quid quàm adoptiva. Sequitur enim sed non assequitur, effingit sed non attingit participatio qualibet formam principem. Proximè accedit, sed longo proximè intervallo imitatio ad veritatem, rivulus ad fontem, radius ad Solem. Ergo si Christus quà homo adoptivus tantùm est, Christianus quilibet homo ne adoptivus quidem est. Ergo ut Christianus adoptione decoretur, Christus adoptione non est dehonestandus. Deinde filialis Angelorum adoptio imitatur utique Verbi incommutabilis filiationem non adoptivam, sed naturalem; ergo ut ad adoptionem enitaris, naturalis filiatio æmulanda est; conatus enim omnis infra fatiscit. Cùm ergo eas nobis propter peccatum jam mente carnalibus factis, carne velatum Verbum vices præstet, quas Angelis sine carne præstat: ut adoptio Angelorum manat à filiatione naturali Verbi increati, ita necesse est, ut adoptio nostra profluat à filiatione naturali Verbi ejusdem incarnati. Denique quis tam hebes est, ut non intelligat in potestate quidem esse Filii naturalis, adoptivos sibi fratres adsciscere, non autem adoptivo tantum permitti authoritatis? Naturalis enim Filius, hæres universorum est, Dominus omnium est, Patri æqualis est; hæres universorum cohæredes adoptare sibi potest; Dominus omnium manumittere quoslibet & è servis filios vindicare potest; æqualis Patri pari cum ipso potestate & authoritate, sua omnia seque ipsum impertiri quibuslibet potest. At adoptivus precaria & perfunctoria tantùm potestate, aut potestatis umbra fretus, non tantum sibi sumit; & obnoxius ipse cùm sit, obnoxios sibi alios efficere haud valet; filius nomine tenus cùm sit, filii nomen & rem aliis indulgere non potest; extraneus ipse cùm sit, in familiam

miliam alios inserere haud valet; servitutis squalorem & sordes cùm vix eluerit, abluere alios & sincera libertate donare non potest. Ambrosius:
Epist. 73. *Quomodo dicit Pater noster, qui verum Dei Filium negat, per quem adoptivus acquiritur?* Gregorius:
L. 23. Moral. c. 1. *Nullus quippe supernæ adoptionis gratiam habuit, nisi qui hanc per cognitionem unigeniti accepit. Dignum itaque est, ut ipse in eorum vita & lingua resplendeat, qui eos ut resplendere mereantur, illustrat.*

VIII. Ex August. Tract. 7. in Joan. Augustinus: *Oportebat ergo, ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii, ministri sunt unici. Unicus habet potestatem, adoptati ministerium.* Baptismus id est adoptionis Sacramentum potest in unici & proprii, non potest in adoptati esse potestate. Adoptatus quilibet potest ejus minister esse, non author. Ideò non baptizat nisi unicus, vel sua vel vicaria ministrorum manu, sua semper authoritate. Prærogativa ergo hæc est proprii & veri Filii, quòd filios alios ipse adoptet, ipse ad adoptandum ministros habeat. Ut quid enim ministros haberet adoptatos omnes, si ipse adoptivus dumtaxat esset?

IX. Ex Adriano Papa. In Ep. ad Episc. Gall. & Hisp. de error. Elip. Adrianus Pontifex: *Quomodo per illius gratiam nos sumus adoptati, si ipse consors nobis in adoptionis gratia fuit? Credatur ergo, quod dici nefas est, particeps etiam nobis in causa peccati. Nam sicut peccata nostra non tolleret, si ipse peccatum haberet; ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem quem adsumpsit sine sorde peccati, necessarium habuerit, ut gratiam adoptionis acciperet.* Ut enim peccata oblitteret, & sanctitatem aspergat, fons ipse sanctitatis sit, oportet: ut justitiam effundat, vena ipsa justitiæ sit: cujuscumque boni rorem instillabit, ejus plenitudo sit; ergo & ut filiationis gratia ab ipso in omnes redundet, totius & summæ veræque filiationis gloria tota circumfluere debet. Quem enim domi penuria arctabit, is alios qui ditabit? Qui mendicabit aliunde, inopiam mendicantium qui implebit?

X. Ex Concilio Francoford. Sacro Syllabus Concilii Francofordiensis: *Quasi eguerit adoptione, à Patre in filium sit adoptatus, cum nihil Deus eguerit, qui erat in eo non per gratiam, quemadmodum in cæteris sanctis, purisque hominibus, sed essentialiter per naturam. Deus, inquit Apostolus, erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Quo igitur pacto nobis adoptionem filiorum tribuit, si ipse necessarium eguit, ut sibi haberet? Nam quia peccatum non habuit, ideo nobis peccata donavit: quia non accepit, ut vita esset, sed ipsa essentialiter vita est, idcirco nobis vitam æternam indulsit.* Iterum enim iterumque ingerere non pigebit, nullius boni scaturigo usquam est, nisi ubi plenitudo; nec justitiam largitur, nisi justitiæ fons: nec sapientiam fundit, nisi ipsa sapientiæ vena: nec ergo filiationis dispensator est, nisi totius & propriæ filiationis principatus. Christus igitur homo, cùm quà homo, adoptionis auspex authorque sit hominibus, quà homo non adoptivus ipse, sed propriæ & totius divinæ filiationis compos est.

XI. Ex Cyrillo. L. 1. In Evan. Joan. p. 117. Cyrillus Alexandrinus: *Hic est Filius Dei, hoc est, unus & solus secundùm naturam, ille paternæ heres proprietatis, ad quem etiam nos adoptivi conformamur, & per quem ad dignitatem adoptionis per gratiam vocati sumus. Ut enim ex Deo & Patre omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, propterea quòd ipse est verè & propriè & per se Pater: sic etiam omnis filiatio ex Filio, propterea quod ipse propriè dumtaxat est Filius, non spurius, neque falsò nuncupatus, sed ex substantia Dei ac Patris.* Perspicuè fons fœcunditatis non est, nisi summa fœcunditas: author paternitatis non est, nisi summus & per se verusque Pater Deus: ita author datorque filiationis cujuscumque non est, nisi verè & propriè & natura Filius: at Christus quà homo donator est totius adoptionis, ergo quà homo filius Dei propriè & naturalis est.

Cyrillus idem libro eodem luculentissimè ea verba explanans, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Dat filius ut sint potestate, id quod sibi uni propriè & secundùm naturam inest. Non enim aliter possemus corruptionem fugere qui terreni portamus imaginem, nisi pulchritudo imaginis cœlestis illius impressa nobis esset, ex eo quod vocati sumus ad filiorum Dei adoptionem, &c. Verumtamen non sicut ille, nullo discrimine, nos quoque futuri sumus filii Dei; sed ad ejus similitudinem, per gratiam nimirum, qua illum imitando repræsentamus. Est enim verus ille filius, existens à Patre, sed nos ejus benignitate adoptivi, gratiæ loco id accipientes. Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes.* Vides quàm bellè demonstret adoptionem filiationis propriæ esse imitationem & derivationem quandam; adeoque Christum hominem filium Dei proprium & naturalem esse, cujus imitatione adoptivi existimus. Imitatio enim quælibet decoloratior est, derivatio quantalibet jejunior est: adoptio ergo exprimi effingique nequit nisi ex naturali Filii proprietate. Quot ergo adoptivi sunt filii, tot sunt naturalis Christi filiationis suffragatores. Pergit ergo idem Cyrillus: *Rursus hunc verum esse Filium mutua nostri comparatione cognoscimus. Cum enim id quod est natura, diversæ rationis sit ab eo, quod est adoptione: & id quod ex imitatione, cum eo quod est veritate: nos autem filii Dei nuncupemur per adoptionem & ex imitatione, natura igitur & veritate est ipse.* Ex eo quòd filii nos simus κατὰ θέσιν, & κατὰ μίμησιν, rectè arguit Christum esse Filium κατὰ φύσιν, & κατ᾽ ἀλήθειαν; nam adoptio naturam, & imitatio veritatem æmulatur.

Justus Urgelitanus Episcopus: *Quis similis erit Deo inter filios Dei? illi adoptione, hic natura est* XII. Ex Justo. In Cantica.
Filius. Et ideo nullus in Sanctis, vel in universo genere hominum, quamlibet filii vocabulo censeatur, Christo similis reperitur. Christo similes sunt omnes adoptivi, omnes dissimiles: quia formam filiationis principem & veritatis proprietatem omnes adumbrant, nulli adæquant; omnes sequuntur, nulli consequuntur.

Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus: *Ideo non est adoptivus filius: sed adoptator, ut ita dicam cæterorum, &c.* Et paulò suprà: *Nullus esset per quem adoptaretur ipse, si non esset proprius.* Et XIII. Ex Hildeph. L. de Virginitate S. Mariæ.
infrà: *At verò Christus non adoptivus, sed proprius Dei Filius, in plenitudine temporum venit, missus à Patre, natus ex muliere; qui solus non eguit regenerationis sacramento, neque renasci, quoniam proprius Dei Filius, qui nobis per adoptionis gratiam, sua dignatus est benignitate, per lavacrum regenerationis largiri fraternitatis consortium. Unde Joannes; Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quam sanè potestatem à Patre genitus ipse ex natura sua in se habuit, & non aliunde, ut proprius esset Dei Filius, & daret quibus vellet gratis adoptionis gratiam.* Exorbitaverat ergo plurimùm Elipandus à via, quam antè ipsum triverant Hispanicæ Ecclesiæ Patres; quid enim expressius hac Justi & Hildephonsi suffragatione, omnis ut adoptionis rubigo à Christo homine effricetur? Cæterùm magni planè momenti est, quod ait Hildephonsus, naturalem Dei Filium esse Christum hominem, ut cui potestas sit adoptivos sibi fratres ascìscendi. Etenim qui adoptet alios, id est qui participandam aliis propinet Deitatis naturam, eam ipse necesse est non participatè, sed essentialiter, non in rivulo, sed in fonte totam obtineat.

Adseritur 5. naturalis, abrogatur adoptiva homini Christo Dei filiatio, ex discrimine humanæ & divinæ filiationis. Adoptat enim homo qui caret, Deus qui non caret proprio Filio: hominem sterilitas, Deum fœcunditas adoptare cogit. Angusta enim est homini hæreditas; ideo ubi pro- XIV. Deus, non ut homo adoptat, quia caret liberis, sed ad Unigeniti consortium alios adoptat.

prius suppetit filius, ne fraus illi fiat, non adoptantur illi cohæredes. At incircumscripta est Dei hæreditas, & tota propria addicetur Filio, & citra jacturam ejus ullam tota adoptivis impertietur; ideo hæredi ex asse unigenito non fit injuria, ubi consociantur cohæredes adoptivi. Quæ cùm ita sint, cùm Christo homini cohæredes cooptemur, proprius ergo ille est hæres Filiusque; cùm hæreditatem suam ille nobis prodigat, jure suo illam igitur proprioque non precario obtinet; cùm nos sibi ex indulgentia ut adoptivos consociet, non ergo adoptivus & ipse est, sed naturalis. Nam si & ipse quà homo adoptionis dumtaxat consors est, consociandus ergo nobis est, non Verbo: accensendus est adoptivus adoptivis, non naturali Filio; dicendus est non nos adoptare, sed nobiscum adoptari: dicendi sumus nos adoptari cum ipso, non per ipsum; adoptionem mendicare, non elargiri prædicandus est; aggregandus nobis & segregandus à Verbo est, non autem quòd Scripturæ Patresque factitant, eximendus à nobis ut egregius, & unus uni Verbo conferendus. Augustinus: *Quotquot autem receperunt eum, Quid eis præstitit? magna benevolentia, magna misericordia! Unicus natus est, & noluit manere unus. Multi homines cùm filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, quia omnia solus possessurus est; & non habebit, qui cum eo dividat hæreditatem, ut pauperior remaneat. Non sic Deus. Unicum eundem ipsum quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus: sed adoptati per gratiam ipsius, &c. Non timuit ille habere cohæredes, quia hæreditas ejus non fit angusta, si multi eam possederint, &c.* Hominem ergo Verbo suo conseruit Pater, non ut illum adoptaret, sed ut per illum: non ut donaret illum, sed ut per illum donaret nos adoptionis gratia: non ut adoptivus nobiscum, sed ut proprius eum Verbo esset Filius. Ut enim adoptivus fieret, adoptivorum gregi promiscuè, non proprii & naturalis Filii censui personæque substantivè implicandus fuerat, Ut adoptivus fieret, non idem cum unico, sed frater unici censendus erat. Adoptivi enim omnes fratres sunt unici. At cujus aures non exhorrescant, si audiant Christum hominem Verbi unigeniti Filii fratrem dici? Christus homo non frater Verbi est, sed ipsum Verbum: nec ergo adoptivus frater unici est, sed unicus ipse Filius est. Nos autem fratres sumus unici, ideo adoptivi, fratres autem sumus Christi hominis. Augustinus: *Ut sitis membra Christi Filii Dei, ut sitis fratres unici. Si ille unicus, unde nos fratres? nisi quia unicus natura, nos gratia fratres facti.*

Tract. 2. in Ev. Joan.

Serm. 8. de Tem. Et in Psal. 48.

XV. Christus ut justificans, ut justitia ipsa Filius est, non ut justificatione adoptatus.

Asseritur 6. si aliter justorum, aliter quorumlibet aliorum hominum pater est Deus, multò magis aliter Christi, aliter justorum per Christi gratiam justificatorum Pater est. Creatione Pater est omnium hominum Deus, sanctificatione Pater est justorum & adoptivorum; aliter ergo Christi, id est natura Pater est, ut qui non ita justus sit, ut justificatus, sed ut justificans & justitia ipsa sit. Chrysostomus: *Illa autem particula, Patrem meum & Patrem vestrum, dispensationem spectat, ascendere enim carnis est. An aliter ejus, & aliter noster pater est? Sanè quidem. Si enim aliter justorum, aliter aliorum hominum Deus est, multò magis aliter Filii, aliter nostrum. Et cùm dixisset, Fratribus meis, ne ex hoc æqualem arbitrareris, ostendit differentiam. Ipse enim sessurus erat in throno Patris, illi autem astaturi. Itaque licèt secundum carnis substantiam frater noster factus sit, honore tamen multùm differt. Quantum autem, ne dici quidem potest.*

Hom. 81. in Joan.

CAPUT III.

Validiora pro naturali adversus adoptivam filiationem argumenta conglomerantur.

I. Proprius Filius est Christus, quia nascendo, nos adoptivi quia renascendo, merendo, operando.

Adseritur 7. naturalis Christo homini filiatio Dei, adoptiva proscribitur. Adoptivi enim nos filii sumus, quia promeremur, non quia nascimur: at ille nascitur, non promeretur; aut si promeretur ille, non ut fit, sed quia est Filius Dei, ideò promeretur. Nos operando postquam sumus, filii Dei utcumque efficimur; ille non operando, sed nascendo & essendo Filius Dei est; & operatur, non ut fit, sed quia jam est Filius Dei. Nos ut summum renascimur, ideo adoptamur; ille non renascitur, sed nascitur. Quod autem nascendo est, utique natura est; & nos quod nascendo non sumus, adoptione consequimur. Nos vivendo, ille nascendo similis est; at natalis similitudo, propria & genitiva similitudo est, ideòque naturalis filiatio; at elaborata atque affectata vitæ morumque similitudo, filiationis simulatio, non veritas; imitatio, non proprietas est. Filius proprius est qui gignitur, sed natura, non beneficentia: fœcunditate, non voluntate. Nos adsciscimur, non gignimur: aut si gignimur, voluntate gratiæ gignimur, non fœcunditate naturæ; at ille non priùs exors, post asciscitur; sed gignitur, & natura ipsa patriaque fœcunditate gignitur.

II. Ex August. l. 1. de serm. Dom. in Mõte. c. 23.

Augustinus; *Dedit illis potestatem filios Dei fieri. Unus enim naturaliter Filius est, qui nescit omnino peccare. Nos autem potestate accepta efficimur filii, inquantum ea quæ ab illo præcipiuntur implemus, &c. Itaque non ait, Facite ista quia estis filii, sed facite ista, ut sitis filii. Cùm autem ad hoc nos vocat per ipsum Unigenitum, ad similitudinem suam nos vocat.* Idem alibi: *Manifestum est ergo, quia homines dixit Deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim justificat, qui per semetipsum, non ex alio justus est; & ille deificat, qui per seipsum, non alterius partipatione Deus est. Unicus enim Dei Filius Deus, &c. Cæteri qui fiunt Dii, gratia ipsius fiunt, non de substantia ejus nascuntur, ut hoc sint quod ille, sed ut per beneficium perveniant ad eum, & sint cohæredes Christi, &c. Unicus similis nascendo, nos similes vivendo; non enim ita similes ut ille, qui hoc est quod ille, à quo genitus est. Nos enim similes, non æquales; ille quia æqualis, ideo similis.* Et rursus idem: *Prædicamus vobis Christum Dei Patris unicum. Quare additur, unicum? quia cujus est unicus, multos filios habet gratia. Cæteri ergo omnes sancti, filii Dei sunt gratia, solus ille natura, &c. Nos filii sumus, quos voluntate sua filios fecit, non ex natura sua filios genuit. Genuit quidem & nos, sed quomodo dicitur, adoptatos ab adoptante, generatos beneficio, non natura.*

In Psal. 48.

Serm. 31. de verbis Dom.

III. Ex Hilario. l. 12. de Tr.

Hilarius: *Patri solus qui ex eo nascitur, Filius est. Et nos quidem filii Deo, sed per facturam filii. Fuimus enim aliquando filii iracundiæ, sed filii Deo per Spiritum adoptionis effecti, & dici id meremur potius, quàm nascimur. Et quia omne quod fit, antequam fiat, non fuit, nos cùm filii non fuissemus, ad id quod sumus efficimur. Antè enim filii non eramus; sed postquam meruimus hoc, sumus. Sumus autem non nati, sed facti; neque generati, sed acquisiti.* Et paulò pòst: *Quod autem fit cùm non fuisset, & per id quod factum est, dicitur nasci, non est in eo vera nativitas; quia antè aliud quàm natum est, fuerit, &c. Et per id non verè filius, quia non semper filius. Unigenitus autem Deus neque fuit aliquando non Filius, neque fuit aliquid ante quàm Filius, neque quidquam aliud ipse quàm Filius.* Non sunt filii unquam, qui non semper fuere; non sunt verè, qui aliquando non fuere; filius enim nascendi titulus est, non merendi; substantiæ, non operationis; naturæ

exordientis, non gratiæ consequentis. Christus ergo quà homo, non postea fit Filius, non merito, non industria, non sero beneficio id consequitur, ut sit Filius; sed nascitur, sed concipitur. Imò nec concipi, nec nasci, nec esse potest, nisi Filius; ideò proprius Filius est.

IV. Angeli & hominis natura simul condita, simul gratia concessa; sed tamen priùs natura & origine informes & tenebrosi fuere, quàm gratia formarentur. At Christus antè Deus fuit & Filius, quàm homo.

Nam nec Angelos mihi obiicias, vel primos hominum parentes, qui nascendo adoptati sunt, Deo simul in illis condente naturam & largiente gratiam: immane interest intervallum. Illi enim sin minùs tempore, certè origine informes priùs fuere quàm formati sapientiâ; priùs tenebrosi, quàm illuminati; priùs ergo non filii, pòst adoptati. Neque enim sapientiæ formam aut veritatis lucem innatam sibi suæque ex substantiæ sinu intimo prorumpentem habent, sed forinsecus mendicatam ebibunt; ideò priùs origine & natura, carent, etsi nullo tempore carent. Secus autem in Christo res habet, etiam ut homo est. Neque enim priùs cogitatur homo, pòst Dei particeps: sed priùs Deus, post hominis particeps; non priùs vel origine, vel natura homo intelligitur, cui Deus adoptator accedat: sed priùs & origine, sive natura, & tempore intelligitur Deus, cui homo substantivè conferendus succedat. Non superstruitur filiatio homini, sed homo filiationi inseritur. In antecessum Filius est, ut etiam cùm sequace hominis accessione idem Filius sit propriùs & unigenitus. Filiatio itaque Angelis ad naturam accessio est: Christi natura humana ad filiationem accessio est; illis filiatio accidens est, naturæ quasi adventitium; Christo filiatio substantia & fundamentum primarium est, cui humanitas quasi ascititia implicatur; illi essent, etsi filii non essent; hic si Filius non esset, nec esset; minùs mirum ergo, si illa filiatio, quia posterior & adventitia, & accidentalis, decolor degenerque est & adoptiva; at Christi filiatio, quia præstructa & fundamenti instar habens, & substantiva, propria & genuina sit.

V. Ex Synodo Francoford. In Epist. ad Episc. Hisp.

Francofordiensis Synodus: *Sicut beatus Gregorius in Epistola ad Quirinum scripsit; Non autem, inquit, priùs in utero Virginis caro concepta est, & postmodum divinitas in carnem; sed mox ut Verbum venit in uterum, mox Verbum servata propria natura factus est caro, & perfectus homo idem in virtute carnis & animæ rationalis, natus est per uterum Virginis Filius Dei. Si igitur mox à tempore conceptionis verus Deus Dei Filius conceptus est, quando fuit ut homo esset sine Deo, unde adoptaretur in Filium? Sicut enim nunquam fuit, ut Deus Pater esset sine Deo Filio, de quo dictum est, In principio erat Verbum: ita nunquam fuit, ut homo Jesus esset sine Deo, de quo dictum est, Verbum caro factum est.* Perspicuè abiicitur à Christo adoptio, ex hoc capite, quod *nunquam fuit, ut homo esset sine Deo, unde adoptaretur in Filium*. Nam quisquis consors fit adoptionis gratiæ, exors ejus priùs fuit, priùs inquam, saltem origine. Quocirca quia tota Verbi carnis dispensatio temporalis imitatur ineffabiliter & expressissimè æternitatem Verbi Dei: ut Verbum Deus nascitur quidquid est, nec est nisi quod nascitur, ideòque singulariter & maximè propriè Filius est Dei, & tota ratio filiationis est: ita Verbum caro nascitur quidquid est, nec est nisi quod nascitur, ideòque proprius est Dei Filius. Ut Verbi Dei tota substantia est Deitas genita, id est filiatio propria: ita Verbi carnis tota substantia est Deitas in carne genita, ideòque filiatio propria. Pari ergo se piaculo obstringebant Fœliciani, cùm adoptatum postea fuisse Christum insaniebant, atque Ariani cùm Patri non semper fuisse Filium Verbum ominabantur. Unde Synodus eadem loco præfato, *Sicut Arius Filium separavit à Patre, dicendo, Erat quando non erat Dei Filius: ita per adoptionem vos separatis hominem Christum à Dei Filio.*

VI. Ex Hildephonso. L. de Virgin. sanct. Mariæ.

Sanctus Hildephonsus: *Ergo non illum ut cæteros adoptio filios Dei, filium fecit, sed divinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltavit; & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut esset totus Dei filius homo & Verbum, quia nunquam non fuit Dei filius, qui sempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Nunquam igitur ipse purus homo conceptus, nec natus, sicut cæteri nascuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia, aut ex molimento virtutum prærogativa filii præstaretur, &c.* Proprius ergo Dei filius est, quà homo, quia non aliquam postea participationem, sed ipsam statim naturam Deitatis percepit: nec priùs fuit merus homo, qui posset adoptionem sortiri, aut promereri, sed priùs Deus fuit, quàm homo, & ipsam humanitatem æternæ filiationi, ut prævio superfundavit fulcimento.

VII. Ex Cyrillo Hierosol. Catech. 3.

Cyrillus Hierosolymitanus neophytum alloquens: *Vox tibi paterna desuper intonat, non, Hic est filius meus: sed quod, Nunc factus est filius meus. In illo enim est ipsum esse, quoniam, In principio erat Verbum. In illo est esse, quando quidem semper est filius: in te verò est fieri, quoniam non secundùm naturam, sed secundùm adoptionem consequeris, ut filius efficiaris.* Proprius ergo ille est filius, quia est & nascitur; non uti nos, postea efficitur.

VIII. Christus nec secundù carnem extraneus unquà fuit à Deo. ergo adoptari non potuit. Deinde non adoptatur nisi persona: at persona filii proprii adoptari non potest. Denique inseritur carni propria filiatio substantiva.

Adseritur 8. Non adoptatur nisi extraneus in filium; at Christus etiam quà homo, nunquam extraneus fuit à Deo. Quippe cùm Filius Dei sempiternus carnem induit, non tamen à Patre dissiliit; exivit à Patre, sed mansit in Patre; naturam alioqui extraneam sibi propriam fecit, non ejus se proprium fecit; illam sua in jura transcripsit, non se in ejus injurias proscripsit: caro propria Dei facta est propter Verbum, non Verbum extraneum à Deo factum est propter carnem; Verbum conglutinavit sibi Deo carnem, non abalienavit se à Deo propter carnem. Ergo Verbum Deus etiam cum carne sua extraneus non est à Patre, ut adoptari ab eo possit; peregrinus ab eo non est, ut revocari per adoptionem queat. Natura quidem carnis vel humanitatis universim spectata, extranea à Deo est, eoque adoptari potest; at hæc caro seu humanitas individua, quam Verbum adsumpsit, extranea nunquam fuit, quia illam suo sibi in sinu Verbum plasmavit & circuminduit. Adoptari ergo ea nunquam potuit, quæ nunquam aliena fuit. Deinde non natura adoptatur, sed persona; si ergo secundùm humanitatem adoptivus foret Christus, & secundùm Deitatem proprius Dei Filius, unus idemque uni eidemque Patri comparatus, & alienus esset, & proprius: & extraneus foret, & congener. Id autem pugnat. Nam qui proprius est & congener Dei Filius, nulla ratione alienari ab eo potest. Si naturam enim alioqui alienam induat, peregrinitatem ejus avertit, imò prævertit, & anticipat, & suæ vendicat ingenuitati. Postremò naturæ assumptæ non gratia adoptionis quasi ascititium & accidentale quippiam affunditur, sed ipsa infunditur substantiva filiatio naturalis & propria Dei: ergo quilibet alius homo adoptivus esto, quia substantia ejus tota peregrina à Deo est, & hanc ejus substantivam peregrinitatem gratia adoptionis circumlita, occultare potest, non emendare; dissimulare, non immutare; at Christus homo substantiam ipsam ingenuitatis & propriæ filiationis obtinens, nec peregrinus nec adoptivus dici ullatenus debet.

IX. Ex Concilio Francoford.

Concilii Francofordiensis liber Sacro Syllabus: *Porrò adoptivus dici non potest, nisi is qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus, & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur. Sicut nos aliquando cùm essemus filii iræ, alieni eramus à Deo. Per proprium & verum Filium ejus, qui non eguit adoptione, adoptio nobis filiorum donata est.* Et infrà: *Abusivè namque, & non essentialiter, adoptivus est fi-*

est filius dictus, sicut Moyses in filium adoptatus est filiæ Pharaonis, alienus ab ea & generatione & sanguinis affinitate. Hoc ideo posuimus ut patenter daretur intelligi eum dici adoptivum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis. Unde in Dei Filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus Filius, semper Dominus, ac per hoc & post assumptum hominem, veri Filii vocabulum non amisit, qui nunquam verus desiit esse Filius. Non potest omninò unus idemque & proprius & extraneus Deo Patri esse, etiam secundùm aliud & aliud: ut enim extraneus quomodocumque fiat, sua ab illo proprietas abjudicanda est.

X. Impeccabilis justitia alienari à Deo non potest, ideo sinec adoptari.

Adseritur 9. propria Christo homini, & abjudicatur adoptitia filiatio, quia ut adoptari indigeamus, extraneos à Deo nos facit non tam natura quàm culpa, aut flexilis in culpam natura. At Christus quà homo & nescius culpæ fuit, & potentiæ ipsius etiam ad peccandum expers, ergo etiam quà homo adoptari non potuit. Augustinus: *Unus naturaliter Filius est, qui nescit omnino peccare; nos autem potestate accepta efficimur filii, inquantum ea quæ ab illo præcipiuntur implemus, &c. Filii ergo efficimur regeneratione spiritali, & adoptamur in regnum Dei, non tanquam alieni, sed tanquam ab illo facti & creati, hoc est conditi.* En quàm apertè negat nos eo nomine alienos esse à Deo, quà creatos. En cur unus sit Filius naturalis, quia unus impeccabilis. Ergo alieni nos quia peccato aut peccati proclivitate divulsi. Et *Nos ipsius gratia facti erimus filii Dei, ille semper natura erat filius Dei. Nos aliquando conversi adhærebimus impares Deo, ille nunquam aversus manet æqualis Deo. Nos participes vitæ æternæ, ille vita æterna. Solus ergo ille, etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, &c.* Nos ergo extranei, quia aut avertimur, aut eò propendemus; ille proprius quia nunquam aversus, nunquam averti potest.

L. 1 de serm. Dom. in Monte. c. 13.

L. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 14.

XI. Rursus ut Christus qua homo, sit persona, & quodam sensu naturæ justitiæ & veritatis, ideoque proprius Filius.

Nec immeritò ista ad peccandum flexibilitas totam sustinet invidiam nostræ à Deo peregrinitatis; peccandi impotentia totam præ se fert gloriam propriæ & genuinæ filiationis Dei. Quæcumque enim natura non est ipsa veritas & justitia, indiget illuminatione veritatis & justitiæ; illa ergo & donari potest & viduari; converti ad illam potest & averti; hæc ejus flexibilitas, ipsissima ejus est à veritate & justitia peregrinitas; ideo adoptatur cùm convertitur, abjudicatur cùm avertitur. Verùm ipsa veritas & justitia meritò proprius Dei filius est, quia alienari à seipsa utique non potest. Creata autem Christi humanitas non est ipsa quidem natura veritatis & justitiæ, nec potest fieri ipsa justitia & veritas: sed est & fit justitiæ & veritatis; non fit veritas, sed fit veritatis; non est justitia, sed est justitiæ; non est ipsa & propria veritas, sed fit propria ipsius veritatis; non est natura veritatis, & est tamen suo singulari modo persona veritatis; aliena à veritate nec fuit unquam, nec est, nec suo nutu esse usquam potest; seorsim à veritate non est, nec sua sponte esse potest. Averti ergo, aut per peccatum abduci à veritate non potest. Veritas ergo peccare & alienari à Deo non potest, quia est veritas propria: Christi humanitas peccare & alienari à Deo non potest, quia est veritatis propria. Christus ergo & quà veritas & quà propria veritatis humanitas, alienus à Deo esse non potest, proprius non esse non potest, eoque nonnisi natura filius Dei esse potest. Reciprocè ista commeant; veritas assumens est persona humanitatis, humanitas assumpta est natura veritatis; veritas est propria persona humanitatis, humanitas est natura propria facta veritatis. Atqui natura propria veritatis adoptari non potest à veritate, quia arctius longè sacratiusque vinculum est, naturæ proprietas quàm adoptio. Non adoptatur enim nisi quod extraneum est; & quod adoptatur non fit natura adoptantis; natura ergo quæ fit propria, non est adoptitia. Primasius: *Ipse filius, & nos filii; ille proprius, nos adoptivi, sed ille salvat & nos salvamur. Vides quomodo nos conjungit & discernit. Nam cùm dicit, Multos filios adduxerat in gloriam, hic conjunxit; cùm verò addit, Authorem salutis eorum, hic discernit. Qui enim sanctificat & qui sanctificantur, ex uno omnes. Sed qui sanctificat Christus, & nos qui sanctificamur, ex uno Deo Patre sumus, quia ab illo omnia originem acceperunt, unus est enim Deus, à quo omnia. Sed aliter ille, aliter nos. Ille quasi proprius Filius potest sanctificare, nos verò quasi adoptivi ab illo sanctificamur; attamen unum habemus Patrem in cœlis, ille proprium, nos adoptivum.* Quæ supra relatis ab Augustino affinia valdè sunt. Ex quo præterea claret adoptivum etiam post adoptionem plenissimè perceptam, cùm proprius non sit Patri filius, nec proprius ipsi sit Pater, extraneum adhuc esse quodammodo, nec peregrinitatis maculam penitùs unquam aboleri. At humanitas assumpta cùm seorsim non sit vel esse possit tantillum, cùm maximè propria Verbi sit, nihil peregrinitatis olet, eoque nec adoptitia est.

In Epist. ad Hebr. c. 2.

L. 9. in Ev. Joan.

Cyrillus Alexandrinus: *Cùm enim Deus charitas sit, juxta Joannis vocem, Christus charitatis existens filius, hoc est, naturalis Dei & solius & veri, charitas etiam ipse manifestò est, &c. Nec enim homo est scientia, sed scientiæ capax; sed quodcumque bonum censetur ipsum, proprie divinam & ineffabilem naturam esse dicimus, fontem veluti quendam omne genus virtutis in seipso habentem, & ex semetipso effundentem. Jure itaque ipsemet erit charitatis fructus, & cùm sit etiam ipse charitas, sicuti Pater ex quo est, Filius, nostris per charitatem animis insignitur.* Quasi dicat, charitas est Deus Pater, proprius illi filius charitas etiam ipse est, nos adoptivi sumus irrigatione charitatis. Cæterum Christus substantiva ipsa, non participata charitas est; nam & qua Deus, persona est charitatis, & qua homo natura est charitatis assumpta.

CAPUT IV.

Validissima pro naturali adversus adoptivam filiatione astruenda conglobantur argumenta.

I. Humanitas mera accessio Verbi est Verbum autem in carne & cum carne idem est qui ante sæcula Filius Dei proprius.

ADseritur 10. Christo homini propria Dei filiatio & naturalis. Humanitas Verbi Dei quasi accessio est, cæterum idem post, qui ante carnis accessionem sempiternus & naturalis Dei filius est Verbum Deus. Unus idemque incrementi & decrementi peræquè nescius in carne nunc est, qui retrò sine carne sempiternè fuit; non fuit autem nisi natura filius Dei ante carnem, ergo & idem est post carnem assumptam. Principatur enim semper Deitas Verbi, subsequitur obsequiturque humanitas; in jura ergo sua Deitas humanitatem rapit transcribitque, non in injuriam humanitatis abripitur; cedit accessio toti, non totum accessioni; sequax duci, non dux sequaci; nobilitas præpollet Deitatis, non humanitatis ignobilitas; cohonestari enim hæc ignobilitas potest, illa nobilitas Deitatis dehonestari non potest. Ergo cùm totus Christus sit Verbum cum accremento carnis, quo tamen accremento nihil crescit, quia totum cumulatissimum Verbum est, haud dubio etiam cum accremento carnis filius Dei proprius & naturalis est.

II. Ex Augustino, duplex tantum filiatio Dei, propria Christi, seu qua Verbi, seu qua hominis, & nostra.

Ep. 120. c. 4. In Ps. 49.

Augustinus: *Ut adoptionem filiorum reciperemus. Ut videlicet hujus gratiam beneficii discerneret ab illa filii natura, qui missus est filius, non per adoptionem factus, sed semper genitus filius, ut participata natura filiorum hominum ad participandam etiam suam naturam adoptaret filios hominum.* Idem filius

semper

ſemper & unus, ſed antè non particeps, poſtea particeps noſtræ humanitatis. Et alibi idem: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Si filii Dei facti ſumus, ut Dii facti ſumus; ſed hoc gratia eſt adoptantis, non naturæ generantis. Unicus enim Dei filius Deus, & cum Patre unus Deus, Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, in principio Verbum & Verbum apud Deum, Verbum Deus. Cæteri qui fiunt Dii, gratia ipſius fiunt, non de ſubſtantia ejus naſcuntur, ut hoc ſint quod ille; ſed ut per beneficium perveniant ad eum, & ſint cohæredes Chriſti.* Planè nuſquam triplex ſecernitur filiatio, Verbi qua Dei, Chriſti qua hominis, & noſtra; ſed duplex dumtaxat, Verbi ſeu qua Dei, ſeu qua hominis, & noſtra. Verbi autem qua Dei & qua hominis filiatio propria ſemper deſcribitur, quia unus idemque eſt Filius, ſeu carnem jam indutus, ſeu priùs nondum indutus. Si alterum enim novumque inexpertæ filiationis nomen adderet Verbo humanitas, ea non jam mera acceſſio, ſed principale quid foret: nec accederet ipſa Deitati, ſed acceſſeret ſibi deitatem; nec illi accenſeretur, ſed viciſſim accenſeret illam ſibi: nec ejus ut totius abſolutiſſimi pars fieret, ſed ut comparticipem ſuæ adoptionis eam ſibi coagmentaret. Et rurſus Auguſtinus: *Si ergo æqualis Patri miſſus eſt, non eum æſtimemus ex infirmitate carnis, ſed cogitemus majeſtatem indutam carne, non oppreſſam carne.* Hoc planè erit, carne non veſtiri, ſed obrui, non ornari, ſed demergi, ſi qui natura filius eſt, carne adoptivus fiat. Opprimet enim vincetque Deitatem Verbi caro, ſi non caro ad filiationem propriam Deitatis emergat, ſed ad carnis propriam adoptionem deitas demergatur. Fiet propria deitas carnis, non caro deitatis, ſi non caro propter deitatem ſit filius naturalis, ſed deitas propter carnem ſit aſcititius. Acceſſio erit deitas carnis, non caro deitatis, ſi concedat in titulos carnis deitas, non in deitatis caro. Perſonæ præcellentia ex carne, non ex deitate accerſetur, ſi filiatio quæ perſonæ dos eſt, ex carne in deitatem, non ex deitate in carnem refundatur. Tota ergo perſonæ unitas, tota humanationis ratio ſubruitur, niſi principari ſola deitas intelligatur, ſuæque nobilitati carnem inſerere, non in carnis ignobilitatem ipſa degenerare. Idem alibi Auguſtinus: *Filium enim quærimus natura, non gratia; filium unicum, unigenitum, non adoptatum. Talem filium quærimus, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. Non rapina, quia natura. Semetipſum exinanivit. Quomodo? Amittendo quod erat, an aſſumendo quod non erat? Formam ſervi accipiens, non formam Dei amittens. Forma ſervi acceſſit, non forma Dei diſceſſit. Hoc eſt confiteri Chriſtum in carne veniſſe. Arianus autem qui non confitetur æqualem, non confitetur Filium. Si non confitetur Filium, non confitetur Chriſtum. Qui non confitetur Chriſtum, quomodo confitetur Chriſtum in carne veniſſe?* Sic acceſſit forma ſervi, ut imperet forma Dei, ſuamque etiam in carne obtineat dignitatem id eſt, propriam filiationem. Cùm enim carne amiciri ad hoc maximè inſtitueriт, ut in carne carnalibus hominibus filiationem æternam ſuam hìc credendam perſuaderet, ibi fruendam exhiberet, totum hoc quantum quantum erat conſilium, in ventos diſſipatum fuiſſet, ſi in carne adoptivus fuiſſet. Quo jure enim cùm in carne videretur & audiretur, proprium ſe venditaſſet Dei Filium, qui in carne proprius non erat, ſed aſcititius? An perpetua auditores æquivocatione ludificaſſet; an ementita carnis filiatione veram Deitatis filiationem ſatis aſtruxiſſet; an nunquam filiationem veram à ſimulata, adumbratam à propria, nuncupativam à ſubſtantiali diſcriminaſſet, & qui ſexcenties ſe quà caro eſt, filium hominis prædicavit, nec ſemel ſe quà caro eſt, Dei adoptivum commemoraſſet? Ut ergo veraciſſimè, & tam veraciter

Tract. 14. in Ev. Joan.

Serm. 31. de verb. Apoſt. c. 4.

quàm veritatem decet, caro Deitatis, acceſſio totius Verbi filiationem teſtificaretur, neceſſe fuit, eandem eſſe unicamque carnis & Verbi propriam filiationem.

III. Ex Gregorio Magno. L. 1. Moral. c. 6.

Gregorius Magnus: *Omnes qui in fide Deo naſcuntur, ſuperat, quia non ut cæteros adoptio, ſed natura illum divinitatis exaltat; qui etſi humanitate cæteris apparuit ſimilis, divinitate tamen manſit ſuper omnia ſingularis.* Non adoptivus, ſed natura Filius eſt, quia natura Filii conſtat incommutabilis, nec veſte ſeu habitu humanitatis devolvitur intra ſe. Caſſianus: *Omnes enim credentes Deum, filii Dei ſunt per adoptionem; unigenitus autem tantum Filius per naturam, &c. Idem habendus in carne, qui habetur in ſpiritu; idem credendus in majeſtate, qui naſciturus in carne, &c.* Perindè ergo cum carne atque ante carnem proprius eſt Filius, quia caro Deitati nihil contulit, nihil abſtulit.

L. 5. c. 4.

IV. Ex Paulino. L. 2. contr. Felic.

Paulinus Aquilejenſis Epiſcopus: *Omnis denique divinitatis ac majeſtatis ipſius plenitudo, cum eo atque in eo ſemper fuit, ſive in cœlo, ſive in terra, ſive in utero, ſive in ortu. Nihil unquam Deo de Deo defuit, ſemper enim cum Deo Deitas, ſemper in Filio proprietas. Idem in hominis exiguitate, qui in Dei majeſtate.* Totalitas Chriſti hominis Verbum eſt, quia homo acceſſio eſt Totius illius, quod ſolum Verbum complet. At Verbi totalitas & plenitudo etiam cum acceſſione carnis non deficit à Filii naturalis proprietate.

V. Ex Etherio & Beato. L. 1. adv. Elipan.

Pulcherrimè autem Etherius & Beatus, ſic unum eſſe Chriſtum argumentantur, ſive ante carnem, ſive cum carne, ut unus intellectus eſt, ſive priùs, ſive poſtquam litteris & libro mandatur. Ut enim littera & ſcriptio exterior additamentum eſt dumtaxat, & unus idemque liber eſt, ejuſdem mentis genuina proles, ſive intelligibilis tantùm, ſive ſenſibilis & chartæ commiſſus ſpectetur: ita caro additamentum Verbi eſt, unumque & idem Verbum eſt, ejuſdem ſempiterni Patris Filius, ſeu ante carnem, ſeu cum carne æſtimetur. *Ubi eſt Elipandus, qui Chriſtum ſibi ſimilem fingit, & dicit, Et Chriſtus adoptivus, & nos adoptivi; & ille Chriſtus, & nos Chriſti; & ille parvulus, & nos parvuli; & ille ſervus, & nos ſervi? Quomodo eſt adoptivus cum adoptivis; qui unus liber eſt, an forte duos libros credis, unus qui litteras contineat, alter qui intellectum? Sed hìc nos non poteris illudere, quia unus liber ſino littera eſt, & nulla littera ſine intellectu. Et littera in libro aperto legitur, ut quod legitur, intelligatur. Et cum intellexerit, jam gaudet, quia quod foris legebat, intus invenit, ſic eſt Chriſtus liber noſter exterius, pagina & litera, quod eſt homo, corpus & anima; intus divinitas, tanquam intellectus in littera.* Et infrà: *Nullus lector ſine libro intellectum interioris libri invenire poteſt. Nam qui dicit, ſolùm interior pars eſt liber, exterior non eſt, quid iſte vult dicere, cum illa quæ videt, neget: & illa quæ non videt, confingat: & aperta fronte Eccleſiam illudat?*

IV. Filius perſonæ nomen eſt, non poteſt ergo una perſona filius Dei eſſe & proprius & non proprius.

Adſeritur II. Si ſecundùm Deitatem naturalis, ſecundùm humanitatem adoptitius eſt Dei Filius, duplex ergo eſt filius, & duplex perſona. Soboles ergo Neſtorii eſt Elipandus, & in adoptionis nomine totam à fundamentis evertit Dei cum homine in una perſona coalitionem. Unus enim unius, idem ejuſdem Patris non poteſt eſſe naturalis & aſcititius filius; proprius & improprius; verus & ſimulatus; de ſubſtantia genitus, & ſola voluntate adoptatus; originis proprietate & ſola nominis dignatione donatus. Deinde adoptio & filietas inſignia ſunt perſonæ, non naturæ. Natura quippè eadem & filii & patris, & proprii filii & adoptivi, & nec filii nec patris nomina ſubire poteſt; at hæ teſſeræ ſunt perſonales, ut in humana & in divina natura contemplanti per-

perspicuum est. Ergo una cùm sit Christi etiam secundùm humanitatem persona divina, seu persona Filii naturalis, non potest in eo esse persona filii quoque adoptivi. Deinde consociari non possunt in unam personam personalia nomina tam infesta sibi & adversa quasi fronte compugnantia. Rursus qui ante sæcula incommutabilis est Filius Dei, is nec ab hac sua proprietate Filii vel pauxillum potest desciscere, nec adversam penitùs adoptivi nuncupationem excipere. Deinde ut una persona est in duabus naturis, ita una naturalis Filii proprietas, quæ ratio est ipsa personæ, æquè in duabus viget naturis. Rursum humanitas assumpta, propria fit natura Verbi, propria fit natura personæ Filii proprii, ergo & secundùm hanc naturam proprius Filius perstat. Reciprocantur enim natura & persona; si ergo humanitas fit propria natura Filii naturalis, Filius naturalis etiam secundùm humanitatem est. Deinde assumptione consumitur persona humana, non natura, consumitur ergo & antevertitur adoptio, quæ proprietas est personalis humanitatis. Rursum non natura naturam, sed persona personam absumit; ergo persona Filii naturalis naturam humanam assumit, sed adoptionem cum tota personali proprietate hominis absumit; in utraque ergo natura una superest illibata & inviolabilis proprietas Filii Dei naturalis. Deinde filii nominet, tum colligitur; etsi igitur animæ immortalis parens non sit nisi opifex Deus, totius tamen hominis, utique non exanimis, parens uterque est homo, & utriusque parentis filius est totus homo. Quia filius personæ insigne est & persona totum est. Ergo post incarnationem, totius Filii Pater est Deus id est, Verbi cum carne; & totus Filius, id est, Verbum cum carne Filius est Dei proprius. Ex adverso autem si secundùm carnem adoptivus esset Dei Filius, totus Filius adoptivus esset, atque adeò Deus Verbum. An poterit homo pater esse proprius hominis, etiam ut animati, etiamsi animam non generet: nec poterit Deus Pater esse proprius Verbi, ut incarnati, etsi carnem de sua substantia non generet? An poterit corpus animam, nec poterit Deus corpus & animam trahere ad se & ad suam proprietatem vindicare? Denique æterni Filii proprietas & invictissima & victrix est, tum omnipotentiæ suæ, tum incommutabilitatis, tum æternitatis præjudicio; in assumpta ergo temporaliter natura, æterna Filii proprietas non vincet & vincetur, non flectet & flectetur, sed inseparabiliter in suum nomen & nobilitatem trahet, totamque in se traducet humanitatem, & propriæ filiationis ingenuitatem in ipsa obtinebit.

VII. Ex Paulino Aquileiensi. L. 2. contra Felic. Paulinus: *Est omninò unus Filius, non duo filii. Unus autem Filius quomodo potest esse proprius & adoptivus unius patris: si adoptivus est, proprius esse non poterit; si proprius, adoptivus esse non poterit ejusdem patris. Duos autem esse filios, unum proprium, & alterum adoptivum, nefandissimum est credere de Christo. Assumpsit namque sibi Dei Filius carnem ex Virgine, & non amisit proprietatem, quam habuit in Filii nomine. Sed quanquam duas habuisset post nativitatem ex Virgine naturas, tamen unam proprietatem in Filii persona firmiter tenuit. Accessit humanitas in unitatem personæ Filii Dei, & mansit eadem proprietas in duabus naturis in filii nomine, quæ ante fuit in una substantia. In assumptione namque carnis à Deo, persona periit hominis, non natura. In nobis est persona adoptionis, non in Filio Dei; quia singulariter ille unus homo, ex Deo conceptus, & in Deum adsumptus, habet proprietatem Filium Dei esse, quòd omnes Sancti habent per adoptionem gratiæ Dei; qui habitu inventus ut homo, sed divinitate ut Deus*. Planè habitu ut homo; quia principaliter est Verbum, carnis uti habitus seu vestis accessione, nec auctum, nec minutum; & ut homo, quamvis verus sit homo; quia non principaliter homo est, sed Verbum ut homo, id est, Verbum cum accremento hominis.

Idem Paulinus: *Nullus pater unum filium potest habere, utrumque & naturalem sibi & adoptivum. Quia ille unus filius non potest dividi, ut sit unius patris & naturalis & adoptivus; vel quædam pars filii sit adoptiva & altera naturalis in filii dignitate; velut si una manus sit adoptiva & altera propria; vel anima sit adoptiva & caro in proprietate filii. Quamvis enim anima non sit ex patris semine, sicut & caro, tamen unus est filius patris, anima & carne totus, vel adoptivus, vel proprius, prout conditio nominis vel naturæ sibi adtulerit*. VIII. Ex eodem. L. 5. Et infrà: *Si unus est in persona, unus est etiam in proprietate Filii, quia proprii filii & adoptivi, sicut sæpè dictum est, duæ sunt personæ. Deus igitur & homo qui assumptus est, una est persona; & necesse est unam esse proprietatem in una persona, ut tota persona proprius sit Filius vel tota adoptivus. Una persona te cogit unam confiteri proprietatem Filii in duabus naturis*. Propriam sibi facit humanitatem Filius proprius Dei, proprietati suæ, illam vindicat, se propter illam à sua proprietate non abjudicat. Totius sempiternam, & incommutabilem, & omnipotentem proprietatem accessio humanitatis ceu partis accrescentis non violat, non infringit, non imminuit, nec eam ad se transfert, sed in eam se confert.

Rursus idem Paulinus: *Numquid impotens est Deus in se perficere, quod potens est in uniuscujusque hominis nativitate efficere. Aut ergo temetipsum divide in duos filios, proprium ex carne, & adoptivum ex anima parentibus tuis: aut si hoc absurdum tibi fore videtur, concede Deo Patri ea lege vel etiam potentiore, proprium & verè Filium ex Virgine natum habere potuisse, qua te vis tuorum parentum proprium esse filium*. Idem L. 5. Et infrà: *Unitas personæ dualitatem filiationis respuit in Christo: nec adoptio locum invenit, ubi proprietas præcessit*. Idem l. 7. His fermè innectuntur rationum momenta earum omnium, quas obiter suprà conglobavimus. Eadem confirmat Adrianus Papa in Epistola superiùs laudata.

Synodus Francofordiensis: *Unitas personæ quæ est in Dei Filio & filio Virginis, adoptionis tollit injuriam*. IX. Ex Concil. Francoford. In Epist. ad Episc. Hisp. Et infrà: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab Ecclesia universali refutata est, etiam & damnata*. Et paulò pòst: *Videtur enim, Nestorium dicere copulationem quod vos dicitis adoptionem. Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, qua Pater adoptione sibi copulat Filium, quem proprium non habet? Et certissimum est, sicut præfati sumus, alium esse proprium filium, alium adoptivum. Nonne tunc duo filii erunt Deo Patri, unus proprius, & alter adoptivus? quòd nullus Catholicus audet dicere*.

Adseritur 12. eadem Christo naturalis filiatio Dei. Christus homo & Deus est: at qui Deus est, adoptivus non est, ergo Christus nec quà homo est adoptivus. X. Christus homo Deus est, ergo adoptivus non est. Hac consequentia nihil manifestius. Hic homo Deus est, ergo hic homo adoptivus non est. Nam quàm propudiosa, quàm criminationi ludibrioque Gentilium propinata videbitur Christiana religio, si Deum colat hominem adoptivum? si Dei majestatem cum infamia adoptionis copulet? si eundem tam extraneum à Deo confingat, ut adoptetur; & tam conjunctum Deo, ut sit Deus? Quà homo ergo est, esto ut creatura sit, ut patibilis, ut mortalis sit: at quà homo est, adoptivus ne sit: hoc enim personæ, illa naturæ pigmenta sunt: quà homo autem est in persona Deus, in natura non Deus, sed homo. Rursum si quà homo est, adoptivus est, non proprius Dei Filius, Maria ergo adoptivi Filii Dei mater est, & quidem mater ejus est, quà adoptivus est; ergo non est Dei mater. Nam adoptivum, quà adoptivum nemo mentis compos Deum dixerit. Revixit ergo in Eli-

in Elipando Neſtorius, & nova Deiparæ intentat prælia.

XI. Ut propter carnem Verbum Deus Mariæ proprius eſt filius, ita Chriſtus homo propter perſonam Verbi proprius eſt Filius Dei.

Deinde ſi verè Deipara eſt Maria, ſeu ſi propria eſt Dei mater, quin Deus ſit proprius hominis Chriſti pater? ſi proprius, non adoptivus eſt Mariæ Filius Verbum Deus, quin proprius non adoptivus ſit Dei Filius Verbum homo? Conſubſtantialis eſt Deo Patri Deitas Verbi, non humanitas: conſubſtantialis eſt Mariæ matri humanitas Verbi, non Deitas: Verbum Deus tamen proprius eſt Mariæ filius, non aſcititius: quin ergo & Verbum homo proprius ſit Dei Filius, non adventitius? An propter carnem ſuam, non extraneus, ſed proprius eſt Mariæ Verbum Deus: & non potiùs propter perſonalitatem ſuam non extraneus, ſed proprius erit Deo Patri Verbum homo? An caro ſua Deitatem Mariæ matri addicet, & Deitas ſuam carnem Deo Patri non addicet?

XII. Quanta perturbatio divinarũ proprietatum, ſi à Trinitate Chriſtus homo adoptaretur.

Denique non eſt à quo adoptari queat Chriſtus quà homo. An enim à Patre ſolo: at ejus jam proprius eſt; deinde totius Trinitatis hoc jam videtur jus eſſe, quod extra ipſam moliendum eſt. An à Trinitate tota? at quì ſeipſum adoptabit Verbum? quì unus idemque ſibi ipſe & Pater erit, quà Deus adoptans, & Filius quà homo adoptatus? qui Pater quoquo modo fiet, quì Filius ſubſtantialiter eſt? qui filius impropriè fiet, qui ipſa ſummæ filiationis proprietas eſt? quì ſibi filius idem erit, & Filii filius, & Patris adeo nepos, quà homo? quì filius erit adoptivus Spiritus ſancti, cujus quà Deus principium eſt? An ita divinarum perſonarum æternas proprietates temeraria hæc & tumultuoſa perturbatione violabit diſpenſatio temporalis, quæ ad eas potiùs imitandas, commendandas, & teſtificandas comparata eſt?

In Epiſt. ad Epiſc. Hiſp.

Synodus Francofordienſis: *Conſiderate quale eſt hoc ſcandalum inter Paganas gentes, ut dicatur, Deum Chriſtianorum ſervum eſſe, vel adoptivum? Nos per illum adoptivi ſumus, non ille nobiſcum adoptivus.* Et paulò antè: *Quid eſt aliud dicere, eandem virginem adoptivum vel ſervum genuiſſe, niſi negare Deum illam genuiſſe? Si Deus generatus eſt, nequaquam adoptivus, ſed filius; quia alia perſona eſt proprii filii, alia adoptivi filii vel ſervi.*

L. 1. adverſ. Felic.

Paulinus Aquilei. Epiſcopus: *Nec ſibi ſufficiobat tantummodo Chriſtum, qui de Virgine natus eſt, negare proprium eſſe filium Dei, ſed etiam hunc eundem non conſentit verum eſſe Deum: ſed novo & inaudito ſanctæ Dei Eccleſiæ nomine, nuncupativum Deum nominare illum non timet, dividens Chriſtum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum: & in duos Deos, unum verum Deum, alterum nuncupativum.* Cohærent iſta enim, ut tam diminutè, vel tam magnificè Deus ſit, quàm Dei filius. Et infrà: *Si neceſſe eſt adoptivum eſſe Chriſtum Dei Patris, propter quod ex ſubſtantia ſua natus non eſt ſecundum carnem, quomodo non ed adoptivus filius virginis ille qui natus eſt ex Deo, quia de ejuſdem virginis ſubſtantia creatus non eſt? Ergo ſi neceſſe eſt hominem ex virgine natum, virginiſque filium adoptivè eſſe filium Dei; ipſo modo neceſſarium eſt, Deum Dei filium adoptivè eſſe filium virginis: quia alia eſt ſubſtantia Dei Patris de qua eſſentialiter natus eſt Dei filius, alia virginis, de qua corporaliter natus eſt Chriſtus. Aut ſi hoc non audetis dicere, quia Chriſtianum nomen habetis, ut beata virgo non ſit propriè Dei genitrix, ſed per adoptionem: æquum eſt ut non audeatis affirmare filium virginis, adoptivum eſſe Dei Patris filium. Quid igitur reſtat, niſi ut utriuſque parentis verus & perfectus in duabus ſubſtantiis Jeſus Chriſtus ſit filius, totus Dei Patris proprius, totus virginis matris proprius, ut ſit unus Chriſtus, unus filius, unus Deus.* Et infrà: *Quid ſupereſt, niſi ut illa beata virgo nequaquam ſit vera Dei genitrix, ſed nuncupativa? quia ſi ille qui ex ea natus eſt, nuncupativus eſt Deus, etiam illa quæ genuit, nuncupativa eſt, non vera Dei genitrix.* Et rurſus: *Cujus perſonæ in ſancta Trinitate adoptivus eſſe dicendus eſt? Utique omnino filii perſonæ; ipſe adſumpſit hominem vel ſuſcepit. Quod ſi ita eſt Patris ſecundum humanitatem Chriſtus, qui à Dei filio adſumptus eſt homo, vel ut ut vis adoptatus.* Quæ tumultuatio æternis divinarum perſonarum proprietatibus importari citra grande piaculum nequaquam poteſt.

Ibid. l. 7.

Ibid. l. 3.

XIII. Chriſtus veritas totus eſt, at adoptio mendacium quoddam eſt.

Adſeritur 13. Chriſtus veritas eſt, ut ſuo ipſe ore teſtificatus eſt; nam & qua Deus, æterna & incommutabilis eſt veritas, & ſapientia, & juſtitia: & qua homo, factus eſt nobis veritas à Deo, & ſapientia, & juſtitia. At ſi veritas eſt, adoptivus nequaquam eſt. Adoptio enim imitatio quædam veritatis eſt, non veritas; mendacium quoddam eſt & figmentum charitatis, non ſinceritas veritatis. Adoptivus quippè non eſt verus filius, ſed ſimulatus; non verus, ſed ſuppoſititius; non verus ſed nuncupativus; ludibrium ergo & mendacium filii eſt, non veritas. Verus filius eſt qui naſcitur; qui adoptatur, ementitur nativitatem, illudit veritatem, fallit nomine filii, cùm origine careat; vocatur quod non eſt, in veri filii locum & prærogativas ſpontanea publicaque fraude intruditur. Tam abhorret ergo Chriſtus ab adoptione, quàm veritas à falſitate, quia & ipſiſſima veritas Chriſtus eſt, & multiplex falſitas adoptio eſt. An veritas enim filium ſe qualitercumque mentietur? An hæredem ſe ſimulabit? An nomine fallet, caſſus jure filii? An veritas finget, quod non erit? An veritas imponet, & mendacis filiationis uſura interim fruetur? Spontanea ludificatio eſt adoptio, veritas nec volenti nec nolenti fucum faciet. Veritas eſt, quidquid eſt; eſt verè, quidquid dicitur; ſi filius Dei eſt qua homo, vere filius eſt, & tam verè filius, quàm veritatem decet. Veritas altiſſimè infudit ſe humanitati aſſumptæ; ab ea ergo omnem mendacii vel ſimulationis umbram & ſuſpicionem longiſſimè ablegavit.

L. 1. contra Felicem.

Paulinus: *Dicis & verè dicis, Chriſtus veritas eſt. Non vult nos aliud de ſe credere & prædicare quàm id quod eſt; ſi veritas eſt Chriſtus, nullum utique figmentum eſt in eo; & ſi nullum figmentum eſt in eo, utique verus eſt filius. Et adoptivus dici non poteſt, quia videlicet adoptio quædam eſt voluntatis ſignificatio, non nativitatis veritas; vult enim habere in nomine qui adoptat ſibi filium ex quolibet alieno, illum quem non habet proprium in natura. Juxta Pſalmiſtam verò, veritas de terra orta eſt; verus utique filius Dei qui de terra noſtræ naturæ, id eſt, de virginali carne ortus eſt, & natus verus Deus & verus homo; hoc igitur quod eſt, id eſt, veritas, de eo credimus & prædicamus. Decuit itaque & verè decuit, ut in Dei filio proprietatis eſſet nobilitas & veritatis dignitas, non adoptionis communio cum cæteris, vel nuncupationis fragilitas inter cæteros; quia nullum figmentum appellationis in Chriſto qui eſt veritas, & in quo omnis eſt plenitudo divinitatis.* Et nos ergo qui adoptamur Deo filii, à veritate filiationis degeneramus. Non implemus, non aſſequimur veritatem propriæ filiationis, nomine lactamur: & tanti eſt tamen vel ſic eſſe filium Dei, vel potiùs, dici, nec eſſe, ut hinc æternitatem beatæ vitæ conſequamur. Vel ſi fuliginem mendacii à nobis etiam ſummovere velis, non mendaciter filii ſumus, etſi adoptivi, quia verum filium Chriſtum circuminduti, medullituſque infeſſi ſumus. Noſtra igitur adoptio non amabile mendacium eſt, quia veritatis ſeu proprii filii infuſio & circumfuſio eſt. At hinc etiam Chriſtus qua homo evincitur filiationis veritatem obtinere; ut non verus tantùm filius ſit, ſed ut ab adoptivis mendacium expungat.

CAPUT V.

Christus ut hic homo est, naturalis est Dei filius, non aliter quàm generatione æterna, idque ex Scripturis primum illustratur.

I. Christus homo proprius est Filius Dei, quia Pater generat Verbum suum etiam in carne, etsi non generat carnem.

EXplorato jam Christum secundùm humanam naturam Dei filium esse, non adoptitium, sed proprium & naturalem, vestigandum jam superest, quo illi jure naturalis competat filietas; cùm qua homo est, generari à Deo Patre non videatur. Accuratiùs tamen penitiùsque introspicienti in scripturæ, in Patrum, in rationum ipsarum vel congesta superiùs vel congerenda paulò pòst testimonia, indubitatum fiet, ut arbitror, illi etiam ut homini naturalem Dei propriamque filietatem non alio magis nomine adscribendam esse, quàm æternæ generationis, ad ipsam usque humanitatem sese propagantis. Non quò humanitas ipsa per se causa sit, ut Filius Dei sit naturalis, aut ipsa humanitatis per se substantia à Deo Patre generetur: sed quòd humanitas accessionis tantùm instar habeat, principaliter autem existens Verbum Deus, proprietatem filiationis suæ inviolabilem etiam in carne sua retineat; & quod fuit semper, sit etiam in carne & cum carne sua filius Dei germanus, gignaturque semper à Patre, & in ipsa quam assumpsit humanitate gignatur, & ab ipso Patre generante carni infundatur.

II. Id efficitur ex illis verbis, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ex Chrysostomo. Ad Hebr. c. I.

Palam id faciunt sacræ paginæ locis compluribus, si horum oraculorum perfectissimos interpretes consulamus sanctos Patres. Illud præ cæteris quod recitat Paulus: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ubi Christus homo super Angelorum vertices evehitur ob filiationis suæ prærogativam, haud dubio propriæ, non adoptivæ, cùm hæc & Angelis & hominibus justis promiscuè indulta sit. Ea autem filiatio Christi hominis propria, generationis voce insignitur. Ita hunc locum interpretati sunt sancti Patres.

Hom. 2. In Ep. ad Hebr.

Chrysostomus: *Nam si est gratia filius, non solum non est Angelis præstantior, sed etiam minor. Quomodo? Quoniam homines quoque justi vocati sunt filii; & nomen filii, nisi sit proprius filius & germanus, non potest ostendere excellentiam.* Et statim: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Illud, hodie, mihi videtur dictum esse de carne. Nam quando eam apprehenderit, de cætero omnia effatur securè. Caro enim est particeps altorum, sicut & divinitas humilium.* In carne ergo filius est naturalis & proprius, idque quia in carne genuit eum Pater; caro enim altorum & divinarum dotium particeps est.

III. Ex Proclo. Orat. 4.

Proclus Episcopus Constantinopolitanus: *Patremne quæris o Judæe ejus filii, qui hodie genitus est? Aurem admove ad vocem ejus qui dicit, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Idem ipse planè tuus sum ante sæcula genitor, & tuus qui hodie natus es, Pater. Sive sine Patre dicatur is, qui hodie natus est, ut & reverà est, sive meus appelletur filius, unus certè filius à duobus Patribus gigni nequit, Ego genui te.* Perspicuè de Christo ut homo est, hìc agitur, & idem illi, qui & Verbo Deo Pater adseritur, idque generatione. Generat enim æternaliter æternus Pater æternum filium, semperque gignit, & cùm fit homo, gignit nihilo seciùs, & filium humanatum gignit, etsi ipsam seorsim carnem non gignat: sicut & Pater homo quilibet corpus animatum gignit, etsi animam non gignat. Cùm ergo Christus qua homo ἀπάτωρ dicitur, homine Patre carere prædicatur; nam etiam ut homo Patrem habet Deum. Idque vel maximè in causa fuit, ne à Patre nasceretur homine, qui à Patre Deo etiam ut homo nasciturus erat: nec erat consentaneum, ut unus & idem filius duos sortiretur Patres. Si autem qua homo est, à Deo Patre non generaretur, quid prohibebat ab alio Patre generari?

IV. Ex Cyrillo. L. de recta fide. p. 160.

Cyrillus Alexandrinus: *Etsi ille Aaron ad sacerdotium adscitus esset, attamen erat servus; hic verò Christus in eo quoque statu Dei filius erat; ut natura quidem Deus & Verbum, secundum æternam generationem; ut homo autem nobis similis, secundum novissimam in carne, quam designat & illa vox, hodie, præsentis temporis nota. Pater igitur nativitatem in carne, ad se quoque pertinere judicat.* Pertinet ergo ad Deum Patrem & quidem generantem nativitas Verbi in carne.

V. Ex Theodoreto. In C. 1. Ep. ad Hebr.

Theodoretus: *Cui enim dixit aliquando, Filius meus es tu; Ego hodie genui te?* Et rursus, *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium. Hæc autem rursum dixit secundum humanitatem. Hoc enim ostendit, Ero illi in Patrem, & erit mihi in filium. Sunt enim hæc futuri temporis. Quin etiam & illud, Ego hodie genui te, non æternam significat generationem, sed eam quæ tempori conjuncta est, &c. Qui enim est natura filius, non hoc accipit per gratiam, hoc enim habet per naturam, &c. Et conditor Angelorum ut Deus, & melior Angelis factus ut homo, & natura filius, & accipit hoc iterum ut homo, quod habet ut Deus.* Secundùm humanitatem accipit quod habet ut Deus, nempè ut sit natura filius, ut gignatur à Patre, ut sit illi idem Pater qui Verbo, ut gignat eum Pater, & dicat ei, Ego hodie genui te.

VI. Idem elicitur ex illo loco. Ex utero ante luciferum genui te.

Affinis est loco huic ille ex Psalmo: *Ex utero ante luciferum genui te*, quem de nativitate humana ex utero Mariæ virginis ad Deum Patrem generantem pertinere interpretatur Justinus Martyr dialogo cum Tryphone Judæo. *Et quæ à Davide sunt promulgata, In splendoribus sanctorum ex utero antè luciferum genui te, juravit Dominus, &c. An non significant nobis, quod supernè & ex utero humano Deus & Pater rerum omnium, generaturus eum erat?* Quod Patri Deo soli, & quidem gignenti temporalis vindicetur Christi nativitas, argumento abunde est, non aliter Dei filium esse Christum hominem, quàm generatione paterna. Hoc unum enim est, quod Patri propriè adsignari possit.

VII. Item ex eo quod etiam qua homo, primogenitus vocatur.

Nec aspernanda sunt loca non pauca cum scripturæ, tum Patrum, quibus qua Deus, unigenitus: qua homo, primogenitus nuncupatur Christus; utrobique tamen genitus insinuatur. Primogenitus quippè in multis fratribus ubi cognominatur, non ipse in fratrum, seu in aliorum hominum devolvitur adoptionem, sed illos potiùs supra adoptivorum expectationem omnem, ad naturalis participationem filiationis, ut sua sibi membra coaptat. Sic ergo primogenitus est adoptivorum qua homo, ut adoptivus non sit, sed naturalis & genitus sit.

L. de recta fide. p. 27.

Cyrillus: *Idem itaque unigenitus & primogenitus est; unigenitus quidem ut Deus; primogenitus verò quatenus secundum œconomicam unionem, inter nos & inter multos fratres homo versatus est: quo & nos quoque in ipso & per ipsum secundum naturam & gratiam filii Dei efficeremur, secundum naturam quidem vel naturales, tanquam membra ipsius, participatione verò & secundum gratiam per ipsum in spiritu.* Sic ergo primogenitus est adoptivorum, ut non cum ipsis adoptivus ipse fiat, sed ut cum ipso tanquam membra ipsius filii naturalis, unus filius omnes evadamus. Primogenitus ergo est ut natura filius, ideoque verè genitus.

Orthod. fid. L. 4. c. 8.

Damascenus: *Primogenitum dicimus ipsum omnis creaturæ, quia ipse ex Deo & creatura ex Deo; sed ipse ex substantia Dei & Patris solus intemporaliter genitus, & idcirco non abs re unigenitus, &c. Ipse verò natura filius Dei primogenitus in nobis, adoptione & gratia filiis Dei factis & fratribus ejus existentibus. Unde dicebat, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, &c. Non dixit,*

Patrem

Patrem nostrum: sed Patrem meum, natura videlicet; & Patrem vestrum, gratia. Primogenitus dicitur ex Damasceno, etiam ut Deus, quia & Verbum & creaturæ ex Deo, sed Verbum generatione, creaturæ conditione. Cùm ergo qua homo primogenitus in multis fratribus perhibetur, generatio non respuitur, sed innuitur.

VIII. Idê elicitur ex verbis Angeli ad Mariam.

Magni quoque planè momenti est quod Angelus ad Mariam ait: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Filiatio enim Dei secundùm carnem Christo competit ex nativitate ipsa, qua videlicet ex utero Mariæ vel in utero potius Mariæ gignit eum Pater Deus. Cur enim Sanctum est, quod ex Maria nascitur, nisi quia & à Deo simul nascitur? Cur Dei potiùs quàm Mariæ Filius vocatur, quod ex Maria nascitur, nisi quia principaliùs à Deo Patre nascitur? Cur Filio Jesu nomen supernè indicitur, inditurque à Deo, nisi quia patria usurpat jura in hominem Filium Deus Pater? Cur virtus Altissimi obumbrat Mariam, seu cur Verbum ipsum semen est quo gravidatur, nisi quia hunc sibi in Maria Filium Deum hominem seminat, generatque Deus Pater?

De rect. fide pag. 26.

Cyrillus: *Vocabis nomen ejus Jesum. Nomen hoc novum à Patre opinor per Angeli vocem impositum est. Prædixerat enim multò antè Propheta, Et vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominabit. Quando ergo unigenitus Filius qui Patri coæternus ante omnia sæcula extitit, novissimis temporibus homo factus, & ex muliere natus, & filius declaratus & primogenitus appellatus, & inter multos fratres numeratus est; tunc ille quoque qui secundum naturam pater est, paternitatis leges ut ita loquar sequutus, nomen hoc præfinivit.* Patris hoc privilegium est, ut nomen Filio designet; Pater ergo Christi hominis Deus est, qui nascenti nomen addidit.

Orth. fid. l. 3. c. 2.

Damascenus: *Tunc obumbravit ei Dei altissimi hypostatica sapientia & virtus, Filius Dei Patri consubstantialis, quasi divinum semen.* Si semen est Verbum Filius Dei, quis hunc Filium, quis hoc semen seminat, nisi Pater Deus? generatione ergo vera Patris Dei seminatur gigniturque Christus homo. Quippe cùm Pater suum sempiternè generans Verbum, in carne etiam illud progenerat, tunc carni Verbum suum inseminat. Author quoque operis imperfecti in Matthæum: *Sic unigenito Deo Virginem ingressuro, Spiritus sanctus præcessit, ut præcedente Spiritu sancto, in sanctificatione nascatur Christus secundum corpus, divinitate ingrediente pro semine.* Deitas Verbi semen Christi esse, aut concipi nequit, nisi Patre Deo seminante ac generante. Ita & Hilarium intelligo: *Atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis diffideret, virtus Altissimi hominem obumbrat, infirmitatem ejus veluti umbram circumfusam confirmans; ut ad sementivam ineuntis Spiritus, efficaciam corporalem divinæ virtutis inumbratio temperaret.* Et hìc semen videtur demonstrari Verbum.

L. 2.

L. 2. de Inc. c. 6.

Cassianus luculentissimè: *Domini Salvatorisque nostri inde est origo, unde conceptus; & cum descendente in Virginem totius divinitatis plenitudine natus sit, filius esse hominis non poterat, nisi prius Filius Dei fuisset. Et ideo missus ad annunciandam sacri ortus nativitatem Angelus Dei, cum sacramentum conceptionis antè dixisset, partui ipsi nomen imposuit, dicens, Ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei; hoc est, illius Filius nuncupabitur, quo generante est generatus. Dei ergo Filius Jesus Christus, quia & à divinitate genitus, & à divinitate conceptus.* Generatione Christum hominem esse naturalem Filium Dei hæc clamant apertissimè, ideo enim seminis instar infunditur Mariæ Deitatis plenitudo, ideo generante Patre dicitur Christus de Maria nasci, & Filius Dei vocari.

Moral. l. 18. c. 26.

Gregorius Magnus: *Non purus homo conceptus atque editus, post per meritum, ut Deus esset, accepit: sed nunciante Angelo & adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia quæ ei est cum Patre & cum sancto Spiritu coæterna, assumpsit inter virginea viscera unde & impatibilis posset pati, & immortalis mori, &c.* Verbum in utero Mariæ, Verbum caro ea incommutabilitate essentiæ & proprietatis suæ, etiam cum carne sua non alius est, quàm Filius Dei æterna generatione nascens, & in carne etiam nascens à Patre Deo.

IX. Item ex Genealogia Christi apud Lucã.

Attexi non injuria potest, ea quam Lucas studiosè molitus est Christi progenitorum series secundùm carnem, retro ad Deum usque parentem revoluta. Inde enim suspicari fas est, etiam secundùm naturam humanam Deo patre & progenitore splendere Christum, speciali quopiam, sibique uni proprio jure, cùm in ejus unius genealogia carnali texenda Deus ipse parens, ut totius generis stirps prima & radix altissima, implicatus sit. Ambrosius: *Unde & Lucas ad Deum putavit originem ejus esse referendam, quod verus Christi generator Deus sit, vel secundùm veram generationem pater, vel secundum lavacri regenerationem mystici muneris author. Et ideo non à primo generationem ejus cœpit describere, sed postea quam baptismum ejus explicuit, authorem omnium Deum per baptismum cupiens demonstrare, Christum quoque à Deo ordine manasse successionis asseruit, universa contexens, ut & secundùm naturam, & secundum gratiam, & secundùm carnem Filium demonstraret. Quod autem evidentius divinæ generationis indicium, quàm quod de generatione dicturus, ipsum Patrem præmisit loquentem, Hic est Filius meus dilectus in quo complacui?* Multa hìc adnoto. Primum cur post baptismum Christi, & post illud quod Pater intonuerat cœlitus, Hic est Filius meus dilectus, tum demum carnalem Christi genealogiam Lucas tractavit, nisi ut innueret eundem Christo etiam in carne parentem esse? Eundem illi Patrem esse Deum generatione, qui nobis regeneratione? Eodem genitore eademque generatione illum & secundùm carnem & secundùm spiritum, id est, & quà Deum & quà hominem eminere? Deinde in aliis distat generatio, & regeneratio, distat naturæ creatio, & sanctificatio; at Christo ipsum nasci est sanctificari; unde Angelus, *Quod nascetur sanctum:* quia ipsum nasci est Deum nasci. Qui ergo sanctificationis omnis parens est, Christo quoque carnalis generationis parens est; qui baptismo Pater est; Christo incarnato quoque Pater est. Denique ut colligit Ambrosius, Idem Christo Pater est & secundùm naturam Deitatis, & secundùm gratiam baptismi, & secundùm nativitatem carnis. Unde cùm jam utraque præcucurrisset nativitas & Deitatis & carnis, ubi tertia baptismi renovata est, tum verò contexitur generis tota propagatio, & sursum versus ad Deum usque Patrem & authorem refunditur.

L. 3. in Luc.

X. Itê ex verbis Christi, quem Pater sanctificavit, & misit in mundũ. Joann. c. 10.

His adde illud Christi apud Joannem: *Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum?* Hìc, *Sanctificavit*, videtur idem esse atque illud, *Nascetur sanctum.* Nam conceptio & nativitas Christi carnalis, sanctificatio est, cùm totius Deitatis in humanitatem infusio sit. Quòd ergo Pater Christum sanctificaverit & miserit in mundum, idem sonat ac, quòd Verbum in carne generaverit; ex quo jure meritissimo infertur, quod Filius Dei sit, ut Christus ipse argumentatur. Cyrillus: *Quod autem inter adoptivos filios collocare se noluerit Unigenitus, sed divinam & ineffabilem habere se super omnes excellentiam agnoverit, & filiationis veram dignitatem, facile disces ex eo, quod Judæis de Moyse & aliis Prophetis ait: Si illos dixit Deus ad quos sermo Dei factus est, & non*

Dial. 1. de Trin. p. 414.

potest

potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum. Si enim propterea quod ad illos factus est Dei sermo, significavit Deos esse & filios, qui non potius Filius sit & Deus, meliusque & verius, is per quem illi Dii sunt & filii? Illud ergo, Filius adventitium non est unigenito, sed nomen quo talis esse significatur, sicuti nimirum ipsi quoque Deo ac Patri, illud nomen pater. Pater enim ideo pater est, quia genuit filium: Filius autem rursus est filius, quoniam est à Patre genitus. Itaque hoc loco quem Pater sanctificavit, idem est, ac quem Pater genuit, quia ubi sanctitas à sanctitate gignitur, idem est gigni ac sanctificari.

XI. Suus & proprius Patri Filius non est, nisi quẽ genuit. Ea rursum testimonia quibus proprius Patri Deo Filius declaratur Christus homo, non obscurè generationem significant. *Hic est Filius meus dilectus. Clarifica Filium tuum. Ascendo ad Patrem meum.* Hæc enim, *meus*, *tuus*, generationis proprietatem palam innuunt. Nec enim Patri proprius est Filius, nisi quem genuit; nec Filio proprius Pater, nisi qui genuit. Nam si Patri sit Filius quem genuerit, & quem non genuerit, suum propriumque non dicet, nisi quem genuerit. Alcimus Avitus: *Post lucidæ nubis coruscationem, sic Patris æterni super Filium dulcis terribilisque vox intonat, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit, ipsum audite. Omnes quidem, sicut ait Apostolus, filii Dei sumus, & in oratione clamare præsumimus, Pater noster qui es in cœlis: sed aliter Filius est, de quo clamatur, Hic est Filius meus dilectus. Illum ut habeat Pater Filium, non præcessit voluntas generationem; nos autem per quam efficimur filii, in lavacro accipimus nativitatem.* Generatione Filium apertè dicit. Hilarius: *Dominus dixerat, Clarifica Filium tuum. Non solum nomine contestatus est filium, sed & proprietate qua dicitur, tuum. Multi enim nos filii Dei, sed non talis hic filius est. Hic enim & proprius & verus est filius, origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione, nativitate, non creatione.* De Christo homine qui humana lingua pronunciaverat, Clarifica Filium tuum, pronunciat Hilarius quod sit Filius Dei origine, veritate, nativitate, quod quid aliud est quàm propria generatione? Ambrosius denique: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, &c. Quid aliud dicere, nisi ne mulier hinc moveas quæstionem; certè à perfectioribus quære, dicent tibi quæ distinctio sit inter Patrem meum & Patrem vestrum. Nam qui juxta divinam generationem Pater mihi est, is juxta adoptionem Pater vester est.* Christo ergo sive ut homini, sive ut Deo, non aliter quàm per divinam generationem Pater Deus est; nam si ut homini non per generationem divinam Pater est, quo ergo modo Pater est? Nam adoptionem inter & generationem nihil intercedere existimavit Ambrosius: Scripturæ Patresque illi reliqui ea in re suffragantur.

(Fragmento 5. ex Epist. ad Roman.) (Lib. 3. de Tri.) (L.3.de Virg.)

XII. Idem liquet ex eo, quod suam Dei & suam hominis filiationem nunquam Christus discriminat. Rursum quæ capite primo hujus Libri superiùs coacervata sunt ex sacris paginis, sanctorumque Partum commentariis, ea hoc ipsum prætereà conficiunt, ut Christo secundùm humanam naturam non alia quadret filiatio ad Deum, quàm naturalis, & divinæ propriæque generationi innixa. Nusquam enim vel Scripturæ vel Patres copiosissimè allegati discriminarunt aut filiationem aut filiationis modum Christi, quà Deus est, & ejusdem quà homo est. At si vel alia esset filiatio, vel dispari modo, hìc nempè vera, ibi fucata generatione competeret: cùm Christo homini filiatio ipsa Verbi adsignaretur, æquivocatione turpissima fucus fieret, & tota Christi majestas hac nudata cavillatione collabasceret. Deinde quod jam non semel commemoravimus, æternæ suæ filiationi ac generationi divinæ, aut Patris potiùs majestati & paternitati hactenus inauditæ per orbem manifestandæ, & in fidem humani generis inducendæ serviebat tota Christi temporalis dispensatio. In carne igitur agens Filium se Dei passim, Patrem sibi Deum esse identidem profitetur. At si tam immanis interest discrepantia filiationis Verbi & carnis, quare hæc permiscet? quin vel semel meminit aliter se quà Deum, aliter quà hominem Dei esse Filium? Quin semel saltem hoc amovet offendiculum, quo impingebant identidem Judæi, eo quod sibi in mentem inducere non poterant, qui homo mortalis Dei proprius esset Filius? Ergo necesse fuit ut homo Christus Christi Dei filiationem æternam veramque & divinam generationem, Deoque genitori verissimam paternitatem citra æquivocationis ludibria & ea quæ veritatem decet veracitate constabiliret: necesse inquam fuit, ut & quà Deus & quà homo eadem filiatione & origine præcelleret, eadem generatione eodemque genitore gloriaretur. Denique cur tam anxiè homo cum hominibus agens, secernit se ab hominibus, aliterque se, aliter nos filios Dei, aliter suum, aliter nostrum Patrem esse Deum contestatur? Cur suam hominis Verbique Dei filiationem nusquam sequestrat? nostram suamque hominis semper discriminat? Si quà homo enim à Deo non gignitur, uti nec nos gignimur: si quà homo à Deo non nascitur, ut nec nos nascimur, cùm Verbum gignatur usque & à Patris substantia nascatur, quin se nobis potiùs quàm Verbo accenset? Ergo ut sua Scripturis ingenuitas, ut sua Christo veritas, ut sibi ipsa veritas constet, ne sibi dissentiat carnis deificatæ humilitas, infra se niti, non supra se eniti usque assolita; unicus est Filius verè unigenitus sempiterna generatione à Patre nascens, olim sine carne, nunc carnis accessione auctus, nec auctus, & cum carne etiam nascens ab eodem genitore, nec aliter Dei Filius, quàm æterna & jugi illa generatione; nec carnis accessu novam filiationem aut novum filiationis modum adipiscens, sed carne nihil advehente, nihil præjudicante, idem eodemque modo Filius cum carne ac ante carnem: idem eodemque modo nascens cum carne ac ante carnem: etsi caro de genitoris substantia non sit, sicut nec anima de matris substantia est; totus de Patre nascens, cum carne proinde nascens, quia caro jam velut membrum totius est: de Patre cum carne nascens, quia caro aliquid ejus est, propria ejus est, veluti pars ejus est; de Patre cum carne genitus, quia totum gignitur, etsi non singulæ partes si seorsim essent, gigni possent; Filius Dei à Deo genitus etiam secundùm hominem, quia secundùm hominem non novam filiationem assequitur, nec novum filiationis modum, sed æternæ filiationi, quà homo est, inseritur; quà homo æterna generatione Filius, quia humanitas accessio est Unigeniti, in ejusque censum & nomen transit, fitque unigeniti, fitque unigenitus homo, quà homo genitus à Patre, quia trahitur accessio ad totum, non totum ad accessionem; si enim quà homo vel adoptivus, vel non genitus esset filius, retorqueretur totum ad accessionem, fieret totum accessio accessionis.

Si retractentur etiam, & particulatim dispiciantur Patrum suffragia capite primo relata, ubique Christo homini adseritur filiatio ipsamet Verbi per generationem à Patre fusa; ubique ubi adoptio nostra à Christo abstergitur, Verbi generatio, Patris æqualitas divina & æterna à Patre Deo nativitas ostenditur. Quo nihil magis ludificatorium comminisci quisquam posset, si inter adoptionem nostram & Verbi generationem, media interponeretur filiatio Christi hominis. Hanc enim peculiarem Christi secundùm naturam humanam filiationem, & à nostra hinc adoptione, & à divina inde Verbi generatione avulsam, tempestiviùs tunc Patres memorassent; imò in tanta rei opportunitate, non sine supinitatis convitio prætermisissent. Si quid scripturæ breviùs aut implicatiùs impedi- XIII. Idem prolixiùs.

pediverant, Patrum erat eas interpretantium id evolvere & eliquatius expandere. At verò constanter illi ubi ab homine Christo emoliuntur adoptionem, divinam protinus generationem Verbi, & paternam admoliuntur æqualitatem: Ergo quà homo, Dei filius non aliter est, quàm divina generatione, ipsa eadem, quà Verbum æternum gignitur. Augustinus: *Non tamen sicut Christi Pater, ita, & Pater noster. Nunquam enim Christus ita nos conjunxit ut nullam distinctionem faceret inter*

Tr. 21. in Jo: *nos & se. Ille enim filius æqualis Patri, ille æternus cum Patre. Patrique coæternus; nos autem facti per filium, adoptati per unicum.* Non ex oscitantia, non desultoria loquacitate, sed arcano scripturarum & germanæ Theologiæ sensu sancti Patres nostræ adoptioni, & Dei Verbi generationi nihil interlocant; filius enim omnis vel voluntate adoptatur, vel natura generatur, de quo postea.

CAPUT VI.

Christus quà homo est, proprius & naturalis est Dei Patris Filius, non aliter magis quàm generatione divina, idque argumentis evincitur.

I. Christus Homo solius Dei Patris Filius est, ergo generatione.

PRima ratio hæc est, quòd Christus quà homo, non Verbi, non Spiritus sancti, non totius Trinitatis, sed solius Dei Patris Filius sit, ut quæ hactenus disputata sunt omnia, perspicuum faciunt, & prout ex infra disceptandis explanatiùs fiet. At ad Deum Patrem specialiter non pertinet nisi generatio æterna Filii; reliqua enim omnia vel cum Filio, vel cum Filio & Spiritu sancto communiter ipsi conveniunt. Ergo si Christus quà homo Filius est Dei Patris omnipotentis, generatione utique Filius ejus est. Etenim seu adoptio, seu creatio, seu incarnatio, seu unitio, & quidquid demum in mentem venire poterit, præter generationem divinam, non Patri soli, sed tribus beatæ Deitatis personis acceptum referendum est.

Ench. c. 38. Augustinus: *Numquid ideo dicturi sumus Patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, & Dei Patris Filius secundum Verbum, & Spiritus sancti Filius secundùm hominem? Quod quasi eum Spiritus sanctus tanquam Pater ejus de matre virgine genuisset? Quis hoc dicere audebit? &c. Ut nullæ fideles aures id valeant sustinere. Proindè sicut confitemur, Dominus noster Jesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu sancto & Maria virgine, utraque substantia divina scilicet atque humana Filius est unicus Dei Patris omnipotentis.* Quæstio hìc ventilatur de Patre Christi hominis, & de Patre qui eum genuerit, isque negatur esse Spiritus sanctus, asseritur esse Deus Pater.

L. 10. in Ev. Lucæ. Ambrosius: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, &c. Benè distinxit, qui mulieri loquebatur. Non enim communis nobis natura cum Christo nisi conditionis humanæ. Illi Pater generatione propria, nobis adoptione voluntaria; illi per naturam, nobis per gratiam.* Quàm dilucidè non aliter Patrem esse Christo Deum adserit quàm generatione propria. Et idem alibi: *Ille per se com-*

L. 4. de fide. c. 4. *placet, nos per ipsum. In quibus enim Deus Filium suum ad imaginem suam cernit, eos per Filium asciscit in gratiam filiorum; ut quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem Filii in adoptionem vocemur.* Filius ergo Christus generatione, ex quà nostra derivatur adoptio.

Homil. in Transf. Leo Magnus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, &c. Hic est Filius meus, non adoptivus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus.* Hæc non Trinitas Deus, sed solus Pater, solus genitor de Filio in carne effatur.

Agobardus adversus dogma Fœlicis: *Hæc fiunt in illis, qui per gratiam adoptionis filii efficiuntur, & appellantur Dei per illum, qui ante sæcula naturaliter natus & in sæculo naturaliter factus est unicus Filius Di: qui nascendo est Filius Dei, non renascendo: cui nomen Filii generatio dedit, non regeneratio.* Quid explicatius desideret quisquam?

Cyrillus Jerosolymitanus: *Credimus in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: Filium porrò cum audis, non existimes esse adoptivum, sed naturalem Filium, unigenitum Filium.* Catechef. 11. Deinde cum prolixè disseruisset de Incarnatione Verbi, & de Confessione Petri, *Tu es Christus Filius Dei viventis;* hæc subdit: *Porrò cùm filium audis, non abusivè dici filium putes, sed verè filium, filium naturalem, sine principio, non ex servitute, ad profectum adoptionis progredientem; sed filium semper genitum, imperscrutabili incomprehensibilique generatione, &c.* Christo planè non aliam astruit quàm ex generatione enascentem filiationem. Quod consequenter firmat: *Et ad alios quoque dicit scriptura, filii estis Domini Dei vestri;* Et alibi, *Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes. Dixi, non genui. Illi verbo Dei adoptionem quam non habebant acceperunt: hic autem non aliud erat, & aliud factus, sed filius ab initio genitus, filius Patris, similis generanti.* Carne ergo assumpta factus est filius hominis, quod non erat, sed filius Dei non alius, aut aliter factus est, quàm erat, verùm idem mansit qui erat, verus & ex vera generatione efflorescens filius, & ejusdem solius Dei Patris, seu solius Dei genitoris etiam cum carne filius.

II. Christus homo est Filius Dei natura, ergo generatione.

Secunda ratio non minoris est ponderis. Christus secundùm humanitatem est naturalis Dei filius, ergo generatione divina ad carnem usque sese propagante est filius. Nam filius natura, non alius intelligitur, quàm filius generatione; Pater natura, est idem genitor: filius natura idem qui genitus. Opponitur hìc natura voluntati; natura generat, voluntas adoptat; ergo ut voluntate filius, idem est ac adoptivus; ita natura filius, idem est ac genitus. Ambrosius: *Illi Pater generatione propria, nobis adoptione voluntaria; illi per naturam, nobis per gratiam.* L. 10. in Luc. En ut Pater per naturam, per generationem idem est: per voluntatem & gratiam, seu adoptionem similiter idem est. Et rursus idem alibi: *Generatio non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ.* L. 4. de fide. c. 4.

Fulgentius ad Donatum: *Hic Jesus Christus non sic est Dei Patris filius, sicut nos sumus: ille est enim proprius, nos redempti; ille natus, nos facti; ille verus, nos adoptivi. Ille autem qui verus est filius, ipse etiam verus est Deus; non adoptione generatus, sed de Patre naturaliter natus.* Cap. 5. Verus filius Dei quà homo si est Christus; est igitur non adoptione, sed vera generatione natus; nam inter adoptionem & generationem nil medium interest. Quidquid à Deo prodit, vel à natura ejus prodit, vel à voluntate; ideoque vel gignitur, vel adoptatur. At filius naturalis non prodit à voluntate, sed à natura, generatur ergo.

Cyrillus Hierosolymitanus: *Jesus vocatur vero nomine, à salutari medicina habens appellationem. Filius vocatur non per adoptionem inductus, sed naturalitèr genitus.* φυσικῶς γεννηθεὶς, naturaliter genitus. Catech. 10. Hinc claret quis sit natura filius, nempè qui genitus.

III. Adoptio imitatur generationem, nostra adoptio imitatur Christi hominis filiationem.

Tertia ratio. Adoptio supplet aut imitatur generationem. Nam voluntas consentit naturæ, illi ut radici suæ attemperatur, suffragatur illi, fœcunditatem ejus vel deficientem supplet, vel imitatur sobolescentem. Ergo cùm adoptio nostra Christi naturalem filiationem æmuletur, filiatio Christi ex generatione utique proficiscitur. Quin

etiam

etiam cum mirum in modum diffideat adoptio nostra à Christi hominis filiatione, & genuina generatione deficiat, generatio tamen non semel in sacris paginis sanctorumque Patrum commentariis vocitatur. Nempè si filiatio nostra umbratilis & perfunctoria, generationis gloria utcumque superbit, & hoc nominis blandimento palpatur sibi: quàm verè, quàmque indubitanter Christi filiatio ex generatione propria derivatur? Quia enim generationem ementitur adoptio, generationis & ipsa nomine se venditat. Deinde quælibet alia filiatio generationem à longè sequitur, & quomodolibet imitatur; nec vera filiatio est, quæ generatio non est, sed filiationis effictio, mendaciumque. Nam verus filius est qui gignitur: qui non gignitur, non verus est filius, sed personatus & fallax. At Christus veritas totus est; mendacium ergo filiationis ab humanitate etiam sua longissimè proscribit. Veritas totus est, & verissimè est quidquid est; verissimè ergo Filius Dei est, qua homo, adeoque per generationem. Denique si humana Christi ad Deum filiatio, quam nostra ementitur, vera filiatio non est, nec ipsa veritas filiationis & generationis est, quàm longè nostra amandatur, ut quæ jam non veritatis imitatio sit, sed imitamenti imitatio, figmenti simulacrum, & ab ipsa defectione deficiens.

L. 4. advers. Eunom. Basilius: *Filii Dei in scriptura multi dicuntur, secundùm illud, filios genui & exaltavi: & rursus, filius meus primogenitus Israel: verùm adoptione & charactere quodam à vero Deo adoptati, adoptivi, non veri. A natura enim & veritate res proficiscuntur. Si autem natura essentialiter ab ipso genitus non est, secundùm Anomæorum hæresin, ubinam adoptivi invenientur?* Si generatio non est, quam nostra æmulatur adoptio, ne adoptio quidem hæc est; sed quantum illa à generatione, tantum hæc ab adoptione desciscit.

Cyrillus dialogo, Quod unus sit Christus, *Quid de sapientissimo Paulo statuemus dicente, Dei enim filius Jesus Christus, qui in vobis p r nos prædicatus est, non fuit in illo est & non, sed est in illo fuit. Quomodo enim non fuerit est & non, si Deus esse dicitur, & non est Deus? Si falso de illo dicitur, filius & Dominus? Quod naturaliter non inest, sed extrinsecus adscitum est, & ab alio datum, non est dicendum ejus qui accepit, sed ejus qui dedit atque largitus est. Quo pacto autem dixit, Ego sum veritas, si nihil in ipso est veri?* Foret planè in Christo est & non, foret in veritate concretio nonnulla mendacii, si foret filius, nec tamen filius, quia non genitus; si non verus, sed à veritate, id est, à generatione divulsus foret.

IV. Filiationē Christus nisi natura habeat, non potest nobis communicare.

Quarta ratio. Si qua homo Christus, non gignitur filius Dei, ergo divinæ filiationis largitor & propagator in alios esse non potest, imo nec satis compos certusque ipse est perpetuandæ sibi ipsi filiationis suæ. Etenim quod non natura sibi ingenitum, sed aliunde emendicatum quis habet, nihil prohibet quin eo orbetur. Quæcumque enim congenita non sunt, tenuiter & cortice tenus hærent, abradique haud ægrè possunt. Quod quis sanè ab origine & nativitate sua non obtinet, id in alios spargere, & fontis instar diffundere non potest. Si non agnatis enim, si non domi medioque in sinu suo succrescentibus abundat bonis, rivulus est, non fons; nec rivuli est exundare passim, & in omnes sufficere. Qui enim omnibus sufficiat, qui nec sibi sufficit?

Fragm. 5. in Ep. ad Rom. Alcimus Avitus: *Hic est filius meus dilectus. Illum ut habeat Pater filium, non præcessit voluntas generationem; nos autem per quam efficimur filii, in lavacro accipimus nativitatem. Et ideo quicumque homo potest filius Dei esse, potest & non esse. Unde dicit Joannes Evangelista, quod dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; ut aut permaneat filius bene vivendo, aut certè per carnalem conversationem rejiciat paternitatem. Christus autem quem Dei Patris filium non fecit gratia, sed natura, nullo modo potest non hoc esse, quod genitus est; adeò ut substantiæ illi quæ ex Deo procedit, nec ipsa, quæ ex homine nata est, præjudicaret.* Si non præjudicat humanitas assumpta Deitati, ergo Verbum etiam ut carne indutum, filius à Deo Patre gignitur. Si enim qua homo est, filius quidem ejusdem Patris est; non tamen veritate generationis, sed decoloratiore quapiam ratione; non ergo suam potuit Verbum omnipotens incolumen sibi retinere proprietatem, sed eam infregit humanitas, & nonnihil attrivit. Rursus si non potest non esse Christus, quod genitus est, genitus ergo dicatur filius, ne possit hac amplissima filii dignitate exturbari.

Origenes ut refertur à Pamphilo Martyre in Apologia: *Unigenitus natura filius, & semper & inseparabiliter filius est. Cæteri verò pro eo quod susceperunt in se filium Dei, potestatem habent filii Dei fieri. Qui licet non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt, non tamen ea nativitate sunt nati, qua natus est unigenitus filius. Propter hoc quantam differentiam verus Deus habet, ad eos quibus dicitur, Ego dixi, Dii estis; tantam differentiam habet verus filius, ad eos qui audiunt, Filii excelsi omnes.* Christus qua homo, qua quæso nativitate à Deo natus est? An ea qua adoptivi à Deo nascuntur? An ea qua unigenitus? Nam nec scripturæ, nec sancti Patres præter has ullam memorant aliam. Si ea qua adoptivi, cum hæc non naturæ, sed potestatis sit, ut Joannes ait, excuti ergo hæc poterit.

Cyrillus Dialogo, Quod unus sit Christus: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui ergo per gratiam filiationem consecutus est, & adscititiam dignitatem adeptus est esse id quod est, largietur aliis quod ipse ægrè nactus est? Anne tibi id à vero dissentire videatur? Omni modo. Quod verò non naturaliter inest, sed adventitium est, nonne etiam fieri potest ut amittatur? Quidni? Fieri itaque poterit, ut & filius aliquando filiatione sua excidat. Non enim extra amittendi periculum est, quod natura stabilitum non est.*

Quinta ratio. Accepit Christus ut homo, quod est ut Deus. At ut Deus est vera generatione filius, ergo accepit ut homo, ut esset vera generatione filius Dei. Quidquid enim filius accipit, à Patre accipit; nec quidquam à Patre accipit, nisi nascendo. Accipere enim filium à Patre, idem est ac nasci. Filiationem certè nisi nascendo accipere à Patre non potest. Deinde si filiationem non à Patre generante accipit ut homo, ergo à Patre creante; si à creante, ergo non jam à Patre, sed à creatore: non à Patre solo, sed à Trinitate: non filiationem, sed conditionem. Rursus filiatio quam habet ut Deus, eidem qua homo est conferri non potest, nisi à Patre solo, ideòque à genitore, id est à Patre generante, non à Trinitate creante. Illa enim filiatio istiusmodi est, ut à solo Patre fit, à solo Patre fluat, à solo Patre intus gignatur, à solo Patre foras mittatur. Deinde donandæ propagandæque in naturam assumptam divinæ & naturalis filiationis jus & authoritas penes solum Patrem est, penes quem solum est & ejusdem vis generandæ. Ergo si quod habet ut Deus, accipit ut homo, à solo Patre specialiter accipit, nec à Patre quidquam specialiter accipit nisi generante. Denique non præjudicat divinæ nativitati humana; ergo qui non solet nasci nisi de Patre Deo, nec ut homo factus nascitur nisi de Patre Deo; qui non nascitur nisi de Patre Deo naturalis Filius, nec ut homo factus nascitur nisi de Patre Deo naturalis Filius; qui non insuevit ab æterno nisi à Patre generante nasci, nec homo in tempore factus nisi de Patre generante nascitur. Prævalet enim & principatur Deitas homini, & in suos

V. Filiationis proprie donandæ & effundendæ ejus non est nisi penes Patrem, hoc est Genitorem.

in suos mores illum pertrahit. Præpollet æternitas temporali naturæ, eaque ut additamento sibi adnotato succincta Deitas Filii æternùm generatur à Patre.

L. 2. c. 7.

Avitus paulò antè laudatus: *Christus autem quem Dei Patris Filium non fecit gratia, sed natura, nullo modo potest non hoc esse quod genitus est; adeò ut substantiæ illi quæ ex Deo procedit, nec ipsa quæ ex homine nata est, præjudicaret.* Gignitur enim totum, totus Filius sine carne jam non est, gignitur ergo cum carne, sicut antè gignebatur sine carne, sicut gignitur cum anima, quæ utique exanimis etiam gigneretur, cujuslibet hominis caro. Si enim non præjudicat anima carni, potentior exiliori, quin etiam ut animam habens caro ab utroque gignatur parente: nec præjudicabit sanè caro Deitati, infirmior omnipotenti, quin etiam ut carnem habens à Deo genitore gignatur.

Cassianus: *Christus totum erat quod Deus: omnis in ipsa statim hominis conceptione Dei virtus, omnis divinitatis venit plenitudo. Inde enim illi omnis divinitatis perfectio, unde & origo. Neque enim unquam sine Deo fuerat homo ille. Qui utique hoc ipsum quod erat, homo acceperat.* Planè ut nec sine anima corpus nascitur, eòque nascitur & cum corpore anima: sic quia nec sine Deo unquam homo Christus, Deus cum homine nascitur de matre homo cùm Deo generatur de patre.

L. de rectâ fide c. 17.

Cyrillus Alexandrinus: *Quemadmodum igitur Christi humanitati propterea quod secundùm dispensationis copulam Verbo conjuncta est, unigenitum esse proprium effectum est; ita Verbo, eo quod unitum est carni, id proprium factum est, ut inter multos fratres sit primogenitus. Cùm Dei itaque natura, stabilis, immota, omnisque mutationis expers sit, nunquam Deus Verbum non mansit quod erat. Neque verò tunc quando homo factus est, summæ illius majestatis & gloriæ, qua cæteros omnes longè superat, coronam amisit.* In Christo ergo accepit Deus, ut homo esset, accepit homo, ut unigenitus esset.

In Ev. Joan. Lib. 11.

Idem alibi: *Pater serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Deitatis nomen sibi datum esse ait, non ut nos, qui cùm non simus natura Dii, ad Deitatis ascititiam vocati sumus dignitatem; adoptivus enim esset sicuti nos, &c. quod nefas est, &c. Sed quà Verbum factum est caro, id est homo, suscepisse dicit, quæ habebat ut Deus.* Ergo filiationem planè genitam & unigenitam, quam habuit semper ut Deus, accipit ut homo.

ἐν τῷ ὀνόματι σου ᾧ δέδωκάς μοι, τοῦτ' ἔστι τῷ θείῳ.

VI. Christus & quà Deus & quà homo, unus est Filius, ergo generatione tantùm. Nam si aliter etiam, duplex est Filius.

Sexta ratio. Christus & quà Deus & quà homo unus est Filius Dei, non duo filii. At si quà Deus generatione, & quà homo non generatione Filius est, quæso qui unus Filius est? nonne evidentiùs duplex, alter generatione, alter non generatione? An potest idem filius ejusdem patris filius esse naturalis aliter & aliter? an potest parte sui generari, parte altera non generari? Deinde hinc efficietur, ut & quilibet homo non totus sit à parente utroque genitus filius; sed genitus secundùm corpus, non genitus secundùm animam. In duos ergo filios quilibet homo discerpetur, quo nihil insulsius. Deinde Christus etiam cum carne sua unus est de Trinitate; at si secundùm carnem non est genitus ab æterno Patre Filius, non est igitur cum carne unus de Trinitate.

Cyrillus Dialogo, Quòd unus sit Christus: *Non dicimus, inquiunt Nestoriani, hominem esse Filium Dei, ne duos natura filios statuamus. Quemadmodum enim Verbum quod ex cælis descendit, non est secundum naturam filius David, ita neque is qui est ex semine David, est Filius Dei secundùm naturam.* Ad quæ respondet in hunc modum Cyrillus: *Dividentur itaque in duos filios, atque ambo falsò ita appellari deprehendentur. Dixerit verò aliquis inanem ac vanam imposturam esse Christi mysterium, si ita res se habet, ut delirant hæretici. Quænam igitur erit unitas?* Etenim si secundùm hominem Filius Dei est, sed non naturalis, vel naturalis quidem Filius est, non tamen genitus à Patre, præstigiarum, quod absit, officina quædam erit œconomia tota. Eccubi enim naturalis Filius, nisi à Patre genitus? Eccubi unus Filius idemque & genitus & non genitus? Eccubi unitas tam pugnax discorsque sibi?

Gregorius Nyssenus Libro contra Apollinarem argumentatur tam unum esse Filium Dei unigenitum, qui in carne apparuit, atque unus fuit, cùm olim alia atque alia specie Patriarchis & Prophetis apparuerat; utque tunc unus erat & verè genitus à Deo Patre Filius, qui aliter Abrahamo, aliter Isaaco, aliis aliter visendum se sistebat, ita unum esse ab eodem Patre genitum, qui non in simulata, sed in vera carne postremò visus est. *Etenim si quis ex unigeniti Filii Dei apparitione in carne, quæ dispensationis causa facta est, colligat editum fuisse filium alterum, is dinumeratis etiam omnibus quæ se viris sanctis obtulerunt apparitionibus ante unigeniti Filii Dei incarnationem, & illis quæ post illam sanctis rursus oblatæ sunt, pro numero divinæ manifestationis, multitudinem statuet filiorum; eritque illi unus quidem Filius qui cum Abrahamo collocutus est, alter verò qui Isaaco apparuit, &c. Parem profectò absurditatem incurrit is, qui ex apparitione per carnem ad constituendum alterum filium arripit occasionem.* Non ergo post incarnationem duplex est Filius, aut dupliciter Filius Dei Christus, alter genitus, alter non genitus; sed unus idemque principaliter Deus, accessione verè homo, & cum sua carne unus Deus, unus totus Christus, unus Dei Patris unigenitus, unus ex sancta Trinitate.

Justinianus Imperator: *Est etiam post incarnationem unus de sancta Trinitate unigenitus Filius Dei Dominus noster Jesus Christus, compositus ex utraque natura.* En ut ille ex utraque natura compositus, non duplex aut dupliciter Filius Dei, sed simpliciter Unigenitus sit. In Conf. fid. pro V. Syn.

Septima ratio. Christus etiam ut homo, unus est unicusque Dei Filius, non unus è multis, sed unus extra multos, unus supra multos, unus per quem multi, ergo etiam quà homo filius est à natura generante, non à gratia adoptante. Nam gratia in multos difluere potest, portione singulis adsignata; at natura erumpit tota & semel gignit, quia infinita & omnipotente vi sese exerit simul & semel totam. Voluntas adoprans quod singuli non capiunt filii creatitii, in plures dispertit; at natura generans unum in Filium, sed æqualem sibi, se circumscribit. Ergo Christus cum carne sua Filius Dei cùm sit, non unus ex multis, sed singulariter unicus, non potest nisi à natura Patris generante Filius esse. Augustinus: *Quis similis erit Domino in filiis Dei? Ergo nemo in filiis Dei similis erit Filio Dei. Et ipse prædictus est Filius Dei, & nos dicti sumus filii Dei: sed quis similis erit Domino in filiis Dei? Ille unicus, nos multi: ille unus, nos in illo unum; ille natus, nos adoptati: ille ab æterno genitus per naturam, nos à tempore facti per gratiam: ille sine ullo peccato, nos per illum liberati à peccato.* Quàm disertè Christus Filius unicus dicitur, quia ab æterno genitus per naturam, & quà Deus is est & quà homo; nam si quà homo, aliter esset Dei Filius, hæc convenientiùs filiatio nostræ componeretur & præponeretur adoptioni, & aliquando saltem memoraretur. Sed adoptioni nostræ æterna semper confertur & antefertur Christi à Patre generante nativitas, quia non aliter quà homo atque quà Deus Dei Filius est; & ideo non aliter, quia non alter.

VII. Christus unus singulariter Filius Dei est, ergo natura & nascendo.

In Psal. 88.

Agobardus in fine opusculi contra Felicem, cùm locum hunc Augustini præmisisset, hæc subjungit: *Proculdubio qui nascitur, non adoptatur ei de quo natus*

natus est. Sed nisi natus, adoptari non potest. Natus enim de altero adoptatur ab altero. Dominus autem noster quia non est natus de altero patre, non adoptatur à Deo Patre. Quia vero nascitur ex Deo Patre, nec cùm homo fit, adoptatur à Patre, quia in assumptione carnis non fit. alter: sed is qui erat Deus, efficitur homo; Deus natus sine initio propter se, homo natus à certo initio propter nos, unus & unicus, proprius & verus. Nec propterea quia particeps fieri dignatus est substantiæ & mortalitatis nostræ, particeps etiam factus credendus est & conditionis: cùm nos conditione nascamur, ille misericordia; nos debito moriamur, ille potestate; nos illius potestate efficiamur de filiis iræ filii Dei, ille nunquam talibus obnoxius nihil aliud esse possit, nisi filius proprius & verus æterna nativitate; propter quod etiam cum ipsa assumpta humanitate unus est verus Deus cum Patre. Nec cùm fit homo, à Patre adoptatur, quia *non fit alter*, ideoque nec aliter Filius, sed *unus & unicus, proprius & verus*. Nec enim esse alius, nec esse *aliud potest, nisi æterna nativitate verus & proprius Filius*, utpotè qui etiam cum carne assumpta *unus sit verus Deus cum Patre*. Si enim cum carne unus est verus Deus, quidni cum carne unus sit Filius genitus à Patre?

To. I. ho. 7. Basilius: *Aliter nos Christi dicimur, nempè ut servus Domini; aliter Christus Dei, ut Filius Patris, &c. Multi quidem sunt filii, sed unus est verus filius, &c. Filius quidem ex Patre per generationem, spiritus verò modo arcano & ineffabili.* Hoc inter unum & multos interest; gignitur unus, adoptantur multi.

Photius affectatam advertit à Christo filiationis suæ singularitatem, nostræ communitatem, dum suum singulariter nunquam non vocat Patrem, &

Epist. 136. nostrum pluraliter. *Planè enim per id quod proprium est, naturam ostendit; per id quod commune declarat, gratiam, &c. Patrem meum idcircò dicens, per id quod proprium est, naturæ germanitatem separans, addidit & Patrem vestrum, innuens nimirum adoptionem & allectionem Apostolorum ex amoris vehementia.* Secundùm igitur humanam naturam Filius Dei Christus cùm sit, sed unicus ante & extra & supra multos, ad genitam naturaliter filiationem, non ad adoptatam misericordi voluntate pertinet.

VIII. Humanatione sua Filius nec novum nec eundem novo modo Patrem sibi quæsivit.

Octava ratio. Humanatione sua Verbum Deus nec novum sibi patrem, nec novo modo Deum sibi Patrem acquisivit; sed idem qui erat, & eodem modo quo erat, permansit genitus à Deo Patre Filius, priùs sine carne, pòst non sine carne. Hominem enim sibi quæsivit matrem in terris, non Patrem in cœlis. Et quò sibi novum aut novo modo Patrem quæsisset Deum, jam abundè sibi Patrem? Deinde immutabilis est æternæ filiationis Verbi proprietas, qua à Patre sempiternè nascitur; hanc humanitati assumptæ impartiri potest, ab hac per humanitatem assumptam deflecti aut deviare nec tantillum potest. Cum carne ergo etiam est Unigenitus, verè unus & verè genitus, quia incommutabiliter est Unigenitus. Denique sic humanitas Deitati Verbi immergitur, ut aceti gutta Oceano, prout asserit Nyssenus. Quàm pronum ergo est credere in Deitatis ingenium & proprietatem, adeoque in Unigeniti filiationem defluere humanitatem? Athanasius: *Ipse igitur matrem duntaxat habet in terris, & nos duntaxat Patrem habemus in cælo. Eaque de causa filium hominis seipsum appellat, ut homines Deum cælestem Patrem suum appellarent. Quemadmodum igitur nos servi Dei filii Dei effecti sumus, ita Dominus cælorum filius sui servi effectus est, hoc est Adæ; accipiens enim mortalem hominem patrem, dedit hominibus suum Patrem immortalem.* Ut ergo Deum quoquo modo haberet Patrem, non id ad humana accepit natura, sed ut hominem haberet matrem; filiationem enim humanam accepit, divinam contulit. Divinam quippè & ab æterno & omnimodam præhabebat, hanc ergo non accepit, non ampliavit, non obscuravit, sed illæsam sospitemque servavit, perstititque idem qui erat, & eodem quo erat modo Unigenitus.

Lib. de humana natura suscepta.

Damascenus: *Proprietas enim immobilis. At quo pacto proprietas manere queat, si mutetur & decidat? Propter quod Filius Dei, filius hominis fit, ut maneat proprietas immobilis. Filius enim Dei existens, filius hominis factus est, incarnatus ex sancta Virgine, & non destitit à filiali proprietate.* Ex immutabilitate divinarum proprietatum, Pater incarnari vetitus est, ne qui Pater erat, fieret Filius, & ingenitus genitus; Filius carnem induit, ut qui Filius erat, perstaret Filius; qui Filius gignebatur, filius gigneretur. Vulneraretur autem hæc proprietatis immobilitas, si qui verus erat Filius, fieret adoptivus: si qui proprius, improprius: si qui genitus, non genitus fieret. Ideo ne hominis quidem, nisi proprius & genitus est. L. 4. c. 4.

Nyssenus contra Apollinarem: *Qui enim semper est in Patre, semperque Patrem in seipso habet ipsique unitus sicut olim erat, ita & est & erit; & alius ab illo Filius neque erat, neque fuit, neque erit. Primitiæ verò naturæ humanæ quas jam omnipotens divinitas assumpsit, ut dixerit quis apta comparatione usus, tanquam aceti gutta quædam immenso mari immixta, sunt illæ quidem in divinitate, non tamen in peculiaribus sui proprietatibus. Sic enim binarius filiorum numerus colligi posset, si ineffabili in divinitate Filii, diversi generis natura quæpiam, peculiaribus suis insignita notis agnosceretur, &c. Divinitas enim quod humile fuit, superexaltavit; & ei quod humano more nominabatur, largita est, ut super omne nomen esset.* In suum ergo nomen & in suam unigeniti proprietatem vindicavit humanitatem Deitas Verbi; ab eaque humiles & peculiares omnes vel adoptivi, vel non proprii, vel non geniti filii notas excussit.

CAPUT VII.

Extensione generationis divinæ Christus qua homo, est Filius Dei naturalis.

Nona ratio. Maria mater verè Deum parit; ergo Deus Pater verè hominem gignit. Quia enim non homo seorsim est Christus, quem Maria parturiat, sed homo Deus, nec usquam sine Deo, ideo non potest cùm paritur hic homo, non pari Deus. At ita & Verbum sine carne jam non est, ergo nec Verbum gigni jam potest sine carne. Accessionis instar est homo ad Deum, non autem Deus ad hominem: ergo si totum accessioni & Deus homini ita obsequitur, ut unà de parente pariatur & concipiatur matre: æquius est ut accessio toti & Deo ita obsequatur homo, ut ab eodem Patre unà progeneretur. Nec nomine tenus aut sola nominum reciprocatione, Deum parit Maria, sed propriè & veraciter, physicè & substantialiter: ita nec sola vocum alternatione, sed naturaliter & substantivè Deus Pater Verbum incarnatum, & Deum hominem gignit. Nam quia hic homo est verè Deus, non nuncupativè, non nomine tenus, sed physicè & substantialiter, & natura Deus, ideò qui hunc Deum gignit Pater, hominem substantialiter gignit, & quæ hunc hominem parit Mater, physicè Deum parit. Gignitur enim pariturque non pars, sed totum: non accessio, sed totum; totum autem Christus est physicè Deus, physicè homo, substantivè Deus, substantivè homo, ergo & Christi Mater homo substantivè parit Deum, & Christi Pater Deus substantivè gignit hominem. Et paritur ergo à Maria physicè Deus Christus, & gignitur à Deo Patre physicè homo Christus.

I. Ut Maria Christi Dei, ita Pater Deus Christi hominis Parens est generatione.

Nec

Nec substantia tamen ipsa Deitatis à Maria procreatur, aut illi consubstantialis est; nec id prohibet, quin verè & physicè Dei mater sit Maria: ita tametsi humanitatis substantia non sit Patri consubstantialis, ab eoque non gignatur, sed creetur, nihilo tamen seciùs gignitur à Deo Patre Christus homo. Totum enim & gigni & pari potest, etsi aliqua specialiter pars nec gignatur nec pariatur. Idque perspicuum fit quotidiana hominum nativitate, qui à parentibus suis gigni parique verè & physicè existimantur, etsi singulorum animæ non ex parentum traduce, sed ex omnipotentia Dei creatoris effundantur. Verùm quia non pars, sed totum gignitur pariturque, hinc gignitur pariturque à parentibus suis homo quilibet, etsi anima cujuslibet per se nec gigni nec pari ab illis, nec pari nata sit. Ita & homo Christus à Deo Patre, & Deus Christus à Maria matre verè & physicè generatur, etsi nec Deitas ipsa à Maria, nec humanitas ipsa à Deo specialiter generetur.

II. Quo sensu hæc extensio & ampliatio generationis æternæ dicatur à quibusdã.

Cæterùm hic extensio quædam diffusioque non injuria à nonnullis invehitur. Nam ut anima immortali spiritalique informata proles progignatur, genitalis utriusque parentis virtus ampliari, & ultra corporeæ corruptibilisque naturæ vires eniti effundique meritò æstimatur. Et Mariæ Deiparæ genitiva fœcunditas superno omnipotentis Trinitatis adlapsu roborata exaggerataque, ut ad Deum generandum invalesceret, non abs re censetur. Et ipsius denique omnipotentis Dei Patria vis ineffabili planè & inexcogitabili, non tamen incredibili diffusione sui & ulteriori propagatione, Deum in carne genuisse non immeritò prædicatur. Ut qui totum Verbum sine carne gignebat, nunc totum non sine carne gignat; ut qui unigenitum sine carne habebat, nunc unigenitum non sine carne habeat; ut qui proprium sibi totum unigenitum habet, propriam sibi quoque habeat carnem jam unigeniti; ut cujus est quidquid est unigenitus, ejus sit etiam cum carne jam sua unigenitus; ut qui jugiter & sempiternè gignit filium, eundem imprimentem se carni gignat, adeòque carni ipse imprimat, & generando imprimat; ut qui authoritate in filium tametsi æqualem sibi plenissima gaudet, ut semper genitor & semper generans, infundentem se homini ipse infundat, donantem se carni ipse donet; & uti genitor infundat, uti Pater donet, id est generando infundat & donet; ut à quo audit filius, quæcumque loquitur; & à quo accipit, quæcumque operatur, nec nisi nascendo audit & accipit: ab eodem accipiat, & ab eodem ut generante accipiat, quod humanitatem assumptam format & agit, sustentat & regit. Ut à quo mittitur jure paterno Filius, & à quo paternæ fœcunditatis atque authoritatis amplificatione quadam mittitur, ab eodem in carnem mittatur & immittatur; ut denique in carnem maximè mittatur à Patre generante, ut carni det jugiter suum esse, quod à generante jugiter accipit; & sicut generando Pater dat Verbo esse, quod dat Verbum homini; ita generando det Pater Verbi sui esse totum homini. Ut postremò tandem qui fons erat fluminis, suo priùs gremio sese cohibentis, ejusdem postea ultra riparum obices exundantis latèque stagnantis fons nihilominus sit, effundatque & gignat usque, & in humanitatis totius quasi circumjacentis campi æquor filii substantiam superfluentem effundat ipse gignendo, fundendoque gignat. Fluminis enim seu temperantis sibi, seu rupto obice exuberantis idem fons est, idem Pater, qui jugiter eructat, & nihil mutata, sed tamen ampliata quodammodo generatione, in campos latiùs effundit amnem, quem priùs suo in sinu continebat.

III. Extensionis & ampliationis hic verba possunt esse nova, res vetus est apud Patres.

Hæc divinæ generationis extensio seu amplificatio penes illos saltem effugiet novitatis invidiam, quibus res quàm verba, & sententias quàm vocum apices trutinari antiquius erit. Nam ubi tanto testimoniorum cumulo quo vel obruantur pertinacissimi quique, Christum qua homo est, Filium Dei Patris naturalem & proprium esse, atque adeo & genitum & unigenitum, unamque esse Christi, seu qua hominis, seu qua Dei filiationem ad Patrem, contestati sunt: quæso quid aliud quàm Verbi filiationem sempiternam ad carnem usque propagatam esse consenserunt sancti Patres? Nam filiatio genitiva & naturalis, Deitati priùs soli propria, non potuit ad humanitatem se porrigere, sine extensione, & quadam sui ampliatione, immutabilitati nihil derogante; nec potuit ultra solitum se filiatio genita propagare sine paternæ fœcunditatis ulteriore quapiam exporrectione. Extensior enim est ineffabili quodam modo filiatio, cùm & Deitatem & humanitatem afficit, quàm cùm Deitatem solam; extensior perinde est & generatio fœcunditasque Patris amplior, qua Filium extra sinum Deitatis effundit, infunditque carni. Nec tamen hæc extensio quidquam incrementi adiicit, vel filiationi, vel generationi divinæ, eadem de causa quæ efficit ne humanitatis adjunctio quidquam augmenti attulerit Verbo. Ut enim Verbum totum est cum carne, nec auctius tamen, nec amplius quàm sine carne; ita & filiatio generatioque divina nihil mutationis, nihil incrementi passa est, cum ad humanitatem se apporrexit.

IV. Calculus Naclanti Episcopi Clugiensis. In c. 1. Epist. ad Ephes.

Hanc præterea doctrinam strenuè firmavit Jacobus Naclantus Clugiensis Episcopus, Concilii Tridentini lumen non postremum: *Verum cum Pater dicitur, non tam Verbi quàm hominis, hoc est Verbi nostram naturam accincti; putandum non est, quod nova interveniat Patris generatio, sed quod æterna facta sit amplior, & modo quodam fœcundior. Licèt enim in Christo duas fateamur origines, duas generationes, duas nativitates, divinam scilicet & humanam: hac tamen filius est virginis, &c. sed illa Filius est dumtaxat Dei vivi. Nam cum in Deo res nulla sit transiens, nulla succedens, necesse est nunquam labi, nunquamve desinere generationem Dei. Ergo necesse est, ut tametsi Verbum nunquam est non genitum, nunquam non absolutum & perfectum: semper nihilominus generetur, & nunquam à sua origine absolvatur. Ergo necesse est Verbum & generari, & simul naturam nostram assumere: imo necesse est ut ipsa assumptio nonnulla sit generationis ampliatio. Si enim cum generatur Verbum, natura nostra in Verbi personam attrahitur, & in eadem substantia eo usque naturæ divinæ conjungitur, ut unus idemque verè sit Deus & Homo; detrectari non potest quin humanitatis assumptio aliqua sit divinæ generationis extensio. Quandoquidem ex personæ singularitate, & naturæ utriusque connexione, illa generatio quæ tantum terminabatur ad Verbum in natura divina, in ipsa assumptione terminata est ad Verbum in natura humana; ut sicut ante naturam indutam, æterna generatione Verbum dictum est genitum: ita illa recepta, eadem generatione genitus dictus est homo.* Nec asseverantiùs pronunciari potuit, nec validiùs stabiliri hæc æternæ generationis ampliatio temporalis.

V. Hugonis Victorini. De Verbo Inc. Coll. 1.

Hugo de sancto Victore: *Qui natus est homo, idem erat & Deus; ex eo quod assumptus est, filius virginis: ex eo autem quod assumpsit, Filius majestatis. Idem tamen & filius Virginis & Filius Majestatis. Et propterea qui assumptus est homo, naturalis est Filius Dei, propter eum qui assumpsit: verus est filius hominis, propter eum quem assumpsit. Nemo igitur dicat Christum filium adoptivum, cum naturalis sit filius: quoniam quem assumpsit homo, & qui assumpsit Deus, non duo filii sunt, sed unus est filius Deus & homo, Jesus Christus. Ideo mater Domini est, quæ genuit formam servi; quia in forma servi erat majestas Domini; & unus cum forma servi & majestate Domini.* Complicata sunt hæc duo, ut verè & substantivè generetur perindè à Deo Patre Filius homo, & à Maria matre Filius Deus; adeoque feratur quodammodo extra notos limites utriusque fœcunditas.

S. Eli-

VI. S. Eligii. Hom. 8.

S. Eligius Noviomensis Episcopus: *Sicut enim verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo qui ex Maria virgine natus est, Jesus Dei Filius est; non quemadmodum alii homines per gratiam, sed natura filius ex substantia Patris, &c.* Perspicuè & hic ait Mariæ filium filium Dei esse non gratia, sed natura, *& ex substantia Patris*, adeoque verè genitum esse. Nam ex substantia Mariæ est verè Christus totus, homo & Deus, quanquam Deitas ex Maria non sit: & ex substantia Patris gignitur Christus totus, etiam qua homo, tametsi humanitas ex Dei substantia non sit.

VII. Paulini Aq. L. 1.

Paulinus Aquilejensis adversus Felicem, hanc primò adversarii objectionem profert: *Sed dicis ut in tuis legitur literis, quia nullo modo credendum est, ut omnipotens Deus Pater qui spiritus est, de semetipso carnem generet.* Hæc est hæretici Felicis exceptio, ad quam ita consequenter respondet Paulinus, ab exemplo animæ immortalis, quàm una cum toto pater cujuslibet hominis generat, etsi eam solus Deus creat. *Dic rogo si scias te animam habere, an non? Scias etiam patrem te habuisse carnalem, ex cujus carne anima quæ in te est, procreata, nec generata, ut catholica fides habet? Et quomodo potest fieri ut tu ipse totus sis tui Patris proprius filius & verus, ex cujus carne tua anima non est generata? At si teipsum consentias proprium esse filium Patris tui cum anima & carne, quamvis caro sola de substantia Patris & Matris procreata sit: ergo multò magis perpende oculis cordis tui, ut intelligas Dei Patris Jesum Christum in utraque substantia proprium filium & verum fieri posse. An illius potentia in hoc impotens est, ut hoc non possit perficere in filio suo, quod in cunctis hominibus facit fieri?* Ubi innuit amplificationem quandam potestatis naturalis, ut pater homo gignat non carnem filii solam, sed hominem anima rationali & immortali præditum; ut consimilis ampliatio conjiciatur fieri fœcunditatis paternæ Dei & æternæ generationis, quo non jam Deitas sola, sed Deitas incarnata gignatur; & tam verè gignatur Christus ut homo à Deo Patre, quàm gignitur quilibet homo etiam ut animatus à parente suo.

VIII. Cyril. Alex.

Cyrillus similiter Epistola ad Monachos Ægypti hoc sibi diluendum obiicit argumentum Nestorii, *Numquid divinitatis mater virgo extitit?* Respondet autem, eodem experimento, etsi anima creetur à Deo solo in quolibet homine nascente, generari tamen à parente homine animam cum carne, id est totum hominem, nec carniparam esse matrem cujuslibet, sed animaparam; Ita Deiparam esse Mariam, quia Deum in carne generat, etsi Deitatem ipsam non generet. Ita & nos philosophabimur, gigni à Deo Patre Christum ut hominem, quia Deum in carne generat, etsi carnem ipsam per se singulariter non generet. *Nemo Elizabeth carnem tantummodo, non etiam animam peperisse dixerit, siquidem non solam carnem genuit illa, sed Baptistam ex anima & corpore constantem. Quemadmodum autem unus homo ex corpore & anima constituitur, ita & in Emmanuelis quoque ortu accidisse cogitemus, &c.* Et ibidem: *Quod si quis matrem alicujus non animaparam appellandam esse dixerit, sed tantum carniparam, num ineptum planè blatteronem ille se declarabit?* Mater ergo parit animam, sed in carne; ita Maria parit Deum, sed in carne; ita Deus Pater gignit hominem, sed in Verbo.

IX. Damasceni. L. 3. c. 3.

Damascenus: *Spiritus sanctus supervenit in Mariam, & virtutem divinitatis Verbi susceptivam præbuit, simul autem & generativam.* Hæc planè fuit stupenda ampliatio genitivæ in Deipara facultatis, qua ad Deum usque se exporrigeret; simulacrum ejus similiter ampliationis, qua se paterna vis Dei ad hominem usque effudit.

X. Idem emicat ex divinis Missionibus, in quibus externa internæ extensio & explicatio est.

Eodem collineant ea quæ de divinis Missionibus nonnulli sanctorum Patrum disseruerunt, ubi missiones interpretati sunt vel ipsas in Deitatis sinu ineffabiles hypostasis unius ab alia emanationes, vel has ipsas emanationes cum externa efficientia conjunctas. Hinc enim elucescit imprimis missionis internæ externæque affinitas, ut externa non aliud quàm internæ propagatio & extensio quædam esse videatur. Quamvis enim opus externum quo constat missio, à creante Trinitate totum proficiscatur, ipsa tamen personæ divinæ ad efficientiam & manifestationem illam extrinsecam emissio appulsioque, internæ ejus ab alia persona processionis exporrectio quædam est, & quasi evecta ultra solemnes limites processio. Hinc enim fit ut propriè non mittatur unquam Pater Deus, quia à nullo procedit; nec Filius nisi à Patre mittatur in carnem, quia nec procedit nisi à Patre: Spiritus sanctus autem ab utroque ut procedit, ita mittatur. Nimirum hinc subodorari fas est, missionem externam internæ processionis propagationem quandam esse. Denique si Pater solus Filium in carnem mittit, ut reapse solus mittit; non ut Deus mittit, sed ut Pater; nec creando mittit, sed generando: nam ut pater nihil aliud quàm filium generat. Mittit ergo Pater Filium in carne, cùm generat Verbum in carne, dilatatione quadam & ulteriori generationis æternæ excursione, ineffabiliter tamen immutabilitati & æternitati divinæ concordante.

XI. Calculus Cyrilli. In Ev. Joan.

Cyrillus Alexandrinus hæc verba illustrans, *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur*, hæc habet: *Igitur hic, Misit, aut ratione incarnationis & adventus in hunc mundum cum carne, aut diviniori & sublimiori ratione accipies. Non enim in seipso Filium Pater occultavit; sed ex sua natura eluxit, ut ex luce splendor emicat, ineffabili & inenarrabili divinæ generationis modo. Quod ipse quoque nobis exposuit Unigenitus dicens, Ego à Patre exivi & venio. Exivit enim ex Patre in propriam hypostasin Filius, licèt in ipso sit secundum naturam. Et quod ibi exire, idipsum hic missum esse significat.* Exire igitur à Patre & mitti è Patre Filium, indiscriminatim Cyrillus, vel de generatione interna, vel de incarnatione interpretatur, ob hujus ab illa consequentiam.

XII. Augustini.

Consentit & Augustinus, ne missionem in solam carnem Christi quadrare quis suspicetur. Ipsam enim Verbi Deitatem mitti à genitore author est, & in carnem mitti, quod quid aliud sit quàm generationis divinæ exaggeratio quædam, ne suspicari quidem possum. Si mittat enim ipsam Verbi Deitatem Pater, & solus Pater, indubitanter generando mittet. Nam nec Patri peculiare quidquam est quàm generandi potestas; nec in Deitatem Verbi quidquam licet, quàm ut generetur. *Secundùm hoc jam potest intelligi, non tantum ideo dici missus Filius, quia Verbum caro factum est; sed ideo missus, ut Verbum caro fieret, & per præsentiam corporalem illa quæ scripta sunt operaretur: id est, ut non tantum homo missus intelligatur, quod Verbum caro factum est; sed & Verbum missum ut homo fieret: quia non secundum imparem potestatem vel substantiam, vel aliquid quod Deo Patri non sit æquale, missus est; sed secundùm id quod Filius à Patre est, non Pater à Filio: Verbum enim Patris est Filius, quod & sapientia ejus dicitur. Quid ergo mirum si mittitur, non quia inæqualis est Patri, sed quia est manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera?*

L. 4. de Trinit. c. 20.

XIII. Bedæ. Ho. in Domin. 1. post Ascens.

Beda vehementissimè & eliquatissimè suffragatur: *Cum Spiritus gratia datur hominibus, profectò Spiritus mittitur à Patre, mittitur & à Filio: procedit à Patre, procedit & à Filio; quia & ejus missio ipsa processio est; quia ex Patre procedit & Filio.* Disertè ait missionem extrinsecam ipsam esse processionem intimam, nimirum effusiorem & ampliatam.

Ut

XIV. **Summa argumentorũ ſuprà delibatorum.** Ut uno jam obtutu contueri poſſis in unum conglobata, quibus hæc divinæ generationis extenſio temporalis adſtruitur, argumenta; obiter hic ea ſubſtringam. 1. Genitor non partem Filii aliquam, ſed totum quantus quantus eſt Filium gignit. At poſt inhumanationem totum Verbum non ſine carne eſt; eſt enim humanitas inſtar acceſſionis, & quaſi pars aut membrum Verbi unigeniti. 2. Qui gignit hominem homo parens, etiam ut animatum gignit, nec animam tamen de ſua ſubſtantia procreat; quia totum gignit, etſi ſingulas totius partes non procreat. Ita & gignit Verbum hominem Deus Pater, etiam ut hominem, quamvis ipſam ſigillatim humanitatem non progeneret de ſua ſubſtantia. 3. Quæ Verbum hominem parit Maria Deipara, veraciter & phyſicè Deum parit, nec tamen Deitatis origo ipſa eſt; quia totum parit, non totius omnes ſigillatim partes: ita & Verbum hominem ut hominem verè gignit Pater omnipotens, etſi humanitas ex ſubſtantia ejus non profluat. 4. In exemplis ſuprapoſitis, totum partis & principale culmen acceſſionis ortum conſequitur; nam Deus naſcitur ex Maria propter ſuum hominem, & anima oritur ex utroque vulgò parente propter ſuum corpus. Æquius ergo eſt, ut & pars totius & acceſſio principis ingenium ſequatur, & generetur homo à Deo Patre propter Verbum, cujus membrum veluti eſt. Proclivius enim eſt, ut Deus carnem ſuæ ex Deo Patre divinæ, quàm ut caro Deum ſuæ ex Maria matre humanæ implicet generationi. Proclivius ergo eſt ut Deus genitor ſit hominis, quàm ut Maria genitrix ſit Dei. Quippe non tam Verbum fit carnis, quàm caro fit Verbi; unde conſonantius eſt ut Verbum non ſine carne generetur à Patre, quia caro aliquid Verbi eſt: quàm ut caro non ſine Verbo generetur à Matre, quia caro Verbi eſt. 5. Naturalis Filius Dei cùm conſtantiſſima adſtipulatione Patrum omnium commendetur Chriſtus quà homo, non adoptivus, naturalis Filius non eſt niſi à natura Patris genitus. Voluntas enim adoptat, natura generat, nil medium interjacet. Porrò his in omnibus ampliatio quædam generationis æternæ inſinuatur. Ut enim quæ ſolum Verbum ſine carne attingebat, nunc ad carnem uſque porrigat ſe, extendi illam ineffabiliter neceſſum eſt. 6. Externa miſſio perparum, aut nihil ab interna diſtat, vel veriùs externa non eſt niſi internæ propagatio quædam; ergo exit mittiturque à Patre Filius, vel dum procedit ut Deus, vel dum procedit ut homo, quia proceſſio hominis proceſſionis Dei diffuſio eſt. 7. Hinc non mittitur, qui non procedit ab ullo Pater; qui internæ enim expers eſt emiſſionis, exors quoque eſt externæ. Ideo nec carnem Pater induit, ſed Filius; quia generari in tempore à Deo Deus non poterat, niſi expanſione generationis æternæ; incarnari ergo opus erat Filium. 8. Nec mittitur perſona quælibet, niſi ab ea à qua procedit; proceſſio enim exterior interioris prolatatio quædam eſt; non poteſt ergo foris procedere. ſeu mitti niſi ab eo à quo intus procedit. 9. Incarnatio Verbi à Trinitate quidem tota eſt, quantum ad humanitatis ipſius creationem attinet; ſed quod ad miſſionem aut emiſſionem largitionemque Verbi ipſius ſpectat, à ſolo Patre illa eſt, ut Verbum ſuum dante, ut ſuum propriumque largiente, nec aliter quàm generando largiente. Nam cùm Chriſti hominis Pater non tota Trinitas ſit, ſed ſolus Pater ingenitus, nonniſi generando Pater ejus eſſe poteſt. Hoc enim unum Patri peculiare eſt. 10. Cùm Verbum indeficienter à Patre gignatur, & tum etiam gignatur cùm ſe carni imprimit, imprimit illud carni Pater, & generando imprimit; cùm fundatur jugiter à Patre & infundat ſe carni, utique ab ipſo Patre infunditur carni; cùm effluat indeſinenter à Patre & in humanitatem defluat, utique à Patre generante in humanitatem effluit.

CAPUT VIII.

Adoptio noſtra in Dei filios. Et inde argumenta rurſus ad naturalem & genitivam Chriſti hominis filiationem.

I. **Non aliter in filios adoptamur, quàm quia Chriſto induimur & formamur. Ex Chryſoſtomo.** EX noſtra ipſa in Dei filios adoptatione conjecturas licet excerpere nec paucas, nec leves, quibus & adoptionis dedecus propulſetur à Chriſto, & naturalis atque genitiva filietas eidem ut homini confirmetur.

Obſerva itaque 1. eò nos in Dei filios cooptari, quò naturalis ipſe Filius ſe nobis Chriſtus infundit, ſe nobis induit; eoque adeo imbuti medullitus & undique circumveſtiti, ejus inſtar habemus, & in unum cum ipſo Dei Filium colligimur. Chryſoſtomus: *Quicumque enim in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et quam ob cauſam non dixit, quicumque in Chriſtum baptizati eſtis, ex Deo nati eſtis? hoc enim congruebat ad demonſtrandum, quod eſſent filii. Sed hic ſermo plus habet majeſtatis ac religionis, eoque ſic loqui maluit. Etenim ſi Chriſtus eſt Filius Dei, tu vero illum induiſti, quum habeas Filium in te, & in illum per ſimilitudinem transformatus ſis, in unam cognationem, unamque ſpeciem perductus es.* Et paulò poſt: *Omnes enim vos unus eſtis in Chriſto. Vides animam inſatiabilem. Cum enim dixiſſet, Omnes facti ſumus filii Dei per fidem; non hactenus conſtitit, ſed quærit amplius etiam aliquid invenire, quod evidentiùs approbare queat propiorem erga Chriſtum ſocietatem. Quumque dixiſſet, Chriſtum induiſtis, ne hoc quidem dicto contentus eſt; ſed explanans illud, ultra talem conjunctionem progreditur, & ait, Omnes unus eſtis in Chriſto, hoc eſt, eandem formam, eandem figuram habentes omnes videlicet Chriſti. Quid his verbis eſſe poſſit magis ſtupendum? Qui prius erat Ethnicus, aut Judæus, aut ſervus, nunc obambulat, formam geſtans non Angeli, neque Archangeli, ſed univerſum Domini, atque in ſe Chriſtum repræſentat.* In c.4. Epiſt. ad Galat. Imprimitur itaque nobis inſidetque nobis Chriſtus ipſe, ut filii Dei efficiamur. At qua demum forma obſignari nos decet, ut in Dei filios expingamur, niſi forma ipſa propria & genitiva filiationis divinæ imparticipatæ & participandæ?

II. **Ex Athanaſio.** Orat. 5. contra Arian. Athanaſius: *Si communis omnium Pater eſt, æquum eſt ut & nos aliquando Patrem eum vocitemus, eo quod communicaverit ſe Verbum noſtræ carni. Ideo enim Verbum caro factum eſt, ut per Verbum qui Filius eſt, & habitat in nobis, filii efficeremur. Ideo & Pater noſter dicitur: emittit enim, inquit, ſpiritum Filii ſui in corda, clamantem, Abba Pater. Igitur in nobis Filius ſuum Patrem invocans efficit, ut noſter ille Pater appellitetur. Certe in quorum cordibus non eſt Filius, horum Pater Deus nominari non poteſt.* Quaſi dicat, ut infuſa luce fit quidpiam lucidum, infuſa juſtitia evadit quis juſtus: ita illapſa nobis forma ipſa & natura divinæ filiationis, perinde filii Dei exiſtimus.

III. **Ex Methodio.** In Apoc. c. 33. Methodius laudatiſſimæ antiquitatis & ſanctitatis ſcriptor in ſympoſio hæc habet quæ refert Andreas Cæſarienſis: *Mulier Sole induta eſt Eccleſia. Hæc autem parturit & regenerat, homineſque craſſos & animales, in cæleſtes & ſpiritales transformare, ideæque & ſimilitudini Chriſti conformare ſtudet. Ea propter in uno quolibet ſpiritaliter naſcitur Chriſtus; Eccleſia autem parturit, faſciiſque involvit, donec Chriſtus natus in nobis formetur, atque ita unus quislibet Chriſti participatione, Chriſtus quodammodo efficitur.* Et infrà Andreas ipſe Cæſarienſis: *Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Eccleſia per eos qui baptiſmo initiantur, citra intermiſſionem generat Chriſtum, ut pote in illis formandum uſque ad conſummatam ſpiritalis ætatis plenitudinem.* Per Eccleſiam

ergo sponsam generat nos vel adoptat sibi Deus Pater in filios, non aliter quàm Christum in nobis formando, ut ait Apostolus, seu formam ipsam essentialis filiationis nobis imprimendo.

IV. Ex Cassiano. Cassianus quoque scitissimè sugillat Nestorium; qui Christum eo nomine Dei Filium garriebat, quod Dei Filius Verbum in ipso habitaret; cùm ex adverso Christus non inhabitari, sed inhabitare natus sit; nec eò Filius sit quòd à Verbo inhabitetur, sed ipse ipsum sit Verbum & proprius Dei Filius, qui justos omnes inhabitet, atque ita filiationem Dei largiatur. *Quin imò hoc inter illum interest & Sanctos omnes, quod inter habitaculum & habitatorem. An experimentum quæritis, inquit Apostolus, ejus qui in me loquitur Christus? Et alibi. Nescitis quia Christus Jesus in nobis est? nisi fortè reprobi estis. Et iterum, In interiore, inquit, homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Vides quid intersit inter doctrinam apostolicam & blasphemiam tuam? Tu in Christo Deum velut in homine habitare dicis; ille Christum ipsum in hominibus habitare testatur, &c. Omnes credentes Deum filii Dei sunt per adoptionem, unigenitus autem tantum Filius per naturam.* (L. 5. de Incarn. c. 4.)

V. Ex Scripturis: utque hinc propria & genitiva filiatio Christi colligatur. Suffragantur igitur multifariam Scripturæ. Nam ex Apostolo, ideo filii Dei sumus, quia per baptismum Christum induimur, & omnes unus cum Christo efficimur; ex eodem, Parturimur, dum formatur Christus in nobis, Christus in nobis loquitur, in nobis est, in interiore homine habitat; denique ex Joanne Mulier amicta Sole seu Ecclesia Deo Patri maritata per baptismum, Christum generat in omnibus fidelibus. Christus ergo forma ipsa est divinæ filiationis, non participata, quia participanda; essentialis & genitiva, quia totius in adoptivos derivationis scatebra est. Quippe ut justos & sapientes non efficit, nisi justitia & sapientia non creata, sed increata: non participata, sed participabilis: non per gratiam indulta, sed naturaliter genita: ita nec filios nos esse præstat nisi ipsa æterna filiatio, non creatione, non adoptione, non participatione, sed natura & generatione à summo parente Deo effusa. Denique si filiatio Christi hominis non genita, sed creata foret, inhabitari magis quàm inhabitare: & participare nobiscum, non à nobis participari postularet; nec indueremur Christum, sed cum Christo indueremur Verbum; nec formaretur Christus in nobis, sed formaretur Verbum in Christo peræque ac in nobis.

VI. Rursus adoptamur in Dei filios, quòd Spiritus sanctus, ut imago Filii nobis incubet. Observa 2. eò nos rursus in filios Dei arrogari, quòd Spiritus Christi nobis incubat, instigatque, ut clamemus Abbas Pater. Alterum hoc esse & à superiori disjunctum filii jus, expressè adnotavit Chrysostomus: *Et unde constat, inquit aliquis, nos factos esse filios Dei? Dixit modum unum, quia Christum induimus, qui est Filius: dicit & alterum, quia spiritum adoptionis accepimus. Quoniam autem estis filii, emisit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater.* (In c. 4. Ep. ad Galat.) Athanasius in decretis Synodi Nyssenæ: *Non tamen ob hoc quod Patrem suum, nostrum à nobis concesserit appellari, æquum est, ut nos ipsos filios ratione naturæ adæquemus. Nam quod nobis filii appellatio indulgetur, id inde profectum est quod Verbum Dei nostrum corpus gestavit & in nobis habitavit, ac proindè consequenter propter Verbum quod in nobis est, is qui Deus est, Pater noster appellatur. Et quia spiritus Verbi in nobis est, ideo ut nobis gratificaretur, suum Patrem, nostrum quoque Patrem appellari voluit. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater.* Sobrius nemo id sibi sumpsisset, ut Deum sibi Patrem auderet compellare, nisi hoc irruentis divini spiritus incitamento ineluctabiliter ad hoc ageretur. Nec vel transversum ut ajunt unguem ab Athanasio suo discessurus Cyrillus, *Divinæ enim naturæ participes, habitudine ad Filium per spiritum, non sola opinione, sed veritate sumus, quotquot credimus & configurati sumus Deo, ad pulcritudinem quæ est supra creaturam reformati. Formatur enim in nobis Christus ineffabiliter, non ut creatus in creatis, sed ut increatus ac Deus in creata ac facta natura, ad suam imaginem transformans per spiritum, & creaturam seu nos ad dignitatem creatura superiorem transferens.* (Dialog. 4. de Trinit.) Imaginem quippè suam, seu spiritum suum dum insculpit nobis Filius, ad formam suam nos format, adeoque filiatione sua nos informat. Quòd imago enim filii sit Spiritus sanctus, perindè ut filius ipse Patris imago est, uno calculo consentiunt Græci Patres, id augurati ex illo Pauli loco: *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Id est, formati ipsa imagine filii seu Spiritu sancto. Idem Cyrillus. *Filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis; & rursus, Quos enim præscivit & prædestinavit, nempè Deus, conformes fieri imaginis filii sui, hos & vocavit. Reformat enim nos per spiritum in propriam imaginem Christus; & suæ naturæ decus piorum animabus intelligibili & arcano modo inscribit, &c. Reformamur enim ad priorem illam imaginem, accuratissimo sigillo, filio nimirum obsignati, qui & similitudo & character est Patris, nec alius ab ipso quoad identitatem substantialem.* (Dialog. 3. de Trinit.) Et denuò: *Ad imaginem ergo divinam quomodo nos formati sumus? Quòd inhabitantem filium habemus, & characterem in nobis divinum suscepimus eoque ditati sumus. Per ipsum enim conformati sumus ad Deum: species autem illa omnium superna, nimirum filius, per spiritum nobis imprimitur.* (Ibid. Dialog. 4.)

VII. Et hinc rursus Genitiva Christi filiatio asseritur. Et huic ergo alteri filiationis nostræ stabilimento favent scripturæ, quæ ajunt Spiritum Filii nobis indi, ut clamemus ad Deum Patrem; & eos esse filios Dei qui spiritu Dei aguntur; & formari nos imagine filii, id est Spiritu sancto ut filii Dei exurgamus. Cæterùm quo efficimur filii Dei, spiritus est proprius Verbi incarnati; nam de plenitudine Spiritus ejus accipimus, ut carnem jam induti; & conformes evadimus imaginis filii, humana natura succincti; & non immittit Deus nobis Spiritum Filii sui, ut invocemus Patrem, nisi postquam incarnatus est Filius; & suo Christus ipse humano ore Spiritum sanctum discipulis insufflavit, & denique non est Spiritus datus, nisi postquam Jesus est glorificatus, ut cùm homo in sede Patris consedisset, tum Spiritum sanctum hominibus largiretur. Ergo cùm Filius natura nostra succinctus, afflatu spiritus sui filios nos Dei efficiat, filius ipse naturalis & à Patre verè progenitus est. Alioqui unde illi hæc potestas ut quos afflasset, filios efficeret? Spiritum filiationis non ipse proprium haberet, nisi fons genitivus esset ipse totius filiationis de paterna vena inexhaustè manans.

VIII. Rursum adoptamur in filios tū maximè, cū per Eucharistiam corporei & consanguinei efficimur Christi. Observa 3. Utriusque hujus quo adoptio nostra nititur fulcimenti discrimen vimque maximam elucescere potissimum ex sacramento, quo nobis maximè Christi caro Christique spiritus insinuatur. Per Eucharistiam enim imprimis assequimur divinæ filiationis fastigium, quantum fas est mortalibus & à peccati vinculo nequedum penitùs absolutis, quia per eam & carne Christi, & spiritu Christi saginamur.

Primasius: *Sicut communicavit Christus nostræ substantiæ per assumptionem hominis, sic & nos participes ejus sumus, per assumptionem corporis & sanguinis ejus.* (C. 2. in Ep. ad Hebr.) Ut ille filius hominis factus est, dum carnem humanam assumpsit, ita Christianos filius Dei fit, dum carnem ejus divinam jam sumit. Vel potiùs ut in illo filius hominis factus est Filius Dei, dum carnem hominis suam fecit propriam Filius Dei: ita quilibet homo fit filius Dei, dum adglutinatur, & affigitur & quasi continuatur carni germani Filii Dei.

Eligius Noviom. Episc. *Sicut verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo qui ex Maria Virgine natus est, Jesus Dei Filius est:* (Hom. 8.)

non

non quemadmodum alii homines per gratiam, sed natura Filius ex substantia Patris: ita vera est caro & verus est sanguis ejus, quem ad manducandum & ad potandum in mysterio sumimus sicut ipse testatur. Et nos qui verè sub mysterio carnem & sanguinem corporis ejus sumimus, per ea naturaliter unum cum illo efficimur. Hæc quatuor colligat eleganter, Incarnationem, Eucharistiam, filiationem Christi naturalem, nostram adoptivam. Ut enim dum Verbum caro fit, in carne est proprius Dei Filius: ita dum Verbum caro homini per sacramentum inseritur, fit homo quilibet filius Dei.

Alcimus Avitus: *Impleturus redemptor noster sacramentum carnis assumptæ, sicut æternus & piissimus Pater, creatis à se redemptisque filiis spem indultæ adoptionis aperiens, substantiamque nobis cœlestem ante diem suæ mortis adsignans, testamentum fecit, quo nos hæredes ab his quæ largiebatur instituit, humana quidem comparatione, sed non humana necessitate: non amissurus quod filiis deputabat, sed habiturus magis filios cum hæreditate quam scripserat.* Et infrà: *Nihil nobis de substantiæ plenitudine minuit, qui quod pro nobis assumpsit, totum nobis reliquit. Alii hæredibus suis sua tribuunt, ille semetipsum, id est carnem vel sanguinem corporis sui.* Et denique, *Populus est quidem adoptione unicus.* Ità ille testificatur adoptatos nos esse testamento Christi, & ad ejus hæreditatem ex asse adeundam accitos; quin imo genitos tum quodammodo esse nos, cum substantiam corporis sanguinisque sui quasi divinæ filiationis semen immortale in nos transfudit.

(Fragm. 3. & 4. in Epist. ad Heb.)

(L. 2. advers. Arium.)

Marius Victorinus: *Audi Evangelium, audi Paulum Apostolum, audi orationem oblationis, quoniam vita est Deus & æterna vita. Nos Christiani, id est, qui in Christum credimus, docemur in Evangelio, quomodo Deum Patrem rogare debeamus, in qua oratione cum multa petimus, tum petimus panem, qui panis vitæ est. Sic enim dictum est, Hic enim est panis, qui de cœlo descendit. Hanc vitam & Christi & Dei id est æternam, quo nomine ipse dicit,* ἐπιούσιον ἄρτον *ex eadem causa panem, id est de vita Dei consubstantialem vitam. Unde enim filii Dei erimus, nisi participatione vitæ æternæ? Quam nobis Christus à Patre adferens dedit. Hoc ergo est,* δὸς ἡμῖν ἐπιούσιον ἄρτον, *id est, vitam ex eadem substantia. Etenim si quod accipimus, corpus Christi est, ipse autem Christus vita est, quærimus* ἐπιούσιον ἄρτον. Ut solent animantes pleræque omnes ex eadem seminali substantia gigni, alique primùm; ita ex Christi substantia gignuntur pariter aluntúrque Christiani, ut verè filii & Deo Patri quodammodo consubstantiales dici queant. Vita enim æterna Deus substantialiter est, & Christus ipsa eadem vitæ æternæ substantia est; cum ergo de Christo gignimur pascimurque, Deo quadantenus consubstantiales evadimus.

(De Eccles. Mystagogia, c. 21.)

Maximus Martyr: *Sacramenti fit communicatio, quæ in seipsum transformat, & ipsi principaliter Bono similes ex gratia & particaptione efficit eos, qui dignè sunt participes, quibus nihil deest, quantum homini contingit & datur, quo minus ipsi sint & vocentur adoptione Dii per gratiam, propter totum Deum qui eos totos seipso implevit, & nihil ex eis reliquit sua præsentia vacuum.* Quasi vehiculum deitatis fit Christi caro, ita dum ea quis pascitur, tota totus impletur deitate, qua perfusus & circumfusus, tantoperè evadit Deo similis, ut Deus Deique filius non immeritò ipse appellitetur.

IX. Et hinc rursus argumenta ad naturalem Christi filiationem.

Hinc eluxit multipliciter, ut dum Christi substantia sacramento saginamur, in Dei filios renascamur quodammodo. Nam Eucharistia incarnationis imitatio quædam est, & quasi propagatio. Ut enim dum Verbum primò carni inseritur, illam sibi ut suam vendicat: ita dum Verbum caro nobis inseritur, nos sibi ut suos vendicat; utrobique suum sibi corpus conserit & coagmentat, ibi caput, hìc membra; at Verbum cum suo corpore, unus est Dei filius; ergo tum in filios Dei allegimur, cum in membra Dei filii coaptamur. Deinde cum Verbum infudit se carni, tum divinam illi impertiit filiationem; ergo & cum Verbum unà cum carne se nobis insinuat, divinæ pariter filiationis consortium donat. Rursum Verbum sine carne & Verbum cum carne, unus idemque Dei filius est, natura & divina generatione prognatus: ergo ut Verbum carnis expers hactenus, cùm homini se implicuit, divinam illi contulit filiationem, ita & Verbum carne jam accinctum, cùm se nobis implicabit, eandem irrigabit filiationis societatem. Item ut toti immiscuit se suæ carni Verbum Dei filius, ita & carnis suæ accrementis; per Eucharistiam verò adnascimur & accrescimus quadantenus carni Christi; adglutinamur enim illi, ut ejus veluti additamenta & accessionis instar deinceps simus; ergo & ad nos usque Verbi filiatio propagatur, ut ad suæ carnis adnatas quasdam & adhærescentes accessiones. Rursum cibamur quidem carne Christi, nec in nostram tamen illum deformamus, sed in ejus potiùs substantiam reformamur; igne veluti pascimur, quo vicissim depascimur; ergo in substantiam filii Dei cùm trajiciamur, eadem divina vestimur filiatione, Item caro Christi, caro est veritatis, delibuta moribus, viribusque & tota incorruptibilitate veritatis; ergo ut veritas cibus mentium, non in mentes deficit, quas reficit; sed mentium mutabilitatem conficit, & immutabilitate sua perficit, & in suam ipsas sustantiam incorruptibilem traducit: ita caro veritatis non ipsa in esitantium substantiam degenerat, sed in suam illos incorruptibilitatem transmutat, in suas dotes adoptat, in suam filiationem substantivam sibi aggenerat. Enimverò quo tota illa esitandi sollicitudo pertineret, quo cederet, nisi in utriusque perniciem, si natura quælibet non cibi virtute rejuvenesceret, sed corrumperet cibum, pariterque computresceret? Esto ut ea fit corruptibilium alternatio: at ubi incorruptibilis cibus porrigitur, is participantium vel corruptibilitatem expunget, vel incorruptibilitatem amplificabit. Ergo immortali filiatione veritas incommutabilis etiam per suam carnem nos initiabit. Ut veritas nuda nudas mentes cibat, cibando rapit & absorbet in se, seque illis infundit; ita caro veritatis immersas carni mentes cibat, cibandoque devorat, & in suam incorruptibilem deitatis participationem, seu filiationem demergit.

X. Rursum ut per Eucharistiam efficiamur Filii.

Rursum non alit quis nisi familiam, & ferè nisi filios: panis enim filiorum est: panis non postulatur, non expectatur nisi à Patre: at substantia sua quos quis pascit, eos non ut jam filios cibat, sed pariter & ut filij sint generat, & ut filios cibat. Quo enim quis nisi paternæ substantiæ infusione gignetur? Ergo etsi jam per baptismum in filios inaugurati simus, per Eucharistiam tamen singulariùs & incomparabiliter præcellentiùs filij conscramur. Item testamentum est Eucharistia, quo substantia paterna id est non exterior opulentia, sed ipsa Patris substantia filiis adsignatur: at quid est paternæ substantiæ in filios decisio, nisi filiorum procreatio? Item hac quoque in re obsequitur caro veritatis ingenio veritatis, & illud quàm citimè assequitur. Nam veritati non duplex substantia est, altera qua existat, altera qua ditescat. Sed per seipsam & substantia sibi sua & opulentia sibi sua est. Nec enim extimis eget bonis, quæ suum ipsa & omnium bonum est: non extimis eget, qua extima omnia penitus egent. Non extrinsecis opibus abundat, quæ sua sibi & omnium abundantia ipsamet est. Nam exteriorum copia, quid nisi innatæ testis inopiæ & copiosa egestas est? Ergo similiter caro veritatis, sua sibi substantia, sua sibi opum omnigenarum exuberantia ipsamet est: cumque testamento suas opes hæredibus partiri instituit, seipsam impartibiliter ut veritatem decebat, totam

totam distribuit. Ergo hæredes instituere non aliud fuit, quàm filios procreare, quia non aliud fuit quàm paternam essentiam substantiamque dissemi-nare. Rursus Pater homo seipso gignit, suis alit; de suis filios cibat, de seipso filios procreat; ut veritati, ita carni veritatis non aliud est, quod ipsa est, & quod suum est; quia seipsa abundè locuples est; ergo de seipsa filios & generat & alit; ergo idem est illi & gignere & alere filios; quo ergo sacramento alit, eodem gignit. Item veritas de Patre Deo nascitur & semper nascitur, & jugi paternæ in se substantiæ effluvio nascitur; ita de veritate mentes semper nascuntur, id est creantur primò, inde aluntur; nam de substantia veritatis semper ali, hoc ipsum est semper nasci; ab hoc quippe cibo vel ad momentum averti, non aliud est quàm intermori. Ita denique de carne veritatis mentes in carne, seu spiritales in carne homines, jugiter nascuntur, quia semper aluntur; & eo cibo vel ad punctum temporis interdici, non aliud est quàm interfici.

XI. Rursus per Eucharistiá efficimur filii Dei, qua per carnem Christi sugimus spiritú Christi.

Observa 4. primum filiationis nostræ præsidium per Eucharistiam hactenus satis esse communitum, ut Christus ipse nos insideat, & informet sua substantia, suaque filiatione proinde inauguret. Alterum verò quod videlicet suo spiritu nos vegetet, extimuletque ut Patrem invocemus Deum, per eandem Eucharistiæ beneficientiam nihilo seciùs impartit. Caro enim Christi conceptaculum quoddam est & sacrarium Spiritus sancti, hunc illa spirat, hunc afflat, hunc quovis spargit. Caro enim Verbi est, & de spiritu Verbi vivit & vivificat; caro Verbi est, Verbique privilegiis in se refusis donata, spiritum ipsum Verbi corporaliter inspirat Apostolis; caro denique Verbi est, & à spiritu Verbi efformata, eoque ab ortu jam inde imbuta, hujus suavitate potissimùm ad sui esum nos illectat, cum ait, Spiritus est qui vivificat, Caro non prodest quidquam. Exugitur enim ex ejus carne Spiritus sanctus quasi sanctitatis succus, Carne ergo Christi vescentes, Spiritu sancto seu spiritu adoptionis filiorum irrigamur.

Lib. de fide ad Theodosium.

Cyrillus Alexandrinus: *Quem Spiritum sanctum Verbum quatenus ex Deo Patre procedit, immittit; & ex propria natura in nos, quasi ex fonte quodam transfundit. Quin etiam facultate hac propter unionem & incarnationis œconomiam æqualiter quodammodo cum homine communicata, corporaliter quoque ut homo inspirat. Insufflavit enim in sanctos Apostolos dicens, Accipite Spiritum sanctum.* Et paucis interpositis: *Patet ergo spiritum Filii proprium esse, nec solum quatenus Verbum ex Patre prodiit, sed etiam si cogitetur secundum nos homo factus, divinitatis proprietatibus, quæ in propriam illius naturam conveniunt, non destitutus.* En ut caro Christi scaturigo quædam sit Spiritus sancti; ut cùm illi fonti os apprimimus, tota divinæ filiationis sanctimonia proluamur.

CAPUT IX.

Nostra adoptio iterum, & inde argumenta ad filiationem Christi naturalem & genitivam.

I. Ita adoptivi filii Dei sumus, ut aura aliqua afflemur naturalis filiationis.

OBserva 5. id ex superioribus etiam confici, ut non mera sit adoptio, qua in filios Dei proficimus; sed propior quædam naturalis & propriæ filiationis assecutio. Ex eo autem patentissimè sua Christo naturalis & propria filiatio asseritur, si ex ejus in nos retensione aliqua, redundat in non adoptio sola, sed adoptione superior, propiorque germanæ filiationi nativitas. Quod autem in naturales & proprios quodammodo filios Dei per Christum hominem aggeneremur.

II. Liquet id 1. ex eo quod Christum induimur.

Liquet 1. Christus enim Filius est, quia filiatio est; sicut sapiens est, quia sapientia est; & justus est, quia justitia est. Ergo cùm Christus per baptismum induamur, ipsa filiatione Christi seu Verbi induimur, quæ cùm filiatio propria & naturalis sit, in promptu est quid inde consequatur. Item cùm Christus formetur in nobis, cùm unus cum Christo efficiamur, forma naturalis filiationis indutus, unusque cum naturali Filio, plusculum sanè est quàm adoptivus.

III. Liquet 2. ex eo quod Spiritu donamur.

Liquet 2. De Spiritu sancto & aqua, vel Ecclesia Virgine concipimur nascimurque, sicut & Christus de Spiritu sancto & Maria Virgine conceptus natusque est: at ita conceptus natusque Christus de divinitate, non fuit adoptivus, sed proprius Filius, ut Cassianum Paulinumque superiùs philosophantes audivimus: ergo & nos indidem nati, propriæ filiationis aliqua saltem lineamenta assecuti sumus. Item non dono Patris, non beneficio Filii qualicumque, sed utriusque substantiali & consubstantiali spiritu donati, ultra adoptivorum sortem non immeritò assurgimus. Adoptivis enim nihil de sua substantia dilargitur Pater, nihil de natura, sed de voluntatis dumtaxat affectu & externæ hæreditatis fructu nonnihil admetitur. At Spiritus sanctus de natura & substantia est Patris Filiique, ergo eo dotati, nativæ filiationis fiducia lactamur aliqua.

IV. Liquet 3. ex eo quod Eucharistia pascimur.

Liquet 3. Cibus sin minùs generat, certè aggenerat; per Eucharistiam ergo aggeneramur Christo; non ergo in filios ab ipso alios, sed in unum cum ipso filium accrescimus, adeoque in naturalem. Item membra Unigeniti, eadem atque una cum Unigenito filiatione splendescunt. Quis enim unigenitus & proprius ex adoptivis constat? Cui caput naturali, reliqua membra adoptiva dumtaxat ornantur filiatione? Aut cui omnino capiti alia quàm membris filiatio quadrat? Item cui contingit nobiliùs pasci, quàm nasci? Quis de patris substantia pascitur, nec nascitur? Imò potest omnis homo de parentum substantia nasci, nec inde tamen pasci: non potest vicissim inde pasci, nec nasci. Plus enim est, & pluris constat pasci quàm nasci. Ergo qui pascimur de Dei substantia, inde quoque nascimur.

V. Liquet 4. ex eo quod Scripturæ & Patris ex Deo nos nasci dicant.

Liquet 4. Quin & sacræ litteræ & sancti Patres adoptionem nostram generationis vocabulo cohonestant. Nam & baptismus passim regeneratio appellatur, & nos de Deo nati, & Deus filios genuisse atque exaltasse dicitur. Athanasius: *Quod si quoque & nos ejusdem Dei, cujus Christus, filii appellamur, certum est nos quoque ejusdem Patris consortes esse; quum ita loquatur, Filios genui & exaltavi. Nam si ejus participes non essemus, nunquam gignendi vocabulo usus fuisset. Si autem ipse genuit, non alius, sed ipse nobis Pater est.* Geniti ergo sumus, qui à solo patre, id est à solo genitore filii procreamur.

In Decret. Synod. Nicæn.

Cyrillus dialogo, Quod unus sit Christus: *Factus est etiam primus ipse natus ex Spiritu secundùm carnem, ut hac tanquam via etiam in nos transeunte gratia, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo per Spiritum regenerationem intellectualem consecuti, & conformitatem spiritalem cum eo qui natura ac verè est filius, adepti, Deum vocemus Patrem.* Ex Spiritu sancto renatus est quisque nostrum, de quo natus est & Christus, ut & non sola adoptio, sed vera aut verisimillima nativitas nobis de Deo obtingat, dicamurque à Joanne, non à Deo asciti, sed de Deo nati; & voluntariè quidem, sed geniti tamen verbo veritatis; ubi si voluntas adoptionem redolet, at generatio generosius aliquid ostendit. Porrò hinc liquet non posse nobis vitiosæ argumentationis circulum objectari, quasi naturalem Christi filiationem ex nostra, nostram ex Christi filiatione colligamus. Et Scripturæ enim & Patres nobis præeunt, dum nunc absolutè naturalem Christi hominis propriamque filiationem describunt, quod nos superioribus libri

bri hujus capitibus sequuti sumus: nunc nostram filiationem nonnihil de germana Christi filiatione redolentem commonstrant: quod nos illustrare nunc adgressi sumus. Nullum hic prorsùs circulationis vetitum.

Idem ibidem Cyrillus: *Non jam amplius priorem illum, hoc est Adamum patrem habentes, in quo & corrupti eramus Idcirco & Christus alibi ait, Nolite vocare vobis patrem in terris; unus enim est Pater vester in cœlis. Qui Christus idcirco ad nos descendit, ut ad propriam nos transferat dignitatem.* Cæterùm generatio qua Adamum patrem nacti sumus, oblitterari excidique penitus non valet adoptione, sed iterata aliunde & meliore nativitate. Potest enim & huic origine, & alteri adoptione patri unus idemque filius esse; at nasci ex uno & altero patre, & utriusque filius propriè esse nemo idem potest. Ergo ut non jam Adamus nobis pater sit à quo geniti sumus, refingi nos ab alio patre necessum est & nova nativitate priorem retractari.

Hom. 6. in Ep. ad Hebr.

Chrysostomus: *Quid est, participes Christi effecti sumus? Unam effecti sumus, nos & ipse. Siquidem ipse quidem caput, nos autem corpus, cohæredes & concorporales. Unum corpus sumus, ex carne ejus & ossibus ejus. Si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineamus. Quid est initium substantiæ ejus? fidem per quam constitimus, & geniti sumus, & consubstantiati.* Genitos à Deo nos adfirmat, nec id mirum, cùm Christo consubstantiati simus & concorporales, ejusque corporis membra. Gignuntur enim membra pariter cum capite & corpore reliquo.

Generatione ergo aliquali, non prima adoptione tantùm filiationem Dei consequimur; Author est Deus ipse cùm genuisse se filios ait; & Joannes cùm de Deo nos natos pronunciat; & Petrus, dum voluntariè genitos nos verbo veritatis; & Paulus, dum concorporales nos Christo toties adfirmat, ejusque qui gignitur à Deo Filius, membra, & ipse demum Christus, cum vetustam ex Adamo generationem nostram nova ex Spiritu sancto per baptismum regeneratione expungit, Patremque nobis Deum non adoptione, sed regeneratione priori genitori præjudicantem seseque subrogantem inducit; dumque postremò corporum resurrectionem qua plenissimè tandem ex Apostolo cumulabitur filiatio nostra, regenerationem vocat.

VI. Non tamen hæc vera generatio est, sed Plusculum aliquid adoptione mera. Serm. 51. de Verbis Domini.

Ne intemperantiùs tamen extra modum nostrum efferamur, non hæc propria generatio est, qualis Christi, etsi generationis degustatio quædam sit & adoptione vulgari magnificentior. Unde Augustinus: *Nos filii sumus quos voluntate sua filios fecit, non ex natura sua filios genuit. Genuit quidem & nos, sed quomodo dicitur, adoptatos ab adoptante, generatos beneficio, non natura.* Infra Christi generationem jacet, sed supra adoptionem surgit non minimum regeneratio nostra. Quocirca rectè Naclantus Episcopus Clugiensis: *Dicitur Pater noster, non solum creatione ac regimine, quomodo pater est omnis creaturæ, nec naturæ tantùm similitudine ac vicinitate, quomodo Pater est omnium spirituum & animarum nostrarum, sed adoptione, quomodo Pater est omnium electorum, &c. nec solum adoptione, sed regeneratione, non quidem ex voluntate carnis, aut ex voluntate, viri sed voluntate sua, ut nati simus ex Deo, voluntariè enim genuit nos verbo veritatis.* Attendis ut adoptioni anteponat regenerationem.

In c.1. Epist. ad Ephes.

VII. Liquet 5. ex eo quod Pater nobis singulariter sit ipse qui Verbi Pater, ut colligitur ex sacris litteris.

Liquet 5. ex eo quod filiatio nostra propriè magis spectet Patrem Deum & solum Verbi Patrem, quàm totam Trinitatem Deum. Nam cùm Verbi Pater peculiare id unum habeat sit natura Pater & genitor, si illi nostra nos addicit specialiter uni filiatio, hæc indubitantes naturalis filiationis & generationis contextus quidam & quasi portio erit.

Quod autem specialius solus Verbi Pater nobis pater sit, sexcenties à Christo & ab Apostolo insinuatum est. Nam eundem sibi nobisque Patrem, sibi propriè, nobis communiter, sed eundem tamen indicavit sæpius; nunquam se nobis Patrem, ut num ex Trinitate præposuit, sed fratres sibi nos sub eodem Patre apposuit; denique, Ascendo, inquit, ad Patrem meum & Patrem vestrum; at quis ibi nisi proprium Verbi Patrem suspicetur? Apostolus item frequentissimè benedictionem imprecatur à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo: at ubi secernitur Pater Deus à Christo, is Verbi solus Pater est: nam Trinitas Christum concludit, non excludit.

Nec aliter Scripturam sancti Patres interpretati sunt ad unum omnes. Quæcumque enim prolixo jam plurium capitum contextu ex iis sparsimus testimonia, ea ad solum Verbi incommutabilis Patrem, vix, aut nec vix usquam ad totam Trinitatem, nostræ filiationis originem revolvunt.

Augustinus: *Cui dicimus, Pater noster? Patri Christi. Qui ergo Patri Christi dicit, Pater noster, quid dicit Christo, nisi frater noster?* Et rursus idem: *Quamvis ergo Filius Dei suo Patri nos adoptaverit filios, & eundem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui ejus Pater est per naturam, tamen etiam ipse circa nos, paternum affectum quodammodo demonstrat, cùm dicit, Non relinquam vos orphanos.* Liquido Patris Verbi filios nos esse afferit, Christique fratres, non filios, & à Christo nos non sibi, non Spiritui sancto, sed æterno Patri filios esse adoptatos.

VIII. Ex Augustino. Tract. 21. in Ev. Joan.

Ambrosius: *Numquid sic diligi possunt à Deo homines, quemadmodum Filius, in quo complacuit Pater? Ille per se complacet, nos per ipsum. In quibus enim Deus Filium suum ad imaginem suam cernit, eos per Filium adscicit in gratiam filiorum; ut quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem Filii in adoptionem vocemur.* Perspicuè ait à Patre Verbi adoptari nos, & participatione generationis atque imaginis Dei, seu Filii nos adoptari.

IX. Ex Ambrosio. L. 1. de fide, c. 4.

Athanasius, De decretis Synodi Nicænæ: *Si enim ille Filius Dei esset, nos autem filii essemus ipsius Filii, consentaneum quiddam illorum figmenta haberent. Si autem nos ejusdem Dei, cujus ille Filius est, filij appellamur, certum est nos ejusdem Patris consortes esse; quum ita loquatur, Filios genui, & exaltavi.* Et infra: *Neque ullibi reperias, ubi ille Patrem suum ingenitum vocet. Quin & cùm nos precari doceret, non dixit, Pater ingenite, sed potius quum precari statueritis, dicite, Pater noster qui es in cœlis.* Et statim: *Patris nomen pronunciantes, agnoscimus quoque ex hoc nomine etiam Verbum quod in Patre est. Non tamen ob hoc quod Patrem suum, nostrum à nobis concesserit appellari, æquum est, ut nos ipsos Filios ratione naturæ adæquemus. Nam quòd nobis filii appellatio indulgetur, id inde profectum est, quòd Verbum nostrum corpus gestavit, & in nobis habitavit, & consequenter propter Verbum quod in nobis est, is qui Deus est, Pater noster appellatur.* Apertè tradit à nobis invocari Patrem, Verbi Patrem; nec aliter nos filios esse, quàm quia Verbo inhabitamur, proinde filiatione Verbi ad Patrem æternum nos initiari.

X. Ex Athanasio.

Cyrillus Jerosolymitanus, Baptismi sacramenta elucidans: *Vox tibi paterna desuper intonat, non, Hic est Filius meus, sed quod nunc factus est Filius meus. In illo est esse, quandoquidem est Filius Dei, in te vero nunc factum est; quoniam non secundum naturam, sed per adoptionem filius constitueris.* Ut Pater Verbi solus designatur, qui Christo ad baptismi aquas intonuit, Hic est Filius meus, ita ait Cyrillus nobis dum baptizamur, eundem adsignari Patrem. Quod enim in Christo tum contigit, non ejus causa contigit, cui nihil horum opus erat; sed nostra, qui hoc sacramento præ-

XI. Ex Cyrillo Hierosolym. Catechesi 3.

præformabamur, & ſpe filiationis divinæ jam tum authorabamur.

XII. Ex Cyrillo Alexandrin. Theſauri. p. 40. 160.

Cyrillus Alexandrinus: *Dignitatem ſuam quæ ei naturaliter ineſt, præ immenſa ſua benignitate nobis communicans, addit, Patrem veſtrum: adoptati enim ſumus per ipſum, & factus eſt pater per gratiam noſter, qui per naturam eſt illius*. Quod ipſum iteratur infrà: *Incarnatum eſt enim Verbum Dei, ut aſſumptis in ſe humanæ carnis proprietatibus, ſuas proprietates humanæ naturæ largiretur. Quod quidem oſtendit dicens, Vado ad Patrem meum & Patrem veſtrum. Largitur enim humanæ naturæ, quod ſibi proprium eſt, concedens ei, ut Deum poſſit vocare Patrem*. Porrò proprietas Verbi incarnati ea eſt, ut ad Patrem ſolum referatur. Et rurſus idem: *Patrem vocamus Deum conformatione ad Filium id habentes. Moratur enim in nobis & inhabitat Filius per ſuum Patrem, in quo & per quem clamamus, Abba Pater. Quòd autem argumentum evidens ac veluti ſignaculum adoptionis divinæ Spiritus ſit in nobis, per quem conformati ſumus ad Filium, declarabit Paulus ſcribens, Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui, &c.* Quo luculentè demonſtratur adoptionis quidem noſtræ originem à Trinitate tota defluere, ſed ita tamen ut ſolus Pater ſpecialiùs nobis Pater ſit. Perinde omnino ut Incarnationem Verbi tota eſt operata Trinitas, nec tamen Pater eſt Verbi incarnati, niſi qui ab æterno ejuſdem ante carnem Pater eſt.

Dial. 5. de Trin.

XIII. Argumentorum ſūma quibus liquet, Patrem Verbi ſpecialius nobis Patrem eſſe.

Tempero mihi ne plura contexam ex Patribus, ſummatim id moneo pervagatiſſimum hoc & inconcuſſum in eorum lucubrationibus eſſe, quod is nobis per gratiam unus Pater ſit, qui Chriſti Pater eſt per naturam. Argumenta autem excudi poſſunt non pauca quibus id conſtet liquidiſſimò, ex allegatis ſupra teſtimoniis. 1. Quidem ſejunctæ omnino ſunt & incommunicabiles divinarum hypoſtaſeon proprietates; & nec intra nec extra deitatis ſinum inter ſe reciprocantur. Pater nonniſi Pater eſt, ſemper & totus Pater eſt, totam ſibi vindicat & anticipat paternitatem, nec ejus quidquam ſibi effluere, aut aliis affluere ſinit; tota paternitas ipſe eſt, & mera; nec enim filiationis ulla aſpergine aut afflatu leviſſimo afficitur. Ita & Filius totus filius eſt, & ſemper filius, & tota ſimplexque filiatio, ut nec filiationis quidquam ei decedat, nec paternitatis vel tantillum uſurpet. Peræquè & Spiritus ſanctus nec alienas delibat proprietates, nec ſuam ipſe delibari ab aliis patitur. Et quod intus, idem foris ingenium; extima enim omnia ad inteſtinæ pacis imitamentum componuntur. Ergo nec qui intus Pater eſt, foris eſt filius; nec qui intus filius, foris eſt Pater; nec Pater aut filius foris eſt, qui intus non eſt. Sed qui intra Pater eſt, idem extra fit nobis Pater; ſed qui ab intimis ad extera per Filium prodit in Spiritu ſancto, idem foris nos ſibi in filios per Filium in Spiritu ſancto adoptat. 2. Præterquam quod deſciſceretur in exteris ab interiorum deitatis pulcritudinum imitatione, & à ſcopo totius aberraretur creaturæ, ſi divinæ proprietates alias intus, alias foris ſpecies induerent: fœda etiam & temeraria rerum nominumque tumultuatio importaretur. Eſſemus enim filii Verbi, eoque jam nepotes Patris, cujus jam filii eramus; eſſemus ejuſdem Verbi & fratres & filii, qua ab ejus Patre, & ab ipſo item progeniti; eſſemus & ipſius filii Verbi, & filii, & fratres, ut jam dixi, & præterea quodammodo nepotes, qua à Spiritu ſancto in filios acciti: quo quid intempeſtivius comminiſci poſſumus? Ea cum primis videtur valdè conſentanea proferri cauſa, cur cùm de Spiritu ſancto & Maria virgine Chriſtus ſecundùm carnem natus credatur, Mariæ tamen virginis filius ſit, Spiritus ſancti filius non ſit. Spiritus ſanctus enim ut intra, ita & extra exors eſt paternæ proprietatis, ſuæ tantùm compos tenaxque; nec ejus extra Pater eſſe avet, cujus intra germen eſt; nec Verbum extra Filius eſſe ſuſtinet Dei, niſi ut intra eſt ſolius Patris. Ergo concipitur naſciturque de Spiritu ſancto Chriſtus homo, nec tamen Spiritus ſancti, ſed ſolius Patris omnipotentis filius eſt. Quo minùs mirum eſt, ſi nos quoque renaſcamur de Spiritu ſancto & Eccleſia, ſi in totius Trinitatis nomine generemur, nec tamen ſpecialiùs filii ſimus niſi ſolius Patris Verbi. 4. Affectatior illa ſcripturæ ſacræ diligentia, quæ toties nos de Deo naſci, generari, regenerari ingeminat, ad Deum, ſed genitorem Deum, ſeu ad ſolum Patrem deſtinare nos filios videtur. 5. Non aliter magis nomen aſſequimur filiorum, quàm cùm unigenito uti propria ejus membra coagmentamur. At unigeniti membra non alium ſortiuntur quam ipſum eundem unigeniti Patrem. 6. Concorporei & conſubſtantiati Chriſto, imo unum unuſque cum Chriſto effecti, ut ſcripturæ Patrumque ſententiæ ſupra memorarunt, cui nos Patri niſi Chriſti Patri filios mancipent? 7. Ut ipſa Verbi filiatio per incarnationem carni imprimitur, eoque Chriſtus homo ipſa Verbi propria genitaque filiatione filius Dei Patris eſt: ita Verbi ipſa filiatio cum ſua carne nobis imprimitur, dum ſeu per baptiſmum ſeu per Euchariſtiam maximè formatur Chriſtus in nobis; at ea filiatione non alium quàm Verbi ipſius contigimus Patrem. 8. Unus eſt Chriſtus, caput & membra; at uni Chriſto multiplex non eſt Pater; nec ipſe ſibi Pater eſt; nec membrorum ſuorum progenitor caput eſt; nec ſponſus ſponſæ ſuæ parens eſſe poteſt. 9. Hinc ſponſa Chriſti Eccleſia ſeu informatam ab ipſo ſponſo Dominoque orationem, ſeu quaſcumque preces alias fundat, ipſas potiſſimùm tremendi preces ſacrificii, ad Verbi Patrem omnes contorquet, hunc Patrem uſque interpellat per Filium in Spiritu ſancto. 10. Tandem quanquam ſumma æqualitas & conſubſtantialitas coæquet ſibi divinas hypoſtaſes, & in omnibus pariter conſociet, originum tamen ordo viget ubique intaminatus, & principatus quidam authoritaſque Patri per Filium in Spiritu ſancto conceditur. Hinc Patri nominatim ſupplicatur, hinc per incarnationem à trina deitate profectam, ſolus Pater Chriſti hominis Pater eſt; hinc Chriſtus Patris nomen manifeſtat, Patrique propitiando ſanguinem fundit, & Patri demum filios, ſibi fratres aggregat. Igitur tametſi noſtram adoptionem, ſicut & Chriſti incarnationem tota Trinitas operetur: ut Chriſtus tamen, ita & Chriſtianus, ſed ille natura, hic gratiæ beneficio, Patris æterni filius ſpecialiter eſt. Quia enim in æternæ filiationis propagatione quadam & ampliatione iſtud totum ſuperſtruitur: in hanc filiationem quomodocumque prolixiùs effuſam, jus ſuum Deo Patri conſtat incolume.

XIV. Chriſtus quando nobis Pater eſſe innuitur & à Scripturis & à Patribus.

Nec nos fallit quàm frequenter patriam in nos authoritatem Chriſto obtulerint ſancti Patres, cujus ſanguine, uti regio ſemine concreti ſumus. Ambroſius: *At ego oſtendam & Chriſtum habere filios, quos quotidie generat, ſed ea generatione, vel potius regeneratione, quæ poteſtatis eſt, non naturæ. Adoptio enim poteſtatis eſt, generatio proprietatis.* Et Chriſtus ipſe hoc paterni nominis blandimento delectatus eſſe innuitur, cùm filios ſponſi nuncupavit Apoſtolos, cùmque eos pollicitus eſt non relicturum ſe orphanos, ut notat Auguſtinus: *Quamvis ergo nos filius Dei ſuo Patri adoptaverit filios, & eundem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui ejus Pater eſt per naturam; tamen etiam ipſe circa nos paternum affectum quodammodo demonſtrat cum dicit, Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Hinc eſt quod etiam ſponſi filios nos appellat cum ait, Veniet hora ut auferatur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt filii ſponſi. Quis autem ſponſus niſi Dominus Chriſtus?* Chryſologus item: *Homo quidam habuit, inquit, duos filios. Poſtquam Deus induit exuvias humanas, veraciter ſe Deus hominem vocat; Dominus Patrem verè ſe duorum nuncupat filiorum. Quia humanitati permixta deitas, deitati conſociata*

L. 4. de fide. c. 4.

Tract. 75. in Evang. Jo.

Serm. 1.

sociata pietas, miscuit hominem & Deum, quæ Dominum univit in Patrem. Avitus: *Impleturus redemptor noster sacramentum carnis assumptæ sicut æternus & piissimus Pater, creatis à se redemptisque filiis, spem indultæ adoptionis aperiens, substantiamque nobis cælestem ante diem suæ mortis adsignans, testamentum fecit, quo nos hæredes ab his quæ largiebatur instituit, humana quidem comparatione, sed non humana necessitate, non amissurus quod filiis deputabat, sed habiturus magis filios cum hæreditate quam scripserat.* Denique Pacianus sermone de Baptismo ad hunc modum Christo nos filios obligat: *Dicet mihi aliquis, peccatum Adæ meritò transivit in posteros, quia ex ipso geniti erant; at numquid nos à Christo geniti sumus, ut propter ipsum salvi esse possimus? Carnalia cogitare nolite; jam videbitis qualiter Christo parente generemur. Novissimis temporibus animam utique cum carne accepit Christus ex Maria: hanc venit salvam facere, hanc apud inferos non reliquit, hanc spiritui suo conjunxit, & suam fecit. Et hæ sunt nuptiæ Domini, uni carni conjunctæ, ut secundùm illud magnum sacramentum fierent duo in carne una, Christus & Ecclesia. Et his nuptiis Christiana plebs nascitur, veniente desuper spiritu Domini; nostrarumque animarum substantiæ superfuso & admixto protinus semente cœlesti, visceribus matris inolescimus, alvoque ejus effusi vivificamur in Christo. Sic generat Christus in Ecclesia per suos sacerdotes, ut idem Apostolus, In Christo autem ego vos genui.* Didimus Alexandrinus: *Paternitatem qui filius erat, non usurpavit, quanquam & ipse per adoptionis gratiam multorum Sanctorum sit Pater, secundùm illud quod in Psalmis legitur, Si custodierint filii tui: & iterum, Si dereliquerint filii ejus legem meam.* Denique Julianus Africanus: *Legitur de filio dictum, Pater futuri sæculi; sed hoc secundum carnem dictum est, & non propriè & significativè, ut ostenderetur ipse causa & genitor beatitudinis nostræ.*

Fragm. t. in Ep. ad Hebr.

L. 2. de Spiritu sancto.

L. 1. de partibus divinæ legis. c. 15.

E Græcis quoque, ne quasi contemptim prætermissi videantur, paucos adnectam qui eodem Patris nomine Christum exornarint. Athanasius in hoc dictum, Omnia mihi tradita sunt, &c. Christumquoque Patrem futuri sæculi ex Isaia dictum esse observat. Sanctus Macarius: *Totus labor ille & studium Christi in eo fuit, ut ex seipso, ex sua ipsius natura procrearet filios ex spiritu superno, pergratum habens si nascerentur ex sua deitate. Et quomodo patres isti, nisi genuerint, anguntur, sic etiam Dominus qui dilexit hominum genus, ut proprium sanguinem, voluit eos ex ipso semine divino producere.*

Hom. 30.

XV. Summa rationum quibus id efficitur.

His ergo munimentis stabilitur Christi paternitas, quod filios ejus commemorent Psalmi; quod Patrem futuri sæculi appellet eum Isajas; quod ipse se sponsum, Apostolos sponsi filios vocet; quod pridie mortis suæ testamentum condat, & uti Pater filiis, substantiam nobis suam adsignet; quod discessu suo orbandos quasi orphanos, solatio reditus sui demulceat; quod Ecclesiæ matris filii simus, cujus ipse sponsus est, adeoque ejus semine procreemur; quod denique primo parenti Adamo succedat ipse secundus, imo primus alter, & recidivi generis humani summus parens, generationis corruptelas regeneratione detergens.

XVI. Se datur ille conflictus, & unus vendicatur nobis specialius Pater idem qui Christi.

Nec harum tamen authoritatum rationumque ea vis est, quæ nos à sententia priùs fundata dimoveat, ut filios nos specialiùs soli Verbi Patri dedicemus. Abstinet enim constantissimè Christus Patris nomine, se fratrem crebriùs, suum nobis Patrem sæpissimè assignat; denique ut loco supra relato ait Augustinus, *Paternum affectum circa nos demonstrat, suo Patri nos filios adoptat, & eundem Patrem nos vult habere per gratiam, qui ejus Pater est per naturam*: hoc uno loco conflictum omnem dissidentium sententiarum sedamus; Christus ut in multis fratribus primogenitus paterno affectu nos fovet, Patris instar nobis est, reapse tamen frater nobis est, non Pater; nam etsi nos suo procreet semine, non sibi tamen, sed Patri filios generat; sicut & Spiritus sanctus, quanquam Christus in carne de eo concipiatur, non tamen ejus Pater est.

XVII. Liquet 16. quod Patres aperte asserant nos quodam ore aspergi nativæ filiationis.

Liquet 6. Quàm non injuria ultra vulgarem adoptionem magnificentius aliquid de nobis auguremur, & nativæ filiationis non inani gestiamus spe. Hoc enim ex Christi verbis ominati sunt Patres. Cyrillus quippe illa Christi expendens verba, *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum:* hæc habet: *Dilecti enim sumus ut filii, ad similitudinem naturalis ac veri filii. Tametsi enim haud pari forsan modo, rei tamen imitatio perfectissima, quæ veritati quodammodo exæquari videtur, illius claritatem effingit.* Vides quantillum nos à naturali filio disjungat. Huic spei velificatus est etiam amplius alibi Cyrillus: *Idem utique unigenitus & primogenitus; unigenitus quidem ut Deus, primogenitus autem quatenus secundùm œconomicam unionem inter nos & inter multos fratres homo versatus est; quò & nos quoque in ipso & per ipsum, secundùm naturam & gratiam filii Dei efficeremur: secundùm naturam quidem vel naturales, quasi in ipso & solo; participatione verò & secundùm gratiam, per ipsum in spiritu.* Expressissimè profitetur Dei nos filios esse bifariam, φυσικῶς & κατὰ χάριν; natura & gratia. Natura quidem, ὡς ἐν αὐτῷ τε καὶ μόνῳ, ut in ipso & solo, seu ut reddidit interpres, ut membra ipsius; gratia verò per participationem spiritus. Igitur præter adoptionem, seu filiationem ex gratia; quatenus membra Christi, quadam etiam naturalis filiationis portione donati sumus. Adoptio enim quasi jejuna & exanguis filiatio est, in speciem tantùm adumbrata, qua & Angeli qui in veritate steterunt, fraudati non sunt, & homines si à Deo non descivissent, nec ea ipsi frustrarentur. At Verbi in carnem naturamque nostram seu nativæ Dei filiationis insitione, efflorluit manavitque odor quidam ejusdem proprietatis in omnes ejusdem naturæ ramos surculosque. Sed de eo postea.

L. 11. in Ev. Jo. p. 1003.

L. de recta fide pag. 27.

XVIII. Suffragatur Naclantius. In c. 1. Epist. ad Ephes.

Suffragatur Naclantius, ea ex Joannis Evangelio discutiens verba, *Ex Deo nati sunt:* ubi sic disserit: *Sunt ex eo quia adoptati per eum in charissimos filios; imo inserti ut membra, unigenito naturali; ut non modo sint cum illo hæredes paternæ fœlicitatis, sed ut & ipsi quodammodo participes sint naturalis filiationis Dei, in ejus unico ac naturalissimo filio Christo Jesu.* Hoc ipsum luculentiùs prolixiùsque & disserit & firmat tractatu de regno Christi, in hunc modum; *Spiritu adoptionis donati, & per illum non solùm Christi fratres, & cohæredes constituti, sed in palmites & membra transformati; & adeo si dicere fas est, in illum absorpti, ut non modo in nobis vivat, Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus: non modo loquatur, An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? non modo patiatur, Adimpleo quæ desunt passionum Christi in corpore meo, & Saule, Saule quid me persequeris? non modo induatur, recipiatur, cibetur, Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; sed pro uno eodemque pariter cum illo reputemur, ejusque thronum ut aliquando promittit, accipiamus; ut ubi ille est, & nos simus, quemadmodum & Patrem petiit, & nunquam exauditus non est pro sua pietate; & sic tandem de filiis adoptivis, filii evadamus quodammodo naturales, & Patrem interpellemus non tantum gratia, sed quasi natura. Propter quod Spiritus sanctus in cordibus filiorum non modo Patrem clamat, sed Patrem ingeminat, Abba dicens, Pater, ut ea ingeminatione vocis, Patrem utroque modo testetur.* Nihil ad scripturæ sensum intimum, nihil ad Christianæ pietatis gustum dici poterat opportunius, nihil ad nostræ doctrinæ stabilimentum validius.

XX. Liquet id 7.

Liquet 7. idipsum ex eo quod nisi Verbum caro fieret, nos filii dignitate hac nostra non ornaremur;

quod ab incarnatione Verbi nostra profluat filiatio, non ergo mera adoptio.

mur; at adoptio contigisset utique & Angelis & hominibus in conditionis suæ integritate perseverantibus, etsi Verbum caro non fieret: ergo per Verbi incarnationem, non adoptio tantùm, sed splendidior propriæ filiationis aliqua delibatio parta nobis est. Athanasius in decretis Synodi Nicænæ: *Nam quod nobis filii appellatio indulgetur, id inde profectum est, quod Verbum nostrum corpus gestavit, & in nobis habitavit; & consequenter propter Verbum quod in nobis est, is qui Deus est, Pater noster appellatur. Et quia Spiritus Verbi in nobis est, per nos Patrem suum tanquam Patrem nostrum vocat. Ea enim est mens Apostoli dicentis, Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba Pater.* Authore Athanasio igitur nostra filiatio tota efflorescit ex implicato nobis Filio proprio, seu Verbo, qui per Spiritum suum nobis incubantem clamat, Abba Pater, suumque è nobis quasi membris suis Patrem invocans proprium, proprium quoque & velut naturalem nobis Patrem constituit Deum. At ea filiationis nobilitas nec stantes Angelos, nec quandiu stetere, primos parentes nostros condecorasse potuit. Cyrillus quoque inferi nos ait Verbo, ut immortali radici, & succum inde æternitatis ebibere; ipsum autem hinc appellari primogenitum omnis creaturæ, quod fratrum suorum quasi fundamentum radixque sit. Quæ ergo inde germinat nostra filiatio, lineas adoptionis longè prætervolat, nec enim Angelorum vel hominum ante lapsum adoptio, de tam nobili radice pullulascebat. *Filius propter benignitatem Patris erga suas creaturas seipsum vocavit primogenitum omnis creaturæ, & tantum non se demittens ad creata, annumerari iis non recusat: ut cum horum primogenitus vocetur, per ipsum serventur quæ post ipsum sunt. Nam si oportet omnino ipsum esse primogenitum, manebunt profectò etiam ii quorum est primogenitus. Est igitur quidem Unigenitus secundum naturam, quippe qui solus existit ex Patre, Deus ex Deo, lumen ex lumine: primogenitus autem propter nos, ut tanquam immortali cuidam radici omnis creatura insita sit, & ex eo qui semper est germinet.* Sed hac de re copiosiùs capite sequenti.

Thesauri pag. 218.

CAPUT X.

Nostra adoptio rursus, & inde argumenta ad naturalem Christi filiationem.

I. Complures ex Patribus adoptionis & filiationis gloria interdicunt Angelis.

OBservandum 6. Adoptioni nostræ ad naturalem filiationem propiùs alludenti, luminis plurimum splendorisque accessurum esse, si quatenus Angeli, & parentes primi ante lapsum & postea Judæi ante Christi adventum, filiorum usurpaverint nomen, accuratiori indagine exploretur.

Angelis ergo filii nomen abrogat omnino Chrysostomus, & ex Scripturis argumentatur, quæ filiorum nomine non Angelos unquam, sæpiùs homines cohonestant. *Ostendant ubi Angeli filii Dei appellati sint, sed non poterunt unquam monstrare. Homines quidem filii Dei dicti sunt, Angeli autem nunquam. Atqui de Angelis dicit: Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos flammam ignis. De hominibus autem, Ego dixi, Dii estis. Et iterum, Filios genui & exaltavi. Et iterum, Primogenitus meus, filius meus Israel. Angelus autem nusquam vocatus est filius, neque filius Dei.* Ne ergo ultra sapientiæ normam, hoc est, ultra Scripturam sapiamus, ne filiorum nomen largiamur Angelis. Jobius quoque apud Photium in eadem est sententia, ubi complura hominum post Verbi ad nos descensum privilegia supra Angelos accumulat, quòd dæmones conculcemus, quibus nec Princeps Angelorum Michael ausus est

Hom. 22. in Genes.

convitium intorquere: quod si secus aliquid vel Angeli evangelizent, anathema eis indicere jussi simus; quod denique illi ministri, nos filii in divinis litteris vocitemur: *Et certè post Christi Domini adventum etiam in hominibus majora opera videre licet, quàm quæcumque ab Angelis fiunt. Ecce ego dico vobis, inquit Paulus, licèt Angelus de cœlo evangelizet vobis præter id quod accepistis, anathema sit. Et iterum, Michael quidem Archangelus non est ausus judicium inferre blasphemiæ diabolo, nos verò accepimus potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones & super omnem virtutem inimici. Neque Angelorum quisquam ausus est se vel alium, appellare Deum, vel Dei filium: hominum verè genus & Dii & filii Dei nominantur.* Jure enim meritòque cùm se nostræ, non Angelicæ naturæ inseverit Veritas, Evangelium Veritatis homo promulgat, non Angelus: cùm se nobis, non Angelis immiscuerit debellator dæmonum Filius Dei, nostra, non Angelica natura dæmonibus insultat, bellumque indicit internecinum: cùm se nostræ, non Angelorum substantiæ illigaverit filiatio Verbi, non Angelis, sed nobis filiorum circumfluit gloria. Basilius quoque Seleuciæ Episcopus: *Neque Dei filius vocatus est Angelorum ullus, sed hoc appellationis honore soli gloriantur homines. Nam in quibus imaginis refulget dignitas, in iis adoptionis gratia concurrit.* Et hic ergo tam imagine Dei quàm filiatione Angelis interdicit. Orat. 6.

II. Alii eam illis concedunt. Cælest. Hierarc. c. 12.

Refragantur tam apertæ horum sententiæ non pauci aliorum Patrum, Angelisque ut & ipsi Dii, filiique Dei sint, impensiùs suffragantur. Dionysius in primis: *Quin imò reperias Theologiam quoque Deos appellare cælestes illas supernasque substantias, uti & sanctos qui apud nos sunt viros, Deoque amicissimos.* Palam enim favent illa Scripturæ loca, *Deus stetit in synagoga Deorum, Rex magnus super omnes Deos.* Et in Libro Job, filios Dei, seu Angelos Deo astitisse memoratur semel iterumque. Affinior etiam huic opinationi videtur fore Augustinus, qui tam sedulò inculcavit, cùm adoptionis nostræ cumulum extrema corporum resurrectione fuerimus consecuti, tum demum, ut veritas informavit fidem nostram, fore nos Angelorum similes. Ergo non infra nos jacent Angeli, cùm eorum similitudo supra nostra suffragia emineat, & nobis ambienda ostendatur. Quo discordia hæc sedari queat modo, infrà vestigabitur.

III. Illi & Adamo stanti eandem annuunt. Dial. 4. de Trin.

Primis in primævæ integritatis flore parentibus nostris divinam filiationem fuisse concessam non dissimulat Cyrillus, quin imò eò tantùm nos anhelare nunc fatetur, ut in eam dignitatis stationem restituamur, unde excussi sumus: *Simul enim opificis ineffabili nutu producta est hominis natura, & conjunctione cum spiritu est condecorata. Inspiravit enim in faciem ejus spiraculum vitæ; quum animal non aliter opinor sanctificationis & familiaritatis cum Deo splendorem perpetuò habiturum esset, quàm si sancti Spiritus ornaretur participatione. Quocirca cum factus est homo Unigenitus, vetere ac primo illo bono destitutam hominis naturam inveniens, rursus eam in pristinum statum reformare est aggressus, veluti de fonte plenitudinis immittens & dicens, Accipite Spiritum sanctum, corporeo ac noto flatu naturam spiritus utique designans. Renovari ergo ad statum pristinum idem erat ac initio produci.* Si eodem primus parens afflatus erat Spiritu sancto ac nos, perinde filius Dei erat: si ubi filii Dei efficimur, eo unde excidimus, redintegramur, perinde ergo filii extitissemus. Sexcenties idipsum repetit Cyrillus. Agobardus quoque in calce opusculi contra Felicem, hæc refert Augustini in Epistolam ad Galatas verba: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, ut adoptionem filiorum reciperemus. Nec dixit idem Apostolus, Ut adoptionem filiorum acciperemus,*

remus, sed reciperemus, ut significaret hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus; hic enim adoptionem recipimus, &c. Conspicua est Apostoli authoritas, etsi tanta interpretis Augustini authoritate non roboraretur. Si autem primos parentes in hoc culmen amplitudinis ipsa provexerat creatio, quid conjectandum Angelis superest?

IV. Et Israelitis quondam. Orat. 5. Judæis quoque sub legis olim servitute delitescentibus, divinæ adoptionis & filiationis decus affuisse, author est Athanasius, dum Arianos, ajentes Verbum non ante carnem assumptam Filium fuisse, hoc ariete pulsat: erant inter Judæos ante Christi adventum justi nonnulli, adeoque filii Dei: at filii esse non poterant nisi æternæ filiationis formæ seu Verbo adglutinati; ergo jam tum Filius erat Verbum. *Ideo enim Verbum caro factum est, ut per Verbum qui filius est & habitat in nubis, filii efficeremur: ideo & pater noster dicitur. Emittit enim Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater. Igitur in nobis Filius Patrem suum invocans, efficit, ut noster ille Pater appellitetur. Certè in quorum cordibus non est Filius, horum Deus Pater nominari non potest. Si igitur propter Verbum, homo appellatur filius, necessum est omnino & ante susceptam humanitatem, quum ex priscis aliqui filii appellentur, & ante adventum Verbi in terras filium extitisse, cùm dicat, Filios ego genui: & in Noe, Videntes filii Dei: & in Cantico, Nonne ipse est Pater tuus? Erat igitur revera Filius, per quem & illi filii appellantur.*

V. Quibus eam alii abrogāt. Ex adverso autem Judæis filiorum Dei nomen decusque excutiunt turmatim alii Patres, & verbo tenus ac umbratiliter tantùm atque in figura, ut nostræ filiationis prælusoria quædam simulacra, filios appellari interdum in sacris paginis interpretantur. At Chrysostomus quidem ea Apostoli verba versans, quæ hanc Christianorum supra Judæos

Hom. 14. in Ep. ad Rom. esse prærogativam dilucidè adstruunt: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Hæc inquam verba Sole illustriora expendens Chrysostomus ait: *Igitur, inquies, Deum illi etiam non vocabant Patrem? Non audis Moysen dicentem, Deum qui te genuit, dereliquisti? Non Malachiam exprobrantem, & dicentem, Deus unus est & pater omnium nostrum? Sed ut hæc & his item plura dicta sint, nusquam invenire est illos hoc verbo vocare Deum, aut sic preces fundere. At nos omnes, sacerdotes & privati, principes & subditi ita precari jussi sumus; & hanc primam vocem edimus post admirabiles illas parturigines, post novam ac mirificam enitendi legem.* Ergo filii non erant Dei, qui nusquam perhibentur Deum invocasse patris nomine; cùm nos statim à genitali unda recentes, oratione dominica Patrem invocemus, & in prece mystica, hoc principaliter orare jussi simus. Deinde etsi eorum aliqui Patrem implorarunt Deum, suo impetu, non spiritus instinctu id aggressi sunt, ut idem subdit: *Alioqui ut demus illos aliquando Deum ita vocavisse, nempe Patrem: tamen ad id illi à propria cogitatione incitabantur, nos qui in gratia sumus à Spiritu sancto.* Denique acutè subnotat idem Chrysostomus, ideo nos Hebraica etiam lingua, ut Abba Patrem vocemus, à Paulo doceri, ut hinc filiationis nostræ ingenuitas, proscriptis ab hac dignitate Hebræis ipsis, significetur.

Ho. 13. in Jo. *Ostendere volens germanam legitimamque cognationem, Hebræorum quoque usus est lingua: neque enim solum dixit Pater, sed Abba Pater. Quæ potissimum vox est germanorum ac legitimorum ad patrem filiorum.* Et alibi: *Illa quidem quasi figuræ sunt, hæc quasi veritas, æquivocationem, non rei communionem servantia; quoniam in figuris sunt & umbra. Nam & homo pictus, homo appellatur, & verus homo itidem, &c. Unde igitur exordiemur? Vultis ab ipsa adoptione? Quænam inter hanc & illam differentia est? Illa verbo honorabatur, hæc reipsa. Et de illa quidem ait, Ego dixi, Dii estis & filii Altissimi omnes: de hac autem, Ex Deo nati sunt. Quanam ratione? per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti. Et illi quidem postquam filii appellati sunt, adhuc spiritum servitutis habebant, erant enim servi, etsi hac appellatione honorabantur: nos liberi tunc facti, non nomine, sed re honorem accepimus. Quod Paulus his verbis significavit, Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, &c. Generati namque à Deo, & ut verè dici potest, formati, ita vocati sumus filii.* Filii ergo erant illi verbo tenus, nos re: illi in figura, nos verè: illi hac voce Dei honestati, Ego dixi, Dii estis, nos de Deo generati, natique.

Cyrillus in eandem pronissimus sententiam fertur; *Sed quid majus, inquiet forsan aliquis, vel quid eximii præ Israelitis nacti sunt fideles, cùm & ipsi Israelitæ nati esse à Deo dicantur, juxta illud, Filios genui & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Ad hoc respondemus primum quidem, quod cùm lex umbram futurorum bonorum haberet, non autem ipsam rerum veram speciem: itaque neque istud Israelitis verè concessum, sed typicè & figuratè descriptum in ipsis fuit, usque ad tempus correctionis, sicut scriptum est, quo emersuri erant qui decentius atque verius propter inhabitantem Unigeniti spiritum Patrem Deum appellarent. Illi siquidem habebant spiritum servitutis in timore, hi vero spiritum adoptionis filiorum in libertatem, in quo clamamus, Abba, Pater. Igitur populus per fidem in Christum ad filiorum adoptionem evehendus, in illo velut in umbram præfiguratus est.* In Evang. Joa. pag. 91.

Concinit & Ambrosius: *Postquam venit fides, jam non sub lege, hoc est, sub Pædagogo sumus, quia sumus filii Dei, & omnes sumus in Christo Jesu.* Deinde Judæum invehit causæ suæ ita patrocinantem: Epist. 71. *Et ergo hæres sum, quoniam sub lege sum. Lex autem vetus dicitur testamentum; ubi autem testamentum, ibi hæreditas.* Quem ita refellit: *Sunt hæredes sine re, sunt & cum re; & dicuntur hæredes testatore vivente, qui scripti sunt, sed sine re. Sunt etiam hæredes parvuli, qui nihil differunt à servulo, quoniam sub curatoribus sunt & actoribus, &c. Ergo dedit illis speciem hæreditatis, possessionem negavit; habent nomen hæredis, usum non habent, &c. Sicut ergo parvuli, ita & Judæi sub pædagogo sunt. Lex pædagogus est; pædagogus ad magistrum ducit; magister noster solus est Christus. Pædagogus timetur, magister viam salutis ostendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem, charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem.* Quibus ita consentaneus est Augustinus, ut nihil frequentius ingeminet.

Isidori Pelusiotæ locus pulcherrimus ferè exciderat, ubi advertit Judæos nunquam nisi exprobrationis causa in Scripturis filios appellari, *Scribente tua prudentia adoptionis dignitatem Judæis etiam obvenisse, quia scriptum sit, Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Et alibi, *Deum qui te genuit, dereliquisti. Dico non reperire me omnino ex iis quæ attulisti testimoniis absolutum atque purum honorem, sed reprehensioni mixtum; ita ut nisi Judæi lapsi essent, ipsos honorificè non compellasset; sed in majoris reprehensionis argumentum, honorem contumeliæ adjunxit.* Cùm nos honorificentiæ gratia appellitemur filii. l. 5 Ep. 197.

VI. Sedatur pugna ista: primo circa Hebræos: quorum qui æternorum charitate flagrabant, ii ut præcoces Christiani, jam tum filii erant Dei, non alii.

Dissidentes in speciem sanctorum Patrum sententias hactenus explanavimus; jam ut eas reapse concinere sibi, & in unum conspirare filiationis nostræ decus, palam fiat, à Judæis quorum expeditior est causa, ordiamur.

Conflabant illam Rempublicam spiritales pauci, carnales longè plurimi. Latentem in umbra legis Christum spiritales illi jam tum fide, spe, & æternorum

norum charitate prehensabant, & præcoce Christianitatis anticipatione nostram jam inde præsumebant filiationem. De his Athanasius verba facit, loco supra laudato, & si quis alius adoptioni nostræ Judæos accensuit. Reliqui temporalium cupiditate occæcati, fideique in Christum expertes, sola legis littera & figuris pascebantur, timore agebantur ut servi, inanes penitus charitatis æternorum, adeoque filiationis nostræ gestabant sacramentum, intellectum nec attingebant, nedum consortium. Hos reliqui Patrum calculi arcent à filiationis nostræ collegio. Augustinus: *Vetus testamentum rectè intelligentibus Prophetia est novi testamenti.*

L. 15. con. Faust. *Itaque & in illo primo populo sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui intelligebant quod agebant, vel quod per eos agebatur, in novo testamento habebant istam spem salutis æternæ; ad illud enim pertinebant, quod intelligebant & diligebant; quia etsi nondum revelabatur, jam tamen figurabatur. Ad vetus autem illi pertinebant, qui non illic amplius quàm promissa temporalia cogitata concupiscebant, in quibus æterna figurata & prophetata non intelligebant.*

L. 3. contr. Bonif. c. 4. Et rursus alibi: *Sive igitur Abraham, sive ante illum justi post eum usque ad ipsum Moysen, per quem datum est testamentum à monte Sina in servitutem generans, sive cæteri Prophetæ post eum & sancti homines Dei usque ad Joannem Baptistam, filii sunt promissionis & gratiæ secundùm Isaac filium liberæ, &c. Ad testamentum autem vetus quod est à monte Sina in servitutem generans, illi pertinent, &c. Sola quæ ibi Deus pollicetur, terrena promissa sectantes, & quid pro novo testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore & amittendorum timore, Dei præcepta servabant, imo non servabant, sed sibi servare videbantur, &c. Hi ad vetus pertinent testamentum, quod in servitutem generat, quia facit eos carnalis timor & cupiditas servos, non evangelica fides, spes, & charitas liberos. Sub gratia verò positi, quos vivificat spiritus, ex fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur, in spe bonorum, non carnalium, sed spiritualium: non terrenorum, sed cælestium: non temporalium, sed æternorum, præcipuè credentes in mediatorem, &c. Hi pertinent ad testamentum novum, filii promissionis, & regenerati à Deo Patre & libera matre. Hujus generis fuerunt antiqui omnes justi, & ipse Moyses, testamenti minister veteris, hæres novi.* Non potuissent illi æterna sapere, nisi æterna se illis induisset sapientia; non potuissent æterna concupiscere, nisi æterna se illis infudisset charitas; imbuti ergo inductique æterna sapientia & charitate, hoc est, imbuti inductique Verbo Dei filio, & ejus Spiritu, non poterant non esse Dei filii. Erant ergo jam tum membra Christi, Christo capiti connexa, etsi præ-

In Ps. 61. currentia; unde Augustinus: *Præcesserunt adventum incarnationis Christi, quædam membra Christi; sicut in nascente quodam nondum quidem procedente capite præcessit manus, sed tamen capiti connectebatur & manus.* Erant ergo membra Christi, & filii sicut & nos, etsi non iisdem locupletati privilegiis. Nam nec hæreditatem adire tum poterant, quantavis præpollerent justitiæ copia; & intus sibi Deoque conscientiam filiorum gestantes, foris servilem sustinebant personam, jugumque & sordes atque infamiam servitutis subire compellebantur; ac denique non in arctissimum illud & sacrosanctum divinæ cognationis & consanguinitatis vinculum colligabantur, quo nos per carnis & sanguinis Christi mysticam sumptionem, Deo conserimur.

VII. Sedatur eadem pugna circa Angelos & Adamum, quibus mera adoptio congruebat, nō hæc nostra nativæ filiationis odore perfusa.

Non paulò implicatior est alter ille nodus, quo Angelorum primorumq; parentum adhuc stantium adoptio in Dei filios concluditur vel excluditur. Quis facilè conciliet tam apertè discordantes, ut supra retulimus, Patres? Quis facilè Angelis sanctis hominibusque ante lapsum, adoptionem vel adroget, cum per Verbi in carnis exuvias insertionem ea obtigerit: vel abroget, cum Verbi incommutabilis participatione prælarga & ipsi bearentur.

Internucet tamen in hac tanta perplexitate nonnihil luminis, ab illa nimirum quam superiùs attigimus, duplicis filiationis partitione. Alia enim est adoptio mera & jejuna; alia filiationis nativæ & genitivæ substantiva usurpatio. Illa Angelis sanctis hominibusque ante lapsum ultro condonanda est, hæc ut ex incarnatione Verbi efflorescens, nobis unis vindicanda, aut ex nobis etiam in Angelos derivanda. Quod enim exucca illa adoptio ante inhumanationem Verbi prædestinatam nec Angelis, nec Adamo abjudicari queat, dilucidius est quàm ut argumentis ullis dilucescere queat amplius. Quod verò macilentior illa foret adoptio, exorsque penitus & inanis futura ejus prærogativæ, qua nos in Dei filios quodammodo naturales, vel in unum potiùs Dei filium naturalem compaginamur, & ultra adoptivorum spem longissimè evehimur, id verò ut indubitatius fiat retexenda hic nonnulla sunt carptim cursimque eorum quæ prolixè hactenus disputata sunt. Retractentur animo quæcumque capite nono ventilavimus, de indulto nobis per Christum naturalis suæ filiationis collegio, ea nobis peculiaria esse comperientur, nosque ultra Angelorum etiam apices nobilitabunt. Substantiva enim insertio Verbi seu filiationis propriæ in naturam nostram, ampliori huic nobilitati admirabiliter eam coaptavit. Refusio ejusdem Verbi cum sua carne in nos, seu per baptismum, seu per mysticum cibum maximè, ejusdem quoque nativæ filiationis in nos redundantis effusio est. Generatio vel regeneratio nostra in Dei filios, reformatio nostra in unigeniti membra, efformatio & parturitio Christi in nobis, conglutinatio & coagmentatio nostra in unum Christum seu in unum Filium naturalem, adoptivæ nos refigit, infigit autem naturali filiationi. Quin imo tanta nostrum omnium & tam inexplicabilis complicatio cum unigenito carne succincto, ut unus cum illo Christus simus, cum illo nascamur, illi commoriamur, resuscitemur cum illo, consideamus cum illo in dextera Patris, ut membra unigeniti, ut ipse unigenitus, hæc ante Verbi incarnationem nec primis parentibus, nec ipsis Angelis in mentem venire potuisset, nedum in spem.

Hæc nostra peculiaris, & nec Angelis sanctis arroganda filiatio est, de qua Athanasius, de decretis Nicænæ synodi: *Quandoquidem nostrum corpus gestavit Verbum, & habitavit in nobis, consequenter propter Verbum quod in nobis est, Pater noster Deus appellatur.* Et alibi idem: *Æquum est ut nos aliquando Deum Patrem vocitemus, eo quod & ipse Filius carni nostræ communicaverit. Ideo enim Verbum caro factum est, ut per Verbum qui filius est & habitat in nobis, filii efficeremur. Igitur in nobis filius suum Patrem invocans, efficit ut noster ille Pater appellitetur. Certè in quorum cordibus non est filius, horum Pater Deus nominari non potest.* Angeli ergo filij sint, ut servi in filiorum nomen adoptati: at nos ut unigeniti membra, ut unici portiones, ut unicus ipse qui in nobis quoque filius est, & Patrem invocat; ut enim Verbum in sua carne filius est Dei, ita Verbum cum sua carne in nobis filius Dei est, eoque nos sumus ipse filius Dei.

VIII. Cōfirmatur illud ex Athanasio. Orat. 3 contr. Arian.

Hæc nostra peculiaris filiatio est, & nec Angelis arroganda, de qua Cyrillus: *Inter nos & inter multos fratres homo versatus est, quo & nos quoque in ipso & per ipsum, secundum naturam & gratiam filii Dei efficeremur; secundùm naturam quidem, ut ipso & solo; participatione verò & secundùm gratiam, tanquam per ipsum in spiritu.* Idemque rursus alibi: *Qui autem in filiorum Dei adoptionem fide in Christum evehuntur, non in unam è creaturis aliquam, sed in ipsam sanctam Trinitatem baptizantur, mediante Verbo; quod sibi humanitatem quidem conjungit, per carnem unitam, sed naturaliter Patri conjungitur, quatenus natura Deus. Hoc enim pacto servi ad filiationem vocantur per veri filii parti-*

IX. Ex Cyrillo. L. de recta fide pag. 17.

In Ev. Joan. pag. 93.

participationem, ad dignitatem ei naturaliter inexistentem vocati & quodammodo evecti. Angeli ergo filii sint, sed nuncupativè, tota substantia à Patre alieni; at nos Christo consubstantiales qui Patri consubstantialis est, germana proles sumus ejusdem Dei Patris, à quo Verbum caro gignitur.

x. Ex Jobio. Hæc nostra peculiaris filiatio est, & nec Angelis arroganda, de qua Jobius apud Photium: *Neque Angelorum quisquam se vel alium ausus est Deum, aut Dei filium appellare: hominum verò genus Dii & filii Dei nominamur. Cùm item dixisset, qui inter illos lucifer vocabatur, similem se futurum Altissimo, soliumque supra cœlum collocaturum, illis ipsis quæ tum possidebat bonis amissis, in sæcula ludibrio est, atque condemnatus manet: nobis tamen veritatis decretum potestatem illam fecit, ut similes Patri efficeremur, unàque cum ejus Filio in thronis consideremus. Illud amplius, conresuscitavit & considere nos fecit in cælesti in Christo Jesu.* Et, *Si sustinebimus, etiam conregnabimus.* Angeli ergo perfunctoriæ filiationis umbra sibi blandiantur, paterni soliique regnique nunquam assequentur collegium; detrusus in tartara est qui eorum princeps machinatus id erat; nos verò ut germana Dei Patris soboles, in unigenito ejus & cum unigenito ejus consedemus & conregnamus.

xi. Ex Augustino. Hæc nostra rursus peculiaris filiatio est, & nec Angelis arroganda, qua in unum Dei filium ita concorporamur omnes, ut unus Christus omnes simus; & sicut caro Verbi, quia aliquid Verbi jam est, in unam coalescit cum filio Dei unigenito personam: ita Ecclesia quia caro Christi ipsa est, & membra Christi omnia continet, Christus ipsa & unigenitus filius est, pariterque cum eo & in eo ascendit in cœlum, considet ad dexteram Patris, conregnatque. Augustinus: *Quamvis in terra factus sit filius hominis, divinitatem tamen suam, qua in cœlo manens descendit ad terram, non indignam censuit nomine filii hominis: sicut carnem suam dignatus est nomine filii Dei: ne quasi duo Christi ista accipiantur, unus Deus & alter homo, sed unus atque idem Deus & homo. Ac per hoc, per distantiam divinitatis & infirmitatis, filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terra; per unitatem verò personæ qua utraque substantia unus est Christus, & filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse filius hominis manebat in cœlo. Fit ergo credibilior fides ex incredibilioribus creditis. Si enim divina substantia longè distantior atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret: ac sic filius hominis qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cœlo per participatam carni divinitatem: quanto credibilius alii homines sancti & fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus, ut omnibus per ejus hanc gratiam societatemque ascendentibus, ipse unus Christus ascendat in cœlum, qui de cœlo descendit? Sic & Apostolus ait, Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus; ita & Christus: non dixit, Ita & Christi, id est corpus Christi, vel membra Christi; sed, Ita & Christus: unum Christum appellans caput & corpus.* Angeli ergo quantalibet adoptionis amplitudine emineant, extranei sunt, à Patris substantia alieni sunt; at nostra natura Deo extranea non est, ipsa natura Dei est, consubstantiales Deo Christo sumus, consubstantiali unigenito filio sumus; non ergo ex alienis adsciscimur in filios, sed quasi congeneres agnoscimur.

L. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 31

xii. Nostrã hanc tamen prærogativam, etiam Angelis communicat Naclantus. Hæc nostra denique peculiaris filiatio est, & nec Angelis arroganda, impertienda tamen ipsis, ut unum nobiscum corpus sub uno capite Christo conflaturis. Ut enim multa eorum propria ab ipsis in nos redundabunt ornamenta, quando erimus sicut Angeli Dei in cœlo: ita vicissim in ipsos à nobis nonnulla nobis familiaria exuberabunt. Ita conjecit non ineleganter Naclantus: *Nec tamen rejicio, quod sicut ex prædestinatis hominibus Angelorum ruina restituitur, & potituri sunt homines Angelicis privilegiis, quoniam sicut Angeli Dei erunt in cœlis: ita exuberantia gratiæ & donorum Christi, evasuri sint Angeli adoptionis nostræ participes; & veluti congenea membra facti, uno sub Capite, in unum & idem Corpus sint accersendi nobiscum. Ut etiam eam ob rationem omnia tum in cœlo, tum in terra, recapitulentur in eo, & verè ille caput sit, non tam hominum, quàm principatuum & potestatum, sicut alibi Apostolus dicit.* In c. 1. Ep. ad Ephes.

Non infirmis ergo nititur præsidiis redundantia hæc nobilioris nostræ hujus in Angelos filiationis. xiii. Summa rationū, quæ id efficiunt. 1. Christum enim hominem dedit Deus Pater caput super omnem principatum & potestatem. Si ille caput, hi membra; si membra unigeniti, ergo plusculum quàm adoptivi. 2. Unum Angeli nobiscum corpus in beata Patria complebunt; erimus ergo invicem membra: at membris omnia communia; nec cuiquam honoris vel commodi quidpiam affluit quod non in alia defluat. 3. Erimus nos tunc similes Angelis, quin ergo & illi similes nobis sint? ne invideamur eis, si quo præcellimus; & quo præcellunt, vicissim assequamur. 4. Ubi Deus hominum similes & homo factus est, quid jam mirum est si hominum similitudo & Angelis ambienda sit? Cùm Deus humanæ naturæ, non Angelicæ se indiderit, quid æquius est quàm ut ex humana in Angelicam opes honoresque exundent? 5. Ruinas Angelicæ defectionis implebunt prædestinati homines, cùmque per Deum id fiat, par est ut cum compendio & fœnore fiat. Par est ut proficiant damno suo, ut jactura amplius ditescant Angeli, & reparatoris Verbi opulentiam sentiant, dum lapsis succedunt collegæ quadam ex parte nobiliores, eorumque consortio sua ipsorum nobilitas amplificatur. Etenim ut labem hominis resarciit Deus tam liberaliter, ut post lapsum magis splendesceret, altiùsque sublimaretur; ita hiatum Angelicorum cætuum uberrimè implevit & cum ingenti dignitatis incremento. 6. Primariò animam hominis, per eamque Verbum Deus copulavit etiam sibi carnem. In omnem ergo rationalem & intellectualem naturam hinc decus & ornatus accrevit. Etsi ergo semen Abrahæ, non Angelos apprehenderit, in semine tamen Abrahæ naturam apprehendit intellectualem, cujus principatum tenent Angeli. Et in ipsos ergo hinc amplitudo augescere & superfluere debuit. 7. In ministerium mittuntur Angeli propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, teste Apostolo; par est non fraudari eos tam honorifici ministerii mercede; utque per eos in filiationis divinæ culmen proficimus, mutua beneficii retaliatione per nos ipsi in nobilioris filiationis consortium proficiant. 8. Tandem post resurrectionem jam non secundùm carnem Christum novimus, totus enim Deus est, & caro ipsa in Deum quodammodo defluxit. Et nos æquè per resurrectionem erimus sicut Angeli, mente carnem devorante, spiritales undecumque effecti. Tum Christus homo cumulatiùs erit Unigenitus Dei Filius & Verbum, & nos cum ipso; quin ergo & nobiscum Angeli? nam nostra illa tum spiritalitas etsi illæso & sospite nostro corpore, ab angelica spiritalitate non ita valdè discrepabit. At ea splendidior jam disceptatio est, & in aliud seorsim caput conferenda.

CAPUT XI.

Per resurrectionem cumulus & summus apex filiationis naturalis Christo obtigit.

Observandum 7. cumulum filiationis Christi genitivæ & propriæ nonnisi per resurrectionem ei contigisse. I. Cumulus genitivæ filiationis

Liquet

Christo obtigit per resurrectionē Probatur primò, quia tunc plenius Deitas infudit se carni.

Liquet id primò ex eo, quòd Christus homo ut Filius Dei naturalis sit, unione hypostatica carnis ad Verbum consequatur. Ea autem unio duobus quasi nexibus constringitur, qui copiosissimè proprio suprà loco expensi sunt. Alter est immeatio naturæ divinæ in humanam penitissima, indeque effusa divinarum dotium opumque omnium in humanitatem exundatio. Alter verò, inde consecuta naturæ superioris in inferiorem principalitas & dominatio, jusque physicum & substantivum in illam, ut in sui accessionem, in sui quasi portionem & membrum. At ea duo vim maximè suam post resurrectionem conscensumque in cœlos & consessum ad dexteram Patris exeruerunt. Tum enim obrutæ sunt à Deitatis se totam tunc demum infundentis magnitudine, humanæ proprietates: tunc immortalitas mortalitatem, tunc incorruptibilitas corruptibilitatem, tunc infirmitatem virtus, tunc corporalitatem quædam spiritalitas oblitteravit. Tunc unus idemque fuit Dei Filius Verbum caro, extincta mortalitate, rapto in Deitatem homine, non ampliùs seorsim conspicabili filio hominis, sed ita in Deum abrepto, quanquam vel sic maximè sospite & inclumi, quia in salutem vitamque ipsam abreptus est, ut jam totum sit divinitas, sapientia, virtus, impassibilitas, sanctificatio, ac denique totus Deus, & ita jam cumulatissimè Dei Filius. Hæc ad verbum ferè nobis præivit Gregorius Nyssenus: *Enimverò si quod divinum erat, in humanitate cùm fuisset positum, & in mortali immortale, potens in infirmo, immutabile & incorruptibile in mutabili corruptibilique, manere permisit mortale in mortalitate, corruptibile in corruptione, & alia in aliis eodem modo; meritò quis binarium numerum in Filio Dei observaverit, cùm utrumque eorum quæ contraria ratione spectantur, separatim apud se numeraverit, Sin autem mortale in immortali positum immortalitas factum est, pariterque corruptibile in incorruptionem mutatum est, aliaque omnia pari ratione in impatibilitatem quandam divinitatemque conversa sunt, quis locus relinquitur eorum commentis qui in differentiam duorum id quod unum est, dividunt?* Quàm dilucidè unum Filium ex Verbo & carne coalescere concludit, quòd exhausta sit tota mortalitas infirmitasque carnis, demersa in immortalitatem omnipotentis Deitatis, quod non est præstitum nisi post resurrectionem. Et rursus paulò pòst: *Primitiæ verò naturæ humanæ, quas omnipotens divinitas assumpsit, ut dixerit quispiam apta similitudine usus, tanquam acceti gutta quædam immenso mari commixta, sunt illæ quidem in divinitate, non tamen in peculiaribus suis proprietatibus. Sic enim binarius filiorum numerus colligi posset, si ineffabili in divinitate Filii, diversi generis natura quæpiam peculiaribus suis insignita notis agnosceretur; ita ut hoc quidem infirmum esset, aut parvum, aut corruptibile, aut momentaneum: illud verò potens, aut magnum, & incorruptibile atque æternum. Omnibus autem quæ in mortali statu cerni poterant, in divinitatis proprietates commutatis, in nullo differentia comperitur. Quidquid enim Filii videt quisquam, divinitas est, sapientia, virtus, sanctificatio, impassibilitas, qui fieri potest, ut quod unum est, in notationem duplicem dividatur, cùm nulla sit differentia, qua numeri distinctio nitatur.* Ne optari quidem potuit vehementius quidquam, ut divinæ filiationis fastigium Christo homini per resurrectionem demum obrigisse clarescat. Quin vehementiora hæc & ultra fidei lineas videri cuipiam possint exorbitasse, quasi dum mortalitatem hanc agitaret Christus, non satis tuta illi sit per Nyssenum sua filietas divina & personæ unitas. Sed eluetur hæc suspicio, si in mentem veniat, ablata vel dilata tantisper immortalitate & impassibilitate, tot aliarum opum proprietatumque divinarum in ipsam Christi carnem largissima infusio, qua sanctificabatur & sanctitas ipsamet erat: vivebat, vitamque spargebat:

Contra Apollinarem

valebat & morbos fugebat: & incomperta demum nobis atque inenarrabili Deitatis corporaliter jam inde ab initio inhabitantis plenitudine vegetabatur. Ergo & jam tum ante resurrectionem sua illi incolumis constabat divina filiatio, & ea tamen per resurrectionem plenissimè cumulata est. Amandanda procul enim est eorum impia hallucinatio, qui post baptismum, vel postquam surrexit à mortuis, tum demum divina filiatione donatum esse Christum hominem delirant. Quippè ut sæpiùs jam suprà philosophati sumus, Filius qui non nascitur, Filius haud unquam est: qui Deus nascendo non est, nunquam est; id innuit Nazianzenus: *Si quis Christum ex operibus perfectum fuisse, aut post baptismum aut resurrectionem à mortuis in filium adoptatum dixerit, quemadmodum quos Græci ascriptitios inducunt, anathema sit. Neque enim id quod initium habuit, aut proficit, aut perficitur, Deus est.* Orat. 51.

II. Probatur 2. quia jam non novit Paulus Christum secundùm carnem.

Liquet 2. Ex Apostolo dum ait, *Etsi novimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus.* Quasi jam humanitate incolumi quidem, sed absorpta in Deo, imò eò incolumi quò absorta, & tantò magis sospite & incolumi, quò magis in Deum absorpta, id est, in salutem & incolumitatem; humanitate inquam in Deum absorpta, sola emineat Deitas. Perinde sanè, ut in diebus carnis suæ Deitatem quasi obduxerat humanitas, illamque suspicandam magis occultabat, quàm exhibebat videndam: ita nunc devoraverit carnem Deitas, ut etsi carnem superesse non nesciamus, sola tamen emineat, sola spectetur, sola rapiat Deitas; & in ipsa carne non extet, non erumpat, non emicet nisi Deitas. Atque adeo nunc unus Filius emineat, ut duplicis personæ, vel duplicis Filii jam nec suspicionem subire patiatur. Elegantem Hieronymi locum refert Paulinus Episcopus Aquilejensis: *Si maledictus est homo, qui confidit in homine, ergo maledicti erunt qui Jesum tantum hominem confitentur. Quod si nobis oppositum fuerit, quod & nos credamus in eum qui dicit, Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui vera locutus sum, &c. Respondebimus illud Apostolicum, Etsi Christum aliquando juxta carnem cognovimus, sed nunc jam non novimus. Denique idem Apostolus in principio Epistolæ suæ scribit ad Galatas, Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem qui suscitavit eum à mortuis. Si enim mors absorpta est in victoria, quare non carnis humilitas quæ propter humanam salutem assumpta est, in divinitatis transferi majestatem, ut faceret utrumque unum?* Consentiunt hæc plurimùm iis, quæ ex Nysseno suprà exscripsimus; & post resurrectionem incolumi utraque æquè natura, evidentiorem personæ unitatem commonstrant.

Hieron. l. 3. in Jerem. Paulin. lib. 4. con. Felic.

Paulin. ib. l. 3.

Idem Paulinus alibi profert alium ex eodem Hieronymo contextum, quo elucescat hæc ipsa filiatio Christi hominis propria & naturalis post ejus à mortuis reditum indubitatior manifestiorq; fuisse, & plenior reapse uberiorque intelligitur: *Videte quam rem audeam loqui. Ego ita adeo scabellum, quod quondam fuit, sicut thronum. Etsi enim noveramus Christum secundum carnem, habuerat fortè scabellum ante mortem, ante resurrectionem, quando manducabat & bibebat, quando nostros patiebatur affectus; postquam verò resurrexit, & ad cœlos victos ascendit, ego non intelligo alium sedentem & alium scabellum, sed totum in Christo thronus est.* Dum mortale ergo hoc ævum degeret, videbantur distare scabellum & thronus, homo & Deus, filius hominis & Filius Dei; at à morte redux, in cœlum invectus, totum thronus est, totus Deus, totus Unigenitus. Hæc refert Paulinus, ut ab Elipando impactam Christo homini adoptionem propulset, Christique naturalem communiat filiationem.

Hier. in Ps 98.

Cassianus indidem venatur argumenta ad Deitatem

tem Christi hominis nativamque filiationem constituendam: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus: videlicet quia prius eum & hominem scimus & Deum, nunc tantum Deum. Cessante enim infirmitate carnis, nihil in eo jam novimus nisi virtutem divinitatis; quia totum in eo virtus est majestatis divinæ, ubi esse desiit infirmitas imbecillitatis humanæ, &c. Natura enim carnis in spiritalem est translata substantiam, & illud quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei. Et ideo non novimus Christum secundum carnem, quia absorpta per majestatem divinam infirmitate corporea, nihil sacro resedit corpori, ex quo imbecillitas in eo carnis possit agnosci. Ac per hoc quidquid fuerat priùs substantiæ duplicis, factum est virtutis unius.* Quæso quid disertius dici potuit, ut tum demum post resurrectionem unus intelligatur absolutissimè Christus, unus Filius, unus Unigenitus; unus Deus, non jam amplius duplici substantia, & duplici utriusque proprietatum magnoperè dissidentium serie, suspicionem personæ duplicis excitante; sed utriusque jam in summam identitatem coalitione, unam Unigeniti contestante personam.

L. 3. de Incar. c. 3.

Cyrillus consonat: *Quomodo igitur Filium secundùm carnem se nosse negat? Quoniam simul atque ex mortuis revixerat, satius erat, ex divina eminentia illum & nosse & profiteri, quàm ex carnis infirmitate. Etenim dispensationis mysterio necdum expleto secundùm carnem prædicabatur, quo nimirum Unigenitus, caro factus crederetur. At verò sacramento hoc jam consummato præstabat ex divinitate illum agnoscere, quàm ex carnis exinanitione. Unus itaque est Christus & Filius & Dominus.* Meritò ex illa humanitatis in Deitatem altiori demersione concludit unum ergo esse Christum, unumque Filium.

L. 1. de recta fide ad Reginas.

III. Probatur 3. quia Paulus Christum resuscitatū hominē vocare penè cunctatur.

Liquet 3. ex eodem Apostolo initio Epistolæ ad Galatas: *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis.* Christum hominem passim alibi prædicat Paulus, hìc ubi suscitatum à mortuis memorat, hominem inficiatur, eadem de causa, quia jam non noverat illum secundùm carnem, quia hominem Deitas devoraverat, quia proprietates omnes humanas Verbum Deus exusserat, quia humanitas Deitatem tota totam combiberat, in eaque quasi demersa delitescebat; quia denique totum Deitas erat unigeniti Filii. Ut jam si duplex iste discriminetur divinæ in Christo filiationis gradus, subodorari non immeritò possimus, ecquænam veritatis umbra Nestorio imposuerit & Eutycheti. Vix quippe in mendacii præruptum quisquam transversus agitur, quem non aliqua luserit veritatis species, quam interlucentem sequatur, & priùs fatiscat quàm assequatur. Nestorius enim Christi mortalitatem brevem plus æquo pendens, & consecutam immortalitatis æternitatem supiniùs cogitans aut nec cogitans, ex tanta utriusque naturæ proprietatum distantia & compugnantia duplicem personam duosque filios ominatus est. Eutyches unicæ personæ unicique Filii quàm consentaneæ quàmque eædem debeant esse in æternum proprietates advertens, unicam Christi etiam auguratus est naturam. Mortalitas Christi Eutychetem, immortalitas ejusdem redivivi Nestorium confutavit. An duas enim Nestorius somniaret in eo personas, qui jam homo non esse, qui totus Deus esse impunè dicitur, qui vix jam duplicis esse videtur naturæ? An unam Eutyches jactaret ejus naturam, qui hinc mortalis & infirmus, inde immortalitas & virtus erat? Ergo ut natura duplex comprobaretur, non tota statim Deitate humanitatem suam obruit Christus, & mortalitate passus est afflictari aliquandiu. Ut rursum persona simplex unicusque Filius ostenderetur, totam infirmitatem demersit denique, seque totum univendicavit Deitati, sospite carne, sed demersa in Deum.

Cyrillus locum illum versans Epistolæ ad Galatas: *Cum ergo se non ab homine, sed per Jesum Christum missum dicat, quis dubitet, quin Christum Jesum verum Deum esse statuat, quanquam illum perinde ac nos carni communicasse certò sciat? At maluit interim illum per divinam illius super omnes excellentiam, quam per exinanitionis mensuram exprimere.* Cassianus quoque: *Dicens missum se non per hominem, hoc dicit, Non novimus Christum secundùm carnem, &c. Quia per Christum missus, non per hominem missus sum, sed per Deum; nomen enim in eo jam hominis non cadit, in quo totum sibi divinitas vendicavit.* Ergo ubi mortalis cum mortalibus versabatur, non totum penitus sibi vendicaverat divinitas, non ergo omnibus suis partibus absolutissima erat utriusque naturæ unitas, discordabant adhuc proprietates, necdum in proprietates deitatis tota defecerat, aut veriùs, profecerat humanitas, nondum ergo cumulatissimè unus, necdum plenissimè proprius erat Dei filius homo Christus. At ubi erupit tota per resurrectionem deitatis omnipotentia, totamque traduxit in se sibique vendicavit humanitatem, tunc invictiùs patentiùsque una fuit persona, unus filius. Quamobrem Cassianus meritò ait Paulum non jam hominem, sed Deum merum sibi proposuisse Christum, utpote quem summo splendore radiantem primò vidisset, & tanto deitatis lumine fulgurantem ut in eo nihil humanum à deitate discernere potis fuisset. *Vides quod eum Apostolus quem in tanto majestatis fulgere viderat, rectè jam se secundùm carnem non nosse dicebat, &c. Ostende nobis in hoc quod Apostolus vidit, quid sit caro & quid sit Deus. Ego enim hic discernere nihil valeo. Video ineffabilem illuminatiovem. Video inexplicabilem claritatem, video splendorem humanæ fragilitati intolerabilem, & supra id quod ferre mortales oculi queunt, inæstimabilem majestatem Dei luce fulgentem. Quæ hic divisio, quæ hic discretio est?* Non usque adeo indivisæ indiscretæque erant in mortali priùs Christo naturæ, adeoque non tam perspicuè in unum Dei filium unigenitum coalescere apparebant: at ubi nunc indiscretæ penitùs sunt proprietates, ubi jam non comparet homo, & totum Deus est, extat splendidiùs eminetque unica Verbi in utraque natura filiatio.

De fide ad Reginas l. 1.

L. 3 c. 4.

L. eodem c. 6

IV. Probatur 4. quia ad resurrectioně Christi pertinet illud Psalmi, Ego hodie genui te.

Liquet 4. ex illo Psalmi: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Quod in resurrectionem Christi tanquam in iteratam in melius generationem contorquent peritissimi interpretes. Tunc enim verè principium seu principatus Christi coruscavit, ubi omnis ei potestas in cœlo & in terra data est: tum dies virtutis ejus illuxit, tunc splendor radiavit sanctitatis ejus, tunc totus Deus ex utero seu ex deitate Patris evidentiùs effulsit, tunc etiam genitus, cum nostra quoque resurrectio nomine insigniatur regenerationis. Denique non dissimile veri est ad hunc locum allusisse Paulum ubi ait, Christum prædestinatum esse filium Dei in virtute, secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Sed extra controversiam est locus Psalmi 11. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Eum enim in Actis Paulus ipse de resurrectione Christi interpretatur: *Deus adimplevit (hanc repromissionem) resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cumque alibi Christus appelletur primogenitus mortuorum, cui non patescat, resurrectione sua Christo quasi suppletam esse generationem primigeniam, qua conceptus natusque fuerat in Maria & ex Maria, & veluti integratam numerisque omnibus cumulatam tunc fuisse divinam ejus filiationem?

Rom. 1.

Act. 1.

Psalm. 2.

Coloss. 1. Apocal. 1.

Hilarius hæc eadem verba ita elegantissimè in nostræ sententiæ elucidationem commentatur: *Ut id quod*

In Psal. 2.

quod tum filius hominis est, ad perfectum Dei filium, id est ad resumendam indulgendamque corpori æternitatis suæ gloriam, per resurrectionis potentiam gigneretur, &c. Pater glorifica me apud teipsum ea claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te. Non nova quærit, non aliena desiderat; esse talis qualis fuerat, postulat; sed precatur id se quod antea erat, esse: gigni scilicet ad id, quod suum fuit. Non erat autem idipsum tunc totus, quod ut fieret precabatur: fieri autem totus non aliud, quàm quod fuerat, postulabat. Sed cum sit quod fuit, & quod non erat est futurus: ad id quod fuerat, id quod totum non erat, quodam novo ortu nascebatur. Exordio ergo hic resurrectionis suæ ad assumendam gloriam dies est; per quam ad id nascitur quod ante tempora erat. Quid significantius, quid expressius dici potuit? Christum resurrectione *gigni*, *nasci*, *novo ortu nasci*, *in perfectum Dei filium*, *in id quod totus non erat*, *in id quod totum non erat*. Pergit autem ibidem: *Cum hominis filius confessurus Patri, & in immortalitatem, corruptione carnis absorpta, & in viventem tunc & non moriturum amplius Dei filium nasceretur.* Et paulò post, *Nascitur enim ad id quod non erat, cum tamen id fieret quod fuisset; est enim primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ.* Et tandem: *Id quod nunc in Psalmo est, Filius meus es tu, ego hodie genui te, non ad Virginis partum, neque ad lavacri generationem, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere, Apostolica authoritas est. Namque in libro Actuum Apostolorum, &c. ut suprà.*

Quid enim est resurgere, nisi reviviscere? Quid reviviscere aliud, quàm renasci? Quid renasci, nisi denuo generari? Gignitur ergo dum resurgit Christus: & prolixiùs sese effundente paterna fœcunditate gignitur in perfectum Filium, in totum Deum. Cum enim gignat Pater indefessè Verbum suum, gignatque in carne per ampliationem quandam generationis divinæ, genitam deitatem infundendo carni; amplius illam infundit ingeneratque renascenti carni, largiùsque prodigit, ut ægritudines & mortalitatis comites ærumnas exurat absumatque omnes, & deitate humanitatem altiùs invadat, pleniùs inebriet, inviclius subjuget. Rectè ergo Augustinus: *Unde vox illa Patris quæ super baptizatum facta est, Ego hodie genui te; non unum illum temporis diem quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, ut illum hominem ad unigeniti personam pertinere monstraret.* Ubi multa animadvertenda. Primum quidem quod generatione Patris ille homo ad unigeniti personam pertineat; deinde quod ut perpetim generatur à Patre Verbum, ita perpetim in carne generetur; denique ex eo efficitur, ut cum in vitam & immortalitatem divinam reviviscit illa caro, vita & immortalitas Verbi seu Verbum ipsum novo quodammodo illi ingeneretur.

Ench. c. 49.

V. Probatur 5. quia resurrectio quadam est veluti absolutio & consummatio incarnationis.

Liquet 5. ex collatione gemini contextus, quorum alterum alio tractatu ex Paschasio ad incarnationis vim & naturam enucleatissimè propalandam, alterum paulò supra ex Cassiano excerpsimus, ad resurrectionem Christi, tanquam enixiorem ejus in proprium Dei filium generationem declarandam. Paschasius igitur: *Dei quidem & hominis duplex substantia est, sed tamen una persona. Quamobrem? Quia dum formam servi accipiens, famulo Deus jungitur, minoris humilitas intra reverentiam majoris absconditur, & superioris lumine exinanita consumitur, ac sic proprietatem personæ humanitas, divinitate obumbrante, vel eminente, non obtinet.* Cassianus verò: *Prius eum & hominem scimus & Deum, nunc tantum Deum. Cessante enim infirmitate carnis, nihil in eo jam novimus nisi virtutem divinitatis; quia totum in eo virtus est majestatis divinæ, &c. Illud quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei. Et ideo nonnovimus Christum secundum carnem, quia absorpta per majestatem divinam infirmitate corporea, &c.* Et infrà: *Ostende nobis in hoc quod Apostolus vidit, quid sit caro, & quid sit Deus? Ego enim hic discernere nihil valeo. Video ineffabilem illuminationem, &c.* Quàm gemina, quàm affinia sunt hæc illis? Resurrectio perinde ut ipsa incarnatio, naturæ duplicis in unam coalitio personam esse videtur. Tum demum enim, *Naturæ minoris humilitas intra reverentiam majoris absconsa est.* Tum ubi revixit à mortuis, *Superioris naturæ lumine inferior exinanita & consumpta est.* Tum denique: *Divinitate obumbrante vel eminente nullam sui proprietatem obtinuit humanitas.* Quia videlicet *absorpta est per majestatem divinam infirmitas corporea.* Quia, *Quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei.* Quia denique adeo ut vult Paschasius: *Latet intra reverentiam majoris, minoris humilitas, ejusque lumine consumitur*, ut ex Cassiano, *discernere jam non valeam quid sit caro, & quid sit Deus; sed videam tantum ineffabilem illuminationem, &c.* Postremo tandem ex eodem Paschasio ibidem, *Persona personam absumit, quia persona nomen juris est*, ideoque una persona Christi est, quia deitas vendicat sibi suoque juri & censui adserit hominem. At id absolutissimè per resurrectionem peractum est; tum enim ex Cassiano, *Quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei*: Et, *Nomen in eo jam hominis non cadit, in quo totum sibi divinitas vindicavit.*

L. 2. de Spiritu sancto, c. 4.

L. 1. de Incarn. c. 3. 4.

VI. Probatur 6. à Naclanto multis aliis & testimoniis & rationibus.

Liquet 6. nonnullis aliis ratiunculis quas suggerit Naclantus, quasque propriis ejus verbis visum est hic adsuere: *Prædestinatus est Filius Dei ex mortuorum resurrectione. Sicut enim carnali generatione natus est Christus ex semine David; ita spiritali renatus est ex resurrectione à mortuis. Et quidem quod resurrectio à mortuis regignitio sit, non tam Apostolus docet, asserens Chistum primogenitum esse ex mortuis: quàm Servator in sui throni pollicitatione. In regeneratione inquit cum sederit filius hominis, &c.* Et infrà: *Tametsi in resurrectione corpus regignitur, ejus tamen regignitio secundùm spiritum est; eo quod corpus quod fuit ex prima generatione carnale, in regeneratione reddetur spiritale.* Et infrà: *In resurrectione etiam quodam pacto juxta spiritum regignitur anima, eo quod non ultra in morem animæ, sed in morem spiritus vivificat corpus. Non quod desinat illud informare, &c. Sed quia deficiente animali vita in quam factus est primus homo, subsequitur spiritualis in quam factus est Christus. In illa venter escis & escæ ventri: sed in hac Deus destruet hunc & has.* Et rursus infrà: *Unicè est filius Dei, qui ut inquit Paulus, Pater est gloriæ. Unde & cum apparuit gloriosus tempore transfigurationis in monte Thabor, vox Patris insonuit, Hic est Filius meus dilectus. Et cum gloriosus factus se ostendit Apostolis, & multis aliis ex fratribus tempore resurrectionis in Galilæa, verè vox Patris locum habuit, Ego hodie genui te, sicut & notavimus ex intentione Apostoli. Propter quod & Evangelista de utraque apparitione loquens, Vidimus inquit eum quasi unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et inferiùs: *Ego hodie genui te. Etsi hic dies à multis ex sanctis pro die exponitur æternitatis, &c. Nihilominus si Pauli interpretationi subscribitur, hic dies pro die resurrectionis interpretandus est; in quo die verè apparuit unigenitus Dei in virtute, secundùm spiritum sanctitatis; qui ante resurrectionem verè apparuerat filius hominis in infirmitate juxta carnem assumptam. Tametsi & illa dies, cum in ea saltem secundùm corpus sit ad gloriam suam admissus, dies illi fuerit æternitatis, cum dies illi fuerit fœlicissima & interminabilis vitæ.* Et rursus idem alibi: *Ex utero ante luciferum genui te. Frogressus quidem ex utero, sed non summi Patris, qui memoria fœcunda dictus est à Theologis, quoniam ex illo natus est ante sæcula; nec Virginis gloriosæ, quoniam ex illa natus est puer; sed ex utero terræ communis omnium matris, cum ex illo in regeneratione prodituri*

In Epist. ad Ephes.

Tractatu de Sacerd. Christi.

turi simus & nos. *Ex hoc inquam utero Christus in splendoribus sanctorum genitus est, hoc est in gloria & splendore, non solùm pro se, sed & pro omnibus sanctis, quoniam in splendore & gloria sancti sanctorum*. Sic ille magnificos scripturæ sensus aucupatur. Ne longior sim, hìc obiter indigitabo quid ille antedictis superaddat. Primò quidem longè plures & omnes propemodum scripturæ locos de generatione Christi, ad resurrectionem ejus ab Apostolis & ab Ecclesiæ doctoribus contorqueri. Deinde hinc Patrem gloriæ vocari à Paulo Deum, quod tum plenius Pater fuerit Christi hominis, cùm illum gloriæ suæ consimilem ex mortuis genuit. Rursus hinc ubi occupavit Christus resurrectionis suæ gloriam ad brevem unius aut alterius momenti usuram præsumere, tum protinus Pater filium sibi illum esse proprium contestatus est. Deinde hoc ipsum est quod Joannes innuit, cùm ait vidisse se, *unigenitum à Patre*, *plenum gratiæ & veritatis*, quod in illa gloria seu tum præfestinata, seu post per resurrectionem parta, plenissimè unigenitus extiterit. Rursum cùm Christus homo proprius Dei filius sit ampliatione quadam divinæ generationis, æterna hæc generatio ad immortalem & æternitatis jam suæ compotem Christum ampliari libentius creditur, ut dies æternitatis seu hodie sit, quo & sempiternum gignitur Verbum, & sempiterna ejus gloria & immortalitas ad carnem usque exporrigitur. Rursum resurrectione corpus gignitur longè dispar fœliciusque, gignitur & anima in alium vivendi & vivificandi gradum, ut quod corruptibiliter vegetabat, & inexhausta egestate usque deficiens, frustra reficiebat corpus, jam immortale immortaliter beet, & nullius egenum exatiet. Quin ergo hæc regeneratio sit, quæ substantivum ipsum vivendi ac vegetandi modum reformat?

Denique par erat ex utero terræ regenerari Christum, ut & nos cùm ex eodem emergemus, simus illi fratres, sicque ille tum verè primogenitus mortuorum, & primogenitus in multis fratribus. Nec enim nos nisi in spe nunc interim filii sumus; tunc erimus re. Ergo & ille primogenitus noster, perfectissimam tunc, ubi revixit, consecutus est suam filiationem. Sed ad nos quod attinet, prolixiori dissertatione opus est, ut nostram adoptionem nunc spe duntaxat contineri, resurrectione erupturam esse patefiat, id capite sequenti exequemur.

VII. De Baptismo Christi quid Hilarius senserit.

Pauci hìc monebo nonnullam quoque videri in baptismo Christi factam filiationis ejus divinæ amplificationem. Nam & baptismus generatio quædam est de Deo nascentium; & tum Pater quoque Filium suum esse illum testificatus est; & resurrectionis instar habet baptismus; & denique tum copiosius infundere se humanitati, aut potiùs effundere se ex humanitate deitas Verbi visa est, seu in veritatis lumine in orbem dispergendo, seu in vita & virtute plurima in ægros mortales ejaculanda. Hilarius: *Natus autem rursum ex baptismo, & tum Dei filius, ut & in idipsum & in aliud nasceretur. Scriptum est autem, cum ascendisset ex aqua, Filius meus es tu ego hodie genui te. Sed secundum generationem hominis renascentis, tum quoque ipse Deo renascebatur in Filium: profectò ut hominis filio, ita & Dei filio in baptismate comparato*. (In Psal. 2.) Subobscura sunt hæc, innuunt tamen, ni fallor, baptismum Christi ab ejus resurrectione distare mirum quantum; nam resurrectione quasi in alium & in perfectum Dei filium renascitur; baptismo autem in idipsum renascebatur, id est, in æque mortalem Dei filium. Itaque baptismus ad temporalem ex Maria nativitatem explicandam pertinet, resurrectio ad æternam Verbi ex Patre generationem explicandam & quadantenus propagandam. Prima enim Christi generatione cum ex Maria prodiit, ex Deo quoque Patre prodiit, sed id latuerat, & ergo baptismum evulgari necessum erat. Talis ergo in baptismo claruit, qualis in nativitate latuit, Dei Filius prius, sed mortalis. At resurrectio redintegratio quædam fuit incarnationis, & provectio in melius, & æternæ Verbi generationis refusio quædam & restagnatio in carnem. Consentit & Author Quæstionum ex novo Testamento apud Augustinum: (q. 56.) *Si ex semine David Christus Filius Dei factus est secundum carnem, hoc est, natus jam Filius Dei, & in utroque quia sanctus natus est, quomodo ergo postquam baptizatus est, dictum ei à Domino Deo est, Tu es Filius meus, hodie genui te? Christus Dei Filius ex æterno est, secundum spiritum sanctitatis; juxta carnem verò ex semine David natus est Filius Dei, ut in utroque non factus Filius Dei habeatur, sed natus. Illud autem quod in baptismo audit, mysterii, non sua causa est. Nam hoc omnibus audit qui baptizantur. Ipse autem demonstratur tantummodo, ut ex hoc appareat in homine virtutibus Deus*. Nobis ergo baptismus regeneratio est ex Deo, quia prior ex carne generatio emendatur; Christi baptismus generatio est ex Deo, qua latens prior ex eodem Deo generatio manifestatur. Generat ab æterno, ingeneratque in tempore carni Verbum suum Pater, ingenerat inquam & ex Maria primùm nascenti, & ex aquis postea emergenti, & ex mortuis tandem resurgenti; ingenerat inquam Verbum, generatque Filium in carne primò mortalem & latentem, postea mortalem non latentem, denique nec mortalem nec latentem. Sed ita ut generatio per aquam evulgatio sit generationis per Mariam; generatio autem in immortalitatem exuberantia sit generationis Verbi in æternitatem.

VIII. Novo testimoniorum ex sanctis Patribus spicilegio, probatur per resurrectionem ultimum cumulum accessisse divinæ Christi hominis filiationi.

Redeo ad id unde digressus eram, ut novo testimoniorum ex sanctis Patribus spicilegio approbem, genitivam & naturalem Christi hominis filiationem divinam ad amplitudinis & gloriæ cumulum per resurrectionem maximè attigisse. Ambrosius: (L. de fide & resurrect.) *Ergo resurrexit homo, quoniam homo mortuus, & resuscitatus homo, sed resuscitatus Deus. tunc secundum carnem homo, nunc per omnia Deus, Nunc enim secundum carnem jam non novimus Christus*. Totus erat & in carne mortali Deus Christus, sed accedente per resurrectionem ea omni opum quas immortalitas sonat, ubertate, jam totus Deus singulariter dici se postulat. Unde Augustinus: (L. 1. Retr. c. 24.) *Verax etiam novissimus Apostolus, qui per Jesum Christum totum jam Deum per resurrectionem ejus missus est. Propter immortalitatem dictum est, Totum jam Deum: quam post resurrectionem habere cœpit, non propter divinitatem semper immortalem, à qua nunquam recessit, in quâ totus Deus erat, & tamen moriturus adhuc erat*. Immortalitatis quippè accessio tanti est, ut hæc Christi nativitas, hæc ejus deificatio, hæc Dei hominis in totum Deum inauguratio æstimari possit. Unde Prosper Lib. de Providentia, vel quicumque alius author:

Hactenus in nostris te, Jesu, novimus, ex hinc
In tua nostra abeunt, nec jam diversa, sed unum
Sunt duo; dum vita in vita est, in lumine lumen,
Augmento non fine hominis; quo glorificato:
Sic homo, sic Deum es, ut non sis alter & alter.

Quæ postrema verba clementiùs sanè accipienda, mollique manu tractanda sunt. Nec enim in carne adhuc mortali Christus alter erat & alter, sed unus atque idem. Erat sanè in Christo alterum & alterum, & hoc insinuatum voluit, & ut carminis lex passa est, utcumque expressit Prosper: cùm post resurrectionem jam non videatur ampliùs esse superstes hæc alteritas, usque adeo devorata est ab immortalitate infirmitas, à Deitate caro. Ubi rursum humaniore opus est interprete. Nam cùm caro, cùm humanitas sospes post resurrectionem perstet, cùm ibi maximè caro & humanitas sit, & magis sit, quam inter mortales esset, opificium suum sospitante Deitate, non strangulante; & benefaciente fonte bonitatis, non perimente, & vivificante vita, non exanimante: superest illic

etiam

etiam alteritas. Sed apage à fidei nostræ sublimioribus sacramentis has argutias. Ne hac quidem vocum magnificentia assequimur aliquam partem rerum divinarum, desinant ergo vocibus insidiari, cùm fidei veritas, cùm mysterii amplitudo ne vel sic quidem tenuiter adumbretur.

Omnium elegantissimè Hilarius idemque frequentissimè hanc sententiam illustravit: *Atque ita homo Christus Jesus maneret in gloria Dei Patris, si in Verbi gloriam esset caro unita: rediretque tunc in natura paterna etiam secundum hominem unitatem Verbum caro factum, cùm gloriam Verbi caro assumpta tenuisset. Reddenda igitur apud seipsum Patri erat unitas sua, ut natura suæ nativitas in se rursum glorificanda resideret, quia dispensationis novitas offensionem unitatis intulerat: & unitas ut perfecta antea fuerat, nulla esse nunc poterat, nisi glorificata apud se fuisset carnis assumptio.* Abstrusa sunt hæc Hilarii, nec nisi diutina meditatione recluduntur. Constat certè resurrectione sua Christum *rediisse in naturæ propriæ etiam secundum hominem unitatem*: ita etiam secundùm hominem, jam totum Deum fuisse. Exinanitione enim sua Verbum quasi à seipso & ab unitate æqualitateque paterna desciverat: at nunc etiam cum carne sua redit in gloriæ & æqualitatis suæ apicem, atque in paternæ unitatem naturæ. Et infrà: *Quibus inimicis subjectis, subjicietur subjicienti sibi omnia, Deo scilicet, ut sit Deus omnia in omnibus, naturæ assumpti corporis nostri natura paternæ divinitatis invecta. Per id enim erit omnia in omnibus Deus, quia secundùm dispensationem ex Deo & homine, hominum Deique mediator, habens in se ex dispensatione quod carnis est, adepturus in omnibus ex subjectione quod Dei est, ne ex parte Deus sit, sed totus Deus. Non alia itaque subjectionis causa est, quàm ut omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura, ut intra se duos continens, nunc Deus tantùm sit; non objecto corpore, sed ex subjectione translato, neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato, acquirens sibi Deo potiùs hominem, quàm Deum per hominem amittens.* Et paucis interpositis: *Ut sit Deus omnia in omnibus, per quod non divinitatis infirmitas, sed assumptionis profectus, dum homo & Deus, jam Deus totum est.* Et infrà paulò ante calcem libri: *Subjectio illa corporis, per quam quod carnale est, in naturam spiritus devoratur, esse Deum omnia in omnibus eum, qui præter Deum & homo est, constituet.* Quid his efficacius? Glorificatione fit, ne ex parte Deus sit, sed totus Deus: fit ut nulla ex parte, terreni in eo corporis resideat natura: fit ut intra se duos continens, nunc Deus tantùm fit: fit ut homo & Deus, jam Deus totum fit: fit ut quod carnale est, in spiritum devoretur. Quibus non minùs præclara hæc quoque sunt; *Sed manet resurgens & inimicos suos immortali oculo despicit, glorificatus in Deum, & ex hominis filio in Dei Filium, ex quo etiam hominis filius esse cœperat, per resurrectionis gloriam jam renatus.* Et alibi: *Nemo poterit ambigere, Deum atque hominem Dominum nostrum Jesum Christum confiteri. Et hominem quidem in tempore, Deum verò semper & ante hominem & post hominem. Utrumque vero, Deum scilicet atque hominem, tunc tantùm cum in homine fuit. Erat enim in forma Dei, & formam hominis accepit: & rursum in gloria Dei Patris est, forma videlicet servili in gloriam ejus, cujus in forma ante manebat, proficiente: corruptionis scilicet natura per profectum incorruptionis absorpta.* His ut arbitror tam exaggeratis testimoniis perfringi poterit quamlibet indomita & obstinata contumacia. Si autem moveat quempiam quod cum immortalitatis tantùm & gloriæ fiat accessio, non possit horum proventus nativitas & quasi renascentia in fœliciorem substantiam censeri. Elevabitur id scrupuli, si immortalis gloria pensitetur ipsa esse Verbi substantia. Verbo enim non accidit, non supervenit gloria sua, sed gloria sibi sua substantialiter ipsummet est; & id totum Filiatio est. In hanc gloriam flagitabat & se hominem Christus restitui à Patre, quam à Patre solo obtinere poterat, quam ante mundi conditum obtinuerat.

L. 9. de Trin.

In Ps. 53.

In Ps. 138.

CAPUT XII.

Per resurrectionem quod spe præsumimus, tunc re erimus filij Dei, ultra adoptionem provecti.

Observandum 8. nobis quoque per resurrectionem fore ut obtingat prægustatæ tantùm hic adoptionis proprietas, & quam nunc præcerpimus tantùm ulterior ex naturali filiatione nobilitas.

I. Adoptiva nobis filiatio per resurrectioné obtinget. Primò ex sacris litteris.

Liquet 1. ex Apostolo qui cùm excitasset animos his verbis, *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater, Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*, ne præproperè hinc gestiret quispiam, & plus æquo, subdit quibus hæc fiducia castigetur; *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectates redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus.* Ne præsentibus acquiescas, porrige te in futurum; adoptionem accepisti, sed expectas tamen; ne de partis ferocias, sed de expectandis ingemisce. Spe jam quidem, necdum re filius Dei es. Accedit & Paulo suffragaror Joannes: *Charissimi nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* Ergo ex Joanne sumus & erimus; nempè sumus spe, nondum re. Item filii Dei sumus, sed posteà similes ei erimus: interim ergo dissimiles filii, adeoque non filii. Et idem ibidem, *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli.* Hæc si fixa rataque sint, quis tam demens fuimet palpo, dum mortale hoc corpus ævumque volvet, filium Dei se venditabit? Quis enim hìc non sæpiùs peccat; adeoque quis non sæpiùs se ex Deo prorsus natum non esse contestatur?

Rom. 8.

Epist. 1. c. 3.

II. Secundò quia mente tantùm adhuc cæpimus innovari & renasci.

Liquet 2. ex illa duplici tessera divinæ filiationis, quam uterque Apostolus designavit, qua utraque nudati, filij gloriam suspirare magis possumus, quàm ostentare. Altera est corporis, altera animæ incorruptibilitas. Utramque complectitur adoptio, ut & Patri nos cui adsciscimur, & Filio in cujus consortium adsciscimur, similes utcumque & consentaneos effingat. At illam corporis dotem hìc ne degustamus quidem; hanc animæ summatim tantùm delibamus, ejusque dumtaxat gustu in spem futuræ integritatis initiamur. Aggravat enim animam corpus corruptibile, implicatque cupiditatum spinis densissimis, cruentatque identidem; ut in summum apicem refugiat, & vix peccatorum cupiditatumque mari procelloso supernatet semen divinum & incorruptum, quo cœpimus innovari. Ergo cùm plurima animæ portio, cùm tota compago corporis nihil dum excusserit inolitæ vetustatis & corruptelæ; cùm flos tantùm & fastigium quoddam summæ mentis primitias exceperit novitatis, & carnalis consuetudinis pondere deprimatur & fatiscat identidem: minimè obscurum est, hanc divinæ filiationis spem magis esse quàm rem; præludia magis, quàm gaudia.

III. Tertiò quia maxima ex parte sumus adhuc filii carnis, filii sæculi.

Liquet 3. ex Apostolo, *Exterior homo noster corrumpitur, interior renovatur de die in diem.* Exterior ergo extorris est adhuc à munere adoptionis. Interior verò cùm diebus singulis renovetur, immer-

immersus ergo & ipse longè plurima ex parte adhuc est vetustati, nec enim innovatur nisi de vetustate, cui insepultus adhuc fœtet. Item ex eodem Apostolo, jubemur exuere veterem hominem, & induere novum; & hoc juge ac infatigabile nobis hìc commendatur studium; adhæret ergo ferè tota vetustas, cùm usque abradenda sit, & superextat novitas ad quam anhelandum est indefessè. Ergo filii sæculi & filii carnis multò maxima ex parte hìc sumus, filii autem Dei & spirituales ex levi rudimento & veluti pignore præsumptæ ejus cui suspiramus filiationis.

L. 2. de pecc. mer. & remis. c. 7. 8. Scitissimè constringit hæc omnia Augustinus: *In baptismo quamvis tota & plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuo tota & plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, postea renovandum quando verè tota novitas erit; sed excepto corpore, si in ipso animo qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus, Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Profecto enim qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus; & in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est. Proinde ex hoc quod adhuc in vetustate sunt, quamvis jam baptizati, ex hoc etiam adhuc sunt filii sæculi. Ex hoc autem quod in novitate sunt, hoc est ex plena & perfecta remissione peccatorum, & quantumcumque illud est quod spiritualiter sapiunt, eique congruos mores agunt, filii Dei sunt.* Cohærescunt hìc ergo in nobis primitiæ novitatis & reliquiæ vetustatis; illis filii Dei sumus, his filii sæculi. Sed quantulum præcerpatur hìc primitiarum, & quàm immanis cumulus superet reliquiarum, hoc est quanto majori ex parte simus filii sæculi, quàm Dei, vel hinc conjicies, quod quantæ quantæ sunt illæ novitatis primitiæ, unius momenti supinitate aut flagitio decoqui possunt intermorique: de reliquiis autem vetustatis etsi perpetim, etsi dietim, etsi omni puncto temporis dematur aliquid, nunquam exhauriantur tamen, & pondere nos usque suo fatigent.

Ibidem consequenter Augustinus: *Salvus nos fecit per lavacrum regenerationis. Sed alio loco dicit quemadmodum hoc sit factum; Non solùm, inquit, sed etiam nos ipsi primitias habentes Spiritus, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem expectantès, redemptionem corporis nostri; spe enim salvi facti sumus. Adoptio ergo plena filiorum, redemptione fiet etiam corporis nostri. Primitias ergo spiritus nunc habemus, unde jam filii Dei reipsa facti sumus; in cæteris verò spe sicut salvi, sicut innovati, ita & filii Dei; re autem ipsa, quia nondum salvi, ideo nondum plenè innovati, nondum etiam filii Dei, sed filii sæculi.* Ut igitur primitiæ spiritus summo tantùm insident animæ mentisque vertici, eatenus duntaxat sumus filii; dempto eo mentis extremo vertice quem spiritus sursum arrigit, reliqua totius animæ & mentis ipsius substantia vetustatis cœno delibuta, & principandi, experiendi, voluptandique cupiditatibus conspurcata, unà cum toto corpore, filiis sæculi nos accenset.

Denique ibidem Augustinus: *Proficimus ergo in renovationem, justamque vitam, per quod filii Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod adhuc filii sæculi sumus, per hoc enim & peccare adhuc possumus. Ita fit ut & qui natus est ex Deo, non peccet. Etsi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Consumetur ergo quod filii carnis & sæculi sumus, & perficietur quod filii Dei & spiritu renovati sumus. Unde idem Joannes, Dilectissimi, inquit, filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Quid est hoc, sumus & erimus, nisi quia sumus in spe, erimus in re? Nam sequitur & dicit, Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc ergo ei & similes esse jam cœpimus, primitias habentes spiritus: & adhuc dissimiles sumus per reliquias vetustatis. Proinde inquantum similes, intantum regenerante spiritu filii Dei; inquantum autem dissimiles, intantum filii carnis & sæculi.* Quomodo filii, qui usque adeo dissimiles? Quantoperè autem dissimiles, qui vix momento à peccatis omnibus immunes?

IV. Quatenus vera filiatio vel similitudo est impeccabilitas, quam in patria tantum accipimus. Liquet 4. Ea similitudo, qua divina nobis conciliatur filiatio, non fuga tantùm & immunitas à peccato est, sed impeccantia quædam, & totius ad peccandum pronitatis extinctio. Insinuat id Joannes ubi ait: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Incorruptibile enim semen est, quo ex Deo nascimur, & ideo incorruptibile quia incorruptibilitatis fons. Insinuavit id etiam Augustinus loco proximè relato, ubi qua ex particula filii Dei esse jam præcepimus, peccare nos non posse affirmavit. Insinuant id ipsum Athanasius, Cyrillusque aliique Græcæ Theologiæ primates, ubi hoc interjiciunt discriminis adoptionem inter Adamo collatam, & per Christum restauratam, quod illa fluxa, accidentalis, quasi illita tantùm & appicta, eoque labilis & marcescens: at nostra naturalis, substantiva, inexpugnabilis. Enimverò ut illi invictissimè argumentantur, prima radix humani generis, Adamus, cùm vitiata fuisset, nosque omnes sibi insitos infecisset contage sua; secunda radix Christus seu Verbum incommutabile sibi nos conseruit, ut incommutabilitate Verbi sursum deorsumque omnia pervadente, & incorruptelam stirpi ramisque omnibus inspirante, amissæ filiationis divinæ certa tutaque sit restauratio. Quæ cùm ita sint, integrum cuique jam est experiri, an impeccantiam qualemcumque aut incommutabilitatis Verbi uti radicis suæ odorem afflatumque aliquem consecutus sit. Planissimum quippe est in peccatum nos insito proruere impetu, & frænari supernè cohiberique spiritus moderamine, mentis verticem insidentis; adeoque quantum ab impeccantia, tantum à filiationis desponsæ plenitudine nos abesse.

L. 5. in Evã. Jo. L. 5. pag. 471. Cyrillus Alexandrinus: *Postquam progenitor Adam amisit gratiam spiritus, adeoque natura universa in eo divini doni jacturam fecit, de cætero Dei Verbum mutationis expers, homo factus est, ut acceptum illud donum tanquam homo deinceps natura stabile ac firmum conservaret.* Et paulò pòst, *Ergo factus est homo, sicuti nos, unigenitus, ut in ipso & primo rediviva bona & fundata spiritus gratia toti deinceps ut par est natura sarta tectaque custodiretur, veluti commodante nobis propria natura stabilitatem unigenito, & Dei Patris Verbo.* Nutaverat ergo quasi aliena in sede, collapsaque erat Adami filiatio divina, nostrumque in ipso omnium; at in Verbo naturam nostram accincto eadem spiritus gratia, eademque filiatio divina constitit inconcussè, utpote originali in solo, totique naturæ nostræ per radicem, id est, Verbum incommutabile asserta est. Ejus itaque filiationis nonnisi primitias & veluti oppignerationem hìc obtinemus, nempe gratiam, qua stamus, quandiu stamus; tunc plenè filii erimus, cùm radicis incommutabilitatem plenè exuxerimus, hoc est cum incorruptibiles animo & corpore resurgemus.

In Epist. ad Rom. c. 1. His assentitur Origenes: *Libertas quæ nunc sanctis præstatur, nondum plena libertas est; sed velut per speculum & in ænigmate; & ideo sancti servos se esse dicunt in comparatione illius libertatis, quæ facie ad faciem tribuitur. Quomodo enim potest in carne quis positus adipisci libertatem integram, ut in nullo jam serviat carni? Sicut nec adoptionem filiorum quis in corpore positus habere ex integro potest.*

V. Quinto quia tunc vere filii & vere similes ei erimus, cum videbimus eum sicuti est, impressa nobis ejus similitudine specie, Verbo, filiatione.

Liquet 5. Filius Dei proprius est & naturalis Verbum, id est veritas & sapientia & species prima summaque; Filius efficitur Dei vel homo, vel Angelus, quatenus illi Verbi filiatio imprimitur, seu quantum illi veritas & sapientia & summa Patris species imprimitur. At id nonnisi per patriæ beatitudinem contingit; ibi enim verè filii, quia similes; & verè similes ut philosophatur Joannes, quoniam videbimus eum sicuti est; hoc est ideo similes, quia Verbo, uti expressissima Patris similitudine, & specie intelligibili, formabimur. Nunc autem quantum à specie, tantum à plena filiatione absumus; nunc ut per speculum & in ænigmate tantùm videmus, ita per speculum & in ænigmate recipimus adoptionem, hoc est umbram tantum filiationis assequimur; nunc quantum hæc fides ab illa specie, tantum hæc similitudo ab illa, tantum hæc filiatio ab illa distat. Augustinus: *Secundum id quod unigenitus est, non habet fratres; secundùm id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post ejus & per ejus primatum in Dei gratia nascimur per adoptionem filiorum, sicut Apostolica doctrina commendat. Naturalis ergo filius de ipsa Patris substantia unicus natus est, idem existens quod Pater, Deus de Deo, lumen de lumine. Nos autem non lumen naturaliter sumus, sed ab illo lumine illuminamur, ut sapientia lucere possimus.* Theodoretus: *Adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Atqui dixit, quod filiorum adoptionis spiritum accepimus. Docet tamen apertiùs, quod nomen quidem nunc accepimus; rei autem tunc erimus participes, quando corpora nostra à corruptione liberata fuerint, & immortalitatem induerint. Per primitias itaque significavit, quod in futuro sæculo multiplicatam spiritus gratiam recipiamus. Si enim quod nunc est, primitiæ & arrhabo appellatur, clarum est illud multis partibus majus futurum.*

De fide & Symb. c. 5.

In Epist. ad Rom.

VI. Sexto quia nostra filiatio corpori & sedi Christi in cælestibus nos inserit. Id sane spectatum præsumimus nunc

Liquet 6. Non tantùm ultra adoptionis sortem, sed & in filii naturalis privilegia grassatur spes nostra, nec ibi conquiescit, sed subimpudentiùs etiam in primogeniti ipsius sedem involare gestit. In primitivos inquam, & in ipsum primogenitum adsciscimur. Perspicuum est autem id decus amplissimum necdum re nos consequi, ergo spe antevenimus. Porro tanta hæc jam gloria nostra est, ut non injuria Primasius hæc habeat: *Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. In hoc quod incredibile videtur, nos per fidem gloriamur, filiorum Dei sperare nos adoptionem; tantumque est quod speramus, quantum ex se præsumere nullus auderet, &c. In spe gloriæ filiorum Dei illud nobis promittitur, quod sicut dictum est, sperare nullus audebat: quod si fortè in mentem alicujus incidisset, poterat æstimare se in blasphemiam incurrisse; quod adeo magnum est, ut à multis pro ipsa magnitudine incredibile videatur, eo quod speramus gloriam filiorum Dei nos consecuturos.* Parum sobria haud dubio & temeraria foret hæc spes, nisi veritatis oraculo, Deique in scripturis fulciretur promisso. Nam & Ecclesiam primitivorum in cœlis memorat Paulus, & conresuscitatos cum eo nos, consessuque eodem cum ipso donatos affirmat. Unde Origenes: *Primitivus ergo, vel primogenitus ex mortuis dicitur Christus. Sed requirendum nobis est, si solus primogenitus, vel primitivus ex mortuis, & non habet aliquos secum etiam in primatu participes, de quibus dicit Apostolus: Quia suscitavit nos cum Christo, simulque sedere fecit in cœlestibus: & ipsi primogeniti sunt, vel primitivi ex mortuis, sicut & illi fuerunt qui cum illo suscitati esse dicuntur, cum monumenta aperta sunt, & multa sanctorum corpora qui dormierant surrexerunt, & ingressi sunt in sanctam civitatem. Et de his talibus fortassis dicit Apostolus, esse Ecclesiam illam primitivorum, quam adscriptam memorat in cœlis.* Macarius item; *Regnant in cœtu cœlesti, cum rege cœlesti; ipseque primogenitus est ex mortuis, nec non illi primogeniti.* Naclantus quoque: *Deo satis non fuit nos habere in filios, sed habere voluit in primogenitos; quoniam Paulo asserente à Deo electi & vocati, ad primogenitorum cœtum accessimus.*

In Epist. ad Rom. c. 5.

L. 1. in Epist. ad Rom.

Hom. 17.

In c. 1. Epist. ad Ephesios

VII. Quædam etiam consanguinitas cum Christo & nobilitas ad omnes homines permeavit.

Observandum postremò non ita totos abripi nos oportere in exaggeratam illam, quam per Christum nacti sumus nobilitatem, qua filii, qua adoptivis chariores, qua naturalis consortes filiationis, qua unus cum unigenito primogenitus censemur; sed oculos etiam animosque dejiciendos obiter saltem esse in eam tametsi decoloratiorem, minimè tamen aspernabilem, quæ ex incarnatione in totum genus humanum redundavit, dignitatem. Genus enim Dei jam sumus omne genus hominum, & ille caro nostra est; natura humana Dei natura deinceps est, quia Christi Dei natura est; eoque Deo non aliena, non peregrina, sed familiaris & consanguinea; nec ullus hominum quamvis infidelium, quamlibet facinorosorum, hujus cum Deo cognationis, hujus inquam adumbratæ filiationis exors esse potest. Universi homines naturæ communis vinculo cohærescunt; & singuli singulis, omnes omnibus fratres sunt; cùm unus ergo eorum Deus Deique filius natura fit, ejus unius omnes singulique alii fratres sunt, eoque Dei Patris ejus filios non injuria possunt se jactare. Naturæ communis fœdere & congenita charitate singulorum compendia vel detrimenta ad omnes permanant; humani nihil à quoquam homine alienum est; ergo ab hac naturæ humanæ in Christo coalitione cum divina, nullus hominum non incrementum accepit nobilitatis, nullus non divinæ cognationi implicatus est. Ex animarum rationalium in carnem complicatione, nulli non exploratum est, quanta naturæ corporeæ abundaverint & emolumenta & nobilitatis augmenta; quippe cùm omnia corpora quæ in extremam dissimilitudinis regionem amandata videbantur esse, hoc alicujus portionis suæ cum naturis intellectualibus conjugio revocentur quodammodo ad fontem suum, seu ad mentis & veritatis sacrarium. Ad eundem modum cùm portio aliqua naturæ humanæ Deus jam fit, tota ibi humanitas honestatur. Denique quàm nullus hominum fit, cui non hæc naturæ suæ cum Verbo vitæ cognatio, dignitatis bonorumque copiam non pœnitendam accumulaverit, vel hinc licet conjicias, quod omnes dempto nemine, inde resurrectionem & immortalitatem consecuturi sint. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Hoc est, ut vitiata radice humani generis Adamo, in omnes qui inde pullularunt homines vitium pariter exitiumque serpsit, seu mortalitas: ita restaurata radice, imò Verbo jam melioris radicis vices subeunte, vita & immortalitas in omnes æquè homines perfluet. Ab hac ergo fecunda radice cùm singuli & universi homines vitam & immortalitatem resurgendo combibant, illi planè singuli cohærescunt & universi. Nisi enim conserti illi essent, non tantum fugerent inde boni. Omnis ergo humana gens, etiamsi fidei pietatisque ignara & inanissima, Christo coaluit quodam suo modo, ejusque consanguinitate nonnullam divinæ cognationis sensit aspergin em.

VIII. Ex Cyrillo. In Evan. Jo. L. 6. pag. 611

Cyrillus Alexandrinus: *Verum autem genus Filii sumus ac dicimur, & per eum Patris. Quandoquidem existens ex Deo Deus unigenitus, homo factus est, eadem nobiscum natura assumpta citra omne peccatum. Siquidem quomodo genus sumus Dei, aut qua ratione divinæ naturæ participes: Nec enim in eo solo quod voluerit Christus nos in affinitatem accipere, gloriationis modum habemus? sed vis ipsa rei verè nobis competit. Divina enim natura Dei Verbum est, etiam cum carne, nos verò genus ejus quamvis sit secundum naturam Deus, quod andem nobiscum carnem assumpserit. Itaque similis est conjunctionis modus.* Vides quàm explicatè pronunciet,

&

& quàm acutè probet genus nos esse filii Dei, & per filium Patris; ex eo quod nostra natura, natura Verbi est; adeoque Patrem eundem sortitur, qui Pater est Verbi; nec ab hoc gentilitiæ nobilitatis stemmate expungi quisquam potest, qui modò sit homo. Quilibet enim homo cujuslibet hominis congener & frater est; quilibet ergo homo hominis Verbi congener & frater est; ejusdemque proinde Patris suo quodam jure filius.

Pergit autem Cyrillus ibidem: *Ut enim conjunctus est ipse Patri, & coniunctus est per identitatem naturæ Pater ipsi, sic & nos ei inquantum homo factus est, & ipse nobis. Per eum autem tanquam per intermedium Patri coaptamur. Quippe Christus est veluti quoddam divinitatis & humanitatis confinium in uno eodemque existens utraque, & veluti comprehendens in seipso ea quæ tantopere sunt dissita.* At quoniam offendi poterat quis, si in divinam parentelam nefarii quique & à fide extorres irruerent homines, horum querelam ita occupat, diluitque: *Sed dicet forsan aliquis, Nonne vides quodnam te demum in periculum conjicias? &c. Erunt universi familiares, quatenus homines, &c. Ad hoc respondemus, communem quidem esse omnibus, tum qui noverint ipsum, tum qui ignoraverint, conjunctionis modum. Factus est enim homo, non gratificatus quibusdam privatis, aliis non item, sed universam naturam lapsam miseratus. Sed nihil profuturus est ille conjunctionis modus, contumacia & rebellione in eum peccantibus, contra diligentibus eum tanquam singulare aliquod præmium attribuetur. Quo enim modo resurrectionis ratio pertinet quidem ad omnes propter resurrectionem Salvatoris, qui secum totam naturam humanam suscitat, nec tamen id quidquam proderit peccati amantibus, quippe qui ad inferos ibunt præcipites, &c. Eodem modo opinor coniunctionis rationem ad omnes malos & bonos pertinere, sed non æqualiter omnibus inesse; verùm iis qui credunt in eum, veræ cognationis & prærogativæ omnis ei debitæ causam: secus facientibus, ingratitudinis & impietatis gravissimum crimen existere.* Ex Verbi igitur seu vitæ ipsius in naturam humanam implicatione, irrigatur toti hominum generi vita, resurrectio & immortalitas. Pertinet igitur permanatque in omnes homines indiscriminatim incarnatio Verbi, omnes complectitur bonos malosve, omnes nobilitat; nec potest suscitare seipsum Christus, quin totam naturam unà secum resuscitet; nec potest suam exarmare mortem, quin omnium exarmet; omniumque animas perinde ac omnium corpora à vitiorum morte exsuscitaret, si tam animæ quàm corpora nihil omnipotenti reluctarentur indulgentiæ. Nec semel Cyrillus ita sensit, sed passim id confirmat.

Vide In Ev. Joan. pag. 96. 97. 471. 473.

IX. Ex Prospero Respõsione nona ad capitula Gallorum.

Quin etiam sanctus Prosper hanc humanæ naturę in Dei Filium assumptionem ad omnium hominum spectare amplificationem non dissimulat: *Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit.* Et paulò pòst idem cum Cyrillo bonorum malorumque discrimen constituens: *Cum itaque rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit.*

CAPUT XIII.

Cùm conceptus sit de Spiritu sancto Christus, cur non ejus filius sit? Cum quâ homo, gratia Filius Dei sit, qui natura Filius sit? Complusculæ aliæ difficultates solvuntur.

I. Christus de Spiritu sancto concipi dicitur, ut meræ Dei gratiæ hoc totum esse innuatur.

EXtricandi jam sunt nodi aliqui incurrentium in constitutam superiùs doctrinam difficultatum. Primus ille facessit negotium, qui ex symbolo petitur, quo conceptus natusque de Spiritu sancto profertur Christus, & de Maria Virgine. Quì ergo Mariæ filius cùm sit, non erit perinde Spiritus sancti? Versavit hanc quæstionem Augustinus in Enchiridio plurium capitum contextu; ejus perplexitatem palam professus: *Cùm confiteamur natum de Spiritu sancto & Maria Virgine, quomodo non sit filius Spiritus sancti, & sit filius Virginis Mariæ, cùm & de illo & de illa sit natus, explicare difficile est.* Exempla quidem ille complura profert in medium, quibus id efficiat, ut non statim ejus filius sit, qui de quopiam nascitur; & illud in primis appositissimum, quod ex aqua & Spiritu sancto renascantur fideles, etsi ut ait ille, *non aquæ filios eos ritè quispiam dixerit, sed planè dicuntur filii Dei Patris & matris Ecclesiæ.* Enchir. c. 39. Sed nodus nodo æquè implicato non satis explicatur. Urgebit enim curiosior quis, Ecquid causæ sit, ut ab aliis nati, alios sortiamur parentes? an aliud sit parentem quempiam nanscisci, quàm ab ipso nasci? Ergo eò tandem revolvitur Augustini responsio, ut natus de Spiritu sancto Christus homo credatur, etsi tota illum Trinitas hominem in matris alvo procreet, ut ex Spiritus sancti proprietate intelligatur gratiæ beneficium, quo natura humana in primo sui exortu, nullo præeuntium meritorum suffragio, ad copulam cum Verbo Dei hypostaticam exaltatur: *Profectò modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut Filius, & de Maria Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, quâ homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis qui Filius Dei; ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ista gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse propriè sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum.* Ibid. c. 40. Igitur natus de Spiritu sancto, perinde est ac natus de fonte gratiæ, ipsam gratiam cum natura quasi concretam assecutus, gratiam in nascendo tanquam naturam ipsam suam adeptus; ex quo non efficitur, ut filius sit Spiritus sancti. Nec nos enim cum ex Spiritu sancto renascimur, filii Spiritus sancti, sed Dei Patris esse æstimamur. Ex gratia quippe Dei scaturit nostra regeneratio, ideo Spiritui sancto adscribitur peculiariùs, ut fonti, ut dono, ut donorum largitori omnium, nusquam ut patri.

II. Totum Patris nomen præoccupavit Pater.

Cur abstineat hoc patris nomine tum Filius, tum Spiritus sanctus universim, jam iterum iterumque significavimus. Occupata est à Patre innascibili tota paternitas; similiter à Verbo tota filiatio; sua quoque laus propria Spiritui sancto constat tota incolumisque & intacta. Quantumvis ergo vel intus procedat ab eodem Patre Spiritus sanctus, non tamen ille de Filii nomine quidquam delibat; quantumvis extra profundat ex se totam filiorum Dei familiam, quamvis denique ipsius Filii Dei Christi ortum vendicet sibi, non ille tamen de præcepta jam paternitate quidquam, non vel nominis gloriam decerpit. Ita & Verbum quamvis profundat ex se Spiritum sanctum in Deitatis adyto, non tamen vel de proprietate Filii quidquam illi impertit, vel de Patris nomine vendicat quidquam sibi; quamvis rursus ex eodem Spiritu sancto temporaliter nascatur ipse, nec suam ad illum deflectit filiationem, nec ei ullam invehit paternitatem. Fixum enim ratumque id est, exteriora intimorum Dei imitamenta esse, & tam foris quàm intus non permisceri divinas proprietates.

III. Christo cōfert Spiritus sanctus po-

Strictior est responsio Pascasii E. R. Diaconi: *Homo namque assumptus ex Maria, operatio Spiritus sancti fuit, non portio; nec ab eo genitus,* sed

sed creatus; conceptus est potentia, non substantia: operatione, non participatione: virtute, non genere. Nascitur itaque de Spiritu sancto & Maria Virgine, nec tamen filius est Spiritus sancti, sed Mariæ Virginis, quia suam confert illi Spiritus sanctus potentiam, non substantiam; Maria utrumque. Confert illi Spiritus sanctus operationem suam, non genus; Maria utrumque. Nascitur de Spiritu sancto operante per gratiam, nascitur de Maria generante per naturam. Vide Hugonem de sancto Victore, libello de Mariæ virginitate perpetua.

(tentiâ suâ. Maria substantiam suam. L. 1. de Spir. sanct. c. 2.)

(IV. Gratia Filium Dei esse Christum Patres aliquando docent.)

Nodus alter priori finitimus & indidem pendens hic est. Si ergo de Spiritu sancto concipitur Christus, ut hæc amplissima sit divinæ gratię testificatio, qua nullo fultus meritorum præsidio ad divinam provectus est homo filiationem; igitur qua homo gratia filius, non natura; ideoque ascititius, non naturalis; adoptatus, non proprius & genitivus. Et sancti Patres turmatim conspirant in hujus gratiæ declarationem, qua filius hominis factus est Filius Dei. Augustinus: *Quod enim est Unigenitus æqualis Patri, non est gratiæ, sed naturæ: quod autem in unitatem personæ Unigeniti assumptus est homo, gratiæ est, non naturæ.* Facundus Episcopus Hermianensis: *Illud autem quis ferat, quod aliqui dicentes credere se nobiscum duas Christi esse naturas, & Deum illum atque hominem non negantes, si audierint quod gratia sit filius Dei, sic detestantur hoc verbum, tanquam si de illo dicatur, qui Deus tantum, non etiam homo sit? Sicut autem & natura filius est hominis propter veram humanitatem, & dignatione filius est hominis propter veram Deitatem; ita etiam & natura Filius Dei est propter veram Deitatem, & gratia Filius est Dei propter veram humanitatem. Si verò & secundùm humanitatem natura Filius Dei dicatur, in illud Apollinaris inciditur, quod credidit Deum Verbum, ex parte suæ substantiæ quæ tota ubique est, & partiri non potest, carnem sibi fecisse. Quod si veraciter duas dicunt ejus naturas, & ambæ divinæ esse non possunt, quia humanitatis una natura est; proculdubio non quemadmodum secundùm divinitatem natura Filius Dei est, ita etiam secundùm humanitatem natura Filius Dei est. Si autem secundùm humanitatem non est natura Filius Dei, necessario sequitur, ut aut meritis, aut gratia sit Filius Dei, &c. Restat ergo ut secundùm humanitatem gratia sit Filius Dei.* Vides quàm constanter teneat, sed & quàm validè demonstret Christum, quà hominem gratia esse Filium Dei, non natura. Communit etiam se authoritate Augustini: *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Deus Christus.*

(Tract. 74. in Joann.)

(L. 9.)

(L. 1. de præd. Sancto. c. 15.)

(V. Sed Christus homo gratia Filius est Dei naturalis & proprius, gratia insertus filiationi nativæ Verbi & propriæ.)

Ad hæc quibus maximè urgemur Facundi verba & argumenta, perfacilis & perexpedita responsio est; hancque nobis ipse præit. Non abnuit enim quin ita Christus homo sit Filius Dei, sicut Christus Deus est filius Mariæ. At Christus quà Deus etsi dignatione sit filius Mariæ, est tamen naturalis & proprius, non adoptivus Mariæ filius: ergo & Christus quà homo, etsi non meritis, sed gratia Filius Dei sit, est tamen naturalis & proprius, non adscititius Dei Filius. Igitur ne verborum altercatio committat, quos inter nulla sententiæ discrepantia est, naturalis filiatio bifariam potest competere. Nam & Deus Christus & homo Christus naturalis Mariæ filius est, aliter tamen & aliter: nam ita quà homo Mariæ proprius filius est, ut humanitas ratio sit & fundamentum ejusmodi filiationis; ita quà Deus Mariæ filius naturalis est, ut non tamen Deitas fundet, sed suscipiat istiusmodi filiationem. Proprius est Mariæ filius quà homo, propter humanitatem: proprius est Mariæ filius quà Deus, non propter Deitatem, sed propter humanitatem ad Verbum pertinentem. Unica persona est, unicus filius & proprius & naturalis Mariæ in utraque natura, non propter utramque naturam; proprius & naturalis Mariæ filius est, & quà Deus & quà homo: sed quà homo, etiam quia homo: quà Deus autem, non etiam quia Deus. Ad eundem igitur modum, & quà Deus & quà homo Christus Dei Filius est unus, proprius, naturalis, genitivus: sed aliter & aliter: nempe & quà Deus & quia Deus: at quà homo, non etiam quia homo; seu quà Deus & propter Deitatem; & quà homo, sed non propter humanitatem. Quemadmodum igitur Verbum dignatione filius est Mariæ, & tamen proprius naturalisque filius est Mariæ veraciter & propriè Deiparæ; ita homo assumptus gratia Filius est Dei, & tamen proprius naturalisque Filius est Dei, hominem Deum verè gignentis. In promptu est & alterum exemplum ab anima & corpore. Nam Elisabethæ, verbi gratia, filius est Joannes, & quà rationalis, & quà corporeus; non tamen etiam quia rationalis, sed quia corporeus. Gignitur ab Elisabetha totus Joannes, anima & corpus, unus idemque proprius filius; sed aliter propter corpus, aliter propter animam; corpus enim gignitur propter seipsum, anima propter corpus. Natura filius igitur dupliciter quispiam est, vel natura fundante filiationem vel natura excipiente substantivè filiationem. Natura Christus filius Mariæ est, sed natura divina excipiente, non fundante, natura humana non excipiente, sed fundante istiusmodi filiationem. Sic & Joannes Elisabethæ filius est natura utraque & animæ & corporis, sed sola natura corporis fundante, natura verò animæ excipiente filiationem: sic denique natura utraque Christus Filius Dei proprius & genuinus est, sed natura divina fundante, natura humana per gratiam excipiente naturalem hanc Dei filiationem.

Consentit cum Facundo Agobardus re, licèt vocibus dissentiat, ubi ait contra Felicem: *Rogo ubi unquam legisti in divinis litteris, vel in dogmatibus Catholicorum Patrum, quod Dominus noster secundùm humanitatem suam assumptione, electione, vel gratia dicatur esse Filius Dei Patris? certè ego nunquam legi.* Reapse enim nusquam legitur, quod secundùm humanitatem sit Filius Dei gratia, quamvis sæpè memoretur, quod gratia, non meritis humanitas ad personæ Verbi unitatem assumpta sit. Longè aliud autem est gratia esse Filium Dei, & gratia uniri Verbo Filio Dei. Nam illud caderet in Christum hominem, hoc in seorsim spectatam humanitatem; illud adoptivam importat filiationem, hoc naturalis filiationis susceptionem. Gratia enim fit humanitati, ut adunetur Verbo; non Christo ut homini, qui Verbi jam accessio & Verbum ipsum intelligitur. Gratia fit humanitati, non ut filiationem gratiæ, sed ut filiationem naturalem seu ipsam excipiat Verbi hypostasin. Rectè itaque advertit Agobardus, nec ipsi Augustino, qui unus creberrimè commendat gratiam, qua natura humana divinæ conserta est in unitatem unius Filii Dei, nec ipsi tamen excidisse unquam, ut Christum secundùm humanitatem gratia Filium Dei esse pronunciaret. Unde Augustinus: *Cùm esset unicus Dei Filius non gratia, sed natura; ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius; ipse idem utrumque ex utroque unus Christus.* Utroque utrumque est, id est & Mariæ filius est utroque, seu utraque natura sua: & Dei Filius est utroque, seu utraque natura; quia idem ipse utrumque & unus est. Sed, ut ait Agobardus, *si aliquando beatus Augustinus debuisset prædicare Dominum nostrum gratia esse Filium Patris secundùm humanitatem, in hac sententia haberet præcipuum & congruum locum. Dicens ergo, Cum enim esset unicus Dei Filius non gratia, sed natura, adjungeret, Ut esset etiam Filius gratia, factus est & hominis filius; non autem dixit ita, sed ait, Ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius.* Et universùm inter evolvendos Augustini commentarios observare id est, nec ubi maximè ipsa rei & orationis tempestivitas,

(Enchi. c. 35.)

vitas, ad hoc eum pelliciebat, ut secundùm humanitatem Filium Dei gratia diceret Christum, nec ibi tamen usquam ita dixisse. Et eo ipso quem in suæ causæ patrocinium allegat Facundus loco, docet ille quidem, gratia hominem illum factum esse Deum, vel Filium Dei; non autem quod fuerit Deus vel Dei Filius gratia. Gratia enim humanitas illa consecuta est filiationem, non ascititiam, sed naturalem & substantivam Verbi. Sicut & Verbum dignatione factus est filius Mariæ, & tamen verissimus & naturalis est filius Mariæ. Denique rei totius summam uno verbo concludit Agobardus ibidem: *Suscepit certè Verbum Dei coæternum Patri substantiam nostram, sed non ideo ut ipsi sibi filius esset; non ideo ut Deo Patri alio modo inciperet esse filius, quàm erat ante incarnationem: non ideo ut filiationis modos & nomina multiplicaret*. Nec nos sanè aut filiationes duplicamus, aut modos filiationis: sed unica nobis est Christi filiatio ad Deum & qua hominis & qua Dei; & unicus modus ejus filiationis, videlicet propriæ & naturalis; sed hæc filiatio propria & genitiva, etsi utrique substantiæ competat, non tamen propter utramque, sicut & nasci de Elisabetha, etsi & animæ Joannis & corpori conveniat, non tamen propter utrumque, sed propter alterum, videlicet corpus. Quod rursum tradit Augustinus: *Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus & utrumque homo. Sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem*. Si utrumque Deus, ergo utrumque Dei filius proprius à Deo Patre genitus, sed non propter utrumque: quia tantummodo propter accipientem Deum: similiter si utrumque homo, utrumque Mariæ proprius filius, non tamen propter utrumque, sed propter hominem assumptum.

L. 1. de Trin. c. 5.

VI. Exponitur quo sensu à Patribus quandoque dicatur adoptata humanitas.

Mar. Vict. To. 4. Bibl. Pat. pag. 187

Hilar. de Tr. l. 2.

Cyrill. Dial 3. De Trinit pag. 486.

Eodem pertinent illa à sanctis Patribus non infrequenter usurpata nomina adoptionis, ut copulam humanitatis cum Verbo declaretur. Marius Victorinus: *Non sic filius quemadmodum nos. Nos enim adoptione filii, ille natura. Etiam quadam adoptione filius est Christus, sed secundum carnem: Ego hodie genui te*. Hilarius: *Potestatis dignitas non amittitur, cum carnis humilitas adoptatur*. Et quod magis mirere, Cyrillus: *Constat igitur tunc rectè datum esse filio nomen quod est super omne nomen, cum etiam forma nostra assumpta, velut unus è nobis in filium ascriptus est Deï, adoptatus nobiscum & propter nos, verus ille & germanus, ut & nos propter ipsum filii, supernaturalis gloriæ simus participes*. θετὸς μεθ' ἡμῶν καὶ δι' ἡμᾶς ὁ γνήσιος, adoptionem perspicuè indigitare videntur hæ voces. Horum similia coacervaverat Fœlix Urgelitanus complurima, ad quæ respondet Agobardus, adoptatum dici à sanctis Patribus non Christum, qua hominem, sed illum hominem, vel illam potiùs humanitatem, ut fieret Christus & Filius Dei proprius; rursumque adoptionem ibi significare idem atque assumptionem. Idque probat allata Hieronymi hac sententia, *Hic filius hominis per Dei filium Dei esse Filius in Dei Filio promeretur; nec adoptio à natura sejungitur, sed natura cum adoptione conjungitur; quoniam cum Verbum caro factum est, non per assumptum decrevit assumptor, sed in assumente crevit assumptio*. Planissimum est adoptionem hic pro assumptione sumi, & assumptam vel adoptatam dici naturam humanam, non Christum qua hominem. Denique hic adoptio eam vim habet, quam gratia superius; seu gratia ergo seu adoptione gratiæ assumpta prædicetur humanitas ad divinam filiationem, id unum contenditur, ut non suis meritis, quasi priùs seorsim extitisset, nec ex naturæ suæ proprietate, cum id unius deitatis privilegium sit, sed ex beneficio Dei natura humana ad divinam evecta sit filietatem; non illam tamen adumbratam personatamque adoptivorum, sed propriam & substantivam Verbi divini.

VII. Duplicem modum habendæ filiationis propriæ Dei, alicubi distinguit ipse Augustinus.

In expofit. Epist. ad Galat.

Sed illustrando de naturali Christi hominis filiatione placito peropportunus est, nec citra piaculum omittendus locus Augustini, ubi filiationis triplicem quendam modum dispescit his verbis: *Per fidem induendo Christum, omnes fiunt filii, non natura sicut unicus Filius qui etiam sapientia Dei est: neque præpotentia & singularitate susceptionis, ad habendam naturaliter & agendam personam sapientiæ, sicut ipse mediator, unum cum ipsa suscipiente sapientia, sine interpositione alicujus mediatoris effectus: sed filii fiunt participatione sapientiæ, id præparante atque præstante mediatoris fide*. Natura filius hic pronunciatur, Verbum Deus sapientia Patris: adoptione filius, justus quisque, ex participatione sapientiæ & justitiæ: at Verbum homo quà homo, filius dicitur, *Præpotentia & singularitate susceptionis, ad habendam naturaliter & agendam personam sapientiæ*. Quæ ratio est utique altera filiationis naturalis, nam habetur naturaliter, non adoptitiè, persona ipsa, non participatio sapientiæ. Unde Hugo Victorinus: *Quod homo ille est filius Dei, est ex gratia: non autem est filius gratiæ, sed filius naturæ*.

Annot. in Evan. Joan.

VIII. Quomodo dicatur Christus homo de matre sine Patre nasci.

In Evan. Jo. Tr. 10. & 53.

Nec morabitur nos illa alia sanctorum Patrum sententia, quod Christus à Patre sine matre Deus, à matre sine Patre homo natus sit. Augustinus: *Duæ nativitates Christi intelliguntur, una divina, altera humana, illa sine matre, ista sine Patre*. Et alibi: *Non quæsivit in terra nisi matrem, qui jam habebat desuper Patrem. Nam utraque ejus nativitas mirabilis fuit, divina sine matre, humana sine Patre*. Non his tamen collíditur secum Augustinus, qui alibi tam eliquatè disputat Christum secundum utramque naturam filium esse Dei Patris omnipotentis. Humana quippe nativitas sine Patre venditatur homine, id enim admirabilitatem conciliat: at si Pater etiam Deus ab ea expungeretur, non hinc ei pretium aut decus accederet, quin vehementer detereretur. Adde quod de matre sine Patre nasci homo Christus dictitatur, ut matris suspiciatur virginitas. At quàm injuriosus homo, tam amicus virginitati & sospitator Deus Pater est.

IX. Totā Trinitatem nobis Patrem cōciliant quidā Scriptores Ecclesiastici.

l. 5. de Trin. c. 11.

Illud paulò implicatius est, quod nostra quoque filiatio uni Deo Patri supra singulariùs visa est arrogari. Contra enim adversari videntur Patres & Trinitatem nobis in Patrem asciscere. Augustinus: *Trinitas unus Deus dicitur, magnus, bonus, æternus, &c. Non sic potest dici Trinitas Pater, nisi fortè translatè ad creaturam, propter adoptionem filiorum. Quod enim scriptum est, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est, non utique excepto Filio, aut excepto Spiritu sancto oportet intelligi: quem unum Dominum Deum nostrum rectè dicimus etiam Patrem nostrum per gratiam suam nos regenerantem*. In promptu est ratio Augustini, nostra enim filiatio, cùm creata dos quædam & gratia sit, utique ad creatricem omnium Trinitatem & individuam opificii sui dominatricem spectat. Id altero Hilarius argumento firmat: *Illæsum atque incontaminatum regenerantis Trinitatis sacramentum*. Sic ille baptismum describit. Cum ergo in lustrali illa matrice in nomine Trinitatis renascamur, utique non solus Pater nobis Pater est. Quò pertinet & illud luculentissimum Gregorii Nysseni, ubi incommutabilem Verbo & Spiritui sancto, æqualemque Patri deitatem, eo vendicat argumento, quod ineassum in nomine Trinitatis auspicatiorem ambiremus regenerationem, si mutabili ex Patre renascentes, in mutabilitatis rursus voraginem ex parentali labe resorberemur. *Quisquis ergo sanctam Trinitatem increatam esse confitetur, is ingreditur vitam immutabilem & inalterabilem: creatam autem aspiciens naturam in Trinitate, falsa existimatione, & deinde in ea baptizatus, ingeneratur rursus in vita mutabili &*

L. 2 de Trin.

Orat. Catec. c. 39.

quæ alteratur. *Nam quod nascitur, est necessario ejusdem generis, cujus est natura eorum quæ generat. Quid ergo fuerit conducibilius, in vitamne ingredi immutabilem; an rursus fluctuare in vita mutabili & quæ alteratur?* Candidati ergo immutabilitatis, incommutabilem sibi renascituris eligant Patrem, sanctam Trinitatem, cujus dum inaugurantur nomine, imbuuntur natura.

X. Et nos ultro ideò fatemur sed specialius tamé Pater nobis est qui Christi.

Perspicua hæc sunt, nec ullis cavillationum nubeculis infuscanda. Profitemur ergo & nos, Patrem nobis esse sanctam Trinitatem, cujus gratia adoptamur, cujus imprecatione regeneramur, cujus æternitati initiamur, & in antecessum rore ejus aliquo conspergimur. Nec recantamus tamen, quæ non minùs perspicuà ex iisdem aliisque Patribus, imò & ex Scripturis delibavimus supra, ut hujus etiam paternitatis gloria principaliùs uni ingenito genitori adhæreretur. Nam & Christum ipsum non fratrem dumtaxat, sed & Patrem nobis esse supra explanavimus, nec tamen diffiliebant duo hæc placita. Et ne ista excidant, libet hic intexere quæ de nostra omnium generatione & parturitione per crucem Christi sancti Patres prosecuti sunt. Augustinus: *Adde carnis susceptionem, ne carnalibus inhæreres, adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem crucis. Talibus concepit te seminibus; talique in vitam novam connubio procreat*. Hæc sive Augustinus, sive Paulinus, de nostra à Christo Patre nativitate. Paulinus certè in Epistola ad Augustinum de Joanne qui nostrum omnium typum gestabat, cùm juxta crucem à Christo filius Mariæ delegaretur, aut veriùs, gigneretur: *Ut & alii matrem delegaret pro matre habendam, & vice sua consolandam, atque illi vicissim novum filium vice corporis sui traderet, imo ut ita dixerim, gigneret*. Rursum Augustinus: *Ergo filii sponsi, filii passionis illius, filii redempti sanguine illius, filii crucis illius*. Et Gregorius: *Sanctæ quippè Ecclesiæ populus: quia mortui Patris est filius, pupillus non incongruè dicitur; cujus resurgentis vitam jam quidem per fidem sequitur, sed necdum per speciem contemplatur*. Et Hieronymus ad Fabiolam de Veste Sacerdotali: *Illum attendamus Patrem, qui nunquam moritur, aut qui pro nobis moritur, & qui ideo vivens mortuus est, ut nos mortuos vivificaret*. Denique Bernardus: *Planè deesset Salvatori quòd maximum est, nisi & Pater esset futuri sæculi, ut per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad mortem*. Cùm ergo crucis filii simus, cum talibus seminibus concepti, tali connubio procreati, cùm Pater futuri sæculi Christus futurus sit, qui quos obstetricante sua ipsius morte spiritaliter peperit, eos regenerante rursus resurrectione novos iterum recreabit; nihilo tamen minùs Trinitas est nobis Pater. Ita & Trinitas erit nobis Pater, etsi speciali quodam jure nos sibi in vicem filiorum adoptet is, qui propriè genitor est, & unus æterni Filii etiam incarnati, membrorumque ejus Pater est.

Epist. 38.

Ib. Epist. 58.

In Psal. 41.

Mor. l. 8. c. 1.

Serm. 2. in circumcisio Dom.

XI. Quod ex Hilario cõfirmatur. L. 12. ad calcem.

Quin imò Hilarius ex ipsis baptismi solemnibus verbis, quibus tota Trinitas nos regenerat, hanc paternitatis prærogativam uni Patri singularius adsignandam auguratur. Patrem enim Deum alloquens, ita habet *Ut quod in regenerationis meæ symbolo baptizatus, in Patre & Filio & Spiritu sancto professus sum, semper obtineam: Patrem scilicet te nostrum, filium tuum unà tecum adorem, & sanctum Spiritum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear*. Regenerationem in baptismo profitetur, quem Trinitatis nomem consecravit, & tamen Patrem nostrum eum compellat unum qui Verbi Pater est. Et ne diutiùs te morer in hoc anfractu, expediet nos hinc Cyrillus *In animum inducito Patrem quidem cooperari Filio, & Filium vicissim Patri, & salutem nostram, atque adeo ad vitam reditum totius ut ita dicam sanctæ Trinitatis opus esse. Promanant omnia in nos bona per sanctam Trinitatem, & omnia in omnibus in solidum reperitur Deus ac Pater per Filium in Spiritu*. Illuminat itaque regeneratque nos Pater per Filium in Spiritu, quo circa & tota Trinitas nobis Pater est, & solus Pater nobis peculiarius Pater est; ut qui regeneret nos per Filum in Spiritu; ut qui paternitatem omnem occuparit, ut qui authoritatem quæ in paternitate splendidiùs relucet, sibi propriè vendicet; ut qui Verbum nobis suum quo in filios evehimur, suo jure ingignat; ut qui Verbi sui semper Pater sit, sive ante carnem, sive in carne, sive in capite, sive in toto corpore; ut qui denique filiationis nostræ ultra limites adoptivorum in naturalis & genitivæ filietatis gloriam exultantis largitor authorque principalis sit. Unde Augustinus: *In hoc cognoscimus quia diligimus filios Dei, quasi dicturus esset, in hoc cognoscimus quia diligimus Filium Dei. Filios Dei dixit, qui Filium Dei paulò antè dicebat: quia filii Dei corpus sunt unici filii Dei: & cum ille caput, nos membra, unus est filius Dei*. Unius filii unus Pater.

L. 4 in Evã. Joan p. 340.

In Epist. Jo. Tract. 10.

CAPUT XIV.

De Prædestinatione Christi.

I. Prædestinatio quædã est generatio. Moral. l. 14. c. 22.

NOn inscitè filiationi & generationi Christi, ejus attexitur prædestinatio. Prædestinamur enim in Dei filios & ipsa quodammodo prædestinatione generamur. Unde Gregorius *Quid ergo uterum Dei nisi ejus consilium debemus accipere, in quo ante sæcula per prædestinationem concepti sumus, ut creati per sæcula producamur?* Et Bernardus: *Scimus quia qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio cœlestis servat eum. Generatio cœlestis est æterna prædestinatio, qua Deus prævidit nos conformes fieri imaginis filii sui. Ex his nullus peccat, id est, in peccato perseverat, quia novit Dominus qui sunt ejus, &c.* Et idem rursùs alibi: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio cœlestis servat eum. Generatio cœlestis æterna prædestinatio est, quâ electos suos Deus dilexit, &c.* Quanquam enim nostra nos mutabilitas lapsibus temporum implicuerit; quanquam nostra seu nativa, seu pœnalis habetudo, divinis etiam consiliis operibusque vices temporum inferat; sua tamen Deo constat individua & tota simul æternitas; cui proinde filios prædestinare, vocare, justificare, glorificare, unum atque idem est, unum consilium, unum opus una generatio est.

Serm. de Triplici cohærentia.

Serm. 23. in Cantica.

II. Cum Verbi incarnatio exinanitio sit, qui possi Christus prędestinari?

De Christi ergo prædestinatione pauca & perfunctoriè tantùm differemus, quod verborum hæc magis quàm rerum controversia existat. Etquidem si elimatissimè semper de incarnationis sacramento verba fierent, nec aliud menti occursaret unquam; quam quod Verbum æternum & incommutabile, carnis hactenus & humilitatis insolens, in carnem tandem defluxerit, & sese exinanierit; tum fanè vix aut nec vix ullus esset locus prædestinationi. Est enim prædestinationis hæc mentibus nostris informata notitia, ut per eam ad ampliùs aliquod fastigium gradus extruatur, auxilium præparetur. At incarnatio non amplificandæ, sed exinaniendæ dignitati Verbi Dei impensa est.

III. Maximè cū incarnatione propriè non homo deificatus, sed Deus exinanitus & inhumanatus sit.

Recurrant animo quæ superiùs ex Athanasio potissimùm & Cyrillo argumentati sumus de ipsa incarnationis substantia, quibus & reliquorum suffragationem sanctorum Patrum conciliavimus, effugiet pene atque dilabetur tota prædestinationis ratio. Si enim non homo deificatus est, sed Deus inhumanatus; si non sublimatus homo ad Deitatis apicem, sed Deus in hominem exinanitus, si non filius hominis in Dei Filium raptus, sed Dei Filius in filium hominis revolutus, si non aliud denique obversatur oculis quàm Dei Verbum

bum carne nostra obumbratum, nostris ærumnis impeditum, ægritudini nostræ per sui jacturam & contumeliam attemperatum, quæ hîc superesse poterit vel umbra prædestinationis? quæ vel suspicio gratuitæ divinorum beneficiorum præparationis? Plurima quidem hinc nostræ hominum naturæ fit accessio dignitatis, sed id veluti consectarium est; ex eo enim quòd Deus inanitur in hominem, homo in Deum proficit. Sed ipsa substantia incarnationis, non hominis deificatio, sed Dei inhumanatio atque exinanitio est. Hæc alibi prolixissimè disceptata sunt, ne ergo actum agamus, ea indigitasse sufficiet.

IV. An ergo prædestinatio ad Christi resurrectionem pertinet, cum ab inanitione ad gloriā profecit?

At verò cum exinanitioni suæ finem modumque posuit Christus, & in immortalem revixit gloriam, tum sanè evectus est in illustrioris cujusdam amplitudinis gradum, quo fraudatus antè fuerat, atque adeo ad illum prædestinatus fuisse non injuria pronunciatur. Quocirca Paulus cautissimè, & prout summo Theologorum vertice dignum erat, tum demum prædestinatum disertè memorat Christum, cum de resurrectione ejus verba facit: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*. Prædestinationem Christi in Dei Filium non incarnationi, sed resurrectioni adsignare videtur. Quanquam enim incarnatus esset Dei Filius, ea tamen exinanitio cùm esset, non glorificatio, alienum tunc erat prædestinationis nomen. At ubi ex Dei exinanito Filio & ærumnoso, in immortalitatem gloriamque paternam & in veram profecit Filii unigeniti majestatis plenitudinem, tum consentaneum fuit prædestinationem ejus ostentare. Augustinus: *Filius Dei prædestinatus est quodam principatu resurrectionis, quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse prædestinatus est, id est, ut præ ceteris & ante cæteros resurgeret designatus. Ut quod hic positum est, Filius Dei, cum dixisset, Prædestinatus est, ad documentum valeat tantæ sublimitatis. Non enim sic prædestinari oportuit nisi Filium Dei, secundum quod est etiam Caput Ecclesiæ; unde illum alio loco, Primogenitum ex mortuis appellat*. Quæ sententia Augustini tantò præclarior est, quantò ex antedictis indubitatius est, resurrectionem Christi non accidentariæ cujusdam gloriæ comparationem esse, sed veram regenerationem & renascentiam in paternam gloriam, in majestatis Filii plenitudinem, in Deitatis denique splendorem, qui ipsa divinitas est.

In Exposit. Epist. ad Ro.

V. Sed quia verè etiā dicimus incarnatione hominem deificari etiam; in eo locum habebit prædestinatio.

Verùm quia non semper tam suspensis incedimus vestigiis, quàm par esset, ut mysteriorum nostrorum amplitudinem assequeremur: quia mysterium istud est indulgentiæ in nos divinæ, & inclinationis cujusdam ad nostram imbecillitatem dignationis; ideo frequentissimè hominem assumptum, hominem deificatum, & humanam naturam Deitate vestitam, Verboque Deo copulatam, dictitamus. Consequens autem ex eo est, ut & prædestinatam humanitatem statuamus ad hoc columen beatitatis, ut Filio Dei hypostaticè conjugaretur. Ubi duo admodum sunt, quæ ab accuratissima sacramenti hujus intelligentia nonnihil deficiant. Primùm quod jam Deitas Verbi ut accessio quædam humanitatis capitur. Nam cùm homo deificari, cùm ad Deitatis Verbi hypostasin prædestinari dicitur, principaliter ipsa cogitatur humanitas, cui deificatio adjicitur. Secundò quod homo à Deo, filius hominis à Filio Dei, plusculum sequestratur quàm Cyrilli lima desideret. Cùm enim homo vel humanitas ad divinam destinatur hypostasin, velut interstitium quoddam interjicitur, hac destinatione trajiciendum. Audi Novatianum: *Ait enim, Propterea & quod ex te nascetur sanctum, ut illud ostenderet, non principaliter hoc sanctum, quod ex illa nascitur, id est, istam carnis corporisque substantiam Filium Dei esse, principaliter autem Filium Dei esse Verbum Dei, incarnatum per illum Spiritum*,

L. de Trinit.

ritum, de quo Angelus refert, Spiritus veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hic est enim legitimus Dei Filius, qui ex ipso Deo est; qui dum sanctum istud assumit, & sibi filium hominis annectit, & illum ad se rapit atque transducit, connexione sua & permixtione sociata præstat, & Filium illum Dei facit, quod ille naturaliter non fuit, &c. Vides quanta disjunctio fiat filii hominis & Filii Dei, incolumi quidem fide, sed ex animi magis consilio, quàm verborum sono censenda.

VI. Ideo rectè Christus dicitur prædestinatus quā homo, ut Deus fieret.

Ex hac regula Augustinus in eos stomacatur etiam, qui Christum quoquomodo prædestinatum inficiabantur. Nam tametsi quà Verbum non sit prædestinatus, ut qui sempiternè & incommutabiliter Deus sit, nec destinari quoquam possit, quo non beata Deitatis natura occuparit: quà filius tamen hominis est, prædestinari utique dicendus est. *Nisi fortè ipsum prædestinatum dicere formidabimus, quia de nobis tantum, ut efficiamur conformes imaginis ejus, hoc dixisse videtur Apostolus. Quasi verò quisque regulam fidei fideliter intuens, Filium Dei negaturus est prædestinatum, qui eum negare hominem non potest. Rectè quippe dicitur non prædestinatus secundum id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum; ut quid enim prædestinaretur, cùm jam esset quod erat, sine initio, sine termino sempiternus? Illud enim prædestinatum erat, quod nondum erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat, ut fieret. Quisquis igitur Dei Filium prædestinatum negat hunc eundem Filium hominis negat*. Enixè sanctus Pater urget ut ne prædestinatus Christus homo dici recusetur: sed ut ne quid te fallat, locum Apostoli ex Epistola ad Romanos illico subjicit, & ad resurrectionis claritatem prædestinatum argumentatur. Unde non alia fuerit hæc prædestinatio, quàm quæ superiùs exponebatur. Nisi si paulò interiùs in hoc arcanum irrepas, & resurrectionem quasi incarnationis consummationem interpreteris. Reapse enim filium hominis seu humanitatem prædestinavit ante sæcula Deus, ad Verbi sui hypostasin, & substantivam omnem divinæ personæ gloriam: quanquam ita consilii hujus sui executionem dispensarit, ut ultimum gloriæ cumulum tantisper differret, dum mortalitatis excurreretur stadium.

Tract. 105. in Evā. Joā.

VII. Castigatiùs dicitur natura humana ad Verbi hypostasin prædestinata L. de prædest Sanct. c. 15.

Extricatiora sunt alia Augustini testimonia, quibus humanam naturam nullis anteeuntibus meritis suis ad hypostaticam Verbi copulam in tempore evectam & ante tempora prædestinatam fuisse testificatur: *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset quibus tandem suis, vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo est, comparavit? Respondeatur, quæso, ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruerit?* Audin hominem Christum, illum hominem prædestinatum fuisse, non ad resurrectionis tantùm gloriam, sed ad unitatem personæ Verbi? Quod statim ratione & authoritate probat. Cùm enim in tempore humanam hanc naturam Deus Verbi sui personæ copulaverit, id ante tempora præscivit præfinivitque se facturum. Quocirca Apostolus prædestinatum illum fuisse Filium Dei pronunciat. *Hæc se Deus esse facturum profecto præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum, quæ in Sancto sanctorum maximè claruit, quam negare quis potest intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat Doctor gentium in capite Epistolarum suarum, &c.* Ut enim jam præmonui, quanquam de sola Christi resurrectione & de ejus ad immortalitatis gloriam prædestinatione verba faciat Apostolus, prædestinationem tamen ad divinam Verbi filiationem non immeritò inde Augustinus exprimit. Ut enim una est

VIII. Et ad hypostasin Verbi atque ad resurrectionis gloriā prædestinari unum idemque est.

est filiario Verbi divina, una Verbi hypostasis & gloria substantiva per incarnationem primùm latentiùs, dein per resurrectionem patentiùs & exundantiùs humanitati infusa, ita una est prædestinatio effundendæ hujus in humanam naturam filiationis & gloriæ Verbi.

Planiora sunt hæc omnia, nec possumus in iis diutiùs citra tædium immorari. Illud obiter moneo, verbum Apostoli Græcos Interpretes aliò deflexisse, quasi vox illa ὁρισθέντος, non tam prædestinatum, quàm demonstratum & declaratum sonet. Sed ne hic quidem ambages ullæ. Qui enim in tempore homo cùm esset, agnitus est, & omnium confessione approbatus Filius Dei, ad id sanè æterno Dei consilio, quo temporalia omnia præfiniuntur, destinatus erat. Omnis hæc ergo dissonantia in unam conspirat sententiam.

IX. Cōsentiunt Græci Augustino in Christi nostraq; prædestinatione gratuita.

Quin imò & illa Athanasii Cyrillique ratio elimatior contemplandæ exponendæque incarnationis, in hanc quoque eandem Augustini de prædestinatione doctrinam ultro concurrit. Nam tametsi prædestinatio videatur apertiùs & dilucidiùs patescere, cùm natura humana hæc nullis suis præcurrentibus meritis ad personam Verbi evecta, & tot hominibus aliis, qui eò evehi peræquè potuissent, intelligitur antelata: nihilo tamen minùs & nostra & Christi prædestinatio omne meritum antevenire, ex Græcorum quoque dogmate satis perspicuè demonstratur. Audi Athanasium, ubi cùm retulisset verba Apostoli apud Timotheum de Deo, qui nos liberavit & vocavit vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora æterna. Et ad Ephesios, Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, &c. *Quomodo igitur*, inquit, *elegisset nos antequam fieremus, nisi ut ipse dixit, in ejus animo jam antea præfigurati fuissemus? Aut quomodo omnino priusquam homines crearemur, nos designasset in adoptivos filios, nisi ipse Filius ante ævum fundatus fuisset, suscepta nostri procuratione? Aut quomodo ut Apostolus ait, Heredes participesque prædestinati fuissemus, nisi ipse Dominus ante ævum fundatus fuisset, ut ipse jam tum propositum haberet, ut omnem pro nobis quæ contra nos erat, judicii hæreditatem in se per carnem reciperet, ut ita jam nos in illo vivificaremur? Aut quomodo ante æterna tempora acciperemus, nondum conditi, nisi in Christo Jesu dona gratiæque reposita fuissent, quæ ad nos pervenirent?*

Orat. 3. cōtr. Arian.

Quid his apertius Athanasii verbis ad gratuitam hominum prædestinationem constituendam? Pauli verba id evidenter commendant, quæ ille præmisit; locus ipse Scripturæ quem tractat, non minùs efficaciter id efficit, quo Sapientia Christus omnibus Dei operibus præfundata astruitur: ipsa denique ratio incarnationis hoc exertè vociferatur. Omnia enim merita antecessit meritorum omnium largitor Christus. Cùm ergo Christum nobis Deus ante omnia merita largitus sit, quomodo non omnia cum ipso & in ipso donavit? Num gratis enim salutem non contulit, qui invictissimum Salvatorem gratis dedit? Num gratis non prædestinavit vitam, qui omnipotentem vitæ opificem immerentibus & mortuis largitus est? Num gratis non præparavit gloriam, qui substantivam ipsam gloriam, & gloriæ efficacissimam gratiam, Verbi sui hypostasin naturæ humanæ inseruit? Nam hypostasis & sanctitas Verbi in Christo Ecclesiam, in capite corpus, & in primitiis totam quodam modo generis humani subjugavit, sibique mancipavit universitatem.

CAPUT XV.

Christum quà hominem servum Dei dicendum esse, quibus authoritatum rationumque momentis efficiatur.

I. Quàm perplexa & anceps hæc quæstio.

Invidiosum est & periculosæ plenum aleæ quæstioni huic stylum inserere. Nam seu tute Christum hominem si absolvas, Creatori & Domino creaturæ suæ Deo injuria irrogari videtur, & creatæ ipsi naturæ specie consulendi officitur, cujus libertas sub Domino Deo tutissima & amplissima regnat. Si autem servituti illum asseras, verendum in primis est, ne fœdissima hæc sit ingrati animi macula, liberatori suo servitutem impingere; & ne tua ipsius in discrimen adducatur libertas, quam servus nisi fucatam impartiri haud potuerit; ac denique ne Dei servum dum statuis, Deum abneges, quòd nulla cum Deo servitus possit coalescere.

Ne temerè ergo in re tam lubrica sententiam præcipitemus, consultius visum est, utriusque partis librare & authoritatum suffragia & rationum momenta; & hæc ubi ultro citroque fuerint eliquata, tum quæ tutior sententia visa fuerit, in eam declinare.

II. Qui ex Patribus Christo homini servitutem adscribant Ambrosius primum.

In Psalm. 15

Quòd ergo servus, quà homo est, dicendus sit Christus, conspirare videtur antiquissimorum Patrum senatus. Utque à Latinis exordium ducamus, agmen ducet Ambrosius, qui omnium disertissimè & prolixissimè id sancit. Ac primò illud Esaiæ adaptans Christo: *Hæc dicit Dominus, qui finxit me ex utero servum sibi.* Ad quæ Ambrosius: *Ex utero servum se dixit. Audi Ariane: Ex quo utero? Paulum suprà recurre: Ex utero, inquit, matris meæ vocavit Dominus nomen meum, &c. Ex utero Virginis idem & servus exivit & Dominus; servus ad operandum, Dominus ad imperandum: ut regnum Deo in hominum mentibus radicaret. Utrimque unus, non alter ex Patre, alter ex Virgine: sed idem qui ante sæcula ex Patre, ipse postea carnem suscepit ex Virgine. Ideo ergo & servus vocatur & Dominus. Propter nos servus, sed in unitate substantiæ Deus ex Deo, princeps, æqualis ex æquali.* Et infrà: *Bona servitus, quæ omnes liberos fecit. Bona servitus, quæ nomen super omne nomen acquisivit, &c. Ut & nos servi simus ad justitiam; non superbi ad arrogantiam. Servitutis enim stipendium libertas est; stipendium autem arrogantiæ mors est.* Servitutem Christi inculcare ex scripturæ authoritate exertiùs non potuit; sed servitutem & eo qui servit, & eo cui servitur, oppidò quàm dignissimam: quæ regnum Deo scilicet comparat; quæ cum libertate intima nexibus individuis copulatur; quæ omnium liberationis radix & mater est. Istiusmodi enim est Deo servire, ut inde & propria dimanet libertas, & aliorum liberatio redundet.

L. 5. Ep. 47.

Rursum argumentatur Ambrosius ex verbis Apostoli: *Cum in forma Dei esset, &c. Formam servi accipiens.* Ubi & illam quorundam futilem exufflat cavillationem, quòd formam servi induisse, non servus fuisse legitur. Contra enim, ut in forma Dei erat, quia Deus erat: ita in forma servi fuit, quia servus fuit. *Concluditur Apollinarista, nec quo se vertat, habet: ipse enim dixerat, Formam servi accepit, non servus lectus est. Iterum ergo interrogo, Quid est, in forma Dei? In natura Di. Sunt enim, ait Apostolus, qui non sunt natura Dei. Quæro quid sit, formam servi accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ & conditionis ut dixi humanæ,* Et infrà; *An infirmius putamus servitium esse quam peccatum, quam maledictum, quam opprobrium, quam infirmitates quas pro nobis suscepit, ut à nobis averteret?* Et ex Psalmis cùm multa conglobasset, quibus se Christus servum, Patrem Dominum prædicat, ait: *Æqualis in*

in Dei forma, servum secundum carnis substantiam se prædicans. Servitus enim carnis, dominatus autem divinitatis est. Denique solos Apollinaristas ab hac sententia abhorrere testatur, propterea quod cum carnis & Verbi eandem somniarent esse substantiam, ut Verbo, ita carni servitutem indici vetabant. *Sed hæc ideo non recipiunt, quod servus, peccatum, maledictum factus sit, quia Verbum & carnem unius asserunt esse substantiæ.* Servitus ergo constituendo substantiarum discrimini peropportuna atque adeo pernecessaria est.

Iterum ut servitutem amoliatur a Verbo Deo, cui ab Arianis ingerebatur, non semel Ambrosius homini Christo adsignat. *Dominus creavit me. Non dixit, Pater creavit, sed Dominus creavit me. Caro Dominum cognoscit, gloria Patrem significat. Creatura nostra Dominum confitetur, charitas Patrem novit. Itaque quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dicitur?* Et infrà: *Mea ergo susceptione servus, sua Dominus potestate est.*

L. 1. de fide. c. 7. L. 3. c. 7.

III. Idem rursus Ambrosius. L. 5. de fide. c. 4.

Quin & ipsis ex Christi verbis vestigia servitutis odoratur: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ.* Dominum enim totius creaturæ cum dicit Patrem, suum quoque qua creaturæ portio homo est, Dominum profitetur: *Unde & evidens est quomodo Dominum dicat, quem Patrem novit. Ait enim, Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ. Ante Patrem dixit sapientia suum, postea creaturæ Dominum nuncupavit.* Et ibidem: *Et bene Dominus suum quidem Patrem, cæli autem & terræ Dominum prædicavit: ut cum tu legis & Patrem & Dominum, intelligas Patrem Filii & Dominum creaturæ. In alio prærogativa naturæ est, in alio authoritas potestatis. Formam enim servi accipiens, eo utique Dominum vocat, quo servitutem suscepit: æqualis in Dei forma, servus in corporis. Servitus enim carnis, dominatus autem divinitatis est.*

Et rursum ex Apostoli, quin & ipsius ex Christi authoritate, hominis Christi Deus est Pater: si Deus autem, & Dominus. *Ascendo ad, &c. Deum meum & Deum vestrum.* Et *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ.* Ambrosius ibidem: *Æqualis in Dei forma, servus in corporis. Servitus enim carnis, dominatus autem est divinitatis. Unde & Apostolus ait, Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, hoc est, Deum assumptionis humanæ asserens, Patrem autem gloriæ, &c. Itaque ad proprietatem naturæ gloria refertur, dominatus autem ad suscepti corporis servitutem.* Et rursum: *Deum meum & Deum vestrum, &c. Antè Patrem ut Filius nominavit, Deum postea ut homo nuncupavit, &c. De ventre matris meæ, Deus meus es tu. Significat eum qui Pater semper erat, ex illo Deum sibi esse, ex quo de ventre matris jactatus est.*

L. 1. c. 6.

Iterum servus est, qui ancillæ matris progenies est. Servitus enim aut ingenuitas partus censetur de matre. Idem Ambrosius: *Servus dictus est homo in quo sanctificatus est: servus homo in quo unctus est: servus homo, in quo factus sub lege, factus ex virgine est. Et ut compendio dicam, servus dictus est, in quo matrem habet, sicut scriptum est, O Domine ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.*

L. 5. de fide. c. 4.

IV. Idem rursum Ambrosius, & ejus rationum summa.

Postremò cum λατρεία servitutis addictissimæ religio sit, danda est opera, ut ne dum filio homini servitutem excutimus, totam Dei Patris religionem intervertamus, & ipsi dissentiamus Christo, qui se inter adoratores, adeoque inter servos Patris computat, *Nos adoramus quod scimus.* In quæ verba Ambrosius: *Nos inquit, hoc est, se hominibus copulavit. Quomodo autem nisi secundum carnem hominibus copulatur? &c. Intelligere debemus quod non potest per eandem naturam & adorare quasi servus, & adorari quasi Dominus: sed potius quod ut homo inter homines adorare dicitur, & quasi Dominus à famulis adoratur.*

Cùm ergo prophetica veteris passim, novi autem instrumenti non raro & Apostolica & Evangelica & Christi ipsius concinant verba, servumque Dei Patris hominem Christum testificentur: cùm non possit non servire creatori creatura, & creaturæ portio homo sit: cùm matre serva procreari nequeat nisi sortis ejusdem proles: cùm adoratore Christo fraudandus non sit Deus Pater, ne tota nos salutis spe defraudemur, nec adoratio à servitute divelli queat; cum servitus hæc tanti sit, ut omnium ex se libertatem profundat: cùm servitus Dei, non contumeliæ vertat, sed gloriæ, nec dispendio cedat libertatis, sed incremento: quis hinc non conjiciat tanti esse servire Deo, ut nec Deum dedeceat incarnatum?

V. Augustin.

Ambrosio consentaneus est Augustinus, utriusque instrumenti paginis communitus. *Pater major me est. Formam servi accipiens. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* Ubi & filius & Domino tamen subesse ut servus non dissimulatur. Rursus idem Augustinus: *Christus non tantum Deus est, qua natura æqualis est Patri; sed etiam homo, qua natura major est Pater: cujus etiam non solum Pater, verum & Dominus est. Nam inde est & illud Propheticum, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Ibi est quippe inferior substantia, qua Pater major sit, & servi forma, cui Dominus sit.* Et infrà: *Pater quidem Deus & Dominus est Filio suo; quia inest in eo forma servilis, quæ prophetabatur, cum diceretur, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Cui etiam in eadem prophetia dicit idem Filius, De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Et rursus: *Domine probasti me & cognovisti me. Dicat hoc ipse Dominus Jesus Christus, dicat & Domino Patri. Non enim Dominus ejus Pater ejus, nisi quia dignatus est nasci secundum carnem. Pater est Dei, Dominus hominis.* Et paulò pòst: *Ergo quia & Pater & Dominus est; Pater formæ Dei, Dominus formæ servi.* Et denuò: *Nec moveat quod cum dixisset, Elegit David: quo nomine Christum significat: addit, servum suum; non, filium suum: imo vero hinc cognoscamus non Patri coæternam unigeniti substantiam, sed formam servi susceptam ex semine David.* Et alibi: *Pater quippe adjuvat filium, inquantum Deus hominem, propter formam servi, cui homini Deus, & cui in forma servi etiam Dominus est Pater.* Ex his plus satis constat qui interpretetur Augustinus quod Christus formam servi induerit, quod Patrem olim suum, Dominum etiam nunc profiteatur & Deum suum: quod servi nomine passim illum paginæ instrumenti veteris adornent; quod denique verus homo cum sit, non possit non ejus mancipium esse, cujus est opificium.

L. con. Serm Arian. c. 11.

Ibid. c. 28.

In Psal. 138.

In Psal. 77.

In Psal. 108.

VI. Hilarius.

L. 11. de Trinit.

Hilarius servitutis conditionem quàm constanter à Verbo Deo propulsat, tam fidenter regerit in hominem à Verbo adsumptum, & ex ipsis ejus verbis id exprimit. *Dispensatio itaque magni & pii sacramenti, nativitatis divinæ Patrem, insuper etiam conditionis assumptæ Deum fecit; dum qui in forma Dei erat, repertus est in forma servi. Servus enim non erat cum esset secundum spiritum filius Dei: & secundùm commune judicium, ubi non est servus, neque Dominus est. Deus quidem & Pater nativitatis est unigeniti Dei. Sed ad id quod servus est, non possumus nisi tunc ei Dominum deputare cum servus est, &c. Manens igitur in forma servi, qui manebat ante in Dei forma, homo Christus Jesus locutus est, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Si igitur hæc servus & ad servos locutus est: quomodo professio ista non servi sit, &c. Et Deus sibi ut cunctis sit, ex ea natura qua servus est.* Quod etiam paulò pòst rursum ex Apostolo idem elicit: *Quia ex Patre Deus natus est, & ex dispensatione servus est, habeat & Patrem Deum, dum ex eo Deus est: & Deum suum, dum ex Virgine caro est.* Quod brevi atque absoluto sermone Apostolus

stolus consignat dicens, ὁ Θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης. Quod nobiscum si semper pronominum consuetudo esset, ita pronunciaretur: ille Deus illius Domini nostri Jesu Christi: ille Pater illius claritatis: ut Christi ubi claritas est, ibi Deus Pater ejus sit: ubi vero Christus Jesus est, ibi Pater Deus suus sit: habens Deum suum in dispensatione cum servus est, & Patrem in claritate cum Deus sit. Quo apertius desiderari nescio quid possit.

VII. Fulgentius. In respons. contr. Aria.

Fulgentius quoque: *Si autem quod verum est, aliud est creari, aliud generari: discernatur in qua Christus substantia creatus à Deo dicatur, & in qua ex Patre genitus prædicetur. Nam & ipse scripturæ locus perfacilè quærentibus monstrat, in qua creatus natura dicendus est Christus. In ea scilicet in qua Dominum nominat, ut veritatem in se formæ servilis ostendat. Sicut & in Psalmo loquitur dicens, O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ. Ex ancilla ergo natus est servus, qui ex Patre generatus est Dominus. Propter formam igitur servi dixit, Dominus creavit me: non se à Patre dicit creatum, sed à Domino.* Vides quàm instanter & creatori dominium & creaturæ servitutem invehat: Christumque qua homo & creatura est, ineluctabili religet vinculo servitutis.

Et ibidem paulò infrà: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Quod ut secundum incarnationis futuræ mysterium dictum esse monstraret, adjunxit, Postula à me & dabo tibi gentes, &c. Ille ergo qui permanens in forma Dei, pro salute servorum factus est servus, secundum servilem formam ut acciperet & gentes hæreditatem & possessionem, terræ terminos postulavit, qui secundum divinam naturam sicuti cum Patre universa fecit, ita cum Patre semper universa possedit.*

VIII. Petrus Diaconus. L. de Incar. c. 6.

Cui succinit Petrus Diaconus: *Ab hac damnatione & morte nullus omnino liberatur, nisi gratia redemptoris, qui cum esset Dominus, utpote Deus, ut nos à servitute perpetua & potestate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus est servus, accipiens formam servi.*

IX. Vigilius. L. 3. contra Eutychen.

Vigilius quoque: *Illud sine dubio restat, ut caro ex corpore formata sit uteri virginalis, eaque secundum naturæ suæ veritatem, divinitati in eandem personam unita est. Propter quam unionem personæ cum sit Deus, servus factus est Patris, unde ad eum dicit in Psalmo, O Domine, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ. Et iterum, De ventre matris meæ, Deus meus es tu. Qui si de ventre matris ancillæ nihil acciperet, non eum intra famuli appellationem, servilis naturæ conditio detineret.* Itaque Vigilio, sicut & supra Ambrosio authore, creatæ in Christo naturæ vacillabit fides, si servitus ejus in controversiam deducatur. Blandientur enim sibi Apollinaristæ aut Eutychiani, consubstantialemque statim Verbo carnem ominabuntur, quæ nec Deo servire dignetur: nec ex matre ancilla mendicatam, cui originalis servitus non adhæreseat.

X. Gregorius Papa. L. 2. Moral. in Job. c. 16.

Denique Gregorius Magnus adoptionis quidem injuriam facessere à Christo jubet homine, servitutis autem non injuriam, sed indulgentiam & decus interpretatur. *Cui in terra similis non est. Quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus & Homo. In terra ei similis non est, quia etsi adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accepit. Qui bene etiam servus dictus est, quia formam servi suscipere dignatus est. Nec majestati injuriam intulit assumpta humilitas carnis: quia & ut servanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec divina humanitate minuit, nec humana divinitate consumpsit.* Contumeliosior ergo Christo homini fuerit adoptio, quàm servitus, quando ultra adoptivorum sortem verus Deus est, & tamen ex forma servi servus & ipse est. Enimverò non inhæret, non adnascitur naturæ humanæ adoptio, sed adventitia illi atque adscititia est: ejus ergo in locum irrumpere occupavit filiationis divinæ & deitatis proprietas. At servitus insita & agnata consertaque est naturæ creatæ, & hanc ergo assumpsit divinitas, non consumpsit: illuminavit, non profligavit. Si mortem enim subiit, vitæque in ea deinceps & immortalitatis scaturiginem collocavit; quin & servitutem induerit, ut ea libertatem omnium emercaretur? Quæ naturæ enim propria erant, ea non declinavit, sed curiosissimè singula, & ambitiosissimè omnia sibi Verbi deitas circumcinxit; provexit in melius, consecravit. Quæ autem naturæ nostræ dos, quæ proprietas pulchrior, quod ornamentum amplius, quàm religiosa in Deum servitus?

XI. Ex Græcis Athanasius.

Nec verò Græci Patres in asserveranda Christi servitute minus operæ aut studii posuerunt. Athanasius: *Dominus creavit me ab initio viarum, &c. Quid quod etiam servus in scripturis nominatur, & ancillæ filius, & agnus, & ovis, & fatigatus esse? & sitibundus fuisse, & vapulasse, & passus esse? Sed habent ista occasionem causamque legitimam. Siquidem continuo in sacris literis proditur, cur homo & filius hominis sub servi schemate factus sit, quod quidem nihil aliud est, quam humana caro.* Et in decretis Synodi Nicænæ, eundem scripturæ locum explanans, *Dominus creavit me*: hæc habet: *Quemadmodum ergo dum audimus eum Dominum & Deum, & lumen verum esse, intelligimus eum ex Patre esse: ita quoque æquum est, dum audimus de eo hanc vocem, Creavit me, & quod servus factus sit, & passus sit, ea ipsa non imputari divinitati, sed carni quàm propter nos gestavit.* Nequaquam dehonestari hac Dei servitute humanitatem Christi existimat. (Orat. 1. contra Arian.)

XII. Nazianzen. Orat. 16.

Gregorius Nazianzenus verba illa eadem versans, *Dominus creavit*, ad humanitatem ea Christi detorquet, connexaque hæc duo esse affirmat, ut eò Dominus illi sit Deus, quòd Dei sit creatoris opificium. *Huic velut consectarium est, quod etiam servus audit, multis bene serviens, amplumque ipsi sit, vocari puerum Dei. Revera enim servivit carni & generationi, & passionibus nostris nostræ libertatis ergo.* Adeo non ergo aversanda, aut deprecanda Christo est servitus istiusmodi, ut ultro exambienda etiam fuerit, permagnique facienda, qua libertatem publicam redintegravit, qua Deo religiosissimam honorificentissimamque servitutem servivit.

XIII. Nyssenus. L. de Fide.

Gregorius Nyssenus: *Quemadmodum igitur per Prophetam dixit, Sic dicit Dominus, qui formavit me ex ventre servum suum: ita etiam dixit illud per Salomonem, Dominus creavit me principium viarum suarum ad opera sua. Omnis enim creatura servit, ut inquit Apostolus: proinde & is qui in ventre Virginis formatus est secundum verbum Prophetæ, servus est, non Dominus: hoc est, is qui secundum carnem homo est, in quo Deus manifestatus est: & is qui illic creatus est principium viarum ejus, non Deus est, sed homo.*

XIV. Theodoret. In c. 37. Eze.

Theodoretus hæc Ezechielis verba edisserens: *Et servus meus David princeps in medio eorum*, hæc habet: *David autem Dominum dicit Christum, ut & David secundum carnem oriundum: servum autem propter humanam naturam, &c. Qua ex David, David appellatur: servus autem secundum assumptionem.* Et rursus: *Illud autem, Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, per divisionem posuit. Eundem enim ejusdem Deum & Patrem appellavit: Deum quidem ut hominis, Patrem verò ut Dei.* (In c. 1. Epist. ad Ephes.)

XV. Cyrillus. In Defens. Anathem. 3. advers. Theodoret.

Quin & Cyrillus annuere videtur huic servituti, qua Deo Patri Christum hominem Prophetæ mancipaverunt: *Unigenitus Filius qui est in forma Dei Patris, & æqua cum illo mensuræ parisque gloriæ, ac liber, forma servi assumpta, frater appellatus est eorum qui sub servitutis jugo erant; hoc est, noster. Itaque quasi unus ex nobis, didrachmum per-*

persolvit, &c. Quocirca si quis dicat eum appellatum esse servum per vocem sanctorum Prophetarum, nullo modo offendi decet. Cognoverunt enim per revelantem eis Spiritum sanctum, quia Verbum quod est ex Deo Patre, factum homo, erat quidem & sic liberum tanquam Filius; neque sic tamen mensuram sapientis exinanitionis repudiabat, configuratum nobis, servitutis jugo subditis. Sic & Deum suum dicit Patrem, quamvis natura Deus existeret & ex ipso. Cyrillus itaque cùm Christus sibi homini Deum confitetur, qui sibi Deo Pater est, succinit Prophetis servum illum Patri, & Patrem illi Dominum adsignantibus.

[XVI. Origenes. In Evan. Jo. pag. 169.] Imprudentibus penè exciderat Origenes: *Ad hæc quisquis intellexerit quomodo Jesus factus sit discipulis, non tanquam qui recumbat, sed tanquam ministrans, cum Filius Dei exitens, pro liberandis iis qui peccato serviebant, formam servi sumpserit: non ignorabit, quomodo ad ipsum Pater dicat, Servus meus es tu: ac mox, Magnum tibi est, ut voceris servus meus. Nam nobis audendum est dicere, majorem diviniorémque atque verè secundùm imaginem Patris, Christi bonitatem apparere, quando humilem præbuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, quam si rapinam arbitratus fuisset esse se æqualem Deo, nec voluisset pro mundi salute fieri servus. Ob eam causam volens nos docere, magnum donum accepisse se à Patre quod sic servierit, inquit; Et Deus meus erit mihi fortitudo mea: & dixit, Magnum tibi est, ut voceris servus meus. Nam servus non factus, non excitasset Jacob, neque dispersiones Israel convertisset, sed neque futurus erat in lucem gentium, ut usque ad extremum terræ salus esset. Et res quidem non usque adeo magna est, quod servus ipse fuerit factus, quamvis à Patre hoc magnum dicatur, si conferatur cum agnello & agno innocente, &c.* Adverte quàm constanter servum pronunciet, nec vel umbram dehonestamenti hinc illi conspergi auguretur; sed magnificum hoc illi potiùs, & magno gloriæ fœnori interpretetur cessurum. Divinitatem enim suam non alio splendidiore poterat consignare documento, quàm hac bonitatis exuberantia, qua ex Domino in servum se dejecit. Quocirca jure meritissimo non condolet, sed congratulatur ejus servituti Pater ipse, *Magnum est tibi, ut voceris servus meus.*

[XVII. Idem Origenes. In c. 1. Epist. ad Rom.] Idem Origenes alibi: *Nihilominus qui liber vocatus est, servus est Christi. Quid est autem servum esse Christi? Quid est servum esse Verbi Dei? Sapientiæ, Justitiæ, & Veritatis, & omnium omninò virtutum quæ Christus est, &c. Atque utinam hoc saltem obtineri possit in vita mortalium, ut servus quis Christi ex integro fiat, non carni, non sanguini, non vanæ gloriæ, non cupiditati, non avaritiæ, non iracundiæ, non invidiæ, sed soli Christo, id est, omnibus simul virtutibus serviat.* Pertinent hæc quidem ad servitutem Christo impendendam à servis, non defungendam ut servo. Sed exculpitur hinc tamen non ægrè capitalis & invictissima ratio subjugandæ in Dei servitutem naturæ omnis creatæ, atque adeo & hominis Christi eodem vinculo implicandi. Servit enim natura omnis inferior superiori, corporea intellectuali, intellectualis divinæ. Serviunt corpora menti, qua sapienter administrantur, serviunt mentes veritati, & sapientiæ, qua illuminantur supernè ac sustentantur. Cùm servit menti corpus, tunc liberius est: cùm ab hoc jugo dissilit, discors & ipsum sui & malè solutum atque exitialiter liberum dissipatur. Cùm servit mens veritati, ab eaque regitur & agitur, tum sui compos & libera, omnibus dominatur: cùm servitutis hujus tædio nauseat, manca & fugitiva libertate in compedes ignobiliores & in infimorum servitutem relabitur. Conducibile ergo est & corpori ut menti: & menti ut veritati serviat: & hac servitute germanam, sed suo tamen modulo consentaneam pacificatur libertatem: sola tamen veritas & sapientia expertem & alienissimam à servitutis sordibus libertatem atque dominationem vendicat. Cui enim serviat sapientia? cui justitia? Omnia potiùs ipsi serviant, & tum libera, tum beata erunt. Natura igitur ita comparatum est, ut quidquid veritas & sapientia non est, illi serviat, sola veritas & sapientia nulli serviat. At Christus quà homo est, non sapientia, non veritas est, sed mens corporis domina, sapientiæ manceps, veritatis, justitiæque conceptaculum, non ex parte, sed ex toto & in solidum. Servit ergo justitiæ, servit sapientiæ & veritati illa humanitas. Hactenus pro constituenda Christi servitute desudavimus. Accingimur nunc ad ejusdem libertatem vindicandam.

CAPUT XVI.

Christum nec quà hominem servum esse, quæ Patrum suffragia, quæ argumenta evincant.

[I. Quod Christus quà homo servus Dei non sit, hinc colligitur, quod nunquam se servum dixerit ipse, semper Filium.] Demonstratur id primò quod quà homo Christus est, ne sic quidem servi nomine sit denotandus. Audiendus ante omnia ipse est, quia verax & veritas est, nec servitutem utique dissimulasset, qui tam affectatè, tam ut ita dicam, adversus dignitatem suam contumeliosè, exterminavit semetipsum & exinanivit, & omne abjectissimæ humilitatis ingenium exhausit. Tam suspensus ergo & pervigil ad omnia testificandæ exinanitionis suæ momenta, nusquam tamen vel se Patris servum, vel Patrem sibi Dominum profitetur. Patrem illum usque, se Filium constantissimè nuncupat, Domini servique vocabula nec semel usurpat. Non potest in tam effusa cæteroqui humilitatis significatione, hæc verborum constantia proficisci, nisi ex ingenuitatis insitæ, dominationisque absolutissimæ conscientia. Augustinus: *Non facilè invenitur Dominus Christus, Patrem Dominum dicere, tanquam suum Dominum, illo præsertim tempore antequam sumeret carnem. Nam secundùm id quod formam servi accepit, non incongruenter hoc dici videtur. Nam secundùm hujus rei futuræ prophetiam, illud est in Psalmo, Dominus dixit ad me; Filius meus es tu. Nam neque in ipso Evangelio facilè invenimus à Christo Deum Patrem, Dominum appellatum, quod ejus Dominus esset, quamvis Deum inveniamus in illo loco, ubi ait, Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum, &c.* [Quæst. super Genes. c. 59.]

[II. Etiam in summa & affectatissima exinanitione, & in ipsa cruce.] Nec usquam expressiùs constitit, quàm fugitans servi, quàm Filii nominis retinentissimus esset Christus homo, quam in ipsa cruce, inter ipsas quibus concisus erat serviles plagas, inter ipsa facinorosorum servorum supplicia; & hic enim non nisi Patrem invocat, Patri spiritum commendat, filiationis libertatisque defensioni, servitutis detestationi immoritur. Ambrosius: *Unde in cruce positus, cum emitteret spiritum, ad Patrem ait, In manus tuas commendo spiritum meum. Non ergo addant, Domine, ut psaltæ faciunt, quod neque in latino codice inveni meo, neque in Græco, neque in Evangelio, quod est evidentius. Denique suprà dixerat, Pater, dimitte illis hoc peccatum. Et ideo tanquam Patri in manus ejus commendare se spiritum suum, in cujus sinu semper est Filius. Quanquam etsi addant, quod dixerit, Domine, considerent quod quasi homo in morte positus hoc loquatur.* [In Psal. 41.] Si Dominum implorasset, utcumque id de eo ut homine molliremus interpretando, sed abstinuit ab hac sui dejectione, qui non abstinuit morte, non abstinuit cruce. Servum enim in crucem agi, non usque adeo obstupescendum; sed Dominum, sed Patris Filium, id verò est quo & Deus propitietur, & homo reparetur. Hadrianus Papa, *Enimvero etiam in ipso articulo passionis, in quo servilis forma pati parata erat, ubi omnis humanæ conditio-* [In Epist. ad Episc. Hisp. con. Elipa.]

ditionis infirmitas monstrabatur, non eum Dominum appellavit, sed Patrem; Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste.

III. Et Pater ipse semper Filiū, nunquam servū declarari.

Nec minùs ipsæ Patris ad Filium, quæ supernè quandoque insonuerunt, quàm Filii crebriores ad Patrem voces, omnem exterminant servitutis suspicionem. Nam ut Patrem Filius impensissimo honore prosequitur, majorem se confitetur, imperio se ejus agi etiam jactat, illius gloriæ se totum impendit, nec tamen servum se illi esse, sed Filium ubique inculcat: ita Pater Filium, & suum, & dilectum, & sedulò audiendum, & à se clarificandum intonat, nusquam autem servum. Hadrianus Pontifex: *Nusquam eum vocatum à Patre servum legimus, sed Filium, & dilectum, & suum: nec Filium, Dominum eum suum appellasse, sed Patrem. Nam Deus & homo erat, qui secundùm Deum dicebat, Ego & Pater unum sumus: & secundùm hominem, Pater major me est. Et tamen non ait, Pater Dominus meus est, sed major.* Tam pronus autem ad honorificentiam Patris amplificandam Christus, per affectatum istiusmodi contumaxque silentium à proposito suo non descivisset, si servum se Patris profiteri per filiationis & dominationis sibi congenitæ conscientiam licuisset.

Ibidem.

IV. Unica servitutis cōfessione sedasset Christus odia Judæorum, sed veritas per mendacium nulli consulit.

Nec cumulandæ tantùm humilitati, aut exaggerandæ crucis ignominiæ, aut propagandæ Patris claritudini opportuna fuisset servitutis professio, sed & saluti eorum curandæ, quibus se totum dicaverat. Hac enim offensione exasperabantur complures, quòd paria cum Deo faceret, Domino omnium sese exæquaret, Filiumque se ejus venditaret, cujus servum omnes existimabant. Qui non suæ gloriæ, sed horum saluti consultum per omnia volebat homo Christus, unico & expedito servitutis in Deum suæ testimonio, hanc odiorum sedasset procellam, hanc salutis tot hominum jacturam antevertisset. Sed nulli veritas per mendacia consulit. Idque persuasissimum fuit Apostolis, qui servi elogio nusquam illum insigniunt, sed Domini & Dei nomine. Hadrianus ubi suprà: *Nullus Evangelistarum, nemo Apostolorum servum eum commemorat, sed Dominum & Salvatorem. Nam Thomas cùm exploraret vestigia vulnerum, quæ clavi & lancea intulerunt, exclamavit dicens, Dominus meus & Deus meus. Petrus ait, Domine tu mihi lavas pedes? Discipuli omnes, Domine adauge nobis fidem. Paulus clarissima mundi tuba, semper eum Dominum & ipse confitetur, & omnem linguam confiteri perdocet.*

V. Et Apostoli semper Dominum, nūquam servū dixerunt, aut prædicarunt, Ecclesia Deū Patrem & Dominum Jesū confitetur.

Insiderat enim altissimè in Apostolorum mentibus, quod tanquam novissima verba adventante morte mandaverat, *Vos vocatis me Magister & Dominus, & bene dicitis, sum etenim.* Non hæc servi ad conservos jactantia, sed veri Domini sibi quidem semper injuriosa, seque premens & obumbrans usque, sed & insita luminis vi erumpens quandoque & subrutilans majestas. Ita persuasissimum cùm esset Apostolis, etsi illi infirmitati Judæorum servierint perdiu, Christique Deitatem qua illi maximè exulcerabantur, subobscuriùs primùm evulgarent, in servorum tamen familiam nunquam detruserunt Christum, quin ex adverso Dominum illum ubique proprio & peculiari encomio & fando & scriptitando insignierunt. In Evangelicis Apostolicisque litteris ad verba propè singula Dominus Jesus inculcatur; cùmque Domini nomen hactenus soli addictum fuisset Deitati, postea Dei nomen Patri aut Trinitati, Domini verò homini Christo solemniùs assignatum est. Cùmque non Judæorum tantùm, sed & Gentilium offensio pertimescenda esset, qui hinc alterum nobis Deum, alterum Dominum, & proinde duos Deos placuisse conjectabant; non est tamen abrogatum homini Christo Domini cognomentum, sed & Scripturæ & Ecclesiæ confessione unanimi confirmatum.

VI. Etsi unius Dei & Domini fides cōstituenda erat per orbem, nunquam tamē Christus nō se Dominū dixit.

Christi hoc unum fuit consilium, huc connixi sunt Apostoli, hoc unum meditata est hactenus Ecclesia, ut profligata colluvie adulterinorum numinum, unius Dei fides fundaretur & religio, per orbemque invalesceret. Officiebat huic consilio in speciem quidem, si Christus ipse vel Deus vel Dominus præscriberetur: conducebat autem mirum in modum, si Dei servus tantummodo diceretur. Constituendæ per orbem Dei unitati vitam cum sanguine impendit Christus, Domini nomen nequaquam tamen passus est sibi abrogari. Patris gloriæ amplificandæ litavit impendio vitæ & sanguinis: Deum aliquando suum professus illum est, nusquam Dominum. Origenes: *Altior namque intellectus est, quomodo Christus ut unius Dei constringat & muniat veritatem, Deum suum dicit, quem natura Patrem vocat.* Deum suum dixit, non Dominum, quanquam de munienda apud homines constringendaque verteretur unitate Dei, qui unus erat dispensationis ejus in carne fructus uberrimus & optatissimus.

Hom. 15. in Genes.

VII. Deum suum Christus dixit, non tamē ut Deum nostrum.

Utque præverteretur suspicio complurium animos pulsatura, cùm Deum suum professus est Patrem, in Dei nomine Dominum implicari: aliter nobis, aliter sibi Deum esse testificatus est; nobis nimirum ut servis Dominum, sibi ut filio exinanito Patrem paterna authoritate exertiùs imminentem. Ut quid enim non promiscuè dixit, Ascendo ad Deum nostrum: sed cautè & providè, Ascendo ad Deum meum & Deum vestrum? Si Deus Dominum sonat, & Dominus illi ut homini idem qui Pater est, absolutius fuerat dixisse, Ascendo ad Deum nostrum. Verùm ut cùm ait, Patrem meum & Patrem vestrum, longè aliter sibi ac nobis Patrem esse insinuat: sibi ut natura & origine Filio; nobis ut precariò & aliunde adscitis: ita cùm distinguit, Deum meum & Deum vestrum, latum interponit discrimen, ut nobis Deus sit tanquam mancipiis suis imperitans, illi Deus sit tanquam filio humiliùs obsequenti patria authoritate eminens. Cyrillus: *Incarnatum est enim Verbum Dei, ut assumptis in se humanæ carnis proprietatibus suas proprietates humanæ naturæ largiretur. Quod quidem ipse ostendit dicens, Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Largitur enim humanæ naturæ, quod sibi proprium est, concedens ei ut Deum possit vocare Patrem. Ipse quoque humanitatis proprietates in se suscipit, Deum suum Patrem vocans. At neque nos naturalem servitutem reijcimus, quum Patrem vocamus Deum: neque filius naturalem suam dignitatem amittit, similem nobis seipsum faciens.* Pater ergo nobis est, non ut illi tamen, sed ut servis: & Deus illi est, non ut nobis, nec ut servo. Et Chrysostomus eadem Christi verba exponens: *Dispensationem spectat. Ascendere enim carnis est. Propter illam enim loquitur, quæ nihil esse putabatur. An ergo aliter illi Pater est, ac nobis? Sanè quidem. Nam si aliter justorum, aliter aliorum hominum Deus est, longè magis aliter Filii, aliter nostrum. Cum dixisset enim, dic fratribus meis, ne ex hoc æqualem arbitrareris, ostendit differentiam. Ipse enim sessurus erat in throno Patris, illi autem astaturi. Itaque licet secundum carnem frater noster factus est, honore tamen multum differt: quantum autem, ne dici quidem potest.*

Thesauri, pag. 16.

In Evan. Jo. Hom. 85.

VIII. Formā servi induit, non tamen servus fuit.

Postremò formam quidem servi & speciem circumdedit sibi Verbum Deus, haud tamen unquam servus fuit. Magna enim hæc distant intercapedine, servum esse, & quanquam servus non sis, speciem tamen & schema servi circumponere tibi, & munia quælibet operosissima atque ignobilissima obire. In forma servi Christus fuit, non servus fuit. Ex hoc dominatio ejus & amplitudo magnificentior elucet, quòd nec in squallore & sordibus servilis formæ & obsequii, ingenita libertas & nobilitas obnubilari potuit. Athanasius:

Orat. 3. contra Arian.

sius; *De eo tempore proverbialiter dictum est, Creavit me, cum creatitiam induebat carnem. Idque rursum licet ex ipsis verbis deprehendi; ut qui cum Filius sit, & Deum habeat Patrem cujus ipse est propria soboles, tamen per id tempus, Deum non Patrem suum, sed Dominum appellat. Non quia servus, sed quia servi formam assumpserat, &c.* Ergo servus non est, etsi forma & specie servi amictus: ergo nec in forma servi servus est. Unde & ex Athanasio ibidem: *Eam differentiam ipse docuit, pulcherrima interpunctione dicens, Confiteor tibi Pater: deinde, Domine cæli & terræ. Ubi illum & Patrem suum dixit, & rerum creatarum Dominum.* Quanquam ergo Dominum appellitasset Patrem, quo tamen semper abstinuit, non inde tamen servus augurandus esset, sed servi specie involutus, & servi munia perfunctus; nam verba sæpè componuntur non ad substantiæ proprietatem, sed ad personam speciemque quam quis circumgestat, & ad partes quas sustinendas suscepit. Et Cyrillus quando per purpuram Christum

L. 9. de ador. in Spiritu.

designari autumat: *Purpura vero quia minime servus, tanquam factus: sed ex Deo rex & universorum Dominus.* Quin & Theodoretus habet quod

In repreh. Anath. 6.

excerpsisse non pœniteat; *Beatus Paulus servi formam appellavit naturam assumptam; non ultra locum habet unione facta servitutis nomen. Nam si idem Apostolus scribens his qui in illum crediderant, dicebat, Itaque jam non est servus, sed filius: & Dominus discipulis, Jam non dicam vos servos, sed amicos: multo magis primitiæ nostræ naturæ, per quem & nos adoptionis nomen consecuti sumus, servi cognominatione liberatus est. Deum igitur fatemur ipsam etiam servi formam, propter unitam ipsi Dei formam.* Vides ut Paulum interpretetur, & nec ex forma servi servitutem impingi Christo, sicut nec deitatem expungi patiatur. Nam si ut ille ait, forma servi ipsa, seu hic homo Deus est, utique servus non est. Et Damascenus illam servi formam à Paulo memoratam similiter ita interpretatus est, ut servus tamen haud qua-

L. 3. c. 4.

quam Christus censeatur. *Dominativè igitur dicitur servus, non quod ipse sane hoc existat, sed quod propter nos formam servi accepit, & servus nobiscum vocatus est.* Sed omnem cavillandi aut tergiversandi licentiam circumscribet, eumque Pauli locum purgabit penitus à suspicione irrogatæ Christo ignobilitatis, authoritas invictissima Leonis Papæ & Augustini, quorum verba refert ad hunc modum Synodus Francofordiensis:

Epist. ad Episc. Hispa.

Præfato Papa Leone dicente in homilia secunda de Nativitate Christi: Assumpta est de matre Domini, natura, non culpa: creata est forma servi, sine conditione servili. Item sanctus Augustinus dicit: Dominus noster

Hom. 19.

etiam in forma servi, non servus, sed in forma etiam servi Dominus fuit. Tanta hæc authoritas

L. 5. con. Fel.

est, lux tanta quanta nec optari possit major. Eundem Augustini locum allegat Alcuinus.

IX. Veteris etiã Testamenti Paginæ à Christo servitutem amovent, ut eas interpretantur Patres.

Demonstratur 2. ex instrumenti veteris contextibus, qui cum servitute vincire Christum, scripturæque Evangelicæ caliginem offundere videantur; sanctorum tamen Patrum, germanorumque interpretum commentatione ita mitigantur, ut & Evangelio concinant, & incolumem Christo jubeant suam constare libertatem.

Ac primò quidem illuminandæ sunt scripturæ veteres novarum luce, non harum claritas illarum caligine infuscanda. Servitus illic frequens, hic dominatio & majestas creberrima sonat. Utri magis accommodanda fides? Aut quandoquidem eadem utrobique consonat & conspirat fides, utri ex altera lux expectanda est? An expectandum ut ex umbra legis Sol Evangelicus clarescat? An ænigmaticis & tenebricosis ex simulacris extundendæ sunt lucis scintillæ, quibus Evangelica scripta collustrentur, an potius plena & quasi meridiana Evangelii irradiatione difflanda tota illa caligo?

Deinde servus in testamenti antiqui libris perhibetur Christus, sed dum servis gestandam præludendamque personam suam mandabat. Job, David, Salomon sustinebant utcumque, non implebant personam Christi; nomen ejus gestando obscurabant; humilitatem illius suæ ipsorum sorti accommodatam abundè repræsentabant, sed ad majestatem & deitatis resplendescentiam exhibendam longè impares erant. Servus ergo audiebat Christus, dum per servos adumbrabatur, dum servilia tantùm ejus obsequia præmonstrari poterant, dum amplitudinem suam necdum ipse repræsentabat, nec hominum quisquam poterat vel simulando sustinere. Hadrianus Papa: *Nam etsi in umbra Prophetiæ dictus est servus propter servilis formæ conditionem, quam sumpsit ex virgine, sicut scriptum est, Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: hoc nos cum B. Gregorio intelligimus & secundum historiam de sancto Job, & allegoricè de Christo dictum. Numquid propterea servi ei nomen imponere debemus, quia sub persona Job, scriptum eum typicè designabat? Hinc etiam alius Propheta, membrum scilicet sacri corporis, ex persona summi capitis tropica clamat involvente vaticinia nube; O Domine ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Et rursum: Da imperium puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ. Et illud: Noli timere, serve meus Jacob, &c. Numquid docuerunt eum servum vel adoptivum prædicare, cum universalis Ecclesia Evangelicis atque Apostolicis imbuta lucidissimis documentis, Deum ac Dominum suum totis medullis cordis, tota animi devotione, in dextera eum Patris profitetur sedentem? Postquam autem cessavit umbra veritatis, & ipsa in promptu manifestata est veritas, quæ sub allegorica silva latebat, nusquam eum à Patre servum vocatum legimus, sed filium, & dilectum, & suum: nec filium, Dominum eum suum appellasse, sed Patrem.* Illa ergo servi denominatio vel in umbras legis refundenda est, vel in eorum qui Christi personam prægestabant, imbecillitatem. Nec umbra enim totam lucis & veritatis claritatem repræsentare poterat: nec servi Dominum nisi valdè impari & servili more poterant prægestare.

X. Servus quãdoque olim dictus Christus, dum per umbras & legem servilem præmonstrabatur.

In Epist. ad Episc. Hisp.

XI. Vel illa servitus nõ ad personam Christi spectabat, sed ad opera & munia servi, quæ obiit non servus.

Sed & illa servitutis nomina propheticis olim scripturis ingeminata, non ipsi hominis Christi personæ adhærescebant, sed humilitati quam optimus maximus subiit, & obedientiæ quam liberaliter non serviliter præstitit, & servituti quam minimè omnium servus, sed omnium Dominus ultro servivit. Nomina enim plerumque non substantiæ ipsi aut personæ proprietati consecrantur, sed provinciæ quam quis demandatam suscipit, aut obsequio officioque quo perfungitur. Synodus Francofordiensis: *Deum enim nequaquam audetis profiteri servum, vel adoptivum. Etsi eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem.* Et Filio enim proprio, dum ex amoris redundantiâ, servorum obit munia Patrique famulatur, utcumque servi nomen adjicitur, sed quo adeo non elevetur ejus ingenuitas, ut magis magisque inclarescat. Vehementissimè enim non servum se, sed genuinum approbat esse filium, qui amore Patrio ad servilia usque munera inclinatur. Nihil liberalius hac servitute, nihil ad ingenuitatem prodendam efficacius.

Ep. ad Episc. Hispan.

XII. Quid si servitutem Synagogæ ita solabatur?

Præterea quid attinuisset suam importuniùs servitutem Israelitis exprobare? Humanius erat ignobilitatis levamenta adjicere, servum etiam Christum ipsis præludere, ut hoc exemplo & solatio delinitos, servilis suæ sortis minùs pertædesceret. Paulinus Aquilejensis: *Confirmas addere, ut propter nomen servi sit quoque adoptivus; non intelligens quod apud priorem populum qui dura legis servitute subjectus est, propter magnum humilitatis sacramentum & dispensationem veræ humanitatis, servum à Prophetis nominari Christum ali-*

L. 1. adv. Fel.

qui-

quibus in locis legimus ; inter filios siquidem gratiæ, id est in novo populo, Filius ubique nominatur. Quæ vocabula in Isaia Propheta manifestè quodam in loco distinguuntur, ubi ait, Parvulus datus est nobis, & Filius datus est nobis: qui fuit parvulus vel servus apud Synagogam in umbra servientem, apud Christianos in luce libertatis viventes, filius est. Servis ergo servus fuerit, qui omnibus omnia est; nobis filii dignitate ultra servorum sortem spemque donatis, ne servus dicatur, sed Dominus & Filius.

XIII. Sed & Prophetæ qui servum iidē Regem statim celebrarunt.

Sed & ipsi Prophetæ, quasi imprudentibus elapsum servitutis vocabulum, mitigarunt illico, has protinus abstersere sordes, & regiam illi dignitatem induerunt. Qui rex autem est, servus videri jam non poterit. Paulinus Aquileiensis: *Quædam enim de Christo per proprietatem naturæ dicuntur, ut est via, veritas, & vita: quædam per significationem rerum ab illo gerendarum à Prophetis de eo prædicata sunt. Quo genere locutionis servum nominari à Prophetis Christum credendum est. De quo enim Propheta hoc testimonium protulit, statim in eo subjunctum est: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Et ne iste honor tantæ lucis parvus videatur, ideo adjunxit: Reges videbunt & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel qui elegit te. Quomodo autem si servus est, adoratur à Regibus & Principibus?* Hæc Paulinus qui & Hieronymi statim hæc verba subnectit: *Ex quo intelligitur, non communi humanæ conditionis more Christum servum nominari, sed altiori mysterio debere intelligi.* Quæ omnia totidem verbis habet Alcuinus.

L. 4. adversf. Felic.

L. 4. advers. Felic.

CAPUT XVII.

Christum nec qua hominem servum Dei esse, novis argumentis & Patrum testimoniis evincitur.

I. Ex Paulo præcellit Christus Moysi, ut Filius servo.

DEmonstratur 3. Ampliorem Moyse gloriam consecutus est Christus, ita ut nulla utriusque comparatio possit institui. At si servum pronuncies Christum, quo Moysen antecedet, nisi permodico & propè nullo intervallo? Nam inter conservos paria, aut non admodum imparia sunt omnia. At verò Paulum audi: *Moyses quidem tanquam famulus fidelis fuit in tota domo ejus: Christus autem tanquam Filius in domo sua.* Non Verbum Deus Moysi, sed Christus homo comparatur, & incomparabilis declaratur, nempe Filius famulo, Dominus servo. Jure ergo præmiserat Paulus, *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus.* Quapropter Synodus Francofordiensis cum Paulum ut supra allegasset, addit: *Quomodo amplioris gloriæ, si servus sicut & Moises, vel ex servo adoptivus?*

In Epist. ad Epis. Hisp.

II. Moyses ut servus servitutis, Christus ut Filius libertatis legem Promulgavit.

Præterea Moyses legem protulit, minas intentavit, incussit terrorem, servos constrinxit, reos damnavit, pœnas irrogavit. Christus gratiam invexit, indulgentiam contulit, reos solvit, confregit vincula, ornamenta & præmia cum libertate profudit. Illa utique per servum, hæc nonnisi per Filium præstari potuere. Nec enim servi est conservos absolvere, sed ligare: indulgentiam promulgare, sed irrogare pœnas. Synodus præfata ibidem ex Augustino hæc comprobat: *Beatus Augustinus in hom. 3. Evangelii secundum Joannem mirabiliter distinxit dicens, Tenete ergo fratres soliditatem istam. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Per servum lex data est, & reos fecit: per imperatorem indulgentia data est, & reos liberavit. Lux per Moysen data est: non sibi aliquid amplius servus adsignet, quam quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium, tanquam fidelis in domo: sed tamen servus agere secundum legem potest, solvere à reatu legis non potest.*

III. Moyses aiebat, Hæc dicit Dominus, Christus verò, Ego autē dico vobis.

Et sanè non longo anfractu opus est, sed ipsa loquendi ratio quam Moyses, quamque Christus tenuit, exertissimè clamat, illum servum hunc supra servorum sortem verum extitisse Dominum. Moyses enim identidem hæc inclamabat: *Hæc dicit Dominus.* Christus autem loquebatur & admirationi erat, *tanquam potestatem habens.* Emendicata Moyses potestate fretus, servusque conservis leges edicens, Domini authoritatem identidem intentabat: Christus autem ut legislator ipse leges authoritate propria antiquabat vel sanciebat. Cyrillus in Isaiam: *Dixit enim, In testimonium dedi eum gentibus; ne quis eum è sanctis Prophetis aliquem esse suspicaretur: sed ut omnes quicumque sunt, intelligant, dominationis majestate quadam eum præcellere. Deus enim apparuit nobis. Nec solum eum datum esse in testimonium dicit, sed principem esse ac præceptorem inter gentes. Beati enim Prophetæ & qui ante eos fuit Moyses, cum famulorum vicem haberent, semper acclamabant auditoribus, Hæc dicit Dominus: non velut præcipientes, sed velut divinis vocibus ministrantes. Dominus autem Jesus Christus verba faciebat Deo convenientissima. Admirationi namque fuit ipsis Judæis, quòd cum potestate conjuncta esset ejus oratio: & docuit eos quasi potestatem habens, & non ut eorum Scribæ. Non enim illius oratio ex umbra legis erat, sed tanquam ipse legislator existens, litteram ad veritatem, typos ad spiritalem perspicuitatem traducebat. Princeps enim erat, & præcipiendi potestatem habebat.* Aiebat Moyses, *Hæc dicit Dominus:* Christus autem aiebat, *Ego autem dico vobis, &c. Mandatum novum do vobis, &c.* Ille conservis dominicam, hic servis suam ostentabat authoritatem.

Pag. 777.

IV. Et Christus cum suam premit authoritatem paternam præfert, nō herilem.

Sed & abdicat se quandoque Christus authoritate propria, nec tamen Domini, sed Patris, adeoque sua potestate se fretum esse declarat. Ad Patrem enim ait, *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Cùm ergo doctrinam, voluntatem, potestatem, authoritatemque non suam sibi propriam esse, sed paternam sibi inesse contestatur, nequaquam dominicam: non servum se, sed Filium esse significat, ut substantia, ita authoritate & dominatione Patris tota pollentem. Chrysostomus: *Ego autem dico vobis, quoniam qui irascitur fratri suo temerè, reus erit judicio. Vidisti perfectum utique potestatem, vidisti dignitatem, quæ latorem certè legis deceret. Quis enim Prophetarum ita unquam locutus est? quis justorum, quis Patriarcharum? nullus omnino. Nam illi per singula sæpius inferebant, Hæc dicit Dominus. Sed non ita loquitur & Filius. Illi enim Domini verba, hic autem Patris annunciat. Cùm autem dico Patris, sua utique dico. Mea enim, inquit, tua sunt, & tua mea. Et illi conservis suis loquebantur, hic servis suis leges dicebat. οἱ μὲν τοῖς ὁμοδούλοις ἔλεγον, ὁ δὲ τοῖς αὐτοῦ δούλοις ἐνομοθέτει.*

Hom. 16. in Matth.

V. Lex per Moysen data, Gratia per Christū facta.

Legem Moyses non condidit, sed advexit: non tulit, sed attulit: ut mediator, non ut author: ut sequester, non ut herus & legislator: at Christus non servilem tantùm legem, sed liberalem & liberatricem, non legem tantùm, sed gratiam: non attulit, sed fecit condiditque. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Nam esto ut per servum non lex tantùm, sed gratia promulgetur; esto hoc se ipsum Dominus valdè sibi consentaneo fraudare velit honore gratiæ suæ promulgandæ; non tamen per servum gratia fit: potest illa quidem per servum adferri, non conferri nisi per Dominum. Chrysostomus: *Non enim ratione excellentiam confirmat, sed nudis nominibus differentiam ostendit: gratiam & veritatem legi opponens: & hanc particulam, facta est, huic, data est, item opponens. Maxima autem utrobique differentia; illud enim, data est,* mini-

H. 15. in Jo.

ministri est qui aliunde accipit quod dat, & cui præcipitur dat. Istud autem gratia & veritas facta est, Regis est cum potestate omnia dimittentis peccata, & benignitatis suæ dona confirmantis.

VI. Moyses & alii salutis nostræ ministri, Christus author. Quid Moyses, quid Prophetæ cæteri quàm nostræ adlaborarunt saluti, ut ministri: ad summum ut Angeli. Nam & Angeli sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. At Christus salutis nostræ non minister, sed author, & architectus. Ministrant ergo illi, ut servi conservis; & salutem non restaurant, sed restauranti Christo Domino famulantur. Chrysostomus: (Hom. 3. in Ep. ad Hebr.) *Hoc est munus Angelorum, ministrare Deo ad nostram salutem. Quamobrem hoc est Angeli opus, omnia facere ad fratrum salutem. Imo vero hoc est opus ipsius Chisti. Nam ipse quidem dat salutem, ut Dominus: illi autem tanquam servi. Et nos etiamsi servi, sed conservi Angelorum sumus. Quid Angelos hiantes suspicitis? sunt servi filii Dei, & in multa loca propter nos mittuntur, & ad nostram ministrant salutem. Quamobrem sunt nostri conservi. Considerate quemadmodum non dat creaturis magnam differentiam.* Si conservus esset & Christus homo, non illi servirent Angeli, non ejus servis servirent; non servorum salutem suo pretio redimeret, non sua authoritate tueretur; aliunde haustam ministerio utcumque suo adjuvaret, non ipse principaliter largiretur & defensaret.

VII. Servi nō est domum & familiam construere, regere. Sed ut ait Paulus ad Hebræos: *Quantò ampliorem honorem habet domo, qui fabricavit illam, &c. Cujus domus sumus nos, &c.* Et ipse Moyses portio erat domus, id est populi, & in domo, seu in populo versabatur, *tanquam famulus, Christus vero tanquam Filius in domo sua.* Frabicator enim domus seu populi Christus est, quia & per ipsum Verbum, *Omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et quod ad ipsum attinet hominem, sumus *creati in Christo Jesu in operibus bonis*, & *nova creatura* ab ipso authore est. Porro servi non est, sed domini domum construere, constructæque imperitare: servi non est, seu domi non est seipsam creare & fabricare. Opifex ergo & creator novæ creaturæ Christus homo, domusque spiritualis fabricator cùm sit, Dominus est, non servus. Chrysostomus iterum: (Hom. 5. in Ep. ad Hebr.) *Quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. Et ipse erat, inquit, de domo. Et non dixit, Iste enim erat quidem servus, ille autem Dominus; sed hoc latenter indicavit. Si populus erat domus, ipse autem Moyses erat ex populo, & ipse ergo erat ex domo, &c. Majorem habet honorem artifex quam opera: sed & qui domum constrcuxit, quàm domus. Qui autem construxit, Deus est. Vides quod non dicat de templo, sed de toto populo. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. Ecce alia quoque differentia, quæ est à Filio & servis. Vides quod tacite significat proprietatem & veritatem per appellationem Filii. Christus vero tanquam Filius in domo sua. Vidisti quomodo distinguat & separet opera & effectorem; quomodo servum & Filium. Et ille quidem in res paternas ingreditur tanquam Filius, hic vero tanquam servus.* Et Theodoretus locum eundem explorans: (In c. 3. Ep. ad Hebr.) *Cognoscitur ergo quantum inter hunc & illum intersit. Ille enim servus, hic vero Filius.*

VIII. Quin ad Adamus Dei magis filius, quàm servus videbatur ex ejus imagine. Demonstratur 4. A nobis etiam gestit Deus appellitari se Patrem, quàm Dominum; amari se quàm timeri optat, & hortatur: servitutis nomina filiorum dignatione obliteravit. Ac primò quidem Adamus ipse imagine & similitudine Dei cohonestatus, haudquaquam servus erat, sed filius. Nec enim servi est, sed filii, patriam referre similitudinem, & ad imaginem authoris sui procreari. Contumeliam sibi fecerit ipse, quisquis imaginem suam servo gestandam addiderit, aut servilibus infamaverit notis. Synodus Francofordiensis: (In Epist. ad Episc. Hisp.) *Sed & hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus? Si servus, quomodo tunc imago Dei? si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de virgine? si terrenum, liberum conditum confitemur; quare non multo magis cælestem, liberum confitemur? Unde Adamus fuit servus factus, nisi ex peccato, &c.*

IX. Et plus quisque nō servili, sed filiali charitate legi obsequitur, & cum ea imperat, ipse sibi lex. Servus fit enim quisquis peccato imaginem Dei ceu libertatis tesseram sibi insculptam oblitterat & pessumdat. Alioqui natura intellectualis Deo citima, Deo agnata, Dei lineamentis splendescens, Dei luce ingenita fulgurans, libera est, & Deo libera subest, non serva: subest ut filius patri, non ut domino servus: subest amore liberali, non formidine servili: æternæ legi servit non serviliter, quia servit illi ut sibi: sibi obsequitur, cum illam sequitur: quod illa imperat, sibi ipsa imperat: itaque non illi servit, sed cum illa imperat & sibi & universis. Peccato autem homo præcipitatur in servitutis ergastulum, & metus minarumque & gehennarum vinculis constringitur. Synodus eadem ibidem: *Unde Adam servus factus, nisi ex peccato? Apostolo Petro attestante, Qui enim peccatum facit, servus est peccati. Christus autem non fecit peccatum. Ideo servus non est peccati, sed magis liberator & redemptor eorum qui servi sunt peccati, eo ipso attestante, Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.*

X. Multò longius à Christo servitus ablegand a est. Sed quantò expressior Dei imago Christus erat etiam quà homo, quàm vel Adamus, vel quisquam alius? Quippe cùm ipsa Verbi Deitas plenissima illi esset impressa & coalita? Cui nihil maculæ unquam aspersum est, nullus vel levissimæ culpæ nævus? Qui peccato seu servitutis cauterio immunis fuit, etiam in conceptu? Nam de virgine natus, spiritaliter etiam secundùm carnem natus est, adeoque de Spiritu sancto secundum carnem conceptus, hinc & à peccato atque à servitute immunitatem, summamque ingenuitatis nobilitatem præfert. Paulinus Aquilejensis: (l. 6. adv. Fel.) *Quid vero ais conditionalem esse servum? Quæ catholicæ aures hanc tantam blasphemiam patienter sufferunt, ut Christus Dei Filius vili conditione, & dura necessitate servus sit Dei Patris? Quid ergo dicis de Adam utrumnam libera dignitate, vel servili conditione creatus est? Si conditionalis servus formatus est, quomodo est imago Dei? vel ubi liberum arbitrium illius fuit? aut quid peccando perdidit? Si vero liber, quomodo non magis Christum, in quo divinitas corporaliter habitabat, libera dignitate, non conditionali servitio, ex Regiæ nobilitatis virgine natum esse credendum est?*

XI. Ideo & Regia de prosapia Christus nascitur. Et inter homines quidem à servitutis injuria absunt Reges quam longissimè. Ideo & Christus Regia ex stirpe exoriri se voluit, non quò regium spiraret fastum, à quo immane quantum abhorruit; sed quòd non aliter illa Verbi apud Patrem nobilitas promere se & explicare nostris potuit obtutibus, nisi & summam inter homines nobilitatem sibi indueret; quam & protinus ut indecorem imparemque fastidiit, solamque è virtutibus atque ex ipso nobilitatis contemptu aucupandam esse nobilitatem commonstravit. Regia ergo ex prosapia nascitur Christus homo, tanquam sacramento Regiæ apud Patrem suæ nobilitatis evulgandæ, quam, etsi semet inanierit, exuere tamen penitus haud potuit. De virgine regia nascitur, tanquam sacramento virginalis sanctimoniæ suæ, qua verè imago Dei est, & liber est & Dominus, quia sanctitas, quia veritas & justitia ipsa omnium dominatrix est. Idem Paulinus ibidem: *Quomodo non magis Christum, in quo divinitas omnis corporaliter habitabat, libera dignitate, non conditionali servitio, ex regiæ nobilitatis virgine natum esse credendum est? De quo beatus Augustinus in Epistola ad Consentium: Adsumpsit, inquit, formam servi, non Domini mutando naturam:* im-

impertiendo dominicam gratiam, non servilem injuriam retinendo. Si enim humana nobilitas alicujus momenti vel dignitatis æstimanda est, quis nobilior ipso David Rege, ex cujus semine quasi de Regalis excellentiæ nobilitate, non servilis conditionis ignobilitate, Christus nasci voluit in mundo. Si ad Deitatis gloriam respicis, quis Dei Filio qui in duabus naturis unus atque idem fuit, æquari potest? Cui nullus Sanctorum nobilitate vel libertate vel potestatis privilegio, similis esse potuit, vel poterit. Quanquam enim evacuaverit semetipsum, non potuit tamen non sibi constare, suffurari se sibi totum non potuit: non potuit de Patre Virgine natus, nisi de matre virgine nasci: Filius sursum, Filius & deorsum nasci: Rex & Dominus supernè cum Patre, Rex & Dominus inter homines nasci; erant enim hæc una summorum sacramenta & imitamenta.

XII. Christus Spiritus & libertatis & filiationis largitor, servus non est.

Servos necessitas constringit, charitas liberos præstat: *Jam non dicam vos servos*, inquit Christus: nam servi non sunt quibus arcana sua concredidit omnia; quibus Spiritum suum Dominus & Pater infudit; qui non Domino ferrea necessitate, sed Patri libera charitate devinciuntur. Quid ergo Christus, qui etiam secundùm carnem de hoc ipso Spiritu charitatis conceptus est? qui veritas ipse liberatrix & charitas est? *Et veritas liberabit vos, tunc vere liberi eritis*. Augustinus: *Servite Domino in jucunditate. Libera servitus est apud Dominum: libera servitus, ubi non necessitas, sed charitas servit. Vos, inquit, in libertatem vocati estis fratres, &c. Servum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit. Si manseritis, inquit, in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Simul es & servus, & liber. Servus quia factus es: liber quia amaris à Deo, à quo factus es: imo etiam inde liber, quia amas eum à quo factus es.* Si qui manent in verbo Christi, liberi sunt, quid Christus ipse Verbum? Si discipuli veritatis à servitutis compede exolvuntur, quid Christus ipse veritas? Si qui cognoscit veritatem, liberatur, nec jam servit, sed conregnat, quid ipsa veritas homo Christus? Si servi non sunt, sed amici, quibus arcana cœlestia committuntur, an omnium sapientiæ arcanorum conscius homo Christus & ipse suo etiam quodam modo sapientia, num servus ipse est? Si inexplicabilem & substantivè atque ab exordio conditionis nostræ insitam naturis creatis servitutem tot artibus explicat & relevat Christus homo, ut nos filii Dei & amici magis videamur, quàm servi, num servus est servitutis nostræ dispunctor? Si jam servi non sunt, quibus cum Deo jam unum est & reciprocum fœdus, amari & amare, quid Christus, *Filius dilectionis, in quo sibi Pater complacuit, Pater diligit Filium?* Unde Augustinus: *Pater diligit Filium, sed quomodo Pater Filium, non quomodo Dominus servum; quomodo unicum, non quomodo adoptatum.* Ita & Christus diligit Patrem, sed quomodo Filius Patrem, non quomodo Dominum servus. *Ego diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Ex charitate Patris inhumanatum est Verbum, an charitas quæ nos ex servitute explicat, illum servituti illigavit? An quæ ex servis filios facit, illum ex Filio in servum retrusit? An æstu & copia charitatis in Patrem suæ, eò revolutus est, ubi jam expavescere magis, quam amare illum debeat?

In Psal. 99.

In Evan. Jo. Tract. 14.

XIII. Deo amplius est Patrem esse, quam Dominum. Unde & nos mavult filios quam servos.

Exhilarari videtur Deus cum ex servis sublimati in filios, non jam Dominum, sed Patrem illum salutant. Amplius enim & præcellentissimum longè est, Patrem quàm Dominum esse. Pater enim est Verbi à se geniti, Deus mundi à se conditi. Quanto ergo præstantius est genuisse Deum, genitori coæqualem, mundi architectum, quàm creasse mundum, umbratile Dei conditoris simulacrum & veluti ludibrium; tanto suavius Deo est Patrem audire, quàm Dominum. Si famulas ergo Deus naturas in Verbi sui jura & filii nomen adsciscit, an Verbum ipsum in servi nomen desciscere patietur? Si ne à servis quidem Dominum, sed Patrem salutari se gaudet, num à Filio Dominus audire volet? Si servis Filii sui umbram speciemque superinduit, ut Pater ab iis compelletur, an Filio servilem induet conditionem? Chrysostomus: *Neque enim sic ille lætatur cum Dominus, ut cum Pater audit: neque cum servum, ut cum filium habet; atque adeo hoc mavult quàm illud. Propterea omnia ille fecit, quæ fecit ac ne unigenito quidem filio pepercit, ut adoptionem reciperemus, ut non tanquam Dominum illum, sed tanquam Patrem amaremus. Quod cum à nobis assequutus est, ita sibi placet, ut de eo glorietur, id apud omnes præ se ferat, etsi nullius rei nostræ indigeat.* En ut Patris nomine oblectetur Deus, Domini verò nomen veluti fastidiat; illud enim geniti ab ipso Dei, hoc effusi à se mundi ortum significat. Si alios ægrè fert sibi sisti, nisi filii nomine obumbrentur, num filium ipsum servili nomine obscurari sinet?

In Epist. ad Rom. Ep. 10.

XIV. Si nos filios Spiritus cogit clamare Abba Pater, quid Christum plenitudo?

Nec temerario jactantiæ æstu, qui natura servi sumus, in filii jura impetum facimus, aut in ejus nomen & honores intrudimur. Non rationis etiam librato judicio, naturæque intellectualis expensa dignitate, ad Deumque elimatiori similitudine, filii nomen quasi agnato jure usurpamus. Sed irruente cœlitus in nos Spiritu sancto concitati, illius vi atque impetu instincti clamamus, aut obsequimur potius illi per nos clamanti, Abba Pater. *Nam misit Deus in nos spiritum filii sui clamantem Abba Pater.* Et idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro quod *sumus filii Dei*. Tam fastidiosè Domini nomen aversatur Deus, tam cupidè Patris nomen sibi efflagitat, ut vim penè inferat, ut hi sint *filii Dei, qui spiritu Dei aguntur*. Si spiritus ergo filii infusus servis, omnem oblitterat servitutis memoriam, rapitque illos in filiorum prærogativas; quid illa plenitudo fontis Spiritus sancti, & substantia filii ipsa cum spiritu suo illapsa ex toto homini Christo, an vel umbram aut suspicionem servitutis ullam adhærescere illi patietur? Chrysostomus: *Ut demus Judæos aliquando Deum Patrem vocavisse, agebant id illi à propria cogitatione: quum qui in gratia vivunt, à Spiritus sancti efficacia id agant. Quemadmodum enim sapientiæ spiritus est qua qui insipientes erant, sapientes efficiuntur; & spiritus prophetiæ, & spiritus linguarum, &c. Ita sane & spiritus est adoptionis. Et sicut cognoscimus Prophetiæ spiritum ex eo quod futura quis prædicat, non propria mente loquens, sed à gratia motus: sic sane & spiritum adoptionis cognoscimus ex eo, quod qui hunc spiritum accepit, Patris nomine Deum appellat, à spiritu incitatus.* Et quàm non fucata, non simulata, sed vera, genuinaque sit hæc filiatio, colligit Chrysostomus, ex eo quod Patrem, Abba, patria & vernacula lingua quasi blandiùs adulando appellitemus. *Hic autem ostendere volens germanam legitimamque cognationem, Hebræorum etiam usus est lingua. Neque enim solum dixit, Pater, sed, Abba Pater, quæ potissimum vox est germanorum & legitimorum ad Patrem filiorum.* Et denique ibidem quanta fiducia in hanc filii dignitatem, excussa atque ejurata servitute, prosiliamus, declarat ex eodem Paulo: *Idem spiritus, inquit, testatur cum spiritu nostro, quod sumus filii Dei. Neq; enim ab ipsa tantum voce id affirmo, inquit, sed & à causa, à qua vox ipsa nata est. Spiritu enim dictante atque in verba præeunte hæc dicimus. Quod quidem alibi apertius declarans dixit, Misit Deus spiritum suum in corda nostra clamantem, Abba, Pater.* Serviles notas abstergit, & everrit instillatus dumtaxat Spiritus Filii ros, quid fons totus? Num Spiritus Filii, & Patris, Filio & Patri contumeliam faciet, & Filium in servum, Patrem in Dominum deformabit?

In Epist. ad Rom. hom. 14.

XV. Adglutinatione nostra ad

Denique adglutinatione nostra ad hominem Christum, eluitur servitus nostra, & in Dei filios ado-

Christum eluimus servitutem.

adoptamur. Eccubi coalitione cum servo servitus exsufflata est? Quis servus quam ipse effricare à se non potuit, ab aliis abstergere potuit servitutem? Sed ad Filium germanum & proprium, ad dominum & libertatis principem adhæsione individua, non immeritò expectaverit quis ejusdem in se beneficii redundantiam. Cyrillus Alexandrinus : *Qui autem in filiorum Dei adoptionem, fide in Christum evehuntur, non in unam à creaturis aliquam, sed in ipsam sanctam Trinitatem baptizantur, mediante Verbo, quod sibi humanitatem quidem conjungit per carnem sibi unitam, sed naturaliter Patri conjungitur, quatenus natura Deus. Hoc enim pacto servi ad filiationem vocantur per veri Filii participationem, ad dignitatem ei naturaliter inexistentem vocati & quodammodo evecti.*

In Ev. Joan. pag. 93.

CAPUT XVIII.

Christum qua hominem Dei servum non esse novis rursum argumentis & testimoniis efficitur.

I. Manumisit nos Christus homo, ergo servus non est.

DEclaratur 5. Servum non esse Christum. Liberator enim noster cum sit, nec nisi ex abundantia quadam intimæ opulentiæ suæ in nos effluat, non liber tantùm, non servitutis expers dumtaxat ipse est, sed libertatis & dominationis fœcunda & originalis quædam regio est. Porro cui libertas debetur nostra, Christus homo is est; nam hæc maximè assumpta humanitas, nostræ artifex est liberationis, nostræ profligatrix servitutis. Non liberat servus, non manumittit nisi dominus. Damascenus: *Quomodo autem de nobis dicit Apostolus, quia jam non est servus, sed filius, de nobis inquam qui per ipsum in filios evecti sumus, si ille servus est?* Si lux enim à tenebris, si dies à nocte poterit, poterit & filiatio atque libertas à servo proficisci.

l. 3. c. 21.

II. Servus non est cui ipsa libertatis & filiationis forma infusa est, Verbi Dei filietas.

Sed servitutis obliterationem, filiorumque libertatem conciliare naturæ nostræ non aliter poterat sempiterna Verbi divinitas, nisi ut se illi tanquam ipsam libertatis & filiationis formam principem & incorruptibilem medullitus & indivulsè insereret atque implicaret, atque ita afflatû & incubatu suo inhærentem & radicatam olim servitutis ignobilitatem exureret. Id in Christo homine præstitum est universæ hominum naturæ. Nam per eum in nos propagatur usque, quod illi primum tanquam capiti & radici collatum est. Non ergo servus fuit, cui ipsa libertatis & dominationis forma substantivè & plenissimè inserta est: cui ipsa natura principis omnium & dominatoris opificis coagulata est; cui omnium libertatis summa concredita est. Cyrillus Dialogo, Quod unus sit Christus: *Neque enim alia ratione honorari poterat servitus, nisi natura servilis propria Verbi efficeretur, ut & ipsius gloria illuminaretur. Vincit enim semper id quod præstantius est. Et turpitudo ex servitute orta, in nobis abolita est. Factus est enim nostri similis, qui nobis superior est; & servilem modulum subiit, qui natura est liber. Idcirco etiam in nos dignitas propagata est. Vocati enim sumus & nos filii Dei, & Patrem nobis vendicavimus, qui peculiariter ipsius est.* Ratum est quod ait Cyrillus, vinci semper & opprimi à meliore deterius, infirmius à potentiore. Commixtis ergo naturis, serva & libera, humana & divina, elisit servitutem libertas, profligavit ignobilitatem claritas, tam efficaciter & exertè, ut ad nos usque illi, quam Verbum assumpsit, humanitati consanguineos & confœderatos, beneficii copia exuberaverit.

Pag. 734.

III. Æquû erat, ut radix ipsa nostræ filiationis esset filiatio ipsamet Verbi.

Non potest non exarescere surculus, non potest arbor tota non brevi contabescere, nisi radix vitam jugi inspiret afflatu. Radix autem ipsa non aliunde vitam mendicabit, sed fons vitæ quidam ipsa erit. Quidquid enim participatum & emendicatum usquam est, à fonte manat qui sibi ipse sufficit innata ubertate, nec aliunde participat. Cùm ergo libertas nostra omnis participatio quædam sit & effusa in nos beneficentia hominis Christi, non aliunde ergo ipse libertatem participat; non rivulus ille est, à quo nos derivamur, sed fons: nec surculus est, à quo nos pullulascimus, sed radix. Si radix autem libertatis & dominationis Christus homo est, nullo prorsus servitutis contagio vitiata illa est, alioqui brevi marcescet. Cyrillus: *Quod si filii amor ad libertatis dignitatem, atque ut non amplius servi vocentur, nonnullis abunde sufficiat, quomodo servus erit, aut tanquam creatura & creatus, ut imperitè quidam asserunt? Nec enim aliis libertatis honorem tribuere potest, qui natura sua expers ejus sit.* Ita ille Verbo Deo libertatem ab omni servitutis vinculo incontaminatam vendicat, ut hauriamus nostram nos inde tutiùs libertatem. At non jam Verbum Deus tantùm, sed Verbum caro factum libertatis nostræ opifex & patronus est. Ergo & Verbum caro factum, ut sapientia à Deo & sanctificatio, ab omni inscitiæ & culpæ nævo alienissima, nobis à Deo factum est, ita & libertas omni pura servitutis sorde factum nobis est; ut sicut sapientiam & sanctitatem, ita & libertatem ipso in fonte suo illimem hauriamus.

L. 10. in Jo: pag. 889.

IV. Nec nostra cõstabit libertas, si Christo servitus illinatur.

Nostra enim libertas excindi periclitatur, si à quo illam consecutos nos esse venditamus, is servituti ipse erat mancipatus. Nec enim constabit nobis libertas, si nec illi constat, per quem nobis constat. Aut si ille quidem sospite fruitur libertate, nos autem servitutis ignominiam illi circumfundimus, ingratis & obtrectatoribus pristina illidetur servitus. Hadrianus Papa: *Adoptivum eum filium quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum, & quod pudet dicere, servum eum, impii & ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit? Cui servituti vos iterum nitimini, perfidiæ sponte, colla summittere, &c. Tales gratiarum actiones, infœlices, ei refertis, ut qui vos honorificè liberos pretio sanguinis fecit, eum vos injuriosè adoptivum & servum, caninis non confundamini linguis latrare.* Et Synodus ipsa Francofordiensis: *Dum omnipotens Dei Filius nostræ fragilitatis naturam in unitatem suæ personæ assumere voluit, ut esset mediator Dei & hominem: cur non debuit, ex muliere filiorum dignitate & multo excellentiore, nostram sibi in unitatem personæ adsociare humanitatem, quatenus ex sua gloriosa & propria nobilitate, nostræ servitutis redimeret ignobilitatem? Venit enim medicina ad ægros, misericordia ad miseros, redemptor ad reos, liber ad servos.* Porrò quæ isthæc medicina, si servitus propulsandæ servituti obiicitur?

Epist. ad Ep. Hispan.

Epist. ad Ep. Hispan.

V. Servi sanguine in libertatẽ non essemus empti.

Sanguis ille ipse Christi hominis pretium fuit libertatis nostræ. Num ergo servi sanguine libertatem pepigimus? Num ignobili cruore paravimus tam insignem nobilitatem? Et non magis sanguis ille erat scaturigo quædam libertatis & stirps divinæ cujusdam nobilitatis, quia sanguis erat Verbi Dei, qui ex Patre Deo natus, & æterno & innascibili, æternus ipse & Patri compar, in summo vertice sedet libertatis & nobilitatis? Hadrianus ubi suprà: *Quis vos honorificè liberos pretio sanguinis fecit, eum vos injuriosè adoptivum & servum caninis non confundimini linguis latrare.* Nobilissimus planè sanguis, qui non liberos tantum procreare, sed & servos in libertatem regenerare etiam potest. Alcuinus denique: *Si ergo servus est Christus, quomodo tantos liberos fecit? Testante Apostolo qui ait, Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit. Et ipsa veritas in Evangelio, Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis. Nam si omnes sancti liberi sunt,*

L. 5. advers. Felicem.

sunt, secundùm veritas quæ Christus est vocem, quomodo ille solus remansit servus, qui omnes in se credentes liberos fecit.

VI. Obsequitur quidem Christus Patri, sed ut Patri Filius, quod sæpè ipse testatur.

Demonstratur 6. Prolixo quidem humillimoque servitio quandiu carnem mortalem gestavit, & nostram redemisse salutem & paternis obtemperasse Christus videtur præceptis: sed nec illud servi fuit obsequium. Prolixiùs enim humiliùsque Patri Filius servit, quàm domino servus, nec eo tamen gradu suo & libertate filius deiicitur; quin ex adverso quo impensior & officiosior ejus est in Patrem charitas, & obsequendi pronitas, eo se non degenerem, sed germanum esse filium commendat.

At primò quidem Christus non usque adeò servilibus se addixit officiis, ut non subinde in voces erumperet aliquas generositatis suæ testificatrices: nimirùm ut hinc Filii dignitas, inde obsequendi humilitas ex comparatione magis ac magis illustrarentur. Ideo ut jam notavimus, cùm paternas leges hominibus promulgaret, non solemne illud Prophetarum usurpabat, Hæc dicit Dominus, sed suæ amplitudinis specimen dabat, Ego autem dico vobis. Tertullianus: *Sed nec quotidianum illud omnium Prophetarum, Hæc dicit Dominus: ipse enim erat Dominus coram ex sua authoritate pronuncians, Ego autem dico vobis.* Et cùm se Dominum & magistrum vocari approbat; apertissimæ suæ ipse suffragatur ingenuitati.

Lib. de Carne Christi.

VII. Et Pater ipse Filiû testatur, non servum.

Sed & Pater ipse certasse cum Filio visus est, Filiumque & Dominum illum confirmasse tantò instantiùs, quantò ille servilia invadebat ministeria. Synodus Francofordiensis: *Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in baptismo etiam & in transfiguratione quæ facta est in monte, Filium nominavit, non servum. Hic est Filius meus dilectus, &c.*

VIII. Et Apostoli Dominum semper vocitant. Hilar. L. 8.

Nec Apostoli unquam, quod & pariter notavimus, nisi Dominum Jesum appellarunt, idque non humana opinatione, sed Spiritus sancti instinctu perciti. Ait enim Apostolus, *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Unde Epistola eadem Synodi Francofordiensis hæc ex Hilario allegat: *Sentisne quid tibi desit, Christo negando quod suum est? Si per naturam Dei Christus tibi Dominus est, habes Spiritum sanctum: si vero per adoptivum nomen hic Dominus est, Spiritu sancto carens spiritu erroris animaris: quia nemo nisi in Spiritu sancto Dominum Jesum potest dicere.*

IX. Nec necessitate Christus, sed voluntate obediebat. Paulin. L. 4. Alcuin. L. 5.

Deinde filium voluntas, servum necessitas urget ad obsequium. At Christus non necessitate, sed voluntate, & charitatis pondere indeclinabili ad obediendum agebatur. Alcuinus adversus Felicem, vel potiùs Paulinus: *Iste etiam Felix hunc conditionalem servum sæpius solet affirmare, non intelligens quod divinæ dispensationis sacramento servus nominaretur: scilicet non conditione, ut superiùs diximus, debitæ servitutis, sed implendæ paternæ voluntatis in salute humana, voluntaria obedientia. Nam in Christo quidquid gestum est, totum voluntatis fuit, non necessitatis, qui Apostolo testante, Humiliavit semetipsum factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Alia est enim voluntaria humilitas, alia servilis necessitas.* Tradidit quidem Filium in mortem pro nobis Pater, sed & ipse Filius, *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ait quidem ipse, *Diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Sed de eo ait Isaias: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ut Dei quidem faceret voluntatem scriptum erat in capite libri, sed & ipse accinuit, *Volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Sic Deus quidem dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, sed & ipse Filius suapte sponte, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Et latissimè id regnat, ut & paterna convalescat in Filium authoritas, & voluntaria non prematur, non angustetur, sed exspatietur & penè anteverrat Filii in Patrem charitas & obediendi proclivitas.

X. Quàm non sit Christus servus conditionalis.

Quid ergo ad præruptam audaciam residuum sibi facient, quibus adhuc placet in servitutem liberatorem & dominatorem suum compingere, nisi ut non voluntate, sed necessitate Patri obaudisse ipsum dicant? Nam si ex conditoris in opus à se conditum authoritate Christus homo conditoris Dei servus est, ex conditione ergo & ex necessitate servus est, non voluntate; & conditionalis servus est, hoc est, non in cujuscumque, sed in ignominiosissimæ servitutis genus ablegatur. Cavendum est autem, ne hinc ad Felicis insaniam inopinus quis delabatur. Nam conditionales servi sunt etiam Dæmones, quia extricare se non possunt à vinculo, quo sua ipsos conditio illaqueavit. Eodem ergo ille quod infandum dictu est, & Christum & diabolum servitutis conditionalis nexu constringebat. Audi Paulinum Aquilejensem in hæc errorum portenta animosiùs debacchantem: *Nimium ergo ingratus videris liberatori humani generis, qui toties illum non solùm absolutè servum appellari dicis, sed etiam conditionalem servum testaris: dum conditio duram demonstrat necessitatem, non voluntariæ munus obedientiæ. Sed & inter cætera quò te vagus sermonis tui perduxit textus, etiam ad hoc pervenisti, ut diceres duo genera servitutis esse in creaturis, voluntarium quidem & conditionale. Quia inquis omnis creatura, voluntate, seu necessitate per conditionem Deo servit. Planè omnibus patet inferiùs esse genus conditionalis servitii, quam voluntarii. Sub quo inferiori gradu, impia temeritate Christum computare non times, sicut ex tuis verbis jam antea ostendimus: in quo etiam gradu conditionalis servitii & ipsum diabolum posuisti dicens; Nempe diabolus servus Domini per conditionem in sacro eloquio dicitur, Videsne quò te tua perduxit blasphemia, ut uno servitutis genere Christum & diabolum computares. Nec ipsum Christum consentire vis, voluntaria obedientia Deo Patri deservire in diebus carnis suæ; sed conditionali necessitate sicut diabolum.* Ita pedetentim & inopinatè in præceps & abruptum insaniæ barathrum sectarii rapiuntur, qui ab orbita fidei semel deflexerint.

L. 6. contra Felic.

XI. Ex eo & pretiû nostræ redemptionis vilesceret.

Nec dignitas tantùm, sed & pretium exolevcrit obedientiæ Patri impensæ, salusque & libertas nostra hoc empta pretio collabascere cœperit, si non voluntaria Filii charitate, sed conditionali servilique necessitate labores omnes crucemque demum exantlaverit Christus. Nec enim laboribus, vel morti, vel officio cuicumque pretium accedit, nisi à voluntate & charitate spontanea, unde proficiscuntur. Quis enim in obsequiis sibi præstitis magni quidpiam facit, aut exosculatur nisi amantem voluntatem? quis non voluntatis consilium, etsi exitu frustretur, perinde acsi fœliciter cessisset, & computat & compensat? Decoquitur ergo & dilapidatur nostræ liberationis pretium totum, si à servilis necessitatis, non à liberæ & filialis charitatis pondere pendatur. Idem Paulinus ibidem: *Numquid non omne Christianorum servitium in religione sanctitatis; voluntarium Deo debet esse, magis quàm necessarium? In tantum ut voluntas bona pro opere computetur, quamvis aliqua necessitas operandi impediat facultatem.*

XII. Periit nostræ pretium salutis, si ille fuit servi sanguis.

Sed cui servi atque filii obsequium in pretio peræquè sit, ut ne jam necessitatem obsequendi, sed ipsam obsequentium substantiam & personam ponderemus? Si servilis opera fuit, quam Christus Patri navavit, fraudari omni quidem mercede haudquaquam debuit, sed vix aut nec vix tanti fuit, ut mundi salus universi rependeretur. Si servum pro conservis in mortem tradidit Deus, non tanti fecit genus humanum, nec tanto nos amore, quantum videntur hæc venditare, *Sic Deus dile-*

dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Detrahitur ergo mirum quantum & divinæ in nos dilectioni, & nostræ ad amorem retaliandum obligationi, & Christi mortis pretio, & nostræ salutis præsidio, si hæc omnia servi, non filii sanguine constant. Denique eo vel maximè Patri Christus, ut inexhausti pretii summam, mortem suam appendit, quòd non servus, sed Filius & Dominus omnium cùm sit, adeoque Patri coæqualis, ultro tamen suoque arbitrio & consilio proprio semet illi impendit. Theodoretus Apostoli hæc verba enucleans: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*; hæc habet: *Hic quoque ostendit Patris & Filii æqualitatem. Deum enim imitari cùm jussisset, idem etiam præcipit de Filio: & quemadmodum de Patre dixit eum nobis donasse, ita etiam de Christo, eum nos dilexisse, & seipsum pro nobis tradidisse. Non enim necessitate velut servus aliquis obedivit, sed seipsum sua sponte pro nobis obtulit*. Vides ut hinc augeat Christus & pretium sanguinis sui, & amoris sui cumulum, charitatisque in nos paternæ fastigium, quòd non conditionis necessitate ut servus, sed libera charitate ut Dominus & Deus Deo se pro nobis dependit.

In c. 5. Epist. ad Ephes.

XIII. Claritaté à Patre Christus postulat, non ut servus.

Ideo & claritatem suo sibi jure debitam efflagitabat instantiùs, non à Domino, sed à Patre Christus: *Clarifica me tu Pater apud temetipsum*. In servo petulantia hæc fuerit, servitio fatigari, laboris pertædescere, ad mercedem temporiùs & præproperè festinare, herilem claritatem procaciter invadere. In filio autem agnata & nativa hæc fiducia est, in patris sinum præfestinato amore & impatientiùs anhelare; & ea differere, quibus generositas dignoscatur. Cyrillus: *Clarificasse igitur suum Patrem ac Deum dicimus, consummato opere quod accepit ab eo, non tanquam servus, aut in ordinem ministrorum redactus, idque velut ex necessitate: ne Dominus omnium in servorum quoque numero censeatur, servilisque naturæ. Hominum quippè aut Angelorum est, supplicum & servorum more divinis nutibus subjici & ministrare* δουλοπρεπῶς. *Sed quod virtus ac sapientia genitoris sui existens, eam quæ sibi quodammodo demandata erat, nostri emendationem, cumulatissimè perfecerit, &c.* Clarificavit & clarificari se vicissim postulat Filius à Patre, an à Domino servus? Quis has statim à Domino vices tam præfidenter exigat?

L. 11. in Ev. Jo. p. 956.

XIV. Quæ Christus de sua ad Patrem obedientia dicit, nunc ad divinam, nunc ad humanam trahuntur naturam, adeo servitutem non olent.

Sed quo splendidiùs argumento enitescet, quàm non serviliter, sed ut Filius Patri Christus dicto audiens fuerit, quàm ex eo quòd quæ ejus ut hominis obedientiam, eadem planè Verbi Dei ad paternæ voluntatis nutus inclinationem significent? Ut ergo nulla hinc Verbo servitutis nota inuritur, ita nec homini Christo. Communia enim plerumque sunt & in sensu gemina atque affinia exhibitæ Patri obedientiæ testimonia, ut perparum interpretando inflexa, vel ad Verbum Deum, vel ad Verbum hominem pertineant. Illud enim, *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum, &c. in similitudinem hominum factus, &c. factus obediens usque ad mortem, &c.* Verbo Deo æquè ac Verbo homini coaptatur. Nam Verbum Deus utique exinanivit semetipsum, æterni Patris consilio obsecutus, & ab æqualitate paterna in nostram defluxit naturam, in eaque reliquam executus est obedientiam ad mortem usque. Idem planè Verbum Patris implevit voluntatem exinaniendo se & ad hominem usque per incarnationem, & ad crucem usque per passionem. Utrobique idem Filius & liber & Dominus. Aut si crucis obedientiam libeat austeriùs ad hominem Christum coarctare, hæc tamen obedientia contexitur assuiturque cum Verbi ad carnem ex voluntate Patris allapsu. An servilis ergo obsequela liberali & filiali & divinæ contexitur ab Apostolo & permiscetur? Sed quid attinet uni aut alteri aut complusculis etiam contextibus immorari? Regnat illud universim in Apostolicis & Evangelicis litteris, potissimùm verò in sermonibus Christi ipsius de seipso apud Joannem; regnat, inquam, illud latissimè loquendi genus præclarissimè ambiguum, & curiosissimè incuriosum, quod cùm Christi ad Patris voluntatem inclinata officia significat, vel ad hominem vel ad Deum Christum commodissimè deflectatur, & à sanctis Patribus hæc commentantibus, nunc huc torqueatur, nunc illuc. Quis ergo servilem dixerit obedientiam hominis Christi, quæ verbis non aliis ferè declaretur, quàm quibus & Verbi Deitas citra contumeliam possit implicari? Salva res est, modò intelligatur Verbum liberaliter & pro sua dominatoris omnium majestate, paternæ authoritati atque voluntati obsequi, seu ante carnem sine carne, seu post carnem cum carne. Cyrillus loco supra allegato exponit opus salutis nostræ Filio mandatum à Patre ita esse, ut homo mandat brachio suo, ut Sol radio, ut ignis calori; ita enim Pater mandat Verbo quæ per Verbum ipse operatur. Ideo & Verbum ipsum minister Patris non semel dictum est. Tertullianus: *Adhibet operi bono, optimum etiam ministrum, Verbum suum*. Sive ergo ante carnem in creando, sive in carne in redimendo orbe Patris voluntatem & consilia administret Verbum, ut Filius & paterni dominii collega, non ut servus, administrat.

Dogmatum Theol. Tom. I.

L. 11. in Ev. Joan.

L. 2. Adver. Marcion.

XV. Christus adorat Patrem sine suspicione servitutis

Nec sum nescius adoratum esse à Filio Patrem, eo cultu peculiari qui latriæ seu servitutis est; ait enim ipse quasi homo, hominibus se consocians; *Nos adoramus, quod scimus.* Quæ verba & emergentem inde servitutis homini Christo imminentis conjecturam non aliter Cyrillus tractat, quàm ut Verbi dumtaxat naturam divinam ab ea absolvat servitute. Præmissis enim Christi verbis, quibus à tributo se immunem testificatur, *quia liberi sunt filii*: hæc habet: *Cernis Filium ferre non posse ut sit tributarius; neque instar unius eorum qui servituti sunt obnoxii, rem servilem sustinere? Nam cùm suæ naturæ liberam dignitatem esse norit, servile nihil se debere Deo & Patri affirmat. Liberi enim sunt filii, inquit. Quomodo ergo adorat servi more, neque id invitus? Qui autem vel ipsam rei figuram respuit, quomodo veritatem ipsam susceperit? Annon enim adorationem tributum aut oblationem quandam spiritualem existimabimus &* λατρείας, *id est, servitutis genus illam esse dicemus? Quam enim ob causam lex adorationi* λατρεύειν *conjunxit, dicens: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli* λατρεύσεις. *Etenim janua veluti quædam & via obsequii præstandi adoratio, principium habens servitutem erga Deum*. Id autem non Verbo, ut Deo, sed carni ejus competere mox probat ex Christi verbis ipsis: *Nos adoramus quod scimus. Nonne hinc manifestum est, quod cùm plurali usus sit numero, & seipsum inter eos collocet, qui necessitatis & servitutis ratione adorant, hæc ait, tanquam qui in serva humanitate existat?*

Ibid. p. 185.

XVI. Ex eodem.

Tergiversari posset aliquis & moras nectere, ne Christus adorasset Patrem; multa enim solet ille, multa solet homo quilibet passim sibi minimè consentanea adscribere inter loquendum, dum personam sibi induit civitatis aut gentis alicujus. Deinde non ait Christus ἡμεῖς λατρεύομεν, sed ἡμεῖς προσκυνοῦμεν, ubi nulla servitus sonat. Et sanè Augustinus de adorato Patre à Filio differens, *Admittitur facilè*, inquit, *secundùm hominem dictum, quamvis nec hoc legas*. Non legitur ergo adoratum à Filio Patrem, tametsi creditur. Nec otiosum est illud Scripturæ silentium. Deinde esto, adoraverit, servile obsequium detulerit, num servus ideo fuit? Nonne & filius servilibus quandoque in patrem defungitur officiis? An etiam quia flagitiosi servi pœnas luit, non servus tantùm, sed & serviliter nequam dicetur? Nonne & tributum

L. cont. Maximin. Episc. Arian.

solvit, etsi præfatus esset, se ut Filium jure suo immunem esse?

XVII. Ut nil servile redoleat Christi ad Patrem oratio & adoratio. L. 5. contra Felic.

Sed luculentus imprimis est locus Aquilejensis Episcopi Paulini, ut oratio & adoratio & interpellatio Christi ad Patrem nihil servile redolere demonstretur. *Augustinus sæpius mentionem faciens de hac interpellatione, in libro contra Arium, ait; Solent plane Ariani ex interpellationis causa movere calumniam dicentes, quod qui interpellatur, interpellante sit major. Quibus respondendum est, Deum oblivionem non pati, ut pro illis commoneatur semper quos ipse elegit. Sed in hoc interpellat eum, dum semper Patri hominem quem suscepit, quasi nostrum pignus ostendit & offert ut verus pontifex & æternus. Sed & huic sensui illius quomodo B. Beda Presbyter in expositione ejusdem Apostolicæ Sententiæ conveniat, audi: Unigenito enim, ait, Filio pro homine interpellare est, apud coæternum Patrem seipsum demonstrare; eique pro humana natura rogasse, est eandem naturam in divinitatis suæ celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione. Sciendum est verè quod nequaquam modo Christi ad dexteram sedentis interpellatio ad Patrem talis intelligi debet, qualis hominis solet esse, dum quis apud judicem supplicibus verbis interpellat pro eo; sed Deo Patri, humanitatis in Dei Filio dispensatio, interpellatio est pro humano genere. Nam & de Spiritu sancto legitur, Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, &c.* Si conditionalis sive ex conditionis suæ necessitate, ut creatura quælibet, servus esset Christus, peræquè etiamnunc in dextera Patris servus esset, & servilem in modum Patrem adoraret; nam creatitia nihilo seciùs nunc est illa humanitas. At Patrem non ita nunc adorat, si qua fides est Augustino, Bedæ, Paulino; sed interpellare pro nobis dicitur, citra suæ cum Patre æqualitatis dispendium, eo tantùm quod vultui Dei, ut ait Paulus, apparet, Filius unigenitus & dilectissimus, nostræ carnis purpura velatus, & tota generis nostri universitate indutus. Patri enim abundè commendat naturam, quam sibi substantivè adeo commiscet.

XVIII. Ideo interpellat, sed assidens paternæ dexteræ. L. de rect. fid. pag. 148.

Nec dissentit Cyrillus ipse, qui & sedere ideo Christum & assidere Patri advertit etiam qua hominem, dum interpellat: non est autem servi tunc maximè dum ministrat assidere Domino. *Vide jam quomodo secundum humanam naturam sacerdotii munus obeat, mediatorque inter Deum & hominem existat. Cujusvis enim sacerdotis est intercedere. Verumtamen sacrificii ritum non obit nostro more* δουλοπρεπῶς. *Neque enim ille sacrificii expers est, ut alii sacerdotes, ut qui sibi ipsi quoque sacrificet, & per seipsum, & in seipso Deo Patri.* Non serviliter ergo Patri aut adorationem, aut sacrificium obtulit unquam; nam quod hìc cœpit mortalis, illic immortalis peragit, pergitque æternum defungi sacerdotium: & idem cœpit, qui pergit: idem hìc, qui illic; tam non servus hìc, quàm illic; etsi servilis obscuritatis specie hìc obumbratus, non illic: sed ut species extima decutiatur, ut non obsequia, sed ipse qui obsequebatur, homo Christus perpendatur, tam non servus hìc, quàm illic; quia idem hìc, qui illic; idemque sacrificium hìc atque illic. Quocirca etiam hìc inter ipsa ignominiæ servilis dedecora, *exauditus est à Patre pro sua reverentia.* Viderint eccubi revereatur servum Dominus, Christum sanè hominem servilibus notis in speciem compunctum, sed intus Filium & omnium Dominatorem, reverebatur Pater & ita exaudiebat. Sed de his opportuniùs ubi de Sacerdotio & Oratione Christi instituetur disputatio propria.

XIX. Opera & munia servi obit quidoque filius.

Universim constat, ratumque illud est, succedere in officia servorum filios posse, nec servos tamen deputari; longè aliud enim est, versari in officio, atque in numero servorum; obsequia præstare, & substantiam gestare. Cui muneri obeundo impares sunt servi, Filius plerumque succedit, & Filius tamen est. *Nam & filius à domino vineæ mittitur ad cultores sicut & famuli, de fructibus petitum. Sed non propterea unus ex famulis deputabitur filius, quia famulorum successit officio,* ut ait Tertullianus. Idem est quod fit ab utroque; non idem est qui facit uterque, filius & servus; nec idem modus utrobique; hic enim necessitate, ille libertate. Et usque adeo quo quid fiat modo, refert, ut & à servo quod liberaliter fit, jam & ipsam servi substantiam emendet nobilitetque quodammodo. Quid ergo æstimandum de Christo est, qui & per substantiam suam Filius & liber erat, & eam sequebatur obsequendi paternis præceptionibus rationem, quæ libertatem spiraret, & vel servilem substantiam poterat cohonestare? (L. de carne Christi.)

XX. Et servus ad libertatē filiali charitate evehitur.

Postremò num serviliter Christus homo Patri Deo, aut obsecrabat, aut inserviebat, cum nos servitutis extrema fœx, non servili necessitate, sed liberali & liberatrice charitate Deo serviamus, adeoque nec jam serviamus, sed in amicitiam & adoptitiam filiationem extollamur? Augustinus: *Omnis creatura velit, nolit, uni Deo & Domino suo subjecta est. Sed hoc admonemur ut tota voluntate serviamus Domino Deo nostro: quoniam justus liberaliter servit: injustus autem compeditus servit. Omnes tamen divinæ providentiæ serviunt, sed alii obediunt tanquam filii, & faciunt cum ea quod bonum est. Alii ligantur tanquam servi, & fit de illis quod justum est.* (De agone Christ. c. 7.)

CAPUT XIX.

Cominus jam ex ipsa incarnationis ratione propulsantur à Christo servitutes.

I. De obedientia Matris & de Spiritu sancto conceptus Christus, servus esse non potuit.

DEclaratur 7. ex ipsa incarnationis substantia propulsari à Christo debere totum servitutis elogium. Ac primum quidem conceptus cum sit de Spiritu sancto, & Maria virgine, servus esse non potuit. De Mariæ enim fide & obedientia & sanctimonia priùs quàm de carne ejus conceptus est. De Spiritu sancto etiam seu de charitate & sanctitate substantiva divinitatis secundùm carnem conceptus est. Hinc servitus non potuit dimanare, sed sanctitas & justitia & libertas. Nexibus enim individuis colligantur virtutes & sanctitas & charitas cum libertate & ingenuitate; uti ex adverso vitiis inhæsit & inolevit servitus. Nobilitas sola est atque unica virtus. Ignobilis & serva est omnis vitiositas. Qui ergo secundùm carnem de fide matris & de charitate Dei Patris, seu de Spiritu sancto concipitur, substantiva virtutum libertate defraudari non potest. Et quanquam alia sit carnis sive in Maria, sive in Christo, alia virtutum natura, illam tamen carnem virtutes vindicaverunt sibi invictissimè, suæque potestati subjugarunt usque adeo, ut per illas propagetur, per illas à servitute eximatur. Synodus Francofordiensis: *Nonne secundùm sæculi nobilitatem B. Maria virgo ex regali & libera prosapia processit? Huic vero virgini regiæ dignitatis Spiritus sanctus accessit, & filium ex ea procreavit. Mirum si Spiritus sanctus hominem ex ea non potuit facere perfectum & ingenuum.* (In Epist. ad Episc. Hisp.)

II. Etsi ancilla sit Maria, sed Spiritus sanctus Dominus est.

Servum enim Christum calumniabatur Fœlix, ex eo quod filius ancillæ sit juxta Psaltem, seu filius sit Mariæ: nec ex matre serva potuerit nisi servus procreari. At ut de Maria interim sileamus, nonne & de Spiritu sancto conceptus est? Eccur ergo non libertatem potiùs hinc hauriat, quàm illinc servitutem? An potest de Deo servus concipi? An inefficacior est Spiritus sanctus quàm Maria? An libertas otiosior steriliorque quàm servitus? An de serva servus, nec de domino nascetur

domi-

L. 5. advers. Felicem. Dominus, de libero liber, de Deo Deus? Alcuinus: *Atque suam sententiam prophetico adfirmare nititur testimonio Fœlix, ut magis servus sit ex utero formatus, quàm Deus quem omnis Catholica Ecclesia ipso sacræ conceptionis initio Deum verum confitetur & prædicat, utpote quia de Spiritu sancto & Maria virgine conceptum & natum Evangelico testimonio certum habet. Quid enim de Deo, nisi Deus nasci debuit?*

III. At cum qua homo sit Filius Patris Dei Christus, servus non est.

Sed quod invictius telum ad abigendam à Christo injuriam servitutis, quàm quòd etiam secundùm humanam naturam & prout hic homo est, Filius est Dei Patris omnipotentis? Unus enim Filius est, Deus & homo idem, eodem Patre satus prognatusque & qua Deus ante tempora, & qua homo in tempore. Cyrillus; *Nam etsi ille Aaron ad sacerdotium adscitus esset, attamen erat servus: hic verò Christus in eo quoque statu Dei Patris Filius erat; natura quidem æternaque generatione Deus & Verbum, nostræ verò conditionis homo secundum novissimam in carne generationem. Utrumque per illud, hodie, quod præsentis temporis nota existit, nobis adumbratum. Hactenus igitur Pater nativitatem quoque in carne ad se pertinere judicat: quatenus illum suum esse Filium agnoscit, ex ipso quidem divinitus, ex muliere autem humanitus.* (L. de rect. fide, pag. 160.) Plura alibi prolixè congesta sunt, quibus hoc idem efficitur, secundùm naturam utramque Christum Dei Patris Filium esse. Jam verò perspicuum valdè est servorum numero concludendum non esse, qui Filius est. Nam ut ait Paulus, *Jam non est servus, sed filius*. Deinde servus acquiritur, filius gignitur: at Christus non postea Deo & Patri accessit, sed natus est ei Filius. Item Filius maximè Dei à servitute abhorret quàm plurimùm, quum Deus ipsamet sit libertas & apex florentissimæ nobilitatis, à qua effundi non potuit aut enasci servitus. Denique degener esse non potest, qui Filius Dei esse potest; nam, si indefectibilis erit nostra adoptitia filiatio, ubi gloriæ suæ cumulum contigerit, *omnis enim qui natus est ex Deo, non peccat*: quantò minùs à splendore suo degenerabit, Verbi Dei à Deo Patre in carne nascentis filiatio?

IV. Christus ut hic homo, Deus nascitur, non ergo servus.

Præterea, Christus ut hic homo est, non homo tantùm, sed & Deus nascitur. At cum Deitate coaptari servitus nullo pacto potest, nisi si cum luce caligo, cum nobilitate ignobilitas, cum libertate captivitas, inaudita fingendi licentia copuletur. Deus enim essentiæ suæ magnificentissima & beatissima necessitate, liberrimus & omnium Dominus est; qui istiusmodi est, servus utique non est: & homo tamen est: ergo hic homo qui Deus & Dominus omnium est, servus non est. Deindè etsi aliquando servus extitisset, tum sanè servitutis exuvias poneret, cùm Dominus omnium & Deus nasceretur. Rursus qui servus seu naturæ seu sortis injuria est, exolvi tamen & manumitti potest; nempè, beneficio domini; quantò magis ergo ipsa domini substantia? Ecquod enim beneficium prolixius aut ad libertatem dominationemque conciliandam efficacius, quàm dominicæ non tantùm benevolentiæ, sed etiam substantiæ impartitio? Præterea substantiva libertas & dominatio, Deitas est, expugnatrix omnis ignobilitatis, omnis nescia servitutis; Deitate autem tota imbuitur, formaturque ab exordio conceptus sui homo Christus; ergo formæ hujus omnipotentissimæ insuperabili efficacitate in libertatem dominationemque supremam rapitur. Ad hæc probrosum maximoperè fuerit & in Christianæ religionis dedecus vehementer redundaturum, si Deum colere servituti mancipatum existimaretur. Propudiosum enim peræquè est vel servitutem Deo, vel Deitatem servo offerre, servoque servitutem & religionem suam consecrare. Postremò subiici quidem potest in assumpta natura Deus, servire non potest. Subiici enim voluntatis est, servire necessitatis. Potest autem omnipotens libertas & dominatio voluntate subiici, non potest necessitate subjugari. Servus non est, quanquam serviat, qui voluntate, non ulla necessitate agitur. Qui autem ad serviendum necessitate adigitur, is nec liber, nec omnipotens, nec Dominus, nec Deus est, etsi ad hanc necessitatem voluntate primùm semet inclinasse fingatur. Siquidem omnipotens Deitatis libertas desciscere à seipsa, ac retro labi non potest. Synodus Francofordiensis: *Considerate quale est hoc scandalum inter Paganas gentes, ut dicatur Deum Christianorum servum esse, vel adoptivum. Nos per illum adoptivi sumus, non ille nobiscum adoptivus. Nos per illum à servitute liberati, non ille nobiscum servus, &c. Credamus eum Dominum & non servum, ipso dicente, Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Et verum Deum verumque Dei filium confiteamur in utraque natura, divina scilicet & humana.* (Epist. ad Ep. Hispan.) En ut in utraque natura, verus est Dei Filius, & Deus & Dominus, ideoque non servus. Etherius & Beatus: *Quomodo nunc & ille servus Dei, & tu servus Dei, & ambo unum Deum habetis? Si ita credis ut dicis, non Deum omnipotentem, sed conservum tuum Jesum confiteris; aut certè te exaltas, ut quartus omnipotens sis; aut certè eum humilias, ut tui similis sit.* (L. 1. advers. Elip.)

V. Christus ab ortu ut Deus, ita & substantivè Dominus, ergo non servus.

Accedit quòd Domini nomen uni Deo singulariter dedicatum est. Solus enim omnibus imperat & nulli servit, qui omnibus sufficit & nullius indiget. Egestas enim servitutis quàm dominationis propior comes est. Illi servias necesse est, quo eges. Dominatur tibi, cujus copia tuam implet inopiam. Etsi in speciem imperet homo homini, dominus servo, fucata hæc & ludificatoria dominatio plerumque est, ubi dominantis egestas, servilis auxilii subsidia emendicare compellitur. At Deus bonorum omnium saturitas beatissima cùm sit, meritò imperat & dominatur omnibus, solusque Dominus jure suo audit. Ergo Deo coalescere non potest servitus; ergo non potest homo fieri Deus, quin fiat & Dominus, à servitutis vel umbra & nomine alienissimus. Tertullianus: *Augustus imperii formator, ne dominum quidem dici se volebat, & hoc enim Dei est cognomen.* (In Apolog.) Et Augustinus: *Dixi Domino, Deus meus es tu: Quare? Quia bonorum meorum non eges. Ille non eget nostri, nos egemus ipsius. Ideo verus Dominus. Nam tu non valdè verus dominus servi tui. Ambo homines, ambo egentes Deo. Si autem putas egere tui servum tuum, ut des panem, eges & tu servi tui, ut adjuvet labores tuos. Uterque vestrum altero vestrum indiget. Itaque nullus vestrum verè dominus, & nullus vestrum verè servus. Audi verum Dominum, cujus verus es servus: Dixi Domino, Deus meus es tu. Quare tu Dominus? Quoniam bonorum meorum non eges. Quid autem tu? Ego verò egenus & pauper.* (In Psal. 69.) Ergo hominis in hominem nomine tenus est dominatio, reapse servitutis est reciprocatio, quia egestas hinc & inde alterna est. At Christus homo ubi semel Deus intelligitur esse, plenitudine divinitatis ditatus, & ipse ut Deus, omnium plenitudo opulentissima, nullius eget, omnibus abundantiam suam prodigit, ideoque nec servire potest, nec imperare non potest.

VI. Hæreticis familiare, Christo abrogare Deitatem, ideo & servitutem impingere.

Connexa autem aptaque adeo Deitati est dominatio, & eliminatio servitutis, ut Elipandus & Felix, atque ante eos Nestorius cum servi nomine Christum infamarent, illicò & Deitate illum abdicarent. Deiferum enim illum, non Deum Nestorius; nuncupativè, non substantivè Deum Elipandus & Felix deprædicabant. Hæc ergo servitutis sententia tanquam genuinus surculus ex illa pullulascebat ejeratæ Christi divinitatis radice. Cùm excisa extirpataque à nobis sit hæc radix, quid ejus surculo adhuc inhæremus? Danda sanè est opera, ne hæreant adhuc fallantque incautos & serpant latiùs fibræ adhuc aliquæ radicis venenatæ.

natæ. Alcuinus: *Nec mirandum est si hæreticus Christum qui ex Virgine natus est, Deum nuncupativum asserere audeat: qui eundem servum propheticis testimoniis, non catholico sensu intellectis, astruit, &c. Tria quippe affirmat in Christo, id est, quod servus sit conditionalis, quod filius adoptivus, & Deus nuncupativus.* Vides ut consertæ sint hæ pestes. De Nestorio autem Damascenus: *Qui verò dicunt ipsum servum, dividunt unum Christum in duo quemadmodum Nestorius. Nos autem dominatorem ipsum dicimus & Dominum omnis creaturæ, unum Christum, eundemque Deum simul & hominem.* Nestorius ergo præsultor Elipandi alium Deum, alium seorsim hominem in Christo divellebat, atque ita demum Deo hominem servum mancipabat. Denique ut intelligas quàm familiare fuerit hæreticis Christum appellitare servum, de Apollinari hæc perhibet Theodoretus in Dialogo II. qui Inconfusus inscribitur: *Hic & stolam corpus & creaturam & instrumentum appellavit. Quin etiam servum quoque nuncupavit, quod nemo nostrum dicere unquam est ausus.* Vides quàm exhorruerint aures catholicæ servitutis elogio Christum infamare. Sed & hinc vides quàm discors secumque conflictabunda sit omnis hæresis. Nam cùm nimius esset Apollinaris in permiscendis conflandisque naturis, aliquoties in diversum illidebatur errorem, easque plus æquo dissociabat.

(L. 5. contra Felic. — L. 3. c. 21.)

VII. *Divina nobis nobilitas, non nostra Deo ignobilitas commodanda fuit.*

Ad hæc non eo consilio coaptata est Deitas carni, ut carnis injuriæ inquinarent Deitatem, seu ut in Deitatis gloriam humanitas asciscere tur. Adscitus ergo homo est in filiationem dominationemque Verbi Dei, non descivit Verbum Dei in servitutem homini concretam. Nec enim præcipitando Deo, sed exaltando homini instructa adornataque est Dei cum homine fœderatio. Quid enim spei residuum nobis fuisset, si nec conglutinatam sibi hypostaticè humanitatem nobilitare potuisset Deitas Verbi, atque servitutis innatæ obscuritate emaculare? Conclamatum de nobis fuisset, nec in gloriam filiorum Dei, excussa servitute unquam devolaremus. Alcuinus ex Petro Chrysologo ita argumentatur: *Petrus quoque Ravennensis Episcopus in eadem Epistola, unde paulò ante posuimus exemplum: Verbum, inquit, caro factum est, ut homo carne promoveretur in gloriam Dei, non ut Deus in carnis verteretur injuriam. Sicut dicit Apostolus: Qui se jungit Domino, unus spiritus est.* Ex Apostolo ergo, nostra cum Deo copula nobilitat nos, non Deum dedecorat; in unum enim cum eo spiritum coalescimus, non ille in unam nobiscum ignobilitatem. Ita ergo & Christi hominis cum Deo fibula, non in servum deprimat Deum cum homine, sed in Dominum sublimet cum Deo hominem. Etherius & Beatus: *Dictum est de Joanne, Hic erit magnus coram Domino: dictum est de Christo, Hic erit magnus, sed non coram Domino, quia ipse Jesus est magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Quomodo poterit esse Jesus Christus cum Christis, & adoptivus cum adoptivis, parvulus cum parvulis, & servus cum servis, &c. O nimiam elationem & sui damnandam præsumptionem! Isti sunt qui Deo ipsi se præferunt sic credendo. Et si isti in carne constituti adhuc expectant resurrectionem, & spiritaliter se vivere profitentur qui tantùm homines sunt, & à Deo facti sunt, & ut ista possint habere post mortem, à Deo acceperunt: & Deum, se hominem facere potuisse non credunt. Minor enim sine dubio ab istis Deus est, si quod isti possunt, Deus non potuit. Nam si isti possunt in carne constituti, alienam capere naturam, cur ille in carne positus suam servare non posset?* Præfractæ sanè audaciæ est, plus sibi quàm Deo indulgere; meliorem naturam & immortalem vitam sibi obventuram spe præsumere, Deo autem liberæ & dominatricis naturæ suæ prærogativam incolumem & inviolatam non permittere. Si non potest enim carnem ipse suam è servitute in libertatem vendicare, qui poterit anima nostra olim beata carnem suam à mortalitate & servitute in immortalem vitam & libertatem traducere?

(Ibid. l. 5. — L. 1.)

VIII. *In sinu Deitatis efformata humanitas, nō potuit cum servitute coalescere.*

Quocirca rectè Damascenus naturam ait assumptam à Verbo servam & ignorantem, hoc est, quæ alioqui & extra conjugium Verbi, servituti & ignorantiæ obligata fuisset; at per suam cum Verbo coalitionem, absoluta atque explicata est à tenebris inscitiæ & à vinculis servitutis. Priùs extantem enim hanc naturam suique seorsim juris, si Verbum invasisset, majestate invictissima luminis ac libertatis suæ omnem utique ab ea & ignorationem effugasset & servitutem: multò ergo id expeditiùs præstitit, cùm ejus extantiam occupaverit, in suoque eam sinu sibi temperatam efformaverit. Quid enim tenebrarum, quid servitutis adnasci possit ei naturæ, quæ in gremio luminis, in apice ipso libertatis & dominationis effingitur? *Quemadmodum igitur de ignorantia dicimus, quod si tenuibus cogitationibus, id est, minutis phantasiis, creatum ab increato dividas, serva est caro, nisi unita esset Verbo Deo. Semel autem unita secundùm hypostasin, quomodo serva erit?* Et author dialogi de sancta Trinitate in calce sexti tomi operum Cyrilli: *Quædem insuper propter divisionem cogitatione factam de eo efferuntur. Si enim ea quæ separari non possunt, hoc est, carnem à Verbo diviseris, & servus & ignorans dicitur. Etenim servæ & ignorantis natura erat, ac nisi Verbo Deo unita caro fuisset, serva & ignorans extitisset. Atqui propter unionem personalem cum Deo Verbo, neque serva fuit, neque ignorantia laboravit. Sic etiam Patrem, Deum suum appellavit.*

(L. 3. c. 21.)

IX. *Servus nūc quidem non est in gloria Patris regnans, ergo nec unquā fuit, quia idem Deus & Dominus semper fuit.*

Declaratur 8. Nunc saltem citra contumeliam servitus illi infligi non potest, cùm in gloria Patris regnat, cùm in throno sedet, cùm dexteram Patris occupat, id est, æqualitatem cum Patre obtinet, cùm illum jam non novimus secundùm carnem, cùm totus jam Deus est; illi jam tali, tantoque, quis servitutis vincula iniiciat, nisi mente captus & excors? Ergo nec in ipso incarnationis articulo servus existimari potuit. Jam tum enim peræquè Deus extitit, & à spiritalibus non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, ut Patri coæqualis intelligebatur; & dextera Patris, thronusque & regnum ab eo non auferebatur, sed differebatur; eratque in ejus potestate dominatio illa & gloria; cùmque ab ea interim abstineret spontaneus, tantò invictiùs se & liberum & Dominum significabat: Dominus enim etiam tum quis est, cùm se esse dissimulat, cùm se premit, cùm gloriæ suæ insignia tantisper exponit & abiicit, cùm sub schemate servili aliquandiù delitescit. Peracta enim fabula se sibi reddit, nec ex servo dominus creatur, sed qualis in servili persona latitasset, sese exaperit. Servus non est, etsi servum se videri aliquandiù velit, cui inviolabilia constant dominationis suæ jura, cui intus in penetrali tota suppetit majestas sua, cui sua clam opulentia affluit, cui totus census in pectore est; qui cùm primùm allibuerit, personatum illud servitutis schema abiiciet, nec esse incipiet qualis non erat, sed qualis latitabat, sese exeret. Ergo si servus nunc non est Christus homo in sinu Patris, nec tunc fuit in utero matris. Christus enim heri, & hodie, ipse & in sæcula, unus idemque, etsi non uno eodemque forinsecus habitu. Adrianus Papa in Epistola sæpè jam laudata: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Omnia namque post gloriam resurrectionis subjecta sunt ei, haud dubio Angeli & omnis creatura. Dominum igitur Angelorum omnisque creaturæ, cujus sub pedibus cuncta subjecta sunt, vos dicitis servum & adoptivum*

(Epist. ad Ep. Hispan.)

ptivum. Paulus namque mundi lilium & Ecclesiæ pulcherrima rosa, in universo ore suo dominum eum & non servum appellat. Ait namque, In nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Unde & alias dicit, Etsi novimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus illum. Ac si patenter dicat, Etsi novimus eum mortalem, passibilem, vulneri deditum, sed jam in gloria Patris scimus eum ab omni humanæ conditionis debito alienum: Paulus electionis vas docet, ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris: cur surda aure & erroris obvoluto tenebris corde, hunc locum Scripturæ legendo transilitis? Paulus omnem linguam eum Dominum confiteri hortatur & docet, & vestra lingua non confunditur servum & adoptivum latrare? Sunt planè quæ sedulò animadvertantur in his Pauli, & Pontificis Paulum interpretantis vocibus. Primùm quidem, non ait Paulus excitato ab inferis Christo collatum esse tum demum dominium expunctamque servitutem, sed collatum esse nomen super omne nomen; nec donatam tum demum illi gloriam paternam, sed paternæ gloriæ manifestationem confessionemque toto orbo pervulgatam, & omnibus linguis propalatam. Nomen ergo & famam & confessionem suæ gloriæ & dominationis resurgendo consecutus est Christus, rem ipsam & jus atque legitimam authoritatem semper obtinuit, ut agnatam sibi concretamque. Secundò, quibus argumentis Christus homo servus astruitur, eorum vim æquè invalescere ad servitutem illi in ipso paternæ gloriæ consessu impingendam. Nam creatitia æquè natura illius hominis est, &c. Cùm ergo tam exertè detonet Pontifex Adrianus in eos, qui servum eum etiamnunc esse allatrant, perinde invehitur in eos qui aliquando servum fuisse illum existimant. Postremò corporis sui magis quàm animæ gloriam resurgendo Christus amplificavit. Nam à morte in immortalitatem beatissimam transvectum est corpus: at anima jam inde à primo sui conditu Deitatis ac beatitatis deliciarum satura atque ebria fuit. Dominatio porrò & libertas, animæ, non corporis laus atque fœlicitas est. Dominatur enim mens, suamque jactat quacumque liberit libertatem. Ergo ab exortu suo anima Christi plenissimam in omnia dominationem libertatemque obtinuit, etsi illam carne mortali velavit & dissimulavit aliquandiu, nec nisi parcissimè exeruit.

x. Ubi factus est Christus totus Deus, abscond est, servitutem illi tribuere. Paulinus Aquilejensis ex Cassiano ita hunc locum premit: *Si noveramus*, ait, *Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. In his scilicet paucissimis verbis, magnum Christi incarnationis mysterium demonstrans. Quæ verba beatus Cassianus catholico exponens sensu: Ascendit ergo, inquit, quodammodo quasi in altiorem gradum doctrinæ apostolicæ prædicatio, & licet sensus ibi in utroque conveniat, sacramentum tamen perfectæ fidei sententia expressione confirmat, dicens, Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus; videlicet quia priùs eum & hominem scimus & Deum, nunc tantum Deum. Cessante infirmitate carnis nihil in eo jam novimus, nisi virtutem divinitatis, quia totum in Deo virtus est majestatis divinæ, ubi esse desiit infirmitas imbecillitatis humanæ, &c. Natura enim carnis in spiritalem est translata substantiam; & illud quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei. Et ideo jam non novimus Christum secundùm carnem, quia absorpta per divinam majestatem infirmitate corporea, nihil sacro residet corpori, ex quo in eo imbecillitas carnis possit agnosci. Ac per hoc quidquid fuerat priùs substantiæ duplicis, factum est virtutis unius.* Hæc ille ex Cassiano excerpit & approbat. Devorata ergo humanitate tota in Deum, absorptaque in majestatem divinam tota carnis infirmitate, quis illi adhuc servitutem serviendam occinet? Olim Deus & homo, nunc tantùm Deus, an ergo adhuc servus? Quidquid fuerat hominis, factum est totum Dei, an adhuc ignobilitatem præ se fert servi? Quod fuerat substantiæ duplicis, factum est virtutis unius, unaque majestas, an ergo illa & virtus & majestas una erit, & servitus tamen erit? Cæterùm his non resuscitati tantùm Christi gloria, sed ut ait Paulinus, ipsum demonstratur mysterium incarnationis. Hæc enim hominis in Deum demersio, & quoad animam jam inde ab utero materno facta est, & quoad corpus jam tum initiata, unde vivifica illi suppetebat virtus, & perficienda tantillum dilata est, jure tamen suo jam tum illi affixo. Ergo quoad animam rationalem jam exinde ab ortu suo, *tantum Deus erat, totum erat Dei, erat natura duplex, sed virtus una*, una majestas, una dominatio, una libertas nobilitasque.

Idem ibidem in eandem sententiam hæc allegat ex Hieronymo, locum eundem Pauli similiter interpretante: *Si enim mors absorpta est in victoria, quare non carnis humilitas, quæ propter humanam salutem assumpta est, in divinitatis transierit majestatem, ut fieret utrumque unum?* Num fit utrumque unum consortio majestatis, cùm hinc dominatio, inde servitus adhuc pertinaciter dissident? L. 6. Paulinus hæc insuit alibi ex Hilario: *Non alia itaque subjectionis causa est, quàm ut omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura, ut antè in se duo continens, nunc Deus tantùm sit, non abjecto corpore, sed ex subjectione translato: neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato.* Advertis hanc à mortuis excitati avectique in cœlos Christi clarificationem, ad corpus ejus tantummodo pertinere: constabat ergo & dum mortaliter hìc degeret, penes ejus animam mentemque gloria incolumis, & libertas, & dominatio, & servitutis qualiscumque impatientia. Et sanè jam tum qui non lacte, sed solido vescebantur sapientiæ cibo, & in arcana mysteriorum perrupto cortice illuminatos cordis oculos altiùs inferebant, illis jam resurrexerat Christus, jam cælos conscenderat, jam dexteram implebat Patris, jam dominabatur, & ab omni suspicione servitutis alienissimus erat.

Sed omnium luculentissimè Gregorius Nyssenus, ut divinitatis proprietatibus, & gloria, & libertate, & dominatione humanitas imbuta & delibuta sit, ut nihil in eo parvum, vel humile, vel servile residere potuerit, quod non in magnitudinem & gloriam invictissimè raperetur atque absorberetur, idque non tum demum cum mortem immortalitate commutavit, sed jam inde cum primùm mortalem hanc vitam auspicatus est Christus: xi. Idem ex Nysseno. differit in hunc modum: *Enimverò si quod divinum erat cum in humanitate positum fuisset, & quod erat immortale in mortali, & quod potens in infirmo, & in mutabili atque corruptibili quod erat immutabile atque incorruptibile, manere permisit in mortalitate mortale, corruptibile in corruptione & alia in aliis eodem modo; meritò quis binarium numerum in Filio Dei observarit, cum utrumque eorum quæ contraria ratione spectantur, separatim apud se numeraverit. Sin autem mortale in immortali positum, immortalitas factum est: pariterque corruptibile in incorruptionem mutatum est, aliaque omnia pari ratione in impatibilitatem quandam, divinitatemque conversa sunt: quis locus relinquitur eorum commentis, qui in differentiam duorum id quod unum est, dividunt? Verbum enim & ante incarnationem & post dispensationem in carne, & erat & est Verbum; itemque Deus & ante formam servi, & post illam Deus est.* L. contra Apollinar. En ut unus sit Christus, unus Filius, unus Dominus, non hinc Filius proprius, inde adoptivus: non hinc Dominus, inde servus, ut cavillabantur Apollinaristæ, sed unus Filius adoptionis insolens, unus Dominus servi-

servitutis impatiens, quia idem Verbum est ante dispensationem & post: quia idem Deus & Dominus est ante formam servi & cum forma servi: nec sibi excutitur aut se deficit cùm homo fit, nec in humanam degenerat ignobilitatem, nec hominem suum seu se humanæ permittit ignobilitati subesse, sed in divinas illum rapit & absorbet proprietates. *Quidquid in natura nostra infirmum est & caducum, divinitati commixtum, in id evasit, quod ipsa divinitas est*, ait ille ibidem. Et paulò post: *Primitiæ naturæ humanæ quas jam omnipotens divinitas assumpsit, tanquam aceti gutta quædam immenso mari commixta, sunt illæ quidem in divinitate, non tamen in peculiaribus suis proprietatibus*. Hausit enim combibitque totam deitatem & omnes deitatis opulentiam humanitas illa, adeòque & nobilitatem & libertatem & dominationem. Quis ergo jam illam suggillare ausit, ut ignobilem, & servam? *Quidquid enim filii videt quisquam, divinitas est, sapientia, virtus, sanctificatio, impassibilitas. Qui fieri potest, ut quod unum est, in notionem duplicem dividatur, cum nulla sit differentia, qua nitatur numeri distinctio? Divinitas enim quod humile fuit, superexaltavit: & ei quod humano more nominabatur, largita est, ut super omne nomen esset; quod subditum & servum erat, Dominum regemque fecit, sicut & Petrus inquit, Dominum eum & Christum fecit Deus*. En ut assentiatur Petrus, tum Dominum effectum illum esse, cum Christus factus est: hoc est ab exordio conceptus sui. Tum enim factus est Dominus, cum factus est Deus: non priùs autem homo fuit, quàm Deus; nec priùs ergo fuit servus, pòst Dominus, sed exortus primùm est & Dominus & Deus; inebriata humanitate divinis omnibus statim dotibus. Nam valdè perspicuum est quæ Hilarius, quæ Hieronymus, quæ Cassianus, aliique de excitato in immortalitatem Christo disserebant, Totum jam esse Deum, Dei esse quod fuerat hominis, & hujusmodi alia, ea Nyssenum ipsi incarnationi statim vendicasse.

CAPUT XX.

Ex unitate personæ propulsatur à Christo homine servitus.

I. Cùm hæc relationis sint nomina, non potest idē esse sibi, servus & dominus sic ut nec Pater & Filius. Ex Damasceno.

DEclaratur 9. Servus non naturæ, sed relationis nomen est, servus enim domini servus est, & dominus dominus est servi; non aliter quàm pater & filius eadem alternatione reciprocantur. Utque nemo idem sibi pater est, vel filius, sed alteri: ita nemo unus idemque vel dominus sibi, vel servus, nisi per jocum & ludificatoriè esse potest. Ergo Christus si servus est, Dominus & Deus non est: si Dominus & Deus est, servus non est. Nec potest qua Deus est, dominus dici: & qua homo, servus: sicut nec secundùm aliud & aliud idem sibi Pater & Filius esse potest. Damascenus: *Sciendum autem quod neque servum ipsum dicere debeamus.* (L. 3. c. 21.) *Nam servitutis & domini nomina, non naturæ sunt nomina, sed ad aliquid; quemadmodum paternitatis & filiationis nomina. Hæc enim non substantiæ, sed relationis sunt indicativa. Quemadmodum igitur de ignorantia dicimus, quod si tenuibus cogitationibus id est minutis phantasiis creatum ab increato dividas, serva est caro nisi unita esset Verbo Deo: semel autem unita secundum hypostasin, quomodo serva erit? Unus enim existens Christus non potest servus sui ipsius esse & dominus. Hæc enim non absolute dicuntur, sed ad aliquid*. Subruentur enim funditus ea fundamenta, quibus in uno Deo trinitas adstruitur hypostaseon, si una hypostasis duplicem confibulare in se possit & reciprocare relationem, eademque & simplex sibi Pater esse possit & filius. Poterit autem peræquè unus idemque sibi Pater esse & filius, si poterit sibi dominus esse & servus: nam relationum par natura & una ratio est.

II. Ex Synodo Francoford. Si nec adoptivus potest esse, multo minus servus, qui filius est. In Epist. ad Episc. Hisp.

Et Synodus Francofordiensis: *Quemadmodum una persona est quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro; ita sit Christus una persona, Deus & homo. Igitur si unicus, quomodo adoptivus, dum multi sunt adoptivi filii? Unicus itaque de multis non potest dici. Item unitas personæ quæ est in Dei filio virginis, adoptionis tollit injuriam. Si ergo Deus verus est qui de virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum*. Pronior utique ad hoc fides inclinaretur, ut eundem & proprium & adoptitium ejusdem Patris filium esse secundùm aliud & aliud acquiesceret, quàm ut eundem ejusdem, hoc est ipsum sui & dominum & servum. Filiatio enim propria & adoptiva etsi distant plurimùm, non tamen tam immani diffident intervallo atque filiatio & servitus, vel dominatio ipsa & servitus. Filii proprietas & adoptio discrepant vehementer, non tamen ex adverso ita confligantur inter se ut Pater & filius, ut dominus & servus, ut quæ sunt ad aliquid omnia. Si ergo Christus homo usque adeo filius est proprius, ut adoptitius esse dicique non possit, quanto minùs servus? Nam si servus foret, utique manumitti & adoptari postea posset. Si Christus homo usque adeo Filius Dei est, ut nec aliam filietatis speciem induere possit vel tantisper degenerem & decoloratam, quantò minùs in servum revolvi & evilescere poterit? Si denique usque adeò filius est proprius, ut nec in proximum filiationis gradum depelli se finat; num dominus ita erit, ut in servitutis pædorem & ignominiam detrudi se patiatur? Unitas enim personæ, quæ à filio proprio ascitii emolitur suspectum contubernium, aliquantò instantiùs à filio & domino servi consociationem proscribet. Quod etiam atque etiam commonendi sunt Catholici Theologi, qui cùm adoptionis contumeliam Christo illini vehementer exhorrescant, pietati tamen & religioni opinantur consuli, si servitutem illi indicant. An satis sibi constat, qui adoptivum dicere aversatur, & servum non cunctatur appellare? An adoptio filiationi plùs officit, quàm servitus dominationi? Aut usque adeo proprius est ille filius, ut adoptitius dici nequeat: non tantoperè autem dominus est, quin & servus esse queat?

III. Ex Etherio & Beato: eadem est veritas in sese & chartæ illigata.

Etherius & Beatus: *Ubi est Elipandus qui Christum sibi similem fingit, & dicit: Et Christus adoptivus, & nos adoptivi: & ille Christus & nos Christi: & ille parvulus & nos parvuli: & ille servus & nos servi? Quomodo est adoptivus cum adoptivis, qui unus liber est? An fortè duos libros credis, unus qui literas contineat, alter qui intellectum? Sed hic non poteris nos illudere, quia nullus liber sine litera est, & nulla litera sine intellectu. Et litera in libro aperto legitur, ut quod legitur intelligatur, &c. Sic est Christus liber noster: exterius pagina & litera, quod est homo, corpus & anima: intus divinitas tanquam intellectus in litera*. Pulchrius & præclarius nihil fieri potuit ad vilitatem servitutis ab homine Christo eliminandam prætenta unitate personæ. Si pagina enim & litera libri cujuspiam ab imperito quopiam & mente inope perpendatur, non magni utique illa fiet, nulliusque pretii habebitur. Ita si animam & corpus Christi dumtaxat pendas, facilè illum ut vile mancipium servituti addices. At si intelligentiam & veritatem libri literis paginisque implicatam prudens & sapientiæ rudimentis initiatus aliquis expendat, totum jam librum summo habebit in pretio: nec ex parte vilem, ex parte charum & pretiosum æstimabit, sed ob indivulsam sapientiæ & veritatis cum paginis & literis conglutinationem, eodem pretio atque loco, id est summo, habebit librum totum,

quia unum. Ita qui divinitatem atque ſubſtantivam Verbi dominationem homini inſertam & inexplicabiliter illigatam intellexerit, non jam ille hominem ut ſervum, ſed ut ſummum omnium Dominum ex illapſa ſibi deitatis dominatione prædicabit. Nec ſapientia à libro, nec Verbum ab homine ſejungi jam poteſt, ideoque pretium & dignitas quædam inæſtimabilis utrique in ſolidum accedit.

IV. Ex Ambroſio: ut corpus animæ, ita homo Deo; in Chriſto, non ſervus, ſed collega dominii, imò idem dominus. L. 5. de fide. c. 4.

Ambroſius: *Si enim caro juſti, anima ſubdita eſt, ſicut ſcriptum eſt, Caſtigo corpus meum, & ſervituti redigo; quanto magis ſubjecta eſt divinitati de qua dicitur, quoniam univerſa ſerviunt ei?* Sic ergo in unitatem perſonæ coaleſcit, ſic ſubiicitur humanitas Deo verbo, ut corpus animæ. At corpus animæ etſi ſubiicitur, non tamen ſervus aut mancipium eſt. Serva quidem eſt natura corporea ad animæ & mentis amplitudinem collata, & infra ſervilem etiam ſortem projecta. At ubi in animæ rationalis contubernium adſciſcitur, congenitam exponit, exuitque obſcuritatem, & in naturæ intellectualis jura, libertatemque & dominationem adoptatur. Servit ergo quodammodo corpus animæ, quatenus ut ait ille, *Animi magis imperio, corporis ſervitio utimur*: nec vera tamen hæc ſervitus eſt, ne homo non magis ſervo dominus imperitare, quàm domino ſervus famulari comperiatur. Servit corpus animæ, ſed ut anima ipſa ſervit & obſequitur ſibi, quæ ſibi tamen nec ſerva, nec domina eſt. Servit corpus animo, quin imò per corpus imperium ſuum animus explicat, nec tam imperat corpori, quàm per corpus imperat univerſis. Servit corpus animo, imò corpus animo non ſervitii, ſed imperii inſtrumentum eſt, dominiique collega, dum non tam corpori, quàm per corpus imperat animus. 1. Num ergo poteſt anima corpori, non poteſt Deus humanitati collegium & ſocietatem liberrimæ dominationis ſuæ impartiri? Num conjugio ſuo cohoneſtare & nobilitare poteſt anima carnem, non poteſt deitas hominem? 2. Et quidem longiùs abſceſcit ab anima corpus, quàm à Deo homo: homo enim Dei, nequaquam autem animæ corpus imago aut ſimilitudo eſt. Num ergo longiùs refugam & decolorem poteſt anima carnem illuminare, non poteſt de proximo & juxta jacentem deitas hominem? 3. Et ipſum quidem corpus natura ſua rude & abſurdum eſt, neſciumque dominandi: poteſt tamen anima vitam illi & ſenſum & dominii vim inſpirare, ubi illud ſibi ut portionem ſui adglutinavit: homo autem animal imperatorium eſt, & mens atque voluntas ad regnandum naturaliter comparata eſt. Num ergo poterit anima brutum & ſtupidum corpus ad imperandi ſenſum excitare, non poterit deitas hominem imperio natum & ſponte ſua liberum à ſervitute liberare? 4. Ita dominatur anima corpori, ita ſubiicitur corpus animæ, ut hæc pulcherrima forma ſit, non ſervitutis & dominii, ſed libertatis geminæ mutuo ſe ſubſidio ſublevantis: itaque ſic Pater filio, ſic conjux conjugi, unde procul exulat ſervitus, non imperat, ſed conſulit, non dominatur, ſed opitulatur, ut anima corpori: ſic filius Patri, ſic uxor conjugi non ſervit, ſed obſequitur, non famulatur, ſed obſecundat, ut corpus animæ. Num ergo non poterit ſimiliter divinitas dignitatem ſuam tueri innoxiam, & citra contumeliam præeſſe, & homini ſuo paternum aut maritalem conſulendi, non herilem imperitandi morem exhibere? 5. Redundat enim in laudem animi, non ſervo, ſed libero præeſſe, & in decus vertit Patris, filio, non ſervo imperare: & ad ſolatium pertinet conjugis, liberæ, non ancillæ conſulere. Num ergo non magis Verbi deitas liberæ & dominatrici ſpecioſiùs dominabitur humanitati? 6. Poſtremò cùm corpus portio ſit hominis, cùm ſit acceſſio animæ ſubſtantiva, & aliquid animæ, ſervitus & injuria corporis in contumeliam animæ totiuſque hominis redundaret. Quàm inhonorum enim foret homini, ſi ex magna ſui parte ſervus eſſet? Si dimidia tantùm libertate potiretur? Si non poſſet augeſcere, niſi detrimento ſuo, nec honeſtari, niſi per ſuum dedecus, nec imperare, niſi ſerviendo? Quàm pulchrius eſt, ut totus regnet, quantus quantus eſt? Regnet animo, conregnet corpore? Nulla ejus portio à dominatione vacet, vel agnata, vel ſuperfuſa? Regnatrice vi & natura tantoperè abundet, ut eam corpori etiam ſuo afflare poſſit, & ſuperfundere? Num ergo non perinde de Chriſto exiſtimabimus, redundaturam in dedecus deitatis ſervitutem humanitatis, cùm hæc illius portio & acceſſio ſit, ut corpus animæ? Num inhonorum non erit Chriſto, ſi ex ſui parte ſervus ſit? Si dimidia tantùm libertate fruatur? Si non poſſit dominari, niſi ſuo ipſius ſervitio? Quantò pulchrius ipſi foret, ſi totus regnaret, quantus quantus eſt? Regnaret deitate ob ingenitum dominium, regnaret humanitate ob infuſum cum Deitate imperium? Nulla ejus portio vacaret à dominatione, nulla premeretur ſervitio? Imperatrice ſua natura in totam exundaret humanitatem?

V. Ex Theodoro Ancyrano.

Theodotus Ancyranus in Concilio Epheſino: *Ubi eſt ergo qui Chriſtum dividit? Ubi qui noſtrum hoc myſterium ad homonymiam redigit? Utpotè unum Chriſtum nominans, reipſa autem duos ponens, alterum ſervum, alterum dominum.* Servus enim à domino neceſſum eſt ut ſejungatur & ſeorſim ſtet, & infra jaceat, nedum ut idem cum domino ſit. Ergo unus & idem ſervus & dominus eſſe nequit, niſi ad ridiculum ſpectaculum fabula inſtruatur.

VI. Ex Dionyſio Alexandr. To. 11. Bibl. PP. p. 290.

Dionyſius Alexandrinus contra Paulum Samoſatenum Neſtorii præcentorem, ejuſdemque in ſervitute Chriſti ſtatuenda inſaniæ ducem: *Si Chriſtus formam ſervi* ἀυτόςατον, *id eſt, quæ per ſe eſſet accepit, ita ut eſſet ſervus qui aſſumptus eſt, hic enim eſt actus tuæ fabulæ: oportebat ſicut tu ais, ut diceret Apoſtolus, Exinanivit ſe, ſervum hominem accipiens. Sed cujus ſervum, & à quo eum emit, & quanti?* Vides ut fabulam hanc dicat, ab hæreticis quaſi ad Chriſtianæ fidei ludibrium confictam, qua unus idemque Chriſtus ſibi ſervo dominus, ſibi domino fingitur ſervus. Nec enim ſervus eſſe poteſt, niſi ἀυτόςατος, ſeu ſeorſim per ſe ſubſiſtens, nec avulſus tantùm à domino, ſed ad extrema quæque abjectus. Si cohæreat autem & concreſcat domino, jam non ſervus, ſed ex Apoſtolo, forma ſervi, portio domini, adeoque dominus erit. Et rurſus: *Sicut ſæpe numero dixi, forma ſervi, non eſt ſervus, &c. Voluit linteo ſe præcingere, & mittere aquam in pelvim, & lavare pedes ſuorum, qui natura Dominus & non natura ſervus erat, qui habitum ſervi acceperat.* Natura dominus, atque adeo incommutabiliter dominus, & in forma etiam & functionibus ſervi dominus futurus, circumponere ſibi potuit ſchema ſervi, non potuit naturam & perſonam domini ejerare. *Vos vocatis me magiſter & Dominus, lavi pedes veſtros, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quod ego feci, & vos faciatis. Quomodo igitur quod eſt exemplum, vocetur ſervus* ἀνυπόςατος*: formam enim ſervi & habitum oſtendit, &c.* Dominus ergo erat, non conſervus, qui pedes lavabat, & ad exemplum hoc pertinebat, ut non ſervus conſervorum, ſed dominus ſervorum pedes lavaret: & ſervitutem non in perſona, ſed in forma & exemplo & functionibus ſervi exhiberet. Ibid. p. 294.

VII. Ut ſibi non potuit, ita nec Patri potuit ſervus eſſe Chriſtus.

Declaratur 10. Ne Patris quidem ſervus eſſe potuit Chriſtus, etſi altera ſit ab eo perſona. Nec enim copioſior ſervorum familia abundare poteſt Patri quàm Filio. Omnia enim Pater cum Filio habet communia. Cùm ergo ſibi quà homo ſervus eſſe non poſſit Filius, nec Patri poteſt. Damaſcenus: *Unus exiſtens Chriſtus, non poteſt ſervus ſui ipſius eſſe & dominus. Nam hæc non ſimpliciter di-* L. 3. c. 21.

ctorum,

ctorum, sed ad alterum. Cujus igitur erit servus? Patris? Ergo non omnia quæcumque habet Pater, Filii sunt: siquidem Patris est servus, sui ipsius autem nequaquam. Ne servus ergo Patri adsignetur Christus homo, ne dominium Patris quàm Filii

Ep. ad Nest. de excomm. latiùs pateat. Et Cyrillus: *Verbum Dei carni secundùm hypostasin unitum, & Deus est, & creaturarum omnium dominus: sui ipsius autem neque dominus neque servus est. Ita enim sapere aut dicere, nihil aliud esset, quàm desipere. Appellat quidem Patrem Deum suum, licet Dei Verbum Deus sit & ex substantia ejus. Non ignoramus tamen præterquam quod Deus est, hominem quoque factum esse Deo subditum, prout humanam decet naturam. Ipse verò sui ipsius quomodo Deus extiterit, vel Dominus?* Non duo enim Domini Pater & Filius, sed unus Dominus, una dominatio: cùm ergo Verbum Christus Christi hominis non sit dominus, nec Pater Christi hominis dominus est. Subest quidem Christus homo Patri, ut & subest sibi Verbo Deo, ut subest corpus animæ, ut anima rationi, ut ratio menti, non ut domino servus.

In Defensione 6. Anath. cont. Theodoret. Idem Cyrillus: *Cùm igitur Nestorius sic scribat de Christo, Erat autem & ipse infans & infantis dominus: hos illius sermones non tantùm indecorè, sed impiè dictos asserimus. Nam si Deus Christi est Verbum quod ex Deo Patre est, duo utique erunt modis omnibus & indubitanter. Quomodo autem intelligatur idem infans & infantis dominus? Non igitur dicetur & fuimet ipsius Deus ac Dominus Emmanuel, quandoquidem ipse idem simul est Deus & homo, postquam Verbum Dei homo factum & incarnatum est.* Nec Christus homo Christi Dei servus est, quia utriusque naturæ una persona est: nec rursum Christus Deus Patris Dei servus est, quia utriusque personæ una natura individua suique simillima est. Servitus & dominium non intercurrit nisi inter personas diversas, & naturas utcumque dissimiles; dominus enim servo & distat & præstat, distat personæ discrimine, præstat naturæ qualicumque dignitate. Christus ergo nec Verbi servus est, quia una cum eo persona est: nec Patris Dei servus est, quia quà unus ex Trinitate est, ejusdem naturæ persona est.

VIII. Quomodo Filius ut homo Patri subiiciatur, & servus dicatur, etsi non sit. L. 1. Etherius & Beatus: *Servus dictus est Patris, quia semetipsum exinanivit, id est, semetipsum mundo visibilem ostendit. Quia formam servi accipiens, inquit Apostolus, in similitudinem hominum factus est, habitu inventus ut homo. Et ideò Patris est servus, qui cum Patre unus est Dominus, & unus Deus. Veruntamen ipse sibi nec dominus nec servus est. Solius Patris est servus, quia facit voluntatem Patris, ut ipse de semetipso ait. Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui misit me Patris. Non hoc loco dixit, voluntatem Dei facere, sed Patris, &c. Ipse verò sibi quomodo vel Deus poterit esse vel Dominus? Ergo solius Patris est servus, non sibi servus, non suus servus; non sibi dominus, non suus dominus. Sicut solius Patris est Filius, non sibi Filius, sicut ipso major & minor, &c.* Qui locus perquàm elegans, videri tamen non immeritò cupiam poterit paulò implicatior esse, & partium suarum conflictu propemodum dissilire. Quomodo enim Verbum unus est cum Patre Deus, unus Dominus, ipsi tamen ut homini Deus & Dominus Pater est, non ipse autem sibi vel Deus vel Dominus est? an una Deitas est quæ hîc in plura pollet quàm illic? an una dominatio, quæ non iisdem hîc atque illic continetur finibus? Ut sedetur hæc discordia, adverte constituto hoc semel quod in dubium vocari à nullo potest homine Theologo, quod Verbum Deus unus sit cum Patre Deus & Dominus, quodque ipse sibi ut Deus homini, Dominus nequaquam sit, ut sanciunt Etherius & Beatus, hinc invictissimè effici, ut nec ei Pater ut homini Dominus sit. 2. Utcumque tamen iisdem authoribus servus Patris est, non suimet ipsius, quia ut ait ipse, *facit voluntatem Patris, non suam.* Quod autem non voluntatem suam, non doctrinam suam, non suum quidquam, sed Patris omnia obtendat Christus, in confesso est, non dominationem, sed authoritatem paternam tum ostentari. 3. Idque perspicuum fit eo ipso in loco. Nam non Domini, sed Patris voluntati se morem gerere docet: ideòque non ut servum, sed ut Filium se spectari jubet. Deinde servus Patris dicitur, non quòd substantivè servus sit, sed quia facit voluntatem Patris: id est, quia etsi servus non sit, servilibus tamen functionibus obeundis se e ultro devovit: servus itaque Patris est, non substantia, sed operatione: nam substantia totam respectaret Trinitatem, operatio verò seu obedientia soli impenditur Patri. 4. Quocircà per incarnationem non videtur propagari dominium Patris, ut Deus & Dominus servorum est, sed ut Pater est. Tum quia prius illud Dei & Domini dominium Patri cum Filio commune est, tanquam necessarium naturæ divinæ consectarium, at sui ut hominis Christus ut Deus dominus non est. Tum rursus quia non propagandæ servituti instructa & adornata Verbi incarnatio est, sed profligandæ potiùs servituti, effundendæ autem filiationi divinæ. Tum denuò quia magnificentius & ad suavitatem gloriamque uberius est Patris nomen, quàm Domini; tantòque locupletius quantò Verbum, cui Pater est, mundo antecellit, cui Dominus est. Tum rursus quia has sibi per incarnationem delicias paterni nominis accumulari Pater ipse testificatus est sæpissimè, dum toties Christum sibi Filium, sed illi Patrem, nusquam vel illum servum, vel se dominum professus est. Tum denuò quia fructus incarnatione non hìc erat decerpendus, ut filius in servum deformaretur, sed ut reformaretur servus omnis in filium. Evanuisset enim spes filiationis, si naturæ nostræ adeo inolevisset servitus, ut nec infusa ei tota Verbi filiatione exolescere & elui potuisset. Igitur non dominationi ampliandæ, sed dominationis coarctatione, prolatandæ paternitati incarnatio destinabatur. 5. Ergo ut incarnatio ampliatio quædam est & effusio generationis æternæ, ita & authoritatis paternæ. Pater enim in suam prolem etsi non dominatione, sed authoritate tamen imminet, & tantùm non dominatur. Similiter ut paternæ authoritatis, ita & filialis obedientiæ & subjectionis exaggeratio quædam incarnatio est. Nec enim exaggerari patris authoritas in filium potest, nisi & exaggerata filii in patrem subjectione. 6. Et quidem tantò ampliùs exaggeratur per incarnationem & paterna hinc authoritas & filii hinc subjectio, quantò opportunior est proclivíorque, ut se illi authoritati subiiciat natura humana, ad quam æternæ se generationis sinus extendit. Filius enim homo etiam homini patri etsi servus esse nequeat, subjectior tamen est & ad servitutem propior, quàm Filius Deus Deo Patri. Quantò ergo magis Filius homo Deo Patri, ultra etiam filiationis fines subiicietur, & ad servitutis accedet confinia? Authoritas ergo paterna per ampliationem generationis æternæ in naturam suapte sponte servituti inclinatam, mirum in modum convaluit, usque adeo ut in dominationem herilem desciville visa sit nonnullis. Nobis autem & antiquius Deo Patri, & honorificentius videtur authoritatis paternæ quàm herilis imperii incrementum. 7. Et postremò tandem subiiciendus est Christus non sibi, non Spiritui sancto, sed Patri, ut servus sit. Nam sibi ne servus sit, edicunt sancti Patres, in duplicem ne findatur hypostasin. Spiritui sancto servus ne sit, persuadet Filii in Spiritum sanctum, ut olim Patres loquebantur, authoritas cujus principium & origo est: unde quasi suo jure Spiritum sanctum insufflavit, & quibuscumque voluit impartivit, & in cœlos abreptus, protinus illum in orbem effudit: denique sacræ litteræ, omne Filii hominem in-

duti

duri obsequium uni Patri Deo depensum esse contestantur. At Patri Deo ut patri peculium nullum est, nisi paternitas sua, fructusque paternitatis omnes.

L. 4. c. 3. Lactantius eximiè: *Dominum verò eundem esse qui sit Pater, etiam juris civilis ratio demonstrat. Quis enim poterit filios educare, nisi in eos habeat dominii potestatem? Nec immeritò paterfamilias dicitur, licèt tantùm filios habeat. Videlicet nomen patris complectitur etiam servos, quia familia sequitur, & nomen familiæ complectitur etiam filios, quia Pater antecedit. Unde apparet eundem esse & patrem servorum, & dominum filiorum. Denique & filius manumittitur tanquam servus, & servus liberatus patroni nomen accipit tanquam filius. Quod si propterea paterfamilias nominatur, ut appareat eum duplici potestate præditum, quia indulgere debet quia pater est, & coercere quia dominus, ergo idem servus est qui & filius, idem dominus qui & pater.* Quæ appositissimè dicta sunt ad rei quam tractamus elucidationem, & ad servitutis cum filiatione affinitatem aperiendam, quæ tanta hìc apparet, ut minùs mirum sit si aliquos fefellerit & imposuerit filiatio dejectior, ut eam servitutem interpretarentur. Nam primùm quidem pater vulgò paterfamilias nominatur, quo uno nomine & patris & domini significatio continetur. Nam pater filiorum est, familia servorum est. Paterfamilias ergo est, qui filiorum gregi non aliter quàm servorum familiæ consulendo dominatur. Deinde multa filio & servo indiscriminatim conveniunt. Nam & filius emancipatur sicut servus manumittitur, cùm ille patris, hic domini potestate absolvitur. Item servus libertate donatus, in domini quoque nomen quasi filius adoptatur. Postremò nisi eximia quædam & penè herilis potestas esset patris in filios, tanquam in servos, nec indomitæ eorum juventæ duritiem frangere, nec lasciviam castigare, nec jugo disciplinæ illos satis coercere posset. Itaque ut ait Lactantius, penes nos qui pater est, idem quodammodo dominus est filiorum. Ubi ergo & hominis Pater cœpit esse, qui ejusdem hactenus tantùm Dei Pater fuerat, species quædam amplior authoritatis & penè dominii videtur illi accessisse. Servus ergo patris utcumque dici potest, cùm ejus tamen nonnisi filius sit, & hæc sit magis authoritas paterna, quàm herile dominium.

IX. Non substantia, sed operatione servitus Christi constabat; hac exhausta. sedet in gloriæ throno Dominus omnium.

Cæterùm si non substantia, sed operatione, nec necessitate, sed voluntate servus Patris homo Christus dici potuit, perfunctoria & ad breve temporis curriculum dispensata fuit illa servitus, non jugis, non sempiterna. Quod enim substantiæ & necessitatis est, id verò perpetuatur; quod autem spontanea operatione expletur, id semel expletur, nec deinceps usurpatur. Illam ergo servitutis, id est, servilis functionis vilitatem unà cum mortalitate exuit Christus, nec jam servus Patris vel nomine tenus appellandus est. In throno, in dextera, in sinu, in gloria Patris, nec nomen, nec umbra servitutis superesse potest. In throno sedet Dominus, servi circumstant. Adsunt quidem servi domino, non consident. *Volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum*, ait Christus ad Patrem: non ait, Ubi sedeo ego, & ipsi assideant, sed ubi sum, adsint. *Ut videant claritatem meam*. Ut videant, ait, non ut possideant. Etenim *Amicus sponsi stat & audit, & gaudio gaudet propter vocem sponsi*. Et servo dicitur, *Intra in gaudium domini tui*. Gaudet dominus, de gaudio domini astans adgaudet servus. Beatorum hominum & Angelorum, ut qui servi sunt benevolentia & beneficientia Domini sui longè plurima ornati obruti que, beatitas est, videre Deum, *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt*. At Christi hominis beatitas est Deum esse; non tam videre quàm videri: non tam beari quàm beare: non spectatorem stare, sed spectaculum sedere: non hiantem contemplari, sed contemplantes satiare. Ista planè non servitus est, sed dominatio, sed gloria, sed dextera Patris, & regnum, & divinitas. Ambrosius; *Utique si judicasset quod divinam sedem Pater hominibus daret, dixisset, Volo, ubi ego sedeo, & illi sedeant mecum. Sed volo, inquit, ut sint mecum, non ut sedeant mecum: & ubi ego, non quomodo ego. Deinde sequitur, ut videant claritatem meam. Nec hic dixit, ut habeant claritatem meam, sed ut videant. Servus enim videt, Dominus possidet. Sicut & David docuit, dicens, Ut videam voluptatem Domini. Et ipse Dominus in Evangelio revelavit, dicens, Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt. Videbunt, inquit, non super Cherubim in throno sedebunt.* Si ut ait Ambrosius, utque ipsa lucidissima ratio suadet, *Servus videt, Dominus possidet*, Christus homo videt gloriam Patris dumtaxat, an etiam possidet? Videt Deum tantummodo, an etiam Deus est? Ergo non servi, sed Domini in loco est. L. 5. de fide. c. 3.

Et ne sacerdotii æternitas, perpetuitas quædam videatur esse sin minùs servitutis, certè servitii, quasi nisi servile non possit esse sacrificii munus, ut hanc expuas suspicionem, audi Paulum, *Purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram majestatis in excelsis*. Et rursum ibidem; *Omnis quidem sacerdos præsto est, quotidie ministrans, &c. hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei*. Sedere, & in sempiternum sedere, & ad dexteram majestatis sedere, in excelsis, non hæc servile ministerium spirant, sed regalis dominii imperiique collegium. Unde Chrysostomus: *Ne ergo cùm eum audieris sacerdotem, existimes eum semper operari sacris. Semel enim functus est eo munere, & deinceps sedit. Ne existimes eum stare apud superos, & esse ministrum; demonstrat rem hanc totam esse dispensationis. Nam quo modo fuit servus, ita etiam fuit sacerdos & minister. Sed quomodo cùm factus esset servus, non mansit servus: ita etiam cùm factus esset minister, non mansit minister. Non est enim ministri sedere, sed stare.* Ep. ad Hebr. c. 1. c. 10. Hom. 13. in Ep. ad Hebr.

Quòd enim mortuus est Christus, mortuus est semel, eoque servilem explevit dispensationem; quòd autem vivit, vivit Deo, & vivit regnatque de Deo cum Deo Deus. *Anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi*, ait ipse in Psalmis: vivit enim ipse Deo, de Deo, Deus, totaque se proluit deitate, & vita & dominatione divina; semen verò ejus nos Deo servimus. Unde Theodoretus eum Psalmi locum illustrat his verbis: *Semen Domini Christi sunt, qui per lavacri regenerationem renati sunt, atque adoptionis gratiam receperunt. Propterea quidem animam suam illi vivere, & non servire dixit; semen verò servire. Siquidem assumpta natura cum divinitate assumente copulata fuit, & ejusdem gloriæ & honoris facta est consors*. Gloria hæc quippè deitatis; non aura populari, non rumoribus, non externis nititur præsidiis; sed intus vita beata & beatitate incorruptibili continetur; substantiva est ergo gloria, & servitutis non extrinsecum tantùm schema abjiciens, sed intus fibras omnes persequens & elidens. In Psal. 21.

X. In hanc sententiam nô inviti descendunt, qui pro diversa stare videbantur.

Cæterùm ex iis quæ disputata sunt hactenus in utramque partem, abundè claruit validioribus hanc posteriorem sententiam communitam esse præsidiis. Ergo ad eam ut spero non inviti delabentur, quos prioris Patronos adsignaveramus. Nam servitutem illi non tam illinunt humanitati, quàm à deitate Christi, quod unum tunc incumbebat muneris, abstergunt. Deinde servum dici Christum non abnuunt, sed in umbra & caligine legis antiquæ, dubia enim nocte & nequedum dilucescente sole Dominus à servo non satis dignoscebatur, cùm vel maximè servili obumbraretur persona. Rursum servum dici non renuunt, sed dum mortalis inter nos degeret; & servilibus ministeriis, quamlibet servorum dominus, semet inclinasset. Denique Ambrosius ipse qui asserendæ servitutis Patronus visus

visus est urgentissimus, postea tamen demonstratus à nobis est, Christum dixisse servum non substantia, sed operando, & non aliter quàm corpus servit animo; servum inquam forma servi, obsequio, pietate, non conditione.

XI. Inter orthodoxos verborum hæc magis forte, quam rerũ pugna est.

Nec verò ab hac concordia abhorrebunt, qui suam Christo apertiùs dominationem asseruerunt. Nam ii in Elipandum & Felicem stomachantur non tam quòd servum, quàm quòd conditionalem servum utpotè vilem & despicabilem garrirent Christum. Deinde ne Adamum quidem servum extitisse pronunciant, & hoc exemplo Christum sublevant. Rursùs nec Mariam servam, sed nobili & regia ex prosapia claram ostentant. Rursùm nec nos servos sed amicos, sed liberos & filios Dei esse urgent. Denique servum Patris esse, non fuimet autem Etherius & Beatus confitentur. Subjectus ergo intelligatur Christus homo, ut corpus animæ, ut anima rationi, ratio menti in uno eodemque homine; nequaquam autem propriè servus, & tota illa verborum dissonantia magis quàm sententiarum conticescet. Unde Isidorus in Sent. *Christus & forma servi servus, & in forma servi non servus. In forma quippe servi, Domini servus: in forma servi, omnium Dominus. Christus in forma servi, propter conceptionis excellentiam Dominus est omnium.* L. 1. c. 14.

LIBER NONUS.

DE CHRISTO, MEDIATORE, & Redemptore.

CAPUT PRIMUM.

Necessarius Dei & Hominum Mediator, nec alius quàm Christus. Id est humilis Deus, Verbum caro.

I. Insita Dei notitia & propriæ experientia ærumnæ, ad quærendum Mediatorẽ incitabant, sed superbia & curiositas in dæmones impegit.

DEI summi notitia mentes hominum, aut præsensione saltem quadam penitissima imbuerat natura rerum ipsa, sive naturarum omnium parens Deus. Sua rursùm calamitas atque dejectio ob oculos versabatur, & infinita quædam inter ipsos & Deum summum intercapedo. Consequens porrò hinc erat, ut mediatorem sibi aliquem venarentur, cujus tanquam sequestris opera & beneficio inaccessa alioqui illa summi Dei majestas ipsis & gratia conciliaretur. Vix ullus unquam seriò in veritatis ac religionis perscrutationem incubuit, quem non & insita summi numinis conscientia, & inexhaustæ experientia miseriæ suæ, in hanc invocandi mediatoris necessitatem adegerit. Et hactenus quidem præclarè cum hominibus agebatur. At intercepit corrupitque tam præclaros conatus ingenita ab origine & per vitiosam consuetudinem inveterata superbiæ pestis. Curiositate enim & elatione magis animi, quàm pietate & humilitatis instinctu mediatorem indagare adgressi, in mendaces & veritatis desertores Angelos incurrerunt, qui medios se inter Deum & homines ementiebantur, quòd natura essent incorporei & immortales, cùm peccato infra homines essent, & in æternam erroris ac miseriæ mortem semet ipsi præcipites dejecissent. Hinc profana dæmonum sacra toto orbe olim crebuerunt, impiæ superstitionis refertissima, sinceræ inanissima purgationis. Nec enim cruore pecorum aut nidore adipum expiari poterat natura rationalis, sed superbiæ & cupiditatum ejuratione, humilitatis professione spontanea, sui contemptu, amore proximi, æternorum charitate. Sed ab his nostræ cum Deo conciliationis instrumentis immane quantum abhorrebant & illa execrabilia sacra, & sacrorum artifices nequissimi dæmones, & superbi curiosique non tam venerandæ quàm perscrutandæ, nec tam propitiandæ quàm emendæ & cupiditatibus suis conciliandæ deitatis sectatores.

II. Ita Augustinus, L. 10. Confess. c. 41.

Præclarè hæc Augustinus exequitur; *Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? Qua prece, quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per se valentes, sicut audio, tentaverunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fastu, exerentes potiùs quàm tundentes pectora, & adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui conspirantes, & socias superbiæ suæ potestates aeris hujus, à quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat transfigurans se in Angelum lucis, & multum illexit superbam carnem, quod carneo corpore ipse non esset. Erant enim illi mortales & peccatores: Tu autem Domine cui reconciliari superbè quærebant, immortalis & sine peccato. Mediator autem inter Deum & homines oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus: ne in utroque hominibus similis, longè esset à Deo: aut in utroque Deo similis, longè esset ab hominibus: atque ita mediator non esset. Fallax ergo ille mediator, quo per secreta judicia tua, superbia meretur illudi, unum cum hominibus habet, idest peccatum: aliud videri vult habere cum Deo, ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali se ostentet. Sed quia stipendium peccati mors est, hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnetur in mortem.* Caput ergo & fons hallucinationis atque flagitii fuit superbia; ambiebant enim Deo accedere non pietatis æstu, sed *doctrinæ fastu: exerentes potiùs quàm tundentes pectora.* Porrò *per secreta judicia Dei, superbia meretur illudi.* Inciderunt ergo in consentaneos superbiæ suæ mediatores, qui negotiosa corporalium sacrorum servitute distringerent totos, & à justitiæ, sanctimoniæ, humilitatis cæterarumque purgatricium animi virtutum venatione avocarent.

Captandus enimverò erat mediator, non immortalis, sed qui morte potiùs piè & fortiter pro veritatis patrocinio adita & Deum placaret, & hominibus exemplum sanciret, atque impartiret auxilium, quo iisdem vestigiis patens jam ad Deum iter capesserent. Captandus erat mediator, non sublimi tantùm apice admirabilis, ad quem grassari fomentum esset superbiæ flagitiorum facinorumque omnium parentis, sed humilitatis potiùs & spontaneæ demissionis terrenorumque abdicationis laude suspiciendus, cui adhærescere, quem æmulari, cujus forma imprimi, id verò esset purgari à superbiæ tumore, id esset à cupiditatum peste sanari, id esset Deo per morum contemperationem concordare. Captandus denique mediator erat, in quo ex potissimùm effulgescerent virtutes, quas naturæ vox, quas conscientiæ assensio, quas philosophiæ purgatioris suffragium duces ad promerendum Deum & velut conciliatriculas esse adprobaret,

III. Quærendus erat mediator, qui charitate æternorum, qui humilitate, & exempli esset hominibus & adjutorium, qui homo supra homines esset.

baret, honorum fuga, opum contemptus, caducorum omnium fastidium, infracta veritatis & justitiæ charitas, optatum & dulce mortis pro justitia obitæ votum. Hac itur ad Deum, his semitis insistant necessum est mortales miseri & peccatores, ut ad æternitatem justitiæ & ad arcem beatitudinis enitantur: his ornamentis insigniendus est mediator: his incorporei & immortales spiritus insigniri ne possunt quidem: his denique dotari nisi homo non potest, & nec homo potest nisi vitiatæ originis contagio per specialem quendam effusissimumque deitatis illapsum eximatur.

IV. Ita Augustinus.

Sed ut ex una superbiæ scatebra ebullierant peccatorum pœnarumque peccatis adhærentium fontes, his obruendis una desiderabatur maximè mediatoris humilitas, cæterarum princeps & largitrix virtutum, quibus via ad Deum adeundum sternitur mollissima. Ideò pergit ibidem Augustinus:

L. 10. c. 43.

Verax autem mediator, quem secreta tua misericordia demonstrasti humilibus & misisti, ut ejus exemplo etiam ipsam discerent humilitatem, mediator ille Dei & hominum homo Christus Jesus, inter mortales peccatores & immortalem justum apparuit, mortalis cum hominibus, justus cum Deo, ut quoniam stipendium justitiæ vita & pax est, per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem justificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Veritas mediatoris una continetur humilitate, quam induit, quam imitandam prægestavit, ut qui philosophico supercilio ambiebant immortalitatem, justitiam autem & moderationem animi nihil satagebant, una humilitatis & justitiæ modestia ac fortitudine oppetendam mortem & ita immortalitatem addiscerent comparandam. Ergo mortalitas ipsa mediatoris veri confirmandæ patientiæ & frangendæ superbiæ hominum præstruenda erat, id est, extruendæ humilitati.

V. Mediator fuit diabolus ab exordio, sed ad peccatum ut esset dux.

Sed quàm non possent dæmones esse mediatores ad humilem munditiam, possent ad immundam superbiam, nobis liquidiùs constat cogitantibus originem humanarum calamitatum. In ipso enim generis nostri exordio occœpit & exinde nusquam destitit medium se nequam spiritus ingerere hominem inter & Deum: sed ut occœpit, ita perstitit, superbiam exstruere & exaggerare. Idem Augustinus:

L. 4. de Tr. c. 10.

Hæc est vera pax & cum creatore nostro nobis firma connexio, purgatis & reconciliatis per mediatorem vitæ, sicut maculati & alienati ab eo recesseramus per mediatorem mortis. Sicut enim diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem, ita Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit, & dejecit consentientem: sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.

VI. Et ad superbiam maximè.

Itaque & prima mali labes, & ejus deinceps propagata contagio, qua abrupti à Deo & ejecti procul eramus, una erat superbia, qua homo ita domi intumuerat, ut nec jam Deo subesse, nec hominibus adesse, sed injuriosè præesse & lascivire vellet. Hæ erant ruinæ nostræ, his repagulis disjungebamur à Deo. Quid spei ex dæmonum seu Angelorum quantumvis officioso interventu? Num illi hanc animi sobrietatem & humilitatem exemplo præformare poterant, num persuadere, num inspirare?

Idem Aug. in Exposit. Ep. ad Gal.

Restat ergo, ut qui mediatore superbo diabolo, superbiam persuadente, dejectus est, mediatore humili Christo humilitatem persuadente erigatur, &c. Sic itaque unicus Filius Dei mediator Dei & hominum factus est, cum Verbum Dei, Deus apud Deum majestatem suam usque ad humana deposuit, & humilitatem humanam usque ad divina subvexit, ut mediator esset inter Deum & hominem, homo per Deum ultra homines. Et ibidem: *Sanati sunt ergo ab impietate superbiæ, ut reconciliarentur Deo, quicumque homines humilitatem Christi, & per revelationem antequam fieret, & per Evangelium posteaquam facta est, credendo dilexerunt, diligendo imitati sunt.*

Et quidem quò fundamentis altioribus fulciretur hæc, in qua totius salutis cardo vertebatur, humilitas, paucissimis antè illa illuxit, & pòst omnibus infunditur. Ferociret enim homo si tantum boni in sua esse potestate, non magis ultra vires suas divinique beneficii munus intelligeret. Unde ibidem: *Sed hæc justitia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed misericordia & gratia Dei, non erat popularis, antequam Dominus homo inter homines nasceretur.* Et ut subjicit, etiam nunc pauci sunt qui eam consequantur, si reliquorum numerus æstimetur.

VII. Ut ad humilitatis ducē mediatorē compelleretur genus humanum, priùs legis onere & philosophiæ ludibriis fatigandum fuit.

Ut veniretur enim ad humilem mediatorem frangenda primùm & contundenda fuit insita naturaliter superbia, hìc quidem apud Ethnicos tam prolixo præstigiarum dæmoniacarum ludibrio, illic apud Judæos legis corporalibus intricatæ cultibus inutilitate, ut fatigata casso & hìc & illic labore miseria, auderet aliquando tandem summi Dei misericordiam pulsare, & ab eo pacis sequestrem, ab eo criminum expiatorem extorquere.

Sed quia gentibus maximè donandus destinabatur mediator humilis, earum maximè tumor illudendus comprimendusque fuit. Non poterat autem acerbiùs subsannari, aut propinari ludibrio, quàm si immundis spiritibus substerneretur ludificandus & proterendus, in quibus restaurationis suæ spem collocasset. Augustinus:

L. 1. de pecc. orig. c. 40.

Quid ergo mirum est, vel iniquum, ut immundo spiritui subdatur homo, non propter naturam, sed propter immunditiam suam, &c. Natura itaque fortior, id est Angelica, inferiorem naturam, id est, humanam vitii societate subditam tenet. Ideo mediator Angelis fortior, infirmus propter homines factus est. Sic superbia captivatoris, redemptoris humilitate destruitur; ut qui super filios hominis Angelica fortitudine gloriatur, à Filio Dei suscepta humana infirmitate vincatur.

VIII. Mortali opus erat mediatore ad suadendā humilitatē, & ad immortalitatem morte emēdam.

Et quia alendæ humilitati mortalitas oppidò quàm opportuna erat, hac maximè induendus erat mediator verus: sicut ex adverso immortalitatem ostentabat, eoque superbos maximè pelliciebat mediator fallax & falsus. Non quo cordi non debeat esse immortalitas beata, sed mortalitatis humilitate & invicta laborum patientia promerenda est. Augustinus:

L. 9. Civit. c. 15.

Proinde mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem habere oportuit transeuntem, & beatitudinem permanentem: ut per id quod transit, congrueret morituris: & ad id quod permanet, transferret ex mortuis. Boni igitur Angeli inter miseros mortales & beatos immortales medii esse non possunt: quia ipsi quoque & beati & immortales sunt. Possunt autem medii esse Angeli mali, qui immortales sunt cum illis, miseri cum istis. His contrarius est mediator bonus, qui adversus eorum immortalitatem & miseriam, & mortalis esse ad tempus voluit, & beatus in æternitate persistere potuit. Ac sic eos & immortales superbos, & miseros noxios, ne per immortalitatis jactantiam seducerent ad miseriam, & suæ mortis humilitate, & suæ beatitudinis benignitate destruxit in eis, quorum corda per suam fidem mundans, ab illorum immundissima dominatione liberavit. Ut ad Deum enim eluctaremur, non ambitiosè detestanda mortalitas, aucupanda immortalitas erat; ea ipsa enim ambitionis procacitas, & mortalitatis ægritudo est, & obex immortalitatis: sed fortiter, piè, moderatèque exhaurienda erat mortalitas, & his virtutum titulis immortalitas comparanda. Quàm compendiosum enim est brevi curriculo mortalis vitæ ærumnæque fortiter exantlatæ, beatam sibi parere æternitatem? *Homo itaque mortalis & miser longè sejunctus ab immortalibus & beatis, quid eligat medium, per quod immortalitati & beatitudini copuletur? Quod possit*

possit delectare in dæmonum immortalitate, miserum est: quod possit offendere in Christi mortalitate, jam non est. Ibi ergo cavenda est miseria sempiterna, hic mors timenda non est, quæ esse non potuit sempiterna, & beatitudo amanda est sempiterna.

IX. Lapsus in culpam & culpæ pedisse quam miseriam, nisi humilitate & justitia ad immortalitatem revehi non potest.

Egit planè radices in animis nostris altissimas immortalitatis & beatitudinis cupido & spes, conditoris ipsius manu nobis inserta; sed justitiæ & sanctitati individuis nexibus conserta est & beatitudo & immortalitas. Ergo ubi à justitia ultro deviavimus, & in miseriam mortalitatis ex consequenti delapsi sumus, justitia antè concilianda nobis est, quàm beata immortalitas ambienda. Quænam autem lapsi in errores & vitiorum foveas hominis justitia demum excogitari potest, nisi conjuncta cum humilitate, & victrice mortalitatis ærumnarum patientia, victrice inquam, tum suarum desperatione virium, tum supernæ opis invocatione? *Gratia Dei non potuit gratiùs commendari, quàm ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, indueret hominem, & spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longè erat, immortalis à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, justus ab impiis, beatus à miseris. Et quia naturaliter indidit nobis, ut beati immortalesque esse cupiamus, manens beatus & suscipiens mortalitatem, ut nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus.* (L. 10. Civit. c. 29.) Ea enim una mortalibus miseris justitiæ lex, & per justitiam una ad beatam immortalitatem spes affulget, ut æquitatem vitæ anteponant, ut vitam impendant vero, ut mortem contemnant præ justitiæ pulchritudine. Non immortalis ergo statim præpropero superbiæ ingenio confingendus erat mediator, sed optandus potiùs, qui sanguine & morte sua justitiæ viam consignaret, & ad immortalem beatitatem hac nobis face præluceret. *Sed huic veritati ut possetis acquiescere, humilitate opus erat, quæ cervici vestræ difficillimè persuaderi potest;* ut ibidem statim attexit Augustinus.

X. Terreno amore lapso ad Deum revocare non poterat mediator, nisi contemptu terrenorum omnium.

Quo enim repagulo discludebamur à Deo incorruptæ justitiæ fonte, quàm vitæ & voluptatum caducorumque omnium cupidine? Quæ ergo partes erant mediatoris, nisi ab immortalitate sua in nostram desilire mortalitatem, omnes ejus ærumnas adire constanter, mortem occumbere fortiter, sua hac justitia humanum genus aspergere & emaculare, iisdemque vestigiis secum ad redivivam immortalitatem raptare? *Quò ergo nos mediator mortis transmisit & ipse non venit, id est ad mortem carnis, ibi nobis Dominus Deus noster medicinam emendationis inseruit, &c. Quia magis vitabant homines, quod evitare non poterant, mortem carnis quàm mortem spiritus; id est, magis pœnam quàm meritum pœnæ: nam non peccare aut non curatur, aut parum curatur; non mori autem quamvis non obtineatur, vehementer satagitur: vitæ mediator ostendens quàm non sit mors timenda, quæ per humanam conditionem jam evadi non potest, sed potiùs impietas quæ per fidem caveri potest, occurrit nobis ad finem quo venimus, sed non qua venimus. Nos enim ad mortem per peccatum venimus, ille per justitiam: & ideo cùm sit mors nostra pœna peccati, mors illius facta est hostia pro peccato.* (L. 4. de Tr. c. 12.)

XI. Opus ergo erat mediator, qui cum Deo justus, cum homine mortalis esset.

Ita medius fuit inter Deum & homines, justus cum Deo, mortalis cum hominibus, ut justitiam cum mortalitate copularet, & per justitiam immortalitatem pareret. *Quid sunt homines? peccatores, impii, mortales. Inter illam Trinitatem & hominum infirmitatem & iniquitatem, mediator factus est homo non iniquus, sed tamen infirmus: ut ex eo quod non iniquus, jungeret te Deo: ex eo quod infirmus, propinquaret tibi.* (In Psal. 29.) Et rursus idem alibi: *Cum ergo longè esset à nobis, immortalis & justus tanquam à mortalibus & peccatoribus, descendit ad nos ut fieret nobis proximus, ille longinquus. Et quid fecit cum haberet ipse duo bona, justitiam & immortalitatem, nos duo mala, iniquitatem & mortalitatem? Si utrumque malum suscepisset, par noster factus esset, & liberari nobiscum opus haberet. Quid ergo fecit ut esset proximus nobis? Proximus, non hoc quod nos, sed prope nos. Duo attende: justus est, immortalis est: in duobus tuis malis, una est culpa, altera est pœna: culpa est quod injustus es, pœna est quod mortalis es: ille ut esset proximus, suscepit pœnam tuam, non suscepit culpam tuam, &c. Suscipiendo pœnam & non suscipiendo culpam, & pœnam delevit & culpam.* (Serm. 37. de Verbis Domini. c. 1.)

Cui consentaneus est Gregorius Papa: *Ipse adjuvit hominem factus homo: ut quia puro homini via redeundi non patebat ad Deum, via redeundi fieret per hominem Deum. Longè quippè distabamus à justo & immortali nos mortales & injusti: sed inter immortalem justum & nos mortales injustos apparuit mediator Dei & hominum mortalis & justus, qui & mortem haberet cum hominibus & justitiam cum Deo: ut quia per ima nostra longè distabamus à summis, in seipso uno jungeret ima cum summis, atque ex eo nobis via redeundi fieret ad Deum, quo summis suis ima nostra copularet.* (Moral. L. 22. c. 14.) Et Fulgentius: *Unus extitit mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Nam quia Deus immortalis & justus est, nos autem injustos & mortales primi hominis transgressio fecerat, ut congrua nostris adhiberetur medela vulneribus, natus est de homine homo unigenitus Deus. Qui de Patre natus est immortalis & justus, hic in humana natura in qua mediator Dei & hominum factus est, justitiam habuit ex Patre, mortem ex matre, ut per ipsum liberaremur ab omni peccato, qui peccatum nec vivendo nec nascendo contraxit; & ab illo acciperemus justitiam, per quam mortis æternæ vinculo solveremur: ut per eum & in hac vita justi, & post hanc vitam immortales esse possemus.* (L. de Inc. & Grat. c. 13.)

XII. Nec minùs vecordes erant, qui pertingere se ad Deum posse fidebant sine mediatore, cùm puræ lucis raptim coruscum vix ferre possent.

Nec minori vecordia insaniebant Philosophi alii, qui citra mediatoris operam, redire se in gratiam cum Deo posse suopte marte confidebant; nam ab eo abalienatos se grandi quodam piaculo esse, ex inevitabilium calamitatum, errorum, vitiorumque suorum serie non difficile iis erat suspicari. Hinc etiam glisceebat eorum fiducia, quòd acie mentis invisibilia Dei pervadere, & in ipsum incommutabilis veritatis divinæque sapientiæ lumen oculos inserere potuissent. At hic illos imprimis tumor à Deo repercutiebat, & intemperans virium jactantia, quas excæcati insano sui amore non advertebant afflictas detritasque esse, sic ut vix punctum temporis ferre possent purissimæ illius lucis coruscationem, statimque præstricti hebescerent, & ad suas sordes, ad terrenas fæces reflecterentur. Igitur non hæc vis & acies magni erat facienda, quòd repentè irruentem lucem intervidèrent; sed lamentis prosequenda ægritudo, quòd statim caligarent; & vel hìc opacante intolerabilem inaccessi luminis majestatem, authoritate, & temperamento mediatoris alicujus, opus sibi esse & intelligendum erat perspicuè, & humiliter profitendum. Vis enim illa est luminis, non mentis, si irrumpat nimia lux, & vel à cæcutientibus raptim sentiatur. Augustinus: *Sunt autem quidam qui se putant ad contemplandum Deum & inhærendum Deo virtute propria posse purgari, quos ipsa superbia maximè maculat. Nullum enim vitium est, cui magis divina lege resistatur, & in quod magis accipiat dominandi jus ille superbissimus spiritus ad ima mediator, ad summa interclusor, &c. Hinc enim purgationem sibi isti propria virtute pollicentur, quia nonnulli eorum potuerunt aciem mentis ultra omnem creaturam transmittere & lucem incommutabilis veritatis quantulacumque ex parte contingere, quod Christianos multos ex fide interim sola viventes nondum potuisse derident.* (L. 14. de Tr. c. 15.)

tal

Ita illi Platonico supercilio turgebant, & Christianis suum exprobrabant mediatorem, à quo necdum in eam essent veritatis lucem pervecti, quam ipsi sua jam solertia delibassent. Sed appositè Augustinus subiicit: *Sed quid prodest superbienti & ob hoc erubescenti lignum conscendere, de longinquo prospicere patriam transmarinam? Aut quid obest humili de tanto intervallo non eam videre, in illo ligno ad eam venienti, quo dedignatur ille portari?* Aut si mavis alio rem eandem conficere exemplo, quod idem suggerit Augustinus: Utrum conducibilius est, lippientes oculos & ad lucis repentinum jubar nonnihil sentientes quidem, sed statim fatiscentes, obducta collyrii amaritudine sanare, ita ut interim nulla lux ab ægro, sed postea tota & serena à sano videatur: an ferocire, & exultare ad lumen & curationem fastidire, paulatim verò obtundi penitùs & excæcari? Eum nos amplexati sumus mediatorem, qui lumen veritatis cujus necdum patientes eramus, opacaret interim, fideique collyrio mores mentesque nostras purgaret, atque ad fruendam veritatem pristinæ redderet sanitati. Illi repentinis coruscationibus divinæ lucis, nec arcana veritatis omnia pervidere, nec morum regulas elimatissimas perscrutari penitus valuere, ideòque purgationis legitimæ expertes & superbiæ tumore insuper cæcati, à fruendæ in totum lucis spe sunt dejecti.

CAPUT II.

Ejusdem argumenti continuatio.

I. Et hi tamen ipsi Platonici sētiebant tandem gratiæ divinæ id esse, ut veritatis luce aliquali homo lapsus resspergeretur.

QUanquam autem petulantiùs nonnunquàm in hac, ad quam grassati erant, sapientiæ incommutabilis luce superbirent, jactarentque insolentius vires & acumen ingenii sui, premebat tamen illos & vel reluctantes ad veri confessionem adigebat ipsa, seu intimæ miseriæ conscientia, seu invictæ veritatis potentia, ut divinæ largitatis beneficio adscriberent hanc quantulamcumque divinæ lucis usuram, & quandiu hæc degitur mortalis vita, delibari illam posse, pleno haustu ebibi non posse profiterentur. Itaque in proximo hærebant ad veritatem gradu. Quam proclivi enim conjectura consequi hinc poterant mediatorem, qui lucem illam divinam copiosiùs infunderet, qui eam non paucis, non ingenio otioque affluentibus, sed omnibus per præsultricem intelligentiæ fidem inspiraret, qui denique omne genus hominum ita penitùs emundaret, ut luce illa jam non irrorari, sed inundari posset. Ideo Augustinus Platonicum Philosophum ita alloquitur, quod ea secta potissimum ad ipsas proximè accesserit & penè contigerit veritatis & Ecclesiæ fores. *Itaque videtis utcumque etsi de longinquo, etsi acie caligante, patriam in qua manendum est; sed viam qua eundum est, non tenetis. Confiteris tamen gratiam, quandoquidem ad Deum per virtutem intelligentiæ pervenire, paucis dicis esse concessum. Non enim dicis, paucis placuit, vel pauci voluerunt, sed cùm dicis esse concessum, procul dubio Dei gratiam, non hominis sufficientiam confiteris. Uteris etiam hoc verbo apertiùs, ubi Platonis sententiam sequens, nec ipse dubitas in hac vita hominem nullo modo ad perfectionem sapientiæ pervenire: secundùm intellectum tamen viventibus, omne quod deest, providentia Dei & gratia post hanc vitam posse compleri. O si cognovisses Dei gratiam per Jesum Christum dominum nostrum, ipsamque ejus incarnationem qua hominis animam corpusque suscepit, summum esse exemplum gratiæ videre potuisses.* (L. 10. Civit. c. 29.)

II. Nec eos fallebat, hanc virium inopiam opportunam esse sanandæ superbiæ.

Etsi dissimularent autem, non tamen nesciebant faciliùs labi animam quàm resurgere: sana enim est ante lapsum, ægra jacet: suo enim casu affligitur & debilitatur: itaque collabi sola potest, adjutanda est, ut exurgat. Et tempestiva imprimis est hæc virium inopia, auxiliique necessitas relevandæ ejus ægritudini. Si per semet enim revalesceret, hinc sui fiducia turgeret, & in pestilentiorem superbiæ morbum resorberetur. Itaque ingravesceret malum ipsis mali remediis exasperatum, *Non enim nisi peccatis homines separantur à Deo, quorum in hac vita non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio: per indulgentiam illius, non per nostram potentiam; quia & ipsa quantulacumque virtus quæ dicitur nostra, illius est nobis bonitate concessa. Multùm autem nobis in hac carne tribueremus, nisi usque ad ejus depositionem sub venia viveremus. Propterea ergo nobis per mediatorem præstita est gratia, &c.* (L. 10. Civit. c. 22.) Hanc propriam & singularem Christianæ fidei tesseram, humilitatem sannis & dicteriis incessebant, cervicosi jugique impatientes philosophi: sed inflata disruptaque in ventos evanuit eorum superbia, nostra humilis mediatoris gloria orbem subegit, & innumarabiles hominum greges emaculavit.

III. Sed cū inter summāq; veritatem & mentē nulla sit substātia media, cum lapsa mens veritatem non capiat, nisi corporascentem, restat ut mediatrix sit nobis summa ipsa veritas corporascens.

Non alio igitur quam Verbo Deo mediatore naturam nostram induto, labes nostra poterat resarciri. Natura enim rationalis veritati incommutabili tota innititur, illi uni inhærescit, ab illa pendet, præter illam informis, exanimis, exlex jacet, & exspes. Natura rationalis seu sana & incolumis, veritate & justitia incorruptibili gaudet, oblectatur, beatur: seu ægra & saucia, inde tamen spem suam religat, inde salutem reformandam sibi expectat. Cui enim se iterum debeat, quam cui se primo & omninò? Quo reformari se speret, nisi quo formata primum est? Et naturæ demum rationali, unde origo, unde salus, unde sospitas, seu intacta, seu recidiva, nisi à summa ratione, à sapientiæ & justitiæ intelligibilis fonte? At oblimata sensibilium imaginibus & cupiditatibus jam non videt, non audit, non sapit, nisi sensibilia. Ergo alterutram necesse est medicinæ rationem iniri, ut aut veritatis omnipotentia, hæc animæ ægritudo semel expugnetur, aut veritatis contemperatione sensibilibus se membris obnubilantis, & lapsam in exteriora animam per ipsas exteriorum formas intro revocantis, ad intelligibilia gradatim reparemur. Priorem illam rationem amplexati sunt Platonici, & quid profecerint, apertum est: inanes enim & tumidi, ægri & inflati evanuerunt, & nec oppidulum saltem unum suis legibus temperare, aut sua hac præclara spe potuerunt imbuere. Posteriorem tenuimus nos hactenus, & in unam religionis rempublicam orbem penè universum confæderavimus, ubi greges innumeri florent, vel carnalium per sensibiles mysteriorum formas ad intelligibilia enitentium; vel spiritalium post illa tyrocinia jam puras liberasque veritatis sinceræ auras carpentium. Non illa ergo, sed ista curationis ratio tenenda fuit; nec enim ægri ausu nisuque insuetato, sed medici temperamento redintegratur sanitas: audere enim & niti jam sani est; aut si ægri, certè insanientis & furiati, viriumque reliquias non tam ostentantis tunc, quàm dissipantis. Cæterum inter mentem & veritatem, inter rationem primam & secundam, principem & participatam, nulla natura interjacet media. Seu Dii, seu Angeli boni dicitentur, pares illi sunt, unius intellectualis naturæ consortes, ejusdem summæ veritatis auditores sectatoresque, ejus quidem capaciores & quasi bibaciores, sed non tamen ipsi ab anima rationali ebibendi. Ergo quoniam nulla natura inter animam rationalem & veritatem incommutabilem mediatrix intercedit, nec jam tamen anima morbis inveteratis confecta potest veritatem nisi sensibilibus tegumentis adumbratam comprehendere, restat, ut mediatrix sit ipsa veritas corporata. Per ipsam igitur corporalibus involucris abnuptam ad ipsam intelligibili sursum puraque

luce

luce renidentem manuducemur. Et quid oro ipsi naturæ rerum accommodatius? Quid vel fingendo, vel optando excogitari potest nostris remediis congruentius? Illi enim ipsi Philosophi, qui in diversam jere sententiam, & per abrupta superbiæ, in præcipitia ruinæ suæ transversi acti sunt, ubi sapiebant aliquantulum, ubi a fastu nonnihil detumescebant, simpliciores & sensibus corporeis altiùs infixos nacti discipulos, non ipsam fulgentissimam renitentibus & nictitantibus inferebant lucem veritatis; sed exemplis formisque corporalibus eam opacabant, & huic ita contuendæ insuefaciebant lippientes oculos, & paulatim hac artis indulgentia ita recurabant, ut ad puræ lucis contuitum tandem auderent. Rerum ergo necessitas & ipsa natura medicinæ faciendæ persuaserat eis, ad nudam veritatis pulchritudinem contemplandam adduci non posse animas in umbra corporalium enutritas, nisi mediatrice ea ipsa veritate, sensibilibus signis, sonis, verbis, exemplisque amicta. Quin ergo universim augurabantur, humano generi succurrendum esse temperamento simillimo veritatis, corpus sibi perenne aptantis, & intelligibiles suas leges per carnis suæ sacramenta carnalibus tanquam tenerrimæ infantiæ mollissimum lac immulgentis? Quin saltem ubi à Christianis jactari hæc & in orbem disseminari viderunt, nihil insolens, aut inusitatum fieri agnoverunt, & ideo non frustra catervatim ad hos fidei nidos convolari ab iis, qui non aliter poterant devolare ad apicem sapientiæ, quàm si priùs charitatis alas hoc lactis alimento roborassent? Et agnoverunt quidem complures, & à Platonis academia in Ecclesiæ Christianæ sinum confluxerunt. Augustinus: *Tenebræ sunt stultæ mentes hominum, prava cupiditate atque infidelitate cæcatæ. Has ut curaret, atque sanaret Verbum, per quod facta sunt omnia, caro factum est, & habitavit in nobis. Illuminatio quippe nostra participatio Verbi Dei est, illius scilicet vitæ quæ lux est hominum. Huic autem participationi prorsus inhabiles & minùs idonei eramus, propter immunditiam. Mundandi ergo eramus. Porrò iniquorum & superborum una mundatio est, sanguis justi & humilitas Dei: ut ad contemplandum Deum quod natura non sumus, per eum mundaremur, factum quod natura sumus, & quod natura non sumus. Deus enim natura non sumus, homines natura sumus, justi peccato non sumus. Deus itaque factus homo justus, intercessit Deo pro homine peccatore. Non enim congruit peccator justo, sed congruit homini homo. Adjungens ergo nobis similitudinem humanitatis suæ, abstulit dissimilitudinem iniquitatis nostræ: & factus particeps humanitatis nostræ, fecit nos participes divinitatis suæ.* L. 4. de Tr. c. 2.

IV. Et congruebat, ut qui fecerat, ipse reficeret, carnis assumptæ temperamento ad illuminandum, & sacrificio ad purgandum.

Bifariam enim mediatores olim somniabantur, qui oblitos peccatorum sordibus expiarent, & qui mundatis lucem æternitatis infunderent. Et utroque sanè munere constabat ratio mediatoris. Hinc illi per sacrorum superstitiones expiatoria quædam sacrificia venabantur partim, partim mentis pertinaci conamine irrumpere in lucem veritatis moliebantur. In cassum cadebat illis conatus iste, quòd non satis altè inseruissent menti suæ, non posse naturam rationalem vel fingi, vel refingi: vel creari sanam, vel ægram recreari: non posse denique vel incolumem, vel redivivam debere, ac refundere semetipsam, nisi authori suo, lumini suo, fini suo, Verbo Deo, veritati & justitiæ incommutabili. Ab hujus sese ægritudini nostræ contemperantis corporatione expectandam esse mentis caligantis illuminationem: ab hujus humanitate exoranda esse sacrificia in nostram emundationem necessaria. Et hoc compendio quid consultius, quid salubrius? Ei semel authori, ei iterum reparatori tota ut debeatur salus: qui formavit, reformet: qui fecit, reficiat: ipse sit via, ipse veritas: per ipsum ad ipsum eamus: ipse illuminet carnis temperamento, ipse mundet carnis sacrificio: ipso maximè carnis suæ sacrificio & mundet maculas, & apientiam illuminet, & veritatem propalet, & æternam legem sanciat, caducorum contemptum, æternitatis charitatem: hoc enim est tota crux, hoc mors, hoc sacrificium, hoc mundatio, hoc illuminatio est, hoc sapientia, hoc justitia, hoc veritas & lux lexque æterna. Nulla hìc diverticula, nulli anfractus, nullus erroris locus, nulla rima qua irrepat & illudat fraus; unus & veritas Deus cui conciliamur, & veritas caro qua conciliamur: unus quo purgamur, quo illuminamur: unus ad quem & per quem imus & pervenimus: unus cui integros, cui redintegratos nos debemus: una veritas sempiterna, cognatæ sibi penè rationalis naturæ formatrix & reformatrix, illuminatrix & reparatrix. Augustinus: *Misera multitudo malorum Angelorum, quæ se opponit potiùs ad impedimentum quàm interponit ad beatitudinis adjutorium, etiam ipsa multitudine obstrepit quodammodo ne possit ad illud unum beatificum bonum perveniri, ad quod ut perduceremur, non multis, sed uno mediatore opus erat: & hoc ipso eo cujus participatione sumus beati, hoc est, Verbo Dei, non facto, sed per quod facta sunt omnia. Nec tamen ob hoc mediator est quia Verbum: maximè quia immortale & maximè beatum Verbum longè est à mortalibus miseris; sed mediator per quod homo, eo ipso ostendens utique ad illud non solùm beatum, verùm etiam beatificum bonum non oportere quæri alios mediatores, per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos, quia beatus & beatificus Deus factus particeps humanitatis nostræ, compendium præbuit participandæ divinitatis suæ.* L. 9. Civit. c. 15. Non enim participatione ullius creatæ naturæ, sed increatæ sapientiæ & vitæ beatam adipiscimur immortalitatem. Anfractus itaque amputari, & ea errandi obliqua declinari discrimina conducebat, eo ipso mediatore præstituto per carnem, qui author & origo beatitatis erat per deitatem. Hoc tutum, hoc beatum est ad salutem, ad purgationem, ad illuminationem compendium, si Verbi deitas carne involuta, & purget nos carnis sacrificio, & illustret lumine deitatis per eandem carnem temperato, & perficiat, ita paulatim capiendæ puræ luci condocefactos. Quod rursum strictim attigit idem Augustinus: *Quia enim ab uno vero Deo & summo per impietatis iniquitatem resilientes & dissonantes deflexeramus, & evanueramus in multa, discissi per multa & inhærentes in multis, oportebat nutu & imperio Dei miserantis, ut ipsa multa venturum conclamarent unum, & à multis conclamatus veniret unus, & à multis exonerati veniremus ad unum; & multis peccatis in anima mortui, & propter peccatum in carne morituri, amaremus sine peccato mortuum in carne pro nobis unum, & in resuscitatum credentes, & cum illo per fidem spiritu resurgentes, justificaremur in uno justo facti unum; nec in ipsa carne resurrecturos nos desperaremus, cùm multa membra intuerentur præcessisse nos caput unum: in quo nunc per fidem mundati, & tunc per speciem redintegrati, per mediatorem Deo reconciliati, hæreamus uni, fruamur uno, permaneamus unum.* L. 4. de Tr. c. 7. Et rursùm: *Propter ipsum fidele testamentum: in ipso mediatum est testamentum, ipse mediator testamenti, ipse signator testamenti, ipse fidejussor testamenti, ipse testis testamenti, ipse hæreditas testamenti, ipse cohæres testamenti.* In Psal. 8. Ita enim animæ rationali omnia in omnibus est Christus Dei virtus & sapientia, & per Christum mediatorem omnia in omnibus eidem Deus est. Ita denique natura rationalis capiti suo sempiternæ rationi & sapientiæ recolligitur, & Deo inexolubiliter religatur. Unde idem Augustinus: *Vide quemadmodum & hic corpus Christi eos ostendit, ut ista contemnant, cohærentes tanto capiti suo, mediatori Deo & hominum Christo Jesu,* Epist. 59.

& nul-

& nullum falsum vel invalidum medium per quod Deo cohæreant, requirentes.

V. Summa capita suprà posita doctrinæ, de aberratione Gentilium, in venatione Mediatoris.

Ut autem ea quæ laciniosiùs & quasi tumultuariè suprà disseruimus hoc capite, strictiùs jam & dilucidiùs & in unum velut contuitum revocentur, Adverte 1. in vestigando mediatore exitialiter aberrasse Gentiles olim Philosophos, quòd naturæ mediatorem captarent, non gratiæ. Insitæ enim conscientiæ vox, & infirmitatis innatæ præsensio conciliatoris medii operam desiderabat, qui ad Deum summum peccatis miseriisque obseptum aditum patefaceret. Sed natura tam calamitosè vulneribus suis confecta exhaustaque, non jam naturæ, sed misericordiæ incumbendum erat. 2. Cùm ergo non salubriter elisi prostratique, sed cervicosi adhuc & superciliosi quærerent, cùm pœnæ magis quàm culpæ tædio quærerent: cùm inflarent pectora, non tunderent: cùm viribus suis ægri fractique adhuc fiderent & superbirent: vani vanos, superbi superbos, falsi fallaces in mediatores inciderunt. 3. Immortalitatem statim ambiebant; justitiam, quod iter ad eam est unum certissimum & munitissimum, nihil pensi habebant. In immortales, sed injustos ergo incurrerunt opitulatores, qui collegas injustitiæ in consortium immortalis miseriæ inducerent. Quid enim proclivius, quid æquius est, quam ut quod quisque venatur, in id incidat? 4. Itaque quia mediatorem vestigabant naturæ non gratiæ, à naturæ quoque mediatore deviarunt: nec enim jam post susceptas cum Deo simultates, ad naturæ bonum, nisi per gratiæ subsidium eniti fas est. 5. Cæde animantum non jugulari animæ suæ cupiditates, nec cruore victimarum elui intestinas maculas, nec ipsos fallebat, si modò lumen intimum humanæ rationis necdum penitùs obruerant extinxerantque. Debiliores se jam post tam graves casus nec resurgere ac redintegrari se posse suis viribus, utique experiebantur. Ingenii ortique copia & exercitatione ad veritatis contuitum attingere posse paucissimos liquebat, idque raptim, & hos illicò repercuti & hebescere: cùm operæ pretium esset, non paucos, sed universos, non otio & acumine pollentes, sed obtusos etiam & mortalis vitæ curis implicatos, non raptim, sed jugiter inhærescere veritati, legesque instituendæ religionis & condendæ vitæ inde derivare. Septa ergo erant effugia omnia, ut ad unius humilis mediatoris ineundam viam compellerentur, sed transilire hos obices & per abrupta ac confragosa divagari collidique maluit inveterata superbia. 6. Semel lapsis ergo & desperatis una supererat humilitas, quam unam detestabantur; una enim humilitate redire in gratiam cum Deo poterant, quem superbia sua alienaverant. Non immortalitas statim affectanda erat, sed mortalitas potiùs piè & demissè subeunda. Non aversanda miseria, sed fortiter perferenda, ut hac virtutis & constantiæ victima opimiore, & placaretur Deus, & immortalitas pararetur. Mediator ergo adproperandus erat votis, non immortalis statim & beatus, sed mortalis & justus, qui justitia sua mortales informaret, morte sua mortem constanter occumbere, mortalia & caduca omnia contemnere addoceret, & hac expiatoria hostia divinam benevolentiam, & immortalitatem justitiæ indissociabilem comitem revocaret. Ut enim ex prosperorum largiore copia lapsus contigerat, ita reditus ex adversorum infracta patientia meditandus erat, & signifer auxiliatorque ad hæc mediator. 7. At naturæ rationali ad Deum festinanti, quæ intermedia demum natura, quæ conciliatrix occursare potest, nisi sapientia ipsa & ratio Deus Verbum? Nam Angeli dæmonesve, portio & ipsi sunt naturæ rationalis, & peræquè inter Deum & corpora, inter summum & infima medium quasi gradum nacti. Et sive illi stent, sive corruerint, sustinere mediatoris non possunt personam, qui ipsi corruerint, vel quorum collegæ corruerint, vel quorum demum natura insitæ mutabilitatis fluxu defluere & collabi potest. Naturæ autem rationali conciliator opus est incommutabilis, impeccabilis, cui ipsi nullius mediatoris gratia possit unquam esse necessaria. 8. Sed quid tanto circuitu molimur, quod compendio expedire licet? Ipsi illi Philosophorum optimates ubi ad delibandam saltem & velut à limine salutandam incommutabilis sapientiæ & legis æternæ lucem rudes & à liberalibus disciplinis destitutos perducere adgrediebantur discipulos, quibus cuniculis, oro, qua arte obrepebant? Inter demersas sensibilium cœno mentes & intelligibile cælestis sapientiæ lumen, ecquem mediatorem comminiscebantur? Ipsam proculdubio sapientiam & veritatem sensibilibus vestiebant signis, & ita contrectandam ac dissuaviandam propinabant carnalibus, ut à carne desuescerent pedetentim, & ipsi per semetipsam spiritali sapientiæ assuefierent perfruendæ. Ergo nec ipsis in mentem venire poterat mediator alius, quàm nostro simillimus & noster ipse, veritas nempè corporata non perfunctoriè, non iterum & iterum ac volatiliter, sed semel in perpetuum, & corporatione sua ad divinitatem suam fluitantibus inter corporalia mentibus mediatrix. 9. Et quoniam piaculari quapiam victima aboleri contagia nostra naturæ magisterium, omniumque per orbem gentium consensio flagitabat, quid opportunius carne ipsa mediatoris? Nam veritas corporata & per corporationem suam ad seipsam mediatrix, hæc duo munia connexa & indivulsa suscepisse videtur obeunda: ut & sordentibus & caligantibus ex sensibilium consuetudine animabus, carne sua tum lucem temperet caligantibus, donec paulatim convalescant, tum immunditiem abstergat sordidatis, donec pristinæ reparentur puritati. Hæc officia sunt gemina mediationis & in eundem finem spectantia, ut verilas & lex æterna reparatis mentibus reddatur potiunda, deletis earum maculis per carnis sacrificium, illustratis earum tenebris per carnis temperamentum. Nam tenebræ mentium maculant animas, & maculæ obtenebrant: non aliud enim est eas tenebrescere, quàm terrenis sordescere & inquinari. Itaque quæ duo nobis primùm videbantur, jam in unum mediatoris officium coaluere, qui tum illuminabit animam, cum expiabit; tum expiabit, cum lucem refundet. Est enim lux, animi munditia; est imorum caligo & nox, animi inquinamentum. Similiter ergo & ipsum carnis, qua se veritas æterna induit, sacrificium, animarum & expiatio erit, & illuminatio. Nam quæ cum Christo anima commoriens, aut commori prompta & cupiens, mortem pro veritate aditam magnificare, & prædestinatæ immortalitati anteferre, mutabilia omnia proterere, cælestibus inhiare, per dura & aspera quæque justitiam tenere, idque longè pulcherrimum & beatum esse didicerit, hæc perquam illustris, hæc inenarrabiliter munda, hæc à tenebris & à maculis omnibus purgatissima nobis quidem videbitur, & mediatoris beneficio ad summum culmen beatæ vitæ vel evecta jam, vel illico evehenda. 10. Nihil insidiarum hic pertimescimus; ne circumveniamur, ne in tam brevi itinere intercipiamur, nulla nos pulsat formido. Ipsa enim est via, quæ meta: per ipsam imus ad ipsam, per unum ad ipsum unum contendentibus, divortia viarum aut diverticula nulla se obiiciunt. Nec dissidia in mediatorum copia erunt, omnes uni innitemur. Nec à bono beatifico vel tantillum divellemur, quod in naturæ nostræ contubernio imbeciles amplexabimur, donec in suo sursum domicilio robustiores potiamur. Nec alibi haruspices ad expiandum, alibi magistros ad illuminandum mendicabimus; nam lucis æternæ in assumpta carne sacrificium, & emaculandis, & affatim collustrandis nobis abundabit. Grande igitur & fortunatum hoc erit compendium, ubi is mediator tenetur, qui ita nos secum & cum Deo

Deo jam hinc adunat, ut nulla secessionis suspicio possit usquam residere. Imò cùm is mediator tenetur, qui non medius aliquis & extraneus, sed unus utrumque est eorum, quibus mediator interest, Nam inter naturam intellectualem & incommutabilem veritatem vetat natura, vetat recta ratio, ne quid medium vel esse, vel cogitari possit. Si nihil medium, eccunde mediator? Non alius sanè vel fabulando fingi potest, quàm vel Deus seipso minor, vel homo seipso major. Quò fiet autem seipso minor Deus, nisi proximæ se naturæ insinuans? Et quò homine major fiet homo, nisi nullo intermedio disjunctam, sed superiorem naturam Deitatis receptans?

CAPUT III.

Non perfunctorius per operationem solam, sed substantivus mediator est Christus, Deum & hominem in se copulans naturali & hypostatico nexu.

I. Quod substativo opus fuerit mediatore, qui Deus simul & homo esset, efficitur primò, ex Christi verbis, Ego in eis, & tu in me.

QUod jactis suprà fundamentis jam constare inconcussum videtur, non posse mediatorem Dei & hominum conflari, nisi ex utraque natura in unam coacta personam; id verò tanquam Christianæ fidei propugnaculum communire & vallare accuratiùs pergimus. Itaque malè feriati tempus & operam perdebant, quicumque alium Dei & hominis mediatorem somniabant, & per inania consectabantur Philosophiæ deliramenta, quàm Deum hominemque eundem. Ac

Primò, absolvit paucis Christus ipse hanc quæstionem, ubi ad Patrem ait, *Ego in eis, & tu in me*. Quo insinuat unam esse germani mediatoris rationem, si idem ipse Deus cum Deo sit, & homo cum hominibus, atque ita homines Deo & Deum hominibus in seipso confœderet, non perfunctorio, sed substantivo & inexolubili nexu. Cyrillus Alexandrinus: *Deus Verbum magnam, imò verò immensam quandam gratiam humano generi præstare volens, trahit omnes veluti ad unitatem quandam secum. Cum enim gestarit corpus humanum, versatus est in nobis. Habet autem in seipso Patrem, utpote Verbum ipsius & splendor. Quemadmodum igitur ait, Ego sum in eis, quia eandem cum eis carnem gesto; &, Tu Pater in me, quia ego sum proprietas essentiæ tuæ; ita volo ut & ipsi unitate quadam coalescant inter se, & veluti unum corpus effecti, in me omnes sint, quippè qui omnes gesto, propter unum templum humanitatis quam assumpsi; atque ita & erunt & cernentur perfecti; nam & ego perfectus sum, tametsi homo sum.* Igitur, Ego in eis, per incarnationem: Tu in me, per consubstantialitatem: ut sint consummati & perfecti in unum, nempè in unum concreti mecum, & per me tecum, qui unitas antiquissima & ipsa unitate antiquior simpliciorque es.

Thesauri p. 111.

Cui astipulatur Hilarius: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in his & tu in me, ut sint perfecti in unum, &c. Ita enim unum omnes sumus, quia in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater & Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt.* Strictiùs necti non potuit unitas nostra cum Deo Patre, quàm si physicè & naturaliter unum simus cum Christo homine, unus sit Christus homo & Deus, unum sit Christus Deus cum Patre, & unitas hæc omnis per annulos nexusque non accidentales & lubricos, sed solidos & substantivos vinciatur.

L. 8. de Tr.

Augustinus quoque annuit Tract. 110. in Evang. Joann. *Ut sint unum sicut & nos unum sumus, Deinde addidit, Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum. Ubi se mediatorem inter Deum & homines breviter intimavit. Neque enim hoc ita dictum est, tanquam Pater non sit in nobis, aut nos in Patre non simus, cùm & alio loco dixerit, Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus: & hic paulò antè non dixerit, Ego in eis & tu in me, quod dixit modo: aut ipsi in me, & ego in te: sed, Tu in me, & ego in te, & ipsi in nobis. Quod ergo nunc ait, Ego in eis & tu in me, ita dictum est ex persona mediatoris, sicut illud quod Apostolus ait, Vos Christi, Christus verò Dei.* Dissutos ergo nos longissimèque dissitos à Patre Christus mollissima quasi commissura & contextu Dei hominisque in unam suam hypostasin resarsit & revinxit.

II. Secundò, idem liquet ex substantivo nexu inter Deum & nos stringendos.

Secundò, mediator quidem per operationem quampiam & interventum fingi poterat alius, sed hæc erant mediationis figmenta, aut tentamenta ut summum, & præludia in quibus præsidii nihil propemodum erat, ad nostras cum Deo sopiendas simultates. Nisi substantivè coalesceret & concresceret Deus cum homine, dissidii & secessionis metus semper imminebat. Qui autem per mediatorem copula Dei & hominis substantiva & physica solidaretur, nisi hanc in se princeps experiretur mediator, & ita in alios dispertiret? Cyrillus Alexandrinus: *Igitur quod ad mediationis quidem spectat imaginem, typus Christi censendus est Moyses, qui divina decreta filiis Israel utique ministrabat. Sed Moysis quidem mediatio ministratoria erat, Christi verò mediatio libera & mystica, utpotè qui naturaliter ad ea quorum mediator est attingit, & ad ambo pertinet: humanitatem nimirum cujus mediator est, & Patrem Deum. Est enim natura Deus, à substantia genitoris non separatus & ipsi inexistens, inquantum ex ipsa etiam intelligitur. Est verò etiam homo, quatenus caro factus est, seipsum nobis similem faciens, ut per ipsum id quod longè natura dissitum erat, Deo conjungeretur.*

In Ev. Joan. L. 3. pag. 166.

III. Verbum Deus angelo & homini stanti mediator erat impropriè, & operatione tantum, non substantia.

Et tamen ante lapsum utcumque naturalis mediator ad naturas rationales Deus Verbum videri poterat, quia munus conciliatoris ipsa proprietas Filii, & veritatis, & artis summæ, & rationis primæ ei ingerebat. Est enim Filii paternam spargere beneficentiam, est veritatis & artis & rationis naturas à se effusas opifici & principio primo adprobare. At homini lapso in corporalia, abrupta jam erat ea quasi naturalis agnatio ad artem & veritatem primigeniam, non ergo ea jam uti poterat mediatrice. Et tamen lapso jam incumbebat necessitas vehementior parandi mediatoris: cujus opera ad resarciendam, ubi dissiliit, quàm ad alendam integritatem amicitiæ efficacior desideratur. Efficacior porrò non poterat parari, nisi præter operationem, etiam naturæ & substantiæ copulatio interior invictiorque iniretur. Quocirca idem Cyrillus: *Sed nec sanctus quis unquam fuerit, nisi eum deducente Christo, nec ipsi Deo ac Patri conjungetur, nisi mediante Christo. Mediator est enim Dei & hominum, per seipsum & in seipso humanitatem Deo conjungens. Ut enim editus ex substantia Dei ac Patris quatenus Verbum est, ac splendor & character, unum est cum Patre, totus existens in seipso, & ipsum habens in seipso: quatenus autem factus est homo sicuti nos, exors tamen peccati, hominibus conjungitur, & interliminium veluti quoddam factum est, continens in seipso quæ ad unitatem & amicitiam concurrunt, Nemo igitur ad Patrem veniet, id est divinæ consors fiet naturæ, nisi per solum Christum.* Ita compaginatus mediator ex Dei hominisque naturis in unam personam contextis, jam naturalis erit mediator & substantivus, & orationibus operationibusque suis ex substantiæ suæ inæstimabili majestate pretium tantum addet, quantò nec opus erit ad emercandam paciscendamque Pa-

In Ev. Joan. L. 9. p. 769.

tris

tris in homines eternam & inviolabilem posthac amicitiam.

IV. Tertiò, idē liquet quia periit fructus primæ mediationis quæ operatione sola constabat, hujus substantivæ nō potest perire.

Tertiò, non erat committenda operationi soli ea mediatio, qua niteretur humani generis salus sempiterna, sed substantivis vinculis astringenda erat ad inexpugnabilem firmitatem. Conducebat ergo, ut ipsa Christi substantia, Dei atque hominis reconciliatrix esset, sepositâ etiam ratione qualibet operationum ejus; ut tam indissolubilis esset nostra in posterum religatio cum Deo, quàm illa Dei atque hominis in unam mediatoris personam indemutabilis coaptatio. Pulchrè Athanasius: *Si potentia qua id poterat, edixisset Deus, solveretur quidem maledictio, & imperantis potentia fieret conspicua; at homo ejusmodi effectus fuisset qualis Adam ante prævaricationem, extrinsecus possidens gratiam, non autem eam suo corpori conglutinatam tenens. Talis enim fuit cum in paradiso collocaretur: forsitan etiam deterior evasisset, ut qui jam prævaricari didicerat. Quod si evenisset ut à serpente deciperetur, rursum opus fuisset Dei loquentis imperio, ut ita maledictio solveretur: atque eo modo necessitas ejus rei in immensum recurrisset, & nihilo minus remansissent homines obnoxii, servientes peccato.* Quandiu floruit primæva innocentia, utebatur homo tanquam mediatore Verbo ad Patrem; at operationis, non substantivæ, aut hypostaticæ unitatis erat ea mediatio. Ideo ergo dissiliit & in cassum abiit corruente in exitium homine. Ne ergo in eandem discriminis aleam rursum conjiceretur summa rei & salutis nostræ, adglutinanda fuit substantialiter humanitati divinitas, ut inexpugnabilis hæc esset gratia, *quam non extrinsecus haberemus, sed nostro corpori conglutinatam teneremus.*

Orat. 4. cont Arian.

V. Bonus mediator Christus, cui & ut Deo, auferri non potest, & ut homini parta justitia ad nos pertinet etiam.

Quæcumque enim amicitiæ divinæ in homines pignora uni pro aliis sequestrem agenti commendata fuissent amplissima, vel supinitate tamen propria dilabi, vel aliena fraude surripi ea poterant. Verbum autem Deus erat ille quidem extra amittendi periculum, sed quod penes eum esset, non statim id juris erat & ditionis hominum, tanto naturæ interstitio ab eo summotorum. Ergo adornandus ita erat mediator, qui & homo esset, ut hominum esset gratia, quæ ei concrederetur: & Deus idem esset, quem nec sua sollicitaret, nec aliena expugnaret malitia. Idem Athanasius: *Ipse sibi quasi data confitetur, quæ humanitus acceperat, ut eo qui Dominus erat accipiente, & in eo donatione istarum rerum residente, gratia ipsa firma permaneret. Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest: cujus rei specimen in Adam vidimus: quippe qui illud quod acceperat perdidit. Ut autem gratia inademptibilis esset, firmaque hominibus permaneret, ea de causa hanc donationem ut propriam sibi arrogat; dicitque se potestatem accepisse ut hominem, quam semper habebat ut Deus.* Et infrà: *Habebat illa utpote semper Deus & Verbum; nunc autem dicit humanitus se accepisse, ut carne ejus in ipso accipiente, in posterum ea ex carne illius in nos firmiter possidenda traderentur.*

Orat. 4. adv. Arian.

VI. Quartò, quia certus mediator est si ipse seipsum exorat, & propitiat.

Quartò, perfectus suis numeris omnibus non erit mediator, nisi idem ipse sit, pro quo & ad quem mediator intercurrit. Nam extundendæ gratiæ tum certus erit, cùm se ipse exorabit. Rursus trajiciendæ gratiæ securus erit, si non longè, sed à seipso in seipsum illam derivabit. An repulsam feret à seipso? An intercipi quid poterit, cùm ipse sibi donabit, Deus homini, idem sibi ipsi? An nævo simultatis aliquo obnubilari usquam poterit amicitia, quam secum ipse inierit? An diffidere aut secedere à seipso ipsemet poterit? Ideo affectavit Christus quibus ipse circumfluebat, ea tamen largitatis divinæ dona sibi, id est, nobis, quos omnes in se prægestabat, data & concessa à Patre testificari, ut horum nobis largitio & copiosior & inviolabilior, invictiorque consignaretur. Idem Athanasius: *Igitur Jesus Christus heri, & hodie idem & in sæcula, incommutabilis permanens, & ipse idem ille est, qui dat & accipit; dans quidem ut Verbum Dei, accipiens verò ut homo. Non ergo Verbum quatenus Verbum meliorationem accepit, habuit enim omnia, & perpetuo habet. Sed homines sunt, qui initium accipiendi in illo & cum illo obtinuere. Quapropter cum ipse humano more inungi memoratur, vos estis & nos sumus qui in eo inungimur. Ideò cùm ille baptizaretur, nos eramus ad quos baptismus ille perveniebat. Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi illis, ut sint unum, sicut nos unus sumus.*

Orat. 4. con. Arian.

VII. Quintò, quia etiam nobiscum & corpore & spiritu suo substantivè copulatur.

Quintò, ut substantiva hæc tota esset mediatoris contextio, sicut ipse cum Patre Deo Deus, sicut cum homine assumpto idem Deus, ita nobiscum idem homo Deus fibula substantiali coalescit. Carnem enim suam atque humanitatem per sacramentum corporis sui physicè nobis & naturaliter commiscet ac conflat: spiritum etiam suum physicè nobis insinuat imprimitque, ceu formam sanctitatis & vitam animæ penitissimam. Neque enim satis munita illi, aut vallata salus nostra visa est, si homo tantùm esset nobiscum & Deus cum Patre, atque ita nos quadantenus in sese Patri coaptasset. Ut nodus iste stringeretur validiùs, & inexplicabiliter implicaretur, id studuit præterea, ut sicut ipse una est cum Patre individua substantia, ita nos secum in unam physicè conflaret substanriam, tam carne, quàm spiritu ipso divino, atque ad eum modum in unam cum Patre Deo substantiam, quantum fieri potest, & ultra quàm fieri posse videtur, concresceremus. Cyrillus: *Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum. Intelligе igitur, quod ipse quidem in suo Patre sit naturaliter, mediator vero atque conciliator constitutus, eo quod factus sit nobis similis. In nobis est tum per suam carnem, quæ nos vivificat in spiritu, tum per consortium sanctitatis ejus, nimirum per illam quæ per Spiritum sanctum acquiritur.* Prolixiùs hæc ille disputat in Evangelium Joannis, sed hæc alibi à nobis proprio & separato loco disceptata sunt. Geminum huic unum assuam ex Hilario locum: *Ego in eis & tu in me, ut sint perfecti in unum. Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia in Christo Pater est, & Christus in nobis. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater & Christus in nobis, unum in nobis esse nos faciunt.*

L. 5. Advers. Nest. p. 123. Tom. 6.

L. 8. de Tri.

VIII. Sextò, quia alioqui vix spes esset nobis, divinæ fieri consortes utcumque naturæ.

Sextò, hinc exundat in nos non qualiscumque, non parca, non accidentaria, sed physica, sed substantiva & largissima divinæ in nos munificentiæ & sanctitatis ubertas. Divinæ enim substantiæ & beatitudinis dotes illabi ac commisceri nobis physicè quis antea tam procax aut temulentus sperasset? quis jam quamlibet fractus animo & spei alienus desperet? At si mediator homo expers divinæ, vel Deus expers humanæ substantiæ occurreret, qui spem ille faceret divini cum homine consortii, quod nec ipse esset assecutus? Irenæus: *Nisi Deus salutem donasset, haud quaquam firmam & stabilem eam haberemus. Ad hæc nisi homo cum Deo copulatus esset, incorruptibilitatis particeps fieri minimè potuisset. Necesse quippè erat, ut Dei & hominum mediator per suam cum utroque cognationem ac necessitudinem, ambos amicitiæ fœdere inter se conciliaret, ac Deo quidem hominem sisteret, hominibus autem Deum patefaceret.*

L. 3. Advers. hæres. c. 20.

IX. Nec à natura nostra satis expungeretur improbitas vel corruptibilitas nisi insereretur eidem sanctitatis & vitæ substantia ipsa.

Ut enim alibi attigimus, non aliter mors profligari, aut exsuflari corruptibilitas, aut vitiorum pestes concretæ animis nostris, mirisque modis inolitæ

insolitæ everti abradique poterant, quàm ipsa physicè vita & immortalitate & sanctitate prima atque incorruptibili inspirante ac inserente semet, hominemque ita occupante & insidente totum, ut ab illis contagiis illibatus & securus in sempiternum esset. At hæc hominis in Deum, Deique in hominem physica insitio nisi in mediatore priùs ipso præstrueretur, quid spei reliquis poterat allucescere? Athanasius supra jam monuit opus fuisse ut non extrinsecus affunderetur gratia, sed corpori ipsi adglutinata teneretur. Et alibi: *Ego in illis & tu in me, ut absolutè in unum perficiantur. Certum est Verbum in nobis esse factum, quippè quod nostrum corpus induerit. Tu autem in me Pater, cum tuum sim Verbum, ego porro in illis per corpus meum, & quia per te in me hominum salus perficitur, rogo te, ut & ipsi fiant unum secundùm rationem mei corporis & secundùm ejus perfectitudinem, ut & ipsi perfecti reddantur, cùm habeant cum corpore meo unitatem & in eo unum fiant, & quasi quos ipse gestem, pariter unum corpus fiant & unus spiritus, & in virum perfectum evadant.* — Orat. 4.

Quid enim aliud suspicamur esse sanctitatem & incorruptionem, quàm Dei, si fari licet, tanquam portionem? Et quid sanctitate vel incorruptione imbui, quàm deificari? Quid enim deitas cogitatur ulteriùs, quàm sanctitas & incorruptibilitas? At verò deificari quis speret, nisi Dei allapsu substantivo? Nam creaturæ munere nunquam deificaberis. Eris enim præstantissimæ particeps creaturæ, qua donatus fueris, non eris autem particeps & consors divinæ naturæ, nisi & ea inhabiteris. Jam verò decocta est & delapidata spes omnis consequendæ deificationis, nisi eam nactus mediator exuberantissimè, nostros erigat animos, & ad hanc pulcherrimam excitet & suspendat expectationem. Idem Athanasius: *Deificationem in se non sensisset homo creaturæ coaptatus, nisi Filius verus Deus extitisset: neque astitisset Patri homo, nisi naturaliter verum Patris Verbum fuisset, quod carnem induerat. Et quemadmodum neque à peccato, neque à maledictione vindicati fuissemus, nisi verè ea naturaliterque humana caro fuisset, quam Verbum sibi induerat, nihil enim nobis commune cum re aliena: ita quoque non deificatus fuisset homo, nisi naturaliter ex Patre verum & proprium illius Verbum fuisset, quod caro factum est. Ideo enim ea coaptatio instituta est, ut deitas vera, & ut sic dicam, naturalis, verum & naturalem hominem sibi consereret, & stabilis efficeretur hominis salus ac deificatio.* — Orat. 3. con. Arianos.

X. Septimò, quia illapsum deitatis quo beantur sancti, vix sperare possemus, nisi longè uberius Mediatori illa ipsa esse deitas.

Septimò, cùm cumulata saltem illa beatitudo, cui suspiramus noctu & interdiu, non constet nisi copulatione confluxuque substantivo cum Deo, se ut veritatis charitatisque ineffabiles incorruptibilesque delicias infundente animis, & per eos ad corpora etiam redundante: abrumperetur spes omnis istiusmodi impetrandæ per mediatorem tantæ copulæ, nisi exuberantissimam illam ipse obtineret. Quo enim prætexímus aut excusamus tantæ spei nostræ impudentiam, quo patrocinio invidiosa alioqui & temerè ambitiosa vota obumbramus, nisi quod cum illo omnia jam nobis donavit; jam conressuscitavit; jam consedere fecit in cœlestibus in Christo; jam mediator, jam caput nostrum ea capessivit præmia nobis desponsa? Tertullianus: *Resurgit igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra: in deposito est ubicumque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei & hominum Jesum Christum, qui & homini Deum & hominem Deo reddet, carni spiritum & spiritui carnem. Utrumque jam in semetipso fœderavit, &c.* — l. de Resur. carnis.

Et aliquanto antè: *Si tam abruptè ut quidam volunt, clausis quod ajunt oculis, sine distinctione, sine conditione omnem passim carnem & sanguinem à regno Dei extrusit, utique & ab ipsa regia cœlorum: cum illic adhuc sedeat Jesus ad dexteram Patris, homo, etsi Deus: Adam novissimus, etsi sermo primarius: caro & sanguis, etsi nostris puriora, &c. Hic sequester Dei atque hominum appellatus ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summæ, illuc quandoque redigendæ. Securæ estote caro & sanguis, usurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo.* Eò usque pertinet sequestris perfunctio, ut apicem beatitudinis extremæ jam occuparit, & ad se vel per se omnes eò provocet. Unde Augustinus: *Quod verò addidit, ut sint consummati in unum, ostendit eo perduci reconciliationem, quæ fit per mediationem, ut perfecta beatitudine, cui jam nihil possit adjici, perfruamur.* — In Ev. Joan. Tract. 110.

XI. Octavò, quia Patri copulari, nisi per Filium non poteramus.

Octavò. Ad Patrem certe contingendi tanquam ad summum unitatis apicem, & in ejus amplissimo & opulentissimo sinu hauriendæ beatitudinis, nihil spei residuum esset, nisi ejus imaginem priùs & similitudinem elimatissimam & coæqualem complecteremur. Ita enim comparatum est, ut ad Patrem Filius aditum pandat, & substantivum Patris complexum nonnisi in Filio & per Filium adsequamur. Ergo nostra priùs natura conferenda erat Filio, ut hoc mediatore etiam Patri conserendam se ne desperaret, imò consertam jam se gratularetur. Cyprianus: *Et idcircò Dominus insinuans nobis unitatem de divina authoritate venientem, ponit & dicit, Ego & Pater unum sumus. Ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam, denuò dicit, Et erunt grex unus & unus pastor.* Adverte animum ad quam unitatem per Christum redigamur: nimirum ad unitatem ipsam ejus cum Patre, quando Christo agno & Christo pastori tanquam membra quædam ejus compaginati, unum cum Christo sumus, & eo conciliatore, unum cum Patre sumus, quia unum ipse cum Patre est. — L. 1. Ep. 6.

Et rursùs: *Hic est virtus Dei, hic ratio: hic sapientia ejus, & gloria: hic in virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur, Deus semper cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, ut & homo possit esse quod Christus.* Absoluta est Cypriani sententia, & à tricis omnibus expedita: *Hominem induit Christus, quem perducat ad Patrem.* Adire enim ad Patrem nefas præterquam Filio: illi uni patet, in illo uno complacet, illi uni inest; creatis naturis omnibus invius & abstrusus in unitatis refugo quodam & imperscrutabili penetrali. Revelat illum Filius, ad illum perducit, non aliter quàm sibi induendo, & in unum secum confundendo quos perducit, ut Patrem semper adeat unus Filius, vel quilibet cum Filio unum factus. Itaque nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. In cœleste enim illud beatæ Patris unitatis secretarium unus ascendit Christus, sed cum corpore suo, seu cum Ecclesia sua unus. Unde rectè concludit Cyprianus: *Quod homo est, Christus esse voluit; ut & homo possit esse, quod Christus.* — L. de Idol. vanit.

Hilarius non aliter argumentatur, hæc Christi verba explorans: *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Hæc enim ad mediatoris illustrationem, per quem ad paternam redigimur unitatem, ita vocat: *Docet in se etiam mediatoris officium, qui cum sit receptus à nobis, atque ille profectus ex Deo sit, Deus per illum transfusus in nos sit. Atque ita qui Apostolos recipit, Christum recipit: qui verò Christum receperit, Patrem Deum recipit: quia non aliud in Apostolis recipit, quàm quod in Christo est: neque in Christo aliud est, quàm quod in Deo est.* Transfundendi ergo in nos Patris mediatorem & arbitrum his sese verbis Christus profitetur, dum semet ipse nobis, & per se immanentem sibi Patrem infun- — Can. 8. in Matth.

infundit. Et rursùs alibi non minùs liquidò idem elicit ex verbis Christi, *Ego in eis & tu in me*: Quid enim dilucidius quàm incrementa nostra per Christum ad Patrem usque grassari? *Mirabilis ergo in Sanctis Deus est, quos cum conformes gloriæ corporis sui fecerit, per se qui mediator est, etiam in unitatem paternæ majestatis assumit, dum & in eo per naturam Pater est, & ille rursum per societatem carnis in nobis est*. Et denique: *Ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cùm nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, & in Pater manens maneret in nobis, & ita ad unitatem Patris proficeremus*.

In Psal. 67.

L. 8. de Tr.

XII. Nonò, hinc utriusque Christi naturæ veritas probatur ex munere mediatoris.

Nonò, usque adeo ad temperandum mediatorem substantiva veri Dei in verum hominem illapsione opus erat, ut non alio frequentiùs argumento naturæ utriusque veritas à christiani dogmatis defensoribus revincatur. Nec enim ita medius est, qui germanus audit mediator, ut neuter sit, sed ut uterque sit eorum, quorum arbiter vel reconciliator amicitiæ est. Etenim si medius ita sit, ut neuter sit, ab utroque alienus, neutri congener, dissociare magis poterit, quàm sociare. Augustinus: *Ego, inquit Dominus, ero illis in Deum, & servus meus David Princeps in medio eorum. Quare in medio eorum? Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Princeps in medio eorum, inde & mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter Deitatem, non mediator Deus præter humanitatem. Ecce mediator. Divinitas sine humanitate non est mediatrix, sed inter divinitatem solam & humanitatem solam mediatrix est humana divinitas & divina humanitas Christi*. Parco & alios Patres hic recensere, ne actum agam, cùm id prolixè pertractatum sit Libro de duabus Christi naturis.

L. de Ovibus. c. 12.

Ferrand. Ep. ad Sev. c. 4. Chrys. hom 7. ad Epist. 1. ad Cor. Theod. dial. Inconfus.

XIII. Decimò, quia hinc exsufflantur falsi mediatores Judæorum, Arianorum, Philosophorum.

Decimò, hinc exploduntur mediatorum larvæ, quas sibi velut insomnia quædam ludicra confingebant Gentiles, & erroris gentilitii sectatores quidam extremi, sub ementito Christianitatis nomine Agiani, & si velis etiam uno impetu omnes Ecclesiæ hostes prosternere, ipsi olim Judæi. Magno enim supercilio suum hi nobis Moysem venditant mediatorem, at is cùm homo merus, & à labe peccati non omninò purus, & à Deo quandoque fuerit repulsam passus, & communi denique peccatorum pœna, id est, morte implicatus, & ita avectus, ut nec corpus ejus repertum usquam sit, quàm non sunt hæc mediatori consentanea, qui ultra homines esse debet, Deoque propior, qui labis nescius, qui gratiæ certus, qui præsto sit semper ex æternitate sua singulis per singulas ætates hominibus sistere se & præbere! Ergo Moyses & Pontifex Aaronicus mediatoris umbram præferre poterat, veritatem præstare nequibat. Ariani jam exsibilati sunt cum suo mediæ naturæ commento, quæ non tam utrique media, quàm utrique extranea & suspecta adeo foret. Ethnici denique Deos sibi & à summo tamen Deo fabrefactos, cùm mediatores venabantur, radio quidem veritatis aliquo aspergebantur, sed quem intempesta inveteratæ superstitionis nox obruebat ita, ut nihil admodum frugis inde reportarent. Nam dictabat propemodum & in aurem insusurrabat ipsa naturæ vox, ipsa medicinæ necessitas, tali utendum esse mediatore, qui & Deus cum Deo & creatura nobiscum esset, & non alia magis creatura quàm homo, unde & humana plerumque specie deos suos dissimulabant. At intercipiebat corrumpebatque præclara hæc veritatis conamina sensuum & cupiditatum consuetudo tenebricosa, & pro Deo atque homine mediatore, dæmones nequissimos subornabat, qui humano vultu hominem, divini nominis furto Deum ementirentur. Christiana autem catholica fides à fuco & fraude longè abest, nec simulatum Deum, nec personatum hominem, sed verum Deum & hominem suum amplexatur mediatorem. Quod autem ipsam dæmonum sive Angelorum naturam imaginabantur suæ & divinæ mediam, ideoque mediatricem, suo primùm quidem irretiebantur laqueo. Ut quid enim ipsis & divinum nomen, honoresque, & sacra, & humanam formam affingebant, si nec Deus nec homo quisquam eorum esset? Deinde quid dæmones, quid Angelos, nisi naturæ rationalis consortes philosophabantur, veritatis perinde indigos, ab æternitate æquè labiles ac nosmetipsos, ac proinde impares tantæ provinciæ? Augustinus: *Sunt & alia multa quæ in Christi incarnatione, quæ superbis displicet, salubriter intuenda atque cogitanda sunt. Quorum est unum quod demonstratum est homini quem locum haberet in rebus quas condidit Deus, quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne, ut superbi illi maligni spiritus qui se ad decipiendum, quasi ad adjuvandum medios interponunt, non ideò se audeant homini præponere, quia non habent carnem, & maximè quia & mori in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne ideò illi tanquam Deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales*. Extruunt igitur veritatem nostram errantia etiam illa imitamenta, quando ne somniantibus quidem aut fingentibus, alia potuit obviare mediatoris forma, quàm quæ Deum & hominem, si reapse non posset, simulatione saltem & mendacio repræsentaret. Aaronicum autem Pontificem non alia radiasse quàm typica mediatoris & adumbrata gloria tradit Origenes, ut qui Dei atque hominis imaginem quandam circumferret, atque hac prætenta jam tum mediatorem se inferret. *Intuere stantem Pontificem, & objectione quadam sui viventes à mortuis dirimentem, virtutem vero repropitiationis ejus & incensi mysterium erubuisse Angelum vastatorem, & in hoc mortem quidem finitam, vitam verò reparatam. Ascende nunc ad verbi hujus celsiora fastigia, & vide quomodo verus Pontifex Jesus Christus assumpto batillo carnis humanæ, & superposito igni altaris, anima sine dubio illa magnifica cum qua natus est in carne, adjecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus, medius inter vivos & mortuos stetit, & mortem non fecit ultra grassari, &c. Hoc fuit mysterium quod postea futurum jam tunc ille qui populum vastabat, expavit. Et illos quidem tunc imago præfigurata salvavit, ad nos autem salutis veritas ipsa pervenit. Neque enim indumenta Pontificis, purpura ac lana byssoque contexta erubuisset Angelus ille vastator, sed ista quæ futura erant indumenta magni Pontificis intellexit, & iis cessit quibus utique universa creatura inferior erat*. Et sanè Philonem suprà audivimus, diffidentem homini mediatori, & ipsi Verbo committentem hanc provinciam, quo veritatem quasi è nubilo fulgurantem intervidisse videtur.

De Tr. l. 13. c. 17.

Hom. 9. in Numeros.

XIV. Undecimò, quia hac via nulla compendiosior, nulla tutior.

Undecimò, compendiosissimum est ipsum esse Deum atque hominem, ipsum viam & viæ metam, ipsum per quem itur & ad quem itur. Ne si anfractuoso intervallo dissitus à nobis mediator conveniendus sit, & per illum rursùs diversus ab eo Deus sit adeundus, inter hæc interserat se atque obrepat error vel fraus quæpiam improvisa, & exitium incautis importet. Augustinus: *Ego sum via, veritas & vita. Ambulare vis, ego sum via, falli non vis, ego sum veritas, mori non vis, ego sum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus, non est quò eas nisi ad me, non est qua eas, nisi per me*.

In Evang. Joan. Tract. 22. 31.

XV. Duodecimò quia hinc certa nobis fiducia, si idem pro nobis orat & exoratur.

Duodecimò, & postremò, substantivus Dei & hominum mediator, ipsissima Dei hominisque substantia conflatus compactusque, in quantam nos excitabit fiduciam, quis fari, quis vel capere possit? Cùm enim mediatoris sit exorare, placare, perlitare, num qui seipsum homo Deum orabit, non exorabit, num qui litabit sibi, non perlitabit, num nec sibi placari aut propitiari acquiescet? Quis suas ipsius preces unquam fastidivit? Quis à seipso

à seipso repulsam passus est? Non poterit ergo non exaudiri tantus mediator. An verò nostras ipse preces poterit aversari, aut suo nos orbare patrocinio? Ne id quidem suspicari fas est. Nam noster est, frater est, os de ossibus & caro de carne nostra est: ipsius causa est, quæ nostra est, quia hominum in communi causa salusque est. Ergo in illo seipsum exaudiet homo, semet exorabit ipsa humanitas. Bernardus: *Ut ex æquo partibus congruens mediator, neutri suspectus sit, Deus Filius Dei fiat homo, fiat filius hominis, & certum me reddat in hoc osculo oris sui. Securus suspicio mediatorem Dei Filium, quem agnosco & meum. Minimè planè jam mihi suspectus erit. Frater enim & caro mea est. Puto enim spernere me jam non poterit, os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Si enim nos aspernaretur, contumeliam sibi intorqueret ipsi, naturæ ejusdem consorti. Eò allusit Apostolus cùm ait, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, Sibi utique Deo, idem homo, hominem inquam Deo, seipsum sibi conciliabat: an ergo poterat causa cadere? an poterat conatu frustrari? an à seipso diffidere quibat? Quocirca eleganter Alcimus Avitus, locum illum Apostoli perpendens: *Eligat hic doctor adversus, quis mundum inter ipsa pene sui exordii rudimenta, benignissimo creatori peccato primi parentis offensum, sibimetipsi in sæculorum fine conciliet? Si solus Deus, quid excuset sibimet quod sufficit remisisse? Si autem solus homo, quo effectu sibi mortalis reconciliet, quod divinitas non relaxat? Unus est ergo Deus & homo, qui sibi mundum ipse commendet: Qui pro sæculi vita sibi Patris Filio supplicet Filius matris. Unde non dixit Apostolus, Mundum reconcilians Deo, sed sibi; ne fortè pro redemptione humani generis solum hominem orasse sentires. Qui utique nisi in divinitatis naturam transiret assumptus, non solùm obnoxietatem humani generis nulla intercessione dissolveret, sed & ipse communis debiti sarcinam parentali chirographo sustineret.* Quid expeditius, quid à periculo munitius, quàm ut non alii quàm sibi conciliator medius mundum commendet, sibi Patris Filio supplicet Filius matris?

Serm. 2. in Cantica.

Epist. 2.

Sed qui nostras aspernetur preces, quas ipse inspirat, quas præformat, quas ipse orat? Augustinus: *Nullum majus donum præstare Deus posset hominibus, quàm ut Verbum suum per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret, ut esset Filius Dei filius hominis, & unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus; ut & quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde Filium separemus, & quando precatur corpus Filii, non à se separet caput suum, sitque unus ipse Salvator corporis sui Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, ut Sacerdos noster; orat in nobis ut caput nostrum, oratur à nobis ut Deus noster.* Et paulò pòst: *Oratur ergo in forma Dei, orat in forma servi: ibi creator, hic creatus: creaturam mutandam non mutatus assumens, & secum nos faciens unum hominem caput & corpus. Oramus ergo ad illum, per illum, in illo, & dicimus cum illo, & dicit nobiscum.* Et alibi: *Habes majestatem ad quam ores, habes humanitatem quæ pro te oret.* Et Epist. 121. *De Domino scriptum est quod pernoctaverit in orando, & quod prolixiùs oraverit, ubi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus?*

In Psal. 85.

In Psal. 29.

Et scitè idem Augustinus alio loco: *In sinum meum convertetur oratio mea, hoc intelligo dictum, quia in sinu suo habebat Patrem, Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi. In se habebat quem precaretur, non erat ab illo longè, quia ipse dixerat, Ego in Patre & Pater in me est. Sed quia oratio ad ipsum magis hominem pertinet, secundùm enim quod Verbum est Christus, non orat, sed exaudit; & non sibi subveniri quærit, sed cum Patre omnibus subvenit; quid est, oratio mea in sinum meum convertetur, nisi in meipso humanitas, in me ipso interpellat divinitatem?* Quia Pater in Filio, quia unus Deus & exauditor est Pater & Filius, effusam à Filio, non potest non exaudire precem. Sed quasi circuitus ille nimis adhuc esset sinuosus, ut mora & ambiguitas omnis execetur radicitus, qui Filius est, idem & homo orat, & Deus exaudit: idem & homo propitiat, & Deus propitiatur. Et rursùs idem: *Hi possunt utcumque cogitare Dominum nostrum Jesum Christum, inquantum homo est, pro nobis interpellare Patrem, inquantum autem Deus est, & nos exaudire cum Patre. Quod eum significasse arbitror, ubi ait: Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ad hoc quippè intuendum quomodo non rogat Patrem Filius, sed simul exaudiunt rogantes Pater & Filius, nonnisi spiritalis oculus mentis ascendit.* Prona sanè & proclivis per id genus mediatorem conciliatio, qui potuerit etiam precibus supersedere: quippè qui ante preces jam Deum homini conciliaverat in seipso, & quidem substantialiter & indivulsè; qui denique precibus & supplicationibus ad exempli magis condendi, quàm conciliationis exprimendæ necessitatem profusis, in diebus carnis suæ, sedet in sempiternum etiam per hominem suum paterni solii imperiique collega: & ibi quidem etiamnunc interpellat pro nobis, verùm non aliter, quàm quia apparet vultui Dei pro nobis; nempè ut supra aiebat Augustinus: *In tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus*, Et serm. 29. de verbis Dom. *Dominus noster Jesus Christus, inter nos petitor, cum Patre dator*, Struendæ ergo humilitatis causa oravit, dum fragilem gestaret gestandamque doceret carnem: nunc non orat, non procumbit in genua, sed sedet sanctorum cœlestium minister, & nunc tamen maximè mediator & conciliator & sacerdos est: & hæc tota interpellatio ejus sita in eo est, quod *apparet nunc vultui Dei pro nobis*; id est, substantia ipsa sua, præsentiaque mediatoris partes exolvit.

In Psal. 34.

Tract. 102. in Joann.

CAPUT IV.

Mediatoris est orare, oratio porrò nec Deitati Christi officit, nec ejus humanitatis amplitudini derogat.

DIvinitati Verbi insidias hinc quoque struebant Ariani, quòd Patrem orasset, & adorasset, minor utique majorem. Expeditissima refutabantur responsione, non Deitatis, sed humanitatis propriam fuisse orationem. Chrysostomus: *Et illi quidem divinitatis orationem extitisse dicunt, nos autem dispensationis. Deus enim non orat, Dei est adorari; Dei est orationem suscipere, non offerre.* Quid manifestius, quàm Dei esse non orare, sed exorari? Et illi tamen in hac tanta luce titubabant.

I. Arianos ab oratione Christi impetentes deitatem ejus, ut refellerent sancti Patres.

To. 1. Hom. 32.

Ideò comminiscebantur illi veritatis & fidei transfugæ genus adorationis temperatum, quod & Filium Patri subjugaret, nec ad creaturæ tamen illum sordes, nec ad ignominiam servitutis detruderet. At hæc quantulacumque Filii ignobilitas Patrem ipsum peræquè dehonestabat; ejus enim imago substantiæ & character, ejus denique Filius non poterat deturpari, quin eodem dedecore & ipse aspergeretur. Cyrillus ibidem: *Adorabit inquiunt Patrem unigenitus, neque ut servus, neque ut creatura, sed ut Filius geniterem suum, &c. At si natura unigenitus & velut ex necessitate adorare debet, quomodo non apertè in ipsum Patrem peccare deprehendentur? Omnino enim necesse est ipsum quoque talem censeri, quandoquidem ejus imago & character est Filius; & quæcumque eandem & per omnia æqualem similitudinem habent, ea uti-*

In Ev. Joan. pag. 187.

ea utique nullo modo differunt. Adhæreſcit enim ſuſpicio ignobilitatis & ſervitutis in quocumque adoratore. Contaminatur hinc autem Patris majeſtas, ſi nec Filium potuit niſi degenerem gignere, nec imaginem ſui exprimere niſi decolorem & mendacem.

Audet etiam Theodoretus dato quod aſſumebant Ariani, naturæ paternæ æqualitatem Filio adhuc ſoſpitem vendicare. Non rarò enim uſuvenit, ut collegam ſuum quis quidpiam oret. Ea exponens verba, *Qui ſedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Et hoc quidem ſecundum humanitatem potuit. Ut Deus enim non petit, ſed ſuppeditat. Quod ſi etiam ſecundum divinitatem hoc Filium facere dixerint hæreuici, nec ſic quidem ejus gloriam minorem eſſe oſtendent. Demus enim duos Reges eſſe honore æquales & eadem poteſtate præditos: eſſe autem utriſque præfectum aliquem aut magiſtrum militum, & horum alterum precibus ejus qui offendit priùs ſuſceptis, petere à regni conſorte, ut ei reconcilientur, hoc ne de ejus qui petit dignitate detrahit? Nequaquam, ſed neque hìc dicere id licet. Quæ enim Patri placent, etiam placent Filio, & una utriuſque eſt voluntas.* Non aſſentitur ergo ut Filius Deus Patrem oret, ſed Arianos ludibrio propinat, qui cum temerè aſſumerent quod volebant, inde ne id quidem efficerent quod moliebantur.

In Epiſt. ad Rom.

Auguſtinus autem orationem quidem ab homine proficiſci, ſed orationi ea verba interſeri oſtendit quæ plenam Dei cum Deo, Filii cum Patre æqualitatem ſapiant. *Quoniam una eademque perſona eſt, Deus & homo, intelligimus hominem in eo quod rogat: intelligimus autem Deum in eo quod unum ſunt & ipſe & ille quem rogat.* Idem rursùs Auguſtinus illam orandi humilitatem in humilem refundit mediatorem, hoc eſt, in hominis naturam à Verbo aſſumptam. Neque enim ſublimis æternitas, ſed humana humilitas Verbi & mediatrix ad Patrem noſtra eſt, & orationibus mediationem ſuam exequitur. *Ex quo enim homo, ex hoc & infirmus: ex quo infirmus, ex hoc & orans.* Et infrà: *Orat Deus? Orat ad æqualem? Cauſam autem orandi quam habet: ſemper beatus, ſemper omnipotens, ſemper incommutabilis, æternus, & Patri coæternus?* Et tandem: *Quare interpellat pro nobis? Quia mediator eſſe dignatus eſt. Quid eſt mediatorem eſſe inter Deum & homines, &c. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem & iniquitatem, mediator factus eſt homo, non iniquus, ſed tamen infirmus, ut ex eo quod non iniquus, jungeret te Deo: ex eo quod infirmus, propinquaret tibi.*

Tract. 107. in Ev. Joan.

Gregorius autem Papa Verbo quoque Deo aptari poſſe concedit, quod oret & adoret Patrem, ſed eo ſenſu, qui Deum deceat, qui Deo familiaris ſit, id eſt, quod orari Deum adorarique doceat faciatque, frequens enim ea ratio in ſcripturis. *Bene dicitur quod corruens adoravit, quia dum ipſe humilitatem carnis ſuſcepit, in ſe credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim, quia fieri docuit. Sicut & de ejus Spiritu dicitur, Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Neque enim petit qui æqualis eſt, ſed poſtulare dicitur, quia nimirum quos repleverit, poſtulantes facit. Quamvis hoc & in ſemetipſo redemptor noſter oſtendit: qui Patrem etiam dum paſſioni propinquaret, exoravit. Quid enim mirum ſi in forma ſervi, exorando ſe Patri ſubdidit, in qua etiam manus peccantium uſque ad mortis extrema toleravit?*

L. 2. Moral. c. 22.

Cæterum uſque adeo invicta eſt ab adverſariorum ſuorum molitionibus veritas, ut quæ in eam inſtruuntur machinamenta, iis validius ſubſtruatur. Impetebatur Deitas Verbi ex orationum humilitate, indidem tanquam ex armamentario copioſo arceſſemus, unde illa invictiùs muniatur. Tantum etenim abeſt ut ab humanitate orante divinitatis amplitudo extenuetur, ut ex adverſo ipſi humanitati inſcripta ſint veſtigia creberrima & eminentiſſima ſuperfuſæ deitatis.

Primò, enim adoraverit Patrem Filius hominem indutus, eſto, nihil moror: ſed id nuſquam in ſacris literis memorari author & obſervator eſt Auguſtinus: *A Filio, accipio, etiamſi non proferas teſtimonia, quoniam hìc adorat Deum: admittitur facilè ſecundum hominem dictum, quamvis nec hoc legas*. Acquieſcit factum, pernegat ſcriptum. Nec ipſa autem ſilere ſcripturæ ſilentia, ſed loquacia diſſertaque & ipſa eſſe nemo dubitat, qui Pauli Epiſtolam ad Hebræos & ſanctorum Patrum commentarios ſaltem delibaverit. Adoratum autem à Filio Patrem ſileri, quod minimè ſilendum fuiſſet, non equidem aliam cauſam ſuſpicari poſſum, quam quod majeſtas Dei Verbi humanitati ſuæ circumfuſa ſuſpiciatur.

II. Imò ex oratione Chriſti ad Patrē argumenta non pauca dignatis ejus & divinitatis eruuntur. L. contra Maximium Arianum.

Secundò, ait alicubi Chriſtus, *Nos adoramus quod ſcimus*. Promptum erat dicere, Adoro quod ſcio, ſed turbæ hominum ſe infudit, atque ita adorationis meminit. An & hìc ergo conſulitur dignitati Verbi? Certè adorari Patrem non à Verbo, ſed ab homine Chriſto hinc clareſcit. Unde Cyrillus: *Nonne cuivis etiam ex hoc manifeſtum eſt, quod cum plurali uſus ſit numero, & ſeipſum inter eos collocet, qui neceſſitatis & ſervitutis ratione adorant, hæc ait, tanquam qui in ſerva humanitate exiſtat? Quid enim quæſo impediebat ipſum quo minus ad ſuam perſonam adorationem ſingulariter transferret, ſi à nobis adorator cenſeri vellet? Dicendum enim erat potiùs, Ego adoro quod ſcio, &c.* Adde Ambroſium ab his non diſſidentem.

In Ev. Joan. pag. 190. Ambroſ. L. 5. de fide. c. 3.

Tertiò, quin propè eſt, ut adorationem à ſe abſtergat repudietque Chriſtus etiam homo. Etenim cum tributum depoſceretur, negavit à Filiis ſolvi debere. Quid autem tributum, quàm adorationis genus? Quid adoratio, quàm tributi ſpecies? Perſolvit tamen, ſed ex diſpenſatione, & prærogativam immunitatemque ingenuitati ſuæ inſitam præfatus profeſſuſque. Cyrillus ibidem: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, aut cenſum? A filiis ſuis, an ab alienis, &c. Liberi ergo ſunt Filii, &c. Cernis Filium ferre non poſſe ut ſit tributarius; neque inſtar unius eorum qui ſervituti ſunt obnoxii, rem ſervilem ſuſtinere? Nam cum ſuæ naturæ liberam dignitatem eſſe norit, ſervile nihil ſe debere Deo & Patri affirmat. Liberi enim ſunt filii, inquit. Quomodo ergo adorat ſervi more, neque id invitus: Qui autem vel ipſam rei figuram reſpuit, quomodo veritatem ipſam ſuſceperit? An non enim adorationem tributum aut oblationem eſſe quandam ſpiritalem exiſtimabimus, & ſervitutis genus ipſam eſſe dicemus?* Conjuncta duo quædam ſunt, tributum & adoratio, & ſervitutis inuſta notis eiſdem. Reluctatur Chriſtus homo, prætenditque nobilitatem Filii, ne tributum ab eo exigatur. Ergo & ab adorandi neceſſitate liberum ſe perinde poterat profiteri. Sed ex diſpenſatione, ut tributum, ita & adorationem perſolvit. Ergo adeò non Verbum Deus Patrem adorat, ut ab adorationis ſervili nexu humanitatem quoque ſuam vendicarit.

Pag. 189.

Quartò, ne uni inſiſtamus adorationi, quæ vincula & ſordes ſervitii apertiùs intentat, & orationem pertractemus, blandiùs nos & clementiùs Deo addicentem, ipſa Chriſti hominis ad Patrem oratio creberrima, animoſam ſuique conſciam & nec vel leviſſimè perſtrictam etiam in homine aſſumpto Filii nobilitatem identidem illa quidem ſpirat. *Pater clarifica Filium tuum ut Filius tuus clarificet te*. Quid magnificentius hac orationis formula? Patrem, non Dominum convenit. Petit, & vicem repromittit. Claritatem poſtulat, ſed ipſam Patris, non diſparem. Claritatem denique poſtulat, ſed eandem retaliaturus. Ergo rectè Hilarius: *Cavendum eſt ne apud imperitos gloriam Filii honor Patris infirmet. Nec infirmari ſe patitur hæc ipſa clarificatio poſtulata. Ad id enim quod dictum eſt,*

III. Quarta cum dignitatis ſuæ fiducia Chriſtus Patrem oraret.

L. 3. de Tr.

Pater clarifica Filium tuum, sequitur & illud, ut Filius tuus clarificet te. Non ergo infirmus est Filius, vicem clarificationis ipse, cum clarificandus sit, redditurus. Et ibidem: *Ergo expostulatio clarificationis dandæ vicissimque reddendæ, nec Patri quidquam adimit, nec infirmat Filium: sed eandem divinitatis ostendit in utroque virtutem: cum & clarificari se Filius à Patre oret, & clarificationem Pater non dedignetur à Filio: sed hæc in Patre & Filio virtutis unitatem, per vicissitudinem dandæ & referendæ clarificationis ostendunt.* Subeat alicui non injuria hæc ab Hilario ita accipi, quasi nullæ sint in hac oratione partes humanitatis, quæ utique ut obnoxia non tantam æqualitatis fiduciam ostentaret. At quem pungit hic scrupulus, is oro pensitet, orare quidem nonnisi ad humanitatem pertinere; at Filium Dei unigenitum, qui hanc gestat, regit, agitque humanitatem, qui sui accessionem & quasi adjectitiam portionem illam esse fecit, ex conscientia majestatis suæ per hanc humanitatem nihil defloratæ, ita per illam fari & orare, prout non illam tantùm, sed & prout seipsum decet, adeoque jactare subinde voces æqualitatis suæ cum Patre indices. Orat ergo quia homo est, sed magnificè orat, quia Deus in homine nihil deminutus est. Quocirca idem Hilarius:
L. 9. Ibid. *Si itaque non ipse glorificandus est, id est, ut fit in gloria Dei Patris, contumeliam ascribe naturæ: si verò quod ab eo glorificatur, authoritas est, Patrem majorem in glorificandi authoritate cognosce. Quid dispensationem ad impietatem rapis? Quid sacramentum nostræ salutis invadis ad mortem? Glorificaturus Filium Pater major est, glorificatus in Patre Filius minor non est. Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris? Aut nunquid Pater major non est? Major utique Pater est, dum Pater est; sed Filius, dum Filius est, minor non est. Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur ut reddat; Filius minor non est, dum gloriam resumit ad Patrem. Atque ita & sacramentum nativitatis, & dispensatio corporationis impletur.* De Verbo jam corporato ut vides verba facit Hilarius, gloriamque Paternam suæ quoque humanitati postulante circumfundi, & cunctatur tamen minorem vel sic Patre Filium fateri. Largitur enim, ut Pater major sit, dantis authoritate: intercedit ne Filius minor sit, tum quia Filius est, tum quia si quid orat Patrem, & eo movet suspicionem minoris, eam statim diluit, dum orat ipsam Paternam gloriam sibi adjici, dum comparì à se gloria Patrem cumulandum spondet. Quanquam ergo quà homo erat, Patre minor fuerit, imò & seipso & Angelis; quanquam quà homo oraverit, & eo se minorem non dissimulaverit; quia Filius tamen Dei Deus æqualisque Patri ipse erat idem in homine, qui & ante hominem, dignitatis suæ retinentissimus in assumpto homine fuit, & ipsa humilitatis & inanitionis suæ documenta creberrimis aspersit & illuminavit generositatis majestatisque argumentis. Itaque orabat ut homo, sed orabat etiam Deus; hoc est orabat ut homo suæ sibi conscius divinitatis; orabat ut servus, sed memor ingenitæ sibi dominationis: orabat ut minor, sed paternæ non nescius æqualitatis; orabat ut exinanitus, sed qui erumpentes ingenitæ & unigenitæ majestatis radios premere & continere non posset usquequaque, quin aliquoties exilirent & scintillarent. Non ergo oratio obscurando Verbo in creaturæ sortem suffragatur, sed sublimando homini in Deitatis apicem: non in humilitate orationis aucupanda sunt argumenta, quibus Deitas Verbi infirmetur; sed in orationum istiusmodi splendore & gloria, corporatæ divinitatis amplitudo suspicienda est.

IV. Rursus ut oratio Christi majestatē Deitatis incarnatæ præ se ferret. To. 5. ser. 12.

Quintò, illa cumprimis excutienda oratio est, qua Patrem Christus de suscitando Lazaro compellavit: in ea relucent enim notæ insignes & conspicuæ humilitatis, totam Deitatis magnitudinem spirantis. Audiamus primò Chrysostomum: *Atque ut videas orationis opera non fuisse mortuum excitatum, audi orationem. Quid enim ait? Gratias tibi ago Pater, quoniam audisti me. Quid ergo? Haccine species est orationis? Hæc forma supplicationis? Gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem, inquit, sciebam quia semper me audis. Si ergo scis, Domine, semper audiri te à Patre, cur de iis quæ scis, Patrem interpellas? Equidem scio, inquit, quia semper me audit Pater, sed propter populum qui circumstat dixi, ut cognoscant omnes quia tu me misisti. Num igitur propter defunctum oravit? num supplicavit ut resurgeret Lazarus? sed propter circumstantem populum, &c. Vides quo pacto non propter mortuum fierent preces, sed propter infideles qui aderant: ut cognoscant, inquit, quia tu me misisti, &c. Attende quæso diligenter. Ecce, inquit, propria mea authoritate mortuum evoco: ecce propria potestate morti impero: Patrem voco Patrem, & Lazarum evoco è sepulchro. Si primum illud verum non est, neque hoc fiat secundum: sin autem verè Pater est Pater, obediat mortuus ad eorum qui sunt instructionem. Quid enim Christus dicebat? Lazare veni foras. Quando fiebat oratio, non resurrexit mortuus: sed quando dixit, Lazare veni foras, tunc mortuus surrexit.* Mirare quot divinitatis documenta in hac orandi fiducia emicent. Primò enim supersedere se precibus potuisse innuit. Deinde exauditum se testatur antequam precari exorsus sit. Item non à petendo, sed ab agendis gratiis auspicatur. Rursum non ad suscitandum Lazarum adhiberi à se preces testificatur, sed ad revincendas infidelium turbas de sua cum Patre consonantissima divinitate. Ad hæc ne verbo quidem rogat Lazarum excitari. Adde quòd non orante Christo exurgit è tumulo Lazarus, sed imperante. Denique ut ibidem subiicit Chrysostomus, tanta potestate jubebat Christus, ut nisi Lazarum nominatim excitasset, mortui omnes præsto affuturi fuissent. *Quare verò mortuum nominatim vocavit? Quæris tu quare? ne si absolutam vocem ad mortuos direxisset, omnes qui in sepulcris erant, excitaret. Idcirco dicit, Lazare veni foras. Te unum coram hoc populo interim revoco, ut hac in parte specimen virtutis futurorum exhibeam. Ego enim qui unum excitavi, totum terrarum orbem excitabo.* Hoc igitur fuit quasi anticipatum specimen interminatæ illius potestatis, qua olim fiet ut mortui audiant vocem Filii Dei, & qui audierint, resurgant. Tunc enim non prece, sed imperio universos excitabit.

Idem Chrysostomus interpositam à Christo orationem ait non necessitatis ergo, sed ostentatione humilitatis, ne Deo adversari videretur. *Humilioribus utitur sæpe verbis, ut suspicionem qua putatur Deo contrarius, tollat. Propterea qui innumeros sermone solo mortuos suscitavit, cùm de sepulchro Lazarum excitaturus esset, orationem ante præmisit. Deinde ne hoc illum minorem Patre monstraret, ut hanc suspicionem curaret, adjecit: Sed hæc propter turbam quæ circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Itaque nec omnia sic facit, quasi ipse habeat potestatem: ut infirmitati scilicet eorum hac moderatione medeatur: nec cuncta rursus operatur orando, ne aliquibus in posterum malignæ suspicionis argumentum relinquat. Non igitur quasi infirmus agit aliquid, aut quasi quæ ipse non possit: sed permiscet illa his, & hæc illis.* Oratione igitur Christus non sibi adjumenta, sed nobis documeta quærebat: ut cùm oraret, Deo ne infestus videretur: cùm prætermissa prece imperaret, Deus ipse in homine esse intelligeretur. Non ergo ipsi sibi subsidium precibus instruebat suis, sed nobis magisterium.

In Ev. Matt. hom. 16. Vide & hom 63. in Evang Joan.

Eadem habet & Cyrillus, de Lazari suscitatione disserens. Cyrillus in Ev. Joann.

Hilarius non aliter illam Christi precem interpretatur, formulamque reliquarum non aliter accipiendarum præscribit. *Excitaturus namque Lazarum, orat ad Patrem: numquid prece eguit?* L. 10. de Tr.
dicens,

dicens, Pater gratias ago tibi, quia exaudisti me, & ego sciebam quia semper me exaudis, sed propter turbam dixi ut credant quia tu me misisti. Nobis itaque oravit ne Filius ignoraretur: & cùm sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur. Non inops ergo tum auxilii est, sed nos inopes sumus doctrinæ. Clarificari se quoque deprecatur, ac mox de cœlo vox Dei Patris clarificantis auditur. Sed ad audita vocis admirationem ait, Non propter me vox hæc venit, sed propter vos. Nobis Pater rogatur, nobis Pater loquitur; totum ad effectum fit nostræ confessionis. Non inops ergo Christus erat auxilii, quod prece ebblandiendum vel extundendum esset: sed nos inopes eramus doctrinæ, qui non aliter imbui poteramus salutari fide, quàm si precationum suarum documentis persuaderet Christus, & se hominem esse, qui oraret, & se Deum esse, qui Patrem Filius oraret, par pari gratias ageret, prætermissa oratione sæpiùs imperaret.

L. 4. de fide, c. 1. Ambrosius in idem conspirat. *Denique Lazarum suscitaturus, levavit oculos sursum, & dixit, Pater gratias ago tibi, &c. ut quamvis ex personæ hominis incarnati susceptione loqueretur, unitatem tamen paternæ voluntatis & operationis exprimeret, quia Pater omnia audit, omnia videt quæ vult Filius. Videt ergo & Pater facientem Filium, andit volentem. Denique non rogavit, & exauditum se esse dixit. Nec æstimari potest, quòd non audit Pater, quod velit Filius. Et ut scias quia semper auditur à Patre, non quasi servus, nec quasi Propheta, sed quasi Filius: Et ego, inquit, sciebam quia semper me audis; sed propter turbam quæ circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Propter nos igitur gratias agit. Nec eundem Patrem eundemque Filium esse credamus, cum idem opus Patris audimus & Filii. Nam ut cognosceres non quasi infirmum gratias egisse, sed quasi Dei Filium semper sibi divinam potentiam vindicare, clamavit, Lazare, veni foras. Imperantis utique vox ista est, non precantis.* Ecquid amabo causæ est, quamobrem ita concinant sibi hinc Hilarius & Ambrosius, illinc Chrysostomus & Cyrillus? Nulla locorum, nulla temporum intercapedo distrahit eos, qui in schola pectoris lucem intimam veritatis ubique & semper præsentem & incommutabiliter sui similem auscultant docentem, & quæ illa intus loquitur, ipsi foris eloquuntur. Juvabit id semel monuisse, quod solatio sit, & quidem creberrimo, cùm acervantur à nobis Patrum testimonia, idem unumque quid personantia. Nam si nihil novi afferant quæ deinde accumulantur, id verò voluptati erit & admirationi, quòd nihil novatum usquam sit, nihil infestum & sibi pugnans, omnia sibi apta conjugataque dictet omnibus unitas veritatis, & veritas unitatis.

Porrò in suprapositο Ambrosii textu, id etiam atque etiam observari abs te volo quod jam semel & iterum commendavi, oranti humanitati infundi & superfulgescere majestatem Deitatis Verbi, propter quam audiatur humanitas, audiatur inquam non orans tantùm, sed volens, & audiatur non aliter magis, quàm paternæ cum Filio voluntatis & operationis unitate. Aies, una est voluntas Filii Dei cum Patre Deo, non autem Filii hominis: quì ergo exauditur homo orans, ex unitate voluntatis divinæ? Respondeo supralaudatos tamen Patres in hunc sensum conspirare, ut illud, *Sciebam quia semper me audis*: fluat & manet ex unitate illa voluntatis in Patre & Filio. Nec ulla hìc cavillatio reformidanda est: sed quod pauci penitùs medullitùsque rimari & dispicere potuerunt, inundatio illa Deitatis in humanitatem accuratè pensitanda est, quò usque pervadat, & quàm latè pateat ac dominetur. Quod ad propositum ergo attinet, non ut nudus homo orat Christus, sed ut conscius plenissimæ Deitatis suæ, & voluntatis potestatisque suæ & paternæ, conscius inquam ut homo; & humana voluntate sua ac prece sequax & divinæ se attemperans voluntati, suæ & paternæ. Quapropter audiebat Pater voluntatem Filii, id est suam, & ex consequenti humanam Christi, divinæ morigeram & obsequentem. Denique Filius nec velle quidquam homo poterat, nisi quod vellet Deus; nec audiri à Patre ergo poterat quid vellet Deus, nisi audiretur & quid vellet homo. Sed divina Filii voluntas ut prævia, & dux, & rectrix, dominatrixque humanæ, ipsa à Patre principaliter exaudiebatur, & in ea exaudiebatur etiam humana. Idem Ambrosius: *Ac ne putares quia semel à Patre auditus est Filius, addidit: Et ego sciebam quia semper me audis. Ergo non subjectæ obedientia, sed unitatis auditus est sempiternæ.* Perspicuè hinc nitet, de Verbi amplitudine, quòd non possit non audiri à Patre, id ineffabiliter derivari in hominem Christum, ut ante preces etiam & audiatur à Patre & exaudiatur. L. 2. de Spir. sanct. c. 12.

V. Ita orabat Christus, ut posset sine oratione idem perficere.

Sextò, nec eos fallebat nulla prece egere Christum, qui opem ejus implorabant. Nec enim ejus se quisquam commisit fundendis ad Deum precationibus, sed ejus in imperio nutuque voluntatis sitam esse spem suam omnes vociferabantur. Chrysostomus: *Non dixit, Si oraveris Deum; sed, Si velis, potes me mundare. Neque ait, Domine munda me, sed ipsi cuncta commisit; eumque conferendæ sanitatis Dominum esse confessus est, atque in ipso constituit omnium potestatem. Quid verò, inquis, si prava erat opinio leprosi? Proculdubio illam quidem destrui, istum verò corripi oportebat & corrigi. Putasne igitur hoc facit? Nequaquam, sed è regione totum quod dixerat, & assensione prorsus & operatione confirmat. Et non dixit, Mundus esto, sed, Volo, mundus esto.* Rogatur ergo Christus, non ut oret, sed ut imperet, & imperatorio jussu exilium morbis indicat: & ipse protinus non orat, sed jubet, & voluntatis suæ nutu summam in omnia potestatem contineri demonstrat. Hom. 26. in Matth.

Una Christum Martha suspicabatur obnoxium, nec nisi precariò mortuos excitaturum. At illam clementer objurgavit Christus, nec se precis, sed illam fidei inopem esse ostendit, ut idem Chrysostomus ait: *Clamat ille, Si volueris potes me mundare; nec rejecit eum, sed sic mundavit, ut verbo illius uteretur, ac diceret, Volo mundare. Deinde Centurio hìc dicebat, Dic verbo solùm, & sanabitur puer meus: & admiratus eum dixit. Nec in Israel tantam fidem inveni. Sed ut undique muniaris, à contrario quoque idipsum docebimus. Nihil horum Martham, sed opposita dixisse invenies. Scio enim, inquit, quod quæcumque à Deo petes, dabit tibi Deus: non solùm quamvis ei familiaris esset, valdèque ipsum diligeret, laudem consecuta non est, sed quasi non rectè de ipso sentiens emendatur. Respondit enim Dominus, Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei? Sic apertè ipsam quod nondum crediderit, accusavit. Deinde quoniam illa dicebat, Quæcumque à Deo petes, dabuntur tibi: volens eam ab hujusmodi removere sententia, & docere, quod non aliunde indiget accipere ab altero, sed ipse est fons omnium bonorum, dixit, Ego sum resurrectio & vita, id est, non expecto ut ab alio mihi potestas conferatur, sed à meipso cuncta possum efficere. Propterea ergo Centurionem coram omnibus laudat, &c.* Sanatur ergo Leprosus non precaria, sed imperiali voce, prout optaverat: evehitur inusitatis laudibus Centurio, & in exemplum fidei singulare omnibus præstituitur, quòd non ambitiosa prece, sed imperiosa Christi voce edi miracula confideret: perstringitur Martha, & torpentis fidei ergo insimulatur, quòd non imperium, sed precationem Christi exambiisset: denique disertè ait Christus, se resurrectionem esse, se vitam, cujus nutu, cujus afflatu solo vivunt & reviviscunt omnia. Quis enim tam mentis inops, ut nec vitæ permittat vivificare, nec resur- Hom. 27. in Matth.

rectioni

rectioni suscitare quenquam, nisi precibus id extundat aliunde?

Sed ut pudeat Arium sui flagitii, castigandus vel diaboli exemplo minùs insanientis. Audi Ambrosium eundem: *Annon desertis hoc Dei Filio, quod etiam diabolus detulit; & vos majore sacrilegio derogatis? Ille dicit, Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Ille dicit, impera; vos dicitis, obsecra. Ille credit quod jubente Dei Filio, elementorum rerumque in adversum natura vertatur: vos creditis quod nisi roget Dei Filius, nec voluntas ipsius impleatur. Et diabolus ex potestate æstimandum putat Dei Filium, vos de infirmitate. Tolerabiliora sunt tentamenta diaboli, quàm argumenta sint Arii.* Non potuit validiùs collidi & conteri Ariana perfidia. (L. 3. de fide, c. 3.)

VI. Quin & Christi servi persæpè non prece sed jussu miracula ediderunt.

Septimò, ne servi quidem ipsi subsidio precum semper eguere, sed abrupto frequenter jussu mirabilia quædam edebant. An ergo Filius etiam in humanitate sua Filius, & à servitutis ignobilitate purus & immunis, precandi necessitate constringetur? Et servi quidem orarunt sæpissimè, & seu præmissa seu prætermissa prece, non in suo tamen, sed in Dei nomine vires inusitatas, nempè non suas, sed emendicatas promebant: sed nihilo tamen minùs quasi umbram Christi præferentes tenuissimam, vocis imperio curabant ægros, ut imperatricis hujus potestatis plenitudinem à se delibatam, à Christo exhaustam testificarentur. Ambrosius: *At licet homines suscitaverint mortuum, non in sua tamen virtute fecerunt, sed in Christi nomine. Aliud est rogare, aliud imperare: aliud mereri, aliud donare. Elias ergo suscitavit, sed oravit, non imperavit, &c. Petrus quoque cum Æneam curaret, ait, In nomine Jesu Nazareni surge & ambula. Non in suo ait, sed in Christi nomine. Surge autem, verbum est imperantis, sed fiducia de merito est, non præsumptio de potestate: & de nominis operatione, non de sua virtute præceptionis authoritas. Quid igitur Ariani dicunt? In nomine Christi & Petrus imperat: & illi nolunt imperasse Dei Filium, sed rogasse.* Nec negat rogasse Christum, cum fidem faciant Evangelistæ, noctes totas orando emensas esse: unde ibidem statim subjicit: *Sed lectum est quod rogavit. Disce distantiam, rogat quasi Filius hominis, imperat quasi Dei Filius.* At quia transcripta est in filium hominis nobilitas & potestas Filii Dei, quia Filius Dei per filium hominis id est per seipsum sua jura sibi vendicat & usurpat passim quandocumque collibescit, ideo imperat etiam filius hominis, & à precatione abstinet, quando se filium quoque Dei profiteri ex re est. (L. 3. de fide. c. 3.)

Exemplum Eliæ ad eandem argumentationem accommodat Chrysostomus: *Age in medium proferamus prophetam Eliam, terrestrem angelum & cœlestem hominem: qui humi quidem ambulabat, & ea quæ in cœlis sunt gubernabat. Erat trium cubitorum staturæ homo, & per sublimem aeris regionem perambulabat, & usque ad ipsa cœli fastigia protendebatur: ille inquam aquarum custos, cujus lingua fuit aquarum thesaurus, & clavis cœlorum; ille idiota & Philosophus; pauper & dives: pauper quod nihil possideret: dives quod cœlestes nubes lingua sua detineret: & ipse durior erat ad condonandum peccatoribus, ita ut Deum orarit ne daret pluviam. Vivit inquit Dominus, si erit pluvia nisi per os meum. Quid facis Elia, quid pronuncias? Saltem ora Dominum, ac deinde sermonem adimple. Vivit Dominus si erit pluvia nisi per os meum. Ubinam sunt hæretici qui dicunt Filium Dei orare? Miser homo & impudens, quid ais? Elias pronunciat, & Dei Filius orat? Servus jubet, & Dominus obsecrat? Neque eum honorem tribuis Dei Filio quem & Eliæ? An non vis parem saltem dignitatem Domino concedere & servo?* Juvat hæc aliquantò prolixiùs intexuisse, ut quanta fiducia agerent servi, & quàm non ad preces tantùm suas, sed ad arbitrium nutumque suum pendula & sequacia haberent omnia, hinc colligatur, & hinc rursus quid de Christo homine conjectandum sit, cujusque judicio permittatur. (To. 1. Hom. 69.)

Scitè quoque idem Chrysostomus: *Quid enim de magistro loquor? Discipuli ejus solo verbo mortuos suscitabant. Petrus nonne Tabitam verbo excitavit? Paulus nonne suis vestibus multa signa fecit? Disce quippiam mirabilius istis: Apostolorum umbra mortuos suscitabat, &c. Quid ergo? Discipulorum umbra mortuos excitabat, & magister precibus egebat, ut mortuum excitaret?* (Tom. 5. in serm. 11.)

Et rursus idem Chrysostomus: *Quid autem præstaret Apostolis, si preces ei ad miracula opitularentur? Imo neque illi precibus omnia faciebant, sed multa Jesu nomine invocato. Quod si ejus nomen tantum poterat, quomodo ipse precum auxilio indigebat? Quo si indigebat, non utique nomen ejus eam habuisset potestatem.* Si enim precario ipse patrasset miracula, non alios eadem potestate impartiretur. Nam quod aliis ipse participat & dilargitur, id ipse non obnoxiè, sed plenè & principaliter obtinet. Deinde non ejus nomine miracula perficerentur, si non nominis ipse sui majestate, sed precum humilitate omnia expugnasset. Rursum qui suis donavit, ut ineluctabili potestate, etiam omissa precatione, quodlibet juberent præstarentque, non minùs utique absolutam à precandi servitute omnipotentiam ipse sibi habebat. Deinde non tantùm prece, sed & jussu ac verbo supersedere & solius umbræ appulsu morbos fugare quoslibet suis indulsit: quid ergo æstimandus est ipse penes se virium habuisse? Itaque ut suos suis nominibus titulisque passim insignivit Christus, ita & de Filii splendore afflavit illos, & aspersit, quasi omnipotentiæ radio, inexpugnabiliter, ubi ex re erat, omnia sus deque vertentis. (In Ev. Joan. Hom. 63.)

Octàvò, quin ipse Christus ad complusculа & quidem admirabiliora nihil precum adhibuit, sed imperiosa authoritate & insuperabili potestate operum suorum stupenda quæque perfecit. Consultò etiam minuscula precibus effusis, præstantiora amputatis rationum moris jussu invicto peregit. Nimirum ut argumento id esset, ne tum quidem conducere preces cum adhibebantur ad opus quodlibet quasi necessarias, sed ad humilitatis exempla elaboranda. Chrysostomus: *Quam enim ob causam in majoribus miraculis non orat, sed in minoribus? Nam si, quòd auxilio indigeret, orabat, & quod sufficientem in se virtutem non haberet, in omnibus orare deberet & Patrem vocare. Quod si minus in omnibus, saltem in majoribus. Nunc autem contrarium agit. Cum de rebus majoribus agitur, non orat, ut se ad alios docendos id ostendat egisse, non quod egeat virtute, &c. Quando enim puniendum fuerit, & quando honore afficiendum, & quando peccata dimittenda, & quando leges ferendæ, & quando quidpiam eorum quæ majoris momenti sunt, agendum fuerit, nusquam illum vocare Patrem invenies, nec orare, sed cum authoritate cuncta perficere. Venite benedicti Patris mei, &c. Ite maledicti, &c. Tolle lectum tuum & ambula, &c. Tibi dico malignum dæmonium, exi ab eo, &c. Vides ut omnia cum herili authoritate perficiat, &c.* Et rursus idem: *Interrogemus hæreticum, num preces ei aliquid contulerint ad Lazarum resuscitandum? Quomodo ergo alia sine precibus fecit miracula? Tibi, inquit, dico, dæmonium, egredere ab isto: Remittuntur tibi peccata, &c. Cum autem hominem fecit, quid precatus est? Nonne magna deprehenditur æqualitas? Faciamus inquit hominem. Quid autem imbecillius, si ei orandum fuit?* Sentio non defore quibus insolens & parum constans videatur hæc postrema clausula argumentationis, quasi intempestivè misceantur opera Verbi ante carnem & in carne; & perinde hæc ut illa à precationis lege exolvantur. At si refricemus eorum memoriam, quæ nos perdocuit Cyrillus maximè & Athanasius de arcano incarnationis nexu, omnis (VII. Et ipse Christus maxima quæque sine prece perfecit. — Tom. 5. Ho. 53. — Hom. 63. in Ev. Joan.)

omnis illa dilabetur suspicio, & ab inconstantiæ aut hallucinationis nævo purgabitur Chrysostomus. Est enim caro mera Verbi accessio, & temporale quasi accrementum, sic ut indemutabile Verbum usque & idipsum perstiterit post carnem atque ante carnem assumptam, & tam omnipotenter, tam imperatoriè operetur in carne & per carnem nunc, atque priùs sine carne. Ergo ut Verbum sine carne omnia fecit, ita per carnem omnia refecit, utrobique omnipotenter, principalique, non obnoxia precibus authoritate. Si carnis quidem naturam pensites, incumbit illi adorandi orandique Dei lex: ideoque approbandæ humanitati suæ serviens Christus, preces frequentavit: at si Verbum Deum contempleris, etiam cùm in carne est, & per carnem agit, nulli substernitur legi, nulli mancipari se patitur vel indigentiæ precum, vel servituti. Non imperitè ergo Chrysostomus argumentatur, tam liberam & solutam à necessitate qualibet, aut opis precisve penuria esse Verbi operationem, quà per carnem egit quidlibet, quàm qua sine carne orbem fabricavit: & ad id revincendum, argumenti in eo satis esse, quod dum curriculum vitæ mortalis metiretur, preces iteraverit tum, cum nulla vel procliviora operabatur miracula; at cum portentosa quæque & ultra administrationis aleam exerta, tum precibus de industria abstinuerit. Gemellus his est locus Cæsarii.

Cesar. Dial. 3 q. 126. in in Bibl. PP. Tom. 11.

VIII. Orando Chistus, nõ tam sibi auxilium, quã nobis magisterium parabat.

Nonò, itaque non tam preces fundebat Christus, quàm precandi normam præscribebat: non tam orabat, quàm orandum docebat; non semet orando fatigabat, non Patrem tundebat, sed nos informabat infatigabilis orationis præceptis & exemplis. Erat enim tota ejus vita, morum censura, lex justitiæ, quæ non ipsi, sed nobis impenderetur. Non igitur precatione patrocinium sibi, sed nobis magisterium parabat. Ita si quid miratus est Christus, imbuebat nos, quid mirari deberemus: si quando tristatus, si plusculum exhilaratus, sanctitatis totius arbiter & magister insinuabat, quibus demum rebus tristitia, quibus hilaritas inhibenda aut relaxanda esset; cum ipsi per se nihil novum aut insolens & improvisum posset occurrere, quo aut extorqueretur admiratio, aut tristitia obduceretur, aut hilaritas illiquesceret. Denique cum oratio sit nisus & ascensus mentis in Deum, num infra jacuit aliquando mens Christi, ut excitanda hinc esset per orationem, & ad Deum protrudenda? Num vel puncto temporis à Deo dissiliit anima illa, ut ad eum precum volatu resiliret? Ecquid autem opus erat, ut peteret quidpiam, vel prece exprimeret, cum Christus unus sit, cum omnipotens sit, cum omnium preces ad ipsum & per ipsum arrigantur & perficiantur, cum vota animæ suæ Verbum anticipet, priùsque velit & omnipotenter atque efficacissimè velit, cum Patris sit occupare Filii vota, & antevenire preces, cum denique hæc Verbi priùs vota, quàm mentis assumptæ non possit non audire & exaudire Pater, utpote quæ sua ipsius vota sint? Damascenus: *Oratio est ascensio mentis in Deum, aut congruentium petitio à Deo. Quomodo igitur Dominus in suscitatione Lazari, aut passionis tempore orabat? Non enim ascensione in Deum sancta ejus mens indigebat, semel secundùm hypostasin Deo Verbo unita. Neque petitione à Deo, nam unus est Christus. Verum nostram in se exprimebat personam & typum: quod nostrum est in seipso formabat, nobis factus exemplum, & edocens nos à Deo petere, & ad eum ascendere, & per sanctam suam mentem nobis sternens viam, & ascensum ad Deum. Quemadmodum enim passiones sustinuit, nobis victoriam adversus eas & bravium comparans: sic & oravit, nobis ut dictum est viam aperiens & ascensum in Deum, & pro nobis omnem justitiam implens.* Satis hinc & super, ut arbitror, advertis, nihil jam periculi imminere Verbo Deo, ne precandi dejectione de suo sursum culmine depellatur: quin ex adverso

L. 3. de fide, Orthod. c. 4.

cavendum ne ultra fines naturæ creatæ, in jura Deitatis propria, prævehatur humanitas ab eo assumpta, dum ab obsequii necessitate exolvitur. Sed & hic scrupulus eximetur, si hinc quidem perpendas non negari, quin oraverit homo Christus, cum id Evangelicæ literæ tam crebrò memorent: sed quanta dignitas & libertas ejus precum extiterit, idoneos interpretes perrogari sanctos Patres: illinc rursus seriò cogites, quàm multa Deitatis ornamenta propria in hanc humanitatem sint congesta, imò non quàm multa, sed quàm omnia. Nec id quidem mirum, cùm illa eò sublimata sit, non ut Deitate aspergeretur, sed ut Deitatis inundaretur & quodammodo demergeretur plenitudine: atque adeo ut non divinus, sed ut Deus esset homo Christus. Quis enim miretur si qui homo Deus verus est, Deitatis usurpet potentatum, & à precum servitio sit expeditus? Sentio quidem humanæ quoque humilitatis experimenta omnia illum percurrisse, sed ex indulgentia, & ut loquuntur Patres, œconomicè, nullo adactum necessitatis vinculo, suapte sponte, suo juri ultro derogantem, nobisque non sibi consulentem.

Chrysostomus rursum: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Si ergo venit, ut ministraret, & humilitatem doceret, noli turbari, nec animum desponde, sicubi eum quæ ministrorum sunt perficere videris, aut effari. Ita quoque multas orationes ab eadem mente fundit. Atque ut intelligatis orationem esse* συγκαταβάσεως *id est condescensus, &c.* Quis hìc tricari pergat? Nonne apertissimè indicat orasse illum tantùm per συγκατάβασιν, ex condescensu, & a precandi lege nulla obligatum fuisse? Et rursus: *Blasphemant autem, quod non intelligunt, condescensus gratia preces fusas fuisse, & propter circumstantium multitudinem.*

Orat. 51. Tom. 5.

Ibid. Ser. 11.

Annuit etiam Augustinus orationes Christi informandis maximè discipulis servisse. *Poterat Dominus noster unigenitus & coæternus Patri, in forma servi & ex forma servi orare silentio, sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem. Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis: quoniam tanti magistri non tantum apud ipsos sermocinatio, sed etiam ipsius pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est ædificatio, & si illorum qui hæc dicta aderant audituri, profectò & nostra, qui fueramus conscripta lecturi.*

Tract. 104. In Joan.

Paulò aliter Bernardus rem accipit Serm. 28. super Cant. *Est bene in meo habitu, quia mihi benedictio vendicatur, mihi postulatur hæreditas. Siquidem audierat: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tuam inquit hæreditatem, tuamque possessionem dabo tibi. Quomodo dabis ei, si sua est? Et quomodo suam mones, ut postulet? Aut quomodo sua, si necesse habet, ut postulet? Mihi proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, ut suscipiat causam.* Christi hominis erant omnia, quia ejus erant, quæcumque Verbi erant, quandoquidem Verbum ipsemet erat. Cùm ergo ejus essent omnia, quorsum sua petebat, & quasi alieni beneficii essent, ita eliciebat, vel exculpebat precando? Ergo quæ petebat, non sibi, cum sua jam essent, sed nobis petebat, qui extorres eramus ab omni in illa jure. At inquies, si sua erant omnia, quorsum vel nobis petebat, quibus ipse non precario, sed imperio dilargiri poterat? Nam sua nec sibi quisquam, nec aliis postulat, sed sibi habet, & quibus vult donat. Assentior equidem, assentiente Bernardo, non tam nobis, quàm in nobis postulasse Christum. Quia enim nisi postulantibus & enixa prece cœlum tundentibus dari non poterant nobis bona cœlestia, precatus in natura natura Christus est, cujus universitatem assumpserat, cujus universitatis personam gestabat & causam, ut suas preces nobis donaret, nostras suarum coalitiones

tione preces honestaret & consecraret, atque ita paternam nobis benevolentiam beneficentiamque omnem infunderet. Non ergo Christus cujus erant omnia, sed genus humanum in Christo petebat, orabatque, in cassum vota precesque effusurum, nisi Christi nomine & dignitate vestiretur.

Perspicuè ergo dilucet, nonnisi per συγκατάβασιν orasse Christum, quia ascensu mentis ad Deum non egebat, qui Deus erat; quia petere non egebat, qui unus cum Verbo erat, cujus sunt omnia; quia ejus ut Verbo concreti, & substantia ipsa Verbi ac consequenter bonis ejus omnibus donati omnia sunt; quia ne nobis quidem ut peteret, necessum erat, quibus sua prodigere propria poterat authoritate. Oravit ergo, ut Deitatem ejus adhuc non pervidentes ne exasperaret: oravit, ut humilitatem insereret: oravit, ut orandum commendaret: oravit, ut se nobis oraturis orantem commisceret, nos oraturos sibi oranti confunderet, atque ita nostris orationibus infinitam quandam dignitatem & Patris amicitiam conciliaret.

IX. Interpellat etiam nunc Christus in cælis citra detrimentũ Deitatis.

Decimò, interpellat etiam nunc Christus pro nobis sessitans in paterno solio. At orare nemo facilè ipsum opinabitur. Nec enim illa sedes opportuna est precationi, nec consessio in dextera, nec gloria Patris qua vestitur, nec denique æqualitas quam consessus & dextera significant. Ergo interpellat pro nobis, ut ait Paulus, sedens ad dexteram Patris, non aliter quàm semet Patri exhibens, & in se universam naturam hominum Verbo Deo copulatam. Unde Theodoretus in eum locum Epistolæ ad Romanos: *E mortuis suscitatus Patri assidet, & ne sic quidem nostri curam gerere desiit, sed quas à nobis accepit primitias ostendens, & eas ab omni labe alienas Patri demonstrans, per illas nobis salutem petit*. Non precatur ergo, sed apparet vultui Dei pro nobis: non precatur, sed sedet sanctorum cælestium minister: non precatur, sed suam sibi concorporans Ecclesiam, & sua in Patrem, Patrisque in se tota dilectione perfundens, utique Patri eam conciliat: non precatur denique, sed quæ sibi membra coaptaverit, iis sanctitudinem dignitatemque è Verbo Deo, seu à seipso incredibilem aspergit. Cæterùm ex quo primùm beata illa Verbo Deo glutinata est humanitas, suo sibi jure asciscere poterat, & in sua sibi membra compaginare cæteros homines, atque ita demum in suam eos Patrisque amicitiam revocare, omisso precum subsidio, tantoque lacrymarum, supplicationum & cruciatuum circuitu amputato: sed nihil illi fuit antiquius, quàm vim insitæ sibi majestatis infringere, & ad humillima quæque inclinare, ut ejus humilitati implicari & ita ad ejus altitudinem revocari tandem possemus.

X. Qui ab ortu suo & Filius & Deus fuit Christus homo. orari, quàm orare, dare magis, quã petere potuit.

Rogandus, non rogaturus spectari debet à nobis homo ille idemque Deus, nunc quidem maximè in fastigio gloriæ suæ, sed vel tunc primùm cùm Deus extitit, quandoquidem hoc summum jam tunc fuit gloriæ inenarrabilis columen, Deum esse. Si quando orare dignatus est ipse, penes ipsum fuit sese deprimendi potestas, ut nobis humilitatem, ut orandi necessitatem inculcaret, ut nostras subiret vices, ut nostras suis consecraret orationes: at nostrum est ejus invigilare ac studere magnitudini, eumque, vel per eum Patrem rogare, non ad orandum invitare. Ambrosius: *Itaque fideli spiritu & mente devota Jesum Dominum invocemus, Deum esse credamus, & in nomine ejus quidquid à Patre petimus impetremus. Pater enim se per Filium vult rogari, Filius vult rogari Patrem*. Ita planè Filius vult rogari Patrem, non à se, sed per se: *In nomine meo*. Ipse autem ait: *Et non dico vobis quia rogabo Patrem de vobis, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis*. Quasi dicat, cùm vestram mortalitatem agere & sustinere desiero, tunc me mihi reddam, & in memet me recipiam; nec tunc sanè rogabo Patrem pro vobis, sed eo adjungam vobis paternam amicitiam, quod vos per dilectionem inseram & implicabo mihi, quem totum non potest Pater non summoperè diligere. Unde idem Ambrosius: *Denique ut scias quod secundum hominem rogat, divinitate imperat: habes in Evangelio quod Petro dixit, Rogavi pro te ut non deficiat fides tua; eidem autem supra dicenti, Tu es Christus Filius Dei vivi: respondit, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum. Ergo cui propria authoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit. Quando igitur roget, quando imperet, considera: rogat quando passurus ostenditur, imperat quando Filius Dei creditur*. Ergo Filii est non rogare, sed imperare. Longè facessant ergo preces à Filio nunc Dei Christo, in consessu patrio vendicante sibi splendorem divinitatis: sed & cùm mortalis terras illustraret, erat perinde homo ille Filius Dei jam tunc, ergo & à supplicandi lege liber: ideòque jam tum à precando abstinebat sese, cùm se Dei Filium approbare satagebat.

L. 1. de fid. c. 3.

L. 4. de fide, c. 5.

XI. Humanata Verbi Deitas unitatẽ Trinitatis & paternũ principium declaravit, nunc non orans, nunc orans. Hæresi 69. n. 30.

Undecimò & postremò, cum divinitate, tum humanitate sua in id conspirat Christus, ut unitatem Trinitatis, paternumque principium prodat. Deitate sua id præstat cum adoratur Pater in ipso, seu in veritate: humanitate autem, etiam cum Patrem orat. Audiamus Epiphanium: *Quomodo igitur Filius à Patre postulat? Tanquam id quo carebat, peteret? minimè verò, sed Trinitatis unitatem expressit, quæ consentanea dona iis qui accipiunt perfectè tribuit. Atque ut intelligeremus unicam esse divitatem, idem alio loco non jam postulans, sed propria authoritate velut sua largitur: utpote fons ex fonte, ac Deus ex Deo progressus. Cum scilicet in discipulorum vultus inspirans, Accipite, dixit, Spiritum sanctum. Aliàs quoque sublatis manibus, Accipite, inquit, Spiritum sanctum. Item vitam habet in semetipso, ut cuicumque voluerit, det. Nam, ut Pater vitam habet in seipso, sic & Filius eandem habet in sese. Vides igitur quemadmodum ut honorem Patri deferret, atque ut singularem esse divinitatem gloriamque significaret; tum ne discipuli ab legis illum & Prophetarum Deo fidelium animos revocare velle, unicum Dei Filium crederent: cùm idem ille Deus esset, & hominum improbitatem cognosceret, orationem ad Patrem converterit, eique gloriam, quæ auferri nullo modo potest, tribuerit*. Hæc indoles est, hæc proprietas Verbi Dei, ut unitatem Deitatis, paternique principii apicem eloquatur & promulget. Si imperaret usque, suam quidem aperiret divinitatem, at paterni principii authoritatem radicemque unitatis in triplici Deitatis hypostasi obumbraret atque obtegeret. Ergo imperet, ut Deus esse & ipse conspiciatur: sed & inclinet se Patri, ut conspirare in unum Deitas intelligatur. Inclinare autem quì se poterit Deus? Si ab authore Patre profluere se, nec per se quidquam nisi à Patre creante & regente creari regique, nec denique quidquam ad se recolligi testificetur, nisi ut ad Patrem tanquam omnium fontem revocetur. Ita Deitatis Trinitas in unum conspirabit, cùm quæ ab uno principio fluxerunt aliæ hypostases, in illud referentur; eique sospite æqualitate, quantum dabitur, ut authori suo, sese acclinabunt. Jam si Verbi hypostasis creatitiam attexat sibi naturam, suum illi utique imprimet ingenium, & quantum personæ suæ dignitas patietur, in ea Patri se inclinabit, atque isto supplicantis obsequio unitatem authoritatemque Patriam venerabitur.

XII. Christus etiã ut homo, orat, ut Filius Patrẽ non declaraturus, nõ ut servus dominum. Ibid, n. 29.

Rursus ibidem idem Epiphanius: *Quocirca licèt vita ipse sit, ut testatur, Ego sum vita, eamque conferre per sese possit: juris tamen ac justitiæ legem perturbare noluit, sed idcirco venit, ut ad unum principium unamque divinitatem, veritatem, concordiam,*

cordiam, uniusque gloriæ prædicationem, hominem saltem mentemque traduceret. Ob id coram discipulis Patri supplicare voluit. Nam quis demum filius à patre non postulat? Aut quis pater non filio largitur? Quis porrò filius à patris natura diversus est? Propterea unicus Dei Filius à Patre genitus, plenus gratiæ & veritatis, nullum complementum requirebat; cùm nihil ipsi de veritate deesset, plenus autem gratiæ & veritatis foret: sed etsi plenus sit atque largiatur ipse, atque largiri possit, nihilominus in Patrem refundere omnia voluit. Etsi secus suspicari quis posset, non tamen ullatenus colliduntur hæc Epiphanii dicta suprapositis aliorum Patrum sententiis. Cæteri suprà videbantur hominem Christum ex prærogativa divinitatis Verbi cum eo communicata absolvere à necessitate deprecandi: Epiphanius autem ait: *Quis demum filius à patre non postulat? quis pater non filio largitur? quis porrò filius à patris natura diversus est?* Quibus verbis & ipso contextu totius ratiocinationis eò videtur propendere, ut etiam Dei Filii sit rogare Patrem, & ita ad Patrem referre omnia, ut ipsius humanitatis preces ab instinctu quodam impetuque Verbi Dei ad constabiliendam Patris authoritatem connitentis, videantur proficisci. Nullo hæc inter se confligentur dissidio. Reapse enim ex propria sua indole in id incumbit, id unum laborat unigenitus Filius, ut ad Patrem referat convertatque secum omnia, & ad illam unitatem, unde effluxerunt omnia, rursus revolvat. Ideo & quà Deus, Patris se esse, & ad Patrem conspirare testatissimum identidem facit, incolumi Deitatis nusquam à se deficientis æqualitate, ideoque precum humilitate profligata. At quà homo est, gratulatur utique sibi, quod precum etiam humilitate jam detur unitati Deitatis & authoritati Patris impensiùs velificari. Nisi enim, ut homo est, etiam precaretur, vix aut nec vix æstimaretur, se, quà Deus est, ad Patrem secumque omnia referre. Itaque impressa humanitati generositas Filii Dei, quia Dei, illam absolvebat necessitate, quia Filii, illam implicabat charitate Patris deprecandi. Nam Dei est, etiam in assumpta natura majestatem suam retinere: & Filii est, quanto maximo potest obsequio, Patrem revereri. Dei est necessitatem omnem longissimè amandare, Filii est addictissimam Patris charitatem comprobare.

Suffragatur Damascenus: *Nobisque per seipsum reconcilians Patrem, & ut principium causamque sui ipsius ipsum honorans, & insinuans quod non est contrarius Deo. Nam quando dixit, Pater gratias ago tibi quia exaudisti me, &c. cognoscant quia tu me misisti: nonne omnibus perspicuum fuit, quod ut principium sui & causam honorabat Patrem, & ostendebat quod non est Deo contrarius?* Eo igitur pertinebat oratio Christi, ut intelligeretur, *quia tu me misisti*: ut unus cum Patre & ex Patre & in Patrem conspirans Deus ostenderetur. Vocabatur ergo humanitas non in servitutis nomen, aut in necessitatem precandi supplicandique, ad instar Angelorum hominumque, sed ad Filii naturam, ad Verbi Dei ingenium, ad liberalem liberrimumque instinctum, quo fervet Deus unigenitus, referre se & refundere in ingenium genitorem. Quo quid generosius, quid nobilius, quid magnificentius, quid à servitute & necessitate purgatius excogitari possit non video. Commodat enim sese humanitas Deo Verbo, illi servit, ejus genio suffragatur, nobilissimæ ejus proprietati ad testificandam paternam authoritatem unitatemque se inserit, nec serviliter orat, nec obnoxiè supplicat, nec ut mera creatura procumbit, sed Dei Verbi jam quodammodo portio, Verbo Patrem glorificanti gloriosissimè commiscetur.

L. 3. de fide. Orth. c. 24.

CAPUT V.

Omnis Christi oratio exaudita semper fuit.

1. Oratio Christi non poterat non exaudiri, cù à sūma sapientia & justitia proficisceretur.

PRofligata jam ferè quæstio hæc videbatur capite superiori, in quod congesta tot argumenta hoc quoque efficiunt, non potuisse Christi nostri apud Patrem advocati preces, exauditione propitia effectuque suo frustrari. Supersunt tamen non omittenda quædam, & quæ non pœniteat huic loco reservasse.

Primò enim solus Christus exaudiri se à Patre & ubique ac semper exaudiri jure suo postulat. Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus: at ille Patrem videbat, Patris omnia sciebat, solus ideo orandi tenebat rationem, ita ut nec orare quidquam posset, quod non exoraret. Si quam autem ejus orationem repudiatam votoque suo fraudatam imagineris, jam in ordinem illum rediges, nostræque vel imperitiæ vel ignobilitati subjugabis, quod dictu nefas est. Pulchrè Hilarius eò torquet versiculum Psalmi, *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei*: quasi priùs exaudiatur oratio Christi, postea audiatur, prævertente Filii preces nutusque ipsa Patris benevolentia præfestina. A quo non abludunt Christi ipsius verba, qui nihildum precatus, ait, *Gratias ago tibi Pater quoniam audisti me:* tanquam antè exoratus faveret Pater, quàm ulla prece pulsaretur. Hilarius: *Deus exaudi orationem meam, inaudi verba oris mei. Promptum Prophetæ fuerat dixisse, Deus exaudi me. Sed quia ex persona ejus loquitur qui solus sciret orare, idcirco constans postulatio præstandæ orationis ostenditur. Paulus beatus neminem hominem qualiter orare oporteat scire docet. Non est ergo infirmitatis humanæ exaudiri orationem suam postulare, cùm Doctor gentium post constitutam licet jam à Domino formam orandi, quid & quatenus oret, ignoret. Sed ejus ista fiducia est qui solus Patrem videt, qui solus Patrem scit, qui solus potest orare pernoctans, &c. Et qui orationem suam poposcit audiri, ut peculiare hoc fiduciæ suæ doceret esse, subjecit: Inaudi verba oris mei: & quisquam hoc humanæ fiduciæ esse existimabit, ut verba oris sui velit audiri? An illa quibus motus animi nostri & impetus pronuntiamus tum cùm de ira exardescimus, tum cùm de odio obtrectamus, tum cùm de dolere querimur, tum cùm de adulatione blandimur, &c. Solus hoc potuit cum fiducia velle, qui peccatum non fecit, in cujus ore dolus non fuit, &c.* In Psal. 51.

Nos ergo præpostera non rarò vota concipimus animo ex inscitia, & quæ frustrari nostra intersit magnoperè: nos ex insitis vitiorum & cupiditatum pestibus in desideria subinde iniqua & exitialia effervescimus, quæ comprimi, quæ exaudiri, quantò vel nobis præstabilius sit, nec nos nescii sumus. Ergo perversum est & flagitiosum, si exaudiri nos semper deposcamus. At unus Christus qui Patrem videbat, in quo nulla hærebat peccati macula, cui adeo nec ignorantia illudere, nec corruptela poterat obrepere, omnia sua penitùs vota jure & merito præstari sibi flagitabat, utpotè ad veritatis sanctitudinisque amussim exacta & elimata. Quare idem Hilarius: *In exordio Psalmi, etsi humilitatis voce usus sit, cum ait, Inaudi Deus orationem meam, non tamen sine aliqua propria conscientiæ altioris fiducia intelligitur hoc locutus. Non enim cujuscumque est innocentiæ id postulare, ut orationem suam Deus inaudiat. Promptæ namque semper precationi hominum Dei aures sunt, quia qui naturam audiendi humano generi impertit, ipse extra auditus non potest esse naturam. Deus itaque ubique & semper audit, sed non omnium meriti est, ut quod audit, & inaudiat: auditum quidem ejus, orantis voce penetrante, sed dignationem eorum quæ audiantur inaudiendi, sola orationis innocentia promerente.* Quod oraret Christus, hominis In Psal. 54.

minis erat: sed quod *non sine propria conscientiæ altioris fiducia* oraret, id erat hominis Dei. Nam de conscientia interminatæ sapientiæ & sanctitudinis suæ erumpebat hæc fiducia, qua Patrem conveniebat, exaudirique se perurgebat. Lex enim sapientiæ & justitiæ Deus est, quæ ubique præsto est, ubique aurita & oculatissima: votis ergo sapientiam justitiamque præ se ferentibus ubique patet, & suffragatur, & tam non potest iis dissonare aut dissentire quàm sibi: insipientium autem & improborum precibus surda septaque est, nefariis eorum consiliis aspirare nihilo plus potest, quàm sapientia insipientiæ, justitia improbitati conjugari. Solius ergo Christi preces quas summa dictabat sapientia, quas justitia ipsa trutinabatur, patulis semper auribus excipiebantur à summa justitiæ & sapientiæ lege, Deo.

II. Æternum Patris Consilium, Verbum per humanitatem suam nō volebat, non orabat, nisi quod superne erat decretum.

Secundò, suæ desursum preces homini Christo inspirabantur, ut meritò priùs exaudiretur, quàm ullas adhuc auspicaretur preces. Nec enim nisi quod sempiterno decretum sibi esset consilio, Deus Verbum menti, animæ, linguæque quam assumpserat, insusurrabat orandum. At ipsum sanè Verbum Deus cum Patris consilium sit & voluntas, cum ratio & ars sapientiæ ejus sit, cumque humanitatem suam moderaretur ageretque, tum ad orandum, tum ad quodlibet aliud, non poterat hæc quoquam agi, aut orare quidvis, nisi duce & auspice, nisi arbitro & rectore divino Patris & sempiterno consilio, ut propemodum, non tam preces humanitatis Deitas, quàm leges humanitas Deitatis exaudiret: non tam oranti homini Deus, quàm æternùm jubenti Deo obsequeretur homo: non humanæ preci aut voluntati divinitas, sed divino nutui & sempiterno consilio obsecundaret homo: non tam exaudiret Deus hominem, quàm seipsum audiret Deus, se sequeretur, hominemque raperet, quà fas erat homini, prece, assensu, applausu divinis consiliis consentaneum. Rupertus: *In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me. Denique omnes sancti idcirco exauditi sunt quia clamaverunt: iste autem sanctus sanctorum solus est, qui veraciter dicat, Clamavi quia exaudisti me. Ipse est enim electus ex millibus, qui solus idcirco venit in hunc mundum, clamare pro omnibus, quia scivit, quod pro sua reverentia foret exaudiendus. Hoc ipse in Psalmo innuens loquitur, Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio: & est sensus: cum intelligerem quod illa de brutis animantibus sacrificia nolles, quod nullus ex omnibus justis de peccato ad plenum satisfaceret, tunc dixi, Ecce venio, sciens sine dubio futurum esse, quod satisfacientem pro omnibus & clamantem exaudires me. Hinc est quod clamans voce magna ad monumentum Lazari, non orat exaudiri se, sed, Pater inquit gratias ago tibi quoniam exaudisti me, &c. Breviter autem concludendum est, quia solus iste est, qui dicat, Clamavi ad te quia exaudisti me: sanctus autem quilibet dicat, Quia clamavi ad te, exaudisti me.* Vanescere & sterilescere non poterant preces, quæ ex præscientia & conscientia consilii divini quidpiam ante sæcula prædestinantis proficiscebantur.

L. 1. in Jo. c. 1.

Bernardus autem: *Non possunt perire pro quibus Filius rogat, ne pereant: pro quibus Pater tradidit Filium in mortem, ut vivant. Æqualiter ergo ab utroque speranda est venia, quibus æqualis est in pietate misericordia, par in voluntate potentia, una in Deitate substantia.* Adverte quibus adminiculis suffulciatur Christi hominis oratio, ne incassum ruat: nempè sempiterna Patris voluntate & misericordia, qui Filium in hoc misit, & ipsius sempiterni Filii semet trudentis consona voluntate. Invictæ ergo voluntati & ineluctabili potestati, quæ succinet & obsequetur precatio, ea utique invictissimè & ineluctabiliter votorum suorum cumulum consequetur.

Ho. 3. super Missus est.

Tertiò, quod divinæ reluctari sententiæ, æternisque adversarium esse consiliis prævidebat, aut in ipsis potiùs videbat sapientiæ & scientiæ Dei thesauris quos sinu gestabat, id sanè non poterat Christus, aut clandestinis optare votis, aut effusis precibus postulare. Divinorum enim consiliorum æternam incommutabilitatem, & incommutabilem æternitatem qui aliquo tempore mutari & in diversum agi posse speraverit, næ omnes ille amentiæ numeros impleverit: qui autem sperare id Christum aut suspicari potuisse senserit, planum est quàm inexpiabili se ille impietate constringat. Nec nobis enim homuncionibus ab omni & sapientiæ & justitiæ præsidio penè destitutis, in mentem veniret unquam Deo obstrepere, aut instare precibus, id ut ne præstaret, quod æterno & immutabili decreto statum illi & ratum esse gnari essemus. Num ergo Christum latere poterant divina æternitatis consilia? Num poterat ille prudens sciensque niti contra torrentem, operamque & industriam suam perdere? Num pendebant adhuc incerta aliqua Dei consilia, & quasi in ambiguo fluctuabantur, ut ea Christi hominis voluntas quò ipsi visum foret, inclinaret? At stultissimum est hæc delirare. Igitur voluntati Dei omnipotentissimæ suas orationes Christus semper accommodavit, atque ita nusquam spe votoque suo falsus aut frustratus est. Augustinus: *Hæc igitur causa, qua fit ut nunc Ecclesia non oret pro malis Angelis, quos suos novit esse inimicos; eadem causa est qua fiet, ut in illo tunc judicio pro hominibus æterno igne cruciandis quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maximè pro illis orat, nisi ut det illis Deus pœnitentiam, &c. Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sunt constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret quàm nec pro ipso; sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia & filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, nunquid jam pro eis id est pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia?* Hæc Augustini argumentatio tota id efficit, ut nemo sanus orandum Deum existimet contra ejus inexpugnabilem & incommutabilem æternorum vim consiliorum. Ideo enim pro malis Angelis in æternum ignem ex anteriore peccati sui merito prædestinatis orare Ecclesia supersedet. Ideo malos & facinorosos quosque homines dum in hac mortali vita versantur adhuc, precibus sublevare satagit, quia divini circa eos consilii ignara, benè ominatur, spemque suam ad auspicatiora quæque contorquet. Ideo pro iis qui sceleri suo immortui sunt, nusquam orat Ecclesia, quia bonæ frugis abrupta morte spes omnis est, & divina circa eos voluntas ipso exitu patefacta est. Ideo denique nec beati nunc in cœlis intercedunt pro iis, quos inferna cruciat flamma, nec in extremi die judicii pro reprobis electi supplices Deo cadent, quia exemptæ semel & promulgatæ Dei voluntati obluctari atque intercedere furiosum est. Ergo cùm Christo explorata numerataque essent omnia, quæ Deus in arcano æternæ prædestinationis secretario statuit fixitque, non poterat ille secùs quidquam cupere, nedum flagitare. Eadem habet & Gregorius Magnus.

III. Quod æterno & immutabili consilio adversari gnarus erat Christus, optare non poterat, nedum orare.

L. 21. Civit. c. 24.

Moral. l. 14. c. 16.

IV. Oravit Christus pro illis, quos Pater illi dedit: utique exaudiri certus.

Quartò, extricasse hunc nodum, nostræque occurrisse hæsitationi videtur Christus, apud Joannem ajens: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Ita enim preces suas circumscripsit, coarctavitque ad eos, qui fructum ex eis aliquem decerpturi erant: nec inaniter passus est fluitare ad alios

alios peccatis suis irrevocabiliter immersos. Augustinus: *Cùm de his quos jam discipulos habebat,* Tract. 107. In Joan. *Dominus loqueretur ad Patrem, inter alia etiam dixit hoc: Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi. Mundum vult modo intelligi, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, sed pro his quos ei Pater dedit rogare se dicit; per hoc enim quod eos illi jam Pater dedit, factum est, ut non pertineant ad eum mundum, pro quo non rogat.* Audis apertissimè, esse pro quibus non rogaret tunc Christus, cum pro solis electis orabat; quid ii non essent in ea sorte gratiæ, ut a mundi corruptela segregarentur. Ut quia enim divinas aures nequicquam obtunderet, ut ea impetraret, quæ impetrari æterna Dei voluntas & incommutabilis prædestinatio vetabat? Quod evidentiùs paulò infrà Augustinus disputat, ubi pro mundo orat Christus: *Ut cognoscat mundus quia tu me misisti:* Quæ in speciem Tract. 110. In Joan. compugnantia ita ille conciliat: *Nam ecce qui dixerat, Non pro mundo rogo, pro mundo rogat, ut credat: quoniam est mundus, de quo scriptum est, Ne cum hoc mundo damnemur. Pro isto mundo non rogat, neque enim quò sit prædestinatus ignorat. Et est mundus de quo scriptum est: Ut salvetur mundus per ipsum; &, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Pro isto mundo rogat dicens, Ut credat mundus quia tu me misisti.* Viden esse mundum pro quo Christus non rogaverit, quod *quò sit prædestinatus, non ignoraverit*? Quàm alienum enim foret, non à Christi tantùm sapientia, hoc est ab ipsamet sapientia, sed vel ab hominis non usquequaque dementis peritia, gnarum conscium que voluntatis divinæ indemutabilisque placiti, contra niti suis precibus, & insano molimine obluctari! Oravit ergo Christus ea omnia illis omnibus, quibus, & quæcumque Deus prædestinaverat largiturum: quæcumque autem & quibus statutum Deo fixumque immobili voluntate erat non elargiri, ea illis orare abstinuit. Stultum est enim orare, quod certò scias non posse te impetrare. Pro reprobis ergo etiam oravit Christus, & ea illis orando impetravit auxilia, quibus non caruerunt, quibus & obsequuti si essent, utique à salute non excidissent. Nec id adversum est Augustino, cum hæc auxilia reprobis & in tempore data, & ante tempora à Deo fuerint prædestinata. Augustinus enim id unum laborat, ut ne Christi oratio dissentiret à Dei prædestinatione, æternisque consiliis, quorum etiam ut homo conscius erat.

Juvabit & Cyrilli sententiam percontari. Pertractavit ille locum istum, ejusque cum alio Joannis loco, ubi *non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis propitiatio Christus extitisse dicitur*, hanc concordiam excogitavit: *At enim* L. 11. in Ev. Joan. p. 967. *obiiciet forsan aliquis: Christus hoc loco palam negare videtur se pro toto mundo orare: sapiens autem Joannes ait contrarium, non pro nostris tantum peccatis salvatorem asserens propitiationem, sed etiam pro totius mundi. Quæ sit hujus objectionis solutio, non est difficile explicatu. Quia enim beatus Joannes Judæus erat & ex Judæis, ne qui forsan existimarent Dominum pro Israelitis tantum advocatum esse apud Patrem: pro aliis verò gentibus per totum orbem dispersis non item, quamvis fide erga ipsum conspicuæ futuræ essent, & brevì ad agnitionem salutis per Christum vocandæ: necessariò dicit, non pro solis tantum Israelitis propitiationem fore Dominum, sed pro universo mundo, hoc est pro iis qui ex omni gente ac genere vocandi essent per fidem, ad justitiam & sanctificationem. Dominus autem noster Jesus Christus legitimos à spuriis secernens, & qui divinos ejus sermones audiunt, cordisque certi cem subiiciunt, & se quodammodo servituti Dei mancipant, ab iis qui præfracta & contumaci indole eum offendunt, pro iis solis rogare se convenientiùs dicit. Quorum enim mediator est atque pontifex, iis tantum bona mediationis largienda putavit; quos etiam datos sibi esse ait, &c.* Planiora & explicatiora sunt hæc, quàm ut interpretis operam desiderent. Declaratur enim constantissimè oratio Christi divinis sequax serviisse consiliis, nec rogasse quidquam cuiquam, nisi ex assensione voluntatis divinæ, ea illis danda ante sæcula prædestinantis.

Chrysostomus strinxit tantùm hæc verba. *Sed quid significat, pro eis rogo? Non pro toto mundo inquit, sed pro iis quos dedisti mihi.* Hom. 80. in Joan. Hæc ille strictim, sed abundè, si cavilli amoveantur. Sed Chrysostomi sententiam utcumque dabitur expiscari ab ejus sectatoribus. Theophylactus in ea Christi verba hæc philosophatur: *Cùm ostendisset quod propter nihil aliud quàm propter ipsos hæc ad Patrem dixisset: ut discant quod diligat eos & curam eorum gerat, ait: Ego pro ipsis rogo & supplico, non pro mundo. Ostendo enim omninò ex hoc quod diligam eos, Non enim solùm do quæ mea sunt, sed & oro ut custodias eos. Non oro te pro promiscuo populo qui mundana sapit, sed pro his quos dedisti mihi: tui enim sunt.* Non orabat ergo tunc Christus juxta Theophylactum *pro populo, qui mundana sapit*: hoc est quod paulò suprà ex Augustino attulimus, *pro iis qui vivunt secundum concupiscentiam mundi.* Non ergo dissidet ab Augustino Chrysostomus, non belligerantur inter se quasi adversa acie, Patres Græci Latinique, ut existimant nonnulli; sed plerosque fallit in verborum discrepantia constans sibique semper consona orthodoxæ veritatis aspiratio, non locis abrupta, non temporibus convulsa. Et Euthymius in eundem locum Joannis: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi; quia tui sunt. Non pro mundo universo precor, sed pro his qui credunt in me. Nam qui in me non credunt, nolunt ut pro eis orem.* Et cui non vel invito & renitenti extorqueant assensum verba ipsa Christi tam exerta: *Rogo pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*? Rogat pro iis quos Pater dederat; rogat pro jam suis: pro suis inquam suo sibi jure, & pro suis à Patre prædestinante donantis, pro his rogat, ubi repulsæ locus non erat: pro mundo, quem æterna Patris voluntas non dederat, quem quò prædestinatus esset, non ignorabat, pro hoc non rogat, ubi impetrandi spes omnis intercisa erat. Illud porrò perspicuum est, non hìc agi nisi de oratione Christi illa speciali, quam pro Apostolis & pro electis suis tunc fudit. Pro cæteris non potuit non aliàs orasse, cùm & pro illis omnibus sanguinem fuderit, & nonnulla illis gratiæ suæ beneficia asperserit, etsi non ea tamen copia quæ electorum propria est.

Quintò, oravit Christus cruci suffixus veniam iis V. qui impias illi & cruentas intulerant manus: oravit & exoravit. Frustrari ergo nusquam potuit ejus oratio, si ne hìc quidem voti sui fructu caruit. Et ne tergiversationibus ullis ludificari posse speres hoc argumentum, aures mentesque pronas Patribus hæc elucidantibus adiiciamus. Chrysostomus de Juda verba faciens quem desperatio veniæ vitæque subduxit: *Quod enim si vixisset, & ipse fortè salvatus foret, argumentum ex crucifixoribus sumitur. Si enim hos qui eum crucifixerant, salvavit, & ipse in cruce existens rogavit Patrem, indulgentiamque tantæ audaciæ postulavit: constat quod & ipsum proditorem dignè pœnitentem cum mansuetudine suscepisset.* Pro quibus ergo crucifixoribus suis oravit, iis salutem contulit.

Pro crucifixoribus suis Christus oravit & exoravit. Ex Chrysostomo.

To. 1. ho. 58.

VI. Ex Euthymio. In Luc. c. 80.

Et Chrysostomo consonans Euthymius, Christi verba hæc in cruce excutiens: *Pater, ignosce illis: Pro crucifixoribus Judæis orans tanquam homo, compassionis formam hominibus demonstravit, quam erga illos habere oportet, qui eos injuria afficerent. Dubitaverunt autem quidam sumpta hinc occasione; si enim remissum eis erat peccatum, quomodo postmodum Romanis ob illud ad internecionem traditi sunt? Quibus nos dicimus, quod non pro omnibus precatio*

catio facta est, sed pro his dumtaxat, qui nihil mali deinceps perpetraturi erant. Qui vero cum sol obscuraretur, & velum scinderetur, terraque commoveretur, & petræ scinderentur, aliaque signa in resurrectione ejus fierent, malitiam addiderunt, & fortuita hæc esse cogitantes, divinæ resurrectioni calumniam malignè struxerunt, non pro his oravit, ideo etiam hi omnino traditi sunt inimicis. Advigilat diligentissimè ne ulla Christi oratio irrita & inefficax vanescat, ideò qui ejus beneficiorum expertes omninò sunt, eos ab ejus orantis consilio & benevolentia procul fuisse pertendit. Cùm autem persuasissimum ferè omnibus sit, in ea esse sententia Patres Græcos, ut nonnulla gratiæ suæ adjutoria Deus omnibus prorsus impertiat, hinc consequens fit & illud, pro iis impetrandis Christum orasse.

VII. Ex Pseudo-Justino, Q. 23. Author Quæstionum ad Orthodoxos apud Justinum Martyrem: *Si ante passionem Dominus precatus est, ut sanctificarentur à Patre discipuli, postea autem Judas periit, quomodo quæ pro eis oblata est precatio, accepta videtur? Quomodo etiam verum esse ostenditur, Scio quod semper me audis? Responsio. Judæ perditio facta est, postquam Christus sumptam atque intinctam offulam illi dedit: eamque Judas accepit, ingressoque in eum Satana, egressus à reliquis se abrupit discipulis. Oratio autem pro discipulis post discessum Judæ facta est. Id ex ipsa ostenditur oratione, cum orans Dominus dixit: Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit, nisi Filius ille perditus, ut Scriptura compleretur. Itaque primum perditio facta est, deinde pro discipulis oratio, postea passio Salvatoris.* In eundem scopum hæc connituntur, nulla ut Christi oratio postulati beneficii cassa & inanis extiterit.

VIII. Ex August. Sed ante alios Augustinus frequentissimè & ad nauseam penè illius maximè Christi orationis efficaciam decantat, cui potissimùm sinistra adhæserat suspicio. *Non intellexerunt cum crucifigerent, tamen postea crediderunt in eum, & donatum est eis tam*
In Psal. 65. *grande delictum. Fusus Domini sanguis donatus est homicidis, ut non dicam deicidis: quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Modo homicidis donatus est fusus sanguis innocentis. Et ipsum sanguinem quem per insaniam fuderunt, per*
In Psal. 21. *gratiam biberunt.* At alibi: *Namque de his qui crucifixerunt Christum, facta sunt postea miracula, quando de ipso numero Judæorum crediderunt, & donatus est illis sanguis Christi, &c. Fuderunt pretium suum, ut biberent pretium suum. Namque postea plures conversi sunt, cum multa miracula fierent ab Apostolis, aliquot hominum millibus una die credentibus, &c. In illis valuit vox illa Domini in cruce pendentis & dicentis, Pater ignosce illis, quia nesciunt*
In Psal. 94. *quid faciunt.* Et rursus: *Unde quingenti illi fratres, &c. Unde tot millia ad vocem Petri, &c. Tanta aviditate Dei laudis & suæ accusationis conversi sunt, ut qui primo sanguinem Domini fuderunt sævientes, bibere discerent jam credentes. Sic autem omnia illa conversa sunt millia hominum, ut res suas venderent, & pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponerent. Quod dives unus non fecit, quando ore Domini audivit, & à Domino tristis abscessit, hoc fecerunt subito tot millia eorum hominum, in quorum manibus Christus fuerat crucifixus.* Et rursus: *Misso Spiritu sancto fecit discipulos suos homines*
In Psal. 96. *idiotas loqui omnium gentium linguis. Tunc illi pro quibus non frustra dixerat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, commoti, ut diximus, quæsierunt salutem, consilium acceperunt ut in eum cre-*
In Jo: Tr. 92. *derent, crediderunt uno die tria millia & rursus quinque millia.* Et rursus: *Compuncti corde conversi sunt, & tanti sanguinis tam impiè atque immaniter*
Ibid. Tr. 31. *fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt.* Et alibi: *Non debebant desperare pro quibus in cruce pendens Dominus est dignatus orari; dixerat enim, Pater ignosce illis, &c. Videbat quosdam suos inter multos alienos, illis jam petebat veniam à quibus adhuc accipiebat injuriam: non enim attendebat quod ab ipsis moriebatur, sed quod pro ipsis moriebatur.* Et denuò: *Qui sævientes occiderunt, mutati crediderunt: & quem sanguinem sæviendo fu-* Ibid. Tr. 40.
derunt, credendo biberunt illa tria millia, & illa quinque millia Judæorum. Et alibi: *Conversi sunt ad eum* Serm. 59. de verb. Dom.
quem crucifixerunt: & in sacramento credentes, sanguinem ejus biberunt, quem sæviendo fuderunt. Et alibi rursum: *Qualis ergo ejus insania qui medicum occidit? Quanta verò bonitas & potentia medici qui de sanguine suo, insano interfectori suo medicamen-* De Verb. Apost. ser. 8.
tum fecit? Neque enim ille qui venerat quærere & salvare quod perierat, pendens sine causa dicebat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Insani sunt, medicus sum: sæviant, patienter fero; cum occiderint, tunc sanabo. Et denuò: *Agnosce phreneticos, agnosce & medicum. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illa perdita mente sæviebant & medici sanguinem sæviendo fundebant; ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamentum faciebat. Non enim verè frustra dixit, Pater ignosce illis, &c. Orat Christianus & exauditur: orat Christus & non exauditur? Prorsus exauditus est. Erant in ipso populo à quo ipse medicus occidebatur, & in ejus sanguine etiam ipsis antidotum parabatur.* Constantissimè ergo tuetur Augustinus nullam non exauditam esse Christi orationem, ut ex hac sylva ejus testimoniorum testatissimum fit. Ait enim non frustra Christum orasse. Ait præposterum esse, ut exaudiatur aliquando Christianus, & non exaudiatur aliquando Christus. Ait tantam fuisse vim sanguinis & orationis Christi, ut illud etiam tam immane facinus expiaret, ut hinc conjectura valeat de cæteris. Ait usque adeo illam Christi precem valuisse, ut eorum quos illa complexa erat, resipiscerent primùm tria millia, deinde quinque millia. Ait illis prece Christi tantam supernæ venæ & beneficentiæ copiam expressam infusamque esse, ut initiati Christi mysteriis statim valedicerent sæculo, suaque omnia in pauperum censum conferrent, quod nec unus antea potuerat, cùm ad hoc ipsum Christus ipse instigaret. Ait denique inter illas sicariorum catervas, suos aliquos internovisse Christum, eosque in beneficium suæ precis mortisque ab aliis sequestrasse.

IX. Ex Gregor. Magno, & Aquinate Thoma. Placuit & Gregorio Magno hæc sententia: *Qui solus præ omnibus mundas ad Deum preces habuit, quia & in ipso dolore passionis pro persecutoribus ora-* Moral. l. 11. c. 8.
vit, dicens, Pater, &c. Quid enim dici, quid cogitari in prece mundius potest, quàm cum & illis misericordia intercessionis tribuitur, à quibus toleratur dolor? Unde factum est ut Redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores sævientes fuderunt, postmodum credentes biberent, eumque esse Dei Filium prædicarent. Et sanctus Thomas Aquinas: *Ad* 1. p. q. 21. ar. 1. ad 2.
secundum, dicendum quod Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum: sed pro his solum qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consecuturi æternam. Quo nihil eliquatius dici potuit. Vel ex hoc uno autem sancti Thomæ loco liquet, alias fuisse Christi preces pro solis prædestinatis, alias pro iis qui etsi prædestinati non essent, & fidei tamen, & alia gratiæ dona consecuti sunt, nec aliter consecuti sunt, quàm sanguine & cruce Christi. Nec enim negarit Thomas Christum orasse pro iis omnibus, qui in eum crediderunt, etsi non eadem illos omnes complexus sit oratione, quam pro solis electis fundebat.

X. Idem liquet ex Paulo, qui ait esse exauditum pro sua reverentia. Hebr. c. 5. Sextò, non parum momenti ad confirmandum hoc placitum in eo est Pauli loco, quo Christus in diebus carnis suæ, cum clamore valido & lacrymis, preces supplicationesque offerens ad eum qui illum posset salvum facere à morte, *exauditus est pro sua reverentia.* Satius est autem, ne nostro abutamur ingenio, sed fidos quos solemus, asciscamus interpretes.

Chrysostomus hom. 8. in Epist. ad Hebr. ait primò indulgentiùs hoc à Paulo dictum esse, accommodan-

modante se ad eorum imbecillitatem, qui nihildum præclari de Christo saperent. *Nam quoniam de eo nondum habebant quam par erat opinionem, dicit eum fuisse exauditum. Sicut ipse quoque discipulos consolans, dicebat: Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Non ergo ornandi extollendique Christi hinc argumentum arripit Chrysostomus quod sit exauditus, sed humilitatis & modestiæ illustrandæ, quod orare & exaudiri dignatus sit, ut exinanitionis suæ fidem faceret.

Pergit idem trutinari verba Apostoli: *Etiamsi esset Filius, exauditus fuit pro sua reverentia. Vult ostendere, id quod gestum est, magis esse opus suum, quam Dei gratiæ. Tanta, inquit, fuit ejus reverentia, ut ideo eum revereretur Deus.* Non ex indulgentia ergo exaudiebatur Christus, sed jure suo: nec gratiæ imputabat, sed justitiæ suæ quæcumque impetrabat. Erubuisset enim, si fari licet, Pater ipse tantam sanctimoniæ copiam, inanem fructuque vacuam repudiare. Nunquam ergo non exauditur, quem justitia cogit, non suadet gratia exaudiri.

Theophylactus in hunc locum, *Et exauditus est pro reverentia, tametsi Filius esset: Hoc etiam propter carnem & auditorum imbecillitatem dixit, nondum enim magnam de eo opinionem habebant. Quod igitur dicit, est hujusmodi: Tanta ipsius est reverentia, ut ejus potius opus esset quàm gratiæ Dei, quod exaudiretur ipse. Atque ex hac reverentia reveritus est eum Deus, & veluti pudore motus exaudivit eum, quanquam Filius esset, haberetque erga ipsum naturalem fiduciam, &c.* Convergunt hæc eodem; nempe quod Filius Dei sempiternus, nec in carne assumpta sui degener, aut dissimilis, dignatus sit supplicis schemate obscurari: & precari, & exaudiri, non dignitas ejus est, sed dignatio: nec gratiæ est quod exoret, sed justitiæ: & penè verecundatur Pater exaudiri à se eum, cùm quo omnes exaudit.

Oecumenius eadem ferè: *Non tantum ex gratia Patris auditus est, quantum ob propriam reverentiam. Tanta enim erat ipsius reverentia, ut ipsum quoque Pater fuerit reveritus. Horum autem verborum humilium duplex est causa, caro nempe & imbecillitas auditorum.*

XI. Exaudita est illa etiam oratio Christi in horto, de auferendo calice.

Adjicit ibidem apud Oecumenium Photius, minùs mirum esse si exauditus dicatur, qui mori jussus sit, cùm mortem deprecatus in horto esset: duplicem enim in horto effusam ab eo precem, alteram qua fugitaret, alteram qua ex divinæ placito voluntatis expeteret mortem: hanc autem posteriorem ut principalem & prioris revocatricem exauditam esse: ideoque à Paulo dici exauditum pro sua reverentia, hoc est, quantum ad eam attinebat precem qua divinam voluntatem reveritus fuerat, eique præcoquam & præfestinam quæ naturaliter inolevit mortis aversationem substraverat. *Exauditus est ergo Christus, non ex ea parte qua refugiebat, sed qua reverebatur: hoc est, illa ejus petitio contigit, non quæ devitationem, sed quæ reverentiam concernebat.* Exauditus est autem ex Paulo, *tametsi Filius erat*: hoc est, cùm Filius esset, & nec orare, nec exaudiri, sed suam ipsius omnipotentiam impendere & quidvis extorquere posset, eò se dejecit, ut oraret & exaudiretur. Ibidem: *Qui in diebus carnis suæ, tametsi erat Filius, precationes ac supplicationes, &c. hoc est: Quanquam authoritatem maximam haberet tanquam Filius, ut absque oratione ac supplicatione, sua ipsius voluntate & authoritate omnia faceret, quæcumque facit Pater tamen quoniam in diebus erat carnis, precationes & postulationes obtulit.* Et ibidem: *Exauditus est pro sua reverentia: hoc est: Exauditus est tametsi erat Filius, nec opus illi esset ut exaudiretur, ut qui voluntatem haberet, unà cum paterna voluntate concurrentem, & quæ absque omni petitione completur.* Vides quàm prolixè hi omnes Chrysostomo suffragentur.

Quod ad illam verò attinet Christi in horto petitionem quam irritam abiisse suspicantur, auscultandus est nobis Leo Papa: *Pater si possibile est transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis. Illud optavit ex nostro, hoc elegit ex proprio. Nec enim æqualis Patri Filius omnia esse possibilia Deo nesciebat, aut ad suscipiendam crucem sine sua in hunc mundum descenderat voluntate, ut hanc diversarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur. Sed ut suscipientis susceptæque naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis, divinam desideravit potentiam: quod erat Dei, ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior: & citò demonstratum est quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi.* Serm. 5. de Passione. Duplex ergo in Christo fuit voluntas, duplex oratio conjuncta: illa quæ mortem exhorresceret, ut naturæ infestam: hæc quæ concupisceret, ut humano generi salutarem, Deoque litabilem. Sed illa & oratio & voluntas languida & tentabunda, ac veluti perfunctoria, & testificandæ inhumanationis veritati obiter serviens, statimque ultro excedens, meliorique sponte concedens: at posterior hæc vegeta & robusta, absoluta & audens, priorisque vestigia oblitterans, & auspicati exitus certa. Non ergo illa exaudiri debuit, quæ ne exaudiretur, ipsa intercessit; non illa exaudiri debuit, qua exaudita, non exauditus esset Christus: non illa denique exaudiri debuit, quæ non ut exaudiretur, erumpebat, sed ut doceret humanum genus, quàm efficaciter tum maximè exaudiantur, qui intempestiva petentes non exaudiuntur. *Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, citoque demonstratum est quid possit è trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi. Quia enim nos quid oremus, sicut oportet, nescimus, & utile nobis est ne fiat plerumque quod volumus, Deus justus & bonus quando ea quæ nocitura sunt petuntur, negando miseretur.* Id est, non exaudiendo, exaudit. Altiùs enim consulens, exaudit cardinem ipsum desiderii, & non dat quod tum petitur, ut det quod semper petitur, ut Augustinus alicubi in Confessionibus.

Non Christi hanc, sed nostram infirmorum orationem extitisse, eoque admiratione proniori prosequendam Christi magnitudinem esse agnoscit Gregorius magnus, quod tantus tantillis tantum indulserit, & majestatem suam ad has nostræ naturæ ærumnas, ut ita dicam, infregerit, & in discrimen se conjecerit ipsum, ut nobis opitularetur. Moral. l. 12. c. 8. *Solent justi viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt, quasi ex dubietate aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transferant. Quod nimirum dum faciunt, exemplum nostri Capitis sequuntur. Passioni quippè Dominus propinquus, infirmantium in se vocem sumpsit, dicens, Pater mi, &c. Eorumque timorem ut abstraheret, suscepit: & rursus per obedientiam vim fortitudinis ostendens, ait: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ut cum hoc imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus, ut voluntas conditoris nostri, etiam contra voluntatem nostram fiat.* Exaudita ergo est illa Christi meticulosa oratio, sed ab humano genere exaudita, & in sanctissimum vitæ magisterium deinceps evecta, ut pii & grandiores quique humilioribus se inclinarent, & ita sibi adglutinatos ad excelsa secum pietatis fastigia subveherent. Qua magis enim re constat humani generis medicina & resipiscentia in meliorem frugem, quàm hac grandium ad parvulos attemperatione, & parvulorum grandibus quasi succollantibus annitentium progressione? Hoc illa sua non exaudienda oratione meditabatur, hoc nobis imprecabatur Christus, & quia exauditus à nobis est ejus exempla vestigiaque lambentibus,

exauditus & à Patre est à quo in ejus imitationem convalescimus.

XII. Rursus ut eadem exaudita sit oratio mortis fugitans.

Expeditior fortasse foret illius dubij explicatio, si non discerperetur Christi oratio & voluntas, sed ut una sibique apta & contexta spectaretur. Humano enim more exponitur Deo, quo statu sit homo, in quo interitum horret natura, expetit ratio & charitas. Etsi enim nulla effunderetur precatio, ita comparatus homo est ut mortem tanquam naturæ infestam paveat, tanquam rationi consonam exposcat. Igitur si tum primùm Christo mortis oppetendæ sententia prolata fuisset, suspicari posset aliquis, repentina occupatum formidine exhorruisse & deprecatum esse mortem primò, deinde ratione & obsequio perturbationem illam sedasse, mortique consensisse. At quando jam olim provisa hæc illi erant & explorata rataque omnia, potuit ille quidem ad nostrum magisterium componere se & effingere verba sua ad eum morem, qui est nobis familiaris, sed in ejus animo una hæc & constans atque invariabilis ratio & sententia atque oratio viguit, qua jussam æterno Dei consilio desponsamque sibi crucem concupivit, expetivit, cunctantem ex amoris æstu invasit propemodum & provocavit, naturalem autem aversationem invicta charitate obruit & devoravit. Ita comparatus fuit ejus animus, ita affectus, ut voluntatem bonam declinandæ mortis longè meliore ejus superandæ oblitteraret.

XIII. In Christo Ecclesia tota orabat, & exaudiebatur.

Septimò, nostræ tum causæ patrocinabatur, nostramque sustinebat Christus personam, cum precibus Patrem conveniebat. In eo ergo genus humanum Deo procidebat; & unigeniti Filij dignitate atque charitate amiciebatur, ne abjici posset. Intererat ergo ne aliquando non exaudiretur, in quo salus omnium & spei nostræ summa versabatur. Quod luculentè Cyrillus: *Cùm igitur necessarium esset, ut ipsemet Christus ad quodlibet opus bonum ducem se nobis præberet, & præceptorem: valido clamore & supplicatione tanquam unus ex nobis ad Deum accessit, à quo etiam tanquam verus naturalisque Filius qui repulsam pati non posset, exauditus est. Ego enim inquit sciebam quia semper me audis. Ut enim nostras preces Deo redderet acceptas, ipse primus rem exorsus est, paternas aures hac ratione humanæ naturæ quodammodo aperiens, dilatansque, & eorum votis qui illius causa aliquando periclitarentur, faciles promptasque efficiens.* Nunquam sibi consuluit, nunquam sibi uni vacavit Christus, susceptam semel universi hominum generis causam & personam, nunquam deposuit, nunquam vel ad temporis brevissimi punctum seposuit. Nobis oravit, quidquid oravit, & quoties oravit. Ea autem erat benevolentiæ ejus industria, ea impensissimæ beneficentiæ ars, ut suam Filii unigeniti & dilectissimi amplitudinem & charitatem tum Patris in se, tum sui in Patrem, humanæ genti obduceret & indivulsè ita coaptaret, ut divelli nulla vi possent, atque ita nostris id est unigeniti Filii sui precibus paternæ aures nunquam occluderentur. *Nos itaque in ipso veluti in altero generis nostri principio eramus, qui valido cum clamore & lacrymis tum ut mortis imperium in nobis aboleretur, tum maxime ut vita naturæ nostræ quondam donata denuo firmaretur, enixè flagitabamus.* Ominosum planè & inauspicatum fuisset eum quandoque non exaudiri, qui in se uno nos omnes collegerat gestabatque, ne possemus unquam non exaudiri.

De recta fide. p. 161.

XIV. Nō poterat non exaudiri à Patre Verbum & Consilium Patris, etiā ubi per carnem assum. ptā orabat.

Octavò denique & postremò, quod capite superiori prolixiùs disceptatum est, ideoque nunc carptim tantùm perstringetur: exaudiebatur Christus ut Verbum Patris, ut consilium & sapientia & ratio Patris: atque ita ut non posset non exaudiri. Quis enim non sapientiæ auscultet suæ? Quis suum consilium irritet? Cui sua ratio aspernanda floccique facienda videatur? Quis verbum suum non exaudiat? Quis alloquatur semet, & sibi obsurdescat? Ne in creatas quidem naturas tanta cadere potest insulsitas. Ergo non poterat Verbum Patris à Patre loquente non exaudiri. Jam verò hanc suam prærogativam assumptæ humanitati accommodaverat Christus Verbum, cui & seipsum accommodaverat infuderatque. Cui enim semet donavit, quid inconcessum illi volet esse? Sua utique adjecit, cui sese dedit. Imò cùm sua omnia non habeat, sed sit, quia non habet, nisi quod est Deus Verbum: & sua hæc prærogativa non adjectitia utatur, sed substantiæ suæ fruatur concreta: cùm prærogativa & nobilitas omnigena, sua ipsi substantia sit, ubi substantiam suam implicuit humanitati, tum eam hac etiam dote honestavit, ut exaudiretur semper à Patre. Aut si mavis absolutiùs, idem cum carne atque antè sine carne Deus Verbum, seu sine carne, seu cum carne & per carnem sua exprimat vota, non potest non exaudiri à Patre, cujus incommutabiliter idem Verbum est, non alia suæ carni vota permittens suggerensve, quàm quæ Verbi deitati, Patrique Verbum effanti sint consonantia. Cyrillus hæc Christi verba discutiens: *Pater gratias ago tibi, quod audisti me, &c. Oeconomicè loquitur Christus, ceu homo demisse quidem, neque secundùm deitatis eminentiam, & gratias agit Patri, non pro Lazari tantùm, sed pro omnium vita, &c. Quemadmodum verò & nos per propriam rationem inducimur, non facere quod visum fuerat: sic & Dominus, Verbum existens & consilium Patris, amicum nobis reddidit Patrem.* Conciliavit ergo nobis Patrem Christus homo mediator, sed conciliavit divina Verbi proprietate, & inexpugnabili potestate, qua non potest non obsequi & quasi morem gerere Pater suæ rationi & sapientiæ, suo consilio placitoque. Nam & homo necesse est obsecundet suo consilio, sive illud mente reconditum intus cohibeat, sive verbis extra concrepantibus explicet: ita Verbo suo necessum fuit auscultare Patrem, non tantùm nudo priùs, sed & postea humanis membris ceu sensibilibus verbis vestito.

In Ev. Joan.

Augustinus denique: *Orat Christianus & exauditur: orat Christus & non exauditur? Nam qui exaudit cum Patre quia Deus est, quomodo non exauditur homo, quod pro nobis factus est?* Exauditur, qui exaudit: nam qui alios exaudit, num se despicatur? Quod autem homo factus est, nihilo sequiùs exauditur: quia incommutabiliter idipsum Verbum est: quin etiam cum homo factus non sit, nisi ut exaudiretur, hinc etiam ingravescit necessitas, ut exaudiatur.

Serm. 5. de verbis Ap.

Si objicias, ita & pro reproborum salute potuisse Christum orare, sicut & pro declinanda oravit morte; & si & hìc & illic suam tum orationem tum voluntatem divinis æternisque ultro subjiceret consiliis Patris: non invitus & ipse huic sententiæ accedam. Nec enim hæc vel oratio, vel voluntas, sive pro reproborum salute, sive pro deprecanda morte, adversatur æternæ & incommutabili Dei prædestinantis voluntati, cui se tandem ipsa inclinat. Quin imo divinæ voluntati in primis consentanea est, cum tam multa velit Deus, ut velint optentque justi omnes, quæ ipse tamen non vult.

CAPUT VI.

An etiamnunc oret Christus in paterno sessitans sursum solio?

I. Non orat nunc Christus in Paterno consessu, cum etiam mortalis non oraret nisi ex quadam dispensatione.

PErstricta cursim hæc quæstio supra fuit, an etiamnunc paternæ collega sedis ac potestatis in cœlis Christus Patrem veris precibus & petitionibus interpellet; quæ hìc fusius nunc versanda nobis & pertractanda est. Et si ea quidem quæ superiùs præstructa sunt, non supinè expendantur, liqui-

liquidò clarebit, quæ nobis amplexanda sententia sit. Eluxit enim perspicu , omnes Christi orationes quas hinc etiam tum mortale hoc stadium percurrens, Patri allegavit, non necessitate expressas, sed ex dispensatione profusas fuisse, & humilitati carnis indultas. Ex quo efficitur, absorpta nunc mortalitate, & toto humilitatis schemate in Deum absumpto, nihil precibus, nihil loci petitionibus superesse.

Sed ut ne promiscuè ac temerè congerantur hujus sententiæ subsidia, consultius erit familiari nobis via & ratione, in certa capita ea distribuere.

Primò igitur omnis Christi carnem adhuc mortalem agitantis oratio ad Patrem dispensatoria fuit, & carnis tum humilitati accommodata. Ergo importuna nunc & intempestiva foret revectò in paternæ æqualitatis apicem illa orandi petendique dejectio. Et in ipsa enim exaggerandi carnis humilitate, vix continebat se Dei carnem gestantis majestas, sed eminebat & emicabat subinde, erumpebatque in voces ejusmodi, ex quibus oratio omnis ejus spontanea, & ad tempus assumpta significaretur. Bernardus: *Quam dicam petitionem quæris? Nempè illam qua dicit, Pater clarifica Filium tuum. Quod tamen eum petiisse senserim, non ut supplicem, sed ut præscium. Liberè petitur, quod in potestate petentis accipere est. Ergo dispensatoria Filii petitio est, non necessaria: quippè donantis cum Patre, quidquid à Patre acceperit. Ubi & hoc dicendum, quia non solum Pater clarificat Filium, sed & Filius clarificat Patrem: ne quis dicat Filium minorem Patre, quasi à Patre clarificetur, cum & ipse clarificet Patrem: dicente Filio: Pater clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sed fortè adhuc submittendum putes Filium, quod quasi inglorius videatur à Patre recipere claritatem, quam demum Patri refundat. Audi quia non est ita: Clarifica me Pater claritate quam habui, priusquam mundus fieret apud te. Si ergo claritas Filii posterior non est, utpote quæ ab æterno est, ex æquo se clarificant Pater & Filius. Et si ita est, ubi Patris primatus? Æqualitas profectò est, ubi coæternitas.* Expressa sunt ista ad mentem Hilarii superius relati. Hinc porrò enitescit quid æstimandum de Christo sit nunc in summum immortalitatis & divinitatis culmen sublimato, & quàm longè respuendæ abigendæque ab eo sint preces, quas ne mortalis quidem usurpavit, nisi ut præscius, non ut supplex: ut dispensatoriè se dejiciens, non necessitati serviens: ut in potestate habens, & donans ipse sibi, quod petebat: ut sua sibi reddi & ab æterno sua postulans, & ita gloriam postulans, ut eam Patri repensurus.

In Cantica. Serm. 76.

II. Plura ad idem argumenta ex superioribus.

Replicanda hìc obiter quæ capite superiori corrasimus ex Chrysostomo, Photio, Theophylacto & aliis, maximè argumento sexto. Nam quod ait Paulus Christum in diebus carnis suæ preces supplicationesque obtulisse, & exauditum fuisse, id interpretatur Chrysostomus accommodatè dictum ad eos *qui nondum de Christo habebant, quam par erat, opinionem*. Cui assentiuntur Theophylactus & Oecumenius. Photius autem apud Oecumenium, *Tametsi erat Filius*, orasse tamen & exauditum fuisse, ut habent verba Pauli, ita accipit, *Quanquam authoritatem maximam haberet tanquam Filius, ut absque oratione, sua ipsius voluntate & authoritate quæcumque facit Pater & ipse faceret, tamen quia in diebus erat carnis, precationes & postulationes obtulit.* Ergo diebus carnis jam exhaustis, jam in diem & majestatem Verbi Dei abrepto homine, à precibus abstinetur, divina authoritas ostentatur.

Eodem pertinent quæ ex Chrysostomo aliisque excerpta sunt superiùs: ubi non orasse Christum ait Chrysostomus nisi *propter circumstantem populum* in Lazaro resuscitando: & ita orasse, ut Lazari suscitationem non periérit, sed imperarit: ita orasse ut nihil precibus donari suis expetierit, sed gratias occuparit agere: ita orasse, non tam ut subjici se, quàm ut ne adversari Deo existimaretur: ita orasse, ut subinde oculatioribus insinuet, nihil sibi precum opus esse præsidio: ita orasse ut complurima & amplissimæ potestatis argumenta absque ullis precibus ediderit. His omnibus evidenter patefit omnem nunc expungendam à Christo esse precationem. Nam si mortalis adhuc & in ipso humilitatis tyrocinio tam magnificè orabat, aut ne orabat quidem sæpissimè, sed abruptè imperabat, & precibus nihil egere se profitebatur: quis illi nunc ingerat excussam semel prioris humilitatis illuviem?

Quid Cyrillus? qui ibidem allegatus est, ubi *propemodum simulasse* Christum ait orantis speciem. Quid Hilarius? qui ait provocandis nobis ad precandi frequentiam orasse Christum, *nec enim inopem ipsum fuisse auxilii, sed nos inopes fuisse doctrinæ*.

III. Rursus plura in idem.

Collimant in eumdem scopum quæ ex Chrysostomo, Cyrillo, & Damasceno aliisque acervavimus, ut constaret Christum orasse non tam suo quàm nostro munere defungentem: persona causaque nostra oneratum, persona dignitateque sua nostras, quas ipse allegabat ad Patrem, preces imbuentem & consecrantem. Mortalis enim Christus universitatem mortalium gestabat, omnium necessitati serviebat, omnium vicem implebat, omnium sacramentum erat, omnium precibus & petitionibus paternas aures orando aperiebat. Nunc verò immortalitatis suæ compos, immortalitate donatorum donandorumque personam & sacramentum præfert, eorum nomine tanquam singulorum caput, tanquam universitatis beatorum summa, beatas haurit exundantissimè delicias, nihil orat, nihil petit, quia Beatorum non est orare aut petere, ut nec indigere, sed abundare, & frui, & redundare. Si quem moveat autem quod & Beati nunc juvent nos mortales suarum ad Deum precum subsidio, ideoque non usquequaque ablegandas esse preces & petitiones ab illa beatitatis patria. Nec abnuo equidem fulciri nos interim Beatorum pro nobis supplicantium juvamine, sed necdum illi plenam recepto corpore assecuti sunt immortalitatem, necdum fratrum suorum consortio cumulatæ fœlicitatis apicem sunt adepti. Egent adhuc, & ideo orant: & orant idipsum quo egent, impleri vacuas adhuc supernas sedes, suppleri citiùs numerum suum, restitui temporiùs corpus suum. At Christus recepto immortalitatis plenissimæ statu, omen est & authoramentum, pignus est & sacramentum perfectissimæ ex omni parte fœlicitatis, unde proscribitur inopia, unde exulat oratio & postulatio omnimoda. Nam qui sperem eò perventurum me, ubi exuberante bonorum copia, nihil postulandum superfit, nisi eò jam Christum pervenisse, ibi meo nomine tanquam meas primitias beatissimè regnare certus sim?

IV. Rursus ut orandi humilitas omnis à Christo nunc sit amovenda: non tantū serviliter orandi.

Secundò, frigida est responsio, an tergiversatio potiùs eorum, qui duplicem orandi speciem distinguunt, alteram servilem, ubi in genua procumbitur, ubi lachrymæ, & id genus alia: alteram liberalem, ubi dignitas retentatur, & illam quidem à Christo nunc procul esse, hanc ei non injuria etiamnunc adscribi.

Intersepitur & occluditur hoc effugium retractatis omnibus Patrum & testimoniis & argumentis quæ suprà præstructa sunt. Nam ne tum quidem cum in carne mortali nobiscum degeret, ut supplex orabat, sed ut præscius, ut præpotens, ut propria & imperatoria fretus potestate, ut conscius ingenitæ majestatis, ut Patri compar, ut comparem ei gloriam repensurus. Ergo ne tum quidem serviliter, sed liberaliter orabat, & orabat tamen ex dispensatione, ex affectatione inquam carnis deprimendæ & testificandæ: ergo ne sic quidem nunc orat.

Audi Bernardum rursus: *Pater clarifica Filium tuum. Quod tamen eum petiisse senserim, non ut supplicem, sed ut præscium. Liberè petitur quod in potestate petentis accipere est. Ergo dispensatoria Filii petitio est.* Audis non supplicem, sed liberè petiisse: callebat ergo illam orationis duplicem formam, sed mortali Christo nonnisi liberalem & honestam imputabat. Et causam profert in medium, quia liberaliter, non serviliter petitur quod in potestate dantis est. Erant autem in potestate Christi adhuc mortalis quæcumque petebat.

Ser. 76. in Cantica.

Eodem spectat quod suprà observavimus cum Augustino nusquam legi, quod Christus adoraverit Patrem: cum Cyrillo quod Christus non dixerit, Ego adoro, sed, Nos adoramus: cum eodem Cyrillo quod tributum tanquam servilis insigne adorationis non antè solverit Christus, quàm Filium se, nec à filiis deberi professus fuerit, ne quid suæ nobilitati præjudicaretur. Ergo servitutis sordes in orando abfuerunt à Christo etiamtum mortali.

An serviliter orabat qui plerumque mirabilia editurus, ne orabat quidem? An serviliter orabat, qui preces à gratiarum actione auspicabatur? An serviliter orabat, qui orando nihil petebat, & statim imperio ineluctabili præstabat quod ex re erat? An serviliter orabat, qui oratione in minoribus adhibita, ad majora in totum supersedebat? Ergo nunc non tantùm serviliter non orat, sed ne orat quidem. Ideo Nazianzenus: *Eodem modo advocatum habemus Jesum, non ut nostra causa sese ad Patris pedes advolventem, servilique modo abjicientem: procul sit ista servilis sanè suspicio, spiritque indigna. Neque enim Patris est hoc exposcere, aut Filii pati, nec de Deo hæc cogitare pium & æquum est.* At ubi à Christo ad eum modum abstersit Nazianzenus illam servilis deprecationis & adgeniculationis vilitatem, non statim liberalem orandi orationem ei appingit, quin & hanc missam faciens, non aliter nunc Christum pro nobis interpellare memorat, quàm vel ut Spiritus sanctus interpellat, id est, interpellare facit, vel assumptæ humanitatis, ejusque quondam passionis repræsentatione, ut infrà declarabitur. Nec immeritò id quidem. Nam petitio omnis servitutem & egestatem redolet. Quis enim petit, nisi obnoxius & inops? Ut in genua non procidas, ut humi non provolvaris, injuriam à corpore tuo respuisti: at orando flagitandoque, procidisti animo, prona mente substratus es, servituti cor ipsum animumque mancipasti. Quid enim illa corporis dejectio, nisi hanc obnoxii animi addictæque egestatis significationem molitur? Igitur cùm à summo gloriæ fastigio facessere debeat omnis inopiæ vel vilitatis umbra, ableganda inde est omnis per preces & petitiones advocatio.

Orat. 36.

V. Interpellat nun Christus pro nobis, sed sine precum humilitate. Orat. 36.

Tertiò, quoniam disertè à Paulo proditum est, Christum à mortuis revectum, patrioque illatum solio interpellare pro nobis: percunctandi sunt sancti Patres, quæ sit hujus interpellationis ratio, & an illa precibus transigatur. Nazianzenus: *Nonnò illud producent, Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Optimè sanè ac perquam mysticè & benignè. Intercessionis quippe nomen, non ut apud multos in more positum est, ultionis deprecationem habet: hoc enim humilitatis quodammodo esset; sed idem significat, quod pro nobis mediationis ratione supplicare. Quemadmodum & Spiritus pro nobis intercedere dicitur. Unus enim Deus, unus etiam mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Intercedit enim nunc quoque ut homo pro mea salute, quoniam cum eo corpore est quod assumpsit: quoad me humanitatis assumptæ vi atque potentia Deum effecerit: tametsi non jam secundum carnem cognoscatur, hoc est, secundum carnales nostrasque citra peccatum affectiones. Eodem modo advocatum quoque habemus Jesum, non ut nostra causa sese ad Patris pedes advolventem, servilique modo abjicientem. Procul sit servilis ista sanè suspicio, spirituque indigna. Neque enim Patris est hoc exposcere, aut Filii pati: nec de Deo hæc cogitare pium atque æquum est. Sed ex his quæ humanitus perpessus est inducit ut toleret, tanquam Verbum & hortator. Sic ergo advocationem hanc intelligendam arbitror.* Triplicem hic sanctus Pater indigitat interpellationis, qua Christus in cœlo defungitur, rationem; at nihil precum, nihil sanè petitionis interserit.

Nam primò sic Christus interpellat pro nobis, ut Spiritus sanctus orat gemitu inenarrabili, & clamat Abba Pater: id est, orare & clamare facit: ex quo nihil contumeliæ, nihil humilitatis, vel Spiritui sancto, vel Christo illinitur. Nec decet virum Theologum ineptire & vellicare monumenta sanctorum Patrum ad labefactandas hæreses, fidemque Ecclesiæ contutandam elucubrata, quasi perperam ubi de mediatore Christo homine movetur controversia, in exemplum proferatur Spiritus sanctus, qui tantummodo Deus est. Non latebat Nazianzenum, nec nos fallit hæc naturæ Christi humanæ & Spiritus sancti divinæ discrepantia infinita. Sed ubi de Christo homine in paternæ gloriæ plenitudinem demerso, ubi de Verbo jam non inclinante se ad limum nostrum, sed in divinitatis suæ privilegia humanitatem etiam suam vindicante quæritur, tum non absurdè illa instituitur comparatio. Namque ut Spiritus sanctus orat, id est, orare facit; ita Verbum cum sua carne jam totus Deus, nec ex carnis humilitate, sed ex Deitatis majestate jam sese per omnia agens, interpellat, id est, interpellare facit. Et ne uni Nazianzeno fidem adjicere graveris, addam & Gregorium Papam: *Bene dicitur quod corruens adoravit: quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim quia fieri docuit. Sicut & de ejus Spiritu dicitur: Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Neque enim petit qui æqualis est, sed postulare dicitur, quia nimirum quos repleverit, postulantes facit.* Assertæ in Deitatis suæ jura plenissima humanitati permittamus divinos mores, & non degeneres faciendi quidlibet. Oret non quomodocumque, non privata & supplici prece, sed ut author orandi catholicus, omnes ad orandum agens, omniumque orationes sibi, non ut obnoxio, sed ut authori principi & universali imputans. Addamus & Paulinum Aquilejensem Patriarcham: *Susceptio humanæ naturæ quam in veritate pertulit carnis, divinæ nihil præjudicat majestati. Infirma quoque natura nostræ, virtute suæ solidavit divinitatis. Nam quemadmodum Spiritui sancto qui advocatus dicitur, & pro nobis postulare perhibetur, nihil obest ut Deus sit verus: ita & Salvatori nostro Deo Christo Jesu, qui advocatus & mediator pro nobis fieri dignatus est, nihil contradicitur ut Deus non sit verus propriusque Filius Dei. Igitur cùm Spiritus sanctus verus sit Deus, & divinitatis illa ineffabilis essentia, &c. quoniam mentes cum gratiæ suæ illustratione perfuderit, gementes pariter efficit ac postulantes: postulare idcirco gemitibus inenarrabilibus perhibetur, quia postulare & gemere facit: facit quia ut efficiatur, ex ejus gratiæ dono promeretur.*

VI. Interpellat nunc Christus, quia nos interpellare & orare facit.

Moral. L. 2. c. 22.

L. 1. contr. Felic. Urgel.

Altera tangitur à Nazianzeno interpellatio, *Ex his quæ humanitùs perpessus est, ad tolerandum inducit, ut Verbum & exhortatur,* ὡς λόγος ϗ παραινέτης. Nam cui placatur Pater, Verbo suo & consilio, sapientia & beneplacito suo placatur. Nihil hìc precum intercurrit, non liberalis etiam illa & dignitatis fuco perlita postulatio adhibetur: sed sua quemque, sua Deum etiam ratio & sapientia tanquam advocata & conciliatricula demulcet ac repropitiat. Quid si ad hanc Verbi eminentiam adsciscitur & humanitas assumpta? Porrò Nazianzeno suffragatur Cyrillus in hæc

VII. Interpellat rursus, ut Patris Verbum, & Sapientia & Consilium.

Chri-

In Ev. Joan. Christi verba, *Pater gratias ago tibi*, &c. *Quemadmodum verò & nos per propriam rationem inducimur non facere quod visum fuerat: sic & Dominus Verbum existens, & consiliam Patris, amicum nobis reddidit Patrem.*

VIII. Interpellat tertiò sola præsentia humanitatis assumptæ.

Accedit & tertia advocationis ratio, quæ nec nunc Christum dedeceat, assessio & præsentia ipsa hominis assumpti, ejusque & nostrum omnium per eum & in eo insitio ac concretio substantiva cum Deo. Non potest enim Pater non bene velle hominibus, quos substantiæ suæ Filioque suo unigenito conglutinatos & coagulatos quodammodo videt. Non potest non rediisse in gratiam cum Deo humanum genus, quod in Christo deificatum est. (In Exposit. Liturg. c. 44) *Intercedit nunc quoque pro me, quoniam cum assumpto corpore est, donec vi humanitatis suæ me Deum efficiat*, ajebat Nazianzenus. Suffragatur huic advocationis generi Cabasilas: *Est enim mediator per quem omnia assecuti sumus bona quæ à Deo nobis data sunt, vel potiùs semper dantur. Non enim postquam semel fuit intercessor, & omnia nobis tradidit pro quibus intercesserat, recessit, sed semper intercedit; non verbis quibusdam & precibus sicut solent legati, sed reipsa. Quænam autem ea res est? Sibi conjungere & proprias per se gratias impertiri pro uniuscujusque dignitate & modo purgationis.* Eliminat preces & verba ab intercessione nunc Christi pro nobis, eam autem locat totam in coaptatione hypostatica Dei cum homine, & refusione quæ exinde consequitur bonorum omnium Dei in homines. Unde paulò post: *Quid est enim quod humanæ naturæ Deum reconciliavit? Omnino quod hominem vidit Filium suum dilectum. Ita etiam unicuique homini reconciliatur, si quis formam Unigeniti, & illius ferat corpus, & unus appareat cum eo spiritus.* Et ibidem paucis interjectis: *Eo quod sunt Deo reconciliati. Hoc autem quomodo? Quod contemperati & commixti sint Deo, & unus spiritus facti sint cum dilecto, in quo solo Pater complacuit.*

Moral. L. 22. 13. Favet & Gregorius Magnus: *Qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Unigenito enim Filio pro homine interpellare, est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare: eique pro humana natura rogasse est eandem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione.* Advertis quàm expresè refutet preces, & totam interpellationem revocet ad substantivam hominis cum Deo consertionem. Et rursum: (L. 24. c. 2. 3.) *Intercedens enim pro peccatoribus semetipsum justum hominem, qui pro aliis indulgentiam mereretur, ostendit.* Et mox: *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, in eo miseretur homini quo formam hominis sumpsit: qua misericordia pro redempto homine dicit Patri: Libera eum ut non descendat in corruptionem. Sicut jam suprà diximus, dicere ejus est, libera hominem, naturam hominis assumendo liberam demonstrare. Ex ea quippe carne quam sumpsit, etiam hanc ostendit liberam quam redemit.* Consonat Paulinus Aquilejensis Patriar- (L. 1. adv. Filio.) cha: *Advocatus namque est, qui jam pro reconciliatis interpellat, quemadmodum idem Redemptor noster facit, cum humanam naturam Deo Patri in unitate Dei hominisque personæ ostendit. Hoc est enim Deum Patrem pro nobis interpellare. Joannes non interpellare, sed ipsum etiam esse propitiationem pro peccatis nostris declarat.* Acutè Paulinus ex Joannis vocibus argumentatur non tam Christi esse, ut propitiet Patrem, quàm ut propitiatio sit: non tam ut exoret, quàm ut exoratio ipse sit: non enim voce, non prece, non supplicatione interpellat aut exorat, sed substantiæ suæ ostentatione, sed exhibita in se Dei hominisque conglutinatione: est ergo ipse substantiva quædam & constans perennisque interpellatio pro nobis, est ut ait Joannes propitiatio, seu exoratio pro peccatis nostris.

Favent & qui locum illum Pauli in commentanda Epistola ad Romanos ita acceperunt. Hieronymus vel quicumque alius apud eum author: *In hoc* (In c. 8 Epist. Ro. verb. 33.) *interpellare dicitur, dum semper Patri hominem quem suscepit, quasi nostrum pignus ostendit, & offert ut verus Pontifex & æternus.* Nempe ut antè ait: *Deus oblivionem non patitur, ut pro ipsis commoneatur semper quos ipse elegit.* Anselmus in eundem locum: *Qui etiam interpellat pro nobis, quia hunc habemus apud Patrem advocatum & intercessorem. Unigenitum enim Filium pro hominibus interpellare, est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare*, & reliqua ut suprà Gregorius Papa. Primasius eadem habet quæ supra ex Hieronymo. Sancti Thomæ in Epistolam ad Romanos eadem est sententia. Ex Græcis autem Theodoretus eundem locum illustrans, *E mortuis suscitatus Patri assidet, & ne sic quidem nostri curam gerere desiit. Sed quas à nobis accepit primitias ostendens, & eas ab omni labe puras Patri demonstrans, per illas nobis salutem petit.* Theophylactus: *Interpel-* (In c. 8. Ep. ad Rom.) *lat pro nobis: nonnulli sic intellexerunt, quod quatenus corpus ferat, nec deposuerit ipsum, illud ipsum esse interpellationem & intercessionem ad Patrem. Intuens enim in illud Pater recordatur dilectionem erga mortales, propter quam gestavit corpus Filius suus atque ita ad miserationem inflectitur.* Oecumenius in eadem verba: *Sic autem intercessionem sive advocationem intellige, ut per hoc quod humanitatem susceperit, Patrem interpellare dicatur pro nobis. Qui est ad dexteram Patris. Ne enim intercessionem arbitreris minorationem, posita primum honoris æqualitate, dicendo quod sit in dextera Patris, ita subjungit: intercedit: volens ostendere ardentem dilectionem: non enim tanquam imbecillis*, &c. Cui hæc satis non erunt, nescio quid satis fit ad evertendam illam precum opinationem.

IX. Interpellat denique suas olim preces & perpessiones offerendo.

Videtur autem & quarta excudi posse ex verbis Nazianzeni, quæ jamdiu torquemus, intercessionis Christi sine precibus ratio. Nempe his verbis: *Ex his quæ humanitatis perpessus est, ut Verbum & hortator, ut toleret, Patrem inducit*: innuit sanè orationes olim Christi & perpessiones in carne corruptibili, non effluxisse, non evanuisse, sed perstare adhuc, & tanquam præsentes vigere, Deoque etiamnunc & in æternum adoleri. Id sanè commendat expresè Oecumenius: *Si ergo nostri cu-* (In c. 8. Ep. ad Rom.) *ram ita habet Filius, ut etiam intercedat: nam tantam vim habet facta tunc precatio, ut semper sit efficax: & quæ in ea continentur, adimpleat: si tantam itaque nostri curam habet, quis eos condemnet qui in ipsum crediderunt?*

X. Quomodo & quando rogaverit Christus, dari Spiritum sanctū. (L. 9. de div. offic. c. 1.)

Quartò alius apud Joannem locus est, unde astruere quis possit precationes etiamnunc Christi pro nobis. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Ubi suis apud Patrem precibus, quando ejus assidebit dexteræ, id videtur polliceri se præstiturum, ut Spiritus sanctus effundatur. At respondet primò Rupertus, rogasse Christum, sed tempore passionis. Ait enim Christus se rogaturum, cum ergo tempus ipse non præfiniat, æquius est id molliter interpretari, & preces imputare diebus carnis. Respondet rursus à Paulo videri designatum tempus, quod in ambiguo Christus reliquerat, cum ait: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque offerens*, &c. Respondet rursus Christum à mortuis excitatum, precationum humilitatem semel abjecisse atque respuisse, cum ait: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quocirca non prece jam, sed potestate æquum est ab eo omnia administrari. Respondet denique verba Christi componenda sibi esse, ut mutuo lucem ipsa sibi infundant. Ait ergo ibidem Christus: *Illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exivi.* Ubi audiendus est Rupertus ipse: *Quid est enim rogabo & non rogabo?*

Hoc nempè quod in passione sua sacrificium futurus & Patrem rogaturus erat, ut Paracletum, id est, Spiritum remissionis peccatorum acciperemus, & sic paries inimicitiarum qui medius erat inter Deum & homines, in carne ejus solveretur. Quo soluto, illo inquit, die pacis & consequentis gratiæ, non rogabo Patrem de vobis. Quare? Ipse enim Pater amat vos, inquit: id est, semel enim moriens, Deo reconciliavi vos in sanguine meo: & sicut superiùs dixi, pacem reliqui vobis, pacem meam, id est, per me inter Deum & vos reformatam dedi vobis. Et hoc per fidem & dilectionem vestram, quia vos me amastis & credidistis quia à Deo exivi. Itaque quod ait, Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, nullo modo meliùs accipitur, quàm quod in cruce rogaverit, &c.

XI. Ex Pauló dies carnis erant precibus accommodati. Quintò, insinuari idem ipsum videtur ab Apostolo, ubi ait Christum obtulisse preces, *in diebus carnis suæ*: nunc autem sedere ad dexteram majestatis in excelsis. Nam dies carnis ut addicti inanitioni, utique precibus & supplicationibus impendendi erant: at alienum est à precibus collegium paternæ sedis & dexteræ. Unde Ambrosius advertit Christum imminente jam passione dixisse Petro, *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua:* at ubi eum Petrus Filium Dei vivi professus fuerat, tum abruptis precum moris imperasse Christum, & in inconcussum Ecclesiæ suæ fundamentum illum solidasse. *Quando igitur roget, quando imperet considera. Rogat quando passurus ostenditur: imperat quando Filius Dei creditur.* (L. 4. de fide. c. 1.)

XII. Qui sedet ad dexterã & in gloria Patris, non orat. Idem Ambrosius serm. 60. observat Christum in paterno solio videri, nunc sedentem, nunc stantem: sedere ut judicem, stare ut intercessorem. Jam subit ergo ut stans intercedat & oret: at nusquam orare describitur, sed misereri, sed opitulari, sed ipsam potestatem suam exerere, sub stare perhibetur. *Non quo sint contraria sibi, sedere & stare, sed ut modo ejus omnipotentia, modo misericordia describatur. Nam utique pro potestate Regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ait enim beatus Apostolus, quia advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum: ergo est Christus cum residet, Advocatus cum resurgit. Judex planè Judæorum, Advocatus Christianis. Hic enim stans apud Patrem, Christianorum licet peccantium causas exorat: ibi residet cum Patre, Pharisæorum persequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer ulciscitur, hic interveniens leniter miseretur. Hic stat ut suscipiat Stephani martyris spiritum, ibi residet ut condemnet Judæ proditoris admissum.* Ergo non orat, sed exorat, miseretur, suscipit, & ideo stat. Sed apertiùs Ambrosiaster in eum Apostoli locum, qui sedet ad dexteram Patris, qui etiam interpellat, ubi non stanti, sed sedenti interpellatio adsignatur, & quidem sedenti in gloria Patris: *Resurgens semper causas nostras agit apud Patrem, cujus postulatio contemni non potest, quia in dextera Dei est: hoc est, in honore quo Deus est.* Et pauló post: *Hac causa tamen dicitur Filius interpellare, cum ipse agat totum, & æqualis sit Deo Patri, &c.* Vides quæ oratio, vel postulatio, vel interpellatio Filii æstimanda sit, nimirum ejus qui sedeat, & in dextera sedeat, & in gloria sit Patris, & Patri sit æqualis, & qui ipse agat omnia.

Hom. 11. in Ep. ad Hebr. Chrysostomus: *Ne ergo cum eum audieris sacerdotem, existimes eum semper fungi sacerdotio. Semel enim functus est munere sacerdotali, & deinceps sedit. Ne existimes eum stare apud superos & esse ministrum. Ostendit rem esse dispensationis. Nam quomodo fuit servus, fuit etiam sacerdos & minister. Sed quomodo cum factus esset servus, non mansit servus; ita cum factus esset minister, non mansit minister. Non est enim ministri sedere, sed stare.* Vides quid valeat sessio, & quàm longè adigat omnes precum conjecturas. Vides quo pertineat quod Christus stare quandoque dicitur, non ad supplicandum, sed ad opem ferendam.

XIII. Oratur à nobis Christus, non ut oret, sed ut misereſcat. Sextò, nemo elementis saltem Christianæ fidei initiatus existimavit fas esse Christum sollicitare, ut oret pro nobis; sed ut orantes ipse exaudiat & misereſcat. Etenim insitum omnibus altaque mente repostum est, illud quod supra monuit Augustinus, oratorem Christum in tempore, æternum cum Patre exauditorem esse. Et quantacumque te præmunias cautela, inauditum, insolensque est, & in Patrum monumentis, atque in solemnibus Ecclesiæ precandi formulis nusquam usurpatum, ut Christus orare rogaretur, seu ut exorari dignaretur miserarique. Ambrosius: *Itaque fideli spiritu & mente devota Jesum Dominum invocemus, & Deum esse credamus, & in nomine ejus quidquid à Patre petimus, impetremus. Pater enim se per Filium vult rogari, Filius vult rogari Patrem.* (L. 1. de fide c. 1.) Suadet invocari Jesum, suadet Patrem invocari per Jesum, nusquam adduci precibus Jesum ut ipse invocet. Vult quidem Filius rogari Patrem, non à seipso, sed à nobis per ipsum. Itaque oratur Filius, oratur Pater per Filium, non unquam autem oratur orare Patrem Filius. Inhæremus enim illis quasi novissimis Christi redivivi verbis, *Data est mihi omnis potestas, &c.* Et humanitatem ipsam jam secundùm carnem non novimus, sed deitatis gloria vestitam obrutamque contemplamur. Unde Rupertus: *Sed dicit quis: Rogat per humanitatem, qui dat per divinitatem. Hoc planè verum est, quia tunc moriens, pauló minus ab Angelis imminutus, rogavit per humanitatem: nunc autem gloria & honore coronatus, & constitutus super omnia opera Patris, dat per divinitatem, omnem habens potestatem, utpote à dextris Dei sedens. Unde sicut resurgens ex mortuis jam non moritur, sic illum ad hoc ut roget Patrem, nemo invocat catholicus.* (L. 9. de dir. offic. c. 1.) Et potest quidem detrectari authoritas Ruperti, at tam unanimis & conspirata toto orbe Christiano quantus quantus patet, Ecclesiæ precationum forma, tot jam sæclis volventibus ab ipsis usque Apostolis ad nos propagata, tantæ sanè molis est, ut pertinacissimum quemque revincere & expugnare possit.

XIV. Cum per Filium Pater dat, etsi dat & Filius impetrare tamen utcumque videtur. Septimò, precationis & postulationis instar esse potest illa conspiratio Filii unigeniti Dei atque hominis invicta & constantissima, omnia ad Patrem ceu ad suum, ceu ad omnium principium innascibile referendi. Inde enim efficitur, ut ea quæ ipse dat quia Deus, quia æqualis Patri, quia pari potestate pollet agitque, ea tamen interpellando dare, vel impetrare insinuetur, quia per ipsum Pater dat, quia à Patre accepta dat, quia authorem omnium suique ipsius Patrem clarificare ante omnia studet. Ambrosiaster: *Hac causa tamen Filius dicitur interpellare, cum ipse agat totum, & æqualis sit Deo Patri, ut quia unus dicitur Deus, ne Pater & Filius singularis, vel unio putaretur, ad personarum distinctionem sic loquitur scriptura, ut & Filium non disparem tradat, & Patrem quia Pater est, & quia ab ipso sunt omnia, præferat.* (In c. 8. Ep. ad Rom.) Vide & quæ ex Epiphanio cap. superiori retulimus. Denique charitas summa & sempiterna Dei, qua flagrat illa anima Verbo contexta, instar habet orationis. Sed de his hactenus.

CAPUT VII.

Par orbi redimendo pretium, & redemptor non alius quàm Deus ipse. E Græcis Patribus.

I. Nulla singularis natura, finita cum sit, par potest esse pretium naturæ humanæ redimendæ. TAnti erat genus humanum, ut ei redimendo impenderit seipsum Deus Verbum, humanisque insinuaverit se membris, hisque infusum se, tanquam unum non dispar pretium repræsentarit.

Primò

Primò enim natura quælibet alia quantocumque dignitatis cumulo sublimis, singularis ipsa sibi est, suisque circumscripta finibus, privato coercita modulo, pretiique permagni illa quidem si voles, sed privati ac definiti. At natura rationalis universa immensum aliquid & interminum præsefert, nec intra limitem privati cujusquam valoris cohiberi se sinit. Æquiparari ergo illi non potest, nisi natura universalis seu divina, quæ nullo pretii & valoris fine clauditur. Unus enim Deus omnium instar est, & ultra omnes unus ipse est. Cyrillus: *Unus enim pro omnibus mortuus est*, ὁ πάντων ἀντάξιος, *id est, qui pro universis justum pretium erat; & animam suam* ἀντάλλαγμα *id est permutationem pro nostra dedit*. Unus erat πάντων ἀντάξιος, unus erat πάντων ἀντάλλαγμα. Etenim Angelorum hominumque unus quilibet ut nullo maculetur nævo, ut summo splendeat meritorum culmine, brevi tamen gyro sepitur intra suum modulum arctatus: universitati naturæ rationalis longè dispar & inæqualis est. Una Verbi natura quia rationali superior est, omnium instar & ultra una est. Idem rursus: *Christus intelligitur qui tum pro nobis mortuus est, tum in odorem suavitatis Patri in holocaustum oblatus, & seipsum pro universorum vita pretium impendit*: ἀντάλλαγμα τῆς ἁπάντων ζωῆς. Et alibi rursum: *Unum quippe oportebat pro cunctis mori, qui vitæ omnium instar erat*; τὸν τῆς ἁπάντων ζωῆς ἀντάξιον. At dialogo de incarnatione unigeniti: *Carnem quippe suam pro omnium carne persolvens*, δῶρον ἀληθῶς ἀντάξιον, *donum revera æquivalens; animam vero suam omnium animarum* ἀντίλυτρον, *id est redemptionis pretium dedit*.

L. 5. de adoratione.

Ibidem. l. 15

In Evan. Jo. L. 11.

II. Omnium vitæ redimendæ par non erat, nisi ipsa vita; ex Cyril. Rursum omnium vitæ ab interitu vindicandæ, & justo pretio redimendæ idonea non erat, nisi vita ipsa primigenia Verbi Dei, quæ ut origo inexhausta vitæ, omnium vitæ præponderaret, omnium mortem exciperet & exhauriret, omnium mortem de redundantia vitæ suæ extingueret, vitam sibi profligata morte omnibusque in se & per se copiosiorem & deinceps inextinctam refunderet. Viventis enim Patris, vivax & immortale germen, omnium mortem & universalem interitum uni sibi incumbentem, & adversus unum se desævientem oppetiit, occupavit, exarmavit, & labefecit, atque ita à morte omnes redemit, vitæ suæ copia immarcessibili. Idem Cyrillus; *Unum quippe oportebat pro cunctis mori, qui vitæ omnium instar erat, ut tam mortuorum quàm vivorum imperium acciperet. Nec enim sibi quisquam persuaserit ipsam sanctorum Apostolorum mortem ad destructionem mortis & interitus illatam esse: siquidem & ipsi in eorum potius numero sunt, qui à morte liberandi fuere, utpote unius nobiscum naturæ, & adversum quos imperium suum mors exercuit. Solùm igitur ac primum oportebat qui ex Patre vivente est, pretium ad vitam omnium redimendam corpus suum tradere, ut & Verbi sibi uniti vitam secutum, corporum naturæ dux esset ex mortis laqueis sese strenuè expediendi*. Missa facio complura istiusmodi.

In Jo. L. 11.

L. de recta fide pag. 18. Et in Jo. L. 4.

III. Item ex Athanasio. L. de Incarn. Verbi Dei. Cyrillus hæc à magistro, id est, ab Athanasio mendicavit suo more: hunc ergo etiam adhibeamus: *Cùm enim certum haberet Verbum Dei corruptionem non aliter in hominibus desituram esse, nisi omnes omnino morerentur, & se mortis capacem non esse, ut immortalem & Patris Filium: corpus assumpsit, quod mori posset, ut illud summi Verbi particeps factum, pro omnibus morti ad satisfactionem sufficeret; & tamen ob inhabitans Patris Verbum, incorruptibile permaneret: quo ita in posterum corruptio in omnibus per resurrectionem desineret. Ideoque veluti hostiam ab omni macula liberam, ipse sibi corpus desumens offerensque in mortem, ab omnibus statim sui similibus rei persimilis oblatione mortem amolitus est*, τῇ προσφορᾷ τοῦ καταλλήλου. *Cùm esset enim præ omnibus Ratio ipsius Dei, jure suum templum & corporale instrumentum, ut obsidem vicariamque animam morti sistens ad immolationem, explevit id quod mortis rationibus ab omnibus debebatur, pensitatione rei consimilis, omnesque incorruptibilis Dei incorruptibilitate vestivit datis resurrectionis promissis*. Ubi pluribus hoc ipsum prosequitur.

IV. Hinc olim oppressus Nestorius, quod nisi verus Deus esset Christus non esset par homini redimendo pretium. Vide & Ep. ad Valer. & Lib. de recta fide, pag. 41. 101. Denuo hac ineluctabili argumentatione impetitus olim Nestorius est, & prostratus, quod si homo Deitate personatus in speciem tantùm & quadam societatis dignitatisque divinæ umbra palliatus esset Christus, si verus non esset Deus homine vero succinctus, tanti non esset, ut omnibus hominibus justo pretio emercandis sufficeret. Si Deus verus est, abundat redundatque pretium: at si vel tantillum à vera Deitate deficit, deficit & à pretii magnitudine. Tanti enim est homo, ut nisi Deo semet addicente, emi justoque pretio pensari nequeat. Cyrillus Alexandrinus dialogo, quod unus sit Christus: *Neque enim communem ac vulgarem hominem tradidit Deus pro nobis, instar mediatoris assumptum, & ascititia Filii gloria præditum, & stricta quadam conjunctione decoratum: sed omnem creaturam exuperans Verbum, ex essentia ipsius genitum, nostri similem propter nos factum, ut cerneretur omnium vitæ pretio par*.

V. Ut ex Paulo vituli sanguine, ita nec cujuslibet meræ creaturæ, possunt elui peccata. His adde quod ait Apostolus, non posse elui peccatorum maculas hircorum aut vitulorum sanguine, quod latissimè patet; perindè enim nullius creatæ naturæ sanguine, aut quocumque demum impendio & nisu elui & extergeri possunt. Non fallit quidem nos hirci hominisve discrimen, & hujus ex rationis & sapientiæ consortio dignitas. At quod ad abolenda peccatorum inquinamenta attinet, & ad mortis vim in omnes debacchantis retundendam, nihilo efficacior est aut pretiosior hominis quàm hirci sanguis. In conscientiæ enim penetralia non illabitur hominis sanguis, in cubilia ipsa animæ non irrepit: carnem purpurare potest, animam attingere & intingere non potest. Et ut in animæ medullas interiores serpat, hærentes penitùsque inolitas improbitatis notas humanas sanguis non eradet, justitiæ candorem non illinet, lucem non imprimet sanctitatis. Neque enim humano sanguini, aut creatæ ullius naturæ conatui sanctitas & justitia concreta est, ut inde quocumque respergatur, Denique mortali peræquè hominis atque vituli sanguine non paratur immortalitas, non enecatur mors omnibus infesta. Cyrillus: *Si sanguis hircorum, &c. inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Si Christus verus Deus non est, quam quæso utilitatem illius sanguis potuit afferre? aut quomodo conscientias nostras ab operibus mortuis potuit expiare? Quid enim vulgaris hominis sanguis virtutis aut efficacitatis habet, quod non habeat sanguis hircorum? Nihil omnino. Hoc solum namque inter hunc & illum interest, quod hic sit animantis bruti, ille verò animantis ratione præditi. Verum quia non purus quispiam homo, sed naturalis Dei Filius carnem assumpsit, sanguinemque pro omnibus effudit, factum est, ut credentes in ipsum valuerit emundare, & ex operibus mortuis liberatos divino cultui mancipare, Deoque offerre*. Non enim humano, nihilo plus quàm hircino, sed divino sanguini concreta coalitaque inest sanctitas & immortalitas; unde & quibus aspersus fuerit, in ipsas animæ perrepit venas, inspiratque sanctimoniam, & mortis seminaria exurit.

L. de recta fide, c. 73. 98

Qui rursus ibidem ex Apostolo Petro ita argumentatur: *Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati*, Rdem-

Redempti enim sumus Christo proprium pro nobis corpus impendente. At si ut homo vulgaris mente concipiatur, quomodo illius sanguis vitæ omnium æstimationem exæquat? Si autem Deus erat in carne, qui dignitate omnes superat, satis decenter per proprium sanguinem cumulata extiterit redemptio ἀξιόχρεως ὑ λύτρωσις *mundi totius*. Trutinate accuratius verba Petri, ait redemptos nos de vana nostra conversatione: non ergo auro, vel argento, vel corruptibili quoquam pretio, atque adeo nec humano mero sanguine: nam quæ horum vis ad expiandas animas? quæ corruptibilis pretii dignitas ad incorruptibilis justitiæ licitationem?

VI. Ideo tot olim justi pro justitia mortẽ oppetierãt, nec tamen genus humanum redemerant.

Ideo ergo cùm tot olim justi cum morte certassent, & ipsi quidem pro justitia sanguinem ultro fundentes, morte ad immortalitatem iter sibi stravissent, humano tamen generi nihil admodum profuerant, nec impietatem aut ejus stipendiariam mortem à cæteris proscripserant. Nec enim cùm nudi essent homines, tanta erat ipsorum sanctitatis copia, ut in alios exuberaret: nec tanta viræ tenacitas ac redundantia, ut mortem in sua sede perdomare atque interimere polleret. Cyrillus: *Unum oportebat pro cunctis mori qui vitæ omnium instar erat, ut tam mortuorum quàm vivorum imperium acciperet. Nec enim sibi quisquam persuaserit ipsam Sanctorum Apostolorum mortem ad destructionem mortis & interitus illatam esse. Et ipsi enim in eorum sunt numero, qui à morte & corruptione liberandi fuere, utpote qui eandem nobiscum sortiti sint naturam, & in eos imperium suum peræquè mors exercuerit, &c.*

L.11. in Jo.

VII. Redimere hominem à vitiis, hoc est, Spiritum sanctũ inferere, sanctitatẽ medullis ipsis animę inspirare non poterat ulla creatura.

Accedit quod ab animæ pestibus corporumque interitu liberare homines, & jam addictos, jam præcipites in exitium redimere ac revocare, non Angeli, non hominis erant cujusquam partes, non conditæ ullius opes viresque naturæ. Animæ enim Spiritu sancto impregnandæ erant, & ita ab intestinis vitiis redimendæ. Insita mutabilitas & ad peccandum declivis pronitas inhibenda erat quodam inexpugnabilis constantiæ afflato vigore. Inspirata animæ incorruptibilitas in corpus ipsum usque exporrigenda erat, & ita immortalitas caducis membris concilianda. Hæc liberatio, hæc hominum redemptio est. Nullius autem creatæ naturæ potestas ad id convaluit, ut Spiritum sanctum exprimeret cælitus, imprimeretque quibus liberet: ut divinæ consortium naturæ ad arbitrium suum elargiretur: ut mutabilis ipsa cùm per sese esset, incommutabilitatis rivulos irrigaret: ut denique incorruptibilitatem, quam precariò & stillatim tantùm consecuta esset, cæteris largissimè & suo quasi jure diffunderet. Denique prima mali labes, omniumque deinceps caput nostrorum & causa malorum, peccatum extiterat. Illud extingui & abolescere non poterat peccabilis ullius naturæ vi atque potestate, ut res clamat ipsa. Divina ergo Verbi impeccantia adsciscenda erat, quæ serpenti malo occurreret. Athanasius: *Non enim alterius erat conjungere hominem cum Spiritu sancto, quàm tui ipsius, qui es imago Patris, ad quam ab initio creati eramus, quoniam tuus est Spiritus. Neque enim rerum conditarum natura digna erat aut idonea ad id negotium, quum & Angeli prævaricati essent, & inobedientes homines fuissent. Ideo opus erat ipso Deo: Verbum autem est Deus: ut eos qui sub maledictione essent, redimeret. Igitur si ex non entibus extitisset, Christus esse non potuisset, utpote unus è vulgo rerum ac participator cum cæteris futurus. Cæterum quia Deus est, quia Rex æternus, & splendor & character Patris, ideo ipse est qui expectabatur*. Et infrà ibidem: *Cùm enim rerum conditarum natura convertibilis esset, aliique prævaricatione, alii inobedientia peccassent, neque in studiis ulla firmitas subsisteret, subinde bono in malum, proin nequam deficiente, ideo inconvertibilis natura requirebatur, quò homines immutabilem Verbi justitiam pro formula & exemplari ad virtutem capessendam haberent. Primo enim homine mutato, & morte per peccatum in mundum introgressa, necesse omnino fuit secundum Adam immutabilem esse, &c. Ideo enim serpens in conatibus suis elanguescit, quia Dominus est inconvertibilis & inalterabilis, &c.* Redimi sanè à labe mutabilitatis & inde pullulantis peccati interitusque non poteramus, nisi adglutinante se nobis incommutabili vita justitiaque Verbi Dei. Quantalibet enim creatura opem ferre adgressa esset, non vindicasset utique illa nos ab ea ægritudine, cui & ipsa finitima atque affinis fuisset. Adhæsit porrò sui Athanasii vestigiis affixus constantissimè Cyrillus.

Orat. 3. cõtra Arian.

L. 9. in Joan. & Thesauri pag. 198. 168. Adde & Pro cl. Orat. 1.

VIII. Debita omnium vel donare, vel exolvere non est nisi Domini & Dei.

Adde quod commissa nostra amplius est solvisse, quàm donasse. Donasse enim promptum erat & vile propemodum; at solvisse, permagno sanè constitit. Deus ergo unus donare poterat, ut est in confesso; nam quis relaxet irrogatas Deo contumelias, nisi Deus ipse? Ergo Deus solus solvere poterat, quod operosius est quàm donasse. Chrysostomus: *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Non enim qui remittit, sed quod profectò majoris pietatis est, qui tollit, inquit. Non enim idem est peccatum indulgere simpliciter & suscipere. Illud enim absque periculo fieri potest, hoc verò per mortem.*

Hom. 11. in Matth.

Aliena exolvere debita, atque ita gratiam promulgare, non servæ, non creatæ ullius naturæ est, sed principalis & divinæ. Servorum enim est reposcere debita, non herili potestate indulgere: in injurias animadvertere, non relaxare. Athanasius orat. 2. adv. Arian. *Ad Verbi in carnem adventum & ad functionem quam tunc administrabat, respiciens Paulus, illum non similem esse prioribus nunciis ac legatis ostendere voluit; ut quantum natura discreparet ab illis qui antea missi erant, tantò magis gratia per eum & ab eo data intelligeretur eximia & excellentior esse præ Angelorum ministeriis. Servorum enim erat reposcere dumtaxat fructus, Filii ac Domini gratiam debiti facere.*

In irritum vanescere non poterat sententia in hominem transgressorem semel à Deo lata. At rursus hominem ipsorum operum Dei specimen eximium & luculentum irrevocabiliter disperire, & divinæ circa eum bonitatis consilia beneficiaque frustrari, atque ita totam orbis hujus hominibus subjugati pulchritudinem inquinari, id sanè nefas erat. Igitur ex re fuit ut pœnam semel definitam subiret obses in vicem hominum homo Verbum, & ab exterminio homines, à dedecore totum Dei opificium vindicaret. Athanasius: *Non enim verax Deus fuisset, si cùm dixisset nos perituros, non periissemus. Indecorum rursum erat eos qui semel creati erant rationales, pariter extingui, & ad non existendi naturam per corruptionem denuo resolvi. Id enim indignum erat bonitate Dei, si quæ ab eo creata essent, in interitum abirent ob diaboli fraudem adversus hominem. Quin imò indecentissimum erat Dei artem in hominibus extingui, vel per ipsorum incuriam vel per dæmonis imposturam.* Et paulò post: *Quid aliud decuit fieri, aut cujus opera ad recuperandam istam gratiam requirebatur, nisi Dei Verbi, qui omnia ab initio condiderat? Ejus enim fuit id quod corruptibile erat, rursus ad incorruptibilitatem reducere: & pro omnibus id quod æquum rationique consentaneum erat, Patri præstare. Quum enim Patris sit Verbum & supra omnes, meritò etiam solus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, ac ad Patrem intercederet.*

L. de Incar.

IX. Sola Deitas est ejusmodi salus, sanctitas & libertas, quæ in animas nostras illabi possit.

Rursum sola Deitas ejusmodi est salus sanctitasque & libertas, quæ insinuare se in animæ nostræ viscera, medullitusque illabi possit, atque ita salutem & redemptionem non forinsecus aspergere aut oblinere, sed medullitus insinuare. Istud enim demum est à vitiis & servitute redimi, non æstimatione & arbitrio hominum absolvi, aut ingenuis accenseri; sed sanctimoniæ ipsius substantia, ve-

nas & penetralia animæ inserpente atque insidente vegetari, ipsa per se summa libertate formari atque imbui. Ad hunc modum redimere nos ab impietate, à servitute, ab exitio sola Deitas potuit, quæ germana est sanctitatis forma, quæ libertatis natura ipsa est, quæ salus est summa, quæ denique, qua est in animas nostra dominii & potentatus efficacia, irrepere & insidere in sinus intimos atque in medullas potest nostras. Athanasius: *Si enim ille cùm jam creatura esset, homo fuisset redditus, mansisset homo ita ut erat, nihil coaptatus vel coalescens cum Deo. Si enim creatura esset, quomodo per creaturam Creatori coaptaretur?* Et infrà: *Si ob vires suas per quas id potuit, verbo edixisset, & ita maledictio aboleretur, imperantis quidem potentia conspicua fieret, homo tamen ejusmodi effectus fuisset qualis Adam ante prævaricationem fuerat, extrinsecus accipiens gratiam, non autem eam suo corpori conglutinatam tenens.* Et infrà: *Rursus si Filius creatura esset, nihilominus homo mortalis remaneret, utpote non coaptatus Deo; non enim creatura per creaturam Deo coaptata fuisset, cum ipsa coaptatorem requisisset.* Et rursus infrà: *Deificationem in se non sensisset homo, creaturæ coaptatus, nisi Filius verus Deus extitisset: neque astitisset Patri homo, nisi naturaliter verum Patris Verbum fuisset, quod carnem induerat. Et quemadmodum neque à peccato neque à maledictione vindicati fuissemus, nisi vera ea naturaliterque humana caro fuisset, quam Verbum sibi induerat; nihil enim nobis commune cum re aliena: ita quoque non deificatus fuisset homo, nisi naturaliter ex Patre verum ac proprium illius Verbum fuisset quod caro factum est. Ideo enim ea coaptatio instituta est ut Deitas vera & ut sic dicam naturalis, verum & naturalem hominem sibi consereret, & stabilis efficeretur hominis salus ac deificatio.* Evidenter negat potuisse exuri everrique penitùs luem, viscera nostra depascentem, nisi salus, & sanctitas, & deificatio per ipsam Verbi substantiam in nos insinuata influxisset.

Orat. 1. contra Arian.

Vide & Orat. 4.

X. Libertate donare non poterat creatura ulla, utpote serva.

Sed cùm redemptionis ipsa vox vocet ad libertatem, eccujus amabo est, libertatem donare aut reddere, nisi ejus naturæ, cui servitutis suspicio allini non possit, cui libertas insita & concreta sit, quæ ipsa denique natura sit libertatis? Vacillabit enim libertas vel libertatis potiùs umbra & simulatio, quam vel servus vel libertus conscripserit. Quis autem homo, vel Angelus, quis creatæ naturæ consors, non vel servus est, vel ut summum libertus? Qui ergo vincula perfringet aliena, quem sua urgent? Plenissima ergo deitatis libertas sollicitanda erat, ut suppetias ferret ipsa, ut infixam servitutis ignobilitatem effricaret, ut manumitteret, & nos sibi adserendo, germanæ nos adsereret libertati. Cyrillus: *Necessariò itaque Christus ostendere vult eum qui natura sua servus est, nec ad aliorum libertatem, nedum ad suam sufficit, nullo modo sibi præstare posse libertatem, quippe cùm naturæ suæ ratione illa careat. Nam qui ab alio sibi gratiam accipit, quomodo ad aliorum libertatem sufficiet? Uni verò ac naturali Deo libertatem aliis dare competit. Clarè ergo demonstrat servum necessariò esse, quidquid non manet in æternum, hoc est, quodcumque ut eodem semper modo sit, non habet à natura. Quidquid enim ortum est, omnino & corruptioni subjacebit: quod autem istiusmodi est, servum erit Dei, videlicet qui ad esse illud vocavit. Nam de creaturis dictum est ad eum, Omnia serviunt tibi.* Hæc altissima radix est servitutis, creaturis omnibus implicatissima. Incorruptioni enim seu Deitati alienum & profanum est omne corruptibile: ac proinde rejectaneum & servum, ignobile & peregrinum. Est autem omnis creatura primordialiter corruptibilis, utpotè è nihilo ad esse protrusa, & ad nihilum sua sponte originisque suæ vitio resupinata. Ergo servile est omne creatum, & ideo servile, quia non manet in æternum, id est, quia commutabile incommutabili extraneum, obnoxiumque est. Quod autem est istiusmodi, afflare libertatem, & radicem libertatis incorruptionem nequaquam potest. At Filius & veritas, quia non de nihilo, sed de Patre incommutabili, incommutabilis & æternus nascitur, liber ipsaque libertas est, & tum verè liberi erimus, cùm nos ille liberaverit. Quapropter ibidem paulò post Cyrillus: *Ostendens quippè omne creatum, ex eo quod corrumpitur, servum esse, & Filium secundùm naturam Deum esse demonstrans, ex eo quod manet ac mutationis est expers, alicubi sic infit ad eum: Tu sedens in æternum, & nos pereuntes in æternum. Omni quippè tempore res creata corruptibilis erit ex eo quod creata sit, licèt Dei virtute non corrumpatur. Erit verò semper sedens Deus, sessione quæ hoc loco dicitur, stabilitatem substantiæ ejus & in identitate substantiæ firmitatem ostendente, accedente regia & suprema dignitate qua pollet.* Et infrà verba illa Christi ita exponit: *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. Uni, ait, secundùm naturam filio, secundùm veritatem libero, extraque omnem servitutem posito attributum comperitur, ut possit liberare: alteri verò nemini. Quemadmodum enim quoniam est secundùm naturam sapientia, & lux, & potestas, sapientiam dat sapientiæ capacibus, lumen lumine indigentibus, robur robore carentibus; ita quoniam est Deus ex Deo & substantiæ in omnia regnum obtinentis liber atque ingenuus fructus, quibus libuerit, dat libertatem: cæterum ab eo qni secundùm naturam eam non habet, nemo vere liber effici poterit. Cum vero ipse Filius volet aliquos liberos facere, proprium ipsis inserens fructum, verè illi liberi audient, ab eo qui jus & potestatem habet, hanc dignitatem consecuti, non autem ab aliquo eorum qui aliunde mutuantur, & exoticis veluti gratiis splendescunt.*

L. 5. In Ev. Jo. pag. 541.

Postremò denique nostræ succedere servituti, id est formam servi induere non poterat, nisi natura liber. Nam servus alienam præterea qui subeat servitutem? Aut vinculis constrictus propriis, qui cæterorum vincula in se transferat? At natura liber Deus Verbum, ut primùm nostram sibi induit servitutem, sua illico nos libertate vestivit, squallorem detersit, illuminavit carcerem nostrum, nobilitatis suæ luce totam illam servitii obscuritatem profligavit. Idem Cyrillus dialogo, Quod unus sit Christus: *Idne quod natura servum est, dicetur formam servi accepisse, an id quod verè liberum est & servili conditione essentialiter superius? Id quod liberum est, censuerim: quod enim erat natura, quo pacto amplius fiat, &c. Neque enim alia ratione fieri poterat ut servitus cum honore commutaretur, nisi id quod servituti convenit, proprium ipsius factum fuisset, ut & ipsius gloria illustraretur. Vincit enim semper id quod præstantius est, & turpitudo ex servitute orta in nobis abolita est. Factus est enim nostri similis qui nobis superior est; & servilem conditionem subiit, qui natura est liber. Idcirco etiam in nos dignitas propagata est. Vocati enim sumus & nos Filii Dei: Patremque nobis vindicavimus eum qui peculiariter ipsius est.*

CAPUT VIII.

Deo an diabolo persolutum sit Redemptionis pretium, an utrique, ex Græcis Latinisque Patribus inquiritur.

NOn offendetur quæstionis hujus insolentia aut novitate, qui sanctorum Patrum lucubrationes non supinus, non oscitabundus pervolutaverit. Crebrum enim & perquam familiare illis est, pretii magnitudinem admiratione & laudibus in cœlum ferre, ejus quo redempti sumus à diaboli potestate, ejus item quo divinæ in nos iræ tempestas perpacata est. Subit ergo statim inquirere

I. Proponetur ambigua utrimque difficultas. Qui diabolo persolutum senserint.

tere & addubitare, eccui appensum sit pretium nostrum? An diabolo, à quo detinebamur? Sed videtur inuri contumelia tam pio sanguini, si eo manus tam nefariæ respergantur. An Patri Deo, cui in votis fuerit libari? At ab eo captivi non detinebamur. Sed æquius est a Nazianzeno ipso hanc dubitationem audire: *Eccui enim ille pro nobis sanguis, & quam ob causam fusus est, ille inquam magnus & nobilis Christi tum Pontificis, tum sacrificii sanguis? Nos enim à diabolo detinebamur, utpote qui venumdati essemus sub peccato, ac vitium cum voluptate commutassemus. Quod si redemptionis pretium non alii ulli quàm ei qui captivos tenet, persolvitur: quæro cui tandem oblatum est & quam ob causam? Si pravo illi: ò gravem contumeliam, si non à Deo solum, sed Deum quoque ipsum pretium redemptionis latro accipit: adeoque insigne & excellens tyrannidis suæ præmium, cujus causa nobis quoque parci æquum erat. Si autem Patri: primò quomodo id factum est? Nec enim ab ipso tenebamur: deinde quæ ratio offerri potest ut unigeniti sanguine Pater oblectetur, qui ne Isaac quidem à Patre oblatum acceperit, sed ariete in rationalis victimæ locum substituto, sacrificium permutarit.* Sic ille strictim ambiguam subjicit oculis quæstionem, & alternandi ancipites hinc & inde rationes. Nisi libro hujus operis primo pertractata jam res ista esset, poteramus hìc prolixè recensere Irenæum, Origenem, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum, Dionysium, Theodoretum, Cæsarium, Damascenum, Theodorum Abucaram ex Græcis, ex Latinis Augustinum, Leonem Magnum, Chrysologum, Paulinum, Gregorium Magnum, Cæsarium, Pacianum, Ambrosium, Ferrandum, Petrum Cellensem & alios, qui sanguinis Christi pretium diabolo persolutum senserunt, à quo captivi tenebamur. Summa capita rationum, quibus illi nituntur, istiusmodi sunt. 1. Æquum erat, ut qui fraude hominem illexerat, deluderetur vicissim & ipse; & qui fuco voluptatis lactaverat ad mortem, umbra ipse carnis inescatus proliceretur ad invadendam, qua velut hamo confoderetur, divinitatem. Quis enim fraudis quam exorsus ipse sit texere, vicissitudinem conqueretur? 2. Æquo certamine cum diabolo victore congressus homo Christus est, nec in Deo, sed in homine depugnavit. Æquum erat enim ut redintegraretur certamen, sed non alia pugnaret, non alia vinceret natura, quàm quæ victa prius erat. Potentiæ id documentum fuisset, si Deus: justitiæ fuit quod homo in pugnam procinctus venit, homo victoriam reportavit. 3. In jura & leges diaboli demigraverant peccatores. Invasit in Christum innocentem diabolus, pœnasque & mortem ab eo nihil debente expressit. Igitur summo juris examine per injustitiam plus petendi, toto debiti sui jure excussus est. 4. Consuetudine impietatis in Deum bellaturiens, non æqualem tantùm jam, sed & superiorem ei se objicere gestiit, respuenti manus nefarias injecit: ergo reus majestatis, spoliatus extrususque imperio suo est. 5. Justum præter leges interemit: in potestate jam est justi indebita morte multati, omnes mortis debitores vendicare sibi. 6. Vili pretio emerat captivos, voluptatis fugacissimæ delinimento. Repensum est illi pretium longè maximum, & quale exambiit, quale invasit ipse, voluptatem gloriamque subjugati suis mortisque vinculis potentissimi omnium Christi. Assensus ergo ipse est nostræ pro tali pretio liberationi. 7. Nec ipsum fallebat, quanto se discrimini committeret dominationis suæ pessumdandæ, si quid in Christum immerentem secus consuleret. Sed tanti ipsi visum est delectamentum decusque expletæ suæ in eum libidinis & sævitiæ exaturatæ. 8. Dedititium genus nostrum tenebat diabolus, spontaneos nempe, & non vi, sed suasione ejus primùm vinctos. Fas ergo fuit & Christo salubriorem facundiæ suæ vim explicare, & eblandiri, atque consentaneos sibi nos adglutinare. Denique peccato ipsi & morti quasi intentata lis est, & de peccato damnatum est peccatum, quod ipsam incessisset cruciassetque sanctitatem: morsque ipsa quod in vitam & immortalitatem impetum fecisset, contrucidata est.

Orat. 41.

II. Principalius Deo libatum esse Christi sanguinem consentiūt Patres. Nazianzenus & Athanasius.

Principaliter tamen Deo Patrique libatum esse Christi sanguinem, & hoc holocausto repropitiatum nobis esse Deum, atque illi pro peccatis nostris factum esse satis, consentiunt iidem Christianæ Patres Ecclesiæ.

Orat. 41.

Nazianzenus in primis, ut supra memoravimus, cum quæstionem hanc in medium protulisset, *Eccui fusus esset sanguis Christi*: & alternantes hinc & inde ventilasset rationes, eccur diabolo, eccur Deo, nostri instar pretii impensus esse, vel negaretur, vel affirmaretur: suam ipse tandem promit sententiam: *Perspicuum utique est, Patrem quidem accepisse, non quod petierit, aut eo opus habuerit; sed propter dispensationem, & quod oporteret deificata humanitate hominem sanctificari; ut Deus ipse liberaret nos tyranno per vim superato, & ad se reduceret per mediatorem Filium, qui in honorem Patris cui per omnia cedere perspicitur, id dispensaret.* Vides cujus rei principaliter habita sit ratio, in impendio Christi sanguinis, nempe placandi Patris, hominisque ad eum per sanctitatem revocandi. Inserta enim naturæ nostræ divinitate Verbi, non potuit homo non emaculari, & sanctitatis eximiæ lumine resplendescere, eoque non potuit non illi bene velle Pater, & aspiratione gratiæ atque amicitiæ suæ omnem ab ea diaboli incubantis dominationem exsufflare.

L. de Incar. Verb.

Athanasius astipulatur: *Sin autem ideo homines quia prævaricatio jam antecesserat, sub ea quæ est contra naturam corruptione detinebantur, gratiamque imaginis in se perdiderant; quid quæso aliud fieri decuit, aut cujus opera ad recuperandam istam gratiam requirebatur, nisi solius Verbi quod ab initio omnia ex nihilo condiderat? Ejus enim fuit id quod corruptibile erat, ad incorruptibilitatem reducere, & pro omnibus id quod æquum rationique consentaneum erat, Patri præstare. Quum enim Patris sit Verbum & supra omnes, merito etiam solus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit qui pro omnibus pateretur, & apud Patrem intercederet.* Attende quàm nulla hic habeatur ratio diaboli, & quàm tota Christi passio capitaliter ad honorem Patris, ad gratiam ejus promerendam, ad intercedendum apud Patrem, ad persolvendum Patri justum quasi pretium refundatur.

III. Cyrillus Alex. De adorat. l. 11.

Cyrillus Alexandrinus: *Qui tum pro nobis mortuus est, tum in odorem suavitatis Patri, ut holocaustum oblatus, & seipsum pro universorum vita pretium impendit.* Patri ergo hoc pretium exolvitur, cui & holocaustum idem ipsum adoletur. Mors enim Christi, quantum ad interfectores attinet, immane facinus est; quod ad ejus autem spectat consilium, holocaustum est. Facinus ad diabolum, holocaustum ad Deum pertinet. Patri ergo se ipse adolevit, Patri litatum voluit, & huic consilio crucem mortemque suam dedicavit. Idem Cyrillus: *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum. Nec enim aliter unquam destrui poterat is qui mortis habet imperium, adeoque mors ipsa, nisi dedisset seipsum Christus pro nobis, unus redemptionem pro omnibus; erat enim supra omnes. Proindeque in Psalmis ait alicubi, seipsum pro nobis quasi hostiam immaculatam offerens Deo ac Patri: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi: holocausta & pro peccato non postulasti; tunc dixi, Ecce venio.* En quò destinetur mors Christi, non tam ad pretio placandum, quàm ad destruendum diabolum, & imperium ejus profligandum: ad holocaustum autem Deo instruendum, quo demereamur eum, qui pecudum sanguinem abnuebat.

Ex La-

IV. Gregor. M. Mor. l. 3. c. 11. Ex Latinis autem Gregorius Magn. *Hinc eſt quod Patri quidem ſapiens dicit: Cum ſis juſtus, juſtè omnia diſponis: eum quoque qui non debet puniri, condemnas. Sed penſandum eſt quomodo juſtus ſit, & omnia juſtè diſponat, ſi eum qui non debet puniri condemnat. Mediator enim noſter puniri pro ſemetipſo non debuit; quia nullum culpæ contagium perpetravit. Sed ſi ipſe indebitam mortem non ſuſciperet, nunquam nos à morte debita liberaret. Pater ergo cum juſtus ſit, juſtum puniens, omnia rectè diſponit: quia per hoc cuncta juſtificat, quod eum qui ſine peccato eſt, pro peccatoribus damnat: ut eo electa omnia ad culmen juſtitiæ ſurgerent, quo is qui eſt ſuper omnia, damna injuſtitiæ noſtræ ſubſtineret. Venit itaque ſine vitio, qui ſe ſubjiceret ſponte tormento: ut debita noſtræ iniquitati ſupplicia, eo reos ſuos juſtè amitterent, quo hunc à ſemetipſis liberum injuſtè tenuiſſent.* Nihil explicatius hoc uno Gregorii loco, ad caliginem prioris dubitationis enubilandam. Propalatur enim ratio juſtitiæ elimatiſſima, qua debita mors noſtra per indebitam Chriſti exhauſta eſt: qua quod injuſtè in Chriſtum deſæviſſet, interempta injuſtitia eſt: qua ſupplicia reos ſuos amiſerunt, quod à ſemetipſis liberum injuſtè tenuiſſent; Hæc inquam ratio juſtitiæ enucleatiſſima, non ad diabolum jam, ſed ad Patrem refertur, qui juſtè omnia diſponit, etiam tum maximè, cum juſtum pro injuſtis condemnat. Juſtitiæ ergo ad Patrem principaliùs quàm ad diabolum præſtandæ, mors Chriſti impenſa ſanguiſque depenſus eſt.

Mor. L. 17. c. 18. & l. 9. c. 11. Gregorius idem: *Diabolus ſub captivitate ſua quaſi juſtè tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus, ei injuſta ſuadenti conſenſit. Delenda ergo erat talis culpa, ſed niſi per ſacrificium deleri non poterat. Quærendum ergo erat ſacrificium, &c. Oblata pro nobis hoſtia quando nos à peccato mundaret, ſi ipſa hoſtia peccati contagione non careret: Ergo ut rationalis eſſet hoſtia, homo fuerat offerendus: ut vero à peccatis mundaret hominem, homo & ſine peccato, &c. Fecit pro nobis ſacrificium, corpus ſuum exhibuit pro peccatoribus, victimam ſine peccato, &c. Unde accepit exteriùs diabolus poteſtatem dominicæ carnis occidendæ, inde interior poteſtas ejus qua nos tenebat, occiſa eſt, &c.* Conſilium hìc verſatur de poteſtate in nos diaboli exterenda, & quidem per juſtitiæ leges. Protinus ſacrificio opus eſſe oggeritur, & quidem innocentis pro nocentibus victimæ. Quid elucidatius? Sacrificio enim non diabolus placatur, ſed exaſperatur & conteritur. Ergo peccato acerbata in nos Dei ira, & per carnificem diabolum in nos vincula pœnaſque diſtringens, ut ſacrificio Chriſti ſanguinis ſedata eſt, factumque illi eſt ſatis, ſedatæ ſunt & pœnæ, vincula diſrupta, ſedatus carnifex.

V. Auguſtin. L. 4 de Trin. c. 13. Auguſtinum imitatur eo loco Gregorius. Ille enim ita habet: *Ubi potuit aliquid facere diabolus, ibi ex omni parte devictus eſt: & unde accepit exterius poteſtatem dominicæ carnis occidendæ, inde interior ejus poteſtas qua nos tenebat, occiſa eſt, &c. Morte ſua quippe uno veriſſimo ſacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat, unde nos principatus & poteſtates ad luenda ſupplicia jure detinebant, purgavit, abolevit, extinxit, &c.* Tempero mihi ne hoc genus complurima ex Auguſtino acervem, genus ipſum vides, quo claret, ad abroganda diaboli in nos jura, veriſſimo opus fuiſſe ſacrificio, quo Deus placaretur, cujus in nos vindicta per immiſſos iræ ejus ſatellites ſæviebat. Igitur pretium liberationis noſtræ, ſanguis Chriſti nimirum, Patri Deo numeratum eſt, qui nos ſervituti, mortique addixerat transgreſſores, & diabolo peccati ſui enormitate in mortis & ærumnarum antris principanti ſubſtraverat. Sed ut mollitis metaphoris, propiùs ad veritatem accedamus, non tam pretio promerendus erat Deus, quàm ſacrificio. Ergo ita res habet, ut Scripturæ, ut Patres eloquuntur: ſacrificio Chriſti demulcenda erat Dei ira, abluenda offenſa, vindicta avertenda, ſanctitas reſtituenda. Eo veritatis oraculo ita ſolidato: jam licet & juvat per varias excurrere & luſitare metaphoras, ex rebus humanis tranſumptas: & id ſacrificium etiam pretii & licitationis nomine decorare: carcerario etiam & mortis principi diabolo, cui mancipaverat nos Judex, quaſi umbram aliquam hujus pretii decidere & impartiri: peccatum quaſi in jus vocare, & de peccato ipſum reum agere ac damnare; mortem denique in partes vocare, ut in congreſſu velut injuſtæ in Chriſtum machinationis convicta proſternatur. Corollaria hæc ſunt unius veriſſimi ſacrificii, quo Deus eſt placatus humano generi in Filium dilectionis ſuæ Chriſtum jam concorporato, atque adeo à maculis omnibus expiato. Ut enim Deo iraſcente in nos inſurrexerant & in ſua nos ergaſtula contruſerant peccatum, mors, diabolus, & ſuo quaſi jure in nos furiabantur: ita placato ſemel Deo & receptui canente, tota illa cohors hoſtilis quaſi placata & ipſa deinceps liberos nos dimiſit.

VI. Bernardus. Epiſt. 190. Bernardus non aliter ſapit: *Quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Ubi reconciliatio, & remiſſio peccatorum. Nam ſi dicente Scriptura, peccata noſtra ſeparant inter nos & Deum, manente peccato non eſt reconciliatio. In quo ergo remiſſio peccatorum? Hic calix, inquit, novi Teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Itaque ubi reconciliatio, ibi remiſſio peccatorum. Et quid ipſa niſi juſtificatio? Sive igitur reconciliatio, ſive remiſſio peccatorum, ſive juſtificatio ſit, ſive etiam redemptio vel liberatio de vinculis diaboli à quo captivi tenebamur ad ipſius voluntatem, intercedente morte Unigeniti obtinemus, juſtificati gratis in ſanguine ipſius, in quo ſicut idem dicit, Habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.* Ubi ut oracula Scripturæ effantur, utque ipſa veritas ultro clamat, ablegatis metaphorarum ludis, liquet id primum noſtro in lapſu perpendi, quod Deo immorigeri & contumelioſi fuerimus; ex quo id deinceps emergit, quod animam noſtram fœdiſſimis notis maculaverimus, quod pœnarum mortiſque nexibus obligati ſimus, quod denique diabolo peccatorum maximo peſſimoque & pœnarum adminiſtro permiſſi ſimus. Quæ cùm ita ſint, jam obſcurum non eſt, per eadem veſtigia remetiendum fuiſſe iter ad noſtræ reſtaurationis profectum: ut primò per obedientiæ ſacrificium reconciliaretur nobis Deus, ut ex eo jam emaculatio animæ noſtræ divinæque in nos ſanctitatis refuſio impetraretur, tum ſententiæ in nos latæ pœnarumque retractatio, ac denique armati in nos carnificis revocatio. Id præſtitit eo ipſo ordine ſanguis Chriſti: Deum enim reconciliavit ei naturæ, cui perſonam illigavit dilectiſſimi Filii, & tantum obedientiæ ſpecimen appinxit: ita deinceps abſterſit inolitas ei naturæ culparum notas, pœnas imminentes, carnificemque jam graſſantem propulſavit.

VII. Bernardus iterum. Idem infrà Bernardus: *Non mors, ſed voluntas placuit ſponte morientis, & illa morte expungentis mortem, operantis ſalutem, reſtituentis innocentiam, triumphantis principatus & poteſtates, ſpoliantis inferos, ditantis ſuperos.* En quò ſe deſtinaret primùm Chriſtus, cum morti occurreret, ſpontaneæ mortis charitate blandiretur Patri, naturæque humanæ jam ſuæ & ita morigeræ & Unigeniti dilectiſſimi perſonam ſanctitatemque geſtanti illum devinciret; illicò enim ex paternæ in nos aura benevolentiæ, ex hujus lumine amicitiæ obtigit, ut injuſtitia difflaretur, expungeretur mors, diabolus abſterreretur. *Et quoniam hæc tam pretioſa mors voluntariè ſuſcipienda adversùs peccatum, non tamen poterat fieri niſi per peccatum: non delectatus quidem, ſed tamen*

bene

bene usus malitia sceleratorum, & mortem de morte & de peccato damnavit peccatum. Igitur mors Christi primò quidem ut, à Patre ut ab ipso profecta est, grande pietatis sacramentum est : quo placatur Deus, justificatur homo, pœnæ avertuntur, excutitur à nostris cervicibus tyrannus : rursum mors Christi ut à diabolo ejusque sectariis conflata, immane impietatis facinus est, eoque rursus velut ex redundanti damnatus est de peccato peccati princeps, & de morte mortis imperator proscriptus. Sed nequaquam se sceleratorum libidini occidendum indulsisset Christus, nisi piissimo obedientiæ mortisque sacrificio reconciliandum nobis Deum ante sæcula prædestinatum fuisset. Denique ut patet ex Bernardo aliisque suprà laudatis Patribus, pretio sanguinis Christi ita factum satis est diabolo, ut morti, ut peccato. Nam de peccato in Christum innoxium perpetrato damnatum est peccatum ex Apostolo, & de morte insonti Christo impacta præter jus, mors in jus quasi obtorto collo vocata, damnataque & interempta est. At quis non intelligat hæc exaggeratione quadam justitiæ per Christi sanguinem cumulatissimè præstitæ effundi : ut non tantùm Deo factum sit satis, cui jubebat æquitas, sed etiam quasi ex justitiæ redundantia, ipsi peccato & morti & diabolo : tanquam justitia incommutabilis Verbum Deus, ne cum ipsa quidem injustitia, ne cum peccato quidem & diabolo, nisi ex juris legibus pacisci quidquam voluerit ?

VIII. Summa argumentorum, quibus claret, solutionem pretii factam diabolo consequi tantùm & resultare velut umbram ex libatione sanguinis Deo facta.

Plura inferiùs proprio loco aggerabimus, quibus Deo primitus & ad amussim justitiæ accuratissimam satis esse factum constabit. Nunc obiter summa sequar fastigia argumentorum, quibus liquescat illam adeo decantatam pretij nostri Christique sanguinis factam diabolo solutionem, consequi & instar umbræ resultare ex primaria & principali totius Christi sanguinis ad propitiandum Patrem libatione. Primò enim quis adeo obsurduit, ut Scripturas non exaudiat per omnia ferè capita Christi mortem ceu sacrificium & holocaustum Deo suavissimum vel vaticinando, vel commemorando concinentes? Cui enim uni rei vetus, cui nova scriptura promulgandæ invigilat tota, nisi Christi per mortem suam sacrificio, gentibus omnibus exitium propulsaturo? At sacrificium Deo placando, diabolo autem magis exulcerando instruitur. 2. Ubi redemptio nostra & liberatio ventilatur, à quo primùm erui nos properandum est, nisi ab ira Dei in nos deflagrante, à nexibus criminum, à pœnarum vinculis, & ita demum à diaboli incursibus? Nam si diaboli potestate excesseris, non statim, non necessariò à pœnæ & flagitij & ab iræ maximè divinæ nexibus liber exilies. At si extricaveris te à Dei simultate, & à peccati laqueo, tum certè mortem & diabolum tutò tanquam devictos aspernaberis. 3. Ergo ut rerum ipsa series nativa & quasi concatenatio pervideatur, his veluti gradibus in ruinam præcipitamur: Deus offenditur, contrahitur macula, pœna incurritur, immittitur carnifex. Ergo ex adverso ut excitemur à tam gravi casu, propitiabitur Deus, tum noxarum sordes abolescent, statim supplicia feriabuntur, denique pœnarum minister abigetur. 4. Morti traditus est Christus à Juda proditore & diabolo ministro, traditus est & à seipso, traditus denique est à Patre, ut palam faciunt Scripturæ. At primus cardo rei tantæ penes Patris voluntatem sempiternam & incommutabilem vertebatur : tradidit enim ille Filium suum, eique morigerans Filius tradidit semetipsum ; Patrisque & Filij permissu, exors alioqui quantulæcumque potestatis diabolus, aut diaboli manceps Judas tradidit. Mors ergo Christi à Patre primùm & ab ipso Christo est, & ita ineffabile pietatis mysterium est, quo expiatur offensa, eluitur injustitia, sanctitas spargitur, pœna aboletur, & ita denique opera & potestas diaboli vacuatur. At rursus ut à diabolo & nefariis ejus membris mors Christi infligitur, immanitas est, qua iterum iterumque evertitur diabolus. 5. Ubi Deo quem nostra alienaverat offensa, factum est satis, ubi inter homines Regi vel Principi alicujus asperato contumeliis ; quis jam laborat vel angitur, ut & pœnæ incumbenti, & morti jamjam ingruenti, & carnifici gladium stringenti fiat etiam satis? Si qua ergo pretii vel satisfactionis umbra diabolo, vel morti à Christo repensa est, id ex consequenti & quasi ex abundanti est. 6. Diabolo partem pretii numeratam quis stupeat, quis gravetur, cùm & de morte mors rea acta sit, & de peccato damnatum sit peccatum.

IX. Non diabolo, sed justitiæ satis Christus fecit.

7. Rursum cum diabolo Christus quasi ex æquo contendere, & persoluto pretio, justitiæ rationem habere videretur potiùs quàm potentiæ. Esto, ergo non diaboli, sed justitiæ ratio habetur à Christo. Non ergo diabolo, sed justitiæ satisfit. Eccui autem justitiæ? Nempe justitia Christus est : nempe justitiæ pulchritudo Deus est. Ergo sibi tribuit, non diabolo, eam etiam justitiæ pretiique portionem. Ergo quando cum diabolo tanquam par pari congreditur, quando artem arte, astu astum deludit, quando hominis victorem, non Deo, sed homine vincit, quando captivos quasi jure vendicanti, pretium justum justoque amplius pendit, quando injustè occisus occisorem justè expoliat, inter hæc omnia justitiæ libramenta, non habet Christus rationem nisi sui & Patris, nisi justitiæ suæ & sanctitatis. Decet enim ipsum qui justitia est, justitiæ obsequi, id est sibi, se audire, sibi morem gerere, ne ipsum quidem injustitiæ architectum nisi justitiæ legibus debellare, justitiæ vel fibras vel umbras usque tenuissimas colligere, justitiæ radios ad ipsas usque injustitiæ desperatissimæ specus jaculari, nec ipsum impietatis imperium pati, nisi per justitiæ simulacra quædam & umbratica lineamenta, vel excitari, vel augescere, vel inclinari, vel pessumdari.

X. Justitia & potentia vinci diabolum à Christo perinde est.

8. Cùm non potentiæ virtute, sed ratione justitiæ diabolum Deus exarmasse ac prostrasse perhibetur, res explanatur ut in speciem se habet, & qualis apparet solum corticem lambentibus, non ipsam veritatis medullam scrutantibus. Nam ut ne simplicitatis ulla interim mentio fiat, quæ & potentiam & justitiam in unum quid merum conflat; potentia ipsa Dei non aliis viribus stat, non alios intendit nervos, quàm sapientiæ & justitiæ. Nec enim virium temeritate, sed sapientiæ arte & justitiæ ratione potens est Deus, eòque omnipotens maximè est, quò veritati cedunt omnia, & justitia victrix omnium invictaque ipsa est. Et cordatus quisque animoque quàm corpore oculatior, ita in omni creatarum naturarum eventorumque contextu observat, potentiam si qua id usurpat nominis per errorem, à sapientiæ & justitiæ præsidiis nudam, impotentiam reapse magis esse, & flaccescere breviquè labare : at sapientiam justitiamque tametsi ex imperiti vulgi præjudicatis ineptiis, nullis opibus aut adminiculis succinctam & undique injuriæ objectam, insuperabilem tamen esse, & inconcussam, & vincere tandem & imperare. Ergo id eo fit, quod in ipso rerum summo & principali cardine, in lege ipsa, unde manant reguntur que omnia, ita habet, ita decet, ita necessum est, ut potentia nonnisi sapientiæ justitiæque rationibus viribusque fulciatur, ne si vel minutissima potentiæ segmenta à sapientia, & justitia dimoveantur, rerum ordo inquinetur, & susdeque per fas & nefas volvantur omnia. Quo ita constituto, omnipotentissimè profligavit diabolum Christus, eo quo justissimè, quo sapientissimè : quia nihil justitia invictius, nihil sapientia insuperabilius. Quin imo eo præpotentiùs vicit, quo non sapientiam, sed stultitiam in aciem eduxit, non potentiam, sed infirmitatem : & infirmum stultumque Dei potentius fuit, quia & sapientius fuit insipiente sa-

te sa-

te sapientia, & imbelli potentia improborum. Et sanè eodem loco Paulus Christum appellat Dei virtutem & sapientiam: qui infirmitate stultitiæ, id est ut ex Origene alibi interpretati sumus, stillula quadam omnipotentis sapientiæ pelagus quoddam procellosum & interminum impietatis absorbuit. Sed audi Augustinum & Gregorium hoc potentiæ cum justitia indissociabile vinculum perscrutatos. Ille quidem: *Neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute, omnipotens est*. Gregorius autem loco jam supra laudato; *Non enim ait, fortitudo, sed, prudentia ejus percussit superbum. Nam quamvis propter naturam simplicem, Dei fortitudo sapientia sit, Dominus tamen diabolum quantum ad faciem spectat, non virtute sed ratione superavit*. Audin hæc dici, *quantum ad faciem spectat*: nam ipsa veritatis viscera introspicientibus, liquidò claret non justitia tantùm, aut prudentia, sed fortitudine cum diabolo certatum, ut cujus infirmitas ab insipientia & improbitate proficiscatur, sicut ex adverso in ipso fonte bonorum, invicta potestas de sapientiæ & justitiæ vena fluit. 9. Expediebat autem liberationi nostræ prætendi speciem justitiæ magis quàm potentiæ, prætexi & celerari justitiam, celari interim & quasi procrastinari potentiam: ut hoc documento sanciretur nobis vitæ in meliorem frugem jam resipiscentis disciplina, quæ vetat ad potentiam nisi per justitiam gradum moliri. Et homini & diabolo enim inest prurigo quædam potentiæ, nausea justitiæ, & hæc omnium caput & causa malorum est, quod non altissimè radicatum in animis sit, inermem flaccescere potentiam, nisi justitiæ præsidio sepiatur: nusquam autem viribus desieri justitiam, suo marte satis inexpugnabilem. Unde Augustinus: *Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit. Nam quid omnipotente potentius? Aut cujus creaturæ potestas potestati creatoris comparari potest? Sed cum diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator potentiæ, & desertor oppugnatorque justitiæ: sic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta vel etiam perosa justitia potentiæ student, ejusque vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate; placuit Deo ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur: atque ita & homines imitantes Christum, justitia quærerent diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit, sed ordo servandus est, quo prior est justitia*. Ergo non usque adeo invidiosum est, appenso pretio & ex justitiæ lege redemptos nos esse à diaboli potestate: eo enim non diabolo defertur quidquam, sed illi potiùs labefactando, monumentum justitiæ ante potentiam captandæ constituitur, vel potentiæ nonnisi ex justitia consequendæ. *Optandum est itaque ut potestas nunc detur, sed contra vitia: propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, & volunt propter vincendos homines. Ut quid hoc? Nisi ut veré victi, falsò vincant, nec sint veritate, sed opinione victores*. Non ergo diabolo placando, sed homini instituendo servit facies ipsa extima liberationis nostræ, & justitiæ solemni documento consecrandæ, ut scaturigini potestatis omnis sinceræ & infucatæ. 10. Et postremò, ut hæc justitia qua pensitando pretio factum satis esse diabolo, & ipsum Christi sanguinem illi sedando fusum esse videbatur, ab invidia & insolentiæ specie eximatur, jus ipsum diaboli quo obnoxios nos sibi constrinxerat pensiculandum est. Si vacet enim retractare testimonia sanctorum Patrum, perspicuum fiet, non verum & fundatissimum, sed quasi jus, id est jus quoddam umbraticum & simulatum id fuisse, unde conjectes qua tandem ratione id excindi debuerit pretio sanguinis & justitia Christi. Nam quantum diabolo erat in nos juris, tantum illi admensum est pretii. At jus ejus erat non tam jus, quàm quasi jus, seu juris umbra & simulacro, ergo & de pretio tantundem decerpsit.

L. 8. de Genesi ad lit. c. 7.

Moral. l. 17. c. 18.

L. 13. de Trinit. c. 13.

XI. Certè jus illud diaboli dedititiis suis imperitantis, ab aliis aliisque, & ab iisdem aliàs atque aliàs exaggeratur, atque elevatur: firmatur atque concutitur. Utque hæc compugnantia sedetur, purgenturque sancti Patres ab inconstantiæ suspicione, accersendus Bernardus, qui adversus Abaelardum subimpudentem juris hujus justitiæque suggillatorem prolixiùs dum stomachatur Epistola 190. superiorum Ecclesiæ Patronorum sententias in speciem dissidentes, & distinxit & conglutinavit. *Ait Dominus, Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Potestas ista non latuit illum, qui dicebat: Qui eruit nos de potestate tenebrarum. Hanc ergo Dominus nec in se quidem negavit diaboli potestatem, sicut nec Pilati qui membrum erat diaboli. Ait siquidem: Non haberes potestatem in me ullam, nisi data fuisset desuper. Quod si in viride lignum in tantum grassata est ista desuper data potestas: aridum quomodo non fuit ausa contingere? Nec injustam puto ipse causabitur potestatem datam desuper. Discat ergo diabolum non solum potestatem sed & justè habuisse in homines, ut consequenter & hoc videat, venisse utique in carne Dei Filium propter liberandos homines. Cæterum etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen & voluntatem. Unde non diabolus qui invasit, non homo qui meruit, sed justus Dominus qui exposuit. Non enim à potestate sed à voluntate justus injustusve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum, sed nequiter usurpatum, justè tamen permissum*. Ancipiti huc illucque jactatione videtur alternare Bernardus: & nunc quidem justam obtendere diaboli potestatem, utpotè desuper datam; nunc verò injustam causari, nempe *non jure acquisitam, sed nequiter usurpatam*. Nec tamen ulla hic intestina discordia: etenim injusta est potestas diaboli, jusque cassum ac futile, quod ad ipsum attinet, qui nefariè expetivit, qui temerariè invasit, qui per nefas usurpavit, qui summa nocendi cupiditate exercuit. Et rursum justa est diaboli potestas, jusque legitimum, quod ad Deum pertinet, qui justè permisit peccatorem hominem peccatorum antesignano subjugari, qui justè concessit consentaneum diabolo hominem subesse, qui justè reum carnifici contradidit, qui justè peccatores committit sibi ipsis, ut mutuis se cladibus ulciscantur, qui justè peccatum peccato plectit, malum malo evertit, qui ambienti probro sum carnificinæ exercendæ munus diabolo justè indulsit, & suis ipsum votis infamavit punivitque. Ita ergo justa hinc, illinc injusta diaboli potestas erat, jusque partim ratum, partim evanidum. *Unde non diabolus qui invasit, non homo qui meruit, sed justus Dominus, qui exposuit, &c. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum, sed nequiter usurpatum, justè tamen permissum. Sic itaque homo justè captivus tenebatur, ut tamen nec in homine, nec in diabolo illa esset justitia, sed in Deo*. Quæ postrema Bernardi verba lucis longè plurimum invehunt in hunc locum. Nam quatenus justè à diabolo detinebamur, ideoque non nisi justè adeoque exoluto pretio redimi nos decebat: *non in diabolo illa erat justitia, sed in Deo*. Illo ergo pretio fiebat satisfactio justitiæ Dei: diabolus verò quantum ad ipsum attinebat, ut nihil legitimi habebat juris, ita nihil jure poterat extorquere pretii: sed ut justa non utebatur, nisi quatenus à Deo justè permissa potestate; ita si quid ex justitia vel ipse flagitabat, vel Christus persolvebat, id totum in Deum justæ illius potestatis authorem, non in iniquum usurpatorem redundabat. Nec ita debilitando diaboli jure, redemptoris gloriam imminutum imus: amplius enim ipsi decus est, qui vita est, ut à morte: qui sanctitas est, ut à peccato nos redemerit: qui filius est, ut ab ira & carceribus Patris exemerit: à dia-

Diaboli jus in nos alii verum, alii fucatum putant Patres. Ex Bernardo conflictatio illa sedatur: quod potestas diaboli justa sit Deo permitente injusta ipso usurpantes.

Ansel. l. 1. cur Deus homo. c. 7. Honor. Aug. L. de prædest. & lib. arbit. Hugo Vict. Dial. de Sacram. leg. natur. & scrip.

à diabolo autem tam nos, cum à peccato & morte abstraxerit: & diabolum ipsum, etsi non tam nihilum, sed tam nihili tamen esse duxerit, quàm mortem ipsam & peccatum. Eandem concordiæ viam probaverunt Anselmus, Honorius Augustodunensis, & Hugo Victorinus.

CAPUT IX.

Satisfecit Christus Patri cumulatissimè & ad omnes justitiæ districtissimæ numeros.

I. *Cumulatissime & ultra modum à Christo pro nobis Patri factú esse satis, ex antedictis colligitur. Summa capita rationum.*

VIndicato Christi sanguine ab invidia & contumelia, quæ illi propemodum inhæserat, tanquam dæmonibus ipsis in ludibrium magis quàm in pretium propinato: proclive jam erit illius pretium & dignitatem perpendere, & quantum ab eo honoris repensum sit Deo Patri, nostris flagitiis impetito. Si sedulò autem & qua par est solertia dispiciantur, quæ illo hujus tractatus capite è sanctis Patribus corrasa sunt, ubi redemptoris partes sustineri non potuisse, nisi ab ipso Verbo humanis infuso membris claruit: ex iis perspicuum quoque fiet, cruce & sanguine Christi factum esse satis Deo cumulatissimè pro contumeliis, quas nostra illi peccata asperserant, & non paulò plus etiam repensum fuisse, quàm debebatur.

Utque id dilucidius fiat, ne pigeat eadem rationum & authoritatum summa capita hìc perstringere. Primò enim naturæ rationali universæ non tantùm æquiponderat, sed longè præponderat Verbi incarnati majestas: ergo cum se pro illa mercanda hæc impendit, non æquata tantùm pretio isto merx illa fuit, sed multis partibus superata. Cui enim dubium est tenuiter & jejunè dici de Christo, quod fuerit omnium nostrum ἀντάξιος, ἀντάλλαγμα, ἀντίλυτρον? Cùm enim humanitati, sanguini, cruci, morti accedat pretium & dignitas ab inserta & inexplicabiliter implicata ei deitate, non æquatur tantùm, sed longo pòst intervallo relinquitur natura rationalis universa. Secundò, genus omne humanum in se tanquam in caput contraxerat Christus, tanquam summa ratio & sapientiæ origo, fonsque ideo & caput rationalis & sapientiæ participis naturæ. At caput istud suo corpori ineffabiliter antestat: fons iste suis omnibus rivulis inenarrabiliter opulentior est. Summa enim ratio scintillas tantùm sui aliquas excutit, quibus rationalis naturæ universitas accenditur & illuminatur: cæterum hæ scintillæ sunt tantùm, quæ hebescunt & tenebrescunt, si cum fonte lucis illo componantur. Tertiò similiter vita Verbi primigenia, incorruptibilis, inexhausta, omnium vitæ repensandæ, omnium morti exterendæ non tantùm par est, sed multo præpollet. Quid enim omnium creaturarum vita quàm ejus quædam delibatio levissima, & velut fontis plenissimi parca irroratio? Ergo cum pro vita stillatim aspersa nobis, ipsa se instar immensi cujusdam pelagi exæstuans vita principalis effundit, exuperat obruitque non tantum debiti rationes, sed omnes etiam admirationis vires tanti pretii magnitudo. Quartò, illa quoque machina qua expugnatus ab Ecclesiasticæ fidei vindicibus olim Nestorius est, luxata & fracta dissiliet, nisi ultra necessitatem debiti, exuberasse Christi sanguinis pretium profiteamur. Quorsum enim verissimam accerses deitatem & homine includes ad redemptorem tibi compingendum, si ne talis quidem redemptor est idoneus? Si ne Deus quidem Verbum adæquare potuit pretium persolvendum, si refundere non tantum potuit Deo, quantum nos imminueramus honoris, si non tantum remetiri valuit, quantum nostra detraxerant facinora, quorsum ad redemptionis officium implendum invocatur, & tanta argumentorum mole penè cogitur? Num præsenti libuit invidiam facere? Num coram exprobrare suam illi penuriam? Num juvabat sarcinam illi ingerere, cui ferendæ non esset? Ita incarnatio Verbi Dei, plus illi contulerit detrimenti, quàm nobis emolumenti: & per Dei contumelias hominem provexerit. Quod absit. Ergo cùm uni Deo carne amicto hæc intacta dedicatur laus & prærogativa, ut redemptorem agat, implere ille creditur posse omnes numeros ejus officii, & exundanter implere, ita, ut Deo consentaneum est, ut plus sarciat, quàm dirutum sit; plus remetiatur, quàm ademptum sit. Quintò, fidenter repudiatur & despuitur homo quicumque, vel Angelus, quantacumque sanctitatis & sapientiæ luce perfusus, & redemptioni aggrediundæ impar imposque reclamatur: ejusque opera nihilo ferè pluris fit, quàm sanguis hircorum & vitulorum. At per Christum concrepant scripturæ ingenti verborum gloria, emptos nos esse pretio magno, emptos nos non corruptibi ibus, auro vel argento, sed pretioso sanguine agni immaculati. Quo attinet illa extenuatio, hæc exaggeratio, si & istius per Christum pretii satisfactio alicunde deficit? Si offensarum ingravescente pondere elevatur ut levior & macilentior, eccur ita amplificabatur? Si ejus pretii penuria respui posset, si benevolentia indulgentiore Dei suppletur, ecquid dicitur pretio magno emptos nos esse & pretioso sanguine? Quin potiùs vili emptos, sed misericordis Dei nutu evasisse tamen decantatur & veriùs & humiliùs? Quin etiam si supplenda erat satisfactio acceptantis Dei assensu & gratia, quin ergo meræ creaturæ id muneris potius, quàm Deo Verbo mandabatur? Divinæ enim gratiæ exuberantia, æquius erat inopiam hominis meri, quàm Dei Verbi relevari, simul & prodi, impleri pariter & denudari. Denique si satisfactio non potuit Patri nisi impar repræsentari, per naturam potiùs creatam præstari id decuit: si Verbo Deo demandanda fuit hæc provincia, non perfunctoriè ergo, non exiliter & deminutè, sed plenissimè, & ad amussim rigidissimæ justitiæ satisfecit. Sextò, copiosiorem homini Redemptor Christus reddidit sanctitatem, quàm qua exciderat, & sanctitatis indissociabilem comitem dignitatem & beatitatem: ergo & Patri refudit honoris copiam uberiorem, quàm peccatis decrescere visum erat. Ego veni, inquit Christus, ut vitam habeant & abundantiùs habeant: vitam nimirum qua sanctè hìc vivitur, qua beatè postea immortaliterque vivitur, magnificentiùs utique per Christum quàm ante lapsum. Ergo si damna nostra cum tanto fœnore resarsit Redemptor, sua & Patris num insuper habuit? Num pluris nos fecit, quàm Patrem? Non usque adeo exculpsit oblivio ab animis nostris illa Christi verba tam frequenter, tam sedulò inculcata, quibus se clarificando Patri studere, uni se Patris gloriæ servire, se ut litaret & perlitaret Patri venisse contestatur. Ergo si per ejus crucem nostra nobis cum fœnore pensata sunt dispendia sanctitatis, multò etiam uberiùs sua ipsi, sua Deo Patri refusa sunt damna honoris. Septimò, antiquius Deo & speciosius fuit, nostra exolvi debita, quàm donari: ergo exoluta per Christi satisfactionem, nequaquam donata sunt. Ergo illa satisfactio adæquata saltem debitis nostris fuit. Si enim gratiam fecit Deus, si de jure donavit suo quidpiam, si non districtissimas exeruit leges justitiæ, compendiosius ergo fuerat totum semel donasse, quàm solutionem aggredi & deficere, licitari & penuria laborare, debita suscipere & decoquere, solvere ne donandum sit, & donare quod persolutum non sit, atque ita solutionem donando corrumpere, donationem solutione dehonestare. Adde alienissimum id esse à sapientia Verbi incarnati, ut alienas subiret iniquitates, quibus apud Patrem purgandis ne se quidem ipsum satis idoneum perspiceret. Ut quid enim Deitatem dedecoraret hac inopiæ & imbecillitatis

invi-

invidia? Quàm injuriosè enim de Deo dicitur, quod satisfacere adgressus sit, & id consilii ante tempora sæcularia penes se capessiverit, omnibus mundi retro ætatibus pollicitus sit, nec tamen plenissimè potis fuerit, sed relaxandus illi fuerit rigor justitiæ districtioris? Octavò, & hinc emicat liberalior Dei in nos charitas, qui Filium suum unigenitum nobis dederit, universa debita nostra expungere præpotentem, non inopem, non fatiscentem, sed prædivitem, & opulentissima satisfactione compensantem damna omnia peccato, vel nobis, vel Deo invecta. Quin & hinc elucet charitas largissima, quod dederit nobis, quo ei copiosissimè satisfaceremus; dederit quo commissa nostra ex justitiæ norma expiaremus; dederit per gratiam, quo quasi gratiæ minùs inopes, & justitiæ districtioni jam pares, æqua compensatione offensas elueremus irrogatas. Abundatioris enim id gratiæ & charitatis est, operam dare quantumque fieri potest, id præstare, ut gratiæ minùs debeamus, & examinatissimæ justitiæ legibus nostra debita dispungamus. Nonò, illapsa naturæ humanæ omnipotens Deitas, non tantùm sanctitas est, qua illuminetur, & libertas ipsissima qua absolvatur à debitorum peccatorumque vinculis, sed & dignitas & amplitudo est infinita, qua adæquatissimè Patri satisfaciat. Et quidem libertas maxima haud esset per Verbi Deitatem infusa nostræ naturæ, si omnes debitorum nostrorum partes non explesset: minùs enim liberi, sed obnoxii adhuc vinctique ea ex parte essemus, qua Redemptor noster non fecisset satis: qua justitiæ rationibus non ex æquo suffecisset, eatenus obligati adhuc & servituti nodis aliquibus impediti essemus. Ergo ut absolutissima sit nostra libertas, necessum est exuberantissimè pro nobis satisfecerit Redemptor. Sed vicissim si latissimam, si effusiorem quàm priùs redintegravit nobis libertatem, num illiberalior fuit aut imbecillior ad rationes justitiæ & claritudinis paternæ cumulandas? Ergo acquiescamus tandem excellentiæ Redemptoris, & adgratulemur, etiam quod minùs adhuc intelligere valemus; applaudamusque Deitati Verbi, quæ naturam nostram insidens, non plenissima tantùm ipsi libertas est, qua omnes servitutis maculæ evanescunt; sed plenissima etiam dignitas & opulentia est, qua Patri pretium suæ satisfactionis, nostræque manumissionis cumulatiùs quàm necesse erat dependitur. Denique non satis præclarè de Verbi Dei libertate sentit, qui ipsum inseri potuisse existimat hypostaticè ei naturæ, in qua residerent adhuc aliqua debiti & servitutis vincula; qualia sanè eam constringunt naturam, quæ non ad omnes rigidioris justitiæ numeros satisfacit. Et rursus non satis magnificè sapit de sanctitate Verbi, qui non eam agnoscit naturæ illigatam nostræ, ita exuberare, ut omnem peccatorum colluvionem operiat & superstagnet, & plus suaveolentiæ Deo adoleat, quàm ex illis sordibus exhalaretur fœtoris. Ut enim iniquitas offendit, ita sanctitas satisfaciendo Deum demulcet, si vel maximè cum tanta dignitate conjungatur. At quantacumque cogitetur iniquitas excrevisse, non potuit non inæstimabili copia sanctitatis Verbi obrui & evanescere.

II. Accumulatur alia Patrum suffragia, quibus redundantia satisfactionis à Christo exhibitæ declaratur. Primus Chrysostomus prodit. In Epist. ad Rom. Ho. 10

Hæc sunt admodum semina rationum, quibus scatebant Patrum suffragia superiùs allegata. Quibus ad cumulum adjiciam pauculos, qui redundantiam satisfactionis Christi ultra debitorum & offensarum rationem pulcherrimè descripserunt. Chrysostomus placitum istud exculpit ex illo Pauli loco: *Si per unius delictum regnavit mors, multò magis ij qui exuberantiam gratiæ & doni justitiæ accipiunt, in vita regnaturi sunt, per unum Jesum Christum. Non hìc dixit gratiam, sed gratiæ exuberantiam: non enim quantum indigebamus ad peccati interitum, tantum accepimus modo, ex ipsa gratia, sed & multò amplius. Nam & liberati sumus supplicio, & vitiositatem omnem deposuimus, & de integro regenerati sumus, & resurreximus sepulto vetere homine, & redempti sumus & sanctificati, & in adoptionem adducti, & justificati, & fratres effecti Unigeniti & cohæredes, & in eandem corporis unitatem redacti, & in ipsius carnem censemur, atque ut corpus capiti, sic illi uniti sumus.* Vides quanto eloquentiæ strepitu concrepet Chrysostomus redemptricis Christi gratiæ divitias affluentissimas, & quanto cum fœnore jacturas nostras compensatas cumulatasque ostentet. *Hæc igitur omnia gratiæ exuberantiam appellavit Paulus, interim declarans, nos non medicamen vulneri par solùm accepisse, sed & sanitatem, & pulchritudinem, & honorem, & gloriam & dignitatem longè natura nostra superiorem. Atque horum unumquodque per se ad mortem solvendam suffecerit, cum autem omnia in unum simul concurrere apparuerit, relinquitur ut ne vestigium quidem, aut umbra illius prorsus deletæ apparere usquam possit.* Qui ergo tam redundanter nostris indulsit utilitatibus, num illiberaliùs aut infirmiùs cum Patre egit, & suam illi gloriam adumbratè tantùm atque exiliter resarsit? Quì verò nostræ constarent utilitates, nisi Dei gloria effundente & sustentante? Id vidit Chrysostomus, unde statim: *Quemadmodum enim si quis eum qui obolos decem sibi debeat, in carcerem conjiciat, nec eum solum, sed uxorem, liberos, famulos: & hic superveniens aliquis non modò decem obolos numeret, sed tum infinita item auri talenta largiatur, tum vero in aulas regias vinctum illum introducat, &c. Multò enim plura iis quæ debebamus, dependit Christus, atque adeo tantò plura, quantò mare immensum ad pusillam guttam collatum majus esse possit. Nolito ergo ambigere homo, quum tantam bonorum opulentiam videas, neque interrogato qui id fieri potuerit, ut illa mortis atque peccati scintilla tanto donorum veluti mari restincta & soluta sit.* Superstruit illam abundatiorem vitam, qua nos Christus post peccatum copiosiùs quàm antè locupletavit, magnitudini pretii, quo Patri pro nobis satisfecit, nempe nostra debita inæstimabiliter superantis.

III. Nazianzenus. Orat. 42.

Nazianzenus: *Nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem universum instaurarunt: atque idem quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in unum nos conjungentes & constringentes.* Paucula guttæ sanguinis exhauriendo orbis pretio abundè erant, at Christus totum sanguinem profudit, & mortem, & mortem crucis, & anteriores vitæ labores, ut pretii cumulus in immensum nescio quid refluerer.

IV. Gyrillus Jerof Cathec. 13.

Cyrillus Jerosolimitanus: *Decrevit Deus, ut qui peccat, moreretur. Utrum igitur ex his duobus fieri oportebat? An, ut verax sit Deus, omnes tollere: an, ut sit benignus, abolere decretum? Sed vide summam Dei sapientiam. Custodivit enim & decreti veritatem, & benignitatis virtutem. Assumpsit Christus peccata nostra in corpore in lignum, ut per mortem ipsius nos peccatis mortui, justitiæ viveremus. Non parvus erat qui mortuus est pro nobis. Non erat ovis sensilis, non erat simplex homo, non erat Angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta pro illis morientis justitia: non tantum nos peccavimus, quantum ille justè egit.* Erat enim sanctitas Christi & justitia ipsa Deitatis, humanis infusa & superfusa factis & passionibus, nostris autem improbitatibus immane quantum superexundans.

V. Hilarius. In Ps. 131.

Hilarius: *Dominus noster in forma Dei manens, formam servi accepit, & obediens usque ad mortem fuit, & mortem crucis, ut plus nescio quid morte pateretur. Ob id autem tantum obediens usque ad crucis mortem est, ut nos habitatione Dei dignos esse præstaret. Mori igitur voluit, qui vita est, & effici se indefessa virtus ad habitationem corporis non recusavit infirmam, ut in forma Dei manens,*

formam

formam servi acciperet. Excessit ergo ex illo æternæ beatitudinis suæ strato, &c. Ubi duo admodum tanguntur: primò quod vita ipsa per se vivens & vivendi inexhausta origo pro nostra se dependeret vita, id est, pro re nihili pretium summum. Deinde quod non parcè, sed effusissimè se impenderit, & laboribus, & morti, & morti crucis, ut plus nescio quid morte pateretur.

VI. Petrus Gluniac. In Epist. contra Petrobrius Hær. Petrus Venerabilis: *Misertus Deus essentiali bonitate sua perdito homini, & eum servare volens, sed nisi justè nec volens nec valens, dum in æterno consilio suo quæreret, qualiter misero salva justitia misereri valeret, hoc potissimum occurrit quo & justitia servaretur, & homo liberaretur, & gratia augeretur, & Deus glorificaretur. Misit itaque Deus Filium suum, &c. In qua dispensatione, misericordia misereretur, justitiæ nihil detraheretur: dum pro æterno supplicio hominis temporale supplicium Dei & hominis, pro æterna morte hominis temporalis mors Dei & hominis ei offerretur. Quæ tanti ponderis in ipsa justitiæ lance esse cognoscitur, ut ad justè ordinanda mundi peccata longè magis præponderet mors transitoria Filii Dei, quàm æterna filiorum hominum. Plus planè redditum est justitiæ, quando Christus mortuus est, quàm sit recompensatum, quando homo damnatus est. Habet ergo justitia quidquid suum est, &c.* Quæ sanè interpretem non desiderant. Prolixè & luculentè hoc argumentum executus est Uvillelmus Arvernus Episcopus Parisiensis, libro *de causis cur Deus homo*.

VII. Anselmus. Effusissimè etiam Anselmus in hac materia spatiatus est gemino libello, Cur Deus homo, quæ in pauca ipse contraxit capita libro de Meditatione redemptionis generis humani, ex quo non tædebit tertium caput huic loco insuere, quod eo summam totius rationis suæ complexus ipse sit: *Divina natura humiliari aut laborare non eguit, nec potuit: hæc omnia humanam naturam, ut ad hoc restitueretur propter quod facta erat, necesse erat facere. Sed nec illa, nec quidquid Deus non est, ad hoc poterat sufficere. Nam homo ad quod institutus est, non restituitur, nisi ad similitudinem Angelorum, in quibus nullum est peccatum, provehitur. Quod est impossibile fieri, nisi omni percepta peccatorum remissione, quæ non fit nisi præcedente integra satisfactione, quam satisfactionem talem oportet esse, ut peccator aut aliquis pro illo det aliquid Deo de suo, quod debitum non sit, quod superet omne quod Deus non est. Si enim peccare, est Deum exhonorare, & hoc homo facere non deberet, etiamsi necesse esset, quidquid est quod Deus non est, perire: utique veritas immutabilis & aperta ratio exigit, ut qui peccat, reddat aliquid Deo, pro honore ablato, majus quàm sit hoc pro quo illum exhonorare non debuit. Quod quoniam humana natura sola non habebat, nec sine debita satisfactione reconciliari poterat; sic nec illa nec quidquid Deus non est, ad hoc sufficeret. Ne ergo justitia Dei in regno suo peccatum inordinatum relinqueret, subvenit bonitas Dei, & eam in suam personam assumpsit Filius Dei: ut in ea persona esset Deus & homo, qui haberet quod superaret non solùm omnem essentiam quæ Deus non est, sed & omne debitum quod solvere peccatores debent, & hoc cùm nihil pro se deberet, solveret pro aliis, qui quod debebant, reddere non habebant. Pretiosior est namque vita hominis illius, quàm omne quod Deus non est; & superat omne debitum quod debent peccatores pro satisfactione. Si enim Filii interfectio superat omnem multitudinem & magnitudinem peccatorum quæ cogitari possunt extra personam Dei, palam est, quia vita ejus magis est bona, quàm omnia peccata sint mala, quæ extra personam Dei sunt. Hanc vitam homo iste cum ex debito mori non debebat, quoniam peccator non erat, spontè dedit de suo, ad honorem Patris, &c. Dedit itaque natura humana Deo in illo homine sponte, non ex debito, quod suum erat, ut redimeret se in aliis, in quibus quod ex debito exigebatur, reddere non habebat.* Ita ille carptim perstrinxit, quæ libr. Cur Deus homo, copiosiùs disputaverat.

CAPUT X.

In satisfactionem Christi ampliùs inquiritur, qui satisfecerit de suis; qui justum, ut justus pro injustis pœnas luat.

I. Sulutio & satisfactio de propriis & suis fieri debet. At creatura nihil habet suum & proprium. L. 1. cur Deus homo c. 11. 20.

ISta lex est satisfactionis ad rigidam justitiæ normam expensæ, ut de suo censu satisfaciat quis, & ea rependat, quæ nullo alioqui jure vindicare is posset sibi, cui satisfit. Anselmus: *Hoc quoque attendendum, quod cum aliquis quod injustè abstulit, solvit, hoc debet dare quod ab illo non posset exigi, si alienum non rapuisset.* Quis enim debitum de ipso creditoris ære solvat, nisi in re tam seria intempestivè nimis ludos agat? Et ex eo Anselmus idem infra concludit, non posse ab ulla creata natura fieri Deo satis pro offensa qualibet inflicta. Nihil enim ab homine, vel Angelo exolvi potest Deo pro suis in eum commissis, quod non aliis nominibus occupatum sit, Deoque quæsitum. Segregata enim peccati improbitate, justitiæ incontaminatæ compos adhuc Angelus vel homo, se suaque debet omnia Deo, cujus ipse est, cujus opificium, cujus mancipium est, cujus largitati opes viresque suas omnes acceptas refert: ut quantumcumque illi vel amoris vel obsequii refundat, nequaquam tamen parem beneficiorum & amoris vicem remetiri possit. Ergo cùm incolumi vigens pietate, vix aut ne vix quidem possit debitorum suorum omnia implere nomina, cumque suo in censu & peculio nihil habeat, quod non occupaverit jam vendicaveritque sibi necessaria & inevitabilis Dei religio; si prætere in lapsum peccati incurrat, exhaustus jam & inops deficiet, nec solvendo se esse vel ingratis fatebitur. *Cum reddis aliquid quod debes Deo, etiamsi non peccasti, non debes computare pro debito quod debes pro peccato. Omnia autem ista debes Deo quæ dicis. Tantus namque debet esse in hac mortali vita amor, &c. Dationem vero ita debes considerare te facere ex debito, sicut intelligis quia quod das, à te non habes, sed ab illo cujus servus es tu, &c. In obedientia verò quid das Deo quod non debes, cui jubenti totum quod es, & quod habes, & quod potes debes?* Nostra ergo creaturarum omnia, Deo non conferri, sed accepta referri possunt; non dari, sed reddi: nec tanquam nostra bona, sed velut ejus dona, necessaria vicissitudine refundi. Nihil ergo nostrum peculiariter est, unde faciamus satis.

II. Christus ipse Donum Dei erat. & Patris erat, quidquid erat.

An verò sua Christo ita erant, ut segregatis peccatorum debitis, Deo aliunde non deberentur? Quæ enim Christi decora vel ornamenta sunt, nisi Dei dona amplissima? Quæ opulentia ejus ulla, nisi à Deo Patre effusa? Et quid ipse Christus, quantus quantus maximus est, nisi donum Dei? Numnam, ut ipse ait, Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, ita nec ejus quidquam est, quia nec suus sibi ipse est, sed cum Filius sit & Verbum, Patris est, quidquid est; adeoque Patris est, quidquid habet; nec de peculio suo numerare quidquam potest Patri, in quod non olim jus sibi ineluctabile Pater anticipasset?

III. Satisfecit tamen ex Anselmo, quia mortē impendit, quam utpote innocens non debebat. L. 2. cur Deus homo, c. 11.

Extricare hunc nodum laborat Anselmus, & eo revolvitur tandem, ut non se, non voluntatis charitatisque obsequium Deo Christus tanquam proprium & peculiare pretium exhibuerit, cum se & id omne Deo jam deberet: sed mortem suam quam utique utpote à peccato immunis non debebant. *Quærendum est nunc cujusmodi hæc datio debebit esse. Dare namque se non poterit Deo, aut aliquid de se, quasi non habenti ut suus sit, quoniam omnis creatura Dei est. Si dicimus quia dabit se ipsum ad obediendum Deo, ut perseveranter servando justi-*

justitiam, subdat se ejus voluntati, non erit hoc dare quod Deus ab illo non exigat ex debito. Omnis enim rationalis creatura debet hanc obedientiam Deo, &c. Videamus si fortè hoc sit, vitam suam dare, sive tradere seipsum morti ad honorem Dei. Hoc enim ex debito Deus non exiget ab illo: quoniam namque non erit peccatum in illo, non debebit mori. Ex quo denique efficit, unum Christum morte sua vere indebita expunxisse debita nostra, *qui nec ex necessitate moriatur, quoniam erit omnipotens; nec ex debito quia nunquam peccator erit; & mori possit ex libera voluntate, quia necessarium erit.* Ad unam ergo mortem totum satisfactionis pretium coarctat Anselmus.

IV. A quo non abludit Vvillelmus Patris. Cap. 7.

Non abludunt quæ philosophatur Vvillelmus Parisiensis libro de Causis cur Deus homo. Nam multus est in creaturæ inopia denudanda, cui suum nihil est proprium, quod non tanquam Dei Donum, abjudicare sibi, Deoque resignare debeat, ita ut pro culpis vel suis vel alienis Deo facere satis nequaquam possit ullo cultu, qui non aliunde multis nominibus à Deo sit occupatus. *Nulla creatura potuit de proprio solvere debitum peccati illius. Quia si etiam concedamus aliquam creaturam habere proprium, tamen non habet illud nisi commissum, ut potius alienum sit, quidquid habet: & totum habet ab alio, & ideo in totum & pro toto tenetur. Omne autem alienum debetur ei, à quo habetur: ergo omnis creatura & se debet, & omne quod habet.* Opes ergo pietatis quantascumque acervaverit, von suas habet, sed commodatas à Deo, & precariò habet, & divini magis juris quam sui: non ergo iis Deo solvendis, ad rigidas justitiæ lances debita diluet peccatorum. Et in causa id fuit ipsum, ut ne pilum quidem sanctitatis aliis potuerit impetrare quisquam merus homo, quòd ejus quanta maxima fingatur sanctitas, tota Deo debeatur, & in sese Deo dependenda exhauriatur, nec aliis sufficiat: *Impossibile fuit, ut pura creatura eam haberet meritorum sufficientiam, ut ei deberetur ex Dei justitia totius humani generis sanctificatio. Et hoc est quia quæcumque esset sanctitas, sive virtutum, sive operum, aliena erat ab illa, & ei, à quo accepta erat, debebatur. Ratione vero alienorum nihil ei de justitia deberi poterat, &c.*

Qui vero Christus Deo satisfecerit suis impendiis, non de censu ipsius Dei, non videtur Vvillelmus abhorrere à sententia Anselmi, nec mortem videlicet, nec crucem Christi debitam alioqui Deo fuisse, *Ex sacrificio ergo non debito aliàs, & sanctitate aliàs non debita, sed ad hoc specialiter assumpta & accepta impetrare oportuit, apud Deum generi humano gratiam sanctificationis. Nulla autem creatura habere potuit aliàs non debitam, quantum ad satisfactionem humani generis, sanctitatem: quoniam omnis puræ creaturæ sanctitas per semetipsam debita erat Deo, omneque puræ creaturæ sacrificium. Necesse ergo fuit ut & ista sanctitas & illud sacrificium a non pura creatura susciperetur, seu assumeretur. Necesse ergo fuit summum sacerdotem humani generis, non puram creaturam esse, & propter hoc creatorem; qui suscepta sanctitate, sanctitatem humano generi impetraret.*

V. Vel ex utroque, quia qua liber, & Filius, & Deus sua sibi habet Christus, nō obnoxia, nullius debiti vinculo constricta.

Retorquebis hæc si voles ad Anselmi sensum, quod mortis sacrificium non deberet Christus, à peccato nimirum purissimus. Si voles autem extundens jus aliud inexpugnabile, quo sua sibi adserere poterat Christus, utpotè non creatura, sed creator, eoque nequaquam ulli obnoxius debito. Creatoris est enim largiri omnia omnibus, nihil cuiquam debere: debeant ipsi omnia, ipsum decet propriis scatere & refluere opibus. Et cùm creatura sit homo Christus, hoc quidem nomine posset illum quis quasi manu consertum in jus trahere, & tanquam debitorem mancipare Deo: sed creatam illam naturam à creaturarum servitute emancipatam in suum jus ascivit, in suam etiam ingenuitatem ascivit Dei Verbum. Itaque refusa in humanitatem creatam Verbi creatoris prærogativa nobilitatis, nulla ei nisi quæ ultro induerit, possunt debita impingi. Huic quoque rationi assensus est Anselmus sua Christo tanquam popria & peculiaria defensandi, ut ex iis tanquam nullo nexu alio jam occupatis nostra debita expungat. *Dominus itaque Jesus cum mortem sustinere voluit, quoniam suum erat & pati & non pati, debuit facere quod fecit, quia quod vult, fieri debuit: & non debuit facere, quia non ex debito. Nempè quoniam ipse idem est Deus & homo, secundùm humanam, ex qua fuit homo, sic accepit à divina natura, quæ alia est ab humana, esse suum quod habebat, ut nihil deberet dare, nisi quod volebat: secundùm personam vero sic à seipso habebat, quod habebat, & sic perfectè sibi sufficiens erat, ut nec alii quidquam retribuere deberet, nec ut sibi retribueretur, dare indigeret.* Quæ sanè verba mihi quidem videntur Anselmo dignissima, idest, eo homine qui arcem ipsam abditioris Theologiæ invaserit. Verbo enim omnia influunt à Patre, & nullius tamen debiti vinculo tanquam obnoxius Patri obligatur. Sonat enim ipsum debiti nomen vincula quædam, & necessitatis nodos & obnoxiæ invidiam servitutis, quæ à Verbo procul sunt. Quanquam ergo affluant ei omnia à Patre, longe tamen exultat debiti suspicio invidiosa: omnia à Patre habet, nec tamen debet: omnia accipit & debet nihil: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Et rursum: *Sicut Pater quos vult vivificat, ita Filius quos vult vivificat.* Et hoc ipsum est quod vel maximum accepit à Patre Filius, quod nihil Patri debeat Filius, quasi obnoxius.

L. 2 cur Deus homo c. 19.

VI. Prolixius exponitur, ut omnia accipiat à Patre Filius, sic tamen ut nullius debiti vinculo cōstringatur.

Quando enim consubstantialem divinitatem, quando paternam æqualitatem accepit à Patre Filius, accepit & ut nihil deberet, quia accepit quod deberi non posset: atque adeo siquid debeat, id potissimum, id unum debet, quod nihil debeat. Deberi enim & hac vel levissima servitutis fuligine tingi non potest consubstantialis Patri deitas: utpotè quæ vi sua & per sese ingenua sit & ipsa ingenuitas: libertima sit, & ipsa libertatis medulla. Summa autem & absolutissima libertas manare à Patre potest, deberi non potest, quia deberi, hoc ipsum jam est à summæ libertatis arce deturbari, & ab illa primigeniæ ingenuitatis luce degenerare. Deberi enim, hoc est, nexu aliquo devinciri, obsequio obligari, aliundè pendere.

Sed ipsa paterna æqualitas has debiti suspiciones longius ablegat. Nam Patri innascibili id decus & ornamentum inest pulcherrimum, quod nulli se debeat, quod nulli quidquam debeat. Ergo æqualis ei proles in hujus decoris societatem accedit, & nec ipsa se vel quidquam debet. A nullo principio Pater est, & id est Patrem, id ergo non impartit Filio, quia Patris est generare Filium, non Patrem. At longe aliud est, quod suus sibi sit Pater, quod sui sit juris, non alienæ sit potestatis, nullo debiti laqueo astringatur, sua omnia habeat, nullo servitutis, vel necessitatis, vel debiti nævo fuscata, idque non potest non cum Filio communicasse. Etenim *omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Si utem tanquam obligatus deberet se suaque Patri Filius, omnia Filii essent illa quidem Patris: cui deberentur: at quæ Patris sunt, non continuò forent in censu Filii. Quin imò bona Patris nihil ad Filium attinerent, cùm non possint ea esse cuiquam obnoxia, non possent autem Filii ut fingitur nisi esse obnoxia.

Elucebit id evidentius si creaturæ à Deo & Filii à Patre dimanatio discriminetur. Profundit enim creaturam Deus Pater à seipso, non de seipso, sed de nihilo: profundit Filium non à seipso tantùm, sed de seipso, non de nihilo. Substantia ergo creaturæ ab ingenuitate deitatis extranea, primordialis inanitatis ignobilitatem præ se ferens, non po-

test non obnoxia & servilis censeri. Suum enim nihil habet, nisi nihilum ipsum unde emersit, & inopiam: si quid solidum assecuta est, mendicatum id supernè est & alienum, authorique debitum. At substantia Verbi quia ipsamet est Patris substantia, Dei & Patris retentat dotes, nimirum suam sibi esse, sua sibi habere, sui esse juris, opes inæstimabiles ab omni inopiæ & debiti atque obnoxietatis labe purgatissimas possidere. Creatura ergo non potest de suis satisfacere in aliorum vicem, quia Deo composita, suum nihil habet; aliena sunt, Dei sunt, quæ sua vocitat. At Verbum potest de suis nostra debita exolvere, quia quæ sua habet, aliena non sunt, mendicata non sunt, nulli per se debito obligata sunt, quia divina sunt, nullis implicabilia servitutis qualiscumque nodis.

VII. Ut ea Verbi libertas redundet in ejus humanitatem. Nec sua tantùm Verbo Deo constat libertas & opulentia, sed ab ejus consortio in devinctam quoque illi redundat humanitatem; ut delibuta, & permadescens divinis Verbi dotibus humanitas & caro Verbum & homo Deus, devorante humilitatem majestate & superirradiante, nullis possit debitorum laqueis innodari. Ita Christus fidem nostram instituit, cum tributum quod Templo Templive Deo dicatum colligebatur, à se utpote Regis Dei Filio deberi constanter negavit. Et illud quidem solvit, sed deberi pernegavit. Hæc nimirum Filii proprietas, hæc libertatis indoles est, nihil debere serviliter, sed plura tamen exolvere tantò liberaliùs largiùsque, quantò liberaliter.

Si salebrosum autem cuipiam videatur, creatam hominis naturam ab iis exolvi legibus, quæ ipsis sunt innatæ implicatæque visceribus creaturarum; emerget ille ex his salebris, si ad Cyrilli placita jam sexcenties & ad nauseam decantata advertat animum. Nec enim humanitas ipsa pensitanda est, ut divinitatis jura sibi vendicans, atque ita serviles à se notas omnes effricans: sed Verbum Deus proponendus ob oculos animi est, vendicans inserensque sibi hominem & hominis omnia, & ipse jam homo factus & hominem se gerens agensque, & ne sic quidem à seipso decolor, aut ab ingenuitatis suæ prærogativa degenerans. Si religio enim erat à nexu Dei & mancipio absolvere creaturam, jam utique magis abhorrebit animus refugietque insidias Verbo struere, & quod nostram sibi carnem asciverit, litem illi de ingenuitate sua movere, nec acquiescere, ut humanitatem pristinis emancipet vinculis, sed contumaciter pertendere, ut iisdem ipse vinculis mancipetur. Perversum enim fuerit & præposterum, in Dei hominisque substantiva & hypostatica coalitione, servilibus debitis non explicari hominem propter Deum, sed Deum ipsum propter hominem implicari. Quanquam autem hæc utraque contemplandi Christi ratio casta sit & religiosa, nec à se discors, posterior ista tamen elimatior est, & ad normam avitæ priscæque Patrum Theologiæ accuratior, & emergentibus hinc & inde difficultatibus amputandis elidendisque multò opportunior.

VIII. Variæ ad idem rationes. Cujus autem cunctationem non expugnet illa præ cæteris ratio, quod incarnatione non vendicaverit sibi humanitas divinitatem, sed humanitatem divinitas? Nec enim accessit Deus homini, sed homo Deo: nec Deus in hominem defecit, sed homo profecit in Deum. Igitur non servitus humanitati innata infecit delutavitque deitatem, sed libertas divinitatis hominem suum ad se rapuit, fibrasque omnes ignobilitatis exussit, aut etiam ante prævertit, quàm suppullulascerent. Secundò, ubi non superat quod præstantius est? An præstantius esset, si inferiori cederet? Si carnis infirmitas & debitorum servitus Verbum ipsum in carne inhospitans subigeret, esset ergo Verbum Dei virtus ipsa infirmitate infirmius, & à catenato ergastulo subjugaretur? Tertiò, sed mirabile est inauditumque prorsus, non dico quod Deus homini, sive divina humanis, sed quod libertas servituti commissa, non eam relevet, sed ipsa deprimatur: nec expediat, sed eadem compede impediatur. Eccubi enim locorum non libertas servum manumisit, sed servitus libertatem subjugavit? Nihil usquam tam præposterum, vel fando, vel audiendo usurpatum est. Quartò, sed cum natura Verbi sua quammaximè effulgeat immutabilitate, incommutabilem libertatem poterit ipsa quidem indere atque inspirare humanitati suæ, ejus verò servitutis vel debitorum levi saltem afflatu violari ipsa haudquaquam poterit. Bellè ergo comparatum est, ut nostra mutabilitate possimus in melius incrementa facere, & servitutem cum libertate commutare: at incommutabilis libertas non possit vel transversum unguem, quod ajunt, à seipsa deflectere, aut ad servilis conditionis confinia deviare. Consultum id legis æternæ scitissimum, & apprimè necessarium, ut immutabilitas summo bono adhæresceret; malis aut minusculis bonis sin minus ornamento, certè emolumento sua mutabilitas foret. Quintò, cùm nostram in melius instaurationem dedicaret incarnatio, non statim impingendum fuit in primo limine, nec tam inauspicato omine spes dehinc omnis præcipitanda. Non committendum inquam fuit, ut humana servitute Deus quasi afflictus languesceret, sed homo potiùs in divinitatis omnimodam libertatem fuit excitandus. Sextò, caput ipsum & cardo rei ut indigitetur, libertas personæ proprietas est, in personam divinam adsciscitur humanitas, igitur & in divinitatis Verbi libertatem coaptatur. Servitus similiter & consectarium omne servitutis à persona non divellitur: at in personam hominis non devolvitur Verbum: ergo nec in servitutis humanæ compedes contruditur. Excluditur & eliditur persona hominis, vel antevertitur potiùs & frutiscescere inhibetur, occupante & explicante hypostasin suam Verbo, & in censum jusque suum hominem præripiente. Igitur in hac etiam humanitate sua constant Verbo sua jura, constant principalis libertatis privilegia, constat servitutis & debitorum impatientissima nobilitas, quia in carne & cum carne constat personæ divinæ proprietas. Septimò, quia facta dictaque omnia à persona pullulascunt, & ejus tanquam stirpis frutices sunt, ubi Deo Patri Christus homo charitatem inenarrabilem, ubi mortem adolebit suam, non tam ex qua natura, quàm ex qua persona hæc proficiscantur, attendendum impensè est. Dominatur enim personæ vis & authoritas, natura autem hîc maximè humana non tam agit, quàm agitur, & principanti Verbi hypostasi famulatur. Igitur gesta Christi non de naturæ, sed de personæ nomine censenda sunt. Persona autem Verbi, seu per carnem, seu sine carne agat, suo se jure agit, sui juris est, nec ulli se obnoxium esse patitur, dicive aut cogitari. Denique nil rationibus Dei, vel honori decerpitur, cum debiti nexu homo Christus emancipatur. Quò solutior enim, eò liberior, & quò liberior, eò liberalior effusiorque esse debebit. Debebit inquam tantò liberaliùs Deo Patri semet impendere, quantò solutior à debiti necessitate: sed debebit, quod debebit, sibi, debebit ingenuitati suæ, debebit proprietati Filii, qui quantus quantus est, ad Patrem est: debebit ingenio suo, & sapientiæ, & justitiæ, non qua extrinsecus urgeatur, sed quæ ipse est. Itaque quo minus in servilem creaturarum modum debebit, eò liberaliùs largiùsque debebit, & ita debebit, ut quæ rependet pro alienis debitis, ut sua pendat, non ut mendicata, non ut aliena, non ut jam debita aliis nominibus, sed ut indebita hactenus, & in hos usus olim destinata.

Sed quibus non satis præsidii esse videbitur in his argumentis, vel in Anselmi ac Vuillelmi authoritate, antiquior illis & numerosior allegandus erit Patrum à Græca Latinaque Ecclesia senatus, quorum vel rationibus cedant, vel authoritate frangantur.

IX. Patrum authoritas accedit. Dionysii. De divin. nomi. c. 2.

Ante alios ergo Dionysius Theologiam bipartitur, in copulatam & disjunctam: sive in ea, quæ ἑνωμένως, unitè & conjunctim, & in ea quæ διακεκριμένως, distinctè & segregatim personis divinis tribuuntur. Conjunctim enim omnibus Deitatis hypostasibus competit esse vitam, bonitatem, sapientiam, &c. *Discreta verò sunt Patris supersubstantiale nomen, & res, & Filii & Spiritus sancti, nulla in his facta reciprocatione, nec ulla prorsus communitate introducta. Et præterea discreta & distincta, ea quæ secundùm nos est perfecta Jesu & invariabilis existentia, & quæcumque substantiva sunt humanitatis ejus mysteria.* Peculiares ergo cuique divinitatis personæ sunt proprietates suæ, nec in earum jus aut societatem cæteræ advocantur: ita assumptæ humanitatis mysterium & opulentia omnis, utpote accessio & accrementum quoddam personæ Verbi incarnati proprius & singularis census est, quem suæ ditioni nec Pater nec Spiritus sanctus vendicare queat.

Est enim illa humanitas uni Verbo, non Patri, non Spiritui sancto coaptata hypostaticè. At hæc hypostatica coalitio hominis ad Deum, eo constat vel maximè uno, quod non suus est jam sibi ille homo, sed Verbi, non amplius sui juris est, sed in jus & censum proprium & singularem Verbi transcribitur, pertinet ad Verbum, non ad se, non ad quemquam alium, Verbi accessio est, & aliquid Verbi. Igitur cùm nec Patri, nec Spiritui sancto in manum convenerit, aut personaliter conglutinata sit illa humanitas, nec ipsa, nec quæ ab ea manarunt gesta dictaque omnia in jus Patris aut Spiritus sancti concesserunt, nec ad eos pertinent, nec census & ditionis eorum sunt, sed unius Verbi. Quippe cùm assumere hypostaticè non sit aliud magis, quàm ad substantivum suum jus rapere & vendicare sibi quidpiam; hoc jus in humanitatem & humanitatis fructum proventum omnem, Verbi proprium & singulare est, Patri autem & Spiritui sancto nihilo magis communicatum, quàm ipsa carnis assumptio. Quare idem Dionysius paulò post: *Porro in benefica nostri reparatione munus hoc discretum & distinctum est, quod propter nos ex nobis supersubstantiale Verbum integram veramque nostram substantiam assumpserit, eaque gesserit tuleritque quæ humanæ ipsius actionis propria & singularia sunt. Hæc enim nulla ratione communia sunt Patri & Spiritui, nisi fortè consilii communitate, &c.* Quanquam ergo consiliorum & operationum indissociabili unitate, incarnationis author & architecta sit tota Deitatis Trinitas; incarnatus tamen non est nisi Deus Verbum, ideoque suas in humanitate opes uni sibi proprias adseruit.

X. Maximi.

Eadem verbis totidem habet Pachymeres. Maximus autem Martyr caput illud explanans, hæc habet de Dionysio ipso: *Iterum de dispensatione tractans soli Deo Verbo attribuit, sine ulla Patris & Spiritus sancti communicatione, nisi per solam voluntatem, &c. Et Deum Verbum esse eum qui passus est, scilicet carne, humanamque ipsius divinam operationem vocari ea omnia, quæ in dispensatione acciderunt: neque Patrem neque Spiritum sanctum in his aliquid participasse, nisi beneplacito & voluntate incarnationis, atque unà cum Deo Filio divina signa operando.* Audin emancipari humanitatis & substantiam & opera omnia è potestate quodammodo Patris & Spiritus sancti, & in unius Verbi traduci jus, quod ut hypostasi suæ proprium & intactum, nulla patiatur cum aliis communione vulgari? Ergo ex hoc peculio suo potuit Patri satisfacere Verbum, citra ullum indulgentioris justitiæ favorem, sed ad rigidæ austeritatem districtionis, nempe tanquam è suis, non alienis, faciens satis.

XI. Damasceni. L. 1. fid. Orth. c. 13.

Damascenus quod ex Dionysio retulimus, verbum è verbo penè retulit: ait enim alia in Deo dici ταυτῶς, ἁπλῶς, ἀμερῶς, ἡνωμένως, identicè, simpliciter, indistinctè, unitè: alia διακεκριμένως, discretè: *Ut Pater, Filius, Spiritus sanctus, Causale ingenitum, Genitum, Procedens, &c.* Et ad hæc tandem revocat incarnationem: *Discreta sunt autem & quæcumque sunt divinæ & misericordis Dei Verbi incarnationis. In his enim neque Pater, neque Spiritus ulla ratione communicant: nisi secundùm voluntatis assensum, & ineffabilem miraculorum operationem, quam & secundùm nos homo factus Deus Verbum operabatur, & immutabilis Deus & Dei Filius.* Si quem moveat autem quod incarnationem architectata sit totius Trinitatis una voluntas & operatio, adeoque fructus ejus ad eam ut authorem refundi debere videantur: nec nos sanè obstrepimus huic authoritati Trinitatis omnium opificis, eoque jure in omnia & in ipsa incarnationis arcana potestatem suam distringentis. Sed eo ita concluso & fixo, longè aliud jus est, de quo hìc agimus, & quod uni Deo Verbo vendicamus. Jus nimirum istud est hypostaticum, non ex voluntatis benefica assensione, non ex operatione omnipotentiæ, sed ex hypostaseos divinæ illapsione & indissociabili conglutinatione efflorescens. Nec gravatè feras, si familiari exemplo lux uberior inferatur rei minimè obscuræ. Filium ex se pater, homo hominem gignit, sed corpus ipsum maximè de sua ipsius substantia decerptum proseminat, animæque immortali supernæ è sapientiæ omnium creatricis officina allabenti compaginat. Author ergo filii pater & procreator suo illum sibi jure mancipat, & corpus ejus maximoperè, ut à se satum & è suo delibatum, tanquam sui segmentum aliquod. Sed nihilo tamen minùs corpus illud filii ad ejusdem animam pertinet mancipio nexuque inenarrabiliter strictiori, quàm ad satorem parentemque suum, & quæ per corpus geruntur omnia, etsi adumbrata quadam juris imagine transcribere sibi pater possit, reapse tamen animæ illud & per illud agentis sunt propria, & hoc genere ditionis propria, quod cum nullo præterea alio possit communicari. Sunt enim propria animæ jure hypostatico, quod omnium antiquissimum est, & altissimis fundatum radicibus: sic ut sua cuique non sint, si limatè & ut veritas cogit, non populariter libeat loqui, nisi quæ hypostatico hoc jure sua sunt, hoc est, quæ non aliunde tanquam adventitia accrescunt, sed quæ ex suo sibi fundo suppullulant. Si ergo ita res habeat penes nos, ubi tam obnoxia est filii origo à parente, & inexplicabilibus dependentiæ legibus obligata; quantò certiùs Deus Verbum cum homo nascitur, id est, cùm non, ut anima, solam carnem, sed hominem totum induitur, quia citra ullam dependentiæ labem id totum peragitur, propriam sibi adseret uni humanitatem & humanitatis omnem supellectilem, tanquam hypostaseos suæ singularem ditionem? Si ergo de peculiaribus his suis opibus, Deo Patri nostra repensare debita pòst aggrediatur, omnes austerissimæ justitiæ partes explebit, nec bona creditoris creditori regeret, sed sua & hactenus nullo nexu obligata.

E Latinis astipulator accedit Fulgentius, ubi de Verbo disputans ait: *Qui totum habet commune cum Patre, quod æternus naturaliter sine initio habuit, & nihil habet commune cum Patre, eorum quæ in suam personam temporaliter atque humiliter ille æternus atque excelsus accepit de Virgine.* Si suorum in humanitate mysteriorum nihil habet commune cum Patre, quando hæc ergo in nostrorum absolutionem debitorum Patri impendit, suis utique non Patris impendiis rem tantam perficit. XII. Fulgentii. L. de fide ad Petrum c. 2.

Cui assonat Ferrandus Diaconus: *Deus homo factus est, naturam sibi adunavit humanam, sed in unitate personæ, quam non habet cum Patre communem; non in unitate substantiæ, quam habet cum Patre communem. Ideo non Trinitas, sed tantummodo Filius & natus & passus est. Alia est natura se-* XIII. Ferrandi. Ep. ad Anat.

secundùm quam passus est Filius: sed quia unam fecit esse personam suæ divinitatis & carnis, propter unitatem personæ divinitas dicitur passa, quidquid pertulit caro. Persona autem Filii non est ea, quæ Patris: quia alia est Patris. Ideo tantummodo Filius passus est. Si incarnatus passusque solus est Filius, non Pater, non Spiritus, ergo propria est Filii incarnatio & passio: ergo nonnisi proprias opes Patri propitiando repræsentat.

XIV. Rustici. To. 4 Bibl. PP. part. 1. pag. 816.

Quibus addendus Rusticus Diaconus in Disputatione contra Acephalos, ubi de Christi humanitate disserit in hæc verba: *Ob hoc eam creavit, non ut sua, sed ut ejus esset: & super semetipso eam fundavit, tanquam super basin quandam vel fundamentum, ut vera dicam: ut per eam perficeret propositam suæ immensæ largitati pulcherrimam dispensationem.* Et cæteri Patres consonantissimè assentiuntur, eo unitatem personæ consutam esse ex Deo atque homine, quòd humanitatem Deus Verbum suam esse fecerit, sibi inseruerit, secum quodammodo commiscuerit, ut ea esset Verbi propria humanitas, Verbique proprium ex consequenti esset totum humanitatis instrumentum. Itaque cùm albo cæterarum creaturarum eximi egregiam illam humanitatem consensit summa Trinitas, Verboque coalescere, propriamque ejus fieri, tunc eam quodammodo emancipavit, ut in Verbi unius ditionem & jus tota concederet.

XV. Augustini. Serm. 11. de verb. Dom.

Augustinus quoque suffragio nos suo tuetur: *Eodem modo cùm rectissimè dicamus non Patrem, non Spiritum sanctam, sed Filium super mare ambulasse, cujus unius caro erat illa & plantæ fluctibus innitentes; illud tamen opus tanti miraculi, Patrem & Spiritum sanctum cooperatos esse quis abnuat? Sic enim & solum Filium verissimè dicimus ipsam suscepisse carnem, non Patrem aut Spiritum sanctum: & tamen hanc incarnationem ad solum Filium pertinentem, quisquis negat cooperatum Patrem aut Spiritum sanctum, non rectè sapit.* Enixè ut vides opera Christi omnia toti Trinitati communia, ob superfusam iis & necessariam Creatoris omnipotentiam, & indivulsam tam operationis quàm substantiæ Dei unitatem esse urget: & tamen carnem illam operaque per carnem exerta unius Verbi esse, & ad unum Verbum pertinere confirmat, sic ut quà Verbi erant, ejusque splendore majestatis irradiabantur, absoluta essent à quocumque alio dominatu, atque ab omni nexu libera, in nostræ libertatis pretium justissimum possent appendi.

Serm. 63. de verb. Dom.

Idem valent illa: *Pertinet ergo ad me sanctorum librorum testimoniis demonstrare, nativitatem Filii & Patrem operatum & Filium: ita passionem, ita resurrectionem: ut cum Filii tantum sit & nativitas & passio & resurrectio, hæc tamen tria, quæ ad Filium solum pertinent, nec à solo Patre facta sint, nec à solo Filio, sed à Patre utique & Filio.* Mirabile id sanè foret, qui incarnationem & passionem operetur cum Filio Pater, & illa tamen ad solum pertineat Filium, non ad Patrem: nisi statim menti succurreret id quoque operari Patrem, ut Filii unius sit caro & passio, quam cum Filio Pater operatur. Itaque sua creantis operatione Pater, carnem illam & passionem hinc quidem videtur potestati suæ adscribere; sed aliunde cùm eam ut Filii propriam & singularem efficiat, juri suo ultro quadantenus derogat, abdicatque se nativa potestate. Idque non immeritò forsan dixerit quis imitamentum esse sempiternæ illius generationis, qua Filius de Patre nascitur, nec minor tamen aut posterior, sed coæqualis nascitur: & idipsum à Patre authore habet, ut æqualis ei sit, nec ullo vinculo obnoxius. Ergo quia Deus Deum non semel, sed sempiternè gignit, & æqualem gignit, liberumque ab omni dependentiæ compede, gignit quin etiam non æqualem tantùm, sed æqualitatem ipsam, & libertatem, & independentiam, quando ut hominem denuo eundem gignit, non est quod magnoperè stupeamus, si ex imitatione æternitatis, æqualitati ejus & libertati indulget.

XVI. Nec Patri tantum & Spiritui sancto, sed & sibi Verbo Deo satisfecit Verbum caro.

Incurret aliquis è transverso forsitan, & hæc quidem valere acquiescet ad justitiam Patri & Spiritui sancto ex juris austerissimi legibus approbandam: sed ipsi certè Verbo peræquè satisfaciendum fuisse, nec nisi de suis ipsius atque adeo molliter & improprie satisfieri potuisse. Copiosiùs hæc quæstio post tractabitur, qui satisfactio non uni Patri, sed Trinitati fuerit exhibenda. Interim autem respondeo non Verbi Dei, sed Verbi incarnati proprias fuisse divitias ex incarnatione & vita & passione ejus scaturientes, ideoque ipsum ut hominem sibi ut Deo, perinde ut Patri fecisse satis, non sua Dei, sed sua Dei hominis bona appendendo in pretium longè maximum. Nec subtiliter & minutè hæc dicuntur, sed solidæ & fundatissimæ veritatis prælucente oraculo. Nam & mediator & sacerdos sibi ipsi Christus est, Deo homo: ipse orat, ipse oratur; ipse placat & placatur: non frustratoriè & simulatè, sed verissimè certissimèque. Quin ergo is ipse sit, cui, & à quo satisfiat? An potest orare & orari, idem non secundùm idem, nec poterit satisfacere, & sibimet satisfacere? An illa oratio erat adumbrata, quia idem seipsum, sed homo Deum orando demulcebat? Nemo catholicus ita desipuerit, nemo qui scripturarum authoritatem non floccipendat. An oratio illa Christi ad Patrem quidem seria, ad Verbum autem jocularis vel perfunctoria erat? Nulli hactenus venit in mentem tantoperè ineptire. Nec humanitas tamen nuda orabat, aut pretium ipsa pondusve conciliabat precibus suis, sed ut Verbo conjuncta, & ejus lumine ac dignitate fulgurans. Ergo ut oratio quæ satisfactionis portio non pœnitenda est; ita satisfactio tota à deificata humanitate Verbi proficisci potuit, & deliniendo tam Verbo quàm Patri adoleri.

XVII. Verbi incarnati propria erant ea, per quæ Patri & Verbo Deo satisfactum est.

Ecquis autem suspicabitur suas Verbo pecunias refundi, quando per incarnationis merita illi satisfit? Nam quæ carnis sunt, deitatis Verbi propria & naturalia bona non sunt. Audi Theodoretum: *Et quoniam quæ debito tenebatur, solvendo non fuit, ipse Dominus debiti persolutionem sapienter molitur, & humana quidem membra ceu pecunias opesve assumens, & eadem sapienter justeque administrans, debito satisfacit, & naturam nostram liberat.* Vides, quibus opibus debita nostra diluerit Verbum caro factum, nempe membris nostris, tanquam pecuniis. Non ergo suæ impensa deitatis, sed nostræ carnis, nostri sanguinis, nostræ vitæ substantiæque impendio satisfecit Patri, satisfecit & sibi, uni cum Patre Deo.

Orat. 10. de Provid.

Eò pertinent quæ paulò ante philosophabamur, de carne & carnis morte, quam suam fecit, quam ad se unum pertinere tum fecit, cum assumpsit Deus Verbum. Nam si sua esse tunc fecit, nostra ergo non ejus fuerant: si adsumpsit ex nobis, nostra ergo hæc erant. Adsumpsit autem, ut his velut opibus exhauriret nostra debita. De nostris ergo satisfecit. Potuit ergo & sibi satisfacere, peræquè ac Patri, utpote de nostra substantia.

Huc quoque spectant quæ multoties supra disceptavimus, necessum fuisse, ut natura ipsamet nostra, non quæcumque alia ejus vicaria, congrederetur & vinceret, quæ victa fuerat: solveret, quæ tanto ære alieno sese obruerat: de suo offerret, quod pro ea offerretur: quæ omnia idem valent atque si diceretur, necessum fuisse, ut suis ipsius impendiis redimeretur. Ergo cum sibi Deo Christus homo de humanitatis suæ proventibus satisfecit, non jlocaliter de re creditoris creditorem compescuit, & debitum donavit magis quàm exolvit.

Denique si opes ipsæ perspiciantur, quibus expungendæ erant debitorum nostrorum tabulæ, nemo nisi valdè delirus, eas fuisse Verbi Dei propriass

prias causabitur. Contumeliis enim & passionibus, morte & morte crucis hæ constant opes. Harum sanè opum inops & inanissimus est Dei Filius Deus, his tamen satisfecit: eas ergo non de suo censu, sed de nostro commodatas peculio deprompsit & expendit. Augustinus: *Mortuus est Deus, ut compensatio fieret cælestis cujusdam mercimonii, ne mortem videret homo. Deus enim Christus, sed non ibi mortuus, ubi Deus, &c. Cum ergo Deus esset & homo, volens nos vivere de suo, mortuus est de nostro. Unde enim ipse moreretur, non habebat, &c. Nec ille potuit habere mortem de suo, nec nos vitam de nostro, &c.* Nec inficior has opes esse valdè inusitatas, sed opes sunt tamen, quarum dumtaxat pretio poterat Deo satisfieri: opes sunt, quas à nobis mutuari Verbum, nec ipsum dedeceat, & nobis prosit. Quid enim Deus à nobis captet mutuum, quàm quo ipse deficit, inanitatem & mortem? Sed hæc tanti sunt tamen, ut iis tantorum inaniantur onera debitorum. Usqueadeo in summi boni principatu ne ipsa quidem mala boni seminibus & larga quandoque messe carent.

In Append. Sirmundi. Serm. 34.

XVIII. Rursus ut propria sint Christo homini ea, per quæ satisfecit.

Scrupulosiùs autem sicui libeat hæc præscrutari, comperietur quidem huic nostræ rei pretium non conciliari, nisi ab infusa Verbi persona & luce, adeoque cavendum esse ne hinc satisfactio elevetur, quod Verbo satisfiat de pretio, quod ab ipso haustum aspersumque sit opibus repræsentatis. Sed & hic obex disjicietur haud ægrè. Nam hypostatici conjugii ista est lex, ut reciprocatio fiat quædam bonorum malorumque, redundentque vicissim ab alio in aliud omnia. Itaque ut proprietates humanæ transcribuntur Verbo, ita Verbi dignitas & opulentia propria infunditur humanitati. Qui enim à Verbo irradiat in hominem fulgor sanctimoniæ & majestatis, quo augescit infinitum quendam & inæstimabilem in cumulum pretium humanæ passionis & mortis, is humanitati proprius jam est, utpote propriæ ejus hypostasi insitus. Ut enim caro fit Verbi hypostaseos propria, ita propria carnis fit Verbi hypostasis, nec potest non exuberare in carnem amplitudo quædam & pretii infinitas ex hypostasi cui concrevit. Quocirca cùm Verbo Deo satisfit adæquatissimè eo humanæ substantiæ pretio, quod ipse illi importavit conjugio suo, exactè tamen satisfit, quia non poterat ratio conjugii hac splendoris redundantia fraudari, & Verbi nonnisi ut incarnati, hominumque prædem agentis, non autem ut Dei, deitatis abdita penetralia incolentis, hic census est.

XIX. Justum pro injustis occidi, & scelera scelere elui debere Abaelardus negabat.

Altera nunc disjicienda moles superest objectæ difficultatis, quì justum ut justus pro injustis luat? Ecqua justitiæ hæc placatio sit, si nocentes sæviant immanissimè, insons injustissimè dilanietur? An juris hæc inaudita est norma, ut scelera scelere expientur, plura quidem uno, sed leviora præ uno hoc portentosissimo? Denique ut unius immerentis sanguine cætera abluantur facinora, quo alio sanguine abolescet facinus, quo ipse fusus est? Amarissima insultatione hæc olim jacula in fidei nostræ simplicitatem intorquebat olim Abaelardus, cujus hæc verba aculeata refert Bernardus;

Epist. 190.

Audite cachinnos. Quomodo nos, ait, justificari vel reconciliari Deo per mortem filii ejus dicit Apostolus, qui tanto amplius adversus hominem irasci debuit, quanto amplius homines in crucifigendo filium suum deliquerunt, quàm in transgrediendo primum ejus præceptum unius pomi gustu? Quod si tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non posset, nisi morte Christi, quam expiationem habebit ipsum homicidium quod in Christum commissum est? Numquid mors innocentis Filii intantum Deo Patri placuit, ut per ipsam reconciliaretur nobis, &c. Nec nisi hoc maximum fieret peccatum, illud multo levius potuit ignoscere? &c. Cui vero crudele & iniquum non videtur, ut sanguinem innocentis in pretium aliquod quis requisierit, aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici? Nedum Deus tam acceptam Filii mortem habuerit, ut per ipsam universo reconciliatus sit mundo? Sic ille convitiabatur fidei nostræ, & funditus illam evertebat, cui firmiora parare se simulabat præsidia.

XX. Respondet Bernardus, non scelere sævientiũ, sed pietate sponte occumbentis deleri peccata.

Advertamus jam animum ad Bernardi responsa quibus prophanam retundit dicacitatem. *Quasi non potuerit Deo, in uno eodemque facto & displicere iniquitas malignantium, & placere pietas patientis, &c. Non mors sed voluntas placuit sponte morientis, & illa morte expungentis mortem, operantis salutem, restituentis innocentiam, triumphantis principatus & potestates, spoliantis inferos, ditantis superos. Et quoniam hæc tam pretiosa mors voluntarie suscipienda adversus peccatum, non tamen poterat fieri nisi per peccatum, non delectatus quidem, sed tamen bene usus malitia sceleratorum, & mortem de morte & de peccato damnavit peccatum. Et quanto illorum major iniquitas, tanto hujus voluntas sanctior & eo potentior ad salvandum.* Sic sanctus Pater audaculi Sophistæ argutias difflat, nec facinori sævientium, sed pietati & patientiæ sponte morientis nostram imputat salutem. Quì autem existeret aut emineret hæc tanta pietatis & patientiæ vis, nisi grassandi in eum licentia & potestas improbis prædonibus permitteretur? Pergit autem ibidem: *Nec peccato sive peccantibus adscribitur hæc victoria, sed bene utenti peccato & peccantes fortiter perferenti, & convertenti in usum pietatis, quidquid in ipsum ausa est crudelitas impiorum.* Quid enim Deo familiarius, quid summo bono proclivius, quid ad ejus omnipotentis ostentationem bonitatis insignius, quàm mala bene vertere, de malis bona exprimere, mala malis evertere, malis bona astruere & exaggerare, in usus suos adversantia quæque convertere? Ergo id non mordacibus jocis insectandum erat, à viro imprimis Christiano & Theologo, sed omni admiratione, sed summa laude prosequendum, quod immanissimum facinus non suaserit, non jusserit, non promoverit Deus, sed nefaria hominum insania perpetratum, in omnium facinorum excidium, in totius improbitatis medicamentum ipse temperaverit, de summo malo summum bonum exsculpserit. *Non requisivit Deus Pater sanguinem Filii, sed tamen acceptavit oblatum; non sanguinem sitiens, sed salutem, quia salus erat in sanguine.*

XXI. Idem nodus solvitur à Gregorio Magno.

Vertitur id etiam in summum Christi sanguinis præconium, quod non cætera tantùm vel retro vel post omnia oblitterare crimina sufficiat, sed illud etiam ipsum omnium atrocissimum & unum instar habens omnium, quo effusus est. *Fuit verò sanguis qui effusus est tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum quo factum est ut effunderetur, deleret: ac per hoc de antiqui illius utpote levioris deletione nullam omnino dubietatem relinqueret.*

Et ne solus se beatum tam argutæ cavillationis putaret Abaelardus, jam olim hoc ipsum ab incredulis mussitabatur, & increpabatur. Gregorius Magnus adeo non id officere justitiæ revincit, quod justus pro injustis pœnæ succedat, ut in eo verti cardinem summæ Dei & incomprehensibilis justitiæ interpretetur. Quippe cum nisi ita exuberante ultra omnes metas, præterque hominum fidem, justitia hominis Dei, nec labes divinæ justitiæ peccatis nostris impressa sarciri, nec injustitia humani generis obrui aut oblitterari possit. *Hinc est quod Patri quidam sapiens dicit, Cum sis justus, juste omnia disponis, eum quoque qui non debet puniri condemnas, &c. Si ipse indebitam mortem non susciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum justus sit, justum puniens, omnia justè disponit, quia per hoc cuncta justificat, quod eum qui est sine peccato, pro peccatoribus damnat, ut eo electa omnia ad culmen justitiæ surgerent, quo is qui est super omnia, damna injustitiæ nostræ sustineret.*

Moral. l. 3. c. 11.

Occupavit & Leo magnus hanc ultro succrescen-

XXII. Et à Leone M. Serm. 16. de Passione. tem incredulitatis stirpem elidere, ubi tum cætera complectitur propemodum omnia, quæ ex Bernardo supra attulimus, tum hoc præterea argumenti refert ad justitiæ patrocinium, quod ita justum fuerit nostræ salutis fundamenta poni, ut misericordia & gratia Dei extaret undique, & resplenderet, ne iterum nos in idem exitium præcipitaret superbia & malesuadus nostrum amor. Non potuit autem illucere gratia Dei illustriùs, quàm si in salutis nostræ opificium, nihil à nobis præter facinus, collatum sit. Eo ergo nobis uno nomine blandiamur; eo si fas est, tumeat nostra superbia, quod non aliud saluti nostræ quàm salvatoris ipsius contrucidationem contulerimus. *Convenerunt Herodes & Pilatus cum gentibus & populis Israel facere, quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri. Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? Et illud facinus quod omni majus est crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc planè de summa justitia sentiendum est, quia multum diversum multumque contrarium est id quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; nec præsciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret. Denique inter crucifixum & crucifigentes tam dispares causæ sunt, ut quod à Christo susceptum est, non possit resolvi; quod ab illis commissum, possit aboleri. Qui enim venit peccatores salvos facere, nec ipsis quidem interfectoribus suis misericordiam denegavit, sed impiorum malum in bonum credentium commutavit. Ut mirabilior fieret gratia Dei, non secundum merita hominum, sed secundum multitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei misericorditer præparata, quando & ipsos qui fuderant sanguinem Salvatoris, reciperet unda baptismatis.* Et paulò post: *Quod itaque Dominus Jesus Christus furorem frementium pati voluit, in nullo author eorum criminum fuit: nec egit ut hæc vellent, sed cessit ut possent.* Ex ingenio planè Deitatis ita Christus: Deus enim malas voluntates non facit, sed ordinat, & inopinatas in bonum vertit: & quanquam non malæ voluntatis sit author, est tamen cujuscumque potestatis largitor; nec in mala præcipiti cedit hominum voluntati, ut possit, nisi ubi largo bonorum proventu malum illud potest compensare.

XXIII. Et ex Hilar. In Psal. 144. Hilarius ex illo versu: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitiam tuam exultabunt*, occasionem arripit lato limite disjungendi misericordiam & justitiam Dei atque hominum. In nostro enim angustiore sinu hæc duo pugnant & colliduntur, tantumque justitiæ decerpitur, quantum accrescit misericordiæ. At justitia Dei conjugata misericordiæ est, ejusque crescit compendio, decrescit dispendio. *Sed Dei justitia justitiæ non coæquatur humanæ. Neque enim naturæ legi subdita est, per quam lex est statuta naturæ: ut necessitatem non habeat bona non esse, cùm justa sit. Habet Dei justitia miserandi voluntatem, neque tamen per miserandi voluntatem ita à se erit demutata, ne justitia sit.* Et tandem concludit: *Hoc in Deo præcipuum, hoc in potente laudandum, non cœlum fecisse, quia potens est: non terram fundasse, quia virtus est: non annum astris temperasse, quia sapiens est: non hominem animasse, quia vita est: non mare in accessus ac decessus movisse, quia spiritus est: sed misericordem esse qui justus est: sed miserantem esse qui Rex est: sed dissimulantem esse qui Deus est.*

XXIV. Ex Salviano. Salvianus denique non omittendus, qui ex charitatis immensitate, justitiam etiam per speciem injustitiæ exaggerari argumentatur. Quæ enim usquam justitia extra charitatis gremium? Quæ major autem charitas, quàm pro amicis, pro justis & bonis vitam in discrimen conjicere? Longè maxima ergo Dei justitia, quia longè maxima charitas, pro inimicis & pro peccatoribus, unigeniti sui vitam donantis. *Plus amat nos Deus quàm Filium Pater. Evidens quippe res est quod super affectum filiorum, nos Deus diligit, qui propter nos Filio non pepercit. Et quid plus addo? Et hoc Filio justo, & hoc Filio unigenito, & hoc Filio Deo. Et quid dici amplius potest? Et hoc pro nobis, id est pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis æstimare hunc erga nos Dei amorem queat, nisi quod justitia Dei tanta est, ut in eum cadere aliquid injustum non possit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, injustam rem homo quilibet fecerit, si pro pessimis servis filium bonum occidisset. Utique hoc magis inæstimabilis pietas, & hoc magis mirabilis Dei virtus est, quod ita intelligi ab homine magnitudo justitiæ suæ non potest: ut quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, penè injustitiæ speciem magnitudo justitiæ habere videatur, &c. Vix enim pro justo quis moritur, &c. Si vix ullus pro summa justitia mortem suscipiat, probavit Christus quantum præstiterit, pro nostra iniquitate moriendo, &c. Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, &c. Quomodo commendat? Quia non merentibus præstat. Si enim sanctis & bene meritis præstitisset, non videbatur, quæ non debuerat præstitisse, sed quæ debuerat, reddidisse.* L. 1. de gubern. Dei.

XXV. Ex quo peccatum est, ars & ratio summa justitiæ fuit, ut justi ab impiis & pro impiis patetentur, & ita vincerent. Ne muti autem abeant Græci, unum aut alterum eorum percunctemur. Alludent fortasse ad hanc rationem hactenus intactam, quæ tamen multò maximi præ cæteris momenti non injuria censebitur. Jam inde enim ex quo peccati lues in orbem serpsit, non aliud machinata impietas est, quàm pietatem lacessere, divexare ac labefactare, virusque suum in omne genus hominum dispergere: non aliud etiam jam inde meditata pietas est, quàm impietatis incursiones patientia retundere, temporalibus damnis æterna sectari compendia, improbitatis insultationes non impotenter repercutiendo, sed fortiter sustinendo in gloriæ incrementa sibi convertere, & hac vincendi arte omnes homines qua fas esset imbuere. Nec aliter poterat res se habere, ex quo primùm exulavit innocentia, & comes ei individuè affixa pax & serenitas. Necessum enim fuit jam tum implacato conflictu pietatem cum impietate, bonos cum malis committi & digladiari, sed suis hinc & illinc longè diversissimis pugnandi vincendique artibus. Qui enim pugnet improbitas, quàm dum insanit, dum exagitat pios & cruciat & discerpit? Qui repugnet pietas, nisi nec pugnando, nec fugitando, sed irretorto oculo, sed inconcusso pectore, sed invicta patientia, pro justitiæ defensione cruces mortemque aspernando provocandoque, ipsosque hostes suos beneficiis & justitiæ donis, si modò sanari se sinant, abundè cumulando? Est enim impietatis immerentibus malefacere, est pietatis ex adverso immerentibus & malè de se meritis benefacere. Est impietatis pietati insidiari, sed tum etiam famulari: cruces ingerere, sed tum maximè coronas texere: est pietatis mala ipsa in bonorum cumulum convertere, & patientiæ hoc est victoriæ suæ immoriendo, immortali triumpho clarescere. Ita comparatum fuit ab orbis non conditi, sed corrupti per peccatum exordio, nec annalium monumenta, nisi hanc inexpiabilem pugnam ubique terrarum flagrasse testificantur.

Ergo mirari desine, quod Christus justus ab injustis oppressus sit, & hoc tantum extiterit justitiæ specimen, quantum repugnando & ad justitiam recolligendo humano generi desiderabatur. Hujus enim rei tot crebuerant exempla, quot justi, quot injusti ab orbis initio vitam hic mortalem carpserant. Nec enim justi in aliud incubuerant, quàm ut mortis vel calamitatum patientia semet insignirent, & cæteris quà fas esset prodessent: nec injusti operam suam studiumque posuerant, nisi ut justos

justos lancinarent, eoque inopini & inviti eorum gloriæ & utilitati famularentur.

Potest quin etiam unum spectari, sed catholicum, sed maximè conspicuum documentum, Christus ipse in membris suis ab origine mundi occisus & occidendus ad sæculi exitum usque, justus ab injustis & justus pro injustis ipsis occisus. Quilibet enim justus portio Christi fuit, id est portio justitiæ humanis membris actibusque illigatæ. Una ergo ratio, ars una floruit, perennavitque in sæcula, justitiæ promerendæ & illustrandæ per crucis patientiam, & tantò deinde prolixiorem in hostes ipsos justitiæ victricis beneficentiam.

XXVI. Ex animæ rationalis insertione in corpus idem penè cõsequitur. Ita sancitum est æterna lege, non tantum, quod justitia ejus generis quæ lapsis rebus nostris congruat, in perferendo malo, & bonis hinc demerendis tota posita sit, sed etiam quod natura rationalis inexcogitabili divini consilii arcano, inserta naturæ corporeæ vitæque vegetanti, ad hujus ingenium & leges ultra quàm credi potest contemperetur. Ut enim corporum in finitima quæque corpora serpit contagio, ut radicis vitio inquinantur arboris partes ramique omnes: ita naturam animarum rationalium radix vitiata in primo parente totam tabificavit. Æquum ergo fuit & eadem æterna lege cautum est, ut & justitia ab aliis in alios, & à radice meliore in totum corpus dimanaret. Quia ergo genus humanum vegetanti vitæ superfundatum, instar ingentis unius arboris expanditur, geminæque radici, seu gemino Adæ affixum est, illincque morbi lue, hinc remedii virtute afflatur: necesse est, intestino conflictu certari, & tandem superante vi boni, malique infestationes refringente, inspirari sanitatem atque justitiam illis ipsis, unde pestis adversa expirabatur.

Dialogo imipatibilis. Eò pertinet, etsi prima fronte longè petitum videtur, quod suprà delibatum, quodque non pigebit ex Theodoreto iterare: *Optimè ostendisti causam cur mortis simus participes. Quare hoc ipsum quoque dandum est de resurrectione. Oportet enim convenientiam esse morbi & remedii. Quemadmodum enim principe generis condemnato universum genus condemnatum est, ita cum Salvator maledictionem solvit, natura quoque libertatem recuperavit: & quemadmodum Adamum ad inferos descendentem secuti sumus omnes ejusdem naturæ socii, ita cum Christo Domino resurgente particeps vivificationis erit universa hominum natura.* Et infrà: *Vide igitur quæ Christi sunt, cum iis quæ sunt Adæ comparata, cum morbo medicinam, cum vulnere pharmacum, cum peccato justitiæ divitias, cum morte vitam, cum Adamo Christum.*

CAPUT XI.

Patri soli an toti Trinitati sacrificio crucis Christi satisfactum sit?

I. Redemptor, Mediator, Sacerdos Deo, id est, Trinitati se impendit. Ex August. LAtiùs patet hæc quæstio, nec ad solum pertinet Redemptorem. In eadem quippe causa est & Mediator & Sacerdos, atque in hæc etiam munera inquiri potest, Patri uni, an etiam Trinitati sint dedicata. Sed ut cognatæ conjunctæque sunt hæ dignitates, omnium una est ratio; cùm imprimis earum summa in crucis sacrificio colligatur, quærendum semel est, cui hoc sacrificio litatum sit, eidem enim ipsi & redemptio & advocatio & sacerdotium protinus addicetur.

Nec arduæ indagationis res est. Cui enim rudimentis saltem catholicæ fidei imbuto non statim suboleat, æquali per omnia & indissociabili Trinitati hoc pretium, hoc obsequium, hoc sacrificium ab uno Redemptore, Mediatore & Sacerdote Christo homine exhiberi? Ea est consonantissima Ecclesiæ fides, Patrumque doctrina.

Id Augustinus argumentatur ex Apostolo, qui Christum hominem medatorem monet esse Dei & hominum, Dei inquam, non Patris solius. *Quare interpellat pro nobis? Quia mediator esse dignatus est. Quid est mediatorem esse inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines, sed inter Deum & homines! Quid est Deus? Pater & Filius & Spiritus sanctus. Quid sunt homines? peccatores, impii, mortales. Inter illam Trinitatem & hominum infirmitatem & iniquitatem, mediator factus est homo, non iniquus, sed infirmus, &c.* In Psal. 29.

Sed ne minutias argumentorum venari cogamur, refricanda semel est memoria ejus placiti solennis, quod ex eodem Augustino iterum atque iterum decantatum jam suprà fuit variis locis: id compendii captatum esse in dispensanda salute nostra, ut idem nobis esset via, qui meta: idem via, qui veritas: per ipsum ad ipsum perveheremur: idem ad seipsum mediator, sibi Sacerdos Deo, sibi Deus Sacerdoti: idem sibi pretii nostri debitor creditorque. Sed perspicua magis hæc sunt in mediatoris officio: *Quod idem ipse est Unigenitus a Patre, plenus gratiæ & veritatis, id actum est ut idem ipse sit, in rebus pro nobis temporaliter gestis, cui per eandem fidem mundamur, ut eum stabiliter contemplemur in rebus æternis.* Et infra: *Scientia ergo nostra Christus est, sapientia quoque nostra idem Christus est. Ipse nobis fidem de rebus temporalibus inserit, ipse de sempiternis exhibet veritatem: per ipsum pergimus ad ipsum, tendimus per scientiam ad sapientiam, ab uno tamen eodemque Christo non recedimus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Meta nobis est sapientia & veritas sempiterna, contemplationis oculo purgatissimo fruenda: ad eam media intercedit via, seu scientia, aut fides rerum temporalium, mentis oculos terrenis cupiditatibus oblimatos purgantium. Conducibilius nihil nobis vel optatius esse potuit, quàm ut sapientia ipsa signis temporalibus his & expurgatoriis convestiretur, & ipsa nobis de se hic fidem, illic contemplationem largiretur; hic purgaret, illic purgatum bearet mentis oculum; hic scientia opertior, illic sapientia apertissima, ipsa omnium ad seipsam mediatrix. Ita enim fit ut brevissimo compendio ad Deum veniatur: ita fit ut nullus nos in prolixiore & sinuoso anfractu error circumveniat: ita fit ut à Deo nunquam avellamur, & etiam tum cum ad ipsum iter quasi repatriantes molimur, ipsum tamen jam complecti anticipemus. L. 13. de Trinit. c. 19.

II. Ex eodem Præfat. in Psal. 123. Et rursus: *Ipse Rex patriæ factus est via. Rex patriæ nostræ Dominus Jesus Christus. Et ibi veritas, hic autem via. Quo imus? ad veritatem. Qua imus? per fidem. Quò imus? ad Christum. Quà imus? per Christum. Ipse enim dixit, Ego sum via, veritas & vita, &c. Crede in Christum natum in carne, & pervenies ad Christum natum de Deo, Deum apud Deum.* Et alibi: *Non poteras ad Deum homo, Deus factus est homo, ut quoniam homo potes ad hominem, qui non posses ad Deum, per hominem venires ad Deum.* Et alibi: *Ostendens non oportere quæri alios mediatores, per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos, quia beatus & beatificus Deus, factus particeps humanitatis nostræ, compendium præbuit participandæ divinitatis suæ, &c. Idem in inferioribus via vitæ, qui in superioribus vita.* Et pulcherrimè a ibi: *Quia ipsa mens vitiis quibusdam tenebrosis & veteribus invalida est, non solum ad inhærendum fruendo, verùm etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque sanata fiat tantæ fœlicitatis capax, fide primùm fuerat imbuenda atque purganda. In qua ut fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius, homine assumpto, non tamen consumpto, eandem constituit atque fundavit fidem, ut ad Deum iter esset homini per hominem Deum. Per hoc enim mediator, per hoc & homo, per hoc & via. Quia si inter eum qui tendit,* In Psal. 134. L. 9. Civ. c. 15. Ib. l. 10. c. ul.

dit, & illud quo tendit, via media est, spes est perveniendi. Si autem desit aut ignoretur qua eundum sit, quid prodest nosse quo eundum sit? Sola est autem adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus & homo: quo itur, Deus: qua itur, homo. Igitur non ad Patrem tantùm, sed ad seipsum, denique ad Deum, id est, ad Trinitatem mediator est Christus homo: ex quo de sacerdote & redemptore fas est conjectare.

Sed & sacerdotio atque sacrificio non solùm placari Patrem, sed Deum trinum unumque tum insinuant Scripturæ, cùm sacerdotes Dei identidem memorant. In Deo enim tota colligitur Trinitas hypostaseon. Augustinus l. 20. Civ. c. 10. ex illo loco Apocal. c. 20. *Erunt sacerdotes Dei & Christi: Sanè licèt breviter atque transeunter insinuavit Deum esse Christum, dicendo sacerdotes Dei & Christi, hoc est Patris & Filii, quamvis propter formam servi, sicut filius hominis, ita etiam sacerdos Christus effectus sit.*

III. Ex Fulgentio, contra Arianos, Soli Patri sacrificium dicantes.

Hanc copiosè ventilat quæstionem Fulgentius, ubi Arianos uni Patri sacrificium vendicantes, & per hos cuniculos Filii deitatem subruere machinantes, suis ipsos retibus illaqueat, suis configit jaculis, suis strangulat dolis. Iterum enim atque iterum in Genesi proditur Abrahamum extruxisse altaria *Domino qui visus est ei*. Filium autem solum & visibilem & visum esse acriter pugnabant Ariani, & peræquè insidiosè, ut ita invisibili & incongressibili, & tanto superiori, quanto inaccessæ, Patris majestati eum substernerent, degeneremque calumniarentur impuniùs. Ergo si Filius visus est, & *Domino qui visus est* altare struxit & sacrificium destinavit Abraham, Filio utique, non soli Patri dicatum est sacrificium. (L. 2. Ad Monomum. c. 5) *Eligant nunc hæretici quod volunt, ut aut Patrem fateantur Abrahæ visum, aut certè consentiant ab Abraham, Filio altare constructum. Altare verò non ob aliud ædificari, nisi ad offerendum sacrificium Deo, veteris testamenti lectio frequenter insinuat.* Et post: *Si Patrem Abrahæ visum dicunt ut soli sacrificium asserant immolatum, in eo quod visus asseritur, non erit tanquam invisibilis Pater visibili Filio præponendus: si autem Filius visus est & ei sacrificium sanctus Patriarcha obtulit, non est Patri Filius in aliquo postponendus: neque enim illi Abraham sacrificium offerret, si potiorem illo quenquam alium credidisset.* Et tandem gemino urgens adversarios aculeo: *Aut Patrem vidit, aut Filio sacrificavit.*

Nec alia est causa sacrificiorum quæ Jacob obtulit Deo qui visus est ei, jubente ipso Deo: *Ascende in Bethel, & fac ibi altare Deo qui visus est tibi.* Nam ut Pater quandoque visus sit, non solus tamen, nec semper, sed Filius magis & sæpiùs, utpote cujus est, à Patre mitti; cujus est ut lucis & imaginis & sapientiæ videri: cujus est, hominibus oblectari & alludere: cujus erat tum carni suæ præludere & adgestire, sibique ipsi antecurrere. Ergo Deus ille visus pronioribus animis auribusque interpretandus est in Filium quàm in Patrem. Ergo non Pater solus sacrificiis propitiatus est. Cæterum illæ erant prolusiones sacrificii Christi, & anticipatæ quædam simulationes, ergo & Christi atque Ecclesiæ sacrificium toti impenditur Trinitati. (Ibidem. c. 4.) *Ecce amicorum Dei sacrificio prorsus Ecclesiæ Dei concordat oblatio, quæ sic sacrificat Patri, ut simul sacrificet Trinitati. Quoniam & sancti Patriarchæ sacrificium, quod filio jubebantur offerre, sciebant se Patri simul & filio placitis obsequiis exhibere. Idcirco autem eis divinitus jubebatur, ut filio altare construerent, non quia sacrificandum non esset Patri, sed ut quod immolabatur à sanctis, simul filio immolaretur & Patri: neque ut præponendus esset Patri Filius, sed ne putaretur genitori genitus in aliquo postponendus.* Quo spectat id quod alibi insusurravit nobis Ambrosius, ideo tum lectitari excitatas aras, sacrificia verò tacita prætermitti, quod desponsam cœlitus, quod concupitam medullitus præstolarentur victimam veram, & donec illa allaberetur, aras gestiendo præstruerent, victimis umbratilibus inhærere pigritarentur. Ergo hostia Christus homo, jam tum Christo Deo totique personarum Trinitati, prædestinabatur.

IV. In Patre toti Trinitati nostrum nunc sacrificium destinatur.

Prosequitur & ipsum Ecclesiæ sacrificium Fulgentius ibidem, & quamvis preces ejus omnes Patri nuncupentur, in Patre tamen totam adorari placarique Trinitatem contestatur. Et argumento est, quod mystica illa precatio nonnisi invocato Filii Spiritusque nomine concludatur: argumento item est quod baptismus in Trinitatis nomine celebretur. (Ibid. c. 5.) *Si qui verò catholici fideles hujus sacramenti nunc usque videbantur ignari, deinceps scire debent, omne cujuslibet honorificentiæ & sacrificii salutaris obsequium, & Patri & Filio & Spiritui sancto, hoc est sanctæ Trinitati ab Ecclesia catholica pariter exhiberi. In cujus utique uno nomine manifestum est, sanctum quoque baptisma celebrari. Neque enim præjudicium Filio, vel Spiritui sancto comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur. Cujus consummatio dum Filii & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen. Quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur: & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio.* Vox ergo & honor precis ad Patrem atrigitur, fides litantis & pietas sapientiæ lumine fæta in Patre totam Trinitatem tanquam in suo fonte & in adyto suo suspicit & veneratur. (Vide & l. de fide ad Petr. c. 19.)

V. Ex Justino Martyre. Apolog. 2.

Justinus Martyr fidem Ecclesiæ prodit his consentaneam, & ab ipsis tum Apostolorum uberibus recens derivatam; ubi sacrorum nostrorum arcanam seriem pandens ait: *Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ ac vini; quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exequitur.* Et infrà: *Atque in omnibus quas offerimus oblationibus, benedicendo laudamus factorem omnium per Filium ejus Jesum Christum & Spiritum sanctum.* Quæ apprimè quadrant relatis superiùs verbis Fulgentii, ubi ad Patrem ajebat verba litantis sacerdotis intendi, sed sacrificii consummatione nomen exprimi Filii & Spiritus sancti, atque ita totam Trinitatem suo fonti refundi atque adorari.

VI. Rursum ex Augustino, ut, in Patre toti Trinitati satisfiat. L. 13. de Trinit. c. 11.

Postremò, ut ad Redemptorem accedamus, & hujus quoque sanguinis pretium non Patri soli, sed Trinitati placandæ effusum constet, adhibendus est nobis testis idoneus Augustinus, qui nodum hunc ex scripturis implicat, & continuo ex iisdem explicat. Qui enim conciliando nobis Patri, suum sanguinem libavit Filius? An ipse prius suas nobis donaverat simultates, & ita nos in Patris quoque gratiam revocare adorsus est? At ex adverso videri potest Pater quasi occupasse primas partes indulgentiæ, quando teste Apostolo, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum illo omnia nobis donavit. Ergo cum sacræ literæ nunc Patrem, nunc Filium veluti priorem proniorem que inclinent ad exitium à nobis propulsandum, non hæc temeraria & improvida est sententiarum pugna, sed fæta mysteriis & operoso studio perscrutanda diligentia. Innuitur autem imprimis unà collaborare nostræ saluti tres deitatis personas, & quasi certatim prævolare sibi, cum tamen indissociabiliter & connitantur ad pretium nostræ liberationis conflandum, & eo accepto propitientur. *Et quid est, Reconciliati per mortem Filii ejus? Itane verò cum irasceretur nobis Deus Pater, vidit mortem Filii sui pro nobis, & placatus est nobis? Numquid ergo Filius ejus usque adeo jam nobis placatus erat,*

erat, ut pro nobis etiam dignaretur mori? Pater verò usque adeo adhuc irascebatur, ut nisi Filius pro nobis moreretur, non placaretur? Et quid est quod alio loco idem ipse Doctor gentium, Quid ergo, inquit, dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Nunquid nisi jam placatus esset Pater, proprio filio non parcens pro nobis eum traderet? Nonne videtur hæc illi velut adversa esse sententia? In illa moritur pro nobis Filius, & reconciliatur nobis Pater per mortem ejus. In hac autem tanquam prior nos dilexerit Pater, ipse propter nos Filio non parcit, ipse pro nobis eum tradit ad mortem. Ita ille quasi pugnantes committit sibi & adversa fronte collidit scripturas. Quas deinde ita conciliat: *Sed video quod & antea Pater dilexit nos, non solum antequam pro nobis Filius moreretur, sed antequam conderet mundum, ipso teste Apostolo qui dicit, Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Nec Filius Patre sibi non parcente pro nobis velut invitus est traditus, quia & de ipso dictum est: Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me.* Quid ergo, cum anteire sibi & præcurrere certant, & veluti primas propensissimæ in nos beneficentiæ partes præripere sibi ambiunt Pater & Filius: excusat enim horum verborum licentiam amoris æstus: quid inquam inde conjiciamus, quàm non tam præire vel præcurrere, quàm concurrere eos, & conspirare in nostræ salutis compendium? *Omnia ergo simul & Pater & Filius & amborum Spiritus pariter & concorditer operantur; tamen justificati sumus in Christi sanguine, & reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.*

VII. Ex eodem. Quæ postrema Augustini verba suggerent hinc perspicuam scripturæ authoritatem, inde argumentationem non mediocris momenti. Nam sacræ literæ aiunt, reconciliatos nos esse Deo per mortem filii ejus: &, Deum fuisse in Christo, nos sibi reconciliantem. Dei enim nomine tota Trinitas continetur, aut si Pater specialius attingitur, non aliter quàm ut origo divinitatis, & Trinitatis vertex, sinuque suo effusas à se & in se replicatas gestans hypostases. Rursum cum ait sanctus Pater omnia concordi communique operatione Trinitatis perfici, sed tamen Deo nos per Christi solius sanguinem conciliari: alludit non obscurè ad illud tritum Theologiæ dogma, Omnia Trinitati communia esse, præter hypostaticas proprietates, quarum instar est carnis dispensatio, uni Verbo peculiaris. Ergo placare per suum sanguinem, speciale munus est Verbi, cujus unius personæ caro accrevit: at placari non solius est Patris, nec enim ejus personæ hæc proprietas vel accessio est, sed deitatis est vel impiis adversari, vel in meliorem se frugem recipientibus obsecundare. Quod facilè etiam exprimes ex hoc Fulgentii loco; *Reconciliati igitur sumus per solum Filium secundùm carnem, sed non soli Filio secundùm divinitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit per hoc, quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit.* [L. de fide ad Petr. c. 2.] Anselmus denique: *Honor utique ille totius est Trinitatis. Quare quoniam idem est Deus Filius Dei, ad honorem suum, seipsum sibi, sicut Patri & Spiritui sancto obtulit, id est, humanitatem suam divinitati suæ, quæ una eadem trium personarum est.* [L. 2. cur Deus ho. c. 19.]

VIII. Cur Patri specialiter dicatur & factum satis esse & sacrificatum. Ex Richardo Vict. Catholico dogmate ita concluso, & tum authoritatis tum rationis communito validissimis adminiculis, juvabit nunc paulò accuratiùs rimari, ecquid causæ sit, quamobrem uni personæ Patris oblatum redemptionis pretium, uni sacrificium dicare videantur scripturarum oracula, Canonum scita, Patrum placita. Unus omnium latissimè spatiatus est in hoc æquore Richardus à sancto Victore; ejus ergo primùm subjiciemus oculis sententiam suis succinctam rationibus, cui deinde reliquorum & antiquiorum vel censuram vel suffragationem attexemus, ita sanè ut illibata & sospes vigeat doctrina jam nobis præfundata de individuis Trinitatis operationibus & ornamentis.

Richardus ergo Victorinus consentaneum esse pronunciat, ut placatio seu pretii persolutio principali personæ è tribus appendatur: placando autem Patri sua Filium inclinet indoles charitasque. [L. de Incarn Verbi. c. 6.] Ita enim ratio ipsa & æquitatis quædam innata lex susurrare videtur, ut placare Patrem non alius ante satagat quàm filius, & Patre placato, jam sibi abunde satisfactum esse gratuletur. Si Filii autem est non sollicitari ut placetur ipse, sed ut Pater, eique placando sese impendat: jam vetat quodammodo ratio, satisfactionem ne sibi flagitet Spiritus sanctus peculiarem earum injuriarum, quas Filius à quo ipse est, donaverit, quas suo sanguine apud Patrem excusaverit. *Videamus & quæ sit illa persona quæ placatur. Sed ut breviter dicam, principalis persona intelligitur, ad quam placadam alia interponitur. Pater autem principium est unigeniti: unigenitus autem principium est Spiritus sancti. Sicut igitur in mediatore & propitiatore intelligitur genitus, sic in propitiato intelligitur ingenitus, non autem Spiritus sanctus. Non enim Spiritum sanctum exigere satisfactionem decet de eo quod Filius indulget, à quo habet idem Spiritus sanctus totum quod habet.*

Rursum ille argumentatur satisfactionem pro offensis in Deum iteratis, nec nisi à Deo exigi, sed nec solvi nisi à Deo potuisse. [Ibid. c. 9.] Parco operæ ne iterum quæ supra congesta sunt, hic nauseanti ingeram, ut liqueat solvi nisi à Deo non potuisse. Ergo cùm Dei esset exigere, Dei solvere, quid consultius aut expeditius venire in mentem potest, quàm ut exigat à Filio Pater, solvat Patri Filius, acquiescat utriusque charitas? Aut si id parum est, ut acquiescat, suffragator & cooperator Filio adsit Spiritus sanctus. *Ut autem satisfactio fieret, oportuit esse & qui eam exigeret, & nihilominus qui eam exolveret. Culpam verò punire, vel aliquam satisfactionem pro illa exigere quam Pater ignosceret, nec Filio, nec Spiritui sancto omnino congrueret, quorum uterque à Patre habet, totum quod habet. Oportuit itaque pro hac parte, aut Patrem aut nullum uti exactione, &c. Non posset Spiritus sanctus culpam non ignoscere quam Filius vellet remittere, quanto magis quam vellet sua satisfactione delere? Imo absque dubio Filio causam hominis suscipiente, magis oportuit Spiritum sanctum cooperatoris quàm exactoris officium exercere.*

IX. Ex eodem. Ibid. c. 11. Rursum peccato hominis ipsam specialiùs Filii dignitatem impetitam ait, nempe sapientiam; affectavit enim Deo æquiparari, scientia boni & mali. Pietas ergo hortata est Filium ut suas injurias indulgeret, Patrem ut Filio illisum probrum ulcisceretur, & Filium rursus ut Patris iram ipse expiaret. *Eritis sicut dii, scientes bonum & malum. Quid est Filius Dei, nisi sapientia Dei? Specialiter itaque in sapientiam peccavit, qui scientiam per rapinam obtinere voluit. Pensate si potestis, ex uno quàm justum, ex altero quàm pium fuit, ut Filii sui injuriam Pater vindicaret, Filius ignosceret? Disce homo quid facias, disce quid facere debeas. Disce inquam remittere injuriam propriam, ulcisci alienam. Ecce parum fuit Filio Dei, ut suam ignosceret, nisi eandem ipsam & apud Patrem expiaret.*

Rursum curandæ provehendæque restaurationis nostræ munia partitas sibi esse ait divinas personas, ita ut Pater puniat, Filius solvat, Spiritus sanctus ignoscat: & incredibilis quædam hinc nobis innascatur fiducia, quod ad placandum Patrem duos æquipotentes suffragatores nacti simus. [Ibi. c. 11. 12] *Patet quia nulli alii personæ in Trinitate magis conveniebat ab alia propitiari, quàm Patri; nulli alii causam hominis apud Patrem expiare magis congruebat, quàm Filio. Divisit itaque inter se summa illa personarum Trinitas unus Deus, negotium salutis humanæ, ut unam eandemque hominis culpam Pater puniret, Filius expiaret,*

ret, Spiritus sanctus ignosceret. Ad majorem igitur lapsi hominis gloriam, ut possit resurgere per justitiam, Pater satisfactionem exigit, Filius exolvit, Spiritus sanctus se medium interponit. Et infrà: *Vide quam sit necessarius utriusque adventus. Ex adventu Filii credentium fides fundatur, ex adventu Spiritus sancti fides fidelium confirmatur. Unam eandemque hominis salutem Filius operatur, Spiritus sanctus cooperatur. Ut quid ergo homo jam dubitet de placando Patre, cum se videt in hoc negotio duos æquipotentes cooperatores habere?*

X. Promptum cuique est subodorari quàm sit hæc
Ex Anselmo Richardi sententia ad nostram de Deo balbutiem temperata. Quis enim si modò gustum ceperit abditioris & germanæ Theologiæ, non obluctetur, aut non saltem multùm diffidat huic partitioni quam beata Trinitas fertur instituisse? Quis non ex fidei nostræ infantia, quis non ex humanis moribus hæc in Deum traduci, nobis quidem convenientia, sed Deo parum decora suspicetur? Nimirum ita nobis in fidei nido adhuc penè implumibus blandiendum fuit, his cunabula pietatis nostræ elementis primis initianda fuere, his veluti crepundiis recreanda & ad majores profectus protrudenda fuit nostra puerilis insulsitas. Ineffabiliter enim idipsum & unum Deus trinus est, & in commune omnia possidet, omnia consulit, omnia perficit, & Pater per Filium expiat, Filius in Patre exigit, expiat & exigit in utroque Spiritus sanctus, & incomprehensibiliter atque inenarrabiliter est & operatur silentium illud ineffabili cordis voce laudandum, nec humanis vocibus nisi ad subsidium lactandæ infirmitatis nostræ deterendum. Assentitur Anselmus accommodatè ad nostram puerascentem adhuc fidem istas vices distribui, ubi
L.2. cur Deus ho. c. 19. cùm toti Trinitati obtulisse se Christum memoraliet: *Honor utique ille totius est Trinitatis. Quare quoniam ipse Deus Filius Dei, ad honorem suum seipsum sibi, sicut Patri & Spiritui sancto obtulit: id est humanitatem suam divinitati suæ, quæ una eadem trium personarum est. Ut tamen in eadem ipsa veritate manentes, apertius loquamur quod volumus, dicamus sicut usus habet, quia Filius sponte seipsum Patri obtulit. Hoc namque modo apertissimè dicitur, quia & in una persona totus Deus cui secundum hominem se obtulit, intelligitur: & per nomen Patris & Filii immensa quædam in cordibus audientium, cum Patrem Filius hoc modo postulare pro nobis dicitur, pietas sentitur*. Vides ciendæ stimulandæque pietati nostræ hæc attemperata infractaque ex illo incomprehensibilitatis suæ culmine esse.

At ne flagrantior in unum Anselmum effervescat invidia, venandi sunt ei astipulatores, qui easdem
XI. Ex Rupert. l. 2. in Genes. c. 1. munerum vices personis divinis sigillatim suas adsignarint. Rupertus: *Quid enim propositum est, nisi sanctæ Trinitatis gloriam per opera ipsius quasi per speculum contemplari, & cujusque personæ proprietatem agnoscere ex proprii qualitate operis? Hæc planè humana scilicet creatura illud potissimum opus est, quod eadem beata Trinitas magna sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret*. Et paulò pòst elegantiùs hoc ipsum: *Magnum planè consilium in illo sapientiæ concilio, in illo talium personarum Patris & Filii & Spiritus sancti non tam senatu quam soliloquio venerando de nobis peccatoribus habitum est. Planè ibi omnis nostra in medio causa posita est, mors vel perditio nostra quæ futura erat, illic perspecta est, & inde totum consilium habitum, ut unaquæque persona suam operis partem susciperet: ut scilicet Pater tum conderet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus sanctus remissionem peccatorum & carnis resurrectionem perficeret: atque ita communi Trinitatis consilio reædificarentur in homine deserta sæculorum*. Humano & ista modulo disputantur à Ruperto, nam aliàs conditio orbis Uni Trino debetur, & Filio sæpiùs ut virtuti & sapientiæ peculiariter imputatur: ac rursus Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & Jesus plenus erat Spiritu sancto: denique ubi allapsus de cœlo est Spiritus sanctus, id nobis contulit ut societas nostra esset cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo. Ergo hæc indiscreta cùm sint, pellicit nos quandoque pietatis quædam teneritudo ut ita partiamur. Sed hæc Ruperti distributio dissidet ab illa Richardi, ille enim redemptionem uni demandat Filio, hic tribus partiebatur. Hanc discordiam excusat diluitque abhorrens à litibus pietatis infantia.

Propiùs accedit, imò omnino consentit Richardo Leo Magnus: *Quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, & aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet qui sine majestatis suæ damno & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet, divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret*. XII. Leo Magnus quid senserit Ser. 1. de Pēt. Ex hoc illimi & intemerato Apostolicæ Theologiæ fonte hausit Richardus, quæ ex eo suprà carpsimus. Sed huic distributioni suæ prolixiùs præfatur Leo, & longam perstruit cautelam: *Nunquam ab omnipotentia Patris & Filii & Spiritus sancti est discreta majestas, & quidquid in dispositione omnium rerum agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiæ, una censura justitiæ: nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus, &c. Quod ergo salva cooperatione inseparabilis Trinitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus exequitur, nostræ dispositio redemptionis, nostræ salutis est ratio*. Audin unam operationem, nusquam diversam esse voluntatem? unam benignitatem misericordiæ, unam censuram justitiæ? Ergo in Patre exigebat Filius, per Filium redimebat Pater, in Spiritu sancto uterque ignoscebat: & indiscreta hæc cùm sint, nos ea partimur, & suas cuique mandamus vices, quia lac infantiæ adhuc sugimus, & paterna mysteria balbutimus.

Arrisit etiam Bernardo hæc operum discretio, XIII. Bernardus Inter serm. par. ser. 64
sed non aliter quàm suprà Ruperto: *Pater creavit, Filius reconciliavit, Spiritus sanctus confirmavit. In principio temporis creavit Pater, in plenitudine temporis reconciliavit Filius, post omne præsens tempus confirmabit Spiritus sanctus. De Patre dixit Filius; Pater meus usque modo operatur. Et de se subjunxit; Et ego operor. Similiter & Spiritus sanctus in consummatione sæculi verè poterit dicere, Pater & Filius usque modo operantur, & ex hoc jam operor ego: cùm scilicet jam fecerit corporalia nostra spiritalia, corpusque adhæserit spiritui & spiritus Deo*.

Propiùs abest à Richardi & Leonis instituto sermo 185. de Tempore apud Augustinum: *Et ego rogabo, inquit, Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Quam bene sub titulo promissionis, distinctionem applicuit Trinitatis. Pater est qui indicatur rogandus, Filius qui intelligitur rogaturus, Spiritus sanctus qui promittitur à Patre mittendus. Quanta & quàm ineffabilis pietas Redemptoris! Ecce iterum humanis divina miscentur: id est, Vicarius Redemptori, ut beneficia quæ Salvator Dominus inchoavit, peculiari Spiritus sancti virtute consummet, & quod ille redemit, iste sanctificet, quod ille acquisivit, iste custodiat, ac sic unitas Deitatis per unitatem gratiæ ac muneris approbatur, ut Spiritus sanctus Deus in substantia unus, in persona alius, æquali miseratione unicus, æquali reverentia sit colendus*. Spiritum sanctum misit & Filius, & quidem propria principii authoritate: & tamen à Patre mittendus perhibetur, idque Filii rogatu. Spiritus sanctus suopte nutu advolat, & à Patre tamen per Filium mittitur. Consolator & sanctificator

cator Spiritus sanctus quasi Filii in cœlum revecti vicarius allabitur; & tamen perstat nobiscum Christus usque ad consummationem sæculi, & tum ipse tum Pater apud amatores justitiæ diversatur, & mansionem facit in eorum animi & charitatis aula spatiosa. Cùm ergo tam indissociabile sit vinculum & substantiæ & operationis in Trinitate unius, quò illa designatio munium cuique obeundorum, nisi ad puerilem nostram insipientiam confovendam hoc pietatis lacte?

XIV. Specialius Patri sacrificium nuncupatur et multis ostenditur.

At quorsum, inquies, redemptionis pretium, idemque mediationis officium, nec non & Pontificis sacrificium, ut à Filio dumtaxat incarnato oblatum est, ita Patri specialiter oblatum esse, & etiam nunc offerri, uno ore concinunt sacræ litteræ, mysticæ Ecclesiæ preces, Conciliorum canones, sanctorum Patrum monumenta? Nam Christus quandiu mortalis vitæ suæ curriculo terras illuminavit, nusquam preces nisi ab Patrem fudit: nusquam nisi Patrem compellavit: ab illo se missum, illius se gloriæ obsequi, illius voluntati servire, ejus imperiis ad mortem se agi, ad illum se reditum maturare frequentissimè testificatus est: ergo se Redemptorem, se Mediatorem, se Sacerdotem, uni peculiariter Patri operari atque impendi plus satis significavit. 2. Nec deviant ab Evangelicis paginis litteræ Apostolicæ. Quo enim capite, quo penè versu non personat Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, vel, In Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo, &c. ut Dei nomine Patrem peculiariùs Paulus cæterique Apostoli designasse videantur. 3. Et ubi Christus orandi nos informabat præceptis, & solennes dictabat precum formulas, ad Patrem converti nos oratione admonebat. Illud enim Orationis Dominicæ exordium, *Pater noster qui es in cœlis*, ad Patrem singulariùs pertinet, ut alibi patefecimus. Etenim se nobis Christus vivendi juxta & orandi exemplum præstituit, at nusquam ipse nisi Patrem inter orandum compellavit. 4. Nec immemor Paulus dominicæ institutionis flectit genua ad Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, inseritque nobis ait Spiritum sanctum clamantem Abba Pater, & interpellare pro nobis Spiritum sanctum gemitu inenarrabili, & adiri à nobis Patrem per Jesum Christum. 5. Nec à Pauli stylo discrepant cæteri Apostoli: nam Petrus: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regeneravit nos, &c.* Et Joannes: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, &c. Quoniam cognovistis Patrem, &c. Non est charitas Patris in eo, &c.* Et Jacobus: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, &c. In ipsa benedicimus Deum & Patrem, &c.* Judas: *His qui sunt in Deo Patre dilectis, & in Christo Jesu conservatis & vocatis, &c.* 6. Infixum enim & penitissimè radicatum erat, quod Christi institutum fuisse proditur in Apocalypsi: *Et fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo.* Nam si Christus nos inauguravit Sacerdotes Deo & Patri, ergo nostræ ad Patrem preces contorquendæ sunt, & vota ac sacrificia illi nuncupanda: ergo & ipse Christus Deo & Patri suo Sacerdos inunctus erat, cùm refusâ ejus sacerdotii in nos stilla hoc nos ambitiosum dignitatis nomen usurpemus, & cùm eo tanquam membra cum capite, in unum Sacerdotem conflati simus: ergo cùm per nos sacerdotium nunc suum perpetuet Christus, & perpetuaturus sit in æternum, & in beata maximè patria, quade agitur in Apocalypsi, ad Patrem arrigitur totum Christi sacerdotium. 7. Et Apostolicis instituta documentis Ecclesia, Christique legibus & exemplis consecrata, solennibus precum suarum formulis Patrem convenit, illi caritatem, illi inopiam suam denudat, illi mediatorem denique allegat Filium ejus unicum, ejus regni in unitate Spiritus sancti collegam. Quid enim oret, quid extorqueat nisi per mediatorem Filium? Cui autem ostentet mediatorem Filium nisi Patri? Orans autem in nobis & postulans Spiritus sanctus, ex Pauli sententia, vel orare nos & postulare condocefaciens, non increpando ad aures corporis, sed inhospitando mentibus, & charitatem succendendo, quem & quì nos precari addoceat, nisi Patrem per Filium in seipso? 8. Nec me præterit Collectas esse paucula quæ Filio, vel Spiritui sancto, vel Trinitati nominatim intendantur. Sed ut ne moram faciam in earum origine exploranda & antiquitate, an redoleant florem illum adolescentis & Apostolica eruditione fragrantis adhuc Ecclesiæ, ut hæc inquam missa faciam, quia incorrupta constat sua semper Ecclesiæ virginitas & intaminata veritas, principalem illam ego & quæ omnium instar est, precem attendo, quà liturgia constat, & quæ Orationi Dominicæ illigatur coaptaturque quammaximè, illa sanè ad clementissimum Patrem per Jesum Christum Dominum nostrum suppliciter assurgit. Hæc est Christiana oratio, hæc omnium precum summa, hæc antiquissima, hæc præ cæteris celeberrima, hæc religionis & sacrificii norma, hæc cæterorum orationum amussis. 9. Quanti autem ad fidei causam & ad pietatis legem intersit hæc orandi ad Patrem ratio, planum fit ex Concilio Carthaginensi III. *Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi eas prius cum instructioribus fratribus contulerit.* Vides quàm curiosè astringatur hujus disciplinæ fibula, & omnis circumcidatur licentia, ab altaris stata rataque, & ad Patrem destinata oratione deviandi. Ad quod enim castigatius aut luculentius exemplar reliquæ effingantur preces, quàm ad illam quæ religionis cardo est, quæ tam venerandæ antiquitatis caniciem præfert; quæ non singulorum, sed omnium in commune Christianorum est; quæ ut sacrificii, ita & orationis Christi series continua & perpetuatio est, quæ Conciliorum Canonumque providentia expensa & elimata fuit? Can. 23.

Denique etsi in nomine Trinitatis tingamur, & quodammodo in trium personarum filios & jus adoptemur, specialiter tamen ad Patrem attinere adoptionis nostræ jura, alibi prolixè declaratum est.

Ergo quanquam Trinitati libetur sacrificium Christi mediatoris & redemptoris, minùs mirum est si tamen singularius Patri perlitet: quandoquidem & *Sacerdos in altari vice Christi fungitur, & sacrificium verum & plenum Deo Patri, in passionis unigeniti sui offert recordationem*: ut ait Cyprianus: *Quoniam nomen filii proprium Patris est, & in Deo omnipotente per Jesum Christum offert Ecclesia*: ait Irenæus. Ut ex Ecclesia de Christi sacrificio facias conjecturam. Epist. 63. L. 4. c. 33.

XV. In his non inequalitas deitatis elucet, sed Patris ingeniti authoritas.

In his ergo non deitatis inæqualitas, non consubstantialitatis injuria suspicanda est, sed Patris ingeniti authoritas suspicienda. Id enim Filius Patri quodammodo rependit, ut sicut ab eo fluit, ita in eum refluat: ut ab illo divinitatem haurit, ita refundat: ut omnia ab eo accipit, ita ad eundem referat omnia: ut à Patre per Filium effunduntur omnia, ita per eundem in eundem retorqueantur. 2. Filius ut eorundem cum Patre honorum consors sit, à Patre obtinet: nam *omnia tua mea sunt, & mea tua sunt. Et quæcumque habet Pater, mea sunt*, atque adeo ipse honos eximius sacrificii. Sed dante Patre, recipiente Filio. Ne miremur ergo si honorem à Patre donatum, Patri restituit: & sacrificium sibi Patrique, sed ideo sibi, quia id largitus est Pater, ad Patrem à se reflectat. 3. Æqualitatem ipsam suam cum Patre à Patre habet Filius: atque ita etiam qua æqualis est Patri Filius, major tamen quodammodo Pater est, major non substantiæ dignitate, sed dantis & gignentis authoritate ut antiqui loquuntur Patres. Ergo ut eosdem capes-

sit

sit Filius cum Patre honores sacrificii, quia Patri æqualis est; ita eosdem à se in Patrem regerit, quia hanc ipsam honorum æqualitatem à Patre consequutus est. 4. Incarnatio ipsa Verbi documento est, nihil intercedere æqualitatem, quin Filius Patris honori concedat impendatque seipsum. Nec enim Patrem, sed Filium decuit humanis implicari ærumnis,& *sicut mandatum dedit Pater*, sic facere, & ad mortem usque, obedientiam tenere. Conveniens autem & consequens est incarnationis tota ratio sacrificii & redemptionis, ut perspicuum est, cum in primis ipsa jam tum incarnatio sit sacrificii non præludium, sed initium, & quidem jam inde absolutissimum. 5. Ut paucis res tanta conficiatur, Filius mera est ad Patrem relatio, & quà homo est, quia Dei accessio & census est, non potest non indulgere obsequive ingenio & instinctui valentissimo Verbi deitatis. Ergo & qua Deus & qua homo Christus est, pura putaque est ad Deum Patrem relatio. Igitur sacerdos & hostia Christus homo, Patrem unum totus respectat, Patri se reddit, Patri litat: Verbum similiter & unigenitus Christus Deus, sacrificio & hostia propitiandus, ipse seipso, ipse Deus seipso sacrificio & sacerdote, vel sic etiam Patri se ascribit, in Patrem se reflectit: quia substantiva ad Patrem relatio sive per se sive per carnem suam non potest non illo substantiæ suæ impetu rapi.

Jam autem Spiritus sanctus, cum Filii fœtus, cum Spiritus Filii sit, non potest dissidere ab indole Filii, non potest non eodem instinctu ad Patrem impelli & impellere. 2. Authore locupletissimo Paulo, Christus obtulit semetipsum Patri immaculatum in Spiritu sancto. Sua enim charitate seu spiritu suo incitabatur ad illud æternæ & numquam intermoriturae charitatis sacrificium inflammandum. Ergo quæ à Christo offeruntur sacrificia, ea Spiritus sanctus suis flammis succendit, & Patri adolet. 3. Spiritus sanctus de Filii ceu fontis sui sapore id quoque habet, ut alter sit paracletus, id est, alter advocatus, orphanis alioqui nobis donatus, qui interpellet, qui postulet pro nobis, ut ait Paulus, quæ sunt propriæ advocati partes. Advocatus porro non sibi propriè sacrificia flagitat, sed ei apud quem advocatione fungitur sua. 4. Si nec Filius sacrificia nisi Patri nuncupat, non aliud sanè de Spiritu sancto conjectandum. Est enim non decolor natura, sed origine posterior. Est Filius non quidem principium principii & sine principio, sed principium tamen est; at Spiritus sanctus ne principium quidem vel sic est. Ergo si dedicatio sacrificii ne principio quidem ipsi seu Filio inscribitur, sed principio principii, & principio sine principio, seu Patri: nemo suspicabitur ei inscriptum iri qui nullatenus principium intra est. 5. Uno verbo Christus rem expedivit: *Adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate*. Audis quis adoretur? Nimirum Pater: sed in Spiritu & Veritate, non sine Filio & Spiritu sancto, qui ita coadorantur, ut in eis & per eos adoretur Pater. Oro enim te, quo adornamur, incitamurque magis ad Patrem adorandum, quàm sapientia & charitate? id est, Filii & Spiritus sancti afflatu impulsuque? Ergo sapientia & charitas adorari quidem in Filio & Spiritu sancto debent, sed ad principium innascibile adorandum pariter urgent. At cogitatio ipsa principii ingeniti ad adorandum ipsa maximè sacrificii servitute Patrem tota collimat.

XVI. Nova ad idem argumenta. Postremò Religio dicta, si Augustino adjiciatur fides, à religando, quod à deformitate & dispersione colligat nos summoque religet principio, à quo abrupti per peccatum eramus, primo inquam & innascibili nos refundat principio à quo effluximus, à quo & defluxeramus. Is autem Pater est, cui ut innascibili nata creataque omnia ut principio authorique suo sunt reddenda. Ergo Christi sacrificium qui Christianæ vertex & cumulus est religionis, ipsi principaliter Patri addicendum est. 2. Religat nos quidem coaptatque religio etiam Spiritui sancto, etiam Filio, ut promptum tyrunculis fidei nostræ est: at cum Filius & Spiritus sanctus, quanti quanti maximi optimique sunt, meræ sint ad Patrem relationes, ea ipsa vincula quæ nos his relationibus colligant, ad Patrem nos unà cum illis transmittunt. Nam quo penitiùs te affixeris, quo arctiùs adhæseris hypostasibus his duabus, toto substantiæ suæ impetu ad Patrem procurrentibus, hoc perniciùs & ipse eodem abripieris torrente, & ad Patrem raptaberis immergerisque. Nec sum nescius ipsum quoque Patris nomen relationibus annumerari: sed immanis hæc interest discrepantia, quod Patris relatio principalitatem & authoritatem originis prætendat, & ad Filium vel Spiritum à se manantes non referatur, nisi ut eos continuò ad se transferat, & in suum quasi resorbeat sinum. 3. Sed cui nos magis recolligat religio, quàm ipsi uni, unitati principii; quo sparsa nostra colligantur, quo fluxa nostra solidentur? Nam unum ubique principatur, illinc principium, illuc finis. Est autem principalior unitas Pater, eique adhærescens æqualitas Filius, utriusque copula & charitas Spiritus sanctus. Est inquam principatus unitatis ipse Pater, à quo prodeunt nascendo, in quod redeunt imitando omnia, sed non assequitur nisi Filius, sive ipsa æqualitas veritasque. Sunt enim omnia inquantum unum sunt, vel unum esse meditantur: nec incolumitas rei cujusque ullo constat, nisi unitatis vinculo qualicumque, nec calamitas nisi unitatis corruptione. Ergo cum omnia ut sint, ad unum connitantur, & unum æmulentur nisu indefesso, principantis unitatis vestigia se esse vociferantur, atque ad suum se recursare principium; sed cum id penitus assequi non detur, pro virili sua parte, ad illud quàm citimè possunt, se festinare. Nefas est autem omnia unitatem sequi, & nihil omnium assequi: nefas ab omnibus prehensari, quod nulli detur comprehendere: nefas naturæ totius ab uno profectæ impetum illuc vergere, quod nulli liceat contingere. Assequitur ergo unitatem prima & summa ejus proles, Filius, æqualitas ideo & similitudo & imago & veritas dicta, assequitur inquam quod reliqua sequuntur, nec assequuntur omnia. Prolixissimè hæc & enucleatissimè disputat Augustinus libro de vera Religione, quæ carptim nos hîc delibasse abunde est, ut hîc clareat omnia, etiam ipsum Filium, atque adeo Spiritum sanctum ad Patrem eniti, ad illum ut fontem & caput vergere, & cultum sibi impensum cultoresque sibi adhærescentes ad Patrem unà secum quasi eodem suo impetu concitatos raptare. 4. Si veniam præfatos & infitæ nobis caliginis & peccatorum inquinationis non nescios, non immemores, sed & pertæsos, sed fide ac meliori spe armatos, si detur inquam in hæc abditissima altiùs irrepere arcana, & venerari magis quàm rimari, mirari magis quàm scrutari, suspicere potius quàm dispicere abstrusa hæc veritatis lumina, num ista demum est religionis Christianæ non jam cum Angelis, sed cum ipsa deitate confœderatio, & veluti coalitio? Cum Filio & Spiritu sancto conserimur, unàque cum ipsis corripimur transferimurque in Patrem: cum Deo in Deum coimus: genio geminæ deitatis personæ quasi imbuimur, earum relationibus ad Patrem convergentibus accedimus, atque ita religionis nostræ numeros omnes absolvimus. Quid amabo potest vel fingi vel optari splendidius? Quis non exhorreat, quis non imparem se profiteatur, quis non penè deprecetur tantum pondus dignitatis, quis non invidia hac se oret exonerari? Et pressiùs tamen re pensitata, qua ex parte ulla se potest erroris suspicio ingerere? Num filiatio non est relatio ad Patrem? Num Spiritus sanctus à Patre principaliter non procedit, & ad Patrem reflectitur? Num Filio Spirituique sancto non conglutinamur

tum

tum sanctitatis vita, quam nobis semet insinuantes imprimunt, tum charitatis in eos nostræ adhæsione, tum sacrificio ipso, quod summum est charitatis incendium? Num possunt Filius & Spiritus sanctus non secum corripere & ad Patrem transferre, quos secum coalitos concretosque constringunt? Nonne palam est istud esse adorare Patrem in spiritu & veritate? Nonne hoc est æternum Christi sacrificium in omnia sæcula æternandum in cœlis, quando Filius tradet regnum Deo & Patri, & erit Deus omnia in omnibus? Illi enim sacrificio implicatur Ecclesia, ut una cum Christo victima, sed hæc victima, hæc Christi humanitas complicatur & Verbo, & ejus indulget servitque indoli, ut ad Patrem ipsa quoque mera pene relatio sit. Nec ulla hic suspicanda substantiæ in personis divinis labefactatio, sed origo personarum exploranda, & scripturarum oraculis hæc propalam prædicantibus auris cordis interior advertenda. 5. Denique ea est principii primi sine principio authoritas, ut personas cæteras divinitatis à se promanantes, suo gestet in sinu, atque adeo totius Trinitatis nomine ipse adeatur Pater unus, ipse compelletur, & in eo tota Trinitas invocetur. Quanquam enim constet illud, *Ego in Patre, & Pater in me*: nec dissimile quid de Spiritu sancto pronuntiare liceat; est tamen Filius, est Spiritus sanctus in Patre propriè, ut in authore suæ originis, ut in sinu immanentis emanationis suæ, ut in fonte scaturiginis suæ indeficientis. Itaque ubi sacrificium Patri offertur, implicatis illi ejusque in gremio conregnantibus personis aliis offertur.

XVII. Cõfirmatur supertora ex Nazianzeno & Augustino. Orat. 42. Paucula nunc corradamus tumultuariè testimonia, quibus hæc firmentur. Nazianzenus de sacrificio Christi mortis verba faciens, ait Patrem illud accepisse: *Ut à tyranno nos liberaret, & ad se reduceret per mediatoris vices agentem Filium, atque ista dispensantem ad honorem Patris, cui in omnibus rebus cedere perspicitur*. Ut Patri enim, ut authori, ut fonti suo concedit Filius, seseque immolat, carne & homine toto illuc propendens, quo ipsa cui innititur Verbi hypostasis rapitur. Quanquam enim æqualis Patri, ad Patrem refertur; & refertur quidem ad illum quoque Pater, sed ille ad Patrem, ut ad authorem principiumque; Pater ad illum, ut ad sobolem à se profluentem. Ideo quanquam Patri coæqualis, omnia illi tamen refundit, omnia secum ad illum retorquet, quia hanc ipsam cum Patre æqualitatem Patri acceptam refert. Augustinus: *Nam si temporalibus & passibilibus rebus Deus tribuit, ut quod sunt, hoc generent: quanto magis Deus æternus & impassibilis non aliud quam est, ipse generavit, unus unicum, ideo nostra inenarrabili admiratione, quoniam sine passione & tanta secum æqualitate, ut eum nec potestate præcederet, nec ætate? Sed ideo totum quod habet, quod potest, non tribuit sibi, sed Patri, quia non est à seipso, sed à Patre. Æqualis est enim Patri, sed hoc quoque accepit à Patre*. Si æqualitatem ipsam à Patre accipit, si Patri acceptam refert, fructices ergo omnes fructusque ejusdem æqualitatis ad eundem Patrem refundit & retorquet, utputa sacrificium, & servitutem creaturæ cujuscumque, & sui ipsius creatæ naturæ exuvias induti, vicesque & officia perfungentis. (Epist. 66.)

Et pronior quidem fuit in assumpta humanitate Verbum Deus, paternæ authoritati ut consecraret se ac totum impenderet, verùm id non ex carnis tantùm proclivitate proficiscebatur, sed ex ipsius quoque genitæ divinitatis ingenio. Genita enim natura generanti sponte sua obsequi affectat; & quò nobiliùs ac minùs obnoxiè gignitur, hoc liberaliùs in filiationis charitatem officiaque incumbit: sed ascititiam nacta humanitatem, sequacissimam ex creaturæ legibus ad dejectissima quæque obsequia, jam & illius & sua sponte, fervet, procurritque in summi Patris gloriam amplificandam. Augustinus: *Quia nemo potest venire ad illum, nisi cui datum est à Patre, ac per hoc & ab ipso Filio, & à Spiritu sancto. Neque enim separata sunt dona vel opera inseparabilis Trinitatis; sed Filius sic honorans Patrem, non affert ullius distantiæ documentum, sed magnum præbet humilitatis exemplum*. Epist. 105. Cum ergo Christus ait venire ad se non posse, nisi quos Pater traxerit, non æqualitati suæ derogat, sed humilitatis exemplum condit. Humilitas quidem de censu carnis est, sed illi tamen hic ipsa Verbi persona & divinitas implicatur. Nec enim carnis tantùm, sed Verbi quoque gloria quodammodo obumbratur, ut Patri ascribatur uni hæc trahendi omnipotentia. Indulget ergo Verbi Dei persona tanto impensiùs ingenio suo Patris honorandi, quo naturam sibi copulavit ad humillima quæque officia decliviorem: & illud ipsum quod honor & charitas Patris vocitaretur, jam devotio & servitus & humilitas in homine assumpto jure nuncupatur.

Ideo ubique per Filium pervenitur ad Patrem, & via Christus totus ad Patrem est. Pervenitur enim ad Filium per ipsum Filium, sed rursus per ipsum Filium ad Patrem pertenditur. Est via Christus quà homo, veritas quà Deus: sed & quà homo veritas est, nec solis umbrarum simulacris adornata imago: & rursus quà veritas & Verbum est, via est, quia ad Patrem manuducit. *Nemo potest venire ad Patrem nisi per me*. Itaque via est ad seipsum, homo ad Deum, caro ad veritatem: & rursum via est ad Patrem, Deus ad Deum, Filius ad Patrem, veritas genita ad ingenitum fontem veritatis. Hieronymus: *Ascendit cum Paulo, qui vas electionis in Apostolum de persecutore mutatus est, & de humilibus raptus in sublimia, ita ut ascenderet in cœlum tertium, & per Spiritum sanctum & Filium perveniret ad Patrem, & audiret verba ineffabilia, mysteria Trinitatis, quæ hominibus audire non licitum est*. Quæ suis lucubrationibus non insuisset Hieronymus, nisi purgari posse existimasset à suspicione errorum Originis, qui gradibus divinitatem metiebatur, & supremum Patrem, minorem Filium, infimum denique Spiritum sanctum delirabat. Abutebantur & Ariani his sententiis, ut Filium gradu moverent quasi viliorem, ut qui via ad Patrem, non meta esset: nec advertebant viam & ad seipsum esse, quia in Patre ipse est, & in ipso Pater. (XVIII. Ex Hieronymo. In c. 9. Amo)

Et idipsum cedit in Patris gloriam, quod cùm ipsi nominatim devovetur, vel oratio, vel sacrificium, eadem honoris societas Filio & Spiritui vindicatur. Nam argumento id est, caput ipsum esse & summam Deitatis totius; utque originem, ita plenitudinem, effusas à se personas divinas in se redigentem. Unde & Dei nomine simpliciter prolato in sacris litteris maximè instrumenti novi, sola Patris persona significatur, non exclusis aliis, sed inclusis; nec explicatis, sed complicatis, in suo vertice, in suæ originis sinu. Hilarius: *Quia apud te propitiatio est: Est enim Unigenitus Dei Filius Deus Verbum, redemptio nostra, pax nostra, in cujus sanguine reconciliati Deo sumus. Hic est qui venit tollere peccata mundi, qui cruci suæ chirographum legis affigens, edictum damnationis veteris delevit. Sive igitur ad Patrem sive ad Filium oratio Prophetæ existimabitur, unum enim ambo sunt, & qui videt Filium, videt & Patrem, quia Pater in Filio & Filius in Patre est: ex similitudine gloriæ alter in altero gloriosus est: gloriosus Filius, quia dignus consortio Patris fit; gloriosus Pater, quia dignus consortio Filii sui. Pater rectè ad quem volens Propheta dixisse creditur Quoniam apud te propitiatio est, quia in Patre secundum similitudinem gloriæ Filius est, & Filius ipse pro peccatis nostris & propitiatio & redemptio, &c.* Est alter in altero, ideo nihil obest, utri intendatur oratio, utrique advolatura. Sed tamen propitiat Filius, propitiatur Pater sacrificio crucis, quia illud ipsum honoris consortium & (XIX. Ex Hilario. In Psal. 129.)

æqua-

æqualitas immeatioque substantiæ à Patre est authore, cùm interim communione unius substantiæ, unius potestatis majestatisque, etiam propitietur Filius in Patre. Unde Ambrosius: *Una est sententia quæ hæreticorum omnium machinas destruat, ut unius potestatis, majestatis atque virtutis Trinitatem esse credamus, & ideo quod Filius fecit, non separemus à Patre, nec ab eo quod Pater mandavit Filium segregemus. Ita enim fiet, ut per unitatem potestatis & Filius in Patre, & Pater intelligatur in Filio, & Filius fœneretur in Patre, & Pater relaxet in Filio.*

Apolog. 1. pro David ad calcem.

LIBER DECIMUS.

De Christo Sacerdote.

CAPUT PRIMUM.

Sacerdos Christus est idemque victima, & ideo Sacerdos quia victima intaminata.

I. Naturæ præsensio Sacerdoté & victimam summæ mundiciei quæri jubet, & cū nusquã occurat, à Deo flagitari.

HOc natura parens & magistra mentes nostras imbuere præjudicio, hac religionis præsensione informare occupavit: sacrificio aliquo mundissimo, ac sacerdotio maximè constare summi Numinis cultum. Hinc nulla olim gens barbarie adeo effera, tam humanitatis & religionis inops, quæ non qualescumque Deos suos victimarum sanguine satageret propitiare. At seriò & penitiùs ipsam se introspiciens hominis conscientia, de sacrificio & sacerdotio istiusmodi non poterat non verecundari. Ecquis enim homo, cùm sit homo, partes Sacerdotis sustinere aggrediatur? & Deum propitiare cæteris, quem ipse inquinamentis suis exulceravit? & reliquos expiare homines, ipse nihilo mundior? Cùm certè primus ille sit munditiei parandæ gradus, superbiam everrere & insaniam illam sui assentatricem dispungere, nec oculatum in alios censorem, propriis in sordibus cæcutire. Ecqua rursus victima, vel Deo conciliando, vel hominum generi emaculando par? Quo mihi pecudis cruor ad iram numinis demulcendam? Quo ustulatarum carnium nidor ad ebblandiendam ejus beneficentiam? Num hircorum taurorumve sanguis interiores animarum rationalium maculas eluet? At hæc, inquies, ubi ab immaculato proficiscuntur Sacerdotis animo, vim inde hauriunt divinæ & averruncatricem iræ, & conciliatriculam indulgentiæ: nihil moror; at unde expers maculæ Sacerdos emerget nobis? Quis hominum mundus à macula? Cujus munditia in alios etiam, ut in omne genus hominum exundare poterit? Igitur his velut aculeis hominum conscientia incitabatur, ut popularia aversaretur sacerdotia sacrificiaque, & Sacerdotem supernè affuturum suspiraret, præsagiret, & à Deo Optimo Maximo precibus extunderet, qui dignitate & munditia tanta esset, quanta nostræ medicinæ sufficeret. Ad hunc modum & gentium expectatio Christus erat, idem Sacerdos, & victima, cui nec pretium, nec mundities deest: præ quo cæteræ vilescant victimæ, præ quo cæterorum nos pertædescat non immeritò Sacerdotum.

In Psal. 149. Augustinus: *Christus à chrismate dictus est. Reges ungebantur & Sacerdotes. Ille verò unctus est & Rex & Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis. Quando pugnavit pro nobis, quasi victus est, verè autem vicit. Crucifixus est enim, & de cruce sua, in qua erat fixus, diabolum occidit, & inde Rex noster. Unde autem Sacerdos? Quia se pro nobis obtulit. Date Sacerdoti quod offerat. Quid inveniret homo quod daret? Mundam victimam. Quam victimam? Quid mundum potest offerre peccator? O inique, ò impie, quidquid attuleris, immundum est, & aliquid mundum pro te offerendum est. Quære apud te quid offeras, non invenies. Quære ex te quod offeras, non delectatur arietibus, nec hircis, nec tauris. Omnia ipsius sunt, etsi non offeras. Offer ergo illi mundum sacrificium. Sed peccator es, impius es, sed conscientiam inquinatam habes. Poteris fortè mundum aliquid offerre, purgatus; sed ut purgeris, aliquid pro te offerendum est. Quid ergo pro te oblaturus es, ut munderis? Si mundatus es, poteris offerre quod mundum est. Offerat ergo seipsum mundus Sacerdos, & mundet; hoc fecit Christus. Nihil mundum invenit in hominibus quod offerret pro hominibus, seipsum obtulit mundam victimam, hostiam immaculatam. Fœlix victima, munda victima, vera victima, hostia immaculata. Non ergo hoc obtulit quod nos illi dedimus. Imò hoc obtulit quod à nobis accepit, & mundum obtulit. Carnem enim à nobis accepit, hanc obtulit. Sed unde illam accepit? De utero virginis Mariæ, ut mundam offerret pro nobis, ipse Rex ipse Sacerdos.*

II. Et sanè ab homine homine emaculari posse, summæ hæc stultitiæ superbiæque macula fuisset.

Nec Philosophos utique ipsos fallebat humani generis & singulorum omnino hominum contaminatio, qua à supernæ veritatis contemplatione ut indigni & sordidi ablegarentur. Purgari autem posse quempiam vi sua, & in totum ita emaculari, ut nulla ei serenum veritatis contuitum nebula inquinaret, vix aut nec vix quidem sperabant; aut si sperassent, hæc eorum superbiæ macula fœda maximè & desperata fuisset. Ergo arrigenda erant vota ad indulgendum divinitus Sacerdotem aliquem, qui homo idem & supra homines, pro hominibus expiandis seipsum ut immaculatam hostiam impenderet. Augustinus: *Sunt autem quidam qui se putant ad contemplandum Deum & inhærendum Deo, virtute propria posse purgari: quos ipsa superbia maximè maculat. Nullum enim vitium est cui magis divina lege resistatur.* Et superiùs ibidem ait uni vero Deo sacrificium deberi: *Neque id posse ritè offerri nisi per Sacerdotem sanctum & justum: nec nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur: atque id sine vitio sit, ut pro vitiosis mundanis possit offerri. Hoc certè omnes cupiunt, qui pro se offerri sacrificium Deo volunt. Quis ergo tam justus & sanctus Sacerdos, quàm unicus Filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi quàm caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero & ex utero virginali? Et quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri?* L. 4. de Tri. c. 14. 15.

III. Ita in votis est Christus & quà Deus mundus, & qua homo Sacerdos ac victima.

Ubi permirum est quàm aptè quadrent omnia. Conspurcaverat omnem rationalem naturam & origo vitiata & vitiorum deinceps consuetudo. Expiari ergo illam ab aliquo Sacerdote necessum erat. At ex ipsa nemo mundus à sorde, nec Sacerdos qui sordidatus esset ipse, emaculator esse poterat cæterorum. Supernè ergo invocandus Sacerdos. At natura rationali superior non est nisi natura veritatis & sapientiæ. Ergo Sacerdos esse non

non poterat, nisi summa veritas Deus. At Sacerdos non Deus, sed Dei hominumque sequester & mediator est. Deinde Sacerdos pro hominibus, ex hominibus utique seligendus est. Nisi homo enim sit, nihil ad homines attinebit ejus opera omnis & sanctimonia. Ergo & Deus & homo sit hic Sacerdos, oportet, idemque Dei & hominum sequester. Jam verò quid ille pro hominibus offerat? an pecudem? sed quanti est hæc victima? an tanti ea erit, quanti genus humanum? an tanto Sacerdoti tantilla hostia? Quin rationalis potiùs natura, ipsa sit victima. Tanti enim est, ut hanc prærogativam meritò ambiat. At victima mundissima opus est. Nec munda usquam natura rationalis, nisi quæ Sacerdoti nostro coaptata jam est. Ergo seipsum offerat mundissimus Sacerdos immaculatam victimam, & idem unus omnes impleat numeros, unum sit cum Deo cui offeret, unum in se faciat homines pro quibus offeret, unus ipse sit qui offeret & quod offeret. Ita beatissimum erit sacrificium, idemque haud dubio efficacissimum, ubi idem offeret & offeretur, idem placabit & placabitur, idem conglutinabit hominem Deo Deus & homo. Augustinus ibidem: *Et quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri? Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus verusque mediator per sacrificium pacis, reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat; unum in se faceret, pro quibus offerebat; unus ipse esset qui offerebat, & quod offerebat.*

Vide Aug. in Psal. 131. Et Tr. 41. in Jo.

IV. Ita Gregorius Magnus.

Consentaneus est & Gregorius Augustino. Etenim lib. 17. Moral. c. 18. eandem argumentationem ita concludit: *Delenda ergo erat culpa; sed nisi per sacrificium deleri non poterat. Quærendum erat sacrificium. Sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri? Neque enim justum fuit, ut pro rationali homine brutorum animalium victimæ cæderentur. Unde ait Apostolus; Necesse est ergo exemplaria cælestium his mundari; ipsa autem cælestia melioribus hostiis quàm istis. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, id est, pro homine, dignæ victimæ non fuerunt, requirendus erat homo, qui pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali peccante, rationalis hostia mactaretur. Sed quid, quod homo sine peccato inveniri non poterat, & oblata pro nobis hostia quando nos à peccato mundare potuisset, si ipsa hostia peccati contagione non careret? Inquinata quippe inquinatos mundare non potuisset. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus: ut vero à peccatis mundaret hominem, homo & sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei: ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura; non culpa. Fecit pro nobis sacrificium: corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ & humanitate mori & justitia mundare potuisset.*

V. Qui non ex Paulo tantū sed & ex vetere instrumento id exculpit. L. 1. Reg. c. 2

Sed idem manabat ex antiquiore scriptura, ubi Sacerdos intemeratus desideratur, & desperatur tamen ex hominum trita origine, ob congenitam nobis omnibus altissimèque infixam vitiorum corruptelam. *Si peccaverit populus, orabit pro eo sacerdos: si autem sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* Quis autem sacerdos à peccati labe prorsus purus? Impurus autem qui jam aliis opitulabitur? Aures ergo vellicabat hæc scriptura, ut cœlitus extunderetur sacerdos, qui non haberet necessitatem, ut ait Paulus, quotidie sua priùs, deinde populi delicta extergere. Eo enim absurdius ad aliena extergenda quisque est, quo suis extergendis vix aut nec vix sufficit. Augustinus: *Etiam Apostoli scripserunt plebibus, ut orarent pro se, & Apostoli orantes dicebant, Dimitte nobis debita nostra. Et Apostolus Joannes dixit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est exoratio pro peccatis nostris. Sed illud de illo sacerdote scriptum est quem isti non intelligunt; ut admoneretur populus in propthetia talem se debere agnoscere sacerdotem, pro quo nullus posset orare. Quis est autem pro quo nullus orat, nisi ille qui pro omnibus interpellat? Quia ergo tunc sacerdotium erat Leviticum, ubi sacerdos intrabat in sancta, & offerebat hostias pro populo, habebat autem imaginem, non veritatem futuri cujusdam sacerdotis; tunc enim & sacerdotes peccatores erant, sicut & cæteri homines; volens Deus per prophetam admonere populum, jam talem desiderandum esse sacerdotem, qui interpellaret pro omnibus & pro eo nullus oraret, designans talem admonuit & dixit, Si peccaverit populis, &c.*

In Psal. 36.

Vide l. 2. c. lit. Petel. c. 105.

Eò pertinet etiam quod nullus illic pro sacerdote orasse memoratur: quo innuatur, qui cæteris præficitur expiandis, nihil ipsum gerere expiandum. Augustinus idem: *Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque mediator est, cujus typus quoniam præfigurabatur in sacerdote veteris testamenti, nullus illic invenitur orasse pro sacerdote.*

L. 2. con. Par c. 8.

Adde scrupulositatem illam in corporalibus maculis persequendis, expungendisque à sacerdote. Quorsum enim hæc tanta morositas, nisi ut multò intaminatior mente quàm corpore sacerdos desideraretur? At hic unde tandem erumpet? Quis enim hominum ita ad amussim legis æternæ expensus & elimatus est, ut nihil emendandum habeat? Ergo cœlitus talis sacerdos invocetur. *Evigilemus igitur aliquando atque videamus in sacerdotibus illius temporis, cum corporalia vitia vitabantur, illum præfigurari qui cum esset Deus, factus est propter nos homo, solus verus agnus immaculatus, & sacerdos sine vitio.*

Ibid. c. 7.

Eodem spectabat quod populo foris stante, solus sacerdos in sancta ingrederetur, quasi unus à vulgi hominum sordibus & concretione alienus, & eximiis sanctitatis assecla, sanctorumque hospes. Nimirum ut inflammesceret desiderium sacerdotis veri, qui non umbratilia & terrena, sed vera & cœlestia sanctitatis sacraria ingrederetur, non temporarius & tentabundus ac statim extrudendus sanctorum hospes, sed stabilis & æternùm permansurus. Augustinus ibidem; *Ideoque & tunc sacerdos solus intrabat in sancta Sanctorum; populus autem stabat foris; sicut nunc ille sacerdos post resurrectionem suam intravit in secreta cœlorum, ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis.*

Vide & l. 2 con. Petil. c 105.

VI. Et idē rursu eadē ex Paulo colligit prolixius. L. 2. de pecc. Mer. & remiss. c. 13.

Ita adversus Hebræos argumentatur Paulus, unde Augustinus: *Legitur in in Epistola quæ ad Hebræos inscribitur, solum Christum esse principem sacerdotum, qui non habet necessitatem sicut illi qui sacerdotum principes dicebantur, sacrificium pro suis primum offerre peccatis quotidie, deinde pro populo. Talem enim decebat inquit habere nos principem sacerdotum, justum, sine malitia, incontaminatum, separatum à peccatoribus, altiorem cœlis factum, non habentem quotidianam necessitatem sicut principes sacerdotum, primùm pro suis peccatis sacrificium offerre.* Hoc uno loco Paulus conjecturas omnes nostras superiùs indigitatas contexuit.

VII. Ambrosius vero ex Paulo docet, tūc verūaffuisse sacerdotem Christū, cū satis cōstitit, alios impares esse. L. de fuga seculi. c. 3.

Addit Paulus, ideo & sacerdotes alios, & mortalitate abreptos, & successisse aliis alios, & omnes tandem repudiatos, quod nomen & munia sacerdotii implere haud quaquam sufficerent. Immortalem autem & sempiternum sacerdotem tunc inauguratum esse Christum, cum abundè constitit spem tutò in aliis non posse collocari. Ambrosius: *Accipe autem quia ipse princeps est sacerdotum. Pater juravit de eo dicens, Tu es sacerdos in æternum. Rectè in æternum, quia alii temporales omnes sub peccato: hic autem imprævaricabile habet sacerdotium. Omnes sub morte, hic autem semper vivens. Quoniam qui salvare alios potest, ipse perire quemadmo-*

madmodum possit? Ergo justitia Christo sua immortale contulit sacerdotium, at reliquos perfunctoria & adumbrata gloria potitos, ut impares, & maculosos, mors rapiebat.

VIII. Ex Origene magnus Sacerdos non erat vere, quisquis peccare poterat.

Curiosiùs Origenes ex libro Levitici argumenta consectatus est omnia sanctitatis ejus, quæ summum pontificem adornare debebat, & quà nullus tamen præter Christum, nisi tenuiter & malignè refulsit. Et ipsum nomen Magni sacerdotis, ut inde exordiamur, quis hominum, si sui compos modo sit, non detrectet? An magnus enim est, qui peccati servus est? Qui peccato subest, quod nihilum est. Una enim vera magnitudo, justitia est: peccato maxima quæque deprimuntur, extenuantur, inanescunt. *Quomodo magnus dici potest sacerdos, qui peccare potest? Quod autem sub peccato fuerint omnes etiam magni sacerdotes, ex hoc ipso facile advertimus quod lex præcepit, ut priùs pro suis, post etiam pro populi peccatis offerat hostiam sacerdos. Quomodo ergo magnus est sub peccato potius? Meus autem sacerdos magnus Jesus ideo magnus est, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Ideo & Gabriel Archangelus dicit, Hic erit magnus, &c. Peccatum hominem parvum facit & exiguum: virtus eminentem præstat & magnum. Sicut enim ægritudo corporis exiguum & exile facit corpus hominis; sanitas vero lætum facit & validum, ita intellige quia & animam ægritudo quidem peccati humilem facit & parvam, sanitas vero interioris hominis, & virtutis opera, magnam faciunt eam & eminentem.* (In Levit. ho. 12.)

Additur in Levitico de summo sacerdote, *Qui consummatas habet manus*. Ad quæ Origenes. *In quo mortalium perfectas invenire possumus manus. Etiamsi Aaron iste sit, quomodo consummatas putabitur habuisse manus, quibus vitulum fabricavit, quibus idolum sculpsit. Meritò solus Jesus consummatas habet manus, qui solus peccatum non fecit, &c.*

Adjicitur, *Ad omnem animam defunctam non intrabit*. Et Origenes: *Quæ est anima defuncta. Quam mortuam dicit propheta: anima quæ peccat, ipsa morietur. Super hanc ergo animam mortuam Christus non supervenit. quia sapientia est, & sapientia non intrat ad animam malevolam.*

Ad hæc: *In Patre suo & matre sua non contaminabitur*: Ad quæ Origenes: *Omnis qui ingreditur in mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & scriptura dicit, Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. Hoc ipso ergo quod in vulva matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & matre contaminatus dici potest. Aut nescit quia cùm quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, ut ibi purificetur, tanquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione, vel paterni seminis, vel uteri materni. Solus vero Jesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in matre non est pollutus. Ingressus est enim corpus incontaminatum.*

Præterea: *De sanctis non exibit*. Origenes: *Fuerant quidem nonnulla & in superioribus proponenda Judæis, ad quæ respondere non possent, sed omissis illis, dicant, quomodo secundum literam probabitur, quod de sanctis non exeat magnus sacerdos, qui utique & uxorem accipiebat virginem de genere suo. Si de sanctis non exit, si nusquam procedit, quomodo aut ad quos usus, accipere jubetur uxorem. Neque enim putandum est quod cum uxore intra sancta manere potuerit: sed hæc putent illi quibus placent Judaicæ fabulæ. Nos autem habemus sacerdotem magnum secundum ordinem Melchisedec, Christum Jesum, nunquam de sanctis exeuntem. Semper enim in sanctis est, & manet semper sanctus in verbis suis, sanctus in actibus suis, sanctus in omnibus voluntatibus suis, & solus est qui nunquam inveniatur extra sancta. Qui enim peccat, exit de sanctis, & quotiescumque quis peccat, toties efficitur extra sancta. Christus autem qui nunquam peccavit, nunquam exiit de sanctis.*

IX. Ita Sacerdotium vetus egestate sua melioris, acuebat desiderium.

Parco pluribus. Ex his enim abundè liquet totum legis Mosaicæ sacerdotium prælusorium duntaxat fuisse & propheticum, & ad id tantummodo comparatum, ut egestate & inanitate sua desiderium acueret germani sacerdotii, à Christo olim defungendi. Quò enim tota illa corporalium cæremoniarum scrupulositas ad animæ sanctimoniam elargiendam. Quò corporis intaminata puritas in sacerdote, ad emaculandos populorum animos; Quò tam morosæ leges ad pecudis immolandæ sanciendam integritatem, de animo autem ipso sacerdotis & ejus pro quo immolabatur hostia, incuriosæ. Ergo dum vera hostia sanctimoniæ conciliatrix, dum verus sacerdos totius fons puritatis expectabatur, solatio erat ejus umbra interim & figuris oblectari, & quò minus hæc sufficerent, eò flagrantiùs in ejus desiderium exardescere, spe præcurrere, & quodammodo præsumere.

X. Et Gentiles eodem aculeo stimulabantur ad verū Sacerdotē à Deo exposcendū, sua sacrificia aspernāda. Ex Arnobio.

Et ipsis gentilibus subolebat etiam sacerdotii antiquissima licèt consuetudine roborati, sacrificiorumque insulsitas. Quò nimirum cùm natura intus impelleret ad numen placandum, nec hostia autem occurreret, nec sacerdos quò ritè placaretur, numen ipsum urgentissimis precibus fatigaretur, ut ad sui propitiationem humanæ suppetias ferret inopiæ. Ad eum modum natura tametsi ægra jaceret, seu ex insitæ sapientiæ residuis seminibus, seu ex ipsius morbi & ægritudinis ingenio, medicinam suam suspirabat, Christum sitiebat, Christum esuriebat.

Audi Arnobium: *Quid ergo dixerit quispiam, sacrificia censetis nulla esse omnino facienda? Ut vobis non nostra, sed Varronis vestri sententia respondeamus, Nulla. Quid ita? Quia inquit dii veri neque desiderant ea, neque deposcunt. Ex ære autem facti, testa, gypso, vel marmore, multo minus hæc curant. Carent enim sensu: neque ulla contrahitur, si ea non feceris, culpa: neque ulla si feceris, gratia.* (L. 2. advers. Gent.) Vides quid Romanorum sapientissimus senserit Varro? Nec injuria. Cæsis enim pecudibus placari Deum quæ suadet ratio? Num cruore & carnibus ille pascitur? Quid hoc est quam nostros mores Deo imputare? Nostra egestate metiri: *Numquid ei hostias cædimus? Numquid alias res damus, quas libare, profundere, non est rationis expensæ, sed tracti per consuetudinem moris. Etenim plena dementia est, necessitatibus tuis potentiora metiri: & quæ tibi sunt usui, datoribus diis dare, & honorem istum non contumeliam ducere.* (Ibi. l. 6.) Bellula est apud eundem expostulatio victimæ, seu pecudis suo sanguine aliena lucrimina quiritantis. *Ergone ò Jupiter, aut quis alius Deus es, humanum est istud & rectum, aut æquitatis alicujus in æstimatione ponendum, ut cùm alius peccaverit, ego occidar: & de meo sanguine fieri tibi patiaris satis, quod nunquam te læserim, nunquam sciens tuum numen majestatemque violaverim, &c. Quænam est ergo causa ut alienum crimen meo luatur sanguine, & in nefas extraneum mea vita & innocentia perducatur? an quod animal vile sum, nec rationis nec consilii particeps. Quemadmodum pronunciant isti qui se homines nominant, & ferocitate transiliunt belluas, &c. Interroga pietatem utrumne sit æquius, me occidi, me confici, an hominem venia, & commissorum impunitate donari. Quis in gladium formavit ferrum. Non homo; Quis cladem gentibus, quis nationibus imposuit servitutem. Non homo; &c. Non tibi ò Jupiter injustum videtur & barbarum, me occidi, me cædi, ut fias tu placidus, & ut scelerosis contingat impunitas.* (Ibi. l. 7.) Ex his emunctiores quique subodorabantur, quàm intempestiva essent piandis hominum flagitiis bellularum sacrificia. Num enim cæsa pecude homo innocentior. Num merso injugulum victimæ cultro, jugulabantur hominis vitia. Quo jure inno-

xiæ animantes humanorum facinorum pœnas luebant? Nonne hinc latissima in omne flagitium pandebatur janua hominibus, qui tantulo impendio impunitatem redimi sperabant? Quo ergo se verteret homo, qui sanguine eluenda esse facinora sua, naturæ voce & magisterio informaretur: humano autem illa elui sanguine non debere, bellui no non posse, jam penè exploratum haberet? Quo se inquam ille verteret?

XI. Ex Lactant. Versatus est in eodem argumento Lactantius, & quantum gentiles ipsos insaniæ suæ in pecudum sacrificia ineptientis pertædesceret, exponit adhunc modum: *Quid cœlestis in se boni potest habere pecudum sanguis effusus, quo aras inquinant? Nisi fortè Deos æstimant eo vesci, quod homines aspernantur attingere? Et quisquis illis hanc saginam præstiterit, quamvis ille grassator, veneficus, adulter, parricida sit, beatus ac felix erit. Hunc diligunt, hunc tuentur, huic omnia quæ optaverit, præstant.* (L. 6. c. 2.) *Merito ergo Persius hujuscemodi superstitiones suo more deridet,*

Qua tu, inquit, mercede Deorum
Emeris auriculas, pulmone & lactibus unctis?

Sentiebant videlicet non carne opus esse ad placandam cœlestem majestatem, sed mente sancta & justo animo, & pectore ut ipse ait, quod naturali sit honestate generosum. Hæc est religio cœlestis, non quæ constat ex rebus corruptis, sed quæ virtutibus animi, quæ oritur è cœlo verus est cultus, in quo mens colentis seipsam Deo immaculatam victimam sistit. Usque adeo viluerant jam & passim exsibilabantur pecudum immolationes, ut non Varro tantùm gentilitiæ literaturæ penu opulentissimum non Pythagorici tantùm ex antiquioris philosophiæ grege cordatissimi, sed Poetæ ipsi in omnem alioqui superstitionem præsultores, in eas sannis & dicteriis inveherentur. Et rectè quidem Persius, rectè prudentior quisque inter Ethnicos Deo præclaram hanc victimam cædi hortabatur, *Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus mentis, & incoctum generoso pectus honesto*: sed ad hæc paranda suo marte & suapte vi quotusquisque idoneus? Quos originis inquinamenta, quos consuetudinis corruptelæ in vitiorum gurgitem altiùs immerserant, ii emergere & mundari haudquaquam humanis viribus poterant. Idque humanum genus jam ubique terrarum per tot annorum curricula experiebatur. Ne Philosophi quidem ipsi, qui flos erat delibatus humani generis, ita compositam animi sanctimoniam, puraque mentis penetralia, & incoctum generoso pectus honesto immolabant Deo, sed animi vitiis contaminati, ad pecudum sanguinem fundendum, quàm ad virtutis candorem comparandum procliviores & ipsi erant. Quid ergo plebs ipsa hominum, intelligibilium insolens & impatiens, sensibus implicata, nec ad numinis cultum qualemcumque facilè coitura nisi materialibus symbolis & sacrificiis colligaretur? (Vide Euseb. Demonstr. Evang. L. 3. pag. 105.) Nihil ergo opportunius ad tantæ hujus ægritudinis levamentum, quàm ut à Deo votis enixissimis Sacerdos extorqueretur & victima, cujus immolatio exterior populos sensibus illaqueatos ad unius religionis vinculum constringeret, cujus dignitas & pretium divinam molliret iram, humanas purgaret à vitiis mentes, ad intelligibile immaculati animi sacrificium, & exempla præberet & adjumenta.

CAPUT II.

Debetur Deo sacrificium: id lex æterna edicit, naturæ vox clamat, conscientia suadet.

I. Deberi Deo sacrificium, probatur. UNi Deo sacrificium deberi, quædam humani generis conscientia & publica naturæ vox testificari videtur. Ac primò quidem, argumento est illud ipsum, quod obstare & reluctare in speciem existimatur. Quòd sacrificia enim sibi nequissimi dæmones vendicarint, eo sacrificiorum sed uni summo Deo dedicandorum necessitas, adeo non elevatur, ut magis stabiliatur. Nec enim arrogassent sibi dæmones, nisi quod uni vero Deo deberi certò scirent. Quippè ut divinitatem invadebant, ita in omnia impetum faciebant divinitatis insignia. Quàm propria erat summi Dei ea majestas, quam tenebriones isti spiritus suffurabantur: tam propria erant summi Dei ea sacrificia, quæ ut divinæ consectaria majestatis, sibi illi vindicare laborabant. (primò, quia dæmones, ut deitatē, ita sacrificia usurparunt.) Augustinus: *Hoc sanè nec in ista brevitate prætereundum est, quod templum, sacerdotem, sacrificium, & alia quæcumque ad hæc pertinentia, nisi uni vero Deo deberi nossent dii falsi, hoc est, dæmones, qui sunt prævaricatores Angeli, nunquam hæc sibi à cultoribus suis quos decipiunt, expetissent. Verum hæc cum exhibentur Deo secundùm ejus inspirationem atque doctrinam, vera religio est; cum autem dæmonibus secundum eorum impiam superbiam, noxia superstitio. Quapropter qui Christianas litteras utriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quod construant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quod hæc idolis & dæmoniis exhibeant.* (Epist. 49. L. 15. Civit. c. 16. Lib. 2?. con. Faust. c. 17. L. 1. Cont. Adv. L. & Proph. c. 18.)

II. Nec enim nidore pecudū aluntur maligni spiritus. Secundò, fœdissimè hallucinabantur Philosophi, qui pecudum sanguine & nidore pasci, adeòque oblectari, non coli: & hoc veluti cibo aut delinimento, non ut sacrificio aut divino cultu duci interpretabantur dæmones. Unde hoc enim in patriciam illam Platonicorum philosophiam commentum, ut fumo & nidore ustulatarum carnium rationales dæmonum substantias pasci fabularentur? Num & has delicias illi si averent, parare sibi ipsi non possent & faciliùs & copiosiùs? Augustinus: *Sed nec ob aliud fallaces illi superbè sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. Non enim revera, ut ait Porphyrius, & nonnulli putant, cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent. Copiam verò nidorum magnam habent undique: & si amplius vellent, ipsi sibi poterunt exhibere. Qui ergo divinitatem sibi arrogant spiritus non cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui decepto subjectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum: ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur cuipiam præter illum.* (Civit. L. 10 c. 19.) Et alibi: *Illi quippè superbi & impii spiritus, non nidore ac fumo, sicut nonnulli vani opinantur, sed hominum pascuntur erroribus, non sui corporis refectione, sed malevola delectatione, cum quoquo modo decipiunt: vel arroganti fastu simulatæ majestatis, cum divinos sibi honores exhiberi gloriantur.* (L. 20. contra Faustum.) Vides ut non nidore pecudis, sed furto Deitatis: non corporis sui pastu, sed superbiæ astutiæque suæ inanissimo fructu improbi spiritus oblectarentur.

III. Superbissimi quique hominum sibi ut diis cædi hostias jussere, pii deprecati sunt. Tertiò & ex hominibus nonnulli, ubi ad summum impietatis & superbiæ culmen pertigerant, divinisque se honoribus gestiebant affici, cædi sibi victimas imperabant. Nimirum id præjudicatum habebatur, nec Deum esse nisi qui victimis placaretur: nec victimas nisi colendo Deo immolandas. Non nidore, non fumo, non cruore victimæ pascebantur, sed simulatæ Deitatis fuco atque majestatis personatæ ludibrio. Ergo & dæmones non nidore inescabantur, sed fraudis & pervasæ divinitatis superba voluptate. Ex adverso autem ut amantissimus quisque fuit veritatis & justitiæ, sive Angelus sive homo, oblatos per imprudentiam sacrificiorum honores, ut uni Deo summo dependendos deprecatus est. Augustinus: *Illo cultu qui Græcè latria dicitur, Latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus,* (L. 20. contra Faust. c. 21)

aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo; & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut condemnetur, sive ut caveatur. Ipsi enim sancti, vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cum commoti miraculis quæ per eos facta sunt Lycaonii, tanquam diis immolare voluerunt: conscissis enim vestimentis suis, confitentes & persuadentes se Deos non esse, ita sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, sicut in Apocalypsi legimus, Angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo, Conservus tuus sum ac fratrum tuorum. Ista sibi planè superbi spiritus exigunt, diabolus & Angeli ejus, sicut per omnia templa & sacra Gentilium. Quorum similitudo in quibusdam etiam superbis hominibus expressa est; sicut de Babyloniæ quibusdam Regibus memoriæ commendatum tenemus.

IV. Ut sacrificia, ita & cætera divini cultus dæmones usurparant. Quartò, nec sacrificia tantùm, sed & reliqua divinæ religionis decora profanaverant & ad se traduxerant extorres à veritate spiritus. Virginitatem exempli gratia, uni Deo consecrandam, tanquam proprii corporis Antistitem victimamque, in Vestalibus usurparant. Ergo quod æmulatores divinitatis virginalem castimoniæ florem invaderent, argumento id erat dedicandam uni vero Deo esse virginitatem: & non aliter, quod sacrificia illi intercíperent, inde conjectari licet, ea uni Deo devovenda. Nec enim nisi ex propriis Deitatis insignibus illi divinitatis famam venarentur. Augustinus idem: *Sicut autem non ideo contemnenda vel* Ibidem. *detestanda est virginitas sanctimonialium, quia & Vestales virgines fuerunt: sic non ideo reprehendenda sacrificia Patrum, quia sunt & sacrificia gentium. Quia sicut inter illas virginitates multùm distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur atque reddatur: sic inter sacrificia Paganorum & Hebræorum multùm distat, eo ipso quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata & oblata; illa scilicet superbæ impietati dæmoniorum, idipsum sibi ob hoc arrogantium quo haberentur dii, quia divinus honor est sacrificium, illa verò uni Deo.* Est ipsa sanè virginitas, ut prænotavimus, sacerdotium quoddam & sacrificium proprii corporis, atque perpetua vivacis victimæ immolatio: ut ab hac propior sumatur de pecudum sacrificiis conjectura.

V. Mosaica, mò & Christiana sacra imitati dæmones in sui cultu. Quintò, Mosaicos sacrorum ritus profana æmulaque superstitione imitati perspicuè sunt Gentiles, legesque ab uno vero Deo suis sacrificiis præstitutas, ad unguem ferè in simulacrorum cultu expresserunt. Hic verò nudatur palamque fit ingenium nequissimæ simiæ, divinitatem ementientis, & mendacia sua ad umbram veritatis attemperantis. Nec Mosaicas solùm, sed & Christianas æmulati quandoque sunt ceremonias, & simulata fuit illis baptismi unda, & consignationis profanum ludibrium, panisque mendax oblatio, & denique per omnia æmulandæ atque æmulando intervertendæ veritatis pervigil solertia. Videlicet ut vitia virtutum præpostera quædam sunt & tenebrosa imitamenta; ita superstitio religionis, pietatis impietas, mendacium veritatis specie & umbra fallere affectat. Tertullianus: *A diabolo scilicet, cujus* L. de Præscr. *sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, in idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos. Expiationem delictorum de lavacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithræ. Signat illic in frontibus milites suos. Celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Quid quod & summum Pontificem in unis nuptiis statuit? Habet & virgines, habet & continentes? Cæterùm si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia, insignia & privilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum & votorum curiositates consideremus, nonne manifestè diabolus morositatem illam Judaicæ legis imitatus est?* Non est enim quo omnimodis à Deo opifice recedat natura quæcumque divini opificii: ab illo descíscendo, illum imitatur: distortè quidem & præposterè & tenebricosè, sed imitatur tamen: sive non possit opificium a legibus opificii sui longiùs peregrinari, quamvis exorbitare aliquantulum ac deviare possit: sive non possit quantacumque perversitas excutere penitus admirationem ac reverentiam summæ pulchritudinis; sed eam semper suspiciat, etsi aversa; eam admiretur, eamque effingere conetur, licet perversa: sive usque adeò vitiositas nihilum sit, virtus autem usquequaque sit & infinitè dominetur, ut nec vitium possit esse aut delitescere usquam, nisi sub imagine & fuco virtutis: sive cùm prima naturæ intellectualis à summa veritate defectio posita fuerit in insolescente adversus Deum, Deoque coæquari affectante superbia, omnis deinceps ex eo fonte dimanans nequitiæ rivulus, eodem affectandæ divinitatis veneno ebulliat. Quocirca pulchrè Augustinus: *Perversè te imitantur omnes, qui longè se faciunt à te, & ex-* L. 1. Confes. c. 6. *tollunt se adversùm te. Sed etiam sic te imitando, indicant creatorem te esse omnis naturæ: ideo non esse quo à te omnino recedatur.* Atque ita suis laqueis irretitur, suis artibus strangulatur omnis nequitia: ita in suam perniciem ingeniosa est omnis malitiæ sagacitas: ita vincit veritas cùm superari atque obrui videtur: evertitur autem improbitas cùm surgere & triumphare existimatur. Ita mendacium veritati adversando suffragatur, obtinendo servit. Ita superstitio religioni militat, & dum insidiatur, præsidia illi parat. Intercipit enim totum diabolus instrumentum divinæ religionis; at eo saltem nomine Deo vero vendicatur, quod illud diabolus intercipere enitatur. Sublimem amplitudinis verticem affectat superbia: at eo jam indubitato nobis liquet argumento unius Dei propriam esse totam sublimitatis gloriam, quod eam per summus nefas superbia præhenset. Vides quàm latè pateat hoc genus, utque veritatis magisterium à mendacio, & documenta virtutum ab ipsa vitiorum contemplatione, & denique peculiaria veræ Deitatis privilegia ab æmulæ improbitatis vafritie venari atque argumentari possimus. Non æterna tantùm enim & spiritalia veritatis ornamenta, sed & illorum signa corporalia, temporaliaque mysteria mendax præstigiator æmulatur.

VI. Jam inde ab ortu generis humani Deo sacrificarunt pii. Sextò, deberi Deo vero sacrificium sacrorum codicum singulæ propemodum paginæ videntur clamitare. Et ne per Moysen à Deo tam instanter imperata, tam diligenter enucleata sacrificiorum mysteria commemorem, ut priora etiam sæcula replicem, & usque ad ipsam humani generis originem, & Abraham, & Noe, sed & Abel cæsis pecudibus Deo litasse & perlitasse produntur. Produntur hæc autem ita, ut non ab hominibus tantùm pietatis & sapientiæ laude eximiis factitata & adeò frequentata esse, sed & divini suffragii atque assensus testimonio commendata fuisse certò liqueat. Augustinus: *Cain ex fructibus terræ, Abel autem ex primitiis ovium obtulisse munus Dei scriptum est. Hinc potiùs intelligendum quàm sit res antiqua sacrificium, quod nonnisi uni Deo vero offerri oportere veraces & sacræ litteræ monent. Non quod illis egeat Deus, cùm in iisdem ipsis litteris apertissimè sit scriptum: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: sed quod etiam in his vel acceptandis, vel reprobandis, vel percipiendis nonnisi hominibus consulat. Nobis enim prodest colere Deum, non ipsi Deo.* Epist. 49. q. 3. Et alibi: *Quàm porro antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicant, quorum majoris Deus reprobavit sacrificium, minoris aspexit.* Et rursus: L. 10. Civit. c. 4. *Sacrificasse Deo illos etiam antiquissimos homines* L. 15. c. 16.

non

non tacet sacra historia, quod & in duobus primis fratribus claruit: & Noe post diluvium cùm de arca fuisset egressus, hostias Deo legitur immolasse. Unde fas est cum eodem Augustino ita censere: *Sacrificium ergo non solùm cum justè imperat verus Deus, sed etiam cum superbè exigit falsus Deus, satis ostendit cui debeatur*.

VII. Naturaliter anticipatum est sacrificium Deo deberi, cùm semper & ubique genus humanum omne in id consenserit.

Septimò, utque jam ne consulamus vel Judaicæ gentis divinis legibus informatæ, vel gentilitiæ superstitionis dæmoniorum præstigiis ludificatæ monumenta: ipsam unius cujuslibet hominis conscientiam, ut veritatis discipulam, ut naturæ magistræ dictatorum haud usquequaque immemorem percunctemur. Naturali enim quadam anticipatione præjudicatum omnibus est, nec sacra & Sacerdotes nisi Deo destinari debere, nec in Deorum numero habendum, cui non protinùs sacrificus & sacrificium adhibeatur. Hinc non una gens aliqua quasi privato & peculiari instituto, sed generis humani universitas tanquam ex naturæ universali magisterio atque instinctu, Deos suos templis & sacrificiis prosecuta est. Hinc simulacra muta, hinc sidera & qualiacumque deorum portenta, cùm aliis alia regionibus colerentur, iisdem tamen ubique gentium victimis propitiabantur. Hinc & ex hominibus aliqui ubi in Deorum album inscribebantur, Flaminibus illico donabantur & statis quibusdam sacrificiis. Hinc & homines mortali adhuc aura hac vescentes, siquando ut Deos venerari, popularis superstitio aggrederetur, sacrificia illis confestim obtrudebat. Hinc & ex hominibus si quis effrænatiùs insaniit, Deumque se haberi jussit, hostiarum cæde gavisus est. Denique ut ait Augustinus: *Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et rursus: *Dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret. Nam obsequia cætera quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbia fastu homines arrogare: rarissimi autem commemorantur, qui sibi ut sacrificaretur cùm regia potestate possent, ausi fuerint imperare: quicumque tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt*. Quod ergo una Deitas sacrificio sit prosequenda, cùm omnes ubique gentes consentiant, argumenti satis id est, ut hoc à natura ipsa magistra præjudicium proficisci intelligamus. Quod enim Deus sit, vox naturæ omnibus insonat, anima hominum quamlibet rudis & impolita vociferatur: at vitiorum fascinatio, naturæque sensibilibus allisæ labes, illam nativam Deitatis conscientiam adulterat, & à supernis atque intelligibilibus ad infima & corporalia prosternit. Non aliter cùm natura omnium mentibus inscripserit sacrificandum uni Deo esse, congenitam hanc philosophiam penè oblitteravit popularis error & superstitio, atque ab uno vero Deo, ad Deorum monstra honorem sacrificii declinavit.

L. 10. Civit. c. 4.

L. 1. con. adv. Leg. & Prophet. c. 18.

VIII. Internum animi sacrificium uni Deo debetur, ergo & externum, interni nempè signum.

Octavò, externa & visibilia sacra interni atque invisibilis cujusdam sacramenta sunt sacrificii. At interius illud & penetrale sacrificium quo anima seipsam impendit mactatque quodammodo invisibiliter, Deo vero impendendum est, ergo & externum quod interni testificatio est. Et hic rursum liquet gentiles olim philosophos inveterato populorum errori assentari cavillando, quàm emendando obluctari maluisse. Ut sacrificia enim dæmonibus addicta fucatæ pietatis specie obumbrarent, invisibile sacrificium summo & invisibili Deo: reliquis autem diis minoribus minora, externa videlicet sacrificia deberi causabantur. Quo nihil inficetius potuit excogitari. Est enim externum sacrificium interni signum, non aliter quàm rerum animo cogitatarum signa sunt, verba quæ foris personant. Quocirca ut verborum honos illi defertur, cui cordis devovemus obsequium: ita eidem Deo & invisibile sacrificium & visibile invisibilis testimonium est offerendum. Augustinus: *Qui autem putant hæc visibilia sacrificia diis aliis congruere: illi vero tanquam invisibili invisibilia, & majori majora, melioríque meliora, qualia sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia: profectò nesciunt hæc ita esse signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus, offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus quàm illi, cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus*.

L. 10. Civit. c. 19.

IX. Luculenter ut externo sacrificio interni sacrificii natura & sanctitas declaretur. Pag. 70. 1

Quàm multiplex autem & quàm exaggerata sit in exteriori sacrificio spiritalis animæ mactationis significatio, planum fiet ex luculentissimo contextu Guillelmi Alverni Parisiensis Episcopi: *Qui igitur sacrificat animal, idem est ac si diceret, & revera opere illo sacrificii hoc dicit: Tibi offero vel sacrifico, authorem sanctitatis confiteor & ad sanctificandum invoco, sanctificandum autem illum pro quo hujusmodi sacrificium tibi offero. Secundo, sicut animal istud in manibus meis est, ita ut ipsum vel occidam si voluero, vel parcam eidem si mihi placuerit, ita in manibus tuis sumus, ut nos occidas per justitiam propter peccata nostra si volueris: vel parcas nobis per misericordiam tuam, si beneplacitum tuum fuerit. Tertio, sicut in potestate mea est animal istud ad occidendum vel salvandum, ita in potestate tua sumus ad perdendum & salvandum. Quarto, sicut moritur istud animal, ita moritur in me per istud sacrificium omne peccatum. Holocaustum verò videtur ipso opere holocausti, sicut consumitur igne isto præsenti hoc animal, ita ut nihil ex eo remaneat, ita consumatur in me omne peccatum. Eodem modo sicut effunditur sanguis istius animalis de corpore ipsius, ita effluat & effundatur omne peccatum de corpore meo. Quinto, sicut istud animal oblatione mea tuum efficitur, ita ut de cætero tibi vivat, & tibi moriatur, ita & ego. Sexto, sicut de hac mensa sive altari corporalem refectionem recipio, ita & spiritalem. Septimo, per hanc immolationum communionem, per hoc quod ad mensam istam admittor cum aliis cultoribus tuis, de familia & cultoribus tuis me esse profiteor*. Quæ cùm sint externi sacrificii rationes spiritales, iis utique non nisi vera divinitas coli debere perspicuè admonetur. Unde ibidem ille concludit: *Manifestum autem est tibi, quia nihil horum dicendum est, nisi omnipotenti ac misericordissimo Deo*.

X. Luculente rursus, quæ sint rationes & causæ sacrificiorum.

Has easdem propemodum rationes prolixiùs exequutus est idem Guillelmus pag. 28. 29. 30. Nec pigebit ejus verba hìc exscribere, ut arcana sacrificiorum Theologia altiùs animo imbibatur. Nempè quo à sacrificiorum peragendorum servitute absoluti magis feriamur, eo religiosius otium hoc nostrum iis intelligendis absumendum est. *Prima igitur & præcipua causa fuit, Dei honorificentia seu veneratio. Omnis enim cultus Deo honorificus est, quo ipse sibi serviri vult. Et propter hoc altare sibi ædificari voluit. Talibus ergo muneribus honorabatur Deus, non quidem pretiositate ipsorum, sed electione, institutione & acceptione ipsorum à parte sua: obedientia verò & devotione offerentium à parte ipsorum. Non enim coli voluit, neque colendus erat adinventionibus humanis, sed magis ritu electionis & institutionis suæ, &c. Secunda causa fuit justitiæ suæ & misericordiæ vehemens ac fortis impressio, quam sacrificia hujusmodi faciebant. Eo enim ipso quod ad mortem hujusmodi animalia offerebant, mortique tradebant, seipsos morte dignos ostendebant: & Deum de justitia mortem eis posse inferre, si secundum merita peccatorum suorum judicare vellet, expressè hujusmodi opere cognoscebant. In hoc verò quod mors eorum morte animalium commutabatur, mors inquam, quam meruerant: Dei misericordiam erga se expressè legere poterant. Nihil autem salubrius fore poterat hominibus, quàm vivax & tenax memoria, sive cogitatio divinæ severitatis & pietatis, ut timore scilicet mala fugerent: & spe bona, Deo placita sectarentur. Tertia causa,* divinæ

divinæ beneficentiæ recognitio, propter quod de ipsis donis ac datis suis partem reservabant & offerebant Domino in recognitionem quod de ejus benedictione & largitione omnia receperant. Quarta causa offerentium sanctificatio: expiabantur enim & emundabantur à contaminationibus peccatorum per hujusmodi sacrificia, faciente Dei virtute & misericordia. Quinta causa, familiaritas, & ad Deum appropinquatio. Oblatio namque munerum & participatio sacræ mensæ, multam fiduciam præstat appropinquationis, & de familia Dei efficit participantes. Ejus enim censetur esse familia, à quo pascitur & de cujus mensa vivit. Quare manifestum est hujusmodi sacrificia participantibus imprimere familiaritatem & proximitatem ad Deum, dum eos Dei commensales quodammodo efficiebant. Commensalitas autem, tanquam summa communio, post commutationem causarum essendi, quæ sunt pater & mater, maximè effectiva est familiaritatis. Propter quod cum Deus non posset eis vice versa convescendo communicare, mittebat interdum ignem de cœlo, qui partem suam sacrificiorum comederet, tanquam vice ipsius. Sexta causa, adunatio, sive unio populi Dei, videlicet ut una domus fieret & una familia ex multis personis. Unam ut familiam & unam domum liberalem maximè facit communio victualium: sic & unam familiam spiritualem unamque domum maximè facit communio ciborum & potuum spiritualium. Septima causa fuit attractio ad Dei cultum. Nihil enim magis congregat homines, & convenire facit in unum locum & factum, quàm cibus & potus: propter quod & infirmaria statuit Ecclesia, ubi præparatur refectio corporalis, quæ utique si non ibi esset, vel nulli vel paucissimi propter hæc convenirent. Voluit ergo sapientissimus & misericordissimus Deus, ut in domo sua & altari esset communicatio cibi & potus, ut communitas populi sui per hoc & illuc attraheretur, & ibidem astrictius teneretur: voluitque hujusmodi sibi sanctificata esse, ut populus non tanquam bona propria, sed tanquam dona Dei: nec tanquam communia, sed tanquam sacra illa sumeret: ut Deum Patrem familias suum à quo pasceretur & animaretur, agnosceret: & se ad sanctorum communionem seu participationem admissum videns, ab omni vitiorum contaminatione & macula conservaret.

Ex hac tot pulcherrimarum accumulatione rationum enitescit, quàm accomodata fuerit pietati in Deum extruendæ, summæque venerationi testificandæ sacrificiorum religio. Quanquam enim inserenda magis animo sit pietas, quàm explicanda corpore: quamquam spiritali cultu magis delectetur Deus, quam sensibili: quia spiritus est Deus, & in spiritu coli se gestit: externis tamen obsequiis infixam & latitantem in animo religionem propalari, natura ipsa hortatur, naturæque parens Deus jubet.

XI. Externis signis quibusdam religio populos & sibi & Deo religat. L. 19. cont. Faust. c. 11.

Ac primò quidem quæ usquam compaginari potuit hominum societas in unam aliquam seu veram, seu adulterinam religionem, nisi externorum sacramentorum vinculis? Num invisibiles nexus ad consociandos homines adhiberi & sufficere quisquam unquam nisi dementissimus existimavit? Quin religio nomen inde hausit, quod certis quibusdam & sensibilibus rituum formis sacrorum, populus ad unius Dei famulatum consibulatos religaret. Augustinus: *In nullum autem nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.*

Ad hæc quid quæso sunt sacramenta corporea quàm verba quædam quibus abstrusos ac latitantes expromimus animi nostri sensus atque affectus? Ergo si verbis eloqui fas est ea animi nostri officia atque in divinam amplitudinem inclinatissima servitutis obsequia, quæ sacrificiis significare gestimus, quin & sacrificiis ipsis ea perinde fas erit significare? Quis enim de signo controversiam moveat, dum de re significata concordatur? Ecquod autem signum opportunius, quàm sacrificium, ad ea testificanda, quæ Guillelmus Parisiensis supra edisserebat? Augustinus supra relatus ajebat sacrificia visibilia invisibilis sacrificii *ita esse signa, sicut verba sonantia signa sunt rerum*. Et alibi. *Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia?* Civit. l. 10. c. 9. Cont. Faust. L. 19. c. 16.

Præterea cum compactus sit homo ex anima & corpore, non animo solo, sed & corpore suam Deo servitutem debuit profiteri: nec animi tantùm sui delicias, sed & corporeas suas opes omnium largitori Deo libare: denique sanctitatem quoque supernè non animi tantùm, sed & corporis sui impendio emercari. Ambrosius: *Nam cum ex duabus naturis homo, id est, ex anima subsistat & corpore: visibile per visibile, invisibile per invisibile mysterium consecratur*. Et Chrysostomus: *Nam si tu incorporeus esses, nudè ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam verò corpori conjuncta est anima tua, intelligibilia in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* L. 1. in Luc. Hom. 83. in Matth.

Adde quod ut nunc quidem comparati sumus, corporeis sacramentis, parabolis, allegoriis vehementiùs afficitur animus, quàm si nuda & ab omnibus expedita symbolis veritas ei sisteretur. Nam pura lux veritatis præstringit & hebetat aciem animi: itaque obtundimur statim ejus contuitu & fatiscimus, atque ad tenebras nostras innato pondere revolvimur. At ubi corporeis bellè obvoluta tegmentis, quasi sub nube contegitur fax veritatis, tum infigitur illi oculus, ea diutiùs suaviùsque pascitur atque oblectatur, & consuescit coaptaturque paulatim ejus radio. Interest itaque ipsius mentis, ut divina mysteria non ei nisi corporalibus istiusmodi signis implicata committantur. Augustinus: *Ad ipsum autem amoris ignem nutriendum & inflammandum quodammodo, quo tanquam pondere sursum vel introrsum feramur ad requiem, hæc omnia pertinent quæ insinuantur nobis figuratè. Plus enim movent & accendunt amorem, quam si nuda & sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed tamen ita se habet ut aliquid per allegoricam significationem intimatum, plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quàm si verbis propriis diceretur apertissimè. Credo quod ipse animæ motus quandiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigriùs inflammatur: si verò feratur ad similitudines corporales, & inde feratur ad spiritalia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur.* XII. Utque nunc homo comparatus est, corporalibus tegumentis aptanda est ei veritas. Epist. 119.

Denique quàm multiplex significatio spiritalis servitutis in sacrificio externo insit, & quàm necessaria illa sit, imo quàm prævia & dux sit ad hanc religionem naturæ authoritas, Deique ipsius præceptio, luculentè demonstrat Petrus venerabili Epistola contra Petro-Brusianos. Chrysostomus autem insito naturæ magisterio atque instinctu conscientiæ à Deo informatæ arcano, Abelem, Noemum, aliosque ad victimas Deo cædendas argumentatur invitatos atque incitatos fuisse: *Obtulit Cain de fructibus terræ sacrificium Deo. Considera quomodo naturæ conditor scientiam conscientiæ indidit. Quis enim illum dic oro ad hanc cognitionem perduxisset? Nullus alius quàm quæ in conscientia erat scientia. Sciebat enim & clarè sciebat quod congruum esset ex suis possessionibus aliquid Deo offere: non quod eo Dominus indigeat, sed quo suam gratitudinem declaret, qui tali beneficio fruitur.* Et rursus: *Ædificavit Noe altare, &c. & obtulit holocaustum super altare. Considera quomodo in natura nostra conditor omnium inseruit certam virtutis scientiam. Unde enim dic oro, justo illi hoc in mentem venisset? Nullus erat alius quem vide-*

XIII. Luculente rursus ut in externo sacrificio refulgeat summa religio & pietas, eoque natura ipsa urgeat. In Genesin. Hom. 18. 27.

bat

bat vel à quo discebat. Sed sicut Abel ille primigenii hominis filius à seipso communitus magna diligentia oblationem perfecit, sic utique nunc & justus ille, &c. Auspice ergo & magistra natura & conscientiæ urgente intestino oraculo, non ibi tantùm, aut nunc, sed ubique gentium & semper, divina religio sacrificiis frequentata est.

CAPUT III.

Referuntur ex adverso sancti Patres qui sacrificia cruenta nusquam imperata à Deo, quin exosa magis fuisse ajunt.

I. Cruenta sacrificia Deo exosa magis, quàm accepta fuisse videtur sensisse Patres cōplurium. Ac primò Justinus.

NOn otiosum erit è Græcis primùm Patribus coacervare testimonia, quibus conspirari ad hoc videtur, ut tota cruentarum victimarum religio tanquam temeraria, & humano ex ingenio arbitrioque profecta, Deo autem infesta magis quàm amica sugilletur. Dabimus postea operam, ut hæc cum antedictis concilientur, utque inde melioris & verioris sacrificii necessitas exprimatur.

Primus ante alios tanquam signifer occurrit Justinus Martyr, Dialogo cum Triphone Judæo, ubi elevando Mosaico cultui incumbens, sacrificia in primis exagitat. *Ad Moysen usque, sub quo injustus & ingratus populus vester apparuit, vitulo in solitudine fabrefacto. Unde Deus ad populum illum se accommodans hostias quoque offerre tanquam nomini suo præcepit, ut ne simulacra coleretis.* Ac statim ex Scripturis contexit silvam ingentem locorum, quibus sacrificia aversari Deus perhibetur. Præ cæteris illud Ezechielis c. 20. v. 25. *Eo quod judicia mea non fecissent, & post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent: & pollui eos in muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua, &c.* Et ex Jeremia: *Congregate carnes vestras & victimas, & comedite, quia non de victimis & libationibus præcepi patribus vestris, quo die apprehendi manum eorum ut educerem vos de terra Ægypti.* Ex Psalmis item complura quibus quasi nauseabundus victimas abhorrescit Deus. Vide & apud eundem Justinum authorem quæst. & resp. ad Orthod. Hìc aperta sunt Scripturæ oracula, quæ fidem faciunt abhorrere à sacrificiis pecudum Deum. Secundò, nusquam vel Abeli, vel Noemo, vel ante legem cuiquam mandatum à Deo est victimas cædi. Tertiò, ne Israelitis quidem hostiarum immolationes indictæ, nisi post vitulum ab eis adoratum ritu gentilitio. Quocirca non immeritò videri potest hoc Dei tum imperium eò pertinere, vel ut hac corporalium signorum servitute ferocientem populum contunderet, vel ut ad profana sacra præcipitem ad se revocaret, sibi quàm dæmonibus immolari satius ducens. Quartò, Abrahamo quidem Deus nonnulla indixit sacrificia, sed quæ palam est nonnisi futurorum præsagia esse.

II. Item Iren. L. 4. c. 18.

Irenæus similiter: *Verbum sine invidia utilitatem præstabat eis qui subjecti sibi erant, omni conditioni congruentem & aptam legem conscribens. Sic autem & populo tabernaculi factionem, & ædificationem templi, & Levitarum electionem, sacrificia quoque & oblationes & monitiones & reliquam omnem legis statuebat deservitionem. Ipse quidem nullius horum est indigens, est enim semper plenus omnibus bonis, omnemque odorem suavitatis, & omnes suaveolentium vaporationes, habens in se etiam antequam Moyses esset: facilem autem ad idola reverti populum erudiebat per multas advocationes, præstruens eos perseverare & servire Deo; per ea quæ erant secunda, ad prima advocans, hoc est, per typica ad vera, & per temporalia ad æterna, & per carnalia ad spiritalia, & per terrena ad cælestia.* Et ibidem: *Nam Deus primò quidem per naturalia præcepta quæ ab initio infixa dedit hominibus admonens eos, id est, per decalogum, & nihil plus ab eis exquisivit. Quemadmodum Moyses in Deuteronomio ait: Hi sermones omnes quos locutus est Dominus ad omnem Synagogam filiorum Israel in monte: & adjecit & scripsit ea in duabus tabulis lapideis: & dedit mihi propter hoc ut custodirent præcepta hi qui velint sequi eum. At ubi conversi sunt in vituli factionem, & reversi sunt animis suis Ægyptum, servi pro liberis cupientes esse, aptam concupiscentiæ suæ acceperunt reliquam servitutem, à Deo quidem non abscindentem, in servitutis autem jugo dominantem eis.* Conglomerat ibidem Scripturæ testimonia, quibus fastidire sacrificia Deus memoratur: cum primis autem Jeremiæ: Ibid. c. 32.
Hæc dicit Dominus: Holocautomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes. Quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. Et non audierunt, &c. Quo ne fingi quidem expressius quidquam possit. C. 7. n. 21.

III. Summa ejus conjecturarum.

Liquet autem ex his primò, utcumque vel suopte impetu, vel singulari Dei jussu priùs nonnulli cruentas Deo victimas obtulissent, at lege solemni gentem universam ad stata quædam sacrificia astrictam à Deo non priùs fuisse, quàm excitato vituli simulacro & victimis cruentato: tum demum scrupulosæ sacrificiorum onerosæque leges à Deo sunt sancitæ, tum ut pœnas darent suæ ad idola pronitatis, tum ut hæc pœna vel potiùs medicina emendati ad Deum retorquerentur. Secundò, coniicere id quoque licet ex eo quod Moysi Deus cum legem suam tabulis inscriptam tradidit, non ullam in iis litteram de sacrificiis fecit. Et quidem præter jus naturæ in decem tabulis tetigit nonnihil etiam de legali seu arbitraria Sabbathi feriatione; sed sola Sabbathum à temporalibus curis atque negotiis cessatione, otioque cœlestibus studiis impendendo consecrasse contentus, nullo illud sacrificiorum cruore insignivit. Tertiò, quin ne rationem quidem ullam habuit victimarum ubi easdem tabulas secundò resculpsit. Jam enim vituli flagitio inquinatus erat populus, jam sacrificiorum servitute irretiri meruerat, jam Moyses sarcinam illam legis molestissimam cervicibus indomitæ gentis infligendam devehebat, nec tamen Deus tabulas suæ legis ulla sacrificiorum mentione patitur maculari. Nimirum hinc ut enitesceret, quid æterna veritas & incommutabilis justitia præscriberet: quidque bellaturiens adversus Deum gens humana sibi consciviſſet malorum. Nam Deus ipse sua manu, suo ore nonnisi charitatis in Deum & in proximum flammatissimæ legem scripsit & promulgavit: per Moysen autem pœnalia sacrificiorum & morosissimæ legis onera indixit.

IV. Origenes.

Origenes non dissonans: *Quoniam & lex Dei de sacrificiis præcipit, & ritum sacrificandi tradit filiis Israel: requiratur fortasse cur hæc cum dæmoniis dicata videantur, etiam Deo jubeantur offerri. Et erit quidem simplex & cita responsio: ut quemadmodum in aliis ostendimus, quod libellum repudii dari, non Dei voluntatis fuit, qui quod conjunxerat, noluit separari; sed Moyses hæc propriè ad duritiam cordis Judæorum scripsit: ita etiam & de hoc videri posse, quia Deus sicut per alium Prophetam dicit, non manducat carnes taurorum, nec sanguinem hircorum potat: & item ut alibi scriptum est: Quia non mandavi tibi de sacrificiis vel victimis, in die qua eduxi te de terra Ægypti: sed Moyses hæc ad duritiam cordis eorum, pro consuetudine pessima, qua imbuti fuerant in Ægypto, mandavit eis, ut qui abstinere se ab immolando non possent, Deo saltem & non* Hom. 17. in Numeros.

dæmoniis immolarent. En ut sacrificia permissa magis quàm imperata: ad duritiam magis Judæorum, quàm ad Dei religionem temperata sint: ut ita sacrificare concessum fuerit victimas, sicut repudiare conjuges: nempè ut ne si inhiberentur, in profundius aliquod delaberentur flagitiorum barathrum. Aut si & hæc præcepta nuncupare contendas, quia reapse per leges Moysis præcipiuntur victimæ, præcepta ergo authore Origene bipartita facies, ut alia divinæ veritati ac voluntati consentanea plurimùm sint, Deique sponte & jussu ultroneo mandentur: alia abludant quidem ab ejus justitiæ sinceritate, sed ex indulgentia ejus & contemperatione ad nostra vitia alioqui flagrantiùs & perniciosiùs ebullitura proficiscantur. Sed de ea re inferiùs.

V. Eusebius Pamphili. De Eccles. Theol con. Marc. l. 1. c. 10. Eusebio Pamphili eadem videtur sententia adlubescere: *Non recordabatur propter Judæorum cordis duritiem, hanc ipsis doctrinam olim repræsentatam. Non enim poterat Spiritus ille sanctus hominibus adeò imperfectis & mente incapacibus per Prophetas suos suis numeris absolutam tradere pietatis in Deum rationem. Ideo sacrificia præcepit facere: ideo corporis circumcisionem & Sabbatha, & ciborum quorundam abstinentiam, corporis ablutiones, corporales benedictiones, promissiones insuper non cœlorum regni, sed terræ lactis & mellis abundantissimæ. Dominus autem & servator interrogatus quomodo cùm præciperet Moyses dare libellum repudii, & dimittere uxores si cui ita adlubescebat, ipse statuerit his contrarium: rationem reddit universalem, inquiens, Moyses propter duritiem cordium vestrorum ita scripsit, sed à principio non fuit ita.* Et hic ergo assentitur datam induratis Judæorum animis sacrificiorum licentiam, quod castigatæ pietatis impatientes adhuc essent.

VI. Basilius in c. 1. Isa. Basilius eidem astipulator accedit: *Holocausta arietum & adipem agnorum & sanguinem taurorum & hircorum nolo. Observa num quæ dicuntur, reclament legislationi, & his adversentur quæ promulgatione legis Mosaicæ sancita sunt. Siquidem lex ea reposcit, hic contra eadem aversatur & fastidit. Et cum ne unum quidem ita prætereat de lege donec omnia fiant, considera an fortè sermo hic indicet, quæ corporalia legis occurrunt, spiritualiter & sublimi intelligentia exponi debere. Non enim animal ipsum, nempè arietem, ait, quoquomodo expetivi, sed mentem, nempè principem animæ facultatem, nulla sollicitudine circa res terrenas discerptam, sed velut igne perpurgatam, & quæ probam se comprobarit. Neque efflagito ut adeps agnorum in frusta comminutus torreatur igni, sed ut mihi consecretur ardor & simplicitas morum ab innocente anima proficiscens.* Pergit & reliqua demere ac nudare litteræ tegumenta, ac spiritales hostias à Deo expetitas depromere. *Quis enim quæsivit hæc de manibus vestris? Quæ sint hæc legis corporalia expressit: ceu sunt aries, adeps agnorum, &c. Ait igitur: Hæc objecta adeo & terrena quis expetivit de manibus vestris? Vides quantam vim ac necessitatem inferat, spiritali sensu mentem legis interpretandi? Si quis enim verba hæc legis confitetur data esse à Deo, ea autem quæ nunc temporis fiunt, non requirit Deus, in confesso est & citra controversiam, quia ratio nos eo adigit, ut mentem nostram sustollamus ad spiritalem ejus contemplationem, tantum non clamans, & palam contestans, Misericordiam volo & non sacrificium, scientiam Dei plusquam holocaustum.* Spiritalia ergo tantùm Deus sacrificia expetebat: & cùm carnalia Judæi obtrudebant, fastidiebat & objurgabat, atque ita legem ipse qui legislator erat, interpretabatur.

VII. Nazianzen. Orat. 42. Gregorius Nazianzenus Basilio suo nunquam non succinit: *Propterea nobis adjumenti causa lex datur, velut maceria quædam inter Deum atque idola interjecta, ab his quidem nos abducens, ad illum autem revocans. Ac paulum quiddam primò indulget, ut majus accipiat, Sacrificia ad tempus concedit, ut Deum in nobis inserat: ac postea dum commodum fuerit, sacrificia quoque ipsa de medio tollat: mira sapientia per tacitas substractiones animos nostros sensim immutans, atque ad Evangelium traducens jam ad obediendum exercitatos. Sic igitur atque his de causis lex introducta est, ad Christum nos colligens, atque hæc sacrificiorum est ratio, ut quidem mea fert sententia.* En ut sacrificia non naturæ vox suaderet, non innata religionis conscientia deposceret; ejusmodi enim si extitissent, abroganda haud fuissent unquam: sed ut mansuescerent animi hominum, & divino cultui insuescerent, & ab idolorum præstigiis abducerentur, pia simulatione toleranda fuere aliquandiù, ut tempestiviùs postea proscriberentur.

Epiphanius quoque suffragatur. Cùm enim retulisset ex Moysis libris verba perspicua, quibus sacrificia quædam præcipiuntur, ait: *His omnibus grata sibi fuisse sacrificia declarat, quæ tum pro salute populi istius oblata sunt: non quod illis indigeret, aut admodum cuperet, sed ut eorum imbecillitati, & τῇ τῶν ἀνθρωπότητος προγνώψει, id est, humanæ mentis anticipatæ opinioni se accommodaret: atque ut à plurimorum cultu numinum ad unius Dei cognitionem illorum animos traduceret. Etenim quoniam in sacrificiis vehementer defixa ipsorum mens erat, tanquam pietatis hæc essent officia, quæ idolis pro expiatione sua ac salute præstarent: simul ne ob consuetudinem extorqueri subitò sibi ista molestiùs ferrent, suo in nomine fieri ista aliquanto tempore voluit, quo à plurium Deorum inani cultu annuas illas cæremonias ad obsequium suum transferrent: atque ut uno demum cognito Deo, corroborataque in illum fide nostra, deinceps audiamus ab eodem: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Item: Numquid quadraginta annis sacrificium obtulistis mihi in deserto domus Israel? Quanquam infinita tunc erant oblata sacrificia: sed ut ostenderet sibi hæc oblata non fuisse, tametsi & acciperet ipse, & in nomine ejus offerrent.* VIII. Epiphan. Hæresi 42. Et alibi: *Atque ut ostendat se sacrificiis nihil egere, sic apud Prophetam loquitur: Num sacrificia obtulisti mihi domus Israel quadraginta annis? dicit Dominus. Cuinam igitur oblata illa sunt? Opinor illi, ut quidem qui offerebant, putabant. At ipse non quod iis egeret, sed ut à multiplicium Deorum cultu ad unius illos Dei cognitionem translatos assuefaceret, fieri ita mandavit. Cùm enim Ægyptiorum numina placare sacrificiis cerneret, ideo ista providit, ne ejusmodi Deorum superstitione depravatis eorum animis, ab uno soloque Deo desciscerent. Posteaquam autem eorumdem mentes plurium ab Deorum cultu revocatas longo intervallo confirmavit, tum demum ab hisce illos institutis desuescere volens, cœpit ea quæ minus sibi placebant, præcidere.* Hæresi 69. n. 71. Subiicit exemplum Saulis Regis, quem insanæ eorum petitioni concussit, ac postea per Osee increpuit: *Unxistis regem non per me: & principes, & ego non præcepi vobis.* Et tandem alia comparatione rem concludit: *Qua in re perinde se Deus erga illos ac erga puerulos gessit, ut infirmorum imbecillitatem sustineat, ac sic tanquam infantem in illa sua teneritudine permulceat: postea vero quod summum ac perfectissimum est, proponit, sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.* Epiphanius igitur sacrificandi morem non ex naturæ afflatu, non ex ingenita conscientiæ luce, non ex summa veritatis anticipata præsumptione manare existimat, sed ex imbecillitate puerili, ex præjudicata opinione apud vulgus hominum Ægyptiacæ idololatriæ innutritum. Quocirca cum duplex esset hallucinatio, & quod sacrificandum, & quod diis pluribus sacrificandum opinarentur, cumque utramque extirpare simul citra eorum offensionem & discrimen omnimodæ defectionis non posset Deus, indulsit primò, ut sacrificarent, sed uni vero Deo: atque ita diutiùs fidei suæ obligatis ipsam quoque demum sacrificandi consuetudinem excussit.

Chry-

Chrysostomus verò pulcherrimè in eodem argumento frequentissimèque versatus est: *Alterum è duobus Deo faciendum erat, si voluisset sacrificia remanere, aut non debebat præcipere, ut ipsi uno tantum in loco sacrificia fierent, cum vos per omnes mundi plagas esset dispersurus: aut si volebat vos eo in loco sacrificare tantum, non debebat vos per universum orbem dissipare, ac solam illam civitatem desertam & inaccessam reddere, in qua sola jusserat victimas immolare. Quid igitur, an secum, inquis, pugnat Deus qui uno in loco sacrificari jusserit, & rursus ab hoc ipso loco quem præscripsit, excludat? Nequaquam. Imò magnoperè sibi constat Deus: neque enim initio sibi volebat offerri sacrificia. En ipsum Prophetam adduco testem, qui loquitur in hunc modum: Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, &c. Quis exquisivit hæc omnia de manibus vestris, &c. Audistis clarissimam vocem dicentem quod initio non postularit hæc de manibus vestris? Etenim si postulasset, similiter & priscos illos omnes qui ante hos fuerunt, prius ad hoc vitæ institutum adegisset? Quo igitur inquis consilio hæc modò præcepit? Nimirum vestræ morem gerens infirmitati. Et quemadmodum medicus videns hominem febricitantem, morosum, minimèque sibi temperantem, si concupiscat frigidam bibere, ac minetur, ni accipiat, planè futurum ut vel ad laqueum fugiat, vel è sublimi se præcipitem det, dum studet majus excludere malum, permittit minus, cupiens illum à violenta morte revocare: consimili modo fecit Deus, quoniam vidit illos insanientes, anxios, concupiscentes victimarum oblationem, jamque nisi acciperent quod desiderabant, paratos ut ad idola se deflecterent: imò non solum paratos, verùm etiam eo jam prolapsos, permisit immolationem victimarum. Atque ut scias hanc fuisse causam, vel ex ipso tempore declaratur id quod dico. Siquidem post festum quod impiis dæmonibus celebrarunt, tum demum permisit illis immolationem pecudum: tantum non dicens: Insanitis & vultis immolare victimas: quin igitur mihi potius immolatis? Quanquam ne hoc quidem ita permisit ut perpetuò liceret, sed prudentissimo consilio, quod permiserat, rursus eripuit. Ut si medicus ille posteaquam indulsit appetitui laborantis, mox phiala è suis ædibus allata, præscribat, ut ex hac sola bibat aquam: deinde clam ministris præcipiat confringere phialam illam, &c. Idem fecit Deus permittendo sacrificia. Nec enim in ullo orbis loco fieri permisit nisi Hierosolymis. Mox ubi per breve tempus sacrificassent, diruit civitatem: ut quemadmodum medicus fracto vase, ita Deus subversa civitate vel invitos illos à victimis abduceret. Etenim si clare palamque dixisset, Desistite: haudquaquam facilè ab immolandi insania destitissent; nunc autem loci adempti necessitate, clanculum & dissimulanter illos abduxit ab oblationum insania.* Quæso te quid expressius, quid explicatius, quid disertius Chrysostomo? Quid ipsi prurigo sacrificandarum pecudum, quàm insania, quàm phrenesis indubia, quàm furor ab idolorum dementissimo cultu residuus?

IX. Chrysost. To. 1. Orat. 2. adv. Judæ. In Genesim Hom. 27.

X. Uno loco sacrificari Deus sanxerat, ut eo post everso sacrificia aboleretur.

Quàm appositè ita dicitur Deus concessisse, ut si bi cruor victimarum funderetur, sic ut noxia & obfutura concedit quandoque medicus ægro furenti, ne perniciosiùs insaniat, ne mortem sibi consciscat? Sed quàm idoneus adhibetur legis suæ interpres & elucidator Deus ipse? Qui cum reliquum sui cultum ubique locorum frequentari jussisset, sola sacrificia uni templo, unique urbi alligavit: interlapsoque tanto temporis intervallo, quanto opus erat, ut religio insideret non extra eum locum usquam sacrificandi, illicò locum illum, templum inquam urbemque solo æquavit. Eo abunde prodidit Deus, quo consilio indulsisset sacrificia, & indulgendo, unum in locum coarctasset. Nempè ut everso eo loco sacrificandi mos abolesceret. Et rursus: *Et quidem totus ille libellus qui Leviticus dicitur, de hostiis conscriptus est, de hostiis sedulò sanciens. Rursus in Deuteronomio & aliis locis. Quo igitur sensu hic ait, Quis quæsivit hæc de manibus vestris? Ut discas quod voluntas Dei non fuerit principalis ac prægrediens, sed ab illorum infirmitate sumpsit exordium, quæ de his est legislatio. Quemadmodum enim mulierem semel viro conjunctam nolebat ab ejus societate unquam divelli: cupiens tamen graviora mala excidere, nimirum ne dum vetat eiici, invisa ac domi existens jugulentur: quod minus erat malum, ob hoc fieri permisit: ita sanè & hìc. Interdicto cavit, ne victimas immolarent dæmonibus: ea tamen passus est sibi offerri; ut quod cupiebat, rectè proveheret, ac perficeret.* Duplex ergo Dei voluntas, duplex & longè diversissima præcipiendi ratio: altera ex ingenio veritatis & primaria, Deoque adlubescens, & ab hac immane quantum sacrificia abhorrebant. Altera necessitatis plenissima & tædii, & infirmitati hominum serviens, minoribus plerumque malis majora redimens & antevertens: & hoc genus sunt victimarum immolationes, repudia conjugum, & cætera istiusmodi.

In c. 1. Isaiæ Tom. 1.

Cyrillus Alexandrinus à majorum sententia non dissidet. Nam cum acriter exagitasset sacrificia Gentilium, ne eadem criminatio in Judaica etiam reflecteretur, ait: *Age verò subtiliter inquiramus, quæ ratio fuerit legalis disciplinæ, & quo respiciens Deus majoribus permiserit cruentis uti sacrificiis. Nimirum dispensatio quædam erat, non rei necessariæ inventio. Objurgare enim ejusmodi cultores, eosque increpare, & opportuno tempore prohibere offerentes, & veluti frustra laborantes atque ex re inutili gloriam aucupantes ad meliora revocare, argumentum est rem usu necessariam non esse, & præter ejus fieri voluntatem. Ait enim: Ut quid mihi thus de Saba offertis, & cinnamomum ex terra longinqua? Holocautomata vestra non sunt mihi accepta, &c. Quoniam autem ab Ægyptiorum cultu, fœdisque & impiis moribus & execranda istorum superstitione abductus Israel, vix ac ne vix quidem revocari poterat: quippè cum imbecilli adhuc mente præditus esset, nequedum impigrè ad tam excelsum iter eximiæ vitæ & egregiorum operum cacumen eniti posset: apparet Deum instar Pædagogi lege per Moysen lata, spiritali quadam ratione primum ab illo plurium Deorum errore ut recederent jussisse; permisisse interim suis, ut ex consuetudine prisci cultus, gratiarum actiones & sacrificia ritè sapienterque instituta offerrent.* Et alibi vestigia terrens Chrysostomi: *Cùm igitur in omni loco glorificetur Deus, neque honorem illum respuat, sed contemptores potius puniat: quidni etiam Israelitis ipsis liberum esse videtur, si velint ubique patrio ritu sacra facere? Prudentissimè ergo legislator cum futura prævideret, in sola utique Jerosolymorum urbe eos sacrificare jussit, ut veluti necessitate quadam à priscis moribus recedentes, ad meliora converterentur. Patria enim pellendi erant.* Cyrillo ergo victimarum immolationes, ex dispensatione manant, præter Dei voluntatem sunt, Ægyptiacæ superstitionis reliquiæ sunt pertinaciores, quæque nisi temporis diuturnitate non possint aboleri, exprobrantur identidem à Deo, coarctantur in unum locum, & eo demum loco diruto penitus oblitterantur.

XI. Cyrill. Alex.

L. 4. contra Julian.

Ibid. l. 9.

Theodoretus in sacrificiorum fastidio totus est: *Pro foribus tabernaculi altare fuit æreum, quod excipiebat oblata sacrificia. Porrò hoc indicat ista fuisse superflua, Deoque omnium minimè grata. Unde illa permisit celebrari propter Judæorum infirmitatem. Sed extra tabernaculum sacrificia fieri jussit, quasi iis qui intus erant non necessaria.* Et rursus alibi: *Quod sacrificia Deus non expetat, ipse per multos prophetas docuit. Cæterum quia populus diutissimè in Ægypto versatus, dæmonibus sacrificare didicerat, permisit sacrificia ut illum à dæmonum cultu vindicaret. Quod enim his magnoperè delectarentur, argumento sunt quæ circa vitulum acciderunt. Hoc autem ipsum & per Ezechielem*

XII. Theodoret.

In Exodum. n. 60.

In Lev. n. 1; In Isaiā. c. 1. In Jer. p. 173. In Epist. ad Heb. c. 7. 10.

prophetam patefecit: Vidi te sanguine tuo perfusam & dixi tibi, in sanguine tuo vita, multiplicare. Dicit itaque: Ubi animadverti te lætari sanguine sacrificiorum, permisi ut hoc fruaris desiderio. Præterea hoc modo aliud quoque salutare illis medicamentum comparavit. Nam ea sibi sacrificari jussit, quæ pro diis coluntur ab Ægyptis: reliqua appellavit immunda.

XIII. Conjecturæ Theodoreti. Tempero mihi ne plura ex eodem decerpam. Hinc autem præter ea quæ cæteri jam Patres delibaverant, alia quædam exculpere fas est hujus sententiæ adminicula. Nam primò quidem, quòd ablegasset Deus extra tabernaculum ac templum victimas, & immolationes, & altare ipsum sanguine pecudum purpurandum, intus autem thymiamatis auream admovisset sibi aram, paulò sagacioribus hinc sanè subolebat, cruentas illas hostias haud satis Deo arridere, quin repudiari magis: pura autem prece ei faciliùs litari. Secundò, quòd ab Ægyptiaca idololatria avocare Deus satageret populum illi ab unguiculis insuefactum, hinc non absurdè conjicitur, quòd non alias magis animantes cædi sibi jusserit, quàm quas Ægyptii divinis honoribus afficiebant. Eo enim & serviebat nonnihil eorum infirmitati, dum sacris cruentis incumbere sinebat: & eidem tamen medebatur, dum quibus immolabant, has immolari bestias præcipiebat. Tertiò, quo pertinerent & quam vim haberent hostiæ, lex ipsa ex obliquo indigitabat, dum emaculandæ carni eas dedicabat, ut plurimum: gravioribus autem flagitiis ac facinoribus nihil opis, nullas victimas ostendebat. Inde enim clarebat perfunctoria & nullius admodum frugis ea esse sacra, spemque ab his ad meliora colligendam. Quartò, disertè Paulus infirmitatem legis edisserit, & carnalis tantùm justitiæ architectam, eluendis autem peccatis animæque sordibus imparem fuisse contestatur. Quintò, denique cùm collidi lex & Prophetæ verbo tenus videantur, nihil opportunius in mentem venire potest, quàm si ut alibi passim, ita & hic Prophetæ tanquam interpretes legis habeantur, ut prudens quisque sententiam legis ex Prophetarum scriptis rimetur.

CAPUT IV.

Referuntur ex Latinis Patribus suffragia Græcis consentanea in sacrificiis fastidiendis.

I. Consentire videntur & Latini Patres, exosa Deo, fuisse cruenta sacrificia. Minutius. QUæ Latinis Patribus sententia constiterit circa cruentas pecudum immolationes, primus ante alios aperuit Minutius Felix in Octavio. *Hostias & victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit? Ut rejiciam ei suum munus, ingratum est; cum sit litabilis hostia bonus animus, & pura mens, & sincera sententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat: qui justitiam, Deo libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum: qui hominem periculo surripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt; sic apud nos religiosior est, ille qui justior.* Audin ut ingrati animi insimulet victimarum trucidatorem? Utpote qui sua Deo beneficia regerat: & pecudem quàm mentem suam malit ei mactare. Hac sanè culpa implicabantur, quicumque legi Mosaicæ in mactandis hostiis serviebant.

II. Tertullian. L. 2. adv. Marc. Nec dissonat Tertullianus; *Sacrificiorum quoque onera & operationum & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi proprie desideraverit, qui tam manifestè exclamat: Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? Et quis exquisivit ista de manibus vestris? Sed illam Dei industriam sentiat, qua populum pronum in idololatriam & transgressionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit astringere, quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri, quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret.* Et paulò post: *Quam legem non duritia promulgavit authoris, sed ratio summæ benignitatis, populi potius duritiam edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis.* Et aliquantiùs interpositis: *Diximus de sacrificiorum rationali institutione, avocante scilicet ab idolis ad Deum officia ea: quæ si rursus ejecerat dicens: Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? hoc ipsum voluit intelligi, quod non sibi ea proprie exegisset. Non enim bibam inquit sanguinem taurorum: quia & alibi ait, Deus æternus non esuriet, nec sitiet. Nam & si ad oblationes Abel advertit, & holocausta Noe odoratus est libenter: quæ jucunditas sive viscerum vervecinorum, sive nidoris ardentium victimarum? Sed animus simplex & Deum metuens offerentium ea quæ à Deo habebant, & pabuli & suavis olentiæ gratia apud Deum deputabatur; non quæ fiebant exigentis, sed illud propter quod fiebant, ob honorem scilicet Dei.* Ex Tertulliano igitur non Deus, non discipula Dei natura animæ & conscientia, sacrificiorum leges dictabat, quin ab his potiùs abhorrebat: sed per hæc avocandus erat ab idololatria populus, per hæc edomanda erat cervicosi populi duritia. Unde si quando vel Abeli vel Noemo sacrificantibus arrisisse visus est Deus, non sacrificiis ipsis, sed sacrificantium animis oblectabatur.

Ambrosius expendens id quod habetur Gen. 12. Abrahamum patrio egressum solo, & in Chananitidem profectum, atque inibi secundis benedictionum divinarum ominibus cumulatum, altare Domino Deo extruxisse, nulla interim facta immolatæ hostiæ mentione, id inquam expendens Ambrosius, reapse abstinuisse autumat à sacrificio, sed altiore consilio, utpotè qui non satis dignam Deo hostiam de pecudibus offerri posse intelligeret. *Statuit autem aram, sed non sacrificavit: posset movere, nisi meminisset processus mentis hujus Scripturæ serie servati. Et ideo spectabat à Deo genus discere sacrificandi. Advertebat enim irrationabilis animantis & mutæ pecudis sacrificium, dignam divino cultu hostiam non videri.* III. Ambrosius. L. 1. de Abraham. c. 3.

Hieronymus versans aliqua Jeremiæ loca, ait: *Refutat peccatorum sacrificia. Vescendas detrahit offerentibus hostias; dicens se non mandasse patribus eorum, quando deduxit eos de terra Ægypti, ut offerrent hujusmodi sacrificia. Non enim voluntate, sed idolorum comparatione mandavit, malens sibi offerri victimas quam dæmonibus.* Non præcepit ergo Deus sacrificia, non voluit, sed sibi quam dæmonibus maluit. Et alibi: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Quis quæsivit hæc de manibus vestris? Hostiæ ergo & immolatio victimarum non principaliter à Deo quæsita sunt, sed ne idolis offerrentur.* Rursum: *Manifestè intelligitur, quod primum decalogum dederit in tabulis lapideis scriptum digito Dei: & post offensam idololatriæ caputque vituli, postea jusserit sibi magis fieri quam dæmonibus, auferens puram religionem mandatorum ei, & concedens sanguinem victimarum carniumque desiderium.* Liquet igitur consilium Dei non aliud fuisse, quàm ut naturali lege seu decalogo eos astringeret, liberos & exortes à servitute negotiosæ sacrificiorum morositatis, & spiritali cultui liberaliter indulgentes. At ubi præceps in sacrificia gentilitiæ superstitionis eorum animus per vituli adorationem se prodidit, tum eos in suam pœnam ingeniosos sibi permisit, dummodò hæc sacra non dæmonibus, sed Deo vero, qui primus erat emendationis gradus, consecrarent. IV. Hieronym. L. 2. adv. Pelag. In c. 1. Isaiæ. In c. 1. Jer.

Gregorius Magnus istud Dei consilium non interpretatus tantùm nobis est, sed & in Anglorum Christianis mysteriis nuper initiatorum constituenda Ecclesia pari dispensatione æmulatus. *Et quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam de hac re aliqua solemnitas immutari; ut die dedicationis, vel natalitio sanctorum Mar-* V. Gregor. M. Regesti lib. 9. Ind. 4. Epist. 71.

Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solennitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut dum eis aliqua exteriùs gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. En quàm salubri indulgentia consuluerit sanctus Pontifex novitiæ & ab idolis recenti Anglorum genti. Unde autem dispensationis hujus exemplum arripuerit, statim promit: *Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum usus, quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet: quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent: ut etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueverant, veruntamen Deo hæc & non idolis immolantes, jam sacrificia ipsa non essent.* Et hujusmodi dispensationis oppidò quàm necessariæ caput enodans, subdit: *Nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est. Quia is qui summum locum ascendere nititur, necesse est ut gradibus vel passibus, non autem saltibus elevetur.* Sed rursus alibi idem Gregorius plura contexit accommodantis se ad humanas cupiditates legis Dei exempla, & ad vitia quædam minuscula conniventis ut graviora circumscribat. *Hinc quippè est quod in Ægypto positis pio justoque moderamine lactenti eorum concupiscentiæ condescenditur: & vicinorum suorum vasis aureis argenteisque sublatis discedere jubentur. Qui ad Sina montem ducti, accepta lege mox audiunt, Non concupisces rem proximi tui.* Et alterum exemplum statim subiiciens, ait: *Et hinc est quod in eadem lege, oculum pro oculo, dentem pro dente præcipiuntur exigere: & quandoque tamen revelata gratia, percussi maxillam alteram præbere jubentur.* Et tandem ad sacrificia descendit: *Hinc est quod eundem rudem populum à quibusdam prohibuit: quædam verò ei in usum pristinum servavit, sed hæc ipsa tamen in melioris vitæ figura composuit. Bruta namque animalia idolis in Ægypto mactabant; eique in usum postmodum animalium mactationem retinuit, sed idolorum cultum vetavit: ut dum de usu suo aliquid amitteret, consolaretur ejus infirmitas per hoc quod de usu suo aliquid haberet.* Et moderandæ istiusmodi dispensationis causam priùs exponens: *Neque enim mentes usui vitæ carnalis inhærentes, evelli ab infimis possent, nisi gradatim ducta prædicatione proficerent.*

Mor. l. 28. c. 18.

VI. Primasius. In Epist. ad Hebr. c. 10.

Primasius hæc verba Pauli enucleans: *Ideo ingrediens mundum dixit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt*, hæc adnectit: *Anteriores hostiæ ostenduntur his verbis inutiles esse ad integram perfectamque mundationem, & forma magis fuisse, nec esse acceptabiles Deo, quoniam ab initio non placuerunt ei. Non enim putandum quod omnipotens Deus nidore carnium & concrematione animalium unquam delectatus fuerit, licet legatur odoratus esse odorem suavitatis: sed fide & desiderio offerentis. Unde per Jeremiam dicit, Holocautomata vestra non sunt accepta, &c. Et per Esaiam, Ne offeratis ultra sacrificium, incensum abominatio est mihi; qui mactat bovem, quasi qui excerebret canem. Sed quæstio potest hinc oriri non modica: Quare imperaverit ut offerri debuissent, si illi non placuerunt, nec voluntatis illius fuit. Quæ gemina solutione potest solvi. Considerans omnipotens Deus animos Judæorum pronos ad idola colenda & ritum gentium imitandum, imperavit eis multa sacrificia offerre: ne otiosi sine sacrificiis sedentes, in cultum Deorum alienorum, dum vidissent alios offerre, inciderent. Maluitque sibi offerri à se creata quàm idolis dæmoniorumque portentis: imposuitque illis servitutem, non justificationem; quia non est ejus voluntas talia offerri.* Attexit exemplum Pauli, qui ait, *Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Et mox tamen viduis junioribus conjugia iterata condonat, nempè aliud voluntatis, aliud indulgentiæ esse significans. *Similiter non erat voluntas omnipotentis Dei talia sacrificia offerri, sed propter illorum infirmitatem præcepit.* Et aliam enodationem ejusdem dubii expediens ibidem ait: *Potest & ita solvi, ut quia futurum erat verum sacrificium Christi in Ecclesia, præceperit typum & figurativa sacrificia præcedere.* Vides ut cæteris per omnia assentiatur, nec voluntatis Dei fuisse sacrificia pecudum offerri, & comparatione tantùm dæmonum maluisse sibi offerri, & ad has Ægyptiacæ superstitionis reliquias saluberrimæ dispensationis necessitate cultum sui accommodasse.

Rupertus eandem complexus est sententiam: *Et notandum quod non jubente, sed tantùm permittente Deo tulit Abraam ancillam suam, ut saltem ex ea susciperet Sara filium, quia veteres cæremonias permisit quidem, sed non mandavit Deus Israelitis, sicut per Prophetam Jeremiam testatur dicens, Holocautomata vestra, &c. Non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum, &c. hoc præcepi eis, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, &c. Cæterum duo præcepta legis in his duobus pendentia, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & diliges proximum tuum sicut teipsum, patenter magis ad tabulas pertinent legitimi matrimonii: & quamvis primùm in monte Sina conscripta fuerint, nihilominus tamen & ante legem naturaliter valuerunt, & post legem servilem in libertate Evangelii amplius valent.* Parco pluribus.

VII. Rupertus. L. 4. in Gen. c. 24. Et L. 2. in Exod. c. 25. Et L. 5. de operibus sp. s. c. 11. &c.

Augustinus quoque tametsi capite secundo suprà visus sit in sacrificiorum laudem effusissimus, à cæterorum tamen Patrum consensu non deflexit: *De sacrificiis autem animalium quis nostrum nesciat, magis ea perverso populo congruenter imposita, quàm Deo desideranti oblata? Sed tamen etiam in his figuræ nostræ fuerunt, quia nostra mundatio & Dei propitiatio sine sanguine nulla est: sed illarum figurarum veritas Christus est, cujus sanguine redempti & mundati sumus.* Si sacrificia lex naturæ, si conscientiæ jus insitum præscriberet, ea utique Deo desideranti offerrentur, non fastidienti obtruderentur; ea non perverso populo imponerentur, pœnalis instar servilisque sarcinæ, sed tanquam naturæ officia liberaliter & cum voluptate persolverentur. Et rursùs: *Novit charitas vestra quod sacrificia illi populo pro ejus carnalitate & corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur ne in idola deflueret: & immolabant ibi sacrificia, boves & oves & columbas.* Non ergo ex primaria Dei voluntate, non sponte naturæ, non innatæ legis impetu viguerunt sacrificia, quæ data, id est, permissa magis, quàm jussa sunt illi populo, non pro necessario religionis obsequio, sed pro ejus carnalitate & corde lapideo: nec ut Deum ex Dei voto coleret, sed ne ad idola deflueret. Et alibi: *Quorum calumniis sic primitus respondemus, ut Deum legis & Prophetarum nec illa sacrificia delectaverint, ubi pecorum holocausta offerebantur, sed quod significativa fuerint, & quædam umbra futurorum, &c. fuisse autem etiam istam utilem causam, cur illa mutarentur, imò prohiberentur offerri, ne verè secundum carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus.*

VIII. Augustinus L. 19. contr. Faust. c. 16.

In Ev. Joan. Tract. 10.

In L. Jud. c. 49.

CAPUT V.

Sedatur pugna hactenus excitata circa sacrificiorum cruentorum necessitatem primò astructam, & inutilitatem postea exaggeratam.

I. Superior conflictatio multifaria

IN promptu est conflictatio superioribus capitibus demonstrata sententiarum, magna & authori-

sedari potest. Primò annuisse Deum sacrificiis, non ad sui cultũ sed ad pœnã Judæorũ ad ea prurientium: sed pœnam medicinalem.

thoritatis & argumentationis vi, sacrificia hinc extollentium, hinc deprimentium: nunc voluntati divinæ imputantium, nunc fastidio atque odio ejus: nunc legi naturæ & conscientiæ, nunc adventitiæ peregrinæque superstitioni illa adsignantium. Sedandæ hujus conflictationis via multiplex iniri potest.

Primò enim visum est nonnullis pecudum sacrificia fieri, Deum renuisse ad cultum sui: annuisse ad pœnam Judæorum, hac sacrificandi prurigine lascivientium, & ea ipsa pœnas dantium. Gravabantur enim molestissima ac negotiatissima servitute signorum ac rituum corporalium, scrupulositate ac multitudine sua illos interdiu noctuque ita distringentium, ut nec ad punctum temporis ab iis respirare fas esset. Irenæus: *At ubi conversi sunt in vituli factionem, & reversi sunt animis suis in Ægyptum, servi pro liberis cupientes esse, aptam concupiscentiæ suæ acceperunt reliquam servitutem, à Deo quidem non abscindentem, in servitutis autem jugo dominantem eis. Quemadmodum & Ezechiel Propheta causas tales legis datæ reddens, ait: Et post concupiscentiam cordis sui erant oculi eorum, & ego dedi eis præcepta non bona, & justificationes in quibus non vivent in eis.* Priùs autem ostenderat, Moysi à Deo nullas nisi Decalogi, id est, plenissimæ libertatis leges præsignatas fuisse: Quòd Dei voluntas, quòd lex æterna, quòd naturæ intellectualis dignitas ita ferret, ut liberali spiritalique cultu & ab illa trucidandarum pecudum operosa & permolesta fatigatione alienissimo atque expeditissimo constaret Dei religio. At ubi cervicosa gens & sensibilibus inexplicabiliter mancipata, à spiritali illa libertate omninò resiliit, tum illam & Dei voluntas jam ultrix, & lex æterna jam sæviens, & naturæ ipsius pronitas, eodem impetu ad culpam se atque ad culpæ pœnam præcipitans, operosæ illi servituti, sacrificiisque carnalibus tanquam pristino astrinxit. Et Tertullianus: *Quam legem non duritia promulgavit authoris, sed ratio summæ benignitatis, populi potiùs duritiam edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis.*

L. 4. c. 29.

L. 2. cont. Marc.

II. Sacrificia fastidiebat Deus, at per ea vetabat tamen, ne ab eo prorsus descisceretur.

Secundò. Quæ ergo sacrificia Deus nolebat ad religionem, volebat ad ultionem; volebat etiam ad ultionem impensiùs, quia non excidio, sed emendationi serviebat hæc pœna. Hac enim prægravati atque constricti urgentissima inextricabilique compede corporalium sacrificiorum ita distringebantur, ut otiari non vacaret, nec lascivire in idolorum ineptias. Rupertus: *Vincula enim quædam fuerunt propter transgressiones posita, scilicet, ut dum talium sacrificiorum vel festorum ritu detinerentur, non vacaret eis errare à Deo suo in suis adinventionibus & illicitis idolorum cultibus.* Itaque Deus religioni suæ adversa respuebat sacrificia, & eadem tamen ut religioni suæ obliquè famulantia deposcebat, dum per hæc quasi vincula constringerentur, ne ab ejus qualicumque dilaberentur cultu.

L. 1. in Exod. c. 25.

III. Nolebat sibi Deus victimas cædi, malebat tamen sibi, quam dæmoniis.

Tertiò, non mactari sibi volebat Deus pecudes, sed sibi quàm idolis malebat. Deo enim mactari ut infrugiferum, ut intempestivum, ut ingratum fuerit; at dæmonibus mactari, etiam exitiale erat. Simpliciter ergo refutabat cruentas immolationes lex æterna, legique æternæ obaudiens assonansque animæ natura & conscientia: at cùm morbus subiisset, per quem iis abstinere in totum non liceret: lex eadem æterna & conscientia comparatione idolorum, Deo vero potiùs immolare hortabatur. Nolebat ergo Deus sua sponte, volebat dæmonum comparatione: nolebat sibi, malebat sibi quàm idolo: malebat gentem sibi addictam ineptire quàm furere: malebat ludos ludere, quàm intemperias agere: puerascere, quàm in suam perniciem insanire. Hieronymus: *Non enim voluntate, sed idolorum comparatione mandavit, malens sibi offerri victimas quàm dæmonibus.* Et Origenes: *Sed &*

L. 2. adv. Pel.

Moyses ad duritiam cordis eorum pro consuetudine pessima, qua imbuti fuerant in Ægypto, mandavit eis, ut qui abstinere se non possent ab immolando, Deo saltem & non dæmoniis immolarent. Videndum tamen ne fortè sit & aliqua sacrificandi Deo occultior ac secretior ratio. Ne fortè, inquam, sacrificia quæ Deo offeruntur, ad destructionem fiant eorum sacrificiorum quæ dæmonibus immolantur: ut quia per illa vulnerantur animæ, per ista sanentur: sicut & ii confirmant qui medicinæ peritiam gerunt. Serpentum namque venena depelli medicamentis nihilominus confectis ex serpentibus perhibent. Ita ergo & sacrificiorum dæmonicorum virus per sacrificia Deo oblata depellitur. In Num. hom. 17.

IV. Nolebat carnalia sacra, utpote à spiritali cultu avocantia, volebat eadem ut carnali populo interim utilia.

Quartò, tum in primis execratus est Deus immolari sibi pecudes, cùm in hujusmodi exteriora obsequia ita projectos ac præcipites vidit, ut justitiam & misericordiam, & interiores pietatis opes ac religionis ipsam medullam omninò floccifacerent. Amat enim mens hominis peccato semel fascinata, & sensibus corporeis immersa, peregrinari à seipsa, & per exteriora quæque ac corporalia volutari voluptarique. Unde & virtutum spiritalium immemor, quæ intrò evocare & colligere eam satagunt, in sacrificia carnalia plus æquo ferebatur. Volebat ergo Deus & præcipiebat ea sacrificia, ut etsi puerilia, etsi parum tempestiva, qualiacumque tamen cultus sui monumenta: nolebat autem rursus, ut quæ à sincero cultu qui spiritalibus impenditur virtutibus, essent jam potiùs avocamenta. Irenæus ex scripturis id declarat: *Si quando autem negligentes eos justitiam & abstinentes à dilectione Dei videbat, per sacrificia autem & reliquas typicas observantias putantes propitiari Deum; dicebat eis Samuel quidem sic: Non vult Deus holocausta & sacrificia, sed vult exaudiri vocem suam. David autem ait: Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi: Docens quoniam obauditionem mavult Deus, quæ servat eos, quàm sacrificia & holocautomata, quæ nihil eis prosunt ad justitiam. Manifestiùs autem adhuc in quinquagesimo Psalmo de his ait: Holocaustis non delectaberis, sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. In eo qui est ante hunc Psalmo: Non accipiam de domo tua vitulos, &c. Immola Deo sacrificium laudis.* Et Theodoretus in c. 1. Isai. *Esaias vero: Holocausta arietum & sanguinem taurorum & hircorum nolo. Quoniam enim cum assiduè arguerentur, quòd cæteris virtutibus carerent, pro maxima defensione opponebant sacrificia, quæ assiduè peragebant, apposite hic Propheta, imò & alii omnes ab hac eos defensione deiiciunt. Ex quo manifestum est hæc illis non primario loco data fuisse, sed ut ad reliquam vitæ institutionem ea esset informatio. Quia vero iis neglectis quæ præcipua erant, & necessaria, in istis occupabantur, nec illa de cætero appetere se dicit Deus. Quis enim quæsivit hæc de manibus vestris? Vestri causa hæc ego toleravi, non quasi ipse his indigerem.* Itaque primùm quidem spiritalis omninò pietatis amantissimus Deus, nullis eam pecudum cruoribus respergi volebat. Deinde autem à spiritalium cœlo in cœnum sensibilium afflicto humano genere, & corporalibus penitùs infixo, materialia sacra sibi potiùs quàm dæmoni dicari volebat. At rursum cùm corporalia hæc sacrificia jactantiùs homines venditarent, eorumque obtentu, virtutum incuriosi, sua etiam vitia defensitarent, ea iterum detestabatur. Sed eodem hæc revolvuntur: nempè ad illud legis æternæ & incommutabilis caput quasi geminum & biceps, quo æquum est spiritalem naturam spiritali cultu Deum prosequi: & æquum rursus est eandem peccato in corporalia allisam, sauciatamque casu suo & ægram, iis incumbere in quæ cecidit, ut inde surgat, & per corporalia sacra ad spiritalium rursum spem eluctari. Gemina hæc est, aut una quidem, sed bifida, & quasi bicornis voluntas Dei, & lex sempiterna, & conscien-

L. 4. c. 32.

tiæ innata disciplina. Nec posterior priori pugnat, sed subjungitur & obsequitur.

V. Nolebat primaria & principali voluntate legis æternæ: volebat secundaria, & nostræ ægritudini accommodata.

Quintò, in voluntate Dei, in æterna lege, in æternæ legis discipula, naturæ rationalis conscientia, duo sunt regularum genera: alterum ex primaria institutione, alterum ex consequenti relaxatione; illud ex æternæ veritatis norma indeflexa, hoc ex ejusdem ad humanas ægritudines emollitæ temperamento. Et hoc sanè temperamentum sempiternæ legi & veritati non inimicum est, sed consentaneum: non adversarium, sed obsecundans: illi subhæret, illi adlaborat. Nam & ipsa veritatis atque justitiæ lex, indulgeri nonnihil ægris jubet, viresque eorum mollioribus fomentis reparari. Igitur sacrificia protelabantur, & præcipiebantur; nempè à sanis ex primaria & irretorta legis norma protelabantur: ægris & hoc delinimento infantiam suam lactari poscentibus, ex posterioris legis indulgentiori regula præcipiebantur. Similiter sacrificia non jubebantur, sed permittebantur, & tamen jubebantur: quia non jubebantur sanis, sed permittebantur infirmis: infirmis autem cùm ea quæ necessaria erant levandæ infirmitati blandimenta permittebantur, tum utique jubebantur. Ita Origenes aliique Patres supra relati, non aliter sacrificiorum legem, quàm ut repudii legem interpretantur, non sanè principali legi adversantem, sed illi famulantem, & eodem minori compendio, sed necessario anfractu contendentem. Et Chrysostomus: *Ut discas, quod illa voluntas Dei non fuerit principalis, ac prægrediens, sed ab illorum infirmitate sumpsit exordium, quæ de his est legislatio. Quemadmodum enim mulierem semel conjugatam repudiari nolebat, &c.* Una planè lex & conjugem repudiari vetat, & repudiari potiùs quàm occidi jubet.

In Num. hom. 7.

In Isaiam. To. i. p. 651.

VI. Nolebat ut adulti, volebat ut pueri sacrificia, ceu lac infantiæ, frequentarent.

Sextò, nolebat Deus sacrificia belluarum, ut in iis acquiesceretur, tanquam absolutissimis, nec ulteriùs provehendis Dei cultibus: volebat sacrificia eadem tanquam rudimenta puerilia, ac veluti prima elementa, quibus rudior humani generis ætas initiaretur ac veluti lactaretur, hincque vires pararet, quibus jam hanc lactis & elementorum fastidiret insulsitatem, & ad spiritalis cultus delicias properaret. Itaque cùm ad sacrificia pigritantes hortabatur, quasi parvulos ad sugendum infantiæ lac provocabat. Cùm rursus adversabatur ad carnalia sacrificia, diutiùs quàm par erat puerascentes, & infantiæ crepundiis insenescentes objurgabat, ut ad maturiora illos ac spiritalia urgeret. Cæterum rationalem naturam in hanc mentis infantiam lactisque necessitatem vitio suo defluxisse, ægrè semper ferebat. Nulla hic ergo vel voluntatis Dei, vel æternæ legis, vel conscientiæ innatæ conflictatio est. Quod puerili enim præcipitur ætati, vetatur adultiori: nec præcipitur puerili, nisi ut hac indulgentia convalescat & puerascere desinat, & jam quod permittebatur magis, quàm præcipiebatur, in totum prohibeatur. Conscientiæ quoque naturæ rationalis sed infirmatæ indoles, ad lactis blanditias, seu ad corporalem cultum inclinabatur, non tam naturæ, quàm ægritudinis seu naturæ ægræ ingenio: & ab eodem rursum adultior abhorrescebat. Chrysostomus: *Quid igitur ad ista dicemus, nisi quia pleraque quæ tunc dicta sunt, exigebat infirmitas eorum, qui legem accipiebant? Nam & victimarum nidore coli valdè indignum Deo est, sicut etiam philosopho balbutire indignum est, &c. Si verò hæc ab initio diaboli leges fuissent, nunquam in tantum utique profecissent. Nisi enim illa præissent, non tam facilè illa recepta fuissent. Noli igitur eorum desiderare virtutem, quorum usus jam præteriit. Tunc enim profectò valuerunt cum tempus petebat: imò si vis, etiamnunc. Nam modò quoque eorum virtus ostenditur hoc ipso quoque, quo maximè accusatur à nobis. Talia quippe nunc apparere illa, ipsorum est grande præconium. Nisi enim nos benè atque utiliter enutrissent, & ad susceptionem profectò majorum nos opportunos esse fecissent, nequaquam modò viderentur nobis talia. Sicut enim mamilla nutricis cùm omne sum impleverit officium, & puerum ad mensuram firmioris ætatis adduxerit, inutilis jam videtur: & parentes qui priùs necessariam esse filio suo mamilllam judicabant, mille jam postea irrisionibus prosequuntur.*

In Matth. hom. 17.

Sic ille scitè & acutè necessitatem sacrificiorum ex eorum posteà inutilitate comperta argumentatur. Ingens enim fuit eorum utilitas, ut inutilia deinceps comperirentur. Necessaria fuere parvulis, ut à majoribus tanquam supervacanea exploderentur. Eo enim ceu lacte infantia sustentata est aliquandiu, & ad id tandem robur perducta, ut lacte non indigeret. Itaque lactis utilitas tota eò vergit, ut lactis inutilitas postea constet. Lac præcipitur puero, adulto prohibetur; præcipitur, ut prohibeatur.

Adde Cyrillum. L. 2. adorat. in Spir. p. 56.

VII. Lex æterna & invariabilis unum præcipit charitatis sacrificiũ, sed pro suo gradu & modulo illud capiunt alii aliter, spiritales spiritaliter carnales carnaliter

Septimò, Deus summa unitas & incommutabilis veritas, atque invariabilis lex, unum atque idem ac perfectissimum semper præcipit intellectuali naturæ; sed suas præceptiones ita eloquitur ut suo modulo omnes audiant, spiritales spiritaliter, mediocres mediocriter, carnaliter carnales. Veritatem charitatis, charitatem veritatis, dilectionem Dei & proximi, spiritale sacrificium mentis Deo se per charitatis incendium, instar holocausti, immolantis, præcipit invariabiliter & incommutabiliter æterna lex & veritas Deus omni naturæ rationali. Jam aliter atque aliter alia atque alia ætas & qualitas animorum, simplex hoc præceptum exaudit atque interpretatur. Spiritalis enim & robustior ætas mentium spiritaliter & enucleatè assequitur legis consilium, & spiritali sacrificio charitatis se Deo mactat. Carnalis autem & puerilis ætas sensibus & sensibilibus oblimata, imaginatur protinùs sensibilia quædam sacrificia, carnalis amoris non disparia argumenta. Itaque non aliud & aliud præcipit simplicissima veritas, sed aliud & aliud capit creaturæ diversitas: non aliud & aliud illa loquitur, sed aliud & aliud hæc audit: aut si mavis, non aliud & aliud hæc audit, sed quod unum audit, aliter & aliter pro suo ingenio interpretatur. Charitatem sacrificiumque & sacrificium charitatis eloquitur, præcipitque lex æterna, mens autem creata carnalis carnalem charitatem, carnale sacrificium, spiritalis spiritalem charitatem & spiritale sacrificium imperari audit, & obaudit. Utque ne dubites quòd unum audiant creatæ mentes æternæ legis invariabile præceptum, adverte unum quoque esse quod ab iis præstatur obsequium. Unum enim est sacrificium spiritale atque carnale, sed illud hujus exemplar, hoc illius imitamentum, ut unus homo est, anima & corpus, ut una arbor est, medulla & cortex, ut unus homo est, carnalis carnale, & spiritalis postea spiritale offerens sacrificium. Unum planè est figura & veritas, unum nomine, unum consilio & scopo, ut unus cibus est lac parvulorum, esca adultorum, sed hæc in parvulorum solatium lactescit. Itaque unum in scopum collineant spiritalis carnalisque sacrificii antistites; sed non iisdem viribus, nec eadem acie, luce, industria collineant pueri & adulti; unde hi assequuntur scopum, illi aberrant, & humi affiguntur.

VIII. Et ubique ita solet una & æterna lex Deus, unum eloqui & præcipere, quod non uno modo omnes, sed pro suo modo singuli capiant.

Nec alienum erat ab incommutabili veritate, suam ad immortales animas elocutionem ita temperare, ut eam omnes utcumque caperent, nullus ejus exors omninò esset; quod jussisset, suo modulo exaudirent omnes, & sin minùs omnes assequerentur, omnes saltem æmularentur, sin minùs veritatem contingerent, certè per figuram conarentur. Nonnè & scripturas suas ita dispensavit, ut cùm idem omnes legant, non idem omnes intelligant? Nonnè & novi Testamenti mysteria ita aptavit, ut & implumes pulli, & elati contemplationis alites inde pascantur? Ita ergo & sacrificiorum Mosaicorum lex ab æterna lege nihil dissidebat,

bat, spiritalia enim sacrificia charitatis castissimæ ita præscribebat, ut ea quales legerent, talia intelligerent. Nonnè & à Patre sexcenties idem audit filiorum grex apud homines? sed quanquam idem audiunt, non idem tamen capiunt; nec similiter obaudiunt parvuli ad ubera penduli, & grandiusculi ad officium expediti. Enimverò si penitiùs introspicies in hæc arcana, per semet ipsam sempiterna & incorruptibilis veritas Deus rationali menti non loquitur, nisi ea quæ legis naturalis ac spiritalis officia sunt, hoc est, non loquitur, non præcipit nisi spiritale charitatis sacrificium. At ubi mens ita obduruit, ita obsurduit, ut hanc Dei vocem non exaudiat; ut quid veritas intima, quid lex summa velit, non capiat, ut nisi sensibilia nisi per sensus corporis sui nihil sentiat, tum non per semet illi Deus, sed corporea per corporeos mediatores, per Moysen, per Prophetas præcipiet. Deus enim summa ratio, summa veritas, summa & intima lex non loquitur, nisi intestino oraculo, non loquitur nisi aurem purgatam gerentibus, non loquitur iis qui foris projecerunt intima sua, & à seipsis extorres per regionem dissimilitudinis dispalantur; non loquitur summa ratio, summa veritas, intima lex iis qui sensu, consuetudine, authoritate agi possunt, at quid recta ratio, quid spiritalis veritas, quid intimum naturæ intellectualis jus jubeat, non capiunt, non assequuntur. Ad hos non loquitur Deus nisi per Moysen, ut & ipsi non dissimulabant. *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus.* Æquum enim erat hanc balbutiem legis ad pueros sese frangentis, per hominem potiùs Moysen, quàm per Deum exeri; æquum erat infirma per infirmos, corporea per corporeos dispensatores sacrificia mandari. Itaque carnalia sacrificia mandaverat Deus, & non mandaverat. Non mandaverat enim, quia voluntas Dei est bona, & beneplacens, & perfecta & perfectorum præceptrix; mandaverat autem quia est & voluntas dispensatoria, & misericors. Non mandaverat, quia summa & invariabilis veritas non præcipit, nisi unum spiritale sacrificium; mandaverat autem quia spiritale sacrificium illa præcipit eo temperamento vocum, ut & carnale carnales capiant. Non mandaverat, quia ad perfectionem spiritalem omnes lex æterna cohortatur; mandaverat, quia infirmos, ut per figuras eò conarentur, & conando roborarentur, ut possent, non abnuebat. Non mandaverat, quia summa & intelligibilis lex veritatis intus in schola pectoris nonnisi spiritalia spiritales docet animas; mandaverat autem quia non per se, sed per Moysen voluntatis legisque suæ mandata patefecerat. Non mandaverat ipse, qui unum quod perfectissimum est, loquitur; mandaverat, qui relaxari per dispensatores suos quidpiam siverat. Quocirca ubi ablegare adventitia illa omnia aggressus est postea Deus, atque corporalis cultus servitutem proscribere, non per vicarios mediatores, non per Moysen, aut Prophetam, sed per seipsum adfuit, & tanquam lex æterna, tanquam summa veritas, ad spiritalem & perfectissimam religionis sinceritatem nos revocavit. Nisi si libeat tibi eas quoque tenuissimas sensibilis sacramenti reliquias, quibus nostra quoque hîc obligatur Ecclesia, imputare illi carni, qua se veritas nobiscum versatura opacavit. At ubi in beata Patria Christum complectemur, non jam secundùm carnem, non jam hominem, sed totum Deum; tunc corporea exulabunt omninò velamina, & spiritale charitatis sacrificium in sempiternum ardebit.

IX. Ita ex Basilio. In c.1. Isaiæ. Basilius: *Holocausta arietum & adipem agnorum nolo. Lex ea reposcit, hic autem aversatur. Et cùm ne unum quidem jota prætereat à lege, donec omnia fiant, considera an fortè sermo hic indicet, quæ corporalia legis occurrunt, spiritaliter & sublimiore intelligentia exponi debere. Non enim arietem expetivi, ait, sed mentem, &c.* Et infrà: *Quis quæsivit hæc de manibus vestris? Vides quantam vim ac necessitatem inferat spiritali sensu legis mentem interpretandi? Si quis enim verba hæc legis confitetur data esse à Deo, ea autem quæ nunc temporis fiunt, non requirit Deus, in confesso est quia ratio nos eo adigit, ut mentem nostram sustollamus ad spiritalem ejus contemplationem.* Et paucis interjectis: *Scriptura omnis quæ de sacrificiis est & holocautomatibus, consentanea ei videtur ac similis, quæ in se complectitur misericordiam & dilectionem; quoniam lex tota veluti in summa colligitur in hoc: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vides ut materialibus verbis spiritalem legem describat promulgetque in sempiternum Deus, quam spiritales spiritaliter audiunt capiuntque, carnales carnaliter consectantur. Quemadmodum enim transeuntibus & corporalibus vocibus intelligibilis veritas explicatur quandoque & commendatur, ut voces effluant, veritas influat animo & inhærescat: ita corporalibus sacrificiis ceu verbis spiritale charitatis holocaustum describebat & imperabat Deus, ut illa tanquam signa semel intellecta abiicerentur, charitas autem quæ significabatur, constanter prehensaretur. At imperita Judæorum infantia signa & voces amplexata est, in iisque tanquam puerilibus crepundiis lusitavit diutiùs, donec adolesceret, intellectaque signorum veritate quam Deus effabatur, signa ipsa abiiceret.

Cyrillus similiter: *Etsi enim Moyses locutus est de victimis & hostiis, ea tamen cultus ratio antiquitus minimè fuit accepta. Nimirum quia per figuram & umbram ad veritatem erudiri oportebat, legalia constituta sunt usque ad tempus instaurationis, nec ita tamen constituta, quasi verè Deo grata. Nec omninò & absolute de sacrificiis legalibus est locutus: at quia infirma mens erat eorum, qui hisce rudimentis instituebantur, per typum & umbram ad veritatem quasi manuducebantur.* Et alibi: *Non erat mendax Moyses, sed divinorum potius oraculorum sincerus administer. Et lex quidem quæ libera continebatur, emendatrix erat insipientium & magistra infantium, & ceu quibusdam elementis ac disciplinarum notioribus principiis uti jubens, in typis assuescere meditando veritatem permittebat, & in puerilibus exercitamentis interim versari. Vix enim fieri poterat, ut Israelitæ qui animum ad pietatem recens formatum habebant, adorationem & cultum in spiritu & veritate implere valerent.* — X. Et ex Cyrillo. Orat. 1. in Isaiam. L. 9. contr. Jul.

XI. Ex Justino. Justinus autem Dialogo cum Tryphone: *Itaque sacrificia à vobis non recipit, neque primitus tanquam penuria laborans hæc præcepit vobis, sed propter delicta vestra. Quod si ista ad hunc modum non fuerimus professi, eveniet nobis, ut in absurdas incidamus cogitationes, quod non idem Deus temporibus Enochi & aliorum omnium fuerit; qui neque circumcisionem, quam in carne non habebant: neque Sabbathum servaverunt, neque alia insuper quæ Moyses fieri præcepit: aut quod non eadem eorumdem justa semper genus omne hominum exequi voluerit. Quæ sanè ridicula & stulta ad profitendum esse apparent. Per causam verò & culpam hominum peccatorum, Deum qui idem semper est, ita & his similia sanxisse si profiteamur, eum ipsum perhumanum & futurorum præscium & locupletem & justum & bonum esse, ut est, decreverimus.* Ita ille invariabilem quandam justitiæ legem Deum esse demonstrat, quæ rationali creaturæ eadem semper immineat, eadem semper præcipiat, veritatem videlicet charitatis & spiritale amoris incorrupti holocaustum: si quà verò in divino cultu per locorum temporumque discrimina extiterit varietas, eam ex naturæ rationalis ægritudine profectam esse, quæ legem æternam eadem sancientem non eodem modo audierit vel intellexerit: sed quæ illa spiritaliter & æternaliter præcipiebat, hæc jam carnalis carnaliter & temporaliter interpretata sit.

XII. Ex Hieronymo. In c.1. Isaiæ. Idem concludit Hieronymus, ex eo quòd juxta Paulum lex spiritalis sit: *Hostia ergo & immolatio*

latio victimarum non principaliter à Deo quæsita sunt, sed ne idolis offerrentur. Et ut de carnalibus victimis quasi per typum & imaginem ad spiritales hostias transiremus. Dicendo autem se hostias non quæsisse, ostendit, quia lex spiritalis sit, & omnia quæ Judæi carnaliter faciunt, à nobis impleri spiritaliter. Lex ergo spiritalis est, & spiritaliter interpretanda, spiritaliter exequenda. Etenim cùm per Esaiam negat Deus postulata à se unquam sacrificia, satis superque innuit, se sacrificia postulasse, non ut carnaliter exhiberentur, sed ut spiritaliter intelligerentur.

XIII. Ex Irenæo. L.4. c.8. Irenæus autem: *Præstruens eos perseverare & servire Deo, per ea quæ erant secunda, ad prima advocans, hoc est, per typica ad vera, & per temporalia ad æterna, & per carnalia ad spiritalia, & per terrena ad cælestia. Quemadmodum dictum est Moysi: Quoniam facies omnia juxta typum eorum quæ vidisti in monte. Quadraginta enim diebus discebat tenere sermones Dei, & characteres cælestes, & imagines spiritales, & præfigurationes futurorum.* Viden ut lex æterna & Dei voluntas non intueretur, nisi ad vera, & æterna, & spiritalia, cælestiaque sacrificia, ea imperaret, ea loqueretur, sed iis verbis, quæ carnales intelligerent, nempè carnalibus: ut per verba carnalia ad excutiendum carnalem sensum, ad induendum spiritalem affectum admonerentur? Itaque non verba tantùm quibus consignata erat lex Mosaica, & quæ pauci lectitabant, sed ipsa sacrificia quæ jugiter in templo peragebantur, verba erant Dei materialia, quibus lex æterna & spiritalis Deus rationalem naturam hortabatur ad spiritale charitatis sacrificium procurandum, & a carnalibus sacris ad intelligibilem religionem prolectabat.

XIV. Ex Augustino. Civit. L.10. c.5. Augustinus: *Nec quod ab antiquis Patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc populus Dei legit, & non facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc tantum ut inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. Unde ille: Si voluisses, inquit, sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis; sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernet. Intueamur quemadmodum ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dixit, hoc significatur quod eum velle subjecit. Nam si ea sacrificia quæ vult, quorum hoc unum est, cor contritum & humiliatum dolore pœnitendi, nollet eis sacrificiis significari, quæ velut sibi delectabilia desiderare putatus est, non utique de his offerendis in lege veteri præcepisset.* Una ergo Dei vox, una lex, una voluntas, spiritalis sacrificii, seu geminæ dilectionis invariabiliter præceptrix, una inquam & incommutabiliter eadem lex est, seu intelligibili ratione animæ rationali præcepta sua insusurret, seu corporeis vocibus eadem insonet, seu rebus quibusdam corporalibus & stabilioribus, putà toto cultus Mosaici instrumento eadem significet. Una semper lex, una justitiæ regula, una Dei voluntas, una spiritalis sacrificii præceptio, sed alio & alio vocum genere inculcata. Unde ibidem Augustinus: *Et in hujus Prophetæ verbis utrumque distinctum est, satisque declaratum illa sacrificia per seipsa non requirere Deum, quibus significantur hæc sacrificia, quæ requirit Deus. Ac per hoc ubi scriptum est: Misericordiam magis volo, quàm sacrificium, nihil aliud quàm sacrificium sacrificio prælatum oportet intelligi: quoniam illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii. Porrò autem misericordia verum sacrificium est, unde dictum est (in Epistola ad Hebræos) Talibus enim sacrificiis placatur Deus.* Et tandem concludit quò spectet totus sacrificiorum apparatus: *Quæcumque igitur in ministerio tabernaculi sive templi multis modis de sacrificiis leguntur divinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei & proximi significandam referuntur. In his enim duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Et alibi: *Significativa sunt autem omnia talia sacrificia, & quarundam rerum similitudines, quibus admoneri nos oporteat ad ea ipsa, quorum similitudines sunt, sive scrutanda, sive noscenda, sive recolenda.* Ep. 49. q. 3. Et rursus: *Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia?* Contra Faustum L.19. q.16. Præcipiebantur ergo illa sacrificia, non tanquam vera sacrificia, sed tanquam veri sacrificii signa.

XV. Ex Tertulliano & Gregorio Magno. L. 5. cont. Marci. Tertullianus: *Quid stultius, quid infirmius, quàm sacrificiorum cruentorum & nidorosorum holocautomatum à Deo exactio? Totum quod sciam vetus Testamentum omnis hæreticus irridet. Stulta enim mundi elegit Deus, ut confundat sapientia, &c. Hanc dicit sapientiam in occulto fuisse, quæ fuerit in stultis & pusillis & inhonestis, quæ latuerit etiam sub figuris allegoricis & ænigmatibus, revelanda postmodum in Christo.* Et paulò pòst: *Creator vero tam ipse notus, quàm & sacramenta ejus, palam scilicet decurrentia apud Israel, sed de significantiis obumbrata, in quibus sapientia Dei delitescebat: inter perfectos narranda suo in tempore, proposita verò in proposito Dei ante secula.* Sapientia ut vides eadem apud Deum proposita in incommutabili proposito ejus ante sæcula, sed nunc delitescens in figuris allegoricis & ænigmatibus, nunc per Christum prompta & evoluta, sed jam tum per figuras idem commonstrans oculatioribus, quod nunc per Christum propalatum est omnibus.

Adde authoré Operis de Operibus Chr. Cardi Ser. de Circumcis. Sed nil præclarius in hanc rem, quàm apud Cyprianum ex authore operis de Operibus Christi cardinalibus, sermo de ratione Circumcisionis.

CAPUT VI.

Ut eadem pugna sedetur, demonstratur non deberi Deo post peccatum nisi sacrificium mortis Christi, cujus & imitamenta & præsagia fuere cætera sacrificia.

NOno, & postremo loco ad placandam hanc compugnantiam sententiarum circa cruenta sacrificia fluctuantium, adverte ex hac ipsa conflictatione emicare & quasi scintillare veritatem. Deberi enim Deo sacrificium, ex legis æternæ imperio, ex Dei optimi maximi præcepto, ex naturæ magisterio per omnium gentium consensionem roboratissimo abundè patuit. Rursus intempestiva esse pecudum sacrificia, Deo nauseanti obtrusa, ab eodem sæpiùs cum fastidio repudiata, multis postea argumentis patefactum est. An ergo seipsos homines Deo spontanea morte mactabunt? at quæ maculatæ hostiæ, maculosique Sacerdotis utilitas? quæ non à cæde hominum abhorreat humanitas? An spiritalibus tantùm sacrificiis Deo perlitandum est? At vulgus hominum sensibus & sensibilium fœcibus immersum, ad spiritalium meram sinceritatem & castimoniam non assurgit, & materiali aliquo sibi sacramento tanquam infirmitatis suæ necessario adminiculo sublevari se flagitat. Intestino hoc ergo conflictu exagitata mens hominis, quò se nisi ad Deum convertat, ut procuret ipse sibi hostiam & antistitem, cui nec temperamentum ad carnalium ægritudinem relevandam, nec spiritalis veritas ad intellectualis naturæ sublimitatem pascendam, nec sanctitas desit, ad omnium maculas eluendas, ad sanctitatem omnibus irrigandam? Hæc porrò sanctitas exors maculæ, & emaculandæ sanctificandæque universæ rationali naturæ par, hæc veritas, hæc charitas, hæc ad carnalium imbecillitatem apta temperies per corporale aliquod sacramentum, id

I. Verissima pugnæ hujus conciliatio est, naturæ ægré voce & legis æternæ jussu sacrificium deberi Deo, ejusmodi sanctitatis, charitatis, & contéperationis, cujusmodi nō est, nisi Christus.

verò

verò est quod à nobis Christus vocatur & intelligitur. Christum ergo præsagiebant, qui ex legis æternæ intimæque impulsu, qui ex naturæ conscientiæque innato instinctu, cùm sacrificare Deo gestirent, nec parem Deo victimam invenirent usquam, quod ad manum erat, obtrudebant, pecudum gregem; sed hujus sacrificii imparitatem nec ipsi dissimulabant.

II. Ideo ex Ambrosio Abraham extruxit aram, hostiam nō obtulit.

Pulcherrimè Ambrosius describit Abrahamum patrio egressum solo, in Chananitide eo loco aram extruxisse, ubi apparuerat ei Deus, nequaquam autem sacrificasse; quod nempè innatæ religionis stimulo impelleretur ad sacrificandum: ideoque aram construxerit: at cùm deesset victima tantæ rei par, consilii dubius pendulusque hæsit, & sacrificare distulit, dum de Christi sacrificio expectando cœlitus commoneretur, interim autem, vel per Isaaci perfunctoriam oblationem, vel per Melchisedeci incruentam immolationem præformando. [L. 1. de Abr. c. 3.] *Statuit autem aram, sed non sacrificavit. Posset movere, nisi meminisset processus mentis hujus Scripturæ serie servari. Et ideo spectabat à Deo genus discere sacrificandi. Advertebat enim irrationabilis animantis & mutæ pecudis sacrificium dignam divino cultu hostiam non videri. Nondum in Isaac typum cognoverat passionis futuræ. Nondum Melchisedec dederat ei benedictionis gratiam, ut ista cognosceret.* Vides quò spectaret hęc pugna sententiarum in Abrahami mente sese collidentium? Urgebat natura & religio sacrificare, vetabat ratio pecudes mactare, aut ab iis sanctitatem opperiri, quid ergo opus facto? Hærebat Abraham, ut naturæ obsequeretur, jam aram constituerat, ut rationi ne refragaretur, à pecudum occisione manum continebat, cœlum tundebat precibus, ut digna Deo hostia unde donaretur, nec incassum, ostensa enim ei Christus victima, olim immolanda, tum, utcumque posset, per pecudis immaculatæ cædem æmulanda.

III. Ideo ex Augustino Deus hostias per legem jubebat, per Prophetas ablegabat, ut melior hostia quæreretur.

In eodem vado alternabant & alii complures, quos non naturaliter tantùm insita religionis ratio & hinc ad sacrificandum stimulabat, & hinc à pecudum cæde deterrebat, sed & Scriptura divinitus inspirata jam hostias jugulare, jam superfluitatem istiusmodi jugulatarum pecudum advertere cogebat. Et hoc dubitationis inexplicabilis æstu patiebatur Deus illos consultò fluctuare, ut vota eis extunderet melioris & opimioris victimæ à Deo efflagitandæ, in qua sanctitatis fons scateret, & ad omne genus hominum expiandum castificandumque exundaret. Augustinus: [l. 6. contr. Faust. c. 5.] *Magis enim quia & per Prophetas Deus sæpe testatur nullius se talis muneris indigere: & facile est ratione prospicere, quòd nec ejus rei egeat, qui nullius eget: compellitur humanus animus inquirere, quid nos per hæc docere voluerit, qui utique non frustra ea quibus non indiget, sibi juberet offerri, nisi aliquid in eis ostenderet, quod nobis & nosse prodesset, & talibus signis præfigurari oporteret.*

IV. Ideo & Gentiles hortatu naturæ sacrificabant, sed cui & quò, vel ipsos pudebat sui erroris.

Quin & Gentilium prophana sacrificia, nòn obscuris argumentis expectandum Christi sacrificium portendebant. Ut enim ex portentosis quibus illi procidebant numinibus, unius summi Dei veritas non levibus conjecturis patescebat, ira ex superstitioso ritu quo deorum suorum monstra prosequebantur, emicabant verissimæ religionis lumina. Ex ingenita enim unius veri Dei & anticipata conscientia agebantur in reverentiam numinis, sed illudebat tam pulchro conatui cupiditas & consuetudo sensibilium, quibus infixi penitùs erant, ut nec numen imaginari nisi corporeum possent; & quæ sibi cumque pulcherrima occurrerent corpora, iis nihil melius esse, nihil pulchrius opinati, tanquam numinibus acciderent. Non aliter planè cùm impelleret naturæ vox interioribus mentis auribus insonans, Deo sacra facere, & insigni quopiam sacrificio gratiam ejus promereri, cùm ipsa ægræ naturæ vox, quasi necessarii sibi medicamenti, ut non rarò usuvenit, præsaga, sensibili aliquo sacrificio urgeret Deo facere satis, pecudes immolare suadebat vel error à sensibus similiter manans, vel melioris impræsentiarum victimæ desperatio. Cùm tota ergo idololatrię superstitio non esset, nisi immane quoddam naturæ rationalis peccato dementatę & insanientis deliramentum, non usque adeo tamen exciderant omnia naturę & veritatis magistrę insita præjudicia, ut non eorum emicarent interdum reliquię, ut solent delirantibus & insanis excidere non rarò aliqua prioris disciplinę ac pietatis qua imbuti fuerant veluti frustula residua. Accedebat autem & dæmonum fallacia, id sacrificium quod uni vero Deo debere sibi conscii erant, ęmulantium, & ad seipsos detorquere satagentium. Sicut autem ut divinitatis opinionem sibi compararent nequissimi spiritus, fucum faciebant naturę nostrę, in deitatis fidem jam proclivi naturaliter, sed originali ęgritudine ineptienti & decipi facili, non aliter ut Deo debita sacrificia ad se traducerent, imponebant naturę jam ad sacrificium Deo offerendum suopte impetu incitatę. Augustinus: [Con. Faust. L. 20. c. 18. 21] *Volo mihi dicatis, unde ista omnia quæ laudatis in vobis, his nominibus appelletis, ut dicatis templum, aram, sacrificium? Si enim Deo ista vero non debentur, cur laudabiliter in vera religione prædicantur? Si autem Deo vero verum sacrificium ritè debetur, unde etiam divini honores ritè appellantur, cætera quæ dicuntur sacrificia, ad similitudinem fiunt cujusdam veri sacrificii. Hæc autem partim sunt imitamenta falsorum & fallacium Deorum, hoc est, dæmoniorum superbè sibi ab eis quos deceperint, divinos honores exigentium, sicut sunt vel erant omnia in templis idolisque gentilium: partim prædicamenta unius venturi verissimi sacrificii, quod pro peccatis omnium credentium offerri oporteret, qualia erant præcepta divinitus antiquis patribus nostris.* Et ibidem: *Proindè verum sacrificium quod uni vero debetur Deo, quo ejus altare solus Christus implevit, in victimis pecorum imitata dæmonia sibi arroganter exposcunt. Hebræi autem in victimis pecorum quas offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrant futuræ victimæ quam Christus obtulit.* Et infrà: *Tantum interest inter sacrificia paganorum & hebræorum, quantum inter imitationem errantem & præfigurationem prænunciantem.* Quod autem inesset gentilibus unius Dei anticipata naturaliter sententia, ibidem tradit: *Discat Faustus, non ex gentibus nos habere monarchiæ opinionem, sed gentes non usque adeo ad falsos Deos esse delapsas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo est omnis qualiscumque natura.* Unde ut ibidem subiicit Augustinus, quasi errorum suorum pertæsi Gentiles, corporeos Deos per mysticas allegorias sublimare laborabant; verùm hæc erant naturę necdum emortuę, sed valdè infirmę irrita conamina, ut quę magis posset errores suos suspicari & erubescere, quàm veritatem eliquatissimè comperire.

V. Rursus ut sola mors Christi illud sit sacrificium, quod naturæ conscientia meditabatur, quod Judæi adumbrabant, quod Gentiles ementiebantur. Ita Augustinus.

Jam dilucidè constat id sacrificium quod lex æterna jubat offerri, quod Dei voluntas, quod naturę vox, quod animę conscientia Deo destinat, nonnisi per Christi mortem offerri. Illud unum sacrificium Deo debetur, illo uno Deus propitiatur, illo uno genus humanum emundatur. Illud Hebræi religiosis pręmonstrabant figuris, illud Gentiles pręposteris imitabantur hostiis, illud dęmones mendacibus ęmulabantur sacris. Illud unum denique natura animę ęgra, sed inseminatę veritatis non omnino cassa, suspirabat, illud etiam inter somniandum delirabat, illud erroribus ipsis suis mentiebatur, illius intimo & clandestino suspirio reliqua omnia facilè fastidiebat, illud meditabatur cùm pecudes cędebat, sed harum statim inutilitatem philosophabatur, illud sciendo nesciebat, illud quodam ęgritudinis suę ingenio subodorabatur, ideo nunc pecudes, nunc homines quasi tentabunda sacrificabat, & mox horum pertęsa, nescio quid amplius digniusque quęritabat; illud denique

semel

semel adepta, omnia statim reliqua sacrificia semel damnavit & in totum abolevit. Debetur itaque natura hortante sacrificium Deo: nec tamen pecudum sacrificia debentur: quia nisi mors Christi nullum Deo sacrificium debetur. Atque adeo sublata de medio est pugna omnis illa, qua visi fuerant inter se sancti Patres conflictari. Augustinus: *De sacrificiis verò nihil aliud mihi paganus objiceret, nisi cur apud eos illa reprehendamus, cum in nostris veteribus libris talia sibi Deus noster jussisse legeretur offerri. Hic ego de vero sacrificio latius fortasse disserens demonstrarem, id non deberi nisi uni vero Deo, quod ei unus verus sacerdos obtulit, mediator Dei & hominum: cujus sacrificii promissivas figuras in victimis animalium celebrari oportebat propter commendationem futuræ carnis & sanguinis, &c. Hujus itaque veri sacrificii sicut religiosa prædicamenta Hebræi celebraverunt, ita sacrilega imitamenta Pagani. Antiqua enim res est, prænunciativa immolatio sanguinis, futuram passionem mediatoris ab initio generis humani testificans. Hanc enim primus Abel obtulisse in sacris literis invenitur. Non igitur mirum est si prævaricatores Angeli, quorum duo vitia maxima sunt, superbia atque fallacia, per hunc aërem volitantes, quod uni vero Deo deberi noverant, hoc sibi à suis cultoribus exegerunt, à quibus dii putari voluerunt, dante sibi locum vanitate cordis humani.* Ita ille mortem Christi interpretatur, unum illud esse sacrificium, quod Deus ambiat, quod uni Deo debeatur, quod per figuras Mosaicas prægustaret quodammodo Deus, quod dæmones æmularentur, quod Gentiles suspicabantur, & veris ipsi quoque figuris perinde ut Hebræi obumbrassent, nisi præclara conamina error ab origine vitiata insitus, & amor sensibilium illusisset, & ingruens dæmonum astutia intercepisset.

L. 22. con. Faust. c. 17.

VI. Idem Augustinus: *Ea religio commendatur, quæ omnibus cœlestibus terrestribus infirmisque sacrificari vetat, uni Deo tantum jubens, qui solus diligens & dilectus, beatos facit: eorumque sacrificiorum præfiniens tempora imperata, eaque per meliorem sacerdotem in melius mutanda prædicens, non ista se appetere, sed per hæc alia potiora significare testatur.* Et infrà: *Ipse offerens, ipse oblatio Christus. Cujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cùm ob hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multùm commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* Et alibi: *Sacrificium & oblationem noluisti, ait Psalmus Deo. Antiqui enim quando adhuc sacrificium verum quod fideles norunt, in figuris prænunciabatur, celebrabant figuras futuræ rei, multi scientes, sed plures ignorantes. Nam Prophetæ & sancti Patriarchæ noverant quod celebrabant; cætera autem multitudo carnalis sic erat, ut fieret de illa, quod significaret posteriora ventura: & venit sublato illo sacrificio primo, sublatis holocaustis arietum, hircorum, &c. Noluit illa Deus. Quare illa noluit? Quare primò voluit? Quia illa omnia quasi verba erant promittentis, & verba promissiva, cùm venerit, quod permittunt, non jam enunciantur.* Et sexcenta sunt loca alia apud eundem, quibus claret non alium antiquis sacrificiis scopum præstitutum fuisse, non alium ex iis fructum decerpi potuisse, quàm ut sacrificio Christi crucis tanquam præludia quædam præcurrerent, illud conarentur, illud adumbrarent, illius spem solarentur, illius fidem consignarent, illius gustum & odorem aliquem prævium simularent. Quamobrem & ea volebat Deus, quandiu eo consilio fieri spectabantur: ea rursum Deus abominabatur, cùm in iis imperitorum religio conquiescebat.

Ita rursum Augustinus.

Civit. l. 10. c. 17. 20.

In Psal. 39.

VII. Et Chrysostomus. Chrysostomus quoque Augustino consentit. Nam de sacrificiis Hebræorum agens, ait: *Neque enim Deum hæc oblectabant: & hæc quidem omnia dispensatione quadam divina facta esse ex eo cognoscere licet, quod is qui per Moysen varia sacrificiorum genera & concedit, & mandat, per Prophetas ea quæ ejuscemodi concessione fiebant, abroget: idque argumentum est, illum tanquam infantibus lac concessisse, non cibum dedisse.* Et paulò pòst: *Concessit itaque jam olim sacrificia, non quia placerent, sed quia hoc modo initiatos quasi refingere & veriori pietate imbuere vellet. Sic ergo cùm proposito Judæorum pluscùlum indulgeret, in illa ipsa concessione imaginem quandam rerum futurarum præfigurabat: ut licèt sacrificium illud per se quidem inutile esset, saltem significatione sua & notatione utilitatem aliquam afferret. Itaque sacrificia illa Deo grata non erant, neque ex sententia animi ipsius offerebantur, sed concessione quadam & permissione. Quibus quidem omnibus signum quoddam Deus & imaginem rerum futurarum impressit, œconomiæ scilicet Christi: ut licèt per se grata non essent, saltem propter eam rem, quam præ se ferebant, placerent.* Alibi duplicem discriminat Dei voluntatem, alteram qua sacrificia propter seipsa noluerit, alteram qua eadem voluerit propter indulgentiam & mysticam Christi significationem.

To. 6. p. 268.

In Epist. ad Hebr. hom. 18.

VIII. Et Anselmus. Anselmus, vel potiùs Honorius Augustodunensis in Elucidario: *Cur concessit Deus Judæis legalia sacrificia, cùm non auferrent peccata? Ne idolis immolarent; quem ritum in Ægypto positi didicerant. Ideo enim tanto tempore circumduxit eos per Eremum, ut hunc morem oblivíscerentur. Et propter aliud: sicut Judaicus populus erat figura, imò umbra Christiani populi, ita umbra in eo debuit præcedere veri sacrificii. Postquam autem vetitas Christus venit dare benedictionem, qui legem dederat, umbraticis hostiis finem imposuit, & singulare sacrificium quod aufert peccata, seipsum offerens instituit.*

IX. Gregorius Papa. Gregorius Papa: *Bruta animalia Idolis in Ægypto mactabat: eique in usum postmodum animalium mactationem retinuit, sed idolorum cultum vetavit; ut dum de usu suo aliquid amitteret, consolaretur ejus infirmitas per hoc, quod de usu suo aliquid haberet. Mira autem dispensatione consilii, quod ei Dominus de consuetudine carnali retinuit, hoc in figuram spiritus potentiùs vertit. Quid enim sacrificia illorum animalium, nisi unigeniti mortem designant? Quid sacrificia illorum animalium, nisi extinctionem carnalis nostræ vitæ significant?*

Moral. l. 28. c. 9.

X. Cyrillus. Cyrillus: *Veritate enim inquit nondum præsente, concessi ut typi juvare possent peccatis implicitos, ipsius veritatis reverentia etiam hoc faciens: qua præsente jam ac demonstrata, imbecillis figura est & umbra parum efficax.* Hinc nimirum pretium & honos conciliabatur priscis sacrificiis, quòd verum sacrificium obumbrarent: tanti enim veritas est, ut vel ejus umbræ in pretio sint.

L. 1. Orat. 1. in Isaiam.

XI. Eusebius. Eusebius Cæsariensis: *Proindè dum nulla præstantior, neque major, neque pretiosior, neque Deo convenientior victima hominibus aderat, sacrificia interim ex animalibus pro sua ipsorum vita redimenda, & quoddam quasi naturæ propriæ animatum pretium, ipsi Deo reddere illos convenienter oportebat; sicut etiam Dei veteres amici & cultores faciebant: qui venerabilem quandam & Deo acceptam & magnam hostiam venturam olim ad homines divino indicante Spiritu tantò ante didicerant, quæ totius mundi expiatio existeret; cujus etiam signa quædam & notas ipsi interea obirent atque perficerent.* Ut pecudes enim Deo mactarent, hac eos ratione adductos fuisse præmonuerat, ut cùm suo ipsorum capite expianda delicta sua intelligerent, brutorum vitam pro sua suggererent: unde & manus imponebant victimæ, quasi sui vicariæ, & in locum suum subrogatæ. *Etenim cùm morum sanctitate præstarent, Deoque penitùs addicti essent, & ob eam rem quasi divino spiritu illustrati viderent magno sibi opus esse obsequio, si sua ipsorum humana delicta diluere vellent, pretium pro salute sua ei qui vitam atque animam præbuisset, se debere putabant. Sed cùm nihil præstantius, aut pretiosius anima sua haberent quod dicarent, pro hac interim brutorum anima-*

Demonst. Evangel. l. 1.

animalium vitam offerebant, &c. Nam capiti victimæ unumquemque dum sacrificatur, manus habere injectas imperat, & ad sacerdotem animal ipsum adducere capite comprehensum atque detentum, quasi qui pro suo ipsius capite hostiam exhibeat. At quis putet eos tam obesæ naris fuisse, ut non pluribus suboleret hujus victimæ vilitas, dum pro homine pecus subrogatur? Nec tamen homo mactandus erat: nam & vetabat humanitas, & ipsa talis victimæ tot sordidatæ vitiis contaminatio. Jactabant ergo spem suam in hostiam à Deo affuturam olim, cui interim pecudum mactationibus, quando aliud non affulgebat solatium, præludebant, *Ex quo quidem prisci illi, Deoque grati viri, cùm præstantiora non haberent, meritò signa ipsa attendebant.*

XII. Ex animæ conscientia multa exculpi argumenta fidei Christianæ: quia regnû Dei intra nos est. Deuteron. c. 30. v. 11. Porrò ex antedictis perspicuè elucescit quàm verè Moses cùm de Christo scriberet, hæc commendarit: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre: ut possimus audire & facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum.* Hæc in Christum interpretanda esse suadent non illa tantùm verba Christi, quibus ait Moysem de se scripsisse, id est, ut commentatur Augustinus, non nisi de se scripsisse: non enim ait: De me etiam ille scripsit: sed absolutè: Ille de me scripsit. Verùm etiam authoritas cogit Pauli: *Quæ autem de fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* (Rom. 10. c. 6.) Ex his claret non longè accersenda, nec magno anfractu deducenda esse fidei Christianæ præsidia, sed ut ait Christus ipse, *Regnum Dei intra vos est.* Atque adeo compendio totam fidei nostræ philosophiam ex ipso animi nostri penetrali hauriri posse. Si nos ipsi enim excutiamus, advertemus in nobis complura testimonia animæ naturaliter Christianæ, ut loquitur Tertullianus; nec ea tantùm testimonia, quibus Dei unius summi & veri majestas significetur, sed & ea quibus unius mediatoris Dei & hominum veritas describatur. Etenim ut animæ natura opificem suum loquitur, ita animæ ægritudo medicum suum invocat. Ex naturæ integræ contemplatione enitescit, qualis quantusque sit ejus conditor, ex naturæ ægræ perscrutatione nihilo obscuriùs patescit, qualis quantusque optandus illi sit restaurator. Animæ incolumis perfectio formam præfert principalem ei impressam, animæ infirmatæ ægritudo medicinam declarat ei adhibendam. Sed non ea tantùm hic attendimus, quæ ex animæ seu natura seu ægritudine demonstrari possunt, sed ea vel maximè quæ anima ex naturæ vel ægritudinis suæ ingenio suspicatur, & interdum apertiùs philosophatur. Nam etsi Gentilitiis superstitionibus excantata, interdum tamen erumpit in eas voces, quæ unum Deum verum contestentur, quid mirum ergo si & in eas etiam & suspiciones & voces quandoque ebulliat, quæ unum verum medicum & medicamentum suum, Sacerdotem & sacrificium suum vociferentur? Si authoris sui conscia sibi est, etsi hanc conscientiam vel non advertat ipsa, vel dissimulet, quin & reparatoris sui clandestinam gerat præsensionem, etsi hanc terrenis obruta curis minùs intelligat? Si animam natura magistra anticipatis prænotionibus informavit de authore suo, quin informaverit etiam de eodem, ubi periisset, restauratore suo? Et hoc enim pertinebat ad naturæ integritatem, ut naturaliter sentiret, & cui se deberet integram, & cui se post casum quemlibet, redderet integrandam? Num non & mutæ animantes natura duce medicinam sibi faciunt, & morbi ipsius instinctu ad salubria incitantur medicamenta? Nec enim consultum satis esset naturæ incolumitati, nisi & inspiratum ei esset, quo hanc incolumitatem suam tum vigentem tueretur, tum ægrescentem repararet. Quin imò ingeniosior videtur ægritudo, quàm incolumitas naturæ cujuspiam. Dum sospes enim est anima, torpere & pigritari potest, nec de authore suo quantum satis est, pensitare. At ubi ægritudine stimulatur, hic illam aculeus pigrescere non sinit, sed impellit urgetque in medici & medicinæ suæ vestigationem. Nec verò permagna sagacitate opus erat, ut medici sui seu Sacerdotis amplitudinem ægra hominum gens odoraretur. Si originem enim suam authoremque suum Deum præsentiebat, si morbi sui vim tandiu grassantem, atque in dies ingravescentem experiebatur, si pecudum immolationes eluendis animarum maculis parum opportunas, ut pronum erat, suspicabatur, idque Philosophi non dissimulabant; si placandum tamen Deum, si religandum illi externo aliquo sacramento humanum genus, si hostia illi quæ omnium pretio par esset, perlitandum esse sentiebat, his sanè omnibus ad id coarctabatur, ut hostiam & antistitem ab authore suo Deo expugnaret, his muneribus parem, & creata omnia pretio superantem. Postremò non injuria idem Tertullianus minùs mirandum ait, si naturaliter anima in eandem doctrinam consentiat & vociferando prorumpat, quam scripturis suis Deus nobis consignavit. Nam scriptura & anima, ejusdem divinæ manus opera efformatæ & temperatæ, ejusdem magistri litteris exaratæ, consentire utique & consonare sibi debent. At Scripturæ illud est mirabile cum primis temperamentum, quod etiam ubi conditorem effatur Deum, eundem significat restauratorem. Quin restaurationi potiùs quàm conditioni describendæ incumbunt Scripturæ.

CAPUT VII.

Omnia penitùs sacrificia sacrificii crucis Christi prælusoria fuere. Unde eo peracto funditus exciderunt.

TRia adgredimur hìc cursim perstringenda. Primum est, dum floruit primigenia hominis innocentia, nullo tum victimarum cruore rem divinam fuisse peragendam, sed innoxia & incruenta charitate homines seipsos ad spiritales Dei aras adolevisse. Alterum est, ubi per peccatum afflictæ accisæque fuerunt res hominum, totumque salutis nostræ præsidium in Christi sacrificio collocatum jam fuit, nulla nisi ad illud effingendum, præludendum, præsignandum, promittendum sacrificia valuisse. Postremum est, oblato semel vero Christi crucis sacrificio, tum demum umbras ejus omnes exsufflatas esse, & sacrificandarum pecudum consuetudinem ubique gentium tandiù insolitam & inveteratam exolevisse. I. Tria quæ hoc capite declaranda.

Primùm ergo quod cruentis abstentum sit hostiis, quandiù purus à peccatis homo in congenitæ justitiæ culmine sedit, conjectari videtur ex Malachia: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda & Jerusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.* Ecclesia ibi pingitur, maculæ rugæque expers post exitum sæculi, post ignem supremi judicii, quo sordes II. Primum est à cruentis sacrificiis abstentum esse, quandiu innocentia stetit homo. Liquet id ex Scriptura. Cap. 3.

sordes omnes penitùs exurentur. Ejus autem tunc sacrificia, spiritalia utique & à cæde ac sanguine alienissima, innoxio charitatis igne flagrantia, despondentur futura ejusdem generis, atque pristina illa & perantiqua atque primæva hominis in paradiso sacrificia. Non enim castissima illa tum sacra maculosis Synagogæ sacrificiis æquarentur. Ergo ut in Beatorum patria, ita in innocentis naturæ paradiso, non aliæ victimæ quàm ipsi homines spiritali charitate jugiter flagrantes. Ita hunc Prophetæ locum interpretatus est Augustinus: *Et placebit Domino sacrificium Juda & Jerusalem sicut diebus pristinis & sicut annis prioribus. Intelligi potest frustra sibi Judæos secundum legem veteris Testamenti sacrificiorum suorum præterita tempora polliceri. Non enim tunc in justitia, sed in peccatis hostias offerebant, &c. usque adeo ut sacerdos ipse quem debemus utique credere cæteris fuisse justiorem, secundùm Dei mandatum, soleret primùm pro suis offerre peccatis, deinde pro populi. Quapropter exponere nos oportet quomodo sit accipiendum quod dictum est, Sicut diebus pristinis & sicut annis prioribus. Fortassis enim tempus illud commemorat, quo primi homines in paradiso fuerunt. Tunc enim puri atque integri ab omni sorde ac labe peccati seipsos Deo mundissimas hostias offerebant.* Subdit & Esaiæ locum ei sententiæ valdè consentaneum, quo beatorum immortalium vita similiter comparatur ei fœlicitati, qua primus parens fruebatur ante lapsum: *Secundum dies ligni vitæ erunt dies populi mei.*

Civit. l. 20. c. 26.

Cap. 65.

III.
Liquet ex eo item quod sacramenta corporalia lapso demùm in corporalia homini fuere necessaria.

Præterea universim constat sacramenta atque sacrificia corporalia eo instituta esse consilio, ut homo in corporalia ab intelligibilibus lapsus, quò inde surgeret, ibi incumberet ubi jacebat; & per ipsa corporalia à corporalibus extricaretur, atque intelligibilibus se redderet. Præposterum enim alioquin fuisset, ut homo corporalibus omnibus superior, Deoque propior & cognatior, & mediam quandam insidens stationem inter Deum & creaturas corporeas, ut ad Deum assurgeret, ad corpora priùs deflueret: ut accederet summis, recederet priùs ad infima: ut divinis assimilaretur, in regionem dissimilitudinis longiùs peregrinaretur. Contaminaretur naturæ rationalis dignitas tam intempestiva rerum perturbatione, universi ordo corrumperetur, naturarum lex evilesceret. Hinc nulla vel sacramenta vel sacrificia corporalia tunc usurpabuntur ampliùs, cùm natura nostra in pristinam integritatem postliminio restituta in cælesti Jerusalem, spiritalis Deo Sacerdos, spiritalis & ipsa victima Deo suo in æternum adolebitur. Augustinus: *Alligat contritiones tuas, ut tu possis pervenire ad plenissimam firmitatem, donec consolidetur quod fractum est, quod alligatum est. Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, sacramenta interim temporalia quibus habemus consolationem: & ista omnia quæ loquimur vobis, ista quæ sonant & transeunt, quidquid in Ecclesia geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim medicus perfecta sanitate detrahit ligaturam, sic in illa civitate Jerusalem cùm æquales Angelis facti fuerimus. Nam quid putatis? Ibi nos accepturos esse quod hic accipimus? Aut ibi recitandum nobis est Evangelium, ut fides nostra permaneat? Aut imponenda est manus ab aliquo Præposito? Ista omnia alligamenta fracturæ sunt, sed perfecta sanitate detrahentur: sed ad eam non perveniretur, nisi alligarentur. Sanat ergo contritos corde, & alligat contritiones eorum.*

In Psal. 146.

IV.
Objicitur Augustini sententia de ligno vitæ, quod sacramento erat sapientiæ.
De Genes. ad lit. l. 8. c. 4.

Præterea sacramentum quidem sapientiæ lignum vitæ extitisse auguratus est Augustinus, sed sacramentum istiusmodi quod significandæ, non etiam inspirandæ sapientiæ accommodatum esset, & ornamento magis esset adjectitio, quàm necessario emolumento. *Nec sine mysteriis rerum spiritalium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem sacramentum, quid significans, nisi sapientiam de qua scriptum est, Lignum vitæ est amplectentibus eam?* Et infrà: *Amisso quippe statu mirabili, corpus ipsum cui status etiam de ligno vitæ virtute mystica præbebatur, per quem nec morbo tentari, nec mutari ætate potuissent, ut hoc in eorum carne quamvis adhuc animali &, in melius postea commutanda, jam tamen significaretur, per escam ligni vitæ, quod ex ipso spiritali alimento sapientiæ, cujus sacramentum lignum illud erat, fit in bonis Angelis per æternitatis participationem, ut in deterius non mutentur.* Viden ut virtutem & significantiam mysticam affingat ligno vitæ, atque adeo in albuṁ illud referat sacramentorum, significatione & efficacia mystica, nec alio præterea quoquam nomine insignitum? Et tandem: *Separari utique debuit à ligno vitæ, sive quod ex ipso illo subsisteret fœlix ille status corporis, ex re visibili, virtute invisibili. Sive quod in eo sacramentum esset visibile invisibilis sapientiæ: alienandus inde utique fuerat, vel jam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus: sicut etiam in hoc paradiso, id est Ecclesia, solent à sacramentis altaris visibilibus homines disciplina Ecclesiastica removeri.* An ergo, inquies, verum non erat sacramentum, quod re visibili, virtute invisibili constabat? Quod sacramentum erat visibile, invisibilis sapientiæ? A quo post peccatum alienatus atque abscissus homo est & excommunicatus, non aliter quàm qui nunc sacris ob aliquod piaculare facinus interdicuntur?

L. 11. c. 32.

Ibid. c. 40.

V.
Exponitur cujus generis, & quo sensu, quo fructu hæc essent in primo statu sacramenta.

Ex his Augustini contextibus nequicquam conaberis sacrificia homini ante lapsum obtrudere. Quin argumenta inde non levia emergunt, ut secus sentiamus. Nam primò ut sacramenti hujus tam crebra est apud Augustinum mentio, quin alicubi saltem vel semel meminit sacrificii, quo consecratus sit paradisus? Deinde tum ipse, tum Patres alii paradisum illum Adæ beatæ post exhaustam mortalitatem hanc vitæ similiorem sanxerunt, atque adeo spiritalibus tantùm hostiis incumbentem. Rursum lignum vitæ Augustinus sacramentum appellitat, nempe ut conjugium Adæ atque Evæ, teste Paulo, sacramentum erat, nimirum Christi & Ecclesiæ. At quod illud conjugium sacramentum esset Christi & Ecclesiæ, id sanè locum non habuit, nec Adamo patefactum est, nisi post peccatum, ubi jam reparatore Christo opus esse cœpit. Nam si ante lapsum de reparatore, si ante morbum de medico commoneretur per istiusmodi quodpiam sacramentum, non tam sacramentum hoc extitisset, quàm omen dirum & inauspicatum, sinceræque illius fœlicitatis præproperum detrimentum. Ad hæc lignum vitæ non semel Augustinus interpretatur sacramentum extitisse sapientiæ, id est, Christi. Præterea sacramentum sapientiæ appellatur lignum vitæ, quo nimirum sapientia non infundatur, sed significetur: ut ubique constanter loquitur Augustinus. At sapientiam invisibilem jam tum visibilibus signis exhibitam fuisse nemo ambigit. Erat enim ipsa rerum naturæ universitas pulcherrimum & maximè conspicuum intelligibilis sapientiæ sacramentum. Erant opificia Dei singula, singularia sapientiæ ejus documenta. Erat lignum vitæ, quò natura & vi insita atque vivacitate mirabilius, eò insignius Dei sapientiæ monumentum. At homini à labe puro, & puros mentis oculos gestanti, & intelligibilia divinaque de proximo per se, non de longinquo per corporum vestigia contemplanti, corporea hæc sapientiæ simulacra seu sacramenta, ad voluptatem magis quàm ad necessitatem circumjecta erant. Juvabat ipsum spectare, ut sapientia quam in sua sursum sede contemplabatur, ad hæc usque ima deflueret, ut per umbras corporum suæ lucis imaginem exprimeret, ut luderet in orbe terrarum, & extremas dissimillimasque rerum naturas

& naturarum quasi fæces nonnullo tamen lumine suo respergeret ac venustaret. Ille itaque cum à summis non recederet, ad ima quandoque hæc summorum imitamenta concedebat, ut vel in umbris suis sapientiam miraretur. Non ergo per hæc ad illa proficiebat, sed ab illis ad hæc ultro descendebat. Postremò si verba Augustini curiosiùs perpendas, efficaciam quoque nonnullam illi sacramento ab eo tributam advertes, sed quæ in corpus Adami solum redundaret: *Corpus ipsum cui status etiam de ligno vitæ virtute mystica præbebatur*: inquit ille. Ergo virtus seu efficacia mystica sacramenti hujus in corpus dumtaxat Adami, non in animam refundebatur, quæ ut Deo affinior nec à nobilitatis suæ privilegio adhuc exauthorata, sanctitatem aut sapientiam à corporalibus seu sacrificiis seu sacramentis emendicare, non sine suo dedecore, non sine naturalis ordinis tumultuatione, non sine justitiæ & legis æternæ labe potuisset. At cum corpus Adami necdum plenissimæ immortalitati assertum esset, illius pignus & gustum aliquem mutuari non injuria poterat à corporeo quopiam sacramento. Unde idem Augustinus: *Hanc immortalitatem merito prævaricationis amisit: hæc ei subministrabatur de ligno vitæ, &c. Unde intelligendus est de hoc ligno vitæ solere sumere sacramentum, de cæteris alimentum.* Sacramentum videlicet, quo à corpore mortalitas propulsaretur, animo sapientia veræ immortalitatis parens significaretur, jam scienti, jam contemplanti, non daretur.

Op.ult.con. Jul.L.6.c.30

VI. Liquet id rursus ex ratione propria sacrificii, quæ locum nō habuit, nisi, post peccato invectam mortalitatem.

Accedit quod sacrificium portio quædam & occupatio mortis est. Nam interficitur victima, & de morte ejus propitiari Deus & quasi cruore pasci pietas æstimatur. At quorsum mors in immortalitatis domicilio? Quorsum innoxius homo in innoxias animantes sæviret? Quorsum immortalis immortalitatis largitorem solumque immortalem Deum morte conciliari suspicaretur? Semel quidem conscius peccati & reus homo, jam æquum est, ut mortem oppetat, expetat & occupet, & cunctantem quodammodo maturet; ut maculam expiare, iramque Dei placare approperet; ut mortem quam sibi accelerare atque consciscere nefas, jugiter meditetur, & pecudum morte imitetur & anteveniat; morti se spontaneam victimam per vicarias has victimas profiteatur; animi præparatione & religiosa hac simulatione toties & tandiu præmoriatur, & mori sæpiùs consuescat; vel illius potius hostiæ cœlitus venturæ, atque omnium scelera abolituræ mortem per hæc trucidatarum pecudum simulacra effingat & anteveniat. Sed hæc tota in trucidandis hostiis mortis contemplatio & quasi exequialis pompa abhorret mirum quantum à Paradiso, id est, ab immortalitatis sede, à qua jussus est homo, non nisi post annos propè mille moriturus, sed jam tamen mortalis exulare. Ergo sacrificium cum meditatio quædam sit mortis, cum sit mortis prolusio & anticipatio, cum sit sceleris expiatio, cum sit Christi mortis obumbratio, nonnisi post mortis sententiam prævaricatori homini irrogatam potuit frequentari, Pseudo-Cyprianus: *Hoc antiquum redemptionis nostræ consilium sanctis Patribus revelavit Deus, voluitque ut paulatim assuescerent homines passioni: & morti necessariæ, voluntariæ mortis opponerent libamentum: & pœnam in medelam, & supplicium in remedium commutarent. Hujus oblationis doctrinam sacrificia continebant antiqua, & incensiones & mortes hujus consummationis gratiam præsignabant. Propter hoc cum jam fidei tempora propinquarent, imperata est circumcisio, & pars illa corporis in qua est voluptatum seminarium & libidinis officina, jussa in parvulis amputari, ut sui primitias sanguinis, ei qui totum sanguinem oblaturus erat, offerrent, & communia singulorum sacrificia singulare præcederent holocaustum.* Vides sacrificium omne morti, vel nostræ amplectendæ ex animo, vel Christi præsignandæ ac præludendæ ex desiderio, vacare. Hinc author operis de mirabilibus sacræ scripturæ apud Augustinum, & Cyprianus, advertunt, Abelem qui primus Deo sacrificasse laudatur, non sacerdotem tantùm, sed & victimam extitisse. *Meritò ille dum in sacrificio Dei talis esset, postmodum sacrificium Deo factus est, ut martyrium primus ostendens, initiaret & sanguinis sui gloria dominicam passionem*: inquit Cyprianus. Reapse enim sacerdos quicumque sacris operatur, in sui vicem victimam sufficit, præsto seipsum mactare, si Deo adlubeat. At quorsum attinet, ut cui Deus immortalitatem jam oppigneravit, cui mortem ut pœnam tota virium contentione fugiendam intentavit, ut à peccato mortis parente deterreret, ut is inquam per sacrificia mortem meditetur, morti alludat & assuescat?

Serm.de rat. Circumcis.

L.c.4. L.de Orat.Dom.

VII. Quomodo sacerdos esset Adamus ante lapsum.

Nec me præterit quod Moses Barcepha P. I. de Paradiso, commentatur Adamum sacerdotali etiam dignitate donatum à Deo & inauguratum fuisse: idque colligit ex Psalmo 139. *Auxit ipsum sacerdotii munere; nam fuisse sacerdotem ex Davidis Psalmistæ verbis cognoscitur, dum veluti loquentem Adamum cum Deo inducens, ait: Finxisti me, & posuisti super me manum tuam. Sacerdotium enim manuum impositione confertur, sicut & baptismus.* Verùm ut sacerdos extiterit Adamus, sed Angelicæ hierarchiæ imitator, & spiritalium hostiarum sacrificator. Nam & beati in cœlis sacerdotes iidem sunt, & victimæ sui sacerdotii, offerunt nimirum, prout supra ex scripturis Augustinus exculpsit, sicut in diebus pristinis, id est, sicut in Paradiso ante culpam. Denique libro eodem idem Moses Barcepha aliquanto post assentitur Athanasio & Ephræmo, animalium pellibus vestitos à Deo fuisse post lapsum parentes primos, *quas Deus solo nutu pecudibus detractas atque verbo, in tunicas conformavit. Et verò dominus Ephrem ait fortasse coram illis jugulatas esse pecudes, ut earum carne ipsi vescerentur, coriisque nuditatem suam cooperirent, denique ex ipsarum morte se quoque mortalia habere corpora intelligerent.* Quæ omnia in cassum disputarentur, si Adamus ipse pecudes Deo priùs immolasset.

VIII. Alterum est omnia olim sacrificia imitamenta fuisse sacrificii mortis Christi Primo ut omni religio ad unum nos religaret.

Quod ad alterum autem spectat, omnia olim sacrificia ad unum collimasse Christum, illum prælusisse, illius simulacra fuisse & vota, jam ex antedictis abundè confirmatum est, pauca hìc ergo & perfunctoriè adjicientur.

Æquum enim erat religionis qua Deo recolligimur & religamur, sacramenta omnia, in uno tandem aliquo revinciri ipsa & religari, ne multitudine sua distraherent potius nos, quàm in unum aliquid compaginarent. Ab uno enim in multa per peccatum defluximus, & pœnali hac multitudine dissipati satiscimus & inanescimus. Religio colligit nos ab multis ad unum illud primum, unum optimum, unum necessarium & beatum; colligit autem nos per multa sacramenta & sacrificia, sed unum conclamantia, sed unum constantia, in unum spem & expectationem omnem nostram arrigentia. Nisi enim ad unum conspirarent, quibus in unum cogimur, iis non in unum cogeremur, sed in plura & plura dispergeremur. Omnia ergo olim sacrificia unum præmonstrabant, omnia post sacrificia, unum rememorant sacrificium, in quo unum maximè dominatur, in quo idem & unum est victima & sacerdos, in quo unum & idem est quod offertur, cui offertur, pro quo offertur, à quo offertur. Augustinus: *Hoc sacramentum, hoc sacrificium, hic sacerdos, hic Deus, antequam missus veniret, factus ex fœmina, omnia quæ sacratè atque mysticè Patribus nostris per angelica miracula apparuerunt, sive quæ per ipsos facta sunt, similitudines ejus fuerunt, ut omnis creatura factis quodammodo loqueretur unum futurum, in quo esset salus universorum à morte reparandorum. Quia enim ab uno vero Deo & summo per impietatis iniquitatem resilientes & dissonantes deflexeramus, & evanuera-*

L.4.deTr.c.6

nueramus in multa discissi per multa, & inhærentes in multis, oportebat nutu & imperio Dei miserantis, ut ipsa multa conclamarent unum, & à multis conclamatus veniret unus, & multa contestarentur venisse unum, & à multis exonerati veniremus ad unum. Ubi luculentè describit gradus, & defectionis nostræ ab uno, & redintegrationis nostræ ad unum. Nam primò adglutinati cohærebamus uni vero Deo eique unica & individua, sed opima & medullata litabamus spiritalis charitatis hostia. Secundò ab illo uno in multa defluximus, amore creaturæ, id est amore multitudinis. Tertiò ab ipsa multitudine in qua afflicti & elisi jacebamus, adminicula instruenda fuere, ut à multis ad unum resurgeremus. Ea fuere antiqua sacramenta, quæ quia multa erant, egestati, mutabilitati & infirmitati nostræ opportuna erant; sed ut ad unum nos recolligerent, ad unum ipsa sacramentum ac sacrificium venturum erant retorquenda. Quartò ut venturum unum multa loquebantur, & ideo unum erant: ita venisse unum, multa adhuc loquuntur, sed pauciora sacramenta, quia nunc quàm olim paulò expeditiores sumus à multitudine, sed necdum tamen ad unius complexum pertigimus. Quintò denique ubi mortalis hæc vita meliore mutabitur, ubi multorum cupiditas omnino defecerit, ubi unius charitas ad summum usque cumulum profecerit, tum à multis exonerati veniemus ad unum; & à sacramentorum vinculis omnibus absoluti, unitatis veritate fruemur. Unde idem Augustinus: *Sacrificium victimarum & pecorum magnum habet sacramentum; sed in omnibus illis generibus sacrificiorum intelligitur unum illud sacrificium, & unica victima in cruce Domini. Pro quibus omnibus sacrificiis unum nos habemus*.

In Psal. 74.

IX. Varietas sacrorum olim eo collimabat, ut sine fastidio unum sacrificium commendaretur. L. 10. Civit. c. 20.

Adde quod non alia de causa tanta olim sacrificiorum copia & varietas usurpata sit, quàm ut tanquam multis verbis res una diceretur, unumque sacrificium sine fastidio tandiu commendaretur. Augustinus: *Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum: cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur: ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt*.

Ad hæc quod Paulus ait, eamdem illos spiritalem escam esitasse, eundem spiritalem potum hausisse, non ad manna tantùm cœlo depluum, nec ad aquam solum pertinet de Petra Christo ebullientem, sed ad omnia penitus legis illius sacramenta atque sacrificia, quæ cordatis & spiritalibus Christum præferebant, Christum inserebant. *Erant enim ibi qui quod manducabant, intelligebant: erant ibi quibus plus Christus in corde quàm manna in ore sapiebat*: ait Augustinus.

L. 50. hom. Hom. 27.

Quin ipsa olim sacrificia per Prophetas in Christum omnia retorquebantur. Quidam enim quasi legis interpretes erant Prophetæ, ejusque latitantia promebant arcana. Exempli gratia agnum obtulit Abel, Agnum cecinit Christum Isaias. Et denique Joannes quasi utriusque testamenti fibula, agnum demonstravit Christum. Gregorius Magn. *Quam diversis temporibus Abel, Isaias, & Joannes apparuerunt. Divisi quidem fuerunt tempore, sed non prædicatione. Nam Abel redemptoris nostri passionem significans, agnum in sacrificio obtulit, de cujus passione Isaias ait: Sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De quo Joannes quoque ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ecce divisis quidem temporibus missi & tamen concorditer de redemptoris nostri innocentia sentientes, eundem agnum Joannes ostendendo, Isaias prævidendo, Abel offerendo locutus est, & quem Joannes in ostensione, quem Isaias in locutione, hunc Abel significando in manibus tenuit*.

Moral. L. 29. c. 16.

Cumque inter victimas lege mandatas quasi principem locum tenerent Paschales hostiæ, de industria Christus ipsa Paschæ die immolari voluit, ut umbra cederet corpori, & imago veritati. Leo Magnus: *Divino intelligimus dispositum esse consilio, ut sacrilegi Judæorum principes & impii sacerdotes, qui sæviendi in Christum occasiones sæpe quæsiverant, nonnisi in solemnitate Paschali, exercendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim ut manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio, ut ovem significatam ovis vera removeret, & ut uno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa quæ de immolatione agni divinitus per Moysen fuerant præstituta, Christum prophetarant, & Christi occisionem propriè nunciarant. Ut ergo umbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festivitas dum mutatur impletur*.

Serm. 7. de Passione.

Præterea ideo & diversissima olim sacrificia, & quotidie iteranda sanxerat Deus, ut eorum inefficacia proderetur, & unum expeteretur sacrificium quod in totum & propitiando Deo & servando humano generi sufficeret. Algerus; *Sciendum enim quod ideo Deus tam multa sacrificia dedit in lege, ut nullum eorum sufficiens esse ostenderet, quia cætera essent superflua si unum sufficere posset, ut unum suum sufficiens magis desideraretur*.

L. 2. de Sacr. c. 3.

X. Operosa multiplicitate sacrorũ olim pene dissipabatur animus, qui uno nunc sacrificio in unum recolligitur.

Postremò sacrificiis tam operosis, ac ceremoniarum tanta & multiplicitate & scrupulositate distendebantur sacrificantium animi, & velut deprimebantur in hæc corporalia. Æquum ergo fuit in compendium mitti negotiosam illam morosamque religionem, unicoque sacrificio in spiritalem nos libertatem vocari, Deoque vacare & feriari. Algerus loco eodem: *Nec solum pius Dominus umbras & figuras veteres & superfluas superveniente novitate & veritate sui sacrificii dispulit: sed & multiplicatem sacrificiorum veterum singularitate sui sacerdotii abbrevians, occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit: uno unico suo sacrificio, redemptionem, remissionemque peccatorum faciens, profectuque fidei cæterarumque virtutum ad vitam æternam perducens*. Atque ita revolvimur eò unde huc defluxeramus; ut uno sacrificio Christi in unum redigamur, qui ab uno in multa dissilieramus. Unde Leo Magnus: *Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis & sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus agnus Dei, qui tollis peccata mundi: & ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum*.

Serm. 8. de Passione.

XI. Tertium est post Christi crucē õnia alia ubique cessasse sacrificia. Et primùm apud Judeos.

Quoad tertium, omnia nimirum sacrificia in desuetudinem isse, ac ubique terrarum oblitterata esse, ubi semel Christus verum Deo sacrificium seipsum obtulit, experimenta fidem faciunt. Circumfer oculos in orbem universum, evolve priscorum etiam sæculorum quotquot à Christo fluxerunt, monumenta, in sacrificia priùs omne genus hominum effervescebat & prope insaniebat, statim à Christi cruce eorum cœpit pertædescere, & eò denique ventum est, ut nusquam ferè jam nisi in Ecclesia Christi sacrificetur. Christi enim & Ecclesiæ hostes hunc ejus sacrificio, vel inviti, vel inopini honorem habent, ut à sacrificiis ipsi abstineant.

Et quidem quod ad Judæos attinet, perspicuum est nusquam nisi Jerosolymis concessa eis fuisse sacrificia. Cùm ergo eversa sit Jerosolyma, vel ea pòst restaurata, ipsis ea interdictum sit, nec usquam ibi sacrificare permissi sint, nusquam ergo ii sacrificant. Præclare hoc argumentum exequitur Chrysostomus: *Nam alterum è duobus illi faciendum erat, aut non debebat præcipere ut ipsi uno tantùm in loco sacrificia fierent, cum vos per omnes mundi plagas esset dispersurus: aut si volebat vos eo*

To. pag. 491.

in loco sacrificare tantùm, non debebat vos per universum orbem dissipare, ac solam illam civitatem desertam & inaccessam reddere, in qua sola victimas jusserat immolare. Quid igitur? An secum, inquis, pugnat Deus, qui uno loco sacrificare jusserit, & rursus ab hoc ipso loco quem præscripsit, excludat? Nequaquam: imò magnopere sibi constat Deus: neque enim initio volebat offerri sacrificia. Et infra: *Deus eversa civitate Judæos à sacrificiis abduxit. Nam si hoc non agebat, cur religionem illam in unum locum inclusit, qui nusquam non est præsens, qui implet universa? Cur igitur cultum redegit ad victimas, victimas ad certum locum, locum ad tempus, tempus ad unam civitatem contraxit, ac rursus hanc ipsam civitatem subvertit?* Et ibidem statim: *Adde, quod mirum est & inenarrabile. Totus terrarum orbis conceditur Judæis, ubi fas ipsis non est sacrificare: solam Jerosolymam illis adire non licet, in qua sola licet immolare. An non igitur etiam vehementer tardis perspicuum est, quam ob causam ea civitas fuerit subversa?* Hoc ergo jam olim Deus meditabatur in sacrificii Christi reverentiam, ut cultus omnis Judaicus & umbratilis sacrificiorum religio uni urbi unique templo alligaretur, ut eo post impletum Christi sacrificium statim everso, adumbrata illa sacrificia omnino exolescerent. Similiter Augustinus ea verba Psalmi exponens, *Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce*
In Psal. 39. *venio. Tempus est ut veniant quæ promittebantur, quia auferuntur ea quæ promittebant. Et verè fratres mei attendite illa ablata, hæc impleta. Det mihi modo gens Judaica Sacerdotem. Ubi sunt sacrificia illorum? Certè perierunt, certè ablata sunt.* Et ali-
L. 2. qu. Eva. c. 3. bi: *Quod Dominus dicit leproso, Vade, ostende te Sacerdoti,& offer munus, &c. Hic videtur approbare sacrificium, quod per Moysen præceptum est, cum id non receperit Ecclesia. Quod ideo jussisse intelligi potest, quia nondum esse cœperat sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus ejus est. Nondum enim in passione obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipsum eversum est, ubi illa sacrificia offerri solebant. Hoc autem factum est secundum prophetiam Danielis: non enim oportebat auferri significantia sacrificia, priusquam illud quod significabatur confirmatum esset contestatione Apostolorum prædicantium & fide creden-*
Vide & L. 2. bapt. con. Donat. c. ul. *tium populorum.* Ita ille interpretatur divinum consilium, cur nonnisi aliquot annis post Christi crucem eruta & æquata solo sit Jerosolyma: quod nimirum necesse esset, in fidem prius recipi veritatem, quam ejus umbræ & imagines diruerentur.

Id portendebatur scisso, cum Christus efflavit animam, templi velo, prout commentatur Leo
Ser. 17. de Pass. Magnus: *Denique adeo tunc à lege ad Evangelium, à Synagoga ad Ecclesiam, à multis sacrificiis ad unam hostiam, quæ Deus est, evidens est facta translatio, ut emittente spiritum Domino, velum illud mysticum, quod templi penetralia sanctumque secretum suo intercludebat objectu, à summo usque ad imum vi subita scinderetur. Quoniam figuras veritas auferebat, & superflui erant nuncii sub præsentia nunciati.* Præsente enim jam & radiante veritate, umbratile illud templum & prælusorium sacrificium suæ inutilitatis quasi sibi conscium, labem & ruinam suam tantumnon sponte occupabat.

XII. Item & apud Gentiles. Epist. adver. Petrobrus. Reliquas cum Judæis gentes complexus est Petrus Venerabilis, pariterque à sacrificiis abstinere declaravit: *Cum sint his diebus nostris quatuor præcipuæ in mundo diversitates sectarum, id est, Christianorum, Judæorum, Sarracenorum & Paganorum; si Christiani non sacrificant, jam nullus in mundo sacrificat, Judæi nusquam sacrificant, quia Jerosolymis tantum dicunt esse locum ubi per sacrificia Deum honorare & adorare oportet.* Deinde cùm similiter & Sarracenos & Paganos à sacrificiis abhorrere narrasset: *Cùm ergo nec apud Judæos, nec apud Sarracenos, nec apud Paganos sacrificia observentur, si nec Christianis conceduntur, signum illud singulare Deitatis quo ab initio divina servitus ab humana secernitur, periit.* Afflavit enim Christus hostibus etiam suis nonnihil beneficentiæ suæ. Itaque post ipsum nec Judei usquam ad idola deflexerunt, quò antea ferebantur præcipites. Et Sarraceni qui Christianorum sunt hostes infensissimi, de Christi tamen afflatu quodam id obtinent, ut unius Dei fidem & sacra indivulsè amplexentur. Inserta enim immixtaque per Christum humanæ naturæ vera divinitas, sensum sui altiùs indidit, aut impressam jam sui conscientiam validiùs excitavit in tota hominum natura, quàm ut ulla superstitionum vi valeat expugnari. Similiter ergo & quod ad sacrificium spectat, adversariis etiam suis Christum sin minùs veri sacrificii religionem, certè falsorum sacrificiorum contemptum persuasit; idque obtinuit, ut, quod ante ejus adventum obtineri haud usquam potuerat, nec nisi unus verus Deus, nec nisi uno vero sacrificio, ubique ferè gentium adoretur. Idem Petrus Venerabilis: *Sacrificium Christiani orbis non multiplex est,* Ibidem. *sed simplex: non plura, sed unum. Quia sicut in toto mundo unus tantùm est populus Christianus, qui illud offert, & unus Deus cui offert, & una fides per quam offert: ita & ipsum unum est quod offert. Cessit pluralitas Judaicarum hostiarum unitati victimæ Christianæ; quæ quia non poterat perfectum facere servientem multiplicitate sua, provisa est à Deo hostia, quæ offerentes mundaret, sanctificaret, perfectos faceret simplicitate sua.*

CAPUT VIII.

Ab exortu suo Sacerdos est Christus, & incarnatio ipsa juge quoddam est sacrificium.

I. Tria hic demonstranda. Primum eo Verbum carnem induisse, ut Sacerdos esset idoneus expiando humano generi. Induit enim ut mori posset, id est immolari.

ID primum hoc capite molimur, ut scopum incarnandi Verbi non alium magis fuisse evincamus, quàm ut Sacerdos humano generi expiando idoneus inauguraretur. Deinde ut Christum jam inde à primo exortus sui puncto sacerdotali dignitate perfunctum fuisse liqueat. Denique ut jam inde sacrificium ejus peragi cœperit, & ipsa incarnatio jugis instar habeat sacrificii.

Primùm ergo quòd eo consilio potissimùm prædestinata sit ante sæcula Incarnatio Verbi Dei, ut Sacerdos & sacrificium Deo placando, mundoque emundando par instrueretur, demonstravit jam suprà Gregorius Magnus, ubi nec belluarum cæde nec criminosorum hominum sanguine elui posse peccata cùm comprobasset, ait: *Ergo ut rationalis* Moral. l. 17. c. 18. *esset hostia, homo fuerat offerendus: ut verò à peccatis mundaret hominem, homo sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium: Corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & justitia mundare potuisset.* Vides ad quid natura mortalis immortali Deitati aptata in unam sit personam: nempe ut immortalis justitia Deitatis per naturam mortalem assumptam mortalis fieret, atque moriendo Sacerdotis & victimæ munia obiret.

II. Naturâ assumpsit à nobis, quam offerret pro nobis. In Psal. 149.

Deinde quisquis expiandus à peccatis hostia quapiam est, hostiam ipse offerat necesse est. Sumit enim Sacerdos ab expiandis quo expietur. Ita ergo & Verbum Deus naturam humanam assumpsit à nobis, quam offerret pro nobis. Augustinus: *Unde Sacerdos? Quia se pro nobis obtulit. Date Sacerdoti quod offerat. Quid inveniret homo, quod daret? Mundam victimam. Quam victimam? Quid mundum potest offerre peccator? &c. Offerat ergo seipsum mundus Sacerdos & mundet, hoc est*

quod

quod fecit Christus. Nihil mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus: seipsum obtulit mundam victimam, hostiam immaculatam. Non ergo hoc obtulit, quod nos illi dedimus: imò hoc obtulit quod à nobis accepit, & mundum obtulit. Carnem enim à nobis accepit, hanc obtulit.

III. *Et naturæ nostræ intererat ut de suo redimeretur.*

Ad hæc intererat ad dignitatem naturæ nostræ, ut acciperetur ex ipsa quod offerretur pro ipsa: ut de suo redimeretur: ut pretium redemptionis suæ ipsa repræsentaret. Nec largitati divinæ demitur quidquam, quin imò accedit plurimum, si non saluti tantùm nostræ, sed dignitati atque honori prospexit: si non pretium tantum quantum satis erat pro nobis solvit, sed pretium nostræ ipsi naturæ contulit, quod ipsa pro se solveret. Ambrosius: *Ergo ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro, & quod nostrum non erat, ex suo nobis divina sua largitate conferret. Secundùm naturam igitur se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo præmium est.* Et paulò pòst: *Didicistis igitur quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur?*

(Margin: I. de Incar. Dom. sacr. c. 6.)

IV. Vix prodesset victima, nisi ex ipsa nostra natura sufficeretur.

Quin etiam vix prodesset quidquam victima, nisi ex illa ipsa natura sufficeretur, cui impenditur. Nec enim opinione tantùm & arbitrio temerario constare debet salus hominum, sed rerum natura & ineluctabili veritate. Itaque ut victima prosit naturæ nostræ, nostra ipsa natura victimæ locum implebit, & sibi utique proderit: ut pretium autem & innocentia victimæ huic concilietur, inseretur illi substantivè & immiscebitur Deitas Verbi & natura ipsa sanctitatis; denique ut Deo victima hæc placeat, Deus ipsa erit, seque ipsa propitiabit. Ad hunc modum firma & inconcussa habebuntur nostræ salutis, divinæque propitiationis præsidia. Ferrandus Diaconus: *Oportebat namque eum sicut Sacerdotem, quod pro nobis offerret, à nobis accipere: si autem non accepit ex Maria carnis materiam, non accepit à nobis quod posset offerre pro nobis. Et quomodo fungi potuit sempiterni munere Sacerdotis? Sacerdoti nostro nos oportuit immolandam Deo victimam dare. Filius autem Dei Patris unigenitus, in carne mortali Sacerdos noster effectus, non aurum, non argentum, non hircorum sanguinem, sed corpus obtulit proprium. Victima ergo nostra corpus est ejus. Et si corpus ejus accepit, à nobis itaque corpus accepit, & hoc tunc accepit, quando eum sancta Maria concepit.* Et tandem: *Quid prodest Adam Christi victoria, si non est ejus in Christo substantia?*

(Margin: Epist. ad Anatol.)

V. Æquum erat nostra victima totum genus nostrum contineri, totum unà immolari.

Rursum ea opus erat victima, in qua totum genus hominum Deo non reconciliaretur tantùm, sed immolaretur. Conciliatur enim non homo homini, non homo Angelo, non creatura creaturæ, sed opificium opifici, lutum figulo, homo Deo, cui nisi perenni & irrevocabili immolatione se totum impendat, non implet numeros omnes officii sui. Ergo necesse erat in uno homine qui omnium caput esset, omniumque complexio & universalitas, omnes nos tanquam universalem, sed & perennem victimam & immortale sacrificium Deo consecrari; illi uni omnes inseri, omnes commori, omnes unà resurgere, omnes perpetua charitatis mactatione immortaliter cum eo immolari. Id præstitum est incarnatione, qua ex hominibus unus in victimam & sacerdotem assumptus est, reliquisque ut caput & princeps præstitutus, in quo essent omnes, in quo omnes Deo & ad commoriendum & ad convivendum consererentur. Augustinus: *Suscepit à te, in quo moreretur pro te. Suscepit à te, quod offerret pro te, quo exemplo doceret te.* Et alibi: *Quid accepit à te Dominus? Carnem. Quid venit ipse? Verbum Dei, quod erat ante omnia, per quod facta sunt omnia. Sed ut acciperet abs te aliquid, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Accepit abs te, quod offerret pro te, quomodo accipit à te sacerdos quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis. Iam factum est, ita factum est, Sacerdos noster à nobis accepit, quod pro nobis offerret. Accepit enim à nobis carnem, in ipsa carne victima factus est, holocaustum factus est, sacrificium factus est. In passione sacrificium factus est: in resurrectione innovavit illud quod occisum est, & tanquam primitias tuas dedit Deo, & ait tibi: Consecrata sunt jam omnia tua, quando tales primitiæ tuæ de te datæ sunt Deo. Spera ergo & in te futurum, quod præcessit in primitiis tuis.*

(Margin: In Psal. 70. In Psal. 129.)

VI. Qui vita erat, mutuâ à nobis accepit mortalitatem, quâ jugiter immolaretur.

Præterea non ut vitam mendicaret à nobis, nostræ se implicuit naturæ Deus Verbum, in quo vita est, qui vita ipse est, qui venit ut vitam & vitæ redundantiam impartiat: sed ut mortem à nobis, cujus ipse inops insolensque erat, mutuaretur, & pro ea atque per eam, cum ingenti nostro compendio, nullo suo dispendio, vitam nobis nunquam intermorituram largiretur. Mortem enim nostram accepit, ut eam de abundantia vitæ suæ interficeret, & non ampliùs in nos desævituram exarmaret. Quocirca ut scitè philosophatur Gregorius Nyssenus, Nos quidem morimur, quia nascimur; at Christus natus est, ut moreretur. Nos enim lege nascendi, legi moriendi mancipamur; corruptibilium enim lege, omne ortum occidit, omne natum interit, & ipsa nativitas, jam rudimentum est aliquod & prolusio corruptionis. Ergo nascendo jam devovemur atque promovemur ad interitum. At Christus Deus immortalis, & immortalitatis ipsa patria, ut cum morte congredi posset, ut mortem & mortalitatem subeundo enervare atque evertere funditus posset, ideo natus est. Natus ergo est non in vitam, sed in mortem, natus est non ut viveret, sed ut interiret, non ut vivendo in dies proficeret, sed ut jugi morte deficeret, natus est ut jam tum mortalitatis ipso fluxu & quasi mortis usu diuturno morti præmoreretur, & moreretur diutiùs, & tandiu mortem suam immolaret Deo, tandiu mortem oppugnaret & expugnaret. Audi Nyssenum: *Mortis necessitatem efficit nascendi conditio. Eum enim qui semel statuerat esse particeps humanitatis, oportebat pervadere omnes naturæ proprietates. Fortasse autem quispiam cum mysterium accuratè & exactè didicerit, magis consentaneè dixerit, non evenisse mortem propterea quod natus sit, sed contra mortis causa fuisse ab eo acceptam nascendi conditionem. Neque enim æternus ille corpoream propterea conditionem subiit, quia vita egeret, sed ut à morte nos ad vitam revocaret. Quoniam igitur oportebat, ut totius naturæ nostræ à mortuis resurrectio fieret: tanquam manum jacenti porrigens, & propterea ad nostrum cadaver aspiciens, morti tantum appropinquavit, quantum est attigisse mortalitatem, & initium resurrectionis suo corpore dedisse naturæ, ut qui virtute ac potestate totum hominem semel suscitaverit.* Et exponens ut Christi sacrificium, mors, resurrectio ad universam pertineat naturam humanam, ait: *Quoniam enim non aliunde, quàm ex nostra massa erat caro, quæ Deum susceperat: quæ quidem per resurrectionem simul excitata fuit cum divinitate: quomodo in nostro corpore unius ex sensuum instrumentis operatio deducit consensum ad universum parti unitum; ita etiam perinde ac si esset aliquod animal universa natura, partis resurrectio transit ad universum, & pro continuitate conjunctioneque naturæ totum ex parte concurrit.*

(Margin: Orat. Catec. c. 32.)

Nec à Nysseni mente abludit Atanasius; *Cùm enim certum haberet Verbum Dei, corruptionem non aliter in hominibus desituram esse, nisi omnes omnino morerentur, & se mortis capacem non esse, ut immortalem & Patris Filium: ideo corpus quod mori posset, sibi assumit, ut summi Verbi particeps factum, pro omnibus morti ad plenam satisfactionem sufficeret, & tamen ob Verbum Patris ibi inhabitans, incorruptibile perseveraret: quo ita in posterum corruptio in omnibus per resurrectionis gratiam desineret. Ideoque veluti hostiam*

(Margin: L. de Incar. Verbi Dei)

stiam ab omni macula liberam, ipse sibi corpus desumens, offerensque in mortem, ab omnibus statim sui similibus rei persimilis oblatione mortem amolitus est, Et aliquantis interjectis: *Neque enim secundum naturam suam amplius corrumpebatur corpus ob Verbi divini ingressum, sed propter inhabitans Verbum expers corruptionis erat: contigeruntque hæc duo planè admirabilia, quum & mors omnium in Dominicum corpus vim suam exercuerit, & mors atque corruptela inde ob inhospitans ibi numen profligata sit. Morte enim opus fuit, & mortem pro omnibus inferri necessum erat, ut quod ab omnibus debitum erat, lueretur. Quamobrem Verbum quoniam mori non potuit, utpotè immortale, corpus sibi sumpsit quod mori poterat, illudque ut suum pro omnibus obtulit, ut ita pro omnibus, omnibus ipse corpore conjunctus, mortem patiens, compesceret eum, qui habet mortis imperium, id est, diabolum.*

VII. Secundum est, quod à primo incarnationis puncto sacerdos fuit & sacerdotium exercuit Christus Liquet ex Paulo in Hebr. 5.

Sed suffragator ante alios omnes accersendus erat Paulus, cujus hìc nobis prælucet ineluctabilis authoritas; quanquam ea jam ad id pertinere incipiat, quod secundo loco elucidandum hoc nobis capite præfiximus, nempe ab ipso exortu suo sacerdotii nomine & dignitate inauguratum fuisse Christum.

Primò ergo quod statim primo incarnationis momento sacerdos jam tum fuerit Christus, disertissimè testatur Paulus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te; Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Authore ergo Paulo, Pontificatum non exambiit Christus, sed eo à Patre donatus est, cùm à Patre genitus est. Et Paulo præluxerat

Psalm. 109.

David; *Ex utero ante luciferum genui te, juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ubi claret sacerdotium non postea accessisse, sed statim nascenti tanquam individuam substantiæ & personæ ejus dotem adhæsisse. Nec aliter hunc Pauli, Psalmive locum interpretatus est Cyrillus Alexandrinus: *Est itaque sacerdotii illius ritus Aaronico ritu multis*

De recta fid. pag. 160.

partibus præstantior. Nam etsi ille ad sacerdotium adscitus esset, attamen ut modo aiebam, erat servus: hic vero in eo quoque statu, Dei Patris Filius erat: natura quidem æternaque generatione Deus & Verbum: nostræ vero conditionis homo secundum novissimam in carne generationem; quam etiam demonstrat, hæc vox hodie, præsentis nota temporis. Hactenus igitur Pater nativitatem in carne ad se pertinere indicat, agnoscitque proprium suum Filium, qui ex ipso divinitus, ex muliere humanitus nascitur. Ad humanam ergo Christi generationem spectare existimat Cyrillus vocem illam, hodie, quando & humana simul natura, & sacerdotio indutus est. Et

In Psal. 109.

Augustinus: *Ex utero ante luciferum genui te, ex utero virginali. Ex utero quò masculus non accessit; ex utero prorsus propriè, ex utero quia solus ex solo utero, &c. Ad hoc enim natus ex utero ante luciferum, ut esses sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Si natum ex utero de virgine intelligimus ante luciferum noctu, sicut Evangelica contestantur, proculdubio inde ex utero ante luciferum, ut esset sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nam secundum id quod natus est de Patre Deus apud Deum, coæternus gignenti, non sacerdos: sed sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam, quam pro nobis offerret à nobis acceptam.*

VIII. Ex Paulo rursum & Psalmis, Sacerdotium Malchisedecicum Christo tribuentibus. Hebr. c. 7.

Secundò, idem efficitur ex eodem & Davidis & Pauli loco, ubi Christus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech prædicatur. Nam Melchisedeci sacerdotium & initio & fine caruisse testantur scripturæ, *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Arcano scripturæ silentio describitur Melchisedeci sacerdotium, nec à præcessore exceptum, nec successori transfusum, initii finisque nescium, eoque elimatissimum Christi sacerdotii simulacrum Ut enim nusquam Melchisedech nisi sacerdos memoratur, nec de eo quidquam nisi quod ad sacrificium ejus pertineat, sacris literis proditum est; ita nec vitæ ejus vel stilla fluxit, quæ non sacrificio ejus impenderetur. Cyrillus Jerosolymitanus: *Christus est summus sacerdos immutabile habens sacerdotium, quod neque à tempore cæpit, neque successorem alium habet sacerdotii. Quemadmodum die Dominico audisti, nobis in synaxi disserentibus in illud, secundùm ordinem Melchisedech. Non ex corporea successione accipiens sacerdotium, neque factitio oleo unctus, sed ante sæcula à Patre.* Et rursus: *Illi typici erant Christi; hic autem Christus verus, non ex hominibus promotione aliqua in sacerdotium ascendit, sed semper sacerdotii habuit dignitatem.* Sed luculentè Epiphanius: *Etenim sanctus ille Melchisedech nullum neque post se successorem habuit, nec ei sacerdotium est abrogatum; sed sacerdos toto vitæ suæ tempore mansit. Quare adhuc in sacris literis eadem sacerdotii dignitate celebratur, cum nemo ei successerit, aut illam sacerdotii functionem quam suo tempore nactus est, everterit. Eodem plana modo Dominus noster, non nudus homo, sed ex Deo Deus Verbum, Deique Filius, ab eodem nullo initio ant tempore genitus, qui est cum Patre perpetuo, sed homo tamen de Maria nostra causa factus est, nec virili semine procreatus. Qui quidem sacerdotale Patri suo munus offert, accepta ex natura hominum massa, ut pro nobis sacerdos secundum ordinem Melchisedech omni successione carentem constituatur. Manet enim & assiduè dona pro nobis offert. Imprimis quippè semetipsum obtulit, ut perfectiore vivaque pro totius mundi salute mactata hostia, veteris testamenti sacrificium aboleret. In quo idem ipse victima fuit, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, ideoque omnia in omnibus propter nos est factus, ut modis omnibus nobis vita suppeteret, ac sacerdotii sui constantem & immutabilem firmitatem in sempiternum statueret.* Ita ille æternum Christi sacerdotium in Melchisedecho adumbratum demonstrat; dum enim Melchisedech sine parte, sine matre describitur, nullique successisse, nec aliquando fungi sacerdotio cœpisse declaratur, hinc insinuatur *toto vitæ suæ tempore sacerdos permansisse.* Chrysostomus quoque eundem Pauli locum expendens ita concludit: *Nam semper quidem fuit Rex: factus est autem sacerdos, quando carnem suscepit, quando sacrificium obtulit.* Proclus, Mariæ Virgini Deiparæ gratulabundus exclamat: *O templum in quo Deus factus est sacerdos, naturam non demutans, sed eum qui est secundum ordinem Melchisedech per misericordiam induens,* Dionis. Eccl. Hier. c. 6. n. 5. *Quin imo divinus ille ordinis nostri collator, (hoc enim munus sibi Jesus benignissimus in nostri gratiam assumpsit) non semetipse clarificavit, ut eloquia testantur, sed qui locutus est ad eum, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Quapropter etiam ipse dum ad ordinem sacerdotii discipulos promovebat, tametsi ut Deus consecrationis author existeret, simul tamen ad sanctissimum suum Patrem & Spiritum Dei principalem referebat præcipuum sacrosanctæ consecrationis munus, præcipiens discipulis, ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quia vos baptizabimini Spiritu sancto, &c.* Nempe ut Spiritu sancto in sacerdotes consecrarentur Apostoli, sicut tum sacerdos Christus inunctus fuerat, cum de Spiritu sancto conceptus, ejusdem plenitudine perfusus est.

Catech. 10.

Catech. 11.

Hæresi. 55.

In Epist. ad Hebr. ho. 13.

Orat. 1.

IX. Liquet id rursus, quod ipsum Christi nomen Sacerdotium declaret, quo in ipso ortu suo est inunctus.

Tertiò ipsum Christi nomen sacerdotium sonat, Christus enim ab unguine dicitur, quo delibutus in sacerdotium est. Ergo ut ab ortu primo Christus est, ita ab ortu sacerdos est. Enimvero ut Christi nomen non adventitium ipsi est, non adjecti-

jectitium, aut perfunctorium, sed substantivum & hypostaticum, ita sacerdotium non veiut honoris & dignitatis accessio ei obtigit, sed tanquam substantiva proprietas, & personæ germen singulare. Cæteris enim hominibus, naturæ jam personæque suæ integritatem assecutis, superfunditur in vicem ascititiæ dignitatis, oleum quo sacerdotes & Christi efficiuntur: at Christo Domino oleum istud ipsa divinitas Verbi est, substantia ipsa ejus est, persona ipsius ipsissima est. Eo enim oleo Christus est, eo sacerdos est. Minùs mirum ergo si cæteris postea accedat sacerdotalis apex, utpote accersititius, & cumulatæ jam eorum substantiæ superadditus: at Christus nec vel puncto temporis ullo est, quin sacerdos sit, cùm eodem unguine substantiali atque hypostatico & Christus & sacerdos perficiatur. Ita elucidatur amplius locus scripturæ supra relatus ex Paulo, tum à Patre Christum sacerdotio vestitum fuisse, cùm dixit ei Pater, Filius meus es tu, Ego hodie genui te: hæc enim dixit ei tum Pater, cùm oleum divinitatis humanitati infudit, id est, cùm Verbum suum carni implicuit, cùm Christum Deum hominem genuit, cùm Christum illum id est unctum & sacerdotem constituit. Augustinus: *Et sacerdos magnus coram* L. 1. qu. super Levit. q. 79. *fratribus suis, id est, qui inter fratres suos magnus est, ille scilicet unus magnus sacerdos, cui fusum est super caput de oleo Christo. Ipsum oleum appellat scriptura Christum.* Oleum quo sacerdotes ungebantur, Christum adumbrabat: an ergo Christus cujus vel umbra sacerdotes creabat, sacerdos ipse aliquando non fuit? An oleo sacerdotii caruit quandoque Christus, qui oleum illud ipsum est? An sibi defuit Christus, qui nulli defuit sacerdoti? An sibi defuit, qui & antequam esset, non ulli tamen deerat? Et illi quidem sacerdotio inuncti, statim Christi nomine honestabantur: an ergo & Christus L. 13. contra Faust. c. 15. aliquando Christus non fuit? Et alibi: *Quandoquidem ipsum regnum magnus quidam Propheta fuit, ubi Rex & Sacerdos mystica significatione ungebatur: quod non antè ipsis quoque Judæis ignorantibus, ac per hoc invitis ablatum est, nisi cum venisset ille gratia spiritali unctus Deus præ participibus suis, ille sanctus sanctorum, idem verus Rex consulendo nobis, & idem verus Sacerdos seipsum offerendo pro nobis.* Viden ut illi umbratico ungerentur Chrismate in sacerdotes? ergo & verus sacerdos unctus est Christus, cùm tota Chrismatis id est divinitatis plenitudine perfusus fuit. Non alio enim oleo, quàm ipsa Verbi deitate in Christum & sacerdotem perunctus est. Pseudocyprianus: *Christus quoque vel pontificale, vel* In Sym. Apo *regium nomen est. Nam prius & Pontifices unguento chrismatis consecrabantur & Reges. Sed illi velut mortales & corruptibiles unguento materiæ corruptibilis ungebantur: hic vero sancto Spiritu perunctus, Christus efficitur: sicut scriptura de eo dixit: Quem unxit Pater Spiritu sancto, misso de cælis. Et Esaias præsignaverat dicens ex persona Filii: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.*

Epist. 146. E Græcis quoque Theodoretus: *Idem ante sæcula Filius erat unigenitus & Deus Verbum: post incarnationem verò & Jesus & Christus appellatus est, ex rebus vocabula desumens. Jesus quippe interpretatur salvator. Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Christus vero appellatus est, tanquam Spiritu sancto secundum hominem unctus, & factus Pontifex noster & Apostolus, & Propheta, & Rex.* Cui dubium autem quin Spiritu sancto repletus sit adhuc ex utero matris suæ, quod de ejus servulo scribitur, & præambulone? Ergo jam exinde sacerdos fuit. Et. Cyrillus Jerosolymitanus: *Christus* Catech. 10. *vocatur, non humanis manibus unctus, sed à Patre æternaliter in eam quæ supra homines est supremam sacerdotii dignitatem inunctus.* Et infra: *Jesus Christus autem vocatur duplici nomine: Jesus propter salvationem, Christus propter sacerdotium quo fungitur.* Et paulò inferiùs: *Christus est summus sacerdos, immutabile habens sacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque successorem alium habet sacerdotii, &c. Non ex corporea successione accipiens sacerdotium, neque factitio oleo unctus, sed ante sæcula à Patre.*

CAPUT IX.

Christus ab exortu suo Sacerdos fuit.

NOn immeritò salebrosa videri poterunt hæc Cyrilli loca, ubi Christum ait à Patre in sacerdotium unctum πρὸ τῶν αἰώνων, ante sæcula: οὔτε ἀπὸ χρόνων ἀρξάμενον τῆς ἱερατείας: neque à tempore cepisse sacerdotium, & à Patre in pontificatum unctum esse ἀϊδίως, æternaliter. His enim in æternam adeoque in divinam Christi naturam refundi videtur dignitas pontificalis. I. Qui videantur Verbo Deo sacerdotium tribuisse Philo

Nec defuere qui Verbo ipsi Deo pontificatus infulas adscriberent, quibus præisse videtur Philo Judæus libro de profugis, ubi quæcumque Moyses in summo Pontifice delineaverat, ipse de Verbo Deo interpretatur: *Hæc est igitur nostra sententia, Pontificem hunc non hominem, sed Dei Verbum esse, quod expers est peccatorum omnium, non solum spontaneorum, sed etiam involuntariorum. Hunc enim negat Moyses, vel ob patrem, nempe intellectum, vel ob matrem, scilicet sentiendi vim, contaminari, ut opinor ideo, quia parentes immortales purissimosque sortitus est: Patrem Deum, qui omnium rerum pater est, & matrem sapientiam, per quam quidquid est in lucem prodiit cum prius non esset. Et ideo caput ejus ungitur oleo; principale inquam ejus splendido circumfulget lumine, &c. Quod autem caput ejus perpetuo mitra tegitur, significat diadema regium, &c. Meritò existimatur indutus vestibus, nam ejus qui est Verbum antiquissimum, mundo ut veste induitur, &c. Vetatur idem vestem scindere; nam Entis illius Verbum, cum sit vinculum rerum omnium, continet partes omnes & constringit, non sinens eas dissolvi, &c. Hic Pontifex ad nullam animam mortuam supervenit, mors autem animæ est vita cum vitio. Itaque nullum scelus attinget.* Et pergit acutè prolixèque Verbo Deo aptare quęcumque de summo Pontifice memorantur. Et libro de somniis: *Duo Dei templa esse videntur, alterum hic mundus, cujus sacerdotium est penes Dei Sermonem primogenitum: alterum anima rationalis, cujus sacerdos est ille verus homo, cujus hominis imago sensibilis est Pontifex, qui patrio ritu vota & sacra facit.* Alibi rursus ait Pontificem sacris operaturum, vestibus indui, in quibus depictum circumfert orbem universum, ut eo pacto imaginem præferat summi verique Pontificis Verbi Dei: *Necessarium* L. 3. de vita Moys. *enim erat ut Sacerdos supplicaturus Patri omnipotenti, advocatum adhiberet perfectissimum ejus Filium, ad impetrandam erratorum veniam & uberem in posterum gratiam.* Ita ille Christiana mysteria balbutiebat.

E nostris autem in eandem sententiam descendisse videntur nonnulli. Clemens Alexandr. Admonitione ad Gentes paulò ante finem: *Si velis, tu* II. Clemens Alex. *quoque initiare, chorumque cum Angelis duces circa eum qui ingenitus est & immortalis, & solus verus* L. 2. Strom. *Deus, una hymnum nobiscum canente Deo Verbo. Æternus hic est, Jesus unus, magnus Pontifex Dei unius & Patris, orat pro hominibus & homines adhortatur.* Et alibi: *Quatenus Deo quoque assimilatur aliquis, Deo inquam servatori, colere Deum servatorem per Verbum Pontificem, per quem videntur quæ in veritate sunt honesta & justa.* Vides ut sacerdotio Verbum ipsum Deum exornet.

Gregorius Thaumaturgus in Oratione Panegyrica ad Origenem non abhorret ab hac sententia: III. Gregorius Thaumaturg.

Sed nos laudationes quidem & hymnos in omnium Regem & moderatorem, & perennem bonorum omnium fontem, relinquamus ei qui & in hoc ipso infirmitatem nostram sanat, & quod deest explere solus potest, præsidi inquam animarum nostrarum ac salvatori, primogenito ejus Verbo omnium conditori & gubernatori, qui solus pro seipso & pro omnibus privatim ac universè facilè potest assiduas atque perpetuas gratias agere; quia cùm sit ipsa veritas & ipsa Patris universorum sapientia & potestas, ad hæc & in ipso & cum ipso verè atque omnino conjunctus, nullum est periculum ne assequi laudationis modum nequeat, vel Patrem sua laudatione destituat, &c. Cùm ei sit in promptu perfectissimè omnes congruentium illi laudum numeros adimplere, &c. reliqui omnes autem ita dumtaxat grati & pii esse possumus, si in eo solo pro omnibus in nos à Patre profluentibus bonis omnem divinæ gratiarum actionis conatum offeramus: unam pietatis viam hanc esse confitentes, si omnem memoriam per ipsum conditori atque authori omnium dedicemus. Hæc sunt munera atque ornamenta sacerdotii Deo Verbo circumjecta, ut solus pares Deo Patri pro se & universis agere gratias possit, solus laudes Deo dignas persolvere, solus nostras omnium qualescumque laudes & quantulascumque gratiarum actiones ad Patrem deferre, & de suo deficientes supplere.

IV. Eusebius. Demonst. Evan. l.1.c.10. Eusebius quoque annuere videtur; *Solus igitur ipse eorum omnium qui unquam fuerint, cùm sit Dei Verbum, ipso antiquius mundo, Pontifexque omnis rationalis atque intellectualis creaturæ, eum qui nostris casibus esset obnoxius quasi ovem aut agnum ab hominibus segregans, & huic nostra omnium ascribens peccata, seipsum quoque pro nobis peccatum facere non est veritus.* Et rursum: *Cùm Moyses ad exemplar sibi demonstratum, Aaronem fratrem suum Pontificem constituisset, planè significavit, quod mentis oculis divinoque spiritu magnum universi Pontificem viderit, verum utique Christum Dei.* Et ibidem paulò pòst: *Verus quidem Christus ab universi Deo audit: Ex utero ante luciferum genui te, Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, Per quæ planè cùm soboles Dei ac Filius ante luciferum atque ante omne opificium extiterit, Pontifex æternus est declaratus.* Et paulò pòst: *Ille verò archetypus & verus ab initio in infinitum usque sæculum, totus per totum, ipseque sibi in omnibus similis, nunquam quidquam mutationis accipiens, Christus semper fuit etiam priusquam ad homines venerit, atque itidem postea; non ille quidem ab homine, neque ulla materia quæ inter homines reperiatur, sed à supremo Deo ingenita divinitate unctus.* Sic ille Christi sacerdotium, oleumque inaugurationis ab ipsa videtur accersere sempiterna Verbi Deitate.

Ibi. l.4.c.16.

V. Cyrillus Alex. L.4. de adorat. in spiri. & ver. Quin & Cyrillus Alexandrinus in œconomiæ Theologia adeo castigatus, huc nonnihil deflexisse quoque visus est: *Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, Est enim Christi particeps universa, non modo visibilis, sed etiam invisibilis creatura, Angeli enim & Archangeli, illæ etiam quæ supra hos sunt naturæ, ipsa denique Cherubim non aliter quàm per Christum solum in sancto Spiritu sanctæ sunt, Ipse igitur est altare, ipse thymiama, summusque Sacerdos, ipse item sanguis purgationis peccatorum.* Non quà homo sanè Sacerdos est Christus, quo Angeli sanctificentur, ergo quà Deus.

VI. Ambrosius, L. de fuga sæcul. Postremò Ambrosius ipse Philoni suo nonnihil hìc videtur quoque indulsisse: *Quia Verbum Dei regale est, & judiciale, & plenum justitiæ sacerdotalis, remunerationem bonorum actuum & retributionem malorum venturis in judicium suum servans.* Et infrà: *Talis nobis decebat, ut esset Sacerdos, justus, sanctus, innocens, immaculatus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, Hoc est igitur Verbum, quod supra cœlos habitans illuminat omnia. Unde & unctus naturaliter legitur à Deo Patre, quia lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc est Verbum Dei, in quo est magnum sacerdotium, cujus Moyses in illo vestimento Principis Sacerdotum indumenta describit intelligibilia, quod virtute sua induit mundum, & tanquam eo amictus fulget in omnibus.* Adverte quàm amet Ambrosius φιλωνίζειν & quàm gemella sint hæc iis, quæ suprà ex Philone decerpta sunt.

VII. Summa rationum, quibus inducti senserint Verbum naturæ intellectualis ad Deum Patrem esse Sacerdotē. Atque ut summatim colligam quæ videatur supradictorum Patrum fuisse sententia: primùm quidem inter Deum Patrem omnipotentem, omniumque fontem, & creatas naturas omnes, quasi medium intercedere Verbum Deum adverterunt illi, atque adeo ut divina ad ipsas beneficia per Verbum Deum derivantur, ita ipsarum ad primum omnium principium obsequia per idem Verbum destinari. Ea verò est Pontificis provincia, Dei beneficia in populum transfundere, populi obsequia in Deum refundere. Secundò, visum illis est inter naturas maximè intellectuales & ingenitum earum parentem quasi mediatoris & sequestris vices obire Verbum. Nam in penetrali inaccessæ majestatis latitat Deus Pater, impervius, invisibilis: aditus ad eum non habetur nisi per Filium, qui cùm sit imago Dei invisibilis, & splendor gloriæ ejus & character substantiæ, vultusque & lumen & Verbum Patris, in ejus conspectum contuitumque, in ejus amorem complexumque naturas omnes intellectuales inducit. Eo ergo videtur quodammodo summi Sacerdotis munere defungi. Tertiò, Angeli beati Deo perenniter sacrificant sacrificium tantò verius & flagrantius, quantò spiritalius, charitatis nimirum & gratiarum actionis. At hujus sacrificii quod tota illa beatorum spirituum Ecclesia Deo indeficienter immolat, ecquis oro principalis Antistes, ecquis dux & præsul ante omnes est? Num dedecoratur Verbum, si Patri à quo est, gratias agere, si charitate Patris flagrare, si se totum ad Patrem referre, si tam pulcrum sacrificium præire & præformare naturis omnibus intellectualibus prædicetur? Nostra quidem charitas, nostra gratiarum actio, servitutis officium est, quia Domino Deo nostro impenditur: Verbi autem ad Patrem charitas & gratiarum actio a servitutis nota immunis erit, quia non Domino, sed Patri cui coæqualis est refertur. Sed nihil obstabit hoc discriminis, quin charitati & gratitudini & sacrificio nostro præeat & exemplum suum præstruat Deus Verbum. Quartò, quod hominibus lapsis præstatur à Verbo carnem induto, id naturis rationalibus præstatur ab eodem Verbo Deo. Nec enim carne se induit, nisi ut carnalibus carne sua eis contemperata prodesse persisteret, ut spiritalibus priùs spiritali prodesset Deitate.

VIII. At ex adverso Patres alii duce Paulo sacerdotium Christo homini vendicant. Sed ex adverso aciem instruunt cæteri Patres, turmatimque sacerdotium Christo homini vendicant, antesignano Paulo qui mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum proclamat.

De conf. Evan. l.1.c.3. Augustinus: *Cùm ergo Matthæus circa Regis, Lucas circa Sacerdotis personam gereret intentionem, utrique humanitatem Christi maximè commendarunt, Secundum hominem quippe Christus & Rex & Sacerdos effectus est; cui dedit Deus sedem David patris sui, ut regni ejus non esset finis, & esset ad interpellandum pro nobis, mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Et Fulgentius: *Idem homo Christus est, qui pro nobis & Pontifex factus est, dum semetipsum passioni obtulit, & hostia factus est, dum passionem ipse suscepit, Huic dicitur, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et Sacerdos tamen & hostia, humanæ naturæ tam officia cognoscuntur esse, quam nomina. Et quoniam idem Pontifex infirmitates nostras suscepit & habuit propterea de ipso Apostolus dicit: Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: & ut se de natura humana loqui doceret, adjecit:* L.1. ad Trasi c.10

Tenta-

Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Et paulò inferiùs subdit: *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Vides quanta moles authoritatis, quanta etiam argumentorum vis sacerdotium uni naturæ humanæ adsignet. Quin & Cyrillus argumentatur Spiritum sanctum non esse eundem, prout inepti quidam blatterabant hæretici, atque Melchisedechum; propterea quod Spiritus sanctus Deus est, at Melchisedech Sacerdos erat: Sacerdos autem non sibi usquam, sed Deo sacrificet serviatque; item quod Sacerdotis sit sanctificari, Dei autem sanctificare: si ergo Melchisedech idem qui Spiritus sanctus extitisset, hinc efficeretur, ut Spiritus sanctus, nec Deus jam esset, nec largitor sanctitatis. *Neque dubium esse poterit, quin qui alteri alicui sacrificat, non sibi ipsi, sed Deo ut superiori sacrificet. Quocirca si dicimus Spiritum sacerdotio fungi, divina omnino natura inferior erit, & creaturis accensebitur, adorabitque unà nobiscum. Santificabit verò non seipsum: siquidem quod sanctificatur, à præstantiori aliquo quàm ex sua natura ipsum sit, santificatur. Santificabitur itaque nobiscum. Quo pacto igitur Deus secundùm naturam erit, id quod sanctificatum est?* Ex quo infert nec Christo sacerdotium, nisi prout homo est, congruere, & hanc ejus dignitatem ad ejus exinanitionem pertinere. Quæ enim magnifica sunt nobis, & in summo quodam amplitudinis fastigio sublimia, ea Deo mirum quantum inferiora sunt, ut nisi evacuata magnitudine sua ad ea defluere nequeat. *Sciendum enim est, quod neque ipse Filius Verbum ex Patre sacerdotio fungi dicatur, & in sacrificantium ordine esse, nisi in quantum homo propter nos est factus: & sicut vocatur Propheta & Apostolus propter humanitatem quam assumpsit, ita etiam Sacerdos. Conveniunt enim forma servitutis servilia. Atque hæc est exinanitio, &c. Si vero Spiritum sanctum, cùm nequaquam se exinaniverit, sacerdotio functum dicamus, divina ipsum gloria spoliabimus.*

Glaphyr. l. 2.

IX. Rationes complures, quibus sacerdotium addicitur humanæ naturæ.

Supersedeo à reliquis sanctorum Patrum suffragiis perrogandis, quibus testatissimum fit, sacerdotium Christi ad humanitatis ejus censum spectare. Primò enim, ut ex paucis quæ delibavimus, liquet: apertè Paulus mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum appellat: mediator autem non est nisi Sacerdos. Deinde Paulus idem in Epistola ad Hebræos, ubi operosiùs disputat de sacerdotio, ex hominibus pro hominibus Sacerdotes adsciscì constanter testificatur. Secundò, Sacerdotis est compati & condolere, ut ait idem Paulus, eorum infirmitatibus quibus consulit, quòd & ipse infirmitate circumdatus sit: tentarique per omnia pro similitudine. Neque enim spem & fiduciam suam satis ex animo collocabit vulgus hominum in eo, quem nullo miseriæ suæ sensu perstringi, aut vel minimum affici, quin & in arce beatitudinis sublimiter regnare conspexerit. Tertiò, latria & sacrificium servitutis testificatio quædam est, & quidem exertissima: ergo nonnisi superiori ab inferiore, creatrici à creata, sanctificatrici à sanctificanda natura potest impendi. Quartò, nemo verus Sacerdos, nisi qui & ipse victima est, ut infrà copiosiùs differetur: nam si suo loco pecudem subrogat, immolatque, eo argumento declarat, non omnes se sacrificii partes implere, sed aliquas hostiæ sui vicariæ committere, idque ex conscientia, quòd impar ipse sit & alienus ab ea sanctimoniæ puritate, quæ in victima desideratur. At hostia non potest esse divina natura, utpote immortalis & incorruptibilis. Ergo humanæ naturæ dos specialis est sacerdotium.

X. Sedatur superiori conflictatio, du-

Danda jam opera est ut sedetur conflictatio hæc sanctorum Patrum, paribus ferè hinc & inde authoritatis rationumque momentis, pontificalia insignia nunc Verbo Deo ingerentium, nunc ab eodem in humanam ejus naturam regerentium. Duplex ergo sacerdotium discriminari posse videtur: alterum cum humilitate & servitute conjunctum, alterum ab hac degeneris naturæ nota purum & sublime. Et illud quidem prius creatæ naturæ contemperatum est, maximè autem ei quæ lapsu suo implicata miseriis & ærumnis, inde emergere nisi operosissimo conatu & cruenta sui immolatione non potest. Hoc autem posterius, à germano Filio paternæ authoritati dependi fortasse potest. Nam Deus Verbum etiam qua Deus est, ut plerique & spectatissimi inter Patres assentiuntur, de Patre ait, *Pater major me est.* Major nimirum authoritate generantis; major, quà author & Pater; major, quà totius fons deitatis; major, quà Filii sibi coæqualis omnipotens genitor; major, quà æqualitatis illius, qua minor Patre Filius non est, largitor ipse est. Ex eo autem quòd Pater major est, etsi Filius minor non est, ex eo inquam efficitur, ut Filii doctrina, non Filii sit, sed Patris: ut Filius non faciat voluntatem suam, sed Patris: ut Filius non gloriæ suæ studeat, sed Patris: ut Filius manifestet nomen Patris: ut Filius regnum tradat Deo & Patri: ut Filius in orbe condendo, jubenti Patri tanquam Verbum ejus & brachium obsequatur; ut Filius in restaurando post prævaricationem orbe, propitiandi Patris provinciam in se unus suscipiat: ut Filius denique omnis naturæ intellectualis ad Patrem mediator sit. Huic tam indubitato tamque multiplici Filii Dei ad Deum Patrem, æqualis ad majorem obsequio superstrui non immeritò potest sacerdotii nomen aliquod, sed Verbo Deo dignum, sed à servitutis ignobilitate alienissimum, sed à miseriarum sensu aut afflatu longissimè dissitum, sed non alio significandum obsequio, quàm quo Deus Deo, omnipotenti omnipotens, sed Filius Patri, proles authori, æqualis majori se totum debet, se totum refert, grates agit, congratulatur æternùm, mera denique ipse est ad Patrem relatio & congratulatio. Abest immane quantum hæc sacerdotii conditio ab illa altera obscuriore, ubi creatrix & obnoxia natura servitutem addictissimam profitetur, & substantiæ suæ excidio labem peccato invectam resarcire parat. Prius illud sacerdotii genus magnificum & amplitudinis exaggeratissimæ refertum Verbo Deo ascripsere sancti Patres, hoc posterius servilis obscuritatis nota sordidatum humanæ naturæ imputaverunt: authore nimirum & duce Paulo, qui ubi sacerdotem ærumnis nostris omnibus implicat, perspicuè de sacerdote disputat humanas post lapsum calamitates cruore suo eluere & sanare adlaborante. Sed vicissim si ob oculos ponas, quæ supra disputata sunt, cædi Deo victimam nonnisi post peccatum opus fuit. Cùm ergo is propriè Sacerdos sit, qui victimæ cruorem fundit, nonnisi post incarnationem & per assumptam naturam Sacerdos propriè est Christus. Mediator quidem & Caput etiam angelicæ, etiam stantis hominum Ecclesiæ Verbum ante carnem non absurdè dici potest. At Sacerdos propriè dici non potest, nisi ubi cruore victimæ nostra eluenda fuit iniquitas. At impropriè usurpato Sacerdotis nomine, & commisto cum nomine Mediatoris, non sunt in crimen vocandi Patres, si qui Sacerdotis, hoc est, Mediatoris munus Verbo Deo adscripsere. Est enim cognatio non minima Mediatoris & Sacerdotis, & qui naturæ integræ Mediator est, idem ejusdem lapsæ fit Sacerdos & Redemptor. Itaque promiscuè habito cum Mediatoris nomine, & impropriè accepto Sacerdotis nomine hìc utemur ubi illud Verbo Deo communicatum ostendemus.

plicis di-stinctione Sacerdotii, proprii & improprii.

XI. Rursus utrumque ratio Sacerdotii in Christo coalescat.

Et sanè nisi in ipsa Verbi Dei persona divina, sacerdotales intelligantur sublucere utcumque dotes, eccur, amabo te, mediator ille est totius naturæ an-

angelicæ ad Patrem? Eccur supernæ illius & nunquam peregrinatæ civitatis caput est? Eccur caput beatæ quoque extitisset hominum Ecclesiæ, si in ea, in qua conditi fuimus, integritate primæva perennassemus? Num esse mediatorem & caput Ecclesiæ, non aliquod est rudimentum Sacerdotii? Quin imo, ut quà Deus propriè Sacerdos non est, ita nec propriè mediator est, nec inter Deum & Angelos, nec inter Deum & homines stantes. Nam Deus tantùm est, non Angelus, non homo. Ergo substantiva illa & propria ratione mediatoris, qua mediator est homini lapso Christus Deus homo, nequaquam mediator, nedum Sacerdos est Verbum Deus inter Deum & Angelos. Sed quà tamen unigenitus, & primogenitus omnis creaturæ, & per quem facta sunt omnia, quasi medius inter Patrem ingenitum & naturas creatas, tametsi Patri ingenito genitus æqualis, utcumque tamen & impropriè medius & mediator dici potest à sanctis Patribus, quà à Patre per ipsum omnia fluunt, & ad Patrem per ipsum eadem refluunt omnia. A qua personæ Verbi proprietate manat, ut opportuniùs ipse quàm Pater vel Spiritus sanctus Deo & homini lapso mediator & sacerdos sit. Denique si reliquas paulò otiosiùs Christi proprietates trutinemur, eadem & harum ratio esse comperietur. Lex enim illa ubique dominatur inviolabilis, ut ex divinitatis censu refluant & restagnent in humanitatem omnes penitus dignitates; & quæ munia in supernis obit Deus Verbum ad expertes labis intellectuales naturas, iisdem per hominem assumptum ad homines peccato afflictos perfungatur. Ita enim Rex Christus homo est, refuso Deitatis in contextam sibi humanitatem regni splendore. Ita Legislator est Christus homo, sciscendarum legum authoritate Verbo quidem Deo agnata insitaque, at ad homines carni immersos per carnem hominis assumptam sese explicante. Ita Judex est Christus homo, judice omnium primigenio Verbo Deo ad judicandos homines pios impiosque humana se forma conspicabilem repræsentaturo. Ita etiam Filius Dei est, ita caput est, ita Magister est Christus homo, deitatis filiatione & principalitate & veritate compaginante sibi hominem, per eumque sese exprimente & expromente. Ita ergo denique & sacerdos erit Christus homo, refluente à Deo in hominem, tanta, quanta sacerdotem summum, & redimendis hominibus omnibus parem addecet, dignitate & sanctimonia, & tota pontificalis amplitudinis opulentia. Sed in his omnibus constat ratumque illud est, seu Regis, seu Judicis, seu Legislatoris, seu Mediatoris, seu Sacerdotis, seu Magistri, seu Capitis (quæ omnia Christus homo est) vim & authoritatem fluere à proprietate aliqua personæ Verbi Dei, cui ideo hæc magis, quàm Patri vel Spiritui competunt, & à quo his utcumque alludentia munera in angelicam & stantem hominis naturam exercentur.

XII. Hinc rursus liquet ab exordio suo Christum fuisse sacerdotem.

Porro ex his lucidissimè claret id quod instituimus demonstrare, jam inde à primo incarnationis momento sacerdotali nomine & honore floruisse Christum. Dei Verbi enim jam sacerdotii omen prægestantis, jam pontificatus ingenium & insignia præferentis ab æterno, coaptatio temporalis cum humana natura tanquam cum victima immolanda, quid aliud quàm quædam Pontificis creatio fuit, & quædam veluti initiatio sacerdotii? Itaque ut Magister, ut Legislator, ut Judex, ut Caput jam tum ab exordio suo fuit Christus, quia Verbum Deus humanæ naturæ insinuatus, non potuit non & in ea has suas laudes retentare, non potuit non eas statim cum eadem sua humanitate communicare: ita statim atque conceptus est Christus, Sacerdos protinus fuit, quia Verbi Dei principalitas quædam Pontificalis, & ingenita ipsi mediatoris naturarum omnium intellectualium ad Patrem dignitas in humanam derivata protinus naturam est,

XIII. Tertiú hoc demonstrádum superest, Sacerdotio suo fungi cœpisse Christú jam inde ab exordio sui conceptus. Ideo & Mariæ uterus illi templú fuit.

Postremò quod explanare adgressi sumus, non sacerdos tantùm fuit jam à principio sui conceptus, sed & immolare & sacerdotio suo fungi jam tum cœpit Christus homo, & ipsa incarnatio, seu ipsa humanitatis ad Verbi deitatem coaptatio, juge quoddam & summum sacrificium est.

In EP. adv. Pau. Samosat. q. 5. Bib. PP. To. XI. pag. 287.

Ideo enim primò Mariæ Deiparæ uterus templum celebratur à sanctis Patribus, in quo sacerdos secundum ordinem Melchisedech Christus, sacrificii sui primitias Deo dicare exorsus est. Pulcherrimè Dionysius Alexandrinus: *Puer Jesus Deus Israel, Deus est idem ipse, & anni ejus non deficient. Habet enim sacerdotium sempiternum. Sin autem non sempiternum dicit Samosatensis, dicat an aliquando habuerit successorem in sacerdotio. Ex quo enim voluit Rex pacis, fieri sacerdos pacis, nequaquam cernitur qui sacerdotium ejus susceperit. Nec in tabernaculum ejus verum alius introivit, vel exivit, nisi solus Dominus. Et signata est porta tabernaculi, integra, & incorrupta, & inviolata. Manu enim Dei clausa est, & digito ejus signata est. Neque manu hominis sacerdos noster consecratus est, aut electus, neque tabernaculum ejus ab hominibus fabricatum, sed Spiritu sancto firmatum est, & virtute Altissimi protegitur illud semper landatissimum Dei tabernaculum, Maria Deipara & virgo.* Viden ut sempiternum sacerdotem Christum prædicet, ejusque tabernaculum seu templum in quo sacerdotio fungatur, Mariæ virgineum uterum nuncupet? Ut unus unicusque sacerdos, hoc unus introeat templum, nullumque sacerdotii sui hujus socium, nullum successorem habeat? Et idem rursus: *Non in servo inhabitavit, sed in sancto suo tabernaculo non manufacto, quod est Deipara Maria. Illic enim in ipsa Rex noster, Rex gloriæ factus est Pontifex, & manet in perpetuum, semel ingressus in sancta, & æterna redemptione inventa. Ex ipsa exivit Verbum factum Pontifex, non secundum legem carnalis mandati, sed secundum virtutem vitæ indissolubilis.* Quod Paulus de cœlesti tabernaculo tradidit, in quod Jesus semel introivit, excelsior cœlis factus, æternæque redemptionis author: id Dionysius de virgineo Mariæ uteri templo commentatur, ibi Jesum Pontificem inauguratum, ibi vita & pontificatu indissolubili dotatum, ibi tanquam in Sanctis Sanctorum æternam invenisse redemptionem. Nec est quod suspiceris, absurdè, aut violentè rapi ad Mariæ uterum, quod de cœlestibus sanctis disputaverat Apostolus: quin apposite id & consequenter factum à Dionysio. Idem enim Pontifex Christus jam inde ab ortu suo in maternæ alvi hospitio, qui porro in æternum in cœlesti templo, idem sacrificium jam illic auspicatus est à primo conceptus sui puncto, quod deinceps in æternitate vitæ indissolubilis offerre in sempiternum persistit. Unde Proclus Constantinopolitanus Episcopus: *O uterum, in quo communis confectus est libertatis nostræ libellus! O ventrem, in quo adversus mortem fabrefacta sunt arma! O arvum in quo ipse naturæ colonus sine semine germen progenitus est & spica! O templum, in quo Deus factus est Sacerdos, non naturam demutans, sed eum qui est secundum ordinem Melchisadech induens per misericordiam.*

Ibidem. Quæst. 7.

Orat. 1.

XIV. Ideo & incarnatio ipsa veluti juge sacrificium est, quo humanitas tota in deitatem absorbetur.

Ideo rursus incarnatio ipsa tanquam juge sacrificium à sanctis Patribus attenditur, ut humanitatem totam ad divinitatem abripi, ea obrui, & absorberi, non aliud sit quàm eam perenniter immolari. Gregorius Magnus: *Sic faciebat Job cunctis diebus. Cunctis diebus Job sacrificium offerre non cessat, quia sine intermissione pro nobis holocaustum redemptor immolat, qui sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem demonstrat. Ipsa quippe ejus incarnatio nostræ emundationis oblatio est. Cumque se hominem ostendit, delicta hominis interveniens diluit, & humanitatis suæ mysterio perenne sacrificium immolat, quia & hæc sunt æterna, quæ mundat.*

Moral. l. 1. c. 19.

Au-

Audin ut sine intermissione pro nobis haulocaustum redemptor immolet Patri, quia sine cessatione suam pro nobis incarnationem demonstrat? Audin ut ipsa ejus incarnatio, nostræ emundationis sit oblatio? Audin ut humanitatis suæ mysterio perenne sacrificium immolet, quia & hæc sunt æterna, quæ mundat? Et rursus: *Potest per terram ipsa* L. 3. c. 15. *etiam mediatoris incarnatio designari. Unde & ad Israel dicitur, Altare de terra facietis mihi. Altare enim de terra Domino facere, est in incarnationem mediatoris sperare. Tunc quippe à Deo munus nostrum accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est, super Dominicæ incarnationis fidem, posuerit quidquid operatur. In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros dominicæ incarnationis fide solidamus.* En rursum ut incarnatio altare sit, in quo juge sacrificium Deo adoletur, cui sacrificia nostra sunt omnia copulanda, ut hinc pretium sibi parent.

XV. Ideo & in diebus carnis suæ vota obtulisse legitur. Ideo rursum ait Apostolus ad Hebræos, Christum in diebus carnis suæ vota supplicationesque ad Deum obtulisse & exauditum esse pro sua reverentia. Diebus autem carnis suæ contineri videtur tota ejus hic vita mortalis à primo conceptu ad extremum usque spiritum in cruce exhalatum. Toto ergo vitæ hic mortalis curriculo per vota & supplicationes seipsum cruce tandem conficiendum obtulit jugi holocausto. Unde Pseudo-Ambrosius In c. 6. Epist. ad Hebr. in hunc locum: *Quid vero in sacerdotio Pontifex noster egisset, certius hic exprimit Apostolus, dicens: Qui in diebus carnis suæ. Dies quippe carnis Domini nostri, dies sunt in quibus carnem assumpsit, in quibus tentatus est, passus est, in quibus preces supplicationesque ad Deum qui posset salvum illum facere à morte, offerebat. Totum vero quidquid egit Christus in carne, preces sunt & supplicationes pro peccatis humani generis.*

XVI. Variæ rationes sacrificii in ipsa Verbi incarnatione delitescentes eruuntur. Utque dilucidius fiat ex quo virgineo in arvo effloruit primum Christus, nec ad punctum temporis cessasse à sacrificio, juvat quæ ad id demonstrandum sparsim hoc ipso capite vel alibi à nobis disputata sunt, hic in unum contexere, & in summa quædam capita constringere. Primò igitur eo maximè constat incarnatio Verbi, seu utriusque naturæ divinæ atque humanæ in unam personam coalitio, quòd humanitas jam sua non sit, quòd suo in se jure omni excidat, quod Verbi posthac sit, quòd in censum & ditionem Verbi rapiatur. At ea est luculenta sacrificii species, ea est sui immolatio absolutissima, jam suum sibi non esse, seipso exui & spoliari, abdicari seipso & in Deum omnipotenter rapi atque absorberi. Jam tum ergo cœptum est sacrificium, & ipsa incarnatio immolatio quædam est. Secundò nec singularis tantùm illa & ter quaterque beata humanitas, sed generis humani universitas, in illa, ut in radice sua, aut velut in capite suo conglobata, per incarnationem cessit in censum & potestatem Verbi Dei, suoque in seipsam jure omni excussa est, atque adeo per hanc sui abdicationem assumptionemque & absumptionem in Deum, immolari Deo jam tum & ipsa cœpit. Tertiò vis lexque incarnationis altero constat capite, nimirum quod imbuatur inebrieturque divinitate humanitas; quodque Deitas humanitatem invadens, pervadensque penitissimè, & ut ajebat Nyssenus, sic eam sibi immersam ut Oceanus guttulam aceti sibi infusam ebibens, absumens & absorbens, sola extet, & emineat, sola regnet & dominetur Deitas, quasi devorata humanitate. Id porrò speciem apertissimam præ se fert sacrificii. Num enim non immolatur Deo, quod Deus in se rapit, quod sorbet, quod devorat? Quartò corripitur per incarnationem humanitas Deitate, ut ferrum igne: ea enim comparatio sanctis Patribus pulcherrima visa est, & ab eis creberrimè usurpata. Nempe ut ferrum igne candefactum, etsi ferrum superstit, in ignis tamen proprietates & naturam penè deficit; ita humanitas in Deitatem absumitur obruiturque, & eo igne quasi holocaustum juge adoletur: planè vivens immortaliter hostia, & incorruptibiliter deficiens, suaque in Deitatem defectione proficiens. Quintò incarnari perinde est, ac victimam Deo Patri immolandam à Deo Verbo assumi. Nec enim alio consilio assumpta est à Verbo natura hominis, quàm velut rationalis hostia Deo offerenda. At Sacerdos jam tum sacrificium auspicatur, cùm victimam assumit, cùm victimæ manus iniicit, cùm divinæ potestati à profanis usibus victimam exemptam subjicit, & cædi destinat præparatque. Sextò hominem illum nos ipsi pro nobis immolandum obtulimus. Etenim ut suprà philosophabantur Patres, victimam subministrant ii, quorum saluti impenditur. Cùm ergo quasi oblatam ab universo electorum choro victimam pro ipsis immolandam assumpsit Deus Verbum, nonne tunc eam sacrificare cœpit: Oblatio enim victimæ à laicis Sacerdoti facta, atque ejusdem à Sacerdote receptio, sacrificii utique jam cœpti pars est. Septimò & in homine illo eximio egregioque, gregem universum electorum assumpsit Verbi Deitas perenni sacrificio immolandum Deo. Omnis enim electorum vita rationalis hæc est, quàm primùm rationis usura fruuntur, perpetua mactatio, qua se ipsi Deo incruentè immolant. Ergo Christus omnes in se prægestans, omnium personam sustinens, omnium vices & munia implens, omnibus leges & exempla condens, ab ortus sui initio, rationis summæ compos & ipse ratio summa, mactare jam tum semetipsum Deo cœpit. Octavò quod suprà hoc capite commonefecit nos Nyssenus, non ad vitam, sed ad mortem natus homo est Christus. Verbum enim Deus vitæ ubertate omnimoda redundabat: sed mortis inops, ad hanc mendicandam homo conceptus natusque est. Non ergo incarnatio est vitæ humanæ assumptio, sed mortalitatis & mortis. Incarnatio ergo sacrificium est. Nonò, & ipsa mortalitas quid est, ut ait Gregorius Papa, quàm quædam prolixitas mortis? Omnes enim in mortem nascimur, quicumque mortales nascimur, & nascendo jam morti destinamur, jam ad mortem pergimus & properamus: Et quæ vita dicitur, vitæ defectio est, concessioque in mortem: Et quanta est vitæ ætas, tanta jam vitæ clades est, mortisque potestas. Quidquid enim quis vixit, id devexit: quidquid vitæ hausit, exhausit; quot annos vitæ habet, tot jam non habet: mortuum est, quidquid effluxit; quanta vitæ præterita portio est, tanta præsumptæ mortis portio est. Quotidie morimur, horis omnibus singulisque momentis extremæ morti præmorimur, jam pueritia, jam adolescentia, jam juventus mortua est, punctum istud quod vivimus, vivendo absumimus, mortique donamus, & denique diù vivere mortalem non aliud est, quàm diù perire, diù ad mortem ire, diù mori. Cùm ergo Verbum Deus assumpsit hanc nescio dicam (ut cum Augustino loquar) vitam mortalem, an mortem vitalem, mortem utique assumpsit, & mori jam tum præsumpsit, & tota ejus in homine vita, quædam fuit mortis prolixitas, quædam adeo sacrificii sui diuturnitas. Non frustrà enim illi temporis stillæ fluebant. Intelligebat summa ratio & sapientia, quid vitæ mortalis per momenta singula deperiret, quid sui morti concederet, non conditionis necessitate, sed charitatis suæ libertate: itaque guttatim vivebat & moriebatur, vitæque & mortis ei coævæ guttas singulas Patri Deo libabat, & jugi hoc mortalitatis sacrificio litabat, extremum aliquando in cruce perlitaturus. Et hoc illi volupe erat jam inde à conceptus exordio, non diù vivere, sed diù mori, diù Patri impendi & super impendi, nec brevi se mortis compendio expedire, nosque redimere, sed membratim perire, stillatim

mori

mori & immolari, ac diutiùs suo sacrificio & oblectari & Deum oblectare. Decimò si juveni cruentas manus nemo intulisset, ut ait Augustinus, ipso mortalitatis tabo exesus, senectaque confectus, aliquando tandem interiisset Christus. At quæ illum confecisset mors, non extremo tantùm vitæ articulo confecisset, sed toto vitæ lapsu exedisset paulatim & tabificasset. Ipsa ergo mortalitas mors quædam protractior & tædiosior est, tabesque jugis corruptibile corpus depascens ac minutatim absumens. Assumptio ergo mortalitatis, jam quædam est mortis anticipatio & sacrificium. Undecimò, ingrediens mundum Christus, ut scribit Paulus ad Hebræos, jam in mortem totus prominebat. Tum enim dixit statim, Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei: illam nempe legem quæ Deo sacrificari imperabat non holocautomata pecudum & pro peccato: hæc enim, ut ibi præmittitur, Deo non placuerunt, ab eoque voce Prophetarum omnium respuebantur: sed corpus illud quod Christo tandem aptatum est. Cùm ergo propter repudiata à Deo prisca sacrificia, vicarium se pro eis Christus objicit, & ingrediens mundum dicit, Ecce venio; nonne jam tum morti obviat, mortem provocat, ad mortem approperat, & sicut ipse postea contestatus est, desiderio desiderat & inexplicabiliter coarctatur? Porro animo ita præmori & mortem invadere, id verò est semet Deo hostiam mactare. Duodecimò, si Sacerdos ab utero matris Christus extitit, ut patefactum suprà est, sacrificare illico occœpit. Neque enim credendus est cessare, aut feriari tandiu potuisse à munere tanto, tantæque necessitatis. Postremò ut suprà ajebat Gregorius, cùm humanitas Patri demonstratur, tandiu perenni holocausto immolatur. Nec aliter in cœlo nunc sacrificat Sacerdos in æternum; ut infrà liquebit. At eam humanitatem à primo exortu Patri cœpit demonstrare tanquam victimam, ergo & immolare.

CAPUT X.

Verum sacrificium fuit Crux & mors Christi, ibi Christus Sacerdos, ibi victima fuit.

I. Crucis sacrificium primarium & principale ad redemptioné nostram. Ex Leone, ut Christus, ut gens humana, ut diabolus affigatur cruci, sed diversimodè. Serm. 4. de Pass.

ETsi indubia res ista sit, & inter prima fidei christianæ elementa omnium animis informata, proprium illi tamen caput hoc dedicare impulit tanti dignitas sacramenti, totiusque inde manantis nostræ salutis congratulatio. Cursim itaque perstringemus quæ sancti Patres de Christi in cruce sacrificio disseruerunt.

Totus est in hujus sacramenti præconio Leo Magnus: *Crux ergo Christi sacramentum veri & prænunciati habet altaris, ubi per hostiam salutarem, naturæ humanæ celebratur oblatio. Ibi sanguinis immaculati agni antiquæ prævaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur adversitas, & de elatione superbiæ victrix humilitas triumphabat: cum tam velox esset fidei effectus, ut de crucifixis cum Christo latronibus, qui in Christum Filium Dei credidit, paradisum justificatus intraverit.* Quo uno in loco juvat prænotare quæcumque ad hujus sacrificii magnificentiam copiosiùs deinceps & exaggeratiùs accumulabuntur. Primò enim liquet hinc agni immaculati non immaculatum dumtaxat, sed emaculantem fusum esse sanguinem; id est, qui sanctitatem non sibi haberet soli, sed in omnes dispergeret, qui sanctitas ipsamet esset, de suo fonte orbem irrigans & sanctificans universum. Secundò, ut ait Leo, *naturæ ibi humanæ celebratur oblatio.* Tota enim Ecclesiæ universitas cum capite suo cujus erat corpus, figebatur cruci, Deoque immolabatur. Unde Paulus tanti arcani apprimè gnarus: *Christo confixus sum cruci: si unus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.* Itaque crux velut ara fuit mundi, in qua universa fidelium Ecclesia ex omnibus terrarum tractibus, ex omnibus sæculorum omnium ætatibus conglomerata, in capitis sui sacramento, Deo mactabatur. Tertiò, sed & diabolus unà figebatur, ejusque conterebatur dominatio: mors occidebatur: peccatum expugnabatur. Unde Apostolus: *Delens quod adversum nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci; & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Colos. 2. Viden ut peccati mortisque princeps diabolus, eidem cruci, quod mirum dictu, cum Christo confixus fuerit, tam dispari exitu quàm dissimili causa? Christus enim sanctitatis & innocentiæ dux triumphum agebat, diabolus impietatis & superbiæ princeps in triumphum agebatur & traducebatur. Quartò, ut ait Leo, de elatione superbiæ victrix humilitas triumphat; triumphat enim victrix humilitas, dum cruciatur, dum immolatur; triumphatur interimiturque superbia dum pollet, dum sævit. Crux ergo Christi sacrificium est, quo sanctitas & innocentia, quo humilitas & virtus omnigena Deo immolatur, ut immolatione sui nimirum non deficiat, sed perficiatur, non deficiat ipsa, sed obstantes superbiæ vitiorumque catervas conficiat; quo morte immortalitatem paret; dum vinci videtur, tum maximè vincat; victoriam & triumphum inconcussa posthac lege addicat, non hostiliter sævienti, & sæviendo intereunti superbiæ, sed humilitati mortem ultro adeunti, & justitiæ immortalitatem sempiternam brevi morte emercanti.

II. Ex eodem ut patientia & humilitate per crucem vincente, propitietur Deus. Serm. 8. de Pass.

Quocirca idem Leo: *Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, & invictæ patientiæ humeris, signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat; tanquam tunc & ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret & diceret. Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* En quàm triumphale sit sacrificium, quo invicta patientia, & infracta humilitas dum morte turpissima acerbissimaque immolatur, vincit & triumphat; nec vinceret aut triumpharet nisi immolaretur, & minùs splendidè triumpharet, si minùs turpiter aut minùs immaniter mactaretur. Ecqua enim invicta patientia audiet, quam nulla lacessiverit adversitas? Eccubi victrix celebrabitur humilitas, si nulli eam hostes exagitent? Vincit ergo patientia, dum lacessitur, triumphat humilitas, dum exagitatur, dum interimitur; vincente autem patientia & humilitate, vincitur superbia, & proles superbiæ omnis, seu peccatorum tota colluvies extinguitur. An potest autem vincente patientia, triumphum agente humilitate, virtutum choro unà ovante palmasque gestante, superbia & vitiorum caterva debellata, & in ludibrium traducta, an potest inquam non propitiari, non oblectari Deus? Justitia enim & sanctitas & virtus Deus ipse est; nec potest non patientiæ & humilitatis gloriam, suummet ipsius interpretari triumphum.

Quocirca idem Leo ibidem: *Siquidem Pascha nostrum, ut ait Apostolus, immolatus est Christus, qui se novum & verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non in templo cujus jam erat finita reverentia, nec intra septa civitatis, ob meritum sui scele-*

sceleris diruendæ, sed foris & extra castra crucifixus est, ut veterum victimarum cessante mysterio, nova hostia novo imponeretur altari, & crux Christi non templi esset ara, sed mundi. Audin ut reconcilietur Deus justitia incommutabilis humano generi, postquam genus humanum capitis sui sanguine irrigatum, sacrificio implicatum, unaque cum eo justitiæ & patientiæ & humilitatis causa mactatum atque immolatum, justitiam sibi conciliavit?

III. Ideo ex eodem in orbis prospectu & meditullio passus est Christus.

Quocirca non in templi adyto, non in urbis compito, sed in propatulo, in orbis prospectu, extra urbem, extra castra passus est Christus, atque ut ait Leo, *nova hostia novo imponitur altari, & crux Christi non templi est ara, sed mundi.* Instruebatur enim sacrificium quo non pecus, sed virtus: non cruor, sed pietas: non adeps, sed charitas: non nidor, sed humilitas & patientia invicta, & justitiæ species omnimoda Deo immolabatur. Istud sacrificii non ad templum, non ad urbem, non ad gentem aliquam singulariter pertinere aut verò arctari poterat, sed ad omnem humani generis rempublicam, ad naturæ rationalis universitatem attinebat, quæ non aliis quàm istiusmodi victimis mundari, Deoque seu justitiæ & æternæ legi conciliari potest. Etenim animam impendere vero, sanguinis impendio justitiam contutari, pulchritudinem sanctitatis anteferre fluxis voluptatibus & vitæ ipsi, æternorum charitate temporalia omnia & vitam ipsam expuere, patientiæ voluptate in ipsa morte saginari, sanguinem & mortem ipsorum carnificum saluti consecrare ex amoris redundantia, istud enimverò est crucis sacrificium, istud est cruci impositum holocaustum, istud est quo omnis intellectualis natura uno & solo purgari & in gratiam redire cum Deo potest, istud est quod reliqua sacrificia adumbrare & effingere conarique possunt, exprimere consequive non possunt: istud est nullo claudendum templi claustro urbisve pomœrio, sed propalam in orbis meditullio ostentandum, & in omnia temporum volumina, in omnia terrarum loca fide & imitatione propagandum.

IV. Ideo post crucem omnia desiere sacrificia, ut veri sacrificii umbratantum.

Quocirca & omnes exinde desierunt victimæ. Quo enim ad Dei, id est, ad incommutabilis justitiæ gratiam recolligendam pecudum adeps, cruor, nidor? Quin compositum jus fasque animo, sanctique recessus mentis, & incoctum generoso pectus honesto, grata Deo & litatura victima sufficit? Num mens ita composita, nisi pecudum sanguine mercari benevolentiam Dei non potest? Num justa mens Deo id est justitiæ amica nequedum satis est: erit autem cùm sanguine victimarum aras cruentaverit? Apage hæc superstitionis ludibria. Ergo ubi sacramento, exemplo, auxilio, per Christi crucem piorum omnium hostia spiritalis & totius humani generis in suo capite sacrificium, id est, temporalium omnium fastidium, vitiorum omnium extirpatio, charitas æternorum & justitiæ etiam cum mortis contemptu tenacitas immolata Deo est, facessere porro debuerunt cætera sacrificia, hujus unius vel profana ludibria, vel qualiacumque conamina & umbratica imitamenta. Leo Magnus ibidem: *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis & sanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus agnus Dei qui tollis peccata mundi; & ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.*

V. Ex eodem ipsam justitiam incarnatam immolari in Cruce, id unum profuit, id unum prodesse potuit humano generi.

Quocirca necessum fuit non aliam cædi in cruce, id est, in ara mundi victimam, quàm ipsam justitiam. Nam si justus quispiam mactaretur, palmam ipse quidem ferret fortitudinis, & exemplum posteris conderet, imitatione & admiratione omnium postea sæculorum prosequendum. At justitiæ fluenta derivare in alios, eorumque & emaculare sordes, & eadem justitiæ inter mortis discrimina charitate inflammare animos neutiquam posset. Justitia verò ipsa incommutabilis humanos induta artus, mortemque immanissimam in justitia defensanda perpessa, non exemplum tantùm præstruxit, quod cæteri imitarentur, sed de fonte inexhausto suo rivulos aspersit justitiæ gratiæque qua roborarentur ut possent & vellent: & de principatu suo in se tanquam omnium capite sacramentum condidit, quo omnes cum ipso & in ipso una pro defensione justitiæ immolarentur. Leo idem: *Aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamvis enim in conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas: & de fidelium fortitudine, exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt; nec alterius quisquam debitum suo funere solvit, cum inter filios hominum solus Dominus Jesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati.* Hoc nimirum de principatu justitiæ proficiscitur, quæ humanum accincta corpus, omniumque potestatem & imperium adepta, homines subjugavit sibi, sibi inseruit & concorporavit, ut in eo per sacramentum omnes crucifigerentur, omnes in eo qui omnium personam sustinebat, morerentur & suscitarentur: omnes, ne cassum esset id sacramentum, per singulas exinde ætates ad consimilis sacrificii portionem explendam excitati & roborati convalescerent. Namque ut ait ibidem Leo: *Iis victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit.*

Serm. 11. de Passione.

Vide & Ep. 83.

VI. Christi crux summæ philosophiæ summæ justitiæ, summæ sanctitudinis specimen & miraculum, ac veræ fons gloriæ.

Quocirca non est quod stultitiam crucis nisi stulti exsibilent: non est quod ejus scandalo nisi curvæ jam in terras animæ & cœlestium inanissimæ offendantur. Christi crux Judæis scandalum, Gentibus stultitia, nobis Dei virtus & sapientia est. Ecquod enim spectaculum Deo jucundius, vel Philosopho gentili arbitro & judice, quàm vir bonus cum mala fortuna commissus? Quàm justissimus quisque infracto pectore, animo irretorto mortem excipiens & contemnens? Ecqua Deo opimior hostia, quàm intaminata mens, intaminati hospes corporis, justitiæ & sanctimoniæ usque adeo tenax, ut ab ea vel tantillum eam deflectere nulla crucis ignominia, nulla mortis immanitas queat? Justitiæ defensandæ immori, fidem & innocentiam sanguine suo consignare, charitati Dei hominumque impendere semet, mortem infligentibus bene velle ex animo, ipsamque eorum atrocitatem in ipsorum salutem convertere, crucifigi denique & crucifixoribus bene velle ac benefacere, hoc crucis arcanum est, hoc nos audemus admirari, hoc imitari studemus, hoc prona religione amplectimur, hoc sacramento obligamur constringimurque libentissimè, hoc gratissimum Deo sacrificium esse jactamus; hoc denique præire & exemplo suo præformare cæteris hominibus, hoc lege solenni sancire, hoc in mores inducere humani generis, ne Deo quidem ipsi indecorum esse arbitramur. Non satis Philosophiæ stadium trivere, aut nec ejus limen salutavere, qui mortem, qui cruciatum, qui ignominiam & exhorescunt ipsi, & à Deo ut abominabilem deprecantur. Hæc sunt vulgi præjudicia, hæc fascina sensuum, hæc vitiorum errorumque vel à pueritia inolitorum, vel consuetudine affrictorum deliramenta. Nec enim mors, sed mortis causa turpis in vitio est. Mors enim fortiter adita, & justitiæ tuendæ ultro impensa, & servandæ patriæ, & tuendæ religioni, nusquam non summis laudibus celebrata est, ut immortalitatis iter, ut janua beatitatis. Jam verò mors extirpandæ idololatriæ adhibita, & unius Dei religioni per orbem propagandæ: veri-

tati

tari ac justitiæ per summam innocentiam impensa; in exemplum ac legem præstructa humano generi, ut & ipsi vitam temporalem justitiæ legique æternæ posthabeant: in sacramentum præstituta sæculis antè pòst omnibus, quo pii omnes astringant se, temporalia abdicare omnia, & æterna meditari usque atque sectari: hæc inquam mors, qualem Christi profitemur & experimur, qualem ipsa Gentium post ejus mortem resipiscentia vociferatur: hæc sanè mors citra scandali aut stultitiæ opinionem vendicari Deo potest humanos artus induto: hæc nulli usquam homini obtigit, aut vero potuit obtingere: hæc ad humani generis salutem pernecessaria erat. Christiana gens autem in hanc fidem conjurata, in hoc sacramentum adacta, hoc sacrificium se venerari æmularique ubi res feret, professa, num cujus culpæ aut stultitiæ affinis est? Nisi culpæ vertitur impensius studium justitiæ, veritatis amor effrænatior, & præ hac etiam vitæ contemptus, æternorum nimia charitas & exinde temporalium fluxorumque hìc bonorum nausea: Dei denique unius veri conditoris & reparatoris omnium religio, ambitiosiùs & cum sanguinis impendio per orbem disseminata. Hæc morte Christi, hæc crucis sacrificio continentur: si cui hæc sugillanda aut abominanda videntur, si cui videntur tanta bona Deo authori imputanda non esse, is animi sui vitium & errorem apertè prodit, qui virtutis studium vitio vertit, qui virtute quempiam dedecorari autumat, qui corporis vitam justitiæ anteponit, qui mortem pro justitia aditam summum decus negat, qui hanc denique humani generis à temporalibus ad æterna conversionem, qualis post Christi mortem contigit, ab homine præstari, aut cuiquam præterquam Deo deberi debuisse opinatur. Sed patiamur insanire quantum volent eos, qui dum nos sugillant, & nostram exuberantem pietatis charitatem, & suam terrenis sordibus affixam nudant cupiditatem. Nostra interest ut à talibus sugillemur. Minùs constaret fidei nostræ sanctitas, minùs clarescceret sacrificii nostri dignitas, nisi omnium adversum se impiorum, terrenisque vitiis immersorum & concitaret odia & linguas provocaret. Sed oculos circumferamus in omnem orbem, in omnesque orbis ætates, & quanta extra & ante hoc sacrificium superstitionum colluvies, vitiorumque contagio ubique stagnaret: quanta per hoc sacrificium crucis, veritatis lux, deitatis unius & veræ fides, errorum vitiorumque proscriptio, virtutum affectatio, abdicatio quanta temporalium, quanta æternorum charitas succensa sit, hæc contemplemur sedulò, & crucis sacrificii utilitas, necessitas, sanctitas, efficacia abundè patescet. Non potuit adulterinos Deos tandiu grassatos proscribere, nisi Deus verus: proscripsit morte sua Christus. Non potuit tot superstitionum & Philosophiæ sectas nefarias comprimere, omnesque in unius fidei veritatem consociare, nisi veritas Deus: id præstitit morte sua Christus. Non potuit temporalium amorem tam altè radicatum radicitus extirpare nisi æternitas Deus: extirpavit morte sua Christus. Non potuit mortis contemptum tantum suis omnibus inserere, quantum opus est, ut justitia invictè & indeclinabiliter colatur, nisi vita indeficiens Deus: id morte sua effecit Christus. Non potuit omnium ætatum, omnium terræ tractuum pios omnes sibi concorporare, ut justitiæ vitam dicarent, ut justitiæ sanguinem impenderent, nisi justitia omnipotens Deus: id præstitit morte sua Christus. Hæc ergo Dei mors est, & sacrificium quo redemptum à vitiis est hominum genus, virtutibus redditum, ac proinde Deo reconciliatum. Hæc argumentatio tantum cuique sapit, quantum pietas & justitia, quantum charitas & æternorum amor sapit. Quibus autem desipit, hi terrena tantùm sapiunt, & palato magis quàm animo omnia censent, carnalique suo sensu divina metiuntur. Pulchrè hæc firmat

Athanasius: *Quando idolorum cæremonias inceperunt abjicere, nisi ex quo verum Dei Verbum inter homines apparuit? Quando apud Græcos & ubique gentium oracula cessaverunt & in nihilum sunt redacta, nisi cum usque ad terram sese manifestavit Dominus? Quando contemni cœperunt Poetarum dii & heroes & pro mortalibus haberi, nisi ex quo Dominus trophæum de morte erexit? Quando dæmonum fraus & malitia contempta est, nisi cum Verbum Dei vis & potentia, cui imperium est in dæmones, propter hominum imbecillitatem in terram descendit? Quando ars magica & schola præstigiarum inceperunt sordescere, nisi quum divina apparitio Verbi hominibus exhibita fuit? Quando Ethnicorum sapientia infatuata est, nisi cum vera sapientia Dei sese in terris ostendit? Olim universus orbis cultu idolorum seducebatur, &c. Cæterum de Græcanica sapientia & Philosophorum grandiloquentia neminem arbitror verba requirere, quum in oculis sit ipsum miraculum. Tot enim tantisque à Græcorum Philosophis voluminibus scriptis, ne paucos quidem vel ex proximis locis adducere potuerunt, ut sua de immortalitate animæ dogmata, & placita de vita secundum virtutem instituenda amplecti vellent: solus Christus vilibus citra ullam magnificentiam verbis ac per homines nequaquam eruditæ linguæ in orbe terrarum plurimis Ecclesiis id persuasit, ut mortem inter contempta, immortalia in pretio haberent, & temporalia despicerent, æterna suspicerent, nihil putarent gloriam in terra, solummodo autem affectarent immortalitatem. Et hæc quidem non verbo tenus à nobis jactantur, sed reipsa verisque experimentis. Adeat enim & spectet qui volet virtutis insignia in Christi virginibus & in adolescentibus pudicitiam consecratam ac immortalitatis fidem astructam in tanto martyrum choro. Quis igitur & quantus hic est Christus, qui solo suo nomine & præsentia, omnia adobruit, & evertit; omnibusque major est, & sua orbem terrarum disciplina adimplet? Dicant Ethnici qui justa derident, nec ullo interim pudore tanguntur, num homo esse possit qui talia facit? Quod si homo: qui fit ut unus homo omnes omnium Deorum quos ipsi colunt, vires transcendat, illosque nullos esse sua potentia demonstret.* Et paulò pòst: *Cujus unquam dogma unum idemque à primis carceribus mundi usque ad extrema terrarum, eas vires secum pertulit ut impressa ubique sua religione orbem universum pervolaret? Græcorum sapientes eloquenter sciteque multa conscripsere: quid ergo, an tale aliquid quale Crux Christi designarunt? Cujus unquam mors abegit dæmones, &c. Quis ita hominibus solitos affectus à præcordiis exemit ut scorta pudice agerent? Homicidæ non amplius ferrum tenerent? Pavidi animo robur conciperent? Quis barbaros gentesque alias in sedibus suis persuasit, immanitatem deponere, pacifica meditari, nisi Christi fides & crucis signaculum? Quis denique alius ita mortales certos confirmatosque reddidit de immortalitate, ut Christi crux?* Ita ille demonstrat Crucem Christi sacrificium extitisse, quo omnis error & superstitio mactata est veritati; quo omnis improbitas trucidata justitiæ est; quo temporalium cupiditas jugulata & immolata est charitati; quo mortis metus, virtutum omnium labes, vitiorumque fomes exectus est, mactatusque æternorum spei; quo denique genus humanum sanctitati conciliatum est, adeoque & Deo reconciliatum est ipsum, & Deus ipsi propitiatus. Parco pluribus, quæ sunt ad manum ex Chrysostomo, Cyrillo Hierosolymitano, Eusebio Cæsariensi, Origene, aliisque Græcis. Venio ad Latinos, quorum omnium instar erit unus

VIII. Augustinus L. 4. de Trin. c. 13.

Augustinus: *Factum est ut vincula peccatorum multorum in multis mortibus, per unius unam mortem quam peccatum nullum præcesserat solverentur.*

Quam

Quam propterea Dominus pro nobis indebitam reddidit, ut nobis debita non noceret. Neque enim jure cujusquam potestatis exutus est carne, sed ipse se exuit. Nam qui posset non mori si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est: & ideo principatus & potestates exemplavit, fiducialiter triumphans eas in semetipso. Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat, unde nos principatus & potestates ad luenda supplicia jure detinebant, purgavit, abolevit, extinxit. Mors Christi ergo unum verissimum sacrificium. At inquies à nullo sacerdote mactatus est, sed à carnifice. Imò, inquit Augustinus, ipse se exuit carne, non à quoquam exutus est: ipse Sacerdos morti se obtulit, ipse victimam posuit cum voluit; nemo animam ejus expulit, ipse cum libuit expiravit, potestate non necessitate; unde nonnisi postquam consummatum esse mysterium exclamaverat, expiravit, & clamans expiravit, potestate se & vitæ roborisque plenum, non necessitate, non defectum viribus expirare prodens.

Serm. 130. de Tempore.

At inquies rursum non in templo, non ad aram mactatus est. Respondet Augustinus: *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Et ubi immolatus est? Dicito in altitudine crucis. Novum est altare sacrificii hujus, quoniam & immolatio nova & admirabilis. Ipse enim & hostia erat & Sacerdos. Hostia quidem secundum carnem, Sacerdos vero secundum spiritum. Idem ipse & offerebat quidem se secundum spiritum, offerebatur vero secundum carnem.* Et paulò pòst: *Et cujus rei causa non in templo offerebatur hæc hostia, sed extra civitatem & extra muros? Ob hoc scilicet ut aeris naturam mundaret, &c. Aer enim purgabatur cum in altitudine immolaretur ovis, terra enim purgabatur, quia scintillabat sanguis Domini super eam, &c. Ut intelligas quoniam communis est hostia pro genere humano oblata, & ideo communis est purificatio, non ex aliqua parte, quemadmodum fuerat in Judæis. Nam Judæis ideo præcepit Deus relinquere universam terram, & in uno loco offerre sacrificia, quoniam immunda erat tunc universa terra, fumo ararum, & nidore bustorum. Nobis verè jam quo modo Christus adveniens universam terram expiavit, omnis locus oratorium factum est. Et idcirco beatus Paulus hortatur & præcipit sine intermissione orare ubique, dicens: Volo orare viros in omni loco, levantes manus sanctas. Vides quomodo mundatus est orbis terrarum. Et ideo ubique sanctas manus levare possumus, quoniam universa terra sanctificata est, ut sanctior sit quàm illa quæ in interioribus templi veteris erat sancta sanctorum. Ibi namque irrationale animal ovis offerebatur, hic autem spiritalis oblata est. Et quanto major est oblatio, tanto & eminentior sanctificatio.* Sic ille commonstrat terram universam Christi sacrificio & cruce expiatam, templum esse, ubi pietas, ubi fides & intaminata religio ubique jam fulget. Nam hostiis pecudum vix unus satis purgari potuerat satis angustus Israeliticæ gentis tractus, unde tunc extra eos fines non erepserat religio. At ubi Christus extra castra passus orbem perpurgavit, tunc orbis ipse Templum Deo unicum, & humano generi commune cœpit esse, tunc ara mundi fuit crux Christi, tunc de omni humana republica unum conflatum est regnum, unum sacerdotium.

IX. Nec catholicum tantùm crux Christi sacrificiū est, sed juge & perpetuum, quia sēper offertur. In Evan. Jo. Hom. 17.

Nec catholicum tantùm seu universale & toto orbe diffusum est crucis sacrificium, sed juge atque sempiternum. Semel enim oblatum Deo, non desinit offerri, sed & omnis ætas hominum non desinit per illud expiari. Chrysostomus ea pertractans verba Joannis de Christo, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non dixit, Qui tollet, aut tulit, sed tollit peccata mundi, ut quotidie ea tollere intelligatur. Non enim cum passus est solùm, nostra abstulit peccata, sed ex illo hactenus tollit. Non semper crucifigitur, unum enim pro nostris peccatis obtulit sacrificium: sed semper per illud nos purgat.* Ut enim argumentatur Paulus, iterari quotidie necesse erat prisca legis sacrificia, ob eorum inefficaciam: at Christus una oblatione æternam redemptionem invenit: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Unde nusquam iterari eam opus est, sed de inexhausta vi sua & gratiarum exuberante copia, tanquam jugiter manantem sanctitudinis fontem, perenni effluvio in omne genus hominum redundare.

X. Quia justi omnes semper illi implicantur.

Juge rursus est & æternum crucis Christi sacrificium, quia cruci ejus una configuntur justi omnes, qui seu anteriora seu posteriora ejus corporis membra sint, quacumque denuum ætate floruerint, ei ut capiti suo adhærescunt, & cum Paulo singuli clamitant: *Christo confixus sum cruci: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo: Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto; Impleo ea quæ desunt passioni Christi in me.* Una ergo hostia est gens omnis sanctorum ab orbis exordio ad usque exitum sæculi, una cum Christo capite suo individuis nexibus constricta, unà cum ipso cruci confixa, unum sed sempiternum crucis holocaustum. Author operis imperfecti in Matthæum: *Tauri mei & saginata occisa sunt, & omnia jam parata, venite ad nuptias. Qui sunt tauri & saginata occisa? Prophetæ qui occisi sunt pro salute populi. Sancti quoque occisi sunt pro salute ejusdem populi: quemadmodum docet nos Apostolus dicens, Ego autem & superimpendar pro animabus vestris. Et alibi, Ego enim jam delibor. Hominis libatio alicui pro aliquo offertur. Deo ergo immolandus fuerat Paulus pro populo quem docebat. Sic & Prophetæ occisi sunt pro salute populi quem docebant. Et quoniam mors Prophetarum sustentabat quidem ex parte salutem humanam, non tamen plenè salvare poterat totum mundum: ideo novissimè immolatus est agnus, qui totius mundi reatum innocentia sua detergeret.* Et paucis interpositis: *Sed & Christus de figurata sanctorum suorum immolatione dicebat: Holocausta medullata offeram tibi cum incenso & arietibus, offeram tibi boves cum hircis. Nec enim Christus aliquando hujusmodi animalia obtulit Patri. Obtulit autem rationabiles arietes, id est, principes omnium Christianorum: obtulit boves, rationabilem terram colentes. Obtulit etiam hircos ex gentibus, qui pro nomine Christi sunt passi. Hæc autem diximus, ut ostendamus tauros & saginata occisa, intelligi debere sanctos occisos.* Complectitur ergo hostia crucis totum Christum, caput & corpus, membraque ejus illa saltem perillustria & egregia, à prima ad extremam mundi ætatem, eos qui delibantur, qui impenduntur populorum saluti, qui cruore suo non pretium redemptionis pandunt, sed exempla sanctitatis struunt, sed Evangelicam fidem consignant, sed irruentes in exitium Ecclesiæ hostes amoliuntur.

Hom. 41.

XI. Rursum ut Christi & Ecclesiæ unum sit sacrificiū juge & æternum. In Lib. 1. Reg. L. 4. c. 9.

Gregorius Magnus æternitati hujus etiam sacrificii patrocinatur: *Remansit quidem quia non omnia nostra Christus explevit: per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit ut qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat: Si compatimur, & conregnabimus. Quasi dicat: Quod explevit Christus, non valet, nisi ei qui id quod remansit, adimplet. Hinc beatus Petrus Apostolus dicit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Hinc Paulus ait: Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi, in corpore meo.* Capitis enim passio, crux, sacrificium peractum & ex abundanti consummatum est, ut ipse exclamavit animam efflaturus: sed totius corporis singulorumque membrorum passio, crux, sacrificium peragitur quotidie, & ad finem sæculi adimplebitur. Cùm Christus una persona sit, caput & corpus, unum Christi sacrificium animo cogitandum est ab ortu mundi ad ejusdem exitum juge, perenne, quo pius quisque & in unoquoque pio Christus totius caput & fons pietatis crufigitur,

& glo-

& gloriæ Patris, improbitatis excidio, sanctitatis & justitiæ propagationi immolatur. Luculen- *In Psal. 61. In Psal. 86.* tè hic Augustinus: *Unus homo cum capite & corpore suo Jesus Christus. Passiones itaque Christi non solùm in Christo, imò passiones Christi nonnisi in Christo. Si enim Christum intelligas & caput & corpus, passiones Christi nonnisi in Christo: si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo. Si enim passiones Christi in solo Christo, imò in solo capite, unde dicit quoddam membrum ejus Paulus Apostolus: Ut suppleam quæ desunt pressurarum Christi in carne mea? Si ergo in membris Christi es, quidquid pateris ab eis qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo additur, quia deerat: mensuram implens, non superfundens. Tantum ergo pateris, quantum ex passionibus tuis inferendum erat universæ passioni Christi. Ad communem hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exolvimus quod debemus, & pro posse virium nostrarum, quasi canonem passionum inferimus, paratoria plenaria passionum omnium. Non erit finis passionum omnium, nisi cum sæculum finitum erit.*

CAPUT XI.

Post resurrectionem suam Sacerdos tum maximè Christus extitit, & etiamnunc est, in cælo semet Patri perenniter immolans, ex Paulo & Patribus Græcis.

I. *Christus post resurrectionem maximè suam, & etiam nunc in cælo fungitur sacerdotio suo, ex Pauli Ep. ad Hebr.*

POst Resurrectionem suam tum vel maximè Pontificis dignitatem atque provinciam vendicavit sibi Christus, ut disertissimè testificatur Paulus: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Præfatus Pontifices Aaronicos in ulteriora templi adyta semel quotannis ingredi solitos non sine sanguine, Christum ait, ut veritate umbras illuminaret fugaretque, in sancta cælestia semel esse ingressum per proprium sanguinem, tanquam Pontificem futurorum bonorum.

Rursus eodem capite cùm narrasset priùs tabernaculum à Moyse consecratum fuisse plurimo vi- *Hebr. c. 9.* ctimarum cruore, subdit: *Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quàm istis. Non enim in manufacta sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destructionem peccati, per hostiam suam apparuit.* Quid apertius? Terrena sancta sacrificio expiabantur, sed pecudis: cælestia sancta introivit & expiavit Jesus suo sanguine, sui sacrificio: non ut sæpiùs, aut vel quotannis juguletur, sed ut per hostiam suam, id est per seipsum semel mactatum, semper appareat Deo, crucisque sacrificium æterna hac oblatione perpetuet.

Rursus; *Et omnis quidem sacerdos præsto est, quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias,* *Ibid. c. 10.* *quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei: una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Et paulò pòst: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, idest, carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus, &c.* Cæteri Sacerdotes sæpiùs immolant, utpote egenas & inefficaces hostias: at Christus unam semper offert hostiam seipsum, magnusque super Dei domum Sacerdos, in sempiternum sedet.

Rursus: *Non enim accessistis ad tractabilem* *Ibid. c. 12.* *montem, &c. sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, & judicem omnium Deum, & spiritus sanctorum perfectorum, & Testamenti novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel.* Viden ut supernam & beatam in cælis Dei civitatem describat, è qua nos tanquam in ejus vestibulo consistentes, à mediatore novi Testamenti Jesu, sanguinis aspergine expiemur?

II. *Idem Paulus colligit ex Psalmis. Ibid. c. 4. 5. 6.*

Rursus ibidem Paulus: *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cælos, Jesum Filium Dei, &c. adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, &c. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Quid expressius? Pontifex noster Jesus cælos subiit, adeundus illuc est; ibi throno gratiæ insidet, illic procumbendum ei est. Pontifex autem creatus tunc etiam est, cùm affatus ita eum est Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod ex Psalmo secundo decerptum, de Christi resurrectione interpretatur ipsemet Paulus: *Act. 13. v. 33.* *Hanc adimplevit Deus filiis nostris resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et præter auctoritatem Pauli, contextus Psalmi secundi totus eò collineat, ut revecti à mortuis Christi gloriam prædicet. Præterea locus ille alius quem allegat Paulus è Psalmo, nihilo obscuriùs quadrat resurrectioni: num enim perspicua satis non sunt ista: *In Psal. 109.* *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, Dominare in medio inimicorum tuorum, Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, &c.* Quæ omnia lucem resurrectionis præ se ferunt apertissimè. Illud ergo: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,* ad eum spectat, cui dictum jam erat, *Sede à dextris meis.* Unde Davidi consentaneus Paulus subiicit: *Cùm esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.* Et rursum: *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum.* Premens vestigia Vatis regii, Melchisedecichum sacerdotium Christo demandat consummato, ingresso interiora velaminis, recepto in cælos, ad paternam dexteram sedenti.

III. *Rursus ex Paulo, argumentatur de sacerdotio Aaronico, & necessitate Sacerdotii æterni. Ibidem. c. 7.*

Rursum Paulus: *Hic enim Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei summi, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum.* Et infrà: *Et amplius adhuc manifestum est, si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et ibidem: *Alii sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, &c.*

&c. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Et ibidem: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, &c. Segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, &c.* Et tandem: *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi qui post legem est, Filium in æternum perfectum*. Quæ omnia in eundem scopum vergunt, ut immortalitas æternitasque sacerdotii Christi constituatur, adeoque tum maximè inauguratus sit sacerdotio suo, cùm positis exuviis mortalitatis, suæ se reddidit æternitati. Nam 1. Ideo Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia, & nativitatis & mortis exors describitur, ut effigies sit umbratica Christi æternum gestantis pontificatum. 2. Liquidò id sonant verba Psalmi, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ubi potissima hujus sacerdotii prærogativa, Aaronico inconcessa, est æternitas, unde non injuria hanc validissimam partem premit Paulus. Sacerdotium autem illud cujus insigne eximium est æternitas, immortali maximè & in æternitatem suam reduci Christo permittendum erat. 3. Eò quoque pertinet jusjurandum, non alii cuiquam adhibitum sacerdotio, ut hujus immortalitatem consignaret & immutabilitatem. 4. Ideo sacerdotibus aliis ineluctabili lege mortalitatis decedentibus, alii succedebant, locum & ipsi posteris cessuri, at Melchisedeco nullus memoratur suffectus esse successor, nullus Christo, utpote jam immortali subrogari potuit. Nisi immortali jam Christo demandatus sit Melchisedecicus iste pontificatus, subire poterat in vacuam ejus sedem quispiam, & tota labescere Pauli argumentatio. 5. Non satis consultum fuisset causæ salutique nostræ, nisi esset nobis immortalis sacerdos, qui salvare in perpetuum posset accedentes per semetipsum ad Deum, qui semper viveret ad interpellandum pro nobis, qui denique æternam nostram sacerdotalis medicinæ ac beneficentiæ inopiam, æterno sacerdotio suo sustentaret. 6. Sed quid expressius vel fingi potest ipsis Pauli verbis, ubi ait, Sacerdotem surrexisse Christum non secundùm legem mandati carnalis, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis, ubi ait hunc, eo quod maneat in æternum, sempiternum habere sacerdotium; ubi ait, eum semper vivere ad interpellandum ero nobis; ubi ait, lege homines infirmos & mortales in sacerdotes provehi, sermone autem jurisjurandi, Filium in æternum perfectum. His evidentissimè confirmatur sacerdotium Christi immortalitati ejus, ac haustæ jam per resurrectionem immortalitati superstrui.

IV. Rursus ex Paulo totū apparatum sacerdotii & sacrificii describente in cœlis. Ibid. c. 8.

Rursum Paulus ibidem: *Talem habemus Pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat: si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundùm legem munera, qui exemplari & umbræ deserviunt cœlestium*. En quàm dilucidè Pontifex noster Christus in dextera Patris sedens, Pontificatus sui munere fungitur; ibi habet enim quod offerat, nempe semetipsum, & per victimam suam Deo apparet, ut idem ait, ibi habet & tabernaculum verum, non fictitium, non umbratile, sed verum & cœleste, cujus ipse Minister & Sacerdos unus est, ibi denique sacerdos est; etenim si esset super terram, nec esset sacerdos, quia terra ut umbra cœli ipsa est, ita umbratilium tantùm sacrificiorum sedes est, quia terra ut mortalium patria est, ita immortali non tempestivâ Sacerdoti.

V. Dignitas hujus in cœlo Sacerdotii, & sacrificii, quæ nec Filium Dei humanatū dedeceat.

Porrò hæc tota Pauli disputatio collimat ad sacerdotium instruendum adornandumque, quo sempiternus Dei Filius non dehonestetur. Ideo enim ne vilescat dedecoratur tantillum, Filius Dei Deus hominem indutus, sacerdotio ille quidem fungitur, sed sedens, non astans, ad dexteram Patris, non infrà, in cœlo, non in terra, immortalis & suæ rursum compos æternitatis, nulli succedens, nulli successuro decedens; sacra facit autem in tabernaculo non fabrefacto, sed cœlesti, non temporali, sed sempiterno, non umbratico, sed vero; victimam offert non aliam & aliam, sed unam omnium instar habentem & ulterioris pretii, non emendicatam, sed semetipsum, non quotidie immolandam, sed una sui mactatione omnia consummantem, non mortalem vel emortuam, sed ex morte jam immortalem, cum mortis aditæ vulneribus semper viventem, ut legitur in Apocalypsi: *Agnum stantem in medio throni tanquam occisum*: per hanc victimam immortalem immortalis sacerdos apparuit & apparet vultui Dei pro nobis. Denique non unum hominem, non unam hominum gentem, non unam sæculi ætatem, sed omnibus locis sparsam, omnibus temporibus disseminatam humani generis universitatem hostia hac sua tanquam occisa & semper vivente æternus, in æterno cœlorum templo sacerdos expiat, castificat, consecrat. In terris enim si usque degeret, nec omnibus locis sufficeret, nec in omnia se tempora diffunderet, nec mortalis immortalitatis inderet spem, nec immortalis cum mortalibus satis tempestivè versaretur, & denique in umbratico hoc & cœlestium ac verorum obsoleto imitamento de sacerdotii sui & sacrificii promanantiumque exinde fructuum veritate periclitaretur. Cap. 5.

VI. Cōfirmatur hæc sententia ex Patribus primū Græcis. Et Chrysostomo, ut id & Christum & Christianos addeceat.

Apostoli mentem assecuti simus, an non, planum facient germani ejus interpretes, sancti Patres, Græci ac Latini: quorum ideo minùs tædebit suffragia percontari atque auscultare paulò prolixiùs: ne nos enim pœniteat prolixitatis, facilè impetrabit ut arbitror dignitas argumenti, quo vix ullum pulchrius in stadio hoc Theologico occursabit.

In Epist. ad Hæbr. hom. 7. 11.

Chrysostomus in primis Paulinæ gnarus Teologiæ: *Ne autem audiens Pontificem, existimes eum stare, statim ducit ad thronum. Sacerdos autem non sedet, sed stat. Vides quod ipse sit factus Pontifex, non esse natura, sed gratiæ, condescensus, & exinanitionis*. Et rursum: *Secundum ordinem Melchisedech Pontifex in æternum factus. Ecce alia quoque consolatio. Siquidem supra est noster Pontifex, & multo melior iis qui sunt apud Judæos, non solum modo, sed etiam loco, & tabernaculo, & persona. Dictum est autem de eo quod est secundum carnem. Oportet ergo & eos quorum est sacerdos longe esse meliores: & quantum inter Aaronem & Christum interest, tantum interesse inter nos & Judæos. Ecce enim in superis habemus victimam, in superis sacerdotem, in superis hostiam. Eas offeramus hostias, quæ in illa ara possint offerri: non amplius oves & boves: non amplius sanguinem & nidorem. Hæc omnia sunt abolita, & pro eis est introductus cultus rationalis. Quid est autem cultus rationalis? Quæ per animam offeruntur, quæ per spiritum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare, quæ non opus habent corpore, non opus habent instrumentis, non locis quibus ipse. Quid sunt victimæ? Modestia, temperantia, eleemosyna, tolerantia, lenitas & patientia*. Sic ille & Christo & Christiano populo consentaneum expingit pontificatum. Christum enim decet umbris suis seu sacerdotibus aliis eminere immensum nescio quid & infinitum, atque adeo antecellere modo, loco, tabernaculo, persona, ut sacra nimirum faciat non homo merus, sed Deus homo, & absorpto in Deum homine jam totus Deus, ut tabernaculum ei sua sit caro omnibus cumulata ornamentis deita-

tis: ut locus ei sit cœlum ipsum summum, & beata beatitatis patria: ut denique non stans, sed sedens faciat. Christianum autem populum decet, terræ contagia fugitare, mente in cœlis versari, illuc oculos, illuc animos convertere & vota omnia, illuminato fidei oculo ibi templum, ibi aram, ibi victimam & sacerdotem aspectare suum, segregatum à peccatoribus, & segregantem, excelsiorem cœlis factum, & suos ad se sursum congregantem, spiritales hostias illuc transmittere, & cœlo, & Pontifice, & ara illa intelligibili dignas.

VII. Ex eodem ut opus sit immortali Sacerdote. Ibid. hom. 13. 14.

Idem rursus, Legale sacerdotium postponens sacerdotio Christi, ait: *Illud quoniam erat imbecillum, ejectum est, hoc autem stat, & manet, quoniam est potens & validum. Quoniam est unus Sacerdos, & non esset unus, nisi immortalis. Quomodo enim multi sunt sacerdotes propterea quod sunt mortales, ita unus propterea quod sit immortalis.* Et infrà: *Si ergo est Sacerdos, sicut certè est Christus, oportet ipsum quærere alium locum. Nam si esset quidem super terram, non esset Sacerdos. Quomodo enim? Non obtulisset: non esset functus munere sacerdotali; & merito, erant enim sacerdotes. Et ostendit quod nec fieri potuit, ut esset sacerdos super terram. Quidni? Non fuisset, inquit, resurrectio.* Et paulò infrà: *Hic autem quum nos in cœlum sustulisset, & ostendisset quod pro templo cœlum habemus, & quod illa erant figuræ rerum nostrarum, &c.* Hinc claret hanc egregiam esse laudem, & eximium decus sacerdotii Christi, quod ex ejus immortalitate efflorescit. Reliqui enim multi & imbecilli succedunt deceduntque, ut tantæ rei impares, quia mortales: at Christus unus & decessoris & successoris insolens, quia immortalis, quia vitæ insolubilis. Tum ergo sacerdotii sui dignitatem principalem capessivit, cum immortalitatem calcata morte adiit. Quia autem immortalis opus erat sacerdos, opus erat & locus immortalitati accommodatus, atque adeo à terrenis secretus inquinamentis, & in cœlum evectus est Christus.

VIII. Ex eodem ut Crucis & Cœli unum sit sacrificiũ, hic occisa victima, illic oblata, & devorata igni sépiterno. Ib. hom. 15.

Idem rursus: *In secundum tabernaculum semel in anno solus Pontifex intrabat non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia. Vides typos, tanquam fundamentum, prius junctos. Nam ne dicerent: Quomodo unum sacrificium? Ostendit id fuisse multis ante sæculis; siquidem quod erat sanctius, erat unum & reverendum. Et quomodo? Sacerdos semel offerebat. Et rectè dixit, Non sine sanguine. Non sine sanguine quidem, non tamen hoc sanguine. Non erat enim tantum, quod agebatur, negotium. Ostendit autem futurum sacrificium, quod non igne consumatur, sed à sanguine magis ostendatur. Nam quoniam sacrificium vocavit crucem, quæ nec habet ignem, nec ligna, neque sæpè offertur, sed semel oblata est in sanguine, ostendit quod vetus quoque sacrificium, esset hujusmodi. Semel offerebat in sanguine.* Et paulò pòst: *Vides quomodo & tabernaculum, & velum, & cœlum vocet corpus. Per majus & perfectius tabernaculum, per velum id est carnem suam. Sicut enim velum veluti quodam muro sancta separat, caro occultans divinitatem, & divinitatem similiter habens tabernaculum. Et tabernaculum rursus cœlum. Illic enim est intus Pontifex.* Hinc perspicis quàm idem unumque sit sacrificium crucis & cœli. Pontifex enim in sancta semel vertente anno ingreditur, sacra facturus utique, id est, non sine sanguine: quia cæsæ foris victimæ illuc sanguis infertur: illic ergo cœpti foris sacrificii quasi perfectio; per sanguinis, seu per victimæ quasi occisæ oblationem. Reliquæ enim victimæ ex parte saltem igni absumebantur: hic autem nulla ignis memoria, nulla opera, sed ejus loco, sanguis in sancta infertur, atque ibi sacrificium perficitur. Non aliud ergo cœli quàm crucis sacrificium; sed hic cæditur victima semel, illic per velum, id est, per carnem suam pervehitur in interiora sancta, id est, in secretissimam deitatem, ibi consummatur, & deitate tanquam igne castissimo & æstuantissimo immortaliter devoratur. Unde idem Paulus ait de Christo: *Qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum immaculatum Deo.* Et Chrysostomus: *Hoc est enim per Spiritum sanctum, non per ignem, non per aliqua alia.* Trucidatæ enim hostiæ, supererat, ut ex parte saltem, aræ ignibusque impositæ ustularentur, Deoque adolerentur, odoranti ut sacri codices fidem faciunt odorem suavitatis: quin & holocausti hostia semel mactata, igni tota tradebatur. Deoque tota cedebat vel per ignem absumenti, *Deus ignis consumens est*; vel odorem suavitatis odoranti. Similiter ergo & Christus semel mactatus, non igne umbratili, sed vero, Deo inquam absumptus est incorruptibiliter, per resurrectionem & immortalitatem devorata absorptaque in deitatem humana natura.

Idem rursus: *Paulus totum cœlum ex adverso templi ponit. Nec hanc solam ostendit differentiam, sed etiam quod adjecerit sacerdotem factum esse Deo propinquiorem. Dicit enim apparuisse vultui Dei. Non solum enim sicut hic per symbola, sed ipsum Deum illic videt.* Et paulò pòst: *Dicit apparuisse vultui Dei pro nobis. Quid est, pro nobis? Ascendit inquit cum sacrificio quod potest placare Patrem.* Et statim: *Ipse est ergo sacrificium, & sacerdos, & hostia.* Et alibi: *Illud quidem habens sanguinem hircorum, hoc verò Domini: illud quidem stantem sacerdotem, hoc verò sedentem,* Ib. hom. 17. Ib. hom. 19.

Audin disertè ascendisse Christum cum sacrificio quod possit Patrem propitiare: eo nempe quod in cruce jam præsumpserat offerre? Audin ut in cœlis ipse sit sacerdos, & sacrificium, & hostia? Audin ut in cœlo Christus hostia sit *in proprio sanguine*, ut ait Paulus? Audin denique ut hoc cœli sacrificium cruci superfundetur, & innitatur, & unum cum cruce quasi perpetuatum in omnia æternitatis volumina fit? Quocirca ubi idem Chrysostomus ait Christum exuta mortalitate desiisse esse λειτουργὸν, non aliud sapit, quàm quod ut ait Paulus, Christus jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; sed agnus tamen in throno stans, quasi occisus, juge sacrificium aut sacrificii crucis perpetuatio sempiterna est. Hom. 13.

IX. Ex Epiphanio. Hæresi 55.

Epiphanius: *Etenim sanctus ille Melchisedech nullum post se successorem habuit, nec ei sacerdotium est abrogatum, sed sacerdos toto vitæ suæ tempore mansit. Quare adhuc in sacris literis eadem sacerdotii dignitate celebratur. Eodem planè modo Dominus noster, non nudus homo, sed ex Deo Deus Verbum, &c. Qui quidem sacerdotale Patri suo munus offert, accepta ex natura hominum massa, ut pro nobis Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech successione omni carentem constituatur. Manet enim & assiduè dona pro nobis offert. Imprimis quippè semetipsum obtulit, ut perfectiore vivaque pro totius mundi salute mactata hostia, veteris Testamenti sacrificium aboleret. In quo idem ipse victima fuit, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, adeoque omnia in omnibus propter nos est factus, ut modis omnibus nobis vita suppeteret, ac sacerdotii sui constantem & immutabilem firmitatem in sempiternum statueret.* Ex Epiphanio ergo Christus intransmutabilem obtinet & in sempiternum protendit sacerdotii sui firmitatem, ipse Pontifex & victima, ipse ovis, ipse agnus, ipse omnia in omnibus. Et rursus: *Pontifex idcirco Christus, quod in suo corpore pro humano genere Patri semetipsum obtulerit. Idem & Sacerdos simul & hostia pro omni creatura Pontificatus officio fungens, seipsum obtulit; tum spiritali quodam modo, & ingenti cum gloria subvectus, cum eodem illo corpore ad Patris dexteram consedit, constitutus in æternum Pontifex, & penetratis cœlis, ut idem Apostolus declarat.* Hæresi 69.

X. Ex Athanasio. Orat. 2. contra Arian.

Athanasius similiter: *Tunc habuit fratres Christus, cum similem nostri carnem induerat, quam offerens ipse per seipsum, Pontificis nomen obtinuit, &*

factus

factus est misericors & fidelis: misericors quidem, quia seipsum pro nobis offerens, nostri misertus est: fidelis autem, non quod fidem habuerit, aut cuipiam crediderit, ut nos facimus; sed quod dignus fide esset, in iis quæ ageret, & quia fidelem victimam offert, perdurantem scilicet & non intercidentem. Quæ enim secundùm legem offerebantur, nihil fidele seu firmum in se habebant, quippè caducæ prætereuntesque quotidie, & quibus nova purgatione opus esset. At nostri servatoris hostia semel oblata, absolvit omnia, fidaque & firma in omne tempus perdurat. Et Aaroni quidem successores dati sunt, & omninò legale sacerdotium, mortis & temporis progressu alios & alios Pontifices habuit: Dominus autem sine transitione & sine successore sacerdotium obtinens, fidus firmusque Pontifex factus est in perpetuum perseverando, & in suis promissis fidelis extitit, ut exaudiret & non frustraretur supplices. Quid apertius hoc Athanasii testimonio? πιστὴν θυσίαν προσφέρει τὴν μένουσαν καὶ μὴ διαλιμπάνουσαν: permanentem nec intercidentem victimam, non obtulit, sed offert Christus.

XI. Ex Origene, qui ex Aaronico sacerdotio argumératur secundum Pauli vestigia. Hom. 9. in Levit.

Origenes, *Decima die septimi mensis est solennitas repropitiationis. In hac sola die Pontifex induitur omnibus pontificalibus indumentis, tunc induitur manifestationem & veritatem, tunc ingreditur ad illa inaccessibilia, quò semel in anno accedi tantummodo licet, id est, in sancta sanctorum. Semel enim in anno Pontifex populum derelinquens ingreditur ad illum locum, ubi est repropitiatorium, & Cherubim, & arca Testamenti, &c. quo nulli introire fas est, nisi Pontifici. Si ergo considerem verum Pontificem meum Dominum Jesum Christum, quomodo in carne positus, per totum quidem annum cum populo erat, annum illum de quo ipse dicit: Evangelizare pauperibus misit me, & vocare annum Domini acceptum & diem remissionis: adverte quomodo semel in anno isto, in die repropitiationis intrat in sancta sanctorum; hoc est, cum impleta dispensatione penetrat cœlos, & intrat ad Patrem, ut eum propitium humano generi faciat, & exoret pro omnibus credentibus in se. Hanc repropitiationem sciens Joannes Apostolus dicit, Hæc dico filioli, ut non peccemus. Quod si peccaverimus, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est repropitiatio pro peccatis nostris. Et Paulus, Quem posuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius per fidem. Igitur dies propitiationis manet nobis usquequo occidat sol, id est, usquequo finem mundus accipiat. Stamus enim nos pro foribus, opperientes Pontificem nostrum, commorantem intra sancta sanctorum, id est apud Patrem, & exorantem pro peccatis eorum qui se expectant.* Pauli diligentiam proximè assecutus est Origenes in perscrutandis depromendisque figuræ cum veritate commissuris. 1. Quod hac tantùm die Pontifex Mosaicus tota vestium gloria fulgeret: 2. quod Urim & Thummin præferret: 3. quod desinente anno: 4. quod subiens sancta inaccessa, nec alii quàm ipsi, nec alio die pervia: 5. quod populus foris expectaret, ipse unus intus ageret: 6. quod tum principaliter Deum propitiet & sacrificet. Quæ omnia pronum est despicere ut Christo coaptet, utque nobis hic extra & infra expectantibus Pontifex noster intus sacrificet, intus Deum propitiet.

XII. Ex eodem, ut omnia loca & tempora, & omnẽ Ecclesiã hoc Christi sacerdotium complectatur.

Idem ibidem prolixiùs: *Duas audisti ædes, unam quasi visibilem & patentem Sacerdotibus, aliam verò invisibilem & inaccessam: excepto solo Pontifice, cæteri foris sunt. Prima ædes ista puto quod intelligi possit hæc in qua nunc sumus in carne positi Ecclesia, in qua Sacerdotes ministrant, &c. Ex hac æde sanctificatis indutus vestimentis Pontifex proficiscitur & ingreditur in interiora velaminis, sicut Pauli verba posuimus, &c. Cœli ergo locus & ipsa Dei sedes per interioris ædis figuram atque imaginem designatur. Sed mirum contuere ordinem sacramentorum. Ingrediens Pontifex in sancta sanctorum, ignem secum de hoc altari portat, & incensum in hac æde suscipit. Sed & vestimenta quibus indutus est, de hoc loco sumpsit. Putasne dignabitur Dominus meus verus Pontifex, & à me suscipere partem aliquam incensi compositionis minuti, quod secum deferat ad Patrem? Putasne inveniet in me aliquid igniculi & holocaustum meum ardens, ut dignetur ex eo batillum suum implere carbonibus, & in ipsis Deo Patri odorem suavitatis offerre?* Et paulò antè: *Sed & unusquisque nostrum habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, ut semper ardeat. Ego si renuntiem omnibus quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei. Aut si tradidero corpus meum, ut ardeam, habens charitatem, & gloriam martyrii consequar, holocaustum meipsum obtuli ad altare Dei.* Ut suprà cùm de crucis sacrificio verba faceremus, catholicum illud esse sacrificium patuit, quod eo justorum omnium per loca ac tempora omnia sparsorum sacrificia colligerentur: ita docet hic Origenes universale esse Christi in dextera paterna sedentis sacrificium, quo Patri suam crucem sempiternè adolet, sed & cruces mortesque justorum omnium atque opera omnia crucis succo & vi indubiè perfusa & delibuta, tanquam suæ crucis segmenta, tanquam mortis suæ portiones & complementa æternus Pontifex æternaliter immolat. Nam quæ in penitiori sanctorum adyto Pontifex Deo offerebat, ea extra à populo & ab exteriori æde desumebat.

XIII. Ex Cyrillo, ut victimæ occisio in cruce spectaret ad celeste sacrificium. L. 17. de ador. p. 165. 167.

Cyrillus Alexandrinus hæc Pauli verba illustrans: *Talem habemus Pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister & tabernaculi veri quod fixit Dominus & non homo. Vetus illud tabernaculum veteris Testamenti Sacerdotibus erat aptissimum. At verò habitaculum Christo conveniens est superna illa venustaque civitas, hoc est, cœlum, divinum sanè summumque tabernaculum, non artis humanæ inventum, sed sanctum & à Deo fabrefactum, in quod ille illatus, eos qui in ipsum credunt, sanctificationemque per spiritum consecuti sunt, Deo & Patri offert.* Et infrà: *Si verum est, omnem omnino Sacerdotem ut sacrificium offerat, stare, nec consessor unquam aut ejusdem collega gloriæ possit intelligi cum Deo cui sacrificat, quomodo non insitatus planè Sacerdos Christus est, qui & in divinitatis throno considet, & tamen ut homo sacra facit,* λειτουργεῖ. Et infrà: *Observa hic autem præclarum illum & admirabilem Pontificem nostrum, qui in dextera throni majestatis Dei sedet in cœlestibus, per proprium sanguinem semel tantùm in sancta introivisse æternamque redemptionem invenisse, &c. Neque enim temerè dixerit quispiam decuisse, ut Emmanuel tanquam pecus aliquod sæpius mactaretur, quippè cùm ad totum orbem liberandum vel semel ipsum mortem subiisse sat fuerit.* Et ibidem postea: *Cum ab initio igitur Pater Verbo adblandiretur, ex eoque oblectationem quotidie caperet, isque vicissim voluptatem Patri afferret, quomodo nunc demum vultui Dei apparere dicitur? Sanè Verbum Dei novo nunc modo apparet, non ut ampliùs carnis expers & nudum, sicut in principio, sed in forma & natura humana. Ad hunc itaque modum pro nobis apparere, humanamque naturam, ex Adami prævaricatione olim exosam proscriptamque, in conspectu Dei Patris offerre traditur.* Vides inculcari à Cyrillo hanc Christi sacrificii prærogativam, quod in cœlesti sanctuario illud offerat, ibique nos secum commixtos & in unam cum eo victimam tanquam ejus membra coagmentatos Patri sistat & conciliet. Quocirca Christi in cruce mactatio, etsi extra cœlum facta, ad illud tamen cœleste tabernaculum, ad illud sacrificium & altare supernum pertinebat. Non mactabatur enim hæc hostia hìc in terris, nisi ut in cœlestem inferretur aram, ibique in sempiternum arderet. Grande planè hoc arcanum est, nec rerum humanarum solitis angustiis arctandum, terrenum pulverem excutiamus necesse est, excitemus animos nostros, & ad suspicandam utcumque magnificentiam hujus sacrificii mentis nostræ vires

res & acumen omne exeramus. Catholicum istud est sacrificium, orbem omnem singulasque ejus plagas complectitur; initia ejus cœptantur in terris, progressus pervadunt ad inferos, perfectio & finis sine fine cœlos occupat & illustrat. Propria tamen ejus sedes & regio cœlum est, & cœleste omnino ipsum sacrificium est: quia etsi trucidatur in terris victima, hic trucidatur, ut illuc tanquam in propriam aram inferatur, & ibi in æternum adoleatur holocaustum. Juxta aram enim, non in ipsa ara mactantur victimæ; sed ad aram maximè illa tamen pertinet mactatio, quia non mactantur victimæ, nisi ut aræ imponantur, & ibi concrementur.

CAPUT XII.

Quod Christus post resurrectionem suam tum maximè Sacerdos sit, crucisque sacrificium in cœlo quodammodo perpetuet, ex Paulo & Latinis Patribus ostenditur.

I. Idem declaratur ex Augustino. HActenus æterno Christi in cœlis sacerdotio, non feriato, non otioso unquam, sed crucis sacrificium perpetuanti quodammodo, & hostiam ex morte immortalem sempiternè immolanti, suffragati sunt Patres Græci Paulo duce & antesignano. Nunc consentaneos Græcis Latinos auscultabimus, atque ante alios Augustinum Paulinæ Theologiæ dogmata non aliter interpretantem.

Cont. Epist. Parmen. l. 2. c. 7. 8. Augustinus ergo sic habet: *Evigilemus igitur aliquando, atque videamus in Sacerdotibus illius temporis cum corporalia vitia vitabantur, illum præfigurari, qui cum esset Deus, factus est propter nos homo, solus verus agnus immaculatus & Sacerdos sine vitio. Ideoque & tunc Sacerdos solus intrabat in Sancta Sanctorum, populus autem stabat foris: sicut nunc ille Sacerdos post resurrectionem suam intravit in secreta cœlorum, ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis; populus autem cujus ille sacerdos est, adhuc foris gemit. Nam cum Episcopus solus intus est, populus & orat cum illo, & quasi subscribens ad ejus verba respondet, Amen.* Alludit Augustinus ad illa Apostoli verba, *Impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Nam ut usquequaque intaminatus significaretur noster Pontifex Christus, à terrena illum concretione sejungi oportuit, recipique in cœlos, & ibi sacris operari. Idque utcumque adumbrabat Aaronicus Pontifex, sancta penitiora subiens, cùm populus foris in luto volveretur. Quin id etiam in Ecclesia catholica adumbrari adnotat sanctus Pater, cùm Episcopus intra velum sacra facit, ejusque sacrificio populus extra subscribit. Quæ omnia temerè effutita videri possunt, nisi Christus in cœlesti sacrario sacrificium ibi quàm maximè suum instauret perpetuetque, & nostra hìc sacrificia suo coagmentet. Unde ibidem: *Paulus Apostolus noverat non per figuram in interiora veli, ad Sancta Sanctorum, sed per expressam & firmam veritatem, in interiora cœli ad sanctitatem non imaginariam, sed æternam pro nobis intrasse maximum & verissimum Sacerdotem Ecclesiæ.* Et statim: *Ac si oratio pro invicem membrorum omnium in terra adhuc laborantium ascendat ad caput quod præcessit in cœlum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris.* Nostra ergo hìc precum, vel alia quæ demum cumque sacrificia, ad illud sustolluntur verissimum Christi in cœlis sacerdotio fungentis sacrarium, ibique ejus æterno inseruntur & confunduntur sacrificio.

Conc. lit. Petil. l. 2. c. 105. Idem alibi: *Ipse figurabatur temporibus primi populi & primi templi, ubi omnia figuræ nostræ fuerunt. Ideo solus summus Sacerdos intrabat in Sancta Sanctorum, ut oraret pro populo, qui cum Sacerdote in illa interiora sancta non intrabat: sicut ille Sacerdos intravit in secreta cœlorum, in illa veriora sancta sanctorum, adhuc nobis hic positis pro quibus interpellat, &c. Audi Joannem: Hæc scribo vobis ut non peccetis: & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Et alibi: *Est altare coram oculis Dei, quo ingressus est Sacerdos, qui pro nobis se primus obtulit. Est cœleste altare, & non amplectitur illud altare, nisi qui lavat manus in innocentibus.* Et rursum: *Extitit ergo à Deo Domino missus quidam Sacerdos noster, assumpsit à nobis quod offerret Domino, ipsas diximus sanctas primitias carnis ex utero Virginis. Hoc holocaustum obtulit Deo, extendit manus suas in cruce, ut diceret: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Sicut nostis quia Dominus circa vesperam pependit in cruce.* Et paucis interjectis: *Impietates nostras tu propitiaberis. Tu Sacerdos, tu victima: tu oblator, tu oblatio. Ipse Sacerdos est qui nunc ingressus interiora veli, solus ibi ex his qui carnem gestaverunt, interpellat pro nobis. In cujus rei figura in illo primo populo & in illo primo templo unus sacerdos intrabat in Sancta sanctorum, populus omnis foris stabat: & ille qui solus ingrediebatur in interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante.* In Psal. 25. In Psal. 64.

II. Ex Augustino rursus. In Psal. 109. Idem rursus: *Quid agit Sacerdos in æternum? Quid agit qui est ad dexteram Dei & interpellat pro nobis, tanquam Sacerdos intrans in interiora vel in Sancta sanctorum, in secreta cœlorum, ille solus non habens peccatum, & ideo solus mundans à peccatis?* Et rursus: *Accepit abs te quod offerret pro te, quomodo accipit à te sacerdos quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis. Jam factum est, ita factum est, Sacerdos noster à nobis accepit quod pro nobis offerret. Accepit enim à nobis carnem: in ipsa carne victima factus est, holocaustum factus est, sacrificium factus est. In passione sacrificium factus est. In resurrectione innovavit illud quod occisum est, & tanquam primitias tuas dedit Deo, & ait tibi: Consecrata sunt jam omnia tua, quando tales primitiæ tuæ de te datæ sunt Deo.* Sacrificium in cruce factus est, sed resurrectione innovata vitæque reddita victima, instar primitiarum Deo usque consecratur, nosque in ea omnes. Et alibi: *In cœlis sedet unus interpellans pro nobis, tanquam sacerdos magnus, unus intravit in interiora veli, turba foris stat.* Et denique: *Primogenitus à mortuis ascendens super omnes cœlos, & interpellans pro nobis, interea illo sursum posito solo sacerdote magno, qui intravit in interiora veli, foris populo constituto.* In Psal. 129. In Ioan. Tract. 7. 25.

III. Ex Gregorio Papa. In Psalm. 4. Pœnitent. Gregorius Papa: *Etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Ipse est enim summus Pontifex noster, qui in ara crucis pro totius mundi sanitate, sui corporis hostiam obtulit. Pontifex videlicet futurorum bonorum, qui per proprium sanguinem in sancta, æterna redemptione inventa semel intravit. Nimirum quia Pontifex Christus est futurorum bonorum, etsi occisus hic est in sacrificium, non ut hic tamen perficeretur totum ejus sacrificium, sed ut per proprium sanguinem intraret in sancta, ibique Deo litantem & perlitantem populus foras positus opperiretur.* Et rursus: *Arsit, & non arsit: quia & humanitate est mortuus, & tamen immortalis ex divinitate permansit. Suscepit à nobis unde sacrificium fieret pro nobis, & tamen impassibilis atque incommutabilis permansit in propriis, ut nos commutaret à nostris.* Hom. 7. in Ezech. Hæc una illum impulit causa ad carnem induendam, ut acciperet à nobis quod offerret pro nobis; accepit ergo carnem nostram, ut victimam nostram: servat ergo etiam ut victimam; & quam in æternum habet, in æternum offert; quia non habet, nisi ut offerat. Ea una oblatione opus est, ut omnibus sufféctura, sed eam æternari oportet, quia nec tunc nisi una erit, & perpetua Dei laus, hominum que salus erit. Ideo immortalitas addita victimæ

semel

semel occisæ, ut immortaliter jam & incruentè offeratur.

IV. Ex Primasio. Primasius: *Qui etiam interpellat pro nobis. In hoc interpellare dicitur, dum semper hominem quem suscepit glorificatum, quasi nostrum pignus, Patri ostendit & offert, ut verus & æternus sacerdos.* Et alibi: *Christi autem sacerdotium spiritale est, secundum virtutem vitæ insolubilis, id est, secundum potentiam vitæ indeficientis, quæ nullo mortis interventu solvi poterit. Habet enim Christus in se vitam insolubilem: quia quamvis ad tempus mortuus esset in carne, tamen in æternum divinitate vivit, & insuper humanitate, postquam victor à mortuis resurrexit. Unde Deus Pater contestatur jurando, & quia vivit, dicens per Psalmistam, Tu es sacerdos.* Et rursum: *Quia Aaron & filii ejus mortales erant & peccatores, quapropter non poterant genus humanum perfectum reddere: ideo venit Christus sine peccato, qui in æternum suum sacerdotium teneret, suoque sacrificio genus humanum perfectissimè mundaret.* Constanter cum Paulo insignem sacerdotii Christi prærogativam tuetur esse æternitatem, atque adeo tum verissimè sacerdotem prædicat Christum, cum à morte redux æternitatem suam capessivit. Et infrà: *Secundum tabernaculum in quod solus Pontifex cum sanguine ingrediebatur, significat interiora patriæ cælestis. Ille verò Pontifex designat Christum, qui semel ingressus est sancta Sanctorum intra velum, impleta passione sua, ut assistat nunc vultui Dei, pro nobis orans.* Et infrà: *Pontifex Judæorum qui semel in anno cum sanguine introibat intra velum in sancta Sanctorum, oraturus pro populo, Christum Dominum significabat, qui cum sanguine passionis suæ reserato cælo ingressus secreta patriæ cælestis, ibi nunc assistit vultui Dei pro nobis.* Et paulò pòst: *Non cum sanguine legalium animalium, à quo perfecta justificatio non poterat dari, sed cum sanguine passionis suæ introivit in Patriam cælestem.* Inculcat Primasius id in quo plurimum momenti est; ingressum esse Christum secreta patriæ cælestis *cum sanguine passionis*: Non enim sancta Sanctorum subit Pontifex, nisi ut sanguinem eò inferat: nec sanguinem fundit extra, nisi ut eum illaturus eò introeat. Sanguis ergo & sacrificium passionis infertur in sancta cælestia, ibi æternaliter offertur Deo, ibi apparet vultui Dei, ibi Deum nostris propitiat peccatis, ibi in omnium salutem dispensatur.

In Epist. ad Rom. c. 8. In Epist. ad Hebr. c. 7. & 9.

V. Ex Tertulliano. Tertullianus: *Sic & apud Zachariam in persona ipsius, imo & in ipsius nominis sacramento, verissimus sacerdos Patris Christus ipsius, duplici habitu in duos adventus delineatur. Primo sordibus indutus est, id est, carnis passibilis & mortalis indignitate, &c. Dein spoliatus pristinas sordes, exornatus podere & mitra & cidari munda, id est secundi adventus; quoniam gloriam & honorem adeptus demonstratur. Nec poteritis eum Josedech filium dicere, qui nulla omnino veste sordida, sed semper sacerdotali fuit exornatus, nec unquam sacerdotali munere privatus. Sed Jesus iste Christus, Dei Patris summus sacerdos, qui primo adventu suo humana forma & passibilis venit in humanitate usque ad passionem: ipse etiam effectus hostia per omnia pro omnibus nobis: qui post resurrectionem suam indutus poderem, sacerdos in æternum Dei Patris nuncupatus est.* Bellè hic secernit non duplex aut sacrificium aut sacerdotium Christi, sed unius & ejusdem duplex schema, geminumque tempus, prælineatum olim apud Prophetam in Jesu filio Josedech: alterum videlicet in sordibus mortalitatis & passione crucis, alterum præstantius in splendore resurrectionis & æternitate gloriæ.

L. adver. Judæos. Et l. 3. con. Marc.

VI. Et Petro Cell. Petrus Cellensis elegantissimè hoc ipsum: *Sicut firmamentum posuit Deus, ut divideret aquas ab aquis: sic Moyses velum interposuit, extra quod vulgus immolaret animalium carnes, & intra quod accenderet incensum solus Pontifex, id est sacerdos summus. Jesus autem penetravit cælum, & ascendit super firmamentum. In sanguine verò intravit, quia per passionem, potum, imo pretium nostræ redemptionis, paternis labiis, assistentibus Angelicis spiritibus ministravit; opus quod dedit ei Pater, perficiendo: & sanguinem de latere fusum, ad copiosam redemptionem ei offerendo.* Vides ut immortalis sacerdos semel effusum sanguinem semper offerat Patri, eo Patrem potet, humanoque generi reconciliet.

L. de Panib. c. 1.

VII. Ex Radberto. Paschasius Radbertus: *Cæterum illud corpus quod natum est de Maria virgine, quod pependit in cruce, sepultum est in sepulchro, resurrexit à mortuis, penetravit cælos, & nunc Pontifex factus in æternum, quotidie interpellat pro nobis.* Postquam penetravit cælos, tum demum ait Pontificem factum esse in æternum. Et infrà: *Steterunt juxta altare æneum, quod erat in atrio templi, per quod nimirum præsens altare quo cibum vitæ & stipendium militiæ nostræ sumimus, manifestissimè designatur: quia illud aliud interius intra sancta Sanctorum aureum fuisse legimus, ex quo illud intelligibile demonstratur altare, ubi orationes omnium & vota offeruntur singulorum à summo Pontifice Christo Domino.* En duplex altare, quorum alterum interius, cui Christus Pontifex astat & ministrat in æternum.

L. de Corp. & Sang. Dom. c. 7. 8.

CAPUT XIII.

Rursum demonstratur Christum in cælo Sacerdotem & hostiam esse perpetuato quodammodo crucis sacrificio.

I. Idem declarant turmatim Patres, ex illo manipulo (qui in Pascha offerebatur. PAtefiet rursum Christi à mortuis redivivi sacrificium in cælo, si consulamus sanctos Patres, illud legis Mosaicæ caput commentantes, ubi tertio post immolatum Pascha die, jubebatur falce in segetem missa, manipulus recens Deo offerri. Ille enim manipulus eo die, quo à mortuis excitatus est Christus, Deo in templo oblatus, non obscurè exhibet Christum ipsum, tanquam naturæ nostræ primitias, novitati vitæ & immortalitati redditum, Deoque munus & hujus generis sacrificium oblatum. Epiphanius: *Etenim post immolatum Pascha, tertio die offerri manipulum jubebat, ut benedicti illius manipuli adumbraret imaginem, qui à mortuis excitatus est tertio die, & à terra quodammodo oblatus.* Novam illam & immortalem hostiam seu oblationem terra universa videbatur Deo offerre. Et præstantissimè Chrysostomus: *Et quod de campis accidit spicarum plenis, ubi quis ex paucis spicis collectis, parvum manipulum conficiens, eumque Deo offerens, paucitate illa toti arvo benedicit: ita Christus fecit, qui per unam illam carnem atque primitias totum genus nostrum benedicendum curavit. Sed cur non totam naturam obtulit? Eo quod non sit hoc offerre primitias, si totum quis offerat; at si parvum aliquid quis offerat, per parvum totum benedicendum curat. Atqui si primitiæ dicet quispiam essent, primum ipsum hominem procreatum offerri oportuit: primitiæ enim sunt quæ primum tolluntur & primum germinant. Non sunt primitiæ censendæ, charissime, si primum fructum obtulerimus exilem & evanescentem, sed si probum atque perfectum offeramus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideo non est oblatus, etiamsi primus esset. At hic à peccato liber erat, ideoque oblatus est, licèt posterius extiterit. Hæ enim sunt primitiæ.* Hæc ille philosophatur in ascensionem Christi, ut is esset, quasi primitiarum manipulus, in quo tota naturæ nostræ universitas, sacrum Deo munus in cælos mitteretur. Cui dubium autem quin hoc sacrificii genus sit? Levitici c. 23. *Feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, & sanctificabit illum, atque in eodem die quo manipulus conse-*

Hæresi. 51.

Tom. 5. hom. 35. De Asc.

consecratur, *cadetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domino*. Elevari à sacerdote coram Domino, & sanctificari, & consecrari, & acceptabile fieri, ad sacrificii genus proprium pertinere non injuria videntur. Sed Christus non manipulus tantùm, sed & ille agnus est in holocaustum æternum sine cæde Deo flagrans. Pergit autem ibidem Chrysostomus: *Obtulit ergo primitias naturæ nostræ, atque ita donum admiratus est Pater; atque propter dignitatem offerentis, puritatemque muneris oblati, quasi propriis manibus illud accepit, sibique proximum constituit dicens, Sede à dextris meis*. Capesis quanti pretii sit munus, quod admiratur Pater, suaque dignatur dextera. Nam cætera Deo offerebantur sacrificia, nullius egenti & opulentissimo egena, jejunaque; unde & statim interimi flammaque absumi atque omnino exterminari decebat, ut ipsorum inanitas, & inexhausta Dei plenitudo significaretur. At istud munus admiratus est Pater, nec absumi passus est illud, sed ad suam dexteram collocavit.

De adorat. in Spir. & Verit. l. 17. Quibus consonat Cyrillus: *Vide obsecro illas humanæ naturæ renovatæ primitias, id est, Christum tanquam in figura fasciculi & tanquam primas ex agro fruges & tanquam fructus primitivos, oblationem Deo ac Patri sacram offerri. Quid enim? Nonnè spicarum instar refloruimus in hoc mundo?* Hæc ille, cum verba recitasset Levitici quæ supra. Subdit autem: *Ergo velut quædam primitiæ spicarum & tanquam novæ fruges in manipuli specie Christus intelligitur, ille primogenitus ex mortuis, illa nobis ad resurrectionem via, ille qui omnia ad novitatem commutat, &c. Offerebatur autem manipulus ille coram Domino; excitatus enim è mortuis ille Emmanuel, ille novus humanæ naturæ & tanquam in incorruptione fructus ascendit in cælum, ut appareat nunc pro nobis Dei Patrisque vultui*. Cumque id quoque quadrare ostendisset quòd tertio post immolatum Pascha die & offerretur manipulus, & resurrexerit Christus, explorare aggreditur, quamobrem oblationi manipuli mactatio agni conjungeretur: *Simul autem cum manipulo etiam ovis offertur immaculata, &c. Idem enim Christus, tanquam in manipulo & primitiis fructuum delineatur, & tanquam primitiæ ex grege intelligitur, de grege inquam vivente, velut in pinguedine gratiæ & hilaritate spiritus*. Et rursus idem: *Delibatio veluti*

L. 4. in Ev. Joan. p. 355. *quædam nostræ massæ, oblatus est Deo ac Patri primogenitus ex mortuis factus, & primitiæ resurrectionis omnium, in ipsum cælum ascendens. Oblatus est autem tanquam ex omnibus & proomnibus, ut omnes vivificaret, & tanquam ex area primus manipulus offerretur Deo ac Patri*. Resurgens ergo ex mortuis Christus & in cœlos ascendens, tanquam manipulus, idemque tanquam agnus in incruentum jam sacrificium, odore tamen & vestigiis respersum recentissimæ suæ mactationis, Deo immolatur.

In Psal. 140. His succinuisse videtur Augustinus: *Illud est ergo sacrificium vespertinum passio Christi, crux Christi, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo. Illud sacrificium vespertinum facit in resurrectione munus matutinum*.

II. Idem rursus iisdem declarant, ex residuis vulnerũ vestigiis in carne Christi immortali. Epist. 49.

Secundò, patescet rursum Christi in cœlo sacerdotium non feriatum, aut otiosum, sed exercitum, & à sacerdotali officio nunquam vacuum, si cicatrices vulnerum, tanquam nuper mactatæ victimæ notas adhuc recentes spectemus, iisque insignitum corpus instar habere hostiæ sempiternæ, quæ Deo æternaliter offeratur. Augustinus: *Tunc illæ falsæ cicatrices essent, si nulla vulnera præcessissent; & tamen nec ipsæ essent, si eas esse noluisset. Voluit autem certa dispensationis gratia, ut eis quos ædificabat in fide non ficta non aliud pro alio, sed hoc quod crucifixum viderant, resurrexisse monstraret*. Et paulò pòst ait sic Christum resurgendo sanari voluisse, *ut magis essent in corpore suo vestigia vulnerum, tanquam tituli gloriarum*.

Eleganter id quoque tradidit Ambrosius: *Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit, quod vulnera suscepta pro nobis, cælo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat, tropheum nostræ salutis amplectens, tales illic martyres nobis suæ cicatricis corona monstravit*. Et Pseudo-Cyprianus: *Per omnia sibi Pater in Filio complacuit, nec ulla in eo serpentis sunt reperta vestigia, nec sacerdotii ejus pœnituit Deum: quoniam sacrificium quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua virtute consistit, ut non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quàm ea die, qua de saucio latere sanguis & aqua exivit, & semper reservatæ in corpore plagæ, salutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donativum requirant*. Audin sacrificium crucis perpetua virtute consistere? & non minùs efficacem esse etiamnunc & in æternum fore illam oblationem? Etenim residuas in corpore plagas exigere pretium salutis nostræ, præmium obedientiæ suæ? Audin ex Ambrosio, non abolita, sed illata cœlo ea vulnera, ut pretia nostræ salutis jugiter Deo Patri ostenderentur? Perspicuè satis hinc elucet agnum semel occisum, non oblatum tantùm aut immolatum tunc fuisse cum occidebatur, sed quandiu cædis ejus vestigia extant, Patrique repræsentantur, tandiu offerri illum & perpetuato crucis sacrificio immolari. Quorsum enim vulnerum notæ in sanctitatis & incorruptibilitatis patria? Quò cicatricum maculæ in immortali corporis deificati pulchritudine? Quò mortis & passionis reliquiæ in illo vitæ & beatitatis regno, ubi absorpta est mors in victoriam, & corruptibile induit incorruptibilitatem? Nimirum hi vulnerum hiatus & cicatrices, hæ mortis reliquiæ, juge sunt propitiationis nostræ sacrificium; fontes sunt proinde, unde vita & incorruptibilitas, unde deificatio scaturit perenniter: ideoque in illo regno vitæ incorruptibilis & deificatæ pulchritudinis haudquaquam oblitterandæ fuere. Quibus annuit & Guitmundus Archiepiscopus Aversanus: *Sed & nunc quoque pro nobis interpellans, hodieque corpus suum cum cicatricibus vultui Patris ostendens, se pro nobis natum, passum, ac resurrexisse atque ad cælos ascendisse designat*.

Eodem spectat Cyrillus Alexandrinus, ubi Christo cum monumentis suæ crucis ac passionis cœlos subeunti obviasse Angelos narrat atque obstupuisse, quòd mortis insignia solio immortalitatis inveheret: quin etiam rogasse illud Prophetæ: *Quis est iste qui venit de Edom, rubor vestium de Bosor? Quare rubra sunt vestimenta tua, sicut de calcato torculari?* Ex quibus liquet Christum eo schemate cœlos ingressum, & paternæ assidere dexteræ, quod fusum cruorem exhibeat, passionem præferat & crucem, mortem & immolationem quasi perennantem repræsentet. Sed pulchrior est locus alius ejusdem Cyrilli ex Epistola ad Acacium scripta de capro emissario: ubi Christo adaptat sacrificium gemini passeris, quorum alter occidebatur, alter prioris sanguine cruentatus in solitudinem dimittebatur. Eo enim videtur adumbrari Christus, cæso quidem passere mortalis & in cruce mactatus; superstite autem & cruentato immortalis & in cœlos avectus: utrobique tamen hostia. Unde & immortalem hostiam, & sanguine suo perfusum in regni solio Angeli admirabantur & percunctabantur Christum, Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus, &c. Sed audiamus Cyrillum: *Tingebatur enim passer vivus in sanguine occisi: & sanguine quidem illius cruentatus, passionisque propemodum particeps, in solitudinem dimittebatur. Ad cœlum enim unigenitum Dei Verbum unà cum carne sibi unita rediit, eratque novum*

Right margin notes: In c. 24. Luc. — In serm. de bapt. Chr. — L. 1. de ver. Euchar. — In Ev. Joan. L. 12.

novum hoc in cœlis spectaculum. Obstupuit enim sanctorum Angelorum multitudo, cum Regem gloriæ exercituumque dominum in forma humana cernerent. Ajebant enim: Quis iste est qui venit ex Edom, id est, ex terra? & rubor vestimentorum ejus ex Bosor? Bosor autem interpretatum significat carnem, vel angustiam & tribulationem. Deinde illud etiam percunctabantur; Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum, &c. Unde & vestimentum sanguine rubricatum, & plagas in manibus ostendit, non quod illas abiicere non queat, &c. Christus ergo in cœlum receptus cum cicatricum notis instar habet passeris illius, qui prioris mactati cruentabatur sanguine, sicque in deserta sinebatur avolare. Duplicis passeris una erat occisio, duplicisque victimæ unum sacrificium. Aut una potiùs erat ex gemino passere victima, refusa alterius in alterum occisione, refusa & alterius in alterum evasione. Nec enim gemino passere fuisset opus, si qui semel cæsus fuerat, excitari quivisset, & redivivus in deserta avolare. Cùm fas id non esset, superstiti imputabatur atque allinebatur prioris immolatio, tumque vivens hostia, per mysticam resurrectionis simulationem, mactata fuerat & vivebat: vivebat victima, & mortis insignia cruenta circumferebat. Non potuit ingeniosiùs Christi in cœlo sacerdotium sacrificiumque simulari. Vivit enim ibi immortalis hostia, mortalitate priori sua & cruce atque mactatione cruenta per cicatrices vulnerum suorum adhuc circumcincta.

III. Idem declarant Patres ex eo, quod præsentia Christi sola in cœlis instar habeat sacrificii. In L. 1. Reg. c. 1.

Tertiò, patebit iterum Christi in cœlo sacerdotium, non cessans à sacrificio, si perpendatur ut sola ejus præsentia, instar habeat perpetui sacrificii, odore & colore crucis superfusi. Gregorius: *Tunc immolavit solemnem hostiam, cum se æterno Patri per glorificatæ carnis materiam in cœlo exhibuit.* Et infrà: *Precari autem ei est se in humanitate assumpta, pro salute nostra æterno Patri continuò exhibere, quod dum sic se offerre non desinit, receptioni nostræ aditum ad vitam facit.* Et expressissimè Gregorius ipse: *Cunctis diebus Job sacrificium offerre non cessat, quia sine intermissione pro nobis holocaustum Redemptor immolat, qui sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem demonstrat. Ipsa quippè ejus incarnatio nostræ emundationis oblatio est. Cumque se hominem ostendit, delicta hominis interveniens diluit, & humanitatis suæ mysterio perenne sacrificium immolat, quia & hæc sunt æterna, quæ mundat.* Vides Christum in clarificata humanitate Patri in cœlis assistere, perinde esse, atque solennem hostiam immolare, atque precari, atque se offerre non desinere, atque holocaustum sine intermissione immolare, atque perenne sacrificium immolare. Etenim ut ne jam spectes sanguine purpuratas vestes, & quasi cruentas stillantesque vulnerum notas, ipsa humanitatis assumptæ natura substantivè & ineluctabiliter victima est, primitus medullitusque temperata immolationi, assumpta & assumendo destinata ad mactationem. Ejusmodi autem cùm sit, eam sanè in cœlos evehi & apparere vultui Dei, ut reliqua omnia circumscribas, id enimverò æternum est sacrificium. Unde Hilarius de resurrectione Christi agens, ait: *Quo in tempore expectatum Deo Patri munus, hominem quem assumpserat, reportavit.* Non assumpserat enim nisi ut prædestinatum Patri munus & sacrificium: cùm ergo Patri exhibuit, tunc immolavit.

L. 1. Moral. c. 9.

Can. 3. in Matt.

A quibus non dissidet Primasius: *Qui etiam interpellat pro nobis. In hoc interpellare dicitur, dum semper hominem quem susceperat, glorificatum, quasi nostrum pignus Patri ostendit & offert, ut verus & æternus Sacerdos.* Ut interpellet, ut oret, ut offerat, nullo opus est, nisi ut se ostendat. Ipse enim est, ut ait Joannes, non tantùm propitiator, sed propitiatio pro peccatis nostris. Elinguis victima non tacet, muta orat, tacita propitiat: orare & offerri non aliud est quàm esse victimam, & coram sisti. Et rursùm: *Et quia semper vivit, semper interpellat pro nobis. Interpellat autem pro nobis per hoc, quod humanam naturam assumpsit pro nobis, quam assiduè ostendit vultui Dei pro nobis.*

In Epist. ad Rom. c. 8. 7.

Et hoc prorsus è dignitate est tantæ victimæ, ut repræsentari eam, perinde sit ac immolasse, ac propitiasse. Ergo precum humilitas, & orandi servitus ne jam in mentem veniat. Victima hæc est, sed rediviva, sed immortalis & beata, sed Dei Filius & Patris collega. Ergo Patri astitisse, id est exorasse. *Christus Jesus qui mortuus est pro nobis, imò qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Unigenito enim Filio pro homine interpellare, est apud coæternum Patrem, seipsum hominem demonstrare: eique pro humana natura rogasse est eandem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit.* Ita Gregorius. Num enim pretium victimæ tanti non est, nisi precibus & votorum humilitate exaggeretur? Moral. l. 22. c. 13.

Sed ut ibi innuit non obscurè Gregorius, hominum sibi naturam copulasse, paterno illam throno inlocasse, totam ei Patris in Filium Verbum amicitiam impartiisse, id enimverò est Patrem pro ea interpellare, exorare, repropitiare. Num satis enim ei propitius non est, quam ut Verbo suo consertam, eodem amore prosequitur, eodem dissuaviatur osculo, uno stringit complexu, uno secum in throno locat? Ergo incarnationis mysterium, ut ajebat idem Gregorius, juge est sacrificium. Ergo interpellasse pro humana natura *est eandem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse.* Ergo ut idem ibidem ait: *Interpellat pro nobis Dominus non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit.* Et rursus: *Per hoc pro nobis Patri loquitur, per quod semetipsum nobis similem ostendit. Loqui quippè ejus vel interpellare, est ipsum se pro hominibus hominem demonstrare.* Moral. l. 24. c. 2.

Etenim interprete satis idoneo Cyrillo, ubi Pater Filium ita affatur, *Sede à dextris meis*, ad susceptam ab eo naturæ humanæ universitatem exporrigit hanc sui consessus honorificentiam. In solidum enim cum carne sua nostraque accipit hanc Christus prærogativam, utque nos omnes authore Paulo cum eo conresuscitati sumus, ita & cum eo ad paternam dexteram consedimus. *Conresuscitavit & consedere fecit in cælestibus.* Ubi ergo qui per primi parentis culpam à conspectu Dei exulabamus tandiu, per Christi mysterium, non in conspectum ejus tantùm velut postliminio, sed ad consessum, sed ad solii ejusdem collegium revocati sumus, numquid non satis propitio posthac utemur Deo? Hic nostrum omnium per Christum & in Christo consessus ad paternam dexteram, num satis indubitatum non est initæ rursus cum Deo gratiæ argumentum? Ergo interpellare pro nobis, non aliud est, quàm secum nos in paterno solio collocare. Cyrillus: *Innovavit igitur nobis Dominus Jesus Christus viam recentem & vivam, ut ait Paulus, non in sancta manufacta, sed in cœlum ipsum ingressus, ut nunc coram vultu Dei pro nobis appareat, &c. Idque propter nos & pro nobis: ut & inventus homo tanquam Filius in virtute, & qui cum carne audiit in solidum, Sede à dextris meis, Filiationis gloriam toti humano generi per seipsum adoptione transmitteret, &c. Apparuit itaque tanquam homo pro nobis Patri, ut nos qui ab ejus vultu propter veterem prævaricationem repulsi fueramus, rursum coram Patre sisteret. Sedit ut Filius, ut & nos tanquam filii per eum nuncuparemur, ac Dei filii. Ideoque & Paulus qui contendit habere se Christum loquentem in seipso, communia esse naturæ humanæ docens ea quæ erga ipsum peculiariter facta sunt,* ait, L. 9. in Ev. Ioan. p. 764.

ait, quia & conresuscitavit nos & consedere fecit in cælestibus.

Assentitur & Theodoretus in locum hunc Epistolæ ad Romanos: *Qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quid his majus quæris? Christus Dominus pro nobis est mortuus: & è mortis suscitatus Patri assidet, & ne sic quidem nostri curam gerere desiit: sed quas à nobis accepit primitias ostendens, & eas ab omni labe alienas demonstrans, per illas nobis salutem petit.*

CAPUT XIV.

Christus post resurrectionem suam Sacerdos tum maximè est, cujus holocaustum est ipsa beatorum Ecclesia ex mortuis suscitata.

I. Ecclesia in cœlis beata & beanda, victima est & erit holocausti sempiterni, cujus Christus sacerdos idé que victima Ex Augustino.

SAnctorum Angelorum hominumque Ecclesia in cœlis beata, æternum Deo adoletur holocaustum, igne charitatis jugiter depastum & incorruptibiliter depascendum: cujus Sacerdos æternus utique Christus est, una ipse pariter victima, eodem deflagrans igne. At ubi electi omnes resurrexerint, nulloque jam deficet suo membro corpus Christi catholicum & immortale, tunc enimvero ea erit opima holocausti sempiterni victima, idemque Sacerdos victimæ suæ & victima sacerdotii sui Christus totus.

In Psal. 65. Quod enim immortalitas corporum & beatitas mentium post resurrectionem, ea fit holocausti victima, planum facit Augustinus: *Introibo in domum tuam in holocaustis. Quid est holocaustum? Totum incensum, sed igne divino. Holocaustum enim dicitur sacrificium, cùm totum accenditur. Aliæ sunt partes sacrificiorum, aliud holocaustum. Quando totum ardet & totum consumitur igne divino, holocaustum dicitur: quando pars, sacrificium. Omne quidem holocaustum sacrificium, sed non omne sacrificium holocaustum. Holocausta enim promittit, corpus Christi loquitur, unitas Christi loquitur. Introibo in domum tuam in holocaustis. Totum meum consumit ignis tuus, nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi. Hoc autem erit in resurrectione mortuorum; quando & corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet quod scriptum est, absorpta est mors in victoria. Victoria quasi ignis divinus est; cùm absorbet & mortem nostram, holocaustum est. Non remanet mortale aliquid in carne: non remanet culpabile aliquid in spiritu, totum ex mortali vita consumetur, ut in æterna vita consummetur, ut à morte servemur in vitam. Erunt ergo illa holocausta.* Vides qui sit ignis, quo ardet istiusmodi holocaustum? Ignis divinus est, ignis consumens Deus, ignis charitas, Deus charitas. Vides quo usque exardescat hic ignis, & quo usque pertineat holocaustum? Totam peccabilitatem ex anima, totam corruptibilitatem ex corpore exuret. Nam corporis corruptibilitas frutex est ex peccati radice, aut ex peccandi saltem pronitate proserpens. Exusta ac incinerata radice absumetur frutex. Ergo holocaustum erit, cùm flagrantissima charitas omnem peccandi proclivitatem, adeoque & facultatem exusserit, atque adeo corporis totam decoxerit consumpseritque mortalitatem. Sed ut æternus hic ignis est, ita æternum ejus pabulum; æternumque holocaustum.

II. Ex eodem. In Psal. 51. Cui loco geminus est ille alius Augustini: *Oblationes & holocaustomata. Quæ sunt holocaustomata? Totum igne consumptum. Quando totum pecus imponebatur aræ Dei igne consumendum, holocaustum dicebatur. Totos nos divinus ignis absumat & fervor ille totos arripiat. Quis fervor? Neque est qui se abscondat à calore ejus. Quis fervor? De quo dicit Apostolus, Spiritu ferventes. Non tantum anima nostra absumatur ab igne illo divino sapientiæ, sed & corpus nostrum, ut mereamur ibi immortalitatem. Sic levetur holocaustum, ut absorbeatur mors in victoriam.* Audin quo igne absumenda sit anima, absumendum sit & corpus, ut holocaustum fiat? Nempe *igne divino sapientiæ*. Victrix est enim mortis sapientia, non ejus tantùm quæ animam infestat, sed & ejus cui corpus mancipatur. Radix est immortalitatis sapientia, ejus videlicet quæ ab anima redundat & inundat in corpus. At inquies quid ad corpus sapientia? Imò quid corpus sine sapientia, nisi bruta & sui discors, ultroque dilapsura moles? Num enim continet aut fovet corpus, nisi animæ quædam sapientia? Vita enim animæ, vis quædam sapientiæ est, qua & seipsam agit, & corpus suum regit. Denique vita corporis anima est, vita animæ sapientia est, vivit anima, quam vegetat sapientia, ex sapientiæ æternitate suam hauriens immortalitatem, moritur anima, quæ à sapientia deficit, exanguisque deinceps & emortua, non potest nisi mortaliter corpus suum vivificare. Quid enim compertius, quàm stultiria & improbitate tanquam gemina peste languere & tabefieri animam, & nec sua jam se vi regere ipsam posse, nec dominari corpori, quin illud sæpiusculè dissipare. Mors ergo corporis ex animæ vitio & languore, immortalitas corporis ex animæ proficiscitur vita per sapientiam ubertim inundata. At inquies rursum quid hæc ad holocaustum? Planè quia sapientia ignis est divinus, animam corpusque excoquens & exurens vitaliter, quo utriusque vitia & mortalitas omnis devoratur.

Iterum Augustinus: *Et tibi reddetur votum in Jerusalem. Hic vovemus, & bonum est, ut ibi reddamus. Ibi enim erimus toti, id est integri in resurrectione justorum, ibi reddetur votum totum nostrum. Non sola anima, sed etiam ipsa caro, jam non corruptibilis, quia non jam in Babylonia, sed etiam in corpus cœleste immutatum, &c. Cum fuerit mors absorpta in victoria. Modo cum morte quanta contendimus? Inde sunt enim delectationes carnales, quæ nobis etiam illicitè multa suggerunt, &c. Reddam votum meum; Quod votum. Quasi holocaustum. Holocaustum enim tunc dicitur, quando ignis totum absumit. Arripiat ergo nos ignis, ignis divinus in Jerusalem. Incipiamus ardere charitate, donec totum mortale consumatur, & quod contra nos fuerit, eat in sacrificium Domino. Unde alibi dicitur: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem: Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem.* Illa prorsus Jerusalem non Ecclesiam tantùm adumbrabat, in qua nunc mortales versamur, sed illam potissimum, cui in supernis regnanti suspiramus. Ibi persolvenda, hic nuncupantur vota, ibi acceptantur sacrificia justitiæ, oblationes & holocausta, denique ad eam illud pertinet, *At te omnis caro veniet*: utque ait ibidem Augustinus; *Quare ad illum omnis caro veniet? Quia carnem assumpsit. Quò veniet omnis caro? Tulit inde primitias ex utero virginali, assumptis primitiis cætera consequentur, ut holocaustum compleatur.* Ut enim Christus holocaustum Deo Patri seipsum obtulit post resurrectionem maximoperè suam, & æternum semet in paterno solio offert holocaustum; ita & corpus ejus, Ecclesia electorum & beatorum, holocaustum quoque & ipsum est. Christus enim universale & cumulatissimum non esset holocaustum, nisi cum ipso capite corpus quoque ejus, ejus inquam Ecclesia tota eodem igne arderet. Caro enim à Verbo assumpta, instar est primitiarum. Tota ergo massa ad eum veniet, cum suis primitiis aliquando incendenda.

Nec sanè ignis quo laniatæ pecudes olim ardebant, aliud præsignabat quam illam judicii extremique incendii flammam, qua Sanctorum omnium corpora tanquam holocausta ardendo non consumen-

III. Ex eodem. In Psal. 64.

IV. Ignis quo olim ardebat hostia, resurrectionē præsignabat sanctorum, ex Augustino. L. 22. contra Faust. c. 17.

mentur, sed excoquentur & purgabuntur. Augustinus de Christi in cruce sacrificio disserens: *Per quam unam victimam fieret remissio peccatorum de carne & sanguine contractorum, quæ regnum Dei non possidebunt. Quia eadem substantia corporis in cœlestem commutabitur qualitatem, quod ignis in sacrificio significabat, velut absorbens mortem in victoriam.* Ignis ergo sacrificiorum adumbratio quædam erat & prolusio resurrectionis, eo enim perinde ut resurrectione absorbebatur mors in victoriam, corporisque corruptibilitas omnis & mortalitas exurebatur. Sed non assequebatur umbra veritatem: nec figura rem totam repræsentabat. Eo enim igne cæsarum victimarum maculæ omnes eluebantur, & ipsa devorabantur mortalis corporis corruptibilitas, perinde ut resurrectione fiet: sed non, quod resurrectione fiet, elisa corruptibilitate, incorruptibilitas restaurato corpori donabatur. Quod ergo semel fiebat illo igne, ut corruptio & mors in victoriam absorberetur, idque erat momentaneum holocaustum victimæ deficientis: id æternum fieri persistet per resurrectionem, æternumque erit holocaustum. Quid enim corporum beatorum immortalitas erit illa, nisi de morte & corruptione perennis & indeficiens victoria? Quocirca rursus Augustinus: *Hostiæ namque illæ veteris*

Civit. l. 20. c. 16.

legis quæ de pecoribus immaculatis, ac sine ullo prorsus vitio jubebantur offerri, significabant homines sanctos, qualis solus inventus est Christus, sine ullo omninò peccato. Proinde quia post judicium cum fuerint igni mundati, qui ejusmodi mundatione sunt digni in omnibus sanctis nullum invenietur omninò peccatum, atque ita seipsos offerent in justitia, ut tales hostiæ omnimodo immaculatæ, ac sine ullo vitio sint futuræ: erunt profectò sicut pristinis diebus, & sicut annis prioribus, quando in umbra hujus rei futuræ, mundissimæ offerebantur hostiæ. Hæc erit namque munditia, tunc in immortali carne ac mente sanctorum, quæ figurabatur in illarum corporibus hostiarum. Vides quid conferat ignis extremæ resurrectionis? Ut corpora sanctorum immortalia mundentur ab omni labe, & hostiæ sint immaculatæ, quales adumbrabantur per pecudes olim, quæ tam enixe omni macula carere jubebantur.

IV. Ideo ex Gregorio ut resurrectio instar habeat holocausti. Hom. 22. in Ezech.

Rursum ut resurrectio sit holocausti succensio Gregorius Magnus: *Sancta Ecclesia duas habet vitas, unam quam temporaliter ducit, aliam quam in æternum recipit. Atque in utraque vita offert sacrificium. Hic videlicet sacrificium compunctionis, & illic sacrificium laudis. De hoc sacrificio dicitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: de illo autem scriptum est, Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta. De quo rursus ait, Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar. In utroque autem sacrificio carnes offeruntur: quia hic oblatio carnis est maceratio corporis: ibi oblatio carnis est in laude Dei gloria resurrectionis. Tunc quippè illic quasi in holocaustum offeretur caro, quando in æterna incorruptione permutata, nil contradictionis, nil mortalitatis habuerit: quia tota simul amoris ejus ignibus accensa, in laude sine fine permanebit.* Vides in cœlo sacrificium fieri de carnibus, quia *oblatio carnis est gloria resurrectionis. Et tunc quasi in holocaustum offeretur caro*, cum amoris Dei ignibus succensa, morti morietur, peccato peribit, & demutata in aliam, nempè in spiritalem, *in laude Dei sine fine permanebit*.

VI. Ideo ex Bernardo resurrectio nostra per Pascha figurabatur. Serm. 1. de Resurrect.

Idem conficit Bernardus hoc argumento, quòd resurrectio Christi & nostra, per Pascha, seu per transitum fit prælineata. Transitus enim cum agni mactatione conjunctus demutationem & mortem, sed in melius proficientem apertè sonat. *Resurrectio, transitus & transmigratio. Christus enim non recidit hodie, sed resurrexit: non rediit sed transiit; transmigravit, non remeavit. Denique & ipsum quod celebramus Pascha, transitus, non reditus interpretatur: & Galilæa ubi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigrationem. Si post consummationem crucis in nostram hanc mortalitatem & vitæ præsentis ærumnas Christus Dominus revixisset, ego eum non transisse dicerem, sed rediisse: non transmigrasse in sublimius aliud, sed ad statum remeasse priorem. Nunc autem quia transiit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad transitum, vocat Galilæam. Propterea siquidem quod mortuus est peccato, mortuus est semel; quia quod jam vivit, vivit non carni sed Deo.* Resurrectio Pascha est, transitus est; transitus nempè ab una vita ad aliam: à vetere ad novam: veteris vitæ mactatio, vitæ novæ initiatio, hominis denique totius in alium hominem reformatio, hoc sacrificium est resurrectionis.

Ideo & altare in cœlis locant scripturæ, imò & cælum ipsum, seu beatorum immortalium sedem, aram esse pronunciant, in quo ardent & æternum ardent holocausta immortalia intelligibili igne flagrantia. Altare enim ibi est, cujus umbra penes nos est. Ad illud non accedit, nisi justus & immaculatus quisque, & quisquis ad ejus simulacrum, seu ad Ecclesiæ altare purus hic accesserit. Augustinus: *Et introibo ad altare Dei. Est enim quoddam sublime altare invisibile, quo non accedit injustus. Ad illud altare ille solus accedit, qui ad istud securus accedit. Illic inveniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam. Et introibo ad altare Dei, de monte sancto ejus & de tabernaculo ejus. De sancta Ecclesia ejus introibo ad altare Dei sublime. Quale ibi sacrificium est? Ipse qui intrat, assumetur in holocaustum.* Et rursùs alibi: *Ad illud altare quo præcursor pro nobis introivit Jesus, quo caput Ecclesiæ præcessit, membris cæteris secuturis, nullus eorum accedere poterit de quibus, dixit Apostolus, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Solus enim Sacerdos, sed planè ibi totus assistet, adjuncto scilicet corpore cui caput est, quod jam ascendit in cœlum. Ipse est, cui dicit Apostolus Petrus: Plebs sancta, regale sacerdotium. Quomodo ergo in interiora veli, & in illa invisibilia sancta Sanctorum introire audebit, aut poterit, qui medicinam cœlestis disciplinæ contemnens, nolit paulisper à visibilibus separari.* Audis invisibilia sancta Sanctorum, audis interiora veli, audis altare, audis ad illud altare præcursorem pro nobis introisse Jesum, audis *ipsum illum qui intrat, assumi in holocaustum*.

VII. Ideo & altare in cœlis est, in quo ardent sancti omnes, ex August.

In Psal. 42.

L. 50. hom. h. 50. c. 4.

Et ne hujus holocausti expressissima deesset imago, immolari filiam Jephte virginem passus est olim Deus, ut verum præmonstraret sacrificium virginis Ecclesiæ. Augustinus: *Sed quia hujus Jephte conjux virgo esse non potuit, in eo quod filia potius occurrit, &c. Virginitas Ecclesiæ figurata est. Nec abhorret à vero, quod filiæ nomine eadem significatur Ecclesia, &c. Holocaustoma ergo erit Ecclesia, quam virginem castam beatus Apostolus appellat, quando in resurrectione mortuorum fiet universa, quod scriptum est: Absorpta est mors in victoria.*

VIII. Ex quo & virginis Ecclesiæ sacrificium in filia Jephte præsignabatur. L. quæst. in Jud. q. 49.

Ut summatim jam argumenta conglobem, quibus principale atque universale sacrificium atque adeo holocaustum in resurrectione ex mortuis atque in immortali deinceps æternaque vita oblatum iri Deo efficitur. 1. quidem palam sacri codices inculcant cœleste templum, & interiora veli, & Sancta Sanctorum cœlestia, & intelligibilia, & altare superum, & eo pro nobis antecursorem introisse Jesum, hostiam ipsum & pontificem. An verò figuratè hæc dicta cavillaberis? Nec morabor quin figuratè sint dicta, sed ita tamen, ut figura penes nos hic interim sit, illic veritas prout par est, nos umbra prius vel imagine rerum pasci, illic rerum ipsissima veritate saginari. Verissimum ergo illic templum, hic umbraticum: illic vera sancta Sanctorum, hic simulata: altare illud germanum & verum, cujus in terris imitamenta quædam sunt: illic denique sacrificium & holocaustum tantò verius quàm hic, quantò sincerius

IX. Summa argumentorũ supra libatorum.

rius & immaculatius & perennius. 2. Vota, oblationes, sacrificia justitiæ & holocausta in Jerusalem persolvenda crebriùs canunt Psalmi Davidici. Non alio disertiùs libro ullo Christianæ fidei speique arcana exprimuntur. Quo ergo vota nostra convergunt, quo se nostra corda suspiriaque convertunt cum hæc canimus, nisi ad sublime illud altare cœlorum, ubi holocausta Deo adolebimus & adolebimur, non illic figuratè, hìc verè; sed utrobique verè, illic eo veriùs, quo beatiùs? 3. Resurrectio in sacris litteris ea nomina sortita est, quæ speciem sacrificii totam ingerant oculis. Regeneratio enim vocitatur. At regenerari & renasci quis potest, nisi interempta mactataque priori substantia? Denascitur planè qui renascitur: moritur qui regeneratur: mactatur qui resurgit. Nec velut in baptismo, præsumitur initialis quædam & veluti prælusoria regeneratio per resurrectionem: sed tota & absolutissima, animam corpusque & totum hominem ex toto innovans, atque adeo ex toto disperdens & exterminans. Rursum mutationis vocabulo describitur in Psalmis & apud Paulum resurrectio. At mutatio quæcumque, mors est: mutabilitas, mortalitas est: immortalitas vera, nonnisi ab immutabilitate proficiscitur. Mutatio autem maxima & absolutissima qualis per resurrectionem obtinget, planè mors est peræquè maxima & absolutissima. Item quod Psalmi, quod Petrus in Epistola perituros cœlos pronunciat, certum est perituros ne pereant, perituros corruptioni, ut in incorruptionem reformentur, resurrectionis beneficio in omnem creaturæ universitatem propagando. Ut ergo cœli, ita & sanctorum corpora resurgendo, etsi in melius reformentur, pereunt tamen & transeunt, & ardore tabescunt, & liquescunt, defluuntque, atque immolantur. Denique Paschalis victima, & quia victima est, immolatur: & quia Paschalis est seu transitus, in immortalitatem reviviscit. 4. Sacrificium quodcumque victimæ immutatio est: duplex est autem mutatio, altera in defectionem, altera in profectum. Utra autem quæso mutatione magis oblectatur Deus? Num defectu rerum, aut earum profectu conditor & sospitator provectorque omnium Deus duci ac delectari impensiùs æstimabitur? Plenissima hominis totius immutatio fit per resurrectionem, sed qua non deficit nisi defectibilitas: qua proficit anima, proficit corpus in formam priori inexplicabiliter præstantiorem. Hoc igitur Deo suavius accommodatiusque sacrificium erit, quo fiet, ut quæ ei devoventur, non exitium, sed compendium ornamentumque inde lucrifaciant. 5. Nec abhorret ipsa ratio usitati holocausti. Ignis enim quasi victor quidam & debellator mortis, cæsam jacentemque victimam in se convertebat, atque ad eum modum vices fungebatur, imaginemque exhibebat Dei, qui hominem, cujus vicaria ardebat hostia, totum in semet reformat & convertit. Sed id intererat discriminis, quod ignis nec vivus nec immortalis suapte natura, vitæ tantùm & vivacis efficaciæ aura & specie quadam præditus, simulatè tantùm & umbratiliter mortem expugnabat, hostiæ porrò in flammam conversæ, nec vitam restaurare poterat, nec inserere immortalitatem. At Deus ignis vitæ verus, igneaque & incommutabilis vita, sic hominem devorat, sic mortem ejus & mortalitatem debellat, ut germanam ei refundat vitam, & inexpugnabilem atque immortalem redintegret æternitatem. In confesso enim est, victimas ab hominibus in sui locum & officium subrogatas fuisse, quod manuum impositione apertiùs testificabantur: ut qui Deo impendere semet, si fas esset, præsto forent, abstinerent humana cæde, in sui vicem pecudes vicarias ferirent. At homines si semet Deo devoverent atque impenderent, non hinc aliud quàm mortem & exterminium adepturos, nulli æquo rerum æstimatori facilè suadebitur. In incolumitatem enim provectumque perfectionis cedere debet addictissima quæque hominis in Deum devotio, non in calamitatem ejus & perniciem. Ergo cùm victimas cæderet, incenderetque homo, suam quidem ipsius delibationem atque absumptionem meditabatur, sed ex sui in ignem illum intelligibilem & divinum, ex sui in ignem Deum conflagratione, non in cineres se, non in umbram, non in nihilum, sed prout animam immortalem, prout ignem divinum decet, in Deum ipsum, in æqualem Angelis formam, in beatam immortalis vitæ novitatem reformandum hoc holocausto præsumebat. 6. Ignis enim intelligibilis Deus corporeo suavior & efficacior, blandior & omnipotentior hominem devorat, nec dissipat: consummat, non consumit: commutat in alium, & ipsum sibi restituit: corrumpit, ut reficiat: perdit, ut renovet: inflammat denique totum hominem, & in esse divinum corripit. Et hoc holocausto quid optatius? quid homini beatius? quid Deo consonantius? quid religioni magnificentius? quid ad legalium holocaustorum intelligibilem significantiam luculentius? In laudem Dei pereat, quidquid perire lucro est: corrumpatur quod corrumpi compendium est: destruatur, cujus exitio sospitantur omnia. In laudem Dei pereat perditio, destruatur mors, corrumpatur corporum corruptibilitas, exuratur animarum peccabilitas, mactetur totius hominis instabilitas. Hæc Deo mactari, & ipsi decorum est, & homini qui immolatur compendiosum. Exinde enim exurgit & reviviscit homo beatus, impeccabilis, incorruptibilis, æterno Dei igne deflagrans, & ignescens ipse immortaliter. Nisi hac interpretatione prisca expedias holocausta, vereor ne superstitionis labe quapiam laborent. 7. Hinc porrò enitescit magnificè holocaustum censeri debere, universalem ex morte beatorum resurrectionem, & inflammescentem postea in æternum charitatis & sapientiæ igne supernam civitatem. Hujus umbra prælineata est in Mosaici templi holocaustis; hujus exemplar in Christi resurrectione præfulsit; hujus imago & spes ob oculos occurrere identidem atque inflammare nos debet.

X. Beatæ civitatis Dei, ut xeri holocausti Sacerdos & immolator Christus, qui seipsum ut principalem hostiam, Ecclesiam suã, ut corporis sui, ut hostiæ suæ accessionem immolat. L. 10. Civit. c. 6.

Porrò hujus holocausti non ut portio tantùm, aut veluti primitiæ & caput, sed velut Sacerdos exurrexit Christus. Augustinus: *Profectò efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio societasque Sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est, in hac Sacerdos, in hac sacrificium est.* Ubi pulcherrimè Augustinus verum, proprium, principale, externum, corporale sacrificium memorat, nempè Christi in passione sua, cujus in Eucharistia commemoratio, & ob præsentiam ejusdem victimæ innovatio est: cujus in cœlis perpetuatio & æternitas quædam est per æternam ejusdem hostiæ oblationem, interpellationem, apparitionem coram Deo: cujus principalis & proprii unius sacrificii accessio est, quodcumque aliud sacrificium, jam præ illo minùs proprium, sed ab illo nequaquam sejungendum, sive in contemplationis & charitatis beatæ incendio, sive in mortis & mortalitatis exterminio per resurrectionem, sive hìc per martyrium, sive per quarumlibet virtutum religionem Deo addictam. Quippè spiritalia hæc sacrificia, etsi Mosaicis vel quibuscumque aliis, quæ Deus ex indulgentia tantùm admisit, & tandem fastidiit ejecitque, comparata, vera videri possint, & tantò veriora, quantò magis spiritalia & Deo accepta; at uni vero proprioque comparata sacrificio Christi in cruce, in Eucharistia, in cœlo, jam nisi impropriè sacrificia non sunt,

nec fu nt, nisi eatenus & tantum, quatenus & quantum ejus partes quædam sunt, suamque ab eo derivant qualemcumque sacrificii rationem.

CAPUT XV.

Sacerdos est Christus secundùm ordinem Melchisedech.

I. Qui ex Græcis Patribus Christū ut de regia simul & sacerdotali Tribu ortū, Aaronici pontificatus jure ornare studuerint.

ANtequam ad Melchisedecici sacerdotii indagationem accingimur, operæ pretium est, eorum sententiam ventilare, qui Aaronici quoque Pontificatus insignibus ornare Christum studuerunt, ut quæ ad eum sacerdotali simul ac regia satum propagine transcripta sint.

Primus id non obscurè significat Epiphanius de Jacobo fratre Domini verba faciens, cui ut sacerdotali stemmate oriundo fas erat quotannis Hæresi 78. in sancta sanctorum semel ingredi: *Joseph filius Jacobus, Domini frater appellatus est, quòd unà cum ipso nutritus atque educatus, ab eoque fratris loco sit habitus: propter illam scilicet quam cum Maria Josephus necessitudinem habuit, quocum erat illa conjuncta. Cæterùm soli huic Jacobo id honoris attributum est, semel ut quotannis in sancta sanctorum ingrederetur, quod & Nazarenus esset, & cum sacerdotali stirpe conjunctus. Unde & Maria duplici cum Elisabetha cognatione ac necessitudine conjuncta fuit: & Jacobus sacerdotii dignitate præstitit. Quandoquidem duæ illæ Tribus solæ invicem nuptiarum commercio jungebantur, regiæ scilicet cum sacerdotali, & sacerdotalis cum regia. Quemadmodum olim sub egressionis ex Ægypto tempus Naasson Tribus Judæ Princeps Elisabetham illam priorem Aaronis filiam duxit.* Utriusque sanè Tribus, regiæ nimirum & sacerdotalis coalitio apposité probatur eo exemplo, quod Exod. 6. v. 23. refertur, cùm Aaroni elocata est Elisabetha, Naassonis soror, Principis Tribus Judæ. Specialiter autem Mariæ Deiparæ cum Elisabetha Joannis matre & ad Leviticam Tribum spectante cognatio, ab ipso tangitur Evangelii scriptore. Quocirca cùm ex Juda ortus sit Dominus, ut Evangelicæ & Apostolicæ litteræ fidem faciunt, hinc conjicit Epiphanius ex utraque Tribu prognatum esse Christum, & hinc regia, inde sacerdotalia sibi vendicasse ornamenta. Breviùs idem complexus est Epist. 197. Basilius: *Sed Davidis posteri imperio privati sub captivitate versabantur. Reversi demum Salathielis & Zorobabelis filii, populo sub democratiæ quadam forma præfuerunt, translato demum ad Pontifices principatu; eo quod sacerdotalis & regia Tribus nuptiis inter se commiscerentur. Unde Dominus noster & Rex est & Sacerdos.* Perspicuè sacerdotium Christi derivat ex sacerdotali stirpe, ex qua regiæ conserta defluxit. Paulò aliter rem istam accepit author operis imperfecti in Matth. apud Chrysostom. Nam sacerdotium Christi ab Abrahamo quàm ab Aarone maluit repetere. Itaque quod Matthæus specialiter describat Christum filium Abrahæ, filium Davidis, id ille eo factum consilium interpretatur, ut regia ex Davide, sacerdotalis & prophetica dignitas ab Abrahamo in Christum diffunderetur. *Ideo ergo dictus est filius Abrahæ & David, ut Propheta quidem intelligatur & Sacerdos ex Abraham, Rex autem ex David.* Conspirabant ergo hi Patres carnali quoque prosapia ut adsereretur Christo sacerdotium.

II. Ex Latinis qui idem senserint.

Ex Latinis autem aliquantò etiam plures in eandem sententiam descenderunt. Atque ante alios Can. 1. in Matth. Hilarius: *Atque ita dum Matthæus paternam originem quæ ex Juda proficiscebatur recenset, Lucas verò acceptum per Nathan ex Tribu Levi genus edocet, suis uterque patribus Domino nostro Jesu Christo, qui est æternus & Rex & Sacerdos, etiam in carnali ortu utriusque generis gloriam probaverunt.* Liquidò ex utraque Tribu ortum, hinc regno, inde sacerdotio clarescere Christum prædicat. Cui consonat Ambrosius: *Et maximè propter Tribum Levi debemus hoc credere, quia ex ea Tribu Dominus Jesus videtur secundùm corporis susceptionem genus ducere. Ex qua Tribu sunt Sacerdotes Levi & Nathan, quos sanctus Lucas in Evangelii libro quem ipse scripsit, inter majores Domini computavit. Sacerdos enim Patris & Princeps omnium Sacerdotum, sicut scriptum est, Tu es Sacerdos in æternum, sacerdotalis originis successionem debuit vindicare.* L. de Bened. Patr. c. 1. 4. Et infrà: *Et quia per admixtionem generis, Juda & Levi Tribus junctæ sunt. Ideo Matthæus ex Tribu Juda descripsit ejus familiam. Et Apostolus ait: Quoniam de Juda ortus est Dominus noster. Ut ex Tribu Levi sacerdotalis & plena sanctitatis annumeraretur hæreditas: ex Tribu autem Juda, ex qua David & Salomon & reliqui Reges fuerunt, regalis successionis splendor refulgeat: ut idem Rex & Sacerdos Scripturarum testimonio demonstretur.* Nihil præclarius expressiusque dici potuit. Qui rursùs: *Quod vero per Salomonem Matthæus generationem derivandam putavit, Lucas verò per Nathan, alteram regalem, alteram sacerdotalem Christi familiam videtur ostendere. Quod non ita accipere debemus, quod alterum altero verius, sed alter alteri pari fide & veritate concordet. Fuit enim verè & secundùm carnem regalis & sacerdotalis familiæ, Rex ex Regibus, Sacerdos ex Sacerdotibus, licèt oraculum non de carnalibus, sed de cælestibus exprimatur, quoniam & Rex in Dei virtute lætatur, cui judicium à Patre Rege defertur: & Sacerdos est in æternum secundùm quod scriptum est, &c.* L. 3. in Ev. Luc. Audin ut verè & secundùm carnem ex sacerdotali familia Sacerdos sit Christus? Nec ab his abludit Augustinus, ubi ait à Matthæo regiam Christi amplitudinem affectatiùs explicari; ideò per David & Salomonem ejus stemma deduci: *Lucas vero alius Evangelista, quoniam & ipse generationem Domini quæ secundùm carnem est, sed in sacerdotali persona explicandam suscepit, &c. non eos parentes quos ille nominat. Alia enim erat origo sacerdotalis, quæ per unum ex filiis David, sicuti assolet, de Tribu sacerdotali matrimonium sortientem, effecerat ut Maria de utraque Tribu, id est, de regia & sacerdotali cognationem duceret. Nam & quando censiti sunt Joseph & Maria, scriptum est eos fuisse de domo, id est, de genere David: & Elisabeth quæ nihilominus cognata Mariæ scribitur, erat de Tribu sacerdotali.* L. 83. qq. q. 61. Et hic ergo ex origine sacerdotali Christum manasse asserit. Cui consentit Gregorius Magnus: *Quia Redemptor noster etiam de sacerdotali Tribu juxta carnem parentes habere dignatus, vestitus lineis venire perhibetur.* Moral. l. 22. c. 14. Parco operæ & tempori, ne alios quoque accumulem complures, qui proinde sacerdotali ut regia origine clarum, & regno hinc & sacerdotio Christum prædicant floruisse.

III. Ea videntur obstrepere Paulo.

Cæterùm adversari his Paulus videtur, & adversa fronte collidi, cùm affirmat, non de Levi sed de Juda ortum esse Dominum: nec Aaronico illum, sed Melchisedecico clarere sacerdotio: de alia Tribu illum emersisse, quade nullus surgeret Sacerdos: in aliam Tribum nempè Judæ translatum ab eo esse sacerdotium: denique illi ut Melchisedecici sacerdotii hæredi & principi multùm posthaberi, atque adeo jam ex toto decedere Aaronicum pontificatum. Quæ funditus ruunt omnia, si de familia Aaronica exortus quasi hæreditario jure Sacerdos ex Sacerdotibus est Christus.

IV. Ut hunc modum solvat Augustinus.

Non latuit Augustinum hæc ambiguitas. Quocirca elucidare illam aggreditur, post verba à nobis relata superiùs: *A David enim in duas familias, regiam & sacerdotalem origo illa distributa est: quarum duarum familiarum, regiam descendens Matthæus, sacerdotalem ascendens Lucas secutus* L. 83. qq. q. 61.

cutus est: ut Dominus noster Jesus Christus Rex & Sacerdos noster & cognationem duceret de stirpe sacerdotali, & non esset tamen de Tribu sacerdotali, hoc est, de Tribu Levi, sed esset de Tribu Juda, hoc est de Tribu David, ex qua Tribu nemo intendit altari. Exortus itaque Christus est non de Tribu, sed de cognatione sacerdotali. Nam ut ibidem ille ait: cùm Nathan unus ex filiis David matrimonium sortitus est de Tribu sacerdotali, non propago, sed cognatio hinc Christo cum illa Tribu contigit. Et reliqua omnis si qua alia intercessit Christi cum Tribu Levitica parentelæ ratio, ad istiusmodi cognationem rapienda est: ne intestina conflictatione inter se Scripturæ collidantur.

Pergit ibidem Augustinus lucem affundere eidem perplexitati: *Oportebat enim ut evacuaturus sacrificia quæ secundùm ordinem Aaron in Levitico sacerdotio fiebant, non esset de Tribu Levi, ne ad ipsam Tribum & ad ipsum sacerdotium quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, implevit: & holocausti sui imaginem ad memoriam passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, ut esset Sacerdos in æternum, non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech*. Arrisisse hæc ratio videtur Paulo Apostolo, qui ex alia Tribu Sacerdotem exsplenduisse Christum argumentatur, ut Aaronico sacerdotio imponeret finem, translatoque sacrificio legem quoque aliam innovaret.

V. Christus Rex & Sacerdos summus regni & sacerdotii lumen majoribus suis aspersit. Epist. 10.

Cùm ergo nefas sit ex sacerdotali Aaronis stirpe prodire Christum, num carebit ejus secundùm carnem nativitas eo splendore, quo sacerdotalem genus circumfulget & nomen? Minimè gentium. Sed Rex ex Regibus, Sacerdos ex Sacerdotibus Christus nascetur, quanquam & regni & sacerdotii umbraticam gloriam & terrenæ fœci concretam in cœleste ac spiritale decus sit traducturus. Paulinus Episcopus Nolanus, *Sed & ipsius Domini ortus præter illum à fonte divino fluentem, etiam istum quo filius hominis esse dignatus est, Evangelistæ duo numeratis ab initio majoribus ordiuntur, diversam utroque scriptore corporei sanguinis venam pari fide & dignitate referentes. Quia dignum erat ut unigenitus Dei & primogenitus totius creaturæ, atque universi corporis caput, etiam in generis corporei dignitate primatum teneret, ut unus in cœlo Dei Filius ante sæcula ineffabili natus exordio, etiam in terris illustrium titulorum sibi apices vendicaret: regum pariter & sacerdotum, ut duo testantur authores, clara progenies*. Itaque humana Christi nobilitas, quæ per tot illustres regum & sacerdotum Titulos ad ipsum manavit, exundantia quædam est divinæ quàm à sempiterno Patre Deo haurit unigenitus Filius claritatis. Nec enim potuit tam præclara sursum progenies, non & clarissimos hìc quoque sortiri natales. Non potuit incorruptibilis nobilitas unigeniti Dei, non & in nostræ nativitatis sordibus suum lumen retentare. Non potuit æterni & inextincti compos supernè regni, non regium penes nos etiam præferre & ejaculari splendorem. Non potuit prædestinatus in æternum æternus Patris Pontifex, authenticusque & Catholicus Sacerdos nobis nasci, nisi ut sacerdotali claritudine circumdaretur. Non potuit clarissima ingenitæ claritatis progenies, in ipsa sui obumbratione atque exinanitione sua per carnem, lucem suam omnem dissimulare atque ita obruere, ut non ejus radii circumquaque erumperent. Ut breviùs & absolutiùs dicam, non à Regibus & Sacerdotibus profluxit Christus, quasi avitæ utrimque nobilitatis hæres, Rex & Sacerdos ipse: sed à Rege & Sacerdote Christo majores ejus retro omnes regni & sacerdotii gloriam derivarunt. Nec enim obnoxia est figuræ veritas, sed veritati figura: nec antecedit umbra corpus, sed corpus umbram: nec à rivulo fons, sed à fonte rivulus manat. Cùm ergo fons & veritas corpusque quoddam regni & sacerdotii Christus sit, ab eo ut in posteros, ita & in antecessores suos regni ac sacerdotii decus propagatum est. Itaque ne jam dicamus non potuisse tam nobile summi Patris germen non humana hìc quoque clarescere nobilitate; sed non potuisse non divinæ suæ nobilitatis radios in omnes retro majores, & in omnes deinceps à se spiritali traduce pullulaturos frutices refundere.

Non igitur aucupabatur Christus à cognatione Aaronicæ stirpis titulos sacerdotales; sed cùm fons ipse primarius & inexhaustus esset sacerdotii & regni, de plenitudine sua omnes sibi circumjacentes aspersit: itaque suis secundùm carnem majoribus, umbratile & veri æmulum aliis regnum, aliis sacerdotium indulsit: suis secundùm spiritum posteris veriùs & veritatis ipsius de proximo æmulum regnum sacerdotiumque largitus est. Itaque non à majoribus in Christum, sed à Christo in majores ejus dimanavit regni & sacerdotii fulgor. Itaque de cognatione Levi ortus est Christus, non quo sacerdotii titulos inde mendicet, sed ut illud qualecumque sacerdotium à se derivatum, ex suo adumbratum, suo cognatum demonstret. Cæterùm Christo regni & sacerdotii fons sincerissimus suo ipsi in pectore, suo in Deitatis sinu scaturit. Unde eleganter Cyrillus Alexandrinus: *Nam Moyses divinior, id est Christus, natus est ex tribu & sanguine Levi. Vocatus autem est etiam Emmanuel, sanctusque & innocens, & Pontifex, ut qui totus sit sanctus. Etiamsi intelligatur ex tribu Juda, ut celebris & rex esse credatur. Item ut palam fiat sacerdotium ei non secundùm carnem competere quemadmodum ferè Judæorum præfectis, sed tanquam Deo & regi universorum in sanctificatione & gloria*. L. 1. in Exo. Pag. 249.

VI. At Sacerdotium Melchisedecicũ Scripturę & Patres constanter vendicant. Ex Tertullian.

Cùm igitur sacerdotium Christi non ex genere Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech in sacris literis prædicetur: in hujus jam arcani indagationem incumbendum nobis gnaviter est.

Et quidem quod sacerdos secundùm ordinem Melchisedech Christus sit, apertissima & indubitatissima persuadet Psalmi centesimi noni, & Pauli in Epistola ad Hebræos authoritas. Quocirca turmatim sancti Patres assentiuntur. Atque è Latinis Tertullianus illud Psalmi ad Christum pertinere evincit, explosis Judæorum cavillationibus, qui id totum à Christo in Ezechiam traducere machinabantur: *Cur autem adjecit, ex utero, tam vanè, quasi aliquis hominum ex utero natus dubitetur: nisi quia curiosiùs voluit intelligi in Christum, ex utero generavi te, id est, ex solo utero sine viri semine, &c. Accedit: Tu es sacerdos in ævum. Nec sacerdos autem Ezechias; nec in ævum, etsi fuisset. Secundùm ordinem, inquit, Melchisedech. Quid Ezechias ad Melchisedech Altissimi sacerdotem, & quidem incircumcisum, qui Abraham circumcisum jam accepta decimarum oblatione benedixit? At in Christum conveniet ordo Melchisedech, quoniam quidem Christus proprius & legitimus Dei antistes, præputiati sacerdotii Pontifex, tum in nationibus constitutus, à quibus magis suscipi habebat, cogniturum se quandoque circumcisionem & Abrahæ gentem cum ultimò venerit, acceptatione & benedictione dignabitur*. Unde multiplex scatet conjectura. 1. Quòd reliqua Psalmi illius non quadrent nisi in Christum, non in Ezechiam, non in quemvis alium: cujusmodi sunt; *Sede à dextris mei: Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum*. Et illud in primis: *Ex utero ante luciferum genui te*. Ubi partus virgineus tangitur. 2. Quod Ezechias nec sacerdos extiterit: nec si extitisset, in æternum extitisset. 3. Quod Melchisedech præputiatæ gentis sacerdotium gesserit, uti Christus sacerdotium ad Gentes à Judæis transtulit. 4. Quod sacerdotio L. 5. advers. Marc.

Mel-

Melchisedeci præputiato inclinaverit se, decimasque in argumentum venerationis obtulerit circumcisus sacerdos Abraham, totius princeps & prægestator Levitici sacerdotii: quo planè portenditur fore, ut inclinetur & in totum exolescat Aaronicum sacerdotium, Christique solius invalescat, totoque orbe erubescat Pontificatus, & senescente olim mundo Judaica quoque gens ei prona & devota se recolligat.

VII. Ex Hieronymo. variæ consonātiæ Christi cū Melchisedeco. Complures his alias adjunxit conjecturas Hieronymus Epistola ad Evagrium, easque non sua tantummodo suffulcit, sed & anteriorum Patrum authoritate. *Verti me ad Hippolitum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarium quoque nostrum & Eustathium, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit; & deprehendi horum omnium opiniones diversis argumentationibus ac diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent, Melchisedech hominem fuisse Chananæum, Regem urbis Jerosolymæ: nec mirum esse si sacerdos Dei altissimi describatur absque circumcisione & legalibus cæremoniis & genere Aaron: cum Abel quoque, & Enoch, & Noe placuerint Deo, & victimas obtulerint: & in Job volumine legimus, quod & ipse oblator munerum fuerit & sacerdos, &c. Sic & Melchisedech eo quod Chananæus fuerit, & non de genere Judæorum, in typum præcessisse sacerdotii Filii Dei, de quo dicitur in* 109. *Psalmo, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ordinem autem ejus multis modis interpretantur, quod solus & Rex fuerit & Sacerdos, & ante circumcisionem functus sacerdotio, ut non Gentes ex Judæis, sed Judæi à Gentibus sacerdotium acceperint; neque unctus oleo sacerdotali, ut Moysis præcepta constituunt, sed oleo exultationis & fidei puritate; neque carnis & sanguinis victimas immolaverit, sed pane & vino simplici, puroque sacrificio, Christi dedicaverit sacramentum. Præterea pleniùs esse tractatum in Epistola ad Hebræos quam omnes Græci recipiunt & nonnulli Latinorum, quod iste Melchisedech id est Rex justus, Rex fuerit Salem, id est, Rex pacis: sine patre & sine matre, non quod absque patre & matre fuerit, cum Christus quoque secundum utramque naturam & patrem habuerit & matrem; sed quod subitò introducatur in Genesi occurrisse Abraham à cæde hostium revertenti, & nec ante, nec postea ejus nomen feratur ascriptum. Affirmat autem Apostolus quod Aaron Sacerdotium id est populi Judæorum & principium habuerit & finem. Melchisedech autem id est Christi, & Ecclesiæ, & in præteritum, & in futurum æternum sit, nullumque habuerit authorem: & quod translato sacerdotio, legis quoque mutatio fiat.* Constipavit Hieronymus in unum veluti cumulum omnes ferè Christi cum Melchisedeci sacerdotio consonantias. 1. Quod extra circumcisionis fines, extra genus Aaron, de media Gentium republica effloreścat. 2. Quod Job, quod Noemi, quod Enochi, quod Abelis sacerdotium æmulari videatur & exprimere, quod cum Aaronico antiquius, tum castius & præclarius erat, utpotè à legis servitute, à corporalium cæremoniarum compede absolutius, & spiritali justitiæ accomodatius. 3. Quod regale sit sacerdotium, idemque Rex hominum & Dei sacerdos, atque alterutra potestate alteram exornet amplificetque. 4. Quod Rex justitiæ, & Rex pacis describatur, ut regnum sacerdotale insinuetur, utpotè sacerdotalis sanctimoniæ insignibus irradiatum. 5. Quod nullo corporali Chrismate delibutus in Pontificatum sit, ut ad spiritale sacerdotium conspirare omnia intelligantur, & cœleste, non terræ, non corpori affixum. 6. Quod non laniena & cæde pecorum distringatur, & ferè inquinetur magis quàm expietur, utpotè quod hæc sarcina corporalium rituum degravet incurvetque potius in terras animum, non sustollat aut in cœlum devocet: sed pane & vino litet, facillimo sacrificandi genere, quod spiritali sacrificio serviat, non officiat, & tantillum materiæ retineat, quantulum opus est animis necdum à carne hac mortali penitus explicatis. 7. Quod nullo exordio, nullo fine circumscribatur istiusmodi sacerdotium: nullo à præcessore tanquam parente cepisse initium, nullo successore tamquam in prole desiturum describatur: quæ perspicua sunt æterni sacerdotii argumenta. Christus enim nec transfusum ab alio, nec transfundendum in alios obtinet sacerdotii principatum, sed congenitum substantiæ suæ, atque indivulsum & incorruptum, atque adeò de æternitatis prærogativa maximè inclytum. 8. Denique quod Aaronico sacerdotio in lumbis Abrahæ subjugato per decimarum solutionem, & quasi exauthorato, atque in Laicorum classes regradato, Melchisedecicum ejus loco sacerdotium Christi invalescat, legem Mosaicam cum Aaronico sacerdotio individuis conjugatam vinculis pariter antiquet, regnumque aliud & legem meliorem innovet.

His assentitur Ambrosius: *Qui vincit, non debet arrogare sibi victoriam, sed deferre Deo. Hoc Abraham docet, qui triumpho humilior factus est, non superbior. Sacrificium denique obtulit, decimas dedit; ideoque ei Melchisedech, qui interpretatione Latina dicitur Rex justitiæ, Rex pacis, benedixit. Erat enim sacerdos Dei summi. Quis est Rex justitiæ, sacerdos Dei, nisi cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech: hoc est, Dei Filius, sacerdos Patris, qui sui corporis sacrificio Patrem nostris repropitiavit delictis?* Et Cyprianus: *Item in sacerdote Melchisedech sacrificii Domini sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod scriptura divina testatur, & dicit, Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis, &c. Nam quis magis sacerdos Dei summi quàm Dominus noster, qui sacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens, ad nostrum populum pertinebat. Nam si Abraham Deo credidit, & deputatum ei ad justitiam, utique quisquis Deo credit & fide vivit, justus invenitur & jampridem in Abraham fideli benedicitur.* Leo Magnus: *Ipse est de quo prophetice scriptum est: Tu es sacerdos, &c. Hoc est, non secundum ordinem Aaron, cujus sacerdotium per propaginem sui seminis currens, temporalis ministerii fuit, & cum veteris testamenti lege cessavit, sed secundum ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit: & dum quibus parentibus sit editus, non refertur, in eo ille intelligitur ostendi, cujus generatio non potest enarrari.* In quibus alia consonantiæ vestigia sublucent. 1. Quod dum siletur Melchisedeci sacerdotis origo, inenarrabilis Christi generatio significatur, sacerdotiique ejus æternitas. Ab æternitate enim divinæ ejus substantiæ proficiscitur & manat sempiternitas ejus sacerdotii. Quanquam enim qua Deus est, sacerdos non sit; qua Deus tamen Filius Dei est, idoneus est qui unus Patris in sempiternum sacerdos homo factus constituatur: ita æternus in æternum sacerdos est, & secundùm virtutem vitæ indissolubilis, refusa Deitatis æternitate in humanitatis quoque insignia. 2. Quod sacrificium ejus Eucharisticum sit pro reportata victoria. Etenim ut jam tetigimus, utque prolixiùs infrà elucidabitur, perfectissimi holocausti genus est, gratiarum actio. 3. Quod ex sacrificio Abraham benedicitur, id est, tota per fidem Abrahæ posteritas, omnes sæculorum posthac lapsus expletura.

VIII. Ex Ambrosio, Cypriano, Leone. L. 1. de Abrah. c. 3. — L. 2. Ep. 3. — S. In anniv. die assump. suæ. Serm. 2.

Ambrosius rursum: *Tunc victor venit Abraham, occurrit illi Melchisedech sacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Quis est Melchisedech? Qui significatur Rex justitiæ, Rex pacis. Numquid homo quisquam potest esse Rex justitiæ? Quis ergo Rex justitiæ,* L. 4. de Sacram. c. 3.

stitiæ, nisi justitia Dei, qui est Dei pax, Dei sapientia? Ergo primo intellige sacramenta hæc quæ accipis, anteriora esse quàm sint Moysi sacramenta quæcumque Judæi habere se dicunt, & prius cœpisse populum Christianum quàm cœpisse populum Judæorum. Sed nos in prædestinatione, illum in nomine. Obtulit ergo Melchisedech panem & vinum. Quis est Melchisedech? Sine patre, inquit, sine matre, similis autem Filio Dei. Sine matre natus est Dei Filius generatione cœlesti quia ex solo Deo Patre natus est, & iterum sine Patre natus est, quando natus ex virgine est. Ubi bellè commendat Melchisedecici seu Christiani sacerdotii & sacrificii antiquitatem præ Aaronico.

IX. Ex August. In Psal. 33. Augustinus denique: *Proponite vobis ante oculos duo sacrificia, & illud secundùm ordinem Aaron, & hoc secundùm ordinem Melchisedech. Scriptum est enim: Juravit Dominus, &c. De quo dicitur: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech? De Domino nostro Jesu Christo. Quis erat Melchisedech? Rex Salem. Ergo antequam ibi regnarent Judæi, ibi erat ille Sacerdos. Et tantus erat Melchisedech à quo benediceretur Abraham. Protulit panem & vinum & benedixit Abraham, & dedit ei decimas Abraham. De quo alio loco dicit, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech? nisi de illo cujus nostis sacrificium. Sublatum est enim sacrificium Aaron, & cœpit esse sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.* Hactenus ex Latinis Patribus.

X. Ex Eusebio. Demonst. Ev. L. 5. c. 3. A Græcis nunc corroganda sunt suffragia. Et in primis luculentus est Eusebii locus: *Secundùm ordinem Melchisedech, Sacerdotem constitui illum ait, ut ab eo differat qui secundùm Moysis constitutionem Sacerdos erat. Quorum quisque cum prius Sacerdos non esset, posteriùs aliquando per homines unguento artificiosè confecto ungebatur, & sic figuratè, ut ita dicam, & per signa quædam adumbratus & imaginarius Christus efficiebatur. Præterea tanquam is qui mortalis esset, haud ita multo post sacerdotium deponebat. Adde quod apud unum Judæorum populum sacerdotio fungebatur, non autem apud alias item nationes. Neque vero cum jurejurando Dei ad talem functionem accedebat, sed judicio hominum electus. Itaque nonnunquam aliquis ex illis inventus est tali ministerio haud dignus, qualis Heli planè descriptus est. Ad hæc Sacerdos ex sola Tribu Levi eligi poterat & de successione Aaron: sacrificiisque brutorum & cruoribus corporalique adoratione rei divinæ inservire. At vero Melchisedech, id est Rex justitiæ, & Rex Salem, id est Rex pacis, neque ab hominibus electus fuerat, neque oleo composito unctus, neque de genere illorum editus qui nondum extiterant, & quod omnium maximè mirabile, ne corpore quidem circumcisus, & tamen Abrahæ benedixit tanquam præstantior. Adde quod neque sacrificiis, neque libationibus altissimo Deo operabatur: neque vero in templo quod Jerosolymis esset suum munus obibat. Et meritò sanè, quando ne nostro quidem Salvatori Christo eventurum quidquam erat ipsi Aaron simile. Nam neque qui priùs non fuisset, posteriùs est aliquando Sacerdos declaratus, neque is qui non extitisset Sacerdos, sed qui est. Diligenter enim attendendum est illud, Tu es Sacerdos in æternum. Neque enim ait, eris qui olim non fueris; neque ait, fuisti quidem, sed nunc jam non es: sed ab eo qui dixit, Ego sum qui sum, Tu es & Sacerdos in æternum permanes. Quoniam igitur neque à tempore sacerdotii initium accepit, neque de Tribu Sacerdotum exortus est Christus, neque artificiosè instructo corporalique oleo inunctus, ne finem quidem ullum sacerdotii est habiturus: neque item solis Judæis, sed omnibus gentibus constituendus.* Complexus est uno contextu hoc Eusebius capita ferè omnia superiùs à nobis delibata consensionis inter Christi & Melchisedeci sacerdotium: sed exaggeravit imprimis infinitam quandam & limitis insolentem amplitudinem sacerdotii. Istud enim sacerdotium nulli generi tribuive alligatur, nullo coarctatur templo, non uni specialiter ulli expiandæ genti astringitur, nullo clauditur tempore, nullis corporalium rituum angustiis ac servitute premitur, sed spiritali veritatis & justitiæ latitudine diffunditur undequaque. Et hæc tam multigena infinitas sacerdotii ac sacrificii Melchisedecici, ex uno rursum cardine suspenditur, quod nempè spiritale sit, & in spiritu & veritate Deum adoret: hinc enim id perficitur, ut nec loco, nec tempore, nec genere, nec tribu, nec gente circumscribatur vel fine ullo, quippè quod spiritalis religio corporum angustias expugnet, suoque ingenio infinitam quandam sibi vendicet amplitudinem. Vide & Epiphanium, cujus verba suprà retulimus. Hær. 55. n. 4.

Nyssenus autem: *Et tunc quidem ad Israeliticam tantum gentem Levitici sacerdotii dignitas referebatur: Christus autem qui futurorum bonorum Pontifex advenit, & non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedec, sacerdotii translatione, eo quòd ipse esset ex alia Tribu, nempe ex Juda, etiam legis translationem effecit, & ab legali umbra transtulit nos in Evangelium regni cœlorum, quemadmodum ab Levitica Tribu ad regiam Tribum sacerdotii dignitatem traduxit. Assimilatione verò quæ fit secundùm ordinem Melchisedech, non pro solo Israele, sed pro omnibus gentibus pretium redemptionis sese Patri obtulit, & omnium hominum confessionis Pontifex extitit, quoniam Melchisedech quoque tam ex parte gentium extranearum, quàm ex genere Abrahami esse ostenditur.* Acquiescit Eusebio Nyssenus, capitale discrimen sacerdotii Aaronici & Melchisedecici seu Christiani istud esse, quod illud ut umbratile & prælusorium, corporalium rerum vinculis astringeretur, atque pro corporum angustiis uno loco, uno tempore, una gente, uno templo, ac denique brevissimo undequaque gyro concluderetur: istud verò, ut spiritale, ut naturæ rationali consentaneum, ut religioni intelligibili coaptatum, tam latè pateat quàm religio & natura rationalis, atque adeò terras cœlosque impleat, omnia tempora amplectatur, genus omne hominum colligat, limitem quemcumque amoliatur. XI. Ex Nysseno. To. 3. p. 454.

Chrysostomus, *Abraham progenitor Levitarum ac Judaicorum Sacerdotum, sub Melchisedech qui typum gerebat nostri sacerdotii, laici locum obtinuit, idque duplici ratione: primùm quod illi dederit decimas: nam laici decimas dabant Sacerdotibus. Deinde quòd benedictionem acceperit ab eo. Etenim laici à Sacerdotibus benedictionem accipiunt, &c. Idcirco ait Paulus: Si consummatio per Leviticum erat sacerdotium, quid deinde opus erat secundùm ordinem Melchisedech exoriri Sacerdotem alium, qui non diceretur secundùm ordinem Aaron?* Et alibi: *Quomodo Melchisedech sine patre, sine matre? quomodo neque initium vitæ, neque finem dierum habens? Quomodo? Eo quòd non referatur. Et quid est hoc? Quomodo hic, quoniam non recensetur genealogia, ita Christus ipsa rei natura. Ecce initium non habens, ecce non habens finem. Sicut hujus nescimus neque initium dierum, neque finem vitæ, propterea quod non scripta sunt; ita Jesu nescimus, non quod scripta non sint, sed quòd non sint. Nam ille quidem est figura, & ideo propterea quod non sit scriptus: hic autem veritas, & ideo eo quod non sit. Sicut etiam in nominibus. Nam hic quidem erant appellationes, Rex justitiæ & pacis: illic autem rerum veritas.* XII. Ex Chrysost. To. 1. ho. 38. In Epist. ad Heb. hom. 12.

XIII. Ex Cyrillo. L. 2. Glaph. in Genes. Cyrillus autem: *Rex justitiæ, Rex pacis; convenit hoc soli Christo mystica ratione, &c. Aptavit hæc Christo Paulus, &c.* Statuit autem *symbolum sacerdotii præstantioris, quàm est legale, benedictionem Abrahæ factam, vinique & panum oblationem. Neque enim alia ratione benedicti sumus à Christo, magno & vero Sacerdote. Benedicti verò sumus perinde atque Abraham, Principibus sæculi hujus fortissimè debellatis, nulliusque eorum quæ in mundo sunt egentes: at vero potiùs spiritales divitias* cen-

censentes, ea quæ Dei sunt, & gloriosam atque immarcessibilem supernorum donorum largitionem. Adverte enim quod victori Abraham, & redeunti à cæde Regum, sicut scriptum est, & dedignanti quidquam à Principe Sodomorum possidendum accipere, benedixit Melchisedech. Victores itaque visibilium pariter & invisibilium inimicorum neque quidquam mundanum admittentes, ac potius supernis divitiis inhiantes, benedicimur à Christo pacis Rege. Pulchrè Cyrillus demonstrat quo totum vergat Melchisedecicum Christi sacerdotium, ut debellatis sæculi principibus, de frænatis perdomitisque mundi cupiditatibus, de æternorum bonorum siti inflammata gratiæ agantur Deo altissimo, ab eoque uberior benedictionum & spiritalium opum cumulus impetretur. Spiritale istud est Christi sacrificium in Melchisedeco prælineatum.

XIV. Ex Theodoreto. In Psal. 109. Theodoretus: *Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos, &c. Et non pœnitebit eum, apposuit, quoniam cùm multa sæpiùs dispensarit universorum Deus, hæc mutationibus obnoxia esse permisit. Sic Judæorum sacerdotium & fecit, & sustulit: sic regnum illud constituit, & evertit: sic Assyriorum, &c. Hoc igitur sacerdotium sempiternum esse volens, jurasse ait, nequaquam fore ut pœniteat. Melchisedech porrò non Judæorum, sed gentium est Sacerdos. Sic & Dominus Jesus Christus non pro Judæis tantum, sed pro omnibus hominibus semetipsum obtulit Deo, &c.* Et Dialogo II. qui inscribitur Inconfusus: *Si verè sine patre esset & sine matre, non esset imago, sed veritas. Quia vero hæc natura non habet, sed secundum divinæ Scripturæ dispensationem, veritatis typum ostendit*. Et infrà: *In iis ergo quæ Deo conveniunt, & quæ verè divina sunt, Melchisedech typus erat & figura Christi Domini: in sacerdotio autem quod hominibus magis quàm Deo convenit, Christus Dominus Pontifex fuit secundum ordinem Melchisedech. Nam & ille Sacerdos fuit gentium: & Christus Dominus pro omnibus hominibus sanctissimum & salutare sacrificium obtulit*, Ita ille ab æternitate & ab infinitate maximè exornat Melchisedeci seu Christi sacerdotium.

XV. Varias de Melchisedeco fabulas explodit Epiphanius Hær. 55. n. 5. Tanta porrò consanguinitas cùm sit Melchisedeci cum Christo, minùs mirum est, si inusitatæ circa eum hominum opiniones & hallucinationes increbuerint. Unde Epiphanius: *Hierax Melchisedecum Spiritum sanctum esse existimat, quod ita de eo scriptum sit, Assimilatus Filio Dei. Manet enim Sacerdos in perpetuum. Quod & aliis Apostoli verbis illustratur cum dicit: Spiritus verò pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus*. Et Cyrillus: *In honorem inquiunt Filii, in honorem ejus sa-* Hær. 67. n. 3. *cerdotii ipse per se transfiguratus est Spiritus. Glorificat enim Filium Paracletus. Ille me clarificat, inquit*. Hæc fuere commenta Hieracitarum, ex L. 2. Glaph. in Genes. incredibili quadam Melchisedeci amplitudine, & cum Christo cognatione tanta, quantam nulli creaturæ quadrare posse suspicabantur. Fabulabantur itaque Melchisedecum ipsum esse Spiritum sanctum, 1. Quod assimilatus sit Melchisedech Filio Dei, cui simillimus est Spiritus sanctus, 2. Quòd Sacerdos maneat in æternum, at expers æternitatis Melchisedech si homo, Spiritus autem & compos suæ æternitatis est, & orat pro nobis gemitu inenarrabili. 3. Quod illa encomia vix homini ac nec vix, Spiritui Sancto autem adprimè congruant, quod patris matrisque exors sit, quod initii & finis expers, &c. 4. Quòd Christus à Spiritu sancto clarificari se dicat, sicut & ipse Patrem incarnatione sua clarificavit. Mendaces istiusmodi nugas confutat Epiphanius: 1. *Non unquam Spiritus sanctus carnem induit. Qua quidem si caruit, Rex esse Salem, aut illius loci Sacerdos non potuit. 2. Non similem illum Filio dixit, sed assimilatum. Quæ vox, assimilatus, posterius quiddam ut intelligamus, inducit. At si post Abrahami tempora Christo Spiritus assimilatur, aliquando non extitterit oportet, ut propterea Dei Filio similis sit factus. 3. Cum sit Spiritus à Patre procedens, & de meo ut Christi verbis utar accipiens, certè quidem qui & à Patre progreditur & de meo accipit, non est sine Patre. 4. Cyrillus ita argumentatur: Indubium est qui alteri alicui sacrificat, non sibi, sed Deo, ut superiori sacrificare. Quocirca si dicimus sacerdotio fungi, divinas omninò natura inferior erit, ac creaturis accensebitur, adorabitque unà nobiscum. 5. Nec ipse Filius in sacrificantium ordine est, nisi in quantum homo propter nos factus. Conveniunt enim formæ servili servilia: atque hæc est exinanitio. Si vero Spiritum sanctum, cùm nequaquam se exinaniverit, sacerdotio functum dicamus, divina ipsum gloria privamus*.

Rursus eodem referente Epiphanio: *Quod ad Catholicos, non uno modo de Melchisedecho statuitur: Quidam enim Dei Filium hunc existimant, Abrahamo cum humana specie sese videndum obtulisse*. Quos statim convellit hoc argumento: *Neque enim sibi similis fiet quisquam unquam, sicut de Melchisedecho Scriptura dicit: Assimilatus Filio Dei*. Sed huic Catholicorum hallucinationi viam pandebat incredibilis quædam existimatio Melchisedeci animo præsumpta atque altissimè infixa. Hær. 55. n. 7.

Origenes & sectator ejus Didymus, ut ait Hieronymus Epistola ad Evagrium, iisdem ferè argumentis adductus est, ut Melchisedecum hominibus exemptum, angelicis saltem choris insereret, unumque ex Angelis Christo præsultorem in nostram influxisse naturam philosopharetur. Quin etiam insaniebant à Theodotianis avulsi, Melchisedeciani exinde dicti hæretici, ut perhibet Epiphanius: *Virtutem illum esse quandam, ipso etiam Christo majorem. Christum enim simpliciter advenisse, & illius ordine dignatum esse, ex illo videlicet Davidis dicto: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*. Quos contrà suggillat Epiphanius: *Assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. Jam verò si Dei Filio Melchisedech assimilatur, æqualis eidem esse non potest*. Suggillat rursus eosdem Cyrillus, quod præposterè & insulsissimè à typo ad rerum naturam argumententur. Cùm enim homine superiorem garriunt Melchisedechum, quod Abrahamo ut inferiori benedixerit, fingendi fabulandique prurigine insanientes non vident, natura parem, sed typo Christi superiorem Abrahamo esse potuisse: nec ei benedixisse, nisi qua personam summi Christi sacerdotii sustinebat. *Typi sunt & imagines, atque ut ita dicamus præmonstrationes sanctificationis per Christum: typus verò in factis, non in sanctificantium aut sanctificatorum natura deprehenditur*. Ita per hostiam sanctificabatur homo, quod ea quanquam bruta pecus esset, Christi repræsentaret immolationem. *Quandoquidem id quod præstantius est ab inferiori benedicitur, si modo præstantior est hominis natura quàm vituli vel arietis. Typus enim erat qui vincebat, non ejus qui benedicebat natura*. Hær. 55.

Porrò ex his somniantium hæreticorum deliramentis, ex his exorbitantium quoque Catholicorum opinationibus, non obscurè claret, quanti in Ecclesia fieret Melchisedeci sacerdotium. Nec injuria, cùm Christi sacerdotium, ut Aaronico præcellentius, Melchisedecicum sit.

CAPUT XVI.

Sacerdos est Christus secundum ordinem Melchisedech per Eucharistiæ maximè sacrificium. Quod ideò non aliud est quàm quod crucis & cœli.

I. Verum in Eucharistia sacrificiũ cum hæc SAcerdotii Christi ex ordinis Melchisedecici prærogativa florentissimi caput & summa vertitur in Eucharistiæ sacrificio, quo panem & vinum

Sit hostia Sacerdotii Christi Melchisedecici. Ex Eusebio. num id est corpus & sanguinem suum obtulit. Ea cum sit affinitas summa umbræ & veritatis, Melchisedeci & Christi, consultò à nobis hactenus prætermissa est, ut accuratiùs & sejunctim ab aliis omnimodæ consonantiæ rationibus pertractaretur.

Ergo quod sit sacerdos Christus secundùm ordinel Melchisedech, capite superiori patefactum abundè est, & scripturarum oraculis, sanctorumque utriusque Ecclesiæ Patrum conspiratissima suffragatione firmatum. Quod autem sacerdotii Christi Melchisedecici summa in sacrificio Eucharistico panis & vini versetur, atque adeo verissimum sit hoc sacrificium, & principalius hujus sacerdotii operæ pretium, iisdem ineluctabilibus scripturarum paternarumque authoritatum momentis communire hoc capite aggredimur.

Demonstr. Ev. l.5. c.3. Eusebius cum ut supra retulimus, multis prosecutus esset consensionem Christi & Melchisedeci summa in sacerdotio, hæc demum subiicit: *Propter hæc omnia meritò illum à sacerdotio Aaron liberat, quod figuram gerebat: & secundùm ordinem Melchisedech sacerdotem futurum affirmat. Et sanè oraculi exitus admirabilis ei accidet, qui contemplabitur, quemadmodum Servator noster Jesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedeci ritu ea quæ sunt sacerdotii in hominibus gerendi, per ministros suos perficiat. Nam quemadmodum ille qui sacerdos Gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed solo pane & vino dum Abrahamo benedicit: ita sanè ipse primus Salvator ac Dominus noster, deinde ii qui ab eo profecti sunt sacerdotes in omnibus Gentibus, spiritale secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane, tum corporis, tum salutaris sanguinis illius mysteria repræsentant. Quæ sanè mysteria tantò ante Melchisedech spiritu divino cognoverat & rerum corporearum imaginibus usus fuerat, sicut Moysis scriptura significat; Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum.* Ex his liquidò claret Christi sacerdotium ad Melchisedeci normam revocari: claret peræque Melchisedeci sacerdotium in pane & vino sacrificando peragi. Ex quibus perficitur id quod molimur, sacerdotium Christi in Ecclesiæ seu in panis & vini sacrificio totum maximè versari.

II. Ex Chrisostomo. In Genesim. Hom. 35. Chrysostomus cum Melchisedeci Paulinum encomium in Christum refudisset; *Vide propter honorem in Patriarcham collatum, quomodo sacramentum insinuatur. Protulit enim panem & vinum. Videns typum, cogita oro & veritatem: & admirare divinarum scripturarum accuratam diligentiam: quomodo superioribus sæculis & ab initio*

Ibid. ho. 36. *futura præsignata sint.* Et vestigans cur qui à prophanis Regibus accipere dona recusaverat, à Melchisedeco receperit non invitus: *A Melchisedech autem non injuria accepit; viri enim virtutem divina scriptura indicavit, dicens; Erat autem sacerdos Dei altissimi. Quanquam aliàs etiam quæ fiebant, Christi typus erant: & ipsa oblata mysterium quoddam præsignabant, ideo non renuit.* Vides quo pertineat totum Melchisedeci sacerdotium, quo sacrificium, quo Abrahami erga ipsum observantia & oblatorum participatio: nempè typo habebatur honos, & mysterio Christi, quod pane illo & vino umbraticè anticipabatur.

III. Ex Cyrillo. L. 2. Glaph. In Genes. Cyrillus Alexandrinus: *Conatur Paulus legis optimè peritus, comprobare ex ipsa scriptura, quod legis novitas & sacerdotii translatio prædicta sit; quodque utriusque significatio in typis præmonstrata fuerit. Statuit itaque Melchisedech non ex Tribu Levitica; deinde ostendit sacerdotem quidem fuisse altissimi Dei, offerentium verò panes & vinum, &c.* Et infrà: *Melchisedech erat similitudo ac typus Christi, non quidem carnaliter sacerdotium administrantis, sed secundùm virtutem vitæ indissolubilis. Nutrit enim nos in immarcessibilem vitam mysticis sacrificiis, etsi Aaron carnaliter sacerdotio fungatur, &c. Boum siquidem mactationes per ipsum exercebantur, &c. Impossibile est autem sanguine taurorum tolli peccata. Quando igitur alius etiam nobis sacrificii modus est inductus à primis & veteribus moribus abducens, alius etiam omninò est sacerdos.* Et aliquantò antè: *Statuit Paulus symbolum, sive typum sacerdotii præstantioris, quàm sit legale, benedictionem Abrahæ factam, vinique & panum oblationem. Neque enim alia ratione benedicti sumus à Christo magno & vero sacerdote.* Et paulò pòst: *Victores itaque visibilium & invisibilium inimicorum, neque quidquam mundanum admittentes, ac potius supernas divitias suspicientes, benedicimur à Christo pacis rege. Benedicimur autem tanquam donum cœli & viaticum vitæ percipientes ea, quæ arcana sunt. Taceatur, si videtur tantisper.* Et denique: *Ipsum etiam sacerdotii modum in exemplum rei manifestè ob oculos posuit: Panes enim & vinum obtulit Melchisedech.* Collimant hæc omnia in eundem scopum, ut sacerdotium Melchisedecicum ab Aaronico alienissimum, non cæde & laniena pecorum, sed mystica panis & vini oblatione, Deo litaret, Abrahæ benediceret, Christi & Ecclesiæ sacrificium præsignaret. Præcelluit enim authore Paulo Melchisedech Abrahamo, cui benedixit: benedixit autem teste Cyryllo, cùm partibus sacrificii sui, pane & vino eum donavit: nec nos aliter à Christo benedictionem consequimur, quàm cum panis & vini, seu corporis & sanguinis ejus eulogia impartimur. Cætera ergo Melchisedeci & Christi consonantia quanquam adeo multiplex & tam elegans, perfunctoria tamen est, & ex abundanti ac veluti extimitus superfusa: at consensio capitalis & principalior, quando de sacerdotibus controvertitur, ex ipsa sacrificandi ratione expiscanda est. Cùm ergo Aaron cruenta frequentaret sacrificia, eaque Paulus elevet & extenuet, ut nullius ad peccatorum expurgationem momenti, & Aaroni Melchisedecum ex adverso obiiciat, quid inde coniicias, nisi Melchisedecicum aliquod extitisse sacrificium incruentum cruento efficacius, beatiusque? Nam quod Christus semetipsum in cruce immolarit, cruentissima hæc cædes, nisi ad aliud quidpiam religetur, ad Aaronicum magis accedet, quàm ad Melchisedecicum sacerdotium. Nec enim Melchisedech immolavit seipsum. Quod autem de panis & vini per Melchisedecum oblati sacrificio Ecclesiæ sacrificium præsagiente nullum verbum fecerit Paulus, minùs mirum accidet ei, qui meminerit quanto Ecclesia Christi silentio sua hæc mysteria & venerari & occultare ab ipsis jam inde incunabulis suis per Apostolos edocta sit, ut & Cyrillus tantò pòst, regnante jam & radiante in universum orbem Ecclesia, pristini tenacior sit adhuc silentii, & hæc arcana innuat magis quàm eloquatur. Idem autem innuit Paulus satis perspicuè ut jam præmonui, cum Aaronicarum victimarum carnificinas exagitat, præstantius autem in Melchisedeco sacerdotium tradit esse initiatum. Ludibrio enim cederet & in ventos abiret tota illa sacerdotii Christi & Melchisedeci consensio, dissensio autem ab Aaronico, si in ipso sacrificii genere Christus à Melchisedeco dissonaret, cum Aarone autem consentiret.

Theodoretus: *Melchisedech porro non Judæorum sed gentium est sacerdos: sic & Dominus Christus non pro Judæis tantum, sed pro universis gentibus semetipsum obtulit Deo. Exorditur autem sacrificium ea nocte, post quam crucem subivit: cum accipiens panem, & gratias agens, fregit & dixit, Accipite & comedite ex eo, hoc est corpus meum: similiter & calicem, &c. Invenimus autem Melchisedech & sacerdotem & regem esse, figura enim erat veri sacerdotis & regis: offerentemque Deo non victimas ratione carentes, sed panem & vinum. Hæc enim Abrahæ quoque obtulit, cum sacerdotii sui exemplar in lumbis Patriarchæ secundùm spiritum* IV. Ex Theodoreto In Psal. 109.

præ-

præviderct. Si igitur ex Davide Christus secundum carnem ortus est, & David ex Juda, & pontificatum secundum ordinem Melchisedech accepit Christus, Leviticum utique sacerdotium cessavit, & in Judæ tribum majoris sacerdotii benedictio transiit. Sacerdos autem nunc est Christus, ex Juda secundum carnem ortus, non ipse aliquid offerens, sed caput existens eorum qui offerunt. Corpus enim suum Ecclesiam vocat, & per eam sacerdotio fungitur ut homo: recipit autem ea quæ offeruntur ut Deus. Offert verò Ecclesia corporis ejus & sanguinis symbola, totam massam per primitias sanctificans. Hinc liquet Christi sacerdotium quod Aaronico præstantius & longè efficacissimum: quod Aaronico exauthorato subrogatum: quod novæ legi & Christianæ Ecclesiæ instar fundamenti substructum est: quod tota ad Hebræos Epistola à Paulo prædicatur, & ad amussim Melchisedeci exigitur: illud inquam totum sacerdotium unico expleri sacrificio Ecclesiæ, in panis & vini Eucharistica oblatione. Hoc Melchisedecicum sacrificium exorsus est Christus pridie mortis suæ cum in pane & vino corpus suum consecravit, ut ait Theodoretus: illi sacrificio crucem ipsam mortemque suam illigavit & inclusit, ut & hæc ad Melchisedecicum pertineat sacrificium, & ab Aaronico magis distet: illi sacrificio per Ecclesiam suam adhuc incumbit & incumbet in æternum æternus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, ut Davidi Paulus succinuit. Incruento denique & Melchisedeci & Christi sacrificio, & eo capitali discrimine abhorrenti ab Aaronico, & Paulus, & Patrum chorus omnis suffragatur. Unde breviter Isidorus Pelusiota: *Ante Aaronem divinius & incruentum sacerdotium erat, nimirum Melchisedeci.* Incruento illi & verè Melchisedecico sacrificio, & verè Aaronicum exuperanti magis consonat Eucharistia, quàm crux, quæ cruorem & ipsa & Aaronici sacrificii speciem repræsentat. (L. 1. Ep. 151.)

V. Ex Damasceno. L. 4. fidei orth. c. 14.

Damascenus: *Pane & vino excepit Abrahamum Melchisedech ex cæde alienigenarum revertentem, ille qui erat sacerdos Dei altissimi. Illa mensa hanc mysticam præfiguravit mensam, velut & sacerdos ille Christi veri sacerdotis figuram præseferebat & imaginem. Tu es inquit sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Christus ubique sacerdos, non aliter quàm ex norma Melchisedeci. Non aliud hoc ejus sacerdotium sacrificiumve quàm in pane & vino.

VI. Ex Cyprin. L. 2. Epist. 3.

Cyprianus: *Item in sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod scriptura divina testatur, & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis ex persona Patris ad Filium dicens, Ante luciferum genueravi te: juravit Dominus & non pœnitebit, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens, ad nostrum populum pertinebat.* Consentit ergo & Cyprianus, Christi sacerdotium & sacrificium Melchisedecico contineri; nec aliud Melchisedeci præisse sacrificium, quàm panis & vini; ex quo colligitur & Christi hoc esse sacrificium, in pane & vino, ut & crucis & cæli sacrificium, de quo supra tam prolixè disseruimus, huic necessariò includatur, ne nomine alioqui & ordine sacerdotii Melchisedecici expungatur. Et ibidem paulò post Cyprianus; *Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham possit ritè celebrari, præcedit ante imago sacrificii, in pane & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mistum vino obtulit, & qui est plenitudo veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.* VII.

Ambrosius: *Erat enim sacerdos summi Dei Melchisedech. Quis est Rex justitiæ, sacerdos Dei, nisi cui dicitur, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: hoc est, Dei Filius, sacerdos Patris, qui sui corporis sacrificio Patrem nostris repropitiavit delictis?* Patrem utique propitiavit corporis sui sacrificio in cruce oblato: at hoc quid attinebit ad Melchisedecicum sacrificii ritum, nisi panis & vini sacrificio inferatur? Vide & quæ supra retulimus ex eodem. (Ex Ambros. L. 1. de Abrah. c. 3. L. 5. de Sacr. c. 1.)

VIII. Ex Hieronymo.

Hieronymus in Epistola Paulæ & Eustochii ad Marcellam: *Recurre ad Genesin, & Melchisedech Regem Salem hujus principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in salvatoris sanguine & corpore dedicavit.* Et alibi idem: (Quæst. Hebr. in Gen.) *Melchisedech autem Apostolus ad Hebræos sine patre & matre commemorans, ad Christum refert & per Christum ad gentium Ecclesiam. Omnis enim capitis gloria refertur ad membra: eo quod præputium habens Abrahæ benedixerit circumciso, & in Abraham Levi, & per Levi Aaron, de quo postea sacerdotium. Ex quo colligi vult sacerdotium Ecclesiæ habentis præputium benedixisse circumciso sacerdotio Synagogæ. Quod autem ait: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: mysterium nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino, id est, corpore & sanguine Domini Jesu.* Et Epistola ad Evagrium: *Neque carnis & sanguinis victimas immolaverit Melchisedech, & brutorum sanguinem, eorum animalium exta, id est, quidquid super escam est susceperit; sed pane & vino simplici, puroque sacrificio Christi dedicaverit sacramentum.* Ex quibus æquè enitescit Melchisedecico ordine & ritu absolvi Christi sacerdotium, nec aliud quàm panis & vini sacrificium à Melchisedeco proficisci: ex quo sequitur indubitatissimè Christi sacrificium sacrificio panis & vini absolvi. Deinde illud etiam apertius tangit Hieronymus argumentum, Melchisedecicum Christi sacerdotium perinde ut Aaronicum, perpetua serie sacerdotium in populo Dei propagandum fuisse, non semel tantum usurpandum. At sacrificium crucis semel tantum, & à Christo solo offerri potuit.

IX. Ex Leone M.

Leo Magnus sermone de Natali suo; *Non deest Pontifex summus à suorum congregatione Pontificum, meritoque illi totius Ecclesiæ & omnium Sacerdotum ore cantatur: Juravit Dominus, &c. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Ipse enim verus & æternus est antistes, cujus administratio nec commutationem potest habere, nec finem. Ipse est cujus formam Melchisedech Pontifex præferebat: non Judaicas hostias offerens Deo, sed illius sacramenti offerens sacrificium, quod Redemptor noster in suo corpore & sanguine consecravit. Ipse est cujus sacerdotium Pater, non secundùm ordinem Aaron, cum legis tempore transiturum, sed secundùm ordinem Melchisedech perreniter celebrandum, cum firmamento insolubilis jurationis instituit.*

X. Ex Isidoro Hispalensi. L. 1. de divinis Offic. c. 18.

Isidorus Hispalensis Episcopus: *Sacrificium quod à Christianis Deo offertur, primum Christus Dominus noster & magister instituit, quando commendavit Apostolis corpus & sanguinem suum, priusquam traderetur: sicut legitur in Evangelio: Accepit Jesum panem & calicem, & benedicens dedit eis. Quod quidem sacramentum Melchisedech Rex Salem figuraliter in typum corporis & sanguinis* Chri-

Christi primus obtulit, primusque mysterium tanti sacrificii imaginariè idem expressit, præferens similitudinem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi Sacerdotis æterni, ad quem dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

XI. Ex August. L. 1. con. Adv. Leg. & Proph. c. 20. Augustinus autem omnium copiosissimè: *Iste immolat Deo sacrificium laudis, non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech. Quod in eo Psalmo positum est, quem Dominus Jesus in Evangelio de se conscriptum esse testatur, &c. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Noverunt qui legunt quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & jam sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo, toto orbe terrarum. Dei autem juratio incredulorum est increpatio. Et quod Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit.* Et alibi: *Nihil spoliorum Abraham auferre voluit, cum Rex cui vicerat, obtulisset. Sed planè tunc benedictus est à Melchisedech, qui erat sacerdos Dei excelsi: de quo in Epistola quæ inscribitur ad Hebræos, quam plures Apostoli Pauli esse dicunt, quidam verò negant, multa & magna conscripta sunt. Ibi quippè primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longè post hoc factum, per Prophetam dicitur ad Christum qui fuerat adhuc venturus in carne, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Non scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus quæ illis umbris prænotabantur.* (Civit. l. 16. c. 22.) Adverte quàm sedulò scripturæ invigilent instentque commendando in Christum sacerdotio Melchisedeci: ut illud in Genesi sigillatim memoretur: ut à Davide memoria ejus refricetur, & Dei Patris juramento despondeatur Filio: ut Psalmum illum Christus affectaverit de se scriptum inculcare; ut denique Paulus Apostolus totam ferè Epistolam ad Hebræos eidem Melchisedecico Christi sacerdotio dicaverit. Quæ tota scripturarum conspiratio in cassum erit, si perfunctoriæ tantùm quædam sint & minoris sanè momenti consensiones Melchisedeci cum Christo, in ipso autem sacrificii genere quod caput & summa rei est, dissentiant. Non ita sanè jam inde à cunis suis interpretata est Ecclesia, quæ genus ipsum sacrificii in pane & vino vel maximè convenire professa est.

XII. Ex eodem. Civ. l. 17. c. 5. L. 83. qq. q. 61. Augustinus iterum: *Quod ergo addidit, manducare panem, etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit; de quo dicit sacerdos ipse: Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita: ipsum est sacrificium non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Qui legit, intelligat.* Et rursus: *Oportebat enim ut evacuaturus sacrificia quæ secundùm ordinem Aaron in Levitico sacerdotio fiebant, non esset de Tribu Levi, ne ad ipsam Tribum & ad ipsum sacerdotium quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quod Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, implevit: & holocausti ejus imaginem ad memoriam passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, ut esset sacerdos in æternum non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech.* Hìc dilucidè sacrificium tum in cruce tum in Eucharistia à Christo celebratum, Aaronico opponitur tanquam adversum sacerdotio, & Melchisedecico vindicatur. At Melchisedecicum sacrificium nusquam nec in scripturarum, nec in sanctorum Patrum monumentis reperies, nisi pane & vino consecratum. Ergo crucis ipsum sacrificium cum Melchisedecicum sit, ad Eucharistiam destinatur. Quare dicebat Augustinus: *Ipse est etiam sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum, in Christi Ecclesia videamus offerri.* Et alibi: *Inde Melchisedech prolato sacramento mensæ Dominicæ novit æternum ejus sacerdotium figurare.* (Epist. 95. In Ps. 33.)

CAPUT XVII.

Sacrificium Eucharistiæ idem quod crucis ostenditur esse, ut nusquam Christus, nisi secundùm ordinem Melchisedech sit sacerdos.

I. Eucharistiæ & crucis unum sacrificiũ probatur esse, ex Nysseno, qui in cœna Christũ ait sibi præmori cœpisse, & inde triduũ mortis incipiẽdum.

SI Eucharistiæ sacrificium idem atque crucis esse constiterit, eadem opera constabit & verissimum Eucharistia sacrificium celebrari, quando de sacrificio crucis nemo unquam controversiam movit: & crucis sacrificium à ritu Melchisedecico non diffidere, cùm sacrificio panis & vini arctissimè compaginetur: & denique unum esse Christi sacrificium quod sui amplitudine cælum terrasque & omnia demum volumina temporum complectatur.

Quod ergo Eucharistiæ sacrificium idem atque crucis & unum sit, præclarissimè demonstravit Gregorius Nyssenus, (Orat. 1. in Resurrect. Christ.) ubi triduum Christi mortis computare agressus, ejus initium in ipso cœnæ Dominicæ sacrificio locat. Tum enim Christus dum se sacrificat immolatque Patri, ut victimam, atque esitandum præbet, præmoritur inenarrabili quodam modo, ipsius potestati, dignitatique præ cæteris consentaneo. Decebat enim ipsum, ut non carnifex, non dolorum, non naturæ necessitas inexpugnabilem illam animam divinamque vitam exculperet, sed sua potestate & omnipotenti charitate illam ipse Patri propitiando, orbique servando ceu victimam immolare occuparet. Itaque jam tum in cœna mortuus est in sacramento Christus, jam tum mortis ejus triduum debuit numerari. *Recordare quid se Dominus pronunciarit, & eam ipsius esse virtutem cognosces, ut voluntate, non autem naturæ necessitate animam à corpore disjungat. Nemo enim inquit tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem enim habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc ita constituto, patet id quod quæsitum est. Qui enim potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Judæorum quasi prædonum impetum, non iniquam Pilati sententiam expectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium & causa: sed consilio suo antevertit, & arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, sacerdos simul existens, & agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum & sanguinem bibendum præbuit: tunc apertè declaravit agni sacrificium jam esse perfectum. Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium suum peragentis potestati collibuerat.* Quo ex uno Nysseni loco multa elicias hujus nostræ sententiæ præsidia. 1. Mors crucis in Eucharistia verè præsumitur, & crux quædam præcox, morsque præmaturata Eucharistia est, cum exinde mortis tempus debeat computari. 2. Cum in Eucharistia victimæ corpus vescendum, sanguis hauriendus porrigatur: nec possit victima nisi priùs cæsa edi sugique, mors ergo & crux ipsa in Eucharistia anticipatur. 3. E dignitate Christi est, ut ponat animam suam nutu & arbitrio suo, atque adeo crucem suam sponte acceleret, prævertatque mortem & cunctabundam invadat. 4. Salutem nostram æquius est Christo crucem occupanti invisibiliter, quàm judici vel carnifici visibiliter infligenti deberi. 5. Ergo crux, occisio, mors, immolatio visibiliter quidem & posteriùs peragitur, sed invisibiliter & prius præsu-

præsumitur in Eucharistia. Si percunčteris autem in utra cruce: immolatione, & morte plus momenti sit ac præsidij ad salutem: respondebo illam visibilem semel peragendam fuisse, hanc invisibilem & anticipandam necessariò fuisse, & deinceps in Ecclesia Christi jugiter perpetuandam, tanquam totius sanctimoniæ inexhaustam jugiterque exundantem scaturiginem.

II. Item ex Cyrillo. Tom. 5. p. 2. pag. 371.

Nec à Nysseno dissentit Cyrillus Alexandrinus: *Christus nos excipit hodie convivio, Christus nobis ministrat. Christus ille hominum amans nos refocillat. Tremendum quod dicitur, formidabile quod perficitur. Saginatus ille vitulus mactatur: Dei agnus qui tollit peccatum mundi, mactatur: Pater lætatur: Filius sponte immolatur, non quidem hodie à Dei hostibus, sed à seipso, ut ad hominum salutem voluntarios cruciatus subiisse significet.* Quibus subtexit locum Proverbiorum c. IX. valdè opportunum ubi dicitur sapientia mactasse hostias suas, miscuisse vinum, parasse mensam. Hinc liquet 1. hostiam sapientiæ qua vescimur, ab ipsa mactatam esse sapientia, non ab hostibus sapientiæ, non à sicariis in ipsam sævientibus. Ergo mactat seipsum Christus ante in Eucharistia, & crucem suam prævertit. 2. Opportunior sacrificio est mors illa quam hostiæ suæ Pontifex infert, quam qua à carnifice infertur; est enim libertati charitatis accommodatior. 3. Ex Apostolo mortuus est Christus semel, unam ergo in cruce & in Eucharistia mortem adivit; sed ibi visibiliter, hic invisibiliter: ibi ab hoste, hic à seipso: ibi cum toto facinorosissimæ cædis apparatu, hic ritu castissimo religionis & sacrificium Melchisedecicum expressissimè præ se ferente.

III. Et ex Chrysostomo: Cruci & Eucharistiæ quid conveniat, quid disconveniat. In Ep. ad Hebr. ho. 17

Conjecturas Chrysostomus paulò diversas, sed æque elegantes coacervavit: *Una est hæc hostia, illæ autem multæ. Quid enim dic quæso opus erat multis, cum una sufficiat? Propterea multæ, & quod semper offeruntur, ostendunt eos nunquam mundari. Quomodo enim mendicamentum cùm fuerit validum & efficiens sanitatis & valens omnem morbum propulsare, semel impositum, efficit universum, &c.* Ergo una est Eucharistiæ & crucis hostia, una hostiæ mors, una mortis oblatio. Ne si plures sint, perinde ut Mosaicis hostiis, ex iteratione imbecillitatem interpretemur. Unde pergit: *Quid verò nos quotidie offerimus? Offerimus quidem; sed ejus mortem revocamus in memoriam, & ipsa una est, non multæ: Quomodo una est, non multæ? Quoniam semel fuit oblata; illa illata fuit in sancta Sanctorum: hoc est figura illius & ipsa illius. Eundem enim semper offerimus, non nunc quidem alium, sed semper eundem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui & hic est plenus, & illinc plenus, unum corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus, unum est corpus, & non multa corpora: ita unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi.* Ubi adnotabis, 1. Mosaici templi hostias ipsa sua numerositate inopiam suam significasse: quod enim singulæ minus valerent, numero & agmine farcire laborabant, idque incassum, unde aliæ & aliæ in dies sufficiebantur. Christi ergo hostia opimior, una est, una omnium instar est, una omnes sacrificandi rationes exhaurit. Sive ergo in cruce, sive in Eucharistia mactetur, una hostia, una ejus mactatio; una mors & oblatio ejus est. 2. Christus unus hostia est, una ergo hostia est. Nam unus cùm sit, nonnisi unica potest esse hostia, & una morte sua Deo perlitare. Ut enim seipsum per omnes ætates dispenset, ut se multiplici laborum dolorumque vi fatiget, ut longissimè se lanienæ propinet, una hostia unus Christus est, & hæc prolixior, sed una tamen unius hostiæ cædes & immolatio est: ut denique in omnia se mortis ingenia objectet, ut crucem mortemque ante præcipiat, mox excipiat, una crux, una mors, invisibiliter præsumpta, post visibiliter assumpta, una nihilo secius est. 3. Ut scitè argumentatur Chrysostomus, unum Christi corpus est, tametsi uno temporis momento tam multis in locis sistatur: quin ergo magis unum Christi sit sacrificium, etsi temporibus locisque variis & dissitissimis dissipatum esse videatur. 4. Sacrificium Eucharistiæ in crucis memoriam frequentatur: non aliud ergo à cruce sacrificium est, sed crucis mystica iteratio est. Nec enim commemoratio hæc sterilis aut perfunctoria imaginanda est, & umbræ tantùm aut ludi vicem gerere: sed vera & sincera iteratio est, amputatis dumtaxat iis quæ à sacrificij religione videbantur esse subaliena. Quid enim carnifex, quid crux, clavi, lancea, quid militum furor, quid plebis grassatio ad religiosi sacrificij apparatum? Itaque hæc sceleris magis quàm pietatis pompa crucem vallavit, ab Eucharistia facessit. Contra autem prona veneratio, spontanea immolatio, religiosa victimæ visceratio in Eucharistia conspicua est, à cruce in speciem longe abest. Itaque penes crucem aperta cæde, occulta immolationis religio; penes Eucharistiam, occulta cædes, conspicua & palam est religio sacrificij. Utrobique mactatur, utrobique offertur hostia: sed ibi palam mactatur, clam offertur, ideoque sceleri quam pietati propior videtur is apparatus: hic clam mactatur, palam offertur & religiosissimè hostia Christus: proinde accommodatio est sacrificio hic suggestus.

IV. Ex eodem. In Epist. ad Ro. Hom. 8.

Chrysostomus idem rursus: *Vereamini igitur, veramini mensam eam cujus omnes participes sumus. Christum propter nos trucidatum, sacrificium eidem mensæ superpositum*, In cruce trucidatur victima, statim vescenda exhibetur in Eucharistia: contexitur illa trucidatio huic comestioni, illi trucidationi hæc comestio coaptatur, crux Eucharistiæ famulatur, Eucharistia cruci innititur; unum sacrificium est victimæ in cruce occisæ, in altari devoratæ. Et ipsa comestio victimæ? commemoratio utique est ejusdem in cruce occisionis, sed commemoratio non jejuna, sed repræsentatio ipsissima & præsentia fructusque rei. Etenim comestio ipsa victimæ, immolatio victimæ iterata est. Frangitur enim, conteritur, comminuitur quidquid comeditur. Ideo cum in cruce comminutus non fuerit Christus, in Eucharistia frangi comminuique se instituit: ut plusculum hic etiam quodammodo quàm in cruce mactatio exprimeretur. Quare idem Chrysostomus: *Ut qui & ipsum mutarit sacrificium, & pro cæde brutorum seipsum jussit offerri. Et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Cur addidit, Quem frangimus? Hoc enim licet videre fieri in Eucharistia, in cruce autem non itidem, sed utique ei contrarium. Os enim, inquit, ejus non conteretur. Sed quod non patitur in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, ut omnes impleat.* In Ep. 1. ad Cor. Ho. 24 Et Evangelicæ Apostolicæque passim litteræ *frangi panem & fractionem panis* inculcant, ut hostiæ per Eucharistiam sumptio immolationem apertissimè referat. Occisam etiam victimam suoque adhuc purpuratam sanguine & stillantem cum comedis, comedendo frangis, conterisque & immolare pergis, ultimamque manum imponis sacrificio. Unde Paulus, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est.* In quæ verba Chrysostomus ibidem: *Valdè fideliter dixit & terribiliter. Hoc est autem quod dicit. Id quod est in calice, est id quod fluxit è latere, &c.* Et paulò post: *Si sanguinem inquit cupis, non aram idolorum cæde pecudum, sed meum altare meo cruenta sanguine.* Itaque frangitur corpus edendum, funditur sanguis sugendus, tota crucis species renidet, sed oculis fidei illuminatis conspicua; est enim

hoc ut Christus ipse præmonuit & sanxit; *Mysterium fidei*.

V. Ex eodem Chrysost. In Matth. hom. 51. Chrysostomus idem rursus, quàm nostra hæc Ecclesiæ mensa non differat ab illa, cui accubui. Christus ipse, eximiè demonstrat: *Credite igitur omnes quia etiamnunc illa cœna celebratur, in qua Christus ipse recumbebat. Nihil quippe interest inter illam & hanc. Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur: sed hanc & illam ipse efficit*. At illam Christi cœnam quis dubitet ad crucem attinuisse? Imminebat enim totus in mortem Christus, & amoris impatientia, moras abrupit, mortem præripuit, scelus & proditionem occupavit, sponte præmortuus est ante quàm ab hostibus moreretur, victimam denique suam mysticè immolavit vescendamque ante porrexit, quàm cruentè palamque immolaretur. Dominatur enim, non servit tempori creator temporum. Itaque nemo leges temporum causetur, nemo cavilletur temporum necessitatem intercedere Christo, ne post tot interlapsa sæculorum spatia, eadem nunc cœna nostra sit, quæ tunc ejus fuit: & ne figatur adhuc cruci, ne mactetur, ne aras suo cruentet sanguine qui jam diu immortalis & beatus Deo vivit & paterni sursum collega sedet imperij. Nemo his cavillationibus tam præposteris fidem ipse suam illudat. Non servit tempori, creator moderatorque temporum: non ancillatur temporum locorumque corporalium legi id mysterium, quo temporalitas diruitur, fundatur æternitas. Valet omnipotens corporalium omnium opifex, frangere naturas omnes ad suæ voluntatis nutum. Valet adhuc mortalis immortalitatem præsumere, valet adhuc inter mortales vivens mysticam sibi in sacramento mortem maturare, valet immortalitati redditus mortem & mactationem suam quoties libebit instaurare, valet occupare futura, retractare præterita, valet sistere ob oculos & repræsentare, ut coram sint, vel quæ erunt postea, vel quæ fuerunt jamdiu. Ut enim in scripturis legebant sancti Patres, *Fecit quæ futura sunt*; ita & revocat quæ præterita sunt. Quare rursus Chrysostomus: *Quotiescumque panem hunc manducaveritis & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Pascha verò est mortem annuntiare. Nam quæ hodie fit oblatio, quæque hesterno die celebrata est, & quæ singulis diebus, similis est & eadem cum ea, quæ die illa Sabbathi facta est; & nihilo fuit illa venerabilior, quàm ista: neque vilior hæc, quam illa, sed una eademque pariter tremenda & salutaris*. Non alia, & illi primæ similis hæc sacrificij & mortis Christi oblatio est, sed una & eadem cum illa; una & eadem præterita & præsens, aut nunquam præterita sed semper præsens; una & eadem sibi præcedens, sibi succedens; una & eadem mortem Christi tunc futuram anticipans, nunc præteritam repræsentans; una & eadem locorum & temporum dominatrix, conditrix æternitatis.

Tom. 5. pag. 709.

VI. Ex August. L. 20. con. Faust. c. 18. Augustinus: *Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam Christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi*. Audis cujusmodi sit hæc commemoratio sacrificii à Christo in cruce oblati? Nempè quæ nuda commemoratio non sit, sed res ipsissima, sibi superstes, sibi succedanea; præterita, nec unquam effluens; præsens, nec nova. Nam si nuda & mera sit commemoratio, quo præstabit Hebræorum sacrificiis? Nonne perinde, nonne expressius pecorum cæde mors Christi futura prælineabatur, quàm panis fractione? Cruentam Christi mactationem cruor pecudum immolatarum præstantiùs exprimebat? Non antiquanda ergo erant illa tam facundæ commemorationis sacrificia, ut nuda eis & jejunior commemoratio alia sufficeretur. Deinde cum ait Augustinus id genus esse hanc sacrificii Christi in cruce commemorationem, ut ea contineatur oblatio & participatio corporis & sanguinis Christi, evidenter sacrificii totam illi rationem vendicat. Quid enim oblatio, quid rei oblatæ participatio, quàm sacrificium est? Duplex hæc ratio conglutinandæ Eucharistiæ cum sacrificio crucis, sexcenties ab eodem sancto Patre insinuatur; quibus tertiam non rarò adjungit, quod illa Mosaicæ legis sacrificia adumbrarent hoc quod Ecclesia ubique terrarum celebrat sacrificium; atqui nemo cordatus senserit commemorationi nudæ commemorationes præire, figuræ figuras præstrui, umbræ umbras præcurrere. *Respondemus sic illa sacrificia testamenti veteris jam non esse in operibus nostris, ut ea tamen in mysteriis divinarum scripturarum, ad intelligenda quæ his prænunciata sunt, amplectamur; quia & ipsa figuræ nostræ fuerunt, & omnia talia multis & variis modis unum sacrificium, cujus nunc memoriam celebramus, significaverunt. Unde isto revelato & suo tempore oblato, illa de agendi celebritate sublata sunt, sed in significandi authoritate manserunt*. Mosaica igitur sacrificia, *figuræ nostræ fuerunt*. Penes nos ergo veritas, penes illos nostræ veritatis figura. Deinde umbræ illorum evanuere tandem, quia umbræ, obsoleverunt quia figuræ: si nostra ergo Ecclesiæ mensa umbris figurisque tantùm dotata est, quin & illæ pariter diffluunt & vanescunt? Rursum præsentia veritatis ceu lucis discussit umbras, & dissipavit: an ut alias excitaret? Quo ergo illas depellere, si hæ meræ similiter umbræ suggerebantur? Iterum hoccine nos beneficio tandem cumulavit veritas, tandiu expetita, tanta sui fatigatos expectatione, in tantam sui spem erectos, ut meris nos rursum simulacris pasceret, umbras umbris mutaret, figuras figuris, atque ita miseram spem ludificaret? Rursum nihilo meliore loco res ergo nostræ sunt post adventum Christi, quàm ante erant, si æquè nos fugit veritas, si eam prehensantes, vacua ejus & inania simulacra amplectimur. Deinde quo amplius emolumento vel ornamento Christiani quàm Hebræi afficiuntur, si hi in futurum expectatione, illi in præteritum commemoratione, neutri vera repræsentatione summi boni donantur? Hiant in vacuum illi in præteritum, hi in futurum sacrificium, perinde inanes, si perinde ab utrisque abest. *Hujus sacrificii caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur: ac per hoc tantum interest inter sacrificia Paganorum & & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem & præfigurationem prænunciantem*. Imagines sacrificii Christi in cruce, duplicis notæ recenset: alias degeneres & adulterinas, nempe Gentilium, alias germanas & concordes, nempe Hebræorum sacrificia: mensam & sacrificium Christianorum inter imagines haudquaquam adnumerat, utpote quod memoria sit, imago jejuna non sit, sed ita imago, ut & veritas sit. Et rursum: *Sacrificia illa tanquam verba promissiva ablata sunt. Quid est quod datum est completivum? Corpus quod nostis: quod non omnes nostis, quod utinam qui nostis omnes, non ad judicium noveritis*. Vides signa inania penes illos, penes nos corpus ipsum non corporis Christi signa esse. Et alibi: *Dicit cessisse pani pecus, tanquam nesciens, & tunc in Domini mensa panes propositionis proponi solere, & nunc se de agni immaculati corpore partem sumere. Dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiamnunc se accipere in poculo sanguinem*. An panes panem, vacui vacuum præsignabant? Quæ ergo veritatis prærogativa supra figuram? Universim denique: *In populo Judæorum figuratus est populus Christianorum. Ibi figura, hic veritas: ibi umbra, hic corpus: dicente Apostolo, Hæc autem in figura contingebant illis*. Cum ergo sacrificia Mosaica Christianæ Eccle-

L. 6. contra Faust. c. 6.

Contr. Fau. l. 20. c. 21.

In Ps. 39.

Epist. 86.

In Joan. Tract. 11.

Ecclesiæ sacrificium præformarent, in illis imago sublucebat, in hoc eminet, rutilatque veritas sacrificii crucis.

VII. Ex Augustino rursum, ut crucis sacrificium in Eucharistia contineatur. L. 9. Confess. c. 12. 13.

Augustinus idem rursus quàm verè Eucharistia contineatur sacrificium crucis Christi: constantissimè profitetur, ubi Eucharistiæ vim & beneficia inde exundantia memorat. *Cùm offerretur pro ea sacrificium pretii nostri:* Et infrà: *Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quod objiciat, & nihil inveniens, in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, ut nos auferat ei? Ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei.* Et rursus: *Quoniam cogito pretium meum, & manduco, & bibo, & erogo, & pauper cupio saturari ex eo inter illos, qui edunt, & saturantur.* Et alibi: *Agnoscentibus Gentibus & pia humilitate bibentibus pretium suum.* Et rursus alibi: *Si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur in quo vera fit remissio peccatorum, à cujustamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Et rursùm: *Dominus noster Jesus Christus qui vult pasci ministerio servorum suorum, hoc est in corpus suum quasi mactatos & manducatos transferre credentes, etiam hic pascit eos sacramento passionis suæ & verbo fidei.* Vacillant hæc & horum similia omnia, nisi clam sed verissimè crucis sacrificium Eucharistiæ sit implicatum. Nisi enim in Eucharistia vera caro & verus sanguis Christi & mactatio & mors includatur, num in ea *offeretur sacrificium pretii nostri?* Num ex ea *dispensabitur victima sancta, qua deletum est chirographum contrarium nobis?* Num in ea *manducabimus, & bibemus, & erogabimus pretium nostrum?* Num ex ea *sanguinem Christi in alimentum sumemus?* Verè ergo in Eucharistia *offertur sacrificium pretii nostri & dispensatur victima sancta qua deletum est chirographum contrarium nobis, & manducatur, bibiturque pretium nostrum.* Quod autem sacrificium pretii nostri, nisi crux? Quæ victima sancta chirographum peccatorum affixit cruci, nisi Christus crucifixus? Quod pretium nostrum, nisi in cruce fusum? Ergo Christus totus cum tota sua cruce in Eucharistia offertur ut sacrificium, dispensatur ut victima, dependitur ut pretium.

L. 10. c. ult.

L. 4. de Trin. c. 11.

L. q. in Lev. q. 57.

L. 2. qq. super. Evang. q. 39.

VIII. Ex Ambros. In Psal. 43.

Ambrosius: *Facti sumus sicut oves escarum. Bonus Dominus noster Jesus Christus, quia factus est ovis epulationis nostræ. Quæres quomodo factus sit? Audi dicentem: Pascha nostrum immolatus est Christus. Et considera quemadmodum parentes nostri in figura diripentes agnum manducabant, significantes Domini Jesu passionem, cujus quotidie vescimur sacramento.* Vides immolari, vides epulandum nobis exhiberi Christum; vides manducatum & ab Israelitis fuisse, sed in figura: vides nos ejus passionis sacramento vesci, non tamen in figura: Illos enim in figura vescentes vehementer à nobis discriminat Ambrosius & postponit. Nostra ergo sacramenta non figuræ sunt inanes, sed veritatis intra latitantis sacraria. Et rursùm: *Caro mea vera est esca, & sanguis meus est potus. Carnem audis, sanguinem audis, mortis Dominicæ sacramenta cognoscis & divinitati calumniaris? Audio dicentem ipsum, quia Spiritus carnem & ossa non habet. Nos autem quotiescumque sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annunciamus.* Mortem Domini annunciabant & Israelitæ, non *in carnem & sanguinem transfigurabant* sacramenta. Illis itaque adsignabantur Christi figuræ, nobis sacramenta, non jejuna, non vacua signa, ne & figuris meris accenseantur, sed in carnem & sanguinem Christi transfigurata. Quocirca & multa prece, ut notat Ambrosius, hæc transfiguratio promerenda, & expugnanda propemodum est. Nam ut nudis figuris quasi mimicè exhiberetur passio Christi, haud sanè tanto nisu, haud tam sollicito precum æstu extorquendum esset; sed ut in carnem & sanguinem transfigurentur sacramenta, seu ut sacramentis inseratur veritas ipsa carnis crucifixæ, & sanguinis effusi, id verò magnæ molis est, id ingenti orationum molimine extundendum est. Itaque quibus libuit, nudis vesci figuris, & jejunis judaicisque oblectari adhuc elementis, ii passionis Christi gesta recitent, abundè id est; at nobis in vota incumbendum & enitendum totis animi viribus est, ut *per mysterium orationum*, per mysticam & præpotentem precum vim, in ipsam carnem & sanguinem, in ipsam Christi passionem transfigurentur sacramenta.

De fide. L. 4. c. 6.

IX. Ex Cypriano. L. 2. Ep. 3.

Cyprianus: *Nam si Jesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.* Et paulò pòst: *Quomodo possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere:* Et statim post pauca: *Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus, Passio est enim Domini sacrificium, quod offerimus, nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus.* Ne blandiantur sibi figurarum venditatores, quod commemoratio, quodque imitatio dicatur à Cypriano. Et nos enim ultro profitemur, & ipsis Christi verbis edocti sumus, commemorationem Christi patientis hanc esse: sed an nudis signis ac figuris transigatur hæc commemoratio, an ipsa rei veritas sub sacramenti involucris repræsentetur, sistaturque perspicacibus fidei oculis conspicua, id enimverò est quod inter Ecclesiam Catholicam, & novantiquæ hæreseos asseclas controvertitur. Cypriani sanè mens neminem potest fallere. 1. Cùm ait in Ecclesia *offerri sacrificium verum & plenum.* Quatuor his verbis omne intercluditur effugium. Nam offerri vix figura potest mera: & offerri sacrificium & quidem verum, & quidem plenum, de umbratili & mera sacrificii commemoratione quis nisi insanus dixerit? 2. Sacerdos in Ecclesia, vice fungitur Christi: id quod Christus fecit, imitatur: at Christus suam ipse mortem non potuit nisi per cassas veritatis figuras anticipare & exprimere? Ubi Christus in cœna semetipsum obtulit, num umbraticum obtulit sacrificium? Quo ergo illi sua defluxerat omnipotentia, quo veritas dilapsa erat? Quantillæ enim potestatis est, per figuras mortem præsignare? Homuncionis de vulgo cujuslibet ea vis est & industria, ut id possit: & quod ad figuras attinet, feliciùs etiam fortasse & expressiùs, quàm in Eucharistia. An ergo usque adeo visum est debilitare potestatem & infringere majestatem Christi, ut nihilo plus illi liceat, quàm homini de compito unicuique? 3. Sed æque acerba veritati Christi inuritur contumelia, si veritas umbratico vacasse sacrificio deblatteratur. Veritatis enim est umbras propulsare, figuras luce veritatis fugare, non umbras & figuras novare, & nihil aliud quàm alias aliis commutare. 4. Sed omnem vel levissimam dubitationis nubeculam abstergunt hæc ex Cypriano laudata: *Passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus: Passio est enim Domini sacrificium quod offerimus.* En mentio passionis, & passio ipsa dicitur sacrificium, quod offerimus. Nempe innovatur incruente ipsa passio, atque ita ipsa sui

sui mentio est, sui figura & veritas figuræ suæ ipsa simul est. Ab hac fide adversarios unus retardat obex, quod tantum licere omnipotentiæ Dei non acquiescant. Temporibus ergo & locis corporumque naturis auguramur nos Deum dominari, illi servire jubent. Nam si hæc posse Deum & tam facilè quàm quæ facillimè, semel animo imbiberint, jam nihil hæsitabunt, jam scripturis, jam sanctis Patribus, jam ipsi Christi, & Christi Ecclesiæ dignitati assentientur, rem non aliter se habere quàm à nobis prædicetur. Sed quia fines quos libuit omnipotentiæ Dei circumscribunt, fidei quoque suæ fines & angustias objiciunt. Minùs mirum ergo si catholicæ fidei amplitudini obstrepunt, qui divinæ intercedunt omnipotentiæ.

X. Ex Hieronymo. Tom. 3. Ep. ad Damas. Ep. ad Heb. q. 2.

Hieronymus: *Vitulus saginatus qui ad pœnitentiæ immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus quotidie carne pascimur, cruore potamur.* Et rursus alibi: *Nos audiamus panem quem fregit Dominus, deditque discipulis suis, esse corpus Domini Salvatoris, ipso dicente ad eos, Accedite & comedite, hoc est corpus meum, &c. Nec Moyses dedit nobis panem verum sed Dominus Jesus, ipse conviva & convivium; ipse comedens & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem & sine ipso potare non possumus & quotidie in sacrificiis ejus de genimine vitis veræ & vineæ Sorec, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus; & novum ex his vinum bibimus de regno Patris, nequaquam in vetustate literæ, sed in novitate spiritus.* Audis immolari Christum quotidie, quotidiana sacrificia. Audis hujus victimæ depasci carnem, potari cruorem. Audis sacrificium & convivium, nempè sacrum epulum sacrificio contextum, & sacrificii complementum. Audis convivam & convivium, comedentem & comestum Christum; itaque in illa cui mortalis extremum accumbebat mensa, tam verè comedebatur, quàm verè comedebat Christus. Ara igitur Ecclesiæ contexitur & compaginatur aræ crucis; in hac mactatur victima, in illa manducatur; ibi sacrificium, hic convivium; aut utrobique sacrificium potiùs, quia tale convivium pars est sacrificii; nec satis mactata victima est, nisi comedendo conteratur.

XI. Ex sancto Cæsario. Hom. 7. de Paschate.

S. Cæsarius Arelatensis Episcopus. *Qui corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: ut quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio: & perennis victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia; unica & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie; haud exteriori censenda visu, sed interiori aspectu. Unde meritò cœlestis confirmat authoritas, quia caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem qui author est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbi sui secreta potestate convertit; dicens, Accipite, &c. Ergo ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum; pari potentiam spiritualibus sacramentis, verbi præcipit virtus, & rei servit effectus. Quanta itaque celebranda beneficia, vis divina benedictionis operetur, quomodo tibi novum & impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, teipsum qui jam Christo os regeneratus interroga. Dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus exulabas. Subitò initiatus Christi legibus & salutaribus mysteriis innovatus, in corpus Ecclesiæ, non videndo, sed credendo transisti, & de filio perditionis adoptivus Dei fieri occulta puritate meruisti. In mensura visibili permanens, major factus es teipso. Cùm ipse atque idem esses, multo aliter fidei processibus extitisti: in exteriore nihil additum est, & totum in interiore mutatum est. At sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu, præterita vilitate deposita, subitò novam indutus es dignitatem; Et sicut hoc quod in te Deus læsæ curavit, infecta diluit, maculata detersit, non oculis, sed sensibus tuis sunt credita; ita cum reverendum altare cibis satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiori assume.* Ad hæc veritatis micantissima lumina an sua cuiquam oculos obturabit pertinacia aut cæcitas? Quàm perspicua enim sunt ista, *ab invisibili Sacerdote visibiles creaturas in corpus & sanguinem Christi converti: in Christi substantiam terrena & mortalia commutari: verbi sui secreta potestate, id præstare Christum, & ea ipsa qua excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum substiterunt?* An hæc omnis gradiloquentia non parturiet nobis nisi figuram? Quàm perspicua rursum hæc, *perpetuam redemptionis oblationem, perennem victimam, unicam & perfectam hostiam, non tantùm vivere in memoria, semper præsentem esse in gratia?* An ista verborum magnificentia in umbram & inane simulacrum deficiet? Quàm perspicua iterum cohortatio ad eluendum infidelitatis ambiguum, & exemplorum rationumque aggeratio ad expugnandam incredulitatem; An circa imaginem meram passionis quæ in Ecclesia perennaret, tanta pertimescebatur infidelitatis contumacia; Sed ut hæc missa faciam, & summa tantùm atque capitalia sublimioris Patrum Theologiæ fastigia attingam, quæ cæcutientes hæreticorum oculos & terrena fœce oblimatos fallunt.

XII. Summa doctrinæ Cæsarii lucu-lentissimæ ut præsens adsit o Christi.

Adverte mihi 1. ex Cæsario, fide quidem & interiori aspectu & cordis manu contingendam esse in sacramento carnem Christi: sed reapse præsentem. Itaque fides ab hæreticis laudata Christi carnem fugat, fides à Cæsario & sanctis Patribus commendata Christi carnem verè præsentem aspectat. Christi præsentiæ adversaria illa est, hæc amica: illa fugitans, vel fugans, hæc invitans & amplectans. Argumenta sancti Patres venantur & conglobant, ut Christi carnem adesse approbent, eique fidem affigendam esse: hæretici ut Christi carnem longè abesse, & tamen fide tanquam præsentem amplexandam, id est, inani complexu ludificandam fidem esse suadeant. 2. Fidei mysterium esse Eucharistiam, quod corpore Christi facta sit, non vacua: quod carnis veritas sit non figura. Temporalium enim fides est, species & contemplatio æternorum: & fide temporalium tanquam vehiculo ad æternorum contuitum perducimur. Caro Christi & temporalis ejus tota in carne dispensatio, seminandæ alendæque fidei assumpta à Verbo & impensa est, ut carne ejus tanquam fidei fulcimento nixi, ad divinitatem ejus, ab ipso ad ipsum eluctaremur. Peccati enim sordibus inquinatus mentis oculus ad æternorum lucem cæcutiebat? carnis veluti collyrio per fidem purgandus fuit, ut ad contuitum æternæ lucis repararetur. Serendæ igitur fovendæque fidei inservit caro Christi, non carnis figura: caro ipsissima mysterium fidei est, non carnis imago: caro præsentissima fidem suffulcit, non longè dissita. Nam si figura carnis sola fidei adminiculandæ sufficit in Eucharistia, sufficeret & in inhumanatione: & sola carnis commentitia atque imaginaria specie fides & religio christiana suffulciretur. In antiqua ergo & jamdiu obsoleta, jam tot sæculis tot annis explosa Manichæorum deliria revolvuntur, qui veritati carnis Christi obtrectant. Nec enim Eucharistia quidquam aliud est quàm perpetuatio quædam incarnationis, & ad omnes hominum ætates posteras, ad omnes terrarum longè summotos tractus ejusdem ampliatio & propagatio; & peræque

ut in-

ut incarnatio mysterium fidei, per temporalium credulitatem purgans redintegransque ad æternorum speciem: ipsam autem credulitatem non umbris & figuris illudens, sed carnis veritate, ceu umbra æternitatis & imagine Deitatis pervehens. Quocirca fides non carnis, sed divinitatis complexu viduatur, carnis autem præsentia absentiam solatur divinitatis. Et hæc prima est adversariorum hallucinatio. Rursum fides figuris quidem adhuc nonnullis obumbratur, sed figuris non temporalium, sed æternorum: umbris non carnis, sed Deitatis: aut ut planiùs dicam, opacatur interim fides purissimæ lucis adhuc impatiens, temporalibus ut figuris æternorum: carne ipsa Christi præsentissima ut umbra divinitatis. Et hæc altera est aberratio Novatorum.

XIII. Rursus expenditur Cæsarii doctrina, de mysteriorum Christi æternitate quadam.

3. Ex Cæsario & aliis Patribus ei conniventibus adverte animum ad æternitatem Christi mysteriorum. Interest enim ad Ecclesiæ sanctimoniam & salutem, ut Christi gesta non effluant; temporalia etsi sint, temporum lege absolvantur tamen, nec dilabantur, sed stent & de conjunctæ sibi atque insertæ æternitatis afflatu constent. Interest inquam & ad dignitatem Christi & ad utilitatem Ecclesiæ, ut Christi mysteria in carne temporaliter gesta, non memoria tantùm sistantur, ne diffluant, sed statu quodam suo perstent & perennent. Nam quanquam prosit memoria, ipsa tamen eorum præsentia proventu beneficiorum multò uberiore redundat. Omnium sæculorum præsentissima fœlicitas Christus est, Christique vita: sistenda ea est & ætatibus omnibus repræsentanda coram, ut omnibus nascatur, omnibus puerascat & adolescat; omnibus juventam, omnibus passionem, omnibus crucem mortemque suam replicet, omnibus resurgat, omnibus ascendat ad paternæ consessum dexteræ. Hæc enim etsi temporaliter gesta, afflabantur tamen aspiratione omnipotentis æternitatis à qua manabant: etsi temporaliter gesta, temporalitatis tamen excidium, & æternitatis imperium moliebantur. Quid ergo mirum si ineffabili & inexcogitabili æternitatis & omnipotentiæ arte persistant & durent in Eucharistiæ mysterio, quæ dilapsa videntur temporis effluvio: si durent per quæ duramus: si stent per quæ constamus: si non effluant per quæ à fluxu temporum liberamur: si æternentur, quæ ab æternitate Verbi scaturiunt? Ergo ut ait Cæsarius: *Quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio: & perennis victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia*. 4. Adverte quàm pulchrè unumquemque Christianum conveniat Cæsarius, & ita persuadeat ex pane Christi corpus creari, sicut ex infideli & impio recreatur homo Christianus. Idem atque ipse manet homo, & alter fit: foris idem, intus jam non idem, sed melior & major seipso: visibiliter idem, invisibiliter longè dispar & dissimilis sui: non umbratiliter, non figuratè, sed verissima veteris hominis expositione, animique in alios mores atque affectus meliores reformatione. Ergo & panis etsi visibiliter idem qui priùs, sed invisibiliter non idem, sed caro Christi est: cortex idem, medulla non eadem: nec per figuræ ludibrium, sed per verissimam demutationem. Hæreticis autem imaginaria Christi præsentia in sacramento, quia & imaginaria Christi formatio in eorum animo. Illa enim Christi præsentia in sacramento hanc efficit ejusdem præsentiam in fidelium animo, & sanctimoniam: si vera veram, si fucata fucatam. Si illa omnipotentiæ Dei non creditur, nec ista permittitur: nec enim animos commutare poterit, qui corpora non poterit. Sed omnia fucavit, omnia adulteravit hæresis: nec sanctitatem Christi veram in fidelium animo, nec carnem Christi veram in Ecclesiæ sacramento approbat; & Christo & Christiano cuilibet injuriosa, dum illius veritatem, hujus sanctitatem ab illa carnis veritate scatentem, figurarum & imputationum suarum cœno commaculat. Concludat Cæsarius: *Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia majestatis, in Dominici corporis transire posse naturam, cum ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ, Christi corpus effectum*. Qui ergo Christi corpore execti sunt, invideant & obtrectent Christi corpori, nec fidem illi suam mancipent.

CAPUT XVIII.

Sacrificium Eucharistiæ idem atque crucis esse iterum ostenditur ex eo ritu externo, quo celebratur.

I. In Eucharistia atque in cruce una & eadem victima, atque oblatio, idē sacrificium at exterior species ritusque sacrificii in Eucharistia quam in cruce ad pietatem pene accommodatior.

ALtera hæc est ratio complicandæ crucis Christi & Eucharistiæ in unum atque idem sacrificium; quod videlicet non tantùm intrinsecus idem Christus, eadem hostia, eadem passio & mors, eadem oblatio contineatur: sed extrinsecus etiam hostiæ fractio, distributio, comestio, sanguinis ejus effusio atrocem illam crucis immolationem de proximo imitetur, & quod ad sacrificii rationem attinet, imitando non assequatur tantùm, sed quodammodo exuperet, & sanctiorem religionis & sacrificii speciem præseferat. Si hos enim solum carnis oculos consuleres, facinorosæ magis grassationis, quàm religiosæ oblationis instar habebat crux Christi: latebat sacrificium & circumfusâ sceleris immanissimi pompa quodammodo obruebatur. Perpetuari hoc sacrificium, ad Christianæ Ecclesiæ emolumentum & salutem intererat; sed illa immanitatis specie obvallari usque, horrebat animus, aversabatur pietas. Itaque hac nobis sapientiæ ineffabilis arte prospectum est, ut æternaretur quidem non memoria tantùm, sed præsentia hujus hostiæ & sacrificii, religiosior autem illi rituum species oppanderetur, quæ citra ullam facinoris truculentiam, sanctissimæ victimæ immolationem oculis exhiberet. Quapropter idem hic atque illic est sacrificium, eadem hostia, eadem oblatio, & perinde illic atque hic latitans, & carnis oculos fugiens; sed aliud schema hic quam illic; hic nempè religiosius & ad sacrificii leges accuratius. Quis enim oculo carnis crucem Christi sacram pro humano genere oblationem, & non potiùs immanissimam cædem & humani generis sempiternum & inexpiabile facinus dedecusque interpretaretur? Utrobique ergo solis fidei oculis explicat se, solis patet sacrificium; sed in Eucharistia adjutatur fides atque illicitur exteriori pompa ad pietatem composita, & crucis imitatrice, facinoris crucem obumbrantis expunctrice.

II. Ex Lanfranco ut crucē imitetur Eucharistia fusu Christi sanguine. L. de Euch. sacr.

Arrisit Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo hæc conflandæ cum cruce Eucharistiæ ratio. Ubi & Gregorii Magni authoritate illam primùm communit: *Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat*. Et paulò post: *Hinc ergo pensemus quale pro nobis sit hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur*. A quibus non dissonant verba ejusdem Gregorii: *Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis & benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur; quia is qui in se resurgens à mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus*. Et rursum idem Gregorius pro ut à Lanfranco refertur: *Ejus quippe caro ibi sumitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium.*

Hom. 37 in Evangel.

L. 4. Dialog.

delium funditur. Per altaris hostiam iterum pro nobis pati Christum, mortem ejus nobis in mysterio reparari, sanguinem ejus nôn jam in manus infidelium, sed in ora fidelium fundi, hoc sacrificium passionem unigeniti imitari, hæc sanè Gregorii verba externum quoque videntur rimari hujus sacrificii ritum, in eoque expressissima Passionis Christi lineamenta quasi indigitare.

III. Item ex Algero. L. 1. c. 19. Arrisit & Algero hæc sententia, qui patronum ei quoque conciliat Augustinum: *Quia ergo sacramentum corporis Christi ipsum Christum, vel ejus Ecclesiam, sua ex se similitudine signat; videamus si similitudine alicujus exterioris actionis circa se idem faciat. Augustinus in L. Sentent. Prosperi: Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur? Ideo etiam ipse corpus suum fregit & tradidit, ut signaret quod sponte sua in Passione se frangeret, & traderet pro nobis, qui solus potestatem habebat ponendi animam suam: quod etiam in altari vice sua imitantur sacerdotes, ut idem repræsentent, id est, corpus Christi, sacramentum Christi & Ecclesiæ, per exteriorem actionem.* Et eodem capite Augustinum rursus allegans subdit: *Sed quid curram per singula? Quidquid fit in officio Missæ, sacramentum est Christi & Ecclesiæ. Unde Augustinus in Libris de Trinitate: Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & bibendo carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus. Quod enim corpus Christi in sacramento manibus fidelium tenetur, frangitur, dentibus atteritur & ipsis incorporatur, significat eum in passione manibus impiorum tentum, & usque ad mortem fractum, & propter scelera nostra attritum: Ecclesiam vero, corpus suum scilicet, hujus suæ passionis imitatione sibi incorporatam, & conformatam.*

IV. Ex Eusebio. Arrisisse videtur & Eusebio Cæsariensi Episcopo: *Quando igitur secundùm testimonia Prophetarum, inventum est magnum, magnique æstimandum pro redimendis & Judæis pariter & Græcis pretium, illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro anima cunctorum hominum sacrificium, illa pro omni macula & peccato purissima hostia, ille utique agnus Dei, illa Deo accepta, ille agnus de quo Prophetæ tam multa dixerunt, per cujus divinam ac mysticam doctrinam, omnes nos qui de Gentibus assumpti sumus, remissionem priorum peccatorum invenimus; ex quo etiam Judæorum quicumque in illo spem habuerint, à Mosis execratione liberantur; meritò sanè, quando illius corporis & sanguinis recordationem celebrant, & ad longè præstantius & sacrificium & sacerdotium assumuntur quàm fuit illud prius. Quando igitur omnia ita se habent, non amplius fas esse putamus in prima illa & infirma elementa recidere, quæ utique signa quædam & imagines, non ipsam veritatem complectuntur.* Et paulò post: *Prisci illi, Deoque grati viri, cum præstantiora non haberent, meritò signa ipsa attendebant. Nam hoc Salvator docet, cum ait: Multi Prophetæ & justi cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. At nos qui ea quæ vera sunt, & ipsa imaginum archetypa per mysticam Christi dispensationem assecuti sumus, vetera non desideramus.* Vides à nobis corporis & sanguinis Christi recordationem celebrari, nec tamen nuda nos amplecti signa, sed ipsam veritatem. Nimirum signis inanibus Judæi distinebantur, nos veritatem adepti sumus, necdum tamen sine signis, per quæ passionem Christi effingimus, dum reapse ipsum immolamus. *Sic planè docens pro antiquis sacrificiis & holocaustis, Christi adventum per assumptionem humani corporis, ejusque corpus perfectum, Deo oblatum esse, &c. Cum ergo hujus sacrificii memoriam in mensa peragere per symbola corporis & sanguinis ejus salutaris edocti atque instituti secundùm novi testamenti leges, à Propheta instruimur ad dicendum, Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Memoria est propter externa symbola, veritas sacrificii est propter novi testamenti prærogativam.

Arrisisse videtur & Chrysostomo: *Cur autem addidit: Et panis quem frangimus? Hoc enim licet videre fieri in Eucharistia: in cruce autem non itidem, sed utique ei contrarium. Os enim, inquit, ejus non conteretur. Sed quod non passus est in cruce, hoc in oblatione patitur propter te: & patitur frangi, ut omnes impleat.* Et rursus: *Nam quando dicunt: Unde patet immolatum Christum fuisse: præter alia multa, hæc etiam mysteria afferentes, ora ipsorum consuimus: si enim mortuus Jesus non est, cujus symbolum ac signum hoc sacrificium est?* Externa sacrificii significatio ad testificandam Christi passionem arripitur, usque adeo nativa & expressa, ut imitandi leges prætervehi videatur, dum victimam in sacramento frangit, cui eatenus crux ipsa pepercerat.

V. Ex Chrysostomo. In Ep. 1. ad Corint. ho. 24. In Matthæ. hom. 83.

Apertè igitur suffragantibus antiquis Patribus, hanc symbolicam sacrificii rationem prosecuti sunt Paschasius Ratbertus, Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, & quicumque deinceps adversus Berengarii vesaniam pro Ecclesiæ tuenda fide calamum strinxerunt. Non quo tota sacrificii ratio ab hac accersatur rituum imitatione, & figurata immolatione panis: ita enim demum à dignitate Christiana desciscerемus, & ad jejuna iterum revolveremur Judæorum elementa: sed quod cum intus & latenter verissima delitescat hostia Christus, & Patri illa se eadem qua olim de cruce pendens, seipsum oblatione mactet, extrinseca quoque religionis pompa eandem crucem, mactationem, & oblationem pulcherrima coaptatione effingat.

Paschasius Ratbertus: *Porrò in calice quantum datur intelligi à Sanctis Patribus, ideo corpus & sanguis per hanc partem junguntur, quia calix passionis Christi præfigurat mysterium, sicut canitur in Psalmis, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Per calicem namque salutis passio designatur, in qua nimirum passione, simul caro Christo cum suo sanguine fuit. Idcirco jam immolato Christi per sacramentum divinæ traditionis, corpus frangitur ad escam populis, & partitur fidelibus. Sanguis verò in calice, acsi in passione fusus, spiritaliter consecratus pro nobis ostenditur ad portandum Deo Patri à summo Pontifice oblatus, &c.* Et infrà: *Propter quod & mos bene inolevit, ut sanguis Christi nunquam in catino, nunquam in cratere, neque in alio vase quàm in calice consecretur. Sed neque alio nomine, ut fieri solet in aliis quibusque vasis, nisi semper juxta proprietates linguarum, calix vocatur, ut exinde omnibus calix passionis Christi ad memoriam reducatur.* Spectant hæc omnia ad extimam superficiem sacrificii, in qua id ipsum quod intus clam peragitur, extat eminetque sacrificium.

VI. Ex Paschasio Ratberto. L. de corp. & & sang. Do. c. 19.

Lanfrancus autem L. de Euch. Sacram. *In sacramento de quo hæc quæstio ventilatur, dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominicis corpori in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?* Et infrà: *Alterum quidem dum frangitur, & in populi salutem dividitur, alterum verò effusum de calice ab ore fidelium sumitur, mors ejus in cruce & sanguinis de latere ejus emanatio figuratur.*

Guitmundus quoque assentitur: *Si illi cui omnia possibilia sunt, altissima & inscrutabili consilii sui ratione placet, ut corpus suum ipse per partes dividere possit, ita dumtaxat ut jam ultra non moriatur, neque lædatur, neque ullam corruptionem patiatur, nullam enim miseriam amplius sustinebit, quis impossibile hoc audeat æstimare? Si autem ei non placet, ut sine aliquo sui incommodo, caro ejus possit per partes divisa distribui, tunc nos ista neque dentibus minui, neque per partes aliquo modo credi-*

VII. Ex Lanfranco rursum & Guitmûdo, ut corpus Christi in Eucharistia frangatur, dividatur, atteratur, &c. Guitm. l. 1.

credimus dissipari. Et tunc nobis intelligendum est hoc quod dicitur, Ejus caro in populi salutem partitur, dictum esse, non quia partiendo minuatur, sed propter similitudinem fractionis: sicut immolari quotidie dicitur Christus, propter similitudinem passionis. Licèt enim hæc magni causa mysterii sacerdos quasi dividere videatur, nos tamen Dominum & Salvatorem nostrum quando corpus ejus venerabile fidelibus distribuitur, non se per singulos dividentem, sed participatione sui diversos credere debemus unientem. Frangi, dividi, atteri corpus Christi in Eucharistia annuit, vel reapse, sed ita ut inviolabilis beatitatis incorruptelæ nihil officiatur: vel mysticè propter subjectam oculis imaginem passionis.

VIII. Ex Algero. L. I. de Sacr. c. 15. 16. Algerus hæc primùm Ambrosii, id est Pseudo-Ambrosii verba ex commentariis Epistolæ ad Hebræos exscribit, quæ & hic totidem ferè verbis ex Chrysostomo supra relata excerpserat: *In Christo semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis ejus: & una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est, & non multæ? Quia semel oblata est in sancta Sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar illius est, id ipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, cras alium, sed semper eundem ipsum. Proinde unum est hoc sacrificium hac ratione. Alioqui quoniam multis in locis offertur, multi sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens & illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, & non multa corpora, ita & unum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est. Hoc enim facite inquit in meam commemorationem. Non aliud sacrificium sicut Pontifex; sed ipsum semper offerimus: magis autem recordationem sacrificii operamur.* Hæc ex Chrysostomo suo Pseudo-Ambrosius, ut duplici nexu constringat in unum sacrificium, quod in cruce, quodque in Ecclesiæ sacramento celebratur. Primum quidem quod eadem sit hostia, idem Christi corpus, idem Pontifex Christus, ineluctabili divinitatis potentia in corpus etiam suum refusa, locorum corporumque legibus abutens, easque ad suum nutum infringens. Unde Algerus: *Quomodo incorruptionem nobis largiretur, si in seipso corruptionem resurgens pateretur? Aut quomodo sacramento suo nos sibi incorporans, ut corpus capiti: vel nos nobis, ut membris unum faceret, si in seipso non unitus, sed divisus & comminutus dentibus sumentium esset? Quomodo tamen corpus Christi & cœlo & mundo præsens, & dividatur indivisum, & sumatur inconsumptum, ratio stupet, fides ipsa miratur: sed ex adjunctæ divinitatis potentia, quæ ubique tota præsens est in corpore suo spirituali: imo per omnipotentiam sibi collatam, divino jam facto, id fieri posse non diffidens veneratur.* Secundò unum est sacrificium ex utroque conflatum, quia posterius hoc prioris illius commemoratio & imitatio est. Unde Algerus: *Non ergo est in ipsius Christi veritate diversitas, sed in ipsius immolationis actione: quæ dum veram Christi passionem & mortem quadam sua similitudine figurando repræsentat, nos ad imitationem ipsius passionis invitet & accendat.* Et ibidem: *Sciendum igitur quia licèt oblatio Christi semel in cruce sit vera: quotidiana autem in altari sit figurata: prorsus tamen eadem hic & ibi, nostræ salutis est gratia, hic & ibi vera, sufficiens & semper necessaria: quia hic & ibi idem verus Christus potens ad omnia.* Et allegato loco Augustini ex libro Sententiarum Prosperi, ut suprà: *Dicit ergo Christum in manifesto corpore suo, & in distinctis membris humanitatis suæ semel passum in cruce: qui non manifestè, sed invisibiliter est in sacramento quotidie, non passus, sed quasi pati repræsentatus. Vera enim passione Christum iterum immolari nullatenus congruebat, tum quia impossibile erat immortalem occidi, tum quia crudele erat in sacrificio Ecclesiæ hominem more bestiarum sacrificandum laniari, dentibusque vorari. Quia itaque in Deum simul esse non poteramus crudeles & devoti, incruentum esse congruebat quod pium erat fidelibus Christi: ut non vera Christi passione & morte ab eis immolatio compleretur, in qua Christus propitiationem suam exequi omnibus dignaretur. In quo enim meliores essemus his qui eum crucifixerunt, nisi pietate & devotione differremus ab eis qui eum perdere præsumpserunt?* Et tandem: *Hanc autem immolationem non vero, sed imaginario actu passionis & mortis fieri, & tamen veram salutem operari testatur Gregorius.*

IX. Summa capita hujus doctrinæ, ut Eucharistia & crucis memoria sit & idem cū ea sacrificium. Ex hoc Algeri maximè contextu, sed & ex suprapositis omnibus Patrum testimoniis augurari licet, quod initio capitis hujus summatim strinximus, hic autem pariter distribuere in varia libet capita, majoris ergo perspicuitatis. 1. Quod sæpiùs jam & ad nauseam propè usque inculcatum à nobis est, unum ideo crucis & Eucharistiæ sacrificium esse, extrinseco dumtaxat variatum vallatumque ornatu, quod utrobique una sit hostia, unus coram præsens hostiæ suæ Sacerdos, una & perpetuata oblatio, vel oblationis commemoratio. Nam perpetuatio ipsa oblationis & oblatio est, & primæ oblationis commemoratio. Ipsa enim ut sibi succedanea ipsi sibique inæternum superstes, nec usquam interrupta, & oblatio ut primùm est, & oblationis primæ memoria est. 2. Nisi una & eadem coram adesset hostia, oblata & sese offerens, haud satis tutò verum sacrificium soli commemorationi committeretur. Nec enim omnis sacrificij commemoratio, verum sacrificium est. At ubi idem Sacerdos eandem hostiam seipsum offerre pergit, alio tantùm atque alio velaminum & rituum apparatu, tunc sanè tuta constat unius sacrificij verissimi ratio. 3. Æternari autem in Ecclesia hanc unius hostiæ semel oblatæ oblationem necessum fuit ob quotidianas peccatorum incursiones, ob iterandas momentis omnibus gratiarum actiones, ob beneficiorum quotidianis usibus necessariorum postulationes. Quanquam hæc enim omnia spiritali tantùm crucis memoria utcumque perfici poterant, religiosiùs tamen & efficaciùs externo etiam cultu, & ipsa hostiæ hæc omnia præstantis præsentia & oblatione peraguntur. Efficacior est enim hostiæ præsentis gratia, quàm absentis memoria: accommodatior est excitandæ pietati hominum, ut nunc quidem comparati sumus, externa repræsentatio, quàm commemoratio tantùm spiritalis: denique alendæ fidei opportunior est caro Christi, quàm memoria carnis. Et ut paucis absolvam, cui non antiquior optatiorque sit Christi præsentis contuitus, quàm absentis recordatio? 4. Cùm sine sacrificio labet religio, nec sacrificium Deo gratum accidat nisi Christi, nec sacrificari Christus queat nisi mactetur, nec mactari Christus sine inexpiabili facinore possit, in hujus conflictationis ambiguo, quid opus facto? Nimirum id quod ipsa Christi sapientia præfiniit, ut mactetur incruentè, discerpatur innoxiè, individuè distribuatur. Nam si cruenta mactetur cæde, hæc immanitas magis quàm pietas, facinus non sacrificium erit: utque sacrificium sit, non ut à carnifice, sed ut à seipso antistite Deo mactatur; at species ipsa abhorret à religionis ritu sacro, & scenam inhumanitatis præsefert. Ergo ut sacrificium sit, ut pietatem extrinsecus etiam spiret, ut speciem religionis obtineat, & cæde opus est, & incruenta. 5. Cruenta ergo Christi mactatio, ineluibile Judæorum facinus est. Spiritalis dumtaxat ejus commemoratio, vel vacua ejus præsentiæ in pane & vino recordatio, irreligiosæ hæreticorum religionis, jejunæque cœnæ ludificatio est. Incruenta Christi mactatio, & eum præsentissi-

tissimum complexa oblatio, & oblationis in æternum perpetuatio, opimum & castum Ecclesiæ catholicæ sacrificium est. Illi Christum tenent, ut interimant, non ut sacrificent: isti ne interimant, tenere & sacrificare refugiunt, atque ita seipsos interimunt, & Christum in seipsis interimunt, dum præsenti se vita defraudant: nos alieno facinore, nostro compendio interemptum tenemus, sacrificamus, devoramus. Illorum itaque religio impia, istorum jejuna, nostra & pia & de Deo saginata. Nam Christi cædem patrari, facinorosum: repræsentari, religiosum: sed nisi assit ipse Christus, inefficax & penè ludificatorium est. 6. Quàm expressa sit autem in Eucharistiæ sacrificio, crucis & mortis Christi imitatio, oculi ipsi consulendi sunt; dum crux imprimitur toties, dum panis frangitur, dum comminuitur, dum calix nomine ipso passionem redolens, sanguinem separatim continet, dum in ora fidelium funditur, &c. non alia sanè arte sapientiùs potuit nefaria in Christi vitam grassatio in pietatis mysterium traduci. 7. Decuit planè ut sacramenta imagine quàm simillima insignirentur ejus rei, cujus erant sacramenta; sed & decuit ut gentis Christianæ & à Christo authore profecta sacramenta, ne vacua sine re nomina, sed fœta Christo ipso essent. Unde Augustinus, prout à Paschasio & Lanfranco refertur: *Neque mentitur qui interrogatus fuerit, si eum id est Christum hodie responderit immolari, quia ex ipsa similitudine rerum earum quarum sacramenta sunt, accipiunt nomina. Alias autem nisi aliquam similitudinem haberent ejusdem rei, cujus sunt sacramenta, sacramenta non essent.* Appingenda ergo est sacramentis extima imitatio eorum, quorum sacramenta dicuntur: sed ab hac imitatione non statim veritas ipsa rei proscribenda est. Non semel enim seipsum vel joco vel seriò imitatur quis. Imitator autem sui quisque & ipse est, & imitator tamen est. Nec ipsum à seipso ejeratum profligatumve dixeris aut longè abesse, eo argumento quod sese imitetur, suique memoriam agat, sui quasi alterius vicem subeat, personam tanquam alterius ascititiam, sui tamen propriam sustineat. Audi Algerum: *Sed tamen non justè quisquam movebitur, si etiam eadem vera caro idemque sanguis Christi sui ipsorum sacramenta existant, secundum aliud atque aliud accepta, imaginaria panis fractione & sanguinis de calice effusione, ita repræsentando veram fractionem corporis sui, & effusionem sanguinis sui in passione: verbi gratia, sicut ego senex balbutiendo & reptando & alia puerilia mea imaginando, repræsentarem me puerum, non alium tamen, sed meipsum: essemque ego ipse figura & figuratus. Actio tamen qua meipsum repræsentarem, in me sene esset imaginaria illius, quæ in me puero fuisset vera.* Ita ergo potest quis imaginem veritati consociare, dum seipsum ipsissimus imitatur. Nec alienum id aut inusitatum Christo maximè est: qui cùm idem sit cum Patre unusque Deus, Patris tamen imago & imitatio totus est nuda & mera. Qui rursus cùm idem unusque sit Deus & homo, homine seipso seipsum Deum ubique exprimit, & conspicabilem velut in imagine exhibet. Qui item cùm unus sit cum Ecclesia sua Christus, unumque ex capite & membris omnibus coalescens corpus, seipso seipsum, id est, caput membris omnibus ubique imitando conatur. Qui iterum sui ipsius, id est, Ecclesiæ suæ imago & sacramentum fuit, quandiu inter mortales vitam traxit. Qui denique sui ipsius multifariam & omnifariam imago esse affectavit, cùm veritas esset ipsissima, ut nos ad hanc ambiendam imaginem extimularet. Unde Algerus ibidem: *Sed & Christus post resurrectionem suam diversa actione diversaque temporum ratione, sui ipsius typum gessit & figuram. Ut enim ait Augustinus, duobus apparens discipulis, dum finxit se longius ire, significavit se post paucos dies ascensurum in cœlum. Christus itaque longiùs sese ire fingens, sacramentum est Christi ascendentis in cœlum, idem ejusdem: nec tamen usquequaque ejusdem: idem namque verus Christus & fingens & ascendens: veruntamen aliud est figmentum terreni itineris, aliud est veritas in cœlum ascendentis.*

Epist. 23. ad Bonifac.

L. 1. c. 18.

CAPUT XIX.

Sacrificio Eucharistiæ tota Ecclesia implicatur victima, & immolatur.

I. Ecclesiam unà cum Christo immolari in Eucharistia

NOn is tantùm finis fructusque erat sacerdotii Christi, ut semetipsum, sed ut Ecclesiam quoque universam Deo in semetipso immolaret. Quàm feliciter per Eucharistiæ sacrificium id consecutus sit, patefacere hìc aggredimur.

Primò igitur universam in Eucharistiæ sacrificio Ecclesiam contineri ceu victimam, Deoque mactari, inde claret quod non aliud sit verum & germanum usquam sacrificium, quàm quo seipsum etiam cum hostia sua homo Deo immolat. Cæteris enim sacrificiis sua, non se Deo dedit: sua autem Deo donare, se verò ipsum vindicare sibi, præpostera pietas est. Anteponit enim se Deo, cùm se ut majoris utique pretii adserit sibi, sua ut rejectanea quæpiam, fastidio magis jactat, quàm obsequio donat. Deinde sua cùm Deo porrigit, incassum suam fraudat inopiam, ut Deo ingerat nullius egenti. Sua enim habet homo, ut ingenitæ egestatis solatia: an his ergo solatiis divinam quoque impartiri & refocillare gestit inopiam? At cùm se unà cum hostia sua Deo consecrat, nullius indigo, sed humana familiaritate & salute delectari se professo morigeratur. Sacrificium ergo genuinum & verum Deo impendi non potest ab homine, nisi se etiam offerat ipse homo: nam & sua cum Deo immolat, ea ut sui portiones ac membra quæpiam jam occupat offerre, tanquam totius sacrificii pignora quædam in antecessum: quasi membratim se Deo donat, ut donet diutiùs: non redimit se parte, sed obligat se, & prærludit, & insuefacit ut totum se aliquando mactet Deo tandem. Rursum ideo prisca sacrificia in varias incurrerunt reprehensiones, quod iis pecudum mactationibus tota constare religio existimaretur, quæ proculdubio ab aliis omnibus sequestratæ, illusissent magis pietatem, quàm extruxissent. Sed cùm iis interim homo tanquam puerilibus rudimentis informaretur, ut sua priùs, deinde se Deo dederet; ut in suis se jam dedere præciperet; ut hac pecudum cæde, suam ipsius spiritalem cædem & incruentam, brutarum affectionum vitiorumque omnium mactatricem meditaretur; cùm Deus hanc veluti prælusoriam insuefaciendo interim homini immolationem indulsisset, hac una contemplatione profligabantur omnes illæ obtrectatorum criminationes. Deo enim authore, & hominum sapientissimo quoque interprete, in pecoris cæde, non tam pecus quàm homo immolabatur, & ubi adolevisset pietas, reapse immolandus oppignerabatur. Rursum eò redit quod apud sæcularis & Ecclesiasticæ sapientiæ Antistites jactatum est, quoddam sacrificium per virtutes celebrari. Nam pecudum laniena, jugulari belluina vitia, virtutes reviviscere significabantur; hisque homo seipsum, non has immolabat. Postremò hinc est, quod non aliud Christianis commendatum esse sacrificium palam professi sunt, qui litterarum monumentis Ecclesiam Christi à Gentilibus afflictatam primi defensitarunt, quàm quod per virtutes animi Deo exhibetur, & quo seipsum homo exhibet hostiam Deo: cùm tamen hi passim alibi Eucharistiæ sacrificium in Ecclesia Christiana celeberrimum scriptitent extitisse. Non ista causæ prævaricatio, non dissimulatio est, non scriptoris secum pugnantis conflictatio:

ctatio: sed Christianæ Theologiæ medulla hæc est, Eucharistiæ sacrificium illud ipsum esse, quo homo & hominum universitas Deo immolatur; per spiritales animi à vitiis omnibus castigati virtutes, singulos Ecclesiæ inseri, & cum Ecclesia inseri Eucharistiæ pariter immolandos.

II. Ex Clemente Alexand. L. 7. Stromatum pag. 508. 515.

Clemens Alexandrinus: *Has ego dico virtutes esse sacrificium Deo gratum, cor nempe à superbia alienum, & rectam scientiam: dicente Scriptura, holocaustum Dei esse, cùm quicumque ex hominibus assumptus est ad sanctitatem, illuminatur ad individuam unitatem. Nam seipsos redigere in captivitatem, & seipsos interimere, veteri, qui per cupiditates corrumpitur, homine interfecto, novoque suscitato, à veteri hominis conversatione, & Evangelium jubet & Apostolus, depositis cum peccato perturbationibus animi. Hoc erat quod lex quoque tacitè significabat, jubens peccatorem tolli de medio, & à morte ad vitam traduci, quæ est perturbationum vacuitas. Quod cùm non intelligerent legisperiti, cùm legem accepissent quæ contentionum dabat ansas, dederunt occasionem iis qui eam temerè volunt calumniari. Propter quam causam meritò Deo non sacrificamus, qui nullius indiget & omnia præbuit hominibus: sed eum glorificamus qui est pro nobis glorificatus, nos ipsos sacrificantes, ad id quod est nullius indigens, ex eo quod nullius indiget: & ab impatibili, ad id quod est impatibile. Deus enim sola nostra salute delectatur. Meritò ergo ei non offerimus sacrificium, &c.* Audis à nobis Deo non sacrificari: & tamen sacrificatum pro nobis Christum; nosque cum eo etiamnunc & in sempiternum sacrificari. Audis rursus Deo non sacrificia adlubescere ulla, nisi virtutum: & tamen arridere Deo tum Christi, tum nostrum omnium, quo cum Christo unà mactamur sacrificium. Audis Deo non nostra obtrudenda, ut qui indigeamus, cùm ipse non indigeat: & tamen nos Deo offerendos, quod nostra salute Deus etsi non egeat, oblectetur tamen. Audis denique plenitudini & impatibilitati divinæ obstrepere quidem sacrificia pecudum, famulari autem sacrificia virtutum, queis homo sese mactat: quod per virtutes homo assimiletur Deo, & in eandem plenitudinem cum fastidio infimorum omnium, in eandem impatibilitatem cum ejeratione cupiditatum omnium eluctetur. Idem Clemens: *Est Ecclesia sacrificium, verbum quod à sanctis exhalatur animis, cum sacrificium simul aperitur & tota mens Deo.*

III. Ex Origene. In c. 12. Ep. ad Rom.

Origenes: *Quid est autem, quod vos obsecro? Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Obsequium hìc cultum dicit. Qui cultus quoniam dudum in pecudum mutarum corporibus consistebat, nunc, inquit, in corpore rationabilis hominis offeratur: & corpora magis vestra quàm pecudum fiant sacrificium Deo, atque in sacris altaribus collocentur. Hi enim qui membra sua mortificant ab incentivo libidinis, & furoris, & actus corporis sui Deo placitos habent, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem rationaliter offerunt, & legem sacrificiorum quæ in Levitico lata est, secundùm spiritalem intelligentiam complent, &c. Hæc omnia rationabilis cultus est Dei. Potest enim pro tali cultu reddi ratio & ostendi quia dignum est Deo tales hostias immolare: arietes autem & hircos & vitulos immortali & incorporeo Deo offerri, nulla ratio recta & honesta suscipiet.* Sic Origenes rationabile Pauli obsequium, sive sacrificium intelligit, nempè quo per virtutes seipsum homo immolat; hujus enim sacrificii ratio perspicua est: at irrationabile fuerit cæsarum pecudum sacrificium à virtutibus sejunctum, quod incorporeo & immortali Deo pecudum cadavera adoleri nulla ratio essentiatur. Ergo cum alibi Origenes immolari in Eucharistia corpus Christi meminit, in eo per virtutes Christo nos incorporantes totam sacrificari Ecclesiam approbat, ne & istud ex rationabilium sacrificiorum albo eluatur. *Nostis qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris parum quid dilabatur.* Consecratum hoc munus seu corpus Christi, rationabile obsequium est, per illud ergo rationabilis hostia, & vivens & sancta Deo offertur, nempe corpus Ecclesiæ, omni virtutem genere conditum, & ita Christo, Eucharisticæ hostiæ, incorporatum. (Hom. 13. in Exodum.)

IV. Ex Augustino, ut per fidem, per virtutes concorporetur Christo Ecclesia in unam cum eo hostiam, atque ita Christi, Ecclesiæ, virtutum unú sit sacrificium.

Augustinus: *Sacrificans, inquit, Diis, eradicabitur; nisi Domino tantùm: non quo rei egeat alicujus, sed quia nobis expedit, ut res ejus simus. Hinc enim canitur in sacris litteris Hebræorum: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Hujus autem præclarissimum atque optimum sacrificium nos ipsi sumus, hoc est, civitas ejus. Cujus rei mysterium celebramus oblationibus nostris quæ fidelibus notæ sunt. Cessaturas enim victimas quas in umbra futuri offerebant Judæi: & unum sacrificium Gentes à solis ortu usque ad occasum sicut jam fieri cernimus oblaturas, per Prophetas Hebræos, oracula increpuere divina.* (Civit. L. 19. c. 23. Ib l. 22. c. 10.) Celeberrimum toto orbe hoc sacrificium, est hauddubio illud idem præclarissimum atque optimum, nos ipsi, Dei civitas. Et rursum: *Deo quippè non martyribus sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.* Capitalis hæc ratio est, qua interceditur, ne ulli sacrificetur creaturæ, quod creata quælibet natura Deo sacrificium ipsa sit. Sed nisi deviemus ab elementis ipsis fidei Christianæ, sacrificium Deo non aliud usquam, quàm corpus Christi. Qui ergo hæc tria cohærent, quod non aliud sit sacrificium quàm corpus Christi, quod præstantissimum sacrificium simus nos ipsi, quod denique optimum Deo sacrificium sint virtutes sinceræ & germanæ? An conflari in unum hæc tria possunt, caro Christi, nos ipsi, virtutum grex? Possunt sanè hæc commisceri & concrescere in unam hostiam. Nam caro Christi Ecclesia est: membra Christi nos sumus. Rursum coalitæ sunt & concretæ cum Christo virtutes omnes; est enim hæc caro Verbi, caro justitiæ, corpus sapientiæ & sanctitatis: est hæc caro non magis animæ, quàm Verbi, quàm veritatis: est sapientiæ justitiæque substantia & succo toto perfusa & vegetata; est hæc caro proinde virtutum omnium fœtus, virtutum sacrarium, virtutum seminarium. Immolantur ergo hac immolata carne virtutes omnes. Est rursus coalita huic carni Ecclesia sanctorum universa, eique glutino sapientiæ & justitiæ virtutumque omnium affixa; est illi carni & per illam carnem virtutibus omnibus adglutinata sanctorum universitas: immolatur ergo hac immolata carne piorum omnium Ecclesia. Perindè est ergo seu immolari Deo carnem Christi, seu Ecclesiam dicas, seu virtutes: quia indissociabilis ab illa carne & Ecclesia est & virtus omnigena. Confluxerunt ergo in unam hostiam illa tria quæ eminus inspecta divergere ac diffidere videbantur. Et colligavit hæc tria uno vinculo, in unumque constrinxit sacrificium Augustinus; *Cùm igitur vera sacrificia opera sint misericordiæ, sive in nos ipsos sive in proximos quæ referentur ad Deum, &c. Profectò efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo, per sacerdotem magnum qui etiam seipsum obtulit, in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundùm hanc mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est.* (L. 10 Civit. c. 6.) Vides ut virtutes, ut corpus Christi, ut societatem sanctorum in unam conferat & compaginet victimam; quia Christi membra sunt hinc virtutes, hinc virtutum sectatores omnes; nam qua Verbum est, virtutes ex se diffundit

dit in carnem ſuam omnes: qua caro eſt, omnes ſibi commiſcet electos & per eandem ſuam virtutum torrente inebriat. Nam etſi poſſet virtus aliqua à ſacrificii ratione ſejungi, at vix aut nec vix poteſt ullam ſacrificium omni deſtitui virtute. Nam fide ſaltem opus eſt, quæ Deo offerat & hoſtiam & offerentem. Fide ſaltem fideles omnes concreſcunt cum Chriſto. Sed & virtute quacumque vera conſtringuntur corpori Chriſti fideles, & ita Catholicæ huic & ſempiternæ hoſtiæ incorporantur reapſe, etſi mentis ſubtilibus cogitationibus poſſint iſta ſeponi.

V. Ex Minutio Felice, Tertul. Arnob. Lactant.

Minutius Fœlix in Octavio: *Hoſtias & victimas Domino offeram quas in uſum mei protulit? Ut rejiciam ei ſuum munus, ingratum eſt, cùm ſit litabilis hoſtia bonus animus & pura mens & ſincera ſententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui juſtitiam Deo libat, qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum, qui hominem periculo ſurripit, opimam hoſtiam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt, ſic apud nos religioſior eſt ille qui juſtior.* Tertullianus in Apologetico: *Qui Deo offero opimam & majorem hoſtiam, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſancto profectam, &c. Ut mirer cùm hoſtiæ probentur penes vos à vitioſiſſimis ſacerdotibus, cur præcordia potius victimarum, quàm ipſorum ſacrificantium examinantur.* Arnobius:

L. 6.

Nunquid Deo hoſtias cædimus? Nunquid alias res damus, quas libare & profundere non eſt rationis expenſæ, ſed tracti per conſuetudinem moris? Etenim plena dementia eſt, neceſſitatibus tuis potentiora metiri: & quæ tibi ſunt uſui, datoribus diis dare, & honorem iſtum, non contumeliam ducere.

L. 7.

Et infrà: *Opinio religionem facit & recta de Diis mens, ut nihil eos exiſtimes contra decus præſumptæ ſublimitatis appetere. Cùm enim cuncta quæ his dantur, ſub oculis hic noſtris videamus abſumi: quid ad eos aliud à nobis dicendum eſt pervenire, niſi opiniones diis dignas, & eorum convenientiſſimas nomini? Hæc ſunt dona certiſſima, ſacrificia hæc vera: nam pulticulæ, thura cum carnibus, rapacium alimenta ſunt ignium, & parentalibus conjunctiſſima mortuorum.*

L. 6. c. 25.

Et omnium pulcherrimè Lactantius ſæcularium etiam calculis Philoſophorum ſubnixus: *Non caſtum, inquit Plato, donum Deo, quidquid corrumpi, quidquid ſurripi poteſt. Sed ſicut hoc vidit, non oportere viventi offerre aliquid, quod ſit ex mortuo corpore: cur illud non vidit, non debere incorporali corporale munus offerri? Quantò melius Seneca & verius? Vultiſne vos inquit, Deum cogitare magnum & placidum, &c. Non immolationibus & ſanguine multo colendum; quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt? Sed mente pura, bono honeſtoque propoſito.* Et infrà; *Deo utrumque incorporale offerendum eſt, quo utitur; Donum eſt, integritas animi; Sacrificium, laus & hymnus, &c. Nulla igitur alia religio eſt vera, niſi quæ virtute ac juſtitia conſtat.* Et rurſum ex Triſmegiſto; *Cultus Dei unus eſt, malum non eſſe.* Thus & alii odores, *hæc & his ſimilia Deo non conveniunt. Omnium enim quæcumque ſunt plenus eſt & omnium minimè indigens. Nos autem gratias agentes, adoremus. Hujus enim ſacrificium, ſola benedictio. Et rectè. Verbo enim ſacrificari oportet Deo, ſiquidem Deus Verbum eſt, ut ipſe confeſſus eſt.*

VI. Quomodo ex illis Scriptoribus nō immolemus Deo niſi juſtitiam cum immolamus Chriſti carnem & Eccleſiam, ſive in crucis ſive in Eucharíſtiæ ſacrificio.

Retorquebuntur hæc tela non in Euchariſtiæ modo, ſed & in crucis ſacrificium, niſi illis ſacrificiis, quibus animi virtus, & homo ipſe libatur Deo, hoc utrumque vel ex utroque unum accenſeatur. Nam ſi corporalis tantùm hoſtia, ſi ſola Chriſti caro, nec aliud præterea à nobis ſacrificium offeratur Deo, perperam hæc in Gentilitios errores tuctabamus conviria, quibus ipſi ſtatim ejuſdem erroris affines conſpergeremur: ut qui incorporali corporalia, incorruptibili corruptibilia; nullius indigæ plenitudini carnem quamlibet pretioſam, juſtitiæ denique incommutabili aliud quidpiam obtrudamus præter juſtitiam animi, & cognatam ei ſanctitatem. Ergo ut ab hac repercutienda in nos calumnia catholicam eximamus Eccleſiam, arcanæ ejus ſapientiæ advertamus. mentem, & carnem Chriſti non ut corporale, non ut corruptibile quidpiam aut creatitium bonum inſpectemus, ſed ut carnem Verbi, ut corpus ſapientiæ & juſtitiæ, ut inſtrumentum æternæ legi & virtutum luci ipſi increatæ concretum, quod illa tota æternæ deitatis veritas & juſtitia imbuit, quod vegetat, & inebriat, quod regit, & agit, quo ſe exerit, & explicat: ut homo ille totus jam ipſa ſit ſubſtantia virtutum & juſtitiæ, ipſa ſanctitas & lex incorrupta pietatis, quæ Deo offeratur, quæ veriſſimum illud & commendatiſſimum ſit ſacrificium, quæ piorum cœtum omnem ſibi conſeruerit, commiſcueritque, & in unam ſecum juſtitiæ formam conflaverit, in unam ſecum victimam tanquam ſua membra coagmentarit. Itaque cum caro hæc ſeu in cruce ſeu in Euchariſtia Deo offertur, non caro offertur mera, non caro humana & ſanctior in belluinæ vicem ſubrogatur: ſed offertur Deo plenitudo ſanctitatis huic incubans carni, offertur congeries virtutum omnium illi illapſa animatæ carni, offertur illa Dei hominumque charitas, quæ hanc carnem cruci impergit in juſtitiæ patrocinium, offertur indefectibilis illa ſanctitas hominis Verbo coaptati, Dei gloriæ, hominumque ſaluti ſe impendentis, offertur conſcripta in eandem juſtitiæ defenſionem vitæ impendio conſignandam piorum omnium ſocietas, hujus carnis eſu, hujus ſanguinis hauſtu ad hoc ceu ſacramento conjurata & confœderata. Itaque Minutio aſſentimur, & in Euchariſtiæ ſacrificio non libamus Deo niſi *bonum animum, puram mentem, ſinceram ſententiam, juſtitiam,* hæc enim omnia in mentem nobis veniunt cum caro Chriſti nuncupatur, Annuimus & Tertulliano, nec in Euchariſtia Deo immolamus, niſi *orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſancto.* Eſt enim ſacrificium precum Euchariſtia, & caro Verbi, in Verbi abrepta quodammodo ingenium, nihil obſtrepit orationi. Acquieſcimus & Arnobio, nec carne Chriſti cum litamus, noſtræ ſubſidia inopiæ Deo ſuperpleno & faſtidienti oggerimus, ſed fidem & caſtam de ipſo opinionem: eſt enim hoc myſterium fidei, & ſummæ Theologiæ exercitiſſimæque de Deo ſententiæ ſacramentum. Plaudimus denique Lactantio & in Euchariſtiæ ſacrificio ſolam orationem, benedictionem, gratiarum actionem, incorruptibile Verbum, incorporalemque ejus, in carne ſua juſtitiæ tutandæ impenſa, ſanctimoniam Deo libamus.

Secundò quid interno geratur ſacrificio, fas eſt ab externo conjectare. Eſt enim externum & viſibile interni & inviſibilis ſacrificii ſimulacrum. At extima ſpecies Chriſtiani ſacrificii devoveri immolarique Deo totam fidelium ſanctorumque ſocietatem vociferatur. Quocirca nemo ſatis idoneus habetur, qui externo fungatur ſacrificio, niſi qui jam interno perfunctus, ſemetipſum Deo penitùs conſecrarit. Unde Nazianzenus; *Hæc igitur cùm noſſem, illudque inſuper, neminem magno & Deo, & ſacrificio, & pontifice dignum eſſe, niſi qui priùs ſeipſum hoſtiam Deo viventem & ſanctam exhibuerit, ac rationabili obſequium gratum atque acceptum oſtenderit, Deoque ſacrificium laudis, ac ſpiritum contritum obtulerit, (quod ſolum ſacrificium, is qui omnia dedit, à nobis expoſcit;) quo tandem modo externum ſacrificium, illud magnorum myſteriorum antitypum ipſi offerre auderem; aut quomodo ſacerdotis habitum, aut nomen ſubire?* Etenim cùm interno ſacrificio univerſa Dei civitas mactetur Deo, ejuſque rei antitypum ſeu effigies ſit externa ſpecies ſacrificii, ab externo arcendus eſt, qui interno obluctatur ſacrificio.

VII. Probatur rurſus totá Eccleſiam in Euchariſtia cum Chriſto immolari.

Orat. 1.

Quod autem totam cum Chriſto Eccleſiam in unam conflari hoſtiam, unoque devorari ſacrificii igne, extima eloquatur Euchariſtiæ ſpecies, argumento

VIII. Id ſignat aqua, quæ cum vino, tū Eccleſia

Christo cōmiscetur, pariter immolanda. mento in primis est, aquæ in vinum instillatio. Est enim ritus ille ab ipso Apostolicæ institutionis illimi fonte haustus, & summa exinde authoritate fundatus, propagatusque in omnes Ecclesiæ Catholicæ ætates & tractus, & adversus obstrepentes quoslibet novatores, jam olim summa animi contentione, ingentique pietatis æstu defensatus. Nempe in eo versari visa semper est capitalis ratio & summa quædam religionis. Aqua enim in sacramentum Ecclesiæ universæ infunditur vino, id est, Ecclesia commiscetur Christo, ut unà offeratur Deo, unà immoletur. Cyprianus: *Aquas namque populos significare, in Apocalypsi Scriptura divina declarat, dicens: Aquæ quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi & turbæ & gentes Ethnicorum sunt & linguæ. Quod scilicet perspicimus & in sacramento Dominici calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice, vino aqua miscetur, Christo populus adunatur: & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & jungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini, sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde Ecclesiam, id est plebem in Ecclesia constitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit perseverantem, nulla res separare poterit à Christo, quo minus hæreat semper & maneat in divina dilectione. Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa, sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spirituale & cæleste perficitur.* Anxiè urget ne Ecclesia Christo viduetur, si aqua tantùm; ne Christus expolietur Ecclesia, si vinum merum offeratur: sed aqua vino infusa, ita ut dissociari hæc societas nusquam possit, eo sacramento, individuis vinculis constringatur Christo Ecclesia, idque in calice, quod omen magis quàm nomen est passionis & sacrificii, idque tum, cùm immolandus est Christus, ne sine Ecclesia immoletur. Cæsarius Arelatensis Episcopus: *Hoc itaque Dominici sanguinis vinum aqua esse miscendum, non solùm traditione Dominus, sed etiam ipso genere passionis ostendit: ex cujus sacro latere sanguis & aqua lanceæ illisione profluxit.* Temperamentum hoc aquæ & vini, id est, Ecclesiæ cum Christo, non contentus ab Apostolicæ authoritatis antiquitate derivasse, ab ipso repetit Christo: à Christo inquam non tantùm vinum sanguinis sui cum aqua, id est, cum Ecclesia commiscente & consecrante: sed in cruce ex perfosso latere sanginem & aquam effundente, ut coalitam concretamque cum sanguine passionis suæ Ecclesiam omnem significaret. Ibidem Cæsarius: *Per aquas enim populus significari sacris aperitur eloquiis, sicut legimus: Aquas istas quas vidisti, populi sunt & gens & linguæ. Advertimus in aquis figuram Gentium demonstrari: in vino autem sanguinem dominicæ passionis ostendi. Ac sic dum in sacramentis vino aqua miscetur, Christo fidelis populus incorporatur & jungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis unitur, ut possit dicere cum Apostolo: Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, &c.* Paschasius Radbertus: *Idcirco Ecclesia quæ in illo simul fuit, jure de latere dicitur manasse, quæ bene per aquam, sicut Cyprianus sanctissimus ait, designatur. Unde & in Apocalypsi Angelus aquas populus esse interpretatur. Et ideo rectè provisum est, quia simul cum sanguine fluxit, ut hoc in mysterio veri sanguinis admisceatur, quatenus & nos in illo simus: ut per hoc salutis sacramentum divinis obtutibus illico uniti, mysticè offeramur. Nam si vinum sine aqua offeratur, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si autem aqua sola, jam plebs videtur esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur & conjungitur, tunc rectè mysterium Ecclesiæ spiritaliter perficitur. Nulli igitur liquores sic se coniunxunt, quomodo vinum & aqua: profectò quia illud ex aqua per vitem, sicut Christus ex carne per Mariam nascitur.*

L. 2. Epist. 3.

Hom. 7.

Cap. 11.

IX. Id signat & panis ipse vinumque, multis ex granis acinisque ita concrescēs, ut corpus Christi immolandum ex fidelibus

Sed quia tantum ad salutem præsidii nobis erat in hac nostra cum Christo immolando complicatione; non uno, sed multiplici eam constringere ac consignare symbolo ipse affectavit. Ergo panis ipse ex quo corpus, & vinum ex quo sanguis Christi prece mystica conficitur, ex multis sive granis sive acinis colligitur, ut eo prodatur ex omni fidelium cætu concrescere corpus illud sanguinemque Christi, cujus in his symbolis sacrificium celebratur. Cyprianus: *Sic vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum. Quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta, & commolita, & commista panem unum faciunt; sic in Christo qui est panis cælestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus & adunatus.* Et alibi: *Denique unanimitatem Christianam firma sibi atque inseparabili charitate connexam, etiam ipsa Dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat, indicat adunatum. Et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum, atque in vinum coactum, gregem item nostrum significat, commixtione adunata multitudinis copulatum.* Ut panis ex frumento & aqua concrescit, ita Christus in pane latitans hostiæ, ex Christo & Ecclesia compaginatur. Ut panis ex multis granis in unum corpus coeuntibus colligitur, ita sub pane delitescens victima Christus, ex omni fidelium sanctorumque universitate compingitur. Ut vinum ex botris acinisque innumeris exprimitur in unum confluentibus, ita Ecclesiæ Christianæ sacrificium ex coalitione omnium in unam victimam Christianorum consurgit.

L. 2. Epist. 4.

L. 1. Ep. 6.

X. Cyprian o consentit Augustinus Tract. 26. in Joan.

Augustinus: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cum enim cibo & potu id appetant homines ut neque esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit, id est, societas ipsa sanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta. Propterea quippè sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit. Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, & quid sit manducare corpus ejus & sanguinem bibere: Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam & illum bibere potum, in Christo manere & illum manentem in se habere.* Audin quid sit corpus Christi in pane & vino, ex granis acinisque quammultis coacto? societas ipsa sanctorum est, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta; congregatio est omnium Christo vescentium & in Christo manentium. Ecclesia denique est, & hic candidata, & illic consors facta beatæ immortalitatis. Id ita habere significat natura ipsa symbolorum, seu panis & vini. Et alibi accuratiùs singula persequens: *Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per Verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, imò quod habet calix, sanctificatum per Verbum Dei, sanguis Christi est. Apostolus dicit: Unus panis, unum corpus multi sumus. Commendat vobis in isto pane quodammodo unitatem amare. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? nonne multa erant tritici grana?*

Serm. 83. de diversis.

Sed

Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta sunt & per quandam contritionem. Nisi enim molatur triticum & per aquam conspergatur, ad istam formam minimè venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem, exorcismi sacramento quasi molebamini. Accessit baptismus & aqua quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quod ergo significat ignis? Hoc est chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus sancti est sacramentum. En quàm scrupulosè minutas consectatur quaslibet, ut nos commoli, ut conspergi, ut concoqui in unum Christiani sacrificii panem comprobet, & unam in hostiam conglutinari. Etenim ex Paulo: *Unus panis, unum corpus multi sumus*: seu panis ille qui corpus Christi est, qui sacrificium est, nos ipsi sumus. Quocirca ibidem statim idem author: *Deinde post sanctificationem sacrificii dicitur, quia nos ipsos voluit esse sacrificium suum.* Et infrà: *Non tibi videatur vile, quia vides: quod vides, transit; sed quod significatur invisibile, non transit, sed permanet. Ecce accipitur, comeditur, consumitur. Nunquid Ecclesia Christi consumitur? Nunquid membra Christi consumuntur? Absit. Hic mundantur, ibi coronantur. Manebit ergo, quod significatur, æternaliter, quanquam transire videatur.* En quid invisibile sub pane, sub ipso Christi corpore, quid permanens, quid æternaliter permansurum delitescat? Nimirùm Ecclesia, nimirùm membra Christi, nimirùm tota naturarum rationalium societas, æternitatis partim sitibunda, partim jam insatiabiliter exaturata, quæque quo sacrificio immolatur, eodem inexplebiliter deliciatur, incorruptibiliter æternatur. Idem Augustinus: *Hujus corporis caput est Christus: hujus corporis unitas nostro sacrificio commendatur.* Et alibi: *Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio, quo sacramento prædicatur nostrum illud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi.* Vides quid voveamus, quid sacrificemus in oblatione corporis Christi: nempè non modò corpus, non carnem & sanguinem, sed totam Verbi sanctimoniam huic insertam corpori, sed charitatem sanguinis & vitæ suæ impendio justitiæ litantem, sed nostrum & universæ sanctorum civitatis votum atque fœderationem pro vita Christi causæ, id est, justitiæ & pietati impendenda. Istud enim est in Christo manere, istud est in Eucharistia tanquam membrum Christi contineri & sacrificari, nempe in charitate justitiæ inconcussa mortisque contemptrice pertendere. Allegat alicubi Augustinus verba Cypriani suprà exscripta. Et denique: *Hoc est sacrificium Christianorum, Multi unum corpus sumus in Christo: quod etiam sacramento altaris fidelibus noto, frequentat Ecclesia, ubi eidem demonstratur, quod in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur.*

Epist. 17. 59.

L. 2. de bapt. con. Donat. c. 49. Civit. L. 10. c. 6.

XI. Et Gaudentius. Serm. 2. ad Neophyt.

Gaudentius Episcopus Brixiensis: *Quod autem sacramenta corporis sui & sanguinis in specie panis & vini offerenda constituit, duplex ratio est. Primum, &c. Deinde quomodo panem de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam confici & per ignem necesse est consummari: rationabiliter in eo figura accipitur corporis Christi, quod novimus ex multitudine totius humani generis unum esse corpus effectum, per ignem sancti Spiritus consummatum, &c. Similiter & sanguis ejus vinum ex pluribus acinis, id est uvis vineæ ab eo plantatæ collectum, in torculari crucis exprimitur, & per capacia vasa fideli corde sumentium propria virtute fervescit.*

XII. Cæsarius. Hom. 7.

Cæsarius Arelatensis Episcopus: *Et jam in hoc ipso, quod innumeris tritici granis confici novimus, unitatem constat assignari populorum. Sicut enim frumentum solita purgantis sollicitudine præparatum in candidam speciem molarum labore perficitur, ac per aquam & ignum in unius panis substantiam congregatur; sic variæ gentes in unam fidem convenientes, unum de se Christi corpus efficiunt, & Christianus populus quasi tritici innumerabilia grana à sacrilegis nationibus fide purgante atque cribrante discernitur, & in unum, quasi infidelium lolio pertranseunte colligitur, & duorum instrumentorum instructione, velut frumentum gemino molarum opere curatum nitescit, & in illam primæ originis dignitatem, nativo candore mutatur, ac per aquam baptismi, vel per ignem Spiritus sancti, æterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo grana separari ab illius confecti panis adunatione non possunt, & sicut aqua ad propriam redire substantiam in vino permixta non potest: sic & fideles quique atque sapientes, qui redemptos se Christi sanguine & passione cognoscunt, ita debent quasi inseparabilia membra capiti suo consecratione & ardentissima religione sociari: ut ab eo non voluntate, non necessitate sejungi, non ulla terrenæ rei ambitione, non denique ipsa possint morte dividi.*

XIII. Etherius & Beatus.

Etherius & Beatus: *Aream dominicam composuistis, laboribus bonum, id est, nuntiantium Evangelium triturati: quando catechumeni dicebamini, in horreo servabamini: nomina vestra dedistis, cæpistis moli jejuniis & exorcismis: postea ad aquam venistis, conspersi estis, & unus panis facti estis: accedente verò fervore Spiritus sancti, in una charitate, in una fide & spe cocti estis, panis dominicus facti estis, sicut & iste panis qui super altare sacratus est, qui corpus Christi est: & ex multis granis unus panis, &c. Et panis ibi vos estis in escam, & vinum ibi vos estis in calicem; nobiscum hoc estis, quod sumus: simul enim hoc sumus, quod estis. Et unus calix est in quo sumus, quia una passio est Christi, & una mors, &c.*

XIV. Probatur rursum una immolari Ecclesiam in Eucharistia, quia Panis ille non in nos absumitur, sed nos in ipsum commutat. Lib. 2.

Tertiò per Eucharistiam non Christi in nostram, quod nefas, sed nostram in Christum substantiam trajicimus: comedimus Christum, sed & comedimur: panis ille noster est, nos ejus: sed ille ut melior & præpotentior, absumit nos, non absumitur: de nobis ille crescit, non decrescit: in sua nos membra trajicit, & hoc sui corporis incremento in perfectam & catholicam hostiam adolescit. Solemne enim ubique gentium fuit, additas cædi victimas saginari. Pinguescit ergo & grandescit in opimam hostiam Christus, cum in speciem devorari visus ut panis, reapse Ecclesiam suam ut panem sibi vescendum devorat. Etherius & Beatus: *Panis dominicus facti estis, sicut & iste panis qui super altare sacratus & corpus Christi est, & ex multis granis unus panis, & unus cibus noster est, & in membris nostris trajicitur; sic & nos cum in una fide, spe & charitate fuerimus, cibus Domini sumus, & in membris ejus transformamur.* Et infrà: *Nam si animæ quas in una fide congregat, cibus Dei non esset, non diceret discipulis suis, Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Quod tunc completum est, quia multi crediderunt Samaritani & mulieri dicebant: Quia non propter tuam loquelam credimus, sed ipsi vidimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi.* En ad quid unum corpus, unus panis multus sumus. Nimirùm ut hoc pane vescatur Christus. Elucidarii author apud Anselmum: *Sicut enim esca in carnem comedentis vertitur, ita quisque fidelis per comestionem hujus cibi, in corpus Christi convertitur. Igitur per fidem, mundi vitiis & concupiscentiis Christo concrucifigimur, & in baptismate Christo consepelimur, ideo & ter immergimur. Per cibum corporis ejus ei incorporamur; & ideo necesse est ut illuc, quò Christus est, transferamur.*

XV. Idem præclare ex Uvillelmo Paris. L. de Sacr. Euchar. c. 4.

Elegantissimè verò Guillelmus Arvernus rem istam exequitur ad hunc modum. *Diligenter autem attendentibus in istam sacram refectionem, manifestum fiet verè ac spiritaliter comedentes, verissimè ibidem comedi, juxta similitudinem corporalis comestionis. Quod licet beato Augustino divina voce osten-*

ostensum fuerit: nos tamen illud exemplo & rationibus astruemus. Veraciter enim illud comeditur juxta similitudinem comestionis corporalis, quod mactatione sui in aliud assumitur, & in similitudinem assumentis transmutatur. Non enim ligna ignem comedunt, sed ignis ligna. Sic est qui totum corpus Ecclesiæ spiritualiter in ista sacra mensa veraciter comedit, quia illum in sui similitudinem convertens, in se & sui nutrimentum assumit vel augmentum. Nutritur, reficitur & augetur corpus, id est universitatem reproborum avertendo à malo, & convertendo ad Deum: propter quod dictum est illud: Dedisti eum escam populis Æthiopum. Et in Act. 10. dictum est Petro: Occide & manduca. Si quis vero quærat, in quam sui similitudinem corpus Ecclesiæ convertat: Respondeo, quia in sanctitatem & bonitatem: & propter hoc Christus Dominus comedere dicitur illos, quos in nutrimentum corporis sui mystici & augmentum convertendo assumit. Si quis autem quærat qualiter comedantur in isto sacramento illi, qui jam conversi sunt & electi? Cibus enim corporalis jam sumptus, & in nutrimentum corporis jam conversus, non videtur posse iterum comedi. Dicimus, qui jam uniti sunt corpori Ecclesiæ, possunt magis uniri: & qui jam sunt illi quasi membra, possunt fieri alterius modi & nobiliora, & intimiora etiam. Et ita verum est, quod comesti ab ipso corpore Ecclesiæ possunt iterum comedi. Vides ergo quàm rationaliter cœlesti magisterio institutum fuerit, ut participes essent tanti sacrificii electi, &c. Sapiunt hæc sanè authorem à quo excerpta sunt, utpote perunćta & condita spiritalium deliciarum suavitate uberrima. Observa ergo 1. Christum & comedi & vicissim comedere comestores suos. Comeditur enim quia cibus est & hostia ab offerentibus vescenda. Comedit quia incorruptibilis & præpotentior cibus est, qui ita nos reficiat, ut non deficiat in nos, sed nosmet conficiat potius, & in augmentum sui corporis de nostra conversione proficiat. Istiusmodi vis est cibi incorrupti, ut non in vescentem convertatur & corrumpatur ad eum modum; sed vescentem convertat in se, suæque incorruptibilitatis aspiratione perfundant. 2. Ita veritas cibus est animæ, non qui in animam computrescat, sed quo à vitiorum errorumque contagio perpurgetur anima, & in incorruptelam immutabilitatemque veritatis propriam & peculiarem abripiatur. Est autem Christus veritas animarum cibus. Est Eucharistia Christus ipse & veritas animarum cibus, immortalitatem & incorruptionem spirans & inspirans, atque adeo cibus non in vescentes deficiens, sed ipsos in se reficiens & perficiens. 3. Ita dum comedit Ecclesia, comeditur: dum offert, offertur: dum immolat, immolatur. Nam comestio, mactatio quædam est; & comestioni ipsa mactatio præstruitur. Unde illud: *Macta & manduca.* 4. Mactat & comedit Ecclesia non Christum tantùm, seu Caput ipsum, à quo & mactatur ipsa & comeditur: sed & fideles quoslibet, quos in tenebris & flagitiorum nocte insanientes priùs devorat, & in sapientiæ sanctitatisque diem trajicit, in suumque ita lucidissimum corpus decoquit. Eo enim pertinet illud Petro intonatum cœlitus: *Macta & manduca*: sed cum corpori Ecclesiæ inserantur multò intimiùs per Eucharistiæ donum, quàm per primum fidei rudimentum, mactat etiam suos & manducat Ecclesia per Eucharistiam. 5. Itaque & nos dum cœlesti vescimur sacramento, plenam quæ ibi latitat victimam manducamus, non Christum tantùm seu caput nostrum, sed totum ejus corpus, seu Ecclesiam universam. Cumque Ecclesia non eos tantùm qui mortale hoc vitæ stadium adhuc pietatis progressu emetiuntur, sed & permensos complectatur appulsosque jam ad illam supernæ beatitatis metam, & uno omnes sinu suo colligat, suo omnes corpore compaginet, totum hoc corpus in percipienda Eucharistia devoramus. Itaque & qui mortalem vitam carpimus, invicem comedimus, & comedimur, atque ineffabili vescendi reciprocatione concorporamur: & quod magis mirere, ipsam beatitatis civitatem supernam, & quotquot ibi regnant immortaliter sancti, uno hoc immortalitatis complicatos cibo, in unamque hanc cum Christo coactos hostiam voramus. Hoc ingenium est charitatis inenarrabile, inexcogitabile: ut omnes omnibus commisceat & confundat per Christum, sitque hic interim Christus caro omnia in omnibus, ut sit Christus Verbum unusque cum Patre Deus aliquando feliciùs omnia in omnibus. 6. Cumque Christus sit veritas & sapientia & justitia, qui illo vescitur, eique ut sapientiæ & justitiæ incorporatur, seu mortalibus seu immortalibus unà omnibus ei jam concorporatis incorporatur, omnibus ei concorporatis & concretis vescitur. Hæc est communio Christi & Ecclesiæ, membrorumque Christi & Ecclesiæ omnium; dum eadem sapientia & justitia, eadem sapientiæ & justitiæ caro, omnibus se præstat, omnes sibi conserit, & omnes in se sibi ipsis commiscet, ut quæ singulorum est, eadem sit omnium: & quæ omnium, eadem sit singulorum sapientia & justitia, sapientiæ & justitiæ hic interim caro. 7. Arcanum hoc porro vinculum charitatis & perfectionis, caput hoc & columen fœlicitatis universi generis humani, satis tutò concreditur carni Verbi reapse in Eucharistia se sistenti: at ejus figuræ inani, & ementitæ imagini, intutum improvidumque fuerit tanti momenti præsidiique rem committere. Hujus sacramenti laudem caro ipsa Verbi ultro ambit, nec præripi sibi à quoquam patitur, ut qua nihil amplius, nihil sanctius, vel ipsa Verbi caro cum sit, consequi possit. Quin ipsa Verbi copula, & exinde tota peractæ in terris vitæ & miraculorum series, eò collineabat, ut Ecclesiæ universitatem & hic clam in Eucharistia, & illic in beata patria palam sibi insereret & commisceret. 8. Sic spiritaliter & immolatur & comeditur Ecclesia, cum caro Christi in Eucharistia etiam corporaliter immolatur comediturque. Illi enim carni deificatæ & deificanti adglutinatur & inhæret spiritalis nostra omnis fides, spes, charitas, virtus omnis, & tota ipsa fidelium compaginatio. Itaque verum & spiritale hoc nostrum sacrificium conviviumque suo uti fundamento incumbit tutum verissimo ac corporali Christi carnis in Eucharistia sacrificio ac convivio: frustraque sunt Novatores, qui subducto ac diruto hoc fundamento corporalis sacrificii carnis Christi, non vident collabascere totam illam structuram sacrificii spiritalis Ecclesiæ & virtutum.

CAPUT XX.

Rursum Ecclesia in Eucharistiæ sacrificio implicatur & immolatur ipsa.

QUartò, id ipsum demonstratur ex eo quòd per Eucharistiam maximè Christi passionibus socia & consors accedit Ecclesia. Id affirmat Nazianzenus: *Incruento sacrificio, per quod nos Christo ipsiusque passionibus & divinitati communicamus.* Est enim hic gradus ineundæ cum Christo societatis, ut quemadmodum pati ipsum priùs, atque ita demum gloriam suam capessere fas æquumque fuit, ita nos cum ejus primùm passionibus, deinde autem cum ipsa quoque Deitatis gloria communicemus.

I. Probatur rursum Eucharistiæ sacrificio totam implicari Ecclesiam; ex eo quod per Eucharistiam Cruci & Passioni Christi inferimur, quæ unum, verum & proprium sacrificiũ est. Nazian. Orat. 3.

Et panditur id solemni verborum formula, qua Christus hoc nobis sacramentum condidit & commendavit. Est enim calix novi testamenti, vel novum testamentum in Christi sanguine. Calicem ergo passionis suæ, tanquam substantiam paternam hæreditario jure herciscundam nobis per Euchari-

stiam

stiam ceu per testamenti tabulas transcripsit. Quocirca rectè Gregorius de Christi affectu in Ecclesiam differens ait: *Non compati ei non poterat, quam mortis conjugem relinquebat & crucis hæredem.* Est enim omnino Ecclesia crucis & soboles, & conjux, & hæres. De latere enim confosso sopiti in cruce novi Adæ, mystico partu effusa est. Et eidem statim nupsit: nec enim primùm edita, & aliquandiu post desponsata, sed sponsa erupit, & quæ ei cunabula, eadem illi fuere nuptialis thori penetralia. Denique crucis hæreditatem ex asse nacta est, testamento per mysticum Eucharistiæ sanguinem confirmato.

Gregor. l. 1. In 1. 1. Reg.

II. Eucharistia ad crucem & martyrium inaugurat. L. 1. Epist. 2.

Hinc initiamur cruci, quicumque & quotiescumque Eucharistia pascimur. Hoc libandæ Deo vitæ fœdus, hoc fundendi pro Christo sanguinis authoramentum est. Audi Cyprianum: *Nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est; nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: Et cum ad hoc fiat Eucharistia ut possit accipientibus esse tutela, quos tutus esse contra adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Vides ut poculo Domini poculum cohæreat martyrii? ut Christi sanguine hauriendo sanguinem pro Christo fundere paciscamur? ut hac dominica saturitate in victimas Deo acceptissimas saginemur? Et paulò post: *Ut sacerdotes qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.* Et paulò infrà: *Idoneus non potest esse ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.* Eucharistiæ ergo sacrificio quasi præludimus ad martyrii sacrificium: in antecessum incruentè immolamur, ut assuescamus & cruentè ubi ex re erit: inauguramur Christi sanguine, ad nostri quoque sanguinis impendium. Aut si mavis per Eucharistiam Christo imbuimur, qui in nobis nos immolet, qui pugnet, qui vincat mortem moriendo. Unde idem Cyprianus, de martyribus agens: *Quàm lætus in illis Christus fuit, quàm libens in talibus servis suis & pugnavit & vicit: dans credentibus tantum, quantum se credit capere qui sumit. Certamini suo affuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.* Et infrà: *Qui non sic est, ut servos suos tantum spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur.* Per Eucharistiam invadit nos Christus ut sacerdos hostiam, quam teneat & constringat, cui etiam intus incubet, in qua cum morte congrediatur, in qua immoletur, & cadendo ut assolet vincat.

L. 2. Epist. 6.

III. In martyribus patitur & immolatur Christus, suam victimam, suum sacrificium catholicum integrat. In Ps. 65.

Quàm certò enim sacrificii nomine decorentur martyria, & martyres ipsi hostiarum, præterquam quod dilucida res est, pulcrè etiam commendat Hilarius: *Alii in vinculis carcerum gloriantur, alii cæsi in verberibus gratulantur, alii potestati irreligiosorum desecanda felicium capitum colla submittunt: plures in extructos rogos currunt: & trepidantibus pœnæ ministris, ignem saltu devotæ festinationis insiliunt: alii in profundum demergendi, non in aquas necaturas, sed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt, toto ipso se corpore, Deo hostiam tanquam holocausta præbentes.* Et infrà: *Holocausta sunt integra hostiarum corpora: quæ quia tota ad ignem sacrificii deferebantur, holocausta sunt nuncupata. Per hæc igitur genera pœnarum, martyres in fidei testimonium corpora sua holocausta voverunt: ut in Dei domum id est in cœlestis domicilii habitationem consummatis hostiarum suarum sacrificiis introirent.* Vides quo pertineant tot ingenia pœnarum in martyres desævientia? Ut perfecta Deo holocausta exhibeantur? Cum ergo non patiatur se in plures hostias vel in plura sacrificia dissecari Christianæ Ecclesiæ unitas, hæc tot holocausta, segmenta ut ita dicam sunt unius plenissimi & universalis holocausti; hæ tot victimæ, unius sunt membra victimæ, quæ cruentam sui in cruce, incruentam in Eucharistia oblationem celebrat, omnesque seu cruentas seu incruentas membrorum suorum immolationes, ut sui portiones sibi asserit, sibi imputat.

Eleganter sanè Augustinus ab Eucharistia martyrium derivat. *Nimirum hoc est quod legitur in Proverbiis Salomonis: Si sederis cœnare ad mensam potentis, considerans intellige, quæ apponuntur tibi: & sic mitte manum tuam, sciens quia te alia oportet præparare. Nam quæ mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus & sanguis ejus, qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est sic mittere manum, ut scias quia talia te oportet præparare, nisi quod jam dixi: quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere? Hoc est talia præparare, hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus; oportet ut quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus, &c. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt.* Et tandem: *Quatenus ergo martyres pro fratribus sanguinem suum fuderunt, hactenus talia exhibuerunt, qualia de mensa Dominica perceperunt.* De mensa Domini ergo fidelibus omnibus immolandæ Deo vitæ & imperium personat, & exemplum prælucet, & adjutorium subministratur. Hac enim esca, hoc sacramento obligamur, hoc quasi spumantis sanguinis poculo fœderamur & penè conjuramus in vitæ hujus Deo fratribusque impendendæ holocaustum universale. Quæ cogitanti mihi succurrit admirari & obstupescere inenarrabilem quandam & incomprehensam Christiani mysterii sanctitatem. Quàm conspicua enim sanctitas, quàm indubia & inconcussa hujus religionis veritas est, cujus hic totus cardo, hic unus apex est, ut quicumque nomen ei dederint, quotidiano sui omnium sacrificio, se Dei, se omnium hominum charitati hostias devoveant immolentque? Hæc summa est fidei nostræ, hoc nostri mysterii caput, hoc corpus, hoc Christus est, hoc Eucharistia à nobis intelligitur, in hoc contesseramur, in hoc nascimur, ad hoc pascimur, ad hoc provocamus mortem, vel opperimur, ut charitati Dei & proximi, vel incruenta animi præparatione, vel cruenta sanguinis vitæque immolatione nosmet mactemus; hoc unum est Christianum nomen & munus, hoc agimus, in hoc propendemus, hoc in Eucharistia meditamur. Sive intus in animo sistit religio, non aliud intus vel intelligimus vel concupiscimus; sive & ad corpus usque sese effundit religio, non aliud externis quoque symbolis meditamur, quàm ut castissimam & ineluctabilem charitatis veritatem vel proprio sanguine sanciamus.

IV. Eucharistia initiat cruci, morti, sacrificio. In Joannem Tr. 83. & 47.

Augustinus idem de Laurentio agens: *Diu vivere permissus est, imo non diu vivere permissus est, sed tardè mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, qui bene manducaverat & bene biberat, tanquam illa esca saginatus, & illo calice ebriatus, tormenta non sensit.* Hinc planè, hinc invicta affluebat Martyribus virtus animi, ab illa esca, ab illa ebrietate, qua cruciatuum sensus omnis excantabatur. Et alibi: *Panis noster æternus, Christus in Patris æqualitate: panis noster quotidianus, Christus in carne: æternus sine tempore, quotidianus in tempore. Tamen ipse est panis*

V. Item ex Augustino. In Joan. Tr. 27.

L. 50. ho. h. 4

qui

qui de cælo descendit. Fortes sunt Martyres, firmi sunt Martyres, sed panis confirmat cor hominis. Non mirandum ergo si inexpugnabile inspirat robur ille panis, qui idem beatis & immortalibus invictam conciliat charitatis æternitatem.

Augustinus idem quò hujus panis saturitas attineat, quò hujus ebrietas calicis ferveat, nempe ad temporalem vitam profligandam, æternam accelerandam, morte immortalitatem captandam, sæpiusculè declaravit: *Vota mea reddam coram timentibus eum. Quæ sunt vota sua? Sacrificium quod obtulit Deo. Nostis quale sacrificium? Norunt fideles vota quæ reddit coram timentibus eum. Nam sequitur: Edent pauperes & saturabuntur. Beati pauperes, quia ideo edunt ut saturentur; edunt enim pauperes. Qui autem divites sunt, non saturantur, quia non esuriunt. Comeaent pauperes. Inde erat piscator ille Petrus, inde erat piscator alius Joannes. Ipsi erant qui comederunt & saturati sunt: talia passi, qualia manducaverunt. Cœnam suam dedit: passionem suam dedit: ille saturatur, qui imitatur. Imitati sunt pauperes. Ipsi enim sic passi sunt, ut Christi vestigia sequerentur.* Et alibi: *Edent pauperes & saturabuntur. Quid edunt? Quod sciunt fideles. Quomodo saturabuntur? Imitando passionem Domini sui, & non sine causa accipiendo pretium suum.* Edunt sacrificium, edunt passionem Christi; qui saturantur, imitantur. Qui saturantur esca & calice passionis, in ejusdem sacrificii passionisque imitationem effervescunt. Ideo autem saturantur seu imitantur pauperes, quia paupertas ipsa prolusio jam est ad sacrificium. Qui sua enim exuit, qui vitæ temporalis commoda & voluptates abdicavit, is vitam ipsam & seipsum non ægrè immolat, ab omnibus scilicet his vinculis jam absolutum. Idem rursus: *Nam & nos de cruce Domini pascimur, qui corpus ipsius manducamus.* Insolens planè foret, si de passione ebrii, si de cruce pasti, non crucem spirarent, non passionem & sanguinem eructarent. Insolens foret, si tandiu cruce pasti, non crucis & sacrificii spiritum totis præcordiis combiberent. Sed ut hunc combibant, ut cruce pascantur, depleri vacuarique necesse est mundanis impedimentis; decrescere prius à vanis necesse est, ut veris ditescant.

In Psal. 21. — In Psal. 48. — In Psal. 100.

VI. Ex eodem, cur animæ Martyrum sub ara Dei, item & corpora Martyrum. Serm. 11. de sanct.

Cognatio iterum Eucharistiæ & Martyrii exinde præclariùs elucescit, quòd Martyrum animæ in Apocalypsi leguntur sub ara Dei requiescere. Ejus arcani causas vestigat & propalat Augustinus: *Dicit sancta Scriptura: Vidi enim sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei & propter testimonium Jesu quod habebant. Sub ara, inquit, Dei vidi animas occisorum. Quid reverentius, quid honorabilius dici potest quam sub ara illa requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos, sicut scriptum est, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Rectè sub altario justorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. Convenienter igitur & quasi pro consortio quodam ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur: scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fuerant, sub sacramenti ejus mysterio requiescant. Non immeritò, inquam, consortio quodam illic occisis tumulus constituitur, ubi occisionis dominicæ membra ponuntur: ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet. Legimus plerosque justorum Abrahæ finibus refoveri, nonnullos paradisi amœnitate lætari: nemo tamen melius præter Martyres meruit, hoc est, ibi requiescere, ubi & hostia Christus est & Sacerdos, scilicet ut propitiationem de oblatione hostiæ consequantur, & benedictionem functionemque Sacerdotis accipiant.* Sic ille complusculis rationibus accumulatis approbat, quòd Scriptura animas Martyrum sub altari collocat, & Ecclesia Scripturę conscia & æmulatrix corporibus Martyrum altaria superstruit. Videlicet ut ab his aris ubi summa Christianæ pietatis consistit, nec ulla morte divelli se potuisse testentur. 2. Ut hostiæ & Sacerdotis ad has aras quotidiano sacrificio immolatæ & immolantis membra se esse significent. 3. Ut qui implerunt quæ deerant passionum Christi, ne desint quotidianæ redintegrationi passionis Christi. 4. Ut ne dimidiatum & quasi truncatum sui parte aliqua videatur altaris sacrificium, si non totus Sacerdos, id est, membrorum suorum aliquo viduatus sacris operetur: si hostiæ non totum corpus, sed solum caput offeratur. 5. Ut totam Ecclesiam & cœlitum & terrestrium hominum, unà adesse, unà immolari cum Christo significetur. 6. Ut sicut sacrificium capitis in cruce, ita sacrificium membri cujuslibet in martyrio, non semel peractum & ita desiisse, sed semper peragi, & in Ecclesia atque in cœlo æternari intelligatur. 7. Ut quos Eucharistia ad prælium armaverat, eosdem victores excipiat, & corona ac pace donet. 8. Ut Ecclesiæ & cœli unum altare esse intelligatur, unumque utrobique sacrificium, quando utrique tanquam uni Martyres inseruntur. 9. Ut Eucharistia hortatrix adjutrixque ad omnia martyria significetur, & quisquis ea pascitur, Martyrum omnium ab ortu mundi ad usque exitum passionibus pasci, sanguine prolui, exemplo provocari. Quare idem Augustinus: *Nos in isto loco non aram fecimus Stephano, sed de reliquiis Stephani aram Deo. Grata sunt Deo hujusmodi altaria. Quæris quare? Quia pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Redempti sunt sanguine qui sanguinem pro Domino fuderunt. Ille fudit ut eorum salus redimeretur; illi fuderunt ut Evangelium ejus diffamaretur. Reddiderunt vicem, sed non de suo: ut enim hoc possent, ille donavit: & ut fieret quod ab ipsis fieri potuit, ille donavit.* Et alibi rursum: *Tanto dulciùs illo in loco propter natalem Cypriani bibitur sanguis Christi, quantò devotiùs ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. Denique sicut nostis quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est, tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus: & quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.* Denique: *Communicatio Dominici Corporis illic celebraretur, cujus passionis imitatione immolati & coronati sunt Martyres.*

Serm. 2. in Appendice Sirm. — Serm. 12. de Diversis. — Confess. L. 6. c. 2.

CAPUT XXI.

Ecclesia tota Eucharistiæ sacrificio implicatur & immolatur, quia Eucharistia extensio quædam est & propagatio Incarnationis. Ex Græcis Patribus.

I. Per Eucharistiam incarnationé Verbi quodammodo ampliari probatur, quia caro Verbi habitat in nobis, & per ipsam præsentiam Verbi in nobis consecramur quodammodo & sanctificamur.

QUintò quòd in Eucharistia complexio verissima sit & immolatio totius Ecclesiæ, hinc dilucidè elucescet, si constiterit per Eucharistiam extendi & ampliari quodammodo incarnationem Verbi, & accrescere Christi corpus in majorem hostiam, fidelium omnium in ejus membra coalitione. Id ergo quia splendoris præ se fert plurimum & voluptatis, & alendæ pietati opportunissimum est, uberiùs aliquantò pertractare juvat.

Liquet id igitur 1. ex eo quòd huic uni carpendo fructui servierit incarnatio Verbi, ut assumptæ à Verbo carni conglutinaretur & coagularetur universa Ecclesia, atque ita Verbi Dei illapsu sanctificaretur & ipsa, ac beatetur. Ut enim contagium peccati & mortis quod in intimas nostræ omnium substantiæ medullas irrepserat, abstergeretur penitùs, non extimo afflatu, sed illapsu penitissimo justitiæ & immortalitatis Verbi do-

donari nos oportebat. Nos inquam singulos, non unum è nobis aliquem eximium, aut si unum è nobis aliquem egregium, per eum & reliquos tanti beneficii redundantia irrigari necessarium erat. Ut ergo Verbi sanctitati & incorruptiblitati coaptaremur, atque ita exsufflaretur à nobis peccati & mortis corruptela, illa eadem caro cui se plenitudo Verbi infuderat, nostræ carni commiscenda fuit, ut ei implicati concretique, eadem Verbi Deitate irrigaremur. Dionysius: *Opertum in-* (Eccles. Hierarc. c. 3.) *dividuumque panem revelans Pontifex, & in multa dividens, & unitatem calicis omnibus impartiens, unitatem symbolicè multiplicat & distribuit, sacrosanctum in iis sacrificium consummando. Unicum enim illud ac simplex arcanumque Jesu Verbum divinissimum, per assumptionem humanitatis nostræ, in compositionem simul & aspectum sine ulla sui immutatione pro sua benignitate processit: nostrique secum unificam communionem beneficè excogitavit, ea quæ in nobis humilia sunt, divinis suis uniens excellentiis, ut & nos ipsi tanquam membra corpori, per ejusdem immaculatæ ac divinæ vitæ identitatem congruamus*. Et paulò post: *Hæc Pontifex rebus iis quæ sacrificantur insinuat, dum obtecta munera in apertum producit, ipsorumque unitatem in plura dividit, & per summam rerum distributarum cum suscipientibus unionem, earundem consortes reddit eos qui communicant. Describit enim in his sensibiliter, dum in aspectum ducit Jesum Christum, spiritalem nostram velut in imagine vitam, ex abdito illo divinitatis per absolutam & inconfusam humanitatis nostræ assumptionem, benignè nostram speciem induentem, atque ad dividuitatem nostram sine sui immutatione ex unitate naturali prodeuntem, perque hanc beneficam clementiam ad sui bonorumque suorum participationem genus humanum invitantem, &c.* Digna sanè authore Dionysio hæc sacri ritus illuminatio. Dum operta prius Eucharistia in apertum producitur, dividitur, distribuitur: eo nobis ob oculos ponitur Verbum Dei ex Patris sinu prodiens, naturæ nostræ ex multis compactæ unitatem suam inserens, per eamque expromens se & ostendens, quin & impartiens se nobis omnibus, per suamque carnem dividuam ad individuam nos unitatem suam recolligens. Nimirum universæ humanitati sibi copulandæ, non charitatis tantùm, sed substantiæ nexu, per incarnationem Verbum Deus operam dabat.

II. Ex Chrysostomo, ut per carnem Christi Christo & Verbo conferamur ac commisceamur. Hom. 46. in Joan.

Chrysostomus: *Necessario discendum quam admiranda mysteria, & cur data sint, & quænam eorum utilitas. Unum corpus sumus & membra ex carne & ossibus ejus. Quare initiati assequantur ea quæ dicuntur. Ut igitur non solùm per dilectionem, sed reapse in illam carnem commisceamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem ostendere vellet, propterea commiscuit seipsum nobis, & fermentavit corpus suum nobiscum, ut unum quid cum eo simus, velut corpus capiti coaptatum*. Quibus vocibus exprimitur vinculum Verbi cum carne, iisdem insinuatur nostra cum Verbi carne copulatio, ἀνακεκρᾶσθαι, ἀναμίξαι, συνάπτεσθαι, commisceri, coalescere, coaptari dicitur Verbum carni, caro nobis. Denique ἀνέφυρε τὸ σῶμα αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς, fermentavit suum corpus in nos. Et rursus ibidem Chrysostomus: *Vester ergo frater esse volui, & communicavi carnem propter vos & sanguinem: & per quæ vobis conjunctus sum, ea rursum vobis exhibui*. Neque enim carni illi ut caro est, cohærescimus, quantulo enim id emolumento foret vel præsidio? Sed ut caro est Verbo ebria, de Verbi plenitudine accrementis suis inspirans, atque adeo ut incarnationis Verbi propagatrix quædam est. Idem

Hom. 24. in Epist. I. ad Corinth.

Chrysostomus denuo: *Et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Cur non dixit, participatio? Quoniam voluit amplius aliquid significare, & indicare πολλὴν τὴν συνάφειαν. Non solùm enim participamus eo quod sumus participes & sumimus, sed etiam τὸ ἑνοῦσθαι. Quemadmodum enim corpus illud unitur Christo, sic & nos ei per panem hunc unimur*. Nexum Verbi cum humanitate assumpta, non aliis Chrysostomus strinxit vocibus, quàm ἑνώσεως & συναφείας, quibus & copulationem nostram cum Christi carne honestavit. Denique disertè affirmavit, ut Verbo corpus illud, ita nos illi corpori per Eucharistiam adunari.

III. Ex Cyrillo Alexandr. L. 3. In Ev. Joan.

Cyrillus Alexandrinus: *Quid ergo Christus pollicetur? Nihil quidem corruptibile, sed Eulogiam potius illam quæ est in participatione sanctæ carnis ac sanguinis, quæ integrum hominem ad incorruptionem revocat, &c. Vivificat igitur sanctum Christi corpus eos in quibus fuerit, & in incorruptione conservat nostris commistum corporibus. Corpus enim non alterius cujusdam, sed ipsius secundùm naturam vitæ intelligitur, totam habens in seipso uniti Verbi virtutem, & eadem ut ita dicam qualitate præditum, imò vero ejus vi & efficacia repletum, per quam omnia vivificantur, & in suo esse conservantur*. Reapse ergo nobis commiscetur (nam & Cyrillo commixtionis nomen placuit) caro illa, non ut caro qualiscumque, sed ut Verbi caro, ut Verbo delibuta, ut Verbi Deitate scatens, & exundans, & in commixta sibi corpora illam inspirans unà secum & commiscens, atque adeo ut Verbi incarnationem ad hæc adjectanea quoque membra sua pro ipsorum modulo exporrigens. Sed luculenter admodum idem Cyrillus: *Igitur cum* Ibid. l. 11. *ex ipsa Dei ac Patris substantia effulgeat unigenitus, totumque habeat in sua natura genitorem, factus est caro juxta scripturas, seipsum quodammodo permiscens nostræ naturæ per ineffabilem unionem & conjunctionem cum hoc terreno corpore, &c. Ut ergo ad unitatem cum Deo & inter nos contenderemus, atque nos unà commisceremur, licèt corporibus & animis alii ab aliis differamus, rationem quandam excogitavit unigenitus per convenientem sibi sapientiam & consilium Patris. Uno enim corpore, suo nimirum, fideles omnes benedicens, per mysticam communionem, tum ipsos inter se, tum secum concorporales effecit. Quis enim eos qui per unum illud sanctum corpus ad unitatem cum Christo conjuncti sunt, diviserit, & a naturali inter se unione removerit? Nam si omnes de uno pane participamus, unum omnes corpus efficimur. Christus enim dividi nequit*. Vides affectatricem incarnationis Eucharistiam; illi famulantem, illius ampliantem fines. Nam Verbo illa unam singularem, hæc universam coaptat subjugatque humanitatem. Verbo illa caput solum, hæc totum corpus compaginat. Illa unicum hominem Deo, hæc genus humanum illius unici carne media conciliat & Deo & ipsi sibi. Denique physica unio est non carnis suæ tantùm cum Verbo, sed nostrum omnium cum carne illa, & per illam cum Verbo.

IV. Ex Theodoreto. In Cant. Cantic. c. 3.

Theodoretus Cyri Episcopus: *Edentes igitur sponsi membra & bibentes ejus sanguinem, nuptialem ipsius communionem assequuntur*. Conjugalis hæc copula idem valet. Nam & sanctis Patribus familiare fuit Verbo ceu sponso, assumptam humanitatem ceu sponsam conjugare, & huic sponsæ totam Ecclesiam implicare, nuptialis copulæ gaudia per Eucharistiæ mysteria adepturam. Ergo Eucharistia conjugii Verbi cum natura nostra, hoc est incarnationis, amplificatrix quædam est, dum sponsæ nos tanquam membra commiscet.

V. Ex Isidoro Pelusiota. l. 3. Ep. 195.

Isidorus Pelusiota: *Neque enim natura nostra id duntaxat accepit, quod ad peccatum delendum requirebat, sed divinis quoque aucta est beneficiis. Nec supplicio solum exempta, sed supernè regenita, & redempta, & sanctificata, & in adoptionis jus adducta, & justificata, & unigeniti cohæres effecta est, ac per sacrorum mysteriorum perceptionem concorporea ipsi reddita, & in ipsius carnem censetur, & quemadmodum corpus capiti, eodem modo ei copu-

copulata est. Hoc columen est summum divinæ in nos largitatis, quod oblitterata prioris nativitatis contumelia, exuperata ea, quæ quondam fuerat, primigeniæ naturæ gloria, regeneret nos Deus in Christi membra, in Christi corpus, in Christum ipsum, cujus caro per baptismum, sed per sacram maximè mensam efficimur: ut sicut per incarnationem in censum Verbi transcribitur caro assumpta, ita per Eucharistiam in censum hujus carnis nos & in ejus accessiones quasdam & substantiva accrementa adsumamur.

VI. Idem liquet secundo, quia per incarnationē tota suo quodā modo assumpta est Ecclesia ad copulam cum Verbo, per carnem Christi in Eucharistia

Liquet 2. ex eo quod decantatissimum sit apud sanctos Patres assumptam esse à Verbo non modò singularem aliquam propter se hominis naturam, sed quodam suo modo totius nostri generis universitatem. Ita enim Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: ut quod Verbum factum sit caro, id ad hominem assumptum pertineat: quod habitarit in nobis, ad omnes id verò homines exporrigatur. Ita veritas, ita sanctitas singulis adglutinatur, ad errorum mendacia, ad vitiorum contagia à singulis abigenda, dum incommutabilis Verbi sapientia & justitia non in unum sejunctim, sed per unum ad omnes conjunctim ei adhærescentes diffunditur. Nam volatilis & accidentaria sapientia justitiaque jam in primo parente periculum sui fecerat inauspicatò, nec ruinæ consimili committi nos rursum par erat: sed immutabili substantivæque deinceps formæ incumbere nos & acquiescere congruebat. Quibus ita constitutis, perspicuum jam nulli non est, quod ad singulos copula cum Verbo Deo substantiva perveniat, id ad sacræ carnis sanguinisque mysteria referendum. Chrysostomus: *Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis cadi, crucifigi: sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed reipsa nos corpus suum effecit, &c. Nos in unam cum illo massam reducimur, Christi corpus unum & caro una facti sumus, &c. Proprio corpore nos alit, & semper nos sibi complicat. Considera autem: Ex nostra genitus est substantia. Sed nihil hoc, inquies, ad omnes pertinet. Immo ad omnes. Nam si ad naturam nostram descendit, perspicuum est, quod ad omnes. Si autem ad omnes, ergo & ad unumquemque, &c. Singulis fidelibus commiscet se per hac mysteria: & quos genuit, nutrit de seipso, & non aliis tradit: & hoc rursus tibi ostendit quod carnem assumpsit tuam ipsam*. Authore igitur Chrysostomo copula cum Verbo non ad unum, sed ad omnes & ad singulos & ad unumquemlibet pro suo cujusque modulo pertinet, quia in Christo assumpta est natura omnium nostra. Itaque Eucharistia, quasi supplementum est incarnationis. hæc primitias, illa totam massam Deo libat: hæc unum ex omnibus, illa per unum omnes Verbo inserit: hæc fundamenti instar substernitur, illa velut prædestinata Ecclesiæ totius fabrica superstruitur.

Hom. 83. in Matth.

VII. Idem liquet tertio, quia per Eucharistiā Christi corpus efficimur, at quid incarnatio nisi corporatio Verbi?

Liquet 3. Per Eucharistiam Christi corpus physicè efficimur. At Christi corpus non fit nisi incarnatione vel incarnationis ampliatione. Quid enim incarnatio quàm Verbi corporatio? Ergo per Eucharistiam incarnatur quasi de novo Verbum, quia quasi de novo corporatur. Nec est quod nutet fides, sed quod convalescat charitas, si corporari toties Verbum pronuncietur. Incarnationis enim suæ delicias olim Deus Verbum cunctantium sæculorum lapsibus esurierat, prætentaverat multoties, præluserat & prælineaverat multifariam, in hoc se prominere totum multis prodiderat argumentis. Ut futuram ergo amoris impatientia multipliciter occupaverat, ita præteritam præterire omnino, elapsam dilabi non est passus. Venturam antevertere gestiit, præteritam retractare ac repræsentare laboravit: sed tanto faciliùs fœliciusque, quanto pronius est ob oculos sistere quod jamdiu est, quàm quod nondum usquam est. Delectatur ergo Deus Verbum quasi iterata ac perpetuata sui cum humana natura copulatione: delectatur non initæ tantum copulæ æternitate, sed ejusdem innovatione jugi, ampliatione perenni: delectatur non semel, sed semper corporari; non semel, sed perenniter inhumanari: delectatur sua carne carnes omnium, suo corpore omnium hominum corpora sibi subjugare: delectatur sua hac anima omnium animas inescare, suo homine omnes homines sibi vendicare: delectatur jugi hoc corporationis suæ mysterio primulam corporationem suam imitari, renovare, repræsentare, amplificare, æternare. Chrysostomus: *Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus. Quid enim inquit dico communicationem? Sumus illud ipsum corpus. Quid est enim panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt qui sumunt? Corpus Christi. Non corpora multa, sed unum corpus. Quomodo enim panis ex multis granis compositus est unitus, ut nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit eorum differentia propter conjunctionem: ita etiam inter nos & Christo conjungimur. Non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem ille nutritur, sed ex eodem omnes. Et ideo subjungit, Omnes enim ex eodem pane participamus. Si autem ex eodem & idem efficimur omnes, &c.* Hoc igitur pane accrescimus corpori Christi, illi ipsi quod Verbo Deo vegetatur. Ut sicut ipsum accessit Verbo, ita nos illi & per illud Verbo accedamus, & incarnationis aliquale consortium ineamus. Cyrillus: *Nam si omnes de uno pane participamus, unum omnes corpus efficimur. Christus enim dividi nequit: ideoque & Christi corpus nuncupata est Ecclesia, nos autem particularia ejus membra juxta Pauli sententiam. Uni enim Christo per sanctum ejus corpus omnes uniti maxime, cum eum unum & indivisibilem in nostris corporibus sumamus, ei potius quàm nobis nostra membra debemus.* Pulcherrima hac arte & unitati suæ consuluit Verbum, & munificentiæ ubertati. Nam hypostaticè uni coaluit homini, capiti nostro Christo, ut unus Deus & unus Dominus Christus esset, unum caput Deus idem & homo, unum salutis & reparationis principium, unitas enim semper principatur. At ne decerperetur largitati, quod unitati donabatur, prodiga sui hæc unitas effudit se, complexaque quodam etiam modo genus omne humanum est. Non effunditur enim unitas cum diffunditur; nec dissipatur cum colligit: individuum licèt amplissimum expandit sinum; eoque quo plura complectitur & adunat, hoc vim suam inexpugnabilem ostentat. Præpollet numerositati nostræ divina unitas, eique se inserens, non ipsa dissilit, sed illam constringit.

In Ep. 1. ad Corinth. hom. 24.

In Evan. Jo. L. 11.

VIII. Idem liquet quarto, quod naturali & Physica etiā copula adunemur cum Christo per Eucharistiā ex Chrysostomo.

Liquet 4. ex eo quod non charitatis tantum glutino, sed physica & naturali copula adunemur, unumque efficiamur cum Christo. Nam si charitate sola devincere nos sibi instituisset Deus, tota incarnationis dispensatione supersedendum fuerat. Instillasset enim nobis charitatis & justitiæ suæ rorem dumtaxat, eoque sordes eluisset peccatorum, & hac qualicumque munditia in suam nos gratiam recollegisset. At quia suam nobiscum amicitiam non solis istiusmodi subsidiis gratiarum accidentalium committendam duxit, seipsum nostræ implicuit naturæ, seipsum, hoc est sapientiam incommutabilem, justitiam incorruptam, salutem inexpugnabilem substantivè & physicè nostræ adglutinavit humanitati: idque capiti nostro per incarnationem, membris id est nobis omnibus per Eucharistiam præstitit. Non ergo jam charitatis dumtaxat nexu, sed physico & substantiali vinculo in corpus Christi constringimur, & incarnationi immiscemur. Chrysostomus: *Ut autem non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem commisceamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maximè*

In Joannem Hom. 46.

est. Hoc Job significabat de servis à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant: Quis daret nobis, ut ejus carnibus implere-mur? Quod Christus fecit, ut majori nos charitate astringeret, & ut suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi & manducari & dentes suæ carni infigi, & complicari & desiderium sui omne impleri. Vides ut non charitate sola, sed reipsa nos illi carni commisceri doceat. Quin imo hoc concupiscit, hoc imperat charitas, ut non charitate sola, sed reapse & substantivè utriusque fiat conglutinatio. Affectus enim & æstus amantium, rudimenta sunt charitatis; quæ ubi adolevit, jam flammæ suæ impatiens, in amplexus, in illapsus exardescit intimiores, & utramque substantiam conflare atque confundere in unum molitur. Ergo charitatis perfectæ nexus, non charitatis tantum est, sed & substantiæ nexus.

IX. Item ex Cyrillo. In Evang. Joan. l. 10. Cyrillus: *Dicat nobis aliquis causam & vim Eulogiæ mysticæ. Nam cur nobis inseritur? Nonne ut Christum in nobis inhabitare faciat corporaliter participatione & communione sanctæ suæ carnis? Præclare quidem. Scribit enim Paulus Gentes factas esse concorporales, & comparticipes, & cohæredes Christi. Concorporales autem quonam modo factæ sunt? Nempe Eulogiæ mysticæ participatione honoratæ, unum cum eo facta sunt corpus, sicut & unusquisque sanctorum Apostolorum. Alioqui quam ob causam sua, imo omnium membra sicut sua, membra Christi nuncupavit? Nescitis quoniam membra vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Sed Servator ipse, Qui manducat meam carnem, inquit, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Hic enim animadvertere est operæ pretium, Christum non dicere se duntaxat in nobis futurum secundum relationem quamdam affectualem, sed & per participationem naturalem. Ut enim si quis ceram ceræ indutam, igne simul liquaverit, unum quid ex ambobus efficit: ita per corporis Christi & pretiosi sanguinis participationem, ipse quidem in nobis, nos autem rursus in eo simul unimur. Nec enim aliter vivificari potest quod natura sua est corruptibile, quàm si corporaliter unitum sit corpori ejus, qui secundum naturam suam est vita, hoc est, unigeniti.* An potuit expressiùs demonstrare, physicè nos & substantivè inhabitari, formari, adunari Christo, quam cum exponit, qui fiamus ei concorporales: cum monet non affectu nos solo, sed physica participatione ei misceri, cum ut cera ceræ confunditur, ita nos ait cum Christo in unum colliquari: cum denique negat satis exuri posse insitam nobis corruptibilitatem, nisi substantiva Verbi incorruptibilitas nobis imprimatur?

Urget hoc ipsum Cyrillus paulò post vehementiùs in exagitando Nestorio, qui nec Christum ipsum, nedum Christianos, copulabat Verbo, nisi affectuali quadam necessitudine. Contra autem nititur Cyrillus, non Christi tantum Verbo, sed & nostram singulorum substantiam Christo coalescere; non affectus, non fidei, non charitatis tantum nexibus: sed physicis & substantivis vinculis, atque omnino inexplicabilibus. Ille enim Scripturæ tenax, Christum vitem, nos palmites esse clamitat, non fidei, non charitatis solo nexu, sed physica unione. Ibid. pag. 864 *Cum igitur demonstratum sit vitem Christum esse, nos palmites, utpote qui ejus participationi non spirituali tantum, sed corporali adhæreamus: quid in nos frustra deblatterat, dicens quod non corporaliter sed fide potius & affectu legitimæ charitatis ei adhæremus, carnem suam idcirco vitem non nominasse, sed potius deitatem, &c.*

X. Idem liquet quinto, ex ipsis Christi Verbis. Ego in eis, & tu in me, &c. Liquet 5. ex verbis Christi apud Joannem, *Sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum.* Cujusmodi plura contexuntur à Christo eo loci. Ubi unitas ea quæ Patri cum Filio intercedit, æmulanda proponitur nobis & expectanda cum Christo. Nec alicunde tamen spes ejus assequendæ uberior affulgescit, quàm ex participata Christi carne, per quam Christus in nobis ita sit, hoc est tam naturaliter & substantivè, quàm Pater in Christo est per suam, seu per unigeniti Verbi deitatem. Præit nobis in hanc conjecturam Christus, non tantum eo argumento quod inter ipsa Eucharistiæ instituendæ mysteria hæc elocutus sit, sed etiam quod alibi de edenda carne sua prolixiùs sermonem trahens dixit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me:* Hoc est, Genuit me Pater vita & sapientia vitam & sapientiam: & ego vivo & sapio per vitam & sapientiam Patris mihi ingenitam, & immanentem: ita & qui manducat me, vivet & sapiet de meipso vita & sapientia sibi immanente. Præmiserat enim: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ergo idem sonant hæc: *Ego in eis*, atque ista: *In me manet & ego in eo.* Et rursus idem valent ista: *In me manet & ego in eo:* atque ista: *Sicut tu Pater in me, & ego in te:* vel ista: *Ego in eis, & tu in me.* Manet enim in Christo Pater, sicut ipse ait: *Pater in me manens ipse facit opera.* Manet Christus in nobis, sicut ipse ait: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet.* Cyrillus suprapposita Christi verba ita commentatur: *Sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, &c. Hic vero constitutum nobis est ostendere naturalem quoque esse unitatem, per quam & nobis mutuò & omnes cum Deo conjungimur, ne mutua quidem forsan corporum unione destituti, licet corporum differentia discrepemus, & in suo quisque loco & in sua sit hypostasi, nec Paulus dici possit esse Petrus, licet ratione unionis propter Christum, unum ambo censeantur. Quare cum unam esse naturalem unitatem Patris & Filii & Spiritus sancti omnes fateantur, age consideremus qualiter nos ipsi & inter nos unum esse corporaliter, ac spiritaliter, & cum Deo comperiamur. Igitur cum ex ipsa Dei ac Patris substantia effulgeat Unigenitus, totumque habeat in sua natura genitorem, factus est caro, seipsum quodammodo nostræ immiscens naturæ per ineffabilem unionem & conjunctionem cum hoc terreno corpore, &c. Ut ergo ad unitatem cum Deo & inter nos contenderemus, atque una commisceremur, licet corporibus & animis alii ab aliis discreti, rationem quandam excogitavit Unigenitus per sapientiam sibi convenientem & consilium Patris. Uno enim corpore, suo nimirum fideles omnes benedicens, per mysticam communionem, cum eos sibi, tum etiam inter se concorporales effecit.* Et paulò infra: *De unione vero spirituali, eandem viam sequentes dicemus rursus, nos omnes accepto uno & eodem Spiritu, sancto nimirum, commisceri quodammodo & inter nos & cum Deo. Licet enim multi simus, & in unoquoque nostrum Christus Spiritum Patris ac suum inhabitare faciat, unus tamen est ac indivisibilis, qui spiritus invicem distinctos, quatenus singulariter subsistunt, in unitatem cogit per seipsum, & omnes velut unum quid cerni facit in seipso. Quemadmodum enim sanctæ carnis virtus concorporales reddit eos in quibus est, eodem opinor modo unus in omnibus indivisibilis inhabitans Dei Spiritus ad unitatem spiritalem omnes cogit. Idcirco nos rursus divinus Paulus compellabat: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus & unus spiritus, &c. Unus Deus & Pater omnium qui est super omnes & per omnia & in omnibus nobis. Uno enim diversante in nobis spiritu, unus omnium Pater in nobis erit Deus per Filium, in unitatem mutuam & suam adducens ea quæ Spiritus participant.*

Quo ex Cyrilli loco liquescit 1. verbis Christi adstrui naturalem vel physicam unitatem, qua sanctificati panis mysteria nos & mutuò nobiscum & cum Deo colligent. Physicam enim unitatem à charitatis vinculo longè diversam & strictiorem confirmare satagit Cyrillus. 2. Physica autem hæc XI. Ex Cyrillo de unitate Patris cum Verbo, Verbi cum carne sua, carnis Verbi nobiscum.

unitas

unitas declaratur exemplo duplici, quod Christus ipse suggerit, unitatis nimirum qua Pater Filio, itemque qua Filius ipse carni assumptæ adglutinatur: cui duplici unitati cùm tertia hæc subtexatur, qua nos carni Christi, ac per eam Filio, Patrique demum Deo cohærescimus, non potest hæc postrema à prioribus unde pendet, dissidere. 3. Unitas autem cum Christo nostra duplex statuitur, utraque non morali charitatis nexu, sed physica & naturali copulatione. Nempe hinc per Spiritum Christi qui in nobis hospitatur, qui physicè & substantivè nos inhabitat & vegetat, tanquam princeps forma sanctitatis: inde per carnem Christi qua pascimur, cui physicè commiscemur. 4. Copiosissimè alibi inhabitari ab ipsa Spiritus sancti substantia sanctos quoslibet disputatum est: ut indubium sit nos omnes hinc, & invicem, & cum Deo per hoc substantivum Spiritus sancti vinculum colligari. Ergo quæ huic altera conjugatur copula, per carnem Christi, physica & ipsa quoque est. Nam quis ferat carnis Christi sola figura & adumbrata conjunctione eos illudi, qui ipsa Spiritus Christi substantia inundantur? 5. Cùm ait Christus: *Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum, &c. Et ipsi in nobis unum sint, &c.* essentiali huic copulationi evidentissimè patrocinatur. Nam ut fide & amore, ut figuræ participatione valdè jejuna devinciri nos significaret, non suam cum Patre, non suam cum carne ineffabilem unitatem adduxisset in medium: non hanc esse consummatissimam unitatem venditasset, non denique seipsum ostentasset conciliatorem mirificæ hujus adunationis. Tam vulgaris enim sententia tanto verborum strepitu concrepanda non erat. Denique Cyrillus idem: *Quemadmodum ergo*, inquit, *licèt factus sim caro, vivo rursus propter viventem Patrem, genitoris videlicet naturalem in meipso servans dotem; sic etiam qui per carnis meæ participationem me suscipit, in seipso vivit, utique totus in me transformatus. qui vivificare valeo, propterea quod sum ex radice vivifica, hoc est Deo ac Patre.* Quo innuitur caro Christi instar habere Deitatis. Ut enim Deitas una tribus hypostasibus communis, in unum eas Deum conflat: ita caro Christi deliciis divitiisque omnibus Deitatis refertissima, Christianis omnibus sua privata quibusque hypostasi gaudentibus per communionem mysticam impartita, in unum omnes Christum cogit. Instar habet ergo Deitatis non figura, sed sustantia ipsa carnis Christi, & peramplum hoc illi atque incomparabile decus est, ut hinc divinis quoque nominibus insigniatur, dicaturque passim, τὸ τέλειον, τὸ ἀγαθόν.

L. 4. in Ev. Jo. pag. 566.

XII. Liquet idē sexto, quod eo spectet cibus, ut substantiā ampliet & extendat.

Liquet 6. ex eo quòd una substantia, atque una tandem persona concrescat ex vescente & cibo quo quis vescitur. Cibus enim à natura in unius & ejusdem substantiæ personæque vel accrementum vel supplementum destinatur. Ergo qui Christo saginamur, in unam cum illo proficimus substantiam; id enim satius est optatiusque, quàm ut in unam ille nobiscum deficiat. Justinus Martyr: *Non enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per Verbum Deum caro factus Jesus Christus servator noster & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit; ad eundem modum eam quoque alimoniam, quæ prece & verbo ejus Eucharistia facta est, ex qua sanguis & caro nostra per conversionem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Audin ali nos carne & sanguine Christi per conversionem? Nimirum per conversionem qua nos ipse devorat, & in seipsum demergit. Irenæus: *Quomodo autem constabit eis eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est Verbum ejus, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, &c. Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam quæ à corpore Domini & sanguine alitur?* Manifestè ali nos ait corpore & sanguine Christi, non ut talem pastum corruptibilitas nostra absorbeat, sed ut in illius cibi incorruptibilitatem rapiamur ipsi, & in incorruptibilem cum ipso substantiam reformemur. Et rursus: *Et quoniam membra ejus sumus & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipse nobis præstat, Solem suum oriri faciens & pluens quemadmodum vult: Eum calicem qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est, & eum panem qui est à creatura suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. Quando & mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum ejus; quemadmodum Apostolus ait: Quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus & de ossibus ejus, &c. Quæ de calice qui est sanguis ejus nutritur, & de pane qui est corpus ejus augetur.* Inculcat studiosissimè augeri nos de corpore Christi, nutriri de sanguine, & hinc nobis vitam æternam atque incorruptibilitatem inseminari: non aliter quàm quia incorruptibilis cibus non in nos conversus deficit, sed nos in se conversos reficit perficitque: nec nos auget, sed Christum de nobis auget: nec nostra inflat membra, sed nosmet in Christi traducit membra. Cyrillus Jerosolymitanus: *Cum Christus affirmet de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Et eodem confirmante, Hic est sanguis meus, quis dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus quòd vinum mutarit in sanguinem? Si enim ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est, annon multò magis corpus, & sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis, ut sumpto corpore & sanguine Christi efficiaris ei concorporeus & consanguineus. Sic Christophori erimus, corpus ejus & sanguinem in membra nostra recipientes, atque ita ut Petrus dicit, divinæ naturæ consortes efficiemur.* Plurimum desudat ut fibras persequatur & elidat omnes dubitationis, verumque Christi corpus & sanguinem esse approbet in mysteriis, ut vero sanguine & corpore vescentes, non cibum hunc nostro succo corrumpamus, sed nosmet ipsi Christo efficiamur σύσσωμοι, καὶ σύναιμοι, concorporei & consanguinei: combibamusque tandem ipsam Deitatem, qua Christi humanitas delibuta penitus est; quod quid aliud est, quàm ampliata ad nos usque Verbi incarnatione irrigari? Gregorius Nyssenus: *Quomodo qui venenum sumpserunt, alio medicamento extinguunt vim exitialem: ita cùm gustaverimus quod nostram dissolvit naturam, rursus opus habemus eo quod conciliat ea quæ fuerunt dissoluta. Quid hoc ergo est? Nihil aliud quàm illud corpus quod & morte ostensum fuit esse potentius, & nostræ vitæ fuit initium. Quomodo enim parum fermenti, ut dicit Apostolus, totam sibi assimilat conspersionem: ita corpus à Deo morte affectum cùm fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat & transfert. Quomodo enim cùm quod est exitiale mistum fuerit cum sano, quidquid est contemperatum simul redditur inutile: ita etiam corpus immortale cum fuerit intra eum qui sumpsit, universum transmutat in suam naturam. Sed fieri non potest ut sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum & potionem misceatur visceribus.* Conspirat Nyssenus eodem, ut corpus Christi nobis insertum in semet nos transmutet, eique nos quodammodo cibus simus, non ipsum nobis. Etenim non ad corruptibilitatem refocil-

Apolog. 2.

L. 4. c. 34.

L. 5. c. 2.

Cathech. Mystag. 4.

Orat. Catech. c. 37.

focillandam, sed ad incorruptibilitatem insigendam cibus iste pertinet: illius ergo incorruptibilitate devorari nos necessum est, non nostra ipsum absumi corruptibilitate. Cyrillus denique: *Cogita potiùs aquam natura sua frigidam, sed in lebetem infusam, cùm igni admota fuerit, tum suæ propemodum naturæ immemorem, in potioris virtutem migrare: eodem quoque modo nos licèt ob carnis naturam corruptibiles simus, veruntamen mixtione veræ vitæ, relicta nostra infirmitate ad id quod proprium illius est reformamur, id est, vitam. Oportebat enim non solùm per Spiritum sanctum in vitæ novitatem animum rursum creari, sed & crassum & terrenum corpus hoc crassiore & cognata participatione sanctificari, & ad incorruptionem vocari.* Quæ præclariora sunt radio lucis ipso. Non spiritali tantùm, sed crassiore & cognatiore nobis ratione, nimirum comestione inspirari nobis æquum erat & sanctitatem & incorruptionem. Cibo mystico id peragitur, qui hinc quidem nostræ consentit in corporalia per peccatum prolapsioni, inde autem sanctimoniam irrigat & immortalitatem, non in nos deficiens, sed nosmet in seipsum reficiens. Cardo enim arcani hujus sacramenti in eo volvitur quod ait Cyrillus *migrare in potioris virtutem id quod infirmius est*: ergo ut non nostris sordibus conspurcatur Christi caro, qua pascimur, sed sanctitatis suæ flamma exæstuante nostras sordes exurit, nosque in se castificat: ita non nostra mortalitate tabesit, sed incorruptibilitate nos sua devorat & innovat. Etenim ut in incarnatione ratum fixumque statuimus: vincit quod præstantius est, & absorbet humanitatem Deitas: ita in Eucharistia, vincit cibi incorruptela vescentium ægritudines, & iniquitates obruit.

In Evan. Jo. L. 4.

XIII. Idem liquet septimò, incarnationis & Eucharistiæ consonantia si spectetur.

Liquet 7. ex eo quod proximè imitetur Eucharistia incarnationem. Nam quemadmodum dum incarnatur Verbum, ex illibata carne Virginis corpus sibi; ita ex pàne, dum fit Eucharistia, corpus sibi compingit. Quemadmodum illic, ita & hìc Spiritus sancti virtus adest & obumbrat. Quemadmodum denique corpus illud deificatum quotidiani alimenti accessione augescebat, Verbique Deitatem ad hæc sua propagabat incrementa, ita & hic panem in suam vertit substantiam, quam Verbi Deitas totam semper vegetat. Damascenus: *Si volens ipse Deus Verbum factus est homo, & ex sancta Virginis purissimis & illibatissimis sanguinibus, sibi ipsi sine semine carnem fabricavit, non potest panem sui ipsius corpus facere, & vinum aquamque sanguinem?* Et statim: *Nam quemadmodum omnia quæ fecit Deus? Spiritu sancto operante fecit; sic & nunc Spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ sola fides potest capere. Quomodo fiet mihi istud, ait Maria, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas quomodo panis fit corpus Christi, & vinum cum aqua sanguis Christi? Respondeo & ego: Spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur supra sermonem atque intelligentiam.* Et paulò pòst: *Non quod ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quod panis & vinum transmutentur in carnem & sanguinem Dei. Si autem modum requiris quonam pacto fiat, satis sit audire quoniam per Spiritum sanctum: sicut & ex Virgine Deipara sibi ipsi in seipso Dominus carnem compegit.* Utrobique igitur per Spiritum sanctum conflatur Christi corpus, idque nos sumus, ut idem ibidem: *Per illud purgati, unimur corpori Domini & Spiritui ejus, & efficimur corpus Christi.* Ad figuram porro hæc deflectere, quid aliud fuerit quàm quisquilias magno strepitu venditare, & summam Christiani mysterii ad phaleratas redigere nugas? Unde ibidem Damascenus: *Non est figura panis & vinum, corporis & sanguinis Christi: absit: sed est ipsum corpus Domini Deificatum, ipso Domine dicente: Hoc est corpus meum, &c.* Hæc ille, cui imagines defensanti præsidii fuisset plurimum, in cultu huic figuræ nec ab ipsis hæreticis denegato. Absit autem hæc nugandi licentia ab Ecclesiasticis tractatoribus: nec ut panis fiat figura corporis Christi, ejusdem molis res esse jactitetur, atque ipsa Verbi incorporatio prima, & ejusdem Spiritus sancti obumbratione, atque omnipotente virtutis Altissimi nisu perficienda. Absit ut & nos non in aliud, quàm in imaginarium Christi corpus conflemur.

L. 4. fid. Orth. c. 14.

Gregorius Nyssenus: *Quomodo in nobis qui panem vidit, humanum corpus videt quodammodo; quod cum ille in eo fuerit, hoc fit: ita illic quoque quod Deum suscepit corpus, cum panis alimentum accepisset, quadam ratione idem erat quod ille, alimento transeunte in naturam corporis, &c. Rectè ergo nunc quoque Dei Verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari. Etenim panis erat potestate illud corpus, &c. Et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per Dei Verbum & orationem, non eo quidem quod cibo mediante in Dei Verbi corpus evadat: sed quod statim per Verbum in corpus transmutetur: sicut dictum est à Verbo, Hoc est corpus meum.* Ut Mariæ caro in exordia, ut panis & alimenti diurni deinceps substantia in incrementa corporis Christi commutata olim est, an quadrat ita nunc panem dici in Christi figuram commutari? Quis has ferat ineptias? In ipsum ergo Christi corpus mutantur, ut & nos in ipsum, non figura sed re demutemur: unde idem statim: *Manifestatum autem Verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, ut communione divinitatis simul etiam deificetur humanitas. Ea de causa per suæ gratiæ dispensationem omnibus se credentibus inseminat, per carnem, quibus substantia est ex pane & vino, corporibus credentium commixtus, ut unione cum eo quod est immortale sit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtute benedictionis in illud trans elementa eorum quæ apparent natura.* Seriò res agitur, non ludificatoriè. In corpus Christi seriò convertimur; eo ceu incorruptibilitatis semine physicè non figurativè inseminamur; cibus quo pascimur tam verè in Christi corpus demutatus est, quàm quo olim Christus ipse dum mortalis emetiretur vitæ curriculum, vescebatur, quàm ipsa virginea Deiparæ atque intaminata substantia. Individuis nexibus constringuntur sibi hæc omnia, utpote ad Christi corpus perinde pertinentia, ut uno horum labascente, in pessum ruant cætera. Qui ergo Eucharistiæ illudunt, & figuratum appingere ludibria machinantur, ii incarnationem ipsam funditus subruunt, quia incarnationis perpetuatio est Eucharistia.

Orat. Catechet. c. 37.

XIV. Idem liquet tandè, quod per Eucharistiam de Deo saginemur.

Liquet 8. Per Eucharistiam enim non tantùm nova Christo aggenerantur membra, non augescit tantùm Christi corpus tanquam novi saginatione alimenti; sed unusquisque fidelis tanquam in Christum jam reformatus, tanquam Christus ipse Verbo Deo & Christo toto ceu lacte alitur. Clemens Alexandrinus: *Cum Verbum ceu pluviam infudisset Pater, ipsum jam spiritale alimentum factum est bonis & moderatis hominibus. O miraculum mysticum! Unus quidem est universorum Pater. Unum est etiam Verbum universorum; & Spiritus sanctus unus & ipse est ubique. Una autem sola est Mater virgo. Mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit Mater hæc sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul & mater: integra quidem ut virgo, amans ut mater: quæ suos accersens infantulos, sancto lacte, Verbo infantili enutrit. Ideo autem lac non habuit, quod lac esset hic infantulus pulcher & appositus, scilicet corpus Christi, novum catum Verbo nutriens: quem ipse Dominus carnali parturitione peperit, quem fasciis alligavit Dominus pretioso sanguine.* O San-

Pædag. l. 1. c. 6.

sanctum partum! ò anctas fascias. Verbum est omnia infanti; & pater & mater & pædagogus & altor. Comedite inquit carnem meam, & bibite meum sanguinem. Explendet tota incarnationis species interior, nec exterior deficit pompa. Pater Verbum suum impulit, parit virgo & mater, lac est Verbum ipsum Deus, cibus est caro Verbi ipsa. *Alimentum infantium est Dominus, qui est Spiritus & Verbum. Alimentum id est Dominus Jesus, hoc est Verbum Dei, spiritus incarnatus, caro cælestis sanctificata. Nutrimentum est lac Patris, quo solo aluntur infantuli. Ipse itaque qui est dilectus & altor noster, Verbum, effudit pro nobis suum sanguinem, salutem humanæ naturæ afferens, per quem qui in Deum credidimus, ad mamillam Patris, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum confugimus. Illi sunt verè beati, qui hanc lactant mamillam.* Lambebat Christus Virginis parentis ubera & intaminatum lac sugebat: Christianus ipsi labra imprimit Patris Dei mamillæ, & lac Verbum ipsum ebibit, sanguinem carnemque Verbo delibutam exugit. Nempe ille jam ortu suo Deus, lac hauriebat & deificabat maternum: hìc in Deum regenitus sed participatè, de Dei Patris ubere lac Deum Verbum porat, quo penitus deificetur. Aut si mavis, paternam mamillam premet homo Christus, premet quilibet Christianus, ut utrobique eadem Verbi substantia hauriatur. Infrà Clemens: *Si in Christo regenerati sumus, qui nos regeneravit, proprio lacte nutrit, nempe Verbo. Quidquid enim generavit, ei quod generatur, protinus alimentum præbere est consentaneum.*

In Joanné, Hom. 46. In Matth. hom. 83. Chrysostomus Christum ita loquentem inducit: *Parentes sæpenumero liberos suos aliis alendos dederunt, ego autem mea carne alo, me vobis exhibeo, &c.* Et rursus idem: *Veniat tibi in mentem qua mensa fruaris. Ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pavore propter fulgorem qui inde resilit, aspicere possunt: & nos in unam cum illo massam reducimur. Christi corpus unum & caro una facti sumus. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis pastor unquam oves suas membris suis nutrivit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes suos dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi conjungit atque conglutinat.*

CAPUT XXII.

Ecclesia tota Eucharistiæ sacrificio implicatur & immolatur, quia Eucharistia extensio quædam est incarnationis: id rursum ex Latinis Patribus ostenditur.

I. Incarnationis is scopus, ut Ecclesiam carni suæ, carnem suam sibi, atque ita omnia sibi, & per se Patri adunaret Deus Verbum. Ex Hilario.

QUod emensi sumus iter, per nostra eadem remetiri vestigia animus est, Latinorumque Patrum calculis Græcorum sententiam superiore capite expensam confirmare. Consultò enim temperavi mihi ne Latinos Græcosque suffragatores unà congererem, ut recractare eadem ac sæpiùs dissuaviari vacaret Christianæ pietatis delectamenta.

Liquet igitur 1. Ecclesiam universam fidelium illigari Eucharistiæ sacrificio, atque immolari, ex eo quod Eucharistia incarnationem quadantenus cumulet expleatque. Eo enim intuebatur, huncque fructum ex inhumanatione sua demetendum sibi despondebat Deus Verbum, ut carnem sibi suam sigillatim, suæ carni universam conglutinaret Ecclesiam, & per carnem suam sibi, per se Patri Deo; atque ita universa redintegraret, & unitatis paternæ apici, unde per peccatum dissilieramus, nos recolligeret. Hilarius ea de Christo exponens verba: *Hunc Pater* (L. 8. de Trin.) *signavit Deus. Signaculorum ea natura est ut omnem impressæ in se speciei explicent formam, & nihil minus ex eo habeant, unde signentur: & dum totum accipiunt quod imprimitur, totum ex se præferunt, quidquid impressum est, &c. Unigenitus Deus & per sacramentum salutis nostræ hominis filius, volens proprietatis paternæ in se nobis significare speciem, signatum se à Deo ait, & hoc ideo, ut quia vitæ æternæ escam filius hominis esset daturus, per hoc potestas in eo danda ad æternitatem escæ intelligi posset, quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem significantis se Dei contineret: ut quod signasset Deus, non aliud ex se quàm formam Dei signantis afferret.* Hoc planè moliebatur Verbi incarnatio, ut paternæ formæ plenitudo & vitæ æternitas, qua Pater Verbum suum obsignaverat gignendo, qua Verbum naturam nostram impresserat assumendo, eadem nobis per escam hanc mysticam imprimeretur. Sed multò præclariùs libro eodem superiùs differebat Hilarius in hunc modum: *Si verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia in Christo Pater est, & Christus in nobis.* Vides ut incarnationi Eucharistia suffragetur. Illa Verbum carni inserit, hæc carnem illam nobis indit, ut cum ea & per eam Verbo adunemur. Frustraretur autem scopo suo, & infrugifera sterilesceret illa carnis cum Verbo coaptatio, nisi per eam carnem inescaretur affigereturque eidem Verbo universa Ecclesia. *Et ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus in Deo est.* Et ibidem: *Ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur: ac sic perfecta per mediatorem unitas crederetur, cum nobis in se manentibus, ipse maneret in Patre, & in Patre manens maneret in nobis, & ita ad unitatem Patris proficeremus.* Eo collimabat incarnatio, non ut Deus nobis dumtaxat, sed & ut nos Deo colligaremur. Inhumanatione defluxit ad nos Deus: Eucharistia relevamur & resurgimus in Deum, & carne Christi ceu vehiculo ad ipsam Patris Verbo suo immanentis unitatem perducimur.

Etherius & Beatus in idem consonant: *Hic panis & vinum cum comeditur & bibitur, fit corpus & sanguis Verbi. Ita enim Dominus qui in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum, propter misericordiam suam, qui non contempsit quod creavit, in transformationem suam caro factus est, & habitavit in nobis, sicut scitis, quia ipsum Verbum assumpsit hominem, &c. Propter hoc quia factus est homo pro nobis, commendavit nobis isto sacramento corpus & sanguinem suum, quod etiam fecit & nos ipsos. Et nos corpus ipsius facti sumus per misericordiam ipsius, quod accepimus, nostrumque corpus Christi accipimus: & audi quid dicit, quia ipsum corpus nos sumus.* Attende ut Eucharistia incarnationi succenturietur. II. Ex Etherio & Beato, Libro I.

Petrus Cellensis assecutus mentem & ipsa prope verba Hilarii videtur: *Mediantibus pristinis & consuetis speciebus panis & vini carnem veram & verum sanguinem Christi percipimus: intervenientibus verò carne & sanguine agni, Deitati Verbi communicantes, Patri quoque Verbi per ipsum Filium, cooperante & assistente Spiritu sancto, indubitanter accedimus. Et sic ex ipso & per ipsum & in ipso vivimus, movemur, & summus, non sicut qualibet creatura, sed tanquam nova & renovata ad imaginem Dei rationabilis creatura.* En ut carne Christi pervehamur ad Verbum, Verbo ad Patrem, atque ita in unum cum Deo redigamur, qui scopus est incarnationis. Et rursus: *Ut Jesus dispensatione incarnationis suæ cum suis discipulis in Jeru-sa-* III. Ex Petro Cellensi. L. de Panibus c. I. — Ibid. c. 10.

rusalem civitate sancta, panem & vinum in substantiam corporis & sanguinis sui commutando, vivificis altaris mysteriis compleat, & fidelibus suis salutari mysterio usque in finem sæculi tradat. En quid sit Eucharistia; nimirum dispensatio vel effusio incarnationis quædam, qua propagatur & completur, quod præseminatum atque velut oppigneratum fuerat. Eo spectat quod Pacianus Barcinonensis Episcopus Eucharistiæ sacramentum nuncupat *innovationem corporis*: nec enim cum corporascere sempiterno clementiæ consilio constituit Deus Verbum, illud tantùm sibi corpus coaptare decrevit, quod de Mariæ intaminato utero assumpsit; sed universa prædestinatorum agmina incorporare sibi, atque ita incarnationem suam ampliare & usquequaque exporrigere statuit. Est ergo Eucharistia innovatio corporis, iteratio corporationis, perpetuatio incarnationis.

Epist. 1. ad Sympron.

IV. Ex Paschasio Radbert. L. de corp. & sang. Dõ. c. 1

Sed reconditæ hujus Theologiæ medullam penitissimè scrutatus est Paschasius Radbertus; *Ad hoc ergo Verbum caro factum est & habitavit in nobis, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum. Quæ nimirum caro Verbi fit esca in hoc mysterio cibusque fidelium, dum verè creditur esse caro pro mundi vita, neque aliud aliquid quam caro corporis Christi ex qua Christus manet in nobis, ut & nos per eam transformemur in illo, qui nihil alud factus est quam Deus caro dignatione sua, ut habitaret in nobis. Si ergo habitat in nobis & nos membra corporis ejus manemus in illo, justum est quia in illo sumus, ut ex eo vivamus, & ideo carne Verbi pascimur & potamur sanguine.* Hiabat igitur quasi abrupta & suspensa incarnatio, donec per Eucharistiam numeris suis & partibus omnibus expleretur. Jam Verbum caro factum erat, necdum habitabat in nobis, quos per Eucharistiam inhabitare cœpit. Jam Deus hominibus coaluerat assumptione carnis, necdum homines Deo coaluerant esu carnis assumptæ. Jam formam servi Verbum induerat, necdum in divinam speciem reformati nos eramus. Ideò desiderio desiderabat Christus hoc Pascha manducare nobiscum, & coarctabatur, donec impleret illud, quo ipse implebatur, donec perficeret, quo semetipsum perficiebat, donec se nobis commiscendo, corpore suo toto integraretur, nec truncum sine corpore caput foret, sed membrorum suorum numerosa compage solidaretur. Unde idem Radbertus: *Et ideo gaudio gaudet gratias agens Deo Patri, quia jam implebatur quod cum desiderio desideraverat. Assumpserat enim hominem in Deum, quando Verbum caro factum est, ut per eum essemus in illo, sed necdum ille admiscuerat se per carnem & sanguinem suum nobis, ut singuli membra in illo unum essemus corpus. Quia etsi caro nihil prodest per se, Spiritus sanctus est qui vivificat corpus, ut in nobis omnibus unus sit Christus. In uno eodemque vivificamur Spiritu, & manemus in illo per hominem, quem assumpsit, sicut & ipse per hoc mysterium corporis & sanguinis sui in nobis. Et ideo nostræ salutis summa, quia in isto consistit sacramento, desiderio desideravit adimpleri, ut cum suis antequam pateretur hoc verum manducaret pascha; quatenus per hoc antequam se daret in pretium, nos in illo & ipse in nobis unum essemus corpus. Et ideo in cruce nos cum illo simul crucifixi sumus, in baptismo simul consepulti, & in resurrectione simul conresuscitati.* Non ita inflammesceret Christus in inanis & jejunæ figuræ desiderium; nec tanto se amoris æstu flagrare in vacuam imaginem contestaretur. Sed est hauddubio quod æstuet, est quod deflagret, si hoc panis sacramento integrascit ipse, si se nobis, nos sibi ita inserat, ut ad nos quoque dimanet corporascens Verbi Deitas; si membra sua sibi tanquam capiti coaptat, si denique nec passio ejus, nec resurrectio ad nos quidquam pertinet, nisi hac priùs esca cum eo in unum corpus coalescamus. Etenim per nos licèt ut olim carnis imaginibus oblectaretur, ante carnis suæ veritatem Deus Verbum, & illo impatientiam charitatis suæ mulceret solatio, luderet simulacris, & ita veræ humanitati suæ præluderet: At ubi veram semel induit carnem, ut impotenti rursum figurarum desiderio fatigaretur, ex ejus sapientia & dignitate non esset. Quorsum enim desiderium rei fallere & illudere simulacris, ubi res ipsa coram & præ manibus est? Apage ab incommutabili sapientia tam intempestiva hæreticæ insipientiæ figmenta. Denique idem Paschasius: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Verè igitur sicut per naturam Deitatis Deus Pater in Filio est: ita Deus Filius homo per humanitatem carnis in nobis esse jure dicitur, ac per hoc mediator Dei & hominum prædicatur, quia per eum communionem unitatis habemus ad Deum, dum ipse in Patre manens, & in nobis quoque manere dicitur.* Hæc ille in sententiam Hilarii, cujus verba superiùs à nobis relata intexuerat.

Idem c. ult. vel Epist. ad Frucogard.

Ibid. c. 9.

V. Ex Guitmúdo. De Euchar. verit. c. 1.

Nec gravaberis, ut spero, si Guitmundi quoque suffragium paulò prolixius insuam; est enim oppidò quàm luculentum. *Quotidiano experimento cognoscimus, quia intellectus noster, id est, verbum cordis nostri, cum illum quodammodo voce vestimus, ut qui in nostro corde latens, nobis solis cognitus erat, per vocem aliis etiam manifestari possit: eodem tempore & totus in corde nostro remanet; & totus æquè mille hominibus cum assumpta voce sua, quantum in se est, apparere potest; ut non solum ipsum, sed etiam vox qua quodammodo vestitur, ad mille homines eadem simul totaque pertingere valeat. Nemo hoc ipsum de omnipotentis Dei unico & omnipotente & coæterno Verbo, & de carne ejus quam similiter ut nobis ipsum Verbum appareret, vestivit, etsi capere non potest, habere incredibile debet, quod de fragillissimo & transitorio verbo hominis & momentaneis vocibus, vixque existentibus & nunquam prævalet capere, & tamen penè semper experimento habet.* Refricanda obiter memoria est eorum è sanctis Patribus, qui hac verbi humani cum humana foris voce conjugatione copulationem Verbi Dei cum humana carne illustrari ac persuaderi posse existimarunt. Hac eadem autem illuminatur & Eucharistia, utpote incarnationi contexta. Itaque ut mentis nostræ verbum intelligibile sensibili convestitur voce, atque ita sensibus hominum foras se sistit: ita Verbum Deus humana carne amicivit se, & ita demum carnalibus sese conspicuum exhibuit: & hæc est Verbi incarnatio. Iterum ut mentis nostræ Verbum unum cùm sit atque una voce maritetur, innumeris se tamen locis auribusque hominum, nec non & vocem suam citra divisionem aut jacturam repræsentat: ita Verbum Deus cum carne sua quocumque collibuit loco, præsto simul est, citra ullum sectionis discrimen: & hæc Eucharistia est. Si instes autem nihil hæc conferre ad Ecclesiæ in Eucharistia implicationem, faciet satis idem Guitmundus, ita pergens: *Ipsam certe animam nostram corpore quod corrumpitur aggravatam, non particulatim per singula corporis membra dividi, sed in singulis portiunculis totam atque integram contineri beatus Augustinus validissimè probat. Qui ergo hanc animæ nostræ potentiam præbuit, ut una eademque & indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat: quare suæ propriæ carni id dignitatis, si vult, dare non valeat, ut ipsa in diversis sui cujusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus, tota simul & indivisa possit haberi: cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiæ, imò multo melius per Dei gratiam, vita caro Salvatoris? Per animam quippe fit, ut corpus utcumque temporaliter vivat; per carnem vero Salvatoris agitur, ut Ecclesia non quomodocumque, sed beatè in æternum vivat.* Hoc molimen est, hoc operæ pretium Eucha-

chariſtiæ, ut caro Chriſti quæ totam ebibit Verbi Dei vitam, & quæ vita ipſa jam eſt, tanquam anima invadat totum Eccleſiæ corpus: illud impleat, vegeterque univerſum; hoc eſt, ut fideles omnes ſibi adglutinet & compaginet, ab eadem Verbi ſubſtantiva vita recreandos.

VI Quodá ſuo modo aſſumpta eſt à Verbo õnis natura, nempe dum carni Chriſti in Euchariſtia cõniſcetur omnis Eccleſia. In Pſal. 51.

Liquet 2. ex eo, in quod Paulo Apoſtolo conſentiunt Patres omnes axiomate, incarnatione aſſumptam eſſe à Verbo humani generis quodam ſuo modo univerſitatem. At id perfunctoriè dicitur, niſi aſſuatur incarnationi Euchariſtia, & per hanc illa ad omne genus hominum diffundatur. Hilarius: *Natus enim ex Virgine Filius, non tum primum Dei Filius eſt cum Filius hominis, ſed in Filio Dei & Filius hominis, ut & Filius hominis eſſet Dei Filius, naturam in ſe univerſæ carnis aſſumpſit per quam effectus vera vitis, genus in ſe univerſæ propaginis tenet.* Et infrà: *Univerſis patet, ut ſint conſortes corporis Dei atque regni, quia Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, naturam ſcilicet in ſe totius humani generis aſſumens.* Et alibi: *A dominatu vitiorum animam liberavit Dominus, anteriora delicta non reputans, & nos in vitam novam renovans, & in novum hominem reformans, conſtituens nos in corpore carnis ſuæ. Ipſe eſt enim Eccleſia, per ſacramentum corporis ſui in ſe univerſam eam continens.* Continet in ſe univerſam Chriſtus Eccleſiam, imò ipſe eſt Eccleſia, idque per ſacramentum corporis ſui, quod perinde licet interpretari de incarnatione atque de Euchariſtia. Utrumque enim corporis ſacramentum eſt, utroque inſeritur Chriſto Eccleſia, Eccleſiæ Chriſtus. — In Pſal. 125

VII. Per Euchariſtiã efficimur corpus Chriſti, ita extenditur corporatio Verbi. Serm. 14. de Paſſione.

Liquet 3. quia per Euchariſtiam Chriſti corpus efficimur, ergo & hìc incorporatur atque incarnatur Verbum. Leo Magnus: *Ut ſuſceptus à Chriſto, Chriſtumque ſuſcipiens, non idem ſit poſt lavacrum, qui ante baptiſmum fuit, ſed corpus regenerati fiat caro crucifixi.* Si per baptiſmum quis fit caro Chriſti, quid per Euchariſtiam? Unde idem ſtatim: *Dum fermento veteris malitiæ abjecto, nova creatura de ipſo Domino inebriatur & paſcitur. Non enim aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm ut in id quod ſumimus tranſeamus, & in quo mortui, & conſepulti, & conreſuſcitati ſumus, ipſum per omnia & ſpiritu & carne geſtemus.* In corpus igitur Chriſti concreſcimus, in nos ergo corporatur Verbum: unde & tota Verbi in corpore ſuo vita, mors, reſurrectio nobis ut ejus corpori ſtatim imprimitur.

Serm. de Cœna Domini

Pſeudo-Cyprianus: *Ut ſciremus quod manſio noſtra in ipſo ſit manducatio, & potus quaſi quædam incorporatio.* Et infrà: *Sed & nos ipſi corpus ejus effecti ſacramento & re ſacramenti, capiti noſtro connectimur & unimur ſinguli alter alterius membra.* Et in Elucidario apud Anſelmum: *Ut corpus capiti inhæret, & ab eo regitur, ita Eccleſia per ſacramentum corporis Chriſti ei conjungitur, imò unum cum eo efficitur, à quo omnes juſti in ſuo ordine, ut membra à capite gubernantur.* Infra ibidem: *Sicut eſca in carnem comedentis vertitur, ita quiſque fidelis per comeſtionem hujus cibi, in corpus Chriſti convertitur.*

Cap. 19.

Paſchaſius Radbertus: *Non ſicut quidam volunt, anima ſola hoc myſterio paſcitur, quia non ſola redimitur morte Chriſti & ſalvatur: verùm etiam & caro noſtra per hoc ad immortalitatem & incorruptionem reparatur. Carni quidem caro ſpiritualiter conviſcerata transformatur, ut & Chriſti ſubſtantia in noſtra carne inveniatur, ſicut & ipſe noſtram in ſuam conſtat adſumpſiſſe Deitatem.* Audin ut ita nos Chriſti caro ad ſe adſumat, ſicut ipſa à Verbo aſſumpta eſt: ut cenſus carnis aſſumptæ & acceſſio ſimus, ſicut ipſa Verbi & cenſus & acceſſio eſt: atque ita tandem Verbi quoque cenſus & acceſſio ſimus, cùm carnis ſuæ cenſum opeſque omnes Verbum ſibi ſemel vendicarit?

Algerus bellè philoſophatur, uſque adeo Eccleſiam in Euchariſtia eſſe corpus Chriſti, ut Euchariſtia ſacramentum ſit corporis Chriſti, id eſt Eccleſiæ; cujus unitas hìc ſignatur, hìc præſto eſt, hìc ſumitur. *Quia igitur corpus Chriſti ſumus & Chriſtus ſumus, ita ut etiam in altari eodem ſacramento ſignemur, cum panis Dominicus corpus Chriſti ſit in ſeipſo & corpus Chriſti in Eccleſia: mirabili unitatis gratia nos ad ſe pertinere voluit, cum myſterium noſtrum ſicut & ſuum in ſacramento altaris, ne moriamur, ſumere nos conceſſit; ita ut etiam myſterium ſuum in veritate corporis ſui ſumptum nulli proſit, niſi myſterium ſuum, ſocietatem ſcilicet Eccleſiaſticam ſacramento eodem aſſumpſerit; quia ſicut caput non eſt vitale ſine corpore, ſic Chriſtus nulli vitam confert ſine unitate corporis Eccleſiæ. Sed nec myſterium noſtrum ullatenus in ſacramento corporis Chriſti ſit ſine ſuo, ut ſicut per dilectionem unum ſumus invicem, ſic & plus etiam cum eo, quatenus ſicut ipſe in nobis, ſic & nos maneamus in ipſo, quia cùm à corpore ſuo ſit indiviſus, nec in ſacramento ſuo veraciter ſumi dicitur Chriſtus, niſi ſumatur univerſus, ſuo & noſtro myſterio nobis incorporatus.* Quo uberius nihil, nihil elegantius dici potuit. Uſque adeo Eccleſia corpus Chriſti eſt, ut in Euchariſtia devoretur Eccleſiæ unitas & univerſitas; ut Euchariſtia myſterium ſit tam Eccleſiæ quàm Chriſti; ut totus non ſumatur Chriſtus, niſi ſumatur univerſus, id eſt, ut Eccleſiam univerſam cùm complexus; ut denique velut exectum & exangue atque inutile caput ſumatur in Euchariſtia Chriſtus, niſi cum Eccleſia corpore ſuo adſumatur. Nec id commentus eſt Algerus, ſed ab avita Pauli & Paulum interpretantis Auguſtini Theologia exprompſit; ut ibidem ab eodem attexta hæc Auguſtini verba fidem faciunt: *Apoſtolum audi dicentem, Vos eſtis corpus Chriſti, ſi ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum eſt, myſterium veſtrum accipitis, ad id quod eſtis, reſpondetis, Amen. Eſto membrum corporis Chriſti, ut verum ſit Amen tuum.* — L. 1. de Sacr. c. 3.

Auguſtinus idem; *Ergo Euchariſtia panis noſter quotidianus eſt, ſed ſic accipiamus illum, ut non ſolum mente, ſed & ventre reficiamur. Virtus enim ipſa, quæ ibi intelligitur, unitas eſt; ut redacti in corpus ejus, effecti membra ejus, ſimus quod accipimus.* Comedit ergo & comeditur Eccleſia, ut quę corpus Chriſti & Chriſtus ſit. — Serm. 9. de diverſis c. 7.

Liquet 4. quia non adumbratè, non ſimulatione aut ludibrio, ſed phyſicè & naturaliter per Euchariſtiam Eccleſia corpus Chriſti efficitur. Diſertè Hilarius naturali huic & ſubſtantivæ patrocinatur unitati, eique inculcandæ plurimus incumbit, ut adducto hoc exemplo unitatem inter Patrem & Filium Deum non ſolo voluntatis conſenſu, ſed ſubſtantiæ nexu demonſtret cohærere: *Quiſquis ergo naturaliter Patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter, vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe, quia in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis, unum in his eſſe nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille quia ex Maria virgine natus fuit, Chriſtus eſt, noſque verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in eo eſt & ille in nobis, quomodo voluntatis unitas aſſeritur, cùm naturalis per ſacramentum proprietas perfectæ ſacramentum ſit unitatis?* Urgentiſſimè naturalem inſtruit unitatem, qua Pater Filio, qua nobis Filius, qua nos Filio conſibulemur. Unitas enim voluntatis & charitatis, plurimi illa quidem momenti eſt, & ingentis ad ſalutem præſidii, ſed niſi ſubſtantiæ quoque coalitione ſolidetur nec tuta ſatis eſt, nec unitatem trinæ Deitatis ſatis accuratè imitatur. Ab illo enim ſummo unitatis faſtigio degenerare non debet, quæ citima illi eſt & maximè affinis. Igitur quia ſubſtantivo nexu ſociantur divinæ hypoſtaſes, atque ita ſupremum unita-

VIII. Phyſicè & ſubſtãtivè per Euchariſtiam carni Chriſti copulatur & concorporatur Eccleſia. Ex Hilario. L. 8. de Tri.

unitatis extollunt apicem imitandum, substantivo quoque nexu & naturali vinculo colligatur Deitas carni, caro deificata Ecclesiæ. *Sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cùm nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, & in Patre manens maneret in nobis, & ita ad unitatem Patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter secundùm nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quàm autem in nobis naturalis hæc unitas sit, ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Desciscunt ergo à fide principalis in uno trinoque Deo unitatis, qui perfunctoriam obtrudunt charitatis, germanam autem diffuunt substantiæ unitatem vel Christi nobiscum, vel nostrum omnium cum Christo. Non quo charitatis unitati insultemus, sed quod ea tum denique nihil nutet, cùm substantiæ quoque cohæsionem adepta est. Qui figurarum ludibrio sacramentum istud carnis & sanguinis Christi corruperunt, quam amabo nobis concinnabunt naturalem cum Christi carne, ac per eam cum Verbo Verbique Patre Deo unitatem? Quæ usquam enim cum carne unitas, quæ absit, & per imaginem tantùm adsit? An per fidem & charitatem adunari illi satis est? An fide extorris & charitatis alienus est qui ita sapit, vel qui tantum desipit? Quorsùm enim Verbum carni nostræ physicè illabitur per incarnationem, si fidei & charitatis fibula abundè erat? Quorsum Patris cum Filio unitas ostenditur, si tam longè ab ea decolor nostra unitas deficit? *Hæc idcirco à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantum inter Patrem & Filium unitatem hæretici mentientes, unitatis nostræ ad Deum exemplo utebantur, tanquam nobis ad Filium & per Filium ad Patrem obsequi tantùm ac voluntate religionis unitis, nulla per sacramentum carnis & sanguinis, naturalis communionis proprietas indulgeretur, cum & per honorem nobis datum Dei Filii, & per manentem in nobis carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter unitis, mysterium veræ ac natralis unitatis sit prædicandum.* Vide à quibus & quo consilio conficta sit accidentaria & quasi per figurarum inanitates nostra cum Chisto unitas, nimirum ab Arianis uni Trinæque Deitati insidiantibus, & hac machina substantivam ejus unitatem dissipare molientibus. His se parentibus jactent, hac sibi blandiantur antiquissima hæreticæ propaginis nobilitate Novatores.

IX. Ex Pseudo Cypriano. Serm. de cœna Dom. Quibus ex Hilario ita præstructis, proclive erit jam nodum extricare, quem implicuit Pseudo-Cyprianus his verbis: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur & latebat divinitas, ita in sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta devotio, & ad veritatem, cujus corpus & sanguis sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, usque ad participationem spiritus. Non quod usque ad consubstantialitatem Christi, sed usque ad societatem germanissimam ejus hæc unitas pervenisset. Solus quippe Filius Patri consubstantialis est, nec divisibilis, nec partibilis substantia Trinitatis: nostra verò & ipsius conjunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat & confœderat voluntates.* His naturalis & substantiva unitas videtur dilui, cujus patrocinium profitemur: dicitur enim nostra cum Christo unitate, affectus consociari & voluntates, non misceri personas, non uniri substantias, nec consubstantiales nos Christo fieri. At si cominus rem dispicias, nihil reluctatur hic locus, obsecundat autem non parum nostræ sententiæ. Docet enim panem non effigie, sed natura mutari, & omnipotentia Verbi fieri carnem, & divinam ei infundi essentiam. Cùm ergo hoc pane vescimur, utique caro & deitas Christi nobis physicè, non umbratiliter commiscetur. Consubstantialitas autem abnuitur, nempe spiritus, & cum deitate; nec enim in unam cum deitate vel naturam, vel personam coimus: Solus enim Filius, ut ait, consubstantialis est Patri, nempe Deus Deo: at qua homo est, consubstantialis nobis est, & concorporeus, unde cum eo in substantiam unam glutinamur, & in unam Ecclesiæ personam.

X. Ex Eligio. Hom. 8. S. Eligius Noviomensis Episcopus: *Sicut verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, ita vera est caro & verus est sanguis ejus, quem ad manducandum & potandum in mysterio sumimus, sicut ipse testatur. Et nos qui verè sub mysterio carnem & sanguinem corporis ejus sumimus, per ea naturaliter unum cum illo efficimur.* Tantidem interest vera sit in Eucharistia, atque in incarnatione Christi caro, quia quod hæc cœptat, illa expugnat, ut naturalem & substantivam cum Deo unitatem contrahamus, & *naturaliter unum cum illo efficiamur.*

XI. Ex Paschasio & Guitmundo. Cap. 9. Paschasius Radbertus: *Hæc itaque unitas non sicut hæretici volunt, sola voluntate inter Patrem & Filium prædicatur, sicut multitudinis credentium in Jerusalem dicitur cor unum & anima una fuisse. Sed nos Patrum vestigia sequentes credere oportet, quod Deus ex Deo substantialiter genitus, naturaliter hoc est quod Pater, ac per hoc unitate naturæ Pater & Filius unum esse probantur. Nec non & Christus hodie in nobis non solum per concordiam voluntatis, sed etiam per naturam in nobis, sicut & nos in illo, rectè manere dicitur.*

Guitmundus loco supra relato cum carnem Christi vitam Ecclesiæ, animamque ita esse docuit, & verius quàm sit anima vita corporis, & sicut una anima omni inest individua corpori, ita carnem Christi omnibus Ecclesiæ artis indivisam adesse, physicam utrique & substantivam demonstravit unitatem Christi cum Ecclesia, hoc est, animæ cum corpore. Lib. 1.

Liquet 5. ex scripturæ verbis prout ea superiùs laudati Patres commentati sunt: nam & ex Evangelicis & ex Paulinis vocibus naturalem in Christi corpore insertionem Ecclesiæ unanimiter elicuerunt. Parco tempori ne eadem rursus fastidiosè repetam.

XII. Cibus in unam substantiā confluit cum vescente. Liquet 6. Quod cum Christus Ecclesiæ sit cibus & potus, in unam necesse sit, confluat cum ea substantiam. Leo Magnus: *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm ut in id quod sumimus, transeamus.* Serm. 14. de Passione. Elucidarium apud Anselmum: *Sicut esca in comedentem vertitur, ita quisque fidelis per comestionem hujus cibi in corpus Christi convertitur. Igitur per fidem mundi vitiis & concupiscentiis Christo concrucifigimur, & in baptismate Christo consepelimur, ideo & ter immergimur: per cibum corporis ejus ei incorporamur, & ideo necesse est, ut illuc quo Christus est pertransferamur.* Paschasius Radbertus: *Verbum Patris quod caro est, & quod semel factum est, quotidie fieri non dubites, dum per hoc caro & sanguis cibus noster efficitur, ad hoc quippe ut & nos ejus corpus simus.* Audis enucleatè dictum, semel quidem Verbum carnem factum esse, & indubitanter tamen hoc ipsum quotidie fieri, dum quotidie corporatur, quando nobis incorporatur Verbum. Et infrà convivium & convivam Christum esse docet, quando Christo nos saginamur, quod convivii & convivæ una fiat substantia: *Ubi profectò Christus convivium & conviva noster simul esse voluit. Per hoc ergo quod nos corpus ejus sumus, de carne & ossibus ejus, ille nobiscum illud bibit novum in regno Patris, &c.* Cap. 12. Ibid. c. 11.

XIV. Etiā in Eucharistia formatur Christus de Spiritu sancto. Liquet 7. ex eo quod peræquè de Spiritu sancto concipiatur Christus in Eucharistia atque in incarnatione. Fulgentius: *Quando autem congruentius quàm ad consecrandum sacrificium corporis Christi,*

sti, sancta Ecclesia quæ corpus est Christi, Spiritus sancti deposcat adventum, quæ ipsum caput suum secundùm carnem de Spiritu sancto noverit natum. Petrus Cellensis: *Gratia naturæ usum & cursum transiliens, sicut carnem Virginis in carnem Christi sanctificando creavit & creando sanctificavit, sic de pane mirabili conversione efficit corpus Christi, &c.* Paschasius Radbertus: *Unde nec mirum si Spiritus sanctus qui hominem Christum in utero Virginis sine semine creavit, etiam ipse panis ac vini substantiam, carnem Christi & sanguinem invisibili quotidie potentia, per sacramenti sui sanctificationem operatur*. Et mox: *Quia Christum vorari fas dentibus non est, voluit in mysterio hunc panem & vinum verè carnem suam & sanguinem consecratione Spiritus sancti potentialiter creari, creando verò quotidie pro mundi vita mysticè immolari: ut sicut de virgine per Spiritum vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis ac vini mysticè idem Christi corpus & sanguis consecretur*. Rupertus: *Quia de Spiritu sancto qui æternus est ignis virgo illum concepit, & ipse per eundem Spiritum sanctum, ut Apostolus ait, obtulit semetipsum hostiam vivam Deo viventi, eodem igne assatur in altari: operatione namque Spiritus sancti, panis corpus, vinum fit sanguis Christi*. Ita alludit per omnia Eucharistia incarnationi.

L. 5. ad Mon. c. 20. — L. de Panibus. c. 1. — Cap. 5. 4. — L. 2. In Exod c. 10.

XIV. Ut incarnatione, ita Eucharistia lactescit nobis sapiêtia æterna.

Liquet 8. Quia lac infantiæ nostræ incarnatio Verbi est, Eucharistia est: utroque mysterio tanquam uno idem perficitur, ut lactescat nobis æterna sapientiæ intelligibilis esca, ad quam assurgere impar adhuc est nostra infirmitas. Nam cibus quo in mensa grandiores aluntur, is ipse à nutrice assumptus & lactescens parvulo immulgetur. Veritas sempiterna qua saginantur Angeli, qua primi parentes ante culpam alebantur, nobis peccati merito in infantiam retroactis, per incarnationem & per Eucharistiam lactescit. Augustinus: *Et quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inveniebam, donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem & dicentem: Ego sum via, veritas, & vita: & cibum cui capiendo invalidus eram, miscentem se carni, quoniam Verbum caro factum est, ut infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia*. Hoc contulit igitur incarnatio Verbi, ut cibus grandium infantibus accommodaretur & lactesceret. Et alibi idem: *Et enutries me, ut validus sim ad manducandam escam qua pascis Angelos. Hic enim lacte nos nutrit, qui nobis cœlestem cibum promisit, & usus est materna misericordia. Sicut enim mater lactans eandem escam, cui sumendæ idoneus infans non est, per carnem trajicit, & lac infundit; hoc enim accipit parvulus, quod accepturus erat ad mensam: sed quod per carnem trajicitur, congruit parvulo; sic Dominus sapientiam suam ut lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos*. Incarnatio igitur Verbi est temperamentum veritatis ad parvulorum patientiam lactescentis. Ad Eucharistiam verò hæc pertinere quis ambigit? ibi enim Christo nobis coaptato & contemperato pascimur. Unde: *Qui mandavit nubibus desuper, & pluit manna, & panem cœli dedit eis, &c. Non est ineffi-cax dare credentibus verum ipsum de cœlo panem, quem manna significabat, qui verè cibus est Angelorum: Quod Dei Verbum corruptibiles incorruptibiliter pascit, quod ut manducaret homo, caro factum est & habitavit in nobis*.

Confess. L. 7. c. 18. — In Psal. 30. — Idē in Psal. 77.

Sed perspicuè Eucharistiam incarnationi contexuit Augustinus idem: *Dominus noster Jesus Christus in corpore & sanguine suo voluit esse salutem nostram? Unde autem commendavit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, non manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cœlestes Spiritus, & manducant, & saginantur, & integrum manet, quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans, sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est & habitavit in nobis. Saginantur illo Angeli, sed semetipsum exinanivit, ut manducaret panem Angelorum homo: humiliavit se factus obediens usque ad mortem crucis, ut jam de cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini: novum sacrificium, &c.* Adverte animum ad novum sacrificium, ad panem incarnatum, ad cibum cœlestem carne trajectum, & ita nobis puerascentibus adhuc lactescentem. Ex his enim emergit protinus quod molimur, & sacrificium in Eucharistia peragi, & hanc esse incarnationis propagationem quandam, & ad omnem Ecclesiam eam exporrigi. Lac enim & eadem substantia est cum solido supernè cibo, & eadem rursus substantia fit cum puero lactente: hoc itaque lacte concorporeus & consubstantialis ac consanguineus fit fidelis quisque cum Christo. Porro si incarnatio non est nisi angelici cibi, seu veritatis incommutabilis trajectio per carnem, & conversio in lac parvulis temperatum, hoc ipsum est Eucharistia; imo hoc ipsum non est cumulatè nisi Eucharistia. Nam hoc ita sola incarnatione lactescit Verbum, ut vesci eo possint parvuli, nisi per Eucharistiam temperetur adhuc & ita lactescat, ut parvulis irrigari possit. Verbo igitur Deo in lac temperando primùm carnis natura obducitur, rursum panis & vini obtenditur species, & ita demum lactescit. Quis non hic autem explodat amandetque longissimè figurarum mendacia, à quibus non infantiæ lac, quo coalesceremus Christo & in virum perfectum grandesceremus, sed fraudulentiæ virus exprimeretur.

In Psal. 33.

CAPUT XXIII.

Eucharistia Melchisedeci cum Sacrificium est humilitatis, unitatis, deificationis, eoque ulterius liquescit hanc esse incarnationis extensionem.

I. Dei exinanitio hominis deificatio, Dei & hominis adunatio in Incarnatione & Eucharistia. Ac primum de exinanitione & humilitatis sacrificio ex Augustino. In Psal. 33.

O Verbum caro factum est, quo exinanivit semetipsum, quo sociavit se nobis, quo in veritatis suæ consortium nos adscivit. Est itaque incarnatio humilitatis, unitatis, & deificationis sacrificium. Est hoc ipsum Eucharistia, ut statim patefiet: est ergo Eucharistia perennis quædam incarnatio.

Quod humilitati dicatum sit Eucharistiæ sacrificium, jam strictim ex Augustino eluxit; *Unde autem commendavit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur*. Et statim causam attexit, quamobrem comedi à nobis & bibi, nisi humilitatis condimento non potuerit: *Respice altitudinem ipsius, In principio erat Verbum, &c. Ecce cibus sempiternus: sed manducant Angeli, &c. Quis autem homo posset ad illum cibum? &c. Oportebat autem ut mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret, &c. Per humilitatem mamillæ, &c. Videte ergo humilitatem, &c. Verbum illud quo pascuntur Angeli sempiternum, semetipsum exinanivit ut manducaret panem Angelorum homo, humiliavit se factus obediens usque ad mortem crucis, ut jam de cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini, no-*

vum

vum sacrificium, &c. Hæc summa humilitatis est, quòd incorruptibilis Angelorum cibus, æterna veritas, ut infantiæ nostræ cibus esset, incarnari & lactescere voluerit, ad pueritiæ denique nostræ cunas deflectere. Unde paulò pòst idem Augustinus Christum cum Davide componens, apud Regem Achis insaniente sobriam insaniam: *Decurrebant super barbam David salivæ. Quid sunt salivæ? Quasi verba infantilia. Salivæ enim currunt infantibus. Nonne erant tanquam infantilia verba, Manducate carnem meam, & bibite sanguinem meum? Sed ista infantilia verba tegebant virtutem ipsius. Virtus enim in barba intelligitur. Salivæ igitur decurrentes super barbam ejus, quid sunt, nisi verba infirma, virtutem ejus tegentia?* Ergo Eucharistia est infirmum Dei, stultum Verbi, sapientiæ balbuties, exinanitio æternæ veritatis, humilitas æterni cibi ad pueritiæ nostræ mollitudinem defluentis & lactescentis. Ibidem Augustinus: *Cum commendavit ipsum corpus suum & sanguinem, accepit in manus suas quod norunt fideles, & ipse se portabat quodammodo cum diceret, Hoc est corpus meum. Et procidebat ad ostia portæ, id est, humiliavit se.* Eadem ferè leguntur & alibi. Quocirca ad humilitatem maximè hortatorium est istud Ecclesiæ sacrificium: unde rursum: *Præcipiens nubi ut sit super terram, carni suæ, ut per sacramentum accipiatur in memoria ejus ad imitationem humilitatis & formationem charitatis.* Sed scitissimè, quàm una sit unumque in scopum collimet tum incarnationis, tum Eucharistiæ humilitas; *Donec amplecterer mediatorem Dei, &c. cibum cui capiendo invalidus eram, miscentem se carni, quoniam Verbum caro factum est, ut infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Jesum Christum humilis humilem: nec cujus rei magistra esset ejus infirmitas noveram. Verbum enim tuum æterna veritas superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam, in inferioribus autem ædificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret à seipsis & ad se trajceret, sanans tumorem & nutriens amorem: ne fiducia sui progrederentur longiùs, sed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmatam divinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens levaret eos.* Hoc arcanum est penetrale incarnati & sub pane mystico latitantis Verbi, huc vergit tota ejus humilitas; ut superbientes ei inhæerescant infirmato, & detumescant; unà prosternantur, unà resurgant.

Ser. 127. de Tempore L. Anno. in Jo.

Confess. l. 7. c. 18.

II. Ex Gregorio Magno. Hom. 32. in Evan.

Astipulatur Augustino Gregorius Magnus, nec vel incarnationis, vel Eucharistiæ, vel sacrificium ullum omnino, nisi humilitate primùm condiatur, acceptum Deo fore auguratur. Cujus dogmatis fundamentum præstruit in hunc modum: *Dicat ergo veritas, dicat: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat: nec valet apprehendere quod ultra ipsum est, si nescierit mactare quod est.* Cùm sacrificio igitur sustollatur ad Deum Sacerdos, priùs à se deficiat, ut ad Deum proficiat: priùs mactet quod est, ut eluctetur in id quod ultra est. Extingui autem intus sibi & mactari unumquemque humilitate, idem palam facit: *Magnus ergo unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat: ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat intus quod erat.* Spiravit autem humilitatem sacrificium Christi, seu dum incarnatur; etenim exinanivit semetipsum: *Bene dicitur quod corruens adoravit, quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit:* ait Gregorius: seu dum patitur; unde idem Gregorius: *Adoravit quippe, quia in exemplum electorum se Deo Patri totum humilem & abjectum per obedientiam præbuit. Immolavit autem, quia qui nobis exempla humilitatis vivendo dedit, se Deo Patri in ara crucis oblationem & hostiam tradidit:* seu denique dum manducatur & bibitur, quia & incarnationis & mortis humilitas tum replicatur.

Ibi, hom. 7.

Mor. l. 2. c. 22. L. 1. in L. 1. Reg.

III. Ut unitatis sacrificium sit Eucharistia, ex Dionysio.

Quod unitati autem stringendæ arctiùs, serviat Eucharistiæ sacrificium, quanquam ex antedictis abundè eliquatum sit, non gravabimur rei pulcherrimæ aliquantò prolixiùs contemplandæ immorari.

Et primùm quidem nomen ipsum Communionis & Synaxeos, quo sacramentum istud singulari præ cæteris gloria insignitum jam ab ipsis Ecclesiæ cunabulis eminet, argumento est, hoc caput esse & vinculum totius, qua & Deo & nobis ipsis constringimur, unitatis. Ita sentit Dionysius, ubi inquirit quamobrem hoc unum sacramentum appellitetur κοινωνία & σύναξις, cùm cætera quoque ad unitatem Deiformem nos colligant à dispersione & multitudine sensibilium. Concludit autem cætera ab hoc nusquam dissociari sacramenta, & refusa hujus vi atque efficacia, ad unitatem cum Deo coeundam valere. *Primum itaque illud sanctè videamus, quam ob causam id quod præcipuis quoque aliis sacramentis commune est, huic per excellentiam præ cæteris sit attributum, ut singulariter communio & synaxis appelletur: cùm unumquodque sacramentum divisas quoque vitas nostras ad uniformem colligat deificationem, atque deiformi dissitorum coagmentatione cum illo uno communicet vivatque. Dicimus igitur cæterorum hierarchicorum symbolorum participationibus, ex hujus divinis perfectivisque muneribus accedere consummationem. Vix enim fas sit ullam hierarchici muneris obire functionem, nisi divinissima Eucharistia, cujuslibet initio consecrationis, cum illo uno perficiat conjunctionem.* Ex quo concludit imperfecta fore cætera sacramenta, nisi huic contexantur, à quo vim illam depromunt, qua nos à multitudinis deformitate avulsos uni summo pulchro affigunt.

Eccl. Hier. c. 3.

IV. Ex Chrisost. Hom. 24. in Ep. 1. ad Corinth.

Chrysostomus quoque indagat cur à Paulo κοινωνίᾳ dicta sit eo loco: *Et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Acquiescit autem Dionysio, arctissimam hinc unitatem dimanare: *Cur non dixit, participatio? Quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare conjunctionem. Non solùm enim eo quod participamus & sumimus, sed etiam eo quod unimur, communicamus. Quemadmodum enim corpus illud unitur Christo, sic & nos ei per hunc panem unimur.*

V. Ex Cyprian. L. 1. Epist. 6.

Deo Dionysius, Christo Chrisostomus, sibi ipsis mutuò fideles hoc sacramento adunari tradit Cyprianus; *Et idcirco Dominus insinuans nobis unitatem de divina authoritate venientem, ponit & dicit: Ego & Pater unum sumus. Ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam denuo dicit, Et erunt unus grex & unus pastor, &c. Denique unanimitatem Christianam firma sibi atque inseparabili charitate connexam etiam ipsa dominica sacramenta declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat, indicat adunatum.* Et alibi: *Quando in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, &c. Quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta & commolita & commista panem unum faciunt, sic in Christo qui est panis cælestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus est noster numerus & adunatus.* Quæso te quid incarnatione sua meditabatur Christus, quàm quod Eucharistia assecurus est, ut nos sibi, nos Deo, nos nobismet conciliatos indivulsè devinciret, ut medium maceriæ parietem dirueret, ut peccata quæ separant inter nos & Deum tolleret, ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum, ut corpus suum denique partibus omnibus coagmentatum perficeret in augmentum Dei? Hoc unum, hoc totum Christi sacrificium

L. 3. Epist. 3.

ficium est, hoc universim sacrificium est; unde idem Cyprianus: *Dissidentem, ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus & Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra, & fraterna concordia, & de unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti plebs adunata.* Ab hoc capite descendit & ad hoc recurrit nostra unitas, & Christus per sanguinem crucis suæ pacificavit sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis.

De Orat. Dom.

Sed eximius ante alios hujus interpres & præco unitatis est Augustinus, qui & illam ex omnibus ferè Christi verbis odoratus est expirari. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Signum quia manducavit & bibit hoc est, si manet & manetur: si habitat & inhabitatur: si hæret ut non deseratur. Hoc ergo nos docuit & admonuit mysticis verbis, ut simus in ejus corpore, sub ipso capite, in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus.* Huic uni maximè rei consecrabatur incarnatio Verbi, ut electos omnes in Christi corpus colligeret, & inexpugnabili unitatis vinculo constringeret; id præstat Eucharistia.

VI. Ex Augustino, qui multifariam ex Scripturis id colligit. In Joan. Tr. 27.

Rursum idem exculpitur ex his Christi verbis, *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* In quæ verba Augustinus: *Non ita est in hac esca, quam sustentandæ hujus corporis vitæ causa sumimus. Nam qui eam non sumpserit, non vivet: nec tamen qui eam sumpserit, vivet: fieri enim potest ut senio, vel morbo, vel aliquo casu plurimi qui eam sumpserint, moriantur. In hoc verò cibo & potu, id est, corpore & sanguine Domini non ita est: nam qui eam non sumit, vitam non habet; & qui eam sumit, habet vitam, & hanc utique æternam. Hunc igitur cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis & vocatis & justificatis, & glorificatis sanctis & fidelibus ejus.* En unde religata pendeat, & à qua demum esca oriatur vitæ beatæ æternitas, à pane & vino Eucharistico scilicet, hoc est, à societate Christi & Ecclesiæ, qua esca pascitur, quisquis repascitur sacramenti hujus. Frustrari enim æterna vita non potest, quisquis huic beatæ inseparabiliter coaluit societati, eamque devoravit, & ab ea vicissim absorptus est.

Ibidem.

Rursum id exprimitur ab his Christi vocibus: *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus.* Quæ ab Augustino ita expediuntur tractatu eodem: *Cùm enim cibo & potu id appetant homines, ut neque esuriant, neque sitiant: hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit: id est, societas ipsa sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena atque perfecta. Propterea quippe sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur & constat: aliud in unum ex multis acinis confluit.* En qui verus cibus potusque, esuriem sitimque omnem compescat penitus & elidat, qui nempe immortalitatem indat, societas videlicet ipsa sanctorum, verum Christi corpus & sanguis verus, ubi pax & unitas plenissima. Unde ibidem Augustinus: *O sacramentum pietatis! ò signum unitatis! ò vinculum charitatis!* Et alibi: *Sacrificium pacis, sacrificium charitatis, sacrificium corporis sui.*

In Psal. 21.

Rursum hoc ipsum elucescit ex eo, quod qui simulata specie sua Christus, vel offusa discipulis caligine fefellerat, in sacramento panis explenduerit, & agnitus sit. Quod arcanum propalat Augustinus; *Quorum oculi tenebantur, ne agnoscerent eum. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus, sed tamen à Christo est facta permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.* Caligantibus animis affulsit lumen ab esca sacra, qua unitas Ecclesiæ prætendebatur.

L. 3. de Cõs. Evã. c. 25.

Rursum id declarat Apostolus, *Unus panis, unum corpus multi sumus.* Unde Augustinus: *Qui ergo est in ejus corporis unitate, id est, Christianorum compage membrorum, cujus corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt, ipse verè dicendus est manducare corpus Christi, & bibere sanguinem Christi.* Sumus ergo illud corpus, & comedimus illud corpus, & tum verè comedimus, cum quod comedimus sumus. Sumus enim ex Apostolo *unus panis*, qui comeditur; & *unum corpus*, quod comedit. Idem ergo comedit & comeditur, ut Christus conviva & convivium est. Qua unitate strictior sanctiorque ne fingenti quidem occurrere potest.

L. 21. Civ. c. 25.

Rursum id minùs mirabitur, qui unitatem corporis contemplabitur ipsam esse sanitatis & incolumitatis radicem. Unde Augustinus; *Christus caput est Ecclesiæ, & corpus ejus Ecclesia, & in ejus corpore unitas membrorum, & compago charitatis tanquam sanitas existit.* Unitas ergo sanitas. Et alibi; *Ergo Eucharistia panis noster quotidianus est, &c. Virtus enim ipsa quæ ibi intelligitur, unitas est.* Et denique: *Incolumitatem meam, vestigium secretissimæ unitatis ex qua eram, curæ habebam.* Ita planè unitas incolumitatis summa est, & tandiu sospes est corpus, quandiu sua à se dissilire, & aliena insultare inhibet, eòque suo se omniumque coaptat summo principio, uni ipsi.

Serm. 49. de verbis Dom. Serm. 9. de Diversis.

L. 1. Confess. c. penult.

Rursum ex his clarescit quàm gemina sit incarnationi Eucharistia. Unitati enim reparandæ totam se contulit incarnatio, & per Eucharistiam tandem, se eò usque ipsa exporrigens, id affatim consequuta est. Augustinus: *Quia enim ab uno vero Deo & summo per impietatis iniquitatem resilientes, & dissonantes deflexeramus, & evanueramus in multa, discissi per multa, & inhærentes in multis, oportebat nutu & imperio Dei miserantis, ut ipsa multa venturum conclamarent unum, & à multis conclamatus veniret unus, & multa contestarentur venisse unum, & à multis exonerati veniremus ad unum, &c. & justificaremur in uno justo facti unum, &c. in quo nunc per fidem mundati, & tunc per speciem redintegrati, per Mediatorem Deo reconciliati, hæreamus uni, fruamur uno, permaneamus unum.* Instaurandæ ergo unitati à qua per peccatum defluxeramus & evanueramus in multa, adornata atque dicata est Verbi humanatio. At totam unitatem ab Eucharistia profluxisse testis est idem Augustinus: *Et quid tam gratè offerri & suscipi posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri? Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur: idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat: unum in se faceret, pro quibus offerebat: unus ipse esset qui offerebat, & quod offerebat.* Non in utero matris, non in gremio crucis, quatergemina hæc unitas tam conspicuè resplendet atque in sacrificio panis: illic enim & cui offert, & qui offert & quod offert, unus & unum est: at hìc præterea evidentiùs unus est etiam cum iis pro quibus offert.

L. 4. de Tri. c. 7.

Ibi c. 14.

Plaudit Augustino Fulgentius: *Iste igitur est, qui in se uno totum exhibuit, quod esse necessarium ad redemptionis nostræ sciebat effectum, idem scilicet & Sacerdos, & sacrificium, & idem Deus, & templum. Sacerdos per quem sumus reconciliati, sacrificium quo reconciliati, templum in quo reconciliati, Deus cui reconciliati. Solus tamen Sacerdos & templum & sacrificium & hæc omnia*

VII. Ex Fulgentio. L. de fide ad Petrũ. c. 2.

Deus secundùm formam servi. Qui idem multis inculcat invocari & advolare atque incubare huic sacrificio Spiritum sanctum, *ut per gratiam spiritalem in corpore Christi quod est Ecclesia, charitatis unitas jugiter indisrupta servetur*. Itemque ibidem: *Gratia spiritalis per unitatem pacis & charitatem, corpus Christi per dies singulos ædificare non desinit, quæ in utero Mariæ virginis domum sapientiæ, quod est caput hujus corporis, fabricavit*. Missum facio Guillelmum Parisiensem, libro de Sacramento Eucharistiæ, & libro de Moribus. Missum facio & Petrum Abbatem Cluniacensem, in Epistola ad Petrobrusianos, Sed citra piaculum præteriri non potest

L. 2. ad Mon. c. 9. 10.

VIII. Ex Algero. L. 1. de Sacr. c. 3.

Algerus qui plurimus est in unitate hac commendanda: *Ita vere & perfectè communicavit nobis seipsum ut visibiliter etiam corporis & sanguinis sui mirifico sacramento Ecclesiam sibi uniens & concorporans, tanta gratia insigniret, ut ipse esset caput ejus & ipsa esset corpus suum, non nomine tenus tantum, sed in veritate sui corporis, verè sibi concorporatum: ut in illo nullius gratiæ nobis esset divortium, cum quo nos solidaret tam unicæ unitatis sacramentum: certumque esset hoc pacto nos cum ipso per ipsum in vita æterna similem dignitatis obtinere gloriam, si cum ipso per ipsum in hac vita similem innocentiæ servare voluerimus gratiam*. Et rursum:

L. 2. c. 3.

Idem qui est sacerdos sacrificium factus, unitur sibi commorientibus, ut dum unum fiunt cum ipso, ubi ipse est, ipsi sint in ipso. Quibus claret quàm arctè compaginari nos sibi & concrescere per hoc sacrificium sanxerit Christus. Quàm autem ab exteriorum confragosis procellis avocaverit nos in placidissimum unitatis portum eodem sacrificio, idem eodem capite explanat: *Nec solum pius Dominus umbras & figuras veteres & superfluas, superveniente novitate & veritate sacrificii sui dispulit: sed & multiplicitatem sacrificiorum veterum singularitate sui sacrificii abbrevians, occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit, uno unicoque suo sacrificio redemptionem remissionemque peccatorum faciens, profectumque fidei cæterarumque virtutum, ad vitam æternam perducens*. Quo spectaret autem sacrificiorum veterum numerositas, confestim indicat, nempe ut multitudinis inopia proderetur, ut inflammaretur unitatis amor & votum; ut pueritia fidei his veluti crepundiis distineretur interim, & à flagitiis atrocioribus abduceretur. *Sciendum enim quod ideo Deus tam multa sacrificia dedit in lege, ut nullum eorum sufficiens esse ostenderet, quia cætera essent superflua si unum sufficere posset, ut unum suum sufficiens magis desideraretur, & interim in eis etsi modicum sentirent suffragium, in eorum tamen multitudine, majori occuparentur exercitio, quo Deum discerent colere, & ab idolorum cultura recedere, & certiori tot figurarum instruerentur testimonio, quo futuram veritatem non dubitarent sperare*. Quod eodem redit atque id quod supra laudavimus ex Augustino; consentaneum fuisse, ut qui ab unitate veritatis ad multa ejus vestigia præpostero amore dissilieramus, per multa hæc à multis avocati ad unitatem principalem revocaremur, per multa inquam unum adumbrantia, non repræsentantia, imitantia non assequentia, à multis sua nos inopia fatigantibus avocati, ad unum, veræ opulentiæ sacrarium, repararemur.

IX. Ex Guirmundo rursus.

Sed ut modus sit aliquis hujus disputationis, & ne nimis multus sim in extenuanda multitudine, & unitate ornanda, monebo tantùm nihil splendidius adferri posse ad unitatis huic sacramento innixæ laudem, quàm quod semel & iterum ex Cyrillo maximè & Hilario prosecuti sumus superiùs, naturali per illud & substantiva unitate, tum nobis nos mutuò coalescere, tum cum ipso Christo homine, & per eum Verbo, per Verbum denique Patri, ut unitatis capiti summo verticique coaptari. Ita Guitmundus Hilarii verba & argumenta supra relata urgens: *Quomodo nostra cum Christo unitas si substantialis non esset, Patris & Christi unitatem substantialem probaret? Cum sibi hinc magis Ariani argumentum è contra conficerent, &c.*

L. 3.

X. Tertio denique ut Incarnatione, ita Eucharistia deificatur homo. L. de Resurr. carnis.

Quod denique tertio loco suscepimus hoc capite pertractandum, cum incarnatio sit hominis deificatio, non evehitur homo in Deum alio magis, quàm Eucharistiæ sacrificio, Tertullianus: *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur*. Hæc totius hominis absoluta suis partibus numerisque deificatio est: cum caro carne Christi, anima Deo saginatur, totus homo Deo pascitur. Substantivè enim & physicè caro de carne Christi vescitur, quia non aliter potest de Deo: anima ergo cujus potiores sunt partes, & cui maximè consulitur, non perfunctoriè, non meris accidentium notis, sed substantivis nexibus & ipsa Deo commiscetur.

Synodi Trullanæ Canonum præfatio statim post initium: *Deus qui sacrificatur & distribuitur ad corporum simul & animarum acquisitionem, eos qui fiunt ejus participes, deificat*. θεουργεῖ τοὺς μετέχοντας, Idem sensus qui Tertulliani. Corpore & anima de Deo victima vescuntur, eo ergo tum corpore tum anima deificantur. Deus enim is cibus est qui incorruptibiliter vescentes in seipsum refingat.

CAPUT XXIV.

Eucharistia sacrificium est charitatis, & Gratiarum actionis, & idem quod cœli.

I. Melchisedecicũ sacrificium de reportata victoria gratiarum actio, Eucharistia est quà verum sit sacrificium gratiarum actionis.

EUcharistia verè Melchisedecicum est sacrificium, reportatæ scilicet victoriæ monumentum, divina ope reportatæ, ideoque Deo refundendæ per Eucharistiam, seu per sacrificium gratiarum actionis.

Est enim, si viscera ipsa rerum rimari & perlustrare adgredimur, est gratiarum actio, summa & apex religionis, & verissimi sacrificii substantia. Nam qui gratias Deo agit, qui sua omnia Deo accepta refert, qui seipsum Deo debet, is sua seque Deo mactat perfectissimè: sua priùs, non jam sua, sed Dei profitetur esse: itaque suum omnem censum abdicat, Deoque dicat: sui juris nihil jam esse; alienata à sua potestate & emancipata, Deoque sacra omnia sua contestatur: quo imorum bonorum sacrificio nullum plenius, nullum absolutius. Seipsum verò quando non suum sibi esse, nec sui juris aut potestatis propriæ, sed in Dei censu & nutu esse, sed Dei nexu & mancipio esse confitetur, tum se sibi excutit, Deo se immolat. Augustinus: *In libro Job legitur: Ecce pietas est sapientia. Pietatem Græci Theosebiam vocant. Theosebia porro si ad verbi originem latinè expressam interpretaretur, Dei cultus dici poterat, qui in hoc maximè constitutus est, ut ei anima non sit ingrata. Unde & in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur. Erit autem ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuerit, præcipueque justitiam, cujus operibus velut propriis & velut à semetipsa sibimet partis, non vulgariter tanquam ex divitiis, aut membrorum forma, aut eloquentia, cæterisque sive externis, sive internis, sive corporis sive animi bonis, quæ habere etiam scelerati solent, sed tanquam de iis quæ propriè sunt bona bonorum quasi sapienter inflatur*. Ita ille verissimo & singulari sacrificio gratiarum actionem, tanquam totius in Deum pietatis breviarium contineri demonstrat, qua homo totus se sibi furatur, se sibi necat, Deo se impendit & rependit.

L. de Spir. & lit. c. 11.

II. Maxime de pietate in Deum.

Sed illud non supinè pensitandum est, quod Augustinus admonet peculiariùs, justitiam præ cæteris nostram sincera gratiarum actione Deo immolan-

landam, tum quod ea principatum facilè teneat inter bona, tum quod maximè periclitetur præripi aut præcerpi ac deflorari à libero hominis arbitrio, per ingenitam inolitamque jamdiu superbiam, istiusmodi potissimùm ausibus insolescente. Cætera enim bona cùm utentium vitio sæpiusculè malè vertant, reptentque humi, & malis plerumque copiosiùs quàm bonis affluant, ubi Deo obtruduntur, haud magni sanè pretii hostiæ sunt. At justitia ipsa sincerum & cœleste bonum est, bonorumque flos & apex, nec sceleratis sociatur usquam, ideo incontaminata & pinguissima Deo hostia est. Ad hæc cæteris bonis facilè abstinet homo, quæ extera sibi & alienæ potestatis esse experitur; unde ea non gravatè Deo reddit, cum immolat. At justitiæ opera, ut insitæ libertatis germina, ut fructus intus suo sibi in sinu erumpentes, ut suæ operæ atque industriæ messem non facilè sibi patitur extorqueri, Deoque adjudicari. Quocirca hæc hostia Deo gratissima accidit, quæ tanto perfuncta discrimine, ei per actionem gratiarum immolatur.

III. Philosophi quod Deo gratias non egerint, lapsi in idolorum sacrificia.

Ad hæc ut augurari utcumque possis, quanti ad religionem intersit, nil sapientiæ, nil justitiæ furari Deo, sibive adrogare, adverte animum ad ea quæ Paulus Apostolus capite primo Epistolæ ad Romanos vehementissimè disputat. Eo enim tandem devolvitur, ut Philosophi Gentiles quod cum Deum cognovissent, non protinus glorificassent aut gratias egissent, sed quasi suæ sibi sapientiæ authoribus blandiri essent, ea statim præsentissima pœna mulctati sint, ut obscuratum sit insipiens cor eorum, & *mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & serpentium*. Qui enim sapientiæ fontes & parentes quosdam esse se insaniebant, atque ita in verissimæ deitatis confinia & censum faciebant impetum, id ex consequenti supererat, ut & sibi ac cæteris creaturis jam homine melioribus, reliquos deitatis honores transcriberent. Qui victimam maximè opimam & eximiam præripuerant vero Deo, convenienter jam & reliquas longè decolores invaderent. Itaque ab hac superbia exundavit idololatriæ colluvies. Idque paucis perstringit Augustinus, supra relatis verbis hæc attexens: *Quo vitio repulsi à divinæ stabilitate substantiæ, etiam magni quidam viri ad idololatriæ dedecus defluxerunt.*

IV. Ideo post Eucharistiã institutam, reliqua sacrificia evanuerunt.

Utque hìc gradum per fidem ad intellectum extruamus, & puræ lucis radium ex his Apostoli verbis evibratum colligamus, hinc elucescit perspicuè, quamobrem proscripta sint tandem orbe toto belluarum sacrificia, unum Eucharistiæ percrebuerit & regnet jam ubique terrarum, non alia olim sacrificia nonnullo respergerentur pietatis odore, quàm quæ hanc nostram prælineabant Eucharistiam, cætera quæ hinc omnino aberrabant, contaminatissimæ superstitionis ludibria extiterint. Apta hæc omnia nexaque hinc pendent, quod religio vera, & sacrificium absolutissimum, nec extiterit, nec extare possit, nisi quum rationalis creatura se Deo dedit, vel reddit, se suaque Deo debet: & hæc gratiarum actio est. Hoc limen, hic apex est pietatis: hinc incipitur, hìc desinitur. Ubi te tuaque tuo semel absolvisti dominatu, Deique ditioni reddidisti, Deo perlitasti, nec ulterior hostia est, quam huic gratiarum redhibitioni super impendas. Ubi ex adverso vel te, vel tuorum quidpiam tibi arrogasti, illusoria est omnis hostia, & fuco pietatis nequicquam oblita, intus idololatriæ contage fætet. Creatorem enim propria deitate exauthoravit, & creaturæ divinum affinxit numen, quisquis fontem bonorum, quisquis vel maximè sapientiæ & justitiæ scatebram in creatura potius quàm in creatore collocavit. Eucharistiæ ergo sacrificium quo natura rationalis uni vero Deo se suaque ascribit omnia, seipsam abdicat sibi, peculiares & indigenas liberi sui flores arbitrii sibi denegat & Deo reddit, id verò sacrificium unicum ac singulare est, quod vel sequendo vel errando imitari cætera sacrificia, quo semel repræsentato conticescere deinceps & facessere debuerunt. Augustinus ibidem: *Nec immerito se Apostolus ex hoc articulo convertit ad eos cum detestatione commemorandos, qui vitio illo quod superius commemoravi, leves & inflati, ac per seipsos velut per inane sublati, ubi non requiescerent, sed fracti dissilirent, in figmenta idolorum tanquam in lapides deciderunt.* Et paulò pòst: *Quia videlicet cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis. Eorum proprie vanitas morbus est, quo seipsos seducunt, dum videntur sibi aliquid esse, cum nihil sint. Denique hoc tumore superbiæ sese obrumbrantes, ab ipso lumine incommutabilis veritatis aversi sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum. Non enim sapiens cor, quamvis cognovissent Deum, sed insipiens potius quia non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Dixit enim homini, Ecce pietas est sapientia, Ac per hoc dicentes se esse sapientes, quod non aliter intelligendum est, nisi hoc ipsum sibi tribuentes, stulti facti sunt. Jam quæ sequuntur, quid opus est dicere? Per hant enim impietatem illi homines quo prolapsi aut ubi diversi sint, melius ipsius Epistolæ consequentia docent, quam hìc commemoratur à nobis.* Hinc tota aberratio Gentilium, quod à gratiarum agendarum sacrificio sua ipsos abduxerit superbia, ac proinde ab uno summo numine ad seipsos, & ad reliquas creaturas admirandas deflexerit.

L. de Spirit & litt. c. 11.

V. Per Eucharistiã Christus maximè Patri offertur & refertur, ut summũ donum, ut in quo contineantur omnia, & ipsa Ecclesia.

At, inquies, ecquid causæ fuit ut huic quo grates aguntur sacrificio Christus implicaretur? Respondeo hinc maximè gratias Deo agendas fuisse Patri, quod ita mundum dilexerit, ut Filium suum unigenitum daret. Donum hoc præ cæteris ineffabiliter maximum authori suo & largitori Deo referendum atque offerendum protinus fuit. 2. Eo uno dono continentur omnia. Ex Apostolo enim omnia nobis in Christo donavit, &c. Omnia & in omnibus Christus. Omnia ergo accepta Deo referuntur, cum Christo oblato, omnia offeruntur. 3. In Christo nos maximè sumus, nempe, *nova creatura in Christo*, & nostra quoque sapientiæ & justitiæ conamina, & recuperatæ libertatis ferax ubertas in Christo est sumus enim *creati in Christo Jesu in operibus bonis*. Immolando ergo Christo, nos nostraque omnia Deo in Eucharistiam immolamus. 4. In Christo est Ecclesia, est in hoc Christi sacramento Ecclesia, cum ergo Christum offert, semet offert Ecclesia in grati Deo animi sacrificium. 5. Christus vivit propter Patrem; qua Verbum, qua homo est, Patris est quantus quantus maximus est. Hoc igitur Christus suo nostroque, hoc suo per nos, hoc nostro per ipsum sacrificio Patri se refundit. Denique Christus ipse non tantùm in initiandis Eucharistiæ mysteriis, gratias egit, eamque formam solennem Evangeliorum omnium contestatione suæ in posterum Ecclesiæ commendavit; sed omnibus etiam precibus suis gratiarum actione præfatus videtur esse ad Patrem, ut legitur apud Joannem, *Pater gratias ago tibi, Ego autem sciebam quia semper me audis*: paterna beneficentia anticipatas preces suas innuit, unde antè gratulatur accepisse, quàm constiterit quidquam petiisse. Ita consentaneum est, Patri Filium vel supplicare vel immolare, ut ejus iram propitiet, imò ut de propitiata gratetur, non tam ut beneficia flagitet, tanquam animi dubius, aut de eventu pendulus, aut de tempore suspensus, quàm ut de indultis grates referat. Aut si & propitiando & promerendo Patri Filium semet immolare par est, quia occupari à Patre & anteveniri decet vota Filii, eidem immolationi intexenda est & gratiarum actio. Denique Christus non tantùm prece aut opere singula-

Cap. 11.

ri

ri quopiam suo, sed ipso maximè substantivo suo statu, quo insertus homini Deus est, & Patrem placat, & nos ei conciliat, & divinas opes nobis omnes prodigit, & de tanto beneficiorum cumulo gratias agit. Est itaque ipse & propitiatio pro peccatis nostris, & interpellatio, & Eucharistia seu gratiarum actio; est demum sui ipse oblatio, & juge sacrificium. Nam Filius Patri se sistens, sui ipsa præsentia Patrem orat & exorat, Patri litat & perlitat, petit & gratias agit. Augustinus: *Quod est autem sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? Et unde majores agendæ sunt Deo gratiæ, quam pro ipsius gratia per Jesum Christum Dominum nostrum? Quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cujus umbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum.*

L. 1. cont. Adv. Leg. & proph. c. 18.

VI. Pius quisque Eucharistiam Deo offert, dum justitiã suã cum justitiæ suæ authore Christo offert & refert Deo.

Habet hanc sacrificii victimam quisquis homo est. Non venandæ, non expiscandæ illi longè sunt hostiæ, non optanda opulentia, non prætendenda inopia: intus in animo suo Eucharistiam sacrificare potest, quisquis rationis compos est. Hoc est igitur Catholicum & æternum naturæ intellectualis sacrificium. Nam qui rationis, qui sapientiæ, qui justitiæ munera supernè infusa suo gestat in pectore, nullo extra se subsidio eget, ut Eucharistiam Deo sacrificet, hoc est, ut sapientiam & justitiam incommutabilem humanis irradiatam mentibus, humanis insertam artubus, homini substantivè adglutinatam, summo Parenti luminum adgratetur, à quo est omne bonum optimum & omne donum perfectum. Hoc porro est Christum in Eucharistiam sacrificare, de incommutabili sapientia & justitia homini substantivè inserta gratias Deo referre. Augustinus: *Immola Deo sacrificium laudis. Dicamus illi & nos, In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudis tibi. Expaveram ne aliquid indiceres, quod esset extra me, quod à fure fortè jam ablatum esset. Quid mihi indicis? Immola Deo sacrificium laudis. Ad me redeam, ubi inveniam quod immolem. Ad me redeam, in me inveniam laudis immolationem. Ara tua, conscientia tua. Immola Deo sacrificium laudis. Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere, &c. Habebat hoc sacrificium laudis Zachæus in patrimonio suo, habebat vidua in sacello suo, habebat nescio quis pauper hospes in dolio suo: alius nec in patrimonio, nec in sacello, nec in dolio aliquid habebat, totum habebat in animo suo. O sacrificium gratuitum, gratia datum! Et hæc immolatio, hoc sacrificium laudis est, gratias agere illi à quo habes, quidquid boni habes, & cujus misericordia tibi dimittitur, quidquid tuum mali habes.*

In Psal. 49

VII. Crucis sacrificio intextum sacrificiũ actionis gratiarum.

Christus idem & unus est qui placat & placatur, qui petit & accipit: qui ergo sacrificet, nisi gratias agendo? Deinde quòd crucis sacrificium in sacramento panis innovetur, id nihil officit gratiarum actioni. Nam de cruce ipsa gratiæ aguntur, & hoc pulcherrimum est sacrificium Filii, si Patri vel de flagellis, vel de cruce gratias agat. Gregorius Magnus: *Redemptor noster per hoc quod Deus est, cum Patre dat omnia; per hoc verò quod homo est, à Patre accipit omnia.* Et paulò pòst: *Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Gratias itaque agit, qui flagella alienæ iniquitatis suscipit. Et qui nihil dignum percussioni exhibuit, humiliter in persecutione benedicit: ut hinc videlicet ostendat quid unusquisque in flagello culpæ propriæ facere debeat, si ipse æquanimiter flagella culpæ portat alienæ: ut hinc ostendat quid in correctione faciat subditus, si in flagello positus Patri gratias agit æqualis.* Immerentem pœnas dare, & de eo gratias agere, idque Filium Patri, & quidem coæqualem Patri, id crucis, id Eucharistiæ, id præstantissimum est Christi & Ecclesiæ sacrificium.

L. 1. Moral. c. 14.

VIII. Non ita Propitiatorium ut Euchari-

Hoc sacrificium toto orbe propagandum vaticinabatur Michæas oraculo illo decantatissimo, quod perstringit Tertullianus: *Et in Psalmo: In Ecclesiis benedicite Dominum Deum, ut pariter concurreret Michææ prophetia: Non est voluntas mea, dicit Dominus, & sacrificia vestra non accipiam, quoniam ab ortu Solis usque in occasum nomen meum gloriatum est in nationibus, & in omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum, gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni.* Neque enim omni tempore, vel quocumque loco, vel à quolibet naturæ rationalis consorte, aut lenienda est Dei ultoris iracundia, aut inopiæ propriæ concilianda superna largitas: ubi enim nihil maculæ inolevit, aut si quid inhæserat expiatum est & exolevit: ubi nihil inopiæ superest, & torrens gratiarum cælestium restagnat, his nihil opus est sacrificiis: at gratiarum relatio nullo vel loco vel tempore quenquam patitur feriari, omnibus incumbit, omnes ubique & semper urget.

sticii sacrificiũ, omni loco & tempore celebrandum. L. 4. cõt. Mar

IX. Gratiarũ actio casta & sincera, summa quædam est & meta ultima justitiæ perfectissimæ.

Nec cunctabitur hoc sacrificii genus in ipso locare pietatis summo fastigio, qui non oscitanter explorare studuerit, quantæ difficultatum moles complanandæ sint, quantarum virtutum substruendi sint gradus, ut eò quis enitatur & pertingat.

Serm. 11. in Cantica.

Id planum facit Bernardus: *Si gloriandum est, Paulus me docuit unde & in quo: Gloria, inquit, nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Securus glorior, si, teste conscientia, de gloria conditoris nihil mihi usurpo. Securus planè, quia jam non contra Dominum, sed in Domino.* Et paulò pòst: *Nec mediocris ista gloria, quippe tam vera quàm de veritate, & in veritate tam rarè, ut vix vel paucitas perfectorum perfectè glorietur in ea.* Perspice quantæ sit molis hoc sacrificium laudis, & quàm pauci eo defungantur, quos ardens supra cæteros evexit ad æthera virtus, quo gloriam omnem à se excutiunt, totamque & illibatam, nec ulla ex parte præcerptam aut defloratam Deo omnium parenti & largitori defendunt. Vix vel paucitas perfectorum id obtinet. Ut plurimum enim fœdissima laudis ingluvie offerendas Deo victimas prælambimus & contaminamus. Non ita sincerus & castus verissimæ Eucharistiæ Sacerdos, qualem in consequentibus ibidem his stimulis incitat Bernardus: *Omnis igitur de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus, laudabilium siquidem universorum authorem & largitorem. Idque non fictè, nec quadam necessitate, sed sicut decet sanctos, sinceritate fida, devotione sollicita, hilaritate grata, sed non dissoluta. Immolantes itaque hostiam laudis, & reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia jungere sensum usui, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati, quo interdum liberis purgatæ mentis passibus, procedamus & excedamus per inusitatas quasdam affectiones spirituales, lætitias in jubilæis amœnitatibus, in lumine Dei, in suavitate, in Spiritu sancto, probantes nos comprehensos in his quos Propheta intuebatur, cum diceret, Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in justitia tua exaltabuntur.* En quanto & quàm selecto virtutum comitatu vallanda sit Eucharistici sacrificii pompa. Quis facilè speret, dum mortalitatis hujus stadium decurritur, ad tantam beatitatem sapientiæ & justitiæ pertingi posse, quanta ad hoc desideratur? Nec paucitas ipsa perfectorum hac facilè lactabitur spe.

X. Ideo patriæ & Beatorũ magis est hoc sacrificium.

Quocirca non immerito visum quandoque est Eucharistiæ seu gratiarum actionis sacrificium, futuræ immortalitati beatorum magis quàm nostræ hìc exulantium calamitosæ vitæ competere. Illic enim demum gratiæ referentur; ubi jam nihil macularum eluendum supererit; ubi nulla sollicitabit amplius egestas; ubi beneficiorum cumulo addi insuper nihil poterit; ubi in meridiana luce veritatis nulla mentis caligo aut cæcitas divinæ gloriæ quidquam sibi arrogabit; ubi immemores sui Deo-

que

quæ pleni & inebriati, illi plaudent, illi uni gratulabuntur, intrabunt denique non in suum, sed in Domini sui gaudium, videbunt, & devorabuntur non in suam, sed in Domini voluptatem. Hoc Eucharistiæ sacrificium proprium & singulare beatarum mentium est, à nobis hic præluditur & prætentatur. Gregorius Papa: *Tunc acceptabis sacri-*
In Ps. 4. Pœnit. *ficium justitiæ. Ædificata cœlesti Jerusalem, sacrificium dumtaxat justitiæ acceptum erit Domino, quia ibi non erit opus offerre sacrificium pro peccato. In hac enim vita quia in multis quotidie delinquimus, oportet ut contriti cordis & contribulati spiritus Deo sacrificium offeramus. In resurrectione autem, &c.* Et statim: *Non igitur oportet ibi offerri pro peccato sacrificium ubi nec in cogitatione admittitur delictum. Sacrificium itaque justitiæ sancti in æterna vita Deo offerunt, quia in solo conditoris amore intenti, indefessas remuneratori suo in lætitia cordis laudes dicent.* Quid justitiæ, quid beatitudini opportunius quàm gratias agere? Et bonorum enim plenitudo beatitatem & plenitudinis in suum fontem refusio, justitiam confert: & hæc ipsa gratitudinis justitia plenitudini bonorum ingens accessio est & quasi plenitudinis redundantia, & exuberantia beatitatis. Plenissima gratiarum actio seu Eucharistia, nisi in cumulo & vertice bonorum omnium locum non habet, vertex quidam supereminens bonorum & fœlicitatis ipsa est. Istud ergo est beatorum sacrificium. Ibidem Gregorius pergit: *Unde scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Et iterum, Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Tunc electorum suorum oblationes Deus acceptas habebit, quia sanctas eorum meditationes nullius pravitatis admixtio commaculabit. Holocausta nihilominus eorum accipiet, quia totum quod in eis erit, flamma divinæ charitatis accendet.* Hoc holocaustum est purgatissimæ charitatis, quæ non scelerum vindictam deprecatur, non beneficiis irrigari se urget, non sibi consulit ipsi, sed sui oblita, & Dei unius memor, recordata justitiæ Dei solius, omnia ei accepta fert, gloriam omnem ei refundit. *Super ipsum ergo vitulos in æterna vita sancti seipsos imponent, quia per gratiam Dei liberati à lege peccati & mortis, quod nulli jugo postmodum erunt subditi, totum attribuent gratiæ Filii Dei.*

Hoc Beatorum in cœlis Eucharisticum sacrificium, verè Melchisedecicum, verè triumphale est sacrificium, de debellatis Regibus & Principibus sæculi, de relatis manubiis, de ipsa triumphi gloria gratulatorium.

At quia è Latinorum fontibus superior manavit
XI. Quæ omnia ex Chrysostomo firmantur. Hom. 26. in Matth. disputatio omnis, Græcorum quoque fluentis nunc obiter ditanda est. Et omnium instar esse poterit solus Chrysostomus: *Gratiarum actio Deo quidem nihil addit, nos autem magis familiares illi efficit. Si enim nos hominum beneficia recordantes, eorum vehementius amore succendimur, quanto magis, &c. Idcirco Apostolus ait, Grati estote. Optima quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum & perpetua gratiarum actio. Propterea & reverenda ac salutaria illa mysteria quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia nominantur; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exolvere.* Ita ille radicem indigitat actionis gratiarum, ut charitas alatur & augescat, ut beneficia provocentur, dum memorantur. Jam quod per Christum de Christo agendæ sint maximè gratiæ, ita prosequitur: *Nam si natum tantummodo esse totum vocatur, jam crucifixum esse, & sanguinem fudisse & semetipsum nobis in cibum dare, & spiritales illas præbere epulas quid vocandum est? Agamus ergo ei juges gratias, &c.* Nec Dei tantùm Christive charitas, sed & proximi quanta hinc sumat incrementa, illicò aperit, dum non de propriis, sed de communibus bonis gratulamur, nec possumus non amplexari eos, quorum bonis gratulamur. *Agamus vero gratias non de propriis tantum, verùm etiam de alienis bonis. Ita enim & individuam poterimus extinguere & alere charitatem, eamque in nobis efficere magis sinceram. Neque enim poteris jam illis invidere, de quorum bonis gratias Deo deferendo lætaris.* Ideo catholicum & sempiternum atque inexpugnabile est cæteris omnibus oblitteratis hoc Eucharistiæ sacrificium, omnia tempora & loca, omnemque hominum genus complectitur, & communi de omnium bonis gratulatione, omnes uno colligit sinu charitatis veræque religionis, quæ ab una pendet religata charitate. Unde pergit Chrysostomus: *Idcirco enim altari assistens Sacerdos pro universo orbe terrarum, pro absentibus atque præsentibus, pro his qui ante nos fuerunt, pro his qui postea futuri sunt, sacrificio illo proposito, Deo nos gratias jubet offerre.* Quæ cùm ita sint, cœlestis beatitatis imitatio quædam pulcherrima est nostra Eucharistia: & præsumptio quædam angelicæ lætitiæ. Ideo ille: *Hoc quippe & à terra nos liberat, & transponit in cœlum, atque ex hominibus Angelos facit. Nam & illi ordinantes choros, pro his quæ nobis collata sunt nobis, gratias agebant Deo atque dicebant, Gloria in excelsis Deo.* Eucharistia igitur etiam Angelorum Christus est.

Sed nostra maximè Eucharistia ipse est, ut qui unus sit non tantùm de quo, sed & quo gratias agamus. Minùs enim illi deberemus, si tantis nos onerasset beneficiis, nec addidisset quo ingratitudinis invidiam effugeremus. At cùm tanta contulerit, quanta nec cogitando capere possumus, & adjecerit quo non impares beneficiis collatis gratias referamus: cùm ipse esse voluerit & beneficiorum cumulus, & sibi non dispar pro beneficiis actio gratiarum, id verò beneficentiæ supremum columen est. *Ut alia innumera prætercam, quidnam poterit conferri dispensationi propter nos factæ? Quod enim erat apud eum pretiosius, unigenitum pro nobis Filium dedit, & quidem cùm adhuc essemus ipsius inimici. Nec dedit solum, sed & nostram illum fecit mensam, omnia faciens ipse pro nobis, & donando videlicet, & gratiarum actores ipsa donorum suorum ubertate faciendo. Quia enim in multis homo Deo existit ingratus, ipse ubique suscipit vicem nostram, &c.* Itaque Christus & beneficus est & beneficium, & hostia pro beneficio gratulatoria. Postremò ne Ecclesiæ tantum stipendia hic facientis, vel illic ovantis sacrificium in gratiarum actione situm esse existimetur, scite monet Chrysostomus, omnia olim à Deo instituta festorum & sacrificiorum solemnia, refricandæ impensorum beneficiorum memoriæ dicata fuisse. *Nam quod pro Judæorum aliquando salute faciebat, temporibus, locisque ac festivitatibus variis, in memoriam illos suorum beneficiorum reducens, id nunc equidem magno cum cumulo est operatus in nobis ipso genere sacrificii, ad jugem nos pro beneficiis suis gratiarum incitans actionem.* Eucharistica planè erant tum Paschæ, tum Pentecostes, tum Tabernaculorum festa & sacrificia, etsi tam umbratica erant hæc sacrificia, quàm illa beneficia. Sed antevertebatur figuris illis Christi incarnatio, & de præsumpta hac ejus anticipatione gratiæ habebantur. Nam vel adumbrari Christum, vel ostendi procul, vel spem ejus aliquando potiundi præfulgere, in numero est ingentis beneficii, & solemnibus hostiis gratulandum est.

XII. Ex eodem, ut Christus nobis & beneficiorum sit cumulus & idem pro beneficiis Gratiarum actionis hostia & Sacerdos.

Et Mosaica quidem sacrificia sicut & beneficia figuris obumbrabantur, aut puris consistebant figuris. At Ecclesiæ sacrificio & ipsa continetur veritas Christus, & idem summum bonum, nec impar tanto bono hostia gratulatoria.

CAPUT XXV.

Iterum sacrificium Eucharistiæ idem est, quod cœli.

I. Ecclesiæ & cæli unum esse sacrificium Eucharisticũ; liquet ex eo quod altare utrobique sit, una hostia.

JUvabit perlustrare argumenta paucula quibus nostrum Ecclesiæ & altare & sacrificium cum illo cœlesti sursum & intelligibili compaginatum esse, & cohærescere persuadeatur.

Primò, igitur jam non semel observatum nobis est, identidem sacrorum codicum oracula altare quoddam supernum inculcare, cui arrigenda sint corda, votaque hinc nostra religanda, cui etiamtum suspirandum sit, cùm terrenum altare contingimus. Parco operæ ne ex Latinis, maximè ex Augustino testimonia congeram, ne actum agam. Unum aut alterum è Græcis testem excitabo. Gregorius Nazianzenus: *At altare aliud scio, cujus figuræ sunt ea, quæ nunc oculis cernimus: super quod nec ascia, nec manus ascendit, nec ferrum, nec ullum artificum instrumentum auditum est, sed mentis totum hoc opus est, eoque per contemplationem subvehimur. Huic astabo, in hoc grata immolabo, sacrificium & oblationem & holocausta, tanto iis quæ nunc offeruntur excellentiora, quantò veritas umbræ antecellit. De quo mihi quoque David philosophari videtur, cùm ait, Et introibo ad altare Dei, qui spiritalem meam renovat juventutem.* En altare altari & sacrificium sacrificio contextum concretumque, sed ut prælusorium summo & supremo. Ad illud ab hoc anhelatur. Illud intelligibile & incorporeum imitabatur utcumque poterat templi Jerosolymitani fabrica, ab opificum strepitu procul semota. (Orat. 28.)

At ne hoc nostrum ab illo altari & sacrificio superno plus æquo degenerare suspiceris, quod illius figura nostrum vocitetur, audi Chrysostomum, ubi cum nos hymnis Seraphicis inter sacras liturgiæ preces consociari monuisset, eo tandem devolvitur, ut Seraphicum illud supernè altare & sacrificium, nostri typum & figuram esse decernat. (To. 1. p. 891.) *Unà cum Seraphim canis, unà cum Seraphim sta, cum illis alas extende, cum illis regium thronum circumvola. Quid verò mirum, si cum Seraphim steteris, cum ea quæ Seraphim, non audent contingere, tibi confidenter Deus concesserit: Missus est enim ad me inquit unus de Seraphim, & habebat carbonem ignis, quem forcipe sumpserat de altari. Illud altare figura est & imago istius altaris. Ignis ille spiritualis ignis istius. At non est ausus Seraphim manu contingere, sed forcipe, tu verò manu accipis. Enimverò si eorum quæ proposita sunt dignitatem spectes, ipso contactu Seraphim multo majora sunt ista.* Quanquam & hæc elementem desiderant interpretem, Nec enim cœleste illud altare nostro concedit, aut secundas tenet, nisi prout obumbratur imaginariis quibusdam figuris, ut prophetæ exhibeatur; sive ut angelicis dumtaxat naturis & hymnodiis constat, ab incarnati Verbi cœlesti sacerdotio sejunctis. Quæ utique Nazianzenus paulò suprà non sejungebat.

II. Liquet secundò, quia Ecclesia utrumque altare confœderat. To. 4. ejus Operum, p. 598. 616.

Secundò, formula precum solemnis quibus liturgia sacra conficitur, utrumque altare confœderat, & quasi continuat, ut unum utrobique sacrificium, una victima adoleatur. Chrysostomi liturgia: *Thymiana offerimus in conspectu tuo Domine Deus in odorem benevolentiæ spiritalis, quam accipe Domine in sanctum & supercœleste & intellectuale altare tuum, &c.* Et ibidem: *Deus Deus noster qui cœlestem panem alimoniam totius mundi Dominum nostrum Jesum Christum & Deum emisisti servatorem & redemptorem & beneficum, benedicentem ac sanctificantem nos, ipse benedic oblationem hanc & accipe eam in supercœleste tuum altare.* Et infrà: *Quoniam benignus est Deus noster, qui suscepit hæc in sanctum & supercœleste & intellectuale altare suum,* Plura non acervabo, ut parcam operæ. Affatim sunt hæc ut clareat nostrum hoc altere illi superno & intelligibili quasi continuari, unamque victimam ab hoc ad illud transvehi.

Latinæ quoque liturgiæ formula eadem est consociandæ utriusque aræ & victimæ. *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ.* Quasi nostrum hoc altare, non tam altare sit, quàm gradus ad illud verum supercœleste & intelligibile altare: ut per hoc ad illud hostia provehatur. Algerus; *Unde etiam sacerdos vice Christi corpus Dominicum in terreno altari conficiens, nec tamen aliquid suis meritis, sed totum divinæ potentiæ & gratiæ attribuens, orat in Canone Deum Patrem, dicens: Jube hæc oblata tibi per manus & virtutem Filii tui, Angeli tui, qui est Angelus magni consilii, non in hoc humile & visibile altare, ubi modò est, sed in sublime altare tuum, id est, Filium tuum quem usque ad dexteram tuam in conspectu majestatis tuæ sublimasti, deferri: ut fiat nobis corpus & sanguis dilecti Filii tui: ostendens ipsum Filium jussu Patris in cœlis esse offerentem & hostiam, & id super quod offertur.* (l. 1. de Sacr. c. 11.) His igitur vocibus ita interprete Algero elucidatis, efficitur unum cœli atque Ecclesiæ esse altare, unum sacrificium, unum sacerdotem, quod hæc omnia unus Christus sit. Ipse enim idem atque unus & hic & illic tum sacerdos, tum hostia, tum altare est, sed hic corporaliter & adumbratè, quia sacris velaminibus amicitur; illic intelligibiliter, & evidentissimè, quia amotis velorum sipariis, Hostiam ergo à visibili ad invisibile transvehi altare, quid aliud est, quàm ut qui corporeum nunc nobis & figuris opacatum altare & sacrificium Christus est, idem sit nobis propediem altare & sacrificium nudum & intelligibiliter conspicuum?

III. Liquet tertiò, quia & nostrũ hoc altare celebrant Angeli. Pag. 609.

Tertiò, nostræ quoque aræ & hostiæ circumvolant, applaudunt, laudesque accinunt Seraphini, & nos iis sociati laudes easdem, Seraphicumque hymnum concinimus. Cùm sacrificium sit laudis, & laudes eadem hìc atque illic & ab iisdem personent, idem igitur est sacrificium. In Chrysostomi liturgia canitur à Psaltis: *Qui Cherubim repræsentamus mysticè, & vivificanti Trinitati ter sanctum hymnum canimus.* Rursum Chrysostomus: *Sanctus Sanctus Sanctus. Numquid hanc vocem agnovistis? Numquid nostra est, an vero Seraphim? Et nostra & Seraphim beneficio Christi, qui medium parietem maceriæ sustulit, & pacificavit omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terris, & ejus beneficio qui utraque fecit unum. Nam antea quidem in cœlis tantum hymnus iste canebatur; postquam autem in terras venire dignatus est Dominus, hunc etiam hymnum ad nos detulit. Propterea quoque magnus hic Pontifex cum juxta sacram hanc mensam constiterit, ut rationalem cultum exhibeat, & hostiam offerat incruentam, non simpliciter nos ad hanc faustam acclamationem invitat, sed ubi prius Cherubim nominavit & Seraphim, tum demum ad hanc vocem tremendam emittendam omnes adhortatur, unumquemque his ferè verbis excitans, una cum Seraphim canis, unà cum Seraphim sta, &c.* (To. 1. p. 830.) Idem ergo noster atque Seraphicus hymnus, idem conventus, quia idem altare, idem sacrificium, nobis opertum, illis apertum, nobis velatum, illis nudum, nobis visibile & ideo invisibile, illis invisibile & ideo visibile; animo enim, non corpori conspicua sunt hæc penetralia. Et Nazianzenus: *Et sacerdotium quod ipsi quoque Angeli, puri purissimi Dei cultores tanquam ipsorum latriæ minimè impar, recitant fortasse prosequuntur.* (Orat. 17.)

Sed luculentum est illud Nazianzeni, ubi Ecclesiæ Sacerdotem describit: *Illum qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet: cum Christo sacrificio fungetur.* (Orat. 1.) Viden ut Angelorum non succentor tantùm sit Ecclesiæ Pontifex, sed per omnia socius & collega, & comminister ejusdem

altaris

altaris & hostiæ. Quod apud cæteros quoque Patres decantatissimum fuit.

IV. Liquet quartò quia ut Hierarchia, ita Sacerdotii spiritalis ac intelligibilis quædam dignitas prius ad Angelos, quam ad nos descendit, etsi Sacerdotii nomen impropriè tantū Angelicæ naturæ tribuatur.

Quartò, naturarum lex & ordo inviolabilis id præfinit, ut sanctitas dignitasque omnis sacra, à summo Deitatis vertice ad homines per Angelos medios derivetur. Nec enim natura prima & summa, vel naturarum potiùs causa, causarumque origo supereminens, extremas attingit aut exornat naturas, nisi intermediarum opera & beneficio. Ita enim & suo prospicit principatui, & affiniores sibi cohonestat naturas, cum eas quoque inferioribus principari & principando benefacere jubet, & omnia pulcherrimis inter se nexibus coagmentat. Ergo & sacerdotalis dignitas, seu religiosissimi cultus Deo exhibendi ministerium, ad angelicas primùm hierarchias, & ita demum ad homines devolvetur, ita ut unum ex imis summisque sibi consonum resultet sacerdotium. Si quis verò blandiatur sibi de Verbo, nostram, non Angelicam assumente substantiam, ut hinc prærogativam sibi aliquam sacerdotii, vel ipsam in totum sacerdotalem infulam Angelis inconcessam, auguretur & despondeat, næ ille non leviter hallucinatur. Nam semen apprehensum est Abrahæ, quod originali morbo contabuisset: Angelum non apprehendit, quod suæ dignitati redintegrandus non esset, qui ab ea nunquam excidisset. Incarnatio itaque Verbi id homini reddidit, quod Angelo redditum non est, quia amissum nusquam est. Ergo sacerdotium à Verbo Deo Angeli accipiunt, à Verbo carne homines accipiunt. Nec Verbum caro Verbi Dei leges intervertit, sed ab iis aversos convertit. Lege æterna Verbi Dei ad Deum homo per sequestres Angelos aditum sibi parat: lege Verbi carnis eundem ad Deum accessum peccato interclusum homo reparat. Naturam Verbi inhumanatio ordinemque restituit, non destituit; homines Angelis conciliavit, & composuit, non superposuit. Denique Dionysium audi rimatorem acutissimum istiusmodi arcanorum, & à Jesu sacerdotium ad Angelos primùm, inde ad homines defluere doceberis, non ut duplex & disjunctum, sed ut unum à summis ad ima contextum sit. Ecclesiasticæ Hierarchiæ c. 1. *Etiam ipsemet Jesus divinitate transcendens ac superessentialis mens, universæ ordinationis sacræ ac sanctificationis, divinæque functionis principium & essentia, virtusque divinissima, beatis istis, nobisque multo præstantioribus naturis, manifestius simul & intelligibiliùs affulget, & ad propriam quoad fieri potest, eas lucem informat. Quin & intento in eum amori nostro & ad res probas incitanti, frequentes admiscet varietates, & ad uniformem ac divinam nos vitam instituens, habitudinem quandam & rerum, uti par est, divinarum effectricem, divini sacerdotii virtutem impartitur: qua ad sacram sacerdotii functionem accedentes, ipsimet etiam supernis istis spiritibus, sacri illorum status quantum licet imitando constantiam ac firmitatem, propinquiores evadamus*[c], *adeoque ad Jesu quoque beatam illam divinamque lucem aspicientes, &c.* Ex quibus emergunt tria hæc menti altiùs infigenda. Primò. Sacerdotii principium & essentiam, virtutem & plenitudinem, ac pelagus quoddam inexhaustum in Christo esse. Secundò, hinc irrigari proximiores ei, nobisque superiores Angelorum greges. Tertiò, ad nos usque exundare illam plenitudinis ubertatem. Quod tamen ita accipe, ut ne excidant animo quæ supra præfundata sunt, Sacerdoti propriè & victimæ & sacrificio locum non fuisse, nisi pòst peccatum & peccato mortem invectam. Stantis autem naturæ religio, sive Angelicæ, sive humanæ, si Sacerdotii nomine honestetur, impropriè & largè accipi Sacerdotis nomen, ubi nulla occiditur victima: impropriè tum etiam & largè Sacerdotem dici Verbum Deum, qui potius mediator & sequester dici potuerat.

V. Liquet quintò, ex affinitate summa utriusque hierarchiæ, cęlestis & Ecclesiasticæ.

Quintò, hinc in confesso est apud sanctos Patres, Ecclesiasticam hierarchiam cœlestis imitatricem esse: unde & altare nostrum & sacrificium supercœlestis illius & intelligibilis simulacrum esse, necessarium est. Idem Dionysius: *Quapropter primitiva illa rituum sacrorum institutio, sanctissimam nostram hierarchiam, supermundana cœlestium hierarchiarum imitatione dignam censens, prædictas immateriales hierarchias, materialibus figuris & formativis compositionibus variegando transcripsit: ut pro nostra cum illis proportione à sacratissimis fictionibus ad simplices figurarumque expertes anagogas & similitudines evehamur.* Si unum Christi de quo aliàs, vel in cruce vel in Eucharistia sacrificium eximas, quod etsi materiale & externum etiam est, spiritalius tamen & interius est, quàm sacrificium quodlibet Angelicum, utpote cum ejus hostia sit Verbum ipsum incarnatum, quo nihil spiritalius offerri potest, & qui totius spiritalitatis fons est: quòd altare & sacrificium nostrum aliud quodcumque materiæ sit implicatum, non eo forsan verius est, sed eo nostræ tenuitati accomodatius, eo similius veri, & imitatorium, non nuda veritas est. Unde pergit ille: *Quandoquidem fieri non potest, ut mens nostra ad immaterialem illam cœlestium hierarchiarum imitationem ac contemplationem intendatur, nisi è propinquo materiali usa fuerit manuductione.* Ergo ut una veritas est, seu illam mentis nudo complexu contrectes, seu verborum involucris cingas: ita unum altare, unum sacrificium est, seu intelligibile sursum à materialibus expeditum tegumentis, seu materiale nostrum, figurarum opacitate obumbratum. Rursus idem Dionysius ibidem: *Propter istam ergo accommodatam nobis deificationem, benigna & primitiva initiatio, tum celestes hierarchias nobis exhibendo, tum collegam & comministram earum perficiendo hierarchiam nostram, pro captu scilicet nostro assimilando nos deiformi earum sacerdotio, &c.* Ubi claret sacerdotium nostrum angelico non tantùm proximè accedere, sed etiam συλλειτυργὸν, collegam & comministrum esse, ut unum utriusque sit templum, unum altare, unum sacrificium, una hostia, velis dumtaxat hìc oppansis, illic dimotis. Denique totus est Dionysius in gemino illo libello de Cœlesti atque Ecclesiastica hierarchia in utriusque cognatione commonstranda.

De Eccles. Hier. c. 1.

Nec tamen nostrum sacrificium angelico posthabebitur, si non alias olim prælusas hostias spectes, sed vel in cruce vel in Eucharistia Christum, quæ unica vera hostia est, præ qua nec hostiæ dici debent, nec spiritales jam sunt, quas Angeli hostias offerunt. Nec enim mera caro, aut merus homo, sed Verbum incarnatum hostia nostra est, præ qua angelicæ hostiæ impropriæ sunt, imò nec hostiæ sunt. Si ad hanc autem offerendam Deo hostiam accedere ad nos velis Angelos, non abnuo, sed secundas tunc illi partes tenebunt, qui in spiritali & improprio sacerdotio primas tenebant.

Si quibus autem hìc videar parùm constanter loqui, dum sacerdotium & sacrificium angelicis in cœlo choris nunc arrogo, nunc abrogo: dumque vendicando eis & rem & nomen sacrificii, illud Eucharistico nostro sacrificio nunc postponere videor, mox anteponere: verborum hæc magis quàm rerum pugna est, nec nobis de hac conflictatione invidiam facient, qui eadem & Patrum sententias à nobis prolatas laborare adverterint. Non convenit Theologis omnibus de sacerdotii & sacrificii voce, vocisque significatione, etsi de rebus ipsis conveniat. Charitas flagrantissima, qua se beati Angeli Deo immolant, aliis sacrificium & esse & dici videtur posse, aliis secus videtur. Quibus videtur esse, ii cœleste illud sacrificium nostro anteponunt, dum mortales hìc degimus. Quibus non videtur esse, ii impropriè tantùm sacrificium dici concedunt, atque ita quod ad sacri-

ficii rationem attinet, noſtrum hoc nunc Euchariſtiæ ſacrificium, ut proprium improprio anteferunt, etſi ut terrenum cæleſti poſtponant. De rebus ergo ipſis una omnium ſententia eſt, ſola eſt altercatio de vocibus, de quibus diutiùs tricari nihil attinet. Mihi quidem ſatius viſum eſt, ſanctorum Patrum, quorum interpretem ago, & ſenſis & verbis memet accommodare; ubi alternant, alternare: obiter indigitare latentes concordiæ nexus; omnes monere, ne facilè ſe in eas coniiciant animi anguſtias, ut ſubinde ſanctos Patres ſecum ipſos collidi & diffidere ſuſpicentur.

Clemens Alexandrinus conſanguinitatem utriuſque hierarchiæ eleganter deſcribit: *Nam hic quoque in Eccleſia progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ſunt, ut arbitror: imitationes gloriæ angelicæ & illius œconomiæ ac diſpenſationis, quam dicunt Scripturæ illos expectare, qui inſiſtentes veſtigiis Apoſtolorum, vixerunt in perfectione juſtitiæ, convenienter Evangelio. Hos ſublatos in nubibus ſcribit Apoſtolus primùm quidem Diaconos futuros, deinde coaptandos eſſe in presbyteratum perfectum gloriæ: gloria enim differt à gloria: donec creverint in virum perfectum.* Excitati enim à mortuis erimus æquales Angelis, authore & ſponſore perquam idoneo, Chriſto ipſo. Itaque & ipſi in hierarchias conſimiles diſpenſabimur, varioſque ſacerdotii gradus implebimus. Factitamus ergo nunc, ſed velis opacati, illud ipſum quod Angeli beati, quod animæ in cœlum jam receptæ factitant, quod omnes recepto olim immortali corpore actitabimus, idem ſacerdotium geſtamus, idem ſacrificium litamus.

L. 6. Strom.

Gelaſius Cyzicenus: *Clerici ſacri ordinis cæleſtium typi & imagines eſſe debent. Epiſcopus quidem debet obtinere locum Domini, tanquam caput poſt illum Eccleſiæ quam recepit: Presbytor debet tenere ſedem & locum Seraphicum: Diaconus autem Cherubicum.* Specialiùs hìc hujus analogiæ lineamenta perſequitur & indigitat, & quidem appoſitè. Unus enim propriè Sacerdos ſummus & totius fons ſacerdotii Chriſtus, quocum ſedente & ſacrificante, unà Angeli immortales, unà mortales ſacrificant, eique uni in vota & ſacra præeunti conſonant & obſecundant. Chryſoſtomus ipſe ſic habet: *Sacerdotium in terra quidem perficitur, ſed ordinem tamen cœleſtium illarum Legionum obtinet, idque meritiſſimò. Etenim non homo, non Angelus, non Archangelus, nec alia quæpiam creata virtus, ſed ipſemet Spiritus ſanctus hanc totam ſeriem ordinavit, & manentes adhuc in carne, angelicum miniſterium, τὴν τῶν ἀγγέλων διακονίαν animo concipere perſuaſit.*

L. 2. de Act. Conc. Nic. c. 10.

L. 3. de Sacerd.

VI. Liquet ſextò, quia utrimque iidem excõmunicantur:

Sextò, altaris & ſacrificii quod illic in cœlo & quod hìc in Eccleſia celebratur, tanta conſonantia eſt, ut ab illo proſcribatur, quiſquis hoc arcetur: & illi viciſſim reconcilietur, quiſquis huic recolligitur: ſi modò fucus abſit & ſimulatio ab ambientibus hoc noſtrum altare: ſi calumnia conticeſcat, nec injurioſè quenquam ab hoc altari eliminet. Cæteroqui non abſcinditur à ſuperno ſacrificio, quem fraus vel contumelia hìc innodaverit. Unde Nazianzenus: *Quid poſtea? Ab altaribus arcebunt: At altare aliud ſcio, cujus figuræ ſunt ea quæ nunc oculis cernimus, &c. Huic aſtabo, in hoc grata immolabo, &c. Ab hoc altari me non abſtrahet quiſquis volet.* Injurioſam vim criminatorum hac ſpe confutat; quòd ab iis ejectus, & ab Eccleſiæ ſacris exturbatus, conſortio tamen ſupercœleſtis altaris & verioris illic ſacrificii arceri haud quaquam poſſit.

Orat. 18.

At contra quem atrocium ſtimulat conſcientia criminum, etſi nullo Eccleſiæ percellatur fulmine, ſive quòd lateant ejus facinora, ſive quacumque demum alia de cauſa, cùm à cœleſti ſe jam extorrem eſſe ſacrificio non neſciat, ab hoc etiam ſponte ſua abſtinere ſe ipſe debet. Alioquin cœleſtibus nunquam reconciliabitur altaribus, qui eorum hìc imagines nefario contactu ſordidare ac profanare perſeverârit. Illud enim contaminat, quiſquis huic contumelioſus eſt: illud ſubſannat, qui huic illudit. Hic unus cardo eſt in quo vertitur tota jam olim Eccleſiæ diſciplina, ut inſtar habere intelligatur altare noſtrum altaris illius ſuperni, & alterius ſordidatione alterum contaminari. Superſedeo Canones Conciliorum & authoritates Patrum congerere, unus Auguſtini contextus opportunè inſeretur: *Conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione corporis & ſanguinis Domini. Ut qui ſeparari à regno cœlorum timet per ultimam ſententiam ſummi Judicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à ſacramento cœleſtis panis interim ſeparetur. Verſetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipſe non accedit, cogitet quàm ſit contremiſcenda pœna illa, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam.* Corpus Chriſti interim vita æterna eſt; qui illo abſtinetur, hac arcetur. Non aliter iſtud altare cum cœleſti illo unum eſt: ab hoc atque illo idem diſſidium, eadem conciliatio eſt. Huic fraudem faciunt aliqui, ſed illi nemo imponit. *Ad hoc enim altare quod nunc in Eccleſia eſt in terra poſitum, terrenis oculis expoſitum, ad myſteriorum divinorum ſignacula celebranda, multi etiam ſcelerati poſſunt accedere, &c. Ad illud autem altare quo præcurſor pro nobis introivit Jeſus, quo caput Eccleſiæ præceſſit, membris cæteris ſecuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus dicit Apoſtolus, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Solus enim Sacerdos, ſed planè ibi totus aſſiſtit, adjuncto ſcilicet corpore, cui caput eſt, quod jam aſcendit in cœlum. Ipſe eſt cui dixit Apoſtolus Petrus: Plebs ſancta, regale ſacerdotium.* Quæ poſtrema Auguſtini verba pulcherrimum ſenſum recondunt. Inde enim pateſcit quod jamdiu enitimur, vitam æternam ſacerdotium eſſe & ſacrificium, & idem ipſum cum noſtro hoc, quod ſacris appanſum velaminibus in Eccleſia frequentamus. Ideo non aſcendit in cœlum, non ſedet in gloria Patris niſi unus Chriſtus, unus Sacerdos, ſed cum corpore ſuo, ſeu cum plebe ſancta, cum regali ſacerdotio. Concludit tandem eum locum Auguſtinus: *Quomodo ergo in interiora veli, & in illa inviſibilia ſancta ſanctorum introire audebit aut poterit, qui medicinam diſciplinæ contemnens, noluit pauliſper à viſibilibus ſeparari?* Vide & Eligium Noviomenſem, qui eadem verbis ferè totidem habet.

L. 50. hom. hom. 50. c. 9.

VII. Liquet ſeptimò, quia hoc mediũ eſt Eccleſiæ temperamentum, inter Synagogam & patriam cœleſtem.

Septimò, dum non jam expectatur futurus, dum nondumematuruit perfectus, ſed dum naſcitur, puaraſcit, adoleſcit, juveneſcit, & quotidianis augeſcit incrementis Chriſtus ſeu novus Adam, & homo interior; hoc temperamento modulanda fuit ejus religio, ut nec inanibus paſceretur ſignis, nec nudis jam bearetur rebus, ſed rerum veritate velis quibuſdam & ſignis opacata donaretur. Quandiù enim expectabatur Chriſtus veritas, ſimulacris veri oblectari interim & moroſiſſimæ ſpei tædium hoc imaginum ſolatio fallere dabatur. Cùm in virum perfectum & in ætatem plenitudinis maturuerit Chriſtus ſeu corpus Chriſti, perfecta quoque & pleniſſima veritas nullis fuſcata umbris ſplendeſcet. Chriſtus enim veritas eſt: & vir perfectus ac plenitudo ætatis in Chriſto, perfectio eſt & pleniſſima lux fulgurantis & quaſi meridiana incendia accendentis veritatis. At quandiù inter cunabula pietatis reptat adhuc Chriſtus, aut pueritiæ limina adhuc pulſat, vel primævæ florem adoleſcentiæ explicat: quandiù jam tenetur & adhuc expectatur, tandiù æquum eſt teneri & expectari veritatem, videri & obvelari: videri velatam,

tam, teneri expectando, fruendo sperati, sperando possideri. Christus enim veritas est: cùm adest Christus nondum totus, nondum tota quoque præsto est veritas: cùm explicat se pedetentim Christus, erumpit quoque sensim è latibulo suo veritas: dum Christi latet quidpiam adhuc, latet & veritatis tanta portio. Denique caro Christi carnalibus vicem præstat Deitatis: quandiu obvelatur Deitas, furatur se nobis, atque obvelat Christi quoque caro; cùm nuda se sistet Deitas, nuda quoque corporeis oculis repræsentabitur Christi caro. Cavesis ergo ne si meras nobis figuras tentes obtrudere, in Judaicam nos retro impellas jejunitatem, & Christum expectare tantùm, non etiam tantillum saltem tenere jubeas. Cave rursus ne si figurarum te nimiùm pertædescat, & nudæ complexum ambitiosius prehenses veritatis, vitæ hujus modum finesque transilias, & præcipiti festinatione impingas corruasque.

L. 1. Offic. c. 48. Ambrosius: *Illa ergo nobis expetenda in quibus perfectio, in quibus veritas est. Hic umbra, hic imago, illic veritas, umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert seipse quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, ubi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est. Ergo dum hic sumus, servemus imaginem, ut ibi perveniamus ad veritatem. Sit in nobis imago justitiæ, sit imago sapientiæ, &c.* Non effœta veritatis hæc imago est, in qua non agnus, sed Christus offertur; non panis, qui perinde ac agnus umbra foret, sed Christus offertur, Christus se ipse offert. Quid inhibet ergo, ne non imago, sed veritas sit? *Quia hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit:* quia crucis & Ecclesiæ sacrificium etsi præsente Christo hostia & Sacerdote decoratum, imago tamen est & prolusio quædam atque præparatoria meditatio sacrificii æterni, quod æternus Sacerdos Christus in cœlis Patri immolat. Denique ut subnotat Ambrosius, non fucata, sed vera ac pura putaque sanctitate & sapientia locupletari hic cupidissimè pius quisque affectar, & tamen hæc imago tantùm est & quasi tyrocinium verissimæ illius justitiæ & sapientiæ, cujus copiain cœlis saturabimur. Ita non insolens est imaginem sui rem ipsam esse, dum in semine adhuc & rudimentis versatur. Porrò si imagini & veritati idem inest Christus hostia & Sacerdos, idem indubitanter utrobique erit sacrificium.

VIII. Algerus. L. 1. de Sacram. c. 8. Algerus cùm insuisset suprà laudata Ambrosii verba, hæc adjicit: *In qua notandum est quia in veteri testamento dedit Deus tantùm figuræ umbram, in novo veritatem cum figura, in futuro dabit veritatem non cum figura, sed manifestam: ut tali profectu temporum nos perfectæ veritati viciniores ostenderet, quibus post umbratam veritatem, nil nisi manifestam eandem dari restaret. Vetus enim testamentum veritatem promisit, non dedit: novum dedit, sed non ostendit: quid restat, nisi ut eadem veritas in alia vita manifestetur?*

CAPUT XXVI.

Eucharistia Melchisedecici sacrificii idem panis est nobis mortalibus, ac sempiterna veritas beatis immortalibus. Primo ex Patribus Græcis.

I. Epulum Eucharistiæ idem quod Primò quidem in promptu id erit, si verba Christi excutiamus apud Matthæum: *Hic est sanguis meus, novi testamenti, &c. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Quæ totidem verbis apud Marcum legere est. At apud Lucam: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & dividite inter vos, dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Ex quibus liquescit & Paschæ, & panis, & vini mysteria instaurari in regno Patris & innovari & impleri. At in illo beatitudinis regno quis vel suspicari ausit, vel panem, vel vinum, præter incommutabilis pabulum veritatis, sobriamque ebrietatem justitiæ, qua saginantur, qua permadescunt cum Verbo & de Verbo Christo beati omnes? Ergo hic initiatur quod illic impletur, hic peragitur, quod illic perficitur spiritale & beatum veritatis æternæ epulum. cœli, veritas, hic velata, illic revelata. Ex Scripturis. Matth. c. 16. v. 28. 29. Marc. c. 14. v. 25. Luc. c. 22. v. 15.

Origenes: *Ergo manducabit Salvator, & bibet panem illum, & potum Paschalem renovatum in regno Dei, & manducabit & bibet cum discipulis suis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, &c. Et aliàs autem non est regnum Dei esca & potus, &c. Manifestum est autem quoniam veram escam & verum potum manducabimus & bibemus in regno Dei, ædificantes per ea & confortantes verissimam illam vitam. Et quod dicitur, Accipiens Jesus panem, similiter &, Accipiens calicem: qui parvulus quidem est in Christo & in Christo adhuc carnalis, intelligit communiter; prudentior autem quærat, à quo accipiens Jesus? Deo enim dante accipit, & dat eis qui digni sunt à Deo accipere panem & calicem.* Accipit enim à Patre Verbum Deus, non ut habeat, sed ut sit veritas, & justitia, & panis animarum beatus & sempiternus, & hunc panem porrigit discipulis suis, illo regno donatis. *Item scriptum est, Non Moyses dedit vobis panem, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Et semper Jesus his qui secum agunt festivitatem, accipiens panem à Patre, gratias agit & frangit, & dat discipulis, secundum quod unusquisque eorum capit accipere: & ostendit, quando eos hoc pane nutrit, proprium esse corpus, cum sit ipse Verbum, quod & nunc necessarium habemus, & cum fuerit in regno Dei impletum. Sed nunc quidem nondum impletum, tunc autem impletum, cum nos præparati fuerimus ad capiendum Pascha plenum, quod venit ut impleat, qui non venit solvere legem, sed adimplere: & nunc quidem implere quasi per speculum in ænigmate impletionis: tunc autem facie in faciem implere, cum venerit quod perfectum est.* Implevit ergo Christus in mystica cœna Pascha Mosaicum, sed ipsum ejus Pascha quod priùs impletum est, implendum superest in regno Patris. Implevit, & implebit: implevit cum panem cœlestem in ænigmate exhibuit, implebit cum citra speculum, sine ænigmate, facie ad faciem fruendum panem verum, seu sempiternam veritatem exhibebit. Hunc panem verum, & veritatem ipsam à genitore suo Christus accipit, suis frangit & distribuit: quo quid aliud significatur quàm quod Christus Verbum imago & species est intelligibilis, qua Pater videtur & fruendus tenetur? II. Ex Origene. Tract. 25. In Matth.

Theophylactus perpendens allegata superiùs Christi apud Matthæum verba, in Origenis sententiam descendit: *Poculum novum revelatio est sacramentorum Dei, quæ tunc in regno Dei, hoc est, in secundo adventu revelabuntur, quæ verè sunt nova, qualia non audivimus uspiam. Cæterum bibere dicitur Christus nobiscum, eo quod nostram utilitatem cibum & potum suum existimat.* Et alibi idem: *Vitis Dominus ipse est, fructus autem vitis, mysteria sunt, & abscondita scientia, quam ipse profert, docens hominem scientiam. In regno itaque Dei, hoc est in octavo sæculo, bibet cum discipulis suis mysteria & sapientiam quandam* III. Ex Theophylacto. In cap. 14. Marci.

novam docens nos, & revelans quæ nunc abscondita sunt. Itaque tota mysteriorum arcana sapientia poculum istud est, quod nunc nobiscum præbibit & prælibat Christus, tunc autem in paterni regni gloria plenissimè hauriet. Et rursus alibi: *Quidam regnum putarunt, futurum statum: bibere autem Dominum nobiscum in futuro, pro revelatione mysteriorum. Exhilarans enim nos, exhilaratur; & pascens pascitur misericors Dominus, & nostrum potum ac alimoniam, hoc est doctrinam, proprium cibum existimat. Bibet igitur tunc novam quandam potionem cum dignis, revelans eis semper nova quædam & insolita*. Itaque non abs re est quod in fractione panis agnitus est aliquando Christus, est enim totius sapientiæ & sempiternæ veritatis sacramentum & domicilium hic panis, & idem qui innovabitur & implebitur in patria beata.

In cap. 22. Luc.

IV. Ex Euthymio, In cap. 64. Matth. — Euthymius firmat suo quoque calculo hanc sententiam, sed ne sacrificii rationem præteriri expostules, hanc etiam ille absterget querimoniam: *Lucas etiam de legali Pascha Christum ait dixisse; Non edam ex eo donec compleatur in regno Dei, quod videlicet erit in sæculo venturo. Tunc enim Pascha perficiet, & perfectius, & purius immolans, ineffabile Verbum divinitatis & humanitatis suæ, gladio doctrina dissecans illud & dividens, his qui sacrorum suorum doctrina digni erunt. Quod autem vel quantum gaudium est, ut nos quidem discamus, ille vero doceat, & una cum eis ipsis ejus discipulis Verbum participemus: sicut ait Gregorius Theologus, pulcherrima est de tali Pascha Theologia*. Ubi perspicuum est, Paschæ sacrificium spiritale in cœlo à beatis celebrari, ubi Verbo Dei quod acutius est omni gladio ancipiti, mactatur Christus Deus homo, & contemplatoribus beatis distribuitur. Hoc novum Pascha est, hoc plenum, hoc sacrificium perfectum, hoc unum cum Eucharistia nostra, hoc præclarissimè Theologię plenissimum.

V. Ex Nazianz. Orat. 42. — Quoniam verò Nazianzeni patrocinio niti se jactavit Euthymius, indigitandus est egregius apud eum locus, unde hæc astruantur. *Jam vero Paschatis participes erimus, nunc quidem adhuc typicè, tametsi apertiùs quàm in veteri. Legale siquidem Pascha, nec enim dicere verebor, figuræ figura erat obscurior. Aliquando pòst autem perfectius & purius, tunc videlicet cum Verbum Deus bibet illud nobiscum novum in regno Patris, patefaciens ac docens, quæ nunc minus plenè demonstravit. Novum enim semper est quidquid intelligi incipit. Quænam autem illa sit potio atque perceptio, discere nostrum est, illius docere, discipulisque suis hanc doctrinam impartiri. Doctrina enim ejus quoque qui alit, cibus est*. Hęc est recondita Theologi Theologia. Verbi enim non est, nisi docere, illuminare, Patrem manifestare: ubi se ergo carni, ubi se cum carne sua sacramento panis inclusit, ab ingenio suo, à Verbi indole & officio non degeneravit, & istud æternæ adornavit sapientiæ domicilium, veritatis sacrarium: sed interim carnalibus illud temperavit carne ceu involucro, & ne abalienarentur magis quàm inescarentur, hujus altero rursus involucri involucro. Sed quantumvis frangat se, & obumbret aliis atque aliis integumentis, Verbum nihilo seciùs est, à se non degener, non usquam decolor, Patris imago, Patris species & forma, lux veritatis, lumen sapientiæ, & seu panis sit, panis sapientiæ: seu poculum se velit esse, poculum veritatis & justitiæ non poterit non esse, carnalibus nunc, quantum carnales capient; spiritalibus, quantum & ipsi patientur; beatis, fine modo. Sed ut idem qui carnalis, pòst in spiritalem provehitur, ac denique immortalitate perficitur & beatur; ita idem panis, idem poculum Christus Verbum caro, pro suo quibusque modulo dispensat, quibusdam etiam fine modo, non alium tamen quam seipsum seu carnalibus carnem, seu spiritalibus Verbum è carne fulgurans, seu immortalibus Verbum jam non secundùm carnem, sed totum Deum largitur.

VI. Eucharistia est panis vitæ, at vita veritas est. Ex Clemente. — Secundò, dilucidè quoque id enitescit, ex eo quod se Christus tam crebrò panem vitæ appellitavit. At panis vitæ est, qua Verbum, qua veritas & vita est. Nec enim corporibus nostris alimenta suppeditare sacramentis suis ita curavit Christus, sed panem vitæ animabus sufficere. At animarum panis non caro, sed Verbum est. Etenim natura rationalis rationibus æternis, & incommutabili veritate reficitur & pinguescit. Hæc caro Verbi est animam saginans, veritas & justitia. Hic sanguis Verbi est, animam irrigans & fœcundans, sapientia & virtus. Panis ergo vitæ seu panis animarum, sive Eucharistia, Verbum est sapientiæ justitiæque succum inspirans, hì pro meritorum modo repatriantibus, illic fine modo regnantibus. Clemens Alexandrinus: *Duplex est autem sanguis Domini: alter enim est carnalis, quo redempti sumus ab interitu: alter vero spiritalis, quo scilicet uncti sumus. Et hoc est bibere Jesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. Verbi autem virtus est spiritus, quemadmodum sanguis carnis*. Et paulò pòst: *Amborum temperatura, potus scilicet & Verbi, Eucharistia dicitur, quæ & laudabilis & pulchra est gratia*. Concretio itaque Verbi & carnis seu sanguinis, perinde ut incarnatio, ita Eucharistia est, sed ea utrobique lege vigente, ut regnet Verbum, & dominetur carni. Nec enim commiscetur homini Deus per incarnationem, ut Deus in hominem evacuetur, sed ut absorbeatur homo in Deum; nec rursum miscetur Deus homini in esum potumque, ut demergatur & deficiat in hominem Deus, sed ut deglutiat hominem totum & quasi devoret deitas, sapientia, justitia, veritas, & vita beata. Nec est tamen quod tanquam ex insidiis impetum faciat hæreticus, vel suspicionibus suis exagitet nos, & exagitetur simplicior Christianus, quasi jam nulla sit carnis opera, nullumve operæ pretium ad animæ sospitatem. Est enim ingens carnis utilitas, permagna viget carnis necessitas: quod demersis in carnalia animabus, non alio, quàm carnis vehiculo, Verbi deitas & sapientia & justitia invehi queat. Est ergo panis, est potus animæ sapientia & veritas; sed nisi per carnem & sanguinem carnali animæ poculenta & esculenta non erit sapientia & veritas. Unde idem Clemens: *Verbum bibitur, alimentum veritatis*. Et paucis interjectis: *Christo quidem nutrimentum erat paternæ voluntatis adimpletio: nobis autem ipse Christus infantibus est alimentum, qui Verbum cœlorum exugimus. Præterea autem seipsum panem Verbum cœlorum fatetur. Non enim Moyses inquit dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum: panis enim ex Deo est, qui de cœlo descendit & vitam dat mundo: & panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*. Et tandem ibidem: *Itaque Verbum multis modis allegoricè dicitur, & cibus, & caro, & nutrimentum, & panis, & sanguis, & lac. Omnia est Dominus ut nos eo fruamur, qui in eum credidimus*.

Pædag. l. 1. c. 2.

Pædag. l. 1. c. 6.

VII. Ex Chrysostomo. Hom. 44. in Joan. — Chrysostomus: *Ego sum panis vitæ. Jam in mysteriorum traditionem deventurus est; & primum de divinitate sua sic disputat, dicens: Ego sum panis vitæ. Neque enim de corpore hoc dictum est, de quo circa finem inquit: Panem quem ego dabo caro mea est: sed adhuc de divinitate. Etenim illa propter Deum Verbum panis est*. Viden ut cibus verus & panis immortalis sit Verbum ipsum, quod à carnalibus ut capi posset, carni inserendum fuit, & ideo jam caro hæc Verbo fœta panis est: & rursus ne carnalium sensibus horror ab esu carnis hujus incuteretur, vulgati panis superficies seu extima species obducenda fuit? Itaque frumenti species, carnis substantia integumenta sunt veri panis, Verbi Dei, seu sapientiæ, qua beantur cælites immortale regnum assecuti.

Et

VIII. Ex Isidoro Pelus. L. 1. Ep. 360.

Et fidus Chrysostomi assectator Isiddorus Pelusiota, eadem Christi verba, *Ego sum panis vitæ*, ita commentatur: *Panis Dominus appellatus est, ipsemet sibi hoc nomen imponens. Et si sensum primo obvium spectes, quia salutis cibus omnibus extitit: si autem abditum & arcanum, quia humanæ conspersionis fermentum copulavit ac perpurgavit, atque divinitatis suæ igne velut excoxit, nec non una cum eo persona, atque una adoranda hypostasis factus est.* Et huic videtur alendæ animæ vis ac substantia à Verbi natura derivari.

IX. Panis supersubstantialis est vel Verbū, vel caro Christi, hoc est, veritas vel velata, vel sine velo.

Tertiò. Liquet panem supersubstantialem seu ἐπιούσιον, quem quotidiana Dominus prece à Deo flagitari instituit, vel de carne Christi, vel de Verbo Dei à sanctis Patribus promiscuè explanari, ut missæ fiant interpretationes aliæ de pane quotidiano quo corpus hoc corruptibile suffulcitur Theophylactus: *Quin & corpus Christi panis est consubstantialis, cujus esse participes citra condemnationem precamur.* (In cap. 6. Matth.) Et Euthymius: *Æquum etiam est, animæ quoque panem petere. Indiget enim & ipsa consubstantiali cibo, dico sanè illuminatione cœlesti, utque divina ei cognitio præbeatur.* Alter ut vides, carnem Christi, alter Verbum Deum panem ἐπιούσιον interpretatur: nec ab altero alter dissonat, quia nec caro ipsa supersubstantivus panis est, nisi quà Verbo immersa & delibuta, Verbique seu veri panis vehiculum est.

L. 3. Epist. 281.

Isidorus quoque pelusiota hoc ipsum orationis dominicæ caput intelligendum ait, *De divino Verbo, qui animam corporis expertem alit, & in ipsius substantiam quodammodo miscetur & manat: unde etiam supersubstantialis dictus est panis, substantiæ nimirum vocabulo animæ potiùs quàm corpori congruente.* (L. 4. Orth. fid. c. 14.) At Joannes Damascenus: *Iste panis est primitiæ futuri panis, qui est supersubstantialis. Supersubstantiale enim ostendit, aut eum qui futurus est, id est, venturi sæculi, aut eum qui ad conservationem nostræ sumitur substantiæ. Sive igitur hoc, sive illo modo, Christi corpus accommodatè dicetur. Nam spiritus vivificans est caro Domini, quia ex vivificante spiritu concepta est. Quod enim natum est ex spiritu, spiritus est. Hoc autem dico, non auferens corporis naturam, sed vivificationem & divinitatem ejus ostendere volens.* Alteri Verbi Deitas, alteri Verbi caro videtur vocitari panis supersubstantialis, nec ulla tamen eos rixa dirimit; unus enim panis est Verbum caro, carne sua Deitatem & sapientiam in nos traiiciens. Quin etiam fas erit huc rapere eos quoque interpretes, qui de pane quo corpus terrenum sustentatur, hæc precis nostræ verba commentantur. Nam ut advertit Chrysostomus, spiritalis hæc quoque oratio est, qua non opes flagitantur, non copiæ, non lautitiæ appetuntur, sed quantulum natura desiderat, in diem, & facile parabile, & quo sobrietas magis ac terrenorum abdicaio, quam terrenum corpus sustentetur. Hæc animi præparatio, hæc corporis sui incuria, hoc terrenorum omnium fastidium, animæ cibus est, sapientia & justitia est, Dei Verbum est, Christi caro & sanguis est. Nam in glutiendo Christi carnis & sanguinis sacramento, hoc utique satagis, hoc sectaris, ut Verbum fugas, ut cælestem sapientiam bibas, ut æternorum charitatem haurias, ut temporalium nauseam potes, ut cupiditatum venenum ebibas, ut carni tuæ nonnisi necessaria & in diem provideas. Hic triplex, hic omnis, hic unus animarum incorruptibilis & supersubstantialis panis est, hic Christus est, & Verbo & carne id inspirans, id imprimens & infigens. Etenim ut ait Damascenus, hic panis seu caro Christi, Spiritus est, quia de Spiritu nata est, quia Verbum Deus est, vel Verbi Dei est: ideo enim vivificat, ideò futuri in æterna vita panis prægustatiæ & primitiæ est. Quis enim æternæ vitæ panis aliùs quàm temporalium incuria, æternorum charitas & gaudium, & affixa tanto gaudio sapientia? Hoc totum sonat in triplici commentatione hujus preculæ, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

X. Eucharistia epulum est, quod sapiētia instruit.

Quartò ne à Scripturis discedam, huc quoque spectat illud epulum sapientiæ, quæ proposuit mensam & miscuit vinum, omnesque passim invitat: *Venite, comedite panem meum & bibite vinum quod miscui vobis.* A sapientia enim instruente convivium, quis expectet alium, quàm ut alibi dicitur, *Panem vitæ & intellectus, & aquam sapientiæ salutaris* &c. Et eo sanè opus est pane atque potu *parvulis & insipientibus*, quos sibi convivas ascivit sapientia. Hujus autem convivii domus ipsa caro est sapientiæ. Sapientia enim ædificavit sibi domum, id est, carnem sibi circumjecit: proposuit mensam, panes, vinumque, hoc est, his se speciebus occultavit, ut carnalibus & carnalia tantùm sapientibus illaberetur, Ergo incarnatio sapientiæ ad Eucharistiam, utraque ad sapientiam & æternæ veritatis contemplationem animis inserendam destinatur: hoc est ad vitam æternam fælicium contemplatorum, hìc prælambendam, illic hauriendam pleniùs, & utrobique unum æternale & catholicum holocaustum Deo ipsa contemplatione & charitate beata immolandum: hoc est enim quod dicitur: *Occidit victimas suas.* Athanasius, cùm superiora versaret Salomonis verba: *Igitur Verbum & Deus sapientia & virtus Patris, cùm incorporeus esset, ut Deus & Pater suus, ob nostram salutem ædificavit sibi domum, in utero Deiparæ Mariæ sine commercio virili, & homo factus est, &c. Post illius passionem emisit sapientia, virtus, Verbum, Deus, Apostolos ad omnes stultos, brutos, scilicet & Gentiles, Deique ignaros, proposita mensa, sacro nempe altari, & in eo panem cælestem & incorruptibilem & omnibus vitam donantem, qui inde participarent, sanctum videlicet & sacrosanctum suum ipsius corpus exhibuit, vinumque exhilarans mentem, quod sobrietatem facit, in cujusque animo qui inde degustat, quasi in cratere suum ipsius sanguinem miscet, advocans sibi prædestinatos atque electos per Apostolos suos. Atque ita omnis quidem stultitia omittitur, regni autem cœlorum cives efficiuntur, qui illos audiunt.* (Disp. contr. Arium in Nic. Conc.)

XI. Cū esitatur caro Verbi seu sapientiæ & justitiæ, ipsa comeditur sapientia & justitia sēpiterna Christus.

Quintò, si seriò spectetur caro Verbi, seu sapientiæ & justitiæ incommutabilis, jam operosum non erit intelligere, qui ea esitanda panis sapientiæ comedatur, & beata vita in quendam traiiciatur quasi ventrem animæ. Nam Verbum Deus ipsa per sese florentissima & abundantissima justitia est & sapientia; & ubi carnem hominisque naturam immeat sibique subjugat, hæc humanitas tota cogitatur invadi, inundari, vindicari à sapientia & justitia incommutabili, sibi eripi, seipsa exui, rapi in naturam superiorem, ea indui & madidari, ut jam ipsa sit lux sapientiæ & substantiæ justitiæ. Ergo ubi editur, ubi bibitur hæc humanitas, editur bibiturque sapientia & justitia, qua scatet, qua diffluit; qua redundat, quam spirat, quam sonat, quam fulgurat: editur ergo bibiturque in antecessum vita æterna. Ita caro non prodest quidquam, sed spiritus vivificat: & tamen nisi manducaverimus carnem filii hominis, exortes vitæ sumus. Quia caro Verbi jam mera caro non est, sed spiritus, sed Verbum caro factum, sed sapientia carne amicta, sed justitia carne velata: quia caro mea jam non est, quæ sua non est, quæ Verbi accessio est, quæ sapientiæ in naturam rapta est, quæ ipsa justitiæ substantia & hypostasis facta est. In id ergo infigendus est animus, in id intendendus, ut non aliter menti occurset, quam ut caro Verbi, ut Verbum potiùs carne actictum, ut sapientim sub carnis nubecula fallens, & pia fraude illudens, ut quasi ex insidiis irrepat in nos, & illabatur in pectus nostrum. Origenes: *Tu qui ad Christum venisti Pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, & reconciliavit te Patri, non hæreas in sanguine car-* (Hom. 9. in Lev.)

carnis, sed disce potius sanguinem Verbi, & audi ip sum tibi dicentem, quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Novit qui mysteriis imbutus est & carnem & sanguinem Verbi Dei. Et alibi: *Panis iste quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur, Verbum est nutritorium animarum, Verbum de Deo Verbo procedens, & panis de pane cælesti. Et potus iste quem Deus Verbum sanguinem suum esse fatetur, Verbum est potans & inebrians præclare corda bibentium.* Et ibidem: *Panis est Verbum justitiæ quam manducantes animæ nutriuntur: potus autem est Verbum agnitionis Christi, &c.* Et Chrysostomus: *Panem autem vitæ seipsum appellat, quoniam vitam nostram & hanc & futuram corroborat. Et ait: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panem verò sive doctrinam salutarem hoc in loco dicit, & fidem in se, sive corpus suum. Utrumque enim animam fortiorem reddit.* Perinde est carnem Christi sive sapientiam interpreteris panem hunc; ut enim sapientia sempiterna, seu Verbum caro factum est, & caro est, ita est ipsissima sapientia hæc caro: quia ita Verbo & sapientia scatet & exundat, ut substantia ipsa jam sit, seu persona sapientiæ. Unde ibidem aliquantis interjectis Chrysostomus de sanguine Christi in altari disputans ait: *Hic fons lucis est, fons diffundens radios veritatis: huic supernæ astiterunt virtutes, fluctuum ejus pulchritudinem demirantes. Nam manifestiùs quàm nos illæ propositorum virtutem & fulgorem inaccessibilem intuentur. Quemadmodum enim si quis liquefacto auro manum vel linguam iniiciat, quamprimum deauratur, ita hæc nobis proposita animam auream reddunt. Ebullit enim fluvius igne vehementior, neque incendit, sed abluit tantùm quidquid comprehendit.* Fluvius utique sapientiæ & justitiæ est hæc caro, hic sanguis, fons lucis, fons diffundens radios veritatis. Num alius est qui supernè fluvius lætificat civitatem Dei? Sed nonne hic est quo exhilarantur beanturque Angeli nobis oculatiores, & luci huic combibendæ aptiores? Utique caro Verbi & caro Verbum, ubi fons lucis, fons veritatis, flumen sapientiæ & torrens justitiæ, & beatitatis scaturigo dicitur, non gloriosiùs quàm constantiùs dicitur: nec ultra veri limitem aggerator prætervehitur oratio, sed ipsa Verbi natura carni suæ infusa, parcè satis & tenuiter significatur.

Tract. 31. in Matth.

Ho 45. in Jo.

XII. Tantò verior Christi caro, & in incarnatione, & in Eucharistia, quantò veritatis caro est, & Verbi veritatem ac sanctitatem ad nos devehit.

Sextò, cùm Origeni, Clementi aliisque caro Christi dicitur & sanguis, Verbi doctrina & veritas per assumptam carnem promulgata, non carnis veritati obtrectatur, sed tantò verior æstimatur caro, quantò caro veritatis & Verbi, & caro veritas ad Verbum esse defenditur. Neque enim carnis mendacium veritati promulgandæ & prosedminandæ tam appositè famularetur, ut carnis veritas & substantia ipsa. Ubi enim veritas mendacio se committit? Eccubi fraus veritati suffragatur? Num sapientiæ est fucum facere, & præstigias prætendere per inania simulacra? Ergo ubi caro Christi in sacramento, sapientiæ lux, veritatis fons esse venditatur, dementissimè excipitur carnis veritatem elevari. Si veritas enim per carnem ad nos traiicitur, ipsi primùm carni suæ affatim irrigatur & inhæresccit: nec veritatis cum carne commixtio, fraudis vel fuci suspicionem ullam in ea residere patitur. Jam verò si pressiùs & enucleatiùs explorare libeat, quì veritas & sapientia in sacro pane delitescat, in eoque devoretur, transfactam in carne olim mortali vitam Verbi, fusamque ore sacro doctrinam, mortem, resurrectionem, omnia denique mortalitatis atque immortalitatis ejus deinde arcana, quæ grandia utique & absolutissima sunt cælestis dictata sapientiæ, hæc ob oculos mentis propone, eaque hoc panis sacramento contineri omnia existimato. Num qualem quantumcumque semel in carne explicuit se visibiliter olim Verbum Deus, dum materni uteri sepitur ergastulo, dum erepit in lucem, dum inter cunas reptat, dum matris hæret uberibus, dum puerascit, adolescit, juvenescit, dum terras miraculis magis & doctrinæ radiis peragrat quàm passibus, dum mortem oppetit & expugnat, dum redivivus ab inferis immortalitatis spem initiat dedicatque, dum paterni solii repetit consessum, qualem, inquam, quantumque in his omnibus semel se explicuit in carne Verbum Deus, talem tantumque sese reservavit, perpetuavitque posteris Ecclesiæ suæ ætatibus per hoc sui corporis & sanguinis sacramentum. Etenim incarnatæ Deitatis mysteria, lucis conceptacula, veritatis sacraria, ætates posteræ non sola recordatione attingere debuerunt, sicut synagogæ retro tempora sola expectatione iis occurrebant. Alioqui quo Ecclesia synagogæ anteiret? Sive expectatio enim rei futuræ, sive recordatio præteritæ, inani luduntur imagine rei, cujus ad præsentiam anhelant. Ergo ut Ecclesiæ sua constet prærogativa, non recordatione tantùm, sed præsentia & vero contactu, sistenda illi & ad satietatem propinanda per omnes temporum lapsus fuere Verbi incarnati caro & sanguis, vita & mors, gesta dictaque, exempla & documenta. Præterquam quod ea est Verbi majestas temporum conditoris arbitrique, ut ejus etiam per carnem assumptam dicta factaque nullis temporum legibus, nullis sæculorum lapsibus mancipanda sint, sed stare & constanter durare, atque immutabili gradu debeant perennare.

XIII. Ut in Eucharistia contineantur & perpetuentur Christi gesta & mysteria.

Est igitur Eucharistia temporalis Christi dispensationis æterna quasi statio quædam: est ætatum ejus gestorumque non recordatio mera, sed perpes præsentia; est incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis non iteratio, non renovatio, sed statio fixa & perpetuitas. Hìc semper nascitur, hìc singulis puer blanditur, hìc jugiter adolescentiam castitate consecrat, hìc posteris omnibus juventam suam repræsentat: hìc quibus libet triennale suum illud refricat magisterium, hìc sanguineo exsudat rore, hìc figitur cruci, hìc efflat animam, hìc resurgit. Et hæc omnia quæ effluxerunt, revocari, sisti & stare: hæc quæ plurium volumina pertexunt annorum, unà colligi & pariter æternari, nihilo operosius est temporum modulatori, quàm locorum omnipotenti opifici, sparsa & sese propellentia corporis membra conflare in unum puncto brevius punctum, & loco omni exiliorem locum.

Quæ cùm ita sint, mirabile jam non videbitur si panis sapientiæ prædicetur Eucharistia. Cùm enim temporalem ambiat Christi totam dispensationem, totum utique complectitur sempiternæ veritatis magisterium. Quid enim Verbi in carne dispensatio omnis, quàm sapientiæ æternę explicatio, quàm rationis summę elucidatio sensibilis, quàm veritas ipsa carnalibus per carnem sese ostentans, sese ingerens? Quid facta Verbi omnia, quàm verba quędam expressissima? Quid gesta veritatis, quàm oracula inconcussa? Quid sapientię vita, quàm summa quędam Theologia? Quid est Verbum edere, quàm contemplari? Quid est sapientiam bibere, quàm ęterna speculari? Verbi & rationis summę vitam devorare, quid aliud quàm ęternitatis contemplationem corporea obvolutam nubecula haurire?

Divinorum enim ęternę sapientiæ arcanorum contuitus, quo Angelorum civitas numquam peregrinata potitur, quo per lapsum suum excussus est primus parens cum obnoxia sobole, is reparatus per Christi incarnationem est, obducta tantùm, ad lippientium oculorum medicinam, carnis nebula: per Eucharistiam in omnia pòst sæcula exporrigitur idem ipse, qui denique difflato nebulæ hujus velamine, sed idem ipse tamen beatis & immortalibus olim nobis despondetur.

Orige-

XIV. Ex Origene. Tract. 35. in Matth. Origenes: *Quoniam panis est Verbum justitiæ, quam manducantes animæ nutriuntur: potus autem est Verbum agnitionis Christi, secundum mysterium ejus nativitatis & passionis.* Ut Verbum stat in æternitatis suæ immobili vertice, temporum autem fluxus infernè despectat: ita Verbi verba, adeoque gesta omnia etiam per carnem, imbuuntur radicis suæ æternitate & constantia, atque ita animas nutriunt ad æternitatem, temporumque victoriam. Unumquodlibet Christi in carne dictum factumve, verbum erat justitiæ, verbum agnitionis, id est, verbum erat expromens justitiam, explicans sapientiam suam, suo more & de afflatu eternitatis suæ hæc sua etiam temporalia respergens, & supra temporalium modum ad æterna subvehens.

XV. Ex Basilio. Epist. 141. Basilius: *Et qui edit me, vivet propter me. Carnem namque ipsius edimus ac sanguinem bibimus consortes ipsius effecti per incarnationem & sensibilem Verbi ac sapientiæ vitam. Carnem enim & sanguinem, totam suam mysticam in carne conversationem vocavit, doctrinamque illam quæ ex vita actuali & naturali & Theologica constat, manifestavit, per quam nutritur anima, & ad eorum quæ sunt contemplationem interea exercetur & imbuitur.* En quid dispensatio sit Christi in carne. Nimirum, vita sapientiæ sensibilibus implicata quasi symbolis. Et hoc totum quid nisi sapientia & veritas? Hoc edimus, hoc bibimus in Eucharistia. Rursum ex Basilio, Caro Christi & sanguis vocatur tota ejus mystica conversatio in carne & doctrina. Ergo cùm caro editur, doctrina & veritas devoratur. Denique ut Philosophiam omnem seu potiùs sapientiam contineri hoc sacramento intelligas, illam suis omnibus numeris & partibus sapientia coagmentat, morali, physica & theologica. An ulla enim pars sapientiæ est, quæ non hac distributione includatur?

XVI. Ex Eusebio. Eusebius Pamphilli incorporeas & rationales hostias in Eucharistia immolari docet. Non quo externum & materiæ concretum non sit sacrificium, sed quod intellectualis veritas superstagnat materiæ, non aliter quam corporata veritas cùm esset Christus, exuberabat, obruebatque carnem deitatis immensitas. *Vini quoque lætitiam gentibus vaticinatur Propheta, in eo significans novi testamenti quod à Christo conditum est mysterium, quod sanè apud omnes gentes hodierno tempore perspicuè celebratur. Porrò has rursus incorporeas, intelligentiaque præditas hostias prophetica nunciant oracula: Immola Deo sacrificium laudis, &c.* Et paulò pòst: *Itaque etiam incendimus Propheticum illum odorem in omni loco, & offerimus ei suaveolentem fructum omni virtute abundantis Theologiæ, hoc ipsum orationibus ad eum directis facientes. Igitur & sacrificamus & incendimus aliàs quidem memoriam magni illius sacrificii, secundum ea quæ ab ipso tradita sunt mysteria, celebrantes & gratias Deo pro salute nostra agentes, hymnosque, &c.* (Demon. Ev. L. 1. c. ult.) Quæso te, hæc intelligibilis & Theologica hostia eccur appellatur, nisi quia caro est veritatis, succus & sanguis est sapientiæ, corpus est ipsum justitiæ? Nisi quia quisquis hac hostia pascitur, omnibus exaturatur incarnatæ sapientiæ mysteriis, omnia combibit corporatæ justitiæ oracula? Nisi quia hujus hostiæ sanguine quisquis se proluit, hoc quasi authoramento suam æternæ sapientiæ Theologiam moribus & vita, ac sanguinis sui impendio profiteri ac defensare obligatur?

XVII. Ex Theodoreto. Orat. 10. de Provid. Denique eò spectat illud Theodoreti, ubi Christum partu virgineo effusum, in præsepi statim reclinatum ait, tanquam cibum hominibus qui peccatorum absurditate in pecudes desciverant ac penitus obrutuerant, temperatum: at eundem castigatis & in naturæ rationalis lucem ac dignitatem tanquam postliminio revocatis, jam in sacra mensa vescendum apporrigi, tanquam intellectualis animæ intelligibilem escam, toto sapientiæ succo & justitiæ veluti sanguine pinguescentem. *Ad hunc modum natus Christus, materna quidem perinde ut nos sugit ubera, in præsepi autem brutorum animalium mensa ponitur, simul hominum brutam & ratione carentem naturam accusans, & suum erga homines amorem manifestans, quod cum ipse nutritor sit ut Deus, secundum humanitatem hominum cibus sit, qui magna & brutali ignoratione laborabant. Nunc verò cum brutorum ignorationem humana natura objecerit, & rationis usum receperit, mystica illum excipit mensa, ipsa præsepis illius typus facta & homines erudiens, quod cum homo in honore esset, non intellexit, sed comparatus est jumentis irrationabilibus, & similis factus est eis, præsepe divinum illum & spiritalem cibum suscepit: postquam verò ad seipsam rediit natura, & imaginem divinam sibi inesse manifestè cognovit, tunc postea super rationalem mensam cibus ille transivit.* Cibus ergo hic est rationalis naturæ, abjecta sensuum brutarumque voluptatum consuetudine, in divinam imaginem reformatæ, & prout rationali substantiæ consentaneum est, jam solam esurientis sapientiam, unam justitiam impotentissimè sitientis, solam suspirantis ac sapientis æternitatis alimoniam, ad cætera omnia nauseabundæ. Atque ut breviùs stringam, cibus hic est ejus naturæ, cui non alius esse potest cibus, quàm veritas & justitia immutabilis.

CAPUT XXVII.

Melchisedecicum Eucharistiæ sacrificium, idem nobis mortalibus panis est, atque sempiterna veritas beatis immortalibus, ex Patribus Latinis.

I. Ut Angelica ita humana natura, qua rationalis, non potest vesci, & ali, ac saturari cibo alio, quam veritatis, sed aliter & aliter.

PRimò id quidem hinc liquidò claret, quod hominis atque Angeli idem sit panis. Utraque enim natura est rationalis, utraque naturæ divinæ atque corporeæ interlocata, summæ & imæ media, huic administrandæ præposita, illi admirandæ supposita, utraque demum solo Creatore inferior, cætera omni superior creatura. At naturæ Angelicæ panis non est, nisi sempiterna veritas & justitia sursum incommutabilis, cui adhærescit, quam allambit, quam sugit, quam devorat, quam ebibit, qua deliciatur, qua pinguescit, qua inebriatur. Ergo & homo panis ejusdem deliciis oblectandus fuit, nec usquam alibi præter Eucharistiam. Est enim Eucharistia panis vitæ, est caro vitæ, est caro Verbi, panis qui de cœlis descendit, qui dat vitam mundo, quo qui vescitur, immortalitate afflatur: ergo Eucharistia panis ille est æternæ veritatis, quo vescuntur Angeli, etiam hominibus temperatus. Ne mera enim spiritali contemplatione ad intelligibilem illum cœlestis sapientiæ panem assurgat homo, peccatorum suorum & inolitæ vergentisque ad sensibilia consuetudinis pondere degravatur, deorsumque ad corpora usque adeo præcipitatur atque alliditur, ut nisi his in quæ cecidit, innixus resurgere & ad superna eniti non possit. Sed quia peccato debilitata, non destructa; extenuata, non vacuefacta penitus est natura rationalis, ne infirma quidem alio vesci pane desiderat, quàm quo sana, sed temperato & imbecillitati suæ coaptato, sensibilibus videlicet symbolis obvelato. Quocumque enim pane alio natura rationalis & imago summæ Deitatis, etiam infirma & ægrescens, ludificari potest, nutriri non potest.

II. Ex Augustino ut Angelo & homini stanti cibus erat pura veritas, lapso eadē, sed carne induta. in Psal. 134.

Augustinus: *Talem se præbuit hominibus Deus, ut etiam panem de cœlo miserit, & Filium suum æqualem, qui hoc est quod ipse dederit hominem faciendum & pro hominibus occidendum, ut per hoc quod tu es, gustares quod non es. Multum enim ad te erat gustare suavitatem Dei; quia remota erat illa & nimis alta, tu autem nimis abjectus & in imo jacens,*

jacens, &c. Deus factus est homo, ut hominem sequendo, quod potes, ad Deum pervenias quod non potes. Ipse est mediator, inde factus est suavis. Quid suavius pane Angelorum? Quomodo ergo non est suavis Dominus, quando panem Angelorum manducavit homo? Non enim aliunde vivit homo & aliunde vivit Angelus: ipsa est veritas, ipsa est sapientia, ipsa est virtus Dei. Sed quomodo ea perfruuntur Angeli, tu non potes. Illi enim quomodo perfruuntur? Sicuti est, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia. Tu autem quomodo contingis? Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ut autem panem Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus est homo. Audin quam disertè pronuntiet Augustinus? *Non enim aliunde vivit homo, & aliunde vivit Angelus?* Audin quo pane utraque hæc natura rationalis victitat? Nempè veritate & sapientia & virtute Dei. Audin denique non quo Angelos, eodem posse homines modo ad hunc panem eluctari? Afflicto enim in hæc ima homini inclinandus & carne involvendus fuit sapientiæ æternæ panis. Cæterum sive involutus, sive evolutus, idem panis est, eadem veritas & sapientia. In esitanda enim Eucharistia, hoc est, in tota Christi dispensatione temporali deglutienda, gustatur & devoratur quidquid beatæ in cœlo mentes degustant hauriuntque deitatis, justitiæ, sapientiæ, pulchritudinis, infinitatis, suavitatis, & divinæ demum totius opulentiæ & beatitatis. Quid enim horum non spirat, non rutilat in Christi œconomia corporali? Tota enim se in carne & per carnem exeruit, tota se explicuit corporata deitas Verbi. Ubi ergo hæc devoratur, tota sorbetur sub corporis involucro beatorum sursum fœlicitas Angelorum. Denique illud: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*: nunc ad incorporationem Verbi, nunc ad supernam beatitatem trahitur pari ferme authoritate & numero alternantium hic & inde sacrorum interpretum. Nec injuria. Eadem enim æternæ veritatis & justitiæ pulchritudo incorruptibilis, ad quam cæcutiebat oculus, ad quam obsurduerat auris, ad quam ipsa caligabat mens hominis peccato convulnerati, prædestinata rursum nobis & præparata est per incarnationem primo quasi per velum interjectum, & postea sine velo coram fruenda. Non illud ergo dissidium est interpretationis, sed mysterii utriusque affinitas & concatenatio.

In Psal. 137. Augustinus idem: *Ipsa congregatio Angelorum templum Dei est: adoramus ad templum Dei: Ecclesia deorsum & Ecclesia sursum. Ecclesia deorsum in omnibus fidelibus, & Ecclesia sursum in omnibus Angelis. Sed descendit ad Ecclesiam deorsum Dominus Angelorum, & ei Angeli in terra ministraverunt, ministrantis nobis. Non enim, inquit, veni ministrari sed ministrare. Quid nobis ministravit, nisi quod hodieque manducamus & bibimus?* Cùm una sit nostra & Angelorum Ecclesia, mirabile haud est, si una sit esca. Cùm Dominus Angelorum cœlestium illinc ad nos exscenderit, ut Eucharistiam ministraret, eandem utique nobis ministravit escam, quam supernè Angelis ministrat. Et alibi: *Quanti te æstimavit qui Filio proprio non*

In Psal. 143. *pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Quomodo non & cum illo omnia nobis donavit? Qui hanc annonam dedit pugnanti, quid servat vincenti? Ego sum, inquit, panis vivus, qui de cœlo descendi. Hæc est annona præliantium, de horreis invecta dominicis, unde pascuntur Angeli, quia panem Angelorum manducavit homo.* Præliantibus animos exaggerat, propinato in antecessum gustu præmii victoribus desponsi: pane Angelorum, ad panem Angelorum, operto, ad apertum invitat & promovet. Et rursùm: *Qui mandavit nubibus de-*

In Psal. 77. *super, qui panem cœli dedit eis, ut panem Angelorum manducaret homo, &c. Non est inefficax dare credentibus verum ipsum de cœlo panem, quem manna significabat, qui vere cibus est Angelorum: quod Dei Verbum corruptibiles incorruptibiliter pascit, quod ut manducaret homo, caro factum est & habitavit in nobis, &c.*

Gregorius Magnus in eadem versatus est post Augustinum sententia: *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum. Quia ergo primus homo peccando mortem incidit, propagata generis humani successio à rationis intimæ viriditate consequenter exaruit. Quare autem cor humanum ab illo aruit virore, in quo conditum fuit, subdendo manifestat, ait enim: Quia oblitus sum comedere panem meum. Panem suum in paradiso primus homo conditus habuit, quandiu inconcusso mentis vestigio conditoris sui præcepta servavit. Panis autem ejus fuit visionis divinæ delectatio, Verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, Angelorum societas, amor Dei, jubilum spiritus, contemplationis suavitas, collocutionis desiderium, securitas mentis præsentia creatoris. Quem panem tunc profectò perdidit, cùm serpentis suggestioni consensit. Tangens enim vetitam, oblitus est præceptum. Unde factum est, ut qui tenebat arcem beatitudinum, in lacum incideret miseriarum: & qui intimæ reficiebatur suavitate dulcedinis, panem postmodùm manducaret doloris.* Non potuit accuratiùs describi panis sapientiæ beatus, quo primus parens saginabatur. Angelorum consors & conviva: & quo post lapsum ei fuit interdictum cum obnoxia propagine. Qui autem repararetur nobis panis idem, carne assumpta velatu, statim significat: *Panis etenim noster Verbum Dei est. Hinc namque per semetipsam veritas ait, Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Sequatur ergo oblivionem commemoratio, & esuriem refectio comitetur, ut panem illum qui de cœlo descendit manducantes, & pœnam evadamus mortis perpetuæ, & vitæ participemus æternæ, sicut Dominus ait in Evangelio, Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Eucharistico igitur pane panis illius jacturam primigenii & beati pensamus. Æternarum enim rationum ipso lucis sursum & veritatis sacrario incorruptibiliter coruscantium contuitus, anis is erat quo vescebatur, quo beabatur primus ante peccati labem parens noster, & totum in eo posteræ sobolis genus: earundem æternarum rationum, divinorumque luminum in temporali Christi vita & dispensatione explicatarum & quasi corporatarum, & velut oppanſa nubecula temperatius radiantium contuitus, esusque, hic panis jam noster est, panis haudubio non alter, sed aliter vescendus. Quanquam enim rapido quandoque coruscaminæ pura intermicet aliquibus lux Deitatis, & tanquam primævi panis micula illabatur, rara hæc hora est & brevis mora: nec de repentino & vanescente fulgure is dies accenditur, qui vitæ sufficiat moderandæ. Ad carnis ergo nubem confugiendum nobis est, sub cujus umbra vivamus, & usura obnuptæ lucis fruamur prolixius, & copiosi pane luminis in pristinum vigorem reficiamur. Idem Gregorius: *Qui crebrò cum altitudinem divinitatis aspiciunt, ad incarnationis ejus mysterium repentè funduntur. Unde aptè adhuc subjungitur: Sicut aquila volans ad escam. Moris quippè est Aquilæ, ut irreverberata acie radios solis aspiciat: sed cùm refectionis indigentia urgetur, eandem oculorum aciem quam radiis solis infixerat, ad respectum cadaveris inclinat; & quamvis ad alta evolet, pro sumendis tamen carnibus terram petit. Sic videlicet, sic antiqui Patres fuerunt, qui inquantum humanitatis infirmitas admittebat, creatoris lucem erecta mente contemplati sunt: sed incarnandum hunc in mundi fine præscientes, quasi à solis radiis ad terram oculos deflexerunt. Et quasi de summis ad ima veniunt, dum hunc Deum supra omnia, & hominem infra omnia agnoscunt. Quem pro humano genere dum passurum moriturumque conspiciunt, qua*

scilicet

III. Idé ex Gregorio magno, ut in Eucharistia contineatur, edatur, gustetur sépiterna veritas & justitia.

In Psal. 5. Pœnitent.

Moral. l. 9. c. 16.

scilicet morte semetipsos refici, atque reformari ad vitam noverunt, quasi more aquilæ post contemplatos solis radios, in cadavere escam quærunt. Nec enim de fulguris corusco dies, nec de mica victus sufficit: nec in rapida illa coruscantis puræ lucis refulgescentia explorari pervideri que satis possunt interiora divinæ pulchritudinis penetralia, vel sanctimoniæ leges atque dictata: quæ in corporati Verbi gestis dictisque, vita & morte, considerari possunt penitiùs, atque per otium perlustrari. Quis enim quamlibet perspicax & oculatus Philosophus, tanta in æternis rationibus vel divinitatis miracula, vel sanctitatis & virtutum legumque lumina conspexit, quantuncumque diuturno vitæ studiorumque curriculo & ingenii acumine quamplurimo, quanta statim vel indoctis mulierculis per Christi mortalem dispensationem interlucent? Cui quamlibet acuto contemplatori tanta illuxit Dei charitas & suavitas, tam interminata bonitas, tam invicta potestas, tam nescia finis & modi immensitas, tam provida, suique prodiga largitas, tam illibata justitiæ & sanctitatis castitas, quanta ex Christi carne, actaque mortaliter vita resplendet? Immortalem quippè pro mortalibus mori, omnipotentem cum infirmis infirmari, Dominum & Deum servis & transfugis & inimicis non tantùm condonare, sed & semet donare, eorumque vitam sua morte pacifici, hæc inæstimabilis sanctitas, bonitas, charitas est, hæc charitas Deus est. Crucifigi & benefacere, hoc Deus est: nam charitas Deus est. Mortem inferentibus, ipsa sua morte blandiri, vitamque & immortalitatem largiri, hoc Deus est: nam Deus charitas est. Quisquis hanc charitatem videt, Deum videt. Hanc autem Eucharistiæ conviva è trivio Christianus, quàm è Lycæo vel Academia contemplator Philosophus, veriùs suaviùsque & videt, & gustat, & sapit, & contrectat.

IV. Idem ex Bernardo. Accedit Bernardus Augustino & Gregorio juratus astipulator: *Ut jumentum factus sum apud te & ego semper tecum. Talia enim jumenta cognoscunt possessorem suum & præsepe Domini sui, in quo positum est eis piissimum fœnum, ipse qui panis est Angelorum. Ipse est enim panis vivus de quo vivere debuit homo: sed quia homo jumentum factus est, & panis factus est fœnum, ut vel sic vivat de eo.* Et rursus alibi: *Ecce quomodo de grege facta est egregia creatura. Puto dicerent jumenta, si loqui fas esset, Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Cum in honore esset, inquit. Quæris in quo honore? Habitabat in paradiso & in loco voluptatis conversatio ejus. Magis autem ob insigne divinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Inde est quod panis Angelorum factus est fœnum, positum in præsepio, appositum nobis tanquam jumentis. Verbum quippè caro factum est, & juxta Prophetam, Omnis caro fœnum.* Et paucis interpositis: *Si fœnum Verbum, & Verbum in æternum manet, fœnum quoque necesse est maneat in æternum. Alioqui quomodo vitam præbet æternam, si ipsum minime manet in æternum? Ait enim; Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Et quem panem dicat, aperit, cum subjungit: Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quomodo ergo æternum non est, quo æternaliter vivitur?* Expressè inculcat ante transgressionem non de grege promiscuo creaturarum cæterarum, sed egregium extitisse hominem, consortem sociumque plebis Angelorum, & Angelico pane victitasse. At ubi peccato in pecudem degeneravit, æternam Verbi veritatem fœni seu carnis nostræ specie obductam & in præsepi atque in sacra Ecclesiæ mensa illi appositam fuisse vescendam: ut idem, qui priùs, panis esset, sed ascititia specie dissimulatus: sicut idem qui priùs, homo erat, sed superfuso peccatorum luto oblimatus; & idem qui priùs Deus Verbum erat, sed carnis temperamento obumbratus. Pergit autem Bernardus: *Ergo cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis & lachrymosa mutatio, ut homo paradisi accola, terræ dominus, cæli civis, domesticus Domini Sabbaoth, frater beatorum spirituum, & cælestium cohæres virtutum, repentina se conversione invenerit, & propter infirmitatem jacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, &c. Cognosce pecus, quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso. Honora præsepium, cujus contempsisti imperium. Comede fœnum, quem panem & panem angelicum fastidisti.* Hic panis jumentorum est, caro Christi: ille panis Angelorum est, Deitas Christi: aut ut aptiùs dicam, Hic panis jumentorum est Deitas Christi carnis opaco obumbrata; ille panis Angelorum est Deitas Christi in lucis sacrario fugatis nebulis diradians: & utrobique unus panis est; quia utrobique una Deitas, una veritas, una charitas, una bonitatis & perfectionis omnigenæ infinitas. Atque ut explicatius aliquid eloquar, panis Angelorum est, charitas divina, in suæ sursum lucis & pulchritudinis adyto sempiterno effulgens, in sese refuga, suo sibi in sinu plaudens & beata: panis jumentorum est, fœnum est, eadem charitas divina per carnis assumptæ involucrum operiens se, & eo sese infirmis aperiens, inimicitias condonans, pœnas oblitterans, abluens culpas; contumelias beneficiis, odia amore cumulans; interfecta & eo vivificans; crucifixa & eo benefaciens; morte sua hostibus suis immortalitatem dilargiens. Unus utrobique panis, quia una charitas, una charitatis veritas, una veræ charitatis æternitas, immensitas, infinitas, omnipotentia; una charitatis & veritatis & æternitatis Deitas, sed illic aperta, hic operta: imò utrobique aperta & operta: nam supernis sursum aperta puris mentibus, operta impuris: infernè operuit se carne, ut impuris aperire se posset. Ad hunc modum qui Christi carnem manducat in Eucharistia, non tam carnem quàm Deitatem manducat; non tam fœnum quàm panem Angelorum comedit; non tam palato quàm corde sapit: carne non tam manducare, quàm sapere insuescit: non tam manducat, quàm contemplatur.

V. Ex Etherio & Beato. Etherius & Beatus: *Ipsa anima rationalis est sicut Angelus, & intelligit cum Angelis: & ipse spiritus quem suprà diximus, ipse intellectus animæ, hoc est superior intellectus, quod græcè dicitur anagoge, id est intellectus angelicus per quem Deum videt, & cum suprà tendit, fit cum Deo & Angelis unus spiritus: & cum ad corporalia flectitur, & nimis pro corpore cogitat, fit mundi amator, &c. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis, &c. In honore est quando in superiore intellectus cum Angelis intelligit, & pro hoc laborat, ut ad Angelorum æqualitatem perveniat, & panem quotidianum in nomine Jesu Patrem sibi dare postulat, ut in æternum cum illo vivat æternus.* Evehunt & hi hominem ad angelicam consanguinitatem, & ad unius cum eis mensæ intelligibilis familiaritatem incorruptam.

VI. Verus mentium cibus & veritas est, & caro Christi est: ita dū verè editur caro veritatis, editur ipsa veritas Verbum. Secundò, universim mentium cibus non est nisi veritas & justitia. Cùm ergo Christus dicat, Caro mea verè est cibus, utique hinc perficitur, ut caro Christi hypostaticè veritas sit & justitia & sapientia, quia hæc omnia Verbum est & Verbum caro factum est: caro ergo Verbum seu veritas & justitia, atque adeo verus cibus effecta est. Quod autem cibus verè non sit nisi ipsa veritas & justitia ultro patet. Quid enim cibo satagitur, nisi ut esuries propulsetur? At quo pane alio quàm veritatis & justitiæ amandatur & extinguitur in sempiternum esuries, beata & fastidii insolens satietas importatur? Nam primò quidem cæteri cibi non semper adsunt: & ubi adsunt diutiùs, non tam invitant

vitant quàm offendunt, fastidiumque magis creant quàm satietatem. At veritas ubique præsto est, nusquam abest, suique copia exaturat, non unquam nauseam excitat. Secundò, cibi alii corruptibiles sunt ipsi, non ergo corruptionem amoliri possunt, cùm nisi sua ipsorum corruptione non prosint. At veritas incorrupta est, & convivas suos incorruptibilitatis suæ afflatu, ab esurie & miseria omni tutos præstat. Tertiò, corpori corruptibili comparata est corruptibilis esca, quæ corruptionem non auferat, sed differat: esuriemque non extinguat, sed consopiat. At animæ incorruptibili jam substantiæ venanda fuit esca, non corruptibilis qua deficeret, sed incommutabilis veritas, qua ad ulterius incorruptibilitatis culmen proficeret. Nonnihil enim deficit anima errorum & pravitatis tabo; hanc defectionem propulsat incorruptæ cibus veritatis. Quartò, & ne in mentem veniant spiritales aliæ quæpiam escæ, utputa opinionum fumi, & id genus alia conjecturarum sensibilium fercula, esuriem animæ rationalis & ad Dei imaginem elimatæ non implet, nisi una summa veritas Deus. Idque perspicuum fit argumentis compluribus. Si qua enim natura alia animam rationalem exaturare & beare posset præter Deum, hujus potiùs imago foret anima, huic inhiaret, huic quadraret, huic adhæresceret. Deinde imago Dei est, cui se Deus insculpsit: quæ ergo divinæ patuit formæ capiendæ, hujus amplitudini angustum est, quidquid Deo minus est. Rursum incorruptibili substantiæ animæ instruendæ sunt dapes incorruptæ; at conjecturæ, opiniones, & quidquid incommutabile non est, absunt mirum quantum ab incorruptione. Denuo hinc est quod ut corpus vulgaribus cibis refocillatur quidem tantisper, sed ab illis non fugit immortalitatem, ideo alios & alios identidem exposcit, eorumque alternante nausea copiaque deficit ipsum tandem, nec nisi supernè irrigata immortalitate adversus inolitam defectionem reficietur; ita anima opinionibus sensibilium ludificatur, non sustentatur: ideoque nullis affigitur, sed ab aliis ad alias volitat, & inanium istiusmodi ciborum ludibriis si diutiùs frustretur, fatiscit paulatim & deficit, nec convalescet aut perficietur, nisi cùm incommutabilitatem hauriet summæ veritatis, & immortalitatem omnigenam inde irrigabit sibi, & in corpus suum quoque refundet. Ergo si caro Christi in Eucharistia *verè est cibus*, ut sanxit Christi authoritas, caro Christi est ipsa veritas & justitia nobis corporata & ita attemperata.

VII. Ex Augustino & Hilario. In Ev. Joan. Tract. 41. Augustinus: *Et cognoscetis veritatem. Veritas incommutabilis est. Veritas panis est, mentes reficit, nec deficit: mutat vescentem, non ipsa in vescente mutatur: ipsa est veritas Verbum Dei, Deus apud Deum, unigenitus Filius. Hæc enim veritas carne induta est propter nos, ut de Maria Virgine nasceretur, & impleretur prophetia: Veritas de terra orta est.* Panis ergo unus verus est ipsa veritas, seu carnis expers, seu carne semet amiciens, incommutabilitate sua mutans non mutatus, & in suam incommutabilitatem commutans. Plenitudo hæc incommmutabilitatis, sapientiæ & veritatis infusa carni est, qua vescimur, & ex qua veritatem & sapientiam sugimus. Unde Hilarius: *Et quidem esse arcam* In Psal. 131. *testamenti meminimus intus ac foris auream, ubi tabulæ lapidum, ubi sanctæ litteræ, ubi liber testamenti, ubi gomor mannæ. Sed hæc omnia ejus quod Dominus assumpsit, corporis species est, omne in se sacramentum continens legis, nunc & Deitatis spiritu & origine carnis munitum, intus scilicet & foris aureum. Etenim Dominus noster Jesus Christus in gloria Dei Patris, manna in se continens æternum. Ipse enim panis est vivus, testamenti intra se tabulas & legis librum conservans, sunt enim in eo verba vita.* Cibus ergo verus veritas est, sed & corpus veritatis, corpus inquam à Verbo assumptum verus cibus est, quia manna in se continet æternum, quia æternæ legis librum conservat, quia verba vitæ spirat.

Bernardus: *Is verè est sponsus & amans, & amabilis. Is inquam verè sponsus; sicut caro ejus verè est cibus, & sanguis ejus verè est potus: totum quod de ipso est, verè est; quando ipse est non aliud sanè quam veritas.* Veritas planè est qua Deus est: & refusa tamen in carnem ejus veritate, verè cibus est ejus caro, verè potus est ejus sanguis: verè inquam, non perfunctoriè; verè, non frustratoriè. Nam cibus quivis alius, nomine tenus non reapse cibus est: famem enim illudit, non enecat; dissimulat, non exsecat. At verus cibus est veritas & caro veritatis, quæ glutiri non potest, nisi ut immortalis charitas veritatis, mortem ipsam crucis nostri causa subeuntis, in animum illabatur simul, & incorrupto hoc fomento nos æternet. VIII. Ex Bernardo. Serm. 71. in Cantica.

Paschasius Radbertus: *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus. Ac si diceret, Quia generaliter homines cibo & potu id permaximè appetunt, ut non esuriant neque sitiant, & ne moriantur: hoc utique communis iste non præstat cibus & potus, sed caro mea & sanguis, qui immortales & incorruptibiles facit, & ideo verè cibus & potus nominantur.* Non amoliendæ tantùm fami sitique, sed omnino morti propulsandæ cibus adhibetur & potus. Verus ergo cibus non est, nisi quo immortalitas accersitur. Non protrahendæ enim tantùm ad tempus vitæ, sed in æternum si fieri queat, propagandæ per cibi potusque adminicula laboratur. Ideo & primis parentibus immortalitas de ligni vitæ esu comparanda erat. At immortalitatem corpori non advehit, nisi immortalitas germana animæ, & incorruptibilis sanctimonia, quam de sempiternæ veritatis & justitiæ esu affatim haurit, & in corpus suum irrigat. Ergo verus cibus non est nisi Eucharistia, ubi de carne Christi veritas & justitia sugitur, sincera radix immortalitatis in corpus ipsum refundendæ. Ibidem Paschasius: *Si enim in hoc mortali cibo tanta vis inest, ut quotidie vitam labentem reparet, & vires restituat, quid sentiendum de hoc immortali cibo & potu, in quo vita æterna præstatur & immortalitas? Veritas enim Deus est, & Christus veritas est, quia utique Deus est. Propterea o homo, si veritas est, crede quia caro Christi & sanguis vita est, & ideo veritas protestatur: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam in se manentem; manentem utique & non labentem; quia in hac vita nemo vivit, nisi vivendo labatur in mortem: in illa vero semper in eodem statu manendo sine defectu vivitur. Igitur si quis sequitur viam, tenet veritatem, & qui veritatem tenuerit, jam vitam habet in se manentem, quia Christus est via, veritas & vita. Unde hoc mysterium nonnunquam viaticum appellatur, quia si quis illo fruitur in via, pervenit ad vitam, quam jam in se habet, & falsitate nulla fallitur, quia veritate Dominici corporis & sanguinis ad vitam illustratus vegetatur.* Pulcherrima hæc est contextio triplicis hujus laudis, ut Christus sit via, id est, viaticum in Eucharistia, quo veritas plenissima infundatur animæ, & inde vita ac immortalitas ex veritatis plenitudine scaturiens in animam & ab anima in corpus quoque refundatur. Est autem via seu viaticum Christi caro, carne enim ad Deitatem communitum iter est: & ex carne Verbi manat in nos illustratio veritatis, ex veritatis denique redundantia refluit immortalitas. Salebrosum id unum videri posset, qui ex carne veritas dimanet illustretque animas: sed jam iterum iterumque commonefecimus, Verbi carnem complecti nos non posse, nisi eadem opera eodemque complexu immensas deitatis laudes hoc sacramento carnis consignatas, & sanctimoniæ leges exertissimas elimatissimasque amplexemur. Num carnem illam enim exosculari potes, quin bonitatem Dei, & misericordiam, IV. Ex Paschasio. L. de Corp. & Sang. Dom. c. 19.

omnipo-

omnipotentiam, charitatem, immensitatem, & totas deitatis opes hìc radiantes? quin rursus legem humilitatis, & castimoniæ, & terrenorum fastidii, & desiderii æternorum, & charitatis invictissimæ dissuavieris? Itaque ab hac carne tota lux veritatis vibratur in animas, & ab hac luce efflorescens vitæ immortalitas.

XI. Ex Algero. L. 1. c. 19. Algerus Paschasii premebat vestigia cum hæc scriberet: *Caro mea verè est cibus, &c. Si enim tanta vis est in cibo, qui non vivit, nec manet, ut labentem vitam hujus temporis foveat & retineat, quandiu Deo placuerit: quanto magis Christus, cibus vivens immortaliter, vitam æternam conferre credendus est, quibus sibi placuerit? Magis enim credendus est vitam conferre, qui vitam in se habet, & vita est, quàm qui non habet. Cum enim sit via & veritas & vita, corpus ejus nobis viaticum est, ne moriamur, & deficiamus in via, sed perducamur ad vitam: veritas est ne ejus promissionibus fallamur: vita est, ut ea in perventione feliciter fruamur. In hac ergo mortali vita, immortali cibo vitæ nos pascit, ne in æternum moriamur.* Planè via & veritas per carnem, in qua deitatis adorandæ & sanctitatis consectandæ lumina sub nube contuemur, quæ tueri in suo sursum fastigio potis non sumus jam: hæc autem veritatis & venerandæ & æmulandæ lumina, ut sempiterna & incorruptibilia ipsa sunt, ita quam afflavere animam, suam illi incorruptibilem aspirant vitæ æternitatem. Num mortalis enim potest homo persistere, qui incorruptibilitatis radice tandiu vescitur & anima & corpore? Sanè non potest. Addi poterant Rupertus & Guillelmus Parisiensis.

Rupert. l. 4. in Gen. c. 5. & l. 3. c. 10. Vuill Paris. De Sacram. Euch. c. 3. & 1.

CAPUT XXVIII.

Ejusdem argumenti continuatio ex Latinis Patribus.

I. Parvulorũ & grandium idem cibus, grandium in cælis veritas nuda, parvulorũ hic veritas lactescens, una & eadẽ. Ex Augustino. In Psal. 30.

TErtiò, ex Apostolo, parvuli sumus, dum stadium metimur mortalis hujus ævi: in viros maturabimur, cum immortalitatis metam contigerimus, Angelorumque æqualitatem assequemur. At parvuli & grandiores eodem vescuntur pane, quanquam aliter & aliter: cibus enim grandium per carnem nutricum lactescit & instillatur parvulis. Ergo cibus grandium æterna veritas, lac ipsa quoque per Eucharistiam efficitur, nostraque infantia eo irroratur. Augustinus: *Et enutries me, ut validus sim ad manducandum escam, qua pascis Angelos. Hic enim lacte nos nutrivit, qui nobis cœlestem cibum promisit: & usus est materna misericordia. Sicut enim mater lactans eandem escam, cui sumendæ idoneus infans non est, per carnem trajicit & lac infundit; hoc enim parvulus accipit, quod accepturus erat ad mensam: sed quod per carnem trajicitur, congruit parvulo. Et Dominus sapientiam suam ut lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos.* At rursus alibi enucleatiùs hæc denudat:

In Psal. 119. *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, &c. Cape si potes, arripe, cibus est. Sed dicturus es mihi: ille quidem cibus est, sed ego infans sum, lactandus sum, ut idoneus fieri possim ad manducandum cibum. Ergo quia tu lacte nutriendus es, ille autem cibus est, ipse cibus per carnem tibi trajectus est ad fauces. Quomodo ergo cibum mater comedit, ut per carnem trajiciat ad infantem lactentem, lac factum: sic cibus Angelorum Dominus Verbum, caro factum est & factus est lac. Et dicit Apostolus: Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Ergo dando lac, descendit ad parvulos, & quia descendit, descendentem dedit. Ait enim: Numquid dixi me aliquid scire inter vos nisi Jesum Christum & hunc crucifixum? Quia si diceret tantum Jesum Christum, est Jesus Christus etiam secundum divinitatem, secundum id quod erat Verbum apud Deum, Filius Dei Jesus Christus: sed hunc, id est, hoc modo dictum parvuli non capiunt. Quomodo ergo capiunt, qui lac capiunt? Jesum Christum inquit, & hunc crucifixum. Suge quod pro te factus est, & cresces ad id quod est.* Explicatè pronunciat qui sit cibus, quod lac. Cibus est, veritas æterna, intelligibilis, incommutabilis, in cujus superno penetrali perpurgatus contemplatoris oculus, divinæ majestatis ornamenta & miracula, divinæ voluntatis & sempiternæ legis scita atque oracula contuetur. Sed ad hanc intelligibilem veritatis æternitatem quis nostrum jam assurgere potis est? Quis non statim hebet, quis non fatiscit? Aciem illuc defigere enixi sunt tot labentibus olim sæculis Philosophi: sed quia parvuli erant, tanto impares cibo, tantæ lucis impatientes, in quantas & de Deo & de moribus quibus Deum promererentur, hallucinationes incurrerunt, humanumque genus in eandem pertraxerunt ruinam? Lac verò est, dispensatio temporalis Christi in carne, qua æternam veritatem legemque justitiæ sic opacando temperavit, ut lactis instar parvulis infundi posset. Quanto enim proclivius est ex contemplatione vitæ mortisque Christi, intelligere, quanta sit Deus, quanta proximus charitate prosequendus, quàm floccifacienda sit mortalis hæc vita, ubi periclitatur veritas & justitia, quàm stirpitus eradicanda sit terrenorum cupiditas, quàm prono animo condonandæ sint injuriæ; demerendi hostes; paupertas opulentiæ, humilitas superbiæ, voluptati castitas, conjugio virginitas sit anteponenda: hæc inquam & istiusmodi alia quanto proclivius est ex vitæ mortisque Christi per carnem transactæ, quàm ex æternæ sursum veritatis contemplatione intelligere? Quotusquisque Philosophorum, otio & ingenio abundantium, atque plurima exercitatione ferventium, ad hanc legis & castimoniæ sinceritatem pertigit, cui vulgus ipsum Christianæ turbæ adhæresciti? Nimirum parvuli ad cibi soliditatem, lippi ad lucis fontem incassum eluctabantur, unde & retro labebantur in tenebras suas, atque inedia veritatis, opinionum somniis pascebantur. Quàm verè autem æterna & intelligibilia, ut in lac temperaret, carne assumpta obumbravit Verbum, tam verè lacte isto seu carne sua nos lactat & pascit; ut tam vera sit lactis infusio, quàm verum lac, tam vera sit carnis comestio, quàm vera caro. Si umbratilis enim comestio, quin umbratilis sit & caro? Quorsum vera caro assumitur, si umbratiliter tantùm comedi fingitur? Et rursum quàm verè cibum grandes vorant, tam verè parvuli lac seu carnem. Injuria enim jam non ferenda parvulis irrogatur, si non tantum pro cibo lac, sed lactis quoque figura eis illuditur. Istud jam non erit parvulos curare, sed ludificare, si grandes cibo, illi ne lacte quidem sed lactis figura donentur. Hoccine est lactare, id est, frustrare? Nec reclament spiritaliter carnem comedi, nam parvuli sumus, id est, carnales, & carnalem lactis infusionem poscimus, nec spiritalia nisi carnalium adminiculo consequimur; nec spiritaliter tantum, sed carnaliter Verbum caro factum est; & carnaliter audiri, videri, tangi expetivit, & carnali contactu virtutes effudit, exegit morbos, mortes depulit, vitia expunxit, animas persanavit.

Fusè sciteque Bernardus eandem pertractavit sententiam; *Monstratur piis ibidem jumentis præsepium & in præsepio fænum de prato virginali, quo vel sic cognoscat bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui. Omnis quippe caro fænum & omnis gloria ejus ut flos fæni. Porrò suum homo quia in quo factus est, honorem non intelligendo, comparatus est jumentis insipientibus & similis est illis: Verbum panis Angelorum factum est pabulum jumentorum, ut habeat carnis fænum quod ruminet, qui Verbi pane vesci penitus dissuevit, quousque per homi-* II. Ex Bernardo. Ad milites Templ. c. 6.

hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursus conversus in hominem, cum Paulo dicere possit: Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus. Quod sanè non arbitror quemquam dicere posse veraciter, nisi qui prius cum Petro ex ore veritatis illud item audierit: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, caro autem non prodest quidquam. Alioqui qui in verbis Christi vitam invenit, carnem jam non requirit, & est de numero beatorum, qui non viderunt & crediderunt. Nec enim opus est vel lactis poculum, nisi utique parvulo; vel fœni pabulum jumento. Qui autem non offendit in verbo, ille perfectus est vir, solido planè vesci cibo idoneus, & licèt in sudore vultus sui panem Verbi comedit absque offensione. Sed & securus ac sine scandalo loquitur Dei sapientiam dumtaxat inter perfectos, spiritualibus spiritalia comparans, cum tamen infantibus sive pecoribus cautus sit, pro captu quidem eorum proponere tantummodo Jesum Christum & hunc crucifixum. Unus tamen idemque cibus ex cœlestibus pascuis, suaviter quidem & ruminatur à pecore, & manducatur ab homine, & viro vires & parvulo tribuit nutrimentum. Non gravabitur contextus hujus prolixitate, qui sedulò expenderit, quàm multa eo constrinxerit Bernardus, superiùs à nobis disseminata. Altissimus hic recessus est & sinus penitissimus reconditioris sanctorum Patrum Theologiæ. Hominibus & jumentis, viris & parvulis eadem obtruditur alimenti substantia, eadem veritas & sapientia, idem Christus, sed cum omnes idem legunt, non idem intelligunt, idem degustant, non idem sapiunt. Idem Christus aliis crucifixus, aliis Verbum Deus, aliis caro, aliis veritas, & tamen qui crucifixus, idem Verbum Deus, qui caro, idem veritas, nec idem tantùm quia una Dei atque hominis est hypostasis, sed quia ex hac cruce deitas subrutilat, ex hac carnis nebula veritatis sol sualucet, subrutilat ex nebula infirmis, sanis pleno meridie allucet & flagrat. Hoc lac parvulorum, illa esca virorum, hæc fides, illa sapientia, hoc fomentum carnalibus, illa perfectis sapientia, in mysterio eloquenda. Ad illam altitudinem sapientiæ parvuli, si qui sobrii, astupescunt, si qui procaciores, indignantur, illi humiliter abstinent, hi petulanter insolescunt & insultant, illi lactis humilitate ad virile robur & ad sapientiæ tandem osculum proficiunt, hi superbiore jactantia ab ipso etiam lacte deficiunt quandoque. Sannis quandoque incessunt viros parvuli, sed spiritalis judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur, à nemine irridetur.

III. Hoc Eucharistiæ sacramento tota Christi in carne dispensatio nobis sistitur. Ergo ipsa veritas & justitia, sed velata. Ex Bernardo.

Quartò, colligitur hoc panis sacramento tota Verbi in carne dispensatio, & futuris post sæculis omnibus repræsentatur universa corporatæ justitiæ & veritatis Theologia. Quid enim justitia & sapientia per corpus corporalibus, quàm quod per spiritum spiritalibus aspirat; nempè perpurgatissimam sapientiæ & morum castitatis Theologiam, ac demum seipsam? Ergo Verbi in carne vita, & mysteriorum ejus series, quæ à temporum injuria hìc vindicatur, & præsens sistitur, cum corporatæ justitiæ ac veritatis exhibitio fit, idem hic cibus est idemque sacrificium, eadem contemplatio denique atque beatorum. Bernardus: *Quid autem est manducare ejus carnem & bibere sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, & eam conversationem imitari quam gessit in carne? Unde & hoc designat illibatum illud altaris sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus: ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Cum enim justitia ingreditur, ille ingreditur, qui factus est nobis à Deo Patre justitia: sed & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Audin per Eucharistiam, *intrare in nos eam conversationem quam habuit Christus in terris, intrare in nos justitiam?* Ergo

Serm. 3. in Psal. Qui habitat.

viget adhuc & superstes sibi ipsi est conversatio Christi olim in terris irradiata, hìc constat & præsto est, & hæc justitia nobis est, nempè justitia & veritas nobis per corporationem temperata. Non ergo hæreticis cavillationibus, & immanibus à Christiani mysterii recondita sapientia aberrationibus, rapienda hæc sunt ad labefactandam præsentis hìc Christi corporis fidem & veritatem, sed ampliandæ sunt animi nostri angustiæ, exaggerandus pectoris nostri sinus est, ut quoquomodo intelligamus divini illius corporis majestatem, & incorruptibilem ejus demersionem in personam, in naturam, in dotes Verbi, sapientiæ, veritatis, justitiæ, sanctitatis; his enim spiritalibus & immortalibus deliciis beata illa caro madet, his scatet & perfluit, has redolet & spirat, has fundit & latissimè irrigat, quia caro veritatis & justitiæ est; nec tam pensitandum, quid caro nata sit, quàm quid veritas & justitia omnipotens etiam per carnem erumpere & translucere atque transfundere polleat. Vincit enim & dominatur natura melior, optima, maxima, & lapsus mysteriorum suorum cohibet, fluxum sistit, præterita retentat, futura anticipat, remota coram sistit, locorum temporumque servitute abstitur, carnem sibi famulantem ad ipsas semper stantis justitiæ æternæque veritatis prærogativas rapit, & ad indemutabilem sublimat constantiam.

IV. Ex eodem, ut tota dispensatio Christi in carne per Eucharistiã sistatur nobis.

Serm. 3. de Ascen. Domini.

Idem Bernardus: *Venit Filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immerito intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit, ut semper cogitemus & nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Verè latissimos nobis ad spatiandum intelligentiæ campos dereliquit & torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui juxta Prophetam non possit transvadari, &c. Talem se obtulit Apostolis Apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur qui omnia fecit. Et quia discipuli carnales erant & Deus spiritus est, nec bene convenit spiritui & carni, umbra corporis sui temperavit se eis, ut objectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, cereum in lucerna. Spiritus enim oris nostri Christus Dominus, cui diximus: In umbra tua vivemus inter gentes. In umbra inquit tua inter gentes, non inter Angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur.* Non jam nobis venanda sunt atque odoranda Dei vestigia, creatis impressa naturis, ut per opificii conspicabilem speciem opificem invisibilem consectemur: *ipse enim facie ad faciem videri voluit*; sed à carnalibus ut videri potuit, in carne assumpta: in qua nempe, *tanta mirabilia operatus est, & latissimos ad spatiandum intelligentiæ campos reliquit*, ut hinc ipsum facie ad faciem videamus, sed temperatum infirmis. Et ne ista unius ætatis compendia esse suspiceris, qua primùm Christus illuxit orbi, audi eundem Bernardum: *Jesus Christus, inquit Apostolus, heri & hodie & in æternum. Hesternum quidem ab initio sæculi usque ad ascensionem dominicam, hodiernum verò diem exinde usque ad consummationem sæculi; porrò æternum intellige post communem omnium resurrectionem. Nulli horum deest Christus, nulli deest Jesus, nulli deest unctio, nulli salus. Patriarchis & Prophetis in visione exhibitus est: Apostolis in humanitate, Martino in fide, Angelis jam in specie.* Et paucis interjectis: *Usque hodie eadem caro nobis, sed spiritaliter utique non carnaliter exhibetur. Neque enim est quod causemur nostro huic negatam tempori, sive eam quæ ad Patres veteris Testamenti facta est, apparitionem; sive eam quæ Apostolis exhibita est, præsentiam carnis ejus. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium quin in sacramento. Adsunt revelationes, sed in spiritu & virtute: ut tempori gratiæ quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur.* Si tempori gratiæ, si Ec-

Ser. in festo S. Martini.

si Ecclesiæ nil deest gratiæ, si eadem, qua beati sunt Apostoli, carnis præsentia exhibetur, ergo non dilabuntur nec fluxu temporum dissipantur Christi in carne mysteria, altissimæ Theologiæ sacraria, sed perennant & omnibus Ecclesiæ sæculis per hoc sacramentum sistuntur. Ita enimvero Christus heri, hodie, & in sæculum. Nec enim unius ævi fœlicitas Christus est, sed omnium; ut nec unius loci, sed omnium. Ideo & locis omnibus cum carne sua, ubi opus est, se repræsentat: & temporibus omnibus se cum tota carnis suæ œconomia incorruptum præstat. Quantò autem spiritaliùs nunc carnis suæ mysteria propinat fruenda, non eo quidquam demitur veritati carnis, sed accedit quamplurimum ejus majestati, accedit & nostræ sapientiæ. Quò spiritaliùs enim carnem carnisque mysteria tractamus in hoc panis sacramento, hoc carnem ipsam non carnaliter, sed spiritaliter sapimus, ut sapientiæ vehiculum, ut veritatis adytum, ut justitiæ templum, ut sapientiam & Verbum ipsum. Quo sanè nihil fuscatur veritas carnis, sed exaggeratur majestas, explendescit lux & potestas.

V. Ex eodem. Serm. 6. in Cant.

Nec minùs bellè hæc elucidat idem Bernardus alibi: *Obtulit carnem sapientibus carnem, per quam discerent sapere & spiritum. Nam dum in carne & per carnem facit opera non carnis, sed Dei: naturæ utique imperans, superansque fortunam, stultam faciens sapientiam hominum, dæmonumque debellans tyrannidem, manifestè ipsum se indicat esse, per quem eadem & antè fiebant, quando fiebant. In carne inquam & per carnem potenter ac patenter operatus mira, locutus salubria, passus indigna, evidenter ostendit quia ipse sit, qui potenter, sed invisibiliter sæcula condidisset, sapienter regeret, benignè protegeret. Denique dum evangelizat ingratis, signa præbet infidelibus, pro suis crucifixoribus orat, nonne liquidò ipsum se esse declarat, qui cum Patre suo quotidie oriri facit Solem suum super bonos, & malos, & pluit super justos & injustos? Hoc enim est quod ipse ajebat: Si non facio opera Patris mei, nolite credere: & aperit os carnis suæ, docet in monte discipulos, qui in silentio Angelos in cœlestibus docet.* Huc nimirum vergebat tota inhumanatio Verbi & assumptæ carnis administratio: ut quæ Angelis in silentio insusurrat sapientiæ arcana, & sanctitatis oracula supernè, eadem ipsa per carnem hic carnalibus increparet hominibus, & sapientibus carnem per carnem expugnaret sapientiam carnalem, spiritalem insereret. Itaque opera carnis ejus consanguinea sunt & contexta atque elegantissimè alludentia ad opera Deitatis ejus: ut qui ad hæc jam obsurduissent, nec ea dispicere, nedum cardinales eorum causas in æternis sursum rationibus conspicere possent; ad illa inusitata expergefierent, & à carne in spiritum per ipsam carnem quandoque tandem excitarentur.

VI. Ex Etherio & Beato, ut cum carne Christi illa batur tota ejus dispensatio, & lex vitaq; Evangelica per Eucharistiã. L. 1.

Consentiunt huic sententiæ non illibenter Etherius & Beatus. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Hæc mensa, Scriptura sacra est. Panis qui comeditur, Christi corpus est. Et corpus Christi quod manducatur, non solùm panis & vinum, qui super altare offertur, sed & ipsum Evangelium corpus Christi est. Et cùm Evangelium legimus & intelligimus, filii in circuitu mensæ in una conlatione sedemus & panem cœlestem manducamus.* Et aliquantò infrà: *Ipse est panis noster qui de cœlo descendit & dat vitam mundo. Si quis ex ipso manducaverit, vivet in æternum. Panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo, &c. Legamus sanctas Scripturas & inveniemus hunc panem. Ego corpus Jesu Evangelium esse puto. Scripturas puto doctrinam ejus. Et quando dicit Jesus: Qui non comederit carnem meam & sanguinem meum biberit, licet spiritualiter & cum mysterio possit intelligi: tamen corporaliter panem quem petimus quotidianum, verè corpus Christi & sanguis ejus, sermo Scripturarum est, doctrina divina est. Et cùm legimus eam, carnem Christi manducamus, & sanguinem bibimus. Et cùm oramus ut intelligamus spiritaliter & cognoscamus divinitatem incarnatam, & cùm cognoscimus quod verè Filius Dei sit, & verus Deus, &c. panem Angelorum manducamus.* Grandi & exerto animo opus est, ut penitior sensus hujus dogmatis pervadatur. Evangelium corpus Christi & sanguis est, scriptura, doctrina, Theologia Ecclesiæ, corpus Christi & sanguis est. Ergo cùm Evangelium legis & intelligis, corpus Christi comedis. Sed & vicissim cùm corpus Christi comedis, Evangelium Scripturasque legis & intelligis. Ecqui enim Evangelium corpus Christi est: nisi & corpus Christi sit Evangelium? Ecqui Evangelium qui legit, Christi corpus comedit: nisi & qui comedit corpus Christi, Evangelium legat? An potest permagna esse Evangelii ad corpus Christi, ut non compar & eadem corporis Christi ad Evangelium sit cognatio? Reciproca necessariò est hæc affinitas & coalitio. Si inest Evangelio corpus Christi, inest & corpori Christi Evangelium. Si distat ab Evangelio, dissidetque corpus Christi, non est ergo Evangelium corpus Christi. At inquies quæ consertio Evangelii & Christi corporis? Perquam maxima, nec inconspicua. Quid enim Evangelium, quid corpus Christi, quàm corporale veritatis & justitiæ incommutabilis involucrum, ad carnalium medicinam ita coaptatum? Quid Evangelium, quid corpus Christi, quàm temporanea & corporea explicatio Verbi Dei sursum complicati, & carnales oculos fallentis? Insunt & perpetuantur in Evangelio gesta dictaque omnia, vita & mors sapientiæ corporatæ: insunt & perpetuantur eadem in Christi corpore Eucharistico. Ergo Evangelium Christi corpus est, ergo Christi corpus Evangelium est: ergo legit, & intelligit, qui comedit: & qui legit, & intelligit, comedit. Etenim Verbi carnes comedere, id legere & intelligere est. Quia enim carnes sunt, comeduntur: quia Verbi sunt Verboque fœtæ & exundantes, leguntur & intelliguntur. Tota ergo Theologia Verbi & in legendo Evangelio, & in edendo sacramento corporis devoratur. Sed inest & voratur hæc Theologia principaliùs in sacramento corporis, quàm in Evangelio: unde non tam corpori de Evangelio, quàm Evangelio de corpore Christi captatur laus & admiratio. Denique ut ibidem pergunt supra laudati authores, conciniunt & ipsa Eucharistiæ & Evangelii nomina. *Quia corpus Christi est ipsa Eucharistia quæ latinè dicitur bona gratia: sic & Evengelium, bona gratia dicitur.* Sed nimirùm ut Evangelii, ita Eucharistiæ summum corticem tantummodo quidam allambunt, quidam insinuant se in ipsam medullam ejusque pinguedine & suavitate delectantur. id est, altissima sapientia & beatorum planè Theologia saginantur. Quocirca ibidem aliquantò suprà: *Hunc panem manducat Ecclesia, sed quia diversi diversa sapiunt, diversos sapores habet cum comeditur. Dominus noster Jesus Christus, granum frumenti in terram concidit & nos multiplicavit. Sed istud granum frumenti pinguissimum, medullam habet, adipem habet, pinguedinem habet, habet intus quod quæras. Medullam quære quæ pinguis est, & adipe frumenti satiat te. Fœlix est qui in frumento isto adipem intelligit, medullam intuetur. Legamus sanctas Scripturas. Quid est aliud nisi corpus? Quod lingua legitur, quod syllabis comprehenditur, quod auribus insonat, auditur ab hominibus, hoc totum corpus est, hoc totum liber est. Intellectus verò hujus lectionis medulla est, pinguedo est, adeps est: & nisi intellexeris quid sit in littera, adipem frumenti non manducas: litteram in superficie legis, & adipem frumenti non intelligis.* De his alibi plura.

Suffragatur his Ambrosius: *Si cognoscis, pluit, et quotidie de cœlo pluit manna servientibus sibi, etc. Venit quod perfectum est. Perfectum autem panis de cœlo, corpus ex Virgine de quo satis Evangelium* VII. Ex Ambrosio. In c. 16. Exodi.

lium te docet. Quantò præstantiora hæc superioribus? Illud enim manna, hoc est, panem illum qui manducaverunt, mortui sunt, hunc autem panem qui manducaverit, vivet in æternum. Sed est spiritale manna, hoc est, pluvia spiritalis sapientiæ, quæ ingeniosis et quærentibus de cœlo infunditur, et irrorat mentes piorum, & obdulcat fauces eorum. Qui igitur intellexerit infusionem divinæ sapientiæ, delectatur, nec alium cibum quærit, nec in solo pane vivit, sed in omni verbo Dei, &c. Hæc alimonia alit animam sapientis, & illuminat atque obdulcat, resplendens veritatis corusco, & mulcens tanquam fœno quodam, diversarum virtutum suavitate, & sermone sapientiæ. Spiritale hoc manna sapientiæ corpus ipsum Christi est, aut ab eo indivulsum: medulla Evangelii, medulla frumenti, medulla corporis Christi est, veritatis corusco, & suavitatis favo.

VIII. Eucharistia cibus est grandium, sicut & veritas. In Ev. Luc. c. 9.

Quintò, non quorumlibet cibus est Eucharistia, sed perindè ut sempiterna in cœlis veritas, cibus est grandium, aut certè jam grandiusculorum. Ideo notat Ambrosius, turbas priùs à morbis sanatas, id est, à vitiis expurgatas, quàm pastas à Christo. *Itaque nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit antè sanatus. Et illi qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem ut veniret, accepit. Si lumine oculorum privatus, domum utique Domini nisi refusa luce intrare non potuit. Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ cælestis exuberet.* Et statim ibidem: *Esca solidior corpus est Christi. Potus vehementior, sanguis est Domini.*

IX. Ut Eucharistia & lac parvulorũ sit, & cibus grandium.

At quod supra lac inculcabamus esse, infantiæ fidei nostræ aptatum, nunc esca solidior & potus vehementior, qui sine manifesto conflictu existimari potest? An lactis instar habet, si beatorum contemplationi meridianæ, cibi autem solidioris, si figurarum nocti comparetur? Ita quidem habet, sed non ibi figendus est progressus noster. Ergo ut Evangelium quia aliud in cortice præ se fert, aliud recondit in medulla, lac parvulis est cortici alludentibus, medullam autem invadentibus esca est solidior; ita corpus Christi carnem carnaliter sapientibus alimentum infantiæ est; at carnem spiritaliter & ex Deitatis insitæ dignitate interpretantibus, virilis roboris subsidium atque incrementum est. Bernardus in Sententiis quadruplicem scitè amorem discriminat. *Duo sunt amores, carnalis & spiritualis. Ex quibus colliguntur quatuor modi diligendi, scilicet diligere carnem carnaliter, spiritum carnaliter, carnem spiritaliter, spiritum spiritaliter. In his fit quidem profectus & ascensus ab inferioribus ad superiora. Nam ut homines qui tantum noverant diligere carnem carnaliter, ad hoc procederent, ut Deum quoque diligerent spiritualiter, Deus caro factus est: & loquendo & conversando cum hominibus, primum ab eis carnaliter dilectus est. Dum autem pro amicis suis animam ponere vellet, jam spiritu & dirigebant, sed adhuc carnaliter; unde & Petrus loquenti de passione sua respondit, Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Sed cùm per eandem passionem fieri mysterium redemptionis agnoscerent, in ipsa passione jam carnem spiritualiter diligebant. Resurgente autem eo & ascendente, spiritum spiritualiter amant, lætique decantant, Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Carnalis iste amor ex carnis lacte succrescit, sed is in spiritalem carnis illicò excrescit & in spiritalem tandem spiritus maturescit charitatem. Et alibi de Magdalena disserens, quam à carnis suæ contactu protelavit redux à mortuis Christus. *Meritò carnem divinam Verbi tangere prohibetur mulier carnaliter sapiens, plus quippe tribuens oculo quàm oraculo, id est, carnis sensui quàm Verbo Dei.* Et aliquoties ingeminavit post Augustinum Bernardus, cùm turbæ irruerent in Jesum, premerentque undique, veraciter tamen interrogasse ipsum, *Quis me tetigit?* Quod diva illa caro Verbi non tangatur, nisi fide & charitate, nisi contemplatione ea, qua æquum est Verbum vitæ & veritatem contrectari. Serm, 28.

Idem Bernardus: *Habeo & ego Verbum, sed in carne: & mihi apponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, litteræ palea, velamine fidei. Et hæc talia sunt, quæ gostata afferunt mortem, si non de primitiis spiritus quantulumcumque accipiant condimentum. Prorsus mors mihi in olla, si non ex Prophetæ farinula dulcoretur. Denique absque spiritu & sacramentum ad judicium sumitur, & caro non prodest quidquam, & littera occidit, & fides mortua est. Sed Spiritus est qui vivificat, ut vivam in eis.* Igitur spiritalium est hæc esca, & per primitias saltem spiritus jam non carnalia tantùm, sed æterna sapientium. Serm. 14 in Cant.

IX. Ex Hugone Victorino. In Speculo Eccl. c. 17.

Hugo de sancto Victore: *Ideo ad te corporaliter venit, ut per corporalem præsentiam, spiritualis inveniatur, quæ non auferatur. Sic per assumptam carnem occultus venit in mundum, & secundùm corporalem præsentiam cum hominibus conversatus est, ut ad spiritalem elevaret præsentiam, &c. Quando ore suscipis & ore manducas, corporaliter tecum est: postquam autem sensus corporalis in percipiendo defecit, deinceps corporalis præsentia non est quærenda, sed spiritalis retinenda. Dispensatio completa est, perfecta est; Christus de ore ad cor transit, non cibus corporis sed animæ. Venit ad te per corporalem præsentiam, ut comedatur, non ut consumatur: ut gustetur, non ut incorporetur. Sed quando caro Christi manducatur, non qui manducatur, sed qui manducat, ei quem manducat, incorporatur. Audivit Augustinus de cœlo Christum dicentem. Cibus grandium sum, cresce & manducabis me, non ut me mutes in te, sicut cibum carnis tuæ, sed ut tu muteris in me.*

XI. Ex Augustino. L. 2. de Ser. Dom in Mon. c. 17.

Augustinus quàm solida sit hæc esca, quàm grandibus tantum usurpanda, quàm non alia ab æterna veritate, qua beati in cœlo de Deo pinguescunt, disputat his verbis. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hoc ipso quod dictus est quotidianus panis, sive spiritualis significetur, sive in sacramento, aut in vita iste visibilis ad hoc tempus pertinet quod appellatur hodie: non quia spiritualis cibus non est sempiternus: sed quia iste, qui quotidianus dictus est, in scripturis, sive in strepitu sermonis, sive in quibuscumque signis exhibetur animæ, quæ omnia tunc utique non erunt, cùm omnes erunt docibiles Deo: & ipsam ineffabilem lucem veritatis non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes. Nam fortasse & propterea panis dictus est, non potus, quia panis frangendo atque mandendo in alimentum convertitur, sicut scripturæ aperiendo & disserendo animam pascunt: potus verò paratus sicuti est, transit in corpus. Ut isto tempore panis sit veritas, cùm quotidianus panis dicitur: tunc autem potus, cum nullo labore disputandi & sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi, opus erit, sed solo haustu sinceræ & perspicuæ veritatis.* Itaque quotidianus panis hic interim veritas est, quæ sempiternus illic erit potus. Panis enim hic est, ubi corporalibus signis implicatur & non sine labore ac fatigatione aliqua est explicandus veritatis succus, & quasi mandendo exprimendus: illic autem potus, ubi beato haustu illiquatur & infunditur sincera veritas. Panem autem dentibus commolere & saporem succumque exprimere sapientiæ vivificum, quis non intelligit ultra infantium vires & ætatem esse, & grandiusculorum saltem conatum desiderari? Bernardus: *Verumtamen donec sapit tibi veritas, non sine difficultate ad interiora traiicitur. Ubi verò cœperis in ea oblectari, jam non cibus, sed potus est, & sine difficultate intrat in animam, quo videlicet spiritalis cibus intelligentiæ, potu sapientiæ digeratur.* Serm. 2. in Annunc.

XII. In Eucharistia gustatur & vi-

Sextò, consensisse videtur Ecclesia universa, quæ ad Eucharistiæ esum festinantibus accinebat olim; *Gustate*

Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Unde enim hæc suavitatis ubertas, nisi ex cœlestis mensæ redundantia? Gustare enim & videre suavitatem Domini, cumulus est supernæ & absolutæ beatitatis. Inebriari harum deliciarum suavitate & abundantia, nonnisi beatis contingit. Augustinus: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Nonne aperit se Psalmus & ostendit tibi illam, quasi insaniam & furorem constantem, sanam insaniam & sobriam ebrietatem illius David, qui figurate sacramentum Dominicum ostendebat, quando illi miseri coram rege Achis dicebant, &c. Quando dicebat Dominus: Nisi quis manducaverit carnem meam & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam.* Quænam oro sana hæc insania est, & sobria ebrietas & constans furor? Annon de quo ait Augustinus idem: *Jam vero fulgere oculos ejus à vino, illa in corpore ejus membra cognoscunt, quibus donatum est, sancta quadam ebrietate alienatæ mentis ab infra labentibus temporalibus, æternam lucem sapientiæ contueri. Unde quiddam paulo antè commemoravimus, dicente Paulo: Sive mente excessimus, Deo. Hi sunt fulgentes oculi à vino.* Annon de quo Cyprianus: *Sed quia ebrietas Dominici calicis & sanguinis non est talis, qualis est ebrietas vini sæcularis, cum diceret Spiritus sanctus in Psalmo: Calix tuus inebrians, addidit, perquam optimus: quod scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut à sopore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat.* Nonne de quo Paschasius Radbertus: *Et vinum inquit germinans virgines. Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur. Nam in hoc nostri germinis vino castitas corrumpitur; ab isto vero virgines procreantur. Et ideo jure omnis Ecclesia Christi virgo nominatur, quia isto repleta vino nullum præter Christum amare novit, nullum esurire alium, nullumque sitire, quoniam summum ejus bonum Christus est & summa pulcritudo. Sed & charitatis vino inebriata jure omnis anima, quæ Christi potatur sanguine, virgo dicitur.*

detur suavitas Domini hoc est, veritatis. In Psal. 33.

L. 12. contra Fa ust. c. 42.

L. 2. Epist. 3.

Cap. 21.

XIII. Vitam veritatis & Pater Filio dō generat, & Filius carni cum fit homo, & per Eucharistiā idem nobis vescentibus infundit, pro gradus suisque modo. Ex Evangelio Joannis & ex Augustino.

Septimò, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*: ait Christus. Quorum verborum sincera hæc & eliquata videtur esse sententia. Vitæ prima radix, Pater est. Nam *Pater habet vitam in semetipso*. Vitam suam Pater Filio largitur & ingenerat omnem: *Dedit & Filio vitam habere in semetipso*. Denique Filius carnem suam comedentes, eadem impartiet vita: *Qui manducat me, vivet propter me*. Id est, refusione vitæ meæ vivet, sicut ego Patris vitæ infusione vivo: vitamque à me haustam mihi rependet, sicut à Patre haustam ego Patri dedico. Nec moror, sive per incarnationem sive per æternam generationem vita à Patre in Filium propagetur: quia eadem substantiva Patris vita & hic coæquali Filio Deo, & illic in carnem usque deminuto infunditur. At quæ demum hæc vita est, à Patre in coæqualem sibi Filium, & in incarnatum eundem, & ad nos demumusque carni ejus adglutinatos dimanans? Vita utique sapientiæ & veritatis, vita justitiæ & sanctitatis, vita illa qua æternitas constat cœlestis beatitatis. Nec enim alia est fingive potest vita esse deitatis.

In Jo. Tr. 26.

Suffragatur Augustinus, ubi primùm de incarnatione hæc commentatur: *Non ait, Sicut manduco Patrem, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Non enim Filius participatione Patris fit melior, qui est natus æqualis: sicut participatione Filii per unitatem corporis ejus & sanguinis, quod illa manducatio, potatioque significat, efficimur meliores. Vivimus ergo nos propter ipsum, manducantes eum, id est, ipsum accipientes æternam vitam, quam non habebamus ex nobis: vivit autem ipse propter Patrem, missus ab eo, quia semetipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem crucis.* Aliamque rursus interpretationem attexens, quæ deitati Verbi hæc attribuit: *Si autem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo, Et qui manducat me & ipse vivet propter me, eandem suam & nostram æqualitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit. Hic est panis qui de cœlo descendit, ut illum manducando vivamus, quia æternam vitam ex nobis habere non possumus.* Æternam ergo vitam veritatis & justitiæ utique & Pater Filio, quem æternaliter gignit sibi æqualem, & Pater eidem Filio, quem ampliata quodammodo generatione temporaliter incarnat, & Filius incarnatus membris suis, incarnationis suæ tanquam quibusdam accrementis, ipsum manducantibus & ab eo manducatis elargitur.

XIV. Ex Paschas. Cap. 12.

Non inscitè ergo observat Paschasius Radbertus, Eucharistiam Pascha dici, idest, transitum Domini, & à Joanne nos admonitos tum eam à Christo institutam, cum adventasset hora, *Ut transiret de hoc mundo ad Patrem*. Quod nempe Eucharistia quidam sit transitus & demigratio in vitam æternam. *Propterea quoties eam percipimus, attollamus mentem in desiderium, & per ardorem fidei festinemus ad tantam satietatem visionis, quia nimirum hìc gustus est, illic autem satietas. Satiabor, inquit propheta, dum manifestabitur gloria tua. Transit ergo Christus in nobis de hoc sæculo ad Patrem: transeamus & nos in illo, quia cum illo simul omnes, si ejus membra connumeramur, una persona & unum corpus sumus.*

XV. Ex Ambrof. Tract. de 42 Mansion.

Ideo & Christus, panem vivum se credi jussit: at panis vivus est, deitas qua semper vivitur. Unde Ambrosius: *Ego sum, inquit, panis vivus qui de cœlo descendi. Est vera caro propter veram humanitatem: est panis vivus propter divinitatem. Cum igitur Christi corpus manducamus, divinitatem & humanitatem participamus.* Hæc, ut vides, vita, Deus est: at Deus vita animabus nostris non est, nisi ut vita veritatis & justitiæ. Rursum idem Ambrosius: *Potui meo non flumina quærenda, non fontes. Christus mihi cibus, Christus mihi potus. Caro Dei cibus mihi, & sanguis Dei est potus.* Et paulò infrà: *De hoc pane dictum est, Omnes qui elongant se à te, peribunt. Si te elongaveris ab eo, peribis, si appropinquaveris ad eum, vives. Hic est panis vitæ. Qui ergo vitam manducat, mori non potest. Quomodo enim morietur, cui cibus vita est? Quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam? Accedite ad eum & satiamini, quia panis est: accedite ad eum & potate, quia fons est: accedite ad eum & illuminamini, quia lux est.* Hæc vita inspiratur sacro isto pane, lux sapientiæ, & sanctimoniæ; hæc una vita animabus nostris jam vitam rationalem obtinentibus accumulari potest, veritatis & charitatis incorruptę vita, per divinę & incommutabilis substantiæ communicationem. Unde rursus idem Ambrosius: *Vivificatur alloquio Dei. Hæc est enim animæ nostræ vitalis substantia, qua alitur, pascitur, gubernatur. Nec quidquam aliud est quod vivere faciat rationabilem animam, quàm alloquium Dei. Sicut enim augetur sermo Dei in anima nostra, dum suscipitur, dum intelligitur, dum comprehenditur, ita etiam vita ejus augetur. Et quemadmodum è contrario alloquium Dei deficit in anima nostra, ita & incurrit vita ejus defectum. Itaque ut connexio ista animæ & corporis nostri, spiritu vitali animatur atque alitur & tenetur, ita Verbo Dei & spiritali gratia anima nostra vivificatur.* Disertè negat rationabilem animam ulla præterea augeri posse supernè vitam, nisi ex vitali substantia Verbi Dei. Corpori enim ab anima qualicumque seu vegetante sive & sentiente potest irrigari vita. Animæ vel naturæ sentienti vita ulterior per animam rationalem accrescere potest. At animæ rationali jam æterna & intelligibilia bona capienti & anhelanti, non potest vita superfundi undecumque, nisi ex æterna intelligibilis sapientiæ substantia. Quocirca idem Am-

In Psal. 118. Oct. 18.

L. de iis qui initiantur. c. 8.

Ambrosius: *Ista esca quam accipis, iste panis vivus, qui descendit de cœlo, vitæ æternæ substantiam subministrat: & quicumque hunc panem manducaverit, non morietur in æternum, & corpus est Christi.* Et denique idem alibi: *Ego sum, inquit, panis vivus qui de cœlo descendi: sed caro non descendit è cœlo. Quomodo ergo descendit panis è cœlo & panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est & divinitatis & corporis. Et tu quia accipis panem, divinæ ejus substantiæ in illo participaris alimento.* Ecce vitam, divinam videlicet substantiam, cujus caro vehiculum est, ab ipsa carne exugendam.

L. 6. de Sacr. c. 1.

XVI. *Ex eodem ut supersubstantialis sit panis Eucharistia.*

Idem elicitur ex eo quod panis iste ἐπιούσιος, seu supersubstantialis dicitur, quod supersubstantialem vitam deitatis inspiret animabus, illam ipsam qua cœlites beati in superna patria formantur. Ut quid enim substantia panis laudaretur, & supersubstantialis substantia, nisi vitam insereret non modò volaticis accidentibus innixam, sed substantivam, & ex deitatis, hoc est, veritatis & justitiæ informatione supersubstantivam? Ambrosius: *Propterea ἐπιούσιος panis, quod ex Verbi substantia substantiam virtutis manentis cordi & animæ subministrat.* Et Augustinus: *Si autem spiritualiter accipias panem istum, vel ipsum Christum intellige, qui est supersubstantialis animæ panis, quia omnem superat substantiam; qui de seipso ait: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Et Chrysologus: *Post cœleste regnum, panem quis postulet temporalem? Sed quotidianum & in diem vult nos in sacramento corporis sui, panis viaticum postulare, ut per hoc ad perpetuum diem & ipsam Christi perveniamus ad mensam: ut unde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem, totasque satietates capiamus.* Et rursus: *Quia ipse est panis qui de cœlo descendit, petimus & precamur, ut ipsum panem quo quotidie, id est, jugiter sumus in æternitate victuri, hodie, id est, in præsenti vita de convivio altaris sancti ad virtutem corporis mentisque capiamus.* Et rursus: *Perfectio ergo beatitudinis est hodie, hoc est, in præsenti, illius panis jam cibo vivere, cujus perpetuitate quod est quotidie, saginabimur in futurum.* Claret ex his eundem utrobique panem esse, eandem vitam, eandem deitatis substantiam, eandem æternam & incorruptibilem veritatem animabus irrigatam hìc parciùs, ibi pleniùs superfusam.

L. 3. de fide c. ult.

Serm 181. de Tempore.

Serm. 68.

Serm. 70.

Serm. 71.

XVII. *Summa fœlicitas est Deo vesci: id beatis per veritatem, id nobis per Eucharistiam obtingit. In Cantica. Serm. 71.*

Octavò, quia cumulata fœlicitas non veritatis, non charitatis tantùm vitalem & substantivum in animas illapsum, sed copulam quandam arctissimam atque insuperabilem cum Deo complectitur: non potuit hæc copula atque unitas nostra Deo constringi validiùs, quàm si illum comederemus & ille nos vicissim comederet: si trajiceremus & trajiceremur, si decoqueremus & decoqueremur, atque ita in unitatem quandam inenarrabilem conflaremur. Horum arcanorum apprimè gnarus est Bernardus, ne pigeat ergo aliquanto effusiùs ista enucleantem auscultare. *Ita ergo & cum pascit, pascitur, & pascitur cum pascit, &c. Mandor cum arguor, glutior cum instituor, decoquor cum immutor, digeror cum transformor, unior cum conformor. Nolite mirari hoc, & manducat nos & manducatur à nobis, quo arctius illi astringamur. Non sanè aliàs perfectè unimur illi. Nam si manduco & non manducor, videbitur esse in me ille, sed nondum in illo ego. Quod si manducor quidem nec manduco, me in se habere ille, sed non etiam in me esse videbitur, &c.* Et aliquantis intertextis: *Non dico de me qui nihil sum, sed planè nemo nisi demens, sive de terra, sive de cœlo, usurpavit sibi illam unigeniti vocem, Ego & Pater unum sumus. Et tamen ego licet pulvis & cinis, fretus quidem scripturæ authoritate, minimè istud dicere verear, quia unus cum Deo spiritus sum, si unquam tamen certis fuero persuasus experimentis, Deo me adhærere, instar unius illorum qui in charitate manent ac per hoc in Deo manent & Deus in eis; manducantes Deum & manducati à Deo. Nam de tali adhæsione puto dictum: Qui adheret Deo, unus spiritus est. Quid ergo? Dicit Filius, Ego in Patre & Pater in me est, & unum sumus. Dicit homo, Ego in Deo & Deus in me est, & unus spiritus sumus.* Ita ille reciproca comestione ita coalescere & conflari nos cum Deo argumentatur, ut proxime assequamur illam unitatem qua Pater & Filius in unum Deum glutinantur. An autem hæc tanta Patris & Filii unitas velut Eucharisticæ cuidam comestioni adsignada sit, statim rimatur: *Sed numquid Pater & Filius ut sint in invicem, ac proinde unum, invicem se manducant, sicut Deus & homo mutua se quadam in sese manducatione trajiciunt, ut per hoc etsi non unum, unus certè spiritus sint? Absit.* Absit, inquam, quia adventitium aliquid manducatio; Pater autem & Filius non fiunt unum, sed sunt. *Et hæc ergo unitas. Cæterùm quid ad illam, quæ non unione constat, sed extat æternitate? Non planè illam quadam instar hujus mutua manducatio facit, quia non fit: est enim.* Et infrà: *Ergo singularis ac summa illa est unitas, quæ non unitione constat, sed extat æternitate. Nec sanè hanc spiritualis illa præfata manducatio facit, quia nec fit: est enim.* Itaque nostra cum Deo unitas non semper est, sed fit, eoque manducatione fit: at Patris & Filii unitas non fit, sed semper est, & id obest ne manducare fieri dicatur. Illam ergo unitatem summam & singularem Patris & Filii imitatur quamproximè, etsi non penitus exprimit nec omnino assequitur Eucharistiæ comestio.

XVIII. *Rursum ut & hic & in patria Deus nobis esca, nos illi simus.*

Cæterùm Evangelicæ litteræ & mensam, & cœnam, & panem, & vinum novum, in regni cœlestis beatitudine describunt, ubi & comedetur Deus & comedentes comedet. Et tamen ex Apostolica authoritate regnum Dei non est esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Ecqui panis & vinum & cœna erit, si esca & potus non erit? Erit utique esca & potus, panis & vinum novum, justitia ipsa, & pax, & sanctitas, virtusque omnigena tum beatorum, qua Deus epuletur, tum Dei, qua Beati delectentur: nisi mavis acutiùs cum Bernardo sequestrare virtutes, quibus vita hæc mortalis honestatur, necdum ab omni concretione vitii puras, nequedum penitus defæcatas, quas interim comedit & deglutit Deus; ab illis virtutibus cœlestem in patria vitam illuminantibus, quas eliquatas & meras non jam comedet, sed hauriet ebibetque Deus. Ut hæc nempe in cogitationem veniant, cum sumitur Eucharistia, & quod in mysterio interim agitur, præcoqua purificatæ mentis intelligentia consequamur. Sic ergo Bernardus: *Sanè in tempore & corpore isto nulla nostra virtus ita ad purum defæcata erit, nulla ita suavis & mera, ut sponso habilis sit ad potandum. Sed qui vult omnes homines salvos fieri, dissimulat multa, & quos non potest potandi interim facilitate glutire, curat ex ea vel quippiam elicere sapidum, quasi arte quadam & quodam labore mandendi. Erit cum erit virtus colabilis, nec prematur dente, nec fatigabitur à mandente, vel potius non fatigabit mandentem, quæ bibentem absque opera delectabit, tanquam utique potus, non esca. Denique habes spondentem in Evangelio, quia non bibam de hoc genimine vitis, inquit, donec bibam illud novum vobiscum in regno Patris mei. Et de cibo nulla mentio est. Sed apud Prophetam quoque legitur: Tanquam potens crapulatus à vino: de cibo autem nihil ibi penitus invenitur.* Et paulò pòst: *Convenire videtur & consuetudo, quia post cibum potus sumi de more solet. Ergo qui manducat, illic bibet, eò tunc suavius, quò securius gluttiturus, & ea ipsa quæ scrupulosius modo & quodammodo laboriosius quasi mandendo liquat.* Ergo comedimur à Deo jam hinc nunc, post ebibendi: & vicissim comedimus Deum, post ebibituri. Ebibemur enim cum puram ab omni fæce & meram eliqua-

Serm. 72. in Cant.

quaverit justitiam nostram beata immortalitas: ebibemus cum figuras & ænigmata omnia excusserit, nudamque se præstabit jam immortalibus Dei justitia & veritas. Nunc autem peccatorum contagio umbræ illæ & caligines addensantur, quibus à sincero veritatis contuitu summovemur.

XIX. Caro Christi in Eucharistia verè panis beatificus.

Miror si quis tædio nostræ hìc prolixitatis affici potuit, cùm exprompta hujus & sacrificii & sacramenti medulla tot scateat illecebris, tot suavissimæ pietatis expiret delitias. Nimirum quo inanior quisque, eo fastidiosior horum est; quo plenior, hoc inexaturabilior. Ergo abducenda à sensuum & sensibilium vinculis mens est paulatim, & ad intelligibile Christi convivium rapienda, ubi caro ejus ipsissima veraciter, sed non carnaliter, corde magis quàm ore manducatur, non tam ut caro, quàm ut de Spiritu sancto concepta, ut Verbo saturata, ut sapientiæ & justitiæ succo & sapore toto perfusa & madidata, ut caro Verbi, ut Verbum ipsum & veritas & justitia, ut panis ille idem quo primi parentes in primigeniæ beatitudinis sede vescebantur. Unde Augustinus: *Percussum est*

In Psal. 151.

sicut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Modo manduca. Oblitus erat, sed venit & ipse panis, in cujus corpore tibi licet recordari vocem oblivionis tuæ, & clamare ex paupertate, ut sumas divitias. Modò manduca, in ejus enim corpore es qui ait, Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Oblitus eras manducare panem tuum, sed jam illo crucifixo, commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ. Post oblivionem veniat commemoratio; manducetur panis de cœlo, ut vivatur; non manna, sicut illi manducaverunt & mortui sunt; panis de quo dicitur: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. Hoc igitur affectu, hoc gustu esurienda & degustanda Eucharistia est, ut justitia ipsa; ut panis beatificus, à quo per transgressionem excideramus. Quibus ita sapit hic panis, ut justitia & veritas, hi saturantur & pinguescunt de Deo: casti sunt, & jejuni hiant reliqui. Unde idem Augustinus: *Manducaverunt & adoraverunt omnes divi-*

In Psal. 131.

tes terræ. Adorant Christum, venerantur Christum supplicant Christo, sed non saturantur sapientia & justitia illius. Quare? quia non sunt pauperes. Pauperes autem, id est, humiles corde, quantò plus esuriunt, tantò plus manducant: tantò plus autem esuriunt, quantò à sæculo inanes sunt, &c. Hæc saturitas qualis est? Deus panis est. Panis ut lac fieret, descendit ad terram, &c. Et inculcatissimè alibi:

In Psal. 103.

Panis ille justitia est, vinum illud justitia est, veritas est, veritas Christus est. Ego sum, inquit, panis vivus, qui de cœlo descendi. Denique panis animæ justitia est, Deus est. Nam unus Deus, panis omnium est, pane non eget. Unde Augustinus: *Fieri non potest, ut panem suum caro nostra*

Serm. 40. in Appéd. Sir.

haberet, panem suum anima non haberet. Etenim anima nostra in quadam egestate in hoc sæculo eget pane suo, sicut caro suo. Nam qui non eget pane, Deus est. Ergo solus panis non eget pane. Ipse enim panis animæ nostræ, qui pane altero non eget, sed sufficiens nutrit & nos.

CAPUT XXIX.

Eucharistia etsi caro Christi sit ipsissima, spiritale tamen etiam, & non materiale tantum sacrificium & sacramentum est: nec enim caro Christi carnaliter capienda est. Ex Græcis primo.

I. Sacrificium carnis Christi in Eucharistia materiale est, est & spiritale, sicut & caro Christi

UT hujus sacrificii nostri veritatem allatrarent, invaderentque, sua novatores adduxit absurditas atque hebetudo mentis, ita sensibus carnis suæ affixos, ut carnem Christi nonnisi carnaliter imaginari potuerint, atque adeo à spiritalis sacrificii ratione alienam calumniati sint. Est planè caro Christi cum nostra ejusdem substantiæ, sed multò disparis gloriæ: natura congruit, sed majestatis infinito quodam intervallo antecellit: caro

verissima spiritaliter & θεικῶς cogitanda est.

est verissima, sed veritatis totius hospitium, Deitatis consors, spiritalis opulentiæ dotium locupletissima, & longè præstantius quàm quale à nobis Paulo Apostolo sponsore expectatur, *corpus spiritale*. Verissima igitur caro, non carnaliter, non animaliter, sed spiritaliter, sed quod exertius adhuc est, θεικῶς, ea qua Deum decet dignitate præfulgens contemplanda est. Ita demum fiet, ut à spiritali sacrificio abhorrere jam non videatur: ita fiet, ut nullum satis spiritale sit sacrificium, nisi quod caro hæc Spiritus sancti plenitudinem spirans castificet: ita fiet, ut hoc germanum & consentaneum sit Christianæ religionis mysterium, ut quæ in spiritu & veritate Deum tum occœperit adorare, cum spiritum & veritatem in carne hospitantem amplexata primùm est. Hinc post incarnationem Verbi tantò spiritalius hic quidque, quantò carni Christi adeoque & inhospitanti illam Verbo præsentius intimiusque est. Ergo spiritale & corporale, internum & externum jam sacrificium unum idemque est, quia caro Christi præsentissima est, & quò ipsa præsentior, eò per Verbi unà præsentiam uberior fons est totius spiritalitatis.

II. Duplex Christi ságuis qui capiendus apud Clemétem, materialis & spiritalis.

Primò igitur duplicem Christi sanguinem & carnem nonnunquam sancti Patres discriminant: non quo duplex utriuslibet natura extiterit, sed quod aliis natura vera, aliis etiam gloria & majestas deificati sanguinis & corporis ob oculos mentis versetur. Clemens Alexandrinus: *Magnus botrus, nempe Verbum pro nobis expressum: cum sanguis uvæ, Verbum scilicet, aqua temperari voluerit. Sic etiam sanguis ejus salute temperatur. Duplex est autem sanguis Domini. Alter est enim carnalis, quo redempti sumus à corruptione: alter verò spiritualis, quo scilicet uncti sumus. Et hoc est bibere Jesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. Verbi autem virtus est spiritus, quemadmodum carnis sanguis.* Carnalis Christi sanguis est, quo de cruce orbem universum irrigavit: nam & carnales hunc sanguinem cogitare possunt. Spiritalis Christi sanguis, is ipse est, sed consideratus jam ut Verbi sanguis, ut de Spiritu sancto conceptus, ut spiritalis sanctitatis scatebra, denique ut Verbi, ut sapientiæ succus, ut justitiæ sanguis, veritati dicatus, veritati impensus, veritas ipsa. *Amborum autem temperatura, potus scilicet & Verbi, dicitur Eucharistia.*

III. Et apud Origenem. In Lev. ho. 9

Expressiùs insinuatur hoc ipsum ab Origene: *Tu qui ad Christum venisti, Pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, & reconciliavit Patri, non hæreas in sanguine carnis, sed disce potiùs sanguinem Verbi, & audi ipsum tibi dicentem, quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Novit qui mysteriis imbutus est & carnem & sanguinem Verbi Dei.* An verò impunè flocci pendetur sanguis carnis quo redempti sumus? Numnam hic ipse sanguis est mysteriorum, cum Christus effatus sit, *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*? Eccur ergo dehortaris ne huic hæream? Nimirum unus sanguis est carnis & Verbi; at non ut carnis, sed ut Verbi sanguis, & tota Verbi majestate, veritate, sanctitate spiritali permadescens & pereffluens spectandus jam est. Etenim caro ebria Verbo, mancipata Verbo, accessio jam & tanquam portio Verbi, Verbo famulata & semper famulabunda in orbe redimendo & perpurgando, in Deo propitiando & conciliando, defensandæ propagandæque justitiæ impensa & æternùm impendenda, hæc inquam caro, hic sanguis, non amplius ut caro sanguinis, non ut sanguis carnis, sed ut caro Verbi, ut sanguis Verbi, ut corpus sapientiæ, ut succus justitiæ spectari debet.

Eodem attinet quod idem Origenes observat, san-

sanguine carnis & malos potari posse, at sanguine Verbi non posse nisi bonos: *Multa porro & de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro, verúsque cibus, quem qui comederit, omnino vivet in æternum, quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri possit, ut qui malus adhuc perseveret, edat Verbum factum carnem, cum sit Verbum & panis vivus, nequaquam scriptum fuisset, Quisquis ederit panem hunc, vivet in æternum.* An Christo aienti, manducantibus hunc panem vitam æternam non defore; obstrepit Paulus, cum ait, inconsideratiùs in hanc irruentes mensam, judicium sibi manducare & mortem bibere? Nulla hìc conflictatio. Nam caro ipsa per sese carnaliter vorari, malisque consciscere mortem potest: at caro Verbi, sanguis veritatis & justitiæ nonnisi à spiritalibus sumitur, quibus vitæ æternæ gustum jam hinc propinat. — *In c. 15. Mat.*

IV. *Et apud authore operis imperfecti apud Chrysostomum. Op. Imp. in Matt. ho. 17.* Cui accedet lucis nonnihil ex illo Pseudo-Chrysostomi loco: *Non est tacendum quoniam aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum. Sanctificatio enim est, quod alterum sanctificat: sanctificatum autem alterum sanctificare non potest, quamvis ipsum sit sanctum, &c. Quod Sacerdos de manu sua dat, non solùm sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est, quoniam hoc non solùm datur quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur.* Hæc est caro Verbi, hic sanguis Verbi, non sanctificata caro, sed sanctificatio; non sanctificatus sanguis, sed ipsa sanctitas. Vera caro, sed Verbi caro, & ideo sanctitas: Verbi sanguis verissimus, & ideo sanctitas; caro denique & sanguis, qui non videri se tantùm, sed & intelligi postulat. Nam caro & sanguis videri, sed Verbi caro & justitiæ sanguis etiam intelligi flagitat. Vitam æternam ergo percipit, quisquis Verbi carnem & sanguinem percipit, quia id etiam percipit quod intelligitur. Quæso te autem quæ te agunt intemperiæ, ut intercedere velis, ne caro & sanguis quibus salutem tuam debes, in hoc sanctificandi juge munus, in hanc substantivæ majestatem sanctitatis se interserant? Num invides huic carni tantam spargendæ sanctitatis gloriam? An ipsi sanctitati consortium carnis cooperatricis? An suspicaris, Verbum pertæsum jam suæ carnis, & ea sequestrata, beneficiorum suorum rivulos ipsum seorsim diffundere? An carne dehonestabitur operatio Verbi quæpiam, quæ nec ipsam Verbi substantiam dedecoravit? Num caro aliena est à munere sanctitatis seminandæ, quæ ab exortu jam inde suo cum ipsa sanctitatis substantia coaluit & concrevit? Apage hæc suspicationum portenta: Non ad mentis nostræ in ima hæc demersæ angustias, sed ad Verbi amplitudinem, carnis deificatæ magnificentiam expendamus.

V. *Secundò multa Christus dixit ambiguè de carne & de doctrina sua & utrimque vera.* Secundò, ita Christus cum de animarum sagina verba faceret, dicendi genus temperavit, ut de carne sua, ac rursus de doctrina sua interpretaturos in ambiguo, ac velut in vado fluctuantes relinqueret. Quorsum hæc tanta Verbi in verborum delectu incuriositas, aut affectata certè ambiguitas? Num sapientiæ deerat perspicuitas, aut vocum diligentia languebat, aut tepebat charitas in hominum offensionibus aut prolapsionibus prævertendis? Num fraudi fuit sanctis Patribus hæc perplexitas, ut in longè diffidentium scinderentur sententiarum divortia, & alii de carne, alii de doctrina Christi eadem verba commentarentur? Ita sapiant qui nihil sapiunt, qui hæretico fascino excantati sunt. Nobis sanè hac indiligentia nihil diligentius, hac ambiguitate nihil perspicuius fieri potuit. Nam nec doctrina Christi carnis expers est, nec caro Christi nisi doctrinæ lucem eximiam, sapientiæque florentissimæ suavitatem expirat. Si enim doctrina Verbi sine carne propinaretur, quis ad illam carnalium vel conari posset? Verbum Deum in principio apud Deum quis carnali compede innexus adiret? Illiganda ergo carni doctrina Verbi fuit, gestisque in carne mysteriis innectenda. Ac rursus nisi caro sapientiæ lucem ebiberit totam, & quaquaversum jaculetur, qui inserta carni doctrina, infusaque prædicabitur? Ergo doctrina Christi in carnem conflata est, & caro Verbi in doctrinam & magisterium legis æternæ formata atque exaltata est: & qui carnem comedit, prout par est, ut carnem Christi, doctrinam æternæ sapientiæ epulatur, & plus mente quàm corpore comedit, plus animo quàm palato sapit, plus contemplatur quàm comedit: ac rursus qui doctrinam Verbi haurit, sed crucifixi, sed corporati, carnem Christi comedit, nec usquam acutiùs veritatem contemplatur, quàm cum veritatis carnem & corporis ore, & animæ affectu ac sensu, & denique mentis spiritali haustu absorbet. Quæ cum ita habeant, quis jam Verborum Christi curiosissimam incuriam non osculabitur? Quis non sanctos Patres tantam in simulato interpretationum conflictu, sententiarum concordiam & pacem alere gratulabitur? Quis non in meridiana Christiani mysterii luce cæcutire, titubare ac fœdissimè prolabi veritatis hostes intelliget? Chrysostomus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panem verò, vel doctrinam, & salutem, & fidem in se, vel corpus suum dicit; utrumque enim animam fortiorem reddit.* Ut carnem capiunt hæretici, nihil alienius est à doctrina; quocirca illam non injuria sibi videntur à spiritalis sacrificii ratione ablegare. At caro tamen Christi doctrinæ & sapientiæ usque adeo consentanea & amica & agnata & propè germana est, ut Christi ipsa facundia, ut scripturæ solertia, ut Patrum diligentia, ut Ecclesiæ incorrupta & tam fallere quàm falli nescia authoritas, uno promiscuè vocabulo utramque implicet & complectatur. Non ergo à spiritalis sacrificii cultu caro ista exigenda est, ut quæ carnales in spiritalem vitam una maximè nos traduxerit: ut quæ spiritalem totam doctrinam quantam hìc capimus, nequedum à corporalibus symbolis omnino expeditam, una in se colligat. Quàm præposterum enim est, quàm flagitiosum, cui spiritalitatem debes omnem, ei valedicere, eam ut à spiritu deficientem fastidire? Quàm invidiosum rursus est, & hæreticæ superbiæ congruum, quandiu terreni corporis mole gravaris adhuc, ita te tibi spiritalem fingere, ita blandiri ineptè, ut nec carnem Verbi satis castam & defæcatam arbitrere? Theodoretus: *Edent pauperes & saturabuntur, divinum cibum & spiritus doctrinam scimus, & mysticum atque immortale convivium, quod mysteriis initiati norunt.* Consulo brevitati, ne coacervem silvam testimoniorum, res in speciem tam discrepantes promiscuè habentium, carnem & sapientiam, non supinitate, sed diligentiæ altitudine, quod caro fit sapientiæ. Verbum enim caro factum est, caro adeo Verbum & sapientia est, cum sapientia incarnata sit, & nec cibus nec sacrificium jam nobis constet nisi ex carnis & sapientiæ collegio. Quanquam enim sapientia doctrinæ sæpiusculè irrigetur nunc nobis, sine carnis sacramento corporaliter participato, non tamen sine carnis spiritali quodam tunc etiam esu, ac velut imaginario, & præsumpto. Quantò ergo copiosiùs se infundet in animos nostros sapientia, si non recordatione tantùm, sed præsentia nos carnis suæ recreet? Nam si cum abest caro, accersenda cogitando est, ut influat in nos sapientia: quanto copiosior sapientiæ ubertas per ipsam carnis saginam abundabit? Si spiritale sacrificium arridet, quo crucifixam Christi carnem mentis oculis objectamus, & ex eo ceu fonte quodam cœlestem haurimus sapientiam; quantò si Christi carnem contrectemus ipsam & amplectamur & devoremus, uberiores sapientiæ torrentes excipiemus, & quantò proindè spiritalius erit hoc sacrificium? Nam à spiritalium regione si carnem Christi amandes, ergo &

In Joannem Hom. 41. — *In Psal. 21.*

& ejus proscribenda à spiritali sacrificio memoria est: si non constat autem spiritale sacrificium, nec satis suaviter fragrat, sine carnis ejus & crucis commemoratione, quantò fragrantiùs olebit ipsa carnis præsentia? Quàm intempestivum enim est, cujus depreceris præsentiam, ejus memoriam absentis osculari?

VI. Tertiò exterm nostri sacrificii in Eucharistia apparatus quam adornatus, fit ad spiritalé & interiorem cultum,

Tertiò, ut spiritalis sacrificii species etiam extima offunderetur, caro ipsa Christi oculos fallit corporis, ut oculo magis occulto mentis fideique conspiciatur. Et apparatus ipse totus sacrificii ita adornatus est, ut nihil carnale, materiale nihil, non cinis, non nidor sit usquam, & panis ipse paucissimus exhibeatur, ut mentis, non corporis pabulum cogitetur, & Verbo magis carnem insidenti, quàm carni ipsi pietas adhærescat. Chrysostomus: *Quomodo non sunt hæc cœlestia? Sed quid? Nonne hymni cœlestes sunt? Nonne quæ in supernis canunt chori incorporalium naturarum, ea nos quoque qui infra sumus loquimur, illis consonantia? Nonne & ara cœlestis est? Quomodo? Nihil habet carnale. Sunt spiritalia omnia, quæ sunt proposita. Non in cinerem, non in fumum, non in nidorem dissolvitur sacrificium, sed splendida lætioraque efficit, quæ sunt proposita.* Quanquam ergo ut paulò suprà aiebat Chrysostomus eodem loco: *Dominus noster Jesus Christus proponitur mactatus & immolatus*: non carnale tamen, sed spiritale hoc sacrificium est, & longè spiritalius per ipsam Christi carnem præsentissimam efficitur, quia hymni cœlestes & Cherubici Seraphicique circumsonant, quia ara hæc nostra cum illa superna & intelligibili eadem atque una est, quia spiritalis & una utrobique hostia, quæ nec in cineres nec in fumos solvitur, quia denique carnis beneficio immolatur quodam inenarrabili modo ipsum Dei Verbum, summus spirituum apex, & in sua etiam carne, imo nonnisi in sua carne spiritalis hostia. Nam si Verbum per carnem hostia est, quin caro per Verbum spiritalis hostia fit?

Hom. 14. in Epi. ad Heb.

VII. Ideo sacrificium precũ vocatur.

Hinc illud etiam manavit, usuque solenni Ecclesiæ receptum est, ut sacrificium precum, utpote à materia purum, defæcatumque semper prædicaretur. Quid carni ad preces? Quid precibus ad carnem? Imo quæ preces carnalium, nisi carnis Verbi gestæque per carnem dispensationis adminiculo ad superna & intelligibilia eniterentur? Et caro ipsa Verbi quorsum est, nisi ad preces nisusque ad supernam patriam nostros adminiculandos? Ergo immolatur verissima Christi caro, & tamen spiritale precum est sacrificium: immolatur caro Christi, nec immolantur tamen nisi preces, quia implicantur; & incumbunt huic carni preces, quia intexitur hæc caro precibus, easque suffulcit. Chrysostomus attexens locum ex Malachia: *Non accipiam hostias de manibus vestris, quoniam ab exortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est inter Gentes, & in omni loco hostia offertur nomini meo, & hostia pura. Vide quàm luculenter quàmque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, incruentam hostiam. Thymiama autem purum appellat sacras preces, quæ cum hostia offeruntur. Hic enim suffitus Deum resocillat, non is qui à terrenis radicibus sumitur, sed qui à puro corde exhalatur.* Cumque alia quam multa percensuisset sacrificiorum genera spiritalium, omnia tandem ita conglobat: *Habes igitur primum sacrificium illud salutare donum, secundum martyrum tertium deprecationis, quartum jubilationis, quintum justitiæ, sextum eleemosynæ, septimum laudis, octavum compunctionis, nonum humilitatis, decimum prædicationis.* Spiritalia hæc sunt sacrificia planè, inter quæ principem tenet locum caro Christi, utpote his omnibus tantò spiritalius, quantò præcellentius sacrificium.

In Psal. 95.

VIII. Eucharistia externum & corpora-

Hinc porro occurri potest scrupulo illi non minimo, cum spiritalia materialibus adeo antecellant, ecquid causæ sit quamobrem spiritalia sacrificia

le adeoque proprium cum sit sacrificium, spiritalius tamen est quolibet spiritali sacrificio & improprio: quia carni Christi spiritalia; nostra; omnia innituntur

tanquam impropria non tanti fiant, quanti externa & corporalia, quæ ideo ut propria commendantur? Externum enim nunc quidem sacrificium non est, nisi corpus Christi, quod spiritalius ipsum est iis, quæ spiritalia vulgò nec immeritò appellitantur sacrificia. Inhærescit enim & innititur illi carni omnis deprecatio, & jubilatio, & laus, & spiritalis omnigena hostia, quæ statim nutat & labascit, ubi illo frustratur fulcimento. Inter sacrificia ergo primas occupat id quod externum dicitur quia nullum hoc intimius: inter spiritalia principatum impetrat hoc carnis Christi corporale sacrificium, quia nullum spiritalius. Martyrium autem secundo facilè honestatur loco, quia etsi corporale sit sacrificium, tantò spiritalius est & à corporibus animum avocat.

Eò quoque pertinet quod notat Theodoretus quod prisca sacrificia foris in atrio celebrarentur, extra sanctum, extra sancta sanctorum, quo non obscurè innuebat Deus horum se pertæsum, ea à se protelata: at nostrum sacrificium intra penetrale sacrarii, tanquam à corporum mundique totius contubernio secretum ac penitus spiritale peragitur. *Pro foribus tabernaculi altare fuit æneum, quod excipiebat oblata sacrificia. Porro hoc indicat ista fuisse superflua, Deoque omnium minimè grata. Unde illa permisit celebrari propter Judæorum infirmitatem, sed extra Tabernaculum sacrificia fieri jussit, tanquam iis qui intus erant, minimè necessaria. Nos autem sacrificium interiori parti attributum peragimus. Offerimus enim Deo incensum cum lumine lucernarum, & mysticum sanctæ mensæ sacrificium.* Hoc interius utique & spiritale sacrificium est, incensum precationis, lumen sapientiæ, caro Verbi.

In Exo. q. 60

IX. Quarto caro Christi de Spiritu sancto concepta facilè intelligitur esse sacrificiũ spiritale,

Quartò, conceptus natusque Christus est de Spiritu sancto, non usque adeo igitur mirabile est, si corpus ejus sacrificium spiritale esse adseratur. Caro enim ex Spiritu sancto & Mariæ virginitate prognata, multam cum spiritu, cum sanctimonia, cum intelligibili virtutum veritate familiaritatem cognationemque contraxit. Ideo sanguis ille animabus miscetur, ideo non corpora tantùm, sed mentes castificat, ideo justitiæ lumina cordibus aspirat; quia etsi vera caro, sanguis verus sit, spiritalis tamen de authore suo est, & spiritale alimentum, spiritale medicamentum, spiritale sacrificium est. Audi Chrysostomum: *Emundatio non erat corporalis, sed spiritualis, & sanguis spiritualis. Quomodo? Non ex corpore fluxit per verba? Fluxit, sed corpore quod constructum fuit à Spiritu. Hoc sanguine non nos Moyses, sed Christus aspersit, per verbum quod dictum est: Hic est sanguis novi testamenti in remissionem peccatorum. Hoc verbum pro hyssopo sanguine intinctum, omnes aspergit. Et illic quidem corpus extrinsecus mundabatur, erat enim mundatio corporalis: hic autem quoniam spiritalis est mundatio, mundatio ingreditur animam, non solum aspergens, sed etiam instar fontis irrigans. Sciunt quæ dicuntur ii, qui sunt initiati mysteriis.* Audis sanguinem Christi spiritalem inculcari, quo crucem perfudit, quo nos in mysteriis expiat. Spiritalem autem dici, quòd de Spiritu sancto conceptus sit primùm, indeque hauserit spiritalis sanctitudinis & efficaciæ vim omnem copiamque. Spiritalis ergo cum sit sanguis, ingreditur in animas, eas abluit, eas ornat. Est enim ex dignitate animæ, ut sanctitudinem corpori non debeat, sed donet: at corpori quod à Verbo assumptum, quod à Spiritu sancto constructum, quod tota deitas corporaliter inhabitat, non gravabuntur animæ à sensibilium sordibus emergentes, ut ipsis spiritibus spiritaliori, totam sanctitatis suæ exuberantiam acceptam referre.

Hom. 16. in Epi. ad Heb

X. Ex Chrysostomo rursũ

Pergit Chrysostomus: *Et in illis quidem ipsam aspergebat superficiem, & aspersus qui rursus abluebatur; non enim semper obibat cruentatus.*

In anima autem non sic, sed ipsi essentiæ admiscetur sanguis, ipsam reddens robustam & sanctam, & ad inexplicabilem perducens pulcritudinem. En qualis mysteriorum nostrorum sanguis sit, qui substantiæ animæ permisceatur, qui castimoniam illi & spiritale robur inspiret, qui intelligibili ultra fidem pulcritudine venustet. An ergo sanguis hic spiritale non erit sacrificium, qui spiritale est ornamentum, alimentum, medicamentum? Nec stupeas si permisceatur essentiæ mentis nostræ hic sanguis, cum Verbi substantiæ ipse, aut ipsi Verbi substantia permisceatur. Nec stupeas si spiritales afflet gratias hic sanguis, cum authorem suum Spiritum sanctum, cum Verbi opulentiam omnem combiberit. Quod illustrari potest ex Liturgia ejusdem Chrysostomi: ubi panis sacri particulam calici immittens sacerdos, hæc

Tom. 4. ejus Operũ. p. 618 orat: *Plenitudo Spiritus sancti nunc & semper & in secula seculorum, amen.* Audis quid imprecetur illi sanguini, aut quid ex illo potius nobis auguretur? Plenitudinem omnimodam scilicet Spiritus sancti. An ergo spiritale sacrificium non est sanguis, in quo plenitudo est Spiritus sancti?

XI. Ex Athanasio. L. de Incarn. pag. 474. & Conspirat in eandem sententiam Athanasius: *Docuit nos ut posceremus in hoc seculo in precibus nostris panem ἐπιούσιον, hoc est, τὸν μέλλοντα, futurum: cujus primitias habemus, quia in communionem corporis Dominici admissi sumus, quemadmodum ipse dixit: Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Spiritus enim vivificans est caro Domini, quoniam ex Spiritu vivificante concepta est. Quod enim ex Spiritu nascitur, spiritus est.* Num quid expressius desiderari potest? Caro ipsa Christi spiritus est, & quidem vivificans. Etenim si *quod nascitur ex carne, caro est: quod nascitur ex Spiritu, spiritus est.* Hæc enim caro, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo, ex Spiritu sancto nata est. Hæc verba excripsit Damascenus. Alludit

Damasc. p. 137. hauddubio Atanasius eo loci ad illa Christi verba: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*: Et ab illo carnis dedecore & fastidio carnem Christi vendicat, ut quæ fructus cum sit Spiritus sancti & virginitatis germen, hoc est cum de charitate Deo, & de Matris fide potius quàm carne conceptа sit, ipsa spiritus est vivificans, nulli non ad æternitatem vitæ profutura, tam spiritaliter dumtaxat sumenti, quàm spiritalis ipsa est.

XII. Ex Chrysostomo rursum. Hom. 46. in Joan. Consentit & Chrysostomus: *Si carnaliter ea quis acciperet, nihil sane lucraretur. Quid igitur? An caro ejus non est caro? Maxime certe. Quomodo igitur ait: Caro non prodest quidquam? Non de sua carne dicit, absit: sed de iis qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur.* Cùm enim tam prolixus fuisset in carnis suæ commendatione, non eidem illico convitiaretur, ut nauci faciendæ & nullius admodum usûs: Carnem ergo non suam, sed audientium, id est, carnalem eorum sensum perstringit, ut qui vehementer obsit, ne mysteriorum intelligentiam vel odorari saltem possint. *Qui non manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, non habet vitam in semetipso. Quomodo igitur nihil prodest caro, sine qua nemo potest vivere? Vides quod ea particula, Caro non prodest quidquam, non de ipsa carne, sed de carnali auditione, dicta est.* Eo enim consilio carnem induit Verbum, ut carnales carni suæ spiritali adglutinaret ac permisceret, atque & ipsos in spiritalem abriperet intelligentiam. Fraudat ergo se eo emolumento, qui contumaciùs carnem suam retentat, & ipsam Christi carnem carnaliter interpretari, quàm spiritaliter ad eam proficere mavult.

Non immeritò eò etiam retulerit quis, quod asservari olim consueverit Eucharistia in columbis aureis argenteisve; ut in vita Basilii Amphilochius perhibet, & conjectant aliqui ex Actione V. Concilii Constantinopolitani sub Mena. Per columbas videlicet familiare est Spiritum sanctum adumbrari: Consentaneum carnis Christi conceptaculum, quæ de Spiritu sancto concepta est, forma ipsa est Spiritus sancti. Nisi contemplari hinc malis Christi carnem cum in sacramento ad aras rursum procreatur, de Spiritu sancto procreari, de columba prosilire; ut jamjam liquebit.

Quintò, non ignara, quis author & architectus XIII. Quintò ut olim in Mariæ utero, ita nunc in Eucharistia caro Christi à Spiritu sancto efformatur. carnem sanguinemque Christi fabricare atque elaborare soleat, Spiritum sanctum enixissimis fatigat precibus Ecclesia, ut quod olim corpus ex immaculato virgunculæ corpore procreavit, ipse illud idem ex pane ac vino nunc procreet. Non illa ergo tantùm primæva nativitas, sed & hæc quotidiana, & omnibus terræ tractibus iterata atque iteranda, ab authore non alio quàm Spiritu sancto profecta, argumento est, quàm spiritalis sit hæc caro & sanguis, quàm imbuta atque delibuta sit spiritalibus viribus & ornamentis. Cyrillus Jerosolymitanus: *Propterea traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supermundana militia communicemus: atque sic per ejusmodi hymnos, nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita Spiritum sanctum emittat: ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & immutatur.* Catec. Myst. 5. Arcta ut vides corporis hujus familiaritas & contubernium cum Spiritu sancto; minùs ergo mirum, si spiritale sacrificium sit corpus istud, Spiritus sancti perfusum plenitudine: unde ibidem Cyrillus statim subjicit: *Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & incruenta latria, &c.*

His concinit Chrysostomus: *Qui exemplari & umbræ deserviunt cœlestium. Quænam hic dicit cœlestia? Spiritalia. Nam etsi mysticè fiant super terram, sunt tamen digna cœlestibus. Quando enim Dominus noster Jesus Christus proponitur mactatus & immolatus, quando advenit Spiritus, quando hic adest qui sedet ad dexteram Patris, &c.* XIV. Ex Chryso. Hom. 14. in Ep. ad Hebr. Et alibi: *Ponito ob oculos Heliam illum, & infinitam populi circumfusam turbam, & sacrificium lapidibus superpositum, tum reliquos admodum quietos & taciturnos, solum autem Prophetam preces fundentem, secundum id flammam derepente è cœlo delabentem, sacrificiumque ipsum lambentem: mira sunt ista profectò ac stupore omni plena. Ab illis ergo sacris ad nostratia sacra te transfer: nec ea mira modo esse videbis, sed etiam omnem stuporem excedentia. Adest enim Sacerdos non ignem gestans, sed Spiritum sanctum: is preces diuturnas fundit, non quo flamma cœlestis delapsa, sacra apposita absumat: sed ut gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igne excocto.* L. 3. de Sacer c. 4. Id ergo unum tanta precum ambitione molitur Sacerdos, ut cœlitus eliciat Spiritum sanctum, tanquam castissimum & efficacissimum ignem, quo flammescat sacrificium, ut eo rursus participato nos omnes inflammescamus. Est enim reapse corpus Christi spiritalis flamma de Spiritu sancto accensa, fideles omnes accensura, & innoxio allapsu catholicum Ecclesiæ sacrificium correptura, Deoque adolitura.

Id etiam hæreticis imposuit, quod Sacerdotem foris operantem sacris conspicati despicatique sint, nec ad ejus verba corpus Christi affore sperarint: cùm oculo fidei perspicaciore contemplandus esset Spiritus sanctus, cui suum peculiare opificium, corpus videlicet Christi, non potest non morigerari, atque ubi jusserit, protinus adesse. At Christiana plebs oranti succinens Sacerdoti, Spiritum sanctum identidem inter sacra imprecatur illi, ut à quo uno expectetur tantæ victimæ repræsentatio. Tom. 5. ser. 38. Chrysostomus eleganter; *Idcirco non cum ascendit tantum Sacerdos, neque cum vos affatur, neque cum pro vobis orat, hac illi voce acclamatis, sed cum huic sacræ mensæ assistit, cum tremen-*

tremendum sacrificium est oblaturus (nam quid dicam, norunt qui mysteriis sunt initiati) non prius attingit proposita, quam vobis ipse gratiam fuerit precatus à Domino, vosque illi acclamaveritis, Et cum spiritu tuo: qua responsione vobismetipsis in memoriam revocatis, nihil eum præstare qui adest, neque naturæ humanæ rectè facta esse proposita dona, sed præsentem Spiritus gratiam & ad omnia advolantem, mysticum illud perficere sacrificium. Licet enim homo sit, qui adest, Deus est tamen, qui operatur. Noli ergo naturam attendere illius quem cernis, sed gratiam ejus considera qui cerni non potest. Non hęc tanta Spiritus sancti omnipotentia exaggeraretur, ut ex pane imago quæpiam & inanis fingeretur corporis Christi figura. At ubi corpus ipsum coram sistendum est, jure merito is cui uni famulari novit, invocatur Spiritus sanctus, & à quo spiritalem hanc hausit facultatem, ut tot simul locis præsto esse possit.

XV. Ex Dionysio. Cæleſt. Hierar. c. 6.

Nec alienum erit cum Dionysio observare, tum denique sacerdotalis fastigii apicem assecutos esse Apostolos, cum quinquagesimo tandem die effusus in eos est abundantissimè Spiritus sanctus: *Quapropter etiam ipse dum ad ordinem Sacerdotis discipulos promovebat, tametsi ut Deus consecrationis author existeret, simul tamen ad sanctissimum suum Patrem & Spiritum Dei principalem, præcipuum sacrosanctæ consecrationis munus referebat, præcipiens discipulis, ut eloquia testantur, Ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum, quia vos baptizabimini Spiritu sancto.* Subjicit & Matthiam in locum Judæ subrogatum non esse in sacerdotales infulas, nisi ex imperio & authoritate Spiritus sancti. Eadem inculcat Pachymeres, & breviter Maximus: *Nota quando discipuli ordinati sunt Sacerdotes, & Jesum etsi Deus erat, non tamen eos ordinasse, sed pollicitum esse missurum se Spiritum sanctum à Patre, quando velut igneæ linguæ eis apparuerunt.* Nimirùm conficiendi corporis Christi authoritatem quasi ambitiosiùs sibi uni suo jure vendicat Spiritus sanctus, hoc suum quasi operæ pretium, hoc omnipotentis charitatis specimen eximium sibi adserit, hanc sibi gloriam præcerpi à quoquam non patitur, & in ejus aliquantillam societatem ubi egregios ex hominibus aliquos vocat, ubi aliquos quasi Mariæ Deiparæ in locum sufficiendos, in collegium quasi suum adsciscit, hanc à se uno stillari, hanc à se derivari gratiam testatissimum esse vult. Et qualemcumque sanè operam suam locare non possent in corporis tam spiritalis & Spiritui sancto authori suo primigenio tam consentanei procreationem, nisi quos vi sua afflasset, quos sua penè substantia & potestate imbuisset Spiritus sanctus.

XVI. Ex Damasceno. L. 4. Orth. fidei. c. 14.

Damascenus denique scitè exprimit constantem corporis Christi procreationem à Spiritu sancto atque propagationem: *Quomodo fiet istud, dicit sancta Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, Quomodo panis fit corpus Christi: vinum & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego, Spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligentiam.* Apage figuras in Eucharistia, perindè ut in incarnatione, cùm utrobique idem superillabatur omnipotens Spiritus veritatis, & ultra expectationem nostram omnem operetur. Unde pulchrè idem subjicit: *Non est figura, panis & vinum, corporis & sanguinis Christi: absit enim hoc, sed est ipsum Domini corpus deificatum: ipso Domino dicente: Hoc est, non figura corporis, sed corpus meum; & non figura sanguinis, sed sanguis.* Nam spiritalitas & omnipotentia Spiritus sancti fidem faciunt, posse ab eo non figuram corporis ab eo procreari, sed corpus ipsum, quibuscumque collibuerit locis sisti *Corpus enim secundùm veritatem est conjunctum divinitati, quod ex sancta Virgine corpus est: Non quod ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quod panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei. Si autem modum requiris, quonam pacto fit: sat sit tibi audire, quoniam per Spiritum sanctum, quemadmodum & ex sancta Deipara, per Spiritum sanctum sibi ipsi & in seipso Dominus carnem subsistere fecit.*

XVII. Sextò ideo ad dexterá Patris sedet caro, quæ hic eadem à nobis in Eucharistia immolatur.

Sextò ideo Christus cœlos ascendit, ut quæ hìc comederetur ejus caro ac biberetur sanguis, non carnaliter, sed spiritaliter intelligeretur. Illa enim ipsa caro hìc immolatur, quæ paternæ sursum assidet dexteræ. Num spiritalis caro non est, quæ ultra omnes angelicorum spirituum choros evecta est? Quæ in ipsum divinitatis sublimata est verticem? Quæ paterni collega fastigii, in summo supra omnia culmine sedet? Huic carni quis litem moveat de infirmitate naturæ corporeæ? Quis nisi summæ procacitatis majestatem ejus imminutum eat? Quis illi lineas naturæ corporeæ arctosque limites circumscribat, & extra prosilire vetet? Quis privilegiis naturæ angelicæ illi interdicat, quæ in omnem Deitatis plenitudinem ac potestatem ascita est? Visus est nonnullis sanctorum Patrum id innuisse Christus, ubi à doctrina quam de corporis sui esca evulgarat, resilientibus ita occurrit: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Quasi ita urgeret: Diffiditis posse carnem meam innoxio pastu devorari, & superesse incolumen, & ubique locorum exhiberi, quod spiritalis & infinitæ cujusdam, non corporeæ naturæ hæc prærogativa sit: Quid ergo si cum hac carne videritis me in paternæ dexteræ consessum revolare? Spiritalior enim & divinior hæc erit amplitudo. Athanasius: *Hoccine vos scandalizat? Quid ergo si spectaveritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Hinc enim de utroque carne & spiritu suo locutus est, & spiritum à carne discriminavit, ut non solum in eo quod oculis apparebat, sed naturam quoque invisibilem credentes, disceremus ea quæ loqueretur, non carnalia esse, sed spiritalia. Quot enim hominibus corpus ejus suffecisset ad cibum, ut universi mundi alimonia fieret? Sed propterea ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, ut eos à corporali intellectu abstraheret; ac deinde carnem suam de qua locutus erat, cibum è supernis cælestem ac spiritalem alimoniam & ab ipso donandam intelligerent. Quæ enim locutus sum vobis, inquit, spiritus est & vita: quod perindè est, ac si diceret: Quod ostenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritualiter unicuique tribuatur, ut fiat omnibus tutamen ad resurrectionem vitæ æternæ.* Caro igitur ipsissima, sed ultra spiritalis naturæ puritatem sublimata, qualis planè sit necessum est, ut in Deitatis summo vertice sedeat, datur in hostiam, in escam, & spiritalem ubique præ se fert à locis & temporibus absolutam libertatem; ingeneratque animabus & ipsis inspirat corporibus ejusdem seminaria spiritalitatis, ut & ipsa angelicam æqualitatem olim assequantur, & jam nunc per rudimenta hæc non pœnitenda præsumant.

In illud Evang. Quicumque dixerit, &c. p. 771.

XVIII. Ex Cyrillo, quàm spiritaliter, etsi ipsissima comedatur præsens & immoletur Christi caro, quæ eadem assidet paternæ dexteræ.

Nec abhorret ab hoc sensu verbum illud item Christi: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum:* si Patres enim ea verba commentantes audiamus, tum contingenda demum, tum vescenda est caro Christi, cùm ad Patrem ascendit; hoc est, cùm jam non secundùm carnem, carnem Christi sapimus, sed secundùm insitæ Deitatis majestatem, secundùm paternæ gloriæ consessusque æqualitatem. Id verò non obtingit nisi per Spiritus sancti illapsum, quem receptus in paternum solium Christus largitur. Nemo enim potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Nemo dominatricem & divinitatis amplitudine dotatam

Christi carnem sentire & sapere potest, nisi Spiritu sancto afflatus spiritaliter illam interpretetur. Cyrillus Alexandrinus: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Cum itaque nondum missus nobis esset Spiritus sanctus, nondum enim ad Patrem ascenderat: idcirco Mariam abigit, ut quæ nondum Spiritum accepisset: dicens, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, id est, nondum Spiritum sanctum demisi ad vos. Inde sanctæ Ecclesiæ exemplum sumpserunt. Quippe a sacra mensa arcemus eos qui Deitatem quidem ejus agnoscunt, & fidem jam professi sunt, id est, catechumenos, sed nondum tamen sancto Spiritu ditati sunt: nec enim in iis qui nondum baptizati sunt, inhabitat; postquam autem sancti Spiritus facti fuerint participes, tunc servatorem quoque nostrum tangere nihil prohibet. Quapropter iis qui Eulogiæ mysticæ fieri volunt participes, divinorum mysteriorum ministri inclamant, Sancta sanctis, docentes sanctorum participationem decere eos qui sanctificati sunt in Spiritu.* Næ spiritalis præcellentissimè est caro Christi, cujus vel contactu tam sedulò arcentur, qui Spiritu sancto nequedum sunt perfusi. Næ caro illa etsi caro verissima, spiritalis tamen amplitudinis dotes omnes circumfert, & spiritale sacrificium est, spiritale alimentum est, cui aptum non erit domicilium, nisi quod Spiritus sanctus præstruxerit, ornaverit, & incoluerit. Næ illa non carnis figura, sed caro est ipsissima Verbi Dei, cui Spiritus ipse Verbi Dei Deus hanc operam navat. Et rursus idem Cyrillus in eandem sententiam commentatur, cur Christi carnem contingere vetita sit Magdalena, invitatus sit Thomas: *Illi quippe nondum tempus tangere permittebat, propterea quod nondum sanctificata esset Spiritus gratia. Nam cum adhuc nobiscum esset Christus, nequedum ad Patrem qui in cœlis est ascendisset, Paracleti descensum in hominibus perfectum videre non licebat. Hunc verò istud jam facere decebat, quippe qui Spiritu jam esset locupletatus cum aliis. Nam ut prius diximus, non quia abfuit, idcirco Spiritus participatione caruit. In eum quippe dantis liberalitas se extendit, toti plenitudini Sanctorum discipulorum dono distributo.* Itaque conjectando assequatur qui poterit, quantum in spiritalitatis columen abrepta sit hæc caro Verbi, cui in nos adventanti viam præmunit, hospitiumque adornat, quasi antecursor ejus Spiritus sanctus. Nempe non carni, sed Verbo carni præsultor est Spiritus sanctus. Quocirca rectè Chrysostomus: *Ipse suam tibi carnem largitur, & gratias non agis? Atqui dum hoc corporeo vesceris cibo, post mensam ad orationem te convertis, cum verò spiritalis & omnem creaturam tum visibilem, tum invisibilem superantis, sis particeps, non permanes in gratiis agendis?*

In Evang. Joan. l. 12. p. 1086. 1105.

To. 1. Hom. 24.

CAPUT XXX.

Idem ex Latinis Patribus demonstratur, quod Eucharistia licet verissima sit caro Christi, spiritale tamen etiam, & non materiale tantum, & tanto verius sit sacrificium & sacramentum, quod caro Christi non carnaliter sit capienda.

I. Primò, carnè Christi carnaliter sapiunt, qui uno loco vetant eâ excedere. Ex Augustino. In Jo. Tr. 27.

Eadem juvabit summatim persequi rationum fastigia, & consentientes Latinorum Patrum calculos accumulare, quibus conspirate suffragentur tantò veriori sacrificio corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, quantò non corporale & externum tantùm, sed etiam spiritale & internum est sacrificium, utpote non carnem ejus tantùm, sed & divinitatem carni incubantem complexum, à qua religata pendet spiritalitas omnis & spiritalium omnium sacrificiorum religio.

Primò igitur consentiunt & ipsi, nec carnem Christi carnaliter sapiendam esse, quia etiam in carne Christi secundùm carnem interpretanda pessum jerunt, retroque lapsi sunt Judæi olim, desertoresque discipuli. Augustinus: *Qui aderant, plures non intelligendo, scandalizati sunt: non enim cogitabant hæc audiendo, nisi carnem, quod ipsi erant, Apostolus autem dicit, & verum dicit: Sapere secundum carnem, mors est. Carnem suam dat nobis Dominus manducare, & sapere secundum carnem mors est. Cum de carne sua dicat, quia ibi est vita æterna, ergo nec carnem debemus sapere secundum carnem.* Caro igitur Christi non secundùm carnem, sed tanquam vita æterna, adeunda est: nec controversia illi facienda de limite loci & corporum angustiis, illud est enim carnem secundùm carnem sapere, illud est ad mortem sapere, non ad vitam. Quis enim vitæ æternę angustum aliquem loci limitem circumscribat? Est vita æterna, est caro Christi vita æterna, quia caro Verbi & caro Verbum, est inquam ubicumque locorum sibi collibuerit, est ubicumque locorum vitam æternam propinare visum fuerit. Nec arroditur carnis veritas, sed propulsatur infirmitas: nec naturæ corporis obtrectatur, sed superfunditur gloria & prærogativa gloriæ spiritalis.

II. Idem ex Augustino.

Sapiebant omnino transfugæ discipuli secundùm carnem, qui esitari carnem posse non autumabant nisi dentibus commoleretur atque discerperetur frustillatim. An minùs secundùm carnem sapiunt, qui negant esitari sistique disitis terræ locis posse carnem Christi, nisi minutatim concidatur? Utrobique caro, ex carnis mole, non ex spiritus virtute penditur: servitus corporum, non Verbi libertas & omnipotentia æstimatur: corruptibilis esca & hostia, non spiritalis & animarum visceribus inserenda pensitatur. Est enim caro Verbi & caro Verbum, Verbi dotibus & majestate diffluens, animarum esca, non corporum, adeoque tanquam cibo spiritali, nemo sobrius litem movebit, de loci termino, & circumscriptione. Augustinus: *Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Spiritus ei loquitur, & ille carnem sapit. Carnem suam sapit, quia carnem Christi nondum sapit. Cum enim dixisset Dominus Jesus: Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam, scandalizati sunt quidam, qui eum sequebantur, & dixerunt apud semetipsos: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Putabant enim hoc dicere Jesum, quod eum possent concisum sicut agnum coquere & manducare, &c.* Ita illi carnali sensu fascinati: at *respondit Petrus, Petra illa, voce omnium, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Bene sapuit in ore ipsius caro Domini.* At verò de hæsitabundo quocumque & hærente in salebris, *ille carnem suam sapiens, in cujus ore nondum sapiebat caro Christi.* Longè ergo aliter carnem Christi, aliter nostram sapere debemus: interest enim immane & immensum nescio quid, & nostram quidem loci corporumque legibus servire profiteamur, at Christi carnem absolvamus hoc dedecore, & frui Verbo, Verbique uti & abuti gloria gratulemur, non invideamus: nostramque quocumque uno loco consistere, dum vitæ æternæ rore ibi perfundatur, gaudeamus; at carnem Christi, ex qua vita æterna scatet, spatiari effundique gestiamus ubicumque vita æterna irroranda est.

In Jo. Tr. 11.

III. Ex Paschasi. Cap. 5.

Exigenda est enim, aut amplianda potius caro Christi, non ad corporeæ, sed ad spiritalis alimoniæ leges, atque adeo loci injuria amolienda est. Unde Paschasius: *Bibimus quoque & nos spiritualiter & comedimus spiritalem Christi carnem, in qua vita æterna esse creditur. Alioquin sapere secundum carnem mors est, & tamen veram Christi carnem spiritualiter percipere, vita æterna est.* Affigenda est ergo mens nostra huic cogitationi, ut carnem Christi, tanquam vitam æternam pen-

pensitemus, tanquam Verbi carnem, tanquam Verbum carnem, tanquam veritatem & sapientiam carne sua amictam, tanquam veritatem & justitiam sempiternam & incorruptibilem, umbra carnis temperatam, ut mentibus carni immersis eadem sub nube carnis obversaretur, quæ sine nube Angelis sursum contemplantibus allucet. Ita carnem verissimam non carnaliter, sed intelligibiliter, & in incarnatione cogitabimus, & in Eucharistia non cogitabimus tantùm, sed manducabimus.

IV. Ex Algero. L. 1. c. 17.

Algerus non Augustini tantùm, sed & Hieronymi patrocinio fretus assentitur; *Ait Hieronymus in Epistolam ad Ephesios: Dupliciter sanguis Christi & caro intelligitur: vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse ait; Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus: &, Nisi manducaveritis, &c. non habebitis vitam æternam: vel caro illa quæ crucifixa est, & sanguis, qui militis effusus est lancea. Quod non dixisse quantum ad duplicem substantiam credendus est, sed quantum ad duplicem ejusdem substantiæ formam, qua nunc in panis & vini intelligitur forma.* Viden ut spiritalis sit hæc in sacro pane caro, etsi eadem caro, quæ suffixa cruci olim, spiritalis nunc tamen, & divina & ab illa mirum quantum discrepans, & præcellens, non substantiæ mutatione, sed gloriæ incremento? Nam si substantiam quoque discriminare adgrediaris, evigila paulisper & perpende, quàm infestus capiti tuo, quàm saluti tuæ injuriosus tute sis, & redemptrici carni, cui temet totum debes, contumeliosus. Caro enim illa quæ in cruce errores nostros luit & eluit, num divina & spiritalis tibi non videtur? Num ergo peruncta non erat plenitudine deitatis? Num Spiritu sancto plenissimè non erat delibuta? Num satis divina non est, ut animas saginet, quæ Deo toto fæta, Deo ebria est, Deo madet, Deo scatet & effluit? Num satis spiritalis non est, ut inpinguandis animabus misceatur, quæ ipsi Verbo Deo permiscetur? Denique si crux obeunda, si mors, si morte atrocior contumeliarum vis, carnem illam eò ablegas: si divina, si spiritali, si saginam animarum, si vitam æternam stillante opus sit, illam ut degenerem & decolorem protelas, aliam ascisçis vel comminisceris? Itane illudis saluti tuæ, dum salutis authori tam protervus insultas?

V. Secondò, caro Christi carnales sésus animosque sibi affixos ad justitiæ & veritatis spiritalem intelligentiam paulatim sublevat. Ex Paschasio.

Secundò, adeo non mens nostra ad corporeas imagines angustiasque locorum inclinanda est, ubi Eucharistia exploratur, ut ipsis corporeis nostris sensibus ad spiritalia abripiendis adornata sit tum incarnatio, tum Eucharistia. Multum enim vitiorum consuetudo adglutinaverat animam corporeis sensibus, & hæc erat animarum labes miserrima: ut iisdem ergo vestigiis eo unde defluxeramus, revocaremur, corporei ipsi sensus ad intelligibilia contorquendi fuere, ut concreta iis mens, per eos ipsos supra ipsos eveheretur. Ipsissimæ ergo carni Christi affinguntur sensus corporei, pia fraude illuduntur, & in carne spiritum, in corpore sapientiam & justitiam contuentur, audiunt, olfaciunt, sapiunt, palpant: & sub imagine prætenta carnis, eam suavitatis illecebram quæ à corporibus illabi solebat, à corporata percipiunt veritate & justitia. Et caro igitur Christi ipsissima assit, necessum est, ut ei carnis quoque sensus adhærescant nostri; sed caro Verbi, caro sapientiæ personam gestans, caro justitiæ leges in se explicans, & lex ipsa justitiæ corporata, corporeisque dictis ac factis impressa, & expressa, ut corporei sensus ei adglutinati, eique mentem sibi concretam adglutinantes, intelligibili magis quam corporali esca & voluptate pascantur. Sed ad eum modum quæ aderit caro, quæ exteriores animæ sensus interiori resecabit & titillabit illecebra, quæ corporales sensus ad intelligibilia traducet, ea sanè caro, spiritalis & esca erit & hostia, ac spiritalium libertate non immeritò donabitur, ut ne ullis corporum limitibus facilè coarctetur. Paschasius: *Quia si rectè sapimus, vel rectè percipimus, divinus Spiritus qui in nobis est, etiam per eandem gratiam ampliatur, eosdemque sensus nostros ad ea percipienda, (nempe intelligibilia) instruit & componit. Ita sanè ut non solum gustum interius ad mystica perducat, verum & visum atque auditum, necnon odoratum & tactum, ita tenus quodammodo illustrat, ut nihil in eis nisi divina sentiantur, nihilque nisi cœlestia.* Et paulò post: *Neque sinit terrenum aliquid aut vile ibidem suspicari, sed mystica & spiritalia in his sapere: ita ut nostri corporis sensus ad ea interius sanctificandi avidiùs transferantur: si quo modo dicere possit præeminentior pars hominis: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Rectè igitur in Deum vivum totus homo exultat.* Num vera caro hostiæ non est, cui caro nostra adgaudet? Num spiritalis hostia & caro non est, de qua nonnisi spiritale gaudium carni ipsi affluit? Num caro non est, qua caro inescatur? Num spiritalis caro non est, qua carni Deus sapit? Ita ergo sarcitur ruina nostra, ut qui mente carnalia sapere cupiebamus, jam carne spiritalia sapiamus: qui carne avocabamur ab intelligibilibus, jam carne ad intelligibilia revocemur. Ea Eucharistiæ, ea Incarnationis est insidiosa humanitas, fraus optatissima, ut carni implicata mens, & ab intelligibili veritate fugitans, veritatem intelligibilem in ipsa carne implicatam incurreret, complecteretur, amaret.

Cap. 1.

VI. Ex Bernardo

Annuit jam iterum iterumque laudatus in enucleandis amoris istiusmodi arcanis Bernardus. In Sententiis: *Ut homines qui tantum noverant diligere carnem carnaliter, ad hoc procederent, ut Deum quoque diligerent spiritualiter, Deus caro factus est, & loquendo & conversando cum hominibus, primum ab eis carnaliter dilectus est.* Et rursum: *Obtulit carnem, sapientibus carnem: per quam discerent sapere & spiritum, &c.* Et alibi: *Et nota amorem cordis quodammodo esse carnalem, quod magis erga carnem Christi & quæ in carne Christus gessit vel jussit, cor humanum afficiat. Hoc repletus amore, facilè ad omnem de hujusmodi sermonem compungitur, &c.* Et illicò: *Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod voluit in carne videri & cum hominibus homo conversari, ut carnalium videlicet qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritalem.* In hunc subjungit Apostolos carnalem Christi amorem primò exarsisse, & omnia hoc uno stimulo abdicasse: *Itaque in sola interim gratia præsentis suæ carnis eos ab amore omnis carnis suspenderat.* Et ubi carnalem hunc appellitari amorem audis, ne illum præproperè à spiritalium albo expungas, est enim spiritalis reapse & à Spiritu sancto authore insufflatus. Unde ibidem: *Nam aliàs quidem nequaquam sine Spiritu sancto vel in carne diligitur Christus, etsi non in illa plenitudine. Cujus tamen mensura devotionis hæc est, ut totum cor illa suavitas occupet, totum sibi ab amore universæ carnis, ac carnalis illecebræ vindicet.* Est igitur & carnalis amor, quia carni Christi devinctus, & spiritalis, quia spiritalis est & illa caro, quia de Spiritu sancto & concipitur & fovetur & amatur illa caro, quia erumpens ex illa carne emicansque veritas & justitia diligitur, cum diligitur illa caro; sed quandiu non ipsam per sese nudam veritatem Verbi & justitiæ lucem ferre potest, & vix ejus scintillas sustinet exilientes, tandiu carnalis est, & in primo quasi vestibulo spiritalium gaudiorum volutatur. *Ergo ut breviter dicam, toto corde diligere est, omne quod blanditur de carne propria vel aliena, sacrosanctæ carnis ejus amori postponere. Licet verè donum & magnum donum Spiritus sit istiusmodi erga carnem Christi devotio, carnalem tamen dixerim hunc amorem, illius utique amoris respectu, quo non tam Verbum caro*

Serm. 6. in Cantica.

Serm. 20.

ro jam sapit, quam Verbum sapientia, Verbum justitia, Verbum veritas, Verbum sanctitas, &c. Hæc est Christianæ pietatis infantia, hìc repetandum ante est, quam ad spiritalem omninò amorem erepamus: non sunt fastidienda incunabula, non sunt præcipitanda incrementa; per hos gradus evecti sunt ipsi gregis duces, ipsi arietes, seu Apostoli. Qui ultra hos superbit, ascendendo descendit, & præcipitatur. Unde idem Bernardus: *Nec ignoro quod in carne adhuc manens quis, dixerit: Etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. At hoc ille, Nos vero qui nondum in Paradisum, nondum ad tertium cœlum rapi meruimus, Christi interim carne pascamur, mysteria veneremur, exempla sectemur, fidem servemus, & vivimus profectò in umbra.*

In Cant. Serm. 48.

VII. De eodem prolixius, ut affectus nostri carni deificatæ sese adglutinent, ita spiritales tandem evadant.

Enimvero ubi sapientia carnem gestavit, carnique naturaliter insitos affectus induit, aptavitque sibi, terrenis inhiare delinimentis illos dedocuit, reflexit ad cœlestia, & pro temporalibus & fœculentis æternas spiritalesque delicias sapere insuefecit. Et hoc ipsum erat corporeos affectus animæ incommutabili sapientiæ accedere, & subjugari, coaptari & servire, pervadi & vendicari, si caro ipsa atque anima carni agnatior, jam de peccatis tristaretur, hilaresceret ad virtutum pulchritudinem, odio implicato exhorresceret vitia animi, justitiam quibusdam amoris visceribus & ineffabili quadam teneritudine prosequeretur. Hæc est vis substantivæ & personalis copulæ horum affectuum cum sempiterna Verbi sapientia, aut ad eam certè consectarium aliquid. Ita Verbum caro factum est, cùm carnales affectus quos assumpsit, ita moderaretur, ut Verbum decebat, eosque ad sapientiæ justitiæque suæ leges contorqueret, & in carne sapientiam se ostentaret, & per carnem ipsam vim explicaret Verbi & sapientiæ. Quorsum hæc autem, nisi ut & humanum genus in ejusdem beneficii societatem vocaretur? Verbum enim non tantùm caro factum est, sed & habitavit in nobis, id est in reparatæ totius naturæ universitate. Utque assumptæ carni non extimitus se Deus Verbum circumfudit, sed infudit medullitus & ἐνιοδῶς: ita per eam carnem reliquo generi hominum non extrinseca beneficentia, sed illapsione intima & substantiva sese prodigit. Ergo & carnales ut in se converteret affectus nostros, in se inquam, id est, in sapientiam & justitiam incommutabilem, carnem ipsam suam deificatam inseruit nobis vescendam glutiendamque & eo dissuaviandam carnali amore, quo carnem justitiæ plenissima luce fætam aut lucem justitiæ è carnis nube subrutilantem dissuaviari nos oportet, inter cunabula prima & inter pietatis veluti crepundia adhuc balbutientes.

VIII. Tertiò Christi grex jam à cunis spiritalis est, & carnem Christi spiritaliter sapit. Ex Paschasio.

Tertiò, etsi puerascere adhuc & balbutire videtur tota hìc Christianorum religio, sed sibi videtur uni, spem suam in futura & longe uberiora sapientiæ incrementa conjicienti, & præ ista quam suspirat ubertate, non pœnitendas hic interim copias suas fastidienti. Cæterum nil sapit etiamnunc nisi magnificum, nil spirat nisi exertum & spiritale. Est enim spiritalis grex, est in ipsis etiam carnalibus, primitias tamen Spiritus sancti jam consecutus. Itaque ne ipsam quidem Christi carnem nisi spiritali majestate septam imaginatur. Paschasius: *Nihil enim Christus Ecclesiæ suæ majus aliquid in mysterio reliquit, quam hoc (Eucharistiæ) baptismique sacramentum, nec non & scripturas sanctas, in quibus omnibus Spiritus sanctus, qui pignus Ecclesiæ totius est, interius mystica salutis nostræ ad immortalitatem operatur.* Pignus Ecclesiæ est Spiritus sanctus, & in hoc ipso carnis Christi sacrificio & sacramento, Spiritus sancti majestas & vis dominatur.

Cap. I.

IX. Ex Tertull. Initio l. de Orat.

Cui pulchrè astipulatur Tertullianus: *Omnia de carnalibus in spiritualia renovavit nova Dei gratia, superducto Evangelio, expunctore totius retro vetustatis. In quo & Dei spiritus & Dei sermo, & Dei ratio approbatus est Dominus noster Jesus Christus: spirtus quo valuit, sermo quo docuit, ratio quo venit.* Si omnia de carnalibus in spiritualia, ergo & ipsum maxime sacrificium, qui unus est totius religionis cardo. Si omnia autem de carnalibus in spiritualia, quorsum ipsa caro Christi, nisi & hanc spiritaliter interpretemur, non elevando carnis naturam, sed aggerando gloriam, ut Verbi, ut sapientiæ & summæ rationis carnem, per quam carnalibus tota rationum æternarum spiritalitas invehenda atque immulgenda erat. Itaque Christus nobis etiam in carne sua & Dei Spiritus, & Dei sermo, & Dei ratio est, & hinc illuminatur, tantum abest ut obnubiletur, fidei & Ecclesiæ nostræ spiritalitas.

X. Ut carne Christi invecta sit orbi fides & religio spiritalis, cujus insolens ante erat.

Eccur enim, ambo, qui tam diras olim pœnas Judæis interminatus erat, ut ne corporale sibi ullum Dei simulacrum concinnarent: corpus ipse sibi postea coaptavit, & totam summi Spiritus religionem ad carnem & sanguinem, ad corpus hominis religavit? Num gens illa spiritalior, nostra carni addictior? At quid illo vetusto populo spissius, quid terrenis implicatius, quid inanius cœlestium & immortalium bonorum? Quid nostro vicissim grege defæcatius, quid terrarum fastidiosius, quid projectius & magis præceps ad æterna bona? Num Deum saltem castius & spiritalius venerati sunt Judæi? At nihil illis ad idola sequacius, nihil fugacius à vero Deo, nihil ad corporalia sacra, nihil ad belluinas cædes proclivius, ut in pecorum laniena, non in animorum castimonia toti essent. Christiana autem gens simulacra diruit orbe toto, Deum in spiritu & veritate colendum humano generi persuasit. Ecqui ergo fit ut postquam corporatus est Deus, tum demum corporeus credi desierit. Ecqui corporationis fides incorporalitatem astruxit? Ecqui cùm corporeas imagines detestabatur, inter corporea quærebatur simulacra: ubi non corporea se imagine sed vero se corpore obumbravit, tum denique corporis expers natura, merus spiritus, pura putaque veritas celebratur? Portenti similia videri hæc possent, & ultra fidem conficta, nisi omnium gentium monumenta literis consignata, & humani generis annales publici ita rem se habere testificarentur. Ergo hinc claret quam spiritalis hæc sit Verbi Dei caro, quæ suam Deo adseruit spiritalitatem. Hinc claret quam spiritale sit hoc sacrificium, quo corporalia & cruenta pecorum sacrificia orbe toto profligata sunt. Hinc claret quam spiritalis esca sit hæc caro, per quam animæ corporalia sapere dedidicerunt, & de Deo spirituali ac deliciari edoctæ sunt. Hinc claret quam non corporum vinculis locorumque limitibus vallanda sit hæc caro, sed spiritali, ubicumque ipsi visum fuerit, immensitati permittenda sit, per quam deitas ipsa ab opinione corporum absoluta est, nec uni alligata amplius loco aut monti, sed spiritus & veritatis amplitudini donata ejus religio. Hinc claret quam non spiritaliter tantùm & imaginariè, sed corporaliter & verè prehensanda sit affectandaque carnis hujus comestio, ut quæ non spiritali sui imagine, sed corporali veritate largissimam spiritalis religionis ubertatem nobis advexerit. Hinc claret, quàm verè & corporaliter esitanda sit hæc caro, ut spiritaliter & per fidem degustetur, quandoquidem verè & corporaliter exhibenda fuit, ut spiritalis Dei unius fides humano generi insereretur. Hinc claret, quàm facilè sit dilapsura, & in jejunitatem inanissimam maciemque desitura spiritalis per fidem comestio, nisi corporea pariter assit veræ carnis esitatio, quando ante hujus veræ carnis præsentiam, Dei incorporei fides ita nutabat, ita lapsabat & corruebat. Hinc claret, quàm esurire hanc corporaliter escam debeat quisquis maxima in spiritali pietatis stadio fecit incrementa, ut ne pigritetur ei carni suam debere spiritalitatem, cui & suam,

& ſuam, hoc eſt ſuæ fidem, quodammodo Deus debere voluit. Hinc claret non ſatis conſtare carnem hanc ſpiritaliter ſumi, niſi aliquoties & corporaliter ſumatur, quia ſpiritaliter & corporaliter minus diſtant in ea carne quæ ſua corporalitate ſpiritalitatem fundavit & effudit omnem. Hinc claret demum ubi ſe inſevit carni humanæ deitas, ſerviiſſe carnem, principatam eſſe deitatem: in deitatis ditionem & cenſum tranſiiſſe carnem, non in carnis, deitatem: in ingenium & mores deitatis profeciſſe carnem, non in carnis mores defeciſſe deitatem; in ſpiritalitatem deitatis immigraſſe carnem, non in carnis corporalitatem dejectam eſſe deitatem. Itaque corporatus ubi primùm eſt Deus, corporeus haberi ſtatim deſiit, quia corporalem naturam non victus ſed victor iniit, ejuſque corporalitatem & craſſitiem expugnavit. Item incarnata eſt ſapientia, & jam tum cœpit non carnaliter ſed ſpiritaliter intelligi colique: quia non in carnis caliginem ipſa deſcivit, ſed in lucem ſuam carnem quoque carnaleſque mentes aſcivit. Hæc eſt enim invicta vis & majeſtas ſummæ lucis ſummique ſpiritus, in tenebris lucere, in carne carnem expugnare. Nil ergo mirum ſi antequam corpus indueret, vera deitas corpus habebatur, cum necdùm corpori illabendo, naturam corpoream ad ſuæ lucis patientiam roboraſſet. Nil mirum ſi carnalis religio ante Chriſti carnem humi inter terrenas reptabat ſordes, cum necdum per illapſum Verbi in omnem carnem Spiritus ſancti plenitudo, & veritatis intelligentia exuberaſſet.

XI. Rurſus ut veritas corporaſcendo ſpiritalitatem nobis adferat.

Quæ omnia nihilo mirabiliora ſunt, quàm id quod uſu quotidiano experimur. Vitiatæ originis morbo hebet vulgus hominum ad intelligibilia, & ad corporalia tantùm aſtupeſcit. Quandiu ipſos ad intelligibilem nudamque à ſimulacris corporeis arceſſes veritatem, ſurdis fabulam canes. At ſi corporeis imaginibus veritatem obumbres intelligibilem, ita irrepes quaſi per cuniculos in eorum mentes, & corporalia labefactabis phantaſmata, ſincerumque aliquando tandem inſeres intellectum. Itaque quandiu merè intelligibilis renidet veritas, carnales carnalem illam ſomniant: at ubi illa corporatur, tùm intelligibilitas ejus olfieri incipit ſuſpicique. Ergo corporatione ſua hac qualicumque, ad incorporalitatis ſuæ fidem nos perducit: & toties perducit, quoties corporatur. Ut ergo conſtaret perennis & inexpugnabilis fides intelligibilis veritatis, non verbis ſonantibus & vaneſcentibus, ſed humana carne illiganda corporandaque ſemel in æternum fuit. Ut hæc Euchariſtiæ quadrent aptiſſimè, explanabit Algerus: *Sicut enim Verbum eſt ſonus, ſignificans & continens intellectum: ita ſacramentum eſt ſpecies panis, ſignificans & continens Chriſtum. Et ſicut Verbum à quibuſdam auditur & intelligitur, & ſic omnimodis percipitur: à quibuſdam verò auditur, ſed non intelligitur, & tunc percipitur quidem exterius aure quantum ad ſonum, non etiam corde interius quantum ad intellectum, nec minus tamen continet intellectum ſi non intelligitur, quàm habet ſonum ſi non auditur: ſic incredulus vel indignus ore quidem ſumit ſacramentum exterius in panis ſpecie, nec tamen interius ſumit corde corpus Chriſti in unitatis & conformitatis veritate; non tamen ſacramentum minus eſt corpus Chriſti in veritate ſubſtantiæ, cum percipitur etiam à malis, quàm cum & veritate ſubſtantiæ & veritate gratiæ ſpiritalis omnimodo percipitur à bonis.* Itaque qui ſpiritalem Chriſti eſum ſine vera ejus carne obtrudunt nobis, perinde inſaniunt ac ſi intelligibilem veritatem ſine ſonantibus verbis inſuſurrari hominum vulgo ſperent. Spiritalis enimverò eſus per veram Chriſti carnem maximè contingit, ſicut ſpiritalis confabulatio nonniſi per corporales ſonos explicatur. Nam nullo corporalium ſignorum adminiculo, mentaliter tantum veritatem eſitare aut contemplari, angelicæ fœlicitatis eſt, vel hominis angelicam adepti in patria æqualitatem. Hìc autem acutiſſimus quiſque contemplator vix ad rara ac ſtatim fugientia momenta raptim veritatem nudam coruſcantem intervidet, protinus ad familiaritatem ſenſibilium revolvitur involucrorum: & ut ore taceat, mente corporales verſat ſonos, voces, imagines, atque ita veritatem non contrectat, niſi velatam. Veſtram autem fidem obteſtor, ſi velo quopiam neceſſe eſt amictam etiam à ſubtiliſſimis contemplatoribus allambi guſtarique veritatem, ecqua ſpes vulgo hominum ſpiritalem ſine carnalibus ſignis eſum uſurpandi? Ecquod ipſis contemplatoribus votum veli elegantioris dignioriſque, quàm carnis ipſiſſimæ Verbi, quod cæteris omnibus ipſum Verbum ſuo judicio tantoperè antepoſuit?

L. I. c. 21.

XII. Quartò caro Chriſti in Euchariſtia fide eſitatur, quia etſi veriſſima & præſens caro eſt, Verbi & ſapientiæ caro eſt. Ex Auguſtino.

Quartò, non illibenter ergo acquieſcimus ſanctis Patribus, Chriſti carnem veriſſimam non edi niſi fide & charitate ſpiritali. Qua enim Verbi caro eſt, qua corpus juſtitiæ & ſapientiæ increatæ, qua vehiculum totius ſanctitatis & plenitudinis Dei caro iſta, utique non editur niſi fide & charitate ſpiritali. Eo autem non extenuatur veritas carnis, ſed veriſſimæ carnis opulentia ſpiritalis explicatur. Nam niſi vera aſſit caro, aberit utique ab infidelibus hæc infinita ſapientiæ & ſanctitudinis copia, quæ huic ſe ita infudit carni, ut per eam unam ad nos trajici ſtatuerit. Et rurſus niſi ſpiritali fide & charitate veram illam carnem præmuniti excipiamus, ipſum quidem vehiculum contrectabimus, opes porro invectas utpote deitatis peculiares & eximiè ſpiritales ne attingere quidem primoribus labris dabitur. Denique ſpiritalis gratiarum incorruptibilium munificentia advehitur nobis triumphali veluti carpento carnis aſſumptæ. Perinde ergo tanta ſpe fruſtraberis, ſive carnem veram excipere refugias, ſive carnem quidem ore corporis admittas, ſed ſpiritali domicilio ſpiritales illas divitias veres includere. Non debet autem inſolens viro Chriſtiano vel inuſitatum videri, per carnis quaſi vehiculum divinam in nos trajici benevolentiam: cùm ea tantùm fide Chriſtianum ſit nomen conſecutus. Quid enim tota Chriſti incarnatio, quàm divinæ ad nos opulentiæ per carnis currum importatio? Et quid Euchariſtia, quàm incarnationis propagatio, & ad ſingulos quoſque noſtrum clementior ampliatio? Auguſtinus: *Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, ut ſi quis manducaverit ex ipſo, non moriatur in æternum: ſed quod pertinet ad virtutem ſacramenti, non quod pertinet ad viſibile ſacramentum. Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.* Panis ille cœleſtis ad nos deſcendit, quo niſi carnis curru? Excipiatur ergo & currus & Verbum panis, unus cum ſua carne panis. Unde idem: *Panis noſter æternus, Chriſtus in æqualitate Patris: panis noſter quotidianus, Chriſtus in carne: æternus ſine tempore, quotidianus in tempore. Tamen ipſe eſt panis qui de cœlo deſcendit.* Quorſum ergo Philoſophicum hoc ſupercilium, & à viro Chriſtiano, ab ipſis fidei noſtræ rudimentis tam diſſonum, ut carnem jam hinc faſtidias, æternum panem jam nunc ambias, & non carnis vehiculo trajici, ſed ſuperbiæ volucri remigio involare in æternitatis patriam te poſſe confidas? At carnis memoria te fretum oggannies. Jam ergo à Philoſophico faſtu ad Judaicas ſordes revolveris, & umbris ac figuris paſci hoc præclarum arbitraris & opimum. Si carnis memoria aut figura profuit, quid præſentia? Quo tota incarnatio, ſi ejus umbra affatim ſufficiebat? At tam largè carnem Chriſti propinari & tot locis crebreſcere poſſe diffidis? Jam ergo & à Philoſophorum grege abigendus es, & Judaicis exigendus è caſtris, ut exors penitus deitatis, quam tum ejuras, cum tuæ poteſtatis aut intelligentiæ modulo illam coarctas.

Tract. 26. In Joann.

L. 50. hom. hom. 14.

Idem

XIII. Ex eodem Augustino. Serm. 127. de Tempore.

Idem significatur illo locorum genere, cujusmodi tam multa semel & iterum superiùs congessimus, ubi ait Augustinus: *Quis autem homo posset ascendere ad illum cibum? Quia ergo ad illum panem homo non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem, & hoc cum ineffabili pietate factum est, quia oportebat ut mensa illa Angelorum lactesceret & ad parvulos perveniret. Sic ergo fecit sapientia Dei, sic nos per carnis assumptionem pavit pane cœlesti.* Panis ergo cœlestis seu æterna Verbi sapientia & sanctitas descendit ad nos per carnis quasi vehiculum: per carnem ergo tuam invehi hoc vehiculum necesse est, ut in mentem tuam importetur panis. Ne ergo ventrem tantùm, sed mentem para. Unde rursum: *Ut quid paras dentes & ventrem? Crede & manducasti*. Nam etsi in dentes & in os inseritur, non tamen cœlestis panis, hoc est, Verbum Dei nisi credendo manducatur: non etiam vehiculum ipsum, seu caro Christi vera, ut caro Verbi vectrixque totius sanctitatis nisi credendo manducatur. Unde: *Cœnam manibus suis consecratam discipulis dedit, sed nos in illo convivio non discubuimus, & tamen ipsam cœnam fide quotidie manducamus*. Et ibidem: *Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit, Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi? Nolite parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista cœna: ecce credimus in Christum, cum fide accipimus, in accipiendo novimus quid cogitemus. Modicum accipimus, & in corde saginamur. Non ergo quod videtur, sed quod creditur, pascit.* Nec Augustinum fallebat externa sacramenti symbola in fauces & in ventrem demittenda esse, & tamen inculcat ne fauces pateant, sed corda; nec ventres, sed animi; quòd etsi panis integumentum corpore excipiatur, sed ipse tamen verus panis, videlicet Verbum Deus carne sua invectus, vel caro Verbi totam circumgestans deitatis plenitudinem, nonnisi fide mentis & charitate cordis comedatur. Et rursus: *Ambulabat cum illis, suscipitur hospitio, panem frangit, & cognoscitur. Et nos non dicamus quia Christum non cognovimus; novimus si credimus. Verum est, novimus si credimus, habemus si credimus. Habebant illi Christum convivio, nos intus in animo. Plus est Christum habere in corde quàm in domo. Cor enim nostrum interius nobis est quàm sit domus nostra. Jam vero ubi debet eum fidelis agnoscere? Agnoscit qui fidelis est: qui autem catechumenus est, ignorat.* Fide creditur, habetur, manducatur caro ipsa Verbi Dei: sed à fideli tantùm, non à catechumeno. Credit catechumenus, nec fide manducat Christum: credit fidelis, & manducat: quia fides in sacramento, non extrà, carnem Christi manducat. Sed nonne & suum cathechumenis & quidem multiplex sacramentum frequentabatur? Nonne sale frequentissimo sapientiæ condiebantur? Quin ergo fide & sacramento Christum comedebant? Comedebant utique in figura & umbraticè: at fideles in meliore sacramento veram carnem Verbi, sed non sine fide quia Verbi comedebant. Et rursum: *Dominus noster Jesus Christus ante panis fractionem ignotus loquitur cum hominibus, panis fractione cognoscitur, quia ibi percipitur, ubi vita æterna percipitur.* Vides quo fides ista pertineat Christi esuriens, Verbi fame sitique ardens? Nempe non ut absentem Christi carnem imaginetur & quasi præsentem comminiscatur, sed ut in carne præsentissima vitam æternam, sapientiæ sanctitatisque plenitudinem videat, eaque pascatur.

In Evan. Jo. Tract. 25.

De Verb. Dom. Serm. 33.

Serm. 144. de Tempore.

Serm. 146 de Tempore.

XIV. Ex Paschasio, ut spiritalius sit carne Christi præsentem reapse edere, quam fide absentem. Paschas. c. 17. 10.

Paschasius; *Idcirco cogitandum nobis est, non quantum dente premitur, sed quantum fide & dilectione capitur. Non enim rectè caro Christi sine divinitate sumitur, nec divinitas sine carne præstatur.* Hoc ergo in causa est, ut animi ventre, non corporis, & fide, non dentibus esitanda sit caro Christi, quia non sine divinitate sumi par est eam carnem, quæ indivulsis nexibus divinitati cohæsit. Hoc rursus in causa est, quamobrem non sine vero carnis esu ambienda sit Deitatis comestio, quia per incarnationem abundè patefactum est divinitatem non sine carne præstari. Quocirca idem: *Sic itaque & ille carnaliter sapit, qui ideo non credit carnem Christi esse & sanguinem, quia speciem & colorem exteriùs non mutavit. Unde orandum, ut ipse per se Christus veniat & comedat panem cum melle suo in nobis, & vinum cum lacte bibat: quia nisi Christus Deus & homo verè intelligatur, & vinum sanguis ejus cum lacte doctrinæ admisceatur, non potest infirma mens capere lucem veritatis, & mysterium, vel quod divinum est agnoscere.* Et paulò antè: *Totum spiritale est quod comedimus.* Ne ganniant ergo Berengariani hæretici carnem Christi à se non carnaliter, sed spiritaliter per fidem devorari: nam carnalior est ista fides, aut fidei larva, quàm dici possit. Carnaliter enim carnem Christi per suam fidem sapiunt, nos spiritaliter autem sapimus, etsi non per fidem tantùm, sed & per verum carnis esum sapiamus. Annon enim carnalius est, omnipotentiam Dei circumscribere, leges corporum Deo obtendere, limites loci & angustias infirmitati nostræ præfinitas, Christi quoque carni præfigere easdem, denique de nostro sensu & modo censere ac dimetiri divina mysteria? Ex adverso autem quid spiritalius hoc veræ carnis esu, quo profitemur in divinitatis dotes ascitam esse Christi carnem, spiritalem escam illam esse, in modum spiritalis alimoniæ repræsentari & præsto esse ubicumque opus est, in obsequium omnipotentis Verbi sequacem esse ubicumque collibitum ipsi est: æstimandam denique ipsam esse non ex nostro, sed ex infusæ ipsi divinitatis ingenio? Ergo carnaliter invadunt Christi carnem, qui carni diffidunt & spiritalem jactitant saginam: spiritaliter autem comedunt, qui veram carnem prehensant. Nec injuria: scaturigo enim totius nostræ spiritalitatis hæc caro est, non sui figuris & signis, sed ipsissima: ergo carni huic inhærendum, ut spiritalis fias: ergo si ab hac carne exules, carnalis usque perstabis.

XV. Ex Lanfranco.

Annuit Lanfrancus fide quoque comedi Christi carnem ipsissimam, & cum duplex sit ejus carnis communio, alteram sine alterius copula claudicare, ac tandem collabi. *In sacramento quotidie caro Domini immolatur, dividitur, comeditur, &c. Quamvis alio locutionis modo totus Christus manducari dicatur & credatur, scilicet cum vita æterna, quæ ipse est, spirituali desiderio appetitur, cum recordatio mandatorum ejus super mel & favum dulcior in mente habetur, cum fraterna charitas cujus signum hoc sacramentum gestat, pro Christi amore diligitur, cum dulciter atque salubriter in memoria reconditur, quod pro salute hominum contumeliis sit affectus, cruce suspensus, clavis affixus, lancea vulneratus. Utraque comestio necessaria, utraque fructuosa, altera indiget alterius, ut boni aliquid operetur: nam prior, si desit posterior, non solum peccata non purgat, sed etiam auget & præsumptores judicat: Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Porro posterior sine priore esse non potest, aut non debet. Hinc namque panis quotidianus à Domino dicitur, sicut à B. Ambrosio & S. Cypriano exponitur.*

XVI. Quintò, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: ibi Spiritus est caro Christi vera, sed ut Verbi propria. Ex Augustino. In Evan. Jo. Tract. 27.

Quintò. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*: hinc non infirmatur carnis præsentis fides, sed carnis amplificatur dignitas, ut quæ Spiritu sancto gravidata sit, Verbo facta, Deo toto plena, & exundans, & ipsa caro Spiritus jam vivificans, cui adeo lis intendenda non sit de locorum terminis, aut de membrorum segmentis. Augustinus: *Quid est ergo quod adjungit, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam? Dicamus ei; patitur enim nos non contradicentes, sed nosse cupientes: O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit san-*

sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam? Et propter quid sumus, quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo, non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Non prodest ergo caro carnaliter intellecta, tanquam minutatim discerpenda & commolenda dentibus: sed prodest mirum quantum eadem caro spiritaliter intellecta, hoc est, *ut Spiritu vegetata*, & Spiritum sanctum circumferens & expirans, & ipsa Spiritus, spiritalibus refertissima dotibus, & in modum spiritalis alimoniæ vescenda, sine laniena, sine comminutione sui.

Apertiùs ibi prosequitur hoc argumentum Augustinus: *Proinde sic dictum est, Caro non prodest quidquam; quomodo dictum est, Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est, Scientia inflat? Sola, sine charitate. Ideo adjunxit: Charitas verò ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia: non per se, sed per charitatem. Sic & nunc, Caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum.* In his nulla dubitationis nubecula residere potest. Caro non prodest quidquam, sed sola: prodest mirum in modum, si carni accedat spiritus. Non aliter quàm scientia turgefacit, cum sola suppetit: prodest non mediocriter, charitati sociata. Non ergo per spiritum carnis natura, aut præsentia convellitur, sicut nec per charitatem scientia proscribitur: sed individuo & necessario vinculo sociatur scientia charitati, caro spiritui, quod nec scientia charitatis expers conducat quidquam, nec caro à spiritu divulsa: & rursus nec charitas sine scientiæ contubernio satis conferat, nec Spiritus sine carnis Christi adminiculo constare nobis queat. Unde

Pergit ibidem Augustinus ab exemplo longè simillimo, carnis & spiritus necessariam copulam propugnare; *Nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnem Spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit; quod habebat attende, non quod erat.* Quid amabo enucleatius, quid ad nostram sententiam appositius? Conserta est incarnationis ratio cum Eucharistia; eadem utrobique sunt carnis & Spiritus momenta, eadem emolumenta. Utrobique caro nihil prodest, nimirum qua caro sejunctim à spiritu nuda est: at qua caro *vas Spiritus* est, qua *per carnem agit spiritus*, religata est ad carnem salutis nostræ anchora. Quà enim caro spiritu agitur, quà vas Spiritus est, quà divinitatis plenitudine inhabitatur, quà denique Verbi caro est, & Verbum caro, jam caro ipsa spiritus est: nec spiritalis ulla fructuum copia, nisi ab istiusmodi carne in nos dimanabit. Si posset enim Spiritus illabi nobis, per peccatum carni insepultis, atque infundi alio quàm carnis vehiculo, Verbum caro non fieret.

XVII. Ex eodem. Et ex consequentibus accedit nonnihil elucidamenti. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Quid est, Spiritus & vita sunt? Spiritaliter intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter? Spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? Etiam sic illa, Spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt. Sed sunt quidam inquit in vobis, qui non credunt. Non dixit, Sunt quidam in vobis, qui non intelligunt: sed causam dixit, quare non intelligant. Sunt enim quidam in vobis qui non credunt, & ideo non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit, Nisi credideritis, non intelligetis. Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Prius hæreamus per fidem, ut sit quod vivificetur per intellectum. Nam qui non hæret, resistit: qui resistit, non credit: Nam qui resistit, quomodo vivificatur? Adversarius est radio, quo penetrandus est: non avertit aciem, sed claudit mentem. Sunt ergo quidam qui non credunt: credant & aperiant, aperiant & illuminabuntur.* Quò tam vehemens ad fidem cohortatio? Quò injecta tam constanter mora præpropere festinantibus ad intellectum? Ecquid tam arduum est, in esitando pane, cogitare Christi carnem? in sorbendo vino, imaginari sanguinem? Num ad hæc tam levia certamina tanto nisu tantoque molimine fidei opus est? Hæc proclivitas est magis intellectus quàm fidei asperitas, Concionante Christo, carnem suam edendam & hauriendum sanguinem, qui figuram carnis & sanguinis sorbendam interpretatur, si verè interpretatur, non tam ille credit, quàm intelligit: & hac intelligendi pronitate nihil mollius, nihil declivius. At verò si Christo imperante, carnem suam edi & sanguinem perpotari, extimulanda atque inflammanda fides est, ut audeat hoc tam arduum & tam impervium dogma invadere & devorare: inhibendus intellectus est, ne speret se posse statim in hanc mysterii caliginem irrumpere: haud dubio vera carnis comestio, vera sanguinis potatio accipienda est, quæ tam credi potest, quam intelligi non potest. Et hinc magis liquescit, quàm fluxa & cassa sit fides eorum, qui se per fidem Christum gestiunt comedere: quàm vegeta autem & invicta sit fides eorum, qui se non sola fide, sed corporali esu Christum manducare confidunt. Illi ergo ut fide Christum comedant, fidem pessumdant: hi ut ne sola fide Christum comedant, fidem quammaximè exaggerant. Illi simulata fide, fidei authorem Christi carnem expungunt: hi tantò opimiori fide, fidei parentem carnem Christi capessunt.

Responsa hæc sua eadem firmat alibi Augustinus: *Tunc ab ista Verbi celsitudine ceciderunt, qui post eum deinceps non ambulaverunt, cui sanè inhæserunt, qui potuerunt intelligere, Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest: quia utique & carni spiritus prodest, & solus spiritus prodest, caro autem sine spiritu nihil prodest.* Usqueadeo prodest spiritus, ut per carnem prosit; usque adeo spiritus vivificat, ut & per carnem vivificet, & carnem ipsam vivificatricem efficiat, atque adeo ut carnem ipsam quasi spiritum vivificantem esse præstet. Et quanquam solus spiritus prosit, non hominibus tamen utpote carnalibus nisi per carnem prodest, alioquin Verbum caro non fieret. Postquam ergo spiritalis esca, ut carnalibus insereretur, incarnanda fuit, eadem fuit & spiritalis esca, & incarnata: eadem caro & spiritus: vera caro & verus spiritus: spiritalis esca per carnem mandenda, carnalis esca per spiritum esitanda: veritas in carnem se inserens, caro in mentes se infundens: esca carnalium, & ideo caro corporaliter comedenda; esca spiritalis, ideoque de corporum & locorum legibus nihil sollicitanda. De consen. Ev. l. 4. c. 10.

Et denuò Augustinus: *Neque enim caro principium est, aut anima humana, sed Verbum per quod facta sunt omnia. Non ergo caro per seipsam mundat, sed per Verbum à quo suscepta est, cum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Nam de carne sua manducanda mysticè loquens, cum hi qui non intellexerunt, offensi recederent, dicentes, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? respondit manentibus cæteris, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Principium ergo suscepta anima & carne, & animam credentium mundat & carnem. Ideo quærentibus Judæis quis esset, respondit se esse principium. Quod utique carnales infirmi, peccatis obnoxii, & ignorantiæ tenebris obvoluti, nequaquam percipere possemus, nisi ab eo mundaremur atque sanaremur, per hoc quod eramus & non eramus. Eramus enim homines, sed justi non eramus. In illius* XVIII. Ex eodem. Civi. L. 10. c. 24.

lius autem incarnatione natura humana erat, sed justa, non peccatrix erat. Principium munditiei & vivificationis utique Verbum est; itaque Spiritus est qui vivificat: sed peccatis obnoxios & ignorantiæ tenebris sepultos principium illud non attingeret, non sanaret, non mundaret, nisi per susceptam animam & carnem, id est, per hoc quod eramus. Itaque anima animas, caro carnem mundat & vivificat, sed principio mundationis & vitæ Verbo ipso. Id incarnatio, id Eucharistia sonant. Promiscuè enim utrique vel alterutri Scripturarum loca à sanctis Patribus passim aptantur, quia utraque alterutra est, & una utriusque ratio, unus finis, unus fructus est. Quanquam ergo principium saginæ spiritalis Verbum Spiritus & Deus est, tam verè tamen caro Verbi est animarum esca, quàm verè caro illa Verbum ipsum est. Ideo fidenter ingeminat Christus carnem suam verè, id est, veritatis esse cibum: *& Dei sapientia verbis sacramento congruis pascens animam credentem, non curavit insipientiam nauseantem:* ut ait Augustinus.

L. 1. Con. Adver. Leg. & Proph. c. ult.

XIX. Ex eodem, ut non hoc corpus quod videbatur, comedatur, nempe discerpendo frustillatim In Psal. 98.

Denique idem Augustinus: *Durum illis visum est quod ait, Nisi quis manducaverit carnem meam, &c. Acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, &c. Ille autem instruxit eos, & ait illis: Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest: Verba quæ locutus sum vobis, spiritus est & vita. Spiritaliter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritaliter intellectum vivificabit vos: & si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Huic maximè Augustini loco insidiantur, qui figuris suis nebulas offundere & intercipere nobis interim machinantur Christi veram carnem, & affixam nostri causa carni Deitatem. Ait enim Augustinus, non hoc corpus quod videbatur, manducatum iri: nec potum iri sanguinem, in cruce fundendum. An ergo conflictatur secum Augustinus, & quæ alibi sexcenties expressissimè commendarat, hîc sibi infestus ipsi, ea omnia uno verbulo labefactat? Atque ut alia faciam missa, & ea complectar tantùm, quæ in hunc ipsum quem versamus locum commentatus est: Eccur ergo carnalem & longè ablegandum intellectum non alium usquam suggillat, quàm quo carnem ejus frustillatim dissecandam & fauces ritusque comedentium cruentaturam suspicabantur? Eccur carnem non prodesse interpretatus est, sed solam, instar scientiæ, qua sola imbuti turgescimus: at spiritu Deitatis vegetatam ineffabiliter prodesse, perinde ut scientiæ per charitatem consociatam fructus sunt uberrimi? Eccur ergo carnem spiritus vasculum esse pronuntiavit, ut caro jam tantum prosit, quantum spiritus, nisi quia de carnis vasculo instillatur nobis spiritus? Ea verba Psalmi illustrare adgressus erat sanctus Doctor: *Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Et quia scabellum alibi pedum ejus terra prædicatur, terram quæritat quæ adorari sine flagitio possit. *Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, ut peccemus non adorando.* Nullæ hîc ambages, nullus tricandi locus, effugium omne interseptum est, non alia quàm verissima Christi caro adoratur & manducatur. Nec enim figura aut umbra carnis adoratur, ut quæ non sit scabellum pedum ejus, sed caro ipsissima,

XX. Quintò ex Christi caro comeditur & immolatur verè à nobis, quæ ad Dei dexteram sedet.

Quintò, idem efficiunt illa Christi verba ibidem: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.* His enim non præsentissimæ carnis veritas extenuatur, sed spiritalis amplificatur majestas. Nam caro quæ cœlos conscensura, quæ Patri Deo consessura est aliquando, illa talis & tanta, non infirmitatis suspicionibus lacessenda, non servitutis corporum legibus fatiganda est, sed tanquam Verbi caro, tanquam Verbum caro, tanquam spiritus & vita per inhospitantis plenitudinem divinitatis, divina quædam omnipotentiæ & immensitatis privilegia tam in terreno permittenda est usurpare sacramento, quàm in cœlesti paternæ majestatis solio. Quæ usque adeo Verbum ipsum est, ut paternæ tanquam Verbum ipsum assideat dexteræ, non jam ut caro, quanquam vera caro, sed ut Verbum ipsum, ut spiritus, ut vita æterna cogitanda & commendanda est. Quæ usque adeo spiritalis est, ut sedat in proprio & sempiterno solio Verbi, hoc est, in summo culmine veritatis, in fastigio sapientiæ intelligibilis: etsi vera caro sit, tanquam spiritalis esca, tanquam vita animarum æstimanda deinceps est, nec angustiis ullius loci vincienda. Quæ denique corporum infirmitatis & servitutis locorum victrix, aereum tranatura est hoc pelagus sua unius ope, & in cœlorum verticem devolatura, absolvenda semel nobis est à vinculo omni, quo cætera corpora suis quæque locis astringuntur. Itaque his paucis Christi verbis multiplex machina contenditur adversus infidelium tergiversationes. Augustinus: *Hoc vos scandalizat? Putastis quia de hoc corpore quod videtis, partes facturus sum, & membra concisurus, & vobis daturus? Quid si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Certè qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo & de corpore ac de sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem, & tam magnam breviter solvit de sua integritate quæstionem. Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt: esuriant & sitiant: vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici est: sed sic reficeris, ut non deficiat, unde reficeris: illud bibere, quid est nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita unicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur.* Necessaria enim præsumptione carnem in Verbi solio, in summo veritatis & sapientiæ culmine substantivè supra omnia corpora collocatam, non aliud interpretari possumus, quàm vitam sapientiæ indefectibilem fore, nec si manducetur, consumptum iri, nec si nos reficiat, defecturam. Nam si vita spiritalis non esset, non in illud vitæ pelagus abriperetur; si vita spiritalis non esset, in vitæ divinæ solio non regnaret; si vita spiritalis à corporum locorumque nexibus libera non esset, non supra omnia loca, & corpora, in apicem spiritalibus quoque substantiis inaccessum aveheretur. Ergo carnem illam esuriamus, ut vitam in Patris sede regnantem, inde ad nos rutilantem, & nihil angemur locorum scrupulositate.

De verb. Apost. serm. 2.

XXI. Sextò sacrificium Eucharistiæ & precum idē est.

Sextò, hinc sacrificium Ecclesiæ etiam spiritale est, & pura solaque prece Deo litat. Quia orationi & precibus non obstrepit, sed mirandum in modum suffragatur Verbum etiam incarnatum, & caro Verbi, Verbi Spiritum tanquam precum flammam jugiter expirans. Tertullianus: *In omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum, gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni.* Rectè in omni loco, quia spiritale sacrificium precis est: & caro ipsa Christi interpellatio est pro nobis ad Patrem: orat dum apparet: interpellat dum se sistit: propitiatio denique est pro peccatis nostris. Et infrà: *In omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum, scilicet simplex oratio de conscientia*

L. 3. adv. Marc.

Ibid. l. 4.

tia pura. Et rursus ibidem: *Intellexerat veram se Deo omnipotenti oblationem, gratiarum scilicet actionem, apud verum templum & verum Pontificem ejus Christum facere debere*. Et ad Scapulam: *Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius: sed quomodo præcipit Deus, pura prece. Non enim eget Deus conditor universitatis, odoris, aut sanguinis alicujus. Hæc enim dæmoniorum pabula sunt*. Nidore & cruore pecorum pascuntur Dæmones: prece autem & charitate hominis vitam sanguinemque in tuenda & proseminanda omnem in orbem veritate prodigentis, pascitur Deus: charitate hac inquam, non sanguine; charitate sanguinem suum veritati libante, non sanguine. Hoc enim sacrificium est meræ charitatis & puræ precis, spiritale adeo, quo spiritus & veritas oblectetur Deus. Non itaque Gentilibus fucum faciebant antesignani illi Ecclesiæ vindices, non imponebant, cum pura nos prece sacrificare tam constanter profitebantur, etsi in panis & vini sacramento Christi corpus immolari alibi contestentur. Nam puriori prece Deo litat, qui se totum, qui Christum cum sua prece illi mactat spiritali charitate, quàm qui inani oratione quasi perfunctorium offert sacrificium. Cyprianus: *Quomodo putat manum suam transferri posse ad Dei sacrificium, & precem Domini, quæ captiva fuerit sacrilegio?* Lactantius Gentilium ipsorum calculis philosophicis hæc astruit: *Deo utrumque (donum & sacrificium) incorporale offerendum est, quo utitur. Donum est integritas animi, laus & hymnus. Si enim Deus non videtur, ergo his rebus coli debet, quæ non videntur. Nulla igitur alia religio est vera, nisi quæ virtute ac justitia constat, &c. Nos gratias agentes, adoremus. Hujus enim sacrificium, sola benedictio. Et rectè. Verbo enim sacrificari oportet Deo, siquidem Deus Verbum est, ut ipse confessus est. Summus igitur colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio*. Pulcherrimè id quidem. At ut pura nihilo seciùs oratio est, qua animus fervet & ipsum corpus rapit, verbisque sensa animi sui Deo eloquitur; ita si pro sonis transeuntibus, carnem suam ipsam, spiritalis precis explicatricem assumat Christus, puræ precis hoc erit sacrificium. Bernardus in Sententiis: *Quadripartitum est officium sacerdotale: vivam carnis hostiam immolare, quod Leviticum est; virtutum charismata Deo offerre, quod est incendere aromata, & filiorum Aaron est; cum fervore martyrii cœlum intrare, quod est introire cum sanguine in sancta sanctorum; gratiæ & precum vota cœlo transfundere, quod est panem & vinum Deo offerre*.

L. 1. Epist. 7.

L. 6. c. 25.

CAPUT XXXI.

Mortale an immortale consecraverit Christus corpus suum, inquiritur: ut ut sit, immortalitatis tamen escam esse Eucharistiam indubium est, eaque resurrectionem nostris in corporibus præseminari, unde & immortalis & cœlestis hæc hostia est, & spiritalis, nec uni loco alligata.

I. Ivonis Carnotensis conjecturæ, ut corpus suū Christus passibile primò consecrarit.

PUlsatus hac quæstione olim fuit ab Haimerico Abbate Aquitanensi Ivo Carnotensis, an *Christus in cœna, quam fecit cum discipulis ante passionem suam, dederit eis corpus suum passibile, cum nos illud de mensa altaris accipiamus impassibile?* Epistola ejus argumenti scripta respondit Ivo, videri sibi & rationis & authoritatis momenta graviora eò inclinare, ut passibile quale tunc erat, dederit; cùm impræsentiarum impassibile, quale nunc est, accipiamus. Primùm quidem quia proclivior fides est, ut quale jam est, accipiatur corpus, quàm ut quale nondum est, anticipetur. Deinde imminent nobis verba ipsa Christi: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: passibile ergo est, quod tradetur: mortalis item sanguis, *qui pro vobis & pro multis effundetur*. Tertiò, ait Christus, *Hoc facite in meam commemorationem*, quod interpretatur Paulus, *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. At monumentum Christi mortis magis consentaneum est passibile, quàm impassibile corpus ejus. Quartò, nunc quidem aditæ, exantlatæ & superatæ mortis memoriæ suffragatur impassibile corpus: at tunc oppetendæ adhuc mortis argumentum in impassibili corpore parum apposité collocatum fuisset. Hæc eo loci rationum capita cursim perstringit Ivo, tandemque monet satagendum magis esse, qua fame esuriatur, & quo fructu edatur corpus Christi, quàm qua forma specieve.

II. Conjecturæ Hugonis Victorini, ut immortale. L. 1. de Sacr. p. 8. c. 3.

Pertractat hanc eandem quæstionem Hugo Victorinus, & primùm quidem in ambiguo hærere videtur, tutioremque existimat eum, *qui non dicit, mortale dedit, ne videatur dicere contra sacramenti dignitatem: nec dicit, immortale dedit, ne videatur credere contra eam, quæ in Christo ante resurrectionem fuit, mortalis corporis veritatem. Propter hoc fortassis melius est, ut neutrum definire præsumamus, quamvis tamen alterum fuisse credamus. Sic itaque non dicatur, hoc vel hoc fuit, quamvis tamen credatur, quod alterum fuit*. Addit autem, si alterutri sententiæ accedendum sit, eò se magis propendere, ut impassibile corpus suum discipulis tradiderit: idque conjecturis firmat istiusmodi. Primò quidem, passibilis erat Christus non necessitate, sed voluntate; quocirca passibilitatem corporis sui nonnunquam, ubi libuit & quantum libuit, ex parte saltem excussit, & impassibilitatem cum mortalis adhuc erat, anticipavit. Itaque teneri se aliquando ab inimicis passus est, & in abruptum montis supercilium quasi præcipitandum proripi, tumque ineffabili potestate elapsus, *Transiens per medium illorum ibat*. Hæc citra dubium est immortalitatis occupatio aliquanta, quanta tum collibuit mortali adhuc. Quin ergo & in sacramento majorem, & si visum fuerit, omnimodam invadere præceperit? *Ut ostenderet se quidem mortalem esse, sustinuit ut teneretur: & ut iterum demonstraret quod voluntate, non necessitate mortalitatem & passibilitatem ferebat, non sustinuit ut præcipitaretur. Cum esset ducendus, teneri se patienter tolerabat: cum autem esset præcipitandus, potenter per medium illorum transibat. Quando voluit tenebatur, & quando voluit non tenebatur. Quantum voluit & quando voluit, naturam mortalitatis admisit: quantum autem eam sustinere noluit, & quando noluit, eandem à se potestate removit. Transiens inquit per medium illorum ibat*. Et paulò post idem Hugo: *Si ergo Christus naturam mortalitatis secundum rationem dispensationis divinæ, priusquam eam perenniter victurus exueret, secundum tempus aliquando ex parte deposuit, & iterum cum tempus postulabat, assumpsit: quid mirum est si dicitur aliquando pro causa & ratione temporis secundum aliquid & totam deposuisse, in qua tamen adhuc cum tempus postulabat, passurus fuit?* Itaque qui mortalitatem suam omnipotentis nutu voluntatis ad arbitrium suum dispensabat, qui eam ubicumque & quoties & quandiu collibescebat, modulabatur, & temperabat, potuit utique eam non per partes tantùm, ut alibi sæpiùs, sed totam penitus exuere, tametsi mortalis adhuc.

Secundò, & qui hanc sententiam aversantur, in eam tamen relabuntur inopini & reluctantes. Assentiuntur enim & ipsi Christum qui in conspicua corporis sui specie & videri, & tangi, & teneri, & vulnerari, & occidi, minutatimque concidi poterat; eundem in sacramento invisibilem, incontrectabilem, impervium, invulnerabilem, indissecabilemque extitisse. Ergone quod hìc visibile, illic invisibile corpus fuisse profitentur, illic tractabile, hìc inaccessum, illic vulneri mortique patens, hic impervium, non pari jure potuit

tuit idem illic mortale, hic immortale & incorruptibile esse?

Tertiò, sed illa ipsa quam inficiari non possunt invisibilitas corporis Christi in sacramento, & insecabilitas, illa spiritalitas, qua totum in qualibet panis vinique specierum particula continetur, qua violari nulla vi, nullo vulneris, nullo mortis incursu vel leviter saltem perstringi potest, nonne permagna hæc est præsumptæ immortalitatis portio? Ergo nec ipsi tergiversari possunt, quin cum mortalis adhuc omnino esset, corpori tamen suo quod sacris inserebat mysteriorum involucris, complura immortalitatis contulerit ornamenta. Quorsum autem immortalitatem dimidiare, aut decurtare? Audi Hugonem: *Si ergo hoc esse potuit, ut ipse seipsum manibus gestaret, & discipulis sine corruptione sui edendum distribueret: & tamen ipse qui dedit & qui dabatur, qui portavit & qui portabatur, idem esset: quid mirum est si dicitur, quod ipse in eo quod dabat, mortalis fuit, & in eo quod dabatur, immortalis fuit: & tamen ipse qui mortalis dabat, & qui immortalis dabatur, non duo, sed unus ipse fuit? Quomodo immortalis non dabatur, qui invisibiliter sumebatur, & incorruptibiliter manducabatur? Invisibiliter sumebatur, quantum ad formam dico propriam corporis sui, non quantum ad speciem sacramenti sui.* Et paulò post: *Si in eo quod dabat, tenebatur & crucifigebatur; & in eo quod dabatur, frangebatur & non dividebatur, edebatur & non corrumpebatur; quid miraris si in eo quod dabat, mortalis dicitur; in eo quod dabatur, immortalis & impassibilis fuisse prædicatur.* Ita ille.

III. Conjecturæ Algeri in eandé sententiam. L. 1. c. 9.

Delibavit & hanc controversiam Algerus, & in eandem præceps ivit sententiam, quam & his fulsit conjecturis.

Quartò, & cum mortalitatis adhuc in curriculo versaretur Christus, in transfiguratione sua immortalitatem præcerpsit: & cum ad immortalitatis metam pertigisset redux ab inferis, mortalitatis quas voluit, retinuit, quas voluit, revocavit proprietates; nam & vulnera reliquiæ sunt mortalitatis: & palpari, atque comedere, nonnisi mortali corpori familiaria sunt. Ergo qui ad nutum suum ita mortalitatis & immortalitatis insignia commiscuit, induit, & exuit, prævertit, & reduxit: is potuit utique visibiliter mortalis, invisibilem sacramento aliquo suo præmaturare sibi immortalitatem. *Sed non est mirum si ille qui ante passionem transfiguravit se in tale corpus, quale post resurrectionem habiturus erat: & post resurrectionem ostendit corpus suum vulneratum & palpabile, quale ante passionem habuerat; ita immortale dederit corpus suum in sacramento, quod erat moriturum, sicut post resurrectionem idem corpus suum quod erat invulnerabile, ostendit vulneratum. Sicut hoc, sic & illud divinæ potentiæ ascribatur. Divina enim operatio, ut ait beatus Gregorius, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Quintò, spiritalem animarum escam carnem suam porrexit discipulis suis Christus. Et sanè caro ejus in sacramento oblata, tanquam spiritalis esca, nec violari morsu, nec esu consumi potuit: sic reficiebat, ut non deficeret: sic tota singulos pascebat, ut omnibus sufficeret: istiusmodi enim est spiritalis esca: istiusmodi jam tum fuit caro Christi in sacramento. Quis autem non intelligat hæc esse immortalitatis & incorruptibilitatis propria consectaria? Pergamus cum Algero: *Qui ergo duplici forma, humana scilicet & sacramentali, præsentem se exhibuit quasi alterum, cum omnino idem esset; & comedendum se distribuit, cum vivus & integer permaneret: nonne in illo sacramento se incorruptibilem & immortalem præbuisse credendus est, in quo nec morsibus attritus corrumpi, nec comestione tot hominum devoratus potuit occidi?* Nonnisi immortalis caro accommodata fuisset ad innoxiam illam sui distributionem, quam spiritalis animarum saginatio desiderat.

IV. Idem aliis conjecturis fulcitur ex Paschasio, Pseudo-Cypriano, & Petro Clun.

Sextò, ut ex aliis etiam Patribus cursim excerpam quæ illi sententiæ illuminandæ conducere possint; est planè Eucharistia cibus immortalitatis non in animam tantùm, cui & nobiliorem æternat vitam, sed & in corpus propagandæ. Ita Christus ipse oraculo vocis deificæ effatus est, *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quo eodem capite Joannis sexto commendandæ Eucharistiæ dicato ter & quater resuscitationem à se faciendam despondet. Caro ergo Christi quæ sacramento inclusa est eo consilio, ut per eam resurrectio & immortalitas quasi in antecessum in ipsis etiam corporibus præseminaretur, an ipsa mortalis adhuc erat? An caro mortalis semen erat immortalitatis? An caro nequedum resurrectionem consecuta, pignus erat idoneum desponsæ resurrectionis? Quin omnis hinc potius spes esset exufflata adipiscendæ immortalitatis, si eam nisi mortali corpore oppignerare atque sancire nequiisset Christus. Paschasius Radbertus: *Non sicut quidam volunt, anima sola hoc mysterio pascitur, quia non sola redimitur morte Christi & salvatur: verum etiam & caro nostra per hoc ad immortalitatem & incorruptionem reparatur. Carni quidem caro spiritualiter convisceratа transformatur, ut & Christi substantia in nostra carne inveniatur, sicut & ipsum nostram constat in suam adsumpsisse deitatem.* Cap. 19. Et paulò post eadem Christi verba allegans ex Joanne, *Deinde quod ad corpus pertinet, addidit: Ego resuscitabo eum in novissimo die; ut sicut integrè creatus est homo, ita quoque redemptus integrè prædicetur, ac deinde in novissimo ad integrum reparandus credatur.* Nec non & Pseudo-Cyprianus: Ser. de Cœna Domini. *Inconsumptibilem cibum Magister apponit discipulis, nec jam ad elaboráta impensis & arte convivia populi invitantur, sed immortalitatis alimonia datur, &c.* Cibus inconsumptibilis & alimonia immortalitatis gloriam præ se ferunt incorruptibilitatis. Unde & disertè Petrus Venerabilis in Epistola adversus hæreticos Petrobrusianos: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? sed non est durus, imo lenis & suavis sermo, quia et si hominis Christi caro comeditur, non tamen læsi aut detruncati, non imminuti aut mutilati, non nolentis neque dolentis, sed volentis & consulentis caro comeditur & sanguis bibitur, ipso juxta beati Apostoli Andreæ verba in suo regno integro, intacto, inviolato, immortali, incorruptibili, imo specioso, glorioso, adorando permanente, & mortales per jam immortale corpus suum ad eandem immortalitatem perducente.* Perducit ergo nos ad immortalitatem per jam immortale corpus suum.

V. Aliæ rursus conjecturæ ex Hilario, Optato, Gelasio Cyziceno.

Septimò, non aliud perpetuatur in Ecclesiæ regno perenni sacramentum corporis & sanguinis Christi, quàm quod ab ipso primùm conditum est & institutum. At immortali nunc corpore Christi vescimur, eoque ceu immortalitatis medicamento ad resurrectionem jam nunc imbuimur & præformamur: ergo & cum primùm à Christo consecratum est hoc sacramentum, immortali Christi carne & sanguine Apostolis futuram authoravit resurrectionem. Minùs enim simile veri est, non eam formam huic sacramento ab principe ejus authore Christo præfixam esse primùm, quæ in Ecclesia deinceps retinenda erat. Minùs simile veri est, non in vestigia Christi insistere Ecclesiam tam religiosè, ut tale à se consecrari hoc sacramentum optet, quale à Christo primùm est consecratum. Minùs simile veri est, immortale ab Ecclesia & gloriosus, mortale ab ipso Christo & adhuc inglorium Christi ipsius corpus confici. Minùs simile veri est, tale à Christo consecratum esse hoc sacramentum, quale nunquam deinceps consecrandum erat: & tale ab Ecclesia consecrari, quale nunquam à Christo consecratum est. Minùs simile veri

ri est, Apostolis primùm inseminatam esse spem resurrectionis per mortalis satum carnis & sanguinis, nobis deinceps omnibus per immortalis. Minùs simile veri est, si à mortali mortale tantùm tradi poterat corpus, & conducibilius erat immortali tradi vescendum: minùs inquam simile veri est, non expectatam fuisse resurrectionem Christi, & tum institutum hoc resurrectionis sacramentum. Resurrectionem suam quam huic sacramento insertam volebat, aut expectavit aut antevertit: non expectavit, ergo antevertit. Hilarius: *Quia*
Can. 9. in Matt. *omnes non credentes resurrexisse Christum, habituri non essent cibum vitæ. In fide enim resurrectionis sacramentum panis cœlestis accipitur.* Audin in fide resurrectionis sumi Eucharistiam? In hujus fidei auctoramentum instituta primùm est. Ergo jam tum insignia resurrectionis suo in gremio præ gestabat, non ergo mortale, sed immortale Christi corpus. Ecquod enim argumentum ad fidem sanciendam resurrectionis in carne mortale? Et
Lib. 6. Optatus Milevitanus: *Altaria Dei in quibus vota populi & membra Christi portata sunt: quò Deus omnipotens invocatus sit: quò postulatus descendit Spiritus sanctus: unde à multis pignus salutis æternæ & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est.* Spes resurrectionis uberrima demetitur ab immortali Christi corpore: cavendum est, ne ea per nos spolientur Apostoli ipsi, tum vel maximè, cum refovenda atque inflammanda erat ea potissimùm, ut Christi resurrectione ne desperarent. Denique Gelasius Cysicenus in actis Con-
L. 2. cilii Nicæni: *Iterum etiam hic divinæ mensæ, ne humiliter intenti simus in propositum panem & poculum: sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra mensa agnum illum tollentem peccatum mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum: & pretiosum ipsius corpus & sanguinem verè sumentes, credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus.* Hæc profectò τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα, convenientius in incorruptibili quàm in corruptibili corpore initiata primò fuerunt.

V. Aliæ rurũ ex Irenæo. Octavò, sed resurrectionis semina spargit Eucharistia non quomodocumque, non perfunctoriè, quin imò physicè & substantivè, immortalem Christi carnem & sanguinem nostris infundendo corporibus & permiscendo, ita ut veluti fermentatione quadam, vincente eo quod melius est, corpora nostra in immortalitatem carnis Christi rapiantur. Ita enim comparata fuit tota Verbi temporalis ad nostram salutem gesta dispensatio, ut non arbitraria æstimatione, non extrinseca opinione, sed intima & substantiva immeatione, divina humanis, æterna temporalibus, mortalibus immortalia infunderentur, atque ita physicè & substantivè imbueretur humanitas deitate, mortalitas immortalitate. Sic Verbi Deitas incorruptibilis infudit se hypostaticè in humanitatem: sic ergo & hæc humanitas physicè commiscenda ac fermentanda fuit cum electorum corporibus, ut suam illi afflaret & in venas medullasque interiores inspiraret immortalitatem. Irenæus: *Quomodo di-*
L. 4. c. 34. *cunt carnem in corruptionem devenire & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendi quæ prædicta sunt. Nostra autem consona est sententia Eucharistiæ; & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram, &c. Quemadmodum enim qui est è terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.*

VII. Chrysostomus eidem argumentationi suffraga-
Ex Chrys. In Epist. 1. ad Cor. h. 24. tor est: *Neque solummodo corpus suum dedit, sed quoniam prior carnis natura è terra ficta, à peccato prius morte erat affecta, & vita privata, aliam ut ita dicam, massam & fermentum induxit: suam carnem, quæ natura quidem erat eadem, à peccato autem libera & vita plena: & dedit eam omnibus participandam, ut ea nutriti, & priori quæ erat mortua, deposita, per hanc mensam in vitam immortalem contemperaremur.* Est itaque caro Christi in sacramento, tanquam μάζα ἢ ζύμη, ut per eam in vitam immortalem ἀνακερασθῶμεν. An potest mortalis caro fermentum esse immortalitatis? An physicè commixti & fermentati in unam massam cum corpore corruptibili incorruptibilitatem adipiscemur?

VIII. Ex Gregor. Nysseno. Orat. Catech. c. 37. Gregorius Nyssenus omnium luculentissimè & planè suo more: *Ergo anima quidem cum ipso contemperata per fidem, hinc salutis habet occasionem. Nam unio cum vita vitæ habet societatem. Corpus autem alio modo venit ad participationem & commixtionem cum eo quod dat salutem. Quomodo enim qui venenum sumpserunt, alio medicamento extinguunt vim exitialem: oportet autem sicut exitiale, ita salutare medicamentum admitti intra viscera, ut per illa distribuatur in universum corpus virtus salutaris. Ita cum id gustaverimus quod nostram dissolvit naturam, rursum necesse est ut opus habeamus eo, quod cogit ac conciliat id quod fuerat dissolutum: ut cum intra nos fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum quod corpori fuerat indutum, per contrariam repellat affectionem. Quid hoc ergo est? Nihil aliud quàm illud corpus quod & morte potentius ostensum est, & nostræ vitæ fuit initium. Quomodo enim parum fermenti, ut dicit Apostolus, totam sibi assimilat conspersionem: ita corpus sub Deo morte affectum, cùm fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat & transfert. Quemadmodum enim cum quod est exitiale, mistum fuerit cum sano, quidquid est contemperatum, simul redditur inutile: ita etiam corpus immortale cum fuerit intra eum qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam. Sed fieri non potest ut sit aliquid aliter intra corpus, nisi per escam & potionem misceatur visceribus.* Neminem non oblectabit ista tantæ pulchritudinis prolixitas. Quid enim usquam elegantius, quid explicatius ad Eucharistiæ majestatem, quid ad nostram hanc quam molimur argumentationem expressius?

IX. Ex Cyrillo. In Evan. Jo. L. 4. pag. 324 L. 3. pag. 324 Cyrillus autem Alexandrinus hoc dogmate nullam non paginam refersit: *Vivificat igitur sanctum Christi corpus eos in quibus fuerit, & in incorruptionem conservat nostris commixtum corporibus. Corpus enim non alterius cujusdam, sed ipsius vitæ secundùm naturam intelligitur, totam habens in seipso uniti Verbi virtutem, & eadem ut ita dicam qualitate præditum; imò verò ejus vi & efficacia repletum, per quam omnia vivificantur & in suo esse conservantur.* Et rursus idem alibi: *Manducamus*
L. 4. adv. Nesto. *autem nos, non quod ipsam divinitatem consumamus; apage ab ista impietate. Sed illam propriam Verbi carnem jam vivificam effectam, quia ejus facta est qui propter Patrem vivit. Quemadmodum verò vivificum est illud ipsius Verbi corpus, quod sibi proprium fecit per veram unionem, quæ & intelligentiam & sermonem superat; sic nos quoque qui illius sanctæ carnis & sanguinis ejus participatione fruimur, omnino vivificamur, cùm in nobis maneat Verbum, non solùm divino modo per sanctum Spiritum, sed etiam humano per sanctam illam carnem pretiosumque ejus sanguinem.* Cùm ergo satu carnis suæ resurrectionem præstruere vellet Christus, cùm sanguinem suum in immortalitatis poculum propinaret, præsumpsit ipse sibi resurrectionem. Nec enim mortali semine seritur immortalitas, nec corruptibili fermento nostris corporibus infuso incorruptibilitas inspiraretur: nec satis pulchra spes affulgeret vitæ æternæ per Verbi carnem à Verbo ad nos trajiciendæ, quam necdum suæ ipsi carni Verbum accelerasset.

Nonò, nos non præterit etiamtum vivificam extitisse

X. Novæ rursū conjecturæ ex Cyrillo. titisse carnem Christi, cùm mortalitatis adhuc injurias, cùm crucem, cùm mortem exantlaret: etenim Verbi, id est vitæ substantivæ, primigeniæ, incorruptæ caro erat, vitamque qua perunctà & perfusa penitissimè ac exuberantissimè erat, undique spargebat: voce, tactu, morbos fugabat & mortes: in vestium denique limbos usque vivificas effundebat vires. At mortali carne nonnisi mortalem expirabat vitam: itaque sanabat ægros, ægritudini rursum obnoxios: excitabat etiam mortuos, sed rursus mortem subituros. Nusquam mortalis plenam contulit immortalitatem. At in sacramento quo de agimus, non vitam resarcit mortalem, sed redintegrat immortalem: non ergo in sacramento mortalis delituit caro Christi. Cyrillus corpus Christi vita fœtum & exundans ex Verbi consortio ita primùm declarat fuisse, etiam dum mortalitati subesset: *Vita enim est secundùm naturam,* In Joan. l. 4. pag. 361. *in quantum ex vivente Patre genitus est: sed nihilominus etiam sanctum ejus corpus conjunctum aliquo modo & Verbo omnia vivificanti ineffabiliter unitum, idcirco ejus esse reputatur, & velut unum cum ipso censetur, &c. Et quoniam vivifica facta est caro Salvatoris, utpote vitæ secundum naturam, Verbo nimirum divino unita, cum illam degustabimus, tunc vitam habebimus in nobis.* Deinde exempla congerit vitæ per Christi carnem adhuc mortalem restitutæ, sed obnoxiæ adhuc & iterata morte rursus amputandæ: *Hanc eum ob causam etiam in suscitandis mortuis non verbis tantùm & nutu divino Salvatorem operatum esse comperimus, sed carnem suam quasi cooperatricem ad hoc potissimum adhibuisse, ut ostenderet illam vivificare posse, ac velut unum quid cum illo jam factam esse. Enimverò proprium ejus est nec alterius corpus. Unde cum principis Synagogæ filiam suscitavit, dicens, Filia surge: apprehendit manum ejus, ut scriptum est: eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam esse & cognatam ostendit utriusque energiam.* Sed ab Eucharistiæ esu beneficia defluere vitæ incorruptione, statim ita demonstrat: *Quod si solo tactu sanctæ carnis, id quod corruptum est, vivificatur, quomodo non opulentiorem lucrabimur vivificam illam Eulogiam, cum eam quoque degustabimus? In suum enim ipsius bonum, hoc est, in immortalitatem, nos qui participes ejus fuerimus, omnino transformabit.* Neque enim consentaneum est, ut immortalitatis seminarium in carne mortali adhuc collocetur. Alienum est, ut per carnem adhuc mortalem Verbum Deus immortalitatem ad nos trajiciat. Præposterum est, ut quam nequedum carni suæ afflaverit incorruptionem, eam per eandem carnem suam ad nos diffundat. Morbos abigebat carnis suæ tactu, quæ morbis omnibus inexpugnabilis, intacta & inaccessa fuerat: ergo mortem non exegit penitus, nisi gustu carnis suæ, quæ mortem profligare jam præmaturasset.

XI. Ex eodem. Decimò quanquam vitæ & divinitatis plenitudine dotaverit carnem suam Deus Verbum in ipso statim ejus exortu, pleniorem tamen vitæ copiam illi tum infudit, ac velut inundavit, cum eam è tumulo redivivam excitavit. Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ergo dominata quadantenus fuerat antè mors carni illi vivificæ: ergo nequedum victricem & inexpugnabilem vitæ immortalis arcem occupaverat. Vivacior ego & victricior invictiorque vita ejus fuit post resurrectionem. At his ita præstructis, jam perpendendum cuique permitto, cum primùm initiavit Christus panem vitæ, & æternæ vitæ: panem qui dat vitam mundo: quem quisque comederit, vivet in æternum, non morietur in æternum: quem qui gustaverit, non esuriet, non sitiet: panem quem qui comederit, resuscitabitur in novissimo die; panem denique eum initiavit, cui vitæ æternæ & immortalis fontem tam ambitiosè implicavit, nonne carnem suam huic pani inseruit jam immortalem, & plenissima Verbi vita imbutam? Ut quid enim vitalem panem carnemque suam venditabat, si à vitæ plenitudine caro ejus adhuc tantoperè deficiebat? Ut quid æternæ vitæ & nunquam intermoriturae scaturiginem locabat & dedicabat primùm in carne sua, nequedum summam vitæ copiam nacta? Et hic fortasse sensus est horum Christi verborum, Eucharistiam collaudantis: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Spiritum hic carnem Christi ipsam intelligit interpretum flos delibatus Cyrillus. At spiritus caro tum jure dici potest, cum per resurrectionem expiata & defœcata in spiritale corpus est. *Si sola seorsim corporis natura intelligatur, non erit utique vivifica: nulla enim planè res creata vivificat: sed ipsa potius à quo vivificari possit, indiget. Si autem incarnationis mysterium propius expendatur, & quis ille sit qui habitat in carne hac, perceperitis, credetis utique, nisi divino etiam Spiritui detrahitis, carnem vivificare posse, quamvis caro nihil ex seipsa prodesse possit. Quia enim vivificanti Verbo unita est, idcirco facta est tota vivifica, ad potioris naturam evecta, &c. Licet igitur natura carnis per se vivificare nequeat, idipsum tamen præstat Verbum vivificum in se habens, & totam ejus efficacitatem proferens.* In Joan. l. 4. pag. 376. 377 Totam sanè efficacitatem & omnipotentiam Verbi vitæ profundi operæ pretium est, ut mortalibus corporibus insufflentur semina vitæ immortalis, quæ nec interitu mortis intereant, nec corruptionis tabo computrescant, nec cinerum ventilatione dissipentur, nec tot sæculorum, dum resurrectio procrastinatur, interlabentium fluxu vanescant. Ut hanc omnipotentem Verbi efficacitatem, & fœcunditatem vitæ insuperabilis proferat ex se caro Christi, eam ipsa exundantissimè hauserit, necessum est, nec nisi per resurrectionem suam saltem anticipatam, ita largè hausit. Pergit Cyrillus: *Spiritum deinceps carnem suam nominat, ita tamen ut non propterea carnem esse neget, sed quia perfectè ei est unita, & totam ejus vivificam vim induit, idcirco spiritum quoque eam nominat.* Parum tempestivè spiritus vocitaretur caro ægra adhuc & mortalis: parum consentaneè fons immortalitatis locaretur in carne gestante adhuc similitudinem carnis peccati: parum appositè reformaret corpus humilitatis nostræ, nisi ut ait Apostolus, configurando illud corpori claritatis suæ.

XII. Iterum ex Cyrillo. In Joan. l. 11. p. 1104. 1105. Undecimò, patrocinantur huic sententiæ ea Christi verba & Apostoli, quæ in contrariæ munimentum detorquebantur. Nam cum ait Christus, *Hoc facite in meam commemorationem*: memorari non modò mortem, sed & resurrectionem suam hoc perenni monumento præcepit. Audiamus Cyrillum: *Permittit & dat sanctam carnem suam tangendam. Accedimus enim secundùm Dei gratiam ad participationem Eulogiæ mysticæ, Christum in manus suscipientes, ut & nos firmiter credamus eum templum suum verè excitasse. Quod enim communio mysticæ Eulogiæ confessio quædam sit resurrectionis dominicæ, facilè patebit ex iis quæ ipse dixit, cum mysterii typum per seipsum perageret. Nam cum panem fregisset, ut scriptum est, distribuit dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem. Sanctorum itaque mysteriorum participatio, confessio quædam vera est, atque commemoratio Dominum mortuum esse, & revixisse propter nos, & pro nobis.* Itaque his Christi verbis etiam resurrectio commemoranda mandatur. Nec mirum si mortis & resurrectionis idem monumentum constituitur, quando & in redivivo corpore suo Christus mortis adhuc vestigia, vulnerumque hiatus & cicatrices gestat gestabitque. Accommodatius autem est, ut in immortali corpore aliqua supersint mortis prius aditæ vestigia, quàm ut in mortali carne resurrectionis insignia designantur.

Prom-

Promptiora sunt autem verba Pauli: *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat*: Nam venturi cum tota beatæ immortalitatis pompa Christi mortem meminisse, quid aliud est quàm resurrectionis ejus gloriam refricare, & ad resuscitandos nosmet adventanti quasi obviare?

Et vel Apostoli vel Christi extrema verba & novissima, unde mendicare elucidamenti quidpiam possunt, quàm ex prolixa Christi ipsius & enucleatissima dissertatione apud Joannem, ubi mortis memoriam in sacro pane collocatum iri vix semel memorat; at vitam, resurrectionem, immortalitatem, inediæ, famisque exilium verbis propè singulis personat. Cyrillus: *Qui ad me venit, non esuriet unquam: qui in me credit, non sitiet unquam. Quidnam ergo Christus pollicetur? Nihil quidem corruptibile, sed Eulogiam potius illam, quæ est in participatione sanctæ carnis & sanguinis, quæ integrum hominem ad incorruptionem revocat, ita ut nullo eorum indigeat, quæ mortem arcent à corpore, cibo nimirum & potu*. Num nam caro adhuc mortalis, potus cibique subsidiis sustentanda adhuc, ne inedia & siti in mortem fatisceret, sui aspersione præstitisset expeditam ab hac indigentia immortalitatem?

Cap. 6.

In Joan. l. 3. Pag. 424.

Ibid. l. 10. pag. 863.

Et rursus idem Cyrillus: *Nisi manducaveritis, &c. non habebitis vitam in vobis: Qui manducat, &c. habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Æterna vita jure censebitur caro vitæ, id est, unigeniti. Hæc verò quo pacto nos in extrema die suscitet, audies tu quidem, ego referre non gravabor. Postquam facta est caro vitæ, hoc est Verbi quod ex Deo & Patre effulsit, ad vitæ vim transiit, nec fieri potest ut à morte vita vincatur. Quandoquidem ergo facta est in nobis vita, vincula mortis nequaquam patietur, &c.* Et paulò suprà: *Ut enim siquis ceram ceræ inductam, igne simul liquaverit, unum quid ex ambobus efficit: ita per corpus Christi & pretiosi sanguinis participationem, ipse quidem in nobis, nos autem in eo rursus unimur. Nec enim aliter vivificari potest, quod natura sua est corruptibile, quàm si corporaliter sit unitum corpori ejus, qui secundum naturam suam est vita, hoc est, unigeniti*. Ex quo patet vitam vocari à Christo mortales excitaturam in immortalitatem, carnem ipsam suam in sacramento delitescentem: ergo & ipsam immortalem.

XIII. Novæ conjecturæ ex Augustino.

Duodecimò, perfectimum sacrificium est Deo offerendum, ex mortuis resurrectio; ut supra patefecimus. Item Sacerdos post resurrectionem suam Christus tum maximè in scripturis & sanctorum Patrum commentariis celebratur, ut supra declaratum est. Item Sacerdos Christus post resurrectionem demum suam secundùm ordinem Melchisedech in Psalmo nono prædicari demonstratus supra est. Denique sacrificium & sacerdotium Christi æternum in cœlis nunc potissimùm peragitur ab eo in Sancta Sanctorum ingresso, & excelsiore cœlis facto, & sedente ad dexteram majestatis in excelsis, ut ex Paulo Apostolo prolixiùs alibi argumentati sumus. Ergo Eucharistia cum primùm consecrabatur in æternum Christi sacrificium, cum in Melchisedecici sacerdotii victimam præstituebatur, cum in cœlestis sacrificii portionem condebatur in terras usque porrectam, recens à resurrectione aut præfestinatæ anticipatæque resurrectionis compos Christi corpus complectebatur. Quod enim mortuus est Christus, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo; quapropter vita mortalis immolari semel potuit, at vita immortalis ex morte redux, jam beatiore sacrificio in æternum immolatur. Una, ut ait Apostolus, oblatio facta est, corporis mortalis; apparet autem nunc in sempiternum vultui Dei pro nobis; & ita apparere, ut supra ostensum, hoc verò interpellare est, & sacrificare. Opportunior ergo est æternitati sacrificii immortalitas; & sacrificium est ipsa immortalitas, quo absorbetur mors in victoriam, quo charitas æstuantissima ipsa est æterna vita, & ipsa suis se ignibus æternum Deo adolet holocaustum. Esse autem Eucharistiam idem sacrificium immortalis vitæ, quod sancti & beati omnes Deo æternum offerunt, offerentve ex mortuis excitati, tum ex superioribus patuit, tum ex hoc maximè Christi verbo elucescit, *Non bibam de hoc genimine vitis donec bibam illud novum in regno Patris mei*. Eo enim idem esse testificatus est cœli & Eucharistiæ convivium, idem sacrificium. Idem ergo etiam fuit ubi primò conditum est. Augustinus: *Quid ergo? Quia holocaustis non delectatur Deus, non accipit sacrificium, & sine sacrificio placatur? Si nullum sacrificium est, nullus sacerdos est. Si autem habemus sacerdotem in cœlis, qui pro nobis interpellat Patrem: intravit enim in Sancta Sanctorum in interiora veli, quo non intravit sacerdos in figura, nisi semel in anno, sicut & Dominus in toto tempore semel oblatus est: ipse obtulit se, ipse sacerdos, ipse victima, & intravit in Sancta Sanctorum semel, & jam non morietur, nec mors ei ultra dominabitur. Securi simus quia habemus sacerdotem: ibi offeramus & hostiam*. Beatus & sempiternus sacerdos Christus post resurrectionem suam semet & nosmet in se omnes Deo perenniter & immortaliter immolat, & Eucharistiam tanquam beati illius superni sacrificii, & sacrificatæ Deo beatitudinis ampliatam huc usque portionem immolat. Idem Augustinus: *Piscis assus, Christus est passus: ipse est & panis qui de cœlo descendit: huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam: propter quod dictum est, Afferte de piscibus quos prendidistis nunc, ut omnes qui hanc spem gerimus per illum septenarium discipulorum numerum, per quem potest hoc loco nostra universitas intelligi figurata, tanto sacramento nos communicare nosœmus, & eidem beatitudini sociari*. Vides per sacramentum panis cœlestis, incorporari nos Christo ad participandam beatitudinem sempiternam, ut ejus beatitudini & immortalitati sociemur. Hæc igitur hostia est consummatæ fælicitatis quam hìc prælibamus, nusquam ergo & nunquam nisi in carne immortali.

In Psal. 125.

In Joan. tr. 113

XIV. Ex ex Paschasio rursum.

Decimò tertiò, ita Christus Eucharistiam in sempiternum Ecclesiæ suæ sacrificium condidit, ut ejus Sacerdos æternus & immortalis futurus ipsemet principaliter esset. At immortali immortalis & æterno æterna Sacerdoti victima designanda erat: cùm vel maximè idem ipse unus futurus esset Sacerdos victimæ suæ & sacerdotii sui victima. Ergo jam inde à primo sui exordio Eucharistia immortalem Christi carnem continebat. Quod autem Eucharistiæ sacrificii Antistes principalis sit Christus in immortali solio supernè regnans, vix cuiquam dubium esse potest, nisi in meridiano Christianorum mysteriorum splendore caliganti. Paschasius id egregiè evincit ex ipsis liturgiæ nostræ vocibus: *Nec intelligit miser, quod nunquam caro Christi, nisi de manu ejus & sublimi ara, ubi Christus Pontifex futurorum bonorum pro omnibus assistit, jure accipitur. Unde Sacerdos cum hæc incipit immolare, inter cætera, Jube, inquit, hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum divinæ majestatis tuæ. Et cogitas ò homo aliunde illud accipere, quàm de altari, ubi sublimius transpositum consecratur?* Offertur itaque, consecratur, distribuitur panis vitæ in invisibili sursum altari, à summo & immortali Pontifice Christo: utique immortalis victima Christus ipse. Et cum primùm in cœna hoc Christus sancivit sacrificium, non quod illi tempori quadraret, sancivit, sed quod Ecclesia sua posteris frequentaret sæculis, instituere antevertit. Ergo & jam tum immortalis fuit hæc hostia, quæ instruebatur venturis sæculis ab immortali & cœlesti Pontifice principaliter offerenda. Ibidem Paschasius: *Idcirco inter Angelorum frequentiam quam terribile sit indignè ad communionem accedere, debet quisque cogitare: imò*

Cap. 8.

imò quàm terribile sit ipsum corporis & sanguinis sacramentum, ubi plenissimè virtus Christi accipitur; & neque ab alio quàm ab ipso Christo Pontifice porrigitur, licèt visibilis Sacerdos assistere & singulis tribuere videatur. Et statim: *Quis enim carnem ipsius & sanguinem ab ipso jure percipit, cujus est caro?* Licèt ergo mortalis adhuc hoc sacrificium in cœna Christus instituerit, non mortali tamen tum sibi, sed immortali post in æternum Sacerdoti futuro victimam utique immortalem aptavit. Mortalis enim semel obtulit, aut ferè magis offerendam delineavit & designavit, quàm sempiternè immortalis offerret. An ergo contemperanda erat victima semel offerenti, aut non tam offerenti, quàm offerendam in posterum designanti? an potiùs in sempiternum oblaturo? Cùm Pontifex utique Melchisedecicus in immortali corpore sursum sessurus æternum esset, consentaneam tali Pontifici victimam & proinde immortalem statim temperavit. Idem Paschasius: *Unde & Sacerdos, Jube, inquit, hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ. Ut quid perferenda illuc ea deposci, nisi ut intelligatur, quod in ejus sacerdotio ista fiant? Ipse enim factus est Pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech, teste Apostolo, ad interpellandum pro nobis offerens semetipsum Deo Patri. Ad hoc quippe semel introivit in sancta, non in sanguine alieno, sed in proprio sanguine: unde non ab alio rectè percipitur quod proprium ejus est, sed ab ipso summo Pontifice: Neque ab alio caro ejus creatur & sanguis, nisi à quo creata est in utero Virginis, ut Verbum caro fieret. Verbo enim Patris dictum est, Crescite & multiplicamini & ecce adhuc hodie ex eo cuncta creantur animantia, non nova, sed ex eodem semine. Ita & caro Christi eodem verbo fit caro, quo Verbum caro factum est & habitavit in nobis.*

Ibid c. 12.

Ibid. c. 21. Non inscitè ab eodem Paschasio eo inflexa sunt quoque illa Christi verba, *Donec bibam illud novum in regno Patris mei.* Bibit enim illud novum nobiscum in regno, id est, in Ecclesia nunc, dum nobiscum & in nobis conviva ipse, & convivium idem est: dum hostia & Sacerdos est: at nunc immortalem carnem, immortalem sanguinem suum nobiscum & in nobis immolat, manducat, potat, novum nimirum seu resurrectione innovatum in incorruptibilitatem: ergo & jam tum cùm mortalis instrueret designaretque convivium, quod immortalis postea adiret & perpetuaret, immortale utique instruebat. *Ubi profectò Christus convivium & conviva noster simul esse voluit. Per hoc ergo quod nos corpus ejus sumus, de carne & ossibus ejus, ille nobiscum illud bibit novum in regno Patris, quia sanguis est novi Testamenti. Nos verò quia corpus ejus sumus, & ille in nobis ut caput regnat, regnum Patris jure vocamur. In quo nimirum Christus jam illud bibit novum, quoties fideles intra Ecclesiam dignè istud percipiunt. Sicut enim patitur, in suis, & esurit, & sitit, & vestitur, ac suscipitur, sic quoque bibit illud novum, in regno Patris, id est in, Ecclesia, quoties eum dignè sui aut comedimus, aut potamus.*

XV. Novæ rursum conjecturæ ex Cyrillo. Decimò quartò, nec illud huic adversatur dogmati, quod resurrectio omnium futura sit, non Eucharistiæ tantùm consortium, aut ejus gustu vel semel initiatorum, sed alienorum ab Ecclesia, extorrium à fide, ab omni Christi fama & sanctitate peregrinorum. Resurgent enim & impii, non in vitam, sed in mortem immortalem: & resurgent aliquo incarnati Verbis beneficio, in eos usque tam longè dissitos effuso: sed in dispendium vertet suo illis vitio, quod in beneficii loco collatum fuerat. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: & ex redundantia vitæ primigeniæ Verbi in assumptam humanitatem, in omnes ejusdem naturæ consanguineos stillæ istiusmodi defluent inextinctæ vivacitatis. At ex sacri panis degustatione asperguntur corpora nostra seminibus non vitæ immortaliter moriturae, sed immortalitatis & vitæ in æternum regnaturæ. Quo magis necessarium esse liquet, carnem tota Verbi vita & incorruptibilitate madidatam ac redundantem esse, quæ sanctitatis & beatitatis vitam incorruptibilem animabus nostris & per animas in corpora ipsa inspirat. Excerpta sunt hæc ex Cyrillo: *Quid ergo? Nonne omnis creaturæ, quæcumque in mortem lapsa est, revocabitur ad vitam? Ita sanè, resurget omnis caro. Suscitatum enim iri mortuos Propheta prænunciat. Ad omnem quippè humanitatem, illud per resurrectionem Christi mysterium pertinere statuimus, & in ipso ac primo nostram omnem naturam à corruptione esse liberatam credimus. Omnes enim resurgent juxta similitudinem ejus, qui propter nos excitatus est, & qui omnes, sicuti erat homo, in seipso continet. Et quemadmodum in primo Adam inclusi sumus in mortem, sic in eo rursum qui primogenitus est propter nos, à mortuis cuncti resurgent: sed qui bona quidem egerint, in resurrectionem vitæ, sicut scriptum est: qui verò mala egerint, in resurrectionem judicii. Resurgere verò ad pœnam & ad supplicia sola excitari, morte ipsa acerbiùs esse judico. Magis itaque propriè vita utique in Christo censenda est illa, quæ sanctitate, fœlicitate, atque perpetua animi voluptate constat. Nam & hanc veram esse vitam agnovit sapiens ille Joannes, dicens: Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam. Manifestum est igitur illam Sanctis paratam in gloria & sanctitate vitam, jure merito Salvatorem nuncupare, quam sectaturos eos qui ad sanctæ carnis participationem veniunt, nemo sanæ mentis ambigit.* Sanè ut mortalis adhuc Christus nonnullos à morte excitavit in vitam rursus morti mancipandam: at resurgens in immortalitatem beatam Christus alios secum unà exsuscitavit, in vitam nulla deinceps cum morte commutandam: ita ex Verbi vitæ in humanam naturam primo per incarnationem allapsu, qualiscumque vitæ perpetuitas omnibus conciliata est hominibus & resurrectio: at per ejusdem pleniorem exundationem vitæ in suam carnem à mortuis revocatam, & sacramento panis illigatam, beatiorem fidelibus suis indulget immortalis vitæ æternitatem. L. 4. pag. 354

XVI. Refellitur argumentum Ivonis Pro sententia contraria. Decimò quintò hoc potissimùm nititur præsidio signifer alterius sententiæ Ivo, quod simillimum veri sit, tale panis formæ insitum fuisse Christi corpus, quale tunc extra conspicabile erat. At hoc argumento nihil futilius, quod pace tanti viri pictum sit. Nam sepositâ mortalitatis vel immortalitatis Christi contemplatione, penes cætera complura quàm non tale, quàm sui dissimile hic & illic corpus Christi sit, quis non videt? Illic conspicuum est, hìc oculos fallit: illic contrectabile, hìc fuit manus; illic spatium loci implet, hic à loci servitute absolutum loco adest, non inest: illic toto corpore totum locum, & parte corporis partem loci implet: hic totum singulis etiam loci seu formæ panis partibus adest: illic insidiis & vulneribus patet, hic velut in inaccesso beatæ majestatis adyto tutum & invictum conquiescit. Et hæc discrimina quantopere exaggerari, atque accumulari possint, compertum nulli non est. An ergo tale consecratum est, quale extra videbatur? At verò ajes tale quantum ad immortalitatem vel mortalitatem. Hoc enimverò est, quod nunc controvertitur: non ergo id assumendum erat, sed probandum. Quin hoc potiùs desperandum erat. Nam si penes alia non constat hæc similitudo, quid causæ est quamobrem in sola mortalitate valeat? Quin & cætera dissimilitudine sublucet non obscurè quid de immortalitate conjectandum sit. Nam tota illa discrepantia corpori Christi invisibilis in sacramento & visibilis in externa tum specie, ad immortalitatem vergere, ejusque veluti præsultrix quædam esse videtur. Nam oculos fallere, sensus corporeos frustrare, locis imperitare, ubicum-

cumque libuerit protinus adesse, loco adesse, nec spatium replere, nullius patere irruentium corporum insidiis, nullis vulneribus aut telis, nulli intentatæ morti subesse, nonne hæc immortalitatis sunt ornamenta propria & individua? Ex hac ergo tam numerosa dissimilitudine non excipienda erat immortalitas, sed omnium evidentissimè auguranda. Denique usque adeo non tale corpus latet, quale foris tunc patebat, ut pronuntiaverit Augustinus: *Spiritaliter intelligite quod locutus sum: Non corpus quod videtis, manducaturi estis: & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent*, Quomodo non hoc corpus est, si non tantùm hoc idem substantia est, quod in confesso nobis omnibus est, sed etiam tale? Si nec substantia discrepat, nec qualitatum corollaria, eccur non hoc manducatur quod videtur? At si inexcogitabilis quædam qualitatum dissonantia illud quod conspicuum cernebatur, discriminat ab eo quod comedendum promittebatur, non injuria dixit Augustinus non hoc, id est, non tale manducatum iri quod videbatur. Usque adeo item non tale consecratum est corpus, quale extra patebat, ut dicat Hieronymus: *Dupliciter verò sanguis Chisti & caro intelligitur: spiritualis illa atque divina, de qua ipse dixit: Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus: &, Nisi manducaveritis carnem meam & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam æternam; vel caro & sanguis quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea*. Non erat quod illa & illa caro, ille & ille sanguis secerneretur, si idem & tale dandum erat quale cernebatur corpus. Non erat quod illa spiritalis & divina caro appellaretur, hæc crucifixa, si talis illa qualis est hæc. Eadem ergo carnis & sanguinis utrobique cùm sit substantia, adeo non talis hæc est qualis illa, ut illa crucifixa, hæc spiritalis & divina promittatur. Eccur autem spiritalis & divina, nisi quia à mortuis suscitata? Nam cùm caro non prosit quidquam, spiritus tamen vivificat, id est, non jam carnale, sed spiritale per resurrectionem corpus. Unde ibidem Hieronymus: *Juxta hanc divisionem & in sanctis ejus diversitas sanguinis & carnis accipitur, ut alia sit caro quæ visura est salutare Dei, alia caro & sanguis quæ regnum Dei non queunt possidere*. Et Augustinus alibi: *In cœlestibus nulla caro, sed corpora simplicia, & lucida, quæ appellat Apostolus spiritalia*. Et rursus: *Cum induerit incorruptionem & immortalitatem, jam non caro & sanguis erit, sed in corpus cœleste mutabitur*. Quanquam alibi agnoscat carnem etiam dici post resurrectionem, sed quæ adeo talis non sit, ut caro negari possit. Unde sanctus Leo: *Ut ipsa sit per essentiam & non ipsa sit per gloriam*.

In Psalm. 98

In c. 1. Epist. ad Ephes.

L. de fide, & Symb. c. 10. Con. Adimãtum. c. 12.

Serm. 1. de Resurrect.

XVII. Aliæ rursus conjecturæ ex Uvillelmo Parisien.

Decimò sextò, pluribus affuit locis corpus Christi, cùm primùm ab ipso Christo in panis & vini specie repræsentatum est: at pluribus simul interesse locis, & quomodocumque interesse, specimen hoc est & peculiare privilegium beatæ gloriæ & immortalitatis, ut prolixè disputat Guillelmus Parisiensis, & multis astruit argumentis. Ac 1. in animæ beatæ potestate est, ut splendorem, ita molem corporis sui cohibere, vel effundere, utcumque libuerit: *Si quis autem quærat, quomodo in tam parvo loco & sub tam parva forma illud gloriosum corpus, quod utique longè majoris est quantitatis, esse possit: Dicimus quod idem est ac si quæreretur, quare in tam obscuro loco corpus tantæ claritatis esse possit, loco remanente obscuro. Sicut enim in potestate habet claritatem suam non ostendere, & quo minus locum in quo est, lumine repleat, retinere; sic non incredibile est magnitudinem suam, ne locum illum repleat, vel occupet, ita ut aliud corpus secum non patiatur, retinere*.

De Sacram. Euch. c. 4.

2. Omnium Beatorum tanta est animæ fœlicitas, tam invicta & ineluctabilis potestas in corpus, ut illud statim in quocumque volet loco, & quocumque volet modo, sistat. Nec enim satis cumulata est animæ beatitas, nisi omnipotenter corpori suo principetur, ut illud loco cuicumque inferat, & illocaliter inferat. Nam si locorum & corporum statis alioqui legibus obnoxia sit illa animæ fœlicitas, ingloria sanè jejunaque erit fœlicitas. *Sed dicimus & piè credimus hanc esse gloriam omnium electorum, ut omnino liberæ voluntati eorum subjecta sint omni modo, non solum corpora ipsorum, sed etiam quæcumque sunt corporum, &c. Et hic effectus unus est dotis corporum glorificatorum, quæ nominatur agilitas, ex qua necesse est respondere agilitatem ipsius voluntati animæ glorificatæ. Ita ut sicut anima imperat ei modo moveri in statu miseriæ istius ad locum quem voluerit, ita in statu gloriæ imperet ei esse ubi voluerit. Alioquin non sibi invicem congruerent imperium voluntatis ipsius animæ, & obedientia agilitatis ipsius corporis*.

3. Si anima enim nunc ægra & effœta virium, exhaustaque calamitatibus, pollet tamen adhuc corpus suum uno alioqui infimoque loco degravandum sustollere, & exagitare huc illucque, & in loca etiam supera protrudere; quantò magis sana tunc & vegeta innovatum & à fæce purum corpus aget ineluctabiliter ad suum nutum? *Cùm non habeat corpus humanum naturaliter, nisi unum locum sibi proprium, & naturæ suæ congruum, videlicet infimum, quod est totius mundi medium sive centrum: præstantur tamen eidem corpori & acquiruntur per animam tot loca ei tam innaturalia, & à loco naturali ejusdem tam distantia. Si ergo nunc tantum potest humana naturaliter anima in corpus sibi conjunctum contra naturam ejusdem, & hoc pro sola voluntate, absque omni necessitate, vel utilitate: quanto fortius anima Christi pro summa necessitate & utilitate poterit in corpus suum contra naturam ipsius, quidquid eadem necessitas vel utilitas requisierit?*

4. Impassibilitas & spiritalitas corporis beata gloria delibuti, hanc à locis absolutionem necessariò invehunt. Sed cum corpori Christi ab ipsa Verbi Deitate vegetato hæc præstantur, omnia incunctanter & exuberantissimè præstantur. *Quid mirum si de consortio Deitatis huic sacratissimo corpori collatum est, ut simul possit esse in multis locis, licèt contra naturam suam: quemadmodum ipsa divinitas ubique per naturam suam est; cum eidem ex eodem consortio impassibilitas & penè spiritalis agilitas atque subtilitas collata sint contra naturam ipsius corporis?* Et paulò inferiùs: *Si glorificatione sua venerandum illud corpus adeo approximatum, adeo assimilatum spiritalibus nobilibusque substantiis, ut non solum illud, sed etiam omne aliud corpus glorificandum, spirituale nominare ausus fuerit Apostolus, dicens, Seminatur animale, surgit spiritale: assimilatum inquam impassibilitate, agilitate, subtilitate, assimilatum autem in remunerationem & gloriam proprium: multo ergo fortius assimilari debuit eisdem spiritalibus substantiis, in hoc uno, videlicet ut simul possit esse in multis locorum millibus*.

Annuit & Bernardus: *Tanta itaque futura credenda est corporum levitas & agilitas beatorum, ut possint si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem*. Serm. 4. in festo omnib. Sanct.

Annuit & author libri de spiritu & anima apud Augustinum: *Cum enim mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, tunc mente pariter & corpore spiritales effecti, secundum modulum nostrum: per mentis illuminationem omnia sciemus, & per corporis incorruptibilis levitatem, ubique esse poterimus. Volabimus mente per contemplationem, volabimus & corpore per incorruptionem*. Cap. 12

Annuit & Augustinus ipse: *Si dicamus ei nostra corpora interea esse nova victura, & in cœlo non* Ser. 147. de Tempora.

futura audacter & temerè, imo infideliter dicimus. Credere enim debemus talia corpora nos habituros, ut ubi velimus, quando voluerimus, ibi simus. Et infrà: *Pax ibi erit, pax perfecta ibi erit. Ubi volueris, eris, sed à Deo non recedes. Ubi volueris eris, sed quocumque jeris, Deum tuum habebis. De quo beatus eris, semper cum illo eris.* Quàm expedita enim & sequax erit anima ad Dei, tam erit caro ad animæ leges & nutus. Hæc ergo imitatio divinæ immensitatis, peculiaris est dos resurrectionis. Jam resurrexerat ergo omnipotenti acceleratione caro Christi, cùm primò mysteriis includebatur, & in omnia loca hoc eodem immensitatis privilegio spatiari poterat, utcumque vellet.

XVIII. Iterum ex eodem Uvillelmo. Decimò septimò, non ex beatitatis tantùm scatebra, sed ex ipso Deitatis fonte dimanavit in Christi corpus hæc spiritalitas æmula & imitatrix divinæ immensitatis. Sed non aliter irrigavit in beatum illud corpus immensitatis suæ prærogativas Deus Verbum, quàm ipsam beatitudioem & immortalitatem, cujus hæc insignia sunt, unà irrigando.

Volupe erit audire, quì ex Deitatis contubernio infundatur sacro illi corpori immensitatis portio quædam. Guillelmus Parisiensis: *Quid mirum, si ubi totum, ibi & partes? Quin potiùs è contrario mirabile est, quod in multis locis sit totum, ubi non partes. Cum ergo certum jam sit, quod anima rationalis & caro partes sint Filii Dei, ex quibus compositus est secundùm quod homo; non est mirabile si ubi ipse est, ibi & partes ipsæ. Sed hoc potiùs admiratione dignum, quia cum ipse ubique sit, non ubique tamen sunt ejusdem dictæ partes. Hoc autem est, qood ad creatas utilitates & ministeria assumptæ sunt, & propter hoc ubi locus est hujusmodi utilitatibus & ministeriis, ibi eas esse ipso suo toto & cum ipso est necesse: ubi autem non est locus hujusmodi ministeriis aut utilitatibus, ibi eas nullatenus esse necesse est, excepto loco ubi præmium & remunerationem istorum meritorum obtinent.* (De Sacram. Euch. c. 4.)

Idem infra: *Ubicumque natura passibilis est unita alii naturæ agenti & fortiori, necesse est ut ab ea patiatur atque recipiat pro modo suæ receptibilitatis atque passibilitatis ab illa. Quid ergo mirum si corpus unitum divinitati, cujus virtus & actio sunt in ultimo & maximo per omnem modum ex virtute divinitatis, hoc recipit ut possit esse in multis locorum millibus ad obsequium divinitatis & gloriam? Cum nulla natura sit fortis & agens, quæ sibi conjunctam & obedientem naturam aliam, in similitudinem suam, prout illa capax est, non trahat. Ignis enim ferrum durissimum & frigidissimum in sui similitudinem convertit pro capacitate ipsius ferri, &c.*

Idem paulò post: *Cum autem non mireris in te, quod ubicumque es, habes ibi corpus tuum; cujus conditionis arbitraris esse omnipotentissimum Dei Filium? Quare credere non vis, non dico ubicumque est, sed ubicumque vult, ipsum habere præsentialiter corpus suum secum, & potissimum ubi hoc requirit dignationis suæ pro nobis susceptum officium?*

XIX. Ex Petro Blesensi. Epist. 140. Petrus Blesensis: *Corpus idem apud nos est in diversis locis, &c. Licet enim ex natura corporali & circumscriptibili sit in uno dumtaxat loco, tamen in pluribus locis est virtuali potentia & spirituali modo. Tanta enim est unio divinitatis & carnis, quæ tota divina & gloriosa facta est, ut ex plenitudine divinitatis quæ teste Apostolo corporaliter ibi habitat, illud corpus licet in uno loco corporaliter & naturaliter, in pluribus tamen est, divina & spirituali virtute. Et sicut ipse Deus quamvis in pluribus, imo in omnibus locis sit virtualiter & essentialiter, tamen secundum aliquem modum existendi, id est personaliter, est in uno loco, id est in ipso homine assumpto per gratiam: ita quod divinitatis est, retribuit ineffabiliter corpori suo, ut ex unionis virtute & in uno homine sit Verbum, & in pluribus locis sit illius corporis & sanguinis incomprehensibile sacramentum.* Si ex unionis virtute id obtinet corpus Christi, ut pluribus assit & innumerabilibus adeo locis, hanc unionis utique hypostaticæ exuberantiorem largitatem quandonam assecutum existimabitur, nisi in resurrectione, cum ait ad illum Pater teste Paulo, Ego hodie genui te? Cum quod vivit Christus resurgens ex mortuis, vivit Deo ex eodem Paulo: cum denique ut ex eodem Paulo colligitur, jam totus Deus esse cœpit? Ideo rectè Blesensis hac divinæ immensitatis uberiore copia carnem Christi *totam divinam & gloriosam* nuncupat.

Guitmundus paulò diversam secutus est rationem: ita enim carne se vestivit Verbum, ut voce foris sonante nostra se induit explicatque cogitatio: ut anima se corpore obnubit & expromit suo: ergo ut unius cogitationis una vox ad innumerabiles integra perlabitur aures, ut anima una innumeris partibus corporis tota præsto est: ita una Verbi Dei caro tanquam vox, tanquam corpus ejus, & quantislibet interesse valet locis, & singulis tota interesse. *Si igitur humano verbo Deus tantum præstitit ut non tantum ipsum, sed etiam vox qua quodammodo vestitur, ad mille homines eadem simul totaque pertingere valeat: nemo hoc ipsum de omnipotentis Dei unico & omnipotente & coæterno Verbo, & de carne ejus quam similiter, ut nobis ipsum Verbum appareret, vestivit, & si capere non possit, habere incredibile debet, quod de fragilissimo & transitorio verbo hominis & momentaneis vocibus vixque existentibus & nunquam prævalet capere, & tamen penè semper experimento habet.* Et rursum ibidem: *Ipsam certe animam nostram corporeque quod corrumpitur aggravatam, non particulatim per singula membra dividi, sed in singulis portiunculis totam atque integram contineri B. Augustinus validissimè probat. Qui ergo hanc animæ nostræ potentiam præbuit, ut una eademque & indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eadem tempore tota consistat, quare suæ propriæ carni id dignitatis si vult dare non valeat, ut ipsa in diversis sui cujusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus, tota simul & indivisa possit haberi: cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiæ, imo multo melius per Dei gratiam, vita caro Salvatoris? Per animam quippe fit, ut corpus utcumque temporaliter vivat; per carnem vero Salvatoris agitur, ut Ecclesia non quomodocumque, sed beatè in æternum vivat.* Hæc copiosior effusio proprietatum Deitatis carni nonnisi per resurrectionem accessit. (XX. Ex Guitmundo. L. 1. de Euc. veritate.)

Algerus omnium disertissimè utramque connectit rationem diffundendæ in varia loca Christi carnis. Ac primò quidem ex prærogativis corporum beatorum: *Quod si tantæ facilitatis futura sunt corpora sanctorum, ut ad implendam voluntatem spiritus, nulla sua tarditate impediantur: quid de corpore Christi capitis nostri credendum est, cui non modò facilitas qua non tardetur ad faciendum quæ voluerit, sed etiam ut ipse ait, Omnis potestas mihi data est in cœlo & in terra; ut cum Deo in unitate personæ omnia possit? Si corpora nostra spiritalia futura sunt, quia spiritui personaliter juncta: quid corpus Dei nisi divinum, quia Deo unitum? Carnem igitur divinam substantialiter quidem eandem, &c.* Hinc ergo satis elucet, præsentiam Christi in sacramento tot terrarum locis frequentissimo ab ejus corporis gloria & potestate post resurrectionem adsignata dimanare. Rursus autem idem Algerus ex omnipotentia eidem humanitati tum specialiùs collata, cum excitata à mortuis est, in hunc modum argumentatur: *Carnem igitur divinam, substantialiter quidem eandem cum Deo non dicimus: sed profectò cùm Apostolus dicat, quia omnia subjecta sunt ei, præter eum qui sibi subjecit omnia, & ipse Filius Dei testetur, quia omnis potestas ei data est, sic in unitate personæ, Deo conjunctam* (XXI. Ex Algero. L. 1. c. 4.)

junctam credimus, ut quod habet Deus per naturam, hoc ipsa per gratiam. Cum ergo nos habituri simus, & Angeli modò habeant, ut quantacumque intervalla locorum nullo ferè temporis intervallo, nimia sua celeritate pertranseant, non tamen hoc habent, ut unde recedunt, ibi remaneant. Quo privilegio sola caro Christi, quæ super omnem creaturam à Deo exaltata est, super omnem & præter omnem naturam insignita est, ut per omnipotentiam quæ ei data est in cœlo & in terra, ubicumque quomodocumque sibi placuerit, non de loco ad locum transcundo, sed ibi ubi est remanendo, & alibi ubicumque voluerit existendo, tota & integra & substantialiter sit & in cœlo & in terra. Ita ille non tam immensitatem quam omnipotentiam divinitatis refusam in humanitatem Christi contemplatur, ut pluribus se locis præsentem sistat. Eccur, amabo, cùm interesse locis, ad immensitatem specialiùs attinere videatur? An quia verbis ipsis Christi inhærere satius est, qui de omnipræsentia conticuit, solam omnipotentiam ostentavit, Data est mihi omnis potestas, inquiendo? An quia immensitatis est, ubique esse: omnipotentiæ est, ubicumque volueris illabi & interesse? Est autem carnis Christi operæ pretium, non ut ubique sit, sed ut ubicumque libuerit, adsit ut prosit. An quia profluit ex omnipotentia immensitas? nec enim Deus adest nisi ubi benefacit: non adest nisi ubi operando prodest: non interest nisi beneficiorum infinitate: sic omni potestate Christo addita, addita est & præsentia tanta, quantam ejus largitas & beneficentia desiderat. Sed quocumque se tandem res ista habeat modo, nonnisi redivivæ ab inferis humanitati adscripta est hæc immensa potestas, ad Eucharistiæ incircumscriptam beneficentiam pernecessaria. Unde idem Algerus ibidem: *Quam enim omnipotentiam ab eo qui totus ubique est reciperet, si ipsa ubicumque vellet, substantialiter tota esse non posset? Vel in quo differret ab Angelis quibus est superexaltata, si non aliter nisi de loco ad locum recedendo posset esse in cœlo & in terra?* Et paulò post: *Et cùm celeritas Angelorum sit velocior, in quo his creaturis caro Christi superexaltabitur, si quod est in cœlo & in terra, non potestati, sed celeritati ascribitur?* Et ibidem: *Quomodò corpus Christi & cœlo & mundo præsens, & dividatur indivisum, & sumatur inconsumptum, ratio stupet, fides ipsa miratur: sed ex adjuncta divinitatis potentia, quæ ubique tota præsens est in corpore suo spirituali, imò per omnipotentiam sibi collatam divino jam facto, id fieri posse non diffidens veneratur.* Et infra: *Quod igitur diversis locis diversisque temporibus sacrificatur, non multa tamen corpora, sed ubique unum Christi corpus est, quod à diversis sumitur, & unum idemque corpus integrum est, omnipotentiæ quæ Christo etiam pro carnis parte collata est, attribuendum est: quia & in cœlo & in terra præsens etiam corporaliter esse potest, ubicumque & quomodocumque sibi placuerit, quia facta est in cœlo & in terra omnipotens.* Occupavit ergo Christus præsumpsitque in cœna illa mystica omnipotentiam & gloriam carnis suæ à mortuis excitatæ. Rursus idem ipse altiùs repetit fontem ipsum & caput redundantis à divinitate in humanitatem Christi omnipotentiæ, immensitatis & gloriæ; ipsam nimirum unionis hypostaticæ legem, quæ naturas ambas ita permiscet, illapsuque penitissimo complicat, ut superioris gloria & majestas omnis inferiori inseratur. *Cur enim hoc minus Deus faceret homini sibi personaliter unito, quàm per eum facit anima corpori sibi unito? Confert enim participium nominis & naturæ quam habet, ut ab anima animatum vivat & sentiat, quod ex se non habebat. Sed & ignis ferrum transverberans, ignitum reddit; candoremque suum & calorem conferens, ipsum scintillare, flammescere & urere contra suam naturam facit. Cùm ergo ignis igniat, anima animet, quid Deus hominem unitum deificet, & super omnem creaturam exaltatum, puritatis, omnipotentiæ & Deitatis etiam prærogativa secum glorificet?*

Cap. 15. — Vide & L. 3. c. 3. — L. 1. c. 1.

Per resurrectionem, qua Pater Christum genuit; quæ regeneratio universim est; quæ incarnationis aut certè inhumanationis, post mortem qua Christus homo occiderat, quasi redintegratio fuit; quæ quod ad corpus attinet, incarnationis cumulus & absolutior perfectio extitit; gloriæ & omnipotentiæ & puritatis locis omnibus cum libuerit interfuturæ dotes consecuta est caro Christi, in cœna ergo eas anticipavit.

Sicut non tanti videantur inductarum hactenus vel rationum momenta, vel authoritatum pondera, ut immortale Christi corpus ab eo primùm in cœna mystica consecratum fuisse acquiescat, nihil moror, suo fruatur judicio, viderit tantùm quomodo his se expediat. At non frustra tamen hæc à nobis disputata esse videri debent, ut quæ nimirum etsi illud non efficiant quod moliebamur, arctissimam tamen necessitudinem & agnationem Eucharistici panis cum resurrectione etiam corporum patefaciant.

LIBER UNDECIMUS.

DE ADORATIONE CHRISTI, de Cultu Sanctorum, Imaginum, & Reliquiarum.

CAPUT PIRMUM.

Adoratio Latriæ seu Servitutis uni vero & summo Deo impendenda est.

I. Peculiaris Dei cultus qua voce designetur. Civit. L. 10. c. 1.

QUO peculiari nomine indigitandus sit cultus atque honos, qui uni summo veroque Deo impendendus est, anxiè vestigat Augustinus. Et quidem Religionis vocem esse in hunc usum sepositam, quod uni Deo religandæ sint affigendæque animæ immortales, non immeritò videri posset, nisi doctorum etiam vulgus privatis etiam necessitudinibus, vel in parentes, vel in patriam, vel in cognatos atque affines quoslibet, religionem exhibendam dictitaret. Pietas quoque, sive εὐσέβεια à Dei cultu in observantiam patriæ parentibusque debitam deflexa est. Ipsa Græcorum θρησκεία à genuino Dei veri cultu, ad superstitionem quamlibet significandam, qua adulterinis incumbitur numinibus ritibusque, detorta est, etsi Augustinus id prætermiserit. *Ac per hoc, cultum quidem non deberi nisi Deo, propria quadam notione verbi hujus, verissimum est. Sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideo Latinè uno verbo significari cultus Deo debitus non potest. Nam & ipsa religio quamvis distinctiùs non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur, unde isto nomine interpretati sunt nostri eam quæ Græcè θρησκεία dicitur: tamen quia latina loquendi consuetudine non solum imperitorum, verum etiam doctissimorum, & cognationibus humanis atque affinitatibus & quibusque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vi-*

lo vitatur ambiguum, cum de cultu Deitatis vertitur quæstio; ut fidenter dicere valeamus religionem non esse nisi Dei cultum: quoniam videtur hoc verbum à significanda observantia propinquitatis humanæ violenter auferri. Ita ergo & cultus & religionis nomina profanata quodammodo sunt, cum tametsi piis, humanis tamen hominum in homine obsequiis sunt adsignata. Pietatem quoque sive εὐσέβειαν raptam esse ad officia, vel parentibus religiosè, vel calamitosis misericorditer exhibenda, subjicitur ibidem: *Pietas quoque propriè Dei cultus intelligi solet; quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur. Quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eaque sibi, vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis placere testatur*.

II. Latriæ nomen maximè propriù. Superest Græcis una vox θεοσεβείας incontaminata, unique Dei cultui significando consecrata, sed eam Latini una voce non assequuntur ulla. Cui adjicitur & λατρεία, id est servitus. Quanquam enim homines hominibus quandam serviant servitutem, istam tamen δουλείαν usitatiùs vocitant, ut illa quæ Deo uni dependitur affectatiùs λατρεία appellitetur. Quibus vocabulis cùm nulla Latina respondeant pari inter se discrimine, ac consimili destinatione, Græculas plerumque has voces usurpare compellimur. Idem ibidem: *Unde in quibusdam Scripturarum locis, ut distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu, sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt. Utrumlibet autem eorum nos uno verbo enunciare non possumus*. Et superiùs eodem capite: *Hic est Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo significandum, quoniam satis idoneum non occurrit Latinum, Græco, ubi necesse est, insinuo quid velim dicere. Latriam quippe nostri ubicumque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò secundum consuetudinem qua locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut penè semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum*. Itaque quanquam voces ipsæ, λατρεία & δουλεία, λατρεύειν & δουλεύειν suapte vi vix quidquam discrepent, nec nisi servitutem sonent; consensione tamen penè inviolata sacri codices atque Ecclesiastici scriptores addictiorem eam servitutem, qua Deo astringimur, Latriæ nomine designarunt; eam autem vulgatam & penè perfunctoriam, qua homo homini vel creaturæ cuicumque servire æstimatur, duliæ vocabulo notarunt. Unde idem ibidem: *Quæ itaque λατρεία Græce nuncupatur, & Latinè interpretatur servitus, sed ea qua colimus Deum: vel quæ θρησκεία Græcè, Latinè autem religio dicitur, sed ea quæ nobis est erga Deum: vel quam illi θεοσέβειαν, nos vero non uno verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare, hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facitque suos cultores Deos*.

III. A qua differt dulia. Ubi enim Scriptura jubet charitate invicem servire, Jubet δουλεύειν. Ubi Deum adorare, & illi soli servire, jubet λατρεύειν. Hæc ergo vocum diligentia non temerè excogitata, sed authoritatis divinæ ex oraculo quodam manavit. Augustinus: *Maximè vero illo loco satis claret quod Spiritus sanctus non sit creatura, ubi jubemur non servire creaturæ, sed Creatori. Non eo modo quo jubemur per charitatem servire invicem, quod est Græcè δουλεύειν; sed eo modo Deo tantum servitur, quod est Græcè λατρεύειν. Unde Idololatræ dicuntur qui simulacris etiam servitutem exhibent, quæ debetur Deo. Secundum hanc enim servitutem dictum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Nam & hoc distinctiùs in Græca Scriptura invenitur: λατρεύσεις enim habet. Porrò si tali servitute servire creaturæ prohibemur, quandoquidem dictum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: unde & Apostolus detestatur eos qui coluerunt & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori: non est utique creatura Spiritus sanctus, cui ab omnibus Sanctis talis servitus exhibetur, dicente Apostolo, Nos enim sumus circumcisio, Spiritui Deo servientes, quod est in Græco, λατρεύοντες*. (L.1.de Trin. c.6.) Sed expressiùs idem Augustinus: *Exurgens Abraham adoravit populum terræ. Quæritur quomodo scriptum sit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: cùm Abraham sic honoraverit populum quendam Gentium, ut etiam adoraret. Sed animadvertendum est, in eodem præcepto non dictum, Dominum Deum tuum solum adorabis: sicut dictum est, Et illi soli servies, quod est Græcè, λατρεύσεις. Talis enim servitus, nonnisi Deo debetur. Unde damnantur Idololatræ, id est, ejusmodi servitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moveat quod alio loco in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet ut Dominus potiùs adoretur; talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator*. (L.1.Quæst. in Genes. q.61.) Hinc claret quàm sit in hujusmodi vocum delectu solers & accurata Scripturæ diligentia. Hinc claret, illo legis divinæ quasi vertice quodam summo, juberi ut Domino Deo exhibeatur adoratio, sed non soli: ut exhibeatur servitus seu λατρεία, & soli. Hinc claret Idololatras meritò proscindi, quòd simulacris divinum cultum seu latriam offerant. Hinc claret δουλείαν hominibus præstari, sed ex charitate: Deo autem λατρείαν, tanquam nexu inexplicabili, & mancipio strictissimo obligatam & ineluctabilem servitutem. Hinc claret Spiritui sancto perinde ut & Verbo consubstantialem Patri Deo vendicari ex eo divinitatem, quòd latria illi offeratur. Hinc claret denique cur ab homine adorari se vetuerit Angelus, cùm alibi toties se Angeli passi sint adorari. Nempè tunc Angelus astiterat tanta conspicuus luce ac majestatis specie, ut ne pro Deo haberetur, & latria infamaretur, meritò veritus & hanc invidiam deprecatus sit.

Frequentiùs illud occursat apud sanctos Patres argumentum, quo Verbi & Spiritus sancti divinitas ex latriæ cultu colligitur. Idem Augustinus: *Cum igitur & Patri & Filio & Spiritui sancto ista quæ latria vocatur, servitute serviamus, audiamusque legem Dei præcipientem ut nulli alteri, sed soli Domino Deo nostro hanc exhibeamus: proculdubio unus & solus Dominus Deus noster est ipsa Trinitas, cui uni & soli talem servitutem pietatis jure debemus*. (Con. Serm. Arian. c.29.) Et Fulgentius: *Quocirca veræ fidei tenenda est regula, qua Dei Filius de Patris substantia, hoc est, de eo quod ipse est, ineffabiliter sine initio natus creditur, & verus Deus cum Patre colitur & tenetur. Quia nec Christianis licitum est, ei qui natura non est Deus, sicut vero Deo servire? nec cuiquam fas est, Christo unigenito Dei Filio non sicut vero Deo servire*. (Respons. 4. 4. object. Arian.) Et ante eos Ambrosius: *Si alienum putant, cur adorant eum, cum scriptum sit, Neque adorabis Deum alienum? Aut si non adorant, fateantur, & finis est, ne quem sub religiosi nominis professione decipiant*. (L.1. de fide c.5.)

Nec Græca nobis autem muta abeat Theologia, paucorum suffragationem rogemus. Origenes: *Quin potiùs Deo hujus universitatis Domino credimus, adhibemusque animum ei qui docet hunc solum colendum: cætera nihil esse, aut esse quidem, sed honore tantum digna, non etiam cultu atque adoratione, quæ nulli creaturæ concedi potest sine divinitatis injuria*. (L.1. cont. Celsum.) Anastasius Episc. Theopolitanus, prout refertur Act. IV. secundæ Synodi Nicænæ: *Et nemo offendatur adorationis significatione. Adoramus enim*, id est, προσκυνοῦμεν, *Angelos & homines; non tamen λατρεύομεν*, id est, *servimus ipsis. Dominum enim, inquit Moyses, Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et vide quomodo in eo*

qui-

quidem quod dixit, Servies, præposuit soli: in eo verò quod ait, Adorabis, nequaquam. Itaque adorare quidem licet, honoris enim signum est adoratio: servire autem nequaquam. Latria, ut vides, uni Deo addicitur: at προσκυνήσις, τιμὴ, & reliqua hujusmodi præcellentibus etiam creaturis libari sinuntur.

IV.
Cur propria servitus, seu latria soli Deo sit devovenda, qui summū bonum & beatificum solus est, ex Augustino.

In propatulo est autem ratio hujus catholicæ definitionis. Non debet enim creatura rationalis servitutem nisi superiori naturæ, omniumque supremæ, à qua fluit, in quam refluit: à qua habet ut sit, à quo sperat ut beata sit. Non supereminet autem naturæ rationali, nec sufficere de se beatitudinem illi potest, nisi summa & incommutabilis veritas, unus Deus. Inter naturam rationalem & veritatem incommutabilem nihil interponitur medium; sed cætera omnia vel juxta sunt, vel infra. Juxta sunt Angeli cæteræque animæ; infra sunt naturæ omnes irrationales & corporeæ. Has imperio premere debet: illis non servire, sed ad serviendum Deo coire & conspirare. Ut quid enim serviat coæqualibus? Ut quid serviat communi Domino servientibus? Ut quid serviat veritatis participibus aliis, quæ totam servitutem debet ipsi veritati? Ut quid postremò tandem serviat iis, vel Angelis, vel hominibus, qui si nequam sunt, tota libertate abominandi sunt, non servitute ulla demerendi: si pii sunt, servitutem ipsimet hanc deprecantur nostram, ut exitialem nobis, sibi invidiosam, unique summo & beatifico bono cui serviunt, servire hortantur? Plurimus in his est Augustinus, & quia res oppidò elegans est, & pietatis suavitate lenocinatur, juvabit prolixiùs disputantem audire: *Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris; melius est enim qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit, cum falsa imaginatur, colere non debemus, &c. Non sit nobis religio humanorum operum cultus: meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus bestiarum: meliores enim sunt extremi homines, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur ut tales quærant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, &c.* Ita ille sigillatim percurrit gradus omnes superstitiosæ religionis, omnesque perfringit & dissipat; & tandem ad Angelos etiam progreditur: *Non sit nobis religio vel ipsa perfecta & sapiens anima rationalis, sive in ministerio universitatis, sive in ministerio partium stabilita, sive quæ in summis hominibus expectat commutationem reformationemque portionis suæ. Quoniam omnis vita rationalis si perfecta est, incommutabili veritati secum intrinsecus sine strepitu loquenti obtemperat: non obtemperans autem vitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed per illam cui libenter obtemperat. Quod ergo colit summus Angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. Non enim aliunde sapiens Angelus, aliunde homo: aliunde ille verax, aliunde homo: sed ab una incommutabili sapientia & veritate.* Et paulò infrà: *Hoc etiam ipsos optimos Angelos & excellentissima Dei ministeria velle credemus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cujus contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus Anlos, & his congratulamur. Nec invidemus quod eo paratiores, vel nullis molestiis impedientibus perfruuntur: sed magis eos diligimus, quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino jussi sumus. Quarè honoramus eos charitate, non servitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis: quia nos ipsos cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt. Rectè igitur scribitur hominem ab Angelo prohibitum ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo ei esset & ille conservus.*

L. de vera Relig. c. 55.

Non potuit altiùs peti tota ratio hujus orthodoxi dogmatis. Non summus enim Angelus ultimo & despicatissimo homini obnoxia illa colendus est servitute seu latria, quia nulla natura intellectualis seu rationalis *per se excellit, sed per illam incommutabilem veritatem, cui libenter obtemperat:* quia *non videndo Angelos fit beatus homo, sed videndo veritatem*, cujus contemplatione illi beantur; quia Angelis templa non construimus, qui summi Dei templa ipsi sumus: quia denique deprecantur Angeli & recusant à conservis suis adorari. Unde tandem ibidem Augustinus: *Cum ipsis bonis Angelis adjuvantibus, ad unum Deum tendentes, & ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus, &c. Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo; quia inter mentem nostram qua illum intelligimus Patrem, & veritatem, id est, lucem interiorem qua illum intelligimus, nulla interposita creatura est.* Summas ergo creaturas quaslibet in sapientiæ & sanctitatis fastigio collocatas, *charitate honoramus, non servitute*; illas *diligimus*, *illis gratulamur*: porrò *ipsis adjuvantibus* ad unum Deum tendimus. Impenditur ergo ipsis ab homine, honor, charitas, congratulatio, non servitus, qua eis tanquam summo bono nostro affigamur & acquiescamus: ac vicissim ab ipsis adjuvamur, ut uni religemur Deo. Servitus enim uni nos summo Domino debet religare: nam si pluribus, non religabit, sed distrahet & dissipabit. Unus autem Dominus non est, nisi summum bonum & summa veritas; cujus participes in infinitam quadam multitudinem crebrescunt, ideoque servire uni, non dominari instar unius beatifici boni possunt.

V.
Ex eodem Augustino idem elucidatur rursus.
L. 20. contra Faust. c. 5.

Non absimile est, sed brevitate sua pulcrius quod habet idem Augustinus, de cultoribus partium mundi disputans: *Cum quibus quando agimus ut ea non colant, non eis dicimus quod nulla sint, sed quod colenda non sint: eisque colendum omnium horum conditorem, Deum invisibilem suademus, cujus solius participatione beatus homo fieri potest, quod omnes velle nemo ambigit. Sed quia nonnulli eorum invisibilem atque incorpoream creaturam colunt, quod est anima, mensque humana, tamen quia nec ejusmodi creaturæ participatione fit homo beatus, ille non solum invisibilis, verum etiam incommutabilis Deus, id est, Deus verus colendus est; quia ille solus colendus est, quo solo fruens, beatus fit cultor ejus: & quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur.* Insitum esse omnibus natura duce & præceptrice, ut beati esse velint, in confesso est. Insitum rursus omnibus esse, naturæque ejusdem magisterio informatum, ut summum aliquid colant, supplicesque venerentur, in aperto est, & experimento consensuque generis humani abundè testificatum. Gemini sunt & complicati instinctus istiusmodi, & alteri alter famulatur. Obnoxiam enim se inopemque esse, nec sui se juris, sed aliundè pendere, arcano sensu & conscientiæ testimonio omnis anima profitetur. Curiosissimè ideo venatur summum illum cardinem fontemque boni, unde se pendere præsentit, ut illi procidat, ut ab illo beetur. Quo enim ingenitam beatitudinis sitim, nisi inexhaustam bonorum scaturiginem captare, & venerari, & potare daretur? Quo anticipatum naturaliter summi boni colendi amplexandique augurium, nisi ut ejus compotes felicitatem adipiscantur? Consertæ ergo sunt, & nexibus individuis copulatæ præsensiones istæ naturales: & hinc elucet, & naturæ ipsius authoritate, & de ingenita omnibus rationalibus naturis luce & doctrina hoc catholicum dogma descendere, quo vetatur addictiùs servire, nisi uni summo bono, beatitudinis parenti.

Quo-

Quocirca nec ipsos id præteriit Gentiles Philosophos. Unde Augustinus: *Quicumque igitur sunt in cœlestibus habitationibus, immortales & beati, si nos non amant, nec beatos esse nos volunt, colendi utique non sunt. Si autem amant & beatos volunt, & profecto inde volunt, unde & ipsi sunt; an aliunde ipsi beati, aliunde nos? Sed non est nobis ullus cum his excellentioribus Philosophis in hac quæstione conflictus. Viderunt enim suisque litteris multis modis copiosissimè mandaverunt, hinc illos, unde & nos fieri beatos objecto quodam lumine intelligibile quod Deus est illis, & aliunde est quàm illi: à quo illustrantur ut clareant, atque ejus participatione perfecti beatique subsistunt.* Ex quo consequens erat, ut *confiterentur & illis immortalibus ac beatis, & nobis mortalibus ac miseris, ut immortales & beati esse possimus, unum Deum Deorum colendum, qui & noster est, & illorum.* Quippe non injuria, ejus detrectabis servitium, quo sine nullos non consequi possis beatitudinis numeros. At si quid tibi sempiternæ legis indeclinabili imperio colendum est, & quidem enixissima servitute, necessarium est inde tua religetur vel fœlicitas vel miseria, ut obsequio fœlicitatem, contumacia miseriam promereare.

Civit. L. 10. c. 1. 2. 3.

Adde Fulgentium, ad Donatum. c. 4. 5. 6.

VI. Rursus ex Augustino, solo Deo fruendum, eoque illi soli charitatem devovendã, & quæ vera servitus, vera religio est. L. 1. de Doctr. Christ. c. 3. 4. 5.

Eodem revolvitur quod Augustinus sæpiusculè disputavit, uno Deo fruendum esse, reliquis omnibus utendum, ut ad ejus fruitionem gradus struatur. Fruitioni enim vel aucupandæ, vel ebibendæ tota vacat incumbitque religio. Ergo serviendum est illi, quo frui dabitur: serviendum autem iis nequaquam est, quibus ad aliud fruendum innitteris, & abuteris. *Res ergo aliæ sunt, quibus fruendum est, aliæ quibus utendum, aliæ quæ fruuntur & utuntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur & quasi adminiculamur, ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhærere possimus. Nos verò qui fruimur, & utimur, inter utrasque constituti, si eis quibus utendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster & aliquando etiam deflectitur, &c. Frui enim est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est, &c.* Ita ibi, & infrà: *Res igitur quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus ea, &c.* Deo igitur uno fruendum, hoc est, illi uni amore inhærendum propter seipsum; reliqua utenda, id est, ad Deum consequendum referenda. Impensissima ergo servitus non in quibus utimur ad Deum fruendum, sed Deo fruendo dedicanda est. Nec seipso enim homo frui debet, sed uti, & alio ergo quolibet homine seu Angelo non fruetur sed utetur ad beatæ vitæ consecutionem. Ita docet idem sanctus Pater: *Sed quæritur utrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud. Si enim propter se, fruimur eo: si propter aliud, utimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur beata vita, &c. Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquido advertas quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illud quo fruendum est. Tunc enim est optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.* Cui oro te summa servitus, nisi cui summa charitas addicenda est? Aut quid summa servitus, quàm summa charitas?

Ibid. c. 22.

VII. Ne carni quidem ipsi Christi propter seipsã est adhærẽdum.

Atque ut indubitatius fiat quàm nulli creatæ naturæ spes, fides, religio, servitusque nostra consecranda sit, ne ipsi quidem carni à Verbo assumptæ ita adhæremus, ut ea fruamur, eique propter seipsam conglutinemur; sed ei tanquam vehiculo innitimur, ut per eam ad ipsum Verbum, & ad Patrem demum trajiciamur, in quo conquiescamus. Quanquam enim Verbum in carne, fide, spe, charitate, & religiosissima servitute prosequamur, carnem tamen ipsam ejus seorsim haud sequestramus, vel colendam, vel fruendam. Idem Augustinus: *Vide quemadmodum cum ipsa veritas & Verbum per quod facta sunt omnia, caro factum esset, ut habitaret in nobis: tamen ait Apostolus: Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam non novimus, &c. Ex quo intelligitur quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire; ne rebus temporaliter quamvis ab illo pro salute nostra susceptis & gestis inhæreamus infirmiter, sed per eas potiùs curramus alacriter: ut ad eum ipsum qui nostram naturam à temporalibus liberavit & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervenire mereamur.* Itaque strictissima servitus qua defigamur ita, ut ultra non collimemus, ne huic quidem humanitati assumptæ, & tota divinitate delibutæ alliganda est, nedum ulli creaturæ. Hujus enim si rapiaris contemplatione & admiratione humanitatis, ut ei immoreris & acquiescas, immaniter hallucinaris, qui non videas hoc totum fuisse consilium ad divinitatis copulam provehendæ hujus humanitatis, ut nulli creaturæ, & ne ipsi quidem acquiesceretur. Sed de eo infrà diffusiùs.

Ibid. c. 34.

VIII. Eodem redit quod amor totus Deo propter se devovendus sit, qui non colitur nisi amando.

Eodem redit illud decantatissimum apud Augustinum, & Catholicorum omnium animis præjudicatum, pietatem, servitutemque Deo debitam ac religionem una contineri charitate. At charitas ita primo principio, ita ultimo fini, ita summo bono, ita fruendæ extremæ beatitudini impendenda tota est, ut nullum ejus rivulum quoquam deflecti sinamus, qui non illuc reflectatur. Non colitur Deus nisi amando: nec amari propter seipsum, nisi ipse debet, & omnia propter ipsum. Augustinus de charitate disserens, ait: *Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus.* Et alibi: *Quid autem est pietas nisi Dei cultus? Et unde ille colitur, nisi charitate?* Et rursus: *Qui timetis Dominum, laudate eum. Quis autem veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat? Tantundem ergo est, ac si diceret, Qui timetis Dominum, amate eum. Dixit enim homini, sicut scriptum est: Ecce pietas est sapientia. Porrò pietas cultus Dei est: nec colitur ille nisi amando.* Et rursus alibi: *Quis cultus ejus nisi amor ejus, quo nunc desideramus eum videre, credimusque & speramus eum nos esse visuros?* Ergo religionem & latriam seu servitutem illam specialem uni Deo sacram, sola implet charitas, qua propter se Deus diligitur, & omnia propter ipsum cætera. Ut autem docebat nos supra Augustinus: *Quod propter se diligendum est, in eo constituitur beata vita.* Ergo nulli creaturæ ista charitas qua propter se diligatur, nulli; ista servitus qua propter se ei serviatur, libanda est, quia uni summo & beatifico bono delibanda atque immolanda penitùs tota est. Nec abludit ab his Ambrosius: *Non accipiens in vanum nomen Domini Dei tui: non sentiens creaturam de Creatoris existere substantia: non præponens potioribus inferiora, nec inferioribus potiora submittens: sed omnia justè disponens; laudans Deum ut Creatorem, Angelos verò & homines ut creaturam. Nihil pulchrius ordine. Unde & ipsa dicit, Ordinate in me dilectionem. Nolite præposterè agere. Nolite perturbare & confundere, quæ Deus ordinavit. Ordinate in me dilectionem: amate me tanquam me: amate Deum tanquam Deum, ne Deum offendatis propter me, nec me offendatis propter alium quempiam.* Itemq; Lactan. *Quibus rebus apparet quàm inter se conjuncta sint sapientia & religio. Sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem: religio ad servos, quæ exigit timorem. Nam sicut illi Patrem diligere debent & honorare: sic hi Dominum colere ac vereri. Deus autem qui unus est, quoniam utramque personam sustinet & Patris & domini: & amare eum debemus, quia filii sumus, &* time-

Civ. l. 10. c. 41.

Epist. 39. Ep. 120. c. 18.

De Tr. l. 13. c. 14.

In c. 31. Pr.

L. 4. c. 4.

timere, quia servi. Non potest igitur nec religio à sapientia separari, nec sapientia à religione secerni.

IX. His præstructis de Dei cultu singulari, jam tutissimum erit differere de cultu illo minori qui Sanctis, vel creaturæ cuicumque impenditur.

Hanc de latriæ religione uni summo Deo vovenda disceptationem præmitti operæ pretium fuit, ut hoc velut inexpugnabile vallum præstrueretur subtexendis de Sanctorum, de reliquiarum, de imaginum veneratione tractatibus. Circumlatrant enim hæretici, & cultum uni Deo debitum decerpi, creatisque adsignari naturis invidiosissimè calumniantur. Illis ergo in ipso statim disputationis hujus vestibulo obturandum os fuit, demonstrandumque, jam ab ipsis Christianæ fidei cunabulis, hæc duo simul inolevisse altissimèque insedisse Ecclesiæ catholicæ dogmata, servitutem impensissimam quandam uni Deo seponendam, ejus autem umbram aliquam seu venerationem honoremque congruum iis quoque tribuendum, in quibus effigies aliqua divinæ amplitudinis adumbratur. Hoc enim præfamur semel & contestamur, humillimæ servitutis cultum non dependi à nobis, nisi ei summo Deo à quo beata vita expectatur: ei quo fruendum est: ei extra quem nullo fruendum est: ei ad quem & propter quem cæteris omnibus non fruendum, sed utendum est: ei qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligendus unus est: ei qui unus propter semetipsum diligendus est: ei propter quem & ad quem cætera diligenda, quæcumque diligenda sunt: ei denique in quem ut beatitatis, ut bonitatis, ut charitatis fontem debet nostra omnis confluere religio, servitus, charitasque: sed & in quem etiam confluit & corrivatur quidquid Angelis & hominibus sanctis, non propter ipsos, sed propter ipsum, & ideo non tam ipsis, quàm ipsi repræsentatur religionis, vel servitutis, vel charitatis. Quippe si tum diligitur Deus, quando propter Deum diligitur, vel homo, vel Angelus: idque ipse adeo non vetuit, tanquam charitatis sibi debitæ dispendium, sed exertè mandavit, tanquam compendium & accrementum; quin Deo servietur, quando propter ipsum vel Angelo vel homini, sed tanquam Angelo vel homini, non tanquam Deo servietur? Quin Deus coletur, cum propter ipsum vel homo, vel Angelus, sed tanto infra ipsum, quanto sunt infra ipsum, colentur? Servitus enim & cultus & religio una charitate constat. Id colitur, quod diligitur. Non colitur, nisi amando. Charitate servitur. Ergo ut nihil deripitur charitati in Deum convergenti, cùm Deo ipso præcipiente, propter Deum diligitur Dei imago, homo vel Angelus; ita nihil decedit, imò plurimum accedit cultui, quando propter Deum colitur, quod propter Deum diligitur, & diligendo colitur, nec nisi diligendo colitur. Ex adverso enim derogatur divino cultui, quando detrahitur eorum cultui, qui propter Deum coluntur: non aliter quàm decrescit divina charitas, quando frigescit proximo propter Deum impartienda charitas. Ampliùs enim colitur, cum non ipse tantùm propter seipsum colitur, sed & ejus imago quælibet casta & intaminata propter ipsum colitur. Sicut ampliùs amatur, cum non ipse tantùm propter se amatur, sed omnis amator ejus propter eum amatur. Minùs coleretur autem & minùs amaretur, si coleretur & amaretur tantùm propter seipsum, sed non etiam cultores & amatores ejus propter ipsum. Si succurrat autem animo, tum maximè coli Deum, cum non propter seipsum tantùm colitur, sed etiam nihil præter ipsum colitur; eo certè machinamento everteris funditus pietatem omnem & legem charitatis æternam atque incorruptibilem. Perinde enim argutabitur aliquis, tum amatum iri Deum vehementissimè, si non ipse tantùm propter seipsum, sed nihil etiam præter ipsum diligatur. Quod palam est esse alienissimum à veritate & fide, legique divinæ adversarium. Ergo statum est conclusumque, tum vel maximè coli amarique Deum, quando propter seipsum ipse, non autem præter ipsum nihil, sed propter ipsum imago ejus intemerata & lucidissima colitur & amatur. Si autem blandiatur tibi illa cogitatio, ita ut non possis eam excutere, atque ejus laqueis tete explicare, tum amplius coli Deum, cum nihil præter ipsum; esto, nihil morabor, assentiar & ipse nihil præter Deum coli; etiam tum enim cum imago ejus colitur & amatur, nihil præter ipsum colitur vel amatur. Tum enim præter ipsum coleretur quidpiam, si propter seipsum aliud quid coleretur; at præter ipsum non colitur, quod propter ipsum colitur: nam præter ipsum non est, quod propter ipsum est: sicut nec præter ipsum amatur, quod propter ipsum amatur.

X. Cultus religiosus externo aliquo & interno constat, sicut & homo ipse. L. 4. c. 15.

Porro quia ex anima & corpore compacti sumus, utroque nostram Deo servitutem testificamur. Ait enim Damascenus: *Quia duplici natura constamus, aspectabili & inaspectabili, seu sensibili & intellectuali, idcirco duplicem conditori nostro adorationem offerimus.* Sed quantum anima corpori, tantum externæ præstat & antecellit interna adoratio. Interna enim Deum sapit, videt, intelligit; æternitatem, omnipotentiam, bonitatem ejus suspicit, stupet, amat; inaccessum, inexpugnabile, ineloquibile fastigium ejus admiratur, & prona ac supplex veneratur. Et hæc vera sapientia est. Externa autem internæ famulatur, ejus arcanum retegit, ejus sensum significat, ei signa & symbola attemperat; ut quæ non se intus capit, in hæc effundatur. Una est autem Christiana pietas, quæ hanc utramque religionis partem complexa sit. Olim enim Philosophi de rebus divinis intra scholarum angustias disputabant. Sacrifici in templis rei divinæ operabantur. Cæterùm & hi à Philosophia, & illi à sacris penitus abstinebant. Quocirca & Philosophia quamlibet magnificè de Deo garriret, profana tamen erat, utpote hospes sacrorum & religionis peregrina. Religio autem corporeis ritibus occupatissima, nec in sublimem de Deo Philosophiam assurgens unquam, in terreno veluti pulvere sordidabatur. At penes nos jugata est & individuè concreta sapientia religioni; iidem Philosophi sunt & sacrifici, inter ipsa sacra philosophantur, & in sacris principatum tenet ipsa sapientia; denique externa religio ab interiore Theologia nusquam sinitur dissociari. Lactantius præclarè cum primis: L. 4. c. 3.

Deorum cultus non habet sapientiam; non modò quia divinum animal hominem terrenis fragilibusque substernit: sed quia nihil ibi disseritur, quod proficiat ad mores excolendos, vitamque formandam: nec habet inquisitionem aliquam veritatis, sed tantummodo ritum colendi, qui non officio mentis, sed ministerio corporis constat. Et ideo non est illa religio vera judicanda, quia nullis justitiæ virtutisque præceptis efficit meliores. Et paucis interjectis: *Quoniam igitur philosophia & religio Deorum disjuncta sunt, longèque discreta, siquidem alii sunt professores sapientiæ, per quos utique ad Deos non aditur; alii religionis antistites, per quos sapere non discitur: apparet nec illam esse veram sapientiam, nec hanc religionem. Idcirco nec Philosophia potuit veritatem comprehendere; nec religio Deorum, rationem sui, quia caret, reddere. Ubi autem sapientia cum religione inseparabili nexu cohæret, utrumque verum esse necesse est; quia & in colendo sapere debemus, id est, scire quid nobis & quomodo sit colendum; & in sapiendo colere, id est, re & actu, quod scierimus implere, &c. Denique iidem sunt Doctores sapientiæ qui & Dei sacerdotes.* Denique corporis tantùm & sensibilium gesticulationum jactatricem, intus autem nihil magnificum de Deo spirantem, aut sapientem religionem exsibilare ille pergens, ait: *Illa enim religio muta est, non tantum quia mutorum est, sed quia ritus ejus in manu & digitis est; non in corde aut lingua, sicut nostra quæ vera est. Idcirco & in sapientia religio, & in religione sapientia est. Ergo non potest segregari.* Quia

sapere

sapere nihil aliud est, nisi Deum verum justis & piis cultibus honorare.

XI. Interior & exterior cultus quo maxime constet.

Inter adorandum autem quid sapiat Deus animæ, jam prægustavimus supra, ubi id expressissima servitute coli ostendimus, quo fruendum est, in quo beata vita constituitur, summum illud magnum, summumque bonum, cui charitas tota spesque beatitatis religanda est, illud unum denique quod unum rationali naturæ antistat, utpote incommutabilis veritas & incorrupta justitiæ lux, cujus formatione tum Angeli, tum homines vegetati beantur, cujus privatione ægrescunt & tabesiunt. Hæc interna est latriæ forma, hic nexus arctissimæ servitutis præcordia ipsa animæ vinciens & astringens Deo. Externa autem cultus hujus significatio sacrificiis maximè & altaribus & templis proditur. Cætera enim quæ corporis ministerio exeruntur cultus officia, nempe ad pedes accidere, adgeniculari, caput demittere, corpus inflectere, osculum libare & id genus alia, humanis etiam plerumque obsequiis evulgata & penè profanata sunt. At templa, aras, victimasque dedicare nisi summo Numini vetat ratio, humanitas ipsa abhorrescit. Augustinus: *Nec illinc excusant impii sua sacrilega sacra & simulacra, quòd eleganter interpretantur, quid quæque significent. Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur, non ad creatorem, cui uni debetur servitus religionis illa, quæ uno nomine latria Græcè appellatur, &c. Manifestum est id quod à nobis piè ac religiosè fit, à voluntate animi proficisci, quæ creatura spiritalis est, & omni corporali præponenda: unde colligitur corporali creaturæ non esse sacrificandum, &c. Nec spiritali quamvis justæ creaturæ sacrificandum est: quoniam quanto magis pia est & subdita Deo, tanto minus se tali honore dignatur, quem scit non deberi nisi Deo.* Latriæ ut vides unum vendicat sacrificium, quòd uni Deo id peculiare sit. Et rursus alibi ex eo quòd corpora nostra templum sint Spiritus sancti, eidem tanquam verò Deo latriam offerendam esse argumentatur: *Si autem quæ membra sunt Christi, templum est Spiritus sancti, non est creatura Spiritus sanctus: quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est ut huic servitutem eam debeamus, qua nonnisi Deo serviendum est, quæ Græcè appellatur latria.* Et alibi explanans eccur tam enixè obstiterint Paulus & Barnabas, ne sibi ab superstitiosissima multitudine sacrificaretur; *Intendite ergo quomodo homines boni prohibent eos, qui se voluerunt colere tanquam Deos, & volunt potius ut Deus unus colatur, Deus unus adoretur, Deo uni sacrificium offeratur, non sibi.* Et invidiam facienti Manichæo, quod martyres tanquam Deos religioso cultu afficeremus, respondet, martyribus à nemine Christiano sacrificari, idque abundè esse, ut clareat latriæ cultum nullis martyribus delibari. *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memorias martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum Martyrum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo qui martyres coronavit, &c. Colimus ergo martyres, eo cultu dilectionis & societatis, &c. At eo cultu quæ Græcè latria dicitur, Latinè dici uno verbo non potest, cum sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus aut offerendum præcipimus vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo.* Purgatos igitur abundè nos esse existimat ab infamia temerè nobis aspersa ex martyrum cultu, si constiterit tantùm nulli martyrum ac nulli omnino creaturæ à nobis immolari. Et con. serm. Arian. c. 29. Spiritus sancti Deitatem rursus confirmat, quod ei latria dependatur: dependi autem latriam ex eo arguit, quod ei templa nos ipsi sumus, cui dependeretur hauddubio etsi ipsi non essemus, sed excitaremus ei templa. *Jam verò si aliquibus terræ molibus Spiritui sancto templum fabricaremus: quis dubitaret ei nos latria, id est, ista de qua nunc loquor servitute servire? Quomodo ergo non ei servitutem quæ latria dicitur, exhibemus, cui templum non facimus, sed nos ipsi sumus?* Rursum ex eo quod omnis natura creata instar habeat templi Deo dicati, maximè autem natura rationalis, quæ templum ipsa & altare est, & hostia atque antistes suæ hostiæ ipsa, nulli nisi Deo adferi posse hunc sacrificii honorem evincit. Nec enim sacrificabitur ei naturæ, quæ non templo honoranda, sed templum ipsa est: non aris inscribenda, sed ara habenda est: non hostiis & sacerdotibus prosequenda, sed sacerdotis & hostiæ nomina & partes ipsa sustinet. *Huic nos servitutem quæ latria Græcè dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus enim templum, simul omnes; & singuli, templa sumus. Quia & omnium concordiam & singulos inhabitare dignatur, &c. Cum ad illum sursum est, ejus est altare cor nostrum: &c. Ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: ei suavissimum adolemus incensum, cum in ejus conspectu, pio sanctoque amore flagramus.* Usque adeo enim specialis quam Deo uni debemus, servitus uno maximè sacrificio continetur, ut cætera quoque cultus divini quasi corollaria, coloribus etiam insignibusque sacrificii inumbrentur.

Epist. 49.

L. 1. de Trin. c. 6.

In Ps. 96.

Con. Faustũ. L. 20. c. 21.

De Civit. L. 10. c. 4.

XII. Rursus ut exterior Dei cultus uno maximè sacrificio cõtineatur.

Latriam igitur uno potissimum constare sacrificio externo, multis conclusum est documentis: quòd Angeli hominesque divini cultus à se deprecati detestatique sint invidiam tum, cum sacrificia detrectarunt: quòd dæmones in fines invaserint divinitatis usurpando sacrificio: quòd Idololatræ hinc insusti sint infamia, quòd simulacris victimas cæderent: quòd Martyres in Dei vicem à nobis non coli eo patefactum sit, quòd nulla eis sacrificia nuncupentur: quòd Spiritui sancto sua vindicetur divinitas, ex templis quibus celebratur, nimirum corporibus nostris: quòd denique rationalis creatura omnis & universim & sigillatim templum ipsa & altare, victima & Sacerdos sit Deo, ideoque non ipsa Deus, nec divino cultu oneranda, aut obruenda. Quocirca idem Augustinus: *Nam ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad religionis obsequium, quo colitur Deus; sacrificium certè nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo soli. Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera: ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem eis multum additur, & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum, aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Cui succinit septima Synodus Oecumenica: *Denique manifestus est idolorum servitutis modus. Apud nos autem unus est Deus adorandus: & una atque eadem in ipsum est fides, & unum ac salutare baptisma. Sic & una quæ offertur ei latria à nobis, sicut traditum est à sacris Apostolis & conservatum: sacrificiumque laudis, quod per Christum referendum est Deo & Patri, ut divinus ait Apostolus: id est, labiorum fructus, confitentium nomini ejus; & divinissima traditio quæ est in vivificis mysteriis, &c.* Ubi latria seu servitus uni Deo immolanda, utroque statim, interno nempe externoque sacrificio explicatur. Denique Græcis Scriptoribus λατρεία plerumque pro sacrificio sumitur: & Latria mystica appellitatur sacrificium Ecclesiæ Catholicæ. Ne calumnia ergo posthac struatur, ne invidia conflетur nobis, id ante cætera contestamur, id ex altissima veluti specula,

Civ. l. 10. c. 4. Act. IV.

cula, unde exaudiat genus humanum, exertissima voce pronunciamus, id profitemur, id Catholica Ecclesia sæcularis omnibus ubique terrarum testificata est, nulli creaturæ eum cultum offerri, qui Deo debeatur: uni Deo tanquam summo & beatifico bono, cultum amoremque totum affigi & consecrari: uni servitutem addictissimam, uni sacrificium immolari; si qua honoris, si qua servitutis portio florentissimis sanctitate & sapientia Angelis hominibusque libetur, non ut diis, sed ut Dei servis, conservisque nostris libari, nec Deo decerpi, sed adjici; quod enim propter ipsum colitur, in eo ipse colitur; quod propter ipsum colitur, non præter ipsum colitur; quod propter ipsum & infra ipsum diligitur, non præter ipsum diligitur, sed in ipso & ipse diligitur; quod propter ipsum diligitur, nisi diligatur, minus ipse diligitur, cujus præceptum fastiditur. Præcepit enim ipse ut charitate invicem serviamus, & prece atque ope qua fas est, mutuò faveamus; nec ulla vicissitudo rationalis creaturæ in seipsam est, nisi charitatis, imitationis, societatis juvaminisque per præces, quibus uni Deo serviatur, unus Deus etiam in proximo diligatur, ad unum Deum ab omnibus omnium una connitentium ope perveniatur.

CAPUT II.

Verbum caro factum unica latriæ adoratione colitur, atque ita latriæ cultu etiam humanitas implicatur.

I. *Latriæ cultu non creatura ulla, sed Verbum Dei incarnatum colitur.*

Ex incarnatione Verbi hìc unus præ cæteris fructus carpendus expectabatur, ut à creaturarum cultu averteretur, converteretur autem ad unius summi numinis venerationem genus humanum, & à terrenis expeditum vinculis, in libertatem uni veritati liberaliter servientem vendicaretur. Num ergo tam pulchra spe ludificamur, si assumptæ à Verbo humanitati servitus eadem quæ Deo, id est, creaturæ eadem quæ Creatori latria exhibenda est? Num in sordidæ iterum servitutis compedes revolvimur? Num extricari à creaturarum cultu nequimus ita, ut non in ejus saltem servitute hæreremus, per quam à cæteris absolvebamur? An ita sibi pugnat incarnatio, sibique discors, destruit & rursum struit, sanat & denuo vulnerat, liberat & non disparibus iterum vinculis mancipat? Sed quò tandem illa evadent, quæ capite superiore præfundata sunt, nulli nisi increato & incommutabili, & beatifico bono litandam esse latriam, si naturæ statim creatæ eam adsignamus?

II. *Ex Athanasio.*

Ergo ut dilucescat & enubiletur hoc dubium, duo quædam nobis præstanda sunt. Primò enim ex sacris litteris, ex Ecclesiæ inoffensa pietate, ex consensione sanctorum Patrum, humillima illa servitus quæ latria dicitur, Christo Deo atque homini repræsentari debere evincetur. Tum deindè copiosius edisseretur, qui constet istud Christianæ religionis quasi fastigium ex Christi cultu exurgens, cum iis quæ suprà jecimus fundamentis.

Quod ad primum ergo attinet, ea omnia conjugata sunt argumenta & inexplicabiliter intricata, quæ ex Scripturis, ex fide & pietate Ecclesiæ, ex Patrum suffragio, ex fidelium omnium conspiratione petuntur. Audiamus Athanasium Epistola ad Adelphium: *Non enim creaturam adoramus: absit: In Ethnicos & Arianos istiusmodi delirium competit. Sed Dominum rerum creatarum, incarnatum Verbum Dei adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est: neque istiusmodi corpus seorsim discriminatum à Verbo adoratione prosequimur: neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus: sed cùm sciamus Verbum carnem esse factum, illud jam in carne situm, Deum agnoscimus. Quis igitur tam vecors est, ut Domino ita loquatur: Absiste à corpore, ut te adorem? Aut quis ita impius est, ut cùm Judæis propter corpus dicat ei, Cur tu homo cùm sis, Deum te facis? Atqui non talis erat leprosus, adorabat enim Dominum in corpore, eumque Deum esse præsentiebat his verbis utens, Domine, si vis, potes me mundare. Neque ob carnem arbitratus est esse creaturam Dei Verbum: neque quia Verbum erat opifex rerum, carnem pro nihilo habuit, qua indutus erat: sed ut in re creata, Creatorem subsistentem adorabat, ideoque mundatus est.* Adoratum hic vides Christum, & quidem ut hominem conspicuum, sed tamen etiam ut Deum divinaque fretum potestate: nec improvidè aut temerè adoratum, sed tam piè, quàm fœliciter corporis sanitate per adorantis pietatem expugnata.

Pergit ibidem Athanasius: *Mulier item quæ sanguinis fluxu laborabat, solius fimbriæ contactu sanata fuit. Et mare fluctibus spumosum, ubi audierat Verbi incarnati vocem, à tempestatibus conquievit. Itidem & is qui à nativitate cæcus erat, saliva carnis curatus est à Verbo. Et quod majus & admirabilius, etiam in ipsa cruce pendente Domino, cùm ejus ibi corpus esset, & in corpore Verbum, Sol obtenebratus est, terra intremuit, petræ scissæ sunt, &c.* At inquies, quorsum hæc ad adorationem? Occurrit enim operum admiratio, non operantis adoratio. Verùm ad operantis adorationem rapit ipsa operum admiratio. Non sejunctim Verbi Deitatis miraculis clarescebat, ut eorum stupore adoratores sibi conciliaret: sed conjunctim cum carne sua, & per carnem suam, per carnis vocem, tactum, per carnis sputum, per vestium fimbriam insignia quæque & admirabilia edebat omnipotentiæ suæ documenta, ut caro ipsa pariter adoraretur, quæ simul optabatur: & tantò penè proclivius adoraretur, quantò ipsa patentius latitante Deitate operabatur. Ut quid enim dissociaretur caro à Verbo in adoratione, quæ non dissociabatur in operatione? Ut quid divelleretur ab adorante, quæ non divellebatur ab operante? Ut qui sequestraret obsequium, quam non segregabat beneficium? Adoratio operationi, obsequium beneficio rependitur: ergo carni unde benefica operatio scatebat, officiosa adoratio retalianda erat. In fraudem alioqui homines egisset Verbum, & cùm corpora exolvebat, animos exitialiori ægritudine illaqueasset, si miracula operanti carnem sibi commiscuisset & obduxisset suam, eandem autem cum ipso complicantes adoratores, tanquam gravis piaculi reos damnasset. Denique naturæ totius obsequium ad carnis Verbi jussa sequacissimæ, ad ejus contumelias & crucem coortæ tenebræ, incussus tremor, & justitium & luctus & penè funus mundi, hæc haudquam muta, sed facundissima & contestatissima fuit carnis adoratio. *Non enim rem creatam rerum natura adorabat, neque ob carnem ejus recusavit Dominum adorationibus prosequi, sed ideo adoravit, quia vidit suum opificem in carne consistere.*

Rursum idem ibidem ex Paulo; *Et in nomine Jesu omne genu flectebatur & in posterum flectetur, cælestium simul & terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitebitur Dominum Jesum Christum esse in gloria Dei Patris. Non enim caro ignominiam attulit Verbo Dei, absit: sed potius caro per Verbum Dei glorificata est. Neque ideo quia servilem formam assumpsit Filius, qui in forma Dei est, quidquam diminutus est in sua Deitate: sed potiùs universæ carnis rerumque creatarum liberator & vindex effectus est.* In nomine Jesu, quod carnis nomen est, omne genu flectitur: carni ergo procumbitur, nec immeritò. Etenim

nim Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. Cùm carne enim sua paterno sessitat in solio Christus, divini collega imperii, paternæ consors Majestatis. Num ergo ei servire cunctabimur? Ad hæc, non caro ignominiam Verbo, sed Verbum carni gloriam contulit; ideo non Verbo derogatur propter carnem, sed carni propter Verbum, eadem quæ Verbo debetur, adrogatur adoratio. Denique adeo non caro ignominiam illevit Verbo, ut gloriæ illi segetem cumulaverit. Per carnem enim suam audit jam & celebratur Verbum sospitator redintegratorque naturæ totius. Ergo non expungenda fuit caro à Verbi gloria, nec ab adoratione ejus interdicenda; ne per quam liberator erat Christus, ea à liberationis fructu proscriberetur.

III. Ex eodem, ut una adoratione Verbum cũ sua carne adoretur. Idem ibidem urget redemptionem nostram peragi nequisse, nisi carne indivulsè Verbo copulata. Ubi vicem ergo nunc rependimus Redemptori; ne divellamus à Verno adorando carnem, quæ divelli non potuit à Verbo redimente. Item non disjungitur à Verbo sua nostraque caro, cum redemptionis non merita tantùm, sed præmia nobis ingerit. Cum carne enim Verbum à Stephano cernitur Patri assidere, & ibi cum carne sedet, ut nos quoque cum ipsa, quia caro illa nos sumus, in cœlestibus consideamus. Non enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Nec nos ergo cœlis invehimur, Deoque bono nostro & beatitati adglutinamur, nisi quà concreti sumus conflatique in unum cum illa carne Verbo inexplicabiliter implicata. An nostra ergo adoratio carnem à Verbo diffuet, quæ si posset diffui, tota spes de cœlesti regno nostra perimeretur? Per quam Verbo contextam æterna consequimur præmia, num illam Verbo perinde contextam non adorabimus? Si adoraturis non obversatur caro, sed seorsim inhonora sordet, ut quid beatificandis occursat, sibique nos & per se Verbo copulat? Num adorandi, hoc est beatifici boni nomine exauthorabimus & honore, per quam beatifici boni compotes existimus? *Nam qui Verbum carnem factum adorare nolunt, ingratos se exhibent ejus humanitati: qui verò distrahunt Verbum à sua carne, nullam omnino redemptionem peccati aut mortis evastationem existimant. Ubi quæso tandem nefarii seorsum per se inveniunt illam carnem quam Salvator noster Jesus Christus assumpsit, ut audeant dicere, non adoramus Dominum cum carne, sed disjungimus corpus, & illi soli latriam offerimus? Beatus certè Stephanus in cœlis vidit Dominum à dextris stantem. Angeli item dixerunt discipulis; Ita veniet quemadmodum vidistis eum in cœlos proficiscentem. Quin & ipse Dominus dixit alloquens Patrem, Volo ut ubi ego sum, & ipsi ubique nobiscum sint.* Ubi quæso, nisi in beatifico bono fore nos sponsor est Christus? At non aliter quàm in ipso, per quod ipse in nobis est, hoc est, per ejus carnem, in qua conseruit & commiscuit nos sibi. Ergo si ita conserta Verbo est, ut nos beet, num consertasatis quoque non erit, ut adoretur?

IV. Idem ex Cyrillo. L.3.adv. Nestor. pag. 57. Athanasio consentaneus est Cyrillus, Christumque in carne adoratum probat ipsa Christi testificatione: *Cur frustra nugaris? Cur gestatum & gestantem, spectabilem & latentem appellas? Et tanquam alium cum alio simul adorare profiteris, & modum unionis contemnis, cùm divinitus inspiratæ litteræ illud ex Deo Patre Verbum cum suo corpore unum nobis Christum & Dominum esse pronuntient? An ignoras ut illi à nativitate cœco, Jerosolymis à se curato, cùm postea invenisset in templo, firmam & stabilem indiderit fidem? Nam accedens rogavit, Tu credis in Filium Dei? Ad hæc illo clamante, Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ipse rursum: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Vides quomodo non gestantem, non intus latentem, sed sese cum carne tanquam unum ostenderit?* Et sanè hoc Christi magisterio rursum & beatiùs illuminatus, procidens adoravit eum. Quin adorasset enim, quem Filium Dei credendum, & hac ipsa fide religiosissimè adorandum hauserat? Nam fides, spes, charitas quid nisi triplex & inexpugnabile servitutis nostræ Deo nos religantis vinculum est? Si in Christum ergo credendum erat, sed si vel maximè in eum ut Dei Filium credendum erat, offerenda protinus illi erat adoratio, & ipsa potiùs fides jam præfestinæ & maturatæ adorationis præsumptio fuerat. Si scruteris autem quis adoretur, quis Filius Dei credatur, respondet Christus: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* Carne utique videbatur, carnis voce audiebatur, & is ipse credebatur Filius Dei, & adoratione dejectissima colebatur. Et quidem cum Christus in carne etiam & qua hic homo est, Filius Dei sit proprius & natura, non ascititius, quis tergiversetur proprium Dei Filium utique Deum humillima servitute venerari? Quis religioni habeat refugiatve Dei Filium adorare, ne Deo uni honor debitus contaminetur, si alieno à Deitate cuipiam pendatur? Num à Deo alienum & peregrinum suspicaberis eum, qui proprius Dei Filius tam prolixè alibi demonstratus est? Ergo ex hoc uno loco emicat ratio multiplex adorandæ carnis in Christo.

Idem ibidem Cyrillus: *Certè B. Joannes: Quod fuit ab initio, inquit, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ. Atqui divinitas est intractabilis. Sed Verbum suæ carnis ratione tractabile factum est. Invisibile quidem erat secundum naturam, sed spectabile per corpus. At verò tu contra distinguis omnino, &c.* Et ne plura ex Scripturis contexantur, genus ipsum in aperto est, & ex hoc gustu fas est de reliquis censere. Ubique enim indissociabilis cohæret sua caro Verbo: per eam videtur & contrectatur: quin ergo & per eam adoretur? An magis à carne distat adorari, quàm à Verbo contrectari? Si ita complicatur caro Verbo, & Verbum carni, ut in carne Verbum palpetur, quin etiam ut in Verbo caro adoretur? Numquid in suas proprietates invictiùs pertrahet caro Verbum, quàm Verbum carnem?

Idem Cyrillus in Scholiis in Epistola ad Hebræos, *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ubi planum est hominem Christum adoratione Angelorum decorari. *Adoratione verò non est dividendum in hominem seorsum & Deum seorsum, &c. Neque enim Deus omnipotens duos primogenitos præcepit oportere, tam à nobis, quàm à sanctis Angelis adorari. Unus est enim qui est introductus in orbem terrarum. Et si introductionis modum curiosiùs perscrutemur, carnalis dispensationis mysterium inveniemus. Introductus est autem in orbem terrarum, tunc cum factus est homo, &c.* Et ab Apostolis adoratum sæpiùs commemorant Evangelicæ literæ. In Sch.c.17.

V. Ex Ambros. Et ne rem indubitatissimam infirmasse magis videamur si plures astipulatores aucupemur, quàm confirmasse, unus è Latinis omnium instar asciscetur suffragator Ambrosius. *Adoravit enim Christum Maria, & ideo prænuncia resurrectionis ad Apostolos destinatur, &c. Adoraverunt & Apostoli: & ideo quia detulerunt fidei testimonium, acceperunt fidei magisterium. Adoraverunt & Angeli, de quibus scriptum est: Et adorent eum omnes Angeli ejus. Adorant autem non solum divinitatem ejus, sed etiam scabellum pedum ejus: quia scriptum est: Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Aut si negant quæ in Christo etiam incarnationis adoranda mysteria sint, in quibus velut vestigia quædam divinitatis expressa & vias quasdam Verbi cœlestis advertimus, legant quia & Apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem.* Vides quanta mole testimoniorum exemplorumque ex L.1.de Spiritu sanct. c. 12.

utro-

utroque instrumento selectorum certet pro Christi hominis adoratione. Et Apostolorum æmulatricem Ecclesiam universam ad Christi genua accidere, & scabellum ejus id est carnem adorare ibidem paulò post declarat: *Itaque per scabellum terra intelligatur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. Neque enim divisus Christus, sed unus.* Hæc ille.

IV. Et solus tamen Deus colitur latria, quia nefas est Christum dissecare, carnem à Verbo sejungere. Ex Ambrosio.

Adoriunda ergo jam nobis est pars altera hujus capitis, qui nihil obstrepat adoratio carnis Christi ei legi, quam suprà sacrosanctam & incontaminabilem nobis promulgari audivimus, de servitute uni vero Deo summoque bono consecranda. Ambrosius loco allegato commendans illud Prophetæ jubentis adorari scabellum pedum ejus, ait: *Neque adorandum quidquam præter Deum legimus, quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies. Quomodo ergo adversus legem Propheta præciperet sub lege nutritus & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentius consideremus quid sit scabellum.* Horum dogmatum conflictationem extantem vidit, nec dissimulavit: sed & profligavit statim, scabellum illud carnem Christi interpretatus, carnem inquam Verbi, non secretum quid disjunctumque à Verbo. *Itaque per scabellum terra intelligatur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt. Neque enim divisus Christus, sed unus, neque cum adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex virgine negabatur.* Ita ille perplexum extricat nodum. Unus enim Christus est, ex Deo & homine, homo & Deus, unusque adorandus. Unum est Verbum peræquè adorandum postea in carne, quàm antea sine carne: caro enim illi accessit, non per carnem quidquam decessit. Totum ergo Verbum adoratur, sive hoc toto priùs non contineatur caro, sive postea contineatur. Personæ igitur Verbi cùm debita persolvitur adoratio, accedit ut personæ, ita & adorationi caro. Si autem vel carnem adorare pernegес, vel sejunctim & indulgentiùs adores, Christum dissecas, & totam incarnationis dispensationem interimis. Caro enim quæ sejunctim non est, eccur sejunctim colatur, aut etiam non colatur? Eccur in adorandum & non adorandum, aut aliter adorandum scindimus, & copulam hypostaticam dissipamus? Quare idem Ambrosius: *Numquid cum & divinitatem ejus adoramus & carnem, Christum dividimus? Nunquid cum in eo imaginem Dei crucemque veneramur, dividimus eum? Apostolus certè qui de eo dixit: Quoniam etsi crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei, ipse dixit, quia non divisus est Christus.* Nefas itaque adorando Christum dividere. Hinc negat fidenter Ambrosius creaturam adorari. Verbum enim etiam cum carne sua, creatura non est, sed creator. *Quid enim proficis, si dicas, quia Christus hæc an illa creatura sit? Creatura mutatur, divinitas adoratur. Noluit se sic Christus agnosci, &c. Petrus dicit, Tu es: non dicit, Tu esse cœpisti. Petrus dicit, Tu es Filius Dei: non dicit, Tu es creatura.* Et infrà, *Cum Deus semper esset æternus, incarnationis sacramenta suscepit, non dividuus, sed unus; quia utrumque unus, & unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Generatio generationi non præjudicat, nec caro divinitati.* Geminæ ergo substantiæ gigas, non tamen dividuus, sed unus, quia utrumque unus, nempe non Dei ad hominem, sed hominis ad Deum accessione, & in Deum immersione, idem cum carne qui priùs sine carne, & Deus & creator & adorandus, non creatura adorationis proprietate exauthoranda. Et alibi idem: *Subter creatura omnis; supra divinitas Patris & Filii & Spiritus sancti. Illa servit, hæc regnat. Illa subjacet, ista dominatur. Illa opus, hæc author est operis. Illam adorat omnis, hæc adoratur ab omnibus. Denique de Filio scriptum est, Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Vides quàm jactanter clamet non adorari creaturam, etsi adorandum ullatenus sejungi finatur. Nimirum ut adoretur ab Angelis primogenitus in orbem introductus: quia adoratur Verbum Deus creator, qui ipse homo jam est, nec suam à se carnis accessionem & quasi accrementum suum divelli patitur. Et denique: *Prohibuit itaque me Paulus creaturæ servire, sed Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus. Paulus inquit servus Jesu Christi. Bonus servus, qui Dominum recognoscit, ipse creaturæ servire nos prohibet. Quemadmodum ergo ipse Christo serviret, si creaturam Christum putaret?* Parco pluribus.

L. de In.arn. Dom. Sacr. c. 7.

Ibid. c. 4. 5.

L. 1. de Spiritu sanct. c. 3.

L. 1. de fide. c. 7.

VII. Ex August. In Ps. 98.

Augustinus autem vestigia premens Ambrosii: *Ergo terram nos jubet adorare, quia dixit alio loco quod sit scabellum pedum Dei. Et quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura: Dominum Deum tuum adorabis, & hic dicit, Adorate scabellum pedum ejus, &c. Fluctuans converto me ad Christum, quia illum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit, inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Ita ergo ille & adesse præsentissimam & adorari in Christianæ Ecclesiæ mysteriis Christi carnem docet, nec tamen legi, creaturam coli vetanti, injuriam fieri. Nempe quia Verbi caro est, quia scabellum sanctum est, id est, sanctitatis & justitiæ incommutabilis, quia caro non prodest quidquam, sed Spiritus vivificat, id est, non carni adhærescimus, sed in ea Deitatem Verbi ut vitam æternam & bonum beatificum prehensamus. Unde ille pergit: *Nunquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa, commendatione ejusdem terræ loqueretur: Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest. Idcirco & ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cujus pedum scabellum est quod adoras, propter ipsum enim adoras. Ideo & hic subjecit: Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Quis sanctus est? In cujus amore adoras scabellum pedum ejus. Et cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, & à Spiritu non vivificeris. Spiritus enim inquit vivificat: caro autem nihil prodest.* Vides ut in adoranda etiam carne, cultus & honor totus ad Verbum intendatur, in quod & ipsa caro abrepta est: ut non tam caro adoretur quàm Verbum in carne. Adoratio enim ea etiam quæ carni delibatur, carnis non est, sed Verbi, cujus & ipsa caro est. Quid enim suum habeat caro, quæ nec se habeat? Quid ad carnem pertineat, quæ nec ad se pertinet? Quid sui juris habeat, quæ nec ipsa sui juris est? Quo honore suo gaudeat, cui suum nihil est, quia nec ipsa sibi sua est? Cum vel maximè honor cultusque ad personam pertineat, ut qui perfectioni & totalitati potissimum ipsi, quæ penes personam est, exhibeatur. Porrò rectè Augustinus monet non carnem seorsim spectatam adorari, ut quæ sic nihil prodesset, nec ipsum sanctum esset; sed spiritum, id est Deitatem in carne, ut quæ vita sit & sanctitas.

VIII. Ex Hieronymo.

Hieronymus non alia in sententia versabatur, cum ad Pammachium adversus errores Joannis Jerosolymitani hæc scriberet: *Statimque subjungitur: Et nemo audebat interrogare eum, tu quis es? scientes quod Dominus est. Nemo audebat, quia Deum sciebant. Vescebantur cum prandente, quia hominem & carnem videbant: non quod alter Deus,* alter

alter homo esset; sed unus atque idem Filius Dei, cognoscebatur ut homo, adorabatur ut Deus. Unus atque idem & qua homo & qua Deus, Filius Dei, planè adorabatur.

IX. Ex Rustico. Rusticus S. E. R. Diaconus Cardinalis in disputatione contra Acephalos: *Quid enim, dic mihi, nonne scriptum est: Et adorate scabellum pedum ejus? hoc verò est terra: Adoratur enim corpus quod de terra est. Non ut per semetipsum, aut propter semetipsum adoretur, ut Deus: sed ut per corpus & per carnem, sive humanitatem, Deus Verbo qui in humanatus est, coadoretur. Certè enim & per fimbriam vestimentorum operatus est in illa quæ sanguine fluebat: & nullus tamen dicit, unam naturam esse vestimentorum & Verbi, &c. Per quod igitur operatur, dum per hoc & ipso adoratur & colitur, complacet colentibus se.* Non per semetipsam aut propter semetipsam adoratur caro, sed Deus per carnem. Quin enim adoretur per carnem, qui operatur per carnem, ut arguit Rusticus? Operatur autem per carnem, non tanquam extraneo aliquo instrumento, sed tanquam per aliquid sui, tanquam per semetipsum, ex quo Verbum caro factum est, & caro Verbi propria facta est, ut idem Rusticus ibidem præmonuerat: *Quoniam id quidem quod assumptum est, proprium per dispensationem factum sit assumentis, &c.*

X. Ex Hildephonso. L. de virgin. S. Mariæ. Hildephonsus Episcopus Toletanus: *De quo sanè mysterio Cyrillus ad Nestorium, ita unum Christum confitetur, scilicet Deum & hominem; non tanquam hominem adorantes cum Verbo, ne per hoc divisio quædam spiritus introducatur, sed unum eundemque adorantes in unitate personæ: quia non alienum à Verbo corpus suum est, neque diversum; quia Verbum caro factum est, & homo in Deum ita counitus & assumptus, ut unus sit Deus.* Hæc ille à Cyrillo, ut ad Græcos jam tempestivius sit descendere, qui in hoc argumento copiosiùs splendidiùsque versati sunt. Atque inprimis

XI. Ex Athanasio. Athanasius locis supra relatis occupasse jam videtur ambigui hujus elucidationem. Cum enim adorandum inculcaret hominem Christum, non authoritate tantùm certabat, sed & ratione indeclinabili deprompta ex unitate personæ. Epistola ad Adelphium: *Non enim creaturam adoramus, absit, &c. Sed Dominum rerum creatarum, incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est: neque istiusmodi corpus seorsim discriminatum à Verbo adoratione prosequimur: neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus: sed cum sciamus Verbum carnem esse factum, illud jam in carne situm, Deum agnoscimus. Quis igitur tam vecors est ut Domino ita loquatur: Absiste à corpore ut te adorem:* Cumque ad Christi jussa naturam omnem obsequentissimam extitisse dixisset: *Quamvis humanam vocem audirent, non tamen ideo eum creaturam autumabant, imo majorem in modum inhorrescebant, nihiloque minus sic eum agnoscebant, quasi è templo sancto suo vocem dedisset, &c. Neque enim rem creatam natura adorabat, neque ob carnem ejus recusavit Dominum adorationibus prosequi: sed ideo adoravit, quia vidit suum opificem in carne consistere.* Et infrà: *Ubi tandem nefarii seorsum per se inveniunt illam carnem quam Salvator noster Jesus Christus assumpsit, ut audeant dicere, non adoramus Dominum cum carne, sed disjungimus corpus, tumque illum solum latria prosequimur? &c. Jam si omnino indivisibilis est caro à Verbo, &c.* Et paulò post; *Et tandem cognoscant nos qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, sed creatorem corpore creato indutum, &c.* Vides quàm studiosè instet præferatque non creaturam à nobis adorari, etsi adoretur Verbum cum carne, nec caro Verbi à Verbo inter Verbum cum carne, idem est atque antè sine carne non auctum, non geminatum, non deminutum: ita una illi atque eadem immolatur servitus, carne vestito, atque priùs nudo. Porro ut ejus personæ implicatur nunc caro, ita & adorationi, quæ ei impenditur, caro eadem implicatur. Adoratur enim persona Verbi, & tota adoratur, quia & tota una est, & adoranda est, quia Deus, quia Creator, quia summum bonum est. Ubi igitur caro accessit personæ Verbi, accessit & dominationi & majestati, ut quàm una erat cum Verbo, tam una adoratione & servitute coleretur. Ibidem Athanasius: *Vellem autem exquireres ab eis, rectène fecerint an secus Israelitæ, cum prout jussi erant, ascenderunt Jerosolymam, Dominum adoraturi in templo, ubi erat Arca, & super Arcam Cherubini, gloriæ propitiatorium inumbrantes? Quo exitio non digni sunt, qui prisci illius populi reverentiam erga templum laudant, Dominum in carne ut in templo suo adorare recusant?* Nihilo magis ergo creaturam adoramus, quàm olim Israelitæ cum Deum in templo sancto suo venerarentur: Quanquam hæc similitudo plurimùm deficiat à vero. Nam cum templo corporis sui una persona Verbum est. Sed hinc tantò æquius est, adorari cum corpore suo Verbum, nec tamen nisi Deum adorari, quantò corpus Verbi unum cum Verbo est, & intra Verbum ita demergitur, ut seorsim non appareat. Denique idem Athanasius ut verba ejus antè relata fidem faciunt, ex operatione Christi ad adorationem validissimè argumentatur. Si enim per carnem divina patrabantur, quin etiam per carnem Deitas colatur? Divinis enim operibus adoratio & servitus impetrabatur. Igitur ut unus erat Creator omnipotens, per carnem ea operans, quæ latriam extunderent, ita unus per carnem latria colitur idem Creator omnipotens. Quanquam enim duplex operatio Christi est, unus tamen operans; nec operationi adoratio, sed operanti adhibetur, etsi operanti propter operum stuporem concilietur.

XII. Ex Cyrillo. Anathem. 8. Cyrillus Athanasij lambit vestigia. Itaque sic ille definit: *Si quis hominem assumptum unà cum ipso Dei Verbo adorandum, una cum illo glorificandum, unà cum illo, tanquam alterum in altero existentem, Deum appellandum esse, dicere ausus fuerit, (hunc enim intellectum, particula, Cum, adjecta, perpetuò & necessario afferre consuevit) & non una potius adoratione Emmanuelem adorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum caro factum est, anathema sit.* Quæ definitio non Cyrilli tantùm, sed Concilij Alexandrini, & Ephesini Oecumenici authoritate fulcitur. Scrupulosissimè autem & castigatissimè definit Cyrillus, ut ne coadorari quidem caro, vel homo dicatur cum Verbo, ne creatura cum Creatore coadorari videatur: sed una adoratione, qua sempiternum colebatur Verbum, colatur & idem caro factum. Et rursus alibi: *Nos verò una adoratione honorare consuevimus Emmanuelem, non dividentes à Verbo corpus, ipsi secundùm hypostasin unitum.* L. 2. adv. Nestor. pag. 55. Incommutabili enim Verbo sua invariabilis adoratio adolenda est, à qua jam ejus caro tam alliena non erit, quàm aliena ab ejus hypostasi non est. Ut quid enim expers sit honorum Verbi, quæ nec substantiæ ejus expers est? An substantiàm totam Verbi combiberit caro, & honorificentiam ejus non delibaverit? An plenitudinem divinitatis corporaliter insidentis sibi circumgestabit homo, non ut peregrinum quid, sed ut seipsum circumferens, & tamen honorum divinitatis exors erit? Absit tantum nefas. Idem ibidem: *Adoratur enim etiam cum carne, ut ante carnem erat adorandus: erat enim & est secundum naturam Deus & ante exinanitionem & cum exinanitionem subiisse dicitur, factus nostri similis.* Idem cum carne qui sine carne olim; & tamen homo jam Verbum & Deus est; ergo una dependitur illi nunc adoratio, quæ olim ante carnem, & tamen una illa adoratione implicatur ornaturque caro. Ut enim una persona Creatoris est, etsi caro illi accesserit, non per-

perfunctoriè aut umbraticè, sed physicè & substantivè: ita una adoratio Creatoris est, etsi illi caro non verbo tenus, sed reapse & substantivè inferatur. Istud porrò est, non creaturam adorari, sed creaturam Creatoris substantiæ inseri & commisceri, atque ita Creatorem adorari. Itaque qui invidiosiùs in nos invehuntur, quòd creaturam Creatoris cultu dignemur, obliquè in Deum ipsum effervescunt, qui creaturam Creatoris substantiæ conglutinavit, atque ita & honorificentiæ Creatoris illigavit.

XIII. Ex eodem. Idem Cyrillus ibidem: *Non alius erat gestans à gestato, sed potiùs idem, utpotè in coitione Deitatis & humanitatis consideratus: unus etiam ac solus, verè Dei ac Patris Filius. Ergo ut unum adorat cum sua carne ipsum & ex Deo Verbum, &c. Num enim si quis de quocumque nostrum simili homine, vel de uno quopiam terreno Rege dicere voluerit: Propter animam Regis veneror corpus ejus, propter latentem adoro quod est spectabile: non illico quivis objurget ac dicat: Quid tu facis o bone vir? unus omnino homo est qui rerum potitur, quamvis è duobus videatur compositus, ex anima inquam & corpore. Cur igitur nobis frustra nugaris, cum gestantem & gestatum, latentem & spectabilem appellas? & tanquam alium cum alio simul adorare profiteris, & modum unionis contemnis, cum divinitus inspiratæ litteræ illud ex Deo Patre Verbum cum suo corpore unum nobis Cristum & Dominum esse pronuntient.* Ita ille Nestorium explodit, qui una adoratione venerari se Christum simulabat, nempè hominem propter Deum, gestantem propter gestatum, aspectabilem propter inconspicuum: qua strophа totum fidei nostræ sacramentum dilapidabatur. Ita enim gestans à gestante, homo à Deo secernebatur; ita Christus homo non Deus, sed Deifer habebatur: ita creatura propter Creatorem, non unus Creator observabatur Deus Verbum. Caput autem horum & causa malorum in eo vertebatur, quòd Christum bisecaret Nestorius in substantia, conglutinare autem & in unum resarcire niteretur unitate adorationis; qua in re turpissimè hallucinabatur. Nec enim ex una adoratione unus Christus confingendus erat, sed uni Christo tum una denique adoratio erat adornanda. Substantiam enim consectatur adoratio, non adorationem substantia. Conduplicatur, augescit, decrescit, & omnimodis attemperatur honos personæ, non persona honori. Ergo ut una constet Christi adoratio, stringenda priùs est hypostatica fibula; nam hac laxata, diffluet pariter & dilabetur adoratio. Non potuit autem res elucidari ullo elegantiori, quàm corporis & animæ exemplo, quo eodem pulcherrimè unio hypostatica Verbi & hominis illustratur. Si cui enim ob insigne sapientiæ decus honor habeatur, toti homini ille offeretur; nec ab officio quod sapientiæ dicatum fuerit, inane erit corpus, quamvis ipsum per sese rude sit & insolens sapientiæ: sed cum corpus animæ in substantiæ unius vinculum coit, tum in cæterorum etiam hinc consequentium bonorum consortium utique adoptatur. Tunc ergo & uni sapientiæ honor habetur, & tamen sapientis animæ honori suum ejus corpus implicatur. Haud aliter Verbi sapientiæ incommutabili adoratio latriæ suffitur, eaque corpus etiam perfunditur Verbi, quia Verbum cum suo corpore, unum Verbum, una sapientia est.

XIV. Ex Theodoreto. In c. 1. Ep. ad Ephes. v. 20. Theodoretus ipse vix dissentire potuisse visus est. Etenim exponens ut constituerit Deus Pater Jesum Christum in cœlestibus super omnem principatum & potestatem, &c. hæc habet: *Clarum est eum hæc omnia tanquam de homine posuisse: hoc enim est quod illi admirationem injecit; quod enim qui Deus est, unà cum Deo sedeat, & qui est Filius, unà cum Patre regnet, non est admirabile. Nam cum eadem natura conjuncta est etiam societas potestatis. Quod autem sumpta ex nobis natura ejusdem honoris cum eo qui sumpsit, sit particeps, ut nulla videatur honoris esse differentia, sed per naturam quæ cernitur, invisibilis adoretur divinitas, hoc verò omne miraculum superat.* Itaque non propter invisibilem visibilis adoratur aut coadoratur natura, ut Nestoriana insaniebat impietas; sed per visibilem invisibilis adoratur. Et in Dialogo II. qui Inconfusus inscribitur: *Illud corpus priorem habet formam & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam; immortale autem post resurrectionem & immune à corruptione factum est, sedemque à dextris adeptum, & ab omni creatura adoratur, quia Domini natura corpus appellatur.* Adoratur igitur ut Christi corpus, seu ut Christus cum corpore.

Epiphanius in Ancorato: *Num Salvatorem adoras in corpore, an non adoras? Quo tandem pacto non adorem? Nisi enim adoravero, vitam non consequar. Ergo, inquiunt, creaturam, hoc est, corpus adoras? Sed eorum qui ita disputant, admirabilis quædam est vecordia. Etenim cum purpuratus Imperator ab omnibus adoratur, utrum purpura, an Imperator adoratur? Profectò Imperator ipse. Coadoratur autem ei & purpura quam gestat. Hanc cum exuerit Princeps & suo loco reposuerit, non amplius purpura vestis adoratur. Sæpenumero accidit, ut Imperator in Augustali, suo in solio considеat, ibique qui Imperatorem venerantur, tam ipsum in Augustali, quàm solium ipsius adorent. Mox ubi imperator assurrexerit ac discesserit, nemo Augustale amplius aut solium adorat. Nemo autem adeo insanus est, ut Imperatorem adorare cupiens, ei dicere audeat: Digredere ex illo tuo Augustali, ut adorem te. Ita ergo unigenito Filio nemo dixerit, Depone corpus tuum, ut adorem te. Sed Unigenitum adorat cum corpore, hoc est, increatum illum cum sanctissimo templo quod sibi adveniens adjunxit. Nemo item Imperatori dicit, Surge ex illo tuo solio, ut te citra solium adorem: sed cum solio Imperatorem adorat. Ad eundem itaque modum cum sepulto excitatoque corpore Christus adoratur.* XV. Ex Epiphanio. Num. 51. Nec Augustale, nec solium, nec purpura ita Imperatori adhærere aut concrescere possunt substantivè, ut unum cum Imperatore, vel unus potiùs Imperator sint: quo tamen miro stupendoque modo coaluit humanitas Verbo. Tantò ergo liberaliùs redundat in humanitatem dignitas Verbi & adoratio, tantò evidentiùs non adoratur creatum corpus, sed Verbum cum creato corpore: tantò denique fidentiùs Christum totum adoramus, nec ulla creatum ab increato secernendi anxietate distrahimur, ut qui etiam cum corpore suo unum Imperatorem Creatoremque omnium Christum contueamur.

Damascenus: *Unus igitur est Christus, Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu una adoratione cum immaculata carne ejus. Neque inadorabilem carnem esse dicimus. Nam adoratur in una Verbi hypostasi, quæ & ipsi hypostasis facta est. Neque creaturæ latriam offerimus, neque enim ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam divinitati, & ut in unam personam unamque Dei Verbi hypostasin revocatis duabus ejus naturis. Timeo quidem carbonem tangere propter ignem ligno conjunctum: adoro Christi simul utramque, propter carni conjunctam counitamque divinitatem.* XVI. Ex Damasc. L. 3. c. 8. En ut latria non adoleatur creaturæ, quia non carni per sese, sed Verbo usquam sine carne jam sese repræsentanti exhibetur. Et luculentiùs adhuc: *Filium Dei cum Patre & Spiritu sancto adoramus, incorporeum quidem ante humanitatis assumptionem, & nunc eundem incarnatum & factum hominem & cum hoc Deum existentem. Caro igitur ejus secundum ipsius naturam, si subtilibus cogitationibus dispescas id quod videtur ab eo quod intelligitur, cogitationeque humanitatem à divinitate præscindas, inadorabilis est, ut creatura: unita autem Deo Verbo, propter ipsum & in ipso adoratur. Eo namque modo quo Rex & nudus adoratur & indutus, &* L. 4. c. 3.

& purpura quidem ut nuda purpura & conculcatur & projicitur, facta autem Regis amictus & honoratur, & glorificatur; & si quis illam proterere præsumpserit, persæpè morte mulctatur, &c. Et non dicimus quod carnem adoramus nudam, sed Verbi Dei carnem, id est, Deum incarnatum.

XVII. Ex Athanasio rursum unam prædicante naturam Verbi incarnati.

Revocari ad hoc idem potest quod alibi enucleatum est de una Verbi natura incarnata, ex Athanasii & Cyrilli consensu. Ne duæ enim Christi naturæ dum veteratoriè distinguuntur, scindantur etiam & in duas personas discerpantur: consultius Athanasio visum est aliquando, unam prædicare naturam Verbi incarnatam. Ita enim duæ insinuantur satis apertè quidem naturæ, dum & natura Verbi & incarnata, id est, dum Verbum & caro memoratur: sed hostibus fidei per cuniculos grassantibus obviatur diligentissimè, ne duæ naturæ in duas hypostases lacerentur. Una enim Verbi natura incarnata, unam apertè personam ostentat: ex principatu videlicet naturæ Verbi, quæ sola eminet; quæ principatur; quæ ob oculos se una ingerit & explicat; quæ naturam inferiorem luminis sui & majestatis immensitate occultat & penè oblitterat; quæ illam non aliter quàm ut sibi substrictam & lateri suo affixam complicatamque intervideri sinit; quæ denique non carnem & Verbum quasi duo quædam ex æquo prominentia, & personæ jus vendicantia, sed unum Verbum carne ceu veste amictum & dici & cogitari jubet. Quæ cùm ita sint, in aperto est, adorationem Verbo incarnato, seu uni Verbi naturæ incarnatæ præstitam, non creaturæ, sed Creatori præstari. Sola enim existit, sola eminet, sola dominatur, sola oculos animosque & cultus omnes in se rapit una Verbi incarnati natura. Athanasius: *Confitemur etiam eundem esse Filium Dei secundùm spiritum, hominis autem Filium secundùm carnem, non duas naturas Filium unum, unam adorandam, alteram non adorandam, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam, cum carne sua adoratione unica adorandam.* Vides ut ratio adorationis conjugata aptaque sit unitati hypostaseos; eoque nomine una desensitetur & persona Christi & adoratio, quod una Christus sit Verbi natura incarnata: seu quod Verbum carnem sibi suam tanquam accessionem adferat conseratque, eoque non alia sit cum carne persona quàm priùs, nec alia adoratione colatur. Allegat hæc eadem Athanasii verba Cyrillus in defensione Anathematismi octavi adversus Orientales, & vehementer assentitur ipse. *Itaque ut mihi videtur, citra periculum & culpam dixerit quis, quod incarnatum Dei Verbum, utpote unus existens Filius, non absque sua carne, sed cum illa potiùs adorandum sit, quemadmodum scilicet etiam hominis anima cum suo corpore honoratur.* Ubi enim sonat Verbum incarnatum, seu Verbum cum carne, proclivius est unam personam pervidere, unamque adorare, quàm ubi dicitur Verbum & caro: etsi utrobique idem sonat & dicitur: sed hic duo à paribus sonant, & suspicionem duplicis hypostaseos cultusque faciunt: ibi unica Verbi hypostasis cum accessione sua se oculis inferens, obliquas diluit suspiciunculas. Sed cum vulgo tamen duæ naturæ Christi ab Ecclesiasticis scriptoribus adversus longè diversissimam Eutychetis insaniam astruerentur, hinc è latere insurgebant irrumpebantque rursus & objectabant: *Si duæ naturæ Christus, vel creatæ naturæ latriam offertis, naturam creatam adorantes, vel unam naturam adorabilem dicitis, alteram inadorabilem*, ut legitur apud Damascenum. Huic telo clypeum objecerat Athanasius, non duas naturas æqua fronte, sed alteram alteri prominentiori subjunctam obtendens. Nec abludebant ab ejus sensu, etsi verba non semper eadem usurparent cæteri Patres. Duas enim naturas ita profitebantur, ut unus in utraque existeret Verbum Deus, & quacumque in natura sua spectaretur, seu æterna seu temporali, non posset debita servitute frustrari.

L. de Incar. To. 2. p. 36.

L. 4. c. 5.

XVIII. Ex Damasceno unum docente esse Christum de Trinitate.

Eodem quoque pertinebat illud, quod tanta altercantium æstuatione decertatum hinc & inde est, & tandem confectum, ut unus de Trinitate Christus cum sua carne & unus de Trinitate passus diceretur. Eo enim tum multa alia consultissimè præcavebantur, tum hoc maximè, ne adoratio uni Deo trinoque debita, extra hos fines vagaretur, & creatis prostituta naturis vilesceret. Cum enim adoratio Christi carni libaretur, & uni tamen Trinitatis Deitati libanda esset, profligata tandem est illa concertatio, concluso perfectoque unum de Trinitate Christum esse cum sua carne. Ideo Damascenus cùm quæ supra retulimus disseruisset de Christi carne, ut Verbo contexta, adoranda, subjungit statim: *Neque quartam in Trinitate introduco personam, absit enim, sed unam personam confiteor Dei Verbi & carnis ejus; nam Trinitas mansit Trinitas, etiam post Verbi incarnationem.*

L. 3. c. 8.

XIX. Ex eodem describente naturę divinæ in humanam immeationē.

Ad illud idem elucidandum conducet nonnihil, alterum quasi nexum unionis hypostaticæ, ut alibi supra descriptus est, in memoriam reducere: immeationem videlicet penitissimam utriusque naturæ, vel divinæ potius in humanam utpote superioris in inferiorem. Etenim ita iniit & invasit occupavitque totam humanitatem plenitudo divinitatis Verbi, ita suo lumine infudit & circumfudit, ita ornamentis omnibus deitatis locupletavit, ut non appareat humanitas; sed sola existere & explendescere divinitas videatur. Ita ubi seu carbo seu lignum ab igne incanduerit, obscuritas materiæ terrenæ aut absumitur aut delitescit, sola emicat & fulgurat ignis majestas. Itaque non creatura in Christo, sed illapsus & circumlapsus creatæ naturæ totus deitatis splendor adoratur. Unde Damascenus: *Et quemadmodum lignum nudum non est tactui inaccessibile, igni autem imbutum & candefactum, non propter seipsum, sed propter conjunctum ignem, inaccessibile fit: sic & caro secundum sui naturam non est adorabilis, adoratur autem in incarnato Deo Verbo non propter seipsam, sed propter conjunctum ipsi secundum hypostasim Deum Verbum.* Lignum enim igne imbutum, non jam de ligni ignobilitate, sed de ignis amplitudine censendum verendumque est, alioqui temeraria contrectatione illudentes illudet & malè multabit, nec jam lignum se, sed ignem esse non sine diffidentium pernicie approbabit.

L. 4. c. 3.

XX. Ex Athanasio deificatā fuisse carnē docente.

Quo refertur & illud Athanasii: incarnatione deificatam esse carnem: & necessariò deificatam, per quam nos in deificationis spem atque usuram erigendi adoptandique eramus. At deificatam esse Christi carnem non facilè suaderetur, si divinis honoribus vetaretur affici. Si substantivè enim deificatur, si inebriatur medullitus, si affluit & circumfluit opulentia tota & majestate divinitatis, num extrinsecò tantum & ascititio honoris additamento multabitur? Num cui Deus divina congessit omnia & ingessit, implicavitque seipsum, scrupulosus cunctator homo divina quoque omnia aggerare pigritabitur? Ut quid enim cunctamur? Penes Deum est creaturam à creatore discescere, vel si libet connectere quæ longissimè distabant. At ubi ille creatam deificarit naturam, ubi divinam illi amplitudinem omnem & seipsum infuderit, divinum & honorem nos cultumque pariter infundamus. Athanasius Epistola ad Adephium: *Non enim caro ignominiam attulit Verbo Dei, absit. Sed potius caro per Verbum Dei glorificata est, &c. Factus est enim homo, ut nos in seipso deificaret, & in posterum efficeremur divinæ consortes naturæ, &c.*

XXI. Sed maximè post resurrectionem totus Deus cū sua carne Christus una latria colitur ex Theodor. Heracl.

Imprimis autem per resurrectionem sublimata in ipsam divinitatis sedem, ad paterni consessus gloriam, ad dexteram Patris, id est in paternæ gloriæ æqualitatem humanitas, nec locorum aut sedium exaltatione hoc fastigium consecuta, sed gloriæ & beatitudinis redundantia, deificationis cumulo,

mulo, & inundante ultra omnem modum deitatis in carnem hominemque totum infusione ac refusione, tum sanè tanquam non jam homo, sed totus Deus, non potest non ut Deus adorari. Unde Theo-
In c. 1. Ep. ad Ephes. doretus in Dialogo Inconfusus: *Immortale autem post resurrectionem corpus & immune à corruptione factum est, sedemque à dextris adeptum, & ab omni creatura adoratur, quia Domini naturæ corpus appellatur.* Idem alibi: effusissimè id admiratur quod suscitarit Pater Jesum Christum à mortuis, & constituerit ad dexteram suam in cælestibus, super omnem principatum, & omne nomen quod nominatur, &c. Ex eo enim palam, esse ait nullam adora-
L. 4. c. 2. tionis esse differentiam. Et Damascenus: *Dexteram igitur Patris intelligimus gloriam & honorificentiam Deitatis, in qua Dei Filius ante sæcula existens, ut Deus, & Patri consubstantialis, in novissimis diebus incarnatus est, & corporaliter sedet, conglorificata carne ejus. Adoratur enim una adoratione cum sua carne ab omni creatura.* Sed præstantissimè Hie-
In c. 17. Jeremiæ. ronymus hæc verba interpretari aggressus: *Maledictus homo qui confidit in homine, &c. Si maledictus est omnis homo qui confidit in homine, Paulus autem Samosatenus & Photinus quamvis sanctum & cunctis excelsum virtutibus prædicent salvatorem, tamen hominem confitentur, ergo maledicti erant, spem ponentes in homine. Quod si nobis oppositum fuerit, quod & nos credamus in eo, qui dicit. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, &c. Respondebimus illud Apostolicum. Etsi Christum secundum carnem aliquando cognovimus, sed nunc jam non novimus. Denique idem Apostolus in principio Epistolæ suæ scribit ad Galatas, Paulus Apostolus, non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem qui suscitavit eum à mortuis. Si enim mors absorpta est in victoria, quare non carnis humilitas, quæ propter humanam salutem assumpta est, in divinitatis transierit majestatem, ut fecerit utrumque unum & non adoremus creaturam, sed creatorem, qui est benedictus in sæcula.* Advertere ergo in his, ut calumniam adoratæ creaturæ arceamus & refellamus, cum carni Christi procumbimus. Etenim non adoramus creaturam, quia per resurrectionem mors absorpta est in victoria, carnis humilitas in divinitatis transiit majestatem, utrumque jam in unum cojerat, jam non homo sed Deus erat Jesus Christus, jam non secundùm carnem à Paulo & spiritalibus quibusque viris agnoscebatur.

XXII. Idem ex Cassiano. L. 5. de Incar. c. 3. Sed Cassianus præ cæteris luculenter hanc sententiam pertractavit. *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus, videlicet quia prius eum, & hominem scimus & Deum, nunc tantum Deum. Cessante enim infirmitate carnis, nihil in eo jam novimus, nisi virtutem divinitatis, quia totum in eo virtus est majestatis divinæ, ubi esse desiit infirmitas imbecillitatis humanæ, &c. Natura enim carnis in spiritalem est translata substantiam; & illud quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei. Et ideo non novimus Christum secundum carnem, quia absorpta per divinam majestatem infirmitate corporea, nihil sacro resedit corpori ex quo imbecillitas in eo carnis possit agnosci. Ac per hoc quidquid fuerat prius substantiæ duplicis, factum est virtutis unius.* Et c. 4. expendens quod ait Paulus, missum se non per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis, &c. *Quia per Christum missus non per hominem missus sum sed per Deum, nomen enim in eo jam hominis non cadit, in quo totum sibi divinitas vendicavit.* Et c. 6. cum ex persecutore factus est prædicator Paulus, tum ab eo visum esse Christum ait, sed tanto fulgurantem lumine, ut meritò non ab homine, sed à Deo missum se venditaverit: *Quem in tanto majestatis fulgore viderat, rectè jam se secundum carnem non nosse dicebat, &c. Ostende nobis in eo quod Apostolus vidit, quid sit caro & quid sit Deus. Ego enim hic discernere nihil valeo, video ineffabilem illuminationem, video inexplicabilem claritatem, &c. Quæ hic divisio, quæ hic discretio est?* Non ergo jam colitur creatura, quia Christum, *Scimus nunc tantum Deum, nihil in eo jam novimus nisi virtutem divinitatis, totum in eo virtus est majestatis divinæ.* Non jam colitur creatura, quia *illud quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei, quidquid fuerat substantiæ duplicis, factum est virtutis unius, nomen in eo jam hominis non cadit, in quo totum sibi divinitas vendicavit.* Non colitur creatura *quia discernere non valeo quid sit caro & quid sit Deus, quæ hic divisio, quæ hic discretio est?* Quæ adeo non exinanitam humanitatem innuunt, ut in substantiæ & majestatis infinitum pelagus demersam & in ipsum pelagus amplificatam deprædicent.

Offundit autem se nescio quid nubili in præclarissimam hujus doctrinæ lucem. Si enim nunc ea de causa non colitur creatura, ergo priùs creatura colebatur, quàm Christus à mortuis revivisceret in illam vitæ divinæ immensitatem: tum enim quasi latitante divinitate humanitas superextabat & sola penè prominebat. Exuflabitur tamen hujus dubii nubecula, ex ipsius per se unionis hypostaticæ contemplatione. Vis enim propria hujus unionis id efficiebat, ut natura inferior superioris luce & majestate obrueretur, delitesceret & non appareret, atque adeo nec personæ usurparet nomen, sed majoris personæ amplitudine devoraretur. Audi quod alibi ex Paschasio retulimus: *Dei quidem & hominis duplex substantia est, sed una tamen persona. Quamobrem? Quia dum formam servi accipiens, famulo Deus jungitur, minoris humilitas intra reverentiam majoris absconditur, & superioris lumine exinanita consumitur; ac sic proprietatem personæ humanitas, divinitate obumbrante, vel eminente non obtinet.* Ex quo ergo primum copulatûs carni Deus fuit, naturæ creatæ humilitas intra reverentiam & lumen increatæ Deitatis abscondita, exinanita, consumpta est: divinitas carnis suæ obscuritatem obumbravit, sola eminuit, sola personæ dignitatem, & impensos dignitati honores cultusque omnes sibi vendicavit. Sola ergo jam tum perinde ac post resurrectionem majestas creatoris carni suæ superfulgens adorabatur. Et exterius quidem mortalitatis obumbratio obscurare videbatur divinitatem, sed specie tenus, & in cortice, atque existimatione hominum sensibus corporeis plus quàm par esset affixorum: reapse autem & in medulla principatum invaserat carnis suæ divinitas, solaque regnabat, sola illuminatis fidei oculis affulgebat: & hæc ipsa humilitatis affectatio vel expressio, ut sapientiæ & justitiæ, ita divinitatis conspicuum erat argumentum. Adde quod non ita natus, non ita renatus semel est Christus in plenitudine temporum universo hominum generi; ut non singulis etiam hominibus sigillatim & locis & temporibus omnibus & ante & post iterumque iterumque nascatur & renascatur. Quibus enim informari incipit Christus, per lactescentis cujusdam & tenellæ adhuc pietatis rudimenta, in iis adhuc nascitur. Quibus autem adulta jam justitia in pleniorem divinitatis fidem ematuruit, in iis resurgit & ascendit ad Patrem. Itaque & antè natalem suum, jam præsumpserat nasci: & antequam resurgeret à mortuis cœlosque conscenderet, jam & olim & alibi revixerat & absorpta morte in victoriam, humanitate in Deum, ad Patrem ascenderat. A quibus ergo adorabatur antè resurrectionem suam, illis jam præverterat resurgere, illis jam tantùm Deus erat; illis quod fuerat hominis, factum erat totum Dei: illis jam non hominis nomen cadebat, in quo totum sibi divinitas vendicaverat. Ex adverso autem Magdalenæ necdum resurrexerat, etsi ab inferis redivivus, quia necdum totus Deus, necdum Patri æqualis ab ea capiebatur. At

(right margin, beside "Offundit autem…":) XXIII. Jam inde tamen abortu suo totus Christus cū carne sua colebatur una latria.

(right margin, beside "…Dei quidem & hominis…":) L. 1. de Spir. sancto. c. 4.

qui antè adhuc mortalem seriò adoraverant ut Filium Dei, illis jam resurrexerat: nempè illis jam initiaverat, jam prægustare dederat plenissimam illam potestatem in cœlum & in terram, quam ubi renatus est à mortuis, professus est se accepisse.

XXIV. Verbi cum carne sua adoratione cohibita est creaturarũ omnium adoratio & superstitio.

At, inquiet aliquis, esto, ab hac labe, seu mavis calumnia adoratæ creaturæ expiati sint Christicolæ; at inconsultum fuit in has se conjicere angustias: cumque avocare à creaturarum cultu homines Deus meditaretur, parum accommodata huic fini erat Verbi cum carne copulatio ea, ex qua carnis sin minus per se & propter se, at in Verbo adoratio consequatur. Medicamentum haud satis opportunum est, quod vulnus penè refricat, quodque alio ferè indiget excusari medicamento. Respondeo recrudescere plerumque morbos asperitate curandi, indulgentia autem nonnulla & delinimentis commitigari & persanari. Illisa sensibilibus anima ac penitus affixa per peccatum, assurgere atque evigilare in lumen intelligibile haudquaquam poterat. Inniti autem iis in quæ ceciderat, & per sensibilium conjecturas, utcumque & pedetentim eniti ad suspicionem aliquam divinorum poterat. Non alia ergo arte consultiùs illi potuit prospici, quàm ut veritas incommutabilis amictu sese obduceret sensibili, & ita languenti inter corporalia ludibria animæ sisteret se, exhiberetque sub hoc velo contrectandam, amplexandam, adorandam. Anima ergo quæ nisi sensibilia jam non capiebat, ut refigeret se avocaretque à sensibilibus, admoneri non potuit, nisi per sensibilia signa. Quid enim vulgatius quàm ut lacte alatur infans & roboretur ita, ut lacte jam non egeat? Quid usitatius, quàm ut verbis sonantibus extimulentur homines, ne verbis sonantibus, sed veritati intus docenti totos se dedant? Quid familiarius, quàm ut morbo sanando nonnihil indulgeatur, ne austeritate ægrescat? Ad eundem ergo modum invisibilis Deitas homini invisibilia lapso, sub visibilibus involucris repræsentanda fuit, ut ita videretur, amaretur, adoraretur, & per hæc paulatim à visibilibus homo desuesceret, & ad invisibilia convalesceret. Theodoretus: *Quia enim divina natura sub visum non cadit, est autem corpus aspectabile, tanquam in imagine aliqua per corpus adoratur.* Et eleganter Chrysostomus: *Postquam homines Deo derelicto statuas sibi humana præditas forma sculpserant, quibus in creatoris contumeliam cultum deferebant: propterea Dei Verbum cum Deus esset, hodie in hominis forma apparuit, ut mendacium dissolveret, & occultè in seipsum cultum omnem transferret.* Athanasium quoque & Cyrillum Alexandrinum alibi retulimus his consentaneos. Ita ergo solertia fuit maximè stupenda, ut in creaturarum amorem cultumque ruentibus obviaret Deus: carnalia ligurientibus, carnem se ingereret: corporalia lambentibus, corporatum se insereret: somniantibus denique numina corporea, corpori insertus se Deus verus repræsentaret: atque ita impetum aliò destinatum cultus & amoris intercipere ipse & sibi præriperet. Quid, oro, misericordiæ uberius, quid sagacitatis ergo admirabilius, quàm morbum morbo curare, errorem errore demere, mendacio veritatem propagare, cupiditatis in infima hiantis præstigias cælestis & spiritalis charitatis fascino mutare?

In Epist. ad Rom. c.8.

Tom.6. pag. 603.

CAPUT III.

Non duplici, non multiplici, sed unica adoratione latriæ colitur Pater, Verbum in carne & Spiritus sanctus.

I. Patri Deo, Verbo incarnato, Spiritui sancto unam offerri latriam

Usque adeo una latriæ adoratione placatur Verbum Deus cum carne, usque adeo non duplicata, & qua Verbum & qua caro est, afficitur veneratione, ut ne duplicari quidem, nec omnino multiplicari possit latriæ adoratio, & unica ac simplex uni Deo trinoque, hoc est, Patri, Filio incarnato, & Spiritui sancto impendatur.

probat Cyrillus ex Paulo ajente unã fidem, unũ Dominum, unum baptisma.

Primùm quidem id elucescit ex eo quod ait Paulus, *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Unus enim est Dominus, tametsi personis trinus, adeoque una servitus seu latria & adoratio. Et caro ipsa inhæret Domino Verbo, ejusque dominationi in unum Dominum implicatur, ac proinde & una servitute nostra honoratur. Rursum una fides, quæ servitutis origo & fomes est. Nam in unum Deum tota incumbit fides nostra. *Creditis in Deum, & in me credite*, ait Christus: quia in Deo & Deus cum carne sua Christus est. Denique baptismo inauguramur in templa uni Deo trinoque sacra, interim autem & Christo devovemur, quia in mortem ejus baptizamur. Videlicet cum in nomine Filii baptizamur, incarnato mancipamur Filio, quia Filius jam sine carne nusquam est, nusquam sine carne significatur. Etsi enim carnis nomen non sonet, sed fides clamat, sed Ecclesiæ consensio vociferatur, sed spiritus ipse fidei & Ecclesiæ in Filio carnem hominemque perfectum profitetur. Cyrillus Alexandrinus: *Cæterum unus est Dominus, una fides, unum baptisma, sicut scriptum. Quemadmodum igitur una est fides in Christum, atque unum revera baptisma, tametsi baptizati sumus & credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum: eadem planè ratione ac modo una est adoratio, Patris, & Filii incarnati, & Spiritus sancti.* Immaniter ergo abhorremus à servitute creatis rebus addicenda, qui tam unam adorationem, quàm unam divinitatem decernimus: quin etsi plures sint personæ in divinitate, multiplicari non sinimus servitutem, sed pluribus tanquam uni Domino famulamur. Si pluribus autem divinis hypostasibus non multiplex tamen, sed simplex immolatur latria, duplici sanè Christi naturæ non duplex, sed simplex indubitanter offeretur. Unus enim Christus est, etsi geminæ substantiæ; at non unus, sed tres sunt, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, etsi unius naturæ. Si pluribus ergo una, multò magis uni una adoratio adolebitur.

Dial. de Inc. unig. p.701.

Vide Dam. pag. 474.

II. Itẽ ex Christo fidẽ cultumque sui ad Patrem referente.

Nec minùs perspicuè id insinuat Christus his verbus apud Joannem: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Quia enim inoleverat, anticipatumque erat hominum mentibus, fidem & religiosam servitutem uni summo Deo esse affigendam, ne cunctarentur homines Christo homini credere & servire, ad summum verticem divinitatis & pietatis, ad Patrem omnia revocat Christus, & eam quæ sibi devovetur fidem ac servitutem, reflecti tandem & corrivari in Patrem Deum commonefacit. Idem Cyrillus ibidem: *Cum existimarent non esse naturaliter Deum qui pro nobis incarnatus erat, sed simpliciter nudum hominem sicut nos, eamque ob causam nonnulli fidem ei derogarent, utiliter ac necessariò metum illorum & cunctationem præsecans, & naturæ divinitatis fidem tribuens, tanquam in persona Patris, & non nostræ infirmitati adscribens, dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Nonne hoc perinde est ac si dicat: O vos qui verbis meis fidem adhibetis, non humile aut abjectum aliquid de me cogitate: quin potius hoc persuasum habete, quod qui mihi, quem in carne conspicitis, credideritis, non in hominem simpliciter credentes eritis, sed in ipsum Patrem per me Filium, qui incommutabiliter Patri æqualis sum, incarnatus sum autem propter vos, &c.* Conquiescere ergo in sua carne fidem & latriam vehementer sanè vetabat Christus, qui ne sibi quidem tamquam Deo Verbo ultimum inhærescere quenquam patiebatur, sed omnes ad Patrem honores revolvebat. Una ergo fides, una adoratio commendatur, quæ per carnem ad Verbum, per Verbum ad Patrem, per Verbum incarnatum ad caput & fontem divinitatis primarium & innascibilem intuetur, ad illum unum connititur, illi uni acquie-

quiescit. Nec Verbi hinc, aut carnis honos decerpitur aut deflorescit, quin augescit potius & cum fœnore compensatur. Nam in Patre & Verbum ipsum cum sua carne tanquam in fonte suo, tanquam in originali sede gloriæ & majestatis suæ radiat & regnat. Itaque ubi à seipso ad Patrem revocat Christus, ad seipsum revocat in gloriæ suæ scaturigine magnificentissimè radiantem.

III. Idem indidem Augustinus probat. L. 1. de Trin. c. 12. Conspirat cum Cyrillo Augustinus: *Quid sibi & illud vult, Qui in me credit, non in me credit? Quomodo in ipsum, quomodo non in ipsum? Quomodo tam contrarium sibique adversum potest intelligi? Qui in me credit, inquit, non in me credit, sed in eum qui me misit: nisi ita intelligas, qui in me credit, non in id quod videt credit, ne sit spes nostra in creatura: sed in eo qui suscepit creaturam in qua humanis oculis appareret, ac sic ad se æqualem Patri contemplandum, per fidem corda mundaret. Ideoque ad Patrem referens intentionem credentium,& dicens, Non in me credit, sed in eum qui me misit: non utique se à Patre, id est, ab illo, qui eum misit, voluit separari; sed ut sic in eum crederetur, quomodo in Patrem cui est æqualis. Quod apertè alio in loco dicit: Creditis in Deum, & in me credite: id est, sicut creditis in Deum, sic & in me, quia ego & Pater unus Deus. Sicut ergo hic, tanquam abstulerit à se fidem hominum & in Patrem transtulerit, dicendo, non in me credit, sed in eum qui me misit: à quo tamen se utique non separavit; sic etiam, &c.* Vides fidem spemque nostram non inniti creaturæ, sed ei qui suscepit creaturam, in qua humanis oculis appareret. Porrò ubi Christus intentionem credentium tanquam à se aufert & ad Patrem transfert, non detrimento, sed compendio honoris sui id perficit. Et seipsum enim in Patre suo æqualem Patri ipse non sine carne sua exhibet, hac eadem fide enixiùs addictiùsque adorandum. Quasi ergo extra Patrem suum vel carne sua vel hominum æstimatione egressus nonnihil viluisset, in eundem tanquam apicem amplitudinis divinæ se recolligit, & cum Patre atque in Patre suo castissima omnium rationabilium naturarum fruitur servitute.

IV. Idē Ambrosius probat ex Baptismi formula, quę personas deitatis omnes vel implicat. L. 1. de Spir. sancto. c. 3. Argumentum à baptismi unitate expressum executus est Ambrosius tum eleganter, tum diffusè, ubi personas divinas illigari alias aliis, &, una allegata præsto omnes esse, una expressa cæteras non sileri, & quod voce premitur, non sileri fide, non taceri spiritu, sed assonare sibi totum divinitatis sacramentum demonstrat in hunc modum: *Qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem à quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum quo unctus est designasti. Et si Patrem dicas, & Filium ejus & Spiritum oris ejus pariter indicasti, si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas, & Deum Patrem à quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti.* Ita implexæ enim intextæque sibi sunt unius divinitatis hypostases, ut una earum quælibet reliquas complectatur, unàque secum repræsentet. Ubi una ergo invocatur, convocantur omnes: ubi una laudatur, nulla siletur: ubi una adoratur, nulla præteritur. Nam ut ait ibidem Ambrosius: *quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide.* Cæterum non Verbi tantùm, sed Verbi incarnati, seu Christi ratio complicata ad istum modum divinis personis ab Ambrosio declaratur. Nam in Christo insinuatur & ungens Pater,& unctus in carne Filius, & unctio ipsa Spiritus sanctus. Non aliter ergo & de adoratione argumentandum est.

V. Item ex eo quod adoretur Pater in Spiritu & veritate, id est, per Filium in Spiritu. Scitum est & illuminandæ eidem doctrinæ accommodatissimum quod alibi adnotavit idem Ambrosius in hæc verba Christi: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Nam ut aliæ interim missæ fiant loci illius explanationes, Spiritus & veritas personaliter capi possunt, & innuetur adorandus Pater in Filio & Spiritu sancto; nempè ut sicut una trium divinitas est, ita una trium adoratio sit: ut unus trium Verbum est cum carne, ita uni trium adorationi cum carne includatur: ut una trium à Patre principaliter fluit divinitas, ita una uni divinitati dedicata adoratio in Patrem tandem refluat. *Nihil ergo officit quod Deus adoratur in Spiritu, quia & Spiritus adoratur. Quanquam si ipsa verba consideremus, quid aliud in Patre & Filio & Spiritu sancta, nisi ejusdem potestatis unitatem intelligere debemus? Quid est enim, In Spiritu & veritate adorare oportet? Si tamen hoc non ad gratiam spiritalem referas, nec ad veræ conscientiæ fidem, sed personaliter de Christo accipias & de Spiritu. Quid est ergo, Adoratur in Christo Pater, nisi quod est in Christo Pater, & loquitur in Christo Pater, & manet in Christo Pater? Non utique quasi corpus in corpore, non enim Deus corpus: nec quasi confusus in confuso, sed quasi verus in vero, Deus in Deo, lumen in lumine, quasi sempiternus Pater in Filio coæterno. Non ergo insertio corporis intelligitur, sed unitas potestatis. Ergo per unitatem potestatis coadoratur in Patre Christus, cum Deus Pater adoratur in Christo. Similiter itaque per unitatem potestatis ejusdem coadoratur in Deo Spiritus, dum Deus adoratur in Spiritu.* L. 3. de Spir. sancto. c. 12. Adoratur ergo Trinitas, adoratur non tantùm Pater in Filio & Spiritu, sed Filius quoque & Spiritus: sed quia una adoratio est, aptius illa in fontem unitatis principalem refunditur, in Patrem inquam, ut unde divinitas, inde & adoratio divinitatis unitatem suam hauriat. Deinde personæ divinæ immanent sibi invicem, & unam quamlibet adoranti, occurrunt ingeruntque se & cæteræ. Immanent autem & in Christi carne; unde Paulinus: *Quia omnis qui credidit Deum Christum, totam Trinitatis plenitudinem in eo quem Pater unxit Spiritu sancto, fide pietatis amplectitur.* Ep. 4. ad Severum.

VI. Item ex una Angelorum laude Tersāctum celebrantium. L. 2. de fide c. ult. Adorationis unitati suffragatur etiam illa Seraphimorum indefessa laudatio, unam Dei sanctitatem ter concelebrantium. Unde idem Ambrosius: *Seraphim dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater & Filius & Spiritus sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret: non bis, ne Spiritum præteriret: non quater, ne creaturam sibi conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem, cum tertio dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus sabbaoth.* Una igitur laus, una adoratio, etsi trina repetitio. Ter ingeminatur sanctus, & tamen tam una laus est, quàm una sanctitas. Tres laudantur, sed una trium laus est, quia una trium sanctitas, una Deitas est. Ter Sanctus canitur, sicut ter Deus: sed unus tamen Sanctus, sicut unus Deus. Sanctus, Sanctus, Sanctus, sed unus Sanctus: non aliter quàm Deus, Deus, Deus, nec tres tamen Dii, sed unus Deus. Nec quater iteratur laudatio, ut notat Ambrosius, ne creatura creatori conjungeretur. Conjungitur enim creatura creatori, humanitas Verbo, sed non ut Pater Filio, non ut utrique Spiritus, sed ut aliquid Verbi Verbo, ut natura Filii Filio: unde & in celebrata Filii sanctitate concelebratur & caro Verbi seu caro Verbum.

VII. Ut Ambrosius idem refellat Apollinaristas carnem Verbo consubstantialem & ita adorationem unā obtrudētes. Unam Christi Dei atque hominis adorationem tuebantur Apollinaristæ; quippè qui in unam concrescere naturam Deum atque hominem imaginabantur; & quia carnem quàm mentem subjugari Verbo pronius videbatur, menti humanæ utpote liberæ, suique juris, exilium indixerant: quia denique caro ipsa nonnullam adhuc residere in animis suspicionem dissidii sinebat, eam non nostræ similem, sed Verbo consubstantialem esse jubebant. Ita videbantur sibi eleganter & unam Christi ex Deo atque homine personam defensare, & unam Dei propugnare adorationem, cujus nulla ad creaturam

turam guttula derivaretur, utpote cum Christi caro Verbo Patrique Deo consubstantialis, creatis naturis annumeranda haud quaquam esset. Ideo Catholicos ut ἀνθρωπολάτρας insectabantur, quod hominem latriæ cultu afficerent. At præpostera hæc erat ratio non tam stringendæ in Christo unitatis, quàm omnino præfocandæ humanitatis. Quid enim hominis in Christo nisi larva & ludibrium inerat, cui & anima & carne hominis interdicebatur? Mens enim in totum expungebatur, quasi ne tyrannidem affectaret, id est, ne principatum & personæ authoritatem, adeoque honorem & cultum invaderet & sibi arrogaret. Caro autem nonnisi simulata & umbratica esse poterat, quæ consanguinea & congener incommutabili divinitati somniaretur. Non ergo id consequebantur, ut unus cum Verbo Christus homo esset, sed ut omnino ne esset: nec latriæ cultum à creatura abstinebant, sed larvæ & inani simulacro adumbratoque figmento adsignabant. Denique in erroris quem nobis impingebant, laqueos irruebant ipsi & inexplicabiliter se induebant. Quaternitatem enim à nobis adorari cum acerbissimè conviciarentur, & ineptissimè, in eam ipsos erroris perfidiam præcipites abiisse ita demonstrat Ambrosius: *Non enim Christum divido cum carnis ejus divinitatisque distinguo substantiam, sed unum Christum cum Patre & Spiritu Dei prædico: & illos magis qui carnem Christi unius cum divinitate ejus dicunt esse substantiæ, tetrada inducere demonstrabo. Non enim quod ejusdem substantiæ est, unus, sed unum est. Nam utique Filium ejusdem cum Patre substantiæ confitentes in tractatu Concilii Nicæni, non unam personam, sed unam divinitatem in Patre & Filio crediderunt. Ergo cum dicunt ejusdem carnem, cujus & Filius Dei erat, fuisse substantiæ, ipsi quod nobis objiciunt, ineptiis vanæ assertionis incurrunt, ut dividant Christum. Itaque quartum increatum quod adoremus, inducunt, cum sola increata sit divinitas Trinitatis.* Apollinaristarum igitur adoratio magis quàm nostra, extra Trinitatis fines longè & per abrupta dispalabatur. Intempestivè enim confuendo diffuebant: præter fidem colligendo dispergebant: denique improvida & commentitia consubstantialitate unitatem & divinitatis & adorationis labefactabant. Consubstantialitate enim homo cum Verbo non unus, sed unum efficiebatur; perinde ut Patri Filius, ut utrique Spiritus, non eo unus, quia consubstantialis, sed unum. Quàm duo ergo sunt Pater & Filius, tam duo esse poterant homo & Verbum, tametsi consubstantialitas utrobique par confingatur. Denique commento Apollinaris quartum quid increatum, increata videlicet caro obtruditur & adoranda objectatur; nihilo minus autem piaculare est, quidpiam extra Trinitatem, quàm creaturam latriæ cultu prosequi. Quin imo inexpiabilius est phantasmata, & malè feriatæ mentis spectra venerari, quàm creaturas, creatoris lineamenta utcumque præ se ferentes. Quanquam enim colendum non est, nisi quo beati simus; miserabilius tamen est, vacuis figmentis accidere & substerni, quàm aliquales veritatis veræque beatitudinis imagines allambere. Unde Augustinus Manichæos nobis conviciantes quod creaturis divinos propinaremus honores, cum ipsi & Deum & Christum suum longè insulsissimis illusissent, refersissentque deliramentis, ita confutat: *Ille solus colendus est, quo solo fruens, beatus sit cultor ejus: & quo solo non fruens omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur. Vos autem cum ea colatis, quæ omnino non sunt, sed vestrarum fallacium fabularum vanitate finguntur, propinquiores essetis veræ pietati ac religioni si saltem Pagani essetis: vel in eorum genere qui corpora colunt, etsi non colenda, sed tamen vera.*

L. de Incarn. Dom. Sacr. c. 7.

L. 2. con. Faust. c. 5.

VIII. Cyrillus ut Nestorium refellat, sola honoris

Mentiebatur & Nestorius unam Christi adorationem, quippe qui naturam divinam atque humanam hoc honoris ejusdem nexu & societate maximè devinciret. Unum enim fabulabatur Christum, non hypostatica & substantiva consertione, sed honoris & dignitatis & nominis & amicitiæ ac denique adorationis consociatione. Quod ipsum primò portenti erat simile, & impietatis facinus detestabile. Quid enim perversius quàm naturæ creatæ atque increatæ eundem adolere cultum? Quid flagitiosius quàm creatori creaturam æquiparare? Quid à pietate alienius quàm infimam naturam Deo comparare, & veluti æmulam excitare, ut cum eo certet de honoris palma, aut ut incunctanter eadem adorationis gloria perfruatur? Quantulum ergo Ethnicos antecellemus, si & ipsi creaturam divino afficiamus cultu? Palinodiam ergo canamus, & recantemus quæcumque Apostoli, quæcumque Christianæ fidei antecessores in Gentilitia sacra stomachati olim sunt, cum & nos eadem profani cultus contaminatione infamati simus. Sed cum incarnatio Verbi, Christianæ pietatis summa sit, si eam Nestorius ita interpretatur, ut ea non aliud sit, quàm honoris inter Deum & hominem consociatio & æqualitas, seu divinorum honorum tota in creaturam effusio, nonne hoc denique est in ipso pietatis sacrario arcem impietatis & idololatriæ excitare? Sed præstat Cyrillum audire in hæc insaniæ monstra pertonantem: *Adoratur Verbum cum carne, ut ante carnem erat adorandus, &c. Nestorius autem hæc adeo veneranda rectaque dogmata despiciens, hominem cum Deo conjungit secundum externam habitudinem, & tanquam in ejusdem dignitatis æqualitate, & tanquam alterum cum altero simul adorare non erubescit. Asserit autem velut insuetum quiddam & novum, ac velut gratiæ loco accepisse, ut illi flectatur omne genu, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus. At si illum natura Deum factum esse dicit, apertè blasphemavit, factam esse dicens divinitatis naturam. Sin minimè secundum naturam, sed eam dignitatem datam & extrinsecus acceptam, & velut in sola voce positam habuisse, quomodo non illud evidenter asserit, nos latriam deferre ei qui natura Deus non sit: & nobiscum ut consequens est, illam quoque supernorum spirituum pervigilem prudentiam seductam esse, & horum scelerum nobis ipsum Patrem initium & causam esse? Quomodo igitur adhuc culpat eos, qui illo abjecto creaturam adorare malverunt? Cur verò accusat & punit seductos errore homines, si ejus nutu ac voluntate seducti sunt, cum eum qui non esset natura Deus, adorabilem nobis effecit?* Vides quàm latè serperet & quàm immaniter grassaretur hoc Nestorianum virus, atque idololatriæ infamia Angelos creaturasque universas consperger et, adeoque hujus atrocitatis invidia Deum ipsum oneraret. Adorassent enim Angeli in Christo meram creaturam, perfunctoriè Deo sociatam, non tamen Deum effectam, adorassent & Apostoli, adorasset orbis universus: authorque & præceptor Deus ipse in tantum nefas extitisset, & ipsa dispensatio, quod vel cogitare exhorret animus, non aliud quàm superstitionis officina videri posset.

societate duas naturas copulantem.

L. 2. adv. Nest. p. 51.

Nec expediebat se ab his retibus veterator ille cum aiebat, *Propter gestantem gestatum veneror: propter latentem adoro spectabilem:* ut ibidem verba ejus Cyrillus refert. Nam gestans & gestatus, latens & spectabilis vel unus & alter erat, vel unus verè & reapse. Si unus & alter, in eandem resorbebatur voraginem impietatis, qui mero homini divinos immolaret cultus, & hujus facinoris infamiam Deo inureret, cum aiebat, propter Deum coli à se hominem. Eo enim, tantum abest ut elevaretur, ingravescebat ejus scelus, cum ejus sibi authorem Deum & ducem calumniabatur. An enim propter Deum coletur latria homo, cum id flagitii tantoperè detestetur Deus, & flammis ultricibus persequatur? Si verò ut unus colebatur à Nestorio Christus, insulsissimè à seipso unus idemque dissecabatur, ut argumentatur ibidem Cyrillus:

homo

homo enim honoratur, seu rex aliquis indiscriminatim, non corpus propter animam, non vestis propter regem: etsi lateat rex, vestis emineat: latitet anima, corpus existat.

IX. Quam diverso sensu unam Christi adorationem prædicaret Apollinaris, Nestorius, Ecclesia. Elucet autem hoc maximè exemplo, quàm tenui nonnunquam interstitio dirimatur impietas à pietate: aut ut cautiùs eloquar, quàm sæpè fugiat fallatque nos immane illud, quo pietas ab impietate dispescitur intervallum. Una enim adoratio Christi & ab Apollinari, & à Nestorio, & ab Ecclesia catholica verbis iisdem, sensu longè dissimillimo prædicatur. Unitas enim adorationis ab Apollinari quidem propugnatur, ut naturas confundat: à Nestorio ut personas dividat, ab Ecclesia ut geminas inconfusasque naturas in unam personam conflet. Apollinaris non personæ tantùm, sed & naturæ unitati unam illidit adorationem: Nestorius ne personæ quidem nisi adumbratæ ementitæque unitati: Ecclesia naturæ duplici, sed personæ uni unum inscribit honorem. Apollinaris improvido unitatis studio unitatem disturbat: Nestorius fallaci unitatis fuco multitudinem ac scissionem obumbrat: Ecclesia naturas plures sincero & insolubili unius personæ vinculo colligat & adorat. Apollinaris ne creaturam colat, creatorem contaminat; ut cultum uni vendicet creatori, ipsam creatoris corrumpit adulteratque substantiam, atque ut unum Deum adoret, eum illudit expingitque Deum, qui coli utpotè creaturæ concolor & consubstantialis non debeat. Nestorius ut impunè creaturæ serviat, solo illam prætexit nomine creatoris; ne suum Deo suffuretur cultum, ipsam priùs suffuratur divinitatem, atque idololatriam non tam detestari satagit quàm fucare, & verbo tenus inficiari. Ecclesia autem unum Deum colit, nec incorruptionis authorem corrumpit: carnem Deo conserit, non ut Deo corruptibilitatem, sed ut carni incorruptibilitatem afferat: Deum adorat in carne, non aliter quàm antè carnem, latriæ honorem Verbo Deo immolat, nec vetat carnem quæ Verbo accessit, latriæ honorique Verbi accedere, totum denique Deum Verbum colit, nec sibi fas esse putat substantiam ejus discerpere, & colendo dissociare, quod ipse sibi substantivè consociavit. Itaque Apollinaris, ne creaturæ serviat, phantasmati vacuoque servit ludibrio, carni scilicet increatæ. Nestorius dum creaturæ se servire dissimulat, fucum sibi facit, & personato servit Numini, & hujus idololatriæ, quod horret pudetque fari, arcem collocat in ipso incarnationis sacrario, authoritatem originemque accersit ab ipso Patre Deo. Ecclesia creaturæ non servit, dum Verbo servit & obaudit, per corporationem infirmitati nostræ contemperato, & per temporalia sacramenta sua ad æternorum nos amorem revocanti. Apollinaris denique dum unitatem insulsè affectat, quaternitatem protrudit, quartumque increatum fabulatur. Nestorius dum unitati divinæ consulit, hominem illi umbratiliter tantùm & simulatè conserit, incarnationemque labefactat. Ecclesia dum hominem Deo substantivè substringit, in unamque subjugat hypostasin, nec Dei unitatem attaminat, & in eandem hominem conglutinat. Creatura enim creatori convenire & homo Deo in unitatem naturæ non potest, in unitatem personæ potest: quòd illic profanetur Deitas, dum illi coæquatur humanitas: hìc magnificetur divinitas, dum illius censui jurique arctissimo & substantivo vindicatur & ineffabiliter mancipatur humanitas. Apollinari succinuerunt postea Eutychiani: Nestorianis allusérunt qui duas Christo adorationes, seorsim Verbo, & seorsim homini decrevere, adeo fabulosa illa Nestorii interpretatio unionis sponte dissiliebat, & in secessionem apertè tandem erumpebat. Utrisque anathema impegit, & unitatem adorationis ab impendente hinc & inde vel nimis confuendi vel nimis diffuendi discrimine exemit Synodus quinta œcumenica, quam ita interpretatur Synodus Lateranensis: *Si quis adorari in duabus na-*
Can. 9.

turis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, & semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem Deitatis & humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium protensè dicens, sic adorat Christum; sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.

X. Ne coadorari quidem hominem vel carnem Deo sinit Cyrillus, ne duo secernantur. Et ne in everrenda à fidelium mentibus idololatriæ suspicione, nostram quisquam desideret diligentiam, ipsas verborum & præpositionum minutias perscrutari atque expendere operæ pretium est. Itaque ne per cuniculos clam furtimque irreperet aura aliqua Nestorianæ perfidiæ, ne coadorari quidem hominem cum Deo dici passus est Cyrillus. Qui enim cum Deo adoratur, vel Deo coadoratur, is alter à Deo est, nec in eandem cum eo concretus personam. Quis enim unus idemque sibi vel convivere, vel congredi, vel confabulari usquam dicitur? At si duo contubernales conveniant, tunc convivia, congressus, confabulationesque agitabunt. Ergo coadorari hominem Deo, perinde est ac revelli dissecarique à Dei persona hominem, sejunctimque sisti, cui nulla citra piaculum adoratio queat impendi. Argumenti etiam satis est ipsa Trinitas una Deitatis, ubi coadorari & conglorificari hypostases divinæ meritò dictitantur, quòd plures reapse personæ sint. Ergo & plures Christi erunt personæ, si coadorari caro Verbo jactitetur. Cyrillus in Scholiis de Incarnat. pag. 797. *Si verò hominem cum Deo coadorari dixerimus, divisionem spatiosissimam inducemus: σὺν enim semper, quod latine est, cum, si in significatione unitatis quæ est per compositionem ponatur, duo omninò cogit intelligi. Quemadmodum enim nemo sibi convivere neque concœnare, aut coadorare vel coambulare (duarum enim personarum significationem inducit præpositio verbo præposita:) ita etiam si quis coadorari hominem cum Deo dixerit, duos planè filios dicit & eos esse disjunctos.* Immaniter ergo hæc distant sensu, etsi verbo penè consonent, coadorari Verbo carnem, & Verbum cum carne adorari. Ibi enim una duabus personis adoratio affingitur, hìc uni personæ Verbi incarnatæ una adoratio nuncupatur. Ex quo liquet non tam verba ipsa trutinanda esse, quàm sensa verborum. Nam coadorari Verbum carni & Epiphanius & Damascenus & alii orthodoxi dixerunt, nec ullius tamen cum Nestorio affinitatis suspecti fuere; sed nemo nescit eodem poculo & virus & salutare pharmacum propinari posse: nemo nescit, ut Scripturæ, ita & fidei Christianæ vim non in legendo, sed in intelligendo sitam esse.

XI. Cui Rusticus suffragatur. Suffragatus Cyrillo vehementer est Rusticus in disputatione contra Acephalos. Præmittit enim locum Cyrilli ex Epistola ad Nestorium, ubi & coadorari hominem Verbo vetat, adorari cum carne Verbum hortatur: *Si Christum unum & Dominum confitebimur, non tanquam coadorantes hominem Verbo: ut non in scissionis phantasia subintroducatur, ob id quod dicitur Cum: sed ut unum & eundem adorantes, quia non est alienum à Verbo corpus ejus, cum quo & ipsi considet Patri, non tanquam duobus rursus considentibus Filiis, sed ut uno circa unitionem cum propria carne.* Quam Cyrilli sententiam ita Rusticus illustrat: *Ecce & de corpore dicens, Cum quo considet Patri: intende id quod est, Cum quo. Et rursus, Cum propria carne. Id verò quod prius dixit, Cum, & id quod posterius, & Con, & Co, idem est. Sed quotiescumque quidem sermo fit de naturis, dicitur cum humanitate divinitas, & è converso. Quando verò de Filio, non licet dicere, Coadoratur Filio Dei Filius hominis. Non enim coadorantur in sancta Trinitate nisi personæ tantummodo. Divinitas verò sicut miracula est operata per carnem, sic adoratur per carnem. Et adoramus omnes crucem, & per ipsam illum cujus est crux: non tamen crucem coado-*

coadorare dicimur Christo: nec per hoc una est Crucis & Christi natura Similiter adorare altare, coadorare altari Trinitatem non dicimur, sed potiùs per altare. Nec tamen rursum sicut Patrem per Filium, ita Verbum per carnem: absit: non enim duæ personæ sunt Christi: per carnem verò, id est, cum carne, cum qua considet Patri, & coadoratur. Ubi plurà cursim perstringuntur. Primò, ubi voces usurpantur quæ personæ umbram præferunt, tum abstinendum esse præpositionibus Cum, co, & id genus aliis: itaque nec adorari Verbum cum homine, nec coadorari Filium Dei Filio hominis, ne mendacio unius adorationis persona duplex prætexatur. Rursum ubi plures personæ sunt, in æquali honoris culmine, vel in unius naturæ nexu, tum coadorari eas, utputa divinas hypostases. Denuò ubi plura sunt disjuncta, ut Deus & altare, Christus & crux, tunc non coadorari, ob inæqualitatis immensam intercapedinem, sed per altare Deum, per Crucem Christum adorari. Rursum per Verbum adorari Patrem, & per carnem adorari Christum; sed etsi verba non diffideant, sententiam procul discrepare: adoratur enim per Verbum Pater, ut persona per personam, ingenita per genitam, & ita adoratur, ut coadoretur: at adoratur Christus per carnem, id est, cum carne, quacum hypostasis una est. Denique similiter sensibus non vocibus dissentire ista, adorari Christum per carnem, & per crucem, sive per altare, per clavos & istiusmodi quidpiam. Adoratur enim per carnem, & cum carne, ut ipse caro; adoratur autem per crucem, non cum cruce, nec ipse crux. In crucem quippè ut ab hypostasi secretam Christi, refluit aura quædam honoris decoloratior & relativa tantùm: at carni ut in eandem cum Verbo hypostasin contextæ, eadem ipsa quæ Verbo adoratio offertur. Itaque etsi propter Christum crux adoretur, & propter Verbum caro adoretur, latissimo tamen ista dispescuntur intervallo. Nam propter Christum adoratur crux, sed ut à Christo discreta, ideoque umbratico & honorario tantùm cultu reverenda: at propter Verbum adoratur caro, sed ut cum Verbo in unam hypostasin concreta, ac proinde eodem adorationis honore prosequenda. Denique ut eo recurramus, unde hæc omnia nexa aptaque pendent, quam non potest esse nisi una divinitas, Patris & Verbi incarnati, & Spiritus, tam non potest esse nisi una adoratio, quæ neque cum personis divinis multiplicatur, nedum per ullum ad quamlibet personam additamentum.

Pag. 818. Rusticus ibidem: *Insuper nec adoratio & cultura veluti sub numero offertur: nec enim tres culturæ, aut tres adorationes sunt Trinitatis. Quare neque quatuor, neque duæ: vel si, ut dixi, unius, aut etiam trium, proprium sit aliquid alterum. Nec enim tabernaculum in Eremo, nec arca, nec templum, nec altaria, Deo ab antiquis coadorabantur, & concolebantur: & neque una est Dei & horum facta natura. Nec adiecit numerum adorabili & colendæ Trinitati: eo quod Trinitas quidem coadoretur: hæ verò creaturæ non coadorentur Trinitati, sed per eas Trinitas adoretur.* Coadorantur igitur tres divinæ hypostases, ut unius Dei una sit adoratio. Non coadoratur autem Filio Dei homo, ne quarta hypostasis hominis, aut in divinos involet cultus, aut latriam in plures scindat. Ut una autem inviolabiliter constet adoratio, quidquid divinis accedit personis, vel hypostaricè accedit, & eadem convolvitur adorantis pietate; vel extrinsecus accedit & non coadoratur Deo, sed per illud Deus adoratur, illud autem honorariam sibi tantùm venerationem habet.

XII.
Nõ alio quã latriæ cultu colenda caro Christi, nec aliter quam cum Verbo. Solvuntur loca contraria.

Abundè, ut arbitror, ex antedictis compertum jam est, non ullum ipsi per se Christi carni aut humanitati seu latriæ cultum, seu latria obscuriorem dependi debere præter eum servitutis enixissimæ honorem quo cum Verbo, imò cum tota beata deitatis Trinitate adoratur. Nam illud quidem nunquam in monumentis sanctorum Patrum occurret, propter infusam divinitatis lucem adorari humanitatem, at eo ut Deitas, ita Deitatis propria adoratio infusa insinuatur. Audi Ambrosium: *Et adorent eum omnes Angeli ejus. Adorant autem non solùm divinitatem ejus, sed etiam scabellum pedum ejus, &c. Aut si negant quia in Christo etiam incarnationis adoranda mysteria sint, in quibus velut vestigia quædam divinitatis expressa & vias quasdam Verbi cælestis advertimus, legant quia & Apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem. Ergo si nihil derogat, quod Deus adoratur in Christo, quia adoratur & Christus, &c.* L. 3. de Spir. sancto. c. 12. Quanquam igitur humanitas ceu scabellum divinitatis, ob impressa veluti vestigia divinitatis adoratur, non id aliud tamen est, ut ipse author & interpres sui idoneus est Ambrosius, quam quod Christus adoratur & in Christo Pater. Paulo intricatior est Augustini locus: Cùm illud, *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, exposuisset de Verbo Deo animarum suscitatore, deinde progrediens ad humanitatem Christi per quam corpora suscitabuntur; *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum: Non dixit, Sicut, sed honorificat & honorificat. Honoratur enim homo Christus, sed non sicut Pater Deus. Quare? Quia secundùm hoc dixit, Pater major me est. Quando autem honorificatur Filius, sicut honorificatur Pater? Cùm in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & omnia per ipsum facta sunt. Et ideo in hac honorificatione secunda, quid ait. Qui non honorificat Filium, nec honorificat Patrem, qui misit illum? Non est missus Filius, nisi quia factus est homo.* In Ev. Joan. Tract. 21. Christum ait honorari sicut Patrem qua Deus est: non sicut Patrem, sed ut minorem Patre, & honorificatione secunda, prout homo est, & major ipso Pater est. An ergo adorationem duplicari, aut aliam etiam obsoletiorem humanitati seorsim spectatæ ingeri finit? Minimè gentium. Locus enim ille unicus sexcentis aliis ejusdem & cæterorum Patrum consensione unanimi aut illustrandus aut inflectendus est. Augustinus Cap. 1. enim ipse supra allegatus de adoratione disputans, quæ creatori uni jubetur reservari, eam tamen scabello pedum ejus, id est, carni Christi, ex alio Scripturæ loco deberi confirmat; *Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Sed nulla tamen Augustini secum suspicanda rixa est. Nam etsi adoretur una adoratione caro Verbi, qua Verbum ipsum, imò qua & Verbi Pater, non tamen sicut Verbum, vel sicut Pater adoratur, quia non propter seipsam, sed propter Verbum, Verbique Patrem. Est enim caro illa Verbum ipsum & Deus, idemque Deus qui Pater, ob unitatem Deitatis: nec tamen Deus est, sicut Verbum, nedum sicut Pater. Verbum enim seipso Deus est, & sempiternè, Pater Deus seipso principaliter est, & innascibiliter, homo autem Deus est, non tantùm, quia natus in Deum, & ita non sicut Pater: sed etiam quia ex infimæ naturæ forte præreptus sublimatusque est in Deum. Ergo ut homo Christus, unus Deus est cum Patre, nec tamen sicut Pater: ita eadem servitute colendus est cum Patre, non tamen sicut Pater, quia propter Patrem.

XIII.
Duo illa eadem probãtur multis argumẽtis, quæ hic cõglobantur, supra autẽ sparsim prælibata sunt.

Verùm ut elucidatiùs fiat, quod jam carptim strinximus, non alio latriæ cultu, nec ullo alio degenere honoris genere quàm eo ipso quo Verbum Deus & tota Deus Trinitas adoratur, humanitatem Christi adorandam esse, id ex toto hujus disputationis contextu exploratissimum est. Atque ut summatim delibem argumenta in superioribus sparsa: Primò unus Dominus cum sua carne Verbum Deus, & una verendus latria: quorsum ergo illum quasi in duos dilaniabis & ipsam dissipabis servitutem? Secundò, una fides, de qua dicitur: Credi-

Creditis in Deum & in me credite: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Hìc caro Christi per fidem nostram consociari cum divinitate jubetur, non sequestrari: nam ubi illam sepofueris, jam non una fides erit, nec fide ac spe ea carnem istam prosequeris qua Deum. Invitat ergo prolicitque Christus ut fide inhæreamus carni suæ, & per carnem Verbo carni insito, & per Verbum Patri: quid igitur nobis in mentem venit hanc concatenationem otiosa & intempestiva cogitandi ac dividendi solertia dissolvere, & carnem à Verbo & Patre divellere & penè exauthorare? Tertiò, unum baptisma, quod etsi in nomine Trinitatis consignatur, carnem tamen, mortemque Christi continet, non immersionis tantum sacramento, sed ipsa prece & invocatione Filii, quem incarnatum & passum etsi lingua silet, sed fides vociferatur. Ipsa ergo nostra in Christi fidem initiatione, id suscepimus, id professi sumus, in id conjuravimus, carnem à Verbo, Verbum à carne nusquam divellere, & hanc individuam copulam si quando vox reticeret, animo & fide supplere. Quartò, ita Christus nos instituit, ita fidem nostram informavit, ut carnem ejus viam, divinitatem veritatem & vitam metamque nostrorum omnium votorum interpretaremur. Viæ autem ipsi per se insistere, & propter se ipsam demirari, nefas est; sed ad metam ipsa viæ progressio & admiratio destinanda est. Ergo nec carni propter seipsam vel ad punctum temporis inniti licet, sed ut vehiculo divinitatis, ut convectanti nos ad divinitatem incumbendum, ut ne extra præsignatas nobis lineas luxuriet pietas & longiùs peregrinetur. Quintò, ne Verbum quidem ipsum sejunctim à Patre suo spectari se unquam aut adorari sinit, nec ergo humanitas id patietur aut assumet. Nec ullum hinc honoris dispendium Verbo creatur, sed emolumentum: nam cum in Patre suspicitur, colitur, in fonte ipso divinitatis, in principali & summo Deitatis fastigio, splendidissimè fulgurat. Ita ergo & carni incrementum gloriæ hinc accedit, quod nunquam nisi in summo majestatis culmine, ut Verbo concreta spectetur. Sextò, si privato seorsim & quasi furtivo honore gaudeat aliquando illa humanitas, sejunctim quoque & suo privatim potietur Verbum ipsum. Quid enim causæ est quamobrem separatim colas humanitatem & separatim non colas Verbum? At perspicuum est quantum jacturæ sub specie compendii importes humanitati. Nempè dum privatis modicisque hyperduliæ cultibus oneras illam, latriæ impensioribus obsequiis defraudas. Quantò satiùs ergo est, & compendiosiùs illi carni, ut ne extra Verbum colatur unquam: ita fiet, ut nec Verbum sine ipsa: ita hyperduliæ cultus compensabitur uberrimo fœnore latriæ. Septimò, privato gaudere non potest honore humanitas illa seorsim considerata, quin verè privato, id est deminuto extenuatoque gaudeat: atque ita deminutione sui gaudeat. Quam præpostere ergo ingeniosa pietas, carnem illam salvatricem cum locupletare studet, dispoliat: cum honorare, dehonorat; cum illustrare satagit, obscurat. Peculium illi honoris seponit, & interim à locupletiore Verbi peculio eam deponit. Consultiùs ergo est, ne vel cogitando segreges humanitatem à Verbo, ut hinc efficiatur, ne Verbum à carne posthac seponatur unquam, aut privatim colatur. Octavò, sed quid attinet novos excogitare & congerere illi carni honores? An ei abundè non sufficiunt divini? An ei non sufficiunt, qui Deo sufficiunt? An illi parum est, quod Deo satis est? An nostræ pietati parum est, si illi tantum quantum Deo, imò idem quod Deo dependat? An ultra divini cultus metam protrudere illam vel nosmet præcipitare juvat? Num quæ latriæ religione semel condecorata est, crescet adhuc & explendescet uberiùs per hyperduliam? Num illi in cumulum abundabit, quod Deo deerit? Sed quò cresceret homo, qui Deus est? Quò cresceret cultus, qui Dei cultus & latria est? Qui Deus est, inaniri potest, augescere non potest: ita qui latria colitur, minore obscurari potest, majore cultu clarescere non potest. Nonò, ne divinæ quidem hypostases sejunctim adorari possunt: etsi ergo unam cogites vel pronunties, reliquæ complicantur & coadorantur. Nec naturæ igitur Christi separatim colentur: sed etsi hominem proferas, is Deus est: etsi Deum, is homo est: & ut naturæ, ita cultus reciprocantur. Et ne quæso elabi facilè memoria sinas, quod ex Patribus supra inculcatum est: unam divinitatem, unam esse adorationem latriæ: utque divinitas complicat amplexaturque tres hypostases, Patrem, Verbum incarnatum & Spiritum sanctum, ita adoratio latriæ una totam Trinitatis Deitatem complectitur. Carnem ergo semel Deitate, semel latria implicatam, explicare nefas est, quia illa unitas ne cogitatione quidem violanda est. Decimò, latria omne adorabile complectitur; utque hoc unum est & summum bonum, summumque unum & summè adorabile, ita illa una est, summamque servitutem præ se fert, & omnia cultus genera anticipat devoratque. Ergo cùm adorabilis sit caro Verbi, latriæ cultu ita semel corripitur, ut alio non possit præterea honore clarere, qui non anticipatus præcerptusque sit per latriam. Undecimò, unitas personæ quæ plures naturæ copulantur, istud honoris divortium expungit aliquantò etiam manifestiùs, quàm unitas naturæ plures personas devinciens. Nam personæ aliæ & aliæ in eadem etiam natura peculio tamen suo quopiam frui possunt: sicut Verbum Deus privato incarnationis suæ censu & tota illa carnis meritorum supellectile gaudet. At naturæ in conjugii hypostatici vinculum colligatæ, omnimodam ineunt societatem, utque substantias commiscent suas invicem, immeantque penitus, & implicantur sibi, ita honores opesque omnes invicem sibi refundunt. Haud ergo fas est ab honore Verbi carnem, vel ab honore carnis Verbum saltem cogitando sejungere. Duodecimò, humanitate jure nexuque substantivo ita sibi Deus Verbum vendicavit, ut quæcumque humanitatis sunt, ad Verbum pertineant, nec copia sit saltem ad momentum illam à Verbi censu emancipare. Etsi ergo subtili mentis acie scindere à Verbo pertentes humanitatem, illa tamen Verbi est: si illi tum hyperduliam offeras, Verbum nihilominus interest, & degeneri hoc cultu suam carnem, id est, se in sua carne dehonestari fortè indignatur. Quantumcumque enim extenues exacuasque tuam secandi præscindendique artem, reapse tamen ea humanitas & omnis ejus census honosque ad Verbum pertinet: & quidquid ei honoris affunditur, in Verbum transfunditur, quod alio quocumque quam latriæ cultu dedecoratur. Tu quidem nescio qua pietatis teneritudine diffluens ultra modum subducere in angulum, & sequestrare moliris illam humanitatem seorsim, ut hyperduliæ furtivis oblectetur honoribus: at illa Verbi se esse, nec suum quidquam privatim esse posse, nec ipsam sui juris, aut suam sibi esse se novit; sed tum omnia sua secum, tum hunc latebrosum honoris fructum Verbo nauseanti defert, nec nisi latriæ ritibus acquiescenti. Denique ubi de aggerandis carni Christi honoribus consilium capessitur, non divellenda est ea à Verbo, sed conflanda, & quantum per inconfusæ copulæ leges licebit commiscenda est. Hinc enim honos, hinc decus & pretium illi omne exuberat. Cogitando autem dirimere humanitatem à Deitate compellit hæreticorum insolentia, ut carne passus divinitate impassi-

impassibilis declaretur, id est, ut dedecus carni, decus divinitati adferatur. Nec enim aliter vel cogitari successio potest, quàm ut infirmitas omnis in hominem revolvatur, virtus sua adscribatur Deo. At ut honores aucupemur carni, eam à divinitate per cogitationem sejungere, id inauditum & perversum est. Num enim venaris illi honores, quam ab honorum omnium fonte semoves? Num illi moliris cultum, qui divinitatis injuria constet? Injuriosum enim Deitati est, si ut honore crescat humanitas, seponi debet. At ego suspicor verisimilius, non ad honoris incrementum, sed ad detrimentum potiùs cogitando sejungi carnem à Verbo: & hyperdulia ludificari magis, ut interim germano suo cultu, nempè latriæ defraudetur. Admoveamus autem animumque Theodoto Episcopo Ancyrano ita peroranti in Concilio Ephesino: *Propterea ergo cum Deus esset, homo factus est, ut & homo fieret Deus, hac copulatione ad divinam gloriam elevatus, &c. Quod enim unitum est, nequaquam duo, sed unum nominatur. Mente autem rursum si dividis, & unumquoque seorsum contemplaris, nimirum solvis unitatem. Impossibile est enim simul & custodire unitatem, & utrumque seorsim considerare. Sed quod est unitum, insolubiliter unum factum est: nec jam fiunt duo. Sed mente sola divido, inquis. Ergo & mente unitatem solvisti. Nam quo disjungis ab altero alterum, eodem copulationem dividis. Quid ergo dissolvis dispensationem salutarem, duo intelligens & unitatem repellens?* Vides quàm indignanter ferat, vel solo cogitatu segregari humanitatem à Verbo: non quo naturæ utriusque discrimen dissimuletur, sed quòd unitio utriusque retentanda semper mordicus, & nec ad punctum temporis excidere nobis aut oculum mentis fallere sinenda sit. Nam ubi alterius altera consortio per otiosam cogitandi licentiam exuitur, inferior potissimùm superioris, quodammodo violatur unitas hypostatica, secatur indissecabile illud vinculum, & à primæva inexhaustaque honoris vena abducitur caro, prætextu experiundæ nescio cujus clandestinorum honorum novitatis. Et illud quod regeritur, sola cogitatione hoc fieri, familiare erat effugium Nestorianorum, ut ibidem author est idem Theodotus: *Et quod unitum est, separant, commemoratione naturarum, qui duo quædam dicunt Christum, & illud suum, Cogitatione sola, ad sui defensionem proferunt.* Attende ut Nestorianum hoc perfugium, Cogitatione sola, explodat, & ne sic quidem periclitari nobis mysterium nostrum sinat. Nam qua libidine pruriens secare penes te & in latibulo mentis gestis, quæ insecabiliter copulata sunt? Sed ubi carni seorsim sevocatæ eos honores obtrudis, quos non possit cum Verbo communicare, nonne tum creata ipsam induis obruisque hypostasi? Nonne tum sejunctim ipsam statuis, & juris sui esse facis, & suum aliquid peculiare habere cogis, & emancipari à potestate Verbi? Nonne istud est viam ingredi nulli sanctorum Patrum tritam, nulli vel fando vel audiendo usurpatam, nulli eorum qui Christum in terris degentem venerati sunt, tentatam? Unde ibidem Theodotus: *Nam & Magi ei, qui videbatur, thus obtulerunt, tanquam Deo, non separantes naturam à natura, neque cogitatione dividentes quod semel unitum est. Neque Angeli cogitatione, ut tu dicis, quod natum est à Deo Verbo separaverunt, sed eundem esse scientes & visibilem & intelligibilem, clamabant dicentes, Gloria in excelsis, &c. Non alia quidem dicentes, ut ipse facis, & alia cogitantes: Non verbis confitentes unum Christum, cogitatione autem dividentes eundem. Sicut tu, sensus habens repugnantes verbis: sed unum eundemque glorificant Deum.* De honorando hìc quæstio vertitur Christo: interceditur autem vehementer, & Magorum Angelorumque exemplo vetatur etiam cogitatu mero secerni naturas. Unitas enim personæ revincitur ex indiscreta adoratione Magorum & Angelorum: secessio vicissim & dissidium personæ coligitur ex geminata Nestorii adoratione in naturas cogitatione discretas. Et infrà idem luculentissimus scriptor: *Confitemur non duos, sed unum: non tanquam unum dicamus, duplicem verò intelligamus, neque enim oportet contrarium esse sermoni intellectum. Non intelligimus duo, sed confitemur unum. Quod enim dispensatione & miraculo conjunctum est, id neque sermo separat, neque intelligentia. Si qua verò cogitatio separet quod conjunctum est, dissolutum intellexit, & falsus evadit intellectus, separans utique quod semper conjunctum est, &c. Ne ergo àd naturas divisas orationem deducas, Deo summam mirificante unitatem, &c. Confitere unum Dominum Jesum Christum & Deum & Hominem eundem, neque intelligentia, neque rationibus divisum: ne ea quæ unita sunt, rationibus separantes, dispensationem salutarem denegemus.*

Part. 3. c. 9.

Sentio equidem hæc adversus Nestorium detonari, naturas ita discerpentem, ut in duas Christus hypostases finderetur, à qua perfidia longè abhorrent, qui carnem cogitatione à Verbo segregant, ut ei de privatæ cujusdam hyperduliæ cultu suppalpentur. Video horum propositum ab illo immaniter distare. Sed ipsa tamen carnis à Verbo etiam per cogitationem segregatio universim exosa fuit Catholicis scriptoribus, adversariis perquam familiaris. Quid attinet autem Nestorio alludere, affines ipsi usurpare sermones, in eodem fluitare vado, ejusdem dissidii suspicionem incurrere, & specie honorandæ humanitatis, ab ipsa honoris totius vena eam abducere? Carnis quidem & divinitatis alia & alia natura, aliæque & aliæ proprietates sunt: sed tamen caro & passiones carnis, Verbi Dei sunt; Verbum Deus carni ejusque passionibus infudit superfuditque se; nec ejus copulæ memoria unquam nobis vel tantillum oblitteratur aut seponitur, tum maximè cum animus est carnem illam adorare. Nec me fallit Damascenum dixisse carnem inadorabilem esse, si subtilibus cogitationibus dispescatur à divinitate: sed hanc cogitationum audaciam haudquaquam ille approbavit; quin imo ut à Nestorianis invectam, ut hæreticis usitatam detestatus est. Inadorabilem fore dixit, si præsecaretur à Verbo; ideoque ne inadorabilis sit, præsecari vel cogitando vetuit. Inadorabilem dixit, si mente semoveatur à Deo, non dixit tum cultu mediocri & decoloratiore consolandam magis quàm ornandam. Denique ut authoritatis ineluctabilis pondere res transigatur, accipe quæ Synodus Nicæna prima adversus Paulum Samosatenum Nestorii antecursorem, & licentiosarum istiusmodi divisionum parentem decreverit, prout refertur Synodi Ephesinæ part. 3. c. 5. *Confitemur Dominum Christum, &c. Unam personam compositam ex cœlesti divinitate, & humana carne: totum Deum, & totum hominem: totum Deum etiam cum corpore, sed non secundùm corpus Deum: totum hominem cum divinitate, sed non secundùm divinitatem hominem. Sic totum adorabilem etiam cum corpore, sed non secundùm corpus adorabilem: totum adorantem etiam cum divinitate, sed non secundùm divinitatem adorantem.* Hæc discretionis ratio catholica est, hæc à S. Paulo præformata: ut toti Christo eosdem honores offeras, sed quid secundùm quid non nescias. Nam totus Deus est etiam cum corpore, non secundùm corpus: totus adorandus etiam cum corpore, non propter corpus; ignobiliori autem cultu afficiendus propter corpus nusquam legitur: eo enim & Deitas ipsa respergeretur. Totum itaque nefas est mente solvere, sed in toto quid secundùm quid dicatur aut celebretur, nefas est ignorare.

XIV. Solvitur objectio ex Damasceno.

L. 4. c. 3.

Si cui autem molestiam creet humanus quandoque affectus, carnali nescio qua teneritudine

XV. Christi carni quo animi sensu, quo affectu accidendum sit.

in ip-

in ipsam Christi carne emollescens, & quasi seorsim ei blandiens, qui ad latriæ cultum revocari vix posse videatur: is ediscat obiter quid Christiana pietas inter humaniora istiusmodi blandimenta sapiat, quid cœleste spiret & divinum. Nec ipsi enim carni Christi advolvi aut vestigia ejus exosculari licet, nisi ut sapientiæ pedibus implicemur, ut lambamus vestigia justitiæ, ut ad pudicitiæ amplexus & oscula assurgamus. Nec sapientiam aut justitiam aut pudicitiam hominis peculiarem & creatam prosequamur, sed ipsam per sese veritatem incommutabilem, incorruptibilemque virtutem in carne, tanquam in sacrario quodam suo recumbentem prehensemus. Qui sanè cultus singularis est divinitatis. Paulinus Epistola IV. ad Severum: *Habeant sanè capillos juxta illam Evangelicam peccatricem, vestigia Christi tergeant, & sapientiæ pedibus implicentur, ut aliud nisi sapientiam amare, nisi virtutem amplecti, nisi pudicitiam osculari nesciant: & ut extremo saltem rore Verbi cœlestis aspersa dicant, Ros enim qui abs te est, sanitas est nobis.* Vides quo desinat cultus omnis carni Christi impensus, & in carne quid fides intueatur, quid eligat, quid dissuavietur: nempè sapientiam & justitiam. Et infra: *Ergo illum amemus, quem amare debitum est. Illum osculemur, quem osculari, castitas est: illi copulemur, cui nupsisse, virginitas est. Illi subiiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est. Propter illum deiiciamur, cui cadere resurrectio est. Illi commoriamur, in quo vita est.* Non aliter ergo carni Christi os apprimit & adglutinatur pietas Christiana, quàm ut fonti ipsi virtutum immortalium, ut justitiæ ipsi increatæ in nostram carnem delapsæ, ut familiariùs nos ad sui gustum amoremque provocaret.

XVI. Nec in sacrificii cultu seponit Verbum à sua carne Paulinus.

Atque ut certior fias quàm non sejungatur unquam à divinis honoribus caro Christi, ipsi sacrificio eam implicari innuit Paulinus idem Epistola V. *Ipse enim Dominus hostia omnium sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotii sui & sacerdos suæ victimæ fuit; cuique nunc ut uni omnium Domino omnis nova creatura sacrificium, ipsique sunt hostiæ sacerdotes.* Quanquam enim solemnis verborum formula non nisi Patri nuncupet sacrificium, in Patre tamen tota Trinitas ambitur, tota colitur in suo capite, toti sacrificatur. Unus autem de Trinitate est Verbum incarnatum. Quanquam enim carni ipsi non sacrificetur, bonorum tamen omnium & substantiæ Verbi ipsius consors humanitas, odore sacrificii aliquo afflatur.

XVII. Latriæ cultu continetur cultus omnis.

Postremò tandem libet cum Arnobio exclamare l. 3. Adv. Gentes: *Ad cultum divinitatis obeundum satis est nobis Deus primus, Deus inquam primus, Pater rerum ac Dominus, constitutor moderatorque cunctorum. In hoc omne quod colendum est, colimus: quod adorari convenit, adoramus: quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis ipsius teneamus caput, &c.* Hoc ergo institutum, hoc sacramentum nostrum est, omne quod latria colendum est, in Deo uno anticipari, in Deo coli: & quidquid extra fines est divinitatis, à servitute nostra peregrinum esse. Nec carni Christi ergo serviri à nobis, nisi quod immersa in radios divinitatis jam ita est, ut non appareat. Hinc porrò liquet, quàm non assentiendum sit, non dico Vicleffo, quem Thomas Valdensis ait latriam ipsi seorsim humanitati Christi obtulisse: sed nec Gilberto Porretano Pictaviensi Episcopo, qui à Gaufredo Claravallensi Monacho in Epistola ad Albanensem Episcopum asseritur, humanitati Christi seorsim spectatæ *duliam digniorem*, sive hyperduliam adsignasse.

CAPUT IV.

Angelorum sanctorum in homines officia, hominum in Angelos obsequia à superstitionis calumnia vindicantur, ut quæ adorationi Deo uni debitæ nihil officiant.

I. Scripturæ Patresque concinunt in Angelorum cultu commendando.

SCripturæ deificæ, divinis honoribus haud quaquam derogaturæ, has tamen alternantes officiorum obsequiorumque vices inter Angelos hominesque commendant frequentissimè. Sed nusquam invictiùs quàm hìc constabit, quantum libidini suæ se totos indulgeant, Scripturisque illudant, qui ad earum normam omnia revocanda invidiosissimè concrepant: nusquam invictiùs constabit, quàm non aliud Patres, quàm Scripturas sincerissimè interpretentur tum etiam, cum humanis eos traditionibus, gentilitiisque commentis ludificare, & ludificari hæreticorum pestes calumniantur. Procedat itaque nobis hæc utraque Scripturæ Patrumque contexta authoritas, & utriusque simul quasi gemino vallo catholicum istud sepiatur dogma de Angelorum in nos officiosa, de nostra in Angelos venerabunda charitate.

II. Hilarius. In Psal. 129.

Hilarius: *Meminimus esse plures spiritales virtutes, quibus Angelorum est nomen, Ecclesiis præsidentes. Sunt enim secundum Joannem Asianis Ecclesiis Angeli: sunt & Mose attestante, secundum numerum Angelorum, fines gentium Adæ filiis constituti: & Domino dicente, Pusillorum Angeli quotidie Deum vident. Sunt secundum Raphaelem ad Tobiam loquentem, Angeli assistentes ante claritatem Dei & orationes deprecantium ad Deum deferentes, &c. Sunt enim efficientes spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditabunt salutem. Intercessione itaque horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos qui hæreditabunt salutem: Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendum spiritalis intercessionis ministerio indigente.* Vides quanta congerantur ex Scripturis testimonia, ut liqueat Angelos Ecclesiis singulisque nobis præsidere, & nostras Deo offerre orationes, & ad omnia præsidio nobis esse. Num enim corpori tantùm tutando excubias agunt? Non homines ergo, sed bruta, aut quà brutorum similes sumus, regerent. Si animæ autem saluti invigilant, quo magis quam orationum suarum adminiculo prodesse possunt? Quo enim suam in nos benevolentiam curamque exsomnem Angeli testificentur, quam ut æterna bona, quando impartiri suum non est, certè imprecentur? Sed quo illud pertinet quod nostras orationes ab Angelis Deo adoleri testatur Raphael, quàm quod nostras suis orationibus copulant, complicantque, & suffulciunt, & ita efficiunt, ut ad Deum usque contingant?

Idem ipse exponens illud: *In conspectu Angelorum psallam tibi: Scit enim se sub specula Angelorum vitam omnem moresque agere, & ubique hæc divinorum ministeriorum auxilia fidelibus cunctis assistere: ut scriptum est, Præest Angelus Domini in circuitu timentium eum. Legem etiam Moysi in manu mediatoris per Angelos fuisse dispositam docet Apostolus. Nec non & Helisæus absolutissimè docuit humanas infirmitates Angelorum auxiliis defendi: & in omnibus periculis, si fides maneat in nobis, adesse spiritalium virtutum defensionem. Namque cum rex Syriæ capere Geth urbem in qua idem Helisæus propheta esset, pararet, & nocturnis itineribus exercitum suum, qui antelucanus urbem obsideret, destinasset; puer Helisæi conspecta obsidione dixit: O Domine quid faciemus? Et dixit Helisæus; Noli timere quia plures sunt nobiscum quam cum illis. Et oravit Helisæus ad Dominum, & dixit; Adaperi Domine oculos pueri hujus &* In Psal. 137.

jus & videat, Et aperuit Dominus oculos pueri & vidit, & ecce mons erat plenus equis & curribus in gyro Helisæi, & descenderunt ad eos. Tantus & tam nobilis propheta solus contemplatione auxiliorum spiritalium dignus est. Sed oratio ejus ad Deum visum incorporalium etiam puero suo meruit. In horum igitur assistentium humanis auxiliis Angelorum conspectu, psallet propheta, spiritalibus spiritalium operum contemplatione placiturus; Mentis fideique oculum nisi sua sectariis pervicacia exculpsisset, viderent & ipsi nobiscum circumjacentes nobis Angelicas excubias, longè numerosissimas, invictissimasque, non visibilibus tantùm, sed invisibilibus maximè hostibus debellandis auxiliatrices, nec alio magis quàm precum suarum præsidio auxiliaturas, nec alio magis quàm precum nostrarum officio demerendas. Quid enim sub omnipotente uno & omnitenente Deo natura rationalis mutuæ sibi benevolentiæ opisque præstet, quàm orando & à Deo impetrando? Ideò nimirum in conspectu Angelorum psallere ille affectabat, ut eorum sive comprecantium, sive auxiliantium societate juvaretur.

III. Idem Hilarius. Can. 18. Item in Evangelium Matthæi verba ipsa Christi notissima propalat in hunc modum: *Ergo & Filius hominis salvat, & Deum Angeli vident, & Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse Angelos absoluta authoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculosè ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum & invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur. Atque ut ingentem in cœlis lætitiam esse reditu humanæ salutis ostenderet, comparationis posuit exemplum ejus, qui oves nonaginta novem in montibus reliquisset, & errantem unam requisisset: qua inventa plus gaudii sit, quàm habebatur in nonaginta novem conservatione lætitiæ. Ovis una, homo intelligendus est, &c. Ergo nonaginta novem non errantes, multitudo Angelorum cœlestium opinanda est, quibus in cœlo est lætitia & cura salutis humanæ.* Qui orationibus nostris præsunt, qui eas ad Deum pervehunt, ii faciem Patris vident, ut ex hac eorum cum Deo familiaritate & gratia nihil non impetrari posse confidamus. Rursum quantum curæ insit beatis Angelis, pro salute nostra, & quantum ex ea lætitiæ illis affluat, prodidit ipse Christus, super uno peccatore pœnitentiam agente eos ultra modum exhilarari & congaudere testificatus. An ergo nostros ad Deum mediatores, nostrarum præsides adjutoresque precum, divinæ in nos gratiæ conciliatores & internuncios, nulla nos charitate prosequemur & reverentia? An & illis nos adgaudere vetabimur, qui nobis adgaudent? An illis gratias habere, qui nos tot obruunt officiis? An gratulari eorum beatitudini prohibebimur, qui nostræ resipiscentiæ & beatitudinis spei congratulantur? An orabunt illi pro nobis, nec ut orent, orari & compellari poterunt? An nostras commendabunt orationes, suisque exaggerabunt, nec tantum beneficii fas erit nobis vel prece aliqua demereri, vel postea gratiarum actione retaliari? An ergo grata Deo non est religio nostra, nisi ingrata sit? Numquid ut pii simus, abdicanda pietas est & obdurandus animus, ut adjutores, fautores, præsides, gratulatoresque salutis nostræ sanctos Angelos taciti, duri, brutique prætereamus, & aspernemur?

IV. Ambrosius. Ambrosius serm. gemino de Elisæo propheta eleganter illa Angelorum agmina ad ferendas suppetias occurrentium describit: *Noli timere: plures nobiscum sunt quàm cum illis. O fides sancti Prophetæ! non timet adversarios quos prospicit, quoniam scit Angelos secum esse quos credit: non metuit terrenas insidias, quia cœlestia adesse sibi novit auxilia. Plures inquit nobiscum sunt quàm cum illis. Mira res! plures è cœlo defensores meretur sanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas, &c. Quanta est divina misericordia? Defertur hominibus beneficium, nec videtur auxilium: periclitantes consequuntur, & nesciunt. Hæc est enim pietas salvatoris ut interveniat saluti, ac se non prodat aspectu: sentiatur beneficiis, & non cernatur obtutibus. Unde errat qui putat cum prosperè aliquid gesserit, propria se fortitudine superasse. Scire enim debet quod adversarii meritis magis quàm virtute vincuntur; & non tam virtute quàm sanctitate superantur, sicut sanctus Elisæus hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat.* Hæc ille elegantissimè commentatur in illum Scripturæ locum, ex quo claret hebescere atque omninò caligare adversariorum fidem, qui circumfusa non videant Angelicorum auxiliorum examina; aut si vident, obbrutescere penitùs qui non gratulentur, non honoris aut venerationis quidpiam tribuat, non congressu, non grati animi significatione, non inopiæ suæ denudatione dignentur. Quo enim Angelis circumcingi, quo cœlestibus incolis conversari, si obmutescendum sit penitùs, si nec hiare vel mutire ad eos fas? Aut quæ inficeta hæc & subrustica conversatio? Num homini benevolo ac benefico confabulari volupe est, & grates habere, & beneficii perennitatem precibus promereri licet decetque, Angelo nec licet nec decet? *Quid enim mirum si is auxilia meretur è cœlo, cujus animus semper in cœlo est? Sicut ait Apostolus: Nostra autem conversatio in cœlo. Ergo si nostra conversatio in cœlis est, & cœlestium conversatio potest esse nobiscum: hoc est ut qui vita vivimus Angelorum, rectè consortium mereamur. Est ergo sanctè viventibus, quædam inter se cognatio, conjunctio atque societas, &c.* Hanc piorum hominum cum Angelis societatem & contubernium, cognationem & conversationem obnubilas, mæstificasque, si ingratum indicas silentium, si colloquii vices alternas vetes, si charitatis mutuæ significationes auferas, si denique fructum omnem amicitiæ & contubernii absurditate & pertinacia silentii intercipias. Animantes ita Deus mutas congregavit in brutam societatem: at naturas rationales non tam extrinseca, quàm intima societate, animorumque & cogitationum affectuumque insinuatione confæderavit.

Idem Ambrosius Oratione in Auxentium de Basilicis tradendis: *Helisæus quærebatur à rege Syriæ, &c. Et respexit & vidit Angelorum militia. Advertitis igitur quod servulos Christi ii magis custodiant qui non videntur quàm qui videntur. Sed & illi si custodiunt, vestris custodiunt orationibus advocati.* Custodiunt igitur Angeli, sed orationibus advocantur. Quid præterea fides Ecclesiæ sancit, nisi honorari & orationibus advocari Angelos? Et advocantur quidem precibus ad Deum principaliter fusis, sed compellari & ipsos invitarique pietas jubet, & honoris ratio. Et hominum enim auxilia divinis magis precibus emerenda sunt, & tamen ad homines religiosos preces religiosè iterantur, ut divino hortatu jussuque opem ferant. — V. Ambrosius idem. — Vide & l. 3. de fide, c. 7. Et Epist. 11.

Augustinus quærit qui non transgressus sit Abraham, cùm populum terræ adoravit, præceptum illud primum, Dominum Deum tuum adorabis, &c. Quod idem de iis ambigi potest, qui in veteri testamento Angelos toties adorasse leguntur. Respondet autem: *Sed animadvertendum est in eodem præcepto non dictum, Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dictum est, Et illi soli servies: quod est Græcè, λατρεύσεις: Talis enim servitus nonnisi Deo debetur. Nec moveat quod alio loco in eadem scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet ut Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus* — VI. Augustin. — In qu. super Gen. q. 61.

das adorator. Servire igitur sive λατρεύειν uni Deo fas est; at adorare non solum Deum jubemur; sed & hominibus & Angelis pro moduli sui ratione libari potest adoratio, & ab Abrahamo aliisque quos Scriptura exornat imitandosque præstituit, libata sæpissimè est. Si adorare autem Angelos fas est, quin & invocare? Num alicubi invocationem sibi Deus expressiùs quàm adorationem vendicavit? Nonnè & ipsa adoratio, invocatio quædam & quidem demissa admodum est? Quid enim cum inops divitem, æger medicum, miser beatum, cliens Patronum adorat, nonnè tum vel maximè invocat? Quid enim hæc adoratio, quàm inopiæ & clientelæ suæ non infacunda significatio? Nonnè Deum & adorando invocamus, & invocando adoramus? Sed ut adoratio, ita & invocatio longè alia est, qua Deum, & qua Dei ministrum quemlibet prosequimur. Nam de invocatione Dei Augustinus scitè: *Et*
onfes. l. 1. c. 2. 5. *quomodo invocabo Deum meum, Deum & Dominum meum? Quoniam utique in meipsum eum vocabo, cum invocabo eum*. Et ibidem: *Quis mihi dabit acquiescere in te? Quis mihi dabit ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviscar mala mea, & unum bonum meum amplectar te?* Ad hunc modum nonnisi Deus invocatur, quia ille solus animæ rationali capabilis est, illius solius anima rationalis capax est, quem invocat, cum in se vocat, ut eo imbuatur & impleatur, inebrietur, formetur & beetur, tanquam uno bono suo summo. At Angelum aut cælitem quemlibet invocat, cum opus præsidium, cum orationis suffragium, cum apud communem Dominum patrocinium postulat: non ut ab Angelo beetur aut formetur, sed ut Angeli ministerio precibusque beatificæ formæ suæ id est divinitati concilietur.

VII. Eusebius. Demonstr. Evang. l. 3. p. 107.

Atque ut patronis suis patrocinentur & Græci, Eusebius Cæsariensis agmen ducet: *Porro autem ex illius decretis accepimus esse quasdam post supremum Deum potestates, natura incorporeas, intelligentes, rationales, omnique virtute præditas, quæ circum Regem universi choros exerceant: quarum plures etiam usque ad homines ipsius Patris nutu, quadam salutari dispensatione mittantur: quasque & cognoscere & venerari pro ratione graduque dignitatis edocti sumus, ut soli Deo qui Rex est universi, adorationis honorem tribuamus*. Jubet ergo Angelos quidem pro gradu dignitatis τιμᾷν, Deo uni dicare τὴν σεβάσμιον τιμὴν. Nam qui divinæ in nos beneficentiæ administri sunt, quin ut ministri pro dignitate amplissima honorentur, pro effusissima in nos benevolentia invocentur, & gratiarum retaliatione aliqua afficiantur?

VIII. Athanasius.

Athanasius libro de communi essentia Patris & Filii & Spiritus sancti: *Quod opus supercœlestium potestatum? Hymnus irremissus & amor incessabilis erga majestatem Dei, & fortasse etiam obsecratio continua de nostra salute, &c. Throni, Cherubim, & Seraphim sunt, qui continuo & sine ullo mediatore atque interprete à Deo condiscunt, utpotè cæteris sublimiores & Deo propinquiores: ab iis autem erudiuntur inferiores ordines, atque ita deinceps cæteri pro suo gradu. Postremi autem omnium sunt Angeli, qui & hominum sunt magistri*. Num integrum est, magistris nihil honoris tribuere? Nullam vicem beneficii referre, id pietatis specimen est? An nefas ubi in ambiguo vel caliginoso loco versamur, magistrum invocare qui nos extricet, & lumen inferat? Apage has intemperias.

IX. Dionys. & Maximus. Epist. 8.

Dionysius qui inscribitur Areopagita: *Amicorum hominibus Angelorum benignitatem omittentes, quomodo scilicet illi gentibus misereantur, ac pro ipsis divinæ bonitati preces offerant, perniciosasque ac perditas dæmonum turbas increpent, ac malis quidem nostris condoleant, saluti vero eorum qui ad bona conversi sunt congratulentur, & quæcumque alia de beneficis Angelis Theologia tradit*. Ubi ex Scripturis approbat Angelos nobis non condolere tantùm, aut congratulari, aut amoliri hostes, sed & suis apud Deum precibus prodesse. Ex eodem rursus alibi, Hebræis Michael, reliquis gentibus, *Non alieni quidam Dii* Celes. Hier. c. 9.
præfuerunt, sed unum omnium principium, & ad illud Angeli qui cuique nationi præfecti erant, sequaces suos adducerent. Et infrà: *Sed quod cum Altissimi unica illa rerum omnium providentia cunctos homines ad salutem Angelorum ductibus tradiderit promovendos, solus fermè Israel præ omnibus ad veri Dei notitiam & illustrationem fuerit conversus?* Per hos ergo ad nos defluit divina beneficentia: quid adeo mirabile si per hos & nostra refluat in Deum religio?

Maximus Martyr in Epistolam VIII. Dionysii: *Nota autem benignissimos Angelos etiam pro gentibus Deum deprecari, & apostaticas virtutes, id est dæmones increpare*. Idem habet & Pachymeres in eandem Epistolam.

X. Theodoret. Cap. 1.

Theodoretus autem apertiùs locum illum indigitat Scripturæ, ubi Angelus Deum orat pro hominibus apud Zachariam: *Angelus cui mandata erat præfectura populi, vehementer indignatus quod omnibus pace fruentibus, populus sibi subditus in ærumnis adhuc innumeris versaretur, supplex Dominum obsecrat: Domine omnipotens, usquequo non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iste est septuagesimus annus, &c. Hoc igitur populi procurator Angelus Deum omnipotentem rogat, ut tempus prædictionis completum attendat, & ne urbem sibi consecratam vastitati traditam diutissimè despiciat*. Qua authoritate nihil evidentius desiderari potest.

XI. Synesius. Epist. 11.

Synesius Episcopus Cyrenes: *Si ullæ sunt civitatum animæ, ut revera sunt, præsides, divinæ, atque è geniorum numero, universas puta gratiam habere tibi, bonorumque esse omnium memores, quæ summo magistratu in omnes gentes contulisti. Proinde illas ipsas singulis temporibus adesse tibi credito, advocatas, & socias, communemque pro te Deum precari, uti meritis te præmiis compenset, pro eo quod illum quoad fieri potest, perfectè sis imitatus*. Hæc ille infert perspicuè ex eo quòd sacræ litteræ singulis civitatibus ad tutelam Angelos præficiant. Consequens enim est, ut suis ad Deum precibus Angeli, pro iis interpellent hominibus, qui publicæ rei consulunt. Quin ergo ut orent, orentur? Quin ad interpellandum excitentur precibus? Unde Synesius idem in hymnis, ad Angelos sæpè convertitur. Hymno tertio: *Supplex oravi Deus, ministros, quotquot fæcundum Thraciæ tenent solum, quique ex opposita continenti Chalcedoniis præsunt arvis, quos Angelicis coronasti, ò Rex, fulgoribus, tuos sacros ministros; hi meas beati adjuverunt preces*. Et hymno quarto: *Fugiat dæmon, qui est hylæ affectuum robur, ad cœlestia iter qui intercludit: Comitem verò da consortem, ò Rex, sancti sanctum Angelum roboris, Angelum preces divino instinctu susceptas amicè & benignè subministrantem, custodem animæ, custodem vitæ, precum custodem, factorum custodem, qui corpus servet liberum à morbis, qui spiritum servet liberum à labe, animoque afferat cupiditatum oblivionem, &c.* Quæ beneficiorum à Deo per Angelos præstitorum exaggeratio non fieret, nisi anima sensu horum penitissimo & in Angelos ipsos pia quadam teneritudine colliquesceret. An ergo affari quis prohibebit, quibus tantum debemus? an gratias sin minùs referre, certè habere?

Sed hactenus ex sacris litteris argumentati sint Patres, nunc ipsa rationum pondera attendamus.

Primò ergo insinuatum jam est, unum gregem XII. Hactenus Patres ex Scripturis:
esse Angelis hominibusque commixtum, sub uno Pasto-

nunc ratione. Angelorum & hominũ grex unus est. Pastore summo, qui centesimam veluti portionem gregis sui hominem, ut recolligeret, nonaginta novem illas oves, id est, Angelicos cætus, non dignitate magis, quàm numero superiores videtur reliquisse, in montibus illis cœlestibus pascuorum veritatis & æternitatis feracissimis. Et sanè natura omnis rationalis & intellectualis cognata sibi & consanguinitatis vinculo constricta est, ab eodem prognata parente Deo, in eadem hæreditatem cœlestis contemplationis adoptata, ut hinc clareat quàm jure meritòque unus grex uni pastori adhærens, unumque corpus uni summo capiti attextum dicatur. Officiis ergo obsequiisque certare invicem debent, & condolere, & congaudere, opemque mutuam & orare & exorari, & congressu colloquioque frequentissimo, id est Angelorum ad homines magisterio, hominum ad Angelos supplicatione & sigillatim opitulari & in commune consulere. Hilarius: *Ovis una homo intelligendus est; & sub homine uno universitas sentienda est, sed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit. Ergo nonaginta novem non errantes, multitudo Angelorum cœlestium opinanda est: quibus in cœlo est lætitia & cura salutis humanæ. Igitur & quærens hominem Christus est: & nonaginta novem relicti, cœlestis gloriæ multitudo est: cui cum maximo gaudio errans homo in Domini corpore est relatus.* (In Matth. can. 18.) Grex ille ergo convulsus & truncus erat, quandiù homo aberrabat: quo reducto perfectus & congavisus est. Si erranti ergo homini condoleat Angelus, si resipiscenti afferat opem, si reduci gratuletur, nihilne homo Angelo vel honoris, vel precis, vel gratulationis mutuæ referet? Ambrosius: *Dives igitur pastor, cujus omnes nos centesima portio sumus, habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit. Qui quoniam sunt rationabiles, non immeritò hominum redemptione lætantur. Quanquam hoc quoque proficiat ad incentiva probitatis, si unusquisque conversionem suam gratam fore credet cœtibus Angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam. Et tu igitur esto Angelis lætitiæ, gaudeant de reditu tuo.* (In Luc. c. 18.) Affectare ergo patrocinium Angelorum, eosque demereri, non prece tantùm fluxa & volaticâ, sed tota morum conversione debemus. Oratio igitur & invocatio est Angelici patrocinii, ipsa vitæ pietas & sanctimonia: sic illos vita ipsa nostra non orat tantùm, sed exorat: non conciliat tantùm, sed exhilarat. Hoc autem totum ratiocinatur Ambrosius, quia Angeli hominesque rationales sunt, id est, naturæ intellectualis confœderatione in unum gregem atque in unum conspirandi & collaborandi vinculum devincti. Item Gregorius Papa: *Quia enim centenarius perfectus est numerus, ipse centum oves habuit, cum Angelorum substantiam & hominum creavit. Sed una ovis tunc periit, quando peccando homo pascua vitæ dereliquit. Dimisit autem nonaginta novem oves in deserto, quia illos summos Angelorum choros reliquit in cœlo. In deserto autem nonaginta novem oves remanserant, quando in terra Dominus unum quærebat; quia rationalis creaturæ numerus, Angelorum videlicet & hominum qui ad videndum Deum conditus fuerat, pereunte homine erat imminutus: & ut perfecta summa ovium integraretur, homo perditus quærebatur in terra.* (In Evang. ho. 34.) Hæc ergo est necessitudo qua contesseratur creatura rationalis, Angelica & humana, eo congener & consanguinea, quo rationalis, ut invicem opem invocent conferantque, & dum aliis alii consulunt, sibi quisque obsequatur.

XIII. Angelorum ruinæ ex hominibus sarciuntur. Secundò, specialis illa ratio est, quæ ex hominibus ruinas sarcit Angelorum: eo enim charitas mutua vehementiùs inflammescit, sed eo Angelorum sollicitudo acuitur & diligentia, ut ne ruere sinant, aut ut à ruinâ properent eruere eos, per quos ipsorum ruinæ implentur. Quocirca nec ipsa Angelorum beatitas satis plena & cumulata est, donec de nostra salute, tanquam de portionis suæ incolumitate, de corporis sui integritate sollicitatur. Bernardus: *Constat sine dubio rationis participes & capaces beatitudinis humanas animas, Angelicæ, si dicere id audeamus, cognatas esse naturæ. Nec decet vos, ò beati Spiritus, contra legis præceptum, dedignari quàm visitare debitis speciem vestram, licèt in multam ut ipsi cernitis dejecta sit vilitatem. Sed neque arbitramur vos cœlestes cives civitatis vestræ excidio delectari: & ruina murorum, quos semiruptos ipsi videtis. Cujus instaurationem si desideratis, ut dignum est, frequenter quæso antè thronum gloriæ, verbum precis iteratè dicentes, Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.* (Ser. 1. in festo S. Mich.) Non possunt fœlices illi Spiritus civitatis suæ labem collegarum casu inflictam non ægrè ferre: non possunt ejus instaurationem non vehementissimè desiderare: non possunt non hæc sua Deo vota inflammatissima nudare: non possunt ergo non orare salutem eorum per quos supplenda integrandaque est labes illa. Et ibidem Bernardus triplicem statim colligit causam, qua ad nos & auxilio & prece sua suffulciendos beati Angeli aguntur: *Hic est dilectissimi funiculus triplex, quo de excelso cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum: propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum utique cujus tanta erga nos misericordiæ viscera, ipsi quoque ut dignum est, imitantur. Propter nos in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim parvulorum qui lacte modò vescuntur, & nondum solido cibo, perficienda est laus illa majestatis divinæ, cujus habentes primitias angelici Spiritus, beata nimirum delectatione fruuntur: sed tantò avidiùs nos expectant, quantò consummationis ejus expectatione & expetitione sollicitantur.* Et alibi: *Nam quia ab Angelis homines diliguntur, inde vel maximè adverti potest, quod antiqua suæ civitatis damna, ex hominibus resarcitum iri Angeli non ignorant.* (Serm. 78. in Cantica.) Ex hoc ergo nexu nostræ cum Angelis necessitudinis, cùm nostris profectibus illi perficiantur, incitantur illi ad nos juvandos, incitamur & nos ad illorum opem invocandam. Nam quantæ stultitiæ est, illos quidem adigi ad ferendas suppetias, nos autem vetari eas implorare?

CAPUT V.

Ejusdem argumenti continuatio. Angelorum sanctorum in homines officia, hominum in Angelos obsequia à superstitionis calumnia vendicantur, ut quæ nihil officiant adorationi uni Deo debitæ.

I. Eadem Angelo & homini sanctitas, idem præmium sanctitatis. Tertiò, ut ne rationalis naturæ collegium, ut ne unius compaginem civitatis spectemus, ipsa una ratio sanctitatis consibulat, stringitque arctissimè pios omnes, sive consecutos, sive consecuturos beatitudinem, sive cœlum, sive terram inhospitantes; eosque inter se omnes conserit, mutuaque armat fiducia, ut invicem sese confoveant, & hortentur, orent & opitulentur. Nam hortantur nos Angeli, ut in æternorum charitatem magisque incalescamus: hortamur vicissim & ipsi Angelos, ut suæ nos afflent corripiantque incendio charitatis, nec potest hinc & inde æstuans sanctitas his hortamentis alternis non sese vicissim extimulare. Sed angelica ad

nos

nos hortamenta, magisteria sunt: nostra ad Angelos autem, vota sunt & supplicum precantiumque testimonia. Ambrosius: *Ergo si nostra conversatio in cœlis est, & cœlestium conversatio potest esse nobiscum; hoc est, ut qui vita vivimus Angelorum, rectè consortium mereamur. Est ergo sanctè viventibus quædam inter se cognatio, conjunctio atque societas: nec interest utrum in cœlis maneant, an in terris, angelici sint habitus, vel humani, dummodo in eis sit eadem vita, vel sanctitas. Conversatio enim connectit, quos separat elementum; & diversis licèt corporibus dividantur, iisdem tamen actibus conjunguntur. Atque ideò fit, ut Sancti sibi quodam consortio cohærentes, à se invicem non discedant; & modò Angeli ad terras veniant, modò homines ad cœlestia transferantur; ac profectu meliore, quibus vita communis est, incipiunt illis vivendi etiam elementa esse communia.* Non naturæ igitur discrepantia, non locorum intercapedo homines ab Angelis distermiaat, quos sanctitas consociat & constringit. Vincit enim naturam gratia, oblitterat locorum leges communio sanctitatis; simul sunt, unum sunt, quos una justitiæ forma connectit: ut conflati ergo in unum, invicem fovent & foventur, juvant & juvantur, prout opus est.

(Ser. 2. de S. Elisæo.)

II. Ingés hinc nobis dignitas & tutela.

Quartò, quanta hinc nobis accessio fiat dignitatis, quantum hinc nostræ infirmitati præsidium paratum sit, nemo non videt, nemo nisi insanus & humanitatis totius alienus invidet. Quis enim aspernari ausit eum cui contubernalis & comes custosque Angelus est beatæ jam gloriæ compos? Quis impunè obteri posse eum speret, cui perfugium statim est ad affixum lateri suo præsidem vindicemque? Ambrosius: *Simul etiam docet infirmos non esse tentandos, ne in nos eorum delicta vertantur, quorum preces ad Dominum, etsi ipsi virtutum meritis infirmi sint, Angelorum tamen patrociniis evehuntur. Nemo ergo irrideat pauperem, quia exacerbat illum qui fecit eum: nemo tentet invalidum, ne Angelos lædat.* Et Hieronymus: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Hilarius: *Ergo periculosè ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum & invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.* Et rursus: *Sunt enim efficientes Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditabunt salutem. Intercessione itaque horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos qui hæreditabunt salutem, Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendum spiritalis intercessionis ministerio indigente.* Honori igitur invident suo, & tutelæ intercedunt suæ, qui confugiendi ad Angelos facultatem sibi amputant. An ad Deum confugient? Sed & ad Deum per Angelos confugitur: & consentaneum in primis est, ut per Angelos invocetur, qui per Angelos auxiliatur. An Angeli etsi non advocentur, nihilo segniùs ad suppetias ferendas convolarunt? At perabsurda & inauditæ insulsitatis religio est, vetare ne patroni invocentur, qui certò patrocinabuntur: ne auxilium ab iis poscatur, à quibus illicò præstabitur: ne invitentur ad benefaciendum, qui etiam ultro benefacient.

(In c. 18. Luc.) (In cap. 18. Matth.) (Can. 18. in Matth.) (In Psal. 129.)

III. Hinc & Angelis accrescit honos, si administri sint Dei.

Quintò, sed & Angelis ipsis accedit decus aliquod, dum Deo cooperantur, dum saluti hominum quod inter Dei opera principem locum facilè tenet, operam navant, dum hominum insinuantur dilectioni. Nam cum Deus seipso beatissimè possit omnia peragere, administros tamen operis sui accersivit Angelos, ut non sibi solatium, sed illis ornamentum incrementumque dignitatis compararet. Bernardus: *Ipsum est opus nostræ salutis. In eo tres sibi cooperantur, Deus, Angelus, homo. Et Deus quidem quidni operetur & curam gerat nuptiarum dilecti filii sui? Ipse verò ac tota voluntate, & utique per se ipse sufficeret, & absque adminiculo horum. Hi autem sine ipso possunt facere nihil. Ergo quod ex illis ascivit in opus ministerii hujus, non sibi solatium, sed profectum quæsivit in illis, &c. Angelorum autem cùm ad salutem humani generis ministerio utitur, nonne facit, ut ab hominibus Angeli diligantur?* Hujus igitur hominum in Angelos charitatis author præceptorque est Deus. Hanc autem charitatem an tu elinguem esse jubebis? an otiosam marcescere? an tacitam & feriatam torpere? Vetas amantem gestire & congredi, & sermonem serere, & animi sui penetralia nudare, & arcana cordis vota pandere, & suspiria altiùs infixa, atque desideria commendare, & orare auxilium, & fiduciam significare? Hæc vetas? charitatis ingenium haud sapis, haud intelligis: imò charitatem strangulas, & interimis, quam per hæc digeri atque intus æstuantem erumpere non finis.

(Serm. 78. in Cant.)

IV. Verecundior est religio nostra quę ad Deû per Angelos accedit.

Sextò, & ne dum hominum, dum Angelorum sectamur compendia, connitenti in Deum charitati moram iniicere & diverticula interserere videamur, in honorem & cultum Dei uberiorem id vertitur, quòd nonnisi per intermedios Angelos convenitur. Ubi enim oratio non ad Deum statim, sed ad domesticos, ad amicos ejus convertitur, & per eos ad Deum summum via sternitur, aditusque ad inaccessibile lumen captatur, quid aliud quàm commendatur verecundia, reverentia, & religio, eo propior, quo trepidior, & penè refuga præ majestatis sensu & horrore? Bernardus: *Verecundè tamen non ad ipsum sponsum sermonem dirigit, sed ad alios tanquam de absente: Osculetur me inquiens osculo oris sui. Grandis quippe res petitur & opus est verecundia comitari precem, commendari petentem. Itaque per domesticos & intimos, accessus ad intima quæritur, ambitur ad desideratum. Quinam illi? Credimus Angelos sanctos astare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum, ubi tamen sine ira & disceptatione levari puras manus perspexerint. Probat hoc Angelus ita loquens ad Tobiam: Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, &c. Ego obtuli orationem tuam Domino. Puto id vobis satis & aliis scripturæ testimoniis persuasum. Nam quod psallentibus quoque dignanter admisceri sancti Angeli soleant, quid eo manifestius, In conspectu Angelorum psallam tibi, &c.* Ubi adnotari id pervelim, quid sit, orationes in conspecta Angelorum Deo fundi, per Angelos Deo offerri: nimirum ut interpretatur Bernardus, perindè illud est, ac interventu Angelorum ad Deum ambire, non in ejus conspectum statim irrumpere, non impetum facere subimpudentiùs in ejus adyta, sed pietatem modestia temperare, fiduciam verecundia. Et ista sanè gemina precatio inculpata est, osculare me osculo oris tui, vel osculetur me osculo oris sui, illa ad sponsum, hæc ad Angelos sponsi vel ad sponsum per Angelos: utraque pietatis suavitatem spirat, utraque charitatis facibus ardet: sed ista tamen eximiæ cujusdam verecundiæ prærogativa præpollet: & dum refugit, altiùs insinuatur: dum trepidat, fiduciam adauget.

(Serm. 7. in Cantica.)

V. Angeli quędam sun. Dei manus, pedes, aures, oculi.

Septimò, Angelos non aliter quàm ut Dei manus, oculos, pedes vel intelligimus, vel colimus vel invocamus. Nam quod sacræ literæ membra istiusmodi affingunt Deo, in varios id sensus trahitur incolumi simplicitate & immutabilitate Dei, sed præ cæteris arrisit plerumque sanctis Patribus sensus iste, quo Deus per Angelos existimatur ceu per manus omnia administrare, uti per pedes & oculos percurrere omnia & perlustrare. Ergo & aures Dei, quas orationibus nostris pulsamus, quibus vota nostra infundimus, Angeli forsitan erunt, per quos Deus nos audiet & exaudiet, & per eosdem ceu per manus sublevabit, ceu per oculos irradiabit. Hilarius in Psalm 129. hæc verba:

ba: *Fiant aurès tua intendentes in vocem deprecationis meæ:* hæc habet ad hoc argumentum pertinentia: *Sunt secundùm Raphael ad Tobiam loquentem, Angeli assistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes. Hoc ideo commemoratum est, ut si fortè hos esse oculos vel aures vel manus vel pedes Dei intelligere voluerimus, habeamus non improbabilis intelligentiæ authoritatem, maximè cum scriptum sit, Sunt enim efficientes spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditabunt salutem.* Ita ergo rursum per Angelos preces nostræ ad Deum provehentur, quia ipsis primùm tanquam Dei auribus insusurrantur, & per eos ad Dei sapientiam traiiciuntur. Nulli porrò ambiguum est, quin possint Dei auribus precationes nostræ immurmurari; nemini obscurum est, posse Dei oculos manusque & honorari & invocari; nemini non perspicuum est nec Angelos divino nomine insignitum iri, nec Deo tanquam membra quædam affixum, nec divinæ beneficentiæ interpretes & ministros asciscendos fuisse, nisi divinorum honorum umbra saltem aliqua respergendi atque honestandi essent.

VI. Providétiæ illa contextio est, ut per Angelos Deus benefaciat & exaudiat.

Octavò, iste contextus est divinæ providentiæ, ut per propiores sibi sanctioresque naturas cæteris præsit, modumque & leges præscribat, ut dissimiliores regantur & recolligantur ei per meliorum regimen & curam: ut denique meliores & illustriores de inferiorum administratione ipsam consulant, ceu legem æternam, audiantque. Istud ergo rursum est quod preces nostræ Deo per Angelos allegantur, dum precibus nostris præsunt Angeli, & de iis æternam consulunt veritatem, quid prosperari, quid refutari deceat, quid statim impleri, quid protelari? Temporalibus enim adhuc implicati sumus, hebescimus adhuc ad lucem æternorum; quocirca per Angelos æterni luminis beatitate fruentes, nostra omnia moderanda sunt, & ad sempiternæ legis amussim revocanda. Augustinus: *Annunciabitur Domino generatio ventura, &c. Quod non sic accipiendum est, tanquam nescienti aliquid annuncietur ut sciat, sed sicut annunciant Angeli, non solum nobis beneficia Dei, verum etiam illi preces nostras. Nam scriptum est ubi Angelus hominibus dicit: Ego obtuli memoriam orationis vestræ, non ut tunc Deus noverit quid velimus, vel quo indigeamus: Novit enim Pater vester ait Dominus quid vobis necessarium sit priusquam petatis ab eo. Sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo quid erga se fiat, sive consulendo quod faciat. Qui pius mentis affectus est, ut ipsa construatur, non ut Deus instruatur. Nam & hæc quædam contestatio rationalis creaturæ est, quod non sibi ipsa sit bonum quo beata fiat, sed illud incommutabile, cujus participatione etiam sapiens efficitur.* Quanquam ergo orationes nostras ad Deum arrigamus, committimus tamen eas Angelis Deo offerendas, seu cum divina veritate & æterna lege conferendas, & ex ea trutinandas ac refingendas. Innectuntur ergo atque insinuantur hominibus orantibus Angeli, & quamvis non orentur, orantur tamen; quamvis voce non invocentur, invocati adsunt; quamvis explicitè non compellentur, ipso tamen providentiæ ordine inconcusso suas partes agunt, precemque nostram excipiunt quam Deo ingerant. Similiter si quando ad Angelos ipsos intenditur & destinatur precatio, ultra ipsos tamen ad Deum pergit usque, quia non eis committitur, nisi referenda ad Deum, & æternæ legis imperio subiicienda. Ibidem Augustinus: *Aut fortè etiam postulationes innotescant Angelis, qui sunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, & de his consulant, & quod eo jubente implendum esse cognoverint, sicut oportere ibi cognoverint, hoc nobis vel evidenter vel latenter apportent. Dixit enim Angelus homini: Et nunc quando orabas tu & Sara, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei.* Ubi vides, quod Paulus jubet ut postulationes nostræ innotescant apud Deum, ita exponi, innotescant Angelis apud Deum Deo fruentibus, & in eo audientibus nos, & quantum lex æterna sinit, exaudientibus auxiliantibusque. Paulinus Epist. 32. *Et quantum pecuniæ gravi dextera, geminatis excipientium palmis, hilaris dator & infatigabilis distributor infuderas, tantum illico Angelis intervolantibus gremio Domini gaudentis invectum in tricesimos tibi fructus ac reditus numerandum reponebatur.* Ut non preces tantùm, sed & opera ac pietatis documenta quæcumque Angelis intervolantibus invehi in sinum Domini intelligas. Quò etiam spectat illa scalæ Jacobo cælitus repræsentatæ expositio, & per eam ascendentium descendentiumque infatigabili alternatione Angelorum. Eo enim providentia adumbrabatur, qua Dei ad homines, hominumque ad Deum congressio nonnisi per mediatores Angelos celebratur. Alcimus Avitus fragmento sexto in Epistola ad Philippenses: *Scalæ vero, quam vidit, gradus sunt supplicationes humanæ, quibus quisque pro viribus in divinas aures, precum qualitate mittatur. Ascendunt autem per eas Angeli, cum vota nostra in cœlum porrigunt: descendunt cùm de cœlis obtenta transmittunt. Assistunt hi precibus nostris, non pennarum flatu, sed donorum spiritu, quorum volasse, voluisse est.* Quæ cum ita sint, vehementer ineptit, atque adeò insanit, qui hanc totam Angelorum inter Deum & homines discursationem ulla colloquii vicissitudine recreari vetat: aut etsi Angeli hominibus multa immurmurent, homines vel mutire prohibet, ac ne hiscere quidem sinit, ne si Angelis sua vulnera ostendant, si inopiam prodant, si interpellationem apud Deum orent, si de navata hactenus opera consertisque beneficiis gratias habeant, continuò impietatis rei agantur, & læsæ majestatis crimine percellantur. Ablegat ad te Angelos Deus, tu non poteris eosdem ad Deum allegare? Per eos ille te convenit, tu per eosdem non revises? Intolerabilem ille majestatem suam per Angelos tibi coaptat, tu per eosdem non illam tibi temperabis? Tutores ille tibi & patronos adsignat Angelos, an simul vetat ne tuam illis causam committas, ne patrocinium invoces, ne de tutela gratuleris? Eorum intercessione congerit ille sua in te beneficia omnia, an ergo prohibet ne eorum intercessionem ores captesve? Totam denique suam in te munificentissimam providentiam per Angelos exerit, an ergo ingrato & contumaci erga eos silentio te obligat? Quis non videt quàm dissonantia ista sint, & mera hæretici furoris deliramenta? At periclitatur inquies pietas uni summo Deo vovenda, si ad Angelos detorqueatur. At contra totum est. Nam in periculum coniicitur pietas, nisi divinis ipsis legibus consentiat. Quæ lex autem sanctior, quàm ut quibus vestigiis Deus ad te delabitur, iisdem tu ad eum enitaris? Ejus providentiam tua sequatur & imitetur religio: per quos te ornat bonis, per eos ornetur laudibus: quos patronos & oratores tibi indixit, eorum patrocinium invoces, apud eos pro te peroraturos & exoraturos causam tuam ores: adsignatis denique ab eo defensoribus ne diffidas, quasi insidiosis ac malevolis ac divinorum honorum furta captantibus. Quin ex adverso persuasum sit quod ait Dionysius: *Unicam esse omnium providentiam, quæ cunctis simul tam invisibilibus quàm visibilibus virtutibus superessentialiter præstet; omnes autem Angelos singularum gentium præfectos, ad illud ipsum principium ut proprium, eos qui ultro ac sponte sequantur deducere.* Cælest. Hierar. c. 9.

Epist. 120. c. 19. (margin)

VII. Invisibiles quidam Episcopi sūt Angeli.

Nonò, invisibiles quidam quasi Episcopi & sacerdotes sunt Angeli; sicut vicissim Episcopi instar habent Angelorum. Utrisque ergo aperienda sunt cordis nostri arcana, utrisque causa salusque committen-

mittenda; utrisque frequens oratio ingerenda, ut orationibus ipsi apud Deum suis non tueantur. Nec verendum est ne hinc Dei honor deteratur, si ad ipsum exorandum oretur sacerdos & orator noster nobis ab eo præstitutus. Ambrosius: *Quia non solum Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit*. Et sacris operante Antistite, unà intercedunt & Angeli. Unde Chrysostomus: *Agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, Cherubim astant, Seraphim advolant, & spiritus sex alas habentes, faciem tegunt, omnes incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt*. Et Andreas Cæsariensis: *Per altare interdum designatur Christus, quod in ipso & per ipsum offerantur Deo rationales hostiæ & victimæ vivæ, quales ipsi offerri vult Apostolus: Nonnunquam vero angelicæ virtutes, ut quæ nostras preces nostrasque spiritales oblationes in sublime evehant, Deoque offerant*. Vides in sacerdotii partes muniaque vocati Angelos, ut non suis tantùm apud Deum juvent nos, sed nostris etiam ipsi precibus ad patrocinandum nobis invocentur. Sed apertissimè Dionysius angelico sacerdotio suffragatur: *Præsertim cum cæteris quoque gentibus, (è quibus nos emersimus ad illud divini luminis immensum & exundans pelagus, quod in promptu omnibus ad participandum est expansum) non alieni quidam dii præfuerint, sed unum omnium principium: & ad illud Angeli, qui cuique nationi præfecti erant, sequaces suos adducerent*. Præfectura hæc sacerdotalis est; itaque cuique nationi ἱεραρχοῦντες Angeli, perinde est ac sacerdotio fungentes: unde statim ibi commemoratur Melchisedech ἱεράρχης seu Pontifex Dei summi. Nec aliter locum istum interpretatus est Hugo Victorinus: *Unum omnium principium, & ad ipsum reduxerunt sequentes, secundum unamquamque gentem sacerdotio fungentes Angeli*. Et latiùs id ipsum explanans: *Illis videlicet gentibus non imperabant alienigenæ quidam dii, quamvis hoc videri posset, quia idola coluerunt, & falsos Deos adoraverunt. Sed unus Deus illis imperabat & dominabatur: qui sicut in seipso bonus est, ita ministros bonos sub se rectores & duces Angelos constituit: & illi Angeli reduxerunt nos sequentes per fidem ad ipsum principium nostrum. Reduxerunt dico, secundum quod erant sacerdotio, id est sacra prælatione fungentes secundum unamquamque gentem, hoc est, unusquisque ex ea gente, in qua sacerdotio id est, sacra potestate fungebatur, ad fidem convertit eos qui crediderunt, & ad principium suum respexerunt*. Quanquam ergo nec palam victimas cæderent Angeli singulis gentibus imperitantes, nec reliquis hoc genus proprii strictique sacerdotii muneribus fungerentur, erant tamen Hierarchæ, sacerdotium quoddam interius & inaspectabile obibant, ab idololatriæ laqueis ad Deum verum sensim & pedetentim expediebant suos unusquisque greges, & quòd denique pleræque gentes unius summi numinis fidem & sacra amplexatæ sint, angelici istius sacerdotii insigne specimen, & velut operæ pretium est.

In Luc. c. 1.
To. 1. ser. 78.
In Apocal. c. 48.
Cælest. Hierarch. c. 9.

VIII. Decimò, ut Angelorum advocatio dilucidior fiat, non pigebit illud quoque observare eorum in homines pios officium, quo æternæ veritatis contemplationi inhiantibus & affixis solatia quæpiam & quasi adminicula subministrant: ut hæc quasi appendix quædam & corollarium sit eorum sacerdotii spiritalis, & ad spiritalia quæque prælucentis. Scitè hanc materiam illustravit Bernardus, horum scilicet pietatis penetralium conscius, nec inexpertus. Itaque hæc perpendens: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, &c.* adjutoria hæc angelica non ad corporis tantùm incolumitatem, sed ad animæ potissimùm progressus & spiritalia incrementa traducit. Si perconteris ergo quibus nos manibus Angeli portent, & ad æterna surrigant, respondet ille: *Vultis scire quas intelligam duas manus? Duplicem utique demonstrationem: dum videlicet hinc quidem tribulationis brevitas, inde æternitas retributionis ostenditur: aut magis pingitur vel imprimitur cordi, ut intimo affectu sentiat, quoniam momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Quis verò istas tam bonas per bonos non credat fieri, cùm certum sit, quod è contrario malæ utique fiant immissiones per Angelus malos?* Quæ summa igitur salutis est, & cardo sanctimoniæ totius, inseritur mentibus nostris per sanctos Angelos, fastidium temporalium, fames æternorum. Hos ergo salutis suæ antistites, quis non impensiùs veneretur, quis non crebra fatiget prece? Unde subdit Bernardus: *Habetote familiares Angelos, fratres mei, & frequentate eos sedula cogitatione & devota oratione, qui semper nobis adsunt ad custodiam & consolationem*. Nec oscitanter prætereunda est Bernardi ratio; si per Angelos malos identidem inhalatur animis tetra incestarum cogitationum mephitis, quin per bonos inspiretur aura jugis cœlestium contemplationum, qua illa abstergatur graveolentia & dissipetur? Unde Ambrosius in primum versum Psalm. 118. *Adest ergo Pater, adest Filius, adsunt ministri, adsunt Cherubim & Seraphim qui dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, plena est terra majestatis tuæ. Plenus est enim mundus sanctorum virtutum, quia plenus est nequitiarum. Plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis*.

Contemplatoribus maximè hominibus opitulantur Angeli.
Serm. 12. In Psalm. Qui habitat.

Sed ut ad Bernardum redeamus, officiosam Angelorum sedulitatem & hinc ad animas hortationem, ut in sublimia se proripiant, inde ad Deum advocationem, ut ad sitientes æternorum mentes sese inclinet, eleganter describit ille: *Sed & Angelus ejus qui unus est de sodalibus sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profectò & arbiter secretæ mutuæque salutationis, is inquam Angelus quomodo tripudiat, quomodo collætatur & condelectatur, & conversus ad Dominum dicit: Gratias ago tibi Domine majestatis, quia desiderium cordis ejus tribuisti ei. Ipse est qui in omni loco sedulus quidam pedissequus animæ, non cessat sollicitare eam, & assiduis suggestionibus monere dicens, Delectare in Domino, & dabit petitiones cordis tui. Et rursum: Expecta Dominum, &c. Ad Dominum autem: Sicut cervus, inquit, desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima ista ad te Deus. Desideravit te in nocte, &c. Convertere aliquantulum, &c. Respice de cœlo, &c. Fidelis paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam quærit, sed Domini gratiam: discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, rependens dona*. Ista non sapiunt desertores Ecclesiæ, veritatis adulteri, prophani totius religionis; hæc animæ cum Verbo conjugia, hæc Angelorum ultro citroque ad ineundam conciliationem discursantium officia, hæc intimæ pietatis arcana, hæc seminaria suavitatis insulsi hebetesque aspernantur & conculcant, facessere hinc jubent Angelos, animas ingrato astringunt silentio, & in ipso pietatis sacrario impietatem & idololatriam suspicantur.

Serm. 31. in Cant.

At Bernardus ultra progreditur, & ipsam sponsi cum sponsa, Verbi cum anima virginalem copulam, virginitatis castificatricem & vindicem invictissimam, angelico etiam ministerio imputat: *Interdum quoque licèt rarò, repræsentat eos pariter sibi, sive hanc rapiens, sive illum adducens. Siquidem domesticus est & notus in palatio, nec veretur repulsam, & quotidie videt faciem Patris*. Nemo hic se interserat malè suspicax, nemo adulterinos Angeli animæque suspectet amores, ubi Verbo uni laboratur, ubi Verbo animam, non sibi, maritare Angelus meditatur; ubi charitatem animæ ad Verbum contorquere molitur, non ad se detorquere; ubi anima non Angelo, sed Verbo suspirat; ubi intellectus non intellectui,

Ibidem.

ſed veritati inhiat, ubi natura rationalis, non alteri æquè rationali, id eſt æquè per ſeſe inopi, ſed ſummæ rationi æternarum rationum fonti immergi geſtit; ubi denique mens Angelica conjugium Verbi jam aſſecuta, animæ conjugari non exambit, ſed animam Verbo ſecum conjugare; nec de ſe illam, ſed de ſua beatitate beare affectat; non alieni boni æmula, ſed ſui prodiga: ſponſi nimirum bonique quo plures nacta fuerit conſortes, hoc nihilo parciùs, & multò lætiùs compos & dives futura.

IX. Rursus ut Angeli cō-templationi suffragē-tur, quasi medii conciliatores. At quia anima vel necdum ornata caſtaque ſatis eſt ad Verbi fruendos amplexus, vel tantæ lucis jubar diutiùs ferre non potis eſt, eò ſuſpirantem vel inde defluentem Angeli excipiunt, & ſymbolicis quibuſdam ſimilitudinibus reficiunt interim & oblectant, corroborantque ut ad ſinceræ veritatis ſolem contuendum aliquando tandem convaleſcat. Bernardus eò aptat illud: *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Nunc autem vide ne fortè magis ſodalibus ejus congruentiùs aſſignemus, ſponſam quaſi conſolantibus tali promiſſione, quod donec perveniat ad viſionem, cujus ſic flagrat deſiderio, facturi ſint illi murænulas pulchras & pretioſas, quæ ſunt aurium ornamenta. Atque hoc propterea, ut opinor, quia fides ex auditu, & ex illa viſus purgatio eſt, &c. Tu, inquiunt, ò ſponſa intuendæ dilecti inhias claritati, ſed hoc alterius temporis eſt: damus autem impræſentiarum ornamenta auribus tuis, quod erit tibi interim conſolatio, erit & præparatio ad hoc ipſum quod poſtulas, &c. Nos auditui tuo damus gaudium & lætitiam: nam viſui non eſt noſtrum dare, in quo gaudii plenitudo & deſiderii adimpletio eſt, ſed illius quem diligit anima tua.* Serm. 41. in Cantic. Quandiù igitur non eſt anima ferendo ponderi majeſtatis ſponſi, nec luci ejus ſuſtinendæ par, aurium ornamenta, hoc eſt, fidei ſpecula & ſolatia fabricant illi adaptantque Angeli. Id porrò quid aliud eſt, quàm ut per fidem ad ſpeciem pervenitur, ita per Angelos ad Verbum: utque ſpeciem adepti, Verbo inebriantur, ita qui fide purgantur, inter Angelos adhuc hoſpitari. Sed expreſſiùs murænulas illas ibidem paulò poſt enucleat horum ſacramentorum interpres oculatiſſimus: *Aureas & vermiculatas argento. Aurum divinitatis eſt fulgor. Aurum ſapientia quæ deſurſum eſt. Hoc auro fulgentia quædam quaſi veritatis ſignacula ſpondent ſe figuraturos hi quibus id miniſterii eſt, ſuperni aurifices, atque internis animæ auribus inſerturos. Quod ego non puto eſſe aliud quàm texere ſpirituales quaſdam ſimilitudines, & in ipſis puriſſima divinæ ſapientiæ ſenſa animæ contemplationis conſpectibus importare, ut videat ſaltem per ſpeculum & in ænigmate quod nondum facie ad faciem valeat ullatenus intueri.* Spirituales ergo ſimilitudines, ſeu ſpecula illa per quæ nunc Deus videtur in umbra fidei, nequedum in luce ſpeciei, texuntur objectanturque animæ angelico miniſterio, ut iis beatitatis ſuæ procraſtinationes conſoletur. At ſi quando ſinceræ lucis ſcintilla, ac ſpeciei veluti coruſcatio animæ ad momentum interluceat, tunc quidem Angelos ipſos tranſvolat, Verbumque in ſinu Patris oſculatur: at aciem diutiùs figere non ſinitur per vetuſtatis ſuæ & lippitudinis reliquias, unde retro volvitur ſtatim in imaginatoria ſimulacra, quibus Angeli veritatem æternam adumbrant illi & contemperant. *Cùm autem divinius aliquid raptim & veluti in velocitate coruſci luminis interluxerit menti ſpiritu excedenti: ſive ad temperamentum nimii ſplendoris, ſive ad doctrinæ uſum, continuò, neſcio unde, adſunt imaginariæ quædam rerum inferiorum ſimilitudines, infuſis divinitus ſenſis convenienter accommodatæ, quibus quodammodo adumbratus puriſſimus ille fiat ac ſplendidiſſimus veritatis radius & ipſi animæ tolerabilior & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Exiſtimo tamen ipſas formari in nobis ſanctorum ſuggeſtionibus Angelorum, ſicut è contrario contrarias & malas ingeri immiſſiones per Angelos malos non dubium eſt.* Animadvertis jam ut arbitror quàm altè orantibus nobis inſinuent ſe ſancti Angeli, quàmque intimè ipſis orationis viſceribus implicentur. Rara enim & breviſſima ſunt illa momenta, quibus divina rapido coruſcamine lux interfulget animæ. Reliqua omnis precatio ſpeculis & ſimilitudinibus exhauritur, adeoque ab Angelis diſpenſatur. An ergo nefas eſt orando alloqui & compellare ipſos orandi adjutores ac duces? An ab oratione arcendi, per quos oratio ipſa ſubminiſtratur? An ab invocatione ſemovendi ablegandique ſunt, per quos invocantium religio regitur & ſuſtentatur? Sepoſita autem Bernardi authoritate, ſepoſita Scripturarum noſtris precationibus Angelos paſſim interſerentium doctrina, ſepoſita Bernardi & iſtiuſmodi contemplatorum experimentis firmata conſcientia, ipſa reconditioris Philoſophiæ ac Theologiæ ratio non minùs perſpicuè doctrinæ huic patrocinatur. Nam ut corpora per animas, ita animas per Angelos, & univerſim inferiora per ſuperiora, longinquiora per citimiora adgubernari æquum eſt. Item ubi veritas allucet animæ ſine nubilo aut caligine ulla corporearum ſimilitudinum, tunc dilucidum eſt, Deum ipſum adeſſe atque ineſſe: at ubi phantaſmatum involucris temperanda atque adumbranda eſt, decoloratiorem iſtam lucem per Angelos irradiari convenientius eſt. Illic enim per ſemetipſum alloquitur Deus animam, unde nulla interiicitur creatura: hic autem ubi corporea interponitur ſimilitudo, non per ſemetipſum, ſed per Angelum, quo medio corporalem regere inſtituit creaturam. Quapropter idem ibidem: *Et fortaſſis hinc illud eſt ſpeculum atque ænigma, per quod videbat Apoſtolus, iſtiuſmodi puris pulchriſque imaginationibus, Angelorum quaſi manibus fabricatum: quatenus & Dei eſſe quod purum & abſque omni phantaſia corporearum imaginum cernitur, ſentiamus; & elegantem quamlibet ſimilitudinem, qua id dignè veſtitum apparuerit, miniſterio deputemus angelico.*

Ambroſius haud ipſe quoque horum arcanorum rudis: *Tenui eum, & non dimiſi eum. Fide invenit, meditatione conſtrinxit. Si bonos cuſtodes accipimus, utique Angeli ſunt. Qui vero Angelos tranſivit, Verbum invenit; ideo non multum intervalli fuit, cum tranſivit ab his, & invenit Jeſum.* In Psal. 118. octon. sept. Exponit quod narratur in Canticis ſponſa, cùm cuſtodes, id eſt, Angelos paulùm pertranſiiſſet, tum denique dilectum inveniſſe. Tranſvolandi ergo ſunt Angeli, non prætervolandi: per ipſos & ultra ipſos, non præter aut extra ipſos anhelandum eſt ad Verbi complexus: quippè ubi paululum eos pertranſieris, cùm imagines corporalium raptim & ad momentum tranſilieris, cùm ab umbra & opacitate fidei ad brevem, ſed beatam moram exceſſeris, tum diſſuaviaberis liquidam veritatis lucem; à qua ſtatim repercuſſus, in eadem fidei ſpecula, in eaſdem ſimilitudinum blanditias, quaſi in Angelorum manus relaberis. Atque ita & ſuccollantibus Angelis ultra Angelos ad oſcula Verbi conſurges: & inde defluens tuo pondere ad Angelica rurſus officia revolveris.

Eodem pertinet quod circa Verbi in carne diſpenſationem creberrima leguntur, & ex his plura intelliguntur Angelorum quaſi certatim occurſantium miniſteria. Nempè tum fides & ſpeculum inſtruebatur, tum veritas involucro corporeo veſtiebatur ad noſtræ infirmitatis patientiam. Eo quoque pertinet, quod anima Lazari hinc demigrantis ab Angelis in ſinum Abrahæ avecta memoratur. Nimirum ad puriorem veritatis intuitum, ad beatificantis ſapientiæ propiorem complexum per Angelos promovebatur. Eo pertinet denique quod etiamnunc juſtorum animæ corruptibilis corporis excuſſa ſarcina, in cœleſtis gloriæ lucem ab Angelis ſubvectantur. Videlicet quandiù à luce

luce Dei pura exulant, pietatis eorum summa ab Angelis administratur, nec istinc emancipantur, nisi ubi in ipsum divinæ gloriæ lumen invectæ sunt: tunc enim Angelis æquales, Angelico deinceps patrocinio nihil indigent. Bernardus: *Proxime lectum est vobis de beatissimo Patre nostro vere per omnia Benedicto, quod dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani Episcopi in sphæra ignea ab Angelis in cœlum deferri. Sed quid hujusmodi testimonia requirimus? Ipsa in Evangelio veritas de mendico & ulceroso ait, Quoniam portatus est ab Angelis in sinu Abrahæ.*

Serm. 1. in Psalm. Qui habitat.

CAPUT VI.

Rursum ut Angelorum cultus religiosus nihil obstrepat adorationi uni Deo debitæ.

I. Coluntur Angeli dum amantur: nã & Deus amando colitur.

UNdecimò, amor Angelis hominibusque qui naturæ rationalis consanguinitate proximi sunt nobis, ab unoquoque impendi æterna & incommutabili Dei lege jubetur. At amor ille, ut suprà dictum est, instar habet honoris & cultus, atque ut infrà demonstrabitur, etiam invocationis. Atque ut de cultu primùm disseramus, ne Deus quidem colitur nisi amando. Nam lex illa tota de adorando, serviendo, veracibus sacramentis contestando uno Deo, ad hanc revocatur, Diliges Deum ex toto corde tuo, &c. Sicut & reliqua lex de proximo in multa capita præcipiens, ad unam proximi charitatem restringitur. Ergo non colitur Deus nisi amando: ergo & amando colitur proximus, quia amari & coli ipsum pro sua ad Deum cognatione par est. Deinde plenitudo legis charitas. Qui dilexit, legem implevit. Non præcipit Deus nisi charitatem. Ergo qui per omnia præcepta sua colitur, per solam colitur charitatem, quæ compendio omnia præcepta continet. Ad hæc ecqua cultus ratio excogitari potest opportunior amore, qui Deo hominem totum mancipat, qui abdicat ipsam sibi & dedicat Deo, qui præcordia ipsa animæ adolet immolatque? Et proximis ergo quia secundarius amor offertur, secundarius quoque iste cultus exhibetur. Etenim si divino amori nihil derogatur per proximi seu hominis seu Angeli amorem, ne divino quidem cultui ergo demetur quidquam, per Angeli vel hominis sancti venerationem. Amor quippe ipse eximias quasdam cultus quasi delicias præfert. Sed præterea ne fingere quidem mihi possum, qui deteratur Dei honor per honorem Angeli, nec deteratur Dei amor per amorem Angeli. Ut hæreseos ergo fucus diluatur, ut præstigiæ facessant omnes, non aliam amoris quàm honoris, nec disparem ullatenus causam esse profiteamur: utque amor Dei amore proximi non marcescit, sed efflorescit, quia propter Deum amatur proximus, & in proximo amatur Deus, atque ita amore proximi in divini amoris flumen corrivato, istud exuberat & redundat: ita cultui divino accedit plurimum per Angeli cultum, quia propter Deum Angelus, vel in Angelo potiùs Deus colitur: atque adeo propter Angeli cultum divinus cultus non exarescit, sed divinus cultus in ministrorum etiam ejus cultum exundat. Bernardus: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Siquidem soli ei honor & gloria. Quare ei soli? Quia ipse mandavit, & omne datum optimum nonnisi ab illo est. Verumtamen etsi ille mandavit, ipsis quoque qui & ei ex tanta charitate obediunt, & nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus. Totus tamen ei reddatur & amor & honor noster, à quo tam ipsis quàm nobis est totum, unde honorare possumus, vel amare, unde amari honorarive mereamur. Neque enim Apostolus ubi ait, Soli Deo honor & gloria, prophetico credendus est obviare sermoni, qui sibi etiam amicos Dei nimis honorificatos esse testatur. Puto autem simile esse illud verbum Apostoli, ei quod idem ait, Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Siquidem non hoc voluit ut alia omnia debita negarentur, præsertim cum idem ipse dicat, Cui honorem, honorem, & cætera in hunc modum. Ut ergo pleniùs intelligas quid in utroque senserit, quidve monuerit, vide quemadmodum inter radios Solis minora quælibet luminaria non videntur. Nunquid amota modò sidera arbitramus, nunquid extincta? Minimè quidem, sed ampliori claritate quodammodo tecta, interim apparere non posse. Sic ergo dilectio illa quævis debita superans, quasi sola regnare debet in nobis: ut quidquid debetur cæteris, sibi vendicet, & ex dilectione Dei omnia faciamus. Sic divinus prævalere debet honor & quodammodo præjudicare universis, ut solus ipse non modò præ omnibus, sed in omnibus honoretur. Idipsum sanè putes dictum etiam de amore. Quid enim extra ipsum reliquit cæteris, qui totum cor, totam animam, totam virtutem Domino Deo suo in dilectione donavit? In ipso itaque, fratres, affectuose diligamus Angelos ejus, tanquam futuros aliquando cohæredes nostros, interim vero actores & tutores à Patre positos, & præpositos nobis.* Cui argumentationi tam perspicuæ, tam indeclinabili, non video quas nebulas obtendere, quæ diverticula præstruere possint adversarii. Liquet enim nihil distare admodum amorem ab honore, aut certè in amore honorem eximium emicare, nemini quidquam nisi charitatem deberi, & honorem omnem in charitate cumulatissimè dependi Paulo persuadente. Liquet amorem honoremque totum Deo uni deberi, sed in Deo Angelis etiam proximisque omnibus dependi: non præ omnibus enim tantùm, sed in omnibus etiam amandus colendusque Deus est. Cùm portio ergo amoris divini sit amor proximi, & hæc portio non divellatur, sed conglutinetur suo corpori, seu charitati principaliter & toto impetu in Deum effervescenti, hinc claret amorem Dei non decrescere amore proximi, sed integrari. Nec aliter de honore philosophandum. Liquet denique quì capiendum sit, quod ait Paulus, *Soli Deo honor & gloria*: solus honoratur enim, ut & solus amatur, qui propter seipsum solus, quia summoperè solus, quia ipso præcipiente reliqui, & infra ipsum atque in ipso, ut ejus amici, ut imagines, ut ministri.

Serm. 12. in Psalm. Qui habitat.

Idem Bernardus alibi, non aliter componi potuisse aut venustari regnum Dei demonstrat, quàm charitatis lege pervadente & constringente omnia, atque individuis nexibus rationales naturas non principio tantum primo & unitatis vertici, sed ipsas etiam inter se devinciente. *Angelorum autem cum ad salutem humani generis ministerio utitur Deus, nonne facit ut ab hominibus Angeli diligantur? Nam quia ab Angelis homines diliguntur, inde vel maximè adverti potest, quod antiqua suæ civitatis damna ex hominibus resarcitum iri Angeli non ignorant. Nec aliis profectò legibus regnum charitatis regi decebat, quàm piis ipsorum qui pariter regnaturi sunt, mutuisque amoribus, & puris affectionibus in invicem, & in Deum.* Quì enim unitatis apici religarentur Angeli hominesque, nisi ex consequenti & inter se colligarentur? Quì charitatis fonte inebriarentur, nisi exinde in mutuos amores exardescerent? Nec amor iste utpotè à divino & efficacissimo delibatus, otiosus aut inefficax esse potest: sed officiis obsequiisque ultro citroque, ut cujusque sua det copia vel inopia, certat. In Cantic. Serm. 78.

Hausta est ab Augustino hæc doctrina, ut quo nemo acutiùs charitatis arcanam medullam perscrutatus est. De Angelis sermonem faciens: *Quare hono-*

honoramus eos charitate, non servitute. Et infrà: *Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum quod etiam me diligit, Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in ipso me exaudit. Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adjuvat, nec mihi ejus participationem potest invidere.* Cùm ait honorari Angelos charitate, honorem amoremque palam est conflari in unum. Negat honorari servitute, id est, latria: quia cum conservos nobis multò beatiores diligimus, non ipsis, sed communi Domino servimus. Amore autem isto mutuo hominum atque Angelorum fit, ut in Deo Angeli nos exaudiant, ergo ut & à nobis invocentur. Nam qui exaudient, nisi invocentur? Sed in Deo exaudiunt, non pro Deo, quia in Deo non pro Deo coluntur & advocantur.

De vera Rel. c. 55.

II. Amor non cultû modo sed & tacitam continenter invocationē.

Duodecimò, nec amore honor tantùm libatur egregius, quod ferè consentiunt adversarii, sed invocatio quoque & enixa deprecatio effunditur; quod cum peræquè ferè perspicuum sit, in meridiana tamen hac luce caligant illi titubantque. Amasse enim, invocasse est; auxilium desiderasse, implorasse est. Non inficiantur beatos Angelos amori nobis esse debere, & nos illis vicissim cordi & curæ esse. Non dissimulant, eorum nos apud Deum prece & patrocinio sublevari, custodia etiam & præsenti plerumque roborari auxilio. Atqui quisquis amantem amat, is laudat invocatque: quisquis inops divitem, æger medicum, allisus adjutorem desiderat, ipso desiderio implorat. Ut taceat enim lingua, cor non tacet; ut os obmutescat, clamat amor, desideria personant, gemitus vociferantur. Clamosissima sunt & fœcundissima taciti amoris desideria, nec divinas aures alia magis vi, aut oratione irrumpimus. *Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. Anima mea desideravit te in nocte. Auribus percipe lacrymas meas.* Et hoc genus complura è sacris literis argumento sunt in lacrymis, in gemitu, in desiderio, etiam feriato vocis & linguæ officio, inesse vim qua feriantur, aperiantur & concilientur aures divinæ.

III. Deum cogitasse, amavisse, desiderasse, suspirasse, invocasse est.

Castigandum enim est aut omninò exuendum eiiciendumque ab animo vulgare illud imperitæ multitudinis præjudicium, quo divina & cœlestia ad terrenorum normam deiiciuntur, nec oratio, aut invocatio, aut allocutio universim esse existimatur, nisi certa verborum, seu lingua foris, seu mente intus ad quempiam destinatorum missitatio. Ita homo hominem alloquitur, ita etiam plerumque Deum, quia & humani mores ad res divinas traducuntur. At ubi Deus paulò pensiculatiùs cogitatur, ut summa veritas, ubique præsens, & animæ ipsi seipsa intimior, tum jam non ambigitur, animæ ad Deum voces, ejus esse arcanas quaslibet etiam cogitationes: Dei ad animam sermones, ejus esse luminis quascumque aspirationes. Quid enim alloquendo meditamur, quàm ut ne quem lateant nostræ cogitationes? At quod semel cogitatum est, id veritatem non latet: Ergo cogitando eam alloquebaris. Ut enim seipsam anima cogitatu affatur intimo, ita & eodem Deum sibi seipsa intimiorem affatur: Deum enim veritatem multò minùs fallunt animæ cogitata, quàm ipsam animam. Ergo Deum cogitasse, desiderasse, amasse, suspirasse, id verò est clamosissimè orasse atque invocasse. Quanquam enim nulla intus verba cudantur in pectore, etsi sigillatim Deo non destinentur, ipsæ cogitationes, amoresque clandestini instar habent verborum divinis auribus clamosissimè instrepentium. Homini quippè singulari necessarium est sigillatim sensa tua destinari, ut ea exaudiat; at universali & omnipræsenti, atque auritissimæ veritati universaliter sonant, & aperta sunt, quæcumque vera sunt, quæcumque sunt.

Quin etiam contumeliam Deo facere videri posset illa nostrarum ad Deum vocum immissio, ut oratio instituatur; ita enim videmur alloqui, quasi hactenus nescium, & alioqui nesciturum, quid nostro in animo rei geratur. Sed indulgetur ea imbecillitas, & condonatur nostræ hîc infantiæ inter rudimenta & penè crepundia quædam sua balbutienti. Cæteroqui quidpiam cogitasse, perindè est ac veritatem alloquutum esse: amasse, orasse est: desiderasse opem, invocasse est: quia quidquid animus intus volvit, veritati manifestat. Gregorius Magnus: *Vox Angelorum est in laude creatoris, ipsa admiratio intimæ contemplationis. Virtutis divinæ miracula obstupuisse, dixisse est: quia excitatus cum reverentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis: quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format.* Alterna ergo motuum animi ceu verborum missitatione opus haud est, ut cum veritate colloquium misceat anima: sed toties loquitur veritas menti, quoties intelligitur & diligitur, seu quoties lumen & amor ejus animæ infunditur. Toties loquitur mens veritati, quoties eam admiratur, aut amore ejus etiam tacito exæstuat. Cæterum in scripturis responsionum alternatio inter Deum & mentes rationales describitur, quia hominibus divina sacramenta temperanda fuere: atque ut ait Augustinus: *Affectio animæ ad veritatem non potuit aliter narrari, nisi temporaliter & localiter quodammodo diceretur.* Et rursum eodem loco Gregorius Magnus exponens quì in Apocalypsi animæ martyrum orent sui sanguinis vindictam accelerari: *Quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum judicii & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippè earum clamor, magnum est desiderium. Animarum igitur verba, ipsa sunt desideria.* Et infrà: *Desiderantibus animabus, requiescite tempus adhuc modicum, dicere, est inter ardorem desiderii ex ipsa præscientia, solatium consolationis aspirare. Ut & animarum vox sit hæc, quod amantes desiderant: & respondentis Dei sermo sit hoc, quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat.* Etsi ergo nulla ultro citroque verba commeent, etsi nullæ alternatim voces per certam destinationem vibrentur ac revibrentur, colloquium Dei atque animæ unis constat Dei inspirationibus, animæ cogitationibus, utriusque ad alterutrum mutuis affectionibus. Allocutio enim est ubicumque ita quid exprimitur ut non lateat. At verbum mentis veritatem haud unquam latet: nec anima quidquam nisi verbo mentis suæ molitur, Dei per Verbum omnia parturientis imitatrix sedula.

L. 2. Moral. c. 4.

Annot. in Job. c. 2.

IV. Alloquitur Deus animam, anima Deum, lumine, voto, amore.

Nec hujus abstrusioris intellectualium naturarum sermocinationis ignarum aut rudem opinabitur Bernardum, qui ejus sermones in Cantica canticorum impigrè excusserit. Nam serm. 45. *Verbo, dicere animæ, Pulchra es, & appellare amicam, infundere est unde & amet & amari se præsumat. Ipsi verò, Verbum vicissim nominare dilectum & fateri pulchrum, est quod amat & quod amatur, sine fictione & fraude adscribere illi, & mirari dignationem, & stupere ad gratiam. Itaque locutio Verbi, infusio doni: responsio animæ, cum gratiarum actione admiratio.* Alloquitur Deus animam ubi veritas certa irradiat. Etsi enim videt anima quid veri speciem, quid falsi larvam præferat, non videt tamen nisi quia apparet veritas, & videnti ostendit se, viderique vult; ut antè videri velit veritas, quàm anima aut possit aut velit videre. Alloquitur ergo veritas animam non verborum strepitu, sed sui denudatione. Ita & anima veritatem affatur, sui manifestatione, id est ipsa cogitationum affectuumque intestina parturitione. Unde Bernardus: *Sunt verba Verbi ad nos nostræ meditationes de ipso.* Et infrà: *Tu cum tibi aliqua talia volvi in animo sentis, non tuam putes cogi-*

Serm. 12. in Cant.

cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud prophetam dicit, Ego sum qui loquor justitiam. Simillima enim sunt nostræ cogitata mentis, sermonibus veritatis in nobis loquentis.

V. Idem orandi & invocandi Angelos modus.

At incircumscripti spiritus, inquies, & veritatis per omnia diffusæ ipsisque infusæ animarum medullis, hæc jure merito erit prærogativa, nec cum Angelo communicabitur, quod vota intima & desideria cordis in penetrali primùm ebullientia audiat, & per ea compelletur. Verùm ab hoc privilegio nec Angeli omninò extrudendi sunt, quod orationes nostræ omnes per eos ad Deum perveharitur, nec possint, nisi ab eis obaudiantur. Interiora ergo cœlestium desideria, suspiria in æternam patriam anhelantia, supernæ opis indiga vota, etsi expressiùs nec Deo, nec Angelis arrecta & destinata allocutione significari videantur, quia tamen & Deo & Angelis patent, & ea rerum natura, atque incommutabilis lex est, eæ sunt nostræ cum Deo & Angelis allocutiones, eæ sunt orationes & postulationes. Generaliter enim amanti amorem significasse, orasse & invocasse est: amantis & amati opem desiderasse, nec latuisse, orasse & exorasse est. Augustinus: *Quid ergo nunciaverunt sorores Lazari? Domine, ecce quem amas, infirmatur. Non dixerunt, Veni. Amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni & sana. Non ausæ sunt dicere, Ibi jube, & hic fiet, &c. Nihil horum istæ, sed tantummodo, Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit ut noveris, non enim amas & deseris.* Hæc invocatio auxilii, nemo non intelligit, quàm diserta, quàmque efficax extiterit. Nihil petitur, inopia tantùm nudatur, & desiderii æstus non celatur: sed amor ipso silentio convenitur, silentio exoratur. Ergo & Angelos clancularia auxilii eorum desideria lacessunt, & muta invocant & elinguia obtundunt atque exorant. Et denique ut ait Augustinus: *Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum quod etiam me diligit. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adjuvat.* Videntes quippè Deum videntem omnia sancti Angeli, in ipso nos vident, in ipso nostra desideria audiunt, in ipso desiderari orarique se sentiunt, in ipso exaudiunt, in ipso adjuvant.

Tract. 49.

L. de vera Relig. c. ult.

VI. Angeli vident omnia, dum vident videntem omnia.

Decimò tertiò, Angeli semper vident faciem Patris: hinc ergo fidentiùs invocandi sunt, ut qui omnia videant, dum vident videntem omnia, ut qui in Deo nostras orationes audiant, ut qui in Deo exaudiant, ut qui divina inebrientur charitate, ut qui authoritate & potestate hinc obarmentur invictissima. Gregorius: *Neque enim Angeli sic a divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis gaudiis priventur: quia si conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera nuntiare possent, fontemque lucis quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent, &c. Interius quippè exteriusque sciendo diffusi sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt? &c. Et mittuntur igitur & assistunt; quia per hoc quod circumscripti sunt, exeunt; & per hoc quod intus quoque præsentes sunt, nunquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, & tamen ad nos veniunt, &c.*

Moral. l. 2. c. 2.

VII. Angeli invocantur ita, ut invocetur per eos Deus.

Decimò quartò, Angelorum intercessiones tantò propensius invocamus, quò gnari consciique sumus, intercessores ad Deum eos allegari, non ut Deos invocari: nec in eis orationem nostram conquiescere, sed eniti per eos ultra eos ad summum bonum: ac denique non eorum meritis nos fidere, aut spem salutis alligare, sed Christi meritis per eos offerendis. Bernardus: *Angelis tuis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Quid ultra potuit tibi facere, & non fecit? Novi quid cogites ingenua creatura. Habes gratiam Angelis Domini, sed ad ipsum ambis Dominum Angelorum. Oras & optas ut nunciis non contentus, ipse quoque qui loquebatur, adsit: nec se quasi per medium, sed sui oris osculo osculetur. Audisti super aspidem & basiliscum, leonem pariter & draconem tibi ambulandum fore, nec super dracone ipso victoriam Michaelis & Angelorum ejus ignoras. Veruntamen non Michaeli, sed Domino clamant desideria tua.* Dum Angelus ergo ad commodandam opem invocatur, non Angelus, sed Deus ambitur; non Angelo, sed Deo clamant nostra desideria; quia non Angelo, sed Deo ut summo bono fruendo anhelant. Nihil ergo scrupuli, nihil cunctationis injici nobis potest, ne angelicam vocemus opem, aut ne Angelis divinos arrogemus cultus: ut qui immanem intercapedinem ministrorum & Domini ipsius toto pectore cogitemus, testificemur ipsa prece, & totum cordis & desiderii nostri impetum ultra Angelos ad Deum unum conniti & excurrere sentiamus.

Serm. 15. in Psalm. Qui habitat.

Quanquam ergo adminiculi spiritalis plurimum ab Angelis expectetur optetur que, ideoque & oretur: quod enim optare licet, licet & flagitare: spes tamen nostra non Angelis affigitur, sed uni Deo: ut cujus nutu & imperio vel accelerent ad opem Angeli, vel resistant: ut qui secretiùs adminiculari unus possit in ipso mentis rationalis intimo penetrali, quò Angelis nec subire aut irrepere fas est. Bernardus ibidem: *Quoniam in me speravit, liberabo eum. Non in vigilibus, non in homine, non in Angelo, sed in me, inquit, speravit, nihil boni nisi ex me, nec per ipsos expectans. Omne enim datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Ex me vigiliæ hominum utiles, ex me excubiæ Angelorum observantium, secretiores motus spiritaliter sollicitantium, propulsantium suggestores iniquos. Cæterum intima sane custodia secretissimæ intentionis, non modo ex me, verum etiam per me fiat necesse est, quod illo quidem humanus nequeat, sed nec angelicus quoque oculus penetrare.*

Tam inconcussa authoritatum atque rationum mole perfringi ac conteri posset quamlibet obstinata hæreticorum pervicacia, nisi in cuniculos se nescio quos proriperent pauculorum quæ contra niti videantur testimoniorum. Hæc ergo excutienda & luci veritatis reddenda jam sunt. Lactantius: *Est illud verum quod dixisse in exhortationibus Senecam supra retuli: Genuisse regni sui ministros Deum. Verum hi neque Dii sunt, neque Deos se vocari, aut coli volunt. Quippe qui nihil præter jussum ac voluntatem Dei faciant. Nec tamen illi sunt, qui vulgò coluntur, quorum & exiguus & certus est numerus. Quod si cultores Deorum eos ipsos se colere putant, quos summi Dei ministros appellamus, nihil est quod nobis faciant invidiam, qui unum Deum dicamus, multos negemus.* Et: *Nam Deus neque nomine cum solus sit, eget: neque Angeli cum sint immortales, dici se Deos aut patiuntur, aut volunt: quorum unum solumque officium est, servire nutibus Dei, nec omnino quidquam ni si jussu facere. Sic enim mundum regi à Deo dicimus, ut à rectore provinciam: cujus apparitores nemo socios esse in regenda provincia dixerit, quamvis illorum ministerio res geratur.* Et paulò pòst: *Solus Deus habent rerum omnium cum Filio suo potestatem, nec in Angelis quidquam nisi parendi necessitas. Itaque nullum sibi honorem tribui volunt, quorum omnis honor in Deo est. Illi autem qui desciverunt à Dei ministerio, quia sunt veritatis inimici & prævaricatores, Dei nomen sibi & cultum Deorum vendicare conantur, &c. facilè in templis se occulunt, sacrificiis omnibus præsto adsunt, &c.* Sed facilè subolet quo honore affici sanctos Angelos vetet Lactantius, nempè quo tanquam Dii habeantur & colantur: nempè quo non tanquam apparitores, sed tanquam socii æstimentur: nempè quo fiat, ut non unus Deus, sed plurium Deorum colluvies, ut à Gentilibus celebretur:

VIII. Elucidatur loca Lactantii.

L. 1. de falsa Relig.

L. 2. de orig. erroris.

tur: nempè quo sacrificiis & templis, quæ uni Deo reservanda & propria sunt, honorentur Dei ministri: nempè quo perinde sancti Angeli, atque dæmones observentur, qui non alios sanè quam divinos cultus intercipere, atque ita in exitium homines pertrahere machinabantur. Sublucent hæc omnia ex verbis Lactantii. Non ergo nobis facienda hinc invidia est.

IX. Ité Arnob. L. 3. Non dissimilis est Arnobii locus: *Ad cultum divinitatis obeundum, satis est nobis Deus primus, &c. In hoc omne quod colendum est, colimus: quod adorari convenit, adoramus, &c. Cùm enim divinitatis ipsius teneamus caput, à quo ipsa divinitas divinorum omnium quæcumque sunt, ducitur, supervacuum putamus, personas ire per singulas, &c. Atque ut in terrestribus regni necessitate nulla compellimur, regalibus in familiis constitutos nominatim cum Principibus adorare, sed in Regum ipsorum cultu, quidquid illis annexum est, tacita vi se sentit honorificentia comprehendi: non alia ratione, quicumque hi Dii sunt, quos esse nobis proponitis, hi sunt progenies regia, & principali oriuntur à capite, etiamsi nullos accipiant nominatim à nobis cultus, intelligunt se tamen honorari communiter cum suo Rege, atque in illius venerationibus contineri.* Hæc ille ad Gentiles argumentatur, qui Deorum sibi greges commenti erant, quos tamen ab uno summo Deo profluere, apertissima luce veritatis superati profitebantur. Ergo de divinis honoribus agitur. Ergo de Diis disputatur, qui summo Deo quasi consubstantivi & congeneres sint.

X. Et Origen. L. 1. contra Celsum. Origenes sanè obstrepere audaciùs Angelorum honoribus videtur: *Nunc videamus quo pacto Celsus omnia se nosse professus, calumniam struat Judæis, dicens eos venerationem & cultum exhibere Angelis, & vacare damnatis maleficisque artibus à Moyse præceptore acceptis. Dicat iste qui novit Judæorum & Christianorum omnia, ubinam invenit in Mosaicis literis à legislatore tradi cultum Angelorum?* Et rursus: *Fatemur quidem & Angelos esse*

L. 5. Ibid. *ministratorios quosdam spiritus, &c. hos spiritus Angelos ex officio suo nominare docti, invenimus propter divinitatem quandam interdum Deos vocari à sacra Scriptura, sed non sic, ut jubeamur eos adorare, aut divinis honoribus colere, quamvis dona Dei nobis afferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, omnes deprecationes & gratiarum actiones destinandæ sunt ad Deum rerum omnium Dominum, per majorem omnibus Angelis, summum Pontificem, vivum Verbum & Deum. Gratias agemus etiam ipsi Verbo, &c. Angelos enim invocare, absque ipsorum cognitione, cujus homo capax non est, non videtur rationi consentaneum. Atque ut demus ab homine comprehendi miram quandam & arcanam eorum notitiam, officiorum quibus funguntur singuli; hoc ipsum cohibebit ne quis audeat preces offerre, nisi soli Domino Deo, qui unus omnibus abunde sufficit, per servatorem nostrum Dei Filium, Verbum, Sapientiam, Veritatem, &c. Et hoc nobis Angelos Dei reddit satis propitios, ut libenter pro nobis faciant omnia, quod quantum humana natura fert, benè affecti sumus erga Deum, imitando in hoc Angelos, qui & ipsi Deum imitantur, & quod Filium ejus Verbum, quantum possumus, complectimur.* Et infrà assumpto etiam quod stellæ lumen sint quoddam non in sensus tantùm corporeos manans, sed intelligibile, vivax & intelligens: *Et tamen nec ipsum adorandum est ab eo, qui verum lumen videt, cui lumini debent omnia quæcumque ejus participant, &c. Nec ignorantes quod ipse Sol, Luna, stellæque preces offerant Deo rerum omnium Domino, judicamus non opus esse, ut precibus sollicitemus eos, qui ipsi precantur. Quandoquidem id gratius est eis, si precaturi, Deum potius accedamus quàm se, & preces nostras non dividamus.* Et rursum: *Unus est nobis placandus, Deus universorum Dominus, unius favor ambiendus per pietatem virtutesque cæteras. Si vult præter hunc placari etiam alios, cogitet, quod sicut moto corpore umbra quoque ipsius movetur, ita cum aliquis Deum habet propitium, sequitur ut amicos habeat omnes ejus Angelos, animas & spiritus. Sentiunt enim qui sint digni favore cœlestis numinis, quibus non solum ipsi bene volunt, verum etiam dant operam ut Deum ei servire volentibus concilient, & unà nobiscum precantur. Ut quotquot eum colimus, audeamus dicere, hominibus bona voluntatis precantibus ultro se adjungere innumera sanctorum Angelorum millia, & intercedere pro mortali nostro genere, & ut ita loquar, laborare nobiscum in hoc certamine, &c.* Excipi posset & hic quoque de divinitatis peculiari cultu Angelis impenso agi, quem calumniosè à Celso impactum amolitur à nobis & detestatur Origenes. Sed quanquam hoc ille potissimum agat & moliatur, interim tamen deprecatur omnem ab Angelis cultum, aut precem, aut invocationem, & hæc omnia uni Deo intendi, nec per Angelos, sed per mediatorem Unigenitum Jesum commendari persuadet; propitiato enim nobis Deo amicitiam quoque Angelorum non defuturam, tantò etiam propensiùs nobis impartiendam, quantò uni Deo adhærescentes, Angelorum imitatores erimus, eòque amiciores, quò similiores.

Quapropter suspicari hinc fas est, primis illis exorientis Ecclesiæ Christianæ temporibus, ut idololatria & quarumcumque creaturarum ceu numinum superstitio everteretur funditus, ultro etiam abstinuisse nostros à qualicumque Angelorum cultura, ne hanc Gentiles secus interpretarentur, & excusandæ suæ idololatriæ prætexerent. Quanquam enim latissimo disjuncta sit intervallo adoratio qua Angelos & qua Deum prosequimur; obtusiores tamen oculos animosque Ethnicorum fallebat ea discrepantia, nec conducibilius quidquam occurrebat ad causationes eorum omnes prævertendas & exsecandas, quàm ut à laudabili, minimè tamen prorsùs necessario Angelorum cultu aliquandiù abstineremus. Nec sanè etiamnunc ullo astringimur præcepto ad Angelos orandos invocandosque, quamvis id piè & religiosè fieri doceamur. Quippe unius Dei cultu & exoratione salutis nostræ ratio constat satis. Quò etiam pertinet quod Ecclesiæ omnis oratio solemnior ad summum Deum connititur, & Angelorum quidem meminit, ad ipsos autem vix intenditur unquam aut rarissimè. Nec mirum id cuiquam accidat, cùm pleræque ejusdem Ecclesiæ deprecationes ad unum singulariter Patrem Deum omnipotentem destinentur, non ad Filium, non ad Spiritum sanctum, quanquam fas jusque sit Verbum quoque Verbique Spiritum orando affari, & ita quandoque usurpetur. Certè Africani Patres vetuere in mysteriis sacrificii Chistiani ad quenquam præterquam ad Patrem converti preces, & ita etiamnunc frequentat Ecclesia. Si certæ igitur dispensationis gratia, sive ut unitas Deitatis ex suo principio commendetur, sive ut reliquæ personæ in suo vertice & fonte suspiciantur, sive quacumque demum alia de causa, non oratur tunc Filius aut Spiritus sanctus, nisi in Patre, directaque ad Patrem prece: quid adeo insolens erit, si maturandæ Gentilium conversionis & Ecclesiæ propagandæ causa, ab Angelorum expressiore cultu aliquandiù supersedeatur, nec nisi in Deo orentur illi, aut honorentur? Quanquam enim non ita Angeli in Deo, sicut Verbum & Spiritus in Patre coadorentur, aspergitur tamen illis etiam odor aliquis hujus suffitus, qui Deo uni adoletur. Adde quod quanquam frequentetur nunc cultura Angelorum legitimo modo astructa, & eorum intercessio accersatur, nunquam per illos mediatores, sed per unum mediatorem Christum oratio Ecclesiæ omnis concluditur. Non quo nefas sit mediatores allegare ad Deum Angelos, sed quod consultius visum sit eo ritu abstinere, & unum solemniter mediatorem Christum asciscere. Potuit ergo & aliquandiù olim Ecclesia ab implorandis

XI. An à cultu Angelorum aliquandiù abstinuerit & œconomicè primæva Ecclesia.

randis nominatim Angelis se continere. Præterea solemnioribus quibusdam feriis morienti & reviviscenti Christo ita vacamus, ita toti incumbimus, ut à quacumque vel Angelorum, vel Sanctorum memoria, aut invocatione tum feriemur. Ut singulis ergo nunc annis certi quidam dies uni Christo dedicantur, cessante tum & silente quocumque cultu alio, alioqui haud absurdo: ita aliquo annorum curriculo, vel nullus, vel obscurior esse potuit honor Angelorum, ut toto pectore tum unus cogitaretur Christus, unus coleretur. Cujusmodi dispensationis vestigia satis conspicabilia in sacris literis extare comperientur. Moses enim de Angelorum creatione & natura in totum siluit: Dii autem & Dei filii appellitantur sæpiusculè homines, vix aut nec vix usquam Angeli: cultu publico, quamlibet extenuato & umbratico Angelos honorari numquam Moyses, numquam instituere Prophetæ, Israelitæ omnes semper magnoperè abhorruerunt. Nimirùm satius erat modesto licitoque alioqui cultu temperare omninò, quàm propensum ad idololatriæ abrupta populum, tanto objectare exitio. Ut ergo tum ad prævertendam, ita hìc ad evertendam impiam superstitionem, pulchra, sed minùs necessaria sui parte ad tempus vera religio viduabatur. Id genus autem complusculas dispensationes alias observare perfacile est: plura enim templa præter Jerosolymitanum extrui ubique gentium summo Deo, ad veræ pietatis propagationem intererat, & tamen ne ab unius Dei delibarentur vinculo, unicum illud concessum est. Sed in Evangelicis literis quam frequenter suam Christus dissimulavit Deitatem, quanto studio premere seipsum, ad Patrem referre & rapere omnia affectavit? Quin & Apostoli primùm in Actis crebriùs hominem Christum inculcabant, quàm Deum, etsi nec Deum penitùs silebant. Usui videlicet erat, hac dispensatione declinari aut mitigari offensionem eorum, qui plures Deos sibi obtrudi hinc suspicabantur. His & ejusdem modi innumeris exemplis hoc efficitur, ab Angelorum cultu expressiore & à quocumque pietatis officio haud penitùs ad salutis summam necessariò, cessare aliquandiù potuisse Ecclesiam, ne offendicula hinc emergentia, Evangelii orbem peragrantis intersecarent aut morarentur cursum. Et ne sibi assententur adversarii & perduelles Ecclesiæ, quasi in eorum patrocinium hæc dicantur; contra enim his stantibus ruere necesse est & jacere eorum conatus omnes. Quanquam enim aliquo annorum tractu cessatum fuerit ab Angelorum adoratione, tam licet nunc illis cum fœnore etiam moderatas accumulare adorationes, postquam cessationis causa desiit, quàm licuerat Mosi eorum conditum & prærogativas describere, quàm licuerat Deos illos & Dei filios perinde ut homines prædicare, quàm licuerat templa complura in unius Dei nomen excitanda indulgere, quam licuerat Africanis Patribus & universæ Ecclesiæ non ad solum Patrem verba precantis antistitis contorquere, quàm licuerat Christo majestatem suam minùs obumbrare: quàm denique cessante dispensationis causa qualibet, cessare ipsa debet dispensatio. Deinde non à cultu, sed ab invocatione maximè Angelorum abhorrent sequaces Calvini: at Origenes non ab invocandis tantùm, sed à specialiter colendis Angelis abstentum fuisse innuit. Denique Lactantius, Arnobius, Origenes qui Angelorum honoribus invidisse videbantur, prolixissimi sunt in martyrum & reliquiarum venerationem, ut infrà fusè demonstrabitur. At nemo deteriore loco (Lact. l. 1. De falsa Relig. Arnob. l. 3.) Angelos quàm martyres esse opinabitur. Ergo non coli invocarique Angelos, tanquam rem nefariam vetabant, idem enim dedecus in martyres resilisset: sed occupabant Ethnicorum causationes, qui per Angelorum quàm ex martyrum cultu plures Deos à nobis frequentari proniùs conjectassent. Martyres enim ut homines, & quidem nuperi, & immani extincti morte, & de tumulis suis quid essent vociferantes, procul erant à divinitatis suspicione, non ita Angeli. Unde & in Canone precis mysticæ quo sacrificium peragitur, martyrum examina advocantur, Angelorum nullus asciscitur. Postremò ex his difflatur enormis calumnia hominum hæretico supercilio tumentium, & effræni procacitate atque mordacitate imprudentissima in sanctissima quæque Ecclesiastici senatus nomina debacchantium. In ipsa enim Christiani nominis exordia, & penè calente adhuc, concionante adhuc Apostolorum cruore, irrepsisse in Ecclesiam criminantur nefarios martyrum & quarumlibet creaturarum cultus. Ex adverso enim constat, tum res Ecclesiæ comparatas ita fuisse, ut à martyrum & à quocumque præterquam Dei honore supersedendum ei fuisset, si per eam id quidem stetisset. Quantum enim calumniarum hinc à Gentilibus eructabatur? Quantum moræ ejus incrementis obiiciebatur? Sed Deo ad martyrum reliquias effugante dæmones, propulsante morbos, portenta passim ingeminante, integrum non erat Ecclesiæ, voluntati Dei tam perspicuæ, tam efficaci reniti, & honores ab eo indictos oblitterare. Et sanè longè plures his martyrum miraculis conciliabantur, quàm cultibus quasi Deo æmulis offenderentur. At quia nihil tum ejusmodi per Angelos præstabatur, quia author & dux ad eorum honores non erat Deus, ab iis palam honorandis fortè abstinebat se pietas: ut & à martyribus colendis perindè abstentum iri coniiceretur, nisi secus sanxisset Deus ipse. Ergo si quem Ecclesia inter sua exordia honorem myrtiribus habuit, penè invita, ut ita dicam, & cogente Deo habuit, temperatura sibi ipsa, nisi divinis crebrescentibus signis coarctaretur.

XII. Intentatur rursum majori etiam cum fragore authoritas Pauli Apostoli: *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum caput per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*. (Solvitur objectio ex Paulo, Theodoreto. & Conc. Laodic. Col. 2. v. 18.) Quæ ita commentatur Theodoretus: *Qui legem defendebant, eos etiam inducebant Angelos σέβειν, id est colere; dicentes legem fuisse per eos datam. Mansit autem perdiù hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Proinde Synodus quæ convenit apud Laodiceam Phrygiæ, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem oratoria sancti Michaelis apud illos illorumque finitimos videre est. Illi ergo humilitate nimirum ducti hoc fieri suadebant, dicentes universorum Deum, nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare*. Et infrà: *Quoniam illi jubebant Angelos σέβειν, ipse contrarium præcipit, ut & dicta & facta exornent recordatione Domini Christi: Et Deo inquit & Patri gratiarum actionem offerte per ipsum, non per Angelos. Hanc etiam legem sequens Synodus Laodicena, & volens veteri illi morbo mederi, lege sanxit, non orandos esse Angelos, nec relinquendum Dominum nostrum Jesum Christum*. (In c. 3. v. 17. ibidem.) Sed & Canon ipse Synodi Laodicenæ exscribendus hìc est, ut ne vim argumenti dissimulasse videri possimus. (Can. 35.) *Quod non oporteat Christianos Ecclesiam Dei relinquere & abire, & Angelos nominare, & congregationes facere quæ interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ serviens, sit anathema; quia dereliquit Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, & se idololatriæ tradidit*. Ubi Apostolo Synodus, utrique Theodoretus videtur conspirare, & in excidium conjurare cultus Angelorum.

Universim ergo præscribere possum, ubicumque honor creaturæ deferri inhibetur, de latria accipiendum esse, ut toto hoc libro disputatis hactenus & infrà disputandis abundè inclarescere existimo.

stimo. Unum adam ex Augustino locum: *Si ergo*
In Psal. 135. *nusquam in eloquiis divinis reperitur sanctos Angelos appellatos Deos, ea mihi causa potissimum occurrit, ne isto nomine homines ad hoc ædificarentur, ut ministerium vel servitium religionis, quæ græce liturgia, vel latria dicitur, sanctis Angelis exhiberent: quod nec ipsi exhiberi ab hominibus volunt, nisi illi Deo, qui & ipsorum & hominum*
L. I. Contra Maximin. *Deus est.* Cui attexi & iste potest: *Nonne si templum alicui sancto Angelo excellentissimo, de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei? Quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantùm debetur Deo.* Igitur, templa, sacrificia, latriæ, liturgiæ, eximia quædam sunt cultus monumenta uni Deo consecrata, quæ creatis nefas est naturis libando profanari. Ea qui Angelis communia esse voluere, à Paulo, à Synodis, à sanctis Patribus proscripti sunt.

Peculiariter autem quod ad Pauli locum spectat, de dæmonibus illum interpretatur Hieronymus Epistola ad Algasiam, quibus Judæi à Deo transfugæ, & tunc in eandem defectionem novitium Ecclesiæ gregem pertrahere molientes, sacra sua victimasque faciebant. *Loquitur universa contra*
Quæst. 10. *eos, qui credentes ex Judæis in Dominum Salvatorem, Judaicas ceremonias observare cupiebant, &c. Omnis Judaicarum observationum cultura destructa est, & quascumque offerant victimas, non Deo offerunt, sed Angelis refugis & spiritibus immundis, &c.* Quod & antè factitasse ipsos, & idolis, ac militiæ cœli, id est reprobis Angelis divinum tribuisse cultum, ex congestis Prophetarum testimoniis evincit. Chrysostomus autem in cujus etiam suo more descendunt sententiam Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, in eum locum hæc disserit: *Quid est autem omnino quod dicitur? Sunt quidam qui dicunt non oportere per Christum adduci, sed per Angelos. Illud enim est majus, quàm ut id possimus assequi. Propterea sus deque versa, quæ facta sunt à Christo per sanguinem crucis ejus, &c.* Et hæc nativa Pauli videtur esse eo loco sententia. Ideo enim totus est in amplitudine Christi exaggeranda, ut eorum novitates refringeret, qui obscurare Christum, anteferre autem illi Angelos, & velut potiores ad Deum mediatores commendare hominibus satagebant. Et in Epistola ad Hebræos non tantum operæ studiique posuisset in exornanda extollendaque supra Angelos majestate Christi, nisi insolentiores quosdam Angelorum præ Christo admiratores comprimendos habuisset. Eruperant enim jam tum Cerinthiani hæretici, qui merum homuncionem Christum esse blatterabant, Angelos autem mundi creatores, eorumque ex collegio unum esse jactitabant Deum Hebræorum. Istiusmodi ergo pestes insectatur Paulus, vetatque, enormi superstitione Angelos Christo antehaberi, ut facilè liquebit totius capitis citati contextum ex antecedentibus & consequentibus enucleanti.

Quod autem ad Canonem Laodicenum attinet, illum quidem Novatores tanquam catholico dogmati infestissimum objectant. At in eo turpissimè hallucinantur. Nam 1. Synodus eadem Canone superiori, id est, 35. cultum martyrum constabiliebat: *Quod non oporteat deserere martyres Christi & ire ad pseudomartyres, id est, hæreticorum, hi namque sunt alienati à Deo, &c.* Si religiosa est autem martyrum, non est utique detestabilis Angelorum veneratio. 2. Damnantur hoc Canone qui Ecclesiam relinquunt, & furtivas seorsim synaxes concelebrant: at qui Angelos in Ecclesia colit, is Ecclesiam haud relinquit, nec secessionem ab ea ullam molitur. 3. Diris devoventur, qui Christum relinquunt, & ad Angelos se conferunt: at fideles per Angelos ad Christum, per Christum ad Patrem aditum sibi præstruunt: nec prætermisso Christo sequestres & conciliatores ad Deum captant Angelos, sed unius mediatoris Christi solenni invocatione omnem claudunt orationem, ad Christum autem secundarios allegant quandoque mediatores Angelos. Quod perspicuum est in gloriam, non in dedecus Christi cedere. 4. Proscribitur idololatria Angelico cultui inserta. At Angeli in Ecclesia, nec ut idola, nec ut Dii coluntur. 5. Ut ergo martyrum cultum discrevit hæc Synodus, alium ab hæreticis attributum, eumque adulterinum, alium ab Catholicis sincerum; ita & Angelis oblatos honores hinc à Gentilibus, detestata est, ut effrænes & vero Deo injuriosos; inde à fidelibus modestos non potuit ulla censura inurere. 6. Quin etiam suspicari licet abstrusius aliquod flagitium hoc Canone notari. Nec enim colere, sed nominare ὀνομάζειν Angelos vetantur, Ex quo subodorari datur magicas proscribi præstigias, quæ inusitatis plerumque Angelorum nominibus implicantur: unde & ea occulta hìc vocatur idololatria, quo satis congruè magia adumbratur. 7. Et sanè statim Canone consequenti in magiam jacula & fulmina intorquentur. 8. Iam olim porrò Can. 36.
hæc conjectura arriserat compluribus Ecclesiasticæ Theologiæ proceribus. Nam Capitularia Caroli Magni hæc habent: *In Laodiceno Concilio præcipitur, ut ignota Angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum quas habemus in authoritate. Hi sunt Michael, Gabriel, Raphael.* L. 1. c. 16.
Comminiscendis, jactitandisque Angelorum nominibus inauditis delectantur Magi, delectabatur Iren. l. 1.
& Basilides teste Irenæo. c. 23.

Quod ad Theodoretum denique spectat, Liquet 1. non culpari ab eo nisi eos, qui colendis Angelis avocent à Christo, non qui deducant ad Christum. Liquet 2. eos suggillari, qui Deum ipsum ut impervium omnino & inaccessum hominibus, negabant ulla prece adoriundum, sed ad Angelos cultum omnem precemque converti debere, ut in quibus temperaret se nobis divinus fulgor, & adeundum offerret. 3. Hactenus iis in locis perstare oratoria sancti Michaelis narrat Theodoretus, nec improbat: nempe subinnuens à profano cultu quo olim infamata ea erant, ad legitimum & Ecclesiasticæ pietati consentaneum Angelorum obsequium esse traducta. Liquet 4. improbari à Theodoreto penitus non potuisse culturam Angelorum, qui tam multus fuit in martyrum honoribus prosequendis. Totus enim quantus quantus est Theodoretus, per complura & prolixa fusus volumina, totus scatet, fervetque martyrum obsequiis. Liquet 5. sub illa Christiani nominis exordia non adeo exertè enituisse, non adeo invaluisse Angelorum atque martyrum cultum. Causas ejus rei jam delibavimus. Ea præ cæteris existit, ne idololatris latus nudaremus. Ex Angelorum enim quàm ex martyrum honore proclivius erat calumniari, plures à nobis coli Deos. Illud quoque non absimile, quod inter illa initia, rarus aut nullus penitus publicè honor cultusque tributus iis, qui in pace Ecclesiæ excessissent è vivis, & quantacumque sanctitatis exuberassent gloria, non tamen Ecclesiæ fidem suo cruore consignassent. Postea tamen jure merito invectus est usus, ut memoriæ celebrarentur non eorum tantùm qui de martyrio purpureas, sed & qui de virginitate, de sanctimonia, de martyrii meditatione candidas consecuti essent coronas. Ex Martyrum honoribus olim crebriori-bus argumenta atque exempla præstruebantur, ut & his incruentas indeptis palmas consimilis aliquando veneratio tribueretur. Quod & ad Angelos perinde valet. Liquet denique convitiari non potuisse Theodoretum sobriis Angelorum cultoribus, cùm ejus ætate per totum Orientem percrebuisset frequentissima Archangeli Michaelis cultura, Deoque sub ejus nomine

mine dicata oratoria frequentarentur populorum turbis, & ingentibus à Deo miraculis illustrarentur, ut narrat Sozomenus. Postremò cum eo loci
L. 2. c. 3. à Constantino structum memoret Sozomenus templum illud, quod Michaelis nomine, & cultu, & miraculis insignitum & famosissimum erat, quis Constantino idololatriæ propagationem impingat, per quem pax Ecclesiæ, orbi universo veritas illuxit, idololatriæ exitium conflatum est? Quis eam Constantino criminationem intentavit? Quis exinde ad Theodoreti usque tempora consilium Constantini, vel Michaelis sacram ædem insectatus est? Nemo planè. Quocirca nec Theodoreto affingendus est sensus, ex quo non aliud quàm aut oscitantiæ aut petulantiæ notam lucraretur.

Nec immorabor diutiùs in ventilandis seu Hilarii seu cujuscumque demum commentariis in Epistolas Pauli, falsò attributis Ambrosio. Sæpiculè enim is Author ea disputat, ex quibus Angelorum invocatio infirmari videatur. In Epistolam ad Romanos: *Quoniam cum cognovissent Deum, non sicut*
Cap. 1. *Deum magnificaverunt*, &c. Itemque in Epistola ad Colossenses. Verùm ubi hæc loca excusseris, ea
Cap. 1. & 2. non abludere comperies à superiùs relatis, & eodem interpretandi genere ad veram sententiam vocabis. Alioqui non tanti est hic unus, ut tantæ sanctorum Patrum & tam unanimi suffragationi contraniti possit.

CAPUT VII.

Sanctorum cultus & invocatio ex sacris primùm litteris elicitur, tum ex naturæ præjudiciis, ac denique ex mortalium pro mortalibus creberrima supplicatione.

I. Ex Angelorum cultu via sternitur ad Sanctorum quoque venerationem.

AB Angelis jam ad alios cœlites complanata via est, & iisdem penè authoritatis rationumque præsidiis communita. Cùm enim ad Angelorum consortium & ad eandem divinæ amicitiæ gloriæque beatitatem evectæ sint animæ hinc demigrantium sine ulla peccati labe animarum, cui non præjudicatum jam sit, earum perinde apud Deum patrocinio juvari nos posse? Sed quia voluptati est contemplari otiosiùs & perscrutari fiduciæ nostræ atque salutis propugnacula omnia, per eadem ferè vestigia quæ jam impressimus, sanctorum quoque hominum intercessiones amplissimo nobis apud Deum adjumento esse demonstrabimus.

II. Idé ex Scripturis probat Ambrosius.

Et primùm quidem quanti apud Deum momenti sit hominis præsertim justitia conspicabilis pro hominibus advocatio, ex sacris literis declarant sancti Patres. Et id quidem Ambrosius exemplo Moysis luculentè demonstrat, & Jeremiæ, qui excandescentem & mox desævituram in populum Dei
L. 1. de Pœn. c. 8. iram fusa prece commitigarunt. *Quid enim talis affectus non impetraret, quando se objecit pro populo dicens: Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem, dele me de libro vitæ? Vides quia non tanquam deliciosus intercessor, & fastidii plenus sibi consulat, ne offensionem contrahat: quod Novatianus metuere se dicit: sed magis omnium memor, sui immemor, offendere non timebat ipse, ut plebem ab offensionis periculo exueret & liberaret. Merito ergo scriptum est: Quis orabit pro eo? hoc est, talis qualis Moyses, qui se offerat pro peccantibus: talis qualis Jeremias, cui cum esset dictum à Domino Deo nostro: Noli orare pro populo isto: tamen oravit, & veniam promeruit.* Orari se vetabat, exoratus tamen est & exarmatus Deus hominum pro hominibus prece & charitate. Et quidem mortalem adhuc vitam carpebant intercessores isti, nequedum immortalitatis sedibus immigraverant, ut beatorum cœlitum deprecatio longè etiam efficacior futura intelligatur. Nam quandiu in terris degitur, quantalibet sanctitatis affluat copia, aut charitatis æstuet flamma, de terreno tamen pulvere sordescit nonnihil anima, & nævis ac labe aliqua subinde maculatur, nec sanctitas nisi irrorando aspergitur, & denique charitas necdum elisa cupiditate languescit; quibus efficitur, ut gratia & authoritas apud Deum pro cæteris intercedendi jejunior ac decoloratior sit. At hinc excussi & regno charitatis invecti præpollent utique & Dei & proximi charitate flagrantissima, ut & nostra curent amantiùs, & apud Deum impetrandi quidlibet potestate & gratia abundent. Idem Ambrosius sermone de obitu fratris: *Neque enim otiose vel in Actibus Apostolorum Thabitam mortuam flentes viduæ describuntur, vel in Evangelio mota lacrymis viduæ, prosequens turba funus adolescentis inducitur, cui resurrectio debebatur: illam tamen Thabitam viduæ, hunc tota civitas flevit. Non ergo dubium est vestris lacrymis Apostolorum patrocinium comparari: non inquam dubium est Christum misericordia motum cum vos flentes videret. Et si tunc non tetigit loculum, suscepit tamen commendatum spiritum: etsi non appellavit corporis voce defunctum, divina tamen potestatis authoritate à cruciatibus mortis & nequitiæ spiritalis incursionibus ejus animam liberavit.* Ubi argumentari in hunc modum videtur Ambrosius: ut olim Apostolis à fidelibus exorati, orabant Deum, & mortuos suscitabant: ut Christus ipse terras adhuc peragrans, aliorum precibus alios donabat, & à mortuis reducebat: ita & nostris nunc precibus Apostolos demeremur & per eos Christum, ut non corpora, sed animæ sperata donentur aut imbuantur in antecessum justitiæ immortalitate. Nam Christus idem nunc in cœlis qui olim terris illucebat, & perinde hominum pro hominibus benevolentia & precatione mollitur: nec Apostoli exauthorati sunt ea gratia qua hîc pollebant, cùm cœlis immearunt.

Hieronymus adversus Vigilantium elegantissimè idem argumentum tractat: *Dicis in libello tuo* III. Item Hieronymus. *quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; præsertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint. Si Apostoli & Martyres adhuc in carne constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post coronas, victorias & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; & Stephanus imitator Domini sui & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur. Et postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est & pro his qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorque erit Vigilantius canis vivens, quàm illo leo mortuus? Rectè hoc de Ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Denique Sancti non appellantur mortui, sed dormientes. Unde & Lazarus qui resurrecturus erat, dormisse perhibetur.* Hinc patet quanta apud Deum gratia floruerint Moyses, Stephanus, Paulus, etiam tum quando mortali adhuc corpore gravabantur: ex quo infert Hieronymus multò majoris eos gratiæ & potestatis fore, cùm in beatam patriam concesserint. Hîc enim pro se adhuc solliciti sunt, unde quibus implicati sunt ipsi ærumnis, minùs possunt cæteros explicare. Hîc peregrinantur à Domino, quocirca nondum tanta pollent apud eum gratia, quanta cum in ejus illic sinu conquiescent. Denique mors Sanctorum pretiosa est in conspectu Domini, nec pretium ipsis vel authoritatem suam extenuat, sed exaggerat; est enim mors melioris vitæ innovatio. Quapropter si viventium preces quàm mortuorum frugiferæ magis sunt, erant illæ mortuorum potiùs preces, quas tum fundebant cum mortale & mortuum

corpus

corpus hic circumferrent: nunc autem sunt in terra viventium, & apud eum qui est Deus viventium, non mortuorum, & nunc verè vivunt, æternæ vitæ gaudia adepti.

IV. Augustinus Psal. 105. Augustinus in Psalmi verba ista: *Si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus. Id est, nisi objecisset seipsum pro eis, dicens: Si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo vitæ. Ubi demonstratum est intercessio Sanctorum quantum pro aliis valeat apud Deum. Securus enim Moyses justitia Dei, qua eum delere non posset, impetravit misericordiam, ne illos quos justè posset delere, deleret & damnaret.* Intercessio Sanctorum pro aliis non potuit expressiùs commendari. Moysis autem mortalitate hac defuncti, nec charitas in populum, nec gratia apud Deum exolevit, sed accrevit vehementiùs. Audi rursus eundem Augustinum de eodem Moyse fulminantis jam cœlestis iræ impetum excantante: *Cujus apud Deum tanquam fidelissimi famuli tantum*
L.2.in Exod. c.149. *erat meritum per illius gratiam, ut ei diceret Deus, Sine me, & iratus conteram eos, &c. His verbis significat Deus plurimum prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat; ut eo modo admoneremur, cùm merita nostra nos gravassent, ne diligamur à Deo, relevari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Nam cum ab omnipotente dicitur homini: Sine me, & conteram eos: quid aliud dicitur, quàm, Contererem eos, nisi diligerentur abs te? Ita ergo dictum est, Sine me, ac si diceretur, Noli eos diligere, & conteram eos: quia ne id faciam, dilectio tuo in illos intercedit mihi.* Si dilectio tum Moysis in populum intercedebat Deo, ne in eum desæviret, si non verbis, non precum sono volatico, sed ipsa Moysis in populum charitate vinciebatur Deus, & ab ultione cohibebatur, num hæc charitas elanguit aut extincta est per mortem, hoc est, per asportationem in regnum charitatis? Aut si charitas illic auctior atque inflammatior est, & Sanctorum in nos, & Dei in Sanctos, nonne hac sua in Sanctos & Sanctorum in nos charitate validiùs constringetur Deus & exarmabitur? Nullis se tricis hinc expedient, nullis illudent cavillis. Perstat, imò augescit charitas & Dei in Sanctos, & Sanctorum in nos, ergo & augescit atque perennat intercedendi potestas atque efficacia. Et ne divinæ charitati derogari quidpiam quiriteris, & salutis nostræ summam adscribi Sanctorum potiùs in nos, quàm Dei charitati: hanc querelam diluit Augustinus ibidem, cum monet hanc Sanctorum in nos charitatem, divinæ iræ expiatricem, non scaturire nisi ab arcana & interiore Dei in nos charitate, hos eosdem ignes in Sanctorum animis succendente. *Nescio quo enim modo, ut sic eos diligeret ipse Moyses, Deus illos occultiùs diligebat, qui manifesta voce terrebat.* Denique passim in sacris litteris contestatur Deus propter Abraham, Isaac & Jacob, propter David, & reliquos sanctitate inclytos, eorum se nepotibus condonare multa, & quanquam immerentibus beneficia cumulare. Ex quo constat Sanctos hinc defunctos obversari Deo & apparere illi, ut juges iræ ejus in nostra flagitia impendentis deprecatores: unde Augustinus idem:
l. 1. Con. Adv. Leg. & Proph. c.20. *Nolo enim dicere quid arcus ille significet, resplendens è nubibus fulgore & radiis luminis, quod roscida illustratur obscuritate, grata quodammodo confessione respondens, & quomodo Deus non perdat orbem diluvio spiritali, dum est eorum memor, quorum illuminatæ nubes formam gerunt; horum enim nomina scripta sunt in cœlis, ut memor sit eorum Pater qui est in cœlis. Quoniam de suo non lucere se sciunt, sed de Sole justitiæ, sicut illæ nubes de Sole visibili.* Nubium instar habent Sancti, per quos divina lux temperatur nobis, gratia impluimur. Iisdem velut arcu cœlesti commonetur Deus, ne iterata eluvione orbem pessundet, nec commonetur tantùm, sed placatur & demulcetur.

V. Paulinus Epis. Nolan. Epist. 21. Paulinus Nolanus Episcopus Augustinum imitatur suum: *Potes vel humilitate vel fiducia vatis antiqui dicere: Domine, dimitte illis, aut dele me de libro tuo. Quod ille divini colloquii particeps, non salutis suæ negligens, nec insolens Domino, profundi arte consilii ausus est dicere: ut Domino justo debitum peccatori populo interitum comminanti, oblationem suæ potius abolitionis opponeret: divinæ videlicet pietatis justitiæque securus, ut parceret & injustis misericordia Domini, dum justum non potest delere justitia. Hac & pro nobis Dominum altissimum conditione constringe, ut dum eximere te libro suo non potest, per obtentum justi sui recipiat injustos. Nam quia major est qui in nobis est, quàm qui in hoc mundo, ideo fortior est justitia pro peccatoribus defendendis, quàm iniquitas adversus patrocinia Sanctorum.* Ubi duo notantur intercessionis cœlestium quàm mortalium efficacioris argumenta. Nam si Moyses hac conditione Deum constringebat, ut quia eximere justum justus de libro suo non posset, per obtentum justi reciperet injustos: multò utique securior erit cœlitum unusquisque de libro vitæ expungi se non posse. Rursum si fortior est justitia pro peccatoribus defendendis, quàm iniquitas adversus patrocinia Sanctorum: quantò copiosior est immortalium & beatorum justitia, tantò major est & patrocinandi gratia. Et carmine VIII. in Natali sancti Felicis, ait, non ita cœlites pro nobis supplicare Deo, quasi nova hæc illos cura incesserit; sed quam olim provinciam intercedendi susceperant adhuc mortales, eam retentare & perfungi absolutos mortalitate,

Non est cura hæc nova Sanctis,
Exorare Deum pro peccatoribus ægris,
Vique boni meriti, meritum superare sinistrum.
Sic legimus Moysen populo peccante precatum,
Extinxisse graves æterni vindicis iras.

VI. Bernardus. Bernardus sermone in Vigilia Petri & Pauli Apostolorum: *Qui potens in terra, potentior in cœlis, ante faciem Domini Dei sui: Si enim dum hic viveret, misertus est peccatoribus & oravit pro eis; nunc tantò ampliùs, quanto veriùs agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, &c.* Et alibi prolixè quidem, sed venustissimè idem prosequitur: *Sed* Serm. 7?. in Cantica.
quinam illi sunt vigiles, &c. Nempè Apostoli, atque Apostolici viri. Verè hi sunt, qui custodiunt civitatem, &c. Neque enim pro qua usque ad sanguinem restiterunt, suo derelinquunt patrocinio destitutam, sed protegunt & custodiunt eam die ac nocte: hoc est, in vita & in morte sua. Et si pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus, non ambigo ego quin etiam tantò in morte potentiùs id agant, quanto in ipsa etiam confortatus est principatus eorum, &c. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Sed de Angelis, inquis, id dictum est. Non abnuo: omnes sunt administratorii spiritus. At quis me prohibeat itidem & de istis sentire, qui potentia quidem minimè jam ipsis Angelis impares sunt, affectu autem & misericordia eo nobis forsitan germaniores existunt, quo natura conjunctiores? Junge & tolerantiam earundem passionum, & miseriarum in quibus nos pro tempore adhuc versamur. Nihil ne ampliùs miserationis pro nobis vel solicitudinis operabitur in mentibus sanctis, quod & se transisse per eas proculdubio meminerunt? Nonne illa ipsorum vox est: Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium? Quid? Ipsi transierunt, & nos in mediis ignibus vel fluctibus derelinquent, nec saltem manum porrigere dignabuntur periclitantibus filiis? Non est ita. Benè tecum agitur ò Mater Ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de cœlo & de terra venit auxilium tibi.

VII. Origenes. In Num. hom. 14. Ut ad Græcos transeamus, obvium se primò dat Origenes, qui quia cum agno olim Christum portendente, complures aliæ cædebantur victimæ; has ille interpretatur sanctos sive Angelos, sive homines, qui pro Ecclesiæ salute immolentur & ipsi, & chari-

charitatis holocausto adoleantur. *Vide ergo ne fortè sicut Dominus & Salvator noster, quasi agnus ad occisionem ductus, & in sacrificium altaris oblatus, peccatorrum remissionem universo præstitit mundo: ita fortassis cæterorum sanctorum ac justorum sanguis, alterius quidem sicut vitulæ, alterius sicut hirci, aut capræ, aut alicujus horum fusus est ad expiandum pro aliqua parte populum. Sive hæc ad justorum prophetarumque personas, qui in hoc mundo jugulati sunt: vel eorum qui dicunt; Quoniam propter te morte afficimur tota die, existimati sumus sicut oves occisionis, referenda videantur, sive etiam ad superiores virtutes, quibus procuratio humani generis data est, quis facilè audeat affirmare? Nam & ipse Dominus Jesus Christus, &c. Sic ergo fortassis & si quis est Angelorum cœlestiumque virtutum, aut si quis justorum hominum, vel etiam sanctorum Prophetarum, atque Apostolorum, qui enixiùs interveniat pro peccatis hominum; hic pro repropitiatione divina velut aries, aut vitulus, aut hircus oblatus esse sacrificium ob purificationem populo impetrandam accipi potest. Annon videtur ut aries aut hircus holocaustum se obtulisse Paulus pro populo Israel, cum dicebat: Optabam autem ergo ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. Vis autem scire quia se hostiam Paulus offerat jugulandum? audi eum dicentem: Jam enim ego immolor, &c.* Non me fallit quàm istiusmodi ex Scripturis argumentationes, non presso & humiliori, sed exerto & subliminiori earum intellectui superfundatæ, nullius momenti futuræ sint, & contemptim prætereundæ ab adversariis; ut qui literæ tantùm, non autem spiritui earum per sanctos Patres propalato, assurgere se & fidem commodare profiteantur. At professus sum & ipse, non verba trutinari scripturarum, non literæ minutias excutere, non angulos omnes & cuniculos perscrutari, quod eorum institutum est qui fidei controversias pertractare, & pedem pedi, manum manui conserere adgrediuntur. Sed arcana & altissima quæque, quæ Christo duce & auspice adire dabitur, Theologiæ Ecclesiasticæ sacramenta ex Scripturis quomodocumque per sanctos Patres elucidatis, exculpere, atque proferre in medium, ea est mei instituti ratio, id unum sequor, id præ me fero. Nec spes tamen exuenda omnis est, revocandorum hac etiam arte sectariorum. Revocantur enim & resipiscunt non rarò, illecti magis quàm compulsi, & veritate non tam coarctati, quàm delectati. Est enim plus satis lenocinii in ipsa luce ad conciliandos animos, ut minùs opus fit vincula & retia argumentorum expediri, quibus nonnulli antè deterrentur, quam attingantur. Ipsa mysteriorum amplitudo, & pulcritudo arcana, & lux inescat mentes hominum, fidemque & amorem expugnat. At concertationum æstus subalienare magis & obdurare contumaciam assolent. Hoc semel monuisse necessum erat, ne quis nostri nescius propositi, quæ à nobis hic disseruntur, non satis æquis auribus acciperet. Ex Origene ergo claret ratio splendidissima constituendæ sanctorum immortalium pro mortalibus intercessionis. Etenim Christi sacrificio omnes implicantur cum Angeli, tum homines sancti, unaque charitatis flamma in cœlesti tabernaculo omnes cum eo adolentur. Est enim sacrificium Christi catholicum seu universale, atque universas tum rationales naturas, tum locorum plagas, tum varietates temporum complectitur. Istud porrò sacrificium tum quia Christi est, tum quia charitatis est, ut omnes complicat hostias, quas immolari sua sanctitas jubet, ita omnibus impenditur, quibus ipsum impendi sua flagitat calamitas. In commune enim universitatis emolumentum consulit charitas, pro universis Christus hostiam sese obtulit & offert sempiternè. Si Paulus ergo optabat hic anathema esse pro fratribus, si impendi & superimpendi populorum saluti avebat, si supplebat in se residuam passionum Christi sibique consentaneam portionem, si denique cum Christo cruci affigebatur & mactabatur; utique receptus in cœlis, cœlesti sacrificio Christoque ibi sese perenniter immolanti jugis & ipse hostia conseretur.

Idem Origenes illud explanans quod quibusdam Moyses ultra Jordanem, cæteris Josue-cis Jordanem terras postea distribuerit, & illi tamen jam hæreditatem nacti, his commilitones accesserint, qui incubantes adhuc portioni suæ hostes diutiùs debellabant: *Primus ergo Moyses hæreditatem distribuit, secundus autem Jesus. Nunc Moysen legem intellige. Hi ergo qui secundum legem vixerunt, primi acceperunt hæreditatem, sed extra terram repromissionis, &c. Digni judicati sunt per Moysen capere hæreditatem, verumtamen adhuc & ipsi pugnant, & in certamine sunt, pro iis qui sub Jesum militant. Sed requiris, qui sint isti qui pugnant, & quæ est illa pugna quam illi gerunt? Ego sic arbitror quod omnes illi qui dormierunt ante nos Patres, pugnent nobiscum, & adjuvent nos orationibus suis.* Quo nihil luculentius commentari quisquam potuit in illum scripturæ locum. Expressius est quod apud eundem Origenem legitur in Canticum canticorum: *Sed & omnes sancti qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens. Scriptum enim est in Machabæorum libris ita: Hic est Hieremias propheta Dei, qui semper orat pro populo.* Ubi perspicua est authoritas Jeremiæ post mortem orationibus suis populum adjuvantis.

In lib. Josue Hom. 16.

Hom. 3.

Chrysostomus in Genesin: *Multa Domini bonitas est, & sæpè solet etiam propter paucos multis dare salutem. Et quid dico propter paucos justos? Sæpè quando non inventus est in presenti vita justus, propter defunctorum virtutem, viventium miseretur & curam habet. Unde clamat dicens: Protegam civitatem hanc propter me & propter David puerum meum. Quasi diceret: Licèt ipsi indigni sint, qui salventur, & nullam salutis habeant occasionem, verùm quia solitus sum misericorditer agere, & ad miserandum promptus sum & ad eripiendum à calamitatibus, propter meipsum faciam & propter puerum meum David. Et qui ante tot annos e vita migravit, hic author fit salutis eorum, qui sua sese perdiderant desidia. Vidisti clementiam Domini, quomodo eos qui virtute pollent, honore afficit, præponit & toti multitudini æquiparat?* Pertinet igitur & ad Dei misericordiam, captantis & ambientis undique miserendi ansas: & ad sanctorum dignitatem, quorum potestas & virtus morte haud extincta est: & ad virtutis ipsius commendationem, ut mortuorum meritis donentur viventes; ita enim elucet quanti sit virtus & sanctitas, quæ uni pio impiorum multitudinem æquiparari non posse ostendit. Ideo enim & paucissimis justis condonatum fuisset Sodomæ exitium.

VIII. Chrysostomus. Hom. 41.

Vide hom. 2 In Psal. 50.

Idem rursum Chrysostomus: *Hoc etiam nos sæpenumero facimus; dum servos qui delicta animadversione digna commiserint, neque punire volumus, neque pœnarum metu liberare, amicis injungimus ut è manibus nostris eos eripiant, ut & metus in eis æquè vehemens maneat, & plagas à nobis inferendas effugiant. Tale quid etiam Deus præstitit, &c. Ad Hieremiam & ad Ezechielem id ipsum loquitur: Circumcurrite & videte in viis Jerusalem, si est aliquis faciens judicium & justitiam, & propitius ero eis. Vides benignitatem? Unius virtute multi etiam pravi simul fruuntur. Homo quidam unus qui rectè vivat, integrum populum eripere poterit iræ divinæ; sed integra civitas depravata, hominem vitæ probæ ad societatem supplicii sui pertrahere non poterit ac simul perdere. Atque hoc ex Noe liquet, qui pereuntibus cunctis solus salvus evasit, atque ex ipso Mose qui solus veniam tanto populo valuit impetrare. Ego verò possum & aliud multo majus divinæ benignitatis indicium*

Tom. 5. Ser. 58.

cium proferre. Cum enim homines viventes, & qui gratia valeant ac fiducia non invenit, qui peccati reos possint periculis liberare, ad vita functos confugit, ac propter illos ait, se delicta dimittere: quemadmodum & Ezechia dixit: Protegam urbem istam propter me & propter David servum meum, qui jam mortuus erat. Vides quàm latè pateat hic Scripturarum campus, & quanta ibi luxuriet seges exemplorum hujus Dei indulgentiæ, qua bonos malis permiscet, ut hos illis donet: qua paucos bonos innumeris pravorum turbis præponderare censet: qua bonorum pietatem malis superfundit, at malorum pœnas non unquam bonis aspergi promiscuè sinit: qua non tantùm viventium sed etiam defunctorum contemplatione justorum viventibus gratiarum copiam infundit. Nec usquam vel scripturæ, vel Patres, hic degentium, aut cœlis illatorum intercessiones justorum discriminant, nisi si fortè ut horum gratiosiores esse conjectentur. Ita enim Moysi, sicut Davidi, illi mortali, huic mortuo condonatur populi universi salus, & promerenti utique Davidi ac deprecanti, perinde ut Moysi.

IX. Theodoretus. In Exodum, q. 67. Theodoretus illud ipsum versat Mosis factum: *Dixit autem Deus, Dimitte me, ego autem indignatus ira in eos, atteram eos. Atqui nemo expectat monentem ut irascatur, sed ut mitigetur potius. Hæc igitur verba, Dimitte me, dixit, pro eo quod est, Cohibe me. Quia cum eximius ille Moyses ignoraret iniquitatem populi, hanc Deus illi patefecit, atque ut pro eo intercederet, excitavit.* Atque ut ne causeris semper, hanc viventis esse pro viventibus supplicationem, Moses ipse in subsidium vocat allegatque Deo Abrahamum, Isaacum, Jacobum, *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, &c.* ut & mortuorum sed Deo viventium advocationem intelligas quidlibet extorquere posse. Unde Theodoretus ibidem: *Verùm legislator non se sufficientem existimavit ad placandam iram Dei, sed precum vice, Patriarcharum nomina protulit, & mentionem fecit jurisjurandi illis præstiti, & ut pacta conventa firmarentur, supplicavit.* Num hortatu & deprecatione Mosis recordabatur Deus Abrahami tanquam olim extincti, & longè dissiti, an viventis potiùs & præsentis & in eadem cum Mose vota connitentis preces exaudiebat? Et rursus: *Post comminationes tamen dulcia promisit, & inter cætera reditum à captivitate, non quidem ob eorum merita, sed propter majorum suorum pietatem. Sic enim ait, Et recordabor fœderis Jacob, & fœderis Isaac, & fœderis Abraham, &c.* In Leviticum. q. 37. Ut quid enim Deus tanta ambitione promissorum, ea Abrahamo, ut cæteros sileam, pollicebatur, quæ nonnisi interlapso complurium annorum ac sæculorum tractu, seris ejus nepotibus obventura essent, nisi ut omnium inter se hominum individuam societatem ac communionem significaret, ex qua fit ut merita majorum adscribantur minoribus, minorum præmia in majores revolvantur: priores in posterioribus superstites sint, posteri in antecessorum vitam & laudes retro advocentur? atque ut natura, ut humanitas, ut justitiæ causa una est, ita omnium fit quidquid singulorum est, & singulorum sit quidquid universorum est sanctitatis ac beatitatis? Denique idem Theodoretus alibi illudentes nostræ in martyres pietati Gentiles refringit authoritate Platonis ipsius, qui piorum animas terrenis vinculis explicatas, curæ habere adhuc res humanas, & pro virili subsidium ferre, evidenter profitetur: *Posse autem sanctorum animas etiam cum extra corpus fuerint, hominum curare negotia, Plato idem in undecimo legum libro his verbis affirmat: Opportunè igitur ea quæ superius tractata sunt, locuti videmur: animas videlicet defunctorum postquam ex hac vita decesserint, vim quandam habere, ac de rebus humanis curam gerere.* Serm. 8. de Martyribus. Quo fulmine ergo conterenda est eorum contumacia, qui cum Christi nomen & disciplinam præ se ferant, nec ea tamen possint pietatis decreta sapere aut capere, quibus sæculares Philosophos natura ipsa magistra imbuit atque informavit? Perfectò enim semel atque præfixo animas hominum immortales esse, atque virtutis hic exantlatæ præmia deinceps æterna carpi, his consequenter suadet naturæ ipsius vox insita, & animæ auribus intus insusurrat, omnes inter se immortales animas charitate mutua consæderari, & seu perstante seu abrupto corporis vinculo, invicem amare, invicem fovere sese atque adjutare.

X. Sanctorum cultum Gentiles & Manichæi opprobrabant Ecclesiæ. Ergo ad Philosophorum sæcularium ablegandi sunt pulpita Novatores: ut quod à Gentilium vulgo docti sunt, Ecclesiæ martyres colenti conviciari, à Gentilium Philosophorum senatu dedoceantur. Crebris enim nos istiusmodi maledictis figebant turbæ Gentilium indoctæ, quod homines excarnificatos & biothanatos divino cultu prosequeremur. Ut enim ait Theodoretus in prologo Librorum de Græcarum affectionum curatione: *Ridiculum esse dicebant, quod honore Martyres prosequamur, & insignis stultitiæ, si viventes ab iis qui vita functi sunt, ullum sibi commodum comparare contendant.* Lib. 8. Et Cyrillus scribens contra Julianum, hanc eandem ab impio desertore calumniam impactam refellit. His præsultoribus insultare illi Ecclesiæ Catholicæ didicerunt, à quibus si quid saperent, dediscere id potiùs & convitia sua recantare debuerant. Namque ut Theodoretus suprà declaravit, qui immortalitatis animæ vindices acerrimi fuere, & germanæ virtutis præcones incorrupti, ii inter Philosophos facilè principatum obtinuerunt. Hi autem constantissimè decreverunt animarum immortalium glutinatam semel amicitiam & curam atque venerationem ac beneficentiam ultro citroque commeantem nec ipsa corporis morte abrumpi: Virtutis autem præmia & honores nunquam intermori. Cyrillus etiam loco suprà citato edisserit ex hoc seu naturæ præjudicio, seu melioris Philosophiæ afflatu nonnullo serpsisse in vulgus ipsum Ethnicorum opiniones receptissimas, utputa spem & sitim laudis posthumæ, gloriæ per ventura sæcula prorogandæ cupidinem, in bene meritorum de publica re virorum memoriam atque honorem dies solennes, & certamina ludicra. Quæ quamvis anilibus superstitionibus imperita & vitiorum carie exesa hominum plebs refersisset, atque vitiis suis assentando, scelerum suorum patronis hos nuncupasset honores, operæ pretium est in his ut & in cæteris compluribus delectum facere, & dispescere, quid ab errore & corruptela morum, quid à naturæ magisterio aut sanioris Philosophiæ aspersum sit. Nam virtutum ergo & cultum immortalibus animis impendendum, & opem vicissim ab ipsis rependendam esse, id conscientia, id natura dux & magistra, id Philosophia quædam patritia dictabat. Nefariis autem hominibus per impia & multis facinoribus contaminata sacra adulari, id vulgi erat suæ improbitati patronos captantis & consecrantis. Hinc apud Augustinum hoc nos Manichæi convitio verberabant, *Desciscentes à Gentilibus, sacrificia eorum vertistis in agapas, idola in Martyres, quos votis similibus colitis: defunctorum umbras vino placatis & dapibus, &c.* L. 20. cont. Faust. c. 4. Eligant utros in nostro hoc dogmate insectando duces & præsultores sequi malint Calviniani, Ethnicos an Manichæos. Nobis certum fixumque est, talium convitia non reformidare, quin & laudi vertere, ut indubia veritatis argumenta. Quid enim talibus displiceat, quod non eo saltem nomine placere debeat, quòd illis displicuit? Malim equidem Gentilium probra sustinere, quàm intorquere: malim ab ipsis lacessi convitio, quàm cum ipsis lacessere. Malim cum Ecclesia maledici, quàm cum Manichæo maledicere. Malim Ecclesiæ adhærescere calumniam sustinenti, quàm Gentili vel Manichæo intentanti. Aut si quas veritatis scintillas legere

fas

fas est ex ipsis Ethnicorum officinis, malim equidem Platonem, quendam, ut ait Cicero, Philosophorum Deum, quàm vulgum ineptissimum perditissimumque audire. Unde ne cum Gentilibus quidem sapiunt, qui stomachantur in honores Martyrum, sed cum sordidissima eorum fæce tumultuantur.

XI. Innatę conscientię quātum consonet, ut Sancti colātur. Apta ut vides & conserta hæc erant tria pro statuendo Martyrum cultu argumenta, à Scripturæ oraculis, à naturæ præjudiciis, & ab ipso communi hominum sensu petita. Scripturas satis prolixè versavimus. Naturæ instituta ex Gentilium & Optimatum maximè Philosophorum consensione firmavimus. Innato autem communiter sensui quàm consentaneum sit, ut morte nec Martyrum in nos charitas, nec nostra in eos observantia extinguatur, & jam tetigimus sæpiusculè, & pauca rursus quæ id testificentur accumulabimus. Theodoretus idem de Aphraate differens: *Oculis illum ipse conspexi, sanctæque illius dexterā benedictionem percepi, &c. me precum suarum opibus impertiit, Quibus utinam nunc quoque fruar, qui vivere ipsum credo, & Angelorum choris interesse, majorem quàm olim apud Deum fiduciam obtinere. Tunc quippè mortale illum corpus metiebatur, ne arrogantiæ occasionem redundans fiducia præberet. Nunc verò vitiorum onere deposito ut athleta victor apud agonothetam secura utitur libertate. Quare ut ejus quoque intercessionem consequar, oro.* (Relig. Hist. c. 8.) Si præjudicatarum opinionum nebulæ abstergi tantillum possent, admirabilius id atque insolentius videretur, quòd dum in carne versantur & orare pro aliis & orari ut orent, non detrectant, quàm cum istis compedibus fuerint expediti. Nam ut alia taceam, quantum hinc arrogantiæ periculum impendet? Ergo si nihilo secius & orant, & orari se sinunt ut orent, dum periclitantur & ipsi, dum confligantur intestino bello, dùm de divinis muneribus superbire possunt & superbiendo elidi; quantò proniùs & securiùs, his absoluti laqueis & orabunt & orabuntur? Et Nyssenus Oratione de sancto Theodoro Martyre, illum ipsum Martyrem ita interpellat: *At nos beate, benignitate Creatoris, anniversariam circuli vicissitudinem assecuti, coegimus tibi publicum conventum, sacrum cœtum Matyribus addictum, & communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes. Tu verò huc jam ades ad nos, &c. Quot tunc supplicii spectatores populos habebas, tot nunc habes ministros. Multorum beneficiorum indigemus. Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum, &c. Quod si majori etiam opus fuerit advocatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus unà deprecare. Multorum justorum preces multitudinis ac populorum peccata luant. Admone Petrum, excita Paulum, Joannem item Theologum ac Discipulum dilectum, ut pro Ecclesiis quas constituerunt, solliciti sint, pro quibus catenas gestarunt, pro quibus pericula & mortes tulerunt.* Major hinc rursus fiducia eis accessit post mortem, quòd non singulares orent, sed agminatim, & facto veluti cuneo irrumpant vimque adferant Deo, & extorqueant quidlibet. Si enim & hìc agmen quandoque cogitur precantium, ut quod singuli minùs possent, plures expugnent: beatæ illius & innumerabilis cœlitum conspirationis quanta vis & quàm invicta sit conjuratio, quis facilè eloquatur? Quibus annuit & Nazianzenus de Patre suo supernas (Orat. 18) in sedes asportato agens: *Nec dubito quin hoc nunc quoque tantò magis deprecatione sua, quàm prius doctrina præstet, quantò nunc magis Deo appropinquat, ut qui corporis compedes excusserit, ac limo illo mentis puritatem inficiente liberatus sit: nudusque cum nuda illa & purissima principe mente versetur, angelici ordinis dignitatem & fiduciam, nisi hoc dictu audax est, consecutus.* Quasi dicat, fiduciam deprecandi pro cæteris Numinis, non carcer corporis, non vincula, non tenebræ, non mortalitatis squallor, non culparum sordes, non peregrinationis à Deo protelantis tædia addebant, cùm in terris degeret, sed deprimebant potiùs & refutabant. Quocirca nunc æquiùs est quàm tunc exorari se sinet, ut Deum nobis prece sua conciliet.

XII. Rursus quā consonātius sit cœlites quam mortales & orari & orare. E Latinis autem idem argumentum urget præter antedictos Hieronymus in Epitaphio Paulæ, paulò ante calcem: *Vale o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Fides & opera tua Christo te sociant: præsens faciliùs quod postulas impetrabis.* Vides quantum morte accesserit accrementum fiduciæ & authoritatis in auscultandis precibus & Deo allegandis. Nempè tota suppellectile & opulentia meritorum locupletes, nec ullo jam naufragii metu solliciti: nempè præsentes & coram positi procliviùs impetrant quidlibet & audent, quàm procul olim fluctu peregrinationis suæ jactati. Et in Epitaphio Lucinii Bætici: *Ille jam securus & victor te aspicit de excelso, & favet laboranti, & juxta se locum præparat, eodem amore & eadem charitate, &c.* Est enim victoris præliantibus obsecundare, est dimicantium triumphatores implorare, multò sanè congruentiùs quàm dum in eadem omnes dimicant acie & non dispari alea periclitantur. Ambrosius item: *Ergo rogaverunt pro vidua Petrus & Andreas. Utinam existat aliquis, qui tam citò possit rogare pro nobis, vel certè iste qui pro socru rogat Petrus, & Andreas frater ejus. Tunc enim pro affinitate poterant, nunc jam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Videtis enim quod magno peccato obnoxia minus idonea sit quæ pro se precetur, certè quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad Medicum alios precatores, &c. Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, &c. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si qua habuerunt peccata, laverunt. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt.* (L. de viduis.) Auctior ergo nunc est Apostolorum Martyrumque interpellandi potestas; tunc enim *pro affinitate tantùm*, nunc pro omnibus: tunc propriis nævis maculosi, nunc puri & mundissimi nihil non impetrant. Angelicam enim assecuti sunt non tantùm munditiem, sed & amplitudinem potestatis, ut non familiæ aut affinitati prospiciant tantùm, sed universitati consulant, utque charitatem, ita beneficentiam suam nullo patiantur, vel loci obice, vel temporis fine circumscribi.

XIII. Summa antedictorum. Atque ut in unum velut obtutum conglobem quæ sparsim de tertio hoc argumentandi genere divulsa & dissipata sunt, immortalium nunc, quàm olim mortalium seu Martyrum seu Sanctorum quorumlibet, tantò æquius est implorari à nobis, & convalescere apud Deum patrocinium, 1. quantò major eorum nunc & in Deum & in nos charitas. Nec enim ex beatitatis cumulo cumulum &, ipsa suum non attigit. At amplitudini charitatis inest & ad Deum fiducia interpellandi certior, & nobis opitulandi promptior voluntas. 2. Potestas etiam benefaciendi, & jus clientum confutandorum cœlitibus quàm mortalibus magis quadrat. 3. Ubi omnia ipsi evaserunt discrimina, jam æquius est ut de nobis solliciti sint, quàm cùm & pro seipsis anxiarentur. 4. Exaggerari tutò potest hæc cœlitum authoritas, ut quibus nulla jam obrepere possit aut illudere arrogantiæ pestis: at dum hìc agerent, timendum hinc eis erat, ne dum proderant aliis, obessent sibi. 5. Præsentiores nunc Deo sunt, unde & à peregrinantibus æquiùs possunt intercessores adhiberi, quàm cum & ipsi exularent nobiscum. 6. Angelicam nunc assecuti fœlicitatem, & universalis providentiæ communionem, à parte in universum revocati sunt, unde & in universum omnibus consulunt. 7. Orant pro nobis, qui pro seipsis jam orare non indigent, multò vehementiùs quàm cum & ipsi

ipsi eadem nobiscum inopia arctarentur, 8. Eorum est periclitantibus succurrere, qui extra periculi aleam tuta in portus statione locati jam sunt. Si cùm sua olim pericula pertimescerent & proprias ruinas, gerebant tamen nostri sollicitudinem, quid nunc absoluti à discrimine & metu, atque victores? 9. Singulis olim virium minus erat, nunc uno agmine catervatim omnes conniruntur, & divinæ conciliationis gratiam quam singuli ebblandiri non possent, extundunt universi. 10. Denique nemo tam hebes animi est, qui non supplicandi atque impetrandi gratiam marcescere intelligat, & obscurari mortalitatis ignominia & pædore corporei ergastuli, tenebrisque & calamitatibus undique obvallantibus: his autem semel explicatos & in lucem beatæ æternitatis renatos reflorescere in illam amplissimam gratiam & authoritatem.

CAPUT VIII.

Cultus & invocatio Sanctorum constituitur ex eorum in nos uberiori nunc quàm cum hìc degerent charitate, atque ex effusiore nunc in eos Christi dignitatum & nominum redundantia, unde & secundarii mediatores sunt.

I. Hoc argumentum ut premat Augustinus.

LEviter perstricta est hæc argumentatio quæ emergit ex Sanctorum flagrantiore in Deum atque in nos charitate, ex quo & illud palam emicat, & fidentiùs à nobis orari, & audaciùs ipsos pro nobis apud Deum supplicare. Plusculum huic ergo probationi impendere operæ ac temporis non alienum erit, solent enim eam frequentiùs urgere sancti Patres; nec ineluctabiliori machina lacessi possunt adversarii. Augustinus in primis de Nebridio in sinum Abrahæ recepto agens: *Nam quis alius tali animæ locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat, homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine fœlix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cùm tu Domine, quem potat ille, nostri sis memor.* (Confess. l. 9. c. 3.) Torrente voluptatis inebriantur Sancti, sed voluptas ea castissima charitas est. Charitate ergo inebriantur, non ergo timendum ne nostri memoriam, aut amorem, aut curam hæc illis excusserit ebrietas. Inebriantur, sed de Deo qui nostri & memor & amantissimus est: ergo ipsa eorum beatitas in eo sita est, quod nostri memoriam & amorem potant. Non potest tanta charitas desidiosa esse aut inofficiosa, non potest & inhonorata à nobis atque illaudata præteriri. *Si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te Patrem omnium fratrum Christi tui*, (Confess. l. 9. c. 13.) ut ait alibi Augustinus. Et rursus idem: (l. de vera Relig. c. ult.) *Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum quod etiam me diligit. Quisquis in illo manet & potest humanas preces sentire, in illo me exaudi. Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adjuvat, &c.* In hac ultro citroque commeante charitate satis causæ est, ut & intercessionem eorum flagitemus, quibus cordi sumus, qui Deo sunt, qui nobis sunt: & ipsi ad Deum supplicare audeant cui chari sunt, pro iis qui sibi chari sunt: & denique antevertat forsitan Deus & nostras & eorum preces, ut charitas charitatis furtiva suspiria & suppullulantia votorum initia antevenire amat. Sed expressissimè ex hac charitate Dei, quam bibit Sanctorum fœlicitas, imbui eos ut orent pro Ecclesia, hìc bella Domini adhuc bellante, probat ex Apocalypsi idem sanctus Pater, ubi martyres incruentam & salutiferam hominibus vindictam rogant & exaudiuntur. (Serm. 11. de Sanctis.)

II. Gregorius Papa l. 2. in Job c. 4.

Gregorius Magnus eadem penè habet, ut non Augustini, sed consarcinatoris alicujus esse suprà laudatum in margine sermonem vix ambigi possit. *In ipso Deo positæ animæ, ab ipso aliquid petere dicuntur, non quod quidquam desiderent, quod ab ejus voluntate quem cernunt, discordet: sed quo Deo ardentiùs mente inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, ut ab ipso petant, quod eum facere velle noverunt. De ipso ergo bibunt, quod ab ipso sitiunt: & modo nobis adhuc incomprehensibili, in hoc quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur.* Petunt igitur à Deo & petendi orandique æstum hauriunt ab ipso Deo qui charitas est, seque eis ita inspirat, ut non possint quidquid vult Deus, non velle & amare, & avere, ac postulare. Suam enim sitim ab ipso Deo hauriunt primo, ut eam & de ipso Deo expleant. Non possunt igitur non orare, quia non possunt non amare, & desiderare. Nam ipsa saltem desideria, orantium verba sunt exertissima, & efficacissima. Unde Gregorius ibidem: *Magnus earum clamor, magnum est desiderium. Tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat: & tanto majorem vocem in aures incircumscripti Spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium pleniùs fundit. Animarum igitur verba, ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, propheta non diceret, Desiderium cordis eorum audivit auris tua.* Atque ita amor desiderium est, desiderium oratio clamosissima est. Deus ergo qui charitas est, desiderium, id est, orationem ipsam suggerit, tum ut sancti à nobis, tum ut ipse à sanctis interpelletur. Qui igitur excindere volet hunc impetum quo ad sanctos implorandos fervemus, nostram extirpet funditus in ipsos charitatem, & conjunctum charitati desiderium, à quo oratio non potest divelli. Num enim arcebunt, ne qui amat, desideret? Num intercedent, ne qui desiderat, intus clamet? Ut elingue hebescat os, ut vox attonita torpeat, charitas & nostra in sanctos & sanctorum in Deum clamat, quia desiderat, & clamosis desideriis orat.

III. Bernardus Serm. 26. in Cantica.

Bernardus multa super obitu Gerardi fratris lamentatur, ubi & hæc habet ad rem quæ præ manibus est, opportunissima: *Quàm vellem scire quidnam sentias nunc de me, illo unico tuo, &c. Si tamen adhuc licet cogitare de miseris, ingresso abyssum luminis, atque illo pelago æternæ fœlicitatis absorpto. Fortè enim etsi nosti nos secundùm carnem, sed nunc jam non nosti: & quoniam introisti in potentias Domini, memoraris justitiæ ejus solius, immemor nostri. Cæterùm qui adhæret Deo, unus spiritus est, & in divinum quendam immutatur affectum: nec potest jam sentire aut sapere nisi Deum, & quod sentit & sapit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas est, & quanto quis conjunctior Deo, tanto plenior charitate. Porrò impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper & parcere. Ergo necesse est & te misericordem esse, qui inhæres misericordi, quamvis jam minimè miser sis: & qui non pateris, compateris tamen. Affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus: nec quoniam Deum induisti, nostri cura te exuisti: & ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est, abjecisti: sed non quod pium. Charitas denique nunquam excidit.* Suis moribus & supinitati plus æquo indulgent, qui beatis curas omnes abstergunt nostri, ne his nubeculis fœlicitatis eorum serenitas fuscetur. Nondum sapiunt ingenium charitatis, quæ novit quiescendo agere, agendo quiescere: quæ curando deliciatur, quæ benefaciendo delectatur. Nondum sapiunt, sanctos ita Deo imbui, ita Dei providentissima & serenissima charitate indui, ut ipsum & in ipso fugant memoriam, curam, charitatem & providentiam totius universi, pari tranquillitatis, ac munificentiæ cumulo beatam. Et nunc enim tanto salutis omnium sitientior quisque est, quanto supernæ illius charitatis rore uberiùs aspergitur: quid ergo ubi ipso inundabitur fonte? Unde idem Bernardus Epistola de obitu sancti Malachiæ ad Fratres de Hibernia: *Dehinc etiam utilitatis propriæ consideratio exul-*

exultandum nobis suggerit & lætandum, quod tam potens suos patronus ad cœlestem curiam, tam fidelis præcesserit advocatus. Cujus & ferventissima charitas oblivisci nequeat filiorum, & probata sanctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc Malachiam sanctum aut minus posse prodesse, aut minus suos diligere audeat suspicari? Profecto cùm diligeretur prius, certiora nunc suæ dilectionis à Deo capit experimenta: & cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Absit autem ut tua nunc, ô anima sancta, minùs efficax æstimetur oratio, quando præsenti vividius supplicare est majestati: nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas. Absit ut imminuta, nedum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad ipsum fontem æternæ charitatis procumbis, pleno hauriens ore, cujus & ipsa priùs stillicidia sitiebas. Non potuit mortui cedere charitas fortis ut mors, imo & morte fortior ipsa. Vide & sermonem in obitu Humberti. Et in vigilia Petri & Pauli Apostolorum: *Si enim dum hic viveret, misertus est peccatoribus, & oravit pro eis, nunc tanto amplius, quantò veriùs agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem; quia beata illa patria charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit. Neque enim quia impassibilis omninò, ideò & incompassibilis factus est; sed nunc potiùs induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit.* Elegantissimè autem id ipsum exponit in sermone 2. de sancto Victore Confessore: *Sedet veteranus miles debita jam suavitate & securitate quietus. Securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. Non enim cum putredine carnis simul se exuit visceribus pietatis: nec sibi sic induit stolam gloriæ, ut nostræ pariter miseriæ, suæque ipsius misericordiæ oblivionem indueret. Non est terra oblivionis, quam anima Victoris inhabitat: non terra laboris, ut occupetur in ea: non denique terra, sed cœlum est. Nunquid cœlestis habitatio, animas quas admittit, indurat, aut memoria privat, aut spoliat pietate? Fratres, latitudo cœli dilatat corda, non arctat; exhilarat mentes, non alienat: affectiones non contrahit, sed extendit. In lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur. In lumine Dei discitur quod nescitur; non quod scitur, dediscitur.* Hæc ille validissimè & frequentissimè contorquet jacula indeclinabilia adversus increbrescentem tum vesaniam Petrobrusianorum, Calvinianæ præsultricem, & in Cœlites æquè debacchantem.

IV. Beda. In Luc. c. 16. Beda: *Valdè quærendum est, quomodo dicatur, Hi qui volunt ad vos transire, non possint. Quod enim hi qui in inferno positi sunt, ad beatorum sortem transire cupiant, dubium non est. Qui verò jam in beatitudinis sortem suscepti sunt, quo pacto dicitur, quia transire ad eos, qui in inferno cruciantur, volunt? Sed sicut transire reprobi ad electos cupiunt, id est, à suppliciorum suorum afflictione migrare: ita ad afflictos atque in tormentis positos transire justorum est, mente ire per misericordiam, eosque velle liberare. Sed qui volunt de beatorum sede ad afflictos atque in tormentis positos transire, non possunt: quia justorum animæ quamvis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, jam tunc authoris sui justitiæ conjunctæ, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur.* Beati igitur ita miseris condolescunt, ut vel reprobis ipsis & irrevocabili gehennæ mancipatis succurrere velint, si per legem æternam fas sit. At quia nefas id est, nobis adhuc in lubrico fluitantibus favent, & ea charitate qua Deo coaptantur, cum eo miserantur nostræ ærumnæ, & divinæ in nos benevolentiæ pondere ad patrocinandum inclinantur.

V. Cyprianus. L. 1. Epist. 1. Cyprianus ante hos omnes ad Cornelium scribens: *Et si quis hinc nostrum prior, divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio: pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Morte enim charitas non dissuitur, invicta perennat, nec unquam excidit: unde & illic apud Deum intervenit pro charis hic pignoribus. Quid est autem causæ, quamobrem superstiti & mortali potuerit Cyprianus hanc precem inculcare Cornelio, non potuerit & postea morte immortalitatem adepto? Honos enim largior infundendus fuit corruptibili sarcina exonerato quàm onusto. Fiducia præsenti amplior apud Deum, quàm peregrinanti adiicitur. Charitas non tantùm perseverat, ut monet Cyprianus, sed in immensam molem aggeratur. Eccur ergo miser misero, mortalis mortali eam precem adhibere tum potuit, non potuit postea miser beato, immortali mortalis? An ne fiat injuria Christo mediatori, si quis præter eum asciscatur mediator? At perinde injuriosum illi foret mortales, quàm immortales mediatores venari. An quod beati ex longinquitate jam rescire aut exaudire preces non queunt? At ut Bernardus ante monebat, non est cœleste regnum, terra oblivionis: discitur ibi quod nesciebatur; non quod sciebatur, dediscitur: hauritur ibi luminis incrementum, non dispendium: nihil nesciunt, qui Deum sciunt: nihil non vident, qui vident em omnia vident: preces nostras audiunt, qui Angelis precum nostrarum administris exæquantur. An denique fas est cum mortalibus sermonem conferre, nefas cum immortalibus? At quis tam duræ legis author & arbiter est? Nostra potiùs in cœlis sit conversatio: & meditemur jam hinc congressus illos beatos, atque occupemus sanctorum contubernia & colloquia. Quis enim æstuantissimam charitatem elinguem torpere jubebit, quæ se continet, quæ non si linguæ illi centum sint, oraque centum, exerere sese atque explicare satis possit? Amare vetas, si affari, si amorem exhalare, si testificari, si refundere suos sibi mutuos æstus inhibes. Denique ut jam sæpè attigi, frustraneus iste conatus est: qui amat, desiderat: qui desiderat, alloquitur & orat.

VI. Origenes & Nyssenus. E Græcis autem Origenes l. 8. contr. Celsum similiter argumentatur beatos omnes ea qua Deus in nos ardet charitate, inflammari & ipsos, atque ad opem precibus patrocinioque suo ferendam exardescere. *Unus est nobis placandus Deus, universorum Dominus, unius favor ambiendus per pietatem virtutesque cæteras. Si vult præter hunc placari etiam alios, cogitet quod sicut moto corpore, umbra quoque ipsius movetur, ita cum aliquis Deum habet propitium, sequitur ut amicos habeat omnes ejus Angelos, animas & spiritus. Sentiunt enim qui sint digni favore cœlestis numinis, quibus non solùm ipsi bene volunt, verùm etiam dant operam, ut Deum ei servire volentibus concilient, & unà nobiscum precantur, &c.* Nyssenus Oratione de obitu Meletii Antiocheni Episcopi: *Reliquit carnis tegumentum, non ampliùs signo & umbræ cœlestium servit, sed in ipsam rerum imaginem intuetur. Non ampliùs per speculum, aut ænigma, sed ipse facie ad faciem intercedit pro nobis apud Deum, & pro populi delictis.* Ex ipso enim Dei contuitu ad intercedendum impelluntur, ut ex quo divinæ charitati in nos coaptentur.

VII. Etsi orent & orentur Sancti, unus tamen Mediator est Christus. Multiplex ad id ratio, ex Paulo & Augustino. Cui loco finitimus est & ille alius, obiter etiam supra delibatus, sed hic paulò accuratiùs pertractandus, quod nostri apud Christum sequestres, & tanquam secundarii apud Deum mediatores sint sancti martyres, ac cæteri incruento martyrio mortalitatis hujus triumphatores. Adversus istud maximè fidei nostræ decretum Calvini gregales indignantur acerbissimè, & Christi insignia atque singularia ornamenta convelli, communicari homuncionibus & sordidari invidiosissimè quiritantur. Juvabit ergo gradum hic paulò diutiùs figere, & pedem pedi conferre, ut palam fiat & ipsa meridiana luce illustrius, quàm constantissimæ illi atque evidentissimæ renitantur authoritati ac veritati.

Primùm ergo, etsi precibus & suis suffragentur Ecclesiæ apud Deum, & nostris ad hoc martyres interpellentur, non tamen ex eo necessum est ut media-

mediatorum nomine decorentur. Potest enim hæc nominis gloria reservari & intacta Christo uni atque illibata addici. Et hic enim mutuis nos orationibus suffulcimus, nec tamen præter Christum mediator quisquam audit. Quin & Apostoli populorum precibus adjuvari se apud Deum deposcebant, nec Christum tamen suo mediatoris nomine spoliabant. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Si hic autem alterna precationum subsidia nihil decerpunt de laude mediatoris Christi, quidni & illic in beata patria, ubi illius gloria inviolabilis coram resplendet? Mediator quippè non statim venditandus est, quisquis pro aliis orat, sed qui pro omnibus orat, & pro quo nullus orat, & qui non per alium ipse mediatorem orat. At pro cœlitibus & martyribus olim orabatur, dum tempestate & ipsi jactabantur adhuc, necdum portum ingressi; & nec orarunt, nec orant adhuc ipsi, nisi per mediatorem Jesum. Non ergo per nostras ad martyres, vel martyrum pro nobis ad Deum preces quidquam derogatur illibatæ Christi mediatoris majestati. Augustinus: *Si vero ita diceret Joannes, Hoc scripsi vobis, ut non peccetis: & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris; sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum: quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? &c. Homines enim omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque mediator est; cujus typus quoniam præfigurabatur in sacerdote veteris testamenti, nullus illic invenitur orasse pro sacerdote.* Ita ex Joanne Apostolo probat, etsi reciproca nos precum suffragatione confoveamus, non tamen alteri alterum quenquam mediatorem jactandum esse, præter Christum, quia non ille mediator proprius est qui pro aliis orat, sed pro quo nullus orat, & per quem omnes orant. Ex Paulo Apostolo idem statim colligit: *Paulus autem Apostolus quanquam sub capite præcipuum membrum, sed tamen quia membrum est corporis Christi, & noverat, non per figuram in interiora veli ad Sancta sanctorum, sed per expressam & firmam veritatem in interiora cœli ad sanctitatem non imaginariam, sed æternam, pro nobis intrasse maximum & verissimum sacerdotem Ecclesiæ, se orationibus fidelium & ipse commendat. Nec mediatorem se facit inter populum & Deum, sed rogat ut pro se orent invicem omnia membra corporis Christi, &c. Ac sic oratio pro invicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, ascendat ad caput quod præcessit in cœlum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Nam si esset mediator Paulus, essent utique & cæteri coapostoli ejus, ac si multi mediatores essent, nec ipsius Pauli constaret oratio qua dixerat, Unus enim Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, in quo & nos unum sumus, si servemus unitatem spiritus in vinculo pacis.*

L. 2. contra Parmen. Ep. c. 8.

Triplex hinc ratio exculpitur, qua incolumi dignitate unius meditoris Christi, Sancti tamen seu immortales, seu hic superstites, & orent pro nobis & ad orandum nostris invitentur orationibus. Primùm quod ut unus est Deus, ut unus est populus Christianus, ita unus mediator intercedere debeat, ne unitati religionis multitudo officiat, ne distrahat potiùs quàm religet aut recolligat turba conciliatorum. Rursum quod mediator sit qui pro omnibus supplicet, pro se autem supplicari non egeat: nam cui mediatore opus est, is mediator nonnisi umbratilis & prælusorius esse potest. Tertiò denique quòd mediator non sit, nisi qui Deum ἀμέσως, nullius opera interposita convenit. At Apostoli Martyresque seu viam hanc terentes adhuc, seu illam emensi, nonnisi per mediatorem Christum ad Deum adeunt; nec ii sunt qui nunquam pro se obsecrari indiguerint, nec denique unus mediator esse possunt, suaque multitudine per unum uni summo Deo conglutinandos se esse abundè significant. Non igitur cœlitum pro nobis preces elevant Christi mediatoris gloriam, sed illustrant. Quartam suppeditat idem Augustinus rationem: *Ideo quippè ad ipsam mensam non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus, &c. Etsi fratres pro fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis Martyris effunditur, quod fecit ille pro nobis: neque in hoc quid imitaremur, sed quid gratularemur, contulit nobis. Quatenus ergo Martyres pro fratribus sanguinem suum fuderunt, hactenus talia exhibuerunt, qualia de mensa Dominica perceperunt. Imitari quis potuit morientem, nemo autem potuit redimentem.* Non reconciliant ergo nos Deo sancti Martyres, vel precum, vel sanguinis merito, quia uno Christi sanguine eluuntur peccata, influunt virtutes. Fundunt tamen sanguinem & orant, ut reconciliemur Deo, sed conciliatores ipsi non sunt; quia in uno Christo erat & est eritque in sæcula Deus mundum reconcilians sibi. Christi igitur mediatio hinc magis magisque clarescit, quòd etsi orent, etsi fundant sanguinem Martyres, unus tamen ille mediator sit, à quo pretium & vis quanta quanta inest illis, emendicata instillatur.

In Ev. Joan. Tract. 84.

Quid autem si quis de vocibus minùs sollicitus mediatores appellitet etiam sanctos Martyres, sed sub Christo, & infra Christum, & ad Christum? Quorsum attinet quando de re convenit, in nominum controversiis tricari, & in verbi ambage consenescere? Orant pro nobis cœlicolæ, sed pro ipsis oratum est olim, sed nonnisi per Christum orant, ideò si mediatores dicere respuis, nihil obstrepo, nec creabo tibi molestiam. Quid si alius, quia pro nobis orant, & ad mediatorem Christum intercedunt, mediatores & ipsos, sed sub Christo & secundarios appellitet, quorsum cum illo jurgaberis? patere & illum suo frui judicio, & facilem te præsta ac clementem in nominum usu, quando de re ipsa non dissentitur. An vetabis mediatores etiam honorarios & inferiores dici, quia etsi orant, orandi tamen non sunt? At vide ne ludos agas parùm tempestivè in re tam seria, & ludibria tuæ mentis pro fidei oraculis obtrudas; vide inquam ne ubi in vocibus luseris, in animorum dissidiis tragædias agas. Quàm frivolum enim est & commentitium istud discrimen? Orare, inquis, cœlites pro nobis debent, orari ut orent non debent. Si illic orant, ut & hìc orabant: quin illic orare orentur, ut & hìc orabantur? an mortali honoris aut fiduciæ plus addendum erat, quàm immortali? Deinde an si mortalem ores, Christo facis gratissimam rem: si immortalem, Christo facis injuriam? Quis sani capitis ita ineptiat? Præterea in mediatoris fines an minùs irrumpit, qui pro cæteris orat, quàm qui oratur? Partes sanè mediatoris eæ sunt potiùs ut oret, quàm ut oretur. Has verborum rixas longè ablegat Ambrosius: *Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt.* Si intercessores sunt Martyres, quin & mediatores? Num intercedere non est proprium mediatoris munus? Christus intercessor utique noster est, dum interpellat ad Patrem. Si ergo hi intercessores minorum gentium, ut ita dixerim, nihil derogant Christo principaliter interpellanti, ergo nec mediatores mediatori detrahent, quia infinita huic & illis intercapedo interiicitur, cùm illi omnes ad hunc unum & per hunc unum ad Patrem allegantur. Denique orator idem qui mediator. Est enim Christus orator noster

VIII. Etsi mediatores dicantur Sancti, sed secundarii & sub Christo Mediatore.

L. de Viduis

noster ad Patrem & exorator, *Ipse est exoratio pro peccatis nostris*. Sunt autem & Martyres oratores nostri, qui pro nobis orant, & causam nostram orant: ergo & mediatores sunt. Si oratori autem principali Christo nihil officiunt oratores qui orant pro nobis, eccur officient qui orabuntur? Nam oratoris orare magis est quàm orari.

IX. Potest per alios mediatores mediator Christus adiri.

Enimverò ad Christum adhuc terras carne sua illuminantem, quàm sæpè mediatores adhibuit pietas verecundior & trepidioris reverentiæ magnitudo, non tantùm ad Deum nisi per Christum, sed ne ad Christum quidem nisi per clientum ejus patrocinium ausa moliri aditum. Apud Lucam ait Centurio ad Christum: *Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te*. (Cap. 7.) In quæ verba hæc habet Beda: *Et nos qui de gentibus credimus, non ipsi ad Dominum venire possumus, quem nunc in carne videre nequaquam valemus. Sed quicumque passiones nostræ servitutis agnovimus, ad residentem in dextera Patris jam per fidem accedere debemus, jam seniores Judæorum mittere, id est, summos Ecclesiæ viros qui nos ad Dominum præcesserunt, suppliciter obsecrando, patronos acquirere, qui nobis testimonium reddentes quod diligamus Ecclesiam, & quantum in nobis est, ædificare curemus, pro nostris apud Dominum nostrorumque peccatis intercedat*. Hoc circuitu ambiri se tum Christus haud ægrè ferebat, quin evehebat laudibus & beneficiis onerabat fidem non tepore, sed verecundia cunctabundam. Si tunc laudi & compendio vertebat mortalitatis exuvias, & humilitatis insignia circumferentem adhuc non adire tamen Christum, nisi per ascititios quosdam mediatores, quorum preces precibus emerentur: quid nunc imperitantem cum Patre & tota Deitatis gloria ac majestate circumseptum atque terribilem? An mortali mortales proderat, oberit immortales immortali adhibere mediatores? Næ immaniter desipit, qui ita sapit.

Scitissimè hanc argumentationem Bernardus exequitur, in die festo Apostolorum Petri & Pauli: (Serm. 1. in festo Apost. Petr. & Paul.) *Isti sunt Petrus & Paulus, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit, quasi geminum lumen oculorum. Hi mihi traditi sunt in magistros & in mediatores, quibus securè me committere possim. Quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Ille enim in utraque natura purissimus est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Quomodo ad illum audebo accedere, qui sum supra modum peccans peccator, qui peccavi supra numerum arenæ maris: cum ille purior, ego impurior esse non possim? Verendum ne incidam in manus Dei viventis, si illi appropinquare vel inhærere præsumpsero, quem à me tanta differentia dividit, quantum distat inter bonum & malum. Propterea dedit mihi Deus homines istos, qui & homines essent & peccatores, & maximi peccatores; qui in seipsis & de seipsis discerent, quàm latè aliis misereri deberent. Magnorum enim criminum rei magnis criminibus facilè donabunt veniam, &c. Peccavit peccatum grande Petrus Apostolus, &c. Sed & Paulus qui in ipsa viscera matris Ecclesiæ, &c.* An gannient nos adhuc Christo mediatori contumeliosos esse, qui quo animo atque consilio alios accersamus mediatores, audierint? Nempe terrificat exanimatque nos Christi majestas & inæstimabilis sanctitas, nec sine piaculo adire & contrectare ipsum tam viles sordidique nos posse audemus: hæccine est Christi contumelia? Qui fulmen divinitatis ejus, qui tonitru magnitudinis ferre non sustinet, qui tremit & exhorrescit, hiccine Christo injuriosus est? Itane Calviniani imbuti sunt, ita Christianum dogma sapiunt, ut nihil sapiant, & pietatem impietatem, bonum malum interpretentur? Sed vide quid sectemur in secundariis mediatoribus: nempe quo Christus non obnubiletur, sed ex comparatione magis splendescat. Peccatores enim quondam & peccatorum fœditate conspicuos ait Bernardus complecti se, eo nomine sibi conjunctiores, & ad impartiendam proniores misericordiam, qua & ipsi de interitu liberati sunt. Num censebimur ergo invidiam Christo facere, atque æmulos illi excitare mediatores?

X. Et Christus ipse per mediatores alios suis nos beneficiis rigat.

Nec inscitum est quod argumentatur idem Bernardus, ut sequestres alios ad Christum aucupemur, exemplo Christi ipsius nos moveri: nam per sanctos viros cæteris ipse sua penè omnia irrigat dona. Eorum enim nos verbis erudit, exemplis accendit, imbuit moribus, ministerio sanctificat. Si mediator ergo ipse cùm sit, per mediatores tamen alios sibi famulantes ad nos defluit, quin & nos ad eum per eosdem recurramus? Nec enim suam ipse deterere amplitudinem suspicandus est. (Serm. 2. de sancto Victore.) *Habet locum & tempus intercedendi pius & misericos advocatus. Et quidem locum quietum & tempus feriatum. In terris visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat & supplicantis effectum & supplicationis fructum*. Si mediatore illo adhuc mortali Christus bona contulit nobis non modica, quid immortali jam? Si assentiuntur autem per illos nunc mediatores Christum nobis sua bona accumulare, quin & per illos mediatores nostra Christo nos obsequia refundamus? Mediatores enim tempestivius est illos existimare nunc quam olim: sibi enim nunc nihil egentes, nihil postulantes, totum nobis transcribunt intercessionis suæ affectum effectumque.

Nec ab horum sententia dissonat Cyprianus libro de lapsis: ubi cum tumultuariam & improvidam carpit quorundam Martyrum adhuc corruptibilis corporis nexu impeditorum fiduciam, qui reos passim absolverent, & Ecclesiasticæ fibulam laxarent ac pessumdarent disciplinæ, tum verò perfunctorum hoc curriculo Martyrum & cœlis illatorum merita ac preces plurimùm pro aliis etiam valere ultro profitetur. *Credimus quidem posse apud judicem plurimum valere Martyrum merita, & opera justorum, sed cum judicii dies venerit, cum post occasum sæculi hujus & mundi, ante tribunal Christi papulus ejus astiterit*.

Gregorius Nazianzenus omnium præclarissimè, (Orat. 6.) *Spiritalis ascensus, atque ut audeam & hoc dicere, deificationis, cujus mediatores sunt Martyres*: Ex illo ergo, Martyres θεώσεως μεσιτεύουσι mediatores sunt deificationis. Nihil disertius, nihil luculentius. Ne quærant in scirpo nodum, ne tricas & effugia captent, multifariam nobis consequendæ deificationis conciliatores atque advocati sunt Martyres: nec ipsi nisi frontem gnaviter perfricuerint, nisi conflictari secum & suis se telis configere maluerint, abnuere possunt adversarii. Nam dum hìc ævum tererent mortale, prece, exemplo, ministerio ad deificationem nos protrudebant. Et illic è cœlesti specula excubantes adhuc & Deo supplicantes pro nobis, ad eandem nos provocant adjuvantque. Si non aliud quàm invocare eos vetamur, illi nihilo seciùs mediatores erunt, quia exemplo, patrocinio, auxilio ad Deum protrudent nos. Assumunt igitur adversarii quod volunt, nec tamen id efficiunt quod volunt. Ne mediatores sint, orari vetant: at quamvis non orentur, quia orant tamen & benefaciunt, erunt nihilo seciùs mediatores nostri Martyres. Rursum ne Christo aspergatur aliquid contumeliæ, invocari Sanctos vetant: at non paulò plus contumeliæ imprimeretur, ex eo quod invocant ipsi, & mediatoris partes usurpant. Ita mentitur iniquitas sibi, & suis ipsa præstigiis dementatur.

Mediatores enim quidam hìc erant, cum mortales

XI. Mediatores erant dum hic degerét, multò magis nunc.

les artus regerent adhuc; ergo & illic sunt etiamnum, quia ornamenta eorum & infulas non dissipavit mors, sed acervavit. Itaque sacerdotio adhuc invisibiliter quidem, sed cum efficacitatis permagno fœnore defungi, & interesse nobis, atque preæsse & prodesse existimandi sunt, & quodam fidei oculo illustriori contuendi, pietatis amplexu contrectandi. Quocirca idem Nazianzenus de Basilio agens; *At nunc ille quidem in cœlis est, illic etiam ni fallor sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens, neque enim ita nos reliquit, ut prorsus reliquerit.* Si sacrificat adhuc, de quo postea, quin ergo & mediator sit, nempe ut mediatoris Christi portio Basilius, sicut non aliter sacerdos idem est, quàm quatenus membrum est magni & Catholici Sacerdotis Christi? Et alibi Athanasium cœlorum jam incolam sic affatur: *Nos autem utinam benignus ipse & placidus desuper aspicias, atque hunc populum gubernes; meque siquidem res pacatæ futuræ sint, in vita teneas, gregemque meum pascas: sin autem Ecclesia bellis flagratura est, reducas aut assumas, tecumque & cum tui similibus colloces.* Vides ut pontificatu & potestate exauthoratum neget esse morte Athanasium; Sanctos enim mors consecrat, non exaugurat. Nec abludit Nyssenus Oratione de obitu Meletii: *Non ablatus est à nobis sponsus, in medio nostrum stat, etiamsi nos non videamus. In adytis ac penetralibus Sacerdos est, in interioribus veli, quo præcursor pro nobis ingressus est Christus.* Unum nostræ hìc Ecclesiæ & illius supercœlestis altare, unum sacrificium esse alibi propalavimus, qua rimari tantos recessus datum est. Igitur qui visibiles hìc erant, illic perstant invisibiles esse ejusdem sacrificii hìc visibilis, illic invisibilis antistites atque mediatores. Id enim sonant verba Nysseni.

Orat. 20.

Orat. 21.

Perpetuitatem sacerdotalis curæ dignitatisque hinc demigrantibus sanctis vendicant etiam Latini Patres, atque præ cæteris Leo Magnus, ubi de Petro Apostolo disputans, ait: *Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. &c. Qui nunc plenius & potentius ea quæ sibi commissa sunt peragit: & omnes partes officiorum atque curarum, in ipso & cum ipso per quem est glorificatus exequitur. Si quid itaque à nobis rectè agitur, rectèque discernitur, si quid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, cujus in sede sua vivit potestas, excellit authoritas.* Et infrà: *Cui dictum est, Confirma fratres tuos, &c. Pasce oves meas. Quod nunc quoque proculdubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, sicut credendum est, ubique prætendit: quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro beatæ dormitionis thoro, eadem qua præsedit carne, requiescit?* Et alibi: *Sabbatho apud præsentem B. Apostolum Petrum vigilias celebremus, qui sicut experimur & credimus, pro commendatis sibi à Domino ovibus indesinenter pastorales prætendit excubias, exoraturus deprecationibus suis.* Quin & Ecclesia in Præfatione de Apostolis orat, *ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis sui vicarios eidem contulit Deus præesse pastores.* Pertinet enim ad omnipotentiam verborum Christi, ut notat Leo, quidquid Apostolis mandavit, id ut in sæcula perpetuetur, nec abrumpatur morte. Pertinet ad Apostolorum fidem, ut concredita sibi à Christo gubernacula Ecclesiæ nec obitu ipso excuti sibi sinant. Pertinet ad sanctorum dignitatem & famam, ut quo plus potentiæ & gloriæ nacti sunt, eo pleniùs atque potentiùs partes omnes officiorum atque curarum exequantur. Pertinet ad Ecclesiæ inconcussam stabilitatem pari fiducia armandam, ut sub Christo non mortalibus tantùm & imbecillis, sed immortalibus etiam & jam prævalidis se regi ac sustentari rectoribus experiatur. Pertinet denique ad humilitatem pastorum humi adhuc reptantium, ut quidquid in defungendo munere suo ex animi sententia processerit, id non sibi, sed invisibilium excubitorum pervigili acceptum referant sollicitudini.

Serm. 2. in Anniv. Assump. suæ.

Serm. 3.

Serm. 5. de jejunio decimi mensis

Cæterùm quibus religio est Christi nominum prærogativas dignitatum sanctis cum hominibus communicare, rudes illi penitus & hospites sunt Christiani dogmatis. Quid enim familiarius vel tyrunculis Christianæ scholæ, quàm sua omnia Christum non alio consilio ornamenta induisse, quàm illis ut nos convestiret? Itaque Deus ipse & Filius Dei cum sit, iisdem nos consecravit nominibus, Deosque dixit & filios Altissimi omnes. Cum lux mundi sit ipse, lucis filios, lucemque nos esse jussit secum & præstitit; & reliqua nos similiter laudum suarum serie locupletavit, regesque & sacerdotes, regni sui & pontificatus collegas sibi ascivit. Ut jam nihil insolentius sit illis, quibus insolens videtur, sanctos cœlo jam allectos, prædicari intercessores ac mediatores nostros. Cum reliquis enim dotibus suis atque nominibus impartierit illos Christus, ecquid causæ est quamobrem his eos frustrarit? An amplius est mediatorem esse, quàm Deum & Dei filium? An qui reges & sacerdotes citra Christi injuriam sunt, non possunt & mediatores præter ejus jacturam esse? Annon eo saltem nomine mediatores sunt, quo sacerdotes? Sed qui ita adoptantur in Christi membra, ut eo sacerdotes sint, quo summi sacerdotis membra sunt: nonne & eo mediatores erunt jure, quo membra sunt summi & catholici mediatoris? Adde quòd usque adeo coagulantur & concrescunt cum Christo in unum Christum, ut Christus ipse sint: quo initiamur quidem jam hinc beneficio, sed in illa fœlicitatis sede, ea coalitio perficitur, ubi omnia in omnibus Christus, ubi erit Deus omnia in omnibus. Qui ergo unus sunt Christus, unus sunt & mediator Christus. Denique in immensum Christi decus redundat istud quidem, & in laudum ejus inæstimabile incrementum, quòd ab eo exundant in cæteros ceu ab inexhausta scaturigine ornamenta omnia dignitatum & virtutum. Itaque Filius Dei & Deus Christus hinc speciosiùs commendatur, quòd per eum in Deos Deique filios cooptamur. Lux Christus tanto splendidior apparet, quo suos suo accendit lumine, nec ut illustrentur tantùm, sed ut illuminent. Rex & sacerdos Christus tanto magis excellit, quo de plenitudine sua perfundit & opulentat omne genus Christianum, & regale sacerdotium esse facit. Ita ergo & mediatoris Christi gloria arrodetur, nisi hac dignitate & potestate eximia non effloreseat ipse tantùm, sed & suos quoscumque volet, possit exornare. Universim enim illa magnificentior est opulentia, quæ nec sibi deficit, & omnibus sufficit: quæ locupletat cæteros citra sui dispendium. Ita enim Deus sua sibi bona habet, ut sine jactura, imo cum laudis fœnore, irriget illis creaturas universas. Et Deus ergo Christus est, & ex ingenio Deitatis, suas quoque humanitatis deificatæ opes profundit, profundendo non inanior ipse, sed supplenda nostra inanitate gloriosior. Paulinus Episcopus Nolanus: *Et quam dignè vicem huic Domino referre poterimus, in quo & mortui vivimus? Qui vicissim nobis hoc esse dignatur, quidquid illi fuerimus servuli sui. Ita enim se immiscet nobis, ac se nobis conserit, ut quod ipse accepit, nobis proficere faciat, qui quod nobis id est minimis ejus tribuitur, sibi acceptum ferat. Sic & honori suo implicans suos, prope omnia nobis etiam nomina sua communicavit. Ut virtus Dei dicitur, ita & nobis virtus esse dignatur: Deus enim nostrum refugium & virtus. Hereditas ut illi nos, & ille nobis. Nam sicut habes in Moyse: Facta est Dei portio populus ejus Jacob: & in Psalmis habes, Portio mea Dominus. Et sicut ipse de se*

XII. Nominibus & dignitatibus suis sanctos suos Christus convestivit.

Epist. 4. ad Severum.

ait,

ait, *Ego sum lux hujus mundi: ita & ad suos dixit*, *Vos estis lux mundi*. *Ego sum*, *inquit*, *panis vivus*; *& nos omnes unus panis sumus*. *Ego sum vitis vera*: *& tibi dicit*, *Plantavi te vitem fructuosam*, *vitem veram*. *Mons Dei Christus in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*: *& sancti ejus*, *montes Dei*, *montes uberes*, *de quibus nos illuminat mirabilis à montibus aeternis*. *Petra est Christus*, *bibebant enim de spiritali sequente eos petra*, *petra autem erat Christus*: *etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit*, *cui dixit*, *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. *Sed quid miramur eum suis famulis indulsisse sua nomina*, *quibus & Patrem suum participat*, *& regnum? Dedit enim potestatem recipientibus se*, *filios Dei fieri*; *& quantum in ipso est*, *omnibus dixit hominibus*, *Dii estis & Filii excelsi omnes*. Ubi praestantissimè Paulinus duplici ex capite derivat hanc Christi dignitatum & vocabulorum in homines sanctos refusionem. Primò quidem ex honoris divini inexcogitabili infinitate, qui implendo non depleatur, participando exuberet semper & redundet. Secundò, ex incarnationis proprietate, qua se nobis ita immiscuit, nos sibi ita conseruit Christus, ut honoribus nos suis omnibus implicaverit, in unum nos secum Christum, id est, in unum filium, in unum mediatorem, in unum regem, in unum sacerdotem, in unum lumen conflaverit. An hiscere ergo aut vel mussitare adversus ista audebunt, nisi ut Christianum nomen ejurent penitus, & nec de Dei natura, nec de inhumanatione Verbi quidquam se sapere profiteantur?

Civit. l. 9. c. ult. Augustinus suffragatur eidem argumentationi: *Quid respondebimus nisi non frustra in scripturis sanctis expressius homines nuncupatos Deos*, *quam illos immortales & beatos Angelos*, *quibus nos aequales futuros in resurrectione promittitur*, *ne scilicet propter illorum excellentiam*, *aliquem eorum nobis constituere Deum infirmitas infidelis auderet? Quod in homine facilè est evitare*. *Et evidentiùs dici debuerunt homines dii in populo Dei*, *ut certi ac fidentes fierent esse eum Deum suum*, *qui dictus est Deus Deorum*: *quia etsi appellentur dii immmortales illi ac beati qui in coelis sunt*, *non tamen dicti sunt dii deorum*, *id est*, *dii hominum in populo Dei constitutorum*, *quibus dictum est*, *Ego dixi*, *dii estis*, *&c.* Ut ergo quod dii in sacris literis dicamur, non ulla hinc illinitur uni vero Deo injuria, sed gloria cumulatur, ut qui non Deus tantùm, sed Deus deorum jam sit, hoc est, non divinitatis compos tantùm, sed largitor sit: non Deus sit modò, sed gignat Deos: nec affluat tantùm bonis suis, sed supereffluat influatque omnibus. Ita sanè non detrimenti quidquam capit gloria mediatoris Christi, cum ab ipso & sub ipso ad ipsum mediatores constituuntur alii, id est, cum mediator mediatorum, uti Pontifex Pontificum, Rex Regum, Sanctus Sanctorum celebratur.

XIII. Christus Sol est, fons est, quocúque boni genere non dives tantú, sed ditans. L. 3. in Evá. Matth.

Hieronymus similiter: *Quid est quod ait*, *Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti*, *Tu es Christus Filius Dei vivi*: *& ego dico tibi non sermone casso & nullum habente opus*: *sed dico tibi*, *quia meum dixisse*, *fecisse est*: *Quia tu es Petrus*, *&c. Sicut ipse lumen Apostolis donavit*, *ut lumen mundi appellarentur*, *caeteraque ex Domino sortiti sunt vocabula*, *ita & Simoni qui credebat in Petram Christum*, *Petri largitus est nomen*. Quid superest nisi ut incurrant è transverso, Christoque intercedant, ne suis nominibus suos insigniat, ne lumina, ne Deos, ne Christos dicat: ne ejus dixisse, fecisse sit: ne dum pretium suis facit, ipse vilescat? Sed quid agant? Christus Sol est: & quidquid est Christus, Solis instar est. Non potest non & illucere, & quibus illuxerit, id conferre ut lux & ipsi sint. Non Filius tantùm, sed filiatio ipsa est: cujus est, non sibi domi plaudere, sed publicè scaturire. Justitia ipsa est, cujus laus est & virtus infatigabilis, ab omnibus participari. Et in universum, quidquid est Christus, sol est, fons est, publicum bonum est, bonorum omnium principium & effluvium est; nec eo excellit quod sibi abundat, sed quod inundat omnibus, dum redundat sibi. Sanctorum igitur, seu mediatores, seu sacerdotes, seu reges dicantur, gloria, non tenebrescit Christus, sed clarescit, perinde ut sol dum minores accendit siderum ignes. Unde idem Hieronymus Epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali: *Interpretabor in membris*, *quod referatur ad caput*: *intelligam de servis*, *quod impleatur in Domino*. *Quanquam gloria Domini*, *gloria famulorum sit*. *Et ubicumque opportunitas loci tulerit*, *sic de vero lumine disputabo*, *ut derivetur ad eos*, *quibus Christus donavit ut lumen sint*. Si suorum exaggeratis encomiis obumbraretur Christus, quorsum ista quam hic tangit Hieronymus, nisi ad nostram perniciem scripturarum pertineret incuria, quae confusis plerumque omnibus discrepantiae vestigiis, ita sermones temperat, ut ambiguum plerumque sit, de Christo, an de membris ejus sint exponendi? Evolve scrinia antiquorum interpretum, scrutare commentarios Patrum; quae Christi sunt, ad membra ejus; quae membrorum, rapiunt ad caput, ut ex decantata apud Augustinum Ticonii regula notum est.

Ambrosius: *Magna autem Christi gratia*, *qui omnia propè vocabula sua discipulis ipsis donavit*. *Ego sum inquit lux mundi*; *& id tamen quo ipse gloriatur*, *discipulis nomen indulsit*, *dicens*, *Vos estis lux mundi*. *Ego sum panis vivus*, *&*, *Nos omnes unus panis sumus*. *Ego sum vitis vera*: *tibi dicit*, *Plantavi te vitem fructuosam*, *vitem veram*. *Petra est Christus*, *&c.* quae ut vides totidem penè verbis Paulinus suprà relatus excerpsit. Et Oratione funebri Valentiniani Imperatoris: *Valentinianus meus*, *juvenis meus*, *candidus meus & ruber*, *habens in se imaginem Christi*. *Talibus enim prosequitur Ecclesia in canticis Christum*. *Nec injuriam putes*, *charactere Domini inscribuntur & servuli*, *& nomine Imperatoris signantur milites*. *Denique & ipse Dominus dixit*, *Nolite tangere Christos meos*. *Et*, *Vos estis lux mundi*. *Et Jacob dixit*, *Juda te laudabunt fratres tui*. *Ad filium loquebatur*, *& Dominum revelabat*. *Et de Joseph dixit*, *Filius meus ampliatus Joseph*, *& Christum significabat*. *Licet ergo & mihi caractere Domini signare servulum*. Istud enimverò est insigne Christi & singulare decus, quod omnis vir justus & sapiens, portio ejus est, effigies & adumbratio ejus est. Quocirca & ante ejus adventum ei praeludebant justi omnes, tanquam ejus anticipationes: & etiamnunc eum exprimunt & repraesentant quicumque justitiae se totos dedunt. Quo autem id pacto fieret, nisi ipse ut justitia & plenitudo sempiterna in omnes se effunderet, dignitates suas omnibus inscriberet? Si figurae olim praeiverunt Christi victimae, sacerdotis, regis, pastoris, quin & mediatoris? Si praeiverunt, qui illum mediatorem aemularentur & adumbrarent, quin & sequantur? An illa una Christi laus exaruit, & sterilis atque infructuosa manet? In c. 9. Lucae

Gregorius Magnus belissimè suggerit, qui unus mediator sit Christus, & plures sub eo tamen sint mediatores; sicut unum fundamentum est, ut ait Paulus, Christus Jesus, & fundamenta Ecclesiae tamen sunt in montibus sanctis, quibus nos inaedificamur. *Unde David Propheta cum sanctam Ecclesiam in sublimibus Apostolorum montibus poni aedificarique conspiceret*, *Fundamenta ejus*, *inquit*, *in montibus sanctis*. *Cum vero in sacro eloquio non fundamenta*, *sed singulari numero fundamentum dicitur*, *nullus alius nisi ipse Dominus designatur*, *per cujus divinitatis potentiam*, *nutantia infirmitatis nostrae corda solidantur*. *De quo & Paulus ait*, *Fundamentum aliud nemo potest ponere*, *praeter id quod positum est*, *quod est Christus Jesus*. *Ipse* quip-

XIV. Christus mediator mediatorú est, ut fundamentum fundamentorum Ecclesiae. Moral. l. 28. c. 6.

quippe fundamentum fundamentorum est, quia & origo est inchoantium, & constantia robustorum. Ut ergo quanquam unus Christus fundamentum sit, præter quod nemo potest aliud ponere, & tamen fundamenta sunt Apostoli, quibus nos principali illi fundamento superstructis superstruimur; sed hi fundamenta tantùm sunt, Christus autem *fundamentum fundamentorum*: ita unus mediator Christus est, cui tamen mediatores minusculi subjunguntur, ut mediator mediatorum ipse sit, dum quos invocamus mediatores, hi rursus summum implorant mediatorem.

CAPUT IX.

Cultus & invocatio Sanctorum ex Sanctorum communione.

I. Paucorum justitia quàtum prosit cæterorum omnium societati & reipublicæ.

QUanta hominibus inter se rerum omnium communio sit, vix ipsi satis exploratum habent. Sed ut cætera quæ à nostro subaliena sunt instituto, sileam, ipsa inter se hominum consociatio quantum singulis conferat atque universis, sed in primis quantum utilitatis atque præsidii in civitates & in rempublicam humani generis, ex paucorum justorum ac sapientum consortio & contubernio redundet, quis vel comprehendere animo, vel sermone possit assequi? Desperatissimæ Sodomorum improbitati impendentem cladem amoliri potuisset paucissimorum civium justitia. Unde Ambrosius: *Plurimum tamen refert & moralem ædificat affectum, si etiam numerum justorum simpliciter accipiamus prodesse populorum saluti. Comprimit & resecat invidiam, confundit improbitatem, virtutem incitat, auget gratiam. Nemo enim invidere debet alteri laudem, quæ sibi prosit: atque improbus quisque Redemptorem suum dum suscipit, frequenter imitatur: certè veneratur, plerumque etiam diligit. Ipse etiam si se aliis profuturum sciat, studiis augetur, eaque gratia connectit populos, accumulat charitatem civium, urbium gloriam. Quàm beata civitas quæ plurimos justos habet, quàm celebrabilis ore omnium, quomodo benedicitur tota de parte, & beatus atque perpetuus ejus status existimatur! Quàm gaudeo cum aliquos mites ac sapientes diu vivere video; cum virgines castas, viduasque graves aspicio longævas, velut quandam incanam Ecclesiæ curiam prætendant ipso quodam vultu & speciè gravitatis, quod revereantur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur!* Elegantius quid nec optari potuit. Coarcervantur hic porro commoda complura, quæ paucorum justitia civium cæteris importat. Cùm enim in commune prosit & publica salus sit paucorum justitia, quis illi quamlibet nefarius, id est, quis suæ saluti invideat, quis obtrectet? Imò quis non gratuletur? Qui gratulatur autem justitiæ ut omnibus salutiferæ, jam venerari justitiam & admirari, atque osculari animo, & subinde imitari incipit, atque ita justorum numero & ipse initiatur. Quin & justi cùm propugnacula se esse publicæ salutis intelligunt, charitate in populos majore flagrant, & sanctitatem colunt impensiùs; ne non suæ, sed publicæ etiam causæ defuisse aut indormisse insimulentur. Hæc itaque communio & incolumitati generis humani, & malorum resipiscentiæ, & bonorum profectibus confert mirandum in modum. Quantò ampliùs ergo proderit justorum omnes justitiæ numeros assecutorum ipsique justitiæ pulchritudini Deo jam immersorum communio & amicitia? Rursus idem Ambrosius: *Non perdam civitatem, si fuerint in ea quinquaginta justi, & totum locum servabo. Et sic per ordinem interrogationum, & responsionum vicem, etiamsi decem justos invenerit in civitate, tamen propter paucorum justitiam, impunitatem toti populo promittit. Unde discimus quantus murus sit patriæ vir justus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis, nec temerè derogare. Illorum enim nos fides servat, illorum justitia ab excidio defendit. Sodoma quoque si habuisset viros decem justos, potuit non perire.* Est autem Sodoma effigies quædam compendiosa humanæ reipublicæ, flagitiorum omnium libidinibus constupratæ, cui maturum incumberet excidium, nisi intersiti justi aut propulsarent illud aut retardarent.

L. 2. de Abel & Cain c. 3.

L. 1. de Abrah. c. 5.

II. Sanctitas quælibet publicum bonum est, & in commune prodest.

Sed ne ratio sola habeatur humanæ stirpis, quæ ut una abs radice pullulans, & in unum coagmentata truncum, etsi quaquaversum diffundatur, ab originalis communionis fœdere non potest omnino dissilire. Natura ipsa sanctitatis exploretur, perinde publicum & illa lumen est, & latebras dedignatur, perrumpit angustias, in propatulo omnibus allucere vult & prodesse. Angusta enim & jejuna sunt bona, quæ unius hominis sinu premi ita possunt, ut ne erumpant. Sanctitas autem cùm inter palmaria bona palmam ipsa quandam specialem sibi vendicet, utique pluribus irrutilat, prodest universis. Hinc Christus Sanctus Sanctorum de sua plenitudine orbem inundavit. Hinc Apostoli & Martyres orbem universum, quanquam Christi beneficiis jam abundè locupletatum, quia sanctitatis tamen ejusdem portione affluebant & ipsi, non potuerunt non & pro virili sua parte, etiam rivulis suis recreare. Unde Ambrosius idem: *Non ergo timeamus quia facti sumus oves escarum. Sicut enim Domini caro & sanguis ipsius nos redemit, ita etiam Petrus pro Ecclesia multa toleravit. Multa etiam sanctus Apostolus Paulus & cæteri Apostoli pertulerunt, cùm cæderentur virgis, cum lapidarentur, cum in carceres truderentur. Illa enim tolerantia injuriarum & usu periculorum Domini fundatus est populus, & Ecclesia incrementum est consecuta, &c.* Ista nimirum delibatio Christi sanctitatis, singulis aspersa, vim suam & efficaciam primigeniam retentat, tanquam odorem saporemque fontis unde hausta est, & in publica emolumenta effluit. Quò de immortalium beatorum sanctitate æquius est idem conjicere.

In Psal 43.

III. Charitati omniũ bonorũ communionem hanc inve- henti superstruxit Ecclesiam Christus.

Nec alia magis lege restaurari, atque auspicatiùs deinceps administrari possunt afflictæ res hominum quàm charitatis hujus, qua prosint alii aliis, omnes omnibus, singuli omnibus, singulis omnes. Quapropter & huic uni legi Ecclesiam suam Christus addixit & consecravit, eam unam sanxit, eam ante omnia firmavit. Radix quippe omnium malorum cupiditas, qua negligens publici, sui quisque boni captator est; radix omnium bonorum charitas, quæ non quæ sua sunt quærit, sed privato antevertit publicum; nec privato acquiescit bono, nisi quod in omnes refundatur, & privatum jam non sit. Ambrosius idem de Paralytico disserens, qui vectantium & per tegulas demittentium fidei inusitatæ donatus est, ait: *Magnus Dominus qui aliorum merito ignoscit aliis: & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te, homo, collega non valeat, cùm apud Deum servus, & interveniendi meritum & jus habeat impetrandi? Disce qui judicas, ignoscere: disce qui æger es, impetrare. Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam, &c.* Nec inculcatur in Ecclesia quidquam aut frequentatur magis, quàm ut omnium sit quidquid boni singulorum est; quippe quòd ea sit spes unica superstes revehendæ innocentiæ & beatitatis primævæ. Aliorum itaque alii superfundamur meritis, fidei, martyrio. Unde ille idem: *Adest utique judicii dies; si vis non comprehendi, quotidie time, quotidie fuge. Quæris quomodo fugias? Ascende in montem, qui evangelizas Sion, ut excelsorum vertice possis eminere meritorum. Deus enim montium & non vallium est. Ascende ergo ubi Christus sedet ad dexteram Dei, cujus fundamentum in montibus sanctis: &, montes in circuitu ejus. Mons tuus Paulus, mons tuus*

In c. 5. Luc.

In c. 17. Lucæ.

Petrus

Petrus est. Supra illorum fidem mentis tuæ locato vestigium. Et rursus: *Namque ut tutior venturis gentibus esset incessus, propriis indumentis usque ad Dei templum, qui præibant Jesum, semitam munierunt. Ut tu sine offensione gradiaris, discipuli Domini amictu se proprii corporis exuentes, inter adversa turbarum viam tibi suo stravere martyrio.* Et denuo: *Te non unius Nabuthæ sanguis, sed innumerabilium Prophetarum, & quod est amplius, pretiosus cruor Domini consecravit.* Et paulò infrà: *Te vero in perpetuum multorum nobis Martyrum plantavit interitus. Te crux Apostolorum æmula dominicæ passionis, usque in orbis totius terminos propagavit.* Num plus satis momenti atque efficaciæ non erat in Christi sanguine effuso atque exhausto ad fundandam Ecclesiam & propagandam, ut accumulari Prophetarum, Apostolorum Martyrumque velut auxiliarem cruorem necesse fuerit? Nimirum tota Ecclesiæ structura, toto Christianitatis corpore, ut ita dicam constituenda & promulganda in sempiternum erat lex illa communionis, qua una pristinæ resarciuntur ruinæ, primæva revocatur beatitas, exscinditur labes bonorum omnium cupiditas, reviviscit pestis malorum omnium charitas, qua videlicet non alia omnium quàm quæ singulorum, nec singulorum alia quàm quæ omnium bona sunt.

Inc. 19.

IV. Charitatis & communionis lex cœlites magis cōstringit quàm mortales.

Et ne causatio improba subrepat, attinere hæc omnia ad eos qui moras adhuc trahunt in corpore corruptibili: An illi tantùm homines sunt, & naturæ communis fœdera soli reverentur? Morte mortales esse desinunt, immortalitate naturam non mutant, sed innovant & reformant. Humanitatis ergo communionem observant adhuc tantò sanctiùs, quantò sordes & vitia decoxerunt naturæ, dotes & lumina perpolierunt. Deinde sanctitas quò copiosior & excellentior, eò in publicam charitatem effusior. Cœlestium ergo quàm terrenorum hominum communio astrictior & beneficentior est. Denique lege communionis reformatam cœlestem illam Jerusalem atque toto perfectionis cumulo absolutam nemo ambigit esse, eique unitatis perfectioni suspirare nos adhuc, quandiu mortalitatis ærumna & curis distrahimur. Sed audi ipsum Ambrosium de cœlicolis non dissimiliter disceptantem: *Nam licet universi Sancti ubique sint, & omnibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interveniunt, qui & supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed & civibus. Sibi enim patitur ad præmium, civibus ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, civibus ad salutem.* Et paulò post: *Videte ergo quid Martyribus debeamus, in quo alter tortus est, ut alius salvaretur: &c. ad postremum sanctus occisus est, ut peccator evaderet. Beati igitur Martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui.* Et tandem: *Cuncti igitur Martyres devotissimè percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, isti etiam passione. Cum his nobis familiaritas est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos viventes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: hic ne peccatorum labes absumat, ibi ne inferni horror invadat.* Audis sanctos Martyres nec sibi vixisse, nec sibi mortuos esse, sed vitæ usura, sanguinisque impendio in commune consuluisse. An ergo tam præclaram charitatem, & divinæ æmulam providentiæ extinxit mors, imò immortalitas? Nequaquam. Nam etiamnum & passione & oratione nos adjuvant, ut ait Ambrosius, & vivos & vita abeuntes custodiunt: peccata & peccati pœnas propulsant: denique indissociabilis cum illis interest familiaritas. Quàm mæsta autem & detestabilis familiaritas quæ colloquio & compellatione mutua interdicatur?

Serm. 77.

V. Ejusdē corporis membra sumus cum cœlitibus.

Membra suam vicem mutuò dolent, sibi congaudent, sua sibi damna atque compendia reciprocante vicissitudine impartiunt. At quis neget cœlitum nos esse membra? Quis illos nescit nobiscum una corporis Christi compage colligari? Non illos mors corpore Christi abscidit, nec ergo nobis avulsit. Quin imò quantò sanctitate floruerunt, tantò in splendidiora Christi recusi sunt membra, & proinde tantò ad benefaciendum cæteris & potentiora & proniora. Denique Christi in beatitatis summo regnantis fastigio, sumus nihilominus membra, quanquam volutemur adhuc in fæce corruptibilis carnis: ergo & sanctorum cœlitum tanquam membrorum illustriorum adhuc nexu vincimur, charitate fovemur, recreamur beneficiis. Ambrosius: *Verùm nunc dum revelatio procrastinatur, congemiscit omnis creatura, expectans adoptionis & redemptionis nostræ gloriam, &c. Cui conjunxit Apostolus, etiam Sanctorum gemitum, qui habent primitias spiritus, nam & ipsi ingemiscunt. Quamvis enim de suo merito securi sint, tamen quia futura est adhuc redemptio totius corporis Ecclesiæ, compatiuntur. Cum enim adhuc membra patiuntur corporis sui, quomodo alia membra licet superiora non compatiuntur membris unius corporis laborantibus?* Et infrà: *Primitiæ ergo nostri Apostoli electi ex omnibus præsentis temporis fructibus, quibus dictum est, Et majora his facietis. Fudit enim se in eos Dei gratia. Isti inquam ingemiscebant, expectantes redemptionem totius corporis; & adhuc ingemiscunt, quia multorum est labor qui adhuc fluctuant. Et si aliquis ad superiora se littoris subsistat, & adhuc medio corpore cædatur fluctibus, ingemiscit & comparturit, donec totus evadat.* Quæ causa superstitibus suberat, eadem superest receptis in cœlum ingemiscendi, compatiendi, opitulandi membris suis adhuc laborantibus, id est, sibi ipsis, capite quidem jam insertis cœlo, sed medio adhuc corpore ægrescentibus. Partes autem cognatissimas & eidem insertas corpori, etsi loco & statu valetudinis aliquantùm dissitas, quis tam immitis, ut congredi & quocumque modo fas est, solatia sibi ac fomenta suggerere prohibeat?

Epist. 22.

VI. Maximè justorum inter se summa communio.

Ambrosius denique, ut ne diutiùs in eo uno scrutando immorer, præclarè demonstrat justos saltem ipsos inter se confœderari speciali quadam copula, conglutinante videlicet ipsos non humanitatis, sed sanctitatis in quam renati reformatique sunt natura. *Est ergo sanctè viventibus quædam inter se cognatio, conjunctio atque societas. Nec interest utrum in cœlis maneant, an in terris: angelici sint habitus, vel humani: dummodo in eis sit eadem vita vel sanctitas. Conversatio enim connectit quos separat elementum: & diversis licèt corporibus dividantur, iisdem tamen actibus conjunguntur. Atque ideo fit, ut Sancti sibi quodam consortio cohærentes, à se invicem non discedant; & modò Angeli ad terras veniant, modò homines ad cœlestia transferantur: ac profectu meliore quibus vita communis est, incipiunt illis elementa etiam esse communia.* En, una sanctitas fomes est cognationis, societatis, communionis, & individui contubernii: nec eo tantùm capite, quod unumquodque sui similibus libentissimè aggregatur; contrahit enim similitudo: seu quòd ipsa sanctitatis natura fuga quædam sit à multitudine & ad unum conspiratio. Ergo quos sanctitas constringit, ut cognati & conjunctissimi omnia habent communia; & ipsi summæ principalique unitati dum commiscentur, commiscentur & sibi invicem.

Serm. 2. de Elisæo Propheta.

VII. Unitas Ecclesiæ ut corporis unius fomes est hujus communionis.

Augustinus in unitate Ecclesiæ sive jam beatæ, sive beatitati adhuc inhiantis, satis argumenti esse existimat, ad honoris auxiliique vices approbandas. *Rectus confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori civitas sua. Quæ tota hic intelligenda est, non solum ex parte qua peregrinatur in terris, à Solis ortu usque ad occasum, laudans nomen Domini, & post vetustatis capti-*

Enchiridii. c. 56.

captivitatem cantans canticum novum ; verùm etiam ex illa quæ in cœlis semper ex quo condita est, cohæsit Deo, nec ullum sui casus malum experta est. Hæc in sanctis Angelis beata persistit, & suæ parti peregrinanti sicut oportet, opitulatur: quia utraque una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum unum Deum. Unde nec tota, nec ulla pars ejus vult se coli pro Deo, Et illa igitur jam compos, & hæc candidata adhuc æternitatis Ecclesia, una cum sit, cum sit una domus, unum templum, una civitas, non potest utique non connecti sibi & concinere atque conspirare, & validioribus sui partibus infirmiores regere & sustentare; ne si res suas habeat agatque sejunctim pars unaquæque, tota demum fabrica collabatur. Unius porro civitatis incolas, unius domus inquilinos quis vel mutua se relevare ope, vel opportuna solari affabulatione, & honoris denique atque amicitiæ nexu quàm arctissimè colligari unquam prohibuit?

VIII. Ideo & in mystico sacrificio omnium commemoratio fit. Civit. L. 20. c. 9.

Quo spectat & illud præclarè animadversum ab eodem Augustino, quod mortuorum in Christi fide, vel etiam pro Christi fide, simulque viventium commemoratio fiat in mystico Ecclesiæ sacrificio, ut has omnes animas quamlibet locis disjunctas, nonnullas etiam à corporibus sejunctas, cohærerescere sibi tamen, & meritorum precumque communione adhuc concatenari constet. *Regnaverunt cum Jesu mille annis, animæ scilicet martyrum, nondum sibi corporibus suis redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiamnunc est regnum Christi. Alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi, &c. Quamvis ergo cum suis corporibus nondum sunt, jam tamen eorum animæ regnant cum illo, dum isti mille anni decurrunt, &c. Regnat itaque cum Christo nunc primum Ecclesia in vivis & mortuis. Propterea enim sicut dicit Apostolus, mortuus est Christus, ut & vivorum & mortuorum dominetur. Sed ideo tantummodo martyrum animas commemoravit, quia ipsi præcipuè regnant mortui qui usque ad mortem pro veritate certaverunt*. Regnum istud Christi prius, & mille annis expansum, non aliud Augustino quàm præsentis temporis Ecclesia est, resurrectioni corporum adhuc suspirans, & nequedum voti hujus compos. In ea sunt autem promiscuè tum martyres, tum defuncti omnes ævo mortali, tum denique viventes adhuc in Christo. Quo minùs mirum est, si hæc omnia genera in precibus mysticis commemorentur, utpote apta & conserta sibi, unius regni, unius corporis, unius hostiæ, unius summi sacerdotis membra, mutuo se auxilio confoventia, atque ad unum scopum collimantia.

IX. Et hæc tessera catholicæ Ecclesiæ, communicare memoriis Apostolurum & martyrum. De verb. Dō. In Evã. Joã.

Et hæc quoque tessera est plebis catholicæ, quod Apostolis, quod martyribus communicet, qui ore, manu, cruore suo Evangelium orbi consignarunt. Idem Augustinus: *In nomine Christi plebs Dei estis, plebs catholica estis, membra Christi estis. Non estis divisi ab unitate. Communicatis membris Apostolorum; communicatis memoriis sanctorum martyrum diffusorum per orbem terrarum, &c.* Non quod Apostolicis tantùm sedibus, non quod Ecclesiis modò martyrum labore & sanguine constructis, sed quod ipsis martyribus per orbem terrarum dispersis, & catholicam Ecclesiam inhospitantibus adhuc & defensantibus communicent, eam interpretatur Augustinus, catholicæ fidei & incorruptæ veritatis tesseram esse. Ut hinc certò edisces, non superstitibus tantùm Episcopis plebibusque, sed præcessoribus omnibus ad Ecclesiæ prima usque incunabula, invisibili quidem sed tanto magis exomni cura excubantibus adhuc & præsentibus communicari; ut non minùs, quin & multo amplius horum quàm illorum precum suffragia & expectari debeant & corrogari.

Apud eundem Augustinum hæc leguntur, quæ quanquam ejus haud esse videantur, omittenda tamen haud fuerunt: *Sanctorum communionem, id est cum illis sanctis qui in hac quam suscepimus fide defuncti sunt, societate & spei communione teneamur. Si igitur cum sanctis in æterna vita communionem habere volumus, de imitatione eorum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino supplicare*. Hæc communionis reciprocatio est, ut illos imitatione honoremus, illi nos supplicatione tueantur; porro nec illi sua nobis significare beneficia, nec illis nos honoris nostri obsequia aperire, id est, sermonem miscere arceamur. Pergitur ibidem: *Si enim tormenta quæ sancti pertulerunt, ferre non possumus, vel contra malas concupiscentias ipsis intercedentibus repugnemus. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tamen fidei & justitiæ meritis honorati, inter Patriarchas primi esse meruerunt, ad quorum convivium congregatur, quisquis fidelis & justus & laudabilis invenitur, &c. Taliter conversantibus nobis, & corpora nostra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibentibus, cœlesti dignatione donabimur, ut communi cum eis qui membra sua pro Domino in mortem dederunt, gloria remuneremur. &c.* Quo innuitur martyrum communione, & supplicatione, & qualicumque imitatione id nos consecuturos, ut palmis eorum & præmiis cohonestemur. Extra controversiam enim est, in illa beatæ charitatis patria felicissima, sic pro meritorum modo suam unicuique mercedem appendi, ut tamen omnium sint quæ singulorum, & singulis de universorum non aliter quàm de sua ipsorum gloria gaudium affluat & gratulatio. Quæ præmiorum tunc autem, eadem nunc meritorum ab aliis in alios refusio præsumenda animo est.

Serm. 181 de Tempore.

X. Communicatio mortalium cum sanctis immortalibus in liturgia. Serm. 107. de diversis. c. 1.

Verùm ut ad Augustinum redeam, non indiscriminatim martyres cum cæteris vita functis recitari docet, sed his ut impendantur, ab illis ut eliciantur precum auxilia, diverso ordine. *Nam si facile est mortem ferre, quid magnum Martyres pro Domini morte pertulere? Unde magni, unde excelsi, unde cæteris hominibus multo florentius coronati? Unde quod norunt fideles, distincti à defunctis loco suo martyres recitantur, nec pro eis oratur, sed eorum orationibus Ecclesia commendatur?* Et rursus: *Ideoque habet Ecclesiastica disciplina quod fideles noverunt, cum martyres recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oratur, pro cæteris vero commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare*, Et alibi rursus: *Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus*. Ubi adnotabis primùm quantam vetustatis canitiem præ se ferat hæc consuetudo invocandorum inter ipsa corporis Christi sacrificia martyrum; nec enim Augustinus, ut rem nuper excogitatam, sed ut robustissima & antiquissima atque pervagatissima Ecclesiæ consuetudine, atque Apostolica traditione firmatam inconcussamque commemorat. Rursum hoc ita factitari jure communionis inter ejusdem corporis membra tantæ, quanta majorem vel fingere vel desiderare nemo possit. Ea enim Ecclesiasticæ precis formula ita orditur; *Communicantes & memoriam venerantes, &c.* Denique orantur hic martyres ex Augustino; nec tamen precantis verba ad ipsos, sed ad Deum Patrem convertuntur. Ut hinc rescîscas, ita invocari à nobis martyres, ut unus colatur Deus; non ipsos coli, sed ad colendum unum Deum advocari suffragatores; non tam orari ipsos, quàm in ipsis Deum orari & adorari, nec interesse ad arcanum pietatis sensum, seu ad ipsos verba vultusque precantum, seu ad Deum unum arrigantur; quando tota intentio & impetus religiosi animi, non ad ipsos,

De verbis Apost. serm. 17. c. 1.

In Evã. Joã. Tract. 84.

ipsos, sed per ipsos ultra ipsos ad verum Deum rapiatur.

XI. Quadruplici hâc communionem vinculo Bernardus stringit, naturæ, charitatis, Christi, Dei.

Communionis hujus omnia quæ sursum deorsumque sunt connectentis meminit Bernardus sermone de triplici genere bonorum, atque ut supra, fundamentum ejus primarium repetit ex naturæ unitate: *Jam hinc transeundum est ad sanctorum animas, quæ de hujus mortalitatis carcere ad cœlorum gaudia volaverunt. His profectò debemus imitationem, &c. Sed & illis qui non in tanta sanctitate, seu peracta pœnitentia exierunt, compassionem debemus, & orationem, propter similis naturæ consortium, ut pius Pater auferat scoriam eorum, & in beneficia, flagella commutet, &c. Si enim tauri cum taurum mortuum invenerunt, plorant, mugiunt, & quasi quibusdam debitis humanitatis obsequiis fraterna funera prosequuntur, quid debet homo homini, quem & ratio docet, & trahit affectio? Sicut ergo sanctis animabus imitationem, sic minus sanctis compassionem debemus: illinc exemplum, hinc gemitum haurientes. A sanctis verò Angelis auxilium quærendum est, &c.* Sed ne naturæ unius consortio hæc alterna pietatis mutuique juvaminis officia, in quæ plerumque nos brutæ animantes antecedunt, superfundasse eum arbitreris, audies continuò charitatis vincula, Deum ubique præsentem, Christum vivorum, mortuorumque dominantem, hujus communionis fulcimenta ab eo prædicari. (Serm. 87. in Cantica.) *Nec aliis profectò legibus regnum charitatis regi decebat, quàm piis ipsorum qui pariter regnaturi sunt, mutuisque amoribus, & puris affectionibus, in invicem, & in Deum.* (Ibid. ser. 66.) Et rursus: *Viventium quoque preces & hostias, mortui qui opus habebunt & digni erunt, mediantibus percipient Angelis. Et eorum qui jam pervenerunt, viventibus adhuc, nequaquam solatia deerunt per Deum qui ubique est, & in Deo nusquam affectu charitatis absentium. Nam & Christus propter hoc mortuus est, & resurrexit, ut vivorum dominaretur & mortuorum.* Plusquam triplici igitur vinculo stringit firmatque hanc usque adeo necessariam Bernardus communionem, naturæ, charitatis, Christi, Dei. Nam & naturæ unius consortibus communia solent esse omnia. Et charitas privati boni gaudiique angustias execratur. Et Christus sua membra omnia ita colligat, ut invicem consentiant, reciprocentque vicissim ab aliis ad alia & dolores & opes. Et denique qui naturæ authori, qui fonti charitatis, qui Christi capiti Deo copulantur, conflantur & secum ipsi in unum, atque immeant, inficiuntque se atque afficiunt mutuæ charitatis consensione. Ab his ergo omnibus alienant sese, qui viventium ac mortuorum fœdera violare satagunt. Sed qui suo ab Ecclesia dissidio corpus Christi discerpere atque in frusta dilaniare moliti sunt, minùs mirum deinceps est, si immaniùs in illius unitatem sævire, & cœlestia terrenis, superiora inferioribus abrumpere pertendant. (Serm. 5. in festo Sanct. omnium.) At Bernardus: *Nos quoque si non sumus ipsius capitis membra, cujus & sancti, unde eis tam solennibus hodie votis, & tanto gratulamur affectu? Ceterum qui dixit, Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra; hic quoque nihilo minus ait, Quod si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Hæc igitur nostra & eorum cohærentia est, ut nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis, ipsi in nobis & pro nobis militent pia interventione.*

XII. Plura istiusmodi vincula ex Paulino.

Exciderat penè nobis Paulinus Episcopus Nolanus ab Ambrosio & Augustino suo haud facilè divellendus. Ille ergo in Epistola ad Augustinum hæc habet mellitissima verba, quæ Augustinus ipse admiratus exosculatusque est: *Nec mirum si & absentes adsumus nobis, & ignoti nosmet novimus, cum unius corporis membra simus, unum habeamus caput, una perfundamur gratia, uno pane vivamus, una incedamus via, eadem habitemus domo. Denique in omne quod sumus, tota spe ac fide qua stamus in præsenti, nitimur in futurum, tam in spiritu quàm in corpore Domini unum sumus, ne simul nihil, si ab eo excidamus.* Complura enumerat unitatis retinacula, quibus non terrenis tantùm, sed cœlestibus maximè coaptamur, unoque cum eis spiritu, uno corpore, uno capite, uno pane, una domo, una via, una gratia utimur. Quocirca Epistola ad Alethium idem Paulinus eleganter describit quanta inter vivos mortuosque commeet vicissim gratia suffragii & patrocinii. Hujus enim conjugem hinc præreptam ostendit & largioribus ejus recreari juvarique eleemosynis, & Christi vicissim gratiam illi conciliare: *Habes jam in Christo magnum tui pignus & ambitiosum suffragium, conjugem quæ tibi tantum gratiæ in cœlestibus parat, quantum tu illi à terrenis opulentiæ suggeris; non illam luxibus cassis honorans, sed vivis muneribus accumulans, quibus illa nunc gaudet; jamque illi hujus operis tui usus in fructu est, cujus adhuc tibi munus in semine. Jam honoratur tuis illa meritis, jam pascitur tuis panibus, & affluit tuis opibus, &c. Non eget alienæ manus digito refrigerari, propriis ipsa digitorum suorum roribus, id est, dexteræ tuæ operibus infusa, &c. Beata cui tam numerosa apud Christum suffragia sunt, & cujus caput tam multiplex ambit illustrium corona gemmarum, nec alienis intexta floribus, sed domesticis corusca luminibus, &c.* Si piorum hìc operibus bonis ditantur, illuminantur, coronantur qui in Christo felices jam sunt, quantò nos magis eorum subsidiis beneficiisque obruemur? Quo sublimiores enim & beatiores sunt, hoc benemereri & avent magis & valent.

XIII. Ex Alcuino, rationes variæ communicationis Sanctorum in liturgia. (L. de divin. Offic. c. 11.)

Albini Flacci non est omittendus contextus perquam egregius, ubi explanat communicationem cum cœlestibus nostram, quam in liturgia celebramus. *Communicantes, &c. Se qui offert, & omnes circumstantes qui offerunt simul, dicit communicare & memoriam venerari beatæ Dei genitricis, & omnium sanctorum: quia ut sacrificium Deo possit esse acceptum, non alibi hoc offertur nisi in communione & societate sanctorum, & in eorum memoria veneratione, tanquam in vero templo Dei, quia in his voluit omnipotens Deus Ecclesiæ suæ constare fundamentum. Ideo sumus communicantes memoriæ eorum, tanquam filii patrum, & sectatores præcedentium. Quorum meritis, &c. Propter merita namque & intercessionem justorum, Dominus miseretur, ut in omnibus sive prosperis sive adversis protectionis ejus muniamur auxilio, &c. Postulat ergo Ecclesia suffragia martyrum, nec tamen sacrificat martyribus, sed uni Deo & martyrum & nostro. Ad quod sacrificium ut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco nominantur, non tamen invocantur à Sacerdote, quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.* Ita ille luculenter contexit causas allegandæ ambitiosiùs inter sacrorum solennia nostræ cum cœlestibus omnibus communionis. Primò ut nobis constet ratio nostri sacerdotii, quod ab illis dimanavit, & cum illis cohærescit adhuc, quos ipse olim Christus initiavit, qui semet olim immolarunt, qui in cœlesti etiamnunc immolant tabernaculo. Item ut sacrificio à nobis offerendo sua integritas adsit & amplitudo; est enim universale & æternum sacrificium, quapropter invocandi ad illud sunt, non ex terrarum solummodo disjunctissimis tractibus, sed & ex præterlapsis retro ætatibus justi castique omnes. Item ut universalis sacrificii non Sacerdos solùm universalis, ex omni Sanctorum Ecclesia compaginatus, sed & universalis victima sit; offertur enim corpus Christi, offeruntur omnia membra Christi, inter quæ nemo nescius est, quantum emineant cœlicolæ. Item accersiri necessum est & congregari justos omnes, ut veluti templum repræsentetur, in quo peragatur Deo sacrificium. Nam Deo, justitiæ & veritati in-

commutabili, non marmorea propriè & verè, sed spiritalia templa sunt, quibus insidet, substantiæ rationales & sanctæ: in illis ergo velut constipatis offertur sacrificium. Item cùm templum, cùm sacerdos, cum victima hujus sacrificii Ecclesia sit universa, sive quæ illic regnat, sive quæ hic peregrinatur adhuc, nemini ambiguum est omnia seu templi, seu Sacerdotis, seu victimæ membra consentire invicem & conspirare, & inenarrabili quadam reciprocatione omnia sibi sua communicare. Denique hæc communicatio ita peragitur, ut nulla obliquiori suspicione inquinari possit. Nominantur enim in sacrificio, eo loco & honore quo par est, homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, nominantur inquam, non invocantur à Sacerdote, ut ait Alcuinus, quia Dei Sacerdos est, non illorum. Et ex eodem, postulat Ecclesia suffragia Martyrum, non tamen eis sacrificat, quia sacrificium ipsi sunt. Illud ergo est quod velut cæcucientibus interluxit novatoribus, cum invocandos haud esse Sanctos reclamarunt. Non invocandi sunt enim à Sacerdote, tanquam eis sacrificetur: quod propriè & principaliter est invocare: sed advocantur magis ut sacrificandi & ipsi, ut sacrificaturi, ut sacrificii templum & altare futuri, ut Ecclesiæ quæ sacrificii sui sacerdos & hostia est, membra membris invicem suis affutura.

XIV. Ex Ruperto. L.1. in Exod. c.7.

A quo non dissonat Rupertus: *Ergo quoties hunc Agnum immolamus, rectè paucitatem nostram confitentes in nobis, quia totum ejus mysterium capere non possumus, assumimus vicinum qui conjunctus est fidei nostræ, scilicet Apostolorum & Martyrum chorum, qui per eandem fidem propinqui sunt familiæ Christianæ, &c.* Obrutum enim penitus iri atque oblitteratum speramus tenuitatem indignitatemque nostram invitata cœlestis senatus majestate ad tantæ victimæ immolationem. Ex quo nobis quoque ipsis nostra excutietur expiabiturque immunditia, si flagrante in Sanctos charitate, ipsam eorum sanctitatem combibamus. Ea enim vis charitatis est, ea sanctitatis ad sui dilargitionem prolixitas. Ita ergo fiet ut mundior Deo accedere audeat, qui per charitatem munditiem ipsam induerit cæleslium Spirituum. Unde idem Rupertus: *Tale est bonum videlicet à Deo datum ut quisque diligendo, facere possit & faciat esse suum. Diligendo ergo in te quod mater es Dei, fidelis anima & ipsa mater sit.* (L.1. in Cantica. c.1.)

Videant ergo unde se abruperint, qui in istam Sanctorum communionem stolidissimè debacchantur. Hac enim una maximè constant Ecclesiæ dignitas & incolumitas, hac sacrificii universalitas & amplitudo, hac singulorum salutis tutela & fiducia, hac pietatis medulla & teneritudo: ut omnino internecinum indixerint bellum tum pietati & saluti nostræ, tum divinis honoribus, tum denique ipsi naturarum rationalium societati, qui unum quo hæc omnia constringuntur, vinculum amputare machinati sunt. Sed ut quod hactenus non attigeram, hic paucis delibem, qui fomes & seminarium quoddam pietatis in ista sit sanctorum nobiscum communicatione, audi Cyprianum ita differentem libro de Mortalitate paulò ante finem: *Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros Patriarchas habere jam cœpimus: quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? &c.* Quanta hæc communionis documenta, expectatio, desiderium, sollicitudo, lætitia in commune? His ergo aculeis incitamur ad illam cœlestium societatem concupiscendam, & perfracto mortalitatis obice invadendam.

XV. Ex Chrysostomo.

Hactenus Latinis indulsimus tantùm Scriptoribus, nunc Græcis eadem penè retractantibus argumenta operam dabimus. Occurrit autem primùm Chrysostomus in laudatione Romani Martyris: (To. 1. hom. 43.) *Rursum Martyrum memoria, & rursus dies festus, &c. Laborarunt illi & nos lætamur: decertarunt illi & nos exultamus. Illorum est corona, communis autem gloria, atque totius Ecclesiæ decus. Et quomodo dicet quispiam, posset hoc fieri? Quòd partes & membra nostra sint Martyres: sive autem patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive glorificatur unum membrum, cum eo lætantur omnia membra. Caput coronatur, & reliquum corpus exultat. Fit unus victor in ludis Olympicis, & totus gaudet populus, magnisque eum laudibus excipit. Nos pedes sumus, Martyres autem caput. Sed non potest caput dicere pedibus, Vestri non egeo. Gloriosa sunt membra, sed gloriæ excellentia non facit alienationem à conjunctione, quæ est cum reliquis partibus, Tunc enim fiunt maximè gloriosa, cum eam quæ nobiscum est conjunctionem non abruperint. Nam oculus quoque licet reliquo toto corpore sit splendidior, suam tunc gloriam conservat, quando à reliquo corpore non abscinditur. Et quid dico de Martyribus? Si enim Dominus ipsorum nostrum caput fieri non erubuit, multò magis ipsi esse nostra membra non erubescunt, Habent enim radicatam charitatem. Solet autem charitas, ea quæ sunt disjuncta conjungere & colligare, neque de dignitate admodum accuratè inquirit. Quomodo ergo ipsi peccantibus nobis dolore simul afficiuntur, ita nos etiam simul cum eis in rectè factis lætamur.* Præter rationes suprà perstrictas, quas & hic attingit Chrysostomus, hæc pulcherrima succurrit, quòd gloria Martyrum arctiùs eos nobis conglutinet & infundat, tantum abest, ut alienet illos à nobis aut longè semoveat. Nam gloria Beatorum de radice succrevit humilitatis, itaque saporem hunc retinet; & infirmis consentire, id firmitatis specimen ejus est. Item gloria Beatorum non membrorum compage eos execuit, nec ergo reliqui corporis consensione. Denique gloria Beatorum derivatur à Christo, qui caput nostrum est, rebusque nostris nihilo secius afficitur.

XVI. Ex Nazianzeno. Orat. 18.

Nazianzenus Oratione in laudem Cypriani Martyris: *Martyrum honoribus oblector, pugilum cruoribus exulto: atque aliorum quidem certamina & victoriæ sunt, corona autem mea. Usque eo gloriam hanc præripio, & eorum egregia facinora mea esse duco.* Non petulanter alienas involat præripitque palmas Nazianzenus, sed suo sibi jure illas vendicat, tanquam verè suas, quia corporis, cujus ipse membrum est, quia capitis sunt, cui ipse substringitur, quia ad eas ipse charitate & corporis animæque unius connisu conspirat & collaborat.

XVII. Ex Cyrillo Jerosol.

Cyrillus Jerosolymitanus pulcherrimè hanc ex liturgiæ sacro & pervetusto ritu communionem cospirationemque totius rationalis naturæ ad sese mutuis honoribus auxiliisque confovendam describit. Ubi causam referens, quamobrem hymnus seraphicus à nobis decantetur, ait, (Cathech. mystag. 5.) *Propterea enim traditam nobis hanc seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supramundana militia communicemus. Deinde postquam confectum est spiritale illud sacrificium, & incruenta latria, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi pace Ecclesiæ, &c. Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus quoque eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & πρεσβείαις, id est, advocationibus, suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt; maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius & tremendi sacrificii.* Subjicitque exemplum propinquorum sæpè pro exulantibus

tibus propinquis exorantium atque emollientium exasperatam Regis iram. Hic autem vides implicari hac communione Angelos atque homines, beatos & mortales, viventes & vita functos nequedum regno vitæ donatos. Vides item omnes quidem omnibus consociari, sed tam dispari spe, quàm dissimili sorte: cœlites nempe ut juvent, mortuos ut juventur; & denique mortales, ut juvent & juventur. Vides denique in ipso corporis Christi sacrificio affectatiùs hanc ostentari communionem, quòd istud sit illius communionis fundamentum pariter & fastigium, quòdque tota hæc rationalis naturæ conspiratio adeo non divinis invideat, aut insidietur honoribus ac sacrificiis, ut scrificium Deo ipsa sit, atque æternitatis holocaustum.

XVIII. Ex Damasceno. L. de duabus Christ. volunt pag. 249.

Agmen claudet Damascenus loco luculentissimo: *Quoniam enim quod solitarium est, à communione abhorret, & insuave est: societate autem conjungi cum iis quæ ejusdem sunt generis, suave & mellitum est; ob eam causam prima hæc & sola beata principioque carens atque immortalis natura tribus in personis perspicitur. Ait enim substantiva sapientia, Ego sum qua gaudebat Pater & Deus. Ob eamque causam non in singulis modo angelicarum virtutum ordinibus plures hypostases condidit, verùm etiam in unaquaque specie, ut cum naturæ conjunctione, aliæ aliis consociatæ congaudeant, & naturali habitudine coaptatæ invicem consulant, & amicitiam ad invicem alant.* Ab illo enim summo vertice fluit communio omnium inter se naturarum. Quia quod privatum & solitarium est, id insuave etiam & tetricum: à communione autem suavitas & beatitas ipsa manat divinæ Trinitatis. Ergo quò naturæ quæque superiores erunt, & ad illud Deitatis fastigium propiores, eò sua sibi omnia inter se magis communicabunt, & eò connitentur, ut inter se perinde, ut in illo culmine beatitudinis, non privatum, non solitarium & secretum quidquam sit, sed in communi omnia, ut mellitissimæ charitatis suavitate restagnante inundetur & obruatur quantulacumque supererit discrepantia.

CAPUT X.

Cultus & invocatio Sanctorum ex eo quod non sine nobis consummabuntur, ideoque nostra curent, sciant, videantque.

I. Curan Sancti nostræ salutis provectum, ut suæ cumulū beatitudini ex Bernardo

APtum istud nexumque caput est superiori. Communionis enim ejus quæ cum beatis intercedit nobis, documentum illud est manifestissimum, quòd nequedum numeris omnibus partibusque expleta perfectaque sit eorum fœlicitas, sed adhuc sollicita & hians pendet, donec electorum omnium recollecto cœtu perficiatur. Hinc promptum est conjicere, quanta nostri fatiget illos expectatio, quanta sollicitudo angat, quo desiderio nos prosequantur, quàm cupidè ad auxilium convolent invocati, quàm curiosi denique omnium sint, quæ ad nostræ salutis profectum, id est, ad suæ beatitatis cumulum spectant. Versavit hoc argumentum creberrimè Bernardus, non quasi ex ingenii sui acumine commentus, sed ex Scripturis illud & antiquis Patribus mutuatus. Decantatus enim est usque ad nauseam locus ille Apocalypseos, ubi Martyres una stola donati, alteram flagitant, id est, animæ gloriam assecuti, corporis etiam deposcunt à Deo immortalitatem, qua & animæ gloria absolutior fiat. Responsat autem oraculum veritatis, præstolandum illis esse, donec fratrum numerus omnium colligatur. Quod quid aliud est, quàm enixissimè flagitari à Beatis, ut electorum omnium approperetur liberatio, atque ita sibi beatitatis consummatio maturetur? Audiamus Bernardum: *Nec soli utique huic mundo, sed & Angelis & hominibus spectaculum facti sumus. Me inquit expectant justi, donec retribuas mihi. Et Martyres cum judicii diem postularent, non tanquam vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes beatitudinis quam tunc habituri sunt, acceperunt divinum responsum, Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Acceperunt ergo jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Vades tenemus & obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis, &c. O si cognosceremus & nos quomodo expectant, & quantum desiderant adventum nostrum, quam sollicitè quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis! Quid tamen de his loquor, qui didicerunt ex his quæ passi sunt, compassionem, quando & ipsi nos Angeli sancti desiderant? Nonne de vermiculis istis & de pulvere isto restaurandi sunt muri cœlestis Jerusalem? Putatis quantum desiderant cives cœlestes instaurari civitatis suæ ruinas? Quomodo solliciti sunt ut veniant lapides vivi, qui coædificentur eis?* Illa ergo non vindictæ, ut verborum extima species incautis suadere & imponere posset, sed nostri profectus, suæ consummationis postulatio Martyrum est. Donec enim laboramus nos, collaborant illi: donec titubamus, vacillat eorum & pendet perfectio. Quocirca quorum causa & ratio adeo conserta est & indivulsa, admirabile haud ita est, si mutuis se orationibus & hortamentis incitent, & ut res postulat, adjutent. In Vigi. Nativit. Dom. serm. 3.

Idem in vigilia Apostolorum Petri & Pauli: *Est & alia causa quæ magis urget Sanctos ut solliciti sint de nobis: quia juxta vocem Apostoli, Deus providet pro nobis, ne sine nobis consummentur, sicut ait sanctus David, Me expectant justi, donec retribuas mihi.* Et rursus alibi: *Bene tecum agitur, o mater Ecclesia, &c. Custodes tui Angeli sancti, vigiles tui spiritus & animæ justorum, &c. Et est hujus sollicitudinis ratio quibusque sua, his quidem quod sine te non consummentur, his vero quod nisi de te ad sui plenitudinem minime restaurentur. Nam quis nesciat, Sathana cadente de cœlo & ejus complicibus, numerum supernæ multitudinis parte non modica imminutum? De te itaque omnes consummationem expectant, alii numeri, alii desiderii sui.* Unde liquet quanto Deus studio compaginaverit, & inter se complicarit Angelos hominesque, qui nec Angelorum ruinas resarcire nisi de hominibus, nec justorum hominum spiritus hinc expeditos cumulatissimè beare decreverit, nisi fratrum agmine adunato, ut alii ex aliis pendeant, & omnes ad mutuam opem conspirent. Quanquam ergo locis vel temporibus distracti simus, rationes tamen omnium contextæ sunt, & individuè cohærent. Serm. 77. in Cantica.

II. Ex Juliano Episcop. Toletano, suū numerum impleri, sua corpora sibi reddi orant sancti, dum pro nobis orant. Prognest. l. 2. c. 28.

Patrocinatus est huic quoque sententiæ Julianus Archiepiscopus Toletanus, ubi & Origenis auctoritatem prætendit: *De his ita Origenes doctor in suis dogmatibus docet dicens: Neque enim hinc discedentes sancti, continuo integra meritorum suorum præmia consequuntur, sed expectant etiam nos, licèt morantes, licèt desides. Non enim illis est perfecta lætitia, donec pro erroribus nostris dolent & lugent peccata. Hoc fortasse mihi dicenti non credis: Quis enim ego sum qui confirmare sententiam tanti dogmatis audeam? Sed adhibeo horum testem, de quo non potest dubitari. Magister enim gentium est in fide & veritate, Paulus Apostolus. Ipse igitur ad Hebræos scribens cum enumerasset omnes Sanctos qui per fidem justificati sunt, addit post omnia, etiam hoc: Sed isti inquit omnes testimonium habentes per fidem, assecuti sunt repromissionem à Deo, Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis perfectionem consequerentur. Vides ergo quia expectat adhuc Abraham, ut quæ perfecta sunt, consequatur. Expectat & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetæ expectant nos, ut nobiscum perfectam beatitudinem capiant. Propter hoc etiam mysterium illud in ultimum*

diem

diem dilati judicii custoditur. Unum enim corpus est quod justificari expectatur, unum corpus est quod resurgere dicitur in judicio. Licèt enim sint multa membra, sed unum corpus, &c. Si desint oculo reliqua membra, quæ erit ei lætitia? Aut quæ videbitur esse perfectio, si manus non habeat, si pedes desint, &c. Quia etsi est aliqua oculi gloria, in eo maximè est, ut vel ipse dux sit corporis, vel cæterorum membrorum non deseratur officiis, &c. Expectabis & tu alios, sicut & tu expectatus es. Quod si tibi qui membrum es, non videbitur esse perfecta lætitia, si desit aliud membrum: quanto magis Dominus & Salvator noster, qui caput est totius corporis, non sibi ducit perfectam esse lætitiam, donec aliquid ex membris deesse corpori suo videt? Haud impinget in hoc Origenis dogmate, qui clementiùs illud interpretabitur, rapietque haud invitum ad Bernardi sententiam supra allatam. Attingitur autem ratio primaria hujus decreti, quod nempe unum Christi sit corpus, cujus non possint membra singula quantumlibet præfulgeant, perfectissima beari lætitia, donec aliquorum fraudantur quamlibet extremorum societate membrorum. Quin & caput ipsum nostrum, etsi à luctu & lacrymis procul est, etsi in gloria est Dei Patris, deesse sibi tamen aliquid sentit, donec membrorum omnium plenitudine potiatur. Nequedum enim subjecit Patri omnia, nequedum subjectus est totus Patri, nequedum potest regnum tradere Deo & Patri, nequedum id assecutus est, in quod totus connititur, ut sit Deus omnia in omnibus. Ideo sollicitatur adhuc de membris fluctuantibus, eorum pulsatur orationibus, pro iis interpellat. Quin ergo & de beatis idem sentimus? An pro membris suis non afficiuntur? An capiti suo non contemperantur? Sed

III. Ex Ambrof. Epist. 22.

Ambrosius præstantissimè hoc idem prosequitur argumentum: *Cui conjunxit Apostolus etiam Sanctorum gemitum, qui habent primitias spiritus, nam & ipsi ingemiscunt. Quamvis enim de suo merito securi sint, tamen quia futura est adhuc redemptio totius corporis, quomodo alia membra licet superiora non compatiuntur membris unius corporis laborantibus? Unde puto dixisse Apostolum, quia tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui ei subjecit omnia. Qui enim adhuc laborant, nondum subjecti sunt, in quibus fortasse adhuc sitit Christus, adhuc esurit, in quibus nudus est, eo quod non impleant Verbum Dei, non induant Christum, qui est indumentum credentium, amictus fidelium. Sed & illi in quibus æger est, adhuc medicina indigent, & ideo nondum subditi. Subjectio enim illa virtutis est, non infirmitatis. Denique in fortibus & facientibus mandatum Dei, subjectus est Dei Filius. Nunc autem magis in iis laborat, qui non subveniunt laborantibus, quàm in illis qui sibi postulant subveniri.* Adhuc igitur sitit, adhuc esurit, & nudus riget, & laborat, & ægrescit Christus in membris suis, quæ hac infirmitatis tempestate jactantur adhuc. Ergo & sancti omnes eadem consensione nobis compatiuntur, & pro virili sua succurrunt.

IV. Ex Augustino, quãdiu Christus interpellat pro nobis, orãt & Sancti, ut ejus Sacerdotii portiones.

Huc refertur & illud quod sublimiter Augustinus philosophatus est in verba Christi, apud Joannem, quibus ait, affore cum jam non amplius pro suis Patrem roget, postquam nimirum illos in Patris regnum pervexerit, & palam sine similitudinum tegumentis Patrem ostenderit. Quandiu enim per fidem ambulamus & non per speciem, quandiu in umbra carnis Christi, & sub authoritatis opacitate delitescimus, quandiu formæ servi inhærescimus qua minor est Patre; tandiu ille in hac forma quæ minor est Patre, orat interpellatque pro nobis, ut nos sibi secumque Patri orationum suarum omnipotentia subjiciat, & pugnacissimam nostram contumaciam debellet. At ubi subegerit nos, ubi regnum subjecerit Deo & Patri, ubi à fide carnis ad speciem divinitatis traduxerit nos, ubi formæ illi qua æqualis est Patri, conglutinaverit, ubi totus Deus nobis erit, qui sibi jam olim est, tum ut ipse ait, non amplius rogabit Patrem pro nobis, sed quæ omnium priùs erat rogationum summa, Patrem ipsum denudabit nobis. *Cum ergo tradiderit regnum Deo & Patri, id est, cum credentes & viventes ex fide pro quibus nunc mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendæ suspiramus & gemimus, & transierit labor & gemitus, jam non interpellabit pro nobis, tradito regno Deo & Patri. Hoc significans ait, Hæc vobiscum locutus sum in similitudinibus, venit hora, quando jam non in similitudinibus loquar vobis, sed manifestè de Patre nunciabo vobis, id est, jam non erunt similitudines, cum visio fuerit facie ad faciem.* Et paulò pòst: *Fideles quippe ejus quos redemit sanguine suo, dicti sunt regnum ejus, pro quibus nunc interpellat; tunc autem illic eos sibi faciens inhærere, ubi æqualis est Patri, non jam rogabit Patrem pro eis. Ipse enim inquit Pater amat vos. Ex hoc enim rogat, quo minor est Patre: quo vero æqualis est, exaudit cum Patre.* Rogante igitur pro nobis Christo, num feriantur sancti? Non urget, non cogit illos ad orandum ea necessitas quæ Christum? Non ea charitas inflammat? Non obsequuntur membra capiti suo? Non ipsa saltem præsentia sua, & haud clandestino sanè desiderio orant & exorant, perinde ut Christus? Apparet enim vultui Dei Christus, & istud apparere, interpellare est: humanitatem Deo verbo complicatam ostentare, propitiare est: portionem humani generis & velut arrham Deo substantivè adglutinatam demonstrasse, & vota ejus ut in solidum tota massa sanctificetur, id verò exorasse est. Quin ergo & sanctorum seu Christi membrorum par sit affectus pro suo modulo? Trunca enim membra, ut sileant, optant tamen & optando orant suam integritatem. Ut vox se premat, sed erumpunt desideria, & tacitis suspiriis vociferantur. Quandiu deest fratrum numerus, desunt & sua sanctis corpora: quandiu desunt corpora, horum desiderio afficiuntur, & retardantur nonnihil à contemplatione divina, & rugam faciunt, ut loquitur Bernardus. Optant ergo orantque & plenitudinem visionis, & corporum redintegrationem, & fratrum omnium aggregationem. Id autem quantum optant, tantum & optari à nobis gestiunt; nec gratius ipsis facere quidquam possumus, quàm si gemina identidem nobis inesse desideria eis significemus, utique alloquendo & orando. Idem Augustinus: *Contristatus est beatus Cyprianus in passione, modò consolatus est in corona. Modo & consolatus adhuc tristis est. Dominus enim noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis. Omnes martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster. Cum autem transierit gemitus noster, omnes una voce, in uno populo, in una patria consolamur, millia millium conjuncta psallentibus Angelis, choris cœlestium potestatum in una civitate viventium.* Item Bernardus: *Quid ergo discurrunt Angeli, & succurrunt hominibus; & qui ex nobis sunt, nesciunt nos? Nec norunt jam compati, in quibus passi sunt & ipsi? Qui dolores nesciunt, sentiunt tamen nostros; & qui venerunt de magna tribulatione, non recognoscunt jam in quo fuerunt? &c. Minister Christi est: Christum sequitur. Non est ille oblitus suæ promissionis, nec socio passionis, regni consortium denegabit. Non est discipulus contra magistrum: non potest Victor quidquam facere, nisi quod viderit magistrum facientem. Opera quæ ille fecit, & iste facit similiter. Iam cœlos ingressus, speculatur gloriam Dei, absorptus quidem, sed non oblitus clamorem pauperum.* Cumque illa Christi interpellatio, holocaustum ejus sit perpetuum, eo utique & sancti omnes involvuntur, hostiæ ipsi, iidemque sacerdotes cum Christo: unde Nazianzenus de Basilio magno ait: *Et nunc ille quidem in cœlis est, sacrificia ni fallor pro nobis illic etiam offerens, & pro* popu-

L. 1. de Trin. c. 10.

In Psal. 85.

Ser. 1. de sãcto Victore.

Orat. 20.

populo preces fundens. Et Nyssenus in obitu Meletii: *Non ablatus est à nobis sponsus: etiamsi nos non videamus eum, in medio nostrum stat. In adytis ac penetralibus sacerdos est, in interioribus veli, quo præcursor pro nobis ingressus est Christus*. Quandiu igitur intepellat Christus pro nobis; quandiu per victimam suam apparet vultui Dei pro nobis; quandiu nos carni suæ per fidem, non deitati per speciem adhærentes, unà secum cum eadem carne sua immolat subjicitque Deo & Patri suo; tandiu interpellant sacrificantque cum eo pro nobis sancti omnes, veri & catholici sacerdotis membra, sive corpore corruptibili adhuc carcerati, sive hinc absoluti. Ut enim Christus non plenissimè subjicietur Patri, nisi cum ad Patris contemplationem omnes à mortuis redivivos perduxerit, ideoque sui sacrificii perennitate subjugat sibi nova in dies membra, Patrique subjicit: ita nec beati nisi illa subjectione eadem consummabuntur, quocirca illam votis ardentissimis accelerare laborant.

Colligitur autem hinc non obscurè, non nescios esse beatos eorum, quæ circa nos actitantur, & innotescere illis vota precesque, quibus eos lacessimus. Cùm enim tanti intersit ad eorum gloriam nostri profectus, nostræque spei ac salutis summa, ut hinc eorum pendeat perfectio, & consummatio felicitatis, non possunt citra contumeliam hac notitia defraudari. Ne sui ergo erroris præsidium in hoc effugio collocent, neve invocandos pernegent sanctos, quod preces nostras audire, adeoque & exaudire non possint. Non latent sanctos preces nostræ, non latent vota; nec enim latent eos, quæ ipsorum gloriæ & nostræ salutis interest, ut ne lateant. Sed ut cavillus iste retundatur validiùs, ea de re scitandæ sunt sanctorum Patrum sententiæ, his enim lubentiùs quàm Novatorum argutiis acquiescet, quisquis pudorem necdum omnino decoxit.

V. Ex Hieronymo nō nesciunt Sācti vota nostra.

Hieronymus adversus Vigilantium hujus Calvinianæ insaniæ jam olim architectum & vexilliferum, inficiantem similiter inaudiri posse preces nostras à martyribus, utpote in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel sub ara Dei conclusis, & velut honesta custodia constrictis, ne ubilibet vagari, nostrisque cætibus interesse possint. Hæc ergo effutientem blatteronem istum ita Hieronymus repercutit: *Lege Evangelium: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: non est Deus mortuorum, sed vivorum. Si ergo vivunt, honesto juxta te carcere non clauduntur. Ais enim vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei, animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis & ubi voluerint adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, & non inter homicidas teterrima, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum insulis, & in campis Elysiis recluduntur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, ne sint cum Domino suo, de quibus scriptum est, Sequuntur agnum quocumque vadit? Si agnus ubique, ergo & hi qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia ubique præsentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Hec ille mordaciter detonat in impudentissimum Martyrum insectatorem. Argumenta autem ex Hieronymi verbis hæc exculpi possunt. Primum has esse velut reliquias & sordidissimas fæces exibilatorum jam olim Chiliastarum, qui ad Dei contuitum non statim sanctorum animas, nec nisi post corporum resurrectionem convolare sinebant, imo ne tum quidem, nisi interlapsis præterea mille annis: interim autem animas receptaculis nescio quibus includebant, velut campis Elysiis, ubi quietè & fortunatè degerent, longè à Dei tamen clarissima visione longè à nobis. Hinc enim efficiebatur, sentiri ab iis non posse preces, quas frustra eis, velut surdis auribus caneremus. Sed cum stirps illa amputata pridem alisaque esset, ramusculus & iste inde proserpens abjectus pariter & conculcatus fuerat. Deinde eorum animas qui à sorde puri hinc migrant, cum Domino esse, passim clamant literæ novi testamenti: ut ergo Dominus ubique est, ita & hi qui cum Domino sunt, *ubique esse credendi sunt*, ait Hieronymus; id est, ubicumque esse voluerint, protinus adsunt, ut servi Dominum imitentur, non assequantur, & immensitatem omnipotentiæ celeritate operationis suæ utcumque æmulentur, prout idem statim innuit. Quocirca adsunt martyres precantibus, nec resciscunt tantùm vel obaudiunt preces, sed anteveniunt, & ipsis in animi visceribus exorientes sentiunt & antevertunt. Tertiò, cùm Diabolus & Angeli ejus toto spatientur orbe, & pernicissima discursatione ubique præsentes sint, & ita arrecti intentique ad omnia sint, ut vix ipsa penitissima mentis latibula eos fallant: quis hac facultate Martyribus interdixerit? Quartò, hinc obvium est ex Angelis facere conjecturam, ad quorum æqualitatem Martyres sublimantur. Ineluctabilis quippe & dilucidissima Scripturarum authoritas adesse Angelos, precesque nostras excipere, & ad Deum perferre locis compluribus testificatur. Quin ergo & Sanctorum animas eodem honestemus privilegio, quos in Angelorum collegium Deus ascivit? Denique tam Angelos invocari vetant, quàm Sanctos: nec tamen dissimulare possunt, quin precantum verba & cogitata Angelis patescant.

VI. Item ex Ambrosio. In Psal. 118. octon. 1.

Ambrosius eidem loco insistit: *Adest ergo Pater, adest & Filius, adsunt & ministri, adsunt Cherubim & Seraphim, qui dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, plena est terra majestatis tuæ. Plenus est enim mundus sanctarum virtutum, quia plenus est nequitiarum. Plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis.* Ubi innuit præterea Ambrosius, cùm ubique adsit Deus, adesse ubique & ministros. Nec enim summo Regi deesse possunt aut debent apparitores. Deinde cùm ubique adsit creaturam corpoream movens vegetansque conditor, adsunt ubique & Angeli, quos primitus movet, & per quos temporaliter motos corpora movet temporaliter & localiter, ipse nec temporaliter nec localiter motus, sed immobilis omnia movens cardo. Et hæc ille quidem de Angelis: audi ut in eadem navi collocet & Martyres: in Epistola de inventione corporum SS. Gervasii & Protasii, exponens Elisæi hæc verba: *Plures pro nobis sunt, quàm contra nos*, ait: *Et ut hoc probaret, petisse ut oculi Giesi aperirentur: quibus innumeros adesse vidit Prophetæ exercitus Angelorum. Nos etsi eos videre non possumus, sentimus tamen. Erant clausi isti oculi, quandiu obruta Sanctorum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros Dominus, videmus auxilia, quibus sumus sæpe defensi: non videbamus hæc, sed habebamus tamen.* (Epist. 85.) Perinde ut Angelos, ita & Martyres adesse nescientibus philosophatur & patrocinari. Et ne spiritalis præsentia floccipendatur, audi quid moneat alibi: *Nemo sibi de absentia blandiatur, præsentior est, qui se animis inserit, quàm qui oculis prostratur.* (Epist. 31.) Denique ne cineribus tantùm suis obversari Martyrem credas, & ibi supplicantes audire, idem Ambrosius alibi docet, non claudi locis quod meritis diffunditur; Martyrem ubique invocari posse, ubique præsidio fore, quia ubique Deus adest meritorum ejus testis & præmiator: (Serm. 91.) *Licet hic Martyr Mediolanensium peculiaris putetur privilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragii. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Invocasti ubique Martyrem, ubique te exaudiet ille qui honoratur in Martyre. Moderante itaque eo qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis præbebitur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti.*

Paulinus in eadem sententia est, hominesque ipsos

sos

VII. Ex Paulino. sos etiamsi semotos corpore, locisque interjacentibus disclusos, animorum tamen consensione adesse sibi, & adesse verius, quàm si corpore adunati, animis dissiderent, ita tradit Epistola ad Pammachium: *Nam si verum illud, sensu nos potius videre & audire, certè adsum tibi & potiore mei parte, cum animo ad te venerim. Quod nisi adsimus, ut etiam corpore intersimus, præsentiam non probamus, vacua nostri imagine, mentis absentia.* Frustra sibi igitur de corporum præsentia blandiuntur, quorum animi peregrinantur, & nec sibi adsunt ipsis, nedum aliis: frustra etiam ejulant & muliebriter lamentantur corporum absentiam, qui animis vinciuntur, & indivulsè cohærescunt. Etenim nec ad conciliandos animos quidquam valet locorum vicinia, nec ad dissociandos intercapedo. Ergo adsunt sancti Martyres suis consentaneis, adsunt cultoribus, adsunt amicis: sistuntur autem præsentes, ipso virtutum consensu, charitatis nexu, vinculo religionis. Et cum præsentibus adsunt cineribus sacris, adsunt intimius ipsis suis mentibus: nec cineres suos, nisi ut obsides, ut pignora, ut certa præsentissimi patrocinii sui documenta nobis permittunt. Quod ne temerè à nobis effundi, affingique Paulino putes, accipe hæc ejus carmina ex Natali IX. sancti Felicis:

Quanquam Sancti omnes toto simul orbe per unum
Sint ubicumque Deum, quo præsentantur ubique
Corporis ut sua membra Deo; sed debita sanctis
Sunt loca corporibus, &c.

Corporum enim est certis destinatisque locis affigi: at animarum volucris & libera est natura, carceris insolens, & quocumque benefica invitat charitas ad bene de quopiam merendum, adesse prompta & expedita. Ubique enim Deus est, potestate omnia ubique creante & sustentante: non omnia ubique creant aut regunt Martyres Angelive, ideo nec ubique adsunt: sed ubicumque benefacere possunt, ibi adsunt protinus, & instar Dei benefica operatione ubique sistuntur.

VIII. Ex Gregorio Papa. Gregorius Papa adstruit hoc ipsum ratione alia, quam nulla possit tergiversatio declinare. *Unde & additur, Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget. Sicut enim hi qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant; ita mortui, vita in carne viventium post eos qualiter disponatur, nesciunt. Quia & vita spiritus longè est à vita carnis, & sicut corporea atque incorporea diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est. Quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.* (Moral. l. 12. c. 14.) Ex quibus liquet, naturæ comparatum ita esse, ut tam res nostræ mortuis quàm mortuorum nobis incompertæ sint. Ipso quippe vivendi genere disterminamur, nobisque & illis intransmeabile interjacet interstitium. Et rursus improborum animæ tum aliis pœnis, tum hac flagellantur jure merito, ut quorum nimium curiosi & impotentiùs cupidi olim fuerant, ab iis abrumpantur penitus, nec eorum vel levi rumusculo unquam recreentur. Ita ergo lex naturarum, ita lex pœnarum statuit. At lex præmiorum, pœnarum suspiciones ablegat, naturæ exuperat fines, nec nesciri quidquam finit, quod nesciri fine dolore non possit. Denique qui claritatem omnipotentis Dei vident, nihil foris est quod ignorent. In omnipotentia enim Dei opera Dei omnia perspiciuntur. Atque ut alibi ait idem Gregorius, omnia vident, qui videntem omnia vident. *Quis ibi aliquid nesciat, ubi ipsum omnes simul fontem scientiæ Deum vident?* (Hom. 34. in Evang.) Et alibi non nostras tantùm procellas, sed damnatorum etiam naufragia Beatis in superna cœli statione regnantibus patescere docet: (Ibi. hom. 40.) *Quamvis eis sua gaudia ad perfruendum plene sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt. Quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quod videre non possint.* (Moral. l. 2. c. 2.) Et denique de Angelis ait: *Interius quippe exteriusque sciendo diffusi sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt?* Itaque quanquam vi & lege naturæ tam mortui viventium, quàm viventes mortuorum statum sortemque ignorent, ab ea tamen caligine, & incuria, caligini comite, necesse est beatas animas vindicare: tum quia quæ Deum vident, æquum est ut & hæc videant: tum rursus quia qui scientem omnia sciunt, qui videntem omnia vident, in ipsa divinæ scientiæ & visionis luce omnia videnda videant & scienda sciant: tum rursus quia in omnipotentia Dei cardinales omnium rerum vident causas, in iisque effectuum singulares contextus: tum denique quia horum nescientia quæ ad eorum beatitudinis consummationem pertinent, non posset non eis dolori esse, & totum illud serenum beatarum mentium obnubilare.

IX. Ex Bernard. Bernardus autem ita philosophatur. *Qui cum hic agerent, audiebant satagebantque preces quibus apud Deum intercedere sollicitabantur; ubi in æternæ lucis perspicuitatem rapti hinc sunt, quæ sciebant, non sanè dedidicerunt, nec oblivionem biberunt aut incuriam. Ecqui enim in lucis sacrarium ingressi minùs videant? Ecqui in scientiæ & sapientiæ fontem immersos plura prætereant quàm priùs? Sed cùm incredibilia eorum in nos charitas ceperit incrementa, qui possint tantò plus nostra diligere, & minùs intelligere? amare & ignorare? Quanta hæc beatæ charitatis afflictatio foret, si pignora sua nescierit? si quod curat, quod fovet, quod cordi habet, id nesciat, id nunquam videat, quanta hæc animi tabes & maceratio est? *Numquid cœlestis habitatio animas quas admittit, indurat, aut memoria privat, aut spoliat pietate? Latitudo cœli dilatat corda, non arctat: exhilarat mentes, non alienat: affectiones non contrahit, sed extendit: in lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur. In lumine Dei discitur quod nescitur: non quod scitur, dediscitur.* (Serm. 2. de S. Vict.) Vide & quæ habet in Cantica, ubi multis affatur Gerardum fratrem nuper extricatum corporeis compedibus cœloque ascriptum, & ex ejus aggerata per gloriam cœlestem charitate, longè ab eo exulare argumentatur rerum nostrarum nescientiam, longè incuriam. (Serm. 26.) Denique sermone de triplici genere bonorum, *Quæ est ista copia ubi nihil quod nolis, sit: totum sit, quod velis? Quod si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, nunquid ergo gloria consummata? Ideo nihil latebit nos. Et ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia quæ in cœlo & quæ in terra sunt, perfectissimè cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes!*

X. Ex Alcuino. L. de Div. Offic. c. 40. Alcuinus: *Nec dubitandum est, fidelium petitiones à justorum spiritibus sciri, quia qui intus Dei claritatem vident, non est credendum, quia sit aliquid foris, quod ignorent. Postulat ergo Ecclesia suffragia Martyrum, &c.*

XI. Ex Iuliano Pomerio. L. de vit. cōtēp. c. 4. 11. Julianus Pomerius de regno illo beatitudinis disserens, ait: *Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales, &c. Nec latebit jam perfectè beatos aliquid secretorum, qui quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum, &c.* Et infrà: *Ibi etiam corporales oculos nihil visibilis creaturæ latebit: quia incorruptibilium corporum visus utique incorruptibilis erit, & ita sine comparatione vivacior quàm hic fuit, ut ei aliquid visibilium clausum esse non possit. Corporibus quippe immortalitate donatis auferenda est tarditas, non integritas, necessitas, non voluntas: ut ibi sine temporis mora aut impedimento ponderis sint, ubi esse voluerint.* Si beatis nunc Spiritibus singulorum singulis invicem patent mentes, quin pateant & nostræ? Si nihil arcanorum eos latet, ecquid eos fallere poterunt preces, quas ipsis non abdere satagimus, sed prodere? S. ubi

ubi corpora per resurrectionem innovata induerint, oculis corporalibus rimaturi dispecturique sunt corporeæ naturæ sinus omnes & recessus abstrusissimos, nonne & mentis oculo mentium omnium penetralia pervident? Carnis enim quàm mentis gloria æterna indutæ non sunt largiora privilegia. Denique si tum etiam corpore aderunt, ubicumque volent, quis intercedet, ne nunc mente adsint intersintque intimè cætibus cultorum suorum?

XII. Ex Hildeberto. Epist. 51. Hildebertus Cenomanensis Episcopus graviter exagitat novitium Vigilantianæ hæreseos instauratorem, aientem: *Quid in ista geratur vita, sanctorum animas ignorare, atque ideo otiosas jam esse litanias quibus oramus, ut orent pro nobis Sancti, quia nec audiunt nos, nec noscunt quid agatur apud nos.* Cui perversitati ait Hildebertus, *resistere consuetudinem Ecclesiæ, refragari authoritatem, deesse rationem.* Et quod ad primum attinet, ita ex consuetudine Ecclesiæ antiquissima & fundatissima arietat & infringit novatoris procacitatem: *Quod enim universalis Ecclesia litaniis insistat, quæ in lacrymis & spiritu contribulato dicere consueverit, Sancta Maria ora pro nobis, nec indoctus ignorat, cum audit: nec doctus cum audit, impugnat, &c. Forsan revelatum tibi est desuper, Ecclesiam Christi usque ad tua tempora desipuisse; atque Apostolicum illud in te completum, Si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit. Fœlix qui solus factus es Ecclesiæ cœlestium interpres secretorum! Credebam tamen Paulum raptum in paradisum, & audisse arcana verba quæ non licet homini loqui. Sed tu forsitan raptus es illuc, & inde attulisti hæc verba, quæ non licet homini loqui: sed quod signum ostendis nobis, ut credamus tibi?* Explosa ad hunc modum hominis impudentissimi petulantia, omnium retro sæculorum Ecclesiæ antiquitatem, Patrumque consensum jam inde ab Apostolicis temporibus constantissimum impunè conculcari posse sperantis, ex Hieronymo & Gregorio loca pertexit superiùs relata, nec non & istum qui nobis exciderat ex Gregorio in homilia super, Si quis vult post me venire: *Adsunt defensores nostri Martyres sancti, rogari volunt, atque ut ita dixerim, quærunt ut querantur: hos adjutores vestris orationibus quærite, hos protectores vestri reatus invenite.* Denique rationem invictissimam promit ex Beatorum charitate flammatissima Dei & proximi, quæ Deum ut ampliùs diligit, ita & præclariùs eum & in eo omnia intelligit: proximum autem tantò impensiùs non posset adamare, si statum & res ejus nesciret: *Excidit fides, excidit spes, charitas nunquam excidit, &c. Manet inquam charitas, non eo tamen arctata modo quo diligitur in hac vita Deus & proximus, sed tanto major, quanto pleniùs post hanc vitam & in Deo cognoscitur proximus, & in semetipso Deus.* Vel parens enim vel proles lucis & sapientiæ charitas est, ut non possit eam ullius obumbrare nescientiæ caligo. Denique ex Evangelio probat non nesciam nostrorum casuum esse beatitatem illam, quæ super uno peccatore ad meliorem frudem resipiscente tantoperè exhilaratur: si peccatorum enim explorata habent ad meliorem vitam tyrocinia, habent utique & justorum incrementa, habent & vota ipsis destinata.

XIII. Imò & ex Augustino vota & preces nostras audiunt & exaudiunt Sancti. Augustinus autem quem nobis intentare maximè solent hagiomachi, is ipse est, qui huic Sanctorum pro nobis vigilantissimæ sollicitudini suffragatur; Ille enim libro de cura pro mortuis gerenda, universim quidem constituit, ita naturarum lege cautum esse, ut nihilo plus nostra sciant mortui, quàm nos mortuorum eventa: quanquam quibus rimis perfluere ad eos aliquid rerum nostrarum possit, non sileat. Ait enim: *Proinde fatendum est*

Cap. 15. *nescire quidem mortuos quid hic agatur, sed dum hic agitur: postea vero audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt: non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui, &c. Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos non nosse, non solum præterita vel præsentia, verum etiam futura, spiritu Dei revelante cognoscere. Sicut non omnes homines, sed Prophetæ dum hic viverent, cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ ipsis esse revelanda Dei providentia judicabat.* Non istæ jam sunt rimarum angustiæ, sed patens janua, qua rerum nostrarum fama ad mortuos dispergatur; seu per eos qui hinc ad eos migrant, seu per Angelos intercursantes, seu denique per singulares quasdam divinæ illuminationis prærogativas. Nam & ad nos de mortuorum statu immurmuratur aliquid, & de futurorum abditissima scientia nonnullis supernè aliquantulum quandoque instillatur, quamvis hæc omnia inusitata sint, & præter statas solennesque naturæ leges. Sed hæc de mortuis promiscuè, nam Martyrum longè alia causa est, & multò in eos liberalior est Augustinus, ut jam jam aperiam. Sed vel hinc conjice quàm non invideat hic sanctus Doctor beatis spiritibus rerum nostrarum conscientiam, qui ea ne cæteris quidem in totum interdixit.

Pergit ergo ibidem Augustinus: *Hinc & illa solvitur quæstio, quonammodo martyres ipsis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui, quid agant vivi, &c. Verum ista divinitus exhibentur longè aliter quàm sese habet usitatus ordo, singulis creaturarum generibus attributus. Non enim quia in vinum aqua, cum voluit Dominus, repente conversa est, ideo non debemus quid aqua valeat in elementorum ordine proprio, ab istius divini operis raritate, vel potius singularitate discernere, &c. Alii itaque sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum: alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt, quamvis & naturæ Deus assit, ut sit; & miraculis natura non desit. Non igitur ideo putandum est vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis martyres assunt: sed ideo potius intelligendum est, quod per divinam potentiam martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.* Quid hac Augustini sententia enucleatius? Quid pro Martyrum cultu, quid pro eorum præsentia, rerumque nostrarum & conscientia & cura invictius? Naturam quippe & usitatum ordinem diligenter sejungit à prerogativa Martyrum; & alternis argumentatur, si prærogativa martyres ea insigniuntur, ut nostris intersint rebus, illam ergo esse naturam, ut cæteri facto functi procul absint: si hæc natura est, illa sit specialis merces & prærogativa. Igitur nec de natura adversus gratiæ privilegia præscribi potest, nec de gratiæ portentis adversus naturam debet præjudicari. XIV. Ex eodem.

At rursus Augustinus ibidem nonnullo se vacillare adhuc significat dubitationis ambiguo: *Quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur martyres iis quos per eos certum est adjuvari: utrum ipsi per seipsos adsint uno tempore tam diversis locis & tanta inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum memoriæ, sive præter suas memorias ubicumque adesse sentiuntur: an ipsis in loco suis meritis congruo, ab omni mortalium conversatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantum, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, nec ubi sint, vel quid agant, scimus, Deus omnipotens qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens Martyrum preces per angelica ministeria usquequaque, diffusa præbeat hominibus ista solatia, &c. Res hæc altior est quàm ut a me possit attingi, & abstrusior quàm ut à me valeat* XV. Ex eodem.

per-

perscrutari. Et ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo, mallem à scientibus ista perquirere. Neque enim nemo est qui hæc sciat: non qui sibi scire videatur & nesciat. Hæc hæsitatio est Augustini: qua freti ferociunt adversarii, & qua tamen ipsa retunduntur. Nam primò quidem hæsitat Augustinus, non pronunciat, non pertinaciter contendit; doceri postulat, non docet: callentiores harum rerum desiderat, non suas jactat opinationes: aliorum denique sententiæ quam suæ lubentiùs se assensurum profitetur. At ab hoc animi proposito quàm immaniter abhorret Calvinianorum ferocia? Deinde martyres ipsos singulis ubi orantur, ubi auxiliantur interesse locis, probabile putat Augustinus, & fortasse ita semper fieri, fortasse per Angelos id quandoque fieri alternat, non explodit, non exibilat eas eliquandæ hujus difficultatis rationes: at sectarii ambas infectantur, ambas execrantur, Augustino ad oppugnandam Ecclesiam simulatè obsecundantes, & ipsum mox Augustinum proterentes. Tertiò non ea est Augustini dubitatio, an orantium preces audiant & vota intelligant sancti Martyres, id enim jam definierat, ut ex ejus contextu liquebat supra, & sexcentis locis aliis: sed *quomodo ipsi per seipsos assint, uno tempore tam diversis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum memoriæ, sive præter suas memorias ubicumque adesse sentiuntur*: hic nodus est cui exolvendo diffidit ille parem se esse posse. Igitur non de scientia, sed de præsentia Martyrum controvertitur: nam rerum quamvis dissitarum scientiam in Deo bibunt: at tam dissidentibus locis unà sistere se præsentes possint, necne, id verò est, quod circumscripta Martyrum animæ natura non immeritò in controversiam duci sinit. Et hic tamen quærentis modestia, non temerè pronunciantis, aut divinantis audacia disputat sanctus Doctor. In re igitur usque adeo tenebricosa, quorsum Calviniani Novatores tantum supercilii assumpserunt, ut opinationes suas pro fidei dogmate ventilarent, & tam levi lubricoque prætextu secessionem facerent ab Ecclesia catholica? Æstuarent potius cum Augustino, quàm adversus Augustinum & defensatam ab Augustino venerationem Martyrum, temerè definirent. An per se, an per Angelos vicarios audirent juvarentque nos animæ Martyrum, id in medio relinquerent, aut alterutrum eligerent, non repudiarent utrumque, & ab omni præsidio nudi, sola armati impudentia adversus Ecclesiam præliarentur. Quartò de Angelis certè nulla est apud Augustinum suspiciuncula, quin & intersint supplicibus, & obaudiant invocantes: at eorum Martyrumque causam non disparem esse profitentur ipsi adversarii. Denique horum peritiores desiderat Augustinus: an ergo hos ego tanti nodi dignos vindices non expectabo, nisi nuperos istos sectarios, & non potius, Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, Paulinum, Julianum Pomerium, Bernardum, aliosque patricios quosdam Ecclesiastici senatus apices suprà laudatos, & in nostram hanc sententiam conspirantes? Sed quid apertius suprà allato Gregorii loco; ubi & Augustini doctrinam firmat, quod tam inexploratæ sint res nostræ mortuis quàm mortuorum nobis, & tamen beatorum mentibus Dei claritatem videntibus nullius rei nescientia possit affingi. Sed quis peritior Augustini doctrinæ interpres, quàm ipsemet qui passim coli invocarique sanctos Martyres hortatur, & effusa jam tum, ut non dissimulant adversarii, in hanc culturam Christiana plebe, haud unquam dehortator ipse, sed incentor & dux esse visus est?

Moral. L. 12. c. 14.

Julianus Archiepiscopus Toletanus, cum Augustini super hac quæstione sententiam excerptis ipsismet verbis astruxisset, posteà tamen ita habet: *Credendum omnino est, quod sicut viventes mortuorum gestis interesse non possunt, ita à defunctis causæ viventium nesciantur. Quam tamen ignorantiam Sanctorum animæ non patiuntur, quæ videntem omnia Deum sciunt, & scientem omnia contemplantur. Nam & beatus Gregorius in libris Moralium, &c.* Refert Gregorii locum superiùs laudatum. Denique Paulinus ipse Nolanus Episcopus cui hunc ipsum nuncupavit Augustinus librum de Cura pro mortuis, ex quo nobis laqueos concinnare student, quid ipse super hac re senserit, qui ab Augustini sensu nec transversum unguem deflexit unquam, constare abundè potest ex verbis ejus suprà recitatis, *Quanquam Sancti omnes toto simul orbe per unum sint ubicumque Deum, &c.*

Prognost. L. 2. c. 31.

XVI. Ex Theodoreto. E Græcis autem Theodoretus L. VIII. de Curandis Græcorum affectionibus, qui est de Martyribus, Latinis calculum suum adjicit: *At nos nec hostias martyribus nec libamina deferimus, sed ut sanctos Deique amantes honoramus. Quod si fortè existimatis eos sine sensu nunc esse, nec divina potius ac felicissima sorte quadam frui, Pindarus Lyricus hanc à vobis opinionem extrudet, cum ait, Animæ piorum cœlum colentes, cantum beatum & magnum in hymnis canunt.* Nec ex gentilitio hic errore authoritas asciscitur, sed ex præsumptis naturaliter & præjudicatis opinionibus, omniumque ubique gentium assensu firmatis, non deesse mortuis beatè degentibus sensum rerum nostrarum & curam. Unde ibidem statim: *Hi sunt verè hominum duces & propugnatores & auxiliatores, malorumque depulsores, damna quæ à dæmonibus infliguntur, procul arcentes.* Quo nihil infecetius fieri potest, si mortuis obrepit inscitia omnimoda eorum quę hic geruntur. Nam propudiosi planè fuerint defensores, si lateant illos nostra omnia. Qui enim propugnabunt eos quos non videbunt, non audient? Curas enim suas in incertum jactaverint, preces & vota in ventum profuderint, si quibus vel hominibus juvandis, vel damnis avertendis vel bonis impetrandis illa impendant, nec ipsi viderint. Et nos quidem possumus pro mortuis supplicare, haud usquequaque certi de eorum statu; at ista est concretæ nobis inscitiæ congenitæque pœnæ portio haud exigua. Verùm longè amolienda est hæc ambiguitas & nescientia à beatis mentibus, jam infusis pelago inexhausto lucis & sapientiæ. Quin etiam sanctis hic viris multa à Deo circa defunctorum sortem, circa viventium recondita animi arcana plerumque panduntur: ut hinc discas quantò liberaliùs hoc genus omnia beatis propalentur. Denique ut notat Theodoretus, insidias & calamitates à dæmonibus intentatas propulsant sancti Martyres; at non nescii sunt rerum nostrarum dæmones cum ab iis impetimur, cum infestamur: ergo oculatiores, scientioresque erunt Martyres cum suo nos vallabunt adversus has infestationes præsidio.

XVII. Ex Chrysostomo. Tom. 5. ser. 55. pag. 554. Chrysostomus autem eâ qua solet eloquentiæ copia, sermone de Ascensione Domini: *Etenim vos huc adduximus, ut illustrior conventus fieret, splendidiusque spectaculum, non hominum solum, sed & Martyrum collectorum: neque Martyrum dumtaxat, verum etiam Angelorum. Etenim & Angeli præsentes sunt. Angelorum & Martyrum concursus fit hodie. Videre cupis Angelos pariter & martyres? Aperi oculos fidei, & cernes spectaculum illud. Nam si omnis aer Angelis repletus sit, quanto amplius Ecclesia? Si verò Ecclesia, quanto magis dies jam præsens, quando eorum assumptus est Dominus? Quod autem omnis aer Angelis sit repletus, audi quid dicat Apostolus, admonens mulieres, ut velato sint capite: Debent enim inquit mulieres velamen habere supra caput suum propter Angelos. Rursusque Iacob, Angelus qui eruit me de cunctis malis. Et iterum Iacob, Vidi castra Angelorum. Sed quorsum Angelorum castra & copias super terram vidit? Nam sicut Rex jubet per singulas civitates suas milites poni, ne grave ali-*

aliquod bellum imminens eas infestet: ita & Deus dæmonibus in aere isto barbaris atque immanibus semper bella suscitantibus, paeisque inimicis, Angelorum castra opponit, ut dum vel apparent solum, ipsos reprimant, nobisque pacem perpetuam concilient. Vides Angelos adesse & martyres. Non intelligi tantùm, aut obaudiri supplicum preces ab Angelis Martyribusque, sed ipsos adesse præsentes, nostrisque medios interesse conventibus, ex Scripturis ut vides ratiocinatur, quæ quanquam de Angelis tantùm verba faciant, non disparem tamen esse Martyrum causam ratiocinatur Chrysostomus. Quocirca quàm perspicuum est ex sacris literis nostrarum precum conscios esse atque fautores perlatoresque ad Deum sanctos Angelos, tam ex interpretatione Patrum indubium est, eadem decoratos esse authoritate beatos Martyres.

XVIII. Ex Nysseno, Naziazeno, Basilio. Quid Nyssenum, quid Basilium, quid Nazianzenum memorem, quorum tum crebræ tum elegantes supersunt in Martyrum laudem lucubrationes? Ubi non enim eos isti, ut præsentes affantur, contuentur, & contuendos fidelibus velut coram positos propinant, præsentium opem implorant? Audi Nazianzenum in laudem Cypriani martyris: *Non minus ad vitam rectè instituendam utilitatis afferunt martyres, holocausta rationalia, victimæ perfectæ, oblationes Deo gratæ & acceptæ, veritatis præconia, mendacii proscissiones, legis spiritaliter intellectæ expletio, erroris oppressio, vitii insectatio, peccati diluvium, mundi lustratio. Tu mihi tu Cypriane, & re & nomine charissime, supra reliquos Martyres celebrandus occurris, &c.* Audi Nyssenum in Obitu Meletii: *Non ablatus est à nobis sponsus, in medio nostrum stat, etiamsi nos non videamus. In adytis ac penetralibus sacerdos est, &c.* Audi rursus Gregorium Nazianzenum de Basilio magno jam cœlitibus accenso: *A quo nunc quoque per nocturnas visiones admoneor, & castigor, siquando ab officio recessero.* Et alibi Athanasium immortalitati jam assertum ita compellat: *Meque, siquidem res pacatæ futuræ sint, in vita teneas, gregemque mecum pascas.*

Orat.18. Orat.20. Orat.21.

CAPUT XI.

In Sanctis colitur & amatur Veritas, Sapientia, Justitia, quod totum Deus est, quod totum Christus est. Non tam ipsi ergo, quàm Deo in ipsis tribuitur cultus, amor, invocatio. Quocirca nec ullum errandi discrimen est.

I. Sola sapientia & justitia propter se colitur & amatur, reliqua propter ipsam. Ita sola colitur & amatur; id est, Christus; Deus.

Isto demum veluti septemplici veritatis scuto defensabitur invictissimè, & ab calumniatorum jaculis intacta protegetur Sanctorum cultura & invocatio. Cùm enim sapientiæ & justitię ergo honos atque amor cuipiam sive homini, sive Angelo, seu mortali, seu immortali dependitur, sapientiæ & justitiæ ipsi illud totum dependitur. Nec hominis hujus vel justitiæ, vel sapientiæ assurgitur, sed ipsi per se viventi atque sempiternè fulguranti sapientiæ & justitiæ incommutabili, quod totum Deus, quod totum Christus est. Quid enim exploratius, quid pervulgatius, quàm id amari, quod propter se amatur & propter quod cætera: si quid verò propter aliud ametur, non ipsum amari quod propter aliud, sed id propter quod aliud amatur? Quid dilucidius, quàm nec homines, nec Angelos propter seipsos amari, sed propter sapientiam & justitiam, quam in eis eminentem fulgentemque demiramur? Quid compertius, quàm hujus sapientiæ ac justitiæ, quæ in homine vel Angelo quolibet renidet, admirationem atque dilectionem, qua æstuamus, non alio ex fonte dimanare, quàm ex penitiore atque altiore affectu animi nostri, quo ipsam universalem sapientiam atque justitiam ita suspicimus, ita deperimus, ut ejus radios quaquaversus sparsos non possimus non osculari? Quid denique evidentius est, quàm universalem sapientiam atque incommutabilem justitiam, cui omnis anima rationalis clandestino æstu suspirat, Deum optimum maximum esse? Ex his porro quid efficiatur, ultro patet. Quod enim de amore, idem de honore & cultu & invocatione philosophandum est, quòd hæc omnia uno amoris nomine contineantur.

II. Ex Augustino, cum flagramus amore Pauli, non ipsum, sed justitiã amamus.

Sed ne nostri animi commenta venditare videamur, ex Augustino hæc primùm, tum ex reliquis Ecclesiasticæ Theologiæ Patribus statuamus. Augustinus ergo ait, ubi vel auditur, vel legitur Paulus Apostolus, & exinde animus in ejus admirationem & amorem conflagrat, tum ejus statim simulacrum in suo intus unumquemque animo imaginari, illudque aliis alios notis ac lineamentis describere, nec rescire nos posse qui propiùs à vero absint: sed nec permultum id quidem referre, quod non illi simulacro habeatur honos, nec Pauli vultui aut speciei, sed sapientiæ & sanctitati, quam in eum Dei gratia copiosissimam contulit. *Quis enim legentium vel audientium quæ scripsit Paulus Apostolus, vel quæ de illo scripta sunt, non fingit animo & ipsius Apostoli faciem, & omnium, quorum ibi nomina commemorantur? Et cùm in tanta hominum multitudine quibus illæ litteræ notæ sunt, alius aliter lineamenta figuramque illorum corporum cogitet, quis propinquiùs & similius cogitet, utique incertum est. Neque ibi occupatur fides nostra, qua facie corporis fuerint illi homines, sed tantùm quia per Dei gratiam ita vixerunt, & ea gesserunt quæ Scriptura illa testatur, hoc & utile est credere, & non desperandum, & appetendum. Nam & ipsius Dominicæ facies carnis, innumerabilium cogitationum diversitate variatur & fingitur, quæ tamen una erat, quæcumque erat.* Itaque Pauli imaginem corporalem unusquisque suo in animo simulat, dum Paulum veneratur & amat: nec hallucinatur, quanquam ea plerumque Pauli imago à Paulo plurimum abludat, quia non carnis faciem in Paulo, sed virtutis effigiem veneratur. L.8.deTrin. c. 4.

Sed cùm nisi probè notum venerari atque amore amplecti possimus neminem, ecqui nunc Paulus nobis notus est, quem veneremur? Nempe non carnis specie, sed animi sanctitate compertus nobis est, & in Paulo nonnisi animum justum sanctumque osculamur. Porro animum Pauli novit animus noster ex sui contemplatione, at affinem sibi & penè consanguineum. *Redi ergo mecum & consideremus, cur diligamus Apostolum. Nunquidnam propter humanam speciem quam notissimam habemus, eo quod credimus hominem fuisse? Non utique. Alioqui nunc non est quem diligamus, quandoquidem homo ille jam non est. Anima enim ejus à corpore separata est. Sed id quod in illo amamus, etiamnunc vivere credimus. Amamus enim spiritum justum. Ex qua ergo generali aut speciali regula, nisi quia scimus, & quid sit animus, & quid sit justus? Et animus quidem quid sit, non incongruè dicimus nos ideo nosse, quia & nos habemus animum. Quid enim tam intimè scitur, seque ipsum esse sentit, quàm id quo etiam cætera sentiuntur, id est ipse animus?* Non ergo jam nutat nostra in Paulum nunc veneratio, quem sibi ut animum justum expingit, nec nescire potest noster animus, quid sit Pauli animus, cùm ipsam animi naturam incomperta sibi esse non possit. Ibid. c. 6.

III. Unde justitiam novérimus, quã in Paulo amamus.

Verùm non animum quà animum honore hoc eximio afficimus, nam omnes homines ita iisdem honestandi essent cultibus atque Paulus, cùm immortales ipsi animos habeant, vel animi sint. Ergo Paulum suspicimus non ut animum, sed ut animum eximiè justum; & justitiæ ergo ipsum reveremur. At justitiam unde novimus? Nec enim ullis ea sensibus corporeis occursare, aut comprehendi potuit, cùm nec coloribus fucata sit ullis,

ullis, nec sonis canora, nec delibuta odoribus, nec palato sapiat, nec tactui blandiatur. Intus ergo animus noster necesse est justitiam contempletur. Et quidem si justitia animus ipse noster vegetaretur, quid sit justitia, ex seipso forsan scrutari posset, & si vix posset, ut qui antequam ad justitiam animum appelleret, & eam videre, nec in semetipso eam videre debuerit. Sed cùm Paulum non justi tantùm, sed & injusti plerumque admirentur, nec admirentur nisi ut justum animum, hi quæso unde usurpare possunt hanc justitiæ notitiam? Attentos Augustino animos commodemus, ut hujus elucidationem nebulosi dubii assequamur. Ibidem ille: *Non enim tantùm sentimus animum, sed etiam scire possumus quid sit animus, consideratione nostri; habemus enim animum. Sed quid sit justus, unde novimus? Dixeramus enim nos Apostolum non alia causa diligere, nisi quod sit justus animus. Novimus ergo & quid sit justus, sicut & quid sit animus, ut dictum est, novimus ex nobis. Inest enim animus nobis. Quid autem sit justus, unde novimus, si justi non sumus? &c. Ac per hoc si non diligit justum nisi justus, quomodo volet quisque justus esse qui nondum est? Non enim vult quisque esse, quod nondum diligit. Ut autem sit justus, qui nondum est, volet utique justus esse: ut autem velit, diligit justum. Diligit ergo justum, & qui nondum justus est. Diligere autem justum non potest, qui quid sit justus, ignorat. Proinde novit quid sit justus, etiam qui nondum est. Ubi ergo novit? Num oculis vidit? &c. At oculis non vidit nisi corpora; justus autem in homine non est nisi animus. Et cum homo justus dicitur, ex animo dicitur, non ex corpore. Est enim quædam pulchritudo animæ justitia, qua pulchri sunt homines qui etiam corpore distorti atque deformes sunt. Sicut autem animus non videtur oculis, ita nec pulchritudo ejus. Ubi ergo novit quid sit justus, qui nondum est, atque ut sit, diligit justum?* Nec ex gestorum signis colligere quis potest justi notitiam, cùm gesta quæ justa sint, nonnisi ex anteriore in animo justitiæ præsumptione dijudicare queat; ut ibidem subjicit Augustinus.

IV. Incommutabilis justitiæ pulcritudo obversatur menti nostræ.

Et corporalia quidem multa animo fingimus, quæ nullo unquam corporeo sensu usurpavimus; sed eorum nempe quæ sensimus, imaginibus refingendis variandisque, ea etiam quæ numquam sensimus, nobis utcumque repræsentamus. Ut ex simulacro Romæ quam vidimus, Carthaginem quam non vidimus, imaginamur. At justitiam nusquam conspectam non ita possumus ex alia quapiam effigie interpolata nobis effingere. Ecqua enim illa excogitari aut fingi nisi fabulando potest effigies, ex cujus imitatione justitiam nobis describamus animo? Ergo necesse est præsentem obversari oculis animæ rationalis ipsam per se pulchritudinem justitiæ universalis, æternæ, immutabilis, quam sublucentem intervideat animus, ex cujus occulto sensu & quasi conscientia de justis & injustis pronuntiet, amet justos, detestetur injustos. Ibidem Augustinus: *An illud quod videt, veritas est, interior, præsens animo qui eam valet intueri, neque omnes valent? Et qui intueri valent, hoc etiam quod intuentur, non omnes sunt. Hoc est, non sunt etiam ipsi, justi animi, sicut possunt videre ac dicere, quid sit justus animus. Quod unde esse potuerunt, nisi inhærendo eidem ipsi formæ quam intuentur, ut inde formentur, & sint justi animi, non tantum cernentes aut dicentes, justum esse animum, qui scientia atque ratione, in vita ac moribus sua cuique distribuit, sed etiam ut ipsi justè vivant, justèque morati sint, &c.*

V. Nec Paulũ justitiæ ergo amaremus, nisi justitiam ipsam prius amaremus.

Est igitur proposita & patens allucensque interioribus occultisque hominum oculis forma quædam justitiæ æterna & incommutabilis, ex cujus accessu vel recessu de justis vel injustis factis dictisque, de ipsis etiam hominibus sententiam ferimus; illam contemplamur, illam admiramur, amore etiam clanculario illam prosequimur, nec Paulum vel quemlibet alium vel admirari vel amare in animum inducimus, nisi quòd illi formæ consentanei sint, quam ita astupemus, ita diligimus, ut & vestigia ac lineamenta ubilibet adumbrata exosculemur. Qui enim Paulum amaremus, quòd sit justus animus, nisi ipsam primitus justitiam amaremus? Etsi enim nequedum tanto æstu justitiam amemus, ut ejus causa vim adferamus nobis, & adversantes ei cupiditates debellemus, ut & ipsi justi simus: hactenus tamen amamus illam, ut virtutem, undecumque refulgeat, laudemus, & viros justos admiratione & laudibus extollamus. Cætera ergo propter justitiam non amaremus, nisi ipsam principaliter propter se justitiam amaremus. Ipsam enim justitiam propter aliud quippiam nisi propter seipsam amare non possumus: ea quippe propter semet diligenda est, propter quam cætera diliguntur. Augustinus ibidem: *Et unde inhæretur illi formæ nisi amando? Cur ergo alium diligimus quem credimus justum, & non diligimus ipsam formam ubi videmus quid sit justus animus, ut & nos justi esse possimus? An verò nisi & istam diligeremus, nullo modo eum diligeremus quem diligimus ex ista: sed dum justi non sumus, minùs eam diligimus, quàm ut justi esse valeamus? Homo ergo qui creditur justus, ex ea forma & veritate diligitur, quam cernit & intelligit apud se ille qui diligit; ipsa verò forma & veritas non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam cum incognita est, credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale aliquid perspexeris, ipsa est: & non est quidquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.*

VI. Et Paulus quidè propter aliud, at justitia ipsa propter seipsam diligitur.

Quocirca Paulus quidem & per aliud intelligi, & propter aliud diligi potest, ut justus animus: at justitia ipsa non per aliud intelligi, non propter aliud diligi, sed per seipsam & propter seipsam tantummodo potest. Per aliud enim intelligitur Paulus, dum suo ex animo animum Pauli sibi quisque pingit: & propter aliud diligitur, dum ex dilectione ipsius per se justitiæ decerpitur aliquid, quo Paulus donetur ob justitiæ in eo renidentis auram aliquam. At ipsa justitia nec per aliud intelligi potest, quoniam nihil tale est, qualis ipsa est: sui enim similis sola ipsa est, omnemque sui effigiem aut similitudinem in se ipsa occupavit & complexa est. Sed nec propter aliud diligi potest, quòd nihil sit ipsa pulchrius, quæ omnium pulchritudo ipsa est. *Quid est enim quæso quod exardescimus, cum audimus & legimus, Ecce nunc tempus acceptabile, &c. commendantes nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, &c. quasi mortui, & ecce vivimus, &c. quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egeni, multos autem ditantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Quid est enim quod accendimur in dilectionem Pauli Apostoli, cum ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse? Vivendum tamen sic esse Dei ministris non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos in ipsa veritate conspicimus. Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus, diligimus. Et nisi hanc formam quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus, præcipuè diligeremus, non ideo diligeremus illum, quia ejus vitam, cùm in carne viveret, huic formæ coaptatam & congruentem fuisse fide retinemus.* Ibidem. c. 9.

VII. Ita solus Deus qui justitia est, colitur, amatur, invocatur, in Sanctis.

Quibus ita præstructis, perspicuè jam clarescit in Paulo Apostolo, & in Martyre, ac sancto quolibet homine, sive Angelo, non admirari nos, non diligere, non venerari & colere, non invocare nisi ipsam per se incommutabilem veritatem atque justitiam, nec tam justo homini vel Angelo, quàm ipsi justitiæ & sapientiæ assurgere nos & amorem cultumque consecrare. Ipsam enim justitiam coram videmus, Paulum non videmus, sed credimus: justitiam coram tuemur, Paulum justum fuisse non tuemur,

tuemur, sed credimus: denique ipsam justitiam propter sese diligimus, utpote pulchritudinem ipsam: Paulum ea imbutum propter ipsam amamus. Ergo totus amor & implicatus amori cultus omnis ipsi justitiæ incommutabili Deo dedicatur. Ejus enim amori, qui propter se diligitur, nihil decrescit, quin & accrescit potiùs, si cætera nonnisi propter ipsum diliguntur & diligendo coluntur. Imò ubi cætera propter justitiam amantur, si castigatissimè loquamur & ad elimatissimas veritatis leges verba nostra expoliamus, non cætera amantur ulla, sed sola amatur justitia. Nam id demum amatur quod propter se amatur. Augustinus: *Sed si propter alia quæ amanda sunt amor amatur, non rectè amor dicitur. Nihil enim aliud est amare, quàm propter seipsam rem aliquam appetere.*

L. 83. qq. q. 35.

Scitum est autem quod ibi concludit denique Augustinus, ex amore justitiæ per se ipsius accendi nos in amorem Pauli, sed & vicissim ex amore Pauli in charitatem justitiæ magis magisque nos exardescere, atque ita alternis hinc & inde flammarum incrementis augescere charitatem. Ubi enim infusam rationali naturæ justitiam contuemur, tum rem nostram agi, compendia nostra & ornamenta cumulari adgaudemus, spe in eandem fœlicitatem erigimur, atque ita in ipsam justitiam se nobis commiscentem æstuantiùs deflagramus. *Sed nescio quomodo amplius & in ipsius formæ charitatem excitamur per fidem, qua credimus vixisse sic aliquem: & spem qua nos quoque ita posse vivere, qui homines sumus, ex eo quod aliqui homines ita vixerunt, minimè desperamus: ut hoc & desideremus ardentius & fidentius precemur. Ita & ipsorum vitam facit à nobis diligi formæ ipsius dilectio, secundum quam vixisse creduntur: & illorum vita credita, in eandem formam flagrantiorem excitat charitatem.*

L. 8. de Trin. c. 9.

VIII. Plura ex Augustino in eandem sententiam. L. 9. de Trinit. c. 6.

Hac eadem doctrina referti scatent omnes ejusdem sancti Patris commentarii. Pauca obiter substringam ex infinita segete: *Unde manifestum est, aliud unumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credat, non tamen videat: aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri. Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo, per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanæ notitiam: sed intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfectè, quantum possumus, definiamus, non qualis sit uniuscujusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat, &c. Nam unde in me fraterni amoris inflammatur ardor, cum audio virum aliquem pro fidei pulcritudine & firmitate acria tormenta tolerasse? Et si mihi digito ostendatur iste homo, studeo mihi conjungere, notum facere, amicitia colligare, &c. Quod si mihi inter nostras loquelas fateatur quod vel de Deo credat incongrua, atque in illo quoque carnale aliquid desideret, & pro tali errore illa pertulerit, vel speratæ pecuniæ cupiditate, vel inani aviditate laudis humanæ: statim amor ille quo in eum ferebar, offensus & quasi repercussus atque ab indigno homine ablatus, non in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaveram.* Eundem ergo hominem nihil mutatum, cur amabam priùs, nunc minùs amo, nisi ex incommutabili æquitatis forma, & dilectione justitiæ, cui illum priùs consentaneum rebar, nunc dissonantem expertus sum? *Ipsa verò forma inconcussè ac stabilis veritatis, & in qua fruerer homine, bonum eum credens, & in qua eum consulo ut bonus sit, eadem luce incorruptibilis sincerissimæque rationis, & meæ mentis aspectum & illam phantasiæ nubem quam desuper cerno, cum eundem hominem, quem viderem, cogito, imperturbabili æquitate perfundit.* Homines ergo prout vel boni vel mali existimantur, nunc amantur, nunc non amantur, & hæc mutabilitas ex immutabili cardine dispensatur, ex amore inquam invariabili justitiæ ipsius. Quocirca cùm anima religata semper pendeat à charitate incorruptibilis justitiæ, & inde libretur ad amandos quoscumque justos sciverit, vel crediderit, non potest hic ejus amor ullo calumniæ jaculo figi, ut qui ab ipso justitiæ vertice totus pendeat.

At alibi: *Quid enim non pro suo genere pro suo modulo habet similitudinem Dei, quandoquidem Deus fecit omnia bona valdè, non ob aliud nisi quia ipse summè bonus est? Inquantum ergo bonum est, quidquid est, intantum scilicet quamvis longè distantem, habet tamen nonnullam similitudinem summi boni: & si naturalem, utique rectam & ordinatam: si autem vitiosam, utique turpem atque perversam. Nam & animæ in ipsis peccatis suis, nonnisi quandam similitudinem Dei superba & præpostera, & ut ita dicam, servili libertate sectantur. Ita nec primis parentibus nostris persuaderi peccatum posset nisi diceretur, Eritis sicut Dii.* Ne rebellantibus quidem à Deo excuti omnino potest illud naturaliter insitum, altissimèque infixum, Deum, hoc est, summam & infinitam quamdam bonitatem veritatemque sectari, imitari, ambire, admirari, amare. Quanquam ergo perversa quanquam præpostera imitatione, utcumque tamen Deum imitantur peccantes, ipsum venantur, ipsum non in se sed in vestigiis aucupantur. Non ergo justi qui toto nisu ad Deum properant, suspicandi sunt in creaturis hærere, quando & injusti creaturis non hærent, nisi ex intestino instinctu quo ad Deum vergunt. Est autem perquàm honorificus Deo hic deviantium ab ipso ad ipsum recursus, hoc enim ut ait alibi Augustinus, testantur omnis naturæ authorem non esse nisi Deum, ideoque non esse, quo ab ipso omnimodis recedatur. Quanto ergo honorificentior Deo est impetus eorum, qui ad ipsum vel per se vel in conjunctis sibi spiritibus radiantem feruntur?

L. 11. de Trinit. c. 5.

Item in Expos. Epist. ad Galat. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, &c. Qui hominibus propter veritatem placeat, non ipse illis sed veritas placet.* Cùmque idem Paulus alibi dicat: *Sicut & ego per omnia omnibus placeo:* quì potest & placere & non placere? An compugnantia sunt ista? Minimè. Nam homo *non placet utiliter, nisi cum propter Deum placet, id est, ut Deus placeat & glorificetur, cum dona ejus attenduntur in homine, aut per ministerium accipiuntur. Cum autem sic homo placet, non jam homo, sed Deus placet. Utrumque ergo rectè dici potest, & ego placeo, & ego non placeo.* Quod de se Paulus, id nos de cœlitibus omnibus argumentemur. Placent & non placent sancti: amantur & non amantur: coluntur & non coluntur: invocantur & non invocantur. Ut enim qui propter veritatem placet, non ipse placet, sed veritas in eo placet: ita qui propter veritatem amatur, colitur, invocatur, non ipse sed in ipso veritas amatur, colitur, invocatur. Ut rursum minùs illi veritas placet, cui non placet Paulus propter veritatem: ita minùs amat & colit veritatem, qui non amat colitque propter veritatem omnes illustriores veritatis amicos. Consequens enim est ut placeant & amentur propter veritatem qui veritatis delibata quædam sunt lumina, si placet ipsa veritas & amatur.

IX. Ex eodem. Civit. l. 8. c. 27.

Et, quo nos fulgore præstringant martyres, tanquam pulcherrima quædam justitiæ lumina, idem ita declarat: *Honoramus sanè memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis: quod etiam si qui antea sentiebant, timendo reprimebant.* Et alibi: *Religio Christiana oppugnari permittebatur ab idolorum dæmonumque cultoribus, regibusque terrenis, propter asserendum & consecrandum Martyrum numerum, hoc est, testium veritatis, per quos ostenderetur omnia corporalia mala pro fide pietatis & commendatione veritatis esse toleranda.* Vides quid in martyribus astupeamus, quid veneremur, nempè invictam animi fortitudinem,

L. 10. c. 32.

dinem, insuperabilem veritatis charitatem, legem incorruptibilem æternitatis temporalibus anteponendæ. Hæc cernimus animo, hæc amamus, hæc colimus, hæc adesse & inesse nobis gestimus, hoc est ipsum Deum. Nam quod non tam martyr, quàm invicta veritatis charitas, & incorrupta pulcritudo justitiæ occurrat nostris animis, & blandiatur, rapiatque nos, Augustinum eundem audiamus: *Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum* In Ps. 64. *est templum tuum, mirabile in justitia. Ista sunt bona domus illius. Non dixit templum sanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, sed mirabile in justitia. Habes foris oculos unde videas marmora & aurum. Intus est oculus unde videatur pulcritudo justitiæ. Intus inquam est oculus unde videatur pulcritudo justitiæ. Si nulla est pulcritudo justitiæ, unde amatur justus senex? Quid affert in corpore, quod oculos delectet? Curva membra, frontem rugatam, &c. Quædam ergo est pulchritudo justitiæ, quam videmus oculis cordis, & amamus, & exardescimus; quam multùm dilexerunt homines in ipsis martyribus, cùm eorum membra bestiæ laniarent. Nonne cùm sanguis fœdaret omnia, cùm morsibus belluinis viscera funderentur, non habebant, oculi nisi quod horrerent? Quid ibi erat quod amaretur, nisi quia erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum integra pulcritudo justitiæ.* In sene justo, in martyre non amatur, non colitur species corporis, ut quæ horrorem magis incutiat: sed pulcritudo justitiæ quam inesse illis credimus, sed quam super illos & supra nos effulgentem cultuque & amore impensissimo prosequendam non credimus, sed intelligimus & videmus. Et tract. 3. in Joan. cum similiter ostendisset odio esse juvenem formam venustissimum, sed furem: amori esse senem pannosum & rugis obsitum sed justum: *audis quia justus est, amas, amplecteris. Talia nobis præmia promissa sunt, fratres mei: tale aliquid amate, tali regno suspirate & talem patriam desiderate, si vultis pervenire ad id cum quo venit Dominus noster, id est, ad gratiam & veritatem.* Ubi docet patriæ cœlestis incolas non aliter spectari, quam ut justitia veritate imbutos absorptosque animos, & ut ipsam justitiam & veritatem creata omnia devorantem. Et serm. 17. de Verbis Apost. longè pulcherrimè idem Augustinus: *Interrogo, utrum ames justitiam: respondebis, amo. Quod non responderes veraciter nisi te aliquatenus delectaret. Non enim amatur, nisi quod delectat. Delectare in Domino, Scriptura dicit: Dominus autem justitia est.* Audis Deum justitiam illam esse quam amant, quicumque justitiam amant. Videri autem oculo mentis & amari quod oculo corporis apprehendi nequeat, probat statim eodem exemplo juvenis corporis flore venustissimi, sed moribus distorti: & senis specie squallidi & fœdi, sed fide & virtutibus præclari: *Illum invenisti fœdum carne, illum pulcrum, sed pronuntiasti & dixisti: Quid fide pulcrius? Quid infidelitate deformius? Ergo præ omnibus voluptatibus, hoc est, delectationibus etiam licitis amanda est justitia. Si enim habes sensus interiores, omnes illi interiores sensus delectantur delectatione justitiæ. Si habes oculos interiores, vides lumen justitiæ, &c. Carnem quippè vestram delectant illicitæ voluptates, mentem vestram delectet invisibilis pulcra, sancta, casta, canora, dulcis justitia.*

X. Consentit Augustino Nazianzenus. Orat. 21.

Utque Augustino suffragatores adjungam aliquos, è Græcis maximè illos accersam, de quibus dubitari æquius erat. Nazianzenus: *Athanasium laudans, virtutem laudabo. Idem enim est, illum dicere, quod virtutem laudibus efferre. Quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat, vel ut verius loquar, tenet. Deo enim omnes vivunt. Virtutem autem laudans, Deum laudabo, à quo virtus hominibus est, utque per cognitam illuminationem ad eum deducantur, vel potius reducantur.* Vides in Athanasio, non Athanasium, sed virtutem, & in virtute Deum celebrari. Et rursus: *Non minus tamen ad vitam rectè instituendam utilitatis nobis afferunt martyres, holocausta ratione prædita,* Orat. 18. *victimæ perfectæ, oblationes Deo gratæ, veritatis præconia, mendacii proscissiones, legis spiritaliter intellectæ adimpletio, erroris oppressio, vitii insectatio, peccati diluvium, mundi lustratio.* Observa quæso quæ mentis oculo oberret species, cùm Martyrem colimus; nec enim hominem tam imaginamur aut colimus, quàm *veritatis præconium, legis spiritalis plenitudinem, erroris & vitii insectationem:* denique invictam veritatis charitatem. Unde idem paulò pòst: *quandoquidem hujus quoque viri vel sola recordatio, sanctitate animum imbuit.* Istud porrò est sanctos quoslibet propter Deum coli, nempe colentium cogitationi & amori non tam ipsos, quàm qua illi circumfusi & immersi oblitteratique penè sunt, veritatem atque sanctitatem incorruptibilem obversari.

XI. Et Cyrillus. L. 6. con. Jul.

Cyrillus Alexandrinus; *Sanctos porrò Martyres, neque Deos esse dicemus, neque latria illos adorare solemus, sed habitudine & honore. Quin potius summis honoribus illos ornamus, quod pro veritate strenuè certaverint, sinceritatemque fidei eo usque servaverint, ut animam ipsam contempserint, repudiatisque mortis terroribus periculum omne vicerint, & virtutis adeo mirabilis seipsos veluti quasdam imagines vitæ hominum proposuerint.*

XII. Hinc minus obest, si justus & sanctus putetur & colatur, qui non est, dum nō colatur, nō ametur nisi justitia.

Cæterùm hinc illa etiam eliditur quorundam cavillatio, qui obrepere posse errorem ganniunt, & ascribi Sanctorum albo, quorum sanctitatem simulatio, aut fama plerumque fallax mentita sit: ideo tutius esse non conferri honores, omnes nisi in Deum unum, cujus inconcussæ fidei, nec error illudere, nec fama potest imponere. Verùm ut alia faciam missa, quibus indubia Sanctorum gloria & sanctimoniæ lux evincitur: quid enim dubii in Angelis hærere potest? Quid in Apostolis? Quis super est scrupulus in iis quorum adcineres evidentissima increbuere miracula? Sed ut hæc prætermittam, esto, ut error possit obrepere, at eo nihil Ecclesiæ pietas perstringitur, non fidei veritas contaminatur. In sancto enim quolibet homine seu superstite, seu in cœlos avecto non suspicimus, non colimus nisi pulcritudinem justitiæ incorruptibilem: huic honorem, huic amorem, huic venerationem omnem dedicamus. Num qua potest simulatio, aut famæ nugacitas afficere, ut pulcritudo justitiæ colenda, vel amanda non sit? Ea si in hoc homine non erat, in quo inesse existimabatur, erat illa nihilo minus colenda amandaque. Tali ergo cultori justitiæ quid hic error obesse potuit? Obesset enim immane quantum, si injustitiam coleret, si turpitudinem admiraretur: at dum nonnisi justitiam & honestatem colit, ubicumque demum ea vel esse putetur, vel reapse sit, non aberratur omninò à scopo. Augustinus de hominibus agens cum hac mortalitate adhuc luctantibus, *Sed plerumque in* In Evang. Joan. Tract. 90. *eis nostra credulitas fallitur, quia nonnunquam & historia, sed multò magis fama mentitur. Pertinet autem ad nos ne perniciosa opinione fallamur: ut quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque sententiam: id est, ut si ille, vel ille homo, utrum sit quod impudicus, pudicusve nescimus, oderimus tamen impudicitiam & pudicitiam diligamus: & si illum, vel illum injustum esse, justumve nescimus, amemus tamen justitiam & injustitiam detestemur: non quas nobis ipsis errando confingimus, sed quas fideliter, hanc appetendam, illamque vitandam in Dei veritate conspicimus. Ut cum de ipsis rebus quod appetendum est, appetimus, quod devitandum est, devitamus; ignoscatur nobis ille de occultis hominum aliquando, imo assiduè non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita, &c. Quando ergo non erratur in rebus, ut recta sit improbatio vitiorum, virtutumque probatio, profectò si erra-*

erratur in hominibus, venialis est humana tentatio. Hæc ille de hominibus corruptibilis corporis sarcina adhuc gravatis, quos inter degimus, & in quibus non possumus omnino animi nostri consensionem ita sustinere, quin ex vitæ examine probos improbosque diffiniamus, & amore aut odio in eos, prout res tulerit, ferveamus. Ibi ergo si non erratur in re, si non amamus nisi justitiam, si non detestamur nisi improbitatem, in personis quidem errari poterit, sed humana, & venialis, & inevitabilis est ista nunc quidem tentatio. Num ipsum quoque circa mortales homines errorem declinare satagent, ita ut cohibeant usquequaque assensum animi sui, & nec probum improbumve quemquam judicent, nec amorem odiumque suum in quemquam conferant? At quis non videt quanta hæc perversitas, quanta rerum omnium tumultuatio futura sit? Quàm ferreum enim aut quàm stupidum ille pectus gestabit, cujus nec amorem stimulabit virtus, nec odium vitia aliquando conspicua & splendidissima? At quis bonorum familiaritatem & contubernia ambiet & frequentabit, malorum effugiet, nisi illos malos, hos bonos liberato dijudicet examine? Patet igitur unius erroris declinandi studio præpostero, quantos in errores præceps iturus quis sit: & innoxij metu erroris, quàm exitialium errorum foveas sit incursurus. Sed vel ea ipsa in re non vitabit errorem, in qua maximè vitatum cupit. Nam si assensionem ubique sustinet, ut in loco ludicro dubioque semper suspensus, in hac ipsa errandi cautela errat fœdissimè, qui indubitatam quandoque justitiam vocat in dubium, certam pro incerta criminatur, clarissimam suspicionibus suis obscurat, eminentem debitis fraudat honoribus, & contumaciæ suæ importunitatem prudentiæ obumbratione prætexit. Non ergo hæc æquâ est errandi fuga, qua ab incerto ad certum errorem fugatur, ab humano & veniali ad scelestum & exitialem. Denique etsi res ita haberet in negotio mortalium: at certè quorum vita virtutum documentis ad exitum usque claruit, ij jam casibus & procellis erepti appulsique ad beatam æternitatis patriam, tutiùs utique possunt laudibus celebrari. Unde ubi cautiùs præcipitur laudari homo, dum pendet nutatque in ancipiti hujus vitæ; additur tamen, *Lauda post mortem*.

XIII. De eodem rursus ex Augustino. In Evang. Joan. Tract. 100.

Idem Augustinus: *Est autem falsa gloria, quando laudantes errore falluntur, sive in rebus, sive in hominibus, sive in utrisque, &c. Porro si se quisquam justum fingat & non sit, sed totum quidquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agat propter Deum, hoc est, propter veram justitiam, sed solum quærat & diligat ab hominibus gloriam: illi autem apud quos frequens est ejus fama cum laude, non eum putent nisi propter Deum laudabiliter vivere; non falluntur in re, sed falluntur in homine; quod enim bonum esse credunt, est bonum: sed quem bonum esse credunt, non est bonus, &c. Cùm autem de aliquo per Deum & propter Deum justo, hoc est, veraciter justo, causa ipsius justitiæ frequens est fama cum laude, vera quidem gloria est, non tamen ea credendum est beatificari justum, sed laudantibus gratulandum est, quia rectè judicant, & diligunt justum*. Huc redit tota vis argumenti hujus, quòd laudatio justi non justo prosit laudato, sed laudanti. Prodest enim laudato virtus sua, quæ eadem beatitas sua est, non laus quæ adventitia, extima, & aliunde pendula est. At laudanti justum prodest, quod ea laudatione judicium suum rectum, affectumque prodat, æstimationem, admirationem, dilectionem justitiæ saltem aliqualem promat. Jam verò cùm possit quis laudare justum, sed specie tenus & simulatione justitiæ fucatum, laus ista quid oberit, aut quantulò minùs proderit laudanti, quàm si veraciter justus laudaretur? Sive enim seriò, sive mimicè justus sit qui laudatur, qui illum ornat laudibus propter justitiam, is nihilo seciùs exerit exaggeratque judicij sui amorisque in justitiam propensissimi integritatem. Quia ergo, ut ait ibi Augustinus, *bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest, & laudantibus gratulandum est, quia rectè judicant & diligunt justum*, prodest & gratulandum est etiam laudantibus & colentibus eos, quos non temerè et si falsò justos opinantur: quia non id prodest quod justos, sed quod justitiam diligant: nec id gratulandum est, quia illis placet bonus, sed quia placet bonum.

XIV. Quin prodest quandoque credi & celebrari ut justum, qui non est, dû non laudetur nisi justitia. L. de utilit. cred. c. 4.

Quin etiam non errores tantùm istos nihil jacturæ importare, nihil emolumenti deterere, sed utilitatis honestatisque non paulum invehere ita demonstrat Augustinus: *Tertio generi est illud accommodatum: Si quis Epicurum lecto ejus in libris aliquo loco ubi continentiam laudat, in virtutem illum summum bonum posuisse asseveret, & ideo non esse culpandum. Huic enim quid obest error Epicuri, si summum bonum hominis voluptatem ille corporis credit, cùm iste non se dederit tam turpi noxiæque sententiæ, neque ob aliam causam ei placeat Epicurus, nisi quod eum sensisse non putat, quod sentiri non oporteat? Hic error non modo humanus est, sed sæpè etiam homine dignissimus. Quid enim si mihi de aliquo quem diligerem, nuntiaretur, quod sibi cùm esset barbatus, pueritiam atque infantiam ita placere multis audientibus dixerit, ut etiam juraverit se similiter velle vivere, idque mihi ita probaretur, ut impudenter negarem: num reprehendendus viderer, si eum existimarem cùm hoc diceret, significare voluisse, sibi placere innocentiam, & ab eis quibus hominum genus involveretur cupiditatibus, animum alienum, & ex eo illum magis magisque diligerem quem antea diligebam, etiamsi fortasse ille in puerorum ætatibus libertatem quandam in ludendo, & cibando, atque ignavum otium stultus adamasset? Fac enim eum esse defunctum postquam hoc mihi nuntiatum est, nec interrogari a me potuisse quidquam, ut aperiret sententiam suam; essetne quisquam tam improbus, qui mihi succenseret, cùm hominis laudarem propositum & voluntatem per illa ipsa verba quæ acceperam? Quid quod etiam justus rerum æstimator non dubitaret fortasse laudare opinionem ac voluntatem meam, cùm & innocentia mihi placeret, & homo de homine in re dubia bene potiùs existimarem, cùm etiam malè diceret?* Audin jam hunc errorem non modò humanum dici, sed sæpè etiam homine dignissimum? Audin laudandam etiam opinionem & voluntatem, cùm placet justitia, & homo de homine in re dubia bene potiùs existimat? Sicubi ergo ita circa mortales erratur apud Catholicos, homine dignissimum est, laudis etiam incrementum est ita errare. Erratur enim de probitatis redundantia, de charitatis copia superfluente. At ubi error cautiùs vitatur apud Hæreticos, satius fuerat errasse. Animus enim præposterè suspicax & si quandoque hinc errorem vitat, quo illaqueantur alii hoc animi vitio puri & intacti, satius fuerat non evitasse.

Epist. 126. ad Anton.

Quod ipsum rursus confirmat: *Gratulor tibi & gratias ago Domino Deo nostro de spe & fide & charitate tua, tibique apud eum quod de nobis tam bene existimas, in fideles Dei servos esse credas, idque ipsum in nobis corde purissimo diligas: quanquam hinc etiam gratulandum benevolentiæ tuæ potiùs, quàm gratiæ tibi agendæ sunt. Tibi enim prodest, ipsam diligere bonitatem, quam profectò diligit, qui eum diligit quem credit bonum, sive ille se ita, sive aliter quàm creditur, habeat. Unus tantùm in hac re cavendus est error, ne quisque non de homine, sed de ipso hominis bono aliter sentiat, quàm veritas postulat. Tu verò qui nullo modo erras credendo vel sciendo magnum bonum esse, libenter Deo castèque servire, cum quemlibet hominem propterea diligis, quòd hujus boni participem credis, tecum est fructus tuus, etiamsi ille non ita sit. Quapropter tibi gratulandum est, illi autem non si propterea diligitur, sed si talis est qualem esse existimat, à quo propterea diligitur. Quales itaque nos simus, quantumque in Deum promoverimus, ipse viderit, cujus non solum de ho-*

de hominis bono, sed de homine ipso non potest errare judicium. Tibi ad mercedem beatitudinis, quod ad hanc rem attinet, satis est, quod nos tales credens, quales oportet esse servos Dei, toto sinu cordis amplecteris. Gratulandum illi rursus prædicat, ut qui fructu suo non careat, ut qui mercede beatitudinis non fraudetur, qui quos existimat servos Dei esse perfectos, eos toto sinu cordis amplectitur, etsi ea ejus existimatio hominum simulatione & fuco illudatur. Quippe ut non temerè præcipitanda est assensio animi, ut quemlibet passim justorum choro eximio inscribamus: ita nec contumaciter diffidendum omnibus est, ut promiscuè omnes nostris insuperabilibus exagitemus suspicionibus. Sed dum certi simus de ipso hominum bono nihil nos hallucinari, nec in pretio habere quidquam, nisi justitiam & æternorum charitatem, jam faciles esse & clementes debemus in ipsis hominibus censendis, & in indulgentiæ partes magis inclinare, certi nostrum nobis non perire præmium, etsi quandoque humanum titubaverit judicium. Honos enim quo homines in speciem pios afficimus, & sollicitudo atque crebra adhortatio ut pro nobis ad Deum intercedant, non in irritum cadit, etsi illorum pietas fucus sit & stropha. In eis enim non ipsos, sed ipsam pietatem & justitiam admirabamur.

XV. De eodem ex eodem Augustino. Ench. c. 19. & seq. — Et rursum: *Qui verò malum hominem ita bonum credit, ut nihil ab eo patiatur mali, nullo modo fallitur, nec in eum cadit illa prophetica detestatio, Væ iis qui dicunt, quod malum est, bonum. De ipsis enim rebus, quibus homines mali sunt, non de hominibus dictum intelligendum est.* En, nullo modo falli ait hujusmodi indulgentiorem hominum æstimatorem. Quin ex hoc erroris qualicumque malo emergere vera bona mox conjectatur, perinde ut si quis per errorem à via trita devius, latrones eam obsidentes effugiat inopinus: *Itemque aliud est, ipsam viam putare quæ non est ipsa: & aliud est, ex hoc erroris malo, aliquid boni consequi, velut est, ab insidiis malorum hominum liberari. Nescio sanè utrum etiam ejusmodi error sit, cùm homo de malo homine bene sentit, qualis sit, nesciens.* Igitur iste error in commodum errantis cedit, in vitium autem atque in detrimentum vertet suspicacioris censoris pertinax hæsitatio. Etenim ita demum vincula charitatis omnia perstringentur, & immanis aliorum ab aliis abalienatio exorietur atque animorum secessio. Et ad istam rem illustrandam non absre forsan erit referre quæ habet idem Augustinus: errare quidem eos qui alienos sensus affingunt quibusdam Scripturæ locis: si tamen his eorum sensibus ædificetur charitas, ita errare illos, ut suo ipso errore in viam reducantur. *Sed quisquis in Scripturis aliud sentit, quàm ille qui scripsit, illis non mentientibus fallitur: Sed tamen ut dicere cœperam, si ea sententia fallitur, quæ ædificat charitatem, quæ finis præcepti est, ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eò tamen per agrum pergit, quò etiam via illa perducit.* (L. 1. de Doctr. Christ. c. 36.) Ita sanè quisquis alienam vitam clementiùs interpretatur, & ita errat, ut error iste charitati serviat alendæ roborandæque, errore in viam redit, & penè compendiosiùs.

XVI. Et hi facti errores cavendi quidem, sed hic omnino non possunt vitari. — Et cavendi sunt tamen errores isti, ut ibidem monet Augustinus, sed ut in totum iis absolvi nos posse quandiu mortaliter hìc degitur, desperemus. Quippè hæc est vitæ immortalis cui inhiamus prærogativa, præ caduca hac qua gravamur adhuc. Quocirca utriusque vitæ modum & rationem eos fefellisse necessum est, qui errores istiusmodi jam nunc extirpari febricitus posse sibi blandiuntur. (Ench. c. 21.) *In his atque ejusmodi falsitatibus salva fide, quæ in Deo nobis est, fallimur: & via non relicta quæ ad eum nos ducit, erramus. Qui errores etsi peccata non sunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi sunt: quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hìc falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quamvis enim hæc ab ea fide absint, per quam ad veram certamque atque æternam beatitudinem tendimus; ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus. Nullo modo quippe falleremur in aliquo, vel animi, vel corporis sensu, si jam vera illa atque perfecta fœlicitate frueremur.* Si volunt ergo sententiam ita suspendere, ut nunquam fallantur, in hoc turpissimè falluntur, qui vitam istam à meliore illa non discriminent, cui suspiramus: qui hanc vanitati subjectam non advertunt: qui non vident rem hominum publicam & vitæ consuetudinem à fundamentis subrui atque everti, si probabilia, si similia veri, ubi desunt certa & necessaria, respuantur. Academicorum ergo hanc sinamus esse fluctuationem, quos exagitat tum alibi passim Augustinus, tum in Enchiridio; *Apud illos ergo error omnis putatur esse peccatum, quod vitari non posse contendunt, nisi omnis vitetur assensio. Errare quippè dicunt eum quisquis assentitur incertis, nihilque certum esse in hominum vita, propter indiscretam similitudinem falsi, etiamsi quod videtur, fortè sit verum, acutissimis quidem, sed impudentissimis conflictationibus disputant. Apud nos autem, justus ex fide vivit. Ac si tollatur assensio, & fides tollitur, &c.*

Quin & errari quandoque in eorum delectu, quos adhuc mortales nobis præstituimus imitandos, interest ad salutis nostræ profectum. Non quo nullos penitùs intueri debeamus, quos moribus nostris enitamur effingere, cùm apertè proferat Paulus, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* sed ut quo rerum gradu & modo sit ista probitas intelligamus, errori nempè obnoxiam, innoxio quidem, sed tamen in ærumnis hujus vitæ adhuc collocando, ut ex eo ad sempiternam illam fœlicitatem flagrantiùs concupiscendam incalescamus, unde exulabit error, ubi regnabit plenissima & splendidissima veritas. — XVII. Et hæc errandi quandoque necessitas prodest, ut ad immortalē vitam concupiscendā inflammet. — In Ps. 30. — *Volebas imitari nescio quem, invenisti illum non bonum. Alium quæsisti, nescio quid displicuit tibi, &c. Si attendis adhuc hominem, & eum quæris imitari, & ex illo pendere, adhuc lacte vis nutriri, & fies mammothreptus, quales dicuntur pueri qui diu sugunt, quod non decet. Etenim lacte uti, tanquam per carnem velle sibi cibum trajici, hoc idem est per hominem vivere. Idoneus esto ad mensam, inde cape, unde ille cepit, aut fortasse non cepit. Fortè utiliter & in malum incidisti, quem bonum putasti, ut in ubere quasi materno amaritudinem invenires, & ea offensione repellerereris, & ad cibum validiorem invitareris. Faciunt enim hoc nutrices mammothreptis, ut aliqua amara ponant in papillis suis, quibus offensi parvuli ab ubere resiliant, & ad mensam inhient. Dixi tu es Deus meus. Tu es Deus meus; recedat Donatus, recedat Cæcilianus, nec ille, nec iste Deus meus est. Non ad hominis nomen ambulabo: Christi nomen teneo.* Itaque imitandis venerandisque inhærere hominibus, non istud impietatis flagitium, sed pietatis adhuc tenellæ rudimentum est, non exitiale virus, sed lac infantiæ. Et utique exitialius est lacte nunquam uti velle, quàm semper uti velle, quanquam utrumque in vitio sit. Exitialius enim est ipsam præfocare infantiam, quàm in infantia diutius quàm par est, demorari, aut etiam consenescere. Rursum adverte in his Augustini verbis, non usquequaque puerascere eos qui homines imitantur, si imitatores Christi in iis se imitari intelligant, sicut ait Paulus, *Sicut ego Christi*: nec spem fidemque suam ab his hominibus pendere, sed ab uno Deo, cui toto cordis assensu canunt, *Tu es Deus meus*. Ita enim quasi seponimus homines quamlibet sanctos, & quamlibet eos imitemur, sentimus tamen Christi nomen nos tenere, nec ad hominis nomen ambulare. Adverte iterum, ut ab hoc lacte, perutili quidem, & necessario, sed lacte tamen, & infantiæ necessario, avocemur tandem aliquando, quadam dubiorum aut hallucinationum amaritudine illud conspergi à Deo, ut audeamus ad

Chri-

Christum, ut assurgamus ad Deum per nosmet imitandum, invocandumque. Nec obtrectamus maternis uberibus, cum ab iis hac amaritudine offensi resilimus, quin materna semper veneramur ubera, & lac admiramur, & illis & huic debere nos profitemur eas vires, quibus ad solidum cibum invadendum tandem convaluimus. Rursum adverte eniti quidem nos ut grandescamus, sed dum mortali premimur hoc ævo, nunquam tantum nobis arrogare nos, ut quasi excussa penitus infantia supercilium extollamus; sed ad sobrietatem sapimus, & subinde quidem ac sæpiculè ad Deum, ad Christum ultro evolamus, sed nunquam tamen à lactis adminiculo, nunquam à materno ubere penitus evagamur, ut qui nedum spiritales nos nisi ex primitiis delibatæ novitatis, porrò adhuc carnales esse ex reliquiis plurimæ vetustatis experimur. Iterum adverte pleraque hæc à nobis secundùm Augustinum disputari de hominibus sanctis in hac peregrinantibus adhuc terrena civitate; sed in his quantum argumenti sit ad Sanctos cœlo jam ascriptos, ex superioribus abundè patefactum est. Cùm vel maximè, ut jam advertimus, dubitationum nubeculæ rariores levioresque ac penè nullæ circa cœlitum honores se interserant, quæ circa mortales densiùs constipantur. Hoc tamen loco Augustinus de Cæciliano meminit, qui jam olim terrenis compedibus explicatus beatam in cœlis vitam carpebat. Denique ita semper Augustinus hanc adversus Donatistas concertationem temperavit, ut & innocentiam Cæciliani adversus eorum criminationes tutaretur, & tamen assereret nihil Ecclesiæ veritatem labefactari, etsi vera aliquando revinci possent crimina Cæciliani. Haud aliter nos Sanctorum quos Ecclesia colit, sanctitatem à malevolorum potiùs quàm hæsitatorum calumniis purgamus: sed etsi aduri posset & contaminari eorum aliquando memoria, Ecclesiæ pietatem ab ea labe puram & illibatam nihilo seciùs fore argumentamur, quod illa non in hominibus quidquam, nisi sapientiam & justitiam incommutabilem, qua eos aspergi, aut scivit, aut putavit, venerata sit.

XVIII. De eodem ex eodem August. L. de Oct. q. ad Dulcit. q. 3.

Nec pigebit alio idipsum patefacere exemplo, quì ista necessitas, homines vel doctores, vel ad Deum intercessores honorandi invocandique, nec recusanda interim sit, & deprecanda in posterum sit tamen. Audiamus Augustinum: *Ego enim quod confitendum est charitati tuæ, plus amo discere quàm docere. Nam hoc admonemur etiam dicente Jacobo Apostolo, Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Ut ergo discamus, invitare nos debet suavitas veritatis: ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis: ubi potius orandum est ut transeat ista necessitas, qua hominem docet aliquid homo, & simus omnes dociles Dei: quamvis & hoc simus, cum ea quæ ad veram pietatem pertinent, discimus, etiam quando illa docere videtur homo: quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Necessitas charitatis qua alter alterum, hominem docet, & amplectenda hìc interim est, & tamen deprecanda, optandumque ut omnes veritatem una ipsa doceat veritas. Quanquam enim per hominem non doceat hominem nisi veritas, optatius tamen est ut cesset homo, & solus doceat magister Deus. Ita planè honorandi invocandique sunt secundarii post Christum non doctores tantùm nostri, sed & mediatores: sed ita tamen ut in votis sit illa beatitas æternæ patriæ, ubi nulla interposita creatura uniuscujusque mens ipsam veritatem complectetur, etsi ne nunc quidem in interjectis hominibus quidquam nisi ipsam complectimur veritatem.

XIX. Exemplo Lazari res elucidatur. Epist. 164.

Denique ne nos diutiùs hic teneat locus, eo pertinet quoque hoc Augustini: *Cur ergo me non delectet laudari abs te, cum & vir bonus sis, nec me fallas, & ea laudes quæ amas, & quæ amare, utile ac salubre est, etiamsi non sint in me? Neque hoc tibi tantum, sed etiam mihi prodest. Si enim non sunt in me, salubriter erubesco, atque ut insint inardesco. Ac per hoc quod agnosco mea, in laude tua, gaudeo me habere, & abs te illa ac meipsum diligi propter illa. Quæ autem non agnosco, non solum ut ipse habeam, desidero consequi, verum etiam ne semper in mea laude fallantur, qui me sinceriter diligunt.* Atque ut ne morosior sim in istiusmodi locis omnibus ex Augustino tædiosè contexendis, universim illud hinc clarescit, non tam spectandum quis à quoquam, quàm quid in honore & pretio habeatur. Dum enim cordi & admirationi non sit nisi quod esse debet, justitia, sapientia & æternorum claritas, quòd jam hæc nonnullis inesse opinemur virtutum ornamenta, à quibus procul sunt, id verò nunquam obest, persæpè autem prodest. Atque ut non de viventibus tantùm id constet, in quibus dilucidior res tota est, & in confesso apud omnes; ut de vita functis exemplum adhibeamus, Lazarum illum mendicum de quo Christus apud Lucam disserit, non uno modo sancti Patres interpretati sunt. Alii enim id totum parabolicè, alii historicè descriptum commentantur. Et tamen Lazaro illi ipsi apud catholicos templa non paucis in locis inscripta sunt. Quis ergo oro te sensus esse potest eorum, qui Lazarum nunquam extitisse sentiunt, & tamen publicè celebrari vident, & ipsi ab Ecclesiis istiusmodi nihil dissonantes, unà hymnis & festis laudibus concelebrant? Persuasum utique exploratumque ipsis est, laudes suas & honores amoremque ita per Lazarum Deo destinari, ut etsi nullus intercurrat Lazarus, illæ tamen non irritæ cadant preces suæ, sed divinis tandem auribus insinuentur; nec enim Lazaro propter Lazarum fervere sua vota, sed paupertati cælestium diviti, sed opulentiæ terrenorum omnium fastidiosæ, sed patientiæ inexpugnabili, sed æternorum charitati temporalium omnium calamitatum facillimæ & lætissimæ debellatrici: hæc à se coli, amari, ambiri gnari sunt sibi prodesse, sive ea Lazaro insint, sive absint, sive extiterit, sive non extiterit ullus unquam Lazarus. Quocirca etsi hominibus sensuum consuetudine imbutis & fascinatis aliter videatur, reapse tamen inter parabolam & historiam in rebus istiusmodi non magnoperè interest. Dum enim eo exemplo ad opum contemptum ciearis, dum ad cœlestium amorem ardescas, dum ad patientiæ infractum robur armeris, quid tantoperè refert, hanc exempli utilitatem historiæ debeas an parabolæ? Et ipsa Christi gesta utroque laudis genere florent, nam & historicè considerata magnis virtutum scatent documentis; & allegoricè ut amant sancti Patres, enucleata, defæcatius & magnificentius aliquid spirant. Video exempli rationem in parabola faciliùs approbari, quàm honoris vel invocationis: sed nec honor aut invocatio vacillat, quæ Deo per sequestrem intenditur, nec quantumvis deficiente sequestre, à scopo tamen aberrabit. Ipsa quippe verecundia animi, sequestres captantis, nec irrumpere audentis in divinum conspectum, non utique Deum fallet, & ipsa sibi optimæ Deoque gratissimæ conciliatricis vices præstabit. Præterea nec adversarii inficiantur, in honore sibi etiam sanctos esse Apostolos, martyresque: nec tamen in invocandis, quàm in honorandis sanctis indubitatior certitudo desideratur. An plus sapere volunt Concilio Calcedonensi, famosissimo, numerosissimo, & martyres invocante? *Flavianus post mortem vivit. Martyr pro nobis oret.* Et denique vide quàm pulcrè Hugo Victorinus assecutus sit Augustini mentem, in quæstionibus circa Pauli Epistolam ad Romanos: *Item expositor dicit, Qui malum putat malum, fallitur: sed qui malum putat bonum, non fallitur. Quomodo ergo qui putat id quod verum est, fallitur: & qui putat id quod falsum est, non fallitur? Solutio. Sine* præ-

præjudicio melioris sententiæ dicimus, hoc esse sic intelligendum. Qui malum putat esse malum, fallitur, à cursu suo tardatur, quia eum contemnit & spernit, vel saltem eum minus diligit. Qui autem malum putat bonum, non fallitur, id est, in via morum non offenditur, nec tardatur: quia in eo quod credit eum bonum, amplius eum diligit, & sic quodammodo errando proficit.

LIBER DUODECIMUS

RURSUM DE ADORATIONE CHRISTI, de Cultu Sanctorum, Imaginum, & Reliquiarum.

CAPUT PIRMUM.

Ex impenso Martyrum Reliquiis cultu quantum decus & quàm triumphalis gloria accesserit Christianæ religioni. Ex Græcis primum Patribus.

I. Ex Chrysostomo Sancti Martyres cœlum terramque implent, & illustrant.

A Sanctorum cœlestium cultu ad ipsorum reliquias æquè venerandas descendimus, gradu mollissimo, ab ipsis ab ipsos. Cœlos enim terrasque occupant, & Deo atque nobis sese quodammodo partiuntur. Aut illos potiùs nobiscum Deus partitus est, & cùm animas eorum sibi vendicavit, corpora nobis largitus est. Quanti sit autem munus istud ad salutem præsidii & ad virtutem magisterii, præclarè disceptat Chrysostomus: *Etenim Martyres nobiscum Deus partitus est, cum animas sibi sumpsisset, corpora nobis quodammodo largitus est: ut perpetuæ virtutis monumentum sancta horum ossa teneamus. Nam si bellatorum arma cruentata quis cernens, clypeum, hastam & loricam, licèt omnium sit ignavissimus, statim exilit, exardescit & ad bellum promptus emicat, atque à conspectu armorum sumit animos, ut easdem actiones aggrediatur: Nos qui non arma, sed corpus ipsum cernimus sancti, quod dignum habitum est, ut ob Christi confessionem cruentaretur, licèt omnium simus timidissimi, quomodo possumus non ad summam promptitudinem animi exardescere? Cum hic aspectus velut ignis quidam in mentem nostram incidat, & ad idem nos certamen invitet?* Itaque cùm Sanctos Martyres cœlum atque terra ambitiosè vendicaret, hanc pietatis litem ita diremit æquitas, ut animas cœlo, eorum corpus terræ adsignaretur: ut illi utrobique bearentur, colerentur: ut denique sempiternum in terris triumphum agere & palmas de hoste partas ostentare pergerent.

Tom. I. ho. 47. Ho. in S. ulianum.

II. Pulcherrimam Philosophiam cineres eorũ promulgãt.

Ideo enim resurrectio mortuorum procrastinatur, ut sanctissimam interim philosophiam ipsi Martyrum cineres è tumulo nobis tanquam è suggestu promulgent. *Propterea enim Sanctorum corpora usque ad tempus resurrectionis nobis commendavit Deus, ut maximæ Philosophiæ materiam & occasionem haberemus.* Ut ibidem pergit Chrysostomus. Quàm triumphale enim istud magisterium, quàm efficax & invicta eloquentia, quàm palmaris philosophia, cum ex cruentatis corporibus, è vulneribus, è fuso sanguine, ex ignibus, è cineribus, è tumulis personat temporalium contemptus, æternorum amor, veritatis infracta atque indomita charitas? Unde idem Chrysostomus: *Ubi verò Martyr unus non pedem, non manum tantum demiserit, sed totum corpus injecerit, tum ipsa rerum experientia vehementiùs quàm cohortatione vel consilio quovis impellit, & ex animis circumstantium timorem expellit. Videtis ut potentior sit quamvis tacentium vox ista Martyrum? Propterea nobis illorum copora dereliquit Deus: propterea cum olim vicerint, necdum tamen resurrexerunt: sed certamina quidem à tam multo tempore subjerunt, resurrectionem verò nondum sunt consecuti, nondum propter te, ac propter tuam utilitatem: ut cum illum athletam tibi ante oculos posueris, ad eundem cursum exciteris. Nam isti quidem ex dilatione nullum patiuntur detrimentum, at tibi maximam hæc occasio utilitatem parit.*

To. 5. Orat. 65.

Nec cœlo tantùm terraque sparsi sunt Martyres, sed & in terræ regiones singulas, per urbes, per vicos atque oppida disseminati etiam sunt, tanquam doctores præstantissimi & præsentissimi opitulatores. Quod enim non extuderit crebris hortatibus ac increpationibus doctor seu pastor quilibet, id vel exprimit vel imprimit Martyris præsentia, ut flammescat pietas, ut corda mollescant, liquescant lacrymæ. Idem Chrysostomus ibidem: *Propterea namque non in urbibus tantùm collocavit Martyres Deus, sed etiam in villis ipsis, ut hoc pacto inter nos commercii & colloquii necessaria nobis occasio detur: atque ideo plures in villis, quàm in urbe. Inferiori enim abundatiorem honorem impertiit Deus, quòd imbecillior sit pars illa, propterea majori eam subsidio cultuque dignatus est. Nam ii quidem qui urbes incolunt, assidua doctrina fruuntur: at qui degunt in agris, non tanta largitate potiuntur. Itaque doctorum penuriam Martyrum abundantia solatus est Deus, & ita disposuit, ut plures apud illos Martyres sepelirentur. Illi doctorum quidem linguam perpetuò non audiunt, sed Martyrum vocem è sepulchro resonantem & ipsos alloquentem quæ multo majori virtute pollet.* Et infrà quo turbine torqueat animos fidelium eloquentia Martyrum è tumulis suis concrepantium, ita exprimit: *Sæpè namque quantumvis minaremur, blandiremur, terreremus, cohortaremur, non tanta estis ad orandum alacritate commoti nec excitati: cum verò ad Martyrum Ecclesiam vos contulistis, nemine consulente, solo Sanctorum conspecto sepulchro, copiosos lachrymarum fontes effudistis, & inter orandum fervore non mediocri exarsistis. Atqui mutus summo cum silentio jacet Martyr: quid ergo tandem est quod conscientiam pungit, efficitque ut lachrymarum scatebræ tanquam ex fonte prosiliant?* Quò enim verba, ubi verbera, ubi vulnera, ubi cruor, ubi vincula, carceres, ignes, cruces? Num qua his æquari potest quantacumque verborum eloquentia?

III. Ideo & per vicos singulos velut sparsi Doctores & Opitulatores sunt.

Non sannis, non conviciis, ut solent Novatores, sed gratulatione prosequitur Chrysostomus rusticanos homines, suis quousque per singula oppida sparsis Martyribus incubantes, ut Doctoribus, ut opitulatoribus adhærentes, & hoc muto quidem, sed efficacissimo magisterio philosophari, & vitam mortalem pro immortalitate pacisci perdiscentes. Et quod magis mirum, hanc etiam satis idoneam, etsi cæteræ deessent, extitisse causam comperendinandæ & protelandæ ad usque sæculi exitum, resurrectionis Martyrum, id libet rursus ab eodem Chrysostomo audire: *Atqui poterat Babybas vel exemplo Enoch transferri, vel Heliæ modo rapi, ut qui utriusque æmulator fuerat. At Deus qua est in humanum genus benignitate, inter alias quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit,* To. I. p. 755.

IV. In causa id esse potuit, ut resurrectio corporum procrastinaretur.

dedit, & hanc quoque viam nobis à se munitatem esse voluit, idoneum ad virtutem capessendam stimulum relictis scilicet interim apud nos Sanctorum reliquiis. Non post sermonis facultatem, ipsa certè Sanctorum sepulchra proximum locum obtinent ad animas hominum in ipsos Sanctos intuentium, ad virtutum earundem æmulationem excitandas. Ac sicubi quis hujusmodi conditoris adstat, suum statim sensum ab hac quam dico vi correptum animadvertit, Capsulæ enim aspectu in animam invadens, ipsam percellit, &c.

V. Quin è tumulis suis Martyres Christianā fidem prædicant, justitiæ, charitatem, vitiorum detestationē.

Sed operæ pretium est, quod hoc capite instituimus, non singulis tantùm calcaria admoventes, contemplari Martyres, sed totius Christianæ fidei causam perorantes in propatulo, in quodam orbis terrarum theatro spectare adhuc & audire, in idololatrarum vesaniam bacchantes, in adulterina numina pertonantes, in flagitiorum, in facinorum quorumlibet licentiam fulminantes, Christianæ denique religioni prostratis superstitionum omnium arcibus, victoriam & palmam vendicantes. Ut hinc intelligant qui hostiliter in Martyrum reliquias grassati sunt, quàm adversarii quàmque infesti sint nomini Christiano, quàm frustrà Christiani audire velint, qui ipsa Christianæ fidei præsidia, qui munimenta expugnent.

In hujus autem argumenti pertractatione facilè primas tulit Chrysostomus. Itaque ex ipso carpemus aliquammulta, quibus tamen non creetur tædium, sed oblectatio singularis accedat, iis certè quibus Ecclesiæ & veritatis amor altiùs insedit. Ille itaque demonstrat non Christi tantùm, sed servorum ejus testiumque gloriam anteire longo intervallo laudibus & monumentis Alexandri, quem Græci seu Gentiles impensiùs cæteris omnibus admirabantur. Ille enim quandiu hanc vitam spiravit, fama & gestis floruit; eo extincto subrutum concidit ejus imperium. At Christus imperium suum nonnisi mortuus, sed à morte redivivus excitavit. Nec alter Martyres, morte & gloriam potestatem multò admirabiliorem consecuti sunt. *Alexander imperium suum post ipsius è vita discessum, laceratum ac penitus deletum haudquaquam restauravit; Qui enim id potuisset homo mortuus? At Christus tum demum ipsum maximè excitavit, postquam ex hac vita migravit. Quid autem Christum commemorem, cùm ipse discipulis quoque suis, ut post mortem clari ac celebres essent, concesserit? Ubi enim quæso Alexandri tumulus est? Fac, mihi eum ostendas, diemque quo vitam cum morte commutavit, dicas. At Christi servorum tam splendida sepulchra sunt, ut quæ urbem omnium præstantissimam maximèque regiam occuparint: & dies noti atque perspecti, ut qui festi toto orbe agitentur. Atque illius quidem tumulum familiares quoque ignorant, hujus autem barbari quoque exploratum habent.* Nec id molitur Chrysostomus, ut gloriam Martyribus hoc argumento paret, sed ut Christianæ fidei adversus Gentilium inanem jactantiam munimentum astruat inexpugnabile ex posthuma Christi, Christique servorum longè amplissima potestate. Nam insanire & tumultuari potuerat Alexander dum vita foret, at fato functus è tumulo suo oblitteratam potestatem restaurare haud potuerat, nedum amplificare. At Christi Martyres amplitudinem suam post suum è vita discessum, tum maximè ostentarunt.

In Ep. 2. ad Cor. ho. 26.

VI. Regnat Christus cujus servorū & Martyrū clientes sūt Imperatores & Reges.

Nec superioribus tantùm Regibus antecellit gloria Christi Martyrum, sed & Imperatoribus humanæ reipublicæ clavum adhuc gubernantibus. *At sepulchra eorum qui crucifixo servierunt, regias aulas splendore vincunt, non tam magnitudinis ac pulchritudinis ædificiorum ratione, nam hac etiam parte superant, quàm quod multo majus est, coeuntium studio & alacritate. Nam & ille qui purpuram gestat, ad sepulchra illa se confert, ut ea exosculetur: abjectoque fastu supplex fit, Sanctosque obsecrat ut ipsi apud Deum sibi præsidio sint; atque ut tentoriorum opificem, & piscatorem & quidem fato functos, patronos habeat, precibus is contendit qui diademate cinctus est. Ergone dic quæso, horum dominum mortuum dicere audebis, cujus servi etiam defuncti, eorum qui universo orbi imperant, patroni ac defensores sunt?* Audis quid hinc argumentetur Chrysostomus? Nempe Christum vivere morti suæ superstitem, & immortaliter regnare, cujus & servi post mortem & ipsi suam, adeo se vivere & præpollere testificantur ex ipsis suis cineribus, ut terrarum Principes ac Imperatores, eorum tumulos regia sua magnificentiores admirentur, eorum exosculentur reliquias, cùm vulgi fæce supplices illis accidant, eorum se clientes profiteantur, illos sibi patronos ambitiosè adoptent. Qui hanc ergo Christi Martyrum gloriam concussisse, Christiani imperii munimenta labefactasse, cum Ethnicis adversus Christianum nomen conspirasse existimandi sunt, & pro virili sua, palmam ante tot sæcula de Gentilibus ab Ecclesia partam fregisse & contaminasse?

Sed rursum advertamus animum ad nostræ olim fidei incrementa, hoc maximè provecta Imperatorum in sanctos Martyres humillimo cultu ambituque, ut eorum saltem janitores post mortem haberentur. *Atque id non solum Romæ fieri quispiam viderit, sed in urbe etiam Constantinopolitana. Nam & hic quoque Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in piscatoris vestibulo conderet. Quodque Imperatoribus sunt in aulis janitores, hoc in sepulchro piscatoribus sunt Imperatores..* Et tandem: *Ob eamque causam nemo est qui peregrinationem unquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat; contra multi plerumque Imperatorum peregre profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur, siquidem sanctorum Martyrum templa, &c.* Christi clientum clientes, servorum servos, discipulorum officiales ac janitores ubi se profitentur Imperatores orbis terrarum, quanta hinc Christo gloria, quantum Ecclesiæ decus augescit? Id totum corrumpitur hagiomachorum insanissima procacitate.

Rursum Chrysostomus hic divinitati Christi præsidium parat, quod non ejus tantùm, sed servorum illius sepulchris Imperatores advolvantur proni supplicesque. *Et locus quidem quo corpus hoc positum est, brevis erat & valdè angustus, angustior tamen & venerabilior mille Regum palatiis, imò & Regibus ipsis. Et erit requies ejus honor. Non in ipso tantum, sed & in discipulis ejus contigit. Nam qui ducebantur & circumducebantur, qui contempti erant & vincti, & qui innumera patiebantur mala dum vivebant, ubi defuncti sunt, Regibus ipsis erant magis venerabiles. Quomodo id autem, hinc attende. Roma quæ urbs est maximè regia, relictis omnibus ad sepulcra piscatoris & tabernaculorum opificiis currunt & Reges & Præsides & Duces. Et Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii Reges.* Hoc libro Chrysostomus Deitatem Cristi astruere molitur, & ex reliquiarum veneratione argumentum ad id exprimit. Non ergo Martyrum cineribus, sed ipsi Christi Deitati adversantur, adversus Deum belligerantur, non hagiomachi jam tantùm, sed & Theomachi. Quis autem non obstupescat Christi in suos charitatem & providentiam, qui eorum quoque cineres aliquo aspersit & consecravit divinitatis suæ afflatu, qui unam eorum & suæ Deitatis causam esse voluit, qui eorum honores divinis suis honoribus illigavit, qui eodem bello impeti sivit & sacros cineres & Deitatem suam, ut & eadem insuperabili vi pollerent, eadem victoria fruerentur? Dum enim Deus erit Christus humanæ insertus naturæ, illustrioribus ejus membris afflabitur quidam Deitatis odor, constabit immortalis etiam post mortem honor.

VII. Deus est Christus, cujus servorum tumulis Reges advolvuntur.

Tom. 5. l. Quod Christus sit Deus

VIII. Regnat Christus, Pro quo mors amori & honori est. Adde quod cæterorum sepulchra exhorrescunt etiam proximi, etiam conjuges, nati & charitate olim conjunctissimi. At Martyrum tumuli ab omnibus frequentantur. Idem Chrysostomus: *Ubi sunt divitiæ, ubi servi, ubi pompa, ubi domus magna & nobilis? Te omnes deserunt, te etiam uxor deserit, velit, nolit. Fœtor enim eam abigit, fontes vermium eam repellunt, &c. Martyres beati sunt, quia sua accipiunt, ab eorum sepulchris non discedimus. Atque hoc quidem in loco ne uxor quidem manere vult: illic autem Rex & Imperator diadema regum abjicit, atque in Martyris sepulchro permanet, orans & rogans, ut sibi à periculis liberatio concedatur & contra hostes victoria.* Nimirum id Christo speciosum, id Christianæ fidei luculentum, quod morte cæteri homines infamentur, computrescant, horrori sint; morte Sancti consecrentur, incorruptibiliter vivant vigeantque, amori & miraculo sint, & ita è tumulis suis quasi concionentur è morte Christi vitam salutemque & incorruptibilitatem profluxisse in orbem terrarum, quando ex mortuis Christi servis tanta scaturit jugiter gratiarum ubertas.

In Ps. 48.

IX. Regnat Christus cū vincula & cruces pro illo aditas exosculemur. Et quoniam non corporibus tantùm honos habetur Martyrum, sed vinculis etiam, vestibus, & istiusmodi aliis eorum sanguine vel contactu sacris, percontemur Chrysostomum, numquid hinc etiam argumenti ad Christianæ fidei fulcimentum venari possimus. Et ille quidem illud pertractans quod alicubi de se ait Paulus, *Ego vinctus in Domino*, Pauli vincula ista pulcherrimo hoc prosequitur encomio. *Ego vinctus in Domino. Magna & quæ vim magnam habet dignitas, regno, consulatu & quibusvis aliis major. Quod quidem dicit etiam scribens ad Philemonem. Cùm sim Paulus senex, nunc autem vinctus in Christo. Nihil est enim æquè præclarum atque vincula propter Christum, atque catenæ sanctis illis manibus impositæ. Vinctum esse propter Christum, præclarius est quàm esse Apostolum, quàm esse Doctorem, quàm esse Evangelistam. Si quis amat Christum, novit quod dicitur. Si quis in Dominum insanit, & ejus amore uritur, novit vim vinculorum. Maluerit esse vinctus propter Christum, quàm habitare cœlos. Quovis auro splendidiores eis ostendebat manus, & quovis regali diademate. Non enim tam splendidum facit caput vitta ex gemmis composita, ei imposita, quàm catena ferrea propter Christum. Tunc erat Regum palatiis carcer præclarior; atque adeo ipso cœlo. Si quis Christum diligit, novit hanc dignitatem, novit hanc virtutem, novit quantum humano generi sit gratificatum, quòd propter ipsum sit vinctus. Hoc fortasse est præclarius, quàm sedere à dextris: hoc est magnificentius, quàm sedere super duodecim sedes, &c. Atque aliis quidem videtur esse ridiculum, si probro & contumelia esse affectum, id sit dignitatem esse assecutum: si probro esse affectum, id sit lætari. Iis autem qui sciunt Christi desiderium, hoc omnium beatissimum existimatum est. Si quis mihi daret totum cœlum, aut illam catenam, ego illam præferrem, &c. Nihil est illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, ubi nunc dicuntur manere illa vincula. & meritò viros illos admirarer propter Christi, desiderium vellem videre catenas, quas pertimescunt & horrent dæmones, reverentur autem Angeli.* Quid nunc animi Novatoribus est? Ecquid moventur hac Chrysostomi circa Pauli catenas tam sana insania? Insanit ille prorsus in hæc Pauli vincula, sed amore Pauli, sed charitate Christi insanit, qua insania qui non insanit, ille verè insanit. Quò ex capite, oro, proficiscitur hæc vinculorum admiratio, quàm ex desiderio Christi æstuantissimo, ex stupore magnitudinis ejus, ex siti patiendi pro illo, ex fastidio omnium pro illo, ex fame moriendi pro illo potiùs quàm regnandi, ex invictissimo præjudicio nihil conducibilius, nihil honorificentius, nihil beatius contingere cuiquam posse, quàm laniari, quàm enecari pro Christo? Hæc fames, hæc sitis, hæc impotentissima charitas Christi effervescit & erumpit in vinculorum Pauli admirationem, in complexus, in oscula. Qui hæc sugillant, quo animo in Christum sunt? Qui conviciis hæc proscindunt, num à Christo alienissimi non sunt? Qui vincula hæc violasse ac conculcasse velint, num à charitate Christi extorres omnino non sunt?

Orat. 8. in Ep. ad Ephes.

X. Honor Ecclesiæ in Pauli vincula, publica contestatio est, beatum esse Pro justitia pati. Pergit autem ibidem Chrysostomus: *Mihi est optabilius malè pati pro Christi, quàm honorari à Christo. Hic magnus honor est, hæc gloria quæ omnia exuperat. Si ipse qui pro me factus est servus, & evacuavit gloriam suam, nunquam tanta existimavit se esse in gloria, quanta eum pro me agebatur in crucem, quid me oportet pati? Audi enim ipsum dicentem, Glorifica me, inquit, tu Pater. Quid dicis? In crucem ageris, & hæc gloriam vocas? Certè inquit. Hæc enim patior pro iis, quos diligo, & hæc nunc gloriam existimo. Si qui miserabiles & miseros dilexit, eam rem vocat gloriam, neque in throno esse paterno, neque in gloria, sed in ignominia esse & dedecore, erat gloria, & hoc illi præferebat, multo magis ego hæc debeo existimare gloriam. O beata vincula! O beatas manus quas ornavit illa catena. Non erant adeo honorandæ Pauli manus, quæ claudum Lystris erexerunt & fecerunt surgere, ut quæ indutæ erant vinculis. Si ergo fuissem illis temporibus, tunc maximè fuissem eas amplexus, & pupillis meis admovissem: non cessassem deosculari manus, quæ dignæ sunt habitæ quæ pro Domino meo vincirentur.* Si cum Chrysostomo ergo illa vincula complecti avemus, si osculari, si admovere pupillis, si toto pectore & animo illa diffuaviamur, non amorem aut cultum creaturæ alicui vili, non ferro affigimus, non Paulo ipsi, sed Christo, pro quo pati, id optatissimum: pro quo vinciri, id gloriosissimum: pro quo mori, id beatissimum esse, eo argumento profitemur. Tota igitur catholicæ Ecclesiæ reverentia in has catenas, non aliud est quàm publica quædam testificatio, & velut in concione humani generis excertissima contestatio, pro veritate pati, beatum & divinum quid esse: ita pati Christum ipsum ambisse; hanc patiendi gloriam cæteris præcerpsisse Deum ipsum; crucifigi & benefacere, id Deum esse: Christo suam gloriam & claritatem non in cælesti gloria, sed in cruce, in patiendo pro miseris, in benefaciendo indignis collocatam jactatamque fuisse: nulli gloriam, nulli beatitatem nisi laboribus pro justitia, pro charitate Dei & hominum aditis constare posse: ideo inhiare se crucibus, allambere se catenas, & illam charitatis æstuationem, his atque hujusmodi signis se quantum potest, declarare. His obstrepunt novatores, & intemperias agunt & furiantur, videlicet tam profani veritatis, quàm charitatis peregrini, per quam janua panditur ad veritatem. Sed interim perpende animo quantum momenti sit in hac argumentatione ad stabiliendam Christianæ Ecclesiæ veritatem. Unde enim illucere potest splendidior fidei veritas, aut ardere flagrantior charitas veritatis? Ubi sensus de Deo magnificentior? Ubi animi ad Dei cultum propensio vehementior?

XI. Deus est Christus Pro quo mori tam beatum est, tot & tanti ambiunt. Pergit Chrysostomus: *Admiraris Paulum quando ejus manum tetigit vipera & nihil ei fecit: ne mireris, reverita enim fuit catenam. Etiam totum mare eam reverebatur, tunc enim erat vinctus. Si quis mihi dederit nunc ut suscitem mortuos, non hoc elegerim, sed catenam. Si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi corpus sanum ac validum, non recusarim hanc suscipere peregrinationem, ut solum viderem catenas, ut carcerem in quo fuit vinctus. Atqui ejus miraculorum multa multis in locis sunt signa, sed non sunt tam desiderabilia, quam stigmata. Et in scripturis non ita me delectat, dum facit miracula, quam dum male patitur, flagris cæditur, raptatur atque discerpitur, &c. Vultis scire quanta res sit catena ferrea propter Christum id corpus servile injecta? Audite ipsum Christum dicentem, Beati estis:*

In quo?

In quo? Quando mortuos suscitaveritis? Nequaquam. Sed in quo? Quando cæcos curaveritis? Nequaquam. Sed in quoniam? Quando probris vos affecerint homines & persecuti vos fuerint propter me, &c. Non vice numinum colimus, quorum ipsa maximè vincula colimus: non pro Diis veneramur, in quibus nil venerabilius suspicimus, quàm quod pro verò Deo cruciari & discerpi non detrectarunt. Sed hinc admirabilior effulgescit Christi divinitas, cui sanguine suo testimonium dicunt tanta Martyrum agmina, cui morte sua litant, cujus causa cruciari perinde habent ac deliciari & beari, cujus amore excarnificatis & per varias cruces extinctis invident & gratulantur probi omnes, suam vicem dolent quod non eadem & ipsi fælicitate & gloria nobilitentur, illorum osculantur vincula, amplexantur cruces, tumulos venerantur, iis sese voto saltem consociari & animo affigi, commorique velle ita qua possunt significant, & potiùs sibi ampliusque & optatiùs esse pati pro Christo quàm impassibilem esse, mori pro Christo quàm mortuos excitare. Nihil hoc testimonio manifestius, nullum efficacius & invictius Deitatis Christi argumentum. Denique pelagus ipsum, & procella, atque tempestatis insania, nec non & virosum animal vipera, quando Pauli catenas reverita sunt, incolumemque, & illæsum servarunt, divinitatem Christi adorasse videntur, cùm vinculis quæ pro eo gestabantur, honorem habuerunt. Viderint qui vipera virosiores, qui procelloso mari insaniores in hæc vincula infrendent. Idem exponens alibi cur Paulus vocet vincula sua confirmationem Evangelii, perspicuè demonstrat, quantum momenti esset in his vinculis ad Christi Deitatem comprobandam: *Ergo vincula erant confirmatio Evangelii, ergo erant defensio, & jure quidem. Nam si vincula detrectasset, impostoris omnino speciem præbuisset. Nunc verò omnia tolerans & vincula & calamitatem, planè demonstrat non se humanam aliquam ob causam pati, sed propter Deum qui mercedem reddere solitus est. Nemo enim fuerit qui & mori & tot adire pericula statuat, nemo qui tanti Imperatoris, Neronem dico, offensionem subeat, nisi alium multo majorem Imperatorem intueretur. Erant igitur vincula confirmatio Evangelii.* Viderint ergo qui nobis succensent & indignantur, cùm vinculis istis, cùm confirmationi Evangelii, cùm Imperatoris Christi defensioni advolvi nos intuentur & adgaudere, viderint cui adversentur.

Hom. 1. in Ep. ad Phil.

XII. Libet & alium excerpere pulcherrimum contextum ejusdem Chrisostomi, ubi & fideles ipsos cum osculo sancto invicem defunguntur, declarat non carni suæ alterutrum, sed Christo, sed veritatis oraculo, sed sanctitatis & justitiæ legi sempiternæ eum honorem tribuere, quæ eorum labiis tanquam regio throno insidet, ibi consulitur, ibi respondet & æternitatis arcana profatur. *Audiant qui obscæno osculantur. Audi quæ oracula Christus per os tuum ediderit, atque illud ab omni macula purum conserva. De futura vita disseruit, de resurrectione, de immortalitate: quod mors minimè mors sit, ac sexcenta alia arcana. Etenim is qui sacris initiandus est, ad sacerdotis os tanquam ad oraculum accedit. Audiamus quænam horrore digna sit. Siquidem animam suam jam inde à progenitorum tempore perdidit: atque ad eam exquirendam accedit, teque interrogat quomodo ipsam inveniat ac recuperet. Tum Deus ipsi velut per oraculum indicat quanam ratione inveniri possit, atque os istud vel ipso propitiatorio terribilius existit. Nam propitiatorium istud nunquam ejusmodi vocem emittebat, verùm de rebus inferioris momenti disserebat, nimirum de bellis ac terrena pace, hæc autem omnia de cœlo & futura vita, rebusque novis, ac mentis captum excedentibus.* Non ore tantùm, sed toto corpore Martyres æternitatis oracula personabant, quot membra, tot vaticinia: quot vulnera, tot oracula: in illis itaque non carnem osculamur, sed ipsam veritatem & divinitatem sempiternæ sapientiæ voces fundentem, immortalitatis dictata dantem, in errorum scelerumque monstra perorantem.

Cum se salutant sancto in osculo fideles, non carnem suam, sed Christum, sed veritatis oraculū, Christi thronum osculantur.
In Epist. 2. ad Cor. h 30.

XIII. Theodoretus vestigia premit Chrysostomi? *Quid bellicos duces commemoro, cum nec ipsi reges terra ita unquam honestati fuerint, ut Martyres? Non Cyrus, non Darius, non Xerxes, non Augustus, non Vespasianus, non Trajanus, &c. Sed hi omnes cùm viverent, illustres conspicuique erant, & barbaros vincebant, & post victoriam triumphos ducebant, mortui autem à plebeis nihil differunt. Neque enim conditi sunt insignibus monumentis, neque annui epuli solemnibus honorantur. Quis enim est qui sepulchrum Xerxi Dariive norit? Quis Alexandri, &c. Non enim honore solùm carent imperiali, sed illo etiam qui privatorum sepulchris obtigit. Et tamen stultiores quidam fuerunt, qui & Deos sese pronuntiaverint, sibique ipsis templa construxerint, &c. Sed impio simul honore cum vita privati sunt. Victorum verò Martyrum templa clara & conspicua cernuntur, magnitudine & præstantia & omni ornatus genere illustria & pulchritudinis splendorem latè fundentia. Neque ad hæc nos semel bisve aut quinquies quotannis accedimus, sed frequentes conventus celebramus, sæpè etiam diebus singulis horum Domino laudes decantamus; & qui integra sunt valetudine, hanc sibi conservari, qui autem morbo quopiam conflictantur, hunc depelli petunt. Petunt & liberos qui his carent, &c. Non illos adeuntes ut Deos, sed tanquam divinos homines orantes, intercessoresque sibi ut esse velint, postulantes. Quod verò votorum compotes fiant, qui fideliter petunt, palam testantur illorum donaria, curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt, ex argento aurove confecta, &c. Eadem ibi sepultorum virtutem prædicant: horum porrò virtus, eorum Deum verum esse Deum prædicat.* Huc collimat exaggerata illa & tot argumentationum machinis substructa Martyrum gloria, huc tumulorum honos, huc opulentia, huc cultus, huc miracula, & vota & donaria, atque anathemata, ut *eorum virtus verum esse illorum Deum prædicet.* Ita convaluit, ita pervagata est orbem universum Christiana religio, his argumentis Ecclesia percrebuit, Deitas Christi pervicit, Gentilium superstitio enervata concidit. Ita sancti Patres philosophabantur ut Philosophos sæculares everterent, his probationum jaculis illos confodiebant vitaliter, ut errori morerentur, & vitæ veræ reviviscerent. Num ergo impietatem impietate debellabamus? Num error errore mutabatur, non emendabatur? Num superstitioni superstitio eo deterior quo præpotentior sufficiebatur? Num veritas nisi mendacio succollante non processissent? Num Christi Deitas per fucata quædam & adulterina numina stabiliebatur simul & labefactabatur? Ita sapiant necessum est hæretici, vel ita potiùs stolidissimè & flagitiosissimè desipiant qui fundamenta ipsa quibus superstructa est fides nostra, convellere atque disjicere machinantur.

Quæ supra ex Chrys. ea hic ex Theodoreto. Martyrum cultu debellata idololatria.
L. 8. de cur. Græc affect.

XIV. Ibidem rursum Theodoretus: *Ac Philosophi quidem & oratores oblivioni dati sunt; Imperatorum verò & magnorum ducum ne nomina quidem plerique noverunt; Martyrum verò nomina notiora sunt omnibus quam etiam familiarium. Quin & nascentibus filiis horum vocabula imponere student, securitatem inde ipsis, tutelamque comparantes. Sed quid ego Philosophos & Imperatores, ducesque commemoro, cum eorum quoque qui passim Dii ferebantur, memoriam è mente hominum aboleverint? Horum namque templa sic destructa sunt, ut ne figurarum quidem permanserit species: nec ararum formam hujus sæculi homines sciant: harum autem materia omnis Martyrum fanis dicata est. Suos enim mortuos Dominus Deus noster pro Diis vestris induxit, ac illos quidem vanos cassosque reddidit, his autem honorem illorum attribuit. Pro Pandiis enim vestris & Diasiis & Dionysiis aliisque festis vestris Petri & Pauli & Tho-*

Philosophi prostrati.

& Thomæ & Marcelli, &c. Aliorumque Martyrum solemnitates peraguntur, & pro illa veteri pompa, turpique rerum ac verborum obscœnitate, modestæ celebrantur festivitates, non ebrietatem & jocos risusque exhibentes, sed divina cantica sacrorumque sermonum auditionem & preces laudabilibus lacrymis ornatas. Cùm ita adversus Ethnicorum cuneos belligerarentur Christianæ fidei vindices, si Calviniani tum jam extitissent aliqui affeclæ, utrorum partibus accessissent? Non sanè Christianorum, utpotè quorum exhorruissent superstitionem mortuorum cineribus sordidatam. An ergo Ethnicorum? Si pernegant, at non negabunt inexpiabili se tamen flagitio consceleratos, qui non minùs à Christianæ quàm ab Idololatriæ causæ defensoribus abhorrescant, utrosque abominentur. Doleant ergo eversa idola, subrogata Martyrum sepulcra: doleant evanuisse dæmones, & suffectos esse spuriorum Deorum portentis nostros Martyres: doleant malis artibus & detestabilibus strophis fucum factum esse orbi terrarum & ita Deitati Christi generis humani fidem extortam esse: doleant talibus se parentibus in Christianam Ecclesiam prognatos esse; æternas & ineluibiles infamiæ notas inurant origini sui, hoc est primordiis ipsis fidei Christianæ. Hæc quippè omnia Calvinianæ vesaniæ consequentia esse nemo non videt, nemo non execratur. Etenim quod Chrysostomus, quod Theodoretus disputant de Martyrum cultu extinctis idolorum ineptiis suffecto, id non suo ævo novatum, non à se commentum, sed in Ecclesia catholica tritissimum, à primis Christiani nominis exordiis factitatum testificantur.

XV. Cyrillus simul Julianum & Agiomachos nostros refellit. Cyrillus autem Alexandrinus libro x. adversus Julianum hanc expediet dubitationem, & à Gentilibus stare Calvinianos, unaque cum iis adversus Ecclesiam præclari palam faciet. Apud eum enim Julianus fidei nostræ desertor & appugnator, ita adversum nos decertat, ut videre mihi videar Calvinum ipsum aut primipilum aliquem seu insignem Calvini commilitonem: *Sepulcris ac monumentis implestis omnia, licèt apud vos nusquam dictum sit circa sepulcra versandum esse, eaque colenda. Eo vero progressi estis nequitiæ, ut putetis ne Jesu quidem illius Nazareni ea de re verba audienda esse. Audite ergo quæ de monumentis ille dicit: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis; foris sepulcrum apparet formosum, intus autem plenum est ossibus mortuorum & omni immunditia. Si ergo sepulcra Jesus immunditia plena esse dixit: quomodo vos super iis Deum invocatis?* Criminatur cultum Martyrum, & ex Scripturis traducit Julianus Christianitatis desertor & hostis infestissimus, Calvini & hagiomachorum præsultor vel antesignanus. Sed ille quidem cum idola redintegrare cuperet & exolescentem eorum cultum revocare, non injuria Martyres execrabatur, per quos eversa illa semel fuerant, & etiamnunc restaurationis spes amputabatur. Conspirant sanè cum Juliano hagiomachi, sin minùs ut idola restituant eversa, certè ut eversa fuisse doleant.

Sed quid ad hæc Cyrillus? Ex ipsorum Gentilium consensione demonstrat, interesse ad salutem patriæ, ut ne virorum frugi memoria aboleatur simul cum fugaci hac vita, sed laudibus posthumis & nunquam intermorituris honoribus celebretur. Ut vel hinc videant quam altam in impietatis scrobem demersi sint, qui ne Gentilium quidem saniores sententias assequantur. Quod autem odiosiùs immunditia sepulchrorum ventilabatur, scitè respondet Cyrillus, nihil justis fœtere nisi injustitiam: graveolentiam vitiorum nulla aromatum copia purgari aut dissimulari posse; nulla sordium spurcitia suavitatem virtutum posse corrumpi. In sepulcris Martyrum non aliud captari, non aliud sentiri à nobis aut olfieri, quàm odorem Christi bonum, odorem vitæ in vitam, suaveolentiam justitiæ & charitatis, suffitum animi sese Deo holocaustum adolentis: hæc spiritalia immortalitatis aromata illinc spirare, illinc exhalari latissimè, iis autem hæc putere, quibus odor mortis in mortem Christus est, quibus vitiorum suavitas blanditur, quibus crux & mors pro veritate exantlata insuavis & tetra videtur. *Cum igitur Athenarum facundissimis illis oratoribus, quamvis idola colerent, æquum visum sit, ornare laudibus eos qui præclaram mortem non defugissent, & ad ipsa corporum sepulcra procedere; coram ipsis enim reliquiis egregiorum facinorum laudes oratione prosequebantur: cur demum præstantissimus Julianus in Christianorum humanitatem perperam invectus est, quòd venerationem & honorem erga sanctos Martyres plurimi faciant, qui omnes quotquot fuerunt, suo sanguine temporariam vitam constantia fidei & gloriatione pietatis in Christum commutarunt? An fortè ridendos illos existimat, nec æquo animo ferre potest, quòd non illi quoque fuerint apostatæ, imbelles, fugaces, ignavi, pietatis in Deum contemptores, sicut ipse qui eorum virtuti detrahit?* Et infrà: *Quam labem corpus aut sepulcrum iis immittet, qui propiùs accesserint? An justitiæ cultorem injustum efficiet? An impudicum & intemperantem eum qui sit frugi ac temperans? avarum qui sit liberalis? crudelem & immitem qui sit lenis ac facilis? impium qui Dei sit amans? Minimè vero. Non enim inficient opinor animi bona, mortuorum reliquiæ, sed voluntatum potiùs ad turpia propensiones.* Infectis Christiana Philosophia hominibus non olent graviter nisi peccata, virtutum autem bonus est odor ex ipsis etiam bustorum reliquiis.

Quod denique amariùs in nos declamitaret Julianus, quod mortuum Christum, quod mortuos Martyres ingenti honore prosequeremur, respondet Cyrillus eo invictissimo constare argumento quod mortui non sint, sed vivant immortaliter, quos mors ipsa consecravit, qui morte mortem profligarunt, qui morte vitam sibi pepererunt incorruptibilem, qui virtutes nunquam intermorituras complexi, earum immortalitatem combiberunt, qui vitam etiam aliquam cineribus ipsis suis etiamnum aspirent, ad virtutes incitatricem, tot miraculorum efficacem, tantis honoribus præclaram: imprimis autem vivere Christum, & vitam se esse, eo demonstrare, quod per mortem ita inclaruerit, & suis per mortem tantam conciliet claritatem. Itaque non abstinendus est cultus, quòd mortui sint, sed ex eo quòd tantus tantis virtutibus honor abstineri nec possit, nec debeat, inde conjectandum quod mortui non sint, sed morte sint renati in beatam immortalitatem. *Quid causæ est cur Christum mortuum nominet, illum mortis victorem corruptionis profligatorem? Eam quippè ab aliis ineffabili ac divina potestate & vivifica virtute repulit, sed in mortem incidere volens lubensque, suæ carni permisit, non magis ut mortalem conditionem firmaret, quàm ut corruptionem solveret mortemque destrueret. Nam cùm illud esset corpus vitæ, ipsius nempe Filii cuncta vivificantis, ideoque jure merito vivens, mortis vincula non subiit. Qui ergo mortuus est ille vivens, ac vivificus & mortis profligator? Porro non minùs peccat, dum mortuos nominat eos qui spe vitæ temporariam carnis mortem sunt perpessi: sanctos Martyres dico, de quibus admodum clarè scriptum est, Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace, & spes eorum immortalitate plena. Ut enim ipse Salvator alicubi ait, Vivunt Deo victuri: non enim est Deus mortuorum, sed viventium, is propter quem ad tam præclaram generositatem aspirarunt.* Nomen itaque suum inter insipientes profitentur, quibus videntur Martyres mortui esse, quin ipsi potiùs non carne, sed mente mortui existimandi sunt & sensus inanes, quibus nil suave spirat fortitudo, mortis moriendo victrix; quibus non allucet splendidior excusso carnis nubilo lux animæ; quibus non insonat immortalitas

XVI. Et vivere Christum Martyresq; probat ex justitiæ immortalitate

talitas, morte carnis propter Christum ipsi carni comparata & penè jam præsumpta; quibus non sapit constantiæ & virtutum æternitas; qui denique dum ipsa contrectant Martyrum sepulchra, justitiæ & sanctitatis sacraria hæc esse & immortalitatis monumenta non sentiunt.

XVII. Ex Nazianzeno & Nysseno, per Martyrum cultum eversa idola.

Nazianzenus denique docebit nos quàm exitiosum gentilitiæ impietati nostrorum Martyrum cultum Gentiles ipsi præsenti & diuturno experimento sentirent & indignarentur, & nihil intentatum relinquerent, ut ab eo, id est, ab idolorum excidio, à Christianæ fidei victoria majores nostros avocarent. Oratione x. de Juliano eodem loquens: *Ac ne eos honores qui Martyribus haberi solent, consequeremur, hos enim Christianis vir egregius invidebat, primum illius artificium hoc fuit, ut qui Christi causa patiebantur, tanquam sontes & facinorosi cruciatu afficerentur.* Et Oratione IV. de Juliani obitu gratulabundus: *Non jam Martyrum sepulchris ignem admovebunt, ut per eorum ignominiam alios à certamine deterreant. Non jam Sanctorum reliquias cum vilissimis ossibus per contemptum permixtas flammis absument, aut in ventos spargent, ut eo honore qui hujusmodi hominibus debetur, eos privent.* Viderit ergo Calviniana colluvies, quorum sit, Martyris honori invidere, aut contaminare reliquias: intelligatque se Gentilibus, dum confœderatur causa, impietate non dissociari.

Nyssenus sermone de sancto Theodoro: *Ex magnis parva disce, ex umbris principales formas, quales eæ sint, intellige. Cui Regum talis honor habetur? Quis ex iis qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum qui urbes munitas ceperunt, nationes innumeras subegerunt, adeo decantatus & fama celebratus est, ut hic miles pauper & tyro?*

CAPUT II.

Ex Martyrum cultu profligationem Idololatriæ, Ecclesiæ Christianæ victoriam Latini etiam Patres demonstrant.

I. Ex Augustino, per Martyrum honores eversa idola, Ecclesia propagata.

SI quem pertædescat victoriæ nostræ insignia & immarcessibiles palmas diutiùs & curiosiùs versare ac perlustrare, si quis nauseet, næ animi sui ignaviam ille, & elanguidam prodit religionem. Nos certè ne tædeat diu vincere, ne triumphi nos nostri prolixitas & magnitudo fatiget. Dum priscas enim refricamus victorias, easdem iteramus; redivivas earundem hæresum pestes & Ethnicorum infandas reliquias antiquis proterimus victoriis. Chrysostomo ergo quem Græcis ducem suprà præsultare spectaveramus, hìc inter Latinos principem æquamus Augustinum, in hoc argumento frequentissimè & eleganter versatum. Ergo sic ille: *Ubi sunt qui dicebant, Pereat nomen Christianorum de terra? Certè aut moriuntur, aut convertuntur, &c. Quando delebitur nomen Christianorum de terra? Cum dicunt ista, partim crediderunt, partim perierunt, pauci timidi remanserunt. Quanta ira inimicorum sæviebat, quando sanguis Martyrum fundebatur? Quomodo se putabant nomen Christianorum delere de terra? Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua. Ecce illi qui Martyres persequebantur, memorias Martyrum inquirunt, aut ubi adorent, aut ubi se inebrient. Quærunt tamen.* En ille cujus authoritatem dominari, sub cujus nomine se delitescere simulat Calvinus, en Augustinus prostratam Ethnicorum potentiam, eversam impietatem, ejus labe extructam & in summum culmen gloriæ sublimatam jactat Ecclesiam, idque ex eo efficit quòd qui Martyres persequebantur, jam memoriis Martyrum frequentent ut adorent, aut adorare se fingant. Ut enim deletis Martyribus sperabant Ethnici contritum & oblitteratum iri nomen Christianum: ita adoratis Martyribus ab ipsis interemptoribus suis, profligatam gentilitatem, & victricem Ecclesiam nos ex adverso concinebamus.

In Ps. 137.

Idem alibi: *Nescitis quia contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, tanquam quæ sint, ut ea quæ sunt, evacuarentur? De stercore erectus Petrus, Paulus, & cùm occiderentur, contemnebantur. Modò jam saginata inde terra, exurgente segete Ecclesiæ, ecce quod est nobile & præcipuum in mundo, Imperator venit Romam. Quò festinat? Ad templum Imperatoris, an ad memoriam piscatoris?* Et rursus: *Jam montes ipsi extant, Petrus: quomodo eminent? Qui antè à persecutoribus premebantur, nunc ab Imperatoribus venerantur. Fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei, quia cor Regum in manu Dei, deflexit quò voluit, jussit per eos pacem dari Christianis, emicuit & eminuit authoritas Apostolica. Nunquid quando suprà erant aquæ, montium defecerat magnitudo? Sed tamen fratres mei, ut omnes viderent eminentiam montium, per quos montes salus esset generi humano, ab increpatione Dei fugerunt aquæ. Ad vocem tonitrui tui formidabunt. Conquievit mare, formidaverunt aquæ, nudati sunt mortui, jussit Imperator. Sed quid jussisset, nisi Deus tonuisset?* Quòd piscatoris Petri memoriæ & cineribus inclinetur jam Imperator, quòd eminuerit latitans antea & penè absorpta vorticosis & circumlatrantibus procellis Ecclesia, id præstitit vox tonitrui, tonitru magnitudinis & omnipotentiæ Dei. Ita eminuit, ita emicuit Ecclesia Christi. Quod enim omnipotentiæ Dei in nostram defensionem exertæ armatæque specimen illustrius, quàm ut corda ipsa Imperatorum invaderet & expugnaret, & quantumvis præfracta & rebellantia compelleret, iis quos occiderant accidere supplices & venerabundos? Sed quid Christo, quid Ecclesiæ Christi speciosius, quàm ut per ignobilia quæque nobilitas superba Principum terrenorum frangeretur, per ea quæ non sunt, per mortuorum memorias, per cineres, & reliquiarum minutias, ea quæ sunt & in supercilio rerum humanarum sunt, subjugarentur?

II. Subjugati Christo imperatores. In Ps. 140.

In Ps. 103.

III. Tumulos Martyrum Deus ornabat miraculis, ideo & humanum genus eosdem honore frequentabat. Civit. L. 18. c. 50.

Quia enim nihil splendidius, nihil ad Christiani nominis gloriam illustrandam luculentius fieri poterat, tumulos Martyrum Deus tot miraculis nobilitavit, ut hinc Gentilibus pudoris & infamiæ, nobis laudis incrementa compararentur. *Denique per ipsos non solùm qui eum & ante passionem & post resurrectionem viderant & audierant, verùm etiam & post obitum eorum, per posteros eorum inter horrendas persecutiones, & varios cruciatus ac funera Martyrum, prædicatum est toto orbe Evangelium, contestante Domino signis & ostentis, & variis virtutibus & Spiritus sancti muneribus; ut populi gentium credentes in eum qui pro eorum redemptione crucifixus est, Christiano amore venerarentur sanguinem Martyrum, quem diabolico furore fuderunt; ipsique Reges quorum legibus vastabatur Ecclesia, & nomini salubriter subderentur, quod de terra crudeliter auferre conati sunt: & falsos Deos inciperent persequi, quorum causa cultores Dei veri fuerant antea persecuti.* Et rursus: *Cui nisi huic fidei attestantur illa miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres, hujus fidei Martyres, id est, hujus fidei testes fuerunt; huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum pertulerunt, eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro ista fide mortui sunt, qui hæc à Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur.* Quis enim non omnem illicò errorem expueret, quis non huic fidei adglutinaretur, quis non huic immori exardesceret, quam qui sanguine suo dedicassent, his

L. 22. c. 9.

rerum

rerum omnis natura assurgeret, his portentifica accederet potentia, & orbis universi dominatio, nec his tantùm, id est, eorum animis immortalibus, sed infimæ eorum parti, carni, cinerumque & ossium pulvisculis! Ita propagata est, ita orbem pervasit fides nostra: quid ad hæc mutire ausint, qui Christianos saltem verbo tenus esse se simulant?

IV. Impios ad Deum sequestres Gentilitas habebat. pios subrogavit Ecclesia.

Cultui dæmonum & simulacrorum nefando subrogatam esse religiosam Martyrum venerationem minùs mirabitur, qui meminerit modò Ethnicis non aliud deos suos, quàm Dei summi & veri ministros, atque suos quosdam ad eum alioqui impervium & inaccessum interpretes ac sequestres visos esse. Porrò illud erat inexpiabile nefas quod eos sequestres asciviſsent sibi, qui in omne flagitium duces & hortatores essent, iisque non mediocres, sed summos honores, & uni summo Deo dicatos, nempè sacrificia & templa exhiberent. Ergo quid consultius aut opportunius, quàm ut meliores sufficerentur mediatores, qui non ad vitia præirent, non sacrificia sibi deposcerent, sed semetipsi veritati incommutabili unius Dei mactantes, suo sanguine vitia proscriberent, virtutis iter arduum consignarent? Ergo ut cœlum terramque, ut tempora ipsa & dies referserant & penè constupraverant Ethnici fallacium numinum adulteriis, ita necesse fuit elui illud dedecus & expiari per Martyrum cœlo terraque & singulis anni diebus consecrationem, Augustinus: *Multi persequentes me & tribulantes me, à testimoniis tuis non declinavi. Factum est, novimus, recolimus, agnoscimus. Purpurata est universa terra sanguine Martyrum, floret cœlum coronis Martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum, insignita sunt tempora natalibus Martyrum, crebrescunt sanitates meritis Martyrum. Unde hoc nisi quia impletum est de homine isto, toto terrarum orbe diffuso, Multi persequentes me, &c.* (In Ps. 118. Conc. 10.)

V. Per Martyres orbis devictus, Roma subjugata. Epist. 42.

Pro Christiana fide adversus Ethnicos indeclinabile telum illud intorquebat Augustinus Epistola ad Madaurenses Idololatras scripta, in hunc modum: *Videtis simulacrorum templa, partim sine reparatione collapsa, partim diruta, partim clausa, partim in alios usus commutata: ipsaque simulacra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel destrui: atque ipsas hujus sæculi potestates, quæ aliquando pro simulacris Christianum populum persequebantur, victas & domitas non à repugnantibus, sed à morientibus Christianis, & contra eadem simulacra pro quibus Christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse, & imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare. Hæc omnia Scripturæ divinæ quæ in manus omnium jam venerunt, ante longissima tempora, futura esse, testatæ sunt. Hæc omnia tanto robustiore fide lætamur fieri, quanto majore authoritate prædicata esse, in sanctis litteris invenimus.* En ut cultui Martyrum suffragatrices proferat sacras litteras: en ut cultui Martyrum illiget fundamenta incrementaque Christianæ Ecclesiæ: en ut prælineatam jam olim in Scripturis Ecclesiæ universitatem authoritatemque toto orbe invictissimam, eo impletam contendat, quod *imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicet.*

Nec illud flocci faciendum est quod alibi advertitur, Petri Paulique martyrio caput orbis ipsum subjugatum esse, ut in urbe orbis principe principarentur servi Christi: ideoque Christi passione Orientem, Petri & Pauli sepulcris Occidentem & illustratum esse & subactum. *Et in quo tandem loco Martyrium pertulerunt sancti Apoli? In urbe Roma, quæ principatum tenebat, & caput obtinet nationum: scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & ubi Gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum morerentur principes. Cujus autem meriti sint Beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere, quòd cum Dominus Orientis regionem propria illustraverit passione, Occidentis plagam, ne quid minus esset, vice sui Apostolorum sanguine illuminare dignatus est.* (Serm. 17. de Sanctis.)

VI. Gentiles & Manichæi exprobrabant, quod Martyres coleremus. Epist. 43.

Sed ut liqueat quàm ægro animo ferrent Gentiles increbrescente Martyrum nostrorum cultu exolescere & oblitterari sua templa & numinum monstra, audi quid expostulet apud Augustinum Maximus Madaurensis Ethnicus: sic enim in Martyres nostros invehitur: *Qui conscientia nefandorum facinorum, specie gloriosæ mortis scelera sua sceleribus cumulantes, dignum moribus factisque suis exitum maculati repererunt. Horum busta si memoratu dignum est, rejectis templis, neglectis majorum suorum manibus stulti frequentant: ita ut præsagium vatis illius indignè ferentis emineat.*

Inque Deum templis, jurabit Roma per umbras: Sed mihi hac tempestate propemodum videtur bellum Actiacum rursus exortum, quo Ægyptia monstra in Romanorum Deos audeant tela vibrare minimè duratura. Advertant ad hæc animum Novatores, & videant quàm propè absint à Gentilium impietate, qui iisdem nos conviciis configant, iisdem Martyrum sepulcra execrationibus abominentur. Quid enim superest, nisi ut idola restaurent, cum idolorum eversores insectantur? Rursum idem Augustinus hæc Hermæ Trismegisti quasi præsaga evertendæ idololatriæ verba refert: *Tunc terra ista sanctissima, sedes delubrorum atque templorum, sepulcrorum erit mortuorumque plenissima.* In quæ Augustinus: *Hoc videtur dolere quod memoriæ Martyrum nostrorum templis eorum delubrisque succederent, &c.* Idem dolent Novatores, causa sua cum Gentilibus planè consociata: nec cum Gentilibus tantùm, sed cum harum querelarum incentoribus dæmonibus. Nam ibidem subditur: *Nempe spiritus fallax, cujus instinctu Hermes ista dicebat, per eum ipsum coactus est confiteri jam tunc illam terram sepulcrorum & mortuorum, quos pro diis colebant, fuisse plenissimam. Sed dolor dæmonum per eum loquebatur, qui suas futuras pœnas apud sanctorum Martyrum memorias imminere mœrebant. In multis enim talibus locis torquentur, & confitentur, & de possessis corporibus hominum ejiciuntur.* Si dolorem suum, si hæc in Martyrum tumulos convitia eructabant tum dæmones per Hermem, per Maximum, per Ethnicos, utique nunc iidem eadem per Calvini sectarios. (Civit. L. 8. c. 26.)

Cùm autem calumniantur istam mortuorum hominum culturam à Gentilibus in nos serpsisse, & originis suæ infamia adhuc inquinari, Manichæi jam sunt, quorum vexillifer Faustus hæc in nos olim blatterabat, ut refert Augustinus: *Desciscentes à gentibus, &c. Sacrificia eorum vertistis in agapas, idola in Martyres quos votis similibus colitis: defunctorum umbras vino placatis & dapibus, &c.* Advertant ergo non tantùm quibus, sed cum quibus convitientur. Nos quidem his nos calumniarum jaculis peti nunc haud miramur, quin & gratulamur nobis, qui hæc à Gentilibus, à Manichæis in primigeniam Ecclesiæ adhuc à Christi sanguine recentis calentisque illibatam integritatem vibrata meminimus, itaque eandem nunc nos amplecti, eandem esse Ecclesiam congaudemus, & iisdem ab hostibus frustra lacessi. At qui Gentilium & Manichæorum arma recudunt, qui tela eadem in nos jaculantur, quid sibi cum Ecclesia Christi commune esse mentiuntur? Aut quam usquam extitisse Ecclesiam statuent, qui eam jam inde à cunis suis gentilitiorum errorum colluvione demersam obrutamque convitiantur? (Con. Faust. L. 20. c. 4.)

Quæ cum ita sint, non injuria summum laudis honorisque verticem in catholica Ecclesia obtinuerunt Martyres, ut qui Ecclesiæ totius sint satores, vindices, Patroni. Augustinus: *Quæ omnia verissimos nobis insinuant principes Ecclesiarum, dignos ducatu, dignos imitatione, dignos hono-* (In Psal. 67.)

honoribus. Martyres namque in Ecclesiis locum summum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt.

VII. Quæ supra ex August. nunc eodem ex Hieronymo.

Transeamus ad alios jam Christianæ Theologiæ optimates, ac primum sciscitemur Hieronymi circa hæc eadem sensum. Respondebit ille Epistola ad Lætam de Institutione Filiæ: *Auratum squalet capitolium. Fuligine & aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt. Movetur urbs sedibus suis, & inundans populus ante delubra semiruta, currit ad Martyrum tumulos. Si non extorquet fidem prudentia, extorqueat saltem verecundia.* Quando de prudentia conclamatum est, hanc eandem saltem verecundiam hagiomachis nostratibus imprecari libet, ne dum Martyrum tumulos diruunt, quibus idolorum templa cesserunt, templa & idola restituere videantur. Quid enim quàm idola restaurant, dum eorum eversores demoliuntur? Ita enim res gesta est, non licet ad nutum interpolare rei tot sæculis jam interjectis præteritæ veritatem: non cesserunt idolorum templa nisi Martyrum sepulcris: ab illis ad ista itum est: si hæc evertunt, illa rursus instaurant. Et Epistola ad Marcellam: *Et cætera loca in quibus Ecclesiæ quasi quædam victoriarum Domini sunt erecta vexilla.* Qui vexilla victoriarum Domini diruunt, quid nisi Domino bellum indicunt?

Idem Hieronymus Epistola ad Ripuarium adversùs Vigilantium Calvini antecursorem, illum ait *Os fætidum rursus aperire, & putorem spurcissimum contra sanctorum Martyrum proferre reliquias, & nos qui eas suspicimus appellare cinerarios, & idololatras, quod mortuorum hominum ossa veneremur. O infœlicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum; qui hæc dicens, non se intelligat esse Samaritanum & Judæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, &c.* Et adversus Vigilantium fusius infrà scribens, hæc ejus verba refert: *Propter ritum Gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesiis, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & ubicumque pulvisculum nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant, &c.* Hæc in nos spicula promebat Vigilantius de Ethnicocorum officina, & verè Dormitantium se potiùs dicendum esse demonstrabat, qui non adverteret, hæc labes si Ecclesiæ meritò impingeretur, nusquam ergo Ecclesiam esse, & ubique terrarum idololatriam adhuc vigere. Ubi enim Ecclesia hujus expers tum culturæ? Nusquam locorum: ut ibidem paulò post aperit Hieronymus: *Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim? Apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa trastulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, & tanta lætitia quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt: ut de Palæstina usque Calcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem una voce resonarent?* Et infrà: *Malè fecit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos, ossa veneranda: secundùm te, vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solum unius urbis, sed totius orbis erant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum, in quibus pulvis vilissimus, &c.* Ubique terrarum ergo Ecclesia advolvebatur Martyrum tumulis. Porrò si hæc erat idololatriæ spurcitia, ubi ergo illa à Christo sata labis expers, & idololatriæ debellatrix Ecclesia, omnes gentes pervagatura & subactura? Ubi illa Prophetarum vaticiniis tandiu desponsa? An Scripturæ à veritate deviarunt? An Dei promissa in irritum cecidere? An Christi sanguis frustra & nullo fructu effusus est? An Christi crux idola idolis, errores erroribus vicit? An Christi sanguine Vigilantius unus, vel Manichæus, vel Eunomius redemptus est?

Eundem Vigilantium rursus ibidem ira lancinat Hieronymus: *O portentum in terras ultimas deportandum. Rides de reliquiis Martyrum, & cum authore hujus hæreseos Eunomio, Ecclesiis Christi calumniam struis: nec tali societate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur. Omnes enim sectatores ejus basilicas Apostolorum & Martyrum non ingrediuntur, ut scilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris authoritatis arbitrantur quàm Evangelia, &c. Scribit adversum hæresim tuam quæ olim erupit adversum Ecclesiam, ne & in hoc quasi repertor novi sceleris glorieris, Tertullianus vir eruditissimus insigne volumen, quod Scorpiacum vocat rectissimo nomine, puta arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffudit quæ olim appellabatur Caina hæresis, & multo tempore dormiens vel sepulta, nunc à Dormitantio suscitata est.* Deligant quorum se nomine & origine nobilicari malint, seu Vigilantii, seu Eunomii, seu Cainitarum: sin minùs de parentibus, certè de suis adversus Ecclesiam commilitonibus verecundabuntur, de Gentilibus inquam qui non alia tempestiviùs calumnia sperarunt posse corrumpi ac evacuari Ecclesiæ de idololatris victoriam.

Ita & Lactantius exprobrat Gentilibus quòd non in vitam tantùm Martyrum furerent, sed & ossa ipsa cineresque dissiparent, ne ad eorum tumulos ventitaretur, hoc est, ne paganica superstitio deservetur. *Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere: quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit, & non tantum artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit: & in cineres furit, nequis extet sepulturæ locus. Quasi verò id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant.* Nec enim Martyres hunc cultum vivi ambiunt, sed eo cultu mortui ambiuntur.

VIII. Ex Lactantio. Divin. Inst. L. 5. c. 11.

Ambrosius: *Percussit Saul in millibus, David in decem millibus. Quod indicio est, victores sæculi principibus anteferri. Denique mortuis regibus, in perpetuum Martyres regnum cœlestis gratiæ honore succedunt: & illi fiunt supplices, hi patroni.* Regnant enim Martyres vel extinctis, vel ad tumulos suos provolutis Regibus omnibus. Et apud eundem in sermone de inventione corporum sanctorum Gervasii & Protasii, præclarè describitur quid causæ sit, quamobrem Gentilibus Hæretici fæderentur in insectatione Martyrum, & in eorum cultus detestatione. Quod non Christiana tantùm adversus Ethnicos, sed & Catholica fides Martyrum corporibus veluti munimentis quibusdam inexpugnabilibus adversus hæreticos obvalletur. *Et nunc audistis clamantes dæmones, & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non possint, & dicentes, Quid venistis ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et Ariani dicunt, Non sunt isti Martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia Martyrum remediis cæcorum, & absolutorum indiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit, Video qui non videbam: Ille dicit, Cæcus esse desivi, & probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt.* Ariani tanquam affines & penè gentilitii Ethnicorum, utputa pluribus Diis, & Verbi creati cultibus addicti, obtrectabant Martyribus, miraculis per eos editis, tanquam ludicris illudebant figmentis, & ne eorum fidei accidere & illuminari cogerentur, oculos ipsi suos miraculorum testes

IX. Ex Ambr. In c. 10. Luc. Serm. 91.

excul-

exculpebant. Pergit Ambrosius: *Quaro hic utrum mihi, an sanctis Martyribus invideant? Si mihi, nunquid à me aliquæ virtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi invident, quod meum non est? Si Martyribus, restat enim ut si mihi non invident, Martyribus invidere videantur, ostendunt alterius fidei fuisse Martyres quàm ipsi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inviderent, nisi fidem in his fuisse eam, quam isti non habent, judicarent. Fidem illam majorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt, sed Arriani negant.* Eorum est ergo invidere Martyrum potentiæ, qui alieni sunt ab eorum fide. Eorum est miraculis Martyrum obtrectare, qui fidem his assertam olim miraculis ejurarunt: eorum est miracula ad Martyrum reliquias crebrescentia, humana interpretari figmenta, quorum tota fides figmentis humanis adulterata est. *Ariani dicunt, Non sunt dæmonum vera tormenta, sed ficta & composita ludibria. Audivi multa componi, hoc nemo unquam fingere potuit, ut dæmoniacum se esse simularet. Sed non ego ad suffragium Martyrum usurpo vocem dæmoniorum. Beneficiis sacra passio suis comprobetur. Habet judices, sed purgatos: habet testes, sed absolutos. Melior vox est, quam sanitas loquitur eorum qui debiles advenerunt. Melior vox est, quam sanguis emittit.* Æquum est enim eadem voce Martyrum sterni hæreticos, qua Gentiles olim subjugati sunt.

Serm. 93. Et in natali SS. Martyrum Nazarii & Celsi: *Noverimus itaque, quia non sine magno discrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera veterem fidem quasi novellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores otiosa disputatione contendas, &c.* Et paulò post: *Veneremur ergo in tanto Christi milite fidem nostram; mater namque martyrii fides catholica est, &c. Veneremur ergo in sanctorum Martyrum gloria fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis evidenter asseritur. Nunquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent.* Si non veneramur in Martyribus nisi fidem nostram, veterem fidem, fidem catholicam, quæ Martyrum omnium mater est, ut eleganter ait Ambrosius, non est jam quod quisquam stupeat abhorrere à Martyrum veneratione eos qui fidei extorres sunt, qui veterem fidem novitatum suarum commentis labefactarunt, qui catholicam fidem exitialibus contentionibus proscinderunt.

X. Ex Gregor. Papa. Hom. 27. in Evang. Gregorius Papa: *Nimis confortatus est principatus eorum. Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum voce & moribus prædicant, eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt. Nimis ergo confortatus est principatus eorum. In ista ipsa passione qua ceciderunt in morte carnis, videte quantum fuerit culmen mentis. Unde hoc, nisi quia confortatus est principatus eorum? Sed ne putes quod sic magni, forsitan pauci sunt, subjunxit: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Totum mundum fratres aspicite, Martyribus plenus est. Jam penè tot qui videamus, non sumus, quot veritatis testes habemus.* En quò pertineant Martyrum reliquiæ: ut eorum, id est, ut testium veritatis principatus per orbem terrarum convalescat, & invicto robore, & innumera multitudine, & ab iis vincamur non virtute tantùm, sed penè numero: ut munere suo fungi, ut testimonium dicere veritati, ut ad visibilium contemptum accendere, ad æterna incitare nos persistant, & è suis sepulcris adhuc principentur & orbem terrarum Christo subjiciant. Unde Paulinus Carmine III. in Natali sancti Felicis, de urbe Roma hæc canit:

Nam priùs imperio tantùm & victricibus armis,
Nunc & Apostolicis terrarum est prima sepulcris.

Quanta enim principatus ista est præcellentia, quæ de tumulo regnat, quæ vel cineribus suis triumphat, quæ pulvisculi minutiis plus gloriæ accumulat Urbi, quàm victricibus olim armis paratum ei fit?

Author Sermonum qui sub Eusebii Emiseni nomine circumferuntur, sermone de sancta Blandina, venustissimè hanc Martyrum gloriam de Gentilium invidia magis magisque inclarescentem descripsit in hunc sensum, quo hæretici etiam nuperi percellantur: *Cum ergo charissimi Ecclesia nostra tantis fidei adornetur trophæis, id elaborabat jus iniquitatis, ut seipsam scelerum novitate superaret. Sacra corpora funeris honore privantes, ignibus dabant, & post hominum mortem contra ipsam pugnabant humanitatem. Et cùm jam causa perisset furoris, finem non imponebant crudelitati. Sed tamen vellent, nollent, beatitudinis eorum testes erant, quibus etiam mortuis invidebant. Quomodo semper malitia cum stultitia conjuncta est! Veneranda ossa in cineres redigebant, quasi verò posset flammis veritas consumi, & virtutes cum cineribus concremari. Quàm confusa dementia! Quibus cœlum adquirebant, his terram negabant. Nihil ergo fecisti inaudita sævitia, incassum te extinguere eorum memoriam credidisti, quorum gloriam propagasti.* Quibus mortuis Ethnici invidebant, eorum gloriæ & beatitudinis testes erant: itaque illos insectatione illustrabant, odio nobilitabant. Deinde non cineribus, sed virtutibus infesti erant, in Deum fidei, & constantiæ, & infractæ fortitudini, quas cùm edomare ac ne attingere quidem potuissent, cùm morte ipsa magis sibi jam incomprehensibiles fore viderent, nimirum hinc furiati frendebant, & quâ poterant, vesani pectoris evomebant virus, nec tam corporum quàm virtutum reliquias in sacris cineribus emicantes insectabantur. Eodem planè furoris œstro hæretici in sacras favillas bacchati sunt, Gentilium insaniæ servierunt, manus illis & industriam commodarunt suam, ut terris eorum memorias & monumenta excinderent, per quos gentilitia impietas excisa erat. Hoc fuit omnino, in Ecclesiæ viscera grassari, ejusque propugnacula frustrà à Paganis quondam tentata labefacere. Non in cineres, sed in virtutes ex ipsis favillis adhuc subradiantes furiati sunt: ut enim in iis nos nihil aliud suspiciebamus quàm fidem, quàm vigorem animi indomabilem, quàm justitiæ caritatem vitæ ipsi anteponendam; ita illi non marmora, non ossa, sed hæc immortalium virtutum dissiparunt monumenta. Sed Hereticis perinde ut Ethnicis incassum cecidit irritus furor. Ut enim immortales sunt virtutes, ita immortalibus à nobis honoribus Martyres ornabuntur: corporum instar habebunt pauxillæ reliquiæ; utque vires præstabunt cœlitus easdem & peræquè beneficas, ita honorum ipsis impensorum nulla fiet jactura. Et denique libet cum eodem illos ita affari, ut ne sibi blandiantur de exustis dissipatisque sacris cimeliis: *Dispergis Sanctorum pulverem fluentis Rhodani, ne resurgat: sed aquis resurrectio non consumitur, quæ per gratiam regenerationis etiam aquarum munere celebratur. Adorandas reliquias Rhodano tradis: hoc facit vis fluminis in corporis resolutione, quod temporis. Quidquid itaque ex humana substantia avis rapuerit, bestia devoraverit, unda sorbuerit, etiamsi tumulo non clauditur, intra mundi gremium continetur. Neque enim reparatio hominis in ratione terræ, sed in legis natura & in reparatoris virtute consistit. Ipse enim veridico ore testatus est, Ego sum resurrectio & vita.*

XI. Ex Eusebio Emiseno.

Atque ut Novatores pudorem ablegaverint, ut exæquari se insensissimis reipublicæ Christianæ hosti- XII. Eusebius Pamphil.

hostibus non refugiant, at suffunduntur illis se postponi. Non injuria autem postponi se sentient, si quæ ex Cyrillo, & Theodoreto suprà retulimus, seriò cogitare in animum inducant, & quæ nunc demum ut huic argumento imponamus modum ex Eusebio juvabit firmare. Ille enim hæc ex Platone verba refert: *Tum illos deinceps tanquam Heroas*
Præpar. Evang. L. 13. c. 9. *venerabimur, eorumque sepulchra cultu prosequemur. Eadem verò statuimus, ubi quis post vitam cum excellentis probitatis opinione traductam, supremum aut senio aut alio quovis modo diem obierit. Hæc Plato. Quæ quidem in hominum Deo charissimorum obitus egregiè conveniunt, quos veræ pietatis milites verè appellaris. Nam & eorum sepulchra celebrare & preces ibi votaque nuncupare, & beatas eorum animas venerari consuevimus atque hæc à nobis meritò fieri statuimus*. Ita ex Gentilium Philosophorum principis suffragio patrocinium fidei Christianæ comparat Eusebius. Quid ad hæc Sectarii? Recusabunt suffragationem sæcularis Philosophi? At non recusarunt Cyrillus, Theodoretus, Eusebius. At in cæteris fidei nostræ decretis consentaneos asciscere Philosophos Gentiles, affectarunt sancti Patres, quà per veritatem licuit. At id compendio laudique nobis est, quod vel hostes nostri testimonium pro nobis ferant, & veritatis vi subacti, quos oppugnare satagunt, iis opitulentur. At Platonicos proximè omnium ad nostri dogmatis normam accessisse, ex Augustino & aliis Patribus compertissimum est. At si aversandi sunt protolandique Gentiles, tum abominari illos decuerat, cùm Ecclesiæ infesti imminent, cùm cruorem nostrum sitiunt, cùm Martyres vivos mortuosque insectantur, cùm rem Christianam omni ope pessumdare contendunt, non quando inopini invitique & superna atque ineluctabili vi veritatis acti, nobis suffragantur. Præstiterat audire Platonem gnavis virtute hominibus honores etiam post fata decernentem immortales, eorumque sepulchris coronas attexentem, quàm furentes in nostrum exitium præsides, populosue imperitia & superstitione idololatrica vesanos, in Ecclesias, in Martyrum monumenta, in sacra nostra truculentos & immaniter sævientes, non audire tantùm, sed conjunctis viribus adjuvare. An auscultandi enim sunt & imitandi, cùm persecutionibus Ecclesiam cruentant, non cum mitescunt, & dogmati nostro consentiunt? Vides quàm latè pateat hic locus, & quàm sit inflammandæ in adversarios invidiæ opportunus. Parco rhetoricari, quod non illud sit nobis propositum. Atque ut cum Hieronymo ultimum increpem nefandos Hagiomachos: *Ut post multa sæcula Dormitantius somniaret, atque eructaret immundissimam crapulam, & cum Juliano persecutore, Sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret*. Hæc ille Epistola ad Riparium adversus Vigilantium.

CAPUT III.

Sacrarum reliquiarum veneratio ex Scripturis exculpitur.

I. Hieronymus probat reliquiarū cultum ex honore qui olim habebatur Tabernaculo, corpori Elisæi, Josephi, Samuelis, &c.

Operosum haud est nostræ hujus in sacras Martyrum exuvias venerationis vestigia in sacris Litteris explorare. Nam toto instrumento veteri fervet reverentia illius populi in Sancta Sanctorum, in Tabernaculum totum, in Arcam. Hieronymus Epistola ad Marcellam, hortatoria ut commigret Bethleem, hac ratione honorem astruit sepulcro Domini. *Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & Propitiatorium & Arca testamenti, Manna, Virga, Aaron, & altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulcrum Domini? Quod quotiescumque ingredimur, toties jacere in sindone cernimus Salvatorem*. Sepulcri Dominici honos ad monumenta Martyrum defluit, quapropter haud absurdè his etiam honorandis argumentum sumitur ex veneratione, qua terrena olim illa divini cultus supellex afficiebatur. Paulò pòst verò eundem Dormitantium immunda mortalium qualiumcumque ossa ferre somniantem, eorumque afflatu contaminari accedentes, ita ex sacris codicibus perstringit: *Si non sunt honorandæ reliquiæ Martyrum, quomodo legimus, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Elisæus mortuus mortuum suscitavit, vitam dedit corpori quod, juxta Vigilantium, jacebat immundum? Ergo omnia castra Israelitici exercitus & populi Dei fuere immunda, quia Joseph & Patriarcharum corpora portabant in solitudine, & ad terram sanctam immundos cineres pertulerant? Joseph quoque qui in typo præcessit Domini Salvatoris nostri sceleratus fuit, qui tanta ambitione Jacob in Hebron ossa portavit, ut immundum patrem avo & atavo sociaret immundis, & mortuum mortuis copularet?* Ita exsufflatur scelesti calumiatoris convitium, nec immunditia, sed sanctimonia ex piorum hominum spirare cineribus demonstratur. Etenim Elisæi ossa quæ mortuis vitam reddebant, viventibus non illinebant maculam. Vitam restituere, mortem profligare, documentum id quidem amplum est, non immunditiæ, sed sanctitatis; non mortis, sed vitæ in ipsa morte vim quandam incorruptam retentantis. Sed Elisæi reliquiis quis neget eum honorem tribuisse, qui vitam debebat; Cui enim honor, cui cultus dependetur eximius, nisi vitæ largitori, aut quod eò ampliùs, quò inusitatius est, etiam restitutori? An verò potuerunt cineres benemereri, nec poterunt honorari? An vivent ad beneficia præstanda, non autem ad obsequia recipienda? Suæ ipse vitæ & saluti contumeliosus est, qui ea se debere profitetur rei ingloriæ & ignominiosæ. Sed illa solemnis Josephi corporis & reliquorum Patriarcharum ex Ægypto exportatio, & circumvectio tam diuturna, ingentem honoris & reverentiæ speciem præ se fert. Castra enim sua iis pignoribus Israelitæ non inquinari, sed castificari & communiri rebantur; ea ut sanctitatis quædam domicilia, Ægypti sordibus attaminatum iri, ideoque exportanda & Abrahæ cæterorumque Patrum sepulcris socianda ducebant. Denique quò illa tum tam anxia pertinebat cura de tumulandis honorificè piorum corporibus, nisi ut hoc in eos honore vivi defungerentur. Et ne indultum id causeris imbecillitati populi carnalibus adhuc implicati, audi rursùm eundem ibidem Hieronymum: *Ergo Martyrum immundæ sunt reliquiæ? Et quid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, ut facerent ei planctum magnum, ut eorum luctus in nostrum gaudium verteretur?* In Ecclesiam ergo ipsi gregis nostri arietes hanc transmiserunt in mortuorum corpora pietatem. Primus enim iste Martyris honor est, ut honorificè tumuletur.

Et Epistola adversus Vigilantium idem Hieronymus: *Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? &c. Stulti omnium Ecclesiarum populi qui occurrerunt sanctis reliquiis, &c. Mortuum suspicaris, & idcircò blasphemas, Leges Evangelium, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed vivorum, &c.* Ossa Semuelis Prophetæ tanto post temporis intervallo dignosci, & à nostris cum tanta venerationis significatione transferri non potuissent, nisi aliquo ea in honore Judæos priùs extitissent, ne cum cæteris promiscuè confunderentur, sed seorsim ut sanctiora observarentur. Quippè multigenum est honoris genus, ut non mediocris iste sit honoris & officii gradus, Samuelis ut Prophetæ tumulum atque reliquias non promiscuè habere, non

re, non cum cæteris permiscere, non delere oblivione, sed magnificare, & posterorum memoriæ commendare.

II. Paulinus ex diligentia Patriarcharum circa sepulcra.

Eodem spectat ea sollicitudo, qua Abraham & cæteri deinceps ejus magis fide quàm carne propagati, sibi suisque tumulos extruxerunt, non inania, ut suspicari possent simpliciores quique, & religionis nostræ ignari, non inania inquam solatia captantes, non humano affectu ineptientes, non curam & anxietatem posthumam atque ultra mortem protrahentes; sed certa resurrectionis spe, atque venturi in carne Verbi fiducia, hanc carni honestandæ aliquando per Verbi copulam, consecrandæ per immortalitatem beatam, hanc carni de qua Verbum Deus originem sibi quærere decrevisset, venerationem impendebant. Paulinus Epistola ad Pammachium: *Denique Patriarchæ nostri hujus quoque religionis exemplo sunt. Nam Pater fidei matrem vocationis nostræ Saram suam flevit, non utique recipiendæ diffidentia, sed prægressæ desiderio. Quomodo enim resurrectioni diffideret fidei Pater, & repromissionis beatæ primus auditor? Idem tamen humanitatis memor non sprevit corporis curam propter animæ securitatem, sed empto ad sepulcrum agro mortuam suam pretiosa sede composuit: docens pariter quid sibi isti deberent homines providere, cum is qui ad Dei verbum de terra patriæ cognationis exierat, nihilque præterea de pervagatis natione diversa spatiis comparaverat, omnis terræ advena, solum tamen agrum sepulcro, id est, non temporalem, sed æternam possessionem, nec terram avaritiæ, sed quietis emisset. Jacob quoque dilectam illam & expectatam Rachel & tumulo celebri honoravit & titulo, ut religiosum & præsenti dolori solveret, & posteris testaretur officium. Quanquam illum locum titulo mortis uxoriæ prophetica mente signaveris, providens legem ortu Evangelico sopiendam, &c.* Subolet porrò quo ista responso ludificaturi sint adversarii. Nempè humanæ consuetudinis hæc esse officia, non divinæ religionis; suis enim unumquemque majoribus adornare honorifica monumenta, nec tamen eorum reliquiis honorem istum tribuere, quem Martyrum exuviis singulariter vendicamus. At contra, is ipse honor quem humanitatis lege & consuetudine, parentibus avisque dependimus, si claris sanctitate hominibus propter sanctitatis gloriam, propter resurrectionis expectationem, propter Christi impressa lineamenta offeratur, religiosus jam honor est, & is ipse quo Martyres illustrare satagimus. Nec enim divinos, sed humanos hominibus honores aucupamur, sed eximios ob sanctitatis decus eximium, ob spem vitæ beatæ, ob inscriptam iis Christi gloriæ aliquod lumen.

III. Chrysostomus ex honore habito Meliori Eliæ, purpuræ Regum. Ho.8.ad Popul.Antioc.

Chrysostomus purpuram Achabi regis, & melotem Heliæ ita componit, ut eluceat quantò plus venerationis adhibendum sit vestibus ipsis Sanctorum, quàm purpuræ & coronæ Regum: *Etenim purpuram habebat ille, sed hic melotem habebat indumentum purpura illa venerabilius. Purpura enim illa famem peperit difficilem: melote autem hæc calamitatem discussit, hæc Jordanem divisit, hæc Helisæum duplicem Heliam fecit. O quanta Sanctorum virtus! Non sola ipsorum verba & corpora, sed & ipsa indumenta creaturæ omni perpetuò venerabilia sunt. Hujus melote Jordanem divisit: calceamenta trium puerorum ignem conculcaverunt: Elisæi lignum aquas mutavit, & ut ferrum in superficie nataret, effecit: Mosis virga mare rubrum divisit, petram scidit: Pauli vestimenta languores expulerunt: umbra Petri mortem fugavit: sanctorum Martyrum favilla malignos expellit dæmonas.* Vides authoritatem & exemplum peti à veteris instrumenti paginis, ad Martyrum reliquias miraculorum suorum fide & honore communiendas. Cæterùm videtur Chrysostomus fontem indigitare, unde hæc dignitas erumpat in verba, in corpora, in favillas, in vestes Sanctorum, in omnia denique quæ eorum vel contactu saltem levi decorata sunt: nimirum ex virtute & sanctitudine animæ dimanat in corpus dignitas & vis, quam omnis rerum natura revereatur, cui famulari gestiat; nec corpori tantùm vivo, sed & anima orbo inhæret tenax ea sanctitatis fragrantia, mortique intacta & superstes viget in favilla: quin à corpore in proxima quæque serpit, in vestes, in virgam, in ipsam denique, qua nihil fugacius, nihil inanius excogitari potest, umbram constanter solidèque adhærescit. Planum id faciunt utriusque Testamenti contexta à Chrysostomo exempla, quibus obluctabitur nemo, quia sanctitatis hanc esse inexstinctam vim, & infinitam, & præpotentem, naturæque universæ venerabilem nemo non gratulabitur.

IV. Et corpori Elisæi. Tom. I. ser. 41.

Item tomo eodem primo in Ignatium Martyrem: *Sanctorum non modò corpora, sed ipsi loculi & monumenta, spiritali gratia conferta sunt. Nam si in Elisæo id contigit, ut defunctus, sepulcrum ejus attingens, mortuis vincula dissolverit, & ad vitam rursum redierit; multo magis id fiet hoc tempore, quo gratia fluit uberior, quo Spiritus major est vis, ut si cum fide arcam aliquis attingat, magnam inde virtutem hauriat. Et eam ob causam reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, ut nos ad se eorum imitatione perducat, & sint nobis velut portus quidam & idoneum solatium eorum malorum, quæ assiduè nos affligunt.* Non immeritò frequentiùs inculcatur istud mortui per Elisæi contactum suscitati exemplum, ut quo nullum expressius, aut efficacius possit fingi, ad fidem miraculis Martyrum, & venerationem conciliandam. Sed quanto largior nunc fluit ex Martyrum sepulcris gratiarum copia, tanto æquum est copiosior refluat honorum ubertas. Obscura enim tunc erant honoris mortuis impensi vestigia, quia rara miracula: obscura & rara, sed tamen nonnulla, ob rationes infrà colligendas; nunc autem quanto crebriora & evidentiora miracula, tanto honorum majora incrementa.

V. Ex religione in mortuorum ossa.

Idem tomo eodem homilia de sancto Babyla, Apollinis imposturam redarguit, qui mortuorum fætoribus nauseare se, ideoque ab oraculis fundendis feriari responderat: *Piaculum enim inquit sunt mortui: Non mortui sunt piaculum, scelestissime dæmon, sed voluntas prava res abominanda est. Quod si dicendum sit admiratione dignum aliquid, vivorum potiùs nequitiæ plena, quàm mortuorum detestanda sunt corpora, &c. Quanquam alioqui ne vivorum quidem corpora ego dixerim natura esse abominanda, sed ubique pravam & perversam voluntatem esse omnium criminationibus obnoxiam. Non corpus mortuum est piaculum, ò Apollo, sed virginem castè vivere volentem persequi, eique stuprum afferre, &c. At multi quidem apud nos Prophetæ mirabiles extitere, &c. Nec imperabant mortuorum ossa refodi, &c. Quin Ezechiel propè ipsa stans ossa, non modo nihil ab illis impediebatur, sed & carnem illis, nervos, pellemque circumdedit, ac rursus ad vitam illa revocavit. Magnus autem Moyses non juxta mortua stetit ossa, sed ipsum integrum mortuum proferens Joseph, ita futura prædicebat.* Vides quorum sit refodere mortuorum corpora, & contumelia afficere? Apollinis est, dæmonum est, eorum est quibus Sanctorum favillæ fœtent, impiorum flagitia suaviter fragrant. At Ezechiel, Moses, sanctique viri piorum ossa vel vitæ reddebant, vel honorificè deferebant.

VI. Et ex allegatione nominis ac memoriæ justorum coram Deo.

Quid enim interest, ad emolliendam Dei iram, Sanctorum & amicorum ejus olim nomina illi, an corpora repræsentare? Utroque enim veluti argumento allegantur Deo illorum merita, quorum apud eum patrocinio nos confidimus recreandos. Virtus quippe & justitia, nec in nomine, nec in corpore sedem propriam habet, sed alterutro objectato censetur & ipsa sisti. Idem tomo eodem primo, *Neque verò tantum adversus hominum insidias, aut adversus fallacias dæmonum utilis nobis est hæc possessio; sed & si nobis communis Dominus* Hom. 70.

ira-

irascatur, his objectis corporibus continuò poterimus eum propitium reddere civitati. Etenim si qui multa præclarè gesserant, majorum nostrorum ætate, sanctorum virorum nomina prætendentes, atque ad Abraham, Isaac, & Jacob appellationem confugientes, nonnihil solatii sunt assecuti, ac magnam ex horum nominum commemoratione utilitatem decerpserunt: multò magis nos non tantùm nomina, sed ipsa quæ decertarunt corpora, prætendentes, Deum propitium habere poterimus & placatum.

VII. Itē ex transvectione corporis Josephi. Tom. I. ser. 67.

Sed præ cæteris elegantissimus est ejusdem Chrysostomi locus, ubi de iisdem Josephi ossibus latè disputans, hæc habet: *O mirabilem rogum! Qualem intus thesaurum habebat, pulverem illum ac cinerem, auro quovis pretiosiorem, & quibusvis unguentis fragrantiorem, gemmis quibusvis cariorem? Quod enim nec divitiæ, nec aurum præstare queunt, hoc reliquiæ Martyrum præstant. Siquidem aurum neque morbos unquam depulit, neque mortem abegit: ossa verò Martyrum utrumque perfecerunt: illud quidem majorum nostrorum ætate, hoc verò nostra etiam contigit. At de his ita non solum nos, sed justi etiam qui ante Christi adventum vixerunt, exactè philosophari noverunt: quo tempore cunctis ex Ægypto excedentibus, & aliis quidem aurum, aliis verò argentum evehentibus, Moyses opum quarumvis loco Joseph ossa sumens, ea detulit, ac thesaurum maximum ac bonis omnibus redundantem secum domum vexit.* Sacrarum ergo instar reliquiarum Moyses quidem ossa Josephi asportabat, & eodem quo nos modo de his philosophabatur: thesaurum videlicet in his sibi esse longè præclarissimum, è quo spiritalium gratiarum opulentia scateret. Sed urget ibidem Chrysostomus hunc locum, enucleatque accuratiùs causam quamobrem & Joseph imperarit, & Moses obtemperarit imperanti ossa evehi ex Ægypto, cùm adeo nihil intersit, qua quisque terra tegatur: & tam facilis sit jactura sepulchri: & sepeliat natura relictos, cœloque tegatur qui non habet urnam: & denique tot à Philosophia suppetant iis solatia qui nimis muliebriter inhumatis indolescunt. Respondet ergo Chrysostomus eo consilio commendasse Josephum sua ex Ægypto ossa exportari, primò quidem ne unquam ab Ægyptiis, ob sua in eos beneficia tam famosa, Deus haberetur: deinde verò ut hoc documento insigniret certissimam suam de divinis promissionibus spem, & de seminis Abrahæ in Palæstinam adventante dominatu. Et ipse ergo Moses, & quicumque alii cum eo spiritali lumine oculatiores, Josephum tanquam ducem ac vexilliferum contemplabantur, fideique & spei inconcussæ lumina omni populo præferentem. *Audi quibus verbis Paulus testetur: Fide Joseph de egressione filiorum Israel meminit, & de ossibus suis mandavit. Quid est hoc, fide? Quasi diceret, quæ post multos annos erant eventura, prævidebat, ac fore ut posteri patriam suam recuperarent. Ut igitur hoc significaret, utrumque prædixit: ac videre erat rem miram & incredibilem, cum ossa in egressione transferrentur. Nam qui effecerat Joseph, ut in Ægyptum descenderent, ipse rursus eos redeuntes antecedebat, & ad patientiam ac spem futurorum instruebat. Cum enim reliquias ante oculos positas cernerent, omnisque illius historiæ hoc pacto recordarentur, à fratribus insidias passum, in lacum missum, &c. Deinde Regem factum & Principem totius Ægypti: in spem certissimam erigebantur, fore ut à malis quibus opprimi solebant, liberarentur, cum ab ossibus justi docerentur neminem unquam à Deo esse derelictum, qui in Deum credidisset, & ejus auxilium expectasset.* Hæc non adumbrata, sed expressissima effigies est eorum quæ in Ecclesia nunc geruntur. Quò enim nobis Martyres, nisi ut ad immortalem Patriam & ad resurrectionem quo suspiramus, præeant nobis quodammodo & lucem præferant, & ex Ægyptiaca hac & ferrea sæculi servitute nos unà secum demigrantes solentur? Non alio animo tum Moyses, non alio cordatiores tum quique & præsumptis Christi radiis illustriores, ossa Josephi venerabantur, quàm ut quædam ad resurrectionis & sempiternæ Patriæ spem incitamenta pariter & adjumenta.

VIII. Theodoretus in codē argumento versatur. Quæst. 84.

Theodoretus quæstionibus in Genesin; *Quamobrem Jacob inungit lapidem? Quibus potuit donis munificentissimum Dominum remuneratus est. Nam cum erexisset lapidem, quem capiti supposuerat, perfudit eum oleo. Quod etiam nunc fieri solere comperimus à permultis mulierculis quæ Domino crediderunt. Nam consueverunt in templis divinis oleo ungere adytorum cancelos & sanctorum Martyrum thecas. Id verò demonstrat animi pietatem. Non respuit autem etiam minima benignissimus Dominus, gratam habens operis intentionem.* Non ut familiare hagiomachis est, hanc piam mulierculaum sedulitatem in perungendis Martyrum thecis, mordaci dicacitate insectatur Theodoretus, non insanæ superstitionis & propemodum idololatriæ suspicionibus exagitat; sed Jacobi exemplo approbat & extollit, in quem illæ hæreticorum suggillationes non possunt non revolvi. Est enim religiosi officii species evidentior, in Martyrum sepulchro, quàm in lapide perungendo.

In l. 3. Regum. q. 43.

Idem alibi loquens de Propheta quem exanimaverat Leo, at cadaver illæsum servabat, ait: *Id autem quod Prophetæ accidit, significat mortuorum resurrectionem. Nam qui superstitem tradidit feræ, honore autem mortuum est prosecutus, & honoravit non animam, sed solum corpus, perspicuum est quod illud non despiciet dissolutum & corruptum, sed excitabit & restituet animæ instrumentum per quod Deum coluit.* Corpori resurrecturo, corpori quo anima instrumento Deum coluerat, honorem habuit fera: quin ergo & nos in Sanctorum maximè corporibus honoremus & semina insita resurrectionis, & illitam quandam sanctissimæ animæ contubernio consecrationem?

In l. 4. Regum. q. 19.

Rursus de Naamano disserens, *Vir autem ille admirabilis, credens vel ipsam terram Israelis esse sanctificatam, rogavit ut duo onera mulorum ex ea acciperet, ut super eam Domino Deo soli offerret lege constituta sacrificia.* Multò sacratiorem nos terram interpretamur sanctorum cineres Martyrum, ut quæ verè terra sancta sit, sanctitatis sacrarium, animæ sanctitudinis consors, per Martyrium consecrata, immortali cœlestique beatitudini destinata. Super illam terram sacrificia Ecclesiæ celebramus, ut infra latius aperietur. Conscientiam interrogo Novatorum: quam in nos distringunt maledicentiam, nonne æquè in hoc Naamani factum exererent, ni Scripturæ ipsos deterreret authoritas? Agnoscant ergo non alio nos magis defungi in Sanctorum reliquias cultu, quàm quod eas altaribus nostris inserimus: eum autem morem de Scripturarum authoritate descendere.

IX. Damascenus rariores esse debuisse docet honores in corpora justorum, cum nondū Deitas corporata erat.

Si quem autem moveat, quid causæ sit quamobrem honoris mortuorum sacris favillis adhibiti, tam rara & tam obscura sint vestigia in veteris instrumenti paginis, in promptu rei ejus ratio est. Docet enim nos Damascenus, naturam humanam nequedum tunc substantiva sui cum Verbo Deo copula decoratam fuisse, nequedum deificatam fuisse carnem nostram Verbi Dei complexu, nequedum de contactu Verbi combibisse semina divinæ sanctitudinis, atque immortalis vitæ per resurrectionem innovandæ: nequedum carni nostræ implicatam esse Verbi Dei dignitatem, quam omnis rerum natura revereretur: nequedum elutam effrictamque fuisse totam ignominiam, quæ peccato mortisque supplicio aspersa fuerat: nequedum animas ipsas Sanctorum plenitudine vitæ donatas tum fuisse, sed in umbra tantùm vitæ procul à cœlestibus sedibus exulasse; ut insolentius fuerit & præproperum cumulari corpora honoribus, floribusque redimiri,

cùm animæ vinculis adhuc & carceris caligine detinerentur. (Orat. 2. de Imag.) *Atque in veteri quidem Testamento Israelitæ neque templa sub hominum nomine excitabant, neque memoriam hominis die festo celebrabant. Adhuc enim execrationi erat obnoxia natura humana, & mors erat supplicium, proptereaque deplorabatur; mortui autem cadaver immundum reputabatur, & qui illud attigerat. Nunc autem naturæ nostræ ex quo divinitas commixta est tanquam vivificum & salutare medicamentum, glorificata est natura nostra & ad incorruptionem traducta; quapropter & Sanctorum mors diebus festis celebratur, & templa ipsis excitantur, & imagines inscribuntur.* (Orat. 1. de Imag.) Ideo ergo nullo publico cultu reliquiæ tum sanctorum hominum afficiebantur, sed præseminabantur tantùm honoris ejus prolixùs aliquando infundendi initia quædam & veluti prælineationes. Idem habet & alibi: (L. 4. Orth. fidei. c. 6.) *In lege omnis qui tangebat mortuum, immundus efficiebatur: sed non mortuis annumerandi sint Martyres. Ex quo enim ipsa vita, vitæque author & largitor inter mortuos computatus est, eos qui in spe resurrectionis & fide, quæ in ipso est, dormierunt, non mortuos appellamus. Mortuum enim corpus quomodo miracula operari possit?*

X. (Idem tradit Basilius, quod necdū caro per Christum & pro Christo edocta esset immolari.) Rem eandem Basilius altiùs repetit: nempè carnales carnis nativitati adgaudere, morti illacrymari, quod carni concreverint, menteque hebetati obstupuerint. At spiritales carni nativitati indolescere, morti gratulari, quod illa peccato nos initiet, hæc absolvat: illa mortalitati nos implicet, hæc extricet. Israelitæ porrò veterem agebant hominem, & carnalibus tantùm justificationibus præceptisque non bonis serviliter astringebantur, ergo carnis interitum lachrymis, non gaudio prosequebantur. At Christiani in æterna toto pectore suspensi, ad spiritalia anhelantes, carnem nihili faciunt nisi extinctam pro Christo, nisi pro veritate mactatam. Ergo quia tunc carni viventi indulgebatur, ideo mortuæ infamia & dedecus inhærescebat: quid enim voluptas quàm corruptelam & probrum inspiret? Nunc autem quia caro vivens affligitur, luctuque & cruciatu conficitur, ideo extinctæ inextinctum decus conciliatur: quod immunditiam omnem crux Christi charitasque decoxerit. (In Psal. 115.) *Exitus itaque sanctorum virorum è vita hujus stadio ne lugeamus; imò fletu magis prosequenda venit ista nativitas, & ex utero in hanc vitam progressio. Iste enim in mundum ingressus noster, per ignominiam fit sordentis eluviei ac fœdi odoris, & quorum ne prospectum quidem unus eorum qui nos in vivis præierit, facilè toleret. Naturæ enim necessitas per ejusmodi præscripsit nobis & sanxit carnalis generationis ingressum. Contrà, exitus atque hinc emigratio pretiosa est & illustris. Neque interim omnium talis est, sed eorum qui vitam hanc sanctè & justè traduxerunt. Itaque pretiosa est mors, non item pretiosa nativitas. Nam teste Apostolo seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Mihi sanè confer mortem cum nativitate, eumque definito lugere, qui huic ignobilitati subducitur. Pro legis Judaicæ ritu, si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi: contrà mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur reliquiæ Sanctorum ejus. In priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud: Non contaminabitur super ullo mortuo: &, Si quis tetigerit cadaver, immundus erit. Nunc è diverso Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadantenus sanctificationis particeps. Quare pretiosa in conspectu Domini Sanctorum ejus mors.*

XI. (Item ex Leontio.) Leontius Episcopus Nicopoleos Cypri prout refertur Actione IV. Concilii Nicæni secundi: *Si impium est adorare ossa, quomodo cum omni honorificentia detulerunt ossa Joseph ex Ægypto? Quomodo mortuus homo ossa Elisæi tangens surrexit? Porrò si per ossa miracula operatur Deus, perspicuum est, quod possit etiam per imagines & per alia multa. Nam & Abraham non permisit corpus Saræ sepeliri in aliis monumentis, sed in proprio sepulchro causa honoris. Nam & Jacob honorat per lapidem Deum, statuens & ungens eum in typum Christi angularis lapidis.* Quamquam tunc enim exereretur vetus homo, quamquam carnis corruptibilitati ad huc tum serviretur, & immunditiæ, ac sordium infamiam lex cadaveribus imprimeret; non temperabant sibi tamen futurorum sacramentorum jam inde præsagi, quin interdum nonnihil honoris & culturæ religiosæ decerperent libarentque Sanctorum & ad Christi Ecclesiam jam cum toto intus pectore attinentium reliquiis.

XII. (Ex Cyrillo Jerosol. corpori Sanctorum ut virtutis, ita honoris portio quædam adsignatur. Catech. 18.) Cyrillus Jerosolymitanus: *Præterea Eliam & filium viduæ ab illo excitatum: & Elisæum bis excitantem, & in vita & post mortem. Vivens quidem effecit resurrectionem per animam suam; ut autem non solum Sanctorum anima honoretur, credaturque quod etiam in corporibus mortuorum insit virtus seu potentia: jacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuumque corpus Prophetæ attingens vivificatus est. Atque ita mortuum corpus Prophetæ perficit opus animæ: & mortuum jacensque vitam præbuit defuncto: exhibensque alteri vitam, ipsum nihilominus mortuum permansit. Qua de causa? ne si resurrexisset Elisæus, factum id soli animæ ascriberetur: & ut demonstretur, quod absente etiam anima insit virtus quædam ejusmodi corporibus Sanctorum, propter tot annorum inhospitatas in illis animas justas, quarum ministeria fuere. Neque verò dubitemus quasi rerum ignari, fieri istud. Si enim sudaria & semicinctia extra corpus existentia, contacta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate, quantò magis corpus ipsum Prophetæ eum qui erat mortuus, suscitavit?* Cyrilli ratiocinatio eò collimat, ut corpori tanquam sanctitatis collegæ & virtutum consorti atque administro omnium merces aliqua singulariter & honoris portio adsignetur. Porrò dum illud vegetaret anima, in eam laus omnis justitiæ & pulchrorum operum refundebatur. Æquum est ergo ut avolante anima solitarium jam corpus honore & miraculis clarescat, & hoc fructu quasi privatim fruatur sibi, qui non possit totus animæ vendicari. Deinde cùm animæ à corporibus avulsæ suis excipiant supplicum vota, & passim beneficia spargant, hoc in totum præmio defraudari corpora haud æquum fuit, ut quæ omnium animæ bonorum societatem adepta sint. Quanquam enim diremerit mors corpus ab anima, non tamen dissociavit conjugium, non dirupit intestinum fœdus; corpus istud animæ istius semper est, anima hæc hujus corporis esse perstat; cohæret immortale vinculum, viget inexpugnabile invicem desiderium, clandestina durat, æternumque durabit mutui amoris consensio, obices aliquando perruptura omnes, mortis superatura dissidium, & in incorruptibilis vitæ novitatem ac societatem olim rursus coitura. Quæ cùm ita habeant, non patitur anima interim suis honoribus in totum abjudicari corpus suum.

XIII. (Suffragatur & novi Testamenti pagina.) Et solis prisci instrumenti paginis immorari ne videamur, adverte quæ Cyrillus & alii suprà laudati, de Pauli cingulis & semicinctiis argumentati sunt. Liquidò enim constat, uberiorem sanctitatis copiam & virtutis efficaciam ab anima irrigari corpori cui cohæsit, quàm adjectitiis illis corpori suo circumjacentibus. Unde illud suprà relatum Chrysostomi: (Hom. 5. ad pop. Ant.) *O quanta Sanctorum virtus! Non sola ipsorum verba & corpora, sed & ipsa indumenta, creaturæ omni perpetuo sunt venerabilia, &c. Pauli vestimenta languores expulerunt, umbra Petri mortem fugavit, sanctorum Martyrum favilla malignos expellit dæmonas.*

XIV. (Occurritur objectioni de cultu religioso non cælitibus tantùm, sed & mortalibus impendendo.) Unum superest, quod iterum iterumque moneam, tanquam caput esse hujus doctrinæ, in quo graviter hallucinati sunt Sectarii nuperi. Cùm enim habitos habendosque complures honores cultusque sive tumulis, sive corporibus, sive reliquiis quibus-

quibuslibet, tum Prophetarum, tum Apostolorum & Martyrum, tum denique cæterorum cœlestis patriæ civium dissimulare non possint: hos illi, ut in superioribus exemplis relati sunt, interpretantur humanos & civiles, non religiosos, non divinos honores esse; eorum nempe similes, quos sibi vicissim mortales dependunt; quo nihil magis præposterum, nihil à Christianæ pietatis sensu communi alienius dici potuit. Si quid enim Christiano nomine & gustu dignum saperent, usque adeo non civiles cultus & honores æstimarent eos, qui beatis cœlitibus offeruntur, nostro mortalium more: ut ex adverso quidquid honoris & officii Christiani, vel Christianis, vel cæteris hominibus dependunt, id totum religionis & pietatis divinæ sapore conditum aut condiendum esse confiterentur. Nec enim Christianus Christianum aut salutat, aut colit, aut reveretur, aut diligit, aut quocumque demum prosequitur officio, nisi ut Christi servum, ut Dei filium, ut Ecclesiæ membrum, ut cœlestis hìc militiæ contubernalem, ut beatæ postea spei consortem. Cæteros homines autem Christianæ licèt exortes fidei, non aliter tamen quàm ex fidei suæ conscientia & lege Christianus quilibet honorat, diligit, juvat, & quocumque demum benevolentiæ officio demeretur, ut ejusdem summi opificis lineamentis impressas imagines, ut Christi emptos sanguine, ut ad eandem secum æternitatis beatæ spem, etsi parciùs & obscuriùs forsam, utcumque tamen vocatos. Et illi autem & hi honores non civiles modò & humani, sed religiosi omnino & divini sunt. Quo æquius est eadem honorum & cultus religione erga beatos cœlestis patriæ incolas defungi?

CAPUT IV.

Veneratio Reliquiarum ex miraculis à sanctis Patribus demonstratur.

I. Ex miraculis honore reliquiarum, miraculorum fides ex Scripturis.

NUllo validiori ariete pulsari atque expugnari potest Hæreticorum malesana pertinacitas, quàm ostentis miraculisque ad Martyrum reliquias crebrescentibus. Et quia fidem his abrogaturi erant, prescia omnium providentia sacris utriusque Testamenti paginis eorum nonnulla consignari voluit, & in Actis maximè Apostolicis, ubi prima Ecclesię exarata sunt rudimenta; ut ex iis veluti auspiciis de reliqua Ecclesię per omnia sęcula perpetuitate auguraremur, atque etiam contumaces revinceremus. Quod autem ex miraculis liceat de cultura sacris cineribus debita argumentari, non obscura res est. Ecquid enim sua Deus beneficia per sacras exuvias dispensaret, nisi ut his gratiam & pretium adderet? Ut quid insidiaretur nobis, ea portentis illustrando, quę à nobis magnifieri vetaret, juberet proteri? Sed quid ipsa miraculorum effectrix virtus, quàm honor quidam quo Deus ipse sacra corpora adornat? Honorat ergo Deus, & honorari à nobis vetat? Cui nisi insani capitis homini sana videatur hęc opinio? Honorare Deus non potest, nisi pręmio; honorare homo non potest, nisi obsequio; ergo cum Deus pręit facemque pręfert, tutissimum est nobis ejus premere vestigia, & quos ille honorat pręmio, fas est honorare obsequio. Nec honorat tantùm Deus miraculis reliquias, sed honorari ab universa rerum natura cogit. Quid enim cum ad appulsum, cum ad contactum sacratissimi pulveris fugiunt morbi, difflantur pestes, ejulant dęmones, mortes vanescunt, vita recidiva redit, quid istud est nisi naturę totius obsequium & adoratio. Audi Chrysostomum, ubi ut modò referebamus, quàm portentosa operatus sit Deus per Elię melotem, per Elisęi lignum, per Petri umbram, per Pauli sudaria, (Hom. 8. ad pop. Antioc.) hæc disputando ait: *O quanta ipsorum virtus! Non sola ipsorum verba & corpora, sed & ipsa indumenta creaturæ omni perpetuo sunt venerabilia.* Itaque non jam ex miraculo colligitur veneratio, sed veneratio est ipsum miraculum: rerum enim universitas sacros cineres reveretur, adorat, iis obsequitur, imperio morigeratur, vim adfert sibi, & à suis usitatis moribus resilit, ut illis gratificetur.

II. Ita Chrysostomus.

Hæc igitur quasi fundamenta jacta sint eorum quę hoc capite ex sanctorum Patrum monumentis paulò fusiùs, sed pro rei tamen ubertate, parcissimè acervaturi sumus. Nimirum & in miraculo, honorem inesse, & miraculis ipsis fidem adseruisse sacras paginas Actorum maximè Apostolicorum: ex incunabulis enim Ecclesię reliqua deinceps ejus ętas & dispensatio omnis quasi pręformata est. Et quia Chrysostomum jam laudavimus, aureę ejus eloquentię animum intendamus. *Multis solibus illustriores sunt Martyres: propter eos hodie si dici potest, cœlo ipso ornatior terra lætatur. Sed in hac comparatione non attendas cinerem sanctorum corporum, nec favillam reliquiarum carnis, omniaque ossa consumpta temporibus; sed aperi oculos fidei, & vide eos divina virtute & gratia Spiritus sancti amictps, & divini luminis claritate radiantes. Non tales de superno solis circulo in terram radii jaciuntur, quales à corporibus eorum prosiliunt corusca luce fulgores, & ipsos diaboli oculos invidentis obcæcant, &c. Ita profectò dæmones, ubi coronatorum Martyrum corpora viderint posita, longè illico à conspectu eorum pavidi fugiunt. Non enim ad naturam eorum hìc interim mortalem intendunt, sed in arcanam dignitatem & gloriam Christi, qui in agone certantium, induta corpora Martyrum suorum sicut arma portavit. Hujusmodi enim armis non Angelus, non Archangelus, non ulla alia creatura virtus induta est, sed ipse Dominus virtutum & Angelorum.* (Tom. 8. hom. 44.) Haud mirum ergo si Martyrum corporibus in fugam vertuntur dęmones, qnandoquidem hęc arma sunt, quibus succinctus eos oppugnavit & profligavit Christus. Non hominum hęc membra sunt, sed tela Christi, jam multis de diabolo victoriis nobilitata, quibus dęmones jam victi & in ęternum prostrati sunt. Et Homilia in sanctum Julianum: *Atque ut Martyrum vulnera infixis cœlo astris splendidiora esse discatis, advertite. Ad illud quidem cœlum ac stellas cum homines respiciunt, tum dæmones: sed ad hujus vulnera homines quidem respiciunt fideles, dæmones autem non audent oculos contra attollere: quin etiam si spectare conentur, continuò luminibus orbantur, nec possunt exilientem inde fulgorem sustinere. Hoc ergo non ex iis tantùm quæ olim acciderunt, sed ex iis etiam quæ hodieque fiunt, comprobabo. Sume enim quempiam à dæmone correptum ac furentem, & ad sanctum illud sepulchrum deduc quo reliquiæ Martyris continentur, tum resilientem planè atque fugientem videbis. Ut enim si per prunas incessurus esset, sic ab ipso vestibulo statim exilit, & ne oculos quidem adversus ipsam thecam audet attollere. Quòd si nunc tantò pòst tempore cum cinis & pulvis est factus, suspicere in monumentum non audent, nec in nuda sancti ossa: minimè dubium est, quin tunc quoque cum illum sanguine purpuratum videbant, vulneribus undique ampliùs quàm solem radiis refulgentem, perculsi fuerint, & luminibus orbati recesserint.* (Hom. 47.)

Idem tomo 5. serm. 65. *Nihil aliud sunt Martyrum capsulæ quàm securi portus ac spiritalium laticum fontes, inviolati opum thesauri qui nunquam exhauriuntur.*

III. Isidorus Pelusiota. L. 1. Ep. 55.

Isidorus Pelusiota: *Si te istud offendit quod Martyricorum corporum cinerem propter eorum erga Deum charitatem atque constantiam honore afficiamus; eos qui ab ipsis medicinam accipiunt, interroga: atque quot morbis remedium afferant, intellige. Sic fiet ut non modo id quod à nobis fit, non irrideas, cavillisque incessas: verum etiam quod rectè & cum laude*

laude sit, imiteris. Vides honorem ex miraculis
L. 2. Ep 85. astrui. Et alibi: *Sic existimo dæmonem ne probo quidem ac sancto viro reluctari posse. Idque tum ex eo constat, quod Apostoli in fugam agebant dæmones, tum ex eo quod Paulus Apostolus Pythonem Gentilium cultum sursum deorsumque miscentem sermone profligavit ac depulit. Quin in Martyrum quoque templis gratia ea quæ Sanctorum virorum corporibus insidet, eos excruciat.* Vides ut ea miracula quæ in Actis factitata ab Apostolis memorantur, prælusoria sint eorum, quæ in omni deinceps Ecclesia actitanda erant.

IV. Basilius, Nazianzenus, Theodoretus. Ser. in S. Julitam. To. 1. Basilius Magnus: *In lignorum struem incensam insiluit, quæ perinde ac thalamus splendore coruscus, corpus sanctæ Julittæ circumplexa, animam quidem in cœlestem illam destinavit regionem; & corpus honore præcipuo venerabile, asservavit affinibus & cognatis incolume, quod sane in ornatissimo primarii templi urbis totius vestibulo conditum, loco quidem affert venerabilem sanctimoniam, nec minus qui eo loci conveniunt, efficit sanctiores: terra porrò istius beatæ adventu benedicta, aquam emisit, quæ suapte natura nulli non nostrum gratiosissima esse debeat, &c. hæc sanis tutela est, & solatium ægris.*

Orat. 18. Nazianzenus: *Vestræ jam partes sunt, ea quæ restant, à vobismetipsis adjungere: ut & aliquid ipsi Martyri offeratis: dæmonum scilicet oppressionem, morborum depulsionem, futurarum rerum prænotionem; quæ quidem omnia vel cineres ipsi Cypriani, modo fides adsit, efficiunt: quemadmodum norunt qui hujusmodi rei periculum fecerunt, ac miraculum ad nos usque transmiserunt, ejusdemque memoriam posteris quoque tradituri sunt.*

Orat. 8. adv. Græcos. Theodoretus: *Quod verò votorum compotes fiant qui fideliter petunt, palam testantur illorum donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt, ex argento aurove confecta. Hæc autem morborum depulsionem indicant, cui testandæ ab iis posita sunt, qui sanitatem receperant. Eadem ibi sepultorum virtutem prædicant. Horum porro virtus, eorum Deum verum esse Deum declarat.* Parco ne plura ex Theodoreto congeram, horum enim apud eum silva est densissima.

V. Damascenus convelli ostendit fidem totam Ecclesiæ, si miraculorũ fides concutitur. L. 4. c. 16. Fid. Orthod. Damascenus: *Quomodo igitur non honoranda sunt animata templa Dei & animata tabernacula? Hi viventes in fiducia Deo assistunt. Fontes nobis salutares dominator Christus præbuit, Sanctorum reliquias multimoda beneficia scaturientes, unguentum suavitatis emanantes. Et nemo credere respuat. Si enim ex rupe & duro saxo aqua in eremo prosilivit volente Deo, & ex maxilla asini Samsoni sitienti: ex Martyrum reliquiis unguentum suave olens emanare, incredibile est? Nullo pacto profectò iis qui sciunt Dei virtutem & ab ipso habitum sanctis honorem. In lege omnis qui tangebat mortuum immundus efficiebatur. Sed hi mortui non sunt. Nam ex quo ipsa vita, is qui vitæ causa est, inter mortuos computatus est, eos qui in spe resurrectionis, & fide quæ in ipso est dormierunt, non mortuos appellamus. Mortuum enim corpus quomodo miracula operari potest? Quomodo igitur per eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundantur, tentationes & tristitia solvuntur? Omne donum optimum à Patre luminum, &c.* Qui tot & tantis testibus fidem addere pigritantur, qui tergiversantur, qui miracula hæc omnia sannis insectantur & sibilis, qua demum fronte Christianum nomen profitentur? Si enim mera fuerunt hæc ludibria, quo tota nobis evadet Christiana religio? Quid nisi fucus ipsa, & inane figmentum, quando Patres, quando vindices, quando propagatores ejus primarii, aut fallere aut falli tam proclives fuere? Quid veritatis inesse aut superesse poterit ei sectæ, quæ tot imposturis substructa, quæ mendaciis patrocinantibus amplificata, quæ vulgi atque optimatum, populi atque antistitum vel fraudibus vel erroribus convaluit? Itaque horum fidem miraculorum arrodere non possunt, quin totam à fundamentis evertant Christi Ecclesiam. Sed id præterea quod urget Damascenus, permagni nobis quidem videtur esse momenti. Nempe alia complura à Deo illustrata esse miracula, quæ Martyrum reliquiis longo concedunt intervallo. Item ex quo vita ipsa Verbum Deus carni se humanæ inseruit, & Sanctos omnes eorumque corpora in suorum sibi membrorum vicem ascivit, par fuisse ut hæc caro dignitatis suæ & potestatis insignia præ se ferret, & de Verbi virtute nonnihil etiam ex ipso tumulo spiraret. Etenim ne asperneris sacri pulveris minutias, aut ossium detrimenta, hæc membra sunt illius capitis in paterno sursum solio & in cœlestis omnipotentiæ fastigio regnantis: hæc Christi optimi maximi portio quædam est. Ecquid ergo hæsitas, ecquid negas rem tam locupletibus testimoniis munitam, tot literarum monumentis testatissimam, quam etiam sine testibus adprobare tutè debueras? Ejusdem enim corporis Christi cum caput in cœlo regnet, quid tam incredibile, si membra in terris selectiora quæpiam aliquantulum inclarescant. Quin incredibile potius fuerit, hinc regnare caput, illinc membra inhonora & ingloria squallescere. Item ad resurrectionem fidei nostræ insinuandam altiùs, & quasi jam prælibandam, pertinent miracula. Mortem enim eluctabuntur, qui mortui non sunt: vivent, qui nec in tumulis vivere omnino desierunt: vivent, qui vel in ipso mortis instrumento vivificant: vivent in novitatem immortalitatis, qui mortem tandiu subiisse non videntur, nisi ut immortalitatem suo etiam corpori inseminatam per tot portenta, per tot de morte triumphos ostentarent. Ex his cum Damasceno conjectanda erant miracula, etsi testibus non proderentur, etsi non undique ingererentur sensibus nostris.

Et fanè Chrysostomus tom. 1. hom. de sancto Babyla, pleraque Martyrum in nos beneficia clam conferri existimat, nobis etiam inopinantibus, nec emicare nisi ea quæ existere & evulgari nostra interest: nostræ enim illos utilitati non suæ gloriæ servire. *Et priorem quidem victoriam Babylas nobis manifestam esse noluit, sed dæmoni os tantummodo cum obstruxisset, conquievit. Tales enim esse sanctos constat, ut perfici modò velint quæ ad hominum salutem spectant, non etiam vulgo ostentare opera hujuscemodi per seipsos fieri, nisi sicubi usus aliquis cogat.* Utri ergo potius acquiescemus: Chrysostomo plura etiam quàm quæ pateant miracula suspicanti: an Calviniano Pyrrhoni, ea etiam quæ in oculos irruunt, videre dissimulantis? Sed nec ipse hereticę cumulus impudentię eò pertigerit, ut cum Chrysostomo certare de fide aut palmam authoritatis prępipere ausit. Oculatis equidem tot testibus, tam fide dignis, tam pietate pręclaris, fidem derogare, & hereticis con entire nullo in adversum testimonio, nullo suffultis argumento, sola contentionis libidine, sola incredulitatis procacitate subnixis, summę id quidem esse dementię nulli obscurum est. VI. Chrysostomus iterũ.

Atque ut intelligas quantum momenti in hac miraculorum fide ad Ecclesiam Christianam fundandam stabiliendamque fuerit, audi rursus Chrysostomum tomo 5. serm. 67. Cum enim ex Martyrum constantia exprimeret veritatem nostri dogmatis adversus Gentiles, eorum causationem occupat, nempe impositum fuisse Martyribus, atque ita non veritati constantiam, sed errori pertinaciam duritiamque eorum serviisse. Quę tergiversantium effugia sic ille obstruit: *Quod si decepti sunt, qui fit, ut eorum pulverem dæmones pertimescant? Qui fit, ut eorum etiam tumulos fugiant? Neque enim id eis accidit quod mortuos reformident dæmones. Ecce namque mortui sunt ubique terrarum innumeri, & illis assident: & multos videre possumus*

possumus à dæmone correptos qui in desertis ac sepulchris degunt; ubi verò Martyrum de fossa sunt ossa, inde tanquam ab igne & intolerando supplicio resiliunt, ac virtutem intus ipsos flagellantem clara voce testantur. Ita argumentante Chrysostomo, causa cadebant Gentiles, victrix eminebat & prævalescebat Christi Ecclesia. Si è transverso irrumpant Calviniani, & præstigias illas esse clamitent, non miracula, quid hinc assequentur, nisi ut illudant Christi Martyribus dæmones, ut insultent Christianis tanquam impostoribus Gentiles, ut Ecclesia velut præstigiatrix quædam explodatur, ut Ecclesiæ profligatores, Gentilium restauratores, dæmonum assertores audiant hæretici Calvinistæ? Videant quid hac sua gloria dedecorosius fieri possit.

VII. Augustinus Quã certa fides miraculorum. Conf. L. 9. c. 7. E Latinis primam in aciem prodibit Augustinus: *Tunc memorato Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora, Protasij & Gervasij, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras: unde opportunè promeres ad coercendam rabiem fœmineam, sed regiam. Cum enim propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam: non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus sanabantur; verùm etiam quidam plures annos cæcus civis, civitatique notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset, atque audisset, exilivit, eoque se ut duceret, ducem suum rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret pheretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuæ ferventes, lucentes, inde illius inimicæ animus etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est.* Quæ hic offuciæ, quæ suspiciones obtendi possunt? Satin dignus Augustinus, dignus Ambrosius, quorum ob oculos res gerebatur, in propatulo, inspectante populo? An fide dignior qui hæc omnia negando difflari posse speravit, nec quidquam argumenti post tot sæculorum curricula adferre potuerit? Si tunc autem, quin etiam nunc polleant hac vi Martyrum cineres? An ea vis exhausta aut exoleta jam est? An defessa & defecta jam pristinisque effæta viribus? Sed quis non videt horum nugamentorum insulsitatem?

Epist. 137. Et alibi cùm Bonifacio Presbytero crimen nefandum intendisset è sodalitio Augustini parum secundæ famæ juvenis, nec evidentibus argumentis coargui res posset, audi qua se via hinc extricaverit sanctus Pontifex: *Elegi aliquid medium ut certo placito se ambo constringerent, ad locum Sanctum peregrinaturos, ubi terribiliora opera Dei non sanam cujusque conscientiam multò faciliùs aperirent, & ad confessionem vel pœna, vel timore compellerent, &c. Quis potest consilium Dei perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant. Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi Beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui ut pergerent, quia inde nobis faciliùs fideliùsque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Nam & nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam qui ad eum locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.*

Civit. l. 22. c. 8. At alibi, prolixè narrat complusculа per Stephani Protomartyris reliquias nuper refossas perpetrata miracula: *Si miracula sanitatum ut alia taceam ea tantum velim scribere quæ per hunc Martyrem id est gloriosissimum Stephanum facta sunt in Colonia Calamensi & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri. Nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cum videremus antiquis similia divinarum signa virtutum etiam nostris temporibus frequentari, & ea non debere multorum notitiæ deperire.* Horum signorum ut vides spectator erat Augustinus, horum admirator, horum ex parte scriptor, ne nostræ posterorum memoriæ ea deperirent; sed quorsum hæc si plus vident Hagiomachi cum nihil vident, quàm præsens & oculatus testis, rebusque ipsis implicatus Augustinus.

Sed nihil expressius libro de Cura pro mortuis gerenda, ubi totus ferè est in hac re pertractanda: VIII. Iterum Augustinus. *Non igitur putandum est, vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis Martyres assunt: sed ideo potius intelligendum est quod per divinam potentiam Martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt. Quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur Martyres iis quos per eos certum est adjuvari: utrum ipsi per seipsos assint uno tempore tam diversis locis, &c. An Deus exaudiens Martyrum preces, &c. Per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitæ miseria judicat esse præbenda, &c.* Etsi multa se dubitare toto hoc libro non dissimulet Augustinus, hæc duo tamen sibi certissimè constare profitetur, quòd rebus nostris intersint Martyres, nec eos lateant quæ hìc aguntur, ut hæc fit non naturæ sed gratiæ eorum prærogativa singularis sanctimoniæ: item quòd quibusdam sanandis vel adjuvandis assint, sive ipsi per seipsos tot dissitissimis locis sparsi, sive solis precibus exorantes Deum ut per Angelos orbi universo præfectos hæc signorum portenta operetur. *Sive fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum.* Hæc ille c. 15.

Et apud eundem, ex miraculis quæ in Actis Apostolorum lectitantur, colliguntur ea quæ deinceps Serm. 19. de Sanctis. per Ecclesiæ tractus varios increbuerunt: *De hoc ait sermo divinus, Et portabant infirmos suos ut umbra saltem transeuntis Petri obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis. Si tunc supplicantibus proderat aura quædam virtutis pertranseuntis, quantò magis gratiæ nunc permanentis. Meritò per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quantò magis catena vincentis. Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis, ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis. Si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante Martyrium, quanto magis efficax post triumphum. Fœlices illi nexus qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes, Martyrem reddiderunt. Fœlices catenæ quæ nudatis penè ossibus inhærentes, vivas reliquias de sanguinis sudore jam attrita carne rapuerunt; tactuque membrorum cruciatus sui sanctificat instrumentum: in quo dum afflictio crescit ad pœnam, causa pœnæ proficit ad gloriam. Fœlicia vincula quæ reum suum usque ad Christi crucem non tam condemnatura, quam consecratura miserunt.* Qui ad hæc obdurescunt, eos necesse est ad omnem rationis ac pietatis sensum occalluisse. Si umbra, si inanis species vacuæ imaginis vim salutis hausit à Petri corpore, & effudit tam largè, quantò magis vincula sacris impressa membris, & cruore ipso purpurata, quantò magis membra ipsa & sacræ corporis totius reliquiæ. Si ante martyrium ea vi pollebant Martyres, quantò magis post triumphum. Morte enim non deteritur, sed exaggeratur eorum gloria & potestas. Denique quid magis consentaneum, quid illuminandæ Christianæ fidei magis tempestivum, quàm ut *tactus membrorum cruciatus sui sanctificet instrumenta: & dum afflictio crescit ad pœnam, causa pœnæ proficiat ad gloriam.* Ita enim quæ summa fidei nostræ est, crux Christi dæmones profligare, mortem interimere, orbem subjugare creditur, cum portiones ejus,

cum Martyrum cruces, cum pro Christo peremptorum favillæ incredibili signorum potestate clarescere conspiciuntur.

Serm. 9. Denique in Appendice Carthus. Paris. pulchrè describit, quanti ad astruendam Christianam fidem ponderis sit, ista miraculorum ex reliquiis frequentia. *Quid enim agit Deus mira opera faciendo circa Sanctorum corpora defunctorum, nisi testimonium perhibet sibi non perire quod moritur, & ut hinc intelligatur in quasi honore secum habeat animas occisorum, quando caro exanimis, tanto affectu divinitatis coronatur? Sicut enim de membris Ecclesiæ loquens Apostolus similitudinem adhibuit de membris corporis nostri, quoniam quæ inhonesta sunt nostra, his abundantiorem honorem circumponimus: ita providentia Creatoris cadaveribus Martyrum tam præclara miraculorum testimonia præstando abundantiorem honorem exanguibus reliquiis hominum circumponit. Et quod vita emigrante tanquam deforme jam remanet, ibi evidentius præsens vitæ dator apparet.* Præsentium enim aspernatrix, tota in futurum prominet Christiana fides, in mortem, in immortalitatem tota propendet. Ad hoc autem imbuitur à Deo, dum morti gloria major circumfunditur, dum mortuorum ipsis cineribus potestas amplior inspiratur.

IX. Ambrosius, ut Martyres Ecclesiam tueâtur miraculis omni ævo, & contra hæreses omnes Epist. 85.

Ambrosius de inventione corporum Gervasii & Protasii ad sororem scribens, hæc habet: *Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum, &c. Dum transferimus, cæcus sanatus est.* Et infrà: *Non immeritò autem plerique hanc Martyrum resurrectionem appellant. Videro tamen utrum sibi an nobis certi Martyres resurrexerunt. Cognovistis, imo vidistis ipsi multos à dæmoniis purgatos. Plurimos etiam ubi vestem sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborabant debilitatibus, absolutos, &c. Quanta oraria jactitantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, ut tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, salvus erit.* Quid consilii superest Novatoribus cum hæc audiunt vel ipsi lectitant? Ambrosii simplicitatem, an fidem calumniari audent? Satin tutum eis videtur, fidem habere potiùs Ambrosio hæc contuenti, Augustino hæc eadem perhibenti, an Novatori post tot sæculorum volumina, perfrictâ fronte inficianti? Sed nostram hanc circa Martyrum reliquias devotissimam sedulitatem quam maledico dente arrodere solent hæretici, vides ab Ambrosio collaudari. Pergit Ambrosius: *Gratias tibi Domine Jesu, quod hoc tempore tales nobis sanctorum Martyrum spiritus excitasti, quo Ecclesia tua præsidia majora desiderat. Cognoscant omnes quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint, impugnare non soleant. Hos ego acquisivi tibi plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio defensores, tales milites habeo. Quorum quo majora, eo tutiora patrocinia sunt.* Emerserunt ergo tunc Martyres adversus iram fœmineam, sed regiam, imò adversus hæreticam Arianorum audaciam Ecclesiæ catholicæ defensores. Ut enim ajebat suprà Augustinus, *Illius inimicæ animus etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est.* Et quid etiamnunc Martyres, nisi immortales Ecclesiæ adversus omnem hæreticam colluvionem patroni & vindices? Quid eorum miracula, nisi animorum magis quàm corporum, & fidei magis quàm valetudinis præsidia inexpugnabilia? Oppugnamur ab hæreticis, à quibus oppugnantur & Martyres: præliamur adversus hæreticos, commilitones nobiscum præliantur & Martyres: belligerantur illi adversum Martyrum corpora, belligerantur adversus eorum fidem; nos eorum acquiescimus fidei, eorum corporibus adglutinamur. Mactata pro fide corpora fidem adhuc spirant, fidem tuentur, fidem loquuntur, vulneribus suis fidem, pœnarum notis omnibus fidem, miraculis suis fidem concionantur: vita carere possunt, anima spoliari possunt, fidei insignibus exui non possunt. Haud ergo mirabile est si fidei transfugæ & oppugnatores hæc fidei oracula ac præsidia abominantur. Sed rursum ibidem Ambrosius: *Ut oculi Giesi aperirentur, quibus innumeros adesse vidit Prophetæ exercitus Angelorum, Nos etsi eos videre non possumus, sentimus tamen. Erant clausi isti oculi quandiu obruta Sanctorum corpora delitescebant: aperuit oculos nostros Dominus, videmus auxilia quibus sumus sæpè defensi: non videbamus hæc, sed habebamus tamen. Itaque trepidantibus nobis quasi dixerit Dominus, Aspicite quantos vobis Martyres dederim. Ita reseratis oculis gloriam Domini speculamur, quæ est Martyrum passione præterita, & operatione præsens. Evasimus, fratres, non mediocrem pudoris sarcinam, patronos habebamus & nesciebamus.* Ubi accedit Ambrosius sententiæ Chrysostomi suprà laudatæ, plerumque delitescere & nesciri Martyres, & nihilo seciùs patrocinari & auxiliari inopinis. Nec enim ad sui ostentationem, sed ad nostram incolumitatem eos excubare: nec è latibulis suis erumpere, nisi ubi nostra interest, ut hoc tempore ad Reginæ insaniam Ariano furore percitæ coercendam. Ex quo & id solatii elicias, nequicquam furiari hæreticos, & in sacra cimelia grassari; ut enim ferro ignibusque sæviant, non eiicient tamen Adde serm. 91. & Exhor. ad Virgines. hujus orbis ambitu sanctissimos cineres, non Dei arcano sacrario, non Dei sinu excutient, non efficient ut ne nobis prosint; prosintque secretiùs, non imbecilliùs; lateant, nec tamen otientur: eripient eos nobis, non nos illis: imò nec eos nobis eripient, quos etsi non videbimus, tamen sentiemus.

X. Iterum ut fidei miraculorum adversetur semper adversarii Ecclesiæ. Serm. 91.

Idem Arianorum seu Calvinianorum, nam etsi diversum nomen, una utrorumque impietas est, incredulitatem ita exagitat, de eorundem Martyrum inventione gratulabundus adhuc; *Cui celebritati vestræ qui solent, invident. Et quia celebritatem vestram invidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odere, atque amentiæ in tantum prodeunt, ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur; sed hoc non mirum, siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli confessio. Dicebat enim diabolus, Jesu Fili Dei vivi, quid venisti ante tempus torquere nos? Et cum hæc audirent Judæi, ipsi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones & confitentes Martyribus quod pœnas ferre non possint, & dicentes, Quid venistis ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et Ariani dicunt, Non sunt isti Martyres, & torquere diabolum non possunt, nec aliquem liberare: cùm tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia Martyrum remediis cæcorum & absolutorum indiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum.* Et statim aperiens unde hæc ferveret Arianorum invidia, & fatuissima inficiatio conspicuorum ostentorum, nempè quòd Martyrum reliquiis & miraculis illigata esset causa fidei, à qua se descivisse, & à Martyribus ejus adsertoribus ideo se dissentire, invidia hac ipsa sua prodebant; *Cur igitur mihi invident quod meum non est? Si Martyribus, restat enim ut si mihi non invident, Martyribus invidere videantur, ostendunt alterius fidei fuisse Martyres, quàm ipsi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inviderent, nisi fidem in his fuisse eam quam isti non habent, judicarent.* His Ambrosii verbis frons colliditur Novatorum nostrorum, si quid modò frontis residuum est eis. Cavillationes frustrà alias obtexunt, non cineribus, non miraculis Martyrum, sed fidei Martyrum succensent, & quia hæc astruitur illarum quasi præscriptionum propugnaculis, in ista maledicentiæ suæ impetum omnem convertunt. Sed advertant aliquando tandem, stare se vel jacere potiùs cum Aria-

Arianis & cùm cæteris hæreseon priscarum pestibus, quas & ipsi detestantur: consistere autem nos cum Ambrosio, cum Augustino, cum antiquissimis Patribus quos & ipsi admirantur. Quæ ista porrò & quàm immanis dementia, cum iis pugnare quos abomineris, adversus eos quos animo toto complectaris? Advertant in eodem gradu congredi nos adhuc, quo Ambrosius adversus Arianos: & vincere nos, si vicerit Ambrosius: vinci nos, si vicerint Ariani. Hac victoria Ariani si priùs vicerint, quàm Calviniani, & si ambo vicerint, quid tetrius, quid detestabilius?

In Exhort. ad Virgines

Idem Ambrosius: *Ego ad Bononiense invitatus convivium, ubi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ reservavi. Apophoreta autem solent habere triumphos Principum, & hæc apophoreta triumphalia sunt. Christi enim nostri Principis triumphi sunt Martyrum palmæ, &c. Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophæa, cujus gratiam in operibus agnoscitis. Certè & ipsi dæmones confitentur. Condant alii aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis. Legant pretiosa monilium serta. Temporalis ille thesaurus est, & sæpè habentibus perniciosus. Nos legimus Martyris clavos & multos quidem: & plura fuerunt vulnera quàm membra.* Satis copiosè ex Ambrosio.

Hieronymus porrò ad calcem vitæ Hilarionis: *Cernas usque hodie miram inter Palæstinos & Cyprios contentionem: his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere certantibus. Et tamen in utrisque locis magna quotidie signa fiunt.* Et paulò antè de Constantia sanctissima muliere ait: *Erat enim solita pervigiles in sepulchro ejus noctes ducere, & quasi cum præsente ad adjuvandas orationes suas sermocinari.* Et in Epitaphio Paulæ ad Eustochium, Paulæ per Palæstinæ famosa quæque loca iter describens: *Ibi*, nempè Samariæ, *siti sunt Helisæus & Abdias Propheta, & quo major inter natos mulierum non fuit, Joannes Baptista. Ubi multis intremuit consternata mirabilibus. Namque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulcra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisque pede fæminis vestes defluere in faciem.* Videtur addi debere, Non, ut postea liquebit ex Hilario, quem hic imitatur Hieronymus.

XI. Hieronymus cũ cultu Martyrũ cultum quoque Christi probare.

Videre mihi videor Calvinianos Censores corrugantes nasum, frontem caperantes, supercilioso fastidio hæc omnia velut anicularum nænias aspernantes, interdum cachinnantes. Sed quid agimus? Aut adiicienda & his fides est, aut tota fides Christiana difflanda atque hominum mentibus expungenda omnino est. Si quos enim fidei nostræ antesignanos, Theologiæ nostræ principes, Ecclesiæ lumina profitemur e e, non paucos eorum tantùm, sed omnes penitus eos anilibus fabulis deludi, ac præstigiis dementari potuisse agnoscimus, quò Theologia nostra, quò Ecclesia evadet? Sed quando hæc miracula tam cognata sunt & penè gemella ac contexta iis quæ in Actis Apostolicis prodita sunt, qui illis mendacii inurunt infamiam, his quoque si simulationis fucus omnis abstergeatur, fidem abjudicabunt. Sed quò se proripient, ut Christi ipsius verba declinent, *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, In nomine meo dæmonia ejicient, &c.* Id pollicetur Christus, id testantur Acta Apostolica, id sancti Patres unanimi consensione per suas singuli ætates commemorant, contexta & quasi continuata cohærent hæc omnia, ut necesse sit vel constare omnia, vel uno quolibet convulso, nutare cætera & collabi.

Sed rursus adeamus Hieronymum, exitus omnes sepientem, quibus elabi & his se veritatis inexplicabilius laqueis expedire jam tum hæretici moliebantur. Libro adversus Vigilantium: *Argumentatur contra signa atque virtutes, quæ in basilicis Martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodesse, non credentibus. Quasi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non qua virtute fiant. Esto, signa sint infidelium, qui quoniam sermoni & doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem. Et Dominus incredulis signa faciebat, & tamen non idcirco Domini suggillanda sunt signa, quia illi infideles erant: sed majori admirationi erunt, quia tantæ fuere potentiæ, ut etiam mentes durissimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt: sed responde quomodo in vilissimo pulvere & favilla nescio qua, tanta sit signorum virtutumque præsentia. Sentio, sentio infœlicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus qui hæc te cogit scribere, sæpè hoc vilissimo tortus est pulvere, imò hodieque torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur.* Hæc Hieronymus non in Vigilantium, sed in omnes ejusdem patronos erroris jaculabatur; Christique signis signa complicabat Martyrum, ut utrisque fides pariter, vel adderetur, vel detraheretur. Pergit autem aliud effugium, imò turpissimam à Christiano nomine defectionem amoliri: *Nisi fortè in morem Gentilium, impiorumque Porphyrii & Eunomii, has præstigias dæmonum esse confingas, & non verè clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Do consilium: ingredere basilicas Martyrum & aliquando purgaberis, invenies ibi multos socios tuos, & nequaquam cereis Martyrum qui tibi displicent, sed flammis invisibilibus combureris: & tunc fateberis quod nunc negas.* Ubi id pervelim adverti, non ita bene & graviter impudentem extitisse Vigilantium, ut sunt Calviniani: ille enim quod ob oculos versabatur, quod sancti Patres exaggerabant miraculum, non respuebat omnino, sed vel infidelibus tantùm allegari debere causabatur, vel dæmonis imposturæ tribuebat. Itaque ululare, rugire, mugire dæmones ad favillam Martyrum fatebatur, sed simulatè. Fraudem ergo dæmonibus, non Ecclesiæ Patribus imputabat. Et tamen hoc statim obruebatur probro, quòd Gentilium, Prophyrii, Eunomiique vestigiis insisteret, unàque cum iis Ecclesiæ Christianæ insultaret.

XII. Hilarius. Ubi quàm inconcussa stet miraculorum fides

Hilarius l. XI. de Trinitate paulò post initium: *Non enim negari jam Christus, quin Christus sit, potest, neque mundo ignorabilis effici. Hunc prophetiæ volumina consignant, hunc temporum quotidie proficiens plenitudo testatur, hunc Apostolorum & Martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulcra, hunc potestas nominis sui probat, hunc immundi spiritus profitentur, hunc punitorum dæmonum resonant mugitus.* Frustra ergo excipiunt heterodoxi, nullum ex primo & altero post Christum natum sæculo citari Patrem aut Magistrum Ecclesiæ, Martyrum cultui patrocinantem. Nec enim Hilarius, vel Hieronymus, vel Ambrosius, vel Augustinus rem istam ut nuper excogitatam & prioribus inauditam sæculis, sed ut pervetustam, & à nemine antè Vigilantium & Eunomium revocatam in dubium narrant, denique ab ipsis Christiani dogmatis cunabulis inconcussam. Deinde nec Vigilantius ipse, vel Eunomius adversus hujus decreti novitatem præscribebant ex antiquiore Ecclesiæ simplicitate, quæ ab hoc cultus Martyrum apparatu abhorruisset. Adde quod his sanctis Patribus persuasissimum erat altaque mente repostum, nullum novitati locum in Ecclesia Christi dandum esse: cùm hac ergo machina everterent ipsi omnia enascentium in dies hæresum monstra, non ipsi nudassent latus, nec suis se telis peti ac configi passi essent. Præterea si primo & altero Ecclesiæ sæculo nihil honoris pendebatur Martyrum cineribus, nihilque miraculorum ad eorum sepulcra edebatur, ecquando ergo cœptum id est? An Cyprianum, an Origenem, an cæteros Patres illis finitimos temporibus id latuit, non latuit autem Calvini gregales tanto pòst temporum ac sæculo-

rum intervallo? Adde quod ut ex Eusebio, ut ex Hilario & aliis liquet, non uno quopiam loco, sed ubivis toto orbe terrarum percrebuerat, omnemque occupaverat Ecclesiam hæc Martyrum cultura, hæc fama miraculorum. At quod non à Christi, non ab Apostolicæ traditionis fontibus scaturivit, sed in angulo quopiam succrevit, id in omnem Ecclesiam dimanare, totumque orbem pervagari haudquaquam potuit tam brevi spatio, sed nec plurimo annorum lapsu. Ipsimet Calvinianæ Confessionis errores, ut postea & in parte procusi sunt, ita tractu aliquo loci fuere circumscripti, nec in omnem orbis Christiani amplitudinem silvescere potuerunt. Ad hæc tertio Ecclesiæ sæculo propagata latiùs est & amplissimis incrementis effusa Christi fides, itemque quarto. Qui id autem contigerit, narrabat supra Hilarius, per Prophetarum vaticinia, per Apostolorum & Martyrum celebratissima miraculis sepulcra. Si non aliter quàm per Martyrum cineres miraculis clarescentes consecuta est Ecclesia illam limitis obicisque impatientem amplitudinem, quam Deus per Prophetas, quam Christus ipse pollicitus erat, quis hos cinerum honores, quis hæc miracula ausit vel novitatis insimulare vel mendacii, quibus exhibentur Prophetarum vaticinia, quibus Christi oracula adimplentur? An erroribus nostris scripturarum fides constat? An Christi promissa humanis hallucinationibus præstantur? An veritas mendaciis convalescit? Illa unius & alterius sæculi Ecclesia nequedum tanta erat, quantam Prophetæ præmonstraverant, quantam suo sanguine emerat, & depinxerat Christus, Ne illi ergo uni acquiescere se mentiantur. Toto orbe diffusam, & Sole ipso præclariorem Scripturæ passim præformarant. Istiusmodi amplitudinem & claritatem nisi tertio & quarto sæculo non est cumulatiùs assecuta: nec assecuta est authore Hilario, sed & cæteris Ecclesiasticis scriptoribus suffragantibus, nisi per signorum ad Martyrum sepulcra frequentiam. Adde quod per umbram, per sudaria, per semicinctia Apostolorum ubi Lucas testatur perpetrata miracula, fidem iisdem per mortuorum reliquias post edendis jam tum præstruit. Nec enim cœlestis beatitas Apostolos aut Martyres hac spoliavit signorum claritate; nec corporum reliquiæ de animarum sanctitudine minus contraxerunt quàm sudaria aut umbræ. Itaque non monumentis Patrum, sed ipsis scripturis canonicis fidem miraculorum extorquemus. Cum enim qualis describitur in Actis Ecclesia à Christo, ab Apostolis instituta, talis perpetuanda in omnes post ætates despondeatur, utique edendorum post miraculorum, perinde ut & aliarum Christiani dogmatis partium fides ibi præfundata est. Ad hæc rarissimi primam illam exorientis Ecclesiæ ætatem scriptores illustrarunt, & horum pleraque temporum injuria intercidere. Flagitiosum ergo est hujus controversiæ summam ad illorum temporum scriptores revocare. Non scribere illi, sed facere & pati fortiter, Christianum esse ducebant. Non scribere facta, sed scribenda facere, tempestivum putabant. Martyriorum tunc non librorum monumenta Christianæ fidei dedicabantur. Sanguine, non atramento, gestisque non literis dogma nostrum consignabatur. Repetendi sunt igitur ab illis castioribus & fervente Christi sanguine delibutis ætatibus, Martyres qui colantur, non scriptores qui ad Martyrum cultum hortentur. Præterea clancularia tum complura erant, nec evulgari sinebantur nostræ fidei sacramenta, ne ludibrio essent Gentilibus. At ubi postea emersit è latebris, ubi Imperatorum beneficio libertatem & eminentissimam adepta est authoritatem Ecclesia, ubi faciem orbis occupavit, tum in propatulum effudit sua dogmata, tum Patrum examina emicuere, eaque scripsere, unde omnium pòst temporum controversiæ dirimerentur, errores jugularentur. Denique quos suprà in medium protulimus Patres, eosdem Concilia generalia, quibus & Hagiomachi assentiuntur, ad revincenda novarum subinde hæresum ludibria laudavere, ut priscæ fidei & ab ipsis usque Apostolis illibatæ vindices ac fidejussores. Nec verò venit illis in mentem hæc cavillatio, tertio tantùm illos aut quarto sæculo floruisse: quippe cum ratum esset fixumque non variari temporibus fidem, & priscis temporibus fieri quidem potuisse ut nulli scriberent, fieri non potuisse ut alia scriberent. Sed his tandem tricis evadamus, referamusque nos ad Hilarium à quo deflexeramus nonnihil, audiamusque rursum in L. contra Constantium ita Martyribus cultum & miracula sua jam inde ab incunabulis Ecclesiæ adserentem. *Plus crudelitati vestræ Nero, Deci, Maximiane debemus. Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est. Dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur, elevari sine laqueis corpora, & dispensis pede fœminis, vestes non defluere in faciem, uri sine ignibus spiritus, confiteri sine interrogantis incremento fidei.* Vides in quæ tempora referat Martyrum miracula mortuorum.

Paulinus Nolanus Episcopus carmine. III. in Natali sancti Felicis, hæc canit: XIII. Paulinus.

Martyris ostendit meritum cum jure potenti
Dæmonas exercet, devinctaque corpora solvit.
Nam sibi Felicem cæcis incumbere pœnis
Pestiferi proceres, tristi clamore fatentur,
Occultasque cruces gemitu testantur aperto,
Velatumque oculis mortalibus, at manifestum
Auribus, & multo præsentem numine produnt.
Cum captiva intra deprensi corpora, Christum
In sancto fulgere suo clamantque probantque.
Membrorum incussu trem uli, capitumque rotatu,
Tormentisque suis, sed non sua corpora torquent,
Clamantes proprios aliena per ora dolores;
Orantum veniam, latet ultor, pœna videtur.

Hæc Paulinus non incertis, non longinquis sparsa rumusculis, sed suismet hausta oculis, quotidiana Ecclesiæ suæ experimenta mandabat literis, & exibilandæ Hagiomachorum impudentiæ valdè opportuna in posteros transmittebat. Et carm. VI.

Unde igitur tantus circumstat limina terror?
Quis tantos agit huc populos? Quænam manus urget
Dæmonas? invitosque rapit, frustraque rebelli
Voce reclamantes, compellit adusque sepulchrum
Martyris, & sancto quasi fixos lumine sistit?

Et infra rursus carm. eodem VI.

Videas etiam de rure colonos
Non solum gremio sua pignora ferre paterno,
Sed pecora ægra manu sæpè introducere secum,
Et sancto, quasi conspicuo, mandare licenter,
Moxque datam sua confisos ad vota medelam,
Experto gaudere Deo, & jam credere sana,
Et verè plerumque brevi sanata, sub ipso
Limine, læta suis jumenta reducere tectis.

Sed vide rursum quanta verborum elegantia, quanta sententiarum venustate describat carm. VII. dæmonum ad Martyris sepulcrum cruciatum:

Tunc solito gravius succensi dæmones ardent,
Flebiliusque ululant: & vi majore subacti,
Ultima jam tormenta gemunt. Nec abire sinuntur
Excessu facili, sed miris ante agitati,
Et variis male suppliciis, tolluntur in altum
Suspensi solito sublimius, & patiuntur
Aeris in vacuo, vinclisque latentibus hærent
Pœnali per inane mora, per non sua quamvis
Corpora vexatos hostes sua pœna fatigat.
Solvuntur pœnis, cum pœnas ferre videntur
Corpora, & immunes animæ spectant aliena
In membris tormenta suis. Homo dæmone capto
Liber agit, qui non hominis, sed dæmonis est crux.
Hostis amare quid insultas, qua spe uteris in nos?
Ecce redemptoris nostri malus arte vicissim
Luderis illusor, dolus & tuus in tua cedit
Vincla tibi, capiens caperis, nectensque ligaris,

Fit

Fit laqueus laqueatus homo, & sua præda latronem
Decipit, &c.

Et quod antea observabant Hilarius, & Hieronymus:

Ante alios illum cui membra vetustior hostis
Obsidet, ad sacri pia limina Martyris, ægra
Excussum de plebe rapi, admotumque sacratis
Ante fores sancti cancellis, corpore verso
Suspendi, pedibus spectantem tecta supinis.
Quodque magis mirum, atque nefas est ignorare,
Vestibus ut rigidis aut ad vestigia sutis
Corporis omne sacrum casto velatur operto.
Scilicet ut divini operis reverentia tectis
Corporibus maneat: nec pœna Dæmon in ipsa
Qua cruciatur, oves: nudis prodendo pudorem
Artubus, inlæso gravius torquetur honesto.

Hæc paulò largiùs acervare libuit creberrima tum in exagitandis exigendisque dæmonibus miracula, quòd his maximè fidem detrahere, his cachinnos sibilaque sua destinare soleant hæretici; sed & his maximè ex adverso Christi Ecclesia decoretur. Nam & Christus cùm Judæorum convitiis infestaretur, dæmonum vocibus prædicabatur: & in Actis Apostolicis testimonium dicebant Energumeni, cùm carceres & cruces Judæi intentabant: ut hinc pronum sit augurari in postera Ecclesiæ sæcula, eam & dæmonum confessione, & hæreticorum inficiatione non absimili semper illustratum iri. Atque ut patentius fiat, quanta sit hæreticorum perversitas in his Energumenorum curationibus contumaciùs pernegandis, idem Paulinus ibidem author est, nulla his crebriora extitisse miracula, ut ad ea quasi jam trita, & familiaria, minùs excitarentur homines:

Mira hæc sunt & magna, quis abnegat? Et tamen usu
Nota magis, minus audita miranda videntur.

XIV. Gregor. M. In Evang. Hom. 32. Gregorius Magnus: *Nam sunt nonnulli, qui Christianitatis nomine censentur, sed Christianitatis non habent meritum. Sola esse visibilia æstimant: invisibilia non appetunt, quia nec esse suspicantur. Ad sanctorum Martyrum corpora consistimus fratres mei. Nunquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissimè constitisset esse vitam, pro qua mori debuissent? Et ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora, viventes ægri veniunt, & sanantur: perjuri veniunt, & à dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergo vivunt illic ubi vivunt, si in tot miraculis vivunt hic, ubi mortui sunt?* En scopum cui hæc miraculorum jactantia intenditur: ut invisibilium fides, ut immortalitas, ut Christianitas asseratur. Qui enim hìc ubi mortui sunt, tam admirabiliter vivunt, ut miracula operentur; beatiùs utique illic vivunt, & illam beatiorem vitam, temporalium omnium abdicatione æternorum charitate adepti sunt. Miraculorum ergo veritate fidei nostræ veritas defensatur, inficiatione labefactatur. Quod autem hinc illud specialiter efficiatur, invocandos esse Martyres, paulò pòst declarat idem Gregorius: *Ecce districtus Judex Jesus venturus est: tanti illius Angelorum Archangelorumque concilii error adhibetur. In illa conventu causa nostra discutitur, & tamen nos patronos modò non quærimus, quos tunc defensores habeamus. Adsunt defensores nostri sancti Martyres; rogari volunt, atque ut ita dicam, quærunt ut quærantur. Hos ergo adjutores vestris orationibus quærite, hos protectores vestri reatus invenite; quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui judicat.*

CAPUT V.

De cultu Crucis Christi vera.

A Reliquiis ad imagines gradum facturis, opportunè ingerit se Crux Christi, utroque insignis nomine, & honore. Nam & crucem Christi ipsissimam ut ejus contactu consecratam, ut ejus imbutam sanguine adoramus, tanquam ipsius Christi sacrosanctas reliquias: & eandem rursum ut imaginem Christi pendentis, & expictas ad eam imagines alias fusas cælatasve veneramur. Itaque hæc erit superiorum & inferiùs dicendorum commissura mollissima. I. Crucis Christi veræ cultus ex Cyrillo Jerosolymitano & Eusebio.

Quàm cupidè autem quàmque pronis ad venerationem animis crucem Christi amplexarentur Majores nostri, inter illa etiam primordia, quibus virulentiam suam aspergere ac fidem derogare non potuerunt hæretici, liquebit ex Cyrillo Jerosolymitano variis locis. *Lignum crucis testatur, ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos qui secundùm fidem ex illo capientes, hinc universum orbem fere jam repleverunt.* Catech. 10. Et alibi: *Et ligno crucis universus tandem orbis terrarum particulatim oppletus est.* Catech. 4. Et tandem: *Si crucifixum negarem, arguet me hic Golgothas, cui nunc omnes proximè assistimus; arguet me lignum crucis, quod per particulas ex hoc loco per universum orbem sparsum est. Confiteor crucem, cùm sciam resurrectionem.* Catech. 13. Quo fidejussore quid certius! Aderat enim coram præsensque & loco & tempori, quo crux è latibulis suis ubi tandiù delituerat, eruta est. Adde & Eusebium: *Tanta est Salvatoris nostri gratia, nullus ut orationis cultus præsentis miraculi dignitatem assequi possit. Etenim monimentum illius sanctissimæ passionis jam pridem sub terra delitescens, tanto annorum spatio occultatum fuisse ad id usque tempus, quo communi omnium hoste sublato, in libertatem vindicatis servis suis refulgere deberet, omnem revera superat admirationem.* L. 3. de vita Constantini c. 19. Hæc de cruce dici dilucidissimum est. Hæc porrò admiratio veræ crucis, hæc ejus aliqua saltem frustula carpendi & studiosissimè asservandi cura, summæ venerationis loco est: & quantumvis nupera hæreticorum fœx reclamet, huic non superstitioni, sed sincerissimæ pietati Deus ipse suffragabatur, cùm lignum illud minutatim per orbem spargi, & citra detrimentum tamen integrum consistere jubebat.

Sed veræ crucis cultum eleganter Chrysostomus enarrat, Libro quod Christus sit Deus: *Non mortis tantum, sed & maledictæ mortis symbolum crux erat. Unde ergo, dic mihi, omnibus tantum ejus studium ac cura, quod ita desiderata cunctis & omnibus desiderabilior? Ipsum ergo lignum, in quo positum sanctum corpus Domini & crucifixum, quærenam habere totus orbis ita contendit, ut qui parvum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tam viri & mulieres, & cervicibus suis aptent, hinc valdè honestati & magnifici, muniti & protecti, licèt condemnationis fuerit lignum? Sed qui omnia operatur & immutat ea, qui orbem terrarum à peccato tanto transfert, & terram cœlum facit, etiam rem hanc licet contemptam & omnibus mortibus turpiorem supra cœlos elevavit.* II. Ex Chrysostom. To. 5. p. 841. Strigmenta Christi crucis abradere, ea auro includere, collo suspendere, in his ornamentum sibi, & præsidium tutelamque venditare, genus honoris est tanti, quanto major nec excogitari potest. Sed ne non nostræ tantùm, quia pudorem penitùs ejurarunt; sed & Chrysostomi, Patrumque Ecclesiæ omnium simplicitati insultare ausint, advertant quæso animum, & sedulò pensitent, injuriam hanc in Christum ipsum redundare. Etenim hinc gloria Christi coruscavit maximè, hinc Christi fides subjugavit orbem, quod cruci priùs terræ & detestabili, omnium obsequia conciliata,

omnium

omnium corda subjugata sint. Unde Chrysostomus ibidem: *Mira est hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans quod maledictæ mortis signum fuerit crux; sed omnes eo magis ornantur, quam diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus. Et non solum non fugitur, sed & desideratur & amatur, & omnes de ea solliciti sunt, & ubique fulget, & sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in civitatibus, invicis, in locis quæ habitantur & quæ non habitantur. Vellem audire à Pagano, unde symbolum tum maledictæ mortis ac supplicii omnibus tam desiderabile, si non magna crucifixi virtus?* His ille Paganum aggreditur, his & nos Novatorum quempiam? An graviter feret iisdem se argumentis atque Paganum impeti? Ergo in eadem se classe esse, eademque impietate obligatum intelligat. Cudebantur & vibrabantur hæc tela adversus Gentiles: iis si configuntur Calviniani, stipendia hi ergo faciunt in Gentilium castris, unàque adversus Christianum nomen belligerantur. Propugnat Chrysostomus ex crucis honoribus gloriam crucifixi, majestatem Christi ex crucis honorificentia portendit; crucem ex adverso vilem & despicabilem vociferantur Sectarii; ergo gloriæ Christi invident, majestatem ejus imminuunt, militibus ejus adversantur, suffragantur hostibus crucis Christi, fundamenta concutiunt Ecclesiæ, Ethnicos ex inferis quasi excitatos reducunt ad redintegrandum cum Christo certamen. Sed quæ tunc Gentiles profligavit, conteret & nunc eorum gentilitios Christi crux, quos sibi tandiù obtrectare & nequicquam restitare non finit, nisi ut vincat diutiùs, nec triumphaverit semel, sed semper triumphet. Ita enim Spiritus sanctus in Scripturis olim despondit, authore eodem ibidem Chrysostomo; *Hæc igitur omnia prævidens Propheta dicebat, Et erit requies ejus honor. Hoc enim mortis symbolum multæ benedictionis argumentum est factum, & omnigenæ securitatis murus, lethifera diaboli plaga, camus contrariarum virtutum.*

III. Ex Theodoreto. In c. 1. Isai. Suffragator accedat & Theodoretus: *Et post hæc vocaberis, Civitas justitiæ, metropolis fidelis Sion. Non illi magnitudinem & pulchritudinem ædificiorum incolarumque frequentiam pollicetur; sed justitiam atque fidem. Mater enim est eorum qui crediderunt. Unde ad illam confluunt omnes, videre gestientes non murorum amplitudinem, neque turrium sublimitatem, neque columnarum & lapidum fulgores, sed sepulchrum Dominicum, & crucis formam Dominicæ, & parvum illud, sed fama celeberrimum præsepe.* Istud est crucem adorare, certatim ad illam convolare, & tanta itinerum fatigatione aspectum ejus osculumque mercari. Tu interesse ad salutem æternam ista non putas, at Theodoretus hoc eximium interpretatur esse fidei & justitiæ specimen, eoque civitatem justitiæ vocitari Jerosolymam, quòd ad eam concurratur, non ad mœnia, non ad marmora, non ad metalla, non ad vana denique admiranda, sed ad Christi crucem, ad humilitatem, ad paupertatem, ad charitatem crucis amplexandam, totoque animo & corpore profitendam. Id porrò ad salutem æternam interest. Parco quæ ille de inventione sanctæ crucis in Historia Ecclesiastica narrat, referre, quòd eruditissimè alii versati sint in hoc argumento, & imprudentissimorum canum circa ista latratus assultusque propulsarint.

IV. Ex Damasc. L. 4. c. 11. Orth. fidei. Damascenus non abludit à superiorum mente, ubi ita adversarios statim incessit: *Sermo crucis iis qui pereunt, stultitia est; nobis autem qui salute respiramus, virtus Dei est. Nam spiritalis omnia dijudicat, &c. Qui fidem non suscipiunt, bonitatem & omnipotentiam Dei non existimant, sed humanis & naturalibus divina cogitationibus scrutantur. Omnia enim Dei super naturam, & sermonem, & mentem.* Et paulò post: *Omnis igitur actio & portentifica Christi operatio, maxima, divina & summè admiranda est, omnium autem maximè admirabile fuit, pretiosa ejus crux. Per nullum enim aliud mors primi parentis destructa est, peccatum solutum, infernus spoliatus, resurrectio donata, &c. Ecce mors Christi, id est, crux hypostatica Dei virtute & sapientia circumdedit nos, &c. Ipsum nimirum pretiosum lignum & perquam verè venerandum, in quo semetipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, ut sanctificatum tactu corporis sancti & sanguinis decenter adorandum: Clavique & lancea & indumenta, &c. Si enim eorum quos amamus desiderabilis est domus, & lectus, & amictus, quanto magis quæ Dei nostri sunt & crux & per quæ salvati sumus?* Sic ille primùm quo ex capite pullulent adversariorum in nos odia, denudat, nempè ex eo quòd ipsis perinde ut Judæis & Gentilibus crux Christi etiamnunc non Dei virtutem & sapientiam, sed stultitiam spiret, & offensionem creet. Carnaliter enim sapiunt, & sensu corporis omnia metiuntur, nec intelligunt in cruce non lignum adorari, non materiam brutam & inanimem, seu bonitatem & omnipotentiam Dei inde maximè emicantem, sed virtutem & sapientiam Verbi inde salutem nostram architectantis, sed mortem ipsam & resurrectionem Christi, ex eo ligno nobis occursantem, sed sanguinem denique Christi, quo lignum illud imbutum est adhuc & purpuratum. An cunctantur mortem & cruciatus Christi adorare? Ipsam tamen mortem & cruciatuum naturam haud quisquam ita insanit, ut adorare inducat in animum. Quin ergo etsi cruces detestemur, Christi tamen adoremus crucem, cùm crucem non aliud sit quàm mortem in cruce, seu mortuum in cruce Christum adorare? Unde idem Damascenus: *Omnia profectò, Domine, quæ tua sunt, adoramus: ardentique desiderio divinitatem, potentiam, bonitatem, misericordiam erga nos, summissionem carnisque sumptionem amplectimur. Et quemadmodum ferrum veremur ignitum attingere, non propter naturam ferri, sed propter ignem qui cum ferro conjunctus est; sic etiam carnem tuam adoro, non propter carnis naturam, sed propter copulatam illi hypostaticè divinitatem. Cruciatus tuos adoramus. Ecquis mortem adoratam novit, ecquis cruciatus venerabiles? Sed vere adoramus Dei mei corpoream mortem salutaresque cruciatus.* Orat. 1. de Imag. Crucem adorari, idem sonat ac cruciatus mortemque Christi adorari. Adorari autem mortem & crucem, id est, crucifixionem Christi nemo Christianus pigritatur, quia tum non adorari intelligit, nisi his implicatam Verbi divinitatem, sicut & in adoranda Christi carne adoratur Deitas carni hypostaticè & medullitus insinuata.

Quibus non dissonat Leontius Episcopus Neapoleos Cypri, prout refertur Act. IV. Synodi Nicænæ secundæ: *Et sicut is qui jussionem Imperatoris suscepit, & salutavit sigillum, non lutum adoravit, aut chartam, aut plumbum, sed Imperatori adorationem & cultum impendit: ita & nos Christianorum pueri formam crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed signum & annulum, & characterem Christi, eum aspicientes, per eum illum qui in eo crucifixus est, salutamus & adoramus. Et sicut germani filii patris cujusdam qui peregrè profectus est ad tempus ab illis, multo erga eum affectu ex animo flagrantes, sive virgam ejus in domo videant, sive sedem, sive clamydem, hæc cum lacrymis deosculantur & salutant, & non illa adorant, sed patrem desiderant & honorant; ita & nos omnes fideles, tanquam virgam Christi crucem adoramus: ut sedem verò & cubile ejus sanctissimum monumentum, ut domum, præsepe & Bethleem, & sancta ejus cætera tabernacula.* Tota ergo animi nostri intentio, tota honoris destinatio ad Christum arrigitur, quem in cruce pendulum, ipsa cruce osculanda amplexandaque veneramur. V. Ex Leontio Epis. Neap. Serm. 5. pro Christ. adv. Jud. Apolo.

Author etiam Quæstionum ad Antiochum apud Athanasium: *At verò crucem à nobis fidelibus honora-* VI. Ex Athanasio, ubi & ex Paulo cultus crucis. Qu. 39. 40.

norari & exosculando adorari propter Christum qui in ea pependit, manifestum est. At rursum cùm obiiceretur, *Si hoc satis est, debebamus ergo etiam asinos venerari, quandoquidem asina Christus insedit. Hoc enim nobis obiiciunt Judæorum Græcorumque filii.* Ad quæ respondet: *Non in asino diabolum ac dæmones reliquos vicit Christus, neque in asino salutem nostram operatus est, sed in cruce. Hinc fit ut dæmones cum asinos vident, nec tremant, nec horreant; at crucem intuentes, persæpè tremunt horrentque, sternuntur & fugantur.* Vides quid respondendum sit ad istiusmodi absurdarum objectionum nænias, quas à Judæis olim Gentilibusque tritas, & ad nauseam usque decantatas, affines eorum & veri consanguinei Novatores veluti recoctam cum fastidio cramben nobis regerunt. Præ cæteris enim quæ Christi contactu honestata sunt, honoris prærogativam merito & jure crux sibi vendicat, in qua salus nostra peracta est, quæ Christi sanguinem ipsum bibit hausitque, quam ideò Christus frequentioribus decoravit miraculis, quæ denique ipsum magis Christum suffixum nobis repræsentat. Atque ut hæc omnia desint, cavillorum istiusmodi futilitas evanescit, si ut par est, ad mores hominum, & ad usitatas honoris leges descendas. Nam seu parentum, seu amicorum peregrè profectorum, aut omninò è vivis abreptorum, seu exuvias, seu annulos, seu pignora demum amoris aliqua religiosè servare atque amanter subinde mirari, osculari, amplexari solemus, in his amicum ipsum vel parentem nobis quodammodo repræsentantes; nec omnia tamen quæ amici vel parentis fuerunt, hoc honore afficimus, sed ea duntaxat quæ speciem quandam decoris præ se ferunt, nec in ullam possunt facetorum hominum incurrere dicacitatem. Crucis autem nomen ipsum quàm suave sit, quàm augusta & amabilis ejus species, ut Christi nostrique reciprocantis amoris tessera non immeritò esse possit, planum fit ex Apostolo Paulo, qui subinde ad hoc nomen æstuat, ad hanc crucis speciem divinæ charitatis facibus inardescit. *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Christo confixus sum cruci. Quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi. Non in sapientia Verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis Dei virtus.* Si tetrum, si inauspicatum, si detestabile crucis nomen est, ut inimici crucis Christi insaniunt, ut quid Paulus eo oblectabatur? Ut quid illo suas passim inquinavit epistolas? Ut quid ad illud cœlesti charitate conflagrabat? Excipies tu quidem, non inde effici adoratum à Paulo lignum veræ crucis. Et ego ex adverso pertendam, eò non adoratum tantùm ab ipso, sed cum pompa & in propatulo & inspectante humano genere adoratum, non perfunctoria & fugaci, sed stabili constantique adoratione, & tandiù duratura, quandiù ipsæ Pauli Epistolæ perdurabunt, quarum apices cœlis ipsis & terra erunt perenniores: pertendam denique non adoratum tantùm, sed adorandum orbi universo omnibusque posteriorum ætatum tractibus esse præscriptum. Crucem enim Christi impensissimè adorat, qui ad crucis nomen hilarescit, qui ad crucis memoriam gaudio gestit, qui crucem ore calamoque sæpissimè exprimere concupiscit, qui suam de cruce venatur gloriam, qui cruci cum Christo, toto animo configitur, qui adversantes cruci abominatur, qui denique crucis nomine totam Dei virtutem & sapientiam, totam Christi amplitudinem, totam Ecclesiæ salutem complectitur, qui adversari cruci conqueritur quicumque veritati & sanctitati Christi & Ecclesiæ sunt infesti. Ut enim virtus & sapientia Dei, ut Christiani mysterii dignitas, ut salutis nostræ summa uno maximè crucis nomine comprehenderetur & significaretur à Paulo, posterisque significanda mandaretur, unde affectum est nisi ab egregia æstimatione & charitate in crucem, cui nulla æquiparari alia possit crucis veneratio? Si vile & despicabile quid, si ominosum & execrabile, si nullo saltem honoris atque adorationis argumento prosequendum esse putasset Paulus crucis nomen & signum, non huic nomini alligasset defixissetque totius admirationis & adorationis & spei nostræ sacramentum. Cùm autem venturas Ecclesiæ ætates omnes ea astrinxit necessitate, ut crucis nomine concluderent adoranda sua omnia mysteria, crucis adorationem ineluctabilem vel invitis & reluctantibus impegit. Adorat ergo crucem Paulus, adorat perenniter & indesinenter in Epistolarum suarum monumentis nulla temporum edacitate conficiendis, adorat Ecclesia universa quoties has Epistolas lectitat, adorant & inopini atque obluctantes licèt adversarii, cum Paulum è suggestu legunt, cum crucis nomine perinde ut Paulus, omnem adorandi nostri dogmatis majestatem complectuntur. Neque enim adoratio solo peragitur capitis, aut corporis flexu, aut osculo, sed animi maximè stupore, & amore. Ubi crucem autem astupes, ubi ornas laudum vi immensa, ubi in ea spem tuam omnem ex animo defigis; si corpore id etiam tuo profiteri renuas, si corpus inclinare detrectes; si quod animo dissuaviaris, labiis impressis lambere fastidias, næ insulsissimæ tu es pervicaciæ & dementis omninò morositatis.

Denique Theodoretus quanti ad Christianæ fidei stabilimentum, veneratio sit crucis Christi: VII. Ex Theodoreto. L. 6. de curandis Græc. affect.
declarat: *Verbis autem nostris fidem res ipsæ conciliant, orbis universus terra marique à priore ignorantia liberatus, idolorum cessans fallacia, impietatis pulsa caligo, radii divinæ cognitionis lumine mundum complentes: Græci, Romani, Barbari crucifixum Deum pronuntiantes, crucisque signum honore prosequentes, &c. Evangelicam autem veritatem antiquæ prophetiæ confirmant. Hæ namque prædicunt quæ in Evangeliis continentur; Evangelia verò propheticæ prædictionis finem ostendunt. Prophetæ virginis partum prædixerunt, hæc propheticam docent veritatem. Illi crucem vaticinati sunt, Evangelia ostenderunt.* His ille machinis Gentilium contumaciam oppugnabat, his nos Iconomachorum. Adoratio enim crucis à Prophetis prænunciata, ab Apostolis firmata, toto orbe pervagata atque invicto robore fundata, Christianæ veritatis invictissimum atque ineluctabile argumentum est, quod qui infringere moliuntur, ii internecinas inimicitias reipublicæ Christianæ indixerint, necesse est.

Advertamus jam ut Græcæ assonet Latina Ecclesia, certetque crucem Domini divinis honoribus VIII. Ex Paulino, Epist. 11.
cumulare. Paulinus Epistola ad Severum: *Testis est autem Dominus, quod si vel scrupulum sacri cineris habuissemus, supra quàm nobis ad basilicam quæ proximè in nomine Domini consummabitur, dedicandam, necessarium erat, misissemus unanimitati tuæ, &c. Invenimus quod dignè & ad basilicæ sanctificationem vobis, & ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus, partem particulæ de ligno divinæ crucis: quod nobis bonum benedicta Melania ab Hierusalem munere sancti inde Episcopi Joannis attulit, &c. Accipite ergo magnum in modico munus, & in segmento penè atomo hastulæ brevis, sumite munimentum præsentis & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parva cernentibus, sed interna acie totam in hoc minimo vim crucis videat: dum videre vos cogitatis lignum illud quo salus nostra, quo Dominus majestatis adfixus tremente mundo pependerit, exultetis cum tremore; recordemur & petras fissas ad hujus aspectum crucis, & saltem saxorum æmulatione, præcordia nostra findamus amore divino.* Quod affirmat Paulinus munimentum præsentis & pignus æternæ salutis, non illud erat ramentum crucis,

crucis, & segmentum penè atomum hastulæ brevis, quod carnales oculi angusti angusta cernere nati cernebant: sed quod fides, quod interna acies intuebatur, in quo salutem nostram, Dominum majestatis adfixum pependisse conspiciebat invisibiliter, cui denique orbem ipsum adorando olim contremuisse meminerat. Quod quid aliud est, quàm non materiam visibilem, sed invisibilem, quæ superextat, Domini majestatem adorari? *Tubello aureolo rem tantæ benedictionis inclusimus, &c. Tali paratu fidem vestram imitati sumus, &c. quia scimus vos ut aurum ignitum intra vos habere regnum Dei, hoc est fidem crucis qua regnum cælorum invaditur. Si enim, inquit, compatimur, & conregnabimus, &c. Misimus vobis in Domino ligni salutaris donum, ut crucem & corpore possideretis, quam tenetis spiritu, & propositi virtute portatis.* Vides quàm non anilibus superstitionibus referta sit hæc crucis veneratio. Tunc enim crux adoratur, cum fidem crucis profitemur, cum crucem bajulamus animo toto, & vitæ instituto, cum in compatiendo totam conregnandi fiduciam nobis sitam esse vociferamur. In osculanda venerandaque cruce hoc agimus, hoc toto pectore cogitamus, hoc vovemus, hoc coram profitemur. An obgannies posse extra crucis oscula, vel amplexus, virtutes istas illucescere, & sola mente exprimi? Nec nos abnuimus, & plerumque solo animo crucem meditamur: sed quid adeo alienum est, si ut ait Paulinus, crucem & corpore possideamus quam tenemus spiritu, & propositi virtute portemus? Quid humanæ familiarius naturæ, quid consonantius, quàm animi sensa signis exprimere, quàm affectus intimos externis promere, & plerumque exaggerare argumentis? Ecquis enim non in osculanda ipsa Christi cruce sentiet inflammescere suis in præcordiis charitatem crucifixi Domini? Ita nimirùm temperata hominis à summo opifice Deo structura est, ut ab animo in corpus explicet se intima religio, & per corpus explicata in animum ardentior retorqueatur.

Pergit Paulinus ibidem narrare, quomodo *Hadrianus Imperator existimans se fidem Christianam*
IX. Ex eodem. *loci injuria perempturum, in loco passionis simulacrum Jovis consecravit, & Bethlehem Adonidis fano profanata est, ut quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est, ut pateretur, &c.* Quorsum id consilii insedisset Hadriano, nisi Christianos illos Christi sanguine recenti adhuc calentes & flagrantes spiritu, compertsset in crucis & sepulchri venerationem æstuare, & in his permagnum sibi spei suæ locare præsidium? Rursum ut Helena Constantini mater loca illa destructis templis & idolis purgaverit, *ut Ecclesia tandem in terra originis suæ celebraretur*. Et tandem: *Ita ut Christi crucem decuit, experimento resurrectionis inventa & probata crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur, condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, & aureis dives altaribus, arcano positam sacrario crucem servat, quam Episcopus urbis ejus quotannis cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit.* Viderint adversarii cui suffragentur magis, utri accedere malint, Hadriano crucem prophananti, an Paulino, an Episcopo Hierosolymitano, & populo tum Christiano ubique gentium lignum illud adoranti? Perspicuum est stare eos cum Gentilibus adversus primævum illum & incorruptum Christianitatis florem, unàque conniti, *ne Ecclesia in terra originis suæ celebretur*; conniti ut crux, *quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tollatur*. Est enim Ecclesia crucis filia, crux Ecclesiæ parens & patria. Denique narrat ut crux spargenda totum in orbem disperperetur, & tamen venerantibus tota perstaret: *Quæ quidem crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidiè hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus, & semper totam venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.* Ubi mirari subit non tam individuam dividuæ materiæ imputribilemque virtutem, quàm Christiani totius orbis fidem in cruce veneranda adeò defixam, non reclamantibus, sed applaudentibus & currentes impellentibus maximis tum Christiani nominis luminibus Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Paulino, Severo, & aliis Principibus Ecclesiæ Magistris, nec paucioribus Græcis. Si hæc erat idololatria, an assentirentur, an adgratularentur, qui ut Martyres cruore, ita ipsi calamo idola oblitterarunt?

Denique infrà idem Paulinus quàm ritè crucis ligno & Martyrum cineribus consecrarentur altaria, ita canit:

Hic pietas, hic alma fides, hic gloria Christi,
Hic est martyribus crux sociata suis.
Nam crucis è ligno magnum brevis hastula pignus, Epist. 12.
Totaque in exiguo semine vis crucis est.
Quàm benè junguntur ligno crucis ossa piorum,
Pro cruce ut occisis in cruce sit requies!

Nec prætermitti debet finitimum illud de loco, è quo Christus in cœlum ascendit: de quo Paulinus: *Mirum vero inter hæc quod in basilica Ascensionis,* Epist. 11. *locus ille tantum de quo in nube susceptus ascendit, ita sacratus divinis vestigiis dicitur, ut nunquam tegi marmore, aut paviri receperit, semper excussis solo respuente quæ manus adornandi studio tentavit apponere. Itaque in toto basilicæ spatio solus in sui cespitis specie virens permanet, & impressam divinorum pedum venerationem calcati Deo pulveris perspicua simul & adtigua venerantibus arena conservat: ut verè dici possit, Adoravimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Cui accinit Severus Sulpitius: *Calcati Deo pulveris adeo perenne documentum erat,* l. 1. Hist. sacr. *ut vestigia impressa cernerentur cum quotidiè confluentium fides certatim Domino calcata diriperet, damnum tamen arenam non sensisse: & eandem adhuc sui speciem, velut impressis signatam vestigiis terram custodisse.*

Nec parcior Paulino Hieronymus in crucis honoribus describendis, locorumque omnium quibus X. Ex Hieronymo. sanctimoniam suo Christus corpore aspiravit. In Epistola ad Marcellam ut commigret Bethlehem: *Totum mysterium nostrum istius provinciæ urbisque vernaculum est.* Quo nihil magnificentius dici potuit, ibi enim Patriarchæ, ibi Prophetæ, ibi Christus, ibi Apostoli, ibi Ecclesiæ cunabula. *Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & propitiatorium & arca testamenti, manna, virga Aaron, & altare aureum: Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini? Quod quotiescumque ingredimur, toties jacere in sindone cernimus Salvatorem; & paululum ibidem commorantes, rursum videmus Angelum sedere ad pedes ejus, & ad caput sudarium convolutum. Cujus sepulchri gloria multò antè quàm excideretur à Joseph, scimus Esaiæ vaticinio prophetatum, dicentis, Et erit requies ejus honor: quod scilicet sepultura Domini locus esset ab omnibus honorandus.* Et infrà: *Et monumentum in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo & angelis ejus, qui quotiescumque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes, contremiscunt, rugiunt, & se dolent crucifixisse quem timeant. Si post passionem Christi, ut scelerata vox concrepat, hic detestabilis locus est, quid sibi voluit Paulus Hierosolymam festinare, ut ibi faceret Pentecosten?* Et paucis interpositis: *Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui*

Mar-

Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus religionis, minus se habere scientiæ, nec summam ut dicitur manum accepisse virtutum, nisi in illis adorassent locis, in quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat. Satin diserta hæc tibi videntur, ut sepulchri & Crucis Christi cultum extorqueant? Authoritas accersitur ab Esaia, cui monumenti honores præcinenti, tu quidem pro virili parte tua refragaris, & mendacii calumniam illidis, sed suffragatur orbis terrarum. Deinde Hierosolymam confluxisse memorantur Episcopi, Martyres, Doctores præclarissimi quique, non nuper ebulliente curiositate, sed jam inde ab ascensu Domini, & deinceps per omnes ætates effervescente in loca sacra pietatis æstu. Quin & Paulus facem quasi prætulerat, tanto studio adproperans Hierosolymam, ut Pentecosten ibi celebraret: prætulerant & cæteri Apostoli Apostolicique viri, propensiore semper cura illam Ecclesiam sustentare satagentes, procul sanè ab eorum vesania, qui ea loca detestabilia concrepant. Adde quòd miracula cruci & sepulchro Domini multo præstantiùs quàm Martyrum reliquiis, venerationem conciliant. Denique ut ne calumniando detorquere & sequiùs interpretari valeas consilium nostrum, audi quì sepulchrum, quì crucem adoremus, audi disertè Hieronymum hæc discrepantem: *Quod sepulchrum quotiescumque ingredimur, toties jacere in sindone cernimus Salvatorem.*

XI. Ex eodem. Et rursus eadem Epistola paulò infrà: *Quo sermone, qua voce tibi possumus speluncam Salvatoris exponere? & illud præsepe in quo infantulus vagiit, silentio magis quàm infimo sermone venerandum est.* Et inferiùs: *Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare? In sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre? Crucis deinde lambere lignum, & in Oliveti monte cum ascendente Domino, voto & animo sublevari?* Et in Epitaphio Paulæ: *Delata ad insulam Pontiam, quam Flaviæ Domitillæ nobilitavit exilium, vidensque cellulas in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis, Jerosolymam & sancta loca videre cupiebat. Tardi erant venti, & tarda omnis velocitas.* Et de ea mox cùm Palestinam attigisset: *Cuncta loca tanto ardore ac studio circumivit, ut nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci. Prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa sepulchrum, resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat Angelus. Et ipsum corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fideli ore lambebat. Quid ibi lacrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Jerosolyma, testis est ipse Dominus quem rogabat.* Crucem, sepulchrum, terram divinis consecratam vestigiis osculari, lambere, adorare Hieronymo non superstitiosarum anicularum deliramenta sunt, sed infucatæ in Christum pietatis documenta. Nam ne tergiversationibus ullis locus sit, audi expressissimè monentem: *Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Prosternebatur cruci & adorabat, quasi pendentem Dominum cerneret. Non lignum enim nudum, sed Dominum, quem lignum illud sistebat præsentem adorabat. Quod posset rursus confirmari ex Paulino Episcopo Nolano. Paul. Ep. 35.

XII. Ex August. Augustinus non illibenter cum Paulino & Hieronymo periclitabitur, sannisque ac maledictis iisdem incessi ab Ecclesiæ adversariis haud detrectabit. *Pars autem Donati non considerat ab illa radice Orientalium Ecclesiarum se esse præcisam, unde* Epist. 170. *Evangelium in Africam venit: unde terra si eis afferatur, adorant; fidelis autem si inde veniat, exufflant & rebaptizant eum.* Civit. l. 22. c. 8. Et alibi de Hisperio Tribunitio agens, ait: *Acceperat ab amico suo terram sanctam de Jerosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipsa pateretur. At ubi domus ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat quam diutiùs in cubiculo suo reverentiæ suæ habere nolebat. Forte accidit ut ego & collega tunc meus, Episcopus Synicensis Ecclesiæ, Maximinus in proximo essemus. Ut veniremus rogavit, & venimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi atque ibi orationum locus fieret, ubi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt, congregari. Non restitimus, factum est. Erat ibi juvenis paralyticus rusticanus, qui hoc audito petivit à parentibus suis, ut illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quò cùm fuisset allatus, oravit, atque inde continuò pedibus suis salvus abscessit.* Sibi placeant, sibi plaudant, sibi sapiant quantum volent Calviniani, insaniæ & deliræ superstitionis reos agant Augustinum, Hieronymum, Paulinum, & his consentaneos Latinos cæteros, Græcosque Patres, cinerarios illos & terricolas atque idololatras infament, nobis optatius est à talibus cum talibus accusari quàm absolvi.

Rusticus: *Adoratur corpus quod de terra est: non ut per semetipsum aut propter semetipsum adoretur, ut Deus; sed ut per corpus & per carnem sive humanitatem, Deus Verbum qui inhumanatus est, coadoretur. Certè enim & per fimbriam vestimentorum operatus est in illa quæ sanguine fluebat, & nullus tamen dicit unam naturam esse vestimentorum & Verbi; & tactu salvavit multos, & vocem mittens à proprio ore quatriduanum suscitavit Lazarum. Per quod igitur operatur, dum per hoc & in ipso adoratur & colitur, complacet colentibus se. Necnon & clavos quibus confixus est, & lignum venerabilis crucis omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat: & non solum quæ duæ naturæ sunt, Deus & crux, sed & illud sanctum ferrum, præter illud venerabile lignum, alia est natura, & altera rursus ipsa Domini caro.* En adorari & quidem sine ulla contradictione, & quidem per totum orbem terrarum, non lignum tantùm crucis, sed & clavos & ferrum, quo confossus Christus est. Quidni enim per ea adoretur Christus, per quæ operatur salutem nostram? Quin per fimbriam vestis suæ adoretur, qui per eam morbum inveteratum propulsat? Et illa sanè mulier adoravit fimbriam, quam tangere ambivit, quam venerabunda contigit, cujus contactu se speravit sanatum iri; nec voti fuit irrita. Nam & nos tum adoramus crucem, cùm contingere gaudemus, cùm libamus osculum, cùm inde gratiam exugere confidimus. In veste ergo sua Christus jam tum approbavit culturam suæ postea crucis, qua non unius mulierculæ corporeas, sed totius humani generis incorporeas depulit pestes. Per quæ enim instrumenta operatur nostram ipse salutem, per hæc eadem hortatur quodammodo, ut & nos nostram extruamus salutem, dum debitum ei refundimus honorem. *Quæ enim segregantur & propria Deo fiunt, per quæ & colitur & adoratur, illi jam velut organa & coadjuvantia infirmitatem nostram sunt ad propinquandum Deo: & ad id ut sint quidem, quantitatis non amittunt proprietatem; ad colendum verò & adorandum & venerandum, non jam connumerantur quæ creata sunt Creatori. Alterum namque est, per hoc coli illud, & alterum secundum naturam & sempiternè & maximè propriè colendum aliquid illud esse.* Audin hæc esse instrumenta adjuvantia infirmitatem nostram, cui velut adminiculis corporalibus opus est, ut ad incorporalia enitatur? Itaque cùm ad intelligibilia & æterna, corporalium temporaliumque veluti gradibus protrudendi simus, prævivit ad exemplum Deus, & per corporalem dispensationem ad nos descendit, nimirum ut & nos per eandem ascendamus: per carnem ad nos defluxit, per eandem ad Deitatis verticem & nos refluimus: per crucem opitulatus est nobis, per eandem crucem adorationes & honores illi nos rependimus. Illud enim

XIII. Ex Rustico. Disp. contr. Acephalos.

enim cum primis advertendum nobis est ex Rustici sententia, ut per carnem assumptam, ita per crucem & clavos adorari Deum Verbum. Accessit caro Verbo, accessere carni vestes, crux, clavi, etsi accessionis species istæ longè sint dissimiles. Sic tamen accessere, ut & in carnem à Verbo & per carnem in vestes, in crucem, in claves virtus Verbi difflueret ac exundaret nobis benefica, nobis osculanda & adoranda. Ubi garriunt autem Iconomachi, ergo jam præter Deum adorari quidpiam creatum: respondere occupavit olim Rusticus, non adorari carnem præter Deum, quando per carnem adoratur Deus: & similiter non adorari crucem præter Deum, quando per crucem adoratur Christus; longè aliud enim esse per carnem & crucem coli Deum, aliud secundùm naturam suam, & propriè, maximè, ac sempiternè coli carnem vel crucem. Neque enim præter Deum colitur, quod propter Deum colitur, vel potiùs per quod Deus colitur. Unde aliquantò supra idem Author: *Non enim coadorantur in sancta Trinitate, nisi Personæ tantummodo; divinitas verò sicut miracula est operata per carnem, sic adoratur per carnem: & adoramus omnes crucem, & per ipsam, illum cujus est crux, non tamen crucem coadorare dicimur Christo, nec per hoc una est crucis & Christi natura. Similiter adorare altare, coadorare altari Trinitatem non dicimur, sed potiùs per altare.*

XIV. Ex Ambrosio. Nec fugiet nos Ambrosius, qui serm. de obitu Theodosii Imperatoris hæc disserit: *Venit ergo Helena, cœpit revisere loca sancta, infudit ei Spiritus, ut lignum crucis requireret, accessit ad Golgotham; & ait, Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vel vexillum salutis, & non invenio? Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris, diabole, ut gladius quo peremptus es, obstrueretur. Aperiatur humus, ut salus fulgeat. Quid egisti, diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vincereris?* Et infrà: *Invenit ergo titulum, Regem adoravit: non lignum utique, quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum. Sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* Et infrà: *Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexa crucis redemptionis divinæ gemma connecteret, &c. Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum levavit, & locavit, ut crux Christi in Regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est cum defertur sacræ redemptioni.* Præclariora sunt ista quàm ut interpretis operam desiderent ullam. Et ibidem de clavis quibus confixus est Christus: *De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit, &c. Bonus itaque clavus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem, ac vestit Principum fontem: ut sint prædicatores qui persecutores esse consuerunt. Rectè in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi præsidium. In vertice corona, in manibus habena; corona de cruce, ut fides luceat; habena quoque de cruce, ut potestas regat, sitque justa moderatio, non injusta præceptio.* Quid speciosiùs ad majestatem Christi, quàm ut in Regibus crux ejus adoretur, in Regibus regnet, in Regibus regat: crux corona Regis, crux habena regni fit: ut omnis potestas de cruce defluat, & crucis, id est, justitiæ legibus infrænetur?

CAPUT VI.

De Crucis imaginibus adorandis. Græcorum primò Patrum suffragia.

I. Crucis imaginum adorandarum. Honor veræ cruci astruitur ex contactu carnis Christi deificatæ. Cessat ea ratio in crucis imaginibus. Sed quorsum ex contactu carnis Christi honor cruci affunditur, nisi quia exinde fit ut quasi pendentem in ea Christum cernentes adoremus: nisi quia exinde fit ut præsenti fide veterem veritatem nobis repræsentemus, ut Hieronymus & Paulinus suprà philosophabantur? Atqui hæc argumentatio ad imagines quoque crucis se porrigit, ergo & his impartiendus est cultus. Quanquam enim illa specialiùs & impensiùs honoretur, quæ ex imagine pariter & contactu cruentisque sanguinis vestigiis efficaciùs pendentem Christum nobis exhibet: nonnullo etiam cultu afficienda tamen crux omnis est, quæ sui effigie Christum eundem utcumque præsentem sistit. Sed missa faciamus argumenta, ubi fides vertitur: tutior & compendiosior fideique familiarior ad veritatem via per authoritatem sternitur. Fideles, non rationales prædicamur: subjugandus in obsequium fidei intellectus est; trita & consecrata majorum vestigiis itinera carpamus, ab ipsis usque Apostolis & per eos à Christo veritatis illimes hauriamus rivulos. Si quid ratio gestiat, si quid argumentatio authoritati obsequatur, immisceaturque, inde exiliat, inde ne dissiliat. antiquissima Ecclesiæ pietas & traditio.

Justinus Martyr Apologia II. Crucem ait esse *notam potissimum fortitudinis & imperii Christi*: ex quo ansam arripit exultandi excurrendique per orbem universum, ut formam crucis ubique observet vi quadam præcipua, & potestatis veluti cardine præpollere. *Considerate namque vobiscum res in orbe cunctas, an absque forma ista administrare quidquam, aut commercium aliquod habere homines queant. Mare certè quidem non scinditur, nisi trophæum, quod antenna sive velum vocatur, in navi integrum maneat. Terra absque hoc non aratur. Fossores autem opus non faciunt, neque itidem manuarii artifices, nisi figuram hanc habentibus instrumentis. Præterea verò facies humana non alia re ab animalibus ratione carentibus magis differt, quàm quod rigida directaque sit, & extensionem manuum habeat, atque in vultu à fronte prominentem proferat nasum, per quem respiratio est animanti, non aliud quàm crucis formam ostendentem. Quin & signa vestræ figuræ hujus vim præferunt, vexillorum signa inquam & trophæorum, &c. Et qui apud vos moriuntur Imperatorum imagines, forma ista consecratis & Deos inscriptionibus nominatis.* Quorsum ista, inquies, tàm longè petita & aliena omnia ad figuram crucis illustrandam? Respondeo non aliena hæc esse, sed alienum illum esse à fide Christiana, cui ejus patrocinia aliena videantur. Nam quò subaliena, quò longiùs petita hæc videbuntur, eò constabit crucis imaginum venerationem & à Christianis cupidiùs frequentatam, & à Gentilibus oppugnatam validiùs, & ab Ecclesiæ Patribus omni virium contentione, & machinis undique accersitis defensitatam. Quò istis enim tueri se Justinus contenderet, nisi eò ab adversariis coarctaretur? Quò encomia undecumque corrasa crucis, & ab omnibus universi partibus tam anxiè emendicata, nisi ut figuræ crucis detraheretur invidia à Gentilibus ingesta, assereretur cultura à Christianis dedicata? Ineluctabiliter ergo hinc constat culturam crucis inter ipsa Christiani nominis primordia à majoribus nostris usurpatam, & ab Ethnicis oppugnatam, à nostris defensatam omni machinarum genere. II. Justinus Martyr.

Cyrillus Jerosolymitanus: *Ipse rursus dicit, Ecce ego veniam, & requiescam in te, &c. Veniam omnes gentes congregare, & relinquam super illas signum. Ex meo enim certamine, quod habui in cruce, sigillum regale cuilibet meorum militum dabo, ut ferat in fronte.* Et rursus: *Insitum igitur est lignum vitæ in terra, ut maledicta terra deinceps frui possit benedictione, & ut liberentur vi vificenturque mortui. Non pudeat igitur nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum digitis imprimatur, & in omnibus crux fiat, in panibus comedendis & in poculis bibendis, in ingressu & egressu, ante somnum* III. Cyrill. Jer. Cat. 13. 4.

somnum recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna est hæc custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos: cum à Deo sit hæc gratia, signum fidelium & timor dæmonum. Triumphavit enim de illis in hoc signo, ostenta illud audacter. Quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi. Metuunt enim eum qui contrivit capita draconis. Neque propterea quod est gratuitum, contemnas hoc signaculum, sed ideo magis venerare benefactorem. Vides quàm amanter, quàmque frequenter signo & imagine crucis extemporanea, digitisque impressa obarmarent se tum Christiani per singula penè momenta: utque hanc non fucatam & fugacem effigiem, sed sigillum regale, sed ingentem tutelam, sed Christi confessionem interpretarentur, & de diabolo instauratum toties triumphum. Quocirca nihil ineptius eo qui gesticulantes tantùm digitos spectat, umbraticamque illam crucis imaginem carnalibus oculis intuetur & allatrat. Signi cortici ne inhæreas, rei significatæ penetrale invade, professionem crucifixi, fiduciam de cruce Christi; gloriationem de cruce, frontem in confitenda cruce obfirmatam, animum de mundo & de diabolo iterum iterumque iutentato crucis vexillo triumphantem, crucis denique memoria refricata & charitate momentis singulis recalescente, votum & sacramentum quo nos astringimus, ut Christo configamur cruci, mundusque nobis crucifixus sit & nos mundo. Hujus religionis symbolum est impressa fronti crucis effigies; quid attinet signum vellicare, & rem significatam magnifacere? Signi enim natura non ipsa per sese, sed pretio rei significatæ censenda est. Quid inaniùs verbis, quid fugaciùs? Et tamen summa quæque veritatis oracula verborum signis ceu involucris obnubimus. Quid autem inficetiùs, quid vecordiùs eo, qui in verba impetum faceret, ea convellere ac contaminare laboraret, sacramenta autem verbis implicata miraculo sibi & venerationi esse profiteretur? Et verbis enim & signis istiusmodi omnibus sua constat dignitas, & fama, dum aptè significent, nec despicabile aliquid significent. Denique una voce rem absolvit Cyrillus, ut ad signum crucis exhorrescant dæmones, ut hilarescant convalescantque Christiani, una causa est, *quando viderint crucem, recordantur Crucifixi.* Si tanti est, crucis meminisse, quin conducat eam & verbis & signis quibuslibet atque imaginibus tibi refricare?

IV. Cyrillus Idem. Ibidem paulò pòst Cyrillus: *Accipe primum, immobile fundamentum, crucem, & in eo reliqua fidei ædifica.* Et infrà: *Habes duodecim Apostolos crucis testes, & orbem terræ & mundum universum eorum, qui in crucifixum credunt, hominum. Hoc ipsum quod tu nunc his ades, persuadeat, crucifixi virtutem. Quis te nunc congregavit? qui milites? Quibus vinculis coactus es? Quæ condemnatio te huc impulit? Trophæum Jesu salutare, crux omnes congregavit. Hoc Persas servire fecit, hoc Scythas cicuravit, hoc Ægyptios à cattis & canibus ac variis erroribus ad Dei cognitionem adduxit: hoc ad hodiernum usque diem curat morbos, dæmones fugat, & veneficiorum incarnationumque avertit imposturas, hoc cum Jesu apparebit in cœlo, præcedet enim Regis trophæum, ut videntes quem pupugerunt, &c.* Ubi advertis primùm, speciali nos cura studuisse crucis sacramento præ cæteris ubique memorando, quod istud sit fundamentum primum fidei & salutis nostræ, cui reliqua superincumbant omnia. Deinde confessionem Christi momentis omnibus iterandam, in cruce potissimùm versari debere, quod de ea non erubescere, id verò columen sit fidei & charitatis in Christum. Rursus non interius tantùm & in recessu animi profitendam Christi crucem; sed ore, sed corpore promendam hanc honestissimam impudentiam, hanc sapientissimam insaniam. Rursùs etsi verbis significari posset hæc animi nostri in crucem Domini nostri devotio, congruentiùs tamen eam signo hujusmodi declarari, tum quod hæc crucis figura sit expressior, & voce qualibet significantior, tum quod universale sit istud signum, omnibus conspicuum & indiscretum. Denique idem Cyrillus: *Christus affixus cruci adoratur ab universo orbe terrarum. Crucifixum annunciamus & nunc contremiscunt dæmones. Multi aliis atque aliis temporibus affixi sunt cruci, verum cujusnam invocatio crucifixi alterius unquam dæmones abegit? Ne ergo Christi crucem erubescamus, sed si quis altus abscondat, ut palam ad frontem obsignato, ut dæmones regium signum intuentes, tremuli procul aufugiant. Signo autem isto utere tum edens, ac bibens, tum sedens ac cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, & ut semel dicam, in omni re.* Catech. 4. Ubi claret hanc crucis consignationem non aliud esse quàm publicam & contestatissimam Christi crucifixi adorationem, hoc externo symbolo expressam. Fas enim est animi reverentiam quibuscumque demum signis propalare.

Origenes: *Quid timent dæmones, quid tremunt? Sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cùm signum in nobis viderint crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachii illius quod Dominus expandit in cruce. Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet super eos, nisi videant in te crucem Christi, nisi & tu poteris dicere, Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* V. Origenes. Hom. 6. in Genesim. Audin satis disertè quid loquatur illa in crucis figuram agitatio manuum? Hoc tacito eloquio, hoc elingui sermone, testificamur suspici à nobis Christum crucifixum, adorari, in corde gestari, toto animo, toto corpore in ejus amorem nos flagrare, crucifigi & nos mundo; mundumque nobis; hac fide, hac animi præparatione, hac crucis Christi charitate intus bulliente, foras exundante fugari dæmones, morbos pelli, regnare Christum. Quorsum tricari in vocibus, ubi nulla rerum controversia est? Quorsum digladiari de signis, ubi in re signata nihil dissidii superest? Significatio, non materia signi pensitanda est: de significatione, non de materia sua censendum signum est. Vilitas materiæ in pretio est, opportunior enim est, ne animum moretur ipsa, & avocet à re. Itaque transiens illa manus agitatio, perinde ut verborum personatio, quo inanior per se & volatica est, eo intentionem nostram minùs in se figit, totam in rei significatæ contemplatione defigit.

Eusebius: *Denique quis non obstupescat, inspiciens omnes quicumque ad Christi fidem venerunt, salutari signo pro sigillo utentes, si audiat tanto antè dixisse ipsum Dominum, & venient & videbunt gloriam meam, & relinquam in eis signum.* VI Eusebius. Demonstr. Ev. l. 6. c. ult. & l. 9. Et rursùs: *Hos ipsos manifestos fore, dum pro eo more, qui apud nos receptus est, vultum signant crucis sigillo, & docentur haud ampliùs legem Mosis ediscere.*

Nazianzenus de militibus Christianis agens ait eos inter epulas. *In aqua poculum sublatis in altum oculis Christum cum crucis signo appellasse;* ac statim eos ad martyrium prosiliisse. VII. Nazianzen. Orat. 3. Et alibi narrans, quì Nonna mater convaluerit ex gravi ægritudine, qua pridem decumbebat: *Visum est ipsi, me quem chariſſimum habebat, (neque enim quemquam alium nostrum, ne in somnis quidem mihi præferebat:) noctu repente supervenientem, cum canistro panibusque in primis candidis, pro meo more benedictis, atque cruce consignatis, eam aluisse, sicque convaluisse ac vires collegisse. Ac nocturna illa visio veritatis opus erat, ab eo enim tempore ad se rediit, spemque meliorem concipit.* Orat. 19. Facessat inepta altercatio, signo crucis insita fueris vis

rit vis salvifica, an fidei. Nusquam enim inter signum & rem signatam lis excitabitur de potestate. Suapte enim sponte cassa est & inefficax signi materia, siqua autem vis tanquam signo inest, ea ipsa vis est significatæ rei per signum ipsum erumpens. Ut quid enim incassum digladiaberis, ne in fimbria vestis Christi virtus salvifica delituerit? quando etsi delituerit permagna, non vestis tamen, sed Christi ipsius propria & singularis fuit hæc virtus? Est autem oppidò magnificum, & ad Christi gloriam amplissimum, quod benefica ejus operatio ac majestatis irradiatio non in crucem tantùm ejus, sed in crucis imaginem: nec in imaginem tantùm constantem, sed in adumbratam & transeuntem, defluat largissimè & beneficentissimè. Usque adeo significatio mera, non materia crucis in pretio & honore est. Et rursus de Juliano inter sacra magica consternato, ait, *Confugit ad crucem & antiquum medicamentum, eoque* Orat. 3. *adversus ista terriculamenta consignatur, adjutoremque adsciscit eum quem persequebatur. At quæ secuta sunt, magis fuere terribilia; valuit quippè signaculum, victi sunt dæmones, metus depulsi.* Eò invictior crucis omnipotentia, quò fugax ejus adumbratio à desertore usurpata, ei tamen tutando abigendisque dæmonibus, & profligandis terroribus abundè fuit.

Athanasius: *Olim dæmonia inani specie ludibriisque rerum intricabant homines, insessis alibi fontibus, alibi fluviis, lapidibus aut lignis, atque ita præstigiis fatuos in stuporem agebant: nunc verò cum apparuit Dei Verbum, spectra hujusmodi & ludibria imaginum cessaverunt. Solo enim crucis signo utens homo dolos illorum à se propellit.* Et paulò infrà: *Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis dæmonum & imposturis vaticiniorum & in miraculis magiæ utatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi invocet, & videbit quomodo ejus rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia irrita jaceant.* Non otiosa hæc cæremonia est, in qua tantum virium locant sancti Patres, ad cujus efficaciam experiendam provocantur Gentiles, à qua tantoperè Christi omnipotentia orbis universi domitrix exaggeratur. Nam statim pergit ita: *Quis igitur & quantus hic est Christus, qui solo sui nominis vocabulo ac præsentia omnia adobruit, & otiosa reddit, omnibusque major est, & orbem terrarum sua disciplina adimplet?*

VIII. Athanasius, L. de Incar.

IX. Epiphanius Hæresi 30. n. 8, 11.

Epiphanius quid adversus magicas execrationes valeat signum crucis, ita exprimit exemplo allato in medium: *Cum nihil venefici isti promovissent, ac se mulier & Christi signo & fidei præsidio defenderet, &c. Tertium hoc Josephus documentum Christianæ religionis habuit, quo nihil adversus Christi nomen crucisque signum valere maleficia comperit.* Et infrà narrat, ut Josephus comes ex Judæo jam Christianus cum à templi extructione per magicas artes à Judæis prohiberetur, per signum crucis digito impressum aquæ, eaque aspersa præstigias omnes discusserit. *Quo miraculo commota turba magnis vocibus exclamavit, Magnus est Deus qui Christianos adjuvat.* Quid ad hæc adversarii non jam nostri, sed crucis Christi? An simulationes istas esse dæmonum causabuntur, ad Christianos superstitionum laqueis arctiùs irretiendos? At hæc causatione non advertunt quantum rei Christianæ detrimenti, quantum præsidii causæ Gentilium atque Idololatrarum advehatur: ut pessum itura sit fides Christi, & quasi postliminio reditura Idolorum colluvies.

X. Basilius. Cap. 17.

Basilius libro de Spiritu sancto, inter ea quæ nulla scripta lege, sed occulto traditionis tramite ad nos ab Apostolis usque trajecta sunt, primum locum signo crucis tribuit: *Nam si consuetudines quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reiicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, ipsam imo fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, ut id quod primum est & vulgatissimum primo loco commemorem, ut signo crucis eos qui spem collocarunt in Christo signemus, quis scripto docuit?* Inter ea ergo *quæ ex Apostolorum traditione in mysterio*, id est, in occulto accepimus, primas ille assignat crucis imagini digitis efformatæ in fronte: & in istiusmodi tantum momenti esse retur, ut iis excussis ipsa Evangelii fideique fundamenta labefactatum iri ominetur. Et homilia in Gordium Martyrem, *His dictis seipsum in loco crucis inscribens ad supplicium prosiliit.* Hæc enim crucis inscriptio in fronte expediti ad crucem subeundam animi sacramentum est.

Chrysostomus id compluribus locis admonuit: XI. Chrysost. Hom. 21. ad populum Antioch.
Sicut sine calceamentis vel vestimentis nemo vestrum in forum descendere elegerit, ita sine verbo hoc nunquam in forum prodeas: sed cum es januæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum, Abrenuncio tibi Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo, & conjungor tibi Christe. Ne unquam absque hac voce exeas; hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime: sic enim non tantum homo occurrens, verùm nec ipse diabolus te quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis ubique apparentem. Et hæc teipsum jam hinc doce, ut cum signum ceperis, sis miles paratus, & contra diabolum trophæum erigens, justitiæ coronam capias. Vides quid inscripta fronti cruce significet, quid profiteatur Christianus, nempè idem planè quod his verbis, Abrenuncio tibi Satana & pompæ tuæ, Christo autem conjungor. Sive his vocum, sive illis agitatarum manuum signis idem exprimimus, eodem nos sacramento in Christi militiam devovemus, vexillo crucis nosmet consecramus adversus diaboli & sæculi voluptates inexorabiliter decertaturos. Si sacrosancta sunt illa verba, quin sit & signum istud, cùm & illa verba idem significent? Verbis autem ejusmodi sanctitatem profitentibus communiri Christianos, & miracula operari, nemo nescit, familiarissimum esse & Apostolica auctoritate fundatum: quin ergo & signis aliis sive imaginibus quibusque, eandem præ se ferentibus sanctitatis & fidei significationem? Nam signa & imagines idem loquuntur ac verba, & verba sui generis sunt.

Idem Chrysostomus: *Verumtamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicii symbolum, crux diadematibus & coronis clarius factum est. Neque enim sic corona regia ornatur caput, ut cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes prius abhorrebant, ejus figuram tantoperè quærunt; atque adeo ubique ea invenitur apud principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud servos, apud liberos: subinde ea omnes se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra quasi in columna quotidie figuratur. Hæc in sacra mensa, hæc in sacerdotum ordinationibus, hæc iterum cum corpore Christi in mystica cœna fulget, hanc ubique celebrari videre licet in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in navigiis, & insulis, in lectis & vestibus, in armis, in thalamis, in conviviis, in vasis argenteis, in auris, in margaritis, in aurorum picturis, in corporibus brutis male affectis, in corporibus à dæmonibus obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in Monachorum ordinibus: adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes.* Hoc ille Christi divinitatem substruit argumento, quod cruci suæ, quod ligno maledicto tantum accumulaverit gloriæ toto orbe terrarum, nec cruci tantùm suæ, sed ejus imagini, ejus umbræ inani. Deus enim omninò habendus est, cujus stultum sapientius est hominibus, cujus infirmum potentius est, cujus dedecus ipsis Regum coronis splendidius optatiusque habetur.

XII. Chrysost. idem. L. Quod Christus sit Deus, c. 9.

Quo-

Quocirca cùm crucis signo contineatur & fides nostra de Christi Deitate, & disciplina nostra de abdicatione temporalium omnium, & grassatione per crucem ad æterna, quid mirum si hoc veluti breviario totius Christianæ veritatis & sanctitatis subinde insigniamur, si pace & bello, si domi & foris, si inter sacra & prophana, si locis omnibus, si momentis singulis illud usurpemus? Quid mirum rursus si eo præstentur miracula? unde enim illa scatebunt largiùs, quàm ex professa Christi Deitate, ex jurata Christianismi sanctitate? *Mira est hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans quod maledictæ mortis symbolum fuerit: sed omnes ipso magis ornantur, quàm diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus, &c. Vellem audire à Pagano, unde symbolum tam maledictæ mortis ac supplicii omnibus tam desiderabile, si non magna crucifixi virtus?* Ergo si Deitati Christi non adversantur, si Christianitatis sanctimoniæ non repugnant, quid horum argumenta insectantur & signa? An credi volunt, pronuntiari, probari, significari nolunt? Quid perversius? An Deum credi Christum annuunt, Deum dici vetant? Nos Deum dicimus Christum, non verbis tantùm, sed signis quibuscumque possumus: nos abrenuntiamus diabolo & pompis ejus, non voce tantùm & lingua, sed manu & fronte & animo ac corpore toto.

Hom. 55. in Matth. Idem rursum Chrysostomus: *Neminem igitur pudeat venerabilium salutis nostræ symbolorum. Passio certè Domini beatitudinis nostræ caput est, qua vivimus, & per quam sumus. Sed veluti coronam sic crucem Christi circumferamus. Omnia enim quæ ad nos spectant, per ipsum perficiuntur. Nam cum regeneramur, crux Domini adest; cùm mystico illo alimur cibo; cum ordinamur, & quodcumque aliud fiat, ubique id victoriæ signum nobis assistit. Quapropter & in penetralibus & in parietibus, & in fenestris & in fronte quoque ac mente magno studio crucem inseramus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis atque humilitatis Domini signum est. Ductus est enim ut ovis ad occisionem. Quando igitur cruce te signas, universam tecum crucis causam verte, & iræ ac reliquarum passionum incendia extingue. Quando te cruce signas, magna tuam fiducia frontem arma, libertate animum muni. Pretio empti estis, ne sitis servi hominum: considera pretium quod pro te persolutum est, & nullius hominum servus eris. Pretium hic appellavit crucem, quam non simpliciter digito inscribere oportet, sed prius mentis proposito & multa fide. Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cum hastam videat qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit.* En quantum Christianæ totius & Theologiæ & disciplinæ compendium in una crucis effigie in mente primùm, deinde in fronte imprimenda. Quanto verborum circuitu & tumultu opus esset, ut hæc omnia utcumque significarentur? Quid ergo vetant ita compendiosè nos eloqui? An tantum sibi licere putant, ut verba & signa publico jam usu trita, & majorum, imò Apostolorum etiam authoritate consecrata in Ecclesiis proscribere ad libitum, & exterminare queant? Nuper in lucem orti, & in Ecclesiasticam corporis Christi unitatem asciti, jureque donati cœlestis civitatis, non antiquare quidquam aut novare possumus: moribus legibusque civitatis, cui ascribi ambiimus, temperare nos obsequique debemus, non illam nostris subjugare. Et denique non cavillatur Chrysostomus, signo ne crucis inesse possit virtus mirifica operum divinorum, an fidei; sed magnificè philosophatur, majestatem Christi crucis his amictam, nobisque coaptatam signis, hæc operari: *Hoc signum & priscis & nostris temporibus clausas januas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc cicutæ vim dissolvit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit.*

XIII. Theodoretus. Theodoretus in historia religiosa de Aphraate differens, narrat ut equum sanaverit à morbo exitiali, *Statim ad preces conversus, aquam ex puteo hauriri, signoque salutaris crucis imposito, ad equum adferri jussit.*

Damascenus: *Adoramus etiam figuram pretiosæ & vivificæ crucis, tametsi ex alia materia facta est,* XIV. Damascen. L.4.Orth.fidei.c.12. *non materiam venerantes, absit enim, sed figuram tanquam Christi symbolum. Dixit enim discipulis suis contestans, Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, crucem dicens. Et ideo mulieribus dixit resurrectionis Angelus, Jesum quæritis Nazarenum crucifixum. Et Apostolus: Nos autem prædicamus Jesum Christum, & ipsum crucifixum. Multi enim Christi & Jesu nomine insignes, sed unus crucifixus. Non dixit, lancea perfossum, sed crucifixum. Adorandum est igitur signum Christi. Ubi enim fuerit signum ejus, illic ipse erit.*

Euthymius in Panoplia: *Si crux manu designata res omnes sanctificat, quibus adhibetur, ut aquam baptismi, & oleum & unguentum, & vultus homi-* Tit.10. *num credentium, & panem mysticum & sacrum sanguinem, &c. Quemadmodum enim antequam Christus in crucem ageretur, ipsa mortis erat instrumentum execrabile, & ejus figura fugienda & detestanda: ita posteaquam Christus ei fuit affixus, sanguine & aqua Domini sanctificata, figuram suam cunctis fidelibus exhibet sanctificationem. Atque ita crux quæ priùs homines tollebat, postea dæmones ejecit atque expulit. Si igitur prima illa crux quæ fuit exemplar, facta est sancta, ut dictum est, quoniam in ea Dominus pependit, ut David ostendit: Adorate, inquiens, scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, eam enim hoc loco scabellum appellavit, quia pedes ipsius adorandi, in eam suffixi sunt; sancta nimirum est & omnis figura illius, sive manu sive materia designetur, sive ex materia aliqua conficiatur. Hæc enim sunt imagines exemplaris.* Hic triplicem adnotat crucis speciem, nimirum veram, manu agitata expressam, in materia aut ex materia aliqua efformatam: porro honorem & dignitatem defluere à Christo in veram, inde & in cæteras. Quapropter jam ad imaginum causam pertinet tota ista de cruce disputatio. Etenim crux vera Christi crucifixi præsentiam nobis supplet & exhibet: & quæcumque crux alia seu manu designata obiter, seu in materia constanter expressa, veræ crucis adeoque Christi crucifixi imago est. Cultum ergo ac venerationem imaginum necesse est fateantur Ichonomachi à primis jam inde initiis Christiani dogmatis in Ecclesia extitisse, pariterque adolevisse. Antè enim momentis omnibus inter sacra prophanaque omnia crux manu expingebatur, quàm vera crux effoderetur ab Helena Constantini matre: ut suprà constitit ex illis Patribus qui eam ætatem antecesserunt. Ergo imago crucis ante crucem ipsam veneratione fidelium frequentabatur. Et sanè vera crux una est, nec tam facilè ad omnia quæque præsto esse potest, atque subitaria illa crucis effigies. Porro abundè sufficit hæc crucis imago, cùm significandæ sufficiat veritati & disciplinæ Christianæ, ut suprà enarratum est. Cùm enim significatio sola expetitur, non magni pendenda est signi materia.

Non inconsultè prætermissus hactenus est Cyrillus Alexandrinus: non suo enim ille tantùm XV. Cyrillus Alex. calculo, sed totius Gentilitatis testimonio antiquissimam pervagatissimamque Ecclesiæ religionem in cruce seu vera, seu imaginaria veneranda confirmabit. Libro enim VI. contra Julianum, hanc scelestissimi desertoris in nos criminationem refert: *At vos cùm adorare nolitis ancile, &c. crucis lignum adoratis, ejusque signa in cruce formatis, & vestibulis ædium insculptis.* Imagines perspicuæ crucis istæ sunt, εἰκόνας σκιαγραφοῦντες ἐν τῷ μετώπῳ καὶ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐγγράφοντες. Solennis ergo hæc erat Ethnicorum de Christianis suggillatio, quòd crucem adoraremus, eamque fronti & ædium vestibulis appingeremus.

Nec Cyrillus confictam queritur aut propulsat criminationem, sed quàm casta sit, quamque purioris Theologiæ mysteriis referta crucis adoratio, explanat: summatim enim perstrictis beneficiis omnibus, quæ per crucem nobis Christus infudit, addit: *Horum nobis omnium salutare lignum memoriam excitat, ac in eam præterea cogitationem nos adducit, unum, ut sapientissimus Paulus ait, pro omnibus mortuum esse, ut viventes non ultra sibi ipsis vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. At nemini non manifestum est, Deo vivere, hoc est, sanctum & integrum vitæ genus summam eis familiaritatem conciliare, qui se illi tradiderunt. Quocirca nos, uti dixi, veneranda crucis lignum boni omnis ac virtutis admonitionem facimus.* Quid hoc aliud est, quam compendiariam quandam Evangelicæ disciplinæ summam & cruce & crucis imagine contineri, oculis ingeri, memoriæ inferi, à nobis amari, ostentari, adorari? Cruce enim Christus, mundo devixit, Deo revixit: & crucis symbolo nos profitemur, unum pro omnibus mortuum, ut omnes jam non sibi, sed Deo vivant. Hanc ergo legem charitatis incorruptæ, qua nobis mortui, Deo vivere jubemur, in adoranda cruce adoramus, profitemur, amplectimur: idque toties, quoties crucem vel manu fronti, vel quocumque alio modo memoriæ inscribimus.

Adde & in Isaiā.p.294.

XVI. Trullana Synodus.

Hinc crucem iis locis insculpi, ubi periculum incurreretur ejus contaminandæ, olim vetitum est Synodi Trulannæ capite 37. *Cum crux vivifica salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum quem par est, honorem habeamus. Unde & mente, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras quæ à nonnullis in solo ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus: ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur. Eos igitur qui posthac crucis figuram in pavimento construxerint, excommunicari decernimus.* Quò & illud omnino pertinet, quod & Eusebius refert, sancitum, ne reorum suppliciis posthac profanaretur crucis figura. Unde Augustinus: *Quantacumque patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, &c. ad illam postremò crucem non pervenies, quia jam & de pœna generis humani sublata est.*

In Psal.36.

CAPUT VII.

De venerandis imaginibus Crucis Latinorum suffragatio consentanea Græcis.

I. Cultus crucis imaginum ex Tertulliano.

Familiam ducet inter Latinos Tertullianus, qui libr. de corona militis, traditioni non scriptæ authoritatem accersens, à receptissimis in Ecclesia ritibus nonnullis sine ullius scripturæ instrumento, inter cætera hujusmodi, crucis imaginem & cultum recenset. *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra & mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit, disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium.* Si citra Scripturæ testimonium, sola antiquitatis authoritate, & consuetudine patrona defenditur à Tertulliano mos ille terendæ ad omnes minutias frontis signaculo crucis, dilucidum est ab ipsis usque Apostolis repeti originem hujus rei, à quibus ille nonnisi uno paulò plus sæculo distabat. Quid æquius autem, quàm ut ubi tam ineluctabilis authoritatis traditio auctrix est, & consuetudo confirmatrix, ibi adsit & fides observatrix: & si cui nulla adhuc dilucescat ratio, non deficiat tamen obsequium.

Idem in Apologia cò nos convitio à Gentilibus lacessi solitos ait, quod crucem veneraremur: nec verò inficias it, sed crucis figuram ubique terrarum occursare, & ab ipsis Gentilibus adorari contendit, ita dispensante creaturam suam Deo, ut vel inopini & inviti crucem venerarentur, etiam qui detestarentur: *Sed & qui crucis nos religiosos putat, consecraneus noster erit, cum lignum aliquod propitiatur; viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem sit; viderit forma, dum idipsum Dei corpus sit. Et tamen quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, & Ceres farrea, quæ sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostat? Par crucis est omne robur quod erecta statione defigitur: nos sic fortè integrum & totum Deum colimus. Diximus originem Deorum vestrorum à Plastris de cruce induci, Sed & victorias adoratis, dum in trophæis cruces intestina sint trophæorum. Religio Romanorum tota castrensis, signa veneratur, signa jurat, omnibus Diis præponit; omnes illis imaginum suggestus insignes, monilia crucium sunt. Laudo diligentiam, noluistis nudas & incultas cruces consecrare.* Ut ab ignoti Dei ara Paulus ansam rapuit consentaneos quodammodo nobis, aut certè nostræ veritatis arcana subodoratos Gentiles demonstrandi; ita Tertullianus hic non alienos à crucis veneratione ipsos crucis implacatos hostes auguratur, ex multiplici apud eorum sacra simulacro crucis. Pauli autem & Tertulliani nemo temerarias & inanes esse has argutias garriat. Neque enim sine Dei consilio vel ignotus Athenis Deus, vel sub integumentis militarium signorum crux colebatur. His longè minutiora jubent nos divinæ litteræ non forti, sed divinæ imputare providentiæ. Et cùm hinc defensio raperetur veritatis, quis facilè neget omnipotentem veritatem hæc sibi præsidia aliquando usui futura in orbem universum sparsisse? Et hæc quidem ratio philosophandi etsi ipsa per se primùm minùs adlubesceret, at postquam ita Apostolos, ita Patres, ita Christianæ fidei vindices consensisse cernimus, ei necessariò acquiescendum est. Ergo universim ut sempiternæ veritatis Dei unius & summi vestigia existebant, eminebantque documenta illustria in ipsis idolorum adytis, sacrisque execrabilibus; ita mysterii Christi & crucis inerant iisdem notæ quædam non obscuræ iis, qui sapientiæ lumine irrumpere possent nubila nefariæ superstitionis. Et hæc quidem ita comparata erant, sive diabolus simiam ageret suo more, & veritatem mendacio, sanctitatem superstitione illuderet; sive mens ipsa hominis residuo quopiam lumine, aut divino instinctu, velut somniando, verum sublustre intervideret; sive potius Deus artes dæmonum circumscriberet, eorum illuderet ludibria, & mendacia ipsa in veritatis documenta converteret: sive tanta sit veritatis omnipotentia, ut ab ea in totum desciscі non possit, & in ipsam extremæ dissimilitudinis longinquissimam regionem effundantur lucis ejus radii decolores aliqui; utque nusquam malum sine boni fulcimento est, ita nec mendacium sine veritatis solido aliquo fundamento extare possit: sive denique Christus ipse præverteret ejaculari radios aliquos antelucanos sui sacramenti, eisque aspergeret non solum copiosiùs sacra Judæorum, sed etiam Gentilium, tametsi hìc parcissimè. Et sanè vel his, vel quas quisque commentari poterit suopte marte & acumine luculentiores rationes, non Christianæ tantùm fidei, sed ipsis etiam ejus defensoribus defensio paranda est. Quàm brevi enim Christianæ reipublicæ summa & arx dissipabitur, si defensores ejus ab iis quos defendunt, prodantur & configantur?

Idem alibi aliquammulta coacervat crucis ante cru-

crucem prælúdia, quæ sibi præstruebat Christus, ut jam tum fide crucis & veneratione orbem initiaret. *Jam verò Moyses quid utique tunc tantum, quum Jesus adversus Amalec præliabatur, expansis manibus orabat residens, &c. Nisi quia illic ubi nomen Domini Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, crucis quoque erat habitus necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus. Idem rursus Moyses per interdictam omnis rei similitudinem, cur æneum serpentem ligno impositum, pendentis habitu, in spectaculum Israeli salutare proposuit eo tempore, quo à serpentibus exterminati sunt, nisi quod & hic Dominicæ crucis vim intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, & læso cuique à spiritualibus colubris, intuenti tamen & credenti in eam, sanitas morsuum peccatorum & salus exinde prædicabatur?* Jam tum ergo crux in Moyse, crux in serpente effingebatur; jam tunc non vera crux, sed imago crucis, illic corporis habitu & manuum compositione, hìc stabili figura exprimebatur bifariam, ut & nunc; jam tunc crucis imago Deum exorabat, hostes debellabat; jam tunc crucis imago serpentum morsus & virosa vulnera persanabat; jam tunc crux suspiciebatur & honore religioso afficiebatur. Si has autem interpretandæ scripturæ rationes convellas, difficile dictu est quantam labem sanctorum Patrum monumentis, id est Christianæ rei monimentis importaturus sis; imo quantam cladem illaturus Christianæ pietati, quæ in enucleandis ad hunc modum figuris Scripturarum, & exculpendis inde mysteriis nostris cupidissimè deliciatur: denique Scripturæ ipsius decus omne marcescet, si literæ vepribus affixa solis, his sacramentorum floribus venustari prohibeatur. Sanè Tertullianus qui in ipsis gentilitiæ superstitionis sordibus detrimenta auri aliqua & umbras veritatis venabatur, multò studiosiùs in sacris codicibus crucem Christi seu Evangelii summam captare debuit. Cum enim totum Christi arcanum cruce maximè concludatur, eam ex veteri instrumento passim illucescere necessum est.

II. Tertullianus idem. L. 3. adv. Marc. c. 18.

Idem Tertullianus: *Latebisne tu cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, &c.* Et rursum: *Hoc erit pompa diaboli, adversus quam in signaculo fidei ejeramus. Quod autem ejeramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus. Cæterum nonne ejeramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem ejus?* Signaculum fidei perspicuè vocat baptismum, quòd multiplici consignatione crucis complicabatur. Et alibi: *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur.* Ut hinc clarescat crucis imagine occupatum esse genus humanum penitus universum, cum ejus veritatem crucis Christiani, pia imitamenta Judæi, errantia simulacra Gentiles adorent. Ut de sacrificiis alibi nos docuit Augustinus, veri sacrificii Christiani & religiosas imagines apud Judæos, & discolores simulationes apud Gentiles præsumptas esse, Deo tamen utrobique ipsi Christo Filio suo, incommutabili veritati, per hæc seu vera seu simulata prælúdia honores adornante. Quod autem solent magis nomines aversari, nempe in Gentilium quoque cultu crucem præsignatam esse, id vehementiùs ex Tertulliano confirmari potest. *Diaboli sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, in idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithra: signat illic in frontibus milites suos; celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, &c.* Palmaria quæque nostræ fidei ut vides sacramenta, & in his signaculi crucis impressionem æmulatus est diabolus, ut profanaret in Gentilium sacris, ut revereri ediscas vel à diabolo profanante: atque ita dæmonum artes in ipsos retorqueat Deus,

L. 2. ad Uxorem. L. de Spectac. c. 24.

L. de Resur. Carn.

L. de Præscr.

& unde crucem illudere gestierunt, inde dum nos edocemur, illi illudantur. Hinc porro liquet, quo ensu apud Minucium Felicem Cæcilio objectanti, quod cruces & feralia coleremus supplicia; responsum sit ab Octavio, Christiani nominis vindice, *Cruces nec colimus, nec optamus.* Nimirum non omnes promiscuè cruces, sed Christi: imò nec crucem Christi ipsammet, sed crucem salutantes, Christum ex ea pendentem colimus.

Cyprianus: *Muniantur oculi, ne videant detestanda simulacra; muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur; muniatur os, ut Dominum suum Christum victrix lingua fateatur.* Et alibi: *Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reservavit.* Quo se Christianus expergefacit, quo se crucis signo ad crucem Domini profitendam, & sanguinis sui impendio vendicandam provocat extimulatque, id tu si quid sapis, superstitiosum ne dixeris. Nam corporeis significationibus agitationibusque torpentes atque immemores renovari accendique animos, hominibus ubique gentium usitatissimum est, & naturæ vi insitum: sed interest quibus ad quid, nec sanctiore autem ullo stimulo quàm crucis, nec ad sanctius quidquam quàm ad crucem possumus incitari.

III. Cyprianus. Epist. 56. L. de Lapsis.

Lactantius: *Illa quoque præcipua fuit causa, cur Deus crucem maluerit, quod illa exaltari eum fuit necesse, & omnibus gentibus passionem Dei notescere. Nam quoniam is qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus & cæteris altior, crux potius electa est, quæ significaret illum, tam conspicuum, tamque sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. Denique nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio ejus, aut sublimitas majestatis ignota sit. Extendit ergo in passione manus suas, orbemque dimensus est, ut jam tunc ostenderet ab ortu solis usque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, signumque illud maximum atque sublime frontibus suis suscepturum.* Viden ut crucis figura non nobis tantum, sed ipsi etiam Christo quodammodo ambienda fuerit, cæterisque eo anteferenda, quo ejus sublimitati & effusissimæ in orbem universum potestati significandæ ostentandæque accommodatior erat? Itaque cruci non tantùm per Christum ex ea pendentem accessit pretium, ut coleretur, sed etiam præcessit, ut ea potiùs Christi morte consecraretur. Et in vera ergo Christi cruce cum multæ honoris causæ confluant, tum in iis non postrema est figura, quæ veritatis sublimitatem, & potestatis quandam infinitatem conspicuam facit. Ne blatterent ergo adorari à nobis lignum, adoratur enim non aliud quàm exaltatus in cruce Christus, & extendens in passione manus suas, orbemque dimetiens, tanquam imperium sibi subactum. Quid mirum autem si ea à nobis figura amatur & colitur, quam Christus cæteris anteposuit & consecravit? Quid mirum si nostrum stuporem & cultum in sublimem Christi potestatem hoc symbolo declaramus, cum Christus ejusdem figuræ symbolo sublimitatem & potestatem suam incircumscriptam designaverit?

IV. Lactantius. L. 4. c. 26.

Idem statim crucis in fidelium frontibus inscriptionem ait adumbratam jam olim, cùm agni sanguine limina domorum perungebantur: *Nam agnus candidus sine macula Christus fuit, qui ab iisdem Judæis immolatus, saluti est omnibus qui signum sanguinis, id est, crucis, quæ sanguinem fudit, in sua fronte conscripserint. Frons enim summum limen est hominis, & lignum sanguine delibutum crucis significatio est.*

Ac denique ut per consignatas frontibus cruces ederentur miracula, effugarentur dæmones, idolorum ludibria profligarentur, paulò pòst idem Lactantius perhibet: *Quanto terrori sit dæmonibus hoc*

hoc signum, sciet qui viderit, quatenus adjurati per Christum, de corporibus quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse cum inter homines ageret, universos dæmones morte fugabat, ita nunc sectatores ejus eosdem spiritus inquinatos de hominibus & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt. Cujus rei non difficilis est probatio. Nam cum Diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant. Nec responsa potest consultus reddere vates. Et hac sæpè causa præcipua justitiam persequendi, malis regibus fuit.

V. Hieronym. Hieronymus ad Lætam: *Dii quondam nationum cum bubonibus & noctuis in solis culminibus remanserunt. Vexilla militum crucis insignia sunt. Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat.* En picturam patibuli, en crucis imagines, in gemmatis principum coronis, in vexillis militum, & hæc non superstitio est, sed Christi triumphus de idolis, de orbe universo. Et ad Eustochium de custodia Virginitatis: *Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, ante quàm sessio; nec prius corpusculum requiescat, quàm anima pascatur. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem.* En crucem pictam manu, sed cum oratione conjunctam, ut quod fronti inscribitur, in pectore intus exaretur. Et in Epitaphio Paulæ: *Nam & viri & filiarum dormitione semper periclitata est. Et cum os stomachumque signaret, & matris dolorem crucis niteretur impressione lenire, superabatur affectu.* Et infrà de eadem Paula: *Post hæc obmutuit, & clausis oculis quasi jam mortalia despiceret, usque ad expirationem animæ, eosdem repetebat versiculos, ut quod dicebat, vix audire possemus. Digitumque ad os tenens, crucis signum pingebat in labiis.* Et in vita Pauli Eremitæ: *Quo viso, salutaris impressione signi armat frontem*, de Antonio. Et in vita Hilarionis: *Intellexit dæmonum ludibria, & provolutus genibus Christi crucem signavit in fronte: talique armatus casside, & lorica fidei circumdatus, jacens fortiùs præliabatur.* Et infra: *Qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit; ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est.* Et in Apologia adversùs Ruffinum: *Quanto magis ego Christianus, de Christianis parentibus natus, & vexillum crucis in mea fronte portans?* Et in Ezechielem, hæc ejus verba: *Et dixit Dominus ad eum,* Cap. 9.
transi per mediam civitatem, in medio Hierusalem, & signa Tau in frontibus virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus: ita interpretatur: *Et ut ad nostra veniamus, antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau litera, crucis habet similitudinem: quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Et denique dum frons, dum os, dum corpusculum totum, dum lecti, dum pocula, dum obvia quælibet crucis inscriptione frequenti signantur & atteruntur, ne mera manuum gesticulatione, aut symbolorum exaratione constare hanc putes crucis religionem, tanquam veritatis interim jejunam, & intelligibilis charitatis inopem, audi quid in Psalmum xcv. commentetur vel ipse, vel apud ipsum non aspernandus author: *Ideo venit Christus, & correxit genus humanum, quod ante fuerat depravatum, ut in æternum non moveatur. Crux enim ipsius columna est generis humani. In ipsa columna ædificata est domus ejus. Ego crucem dico, non lignum, sed passionem. Cæterum crux ista, & in Britannia est, & in India est, & in universo orbe terrarum. Denique quid dicit Dominus in Evangelio: Nisi tuleritis crucem meam, & quotidie secuti fueritis me. Videte quid dicat: Nisi anima vestra ita ad crucem fuerit præparata, sicut mea fuit pro vobis, mei discipuli esse non potestis. Fœlix qui crucem, & resurrectionem, & locum nativitatis Christi, & locum ascensionis portat in pectore suo. Fœlix est qui Bethlehem habet in corde suo: in cujus corde Christus quotidie nascitur. Denique quid dicitur Bethlehem? Domus panis. Simus & nos domus panis ejus qui de cœlo descendit. Quotidie nobis Christus crucifigitur. Nos mundo crucifigimur, & Christus in nobis crucifigitur. Fœlix est in cujus corde quotidie Christus resurgit, &c.* Hæc meditamur, hæc versamus, hæc concoquimus intimo pectoris penetrali tum, cum crucem manu expingimus: nec enim officiunt symbola veritati, sed proficiunt. Quid enim sacramenta omnia, seu prisci seu novi instrumenti, quid ipsa Verbi incarnatio, quid Christi acta in terris vita, quàm intelligibilis veritas charitasque corporalibus symbolis vestita, & hominum carni immersorum expurgationi coaptata?

Ambrosius de circumcisione disputans ait: *Pulcrum etiam, ut ab ipsis vitæ incunabulis insigne religionis adolesceret, & puderet unumquenque ætatis provectioris, vel labori, vel dolori cedere, quorum utrumque tenera infantia vicisset. Sed jam levi circumcisionis dolore non opus est Christiano populo, qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit, utpote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse.* Prolusio ergo quædam crucis erat circumcisio, sed ex parte tantùm, & clam & veluti perfunctoriè: nunc autem pleniùs *mortem Domini circumferimus, & per momenta singula fronti propriæ inscribimus mortis contemptum.* Itaque tunc semel, clam, corporaliter, crux adumbrabatur, & per circumcisionem præsignabatur: nunc momentis singulis, nunc palam & in fronte, nunc toto animi æstu, & in intimo cordis recessu mors Christi gestatur, crux renovatur, mortis & temporalium omnium contemptus ostentatur. Itaque otiosam ne dixeris cæremoniam, qua *mors Christi circumfertur, qua mortis propriæ contemptus per momenta singula inscribitur fronti;* quæ denique ideo non pigmento stabili, sed transeunte describitur, ut millies & per momenta singula describatur. Eadem habet Ambrosius etiam alibi.

VI. Ambrosius. In c. 12. Levitici.

Epist. 77.

Augustinus: *Si vis ergo ambulare viam Domini, etiam in conspectu hominum, spera in Deum, id est, noli erubescere de spe tua. Quomodo vivit in corde tuo, sic habitet in ore tuo: quia non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat. Hoc ergo in conspectu hominum si feceris, si inde coram hominibus non erubueris, si in conspectu filiorum hominum, nec ore, nec factis Christum negaveris, spera tibi perfici dulcedinem Dei.* Vehementer etiam atque etiam moneo, ne in cortice signorum hæreant & tricentur, nam littera etiam Evangelicæ Scripturæ occidit, sine Spiritu, & caro ipsa Christi non prodest quidquam, nisi prout Verbo madida & exundans: spiritum & divinitatem quandam sacrorum signorum in medulla eorum adeant & degustent, & cœlestia sapere assuescant. Si manus, si digitorum agitationem nudam, si inanem vacuam que picturam attendant solùm, nihil inanius, nihil ludibrio opportunius: sed sacramenta omnia non aliter habent, Baptismus, Eucharistia, Incarnatio ipsa; vili specie, occuluntur thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Ad frangendum superbiæ nostræ tumorem hac humilitate opus fuit. Gravantur superbi Novatores huc se dejicere, sed nisi obscuro obumbratam tegumento veritatem amplexari velint, extirpandus ipsis omnino Christus est. Si quid sapere autem in animum inducant, tum signaculi crucis penetralia consilia ac sacra demirabuntur. Nam ut ait Augustinus, signum suum Christus in nobis infigi voluit fronti, tanquam sedi pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat. Ergo vis martyrii, confessio Christi, laudatissima crucis impuden-

VII. Augustinus In Psal. 40.

tia,

tia, sana charitatis insania, sapiens Evangelii stultitia inest huic crucis signaculo, eminetque. Hæc si seriò reputes, jam nihil te movebit, nihil offendet, si frequenti descriptione ejus manum frontemque fidelium teri videas.

In Psal. 36. Idem alibi: *Ad illam postremo crucem non pervenies, quia jam & de pœna generis humani sublata est. Cum enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est & finita est. Finita est in pœna, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis?* Imago crucis frontibus Imperatorum jam insidet, exempta pœnis suppliciorum. Hinc gloria Christi exsplendet mirum in modum. Non ergo detestandæ imagines, sed legibus, sed frontibus & coronis Imperatorum honorandæ.

In Evag. Jo. Tract. 3. Et rursus alibi: *Si Christiani, utique ipso nomine ad Christum pertinentes. Hujus signum in fronte gestamus, de quo non erubescimus, si & in corde gestamus. Signum ejus est humilitas ejus. Per stellam Magi eum cognoverunt, & erat hoc signum de Domino datum cœleste atque præclarum. Noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam: unde humiliatus, inde glorificatus est. Inde erexit humiles, quo humiliatus ipse descendit.* O curvas in terram animas, ò cœlestium inanes arcanorum animos, qui crucem vile quid & aspernabile deblatterant! Vilis crux, & eo pretiosa: aspernabilis, sed eo veneranda: stultitiæ & infirmitatis documentum, sed eo sapientiæ & omnipotentiæ divinæ monumentum est. Quid vilius humilitate Christi, quid passione aspernabilius? Sed hac vilitate redimimur, hac humilitate exaltamur: signo passionis & humilitatis inauguramur. Splendidius extitisset signum stella, qua Magis inclaruit Christus, quàm crux qua Judæis evilvit. Et tamen Christus crucem stellæ antetulit, salutemque nostram non stellæ gloria, sed crucis ignominia parturivit. Ideo non stellam, sed crucem infixit frontibus nostris; quod summa salutis & sanctitatis cardo, ut nunc res sunt, non gloria, sed humilitate & superbiæ attritione constaret.

In Evã. Joã. Tract. 30. Et alibi idem Augustinus rursum declarat quàm non vile quid sit & despicabile crucis signum: *De morte pessima occidit omnem mortem, pessima enim erat non intelligentibus Judæis, nam a Domino electa erat. Ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de diabolo superato tanquam trophæum in frontibus fidelium positurus, ut diceret Apostolus, Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid servat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? Denique modo in pœnis reorum non est apud Romanos. Ubi enim Domini crux honorata est, putatum est quod & reus honoraretur, si crucifigeretur.* Judaica prorsus fatuitate obbrutescunt, quibus crucis signum adhuc aspernandum quid & non magis adorandum. Nam toties adoratur crux, quoties fronti imprimitur, quoties à reorum suppliciis ad Regum coronas transfertur, quoties divina, quoties humana omnia ejus iterato signo perficiuntur. Ecquod enim testimonium amplioris venerationis, quàm illam ita ore, manu, fronte, pectore, ubique & semper gestare ac præ se ferre? Non minus istud adorationis argumentum est, quàm cum oscularis aut procumbis.

Ibi. Tr. 118. Et rursus ipsa etiam sancta sanctificari cumulatiùs per impressionem crucis, ita tradit: *Postremò quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi acquæ qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rectè perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni significatur, quando per crucem Christi, quam fecerunt mali, in celebratione sacramentorum ejus bonum nobis omne signatur?* Crucem ut à Judæis impactam, adeoque ut execrabilem, non ut à Christo electam, ac ultro atque ambitiosè occupatam, ac proinde optatissimam, intuentur & exhorrescunt adversarii. Ut autem à Christo concupita & prælata, honoris & sanctitatis domicilium est, eaque imo & ejus umbratili imagine possunt sacra ipsa consecrari, possunt ipsa sancta sanctificari. Quocirca tantò accuratiùs prophana & civilia omnia hoc signaculo expurganda sunt, quò ipsa divini cultus sacrificia consecrantur. Vide serm. 19. de Sanct.

VIII. Iterum Augustinus. Et enarrat. in Psal. 50. itemque L. 50. hom. hom. 21. *Qui si forte in ipso circo aliqua ex causa expavescant, continuo se signant, & stant illic portantes in fronte, unde abscederent, si hoc in corde portarent. Omnis enim qui ad aliquod malum currit, si forte pedem impegerit, signat os suum, & nescit quod includit potius dæmonem, quam excludit. Tunc enim bene se signaret, & diabolum de corde suo repelleret, si se ab illo opere nefario revocaret.* Signum igitur crucis est omnis improbitatis ejeratio, & sacramentum quo astringit se Christianus legi Christi, ac legem peccati execratur, si modò cor linguæ manuique consentiat. Vide & serm. 215. de tempore.

Hom. 15. Et in appendice Carthusiæ Parisiensis, premens Ambrosii vestigia: *Hæc est Christiana doctrina, humilitatis præceptum, humilitatis commendatio, ut non gloriemur nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Nam non est magnum in Christi sapientia gloriari, magnum est in cruce gloriari. Unde tibi insultat impius, gloriatur pius inde. Unde exaltat superbus, inde gloriatur Christianus. Noli erubescere de cruce Christi. Ideo in fronte tanquam in sede pudoris signum accepisti. Recole frontem tuam, ne linguam expavescas alienam. Signum veteris Testamentis circumcisio in latenti carne, signum novi Testamenti crux in libera fronte. Ibi occultatio est, hic revelatio. Illud est sub velamine, hoc in facie.* Et paulò pòst: *Signum est circumcisio, verum est, à Deo præceptum est, sed occultationis signum est; novum enim Testamentum in veteri velabatur: vetus Testamentum in novo revelatur. Ideo signum ab occulto transeat in manifestum, & incipiat se se in fronte, quod latebat sub veste.* Et infra: *Revelatum est eis quod occultabatur; quod latebat, in aperto est. Venit ipsa petra, omnes nos spiritu circumcidit, & suæ humilitatis signum in redemptorum fronte defigit; jam gloriatio in cruce fit Christi. Non vos pudeat humilitatis excelsi.* Non umbratilis aut volatica cæremonia est, impressio crucis in fronte, qua Christianæ doctrinæ summa, qua humilitatis præceptum, qua humilitatis commendatio, qua gloriatio de cruce Christi continetur, qua circumcisionis non jam umbra, sed veritas, qua veteris Testamenti revelatio, qua novi illuminatio præfertur, qua denique spiritus circumcisio, & humilitas excelsi Dei tanquam nostræ gloriationis decus gestatur in fronte. Quocirca minùs mirum est, si signo crucis concepti, si hoc regenerati, huic etiam immorerentur Christiani: ut testatur Evodius apud Augustinum, Epist. 258. *Deinde cùm solvi cœpisset, signare se cœpit in fronte, ita ut sic descenderet manus ad os, quod sibi cupiebat signare, cum jam interior homo & bene renovatus de die in diem domum luteam dimisisset*

IX. Sedulius. Beda c. 23. Sedulius de Cruce hæc canit, quæ refert Beda in Lucam:

Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quæ Dominum portavit ovans ratione potenti,
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis,
Splendidus authoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem,
Cunctaque de membris vivit natura creantis,
Et cruce complexum Christus regit undiq; mundum.

Quibus Beda ex Apostoli Pauli penu hæc depromp-

ta adjicit: *Moralem quoque sacrosanctæ crucis figuram describit Apostolus, ubi ait, In charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, altitudo, & profundum, cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. In latitudine quippe bona opera charitatis significat: in longitudine, perseverantiam sanctæ conversationis usque in finem; in altitudine, spem cœlestium præmiorum; in profundo, inscrutabilia judicia Dei, unde illa gratia in homines venit.* Unde oro te profluxerunt hæ mysticæ ac morales in crucis figuram interpretationes, nisi ex altissima ejus veneratione, & infixa penitus persuasione, illa summam contineri nostræ & fidei & disciplinæ?

X. Julius Firmicus. De errore profan. Relig. c. 22.

Julius Firmicus: *Cornua nihil aliud nisi venerandum crucis signum monstrant, Hujus signi uno extenso ac directo cornu mundus sustentatur, terra constringitur. Et è duorum quæ per latus vadunt, compagine, oriens tangitur, occidens sublevatur, ut sit totus orbis tripartita stabilitate firmatus, confixi operis, immortalitatis radicis fundamenta teneantur. Hoc secretum nobis venerandum Prophetæ oraculum tradidit. Inveniemus enim in Abacuc ita esse perscriptum: Texit cœlos virtus ejus, & laude ejus plena est terra, Et splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus erunt. Et illi constabilita est virtus gloriæ ejus, & constituet dilectionem suam. Ibi verbum & præcedet gressus suos, En veneranda crucis cornua, en sanctæ virtutis immortale fastigium, en gloriosi operis divina compago, Tu Christe mundum ac terram extensis manibus, tu cœleste sustentas imperium, tuis immortalibus adhæret humeris salus nostra, tu Domine æternæ vitæ bajulas signum, tu venerando instinctu hoc nobis denuncias per Prophetas. Ait enim Esaias, Ecce natus est nobis Filius, imperium super humeros ejus, & vocatum est nomen ejus, magnæ cogitationis nuncius. Hæc sunt crucis cornua, quibus omnia & sublevantur pariter & continentur. His cornibus bene hominum vitur vita. Ut Amalec vinceretur, extensis manibus Moyses hæc imitatus est cornua. Ut facilius impetraret quod magnopere postulabat, crucem sibi fecit ex virga. Ad hæc cornua humili veneratione confugite. His vos affigant cornibus justitia, æquitas, pudicitia, misericordia, patientia, fides, ut veneranda præferentes insignia, consecrati fontis majestate gaudentes, & sepulturæ Christi participes sitis & vitæ.* Non video quid præclarius in hanc rem aut quid invictius dici possit, Multiplex enim constipatur Scripturæ authoritas, Christi gloria, Ecclesiæ amplitudo, crucis veneratio, & denique figuræ crucis non vana admiratio, sed per justitiam, æquitatem, misericordiam, cæterasque crucis imitationes.

XI. Crucis quã aliarũ imaginum cultus fundatior.

Denique quàm altis radicibus infixa inhæsisset penitus Christianorum omnium animis veneratio crucis, liquebit ex eo evidentissimè, quod qui olim Synodo septimæ Oecumenicæ refragari, & imaginum adorationi aliquandiu obluctari visi sunt Episcopi Gallicani, ii tamen de imagine crucis adoranda nullam controversiam faciebant. Quocirca illos ut sibi ipsis pugnantes concerpit Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad Synodum VII. *Aiunt namque quod non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum, quasi non sit codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant &c. Similiter & forma sanctæ crucis, quam se adorare omnes ubique Christiani fatentur, In quo videlicet considerare libet, quia si quamlibet crucem auream, vel argenteam, aut ligneam adoramus, quæ utique non eadem est ipsa crux in qua salus nostra patrata est, sed figura & imago ejus: quare non adoramus figuram & imaginem ejus qui eandem salutem operatus est in medio terræ? Venerabilior namque est qui salutem operatus est, quam ea materia in qua idem salutem operatus est. Ac per hoc magis est adoratione digna imago Christi salutem operantis, quàm imago crucis salutem tantummodo bajulantis.* Primus ea ætate cultum crucis detestari cœpit Claudius Taurinensis Episcopus, Felicis Urgelitani discipulus, quem Jonas Aurelianensis Episcopus & Dungarus prolixè confutarunt. Eidem impietati postea consenserunt Pauliciani sub Basilio Imperatore, & Bogomili sub Alexio Comneno, de quibus Euthymius in Panoplia. In Occidente Petrobrusiani, ætate Bernardi, Vicleffistæ, Calviniani.

XII. Quo spietatis affectu crucis imago colatur.

Atque ut penitiùs pateścat Ecclesiæ Catholicæ in adoranda seu cruce, seu crucis imagine consilium & fides in Deum illibatissima, nec ullius creaturæ religione contaminabilis, audiendus nobis est Petrus Abbas Cluniacensis Epistola contra Petrobrusianos, *Adoramus & crucem, imo in cruce ipsum qui Deus & homo est, crucifixum. Neque quantum in ipso est, aut lignum colimus, aut lignum adoramus; quia manet sententia, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Sed dum crucem me adorare dico, crucifixum Dominum Deum meum esse, meque illi soli servire debere profiteor. Huic intellectui & illud attestatur, quod non solum crucem Domini, sed & passionem ejus, mortem & resurrectionem, & his similia, Catholica Ecclesia laudabili devotione se adorare pronunciat. Sed mortem Domini, passionem, resurrectionem atque ascensionem ejus esse præterita, nec jam existentia, omnibus certum est, &c. Unde illa sicut jam non existentia adorari ut dictum est, non possunt. Sicut igitur illa non adorari, certa nullius substantiæ vel subsistentiæ ratio prohibet, quod tamen rationabilis ex devotione usus exigit; sic crucem Domini quam ex se non adorandam esse authoritas præcipit, ratio docet ex Christo & in Christo ipsam, imo magis Christum in ipsa venerandum, & adorandum esse, Deo prorsus subditus & devotus Christicolarum affectus invenit, servavit instituit, Etenim cum dico mortem Domini, Resurrectionem Domini, Ascensionem Domini adoro, non aliud quàm mortuum Dominum, resurgentem Dominum, ascendentem Dominum, imo Dominum qui mortuus est, Dominum qui resurrexit, Dominum qui ascendit, adorare me profiteor, Simili intellectu cum ante crucem humiliatus prosternor, eum qui in ipsa olim pro requie nostra tortus, pro vita nostra mortuus est, ut Deum & Dominum, cui hoc soli debetur, adoro.* An explicatius dici quidquam aut desiderari potuit, ad salebras omnes expediendas & diluendas superstitionis suspiciones? Adoramus crucem, idest, Christum in cruce; adoramus crucem, idest, ante crucem humiliati prosternimur Deum crucifixum adorantes: adoramus crucem, id est, sicut resurrectionem quæ cum jam non sit, adeoque nec adorari possit, adoratur tamen dum Christus resurgens adoratur. Quid causæ autem sit ut crucis honor ita exaggeratè prædicetur, subdit idem Petrus *Idcirco autem hoc privilegium cruci Dominicæ datum est, ut in creaturis sola post filium hominis qui & Filius Dei est, adoranda credatur, quatenus in morte Domini quam in cruce passus est, finem summamque salutis humanæ constitutam esse sciamus, & nequaquam more infidelium de cruce ac morte ejus nos erubescere, certis ac præcipuis humilitatis indiciis doceamur.*

Subjungit denique aliud esse adorationis genus, sed humanæ, ut Abraham filios Heth, Loth Angelos, fratres Josephum, Nathan Davidem adoravit. *Speciale illud omnem creaturam refugit; generale istud tam creatori, quàm creaturæ rationali inservit, &c. Si igitur & hoc modo crux Domini adoranda, id est, honoranda suscipitur, nec impium est, nec erroneum, sed pium & salutiferum, &c. Licet ergo isto vel illo modo crucem Domini adorare, ut illo non tam ipsa quàm Deus adoretur: in isto non tam ipsa quàm Deus honoretur, Illo cultus divinus ipsi Deo per crucem exhibeatur; isto communis multorum honor per eandem crucem eidem Deo, cui debetur omnis honor & gloria, impendatur.*

CA-

CAPUT VIII.

Usus cultusque Imaginum ex sacris literis exculpitur.

I. Ex crucis cultu cultus imaginũ cõstituitur.

EX veræ crucis veneratione argumentatio satis valida ad cultum imaginum astruendum colligebatur, quod ea sit imago Christi principalis, ab ipso dedicata Christo, ejusque sanguine purpurata. Dilucidius etiam id efficiebatur ex crucis figura, seu digitorum agitatione, seu materiæ expressione adumbrata: ista enim seu transiens, seu constans, non aliud tamen quam imago est. Ita ergo patefactum est inolevisse Ecclesiæ Christi jam inde ab incunabulis, pariterque adolevisse imaginum usum, culturamque: ut qui superstitionis infamiam inurere his laborant, nihil aliud agant, nihil moliantur, quàm ut Ecclesiam Christi ab exortu suo idololatriæ specu ac lupanar fuisse evincant, quo nihil sceleratius fieri potest.

II. Eundem ex Scripturis exculpit Damascenus, ex veneratione nempe templi, tabernaculi Cherubim, &c. Fid. Orthod. L. 4. c. 17.

Sed ulteriùs etiam progrediendum est, & ex ipsis sacrarum literarum monumentis repetenda origo imaginum est atque authoritas. Non infœliciter id tentavit Damascenus locis compluribus; ejus ergo primùm testimonia excutiamus: *Quia nonnulli nobis exprobrant quod adoramus & veneramur Salvatoris nostri & reginæ Deiparæ imaginem, insuper & reliquorum Sanctorum & famulorum Christi: audiant quod à principio Deus hominem ad suam imaginem fecerit. Cujus igitur gratia invicem adoramus, nisi quatenus ad imaginem Dei facti sumus? Nam ut ait Deifer & magnus in divinis Basilius, Imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem. Exemplar autem est, quod expingitur & cujus simulacrum fit. Cujus gratia Mosaicus populus tabernaculum in circuitu adorabat, imaginem & formam gerens cœlestium, magis autem & totius creaturæ. Dicit enim Deus Moysi, Vide feceris omnia, secundum formam tibi ostensam in monte. Et Cherubim obumbrantia propitiatorium, nonne opera sunt manuum hominum? Quid autem Hierosolymis celebratissimum templum, nonne manufactum est, & hominum arte constructum?* Sic ille primæva ab origine natales imaginum repetit, earumque dedicationem à summo opifice Deo in ipso mundi conditu celebratam demonstrat. Nam homo imago Dei est, orbis ipse universus invisibilis & æternæ Dei pulcritudinis effigies pulcherrima est. Si fabricatas desideres ab hominibus imagines, tabernaculum primò, inde & templum ad imitationem cœlestium jubente Deo constructum exornatumque est, & in templo simulacra Cherubimorum. Non ergo adversarius, sed valdè consentaneus est divinæ legi & Scripturarum authoritati usus imaginum. Nam si nefas erat divina effingere ac repræsentare corporeis imaginibus, ut quid Deus velut antesignanus instimulatorque ad flagitium, orbem adumbrabat in sui simulacrum? ut quid orbis decus & operæ pretium hominem in sui imaginem dedicabat? ut quid tabernaculum præcipiebat? ut quid denique & rerum naturam & religionis sacrarium imaginibus instruebat? Quod autem ad cultum attinet, nihilo obscurior res est. Nam cum homo homini assurgit; si pius, si cœlesti philosophia initiatus saltem est, Dei imaginem in homine adorat. Similiter cum Judaicus populus ante tabernaculum vel templum prostratus Deum adorabat, æterni & non manufacti tabernaculi imaginem venerabatur. Nec enim adorari imagines aliud est, quàm ante eas provolutum quempiam, ei adorationem destinare, qui per eas exhibetur.

Orat. 1. de Imaginib.

Et rursus alibi idem Damascenus: *Adoratio est submissionis & honoris nota, atque hujus duplex ratio est. Altera enim est quæ Deo, qui natura solus adorandus est, defertur, & latria dicitur: altera quam propter ipsum Deum qui natura solus adorandus est, exhibemus vel amicis, & servis illius, ut cum Jesus filius Nave, & Daniel Angelum adorarunt: vel quibuslibet Dei locis: Adorabimus, inquit David, in loco ubi steterunt pedes ejus: vel templis ejus, ut omnis Israel tabernaculum adorabat, & in circuitu templi quod erat in Ierusalem stantes, aut undique ad ipsum respicientes adorant ad hunc usque diem: vel Principibus ab ipso constitutis, ut Jacob tum Esau fratrem natu majorem, tum Pharaonem Principem à Deo declaratum adoravit, & Josephum fratres ipsius.* Seposita ergo illa adoratione dejectiori, quæ uni Deo dependitur, si hanc aliam minusculam & præ illa umbratilem tantùm, de medio sustuleris, omnem rerum humanarum tractationem subrueris eadem opera. Sed video quid adversariis imposuerit: hanc adorationem civilem & humanam, ad religionem nihil attinere, profanamque omnino esse interpretati, hoc est, hallucinati sunt. Quid enim irreligiosius aut profanius? Profanis quidem illa profana est, & religionis expertibus: at si fidei Christianæ venas interiores saltem primoribus labris delibaverint, intelligent, non regibus, non proceribus, non parentibus, non hominibus ullis, non templis, non rebus ullis honorem quencumque haberi, aut haberi posse, vel à Patriarchis olim & Prophetis habitum esse, quàm tanquam Dei imaginibus, tanquam Deo in eis insidenti. *Proinde aut aufer omne genus adorationis aut omnes pro conveniente cuique ratione & modo suscipe*, ait ibidem Damascenus.

Et ibidem paulò pòst: *Cur ergo Cherubimis opera & manu hominum sculptis obumbrari propitiatorium jubet? An quia Dei, utpote incomprehensi & nullam similitudinem habentis imago fieri non potest, ne cuipiam tanquam Deo, latriæ cultus deferatur? Cherubim autem ut quæ circumscribuntur, & ad divinum solium tanquam ministri assistunt, imaginem fieri jubet, quæ more servorum, propitiatorium obumbret. Decebat enim cœlestium ministrorum imagine divinorum mysteriorum imaginem adumbrari. Quid arca & urna & propitiatorium, nonne hominum opera & manu confecta sunt? Nonne ex vili, ut ipse ais, materia constructa? Quid totum ipsum tabernaculum, nonne imago & umbra, atque exemplum erat? Divus quidem Apostolus legis sacerdotes commemorans, ait, Qui exemplari atque umbra deserviunt cœlestium: Sicut & Moysi responsum est tabernaculum extructuro, Vide omnia facias secundum eam formam, quæ tibi monstrata est in monte. Quanquam ne imago quidem erat lex, sed imaginis adumbratio, umbram habens futurorum, non ipsam imaginem rerum, ut idem Apostolus ait. Quare si lex quæ fieri vetat imagines, prima ipsa imaginis effigies est, quid dicemus? Si tabernaculum umbra & figuræ figura est, quomodo non imagines fieri lex jubet? Sed non ita res habet, non ita, &c.* Quia præceps in idolorum insaniam erat Israeliticus populus, ne quod divinitatis simulacrum effingeret, vehementi interminatione prohibendus fuit: imo ab omni imaginum usu, quoad fieri poterat, arcendus, ne in has gentilitio aliquando errore & cultu insaniret. Cùm id ergo operæ pretium tum esset, non potuit tamen omni penitus explicari, absolvique simulacrorum necessitate. Ut enim res sunt hominum, & maximè post labem parentalis flagitii, non potest usquequaque extirpari, nisi natura ipsa rerum exterminetur, copia qualiumcumque imaginum, & necessitas ad intelligibilia & æterna per sensibilia eorum imitamenta enitendi. Ergo tum etiam approbabantur imagines, cum proscribebantur: suadebantur, cum vetabantur: lex imaginum profligatrix, imago erat ipsissima & umbra cœlestium: Templum idolorum fanis adversarium æmulumque, imaginibus tamen non paucis abundabat. Nec secum tamen lex Dei committebatur, nec sibi pugnabat: eas enim in totum eliminabat imagines

quibus in idololatriam illici & inescari potuissent; eas invehebat à quibus nihil istiusmodi impendebat discriminis. Nimirum ut hinc clareret, non imaginibus, sed profanis imaginibus, & idololatrico earum cultui legem divinam adversari.

Et infrà idem Damascenus: *Jam quod Davidi promisit Deus, ut sibi templum per filium suum ædificaret, ut domum quietis construeret, id templum Salomon cum constitueret, Cherubim fecit & auro circumlivit, & omnes parietes per circuitum & Cherubim sculpsit & palmas, intus & foris. Neque vero dixit, ex lateribus, sed per circuitum & boves & leones & mala punica. Quæ cum ita sint, nonne multo magis est honorificum, animalium ratione carentium & arborum loco, sanctorum figuris & imaginibus, omnes domus Domini parietes exornare? Jubet lex quodam loco, Ne feceris, inquiens, omnem similitudinem; Attamen Salomon qui sapientiam divinitus infusam accepit, cœlum exprimens, fecit Cherubim, & bovum ac leonum similitudines, quod lege prohibetur. Quare nonne magis ad pietatem pertinet id quod nos agimus, ut Christi & sanctorum ejus imagines, quæ Spiritu sancto plenæ sunt, effingamus, &c. Et tunc quidem formis & iconibus animalium rationis expertium Dei templum exornabatur, nunc autem decoratur signis & imaginibus sanctorum, qui seipsos templa viva ratione que prædita Deo ad habitandum præstiterunt.* Præposteras suspiciones à templo Salomonis propulsat eo argumento, quòd ab eo id construendum potius quàm à Davide Davidi ipsi divinitus præmonstratum sit, tum quòd sapientiæ exuberans copia nuper Salomoni cœlitus fuisset infusa. Ergo si ille templum undique variis exornavit Cherubimorum, leonum, bovum, palmarumque imaginibus, non potest id præter legem factum videri. Porro si quibus possit Dei templum imaginibus sculpi, quis tam excors est, ut non fateatur Christi & Sanctorum Martyrum quàm animantium brutarum & palmarum simulacris decentius ornari? Nam quod ad idololatriam attinet, non defuere qui brutorum imagines divinis honoribus afficerent, & minus periculi est ut pro Deo adorentur ii, quorum pro Deo cruciatus & mors oculis subjicitur.

III. Item Leontius Episcopus Nicop. Orat. adv. Iudæ.

Ita argumentanti Damasceno præluxerat Leontius Neapolis quæ in Cypro est, pontifex: *Et ego tibi respondebo Salomonem multa variaque in templo sculpenda, fundendaque curasse, quæ nec Deus ipsi ut fierent, mandaverat, nec testimonii tabernaculo continebantur, nec templo illo, quod Ezechieli Deus ostendit. Neque tamen ob id Salomon damnatus est, quippe qui ad gloriam Dei formas ejusmodi constituit, quemadmodum nos item facimus.* Scitè animadversum nullo definito Dei imperio eas imagines in templo à se condito novasse Salomonem, sed facili & pia suspicione ad Dei gloriam eas cessuras, ut & nobis fas sit similiter ratiocinari, etsi nullo Dei præcepto ad imagines habendas arctaremur. Pergit autem Leontius Judæum ita lacessere: *Habebas & tu multas variasque imagines & signa, quæ te ad Dei memoriam revocarent, priusquam illis ingrati animi vitio spoliareris. Nempe Mosaicam virgam, Tabulas Dei digito inscriptas, ardentem rubum, aridam petram aquis affluentem, Arcam in qua manna gestabatur, altare divino igne plenum, laminam Dei nomen continentem, Ephod indicatum à Deo, Tabernaculum Deum adumbrans. Quod si tu quoque hæc omnia nocte & die adumbrabas, dicens, Gloria tibi qui solus es omnipotens Deus, qui per hæc omnia res admirabiles in Israel effecisti; atque ita ex omnibus his per legem constitutis, quæ quondam habebas, supplex Deum adorabas: cur non intelligis Deo per imagines adorationem præstari?* Hæc ex Leontio refert Damascenus. Nec me clam est, in quantos hinc cachinnos ebullire soleant sectarii, cùm ex hujusmodi rebus argumentum exprimi vident pro imaginum cultu. Sed ab imperitia quadam & hebetudine desperatissima proficiscitur hæc eorum procacitas. Quid enim imago quàm signum aliquod visibile, rei invisibilis nostrosque conspectus fugientis vicarium? Itaque litteræ, voces, rerum signa & imagines sunt, atque ubi ad nomen Dei assurgitur procumbiturque, tum Dei imago adoratur: ubi lamina nomine Dei inscripta, ubi rubus ardens, ubi altare, ubi templum Dei similitudinem præ se ferre, & Deum nobis repræsentare & quasi conspicuum reddere cogitantur, tum Deus in his tanquam in sui signis adoratur.

Orat. I. de Imag.

IV. Severianus Episc. Gabal.

Profertur paulò pòst ab eodem Damasceno hoc quoque argumentum ex Severiani Gabalorum Episcopi oratione quadam: *Quomodo ergo execratissima imago, populo in calamitate versanti & conflictato salutem attulit? Nonne credibilius erat, si dixisset, Si quis vestrum morsus fuerit, cœlum suspiciat, aut tabernaculum Dei, & salutem assequetur? Verum ille his posthabitis, crucis tantùm imaginem statuit, &c. Quod, obsecro, quod aliis vetas, id ipse facis? Qui, Non facies, inquis, sculptile, serpentem ipse ex ære conficis? At illa, inquit, mandavi, ut materiam impietatis excinderem & ab omni defectione atque idolorum cultu populum abducerem. Nunc autem serpentem utiliter conflo, ut veritatem ipsam præsignificem. Et quemadmodum tabernaculum & quæ in ipso sunt omnia, & Cherubim similitudinem eorum quæ non videntur, adhibui in sancta, ut figuram atque umbram futurorum ostenderem: sic & serpentem ad populi salutem conflavi, ut ejusmodi experimento exercitatus, crucis imaginem & servatorem in ipsa pendentem præcognosceret. Hoc autem verissimum esse intelliges ex verbis Domini: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis, &c.* Haud dubium est satis idoneum interpretem esse Moysen legis ab ipso aut per ipsum latæ de non cudendis imaginibus. Si quaslibet enim imagines proscripsisset, non statim ipse Christi crucifixi imaginem suspiciendam, & tanquam salutis arcem, tota animi spe complectendam præstitisset. Illam autem crucis imaginem fuisse quis ambigat, nisi qui Christo affirmanti fidem abroget? Venerationis autem genus id fuisse singularis, crucis imaginem suspicere, illi suspirare, inde salutem expectare, omnes facilè intelligunt.

V. Damascenus iterum, de variis imaginibus Deo olim apparentis Jacobo, Danieli, &c. Orat. 3. de Imag.

Atque ut ad Damascenum reflectamus orationem, egregiè rursum ille argumentatur in hunc modum: *Et Adam vidit Deum, & audivit strepitum pedum ipsius deambulantis post meridiem, & abscondit se in paradiso. Et Jacob vidit & luctatus est cum Deo. Perspicuum est autem Deum se illi conspiciendum ut hominem præbuisse. Et Moyses tanquam hominis posteriora perspexit. Et Elias vidit tanquam hominem in solio sedentem. Et Daniel vidit hominis similitudinem & tanquam hominis filium venientem ad senem dierum. At Dei nemo naturam vidit, sed formam & imaginem ejus qui erat venturus. Filius enim quod Dei Verbum est invisibile, vere futurus erat homo, ut naturæ nostræ conjungeretur & cerneretur in terra. Figuram igitur omnes & imaginem futuri conspicientes, adoraverunt, quemadmodum Paulus ait in Epistola ad Hæbreos: Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes. Ergone igitur non faciam imaginem ejus qui propter me visus est in carnis natura, & adorabo eum honore & adoratione ejus imaginis? Vidit Abraham non Dei naturam, Deum enim nemo vidit unquam, sed Dei imaginem, & prostratus adoravit. Jesus Nave filius non Dei naturam, quæ corporeis oculis cerni non potest, sed imaginem vidit, & prostratus adoravit. Itidem fecit Daniel. Angelus autem non est Deus, sed res à Deo procreata, Deique servus & minister. Quare non ut Deum, sed qui Deo assistat ac ministret adoravit. Quæ cum ita sint, cur ergo amicorum Christi non faciam imagines, easque colam & adorem non* tan-

tanquam Deum, sed ut imagines amicorum Dei? Illaqueari mihi quidem videntur Iconomachi hoc argumento sic, ut exire omnino atque extricare se nulla arte queant. Adamo enim, Abrahamo, Josuæ, Esaiæ, Danieli, cæterisque Patriarchis & Prophetis visus est Deus, visus est sæpissimè Angelus corporalibus lineamentis & coloribus simulatus, & protinus ab iis in terram pronis adoratus est. Nonne hæc erat imago? Nonne Dei incarnandi imago? Nonne Angeli? Nonne adorata est imago, sive per imaginem Deus aut Angelus? Ergo nec fingere, nec adorare imagines Dei & amicorum Dei sacrilegum est. Nam cùm imagines fingis, Deum & Angelos imitaris: cùm adoras, laudatissimos in sacris litteris viros æmularis.

Hactenus Damasceno uni plus satis indulsimus. Eadem ferè complexus est Gregorius II. Pontifex Romanus in Epistola ad Leonem Isaurum Imperatorem, quæ habetur in anteactis Synodi Nicænæ secundæ; itemque Hadrianus Papa in Epistola quæ habetur Act. II. ejusdem Synodi: *Nam absit à nobis, ut ipsas imagines, sicut quidam garriunt, deificemus. Sed affectum & dilectionem nostram, quam in Dei amorem & Sanctorum ejus habemus, omnimodo præferimus. Et sicut divinæ Scripturæ libros, ipsas imagines ob memoriam venerationis habemus, nostræ fidei puritatem servantes.* Imaginis quippe genus scriptura est, & imago litterarum instar sæpè habet. Significatur enim res eadem signis multiplicibus. Ergo si imagines omnes ablegaret Scriptura sacra, semet ipsa abrogaret. Si amorem imaginum exureret, ipsa semet damnaret expungeretque. Nam sive litteris, sive coloribus lineisque res significetur, non magni interest: utrobique non res, sed rei vicarium signum adest.

VI. Hadrianus Papa.

Et infrà idem Hadrianus Pontifex: *Similiter Abraham suo arbitrio ædificavit altare ad honorem & gloriam Dei, qui apparuit ei. Sic Jacob fugiens Esau fratrem suum, dum in somnis Angelos Dei ascendentes in cœlum & descendentes per scalam, atque innixum ipsi scalæ loquentem sibi Dominum aspiceret, surgens protinus suo arbitrio tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, erexitque in titulum, fundens oleum desuper, appellavitque locum illum Bethel, dicens, Non est hic aliud nisi Domus Dei & porta cœli, &c. Nam idem ipse Jacob proprio demum arbitrio summitatem virgæ filii sui Joseph deosculatus est, fidei dilectione hoc agens, sicut B. Paulus in Epistola ad Hebræos testatur: non virgæ, sed tenenti eam, honoris ac dilectionis exhibuit affectum.* Et paulò post de Cherubimorum imaginibus, de Tabernaculo, de Templo Salomonis similiter disputat. De serpente æneo autem: *O insania frementum contra fidem & religionem Christianam, &c. Æneì serpentis inspectione credimus Israeliticum populum à calamitate injectâ liberari, & Christi Domini nostri ac Sanctorum effigiem aspicientes ac venerantes dubitamus salvari?* Sed illud cum primis notandum, quòd Abraham & Jacob Deo non per naturam, sed per imaginem conspicuum se exhibenti, non venerationem tantùm adhibuerint, sed altaria quoque extruxerint. Quod genus ratiocinandi vides, quàm latè pateat, & universam Scripturæ sanctæ authoritatem complectatur. Quin imò quid Scriptura tota, quàm quasdam continet divinorum & intelligibilium per corporalia & visibilia delineationes, id est, quasdam imagines? Quid Scriptura tota, quàm Deum nobis loquitur & commonstrat, non puro nudoque divinitatis radio fulgurantem; neque enim ferendo essemus; sed omnigeno septum adumbratumque involucro, hoc est, signis & imaginibus coloratum? Sed ut uno verbo rem conficiam, ex quo oculus contemplationis, mundus antea & patiens puræ intelligibilium lucis, per peccatum primi parentis obsorduit caligavitque, nec nisi per sensibilia adminicula deinceps potuit expiari; nonne, ut antea advertebat Damascenus, jam tum Deus post meridiem deambulans in paradiso sub vesperam, hoc est, corporalibus imaginibus amictus, videri, audiri, adorari describique cœpit? Cùm ergo Scriptura non complectatur nisi medicinam nostram, non aliud illa nobis per singula capita & omnibus versibus quàm Deum repræsentat, corporalibus simulacris occultatum & adoratum.

Et Actione IV. ejusdem Nicænæ secundæ Synodi, cùm ipsa ex singulis libris Scripturæ loca recitarentur, Tarasius Patriarcha easdem ratiocinationes intertexit: *Si vetus Testamentum habuit Cherubim obumbrantia Propitiatorium, & nos iconas Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Dei Genitricis Sanctorumque ipsius habeamus, obumbrantes altare.* Et infra: *Omnes Sancti qui meruerunt Angelos videre, in specie hominum eos viderunt, &c.* Et ex Leontii Episcopi Neapoleos Cypri, Apologia v. adversus Judæos, multa intexuntur eidem, è quibus hæc decerpsimus ad hoc negotium spectantia: *Nam & Jacob honorat Deum per lapidem, statuens & ungens eum in typum Christi angularis lapidis, &c.* Et paulò post: *Si enim essent tibi o Judæe in Templo tuo duo Cherubim illi, qui obumbrabant Propiatorium sculpti, & intrasset quispiam Paganus idolorum cultor, & visis his arguisset Judæos, quasi & ipsos adorantes simulacra: quid putas haberes, dic mihi, respondere illi de duobus Cherubim fusilibus, & bobus & palmis & leonibus, qui erant in Templo sculpti? Nihil veri haberes dicendum nisi hoc, quia non ut Deos habemus ea in Templo, sed ad recordationem Dei & gloriam istos habemus Cherubim in Templo. Si ergo hæc ita se habent, quomodo me super iconibus accusas?* Vides quàm inevitabili Scripturarum mucrone Judæos Iconomachos confodiat. Denique Actione VI. ita legit Epiphanius Diaconus, *Si Evangelium legendum Patres minimè tradiderunt, nec imagines figurandas; at si hoc, & illud. Sequitur enim titulationis vel picturæ formatio Evangelicam relationem, & hæc picturalem narrationem, & utraque bonæ ac honorabiles.* Non vetus ergo tantùm, sed & nova Scriptura imaginibus usque adeo suffragatur, ut & imago ipsa sit. Est enim Evangelica scriptura Christi imago expressissima. Quibus enim coloribus illum germaniùs expinxeris? Rursum picturæ locum Evangelii supplere possunt, dum idem mysterium vel pingendo vel scribendo repræsentatur. Usque adeo autem litteræ & picturæ nihil interest, ut gentibus quibusdam non aliæ usitatæ fuerint litteræ, quàm rerum significandarum subitariæ imagunculæ. Quot ergo Scripturarum non paginæ tantùm sunt, sed litteræ & apices, tot imaginum sunt certissima patrocinia.

VII. Synodus septima.

Inter testimonia Patrum pro sanctis imaginibus, in septima Synodo comprobata, non omittendum istud est, ex umbra Petri, quæ imaginis simulatio quædam erat, & cui debebatur utique honos, cùm beneficium deberetur. *Cùm umbra & imago duo sunt, quæ circa corpus considerantur, umbra obscuram & exilem quandam hominis significationem facit, imago clariorem ac majorem. Itaque si quod semper est, ei quod aliquando, & quod existit, privationi, & quod dilucidum, caligini præstat, profectò præstantior est imago quàm umbra. At verò Sanctorum umbræ, & sanctæ sunt & salutiferæ: eorum igitur imagines multò sanctiores erunt, venerationeque digniores.* Alluditur ad umbram Petri, quam qui ambibant, qui ea contingi affectabant, qui ea sanari se confidebant posse, eam utique venerabantur. Nam innumerabiles sunt honoris exhibendi rationes, quas non promiscuè, sed ex usitato apud homines & decoro more usurpari consentaneum est. Itaque umbræ fugaci, & miraculorum tamen efficacii, non poterat honor amplior affundi, quàm ut captaretur, ut ambitiosè prehensaretur.

VIII. Eadem Synodus de umbra Petri ægros sanante. Euthymius in Panop. Tom. 19. Bibl. Patr. Tom. 11. pag. 728.

Nec

Nec illud facilè prætereundum, quod postea ibidem dicitur: *Quin etiam in hac esse sententia sapientissimus Paulus tibi apparebit, in ea quam scribit ad Romanos Epistola, ubi non absolute & simpliciter imagines condemnat, nec eos qui sunt imaginibus usi reprehendit; sed quod mutaverunt incorruptibilis Dei gloriam in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Revera enim hi sunt temerarii dementesque, qui Dei figuram, aut formam, aut speciem neque viderint, neque intelligere potuerint, &c. ea solum quæ viderunt, ut Deum honore affecerunt. Unde etiam Apostoli consilium verè admirandum videri debet. Nam verbum, Commutaverunt, id significat ostenditque quod in animis insitæ de Deo notiones, ab initio & ab omni antiquitate traditiones sunt primorum hominum, unde Deum verum cognoverunt unum. Hi verò terrestris sapientiæ amore capti, &c. ipsas immutarunt, &c. quam tenebant veritatem prodiderunt, hominis similitudinem, & cæterorum hujusmodi Deo tribuentes.* Luculentè advertitur non imagines crimini datas ab Apostolo, sed quòd ad has imagines commutaverint traduxerintque insitas naturaliter Dei veri præsensiones.

Quæst. 39. Apud Athanasium Author Quæstionum ad Antiochum: *Non ut Deos adoramus imagines, ut Ethnici faciunt, sed solummodo affectionem & amorem animi nostri erga exemplar imaginum significamus. Et quemadmodum Jacob jam morti vicinus, super extremo scipionis Josephum adoravit, non baculum honore afficiens, sed eum à quo is tenebatur, &c. Quemadmodum etiam olim Judæi Tabulas legis lapideas & duos illos Cherubinos, qui aurei sculptique erant, adorabant, non lapidum aut auri substantiam, sed Deum qui ea construi jusserat venerantes, &c.*

IX. Chrysostomus de crucis figura per Moysis manus expansas. To. 5. ser. 49. Et ne eos tantùm percontemur Patres, qui postea floruerunt quàm Iconomachi hanc Ecclesiæ moverunt controversiam, audi quàm consentanea philosophetur Chrysostomus: *Qui amat, non eum tantum videre desiderat, quem amat, sed vel solam ejus domum, sed & vestibulum, neque vestibulum tantum ædium, sed vel angiportum, vel vicum, & si vel vestem vel calceamentum viderit ejus quem amat, ipsum se videre arbitratur quem amat. Sic affecti fuerunt Prophetæ, quoniam Deum incorporeum non videbant, domum videbant, & per domum præsentem illum cernere sibi videbantur. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, &c.* Vis ista amoris Ecclesiasticos populos impluit, vel Christi, vel amicorum ejus non memoriis tantùm, aut templis, sed imaginibus etiam præsentiam supplere: Non possunt autem non laudi cedere istæ amoris artes, ut per signa quælibet, præsentiam sibi rei amatæ mentiatur. Orat. 6. Nazianzenus item: *Ambo, Moyses & Aaron, per sanctam manuum extensionem, sublimiorisque mysterii figuram, Amalecitas opprimentes.*

X. Augustinus. L. 2. de Trin. c. 10. Atque ut Latinos quoque testes adhibeamus, Augustinus hæc habet: *Quia etiam utrum soleret Adam corporeis oculis Deum videre, non evidenter apparet, &c. Illud tamen non timere dixerim, si paradisum corporalem quendam locum illa Scriptura insinuat, deambulare ibi Deum nisi in aliqua* Ibid. c. 16. *corporea forma nullo modo potuisse, &c.* Et infrà: *Quapropter si in illis vocibus quæ fiebant in Exodo & illis omnibus corporalibus demonstrationibus, Dominus noster Jesus Christus ostendebatur; aut alias Christus, alias Spiritus Sanctus, sicut ea quæ supra diximus admonent; non hoc efficitur ut Deus Pater nunquam tali aliqua specie Patribus visus sit, &c.* Et quid attinet plura hoc genus contexere? cùm vel tyronibus constet, quàm frequens fit Augustinus in his Dei non per suam substantiam, sed per subjectam creatuam apparitionibus commentandis. Quid hæc autem erant nisi simulacra quædam & imagines, quibus velut obvolutus conspiciebatur & adorabatur Deus? Angeli quoque per corporum species sibi circumjectas & visendos se & honore afficiendos exhibebant. Et rursus alibi: *Nec moveat quod alio loco in quadam scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, &* Lib. quæst. in Genes. q. 61. *admonet, ut Dominus potius adoretur: Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator.* Non id culpatur quod adoraretur Angelus in specie imaginaria, sed quod pro Deo adoraretur, qui eam imaginem induerat, quæ Deitatis opinionem posset illi conciliare. Et alibi: *Serpentum morsus mortiferos immissos, ad pœnam justissimam peccatorum, in ligno exaltato atque prospecto aheneo serpente sanatos, ut & populo subveniretur afflicto, & mors morte destructa, velut crucifixæ mortis similitudine signaretur. Quem sanè serpentem propter facti memoriam reservatum, cum postea populus errans tanquam idolum colere cœpisset, Ezechias rex religiosa potestate Deo serviens, cum magna pietatis laude contrivit.* Civit. l. 10. c. 8. Mortem secum Christus & peccatum cruci affixit, unde illa mortis crucifixæ similitudo, erat & Christi similitudo, quam piè Judæi suspectando, & in vulnerum suorum medelam invocando venerabantur. Ubi autem tanquam Idolum colere cœperunt, tunc ex re fuit eam confringi.

XI. Hieronymus. Hieronymus ad Fabiolam: *Moses ascendit in montem: Jesus contra Amalec militat, ad crucis signum superatur inimicus: remissis manibus hostis victor insequitur.* De 42. Mansion. Paulinus Epistola IV. ad Severum: *Nobis Ephraim sinister ad dexteram benedictus proficit; illos in Manasse qui præsumptione senioris, avo dexter astiterat, translata in caput sinistra, crucis ministerio denotavit: quia crux Judæis scandalo, Christianis futura gloriæ.* Itaque tum subitariæ magis imagines usurpabantur, ne si solidæ perstitissent, iis ut serpenti populus tanquam idolo adhæresceret, nempe ad insanas idololatriæ superstitiones effrænatissimè præceps.

CAPUT IX.

An Dei etiam Imagines fingi & adorari fas sit, Ecquid Moses id vetuisse videatur? An Idola tantum?

I. Imagines Dei improbasse videntur Damascenus. Fingi, pingi, sculpive & qualiacumque demum Dei simulacra adumbrari, ægrè tulisse videntur è Catholicis sacrarum imaginum defensoribus nec pauci nec ignobiles. Eos itaque primùm, suis stipatos argumentis in medium proferemus.

Damascenus in causa Imaginum defensitanda strenuam ante alios Ecclesiæ navavit operam. Is porro Christi, Deiparæ, & Sanctorum imagines vehementer commendat, at Dei utpote incorporei, adeoque corporalium similitudinum impatientis sæpissimè deprecatur. Orat. 1. De Imagin. *Itaque Dei invisibilis imaginem audeo conficere, non qua enus invisibilis est, sed quatenus propter nos visibilis factus est, carnis & sanguinis particeps. Imagine non divinitatem invisibilem, sed carnem visam exprimo. Nam si animæ simulacrum effingi non potest, quanto minus ipsius Dei, qui animæ, ut expers esset materiæ, largitus est?* Hic primò gradus figatur. Nam inexpugnabile videri potest hoc argumentum, ne corporaliter repræsentetur Deitas summè incorporea. Deinde si animæ imaginem exhibere nemo unquam quamlibet obtusi cordis agressus est, quid Dei, cujus comparatione anima concrescere & corporascere videtur?

Ibidem illico allegat verba Mosis similitudinem vetantis fieri eorum, quæ in cœlo & quæ in terra sunt: & scitè observat non vetari à Mose nisi idola, id est, adulterinorum Deorum simulacra, vel imagines quascumque quibus tanquam Deo serviatur

natur latriæ cultu. Idque ex verbis Mosis prolixè recitatis perspicuum facit: nempe *Non erunt tibi alii Dii præter me. Non facies tibi sculptile neque ullam similitudinem, non adorabis ea, neque latria coles: Deos conflatiles non facies tibi, &c. Aras eorum subvertetis, &c. & simulacra Deorum ipsorum igne comburetis, &c.* Et hæc omnia tandem huc revocat, ut prohibeantur ullæ corporeæ Dei incorporei imagines conflari adorarive. *Vides quomodo vitandi simulacrorum cultus gratia imagines fieri vetet, nec fieri posse ut Dei, qui nec quantitatem habet, nec circumscribi, aut videri potest, effigies exprimatur. Neque enim formam, inquit, ipsius perspexistis.* Et paulò post ait, Judæos tanquam pueros ab omni imaginum usu interdictos, ut qui per ætatis imperitiam non possent discrimen internoscere, quæ possint & quæ non possint pingi. At Christianos in quandam pietatis & sapientiæ juventam adultos, pervidere, Dei quidem invisibilis visibilem imaginem exprimi non posse, sed Dei incarnati posse, itemque Deiparæ & Martyrum. *Judæis igitur quoniam ad simulacra colenda propensiores erant, hæc jussa sunt. Nos autem quibus ut Theologicè loquar, datum est ut superstitiosum errorem fugientes, & veritatem cognoscentes, purè cum Deo versemur, eique soli latriam offeramus, & perfectas divinæ notitiæ divitias assequamur, infantiamque prætereuntes in virum perfectum evadamus, non sumus amplius sub Pædagogo, quippe qui discernendi vim à Deo atque habitum consecuti, sciamus quid imagine exprimi possit, quid non possit. Neque enim formam, inquit, ipsius vidistis. Quis legislatoris sapientiam non admiretur? Quomodo enim illius imago qui sub aspectum non cadit, explicabitur? Quomodo illius effigies, qui nullam habet effigiem, exprimi poterit? Quomodo is qui & quantitate & magnitudine vacat, & nullo termino concluditur, effingetur? Quomodo qui corporis est expers, coloribus describetur?* Totum ergo Mosaicum mandatum de non fingendis simulacris eo coarctat, ut Dei veri & vivi, utpote incorporei, & ultra omnem formam speciemque incomprehensi, nulla effigies elaboraretur: Judæi autem ideo in totum abstinuerint à fabricandis sibi privatim imaginibus, quod rudis adhuc infantiæ tyrocinia ponerent, nec satis dignoscere possent, quibus deberet, quibus non deberet imago vel statua excitari: quocirca cautius consultiusque fuit iis in totum supersedere.

At verò tum demum Dei imaginem corpoream effingi licuisse concludit, cùm corporatus ille est Non enim corporei, sed corporati posthac Numinis effigiem exprimemus. *Quænam igitur hic arcana ratio? Ea nimirum ut cùm videris illum qui corpore vacat propter te factum esse hominem, tunc humanæ illius formæ similitudinem efficias. Cum is qui cerni non potest, carnem indutus se conspicuum præbuerit, tunc illius imaginem exprimas. Conspiciendum propone, qui se conspici voluit, &c.*

Ibid. Orat. 2. Et alibi errari ait, seu Deus coloribus & imagine quavis exprimi posse speretur, seu imaginibus sanctorum tanquam Deo procumbatur: at cum Dei incarnati carnem pingimus, cum membra ejus seu sanctos quoslibet exprimimus, tum Deo ipsi obsequimur, qui se suaque intelligibilia divinitatis ornamenta carnali spectabilique substantiæ insinuavit. *Erraremus profectò, si vel Dei qui cerni non potest, imaginem faceremus: cum id quod corporis est expers, quodque nec oculis videtur, nec circumscribitur, nec figuram habet, effingi nequeat. Impièque rursum ageremus omnino, si imagines hominum à nobis confectas, Deos arbitraremur, eisque tanquam Deis divinos honores tribueremus. Verùm nihil horum facimus, sed cum Deus propter incredibilem bonitatem suam, carnem induerit, eaque visus sit in terra, & cum hominibus versatus, naturamque & magnitudinem & figuram & colorem carnis assumpserit, ejus imaginem facientes, non erramus.*

Ideo quippe carnis substantiæ infudit se Deitas, ut carnalibus se conspicabilem exhiberet, & per carnis suæ mysteria, tanquam per specula & ænigmata quædam intelligibilem suam pulchritudinem adumbraret, expingeretque nobis, & expingenda contemplandaque indulgeret. Si quam autem fas esset Deo appingere formam corpoream, extra incarnationem, per quam Dei præsentia suppleretur, quorsum ipsa incarnatio? Ibidem Damascenus, *Cum Deus carnem induerit, &c. ejus imaginem facientes non erramus, ejus enim formam videre cupimus. Nam ut divus Apostolus ait, in speculo nunc & ænigmate cernimus; imago autem speculum est & ænigma, crassæ corporis nostri conditioni conveniens. Licet enim multum laboret mens nostra, ea tamen quæ corporea sunt, transilire non potest.*

Sola enim incarnatione nobis id præstitum esse, ut coaptatam nostræ carnalium ægritudini Deitatem Verbi corporatamque intueri possemus, author est Christus ipse, cum beatos semel & iterum pronunciat Apostolos, qui formam carnis suæ tueantur, cui tuendæ Prophetæ olim regesque inhiabant & suspirabant incassum. Et nos ergo Apostolorum æmulamur fœlicitatem, atque incarnationem Verbi iteramus quodammodo, cum conspicabilem illam Verbi incarnati formam effingimus, atque ita nostram interim Dei videndi famem solamur. Damascenus; *Christus beatos appellans discipulos, Multi Reges, inquit, & Prophetæ cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt; vestri autem beati oculi, quia vident, & aures quia audiunt. Christum igitur corpore præsentem & passiones ac miracula ejus viderunt Apostoli, sermonesque audierunt. Nos item videre cupimus, & audire, & beati esse, Præsentem illi corpore præsentes aspexerunt. Nos autem quia corpore non adest, sicut sermones ejus ex libris accipimus, & sanctificamus auditum, audituque animam, & beati efficimur, adoramusque honore plurimo libros per quos verba ejus audimus: sic per pictas imagines contemplamur corpoream ejus effigiem, passionesque & miracula, & cumulamur sanctificamurque, & gaudemus, & beamur, & adoramus, reveremurque corpoream ejus formam.* Sed ut ex vera olim, ita nunc ex picta Christi forma corporea, statim animus rapitur ad sublucentis radiosque suos ex illo carnis nubilo ejaculantis divinitatis contemplationem: *Corpoream autem ejus figuram intuentes, divinitatis etiam ipsius gloriam quoad fieri potest, animo & cogitatione complectimur. Nam cum duplices simus, animoque & corpore constemus, animus corpore tanquam velo obtegitur, nec possumus sine rerum corporearum auxilio ad intelligibiles pervenire. Ut ergo verba sensibus accommodata corporeis auribus audimus, & & quæ spiritalia sunt intelligimus, sic etiam obtutu corporeo ad spiritalem contemplationem aspiramus. Propterea corpus & animam Christus suscepit &c.* Porro nequaquam hæc inhumanationi Verbi tot beneficia imputarentur, si præter illam licuisset corporali forma Deum vestire, & penè invitum carni nostræ includere.

II. Idem Damascenus. Orat. 3. De Imagin.

Atque ut ad majora authoritatis præsidia progrediamur, Gregorius Papa ejus nominis secundus, epistola ad Leonem Isaurum, quæ habetur in an- teactis septimæ Synodi, Patrem nulla imagine subjici oculis ait, sed Filium Deum duntaxat, quòd Filius tantùm carnem nostram subjerit. *Cur tandem Patrem Domini nostri Jesu Christi non oculis subjicimus aut pingimus? Quoniam quis sit non novimus, Deique natura spectanda proponi, ac pingi non potest. Quod si eum intuiti essemus ac novissemus prout Filium quoque, spectandum proponere potuissemus ac pingere, ut & illius imaginem idolum appellares.*

III. Gregorius Papa III.

Dei

IV. Germanus Episc. Cōst. Dei quoque imagines vetari Mosaicis literis argumentatur Germanus Episcopus Constantinopolitanus, cujus epistola refertur actione IV. ejusdem septimæ Synodi. Cum enim verba Mosis plurima acervasset, ait, *Sed hæc omnia manifestum habent sensum, quod divina natura sempiterna sit, atque incomprehensibilis, & nulli similis æstimanda eorum quæ cernuntur, ut ne quis conjecturis & suspicionibus ducatur ad corporeas conceptiones, Præfatus enim Moyses, quia similitudinem non vidistis in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb, intulit statim, Neque iniquè agatis, neque faciatis vobis sculptile, &c. Hoc & magnus Apostolus in concione ad Athenienses prohibuit, Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis divinum esse simile, &c.*

V. Hadrianus Papa. Hadrianus Papa cujus epistola refertur Act. II. ejusdem Synodi, quas imagines prisca authoritate edocti simus fingere, ita narrat: *Sicut à sanctis Patribus & prædecessoribus nostris probatissimis pontificibus suscepimus, divinæ historiæ scripturam in Ecclesiis pro memoria piæ operationis & doctrina Imperatorum depingimus, & sacram imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi secundum incarnatam ejus humanam formam in aula Dei constituimus, simulque & sanctæ Dei Genitricis, & B. Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum, &c. Ut per visibilem vultum ad invisibilem divinitatis majestatem mens nostra rapiatur spiritali affectu, &c.* Et cùm sexcenties tota hac septima Synodo enumerentur imaginum genera, nunquam Dei nisi incarnati imago ulla nobis usitata memoratur. Et in fine Act. IV. ita Synodus pronunciat: *Porro has pretiosas & honorabiles iconas honoramus & salutamus, & honoranter adoramus, hoc est, magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi humanationis imaginem & intemeratæ Deiparæ, &c.* Quod ipsum rursus definitur in fine Act. VII.

VI. Theodorus Episc. Jerosol. Quin & illud quoque specialiter cautum voluit in eadem Synodo Act. III. Theodorus Episcopus Jerosolymitanus, in Epistola quæ ibi refertur; cum Christus pingitur, non divinam ejus, sed humanam corporalemque substantiam pingi. *Cum his autem & sanctas imagines adorantes amplectimur, id est Verbi Dei & Domini nostri Jesu Christi, qui pro nobis incarnatus est, & formam servi suscepit. Cujus imago & figura non Deitatis, quæ indivulsè intemeratæ carni ejus unita est, præfert characterem; invisibilis enim est, & incircumscripta, & informis divina natura: Deum quippe nemo vidit unquam, ipse Unigenitus enarravit: sed humanitatis ejus adumbratam coloribus imaginem adoramus.*

Enimverò cùm ne intelligibilis quidem ulla possit exprimi divinitatis imago, ejusque speciem nec Angelicæ possint mentes sibi ullam imaginari, qui nos agrediamur, corporalibus eam lineamentis ementiri? Ita ratiocinatur Germanus Constantinopol. Episcopus in Epistola quæ refertur Act. IV. *Neque enim invisibilis Deitatis imaginem & similitudinem, vel schema, vel figuram aliquam formamus, quam ne ipsorum quidem sanctorum sublimes Angelorum Ordines considerare & investigare penitus valent. Sed quoniam unigenitus Filius participavit carni & sanguini, &c.* Si qua in Angelicis mentibus præter ipsam divinitatis substantialem veritatem esset veritatis imago, seu species intelligibilis, non veritas ea foret, sed mendacium; nec enim assequeretur veritatem, sed immani deficeret intervallo, quia nulla res alia talis est, qualis ipsa veritas est. Ergo si quam corporalem nos divinitatis, id est, veritatis imaginem molimur, multò magis ea non imitatio, sed illusio; nec veritas erit, sed mendacium.

VII. Joan. Episc. Thessal. Cumque decreta fidei nostræ eminus tantùm spectarent Gentiles, hinc contigit ut & nobis idololatriam impingerent, quod Dei nostri corporea veneraremur simulacra. Arcebamus autem hanc à nobis invidiam, hoc statim responso, non divinæ naturæ, sed carnis misericorditer assumptæ imagines conflari à nobis & adorari, tanquam non dissimulaturos tum idololatriæ affines nos futuros, si Dei citra incarnationem figuras aliquas cuderemus. Ita Joannes Episcopus Thessalonicensis, cujus sermo legitur Act. IV. Gentili enim ita objectanti: *Vos ergo in Ecclesiis vestris imagines non pingitis & adoratis? Nec solum sanctis, sed etiam Deo vestro? Sic ergo existima & nos simulacra circumfoventes, non ea adorare, sed incorporales virtutes quæ per illa placantur.* Respondet Joannes: *At vero imagines Dei facimus, id est, Domini Jesu Christi, quomodo visus est super terram, & cum hominibus conversatus est, hunc pingentes, non ut intelligitur natura Deus. Quæ enim similitudo est, vel qui habitus incorporei & sine schemate Verbi Patris? Spiritus enim est Deus, ut scriptum est, id est, sancta & consubstantialis Trinitatis natura.*

Perurgente autem Gentili, ecquid ergo Angelorum imagines describeremus, respondet idem Joannes Angelos non usquequaque incorporeos esse, sed vel aereis vel igneis corporibus succinctos, nec usquequaque invisibiles; aut potiùs ad comparationem nostri incorporeos esse, revera autem a materia non penitus absolutos. Ex quo fit ut possint pingi Angeli, non possit Deus à corporum concretione defæcatissimus: *De Angelis & Archangelis & sanctis Virtutibus quæ super istos sunt, addam etiam nostras hominum animas, intellectuales quidem Catholica & Apostolica novit Ecclesia, non tamen incorporales omnino & invisibiles, sicuti vos Pagani opinamini, sed subtiles corpore, aereos igneosque, secundum id quod scriptum est, Qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos ignem urentem. Et hoc multos sanctorum Patrum nostrorum sensisse invenimus, quorum est Basilius ille Magnus, & Athanasius, & Methodius, & alii. Sola enim ut confitentur, divinitas incorporea est & incircumscripta, &c. licèt ut verius fateamur, ad comparationem nostri incorporei sunt Angeli: at verò visi sunt crebrò à compluribus sensibiliter in specie propriorum corporum suorum.*

Sed illud præclarum in primis & notatu dignum, quod ex Iconomachorum in Orthodoxos criminatione colligitur argumentum. VIII. Septima Synodus. Cùm enim à nobis nonnisi humanam Christi naturam adumbrari picturis prætenderemus, ex adverso illi Nestorianæ vesaniæ invidiam nobis allinebant, quasi ita naturas Christi alteram ab altera divelleremus, seorsimque illas picturæ ingenio scissas sequestraremus. Act. IV. *Si secundùm orthodoxos Patres simul caro, simul Dei Verbi caro, nunquam partitionis sensum suscipiens, sed tota ex toto à divina natura suscepta, & integrè deificata est, quomodo scindetur vel separatim statuetur, ab his qui impiè hoc agere conantur?* Itaque cùm ne fingendo quidem aut pingendo disjungi naturas Christi geminas posse cavillarentur, hinc Nestoriana infamia cultores imaginum Christi insectabantur. Catholici autem convenientiùs Eutychianæ impietatis crimen Iconoclastis impingebant, quòd naturæ utique confunderentur, nisi liceret eas saltem cogitando & seu verbis seu signis picturisve secernere: cùm vel maximè pingi soleant homines, citra animæ quæ non pingitur, à corpore quod pingitur, divortium. Unde in eadem Act. VI. *Et quoniam causati sunt, in imagine circumscribi pariter divinam naturam, excidentes à rectâ ratione, traditi sunt in reprobum sensum. Petrus enim & Paulus depicti videntur, sed eorum animæ in imaginibus non adsunt, quandoquidem nec ipso corpore Petri præsente, animam ejus aliquis videt. Cùm ergo ipsa non aspiciatur, quis eorum qui veritatem sectantur, dicit, quia separata est caro Petri ab anima ejus, nisi fortè per intelligentiam*

tan-

tantum? Quantò magis incircumscripta natura Dei Verbi à circumscripta carne quæ ab eo assumpta est? Si dum pingitur caro, nec pingitur Deitas, divellitur à carne Deitas: ergo cum pingitur caro, nec pingitur anima, divellitur à carne anima: imo dum videtur caro, auditur, tangitur, nec videtur, tangitur, auditur anima, divellitur à carne anima: quæ consequentium quanta sit insulsitas, nemo tam obtusus est ut non sentiat. Porro in hac concertatione fixum illud inconcussumque constat, nullis imaginibus ipsam Deitatem posse simulari.

Et sanè si anima ipsa nullis se patitur figuris coloribusque vel corporeis qualibuscumque simulationibus violari: quantò incorporalior simpliciorque divinitas est, tantò ab hac injuria tutior. Unde Act. VI. ejusdem Synodi: *Si animam præsertim cùm sit creata, impossibile est depingere: quantò magis incomprehensibilem & investigabilem unigeniti Filii divinitatem, &c.*

Nec illud effugiet quod ad hanc sententiam illustrandam cum primis pertinet. De imagine Christi magnificè olim, sed veteratoriè scripserat Eusebius Pamphili ad Constantiam Augustam, quasi ea inaniter desideraretur, quòd & Deitatis nullum posse excudi simulacrum constaret, & humanitas ejus in Deitatis splendorem tantùm, maximè post suam in cœlos evectionem, absorpta esset, ut colorum umbris eam obscurare jam nefas esset. Audi ejus verba in speciem admirabilia, prout ab Ichonomachis in sui patrocinium proferuntur Act. VI. Synodi VII. *Quam dicis & qualem hanc Christi imaginem? &c. De forma quidem Dei, nec ipse arbitror te quærere, semel ab ipso edoctam, quoniam neque Patrem quis novit nisi Filius, neque ipsum Filium novit aliquis aliquando dignè, nisi Pater qui eum genuit, &c. Sed utique servi formæ imaginem quæris & corpusculi quo amictus est propter nos. Sed & hoc gloriæ divinitatis commixtum didicimus, & absorptum esse mortale à vita, &c. Quis hujusmodi dignitatis & gloriæ vibrantes splendores exarrare potuisset, mortuis coloribus & scripturis umbraticis? Quandoquidem nec aspicere in eum egregii sustinuere in monte discipuli: qui etiam cecidere in faciem, importabile quod sibi visum fuerat, confitentes. Ergo si tunc incarnata ejus forma tantam virtutem sortita est, mutata ab inhabitante eam divinitate, quid oportet dicere, cum mortalitate exutus, spetiem servilis formæ in Domini & Dei gloriam commutavit, post victoriam contra mortem? post regressum in cœlos? post consessum in regio throno ad dexteram Patris? post quietem in innominabilibus & inenarrabilibus finibus Patris?* Ita ille rhetoricatur. Et quidem fas est quod ajunt, aurum è stercore legere. Hinc enim majestas Christi hominis explendescit mirificè, & infinito prorsus intervallo dissidere intelligitur ab eo & deficere quisquis eum vel pingendo, vel fingendo, vel cogitando exprimere molitur.

Etsi autem non assequamur, fas tamen est jusque ut sequamur: idque etiam nos delectat, quod nunquam assequamur. Nam & mente Deum conamur complecti, nec tamen comprehendimus. Non temeritas, sed pietas est, incomprehensibilem prehensare. Nonne & verbis depingimus quæ absolutissimè exprimi nequeant, nec tamen conatus ille fraudi cuiquam est? Nonne & Solem ac lucem coloribus adumbramus? Denique quid si non è paterno solio, non ex edito monte radiantem, sed virum dolorum exprimere libeat, non habentem speciem neque decorem, despectum & novissimum virorum? Sed præstat radicem ipsam prodere pestilentis erroris. Acquieverat Eusebius Ario, Verbumque ut à paterna æqualitate dejiceret, in vicem animæ, carni inserebat, & cum carne in unam confundebat substantiam, ut animæ carnisque perturbationibus passionibusque manciparetur ipsa Verbi essentia. Itaque Eutychianæ jam tum præludebat perfidiæ, & eadem de causa imagines Christi aversabatur, ne si caro pingeretur, Deitas quoque Verbi jam carni concreta expingi videretur. Hæc versipellis hæretici astutia ita nudatur in eadem Act. VI. ubi cùm multa contexta essent Eusebii verba Arianam luem apertè spirantia, *Ex his ergo scriptis ejus ostenditur Arii & comparium ejus dogmata prædicare. Cum hac autem apostatica sua hæresi, Arianæ insaniæ inventores & unam dogmatizant naturam in unitione hypostatica, & prædicant carnem sine anima suscepisse in dispensatione sua Dominum nostrum, dicentes divinitatem adimplesse animæ voluntates & motus, ut passionem, sicut ait Gregorius Theologus, divinitati ascribant. Et qui passionem divinitati applicant, eos constat esse Theopaschitas, & hi imagines non admittunt, quemadmodum nec impius Severus, & Petrus Gnapheus, &c. Hujus factionis etiam Eusebius existens, sicuti demonstratum est, tam ex Epistolis, quam ex historicis ejus scriptis, imaginem Christi tanquam Theopassianus abjicit: & hac pro causa Constantiæ Licinii scribit, &c.* Tum colluvioni ergo huic hæreticorum, tum Catholicorum partibus inter se ad hunc modum concertantibus, illud tamen conveniebat, & tanquam invictissimè præjudicatum habebatur, nullis posse divinitatem citra piaculum picturis adumbrari: ex quo illi hallucinabantur, nec carnem Christi pingi posse quæ in unam cum divinitate naturam veluti colliquefacta confluxisset: hi revincebant non coisse in unam cum divinitate naturam, quæ vera caro persisteret, & perinde ut cætera corpora, corporalibus lineamentis describi posset.

Jam verò ut cæteros quoque excutiamus scriptores, qui ante excitatas Iconomachorum pugnas, fidem Ecclesiæ suis exornarunt lucubrationibus, prodeat in aciem primam Clemens Alexandrinus: IX. Clemens Alex.
Rursus autem non esse gestandos annulos, neque Deorum imagines esse eis insculpendas præcipit Pythagoras. Sicut Moyses multis antè sæculis apertè legem sanxit nullam oportere sculptilem, vel fusilem, vel fictam, vel pictam imaginem simulacrum ve facere, scilicet ut sensibilia minimè attenderemus, sed ad ea transiremus quæ percipiuntur intelligentia. Ut Dei enim majestas vilis & contempta reddatur, efficit quæ est in promptu videndi consuetudo: & intelligibilem essentiam colere per materiam, est eam per sensum vilipendere. Quocirca Ægyptiorum quoque sacerdotum sapientissimi, Minervæ ædem sub dio esse constituiuerunt: ut Hebræi qui templum posuerunt absque imagine. Consensu unanimi, Ægyptii Græcique Philosophi spectabiliores, Hebræis consentiunt, eisque suffragator accedit Clemens, ne ulla Dei statuatur usquam imago; tum quòd Dei majestas evilescat, cum ex intelligibili solio quasi in cænum deturbatur materiæ sensibilis; tum quòd illud operæ pretium sit Philosophiæ & veræ religionis, ut à sensibilibus hominem ad intelligibilia & à sensuum consuetudine ad mentis cacumen transvehat, non ex adverso. Et rursus: *Hæc cùm ita se habeant, oportet Græcos discere per legem & Prophetas, colere unum Deum, qui est verè omnipotens. Deinde illud doceri per Apostolum, Nobis autem nihil est Idolum in mundo: quoniam in rebus genitis nihil potest Dei referre imaginem.* Næ exhausti pudoris fuerit Clemens, si hæc ad Gentiles concionaretur, pariterque nostris in Ecclesiis ullam Dei imaginem coluisset. Quin etiam cùm Deum in Christo, vel Deum Christum conspici atque adorari sensibili specie obnuptum objectari posset; occupat Clemens, respondetque, ideo Christum vili, & obscura carnis forma visum esse, ut ne carnales oculos carnis suæ illecebrosa venustate pasceret, sed informitate sua ad informitatem Deitatis omni specie superioris avocaret hominum mentes: *Cum etiam ipse qui est caput Ecclesiæ, in carne quidem informis & specie*

Serm. I. 5.

Ibid. I. 6.

L. 5. Strom.

specie carnes transiit, *docens nos respicere ad id quod est divinæ causæ informe & incorporeum*. Atque ut alibi monuimus, non hæc eo spectant, ut notabili aliqua deformitate turpatus fuisse Christi in carne vultus existimetur: sed quod nec ullo præcellentioris elegantiæ lenocinio effloruerit, ne hominum sensus moraretur, & sensibilia mirari condocefaceret, qui totus erat in intelligibilium amore seminando, sensibilium extirpando.

X. Origenes. Contra Celsum. l. 7. Clementi consentaneus est Origenes, dum Philosophos Gentiles acriter perstringit, qui de Deo in scholis subtiliter disserebant, mox autem ad idola ventitabant: cùm Christiani vulgi fœx Deum incorporeum sola mente contueri & adorare prævaleret. *Cæterùm Deus videns*, *opinor*, *arrogantiam & superciliosum fastum eorum*, *qui alios præ se contemnunt*, *inflati cognitione Dei hausta è Philosophia*; *cum interim haud secus ac imperitissimus quisque ad statuas & templa*, *celebrataque illa mysteria ducant alios*: *coarguit mundi stultitiam per Christianos simplicissimos*, *modestiùs ac puriùs viventes quàm multi Philosophi*: *ut pudefaceret istos sapientes qui non erubescunt res inanimas tanquam Deos alloqui*, *aut Deorum imagines*. *Quis enim sanæ mentis non rideat eum*, *qui post egregias illas & valde Philosophicas de Deo sive de Diis disputationes*, *statuas respicit*, *& aut preces eis affert*, *aut per earum contemplationem tanquam signi alicujus conspicui*, *conatur animum erigere ad imaginationem intelligibilis numinis*? *At Christianus etiam idiota persuasissimum habet*, *quemvis mundi locum partem esse universi*, *& mundum universum esse templum Dei*, *& in quovis loco precatur*, *clausis sensibilibus oculis*, *erectis autem animæ luminibus*. Quorsum hæc gloriatio, si & Christianis fuissent, aut esse potuissent Dei simulacra? An Philosophos & carpit & æmulatur Origenes, crepantibus buccis magnificè de Deo philosophatur, illico autem circa puerilia crepundia nugatur? Sed Origenis

l. 8. sententia dilucidiùs exponitur infrà: *Simulacra autem Deo dicanda sunt*, *non fabrorum opera*, *sed à Verbo dedolata*, *formataque in nobis*, *videlicet virtutes*, *ad imitationem primogeniti totius creaturæ*, *in quo sunt justitiæ*, *temperantiæ*, *fortitudinis*, *sapientiæ*, *pietatis*, *cæterarumque virtutum exempla*. *Hæ sunt statuæ Deo dicatæ in animis*, *justitiam juxta præceptum Dei & fortitudinem & pietatem reliquasque virtutes exercentium*, *quibus decenter honorari credimus hujusmodi omnium statuarum archetypum primum*, *imaginem invisibilis Dei*, *Deum unigenitum*. Pura putaque hæc est & defæcatissima Christianæ fidei Theologia. Deus sapientia est, justitia est. Sapientiæ & justitiæ imago nec marmoribus imprimi, nec coloribus exprimi, nec arte ulla materiave sensibili delineari potest: nec enim res corporum ea est. Ergo Dei, id est, sapientiæ & justitiæ statua, sive imago haud poterit ulla excogitari, nisi mens hominis sapiens & justa. Satagendum ergo id est, in id tota contentione incumbendum, non ut Dei statuas visibiliter veneremur, sed ut in Dei statuas ipsi invisibiliter resculpamur. Denique idem Origenes exagitans eosdem

l. 6. Gentiles: *Ac tametsi quidam eorum idola ista Deos esse negent*, *sed verorum expressas similitudines esse dicant*, *eorumque symbola*; *nihilominus etiam isti in sordidorum opificum manibus*, *divinitatis imitationem esse fingentes sibi*, *imperiti sunt & mancipia*. Hanc ergo etiam tritam elidit causationem, non Deum, sed Dei imaginem & signum esse, & pro signo non pro Deo ipso haberi. Contra enim dum materiæ immergitur divinitas, omnino profanatur.

XI. Justinus Martyr. Apolog. 2. Cui sententiæ & argumentationi Origenis, favebat Justinus Martyr: *Quid opus est*, *apud vos qui scitis commemorare*, *quomodo artifices materiam tractent*, *polientes eam*, *& incidentes*, *& conflantes*, *& ex inhonestis sæpenumero vasis*, *figuram tantum mutantes & conformantes*, *atque exinde Deos cognominantes*. *Quam rem non modò præter rationem omnem esse*, *verùm etiam cum contumelia eam Dei fieri statuimus*: *cui ineloquibilem claritatem & formam obtinenti*, *in rebus corruptibilibus & cura egentibus nomen inditur*. Hæc legenti protinus subit ea meminisse, quæ Prophetæ mordacissimè in simulacrorum sculptores effuderunt, cum eadem ex materia, hinc vas ignobile, inde numen sibi fingerent, aut vas infame in Deum, vel Deum in fœdissimæ cujuspiam supellectilis genus refingerent. Hinc quippe injuria Deo, homini pudor incutitur, non tantùm si Deum, sed & si Dei signum ex propudiosa sibi materia conflet.

Atque ut ad Latinos aliquando nos conferamus, XII. Augustin. Civ. l. 4. c. 9.
quid cordatiores quique è Gentilibus senserint, refert, approbatque Augustinus: *Jovis omnia plena*, *hunc Varro credit*, *etiam ab his coli*, *qui unum Deum solum sine simulacro colunt*, *sed alio nomine nuncupari*. *Quod si ita est*, *cur tam male tractatus est Romæ*, *sicut quidam & in cæteris gentibus*, *ut ei simulacrum fieret*? *Quod ipsi etiam Varroni ita displicet*, *ut cum tantæ civitatis perversa consuetudine premeretur*, *nequaquam tamen dicere & scribere dubitaret*, *quod hi qui populis instituerunt simulacra*, *& metum dempserunt*, *& errorem addiderunt*. Et infrà: *Dicit etiam Varro antiquos Romanos plusquam annos centum & septuaginta*, *Deos sine simulacro coluisse*. *Quod si adhuc inquit mansisset*, *castiùs Dii observarentur*. *Cujus sententiæ suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam*. *Nec dubitat eum locum ita concludere*, *ut dicat*, *qui primi simulacra Deorum populis posuerunt*, *eos civitatibus suis & metum dempsisse & errorem addidisse*: *prudenter existimans Deos facilè posse in simulacrorum stoliditate contemni*. Vides quid inter Ethnicos consultissimi senserint, quid eis consenserit Augustinus, in simulacrorum stoliditate facilè contemni divinum numen, metum demi, errorem addi. Sed & alibi sæpenumero Augustinus ipsum id confirmat: *Decalogus legis decem præcepta habet*, *quæ decem præcepta sunt sic distributa*, L. De decem chordis. c. 4.
ut tria pertineant ad Deum, *septem pertineant ad homines*. *Tria ad Deum quæ jam dixi*: *Unus est Deus noster*: *Ei nullam similitudinem debemus facere*, *& non fornicari post Deum*, *qui unus est*, *qui Deus & Christus Filius Dei unum est cum Patre*. En ut Deo etiam vero ullam vetet fieri similitudinem, tanquam id legis decalogus proscribat: *Credimus quod Christus sedet ad dexteram Dei Patris*, L. De fide & Symbol. c. 7.
nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, *&c. ne illud incidamus sacrilegium quo execratur Apostolus eos qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis*. *Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare*, *multo magis in corde nefarium est*, *ubi verè est templum Dei*, *si à terrena cupiditate atque errore mundetur*. Audin satis apertè, nefas esse tale simulacrum in templo collocare? Sed quid luculentius Epistola ejusdem Augustini ad Suffectanos Gentiles, qui Christianos complures ob dirutum Dei sui simulacrum interemerant? Epist. 167.
Si Herculem vestrum dixeritis, *porro reddemus*: *adsunt metalla*, *saxa nec desunt*, *accedunt marmorum genera*, *suppeditat artificum copia*; *cæterum Deus vester cum diligentia sculpitur*, *tornatur & ornatur*, *addimus & rubricam quæ pingit ruborem*, *quo possint vota vestra sacra sonare*. *Nam si vestrum Herculem dixeritis*, *collatis singulis nummis ab artifice vestro vobis emimus Deum*. *Reddite igitur animas quas manus vestra contorsit*. *Et sicuti à nobis vester Hercules redhibetur*, *sic etiam à vobis tantorum animæ reddantur*. Vide & alibi, ut ludat falsissimè in Deos aureos & argenteos: *Idola gentium*, *argentum &* De verbis Dom. Serm. 19.
aurum. *Non dixit lapides*, *non dixit lignum*, *sed pro magno habent aurum & argentum*. *Tamen ipsum aurum & argentum*, *oculos habent & non vident*. *Deus aureus & Deus ligneus ad pretium dispares sunt*,

sunt, & habere oculos & non videre pares sunt, fratres sunt. Ecce qualibus docti homines Romam custodibus commiserunt, habentibus oculos & non videntibus, &c. Quomodo ergo custodient tecta vestra, qui non potuerunt custodire simulacra sua? Non commisissent sancti Patres, ut ea in adversarios torquerent spicula, quæ in nos facillimè potuissent retorqueri. Denique quid patentius, quàm non esse simulacris visibilibus effingendum, quod ne cogitatione quidem fingere licet de Deo? atqui nulla humana, nulla visibili forma imaginandus est nobis Deus, & si qua istiusmodi carnalis cogitatio nobis ebulliat, comprimenda statim est, Deusque tota mente considerandus, ut veritas, ut justitia, &c. Ac tandem nihil humanum corporeumque vel cogitando inserendum est divinitati, nisi ubi incarnatum Deum Verbum contemplamur. Unde Augustinus: *Nolite ergo vobis quasi*
In Joann. Tract. 40. *duos homines ante oculos ponere, unum Patrem, alterum Filium, & loquentem Patrem ad Filium, &c. Nolite ita cogitare, ne in corde vestro idola fabricetis, & humanam formam, humanorum lineamenta membrorum, figuram carnis humanæ, &c. Nolite in illa Trinitate cogitare, nisi quod pertinet ad formam servi, quam accepit unigenitus Filius, cum Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: ibi non te prohibeo humana infirmitas cogitare, quod nosti, imo etiam compello.* An fas est in materia fingere, quod nefas est vel mente cogitare? An subjiciendum est oculis, quod animis est eluendum? Qui enim fingas, nisi cogitando? Qui intuearis, nisi considerando? Ergo unde abstinenda est vel cogitatio, continenda profligandaque est qualiscumque externa repræsentatio. Postremò quid interest incarnato Verbo & non incarnato Patri, si utrique perinde licet humanam formam affingere?

Ambrosius: *Sed in Ecclesia unam imaginem no-*
XIII. Ambrosius. Epist. 32. *vi, hoc est, imaginem Dei invisibilis, de qua dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: illam imaginem de qua scriptum est, quia Christus splendor gloriæ & imago substantiæ ejus. In ista imagine Patrem cerno, &c.*
In Psal. 118. Octon. 12. Et rursus: *Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant. Sed invisibilis Dei imago, non in eo est quod videtur, sed in eo utique quod non videtur.*

XIV. Hieronym. Apud Hieronymum author Comment. Epist. ad Rom. in c. 1. *Dicentes enim se esse sapientes, quasi qui invenissent, quomodo invisibilis Deus per simulacrum visibile coleretur, stulti facti sunt, non intelligentes nullam similitudinem mortale immortalis, & corruptibile sempiterni.*

XV. Lactantius. Sed audiendus est non sine aurium lenocinio Lactantius L. II. qui est de Origine erroris scriptus: cum enim Deorum simulacra exagitat, ea universim astruit, quæ quancumque Dei effigiem corporalem videantur eliminare. *Quæ igitur amentia est,*
L. 2. c. 2. *aut ea fingere quæ ipsi postmodum timeant, aut timere quæ finxerint? Non ipsa, inquiunt, timemus, sed ipsa ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quod eos esse in cœlo arbitramini. Neque enim si Dii sunt, aliter fieri potest. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis, & advocatis Deorum nominibus in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes & ligna & lapides potissimum quàm illò spectatis, ubi eos esse creditis?* Et rursus alio telo pugnare pergit: *Quid sibi templa, quid aræ volunt, quid denique ipsa simulacra? Quæ aut mortuorum aut absentium monumenta sunt. Nam omnino fingendarum similitudinum ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant separati. Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum, quis tam stultus ut colat? Si in absentium, colendi ergo non sunt, si nec vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Si autem dii absentes esse non possunt, qui quoniam divini sunt, in quacumque mundi parte fuerint, vident & audiunt universa: supervacua sunt ergo simulacra, illis ubique præsentibus.* Et rursus tertio hoc jaculo eandem configit vecordiam: *Dei cujus spiritus ac numen ubique diffusum, abesse nusquam potest, semper utique imago supervacua est. Sed verentur ne omnis eorum religio inanis sit, & vana, si nihil in præsenti videant quod adorent. Et ideo simulacra constituunt, quæ quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt. Omni enim sensu carent. Dei autem in æternum viventis vivum & sensibile debet esse simulacrum. Quod si à similitudine id nomen accepit, quomodo possunt ista simulacra Deo similia judicari, quæ nihil sentiunt, nec moventur? Itaque simulacrum Dei non illud est quod digitis hominis ex lapide, aut ære, aliave materia fabricatur, sed ipse homo, quoniam & sentit & movetur, & multas magnasque actiones habet.* Et quarto rursum impetu congreditur ita: *Juvat ergo velut in aliqua sublimi specula constitutum, unde universi exaudire possint, Persianum illud exclamare,*

O curvæ in terras animæ & cœlestium inanes!

Cœlum potius intuemini, ad cujus spectaculum vos excitavit ille artifex verus Deus. Ille vobis sublimem vultum dedit, vos in terram curvamini, &c. Humi enim miseri volutamini, cum deorsum quæritis quod in sublimi quærere debuistis. Nam ista mortalium digitorum ludicra & fragilia figmenta ex qualibet materiæ genere formata, quid aliud sunt, nisi terra ex qua nata sunt? Quid ergo rebus inferioribus subjacetis? Quid capitibus vestris terram superponitis? Et infrà originem indigitat insanientis circa Cap. 6.
aureas & argenteas imagines superstitionis: *Tanta homines imaginum cupiditas tenet, ut jam viliora ducantur illa, quæ vera sunt: auro scilicet, gemmis & ebore delectantur. Horum pulchritudo & nitor præstringit oculos: nec ullam religionem putant, ubicumque illa non fulserint. Itaque sub obtentu Deorum, avaritia & cupiditas colitur. Credunt enim Deos amare, quidquid ipsi concupiscunt; quidquid est propter quod furta, & latrocinia, & homicidia quotidie sæviunt, &c. Veniunt igitur ad Deos non tam religionis gratia, quæ nulla potest esse in rebus male partis & corruptibilibus; quàm ut aurum oculis hauriant, nitorem lævigati marmoris, aut eboris aspiciant, &c. & quanto fuerint ornatiora templa & pulchriora simulacra, tanto plus majestatis habere credantur. Adeo religio Deorum nihil aliud est, quam quod cupiditas humana miratur.* Immane quantum abhorruisse necesse est à simulacris Dei fingendis, qui tam atrociter in Gentiles baccabatur. Et tandem circa metas illius libri, ita concitatur in eadem simulacrorum mendacia: *Quicumque igitur sacramentum hominis tueri, rationemque naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum, non sub pedibus quærat Deum, nec à vestigiis suis eruat quod adoret, &c. Deus major est homine, supra ergo, non infra est; nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit, ubicumque simulacrum est. Nam si religio ex divinis rebus est, divini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus; carent ergo religione simulacra: quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ fit ex terra. Quidquid enim simulatur, id falsum sit, necesse est. Nec potest unquam veri nomen accipere, quod veritatem fuco & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio, non res potissimum seria, sed quasi ludus ac jocus est, non religio in simulacris, sed mimus religionis est.*

Sed quid disertius Tertulliano? Ille enim in Apo- XVI. Tertullian.
logetico in simulacra sic pertonat: *Quantum autem de simulacris ipsis nihil aliud deprehendo, quàm materias esse vasculorum, instrumentorumque communium, vel ex iisdem vasculis & instrumentis, quasi fatum consecratione mutantes, licentia artis transfiguran-*

gurante; & quidem contumeliosè, & in ipso opere sacrilegè; ut revera nobis maximè qui propter Deos ipsos plectimur, solatium pœnarum esse possit, quod eadem & ipsi patiuntur ut fiant. Ut infrà: *Igitur si statuas & imagines frigidas, mortuorum simillimas non adoramus, quas milvi & mures & araneæ intelligunt, nonne laudem magis quàm pœnam merebatur accipere repudium agniti erroris?* Et alibi priscos Quirites recentioribus anteponit, quòd illi nullis aliquandiu simulacris adhæserint: *Nam etsi à Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat. Frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, &c. & Deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Thuscorum fingendis simulacris urbem inundaverant.* Et libro de Idololatria, manibus fingi quod pro Deo colatur, id per Moysem à Deo vetitum agnoscit: *Idolum tam fieri quàm coli Deus prohibet, &c. ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ lex divina proclamat, Ne feceritis idolum, &c.* Atque ut ne quis suspicetur hæc concrepare Tertullianum non in Dei tantùm, sed in omnis generis imagines, audiat quid idem differat Lib. 2. adversus Marcionem: *Proinde & similitudinem vetans fieri omnium, quæ in cœlo, & in terra, & in aquis ostendit, & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes, Subjicit enim, Non adorabitis ea, neque servietis illis. Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Moysi à Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos qui à serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedii. Sic & Cherubim & Seraphim aurea in arca figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videtur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.* Hìc aperta est Tertulliani mens, non prohiberi lege Mosaica nisi idola, cæteras verò imagines, ad idololatriæ titulum non pertinentes, adeo non prohibitas, ut & nonnullas Moyses ipse fabricaverit. Porro quod suprà nos monuit Damascenus, Judæis tanquam inter infantiæ rudimenta adhuc puerascentibus, nequedum satis ratio allucebat, ideoque nec copia facta est discernendi inter imagines licitas atque illicitas, sed ut ab idololatria penitus averterentur, ab imaginum usu cultuque abstenti penitus sunt: facultate tantùm Moysi, Salomoni, & si qui alii divina sapientia cumulati fuere, concessa eas fabricandi imagines, quibus nulla idololatriæ invidia adhæresceret.

XVII. Minutius.

Minutius Fœlix in Octavio, has Gentilium de Christianis familiares querimonias atque criminationes refert: *Cur occultare & abscondere quidquid illud colunt, magnoperè nittuntur? Cùm honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint: cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? &c. At etiam Christiani quænam monstra, quænam portenta confingunt, &c. Deum illum suum quem nec ostendere possunt, nec videre, &c.* Ad quæ pro Christianis infrà ita respondetur: *Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cùm si rectè existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? &c.* Et paulò infra: *At enim quem colimus Deum, nec ostendimus, nec videmus: imò ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus, &c. Deum oculis carnalibus vis videre, cùm ipsam animam tuam qua vivificaris & loqueris, nec aspicere possis, nec tenere?* Ex his illud unum rectè concluditur, nullam tum Christianis in usu fuisse imaginem divinitatis, id illis à Gentilibus crimini datum, id ipsos sibi laudi vertisse. Quibus non dissimilia ratiocinatur Arnobius.

XVIII. Contra pingi posse Dei quoq; imagines consentire videntur Damascenus.

Hactenus eorum suffragia atque argumenta satis prolixè, vereor ne etiam tædiosè, coacervavimus, qui cæteris acquiescere, at Dei incorporei corporeis imaginibus vehementer reniti videntur. Nunc si qui secus sentiant, perpendenda est & eorum authoritas atque ratio; & tentanda denique concordia est inter illos, verbis fortasse magis, quàm rebus dissentientes.

Ac primùm Damascenus ipse, qui tam enixè Dei simulacra deprecabatur, annuere tamen iis quandoque visus est. Etenim Angelos dæmonesque tametsi incorporeos, pingi tamen exhiberique posse ait ea specie, quam sibi induerunt ipsi, cùm viscendos se obtulerunt corporalibus oculis. Cùm ergo & Deus quandoque specie corporali sit conspectus ab hominibus, quin possit in eandem speciem effingi? *Quemadmodum igitur Moyses effinxit Cherubim, & quemadmodum sese ipsa conspicienda hominibus dignis præbuerunt, corporeis imaginibus sic effinguntur, ut ex imagine corporea contemplatio quædam animo conveniens ostendatur.* (Orat. 1. de Imag.) Et quidem statim Deum inter & Angelos discrimen interlocat, quòd à corporea concretione & circumscriptione longè alienissimus sit Deus, ut quamvis pingantur Angeli, non tamen & Deus pingatur ea specie qua visus est. Verùm ea ratio efficiet quidem, ut à Dei imagine abstineat qui volet, non tamen ut necesse sit. Ea enim ratio si Deo non intercessit, ne ipse se corporalibus umbris visendum sisteret; nec nobis obstabit, quin eas corporales umbras pingendo assequamur & remoremur. Itaque integrum est, vel contemplatione divinæ simplicitatis ultra angelicarum virtutum apices eminentissimæ, ne eas quidem imagines expingere, quibus exhibuit se Deus, atque is erat Ecclesiæ mos tempore Damasceni; vel simpliciùs Deum imitari, & quas ipse subitarias sui similitudines temperavit, eas constanti pictura posteris commendare. *Denique ut planè & simpliciter loquar, omnium figurarum quas vidimus, imagines facere possumus:* ait ibidem Damascenus. Ergo & Dei possumus. Nam quod ait ille ibidem, Angelos corporalibus oculis conspectos esse, Deum mente sola, à Prophetis & Patriarchis: vereor ut id satis constet. Neque enim mente, sed vel imaginatione, vel corporis oculo vidit Esaias Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: itemque Ezechiel, necnon & Daniel antiquum dierum. Non hæc uno mentis oculo videntur, quæ tam sensibilia sunt. Deinde eadem visio & Deum & stipantes illum Angelos exhibebat.

Præterea addit Damascenus id esse specimen eximium divinæ providentiæ, quòd cùm corporalia incorporalium, sensibilia intelligibilium symbola sint & qualiacumque imitamenta, ne Angelorum natura nobis penitus incomperta esset, per corporeas effigies ea nobis utcumque adumbrata sit. Quin ergo & divinæ naturæ symbola quædam per res seu imagines corporeas subministrentur? Nam corporea omnia non tam ad Angelorum, quàm ad sui ipsius symbolicam repræsentationem concinnavit & expolivit Deus. *Constat igitur nec Angeli, nec animi, nec dæmonis naturam oculis cerni posse, qui tamen in figuræ quadam adumbratione spectantur, divina providentia formas figurasque rebus corpore forma figuraque carentibus tribuente, quo nos ad crassam & particularem ipsarum cognitionem induceret: ne in omni prorsus Dei & creaturarum incorporearum ignoratione versaremur, &c. Itaque cùm Deus ea nollet nos ignorare quæ corporis sunt expertia, pro naturæ nostræ ratione formas, & figuras, & imagines quasdam illis adhibuit, formas corporeas immmateriali mentis obtutu spectandas, quas quidem nos imaginibus exprimimus. Alioqui quomodo Cherubim potuissent effingi? Quin & Dei figuras atque imagines Scriptura continet.* (Ibid. pag. 77.) Quibus postremis verbis accedit huic sententiæ Damascenus, agnoscitque imagines corporeas Dei incorporei, tanquam symbolicas ejus effigies, perinde ut Angelorum & in Scri-

pturis

picturis subinde exhiberi, & à nobis posse coloribus aut statuis exhiberi.

XIX. Et septima Synodus. Adde & septimam Synodum Act. IV. *Tarasius Patriarcha dixit: Omnes Sancti qui meruerunt Angelos videre, in specie hominum eos viderunt: quemadmodum in diversis legimus Scripturæ locis. Propter quod de Cherubim Deus Moysi locutus est dicens, Vide ut facias omnia secundum formam, quæ ostensa est tibi in monte. Et hinc famulus Moyses quales formas vidit, tales & fecit, cum quibus & Cherubim.* Et paucis interjectis: *Joannes reverendissimus Presbyter & vicarius Apostolicarum sedium Orientis dixit: Excelsius his est, quia & Jacob titulum erexit Deo, &c. Et alibi in specie hominis luctatus est cum eo, & appellavit eum Israel, quod est interpretatum, mens videns Deum. Ipse autem ait, Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Et ecce non solum intelligibiles virtutes visæ sunt, sed & ipse qui natura invisibilis est Deus, & incorporeus, cum ostensus est in specie nostra.* Palam est approbari eas imagines, quæ id perenniter repræsentant, quæ Deus aliquando ad seipsum vel ad Angelos attinentia, corporaliter voluit exhiberi.

XX. Augustinus. At quia excipere posset aliquis nonnisi Verbum visum esse Patribus, ea nimirum humanitatis specie quasi in antecessum indutum imaginariè, qua reapse vestiendum quandoque erat: obstruendum est istud effugium. Itaque Patrem quoque Deum apparuisse nonnunquam corporali schemate obumbratum, multis confirmat Augustinus, ubi ea Evangelii promit testimonia, quibus expresse Pater locutus esse perhibetur, *Hic est Filius meus dilectus, &c. Et clarificavi, & iterum clarificabo, &c.* (L. 2. de Trinit. c. 10. 18.) Si enim Pater corporaliter audiri potuit, quin potiùs & videri? An vox Patris, quàm species, incorporalis minùs est & simplex? Si vox corporalis potuit litteris sisti & consignari, quin possit & coloribus species? Et infra Patrem ipsum apparuisse ex Daniele ita evincit: *Quanquam nescio quemadmodum isti intelligant, quod Danieli apparuit antiquus dierum, à quo Filius hominis, quod propter nos esse dignatus est, accepisse intelligitur regnum, ab illo scilicet qui ei dicit in Psalmo, Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Si ergo Danieli & Pater dans regnum, & Filius accipiens apparuerunt in specie corporali, quomodo isti dicunt, Patrem nunquam visum esse Prophetis, &c. Ecce Pater dans, & Filius accipiens regnum sempiternum, & sunt ambo in conspectu prophetantis visibili specie: non ergo inconvenienter creditur etiam Pater Deus eo modo solere apparere mortalibus, &c.* Quid illa species corporalis, qua velatus Pater Deus apparebat, quàm simulacrum quoddam erat, & imago, & effigies, in qua conspiciendum se & adorandum, & paribus, sicubi ex re foret, imaginibus exhibendum permittebat?

XXI. Chrysologus. Serm. 131. Eleganter Chrysologus has corporales Dei visiones prosecutus est: *Crebrò Deus hominibus formam hominis demonstrat, & magnitudinem suam tantam, brevem nostri operis colligit in figuram: ut præsentiam divinam infirmus noster oculus intueri, angustus noster recipere possit aspectus. Sic ad Abraham Deus venit in hominis forma, succedit hospitis in figura, &c. Sic Jacob vianti conviator occurrit, & ita se humano collegio socium præbet, ut provocanti homini Deus totus in luctam inferatur, &c. Sic Isajas Deum regali habitu sedere conspexit, ut agnosceret nisi à Deo Rege regantur Reges, ipsos cùm sint homines, nihil regere posse rectores. Sic Daniel Deum Patrem crine niveo, senectute reverenda, antiquitate terribilem, septum Angelis, ignitum sede, ad judicandum residere conspicit, &c. Si toties Deus ab hominibus in figura hominis videtur, quid est quod Judæus modò hominem videns Christum exasperatur?* Per Chrysologum licet ad incarnationis beneficium refundere illas etiam Patris Dei umbraticas apparitiones, & penè dixerim umbratiles corporationes, ut Filio quandoque verum corpus induendo, præiret quodammodo ipse Pater, fidemque & authoritatem præstrueret; ne Filium corporatum amplecti postea gravarentur, qui jam olim Patrem corporeis se imaginibus amicientem intueri assueverant.

XXII. Concordiæ ratio ex eo, quod non Deus pingatur, sed ejus apparitiones & symbola. Porrò si cominùs dispicias hæc postremæ sententiæ argumenta, haud ægrè pervidebis, quì & veritati constent, & priori sententia nihil distent. Non aliud enim hìc efficitur, quàm pingendi sculpendive arte repræsentari posse eas apparitiones, quibus se Deus olim exhibebat. At longè aliud est Deum pingi fingive, aliud apparitionem aliquam Dei. Quod enim ipsum per se pingitur, quale est pingitur, imitantibus lineamentis, æmulis coloribus, tota specie conante atque affectante rei veritatem oculis subjicere; qua ratione nisi corpus pingi nequit. At cujus apparitio pingitur, non illud quale est, sed qualiter apparere voluit, exprimere ars meditatur. Explicatiùs hoc totum patebit, si in illis apparitionibus pensites, non Deum visum esse, sed Dei symbola. Neque enim Dei substantia cernebatur corporalibus oculis, sed aereæ quædam nubeculæ in eam figuram stipatæ, iisque coloribus luminibusque infectæ, quæ incorporalem Dei sapientiam corporaliter, & symbolicè adumbrarent. Itaque cùm hæc apparitio pingitur, non Deus pingitur, sed Dei symbolum. Longè aliter Christus homo pingitur, propriam enim carnis ejus substantiam æmula tabella imitatur. Itaque non ita pingitur Deus Pater ut Filius homo: nam Filius homo propriè pingitur, ipse non ipsius symbolicum figmentum: at Deus Pater non ipse pingitur, sed symbolica ejus repræsentatio. Adde quòd præter humanam figuram, aliæ complures Deo affinguntur in veteri Testamento, utputa ignis, leonis, &c. Ubi ergo hæc pingendo exhibentur, non Deitas pingi, sed Deitatis symbolum à nobis prædicatur. Eadem ratio est columbæ, in cujus forma apparuit, & subinde fingitur Spiritus sanctus. Nemo enim tam excors est, ut pingenda ea columba suspicetur violari incorporalitatem & simplicitatem Deitatis Spiritus sancti. Nempe quia non Spiritus sanctus, sed ejus symbolum corporale corporaliter adumbratur. Huc pertinet quòd inter imagines sacras ut olim, ita etiamnunc principem locum teneat imago Christi ferè semper, quòd ea sit propriè imago: nec Pater Deus ferè pingatur, nisi in renovanda oculisque substernenda aliqua veteri apparitione. Quocirca constat semper illud quod Augustinus ait: *Et revera quod dictum est, Non erunt tibi alii Dii præter me, hoc ipsum perfectiùs explicatur, cum prohibentur colenda figmenta.* Et infrà: *Non facietis vobis Deos argenteos, & Deos aureos non facietis vobis ipsis. Repetitur quod in primo præcepto inculcatum est, & ex Diis argenteis & aureis utique omnia simulacra intelliguntur, sicut in illo etiam Psalmo, Idola gentium argentum & aurum.* (In Exod. q. 71. 76.) Et quod ex eo allegat Agobardus libro de Picturis & Imaginibus, paulò post initium: *In primo præcepto prohibetur aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla ejus imago coli debet, nisi illa quæ & hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo.* Nec hodierna Ecclesiæ Catholicæ pietas ab his regulis exorbitavit, ut quæ non imagines propriam Deitatis naturam repræsentantes, sed symbola quædam, ejus perfectiones mysticè & umbraticè significantia habere se intelligit. Ea autem symbolica Dei simulacra si quis respuat, totam rerum pariter naturam execrabitur, quæ visibilibus symbolis invisibilem creatoris divinitatem adumbrat.

XXIII. Quæ simulacra Dei vetuerit Moyses. Ex antedictis facilè colligitur Mosaicis literis vetari Dei simulacra, id est, idola; quæ interpretari licet, vel spuriorum numinum à quibus gentes illude-

ludebantur, imagines: vel ſimulacra, quibus ineſſe divinitas aliqua, non ſignificari tantùm exiſtimaretur: vel denique eas imagines quibus veri Dei propria ſubſtantia & forma exprimi ſperaretur: nequaquam autem ſymbolica Dei imitamenta, ne alioqui tota rerum natura, & omnigena quam Scripturæ depingunt, Dei apparitio proſcribatur. Colligitur rurſus non eandem eſſe penitus rationem Angelorum atque Dei, quòd non perinde nobis conſtet Angelorum incorporalitas atque Dei, & quamlibet conſtare poſſit, plurimum tamen deficiat. Colligitur item poſt incarnationem licuiſſe jam Deum coloribus expingi & tabellis: nam ut caro jam Verbum eſt, ita dum pingitur caro, Deus exhibetur. Colligitur rurſus non abſurdè in ſeptima Synodo, apud Damaſcenum alioſque priſcos ſcriptores ubi imaginum genera pernumerantur, nunquam Dei imagines memorari, quòd eæ non ſint verè imagines: non eo ſcilicet modo naturam rei exhibentes, quo cæteræ. Colligitur item non evileſcere Dei majeſtatem, quin ſplendidiùs illucere, cùm corporalibus ſymbolis, non imaginibus exprimitur: ita enim orbis univerſi fabrica amplitudinem ſui oſtentat opificis, cujus non imago, ſed veſtigium eſt. Colligitur item, quamlibet Deus ſapientia & juſtitia ſit atque eſſe cogitetur, non abs re tamen ſymbolicis exhiberi figuris; quòd etiam ſapientiam & juſtitiam legemque ſempiternam eloquatur corporea hæc tota univerſitas: nec vetus inſtrumentum, aut ipſa Chriſti in carne diſpenſatio aliud contineat, quàm per corporea ſymbola ſapientiæ & juſtitiæ incommutabilis prædicationem. Colligitur rurſus repercuti non poſſe noſtram ſententiam iiſdem ſpiculis, quibus Ethnicos lancinabamus, dum materia & fictio ipſa ſimulacrorum per tot dedecora ac ſupplicia exagitaretur: nam ſymbolicas effigies concerpi, ac diſſipari, exuri atque diſſlari, dedecoroſum ac moleſtum haud quaquam eſt iis, qui hæc mera ſymbola eſſe callent. Ita enim & natura rerum ſubinde corruptioni ſubeſt, cum Dei pictura quædam venuſtiſſima ſit. Denique nihil in noſtras garrient imagines, quod non in opificium Dei, atque in opificem ipſum Deum reſiliat. Colligitur denique non ſymbolicas tantum Dei, ſed veras Chriſti ſanctorumque imagines, templa item & altaria noſtra, non iis obnoxia eſſe contumeliis, quibus Gentilium cultus infamabatur. Id uno verbo declarat Auguſtinus:

Civit. l. 3. c. 18.

Hæc iſtis nequaquam objicerentur à nobis, ſi illa ſacra dicerent, non tuendis his bonis temporalibus inſtituta, ſed ſignificandis æternis. Et ideo ſi ea quæ corporalia viſibiliaque eſſent, perire contingeret, nihil his rebus minui, propter quas fuerant inſtituta, & poſſe ad eoſdem uſus denuo reparari.

CAPUT X.

Uſus cultuſque Imaginum ex authoritate Eccleſiæ univerſalis & antiquiſſimo earum in illa ritu.

I. Imaginum uſus cultuſque jam inde ab exordio Eccleſiæ

ANtiquiſſimus fundatiſſimuſque in Eccleſia Catholica imaginum ſacrarum uſus, cultuſque eſt. Quàm invictum autem ex antiquitate argumentum veritatis eliciatur, & quanto ſemper falſitatis præjudicio laboret novitas, non hujus loci eſt aperire, ſed orthodoxis animis id quaſi naturaliter inſitum, ex quo renati in Chriſto ſunt, & anticipatum eſt. Adverte ergo quàm fidenter imaginum defenſores in ſui patrocinium totam armarent Eccleſiæ antiquitatem, & ad ipſos uſque Apoſtolos, tanquam Chriſtianæ militiæ anteſignanos progrederentur. Gregorius Pontifex Romanus Epiſtola I. ad Leonem Iſaurum: *At tu prout gloriaris, poſt annos demum octingentos benedictionem ex Eccleſiis ejeciſti, ac Martyrum ſanctificationem, &c.* Et Epiſtola II. *At enim ſcripſiſti: Quì fit ut in ſex Conciliis de imaginibus nihil ſit dictum? Enimverò, Imperator, ne de pane quidem & aqua dictum eſt quidquam, ſitne comedendum, an non comedendum, bibendum, an non bibendum: quandoquidem hæc antiquitus & principio ad vitæ humanæ conſervationem tradita habes. Sic etiam imagines traditæ fuerant, ipſique Pontifices imagines ad Concilia deferebant, nec ullus de Chriſti amantibus ac religioſis hominibus iter peragens, abſque imaginibus peregrinationes obibat, utpote qui virtute præditi & apud Deum probi eſſent.* Vides quàm conſtanter originem imaginum ab exordiis repetat Chriſtiani nominis.

II. Quos is cæperit & ita novatū quid ſit in Eccleſia, nullum tempus deſignari poteſt.

Sed Actione V. ſeptimæ Synodi hoc aſtruitur imaginum antiquitas monumento. Annis pauciſſimis poſt ſextam Synodum elapſis Iconomachi cœperunt furiari. Non erant invectæ imagines eo breviſſimi temporis tractu interlapſo, ut omnes tum poterant meminiſſe. Ergo ante ſextam Synodum invaluerant. Atque ad eundem modum licet ulteriùs regredi in priores Synodos, quæ hanc utique peſtilentiſſimam Idololatriæ labem propulſaſſent, ſi nuper ab inferis afflatam & Eccleſiæ virginitati ac veritati inimiciſſimam intellexiſſent. *Servare ſanctas ſex & univerſales Synodos, vel inviti promittunt. Et verbis quidem ſimulant pietatem, mente autem iniquitatem operantur: & labiis eam honorant, corde autem longè diſtant ab illa, minimè conſentientes admittere traditionem, quæ in omni præterito tempore à tot ſanctis retenta eſt. Utinam multitudinem Chriſtianorum, tam qui impræſentiarum, quàm qui fuerunt ex quo annunciatum eſt Evangelium, revererentur iſti, qui ejuſdem Evangelii narrationem, quæ per picturas fit, repudiant. Nam poſtquam ſexta & univerſalis Synodus facta eſt, uſque dum ipſi congregati ſunt, contra venerabiles iconas, non pluſquam ſeptuaginta præterierunt anni. Unde omnibus liquet quod nequaquam his annis imaginum picturæ ſunt traditæ, ſed in temporibus ſextam Synodum præcedentibus. Et revera ab Apoſtolorum fuerunt prædicatione, quemadmodum in omni loco ex viſione ipſa ſanctorum Templorum diſcimus, & Patres ſancti teſtati ſunt, atque hiſtoriarum perhibent relatores, &c.* Hinc intellige, imaginum fidem & traditionem iis ita illigatam eſſe Synodis œcumenicis, quibus vel adverſarii ſubſcribunt, ut illis nutantibus hæ conſtare non poſſint.

III. Si novatum id aliquando eſſet, intercesſiſſent Synodi, reſtitiſſet Eccleſia, quæ tota labi nō poteſt.

Sed egregiè præ cæteris Epiphanius Diaconus in Oratione qua Synodo eidem ſuccinuit, Eccleſiam univerſam prolabi non potuiſſe demonſtrat in Idololatriæ nefanda flagitia, quippe cui Chriſtus in ſemetipſo ut ſibi concorporatæ, inexpugnabilem Spiritus ſancti firmitatem atque veritatis charitatiſque vim inſuperabilem vindicaverit. Vidit enim Joannes Spiritum ſanctum deſcendentem ſuper eum & manentem. Porrò non ſibi Chriſtus tum Spiritum ſanctum accepit, ſed Eccleſiæ ſuæ, quippe ejus plenitudine ab exortu carnis ſuæ perfuſus & ſupereffluens. Illa ergo permanens plenitudo quæ tunc cœlitus affulſit, ad Eccleſiam pertinebat. Itaque ut ſynagoga defluxerit quandoque ad Idola, ſi tamen tota unquam defluxit, at Eccleſia infuſi jam ſibi Verbi & incarnati, illapſi Spiritus ſancti, & permanentis exuberantes prærogativas obtinet, hancque omnium palmarem, quod à Verbi veritate, quod à Spiritus charitate, quod ab adorando Deo in ſpiritu & veritate nunquam deſciſcat. *At ſi verum eſt, quemadmodum & comprobatum eſt, quia noſtram unigenitus Dei & Patris Filius induit naturam, manifeſtum eſt quod propriis eam bonis ditaverit, & præcipuis Spiritus donis repleverit, ne de cætero ſæculi cujuſquam egeret auxilio, ſemel ab eo robore qui hanc aſſumpſit, accepto. Hoc enim reor & beatus Evangeliſta inſinuat, cum tempore baptiſmatis Salvatoris omnium noſtrum*

Chri-

Christi, se vidisse dicit Spiritum sanctum de cælis descendentem & manentem super eum, significans eum naturam de cætero sine adjectione ditasse. Etenim non egebat ille qui per omnia Spiritui est coæqualis, Spiritus de cælis adventu, quantum ad propriæ naturæ pertinet rationem. Numquid jam in se augmentum sanctitatis acquireret, qui paternos in semetipso fert characteres, & Spiritus consubstantialitate nullatenus commutatur? Sed nostram in se præfigurabat gratiam, quoniam eo quod in Adam sumus privati, per ipsum & in ipso sumus iterum locupletati, & naturæ antiqua dignitas rediit. Si igitur Spiritus gratia super eum descendens mansisse legitur, & hoc quidem non est reiiciendum, naturam scilicet deinceps conservasse Verbum, apparuit quia profecto hujusmodi gratia in omne genus pertransiit. Quomodo ergo perhibetur nos veraciter ignorantia peccasse, & quasi honorem qui erga Deum est exercendus, idolis exhibuisse? &c.

IV. In idolorũ cultum labi non potuit Ecclesia, postquã Deus incarnatus est.

Porrò pergit Epiphanius declarare, non Ecclesiæ jam tantùm, sed ipsi dispensationi Verbi incarnati, & invictæ Spiritus sancti virtuti contumeliam irrogari præposteris Iconomachorum suspicionibus. Si tota enim Ecclesia in idololatricam imaginum venerationem degeneraverat, ergo non satis arctè cum Verbo per incarnationem cohæserat, ergo non indivulsè humanitas coaluerat cum Deo, ergo non invictissimè sibi humanitatem vendicaverat Deitas Verbi, ergo pertransierat tantùm, non constanter Verbum habitaverat in nobis. Nam quod Verbum caro factum est & habitavit in nobis, id ut alibi explanatum est, non ad caput nostrum dumtaxat, etsi plenissimè & locupletissimè ad caput, sed & ad corpus totum pertinet. Cæteroqui nihil necesse erat incarnari Verbum, si deinceps perinde lapsabunda futura erat natura universa, atque in primo parente. *Porro si confessi fuerint hæc nos quæ super Verbum sunt bona per Christum meruisse, sed post hoc prioribus denuò summissos erroribus: infirmata est ergo secundum ipsos gratia quæ per Spiritum data est, ne sufficienter usque in finem cum his qui semel hanc sortiti sunt, permaneret. Et quid ita sapere magis impium vel infelicius? Vel quomodo is qui per omnia justus est, & vivificam cunctis præbet virtutem, omnium videlicet inspector, atque omnipotens Patris Spiritus, natura sua deficiet, & mensuris infirmitatis succumbet? Aut quomodo illud dicitur, Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi?* Ita Ecclesiæ tanquam corpori Christi conglutinata est vera Verbi Deitas, ut disjungi ab ejus fide & complexu nequaquam posthac possit. Et illa sanè Dei Verbi cum carne copulatio penè supervacanea fuerit, si qui unus ex ea fructus expectabatur, idolorum eversio, & Ecclesiæ in fide constantia insuperabilis, is totus intercipiatur.

V. Christi & Ecclesiæ eximium id decus, quod idola deleverint.

Religio est omninò prætermittere ex Act. I. ejusdem VII. Synodi hæc verba Gregorii Episcopi Pesinuntis: *In Synodo sanctorum Apostolorum quæ apud Antiochiam congregata est, dicitur: Ut ne ultra errent hi qui salvi fiunt, circa idola, sed Dei virilem & inviolatam Domini nostri Jesu Christi imaginem seu statuam exprimant.* Is planè Canon est Apostolicus, quem in lucem edidit paulò auctiorem Franciscus Turrianus, de cujus fide aliorum potius esto judicium. Non immeriò suspecta novitatis est vox illa Deivirilis, seu θεανδρικὴ.

Ad indubitatiora ergo redeamus. Permagni illud quoque momenti est quod eadem septima Synodus inculcat, uni Christo adserendum id decus esse, ut orbem ab idolis liberarit, nec hanc ejus gloriam cum ullo alio posse communicari. Act. VI. *His qui dicunt, quia præter Christum alius eruit nos ab idolis, anathema sit. His qui audent dicere Ecclesiam catholicam aliquando idola recepisse, anathema.* Conjuncta enim sunt & individua hæc Christi & Ecclesiæ decora, ut & ille unus idola orbe exegerit, & hæc semel liberata, nunquam in eosdem errorum laqueos revoluta sit. Quin imo ex reliquiarum & imaginum cultu exurgit intaminatæ laus Ecclesiæ & ab omni Idololatria puræ. Nam quæ adorat Martyres idolorum eversores, idola utique non colit: quæ Martyres eo potissimum nomine observat quod idola profligaverint, idola utique non reveretur: denique non est imaginum cultus idololatria, sed idololatriæ detestatio, idololatriæ eversorum admiratio, unius Dei veri defensorum veneratio. Act. IV. *Non tremis, non erubescis videns me in toto terrarum orbe templa idolorum destruere, & templa Martyrum ædificare? Si idola adoramus, cur Martyres qui destruxerunt idola veneraremur? Si ligna ut Deos honoro & glorifico, quomodo honoro & glorifico Martyres qui lignea simulacra destruxerunt? Si lapides ut Deos glorifico, quomodo honoro & adoro Martyres & Apostolos, qui contriverunt & perdiderunt lignea signa? Quomodo honoro & laudo & templa erigo & festivitates celebro tribus pueris qui in Babylone imaginem auream adoravere? &c. Dic mihi, quomodo sumus idololatræ, qui & ipsa ossa, & cinerem, & pannos, & sanguinem, & tumulum Martyrum ideò honoramus & adoramus, quia Idolis non sacrificaverunt?* Itaque in Ecclesia Christi hæc duo a primis jam inde illius exordiis coaluerunt, idola evertere, & eos qui everterint, honorare: honorem ab idolis ad idolorum profligatores traducere: Deorum expugnatores non ut Deos, sed ut Dei unius summi cultores revereri: denique idolorum eversionem, & unius Dei venerationem sic affectare, ut qui his insudaverint, qui his vitam impenderint, eorum vel ossa, vel cineres, vel imago, vel memoria, & umbra in pretio & in honore sit.

VI. Ecclesiam totam nulla unquam ab errore liberavit Synodus, sed ipsa Ecclesia errandi nescia errores in aliqua parte erumpẽtes profligavit.

Sed ut ad Ecclesiæ causam disputatio hæc nostra sese referat, uni Christo ejus libertas imputanda est: non Synodo, non Imperatori, sed uni sponso, uni liberatori Verbo, uni parenti suo Christo; à quo genita est Verbo veritatis, dum liberatur à morte erroris; cui dum liberatur, renascitur; dum renascitur, conjugatur. Quod ergo Ecclesia ab idolis per Christum vendicata, eidem Christo ut sempiternæ veritati renata nuptaque est, incorruptibile & inviolabile id fœdus est, ne si nutet & dissiliat aliquando, alio rursum opus sit liberatore. Act. IV. *Confitemur unum ejusdem sanctæ & consubstantialis Trinitatis, &c. propter nostram salutem incarnatum, &c. & nos liberasse ab errore idolorum; & ut ait Propheta, Non legatus, non Angelus, sed ipse Dominus salvavit nos: quem & nos sequentes, & hujus vocem usurpantes, exertè clamamus: Non Synodus, non Principum imperium, non conjuratio Deo exosa liberavit ab errore idolorum Ecclesiam, quemadmodum Judaicum deliravit concilium, quod contra venerabiles imagines infremuit; sed ipse gloriæ Dominus incarnatus Deus nos salvavit, & ab idolica deceptione eripuit. Ipsi igitur gloria, ipsi grates, ipsi gratiarum actio: ipsius redemptio, ipsius salus, qui salvare solus in perpetuum potest, & non aliorum qui de humo veniunt hominum.* Cùm ergo incorruptibilis adseritur à nobis Ecclesia, cùm lapsare fides ejus aut expugnari non posse defenditur, non tam Ecclesiæ quàm sponso ejus Christo opera navatur. Nam si à Christo desciscere potest Ecclesia universa, potest ergo Christi sanguinis fructus omnis interire, pretium evanescere; sanguis ergo Christi non vim invictam, non efficaciam victricem & inexpugnabilem obtinet. Rursum si lapsus Ecclesiæ per Imperatorem aut Synodum restaurari posset, non unus ergo liberator aut sponsus Ecclesiæ Christus esset. Atque ut hujus argumentationis pondus exprimatur, adverte cæteras omnes Synodos extirpandis erroribus insudasse illas quidem, sed qui aliunde in Ecclesiam serperent, & qui permodicam Ecclesiastici gregis portionem vitiassent; nusquam autem execandum fuisse scelestum dogma,

quod ex ipsis emicuisset Ecclesiæ visceribus, eamque totam occupasset. Itaque nulla unquam Synodus liberatrix Ecclesiæ fuit, quia nunquam post Christum liberanda fuit Ecclesia; semel enim libera & in æternum inexpugnabiliter ab invictissimo liberatore liberata est: itaque ipsa suæ sibi libertatis, suæ à Christo insitæ veritatis conscia, in Synodis congregata, non sanatur, sed sanat; non liberatur, sed liberat: non inhærentes revellit, sed irruentes retundit arcetque errores: non veritatem aliunde mendicat, sed suo ex sinu, ex sui cordis oraculo eructat; non quod nesciebat, docetur, sed quod nunquam nescierat, docet: non denique quasi ægra recurari se satagit, sed quasi incorruptibiliter sana vegetaque, membrorum quasdam minutias ægrescentes totius corporis aut sanitate reparat, aut potestate excecat. Sic Ecclesiæ universæ non alia libertas, non alia fidei sanitas obtingit unquam, quàm quæ Christi primum sanguine illi parta est.

VII. Ideo incõmutabile Verbum incarnatũ est, ut incõmutabilitatem suam Ecclesiæ commodaret, nec jam tota labi posset, ut olim in Adamo.

At rursùm audienda est ea Synodus Act. v. ut Ecclesiæ incorruptibilitatem ipsi divinæ incommutabilitati superfundet. Nam ut alibi sæpiùs prolixiùsque enucleatum est ex sententia sanctorum Patrum, maximè Græcorum, ideo incarnari Deum Verbum necesse fuit, ad salutem nobis resarciendam, ut ne rursus mutabili principio ac fundamento, ut primùm Adamo, inniteremur, sed commodaret Deus Verbum suam humanitati incommutabilitatem. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus & delebo nomina idolorum de terra, & non erit ultra memoria eorum. Ita ut vos confiteri coacti sitis, quod nos ab idolorum errore Christus Deus noster eruerit: & si eruit, quomodo rursus idolis servierunt, qui in illum crediderunt? Cesset vestra meledicta garrulitas. Deus redemit incarnatus & rursus captivamur? & ab eo qui tyrannidem in nos exercuit, nunc iterum superamur? Audite divinam Scripturam dicentem, Regnum ejus æternum, & potestas ejus in generationes generationum: & regnabit Dominus in æternum. Nequaquam ut Imperatores terreni modo superant, modò superantur, ita & Deus, sed victoria ejus in æternum manet.* Et Actione VI. eorum vesana exagitatur jactantia, qui Christi regnum laudemque præcipuam suffurari, sibique tribuere moliebantur: *Ab idolorum enim errore & deceptione Christo eruente nos, ipsi magnificè se extollunt, dicentes redemptionem se fecisse. O arrogantiam & amentiam!*

VIII. Nec potest Christo regni sui æternitas aliter vendicari.

Nec sibi tantùm Christus, sed & Ecclesiæ suæ in Scripturis suis vaticinatus est inconcussam regni perpetuitatem, Quin imò cùm regnum Christi Ecclesia sit, quæ regnatur pariter & regnat, non potuit Christi regno constare æternitas, quin & Ecclesiæ constaret. Ut ergo particulæ possint quandoque concuti, vel excuti, ipsa certè regni summa amplitudo, id est, Ecclesiæ universitas corruere nequaquam potest. *Hanc Ecclesiam catholica calumniantur Christum derelinquere & idololatriæ adhærere, cùm ipse dicat per Isaiam prophetam ad illam, Ponam te exultationem æternam, lætitiam generationum generationibus, &c. Dicant, partis alicujus quæ idololatriam exercuit in Ecclesia sint magistri, an totius? Et si quidem partis, debuerant & ipsi concinere plenitudini Ecclesiæ, & sub hujus jure subsistere, & fructus veritatis ab ea carpere, quemadmodum omnes Egregii Patres nostri, qui incorrecta corrigebant & coaptabant discissa. Sed quia universalis Ecclesia hac traditione decoratur, ipsi ab ea excisi videntur totam damnare, & certè horrendum est dicere, &c.* Et aliquantò antè, Act. eadem VI. *O elationem & sensum arrogantissimum! Quasi imperitam & divinorum dogmatum ignaram Ecclesiam docere nituntur, cui nimirum testimonium perhibetur, quod omni sapientia plena sit, quemadmodum magna voce Spiritus exclamavit divinus Apostolus, qui hanc sacramentis imbuit, dicens de illa: Ut innotescat principatus & potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia.*

IX. Apostolicis clarere signis debuerant, qui collapsam Ecclesiam à se restitui jactabant.

Ac denique cum Iconoclastæ Episcopi jactarent idololatriæ lue totam contabuisse Ecclesiam, quam olim Apostoli in orbe fundaverant, eique se redintegrandæ in unius veri Dei cultum adesse opitulatores, & tanquam restauratores; respondent ex adverso septimæ Synodi Patres, si qui in Apostolorum vicem subeant, si qui Apostolicæ fabricæ ruinas sarciant, debere eos Apostolicis gratiis efflorescere & clarere virtutibus, nec potestatem suam mendicasse ab Apostolis vel Apostolorum in depravata illa Ecclesia successoribus. At secus habebant omnia. Nam si qua inerat eis dignitas, eam ab Ecclesiæ catholicæ authoritate consecuti erant, nec ullis eminebant gratiæ operumvè miraculis, quibus Apostolica se munia exequi comprobarent. *Semel enim universaliter erepti per Christum ab idolis, non necesse est de idolis nos insimulari, nisi forte præsumant dicere mutationem factam in Ecclesia, &c. Ergo & nunc debuerant dare maximam quandam gratiam, Apostolorum scilicet superantem, &c. Et cùm Episcopi essent, qui talem Synodum adunaverunt, & perfectionem Apostolicorum ordinum haberent, debuissent alios perficere, non ab aliis perfici, &c.* Sed jam nimis multa ex hac Synodo.

X. Complura Sectarii nõ habent, nisi ab eodem traditionũ fonte.

Damascenus eundem locum premit ex authoritate traditionum Ecclesiasticarum, quarum quamplurimas & ipsi non aversantur sectarii, nec tamen aliò eas quàm traditionis fonte ad se derivatas observant. At indidem manavit & cultus imaginum. Magni etiam Basilii suffragio munitus ita disputat Damascenus: *Ne terminos æternos moveas, quos posuerunt Patres tui, qui ritus Ecclesiasticos non literis solùm, verùm etiam institutis non scriptis tradiderunt. Sic enim ad verbum ait divus Basilius in 27. capite illius libri, quem de Spiritu sancto triginta distinctum capitibus ad Amphilochium scribit: Quæ in Ecclesia servantur & prædicantur instituta, partim ex scripta constant doctrina, partim Apostolorum traditione data nobis in mysterio suscepimus. Et utraque quidem eandem ad pietatem vim obtinent. Nec quisquam iis contradixerit, qui vel mediocriter in Ecclesiæ jure versatus sit. Si enim quæ scripta non sunt, sed moribus tantùm & consuetudine continentur, tanquam magni momenti non sint, reiicere aggrediamur, imprudenter ipsis Evangelii partibus præcipuis damnum afferemus. Hactenus Basilius, &c. Unde nisi ex perpetua hujusmodi consuetudine didicimus, ut ter eos qui baptizantur, aqua mergamus? ut ad orientem conversi precemur? ut mysteriorum instituta retineamus? Ex quo divus etiam Apostolus Paulus, State, inquit, & servate traditiones, quas edocti estis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Proinde cùm tam multa magnaque sint, quæ in Ecclesia sine scripto per manus tradita ad hoc usque tempus observantur, cur tam anxie imaginum cultum* Orat. 1. Ib. *insectaris?* Quæ eadem retexit & alibi.

XI. Cassi Iconomachorũ conatus duce Isauro, Imperatore non Episcopo. Ibidem.

Premit idem Damascenus ibidem & hoc aliud argumentum à superioribus non disjunctum. Quod Iconomachorum signifer fuerit Leo Isaurus Imperator: at nefas est Episcopalia munia ab Imperatore usurpari: doctrinæ autem dictata dare, fidei ab errorum vepribus expurgandæ invigilare, Episcopalis ordinis eximia quædam potestas est & prærogativa. *Manichæi Evangelium secundum Thomam conscripserunt, & vos secundum Leonem Evangelium scribite. Non suscipio Regem tyrannicè sacerdotium usurpantem. Non Reges acceperunt potestatem ligandi & solvendi. Novi Valentem Regem qui cùm nominaretur Christianus Christianam fidem persequebatur. Zenonem item & Anastasium, &c. Non Regiis regulis, sed paternis traditionibus, seu scriptis, seu non scriptis Ecclesiam censeo constitui & gubernari oportere*, Si exsuscitanda fuisset veritas, non Imperatorem sed Episcopum

copum, sed Doctorem, sed quemlibet potiùs alium ad hoc muneris ablegasset Deus. Primum quidem quod in Ecclesia sua constituerit Deus alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores, &c. nusquam autem Reges vel Principes aliqua sacerdotalis authoritatis portione impartierit, ut docet Paulus. Rursum quod quibus quæque nata sunt primum initiis, iisdem vegetari & convalescere amant. Ut ergo sata primum est Ecclesia, non per Reges, aut Nobiles, sed per ignobiles quousque potiùs, puta per piscatores, ita & per eosdem deinceps sua sumit incrementa. Adde quod ea sit laus Ecclesiæ Christianæ florentissima, non per oratores, non per Imperatores, id est non humanis viribus atque præsidiis constitutam esse primùm illam & toto orbe stabilitam, sed per piscatores, & indoctos. Non ergo tractu temporum mercescit decus istud, nec humanis opibus nitetur aut reparabitur Ecclesia, quæ infatigabili Dei omnipotentia niti assuevit. Adde quod Apostolis Ecclesiarum Patribus & defensoribus successerint non Imperatores, sed Episcopi. Ad hæc Imperatores hactenus visi erant non duces fidei Ecclesiasticæ esse, sed sequaces: nec anteire, sed subsequi Episcopos: nec novare quidquam, sed ne novaretur, intercedere.

XII. Ea erat fides Imperatorum, non Episcoporum.

Itaque Iconomachorum decreta hoc vel uno præjudicio abundè refringebantur, quod Imperatorum hæc esset non Episcoporum doctrina: quod præcinerent Imperatores Episcopis, non succinerent: quod eas fides esset illorum, non qui Apostolis, sed qui Apostolorum persecutoribus successerant: quod eo denique non æterna Christi æterni Regis, sed nupera sæcularis principis edicta essent, & verè fides temporum non Evangeliorum. Quocirca idem Damascenus, *Cùm igitur multi ante hac sacerdotes Regesque fuerint Christianæ reipublicæ divinitus dati, doctrina & vita sanctitate præstantes, plurimaque Consilia a sanctis & divino Spiritu afflatis Patribus celebrata, cur nemo eorum imaginum cultum censuit improbandum? Novam fidem doceri non patiemur. Ex Sion enim veniet lex, ut per Prophetam ait Spiritus sanctus, & Verbum Domini de Jerusalem. Non permittemus ut aliud alias sensisse, & temporibus mutati fuisse videamur, ne fidem nostram ii qui ab ea sunt alieni, risum & ludum putent. Regio non cedemus imperio, Patrum conanti evertere consuetudinem. Non enim piorum est Regem, Ecclesiastica instituta convellere. Non paternam pietatem, sed latronum sævitiam arguunt, quæ per vim imperantur, non autem verbis persuadentur. Testimonio sit Concilium secundum Ephesi celebratum, &c. His de rebus statuere non ad Reges pertinet, sed ad Concilia. Ligandi solvendique potestatem, non Regibus sed Apostoli & eorum Successoribus, & Pastoribus & Doctoribus Christus dedit, &c.* Et infrà eundem locum premens, ait: *Considera quid Apostolus dicat, & quosdam quidem posuit primum Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores & Doctores. Ad Ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges. Et rursum, Obedite, inquit, Præpositis vestris & subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditurі, &c. Verbum non locuti sunt vobis Reges, sed Apostoli, &c. Regum est civilis administratio Ecclesiastica vero constitutio, Pastorum atque Doctorum. Impetus iste latronum est fratres, &c.* Uno ergo authoris sui præjudicio secta Iconomachorum prædamnata jacet.

Orat. 1. de imagin.

Ibid. Orat. 2.

Vide Photii Epist. 64.

His accedit Anastasius Bibliothecarius Præfatione in VII. Synodum ad Joannem VIII. summum Pontificem: *Quæ enim super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc & Apostolica sedes vestra, sicut nonnulla conscripta innuunt, antiquitus tenuit, & universalis Ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur, &c.*

XIII. Aut à Manichæis orti erant Iconomachi.

Revocari ad hoc quoque caput Iconomachorum debet origo, à priscarum fæcibus hæresum scaturiens, adeoque ante etiam quam erumperet, prædamnata. Actione I. Synodi VII. Tarasius Patriarcha dixit, *Invenimus & Manichæos non recipientes Iconas, & Marcionistas, & eos qui confundunt Christi naturas, quorum est Petrus Cnaphæus, & Xenaias Hierapolitanus, & Severus hæretici.* Manichæis displicuisse imagines, haud usque adeo mirum est, qui totam Verbi incarnationem phantasmatis ludibrio exsufflabant, qui corpoream execrabantur naturam universam, ut mali principii sobolem; quique non imagines tantum, sed omnia penitùs corpora maledictis configebant. At Monophysitæ cur in eandem conspirarent vecordiam, non usque adeo perspicuum est. Act. V. ejusdem Synodi hæc ex Joannis Diacrinomeni Ecclesiastica historia referuntur? *Non enim licitum asserebat Xenaias, Angelos cum incorporei sint, corporeos facere & quasi in humanis formis corporatos exhibere: sed nec honorem ullum Christo impendi, cùm imagines ejus per picturæ artem efficiuntur: esse autem illi gratam & acceptabilem solam in spiritu & veritate adorationem, &c. Nosse autem dicit & illud, esse puerilis sensus fingere in columbæ idolo sanctum & adorandum spiritum, præsertim cùm Evangelicæ literæ nequaquam tradant factum esse columbam Spiritum sanctum, sed quia in specie columbæ apparuit aliquando: quia verò dispensatoriè, non substantialiter semel ostensus est, non ideo aptum piis est, corporis idolum facere.* Legitur ibidem paulò pòst ex deprecatione adversus Severum hæreticum & Acephalum à Clericis Monachisque Antiochensibus oblata Synodo Constantinopolitanæ: *Porro præsumptum est ab eo etiam hoc. Eas enim quæ in typum Spiritus sancti sunt, aureæ & argenteæ columbæ suspensæ supra sacros fontes & altaria cum aliis defraudabat, dicens non oportere columbas nominari Spiritum sanctum.* Rectè hinc Tarasius colligit, si Spiritus sanctus olim à sanctis Patribus in specie columbæ fingebatur, posse & Christi & sanctorum imagines aliquantò æquiùs à nobis fabricari. Sed hinc liquet Monophysitas abhorruisse à rerum incorporalium corporeis imaginibus, cùmque humanam Christi naturam confunderent & refunderent in divinam, ideo ne humanitatis quidem imagines exculpi sinebant. Ariani quoque ejusdem perfidiæ contagione afflabantur. Nam Verbo vices animæ subeunte, atque in unitatem naturæ cum carne secundùm ipsos coeunte, eadem erat eorum atque Eutychianorum circa Christum, eadem circa Christi imagines hallucinatio. Unde Actione VI. ejusdem VII. Synodi, *Eusebius Pamphili ab eis in testimonium ducitur, qui ab omni Ecclesia catholica noscitur patronus esse Arianæ hæreseos, quemadmodum in omnibus conscriptis suis expositionibusque continetur, secundo loco adorabilem Deum Verbum dicens, & ministrum Patris, & secundas dignitatis habentem, & ab homousii majestate secernens, & commutationem sanctæ carnis Domini in divinitatis naturam ac per hoc confusionem dogmatizans, nec iconam recipit, sed neque omnis Arianorum scelerata collectio. Prædicant enim sine anima rationali hominem factum fuisse Dominum nostrum, & pro anima divinitatem habere, ut passionem in eam conferunt, ut ait Gregorius Theologus: & utpotè Deitatem passam facientes, non admittunt imaginem. Similiter & Severus confusionis assertor, minimè suscepit imaginem in Ecclesia Christi Dei nostri, ut plurimi historici narrant.* Usque adeo igitur Manichæi, Ariani, Eutychiani naturam corpoream despicabantur, ut nec ejus umbras vel imagines paterentur. Denique ut Iconomachorum stirps ab altissima ignobilitatis radice pullulare ostendatur, legatur actio quinta ejusdem septimæ Synodi, & ab Hebræis Christiani nominis infensissimis hostibus germinasse comperietur.

Damascenus: *Noli Manichæorum opinionem secutus, materiam despicere & tanquam vilem aspernari. Nihil enim vile, aut abjectum, putandum* Orat. 1. de imaginib.

dum est, quod Deum habet authorem. Photius autem: *Pagani Christum Dominum & Deum nostrum per imaginem effingere nolunt, scilicet eo quod haud profiteantur Deum. Judæi qui majori contra eum insaniæ morbo laborant, ne de nudo quidem nomine rem admittent. Contendunt, qui Manetem sequuntur ducem, nullo modo eum corpus nostrum assumpsisse, cui sequitur omnino necessario, Christum non esse per imaginem exprimendum. Videant ergo progniti à multiplici ter erratico & adulterino semine & sibi caveant, (genimina novitia Iconomachorum dico) quos & quales sibi ascribant progenitores, & de qua factione Mystæ & discipuli voluerint inter Christianos censeri*. Quando ergo Monophysitæ novi homines audiebant, nec satis famosas nobilitatis ceras ostendere poterant, permittitur Iconomachis authores suæ originis altiùs repetere, vel à Manichæis, vel à Judæis, vel ab Ethnicis, quòd Manichæi corporum etiam umbras repudiarent, Judæi Christi vel nomen vel umbram execrarentur, Gentiles Christi Deitati diffiderent, adeoque ejus imagini assurgere detrectarent. Ab his planè fluxerit Iconomachorum prosapia necesse est; nam si Deum Christum cum Christianis putarent, si verum ejus corpus profiterentur, utique corpus illud deificatum & imaginem corporis, membra ejus & membrorum imagines reverentur.

Epist. 17.

CAPUT XI.

Prioribus Ecclesiæ sæculis nonnullus sacrarum Imaginum usus fuit, ex Græcis & Latinis eorum temporum Patribus.

I. Inter ipsas Ecclesiæ cunas usus aliquis imaginum, etiā præterquam crucis. Ex Tertull.

ANtè imaginum in Ecclesia universa viguisse usum cultumque, quàm super ea re litem moverent ullam Iconoclastæ, capite superiori patefactum est. Quàm pridem autem usitatæ fuissent imagines, & quàm crebræ inter ipsas Ecclesiæ cunas extiterint, id verò perspicuum hoc capite faciemus. Latinos primò scrutabimur Scriptores, inde ad Græcos transituri. Et poterat quidem hoc labore supersederi, cum crucem pingi solitam, exprimique saltem manuum agitatione, jam inde ab ortu ipso, comprobatum suprà sit prolixissimè. Ea enim imago est, ipsi coæva Ecclesiæ. Sed ad cæteras imagines vestigandas adgrediamur.

L. de Pudicitia.

Tertullianus: *Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perducebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano an Ethnico peccatori, de restitutione colliniet*. Ubi vides in calicibus, ut arbitror, sacris Christianorum, vulgò tum pingi solitum Christum, qui suis humeris reveheret ovem ab erroribus suis reductam. Et infrà disertiùs id ipsum exprimit: *Cui ille si fortè patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani sacramenti, meritò & ebrietatis idolum & mæchiæ asylum post calicem subsecuturæ, de quo nihil libentiùs bibas quàm ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus Pastoris haurio, qui non potest frangi*. Ex quibus interlucet vitreos calices mysteriis celebrandis usitatos fuisse, venustulis decoros imaginibus, è quibus hanc suo argumento idoneam exagitat Tertullianus hic insaniens, qua bonus Pastor Christus ovem aberrantem revehens exhibebatur. Inter sacra ipsa imagines adhibere, ipsis eas appingere sacris ministeriis, cum corporis & sanguinis Christi sacramento eas conjungere, id verò honoris eximii argumentum est.

II. Ex Ambros. In Psal. 118. Octon. 10.

Ambrosius: *Sicubi ergo justus sedeat, sicubi accumbat, festinemus videre eum. Pretiosum est videre virum justum, ut videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est, nihil prodest; quod intus est, sanat. Sanè & in eo qui foris est, illum qui intus est, frequenter aspicimus: ut si viderimus pauperem, illum ad cujus similitudinem factus est, honoremus in paupere, de quo ait, Dedistis mihi manducare, quia quod uni eorum dedistis, mihi dedistis. Qui enim coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit: Et qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique, cujus statuam consputaverit, fecisse videtur injuriam. Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant: sed invisibilis Dei imago, non in eo est quod videtur, sed in eo quod non videtur. Vides ergo quia inter multas Christi imagines ambulamus*. Imperatorem hominem in statua vel imagine sua, honorari ipsum vel dehonestari agnoscit. Idola à Gentilibus perperam coli ait, quòd Dei imagines existimentur esse, cùm non sint. Deum quoque in imaginibus suis honorandum approbat. Cùmque Dei imago sit omnis homo, non aliàs hominem quenquam nisi ut Dei imaginem observari debere decernit. Si ergo Christo perinde ut Imperatori statua ponatur, authore Ambrosio, non dissimiliter Christus in statua sua vel honore afficietur vel contumelia. Refertur à Damasceno Oratione 2. de Imaginibus, contextus ex Ambrosii Epistola ad universam Italiam, qui ita habet: *Mihi autem tertia nocte, cum ex inedia jam corpus laboraret, non dormienti sed in mentis exstasi constituto, sese ostenderunt cum quadam persona, beato Paulo Apostolo simili, ut ejus effigies, pictura in tabulis expressa, facilè declarabat*. Quæ apud Ambrosium ita leguntur: *Tertia nocte defecto jejuniis corpore, non dormienti, sed stupenti cum quadam mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esse beato Paulo Apostolo videbatur: cujus me vultum pictura docuerat*.

III. Ex August. L. 1. de consen. Evang. c. 10.

Augustinus jactatam à Gentilibus adversus Christum fabulam calumniosissimam memorat, quòd magicas artes consignasset literis, librumque Petro & Paulo nuncupasset: *Cùm enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facilè crederetur, tanquam ad illos qui ei familiariùs adhæsissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur. Et occurrit eis Petrus & Paulus, credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt, quia merita Petri & Pauli etiam propter eandem passionis diem celebriùs & solemniter Roma commendat. Sic omninò errare meruerunt, qui Christum & Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Nec mirum si à pingentibus fingentes decepti sunt*. Usitatæ utique jam olim Christianis fuerant hæ imagines, ex quibus hanc fabulam cudendi arripuerant occasionem Gentiles. Et alibi: *Abraham si filium spontè immolaret, quid nisi horribilis & insanus; Deo autem jubente, quid nisi fidelis & devotus apparuit?* Et paulò pòst ait, factum illud Abrahæ, *tot linguis cantatum, tot locis pictum, & aures & oculos dissimulantes ferire*. Et rursum reliquam picturæ lasciviam damnat, piis significationibus servientem absolvit: *Quam innumerabilia variis artibus & opificiis in vestibus, calceamentis, vasis, & hujuscemodi fabricationibus, picturis etiam diversisque figmentis, atque his usum necessarium atque moderatum, & piam significationem longè transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes à quo facti sunt, exterminantes quod facti sunt*. Si modò piam significationem non transgrediatur pictura, non carpitur ab Augustino.

L. 22. contr. Faust. c. 71.

L. 10. Conf. c. 34.

Adde & l. 1. con. Jul. c. 1.

Revocari eodem potest, quod Augustinus idem cum Ethnicorum simulacra convelleret, hanc quoque eorum profligaverit causationem, qua non simulacra à se coli, sed ea quorum simulacra erant, puta sydera, aut dæmones prætexebant. Contra enim nititur sanctus Pater, ita eos creaturæ non creatori servire, atque adeo inexpiabili flagitio obligari. Itaque quod signa pro rebus significatis amplexarentur, non id vitio dat, sed quod res significatæ quibus acquiescebant, naturæ essent creatæ. Quanquam his locis ægrè etiam ferat, primùm quidem Dei simulacra fieri, quod, ut suprà monui-

monuimus Dei natura nullis exprimi queat imaginibus, etsi symbolis possit quibusdam significari: deinde vota ipsa & precantum verba ad imagines destinari, quasi eæ exaudire nos atque adjuvare possint. *Quis autem adorat, vel orat intuens simulacrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ab eo sibi præstari quod desiderat, speret? Itaque homines talibus superstitionibus obligati, plerumque ad ipsum Solem dorsum ponentes, preces fundunt statuæ quam Solem vocant, &c.* A quibus superstitionum laqueis expediti sunt Christiani, qui nec ullam Dei propriam imaginem habent, nec vota sua imaginibus ita insusurrant, quasi exaudiri se ab iis sperent, sed ante imagines prostrati ad excitandam Sanctorum memoriam, Sanctis ipsis quos fide præsentes intuentur, supplicant.

De Doctr. Christ. L. 3. c. 6. 7. In Psal. 113.

IV. Ex Paulino.

Paulinus Episcopus Nolanus quàm propensus fuerit in imagines omnibus in Ecclesiis Basilicisque pingendas, complures ejus argumento sunt Epistolæ. Et quidem Epistola VIII. ad Severum, *Quid enim tibi de illa petitione respondeam, qua imagines nostras pingi tibi, mittique jussisti, &c.* Et ad calcem Epistolæ: *Hic etiamsi tantus amor est, visibilia quoque captare solatia poteris per magistras animi tui lineas, vel imperitis aut ignorantibus nos dictare pictoribus, memoriam illis tuam, in qua nos habes pictos, velut imitanda de conspicuis adsidentium vultibus ora proponens.* Vides Severi studium quo Paulini imaginem habere flagrabat. Rursus Epistola X. Severum eundem Paulinus amicè increpat, quod in fonte sacro quem construxerat, Paulinum ipsum cum Martino depingi fecisset: *Tu vero baptisterium basilicis duabus interpositum condidisti, &c. Splendidos devotionis in Christo tuæ titulos nostris nominibus infuscas, & justis laboribus hanc iniquitatem inseris, ut locum Sanctum etiam vultibus iniquorum polluas. Rectè enim in hoc loco refectionis humanæ Martinus pingitur, qui cœlestis hominis imaginem perfecta Christi imitatione portavit: ut deponentibus in lavacro terrenæ imaginis vetustatem, imitandæ cœlestis animæ occurrat effigies. Noster vero quis illic locus est, qui nec infantibus innocentia, neque viris concurrimus sapientia?* Et mox multis prosequitur, stricta etiam oratione enumerat quantum commodi ex inspecta Martini imagine & ad imitandum sibi proposita ejus vita, delibaturi sint omnes qui sacro fonte tingentur. Ibidem postea Paulinus picturas quoque describit in basilicis Nolanis à se instauratis conspicuas: describit autem carmine, quod & subscribi fecerat:

Pleno coruscat Trinitas mysterio:
Stat Christus agno: Vox Patris cœlo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit:
Crucem corona lucido pingit globo,
Cui coronæ sunt corona Apostoli.

Ubi præter crucis & Apostolorum, habes & Trinitatis ut illa se conspicabilem præbuit, effigiem. Et infrà, describens Fundanam Basilicam,

Geminatus est titulus de pictura,
Sanctorum labor & merces sibi ritè cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime corona.
Ipse Deus Princeps nobis crucis atque coronæ,
Inter floriferi cœleste nemus Paradisi.
Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno,
Agnus ut innocua injusto datus hostia letho,
Alite quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, & rutila genitor de nube coronat.

Et Natali IX. in sanctum Felicem, ejus Basilicam describens,

Nunc volo picturas fucatis agmine longo
Porticibus videas, paulumque supina fatiges
Colla, reclinato dum perlegis omnia vultu.
Qui videt hæc vacuis agnoscens vera figuris,
Non vacua fidam sibi pascet imagine mentem.
Omnia namque tenet serie pictura fideli,
Quæ senior scripsit per quinque volumina Moses,
Quæ gessit Domini signatus nomine Jesus, &c.

Et paulò pòst paucis attingit picturæ hujus utilitatem, quod cum confluere soleat turba longè maxima rusticorum, legendi penitus rudis, horum animi pascantur imaginum conspectu, & pietatis forma ac disciplina imbuantur,

Quos agat huc sancti Felicis gloria cœtus,
Obscurum nulli: sed turba frequentior his est,
Rusticitas non cassa fide, neque docta legendi.
Hæc adsueta diu sacris servire prophanis,
Ventre Deo: tandem convertitur advena Christo,
Dum Sanctorum opera in Christo miratur aperta.

Et infra:

Sanctasque legenti
Historias Sanctorum operum, subrepit honestas
Exemplis inducta piis, suadetur hianti
Sobrietas, nimii subeunt oblivia vini.

V. Ex Gregor. Magno. L. 7. Ind. 2. Ep. 54.

Gregorius Magnus ad Secundinum hæc habet, quæ imaginum antiquitatem & sinceram religionem præclarè exprimant: *Imagines quas tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum rogasti, misimus. Unde valdè nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras: ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum, ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras, &c. Scio quidem quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in amorem ejus recalescas, cujus te imaginem videre desideras, &c. Ideo dereximus tibi surtarias duas, imaginem Dei Salvatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ, Beatorumque Petri & Pauli continentes, &c.* Et usum hìc habes imaginum, & venerationis illis admetiendæ modum. Et infrà ad Serenum Episcopum Massiliensem negat frangi debuisse in Ecclesia imagines, quanquam debuerit populus ab earum adoratione cohiberi: nempè ne ut quasi Deus, imago colatur, sicut suprà monuit. *Et quidem zelum vos, nequid manufactum adorari possit, habuisse laudamus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus.* Et ad eundem Serenum eadem de re increpandum scribens, multa spargit antiquitatis imaginum documenta: *Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus: fregisse verò, reprehendimus. Dic frater à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud vel illud te non debuit revocare, ne despectis aliis fratribus, solum te sanctum, & esse crederes sapientem?* Et infrà: *Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias, non sine ratione vetustas admisit, &c.* Et paulò pòst: *Atque eis dicendum: Si ad hanc instructionem, ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto, &c.* Vides quantam venditet Gregorius imaginum in Ecclesia vetustatem, & vetustati conjunctam universalitatem.

Ibid. Epist. 111.

Epist. 54.

L. 9. Ind. 4 Epist. 9.

VI. Ex Venantio Fortunato & Prudentio. Opusc. L. 1.

Suffugerat penè nos Venantius Fortunatus, ubi depingit Basilicam Eutropetis primi Santonicæ civitatis Episcopi, quam Leontius vetustate collapsam renovavit, ornavitque imaginibus ligneis & picturis:

Hic sculpta cameræ decus interrasile pendet,
Quos pictura solet, ligna dedere jocos.
Sumpsit imagineas paries simulando figuras,
Quæ neque tecta prius, hæc modò picta nitent.

Cui non immeritò subjungetur & Prudentius, qui L. peri Stephanōn, hymno nono, ubi Cassiani Martyris Basilicam & in Basilica ejus imaginem apud Forum Cornelii se vidisse ita describit:

Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera & omnes
Vitæ labores ac dolorum acumina,
Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris.

Adde Isid. Hispal. Beda Eccl. hist. l. 1. c. 25. *Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,*
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

Orig. l. 7. c. 8. VII. Ex Hieron. In c. 4. Jonæ. Hieronymus denique: *Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgò saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrari.* Quibus hæc testium copia satis non sit, nescio quid satis sit. Ad Græcos jam progrediamur.

VIII. Ex Eusebio, de statua Christi & cathedra Jacobi. Eusebius Pamphili statuam Christi æneam memorat Paneade olim excitatam ab illa muliere, quam sanguinis profluvio laborantem sanaverat Christus, sua etiamnum ætate extantem & à se visam, quin & celebri præclaram miraculo, quod herba quædam peregrinæ speciei circumvireret, quæ ubi ad fimbriam usque ahenei vestitus excreverat, morbis cujusque generis vim & facultatem habebat medicandi. En statuam Christo positam, nec à Christo adhuc inter mortales superstite, nec ab Apostolis qui frequentes urbem illam circumcursabant, nec ab Apostolicis viris qui prima illa Ecclesiæ sæcula ornavere, improbatam, quin imo approbatam, non ab his tantùm, sed à Deo ipso tam solemni miraculorum documento. Sed nequaquam prætermittenda sunt quæ consequenter addit Hist. Eccl. l. 7. c. 8. Eusebius: *Nec planè mirum eos qui ex Gentilibus prognati, à Servatore dum inter homines viveret, beneficiis affecti fuerant, ista effecisse: cùm & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis, colorum varietate expressas conservatasque aspexerimus: idque propterea, sicut verisimile est, quod Majores nostri ad Gentilis consuetudinis similitudinem quàm proximè accedentes, eos qui Servatores illis fuissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueverant. Jacobi enim Apostoli cathedram (qui primus ad Jerosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum à Servatore & Apostolis ejus cæteris delectus erat, quemque fratrem Christi nuncupatum divina perhibent eloquia) ad istud tempus servatam Episcopi qui illic ordine successerunt, permagno æstimant: unde declaratur perspicuè quemadmodum veteres Patres ad nostram usque ætatem sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent.* Hoc Eusebii loco ad elevandam imaginum authoritatem abuti se posse nuperorum Iconomachorum colluvies nequicquam sperat: quin hoc vel maximè adversus eorum imposturas imaginum usus antiquitas communitur. Primùm enim hinc claret & Christi & Apostolorum sub ipsa Ecclesiæ exordia imagines tum coloribus fucatas, tum ære fusas in usu fuisse. Deinde claret etiam miraculis cœlitus approbatas fuisse. Claret rursus nec ipsi Eusebio improbari eas imagines, quarum antiquitatem tam altè repetit, quarum narrat miracula, quas consensu tot retro Episcoporum & virorum Apostolicorum confirmat, quibus denique honorem conspicuis pietate in Deum viris habitum semper in Ecclesia esse confirmat. Item claret ex antedictis, etsi Eusebio haud arriderent imagines, nihil his ex eo præjudicari, quod suprà ostensum sit, ex Arianæ hæreseos contagione invidiam quoque sacris imaginibus factam esse. Claret rursum hæc Eusebii verba non tam eo consilio à nobis hìc intexi, ut Eusebii ipsius sententia dilucescat, seu fausta, seu adversa imaginibus, quàm ut ex ejus historia nobis propaletur sensus & consensus Ecclesiæ universæ, & Apostolorum Apostolicorumque virorum inter ipsa Ecclesiæ primordia. Nam quantumlibet refragetur Eusebius, si tamen ex eo constet mihi de suffragatione illibatioris illius ætatis Ecclesiæ, & purgatissimæ tum non fidei tantùm, sed & disciplinæ, abundè mihi est. Tunc enim dissensio Eusebii Eusebio oberit, non causæ. Claret rursum non statim notari usum imaginum, etsi consuetudo fluxisse à Gentilibus affirmetur. Nam complura Ecclesiastici ritus capita, ab ipsis etiam adversariis usurpata, Ethnici priùs usurpaverant; simia Ecclesiæ diabolus hæc præluserat ut illuderet, hæc præsumpserat ut profanaret, hæc occupaverat ut ab iis quoslibet falli faciles absterreret. Unde Tertullianus: *Diaboli sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, in idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos. Expiationem delictorum de lavacro repromittit, & sic adhuc initiat Mitræ. Signat illic in frontibus milites suos. Celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, &c.* L. de Præscr. An hæc ab Ecclesiis ableganda sunt, quia à Gentilibus præsumpta sunt? An nostra abiiciemus, quia invaduntur? an potiùs quia invaduntur, vendicabimus? Ergo vicerit diabolus, si quæ semel occupaverit, ea nobis excutiat omninò. Claret item ex Eusebio exteriora honoris officia promiscuè adhiberi posse, vel sacris vel profanis usibus; hominibus, vel Deo; Deo vero, vel ementito. Nam assurgere, caput inclinare, amplecti, osculari, statuam ponere, & id genus alia obsequii atque honoris argumenta, ex se ἀδιάφορα sunt, possuntque in bonos & malos usus converti. Quocirca si priùs horum aliqua adulterinis numinibus, & hominibus flagitiosis impendebantur, nunc autem vero Deo ejusque religiosis cultoribus offeruntur, non profanatur religio, sed prior profanitas expiatur. Postremò tandem ne usum tantùm, non etiam cultum imaginum hinc elici opineris, perspicuum est, ex eo imaginum more, ex servata Jacobi cathedra argumentari Eusebium, sanctitate insignes viros in pretio & in honore semper fuisse atque etiamnum esse. At is unus est honor imaginum propugnandus, quòd per eas Sancti honorentur. Deinde cathedram illam sedulò servare & visendam ostentare, id verò erat magni eam facere & honorare. Denuò cùm ad statuam Christi visendam concursabatur Paneadem, cùm miracula ibi edebantur, cùm herba ex ejus contactu medicata & salutaris carpebatur, id verò erat eximium honoris illi habendi genus. Postremò denique narrat Sozomenus præfatam illam Christi statuam à Juliano Apostata dejectam, ut suam subrogaret: sed hanc statim fulmine elisam confractamque fuisse: L. 5. c. 20. illam verò Christi à Gentilibus contumeliosè raptatam: *At Christiani postea ejus fragmenta cùm collegissent, in Ecclesia posuerunt, ubi etiam adhuc custoditur.* Habebantur utique in honore imagines, quarum frustula legebantur, & sacro loco recondebantur.

Nec dissimulamus tamen peccatum etiam tum fuisse in usu imaginum à compluribus hæreticorum sectis. IX. Abutebatur tamen tum imaginibus aliqui. Nam de Simonianis Iræneus ait: *Imaginem quoque Simonis habent, factam ad figuram Jovis:* L. 1. c. 20. 23. 24. *& Helenæ in figuram Minervæ: & has adorant.* Et alibi de Basilidianis: *Utuntur autem & imaginibus & incantationibus, &c.* Et de Carpocratianis: *Etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato, illo in tempore quo fuit Jesus cum hominibus; & has coronant & proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pithagoræ & Platonis & Aristotelis, & reliquorum. & reliquam observationem circa eas similiter ut gentes faciunt.* Quæ penè verbatim Augustinus, Epiphanius, & Theodoretus in suos de hæresibus libros transtulerunt. Quocirca cùm his Patribus non displicuerint imagines, uti jam patuit & patebit inferiùs, nihil his quoque adversari Iræneum interpretabantur. Et sanè id culpat Iræneus quòd imagines sacras profanis sociarent & unà colerent: quòd gentilico ritu eas, puta sacrificio & thure venerarentur, quod adeo illas tanquam Deos non tanquam nuda signa observarent, ut ex Epiphanio To. 1. p. 101. patet.

X. Ex Basilio. To. 1. ho. 18. Basilius de Barlaam Martyre: *Exurgite nunc ò præclari athleticorum gestorum pictores: mutilam ducis imaginem vestro illustrate artificio: & obscuriùs à me depictum coronatum athletam, vestra industria*

ſtria coloribus conſpicuum reddite. Diſcedam certaminum ac victoriarum Martyris à vobis poſita imagine victus, gaudeam tali hodie per veſtram dexteritatem victoria ſuperatus: videam manus hujus luctam cum igne exactius à vobis depictam: videam alacriorem pugilem per veſtram depictum imaginem. Plorent dæmones, etiamnunc Martyris per vos victoriis perculſi. Ardens iterum illis ac victrix manus oſtentetur, pingatur in tabula una & certaminum agonotheta Chriſtus. Non idololatricum refert ſaporem pictura, cui adeo ſtudet Baſilius, quam ipſi penè eloquentiæ anteponit, qua efficaciùs quàm verbis refricari ac repræſentari Martyrum geſta exiſtimat, qua iterum pugnare, iterum vincere Martyres, iterum vinci dæmones, & toties tandiuque illos vincere, hos vinci arbitratur, quoties & quandiù pictura ab admiratoribus ſuis aſpectatur.

XI. Ex Nyſſeno. Gregorius Nyſſenus homilia de ſancto Theodoro Martyre, Baſilicam hujus Martyris ita depingit: *Ubi & faber in animalium figuram ligna formavit, & latomus ad argenti levitatem cruſtas lapideas expolivit; induxit autem etiam pictor flores artis, in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatiſſimam conſummationem athletæ, Agonothetæ Chriſti humanam effigiem, omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiosè depingens, &c. Solet enim pictura tacens in pariete loqui, maximèque prodeſſe, &c.* Et Oratione de Filii & Spiritus ſancti divinitate, ut refert Damaſcenus: *Hinc prius vinculis alligatum aſſumit filium pater Abraham. Hujus ergo acerbæ rei ſpectaculum ſæpè pictura expreſſum vidi, nec ſine lachrymis illud præterivi, cum ars perſpicuè rem geſtam oculis ſubiiceret. Iſaac genibus flexis, manibuſque poſt tergum revinctis jacet ante ipſum altare, &c.* (Orat. 1. de Imag.)

XII. Ex Chryſoſt. To. 1. hom. 45. Chryſoſtomus de ſancto Meletio Antiocheno: *Non ad nomen autem ſolum fuiſtis affecti, ſed ad corporis etiam ipſam figuram. Quomodo enim feciſtis in nominibus, hoc etiam feciſtis in illius imagine; etenim in palis annullorum, & in poculis, & in phialis, & in thalamorum parietibus, & ubique ſacram illam multi expreſſerunt imaginem, ut non ſolùm audirent ſanctam illam appellationem, ſed etiam ubique viderent figuram corporis, & ejus peregrinationis duplicem haberent conſolationem.* Hæc citavit Damaſcenus Oratione II. de Imaginibus. Qui & ibidem ex eodem alia contexit.

Orat. 3. de Imag. Chryſoſtomi ipſius imago præſidio fuit Theophilo Alexandrino, ſi qua fides narranti Damaſceno, idque narranti ex Chronographia Iſidori Diaconi: *Peccavit Theophilus Joannem Chryſoſtomum apud Eudoxiam reginam calumniatus, quaſi hæreſin ſaperet Origenis. Succenſebat Auguſta Joanni propter vineam viduæ. Theophilus ob illud peccatum non poterat animam agere, donec allata fuit imago Chryſoſtomi, quam ille cum adoraſſet, ſpiritum emiſit.*

XIII. Ex Theodoreto. Theodoretus in religioſa hiſtoria de Symeone Stylita agens: *De Italia namque ſupervacuum eſt dicere. Ferunt enim maxima in Roma celebrem adeo virum eſſe, ut in omnibus officinarum veſtibulis parvas ejus imagines ſtatuant, tutelam ex his quandam ſibi, & præſidium comparantes.* Planè non uſus dumtaxat, ſed cultus imaginum hic apertè ſonat: utpote cum ab iis præſidium & tutela expectetur.

XIV. Ex Synodo Trullana. Synodus Trullana Græcorum ante excitas de imaginibus controverſias: *Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas agnus qui digito demonſtratur præcurſoris depingitur, qui ad gratiæ figuram adſumptus eſt, verum nobis per legem Chriſtum Deum noſtrum demonſtrans agnum. Antiquas ergo figuras & umbras, ut veritatis ſigna & characteres Eccleſiæ traditos, amplectentes, gratiam & veritatem præponamus, eam ut legis implementum ſuſcipientes. Ut ergo quod perfectum eſt, etiam colorum expreſſionibus, omnium oculis ſubiiciatur, ejus qui tollit peccata mundi, Chriſti Dei noſtri, inſtar hominis characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno ſtatui jubemus, ut per ipſum Verbi Dei humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne converſationis, ejuſque paſſionis & ſalutaris mortis deducamur, ejuſque quæ ex eo facta eſt, mundo redemptionis.*

Non fefellit Damaſcenum, qui nos effugerat eximius Euſebii Pamphili contextus. *Euſebii Pamphili ex demonſtrationis Evangelicæ* L. v. *in illa verba, Apparuit Deus Abrahæ, apud quercum Mambre. Quamobrem ad hoc uſque tempus is locus tanquam divinus, ad honorem eorum qui illic Abraham apparuerunt, à vicinis populis celebratur. Et ſpectatur adhuc firma terebinthus, & qui ab Abraham accepti ſunt hoſpitio, pictura ſic expreſſi, ut duo quidem utrimque tertium ut honore præſtantiorem medium habeant. Sit autem declaratus hic nobis ipſe ſervator noſter; quem etiam ignari venerantur, qui divinis oraculis credunt.* Hæc verba, ἐπὶ γραφῆς ἀνακείμενοι: rectè Damaſcenus ad picturam, male nuperus interpres ad ſcripturam refert; neque enim ſcriptura medium illum honore duobus aliis ita præeuntem deſcribit, ut innuit Euſebius. (Orat. 3. de Imag.)

Porrò horum teſtimoniorum complura, atque innumera alia ex Græcis maximè Patribus conſarcinata leges in ſeptima Synodo, ex qua viſum eſt hìc unum decerpere tantùm locum ex Epiſtola Adriani Papæ, quæ integra refertur Act. II. *Ecce ut præmiſſum eſt, ſanctorum figuræ, ab ipſis ſanctis fidei noſtræ rudimentis apud omnes fuerunt Chriſtianos, atque in Eccleſiis ſanctorum ſacræ figuræ expreſſæ atque depictæ hactenus fuerunt. Quatenus gentilitas Paganorum conſpecta divinæ ſcripturæ depicta hiſtoria, ab Idolorum cultura & dæmonum ſimulacris ad verum Chriſtianitatis lumen atque amoris Dei culturam verti deberet.* Ubi ſanctus Pontifex ſtatim ab exordiis fidei noſtræ frequentatas exiſtimat imagines ſacras, ut ad has molliùs ab idolis ſuis converterentur Gentiles. Cum enim corporalibus adminiculis mentes conſuetudine ſenſuum imbutæ egerent, ut ad intelligibilia eniterentur, ſatis tempeſtivè impiorum in vicem ſimulacrorum, pietatis & ſanctimoniæ argumenta per Chriſti & Martyrum imagines obiiciebantur. Secus nonnullis viſum eſt, parcius uſurpatas prioribus ſæculis picturas à noſtris, vel ſtatuas, ne iſta viciſſim nobis quaſi ſuperſtitio à Gentilibus exprobraretur, & pigriùs illi à ſuis abducerentur, ſi nos quoque noſtris affixos imaginibus cernerent. Fruatur unuſquiſque ſuo judicio: quæ tamen ex Tertulliano, Euſebio, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Baſilio, Nyſſeno aliiſque priorum ſæculorum luminibus coacervata ſunt ſuperiùs, ea abundè arguunt, etſi fortaſſis parciore, nonnullo tamen in uſu atque honore etiam tum fuiſſe ſacras imagines. Viſa eſt tamen nonnullis Eliberina Synodus vetuiſſe *Picturas in Eccleſia, ne quod collitur aut adoratur, in parietibus depingatur*: quaſi ſatius duxerit ea Synodus, omnino abſtineri ab imaginum vel cultu, vel etiam uſu, eo tempore & loco, ubi non poterat uſus, vel cultus earum ſine Gentilium ſcandalo & offenſione retineri. (XV. Etſi parcior, nonnullus tamen imaginum uſus ab initio, ne offenderentur Gentiles converſi.)

CAPUT XII.

Ecquid imaginum cultui refragetur aut ſuffragetur Gregorius Papa ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum ſcribens; Et his olim innixa Epiſtolis Eccleſia Gallicana?

NIcænæ Synodo ſecundæ ſacrarum imaginum vindici adverſati ſunt aliquandiu Epiſcopi Galli- (I. Galli adver. ſus ſeptimã Synodũ cer-)

tantes olim imagines tamen non cõfringebant.

Gallicani, Gregorii Papæ Epistolis potissimum nixi. Ex hoc catholicorum tunc inter se dissidio circa sacras imagines, quas Synodus non dedicare tantùm in templis, sed etiam venerari jusserat: Gallicanæ verò Ecclesiæ proceres ornandis templis, aut edocendis imperitis proponendas assentiebantur, venerandas autem abnuebant, aut abnuere videbantur; ex hoc inquam flagrantissimo tunc dissidio etiam nunc adversum nos belligerandi occasionem & tela rapiunt Iconomachi recentiores. Sed perperam illi quidem. Nam orthodoxis tum omnibus id conveniebat, non conterendas, non violandas esse imagines, sed in templis, vel ad ipsorum ornatum, vel ad doctrinam imperitorum appendendas, de solo cultu controvertebatur. At nemo nescit qua immanitate nuperæ Iconoclastarum furiæ in imagines grassatæ sint. Denique ne de cultu quidem omni abrogando tum controversia vertebatur, sed de eo ad legitimum modum temperando.

II. Imò & modesto ac sobrio honore afficiebant.

Verùm ut ne jam ulla habeatur ratio Iconoclastarum, id unum nobis institutum est, illas tunc inter catholicas rixas demonstrare, nullam partem attigisse aut perstrinxisse catholici dogmatis, sed sospite fidei hinc & inde integritate, concertatum esse. Atque ut lux amplior disputationi huic affundatur, tria quædam videntur hìc primùm capita catholicæ fidei circa imagines diligenter distinguenda: primò non confringendas, sed religiosè servandas in templis esse imagines: secundò inclinatis prostratisque ante imagines vultibus atque corporibus, amorem cultumque interiorem iis devovendum destinandumque, quorum sunt imagines: tertiò denique, ipsum animi affectum & charitatem, fiduciam, spem, & spiritalem ex animo servitutem, nonnisi iis dedicandam esse, qui per imagines repræsentantur. Hæc tria fidei nostræ decreta, in tota illa concertatione digladiantium hinc atque inde Gallorum atque Græcorum, intacta & illibata perstitisse, atque adeo sospite penes utrosque catholico dogmate dimicatum esse, demonstrandum hoc capite & sequentibus adgredimur.

III. Refertur Ep. Gregorii Papæ, cui innitebantur. L. 7. Ind. 2. Epist. 54.

Et primùm quidem quod ad Gregorium attinet, cujus unius sententiæ se totos addixerant Gallicani Antistites, tribus his capitibus consentaneum fuisse illum perspicuè ex ejus Epistolis patebit. Ita enim habet Epistola ad Secundinum: *Imagines quas tibi dirigendas rogasti, misimus. Unde valde nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras: ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum: ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras. Abs re non facimus, si per visibilia, invisibilia demonstramus, &c. Scio quidem quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei, in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura, quasi scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet.* Non confringendas imagines locus totus apertissimè testatur. Rursum honore aliquo eas afficiendas planum est, ex eo quod desiderantur, cupidè & amanter spectantur, divinitatem adoraturi antè illas prosternuntur, per illas ceu per gradus quosdam ad invisibilia mens eluctatur, denique ut monumenta quædam Christum loquentia atque inculcantia habentur. Istud enim est multigenum honoris specimen, sed moderati castigatique ad spiritalis religionis normam. Numnam enim negabis genus honoris esse, dum quid desideras? dum avidè intueris & admiraris? dum coram prosterneris? dum ceu monumenta Christi osculo & amplexu prosequeris? Tertiò denique non ideò imago petitur, ut quasi Deus colatur: non ei amor affigitur, sed destinatur ad Deum: etsi ante imaginem corpore prosterneris, non illam tamen animo, sed divinitatem adoras. Ergo palam detestatur Gregorius imaginum sacrarum & effractores impios, & superstitiosos adoratores, gratulatur autem piis & emendatis veneratoribus.

IV. Altera ejusdem Epistola. In utraq; honor & cultus imaginũ, sed parcus & modestus. Ibid. Ep. 111. Et l. 9. Ind. 4. Epist. 9.

Et infrà Epistola ad Serenum: *Perlatum siquidem ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omninò laudavimus: fregisse verò, reprehendimus, &c. Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, &c. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, &c. Sed hoc solicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ, ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.* Consonat hæc Epistola superiori. Lacerationem enim imaginum apertè execratur. Honorem autem congruum non minùs apertè iis admetitur, vel eo saltem quod frangi vetat, eo quod effractores detestatur: ac rursum eo quod Magistrorum instar haberi, cerni, observarique jubet: denique quod ante eas prosterni docet, Deum verum adoraturos. Quippè hæc tria sunt venerationis genera non contemnenda. Nam nisi honorem haberes aliquem imaginibus, non honorificè eas in locis venerabilibus collocares, non in earum violatores indignanter æstuares. Honoras, dum inhonorari vetas: honorem habes, dum injuriam arces aut ulcisceris. Honoras, dum honorifica sede collocas; honorem habes, dum deponi enixissimè deprecaris. Rursum nisi honorem haberes aliquem imaginibus, non iis tanquam elinguibus sed disertis tamen Magistris oculos animumque adverteres: & vicissim quibus auscultare, à quibus edoceri cupis, iis utique eo ipso venerationem impendis. Postremò quod Deum verum toto intus animo adoraturus, ad imagines converteris ore, oculisque & corpore toto, iis adgenicularis & pronus advolveris, id honoris ingentis argumentum est: nam etsi illa mentis adoratio ad Deum unum assurgat, nec imagini impartiatur, sed ipsa certè capitis corporisque inclinatio atque dejectio, ante imaginem fit, nec ad Deum traiicitur, nisi per imaginem, cui adeò honoris aliquid allinit. Quod ad tertium autem caput spectat, satis expressè urget Gregorius ne pictura adoretur, sed Trinitas omnipotens. Denique idem Gregorius alibi graviter succenset, quod occupata per vim Synagoga Judæorum, illuc illata fuisset imago Dei genitricis & veneranda crux; *His hortamur affatibus, ut sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione, imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est, reformare.* Venerationem, ut vides, cruci atque imagini adsignat, non qua tanquam Deus adoretur crux, aut imago, sed qua reverenter tractetur, ut dignum est, hæc tractari. L. 7. Ind. 1. Epist. 5.

V. Ita Gregorium interpretatur Adrianus Papa.

Ita Gregorii Papæ mentem interpretatus est Hadrianus Papa in responsione ad Carolum Regem, operisque Carolini refutatione. Allegatis enim locis Gregorii suprapositis, addit: *Sicut verò innuit Sereno Episcopo, aspicientem sacras imagines in adorationem humiliter se posterni solius omnipotentis sanctæ Trinitatis. Sic & Secundino incluso servo Dei docuit. Non quasi Deum colere, sed ante easdem sacras imagines se prosternentes, non quasi ante divinitatem ante ipsas prosterni, sed prosternentes,* illum

illum adorare, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur. Suam deinde sententiam huic consonantissimam subtexit Hadrianus septimæ Synodi vindex acerrimus, *Ita verò & nos eundem ipsum irreprehensibilem & orthodoxum sensum sancti Gregorii Papæ sequentes & amplectentes, dudum Irenæ & Constantino Imperatoribus, pro sacris imaginibus prædicandis erectione misimus dicentes: Quia in universo mundo ubi Christianitas est, ipsæ sacræ imagines permanentes ab omnibus fidelibus honorantur, ut per visibilem vultum ad invisibilem divinitatis majestatem mens nostra rapiatur: spiritali affectu pro contemplatione figuratæ imaginis secundum carnem, quam Filius Dei pro nostra salute suscipere dignatus est, eundem redemptorem nostrum qui in cœlis est, adoramus, & spiritu glorificantes collaudamus, quoniam juxta ut scriptum est, Deus spiritus est, & ob hoc spiritualiter divinitatem ejus adoramus. Nam absit à nobis ut ipsas imagines, sicut quidam garriunt, deificemus, sed affectum & dilectionem nostram quam in Dei amorem & sanctorum ejus habemus, omnimodo proferimus, & sicut divinæ Scripturæ libros, ipsas imagines ob memoriam venerationis habemus, nostræ fidei puritatem observantes, &c.* Planum hinc est cultum omnem spiritalem & amorem atque adorationem divinitati invisibili, Christoque in cœlis sedenti devoveri: imaginum autem venerationem hactenus commendari, dum eas in templis erigimus, dum suspicimus, dum avidè contemplamur, dum ante illas, non illas, sed Deum adoraturi, prosternimur; dum perinde ut Scripturæ libros, ut mutos quosdam, nec infacundos Magistros observamus. Quin hanc ipsam Nicænæ imaginum assertrici Synodo constitisse ratam fixamque sententiam, paulò pòst edocet: *Et sic Synodum istam secundum nostram ordinationem fecerunt, & in pristino statu sacras & venerandas imagines erexerunt. Et sicut de imaginibus, sancti Gregorii sensum & nostrum continebatur, ita & ipsi in eadem Synodo definitionem confessi sunt, his osculum & honorabilem salutationem reddidere: nequaquam secundum fidem nostram, veram culturam, quæ decet solæ divinæ naturæ.* Definivit ergo Synodus VII. non imaginibus, sed soli divinæ naturæ impendi veram culturam, id est, secundum fidem nostram; at imaginibus osculum & honorariam salutationem: & eatenus Gregorio concordavit. Cùm ergo & Gallicani Præsules Gregorio assentirentur, & ipsi pariter Synodo reapse acquiescebant, quam verbo tenus, quia decreta ejus non satis explorata ipsis erant, labefactare atque infamare satagebant. Sed de Nicæna Synodo infrà prolixiùs disceptabitur, & quousque illa cultum imaginum propagatum voluerit; nunc catholicæ huic Gregorii doctrinæ, ut consenserint Galli, aperiamus.

VI. Ex Epistolis Gregorii satis liquet in honore apud Gallos fuisse imagines.

Verùm cùm ad tria quædam revocaverimus summam totam doctrinæ circa imagines catholicæ, primum & tertium caput in confesso est extra omnem dubitationis aleam apud Gallicanos Episcopos fuisse, nec frangendas esse, nec rursus illo interiore latriæ cultu, qui uni Deo debetur, afficiendas esse imagines. De secundo tota concertatio est, an mediocrem illum & temperatum honorem adgeniculationis, osculi, amplexus, dejectionis totius corporis impenderint, an derogaverint.

Et universim primò præscribi posset, ab hoc non abhorruisse, quem disertissimis verbis astruit Gregorius Papa, iis ad Serenum Epistolis, quas toto animo amplexabantur Galli, & in quibus totum causæ suæ fideique præsidium collocatum jactabant. Suprà enim patefactum est, quam expresse Gregorius Papa iis Epistolis commendet adorari imagines, dum eas vult honorificè in templis collocari, dum eorum violatores compesci plectique jubet, dum iis ut magistris oculos animosque affigi ac devoveri præcipit, dum ante eas prosterni, & reliqua istiusmodi dejecti corporis servitute defungi hortatur. Acquiescunt Galli Gregorio hæc sancienti, ergo à cultu imaginum non abhorrent. Ita argumentabatur Hadrianus Papa in responsione ad Carolum Regem, respondens enim ad caput xxv. operis Carolini, quo Gregorii ad Serenum Epistolis adhærescere se Galli profitebantur, ait: *Hoc sacrum & venerandum capitulum multum distat à totis supradictis capitulis. Et idcircò agnovimus vestræ à Deo servatæ orthodoxæque regalis excellentiæ esse proprium, in eo ubi rectæ fidei plena penitus confessa est, sensum sanctissimum Gregorii sequi.* Ostenditque consequenter iis Epistolis Gregorium decrevisse, ut Trinitatem adoraturi, non imagines, ante imagines ipsas humiliter prosterneremur: & Synodo septimæ consentaneum in omnibus esse Gregorium. Ex quo perspicuè efficitur, ut & Synodo Nicænæ secundæ reapse Galli suffragarentur, quando Gregorio ab ea nihil dissidenti annuebant. His generatim præstructis, singulos jam adoriamur.

VII. Idem liquet ex Jona Aureli.

Jonas Aurelianensis Episcopus penè signifer fuit Gallicanæ hujus adversus septimam Synodum tumultuationis. At is non alium imaginibus abjudicat cultum, quàm eum qui uni Deo debetur, nempè addictissimam illam servitutem, quam latriæ nomine insignimus: cùmque fama percrebuisset in septima Synodo latriam imaginibus decretam esse, ideo in hanc cum Coepiscopis suis invehebatur. Libro 1. adversus Claudium Taurinensem, *Hæc itaque & nostra sententia est; verum est sanèque fidei congruentissimum, nullam prorsus similitudinem omnium quæ in cœlo, vel quæ in terra, vel quæ subter terram sunt, faciendam, cui cultus, aut adoratio quæ soli Deo debetur, quodammodo exhibeatur.* Et infrà: *Creaturam verò adorari, eique aliquid divinæ servitutis impendi, nefas ducimus, hujusque sceleris patratorem detestandum & anathematizandum libera voce proclamamus; isque quantæ sit punitionis, Dominus terribiliter intonat dicens, Sacrificans nisi Domino soli eradicabitur.* Vides quàm accuratè eam uni Deo debitam & peculiarem servitutem exprimat latriæ & sacrificii, cùm illam abrogat imaginibus. Et infrà cùm Claudius indiscriminatim negaret adorari opera manuum hominum, excipit Jonas: *Verum est, quia neque opera manuum hominum sunt adoranda & colenda, illo videlicet cultu & adoratione, quæ solius divinitatis est.* Denique Græcos perstringit, quòd cùm imaginibus nihil divini inesse sentirent, divinos tamen illis impartirent honores; ita enim mendax fama vulgaverat: *Unâ autem reprehendimus ac detestamur, quia cum eorum scientiam non subterfugiat, imaginibus nihil inesse divini, majori digni sunt invectione, eò quòd debitum honorem divinitati impenderint infirmo & egeno simulacro, &c. Idipsum etiam nonnulli Orientalium qui eidem sceleratissimo mancipantur errori, se objurgantibus respondere solent, &c.*

To. 4. Bibl. Patr. Part. 1. p. 541. 542. 550. 547.

Præterea idem Jonas sedulò discriminat duplicem honoris rationem, alterius qui uni Deo dedicatus sit, alterius qui cum creaturis communicetur. Quocirca hunc postremum imaginibus non abnegabit, quibus illum tantùm abrogavit Dei proprium & singularem. *Debueras sanctorum Patrum expositionem non tuam propriam sequi, quod quia facere renuisti, vim proprietatemque eorumdem verborum non satis expresse declarasti. Alia quippè est adoratio, quæ nonnisi soli Deo debetur, alia quæ à mortalibus humilitatis & subjectionis gratia æquè mortalibus exhibetur. Rursus alius est cultus quo nonnisi divinæ potentiæ famulandum est, & alius est qui non solum rationalibus, verum etiam irrationalibus creaturis juxta modum proprium impenditur. De diversitate itaque cultus, habes unà nobiscum*

Ibid. p. 541.

biscum B. Augustinum, &c. Pergitque porrò ex Augustino & Ecclesiæ sententia dispescere latriam uni Deo summo addictam, & servitutem aliam perfunctoriam honoremque sobrium & parcum, quò creaturas etiam fas est prosequi. Claudium autem ex huius discriminis imperitia revincit immania quædam delirasse circa præceptum Decalogi de simulacrorum vetita fabrefactione & latria. Hinc autem dilucidè emicat, non intercedere Jonam, quin decoloratiore hoc & umbratili cultu honestentur imagines.

VIII. Ex eodem. Ad hæc hunc secundi generis cultum Jonas Reliquiis Sanctorum decernit; ergo & imaginibus perinde concesserit, mediocrem modo & castigatum; *Verum est, quia neque opera manuum hominum sunt adoranda & colenda, illo videlicet cultu & adoratione, qui solius divinitatis est. Opus namque Dei manuum, corpora Sanctorum, præcedentia opusculi tui te dixisse produnt, adoranda adoratione divinitati debita, sed pio sunt amore amplectenda & honoranda, utpotè sancti Spiritus templa sacrata.* Et paulò antè multa ex Patribus compilaverat, ut ostenderet, *Sanctorum corpora à cunctis fidelibus pio amore amplectenda & honoranda esse.* Dixeratque cum Hieronymo, *Honoramus Reliquias Martyrum, ut eum cujus Martyres sunt, adoremus. Honoramus servos, ut honos servorum redundet ad Dominum.* Qui ita affectus animo est, ubi divinitatis proprios honores amputavit imaginibus, an omnes illico honores accidisse existimandus est? Etenim una est imaginum & reliquiarum causa, ut colantur, & ne tamen pro Deo colantur: quia ut idem ibidem mox ait: *Quisquis visibilia figmenta atque imagines & sive cælestem, sive terrenam, sive spiritalem, sive corpoream creaturam pro Deo colit, creaturæ, non Creatori servire convincitur.* Si nullos præter divinos honores approbaret Jonas, non illos imaginibus tantùm, sed & Reliquiis abrogaret: si quos Reliquiis indulget, eos ut divinis exiliores non abrogavit imaginibus, cum divinos tantùm abrogavit.

Ibid. p. 149. 150.

Exploratiùs id fiet ex honore eo quem sacris codicibus & libro Evangeliorum maximè in Ecclesia deferri collaudat. In præfatione Lib. II. *Miror si unquam legi Dei, quæ ubique pellibus & atramento digesta habetur, caput supposuisti, & osculum dedisti. Fortè respondebis si tamen veritatem profitearis, multotiens te id egisse. Volo ergo, ut mihi respondeas, cujus causa caput inclinasti? pellium vel atramenti, an Dei authoris legis ejusdem? Nam sacræ religionis usus in sancta Ecclesia adhuc servatur, si tamen apud te, ut perfecta sacri Evangelii lectione, ab Episcopo vel Presbyteris, cæterisque sacri Ordinis religiosis, codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur. Sed hoc cujus causa nisi illius, cujus esse verba creduntur, agimus?* Caput inclinare, caput supponere, oscula affigere & quidem multiplicia, ea sanè venerationis argumenta sunt. Qui hæc libro Evangeliorum offerunt, quin offerant & imagini? Nam si divinus honor est, nec codici debetur: si divinitatis proprius non est, & imagini debetur. Sed quia codex pro Deo coli vix unquam potuit; imago autem simplicioribus imponere & pro Deo coli sæpè visa est, ideo anxia magis cautela ab imaginibus, quàm à sacris codicibus divini honores propulsandi sunt.

IX. Ex eodem. Atque ut tergiversandi locus non supersit ullus, crucis Christi imaginem esse adorandam confitetur Jonas, quæ utique non aliud quàm imago erat. Ergo à temperato imaginum cultu non dissentiebat. In eadem Præfatione ad Lib. II. *Neque enim nostro tempore usus irrepsit, figuram crucis in Basilicis sanctorum statui, sed mos antiquæ observationis legitimus id constituit, ut cunctis sapientibus & rusticis non solum memoria spiritalem quandam deformet imagine crucis figuram, sed etiam corporalis ipsius intuitus crebram menti præfigat Dominicæ Passionis victoriam. Si enim quantitas tantæ venerabilis ligni, in quo Dominus & Salvator noster pependit, foret ut ex eo minutatim diviso, cuncta Deo dicata templa possent imaginem crucis habere, nullatenus ex aliis lignis ejusdem formam in Basilicis locaremus. Nec tamen ideò crucem ut Dominum adoramus, sed magis eum qui per crucem mortis destruxit imperium. Porrò & si oscula infigimus, non utique causa ligni, sed potiùs amore illius id à nobis agitur, qui in ea veteris ligni damna restauravit.* Et infrà: *Ac per hoc quidquid cruci perhibemus, ob honorem & amorem illius ac venerationem, qui in ea pependit, totum agimus: atque utinam tanto, quanto deceret, honore veneremur.* Igitur non ipsam tantùm Domini crucem, sed crucis veræ etiam imaginem venerandam, adorandam, osculis lambendam agnoscit Jonas, non ut Deum tamen adorandam, sed per eam Christum magis adorandum. Non ergo & eodem venerationis modo reliquas imagines afficere detrectabat, sed ut præmonui, quia reliquarum imaginum forma ad corporis effigiem expressa illudere rudioribus potest, & pro Deo honorari, circa eas major vigilavit cautela. Et rursùm Lib. I. de crucis adoratione, quatenus ea interpretanda esset: *Quo ergo ob recordationem redemptionis suæ sancta Ecclesia ex sanctorum Patrum traditione, crucem Christi veneretur, adoret, colat, non cultu & adoratione quæ solius divinitatis est, sed eo potiùs unde satis abundèque dictum est suprà, nemo nisi qui ab Ecclesiastica traditione dissentit, ignorat. Unde ob recordationem salutiferæ Passionis Dominicæ, annuatim in sanctissimo die Parasceves, secundùm traditionem Ecclesiasticam, crucem Christi adorat, id est, supplicando salutat, quæ etiam totum diffusa per orbem, in Christi laudem prorumpens, gratulabunda canit, Crucem tuam adoramus Domine, &c.* De cruce hic ut alibi de imaginibus, ait, coli *non cultu & adoratione quæ solius divinitatis est*, sed illo leviore, nempè osculo, salutatione, supplicis corporis dejectione, & aliis istiusmodi. Et Lib. II. *Porrò de adoratione ejus, non ea quæ solius divinitatis est, &c.* Et paulò infrà: *Volumus siquidem more Ecclesiastico ob recordationem Passionis Dominicæ, juxta superiùs præmissum modum, crucem adorare, id est, salutare.* Et infrà: *Crux itaque juxta præmissum modum, adorando salutatur.* Studiosè secernit hunc salutandi cultum, ab illa adoratione quæ Deo propriè ascribitur. Hunc itaque cur imaginibus abnueret?

Ibid. p. 150. 167.

Postremò denique Jonas negat Græcos idololatras nuncupandos, tametsi nimio in imagines amore aliquantulum, ut ipse fama delusus existimabat, delirarent. *Porrò imagines Sanctorum habet Gallia, nec tamen eas in dæmonum cultum venerantur. Nam & illi qui nimio & indiscreto amore ob honorem Sanctorum, eorum imaginibus supplicant, nescio an temerè idololatræ sint vocandi. Videntur sanè potiùs ab hac superstitione, adhibito rationis moderamine revocandi, quàm idololatræ, cùm utique sanctæ Trinitatis fidem veraciter credant & prædicent, nuncupandi.* Catholico igitur animo erant tum Galli, qui Gregorio Papæ subscribebant, qui ab Apostolicæ Sedis unitate non diffidebant, qui Catholicos cæteros etsi in imaginum amore & cultu nimios esse opinabantur, non tamen eos gravi impietatis convitio inurendos ducebant, nec ab eorum se divellebant charitate.

Ibid. p. 147.

X. Ex Agobardo. Agobardus Lugdunensis Episcopus de picturis & imaginibus libellum edidit in ejusdem tum Gallorum sententiæ defensionem. Porrò ex eo emicant argumenta ferè eadem, quibus subluceat non omni penitus eum, sed divino cultu imagines abdicasse. Nam primò quidem multa ex Augustino congerit ad duplicem cultum dispescendum, Dei proprium, & ab eo diversum atque inferiorem. Toto autem operis contextu nonnisi divinos honores abrogat imaginibus: *In quo genere ista quoque*

inveniuntur, quas sanctas vocant imagines: non solùm sacrilegi ex eo quòd divinum cultum operibus manuum suarum exhibent, sed & insipientes, &c. Et infrà: *Dicit forsitan aliquis non se putare imagini quam adorat, aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus cujus effigies est, tali eam veneratione donare.* *Cui facilè respondetur, quia si imago quam honorat Deus non est, nequaquam veneranda est quasi pro honore Sanctorum, quia nequaquam divinos sibi arrogant honores.* Et infrà: *Adoretur, colatur, veneretur à fidelibus Deus, illi soli sacrificetur, vel mysterio corporis & sanguinis, quo sumus redempti, vel in sacrificio cordis contriti & humiliati. Angeli vel homines sancti amentur, honorentur, charitate, non servitute: non eis corpus Christi offeratur, cùm sint hoc & ipsi. Non ponamus spem nostram in homine, sed in Deo.* Ubi perspicuum est, eos tantùm proscribi, qui peculiares Dei cultus imaginibus adolent, qui in eis spem ponunt, qui eis sacrificium offerunt, qui eas denique pro Deo habent, cujusmodi Græcos esse, rumor in Occidente tum percrebuerat.

Ad hæc eam venerationem detrahit imaginibus Agobardus, quam detrahit & Sanctis ipsis quorum sunt imagines. Atqui in confesso est, non omnem vel ab ipso vel ab omnibus tunc Galliæ Episcopis honorem abdicatum esse Sanctis, sed & Sanctorum & Reliquiarum honores incolumes perseverasse apud ipsos, igitur nec imaginibus aufert honores nisi divinos, mediocres autem tacitè annuit. Quòd autem eam venerationem detrahat imaginibus Sanctorum, quam Sanctis ipsis, demonstrant verba jam allata: *Dicit forsitan aliquis, non se putare imagini quam adorat, inesse aliquid divinum, sed tantummodo pro honore ejus cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facilè respondetur, quia si imago quam honorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore Sanctorum, quia nequaquam divinos sibi arrogant honores.* Et inferiùs paulò antè finem: *Nec iterum ad sua latibula, fraudulenta recurrat astutia, ut dicat se non imagines Sanctorum adorare, sed Sanctos. Clamat enim Deus, Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Et Apostolus de Domino nostro Iesu Christo, Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Quale verò nomen sit, consequenter exponit, Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c. Hanc potestatem, laudem, dominationem, hoc nomen quod est super omne nomen nullus sanctus Angelus, nullus sanctus homo sibi usurpat. Angelus enim qui usurpavit, vel Angelus quam usurpare suasit, uterque corruit, &c. Flectamus genu in nomine solius Jesu, ne si alteri hunc honorem tribuimus, alieni judicemur à Deo, &c.* Ajentes igitur honorem à se haberi imaginibus non propter ipsas, sed propter Sanctos qui per eas exhibentur, non aliter refellit Agobardus, quàm nec Sanctis ipsis eos deberi honores, sed Deo uni & Christo, mediatori Dei & hominum. Non abnuit ergo quin si qua honoris delibatio impendi jure possit Sanctis, possit & per imagines ad eos transmitti. At esse honoris & amoris modum aliquem castigatum qui à Sanctis jure vindicetur, totus ille liber contestatur. *Angeli vel homines sancti amentur, honorentur, charitate, non servitute, &c.* & alibi passim.

XI. Ex eodem Agobardo. Præterea non obscurè significat Agobardus, ad honores istos ab imaginibus amoliendos, qua potissimum ratione moveretur. Nempè quod elaboratæ arte, coloribus fucatæ, ad summam elegantiam pictæ, fusæ, sculptæque imagines facillimè imponerent, iisque tanquam viventibus, adeoque ut numinibus rudiores quique preces ingererent, vota nuncuparent, spem auxilii affigerent, sacrificarent: *Cumque omnium una sententia sit, cultum religionis soli Deo deberi: quia superest fidelibus, nisi ut purgatis ab omni figmentorum profana servitute animis, totis viribus decertemus, quatenus veraciter illud quod scriptum est, dicere valeamus, Non enim in errorem nos induxit, hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, &c.* Et infrà: *Necdum error emerserat, quo nunc de carbonibus, minioque, vel sinopide figuratæ effigies, sanctæ imagines vocarentur, & adorandæ prædicarentur, &c.* Et paulò suprà: *Ita quoque si viderimus pennatos Angelos, pictos prædicantes Apostolos, Martyres tormenta patientes, nullum ab imaginibus quas aspicimus auxilium sperare debemus, quia nec malè possunt facere, nec bene. Rectè nimirum ob ejusmodi evacuandam superstitionem, ab Orthodoxis Patribus definitum est, picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Ita ille Eliberinum canonem allegat. Porrò abundè ex his patescit, non reclamare Agobardum aut succensere, nisi eis qui specie aut majestate fucata imaginum delusi, eas ut Deos viventes vigentesque invocarent, & ab iis spem suam religarent.

Denique idem confirmat Agobardus hoc loco quem postremum ex eo referam, & honorem imaginibus suum adserit, si modò clementem nanciscatur interpretem. *Aspiciamus picturam, quasi picturam vita, sensu & ratione carentem. Pascatur hac visione oculus, Deum verò veneretur animus, qui & Sanctis suis victoriæ coronam, & nobis intercessionis eorum tribuit adjutoria. Habuerunt namque & Antiqui Sanctorum imagines, vel pictas, vel sculptas, sed causa historiæ ad recordandum, non ad colendum, ut verbi gratia, gesta synodalia, ubi pingebantur Catholici veritate fulti & victores.* Vides quid vereretur, quid detestaretur: ne vita, sensus, ratio inesse imaginibus, atque adeo divinitas quædam insidere existimaretur. Sed vides etiam non obstrepere Agobardum ei cultus generi quod necessariò astruendum est imaginibus. Interim enim dum animus adorat Deum, ipsas suspici, ipsarum visione oculos pasci jubet. Id verò est quod nos appellitamus imagines venerari, per imagines exemplaria revereri. Cùm enim tota mentis intentio in exemplaria & in Deum maximè destinatur, & corpus interim ad corporeum aliquid convertitur, illud intuetur: eo pascitur, eo eruditur, atque ita illud quà fas est, veneratur. Cultus hic autem honorarius & refringi potest & ampliari. Ampliatur enim cùm ad amplexus, ad oscula, ad capitis, ad corporis totius inclinationes, ad suffitus & id genus alia porrigitur. Restringitur si ad solam conversionem corporis, ad salutationem, ad admirationem & religiosum intuitum coarctatur. Integrum est cuique Ecclesiæ peculiari habenas vel laxare vel inhibere his ritibus colendi. Sicubi enim thus adolere imaginibus nefas haberetur, eam ibi legem violare nefas esset. Ubique gentium nefas est sacrificia & altaria exhibere præterquam Deo vero, etsi ritus ille externus est. Si Galli aliquandiu Episcopi parciores fuere in externa hac imaginum veneratione, eisque non aliud decrevere honoris, nisi honorificam in templis stationem, imperitorum magisterium, corporum ad eas inter adorandum, oculorumque conversionem, quis non æquo animo ferat, eam ab illis usurpatam libertatem, quæ penes Ecclesias omnes fuit semper, estque etiamnum, peculiares ritus sibi deligendi? Si autem acriùs in reliquos Galli tum invehebantur, in causa erat, vel quod ita homines comparati sunt, & sua alienis libenter anteponunt, & quæ postponunt, contemnunt: vel quod cùm nimis prolixos esse Græcos in imaginum honorem fama vulgasset, hanc lasciviam illi non parcitate tantùm sua, sed etiam objurgatione castigare laborabant. Certè in secundario hoc cultu imaginibus adhibendo, Ecclesiæ universæ conveniebant, dum etsi jejuniores, nonnullos tamen illis honores of-

fere

ferebant. Huc pertinet illud ejusdem Agobardi: *Quod autem imagines Apostolorum & ipsius Domini ob amorem potius & recordationem, quam ob religionis honorem, aut aliquam venerationem more Gentilium, ab antiquis expressæ vel conservatæ sint, Eusebius Cæsariensis ostendit, &c.* Ubi adverte concedi ab Agobardo, non ob recordationem tantùm, sed etiam ob amorem imagines adhiberi: quòd per eas nostrum Sanctis significemus amorem. Amore porrò continetur honos cultusque. Nam nec Deus colitur nisi amando. Denique in Galliis tunc ex parte saltem factitabatur, quod in reliqua tunc, quod in universa etiamnunc Ecclesia, toto corpore oculisque conversi ad imagines, quandoque etiam prostrati, Deum adorabant: eam Galli negabant esse imaginum venerationem, ne ipsæ propter se adorari imagines putarentur: cæteri Catholici, eam interpretabantur imaginum culturam, certi cultus principalis & interioris in Deum rectà impetum totum ferri, rapique. Verbo igitur dissonabant magis quàm sententia; & de amplificando magis aut temperando, quàm de elevando penitus aut profligando imaginum cultu velitabantur.

XII. Ex Vualafrido Strabone. Sed id consilii Gallicanis Ecclesiis insedisse, ut temperaretur ad æquam mediocritatem aureamque, non ut funditus everteretur imaginum cultus, constabit illud quidem ut arbitror invictissimè ex Vualafrido Strabone, qui & ipse stylum exeruit in eadem quæstione disceptanda, & cum Gallicanis proceribus adversus Græcorum, ut ipsis mendax fama persuaserat, superstitiones acriter decertavit. Strabo igitur id primum expressissimè & frequenter inculcat, temperamentum captandum esse, non excidium cultus imaginum: *Nunc jam de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua. Quia & earum varietas nec quodam cultu immoderato colenda est, ut quibusdam stultis videtur; nec iterum speciositas ita est quodam despectu calcanda, ut quidam vanitatis assertores existimant.* Et infra: *Notandum verò quod sicut quidam easdem imagines ultra quàm satis est, venerantur: ita alii dum volunt cautiores cæteris in religione videri, illas ut quasdam idololatriæ species respuunt, & præsumptionis fastu simplicium corda scandalizant.* Et infrà: *Cum itaque talis sit Christiani sensus perfectio, non sunt omnimodis honesti & moderati imaginum honores abiiciendi.* Et denique caput illud ita claudit: *Sic itaque imagines & picturæ habendæ sunt, & amandæ, ut nec despectu utilitas adnulletur, & hæc irreverentia in ipsorum quorum similitudines sunt, redundet injuriam: nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur.* His indubitatè liquet, modum non exterminium cultus imaginum Gallicanis Ecclesiis adlubuisse, nec in id tantùm eas conspirasse, ut ne injuriosè frangerentur imagines, sed etiam in id, ut moderatis honoribus decorarentur. Deprecatur enim Vualafridus Strabo non omnem cultum, sed immoderatum, sed ultra quàm satis est; honestos & moderatos earum honores abiici vetat; haberi & amari eas jubet.

L. de rebus Ecclesiast. c. 8. Præterea idem specialiùs exprimit quæ cultus immoderatio propulsanda sit ab imaginibus, nempè ut ne divinis honoribus obruantur: exprimit quod genus honoris adsignandum eis sit, videlicet, ne deponantur, ne abiiciantur, honorificè habeantur in Ecclesiis, amentur, cum pia admiratione suspiciantur, nostris perfundantur lacrymis, denique spiritalis religionis quæ soli Deo destinatur ex animo, externa significatione honestentur. Cum enim de picturis & imaginibus disputasset, quas Moyses & Salomon fabricarunt, subdit: *Cum certum sit & illos ita sensisse, & nos ita sentire debere, quod videlicet non sint Deo debitis cultibus & honoribus colenda, quæ ab illis vel nobis facta sint, vel fuerint, aut significandi alicujus mysterii causa, ut tabernaculi & templi structura omnis: aut ob commemorationem rerum gestarum, ut picturæ historiarum: aut ob amorem eorum quorum similitudines sunt, animis videntium arctius imprimendæ, ut imagines Domini & Sanctorum ejus.* Ablegantur cultus divini ab imaginibus, non inferiores. Et paulò pòst spiritalis cultus similiter amputatur, nec enim rei corporeæ inesse vita, aut majestas ulla propria putanda est, quam spiritali æstimatione magnifaciamus, *Unde videlicet intelligamus, in his faciendis devotionem & utilitatem, qua commoveri vel instrui appetimus, non esse culpandam: sed in his colendis, superstitionem & hebetudinem, qua spiritalem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam.* Et infrà: *Et videmus aliquando simplices & idiotas, qui verbis vix ad fidem gestorum possunt perduci; ex pictura passionis Dominicæ vel aliorum mirabilium ita compungi, ut lacrymis testentur, exteriores figuras cordi suo quasi literis impressas.* Et paulò pòst: *Sic itaque imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ, ut nec despectu utilitas adnulletur, & hæc irreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam: nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimie impensus, arguat nos minus spiritalia contemplari.* Accuratiùs hic scriptor quàm plerique alii, cultus & honoris genera duo distinxit, alterum divinum & spiritale quo animus ipso Deo vero & summo inhæret: alterum mediocre & penè totum corporale, quod rebus corporeis ad incorpoream divinitatem nos evehentibus impendimus. Agnovit enim imagines non frangere, non revellere templis, suspectare, admirari, lacrymis rigare, & hujus generis alia, hos nimirum & vocandos esse, & germanos reapse imaginum honores esse. In hoc autem genere aliquanto latiùs evagari, & ad oscula, amplexus, adgeniculationes, suffitus usque excurrere, aut continere se & intra breviorem gyrum comprimere, cuiusque Ecclesiæ ea potuit aliquando esse libertas, cæterum omnibus persuasissimum erat ex hac mediocrium honorum specie aliquos saltem imaginibus donandos.

Ad hæc divinos honores non ab imaginibus tantùm, sed à sanctis etiam abstinendos esse idem decernit, unde & tam imagines quàm sanctos reliqua inferiori cultura honorari non vetat. Et scitè observat hic author quod ex Damasceno jam alibi adnotatum est: Judæis ut intra pueritiæ rudimenta adhuc ineptientibus, nec rerum discrimina dispicere adhuc idoneis, & sanctorum & imaginum solemni cultu interdictum fuisse: & serpentem æneum ab Ezechia necessariò confractum, quòd levi errore in idololatriam præcipites irent; at Christianis tam altè insitum atque infixum penitissimè Dei unius numen esse, ut nihil periculi sit, ne per Sanctorum, vel imaginum honores in idololatriam delabantur: *Quem imaginarium serpentem quia populus ad idololatriam proclivis, postmodum quadam superstitiosa veneratus est religione, Ezechias Rex Juda religiosissimus legitur fregisse. Ergo cum Christianus populus tanta sit in divinis rebus docilitate, in interiora sapientiæ spiritalis inductus cellaria, ut non dicam picturas & imagines, sed ne ipsos quidem sanctos homines vivos, vel mortuos, divinis credat colendos honoribus vel adorandos: Rogamus enim sanctos non ut ipsi præstent per se, quæ saluti nostræ necessaria sunt, sed ut ab authore bonorum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, utpote illi proximiores meritis, & ideo certius audiendi, impetrent quæ saluti petentium opportuna non nesciunt: Deum autem oramus ut sua bonitate gratuita, meritis & intercessionibus Sanctorum, quæ nobis judicat commoda, largiatur. Et huic quidem ut Deo Domino, judici, creatori, omnipotenti* XIII. Ex eodem.

tenti & salvatori supplicamus: Illos verò ut Dei amicos, Domini famulos, Patronos verè honoratos & pleniter salvatos in adjutorium vocamus. Tales esse preces fidelium, qui publicæ Ecclesiæ orationes considerare norunt, dubitare non poterunt. Cùm itaque talis sit Christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti & moderati imaginum honores abjiciendi. Obiter monebo quàm miserabiliter cæcutiant Iconomachi & Hagiomachi horum temporum, qui his authoritatibus impetant, quibus nos vallamur, ipsi confodiuntur. Apertissimè enim hic approbat dum suis finibus modulatur & Sanctorum cultum atque invocationem, & imaginum reverentiam. Nec patitur populo Christiano illini vel suspicionem idololatriæ, sed nec metum vel cautelam nimis anxiam indici, usqueadeo per Christi sanguinem Deo vero devinctus & inexplicabiliter implicatus est.

Postremò denique idem author, non suam hanc, sed Ecclesiæ Gallicanæ mentem esse, ratamque illius etiam Parisiensis Synodi sententiam contestatur, quæ sub Ludovico Pio de Imaginibus adversus Græcorum decreta coaluit, multaque duriusculè conscripsit. Quocirca hinc necessariò colligitur, & Synodi Francofordiensis, & Conventus Parisiensis, & Operis Carolini, & lucubrationum aliarum tum temporis editarum in Galliis, & Episcoporum qui tunc imaginum cultui obstrepuisse vulgo existimantur, & totius denique Gallicanæ Ecclesiæ hunc scopum, hanc sententiam fuisse, ut imagines ne colerentur aut adorarentur, nempe divinis honoribus: sed ut eædem moderatis cultibus afficerentur. Audi Strabonem: *Hujus rei quæstio apud Græcos sæpè tantas contentiones excitavit, ut sub Gregorio Papa Juniore, Constantinus Imperator apud Constantinopolim omnes imagines deposuerit: & sub Gregorio tertio Romæ Synodus sit facta supra condictam ut dixerunt hæresin; in qua firmatum est, ut sanctorum imagines secundum priscum Catholicæ Ecclesiæ ritum restituerentur. Ipsa denique querela Græcorum temporibus bonæ memoriæ Ludovici Imperatoris, in Franciam perlata, ejusdem Principis providentia scriptis synodalibus est confutata.* Ut cætera omittam hujus historiæ capita, in qua perfacile est, nonnullas Strabonis hallucinationes notare, non obscurè postremis verbis innuitur Synodus Parisiensis sub Ludovico Pio in causa imaginum, qua nihil vehementius, nihil acerbius adversus Græcos fieri potuit. Et hanc tamen Synodum profitetur Strabo suæ sententiæ consentaneam, in temperandis, non penitus abrogandis imaginum honoribus: idem ergo sensit illa Synodus, in idem consensit & Synodus Francofordiensis: nec dissensit author operis Carolini, etsi dum pugna ferveret, & districti sævirent calami, potuerit aliquid nonnunquam durius aut etiam inconsideratius effutiri.

XIV. Ex Hincmaro Rem. Episc.

Hincmarus Remensis Archiepiscopus suas quoque partes in diutina illa conflictatione sustinuit. Audiamus quid ille pertonet adversus Hincmarum Laudunensem; *Septima autem apud Græcos vocata universalis Pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens, sine authoritate Apostolicæ sedis, non longè ante nostra tempora, Constantinopoli est à quamplurimis Episcopis habita & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ sedis, generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipsa Græcorum Pseudosynodus destructa & penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum.* Adorandas negat, confringendasve imagines: at jamdidicimus quid

Opus c. 55. Cap. 20.

sit adorari & coli, ex usu illorum temporum in Gallia. Nempè hactenus allegati Jonas, Agobardus, Strabo pro divinis honoribus eas semper voces usurparunt, unde & Sanctos coli aut adorari vetuere, honorari charitate atque invocari approbavere: moderatis honoribus affici imagines jussit Strabo, coli & adorari inhibuit. Nec absurdè in hunc loquendi morem consenserant Galli, quod in Decalogo vetentur fieri simulacra, non simpliciter, sed ad colendum atque adorandum: hoc est, ut divinis honoribus tanquam Dii cumulentur. Cum ergo fama increbuisset etsi fallax, in Græcorum Synodo Nicæna secunda, latriæ cultum imaginibus decretum esse, ab ea Galli immanem in modum abhorruere. Strabo loco supra laudato, cum allegasset legem de non fingendis simulacris: *Cum certum sit, & illos ita sensisse, & nos ita sentire debere, quod videlicet non sint Deo debitis cultibus & honoribus colendæ, &c. Neque enim frustra superiori sententiæ subjunctum, Non adorabis, neque coles ea, &c. Cum Christianus populus tanta sit in divinis rebus docilitate, ut, non dicam picturam & imagines, sed ne ipsos quidem sanctos homines vivos vel mortuos, divinis credat honoribus colendos vel adorandos, &c.* Cùm ergo ibidem mox invocari sanctos hortetur, & mediocribus honoribus affici imagines, liquet ex familiari tum usu, voces istas colendi, & adorandi divinis cultibus fuisse tum singulariter significandis consecratas. Similia in Jona, Agobardoque fas est observare. Sed cum sparsis rumoribus vulgatum esset, Latriam Græcos imaginibus decrevisse, & eos ipsos qui Deo uni debentur cultus, non immeritò Galli exarserunt. His adde quæ habet de Hincmaro Flodoardus, *Scripsit etiam librum flagitantibus Coepiscopis fratribus suis, qualiter imagines Salvatoris nostri, vel Sanctorum ipsius venerandæ sint.* Non ergo de veneratione imaginum, sed de modo venerationis vertebatur quæstio: in quo quia parciores erant Galli non tantùm Græcis, sed & Romanis, visi sunt Majores nostri Anastasio Bibliothecario utilitatem Synodi Orientalis Imaginum assertricis ignorasse. De Synodo infrà dicetur, de cultu imaginum non auferendo, sed temperando laborabant Galli.

De rebus Eccl. c. 8.

Flodo Hist. Rom. l. 3. c. 29.

Observarunt autem jam pridem viri eruditi, unde error in hac quæstione facti exortus sit, Gallicanisque imposuerit præsulibus. In opere enim Carolino hæc habentur: *Infaustè & præcipitanter, sive insipienter, Constantinus Constantiæ Episcopus dixit: Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines, atque & quæ secundum servitium adorationis, quæ substantiali & vivificatrici Trinitati, emitto.* Ita relata sunt mendaciter verba Constantini Constantiæ Episcopi, quæ Sess. III. Nicænæ Synodi secundæ ita protulit: Κἀγὼ καὶ ἀνάξιος τούτοις συντίθημι, καὶ ὁμόρφων γίνομαι, δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας· καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν, μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω. Id est: *Et ego indignus his consentio, & concors efficior, suscipiens & amplectens honorabiliter sanctas & venerabiles imagines; atque adorationem quæ per latriam, id est, Deo debitam servitutem efficitur, soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati impendo.* Hac sententia ut revera habet, nihil castigatius: ut interpolata & levi punctorum eversione immaniter adulterata, perlecta est in Synodo Francofordiensi, nihil insidiosius, nihil exitialius. Hinc animis calamisque sævitum est à Francorum Antistitum Synodo in Græcos, vel in errorem potius Græcis perperam affictum. Unde in Capitulari libello à Gallis ad Hadrianum misso, hæc ajunt: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerant, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum, ita ut deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderet, anathema judicaretur. Qui*

XV. Errabant Galli in facto, ex vitiosa versione Synodi septimæ.

supra

supra sanctissimi Patris nostri omnimodis adorationem & servitutem eis impendere renuentes, contempserunt, atque consentientes condemnaverunt. Canon hic est Francofordiensis Synodi secundus. Quocirca jam hinc interpretandi ita sunt Gallorum de his commentarii, ut cùm adorationem imaginum expungunt, eam expungant dumtaxat, quæ ita eas ut Deificam Trinitatem prosequeretur.

XVI. Ex Carolino opere ipso liquet aliquo mediocri honore imagines à Gallis affectas fuisse.

Quin etiam in opere Carolino ut vocant, quod omnium in hac causa atrocissimum est, nec purgari à quoquam ita potest, quin multa in eo temerè ac procaciter effutita adversus universalis Synodi authoritatem, adversus majestatem Sedis Apostolicæ inveniantur, in eo inquam opere nonnulla quoque existunt nec obscura vestigia moderati honoris imaginibus concessi, sed quod ultro fateor, ad angustos sanè limites arctati. In excerptis enim ejus quæ confutavit Hadrianus Pontifex, ita habet: *De eo quod indoctè & inordinatè dicunt, Si calumniaris me, quoniam ut Deum adoro lignum crucis, cur non calumniaris Jacob, adorantem summitatem virgæ Joseph? Sed manifestum est, quoniam non lignum videns adoravit, sed per lignum Joseph, sicut & nos per crucem Christum.* Vides quid refugiat, adorari nempe quidpiam creatum ut Deum? Vides quid non refugiat, adorari scilicet Deum per creatum quidpiam? Græcos ergo insectatur acerbissimè, quos fama ferebat, quos gesta Synodi mendosiùs edita persuadebant eodem cultu res creatas atque Deum prosequi: sed Deum coli per creatum quidpiam non abnuit. Longè aliud est autem & longè mollius, per crucem Deum adorari, quàm crucem ut Deum adorari. Eodem pertinet quod de Constantino præfato queruntur, quòd imaginibus perinde ut Trinitati latriam decreverit: quod item queruntur authores hujus operis, à Græcis imagines æquiparatas esse Eucharistiæ. Hinc enim patet quid proscriptum velint. Item: *Quod contra B. Gregorii instituta sit imagines adorare, seu frangere: & quia vetus & novum Testamentum, & penè omnes præcipui Doctores sanctæ Ecclesiæ consentiunt B. Gregorio in non adorandis imaginibus, nec ut aliquid præter Deum omnipotentem adorare debeamus, in multis locis confirmat sanctus Gregorius Papa.* Ubi illud observa quòd toto hoc opere, imò & in omnium hujus causæ tum apud Gallos tractatorum monumentis diligentissimè observatum est, vocem adorandi non usurpari unquam, nisi ad peculiarem Dei cultum designandum. Cùmque vasa sacra, cùm reliquias, cùm Sanctos venerarentur ea ætate Galli & honorarent, iis tamen adorationem nunquam impenderunt, id est, eam venerationem nunquam adorationis nomine significarunt. Quo minùs mirum debet accidere si imagines adorari vetent, & Synodum suggillent, qua adorationem iis sancitam falsis rumoribus delusi opinabantur.

Cap. 24.

Cap. 50.

XVII. Poterant citra hæreseos discrimen modum cultus imaginum parciorem sibi præscribere aliquæ Ecclesiæ ingentes.

Cæterùm cùm in hoc opere imagines affectatiùs infra crucem, infra sacras Reliquias dejiciantur, cùm suggilletur qui osculum illis imprimit, hinc elucet hujus authores & consentaneos, in cultu vel honore imaginum fuisse parcissimos, ut adnotatum jam suprà est. Sed citra discrimen hæreseos poterat ea licentia usurpari tum à nonnullis Metropolitanis, ut cultui honorario in imagines præfigerent terminos etiam paulò arctiores quàm alibi, dummodo non omnem penitus honorem eis abrogarent. Etiamnunc enim non omnes sibi consonant Ecclesiæ in omni sacrorum rituum apparatu, adeoque nec in cultu imaginum modo. Si suffitus enim illis alicubi non adhibeatur, quis stomachetur? Si supra principalius altare alicubi nullæ extent, quis succenseat? Honorem habere imaginibus, fidei authoritas sanxit: quod genus honoris & quousque, an ad oscula, an ad amplexus usque, an ad geniculationes, cuique Ecclesiæ permissum est statuere. Si Gallicana ergo tunc Ecclesia ad arctiorem limitem attraxerat honores imaginum, si oscula, si amplexus, si suffitus, si aliqua ejusmodi suis finibus ablegaverat, aut nunquam admiserat, si hæc tanquam divini cultus propria esse sanxerat, cùm tamen imagines honore aliquo afficeret, à reliquis & ab ipsis Orientalibus Ecclesiis non fide, sed ritibus dissidebat: nec de honore imaginum, sed de modo & temperamento honoris jurgabatur. Porro satius fuisset pacem alere, quàm de his tam acriter depugnare, quæ ad summam fidei non pertinerent: satius fuisset, modum honoris alium alibi permittere, nec invicem sese arrodere: satius fuisset in hoc honoris imaginibus exhibendi temperamento, perinde ut in reliquo rituum Ecclesiasticorum ornatu, ipsam laudi vertere varietatem, qua vestis Ecclesiæ decoratur, qua pulchritudo Ecclesiæ, non his necessariò alligata, æternis & intelligibilibus tantùm astricta declaratur. Sed peccatum est à Gallis in hac parte, ex more humani ingenij, ut & in ritibus plerumque peccatur, dum suosquisque cæterorum contumelia magis illustrandos sperat. Supersederent ipsi osculo imaginibus libando, si alienus is sibi mos esset, si divini cultus id proprium esse jam præjudicatum sibi esset: sed cæteras non allatrarent Ecclesias, quæ nec illo occupatæ essent præjudicio, & illo more osculandarum imaginum jam olim uterentur. Ita pax constitisset, fides illibata perstitisset: at alienos mores mordaciùs insectando, fidem quidem non everterunt, sed charitati atque unitati nonnullam inusserunt labem.

XVIII. Galli in Parisiensi conventu abhorruerunt non ab omni, sed ab eo qui immoderatus sibi videbatur, cultu imaginum.

Superest conventus Parisiensis sub Ludovico Pio ad ann. Christi 825. habitus, & adversus Græcos conjuratus, ubi multa pro imaginibus contra imagines tumultuariè effusa sunt. Inseruit annalibus suis hujus residua fragmenta Eminent. Cardin. Baronius. Pauca inde excerpam, quibus clarescat, non ab omnimodo, sed ab immoderato tantùm imaginum honore abhorruisse hujus Conventus Antistites: immoderatum autem fuisse in horum regionibus eum etiam qui alibi usitatus esset. *In his quæ collecta sunt, summam hujus negotii de quo agitur, discretè comprehensam esse, juxta authoritatem divinam & sanctorum Patrum sententias arbitramur; ita videlicet ut unusquisque fidelis ea perlegens, animadvertere queat, quod imagines Sanctorum stulta præsumptione non sunt confringendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ & penitus despiciendæ, nec assertione superstitiosa colendæ aut adorandæ, sed potius hujuscemodi superstitione remota, juxta veram religionem, memoriæ & amoris causa, ob recordationem eorum quorum imagines habendæ, sicut à beatissimo Gregorio satis catholicè perspicuèque dictum declaratur.* Coli & adorari vetant imagines, quòd eas voces ex Scriptura ipsi ad divinum cultum totas transtulissent; honorari nusquam vetant. Despici prohibent, ergo honorari jubent. Earum despectum ad Sanctorum injuriam resilire confitentur, ergo eas ut Sanctis charas honorant. Memoriæ & amoris in Sanctos causa eas servant, nec ab studiosissimis imaginum admiratoribus in eas honoris quidquam confertur, nisi in recordationem Sanctorum. *Quoniam ejus textu utramque partem reprehensione dignam demonstravit, & illam videlicet quæ indebito & superstitioso cultu imagines venerabatur: & illam quæ ab inferioribus locis easdem imagines evertere & delere præcepit.* Non omnem ergo, sed indebitam & superstitiosam venerationem amoliuntur.

Baron Ann. 825. n. 13. 14 32.

Infrà autem suum sensum circa imagines apertiùs promunt, & Ecclesiæ suæ usum: *Sed quia apud nos vel Majores nostros, ex quo ulla præsens ætas recordari potest, nunquam ejusmodi quæstio mota vel ventilata fuit, ideo semper talis exinde mos ex prædictis antiquis temporibus retentus in universa istius regni Ecclesia extitit, ut nullus acsi ex authoritate ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ juberet.*

beret, nullus cuicumque imaginem volenti pingere aut fingere prohiberet. Unde usque hodie eadem apud nos consuetudo tenetur, ut quia hoc authoritas nulla jubet, nemo jubeat: similiter quia authoritas nulla prohibet, nemo prohibeat, etc. Si igitur imago in toto orbe terrarum nulla picta vel ficta esset, nunquid aliquid fidei, spei, vel charitatis sanctæ Dei Ecclesiæ obesset? Rursum si ita ut in quibusdam locis, maximè Ecclesiis, seu palatiis Principum, ob nullum alium Catholicæ fidei seu religionis cultum; sed tantummodo scientibus pro amoris pii memoria seu ornamento eorundem locorum, nescientibus verò pro ejusdem pietatis doctrina, pictæ vel fictæ sunt, ita per reliqua iisdem imaginibus congrua domicilia, ad eundem sen-

Petavius Tom. 2. de Incar. p. 581. *sum pertinentes, pictæ vel fictæ essent, quid præfatis virtutibus unquam vel usquam obesse potuisset?* Hinc perspicuum fit, *Imagines ex eorum per se genere esse, quæ ἀδιάφορα nominantur, hoc est, quæ ad salutem omnino necessaria non sunt: nec ad substantiam ipsam religionis attinent, sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut eas vel adhibeat vel ableget, pro eo atque satius esse decreverit. Cujusmodi positivi vulgò juris esse dicuntur*: ut sensit vir præstantissimus Petavius. Huic enim assonat tota hæc contextio ex Conventu Parisiensi decerpta. Porrò si in potestate Ecclesiæ est, imagines omnino vel adhibere vel ablegare, pro eo atque satius esse decreverit: in ejusdem utique potestate est earum venerationi terminos defigere, vel latiores vel strictiores, hìc & illic alios aliosque, prout causa religionis postulaverit: dummodo & ab illicito cultu & ab illicito earum contemptu temperetur, eoque saltem honorentur, dum earum contemptus inter summa flagitia numeratur.

Convent. Parif. n. 31. Unde paulò pòst: *Et ideo quia res ita se habet, quid superest, nisi ut qui nolunt, ita non faciant, ut tamen eis qui illas eo sensu, ut præmissum est, habere volunt vel faciunt, in faciendo vel habendo minimè contradicant? Et illi similiter qui habere volunt, nolentes ad habendum vel faciendum nullatenus cogant. Atque ita authore Deo uterque illæsè servatur, dum & habere volens præter cautelam illiciti cultus; & habere nolens præter cautelam illiciti contemptus, salvus permanere indubitanter poterit.* Integrum cuique faciunt imagines vel habere, dum ne illicitè colat: vel non habere, dum ne contemnat: quæ licentia etiamnunc in Ecclesia viget, habent enim qui volunt, non habent qui nolunt: nec illi his præjudicant, nec hi illis obtrectant: & ut ex præcepto Apostolico, qui manducat, non manducantem non spernit: qui non manducat, manducantem non judicat; unusquisque in suo sensu abundat: ita planè in hoc negotio se habet, ut quod ad religionis substantiam & ad salutis summam non omnino attineat, sed adjumentum tantùm salubre sit & accessio pietatis. Si vix autem ullus est qui imagines non & habeat & colat, id ex eo proficiscitur, quòd nemo fraudatum se vult eo adminiculo perutili, etsi non penitus necessario, aut ex eo etiam quòd pervagatæ adeo apud Christianos & Conciliis Generalibus approbatæ pietatis negligentia contemptui facilè imputaretur, & offensioni esset. Ea autem ætate qua hic Conventus Parisiis cojerat, nondum ex contemptu vel scandalo declinando ea necessitas incumbebat.

XIX. De eodem ex eodem Conventu. Sed nihil enucleatius fieri potest eo decreto quod consequenter ibidem habetur: *Atque ita miserante Deo Majorum nostrorum in imaginibus & picturis morem imitantes, in jubendo vel prohibendo, in habendo vel non habendo, in colendo vel non colendo, illæsos hactenus hac de causa Domino opitulante nos transisse, & ipso gubernante transituros, nequaquam dubitamus. Quamobrem monendi sunt omnes qui eas habere volent, ne amando, vel quolibet modo orando, vel amplectendo ultraquam oportet, cultum eis illicitum ullatenus impendant. Similiter nec illi qui eas habere noluerunt, sicubi eas aspexerint, qualibet ignominiosa vel probrosa detestatione sper-*

nere, contumeliare vel lacerare præsumant. Non simpliciter prohibent imagines amare vel amplecti, sed ultra quàm oportet. Sicubi ergo tu tunc fortasse in Galliis, oscula & suffitus hominum æstimatione superstitioni & effervescenti ultra mediocritatem cultui imputabantur, abstinendum his tum ibi erat; sed non statim insultandum aliis erat Ecclesiis, quæ laxiores mediocritati fines fixerant; quin accedendum paulatim aliorum ritibus erat, tum charitatis firmandæ studio, tum Sedis Apostolicæ & Synodi Generalis authoritate impellente. Ex quibus intelligas non usquequaque à nobis in hac causa Gallorum Episcoporum gesta scriptaque purgari posse aut debere; sed id unum nobis consilij esse, ut totam hanc controversiam incolumi Catholicæ fidei hinc indeque dogmate, & exortam & agitatam & consopitam demum esse evincamus. Perfectum id autem persuasumque erit, si constiterit, ut ex superioribus abundè constitisse speramus, Adorationi imaginum soli intercessisse Gallos; ita enim authores suprà citati omnes, historicique ab aliis allegati disertè solam adorationem Gallis displicuisse testificantur. Adorationem autem non aliud illi omnes quàm divinum cultum interpretati sunt, ut liquet ex eorum verbis, itemque ex loco Exodi ab iis allegato, *Non adorari neque coli* nisi Deum verum jubente; denique ex eo quòd nec Sanctos coli & adorari à se profiteantur, quos tamen & honorabant & invocabant religiosissimè. Eo accedit quòd cum imagines sint ex genere τῶν ἀδιαφόρων, & quanquam in usu atque honore fuerint ab ipsis jam inde cunis Ecclesiæ, non tamen ad substantiam religionis necessariò pertineant, potuit earum usus cultusque aliis & aliis finibus ab aliis & aliis Ecclesiis circumscribi, & ab aliis parciùs, ab aliis liberaliùs adhiberi, salvo illibatoque fidei dogmate, dum sospes & illibata servaretur charitas, nec invicem morderent, qui varios ritus sectarentur, aut disciplinæ causam cum fide commiscerent. Adde quòd Galli ab Apostolicæ Sedis authoritate atque unitate nunquam resiliere, abea nunquam amputati abjectique sunt, ei nunquam, tanquam alienati quandoque à sana fide fuissent, reconciliari solemniter aut privatim postea indiguere. Id sanè argumenti satis est, ut totam hanc contentionem conflagrasse intelligas citra fidei jacturam ullam. De Synodo Gentiliacensi anni 767. quidquam dicere ultro abstinui, quòd eo teste Adone inter Francos & Græcos *ventilata sit quæstio, utrumne fingendæ aut pingendæ erant in Ecclesiis Sanctorum imagines:* porro de cultu imaginum nihil hinc exculpi potest.

Negotium facessere potest illa distinctio duplicis generis Iconomachorum, quæ in confessione Theodori Studitæ legitur apud Damascenum: *Videte nefariam illorum sententiam, quæ bifariam tribuitur. Aut enim imaginem Christi nullo modo erigendam existimant, aut erigendam quidem, sed pari loco habendam, ac figuras illas quibus bella vel venationes exprimuntur. Ex quo negant adorandam illam esse. Neque enim equi, aut bovis, aut canis, aut leonis, aut pardi, aut serpentis, aut volucris, aut piscis imagines adorantur.* Posterioris hujus generis Iconomachorum temperamentum aut potiùs intemperias secutos esse Gallos, ut imagines nec deturbarent nec honorarent, videri posset cuipiam. Verùm eorum suprà satis dilucidè sententiam expressimus, honores imaginibus non amputantem omnino, sed moderantem. Nam ut sæpenumero inculcatum jam est, imagines Sanctorum, non promiscuè, sed in templis collocare loco honorifico, eas temerantibus pœnas indicere, anathemaque illidere, Deum adoraturos ad eas converti, illas ut pietatis monumenta, ut nostri in Sanctos amoris insignia contemplari, illis illacrymari, & hoc genus alia, non obscura sunt amoris atque honoris argumenta. Imagines autem bellorum, venationum, belluarum, non eo sunt apud

XX. Solvitur objectio ex duplici genere Iconomachorum.

nos loco, non in templis honorificè extolluntur, non in violatorum suorum pœna & detestatione honorantur, non illis Deum adoraturi, animos oculosque advertunt & affigunt, non ante illas seu prostrati seu stantes affectant sua Sanctis vota offerre: ut reliqua prætermittam officia religionis liberaliùs se alibi atque alibi effundentis. Denique illos Græcorum molliores Iconomachos videas à Patribus suggillari, à Synodis vel emendari vel fulminari, à Pontificia Romanæ Sedis authoritate execari aut ad unitatem recolligi: at Gallos nostrates qui Patrum ut hæreticos traduxere? Quæ Synodi aut proscripsere aut revocavere? Quando Sedes Apostolica eos vel suo corpore abscidit, vel abscissos reconciliavit? Abstergamus ergo hanc non à Majoribus nostris maculam, cujus puri & expertes semper fuere, sed ab animis nostris ineptam suspicionem, & popularem hallucinationem, Majoribus nostris contumeliosam.

CAPUT XIII.

Quo cultu honorandæ sint Imagines, ex septimæ maximè Synodi decretis aperitur.

I. Cultus duplex, exterior & interior. Perspicuijus enitescet, quàm nihil fides Gallorum à fide septimæ Synodi etiamtum dissideret, cum non satis perfecta ejus sententia, in eam acriùs invehebantur, si explanata fuerit imaginum cultura, ad illius Synodi leges elimata.

Refricanda autem in primis est illa distinctio jam superiùs delibata, cultus cujuscumque in internum animi, externumque corporis motum. Corporis enim inclinatio dejectioque, manuum extensio, oculorum arrectio, adgeniculatio, osculum, amplexus, salutatio, ad cultum utique pertinent, seu Deo, seu Sanctis, seu hominibus vulgò dependi solitum, sed hæc corpore solo & exteriùs peraguntur. At cultus interior animi constat affectu & admiratione excellentiæ, quæ summa, vel permagna, vel aliquanta saltem inest, quos honorare contendimus. Jam facile est dispicere, quid distent latria quæ Deo, dulia quæ Sanctis, honos civilis qui hominibus mortalibus defertur. Hæc enim quod ad externum attinet obsequium, vix aut nec vix quidam dissident, cùm maxima quæque, vel adulatio vel pietatis exuberantia hominibus tribuerit. At interni cultus discrepantia quædam infinita interest, longè enim aliter stupet, afficiturque, & rapitur animus ad Dei majestatis pondus intolerabile, aliter ad Sanctorum amplitudinem, aliter ad Regum hominumvè hic quorumlibet dignitatem. Ex utroque autem corporis animique officio coalescit honor cultusque perfectus, & cumulatus; ex interiori tamen ceu anima, formaque sua, pretium suum & nomen consequitur. His ita præfixis.

II. Imaginibus non decernit Synodus septima, nisi honorariam adorationem. Exploranda jam sententia est septimæ Synodi Oecumenicæ, ut cultus imaginibus debiti ratio accurata exculpatur. Nec necesse est anxiè scrutari penitiora quædam & recondita ejus loca, vel angulos quosque ac recessus rimari; omnibus enim pignis insinuatur, inculcatur, inclamatur, & omnibus penè versibus concrepatur, non illam ex fide, non illam in spiritu & veritate latriam nisi summæ & omnipotenti Trinitati offerendam; imaginibus autem offerri debere προσκύνησιν τιμητικὴν, id est, honorariam adorationem: ἀσπασμὸν, salutationem, & id genus alia: & hæc quidem σχετικῶς, id est, relativè, ut nec in imaginibus ipsis sistat aut defigatur hic honos qualiscumque, sed transiliat ad prototypum eique inhæreat. Hæc duo operæ pretium erit paulò fusiùs explicare, ut natura hujus cultus secundarii imaginibus peculiariter dicati elucescat.

Igitur ad metam Act. IV. ita pronunciat Synodus: *Insuper salutamus, & figuram pretiosæ crucis, & sancta lipsana Sanctorum, & sanctas ac venerabiles iconas recipimus, & salutamus atque amplectimur, secundùm antiquam traditionem sanctæ Catholicæ Dei Ecclesiæ, &c. Porrò has pretiosas, & venerabiles iconas, ut prædictum est, honoramus, & salutamus, ac honoranter adoramus, hoc est, magni Dei & Salvatoris Jesu Christi, & intemeratæ Deiparæ, &c. & Angelorum, &c. & Apostolorum, &c. utpotè per picturam suam in recordationem, & memoriam adducere nos valentes, & ad archetypum attrahere.* Hæc verba vides quid sonent: ἀποδεχόμεθα, τιμῶμεν, ἀσπαζόμεθα, τιμητικῶς προσκυνοῦμεν, recipimus, honoramus, salutamus, honorariè adoramus: & quidem tantùm ob recordationem Sanctorum. Et infrà Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri, *sacras imagines* δέχομαι καὶ ἀσπάζομαι, τιμητικῶς προσκυνῶ. Et Act. VI. Epiphanius legit: *Itaque sentimus bonum & optimum esse venerabilium imaginum positionem in Ecclesia fieri, & spiritaliter reduci per has ad prototyporum memoriam, atque istas propter earum honorificentiam, & honorare & amplecti: ac debitam* προσκύνησιν *impendere. Sive ergo alicui gratum sit* ἀσπασμὸν, *sive* προσκύνησιν *hoc appellare, hoc ipsum enim est utrumque. Nisi fortè quis intelligat* προσκύνησιν, *quæ secundùm latriam fit: alia est enim hæc ut multipliciter est ostensum.* Et paulò pòst: *Porrò hi qui dicunt, imagines sufficere in commemorationem haberi, & non etiam ad salutationem, unum recipientes, alterum reprobantes, per hoc semipravi & mendaces sunt, &c.* Hic vides quid sit illa προσκύνησις seu adoratio quæ imaginibus impenditur, & quare restringatur hac voce, τιμητικὴ, id est, honoraria, quia videlicet non aliud illa est, quam ἀσπασμὸς, id est, salutatio, quæ vel dejecto corpore & strato, vel inclinato capite, vel osculo fit vel hujusmodi officio quopiam, eoque secernitur ab adoratione latriæ, quæ totum animum in Deum abripit. Et Sess. VII. in definitione fidei: *Definimus omni certitudine, & diligentia sicut figuram pretiosæ & vivificæ crucis, ita venerabiles imagines proponendas, &c. Tam videlicet imaginalem Jesu Christi, &c. quam Deiparæ, Angelorum, Sanctorum, &c. Quanto enim frequentiùs per imaginum formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacriùs eriguntur ad primitivorum memoriam, & desiderium; & his salutationem & honorariam adorationem tribuendam; non tamen veram latriam, quæ secundùm fidem nostram est, & quæ solam naturam divinam decet. Ita ut istis sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis, & sanctis Evangeliis & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem exhibeatur.* Decernitur imaginibus salutatio, honorario adoratio, suffitus thymiamatum, luminum accensio, non illa vera, non illa secundùm fidem latria.

Sed lucidissimè explanatur illa imaginibus dedicata adoratio honoraria in Epistola synodica ad Imperatores, *Omnimodis prædicavimus veritatem, videlicet recipiendas imagines, Christi, &c. Deiparæ, &c. Angelorum, &c. Sanctorum, &c. Et has oportere* προσκυνεῖν, *id est,* ἀσπάζεσθαι: *idipsum enim est utrumque.* κυνεῖν *enim antiqua Græca lingua significat* τὸ ἀσπάζεσθαι καὶ τὸ φιλεῖν: *præpositio autem* πρὸς *augmentum quoddam amoris addit, quemadmodum* φέρω *&* προσφέρω, *&c.* κυνῶ *&* προσκυνῶ, *quod salutationem indicat & osculum cum contentione amoris, Quod enim quis osculatur, illud* προσκυνεῖ, *id est, adorat; et quod adorat, illud osculatur: sicut testatur humana affectio ad amicos, et obviorum congressus hæc ambo perficiens. Hoc autem non solùm apud nos, sed etiam apud veteres in sacra scriptura scriptum reperimus. In historiis namque Regnorum scriptum est, Et David surrexit, et cecidit in faciem suam, et adoravit tertio Jonathan, et deosculatus est eum.* Adverte quo refe- III. De eodem Synodo.

referatur tota illa προσκυνήσις τιμητικὴ, seu adoratio honoraria, in quam maximè efferbuerant Iconomachi, quam Catholica Synodus defensitat, vendicat à calumniis, explicat è salebris, & in salutatione, id est, in osculo collocat, quod non sine corporis aut capitis inclinatione libabatur, ut ex usu civili & ex Davidis exemplo patescit. In hanc enim προσκυνήσεως vocem invidia maximè exarserat, ideo aliis vocibus clementioribus utputa salutationis & osculi exponenda fuit: ideo ex antiqua Græcæ originis significatione ad osculum redigenda fuit: ideo additamento hoc denique temperanda, ut τιμητικὴ diceretur, proindeque secerneretur ab illa quæ ἀληθινὴ & secundùm fidem est, unique Deo adseritur.

IV. Rursus ex eadem prolixius, quo constet adoratio honoraria.

Et ibidem paulò post cum varia exempla Scripturæ corrasa essent, ut liqueret, salutatione homines ipsos sibi mutuò honorem habere: *Ergo & hæc salutationem Apostolicus sensus describit honorariam adorationem: quemadmodum & de Jacob ait, προσεκύνησεν, idest adoravit fastigium virgæ ejus. Consona verò his & Gregorius Theologus dicit: Bethlehem cole, & præsepe προσκύνησον, adora. Quis putas eorum qui rectè & sincerè intelligunt, quæ divina Scriptura proferuntur, existimet quod hæc de latria quæ in Spiritu fit, pronuntientur? Nisi forte insensatus sit, &c. Neque enim vel fastigio virgæ Jacob, vel Præsepi Gregorius Theologus latriam detulit. Et rursum quoque nos vivificam crucem salutantes, consone canimus: Crucem tuam προσκυνοῦμεν Domine, idest adoramus, & adoramus lanceam quæ aperuit vivificum latus tuæ bonitatis: quod certissimè salutatio est & dicitur: sicut indicat illud quod hæc propriis labiis nostris contingimus.* Et hic multiplex authoritas Scripturæ, Patrum, atque ipsius Ecclesiæ conglobatur, ut adoratio honoraria ad salutationem & osculum redigatur. Ex quo necesse est defervescere illam invidiæ flammam, quæ in hanc conflagraverat vocem adorationis, perinde apud Græcos atque apud Latinos. Sed Græci expedierunt sese per mollius additamentum aut saltem elucidamentum, non simpliciter adorationem, sed honorariam tribuentes imaginibus: Latini autem nonnulli, utputa Galli, cum ejus vocis invidiam temperare aut nescirent aut nollent, vocem ablegarunt, rem, id est, honorariam venerationem imaginum retinuerunt.

Et quod alibi Augustinus, illud ipsum hìc observat Synodus, in præcepto divino λατρείαν & προσκύνησιν disjungi, hanc Deo vindicari, sed non soli, illam etiam soli. *Hinc enim divina Scriptura docens nos, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: adorationem quidem absolute ponit, & non adjicit soli, ut significata multa habentem, & æquivocam vocem; porro, servies, illi soli dixit. Etenim soli Deo servitutem seu latriam nostram referimus.* Quod & Anastasius Episcopus Theopoleos observarat, ut leges Act. IV. ejusdem Synodi.

V. In hanc cōcordiā Gallorum cum Græcis præivit nobis Petrus de Marca: huic Perronius.

Hanc autem vocum diligentiam accuratissimè ab illius Synodi Patribus fuisse observatam, sexcentis aliis constare potest testimoniis. In subscribendo enim plerique omnes has easdem voces affectant: ἀποδέχομαι μετὰ τῆς προσκυνήσεως τιμῆς καὶ ἀσπαστικῆς προσκυνήσεως; vel προσκυνῶ καὶ τιμῶ., vel δέχομαι καὶ ἀσπάζομαι καὶ προσκυνῶ; vel ut tota Synodus Act. III. ἀποδεχόμενοι στοιχοῦμεν καὶ ἀσπαζόμεθα, καὶ τιμητικῶς προσκυνοῦμεν. Hujusmodi sanè honorem nunquam vel Francofordiensis, vel Parisiensis Synodus, vel Gallicana usquam Ecclesia imaginibus abrogatum voluit, ut ante nos conjectavit vir illustrissimus, cujus verba hìc exscribere haud pigebit: ubi de Episcopis in Francofordiensi Synodo congregatis agens, ait: *Imo Synodum omnino exploserunt, quod imaginibus divinum cultum ab ea decretum existimarent, &c. Hanc damnationem secutus est liber à Carolo Rege ad Hadrianum Pontificem missus, cujus meminit Hincmarus. Quo libro Synodi Nicanæ acta discutiuntur, & docetur eam esse Gallorum sententiam, ut imaginum usus in Ecclesiis retineatur quidem, sed nemo eas cogatur adorare. De hoc dissidio egerunt viri eruditi, quod mihi semper visum fuit ita componendum, ut dicamus verborum sono tantum Græcos à nostris, non reipsa dissensisse: cum illi venerationem tantum τιμητικὴν seu honorariam, imaginibus tribuerent. Quod verbum è foro in Ecclesiam transtulit Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, origine ducta à Magistratibus qui non erant in actu rerum, sed honorarii tantum. Quod cæteri Græcorum Theologi, qui dialectica locutione utebantur, ita expresserunt, ut συνωνύμως, seu mavis, æquivoce, imagines coli dicerent: generali illo προσκυνήσεως aut adorationis vocabulo quod omnia venerationum genera complectitur, & à materia, seu mavis objecto modum recipit. Quare Scholion illud quod adjectum erat ad textum Exodi, in eo codice veteris testamenti qui servabatur in Patriarchio Constantinopolitano, summo applausu exceptum est à Patribus, in actione quinta septimæ Synodi. Cujus scholii hæc sunt verba: At verò si facimus similitudines Christi, non ut similitudinem adoremus, sed ut mens videndo ad superiora volet. Quod omnino concinit cum iis quæ Gregorius Magnus docuit in Epistolis ad Serenum Massiliensem Episcopum; quem sequi velle & Gallicani Episcopi & Hadrianus in Apologetico ad Carolum profitebantur.* Vehementer etiam atque etiam id amplectimur, quod totam hanc controvesiam Gallos inter & Græcos ex errore facti exortam auguratur, & sono vocis, non sententia eos dissensisse: quod autem honorariæ adorationis nomen à Tarasio primum è foro in Ecclesiam invectum ominatur, id verò ampliori indagine videtur nobis quidem indigere. Conspiratissimè enim reliqui etiam Episcopi in suis quisque subscriptionibus vel in sententia dicenda has easdem voces usurpant.

Petrus de Marca. l. 2. c. 17. De concord. Sac. & Imp.

VI. Ex eadem Synodo seprimahonorarius hic cultus ab imagine reflectitur ad Prototypū.

Quod autem honorarius iste cultus, seu osculo, seu amplexu, seu inclinatione corporis, seu adgeniculatione expressus, relativus sit ad prototypa, nec in imaginibus conquiescat, jam eadem Synodus nobis insinuavit, & ad nauseam usque id per singulos ferè versus replicat. Act. VII. in definitione fidei: *Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum memoriam & desiderium, & ad honorariam his adorationem tribuendam, &c. Imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti hypostasin.* Et Act. IV. Joannes Vicarius Orientalium Ponticum: *Deifer Basilius utpote luminare & Magister existens Ecclesiæ Dei, & Spiritu sancto mysteriis initiatus ait: Quia imaginis honor ad primitivum pertransit; & qui imagini Imperatoris intendit, videt in ea Imperatorem: qui autem adorat eam, non duos Imperatores adorat, sed unum Imperatorem, &c.* Et Act. VI. Epiphanius legit: *Prius enim diximus, ex sanctis Patribus haurientes, quia imaginis honor ad primitivum transit: & quia qui intuetur imaginem Regis, intuetur in ea Regem: Illius enim forma & species est in imagine, &c.* Et infrà idem legit: *Itaque sentimus bonum & optimum esse venerabilium imaginum positionem in Ecclesia fieri, & spiritaliter reduci per has ad prototyporum suorum memoriam, atque istas propter eorumdem honorificentiam, & salutare et amplecti, ac debitam adorationem impendere.* Parco operæ & tempori, ne hoc genus plura addensem. Perspicuum enim ex his plus satis est, hunc temperatissimum honorariæ adorationis cultum temperari rursus ex eo opportunissimè, quod non in imaginibus ipsis insidere atque inhærescere,

ſed ad prototypa tranſvolare certiſſima animi deſtinatione jubetur. Cæterùm id ſedulo à te velim adverti, quod Epiphanius legit hoc poſtremo loco, duo nempè iſta cohærere, ut imagines in recordationem Sanctorum exhibeantur, utque omnis honor imaginum ad Sanctos ipſos rapiatur. Ex hoc quippè elevabitur fortaſſe nonnihil invidia atque ſuſpicio obliqua, quæ in Gallos incubuerat, cum tam tenaciter tuerentur ad ſolam recordationem retinendas eſſe imagines. Si enim ut ſeptima Synodus definit, ad prototypa tranſilit omnis honor imaginum, conſtat Gallorum ſententia, ad ſolam recordationem ſervari imagines, quia Sanctorum per imagines recordatio & veneratio perparum aut nihilo omnino diſtant, & divelli à ſe vix aut nec vix poſſunt. Quippè per imagines venerari Sanctos non potes, quin eoſdem per eaſdem recorderis: & ipſum recordari, ipſum memoria alicujus oblectari, id ſanè venerari eſt: ergo qui per imagines recordantur, per imagines etiam venerantur Sanctos.

VII. Latriam ea Synodus ſedulo removet ab imaginibus. Elucèſcet mens Synodi evidentiùs & ſententiæ cum Gallis conſenſio, ſi ea perpendas loca, quibus enixiſſimè latriam ab imaginibus amoliuntur. Act. VI. Epiphanius legit: *Sive gratum ſit alicui ſalutationem vocare, ſive adorationem: idem enim eſt utrumque: niſi fortè quis adorationem quæ ſecundum latriam exhibetur, intelligat: alia eſt enim hæc, ut multipliciter eſt oſtenſum.* Et Act. III. Conſtantinus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri: *Suſcipiens & ſalutans honorarie ſanctas, & venerabiles imagines; Et adorationem ſecundùm latriam, ſoli ſuperſubſtantiali & vivificæ Trinitati impendo.* Ubi vides quam facilè ex vitioſa interpunctione potuerint Galli ſuſpicari contrarium penitus ſenſum. Et rurſus Act. VI. Epiphanius legit: *Scientes quia Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare: eam quæ ſecundùm fidem eſt, adorationem, & latriam, ipſi ſoli Deo qui ſuper omnes in Trinitate laudatur, offerunt. Nam divinum typum crucis, & venerabiles imagines, deſiderio, & affectu ſuccenſi, ad prototyporum relationem ſalutamus, & honorarie adoramus.* Ubi tria hæc exprimuntur accuratius, ut & latria ſeu cultus ſecundum fidem ſoli Deo voveatur, & imaginibus honoraria tantum adoratio ſeu ſalutatio dedicetur, & hæc ipſa non ipſis imaginibus immorari ſinatur, ſed protinus ad Sanctos ipſos reflectatur. Et rurſus Act. VI. *Nullus Chriſtianorum hominum qui ſub cœlo ſunt, imagini latriam exhibuit.* Et Actione VII. in definitione fidei: *Eriguntur ad primitivorum memoriam & deſiderium per imagines, & ad oſculum his honorariamque adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quæ ſecundùm fidem eſt, & quæ ſolam naturam divinam decet.* Quod & in Epiſtola ſynodica ad Imperatores multis confirmant. Ex his autem perſpicis quam non ſit hæc ſententia orthodoxa in Concilio Francofordienſi damnata, cujus canon ſecundis ita habet: *Allata in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus ſanctorum, ut Deificæ Trinitati ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem, & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.* Liquidum hìc eſt adorationis vocabulo Gallos non ſignificaſſe niſi ſervitutem ſeu latriam uni Trinitati debitam: quam ubi imaginibus abrogarunt, Synodo ſubſcripſerunt, quam impugnare ſe opinabantur.

VIII. Latria eſt cultus ſecundum fidem, ſpem, charitatem. Porrò hujus Deo ſingulariter devotæ ſervitutis ſeu latriæ viſcera paulò penitiùs exploranda atque perſcrutanda ſunt, ut tantò præclariùs explendeſcant, & honorarii cultus proprietas, & Gallorum cum Græcis conſpiratio. Coacervatis ſupra contextibus ſeptimæ hujus ſynodi appellitata ea eſt adoratio ſecundùm fidem, in ſpiritu. Ubi advertere eſt, non jam ſalutationes, non amplexus, non oſcula ſonare, non corporis, non capitis dejectiones, ſed fidem, ſed ſpiritum & veritatem: ut pateat latriam animo magis quàm corpore, fide mentis quàm inclinatione capitis; ſtupore divinæ amplitudinis conſtare magis, & rationis officio, quàm obſequio membrorum. Non quo latria à corporis etiam obſequio feriata ſit, ut nec honoraria adoratio à mentis affectu vacat: ſed in latria principatum tenet mentis ad divinæ majeſtatis fulgur attonitæ ſtupor, & fides & ſacrificium ſpiritale, quo ſuperfunditur & devoratur quodammodo externa cultus ſignificatio. Audi quid legatur Act. IV. ex Epiſtola Germani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani: *Apud nos autem unus eſt Deus adorandus, una eſt & in ipſum fides, unum eſt & ſalutare baptiſma: ſic una eſt quæ offertur ei à nobis latria, ſicut traditum eſt nobis à ſanctis Apoſtolis & conſervatum: & ſacrificium laudis quod per Chriſtum referendum eſt Deo & Patri, ut divinus ait Apoſtolus, id eſt, labiorum fructus confitentium nomini ejus, & diviniſſima traditio, quæ eſt in vivificis myſteriis, &c.* Nempè uni Deo fides, uni ſpes, uni charitas noſtra religata eſt, non imaginibus, non Sanctis etiam ullis: ideo una Deo latria propria eſt. Unus enim Dominus, una fides, ac conſequenter una ſpes charitaſque fidei vegetæ & perfectè implicata: nec colitur ille niſi amando, ait Auguſtinus, & quod charitati cohæret indivulsè, ſperando, credendo. Hæc ergo eſt latria ſecundùm fidem: in ſpiritu: in ſpiritu & veritate: ubi ſiquid externum corporis miniſterio conſociatur, id totum animi devotione & ſtupore inundatur atque obruitur. Eodem recidit quod ex Leontio Epiſcopo Neapoleos Cypri recitatur Act. IV. *Dic ergo mihi tu, qui opinaris nihil manufactum vel nihil omnino creatum adorandum, nunquamne multoties muliere tua, vel filiis mortuis, tunicam vel ornamentum ejus viſum in cubiculo tuo deoſculatus es, & lacrymis illud infudiſti? Et in hoc non es condemnatus, non enim ut Deum veſtimenta adoraſti, ſed amorem per oſculum oſtendiſti circa illum qui hoc aliquando fuerat amictus. Nam & ipſi natos parenteſque noſtros, etſi creati, & peccatores multotiens ſint, ſalutamus, & in hoc minimè condemnamur: non enim ut Deos ſalutamus eos, ſed affectionem naturæ noſtræ erga illos per oſculum demonſtramus. Ut ergo ſæpè dixi, intentio exquiritur in omni ſalutatione & in omni adoratione.* Oſcula ſalutationes, adorationes effundi promiſcuè vides, in natos, in parentes, in veſtes amicorum nos in beatam patriam prægreſſorum, & hæc eadem corporis obſequia in adorando etiam Deo adhibentur; ſed hìc, non illic autem ſecundùm fidem: hìc non illic in ſpiritu & veritate: hìc, non illic ex intentione ſummi numinis venerandi, at ut hic monet, *Intentio exquiritur in omni ſalutatione & adoratione.* In Spiritu: At honorarius cultus in oſculo, amplexu, ſalutatione, &c.

IX. Idem ex Hadriano Papa demonſtratur. Circumvallanda jam eſt Synodi doctrina, & ſepienda nonnullis ſuffragatorum præſidiis. Hadrianus Papa in Epiſtola ad Imperatores, quæ intexta eſt Actioni ſecundæ, ita ſanxit: *Quia in univerſo mundo ubi Chriſtianitas eſt, ipſæ ſacræ imagines permanentes, ab omnibus fidelibus honorantur, ut per viſibilem vultum, ad inviſibilem divinitatis majeſtatem mens noſtra rapiatur, ſpiritali affectu per contemplationem figuratæ imaginis ſecundum carnem, quam Filius Dei pro noſtra ſalute ſuſcipere dignatus eſt: eundem Redemptorem noſtrum qui in cœlis eſt adoremus, & in ſpiritu glorificantes collaudemus, quoniam juxta ut ſcriptum eſt, Deus ſpiritus eſt, & ob hoc ſpiritaliter divinitatem ejus adoramus,* En imagines honorari, quòd per eos ad prototypum evehamur, at Deum verum ſpiritu adorari.

tari. En quo honor imaginis evadat, ut recordationem excitet, ne iis succenseas qui soli recordationi non adorationi eas servire statuunt; quia totus earum honor recordationi inservit. Pergit autem sanctus Pontifex: *Nam absit à nobis, ut imagines ipsas, sicut quidam garriunt, deificemus. Sed affectum & dilectionem nostram, quam in Dei amorem & Sanctorum ejus habemus, omnimodo praeferimus.* Itaque non affigitur imaginibus animus, non fides, non amor; sed tota mentis intentio, fides charitasque in Deum ipsum & Sanctos exurgit, illis adhaerescit; oscula autem, & amplexus, & salutationes, & alia id genus quae non possumus Christo & Sanctis, eorum imaginibus imprimimus, tanquam amoris nostri solatia & argumenta. *Et sicut divinae Scripturae libros, ipsas imagines ob memoriam venerationis habemus, nostrae fidei puritatem servantes.* Quid his accommodatius ad Gregorii Papae, ad Gallicanorum Episcoporum, ad septimae Synodi consensionem revincendam? Ait enim Hadrianus, audit & applaudit Synodus imagines, perinde ut Scripturae libros ad doctrinam & recordationem adhiberi. Sed ut recordatione honorem non excludi, sed implicari videas, disertè ait, εἰς μνημόσυνον τοῦ σεβάσματος, in recordationem venerationis. Ita demum fit, ut *nostrae fidei puritas servetur*, dum adoratio secundùm fidem Deo uni adoletur, & imagines non deificantur, quia non eis fides, non spes, non charitas nostra, vel tantillum, vel in transcursu defigitur, sed in Deum casta & intacta evolat; per imagines autem oscula & amplexus, quando aliter non possunt, ad superna prototypa contorquentur. Et infrà paulò ante finem multis Patrum testimoniis consarcinatis: *Qualis est enim adorationis veneratio, nisi tantùm quemadmodum, & nos peccatores adoramus, & salutamus alterutrum, per honorem & dilectionem? Ita & imaginem Domini nostri non aliter adoramus, glorificantes & trepidi, quàm quia similitudinis ejus imago est, & in ea ipse depictus est, &c. Propter memoriam enim Sanctorum imagines pinguntur, & adorantur, & honorantur, sicut servorum Dei pro nobis divinitatem deprecantium.* Adorationis veneratio, ἡ προσκυνήσεως τιμὴ, aliud hic est, quàm προσκύνησις τιμητικὴ, adoratio honoraria. Ubi libet advertere, quod in omnibus etiam suprà aggestis è septima Synodo testimoniis observare est, indiscriminatim omnibus & Christi hominis, & Deiparae & Sanctorum imaginibus adsignari eundem adorationis honorariae cultum: quinimò cultum hunc saepenumerò eundem praedicari, cum eo quo sese invicem homines mortalitati, & peccato adhuc obnoxii prosequuntur: quandoque eundem etiam cum eo, quo beatos, & immortales afficimus. Non quod latissimo haec non disjungantur intervallo, sed quòd haec omnia sint genera honorarii cultus, immaniter discrepantis à vera adoratione, quae secundùm fidem dependitur. Nam vera adoratio ea est quae secundùm fidem & in spiritu offertur, hoc est, quae alicui propter seipsum offertur, quâ ratione non offertur nisi Deo cui fides addicitur, cui spes, & charitas adglutinatur, cui spiritus ipse hominis immolatur. Nam ut non colitur ille nisi amando, non amatur autem propriè nisi quod propter seipsum amatur, nec amatur propter seipsum nisi Deus, non ergo colitur vera adoratione nisi Deus. Coluntur reliqua, ut amantur; non amantur propter seipsa, sed propter Deum; non ergo nisi honorariè & relativè adorantur. Inest honorario huic adorandi generi multiplex discrepantia, sed id universim spectatur, id inculcatur, quod stabiliendo catholico dogmati, quod exsufflandis haereticorum ineptiis, profligandisque criminationibus abundè est, nihil decerpi divinae adorationi, nec divinis honoribus illud affici, quod honorariè tantùm & relativè, non propter se colitur.

Hadrianus idem Pontifex in responsione ad Carolum Regem atque operis Carolini refutatione, septimae Synodi doctrinam defendens; *Jam superius exaravimus pro adorandis imaginibus, qualiter in eorum explanaverint definitione, demonstrantes eis osculum, & honorabilem salutationem reddere, nequaquam secundùm fidem nostram, veram culturam, quae decet solam divinam naturam.* Et infrà refert approbatque quod Synodus statuit, *ut his osculum, & honorabilem salutationem reddant, nequaquam autem secundùm fidem nostram, veram culturam, quae decet solam divinam naturam, sed quemadmodum signo pretiosae & vivificae crucis & sanctis Evangeliis, &c.* Quae etiam repetit paulò ante finem, adeo his contineri summam fidei orthodoxae circa imagines persuasum illi erat. Responsio ne ad c. 54.

Damascenus honorarium hunc adorandi modum praeluserat Oratione II. de imaginibus: *Sic etiam cum de imaginibus agitur, faciendum est, ut veritatem inquiramus, & mentem illorum qui illas faciunt, spectemus, &c. eas ut exempla & similitudines, & hominum rudium atque simplicium libros,* προσκυνεῖν, καὶ καταφιλεῖν, καὶ ὀφθαλμοῖς, καὶ χείλεσι, καὶ καρδίᾳ ἀσπάζεσθαι. Et paulò post, *Intelligat ergo omnis homo, quod qui imaginem ad Christi aut Matris ejus, Sanctorumque gloriam & memoriam, & ad diaboli detrimentum, divino studio & ardore confectam evertere conatur, non potiùs eam* προσκυνῶν, καὶ τιμῶν, καὶ ἀσπαζόμενος ὡς εἰκόνα τιμίαν, καὶ οὐκ ὡς Θεὸν, *inimicus est Christi, &c.* Adverte ut verba eadem usurpet, quibus honorarium postea cultum septima Synodus significavit, ut adgeniculationes, salutationes, oscula honoris ergo imaginibus exhiberentur, cùm interim fides animi charitasque in Deum tota eniteretur. Et Oratione III. προσκυνοῦμεν καὶ περιπτυσσόμεθα, καὶ καταφιλοῦμεν, καὶ ὀφθαλμοῖς καὶ χείλεσι, καὶ καρδίᾳ ἀσπαζόμεθα. Divinum autem cultum vide ut describat eadem Oratione III. *Dominum Deum tuum adorabis, &c. Non facies tibi sculptile, &c. Novi eum qui dixit, Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum viventem, & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, & credo in unum Deum, unum rerum omnium principium, &c. qui corpore vacat, viderique, & circumscribi non potest, & figuram habet nullam. Essentiam unam, omni essentia superiorem, divinitatem divinitate omni superiorem, in tribus hypostasibus, Patri & Filio & Spiritui sancto, huic soli* λατρεύω, *huic soli offero* τῆς τῆς λατρείας προσκύνησιν, *&c.* Latriam uni Deo statuit offerri, & adorationem secundùm latriam, Deo inquam uni, qui incorporeus, incircumscriptus, nulla imagine qualis est, exprimendus, Deo denique qui vita aeterna est, propter se unus amandus. X. Ex Damasceno.

Sed nusquam eliquatiùs Synodi septimae catholica doctrina exprimitur, quàm apud Euthymium in Panoplia: *Sacras imagines constituimus, ut eas contemplantes, ipsarum exemplaria nobis videamur intueri; eorumque nobis tum memoriam renovent, tum desiderium leniant.* Perinde ut Galli, ad memoriam destinat imagines, nec honorem eorum diluit, qui totus ad memoriam pertinet: *Beatae Trinitati ab orthodoxis latria tribuitur in spiritu & veritate, sanctis autem imaginibus non latria omnino, sed* προσκύνησις, ἀσπασμὸς, τιμή. *Licèt enim imaginis etiam honor transeat ad exemplar, latria tamen non debetur venerandis imaginibus, sed soli beatae Trinitati, ne videamur* κτισμολάτραι καὶ ὑλολάτραι. Non latriam, sed secundarium tantùm illum honorem donat imaginibus, & hunc revolantem illico ad exemplar: nec patitur latriam praetextu relationis ullis imaginibus permitti. Quod mox evidentiùs declarat: *In ipso Christo est adoratio latria & naturalis, unus enim est sanctae Trinitatis per divi-* XI. Ex Euthymio. Tit. 9.

nam ipſius naturam. In imagine vero Chriſti adoratio eſt relativa, & æquivoca, προσκύνησις σχετικὴ, καὶ ὁμωνυμικὴ. *In ipſa enim adoro Chriſtum, qui quoniam carnem induit, imagine exprimitur, quantum ad corporeum ejus aſpectum pertinet, &c.* Imaginum adorationem vocat æquivocam & relativam, ea eſt ergo honoraria. Latria autem adoratio eſt, ut hìc vocatur φυσικὴ; ut in ſeptima Synodo, ἀληθινὴ, nempe quæ Deo propter ſeipſum, & citra ullum vicarium ſimulacrum, & ex tota animi devotione, fide, ſpe, charitate dependitur. At adoratio imaginum præ illa, non eſt niſi honoraria, relativa, æquivoca; non fidem, non ſpem iis affigens noſtram, oſcula, amplexus, oculos. Unde ibidem pergitur: *Quemadmodum fides, ſic & latria ſanctæ tribuitur Trinitati. Quare qui Chriſti imagini latriæ cultum exhibet, is quaternitatem latria colere deprehenditur, & in ſancta Trinitate imaginem collocare, Trinitati enim, ut dictum eſt, latria debetur.* Latria hæc eſt ſecundùm fidem, ut Synodus docebat, quia Deus verus non colitur niſi fide, ſpe, charitate. Fides ergo ipſa latriæ genus eſt. Utque nulli imagini fides, aut ſpes, aut charitas adglutinatur, nec per ullam imaginem in Deum credimus, aut ſperamus, aut amore flagramus; ita nulli imagini latria, nec per ullam imaginem Deo latria offertur. Spiritalis enim hic cultus eſt, qui per fidem & charitatem offertur, Deoque ſpiritui omnipræſenti ſtatim adhæreſcit, nec ullo quaſi abſens abſenti, vehiculo imaginis tranſmittendus eſt. At oſcula, amplexus & id genus alia nonniſi per imagines trajici poſſunt; his enim abeſt, his diſtat Deus, non locorum intercapedine, ſed diſſimilitudine naturæ. Ideo illa ſecundùm fidem latria, in ſpiritu & veritate perſolvitur: hæc honoraria autem adoratio, corporis miniſterio conſtat, & eo animi affectu qui ad corpus inclinandum aut dejiciendum in prototypi amorem neceſſarius eſt. Ideo denique nec imagini Chriſti latria adhibenda eſt, & promiſcuè omnibus imaginibus eundem honorarium cultum præfixit Synodus, quia latria ſeu cultus ex fidei & charitatis æſtu non ullo ſe intermedio diſtineri aut tardari ſinit, ſed in Deum ubique præſentem incunctanter proſilit. *Imagines non adoramus ut Deos, nec ſalutis ſpem in imaginibus poſitam & collocatam habemus, nec gentium more divinum illis honorem tribuimus: ſed eas venerantes, animi noſtri affectionem & charitatem erga exemplaria demonſtramus.* Iſtud demum eſt, ut Deum colere quidpiam, ſuam in eo ſpem, adeoque fidem & amorem defigere. Apage ut Chriſtianus quis tam obbruteſcat, ut fidem, ut ſpem ſuam ſuſpendat ab imagine. Ergo venerari imagines, iſtud eſt, eas exoſculari, ſuſpicere, admirari, dum animus interim toto amore in exemplaria exæſtuat. Hæc Euthymius.

XII. Ex Photio. Audiendus quoque Photius eſt Epiſtola 1. *Patet quippe cunctis quod imaginibus honor habitus, eorum honor ſit, qui repræſentantur, quemadmodum & infamia atque dedecus tranſit ab imagine ad imaginatum.* Et infrà: *Ideo ſancta Synodus Chriſti imaginem, juxta traditiones priſcas Patrum & Apoſtolorum, in honorem & cultum repræſentati, juſſit* προσκυνῆσθαι καὶ τιμᾶσθαι: *cultu nimirum & honore ſic habito, quomodo cætera quoque ſigna & ſymbola ſanctiſſimi noſtri cultus ſolemus celebrare. Neque enim in iiſdem ita inſiſtimus, ut* προσκύνησιν *&* τιμὴν *ibidem circumſcribamus; ſed nec in alienos à pietate fines diffundimur: ſed per conſpicuam, differentem, & diviſam eorum venerationem, atque cultu modo quodam ſacro, & divino, & indiſcreto, ad illam quæ eſt indiviſa, unica, unita unificaque, divinitatem deducimur.* Satagit impendio, ut ne quid cultus inhæreſcat imaginibus quod non in Deum refluat. Effluit enim dignitas à prototypo in imaginem, neceſſe eſt ergo ut & ad fontem ſuum retorqueatur. Unde præclarè idem: *Ad hunc modum, & venerabilem crucem adoramus, in qua Domini corpus extendebatur, unde ſanguis ille ebulliit, quo mundus mundabatur, &c. Ad hunc modum, crucis adoramus effigiem, per quam agmina dæmonum effugantur, morbi autem varii perſanantur, nimirum illa gratia & potentia quam prima vice operata eſt in exemplari, uſque ad imagines, & repræſentationes cum eademmet vi & operatione, progrediente.* Itaque de redundantia quadam exemplaris defluit dignitatis ros aliquis in imagines, ac viciſſim reſorbetur. At omnis demum cultus, non ab imaginibus tantùm, ad Sanctos relativus eſt, ſed ab imaginibus & Sanctis omnibus fide caſtiſſima, unique Chriſto conjugata reducitur & recolligitur in unum ſummum Deum: *Etenim per ipſas ad contemplationem quandam unientem & compaginantem ſurſum ducimur, & per eas digni efficimur qui cum ſummo deſideratorum omnium per divinam & ſupernaturalem copulationem aduniamur.*

Sed illud in primis à Photio edocendi ſumus, quod hactenus verbo perſtrinximus, & nullo expreſſiori approbavimus teſtimonio, adorationis honorariæ quæ unicam in ſpeciem tota promiſcuè compingebatur, gradus eſſe compluſculos & multiformes. Et quidem id non ægrè conjicere poteramus, ex eo quòd cùm interno externoque cultu conſtet omnis adoratio, etſi in externo non poſſit ſatis penſiculatè diſcriminum diligentia obſervari, at in interno prompta apertaque eſt diſcrepantia: longè aliter enim in Chriſti amplitudinis admirationem & deſiderium ſtimulatur animus, aliter in Deiparæ, aliter in Sanctorum, dum eorum imagines vel oſculo vel amplexu honoramus. Unde Photius ibidem: *Atque hanc ob cauſam ſacer ille &, Deo plenus ſanctorum Patrum conſeſſus, non modò Chriſti, verùm etiam intemeratæ ſemper Virginis Deiparæ & Sanctorum omnes imagines, juxta gradum & proportionem excellentiæ & venerationis prototyporum coli & adorari decrevit, &c.* XIII. Ex eodem varii gradus honorariæ adorationis

Sed nuſquam diſtinctiùs res hæc tota pertractatur, quàm apud Damaſcenum Orat. III. de Imaginibus, ubi προσκύνησιν ſeu adorationem ita definit: *Adoratio eſt ſignum ſubſtrationis, hoc eſt, dejectionis & humiliationis.* Deinde varias ejus ſpecies enumerare aggreditur: *Primum genus eſt quod per latriam exhibetur, quæ per naturam adorando uni Deo tribuitur.* Quod genus tripartitum illicò facit, cum vel filiali charitate, vel mercenario, vel ſervili affectu Deus colitur, *Quam multæ autem & quot modis adorentur res creatæ, in ſacra Scriptura deprehendimus. Primùm enim adorantur in quibus requievit Deus, qui ſolus eſt ſanctus, & in ſanctis conquieſcit, ut in ſancta Dei genitrice, & in omnibus Sanctis, &c. Adoramus non quod natura ſint adorandi, ſed quoniam illum qui natura adorandus eſt, in ſeipſis habent; ſicut ferrum ignitum non natura ſua ejuſmodi eſt, ut tangi nequeat, & comburat, ſed quia particeps ignis factum eſt, qui comburendi naturam habet, &c. Alter adorationis modus eſt, quo res per quas & in quibus ſalutem noſtram Deus vel ante Domini adventum, vel poſt aſſumptæ carnis conſilium executus eſt, veneramur, ut Montem Synai, Nazareth, præſepe in Bethlehem, Crucis lignum, clavos, veſtes, ſanctum illud monumentum, fontem noſtræ reſurrectionis, &c. Hæc & his ſimilia veneror & adoro, & omne templum Dei ſanctum, & omnia loca in quibus Deus nominatur, non propter naturam ipſorum, ſed quoniam actionis divinæ ſunt receptacula, & per ipſa & in ipſis placuit Deo ſalutem noſtram tranſigere. Nam & Angelos & homines, & omnem materiam actionis divinæ participem atque adminiſtram ſalutis meæ, propter actionem divinam veneror & adoro.* Hæc duo ſunt priora XIV. Ex Damaſceno rurſum.

priora adorationis in creaturas ob infitum increatæ majeftatis fplendorem effufæ genera. Pergit deinde ad alia, *Tertius adorationis modus eft quo adoramus ea quæ Deo dicata funt, ut facra Evangelia, &c. Pocula, thuribula, lucernas, &c. Hæc enim effe facra perfpicuum eft. Vide enim quomodo cùm Balthafar populo vafis facris miniftrari feciffet, regnum ejus everterit. Quartus modus eft, quo imagines adorantur, à Prophetis perfpectæ. Imaginum enim intuitu Deum cernebant. Et rerum futurarum imagines, ut virga Aaron, quæ quidem imago Virginis myfterium exprimebat: & Jacob adoravit faftigium virgæ quo Servator fignificabatur. Hoc modo pretiofam crucis formam, corporeæque Dei mei figuræ fimilitudinem, & Deiparæ & fervorum ejus imagines adoramus. Quintus modus quo nos viciffim ut Dei partem habentes & ad Dei factos imaginem adoramus, atque inter nos fummifsè gerimus, legi charitatis obtemperantes. Sextus modus eft quem Principibus & in poteftate conftitutis exhibemus. Ita enim Jacob tum Efau fratrem majorem natu, tum Pharaonem à Deo principem conftitutum adoravit. Septimus modus eft, quo fervi dominos, & benemeritos, & quorum egent auxilio, profequuntur. Sic Abraham adoravit filios Emmor, cum ab illis fpeluncam duplicem emeret.* Hos ille feptem furculos enumerat honorariæ adorationis, ab una quafi ftirpe religionis uni verò Deo devotæ proferpentes. Illud enim primum in hac Damafceni doctrina adnotandum monemus, hæc omnia fecundarii cultus genera ad unum veri Dei cultum effe fufpenfa aptaque, inde pendere, illinc manare, illuc refilire. Nam ne ipfis quidem Sanctis honoris vel tantillum delibatur, nifi quia illos Deus inhofpitatur. Itaque omnis creaturæ honos, relativus ad Deum eft, & latriæ per fidem vigentis quafi multiplex in ramos propagatio. Secundò illud quoque pendendum permagni eft, quòd adeo non honos fanctis dedicatus ad civilem detorquendus, & quafi profanandus eft, ut nec honos civilis Chriftianos deceat, nifi ad Deum arcano quodam tramite intentionis derivetur. Nam nec homo hominem, mortalis mortalem ullo impartit honore, nifi ut Dei imaginem, ut Dei aura & afflatu imbutum aliquo. Quin nec Regibus, nec Magnatibus affurgitur à viro fidei myfteriis imbuto, nifi ut vel jubentis vel permittentis Dei voluntate poteftatem confecutis. Non ergo honos fanctis cælitibus habitus, ad civilem deflectendus eft: fed civilis ipfe quilibet honos, nifi ad Deum convergens, religionis odore aliquo confpergatur, profanus & affentatorius eft, ac maculofus. Tertiò illud quoque refricandum hic eft quod jam non femel attigimus, cum adoratio definiatur fignum animi fubftrati, non tantam effe fignorum, quantam adorationum diverfitatem. Nam cum feptem gradus adorationis percenfeantur, omnia hæc ferè iifdem fignis abfolvuntur, utputa falutatione, ofculo, amplexu. Ergo tota hæc difcriminatio ab intentione repetenda eft. Quartò denique Damafceno peræquè ac Synodo feptimæ aliifque fupra laudatis illud fixum inconcuffumque eft, Latriam uni vero Deo confecrandam, non ulli creaturæ, non ulli imagini libandam vel in tranfcurfu, tanquam inde ad Deum revolaturam, fed uni per fe Deo omniprafenti & naturaliter adorando exolvendam. Nec id infolens videri debet.

XV. Latria Deus colitur, quia propter feipsū. imagines honorarie, quia non propter fe, fed propter aliud.

Quippè latriæ feu divini cultus ea ratio peculiaris & propria eft, ea à creaturarum cultu quocumque difcretio, quod latria cultus fit qui Deo propter fe & per naturam fuam adorando præftatur, ut qui principium, & lumen, & bonum fit omnium, fpe, fide, charitate complectendum. Hinc enim meridiano folis radio illuftrius eft, non poffe ulli creatæ fubftantiæ, feu imagini latriam adhiberi. Creatura enim omnis, & in primis imago quælibet nihil obtinet, quo propter feipfam debeat honorari; fed propter Deum, cujus radios vel cominus vel eminus fuperfufos excipit, honoratur. Et fanè hæc capitalis differentia creatorem à creatura, cultum creatoris à cultu creaturæ difpefcit. Quod creator per fe & propter fe eft, nec aliunde pendet, aut ad aliud obnoxio quodam vinculo refertur: creatura nec per fe, nec propter fe eft, à Deo fufpenfa, ad Deum fubftantialiter convergit. Quocirca & latria feu cultus creatoris, is erit qui ei propter feipfum exolvetur: honor creaturæ non ei propter feipfam fed propter Deum offeretur. Ergo non poterit latria relativa effe: non poterit veneratio creaturæ non relativa, ideoque merè honoraria effe.

Quod autem Scholæ Theologicæ principes à quadringentis amplius annis latriæ honorem imaginibus etiam Chrifti & cruci indulfere, deviarunt illi quidem verbo tenus à feptimæ Synodi decretis, quæ ne tum quidem adhuc fatis perfpecta habebant, fed reapfe confenfere. Cui enim non perfuafiffimum fuit, imo cui vel tyrunculo non præjudicatum eft, Deo uni propter fe, creaturæ cuicumque propter Deum & honorem & amorem omnem libari debere? Itaque nec imaginibus propter fe ullam adfignavere latriam, ideoque nec ullam omnino latriam quæ nonnifi propter fe eft. Sed cùm honorariæ adorationi vel crucis vel imaginis Chrifti conjunctiffima femper fit latria interior, Deo uni intus præfenti vacans, & honorariam illam extimamque falutationem ab imagine corripiens torquenfque ad Deum, hoc utrumque compingere in unum atque confundere fatius vifum eft Scholæ Magiftris, ut imaginibus quoque crucique Chrifti latriam nimirum relativam addicerent. Sed quis non intelligit hæc duo diverfiffima effe, tametfi mente & cogitatu conjungantur? Quis non videt quàm multa foleat mens noftra, & diftincta colligere, & adunata diffociare? Nec malè feriati animi, otioque fuo abutentis iftud femper eft, fed fæpenumero fervientis rerum neceffitati, hominum imbecillitati, quæftionum augendæ perfpicuitati. Itaque cum longè aliud reapfe fit, imaginem ofculari, amplecti, falutare corporis inclinatione, animi etiam affectu congruo: aliud autem infinitam Dei magnitudinem fide complecti, eique honores omnes alios ut omnium fonti refundere: quia hæc duo fimul perficiuntur, fas jufque erat feptimæ Synodo hæc difcriminare, ne imagines pro Deo colere infamaremur: fas fuit Doctoribus Scholafticis hæc cogitando cogere in unum & conflare, ut imagini Chrifti uberiores quàm cæteris & Chrifto dignos honores infunderent, fed potiffimum ut feptimæ Synodo, quam ita decreviffe falfis rumoribus delufi opinabantur, acquiefcerent.

XVI. Scholæ Magiftri verbis, non re diffident à feptima Synodo, dum latria coli volunt crucem & imagines Chrifti.

Nec defunt exempla iftiufmodi verborum in fententiæ confenfu diffenfionis. Ipfum quippe ὁμόσιον ditis, & execrationibus fynodicis fulminatum fuerat, antequam Nicæna illud Synodus fanctioris facramenti fignificatione confecraret. Unam Verbi Dei naturam incarnatam & Deiparæ vocem profanaverat adulterinis fenfibus Apollinaris. Unum de Trinitate paffum effe Chriftum & Pontifices & Ecclefiæ in utramque partem negantem, ajentemque ventilarunt, cùm utrinque fides eadem conftaret, verbis pugna inhæreret, quibus aliam alii fignificationem adjungebant. Complura id genus perluftranti faftos Ecclefiæ occurrent. Sed ex hac verborum pugna non tantùm non extenuatur, ut etiam vehementiffimè exaggeretur animorum concentus. Cùm enim percrebuiffet, etfi fallacibus rumufculis, conftitutam imaginum latriam in feptima Synodo ufque adeo pofteriores Galli authoritatem Synodi amplecti atque propugnare animum induxerunt, ut huic etiam interpolationi germanas commenti fint

sint & ad veri amussim redactas interpretationes. Compensatum itaque est à posterioribus Gallis quod eorum Majores Synodo huic septimæ minùs concesserant. Si comperta autem atque explorata fuisset doctoribus scholasticis ipsa verborum formula, quæ præfixa fuerat in Oecumenica Synodo, quis ambigat eos in illam certatim conspiraturos fuisse? Scitè id auguratur Baronius: *Si ea quæ fuerunt in Concilio Nicæno statuta, & Apostolicæ sedis authoritate firmata, isti de quibus est sermo, novissent, atque certiùs intellexissent, non ex veritate, sed per calumniam proclamatum ab adversariis, definitum esse cultum latriæ sacris imaginibus in Nicæno Concilio, atque scivissent revera penitus fuisse contrarium decisum atque firmatum, nimirum nullam imaginem colendam esse cultu latriæ: sanè quidem ut fuit ipsis semper orthodoxis in more, nulla penitus contrarietate sive diversitate verborum quovis prætextu veritatem orthodoxæ fidei circumduxissent; sed eadem ipsissima verba atque sententiam sacri Oecumenici Concilii defendissent, totidemque verbis reddita & asserta firmassent. Sed & quod non minoris authoritatis & roboris ulla ex parte est Oecumenicum Concilium Nicænum posterius à priori Nicæno: sicut antiqui Patres illi millies mortem pati parati erant, quàm vocem illam consubstantialem, ab illo Concilio in Symbolo positam & definitam deserere, licèt per æquipollentia verba idem dici posse ab adversariis proponeretur: ita & isti hujus posterioris Concilii Nicæni non solùm sententiam, sed ipsa quoque verba mordicùs tenuissent, constantiùs defendissent, atque firmiùs asseruissent, &c. Quod si secus fecissent, magnam profectò suæ ipsorum existimationi infamiæ notam inussissent: & hac ex parte, an Catholici essent qui Oecumenicæ Synodo adversari tam liberè viderentur, suspicionem in nonnullorum animos induxissent, vel saltem temeritatis nomine redarguendi fuissent. Sed ab his omnibus hos excusat ignoratio historicæ veritatis.*

Ann 787. n. 44.

Hæc eminentissimus Annalium conditor. Ex quibus integrum cuique est arbitrari, perspecta jam & explorata non fidei tantùm, sed etiam verborum formula, quam Synodi Oecumenicæ sanxit authoritas, an liceat ab ea vel transversum quod ajunt unguem deviare? Itaque ubi patuit historica veritas quæ latitabat, non sententiam tantùm, sed ipsa verba, & vocum apices ea, qua par est reverentia, suscipimus, nec latriam ulli jam imagini dependi posse pronunciamus, aut pronuncianti potiùs Ecclesiæ succinimus, nec latriam ullam relativam aut reflexam aut indirectam esse posse profitemur. Latria enim est qua quid propter se, & propter suam summi boni naturam colitur: honorarius autem & præ illa umbraticus cultus est, quo quid non propter se, sed propter aliud, nempe propter summum bonum honoratur. In Sophiana certè, seu Constantinopolitana Pseudosynodo, anno 1450. habita post Florentinam Synodum & post excessum Joannis Palæologi Imperatoris, tum multa alia Græci Schismatici de Latinis conquesti sunt, tum illud in primis, *Cultum latriæ exhibere imagini Christi, & cruci, quæ soli tradi Verbo Deo & homini debet; sculptilia adorare.*

XVII. Confirmatur ea concordiæ ratio, ex Petro Cluniacensi.

Ne temeraria autem & nostro ex ingenio enata alicui videri possit hæc scholasticæ doctrinæ conciliatio cum Synodica in diversum quoad voces diffinitione, juvabit ex Petro Cluniacensi nonnulla decerpere, quæ ille de Crucis adoratione disputat Epistola contra Petrobrusianos: Cùm enim certò constet Catholicis quod Crux honoranda sit, an etiam sit adoranda, inter orthodoxos controverti ait: *Cum ergo irrefragabili authoritate & invicta ratione, honoranda, collaudanda, glorificanda crux Christi à Christianis esse probetur; quod & adorari debeat, sicut à quibusdam hæreticis negatur, sic utrum fieri debeat, à quibusdam Catholicis quæritur.* Mox adorationem duplicem secernit: alteram Creatori propriam, alteram creaturæ concessam: *Est honor qui creaturæ impenditur, & est honor qui tantùm Creatori debetur.* At crucem adoratione illa priori & divina, verùm relativa, coli, statim ita docet: *Adoramus Christum, non tantùm Dei, sed & hominis Filium. Adoramus & crucem, imò in cruce ipsum, qui Deus & homo est, crucifixum. Neque quantum in ipso est aut lignum colimus, aut lignum adoramus, quia manet sententia, Dominum Deum tuum adorabis; & illi soli servies. Sed dum crucem me adorare dico, crucifixum Dominum Deum meum esse, & me illi soli servire debere profiteor.* Et paucis intertextis: *Sic crucem Domini quam ex se non adorandam esse authoritas præcipit, ratio docet ex Christo & in Christo ipsam, imò magis Christum in ipsa venerandum esse: Deo prorsus subditus & devotus Christicolarum affectus invenit, servavit, instituit.* Et paulò post: *Simili intellectu cum ante crucem humiliatus prosternor, eum qui in ipsa olim pro requie nostra tortus, pro vita nostra mortuus est, ut Deum & Dominum, cui hoc soli debetur, adoro.* Latria adorari crucem decernit, ut vides, sed suspenso & nutante vestigio: pronunciat enim, & revocat: ait, & statim negat: audet, mox retrogreditur. Quanta enim ista alternatio est? Quàm sedula audaciæ prioris castigatio? *Adoramus & crucem, imò in cruce ipsum, &c.* Itemque: *Neque quantum in ipso est, lignum adoramus, quia manet sententia, Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Item: *Dum crucem me adorare dico, Dominum meum crucifixum esse, & me illi servire soli debere profiteor.* Et denique: *Ratio docet, ex Christo & in Christo ipsam, imò magis Christum in ipsa venerandum & adorandum esse, &c. Cum ante crucem prosternor, eum qui in ipsa tortus est, adoro.* Pronunciat, an recantat? Emendanti seipsum utique major habenda fides est. Vides ergo cum latriam cruci defert, quàm non dissentiat à dissentientibus: & quàm nihil aliud sit apud eum crucem adorari, quàm *cum ante crucem humiliatus prosternor, eum qui in ipsa tortus est, adoro*: id est, quàm corpore advolvi & humum verrere ante crucem, animo toto Christum cogitare & adorare: id est, non crucem, sed Christum coram cruce adorare: id est, honorariè crucem, latria Cristum revereri. Privilegium etiam hoc singulare uni concedit cruci, non diversæ cuicumque imagini: *Idcirco autem hoc privilegium cruci Dominicæ datum est, ut in creaturis, sola post Filium hominis, qui & Filius Dei est, adoranda esse credatur, quatenus in morte Domini quam in cruce passus est, finem summamque salutis nostræ constitutam esse sciamus, & nequaquam more infidelium de cruce & morte ejus nos erubescere, certis ac præcipuis humilitatis indiciis doceamus.* Nullis ergo aliis imaginibus præter crucem Domini offerri latriam sinit. Denique cùm aliud honoris genus, nempè humani, non divini descripsisset, hoc quoque crucem affici permittit: *Licet ergo isto vel illo modo crucem Domini adorare, ut in illo non tam ipsa quàm Deus adoretur, in isto non tam ipsa quàm Deus honoretur. Illo colatur in cruce crucifixus, &c.* Hoc ergo temperamento qui latriam imagini offert, perparum ille diffidet à non offerente.

XVIII. Item ex Hieronymo. Apolog. adv. Ruffin.

Adorandæ, id est, salutandæ osculandæque crucis seu imaginis morem solemnem variis locis attingit Hieronymus: *Protinus concito gradu Bethleem meam reversus sum, ubi adorari præsepe & incunabula Salvatoris.* Quid istud sit autem adorare, declarat in Epistola ad Marcellam, ut commigret Bethlehem: *In sepulcro Domini flere cum sorore, flere cum matre, Crucis deinde lambere lignum.* Nempe crucem lambere, istud est adorare. Unde in Epitaphio Paulæ: *Prostrata ante crucem,*

cem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. En ut adoretur crux, dum ante eam prostrati, fide Christum cernimus & adoramus. Et ibidem: *Ingressa sepulcrum, resurrectionis osculabatur lapidem.* Sed adorationem osculo, capitisque dejectione exolvi, declarat prolixè idem Hieronymus alibi: *Illud quoque carpere dicitur, quod secundum Psalmum interpretans, pro eo quod legitur Latino, Apprehendite disciplinam, & in Hebraico volumine scriptum est,* נַשְּׁקוּ בַר *nasecu bar, dixerim in commentariolis meis, Adorate Filium, &c.* נַשְּׁקוּ *ut verbum de verbo interpreter, καταφιλήσατε, id est, deosculamini dicitur; quod ego nolens transferre putide, sensum magis secutus sum, ut dicerem, Adorate. Quia enim qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere, quod se beatus Job elementis & idolis fecisse negat, dicens, Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ iniquitas maxima est, & negatio contra Deum altissimum. Et Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem, deosculationem pro veneratione ponunt, &c.* Ita ergo non absonè honoraria adoratio ad oscula redigitur.

XIX. Imó ex Synodo Tridentina, quæ imaginibus honorariam tantùm adorationem decernit. Sess. 25.

Sed ne nimis diu & tædiosè moremur in re satis perspicua, unum superadjiciam ineluctabilis auctoritatis oraculum ex Synodo Tridentina, quæ cultum imaginum merè honorarium & relativum ita constituit: *Imagines porro Christi, Deiparæ virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Qua verborum paucitate nihil copiosius, nihil ad fidei plenitudinem uberius dici potuit. Primùm enim latria secundùm fidem & in spiritu imaginibus omnino denegatur, cùm vetatur ab eis aliquid peti, vetatur spes in eis defigi, vetatur divinitas earum ulla credi. Secundò honos imaginum non alius tangitur, quàm ut eas retineamus, eas in templis honorificè collocemus, eas osculemur, eis advolvamur, caput aperiamus, &c. quæ ad externum & honorarium cultum omnia pertinent. Tertiò non imagines propter Christum adorare dicimur, sed imagines osculari, iis adgeniculari, at Christum adorare, Sanctos ipsos venerari. Quartò is ipse honorarius cultus non propter se imaginibus, sed ad prototypa refertur, quæ per illas repræsentantur. Quintò indiscriminatim de omnibus agitur imaginibus seu Christi seu Sanctorum, quia nullis penitus latria, omnibus honoraria adoratio adhibetur, quanquam in multos ista gradus dispensetur, ut suprà disceptatum est. Synodi mentem assecutus planè est vir præstantissimus Petavius: *Cæterùm honor & cultus religiosus imaginum duplex esse potest: & unus θετικὸς, alter negativus appellari.* To. 2. de Incar. pa. 612. *Θετικὸν quem scholæ positivum nominant, ejusmodi voco ut sit honorificentia quædam externa, velut adoratio, genuque flexio, quæ coram imagine fit, pia & circumscripta tractatio. Negativus autem in eo consistat, nulla ut illius dehonestatio fiat: ut non diruatur, non dissecetur, non flammis aboleatur. Utrumque, sed hunc maximè posteriorem Ecclesiastica sanctio præscribit: qui & absolutus in suo genere censeri debet, quoniam absolutè ac simpliciter ab imaginum contumelia abstinendum esse præcipitur. At prior minimè est absolutus, sed relativus dumtaxat.* Quanquam posterior etiam relativus videri possit.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
quæ hoc Tomo continentur.

A

Aaron.

NON alia præfulsisse eum, quàm typica mediatoris gloria. L. IX. C. 3. n. 13. Imo nec ita proprie fuisse magnum Sacerdotem, qui peccare poterat, quique reipsa idolum conflavit, Origenes opinatur. L. X. C. 1. n. 8. §. *Additur*. Illius deinceps sacrificia, & similia, ad summum unius veri sacrificij prælusoria. L. X. CC. 6. & 7. *fere integris*.

Idem, successoresque Pontifices Aaronici, æternum Verbi ipsius Sacerdotium, suis etiam vestibus, adumbrarunt, juxta nonnullos. L. X. C. 9. n. 2. *& seq.* Aut saltem anniversario sanctuarij ingressu, cæleste Sacerdotium Christi, à Deo vocati tanquam Aaron, ex Paulo præsertim, Athanasio, & Origene. C. 11. n. 1. *& seq.*

In Aarone, utriusque tribus, Sacerdotalis, & regiæ futuræ, prima facta coalitio. L. X. C. 15. n. 1. Hinc & ex aliis inditiis, ab Aarone plurimi; alij potius ab Abrahamo, Sacerdotium Christi repetunt. *Ibidem*, *& n.* 2. At funditùs ruunt Pauli principia, si de familia Aaronica, aut hæreditario jure, Christus Sacerdos, n. 3. Ut hunc nodum solvat Augustinus? n. 4. Et Paulinus Nolanus? n. 5. Splendorem potius in Aaronem, & alios sive Sacerdotes, sive reges, Christus refudit. *Ibid.*

Abaelardus.

Illius procacitas, contra doctrinam Patrum de jure Diaboli in hominem, retunditur. L. I. C. 3. n. 7. L. IX. C. 8. n. 11.

Ejusdem objectionibus, contra Christi satisfactionem, fatisfit. L. I. C. 4. n. 8. L. IX. C. 10. n. 9. *& seq.*

Abel.

Nusquam vel Abeli, vel aliis ante legem, a Deo mandatum victimas cædi. L. X. C. 3. n. 1. Si quando iis arrisisse visus est Deus, non sacrificiis, sed sacrificantium animis. C. 4. n. 2.

Cur Abel, qui primus Deo sacrificasse laudatur, non Sacerdos tantum, sed & victima, & primus Martyr? L. X. C. 7. n. 6. cur etiam agnum potius obtulit? n. 9. §. *quin*.

Abraham.

Abrahami filius visus à Deo postulari, ut quasi debitor paris gratiæ teneretur Deus. L. I. C. 2. n. 13. Sic ferè Abrahæ, quasi in Sacramento, dupliciter factus hospes Deus. L. II. C. 1. n. 3.

Ex apparitionibus frequentiùs Abrahamo concessis, Incarnationis præsagia. L. I. C. 6. n. 6. L. II. C. 1. n. 3. Quomodo Abraham vidit diem Christi? L. I. C. 9. n. 5. L. II. C. 1. n. 3. Sacrificia ipsa Abrahæ, & unius præsertim, præludia. L. X. C. 3. n. 1. C. 4. n. 3. C. 6. n. 2.

In lumbis Abrahæ qua ratione decimati dicantur posteri? ex Maxentio. L. III. C. 20. n. 13. non eodem modo Christus. L. VI. C. 1. n. 9.

Abrahamo non benedixisset Melchisedech, natura par, nisi Christi typo superior. L. X. C. 15. n. 15. & C. 14. *fere toto.*

Utrum ab Abrahamo, an ab Aarone, Sacerdotium Christi? L. X. C. 15. n. 1. A neutro. n. 4. imo potius utrique & omnibus aliis retro majoribus gloriam Christus contulit. n. 5.

Quid innuat deportatio Lazari in sinum Abrahæ per Angelos? L. XI. C. 5. n. 9. *circa finem*. Quid ille sinus Abrahæ, secundùm Vigilantium, vel Chiliastas? C. 10. n. 5.

Quid aliunde tot solemnia Dei promissa pro tam seris nepotibus? L. XI. C. 7. n. 9. L. XII. C. 3. n. 7. Quæ tanta vis memoriæ seu invocationis nominis Abrahæ? L. XI. C. 7. n. 4. C. 9. n. 9. 17. L. XII. C. 3. n. 6. Quo tandem spectet sollicitudo Abrahæ, & cæterorum deinceps, ejus magis fide quàm carne propagatorum, circa sepulchra? L. XII. C. 3. n. 2. 7. 11.

Academia, Academici.

Aacademia Platonis, vestibulum Ecclesiæ. L. I. C. 5. n. 23. C. 12. n. 6. L. IX. C. 2. n. 1. 3. *& seq.*

Cur omnia in dubium deducere statuerint ab illa Academia dicti Academici? L. I. C. 12. n. 3. Et postea Christiana fide illucescente plerique resilierint? n. 6. 9. Eandem tamen Academicorum fluctuationem ut fidei inimicam ex agitabat adhuc passim suo ævo Augustinus. L. XI. C. 11. n. 16.

Accidentia.

Naturæ omnes accidentales, inter alias, arcentur à ratione personæ vel suppositi. L. III. C. 1. n. 6. C. 3. n. 10. v. 5. C. 9. n. 2. 3. Ad eum ferè accidentium modum incumbit humanitas Verbo, ut non sit persona. C. 9. n. 1. *& seq.* C. 10. n. 9. C. 12. n. 1. 12.

Accidentia complura ad personam pertinent, & tamen ad superiorem adsciscuntur, quid inde? L. III. C. 18. n. 2. *& seq.* Omnes formæ creatæ, fere accidentium more, adhærescunt, & cur? L. IV. C. 16. n. 18.

Acephali hæretici.

Alexandriæ cum sedem invasisset Petrus Moggus, & Chalcedonensi Synodo anathema dicere cunctaretur, secessionem ab eo fecerunt Eutychiani, ex eo Acephali dicti. v. *Præfat.* n. 10. §. *In Orientis plagas*.

Item Semi-Eutychiani sine capite remanentes vocantur Acephali à Græcis, ex Facundo. L. III. C. 19. n. 3. Magnam paterni, seu Eutychiani erroris, partem ejuraverant; eo tamen recidebant, & quomodo? *Ibid. & n.* 7. Eorum perpetua objectio, ex comparatione unionis animæ & corporis cum Incarnatione, solvitur deinceps, *nn. seq.*

Communem, non individuam, à Verbo assumptam esse naturam fabulabantur Acephali. L. III. C. 20. n. 12. §. *his*. Longè alio sensu idem visi sunt docere aliqui Catholici, n. 13. Plura Acephalorum divortia. V. in præf. n. 10. §. *In Orientis plagas*, *&c.*

Adami creatio, & innocentia.

Adamus ex nullis nuptiis, sed ex virgine limo, à Deo formatus. L. II. c. 3. n. 12. Tres producendi hominis modi, in Adamo, Eva, & posteris; quartus in Christo secundo Adamo, *Ibid.* §. *accedit*, *& seq.* Adamo & Christo quid in hac re conveniat, quid minus conveniat? n. 13.

Cur Deus in Adamo simul condens naturam & largiens gratiam, sicut in Christo, illum tamen pariter ad suam non traxerit hypostasim? L. III. C. 17. n. 7. *& seq.*

Adamus in sanctitatem evehitur ut adoptivus, Christus ut Filius. L. VI. C. 1. n. 12. Qualiter verò Adamus adoptivus fuerit? L. I. C. 20. n. 4. 5. 12. L. VIII. c. 4. n. 13. §. *Paulinus*. C. 6. n. 3. C. 10. n. 3. 7. *& seq.* Adamus etiam Dei Filius, magis quàm servus, qua imago. L. VIII. C. 17. n. 8.

Secundum cogitans Deus, primum Adamum ad imaginem sui condidit. L. IV. C. 5. n. 1. Qua ratione Adami creatio, Christi pignus? L. II. C. 6. n. 5. An in Adamo, Christi & Ecclesiæ fides? *Ibid.* Quomodo Sacramentum fuerit ejus conjugium. L. X. C. 7. n. 5. Si Adamus non peccasset, de vena charitatis divinæ fluxisset conjugalis amor, prolis sator. L. VI. C. 1. n. 5.

Adamus, caput generis humani, nonnisi per afflatum Spiritus Sancti, primò constitutus. L. I. C. 20. n. 5. §. *rursus*. C. 21. n. 3. 4. Deinceps tamen, nonnisi per carnem, sine spiritu. C. 20. n. 7. C. 21. n. 3. 5. Quia Spiritus Sanctus descendit, non mansit in ipso, sicut in Christo. L. II. C. 10. n. 8. L. V. C. 11. L. VI. C. 2. 7. n. 13. *& seq.* C. 16. n. 19.

Gratia, accidentis instar, adhærens Adamo; substantialis in Christo. L. I. C. 19. *Præsertim*. n. 4. L. VI. C. 7. n. 11. Diversi utriusque gratiæ effectus, *ibid. & nn. seq. Item* C. 20. n. 4. *& seq. Rursus* L. II. C. 5. n. 8.

In summa, concessa Adamo gratia non prohibuit, quin universum postea genus humanum interiret: reparatrix gratia in secundo Adamo prohibebit, ne universa iterum pereat natura. L. I. C. 19. 5. *in fine*. *Item*. L. II. CC. 10. & 11. Ubi identidem ex proposito subjungitur neutrum potuisse accidere, si ante peccatum Adami, Christus supponeretur futurus; aut enim naturam omnino præservasset a lapsu; aut si non præservasset, nec reparasset; & cur? *Præsertim* C. 10. n. 11 Paucis, auxilia efficacia non congruebant statui innocentiæ, *passim locis mox citatis*, *& infra*. v. *Adjutorium*, *Gratia*.

Adami Innocentis mentem divina lux immediatè adibat. L. I. C. 5. n. 10. *& seq.* C. 6. n. 5. *in fine*. L. II. C. 8. n. 3. *& seq.* Hinc Verbi contemperatio nullatenus ipsi necessaria, imo injuria, *ibid.*

Nec alia pariter Sacramenta incarnatione minora tunc congruebant. L. I. C. 5. n. 12. *& seq.* L. II. C. 8. n. 1. 2. Quomodo lignum vitæ erat Sacramenti loco? n. 4. Fortè

post

post lapsum ipsum, ex Augustino, *ibid.* & *rursus*, L. X. C. 7. n. 1. 4.
Multominus homini innocenti necessarium aut conveniens sacrificium, maximè quod sit mortis prolusio. L. X. C. 7. n. 2. & *seq. præsertim* 6. Cujus ergo generis Sacerdotium Adami, ante lapsum? n. 7.
Quatenus ejusdem caro esurire, dolere, & mori tunc potuerit? L. IV. C. 12. n. 7. 9. & C. 13. n. 13. 14. Prima libertas & immortalitas Adami, posse non peccare, nec mori, &c. L. V. C. 13. n. 1. & *seq. præsertim*. §. 13.
Etsi Adamus in veritate constitisset, non eandem tamen posteris constantiam seu perseverantiam affudisset. L. V. C. 16. n. 6. Genuisset bonus bonos, non illius tamen merito, sed naturæ nihil vitiatæ instituto, *ibid.* An suam ipse gratiam deberet posteris? L. II. C. 6. n. 11.
Vires liberi arbitrij in Adamo innocente patuerant, alia erit via terenda contra Diabolum. L. V. C. 16. n. 9. & *seq.* Prima etiam Verbi mediatio impropria per operationem nihil tunc Adamo profuit, secunda debet esse substantiva. L. IX. C. 3. n. 3. 4.
Relicta tamen nobis ex illo statu, innatæ primo parenti æternæ Religionis, semina. L. I. C. 15. n. 1.

Adami lapsus, & reparatio.

Justum Diaboli jus in Adamum liberè consentientem. L. I. C. 3. n. 3. 4. Longè æquius, ut caro vincat eadem in secundo Adamo, quæ victa fuit in primo, *ibid.* n. 13.
Caput aliud, pro Adamo vitiato, sufficiendum fuit, à quo natura reparata securiùs propagaretur, eodem, & diverso modo. L. I. C. 20. n. 1. & *seq.* L. II. C. 6. n. 11. L. V. C. 11. n. 9. C. 16. n. 7. & *seq.* C. 18. n. 13. & *seq.* Et quidem multo cum fœnore. L. I. C. 19. n. 11. & C. 20. n. 4. & *seq.* Septem potissimum utriusque capitis discrimina, *ibid.* Aliqua rursus. L. VI. C. 7. n. 13. & *seq.*
Omnia ferè de utroque capite hactenus posita subruunt, si Christus, Adamo etiam non peccante, venisset. L. II. C. 7. *præsertim* N. 19. 20. & *ex professo* CC. 10. & 11. *integris.*
Certè ita venit ob illud peccatum, ut Adamo non peccante, nullatenus venisset, nequidem ut immortalis, ex constantissima scripturæ, & Patrum utriusque Ecclesiæ doctrina. L. II. C. 5. *toto*. Hinc ille stupor, ob majora Dei beneficia, erga hominem lapsum, quàm stantem, n. 8. Nequaquam tamen propriè peccato Adami suam Christus prædestinationem debet, C. 6. n. 4. & *seq.*
Utrique adhuc capiti seu parenti, primo & secundo Adamo cohæremus, donec vetustati paulatim novitas succedat, & ut experiamur quid inter utrumque intersit. L. VI. C. 7. n. 14. 15.
Discrimen inter ipsum primum Adamum stantem & lapsum, præsertim in modo venandæ notitiæ æternorum à temporalibus. L. VII. C. 8. n. 9. & *seq.*
Deinceps etiam primus Adam pater præsentis sæculi, seu semen ac seminator totius corruptibilitatis; secundus futuri sæculi seu incorruptibilitatis. L. II. C. 4. n. 2. *maxime*. V. 4. & *seq.* Hinc seminalis corpulentaque materia, quam naturam communem aliqui vocant, ab ipso primùm Adamo. L. III. C. 20. n. 13. Hinc rursus quàm physicè nostra, primi Adami caro est, ejusque adeo peccato coinquinata: tam physicè caro nostra, caro secundi seu Christi est, ab eo repurgata. L. IV. C. 4. n. 2. & *seq. præsertim*. Hinc denique cur ab exordio usque ad exitum sæculi, duo tantum homines Adamus & Christus, ex Augustino. L. I. C. 20. n. 9. L. II. C. 11. n. 4. Et quàm id physicè intelligendum. L. IV. C. 4. n. 1. v. 5.
Ut primus vitiaret, ut secundus Adam emacularet, totam uterque habuit naturam, atque adeo animam & mentem. L. IV. C. 8. n. 5. Imo omnia recapitulanda, ut ait Paulus, seu restauranda, & ad hoc opponenda fuerunt, ex Naz. *ibid.* Sicque singulis naturæ partibus per primum commaculatis, inexpugnabilis sanctitas & sanitas secundi inserenda, ex Athan. N. 7. 8. *plura infra*.
Ut secundus Adam primo, ita Evæ Eva melior, hoc est, Maria, subroganda fuit, pro utriusque prioris parentis, ac posterorum salute. L. II. C. 3. n. 5. & *seq.* v. *etiam pro prius aliis locis.*

Adjutorium, Auxilium.

Adjutorium duplex, ad remittenda retro, & antevertenda deinceps peccata. L. I. C. 17. n. 1. & *seq.* Etiam sana mens eguit gratiæ auxilio, à fortiori ægra, n. 14. & *seq.*
Ejusdem auxilij ex incarnatione petendi necessitas. L. I. CC. 17. & 18. Præsertim ut justitia & incorruptibilitas physicè & immutabiliter naturæ hominum universæ inferetur, c. 9. Similiter toto. Aliæ rationes, CC. 20. & 23. latissimè. *Item* L. IV. C. 3. *præsertim*, n. 12. L. VI. c. 7. n. 13. & *seq.*
Efficacissima Christi gratia aliquibus concessa non impedit, quominus alij aliis donentur gratiæ auxiliis. L. I. C. 19. n. 7. Scilicet omnia simul appellantur omnis generis auxilia, & in iis quædam invictissima. L. II. C. 10. n. 7. C. 11. n. 4. §. *porro*. Priora verò, cum Angelis & Adamo stanti essent communia, minùs ad hunc tractatum pertinent, *ibidem*.
Ad quatuor summa capita, tota hæc de efficacibus auxiliis disputatio revocatur. L. II. C. 10. n. 1.
Pro ipsis reprobis, & pro omnibus impetravit Christus auxilia, quibus non caruerunt. L. IX. C. 5. n. 4. & *seq.* v. Gratia, Prædestinatio.

Admiratio.

Ignorationis non est semper proles comesque admiratio, ut variis liquet exemplis. L. IV. C. 11. n. 12. Vitium istud est infirmatæ per peccatum naturæ, ad minutum quid, sed insolitum, in admirationem corripi; non ad alia longè maxima, quia usitatiora, licèt tantò mirabiliora. *ibid.*

Adoptio. v. Filiatio.

Adoratio.

Adoratio tributi species, ex Cyrillo. L. IX. C. 4. n. 2. §. 3.
Adoratio latriæ, servitutis addictissimæ religio. L. VIII. C. 15. n. 4. C. 18. n. 15. L. XI. C. 1. n. 2. Ab ea differt dulia, ex sacris & Ecclesiasticis scriptoribus, *ibid.*
Græcis etiam λατρεία pro sacrificio seu summo adorationis genere sumitur, n. 12. Atque adeo pro Liturgia. C. 6. n. 12. §. *universim*. In ea cultus omnis continetur. C. 3. n. 13.
Non adoratur propriè, sicut nec amatur, nisi quod propter seipsum. L. XI. C. 1. n. 9. C. 6. n. 1. & *seq.* L. XII. C. 13. n. 9. 15. Hinc adorandi colendive voces, divinis honoribus singulariter significandis, dedicatæ jam olim fuerunt, ex scriptoribus præsertim temporis medij. L. XII. C. 12. n. 14. 18. 19. Et sic est latria cultus secundùm fidem, spem, charitatem, in spiritu. C. 13. n. 7. 8. Cultus autem ille externo aliquo, & interno constat, sicut homo ipse, & ad sacrificium maximè, huc que spectantia, reducitur. *ibidem*, & *ante* L. XI. C. 1. n. 10.
Duo tamen distinguuntur adorationis seu honoris genera; alterum illud summum seu divinum & spiritale; alterum mediocre & penè corporale, tum ex aliis, tum accuratiùs ex Walafrido Strabone. L. XII. C. 12. n. 12. §. *præterea*. Tria verò venerationis genera, infra latriam, non contemnenda, ex Gregorio M. & *passim toto hoc c.* 12. Multiplex denique adorationis genus, non solum corpore, sed animi maximè stupore & amore, C. 5. n. 6. *in fine*.
Ex his adoratio honoraria, licèt minima, & immaniter discrepans à vera seu latria, plures tamen habet gradus per salutationes, oscula, &c. L. XII. C. 13. *fere toto, præsertim* n. 8. 9. 13. & 14. Et huc spectat honor ipse civilis, qui semper debet esse religiosus, *ibid.* n. 14. & *antea*. C. 3. n. 2. 7. v. *Etiam cultus Dei, Christi, Sanctorum, Reliquiarum, Sacrarum Imaginum, &c.*

Ætates.

Omnes naturæ nostræ ætates, incommutabilis justitiæ gradibus per Christum idoneæ. L. I. C. 19. n. 11. L. 2. c. 10. n. 4. Quin & incredibilia virium incrementa ætati etiam minus maturæ contulit. L. I. C. 19. n. 12. & *seq.*

Æterna.

Æternorum intelligantia, temporalium fides est propria. L. I. C. 5. n. 21. C. 7. n. 2. Alia eorum discrimina, *ibid.* Utrorumque limes medius Christus. C. 5. n. 24. C. 10. n. 2. 3. L. IV. C. 16. n. 3. & *seq.* Ad æternorum amorem instillandum, æternæ personæ authoritas necessaria. L. I. C. 13. n. 1. Cur passim hoc toto tractatu ab æternis lex & lux accersatur? L. II. C. 2. n. 11. C. 4. n. 7. & *seq.* L. 6. c. 3. n. 12.

Affectus. v. Passionis.

Agnoetæ hæretici.

Sic dicti, quod ignorationem, non Deitati quidem, ut Ariani, quos horrebant; sed humanitati Christi cum Nestorianis impingerent, ex Gregor. M. L. VII. C. 3. n. 5. C. 4. n. 1. 5. 7. 16. Palæstini Monachi hujus pravi dogmatis Architecti, ex Eulogio Alex. C. 4. n. 1. Themistius Diaconus eorum in Ægypto Dux & Princeps. v. *Præfat.* nu. 10. §. *In Orientis plagas*, &c.

Agnus.

Quomodo *Agnus de tribu Iuda solus potuerit aperire scripturæ librum*? L. I. C. 6. n. 5. §. *Etherius*. Et *Agnus occisus sit ab origine Mundi*? C. 9. n. 5. Cur etiam Agnus priùs oblatus, prævisus, & ostensus sit? L. X. C. 7. n. 5. §. *quin*.

Alexander Macedo.

Insanire & tumultuari potuit, dum viveret; at vita functus, nequidem regnum suum tueri aut restaurare, nedum amplificare. L. XII. C. 1. n. 5. Quantum præcellat Christi Martyrumque, post ipsam mortem, gloria? *ibid.*

Allegoria.

Unde necessitas allegoriarum & similium in scripturis, maxi-

maximè de Christo? L. I. C. 5. n. 13. 25. C. 6. n. 1. *& seq.* Imò & de ejus Discipulis? C. 10. *n.* 4. Illa autem allegoriarum necessitas non nisi post peccatum, *expressiùs* L. II. C. 8. n. 1.

Inter allegoriam & historiam quandoque non interest. L. XI. C. 11. n. 19.

Altare, Ara.

Ara prius ab Abrahamo extructa ex sacrificandi instinctu, nondum tamen oblatum sacrificium, & cur? L. X. C. 4. n. 3. C. 6. n. 2. Ipsi & posteris non semel sic ex proprio instinctu extruere altaria licuit. L. XII. C. 8. n. 6.

Mactatio victimæ non in ara, sed extra aram, ara autem propriè in Cœlo. L. X. C. 10. n. 3. C. 11. n. 13. C. 14. n. 7. Altare tamen duplex, in Ecclesia & in Cœlo. L. X. C. 25. n. 1. An istud prioris typus, ut vult Chrysostomus? *ibidem*. Ecclesia utrumque altare confœderat, n. 2. Nostrum etiam altare Angeli celebrant, n. 3. & C. 19. n. 6.

Ut nostra Ecclesiæ ara seu mensa non differat à prima Christi? L. X. C. 17. n. 5. Imo nec ab intelligibili & superna. C. 27. n. 6. C. 31. n. 14.

Quid sub ara Dei Martyres? L. XI. C. 10. n. 1. 5.

Ab ara ignoti Dei, an rectè Paulus philosophatus sit? L. XII. C. 7. n. 1.

Ambrosius.

Si quæ ex Didymo & aliis excerpsit in libris de Spiritu sancto, non sine plurimo venustatis & ubertatis incremento. L. III. C. 22. n. 12. Reprehendit quidem sibi coævos tractatores, qui Christo satis consultum putabant ab Arianis, si ignorantia à Deitate in humanitatem reflecteretur; mitiùs tamen, quàm Africani Patres paulò post, L. VII. C. 3. n. 7. & 9. Ex eodem ipse principio servitutem à Verbo in hominem visus reflectere, tandem sola id operatione, non substantia intelligendum consentit. L. VIII. C. 15. n. 1. *& seq.* C. 16. n. 2. & *præsertim* C. 20. n. 4.

Apud ipsum Pseudo-Ambrosius seu Ambrosiaster, & verus Hilarius Diaconus in Epistolas Pauli, aut Angelorum cultui non est contrarius, aut Patrum conspirationi contrariæ non æquiparandus. L. XI. C. 6. n. 12. *in fine*.

Amicitia, & amor.

Amoris votum primum est videre quod amat, ejus verò officium, amantium vota non irritare. L. I. C. 2. n. 5. Amoris aliud officium est extrema quæque copulare; alta deponere, ima sustollere, n. 6. Summi ergo amoris, qui Deus est, summam majestatem inclinare, *ibidem*. Item amantis est amico ægrescenti, & si fortè furenti, opem ferre, n. 7. Necnon & redamantes quærere, quod non creatio, sed Incarnatio obtinuit, n. 8. Præterea summæ charitatis est amorem, prævio summo beneficio, provocare, non cogere imperio, n. 9. Tanto ac tali dono, quid non amoris debeatur? n. 10. Minùs amorem suum edidisset, ac nostrum provocasset, peccati pœnas donando, quàm luendo, n. 11. summum verò summi amoris, pro servi salute orbari filio, n. 12. Et beneficii magnitudinem ita obumbrare, ut quod donatur videatur reddi, n. 13. Dei denique unius erat, amoris fines ita ampliare, ut alienæ saluti propria impendatur, n. 15. Et quidem ita ut novitatem talis mandati post peccatum necessarii, de diligendo proximo plusquam seipsum, Legislatoris exemplo confirmaret. *ibid.* Ea autem omnia, nonnisi post peccatum, verè necessaria & tempestiva sunt. L. II. C. 7. n. 13. 14.

Gradus amoris à carne ad spiritum. L. I. C. 6. n. 13. 14. Quatuor utriusque amoris modi, ex scriptura & Bern. *ibid.* Tandem amputandus carnis amor, ut locus sit spiritui, n. 15. Item L. X. C. 28. n. 9. & C. 30. n. 6.

Ipsa carnis generatio, non tam carne fit, quàm amore, qui libido non sit, utpote amoris intemperies. L. II. C. 4. n. 5. seu 6. v. 8. à fortiori caro ipsa Verbi ex amore purissimo seu spiritali, imò de Spiritu sancto, *ibid.* Necnon & in homine innocente, de vena charitatis divinæ, fluxisset conjugalis amor, prolis sator. L. VI. C. 1. n. 5.

Non amatur autem propriè, nisi quod propter seipsum, atque adeo solus Deus, præsertim ut sapientia & justitia; reliqua propter ipsum. L. XI. C. 11. n. 1. *& seq. latissimè*. Item L. XII. C. 13. n. 9. Imò non colitur Deus, nec sancti, nisi sic amando. L. XI. C. 1. n. 6. 8. & 9. Item C. 6. n. 1. *& seq.* V. Etiam charitas, &c.

Angelorum natura, gratia, & gloria.

Cur de Angelorum creatione & natura Moses tacuerit? L. XI. C. 6. n. 11.

Natura Angelorum, licèt summæ unitati citima, quia tamen natura est, in plura discinditur individua. L. III. C. 19. n. 23. An ita constet eorum naturalis incorporeitas? L. XII. C. 9. n. 7. Certè non tanta saltem, quanta Dei ipsius, n. 25. At humanæ carnis, imò & materiæ omnino expers. L. II. C. 12. n. 4. & 13.

Ipsæ Angelicæ mentes ab exortu suo, sapientia Verbi ut luce intima illuminari eguerunt. L. VII. C. 8. n. 2. quàm informes sint & inquietæ, nisi sic a Deo vegetentur? n. 3. Ita rerum omnium species & rationes prius Angelicis mentibus Deus imprimit, quàm rebus ipsis, n. 5. Nec aliter angelica natura lux est, creaturarum autem in seipsis, cognitio vespertina, n. 6.

Nec propterea Angelus Angelum, imò nec hominem Angelus, sed Angelum & hominem sola Veritas seu Deitas intimè & substantialiter perficere potest. L. III. C. 17. *præsertim*, n. 9. Et CC. 22. 23. *integris*. Item L. IV. C. 9. n. 23. Ac L. VI C. 12. n. 4. *& seq.* An possint saltem inesse Angeli Angelis & mentibus, & stipatores & administri? L. VI. C. 18. n. 6. *& seq.*

Rursus quàm informes sint Angeli natura & origine, priusquam gratia formati. L. VIII. C. 3. n. 4. *& seq.* Cur autem in Angelis Deus simul condens naturam, & largiens gratiam, sicut in Christo, suam tamen simul non communicaverit hypostasim? L. III. C. 17. n. 7. *& seq.* Imò nec suam filiationem? L. VIII. C. 3. n. 4. *& seq.* Imò adhuc nec filiationis ipsius adoptivæ gloriam, juxta plures è Patribus? C. 10. n. 1. Secus tamen; juxta alios, n. 2. 3. Conciliantur, agnoscendo meram adoptionem, n. 7. *& seq.* Non autem nativæ nostræ filiationis respersionem, nisi post resurrectionem & gloriam nostram, n. 12. & 13.

Nihilominus Angelis beatis in suo conditu hic unus creditur defuisse apex beatitudinis, ut peccare non possent. L. V. C. 13. n. 12. Deinceps nequaquam ad peccandum illi indifferentes, nec tamen minùs liberi. C. 14. n. 13. *& expressiùs*. C. 15. n. 1. *& seq.*

Angelorum cum hominibus multiplex collatio.

Panis Angelorum idem, ac hominis innocentis, nuda veritas. L. I. C. 5. n. 17. At verbum media carne fit nunc hominibus, quod immediatè semper fuit Angelis. C. 8. n. 10. C. 18. n. 4. 5. L. II. C. 12. n. 24. *& seq.* L. VI. C. 4. n. 1. 2. L. X. C. 27. n. 1. *& seq.* Hinc Christiana Religio Angelos quodammodo complectitur. L. I. C. 9. n. 5. & hominem reduxit in Angelica, unde excidit, contubernia. C. 13. n. 7. Quin & simplices quoslibet homines ferè pares fecit Angelis. C. 14. n. 4. Imò & in multis superiores. C. 20. n. 11. *& seq. usque in finem ex Iobio*. Item L. VII. C. 1. n. 13. C. 10. n. 1. 7. *& seq.* Ipsa etiam voluntate æquatur, imò præcellit quodammodo homo Angelis. L. V. C. 2. n. 6. *& seq.* Præcellit tamen libertas Angeli, ex proclivitate ad bonum. C. 22. n. 9. C. 23. n. 17.

At lapsus homo reparari non potuit ab Angelis, qui labi omnes potuere. L. I. C. 1. n. 6. Imò, qui aliis è suo cætu, ne caderent, & ut post casum surgerent, auxiliari non potuere. C. 4. n. 1. Nec sibi ipsis, ne caderent. C. 19. n. 9. Nec tandem nos à potestate malorum eripere. L. IV. C. 3. n. 4.

Septem potissimum rationes cur Angelos Deus non apprehenderit, sicut apprehendit semen Abrahæ. L. II. C. 12. contra quorumdam veterum deliria, n. 1. An & ipsius Origenis? *ibid.* Prima ratio ob nostræ longè inferioris imbecillitatem naturæ, n. 2. 3. præsertim ex carne, qua caret Angelus, n. 4. *& seq.* Secunda est, non jam naturæ, sed culpæ Angelicæ atque humanæ discrepantia, n. 7. Imprimis quod utriusque author fuerit Angelus, *ibid.* & n. 8. Tertia, quod Angelus defectu materiæ, per primum saltem libertatis actum immutabilior sit sive in bono sive in malo, n. 13. Quarta, quod unius Angeli casu non omnes ceciderint, ut pote diversi inter se generis, n. 14. *& seq.* Quinta, quod in Angelica natura Deus non posset mori pro peccato, n. 17. Sexta, quod per hominum reparationem, resartæ sint etiam Angelorum ruinæ, n. 18. *& seq.* Imo & Beatis Angelis mœror abstersus, n. 21. 23. Septima denique, quod Angelorum etiam Redemptor sit Christus, ut Deus, n. 24. At non propriè ut homo, quin tota labefactetur Patrum & Apostoli Theologia, n. 25 26. Ideo etiam nec propriè sanctificavit Angelos Redemptor, quia non apprehendit. L. V. C. 18. n. 16. Ad summum Angelos apprehendit, quia apprehendit naturam intellectualem, cujus tenent principatum. L. VIII. C. 10. n. 13. v. 6.

Sic nonnisi impropriè Angelorum mediator est Christus ut Verbum. L. II. C. 2. n. 5. *& seq.* L. IX. C. 3. n. 4. L. X. C. 9. n. 1. *& seq.* Ipsi verò nec boni nec mali Angeli mediatores hominum esse potuere. L. I. C. 16. n. 13. L. IX. C. 1. n. 1. *& seq.* C. 2. n. 3. 5. C. 3. n. 13. Ad summum, summa veritas seu Verbum per Angelicas mentes, ut pote medias, ad materiam descendit. L. VII. C. 8. n. 4. 5. & hoc aliisque modis Angeli, Christi & hominum sunt administri. L. VIII. C. 10. n. 1. L. XI. C. 5. n. 3.

Hinc etiam Sacerdotii spiritalis ac intelligibilis quædam dignitas prius ad Angelos, quàm ad nos descendit. L. X. C. 25. n. 4. Istud verò improprium pariter Sacerdotium, ut Patres inter se hac de re concilies, *ibid.* & n. 5. Summa

tamen affinitas utriusque Hierarchiæ cœlestis & Ecclesiasticæ, n. 5. Et L. XI. c. 5. n. 7.

Denique & in antiquis apparitionibus ad homines, Angeli Verbo deserviebant per corpora. L. II. c. 1. n. 9. Et in administratione totius Universi. L. V. c. 15. n. 1. *& seqq.* Et L. VII. c. 8. n. 4. 5. Quomodo illabantur in ipsa corpora cœlestia? L. 3. c. 17. n. 8. §. *An.* Ob priores præsertim apparitiones in hominum corporibus, Angelorum potiùs quàm Dei imagines olim probatæ, ex Damasc. L. XII. c. 9. n. 18.

Angelorum alia officia, cultus, & invocatio.

Quantum Scripturæ Patresque concinant in aliis Angelorum mutuis nobiscum officiis commendandis, contra hæreticos? L. XI. c. 4. n. 1. Imprimis Angelos populis, Ecclesiis, nobisque singulis præsidere, nostras Deo orationes offerre, & ad omnia præsidio esse, n. 2. 9. 11. Nobis etiam adstare Angelicas excubias, contra visibiles & invisibiles maximè hostes, n. 2. §. *idem*, & n. 4. Nostræ item gratulari Angelos resipiscentiæ & beatitudini spei, quidni & adgratulabimur? n. 3.

Adde ex Patribus rationes 14. primò quòd Angelorum & hominum grex unus rationalis sit sub summo Pastore, nonaginta novem oves pro una relinquente, n. 12. Secundò, quòd Angelorum ruinæ ex hominibus sarciantur, & hinc erga nos charitatis triplex causa, ex Bern. nu. 13. Tertiò, quòd eadem Angelo & homini sanctitas, idem & præmium sanctitatis, c. 5. n. 1. Quartò, hinc & Angelis accrescit honos, si administri sint Dei, n. 3. Sextò, sic etiam verecundior erit Religio nostra ad Deum per Angelos accedens, n. 4. Septimò, ad hoc pedes, manus, aures, oculi, & alia Dei membra ex sacris litteris, non aliter meliusquàm per sanctos Angelos explicantur, nu. 5. Octavò, & providentiæ illa contextio est, ut per Angelos Deus exaudiat & benefaciat, ut innuit vel scala Iacob unica, n. 6. Nonò, quod invisibiles quidam sint Episcopi & Hierarchæ, etiam apud gentes, quibus præsidebant, n. 7. Decimò, quòd contemplatoribus maximè hominibus opitulentur, quasi medii conciliatores, n. 8. 9. *fusissimè.* Undecimò, quòd colantur Angeli, dum amantur; nec minus propterea colatur aut ametur Deus, quia ipso præcipiente, infra & propter ipsum alii. C. 1. n. 9. 12. c. 6. n. 1. Duodecimò, quòd amor Angelorum, non cultum modo, sed & tacitam invocationem contineat in ipsis cogitationibus & desideriis seu votis sitam, n. 2. *& seq. latissimè.* Decimò tertio, quod Angeli omnia videant, dum vident videntem omnia, nu. 6. Decimo quartò, quòd ita invocentur Angeli, ut per eos Deus, n. 7. Hinc imprimis ipsi prohibent se adorari tantùm, quando timendum, ne propter se, seu latriç cultu. c. 1. n. 3. c. 3. n. 6.

Hinc pariter eludicantur Loca Lactantii & Arnobi, cultui Angelorum in speciem contraria, ut nonnisi divino latriæ cum sacrificiis & templis. L. XI. c. 6. n 8. 9. Et Origines sic possit intelligi contra Celsum non alium cultum Angelis impensum calumniantem, innui tamen videtur à cultu Angelorum publico aliquandiu & alicubi saltem œconomicè abstinuisse primœvam Ecclesiam, nu. 10. 11. Multa exempla paris aut majoris dispensationis tam in Angelis quàm in ipso Christo pro maturanda Gentilium conversione, *ibid.* Neque hactenus Angelorum invocatio præcepta, licèt laudatissima; sola Dei & Christi necessaria, sola etiam quandoque retenta, *ibid.*? Sublatis tamen œconomiæ causis, tantominus temperandum ab illa moderata Angelorum, contra Sectarios, *ibid.* Denique non tam de illa invocatione, quàm maximè horrent, agere Origenem, quàm de cultu, *ibid.* Cur verò hic Angelorum cultus, serius inductus sit quàm Martyrum Angelis haud dubiè inferiorum, pro quibus tamen stat idem Origenes & duo alii? *ibid. in fine.*

Solvitur & alia operosior in speciem objectio ex Paulo, Conc. Laod. Et Theod. qui conspirare videntur in excidium ipsius Angelorum cultus. L. XI. c. 6. n. 12. De Latria rursus possent intelligi, §. *Universim.* Paulum Peculiariter interpretatur Hieronymus de Dæmonibus, quibus transfugæ Judæi immolabant, §. *Peculiariter.* Chrysostomus, ipseque pro more Theodoretus & alii, contra præcellentiam hæreticam mediationis Angelorum, *ibid.* Laodicenam Synodum quam perperam sibi arrogent Novatores, §. *Quod.* Proscribit nonnisi furtivas synaxes, relicto Christo, & Angelorum cultui idololatriam seu magiam insertam, *ibid.* Necnon & inaudita Angelorum nomina, præter tria ex Caroli M. Capit. *ibid.* Ita ferè Theodoretus, referens alioquin cum Sozom. servari hactenus Michaelis Oratoria, quæ non improbat, alioquin ipse improbandus, §. *Quod ad.* Sic tandem Ambrosiaster, quisquis ille fit, vel tantæ in contrarium Patrum conspirationi non æquiparandus, §. *Nec.*

Angli.

In constituenda Anglorum Ecclesia, cur & quomodo retineri animalium occisiones prope Ecclesias annuerit Greg. M.? L. X. c. 4. n. 5.

Animæ Origo, Natura, persona, & Virtus multiplex: necnon passim unio cum corpore.

Si animæ, ut nugabatur Origenes, ante corpora præextitissent, impossibilis foret unio hypostatica. L. III. c. 12. n. 3. 10. Imò nec coalescerent cum corpore in unam naturam. C. 19. n. 12. 13. c. 21. n. 4. Carni animam ut participlam sui afflavit Deus. L. IV. c. 5. n. 1. 3. Nec minus propriè animam parere dici potest parens, tametsi usus repugnet: non ratio Physica, non veritatis lex, nec ipsa Patrum authoritas. L. III. c. 15. n. 1. 2. 4. Imò anima sit totus homo, vel hominis pars, juxta varios Patres, parum interest, v. præfat. n. 4.

Præcipuæ causæ Unionis animæ cum corpore ex Patribus. L. 3. c. 8. n. 8. Item CC. 16. & 17. *fere integris.* Imprimis non ea est animæ simplicitas, qua componi cum corpore, & compositi pars esse nequeat. C. 19. n. 9. Præterea anima & corpus naturaliter sibi sunt contemperata, coæva, cognata, finitima & sui cupida, nu. 12. *& seq. latissimè.* Item anima totum sibi corpus, totam se corpori vendicat, n. 20. Horum primaria ratio, quia anima & qua natura & qua persona, maximè autem qua natura infunditur corpori, n. 18. & 27. Hinc reciproco bonorum malorumque sensu fœderantur, saltem quorum sunt utrimque capacia, n. 19. & ante c. 4. n. 8. §. *Scientia.* Item L. 4. c. 14. n. 8.

Qui anima rationalis, dicta sit à spectatissimis viris, integra persona? L. III. c. 3. n. 3. 5. c. 8. n. 7. *& seq.* c. 12. n. 7. 8. Supposita verò animarum distinctione, cur eadem rationalis sola, sentienti vegetantique ac corpori superveniens, personæ suppositique nomen adhuc sibi vendicet? C. II. n. 3. v. 4. 8. n. 7. v. 3. *& seq.* toto c. 8. & c. 14. n. 10. Appositissimum illud exemplum unionis hypostaticæ, ex sanctis Patribus. C. 3. n. 23. v. 8. c. 5. n. 3. c. 6. n. 2. & 8. *integro.* Adhibetur cautio necessaria, n. 3. Item c. 10. n. 7. 8. c. 17. n. 4. *& seq.* L. 4. c. 14. n. 8. L. 6. n. 18. *& seq. Ac* L. XI. c. 2. n. 13.

Etsi autem anima in unione cum corpore dominetur, tamen nonnisi per corpus se suasque virtutes exerit. L. 4. c. 5. n. 3. 4. 9. Ex illis pleraque animæ munia vel passione constant vel non sine passione. C. 9. n. 1. 4. Animæ verò & mentis in homine duo nomina & officia, sed una substantia, ex scripturis ipsis, contra Philosophos & hæreticos, n. 26. Anima rursus nec rationalis nec humana fuerit, si ut verum intelligere, ita & bonum diligere non possit. L. 5. c. 1. n. 6. Imò sine sui exitio, non potest fraudari voluntate aut libertate. C. 2. n. 5. *& seq.* Hinc anima, si non tota, principaliter tamen residet in capite. L. 6. c. 7. n. 1. *& seq.* Hinc denique hallucinantur, qui operationes vivaces imaginantur in anima, ejus autem substantiam inertem. C. 20. n. 6. *& seq.*

Animæ unio cum Deo ipso, rursumque cum corpore: ejusdem mors, & Immortalitas.

Minus incredibilis unio Dei cum anima, quàm animæ cum corpore. L. I. c. 16. n. 11. 12. Longè incredibilius figmentum Platonicum de anima mundi & syderum. *ibid.* Post illam unionem pretium animarum jam Deus ipse, §. *Superfunt.* Per primam animæ & carnis copulam, homo creatur, secundam Dei & hominis, homo redimitur. L. II. c. 9. n. 5. §. *Prior.* Et ideò per secundam redimitur, quia per primam creatur. C. 12. n. 4. *& seq.* Nec secunda redimeret, nisi imitaretur primam. L. 3. c. 2. n. 7. *& seq.* Nec sociaretur Verbum carni, nisi per animam. L. II. c. 12. n. 4. L. 4. c. 8. n. 17. *& seq.* c. 9. *Integro.* L. 5. c. 10. n. 8. Nec hypostaticè demum cum utraque, nisi simul utramque uniret. L. 3. c. 12. n. 4. *& seq.*

Animæ aliunde mentesque tam cognatæ sunt aliæ aliis, ut non possit una Verbi conjugio nobilitari, quin & omnes quadamtenus. L. 4. c. 8. n. 3. 8. 9. Nec tamen possunt duæ sibi pares intimè sociari, sed creata cum increata & incommutabili veritate. C. 10. n. 6. *Paulo aliter.* L. 6. c. 18. n. 6. *& seq.* Vel hinc suam mutabilitatem sentit anima, quod ad veritatem incommutabilem vehementius connitatur. L. 4. c. 9. n. 1. *& seq. præsertim.* 6. Quam immaniter distet vita mentis nostræ, à vita veritatis ipsius, n. 7. *& seq.*

Si corpus quo perfectius, eo ab anima perfici aptius. L. 3. c. 17. n. 3. *& seq.* A fortiori anima à Deo perfici aptior, quo erit ipsa perfectior, nu. 4. *& seq.* L. 4. c. 8. nu. 15. 16. Cur autem animas beatificè etiam perficiens seu immeans Deus, unam cum illis personam non conflet? L. 3. c. 17. n. 7. *& seq.* Ipsas tamen si intimè Deus solus permeare potest, sicut ipsæ corpus, n. 9. & c. 22. n. 2. *& seq.* Deus enim animæ cibus est, & vestis, & Domus, & omnia, & nihil omnium. L. 6. c. 20. n. 6. *& seq.* Nec mirum si vix explicari possit præsentia Dei in anima, cum vix hactenus capi possit præsentia seu vita animæ in corpore, n. 10. *& seq.*

Unum

Unum id certum, animam sine Deo veriùs mori, quàm corpus sine anima. L. 3. c. 17. n. 1. L. 6. c. 15. *fere toto*. Nihilominus animæ Immortalitas, sicut Dei Providentia, geminum Religionis fundamentum est, non satis ante ipsum Christum constans. L. I. c. 14. n. 1. 2. At deinceps hujus doctrinæ veritatem reipsa potiùs quàm verbis comprobarunt apud nos vel illiteratissimi, nu. 3. imò illius doctrinæ, anima sibi ipsi naturaliter conscia est. C. 15. n. 1. *& seq.* V. etiam homo, resurrectio, &c.

Anselmus.

Hic visus dissentire ab aliis Partibus, de jure Diaboli in hominem. L. I. c. 3. n. 6. Reipsa non discordat, n. 8. Similiter in asserenda Christi necessitate ad mortem, sed liberrima. L. 5. c. 15. n. 7. *& seq.*

Apis.

De Virgineo apum partu. L. 2. c. 3. n. 10. 11. Cur Christus comparatus vermi, unde apis erumpit? §. *Nec*.

Apollinaris, Apollinaristæ.

Apollinaris Antiochiæ vel Laodiceæ Episcopus in Constantinopolitana Synodo damnatus est, v. *Præfat.* n. 9. §. ad *Arium*. Ante Eutychetem naturas in Christo nimis constringebat in unam. L. 3. c. 6. n. 4. In alio prorsus à Cyrilli postea sensu. C. 7. nu. 6. Apolinarem, non Athanasium ejus improbatorem, autorem primum fuisse illius propositionis quod *una sit natura Verbi incarnata*, contendit Leontius Bizant. cum aliis. C. 13. n. 4. Addit Appollinaristas, antè Eutychianos, tàm Athanasio quàm Gregorio Taumaturgo & Julio Romano, nonnullas inscripsisse orationes Apollinaris, *ibid.* & c. 15. n. 17. Primus quidem formulæ sensus nefarius, haustus videtur ex Apollinaris delirio, quod natura Verbi carnem sibi ex se formaverit, vel in carnem se deformaverit. c. 13. n. 12.

Ita carnem Verbo consubstantialem, & Quaternitatem prorsus intolerabilem, loco illius quàm nobis falsò objiciebat, apud Deum inducebat ipse Apollinaris. L. 3. c. 14. n. 11. C. 23. n. 1. 2. L. 4. c. 6. n. 2. & L. 11. c. 3. n. 7. 9. Refellitur autem vel referendo stolidum illud Apollinaris commentum, quo mutabilis divinitas efficitur. L. 4. c. 6. n. 1. *& seq.* Refelluntur etiam Apollinaristæ inde inferentes carni, ut Verbo consubstantiali, unam eandemque deberi adorationem, & Catholicos ut ἀνθρωπολάτρας insectantes. L. 11. c. 7. 9. Denique plura sepiuntur insana effugia eorum cum Ario, Eutychete, & Sequacibus Monothelitis conjunctorum contra impassibilitatem Verbi. L. 4. c. 6. n. 3. 7. 9. *& seq.* c. 8. n. 1. L. 5. c. 5. n. 1. c. 9. n. 17. c. 10. n. 12.

Ex alio falso principio de unione solius imperfecti cum perfecto, Christum anima vel mente truncabant Apollinaristæ. L. 3. c. 16. n. 1. 2. 6. 10. c. 18. n. 7. Et in hoc pariter consentiebant cum Arianis, diverso quidem consilio, pari flagitio. L. 4. c. 8. n. 1. Confutantur NN. *seq.* Insidiabatur Arius divinitati, Apollinaris consulebat humanitati, ille hostiliter, hic imprudenter. C. 9. n. 2. 3. c. 10. n. 6. Idque huic imposuerat Phylosophia secularis, ut animam sentientem à mente sequestraret contra ipsam scripturam. C. 9. *præsertim*. n. 26. Scriptura nihilominus abutebatur, quod nullis non usitatum Hæreticis: & eo imprimis, *Et Verbum caro factum est*. C. 10. n. 1. Deinceps ad rationis sed depravatissimæ confugiebat arcem, ut quod in uno non possint esse duæ mentes, seu duo perfecta. C. 10. n. 3. *& seq.* Cur tantoperè contra eosdem à Patribus stabilitum, nihil nostri prætermissum esse à Verbo? L. V. c. 18. n. 1. *& seq.* Summa eorum hæresis, quod Verbum instar habere duxerint mentis nostræ, L. 4. c. 9. n. 7. 17. 23.

An soli Apollinaristæ ab agnoscenda Christi hominis servitute abhorrerent, ut testatur Ambrosius? L. 8. c. 15. n. 2. §. *Rursum*, & n. 9. Quin imò Christum servum appellitare primus visus est Apollinaris Theodoreto, adeo sibi parum constat hæresis. C. 19. n. 6. 11.

Apostoli.

A Carnali Christi notitia & amore gradatim ad spiritalem profecerunt. L. I. c. 6. n. 14. & quidem quatuor modis, *ibid. & infra*. Item L. 2. c. 8. n. 3. ac. L. X. c. 28. n. 9. c. 30. n. 6. Id & alios, quantum fieri potuit, docuerunt. L. I. c. 10. n. 11. Necnon & alia longè operosiora. C. 5. n. 3. 4. Et tamen 12. Piscatores imbelles & imperiti, Imperatoribus, Oratoribus & Philosophis, necnon & imperitæ multitudini, cœlestis hujus sapientiæ & fidei jugum impegerunt. L. I. c. 1. n. 9. *& seq.* Et quidem sine sapientia, *ibid.* & c. 7. nu. 15. §. *Aies*. C. 15. nu. 5. Sed ipsis per se documentis, magis quàm miraculis, nu. 8.

Mortis timorem Apostolis exemerat Christus. L. 4. c. 13. nu. 2. Cur tam anxiè pro ipsis ante passionem oraverit? n. 8. Cur etiam ter ipsis dederit Spiritum sanctum? L. 6. c. 13. n. 3. Nec ipsi tamen propriè illum darent, sed invocarent pro aliis? n. 10. 19. c. 13. n. 10., *& seq.* §. *Cui*. Quando-nam Sacerdotalis fastigii apicem consecuti? L. X. c. 29. n. 15.

Apostolorum, amborumque imprimis Principum in nos merita. L. XI. c. 8. n. 9. 11. Ut post Christum ex secundariis Mediatoribus primi sint, & fundamenta Ecclesiæ? *ibid. & nn. seq. præsertim n.* 14. Cur Ecclesiæ tessera communicare memoriis Sanctorum, maximè Apostolorum? C. 9. n. 9.

Qui Apostolorum vicem se subire jactant in reformanda eorum Ecclesia, Apostolicis debent virtutibus & signis præfulgere. L. 12. c. 10. num. 9. Ad hoc saltem æquiùs accersendi veri Apostolorum successores Episcopi, n. 11. 12. Non Imperatores priùs illorum persecutores, *ibid.* Postea ad summum eorum clientes officiales & ostiarii, etiam post mortem in sepulchris. C. 1. n. 6. c. 2. nu. 2.

Apparitiones.

In apparitionibus antiquis Incarnationis præsagia & præludia. L. I. c. 6. *& seq.* L. II. c. 1. n. 3. Adeoque & Imaginum usus cultusque anticipata encomia. L. 12. c. 8. n. 5. 10.

Summa capita cur humana specie Deus olim appareret? L. I. c. 6. nu. 10. An Pater, vel Filius, aut Angelus? L. II. c. 1. num. 3. 4. v. 5. Simul omnes, & quidem Pater per Filium, Filius per Angelos, & Angeli per corpora, n. 9. Et ita Græcos PP. cum Augustino & aliis Latinis conciliabis, *ibid.* & L. 12. c. 9. n. 20. 21.

An sola mente antiquis Deus sic appareret? n. 18. 20.

Ariani.

Horum Pater Arius, quo non alia sævior pestis in Ecclesiam grassata est, in Nicæna Synodo damnatus, v. præfat. nu. 9. §. *Ad Arium*. Quinam eam nuper excitarint postliminiò? n. 10. §. *Vt*.

Ex ignorato personarum inter se & à natura discrimine, Arianorum a Sabellio divortium. L. 2. c. 1. num. 4. L. 3. c. 1. num. 3. Collidentes se cum Sabellianis, victi & victores vicissim Catholicæ fidei vincebant. L. 4. c. 2. n. 2.

Quod duplex Verbum Dei secerneret Arius, unam Verbi naturam incarnatam dixisse fertur Athanasius. L. 3. c. 13. n. 11. Vel ex ipsa Incarnatione probatur Verbi divinitas, unde eam negabant Ariani. C. 23. nu. 5. *& seq.* At eadem Verbi divinitas periclitabitur ab illorum incursibus, si dicatur etiam sine hominis peccato incarnandum. L. 2. c. 5. nu. 12. 13. 16. c. 6. n. 3. Nec inde sequitur nos Verbo esse potiores, sicut ex Ariana hypothesi de creatione Verbi propter nos, n. 6. 8. Utriusque disparitas, *ibid.*

In neganda Christi divinitate, Judæos & Dæmones perfidia superabant Ariani. L. 4. c. 1. n. 7. 12. c. 2. n. 5. Quam præposterè per Filii contumeliam Patris honori litabant. C. 1. n. 12. At nullo validiori ariete pulsati sunt ad agnoscendam personarum æqualitatem, quam ex unitate operationis L. 5. c. 1. n. 7.

Inter ipsa autem Arianorum argumenta, cum Filii æqualitatem negarent, ob Angeli nomen & officia, Dei æque nomen & officia ac similia ab eo consociari regerebatur. L. 2. c. 1. n. 4. v. *vlt.* Ipsam quoque Verbi e paterna substantia generationem quasi corruptioni obnoxiam negantibus, Virginis partus opponebatur, c. 4. n. 11. Item, Filium ex obedientia minorem inferentibus, non ipsa obedientia neganda, sed explicanda, ex Cyrillo. L. 5. c. 15. nu. 11. Rursus ab Oratione Christi, impetentes Deitatem ipsius, ut refellerent SS. Patres? L. 9. c. 4. n. 1. *& seq.* Similiter e sacrificio, quod soli Patri malè dedicabant Ariani? C. 11. n. 3. 18.

Ratiò instrumenti divini, quam toti Christo astruebant Ariani, soli humanitati vendicanda, ex Cyrillo. L. 5. c. 9. n. 17. Item contra eosdem ipsi Verbo ignorationem impingentes, diversimodè agunt Tractatores antiqui. L. 7. c. 3. n. 5. 6. c. 5. n. 7. 8. 12. An quia Ariani rursus Verbo servitutem impingerent, continuò homini Christo sit adsignanda? L. 8. c. 15. n. 2. § *Iterum & seq.* Eorum mediator seu media natura, non tam utrique media, quàm extranea, & suspecta. L. 9. c. 3. n. 13.

Jam quot modis Arius prælluserit Apollinari & aliis? L. 4. c. 6. n. 3. 7. c. 8. n. 1. Ipsisque impietate & flagitio præcelluerit? C. 9. nu. 3. c. 10. n. 6. Adde & Monothelitis, ex eodem ferè capite, ob negatam Christo animam, L. 5. c. 5. n. 1. c. 9. n. 17.

Quomodo tandem Ariani tanquam affines & penè gentilitii Etnicorum, simulque & novatorum nostrorum præsultores, obtrectarent Martyribus, & miraculis per eos editis? L. 12. c. 2. n. 9. c. 4. n. 7. 10. Necnon & sacris imaginibus. C. 10. nu. 17.

Arnaldus de Villanova.

Ejus propositiones circa æqualitatem ipsius etiam scientiæ

& potentiæ divinæ, humanitati Christi communicatarum, tanquam deliræ & absurdæ damnatæ à Censore fidei & Præposito Tarraconensis. L.3. c.19. n.29. L.7. c. 9. nu. 9. Inter eas negat Vasquez comprehendi, quod anima Christi sciret omnia, quæcumque scit Deus, *ibid.*

Artes.

Artis ejusdem est, quod finxit opus, refingere. L. I. c.1. n. 3. L.II. c.2. n.1. Artis instar extra mentem variantis, legem æternam per temporales extra variare. L.I. c.7. n. 5. 6. Artes ipsas, scientiasque omnes in unam coalescere charitatis legem æternam. C.8. n.4.

Ascensio. v. Christi Ascensio inter ejus Mysteria.

Athanasius.

Is Synodi Nicænæ lumen columenque, nondum cum ipsa personam ab usia discriminabat. L.3. c. 1. n.2. Quo sensu duas in Christo personas cum aliis quandoque constituat; ex Facundo Herm. c.7.n.5. Dubium an fuerit author propositionis quod *una sit natura Verbi Incarnata?* C. 13. n. 1. 4. 11. 13. Et an opus a Cyrillo laudatum sit Athanasii, vel Apollinaris? *ibid.* & c.15. n.17.

Idem ignorationem procul a Verbo repellens contra Arianos, nonnisi ex suprabundanti in humanitatem refundere vitius est, quo nihil efficerent. L.7. c.4. n.11. c.5. n.1. Cur in Athanasio nonnisi virtutem, quæ Deus est, miraretur Nazianz? &c. L. 11. c. 11. n. 10. Quænam Athanasii nomine supposita? *pr. fat.* n.11.

Attributa v. *Dei attributa.*

Augustinus de Roma.

Illius Archiepiscopi Nazareni propositiones quædam inauditæ & insulsissimæ circa Christi personam & naturam, in Concilio Basileensi damnatæ. L. 3. c. 19. n. 18. Imprimis quod anima Christi videt Deum tam clarè & intensè, quantum Deus videt seipsum. L.7. c.9. n.9.

Augustinus Hypponensis.

Primus ille & verus author concordiæ Patrum de jure Diaboli in Hominem. L. I. c. 3. nu. 9. Dissensus aliorum ab ipso, de ablactatione perfectorum a carne Christi, ad concordiam revocatus. C.18. n.6.7.

Minus expectata Patrum præsertim Græcorum concordia cum eodem August. & aliis Latinis de efficacitate gratiæ Christi. L.I. c. 19. *pr fertim* n.5. Necnon & de Prædestinatione gratuita, L.8. c.14.n.9. Id unum etiam laborat, ne Christi Oratio a Dei Prædestinatione dissentiat. L.9. c.5. n.4. *& seq.*

Alia rursus concordia Patrum Græcorum cum Augustino de ipsa substantiali Spiritus sancti seu Deitatis in nobis inhabitatione, Lib. I. c.21. num. 4. 6. Quo sensu autem ipse dixerit non ea justitia justos non esse, quà Deum, ex Magistro? L.6. c.14. n.17. 18. Habitus ipse justitiæ & charitatis Augustino non inexploratus, c. 14. nu. 19. 20. Imò ipsam virtutem habitum & qualitatem vocat, sed quà Deo religamur, C.16. nu. 3. *& seq.* Author verò perantiquus QQ. ex utroque mixtim Testamento apud Augustinum, si molli manu tractetur, solam abundantiorem Spiritus sancti copiam Christianis præ antiquis, & præ Adamo ipso vendicare comperietur, n.19.

Alia plenior omnium retrò Patrum conciliatio cum Augustino de Apparitionibus antiquis, ut paulò suprà, L.II. c. 1. n. 9.

De possessionibus verò Dæmoniorum, ne substantivæ sint in anima, difficilius conciliare posse videtur Augustinus cum Doctoribus aliis antè & post ipsum, nisi hoc ipsum indicio esset, eum non contra sensisse, L.3. c. 22. nu. 18. *& seq.*

Quin ipse Augustinus ad Hilarium in exprimendis Christi passionibus visus est cum aliis accedere, L. 4. c. 13. num. 21. Excedere autem ad Origenis errores author librorum de Incarnatione Verbi apud Augustinum, C. 16. nu. 7.

Libellum emendationis Leporii scripsisse videtur Augustinus, Leporius subscripsisse, L.3. c.5. n.5. Ipse verò Augustinus dum adhuc Philosophicis velitationibus delectaretur, prolixè disputavit de præsentia animæ in corpore, & tamen postea nihil hoc nodo enodabilius esse præse tulit, L.6. c.20. n.11.

Idem denique Aug. quem nobis maximè intentare solent Hagiomachi, quàm ipsis contrarius in asserenda Sanctorum invocatione, Providentia, necnon & scientia, de qua non tam agit quàm de præsentia Martyrum, non verò Angelorum in locis tam dissitis; nihil temerè definiens, sed peritiores se desiderans &c. L.11. c.10. n.13. 14. & 15. L.12. c.4. n.8.

Aures.

Cùm mens humana intus obsurduisset, necesse fuit Verbum divinum ad aures corporis & cordis gradatim insonare, L. I. c. 8. nu. 5. 6. c.13. nu. 1. Dum alius quandoque ad aures corporis, solus Christus ad aures cordis loquitur, c. 17. n. 7. & 14. Verbum quodlibet per aures illabitur, illi maritantur aures, illo virginaliter fœcundantur, L. 2. c.4. n. 5. 6.

Authoritas.

Quàm necessaria authoritas, ejusque opacitas ad fidem, L.I. c.7. n.8. 9. c.12. n.13. *& seq.* c.13. n. 1. *& seq.* c. 14. nu. 1. *& seq.*

Auxilium v. cum Adjutorio supra.

B

Baptismus.

Sicut omnes in Adamo; sic in Christo, parvuli saltem per baptismum, sine assensu voluntatis, & spiritaliter seminantur, L.2. c.10. nu. 10. Neque opinativè tantùm, sed physicè, cum alterutro Adamo omnis homo unus homo est, ante, vel post baptismum, L.4. c.4. n.6.

Per baptismum inauguramur in templa uni Deo Trinoque sacra, L. 11. c. 1. n. 11. c. 3. n. 1. Hinc formula baptismi personas Deitatis omnes vel explicat, vel implicat, N. 4. 13. Et appellatur regenerantis Trinitatis Sacramentum ab Hilario, L.8. c.13. n.9. 11.

Ubi verò in nomine Trinitatis tingimur, utique in nomine Christi, L.3. c.10. n. 10. c. 14. nu. 6. Alias nec salubriter baptizaremur, *ibid.* Vel ex hoc quod baptismus sit adoptionis Sacramentum, à solo Filio naturali conferri debet, L. 8. c. 2. nu. 7. 8. Imò & quòd passim regeneratio etiam appelletur, C.9. n. 5. *& seq.* Quomodo autem spiritalis hæc regeneratio, corporalem ipsam Christi generationem imitetur? L.I. c.11. n.6. L.2. c.4. n.6. L.6. c.1. n.6. *& seq.* Vel potiùs æternam in temporali? L. 8. c. 5. n.9. c.11 n.7. Hinc solis Christianis, etiam a genitali unda recentibus, licet Patris nomine Deum precari, C. 10. *n.* 5.

Hinc rursus, ut Christum Maria, sic Christianos Ecclesia in baptismate parit, L. I. c.11. nu.6. 7. 13. L.II. c. 4. n.5. 6. Ut id non singulare, sed annuum, & quotidianum iam sit, §. *Cæsarius.* Et quòd in conceptu Christi invisibiliter ad sanctificandum caput, in baptismo visibiliter peractum est ad sanctificandam Ecclesiam, L.6. c. 2. num. 3. Baptismus enim à Christo susceptus alia nostri figura est, C. 8. nu. 11.

Propriè verò in morte Christi salubriter baptizamur, L. 3. c. 10. nu. 10. Et in Christo per Baptismum mortui nos omnes, sepultui, redivivi, L.4. c.4. n.3. *& seq.* Itaut tamen si ab ortu Christus impassibilis fuisset, & nos in baptismo impassibilitatem consequeremur, c.12. nu. 6. Cur autem nonnisi post suum à mortuis reditum, baptismi formulam & præceptum tradiderit? L. 6. c. 1. nu. 7. Et tandiu non collatus sit solemniter baptismus, nisi in pervigilio Paschæ & Pentecostes? *ibid.* Resurrectionis enim etiam instar habet baptismus, saltem in spe, *ibid.* & L. 8. c. 11. n. 7. Quippè demidiata tantùm Nativitate per baptismum gaudemus, usque ad resurrectionem nostram, c.12. *fere toto.* v. *etiam Resurrectio.*

At ea jam satis est, ut hoc Christi baptismo longè mirabilior Spiritus sancti plenitudo affundatur, quàm baptismo Joannis, L.6. c.16. n. 17. *& seq.* Imò ut quemlibet Christianum, etiam recens baptizatum, majorem quodammodo ipso Joanne Baptista prædicet Cyrillus ex Evang. *ibid.* Illud saltem tam certum est, parvulis ipsis per baptismum Spiritum sanctum affundi, quam obscurum cui id fiat, c.20. n. 9.

Denique in baptismo, signum crucis ferè idem, ac Verbum *Abrenuntio &c.* L.12. c.6. n. 11. 12. Utrumque deinceps toto corpore exprimendum *ibid.*

Baronius Cardinalis.

Passim laudantur ejus Annales, ex quibus ipsorum dogmatum historia debet repeti. In iis etiam multa inseruit monumenta hic utilia. Ac tandem Conventus Parisiensis sub Lud. pio fragmenta, ex quibus, & ex actis septimæ Synodi scitè ipse auguratur nullam futuram fuisse omninò discordiam inter Græcos & Gallos, si his mens istius Synodi perspecta fuisset, L.12. c. 12. n.18. & c. 15. nu. 16.

Basileense Concilium.

Meritò explosit propositiones inauditas Augustini de Roma circa Christi naturam & personam, ut insulsissimas, L. 3. c. 19. n. 20.

Basilides.

Inter Phantasiastas hæreticos, & Simeonis Magi discipulos recensetur in præfat. nu. 8. *Iudaicarum &c.* Cum Magis etiam potiùs quàm cum hæreticis, inauditis Angelorum nominibus delectabatur ex Irenæo, L. 11. c.6. nu. 12. §. *Quod autem, in fine.*

Beati-

Beatitudo, summum bonum.

Quæstio de Beatitudine seu de summo bono, cardo est totius morum disciplinæ, L. I. c. 12. n. 1. Philosophorum olim circa eam dissidia, *ibid.* Quod si hoc tantùm vitium disciplina Christiana sanasset, maximè foret prædicanda, ex Aug. c. 14. n. 6. *in fine.* Ipsius Platonis delirium de syderum Beatitudine, c. 16. n. 11. 12. L. 4. c. 5. n. 16. Stoicorum ἀπάθεια nondum quidem beatitas, sed futuræ presumptio & præsagium, c. 11. n. 22. Contra eos, & Epicureos, soli Deo adhærere bonum, L. 6. c. 16. n. 5. 11.

Nisi sensibilem se Deus præbuisset post peccatum, homo semper frustratus fuisset suo bono, L. I. c. 5. n. 7. & *passim CC. seq.* Nec aliter miseria hominis divinę quàm Beatitudinis allapsu propulsanda fuit, C. 16. n. 10. Scilicet assumptio hominis à Verbo, ejusdem, necnon totius naturæ, beatificatio est, L. 7. c. 7. 11. 12. 14. 17. *& seq.* v. *etiam Ecclesia &c.* Vixque Deitatis illapsum, quo beantur sancti, sperare possemus, nisi longè uberiùs Mediatori illapsa esset Deitas, L. IX. c. 3. nu. 10. Cur similiter illapsus beatificus eos non trahat ad divinam hypostasim? L. 3. c. 11. nu. 9. & 11. c. 17. num. 7. *& seq.*

Ut naturæ inferiores à superioribus fœlicitatem expectent? L. 6. c. 15. n. 2. *& seq.* Sic incommutabili adeoque increato tantùm bono se advertere & affigere potest mens commutabilis, L. 3. c. 22. n. 7. *& seq.* Ipsa verò incommutabilitas in bono seu impeccantia, Beatitudinis apex, L. 5. c. 13. 11. 12. Beatorum exemplo efficitur, impeccabilitatem non esse obicem libertatis, *toto* hoc c. 13. Non enim Beati ullam aucupantur indifferentiam, sed æternam de singulis legem legunt, diligunt, exequuntur, c. 14. n. 13. c. 15. n. 1. *& seq.* Nec minùs sunt liberi, *ibid.* Nec minùs merentur, c. 21. n. 3.

Quomodo ut in Paradiso Innocentiæ, sic in Beatorum Patria, nullæ deinceps nisi spiritales victimæ? L. X. c. 7. n. 2. Ita sempiterna veritas Beatis panis idem, ac nobis Eucharistia, CC. 26. 27. 28. *latissimè* v. *Eucharistia.* In ea & ex ea Beatitatis dos quædam agilitas, immensitatis aliquid participans, c. 31. n. 17. *& seq.*

Qui beatis curas omnes nostri abstergunt, nondum sapiunt ingenium providentissimæ ac serenissimæ simul illorum charitatis & fœlicitatis, L. XI. c. 8. n. 3. Non enim est cœlestæ regnum terra oblivionis, *ibid.* & n. 5. Minùsque terra ignorantiæ rerum nostrarum, C. 10. nu. 5. *& seq. præsertim* 8. 12. v. *etiam visio Dei vita æterna &c.*

Benedicere, Benevelle aut male.

Quid sit Christo benedicere, aut benè vel malè velle? L. I. c. 10. n. 8.

Benedictus.

Altissimæ ejus contemplationis fructus, visio animæ S. Germani ab Angelis in cœlum delatæ, L. XI. c. 5. n. 9. *Circa finem.* Quid hæc innuat, & similis, qua confirmatur, visio animæ Lazari ex ipso Evangelio, juxta Bernardum? *ibid.*

Berengariani, v. Novatores.

Bernardus.

Totus in propugnanda Patrum doctrina contra Abaelardum, L. I. c. 9. n. 5. *& seqq.* L. 9. c. 8. nu. 11. c. 10. nu. 20. Idem cum aliis visus aliquando perfectos à carne Christi ablactare, eò tandem recidit, cum Aug. &c. c. 18. n. 7.

Etsi sint Bernardi loca, quæ libertatem ab omni indifferentia eximere videantur, ad primum tamen meritum meræ creaturæ quàm aliter sentiat? L. 5. c. 23. num. 1. *& seqq.* Licèt etiam litem, quam refert de omni-scientia animæ Christi à primo conceptu, componere hæsitet, in affirmantem tamen totus inclinat, L. 7. c. 3. n. 2. 3.

Berullius Cardinalis.

Consulitur legendus potius, quàm hìc exscribendus, ob sententiarum verborumque pondus inimitabile. L. 6. c. 19. n. 8.

Bonaventura.

Convenit cum S. Thoma & aliis antiquioribus in exponenda ratione personæ, L. 3. c. 16. n. 18. *in fine*, & *expressius* C. 21. n. 5.

Bonitas.

Quantum ex Incarnatione Verbi illustretur Bonitas, quæ Dei natura est? L. I. c. 1. n. 1. Quo indignius quid, eo bonitati convenientius, *ibid.* Bono aliunde non tam indignum pati & mori, quàm dignum est salvare & indignis benefacere, num. 2. Hinc illud, summam bonitatem nihil dedecere præter peccatum, n. 3. Imò crucifigi & de crucifigentibus benemereri, summum bonitatis atque adeo Deitatis argumentum, n. 4. Nec gloriæ tantùm sed delitiarum fastigium antea inexpertum, saginari virtute patientiæ, *ibid.* & c. 4. num. 8. L. II. c. 5. num. 8. L. X. c. 10. num. 6. *& seqq.* C. 27. num. 5. Bonitatis rursus & amoris officium est conspectum sui non denegare, L. I. c. 2. n. 5. &c. v. *Amor, Deus, &c.*

C

Cæcilianus.

Ejus innocentiam quomodo tueretur Augustinus contra Donatistas? L. 2. c. 11. n. 17.

Cæcitas, Collyrium.

Cæcis seu cæcutientibus hominibus lucem præviam & obumbratam oportuit occurrere. L. I. c. 5. nu. 2. *& seq.* Cæcitas est, dum exilium patria creditur. N. 18. Iisdem lippientibus oculis, collyrio opus fuit. N. 21. Illudque est Christi caro qualiscumque ipsa sit. C. 17. n. 13. L. II. c. 8. n. 8. *& seq. & passim alibi.* v. *Etiam medicina.*

Calcedonensis Synodus.

In ea æcumenica Synodo proscriptus ac relegatus est Eutyches hęresiarcha, *præfat.* n. 10. §. *Dum.* In ea etiam, inter Ægyptios & Orientales diu certatum est, an *ex* vel *in duabus naturis* Christus dicendus esset? L. 4. c. 1. n. 1. *Ex duabus* malebant Orientales, *ibid.* Tandem ex Leonis Epistola lectum & subscriptum unanimiter, *duas esse in Christo naturas, ibid.*

Famosissimum illud & numerosissimum Concilium Martyres etiam invocavit. L. 2. c. 11. n. 19. *in fine.*

Calviniani. v. Novatores.

Caput.

Anima si non tota, principaliter tamen residet in capite cum 5. sensibus. L. 6. c. 7. n. 1. *& seq.* Triplex capitis officium, ut membra nectat, vivificet, regat. n. 3. *& seq.*

Sicut vir mulieris caput, Christi tamen non caput, sed membrum est; ita humanitas in Christo, non Deitatis caput, sed quasi membrum est. L. 3. c. 9. n. 4. c. 10. n. 3. 7. *& seqq.* C. 23. n. 8. De duplici hominum Capite Christo & Adamo. v. *In propriis locis.*

Caro, Corpora, Corporalia.

Carnem ut vilem & sordidam hæretici præsertim Phantasiastæ prosciderunt, ut à Christo ablegarent, *Præfat.* n. 8. §. *Judaicarum, expressius*, L. 4. c. 5. n. 1. Quot prærogativis eam Creator suo maximè contactu eam honestaverit? *ibid.* & n. 3. Quantis præterea beneficiis eam cumulaverit Redemptor, post suam cum ea copulam? n. 2. & 5. Ipsa animæ copula quàm carni honorifica, maximè ob virtutes, quæ per illam excercentur? n. 3. *& seq.* Quo magis autem indigna, infima, & vitiis propior caro per sese, eo dignius Verbo fuit ei succurrere. N. 8. *& seq.*

Imò carnalibus hominibus per peccatum in corporalia lapsis, non antè, Verbum divinum per carnem contemperari & corporascere oportuit. L. I. c. 5. *& seq.* L. 2. *præsertim* c. 8. Ipsius denique intererat præcipites in corpora animos amoresque per carnem in se recolligere. *ibid.* Sicque, quod mirabilius est, Deus corporatus, jam corporeus credi desiit. L. X. c. 30. nu. 10. Adeo sibi & nobis spiritalitatem omnimodam corporascendo asseruit, nu. 8. *& seq.* Ac C. 31. n. 11. v. *Plura in Christo, Idololatria, &c.*

Deinceps gradus amoris à carne in spiritum. L. I. c. 5. n. 13. 14. Necnon & aliorum affectuum. C. 8. n. 11. Ipsiusque demum fidei seu Evangelij. C. 10. n. 1. 2. 11. Ita caro Christi non obscuratur, dum spiritui obsecundat. *ibid.* Imò dum tota quanta est veritatem spirat intelligibilem. C. 11. *integro.* Cum antea gradatio, seu potius descensus, præsertim in apparitionibus fieret à divinis & spiritualibus ad corpora. L. II. c. 1. n. 9.

Caro ipsa per se, non tam carne seminatur, quàm amore, non utique libidinoso, qui amoris intemperies est. L. 2. c. 4. num. 5. *seu* 6. v. 8. A fortiori caro Christi, quæ rursus virtutes omnes spirat & docet. N. 4. 5. Ita enim videbatur & contrectabatur Verbum in carne, sicut videtur & contrectatur anima in corpore, & corpus in parte sui aliqua. L. 3. c. 10. nu. 8. Cur autem ex corpore & anima, una componatur natura, non ex Deo & homine, multiplex disparitas. C. 19. *præsertim.* N. 27. Et nihilominus incredibilior visa est unio corpori cum anima, quàm animæ cum Deo ipso. v. *Supra in anima*

Caro verbo non sociaretur nisi per animam. L. II. c. 12. n. 4. L. 4. c. 8. & 9. Nec potest ea vita vivere, quam de Verbo haurit mens. *ibid. præsertim* N. 8. *& seq.* Imò nec rationalem animam caro suscipit, nisi media vegetante aut sentiente. N. 13. v. 7. Nec illius ratione, sed vita & sensu solùm fruitur, L. 3. c. 4. nu. 8. c. 19. nu. 19. L. 4. c. 14. n. 8. Corpus autem quo perfectius, eo ab anima perfici aptius, L. 3. c. 17. n. 3. *& seq.*

Quod enim ex duobus perfectis perfectum non componatur, locum habet tantùm in corporibus, C. 16. n. 3. Ita non valent corpora sola permisceri, quin confundantur, aut corrumpantur, c. 5. n. 4.

Mutabilitas autem corporis ipsa est ejus corruptibilitas; nec tamen corrumpitur, seu non minùs est corpus, quando fit incorruptibile. L. 5. c. 12. n. 8. c. 13. n. 4. 5. 13. Hancque nunc habet spem salutis ac beatæ immortalitatis, quam ei superbi abstulerant Philosophi, L. 4. c. 5. nu. 16. Præsertim cùm corpus animæ non servus, sed collega dominij, imò idem cum ea dominus, L. 8. c. 20. num. 4. Nec ipsa morte solvatur corporis & animæ conjugium, ut hæc illi partem honoris reddat pro communi virtute, L. 12. c. 3. n. 12. Ac interim mactata pro fide corpora fidem adhuc spirent & tueantur, C. 4. n. 9. v. *Etiam Reliquiæ, Resurrectio, &c.*

Carpocras, Cerinthus.

Ex vulgato Judæorum præjudicio, quod Christus merus homo futurus esset, primi illi hæretici ejus divinitatem abnegarunt, *præfat.* n. 8. Jam Pauli tempore, Cerinthiani Christum merum hominem, Angelos mundi creatores, & unum ex illis Deum Hæbreorum blatterabant, L. 11. c. 6. n. 12. §. *peculiariter.*

Causa.

An veritas per modum causæ materialis, formalis, aut efficientis mentes inhabitet? L. I. c. 17. n. 15. Non omnium dotum divinarum effectum formalem creatura patitur, L. 3. c. 4. nu. 4. In omnipotentia Dei præsertim, rerum omnium videntur causæ, in hisque effectuum singulares contextus, L. 11. c. 10. n. 8.

An una sit actio causæ principis & instrumentalis? L. 5. c. 6. n. 6. *& seq.* & c. 7. *ferè toto.* Quòd sanctos, ut instrumenta agat Deus inhabitans, efficientis potiùs quàm formalis id causæ speciem præ se fert, c. 20. n. 3. *& seq.* Causæ formalis nonnulla efficientia est, & cum causa efficiente incredibilis affinitas, c. 11. n. 11. c. 20. n. 1. *& seq. Plura de causa formali speciatim.* v. *forma.*

Charitas.

Nec aliquando, nec alicubi, injustum fuit diligere Deum ex toto corde, & proximum tanquam seipsum, licèt hæc duo charitatis membra per innumeras leges, secundùm tempora & loca varient, Ex Aug. L. I. c. 7. nu. 5. Leges eas omnes, artesque, & scientias in unam charitatem coalescere, *ibid.* & c. 8. n. 9. A fortiori nihil aliud moliri totam scripturam, ac Christi Religionem, C. 7. nu. 10. 11. c. 8. n. 9. Imò Christum ipsum esse geminam charitatem, quæ æterna & indispensabilis est religio, *utrobique ibid.* Quin charitas ex lege nova Christi, quam ex lege naturæ flagrantior, & ea post peccatum aliquando necessaria, ut fratrem non solum diligas sicut, sed & plusquam teipsum, C. 2. n. 15. Huc refer quòd in creatione charitas quidem, at in Incarnatione humilitas charitatis reparatrix præsertim eniteat, L. 2. c. 9. n. 4. 6.

Virtutum palmaris charitas, & charitatis apex martyrium, quantum à corpore pendeant? L. 4. c. 5. n. 4. 13. Charitatis autem propria sedes voluntas, L. 5. c. 11. n. 1. *& seq.* Et meriti potissima radix eadem charitas, c. 14. n. 15. c. 23. n. 5. Atque adeò major charitas majoris meriti, maxima maximi, non aliter in ipsis beatis, c. 21. n. 3. *& seq.*

Deus ipse charitas est, tum qua ipse nos diligit, tum qua ipsum & proximum diligimus, L. 6. c. 14. n. 1. *& seq.* Imò qua augemur agimurque ad habitus actusque creatæ charitatis, n. 3. 16. Nisi enim Deum videat & diligat, qui charitatem diligit, [charitas proximi nimio plus a Joanne commendari visa, num. 4. Ut pulcritudo dilectionis seu charitatis prima omnium oculo mentis intus arrideat? nu. 5. 6. Philosophi gentiles eam non dilexere nisi ut dotem egregiam mentis humanæ, §. *objiciet.* At tanti est dilectio Dei, ut Deus nisi de Deo diligi non possit, tanquam forma dilectionis per se subsistente & nos inhabitante, non propriè informante, L. 6. c. 14. n. 9. 10. Et hinc charitas sine adjutorio Dei, sicut Deus sine Deo haberi non potest, n. 11. Nec ita Deus est patientia, fides, spes, sicut est charitas, n. 15. 23. c. 16. n. 4. De habitu charitatis, *nn. seq.* v. *habitus.*

Quod in patria tandem perficitur, hìc incipitur, ut præter habitum charitatis, Deus ipse sit charitas, L. 4. c. 16. n. 10. Semper autem lex æterna & invariabilis unum præcipit charitatis sacrificium, sed pro modulo & captu spiritalium seu perfectorum, vel carnalium, L. 10. c. 5. nu. 7. *& seq.* Hujus sacrificij seu holocausti ignis consumens ipsa eadem charitas, per ignem antiquum præsignata, *ibid.* & c. 14. nu. 1. *& seq.* Ad unionem demum substantivam properat omnis charitas perfecta, c. 21. num. 8. Interim soli Deo propter se charitas devovenda, quòd est Deo anticipatè frui, creatura autem uti propter Deum, L. 11. c. 1. n. 6. *& seq.* c. 6. n. 1. *& seq.* Sic Deus non colitur nisi amando, nihil præter ipsum, quia nihil nisi propter ipsum, *utrobique ibid.* Attamen charitas sanctorum pro aliis non elanguet aut extinguitur per ipsam mortem, hoc est per asportationem in regnum charitatis, c. 7. n. 4. 13. nu. 1. 3. 5. c. 9. nu. 4. *& seq.* Item charitas flammatissima Beatorum Deum ut amplius diligit, ita præclariùs eum & in eo omnia intelligit, minùsque nostra negligit, c. 10. n. 12

Chiliastæ.

Sanctorum animas non statim ad Dei contuitum admitti, nec nisi post resurrectionem corporum sinebant, imò ne tum quidem nisi post mille annos, L. 11. c. 9. 5. Interim quietè quidem velut in campis Elysiis, sed longè à Dei visione, longè à nobis degere, *ibid.* An eorum opinationi adhæserit Origenes? nu. 2. At ipsorum toto olim orbe exsibilatorum reliquiæ videntur Novatores, cum putant sanctos adhuc nostra nescire, nu. 5. Rectiùs Augustinus, regnum Christi mille annis, non aliud, quam præsentis Ecclesiæ statum, interpretatur, n. 6.

Chrisma, Christiani, Christus.

Idem est spirituale oleum seu Chrisma, quo inunguntur ac denominantur Christus & Christiani, nempè Spiritus-sanctus, L. 6. c. 2. nu. 1. *& seq.* Quadruplex inter Christum ac Christianos discrimen hac in parte, nu. 7. *& seq.* Verbum simul ipsummet fuit Chrisma, unguentum & mixtura, unde Christi nomen & inauguratio, c. 3. n. 1. *& seq.* Ab eodem similiter seu ab ipso Christo & nos sumus Christiani, c. 9. num. 5. 6. Et non Christiani tantùm, sed & Christi: nec Christi tantùm, sed & omnes unus Christus: & Christus non tam Christus seu unctus, quam Chrisma ipsum oleumque sanctitatis, *ibid.*

Christi ergo nomen, non adjectitium, sed substantivum est, L. X. c. 8. n. 7. 9. Et ab æterna Verbi generatione, *ibid.* Eodemque divinitatis oleo & Christus & Sacerdos est, *ibid.* Nec eo solùm Christiani, sed & antiqui Sacerdotes & Reges *Christi* vocabantur, *ibid.*

Hinc Christiani à Christo, non ut Platonici à Platone, & alij à quocumque alio homine, sed velut à Deo vocantur, L. 4. c. 3. n. 14. Hoc est, non sectæ alicujus, sed Religionis nomen est, *ibid.* Et ut participatæ Deitatis in Christiano, ita plenissimæ Deitatis in Christo monumentum est, *ibid in fine.*

Imò Christus cuique homini intimus est, sub rationis aut Verbi nomine, L. I. c. 9. n. 1. Et nemo sine Christo nascitur, n. 4. Quomodo in nobis crescat? *idid.* & c. 10 n. 3. L. 2. c. 10. n. 4. c. 11. n. 4. 10. *& seq.*

Hinc Christiani suo modo dicuntur, qui quocumque loco & tempore, secundùm rectam rationem vixerint, L. I. c. 9. nu. 2. At sicut veritatis, ita Christianitatis tantum portio, non plenitudo ipsa Philosophis gentilibus præluxit, nu. 3. Nec tantum à Christo Christiani, sed & ab omni virtute, quæ ipse est, denominandi sunt, num. 4. Hinc pariter omni vitio, Christi & Christiani nomen negatur, §. *Cæterum.* Definitur enim Christianismus imitatio divinæ naturæ, §. *nec minus*, & L. IV. c. 3. nu. 14.

Quàm genuinè etiam definiatur Christus in scripturis charitas veritatis & veritas charitatis? L. I. c. 8. nu. 8. Et a germanis Christianis non aliter cogitetur, ametur, aut colatur Christus, quàm ut veritas, justitia & virtus quælibet? Imò natura virtutum, n. 11. c. 9. n. 6. L. 2. c. 8. n. 3. 6. L. 11. c. 11.

Quomodo igitur Christi aut Christiani nomen novum? *Ex Apoc.* L. I. c. 9. nu. 5. Maximè cum ab exordio mundi ad exitum tam longè latèque pateat, *ibid.* Et utroque æterno ac temporali Evangelio Christus contineatur, de quo in eadem *Apoc.* C. 10. n. 1. Pauló aliter secundum Origenem, L. 2. c. 12. nu. 1. Qui tandem *in Christo nova Creatura*? c. 11. n. 9. 13. v. *Etiam Christus Christianorum caput, magister, mediator, &c.* Item Christianorum diversi gradus. v. *Perfectio, &c.*

Christi seu Verbi Incarnatio, Inhumanatio, &c.

Incarnationis vox aliis passim præfertur, sicut & *Verbum caro factum* dicitur potiùs quàm homo, ex usu ipso scripturæ; quia caro maximè id postulabat, L. 2. c. 12. n. 4. Et quia caro faciliùs cogitatur accessionis loco esse, quàm ipsa humanitas, L. 3. c. 10. n. 4. Nomine œconomiæ solet etiam à Patribus Incarnatio intelligi, & a Theologia, cui subordinatur, distingui, *præfat.* nu. 3. L. 5. c. 2. nu. 2. c. 8. nu. 5. Et tamen nihil aliud est Incarnatio ipsa, seu sapientiæ dispensatio tota temporalis, quàm Theologia quædam, & sublimis Philosophia omnibus suis partibus comple-

completa, ex ipsis Patribus, L.X. c.23. n.6, c. 26. n. 13. *& seqq.* c.27. n.9. c.28, n.2 *& seqq.*

Aliunde *Incarnatio* Christi, & tota in carne dispensatio missio est, L. 5. C. 15. nu. 6. Necnon rursus & unctio & sanctificatio, & quidem ab æterna generatione emicans, L.6. c.3. n.1. *& seqq. præsertim* 12. Item ipsa humanæ naturæ beatitas & glorificatio, L. 7. c.11. n.14.17. *& seqq.* Quomodo simul summa Dei, necnon & hominis, exinanitio? v. *Hic paulò infra*. Ac tandem immolatio & juge sacrificium? Lib. X. CC. 8. & 9. *Præsertim* n. 14, *& seqq.*

Jam *De congruentia* Incarnationis Verbi Dei, *toto* L.1. *necnon & 2.* Ipsa quidem Incarnatio videtur plurium in speciem impossibilium ac insulsorum coacervatio, L. I. c. 1. num. 4. *& seqq.* At nihil aliud præfert, quam summam omnipotentiæ, sapientiæ, & bonitatis exuberantiam, *ibid.* & c.2. n. 1. *ac seqq.* Discrimen inter creationem & Incarnationem ex parte imitationis, n. 8. Aliud ex parte Doni in Incarnatione Deo dignioris, nu. 10. De justitia etiam in Incarnatione contra Diabolum, c. 3. *integro*. Ac rursus erga Deum ipsum, c.4. *pariter toto*, utriusque disparitas, n.1, *& seqq.* Per solam Incarnationem justitia toti hominum naturæ immutabiliter inseri potuit, quæ antea accidentaliter tantùm adhæserat, c.19. Conglobatio rationum ab omnipotentia, sapientia, bonitate & justitia petitarum, non sinit Deum, nisi post peccatum, incarnari, L.2, c.7. v, *Dei attributa*.

Idem probatur deinceps ex intimis Misterij Incarnationis, L.I. c.5. *& seqq.* & L.2. c.8, Quænam ea sint? *Vtrobique* num. 1. Verbum tam divinum quam humanum incarnari quodammodo seu corporascere, cùm se sonis aut scriptis prodit, L.I. c.5, n. 2, 3. Hinc demonstratur non possibilis tantùm, sed & facilis etiam Incarnatio, *ibid.* & nu. 20. *Item*, c. 9. n.1. Imò sic prælusoriè tentata est in sacris ac profanis litteris, C.6. nu. 1. Maximè per affectus humanos in sacris, n.2. Decentiùs incorporatur Deus, natura ipsa hominis, quam voce, litteris, affectibus, aliisve signis, *ibid.* & n.3. Per prælusoriam Dei in scripturis inhumanationem, realis contra hæreticos fides astruitur, *ibid. Item*, L.4. c.4. n. 12. c. 8. nu. 25. 26. Triplex eorum generica classis contra illam Incarnationis fidem, *Præfat.* num. 5. *& seqq.* Nec habere pariter Philosophos ex suo usu, unde ab hac fide abhorreant, L.I. c.6. n. 5. §. *Etherius*, *Item* C.9. nu. 1. 2. v. *Plura*, *in eorum omnium propriis tit.*

Idem rursus ex aliis præludiis, imprimis ex Dei apparitionibus veris & fictis, quæ sunt Incarnationis præsagia, L.I. c.2. n.5. c.6, nu, 6. In veris maximè illius præludia, L.2. c.1. n. 3. L.4. c. 4. n. 12. Jam in ipso primo homine ad imaginem Dei efformato Verbi Incarnatio prælusa est, L.1. c.21. n.2. v. 7. & 8. Imò quum frequens & substantiva sit Dei ipsius in hominem illapsio; minùs mirum, si uni saltem & arctiùs & insolubiliùs infundi possit, n. 7. Ex ipsa rursus unione animæ cum corpore, homo quilibet Incarnationis præludium quoddam, longè etiam ea incredibilius, c. 16. n. 11. 12. Denique possessiones etiam Dæmonum, Incarnationis imagines seu umbræ, licèt longè inferiores, L.3. c.22. n. 15. 16. Hinc illæ Christi tempore longè frequentiores, quasi ad ipsam veræ Incarnationis fidem astruendam, n.15. v. *Energumeni*.

Ipsa vera Incarnatio unicum contra fictiones, simulationes aut errores de Deo corporeo remedium, L.1. c.6. n.11. 12. L. 12. c.10. n.4.5. Imò & contra errores omnes alios, L.I. c.12. n.1. Adeo in ea veritas vincit & prævalet, *passim suprà*, & CC. *seqq.* Incarnatio pariter non aliò tota spectat, quam ad geminam Dei & proximi charitatem, quæ æterna est religio, C.7. *Præsertim*. n.10. 11. Tantus est præterea ad justitiam aliasque virtutes aculeus, ut vel fingi prodesset; quantò satius est non fingi, sed esse, & veram esse. C. 8. n. 1. c. 11. n. 13. §. *Ad has artes*. Alendæ ergo fidei, necnon & spei, ac sanandæ simul superbiæ nullus modus Incarnatione convenientior, c. 16. nu. 10. Quàm stultum non sit illam credere, imò quam stultum sit illam non credere, &c. *Passim locis cit.* v. *Fides, stultitia, &c.*

De *Necessitate* quadam Incarnationis, imprimis ex satisfactionis necessitate, L. I. c. 4. n. 10. 11. Nec utraque necessitas Deo minùs decora, minùsque libera, *ibid.* Quousque ipsis gentilibus sola ratione cognita? *ibid.* & n. 12. *usque in finem*. Incarnandi quoque Verbi necessitas ex necessitate Magistri, C.13. n.1. *& seqq. Item* CC. *seqq.* Quin incarnari Deum non magisterio tantùm, sed & auxilio præstando necesse fuit, C. 17. *& seqq.* Necessaria maximè demonstratur Incarnatio ad ipsos gratiæ fontes aperiendos, C.17. num. 2. Quippè Incarnatio exemplar est gratiæ ex omni capite pulcherrimum, *ibid.* Majoribusque auxiliis resculpendæ imagini in homine impendi debuit, C. 21. & L. 2. c. 11, num. 1. *& seqq.* Paucis, Incarnationis Verbi ac reparationis nostræ summa, in efficacia alicujus gratiæ vertitur, L.I.c.19. n.9. *& seqq.* c.21. n.8. Hinc vel maximè nisi post peccatum Incarnatio ipsa fieri non potuit, L. 2. c.7. n. 20. & CC. 10. & 11. *integris*.

Cur aliunde, si homo *non peccasset*, Verbum incarnari nec necesse fuisset nec decorum, ex constantissima Scripturarum & Patrum doctrina? L. 2. CC. 5. *& seqq. usque ad* 12, Integra summatim resumitur, ac retractatur libri prioris doctrina, si hæc aliter habeant, *ibid.* Nihil aliud fere tractatum hactenùs, etsi non ita expressum, n. 1. Nec aliud pariter tractandum deinceps, c.6. num.7. Imprimis nihil alienius a Scriptura, quam ut unam prædicet Incarnationis circunstantiam ad nostram redemptionem, non ipsam substantiam, C. 5. num. 6. *& seqq.* Ipsa enim Incarnationis substantia de arte medicinæ est, non solæ circunstantiæ, c. 6. nu. 1. *circa finem*. Nec sola Crux, sed ipsa humanitas seu Incarnatio, seposita omni mortalitate, exinanitio Dei est, C.7. n.1. 6. 8. 11. 12. Necnon & hominis sic ad corporalia medicinaliter redacti, c. 8. nu. 1. Rursus utriusque, num. 4. Itaque Incarnationis ipsa substantia, seclusis circunstantiis, mysterium est humilitatis, c. 9. nu. 1. 6. Necnon & humanæ totius gloriæ abdicatio, L.4. c.2. nu. 4. L.8. c.14. n. 2. *& seqq.*

Ergo nonnisi post prævisum hominis lapsum, decreta & prædestinata est Verbi Incarnatio, L. 2. c. 5. n. 16. Nec inde sequitur eam deberi peccato seu peccatoribus, nisi spectetur, ut verè dicta est, Dei potiùs exinanitio, quàm hominis exaltatio, c. 5. n. 15. c. 6. n.4. 8. At quia jam incarnatione ipsa homo deificatus est, ad hoc locum habebit Christi prædestinatio, vel potiùs & ad Verbi hypostasim & ad resurrectionem, L.8. c.14. n.5. *& seq.* Incarnatio tamen ante ipsam resurrectionem perfecta, c. 19. n. 9. & *seq.* L. 4. c. 16. n. 21. Etsi Resurrectio quædam sit veluti absolutio & consummatio Incarnationis, L.8. c. 11. *præsertim* n.5. *& seq.* c. 14. n.4. *& seq.*

Incarnandi atque incarnati Verbi immortalitas & incommutabilitas idem pollet, idemque præstitisset in tota natura humana, si ante peccatum prævisum communicanda fuisset, L.2. c. 10. n. 2. *& seq.* Cur in eo casu non sit cohibenda intra limites naturæ particularis assumendæ? §. *Si cui*, *ac seq.* & c.11. nu. 12. Cur autem nunc non effluat simul & in totam naturam, facit disparitas utriusque status, c. 10. n. 2. §. *audio*, & n.9. c.11. n.3. Incarnatio tamen impensa est hominum universitati, etsi una Christi humanitas assumpta sit, n.4. §. *Et ad hypostasim*, *ac seq.* L.6. c.8. n.4. *& seq.*

Incarnatio rursus ad ipsam substantiam naturæ, gratia ad operationem spectat, atque adeò efficaciter, L. 2. c. 11. nu. 4. Et usque adeò conserta est incarnationis & gratiæ ratio, ut utrumque mysterium à Græcis ipsis tractatoribus divelli non potuerit, n. 1. & 10. Hæc quatuor etiam maximè colligantur, incarnatio, Christi filiatio naturalis, nostra adoptiva, & Eucharistia, L.8. c.8. n.8. §. *Eligius*, *& seq.* Eucharistia imprimis incarnationis ampliatio & propagatio est, ex variis utriusque consonantiis. *Vide*; *Eucharistia & Christi sacrificium*.

Juge autem illud incarnationis sacrificium ut illustratur ex supra allatis præludiis futuræ, ita nunc ex renovationibus ejusdem præteritæ per Eucharistiam, L.10. c. 21. n. 7. Prorsus autem ab his obscuratur, qui Eucharistia illudunt per umbrarum & imaginum ludibria, n.13. *in fine* c. 22. n. 1. *& seq.* At licitè per sacras Christi imagines incarnatio ipsa rursus iteratur, L.12. c.9. *præsertim num.* 2. Quomodo tandem ipsa sit imago seu imitatio Trinitatis, imprimis quoad unitatem. *Vide mox in unione hypostatica*.

Christi unio hypostatica, seu una persona, & quæ?

Patripassiani omnes tres unius Deitatis hypostases conflantes in unam personam, vel unam potiùs Patris agnoscentes, cui duas reliquas tanquam temporarias efficientias subjungerent, Patrem ipsum incarnatum & carne passum credebant, Præfat. n.6. 9. At Verbum, non aliam personam incarnari & hypostaticè uniri decuit, L.2. CC. 1. & 2. Cur in hoc alterutrius personæ par decus sit? C. 1. nu. 8. §. 2. Propriè Verbi persona, non natura; aut si natura, nonnisi ut propria personæ incarnatur, & hinc solum Verbum, non Pater, aut Spiritus Sanctus, L.3. c.19. n.18. 27. Hinc rursus imitatio Trinitatis in incarnatione, in primis quoad unitatem, nu. 25. Hinc denique sicut in uni-trina, ita in incarnata Deitate ex pluribus perfectis unum perfectum & superperfectum est, c.16. n.8. 16. *seu* 17. & 18. Sola autem persona divina, nulla creata, propriè incarnari potest, seu hypostaticè uniri, CC.22. 23. & L.6. c.12. n.15.

Unionum merè *accidentalium* genera à Nestorio ad

dissuendam personæ in Christo unitatem excogitata referuntur, Præfat. 10. L. 3. c. 2. n. 1. 2. Eadem 14. argumentis refelluntur, n. 3. *& seq.* In primis quòd Verbum non exinanisset seipsum, & contra mysterij substantiam, nu. 5. Nec fieret caro, sed carnis hospes, contra modum, n. 6. Totaque incarnaretur Trinitas, & quidem toties quoties homo fit justus, contra præfata principia, *ibid.* Mundum redimeret magis homo quàm Deus, adeoque nec redimeret, contra finem, nu. 8. 9. Nec esset vivifica Christi caro, nec alimonia immortalitatis, contra consectaria, n. 10. *& seq.* Ac nequidem posset una persona in Christo constitui, quod vis veritatis aliquando a Nestorio extorsit, adeoque nec una hypostasis, quod obstinatissime negabat, n. 13. Hinc denique susdeque ruerent omnia, idolatria revivisceret, nutaret fides, Religio, salus, sanctitas, gratia, filiatio nostra divina, &c. n. 14. *& seq. usque in finem.*

Unionis hypostaticæ, id est, qua Dei hominisque naturæ inconfusæ maneant, & in unam conserantur hypostasim ac personam, vera & germana elucidatio, L. 3. c. 3. *integra.* Proponitur difficultas, qui Dei & hominis sic fiat una hypostasis in Christo? n. 1. Solvitur ab Hugone Victor. suggerente novem præsertim notatu digna, nu. 2. Item à sancto Thoma cum 8. notandis, nu. 4. 5. Hugonis præsertim sententia confirmatur ex Gregorio Nazianzeno cum 7. notandis, n. 6. 7. Item expressiùs ex Paschasio S.R.E. Diacono Cardin. cum pluribus notatu dignissimis, n. 8. *& seq.* Rursus ex Concilio Francoford. nu. 12. necnon ex Rustico alio R.E. Diacono, nu. 13. Item ex Ferrando Diacono Carth. nu. 14. Denique ex Ephræmio Patr. Ant. n. 15.

Ex his *duplex Caput* assignatur *unionis hypostaticæ* in Christo: primum est *immeatio* naturæ superioris in inferiorem: secundum est *dominatio & jus physicum*, quod superior in inferiorem sibi vendicat, tanquam in sui, seu suæ totalitatis partem, L. 3. *rursus* C. 3. & c. 4. num. 1. L. 8. c. 11. *& seq. ac tandem* L. 11. C. 2. num. 19. ex Patribus.

Prius probatur variis comparationibus, putà unius ex tribus aureis in ignem injecti, L. 3. c. 3. n. 2. *& seq.* Guttulæ aceti in mare infusæ, n. 5. 11. & c. 7. n. 6. Lilij odore perfusi, c. 4. n. 6. Tincturæ, *ibid.* §. *idem*, & n. 8. Lucis primigeniæ in corpus Solis quarto mundi die conflatæ, n. 7. Ferri candentis, n. 9. *& seqq.* c. 7. n. 2. 6. L. 4. c. 6. n. 20. Nec non & carbonis, C. 14. n. 11. c. 15. n. 3. *fusissimè*, L. 5. c. 6. n. 7. Appositissimum omnium exemplum animæ & corporis, L. 3. c. 3. n. 2. 3. v. §. c. 5. n. 3. 4. §. *Enim vero*, C. 6. n. 2. *ac tandem toto* C. 8. Rursus omnia ferè simul illa exempla, L. 4. c. 15. n. 3. *& seq.* Idem verò identidem demonstratur ex illapsu sanctitatis & sapientiæ Verbi in humanitatem, itaut & utriusque fiat tons & principium quoddam ipsius Spiritus sancti, *præsertim* L. 3. c. 4. n. 8. 9.

Eadem naturarum *immeatio*, cui unio hypostatica in Christo superstruitur, prolixiùs constabilitur ex *commixtione* utriusque naturæ inconfusa, quam sancti Patres prædicarunt, L. 3. c. 4. n. 10. 11. *usque in finem*, & c. 5. *integro.* Quàm alieni sint Græci pariter & Latini ab illa naturarum separatione, ex qua nonnulli volunt eas medio tantùm personæ contactu admoveri potiusquam connecti, num. 1. 2. Econtra *mixturæ* etiam voce utuntur *ibid.* & L. 4. c. 15. nu. 3. *& seq.* Itaut penitiùs insinuari tradant Deitatem humanitati, quam animam corpori, L. 3. c. 5. n. 3. L. 4. c. 14. n. 8. & c. 15. n. 5. Et quidem sine ullo mutationis aut confusionis metu, ex multiplici capite, L. 3. c. 5. n. 4. 5. L. 4. c. 16. n. 6. c. 16. n. 2. Id contra ipsum Nestorium ab ea *mixtionis* voce sibi timentem declarat Cyrillus L. 3. c. 5. n. 5. Additque nonnisi abusivè aliquos Patres eam sumpsisse pro confusione, *ibid.* In eo sensu improprio canit alicubi Ecclesia, *Non commixtionem passus*, &c. *Ibid. in fine.*

Eadem naturarum *immeatio* unionis hypostaticæ in Christo nexus illustratur ex *compositione* Deitatis & humanitatis, quam sancti Patres statuerunt, L. 3. c. 6. Inprimis adversus Nestorij præsultores & sequaces, n. 1. Adhibita etiam comparatione animæ & corporis, n. 2. Itaut tamen ex duabus propriè naturis componeretur una hypostasis, n. 3. Et hæc compositio Nestorium simul & Eutychetem elideret, dum & duas retinet naturas, & unam eas conflat in personam, num. 4. Si enim naturas confunderet aut corrumperet, non componeret, §. *non minus.* Dicitur ea tamen a quibusdam impropria & metaphorica compositio, non quia minor, aut minùs vera, sed quia incomparabiliter superior, & tripliciter diversa, num. 5. *& seqq.* Ut in composita Christi persona Deitas nec pars sit, nec minor toto, nu. 8. 9. 11. Nonnisi in contrario sensu compositionem à Christo nonnulli penitus removerunt, num. 10. At in priori simplex remanet Verbi persona, n. 12. & c. 13. n. 9. c. 19. n. 9. Multiplex adhuc disparitas inter illam & merè humanam, n. 27. Rursus ut illa compositio in Christo unitatem personæ astruat, quòd sit ex duabus naturis perfectis, *toto* C. 16. Et ex superiori comparatione animæ & corporis physica ea sit, non metaphysica, qualis fortè fingitur essentiæ & existentiæ compositio, c. 18. n. 48. §. *Augustinus.*

Inconfusa eadem naturarum *immeatio* demonstratur ex *unione*, *essentiali*, *substantiali*, *naturali*, qua sancti Patres naturam Christi duplicem conglutinarunt, L. 3. c. 7. Et quidem ea naturalis tutior visa est contra Nestorium, n. 1. §. *Ioannes.* Et hinc similiter aiunt incarnatione substantiatum esse Dei Verbum, nu. 2. Quam autem *naturalem*, eandem & *hypostaticam* unionem vocant; quòd voces naturæ & hypostaseos non ita scrupulosè discriminarent, & cur? num. 3. & 7. *Unitionem naturalem* dixit imprimis Cyrillus pro *naturarum*, n. 4. 6. 8. Denique unionem maximè animæ & corporis in exemplum proposuerunt, *præsertim toto* C. 8. Necessaria adhibetur cautio circa omnia prædicta, num. 3. illustraturque ex eo quòd sola unio hypostatica cum propria natura confusionem inducat, & quidem inexpugnabilem, c. 12. n. 13.

Caput alterum unionis hypostaticæ, ut natura inferior accessio fiat, & transeat in *dominium & jus physicum* superioris, proponitur & probatur, 1. eodem exemplo animæ & corporis, L. 3. c. 8. n. 4. *& seqq.* Deinde quod humanitas non seorsim sibi in se subsistat, sed in Verbo, C. 9. n. 1. Nec sua sibi, & sui sibi juris sit, nu. 2. Sed inhærescat, ferè accidentium instar, Verbo, nu. 34. necnon & instar habitus, n. 5. 6. ac tandem sic Christus semper cogitetur, ut idem semper Verbum Deus, antea sine carne, postea cum carne, *ibid.* & c. 9. n. 1. *& seqq.* Et quidem itaut caro faciliùs cogitetur accessionis loco esse, quam ipsa humanitas, nu. 4. *& seqq.* sintque similes modi loquendi accuratiùs observandi. *Vide infrà propositiones de Christo.*

Rursus quòd humana Christi natura divinæ accessio fit, ideoque una persona cum illa, quia in ipsa sui creatione assumpta est, L. 3. c. 11. & 12. *necnon* 15. nu. 6. *& seqq.* Imo quia ne puncto temporis in se illa constitit, c. 11. n. 3. Alioquin nec esset Christus, seu gratia essentiali unctus ac præventus, n. 4. Nec nostræ mederetur origini, nu. 5. Ideo etiam puncto temporis absoluta est sacræ humanitatis fabrica, n. 6. Nec nisi ex prævio Deitatis semine potuit Deitas concipi, aut Virgo fæcundari, nu. 7. 8. Et nisi priùs illapsa esset Verbi hypostasis, socialis & amica, non hypostatica foret unitio, n. 9. Hinc omnes hæretici unitatis personæ divisores, non in conceptu, sed postea ferè senserunt unitionem factam, *ibid.* & nu. 10. Hincque illapsus Spiritus sancti in Sanctos & Beatos non confert unitatem personæ, n. 9. & 11. c. 17. n. 7. *& seqq.*

Et hæc omnia rursus, quia substantivè quidque est, quale nascitur, L. 3. c. 12. n. 1. c. 19. n. 15. Filij autem ac Verbi proprium est nasci, etiam in natura assumpta, c. 12. n. 2. Alias iterum, nec suam personam infudisset, etiamsi existentiam exclusisset humanam, n. 3. *& seqq.* Et nisi animam & corpus non priùs unita, sed uniendo assumpsisset, nu. 4. *& seqq.* Sicque una, & ad unum fuerit unio Verbi, animæ, & corporis, *ibid.* Et alioquin rursus impossibilis quodammodo fuisset incarnatio, etiamsi dissentiat Leontius Bizant; n. 6. *& seqq. latissimè.* Minùs saltem facile, minùsque decorum, ut naturam jam propria hypostasi gaudentem spoliet Verbum, & suam suggerat, n. 13. *& seqq.* Hincque tandem decantatum illud, *non tam homo deificatus, quam Deus humanatus*, n. 15. c. 14. n. 7. c. 24. n. 4.

Idipsum probatur ex famosa illa fidei tessera, quod *una sit Verbi natura incarnata*, Lib. 3. c. 13. Ubi natura Verbi velut primariò & per se subsistens animo obversatur, cum carnis velut additamento & obliquè, num. 2. 3. Et sic tutiùs, quàm si prædicentur duæ in Christo naturæ, velut ex æquo, *Ibid. & nn. seqq. præsertim* 7. Præterea in ea voce unius intelligi rectissimè potest unitas compositionis, de qua supra, n. 9. Et appositè non Christi, sed Verbi una natura incarnata dicitur, n. 10. Cæterum triplex formulæ sensus, num. 12. Et germani author, ac authoritas contra hæreticos, ipsumque Leontium Bizant. discernitur, & propugnatur ex Ss. Patribus, ac Synodis etiam æcumenicis, *toto reliquo* c. 13. *maximè nu.* 4. *Item*, L. 5. c. 7. n. 5. L. 11. c. 2. n. 17.

Idem ex illa altera fidei formula, *quod unus de Trinitate sit passus*, L. 3. c. 14. Itaut per *unum* hypostasis & natura Verbi principaliter; obliquè verò & quasi perfunctoriè humanitas innuatur, cum *passus* dicitur, sine spe dupli-

duplicandæ perſonæ, inprimis contra Neſtorium, nu. 1. Formulæ author & authoritas ex Patribus & Conciliis, n. 2. 3. Triplex nefarius ſenſus, cautè a Pontificibus, meticuloſè ab aliis timebatur, nu. 4. 5. Cur potius *unus de Trinitate* quàm *una perſona*? n. 6. Cur non ſimiliter *unus de humanitate paſſus* dicatur? n.7. Ultima objectio, quod habeat formula alium authorem Eutychianum, n.8. Unde Catholici ut Eutychianiſtæ, & aliunde ut Neſtoriani audirent? n.9. v. etiam *Præfat.* n. 10. §. *In Orient. circa finem*.

Item aliud argumentum, quòd poſt Incarnationem *Trinitas* permanſit, non eſt invecta *Quaternitas*, quia caro Verbi acceſſit inſtar addittamenti, non ut æqualis, L. 3. c. 14. n. 10. *& ſeq.*

Præterea ex eo quod *propriè Deipara* demonſtretur *Maria*, L. 3. *toto*, C. 15. *V. Maria*. Quàm indivulſe verò cohæreant hæc tria, Virginis fœcunditas, Dei nativitas, & hominis divinitas, n.9. Unde tam Deum Chriſtum, quàm Deiparam Mariam negabat Neſtorius, n. 12. aliique repugnabant hæretici, *præſertim*, n. 15. 17.

Rurſus quod humanitati Chriſti nihil deſit, *paſſim toto*, L. 3. *Præſertim*, c. 3. n. 3. v. 6. 7. c. 7. n. 3. 4. c. 9. *ferè integro*. Sed eò ſit una cum Verbo perſona, quòd ſeorſum per ſe non ſit, probatur ex modo quo duo perfecta in unum perfectum concurrunt, c. 16. *integro*. Contra ſentientes ducti videntur ex eodem erroneo argumento, quo Apollinariſtæ, vel anima, vel mente Chriſtum olim truncabant, n. 1. 10. c. 18. n.7. At ſancti Patres hos refellendo, nunquam fatentur aliquo ente vel metaphyſico defieri hominem Chriſtum, c. 17. nu. 2. Verùm contraria multa illis viſa ſunt, *nn. ſeqq.* Maximè quod ſicut in uni-trina, ſic in incarnata Deitate ex pluribus perfectis unum perfectum & ſuperfectum ſit, n. 8. 16. *vel* 17. Quì non creſcat perfectio Verbi ex perfectæ acceſſione humanitatis? nu. 18.

Cardo rei totius aperitur, modus videlicet quo naturæ ſuperiores inferioribus quamlibet perfectis, ulteriùs perficiendis ſeſe infundant, eaſque ad multimodam ſecum unitatem aſciſcant, L. 3. c. 17. *integro*. Et hinc præſertim cur ſoli humanitati Chriſti, nulli præterea nec beato hypoſtaſis divina communicetur, nu. 7. *& ſeqq. Uſque in finem*.

Concluditur quod homo totus, non dimidiatus, nec orbatus exiſtentia aut alia re aſſumptus ſit, C. 18. n. 1. Alioquin quàm anceps ſit diſtinctioni eſſentiæ ab exiſtentia committere ſacramentum ſalutis noſtræ, n. 2. 4. Aliunde aſſumpſit id omne Redemptor, quod condidit Creator, num. 3. Nec ſanavit niſi quod aſſumpſit, nu. 5. Diluitur objectio de perſona, quia non aliquid eſt a natura diſcretum, ut tota & ſeorſim ab alia ſuperiori, n. 6. Solum excipitur peccatum a Ss. Patribus, *ibid.* & *nn. ſeqq.*

Præcipua objectio ſolvitur cur ex unione Dei & hominis una exurgat perſona, non una ſimiliter natura, ſicut ex unione animæ & corporis, L. 3. c. 19. In primis quia non ſolum ex duabus Chriſti naturis, neutra in alteram, vel mutatur, vel confunditur; ſed nec nova quædam natura fit, nec nomen ejus novum, n. 1. 2. Deinde quia alioquin nec Deus eſſet Chriſtus, nec homo, nec Patri, nec Matri conſubſtantialis, n. 3. 4. Neque jam Trinitas, ſed vel Dualitas, vel Quaternitas eſſet hypoſtaſeon divinarum, nu. 5. Hinc ſepitur effugium Eutychianorum, *ex duabus* Chriſtum, non *in duabus naturis* profitentium, n. 6. Item aliud Catholicorum effugium, licèt forſan probabilius, minùs tamen uſitatum, negantium pariter in homine unam eſſe naturam, n.7. 8. Reſpondetur preſſiùs, ob ſimplicitatem Deitatis non poſſe ex ea & alia qualibet, tertiam exurgere naturam, nu. 9. 10. 11. Item quia non ita Deitas & humanitas, ſicut anima & corpus naturaliter ſunt ſibi conſentanea, coæva, &c. num. 12. *& ſeqq.* Hinc non compatitur, non dolet, non afficitur Deitas cum homine, ſicut anima cum corpore, n. 19. Nec demum ita illa circumſcribitur, n. 20. 21.

Horum autem primaria ratio, quia propriè non natura Verbi, niſi ut perſonæ propria, noſtræ humanitati inſeritur, ſecus anima corpori, L. 3. c. 19. n. 18. 27. Et hinc ex Verbo & homine coalitio in plures hujuſmodi Chriſtos tam ſecari non poteſt, quam nec in plures hypoſtaſes, Verbi hypoſtaſis, n. 22. 23. 27. Quanto autem alterius naturæ brevitas, alterius infinitas inexcogitabilior; tanto facilior eſt utriuſque in unam perſonam, deſperatior in unam naturam coalitio, n. 24. Quam deceat in Deo plures perſonas in unam naturam, in Chriſto plures naturas in unam perſonam convenire? n. 25. Et ſic mediatorem eſſe Chriſtum, n. 26. Pleræque ex diſparitatibus allatis conglobantur, n. 27. Tandem propoſitiones Auguſtini de Roma, & Nili, circa prædicta exagitantur, n. 28. 29.

Confirmatur humanitatem Chriſti nulla re defieri, ſed eò aſſumi, quòd ea pervadat, ſuamque faciat Deitas Verbi ex difinitione hypoſtaſeos ſeu perſonæ fuſiſſimè à Patribus expoſita, L. 3. CC. 1. & 20. Imprimis eam Chriſti humanitatem individuam eſſe, ac proinde exiſtentem, non communem, niſi in aliquo catholico ſenſu, nu. 12. 13. Cur ego perſona non ſit, juxta definitionem Boethianam? n. 14. *& ſeqq.* & *antea*, C. 9. n. 17.

Ultimò firmatur hęc de hypoſtaſi Chriſti ſententia, aſſenſione omnium propè *Scholæ Doctorum*, plures etiam allegante Tiphanio è Societate Jeſu, ſaltem pro altero ex capitibus unionis hypoſtaticæ, C. 21. Ex hac autem quantoperè diluceſcat Incarnationem non eſſe aliud quàm immolationem humanitatis ſacræ & juge ſacrificium, L. X. c. 9. n. 16.

Chriſti duplex natura.

Apollinaris, ante Eutychetem, naturas in Chriſto nimis conſtringebat in unam, L. 3. c. 6. n. 4. Quin & ipſam Verbi ſubſtantiam in carnem ſe ſe condenſaſſe volebat, unde & caro ipſa Deo conſubſtantialis, & Deus in ſua ſubſtantia paſſibilis eſſet, *præfat. n.* 9. §. *Ad Arium*, L. 3. c. 13. n. 12. c. 14. n. 11. L. 4. c. 6. n. 1. *& ſeq.*

Monophyſitæ omnes ab unitate naturæ dicti, & Eutychiani ab Eutyche Archimandrita Conſtantinopolitano, ut perſonam, ita naturam Chriſti unam ex Deo homineque conflabant, *Præfat.* nu. 10. §. *Dum & ſeq.* Ex duplicis porro naturæ in unam confuſione naſcebatur, ut jam nec Deus eſſet Chriſtus, nec homo verus; nec Patri qua Deus, nec Matri, aut nobis, qua homo, conſubſtantialis dici poſſet, *ibid.* Semieutychiani dicti, qui non ſimplicem Chriſti naturam, ſed compoſitam ex Deo & homine dicerent, atque inde Patri, hinc nobis conſubſtantialem, *ibid.*

Ex Monothelitarum reliquiis tota Monophyſitarum peſtis repullulabat; quippè ore tenùs duplicem Chriſti naturam confitebantur, unam ſub una operatione clam retinebant; L. 5. c. 1. nu. 1. *& ſeq. Et rurſus præfat. nu.* 10. §. *De*. Imò neminem penè deviare jam agnoverat Leo Mag. niſi qui duarum in Chriſto naturarum veritatem non crederet, *paulò ſuprà*, nu. 7. Quomodo autem collidentes ſe ſe de Chriſto Deo & homine hæreſes, non ſibi, ſed Catholicæ fidei vincebant & vincebantur, L. 4. c. 2. nu. 2.

At in ſcripturis, divina humanaque de Chriſto, non alia de cauſa videntur quandoque confundi, quàm ut ea accommodari, aptarique poſſe intelligantur, Lib. 2. c. 2. n.7. Sedulò autem à Ss. Patribus diſtinguenda fuere pro utraque natura, contra præfatos hæreticos, C. 6. n. 2. In primis ex Mediatoris munere, L. 3. c. 19. nu. 26. Etenim tam verus homo, quam verus Deus eſſe debebat, L. 4. c. 4. num. 9. Et tam totus homo, quàm totus Deus, c. 8. n. 20. 21. Scilicet tota Chriſti mediatio paucis his Verbis conſtringitur, *Ego in eis, & tu in me*, L. 5. c. 19. n. 9. L. 9. c. 3. n. 1. Ex illa ergo utriuſque naturæ veritas, *adhuc* n. 12. Et utraque mox ſimul ſatis agnita & inculcata eſt in unione ambarum hypoſtatica, *præſertim ex toto*, L. 4. Seorſim verò, *toto* L. 4.

Imprimis compoſitionem utriuſque naturæ in Chriſto ut inculcarunt Ss. Patres & Synodi adverſus hæreticos, L. 3. c. 6. n. 1. 4. Itaut humanitas, non cum ſola perſonalitate Verbi coaleſceret, ſed cum ipſa Deitate, & ex duabus naturis propriè componeretur una hypoſtaſis, n. 3. Sic compoſitio duas retinet naturas, nu. 4. Si enim confunderet aut corrumperet, non componeret, §. *Non minus*. Eoque magis unitatem perſonæ adſtruit, quo magis eſt ex duabus naturis perfectis, CC. 16. 17. 18. Cur ex anima & corpore una componatur natura, non ex Deo & homine, multiplex diſparitas, C. 19. *Præſertim*, num. 27. Quanto longiùs à ſe invicem diſtant ambę Chriſti naturę, tanto quidem facilior utriuſque in unam perſonam, deſperatior in unam naturam coalitio, n. 24. Sicque decebat ut ſicut in Deo plures perſonæ in unam naturam, ita in Chriſto plures naturæ in unam perſonam convenirent, n. 25. *& ſeqq.*

Enitendum quantum fieri poteſt, ut in recto ſemper Deitas, in obliquo humanitas locetur, *rurſus*, L. 3. c. 10. *Præſertim*, nu. 3. Idque ſervatur maximè in famoſa fidei teſſera, quòd *una ſit Verbi natura incarnata*, c. 13. nu. 2. 3. Et quidem tutiùs, quàm ſi duæ prædicentur in Chriſto naturæ velut ex æquo, *ibid.* & *nn. ſeqq. præſertim* 7. Item in altera fidei formula, quòd unus ex Trinitate ſit paſſus, c. 14. n. 1. *& ſeqq.* Cur non ſimiliter dicatur *unus de humanitate*? n.7. v. *plura ſupra in unione hypoſtatica*. In ipſo Chalcedonenſi Concilio diu certatum eſt an *ex* vel *in duabus naturis Chriſtus* dicendus eſſet? L. 4. c. 1. nu. 1. Tandem ex Leone lectum & ſubſcriptum unanimiter *duas eſſe in Chriſto naturas*, *ibid.*

ibid. v. etiam utriusque Christi naturæ idiomatum communio, & propositiones de Christo, &c.

Christi Divinitas.

Primæ ex Judaicis fontibus manarunt hæreses adversus Christi Deitatem, *Præfat.* n. 8. Ex Græcis verò, seu Philosophicis erroribus penè omnes eò Christi Deitatem abnegabant, quòd homini non ipsum substantivè Deum unitum esse assererent, sed actionem quandam velut transitoriam Deitatis, n. 9. Ex Christianis tandem Nestoriani præsertim copulam Dei & hominis non substantivam & hypostaticam, sed extrinseca quadam & accidentali efficientia coalitam interpretati, non alio penè modo Christum Deum professi sunt, quam quo justi omnes, & unum cum Deo, & Filij Dei, & Dij dicuntur, n. 10. Idque renovarunt identidem hæretici, usque ad postremos è Calvinianis ortos, §. *Vt*.

At Christi divinitati probandæ inservit novum omne Testamentum. L. 4. c. 1 n. 1. Ab ea Evangelium auspicatur Gabriel, ex cujus verbis quam multipliciter illa demonstretur, *ibid.* Item ex omnium conspiratione, n. 3. 10. Imprimis ex repetito toties Patris testimonium, Filium, utique non degenerem, agnoscentis n. 5. 11. *& seqq.* Ex Apostoli Petri confessione & præmio, n. 6. Ex Dæmonum ipsorum ac Judæorum confessione, n. 7. 9. 10. Imò & interemptorum Christi militum Gentilium, n. 8. 10. Itaut qui Christum Deum negant, ij & Dæmones & peremptores perfidia superent, n. 7. 8. c. 2. n. 5.

Quo temperamento Christus Deitatem suam cogeretur premendo edere, & edendo premere, L. 4. c. 2. n. 1. Et id contra illos qui aiebant nunquam Deitatem suis sibi verbis tribuisse, tempore Petri Venerabilis, *ibid.* Usque adeo Deum se prædicabat Christus, ut quidam ipsum Deum Patrem esse, & hominem verè non esse, perperam quidem, sed ex ejus verbis conjecerint, n. 2. Joannis Evangelium ut Christi sermonibus, ita & testimoniis Deitatis ipsius refertissimum, nu. 3. & L. 2. c. 8. n. 11. Cùm humilitatis sit magister Christus, ejus de seipso testimonia amplificanda potiùs sunt, quàm extenuanda interpretando, L. 4. c. 1. n. 4. c. 2. n. 4. Ut Judæos indignantes quòd æquaret se Deo, non abduxerit ab ea suspicione, sed idem semper testatus fuerit usque ad mortem, C. 1. n. 4. c. 2. n. 5. Expenduntur tandem ea Christi verba, *Ego & Pater unum sumus*, nu. 7. Et cur aliunde Deitatem suam quandoque dissimularit? L. 11. c. 6. n. 11. At non solùm ex dictis, sed & factis, ex incredibili præsertim bonitate & patientia ingens emicabat divinitas, L. 1. c. 2. n. 4. c. 6. n. 12. &c. Item ex toto ejus magisterio substantivo, c. 12. *& seqq. Vide in prop. tit.*

Christi divinitas rursus probatur ex muneribus, quæ obeunda susceperat, L. 3. c. 3. Et ante omnia ex ipsa incarnatione substantiali, seu unione hypostatica, quam solus Deus perficere potest, CC. 22. & 23. Igitur perperam inde Ariani eam deprimebant, n. 5. Aliunde non potuit Reparator aut Salvator non Deus esse, quia formare, reformare, & servare ejusdem est, L. I. c. 1. nu. 3. 5. L. 2. c. 2. nu. 1. *& seqq.* L. 4. c. 3. nu. 1. *& seqq.* Deinde quia vel solam immortalitatem reddere nonnisi immortalitas potuit, nu. 2. 9. Item quia naturæ divinæ copiam facere, Dei solius erat, num. 3. 8. Item universum genus humanum ab interitu & dæmonum potestate eripere, num. 4. Similiter peccata donare, & amicitiæ Dei nos reddere, num. 5. Libertatem donare vel reddere. N. 6. Nostras ægritudines gestando sanare, n. 7. Denique par Deo placando & homini redimendo pretium & hostiam offerre, L. 1. c. 4. n. 1. 2. L. 3. c. 2. n. 9. L. 4. c. 3. n. 12.

Rursus nisi Christus Deus esset, nec ipse Christus, nec nos Christiani essemus, ut jam *suprà tit. Chrismatis*, &c. Hoc enim nomen ipsam Religionis majestatem dedecoraret, *rursus* L. 4. c. 3. n. 14. Quia ut participatæ Deitatis in Christiano, ita plenissimæ Deitatis in Christo monumentum est, *ibid. in fine*. Imo in ipso debet *inhabitare omnis plenitudo divinitatis, etiam corporaliter*, & quomodo? L. 1. c. 11. n. 2. *& seqq.* L. 3. c. 2. n. 7. c. 4. n. 6. L. 4. c. 1. n. 2. Et ita totum pulcritudinis nomen in Christo occupavit ipsa Deitas & implevit, C. 7. n. 5. 9. *& seqq.* Sic etiam sui utriusque corporis caput non esset, nisi plenissimè Deus, L. 2. c. 4. n. 6. L. 6. c. 7. *ac seqq.* Nec membris Deum seu Spiritum sanctum affunderet nisi Deus, c. 13. n. 9. *& seqq.*

Quotuplex vicissim à membris, præsertim Martyribus, divinitatis suæ testimonium receperit? Lib. 12. c. 1. num. 5. 7. 11. c. 2. num. 10. Ac demum in latriæ cultu, ex omnium consensione conspirantissima, L. 11. C. 2. &c. Non tamen æquatur humanitas Deitati, *ibid.* Cùm etiam Deitatem humanitas participet, & non participet, per naturam aut gratiam, & non per alterutram, L. 6. c. 5. n. 3. *& seqq. Plura vide in singulis prop. tit.*

Christi humanitas, ac inprimis caro vera & patibilis.

Judaicarum sectarum pars altera non in Deitatem, sed in humanam Christi naturam, aciem instruxit, *Præfat.* nu. 8. §. *Iudaicarum*. Hi Phantasiastæ dicti, quòd specie & ludibrio, non re & substantia jactarent Deum humanatum, *ibid.* Phantasticam in primis hi omnes ac simulatam Christi carnem non veram, nec nostri generis, commenti sunt, *ibid.* His juncti sunt fanatici aliqui è Græcis & è nostris, præsertim Valentiniani, Manichæi, Apollinaristæ & Eutychiani, & inter hos Incorrupticolæ, num. 9. 10. Hinc speciatim de carne hic agitur, & quia carnis nomine tota inhumanatio solet etiam intelligi, ac dici potiùs *Verbum caro factum*, quam homo, aut carne passum, quam humanitate, ex usu ipso Scripturæ, L. 3. c. 10. n. 4.

Affectus humanos in Scriptutis Deus induerat, ergo & decentiùs ipsam hominis naturam, L. 1. c. 6. n. 2. 3. 4. Alia inhumanationis præludia, V. *suprà in incarnatione Christi*. Quanta utriusque Testamenti sollicitudo ad Christi humanitatem, secundùm omnes differentias temporis, prædicandam, L. 4. c. 4. n. 1. Quanta necessitudo inter ipsam Scripturam & carnem Christi, *ibid.* & n. 2. *necnon suprà*. Nihil apertius genealogia Christi utrumque Adamum complectente, *ibid.* Imò Deitatem quandoque suam, quam humanitatem latere, æquiori animo passurus videtur Christus, & cur? *rursus* num. 1. Certè si expers nostræ sit humanitatis Christus, expertes & Deitatis nos erimus, num. 4. Nec naturam nostram salvasset, nisi assumpsisset, num. 7. Et quidem integram, nulla vel minima parte deficientem, Vide *suprà in unione hypostatica*. Nec Magistri, Mediatoris aut Sacerdotis persungi munere poterat, nisi verus & perfectus homo, maximè si idem sit victima, n. 8. 9. 10. Vide *in singul. tit.* Denique nisi caro Christi nostræ sit congener, non satis verè dicimur ejus caro, & cum eo mortui, sepultui, redivivi, imò jam beati, n. 3. *& seqq.* At veritas est Christus; ergo vera in eo omnia, vera caro, vera humanitas, n. 12. c. 5. n. 6. c. 12. n. 6.

Cur ne momento quidem imperfecta, sed statim tota absoluta est sacræ humanitatis fabrica? L. 3. c. 11. nu. 6. Et quidem sola, solusque ipse Christus *habitu inventus ut homo*? C. n. 5. 6. At licèt una Christi humanitas assumpta sit, universa tamen hominum natura innumeris modis illustrata, ac quodammodo assumpta est. V. *Ecclesia, homo, &c.*

Veritas carnis Christi specialibus argumentis demonstratur, adversus Phantasiastas & Manichæos, qui eam maledictis proscindebant, L. 4. c. 5. n. 1. Longè aliter eam tractavit Creator, Redemptorem hominem futurum cogitans, *ibid.* Ipse verò Redemptor toties eam sanans, haud indignam sua copula habuit, nu. 2. L. 10. c. 31. nu. 10. Ac deinceps sanctitatis & gratiæ participatione per ipsa potissimum sacramenta, *rursus*, L. 4. c. 5. num. 4. Ne resurgeret quidem nostra caro, nisi à Verbo assumpta, & per ejus resurrectionem jam rediviva, num. 5. Assumpta autem vera carne magis claret Deus, quàm simulata, C. 4. num. 12. c. 5. num. 6. 7. Alioquin nec vera passio, nec salus, nu. 12. Nec ea, aut per eam ipsa Deitate pasceremur in sacramento, num. 14. Vel hoc luculentissimo exemplo constare debuit nullam Deo indignam esse naturam, præter peccatum, nu. 8. 10. Vide *etiam, Creatio, &c.*

Econtra Deo maximè dignum tali modo, carni indigenti & infimæ succurrere; imò id aliquid summum, L. 4. c. 5. n. 10. 11. Summè pariter dignum, tot virtutum frui voluptate, quæ per carnem exeruntur, nu. 13. Eoque fræno à vitiis, minùs alienam alioquin carnem cohibere, nu. 15. Ac salutis beatitatisque spem corporibus resarcire, quam superbi abstulerant Philosophi, nu. 16. Necnon eo magis modo, quàm toto mundo, divinam sapientiam toti ipsi mundo commonstrare, n. 17. Denique ruentes in corporalia homines, sui veri corporis sinu sagaciter excipere, nu. 18. L. 1. c. 6. n. 12. 13. c. 14. nu. 1. 2. Quin & Deos corporeos Deum corporatum proscribere, ac tùm demum corporeum credi desinere, L. X. c. 30. n. 10. 11. L. 12. c. 10. n. 4. 5.

Scilicet quò verior Christi caro, & corpus, eò magis ad veritatem intelligibilem legemque æternam spectabat, juxta Scripturas & Patres, L. 1. c. 11. *integro*, & *suprà*. Ac in primis sic nChristo *inhabitabat plenitudo divinitatis corporaliter*, nu. 2. hoc est, quantum licet, & suprà quàm licet, per naturam corporis se totam exprimens, *ibid.* ac nn. *seqq. latissimè.* Vide *etiam suprà*. Et quia Verbum videbatur & contrectabatur in carne, sicut anima in corpore, & corpus in parte sui aliqua, L. 3. c. 10. n. 8. Sic pariter utebatur corpore ut instrumento, n. 7. & his omnibus

nibus miris ac dignissimis modis sacra humanitas à Deo assumpta Deum seu Spiritum sanctum ore etiam spirabat corporeo, c.4. n.9. §. *rursus*, L.5. c.7. num.10. *& seqq. &c.* Sic carni Christi spiritalia nostra nituntur, L. 10. c. 29. num.8. c.30. num.8. *& seqq.* Imò caro ipsius jam quodammodo spiritus est, c.31. nu.11. *Vide etiam spiritus, &c.*

Nihilosecius veritas adhuc carnis Christi propugnatur, adversus Apollinaristas, L. 4. c.6. Refellitur vel referendo stolidum eorum commentum de carne Verbo consubstantiali, quo mutabilis divinitas efficitur, n. 1. Nequidem talis caro posset assumi, contra ipsum Apollinaris scopum, L. 3. c.23. n.1. 2. Quin & induceretur quaternitas, quam temere nobis objiciebat, L. 4. c.6. n. 2. Pater etiam consubstantialis esset carni, num. 3. Incarnatio ipsa, & Mariæ puerperium vanesceret, num. 5. 6. Apollinaris & Eutychetis cum Ario in hoc consanguinitas, n.7. Confutantur ex impassibilitate, quæ astruitur, Verbi, n.8.

Refellitur prima causatio aientium, quamvis impassibile Verbum pati potuisse ex omnipotentia, L.4. c.6. nu.9. 10. c.12. n.. *& seqq.* Item secunda aliorum causatio, nempe passum esse impassibiliter, quo nihil pugnantius, c.6. nu. 11. Tertia æquè insulsa, non passum, sed compassum esse, quasi non pateretur compatiendo, n. 12. Compassum quidem; at non alio sensu aliqui Catholici scripsere, quàm propter personæ unitatem, nu.13. Rectissimè autem, ut lex chartæ, sic Verbum carnis dilaniatione impatibiliter compati dicitur, n. 14. Adeò verò non patiebatur, ut impassibilitatem carni suæ patienti, ac tandem toti naturæ immortalitatem impartiretur, n.15. *& seqq.* c.12. n.5.6. At pro nostra non debuit pati, nisi nostræ cognata caro, & natura, *utrobique*. Et illa subjugatur quidem Verbo, non Verbum illi, ut liquet exemplo ignis & ferri, c.6. n.19. 20.

Veritas autem & aliqua necessitas passionum corporis Christi, carnisque ante resurrectionem corruptibilitas demonstratur contra Eutychianos, maximè Incorrupticolas, L. 4. c. 12. Dissidia Eutychianistarum circa carnis Christi passibilitatem, n. 1. Refelluntur adhuc qui tenent, ut supra, carnem ex se impassibilem, ex Verbi autem omnipotentia passioni obnoxiam, n.2. *& seqq.* Vel ex eo capite, quod si ab ortu fuisset impassibilis, & nos in baptismo similes essemus, nu.6. Item ex illa quæstione; quam carnem assumpserit Christus, stantis an lapsi Adami? n.7. Et quænam sigillatim ex triplici naturæ nostræ statu? n.9. Concluditurque qua necessitate, & qua voluntate & potestate passus sit & mortuus, n.10. 11. L. 10. c.3. n.2. *& seqq.*

Quo sensu tandem Patres aliquam carnis Christi impassibilitatem teneant? L.4. c.12. n.8. c.13. n. 18. c.16. n.5. 21. Sanguinem verò incorruptibilem Dionysius Alexand. c. 12. n.12. Ipsas demum carnis passiones à Christo removerit Hilarius Pict. cum aliis? c.13. n.9. *& seqq.* Imprimis quòd corpus de Spiritu sancto conceptum, & anima beata, Verboque imbutum dolere potuisse, instar nostri, non videatur, *ibid.* Cum etiam dolores & morbos omnes sanaret, n.10. L.10. c.31. n.10. Et in Martyribus sæpè ipsum doloris sensum oppresserit charitatis fervor, L.4. c.13. n.3. 11. Attamen doloris tantùm natura, seu absoluta necessitas, non ipsa passibilitas Christo aliisque abstergitur, n.13. 14. 15. Et quidem ab ipso Hilario contra Arianos, n. 16. 17. Inerat ergo carni Christi radix intima impassibilitatis, ipsa tamen caro nativæ permittebatur passibilitati, num.18. c.16. n.5. 21. L. 10. c. 31. num.2. *& seqq.* Denique non de veritate, sed de causa tantùm perturbationum in Christo, an pro se, vel pro nobis, lis est inter Catholicos, L. 4. c.13. n.20. *v. etiam Hilarius.*

Christi pulchritudo qualis?

De pulchritudine carnis Christi variæ sententiæ, ex eodem studio suffragandi Christo & Patribus, L.4. c.7. n.1. Elegantiam potiùs oris à Christo abstergere conati sunt Patres, *præsertim* n. 16. 17. Ex his aurea præfertur mediocritas, tam à turpitudine, quàm à lenociniis formæ aliena, in virtutum omnium temperamento, maximè ex Divinitate ipsius, L. 1. c.11. n.10. v. 13. L.4. c.7. n.2. *& seqq. præsertim* 12. 15. & L.12. c.9. n.9.

Rationes Patrum, quia alioquin temporalia omnia aspernari, quod spectabat ad Christi magisterium, non edocuisset, L.4. c.7. n. 3. 6. 16. 17. Nec incarnatio esse totius humanæ gloriæ abdicatio, n.4. Nec totum pulchritudinis nomen in Christo occupasset Deitas, n.5. 9. 10. 11. 19. Intererat autem maximè nostra, ne pulchritudo alia quàm pietatis, modestiæ, & justitiæ existimetur, n.6. 16. 17. Hinc Christus in cruce etiam tam pulcher quàm in cœlo, quia tam justus, nec deformis nisi cæcitati impiorum, n.7. §. *August.* & n.13. Tunc autem verè pulcher, cum absorpta mortalitate totus Deus, n.18. 19.

Hinc etiam longè faciliùs solvitur illud, *speciosus forma præ filiis hominum*, quia non corporis, sed justitiæ ac Divinitatis pulchritudine, ex consensu Patrum, & ex ipso Psalmo, n.8. 9. 10. Et aliunde istud aliud, *non erat ei species, neque decor*, quia non ad fœditatem oris hæc spectant, sed ad inanitionem Deitatis, nu. 11. Sicque conciliatur Isaias cum Davide, fœditatis lamentator cum pulchritudinis præcone, *ibid.* & num.15. Necnon intelligitur meliùs, quomodo deformis aut niger Christus, sive totius vitæ mortalis, sive imprimis passionis tempore, num.7. 11. *& seqq.* Maximè quia peccatis nostris onustus, num. 14.

Aliæ objectiones ex Hieronymo, & Origene, ejusque traditione dubia de variis Christi figuris, eliduntur, n.20. 21. 22. Quo sensu sydereum quid in vultu Christi radiaret? ex iisdem, n.23. 24. 25. Chrysostomus ipse sibi & aliis Patribus conciliatur de eodem, n.26. 27. De gratia locutionis Christi, testimonium ex Evangelio, nullum de pulchritudine, n.26. v.2.

Christi anima, & mens humana.

Ariani & Apollinaristæ, quàm diverso consilio, pari flagitio, sua Christum anima vel mente exuerent? *Præfat.* n. 10. §. *Ad Arium, & expressiùs* L.4. c.8. n.1. c.9. n.2. 3. c. 10. n.6. v. *Utramque hæres. suprà.*

Contra fides pugnat. Assumpta enim anima & mens, quia servata, L.4. c.8. n.1. Et omnes in una sibi cognata servatæ, quia salus ipsa & libertas Verbum est, n.3. Et quia omnes homines, & omnia hominum in eo sunt, dum vincit unus Christus, & unum omnium hostem, omnibus vincit, n.4. Ut primus vitiaret, ut secundus Adam emacularet, totam uterque naturam habuit; imò singula primo opposuit secundus, n.5. Nec victor primi diabolus à secundò pro nobis vinceretur, nisi per nostram animam & mentem, num. 6. Sic per unum in omnes, & per unius singula, primum lues, pòst sanctitas inexpugnabilis fluxit, num. 7. 8. 9. 18. Et quia totus perierat alienatione a Deo, totus salvari debuit copulatione cum Deo, nu. 10. Præterea esse debuit Christus tam totus homo, quam totus Deus, quia substantivè Mediator, Pontifex, victima, ac totius hominis Magister, & exemplar, ipsaque veritas, num. 20. 21. 22. 23. *vide sing. tit.*

Rursus quam perversum esset, omitti quod hominis, assumi quod pecudis, a Verbo, ut sequitur ex alterutro illorum hæreticorum placito, L.4. c.8. n.11. Cum etiam seu caro inanimis, seu anima amens suscepta fingatur, utraque sine fructu, quia meriti sicut peccati insolens, n.12. Imò ne humana quidem caro, sine anima & mente, n.13. Nec homo verus Christus, sine utraque, num.14. Adde quam præposterum, infimo nostro donari, summo nostro negari Verbi copulam, n.15. Maximè cum eo aptior Deo conseri mens, quo carne melior, n.16. Et solemne sit Deo corpori non benefacere nisi per animam, nu. 17. 18. Aliunde repudiare mentem Deus, nec ut minùs dignam, nec ut minùs indigam, nec ut alienam, nec ut insanabilem potuit, n.19.

Jam sacræ paginæ apertissimè Christo vindicant animam, & mentem, ejusque affectus tamquam naturæ insignia mutabilis, non Verbi, *adhuc* L. 4. c.8. n.24. c.9. nu.1. *& seqq.* Quam dispariter Deo similes affectus tribuantur, ipsaque membra, c.8. n.25.26. Et ea quidem metaphoricè in Deo, quasi in figuram & præludium verorum in Christo, *ibid.* At nequidem vera mors in Christo pro nobis, nec verus descensus ad inferos, sine anima, n.27. 28. & c.9. n.27. §. *spectat.*

Idem elimatiùs pertractatur, ostenditurque Verbum nonnisi media mente copulatum esse corpori, L.4. c.8. n.18. *& toto* c.9. In primis ex supradictis affectibus, n.1. Quippe ex Ario edoceri debuerat Apollinaris, non posse Verbum obire partes animæ, sine jactura suæ incommutabilitatis, in animas & corpora alioquin refundendæ, n. 2. *& seqq.* Necnon videre quam immaniter distet vita mentis nostræ à vita Veritatis ipsius seu Verbi, ut illius vicem hæc implere non possit, n.7. 17. Nec caro possit ea vita vivere, quam de Verbo haurit mens, n.8. 9. Et quod cum mens aliunde ex seipsa quædam fames & sitis sit Veritatis; ejus locum implere non possit Veritas, quæ ipsa sui saturitas est, num.10. 11. Imò Veritas seu Deus, non tam mens est, quàm mentis privatio, quia supra mentem, ex Dion. n.12. 17. Ex his strues argumentorum quibus efficitur carnem nonnisi mediante anima & mente assumptam esse, n.13. *& seqq.* Nec aliter fieri potuisse, saltem de potentia Dei ordinaria, nu.18. *& seqq.* L.2. c.12. n.4.

Solvitur prima objectio, simulque & illa unde pendet quæstio, an triduo mortis Verbum carni adhæserit? L. 4. c. 6.

c.9. n.27. Idque adversus ipsos Apollinaristas retorquetur à Patribus, *ibid.* Aliæ horum objectiones diluuntur, *toto* c.10. In primis ex illo, *Et Verbum caro factum est*, n. 1. 2. Reliquæ ex rationibus parum philosophicis, n.3. *& seqq.* Ad istam quod in uno quopiam *non possunt esse simul duæ mentes & duo perfecta*, quadruplex Patrum responsio, nu. 4. *& seqq.* Ad novam, nempè non assumptam esse animam seu mentem, ne simul & peccata, triplex etiam responsio, n.8. *& seqq.* Postrema, sola carne opus fuisse, ut Deus videri posset, refellitur, contra eosdem Apollinaristas & Manichæos, n.12. Opus enim erat, non ut tantùm videretur, sed ut fieret homo, *ibid.*

Christi voluntas & operatio duplex:
Ubi de operatione Theandrica, & Instrumento divino.

Adversus Monothelitas, de quibus suo loco, ex duplici Christi natura, duplex ejus voluntas & operatio infertur, L.5. c.1. n.1. 2. 8. 11. c.8. n.3. *& seqq.* Maximè quòd naturarum infinito quodam intervallo distantium non possit una & eadem esse operatio, c.1. n.3. 4. c. 6. n. 12. n.7. n. 1. Nec perfectus fuerit Christus, si non habeat peculiarem hominis & voluntatem & operationem, c.1. n. 5. 6. Imò similis esset bruto vel idolo, *ibidem* & n. 10. *Item*, c.2. num.5. *& seqq.* Et aliunde ex unitate operationis, sicut in Deitate personarum, ita in Christo naturarum colligeretur æqualitas, c.1. num.7. 8. c. 8. n. 5. At unitas personæ naturas quidem copulat, non operationes confundit vel perimit, c.1. nu. 9. Sequitur etiam operatio naturam, non personam, & in Deo Trino, & in Christo, c.2. num.1. Hinc solemne est Patribus, quæ essentialiter prædicantur, in Deo simpla esse, in Christo dupla, num. 2. Nec possunt ipso homine, à fortiori nec in Christo, diversæ proprietates in unam copulari, sicut naturæ in unam vel personam vel naturam, n.4.

Inprimis quàm injuriosum Christo auferri apicem naturæ humanæ, voluntatem, L. 5. c.2. num.5. *& seqq. usque in finem*, & c.3. nu.10. Cujus aliunde Verbum non potest obire munia, id est, esurire, sitire, &c. c. 2. n. 8. c.4. num. 5. Et in qua cum resideat præsertim imago Dei, non erat ab imagine primaria omittenda, c.2. n. 9. Imò operatio & voluntas ipsamet est natura, ut exiliens & promicans, num. 10. Est tamen in Christo una quædam hypostatica voluntas, sed naturali superstruenda, n.11. & c.5. n.4.

Id rursus demonstratur ex eo quod ad medelam & exemplum assumenda fuerit voluntas & operatio à Christo, L.5. c.3. *toto*. Quanto enim altiùs voluntati inhæserat peccati lues, tanto potiùs debuit sananda assumi, num. 1. & c.10. *integro*. Alioquin potuit tota natura non assumi, & sanari tamen, c.3. num.2. At toto Verbo, seu tota medicina, imbuendum est, quidquid sanandum est, num.3. Nec ad id Creator creatas dotes abjicit, sed divinas adjicit, num. 4. *& seqq.* Imprimis sanctitas ea præstruenda erat nobis, non ut voluntate truncaremur, sed ut eam Deo subjiceremus, c. 3. num. 7. 8. c.10. *fere toto*. Cùm etiam non divina tantùm, sed & humana voluntate, & operatione vincendus esset diabolus, c.3. n.9.

Utraque simul voluntas & operatio eruitur ex sacris litteris. L.5. c.4. & quidem ex ipsis Christi dictis, num. 1. factisque, nu. 2.3. Præsertim ex passionibus, n. 4. 5. Ex eo quòd non se agat natura voluntate, nisi propria, non aliena, num.6. Idemque juxta contrariorum legem, ex priscarum omnium hæreseon per Monothelitas reviviscentia, *toto* c.5.

Aliis argumentis duplex Christi voluntas & operatio evincitur, L.5. c.6. Inprimis quòd propria esse debeat aliqua operatio Verbi incarnati, eaque humana, num. 1. Alioquin & Verbi peculium & nostræ pretium nullum erit, nu.2. Nec ulla esset operatio, si cum Patre & Spiritu sancto communis, quod jam Sabellianum erit, n. 3. Eaque ante, vel post adunationem conquievisset, ac successisset *Theandrica*, num.4. & CC. 8. & 9. Et hæc ipsa, nec creata dici posset, nec increata, c. 6. num.5. Imò nec una sufficit ad rationem *Instrumenti divini* in humanitate servandam, ut falsò concludebant adversarij, n. 6. & id liquet exemplo ferri seu gladij candentis, cujus est operatio duplex, sectio & ustio, num. 7. & c. 7. nu.2.

Triplex autem in summa operationum genus in Christo extremæ solius Deitatis, aut solius humanitatis, ut creare, esurire, aut pati, L. 5. c.6. n.8. c.7. n.6. c.8. n.7. *& seqq.* & c.9. n.13. Et in ultimas jam cadit ratio *instrumenti*, c.6. n.9. Sed propriè in mixtas ex utrisque, ut tangendo sanare; ac utrobique duplex operatio, n. 10. Etsi una esset corporis & animæ in homine, quia una natura, n.11. Et quia non tam hæc duo distantia, nu. 12. *Plura*, c.9. n.13. & 15.

Fusiùs jam pertractatur, ut humanitas Christi Deitatis fuerit *instrumentum*, L.5. *toto*, c.7. Statimque duplex elucet operatio, ex eo quod, etsi suo quodam modo omnipotens sit humanitas, tamen ut ad patiendum, ita ad creandum non potest esse instrumentum Deitatis, n.1. & quidem ex Cyrillo, n.2. Hinc locus Cyrilli pro una operatione à Monothelitis objectus, faciliùs ac multipliciter solvitur, n.3. *& seqq.* Vel ex eo quod una quidem eruatur vivificatio ex duplici actu, n.4. Concluditurque per unam Verbi incarnatam, & naturam, & operationem, duas à Cyrillo demonstrari, sed unam hypostasim, n. 5. At ex tripartito supra operationum genere, tertij tantùm partem dimidiam eas continere operationes, quales omnes esse Monothelitæ sperabant, n.6.

Similiter propria voluntas humanitatis Christi, quam amoliebantur Monothelitæ, mirum quantum necessaria sit, ut esset Verbi *instrumentum*, scilicet non servile & precarium, sed regium & planè imperatorium, jussu, voce, manu, tactu, ipsis vestium fimbriis, & in loca dissita, per ipsum afflatum corporeum Spiritus-sancti; ac proindè longè alitèr, quàm alij sancti; imò ad omnem propè modum causarum principum, L.5. c.17. n.7. *& seqq. usque ades.* c.10. n.8. *& seqq.*

Theandrica operatio, non una, sed duplex demonstratur ex professo, L.5. c.8. *integro*. Ut Dionysij primi ejus Authoris nomine abuterentur Monothelitæ? n.1. Unam tamen absolutè maluit operationem Sergius, *Deo-decibilem* Colluthus emunctioris naris hæreticus, *Dei-virili* ab utroque omissa, num. 1. 2. Et sanè tam geminas operationes, quàm naturas designat, num. 2. 3. Alioquin nec simplex, nec composita, nec naturalis, nec personalis esset operatio, n. 4. Et committeretur Theologiæ œconomia, contra utriusque scopum, nu.5. Ipsumque textum Dionysij, n.6.

Deinceps inquiritur quàm latè pateat *operatio Theandrica*, L. 5. c.8. n.7. *& seqq.* Ad mixtas quidem tantùm, ex Maximo & Sophronio, nu. 8. Ad omnes tamen, sed minùs propriè, ex ipso Dionysio extenditur, num. 9. 10. 11. Maximè ob immeationem Dei in hominem, ex eodem Maximo, num.12. Et quia non debet arctari ad miracula exteriora, nu. 13. Item quia erat humanitas Deitatis *instrumentum* in omnibus prorsus operationibus, nu. 14. Quod in passionibus, ipsaque morte, ac similibus humillimis, ostenditur, n.15.

Adhuc difficiliùs, in his quæ merè divina dici ac videri solent, *Theandrica operatio* commonstratur, L.5. c. 9. n. 1. At ubi communio indulta est personæ ac substantiæ, quæ ipsa Dei operatio, ac summa actualitas est, operationis simul participatio facta est, n.2. Imò operationum mutua refusio, n.3. *& seqq.* Maximè cum secundùm utramque substantiam Filius sit omnipotentis Patris Christus, n. 5. Et humano ore afflet Spiritum sanctum, n. 6. Eaque firmantur ex Patribus, n.4.7. *& seqq.*

Tandem *instrumenti* nomen homini Christo adsignatum, ab infamia per varias hæreses inusta vendicatur, L. 5. c. 9. n.14. 17. Addè quod per voluntatem præcipuè & operationem humanitas sit instrumentum Verbi, c. 10. n.8. *& seqq.* Nec non & Spiritus sancti, ipsiusque Patris per Verbum, c.11. *Præsertim*, n.6.7. 8. Ac ita etiam impeccantiæ Christi tutiùs providetur, quàm per ipsos Monothelitas, *ibid.* & n. 9. v. *in prop. tit. & Christi Idiomatum seu proprietatum communicatio.*

Christi libertas, meritum, obedientia.

Adversus eosdem Monothelitas, necnon & Pelagianos, non adversus Orthodoxos Theologos, præjactis germanæ libertatis fundamentis, extra peccandi ancipitem aleam, L.5. c.12. *Præsertim*, n.2. 10. & CC. 13. & 14. *Præsertim*, n.1. §. *Cum autem*. Statuitur *Christi libertas* non in qualibet *indifferentia*, non in ea saltem quæ *obedientiæ* adversetur *toto reliquo* c.14. Summatim & prolixè satis de diversa Dei, Christi, Beatorum, ac mortalium libertate, rationeque *meriti*, per substantiam aut circunstantias actionum, juxta variorum placita, *toto* n.1. *& integris* CC. 21.22.23. Sola agnoscitur in Christo indifferentia ad actiones, actionumve circunstantias, in seipsis spectatas. §. *nostra*, & c.15. n.9. §. *porrò*, c.16. n.5. c. 17. n.2. c.21. n.7.

Verùm Scripturæ imprimis eam ablegant à Christo *indifferentiam*, quæ perpetuæ ac constantissimæ *obedientiæ* contraria sit. L. 5. c. 14. numer. 1. §. *nostra*, & nu.2. Eam ablegat & exemplum obedientiæ jugis & indefectibilis sanciendum, n.3. Ubique etiam valet illud Christi, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, nu. 14. Quin & ad Verbi ipsam generationem, proprietatemque refertur, quod Pater per illud, etiam carne vestitum, ope-

retur omnia, n. 5. 6. 9. & C. 15. n. 4. 6. Nec debet solutior libertas humanitatis fingi, quam Verbi seu Filij, paternis mandatis addicti, sed longè subjectior, C. 14. n. 7. 8. Et hæc sibi visa solutior, utinam & nobis, n. 10. 11. & C. 15. n. 4. *& seq. præsertim* 13. 14. Imo mandatum istud paternum, nihil aliud est quàm Verbum ipsum à seipso non devium, n. 12. & C. 17. n. 2. 6. 8. C. 20. n. 2. *& seq.* ac *integris fere* CC. 24. 25. *Præsertim*, n. 13.

Hinc non poterat Christus non eas *circunstantias* exigere, quæ divinæ legi erant accommodatiores, L. 5. C. 14. n. 12. 13. Si autem indifferentes objiciantur, ecquid meriti ex earum delectu? n. 14. Inprimis Charitas Christi in Deum merito non vacabat, quæ ab indifferentia procul erat, n. 15. *Item* C. 21. n. 5. ex S. Thoma, & n. 13. conglobatim ex aliis. Præcipuorum salutem operum substantia imperata erat à Patre, nec tamen meriti expers, C. 14. n. 16. Fons meritorum potissimus in ipsa Christi morte, non in circunstantiis, n. 17. Ex paterno autem prius imperio & necessitate Christum adiisse mortem, & quomodo? n. 18. 20. c. 15. n. 5. Quin & circunstantias omnes operum Christi, utpotè maximi momenti, præfinire divina voluntas occupavit, c. 14. nu. 19. Denique & Creatori & creaturæ contumeliosum est, si nostræ ac Christi libertatis & meriti seges exarescat per divinæ legis imperium, n. 21.

At cum potestas peccandi, sin minus *libertati*, certè *merendi* potestati conjuncta sit, quomodo meretur Christus? L. 5. c. 16. n. 1. *& seqq.* E duplici ratione merendi, splendidior quæ naturæ convenit immutabili, Christo etiam convenientior est, n. 2. *& seqq. præsertim*, 5. Non sibi tantùm, sed nobis maximè merebatur Christus, ideò decuit, ut mereretur velut sanctitas ab omnibus participanda, n. 3. 6. *& seqq.* Ex hypostasi & dignitate Verbi immensa meriti vis & laus conciliatur operibus Christi omnibus, n. 12. 14. Imo sepositis operationibus, ipsa Verbi in natura nostra hypostasis promerebatur, n. 13. Et hæc substantiva merendi ratio dignior est Christo, n. 15. *& seqq.* Ejusque filiatione, c. 17. n. 5. *& seqq.* Idque contra Arium, & Nestorium, c. 20. n. 1.

Quænam sibi & aliis *meruerit* Christus, & *quomodo*? L. 5. c. 17. n. 1. *& seqq.* Quæ passione seu cruce & carne meruit Christus, Verbi per carnem patientis dignitate meruit, c. 16. n. 8. c. 17. *toto*. Omnia verò nostra assumere debuit, quia ipsa assumptio substantiva est sanctificatio & radix meriti, c. 18. n. 1. *& seqq.* Hinc non Angelis, sed solis hominibus merita sua contulit, n. 16. Loca autem omnia sua præsentia sanctificavit, n. 17. Item resurrectione & ascensione sua, & nostram omnium promeruit, c. 19. n. 1. *& seqq.* Mediator est, non gestis tantùm, sed sua inprimis substantia, qua Deus & homo est, n. 7. *& seqq.* Ac demum interpellat pro nobis etiamnum apparens vultui Dei pro nobis n. 11. 12.

Ratio altera expenditur, quod cùm posset non incarnari, non mori, & incarnatus & mortuus sit Christus. Hinc *meritum*, seu mavis dignitas, cui Pater omnia tribuat, L. 5. c. 20. n. 2. *& seqq.* Comparatio hujus meriti cum superiori, n. 10. Ad posterius autem indifferentia, quæ Verbi magis quàm carnis est, exponitur secundùm Patres Græcos, c. 24. *integro*; secundùm Latinos, *toto pariter* c. 25.

Meriti alia ratio ex humana tandem voluntate & *libertate* Christi vestigatur, L. 5. C. 20. n. 11. Item *obedientiæ* duplex consideratio in Christo, ut discordes de ea in speciem Patres concilientur, n. 2. 12. *& antea*, c. 15. n. 12. 13. *& seqq. Item* L. 8. c. 18. n. 6. *& seqq.* Duplex etiam ratio meriti in humana Christi libertate, licèt impeccabili, L. 5. c. 20. nu. 13. Et de hoc adhuc consentiunt Ecclesiæ & scholæ primates, n. 14. *& seqq. ac toto* c. 21.

Jam quia non homo tantùm Christus, sed Deus humanatus, non alia quàm *impeccabili libertate mereri* potuit, & quia impeccabili, tantò copiosiùs meruit, C. 22. n. 1. 9. *& seqq.* Ipsam γνώμην, seu consultatricem & deliberativam vim à libertate Christi eliminat Maximus Martyr, c. 22. n. 9. Summatim ex quatuor indifferentiæ generibus, quid Christo conveniat? c. 24. n. 1. Aliquam ex utraque natura in una persona indifferentiam venatur Anselmus, c. 25. n. 1. *& seqq.* Postremò libertatis aliud genus a Verbo in humanitatem redundans, quia in personam cadens, L. 9. c. 10. n. 8. v. *etiam libertas, Christi impeccantia, &c.*

Christi passiones, seu affectus.

Quàm perperam Appollinaristæ, ac deinceps Monothelitæ timerent, ne simul cum anima aut voluntate, passiones & ipsa peccata assumeret Christus, L. 4. c. 10. n. 8. *& seqq.* At apertissimè sacræ paginæ Christo vendicant animæ affectus seu passiones, c. 8. n. 24. *& seqq.* c. 9. n. 1. c. 11. n. 1. Alioquin vacillaret & ipsa fides assumptæ naturæ, c. 11. nu. 2. 3. 4. Nec sanasset hos affectus, si non assumpsisset, L. 2. c. 10. n. 12. L. 4. c. 11. n. 5. L. 5. c. 3. n. 2. *& seqq.* & c. 10. *ferè toto*. Ideo vel minutissimas passiones assumpsit, ut quocumque irrepserat peccatum, insinuaretur & medicina, L. 3. c. 18. n. 5. L. 4. c. 10. n. 9. 10. 11. Tantum abest, ut simul cum passionibus assumerentur & peccata, *ibid.* Præterea hos affectus induit, ut nobis esset exemplo, solatio, auxilio, c. 11. n. 10. *& seqq.* L. 5. C. 3. *ferè toto*. Et imprimis ut per ipsam formidinem v. g. sua nos vestiret fortitudine, ac tandem impassibilitate, *ibid.* & L. 2. c. 10. n. 12. L. 5. c. 8. nu. 15.

Primum verò ac maximum discrimen passionum Christi à nostris, quod nulla earum tempestas ejus mentem à tranquillissima Deitatis contemplatione deposuerit, L. 4. c. 11. n. 10. Secundum discrimen, quod inculpatos tantùm affectus induerit, quales condidit, n. 11. Ipsamque admirationem sine ignorantiæ suspicione, n. 12. Tertium, quod passionum regeret initia, crementa, & finem, n. 13. Et quidem triplici jure, innocentiæ, beatitatis, deitatis, n. 14. L. 5. c. 8. n. 15. Quartum superioris consectarium, quòd passionum tantùm exordia seu propassiones essent in Christo, ad rationis nutum, L. 4. c. 11. n. 15. 16. Quintum denique, quod per rationem Verbo Deo ebriam; ipsumque Verbum agerentur ad æterna & intelligibilia, seu non ex temporalibus causis, n. 17.

Multiplex concordia Patrum de iis dissidentium specie tenùs, *rursus* L. 4. c. 11. n. 18. Consentiunt omnes nullum Christo fœliciùs passiones moderari docuisse, nu. 19. *& seqq.* L. 1. c. 14. n. 4. 5. At eas à Christo prorsus removere visus est Hilarius Pict. L. 4. 13. Imprimis quod Apostolis mortis timorem exemerit, n. 2. Et nonnullis deinceps Martyribus vel ipsum doloris afflatum, n. 3. Item quod conscius suæ esset ad non moriendum potestatis, n. 4. Necnon & ad terrendum alios, vincendum, triumphandum, &c. nu. 5. 6. 7. Quam magnificè scripturas contrarias interpretetur Hilarius, n. 8. Quàm benignè ipse interpretandus cum aliis, nn. *seqq.* v. *Hilarius, &c.* Tandem ut passiones Christi fuerint Theandricæ, L. 5. c. 8. n. 14. 15. c. 9. n. 4.

Christi proprietatum communicatio.

Idiomatum seu proprietatum in Christo communicationem propriè non patiebatur Nestorius, L. 3. c. 9. n. 1. L. 4. c. 14. n. 2. Ea autem statuitur multis ex capitibus, præsertim ex sanctis Partibus, n. 3. Et per eos ex sacris litteris, n. 5. Necnon & ex rationibus, n. 6. Fundamentum illius primarium ipsa est naturarum immeatio, L. 3. c. 4. n. 10. L. 4. c. 14. n. 1. 11. CC. 15. & 16. *integris*. Itaut à superiore oriatur, nec superior confundatur ab inferiore, L. 3. c. 4. n. 10. §. *iterum*. c. 8. n. 6. paulò aliter c. 19. n. 19. L. 4. c. 15. n. c. 20. n. 2.

Ea autem non sic exprimenda est, ut Deus homo alia, quà Deus, alia qua homo concipiatur excipere, metu duplicis hypostaseos Nestorianæ, L. 3. c. 10. n. 1., *& seqq.* Nec logica tantùm prædicatione, sed jure physico constat, L. 5. c. 14. n. 4. 5. c. 15. n. 8. *& seqq.* c. 16. n. 4. Concretis quidem utplurimum sed non semper usi sunt Sancti Patres, imprimis August. c. 14. n. 5. 8. Præsertim quia Christus totus Deus & totus homo est, & totus utrumque, & in alterutro utrumque, n. 7. Et quia quæ carnis sunt, Verbi jam propria sunt, & carnis nomine Christus ipsumque Verbum intelligitur, n. 9. 10. Cur non inter animam & corpus eadem sit proprietatum reciprocatio? variæ responsiones, n. 8.

Superiorum rationum censura, ut non sit utriusque naturæ proprietatum æqualis in Christo reciprocatio. L. 4. c. 15. n. 1. *& seqq.* c. 16. n. 1. *& seqq.* Quinam hanc nimio plus extendant, & quousque? c. 15. n. 2. 8. c. 16. n. 3. *& seqq.* Hæc regula præcipua fingi potest, ut sola natura divina sit capax, & nostra capabilis tantùm. c. 15. n. 10. c. 16. n. 3. 8. 9. 12. 13. Itaut tamen earum tantùm effectum formalem patiatur, quarum creatura patiens est, L. 3. c. 4. n. 8. 9. c. 19. n. 29. L. 4. c. 15. n. 2. *& seqq.* c. 16. n. 3. *& seqq.* L. 7. c. 1. n. 8. Quatenus ipsæ incommutabiles deitatis proprietates humanitati Christi communicentur? L. 4. c. 16. n. 7. *& seqq.* Et quidem ut Verbi propriæ, n. 20. Huc refer operationes & passiones *Theandricas ex dictis suprà, præsertim ex* L. 5. c. 9. n. 6. *& seqq.*

At humanorum defectuum nullatenus patiens est Creator, etsi fiat particeps in Christo, L. 3. c. 4. n. 10. L. 4. c. 6. n. 13. 14. 19. 20. Quatenus ergo communio ipsa Christi nobiscum, se extendat ad nostros usque affectus & defectus? L. 2. c. 10. n. 12. L. 4. c. 11. n. 6. *& seqq.* Imò usque ad ipsa vitia? L. 2. c. 11. n. 8. ipsamque ignorantiam? L. 7. c. 4. n. 1. c. 5. n. 3. 9. *& seqq.* c. 6. n. 20. Aliunde quomodo dotes suas pleniùs nobis communicet? L. 1. c. 19. n. 3. 10. L. 2. c. 10. n. 8. 12. L. 3. c. 4. n. 9. L. 4. c. 11. n. 6. *& seqq.* Longè autem altiùs & priùs humanitati propriæ, *ut supra*; & quidem ante ipsam resurrectionem, c. 16. n. 5. 21.

De Chriſto propoſitiones enuntiandæ.

Præter voces & propoſitiones integras mox & ſuprà ac infrà identidem inſertas, plures ſimul conglobantur, L.3. C. 24. Et ex his aliquot a Patribus uſurpatæ, quibus hæretici abutebantur, & quæ interdum Catholicis inopinis excidunt, n.1. *& ſeqq.* Regulæ ex his conſectariæ, n. 20. *& ſeqq. uſque in finem.*

Inter illas propoſitiones quod *una ſit Verbi natura incarnata*, & *unus de Trinitate paſſus*, n.16. *jam ſuprà in unione hypoſtatica Chriſti*, *ex* CC.13. *&* 14. *ac rurſus ex* L.11. C.2. n. 18. Item *Templum Dei* an benè vel malè de Chriſto dicatur? *eodem* C.17. jam antea C.2. n.6. 7.

Similiter an *homo deificatus* rectè dicatur, dubium? C. 24. n.14. *jam ſuprà ex* C.12. n.15. C.14. n.7. L.8. C.14. n.3.5. *& ſeqq.* Benè autem *caro deificata*, ex Athan. C.11. C.2. n.20.

Univerſim propoſitiones omnes de *Verbo in carne & per carnem* tanquam ſcripturæ & rationi magis conſentaneæ præferuntur, L.3. c. 10. *fere toto*. C. 13. n. 2. 3. Magis etiam propriè dicitur à Patribus Verbum adunatum *carni animatæ per animam rationalem* quaſi in obliquo, quam *carni & animæ rationali*, vel *animæ habenti carnem*, & cur? L.13. C.12. n.5.

Item Deitas ſemper *in recto* ut caput; humanitas autem ut membrum & *in obliquo* locanda eſt, L.3. C.10. n. *præſertim*, n.3.6.9. Et hinc, an naturas ipſa cogitatione liceat disjungere? C.24. n.19. Hincque, an *ex* vel *in duabus naturis* Chriſtus dicendus ſit? L.4. C.1. n.1.

Rurſus ſolemne eſt ſanctis Patribus quæ *eſſentialiter* prædicantur *in Deo ſimpla* eſſe, *in Chriſto dupla*, L.5. C.2. n.2. Et virtutes abſtractas & univerſales prædicari de Chriſto homine, quia increatas & per modum formæ ſubſtantialis ſimpliciſſimæ, L.6. c.4. n.9. §. *Tria*.

Præterea non tam dici debet *Verbum divinum uti corpore ut inſtrumento*, quàm *uti proprio ſuo corpore ut inſtrumento*, ex Cyrillo contra Neſtorium, L.3. c.10. n.7. Nec humanitas eſt Deitatis organum ſeu inſtrumentum, ſed quaſi inſtrumentum juxta poſitum & conjunctum, ut membrum, *ibid.* & c.12. n.14. L.4. c.14. n.10. Paulò aliter c.15. n.1. 2. L. 5. c.9. n.17. L.6. c.6. n.11. *& ſeqq.*

Chriſtus qua homo quomodo ſimul dicatur *Filius Dei gratia & natura*, L.8. C.13. n.14. *& ſeqq.* At non ſecundùm humanitatem, ex Agobardo, §. *conſentit*. Et tamen quandoque dicitur ejus humanitas adoptata, n.6. Caſtigatiùs eadem dicitur ad Verbi hpoyſtaſim & ad reſurrectionem prædeſtinata, C.14. *præſertim* n.7.8.

Ex præjactis principiis una adoratione dicitur Verbum ante & poſt carnem, potiuſquam caro ſeu humanitas coadorari, ex Cyrillo, L.11. C.2. n.12. C.3. n. 10. 11. Etſi hoc poſterius dixerint inuocuè Epiph. & Damaſc. *ibid.* Ita nec adoratur Verbum cum homine, nec coadoratur Filius Dei filio hominis, ne mendacio unius adorationis perſona duplex prætexatur, n.11. Ratio horum eſt, quia ubi voces uſurpantur, quæ perſonæ umbram præferunt, tunc abſtinendum eſt præpoſitionibus *cum*, *eo*, & id genus aliis, *ibid.*

Chriſti filiatio naturalis, noſtra pluſquam adoptiva.

Extremus Neſtorij partus, Fœlix & Elipandus Hiſpani Epiſcopi, Chriſtum hominem *Filium Dei non proprium & naturalem*, ſed *adoptivum* & ſervum prædicabant, *præfat.* n.10. §. *Ut*. Inde exurgebat duplex in Chriſto filius & perſona, contra Neſtorium jam olim proſcripta, L.8. C. 4. n.6. Novaque Deiparæ parabantur prælia, n. 10. At ipſi Patres Hiſpani, ante hos degeneres & devios novatores, adoptionem a Chriſto repulerant, C.3. n.13. Contra ipſos plura coacervat & propugnat teſtimonia Adrianus Pontifex, C.1. n.7. Tandem ac ſtatim in Concilio Francoford. oppreſſa eſt eorundem novitas, nec ulterius ſerpſit, quouſque à Novatoribus pauculis nuper, cum aliis jamdiu ſopitis hæreſibus, renovata eſt, *præfat. cit. uſque in finem.*

Nunc demonſtratur *propria & naturalis Chriſti hominis filiatio*, primùm ex ſacris litteris, ſanctorum Patrum interpretatione, elucidatis, L.8. C.1. n.1. *& ſeqq.* Et quidem quia & filius abſolutè dicitur, & omnia Patris illi data ſunt, n.2.6. Item quod *ſuam* Chriſtus ac *noſtram filiationem* diligentiſſimè ſecernat, n.3. Quod Pater è cœlo intonet, & filium & ſuum & dilectum, n.4. Quod *noſtra adoptio*, imitatio & delibatio quædam ſit filiationis Chriſti propriæ, n.5. Quod in flagrantiſſima Judæorum invidia perſtet Chriſtus Patrem ſibi homini Deum vendicare, n.6. Nec alium aut aliter Patrem ſuum, qua Verbi & qua hominis, unquam inſinuet, ex Adriano Pontifice urgente cavillatores Fœlicem & Elipandum, n.7. & C.5. n.12. 13.

Rurſus quod claritatem Filius à Patre repetat, quaſi Patri repenſurus, L.8. C.1. n.8. In eo maximè quod manifeſtaverit Patris nomen, qui ut Deus tantùm hactenus claruerat, n.9. Quod tandem ſi non verba, ſed facta penſitentur, Chriſtus filij proprij nobilitatem & authoritatem ubique præ ſe ferat, n.11.

Idem liquet ex apparatu incarnationis ſeu conceptionis Chriſti, n.12. Et ex præſtantia Chriſti ſupra Angelos, ratione ipſius filiationis, n.13. Poſtremò ex ſilentio adoptionis in Scripturis, dum cruces & contumelias non tacent, n.4. C.4. n.2.

Eadem filiatio naturalis Chriſto homini adſeritur, adoptiva propulſatur validis argumentis, L.8. C.2. Validioribus, C.3. Validiſſimis, C. 4. 1°. Quia incarnatione non deficit Deus in hominem, ſed homo in Deum proficit, C.2. n.1. *& ſeqq.* 2°. Quia per eam cupit Verbum fieri filius, ſed hominis; jam Dei erat perfectiſſimè. n.5. 30. 3°. Quia & per eandem participat Deus humana, nec fit *adoptivus*: ſicut communicat divina, nec *proprios filios nos* efficit, n.6. 4°. Quia ne noſtra quidem *adoptiva filiatio* eſſet, ſi non eſſet *Chriſti propria*, n. 7. *& ſeqq.* 5°. Quia Deus non ut homo adoptat, quòd careat liberis, ſed ad proprij Unigeniti conſortium, n.14. 6°. Quia Chriſtus ut juſtificans, ipſaque juſtitia filius eſt, non ut juſtificatione adoptatus, n.15.

7°. Et quidem validiùs quia naſcendo filius eſt, non renaſcendo, merendo, operando, ut nos, L.8. C.3. n.1. *& ſeqq.* Imò & ipſi Angeli & Adamus informes priùs natura & origine, quam gratia formati, & hinc non propriè filij, n.4. *& ſeqq.* 8°. Quia Chriſtus nec ſecundùm carnem unquam extraneus, nec adoptatur niſi perſona. n.8. 9°. Quia impeccabilis juſtitia alienari à Deo non poteſt, nu. 10. Imò quia Chriſtus ut homo perſona, & aliquo ſenſu natura juſtitiæ & veritatis, n.11.

10°. Validiſſimè, quia humanitas mera acceſſio eſt Verbi, Verbum autem in carne & cum carne, idem eſt qui ante ſæcula Filius Dei proprius, C.4. n.1. *& ſeqq.* 11°. Quia filiatio perſonæ nomen eſt, ſimulque cum humana conſumitur & adoptio, n.6. 12. Quia Chriſtus homo Deus eſt, & ſicut propter carnem Deus eſt proprius Mariæ filius, ita homo propter Verbi perſonam eſt proprius Dei filius, n.10. 11. Alioquin quanta perturbatio divinarum proprietatum, ſi à Trinitate Chriſtus adoptetur? n.12.13. Quia Chriſtus veritas totus eſt, adoptio autem mendacium quoddam, niſi vera Chriſti filiatio mendacium illud abſtergat, n.13. C. 6. n.3. Attamen aliquo ſenſu à Patribus quandoque adoptata dicitur humanitas, C.13. n.6.

Deinceps, quo jure naturalis Chriſto etiam homini competit filietas, veſtiganti, occurrit generatio æterna, ex Scripturis, Patribus, & rationibus, L.8. C.5. n.1. Imprimis ex illis verbis, *Ego hodie genui te*, n.2. *& ſeqq.* 2°. *Ex utero ante luciferum genui te*, n.6. 3°. Ex eo quod eiam qua homo *primogenitus* vocetur, n.7. 4°. Ex verbis Angeli ad Mariam, n.8. 5°. Ex genealogia Chriſti apud Lucam ad Deum uſque parentem retrò revoluta, n.9. 6°. Ex aliis Chriſti verbis, *Quem Pater ſanctificavit, &c.* n. 10. 7°. Alioquin ſuus & proprius Patris Filius non eſt, niſi quem genuit, n.11. 8°. Rurſus ex eo quòd ſuam Dei, & ſuam hominis filiationem nunquam diſcriminet, n. 12.13. C. 1. n. 7.

Prima nunc ratio eſt, quia Chriſtus homo ſolus Dei Patris filius eſt, ergo generatione, L.8. C.6. n.1. *& ſeqq.* C.13. n.1. 2. 2ª, Quia eſt Filius Dei natura, C.6. n.2. Et tamen ſimul gratia, C.13. n.4. *& ſeqq.* 3ª, Quia adoptio imitatur generationem, & noſtra adoptio Chriſti nominis filiationem, C.6. n.3. 4ª, Quia filiationem niſi natura habeat, non poteſt nobis communicare, n 4. 5ª. Quia filiationis propriæ donandæ & effundendæ jus non eſt, niſi penes patrem, hoc eſt, genitorem, n.5. C.13. n.1. 2. 6ª. Quia Chriſtus & qua Deus & qua homo unus eſt Filius, non duplex, c.6. n.6. c. 13. n.7. 7ª. Quia nec unus è multis, ſed unus ſingulariter Filius, c. 6. n.7. 8ª. Quia humanatione ſua Filius, nec novum, nec eundem modo novo Patrem ſibi quæſivit, c. 6. n.8. c. 13. n.1. *& ſeqq.* 9ª. Quia ut Maria Chriſti Dei, ita Pater Deus Chriſti hominis parens eſt generatione, & quidem phyſica & ſubſtantiali, c. 7. *toto*, ubi illius ineffabilis ampliationis ſeu extenſionis virtutis & generationis æternæ, non tam verba nova, quàm ſenſus ex recentioribus & veteribus Patribus ponderantur à n.2. *uſque in finem*: *Item fuſiſſimè* C. 20. n. 8.

Expreſſiùs *naturalis & genitiva* Chriſti hominis *filiatio* ex *adoptione noſtra* demonſtratur, L.8. C. 8. Primo quod non aliter adoptemur, quàm quia Chriſto induimur & formamur, n.1. *& ſeqq. præſertim* 5.2. Quod Spiritus ſanctus, ut imago filij nobis incubet, n.6. 7. 3. Maximè cum per Euchariſtiam concorporei & conſanguinei efficimur Chriſti, ejus teſtamento, & hæreditate, tota ſubſtantia, immortali ſemine, ipſoque ſpiritu donati, quod aliis obſervationibus explicatioribus ſtabilitur, n.8. *& ſeqq. uſque in finem.*

Ex his autem liquet, ita nos adoptivos filios eſſe, ut aura ali-

aliqua afflemur naturalis filiationis, L.8.c.9.n.1.*& seqq.* Cum etiam Scripturæ & Patres ex Deo nos nasci dicant, n.5. Non tamen generatione vera, sed quæ plusculum aliquid sit adoptione mera, n.6. Item cum ex iisdem Pater nobis singulariter sit ipse, qui Verbi Pater, n.7. *& seqq.* Idque decem argumentis speciatim ostenditur, n. 13. & c.13. n. 10. Christus tamen quandoque nobis Pater esse innuitur ab iisdem, c.9. n, 14. 15. c.13. n. 10. 11. Sedatur ille conflictus, Christusque, ut frater primogenitus tantùm, paterno nos affectu fovet, proprioque semine, non sibi tamen, sed Patri generat, n. 16, Semperque respergit naturali filiatione, n.17, 18.

Defectu præsertim triplicis suprapositæ communionis cum Christo, nec Angelis, nec primis parentibus, nec Israelitis filiatio ulla à quibusdam Patribus conceditur: aut si ulla, nonnisi adoptiva quasi servis, maximè Judæis, modò etiam præcoces Christiani essent: ac tandem nativæ per Christum nostræ consortium Angelis, saltem post resurrectionem nostram, *toto* c.10. *ejusdem*, L.8.

Cumulus autem genitivæ filiationis Christo obtigit per resurrectionem propriam, *eodem* L.8. c. 11. 1°. Quia tunc Deitas pleniùs se infudit carni, n.1. 2°. Quia jam hinc Paulus non *novit Christum secundum carnem*, n.2. 3°. Et hinc *hominem* vocare, penè cunctatur, n.3. 4°. Quia & ad resurrectionem pertinet illud, *Ego hodie genui te*, n. 4. 5°. Quia resurrectio quædam est veluti absolutio & consummatio incarnationis, n.5. c.14. n.6. 6°. Id probatur à Naclanto multis aliis testimoniis & rationibus, n.6.7. Indidem comparatur baptismus cum resurrectione, quoad filiationis amplificationem, ex Hilario, n.7. Ultimò idipsum confirmatur novo testimoniorum ex Ss. Patribus spicilegio, n.8. Hinc rursus prædestinatio Christi, & ad Verbi hypostasim, & ad resurrectionem, pro eodem sumitur, c.14. *præsertim* n.8.

Ita & cumulatior nostra post resurrectionem filiatio, L. 8. c. 12. 1, ex sacris litteris Pauli & Joannis, n. 1. Secundò quia mente tantùm cœpimus renasci, n.2. 3°. Quia maxima ex parte sumus adhuc *filij carnis*, *filij seculi*, n.3. Quia vera filiatio & similitudo est impeccabilitas, n.4.5. Item *cum videbimus eum sicuti est*, impressa nobis ejus similitudine, specie Verbo, filiatione, n.5. 6. Quia nostra filiatio corpori & sedi Christi nos inserit, quod spe tantùm nunc præsumimus, n.6. postremò, quædam consanguinitas cum Christo ad omnes homines permeavit, n.7.

Christus homo, an Dei servus? Et qui Rex ac Dominus?

Quàm perplexa & anceps sit hæc quæstio? L.8. c.15.n.1 Qui ex Patribus Christo homini servitutem ascribant? *toto eodem* c.15. Ambrosius inprimis, n.2. *& seqq.* Ejus rationum summa, n.4. Alij tum Latini, tum Græci cum suis rationibus, nn. *seqq.* At solus Fœlix Urgelitanus eò tandem devenit, ut Christo ipsam illineret servitutem conditionalem, seu ex necessitate, qualis competit Dæmonibus.

Aliunde Christum nec qua hominem servum esse, quæ Patrum suffragia, quæ argumenta evincant? L. 8. c. 16. *& seqq. latissimè*. Primò ex novo Testamento, quòd nunquam se servum dixerit ipse, semper filium, etiam in servilibus plagis & in ipsa cruce, n. 1. 2. 8. Quidem ex ipso Ambr. Et tamen vel una servitutis confessio Judæorum sedasset odia, n.4. Pater ipse semper filium etiam, nunquam servum declarat, n. 3. c. 18. n.7. Et Apostoli & Ecclesia semper filium, nunquam servum, c.16. n.4. c.18. n. 8. Etsi unius Dei & domini fides constituenda erat per orbem, c.16. n.6. Deum quidem suum Christus dixit, non tamen ut Deum nostrum, n. 7. Formam etiam servi induit, nec tamen fuit servus, n.8.

2°. Etiam ex veteri Testamento à Patribus mitigato, L. 8. c.16.n.9 Scilicet quod servus quandoque olim dictus Christus, dum per servos seu per umbras, & legem servilem præmonstrabatur, nu.10. Vel illa servitus ad personam Christi non spectabat, sed ad opera & munia; quæ obiit non servus, n.11. c.18. n.19. c.20. n.6, 9. Quid si servitutem Synagogæ ita solabatur? c.16. n.22. Sed & Prophetæ qui servum, statim Regem celebrarunt, n.13.

3°. Ex præcellentia Christi ut filij, supra Moysem ut servum, L.18. c.17. n.1. Et quidem Moyses ut servus servitutis, Christus ut filius libertatis legem promulgavit, n. 2. Moyses aiebat, *Hæc dicit Dominus*; Christus, *Ego autem dico*, tanquam *potestatem habens*, &c. n. 5. Et Christus cum suam promit authoritatem, paternam præfert, non herilem, n.4. Rursus *lex per Moysem data*, *gratia per Christum facta*, n.5. Moyses & alij salutis nostræ *ministri*, Christus *author*, n. 6. Denique servi non est *domum* & familiam construere, regere, nu. 7. Pleraque ex Paulo.

4°. Ex præcellentia supra Adamum innocentem & alios justos Dei filios, magis quàm servos, L.8. c.17. n.8. 9.10. Ideò & de regia prosapia & de virgine nasci voluit, sed sine fastu, n.11. Et qui spiritum, libertatem, & filiationem largitur aliis, non est servus, n.12. Et si nos mavult filios quàm servos Pater, quid Christum? n.13. c. 2 n.8. Si nos etiam stilla spiritus cogit clamare, *Abba Pater*, quid *Christi plenitudo*? c. 17. n. 14. Adde nos ex adglutinatione ad Christum, eluere servitutem, n.15.

5°. Ex Liberatoris dote, ad quam & ipsa libertas, & filiationis Verbi forma necessaria. L. 8. c. 18. n. 1. *& seqq.* Alioquin nostra non constabit libertas, nec libertatis pretium, si Christo servitus illinatur, n.4. 5. 11. 12.

6°. Ex ipsa quidem omnium humillima Christi obedientia Patri exhibita, sed maximè liberali & filiali, *rursus* L. 8. c.18. n.6. *& seqq. præsertim* 14. Vide jam *in libertate Christi suprà*. Quàm ergo alienus à probrosa illa servitute conditionali, seu ex necessitate, n.9. 10. *& seqq.* Claritatem postulat, non ut servus, n. 4. Patrem adorat & orat, sine suspicione servitutis, n. 15. *& seqq.*

7°. Ex ipsa substantia Incarnationis, quia de obedientia matris & de Spiritu sancto conceptus Christus, servus esse non potuit, L.8. c.19. n. 1. Etsi ancilla sit Maria, sed Spiritus sanctus *Dominus* est, n.2. Adde quod qua homo Filius Dei Patris sit Christus, n. 3. Imò & hic homo nascatur Deus, n.4. Ita & substantivè *Dominus*, n.5. Hinc Hæreticis familiare, ut Christo Deitatem abrogare, ita servitutem impingere, n.6. At divina nobis nobilitas, non nostra Deo ignobilitas commodanda fuit, n. 7. Nec in sinu Deitatis efformata humanitas, cum servitute potuit coalescere, n.8.

8°. Ex resurrectione & gloria Christi, quasi Incarnationis coronide, totiusque divinitatis tessera, unde tamen & anterior dominatio agnoscatur, & omnis semper abigatur servitus, *adhuc* L. 8. c. 19. n.9. *& seqq.* Ad summum non substantia, sed operatione servitus Christi constabat, hac exhausta, sedet in gloriæ throno Dominus omnium, c.20. n.5.

9°. Ex unitate personæ in Christo fit, ut non possit idem sibi esse servus & dominus, sicut nec Pater & Filius, cùm hæc sint relationis nomina, L.8. c. 20. n. 1. Imò si nec adoptivus esse potest, moltò minùs servus, qui filius est, n.2. Ut corpus animæ, ita homo Deo in Christo, non servus, sed collega dominij est, imò idem dominus, nu. 4. *& seqq.*

10. Tandem ex unitate naturæ in Patre & Filio, ut sibi non potuit, ita nec Patri potuit esse servus Christus. L. *eodem* 8. c.20. n.7. Attamen quomodo Filius ut homo Patri subjiciatur & servus dicatur, etsi non sit, maximè quod authoritas solùm paterna per ampliationem generationis æternæ in humanitatem spontè subjectam magis ac magis inclarescat, n.8. Hinc filiatio dejectior, servitus aliquibus visa, in quibus conveniant? §. *Lactantius*. Sola servitutis operatio in Christo, jam per gloriam assumpta, n.9. Nec ipsa sacerdotij æternitas perpetuitas est servitij. §. *Et ne*. Sic conciliantur Orthodoxi, verbis potiùs quàm sensu, pro more discordes, n. 10. 11.

Adde quod Christus etiam ut homo, oravit quidem, sed ut Filius Patrem declaraturus, non ut servus dominum. L. 9. c.4. num. 12. Servilisque orandi modus, etiam a Christo mortali abigitur, solus admittitur liberalis. c. 6. n. 4. *& seqq.*

Christi Mysteria.

Contra hæreticos præsertim Phantasiastas, *Mysteriorum Christi veritas*. L.1. c.6. n.7. *& passim suprà, ubi de veritate carnis*. Ea nihilominus veritatis tantùm imaginem alio sensu adhuc præ se ferunt, c.10. n.2. c.13. n.1. *post medium*. Et illa quidem ad elevandum fastidium pro temporibus & locis mutanda fuerunt, c.7. n.6. Attamen ipsa Christi mysteria suo semper modo peracta sunt, c. 9. n.5. Ipsi autem rationi adeò sunt consentanea, c.15. *ferè toto*. ut ea non solùm credi, sed & propè intelligi valeant, c. 7. n.12. Quàm stultum non sit, saltem ea credere, imò quàm stultum sit, ea non credere, n 14. 15. c.11. n.13. n.1. *& seqq.* c.17. n.2. *&c.* Et licèt, qua parte eadem Christi mysteria, seu tota Christi vita, morum disciplinam promunt, in duris perferendis, ac temporalibus contemnendis, c. 13. n.2. *& seqq.* dura videantur, adhuc tamen innatæ rationi consona sunt & suavia, c. 14. n.4. 5. 6. Omnibus his Christi mysteriis, veri conformantur Christiani. L.2. c.10. n.4. c.11. n.4. 7. 12. §. *Non pigebit*, n.13. §. *idem*. L.4. c.4. n.3. *& seqq.* c.12. n.6. L.5. c.19. n.1. *& seqq.* L. 10. c.26. n.12. Et hoc aliisque modis, mysteriorum Christi quædam æternitas est in se, maximè verò per Eucharistiam, c.17. n.13. c. 26. n.12. 13. *& seqq.* c.28. nu. 3. *& seqq.* Nec mirum, cùm essent pleraque, antequam fierent, L.11. c.2. n.23.

Adventus ipse Christi semper spiritaliter peragitur, L.1. c. 9. n.5. Ejus deinceps actiones omnes, seu mysteria, ænigmata erant æternorum, c.7. n.13. c.10. n.3. Ipse autem Christus certus æternitatis suæ, ea aggredi & perficere

, vo-

voluit, magno amoris compendio, c.2. n.14. At si ab *ortu suo* immortalis seu impassibilis, ut contendebant præsertim Incorrupticolæ, jam tum pro illo & nobis omnia peracta essent mysteria, L.4. c.12. n.6. §. *Denique*, & *seqq.* L.2. c.5. & *seqq.*

Quàm impiè plerique ex Judaicis fontibus Hæretici, Jesum ex Josephi & Mariæ conjugio *procreatum* blasphemabant, *præfat.* n.8. Alij de Maria quidem & Spiritu sancto, sed non ante Mariam, nec propriè Deum Christum, *ibid.* Alij denique solùm per Mariam, quasi per canalem, *ibid.* At è quatuor modis *procreationis* hominum, quartus solus proprius Christo, ut priorum ruinas sarciret, L.2. c.3. n.12.13. v.7. Maximè autem, quia è Virgine, CC. 3. 4. Et ut de Virgine Patris Deitate, ita de Virgine Matris carne, c.4. n.7. Scilicet Patris nomen jam Deus Pater occupaverat, solum supererat Matris, n.8. Ut hæc virginalis Matris fœcunditas, æternam Patris contra ipsos Arianos astruat? n.11. Ipsamque æternam generationem ad temporalem extendat? *passim* L. 2. & *expressiùs* L. 8. c.2. n.5. c.5. & 7. c.13. n.2. 8. Hicque cur Patris quidem & Mariæ Filius sit Christus, non Spiritus sancti, *ibid.* & c.9. n.13. c.15. n. c. Et tamen ex Spiritu sancto Domino libertatem magis contrahit, quàm ex Matre ancilla servitutem, §. *iterum*, & c.19. n.2. Et ex apparatu ipso filietatem naturalem, c.1. n.12. Denique cur carnem animatam ex Maria in suo sinu magis sibi propriam efformet Verbum, quàm sit alia caro animæ caro, c.7. n.14. & L.7. c.15. n.9.

Nisi verò humanitas Christi ab *ipso conceptu* unita esset Verbo, hypostaticè non uniretur postea, L.3. CC. 11. 12. c. 15. n.6.7. 8. Nec nostræ mederetur origini seu conceptui, c.11. n.5. Hinc sola tota simul concepta & absoluta est, n. 6. Nec nisi ex prævio Deitatis semine Deitas ipsa concipi potuit, n.7.8. L.8. c.5. n.8. Christus ipse, qua Verbum, seu veritas, semen fuit incorruptionis, *ibid.* Scilicet Verbum suos mores retinens, per aures Mariæ illapsum, priùs fide conceptum est, quàm carne, L. 2. c.4. n. 2. 3. 4. Item & propriè de Spiritu sancto, seu de amore veritatis flagrantissimo, obedientia & gladio spiritali, quæ omnia oscitanter nimis legi solent, n.5. *seu* 6. Hinc ipsa Christi caro contraxit, & confert corporibus virginitatis aliarumque virtutum gustum, ac ipsam immortalitatem per Spiritum sanctum, *ibid.* & L.6. c. 18. n.3.4. Quantis aliunde corpus sic conceptum prærogativis insigniri debuerit? L.4. c.13. n.9. A fortiori anima non potuit non omni statim gratiæ copia ornari, L.3. c.10. n.2. & *seqq.* L.6. c.1. n.10. Ut in hoc templo statim ipsum sacerdotium consecutus, ac eo perfunctus fuerit Christus? L.10. c.8. n. 8. c.9. n.13. & *seqq.*

Ipsa Corporalis Christi *nativitas* spiritalem nostram præformat, L.2. c.4. n.6. Et quidem tantò expressiùs, quantò pressiùs æternam sequitur, imitatur & astruit, n.7.8. 9.10. 12. Aliunde tam magnum est esse parvum, ut nisi per Deum, qui ita magnus est, disci non posset, L.1. c. 16. n.6.7. Scilicet *Verbum incarnatum seu infans* parvis parvum se præbuit, ut grandescant, c.5. n.2. Nostræque per carnem voluit latescere infantiæ, n.8. c.7. n.13. c.10. *ferè toto*. Nec aliter conveniebat, L.2. c.7. n.1.5. c.8. n. 1.3.6.8.9. L.4. c.4. 1. 11. Maximè per Eucharistiam Incarnationis ipsius perpetuam renovationem, L.10. c.1. n.14. c.22. n.15. c.23. n.1. c.26. n.17. c.28. n.1. & *seqq.* Nam sicut parvuli eodem, quo grandes vescuntur cibo, sed per Matris seu nutricis carnem & lac trajecto ac ita incarnato, sic decuit supernam matrem sapientiam nobis lactescendo incarnari, L.1. c.18. n.1.2.3. *ac passim locis cit.* Et ita nos lacte infantiæ, ac fœno præsepij, ad intelligentiæ panem præparari, c.5. n.17. 19. L.10. c.26. n.17. Cur præsepe illud tam parvum, toto orbe deinceps celeberrimum? L.12. c.5. n.3. 5.9.

Victoriæ *Infantis Iesu* in Innocentibus etiam Martyribus, & Joanne Baptista, L.2. c.10. n.12. Quomodo aliunde infirmum Dei, in ipsa sui inanitione sit potentissimum, supra omnem creaturæ potentiam? L.3. c.23. n.3. Inter Christianos magna quidem pars carnalium adhuc, seu infirmorum est, carni Christi seu lacti infantiæ affixorum, L.4. c.4. n.1. 11. c.7. n.22. At illorum fides niti semper debet intelligentiæ perfectorum, maximè Christi, etiam à *prima infantia*, L.7. c.8. n.1. 18. & *seqq.* Idque contra Novatores Christo infanti nescientiam ascribentes, *toto hoc* & *aliis ante* & *retro* CC. v. *Christi scientia*.

Ejus autem *infantia* nostram, aliasque gradatim ætates perfectiores reddidit, L.1. c.19. n.12. & *seqq.* L.2. c.10. n. 4. Imò lactis, id est, carnis Christi fulcimento egent etiamnum hic adulti seu perfecti, c.18. n.6.7.8. Nec Christianæ pietatis infantia prætermittenda fuit, seu incunabula non fastidienda, modò per gradus ad perfectiora progressus fiat, L.10. c.30. n. 6. hoc est, nitendum quidem, ut à lacte perutili & necessario, sed lacte tamen, & infantiæ necessario, ad perfectiora feramur, sine lactis contemptu, L.11. c.11. n.17. Et hoc in primis perutili modo, nobis superest *infantia Christi*, inter alia ejus antè & retrò mysteria, c.2. n.23.

Quod in ipso Christi conceptu invisibiliter ad sanctificandum caput, in *baptismo* visibiliter, peractum est ad sanctificandum corpus seu Ecclesiam, L.6. c.2. n. 3. Quomodo ille baptismus figura nostri fuerit? c.8. n.11. De eodem Christi baptismo cum sua resurrectione collato quid Hilarius senserit? L.8. c.11. n.7. Patris in eo testimonia de Filio, pluraque alia de filiatione Christi naturali cum nostra adoptiva, media saltem ex parte per baptismum inchoata, per resurrectionem consummanda. *Vide supra in propr. tit.*

Immortalitatem Christus ipse in *Transfiguratione* præcerpsit, mortalitatem post resurrectionem resumpsit, utramque prout libuit, L.10. c.31. n.2. 3. Majori autem miraculo opus fuit ut esuriret, doleret, & moreretur Deificata caro, quàm ut transfiguraretur & resurgeret, L.4. c.13. n. 14. 15. 18. Non unam Christi transfigurationem, sed plures, pro cujusque merito, dubius tradit Origenes, c.7. n.21. 22.

Pleraque alia *Christi miracula* quàm carni nostræ honorifica, post summum sue unionis miraculum, L.4. c.5. n.2. C.13. num. 10. Hoc corporati Dei miraculo, magis quàm omnibus aliis ipsius etiam creationis, excitamur ad Dei cultum & imitationem, L.1. c.2. n.8. c.5. n.6. L.2. c.8. n.1. Nec aliò sua Christus retulit miracula, quàm ad sui ipsius salutarem nobis imitationem, L.1. c.13. n.3. §. *rursum*. Plus autem virium habuit *doctrina miraculum* quàm miracula ipsa, c.14. n.8. Nec mira fecit, nisi ut dura ferenda doceret, c.13. n.11. Ita verò & mira faciens, & dura patiens, omnes animos & amores hominum in corpora præcipites, in se unum recollegit, c.6. n.12. 13.14. c.13. n.1.2.3. L.10. c.10. n.6. & *seqq.*

Ita rursus *tota Christi vita*, in primis *passio* & *mors*, morum fuit disciplina, censura vitiorum, & virtutum exemplar, L.1. c.13. n.1.2. 3. Nemo ab his abhorret nisi vitiorum amator, virtutum hostis, n. 4. Quid enim sapientius, quam per crucis stultitiam, infatuatæ hominis sapientiæ illudere? c.1. n.9. L.2. c. 7. n.8. & *seqq.* *Nasci* etiam, *pati*, & *mori* nullo æternitatis & immortalitatis impendio, ingens potestatis & charitatis compendium est, imò & Deitatis argumentum, L.1. c.2. n.4. & *seqq.* *præsertim* 14. Eo maximè modo, ita charitatis fines ampliare, ut alienæ saluti propria impendatur, Dei unius erat incarnati, suo nempè exemplo legem confirmantis, n.15.

Nihil præterea justius, pulchrius, Deo jucundius, digniusque quam usque *ad mortem crucis* pro justitia pervenire, L.1. c.3. n.3.10. c.4. n.3.4. L.10. c.10. n.6. & *seqq.* Et sic delere *chirographum decreti*, *sublatum de medio*, & *affixum cruci*, ubi lis dirempta est, L.1. c.3. n.11. Sic etiam innocentis supplicium, versum est in reorum remedium, n.10. Et judicium Principis mundi peractum est, *ibidem*. Ipseque Diabolus cruci affixus nobiscum & cum Christo, sed diversimodè, L.10. c.10. n.1. 2. Aliunde enim corpus Christi, quasi justitia ipsa, confixum est cruci, non tam tortorum manu, quàm peccatorum vi; rursumque suffigitur, cum justitia vulneratur, ex Apost. L. 1. c.11. n.1. §. *Nihilosecius*. Hinc Christus in Cruce tam pulcher, quam in Cœlo, quia tam justus, nec deformis nisi cæcitati impiorum, L.4. c.6. nu.7. 11. & *seqq.* Quomodo justi antè & post passionem cum Christo confixi adimpleant ea quæ ipsi defuerunt? L. 10. c. 10. num. 10. 11.

Ita verò Incarnatio Verbi, totaque ejus dispensatio temporalis, non tam fuit hominis exaltatio ad vitam & gloriam, quàm Dei exinanitio ad *carnem*, *ad crucem*, *ipsamque mortem*; etsi caro, crux, mors ex illa nobilitentur, L.2. c.5. n.15. c.6. n.4. 8. Contra sentiendi quibusdam non alia fuit causa, quàm innata humanitatis admiratio, crucis mortisque horror, *ibid.* & c.7. n.8. Quàm aliter Deus ipse ac Ss. Patres sentiant, *ibid.* Imò sola Christi humilitas, seu humanitas, caro & crux, orbem subegit, subigitque in dies, c.9. n.2. L.9. c.2. n.2. L.12. c. 5. nu. 2. & *seqq.* Necnon cultus ipse crucis multiplex, loco horroris pristini, L.12. c. 5. n.2. & *seqq.* v. *infra in fine*.

A veritate semper confitenda, nec mortis nec crucis infamia potuit unquam Christus deterreri, L.4. c.1. n.4. Cur tamen mortem timere tam affectatissimè testatus est? c.11. n.4. & *seqq.* Timor Christi aliunde quàm terrificus statim hostibus, ac tota passione cruci & triumpho prælusorius, n.8. Hinc timorem mortis Martyribus abstulit, n.7. L.2. c.10. n.12. L.5. c.8. n.15. Mortemque ipsam contemnere solus ipse, ejusque una crux persuasit, L.1. c.13. *ferè integro*, c.14. n.1. 2. Præsertim cum beatæ immortalitatis facta fuerit per Christum janua, c.16. n. 12. L.9.

L.9. c. 1. n.8. Et econtra Verbum in natura nostra, non immortalitatem aut vitam quam attulit, sed mortalitatem solam, ipsamque mortem venari potuerit, quam sustulit, L.2. c.5. n.15. L.4. c. 6. n.6. 15. 16. L.10. c.8.n. 6. De impassibilitate Verbi, carnis verò passibilitate ac vera passione, v. *suprà in carne*, *& aliis tit.*

Patripassiani meritò suggillati, qui Patri quoque & carnem & passionem impingerent, Præfat. n.9. L.2. c.2. n.2.5.7. Quomodo *unus de Trinitate verè & propriè passus dicatur*, L.3. c.14. *ferè toto*. Libertas & indifferentia Verbi magis, quam carnis, propria ad induendam carnem & subeundam crucem, L.5. c.20. *ferè toto*, ac CC. 24. & 25. *integris*. At obediens usque ad mortem non fuit, nisi voluntas creata, c. 4. num. 3. Et sic ex paterno priùs imperio Christus adiit mortem, c.14. n.18. 20. c. 15. n. 5. *& seqq.* Paulò aliter, CC. *seqq. præsertim* 25. *ferè toto*. Non tamen ex necessitate abjic. e.dæ vitæ, sed necessitate servandæ justitiæ, c.15. n.7. v. *supra Christi libertas*, *&c.*

Passio quidem ab homine, deificatio passionis à Deo, L. 5. c. 6. nu. 9. c. 7. nu. 1. *& seqq.* Et ita tam *passio*, quàm *mors ipsa*, & similes actiones humillimæ, *Theandricæ* fuerunt, c. 8. nu. 14. 15. Ac ita rursus licèt passioni carnis, crucique ipsi salus nostra debeatur, principaliter tamen Deitati ac sanctitati Verbi inhumanatæ, C. 16. num. 18. c. 17. num. 2. 7. 9. c. 21. num. 4. c. 23. num 26. Ex circunstantiis autem passionis, fons meritorum potissimus in ipsa morte Christi, C. 14. num. 17. Ita tandem contumeliæ, passiones, mors, & mors crucis opes sunt, quarum ante carnem inops erat Deus, & quarum tamen utique deificatarum prætio duntaxat poterat Deo satisfieri. Lib. 9. c. 10. num. 17. §. *Denique*. v. *etiam infrà in Christi meditatione & sacrificio, ubi & de cœna & Eucharistia*.

Qualiter verò in passione, ac præsertim in cruce, Christus triumphaverit? L.4. c. 13. nu. 4. *& seqq.* Præsertim ex Hilario, nu. 7. L. 10. c.10. n.6. *& seqq.* Cur in orbis prospectu & meditullio? n.3. c. 11. nu. 13. Ibique exaltatus & extensus, orbemque dimetiens tanquam imperium sibi subactum, L. 12. c.7. n.4. Ac deinceps per ejusdem crucis signum & imagines ubique sparsas, CC.5. & 6. præsertim nu. 4. *& seqq.* Denique cur relicta post resurrectionem & ascensionem ipsam in cœlum usque vulnerum vestigia? L. 10. c.13. n.2. c.31. n.3. *& seqq.*

Jam *triduum mortis* à cœna ipsa inchoandum, & cur? ex Nysseno, L.10. c.17. n.1. An autem illo triduo mortis caro Verbo adhæserit, non omnes consentiunt Patres, licèt plures, L.4. c. 9. n.27. Cur simul dicatur Christus *sepultus* fuisse, & *descendisse ad inferos*? C.14. n. 5. §. *idem*. Sepulchrum & inferos & omnia loca perlustravit, ut ipsa præsentia sua consecraret, L.5. c. 18. n. 17. Nullus verò Christi ad inferos descensus, si animam non habuerit, ut errabant Apollinaristæ, *rursus* L. 4. c. 8. n. 24. 28. Descensus quidem ille ad inferos ex Scripturis, sed aliò contorqueri solitis, non ex antiquis symbolis, c.9. nu. ult. At tam antiquus est utriusque Ecclesiæ Patrum de eo consensus, ut sine injuria fidei negari non possit, *ibid.* Quos inferos penetrarit, & quos inde liberaverit Christus? ex communi fidelium sensu discere tutius, *ibid.* Certè non Philosophos, nec alios quoscumque, nisi qui in gratia decesserant, *ibid.*

Non expectanda *Christi resurrectio*, ad proprietatum quarumlibet, & quidem ipsiusmet immortalitatis communicationem, ipsamque adeò incarnationem perficiendam, L. 4. c.16. n.5. 21. Nec non & ad omnem servitutis umbram eliminandam, L.8. c.19. n. 19. *& seqq.* Idque ex priori ejus consecratione in ultima cœna eruitur, L. X. c. 31. num. 2. 3. Imò resurrectionem ipsam huic sacramento inseruerat, n.5. v. *Christi sacerdotium & sacrificium*.

At ad ipsam resurrectionem propriè prædestinatus est Christus, L. 8. c.14. nu. 7. 8. Ipsaque resurrectio, ejusdem est incarnationis veluti coronis & absolutio quædam, atque adeò & filiationis naturalis, C.11. num. 1. 5. Nec non & corporis Christi resurrectio, psarum virtutum resurrectio est, L.1. c.11. nu. 1. 13. Quin & ipse post resurrectionem magis videtur Deus, *ibid.* & L.1. c. 7. n. 19. L.8. c.11. *integro*. Et hinc post resurrectionem maximè totus Deus cum sua Carne Christus una latria colitur, L. 11. c.2. n.21.

Tunc etiam caput hominum se probavit Christus, cùm reddidit Spiritum sanctum post resurrectionem, adeoque firmiùs omni mutabilitate in se consumpta, L. 1. c. 20. nu. 5. §. *rursus* C. 21. nu. 5. Deinceps immortalitatis ac resurrectionis semina per Christum naturæ omni inserta, licèt diversimodè, c. 19. n. 12. 13. Nec tamen ipse insereret, nisi vitæ substantivè unitus, L. 3. c.2. n. 10. 11. Unde tanta securitas Pauli in afferenda nostra jam facta per Christum suscitatione, nec non ascensione & gloria, L.2. c.11. n.7. 10. L.4. c.4. n.3. *& seqq.* Tandem resurrectione & ascensione sua nostram omnium promeruit, *ibid.*

Descensu & ascensu Christi, seu gigantæo per temporalia cursu ad æterna nos efficaciùs traxit, L.1. c. 13. num. 1. Cùm in carne sua nos omnes revexerit in cœlum, inde attolli portas oportuit, L.4. c. 4. n.3. *& seqq.* L.5. c.16. n. 17. c.19. n. 1. *& seqq.* Unde tanta Angelorum admiratio in ascensione? L. 10. c.13. n.2. Duo ascensionis relicta vestigia, L.12. c.5. n.9. *in fine*.

Ipsa Christi caro surripienda fuit *in cœlum*, ut locus esset spiritui, L.1. c.6. n. 14. c. 18. n. 8. Et tamen tunc maximè contingenda, L.10. c.29. n.18. Tunc etiam major locus fidei & propagationi Evangelij, L. 1. c.10. n.11. c.13. n.1. Ad hoc tunc pleniùs dat Christus Spiritum sanctum, ut alium Paracletum, L. 6. c.13. n. 3. 15. 19. Huc refer illud, *Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, non tam ad Eucharistiam, quàm ad Spiritum sanctum, nu. 18. v.7. Et tamen per Spiritum sanctum, tunc major aptitudo ad Eucharistiam, L. 10. c. 29. n. 14. §. *id*, & n. 18. Plura de ejus cœlesti sacrificio & sacerdotio, *infrà in fine*. Ut Christus etiamnum regnans in cœlo pro nobis interpellet? L.5. c.19. n.11. L.9. c.4. n. 9. *& toto* c. 6. Quomodo autem meruerit, nuneque maximè post ascensionem utramque exerceat Christus, & regiam & judiciariam potestatem, L.5. c.17. n.1. *& seqq.* L. 9. c.6. n.10. *& seqq.* Quod nec extremum judicij diem ignoraverit, v. *Christi scientia*, *&c.*

Christi gratia, impeccantia, sanctitas in nos etiam refusa.

Prima radix gratiæ, impeccantiæ & sanctitatis Christ, ex prima & immaculata ejus conceptione de Spiritu sancto & Virgine juxta SS. Patres, L.5. c.10. n. 2. *& seqq.* L. 6. c. 1. nu. 1. *& seqq.* Et quidem non solùm ad vitiosam concupiscentiam prævertendam, sed ad frænandam etiam naturaliter insitam mutabilitatem, L.5. c.10. n.7.

2.ª radix est divina Verbi hypostasis, cujus organum seu instrumentum conjunctum est voluntas & mens, ac per eam tota natura hominis, ex iisdem PP. L.5. c. 10. n. 8. *& seqq.* L.6. c.6. n.11. *& seqq.*

3.ª est divina ejusdem Verbi sanctitas, ut forma totam humanitatem ac proinde voluntantem maximè perficiens, & inde ut fons in nos scaturiens, L.5. c.11. n.1. *& seqq.* L.6. 6. CC. 3. 4. 5. 6. *integris*.

4.ª est ipse etiam Spiritus sanctus ut spiritus Verbi, non hypostaticè quidem, sed substantialiter tamen, tanquam charitas substantiva Patris & Filij, voluntatem humanam principaliter insidens, L.5. c.11. n. 6. L. 6. c. 2. *ferè toto*.

5.ª denique & altissima radix, Pater ipse, ut author in Verbo etiam incarnato manens, & ipse faciens opera per Verbum, L.5. c.11. n.7.8. c.14. n.5. c.25. n.9. *& seqq.* L.6.c. 6. n.23. *& seqq.*

Nec mirum si his tantis præsidiis valletur impeccabilitas voluntatis præsertim ac operationis humanæ Christi, utpote quæ sit fructus potissimus totius incarnationis pro Christi ac nostro, pro hujus ac futuræ vitæ modo, L.5. c. 11. n.8.9. L.6. c.6. n.1.3.4. Hæc autem impeccabilitas nihil officiebat libertati voluntatis humanæ Christi, ut contendebant Monothelitæ, c. 12. *& seqq.* Nec duplici ratione meriti, c.20. n. 13. Imò naturalem Christi filietatem astruit, L. 8. c. 13. n. 10. 11. Quin & ipsam rationem unionis hypostaticæ, L.3. c.4. n. 8. 9.

Sanctitatis etiam Christi speciatim inde haustæ, quòd de Spiritu sancto conceptus & unctus sit, varij effectus in ipso & in nobis, L.6. CC. 1. & 2. *ferè integris*. Et adhuc magis propriè, quòd Deitate Verbi, adeoque substantiva sanctitate Deitatis, perunctus sit, *toto* C. 3. Item quòd factus sit a nobis justitia à Deo, & sanctificatio, & redemptio, hoc est virtus omnis, & virtutum natura ipsa, persona ac substantia, haud dubiè increata, c.4. v. *etiam virtus*, *&c.* Item quod *plenitudine divinitatis inhabitetur*, atque adeò sanctificetur Chrictus, C. 5. *& seqq.* Denique ex ipsa impeccabilitate, non externa tantùm, sed & med l-litùs inserta, iisdem ferè argumentis, quibus suprà, ad Patrem demum, ut ad caput deductis, *toto* C. 6. Adde & ex eo quòd Chrictus ipse sit caput Ecclesiæ, c.7. *& seqq.* v. *infrà tit. prop.*

Quomodo verò Christus ipse, seu incarnatio tota, sit exemplar gratiæ ex omni capite accuratissimum, L. 1. c. 17. n. 2. *& seqq.* L.3. c.11. n.4. L.5. c.15. n. 7. c. 17. n. 9. 10. In primis quòd sicut increata Christi gratia antevenit ipsum esse, ita creata in nobis omnia opera bona, ac sic utraque omne meritum, L.3. c.11. n.4. Et hinc de Spiritu sancto concipi dicitur, ut meræ Dei gratiæ hoc totum esse innuatur, L. 8. c.13. n.1. Imò & gratia Filius Dei aliquando nuncupatur, n. 4. *& seqq.* Necnon & adoptata humanitas, ut non ex meritis assumpta credatur, num. 6. Ac tandem Deitatem ipsam per gratiam, & non per gratiam

parti-

participare, & non participare dicitur, L.6. c.5. n.3. *& seqq. v. etiam gratia infrà, & suprà in Adamo.*

Christi capitis gratia, & influxus in membra.

Multa prælibantur de Christi capitis gratia, L.1. CC.19.20. & adhuc expressiùs L.2. c.20. *præsertim* n.4. *& seqq.* L.5.c. 16. *præsertim* n.13.

Creaturis maximè intellectualibus, seu ad exemplum, seu ad influxum, seu ad primatum caput esse non potest, nisi Deus Verbum, sive ante carnem, sive in carne, L.6.c.6. n.11. 12. Ubi Angeli in eadem nobiscum Ecclesia videntur comprehendi, tanquam grex unus spiritualis sub uno summo Pastore, v. *suprà in Angelis*, & L. 10. c.9. n. 7. 10. 11.

Post lapsum autem primi hominum capitis, aliud instauratitium esse non debuit, nisi incommutabili sanctitate fultum, L.6. c.6. n.13. *& seqq.* Maximè cùm multò plura & potiora per secundum quàm per primum donanda sint, L.1. c.16. n.12. ac rursus CC.10. & 20. Et sicut cum primo unum aut unus fuimus, à fortiori cum secundo meliori capite, L.2. c.11. n.4. Huc refer quæ de 2. tantùm hominibus in Adamo, & in baptismo dicta sunt, *suprà*. Hinc nondum Christus omnia in omnibus Deus, necdum subjectus Patri, L.2. c.11. n.8.12. §. *non pigebit*, v. *etiam subjectio &c.*

Ad hæc autem omnia Caput Christi Deus, hoc est, humanitatis, in Christo tanquam corporis, Deitas ut caput est, L.3. c.9. n.4. c.10. n.3.7. *& seqq.* c.23. n.8. L.6.c.6. n.12. Paucis, capiti nostro plenitudo sanctitatis & gratiæ inesse debuit, quæ non est nisi Deitas, c.7. nu.1. *& seqq.* Et quidem maximè ad triplex potissimum Capitis munus obeundum, n.3. *& seqq.* Imò vel ad unam & simplicem præcellentiam in membra omnia, n.8. *& seqq.*

Aut ut membra Capiti consentiant, non accidentalis tantùm, sed substantiva hujus sanctitas aliqualiter iis quoque aspergitur, L.6. c.8. n.1. Primò ex eo quòd Ecclesia ipsa à Verbo quodam modo assumpta sit, n.2. *& seqq.* & una dicatur cum eo persona n.8. *& seqq.* In primis quod membra corporis Christi quantumlibet dissipata recolligi non possint in unum corpus, nisi spiritus Christi præsentia & vita, n.7.10. Summa hujus primæ probationis capita ex Script. & PP. n.10.

2°. Quodquidquid Christus accepit, nobis acceperit ut caput membris suis impartiendum, adeoque & substantivam spiritus inhabitationem n.11. Imò per Christum huic inhabitationi Spiritus sanctus quasi postliminiò assueverit, n.13. Scilicet postquam illum, absorpta omni per resurrectionem mutabilitate, reddidit, sic maximè se caput hominum probans, L.1. c.20. n.7. c. 21. n.5.

3°. Quod sponsa Ecclesia in sponsi Christi substantiæ & sanctitatis societatem asciscì debeat, *rursus* L.6. c.8. n.14. Et quòd jam hinc pignus spiritus accipiamus, n.15. Imò quòd ipsum Christum Sancti omnes induant, ut vitam, ut formam, & justitiam n.16. Opera autem justitiæ nonnisi à substantia proficiscantur, *ibid.*

4°. Quòd non aliter peccatum & mors deleretur funditùs, L.6. c.9. n.1. *& seqq.* v. *utriusque tit.* 5°. Ut oleum sanctitatis quo Christus ungitur, in ejus membra, seu in Christianos inde pariter denominandos deflueret, num. 5. 6. v. *tit. Chrismatis &c.* 6°. Ut suos sibi Christus conglutinet, & spiritu suo, & corpore, substantivo utroque vinculo, num.7. *& seqq. fusissimè.* v. *etiam Eucharistia, &c.*

7°. Deinceps ex Spiritus sancti præcipuis dotibus, quia substantialiter ipse est filij imago, & sigillum, & unguentum, & sanctitudo, & innovatæ ad pietatem vitæ forma, non horum tantùm in Christi membris seu in suis templis effector, ex Scrip. & PP. maximè Græcis, L.6. c.10. n.1. *& seqq. præsertim* 13.

8°. Quia inhabitatione Spiritus sancti animas formaliter sanctificari seu deificari, & in templa propria consecrari, non ornari tantùm cum iisdem Græcis Latini PP. consentiunt c.11. *toto*. Quod autem Spiritus sanctus sanctitatis aliquando largitor seu effector dicatur, dupliciter solvitur; & hinc recentiores etiam cum antiquis concilientur, n.11.

9°. Quia ubique ille infunditur, & solus ipse immeare ac implere potest ejusdem animas, etiam tantùm capaces, ex utriusque Ecclesiæ Patribus, L.6. c.12. *integro*.

10°. Ex eo quod justis donetur ipsemet Spiritus sanctus, utpote *Donum* donatoribus Patri & Filio æquale, c. 13. *pariter toto*. Ubi etiam concilientur Græci cum Latinis, n.18. 19.

11°. Quod maximum illud Dei *donum* sit *Charitas*, tum qua ipse nos diligit, tum qua Deum & proximum diligimus, ex Joan. & August. c.14. n.1. *& seqq. præsertim* 9. 12. Quo sensu tamen dixerit idem Augustinus nos ea justitia justos non esse, qua Deum, & cujus aliunde plenitudo est charitas, n.17.18.

12°. Quod vivant hauddubiè justi vita vitarum, id est, justitia divina quæ adhuc appropriatur Spiritui sancto, ex Scrip. & PP. *toto* c.15. *Præsertim* n.14.

13°. Quod sanctitas & virtutes non habitibus tantùm creatis, sed Deitatis, seu Spiritus sancti speciali ac substantiva vegetatione imprimantur, c.16. *integro*.

Denique divina Christi capitis sanctitas, non tam ut forma, quàm ut hospes sanctificare sua templa demonstratur, c.17. *& seqq.* v. *etiam forma.*

Ex his porrò Christus, qua caput, sui corporis seu Ecclesiæ, hoc est Christianorum omnium sacramentum, seu figura & persona, in se quod illis convenit exprimens, L. 2. c.10. *præsertim* n.4. *& seqq.* c.11. n.4.8.12. L.4. c.4. n.3. *& seqq. præsertim* 6. v.3. c.12. n.6. L.5. c.16. n.13. c.19. n. 1. *& seqq.* L.6. c.8. n.8. *& seqq.*

Nec parciùs tandem membris suis sapientiam, quàm sanctitatem debet affundere, cùm sit domicilium sapientiæ Caput, L.7. c.1. n.9. Et hinc tamen præstat ignorantiam aliquam non Christo capiti, sed corpori, id est, Ecclesiæ adjudicare, cujus personam frequenter induit, c. 4. n.1. §. *familiam*, v. *tit. seq.*

Christi scientia, doctrina, veritas, magisterium.

Agnoetæ in Palæstina & Ægypto hæretici ab ignorantia quam Christo affingebant, sic dicti, *Præfat.* n. 10. §. *in Orient.* & L.7. c.3. n.5. c.4. n.1. Non ipsi quidem divinitati, cum Arianis, quos horrebant, sed humanæ ejus menti, cum Nestorianis, quibus favebant, *ibid.* Alii non omnem ignorationis suspicionem ab anima Christi amovebant, saltem usque ad ipsius resurrectionem, c. 3. n.6.7. c.4. n.2.

Confutantur autem tum ex aliis capitibus, tum in primis ex conditionibus magistro hominum necessariis, & quidem maximè si sit unus omnium magister, qualis agnoscitur Christus, L.1. c.8. n.5.6. Simulque illæ aliæ omnes magistri hominum conditiones statuuntur, c.12. n.1. *& seqq.* ac c.16. Ante omnia, ut exemplis magis quàm præceptis docere satagat, n.1. Omni careat errore & vitio, n.2. Nec Deus nec homo merus, sed Deus idem & homo sit, n.3. Vel inde etiam quòd magister lex animata esse debeat, n.4. Et videndus simul ac imitandus sit, n. 5. Præterea in humilitatis schemate nobis exhibendus, n.6. 7. v. *humilitas*. Nec non simul via, veritas & vita sit, n. 8.9.13. Ac tandem secura per eum ad Patrem mediatio, *ibid. & suo loco*. Hinc ille magisterium esse non debuit sine adjutorio, quod septem argumentis evincitur, c. 17. n.1. *& seqq. latissimè*. Alioquin plus nocuisset, *ibid.* ac CC. *seqq. usque in finem*.

Hinc etiam Christus non verbis nudis, sed factis & quidem permanentibus, ipsaque *sua substantia*, debuit esse magistra veritas & magisterium, L. 1. c.7. n.13. c.19. n. 1. *& seqq.* L. 2. c.4. n.1.2.3.6. Et huc refertur, quod sit *liber intus & foris scriptus*, legis æternæ, virtutumque oracula ubique promulgans, L.1. c.6. n.4.5. c.8. n.2.3.8.9. c.10. n.9. Imò ipse nihil aliud sit quàm veritas & gemina charitas, quæ æterna est religio, ipsaque *natura virtutum*, ex Origene, L.1. c.7. n.11. 13. c.8. n.9. c.17. n.1. Rursumque corpus ipsius, ut ad veritatem intelligibilem, legemque æternam pertineat, c.11. *integro*, *& suo loco suprà*. A fortiori ex tali ac tanto Christi magisterio, divina & æterna ejus infertur authoritas & persona, c.12. n. 5. *& seqq.* c.13. n.1. *& seqq.* Nihilque dignius, quàm ut cogitetur velut *persona veritatis*, ex Aug. n.7. & L.5. c. 15. n.4. L.8. c.3. n.11. Hinc rursus ab ejus disciplina virtutum norma non abhorrent nisi vitiosi, num. 4. Ac tandem ejus dogmata, etiam qua parte durissima visa sunt, non adversantur *naturæ*, sed ipsi ac innatæ rationi consentanea admodum, nec non & suavissima sunt, *integris ferè* CC. 15. & 16. Ejusdem dumtaxat naturæ rationalis in sensibilia lapsæ reparator, dux & magister Deus, per carnem nobis contemperari debuit, *ibid.* & L.4. c.4. n.8. Atque adeo talis ac tantus magister Deus simul & homo, *ut suprà*.

Ad hæc autem omnia, & contra præfatos hæreticos, in ipso homine Christo, plenitudo scientiæ necessaria, L. 7. c.1. Circa hanc exponitur sententia Fulgentii, n.1. *& seqq.* Et demonstratur primò ex sacris litteris, scilicet ex plenitudine spiritus, gratiæ & veritatis in Christo, n.2. 3.4. c.2. n.1.2.3. 2°. Ex ipsa unione hypostatica, quòd qui Deus est, non potest se vel ex parte nescire, seu non comprehendere, c.1. n.5. 3°. Vel ex eo quòd Christus sit Dei sapientia & virtus, n.6. c.2. n.5. 6. 7. Et quod animam veritatis nihil veritatis lateat, c.1. n.7. 5°. Quod ex immeatione divinæ naturæ in humanam, prorsus illuminetur eadem Christi anima: nec tamen à pari fiat aut immutabilis, aut immensa, aut omnipotens, n.8. c.1. n. 10. 6°. Ex eo quod caput est Christus & fons sapientiæ totius, c.1. n.9. c.2. n.6. Cæterùm non æquatur propterea scientiæ seu comprehensioni Dei, scientia animæ Christi,

sti, c.1. n.9. c.2. n.9. c.3. n.4. c.7. n.18. c.9. n.3. Maximè ob diversum genus scientiæ creatæ Christi, licèt etiam per speciem increatam, n. 10.

Eadem Fulgentij sententia recentiorum quorumdam suffragatione roboratur, L.7. c.2. *toto*. In primis Hugonis Victorini iisdem ferè argumentis, quibus suprà n.1. *& seqq.* Adde pro Magisterio præmonstrato, quod quæ Magister hominum Christus credenda docuit, ea ipse videre debuit, n.4. c.4. n.3. c.5. n.15. Item ex eo quod vita animæ Christi sit ipsa divinitas, c.2. n.8. Accedit Hugoni Richardus, & ultra provehitur, n.11. Accessit & Magister Petrus Lombardus, n.12.

Deinceps ut cuique integum sit, favere vel refragari Fulgentio, antiquiorum Patrum Latinorum consensus exploratur, c.3. n.1. *& seqq.* c.4. n.1.5.7. c.6. n.1. In primis Hugonj compar Bernardus, etsi tantam componere, quam refert, litem hæsitet, scilicet an æqualem Deo scientiam nacta sit anima Christi, ante ipsam resurrectionem, in affirmativam tamen totus propendere videtur, c.3. n.2. 3. Gregorius Magn. contra Agnoetas, n.5. c.4. n.1. Ambrosius pariter, licèt mitiùs tractet tractatores sibi coævos, qui quod cum Arianis agerent, totam ignorationis suspicionem in animam Christi, ante resurrectionem tantùm devolvi malebant, n.6.7. magis adhuc illi excusantur, c.4. n.2. Leporius verò & his dicit anathema, emendatus & ipse ab Africanis Episcopis, jam fide provectioribus, cum suo principe Augustino, c.3. n.9. 10. Denique Alcuinus ex ipsis Fulgentij verbis, n.12.

E Græcis Eulogius Alex. contra Palæstinos Monachos Agnoetarum dogmatis architectos, L.7. c.4. n.1. excusat aliquot Patres Arianorum impugnatores, n. 2. Photius ipse, n.3. immeritò aliunde carpens aliquod temperamentum Epiphanij de scientia judicij practica, n. 12. Damascenus fusissimè, nn.4.5. Cyrillus item, & author Dialogorum de Trinitate apud ipsum, n.6.7.8. c.5. n.5.6. Ante hos Dionysius & ipse Alex. c.4. n.8.9. Origenes, n.10. & c.5. n.3. & Athanasius malè suspectus, c.4. n.11. c.5. n.1. Basilius c.4. n.13. c.5. n.2. Nazianzenus n.4.19. Chrysostomus, c.4. n.14. Andræas Cæsar. n.15. Titus Bostr. & Isidorus Pelus. c.5. n.17. 18.

E Latinis rursus, mirum est Fulgentium purgatione eguisse circa scientiam saltem infantis Jesu, L.7. c.5. n.8. cum novem pro ipso observationibus. Purgatur & Hilarius sex aliis prolixioribus, circa ignorationem diei judicii, n. 9. Quin & Ambrosius saltem ab incostantia, n. 10. 11. 12. Suffragatores autem meri adducuntur Augustinus, nu, 13. Chrysologus, n.14. Anselmus, n.15. & Bernardus iterum, n.16.

Quin & simul omnes ex præjactis principiis cum 24. observationibus, L.7. c.6. n.1. §. 1°. *& seqq. usque in finem*. Scilicet dum negant Christum unquam in sapientia profecisse, *Ibid. & antea* c.3. n.2. c.5. n.19. Dum aiunt non profecisse, nisi edendo majora, c.5. n.2.5. §. *sed.* c.6. n.2. Vel hinc, quia ab utero Deus erat, c.3. n.3. c.5. n.8.15. c.6. n.3. nec ipsum ignorasse diem judicii, cum esset lux & sapientia Patris, c.3. n.10. c.4. n.8. 11. c.5. n.4.9. §. 6°. *ut*, nn. *seqq.* c.6. n.4. maximè verò quia omnium conditor est, n.5. *& passim supra*. Dum propulsant ignorantiam ab utraque natura, *etiam passim*, *& præsertim*, c.4. n.2. c.6. n.6. Et aiunt humanam animam scire divinitùs, c.4. n.2. *& seqq.* c.6. n.7. Et ignorare Christi, non esse aliud quàm tacere, c.3. n.6. *& seqq.* c.4. n.13.14. c.5. n.1. 11. Dum in Deo etiam aucupantur aliqua verba ignorantiam simulantia, c.3. n.7. c.6. n.9. Dum aiunt nostrum non esse, sed Christi, ut sciat abstrusissima paternæ potestatis arcana, c.4. n.8. 11. c.5. n.4.9. *& seqq.* c.6. n.10. In primis diei extremæ arcanum quam abstrusum, c.5. nu.9. §. 5°. & c.6. nu.11. Dum aiunt ita sapientia crevisse, ut gratia, nempè ut intùs crescere non posset, c.5. n.2. 4. c.6. n.12.

13°. Expressiùs adhuc, dum scientiam Christi amplificant ex censu divinæ personæ usque ad possibilia, L.7. c.4. n. 2. 4. 5. 11. c.5. n.19. c.6. n.13. Dum aiunt Deitatem Christi negari, si dicatur sapientia profecisse intùs, c. 4. n.1. c.6. nu. 14. Et reviviscere Nestorium, si quid ignoret Christus, c.3. n.5. c.4. n.1.6. c.6. n.11. Omnia, & omnes Dei thesauros esse Christi licèt absconditos, c.3. n. 4. §. *idem*, c.5. n.9. §. 5°. c.6. n.16. Nec Christum esse participem sapientiæ, sed sapientiam ipsam, c.3 n.3. c. 4.5.6. c.6. n.17. Fidei dedecus imminere, si Deo nostro ignorantiam illinamus, c.4. n.3. 13. c.6. n.18. Et nihil posse nesciri à mente Dei, c.4. n.4. 10. c.5. n.15. c.16. n. 19. Nec nisi in persona suæ Ecclesiæ nescire, c.4. n.1. c. 5. n.3. 9. *& seqq.* c.6. n.20. Nihil latere posse Deum Prophetarum, c.4. n.15. c.6. n.21. c.8. n.12. *& seqq.* Nesciri diem judicii, quia non à se, sed à Patre scientiam habet, c.4. n.8. 11. c.5. n.4. *& seqq.* c.6. n.22. Denique Verbum omnia scire, etiam in assumpta humanitate, n. 23. 24°. Adde ignorantiam non potuisse sapienter assumi, sicut nec peccatum, c.5. n. 10.16.

Tria superadduntur capita, vel potiùs eruuntur fundamenta omni-scientiæ Christi, L.7. c.7. *præsertim* n.14. Primum quod Verbum seu species, imago, vel definitio impressa Patris, menti illabatur assumptæ, adeòque radians & vivens, longè aliter quàm in Beatis, n.1. *& seqq. usque ad* 7. *Item* n.14.15. 16. Non ergo sola existentia, quod multos ab hac sententia absterruit, n.8. Cum aliunde minùs operosum esset, ut homo totum Deum videat, quàm ut Deus totus sit, n.9. nec operosius sit infinita existentia vel hypostasi, quam specie humanitatem formari, n.14. v.10. *circa finem*. *Secundum*, quod assumptio hominis à Deo, ejusdem beatificatio sit, ex multis argumentis, n. 11. 12. 17. *& seqq.* *Tertium*, quod ex infinita sanctitate Christi hominis, multis conjecturis probetur ejus infinita scientia & beatitas, n.13. 14. 21. Quæstio de infinito quam infinita simul & futilis, *ibid.* & c.9. n.9.

Contra Novatores Christo infanti nescientiam ascribentes, scientia Christi beata à primo conceptu, 4. observationibus illustratur, L.7. c.8. n.1. *& seqq.* 1ª. ex modo cognitionis Angelorum ab ortu suo, *usque ad* n.7. 2ª. ex eo quod modus procedendi à temporalibus ad æterna non sit prima hominis conditio, sed peccati pœna, n.8. *& seqq.* ad 11. 3ª. ex eo quod etiam post peccatum, aliqui sapientes & Prophetæ in æternitatis lumine versabantur quandoque, unde & beabantur, etsi nondum visione Dei, nu. 12. *& seqq. usque ad es*. 4ª. quod sint etiamnum & semper, contemplatores aliqui veritatis summæ, quibus parvulorum grex & fides innititur, a fortiori, &c. nn. *cit.* & 18. *ac seqq. usque ad* 12.

Circa omni-scientiam Christi hominis ultimò aperitur sententia Cusani Cardinalis, novisque tum veterum tum recentiorum Doctorum testimoniis fulcitur, L.7. c.9. In primis quod ars omnipotentiæ menti Christi infusa, fœta sit rationibus rerum omnium, etiam possibilium, nec in lucem unquam edendarum, num.4. &c. Conatus Petavii non infœlix pro concilianda Fulgentj doctrina de omniscientia Christi, cum communi, quæ eam restringit ad scientiam visionis, non simplicis intelligentiæ, §. *ultim.*

A veritate, quam ita callebat Christus, semper confitenda, nec mortis, nec crucis infamia potuit unquam deterreri, L. 4. c. 1. num. 4. Multa quidem dixit ambiguè de carne & de doctrina sua, sed utrimque vera, ex Ss. Patribus, L. 10. c. 29. num. 5. Quomodo tandem caro Christi in doctrinam conflata est, & doctrina Verbi in carnem, utpotè doctrina Verbi & Crucifixi? *ibid.*

Christi mediatio, oratio, & adoratio activa, necnon Redemptio & satisfactio.

Ut *mediatoris*, & similes Christi hominis dotes, à divinæ ejus personæ æternis prærogativis fluant? L.2. c.2. n. 6. *& seqq.* L.6. c.3. n.11. 12. L.10. c.9. n.11. Imò etiam quà Verbum, unus mediator esse potuit inter Deum, Angelos, hominesque, saltem per operationem, L.1. c.16. n. 13. L.2. c.2. num.5. *& seqq.* L. 3. c. 19. num. 26. non ita propriè sacerdos & Pontifex, v. *infrà in Christi sacerdotio*.

Nunc in sensu maximè proprio necessarius Dei & hominum *Mediator*, nec alius quàm Christus, id est, humilis Deus, Verbum caro, contra varios tum gentiles Philosophos, tum Judæos, tum hæreticos, L.9. cc.1. & 2. *Primo* quia tota Christi mediatio paucis his ejus verbis constringitur, *Ego in eis*, *& tu in me*, L.5. c.19. n.9. L.9. c.3. n. 1. *Secundo* id liquet ex substantivo nexu inter nos & Deum constringendo, nu. 2. *Tertio* quia cum perierit fructus primæ mediationis Verbi per operationem, ne periret secunda, substantiva esse debuit, n.3.4. 5. *Quarto*, quia certus mediator est, si seipsum exorat, & propitiat, n. 6. *Quinto*, quia etiam nobiscum & corpore & spiritu suo substantivè copulatur, n.7. *Sexto*, quia alioquin vix spes esset nobis divinæ fieri consortes naturæ, n.8. 9. *Septimo*, nec illapsus beatifici, nisi longè uberior mediatori concessus esset, n.10. *Octavo*, quia Patri per Filium copulari non poteramus, nu.11. *Nono*, ideò utriusque naturæ veritas & integritas probatur ex munere mediatoris, n. 12. L.4. c.4. n.9. c.8. n.20. 21. *Decimo*, hinc exsufflantur mediatores falsi Judæorum, Arianorum, Philosophorum, L.9. c.3. nu. 13. *Undecimo*, & hac via nulla non solum tutior, sed nec compendiosior, n. 14. Hinc rursùs, certa nobis fiducia, cum non solum idem oret & exoretur, sed & ipsius causa sit, quæ nostra, num. 15. Summa autem mediationis in sacrificio ad purgandum, & temperamento ad illuminandum, c. 1. num. 4. 5. v. 9.

Jam ut *Mediatoris sit orare*? L. 9. CC. 4. & 5. Ita autem orare, ut pro omnibus oret, nec alius pro eo, nec ipse per alium, L.11. c.8. n.7. Sic unicus propriè erit Mediator

tor Christus, habens tamen sub se secundarios mediatores, *ibid. & nu. seqq.* Quàm gloriosius Christo, ut sit mediator mediatorum, & sic de cæteris insignioribus titulis, quibus ut nos vestiret, Christus ipse venit, num. 9. *& seqq.* Tandem si præiverunt qui illum mediatorem adumbrarent, quidni & sequantur? nu. 13. *Reliqua in propr. tit.*

Arianos, ab *oratione* Christi, divinitatem ipsius impetentes, ut refellerent SS. Patres, L. 9. c. 4. n. 1. *& seqq.* Quando etiam Patrem oraffet ut Deus, non hinc æqualitas minueretur, ex Theodoreto, §. *audit*. Econtra ex oratione Christi argumenta non pauca dignitatis & divinitatis ipsius, n. 2.

1° Quod nusquam scriptum sit ipsum *adoraffe*, licèt acquiescat factum Augustinus, §. 16. 20. Quod nonnisi in plurali dixerit, *nos adoramus*, miscens se turbæ hominum, §. 2. 3°. Quod propè adorationem à se abstergat Christus sub nomine *tributi*, nonnisi per dispensationem soluti, §. 3. 4°. Quod nonnisi magna fiducia Patrem oraret, quasi repensurus, n. 3. 5°. Et quidem cum imperio & aliis dignitatis indiciis, maximè in suscitatione Lazari, n. 4. *& seqq.* 6°. Quod ita oraret, imò & pernoctaret orando, ut posset sine oratione perficere, sidem tantùm postulans, n. 5. 6.

7°. Quin & sæpè servi Christi, non prece, sed jussu miracula ediderunt ante & post ejus adventum, à fortiori ipse potuit, n. 6. 8°. Et reipsa maxima quæque sine prece perfecit, sive ante, sive post carnem, semper æquè omnipotens, n. 7. 9°. Quia etiam orando non tam sibi auxilium, quàm nobis magisterium parabat, nu. 4. 8. 10°. Cùm interpellet etiamnum pro nobis in dextera Dei sedens, seu æqualis apparens, & Ecclesiam tantùm Patri concilians, n. 9. Paulò aliter & explicatiùs *toto* C. 6. 11°. Sic ab ortu cum & filius & Deus esset Christus homo, orari quam orare, dare magis quàm petere potuit, n. 10. 12°. At humanata Verbi Deitas unitatem Trinitatis, & paternum principium declaravit, nunc non orans, nunc orans, n. 11. 12.

Cùm ergo mortalis Christus nonnisi ex dispensatione *oraverit*, propriè nunc in paterno consessu orare non credendus, L. 9. c. 6. n. 1. Primò ad id plura retractantur argumenta, *ibid.* & n. 2. & 3. 2°. Et uterque orandi modus servilis & liberalis à Christo immortali abigitur, cùm & primus à mortali, n. 4.

3°. Multiplex autem admittitur, sed sine precum humilitate, ex Nazianz. n. 5. Primus nempe, ut interpellet nunc Christus, quia nos interpellare & orare facit, n. 6. Secundus, ut interpellet velut Patris Verbum, sapientia, consilium, n. 7. Tertius, ut interpellet sola præsentia humanitatis, num. 8. L. 10. c. 13. nu. 3. Quartus, ut interpellet, suas olim preces & perpessiones offerendo, L. 9. c. 6. n. 9.

4°. Quia ante ipsam passionem rogavit Christus dari Spiritum sanctum, nu. 10. 5°. Dies carnis erant precibus accommodati, n. 11. Sedens autem ad dexteram & in gloria Patris, non orat, sed judicat & regit, n. 12. 6°. Oratur verò à nobis Christus, non ut oret, sed ut misereſcat, ex toto Ecclesiæ ab ipsis Apostolis usu, n. 13. 7°. Cum per Filium dat Pater, etsi det & Filius, impetrare tamen utcumque videtur, n. 14.

Explicatius rursum, ut omnis Christi *oratio* exaudita semper fuerit? L. 9. c. 5. Primò, quod à summa semper sapientia proficisceretur, n. 1. Reliquæ *septem* rationes, nu. *seqq.* v. *etiam Prædestinatio, &c.*

Cùm ad mediationem spectet & *redemptio*, inquiritur an Angelorum Redemptor sit Christus, saltem qua Verbum? L. 2. c. 12. An & ipsi Redemptores hominum, ac in hominibus per Christum reparati? v. *suprà in Angelis*.

Contraria contrariis quidem reparantur, L. 1. c. 2. nu. 12. C. 13. n. 3. *& seqq.* C. 15. n. 4. 5. Et tamen Christus naturæ haud contrarius, cùm reparator sit, n. 7. De ejus reparatricis gratiæ efficacia longè à priori diversa, C. 19. L. 2. CC. 10. 11. Hæc autem imaginis in homine per Verbum incarnatum reparatio sequitur ex illo, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, L. 2. c. 2. 8. Quomodo opus redemptionis sibi diviserit Trinitas? L. 1. c. 3. n. 9. L. 2. c. 1. n. 5. 7. 8. C. 2. n. 1. *& seqq.* præsertim 9.

Jam par orbi redimendo pretium & Redemptor non alius quàm Christus ipse Deus, L. 1. c. 4. n. 1. *& seqq.* L. 3. c. 2. n. 8. 9. L. 4. c. 3. *ferè toto*. Ex Patribus Græcis, L. 9. c. 7. Quia nulla singularis persona, utpote finita, nu. 1. Nec omnium vitæ redimendæ, nisi vita ipsa, num. 2. 3. Hinc olim oppressus Nestorius divinitatem detrectans, num. 4. Et sicut ex Paulo, vituli sanguine, ita nec ullius creaturæ possunt elui peccata, nu. 5. Ideo tot olim justi pro justitia mortui, nec tamen mundum redemerant. n. 6. Quia in primis redimere à vitiis nihil aliud est, quàm Spiritum sanctum sanctitatemque medullis ipsis animæ inserere, n. 7. 9. Et debita omnium vel donare vel exolvere non est nisi Domini & Dei, nu. 8. *Ultimò*, quia libertate donare non potest creatura, utpote serva, nu. 9. 10.

Deo, an Diabolo persolutum sit redemptionis pretium, an utrique? L. 1. c. 3. n. 15. *& seqq.* L. 9. c. 8. Proponitur ambigua utrimque difficultas, n. 1. Qui ex Patribus diabolo persolutum senserint, & eorum octo rationes, *ibid.* Principalius Deo libatum esse Christi sanguinem consentiunt, n. 2. *& seqq.* Summa novem rationum ex ipsis, n. 8. Aliquot antea, L. 1. c. 4. n. 1. L. 4. c. 4. n. 2. v. *etiam Diabolus*.

Cumulatissima & ultra modum *Christi satisfactio* colligitur ex antedictis, L. 9. c. 9. Summa rationum capita, nu. 1. Aliæ accumulantur ex Patribus, quibus redundantia satisfactionis Christi declaratur, n. 2. *& seqq.* Inquiritur quomodo sit ut debet de suis? L. 1. c. 4. n. 12. L. 9. c. 10. *& seqq. latissimè*. Nec Patri tantùm, sed sibi ipsi Verbo Deo satisfecit Verbum caro, n. 16. 17. 18. L. 1. c. 4. n. 5. 9. L. 2. c. 2. nu. 9. Contra Abaelardum non scelere sævientium, sed pietate justi sponte immolati elui peccata, L. 1. c. 4. n. 4. 8. L. 9. c. 9. n. 19. *& seqq.* An tandem Patri soli, vel toti etiam Trinitati sacrificio Christi satisfactum sit? C. 11. *integro*. v. *etiam Trinitas*.

Christi sacerdotium & sacrificium.

Cognatio Mediatoris & Sacerdotis in eo maximè, ut qui naturæ integræ mediator est, idem ejusdem lapsæ fiat Redemptor & Sacerdos, L. 10. c. 9. n. 10. 11. De Verbi ipsius Pontificatu seu mediatione apud Deum pro Angelis & hominibus, L. 2. c. 2. n. 5. 6. 7. L. 10. c. 9. nu. 1. *& seqq.* Summa rationum, ob quas nonnulli etiam ex SS. Patribus senserint Verbum naturæ intellectualis, ad Deum Patrem sacerdotem esse, n. 7. Complures aliorum Patrum rationes, quibus sacerdotium addicitur naturæ humanæ, n. 8. 9. præsertim ex Paulo. Sedatur conflictus duplicis distinctione sacerdotii, proprii & improprii, num. 10.

Ita Pontifex Christus cogitandus, non tam homo Deum indutus, quàm Deus hominem, & cur? L. 3. c. 10. n. 3. Deus Verbum chrisma ipsummet fuit, quo inauguratus est Pontifex in primo sui ortu, L. 6. c. 3. n. 5. L. 10. c. 8. n. 9. Sacerdos autem pro hominibus nonnisi verus homo, maximè si idem victima sit, L. 4. c. 4. nu. 10. Et idcirco etiam totus homo nulla parte truncus, c. 8. n. 21.

Jam ut Sacerdos Christus sit, idemque victima; & ideo Sacerdos, quia victima intaminata, L. 10. c. 1. Inprimis quia naturæ præsensio sacerdotem & victimam summæ munditiei quæri jubet, & cum nusquam occurrat, flagitari à Deo, n. 1. 2. Ita in votis erat Christus, & qua Deus mundus, & qua homo sacerdos & victima, n. 3. 4. Idque ex veteri Testamento & Paulo colligitur, nu. 5. 6. Quin ex Paulo, tunc verum affuisse sacerdotem, cum satis constitit alios impares esse, n. 7. 8. 9. Et Gentiles eodem stimulo movebantur ad verum sacerdotem à Deo postulandum, sua sacrificia aspernanda, n. 10. 11.

Ex conflictu Patrum circa Sacrificia externa Deo antiquitus grata vel exosa, de quo L. 1. CC. 3. 4. 5. eruitur, naturæ saltem ægræ voce & legis æternæ jussu sacrificium deberi ejusmodi sanctitatis, charitatis & contemperationis, cujusmodi non est nisi Christus, C. 6. n. 1. *& seqq.* Explicatius ut mors Christi illud sit sacrificium, quod naturæ conscientia meditabatur, quod Judæi adumbrabant, quod Gentiles ementiebantur, *ibid.* præsertim n. 5. *& seqq.*

Hinc rursus tria, L. 10. c. 7. *Primum*, quod nullum in statu innocentiæ externum sacrificium, præsertim quia nulla ibi mortis prolusio, n. 2. *& seqq.* præsertim 6. *Secundum*, quod omnia vetera essent unius sacrificii mortis Christi imitamenta, tum ut omnis religio ad unum nos religaret, n. 8. tum ut per hanc varietatem sine fastidio unum commendaretur, maximè in Paschate, n. 9. tum etiam, ut hoc uno magis recolligatur animus, qui olim operosa multiplicitate distrabatur, n. 10. & c. 23. n. 8. *Tertium* denique, quod post Christi mortem omnia ubique cessarint sacrificia, C. 7. n. 11. 12. C. 10. n. 4.

Tria alia deinceps demonstranda, L. 10. c. 8. n. 1. *Primum*, eò Verbum carnem induisse, ut sacerdos esset idoneus expiando humano generi, quod sex rationibus stabilitur, num. *seqq.* In primis ob mortem, *ibid. Secundum* prioris confirmatorium, quod à *primo incarnationis puncto* sacerdos fuerit, n. 9. Quod 4. aliis probationibus confirmatur nu. *seqq.* In primis ex Davide & Paulo, huc jam & generationem & typum Melchisedecicum referentibus, n. 7. 8. v. *etiam Chrisma, &c. Tertium* inde consectarium, quod jam tum pariter sacerdotio suo fungi cœperit Christus, n. 13. Quod 4. novis rationibus roboratur, n. *seqq.* Et in ultima junge plures alias sacrificii rationes in ipsa in-

incarnationis substantia & circumstantiis delitescentes, præsertim in mortalitate, n. 15. 16. *v. etiam suprà in mysteriis, & infrà in Maria, & Templo*.

At quomodo *crucis & mortis Christi sacrificium* primarium & principale sit ad redemptionem nostram, L. 10. c. 10. nu. 1. *Primò*, quia cum Christo & gens humana & diabolus cruci affigitur, sed diversimodè, *ibid. Secundò*, quia patientia & humilitate per Christum vincente propitiatur Deus, n. 2. *Tertiò*, ideo non in Templo, sed in orbis prospectu & meditullio passus est Christus, n. 3. At mactatio tantùm extra aram, quæ ponitur in cœlis, *infrà* C. 11. n. 13. *Quartò*, & post crucem rursus omnia desiere sacrificia, C. 7. nu. 11. C. 10. n. 4. *Quintò*, quia justitiam incarnatam immolari in cruce, id profuit, id unum prodesse potuit generi humano, num. 5. *Sextò*, quia Christi crux summæ Philosophiæ, summæ justitiæ, summæ sanctimoniæ specimen & miraculum, ac veræ fons gloriæ, n. 6. *& seqq. Septimò*, quia nec catholicum tantùm crux sacrificium est, sed juge & perpetuum est, quod semper offertur à Christo & justis illud adimplentibus, n. 10. *Octavò* denique, ut Christi & Ecclesiæ unum sit illud sacrificium perpetuum? n. 11. Quod rursum consummatur in cœlo, C. 11. n. 8. 12. 13.

Post resurrectionem maximè suam & etiam nunc *in Cœlo* Christus sacerdotio suo fungitur, *ex Epist. ad Hebr.* L. 10. c. 11. n. 1. 3. 4. 7. 11. Item & ex Psalmis, nu. 2. Dignitas hujus in cœlo sacerdotii & sacrificii, quæ nec Filium Dei humanatum dedeceat, nu. 5. Ut id Christum & Christianos addeceat, ex Chrysostomo in primis Paulinæ gnaro Theologiæ, num. 6. 7. Ut crucis & cœli unum sit sacrificium? nu. 8. *& seqq.* Præsertim ex Græcis. Qui omnia loca & tempora & omnem Ecclesiam hoc Christi sacerdotium complectatur? n. 12. Ut victimæ occisio in cruce eò spectaret? n. 13.

Eadem Paulinæ Theologiæ dogmata non aliter interpretatur Augustinus cum suis Latinis, L. 10. c. 12. *integro*. Idem confirmant turmatim Patres ex illo manipulo primitiarum, qui in Pascha offerebatur, C. 15. n. 1. Idem ex residuis vulnerum vestigiis in carne immortali, n. 2. Rursus ex præsentia Christi sola in cœlis, quæ sacrificii instar est, n. 3. & L. 9. c. 6. nu. 8. Dum autem Christus sic interpellat, orant & Sancti, ut ejus sacerdotii portiones, L. 11. c. 10. n. 4.

Præterea ex eo quòd Ecclesia in cœlis jam beata & beanda seu ex omnibus electis per resurrectionem complenda, victima sit holocausti sempiterni, cujus Christus sacerdos, idemque victima, L. 10. c. 14. *integro*, L. 11. c. 8. nu. 13. 17. Ex his conficitur altare illius sacrificii, tam Christi, quàm Sanctorum, in cœlis esse, L. 10. c. 10. num. 3. C. 11. num. 13. C. 14. num. 7. C. 25. num. 1. *& seqq.* Plura infrà de sacerdotio & sacrificio Eucharistico eodem, tam hìc quam in cœlis, *v. etiam Eucharistia*. Item quæ hìc spectant ad sacerdotium Aaronicum, *v. suprà in Aarone*.

Melchisedeci sacerdotium Scripturæ & Patres constanter Christo vendicant ex variis consonantiis & conjecturis, contra Judæorum cavillationes pro Exechia, L. 10. c. 15. num. 6. *& seqq.* Ex variis ipsis de Melchisedeco fabulis, quanti fieret in Ecclesia ejus sacerdotium Christo haud indignum, n. 15.

Quod autem sacerdotium Christi *Melchisedecicum* principaliùs in sacrificio Eucharistiæ versetur, atque adeò verissimum hoc sit sacrificium, ex iisdem Scripturarum Patrumque momentis demonstratur, *toto* c. 16. Et hæc consensio Melchisedeci cum Christo capitalis & principalior, cum de sacerdotibus agatur, ex ipsa sacrificandi ratione, nu. 3. 11. Cur Paulus de *panis & vini* per Melchisedecum oblati sacrificio Ecclesiæ sacrificium præsagiente, nullum verbum fecerit, n. 3. Hoc Melchisedecicum sacrificium exorsus est Christus pridie mortis suæ, ut illi crucem mortemque suam illigaret, ex Theod. n. 14.

Imo *Eucharistiæ & Crucis unum sacrificium* probatur esse ex Nysseno, qui in Cœna Christum ait sibi præmori cœpisse, & inde triduum mortis incipiendum, L. 10. c. 17. num. 1. In utra morte plus præsidii? *Ibid.* v. 5. Ita hostiam sapientiæ ab ipsa sapientia mactatam esse, non ab ejus hostibus, ex Cyrillo, num. 2. Cruci & Eucharistiæ quid conveniat? quid non conveniat? ex Chrysostom. num. 3. 4. ex August. nu. 6. 7. Crucis commemoratio in Eucharistia non nuda, non inter *imagines* reponenda, ex eodem & Ambrog. & Cypr. contra figurarum venditatores, *ibid.* & num. *seqq.* Summa doctrinæ Cæsarii luculentissimæ, ut præsens adsit caro Christi, n. 11. 12. C. 26. n. 12. *& seqq.* Item de Mysteriorum Christi æternitate quadam, C. 17. n. 13. præsertim in Eucharistia, C. 26. n. 3. *& seqq.* C. 28. n. 5. *& seqq.* v. jam supra in Mysteriis.

Rursus sacrificium Eucharistiæ idem atque crucis esse, ex ipso ritu externo probatur, L. 10. c. 18. Ut crucem imitetur Eucharistia fuso sanguine Christi, nu. 1. *& seqq.* Ut corpus Christi in Eucharistia dividatur, frangatur, atteratur &c.? nu. 7. 8. Hæc autem contra Berengarianos Catholici, non ut ad jejuna iterum Judæorum revolvantur elementa, num. 5. §. *apertè*. Quantum ab horum & illorum perfidia fides & Religio nostra discrepet? *iterum* num. 9. v. 6. Summa capita totius doctrinæ, ut Eucharistia & crucis memoria sit, & idem cum ea sacrificium, *toto* n. 9.

Melchisedecicum sacrificium de reportata victoria *gratiarum actio seu* Eucharistia est: & quàm verum sit sacrificium gratiarum actionis? L. 10. c. 24. nu. 1. *& seqq.* Ideo etiam post institutam Eucharistiam reliqua sacrificia evanuerunt, num. 4. 11. Christus ipse ut summum donum in quo omnia, statu suo substantivo est Eucharistia seu gratiarum actio, n. 5. etiam *in cruce*, non ita propitiatorium, ac Eucharisticum sacrificium hoc omni loco & tempore celebrandum, nu. 8. Ideo patriæ & Beatorum magis proprium est, n. 10. 11. ac cc. *seqq.*

Sacrificio Eucharistiæ tota cum Christo implicatur Ecclesia ut victima, L. 10. c. 19. *Primò* quia non est aliud germanum usquam sacrificium, quàm quo seipsum virtutesque suas cum hostia Deo homo immolat, num. 1. *& seqq.* Et ita per fidem virtutesque indissociabiles ipsa cum Christo Ecclesia concorporatur in unam hostiam, ex Augustinus, num. 4. nec immolamus nisi justitiam, cum immolamus Christi carnem & Ecclesiam sive in crucis sive in Eucharistiæ sacrificio, ex variis antiquis scriptoribus num. 5. 6.

2°. Quia externa ipsa Christiani sacrificii species devoveri immolarique Deo totam fidelium Sanctorumque societatem vociferatur, n. 5. Id signat ritus aquæ cum vino mixtæ, ex antiquissima Apostolorum, imo Christi ipsius institutione, contra quoslibet Novatores, nu. 8. Item & panis ipse vinumque multis ex granis acinisque ita concrescens, n. 9. *& seqq.*

3°. Quia panis ipse Eucharisticus non in nos absumitur, sed nos in seipsum commutat, num. 14. Idque præclarè ex Vvillelmo Paris. ipsoque Augustino contra Novatores, qui non viderunt subducto hoc fundamento corporalis sacrificii totam collabascere structuram sacrificii spiritalis Ecclesiæ & virtutum, n. 15.

4°. Ex eo quod per Eucharistiam cruci & passioni Christi inserimur, quæ unum verum & proprium est sacrificium, L. 10. c. 20. n. 1. Hinc Eucharistia ad crucem & martyrium inaugurat, nu. 2. *& seqq.* Et in Martyribus patitur immolaturque Christus, ac suam victimam, suumque sacrificium catholicum integrat, num. 3. Hinc denique cur animæ & corpora Martyrum *sub ara Dei?* n. 6. L. 11. c. 10. n. 1. 5.

5°. Quin Eucharistia extensio quædam est & propagatio Incarnationis ex multiplici utriusque consonantia, apud Patres Græcos, L. 10. c. 21. & apud Latinos, c. 22. *Vide jam supra in Christi Inc. & Myst. ac infra in Eucharistia*. Adde hìc tantùm pro ratione sacrificii, quod ipsa Eucharistia sit sacrificium humilitatis seu exinanitionis Christi, C. 23. nu. 1. 2. nec non & unitatis per Incarnationem inchoatæ, n. 3. *& seqq.* ac tandem Deificationis, sicut Incarnatio ipsa, n. 10. junge & charitatis ac gratiarum actionis ex supradictis ad *calcem Melchisedeciani*.

Iterum ac ultimò de eodem *Melchisedecico seu Eucharistico Christi sacrificio*, ut idem & unum sit *Ecclesiæ & Cœli*, L. 10. c. 25. ex multiplici pariter utriusque loci, altaris, ac Hierarchiæ consonantia, n. 1. *& seq.* v. *jam supra in Altari & Angelis*. Junge quod Eucharistia Melchisedecici sacrificii idem sit panis nobis mortalibus ac sempiterna veritas beatis immortalibus, ex cc. 26. 27. 28. *integris*. Item quod etsi Eucharistia sit caro Christi ipsissima seu verissima, spiritale tamen & non materiale tantùm sacrificium ac sacramentum sit, ex cc. 29. & 30. Sed ob sacramenti conjunctam rationem, v. *fusius in Eucharistia*.

At adde hìc ex his & septemdecim potissimùm conjecturis contra quatuor dumtaxat Ivonis Carnotensis contrarias, corpus suum impassibile, quale futurum erat post resurrectionem, consecrasse Christum in ultima cœna, quæ fuit prima eius consecratio, reliquarum deinceps fons & exemplar, L. 10. C. 31. *præsertim* n. 5. Itaut omnium sacerdos æternus secundùm ordinem Melchisedech in antecessum Christus ipsemet esset, nu. 14. Ultimum monitum, quod si hæc non persuadeant, non frustra tamen sint ad demonstrandam Eucharistici panis cum resurrectione etiam corporum ac beata immortalitate agnationem, multaque alia scitu dignissima, nn. *seqq. præsertim* 21. §. *Si cui*, *in fin.*

Christi adoratio passiva,
Seu ipsius, ejusque crucis, & imaginum cultus.

Nequidem carni Christi propter seipsam adhærendum, L. 11. c. 1. n. 7. Et hic fuit scopus incarnationis haud frustraneus,

neus, ut à creatura ad creatorem solum adorandum converteremur, *ibid.* & c.2. n.1.

Duo tamen probantur *toto illo* C.2. Primum, humillima illa adoratione quæ latria dicta est, Christo etiam homini litari, ex ipsis simul sacris litteris, Ecclesiæ perenni pietate, Patrum utriusque Ecclesiæ consensione, & ex fidelium omnium conspiratione, quæ omnia implicantur, n. 2. *& seqq.*

Secundum, Deo nihilominus soli latriam impendi, quia nefas est Christum dissecare, aut carnem à Verbo sejungere, ex eadem multiplici & conspirantissima authoritate simul cum ratione conjuncta, nu. 6. *& seqq.* Et quidem ita ut ne coadorari quidem caro vel homo dicatur cum Verbo, ne creatura cum Creatore coadorari videatur, sed una adoratione Verbum ante & post carnem, ex præjactis suprà principiis, n.12. *& seqq.* v. *in unione hypostatica, & in propositionibus de Christo, &c.*

Maximè post resurrectionem totus Deus cum sua carne Christus una latria colitur, L. 11. c.2. n.21. 22. Jam inde tamen & ab ortu suo, & cur? n.23. Tantum abest, ut satius fuisset creaturam à Creatore unica illa adoratione excludi, quin sic sapientiùs & securiùs cohibita sit creaturarum omnium adoratio, nu. 24. Quàm diverso sensu unam Christi adorationem prædicaret Apollinaris, Nestorius, Ecclesia? c.3. n.7. 8. 9.

Caro ergo Christi non alio quàm latriæ cultu colenda, nec aliter quàm cum Verbo, L.11. c.3. præsertim n.1. 12. 13. 14. 16. Quo animi affectu illi accidendum sit? n.15. Hyperduliæ cultus seorsim à Verbo, quantum humanitati detrahat? *ibid.* & n.17.

Crux vera ut Christi contactu & sanguine consecrata inter sacrosanctas reliquias *adoratur*, L.12. c.5. n.1. Non materia bruta, sed omnia Dei attributa in ea, n. 4. c. 6. nu. 8. Item aliæ virtutes, c. 7. nu. 7. *& seqq.* Imo ipsa Christi crucifixio atque adeo divinitas implicata, c.5. n. 4. Quid responsandum ad absurdas quæstiones, cur non adoretur & vectrix Christi asina? &c. n.6. Item ad alias objectiones de adoratione creaturæ, nu. 13. Adorat Christi crucem Paulus in perennibus Epistolis, adorat cum eo Ecclesia, & inopini adversarij, num. 6. Quantò magis fidi imitatores, *ibid.* & c.6. n.5.

Quomodo crux Christi Judæis quidem scandalum, Gentibus stultitia, omnibus horror; Christianis tamen Dei virtus & justitia, L.I. c.6. n.5. L.2. c.7. n.1. 8. *& seqq.* L.X. c.10. n.6. Odium Hadriani & aliorum *in crucem*, nonnisi ex prævio Christianorum erga eam amore & cultu, L.12. c.5. nu. 9. *Restitutus cultus ab Helena*, & ritè ab Episcopo Jerosol. institutus, applaudentibus aliis, *ibid.* Statim lignum crucis minutatim per orbem spargi cœptum, citra diminutionem, ex Euseb. & Cyrillo Jerosol. nu. 1. 8. 9. Non lignum tantùm crucis, sed & clavi & ferrum lateris, sepulchrumque ex toto olim orbe adorata, & quo sensu? nu. 13. 14. Ita loco horroris pristini cultus multiplex, n. 2. *& seqq.* Vetitum etiam ne crux deinceps prophanaretur, c.6. n. 16. Quo sensu Minutius responderat Cæcilio, cruces nec colimus, nec optamus? c.7. n. 3.

Jam antè crucis imaginis veneratio plurima, L.12. c.6. n.14. Eadem ferè ratio adorandæ imaginis, ac veræ crucis, n. 1. 3. c. 7. num. 12. Antiquitas & traditio hujus cultus ex Græcis, *toto* C. 6. Ex Latinis, c. 7. Crucis signum etiam ad omnem usum jam ab initio Ecclesiæ, C. 6. nu. 2. 3. 7. *& seqq.* c. 7. n. 1. 3. 5. 6. Imò in toto mundo adumbrabatur inter Gentilium, & Judæorum maximè signa, c.6. n. 2. c.7. n. 1. 2. 5. *& seqq.* In Moyse præsertim & serpente effingebatur jam tunc non vera crux, sed crucis imago salvifica, c.7. num. 2. Ejusdem quàm aliarum imaginum cultus fundatior, n.11. c.12. n.9. c. 13. nu. 17. Quomodo intelligendi Scholastici annuentes latria coli crucem & alias imagines Christi, c. 13. num. 16. Reliqua vide inter *Imaginas sacras, & Reliquias.*

Cicuta.

Delicatum mortis genus cicuta, somnus magis quàm mors, in Socrate nullatenus morti Martyrum æquiparanda, L. 1. c.14. n. 4. 5.

Cogitatio, conscientia, consensus, cor.

Solus Christus à vitiis, non consensum modò, sed & cogitatum prohibere potuit, L.I. c. 14. nu. 5. Quomodo ipse sit *in corde* seu *in conscientia nostra*. Imò intimior intimo nostro, nisi se foras animа projiciat? C.9. n. 1. 4. c. 15. n. 1. L.2. c.8. n.2. L.10. c.6. n.12. Hinc tam sæpè, *Redite prævaricatores ad cor?* L. I. c. 15. n. 1. Et quod idem vel perfectius est, *sursum corda ad Dominum*, c.13. n.1. L. 2. c. 9. nu. 3. Quin & clandestinus est ipsius veritatis cum innata conscientia consensus, L.I. c. 15. n. 1. *& seqq.* L. 10. c. 6. n.12.

Solius etiam Creatoris est cor & conscientiam intrare secretam, L.3. c.22. n.23. 24. L.6. c.12. n.14. 16. Quomodo igitur cor hominis implere possit diabolus? L. 3. c. 22. *præsertim* nu. 9. *& seqq.* L.6. c.12. Vitiosarum cogitationum seges, non ex voluntatis seu cordis natura, sed ex diaboli satu & peccati pœna, L. 5. c. 10. *præsertim* nu. 6. Quin ego per bonos Angelos magis inspirentur & cœlestes & bonæ? L.11. c.5. n. 8.

Columba.

Cur olim in columbis aureis argenteisve Eucharistia asservaretur? L.10. c.29. n.12. §. *non*. Nec ita dicatur Spiritus sanctus per Columbam apparuisse aut pingi, ac Filius per hominem? L.12. c.9. n.22.

Communio, v. Eucharistia, Excommunicatio. Item suprà in Christo, ac infrà in Sanctis.

Compositio.

Multiplex compositionis propriæ vel impropriæ sensus, L. 3. c.6. n.5. *& seqq.* usque in finem, c. 13. n. 9. c. 19. n. 9. In corporibus tantùm compositio non fit ex duobus perfectis, c.16. nu. 3. Sicut animæ & corporis, ita Dei & hominis in Christo physica compositio est, non metaphysica, qualis fortè fingitur essentiæ & existentiæ, C. 18. n. 4. 8. v. *plura in Christi unione hypostatica.*

Conceptio.

Substantivè quidquid est, quale concipitur vel nascitur, L. 3. c.12. n.1. Filij ac Verbi proprium est concipi vel nasci, L.2. c.2. L.3. c. 12. n. 2. De modo concipiendæ corporaliter prolis per ipsam divinam charitatem, L.6. c.1. n. 3. 4. 5. V. *jam suprà in Adamo, Amore, & Christo.*

Concilia.

Nullum unquam Concilium seu Synodus Ecclesiam totam ab errore liberavit, L.12. c.10. n.6. De singulis Conciliis v. in *prop. tit.*

Concupiscentia, Cupiditas.

Utriusque hominis status disparitas maxima, ex nostræ præsertim concupiscentiæ reliquiis, L.2. c.10. n.2. §. *audio*, & n.9. c.11. n.3. & 4. L.6. c.1. n. 7. *& seqq.* Hinc compugnantia voluntatum, non ex natura hominis, sed ex lege peccati, L.5. c.10. n. 4. *& seqq.* Quid autem lex peccati, nisi concupiscentia seu cupiditas? *toto eodem* C. 10. *Præsertim* n.17. L.6. c.1. n.8.

Per Baptismum reatus quidem concupiscentiæ, non ipsa concupiscentia extinguitur, nisi post resurrectionem, L. 6.c.1. n.8. Hinc nondum plena Filij subjectio, nec Christi in omnibus lenitudo, lege membrorum lasciviente, L.2. c.11. n.8. L.6. c.1. n. 7. *& seqq.* De corruptibilitate concupiscentiæ per ignem charitatis tunc exurenda, L. 10. c.14. n.1. *& seqq.* Interim sicut nihil aliud præcipit Scriptura quàm charitatem, sic nihil aliud vetat quam cupiditatem, L.I. c.8. n.9.

Confusio.

Solius hypostaseos cum propria natura inexpugnabilis est confusio, L.3. c.12. n.13. c. 19. n. 12. Nequaquam tamen utriusque naturæ partialis semper fit confusio, puta animæ & corporis in homine, n.11. Nec sequitur confusio ex quacumque permixtione vel compositione, v. *In Christi unione hypostatica.*

Constantinus Magnus.

Ejus merita erga Ecclesiam, L. 11. c. 6. nu. 12. *circa finem.* Templum S. Michaelis nomine famosissimum extruxit, haud dubiè non ad idololatriam, *ibid.* An sacrilegus ipse, qui sanctas reliquias transtulit? ait Hier. L. 12. c. 2. n. 7. Constantinum Mag. filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet, ait Chrysost. c.1. n.6.

Contemplatio, Contemplatores.

Cõtemplationis oculo per peccatum confosso, successit nunc oculus fidei, L.I. c.3. n.15. Necessarios tamen semper esse quosdam contemplatores in Ecclesia, quibus simplex aliorum fides nitatur, L.7. c.8. n.18. Nec ab ipsis subtilissimis contemplatoribus sine velo quopiam gustatur veritas, à fortiori nec ab aliis, L. 10. c. 30. n. 11. Contemplatoribus & contemplationi maximè suffragantur Angeli, L.11. c.5. n.8. 9. *latissimè.*

Corrupticolæ hæretici.

Inter Acephalos Severus Monachus Corrupticolarum novam sectam peperit, quod illi corruptibilem Christi carnem dicerent, utpote carnem, licèt ejusdem cum Verbo naturæ, *Præfat.* n.10. §. *In Orient.* Ita naturas quidem cõfundebant, non proprietates, sed tantò pejùs, L.4. c.12. n.1.

Creatio, Creator, Creatura.

Creatoris Redemptorisve laudes, cum creaturæ utilitatibus semper admixtæ, L.I. c. 1. n.1. Priùs tamen Creatoris aut Redemptoris gloria, tum demum Creaturæ salus, L. 2. c.6. n. 12.

Solius omnipotentis Creatoris & jus & ars & potestas est, quod opus finxit refingere, L.I. c.1. n.3. L.2. c.2. n. 1. *& seqq.* L.4. c.3. n.1. *& seqq.* L.9. c.1. n.4. nec nisi post peccatum, L.2. c.7. n.1. *& seqq.*

In reparando quàm in creando maior potestas, L.I. c. 1. nu. 5. Ibi ludus, hìc labor, ibi in Creaturam, hìc in seipsam Deitas vires suas exerit quodammodo, *ibid.* Luculentior etiam in reparando quàm in creando sapientia, n.9.

Discrimen aliud inter creationem & Incarnationem ex parte imitationis, L.I. c.2. n.8. aliud ex parte doni & debiti n.10. aliud ex parte effectuum, quoad cultum Dei, c.5. nu. 6. Nempe cum opera creationis familiaritate aut superstitione viluissent, Dei corporati miraculo excitari nos oportuit, L.I. c.5. n.6. L.2. c. 8. nu. 1. Creatura ipsa corporea Creatoris seu veritatis invisibilis quodammodo sacramentum est, L.I. c. 5. n. 13. a fortiori veritas incarnata in homine, qui non vestigium tantùm Creatoris, sed ipsa imago est, n.14. c.6. n.4. 5.

Omnia bona à Deo primùm creata, nempe in suis seminibus seu naturis communibus, ex Joanne Maxent. L. 3. c. 20. nu. 13. Hinc creaturæ omnes æquè Deo indignæ, vel potius nullæ indignæ præter peccatum, quod non condidit, L.I. c.2. n.2. 3. L.2. c.3. n.4. c.7. n. 13. 14. Hinc creaturæ omnes aliunde Creatori placando impares, L.I. c.4. n. 1. *& seqq.* maximè quia creatura nihil habet proprium, L.9. c.10. n. 1. *& seqq.* Quod autem creaturæ omnes semper Deo imperfectiores sint, & à Deo perfici valeant, v. *natura &c.* At tam Creator non violat nec corrumpit unquam creaturam, quàm nec corrumpitur aut violatur ab ipsa, L.2. c.3. n.4. c.4. n.1. L.5. c.3. n.5.6.

Quomodo sumus in *Christo nova creatura*? L.2. c.11. n.9. 13. Ipseque Christus *creatura* dicatur, *ibid.* §. *Idem.* Nisi autem in ipso Creatoris seu divinitatis sinu creatura creetur, non posset hypostaticè uniri, L.3. cc. 11. 12. & 17. n. 7. *& seqq.* Assumpsit autem Reparator, quidquid condiderat Creator, ac proinde existentiam, per quam reliqua condidit, c.18. n.3.

Qua ratione creatio ipsa speciatim Filio tribuatur? L.I. c.4. n.9. L.2. c.1. n.5. *& seqq.* c. 2. n. 8. Creare autem rursus quam sit Deitatis proprium? L.5. c.6. n.8. Et hinc humanitas Christi, licèt suo modo omnipotens, non potest ad creandum esse instrumentum Deitatis, c.7. n.1.2. Quantumvis etiam in manibus & vestibus virtus creatrix inerat n.8. 9. & sic conciliantur Theologi cum Patribus, c. 9. n. 14. An Creatura possit condi independens, vel impeccabilis? v. *servitus*, *peccatum &c.*

Credere, *v. fides.* *Crux*, *v. suprà in Christo.*

Crucifixores.

Crucifigi & de crucifigentibus bene mereri summum bonitatis, & ideo Deitatis argumentum est, L.I. c. 2. n. 4. c. 10. n.10. c.13. n.4. L.4. c.1. n.13. L.10. c.10. n. 6. *& seqq.* c.27. n. 4. Justitiæ etiam cumulus fuit justum pro injustis & ab injustis passum, ut justificarentur, nihilque unquam mali paterentur, hinc vehementiùs illustrari, L.I. c.4. n. 3. 4. L.9. c.10. n. 17. *& seqq.* An & pro suis crucifixoribus Christus exoraverit? C.5. n.5. *& seqq.*

Qui Christum Deum negant, ejus crucifixores perfidia superant, L. 4. c. 1. n.7. Nec ipsum ejus corpus tam tortorum manu, quàm peccatorum vi, cruci affixum est, L.I. c. 11. n. 1. §. *Nihilosecius.* Nequaquam verò scelere sævientium, sed pietate justi occumbentis deleta sunt ipsa peccata, c.4. n. 4. 8. L. 9. c. 10. c. 19. *& seqq.* Nimirum mors ipsius, quantum ad interfectores spectat, immane facinus; quantum ad ipsum, sacrificium & holocaustum fuit & pro illis, c.8. n.6. *& seqq.* c.9. n.19. *& seqq.*

Cultus multiplex, *v. Adoratio.*

Necnon in Angelis, *Christo*, *Deo*, *Imaginibus*, *Reliquiis*, *Sanctis.*

Cusanus Cardinalis.

Nullus eo penitiùs introspexit fundamenta doctrinæ de interminata Christi hominis scientia, L. 7. c.9. n.1.

Cyrillus Alexandrinus.

Primus ille, ante ipsum Cælestinum, & Ephesinam Synodum, Nestorij labem, objecta catholicæ veritatis luce profligavit, *Præfat.* n.18. Eutyches patrocinium sibi accersiit a Cyrillo, sed incassum, utpote cujus si verba videretur sequi, mentem certè non assequeretur, §. *Dum.* Prævertérat Cyrillus cavillationes, quibus postea Theodoretus alijque ipsum lacessiverunt, L.3. c.2. n.1.

Cyrilli genio styloque adsuescendum, ut qui præ cæteris Incarnationis adyta penitissima introspexit, L.3. c.3. n.5. c.7. n.3. 4. 7. c.9. n. 1. 2. c.10. *ferè integro.* C.24. n. 4. *& seqq.* Eas tamen voces aliquando adhibuit, quas posterior ætas, ut minùs tempestivas confixit, n. 12. *& seqq. usque in finem.*

Cur unionem in Christo *naturalem* centies contra Nestorium prædicet, potiusquam personalem? L. 3. c.7. n. 1. Unitionem *naturalem* dixit pro *naturarum*, nu. 8. Ob id aliquando malè audiit apud Orientales: ipsis conciliatus, aliis displicuit, C.24. n.13. 27.

unam quoque *Filij seu Verbi incarnati naturam* quandoque dixerat, L.3. c.7. n.6. Dubium an ipse primus vel Athanasius eam propositionem invexerit? C. 13. n. 1. 4. 11. 13. Ipsum alij de hypostasi seu de persona, alij de natura ipsa satis in differenter interpretati sunt, n.3.8. Omnes orthodoxè, præter Leontium Bizant. nu. 4. 13. Objiciebatur etiam ex Cyrillo locus pro una Christi operatione, sed multipliciter solvitur, L.5. c. 7. n. 2. *& seqq.* Ac tandem concluditur per *unam Verbi incarnatam* sive naturam sive operationem, duas à Cyrillo demonstrari, sed unam hypostasim, n. 5.

Quàm strenuè propugnet Cyrillus vocem propriam *Deiparæ*, L.3. c.15. *ferè integro.* Et quidem etiam ex Patribus antiquis, quidquid adhuc contradicat Leontius, nu. 17. De voce *commixtionis*, *instrumenti*, aliisque juxta ipsum de Christo rectissimè usurpandis, v. *in unione hypost. &c.* Cyrilli tandem sententia de Christi hominis scientia expenditur & purgatur fusissimè, L. 7. c.4. n.7. 8. c.5. n.5. 6.

Cyrus Alex.

Hic Patriarcha etiam Alexandrinus Imperatores Heraclium & Constantem ad Ecthesim & Typum, inter alios Monothelitas impulit, *præfat.* num. 10. §. *De.* Cum sua Pseudo-Synodo, pro *nova* ex Dionysio, *unam Dei-virilem* Christi operationem subjecit, dum Colluthus Deo-decibilem, L.5. c.8. n.1. Contra Cyri impostuRam insurrexere statim Sophronius & Martinus R. Pontifex, *ibid.* Purgare illum adlaboravit Pyrrhus Constantinop. Patr. *ibid.*

D

Dæmones, *Diabolus.*

Victrix antea diaboli potestas per Incarnationem compressa est, L. 1. c. 1. num. 6. Totum genus humanum à potestate dæmonum eripere solius Dei erat, L. 4. c. 3. nu. 4.

Longè potentius & invictius fuit Diabolum justitia quàm potentia vincere, L.I. c.3. n.1. 2. Imò justitia & potentia à Christo vinci perinde est, L.9. c. 8. n. 10.

Non alio capite peccarat diabolus, quam quòd potentiam contempta justitia affectarat, L. 1. c.3. n. 2. Et tamen justè detinebatur homo à diabolo, n.3.

Principatus & dominij diabolici fundamenta, in primatu peccandi, in granditate peccati, in magisterio & authoritate, in antiqui principatus reliquiis; quod in ipsa injustitiæ sede regnet tamen umbratiliter saltem justitia & ordo: quod ultro se homo vendiderit, L.1. c. 3. n. 4.

Doctorum de illo jure diaboli discordia, n.5. 6.7. Conciliantur Patres, n.8. *& seqq.* Quod diaboli voluntas semper injusta, necnon & potestas, quoad ipsum, non autem quoad hominem se dedentem, & Deum permittentem, *ibid.* & L. c.8. n.11.

Justa ergo potestate justè exutus est diabolus, 1. Quod ultra limites suos grassatus est in innocentem, L. 1. c. 3. n. 10. 11. 12. 2.° Quod hominis victor diabolus ab homine vincatur, &c. numero 13. 14. Adde quod & humana etiam voluntate, contra Monothelitas, L. 3. c.16. n.9. *& seqq.*

3.° Juxta aliquos Patres, quod acquieverit diabolus nostræ liberationi, dum tanto pretio potiretur, L. 1. c. 3. n. 15. Repugnant quidem alij pretium sanguinis Christi diabolo fuisse persolutum, nu. 16. At referuntur & conciliantur omnes, L.9. c.8.

Si fefellit diabolum Deitas carne latitans, non tamen ea fraus officiebat justitiæ liberationis, L. I. c. 3. num. 17. 1.° Quod liceat fraudem fraude repellere, maximè exitialem salutifera, nu. 18. L.2. c.4. nu. 12. 2.° Quia fraudi diabolo non aliud fuit, quàm sua cæcitas & superbia, L. I. c. 3. nu. 19. Tandem etsi diabolum fallere cuperet, erumpebat tamen Deitas, L. 4. c. n.9. Hinc ab ipso diabolo Christus accepit testimonium, hoc est à falsitate veritas, n.3. 7. 9. 10.

Altissima autem peccati tum diaboli tum hominis radix superbia, L. 1. c. 16. n. 6. 7. Hinc Philosophi superbi superbos dæmones sequuti sunt, n. 9. Ita mediator quidem fuit diabolus ab initio, sed ad peccatum, & maximè ad superbiam, L. 9. c.1. nu. 5. 6. Nullatenùs autem possunt esse dæmones mediatores nostri ad Deum, contra Platonicos, ex August. n. 3. *& seqq.* L.I. c.16. n.1.

Ut *Evam* deceperit diabolus, vincendus vicissim à *Maria*, vide in *utriusque tit.* Occisus tandem à Christo, hoc est ab humilitate superbia, L.2. c.9. n. 5. §. *Seu*, & quidem simul

simul affixus cruci, v. *suprà*. Delirium quorundam veterum de natura dæmonum à Verbo quoque assumenda, & per passionem purganda, c. 12. num. 1. Non miserandus omnino diabolus, sed bis pro se & pro homine, quem decepit, puniendus, n. 7. *& seqq.* Maximè ob impœnitentiam, n. 12. 13. Quod autem ex munificentia Christi nihil in Dæmones depluat, magis illustratur ejus triumphus & gloria, n. 22. v. *etiam in Angelis*.

Ad peccandi necessitatem quidem pervenerunt, sed voluntate in utrumque versatili, L. 5. c. 13. n. 14. Adhuc etiam servi sunt, sed conditionales & ex necessitate, L. 8. c. 18. n. 10. Semper tamen usurpant quantum possunt jura ipsius Domini, in primis in possessionibus hominum, de quibus v. in *Energumenis*. Item in sacrificiis veterum, non nidore pecudis, ut existimabant Philosophi, sed furto Deitatis delectabantur, L. 10. c. 2. n. 1. *& seqq.* Ut in multis aliis sunt veri Dei simiæ? *ibid.* & L. 12. c. 7. n. 1. 2. §. *Idem*. C. 11. n. 8.

At nequidem Dæmonum immortalitas, morti nostræ post Christum præponenda, L. 1. c. 16. n. 11. 12. 13. L. 9. c. 1. nu. 3. *& seqq.* Quomodo tandem per ipsum crucis signum toto orbe exagitati & fugati sunt? L. 12. c. 6. n. 7. *& seqq.*

David Propheta.

Conciliatur David pulchritudinis in Christo preco, cum Isaia deformitatis lamentatore, L. 4. c. 7. n. 7. 11. 17. Jungitur ipse cum antiquioribus Patriarchis in commemorationibus apud Deum, L. 11. c. 7. n. 4. Cur à Salomone potiusquam à Davide extruendum templum, Davidi ipsi divinitùs præmonstratum est? L. 12. c. 8. n. 2. §. *Et infrà*.

Debitum, donum.

Donum in debitum convertere, summæ beneficentiæ ars est & fastigium, L. 1. c. 2. nu. 13. Deus ut misericors donat, quod sibi ut justo debetur, c. 4. n. 5. Nec ludicra alternatione, idem nunc creditor, nunc debitor est Deus, nu. 9. L. 2. c. 2. n. 9. L. 9. c. 10. n. 16. Ipsum tamen debiti nomen necessitatis nodos sonat, & obnoxiæ invidiam servitutis à Deo alienæ, n. 5.

At creatura quidquid Deo donat aut persolvit, aliunde jam verè debitum est, L. 1. c. 4. n. 12. L. 9. c. 10. n. 1. Ita omnium debita vel donare vel exsolvere, non est nisi Domini & Dei, c. 7. nu. 8. Christus maximum illud donum, in quo continentur omnia alia dona, L. 1. c. 16. n. 12. §. *Supersunt*, v. 10. L. 10. c. 24. n. 5.

Deitas, Deus, divina.

Dei natura bonitas, L. 1. c. 2. n. 1. 3. 4. Summum bonitatis, summum Deitatis est argumentum, n. 6. Similiter charitatis summæ, quæ Deus est, amorem provocare prævenïendo, & quidem summo beneficio, n. 9. Hoc si non fieret, homo Deum sibi Deo meliorem fingeret, n. 10. Imò creaturam cui plus deberet, n. 15. c. 8. n. 1. c. 11. n. 13. L. 4. c. 5. n. 4. 13. Nec nobiliùs concipitur Deus, quàm ut charitas, sanctitas, &c. c. 16. nu. 12. *& seqq.* L. 6. c. 7. *& seqq.* *præsertim* CC. 14. 15.

Sola Deitas stat, & status ipse est; & quidquid ibi est, constat, nec contrariis alternat aut corrumpitur, L. 2. c. 2. n. 10. Deus quantus maximus est, ipsum est esse, seu existere, nec aliud est ejus esse, quàm existere, L. 3. c. 21. n. 12. L. 4. c. 16. n. 16. 17.

Quomodo expers substantiæ Deitas, possit substantiari? L. 3. c. 7. n. 2. An Deitas in naturarum classem possit cogi? c. 17. n. 1. *& seqq.* Nequaquam in substantiæ genus nobiscum commune, c. 19. n. 17.

Deitas tametsi unitas & unitatis apex, adeòque à numero & multitudine alienissima, quia tamen natura est, in plures se dispensat hypostases, L. 3. c. 19. n. 23. v. *Vnitas, Trinitas, &c.* Et exinde an termini numerales possent dici de Deo? c. 14. n. 6. §. *Multus*.

Deitas forma formarum, & summus ordo creaturam suam nec deformare nec confundere potest, L. c. 5. n. 4. c. 9. n. 1. Nec aliunde formari aut perfici ab ea, adeoque nec pars esse potest, aut minor toto, sed perfectionis totalitas, & apex totalitatis, c. 6. n. 8. 9. Quid aliud sequatur ex disparitate inter formam summam, & alias? v. *Forma*.

Dei solius erat, quod opus formaverat, reformare, L. 1. c. 1. n. 3. 5. L. 2. c. 2. n. 1. *& seqq.* L. 4. c. 3. n. 1. *& seqq.* Item & reformando, naturæ suæ copiam facere, num. 3. *& seqq.*

Deo naturæ omnes æquè indignæ, L. 1. c. 2. n. 2. Imò nulla indigna præter peccatum, n. 3. L. 2. c. 3. n. 5. L. 4. c. 5. n. 8. 10. Multò plus à Deo rationalis natura percipi potest, quàm corporea à rationali, L. 3. c. 17. n. 4. 5. 6. L. 6. c. 15. nu. 5. 9. Longè incredibilior unio animæ cum corpore, quàm Dei cum anima, v. *jam suprà in anima & corpore, & infrà in homine*.

Deus tantis olim omnipotentiæ portentis nonnisi paucos homines traxit, & quidem temporalium bonorum spe, homo factus omnes solo suæ æternitatis amore, L. 1. c. 13. nu. 3. Vel hinc maximè, quòd tunc per meros homines, nunc per seipsum Deum in homine, L. 4. c. 3. n. 4. 7. Imò postquam corporatus est Deus, tum demum verè Deus incorporeus cœpit credi, L. 10. c. 30. n. 10.

Solus Deus mentes, tum humanas, tum angelicas immeare, suisque juris potest facere, L. 3. c. 17. num. 9. *& integris ferè* CC. 22. 23. Sic autem infirmum Dei supra omnem creaturæ potentiam, num. 3. 4. Imò vel hinc personæ incarnatæ probatur divinitas adversus Arianos, nu. 5.

Dei etiam attributa, & in primis 4. palmaria omnium ejus operum quasi capita & fontes, quantoperè ex Incarnatione Verbi illustrentur? L. 1. c. 1. n. 2. *& seqq.* Item *integris* CC. 2. 3. 4. Necnon C. 7. n. 12. Maxime verò per nostri lapsus curationem, L. 2. c. 7. *integro*.

Eadem, & alia Dei attributa, in Christi gestis, quàm in toto mundo, splendidiùs & ad intelligentiam & ad imitationem objiciuntur, L. 1. c. 5. num. 6. c. 6. nu. 4. 5. c. 7. n. 12. 13. Omnia simul & ad intelligentiam & ad religionem æternam pertinent, C. 7. num. 1. 2. 13. 14. Ab his temporalia pendent, iisque admixta sunt, nu. 3. 4. 12. *& seqq.*

Hæc divina longè accuratiùs nunc turbis hominum, quàm olim famosissimis Philosophis traduntur, L. 1. c. 1. n. 10. 12. *& expressius* c. 14. n. 5. Non sunt tamen divina humano modulo metienda, c. 19. nu. 18. L. 5. c. 12. nu. 2. L. 11. c. 6. n. 3.

Non ita Deus in assumpto homine se totum circumscripsit, ut à reliqua orbis cura se reciperet, L. 3. c. 19. n. 20. De præsentia Dei rebus, L. 4. c. 18. num. 19. Imò non habitat tota Deitas nisi seipsam, tota sui totius capax, & capabilis una est, L. 4. c. 1. n. 2. c. 15. n. 10. c. 16. *ferè toto*.

Quàm metaphoricè Deo & anima, & animæ affectus, ac membra in Scripturis ipsis tribuantur, in præludium solius Incarnationis? L. 1. c. 6. nu. 1. 2. ac CC. *seqq. & expressius adhuc* L. 4. c. 8. n. 25. 26. Nec aliter meliùs explicantur Dei membra, quàm per Angelos, L. 11. c. 5. n. 5. Necnon & Dei apparitiones, v. *etiam suprà suis aliis locis*. Ac tandem imagines Dei quam Angeli minùs licitæ, ex puriori Dei simplicitate, incorporeitate, invisibilitate, &c. juxta Dam. & alios, v. infra *Imagines sacræ*.

Item Deus longè aliter liber est, quàm vel homo vel Angelus, in primis quàm alienus ab omni mali & boni indifferentia, L. 5. c. 12. n. 3. *& seqq.* Imò supersubstantialiter Deus liber est, ex Maximo Martyre, c. 22. nu. 9. Simul aliunde ejus impeccabilitas multis aliis argumentis astruitur, c. 12. n. 4. 11. c. 13. n. 1. 6.

In genere, de natura libertatis ac meriti divini, ac utriusque ab aliis discrimine, L. 5. c. 14. n. 1. *& seqq.* Item c. 15. n. 1. *& seqq.* ac c. 22. nu. 1. *& seqq.* Specialiter de merito naturæ immutabilis, c. 16. n. 2. *& seqq.* Et quatenùs justitia ac sanctitas Dei mereantur laudes? n. 3. 4. 10. De singulis verò attributis divinis seorsim, & maximè in abstracto, vide *in propr. tit.*

Dei Vnius & Trini cultus.

Difficile est Dei cultum specialem aliqua voce latina designare, L. 11. c. 1. n. 1. Apud Græcos θεοσέβεια & λατρεία id est apud nos adorationis servitus addictissima, soli Deo debetur ut summo bono, nu. 2. *& seqq.* Solo etiam Deo uno & trino fruendum, atque adeo illi soli charitas devovenda, quæ vera servitus, vera est religio, n. 6. *& seqq.* Eodem redit, quod amor totus Deo propter se consecrandus sit, qui non colitur, nisi amando, nu. 8. *& seqq.* Item adorandi colendive voces divinis honoribus specialiter significandis jam olim dedicatæ, saltem tempore medio, L. 12. c. 12. n. 14. 18. 19.

Dulia seu cultus minor creaturæ tanquam Dei imaginis & propter Deum, priori non derogat, sicut nec similis amor, L. XI. c. 1. n. 3. 9. 12. c. 6. n. 1. Imò maximè Deo derogaretur, si non sic coleretur aut amaretur proximus propter Deum, *utrobique*, & L. 12. c. 13. Sic etiam nihil præter Deum, *ibid.*

Cultus Dei exterior nonnisi templis, aris & sacrificiis constat, qui nulli Sancto defertur, L. XI. c. 1. n. 11. c. 9. n. 13.

In unum se colligat tota adorandi religio, Patrem, Filium incarnatum, & Spiritum sanctum, Trinitatem unam, trinam Deitatem, L. 3. c. 10. n. 9. Et quidem non duplici, non multiplici, sed unica adoratione latriæ, L. XI. c. 3. *integro*. 1.° Ex illis tribus Pauli verbis, *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma*, n. 1. 4. 2.° Ex Christo ipso, fidem cultumque sui ad Patrem referente, n. 2. 3. 3.° Peculiariter, ex baptismi formula, n. 4. 4.° Ex eo quòd adoretur Pater *in spiritu & veritate*, n. 5. 5.° Ex una Angelorum laude ter sanctum celebrantium, n. 6.

Coadorantur quidem tres divinæ hypostases, ut unius Dei una sit adoratio; non coadoratur autem homo Filio Dei, & cur? L. 11. c. 3. n. 11. Horum primordialis ratio, quod tam non possit esse nisi una adoratio, quàm non potest esse, nisi una divinitas Patris, Filij incarnati, & Spiritus sancti, *ibid.* Et hinc huc refertur totus Dei etiam Trini cultus, v. *tamen etiam Trinitas & sacrificium.*

Deliciari. Deserta. Desideria.

Quid sit *deliciari* in Christo? L. 1. c. 10. n. 6. L. 2. c. 8. n. 6. §. *Vnde*, Item de Deo? L. 6. c. 20. n. 9.

Quantum sanctitatis afflaverit Christus *Desertis* Ægypti, vel fuga sua, L. 5. c. 7. n. 9. 11.

Quomodo ipse Christus non solùm desiderandus, sed & *desideratus cunctis gentibus*? L. I. c. 4. n. 10. c. 5. n. 20.

Desiderare etiam invocare est, L. 11. c. 6. n. 3. 4. Item ipse amor est *desiderium*, & *desiderium* oratio clamosissima, *ibid.* & c. 8. n. 1.

Diabolus v. cum Dæmonibus suprà.

Didymus Alex. Diodorus Tarsensis coævi.

Didymus Alex. quem Hieronymus interpretatus est, omnium optimè probat Spiritum sanctum & incorporeum & Deum esse, quòd mentes invadat, L. 3. c. 22. n. 2. *& seqq. præsertim* 10. Didymum Ambrosius visus est exscribere, non tamen sine plurimo incremento, n. 12.

Diodoro Tarsensis Episcopo, Nestorianæ dementiæ infamiam aspersit Cyrillus, quasi Theodoro Mops. ita præiverit, sicut Theodorus Nestorio, *præfat.* n. 10. Diodorum ab hac infamia vindicarunt complures, inprimis quòd Constantinopolitana Synodus prima eum inter insignes Catholicæ fidei & communionis duces & magistros recenseat, *ibid.* Utriusque defensores vocum aliquarum incuriam æquè ipsis condonandam volebant, ac sanctis Patribus, L. 3. c. 24. n. 2. Excipit Leoncius Bizant. n. 3.

Dionysius Alex. Dionysius dictus Areopagita.

Quo sensu *Dionysius Alex.* Episcopus sanguinem Christi incorruptibilem dixerit, contra Paulum Samosat. L. 4. c. 12. nu. 12.

Alter *Dionysius* primus dixit *Theandricam Christi operationem*, L. 5. c. 8. n. 1. Ut ejus authoritate & voce abuterentur Monothelitæ, *ibid. & nn. seqq.* Ea Dionysij vox ex seipsa, & ex ejus Epistola grandiloqua, ac interpretibus vendicatur, *toto reliquo* C. Amplificandæ & Dei & Christi majestati per suas negationes totus ipse studuit, *ibid.* n. 6. *& passim alibi.*

Discipuli, Doctores, Doctrina, Dogmata.

Quomodo *unus Doctor* & magister Christus, omnes alij *Discipuli*? L. I. c. 8. n. 5. 6. Transfugis *Discipulis* quomodo ipse occurrerit? L. 10. c. 29. n. 17. c. 30. nu. 2. 20. Quanquam per Doctorem hominem non doceat nisi veritas, & exerceatur charitas, optandum tamen ut sola doceat veritas Deus, L. 11. c. 11. n. 18. Pulcherrimum docendi & discendi genus per reliquias Martyrum, tanquam Doctorum loco per vicos à Deo constitutorum, ex Chrysost. L. 12. c. 1. n. 2. *& seqq.*

Æternis ac temporalibus *dogmatis* tota constat religio, L. 1. c. 7. n. 1. Eorum enumeratio & discrimina, nu. 1. & 2. Præcipuum est, quod æterna dogmata ad intelligentiam, temporalia ad fidem spectent, *ibid.* Temporalia ab æternis pendeant, num. 3. Hinc qui temporalia lacessunt, in æterna incauti offendunt, n. 3. 4. L. 5. c. 5. n. 3. Cur æterna ipsa nunc fœliciùs & accuratiùs tradantur turbis hominum, quàm famosissimis olim Philosophis, L. I. c. 14. nu. 5.

Christiana dogmata non adversantur quidem naturæ, etiam qua parte durissima visa sunt, L. I. c. 15. n. 3. *& seqq.* At nihil habuissent quod alliceret ad fidem, nisi virtus suprema ex parte Dei, & dispositio clandestina ex parte nostri præcessisset, n. 4. 5. Idipsum urgetur ex immensa contrarietate, paucos inter & imperitos Doctores, nempe 12. piscatores ex una partes, & innumeros toto orbe potentissimos adversarios, factos deinceps discipulos, ex alia, n. 5. Adde in iis plus virium habuisse *doctrinæ miraculum*, quàm miracula ipsa, n. 8. *Item toto ferè c.* 1.

Pluvia de nubibus, doctrina de verbis, ante peccatum non necessaria, ex August. L. 2. c. 8. n. 5. §. *Et rursus.* Jam olim Doctoribus Ecclesiæ perfectiora coram populis aliquando cælantibus imputata est invidia aut ignorantia, L. I. c. 10. n. 11. *in fine.* Vide etiam *Magisterium, Patres, Theologia.*

Dominari, Dominium, Dominus.

Dominari malitia miserrimum, quale est *dominium* diaboli, L. I. c. 3. n. 4. 8. An servus conservo dominari possit, contra jus communis *Domini*, n. 5.

Cur servus domino compositus ascifcatur in personam *domimini*, licèt hujus *dominium* & jus sit tantùm morale? L. 3. c. 3. n. 10. v. 6. 9. c. 9. n. 12. Ratio autem propria personæ in dominio substantiali & physico, cujus nonnisi rationales naturæ sunt idoneæ, L. 3. c. 3. n. 5. 10. v. 4. 6. 9. c. 8. n. 7. *& seqq.* Videm etiam *Libertas, Servitus.*

Dubia. Dulia.

Dubia non ex curiositate, sed pro enucleanda veritate exsolvenda, L. 3. c. 22. n. 1. Cur omnia in *dubium* à quibusdam revocata? v. suprà *Academici*, & infrà *Philosophi.*

Dulia, cultus seu servitutis nomen erga creaturam à latria distinctum, ex sacrorum & Ecclesiasticorum scriptorum usu, L. 11. c. 1. n. 2. 3. Vide *Adoratio* supra.

E

Ecclesia status varij.

Ecclesiæ Christianæ supra ipsos Angelos privilegia, L. I. c. 20. n. 11. 13. An in ea ipsi comprehendantur? C. 9. nu. 5. Saltem totius beatorum Spiritum Ecclesiæ non potuit non esse principalis Antistes & Præsul Verbum, L. 10. c. 9. n. 7. 10. 11. Hincque unus & summus Pastor unius gregis spiritualis, 99. oves reliquit, ut unam quæreret, L. 11. c. 4. n. 12.

Ecclesia per Paradisum, aut per Evam, etiam ante peccatum præsignata, L. I. c. 6. n. 5. An tunc Christi & Ecclesiæ fides, *ibid.* Cur per filiam Jephte virginem, virginis Ecclesiæ sacrificium adumbratum? ex Aug. L. 10. c. 14. nu. 8.

Longè fœliciùs ipsa *Mariæ desponsatio* dupliciter *Ecclesiam* præsignat, L. 2. c. 4. n. 12. Ut spiritalis Ecclesiæ fœcunditas similem Mariæ astruat? n. 6. *in fine.* Æterna etiam generatio ad Ecclesiam usque extenditur, L. 5. c. 16. n. 16. Imò *mulier amicta sole* seu Ecclesia Deo Patri maritata per baptismum, Christum generat in omnibus fidelibus, L. 8. c. 8. n. 5. Saltem ut Christum Maria, sic Christianos Ecclesia virgo parit, L. I. c. 11. n. 6. 7. 13. L. 2. c. 4. n. 5. 6.

Ad hoc, alias *Christi & Ecclesiæ nuptias*, potiusquam Verbi & carnis seu humanitatis, agnoscit Greg. M. L. 3. c. 24. n. 11. Cur Ecclesia non solùm Christo copulata, sed & ad unam ejus personam transcripta? C. 3. num. 10. v. 6. Et utriusque eadem caro? L. 4. c. 4. n. 3. 4. Necnon Christus Ecclesiæ sacramentum seu figura, imò una rursum persona, c. 12. n. 6. & 8. §. *Necesse*, L. 5. c. 16. n. 13. *& seqq.* c. 19. *ferè toto.* Utriusque tandem bonorum societas & communio, L. 6. c. 8. n. 8. *& seqq.* Ipsa Ecclesia in Christo crucis filia, L. 12. c. 5. 9.

Hinc Ecclesiæ in Christo, quæ Christo ut capiti videntur propria, tribuenda sunt, L. 2. c. 10. n. 4. 6. 8. c. 11. n. 4. *& seqq. præsertim* 12. 13. Imò tota hominum natura, seu tota Ecclesia cum primitiis suis in Christo commixta, & Deitati seu sanctitati concreta est, L. 4. c. 4. n. 3. 6. *in fine.* C. 12. nu. 6. L. 5. c. 16. c. 16. nu. 11. *& seqq.* Et hinc in Christo tota Ecclesia orabat, & exaudiebatur, L. 9. c. 5. n. 13.

Etiamnum Christus in dextera Patris sedens Ecclesiam sibi concorporat, L. 9. c. 4. n. 9. Ab ea non oratur, ut oret, sed ut misereſcat, per tot morbem, C. 6. nu. 13. Et antiqua seu purior Ecclesia specialiùs Patrem solum orat, c. 11. n. 14.

Cur & quomodo Ecclesia dicatur novum Testamentum? L. 1. c. 9. nu. 5. *circa finem.* Uni charitati bonorum omnium communionem invehenti suam Christus superstruxit Ecclesiam, L. 11. c. 9. nu. 3. *& seqq.* Unitas Ecclesiæ, fomes est illius communionis, n. 7. Et hæc tessera Catholicæ Ecclesiæ *communicare memoriis Apostolorum & Martyrum*, n. 8. *& seqq.*

In Ecclesiæ primordiis, velut parvulo Annæ filio, per tres Evangelistas, lac humanitatis propinatum est, L. 2. c. 8. n. 11. Cum parvulus Ecclesiæ crevit, solidus Divinitatis cibus per B. Joannem, ex Greg. M. *ibid.*

Ecclesia non solùm *Christiana*, sed & *Catholica*, per Martyrum cultum propagata est, L. 12. CC. 1. 2. *præsertim* n. 1. 2. 7. 9. Ex incunabulis Ecclesiæ de reliqua ejus per omnia sæcula perpetuitate & statu augurandum, c. 4. n. 1. *& seqq.* Priora ejus duo sæcula martyrio dedicata sunt, non scriptis, n. 12.

Quibus artibus suas Christus impleverit Ecclesias? ex Athanasio, L. I. c. 14. n. 1. Ex Euseb., n. 3. Ex August. n. 6. & L. 2. c. 9. n. 2. Ipse Christus quasi magna civitas est, quam fideles omnes inhabitant, adeòque tota per orbem & in ævum Ecclesia, L. 4. c. 4. nu. 4. Scilicet regnum Christi prius, & mille annis expansum, non aliud Augustino, quàm præsentis temporis Ecclesia, L. 11. c. 9. n. 3. *& seqq.* L. 12. c. 10. n. 8.

Ex adversariorum Novatorum principiis sequeretur Ecclesiam Christi ab ipso suo exortu idololatriæ specu ac

lupanar

lupanar fuisse, L.12. c. 8. nu. 1. At contra tota Ecclesia nunquam labi potuit, præsertim in idololatriam, c.10. n. 3. *& seqq.* Imò illam nunquam ab ullo errore liberavit Synodus, sed ipsa Ecclesia errandi nescia errores omnes in aliqua parte erumpentes profligavit, n. 6. Idque ex incommutabilitate Verbi Ecclesiæ aliter commodata, quàm Adamo, n. 7. v. *suprà*. Item ex æternitate, de qua mox, regni Christi, n.8.

Qui collapsam Ecclesiam à se restitui jactant, Apostolicis debent signis clarescere, L.12. c. 10. n. 9. Et id per legitimas ab Apostolis relictas potestates in Ecclesia, n. 11. 12. At ingentes Ecclesiæ legitimè possunt diversos sibi ritus præscribere, c. 12. n. 11. 17. Quantum ex hac varietate pulchritudo Ecclesię decoretur solis æternis astricta, *ibid.* Ecclesiæ libertas in his quæ ex se ἀδιάφορα vocantur, c.11. n.8. c.12. nu. 18. 19. Accedendum tamen aliquando aliorum probatis ritibus, maximè charitatis servandæ studio, & ex sedis Apostolicæ, vel Synodi generalis authoritate, n.13.

Ipsi tandem Christi sacerdotio & sacrificio, *ut suprà in proprio tit. dictum est*, Implicatur Ecclesia tanquam una cum eo victima, L.9. c.11. n.16. v. 14. L.10. c.8. n.5. c.9. n.16. C.10. n. 1. *& seqq.* c. 11. n. 12. & c. 19. *ac seqq. integris*. At post exitum sæculi, nonnisi spiritalia habebit sacrificia, innoxio charitatis igne flagrantia, qualia erant in paradiso, c.7. nu. 2. Quomodo eadem Ecclesia in cœlis jam beata, & per omnium resurrectionem beanda seu complenda, jam est & erit victima holocausti, cujus Christus sacerdos in æternum, idemque victima? C.14. n.1. *& seqq.* v. *Christi sacerdotium & sacrificium supra.*

Elias & Elizæus Prophetæ.

Eliæ pallium supra Regum purpuram, vel ex eo quòd Elizæum duplicem Eliam fecerit, & ex multiplici alia virtute, juxta Chrysost. L.12. c.3. n.3. c.4. n. 1.

Elizæus ipse meruit videre circumstantia Angelorum millia, L.11. c. 4. n. 2. *& seqq.* Ejus verò ossa mortuis vivifica, non erant immunda viventibus, ex Hieron. contra Vigilantium, L.12. c.3. n.1. 2. 12.

Elipandus v. Fœlix & Elipandus infra.

Eloquentia.

Minùs ad veritatem suadendam per Oratores & Philosophos profuit, quàm humilis per Christum & discipulos simplicitas, L.1. c.1. n. 11. c. 13. *præsertim* nu. 5. c.14. *ferè toto.*

Energumeni.

De Energumenis curiosula disputatio, nonnisi ex placitis Patrum ad alia illustranda, maximè ipsam Incarnationem, L.3. c.22. n.1. c.21. 23. Satuitur primò nonnisi à Deo, non ab Angelo bono vel malo possideri posse naturam quamlibet rationalem, n.2. *& seqq.*

Si quorum corda intrasse legitur satanas, id nonnisi per operationem, n.9. 10. 19. Ita corpori soli, non animæ insinuari substantialiter posse immundos spiritus, nu. 13. 17. In Energumenis perversè & impotenter affectat Diabolus sedem Dei invadere, n.14. Sic autem tenebris Incarnationem imitatur, nec tamen potest, nu. 15. 16. Unde tot possessiones tempore Christi, sed ad ipsam veram ejus Incarnationem perutiles, *ibid.* Necnon & prioribus seculis contra gentiles & hæreticos, L. 12. c.4. n. 11. 13.

De Vatibus & Sibyllis inter Energumenos enumerandis rursus, L. 3. c. 22. n.16. De septenario spiritu in Magdalena, & Legionario numero in Geraseno, quod habet Tertullianus, ad societatem quandam, non ad insinuationem substantivam clementer torquendum, n. 17. Plus negotij facesseret Augustinus loquens de Diabolo serpentem implente eo modo, quo vates Dæmonium implere solet, idque per voces dominij & mixturæ exprimens, nisi tot contra ejus præcessores & asseclæ intercederent, n. 17. *& seqq.* Item, c.23. n.1.

At non simulatè, ut volebat Vigilantius, torqueri se fatebantur Dæmones in Energumenis, L.4. c. 4. n. 11. 13. Per crucis maximè signum, non solùm toto orbe, sed speciatim è corporibus fugabantur, c.5. n.8. *& seqq.* v. *etiam Dæmones & Diabolus suprà.*

Entis gradus, esse, essentia, existentia.

Quod natura seu essentia quæ exuitur ratione suppositi aut personæ, nullo exuatur ente physico, aut gradu metaphysico, nec existentia, &c. L. 3. c.3. n.4. v. 6. c. 4. n. §. *conjunctim*. C.7. n.3. 4. c.9. n.2. 4. c. 10. n.10. c. 12. n. 3. 4. 8. 10. Et quidem ex modo quo duo perfecta in unum concurrunt, CC.16. 17. 18. 20.

Sicut natura naturam, sic nec existentia existentiam consumit, L. 3. c.7. n.7. Nec sola existentia naturæ quasi conterminæ possunt conjungi, n. 1. 3. 4. 7. c.9. n.2. Nec existentia aut subsistentia ab essentia distincta, aut aliud quodvis naturę additamentum personæ nomine insignitur, c. 8. n.4. c.9. n.2. c.12. n.3. 4. 7. *& seqq.*

Existentiæ ab essentia distinctio realis quàm nova sit, & antiquæ tum Philosophiæ ipsi, tum Theologiæ incomperta, L.3. c.18. n.1. 8. c.20. n.8. c. 21. n. 12. Utriusque pariter compositio, ut volunt, methaphysica, quam vacillans & fictitia, aut omnino nulla, n. 4. 8. §. *Augustinus.*

Essentiæ seu naturæ individuæ plusquam medium est existentia, L.3. c.18. n.1. 2. 5. 7. 9. c. 21. n.12. Esse & existere unum & idem est, nec essentia actu ulla est, nisi quæ in sinu suo propriam utcumque nacta est existentiam, *ibid.*

Conciliatio tentatur veræ doctrinæ de hypostasi, cum his qui existentia divina existere humanitatem Christi, eoque in divinam rapi hypostasim volunt, L. 3. c. 21. nu. 12. eò autem maximè quod Deus quantus maximus est ipsum sit esse seu existere, nec aliud quàm ipsum esse & existere, *Ibid.* & L. 4. c.16. n. 16. 17.

At ex superiori Philosophorum rixa de distinctione existentiæ ab essentia, nata est alia de omniscientia animæ Christi, &c. L.7. c.7. n.8.

Ephesinum Concilium.

Duplex fuit, primum œcumenicum, quod exitialem Nestorij labem, objecta Catholicæ veritatis luce profligavit, *præfat.* n. 10. Alterum paulò post dictum Pseudo-Synodus Latrocinalis, in qua Eutyches a Dioscoro Alexandrino absolutus est anathemate, quo synodicè innodatus fuerat à Flaviano Constant. Episcopo, po. §. *Dum.*

Epicurei.

Eorum error de summo bono, L. 1. c. 12. nu. 1. Cur primi cum Stoicis hostes fuerint Christianæ Philosophiæ? n. 6. 9. Jam tempore Augustini extincti, *ibid.*

Episcopi.

Invisibiles quidem, quasi Episcopi sunt Angeli; sicut vicissim Episcopi instar habent Angelorum, L.11. c. 5. n.7. Utrisque aperienda sunt cordis nostri arcana, utrisque causa salusque committenda, *ibid.* Utrisque frequens oratio ingerenda, ut orationibus ipsi apud Deum nos tueantur, *ibid.* Id altiùs repetitur ex consonantia utriusque Hierarchiæ cœlestis & Ecclesiasticæ, *ibid.* & L.10. c. 25. n.4. 6.

Doctrinæ dictata dare, Episcopalis Ordinis eximia quædam potestas est & prærogativa, L. 12. c. 10. n. 11. Cum sint Episcopi Apostolorum propriè successores, & in fastigio dispositionis Ecclesiæ ab Apostolis præformatæ, num. 11. 12. Vide *plura connexa in Apostolis & in sacerdotio.*

Errores.

In ipsis hominum erroribus de Diis corporeis spes naturæ vera & præsagium Incarnationis, L. I. c.2. n.5. c.5. n. 12. 20. c.6. n.6. 11. 12. Incarnatio ipsa unicum contra hujusmodi errores remedium, c.2. n. 11. 12. Imò & contra errores omnes alios, c.12. *præsertim* n.5. 6. 7. c.14. n. 1. 2. 5. Ipsaque presertim una crux. L. 10. c. 10. num. 6. *& seqq.*

Quantis erroribus scaterent Gentiles Philosophi, argumento est eorum inter se, non accidentalis tantùm sicut inter nos, sed & capitalis diversitas, & omnium sectarum interitus, cùm sit immortalis veritas, L.I. c. 9. n.3. c. 12. n. 1. *& seqq.* Quod si hoc tantùm vitium disciplina Christiana sanasset, maximè prædicanda foret, ex Aug. n. 6. *in fine.*

Principium omnis penè erroris Philosophorum, indistinctio hominis lapsi à stante, L.1. c.13. n. 5. Turpis etiam error credentium fidem adversari naturæ, c.15. n. 3. Hinc errorem errore cumularunt ex superbia, C.16. n.9. v. 2. Errorum rursus inter se intestina compugnantia, L. 2. c. 1. n.4. L.3. c.1. n.3.

Verbi seu veritatis incommutabilitas, naturæ nostræ inferenda, ne iterum aberraret, L.1. c. 19. n. 3. Non autem antequam aberraret, L.2. c.5. *& seqq.* At errare omnino non posse, aut summæ naturæ est, aut infimę seu brutæ, non mediæ, L.5. c. 23. n.11.

Errores facti non tam obsunt plerumque, quàm suspicax diffidensque in omnibus animus, metu errandi, L.XI. c. 11. n. 12. 14. Et hi quidem errores cavendi, sed hic omnino vitari non possunt, n. 16. Item hæc errandi quandoque necessitas prodest saltem, ut ad vitam immortalem falli nesciam inflammet, n. 17. Interim errores propriè non incurrit tota Ecclesia, sed profligat, L. X. c. 10. *præsertim* n.6. *& seqq.* Vide etiam *veritas, &c.*

Eva.

Per Evam jam ante peccatum Maria præsagiebatur, L.2. c. 6. n. 5. &c. De Evæ ipsius partu virgineo ex Adami costa, c. 3. nu. 12. 13. Tunc Eva virgo à diabolo verbo exitiali quasi seminata, non tam homines quàm fratricidas & sceleftos enixa est, Maria econtra, nu. 13. v. 18. Pleraque ex Tert.

Igitur ut ſecundus Adam primo, ita Evæ Eva melior ſubroganda fuit contra diabolum, & pro hominum ipſiuſque Evæ ſalute, L.2. c. 3. n. 3. *& ſeqq.* Plura utrique primo parenti communia, & jam connexa cum Adamo, vel cum Maria, v. *propriis tit.*

Evangelium.

Eos quibus Evangelium forinſecus non ſonat, extrinſecus ſollicitat Chriſtus, ſeu recta ratio, L.1. c.9. n.4. §. *Cæterum.* Duplex autem eſt Evangelium, ſenſibile, & intelligibile, temporale, & ſempiternum, de quo in Apoc. c. 10. n. 1. Longè aliter de utroque Origenes ex Hieron. L. 2. c. 12. n.1. Vtroque autem quomodo contineatur Chriſtus? *Vtrobique.*

Ut lex ſine Evangelio, ita Evangelium noſtrum ſenſibile ſine æterno defenſari non poteſt, L.1. c. 10. n. Plures quidem noſtrum Evangelium legere, pauci intelligere valent, *ibid.* & n.3. Quomodo umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in gloria? c. 10. nu. 2. Et tamen lex ab Evangelio diſtat, ſicut umbra à veritate, L.4. c.4. n. 12. *uſque ad finem.* C.8. n.25. 26.

Uſus metaphorarum Evangeliſtis quàm Prophetis rarior, L. 4. c. 8. n. 25. 26. Cur abſentia ipſius carnis Chriſti ad propagationem & perfectionem Evangelij neceſſaria? L. 1. c. 10. n.11. L.2. c.8. n.3. 6. 8. 11. Et cur in ipſis Eccleſiæ primordiis per tres priores Evangeliſtas lac tantùm humanitatis adhuc propinatum, deinde ſolidus Divinitatis cibus per Joannem? n. *ibid.* & L.4. c.2. n.1. 3.

Multiplex cognatio Evangelij cum Euchariſtia, L.10. c.28. n. 6. Evangeliorum Codici, qui imagini in ordine ad gloriæ veritatem comparatus eſt, honor idem exhibitus qui imaginibus ſacris, L.12. c.12. n.8. Quæ ex Evangelio hic exſcripta & expoſita ſunt, vel ab hæreticis abraſa aut obtenebrata, v. *ſparſim in toto opere & in propriis eorum tit.*

Euchariſtia ſacramentum

Ejuſque multiplex cum Incarnatione conſonantia.

Euchariſtia ſub hac ratione, eum tenet locum in Eccleſia, quem in cœlo ipſa Deitas, L.1. c.11. n.7. Peculiaris ejuſdem ratio, L.10. c.21. n. 11. Hinc divinis & ipſa nominibus appellata eſt, ut paſſim τὸ τέλειον, τὸ ἀγαθόν, *ibid.* Necnon & ſacramentum unitatis ex ipſo *communionis & ſynaxeos* nomine, c.23. n.3. Item & *Viaticum*, c.27. n.9. Sic & *Paſcha* ſeu tranſitus, c. 28. nu. 14. At tandem *panis ſuperſubſtantialis*, n.16.

Hinc etiam quiſquis Euchariſtiæ participatione interdicitur, damnatorum pœnas anticipat & jejunia, L.1. c.11. n. 7. Nec aliunde ejus communione noſtrum ſolvitur corporale jejunium, nec in ſeceſſum urgetur corpus Chriſti, & c. n. 8. Item econtra ſemen eſt immortalitatis, c.19. n. 12. L.3. c.2. n.11. Et hinc tandem cur Eccleſia olim univerſa accinebat ad Euchariſtiam, *guſtate & videte, &c.* L. 10. c.28. n. 12.

At non eſſet vivifica Chriſti caro, niſi Deitati ſeu ipſi vitæ ſubſtantivè adunata, L.3. c.2. n. 10. Et *Antropophagia* eſſet communio, ſi quamlibet ſanctus, nudus homo eſitaretur, n.11. Necnon & ante communionem *Antropolatria*, ex Leontio Bizant. C.24. n. 3. Cùm econtra nonniſi divina adoratio ipſi ab Auguſtino aſſeratur, L. 10. c. 30. n. 19. Unde etiam & veritas Chriſti in Euchariſtia contra Novatores, *ibid.* Et certè niſi etiam vera eſſet caro Chriſti, nec ea nec per eam ipſa Deitate paſceremur in ſacramento L.4. c.5. n.14. Plura de vera & corporali Chriſti præſentia in ſacramento, v. *ſuprà in ejus ſacrificio, & infra Novatores.*

Ita verè eſt Deitas & caro Chriſti in Euchariſtia, ut in ea de Spiritu ſancto ipſe formetur, ſicut in Incarnationis myſterio, L.10. c.22. n.14. c.23. n.7. c.29. n.13. *& ſeqq.* Hinc fit & ipſa vehiculum Deitatis ipſiuſque Spiritus ſancti, L. 6. c.9. n.7. *& ſeqq.* c.18. n.1. 2. Ut ſuum ſibi vehiculum Spiritus ſanctus inflectit, carnemque ipſam ſuis moribus adaptat loca inſidendi plura? C. 9. n.7. Et hoc immenſitatis aliquid, vel potiùs omnipotentiæ ſpeciem præfert, L.10. c.29. nu. 14. §. *Id.* Item c.31. n. 17. *& ſeqq. latiſſimè.*

Rurſus, ita ſuos ſibi Chriſtus conglutinat & corpore & ſpiritu ſuo, ſubſtantivo utroque vinculo, L.6. c.9. nu.7. *& ſeqq. fuſiſſimè.* Quomodo reciproca ſit inter Deum & homines per utramque arrham fidei obligatio? nu. 13. Et utrumque rurſus ad propriam Chriſti mediationem ſpectet? L. 9. c.3. num. 7. Reliqua, L. 10. c. 21. num. 14. Et hinc tandem cur aſſervaretur olim Euchariſtia in columbis aureis argenteiſve Spiritus ſancti ſymbolis, c.29. n. 12. §. *Non.*

Imò una eademque Chriſti vita triplex explicatur myſterium, Trinitatis, Incarnationis & Euchariſtiæ, ab ipſo Chriſto & Cyrillo, L.4. c.16. n.11. Item à Joanne & Auguſt. L.10. c.28. n.13. Necnon & hæc quatuor colligantur, Incarnatio, Euchariſtia, filiatio Chriſti naturalis, noſtra adopotiva, L.8. c.8. n. 8. *& ſeqq.* Scilicet maximè adoptamur in Filios, cum per Euchariſtiam concorporei & conſanguinei efficimur Chriſti, ejus teſtamento, hæreditate, totaque ſubſtantia, ſemine immortali, ac ipſo ejus ſpiritu donati, *ibidem ampliſſimè uſque in finem*, & c. 9. n.4. Item ſaltem ex parte, L.10. c.21. n.12.

Multiplex alia Euchariſtiæ cum Incarnatione conſonantia, L.8. n.9. *& ex profeſſo*, L.10. c.21. ex PP. Græcis, & c. 22. ex Latinis. In primis per illam caro Verbi inhabitat in nobis, c. 21. nu. 1. 2.° Per eam & viciſſim Chriſto & Verbo conſerimur, nu. 2. 3. 3.° Necnon copulamur ut ſponſo, n.4. 4.° Et una caro efficimur, n. 5. c. 22. n. 7. 5.° Per eam maximè ſtringitur ſecura illa, ſeu ſubſtantiva, quæ nunc toti naturæ neceſſaria eſt unio, vel potiùs unitas, C.21. n. 6. & quæ ex Paulò præſertim aſtruitur, c. 22. n. 6. c. 23. nu. 3. 6.° Per eam facilius & optatius fuit præteritam Incarnationem perennare & ſiſtere, quàm futuram olim ſine ea prætentare, c.21. nu.7. 7.° Rurſus per eam phyſica & naturali copula cum Chriſto adunamur, hoc eſt, non charitatis tantùm, ſed & ſubſtantiæ nexu, quò tandem properat charitas perfecta, n. 8. & c. 22. n. 8. Hinc contra Neſtorium affectualem tantùm neceſſitudinem in Chriſto agnoſcentem, noſtra hæc ſubſtantiva regeſta eſt, c.21. n. 9. 8.° Idem ex his Chriſti Verbis, *Ego in eis, & tu in me*, inter ipſa inſtituendæ Euchariſtiæ myſteria, n.10. Ac proinde ex unitate Verbi cum Patre, quæ & Verbi cum carne ſua, & carnis Verbi cum noſtra, exemplar eſt, n.11. Imò & ſcopus totius Incarnationis. C.22. n.1. *& ſeqq.* 9.° Et quod eò ſpectet cibus, ut ſubſtantiam ampliet & extendat, c.21. n. 12. c. 22. nu. 13. 10. A fortiori ex multiplici adhuc alia utriuſque myſterij conſonantia, c.21. nu. 13. 14. c. 22. nu. 12. c. 23. nu. 1. 2. 3. *& ſeqq.* c. 30. n. 5. 8. 10. v. *etiam in Incarnatione & in Chriſti myſteriis ac ſacrificio.*

At maximè, qua ſacramentum eſt Euchariſtia, Incarnationis non ſolùm imitatio, & quaſi propagatio, L. 8. c. 8. n. 9. Sed & ipſius, ac nativitatis, ſequentiumque omnium myſteriorum ſtatio quædam & perpetuitas eſt, L. 10. c. 26. n. 12. 13. *& ſeqq.* C. 28. n. 3. & 4. Et hinc cur non ſolùm ſpiritale ſacrificium, ſed & ſacramentum ſimul demonſtretur, ex PP. Grecis, c.29. ex Latinis c. 30. Idque contra ipſos Novatores, qui non ſolùm negant veram Chriſti carnem in Euchariſtia, de qua ad veritatem ſacrificij in eo actum eſt; ſed & eam à ſpiritali ratione ſignificandi alienam, carnaliter ſemper ſapientes, calumniati ſunt, c. 29. n. 1.

1.° Econtra utrumque demonſtratur ex duplici, quem agnoſcunt Greci Patres, Chriſti ſanguine materiali & ſpiritali, n.2. *& ſeqq.* c.31. n. 16. Huc refer quæ de incorruptibili Chriſti ſanguine in Euchariſtia ex Dionyſio Alex. dictum eſt, L.4. c.12. n.12. *in fine.* 2.° Ex eo quòd Chriſtus multa dixerit ambiguè de carne ſua & de doctrina ſua, & utrimque vera, ex iiſdem PP. L. 10. c. 29. nu. 5. 3.° Quòd ipſe exterior ſacrificij ſeu ſacramenti apparatus adornatus ſit ad ſpiritalem & interiorem cultum, imò magis quàm alia omnia ſpiritalia, n.6. 7. 8. 4.° Quia caro illa concepta erat de Spiritu ſancto, & eodem adhuc plena eſt, n.9. *& ſeqq.* 5.° Quia etiamnum in Euchariſtia efformatur a Spiritu ſancto, non à ſacerdote, cui illum populus apprecatur, n. 13. *& ſeqq.* 6.° Quia ideo ad dexteram Patris ſedet nunc eadem caro, qua ſeſſione nihil ſpiritalius, n.17. 7.° Quia carnem Chriſti carnaliter ſapiunt, qui uno loco vetant excedere, ex Auguſt. c. 30. nu. 1. *& ſeqq.* 8.° Quia caro Chriſti carnales ſenſus animoſque ſibi affixos ad juſtitiæ & veritatis ſpiritalem intelligentiam paulatim ſublevat, n.5. *& ſeqq.* 9.° Quia carni Chriſti vel ipſi carnales ad religionem ſpiritalem de Deo ipſo concipiendam adducti ſunt, n.8. *& ſeqq.* 10. Quia caro Chriſti in Euchariſtia fide & charitate eſitatur, nec tamen minùs realiter & ſpiritualiter, num. 12. *& ſeqq.* 11.° Ex ipſis Chriſti verbis ab Auguſtino expoſitis, *Spiritus eſt qui vivificat, &c.* n. 10. c.30. n.16. *& ſeqq.* Item à Cyrillo, c. 31. n.11. & L.11. c.2. n.7. 12.° Ex illis aliis, *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat priùs*, L. 10. c. 30. n.20. 13.° Adde & ſacrificium Euchariſtiæ & precum idem eſſe, c. 29. n. 7. c. 30. n. 21. Necnon multa alia ex ratione ipſa ſacrificij, *ſuprà.*

Denique. Quod Euchariſtia idem ſit *panis* & quidem *ſuperſubſtantialis* nobis mortalibus, ac ſempiterna veritas Beatis immortalibus, hìc velata, illic revelata, ex Patribus Græcis, L. X. c.26. ex Latinis, CC. 27. 28. & apud utroſque ex ſcripturis, ac 14. rationibus ſummam, de Deo per veritatem aut per Euchariſtiam veſci, fœlicitatem ſapientibus, præſertim c. 28. nu. 17. *& ſeqq.* Unde & iſtæ obſervationes ſupra cœptæ ſunt. Hinc ultimò additur neminem hujus prolixitatis tædio potuiſſe affici, niſi qui harum deliciarum inanior ſit, n. 19.

Euphratas Colon. Eusebius Pamphili.

Dubium an *Euphratas* Photino adhæserit, & à Concilio Coloniensi Episcopatu sit dejectus? Præfat. nu. 9. Certum tamen altero post anno à Conc. Sardicensi legatum missum esse in Orientem, cum aliis Episcopis catholicis, *ibid.*

Licèt paulò antè *Eusebius* præclara de Verbi mediatione & Pontificatu disserat, contra Marcellum Photini Magistrum; suspectus tamen est Arianarum partium, ubi Verbi consubstantialitas attingitur, L. 2. c. 2. n. 5. L. 6. c. 3. nu. 5. *& seqq.* L. 10. c. 9. n. 4. 5. Reipsa in septima Synodo Arianæ simul & Eutychianæ vesaniæ suspectus habitus est, cum laudaretur ab Iconomachis, contra imagines ipsius Christi homini saltem in gloriam assumpti, L. 12. c. 9. nu. 8. At aliunde imaginibus multipliciter vel nolens favet, saltem referendo quod spectat ad statuam Christi, necnon & Cathedram Jacobi, quidquid ipse senserit de earum origine ex gentilibus, L. 12. c. 11. n. 8.

Eutyches, Eutychiani.

Dum Nestorianam personarum in Christo sectionem refugit Eutyches Archimandrita Constant. ut personam, ita naturam Christi unam ex Deo atque homine conflavit, Præfat. n. 10. §. *Dum.* Frustra sibi patrocinium accersiit ex Cyrilli verbis, *ibid.* à Flaviano Episcopo Constant. synodicè damnatus, in Latrocinali Ephesina synodo à Dioscoro Alex. absolutus, postremò in Calcedonensi œcumenica proscriptus ac relegatus est, *ibid.* Illius deinceps dogmatis consectaria, ac plures, quàm Nestorij, in Oriente sectatores, §§. *seqq.*

Eutychetis, ejusque parentis Apollinaris, cum Ario ipso consanguinitas, in asserenda consubstantialitate carnis cum Verbo L. 4. c. 6. n. 3. 7. Plura sepiuntur eorum effugia, n. 9. *& seqq.* Vel ex ipsis Eutychianorum circa passibilitatem carnis Christi inter se dissidiis, c. 12. *& seqq.* Item L. 11. c. 3. n. 9. *circa finem.*

Ex ignorato personæ à natura discrimine, Eutychetis à Nestorio divortium, L. 3. c. 1. n. 4. Eadem tamen *compositionis* vox de Christo, non Nestorio tantùm, sed & ipsi Eutycheti contraria, c. 6. n. 4. Observandum etiam quem ex utroque impugnent Patres, pro intelligenda vi illius vocis, ac similium, c. 8. n. 3. c. 24. *ferè toto.*

Inprimis divina atque humana Christi attributa in Scripturis sedulò distinguenda fuerunt à Patribus contra Eutychianos, L. 2. c. 6. n. 2. Et quidem eò usque, ut hinc aliquando contra ipsos dici non placuerit *Deum hominem*, sed *Deum & hominem*, L. 3. c. 24. nu. 7. Ipsius Eutychetis sepitur effugium *ex duabus*, *non in duabus naturis* profitentis Christum, C. 19. n. 5. Quod autem ita *duas naturas ante adunationem*, utique segregatas agnosceret, sequeretur etiam duas esse personas, c. 12. n. 3.

Vox *Deiparæ* vera & propria, profligandis non solùm Nestorii sed & Eutychetis erroribus accomodatissima, quidquid aliquando contra senserint imperitiores & infirmiores Catholici, L. 3. c. 15. n. 15.

Hac autem fidei formula, *quod unus de Trinitate sit passus*, obliquè tantùm impetebatur Eutyches, L. 3. c. 14. nu. 1. Formulæ tamen nec obfuit, quòd illam primus effutijsset Eutychetis Apocrisarius in Concilio Calcedonensi, n. 8. Nec *Trisagio*, quòd Petrus Fullo Eutychianorum signifer clausulam addiderit, *qui passus es pro nobis*, *&c.* n. 13. 14. c. 24. n. 14. *& seqq.* Cur Catholici ut Eutychianistæ audirent, *utrobique.*

Magnam paterni erroris partem ejuraverant semi-Eutychiani, eò tamen recidebant, *Præfat.* n. 10. §. *In.* L. 3. c. 19. n. 9. Similiter Monothelitæ extrema Eutychianorum propago, *Præf.* §. *seq.* L. 5. c. 1. n. 1. c. 5. nn. 2. 3. 4. c. 8. n. 6. §. *Deinde*, c. 9. n. 19.

Iconomachis tandem & Eusebio ab ipsis laudato, Eutychianæ rursus vesaniæ crimen impactum in 7.a Synodo, quod nequidem Christi ut hominis imagines probarent, S. 12. c. 9. n. 8. *latissimè.*

Excommunicatio.

Cur quisquis communione interdicitur, damnatorum pœnas anticipet, & jejunia? L. 1. c. 11. n. 7. & hæc censura ab utroque altari interdicat cœlesti & Ecclesiastico, L. 10. c. 25. n. 6. Aliqui tamen à terreno tantùm, non à cælesti interdicuntur: alij econverso, *ibid.*

Exemplum, Exilium.

Exemplorum necessitas ad probandum possibilia præcipi, necnon vera & utilia à Magistro doceri, L. 1. c. 2. n. 15. c. 14. n. 5. c. 16. n. 1. 2. 3. Exempla autem ab homine, auxilia à Deo expectanda, *ibid.* & c. 17. n. 21. v. *etiam Magisterium*, *&c.*

Cæcitas *exilij* est, dum *exilium* patria creditur, L. 1. c. 5. n. 18.

Ezechias.

Judæorum cavillationes, ut illud Psalmi 100. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, à Christo in Ezechiam traducerent, L. 10. c. 15. n. 6. At nec sacerdos Ezechias; nec si esset, fuisset æternus, nec alia Psalmi patitur, ex Tertull. *ibid.* Cur meritò serpentem æneum diruerit? L. 12. c. 8. n. 10.

F

Fabulæ, fictiones, figmenta, figuræ.

Ex ipsis Gentilium *fabellis* aut *figmentis* de Deo corporato Incarnationis præsagia, L. 1. c. 6. n. 6. nec non & partus virginei, ex *fabulis* de Minerva, Libero, Venere &c. L. 2. c. 3. n. 10.

Unde *figurarum* ac similium usus in Scripturis? L. 1. c. 5. n. 3. 13. 25. c. 6. n. 1. *& seqq.* Si figuræ Incarnationis in Scripturis Deum non dedecent, ergo nec veritas, n. 2. 6.

Incarnationem, si non esset, vel fingi prodesset, nisi pluris esset fabula seu figmentum, quam veritas; sicque homo Deum Deo meliorem fingeret, imò seipsum, L. 1. c. 2. n. 10. 15. c. 8. n. 1. c. 11. n. 13. *in fine.*

Fastidia, Festa.

Fastidium primus fons totius varietatis temporalis in Religione, L. 1. c. 7. n. 6. L. 2. c. 8. n. 2. Quàm stultum & probrosum sit eam rursus fastidire, L. 1. c. 7. n. 14. c. 13. n. 4. Contra primum hominis fastidium ulciscendum fides Incarnationis inprimis suggerenda, non aliter, L. 2. c. 7. n. 1. 6. c. 8. n. 1. 2.

Omnia olim *festa* & sacrificia erant Eucharistica, seu gratiarum actionis, L. 10. c. 24. n. 12. Cur in quibusdam adhuc solemnioribus festis uni Christo vacet Ecclesia, à quacumque Sanctorum memoria ferietur? L. 11. c. 6. n. 11. Imò nulla prorsus Sanctorum festa in veteri Testamento, secus in novo? L. 12. c. 11. n. 9.

Fideles, Fides, &c.

Quantùm *fides* augeatur & juvetur deinceps ex Incarnatione, utpote quæ sit plurium in speciem impossibilium ac *incredibilium* coacervatio, L. 1. c. 1. n. 4. 5. 8. 10. 11. nec tamen hæc fidei sarcina imponenda fuit, nisi *infideli* antehac per peccatum animæ, Lib. 2. c. 7. num. 2. 3. 6. 7.

Nihil etiam sapientius quàm eo modo, & vulgi fœcibus altissimam Philosophiam, & Philosophis insulsorum in speciem dogmatum fidem inserere, L. 1. c. 1. n. 10. 12. c. 14. *ferè toto.* C. 15. n. 4. 5. Ac tandem ea compendiosa & humillima fidei arte totum genus humanum ad sapiendum compellere, *iisdem ferè omnibus locis*, & C. 15. *integro.*

Quò *incredibilius* quid, eò Dei omnipotentia & bonitate, adeoque & *fide nostra* dignius, L. 1. c. 2. nu. 1. 10. *& suprà* Hinc illud toties fidem nostram calumniantibus ingestum nihil tam dignum Deo, quàm hominis salutem, n. 2. Illos obtrectatores fidei moribus contrariis satis aliunde infames, non tam incredulos esse, quàm ingratos plerosque, n. 4. 14. Simulque & stultos, c. 7. n. 14. *& seqq.* c. 13. n. 4.

Quam stultum non sit talia credere, imò quàm stultum sit talia non credere, præsertim ex August. S. 1. c. 7. n. 14. c. 11. n. 13. *in fine*, C. 13. n. 1. 3. 4. c. 17. n. 2. Objectionibus occurritur, c. 7. n. 15. *usque in finem.* c. 11. n. 13. §. *Ad has artes.*

Omnia ferè fidei mysteria non tantùm credi, sed prævia saltem ipsa demonstrari, ac propè intelligi, vel ex eo quòd ad Dei justitiam aut misericordiam pertinere judicentur, L. 1. c. 4. nu. 10. 12. *usque in finem*, c. 5. nu. 3. c. 7. n. 12. Necnon sint ipsi rationi innatæ consentanea, c. 15. *integro.*

Contemplationis oculo successit quidem oculus fidei, L. 1. c. 5. n. 15. At in diversitate principiorum sapientiæ ante & post peccatum, eminet fidei Christianæ fundamentum supra totam Philosophorum sapientiam, n. 8. 9. Hinc sacramentorum temporalium necessitas ad fidem alendam, n. 12. 13. 14. Temporalia verò licèt nonnisi fide teneantur, n. 21. & c. 7. n. 2. Fide tamen ad æternorum intelligentiam nos reducunt, c. 5. 12. *& seqq.* c. 7. n. 3. 4. 7. 8. 9. 14. 15. c. 10. *&c.*

Fides nostra nihil aliud molitur, quàm geminam charitatem, quæ apud omnes invariabilis est religio, L. 1. c. 7. n. 5. 10. *& seqq.* Inest enim nobis cum Christi fide & omnis virtus seminaliter, c. 9. n. 4. Hinc quid sit credere in Christum? c. 10. n. 5. Quid negare? n. 9. profiteri? n. 10. Unde tanta fidei publicæ seu confessionis admiratio, negationis execratio? *passim ibid.*

Qui vel ipsi hostes seu obtrectatores fidei Christum ipsum credant? L. 1. c. 5. nu. 10. Non habent saltem unde ab hac fide abhorreant, L. 1. c. 6. nu. 2. 5. Nec circa ipsa infantiæ aut crucis mysteria, c. 10. n. 11. &c. Minùs mirum si ad Christi fidem orbis convolavit universus, quasi

in se reversus, C.15. n.2. & *seqq.* v. etiam *Christi Incarnatio, mysteria.*

Ipsa imperitia seu tarditas non est jam ad fidei sapientiam obex, sed gradus, L.1. c.1. n.12. c.14. *ferè toto.* Imò non est alius ad fidem obex, quàm superbia, c.13. n.5. & expressiùs c.16. nu. 11. 12. Fides porro medicina & adjutorium maximum est, docet juvando, & juvat docendo, c. 17. n.13.

Aliud autem est fides, aliud opinio, L.1. c.8. nu.5. 6. Ad fidem maximè authoritas est necessaria, c.7. n.8. 9. & expressiùs c.12. nu. 3. 4. Et ad eam, primum magistri Dei dictatum est ipsa fides, c.17. n.13. At fidei dux & author, quæ credenda docet, ea ipse videre debuit, L.7. c.2. nu. 4. Imò fides credendorum niti semper debet sapientum authoritati, qui eorum quæ viderint, fidem facere, fovere ac defensare queant, c.8. num. 18. Hæc à fortiori transferas ad authorem, Antistitem, sponsorem, ac consummatorem fidei nostræ Jesum, nu. 22. Tutior tandem fidei ad veritatem via per authoritatem, quàm per rationem sternitur; Fideles, non Rationales prædicamur, L.12. c.6. n.1.

Contexta sibi sunt omnia fidei capita, ut uno quolibet convulso, labent universa, L.2. c.5. n.3. 4. 12. 13. L. 5. c. 5. num. 3. Non solùm irreligiosa fides, sed & omnia alia subruunt fidei ac salutis nostræ fundamenta, si vel unum divinitatis aut filiationis divinæ Christi, v. *suprà in propr. tit.* Quomodo *una fides* sicut *unus Dominus*? L. 11. c.3. n.2.12. Tota tandem convellitur fides Ecclesiæ, si vel miraculorum fides, L. 12. c.4. n.5. & *seqq.*

Errores omnes profligavit, non vocum novitas, sed fidei per Spiritum sanctum inviolabilis antiquitas, L.3.c.1. n. 1. 2. 3. Nec tam vocibus constat, quam sententiis, C. 8. n.3. c.24. *integro.*

Novatorum fides quàm dispar à fide Ss.Patrum, maximè pro sistenda carne Christi in Eucharistia, L.10. c. 17. n. 12. c. 30. n.12.14. 17. &c. Ut spiritaliùs sit carnem Christi præsentem reapse edere, quam fide absentem, n. 14.

Ipsa fides maturatæ adorationis præsumptio, L.11. c.2. n.4. Mactata pro Christo corpora fidem adhuc spirant & tuentur, L.12. c.4. n.9.

Filiatio, filius naturalis & adoptivus.

Cur Filius apud nos Patri compositus amittat jus & nomen personæ? L.3. c.3. n.10. v.6. 9. Item natura corporea sejuncta à rationali abhorreat a nomine & proprietate Filij? L.4. c.9. n.13. v. 11. Filij libertas & filiatio idem, neutri officit obedientia Patri præstita, L. 5. c.15. n.13. Duplex tantùm filiatio in genere, ex August. L.8. c.4. n.2. inprimis quia filiatio personæ nomen est, nu. 6. triplex tamen modus habendæ filiationis, ex eodem, c.13. n.7. At filiationis propriæ donandæ jus non est, nisi penes Patrem, hoc est, genitorem, c.6. n.5.

Adoptiva saltem filiatio & libertas non sine proprij Filij consensu & opera, L. 2. c. 2. n. 4. L. 3. c. 2. n. 18. Aliud discrimen inter Filium naturalem & adoptivum ratione hæreditatis, L.7. c.7. n.11. L.8. c.1. n.2. Plurimum aliud discrimen inter utrumque, in ipsa ratione filiationis, c. 2. n.7. 14. c.3. n.1. 2. 8. Maximum est, quòd adoptio sit mendacium quoddam seu supplementum & imitatio naturæ & veritatis, c.4. n.13. c.6. n.3.

Disparitates aliunde inter Filium & servum, maximè in ratione meriti & præmij, L.5. c. 17. n. 5. & *seqq.* Opera & munia servi obit tamen quandoque Filius, L. 8. c. 18. nu. 19. & filiali charitate in libertatem evehitur servus, L. 8. c. 18. nu. 20. In quibus aliàs filiatio & servitus conveniant? c.20. n.8. §. *Lactantius.*

Fœlix & Elipandus Hispani Episcopi heretici.

Uterque extremus Nestorij partus, ille Urgelitanus, hic Toletanus Antistes, non proprium & naturalem, sed adoptivum Filium, & servum Christum hominem prædicabant, Præfat. n.10. §. *Ut.* At eorum novitas statim oppressa est in Synodo Franco-ford. *ibid.* Ante ipsos Hispanicæ Ecclesiæ Patres adoptionem à Christo homine repulerant, L.8. c. 3. nu. 13. Contra ipsos plura Scripturæ testimonia coacervat & urget Adrianus Pontifex, c. 1. nu. 2. Item ratione probatur, quod si duplex Filius, duplex erit & persona, c.4. n.6. Novaque Deiparæ intentantur prælia, n.10. Imò Christo Divinitas abrogatur, impingitur servitus, c.19. n.6.

Fœlix ex Patribus plura coacervaverat, quibus humanitas adoptata diceretur; respondet Agobardus, L.8. c. 13. n. 6. Eò tandem devenit infœlix ille Fœlix, ut Christo servitutem illineret conditionalem, seu ex necessitate, qualis competit dæmonibus, c.18. n. 10. Fuit præterea Magister Claudij Taurinensis, primi illo ævo crucis ipsius hostis, L.12. c.7. n.11.

Fœmina.

Nasci de fœmina Deum parerat, 1.° ut neuter sexus sibi vilesceret, neuter de Verbi copula desperaret, L. 2. c.3. n. 1. 2.° ut totum genus liberaret, omnemque sexum, de altero in altero nascendo, n. 2. 3.° ut Diabolus per quàm vicerat, vinceretur, id est per fœminam, n. 3. 4.° ut liqueret Creatoris cum quacumque creatura copulatione, non illum maculari, sed istam a suis sordibus emaculari, quibus horrori solent esse fœminæ, nu. 4. 5.° ut fœmina dux ruinæ, fieret & dux salutis, n. 5. 6.° ut infamia liberaretur sexus imbecillior, n.6. 7.° ut sicut secundus Adam primo, ita Evæ Eva melior subrogaretur, n. 7. Cur autem de Virgine? v. *infra prop. tit. & Maria.*

Forma.

Quòd Deitas sit forma formarum, ejus ab aliis formis varia discrimina, L.3. c.5. n.4. c.6. n.8. c.17. n. 8. & 9. c.22. n. 24. L. 4. c.7. n.5. L.6. c.4. n.9. Inprimis, quod etsi intimè perficiat, extrinseca tamen possit dici forma, L.4. c. 16. n. 18. L.6. c. 17. n. 7. & *seqq.* c.20. nu. 4. Necnon & æterna, simplicissima, ac per se subsistens, L.6. c. 4. n. 9. c. 17. nu. 14. Æternæ autem immensæque formæ insunt omnia, non ipsa inest ulli, L. 6. c. 17. nu. 13. 14. Cùm econtra formæ omnes creatæ, accidentium seu partium instar adhærescere videantur, L. 4. c.16. nu. 18. L.6. c.4. n. 9.

Variæ comparationes Patrum, quibus probatur animam à Deo quodammodo formari, L.6. c.16. nu. 7. 12. 16. Imò adhuc expressiùs Deum multi Patres dixere formam, etsi longè aliter ac alias formas, c. 17. nu. 2. Consulto tamen posterorum diligentia hac formæ voce abstinuit, n. 3. Ipsi veteres caverant, ne quid compositionis ea voce ingereretur, n. 4. & *seqq.* & *toto* c.18. Post ipsas scripturas, rariùs formæ suffragantes, sæpissimè templo, sedi, hospitio, *ibid.* non tamen semper, c.20. n.6. 10. aliis argumentis divinæ formæ invidia eluitur, creaturæ vendicatur formæ ratio, L. 6. c. 19. Ut non sint morosiùs formæ vel informationis voces aut similes vel defensitandæ, vel exagitandæ, c. 18. num. 2. 11. c. 20. nu. 6. 10. v. *etiam Causa.*

Franco-fordiensis Synodus.

Novitatem Fœlicis & Elipandi in asserenda Christi hominis adoptione, statim providè oppressit, *Præfat* n.10. §. *Ut.*

Quo sensu eadem Synodus cum aliis septimæ Synodo generali contra cultum imaginum refragari visa est? L. 12. c. 12. *Præsertim* n.13. §. *Postremò.* v. *Imagines sacræ.*

Fraus.

An fraude circumveniri potuerit Diabolus, citra detrimentum veritatis aut justitiæ? L.1. c.3. n.17. & hac occasione, an fraude fraudem retellere liceat? saltem exitialem salutifera? n.18. L.2. c.4. n.12.

Fulgentius.

Fulgentij Episcopi Ruspensis sententia de omni-scientia animæ Christi exponitur, & propriis demonstrationibus fulcitur, L.7. c.1. Deinceps recentiorum, & antiquiorum Doctorum suffragatione roboratur, CC. *seqq. usque ad* 9. *Præsertim*, n.9. 10.

Mirum tamen est eundem Fulgentium purgatione eguisse, in eo quod visus sit alibi, nonnisi per immanem pueri Jesu ignorantiam, ipsum ad infinitam Divinitatis sapientiam deducere, L.7. c.5. n.8.

G

Gabriel Archangelus.

A Divinitati Christi Evangelium auspicatur Gabriel, L. 4. c.1. n.2. Ex ejus Verbis quàm multipliciter ea illustretur, *ibid.* Gabrielis simul ac Michaelis & Raphaelis sola nomina inter Angelos ex Scripturis cognita, & in Conciliis probata, L.11. c.6. n.12. §. *Quod autem.*

Gaianitæ Heretici.

Hi inter Acephalos Eutychianistas Juliano Halicarnassi Episcopo accesserunt in neganda carnis Christi post unionem corruptibilitate, inde & incorrupticolæ dicti, *Præfat.* n.10. §. *In.* & *expressiùs*, L.4. c.12. n. 1. 7.

Galli, Græci.

Eorum ex utraque parte inter se concertatio & conciliatio de Imaginum cultu, L. 12. CC. 12. 13. v. *Imagines sacræ.*

Multiplex etiam Patrum *Græcorum* cum Latinis concordia *toto opere.* v. *Patres.*

Antea Græcorum, præsertim Philosophorum hæreses adversus Incarnationis fidem tertio & quarto Ecclesiæ sæculo, *Præfat.* n.6.9.

Gelasius.

Gelasio Papæ Librum *de duabus naturis* disertè vendicat Fulgentius, alij perperam ascribunt vel Gelasio Cæsariensi, de quo Hieronymus, vel tertio ejusdem nominis, scriptori actorum Nicænæ Synodi, L. 9. c.19. n. 12. §. *Gelasius.*

Genealogia, Generatio.

De *Genealogia* utrumque Adamum in eadem natura complectente, & idcirco ab hæreticis ex Evangelio abrasa, L.4.c.4.n.2. Cur eadem Genealogia retrò ad Deum usque parentem revoluta? L.8.c.5.n.9. Cur etiam de regia prosapia Christus nasci voluit? C.17.n.11. An de sacerdotali simul & regia? L.10.c.15.n.1. *& seqq.* Splendorem potius à Patre æterno haustum in majores, sive Reges, sive Sacerdotes refudit, n.5.

Quomodo spiritualis nostra regeneratio corporalem ipsam Christi generationem imitetur? L.1.c.11. nu. 6. L.2. c.4. n.6.L.6.c.1.n.6. *& seqq.* Vel potius æternam in temporali? L.8.c.9.n.9.C.11. n.7. Vel hinc maximè quod temporalis ipsa Christi generatio æternam consequatur, ex qua omnia, L.2.c.2. nu. 8. *Præsertim §. Quod enim. v. etiam Christi filiatio &c.*

Gentes, Gentiles.

Qua ratione Christus *desideratus cunctis gentibus*? L.1. c. 4. n.10. imo & ab omnibus credatur? C.5.n.20. idipsum innuitur ex gentilium fabulis de Deo corporato, *præsertim* C.6. n.6. &c. Pauciores tamen ex gentibus ante Christum Christiani, C.9.n.10.Unde *crux Christi gentibus stultitia*? C.6.n.5.14.C.7.n.5.

Cur sacrificia sua ipsi Gentiles aspernati, & in his quid reprehendendum maximè? L.10.c.1.nu. 10.11. ac cc. *seqq.* suos etiam habebant Angelos præsides, L.11.c.4.nu.2.9. 11. Utique simul & Hierarchas seu sacerdotes, per quos sensim ac tandem ab eis purgata est idololatria, C.5. n.7. *Plura. v. in idololatria.*

Gilbertus Porretanus.

Hic Pictaviensis Episcopus, inter alia reprehensus à Gaufredo Claravallensi Monacho, quòd humanitati Christi seorsim spectatæ *duliam digniorem*, seu hyperduliam adsignaret, L.11.c.3. n.17.

Gradus amoris, entis, perfectionis &c. v. in prop. tit.

Gloria, Gratia.

Sub lege gratiam, sub *gratia gloriam* quasi seminaliter contineri, L.1.C.5.n.13. Semina autem virtutum in nobis, citra *specialem Christi gratiam*, in perfectæ virtutis opus non crescunt, usque ad *gloriæ cumulum*, C.9.n.4. §. *Cæterum.* Non solùm *gratia*, sed & *gloria* longè per Christum auctior, C.20. n.12.

Nulla major *gratia*, quam quæ sub debiti specie videtur minùs *gratuita*, L.1.C.2. nu.13. Nullus autem glorietur de meritis quæ vel antevertit vel obruit divinæ gratiæ magnitudo, C.16.n.10. Scilicet gratia creata antevenit opera bona, increata ipsum esse, ac sic utraque omne meritum. L.3.C.11.n.4. Quantum elucescat *gratuitas* gratiæ ex principio, quòd Deus sit charitas? L.6. C. 14. nu. 9. 10. 11.

Nemini unquam salus sine Incarnationis fide & gratia, L.1. c.9. n. 2. *Necessaria* autem Incarnatio ad ipsos gratiæ fontes aperiendos, C.17. nu.2. & cc. *seqq.* Et incarnatio ipsa exemplar gratiæ accuratissimum, *ibid. Gratia specialis* nunc *vis efficax* ex Incarnatione promanat, qua Verbum in suum jus & authoritatem nos vindicat, C. 21. num. 8. Hinc vel maximè Incarnatio nonnisi post peccatum impleri potuit, L.2.C.7.n.20. & CC.10.& 11. *integris.* Diversa utriusque status gratia, & v. *Adami innocentia & reparatio.*

Cautiones quatuor necessariæ, ne doctrina de immutabilitate gratiæ per Christum advecta officiat arbitrii indifferentiæ ad utrumque versatili, L.1.c.19.num.3. C.21. nu. 8. Ea in primis doctrina non eo spectat, ut nullis gratiæ auxiliis juventur, qui illa efficacissima gratia non donantur, C.19. num.5. *circa finem.* L. 2. C. 10. L.9. C. 5. num. 4.

Inexpectatus jam & indubitatus tamen Patrum Græcorum & Latinorum consensus in efficacitate gratiæ Christi, ac utriusque hominis status differentia, L.1. c. 19. num. 5. *& seqq.* L.2.c.11. nu.1.9.10. Scilicet ipsi Græci Patres efficaciam gratiæ specialis saltem in electis ab omnipotentia Dei & virtute Verbi incarnati derivant, *ibid.* & L. 6. c. 7.n.15. *& seqq.* Consultissimum id fuit, ut liberi arbitrii defensores alias nimiò plus visi, nunc gratiæ atque adeò utriusque dogmatis assertores fierent, *ibid.* Adeò etiam conserta est Incarnationis & gratiæ ratio, ut ab illis divelli non potuerint, *ibid.*

Ex iisdem ergo Patribus hujus efficacitatis ratio plurima, in primis quod si peccati natura adeò inanis & nulla tantum potuit, quid gratia cujus natura ultra naturam est? L. 1. C.20.n.7. Deinde quod si gratia Adami possibilitatis fuit; specialis gratia Christi debet esse operationis & efficax sequens ipsam Incarnationis naturam, C.19.n.7.L.2.c.11. nu. 4. *& seqq. præsertim* nu.10. Hinc præpotentis instar victoriæ describitur ab Irenæo, nu. 5. Idque vel ex eo quòd nisi ab hypostatica unione manare gratia nostra non potuit, L.3.C.2.n.18.

Substantialis Spiritus sancti gratia non impedit affectus habitusque infusos, L.1.c.21. nu.6. Ac vicissim præter accidentalis gratiæ ornatum, substantialis seu increata ipsis Christi membris aspergitur, L.6.c.8.n.9. 10. 11. *præsertim* nu.7. 11. Ipsaque habitualis Christi gratia est unio & connexio exordialis animæ cum Deo. C. 19. n.5. Vide *Christi capitis gratia, habitus, &c.*

Gratiarum actio.

Quàm verum sit sacrificium gratiarum actionis, L.10. c.24. n.1. *& seqq.* Gratiarum actio casta & sincera, summa quædam est & meta justitiæ perfectissimæ seu religionis, *ibid.* & nu.2. 6. 19.

Gregorius.

Commentarii in primum librum Regum, & Tractatus in Psalmos Pœnitentiales, etsi non sint Gregorii Magni, sed fortè Gregorii VII. ab illius tamen doctrina non discedunt, L.2.c.8.n.11. in fin.

Ipse Gregorius Magnus in constituenda Anglorum Ecclesia permisit retineri animalium occisiones prope Ecclesias ad instar populi Israelitici, L.10. C.4. n.5.

In ejus Epistolis ad Serenum & Secundinum, quibus Gallicani Antistites nixi sunt, multa pro imaginum vetustate, veneratione, ac cultu multiplici, licet modesto & sobrio, L.12.c.11.n.5.C.12. n. 3. *& seqq.*

H

Habitus.

Quid sit & ad quid in solo Christo Deum *habitu inventum esse ut hominem*? ex Paulo, L.3.c.9.num.5.6. Ibi pura de modo *habitus* seu *vestis* in se & super hominem, & c.12. nu.4.

In alio sensu, Quatenus Deus charitas ipsa est inhabitans inspiransque creatos virtutum habitus & actus? L. 9. c. 14. nu.1. *& seqq.* Nec nisi per eos in nobis crescit? nu. 16. Ipsius charitatis habitus non inexploratus Augustino, imò nec Scripturæ, num.19. 20. 23. Ut eum ablegavit magister, ob id non jure infamatus, num. 20. 21. Ipsam virtutem habitum & qualitatem vocat Augustinus, sed qua Deo religamur, C. 16. num. *& seqq.* Quod in patria perficitur, hìc incipitur, ut præter habitum charitatis, Deus ipse sit charitas, num. 10. Vide etiam *Charitas, Gratia &c.*

Hæreses, Hæretici.

Enumerantur hæreses, quibus oppugnata est Verbi Incarnatio, *Præfat.* n. 6. Triplex primùm Hæreticorum genus distinguitur ex Authoribus, Judæis, Græcis maximè Philosophis, & Christianis, *ibid.* Has omnes hæreses uno complexus est loco Leo M. num. 8. Seorsim deinceps revolvuntur, *ibid.* & num. *seqq.* Ipsa Incarnatio unicum contra omnes hominum errores seu hæreses remedium, L.1. c.9. num.3. C.12. num. 1. 5. *& seqq.* C. 14. num. 1. 2. 5. 6.

Ex eodem fonte indistinctionis personarum in Deo, & ex ignorato naturæ à personis discrimine, variorum olim ac penè omnium Hæreticorum inter se divortia, L. 2. c. 1. n.4. v. *ult.* L.3.c.1. n. 3. L.5. C.5. n.4. Plurium etiam hæreseum fons, quòd pœnam pro natura hominis interpretarentur, C.10. n.6. Verior omnium ferè hæreseon radix superbia, n.13.

Qui suis præjudiciis contra Patrum consensionem indulgent, varias hæreses incauti ut plurimum impingunt, L.1.c.3.n.7.L.2.c.5.nu.3.12.13.C.8.n.6. §. *Unde.*C.12.nu. 25. C.16. nu.1. 10. Scire interest, quas hæreses sancti Patres proscribunt pro intelligenda vi verborum apud ipsos, L.3.c.8.num.3.C.24. *ferè integro.* Dum fervent hæreses, sedulius cavendum verbis inordinatè prolatis, n.3.7.23. *& seqq.*

Cur aliquando ipsi Catholici utrimque ut hæreticos se proscindant, L.3.c.14.nu.3. *& seqq. præsertim* 8. C.24.nu.14. 15.21. 22.26. 27. Qua clementia tunc utendum? num.27. Non ex verbis raptim prolatis, quæ aliquando ipsis Patribus exciderunt; sed ex sententiarum uniformi nexu & intentione discernuntur hæreses, num. 2. 3. 22. 26.

Non mirum quandoque usu evenisse, ut ex ipsorum hæreticorum ore raperentur verba, quibus ipsorummet vel aliorum jugularetur hæresis, L.3.c.13.n.11.C.14. n.8.13. C.15.nu.17. Nec mirum etiam si hæretici ab ipsa veritate contra veritatem falsitati præsidium compararent, *ibid.* & C. 13. n.1.2. Scripturis præsertim abuti, nullis non usitatum hæreticis, L.4.c.10. n.1. Quàm parum sibi constet hæresis, L.8. c.19. nu. 6. Contra omnes omni ævo præsidium Ecclesiæ ex Martyrum actis & miraculis, *ibid.* Vide *Singulas seorsim.*

Helena Constantini mater.

Helenæ pietas ad purganda loca sacra, L.12. c.5. nu.9. Specialis ejus devotio erga veram Crucem, *ibid.* At ante ipsam, Crucis imaginum veneratio jam plurima, C. 6. num. 14.

Hierarchia duplex.

Hierarchia seu sacerdotii dignitas intelligibilis, priùs ad Angelos quàm ad nos descendit, L.10. c.25. n.4. Affinitas utriusque Hierarchiæ, cœlestis & Ecclesiasticæ, nu. 5. L.11. c.5. n.7. Ipsi Angeli gentium præsides erant Hierarchæ sacerdotii cujusdam interioris, *ibid.*

Hieronymus, Hilarius Pictaviensis.

Hieronymus unus, omnium instar, pro *Hilario*, L. 4. c.13. num.19. Totus autem idem adversus Vigilantium & alios hæreticos, *passim* L.L.11. & 12. *ac toto opere.*

Hilarii verò, circa affectus animæ, & passiones corporis Christi, sententia expenditur, L.4.c.13.num.1. *& seqq.* Errasse eum sensit Claudianus Mamertus, n. 12. Excusat Philippus Bonæ Spei Abbas, nu. 13. adducitque Hilario consentaneum Leonem Papam, *ibid.* Consentaneus pariter videtur Theodorus Abucara, num. 14. Et Author Elucidarii apud Anselmum, num.15. Suis ipse verbis purgatur Hilarius, nu. 6. & ab ipso Magistro ac sancto Thoma, nu. 17. Idque ad prædictos Philippum & Abucaram extenditur, num.18. Vera autem ratio, num.20. Vel ex eo quòd apud Augustinum & alios eadem penè occurrant, num.21.

Historia.

Ad historiam refertur tota Christi dispensatio temporalis, L.1.c.7.n.1.3. 4.5.6.7. 14. Et hæc tota historia ad charitatem, *passim eodem* L. 1. *præsertim* C.8. n. 9. Inter historiam & parabolam quandoque in ipsis Scripturis non interest, L.11.c.11. nu.19.

Holocaustum, Hostia.

De holocausto & hostia passim in Christo & in sacrificiis. De primo autem expressissimè, occasione ultimi per resurrectionem complendi, L.10. c.14. *ferè toto.*

Homo, Humanitas, Humanum genus.

Creator hominem homini, Redemptor Deum homini sibi etiam reddito donavit, L.1. c.2. n.16. Quantum inde homo Deo debeat? *ibid.* Hominis creatio *ad imaginem Dei*, hoc est, Christi, non opus Creatoris tantùm, sed & pignus Redemptoris, ex Tertull. L.4.c.5. n.1. *integro*. In quo autem consistat hæc Dei in homine imago? L.5. c. 2. n.5. *& seqq.*

Si creatura omnis corporea quodammodo sacramentum seu vestigium est, à fortiori homo imago seu signum non vacuum, L.1. c. 5. num. 14. Quàm ipsa humanitas sit aptum symbolum seu imago, qua veritas utatur, *ibid.* & C. 8. n.7. Idque ex humana Dei forma in apparitionibus, v. *suo loco suprà.*

Ita se præludium quoddam Incarnationis homo quilibet intelligat, L.1.c.16. n.12. Ut autem credat posse se fieri filium Dei, Dei Filius factus est hominis filius, quod longè incredibilius, n.10. §. *Rursum*. At aliunde incredibilior unio animæ cum corpore, quàm Dei cum homine, n.11 12. Priori copula homo creatur, secunda redimitur, L.2. c. 9. nu. 5. §. *Prior*. Et ideo secunda redimitur, quia in prima creatus, C.12.nu.4.5.6. Nec secunda redimeret, nisi proximè imitaretur primam, hoc est, nisi esset substantialis saltem & hypostatica; imò nisi esset etiam arctior prima, L.4. c.14. n.8.

At è quatuor modis producendi hominem, de quibus L. 2. c. 3.n.12.13. Quartus humanus in Christo divinum imitari debuit, non econtra, C. 4. nu. 7. *& seqq.* Homini autem etiam Deo, cognatius est mori, minùsque incredibile, quàm Deo hominem fieri, C.7.n.1. 6.8. Contranitendi quibusdam non alia causa fuit quàm innata nostræ humanitatis admiratio, crucis mortisque horror, *ibid.* & C. 6. num. 11. 12. Quàm aliter Deus ipse ac sancti Patres sentiant? *utrobique*. Quàm humiliter ac magnificè tamen simul de sua humanitate homo sentire debeat, L.1. c. 16. n.11.12. Vide etiam *Angeli cum homine collatio multiplex, suprà.*

Quàm justum aliunde jus Diaboli in hominem liberè consentientem, L.1.c.3.n.3.4. 8. Justius verò ut victor hominis diabolus, ab homine vincatur, n.13.L.4.c.8. num.6. At nec homo, nec alia creatura pro homine satisfacere poterat, vel ob inæstimabilem hominis dignitatem, L. 3. c.4. n.1. 2. Et ob innumeras totius generis humani offensas, n.12. *in fine*. L.4.c.3.n.4. *& seqq.* C.4.n.12. L.9.c.7. *integro*. Hominis enim pretium nonnisi Deus, *ibid.* In primis ab homine hominem emaculari posse, summæ stultitiæ ac superbiæ macula fuisset, L.10. c. 1. *pariter toto.*

Scilicet quod mors totum hominem substantialiter infecisset, necesse fuit Verbi vitam in humanitatis penetralia descendere, ibique collocare vitæ fontem, L. 1. c. 19. præsertim n.2.L.3.c.2. n.12. L.9.c.7.nu.2. 7.9. Etsi enim una Christi humanitas assumpta sit, hominum tamen universitati impensa est Incarnatio, L.2.c.11. nu.4. §. *Et ad*. Ipsumque universi generis humani corpus in Christo sanctificatum, ex Hilario, L.4.c.4. num.4. Et universa natura, ex aliis, L.5.c. 18. num.9. *& seqq.* C.19. nu.1. *& seqq.* L.6.c.8. num.3. *& seqq.* L.8.c.12. num.7. 8. L.10. c.8. nu.5.

Rursus statuum hominis diversitas in hoc maximè, quòd concessa Adamo gratia non prohibuerit, quin universum genus humanum interiret; Reparatrix verò Christi gratia invictissimè prohibeat, ne universa iterum pereat natura, L.1. c.19. n.5. Longè quidem aliter in Christo, ac in nobis, nu. 10. Sed quàm uberrimè per omnes hominis ætates & gradus, num.11.12. At hæc omnia subruunt, si Christus supponatur venturus, homine etiam non peccante, L.2. c. 5. *& seqq.* præsertim 10. Et hinc ab exordio ad exitum mundi duo tantùm homines, v. *suprà in Adamo & Christo.*

Ad hoc Deus primò hominem permisit homini, deinde factus homo sibi vendicavit, L.1. CC. 20.21. *præsertim* n.8. Hinc humanam primò personam, ejusque jura homini concessit; deinde transtulit in divinam, *ibid.* Dubium an sit anima rationalis tota hominis natura & persona? L.3.c.3.nu.3.5. C.8.nu.7. *& seqq.* C.9.nu.5. *& seqq.* C. 12. n.7. 8. Et an ipsam quoque animam pariat parens cujuslibet hominis, sicut Maria Verbum? C.15.nu.1. 2. *& seqq.* Licet certius videatur hominem ex duobus perfectis perfici, C.16. num.6. Nec anima nec corpus homo nuncupetur, quia ex animæ & corporis natura existere creditur natura hominis, C. 19. num.3. Nihilominus complures censuerunt hominis non unam, sed duas esse naturas: at contra usum vulgarem ipsius Theologiæ, num.8. *& seqq.* Anima verò sit totus homo, vel hominis pars, juxta varios Patres, parum interest, *præfat.* num. 4. Vide etiam *Anima.*

Utrumque verò hominis sexum nascendo Deus consecravit, ut neuter sibi aut alteri vilesceret, totumque liberaretur genus humanum, L.2.c.3. V. *suprà Fœmina*. In utroque rursus duæ hominum classes, rudium ac perfectorum, nullusque non rudis antequam perfectus, L.1.c.8. nu. 7. Qua ratione Christus *illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum*? C 9.n.4. A sensibilibus tandem abduci homo nonnisi Dei hominis magisterio potuit, CC. 12.13.14.16. nu.3.4. 5. Vel ex eo quòd dedignaretur genus humanum sequi homines humiles, Deus factus est humilis homo, n.6.7.L.2.c.9. n.3. §. *Seu*. L.4. c.3. nu.4.V. *mox in humilitate, &c.*

Honores.

Honores qui deferuntur cœlitibus non esse merè humanos, cùm erga mortales ipsos debeant esse religiosi, seu ex Religione. L.12. c. 3. num.2.7. C. 13. num. 14. Corpori, ut virtutis, sic honoris sua portio debetur, n.12. V. *Adoratio.*

Honorius, Hormisda Papa.

Sexta Synodus œcumenica nomen Honorii Papæ inussit, non erroris ergo, cujus ille purus fuit, sed dispensationis improvidæ erga Monothelitas, *præfat.* num.10. §. *De &c.*

At longè cautiùs ante omnes Hormisda in Scythas Monachos stomachatus, ob propositionem quòd *unus de Trinitate sit passus*, L.3. c.14.n.4. Imò imperitorum Catholicorum infirmitati contra *veram & propriam Deiparæ vocem* tanquam Eutycheti faventem aliquandiu serviendum sensit idem Pontifex, C.15. n.15.

Hospitalitas.

Hospitalitatem multipliciter commendavit Deus in Abrahamo & posteris, L.2.c.1.n.3. Quantum sanctitatis afflavit hospitio, seu hospitali regioni Ægypti? L.5.c.7.n.9. 10. In nobis ipsis propriè quærit hospitium quod inhabitet, non materiam quam informet, L.6.c.17.n.5. *& seqq.* C.18. *toto.*

Hugo Victorinus.

Nullus eò propiùs ad mentem antiquioris Patrum scholæ accessit in explicanda ratione personæ, L.3.c.3. n.2. 3. 5. 6.8.12. C.8. n.8. C.23. nu.14. Author ipse putatur libri de spiritu & anima, apud Augustinum, adeò ipsi addictus fuit, C.22.n.19.C.23. n.10. Fulgentio etiam inprimis accedit in exponenda & probanda omni scientia animæ Christi, L.7. c.2. nu. 1. *& seqq.* Tractat demum quæstionem, an Christus corpus suum consecrarit mortale vel immortale, tutiusque existimat neutrum definiendum, L. 10. c. 31. num. 2. At si alterutrum, magis propendet in impassibile, quod & tribus conjecturis munit, *ibid.*

Humilitas.

Profligatæ per inobedientiam charitatis, sola reparatrix est humilitas, L. 2. c. 9. num. 6. Partes utriusque

que in creatione aut reparatione hominis, *ibid.* & C. 12. num.6.

Amplioris jam potestatis est humilitate regnare, infirmitate vincere, &c. L.1.c.1.num.7.C.13.nu.5.CC.14.15. Sola enim propriè Christi humilitas orbem subegit, subigitque in dies, L.2.c.9.n.2. L.9.c.2.n.2. *& seqq.*

Scilicet fastus hominis sola Incarnationis humilitate comprimi ac sanari potuit, L.1.c.1. nu.9. *& seqq.* C.13.nu.5. C.16. nu. 6. Imò Christus, humilitatis magister non verbis tantùm aut gestis, vita aut morte, sed ipsa sua substantia esse debuit, L.2.c.9. n.1.3. Hoc est, Incarnationis ipsa substantia mysterium est humilitatis,n.6.*in fine.* Necnon & humanæ totius gloriæ abdicatio. L.4.c.7.n.4. Ita Eucharistia est humilitatis seu exinanitionis sacrificium, L.10.c.23. n.1.2.

Divinitatem & humilitatem consociari posse diabolo & aliis superbis incredibile, L.1.c.3. 2. 9. Hæc tamen contraria consociari oportuit, C.4.nu. 12. C.13.nu.5. Sicque ipsa humilitatis substantia seu essentia Christus dicitur occidisse diabolum, hoc est, humilitas superbiam, L. 2.c.9.n.3.§.*Seu*. L.10. c.10. nu. 1. 2. Ob idem humilitatis magisterium ac propositum, Christi verba de sua divinitate amplificanda potiùs sunt, quàm extenuanda, L.4.c.1. n. 4.& *expressiùs* C.2.n.4.L.7.c.4.n.13.L.8.c.1.n.3.8.11.C.16. n. 1. *& seqq.*

Cùm etiam dedignaretur genus humanum imitari homines humiles, oportuit Deum humilem dicere, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, L.1.c.16. nu.6.7. L.2. c.9. nu.3. §.*Seu*. Ita nos *in charitate radicati*: quia arboris instar petit ima priùs humilitas, antequam sursum crescat, L.2.c.9.n.4.

Hæc deinceps humilitas Christianitatis tessera non alienat nisi superbos, L.1.c.13. n.5. Hinc fine fine obtruditur humilitas, ex Augustino, *ibid.* & L. 2. c. 9. num. 3. Quàm non vilis, sed animosa magnificaque sit humilitas Christiana, *utrobique*, L. 1. c. 13. nu. 11. L. 2. c.9. n.2.

Quantum ipse humilitatis ac paupertatis amor rectæ rationi sit consentaneus? L.1.c.15. num.6. Tutissimus denique fœlicitatis publicæ & privatæ portus ac breviarium humilitas, C. 16. num.6. 7. Ad hoc ergo præsertim mediatore opus fuit, L.9. c. 1. num. 8. *& seqq.* C. 2. num.2. *& seqq.*

Hypostasis, Hypostatica.

Hypostasis, aliaque distinctionis in divinis vocabula, nonnisi occasione Sabellii, usurpari cœpere apud Græcos: similia paulò seriùs apud Latinos; de quibus non tam citò convenit utrimque, L.3.c.1.nu.1. Post Augustini demùm ætatem excogitata vox latina *substantia*, quæ magis hypostasi consonaret quàm vocabulum *substantia*, *ibid.* Imò nec tam citò vocabula *hypostasis & usia* a Græcis discriminata sunt, num. 2. c.7. num. 3. nu. Typhanius L. integro de hypostasi, præcipuam dumtaxat unionis hypostaticæ partim attigit, v. *etiam Christi unio hypostatica, persona, &c.*

Discrimen inter *hypostasim & hypostaticum*, quod hypostasis sit totum, hypostaticum verò totius substantiva pars quælibet, L.3.c.9.n.6. C. 12. n.4. C.20.nu.11. An & quid sit in Christo voluntas, seu *velle hypostaticum*? L.5. c. 2. num. 11. C.5. num. 4. Deum in nobis ad modum magis hypostaseum seu personarum, quàm formarum, hospitando inhabitare, L. 6. c. 17. num. 5. 15. *& seqq.* Vide *Forma*.

I

Iacob & Isaac Patriarcha.

AMbo soli frequentiùs junguntur meritis Abrahæ in commemorationibus apud Deum, & in cura sepulturæ, vide supra *Abraham*.

Quid innuat Jacobi scala mystica de Angelis? L. 11. c. 5. num. 5. Quid etiam de imaginibus? L. 12. c. 8. nu. 3. Adde altaria proprio instinctu ab eo adjuncta, num. 6.

Iacobus minor.

Cur frater Domini, ex Epiphanio? & illi liceret quotannis in Sancta Sanctorum ingredi? L. 10. c. 15. num. 1. Cur ejusdem primi Jerosolymorum Episcopi cathedram tanti facerent successores, ex Eusebio, L. 13. 11. num. 8.

Iconomachi, v. Imagines sacræ,

Idola, Idololatria.

Origo idololatriæ ex arcano nostræ ægritudinis instinctu & impetu in Deum corporatum, L. 1. c. 2. num. 5. C. 5. num. 12. 20. C. 6. num. 6. 11. 12. L. 9. c. 5. num. 15. L. 10. c.6. num.4. Castiùs initio ipsi Romani Deos sine simulacris seu idolis colebant, ex ipso Varrhone, L. 12. c.9. n.12. 16.

Mediatoris quidem necessitas homines male feriatos ad excitanda Dæmonibus sacra impulit, L. 9. c. 1. n. 1. *& seqq.* Ut Dæmones & superbissimi homines sacrificia sibi ut idolis suis indixerunt, L. 10. c.2. num.1. *& seqq.* Ita Mosaica, imò Christiana sacra imitati Idololatræ, vel Dæmones per ipsos, num.5. C. 6. num.4. *& seqq.* Hinc merù præsertim idololatriæ, permissa animantium seu idolorum ipsorum sacrificia, C.3.n.1. *& seqq. maximo* 13. C.4. n.5. 6. 7.

Attamen instinctus ipse in idola initium aliquod Christianæ fidei, L. 1. c.5. nu.8. seu 9.12. 20. Nec tantùm ex apparitionibus veris, sed etiam ex fictis apud Idololatras Incarnationis præsagia, C.6. nu.6.11.12. Maximè in eorum sacrificiis, L.10.c.6. n. 4. *& seqq.* Ea quidem plerique ex illis ut futilia quandoque aspernati, C.1.n.10.11. Sed ex defectu gratiarum actionis erga Deum, seu ex superbia serpsit semper omnis idololatriæ colluvies, C.24.num.3. Et hæc Græcorum θρησκεία a genuino Dei veri cultu, ad superstitionem quamlibet detorta, L. 11. c. 1. num. 1. 3.

In ipsa tandem Incarnatione unicum contra idololatriam remedium, L.1.c.6. nu. 11.12. Sic enim effrænes in idola seu corpora animos & amores Deus in se recollegit, *ibid.* & nu.13. *Item* C.14.n.1.2.L.4.c.5.n.18.L.11. c.2.n.14. Imò non solùm idola corporea corporatus proscripsit, sed & tum demum corporeus credi desiit, L. 10. c.30. nu.10.11. L.12. c.10. n.4.5.

Minùs mirum si tam facilè idololatria exoleverit, utpote quæ præter naturam ex ægritudine inoleverat. L. 1.c.15. num. 2. *& seqq.* Hinc nullus pro ea vitæ periculum adiit, *ibid.* At mors & crux maximè Christi eam debellavit, L. 10. c. 10. num. 6. *& seqq.* Necnon & Martyrum cultus, L.12. c.1. num. 13. *& seqq.* C. 2. *ferè toto*. Ipsarumque demum imaginum usus & veneratio, C. 10. num. 5. *& seqq.*

Ad hoc Angeli Gentilium præsides, invisibilis sui sacerdotii munere functi, sensim plerosque ab idololatria purgaverunt. L.11. c.5. nu. 7. Ipsa verò Ecclesia pro impiis, quos Gentilitas habuerat, pios apud unicum Deum sequestres subrogavit, L.12. c.2. num.4. Quam alienior ab omni specie vel umbra Idololatriæ, C.20.n.4. Ipsa etiam Græcanica, dum putabatur a Gallis excedere, C.12.n.9. §.*Postremò*. Hæreticis econtra maximè Manichæis, Arianis, Nestorianis, Monothelitis ac tandem Novatoribus confœderatio cum ipsis Idololatris diversimodè objecta, v. *singul. tit.*

Iejunium.

Quomodo privatio Corporis Christi æterna damnatorum anticipet jejunia? L.1.c.11. num.7. An verò communione ejusdem sacri Corporis solvatur jejunium corporale? n. 8. Quam hominis faciem seu formam exterminent aut venustent? L.4.c.7.n.6.

Iephte filia, Ierusalem.

Virginis Ecclesiæ sacrificium in virgine Jephte filia olim præfiguratum, ex Aug. L.10. c.14. n.8.

Cur uni Jerusalem, quæ Ecclesiæ alia solennior figura est, priora etiam addicta sacrificia, ex eodem & aliis, L. 10. c.3.n.10. C.7.n.11. 12. L.11.c.6.n.11. Quo sensu Jerosolyma *civitas justitiæ*, ex Theodoreto, L.12. c.5. n. 3. Unde tot tamque celebres olim peregrinationes Ierusalem,*ibid.* & n.9. 10.

Iesus-Christus.

Plerique ex primis Hæreticis, maximè de Judaicis fontibus, *Iesum* à *Christo* ita dividebant, ut impiè vellent Jesum ex Josephi & Mariæ conjugio procreatum, in eumque baptismi tempore descendisse Spiritum sanctum, ita Christum factum esse, mortis tempore avolasse Christum, Jesum obiisse ac resurrexisse, *Præfat.* n. 8.

At secundùm nos *Iesus* propter salvationem dicitur,*Christus* propter sacerdotium ex primo Incarnationis momento, L.11. c.2.n.2. §.*Rursum*. Quo sensu in *solo nomine Iesu* omne genu flectendum? ex Agob.Lug.L.12.c.12.nu.10. Reliqua vide *in Christo*.

Ignis. Illapsus.

Ignis virtus præsertim in carbone & ferro pluries à SS. Patribus proposita, ad significandam unionem seu immeationem naturarum ac sanctitatis efficacissimam penetrationem in quocumque *illapsu* divino, v.*præsertim Christi unio hypostatica*. Eadem ignis energia charitati ipsique Deo charitati accommodata, maximè in sacrificiis antiquis, L.10.c.14. n.1. *& seqq. præsertim* 9. Item ignis, quo olim ardebat hostia, ipsam præsignabat extremi judicii incendiique flammam, n.4.

Cur *illapsus* sive justificans sive beatificans Sanctos non trahat in unitatem personæ cum Deo? L.3.c.11. nu.9. & *fusiùs* C. 17. n. 1. *& seqq.* Plura de vario illapsu naturarum ratio-

rationalium in corpora cœlestia, & in corpora humana, nu. 7. §. *An ut*. In naturas rationales solus Deus illabi potest, non Angelus aut homo, CC. 22. 23. *Item* L. 4. c. 15. num. 10. L. 6. c. 12. *ferè toto*. Ex beatifico autem illapsu, quem omnes substantialem agnoscunt, infertur & substantialis per charitatem justificantem, L. 6. c. 6. num. 10. *& seqq.*

Imago in genere,

Imago Dei est in homine, non solum vestigium. L. 1. c. 5. n. 13. 14. Si imago Deum non dedecet, à fortiori nec res ipsa, C. 6. num. §. 6. 7. In veritatem impingit, qui ejus lacessit imagines, C. 7. num. 4. 5. 14. Umbra in lege, imago propriè in Evangelio, veritas in gloria, C. 10. num. 14. Quomodo *in imagine pertransit homo*? *ibid.*

Imago deformata ad simillimam reformetur, L. 1. c. 8. nu. 7. C. 21. *integro*. L. 2. c. 2. n. 1. 3. Christus autem ea est accuratissima Deitatis imago & statua. L. 1. c. 8. nu. 7. *cit.* C. 11. num. 12. C. 13. *ferè toto*. C. 21. *integro*. Ea igitur imago insculpenda fuit altiùs in homine, ne oblitterari post hæc posset, num. 1. *& seqq. latissimè*. L. 2. c. 1. nu. 3. 6. 7. C. 2. num. 3. Idque Verbum ab ipsa generatione sempiterna habuit, quando etiam dictum est, *faciamus hominem ad imaginem*, *&c.* num. 8. §. *quod enim*. Denique L. 4. c. 3. num. 2.

Ex his sequitur deformari non potuisse imaginem Dei in homine, saltem in tota natura, si ante peccatum insculpenda, adeòque insculpta fuisset, L. 2. c. 11. nu. 1. 2. 3. *præsertim* ex L. 1. c. 21. Peccatum quidem ipsum etiam Dei imago est, sed quàm præpostera, num. 4. At non imago tantùm perfecta constaret in homine, sed etiam veritas, si natura sua esset impeccabilis, L. 5. c. 22. nu. 3. *& seqq.* C. 23. n. 6. *& seqq.*

Constat denique tota imaginis divinæ perfectio ex Verbi & Spiritus sancti, hoc est, veritatis & charitatis seu sanctitatis in animam illapsu. L. 1. c. 21. num. 3. Sicut enim Verbum est actuosa Patris imago promens quod ille premit, L. 2. c. 1. num. 6. 7. Ita Spiritus sanctus Filii, L. 6. c. 10. num. 1. *& seqq.* Hinc etiam non constat imago Dei integra in homine sine voluntate propria, L. 5. c. 2. nu. 5. *& seqq.* Et hinc tandem dum Dei imago sive in Angelo sive in homine colitur aut amatur, nonnisi Deus ipse, L. 11. c. 1. n. 9. Imò & in toto orbe, L. 12. c. 8. n. 2. V. mox in *Cultu*.

Imaginum sacrarum usus & cultus, ubi de Iconomachis.

Crucis quàm aliarum imaginum cultus fundatior, L. 12. CC. 6. & 7. *præsertim* num. 11. Ex crucis autem cultu, cultus ipsarum imaginum constituitur. C. 8. num. 1. Vide *jam suprà suo loco*.

Deinceps idem sacrarum imaginum cultus eruitur ex sacris litteris, L. 1. c. 8. num. 2. *& seqq.* Et quidem ex ipsa totius orbis fabrica, *ibid.* & C. 9. num. 23. In primis verò ex veneratione Templi, Tabernaculi, Cherubim, &c. C. 8. num. 2. *latissimè*, & num. 6. Ita lex imaginum profligatrix, quæ imago ipsissima & *umbra cœlestium*, num. 2. §. *Et ibidem*. Quod summa quidem sapientia Salomon, nullo tamen Dei imperio eas imagines in Templo novarit, quidni & Ecclesiæ fas erit sine ullo Dei præcepto bene cessuras pariter apud nos ominari? num. 3. Nomen ipsum Dei imago est, & adoratur, *ibid.* Serpens verò æneus, crucis imago non à solo legis ministro Moyse, sed etiam à Magistro Christo probata, num. 4. 6. Etsi ab Ezechia pro idolo meritò proscripta, num. 10. Quid ex variis Dei imaginibus olim Adamo & aliis apparentis? num. 5. At si imagines ablegaret Scriptura, seipsam abrogaret, nu. 6. 7. *in fine*. Sufficiebat dicere de Iconibus Templi, non haberi ut Deos: quidni & de nostris? num. 7. Quid de umbra Petri multifariam honorata, secundùm septimam Synodum? n. 8.

Jam an præter Christi, Deiparæ & Sanctorum imagines, aliæ Dei in se & inter sacras & probatas haberi debeant? C. 12. c. 9. num. 1. In primis ex Dei invisibilitate & incorporeitate eas improbare videtur Damasc. *ibid. latissimè*; redditque rationem cur omnes à Moyse privatim Judæis vetitæ, utpote pueris nescientibus distinguere inter licita, §. *Ibidem*. Non ita Christianis jam adultis, & id de Deo incarnato licitè præsumentibus, *eodem ac seqq.* §§. Deinde ex eo quòd propriè id incarnatione præstitum sit, authore ipso Christo, exinde Apostolos supra Prophetas prædicante, juxta eundem Damasc. num. 2. Adde in eandem sententiam duos Pontifices, Gregorium III. & Hadrianum I. ac tres primarios Episcopos, Germanum Constant. Theodotum Jerosol. & Joannem Thessal. num. *seqq.* Maximè verò ultimi responsionem ad objectionem Gentilium, necnon ad instantiam de Angelorum saltem apud nos imaginibus, quos non usquequaque incorporeos ille existimat, num. 7. Item septimam Synodum respondentem ad *Iconomachorum* calumniam de Nestoriana hæresi in divisione utriusque Christi naturæ per imagines solius humanæ, num. 8. Convenientiùs ipsi Eutychianæ impactum crimen, quòd utramque confunderent, neutram pingendo, *ibid.* Sic utrimque de divina nequaquam pingenda conveniebat, *ibid.* In eadem Synodo prolatus quidem ab Iconomachis Eusebius Pamph. contra ipsas Christi imagines jam in gloriam assumpti; sed rejectus ille à Catholicis, tanquam Eutychianæ simul & Arianæ vesaniæ patrocinans, §§. *seqq.*

Ante has verò pugnas, Clemens Alex. ex Ægyptiis Græcisque ipsis Philosophis, simul cum Hebræis censetur, ne ulla Dei statuatur imago, *eodem* L. 12. c. 8. nu. 9. Item & Origenes carpens solam Philosophorum duplicitatem, num. 10. Justinus similiter eadem contra eos, quæ olim Prophetæ in Dei effictores exaggerans, num. 11. Ex Latinis in media Ecclesiæ pace Augustinus, ex ipso antiquiori Romanorum usu, nequidem in corde, nedum in Templo, Dei simulachrum admittens, num. 12. Sic ante ipsum Ambrosius, & Hieronymus Idololatras increpantes, num. 13. 14. Quantò fortiùs prioribus sæculis Lactantius, Tertullianus & Minutius, non solùm nulla Christianis nota simulachra seu idola, quod Gentiles obiiciebant; sed nullam prorsus divinitatis imaginem fuisse testantes, nu. *seqq.* At contrà pingi posse Dei imagines consentire videntur ex prælaudatis Græcis Damascenus & septima Synodus, num. 18. 19. Inter Latinos antiquiores Augustinus & Chrysologus, n. 20. 21. Concordiæ ratio, ex eo quòd non Deus pingatur, sed ejus apparitiones & symbola, aliter ac Christi, nu. 22. Quæ tandem simulachra vetuerit Moyses? n. 23.

Imaginum usus cultusque jam inde ab exordio Ecclesiæ, L. 12. c. 10. n. 1. C. 11. n. 1. Nullum tempus designari potest, quo is cœperit, & ita novatum quid sit in Ecclesia, C. 10. num. 2. Alioquin intercessissent Synodi, & ipsa Ecclesia, quæ tota labi non potest, nu. 3. præsertim in idola, postquam Deus incarnatus est, nu. 4. *& seqq.* Qui eam à se restitui jactabant *Iconomachi*, apostolicis signis debuerant clarescere, nu. 9. 10. Cassi eorum conatus Duce Isauro Imperatore, non Episcopo, n. 11. 12. Quinam eorum prælusores? n. 13.

Imaginum usus specialiter inter ipsas Ecclesiæ cunas, præsertim in calicibus, non sine honore, L. 12. c. 11. num. 1. vel ex iis noscebantur Apostoli & alii Sancti, nu. 2. 3. His ornabantur Basilicæ & baptisteria, nu. 4. Multa pro vetustate & veneratione plurima, ex ipso Greg. Mag. num. 5. ex Fortunato & Prudentio, num. 6. Necnon ex Eusebio, quidquid senserit de imaginum origine ex Gentilibus, num. 8. Haud dissimulandus abusus apud varios Hæreticos, num. 9. Rectus verò usus apud antiquiores Græcos, nu. 10. *& seqq.* Parcior dumtaxat ab initio, ne offenderentur Gentiles, n. 15. Etsi putet Hadrianus Papa molliùs eos per illas conversos fuisse, *ibid.* Vetare visa est Synodus Eliber. *ibid.* At satis sunt tot in contrarium Patres in septima Synodo plerique laudati, *ibid.*

Adversus hanc Nicænam Synodum certantes olim Galli, imagines tamen non confringebant, L. 12. c. 12. num. 1. Imò & modesto ac sobrio cultu afficiebant. *ibid.* & nu. 2. Distinguenda ad id tria fidei capita. 1. Non confringendas esse, sed religiosè servandas in Templis. 2. Inclinari posse ante eas corpora. 3. Ipsum animi affectum, charitatem, fiduciam, spem, & spiritalem ex animo servitutem nonnisi iis dedicandam esse, qui per eas repræsentantur, num. 2. Hæc tria utrimque à Græcis & Gallis intacta mansisse, ibid. Ex ipsis Epistolis Greg. Magni, quibus nitebantur Galli, num. 3. 4. Ex Hadriano Gregorii & Nicænæ Synodi interprete, num. 5. Hincque jam utrique consentaneos habemus Gallicanos Episcopos de sobrio cultu, num. 6. Itemque ex Jona Aur. penè concertationis signifero, id unum concedente Claudio Taurinensi non esse colendas adoratione, quæ *solius divinitatis* est, n. 7. Sed eo cultu quo reliquiæ & Evangelium, quod pro Deo minùs coli potest, num. 8. Item quo crucis signum, n. 9. Negatque Græcos idololatras appellandos, ibid. Idem ex Agobardo Lugd. in libello de imaginibus & picturis, n. 10. 11. Ex Walafrido Strabone expressissimè inculcante modum, non exterminium cultus imaginum Gallis allubuisse, nu. 12. Ipsique Synodo Parif. sub Ludovico Pio, qua tamen nihil acerbius contra Græcos, n. 13. ex Hincmaro Rhem. n. 14. Simulque liquet Gallos in facto errasse tantùm circa VII. Synodum, ex vitiosa ejus versione, nu. 15. Idque ex ipso Carolino opere, licet omnium atrocissimo in Synodum & in Sedem Apostolicam, n. 16. Ac demum ex dicto Parisiensi conventu, nihil prohibente aut jubente, n. 18.

At

At poterant ingentes Ecclesiæ citra hæreseos discrimen modum cultus parciorem sibi præscribere, hæcque inter ἀδιάφορα recerre, L.12.c.11.num.8.C.12.num.11.§. *Denique*, & num.17. Non tamen aliis insultandum erat, sed potiùs accedendum paulatim charitatis firmandæ studio, & ob authoritatem Sedis Apostolicæ ac Synodi Generalis, num.19. Et hinc intelligas non usquequaque purgari Gallorum scripta & gesta; sed tantùm salvo fidei dogmate hinc inde rem actam esse, *ibid.* Adde Gallos nunquam ab Apostolicæ Sedis unitate resiliisse, nec abjectos fuisse, adeòque nec postea privatim aut publicè reconciliatos, *ibid.* & n.20. Solvitur objectio ex duplici Iconomachorum genere, *ibid.*

Jam quo cultu honorandæ sint imagines, ex septimæ Synodi actis aperitur, L.12.c.13. Et duplici cultu, de quo alibi, non decernit nisi *honorariam adorationem*, seu salutationem, & quidem *relativam*, num. 1. *& seqq. Latriam* verò sedulò removet & discriminat, num. 7. 8. In hanc concordiam præiverant Petrus de Marca & Perronius, nu. 5. *& seqq.* Hæc autem confirmatur ex Hadriani Papæ Epistola inserta actioni secundæ, n.9. Item ex Græcis anterioribus & posterioribus, Damasceno bis, Euthymio & Photio, n. 10. *& seqq.*

Concluditur *latria* Deum coli, quia propter seipsum; Imagines *honorariè*, quia propter aliud, num. 15. Et aliunde scholæ magistros verbis, non re dissidere à VII. Synodo, dum latria coli annuunt crucem & imagines Christi, num. 16. Si his aut Gallis perspecta fuisset mens Concilii, nulla omninò fuisset discrepantia, ut ritè auguratur Baronius, *ibid.* Ultima concordiæ confirmatio, ex Latinis etiam anterioribus & posterioribus, Hieronymo, Petro Cluniac. ipsaque Synodo Trid. imaginibus pariter *honorariam adorationem* decernente, applaudente & interpretante Petavio, n.17.18.19. *in fine.*

Immutabilitas, Immensitas, Immortalitas, Impeccantia.

Immutabilitas in Dei consiliis & judiciis, Incarnationis necessitatem evincit & excusat, L.1.c.4.n.7. 11. Immutabilitatem servant omnia Dei attributa, etiam sub temporalium specie, C.5.n.3. C.7. nu.2.3. Eadem, seu incommutabilitas Verbi naturæ nostra commodanda, ne iterum aberraret, v. *Christi impeccantia, Errores, Homo, Peccatum, &c.*

Multa de ejusdem Verbi seu veritatis incommutabilitate, ac mentis mutabilitate, L.3.c.22.n.7.*& seqq.* L.4. CC. 9. 10. præsertim n.11.L.5.C.12.n.9.C.22.nu.6. *& seqq.* Prima non competit animæ aut corpori nisi per *impeccantiam & immortalitatem*, & utramque supra, non contra naturam, L.5.c.12.nu.6.7.8.12. C.13.nu.4.5.7. Utramque per meritum acquirere, non mediocre bonum, n. 8. *& seqq.* Quomodo ergo *solus Deus habet immortalitatem*? L. 6. c.15. n.9.

Immensitatis dos propria est, omnia pervadere, atque adeò animas, L.3.c.22.n.24. L.6.c.8.nu.7. *& seqq.* C.12.nu.13. *& seqq.* Eam malè tribuunt humanitati Christi Ubiquistæ, L.4.c.15.n.2.8. Quo sensu possit illi saltem affricari? C.16. n.8. *& seqq.* Immensitatis minus est, quàm omnipotentiæ, non uni alligari loco, prout ipsi competit in Eucharistia; & cur? L.10.c.31. n.21.

Imperatores, v. Reges, Regna.

Immeatio, Immersio, Infusio, v. Christi unio hypostatica, &c.

Incarnatio, v. etiam Christi seu Verbi incarnatio, &c.

Incorrupticolæ Heretici.

Eutychianorum secta fuit sub Juliano Halicarnassi Episcopo, incorruptibilem semper Christi carnem ex naturarum confusione asserens, *præfat.* §. *In.* L.4. c. 12. num. 1. Refelluntur nu. *seqq. præsertim* 7. V. *Iulianum* & *Iustinianus* infra.

Increduli, Infideles, v. Fides.

Infantia, v. Ætates, Christi infantia, & perfectionis gradus.

Inferi.

Inferorum nomen ad sepulchra sæpè in scripturis refertur, non semper, L.4.c.9. nu.27. §. *Spectat.* Plura de descensu Christi ad inferos, v. *inter Christi mysteria.*

Quàm intransmeabile sit illud interstitium, quod reproborum præsertim animas à rerum, quarum curiosiores fuerant, notitia abrumpit, L.11. c.10. n.8.

Instrumentum.

An eadem sit actio causæ principalis & *instrumentalis*? v. *Causa. De Instrumento conjuncto* occasione *instrumenti divini*, v. *Christi voluntas & operatio duplex ac Theandrica, item propositiones de Christo.*

Ioannes, Baptista, & Evangelista.

Exemplar præpotentis gratiæ Christi, etiam in utero *Ioannes Baptista*, L.2.c.11.n.5. Cur licèt tum repletus Spiritu sancto, non dicatur Spiritus sanctus mortuus cum eo, sicut filius in Christo? L.3.c.11.num.9. §. *Athanasius.* Nec Elisabeth peperisse Spiritum sanctum, sicut Maria Verbum? C.15. nu.1. 4. Nec saltem ipse Joannes Angelus incarnatus, sicut aliqui opinati sunt, C. 22. nu. 1. *& seqq.* In eo fuit opus & labor justitiæ, in Christo natura, L. 5. c.22.n.11. L.6.c.4. n.10. An probanda causa vacillationis, quam Joanni Tertullianus tribuit, quod ejus portio Spiritus in Christum velut in massam tunc discesserit? L. 6. c.3.n.7. Quatenus Joanni anteponatur vel minimus Christianus? C.16.n.17. *& seqq.*

Ioannes Evangelista pro lacte humanitatis à prioribus Evangelistis propinato, solidum divinitatis cibum ad captum Ecclesiæ subministrare cœpit, ex Gregor. Mag. L.2. c.8. num. 11. Et quidem contra Ebionæos, ex Epiphanio, L.4. c.2. num. 3. Videri posset nimius fuisse in commendanda fratrum, parcior in Dei dilectione, nisi & ipsa fratrum dilectio, seu charitas Deus sit, L. 6. c.14. nu.4. *& seqq.*

Ioannes, Grammaticus, & Maxentius.

Primus *Philopponus* etiam dictus, *Tritheitis* initium dedisse visus est, quod naturæ personæque discrimen nullum esse contenderet: ex quo ut unam in Christo naturam ex unitate personæ concludebat, ita ex Trinitate personarum, tres in Deo naturas dicere vel invitus cogeretur, *Præfat.* n.10. §. *In Orient.*

Ioannes verò *Maxentius*, cum Nestorio sapere eos argumentatur, qui *Trinitatem in Christo* inhabitare dicunt, probatque potiùs Christum *unum esse ex Trinitate passum*, L.3. c.4. nu.3. Suspectus primùm fuit cum Scythis Monachis ipsi Hormisdæ Pontifici, & quidem cautè, n 4. Ut Catholicus tamen laudatur, *ibid. & toto hoc Tractatu.* Imò etiam, cum naturam universalem, non individuam, assumptam docet, in speciem cum Acephalis contra Patres, sed reipsa cum Patribus consentit, & explicatur de ipsa seminum materia, C.20. n. 13.

Ionas Aurelianensis, & Irenæus Lugdunensis, Episcopi.

Primus prolixè confutavit Claudium Taurinensem, primum ea ætate crucis ipsius inimicum, L.12.c.7.nu.11. Aliunde Jonas fuit penè signifer Gallicanæ adversus VII. Synodum tumultuationis de Imaginum cultu, C. 12. num. 7. At negat *solam adorationem, quæ divinitatis est, ibid.* Secundi generis cultum concedit Reliquiis, Evangeliis, quorum ferè eadem causa apud ipsum, num. 8. Itemque ipsi crucis imagini, num.9. Postremò negat Græcos idololatras nuncupandos, licèt excederent, ut ipse delusus existimabat, *ibid.*

Irenæus pariter non refragatur sacris imaginibus, sed Hæreticis, qui iis abutebantur, profanas, maximè Philosophorum, sacris consociando, L.12.c.11.n.9.

Israelitæ, Iudæi.

In stupendis Dei operibus habuerunt quod contremiscerent, non quod imitarentur, L.1.c.2.num.8. Cur eorum plura sacramenta & signa sub lege? C. 5. num.13. Paucis, ante *Agnum de Tribu Iuda*, reseratus liber Scripturæ, C. 6. num.5. *in fine.* Plures quidem è Judæis, quàm è Gentilibus, Christiani ante Christum, C.9. n.2. At longè pauciores homines Deus æternus per Moysen ad se traxit, quàm temporalis factus in Christo, solo æternitatis amore, C.13.n.3.C.16.num.6.7. L.2.c.7.L.2.c.7.num.3.L.4. c. 3. nu. 4. An Israelitis quondam filiatio Dei concessa sit, variant Patres, L.8. c.30. num. 4. 5. Conciliantur distinguendo præcoces Christianos ab aliis, num.7. Interim ad solandam Judæorum servitutem, voluit Christus per ipsos servos serviliter adumbrari, C.16. nu. 10. *& seqq.* Judæorum mediatores Moyses & Pontifex Aaronicus, ac similes, vel falsi, vel umbræ veri, L.9.c.3. nu. 3.13. Iisdem utpote pueris nescientibus distinguere inter licitas vel illicitas imagines, omnes privatim vetitæ, L.12. c.9. n.1. §. *Ibidem*, & n.16. C.12.n.13.

Ne Israelitis quidem hostiarum immolationes indictæ, nisi post vitulum ab eis adoratum, L. 10. c.3. num.1. v.30. Et tunc quidem non in ipsis secundis tabulis à Deo, sed à Moyse post ea, num.3. Hinc præcepta seu leges Judæorum bipertitæ, aliæ ex veritate & voluntate divina, aliæ ex dispensatione & indulgentia, ad duritiem cordis eorum, num. 5. *& seqq.* & in pœnam, sed salubrem, C. 5. nu. 11. Hinc etiam cùm reliquum sui cultum ubique locorum frequentari jussisset, sola sacrificia uni Templo alligavit, ut eo everso aboleret, C. 3. num. 10. C. 7. num. 11. Rursus non aliæ magis animantes Judæis ad sacrificia indictæ, quàm quas ab Ægyptiis adorari viderant, C.3. num. 13. Denique non alia sacrificia quam futurorum præsagia, C. 6. *ferè toto.* Hinc propriè post Christi crucem nulla eorum sacrificia, C.7. n.11.

Unde caro & *crux Christi Iudæis scandalum*, &c. L. 1. c.6.n. 14. §. *Sed.* & c. 7. nu. 15. Judæis solùm & impiis Christus etiam

etiam in sua passione deformis, C.4. §. *Aug.* & nu. *seqq.* Ipsi Judæi agnoverant in verbis Christi æqualitatem cum Patre, licèt indignantes, C.1. nu.3.7.9. 10. C.2.num.5. Quorum Judæorum calumniam contra sua dicta factaque repulerit? L.5.c.11.n.7.8. L.6.c.6.nu.13. *& seqq.* L.8.c.1. n.6. C.16. nu.4. Quos etiam Judæos insectetur Paulus, nomine *Angelorum religionis*? L.11.c.6. n.12. §. *peculiariter.* Scilicet illorum posteri, licèt inter Christianos conscripti, tamen ex Judaicis primùm præjudiciis catholicam veritatem oppugnarunt, tribus prioribus sæculis, *præfat.* num.6. At primò divinitatem ipsius, quam majores agnoverant, deinde & humanitatem, num. 8. Vide *etiam Moyses, &c.*

Judas proditor, & Julianus Apostata.

Ingressus *Diaboli in cor Judæ*, non per substantiam, sed per operationem, L.3.c.22.n.9. L.6.c.12.nu.7.16. Aliter traditus est Christus a Juda & diabolo, aliter à Patre & à seipso, ex Scripturis, L.9.c. 8. n.8. v.4. Cur nonnisi post ascensionem Domini, locus Judæ repletus à Matthia? L.10. c.25. nu.15.

Julianus Apostata Martyrum cultum ex Scripturis ipsis traducit, ille Christianitatis desertor & hostis infensissimus, Calvini & Hagiomachorum præsultor, L. 12. c. 1. num. 15. Cyrillus simul Julianum & Hagiomachos videtur refellere, §. *Si quid.* Hieronymus simul Julianum & Vigilantium conceptis terminis, C.2. num.12. *in fine.*

Julianus Halicarnassi, & Ivo Carnotensis Episcopi.

Primus contra Severum, alterum Eutychianistarum principem, philosophatur carnem Christi semper extitisse incorruptibilem, unde Incorrupticolarum & Gaianitarum secta, *Præfat.* num. 10. §. *In Orient.* Item L.4.c.12. num. 1.

Ivo pulsatus ab Himerico Abbate Aquitanensi, an Christus in ultima cœna corpus suum passibile vel impassibile dederit. L.10.c.31.num.1. Quatuor profert conjecturas pro passibili, *ibid.* Potissima, quòd tale quale erat conspicabile, ut futilis refellitur, pace tanti viri, n.16. Aliæ in contrarium septemdecim, *toto* C. 31.

Justinianus Imp. Justinus Martyr.

Mirum est *Justinianum* Imperatorem Juliani Halicarnassi, ejusque Incorrupticolarum sectæ fautorem futurum fuisse, nisi morte præventus esset, *Præfat.* num. 10. §. *In Orient.*

Justinus verò Martyr de salute Socratis & aliorum Philosophorum benignè interpretandus, L.1.c.9. nu.2. At nonnisi ex vulgari errore sub ejus nomine libri de Trinitate ferebantur jam sexto sæculo, hoc est, Justiniani tempore. L.4. c.15.nu.3. §. *Leontius.*

Ius, justi, justitia.

Ubi simul & ex his judicium, juramenta, jurgia.

Non *perjuria* tantùm, sed & *juramenta* ipsa cur sustulerit Christus? C.1.c.14. num.3. *Ius* in persona *duplex* secernendum, physicum & morale, L.3.c.3. num.3. 9.10. 11. Ex morali tantùm renascuntur *jurgia*, num. 10. v. 9. & num.11.

De *justitia* in Incarnatione, primò contra diabolum, L. 1. c. 3. Dum non potestate, sed lege justitiæ debellatur, num.1. Eoque efficaciùs sancitur jam, ne ad potestatem, nisi per justitiam grassemur, num. 2. Quod in ipsa injustitiæ sede regnet saltem umbra justitiæ & ordinis, num.4. De jure illo diaboli in hominem variæ sententiæ, num. 5. *& seqq.* Non esse nugatorium Dei cum diabolo ex *jure litigantis judicium*, num. 11. An tamen diabolo, vel *justitiæ* potiùs ipsi satisfecerit Christus? L.9. c.8. nu.9.

De justitia jam non diabolo, sed Deo comparata, L.1. c.4. Utriusque disparitas, num.1. Quanta justitiæ lumina in eo splendeant, quòd insons pro sontibus luat, num. 3. Ex quo peccatum est tantum, ars & ratio summæ justitiæ fuit, ut justi ab injustis & pro injustis paterentur, & ita vincerent, *ibid.* & num. *seqq.* L.2.c.7. 11. 17. L.9. c.10. num. 19. 25. 26. *& seqq.* L. 10. c. 10. num. 26. *& seqq.*

Nihil justius, quàm ut justitiæ misericordia admisceatur, L.1.c.4.nu.4. Et ut misericors largiatur, quo justus placetur, n.5. Ingens labes justitiæ, si non expiarentur, sed condonarentur peccata, nu.6. Duæ solvuntur objectiones, nu. 8. 9. De necessitate satisfactionis ex justitia, *toto illo* C. & L.9. CC.9. 10.

Per solam Incarnationem *justitia* toti hominum naturæ immutabiliter inseri potuit, quæ antea accidentaliter tantùm adhæserat, L.1. c. 19. *integro.* At si solius justitiæ capax esset homo, foret ipsa justitia. L. 5. c. 22. num. 5. *& seqq.* Quo sensu dixerit Aug. eadem *justitia justos* nos esse, qua Deum, L.6.c.14.n.17.18.23. Ut justi vivant vita vitarum, quæ est justitia divina, L.6.c.15. *integro* c.16. *præsertim* n.4.

Hinc ubique sibi sunt præsentes omnes justi, num. 15. Imò putant aliqui & justos omnes inesse sibi mutuò, C.18. nu.6. *& seqq.* Certius est ita justitiam Deum esse, ut non tam in justis sit, quàm justi in ipsa, C. 17. num. 13. *& seqq.* Et hinc etiam justi magis Dei filii sunt, quam servi, L.8. c.17. num.9. 12. *& seqq.* Ac tandem nihil aliud amatur in justis, quàm justitia ipsa, quæ Deus est, L.11. c.11. *ferè toto.*

Ignis quo olim ardebat hostia, nihil aliud præsignabat, quàm *extremi judicii* flammam: quam optanda per illum nostra non in cineres, sed in Deum ipsum cum justis absumptio, L. 10. c. 14. num.4.9. Dies autem *judicii* arcanum quam abstrusum? L. 7. c. 5. num. 9. C.6. num. 11. Vide *Christi scientia, admiratio, fides, visio*, ubi etiam de ignoratione, imperitia, intelligentia & aliis hìc omissis.

L

Lac, v. Christi infantia inter ejus mysteria,

Lætitia.

Sanctitatis proles comesque lætitia, ideo Spiritus sanctus *oleum lætitiæ*, L.6.c.2.n.1.2.

Laodicena Synodus.

Quàm perperam eam sibi arrogent Novatores? L. 11. c. 6. num. 12. Confirmat Martyrum cultum; Angelorum non proscribit nisi idololatriam in furtivis cætibus, necnon magiam admixtam, & inaudita nomina, *ibid.* §. *Quod autem.*

Latria, v. Adoratio.

Lazarus uterque.

Primi Magdalenæ fratris suscitatio quanta potestata facta sit in specimen generalis futuræ, L.9.c.4. n.4.

Quid significet deportatio animæ Lazari mendici in sinum Abrahæ per Angelos? L.11. c.5. nu. 9. *circa fin.* Illius exemplum an historia vel parabola sit, cùm interim sua habeat Templa? L.11. c. 11. nu.19. v. *Sanctorum invocatio & cultus, in fine.*

Leges, Legislatores.

Æterna lex per carnem lactescere debuit nostræ post peccatum infantiæ, L. 1.c.5.n.8.C.7.n.13. C.10.nu. 1.11. *Leges* autem *temporales* innumeræ Regnorum & Civitatum, explicationes sunt legis æternæ, seu dilectionis Dei & proximi, quæ nullibi variat, C.7.n.5.C.8 nu.9. Ita legis æternæ reus est, qui temporalem maximè Christianam lacessit, C.7. nu.5.10. Omnes temporales pro levando hominum fastidio, instar temporum & artis extra mentem positæ, variant, dum æterna in iis incommutabilis permanet, n.5.6. Omnis autem *Legislator*, lex ipsa esse debet in sua Repub. C. 8. nu. 8. Vel ex hoc quod lex viva & animata esse debeat, *ibid.* & *infra*, ac C.16. n.4. Lexque ipsa sit indefectibilis, cùm non sit defectio, nisi a lege, L.5. c.12. n.4.

A fortiori Christus ipse, sacramentum est, seu symbolum longè expressius legis æternæ, virtutum oracula dictis gestisque, ac ipso suo statu promulgans, L.1.c.5.num.13. C.6.num.4.C.7.num.5.10. *& seqq.* C.8.num.2.3.4. Et quidem in tota hominum Rep. num. 8. 9. Maximè cuilibet Christiano, qui & suo modo debet esse lex ipsa seu charitas, *ibid.* Et ideo præsentia ipsa Spiritus sancti cordi inscribitur lex Christi seu charitas, L. 6. c.14. num. 12. Et sic reipsa justus quilibet sibi lex ipse est, L.8. c. 17. num. 9. At legis veteris onere fatigandum fuit antea genus humanum, ut mediatorem requireret, L.9. c.1. n. 7.

Cur hæc lex ex se timorem pœnæ incutit, non amorem justitiæ? L.1. c.6. num. 13. Et tamen legis utriusque lator non solùm ex charitate, sed ipsa sit bipertita charitas, licèt diversimodè. C.6. nu.4. 8. Inprimis quod legis finis seu plenitudo nunc charitas, nunc Christus dicatur, n.9. Multiplex aliud discrimen Moysis à Christo, in lege promulgada, L.8.c.17. n.2.

Maximè verò charitas ex lege Christi, quàm ex quacumque alia etiam naturali flagrantior, C. 1. c. 2. num. 15. Talisque ampliatio in amando plusquam seipsum proximo, post peccatum necessaria, *Legislatoris Dei* exemplo confirmari debuit, *ibid.* Cùm lex æterna & invariabilis unum præcipiat charitatis sacrificium, licet pro suo gradu & modulo illud capiant diversi, L. 10. c.5. num.7. *& seqq.* Uni certè legi charitatis suam Christus addixit Ecclesiam, & cur? L. 11. c. 9. num. 3. Cur tandem & ea

ea lex magis conſtringat cœlites quàm mortales, num.4. *& ſeqq.*

Leo Magnus, & Iſaurus.

Primus omnes penè Incarnationis fidei adverſas hæreſes uno complexus & deteſtatus eſt loco, *Præfat.* num. 6. 7. In Concilio Calcedonenſi lectum & approbatum ex ejus Epiſtola, duas eſſe naturas in Chriſto, L. 4. c. 1. num. 1. Ita conciliavit Leo Orientales cum Ægyptiis, *ibid.*

Sub Leone Iſauro Imperatore, non Epiſcopo, caſſus Iconomachorum conatus contra ſacras Imagines, L.12.c.10. n.11. 12. V. *Imagines ſacræ ſuprà.*

Leontius Byzantinus.

Audaciùs excutit jugum authoritatis conſpiratiſſimæ Patrum circa impoſſibilitatem Incarnationis, ſi humanitas præſupponatur ſubſiſtens, L. 3. c. 12. num. 12. Non impoſſibile quidem, ſed indecorum Leontio videtur, ſi homo præexiſtens aſſumatur, *ibidem.* Utrumque ex Patribus probatur, & explicatur, *ibid.* & num. 12. 13. 14.

Idem Leontius qui altero ferè poſt Cyrillum ſæculo vixit, contendit propoſitionem, quòd *una ſit natura Verbi incarnata*, non ab Athanaſio, ut Cyrillus voluit, ſed ab Apollinari invectam, L.3. c.13. nu.4. Mirum quod addat errore Cyrilli eam in omnem demùm Eccleſiam invaluiſſe, nu.13.

Rectiùs idem, licet ſcholaſticè, alibi vim perſonæ in ultima perfectione collocat, niſi comparative adderet, tam Verbum ſine homine, quàm hominem ſine Verbo imperfectum fore, L.3.c.16. num.16. Fideliùs etiam alibi conglobat voces Patrum, quibus abutebantur hæretici, & eas veritati fidei accommodat, L.3. c. 24. num. 2. 3. At quàm præfractè alibi Patribus propè univerſis dogma Agnoetarum impingit, L. 7. c. 4. num. 16. C. 5. num.1. 7. 20.

Libertas, Liberum arbitrium.

Innata ſua libertate nonniſi conſentiens homo exutus eſt à diabolo, L.1.c.3. num.3. 4.8. Non ita vero cum hominis libertate quam ſemel emancipavit Deus, pactus eſt, ut invitum ad amorem ſui cogeret, C. 2. nu. 9. C. 6. nu. 13. C.16. num.1.3. Cautiones quatuor neceſſariæ, ne doctrina de immutabilitate gratiæ Chriſti officiat arbitrii indifferentiæ ad utrumque verſatili, L.1.c.19. num.3. L. 2. c.11. num.10.12. Imò nec ipſa Incarnationis ſubſtantia humanam perimit libertatem, divinæ illam aſſerens, nu.4. Nec decuit aliunde Deum ſuam gratiam, noſtramque ſalutem verſatili hominum libertati amplius committere, CC. 10.11. *præſertim* num. 10. 12. 13. V. etiam *Gratia, &c.*

Solus Angelus per primum libertatis actum immutabilis ſive in bono ſive in malo, L.2.c.12. num. 13. Dei autem ſolius eſt ſummi Imperatoris libertatem donare vel reddere, L.4.c.3.n.6. L.5.c.12.nu.3. L.9.c.7.nu.10. Quomodo *ſi vos Filius liberaverit, verè liberi eritis?* L.4.c.3.nu.6. L.5.c.16. n.7. An huic Chriſti libertati officiat Dei ſervitus? L. 8. c.15. nu. 1. *& ſeqq.* Hæc libertas in perſonam cadit, L.9. c.10.n.8. v.6.

Nec etiam imaginem, aut effingeret, aut reſculperet ſine alia libertate ſeu voluntate, L.5.c.2.num.5.9. Hæc vero Dei omnipotentis conjunctione tantum abeſt ut deprimatur, quin & liberior fiat, C. 3. num. 7. 8. C. 12. num. 6. *& ſeqq.*

Jam à conſuetudinis præjudicio abſtinendum in indagine veræ libertatis, L.5.c.12. num. 1. C.14. num.1.15. Non omnis ſtatim libertas ad bonum malumque indifferens eſt, etſi humana & merè creata quælibet talis ſit, C.12. nu.2. Hac de re tantùm contra veteres hæreticos ſive Pelagianos, ſive Monothelitas hìc certatur, *ibid.* & num. 10. Non contra orthodoxos Theologos verbo tenùs inter ſe diſſidentes, num.2. Ii tamen ad verba ſanctorum Patrum magis videntur accedere, qui Deo & Beatis libertatem attribuunt, etiam ubi nullus eſt indifferentiæ locus, *ibid.* & nu. *ſeqq.*

Hinc libertas tantò ſplendidior evadet, quantò divinæ propior ſubjectiorque, L.5.c.12. n.5. C.14.nu.10.11. Peccandi poteſtas & tota creaturæ mutabilitas adhæreſcit quidem ejus eſſentiæ, ſed ut macula & labes & imperfectio, C.12.num.6.C.13.num.5. Sanctitas copioſior utramque frænat, & auget libertatem, C.12. num.7. C. 13. num. 11. Hinc rurſus libertas erit veriſſima, quæ cum impeccantia in præmium donabitur: illi promerendæ minor interim libertas datur, peccare & non peccare potis, num.1.2. Julianus ex naturæ neceſſitate, Auguſtinus ex merendi & creſcendi lege ab imperfectis ad perfecta, peccabilitatem libertati addebat, nu.3. Ut mortalitas corporis, ita labilitas libertatis, ubi devorabitur à beatitudine, utriuſque natura non deficiet, ſed perficietur, n.4. 5.

Ex eodem Aug. triplex ratio, cur non ſtatim impeccabilis creata ſit libertas Angeli & hominis. 1°. Ut boni immutabilitas Dei eſſe propria & nativa laus intelligatur, nu.6. 2°. Ut naſceretur natura id quod eſt, antequam ſupra ſe proveheretur, num.7. 3°. Ut exiſteret recto ordine omne bonorum genus, num.8. Hinc ex eodem, non ad libertatem, ſed ad meritum nobis neceſſaria eſt peccandi poſſibilitas, num.9. *& ſeqq.* Scilicet omnimoda indifferentia requiritur ad noſtram nunc libertatis & meriti rationem, C.21. ex ſcholæ Doctoribus, C.22. ex PP. Græcis, nu.23. ex Latinis, ipſoque Bern. n.1.2.3. & aliis nu. *ſeqq.* Hincque prima libertas poſſe non peccare, noviſſima multò major erit non poſſe peccare, nu.1.13. At hæc non videtur potuiſſe concedi ulli ſtatim puræ creaturæ, n.15. 16. Item C.22. ex Græcis Patribus, n. 2. *& ſeqq.*

Indifferentiæ gradus varii, L.5.c.23.nu.17. *& ſeqq.* In ſumma quatuor genera indifferentiæ, C.24.nu.1. *& ſeqq.* Summatim de diverſa Dei, Chriſti, Beatorum, & mortalium libertate merendique ratione, C.14. num. 2. *& ſeqq.* C. 15.num.1. *& ſeqq.* Ex profeſſo, ex ſcholæ Doctoribus, *toto* C.21. ex Græcis PP. C.22. ex Latinis, C. 23. Libertas quæ ſola ſpontaneitate conſtat & non coactione, ſuum habet merendi genus, & ſic de cæteris, ex S. Thoma, C. 21. nu.5. Niſi hæc diſtinguantur, varii incurruntur fædiſſimi errores, *ibid.* Paucis, in Deo boni neceſſitas, non coactio, nec neceſſitas, ſed natura: in creatura ſi ſtatim eſſet, non natura eſſet, ſed coactio: non voluntas, ſed neceſſitas, &c. ex Hieron. C.23. n 9. V. etiam *Chriſti libertas &c. ſuprà; & meritum, infrà.*

Libri, littera, locutio.

In ſacris aut profanis *litteris* veritas incarnatur quodammodo, L.1.c.5.n.3. C.6.n.1. Chriſtus ipſe *liber eſt intus & foris ſcriptus*, littera humanitatis explicans, quod ſpiritu veritatis complicatur, C.5.num.4.C.8. num.2. In totum *triplex Dei liber*, mundus, Scriptura, & Chriſtus, C.5. num. 5. Triplex etiam libri ſcripturæ ſenſus Chriſto proprius, ut qui *ſolus potuerit aperire librum* paucis antè reſeratum, hærentibus aliis in *litteræ* cortice, *ibid.* Ut liber conſtat pagina, littera, & intellectu: ita Chriſtus corpore, anima, & Deitate, quæ illis reſpondent, L.4. c. 9. num.2. Ut lex ſeu intellectus libri carthæ, ſic Deitas corporis dilaniatione non violatur, C.6.nu.14. Sic inviolabiliter committitur ſapientia ſeu intellectus humanitati ut carthæ, L.7.c.9. num. 4. L.8. c.4. nu.5. Ut Maria virgo ſit etiam *liber ſcriptus ſtilo hominis*, de quo Iſaias? V. *Maria mox.*

Dei & Chriſti non eſt verbis tantùm, ſed & rebus *loqui*, & quidem permanentibus, ut ſua etiam hominis ſubſtantia, L.1.c.6.n.4.C.8.n.5. C.13.n.1. *circa finem*, L.2.c.4.n.4.5. 6. L.5. c.19. num. 7. *& ſeqq. Modus loquendi* proprius Dei, Angeli, animæ, L.11. c.6.nu.3. *& ſeqq.* Quomodo intelligendum, *Principium, qui & loquor vobis?* L.1.c.8.n.5.6. L.2. c.8. §. *Et rurſum.* Et iſtud aliud, *Nunquam ſic locutus eſt homo? &c.* L.4.c.7.n.26.

Quam accuratæ viris Theologis affectandæ ſint loquendi formulæ, L.3. c.10. nu.3. Et quot modi loquendi ab hac regula deficiant? v. *De Chriſto propoſitiones ſuprà, & Theologia infrà.*

Locus.

Non tam immenſitatis eſt, quàm omnipotentiæ, uni non alligari loco, L.10.c.31.num.21. De præſentia ſpirituum in locis diſtitis, L.11. c.10. nu.7. Ut duo corpora non poſſint permiſceri in eodem loco, nec unum adeſſe pluribus locis, v. *Corpus, immenſitas, &c.*

Lutherani, v. Novatores.

Lux. Luxuria.

Lucem ſeu ſpiritalem, ſeu corpoream adire, *lucis* beneficium eſt, L.1.c.5.n.4.5.10. C.6. num.5. Lux utraque non tantùm adeſſe, ſed ineſſe oculo debet, C. 17. num. 10. Sicut lux amplior maximè ſolis minorem offuſcat, ſic perſona ſuperior inferiorem, multoties ex Patribus, L.3. c.2.num.3. 7. & paſſim CC. *ſeqq.* ac tandem C. 23. num.24. *ſeu ultim.* In his pulcherrimum exemplum unionis hypoſtaticæ, maximè in *luce primogenia* quarto mundi die, corpori ſolis unita, C. 4. nu. 7. Ita etiam in hoc quod lux ab aere nec lædatur, nec tenebretur, num.10. Et hoc, quia lux apex eſt naturæ corporeæ, limes incorporeæ, in ſpiritalitatis confinio, C. 5. n.4. §. *Enim vero.*

Nihil tam à *Luxuria* ſimilibuſque vitiis revocat, quàm quòd ſimus membra Chriſti, ac per eum Spiritus ſancti Templa, L.4. c.5. num. 15. V. *etiam Euchariſtia, virginitas, &c.*

M

Magdalena.

DE septenario spiritu in Magdalena, quid Tertullianus? L.3. c. 22. num. 17. Cur ea verita carnem Christi contingere, Thomas autem econtra, L.10.c.23. num.9. C.27.n.18. Quare necdum Magdalenæ resurrexerat Christus? L.11.c.2.n.23.

Magia.

Philosophi ingrati, ad magicas plerumque artes olim abrepti? L.1.c.12.nu.6.8. C.16.num.8.9. Magia præsertim in Angelorum cultu vetita, L.11.c.6.num.12. §. *Quod.* Contra magicas execrationes, Reliquiarum ac inprimis crucis signi usus, L.12. c. 6. num. 7. 9. Calumniosissima fabula de libro magiæ à Christo Apostolis nuncupato, C.11. num. 3.

Magister v. Christi Magisterium.

Mandata.

Religio non solùm dogmatis constat, sed etiam æternis ac temporalibus mandatis, L. 1. c. 7. num. 1. 2. In gemina Dei & proximi charitate mandata utraque versantur, n.1.5.10.L.10.c.13.nu.3. Unde mandata, saltem qua parte durissima visa sunt, allicerent ad fidem ? L.1. c.14. n.4.5.

Exemplis quàm verbis meliùs docemur impossibilia non præcipi, L.1.c.2.nu.15. C.16.nu.1. 2.3. Justè etiam nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio, ex Aug. C.16. nu. 1. 2. Præcepta bipertita, alia ex Dei veritate & voluntate, alia ex dispensatione, & ad duritiem cordis, L. 10. c. 3. nu.4. *& seqq.*

Manes, Manichæi hæretici.

Phantasiastarum vestigiis insistere visus Manes sive Manichæus & sequaces, Christi carnem non veram, sed phantasticam sunt commenti, *Præfat.* nu.8. §. *Iudaic.* Cur genealogiam Christi ex Evangelio abraserint? L.4.c.4.n.2. Et carnem in genere maledictis proscinderent? C.5.nu.1. Confutantur, *ibid.* & nu. *seqq.* Cur etiam à Patribus tantoperè inculcatum nihil nostri à Verbo prætermitti potuisse? C.18.n.1. *& seqq.*

Quomodo in antiqua tot sannis explosa Manichæorum deliria revolvantur, qui veritati carnis Christi in Eucharistia obtrectant? L.10.c.17. num.12. Item qui & imaginibus? L.12. c.10. nu. 13. Quid olim responderetur Manichæis nos Martyribus excitare Templa calumniantibus? L.11.c.1.n.11. Necnon & creaturis alios honores deferre? L.3.n.7. V. *etiam Novatores.*

Manna.

Quo sensu Manna Mariæ symbolum? L.2.c.3.nu.10. §. *Nec.* Mannæ sapor cujusque merito ac desiderio attemperatus ad Christum ipsum præformandum, ex Origene, L.c.7. num.21.

Marcellus Ancyranus Episcopus.

Dum fervidiùs quàm cautiùs Arianos insectatur, ita unitatem naturæ divinæ propugnavit, ut eandem & personis ipsis cum Sabellio & Samosateno affingeret, *Præfat.* num.9. Marcellum sequitur Photinus ut discipulus, *ibid.* Eusebius verò confutat, sed & ipse aliunde suspectus, L. 2. c.2. nu. 5.

Marcion, Marcionistæ hæretici.

Inter primos Phantasiastas & ipse Marcion cum Cerdone, Romam profectus ab Hygino seu Eleuthero ejectus, *Præfat.* num. 8. §. *Iudaic.* Ex duobus, quæ cum Ecclesia consentiebat Marcion, tertium ipsi contrarium eruitur, L. 1. c.6. Ipse cum patre Cerdone & discipulis Deitatem Creatori abrogabant ex mera distinctionis personarum inscitia, L.2.c.1.n.4. v. ult.

Maria, Mater, & Virgo.

Plerique ex Judaicis fontibus hæretici, Jesum ex Josephi & Mariæ conjugio procreatum, ac nonnisi in baptismo Christum factum esse contendebant, *Præfat.* nu.8. Alii de Maria quidem & Spiritu sancto, sed non ante Mariam: plures etiam per Mariam quasi per canalem tantùm, &c. ibid. nu.9. *& seqq.*

At illibata virginitate Christum pariunt Maria, Scriptura, Ecclesia, L.1.c.6. C.11. num.6.7. L.2. c.4. num.5.6. 12. Quomodo etiam Maria sit *liber scriptus stilo hominis*, de quo Isaias? ibid. Necnon & Apis, Manna, & similia ejus symbola in Ecclesiis, C. 3. num. 10. Ut secundus Adam primo, ita Evæ Eva melior subroganda fuit contra diabolum pro utriusque primi parentis, utriusque sexus, ac totius humani generis salute nu.1. *& seqq.*

E quatuor modis edendi homines, quartus Christi è sola Virgine priorum ruinas reparavit, L.2. c.3. num. 12. 13. Pro exitiali verbo diaboli, quasi semine in Eva, Verbum divinum in Maria, quid econtra protulerit? ibid. in fine. Adhuc expressiùs ut Christus qua Verbum & veritas sit semen incorruptionis ab ipsa virginitate Mariæ, C.4. num. 2. 3. 4. Imò nisi anteivisset Verbi divinitas quasi semen ad formandam carnem, nec Verbi divinitas concepta, nec Virgo fœcundata fuisset, L.3.c.11.n.7.8.L.8.c.5. num. 8.

Scilicet Verbum suos mores retinens per aures Mariæ illapsum, priùs fide conceptum est, quàm carne, L.2. c. 4. Item propriè de Spiritu sancto, seu de amore veritatis in matre flagrantissimo, obedientia, ac gaudio spiritali, quæ omnia oscitanter nimis legi solent, & hìc octo explicantur versibus, num.5. seu 6. *fusissimè.* Hincque ipsa caro Christi habet ut conferat aliis corporibus virginitatis, & aliarum virtutum gustum, ipsamque in mortalitatem per Spiritum sanctum, L. 1. c. 11. num.9. L. 6. c. 18. num. 3. 4.

Quàm insolubiliter concatenata sint hæc duo, Virgo Mater, Deus homo, L.2.c.3.num.8. L.3.c.11. num.8. C.15. nu.9. Scilicet Patris nomen jam Deus occupaverat, solum supererat Matris, L.2.c.4.nu.8.L.8.c.2.nu.5.C.5.num.2. C.13. nu. 2. 8. Ut hæc virginalis matris fœcunditas æternam Patris contra Arianos astruat? L.2.c.4.num.11. Eandemque æternam ad temporalem extendat? L.8.c.5. *toto, ac seqq.*

Cur tandem de desponsata Virgine nasci Christum opportunius fuerit? L.2.c.4.n.12. Septem rationes, *ibid.* Cur de regia virgine etsi ancilla? L.8.c.17.num.11. C.19.num.2. Et quomodo ipse Virginis uterus fuerit Templum, in quo Christus unctus fuit sacerdos, L.10.c.8.nu.8. Statimque in hoc Templo sacerdotium exercuerit, C.9. nu. 13. *& seqq.* V. *etiam Christi conceptio inter ejus mysteria, & ejus sacerdotium, &c.*

Maria propriè Deipara.

Contra eosdem, de quibus suprà, Hæreticos, & inprimis contra Nestorianos, verè & propriè Deipara est Maria, quia nec caro, nec homo per se seorsim est, aut spectatur, sed Deus in carne, L.3. c.15. nu.1. *& seqq. præsertim* 13. Nec antè caro ex ejus sanguine formata, quàm à Verbo assumpta, nu. 6. 7. 8. Cur autem Verbum propriè pariat Maria, quando animam non pareret parens quælibet hominis, nu.2.3. 4.5. Inprimis quod carnem animatam ex Maria in suo sinu magis sibi propriam efformaret Verbum, quàm sit alia caro animæ caro, n.9. Nec aliter non solùm Virgo fœcundari; sed nec Deus nasci, homo deificari, & Mater Dei fieri potuit, nu. 10. 13. *Item* L.8. c.7.nu.14.

E contraria ratione tam Deum Christum, quàm *Deiparam* Mariam negabat Nestorius, contentus *Christipara*, L.3. c.15.nu.12. At pro Trinitate induceretur quaternitas, si non tantùm Deipara, verùm etiam propriè & veraciter Deipara non esset Maria, num.13. Sed nuncupativè dumtaxat, num. 14. Jugulatur autem simul cum Nestorio Eutyches, voce *Deiparæ* vera & propria, num. 15. Nec verendum hinc est, ne sit consubstantialis Maria Deitati, nu.16. Ultima objectio Nestorii contra *Deiparæ nomen*, quasi familiare aliis hæreticis, num.17. Responsio, quod apud Patres & fideles longè frequentissimum, *ibid.* An similiter *Mater divinitatis* vocetur Maria? L.4.c.14. nu.8. Longè inferior aliunde *Deiparæ impeccantia* proprii Filii impeccabilitate, L.6.c.2.nu.8.

Ex filiatione autem Christi divina, naturali vel adoptiva, pendere ipsum *Deiparæ nomen*, contra postremos Nestorii sequaces, L.8. c.4. nu.10. *& seqq.* Ut Maria Christi Dei, ita Pater Deus Christi hominis parens est generatione physica & substantiali, L.8. c.7. *ferè toto.* De virtute Dei ineffabili, qua imprægnata est Maria ad Deum generandum, nu. 21. *& seqq.* Baptismus autem Christi ad explicandam temporalem ex Maria nativitatem, in qua latuit: Resurrectio ad æternam ex Patre, C.11. num.7. V. *etiam Christi mysteria, &c.*

Martinus, Papa, & Archiepiscopus Turonensis.

Primus in Synodo Lateranensi, Cyri Alex. & Sergii Constantinop. Patriarch. fucum denudavit in evertenda Dionysii doctrina, L.5. c.8. nu. 1. Colluthum verò emunctioris naris hæreticum, sibi magis consentire animadvertit, num. 2.

In *Martino Turonensi* gratiæ præsentis statum proponit Bernard. Ejusdem imaginem ut ipsius Christi, ad imitationem in baptisterio propositam, jam olim probaverat Paulinus, non ita propriam, L.12.c.11 n.4.

Martyres.

Nonniſi divinæ ſapientiæ fuit, quoslibet homines ſuadere ad inſulſorum in ſpeciem dogmatum fidem defenſandam, vitæ ſanguiniſque impendio, L. 1. c. 1. n. 10. 11. C. 14. n. 4. 5. In hoc Martyres aut ſimiles illata mala beneficiis retaliantes, Deitatis ipſius imaginem præ ſe ferunt, c. 2. n. 4. Non ſemel autem poſt peccatum oportuit dura & indigna pati pro aliorum ſalute, Chriſti ejuſque diſcipulorum exemplo, n. 15. Ne primævum Chriſti exemplar intolerabile ſeu ſuperius videretur, Martyrum præſertim vicariæ imagines ſubſtituendæ fuerunt, c. 8. n. 7.

Unde tanta laus Martyrum in Chriſti confeſſionibus? L. 1. c. 8. n. 8. §. *Cæterum*, C. 10. nn. 9. 10. Paulò aliter C. 14. n. 2. 3. 4. 5. Socratis cum noſtris Martyribus bella collatio, *ibid.* Minùs mirum ſi mens Martyrum faciliùs execari patiebatur membra corporis, quàm ſenſa veritatis, ſibi quolibet intimo intimiora, c. 15. n. 2. *& ſeqq.* Quantum præcellat etiam Martyrum noſtrorum ſupra Alexandrum & alios, etiam poſt mortem, gloria, L. 12. c. 1. nu. 5. *& ſeqq.* Ante Chriſtum necdum edocta erat caro pro Chriſto immolari, c. 3. n. 10.

Unde etiam poſt Chriſtum tantus ardor martyrij in qualibet ætate etiam minùs matura? L. 1. c. 19. n. 12. Vox Chriſti capitis ante paſſionem trepidare viſi, omnes præſertim Martyres inſtruxit, L. 2. c. 10. n. 12. Imò ne ipſum quidem timoris afflatum nonnullis Martyribus reliquit, L. 4. c. 13. Nec ipſum doloris ſenſum ex charitatis fervore, n. 11. 13. Charitatis quippè apex martyrium, carnis tamen laus eſt & prærogativa, C. 5. n. 4.

Idcircò etiam Euchariſtia ad martyrium inaugurat, L. 10. c. 20. nu. 2. 4. 5. Eundemque doloris ſenſum præſertim adimit, *ibid.* In Martyribus autem patitur immolaturque ipſe Chriſtus, ac ſuum ſacrificium catholicum integrat ſive ante ſive poſt ſuum adventum, *ibid.* & C. 11. n. 12. Cur animæ & corpora Martyrum *ſub ara Dei*? C. 20. n. 6. Martyribus ipſis non excitantur aræ, nec Templa, nec ſacrificia, L. 11. c. 1. n. 11. Cur tamen Martyrum cultus prior, quàm ipſorum Angelorum? connivente Deo potiùs per miracula, quam Eccleſia, C. 6. n. 15. L. 12. c. 2. nu. 3. *& ſeqq.* V. etiam *Reliquiæ, ac Sanctorum cultus, &c.*

Matrimonium, v. Nuptiæ.

Maximus Martyr.

Antiquiſſimus ille Dionyſij interpres, cujus maxima fuit induſtria & authoritas in debellandis Monothelitis, L. 5. c. 8. n. 8. *& ſeqq. præſertim* C. 9. n. 17. Ad hoc diſtinxit tria operationum in Chriſto genera, C. 6. n. 8. Mixtas tantùm theandricis annumerat, c. 8. n. 8. Paulò aliter, nn. *ſeqq.* & c. 9. n. 13.

Mediator, v. Chriſti mediatio.

Et in Angelis, Dæmonibus, ac Sanctis, &c.

Medicina, morbi, &c.

Ex morbo ſeu ægritudine medicinam nobis temperat ſola ars divina, L. I. c. 2. n. 5. c. 5. n. 12. 20. 21. c. 7. n. 5. 6. c. 12. *ferè toto. Item* C. 13. L. 4. c. 3. Et quidem duplicem, in legis littera, & in carne Chriſti, pro ratione noſtri morbi, L. I. c. 6. n. 5. 10. 11. 12. c. 11. *ferè toto*. C. 13. n. 5. Et hæc ars medendi ex humilitate præſertim concinnata, Philoſophos & omnes alios ſuperbos latuit, *ibid.* & c. 16. n. 6. 7. De arte medicinæ eſt tota Incarnationis ſubſtantia, non ſolæ circumſtantiæ, L. 2. c. 8. n. 1. 8. 5.

Licèt amara ſit medicina Chriſti, ex quo tamen ſalubris, jam & ſuavis eſt, L. I. c. 15. n. 7. At noſtris morbis impar fuiſſet, niſi infirmitatem adjuviſſet, c. 7. n. 3. *& ſeq.* & quidem efficaciter, c. 19. n. 5. v. *Gratia, &c.* Sic non eſt opus valentibus, ſed malehabentibus, L. 2. c. 5. nu. 2. & 9. C. 7. n. 1. *& ſeqq.* c. 8. n. 1.

Caro omnium morborum ac vulnerum medicatrix, an & qui dolere & infirmari potuerit? L. 4. c. 13. n. 10. c. 16. n. 6. 9. *& ſeqq.* Quì etiam ex Deo & homine collyrium & cataplaſma factum ſit, quod ſanaret omnes infirmitates? c. 15. n. 7. Et cur tota medicina imbuendum fuit, quidquid erat ſanandum? L. 5. c. 3. n. 3. c. 6. n. 10. c. 7. n. 4. *& ſeqq.* Non autem truncandum, amputandumve, niſi inſanabile, contra omnes medicinæ regulas, C. 10. num. 6. Quantum hæc ſumma & divina ars medendi illuceſcat in curandis inveteratis hominum morbis ad corporea prurientium? L. XI. c. 2. n. 24.

Melchiſedech, Melchiſedeciani.

Ille nec fuit Angelus incarnatus, ut aliqui olim opinati ſunt, nec eſſe potuit, L. 3. c. 22. n. 1. *& ſeqq.* Expreſſiùs, L. 10. c. 15. n. 15. §. *Origenes.* Multò minùs Spiritus ſanctus, ut inepti quidam blatterabant hæretici, nempe Hieracitæ, C. 9. n. 8. c. 15. n. 15. Imò alij vel Filium Dei ipſum, vel virtutem etiam Chriſto majorem, exinde dicti Melchiſedeciani, à Theodotianis avulſi, *ibid.* Scilicet horum author Theodotus Trapezita Coriarij diſcipulus, Melchiſedeco Chriſtum inferiorem ſimplicemque hominem blaſphemabat, *Præfat.* n. 8.

Atqui nequidem a Melchiſedeco decimatus fuerit Chriſtus, ſicut alij? L. 6. c. 1. n. 9. Nec ipſo Abrahamo fuiſſet ſuperior, niſi in typo Chriſti, L. 10. c. 15. n. 15. *circa finem.* Arcano dumtaxat Scripturæ ſilentio deſcribitur ejus ſacerdotium initij finiſque neſcium, ac Chriſto non indignum, C. 8. n. 8. c. 11. nu. 3. Vel ex aliis cum Chriſto conſonantiis, non cum Ezechia, ut cavillabantur Judæi, c. 15. n. 6. *& ſeqq.* Principalis conſenſio in ſacrificandi ratione, C. 16. n. 3. 11. Reliqua, v. *in Chriſti ſacerdotio, &c.*

Mendacium v. veritas. Mens v. anima & veritas.

Meritum.

Non tam ad libertatem, quàm ad meritum nobis neceſſaria eſt peccandi poſſibilitas, ex Aug. L. 5. c. 13. n. 9. *& ſeqq.* Hoc eſt omnimoda indifferentia ad utrumlibet, ex ſcolæ Doctoribus, c. 21. Ex PP. Græcis, C. 22. Ex Latinis, c. 23. Non ita in Chriſto, v. *Chriſti libertas, meritum, &c.*

De diverſa merendi ratione in Deo, Chriſto, Beatis, & mortalibus, L. 15. c. 13. n. 10. *& ſeqq.* C. 14. n. 1. *Item* CC. 21. 22. 23. *ferè integris*. Duplex potiſſimùm ratio merendi, naturæ mutabilis vel immutabilis, cum aliis differentiis, c. 16. n. 2. *& ſeqq.* C. 22. *ferè toto*. Meritum quod ad omnem hominum naturam ſe extendat, non a flexibili in omnem partem voluntate repetendum, c. 16. n. 7. Triplex adhuc gradus libertatis & meriti, c. 21. n. 3. Meriti tandem potiſſima radix charitas in quocumque ſtatu, c. 14. n. 15. c. 21. n. 3. *& ſeqq.* c. 23. n. 5.

Michael Arcangelus.

Hebræis præfuit, dum reliquis gentibus, non alieni Dij, ſed alij Angeli, L. XI. c. 4. n. 9. Præ omnibus autem notum & probatum ejus nomen, una cum Gabriele & Raphaele, c. 6. n. 12. §. *Quod autem*. Nec improbanda ejus Oratoria, quæ recenſent Theodoretus & Sozomen. *ibid.* Famoſiſſimum inprimis ob miracula Templum illius nomine a Cōſtantino M. ſtructum, ex Sozom. *ibid.*

Miracula.

In ſtupendis Creatoris miraculis habuiſſe homines, quod contremiſcerent, non quod imitarentur, L. I. c. 2. nu. 8. Corporati Dei miraculo magis nos excitari ad Dei cultum & imitationem, *ibid.* & c. 5. n. 6. Plus virium habuiſſe doctrinæ miraculum, quàm miracula ipſa, c. 14. n. 8. Plura, v. *inter Chriſti myſteria, &c.*

Pleraque miracula, vel inde mirabiliora, quòd minùs videantur, eo quòd ſint maximè obvia, L. 4. c. 11. n. 12. Nec ea eſt miraculorum ratio, ut rerum naturas ab ingenita præſtantia deturbent, C. 12. nu. 4. Deus ipſe Sanctorum cultum, priuſquam Angelorum, promovit, maximè per miracula, L. 11. c. 6. n. 11. L. 12. c. 2. n. 3. c. 3. n. 4. c. 4. *integro*.

Jam miraculorum fides ex Scripturis, L. 12. c. 4. Nempe ex Prophetarum oraculis, n. 1. 12. Ex ipſis Chriſti promiſſis, n. 11. 12. Ex actis Apoſtolicis, *ibid.* Si hæc concutiantur, & ipſa ſimul totius Eccleſiæ fides ex Patribus, nu. 5. *& ſeqq.* His oculatis teſtibus fide digniſſimis acquieſcendum potiùs, quam hæreticis ex ſola contentionis libidine contradicentibus, n. 6. *& ſeqq.* Ut Martyres Eccleſiam tueantur miraculis, omni ævo, contra omnes hæreſes, nu. 9. 10. *& ſeqq.* Iiſdem Apoſtolicis ſignis ſeu miraculis clareſcere debent, qui collapſam Eccleſiam à ſe reſtitui jactant, c. 12. n. 9.

Miſericordia v. Bonitas, Iuſtitia.

Mixtio, Mixtura, Mortariolum.

Prioribus maximè vocabulis uſi ſunt Patres ad ſignificandam naturarum in Chriſto inconfuſam immeationem, ac ſuperſtruendam unitatem perſonæ, v. *Chriſti unio hypoſtatica*. Nec non & *mortarioli* ad eundem uſum, ex S. Bernardo in L. de tribus Mixturis, L. 4. c. 15. n. 7. Item & *fermentationis* vocabulo, quod ferè idem eſt, ad ſanctitatem pariter & unctionem Chriſti, L. 4. c. 15. n. 6. *& ſeqq.* c. 16. n. 9. 12. L. 6. c. 3. nu. 1. c. 6. n. 9. Denique & ad mixtionem corporis Chriſti nobiſcum per Euchariſtiam, L. X. c. 31. n. 6. *& ſeqq.*

Monophyſitæ, Monothelitæ.

Monophyſitæ ab unitate naturæ, Jacobitæ à Jacobo authore, Armeni à gente dicti; nihil aliud hi omnes quam Eutychiani, *Præfat.* nu. 10. §. *In Orient.* Tota *Monophyſitarum* peſtis ex *Monothelitarum* reliquiis repullulabat, L. 5. c. 1. nu. 1. Imò priſcæ omnes ferè hæreſes, licet maximè contrariæ, c. 5. *integro*. Adde & ipſum Sabellianiſmum, ex c. 6. n. 3.

Quippè *Monothelitæ* extremi Eutychianorum ſurculi, ſub Theodoro Pharanita, quamvis ore tenus duas jactitarent naturas in Chriſto, unam reapſe clam opinabantur, *Præfat.* n. 10. §. *De.* & L. 5. c. 1. nu. 1. §. *Ex &c.* Id enim ſequitur ex una, quam agnoſcebant in Chriſto, & voluntate, & operatione, *ibid.* & nn. *ſeqq.* Imò ſequitur nec eſſe, nec perfectum ſaltem Chriſtum Monothelitarum, ſed ſimilem aut bruto aut idolo, n. 5. & 10. Scilicet voluntate ac operatione humana ita Chriſtum truncabant, ut Apollinaris aut Arius mente vel anima, *Præfat. cit.*

Hac ſpe omnes præſertim Eutychianos conciliandi, Athanaſius Jacobitarum Patriarcha deluſit Heraclium Imp. Et huc ſpectat ejus *Ecteſis*, & Conſtantis ſucceſſoris *Typus*, Sergio Conſtantinop. & Cyro Alex. ſuffragantibus, *ibid.* Tandem Conſtantinus Pogonatus habita ſexta Synodo Conſtantinop. œcumenica, damnataque prophana hæreſi, pacem Eccleſiæ, & lucem orbi reddidit, *ibid.*

Fluctuatio ipſorum Monothelitarum in ſuis principiis, L. 5. c. 2. n. 3. c. 5. n. 2. 3. Quod adulterabatur à Monothelitis, catholicæ ſententiæ vendicandum eſt, velle Chriſti *gnomicum & hypoſtaticum*, c. 2. n. 11. *in fine*. C. 5. n. 4. Quomodo & Scripturæ authoritas, & myſterij dignitas, & ſalutis noſtræ procuratio, nefario Monothelitarum auſu evertitur? C. 3. n. 2. c. 4. *ferè integro*. C. 6. n. 2. Imò totius Theologiæ fundamenta? C. 5. n. 3. c. 10. n. 8. 17.

Eorumdem ex ratione *inſtrumenti divini* objectio, in eos retorquetur, L. 5. c. 6. n. 6. *& ſeqq.* & c. 7. *integro*. Similiter & alia ex Cyrillo pro una operatione, nu. 3. *& ſeqq.* Necnon & ultima ex Dionyſio, de operatione theandrica, c. 8. n. 1. *& ſeqq.* Denique ex tripertito operationum genere, tertij tantùm pars dimidia eas continet operationes, quales omnes Monothelitæ ſperabant, c. 7. n. 6. V. *Chriſti voluntas*, *&c.*

Quomodo omnes ij *Monophyſitæ*, Iconomachorum præluſores? L. 12. c. 10. n. 17.

Moralis, *Mores*.

Moralis præſertim, cum aliis Philoſophiæ partibus, in unam charitatem confluit, L. I. c. 8. n. 9. In ea inſtituenda juxta rectam rationem ferè cum Chriſtianis Platonici ac Stoici conveniunt, C. 9. n. 3. Magis autem Platonici, C. 12. Quæſtio de ſummo bono, cardo eſt totius morum diſciplinæ, nu. 1. *& ſeqq.* At tota Chriſti vita morum eſt diſciplina, c. 13. nu. 1. *& ſeqq.* Nulla unquam purior & communior quam Moralis Chriſtiana, c. 14. n. 5. V. *etiam Chriſti myſteria*, *Magiſterium*, *&c.*

Mors, *Mortalitas*, *Mutabilitas*.

Mortem contemnere ſolus Chriſtus propriè, ejuſque una crux perſuaſit, L. 1. c. 13. *ferè integro*. C. 14. n. 1. 2. 4. 5. C. 16. n. 12. Imò mors noſtra anteponenda eſt facinoroſæ Dæmonum immortalitati, ex quo immortalitatis per Chriſtum facta eſt janua, *ibid.* & L. 9. c. 1. nu. 8. Nemini etiam mors, ſed mortis cauſa turpis, in vitio eſt, L. 10. c. 10. n. 6.

Quomodo mors ipſa in Chriſto vita fit? L. I. c. 16. n. 12. c. 17. n. 5. L. 4. c. 6. n. 15. 16. c. 13. n. 6. L. 5. c. 8. n. 15. Scilicet cùm mors animam corpuſque ſubſtantialiter infeciſſet, profligari non potuit, niſi per ſubſtantialem inſuperabilemque vitæ in nos illapſum, L. I. c. 19. n. 2. L. 3. c. 2. nu. 10. *& ſeqq.* Verbum autem in natura noſtra, non vitam & immortalitatem quam attulit, ſed mortalitatem ſolam, ipſamque mortem potuit venari, quam ſuſtulit, L. 2. c. 5. n. 15. L. 4. c. 6. n. 6. 15. 16. L. 10. c. 8. n. 6.

Quomodo etiam anima ſine Deo veriùs moritur, quàm corpus ſine anima? L. 3. c. 17. nu. 12. L. 6. c. 15. nu. 9. 15. Item peccatum mors animæ, peccabilitas ejus mortalitas, L. 5. c. 12. n. 12. L. 6. c. 15. n. 8. 9. Per peccatum autem mors ipſius corporis, non arbitraria pœna, ſed neceſſaria connexione, *ibid.* Et hinc ad mortem naſcitur, mortalis quiſquis naſcitur, *ibid.* L. 10. c. 8. n. 6. Imò quanta eſt vitæ ætas, tanta jam & vitæ clades, mortiſque poteſtas, c. 9. n. 16. v. 9. Ac tota mortalitas, quædam prolixitas mortis, *ibid.*

Mutabilitatis autem cujuslibet origo, ex defectu ad nihilum, vel profectu ad Deum, adeòque ſoli naturæ inter utrumque mediæ convenit, L. 4. c. 6. n. 12. L. 5. c. 12. nu. 6. *& ſeqq.* C. 13. n. 7. Ea adhæreſcit quidem eſſentiæ creaturæ, ſed ut macula & labes, non eſſentia, C. 12. n. 6. C. 13. n. 5. Abſtergitur verò ſeu cohibetur in anima per ſanctitatem, in corpore per gloriam, ſalvis utriuſque naturis, quia ſupra, non contra naturam, c. 12. n. 7. 8. 12. c. 13. n. 4. 5. 7.

Deinceps natura quidem comparatum eſt, ut tam res noſtræ *mortuis*, quàm mortuorum nobis incompertæ ſint, L. 11. c. 10. n. 8. At alia in hoc lex pœnarum, alia præmiorum, *ibid.* & nn. 14. 15. Cur tandem mors ita horrenda in aliis etiam chariſſimis, tam pretioſa & amori & honori ſit in Sanctis? L. 12. c. 1. n. 8.

Moyſes.

Unde tanda videndi Dei ſitis in Moyſe & Prophetis? L. I. c. 2. n. 5. Si omnes ſuſtinere poſſent viſionem Dei, ut Moyſes & ſimiles, non opus eſſet Incarnatione, ex Nyſſeno, L. 2. c. 8. n. 14. Dubium an viſio Dei perfectior conceſſa ſit Adamo, quàm Moyſi & Paulo, non verò aliis? *ibid.*

Si Moyſis ſplendorem ferre populus non potuit, quomodo Dei in ſe? L. I. c. 5. n. 5. Splendor autem ille vultus Moyſis, non perpetuus, ſed repentinus, ut Stephani, L. 4. c. 7. n. 26.

Moyſis arca quatenùs figura Chriſti? L. I. c. 8. n. 3. In aliis Moſaicæ legis ſacramentis, ſolæ umbræ, C. 10. num. 2. Meditatio ipſa Moyſis, nonniſi per operationem, adeòque præludium tantùm ſubſtantialis per Chriſtum, L. 9. c. 3. nu. 2. 13. Æquum erat balbutiem legis ad pueros ſe frangentis, per hominem potiùs Moyſem, quàm per Deum exeri, L. 10. c. 3. n. 3. & expreſſiùs c. 5. n. 8. V. *etiam leges*, *&c.*

Deus æternus tantis per Moyſem editis, nonniſi paucos traxit, & quidem bonis temporalibus ineſcatos, omnes per Chriſtum temporalem, ſolo æternitatis amore, L. 1. c. 13. num. 3. Silicet quia Moyſes verus homo, Chriſtus verus Deus, L. 4. c. 3. n. 4. Multiplex alia Moyſis diſparitas à Chriſto, maximè ratione ſervitutis, L. 8. c. 17. n. 1. *& ſeq.* v. *in Chriſti dubia ſervitute & legibus*. Vis tamen charitatis Moyſis pro populo ante & poſt mortem, L. 11. c. 7. n. 2. 4.

Ut crucem ipſam adumbraverit in ſe & in ſerpente? L. 12. c. 7. n. 2. c. 8. n. 9. In hoc nihil ipſe contra propriam legem de ſculptili, n. 4. Imò fuit interpretamentum à Chriſto ipſo probatum, *ibid.* & c. 9. n. 16. Quæ tandem Dei ſimulacra Moyſes vetuerit? n. 23. V. *etiam Imagines*.

Mulier, *v. Fœmina*, *Homo*, *&c.*

Mundus.

In ſtupendis mundi miraculis habuerunt homines quod contremiſcerent, non quod imitarentur, L. I. c. 2. n. 8. Aliunde mundanæ fabricæ pulcritudo, aut familiaritate, aut ſuperſtitione viluerat, c. 5. n. 6. In uno Chriſto, quàm in toto mundo, plura documenta propoſita ſunt ad imperitorum intelligentiam & omnium imitationem, *ibid.* & c. 6. n. 4. etiam ratione ſui corporis, L. 4. c. 5. n. 17.

Mundus tamen ſcripturæ, vel ſcriptura mundi inſtar habuit, & cur? L. I. c. 6. n. 5. At delirium Platonis *de anima mundi* longè incredibilius eſt ipſa Incarnatione, ex Aug. c. 16. nu. 11. 12. Satis eſt mundum univerſum ſacramentum eſſe ſapientiæ, eo modo quo *lignum vitæ in Paradiſo*, L. 2. c. 8. nu. 8. Hinc flagitium non eſt, mundum ut Dei conditoris ſimulachrum venerari, & ſuſpicere, L. 12. c. 8. n. 2. c. 9. n. 23.

Cur totus mundus poſt Chriſtum abiit? L. 1. cc. 15. 16. Scilicet cùm totum mundum redimere non poſſet pars mundi, qualis eſt mera creatura, L. 3. c. 2. n. 8. 9. L. 4. c. 3. L. 9. c. 7. Omnes mundi partes præſentia ſua ſanctificavit Chriſtus, L. 5. c. 18. nu. 17. Eſt tamen mundus reprobus pro quo non oravit, licèt etiam reprobis plura impetraverit auxilia, L. 9. c. 5. n. 4. *& ſeqq.* V. *Prædeſtinatio*.

Myſteria, *v. Chriſti Myſteria*.

N

Naclantus Epiſcopus Clugienſis.

Author præcipuus opinionis de adventu Chriſti, etiamſi homo non peccaſſet, L. 2. c. 6. num. 1. Confutatur *nn. ſeqq.* Laudatur verò ob aſſertam præ cæteris æternæ generationis ad temporalem uſque extenſionem, L. 8. c. 7. n. 4. Maximè poſt reſurrectionem, C. 11. n. 6. Necnon & redundantiam noſtræ filiationis nativæ uſque ad Angelos, C. 10. n. 12. 13.

Nativitas, *Natura*.

Quatuor *nativitatis* hominum modi, L. 2. c. 3. nu. 12. 13. Quartus in Chriſto priorum ruinas ſarcit, v. 6. & ſpiritalem nativitatem præformat, dum æternam ſequitur, C. 4. n. 6. *& ſeqq.* Mori autem non poteſt, qui quoquo modo non eſt natus, L. 3. c. 11. n. 9. Filij verò, & Verbi cujuslibet eſt, concipi & naſci, *ibid.* & c. 12. n. 2. At nunc dimidiata tantùm nativitate per Verbum fruimur uſque ad reſurrectionem, v. *Chriſti myſteria*, *reſurrectio*, *&c.*

Natura cuique à *naſcendo* dicta; quod quiſque naſcitur, hæc illi natura eſt, L. 3. c. 12. n. 1. c. 19. n. 15. L. 5. c. 13. n. 7. Sola vocabula naturæ & perſonæ ac ſimilia nova, varia argumenta diſcriminis inter utramque ratione tenùs, L. 3. c. 1. & 20. Tandem arcentur à nomine & jure perſonæ naturæ communes, accidentales, irrationales, c. 1. nu. 6. c. 20. n. 12. 14. Triplex aliunde ſummatim occurſat natura, divina, rationalis, & corporea: ſi tamen ſumma Deitas in naturarum claſſem ſe patiatur cogi, c. 17. nu. 1. *& ſeqq. præſertim* 10. c. 22. n. 2. L. 6. c. 5. n. 7.

Naturæ omnes æquè Deo indignæ, imò nullæ indignæ præter vitium, L. I. c. 2. n. 2. 3. L. 3. c. 3. n. 4. L. 4. c. 5. n. 8. 10. Solius divinæ ſeu veritatis natura eſt, ut ſui ipſius ac omnium ſuorum origo ipſa ſit; reliquæ naturæ omnes aliunde, L. 1. c. 17. nu. 14. 15. Nihil autem inquinamenti in rerum natura, quam opifex omnipotens condidit & honeſtavit, L. 2. c. 3. n. 4. Cur nunquam natura naturam conſumat? L. 3. c. 2. n. 9. c. 7. n. 7. Quantò minùs naturæ author poteſt eam aut corrumpere aut confundere, c. 5. n. 4. C. 6. n. 5. *& ſeqq.* c. 12. n. 1. c. 19. n. 1. L. 4. c. 12. n. 4. L. 5. c. 3. n. 5. 6.

Cur plures naturæ concreſcere in unum compoſitum & ſuppoſitum non poſſunt niſi diſpares? L. 3. c. 2. nu. 10. 11. 15. c. 6. n. 8. 9. c. 8. n. 5. c. 23. n. 1. 2. Naturæ autem

omnes

omnes Deo compositæ, mirum quantum minores & infimæ, ferè iisdem locis, & c.9.n.4.C.16.n.7.9. c.17.n.4.& seq. Quomodo verò naturæ superiores inferioribus quamlibet perfectis, ulteriùs perficiendis sese infundant, easque ad multimodam secum trahant unitatem? ex locis cit. præsertim C.17. integro. Paulò aliter CC. 22.23. Hinc nonnisi superior natura inferiorem, imò sola divina rationalem potest suam facere, atque adeò in suam coaptare hypostasin, ibid. Naturis ita & singulis consulitur & universis, ut quælibet perfecta sibi sit, & perficienda tamen ulteriùs à superiori, ibid. c.17. n.2. & seqq. c. 18. n. 3. Item L. 4. c. 10. n.3. & seqq. L.6.c.5.n.7. c.15.n.2. & seq. V. etiam Christi unio hypost. & persona, &c.

An citra existentiam natura perfecta seu integra erit, quæ necerit? L.3. c.18. n.9. V. etiam Entis gradus, &c. Nulla item erit perfecta, quæ plures hypostases in se, aut individua sub se complecti nequeat, C.19. n.22. 23. At natura universalis cum particulari nequit in unam coarctari naturam aliam, n. 21. Nec potest voluntas ferri in exitium suæ naturæ, L.4.c.6. n.10. Quàm distant autem naturæ, tam distant & operandi facultates & operationes, L.5. c. 1. n.2. & seqq. Denique natura nec est, nec saltem perfecta sine suis operationibus, n.5. & seqq.

Negationes.

Negationes scotisticæ ad exprimendam personæ rationem ferè consentiunt cum ipsis affirmationibus Patrum, quibus superstruuntur, L.3. c. 21. nu. 9. Imò commodiùs exprimunt, quomodo persona à natura, non re, sed ratione distet dumtaxat, ibid. Per alias negationes magnificas, amplificandæ Dei & Christi majestati totus jam olim studuerat Dionysius, L.5. c. 8. n.6. & passim alibi.

Nestoriani cum Nestorio.

Dubium an Diodorus Tarsensis Theodoro Mopsuesteno ita dux & magister fuerit, sicut Theodorus Nestorio, Præfat. nu. 10. Certum est verò ex Theodori schola Nestorium factum Constantinop. Antistitem, duas in Christo discrevisse hypostases, alteram hominis, alteram Dei; ac utramque non alio penè modo simul coalitas intellexisse, quàm eo, quo justi omnes, & unum cum Deo, & Filij Dei dicuntur: Hincque Christiparam, non Deiparam esse Mariam, ibid. Cyrillus primò Alex. tum Cælestinus Papa, denique Synodus Ephesina, exitialem hanc labem profligarunt, ibid.

Ex ignorato personæ à natura discrimine origo eadem diversorum Nestorij & Eutichetis dogmatum, L.3. c.1. n.3. Necnon cum ipsis & Monothelitarum, L.5. c. 5. nu. 2. 4. Verba Nestorij, nu. 5. Quomodo in ratione instrumenti Christo asserenda, cum iisdem, & cum Ario ipso Nestorius consentiret, & dissentiret? C.9. n.17. V. etiam propositiones de Christo.

Varia unionum merè accidentalium genera à Nestorio ad dissuendam personæ in Christo unitatem excogitata, referuntur, Præfat. n.10. Simulque & 14. argumentis refelluntur, L. 3. c. 2. Et hoc caput est ipsius erroris, quod seu duas personas aut hypostases, certè duos imaginaretur per se consistentes, quos deinde multiplici vinculorum genere colligare machinaretur, sed incassùm, c.9. n.1.

Nullatenus potest in Christo una persona constitui, quod vis veritatis aliquando à Nestorio extorsit, nisi & una hypostasis, quam semper obstinatissimè negavit, L.3. c.2. n.13. Nec authoritas divina, ut volebat, nisi simul & hypostasis, nu. 15. Personali quidem unioni applaudebat, utpote quam extimam tantùm & personatam interpretabatur, naturalem refugiebat, C.7. n.1. Cognatos autem errores conjunxit, ut duas in Christo agnosceret hypostases, & non à conceptu humanitatem assumptam, C.11. n.9.

Quomodo duos Deos, ipsamque idololatriam visus est restituere, L.3. c.2. n.14. & seqq. Necnon & Antropolatriam ex Leontio Bizant. C. 24. n. 13. Licèt una adoratione venerari se Christum simularet, nempe hominem propter Deum, gestantem propter gestatum, L.11. c. 2. n. 13. c. 3. n.8. 9. Discrimina Catholicorum ab ipso, licèt ut Nestoriani quandoque audirent, ibid. V. etiam Christi unio hypost. & propositiones, ubi plures formulæ ipsi oppositæ, inprimis vox Deiparæ, &c.

Non solùm cum Paulo Samosat. in sequacibus, sed & cum Pelagianis juncti sunt Nestoriani, ex Prospero & Cassiano, præfat. n.10. L.3. c. 11. nu. 4. Adversus Nestorianos præsertim Christum hominem divinitatem meruisse somniantes, primaria meritorum Christi ratio à Verbi dignitate & sanctitate derivatur, L.5. c.20. n. 1. & seqq. Hinc oppressus Nestorius ex necessitate divini pretij pro peccato, L. 9. c. 7. n. 4. Et cùm affectualem ad summum unionem in Christo agnosceret, regerebatur ipsa substantialis nobiscum per Eucharistiam, Lib. 18. c. 21. num. 9. §. Urget.

Quomodo rursus in Agnoetis, ac in Fœlice & Elipando Nestorius reviviseeret, v. in propriis eorum tit. At tandem cur cùm Nestorianæ corruptelæ crimen Catholicis ab Iconomachis impactum est, convenientiùs ij Eutychianam in illos retorserunt, L.12. c.9. nu. 8. v. etiam Imaginum usus, ac Novatores, &c. Nihil pejus Calviniano anonymo, qui non ita pridem, Nestorio catholicum dogma, Cyrillo Apollinaris insaniam, ac Ephesinæ Synodo turpissimas hallucinationes affinxit, Præfat. n. 10. §. Ut circa finem.

Nicæna Synodus œcumenica duplex.

Prima Arium damnavit, Præfat. n. 9. §. ad Arium. Adhuc tamen hypostasim & usiam indiscriminatim usurpavit in expositione fidei, & ex Athanasio, qui fuit ejusdem Synodi lumen columenque, L.3. c.1. n.11.

Secunda quæ ordine 7.a generalis fuit contra Iconomachos non aliam decernit sacris Imaginibus quàm honorariam adorationem, L.12. c.13. Sed perperam à Gallis intellecta, cum quibus tamen in concordiam reducitur fusissimè, ibid. ac c.12. V. Imaginum sacrarum usus & cultus.

Nobilitas.

Cur solam è virtutibus, atque ex ipso nobilitatis contemptu, aucupandam esse nobilitatem Christus commonstravit? L.8. c. 17. n.11. Suam tamen non tam à majoribus Regibus aut Sacerdotibus, quàm à Patre æterno repetit, refuditque in ipsos, L. 10. c.15. n.5.

Noethus.

Hunc Sabellio per omnia consensisse author est Epiphanius, præfat. nu. 9. Sicubi autem scribit Noetho visum esse Patrem non esse passum, intellige non qua Patrem, sed qua protensum in carnem, ut Filium & Verbum, &c. ibid.

Nomen.

Quid sit bene petere in nomine Christi? L. 1. c.8. n. 11. Idem quod nomine Christi virtutem omnem intelligere, c.9. n. 4. Ac omni vitio, ejus, & Christiani nomen negare, §. Cæterum, &c. 10. nu. 9. Quomodo Christiani nomen novum? C.9. n.5. in fine.

Apud homines Patris & Filij nomina, ac similia, desultoria sunt; non ita apud Deum, L.2. c.2. n.10. c.4. nu. 8. 9. Occasione hæreseon diversa invecta pro eadem fide nomina, L.3. c.1. n.1. 2. Nomen Dei ipsum imago est, & adoratur, L.12. c.8. n.3.

Novatores varij.

Cum variis eorum dogmatis.

Non institutum toto hoc Tractatu fidei controversias contra Novatores ex Scripturis semper ad litteram in se excutiendis, sed altissima quæque fidei sacramenta quoquo modo à sanctis Patribus elucidata pertractare, L. 11. c. 7. nu. 7. Hac arte revocari forsan posse sectarios seu novatores, veritate non tam coarctatos, quam delectatos, ibid.

Inprimis quod è Lutheri & Calvini discipulis, Michael Servetus & alij, non Arianorum tantùm, sed & Ebionitarum, Sabellianorum, Photinianorum, Nestorianorum & Eutychianorum oppressas dudum hæreses, ex orco revocarunt, Præfat. nu. 10. §. Ut, &c. Duces autem quibus hæc errorum portenta obtrita sunt, toto opere radiabunt, nu. 11.

Imò ipsi Lutherus & Calvinus ac sequaces à Nestorianorum & Agnoetarum fuligine haud immunes, in eo quòd infanti pueroque Christo non multò dissimilem nostræ ignorantiam impingant, L.7. c.1. n. 20. Quàm alienum hoc dogma sit à substantiæ intellectualis familiaritate cum veritate & sapientia incommutabili, c.8. n. 1. & seqq.

Ut in antiqua etiam tot sannis explosa Manichæorum deliria revolvantur Novatores, qui veritati carnis Christi in Eucharistia obtrectant? L.10. c.17. n.12. At fides quidem ab iis laudata Christi carnem fugat, fides autem à Ss. Patribus commendata verè præsentem aspectat, ibid. & c.30. num. 12. 13. 14. 17. Quantùm rursus & fides & Religio nostra & à Judæorum & Berengarianorum perfidia discrepet? utrobique, & C.18. nu. 5. §. Apertè, & apertiùs nu. 9. §. 5. Item C. 21. nu. 13. C. 22. nu. 4. C.26. nu. 12. C. 28. n.3.

Quàm cæci Novatores, qui subducto ac diruto fundamento corporalis sacrificij, non viderunt collabascere totam structuram sacrificij spiritalis Ecclesiæ & virtutum, L. 10. c. 19. n.15. in fine. Necnon & totam Incarnationem, cujus Eucharistia perpetuatio est, c.21. n.13. in fine. C. 22. n. 1. & seqq. maximè 4. Cur ritus miscendæ aquæ cum vino in Eucharistia adeo inviolabilis semper contra quoslibet Novatores, c.16. n.8.

Contra aliam Novatorum calumniam per Sanctorum cultum & divinum decerpi, accuratissima defensio, L. 11. c.11. n.9. & seqq. Jam olim responsum Manicheis idem calumniantibus, num. 11. & c. 3. nu. 7. in fine, L.12. c.2. nu. 6. Adde Eunomium, & longè antea Cajanitas inter alios præsultores, contra ipsas præsertim reliquias, n.7. Arianos quoque contra miracula, C.4. n.9.10.

Nusquam invictiùs constabit quantum Scripturis illudant, ad

ad quarum normam tamen omnia revocanda invidiosissimè concrepant, quam in sanctorum *Angelorum cultu mutuisque nobiscum officiis*, quæ ex *humanis traditionibus*, gentilitiisque commentis nos trahere convitiantur, L. II. c.4. n. 1. *& seqq.* Confutantur fusissimè, *toto reliquo* C. *& seqq.*
In Sanctorum cultu & adoratione insectanda eligere etiam possunt *Calviniani*, utros sequi malint duces & præsultores, *Manichæos*, *an Ethnicos*? vel potiùs horum fæces, non primarios Philosophos: & an cum illis maledicere, quàm cum Ecclesia primæva maledici? L.II.c.7. nu. 7. 9. 10. L. 12. c.2. n.6. Quot jacula indeclinabilia contorqueat Bernardus adversus vesaniam *Petro-brusianorum Calvinianæ* pariter præsultricem, & in cœlites æquè debacchantem? L.II. c.8. n.3. Quàm invidiosè, tam injustè adversus *Sanctorum secundariam mediationem* apud Christum iidem Calvinianis gregales, num. 7. *& seqq.* Quàm rudes Christiani dogmatis, si nesciant ad hoc venisse Christum, ut locupletioribus etiam titulis nos insigniret, num. 12. *& seqq.*
Minùs mirum, si *Sanctorum communionem*, & omnia viventium mortuorumque fœdera violare satagant, qui suo ab Ecclesia dissidio corpus Christi discerpere moliti sunt, L. XI. c.9. n. II. *& seqq.* Quale bellum in hoc indixerint pietati salutique nostræ? nu. 14. Hæc autem tota rationalis naturę conspiratio, quàm divinis non insidietur honoribus & sacrificiis, quod nobis objectant, ut Deo sacrificium ipsa sit, atque æternitatis holocaustumn, n. 17.
Eorumdem Novatorum opinationis, denegata *Sanctis rerum nostrarum cura & scientia*, jam olim architectus *Vigilantius* à sancto Hieronymo retusus, L.XI. c. 10. n.5. Et ante eum *Chiliast* toto orbe exsibilati, *ibid.* Alium novitium Vigilantianæ hereseos instauratorem exagitat Hildeb. Cænom. Episcopus, n. 12. Augustinus verò, quem maximè intentare solent Hagiomachi, quàm ipsis contrarius, & quam alienus præsertim a ventilandis opinationibus suis prò fidei dogmate, n. 13. *& seqq.*
Quàm alieni pariter ipsi Novatores à Chrysostomo gratulante Rusticanis, ob asservatas Martyrum tanquam suorum Doctorum *reliquias*, L. 12. c.1. n. 4. Cur in his non solùm Hagiomachi, sed & Theomachi? n.7. Imò quo magis alieni ab ejusdem Chrysostomi tam sana insania erga *Pauli catenas*, eò magis à Christo, C.1. n.9.10. & eò minùs ab Idolorum defensoribus, præsertim Juliano talia criminante, n. 14.15. Quin & ab ipsis Demonibus querelarum incentoribus, c. 2. n.6. Nec non & furoris ejusdem, quo perciti olim Ethnici cineres Martyrum in Rhodanum projecerunt, nu. II. Sed hæreticis perinde ut Ethnicis iritus furor, *ibid.* Ipsis sapientiores Philosophi patroni fuissent, n. 12. At cùm merè humanos ad summum honores non negent cœlitum corporibus, ignorant nonnisi religiosos exhibendos esse erga mortales ipsos, c. 3. n. 2. 14.
Quantò æquiùs sanctis Patribus *Miraculorum* oculatis testibus & fidei magistris, quam hæreticis recentioribus sola contentionis libidine subnixis aquiescendum, L. 12. c. 4. *& seqq. latissimè*. Non ita impudens Vigilantius in negandis miraculis, ac Calviniani ab ipsis Dæmonibus ut olim revincendi, nu. II. 13. Falsò etiam excipiunt nullum ex Patribus fuisse duobus prioribus sæculis, Sanctorum cultui patrocinantem, n. 12. *& seqq.*
In *Crucem* injuriosi iidem Sectarij, ab ipsa cum aliis toto orbe inimicis pariter revincendi, L. 12. c. 5. num. 2. *& seqq.* Quid respondendum ad absurdas eorum objectiones à Iudæis & Gentilibus olim tritas, cur *non adoretur similiter vectrix Christi asina, &c.* nu. 7. 13. Vel inopini crucem adorant, dum Paulum legunt, n.6. Circa prędicta nonnisi cum Patribus utriusque Ecclesiæ nos ut *cinerarios*, *terricolas*, *& idololatras* possunt infamare, n.9. 12.
Æquius erat nuper exortos novatores, jureque donatos cœlestis civitatis, huius legibus moribusque obsequi, L. 12. c.6. n. 12. *in fine*. Quanta superbia nolle signis redemptionis humilibus assurgere aut advolvi? C.7. n.7. Hos ut confundat Christus, salutem nostram non stellæ gloria, sed crucis ignominia perfecit, *ibid. latissimè*. Crucem verò ipsi velut à Iudæis impactam, non ut à Christo electam & dilectam videntur exhorrescere, *ibid. in fine*.
Novatorum prælusores medio tempore Claudius Taurinensis, Pauliciani sub Basilio Imper. & Bongomili sub Alexio Comn. L. 12. c.7 n. II. Postea verò Petrobrussiani & Wiclefistæ, n. 12. Paulò antiquiores Orientales Iconomachi, duce Isauro Imperatore, non Episcopo, c. 10. n.9. *& seqq.* At Apostolicis signis clarere debuerant, qui collapsam Ecclesiam à se restitui jactitabant, *ibid.* Cùm econtra hi omnes à Manichæis aut Monophysitis viderentur exorti, n.13. Quàm miserabiliter tandem Iconomachi & Hagiomachi nostrorum temporum, Gallorum medij temporis authoritatibus nos impetunt, quibus nos vallamur, ipsi multipliciter contendiuntur, c.12. n.13. *& seqq.*

Numerus.

Numerus de Deo ipso dici potest, L.3. c. 14. n.6. §. *Multus.* A fortiori unitas principium numeri, *ibid.* V. *etiam Quantitas*, *Trinitas*, *unitas*.
Numeri omnes sua vigent totalitate, & tamen unitatis additamento in alterius totalitatem transeunt, L. 3. c. 16. n. 5. Sic naturæ omnes, instar numerorum sunt, *ibid.* Natura quælibet, tametsi maximè una, adeòque à numero & multitudine alienior, quia tamen natura est, multiplicari potest, c.19. n.23.

Nuptiæ.

Quid sit nubere Christo? L.I. c.8. n. II. Quomodo solus propriè Christus nubere dedocuit? C.14. n. 1. *& seqq.* Cur ob id Plato perhibetur sacrificasse naturæ? n.6. Æqualitas Angelorum cum homine post resurrectionem nonnisi in abstinentia à nuptiis, ex Jobio, c.20. n. 13. *in fine.*
B. Virginis desponsatio, præter alias causas, ut suus virginitati & nuptiis honor constaret, L.2. c. 4. nu.12. *in fine*. At uterque Adamus & Eva semel, ac ferè omnia quotannis sine nuptiis nascuntur, c. 3. n. 10. 12. 13. Si ipse homo non peccasset, vena de purissimę charitatis fluxissent nuptię, L.6. c. 1. n.5.

O

Obedientia.

Cum per unius inobedientiam cecideritmus omnes, unius jugi obedientia excitari nos operæ pretium fuit, L. 5. c. 14. n.3. *& seqq.* c. 15. n. 5. *& seqq.* Obedientiæ laus affectanda est, non detrectanda, c. 14. n. 10. II. 12. 21. Piis quibusque maximè suavis est, *ibid.* & c.15. nu. 1. *& seqq.* Non coacta & servilis obedientia, sed liberalis & naturalis seu substantiva Christo & aliis filiis competit, nu. 12. 13. c.17. n.5. *& seqq.* c. 20. n. 2. *& seqq. præsertim* n. 12. L.8. c.18. n.6. *& seqq.*

Oculus.

Triplex in primo homine oculus, carnis, rationis, & contemplationis, cui nunc successit quartus oculus fidei, L. I c.5. n. 15. Ut quilibet oculus videat, lux sive spiritualis, sive corporea, non tantùm adesse, sed inesse debet, c. 17. n. 10. V. etiam *cæcitas, lux, &c.*

Oeconomia.

Nomine œconomiæ, hoc est dispensationis, solet à Patribus ipsa Incarnatio intelligi, & à Theologia, cui subordinatur, distingui, *Præfat.* n.3. L.5. c.2. n.2. c. 8. nu. 5. Plura dispensationis, ad instar illius magnæ œconomiæ, exempla, L.XI. c. 6. n.8. *& seqq. & identidem toto opere.*

Omnipotentia.

Quantoperè per Incarnationem commendetur omnipotentia, L.I. c. 1. nu.1. *& seqq.* Maximè ex plurium in speciem impossibilium coacervatione, n.4. & contra diaboli potestatem, n.6. Ea autem non aliter quàm per nostram reparationem, seu lapsus nostri curationem, *ibid. & expressiùs*, L.2. c. 7. num. 1. *& seqq.* V. etiam *alia Dei attributa*, *& creatio*, *ac reparatio*, *&c.*
Si non solùm ut Christus fieret, & ut Christianus omnis fiat, omnipotentia opus est, L.1.c.1.n.6. A fortiori Dei omnipotentia eminet in Matris Dei & in toto Dei-hominis opere, L.3. c.15. n. 9. 10. Quænam sint partes omnipotentiæ in ipsa Dei passione, L.4. c.6. n.9.10. *& expressiùs* C.12. n. 2. *& seqq.*
Scilicet eò potentior omnipotentia, quò videtur infirmior, L.I. c.1. nu. 7. Et illud ipsum Dei infirmum, quod homo fuit, potentissimum est, & omnipotentiæ specimen, supra omnem creaturæ potentiam, L. 3. CC. 22. 23. *præsertim* n. 3. 4. 13. Quomodo ipsi humanitati Christi, omnipotentia conveniat, c.7. n. 1. *& seqq.* c.9. n.9. *& seqq.* c.19. n.29. L.4. c.6. n.7. *& seqq.* L. 7. c. 9. nu. 4. 5. Maximè in Eucharistia, L. 10.c. 31.c.21. Vel ex eo quòd omnipotentię potiùs sit, quàm immensitatis, non ulli alligari loco, *ibid.*
Minùs aptè distinguitur omnipotentia Dei ordinaria ab extraordinaria, L.2. c. 2. n. 7. L. 3. c. 12. nu. 1. II. *& seqq.* Nec enim omnipotentia potest propriè quod sapientia vetat, seu non potest, quod non debet, nec decet, *ibid.* Adeòque quod indecorum Deo, id etiam impossibile defenditur, *ibid.* Saltem minùs facile minùsque decorum, num. 13. 15. At vel ex eo omnipotentia major est, quòd plura non possit, quæ posse aut etiam velle impotentiæ esset, L.4. c. 3. nu. 2. c. 6. n. 9. Ratio verò infiniti eas non affigit limites Dei omnipotentiæ, L. 7. c. 7. n. 6. 12. c.9. n. 9.
Hinc si quid deesset perfectionis naturæ cuilibet, derogaretur authoris omnipotentiæ, L.3. c. 17. n. 1. Imò & dehonestaretur omnipotentia, si rerum naturas ab ingenita præstantia deturbaret, L. 4. c. 12. nu. 4. Hinc tandem in omnipotentia præsertim rerum omnium causæ videntur à Sanctis, L. II. c. 10. n. 8.

Opera, operationes.

Nullum perfectæ virtutis opus citra specialem Christi gratiam,

gatiam, L. 1. c. 9. n. 4. Tripertita Christi opera ad disciplinam nostram, C. 13. n. 3. Nulla Patris opera ad extra, nisi per Filium, L. 2. c. 1. n. 5. & *seqq.* C. 2. n. 5. Tam substantia, quàm vel minutissimæ circumstantiæ operum Dei sub providentia, L. 5. c. 15. *ferè toto*.

Quàm distant naturæ, tam distant & operandi facultates & operationes, L. 5. 1. nu. 2. & *seqq.* c. 6. n. 12. Naturæ nec sunt, nec perfectæ saltem sine suis operationibus, C. 1. n. 5. & *seqq.* C. 2. n. 10. Operatio ipsamet est natura ut exiliens & promicans, C. 5. n. 10. Quantò magis substantia Dei ipsamet est ejus operatio, ac summa actualitas, c. 9. 2. Vivere operari quoddam est, aut non sine aliqua operatione, L. 6. c. 20. n. 4. §. *Sed ne*. Operatio latiùs vagatur, quàm substantia, quasi solatium substantiæ, L. 7. C. 7. n. 9. Ut operatio sequitur naturam, sic gratia operationis ex Incarnatione, ipsam Incarnationis substantiam, L. I. c. 19. n. 7. L. 2. c. 11. n. 4. L. 3. c. 11. n. 4. Solus Deus per substantiam, creaturæ per operationem alias inhabitare possunt, L. 3 c. 22. &c. Ita duplicem mediationem distingue, v. *in prop. tit.*

Ophytæ hæretici.

Monstri simile est, quòd Ophitæ Christum in serpente, qui Evam decepit, colerent, inde eorum nomen & secta è Judæorum & Phantasiastarum fontibus, *Præfat. num.* 8. §. *Iudaic.*

Opinio.

Longè aliud fides, aliud opinio, L. I. c. 8. n. 5. 6. Opinio superficie tenus hæret, ut in idololatria patuit, C. 15. n. 2. Quantumvis magna vis sit præoccupatæ opinionis, nu. 4. Opinationibus & præjudiciis non serviendum, maximè in Theologia, L. 2. c. 5. n. 3. 4. 5. L. 3. c. 12. n. 7. 9. Magisque abstinendum ab opinationibus ventilandis pro fidei dogmate, L. XI. c. 10. n. 13. 15.

Oratio.

Nisus est & ascensus mentis in Deum, aut congruentium petitio, ex Damasc. L. 9. c. 4. nu. 8. Perversum esset nostras semper orationes exaudiri, C. 5. n. 1. Duplex orandi modus, servilis & liberalis, c. 6. nu. 4. Multiplex alius Christo proprius, n. 5. & *seqq.* Exuendum vulgare præjudicium, quòd non oretur Deus, nisi sub certa verborum sive intùs sive foris forma, quasi aliter Deus ignoraret, L. XI. c. 6. n. 3. Aloquitur Deus animam, anima Deum, lumine, voto, amore, n. 4. & *seqq.* C. 8. n. 1. & *seqq.*

Quid sit bene petere seu orare in nomine Christi? L. I. c. 8. n. 11. Cur oratio Dominica & aliæ præsertim sacrificij ad Patrem dirigantur per Filium in Spiritu sancto? L. 2. c. 9. n. 13. v. 9. L. 9. c. 11. n. 14. & *seqq.* L. 11. c. 6. nu. 6. An Christianis tantùm, etiam recentibus à genitali unda, Judæis autem nunquam licuerit Deum Patris nomine orare? L. 8. c. 8. n. 5. Præcellentia orationis Dominicæ, L. 9. c. 11. n. 14. *præsertim* v. 8. Quid sentiendum de aliis orationibus seu collectis toti Trinitati directis, *ibid.* Cur Ecclesia nonnisi pro damnatis precari detrectet? C. 5. nu. 3. & Eucharistia vocetur sacrificium precum? L. X. c. 29. n. 7. c. 30. n. 21.

Ordo.

In ipsa injustitiæ sede regnat umbra ordinis, quo ejus contemptores excrucientur, L. I. c. 3. c. 4. Ipsum peccatum non potest à Deo in debitum ordinem non redigi, C. 4. n. 6. At quidquid inultum, idem & inordinatum fuisset, *ibid.* & n. 11. Supra modum autem venustatur rerum ordo inauditis, quæ hìc probata sunt, anthitetis seu paradoxis, *ibid.* Nec summo ordini, nec à summo ordine, qui Deus est, inferri cuiquam potest confusionis vitiositas, L. 3. c. 5. n. 4. L. 4. c. 12. n. 4. Denique rectus ordo postulat, ut ab imis ad summa, ad imperfectioribus ad perfecta progressus fiat, L. 5. c. 13. n. 1. & *seqq. præsertim* 7.

Origenes.

Ejus inter alios delirium de natura Dæmonum seu Angelorum à Verbo assumenda, aut saltem sua offerenda passione pro ipsis, L. 2. c. 12. nu. 1. §. *Origeni*. Mitior ejus interpretatio, *ibid.* In ejus opinione de præexistentia animarum ipsa impossibilis Incarnatio, L. 3. c. 12. n. 3. 10. Ejus sententia expenditur de scientia animæ Christi, L. 7. c. 4. n. 10. Item de expectanda post mortem Sanctorum beatitudine, L. XI. c. 10. n. 2.

Oscula.

Quid sit Christo libare, aut ab ipso expectare oscula, L. I. c. 8. n. 11. Necnon & *osculum sanctum* fidelium inter se? L. 12. c. 1. n. 12. Quanti etiam fierent olim sacra Reliquiarum oscula? n. 9. & *seqq.*

P

Panis multiplex.

Panis *Angelorum* & hominis innocentis nuda veritas, L. I. c. 5. n. 17. Cur factum sit lac, aut fœnum in præsepio, v. *Christi infantia in ejus mysteriis.* Quis jam panis noster *quotidianus*? C. 6. n. 5. c. 8. n. 5. Necnon & *supersubstantialis*? L. 3. c. 19. n. 17. L. 10. c. 26. n. 9. c. 28. n. 16. Cur *panem* vitæ tam crebrò se Christus dixerit? C. 26. nu. 6. & *seqq.* C. 28. n. 15.

Parabola, Paradisus, Paradoxa.

Parabolarum usus nonnisi post peccatum, L. I. c. 5. n. 13. 25. C. 6. n. 1. & *seqq.* L. 2. c. 8. n. 1. L. 4. c. 8. nu. 25. 26. Instar parabolæ fuit ipse Christus, ex Clem. Alex. L. I. c. 8. n. 5. c. 10. n. 3. Inter parabolam & historiam in ipsis Scripturis quandoque non interest, L. XI. c. 11. n. 19.

Per *Paradisum* ante ipsum peccatum, quomodo Ecclesia præsignata? L. 2. c. 6. nu. 5. In Paradiso quid significet *fons de terra*? &c. C. 8. n. 2. §. *Et rursus*. Necnon & lignum vitæ? n. 4. Nemo jam cadit de Paradiso, quia adest Christus, ut latroni promisit, C. 10. nu. 9. Ergo si Adamo affuisset, vel affuturus fuisset, non cecidisset, *ibid.*

Quantum verò venustetur rerum ordo inauditis, quæ in Christo probata sunt, quasi anthitetis seu *paradoxis*, L. I. c. 4. n 6.

Parentes.

Summum paterni amoris, pro servi salute, orbari filio, L. 1. c. 2. n. 12. 13. Quanti intersit ad Patris dignitatem, ut non degeneret Filius? L. 4. c. 1. n. 12. 13. 14. Author verò omnis paternitatis non est nisi summus, & per se verusque Pater Deus, L. 8. c. 1. n. 11. Necnon & filiationis propriæ donandæ jus non est nisi penes patrem, hoc est genitorem, C. 6. n. 5. Amplius demùm & suavius est patrem esse quàm dominum, c. 17. n. 13. c. 20. n. 8. v. 4.

An parens cujuslibet hominis dici possit parere animam, sicut Maria Verbum L. 3. c. 3. 15. n. 1. & *seqq.* Corpus Filij magis pertinet ad ejus animam quàm ad satorem parentemque suum, L. 9. c. 10. n. 11. Religionis & pietatis vocabula etiam ad parentes deflexa, L. XI. c. 1. n. 1.

Parisiensis Synodus.

Ipsi Synodo Parisiensi sub Ludovico Pio, qua nihil acerbius contra Græcos, modus tamen solùm placuit, non ipsum exterminium imaginum cultus, L. 12. c. 12. n. 13. §. *Postremò*. Vel ex eo quòd in actis à Baronio allatis despici eas prohibeat, jubeat honorari n. 1. 8. Imò ex eo quòd nihil hac in parte prohibeat aut jubeat, §. *Infrà*. Ex quibus inprimis concluditur hæc inter ἀρχαῖα reposita fuisse, *ibid.* Quamquam consulatur non insultandum, sed accedendum potiùs aliis ex charitate, & ob reverentiam Synodi generalis, ac Sedis Apostolicæ, n. 19. A qua reipsa etiam tunc non fuit defectio, *ibid.* & n. 20. V. *Imaginum sacrarum cultus*, &c.

Pascha. Pentecoste.

Cur tandiu non collatus sit solenniter baptismus, nisi in *pervigilio Paschæ & Pentecostes*? L. 6. c. 1. n. 7. Et utrumque tempus aptissimum fuerit dandi Spiritum sanctum, omni mortalitate per resurrectionem consumpta? C. 13. n. 3. L. X. c. 20. n. 15.

Cur jam olim voluerit Deus principem locum tenere *Paschatis hostias*? L. X. c. 7. n. 8. §. *Cumque*. Quid significet *manipulus primitiarum in Paschate*, cum Agno offerri solitus? C. 13. n. 1. Per ipsum *Pascha*, resurrectio nostra figurabatur, ex Bern. C. 14. n. 6. *Mosaicum* implevit Christus in ultima cœna, sed *ipsum ejus Pascha*, quo prius impletum est, implendum superest in regno Patris, c. 26. n. 2. 4. Cur interim Eucharistia *Pascha seu transitus* dicatur? C. 28. n. 14.

Pentecoste speciatim cum aliis Judæorum festis in gratiarum actionem, L. 10. c. 24. n. 12. Ultimum & perfectissimum tempus dandi Spiritum sanctum Apostolis, c. 29. n. 15. An tunc & sacerdotalis fastigij apicem consecuti? *ibid.* Cur tanto studio approperavit Paulus Jerosolymam ad Pentecosten? L. 12. c. 5. n. 10.

Passiones in utroque sensu.

Passiones in sensu doloris aut affectus, quàm non sint Deo indignæ, L. I. c. 2. n. 2. Et sanè per passiones vel in secundo sensu visus est Deus prælusoriè in Scripturis incarnari, c. 6. nu. 2. Imò nec in utroque sensu divinitatem lædunt in Christo, L. 3. c. 4. n. 10. Quia potest illa quidem eas sibi ut proprias adserere, non tamen eas sentire, c. 19. n. 19. L. 4. c. 6. n. 10. 20. c. 8. n. 25. Longè autem dispariter de Deo & de Christo dicuntur in Scripturis, nu. 24. 25. 28. c. 9. nu. 1.

Nullus Christo fœliciùs docuit nos passiones moderari aut ferre, L. I. c. 14. n. 4. 5. Nec docuisset, nisi priùs in se suscepisset, C. 16. n. 3. Et tamen pleraque animæ munia vel passione constant, vel non sine passione, L. 4. c. 9. nu. 4. & *seqq.* At exemplo Christi Christiani laborant, non quidem ut affectibus careant, sed ut ad æterna arrectos habeant, c. 11. n. 19. V. etiam *Christi passiones*.

Stolidum portentum est Stoicorum sapiens passionibus vacuus, L. 4. c. 11. nu. 20. Verbis magis quàm rebus Stoici à nobis & à vero abludebant, nu. 21. Vel ex eo quòd nihil aliud sint passiones, quàm voluntates & amores quidam

in bonum vel in malum, laudabiles aut culpabiles, §. *Etenim*. *Item* L. 5. c. 4. nu. 4. Affectuum ergo tranquillatio summa, non vacuitas, Stoicis arridebat, sed illa superba fiducia jam hìc præsumebant, L.4. c.11. n.2. V. etiam *Philosophi*, *Stoici*, &c.

Patientia.

Patientiam docere non potuisset Christus, nisi passionibus ipse subditus fuit, ex Lactantio, L. I. c.16. num. 3. At saginari virtute patientiæ ita Deo dignum, ut talis virtus Deus ipse visa sit, C.2. nu.4. c.4. nu. 8. c. 13. nu. 4. L. 2. c.7. n.13. L.4. c. 5. nu. 13. Attamen Deus non est eodem modo *patientia*, quo charitas, L.6. c. 14. nu. 13. 23. c. 16. n.4.

Patrum doctrina & authoritas.

Sanctorum Patrum colligendis, interpretandis, ac conciliandis sententiis totus hic tractatus dicatur, *Præfat. nn.* 2. 4. *& passim alibi*, *præsertim* L.5. c.14. n. 1. §. *Nostra*. L. 10. c.25. n.5. L.11. c.7. n.7. Et hinc vocatur patritia seu Patrum Theologia, *ibid. & identidem alibi*.

Inprimis eorum doctrina & authoritas contra Abaelardum propugnatur, præsertim ex Bern. L.I. c.3. n.5. *& seqq.* L. 9. c.8. n.11. Contra paucos aliunde Catholicos, L.3. c.6. n.6. 10. Expressius contra Leontium Byzantinum, C.12. n.10. 11. 12. Ab ipsomet verò alias, contra veteres hæreticos, c. 24. n.2. 3. Contra Novatores tandem, L. 10. c. 17. n.12. c.30. n.12. 14. 17. L.12. c.4. n.6. 11. &c.

Fides Apostolorum per doctrinam Patrum ad intelligentiam perducta est, L. I. c.7. n. 15. §. *aies*. Quam intutum sit in Scripturis interpretandis seu rebus Theologicis disceptandis transilire lineas Patrum consensione olim præfinitas, L.2. c.5. n.3. *& seqq. latissimè*.

Cur minutias verborum quandoque neglexerint Patres? L. 3. c.7. n.3.7. Observandum maximè in quam agant hæresim pro intelligenda vi verborum apud ipsos, C. 8. n. 3. c. 24. *ferè integro*. Fatendum quædam ipsis aliquando excidisse minùs accurata, sed ad amussim alicujus ea in re principis castiganda, *ibid.* & c.10. n.6.

Beatiore Patrum ævo necdum calliditates Philosophiæ in Ecclesiastica pulpita defluxerant, L.3. c.18. n.1. 4. Platonicum ad summum dogma propius Ecclesiasticæ Patrum Theologiæ, L.6. c.16. num. 8. Nunc Paripateticum, per quod quædam Patrum voces consultò exolevere, sicut alię temporibus Patrum, c.17. n.3.

Ex stilo & familiaritate Patrum aliqua nonnunquam oblinuntur, quę non ita prima fronte Teologię nuperę accommoda videntur, facilè tamen accommodari possunt, L.6. c.17. n.2. *& seqq.* L.10. c.25. n.5. Quod autem in hoc tractatu plura acerventur quandoque Patrum testimonia idem personantia, id solatio, admirationi, & voluptati debet esse quòd nihil novatum usquam sit, L. 9. c. 4. n. 4. §. *Ambrosius*.

Patrum conciliatio multiplex.

Non mira hæc, cùm sit scopus operis, Theologo haud indignus, ac nonnisi in rebus leviusculis aliquando cassus, *Præfat.* n.4. Qui autem latentes concordiæ venas in Theologis rimari haud sufficiunt, inerti calumniandi licentia, imperitiam temeritatemque suam plerumque produnt, L.6. c.17. n.1.

Prima jam Patrum conciliatio, circa jus diaboli in hominem, L. 1. c. 3. nu. 5. 6. 8. 9. *Secunda*, circa pretium sanguinis Christi diabolo persolutum, nu. 15. 16. L. 9. c. 8. *integro*. *Tertia*, circa ablactationem perfectorum à carne Christi, L.I. c.18. n.67. *Quarta*, minùs expectata & indubitata tamen concordia Patrum etiam Græcorum cum Augustino & aliis Latinis, circa efficacitatem gratiæ Christi, & huc spectantia, L.I. c.19. *præsertim* n.5. L.2. c. 11. n. 1. 9. L.8. c.14. n.9. L.9. c.5. n.4. *& seqq. Quinta* eorumdem circa substantialem Spiritus sancti in nobis inhabitationem, L. I. c.21. n.4. 6. *Sexta* pariter eorumdem, circa apparitiones antiquas, L.2. c.1. n.9.

Septima, nonnisi ex Spiritu sancto, circa voces & sententias ipsas de Trinitate, L. 3. c. 1. num. 1. *Octava* antiquiorum cum recentioribus pluribus, circa modum explicandæ personæ, C.3. n.2. 4. & CC. 20. 21. *Nona*, circa usum vocabuli mixturę naturarum pro unitate personæ, C.5. n.1. 2. 5. *Decima*, circa pulchritudinem corporis Christi, L.4. c.7. n. 1. *& seqq. præsertim* 22. 23. 26. *Undecima* paulò difficilior circa unionem Verbi cum corpore, triduo mortis, C. 9. n. 27. *Duodecima* & quidem adhuc multiplex circa passiones animæ & corporis Christi, c.11. n.18. 21. ac *toto* C.13. 13.ª circa impassibilitatem ejusdem carnis, C. 12. n.8. 12. 14.ª circa obedientiam Christi, L.5. c. 20. n.12. & circa duplicem meriti rationem in ejus humana libertate, licèt impeccabili, n.13. 15.ª circa processionem Spiritus sancti a Filio, L. 6. c. 13. nu. 18. 19., 16.ª circa illapsum ejusdem Spiritus ante Ascensionem, c. 16. n. 17. *& seqq.* 17.ª circa omniscientiam animæ Christi, Lib. 7. c. 4. num. 26. C. 5. num. 7. 20. C. 9. *integro*. 18.ª circa Patris Dei specialem erga nos ipsos paternitatem, non Filij, L. 8. c.9. n.16. 19.ª circa filiationem Dei, Angelis, Adamo & Israelitis concessam, c. 10. *integro*. 20.ª circa servitutem Christi, c. 15. *& seqq. usque ad* 20. *præsertim* n. 8. *& seqq.* 21.ª & quidem adhuc multiplex circa sacrificia antiqua, L. 10. CC. 5. 6. 22.ª circa sacerdotium Verbi ipsius, c. 9. nu. 10. 11. 23.ª circa sacerdotium Christi proprium, non ex Aarone, c. 15. n.4. 3. 24.ª circa unicum virtutum sacrificium, cum crucis tamen & Eucharistiæ vero sacrificio, c.19. n. 1. *& seqq.* 25.ª circa Angelorum sacerdotium & sacrificium, C.25. n.4.5. 26.ª circa adorationem humanitatis seorsim à Verbo, L.XI. c.3. n.12. 14. 27.ª circa imagines ipsius divinitatis, C. 9. *præsertim n.* 22. *Vltima* Patrum secundæ Synodi Nicænę, seu septimæ generalis, cum Patribus Synodi Francoford. ac Paris. aliisque, hoc est, Græcorum cum Gallis circa cultum imaginum, c.12. *toto*, C.13. *præsertim nu.* 5. *& seqq.*

Ex his, vel paucioribus, à fortiori ex pluribus aliis liquet nunquam desperandam esse concordiam inter Patres, saltem in iis, quæ ad substantiam pertinent, L. 3. c. 22. nu. 22. Saltem unitas fidei in tanta temporum locorumque intercapedine, Spiritus sancti Ecclesiam suam vegetantis argumentum est, L.5. c. 21. num.1. Eliminanda ergo, quantum fieri potest, suspicio omnis rixæ inter Patres & Ecclesiæ Doctores, cùm Scriptura ipsa sibi semper constans, tam varia nihilominus de Deo pronuntians ajentibus & negantibus materiam subministret, utrimque verè. L.6. c.20. n.6. 10.

Patripassiani, Praxeani hæretici.

Praxeani à Praxea, Patripassiani etiam dicti, quòd Patri æterno & carnem & crucem impingerent, *Præfat.* nu.9. L.2. c. 1. n.2. Ideò personas in unam tres conflabant, quòd non satis Patris innascibilitatem cum incarnatione pugnantem intelligerent, n. 4. v. *ult.* Ita etiam Sabelliani, dicti pariter Patripassiani, *paulò infrà*. Ortum rursus id putatur ex malè intellectis Christi verbis, quibus Deum se prædicabat, L.4. c.2. n.2.

Paulus Apostolus.

Allegoriæ in Scripturis de ipso Paulo, ex Hieron. L.1. c. 10. nu. 4. Dubium an Dei visio major ipsi concessa sit, quàm Adamo aut Prophetis? L.2. c.8. n.14. L.7. c.8. n.16. Paulo compertum fuisse suum in cœlos raptum, sed dissimulatum, ait Athan. C.5. n. 1. De Pauli extasi in illo raptu, C.8. n.16.

Quatenùs operationes sermonesque Pauli omnes, non Pauli sed Christi sint? L.6. c.8. n. 16. Collatio Pauli in Areopago cum Epicureis & Stoicis de summo bono, C.16. n.11. An rectè ab *ignoti Dei ara* philosophatus sit? L. 12. c. 7. n. 1. §. *Idem*. Cur tanto studio approperavit Jerusalem ad Pentecosten? C.5. n.10.

Principium Paulinæ Theologiæ in conformitate statuum Christi nobiscum, L.2. c.10. n.4. C.11. n.9. 10. Alia Paulinæ Theologiæ affata, L.5. c. 10. num. 10. Præsertim ex Chrysostomo & Augustino fidis interpretibus, L.10. CC. 11. 12. Ex ejus potissimùm scriptorum admiratione, Pauli nomine non aliud quàm justitiam ipsam diligendam esse, proponit Augustinus latissimè, L.11. c.11. n. 2. *& seqq.* Quomodo ipse pugnantia non dicat, asserens se hominibus placere & non placere, n.8. §. *Item*.

Unde etiam tanta vinculorum Pauli admiratio & veneratio apud Chrysostomum, L.12. c.1. n.9. *& seqq.* Viperam & Pelagus ipsum, ejus catenam reverita fuisse existimat, n. 11. Ipse verò crucem Christi reveretur & adorat in perennibus Epistolis, C.5. n.6. Cur tandem simul dicatur Paulus in cœlo, & Romæ in sepulchro? L. 4. c.14. n.5. §. *Idem Ang.*

Paulus Samosatenus.

Sic dictus à patria, Antiochenus ab Episcopatu, in gratiam Zenobiæ Judæorum Religioni addictæ, Christum blasphemavit merum hominem, suisque meritis assecutum quandam perfusionem Verbi; cui ipsi distinctam à Patre personam negabat, *Præfat.* n.8. 9. E gemina adversus eum Antiochiæ Synodo priorem delusit, a posteriori dejectus, implorata ab Episcopis Aureliani authoritate, vi ejectus est, n.8. Quippe prælustor ille Nestorij à Malchione Presbytero convictus fuerat, nolle unionem naturarum in Christo secundùm compositionem, L. 3. c.6. nu. 1. Item à Dionysio Alex. confutatus, quòd Philosophicis argutiis ex divisione sanguinis Christi, corruptibilem evinceret, non utcumque, sed de facto corruptum, vel in cruce vel in calice mystico, L. 4. c.12. n. 12.

Peccabilitas, peccati origo, effectus, pœnæ, remedia.

Duplex peccati radix, concupiscentia & mutabilitas è nihilo contracta, L.5. c.10. nu. 7. C. 12. nu. 6. 7. Peccandi potestas adhæreseit quidem essentiæ libertatis creatæ, sed ut macula & labes, per gratiam, suprà, non contra naturam abstergenda, C. 12. nu. 2. 6. 12. L.6. c.6. nu. 1. Peccare sicut errare non posse, aut naturæ summæ, aut

infimæ seu brutæ, non statim mediæ seu rationalis, L. 5. c.23. n.11.

Primum peccati Angeli & hominis caput, quòd potentiam contempta justitia affectarint, L.I. c.3. n.2. Hoc est, peccati altissima radix superbia, C.16. n.6.7. Principatus in nos diabolici fundamenta, in primatu peccandi, in granditate peccati, in magisterio & authoritate, c. 3. nu. 4. Malitia autem seu peccato principari miserrimum, licèt in injustitiæ sede regnet saltem umbra justitiæ & ordinis, *ibid.* Imò ipsa imago Dei cum peccato, nec mirum, cùm peccatum ipsum tenebrosa quidem & præpostera, sed imago tamen & imitatio Dei sit, c.21. n.4. L.11. c.11. n.8. §. *At alibi.* Discrepantia autem multiplex utriusque peccati Angeli & hominis, L.2. c. 12. n. 7. *& seqq.* V. *in Angelo*, &c.

Nonnisi per peccatum ferè totus homo immersus est sensibus, L.I. c. 5. *& seqq.* Peccati utique originalis in omne genus humanum propagatio ac varij effectus, CC. 19. & 20. Sicut naturæ cujuslibet ratio est, ut ab uno fonte deinceps propagetur cum suis viribus aut morbis, ita & nostræ cum contagio originalis peccati, c.20. n. 1. 3. Cùm efficacior sit causa, cujus potior est natura; & aliunde peccati tam latè alioquin diffusi inanissima sit natura, imò nulla, & ipsum nihilum; quid gratia, cujus natura ultra naturam est? n. 17. Inprimis per peccatum mors, non arbitraria pœna, sed necessaria connexione, L.6. c.15. n. 9. Ita & propriè servitus, L.8. c.17. n.9. *& seqq.*

Nonnisi post peccatum prævisum decreta Christi Incarnatio, L.2. c.5. n.16. Nec inde sequitur suam peccato aut peccatoribus debere prædestinationem, nisi ad crucem & probra, non ad gloriam, c.5. n. 15. c. 6. nu. 4. 8. *& seqq.* Alia quæ sequerentur vera incommoda ex Incarnatione Verbi futura ante peccatum, CC. *seqq. usque ad* 12. Præcipuum quod ex ipsa jam haud expectanda sit peccati abolitio, c. 10. n. 11. Imò tota invidia & culpæ & pœnæ in Deum Verbum derivaretur, *ibid.* Cùm econtra debuisset totam peccabilitatem nostram prævertere & extinguere, CC.10.11. Quomodo reipsa jam impeccabilitatem humanitati conciliet? L.3. c.4. n.8. 9. 11. &c.

Si vel momento humanitas unionem præcessisset, nec mederetur peccato originali, L.3. c. 11. nu. 5. At sicut physicè non opinativè inficimur originali lue in primo Adamo, ita & repurgamur in secundo, L.4. c.4. n.6. Et ad hoc assumpsit Reparator, quidquid condiderat Deus Creator, & vitiaverat homo peccator, præter ipsum peccatum, L. 3. c.18. n.2. & L.4. CC. 5. 8. 10. n.8. & L.5. c.3. n.1. *& seqq.* C. 10. *toto.* C. 18. n. 1. *& seqq.*

Sola peccati corruptela turpis est, & turpitudo ipsa, atque adeò sola Deo indigna, L.4. c.5. n.8. L.1. c.2. n.3. At Deo longè dignius, peccati pœnas luere, quàm donare, n. 11. Quanta incommoda, si non expiarentur, sed donarentur peccata? C. 4. n. 6. Ipsum originale ex his, eorumque remedium quomodo naturaliter potuerint prænosci? non autem ullis naturalibus creaturæ viribus superari, maximè ob infinitam peccati enormitatem, *toto hoc* C. & 19. ac 20. *ferè integris.* V. etiam *Christi satisfactio*, &c.

Peccata maximè atrociora deleta sunt, quinimo & ipsum infandum cum aliis sola impeccabili victima, L. I. c. 4. n. 8. Etiam post expiationem, peccata donare, solius Dei est, L.4. c.3. n.5. L.9. c.7. n.8. Ad ablutionem verò, non aspergi tantùm Deitatem, se inferi sanctitatem opus fuit, ut peccatum & mors delerentur funditùs, L.6. c. 9. n. 1. L. 9. c. 7. n. 7. 9. At nonnisi imperfectè in nobis usque ad resurrectionem. v. *infrà.*

Pecus.

Cur natura sentiens in pecude seu in bruto, constituat speciem & suppositum, non in homine? L. 3. c. 3. n. 4. 5. v. 7. Nunquam verò personam? n. 10. v. 4. c. 1. n. 6. Esset autem pecus in Christo, si careret anima vel mente, juxta dogma Apollinaris insulsissimum, L.4. c.8. n. 11. *& seqq.* Rursus errare, sicut peccare non posse, aut naturæ summæ est, aut infimæ seu brutæ ac pecudis, L.5. c.23. n.11. *& seqq.*

Nihilominus per peccatum dicitur homo redactus in pecudum sortem & consortium, L.I. c.5. n.17. L.2. c.8. n.12. L.10. c.26. n. 17. Et aliunde pecudum sacrificia abolendo peccato, & homini purgando imparia, L.I. c.4. n. 2. L.4. c.4. n.10. L.9. c. 7. n.5. *& seqq.* L.10. c. 1. nu. 1. *& seqq.* Bellula expostulatio pecudis suo sanguine aliena lui peccata quiritantis apud Arnobium, n. 10. §. *Audi.*

Quàm absurdum, ut nidore pecudum alantur maligni spiritus, L.10. c.2. nu. 2. Quid maximè reprehensum in antiquis præsertim Gentilitiis pecudum immolationibus? C. 19. n. 1. Quàm eas fastidiret Deus ipse, etsi permitteret sibi, non dæmoniis offerri, c. 3. *& seqq.* Permisit tamen Gregorius M. Anglis neophitis, ad laudem Dei, animalia occidi prope Ecclesias, c.4. n.5.

Pelagiani.

Eorum cum Nestorianis confœderatio, ex Cassiano & Prospero, *Præfat.* n.10. L. 3. c. 11. n. 4. Scilicet eos docuerat Pelagius Christum non verè & natura esse Deum, sed humano merito præmiique loco, *Præfat. cit.* Vicissent autem Pelagiani gratiæ Christi & peccati parentalis inficiatores, si ad alios quàm peccatores venisset Christus, etiam immortalis, L.2. c. 5. n. 3. 4. 13. Iidem peccabilitatem, ut libertatis substantiam, extollebant, ante Monothelitas, L. 5. c. 12. nu. 10.

Perfecti, perfectionis gradus.

Christi perfectio seu plenitudo nondum nobis, nisi gradatim inseritur, L 2. c.10. n.2. §. *Audio*, n.4. §. *Adde.* C.11. n.4. §. *Exploratissimum*, n.12. §. *Non pigebit.* Ideò Christo per omnes ætates & gradus conformantur perfecti Christiani, c.10. n.4. 7. 12. *& seqq.* L.4. c.4. n.3. *& seqq.* c.12. n.6. L.5. c. 19. n.1. *& seqq.* Idque ordo postulat, ut ab imperfectioribus ad perfectiora gradus fiat, c. 13. nu. 1. *& seqq.* Gradus autem illi perfectionis, ad quam enitendum, L.I. c.5. n.2. 8. c.7. n.15. L.2. c.8. n.1.

Ita conantur tunc perfecti à carne Christi ad spiritum seu divinitatem proficere, L.I. c.8. n.1. 3.6. Unde iidem spirituales dicuntur à carnalibus distincti, ut dies à tenebris, §. *Unde*, & n.8. *Item* L.4. c.4. n.1. 11. c.7. n.22. Necessarij autem sunt semper perfecti, quibus imperfectorum seu parvulorum fides nitatur, L.7. c.8. n.18. Ipsa unica charitatis lex aliter ab utrisque percipitur, L.10. c.5. n. 7. *& seqq.* aliterque differunt, C.29. n.18.

Persona.

Humanam primò personam, seu personæ ingenita authoritatis ac dominij proprij jura homini concesserat Deus, L.I. c. 21. n. 8. Posteà in divinam personam hominem vendicavit, hoc est, divinæ personæ imperio & efficaciæ subjugavit insuperabili, *ibid.* Persona enim nomen est juris, *ibid.* & explicatiùs infrà ex L. 3.

Præponitur autem occasio usurpandi in divinis personæ ac similia primùm vocabula ob hæresim Sabellianam, L.3. c. 1. n. 1. Cùm ex ignorato personarum inter se & à natura discrimine compugnassent inter se hæreses, n. 3. & L.2. c. 1. n.4. L.5. c.5. n.4. At varia personæ & naturæ discrimina referuntur, L.3. c.1. nu. 4. 5. 6. Præcipuè differunt ut universale & particulare, adeòque ratione tenùs, *ibid.* & ut habens, & habita; ut quod & ut quo, C.3. n.9. c. 20. n. 2. 6. Hincque tandem definitio Boethiana personæ, ut sit *naturæ rationalis individua substantia*, c. 1. n. 6. c. 20. nu. 14. Et quidem seorsim per se subsistens, extra superiorem, ut fusiùs explicatur, C.3. n. 3. *& seqq. præsertim* 10. v. & c. 20. *ferè toto.* Unde exclusæ sunt à ratione personæ, naturæ communes, accidentales, irrationales, C. 2. num. 6. *in fine*, & C.3. Adde & partiales, seu extime in totum species, accidentia, & partes, *ibid.* & c. 21. n. 2.

Deinceps explicatiùs statuitur pluribus observationibus, jus in persona duplex, physicum & morale, L. 3. c.3. *præsertim* n. 3. 9. *& seqq.* Visque personæ in eo maximè, ut natura quæpiam per se incommunicabiliter existat, *ibid.* & c.8. n.4. c. 9. *integro.* Hinc cur persona personam non consumat, sicut natura naturam, imò nec persona assumi potuerit, C.3. n.8. c.7. n.7. c.8. n.4. c.12. n. 8. Ac nihilosecius in Christo sanata sit, c. 18. n. 6. *& seqq.* Cur etiam naturæ nonnisi dispares in unam coeant personam? C.3. n.10. v. 10. & n. 16. c. 8. nu. 5. Et ex his superior jus sibi physicum & substantiale vendicet in inferiorem, tanquam in sui, seu suæ totalitatis partem, c.4. n.1. c.7. n. 3. c. 8. nu. 4. Sit autem persona ipsa totalitas, adeòque nullius pars aut accessio, *ibid.* & c.12. n.4.

Ita non erit personæ adumbrata quædam seu scenica & moralis imitatio, qualem in Christo unam admitterenon refugiebat Nestorius, L.3. c.2. nu. 13. c. 7. nu. 1. §. *Ioannes.* C.8. nu.6. Nec sejungi poterit authoritas superior, quam ex parte Verbi agnoscebat, modò physicum ac substantiale jus ea sit, à ratione veræ personæ seu hypostasis. C. 2. num. 15.16. Ita pariter non existentia aut subsistentia ab essentia distincta nec naturæ additamentum aliud personæ nomine insignietur, ut volebant aliqui recentiores, sed natura ipsa tota, nulloque deficiens, ut subducta alteri superiori, C.8. n. 4. c. 12. n. 3. 4. 7. *& seqq.* Inferiora autem omnia sibi asciscens, qualia sunt accidentia; licèt propemodum omnia ad personam spectent, C. 18. n.2. Ergo simul & existentiam inferioris naturæ, qualitercumque ad ejus personam attineat, *ibid.* Non tamen simul & filiationem inferiorem, servitutem, & similia, ob rationem diversam, L. 8. c.4. n.6. V. *sing. tit.*

Petavius, Petrus de Marca, cum Petronio Cardinale.

Eruditissimæ Societatis eximium ille ornamentum laudatur

tur, ut dux & primus sive author, sive restaurator patritiæ hujus Theologiæ, *Præfat.* n.1. Et quod intersit vel ad ejus gloriam, ut instituti sui æmulos habeat, nu. 2. Item ob accuratissimas observationes, L.5. c.15. n.17. L.5. c.9. n.10. c.25. n.2. L.6. c.20. n.15. Præterea ob ejus conatum non infœlicem in conciliando Fulgentij doctrina cum sententia scholæ receptissima, circa scientiam Christi, L. 7. c. 9. §. *laboravit, in fine*. Denique bis pro concordia Gallorum cum Græcis circa Imaginum cultum, L.12. c. 18. §. *infrà* & C.13. n.19. *in fine*.

Antea verò *Perronius Card. & Petrus de Marca Archiep. Paris.* viri ambo illustritissimi præiverant in eandem concordiam, n.5.

Petrus Apostolorum Princeps.

Quid probet Apostoli Petri confessio & præmium? L.4. c.1. n.6. Cur Petrum à morte dehortantem, probroso satanæ elogio absterruit Christus, & postea in ipsa passione compescuit, ac tandem à formidine mortis non liberavit, nisi postquam victor mortis antè timuisset? C. 11. nu. 4. 6. & *seqq.* c. 13. n.8. Quomodo pro Petro oraverit Christus, ne fides ejus deficiat? *ibid.*

Ut credita Ecclesiæ gubernacula, nec obitu ipso sibi excuti sinat? L.11. c.8. n.12. Ut Petri nomen sibi peculiare? lucis verò, ac fundamenti cum aliis Apostolis adeptus sit? n.13. 14.

Quod piscatoris Petri memoriæ inclinetur Imperator, fiatque ostiarius, quid inde? L.12. c.1. n. 6. 7. c. 2. n. 2. Nec floccifaciendum est Petri Paulique martyrio caput orbis Romam subjugatam esse, ex Aug. n.5. 7. Ex Paulino, nu. 10. Si tanta ex umbra Petri olim vivifica, quid nunc ex ejus plenitudine non expectandum? C.4. nu. 8. Quid tandem ex eadem umbra, pro Imaginum cultu? C.8. n.8.

Petrus Cnapheus seu Fullo, & Moggus, Patriarchæ hæretici.

Ille Antiochenus Patriarcha, cùm Synodo Calcedonensi anathema dixisset, Thopaschitarum hæresi ortum dedit, *præfat.* n. 10. §. *In Orien.* Quando videlicet sectæ Eutchianæ ille signifer *hymno Trisagio* clausulam addidit, *qui passus es pro nobis*, *ibid.* & L.3. c.14. n. 13.

Hic verò Alexandrinus, cùm econtra eidem Synodo anathema dicere cunctaretur, secessionem ab eo fecere Eutychiani, ex eo Acephali dicti, *Præfat. cit.*

Petrus Lombardus Parisinus Episcopus.

Magister ille sententiarum antiquis Patribus concinit in exponenda ratione personæ, L.3. c. 21. nu. 3. Item & Fulgentio in exponenda omniscientia animæ Christi, L. 7. c. 2. n.12.

Habitum quidem charitatis malè ablegaverat, ob id tamen non meritò infamatus, L.6. c.14. n. 20. 21.

Phantasiastæ hæretici; Pantasmata.

Judaicarum sectarum pars altera, *Phantasiastarum* etiam dicta est, quod specie & ludibrio, non re & substantia jactarent Deum humanatum esse; phantasticam inprimis ac simulatam Christi carnem, non veram nec nostri generis commenti sint, *Præfat.* nu. 8. §. *Iudaic.* Horum authores, sequaces, & impugnatores recensentur, *ibid.* Carnem universim maledictis illi proscindebant, ut Christo abrogarent, L.4. c.5. n.1. & *seqq.* Confutantur, *ibid.*

Nequidem *phantasmatis* ad intelligendum opus fuit, in statu innocentiæ, L. 1. c. 5. nu. 10. Scilicet phantasmatum usus, non ex naturæ instituto, sed ex peccati merito, authore etiam sancto Thoma, nu. 16. Quod aliter senserint Philosophi Gentiles, pœna ipsa fuit ejusdem peccati, n. 18. Excipiuntur Platonici nobiscum sentientes, n.23. Non ita qui sentiunt Verbum, homine etiam non peccante, incarnandum, L.2. c.8. n. 1. Idque dicitur in ipsa Teologiæ limina impingere, n. 5.

Philippus Bonæ Spei Abbas.

Hic in eadem causa & sententia fuit cum Hilario Pictav. circa passiones animæ & corporis Christi, L.4. c.13. n.13.18.

Philo, Philosophia, Philosophi, præsertim Plato & Platonici.

Philo Judæus in multis à sano dogmate haud alienus, nisi ubi ex *Platonicis* deliriis, Verbi consubstantialitati insidiatur, L.2. c.2. n.5. Eidem Verbo non solùm mediationem, sed sacerdotium, omnesque Mosaici prærogativas ascribit, *ibid.* & *expressiùs*, L. 10. c.9. n.2. Philoni plures Patres addicti, inprimis Ambrosius, n.6.

Primus author creditur *Plato* tripertitæ divisionis *Philosophiæ* in Logicam, Physicam, & Ethicam, L. 1. c.17. n. 15. Gnarus quippè Deum unum summum esse naturarum omnium authorem, mentium lumen, & virtutum largitorem, *ibid.* Necnon fortè omnes Philosophiæ partes in unam charitatem confluere, C.8. n.9. Hinc & idem Plato author est tripertitæ virtutum divisionis, in politicas, seu civiles, purgatorias, & exemplatores, quarum apex Deus, L.6. c.16. n.8.9.

An Gentiles Philosophi, vi rationis, Incarnationis necessitatem potuerint utcumque attingere? L.I. c. 4. num. 10. Necnon & peccatum originale? n. 12. In ipsa quidem Philosophia profana veritas seu Verbum incarnabatur quodammodo, C.6. n.1. Non erat igitur unde à fide illi abhorrerent, n.5. §. *Etherius, circa finem*, & c. 7. n. 9. c. 9. nu. 1. Quid sentiendum de aliquot veterum Philosophorum salute? n.2. Certè ut veritatis ac legis çternç, ita Christianitatis tantùm portio illis præluxit, n.3.4. Nulli autem per Christum ab inferis liberati, nisi qui in gratia decessérant, L.4. c.9. *n. ult.*

Scilicet ante Incarnationem Philosophi *scrutatores majestatis opprimebantur à gloria*, L.I. c.2. n. 8. Ipsamque Christi œconomiam non potuerunt videre in rationibus æternis, C.13. n.5. Hinc rarius laudantur in hoc tractatu, quàm in primo de attributis, *ibid.* Viderunt utcumque patriam, sed viam qua eundum est, non tenebant, n.5. & c.16. n.6. & *seqq.* Aliam sibi viam commenti, tantò aberraverunt longiùs, n.8.9. Saltem superbi superbos, vel seipsos, vel Dæmones secuti sunt, *ibid.* & n. 13. L.9. c.1. n. 1. & *seqq.* c.2. n.5.

Utcumque contemplari veritatem potuerant, non tamen aciem defigere, nec in ea contextum temporalium videre, L.7. c. 8. n. 14. 15. Ideo, ut ad humilitatis ducem mediatorem compelleretur genus humanum, priùs legis onere, & Philosophiæ ludibriis fatigandum fuit, L. 9. c. 1. n. 1. & *seqq.* *præsertim* 7. Adhuc autem vecordiores Philosophi, qui pertingere se ad Deum posse fidebant, sine mediatore, n. 12. Etsi ad id saltem Platonici divina gratia opus esse faterentur, C. 2. nu. 1. & *seqq.* Alij denique naturæ mediatorem vestigantes, non gratiæ, à naturæ quoque mediatore aberrarunt, n.5. & c.3. n.3. & 13.

Hos inter Philosophos, tres omnino sectæ eminebant, Epicureorum, Stoicorum, & maximè Platonicorum, L.1. c. 12. n.1. c.17. n.12. Attamen plures ad Stoicos, longè plurimi ad Epicureos confluebant, c.12. n.2. Quippè Platonicis deerat authoritas fidei, ut credi juberent, & populis purgata mens ut intelligerent veritatem, nu. 3. Omnibus antecelluit Christiana Philosophia, nu. 4. & *seqq.* Epicureorum & Stoicorum in eam conatus, nu. 6. Illius autem authoritate fidentiores Platonici, attamen cum humanis omnibus etiam præsidiis vix suas scholas egressi, *ibid.* Humilitatis quippe præsidio destituti, multa superbè disputarunt, non potuerunt persuadere orbi, *ibid.* & c. 13. n.5. c.14. *ferè toto*, c.16. n.8.9.

Nihil igitur sapientius fuit, quàm per Incarnationis & crucis stultitiam, toti hominum etiam Philosophorum sapientiæ illudere, L.I. c. 1. n. 9. Imò vulgi fæcibus altissimam Philosophiam, & Philosophis insulsorum in speciem dogmatum fidem, & quidem per imperitos inserere, n.10. 11. ac tandem sapere & philosophari non paucos, sed totum genus humanum compellere, nu. 12. Item c. 9. nu. 3. *in fine*, C.12. n.3. & *seqq.* C. 14. *integro*, idque faciliùs & accuratiùs nunc vulgo hominum traditur, quàm famosissimis olim Philosophis, *præsertim n.5.*

Inprimis in diversitate principiorum sapientiæ ante & post peccatum eminet Christianæ Philosophiæ fundamentum supra totam gentilium Philosophorum sapientiam, L.I. c. 5. n.8. *vel* 9. Quod hi exilium patriam crederent, fuit ipsa pœna exilij, n. 17. Excipiuntur adhuc Platonici, paucis mutatis, idcirco facti turmatim Christiani, n. 23. c. 9. n. 3. Ipseque Plato, quem Cicero Deum appellat, quique Christum potius Deum verum, ut existimat Aug. agnovisset vel ex stupendis ejus doctrinæ progressibus, si post eum rediisset, aut alij æquè sinceri, *toto ferè*, C. 14.

Ipsi autem Platonici, qui Christianum dogma respuerunt, ad magicas artes abrepti sunt plerique, L.I. c.12. nu. 6. 8. Vel etiam ad idola magiæ connexa, c.16. n. 9. c. 17. n. 11. L.9. c. 1. n. 1. & *seqq.* Maximè quod Deo gratias non egerint, L. 10. c.24. n. 3. Tunc etiam non erant iidem sapientiæ seu Philosophiæ professores, ac Religionis ministri: apud nos iidem, ac ferè idem, L. 11. c. 1. nu. 10. Hinc qui de Deo, tanquam sine imagine colendo, subtilia differebant in scholis, ad idola cum populis deflectebant, L. 12. c. 9. n. 9. 10. Alia eorum discrimina à nostris Theologis, L.3. c. 1. n.5. c.20. n.6.8.

Præterea Philosophorum ventosa & quasi mimica fuit lingua, vita iners &c. L.I. c.14. n.5. c. 16. n. 1. & *seqq.* Ventosa imprimis Stoicorum circa passiones Philosophia, quantum à Platonica, Peripatetica, ipsaque præ cæteris Christiana discrepet? L.4. c.11. n.19. & *seqq.* Imò Philosophi omnes ventosam sectabantur sanctitatem, Christus veram intulit orbi, quia divinam, non in quatripertita tantùm, sed & omnimoda virtute, L.6. c.4. n.3. Dubium an vel aliqui pulchritudinem justitiæ dilexerint? C. 14. n. 6. Aut suæ virtuti, aut voluptati plerique adhæserunt, pauci cum Christianis soli Deo, *ibid.* & c.16. n. 5. 8.11.

Aliqui solùm, eorumque Deus Plato, aliter rursum quàm populi sentiebant de piorum post mortem sollicitudine pro aliis, L.11. c.7. n. 9. 10. Necnon de mortuorum proborum cultu & veneratione, L. 12. c.2. n.12. At profana omnis Philosophia per ipsos Martyres proscripta, c.1. n.14. Ideo profanæ eorum imagines, cum sacris nostris haud socian-

sociandæ, uti apud hæreticos præsertim Carpocratianos, C.11. n.9.

Pontifex, Presbyter, v. Sacerdos, vel in Christi Sacerdotio, &c.

Populi.

Cur olim populi, nec credere, nec intelligere possent veritatem à Platonicis propositam? L.1.c.12.n.3. *& seqq.* C.14. n.5. C.16.nu. 8.19. Nempe penes Philosophos erat quidem veritas, at penes populos authoritas, *ibid.* Et hinc populi Philosophos ipsos in suas partes trahebant. L.12.c.9.nu. 9. 10.

Solus Christus sapere docuit populos, & vulgus ipsum de trivio, L.1.c.1.n.10.11.12.C.12.nu.4.5.*& seqq.* Imo æterna ipsa veritas longè faciliùs & accuratiùs nunc docetur populos, quam famosissimos olim Philosophos, C.14. n.5. *v. etiam Philosophi paulò supra.*

Præcepta v. Mandata. Præsepe v. Christi infantia in Mysteriis.

Prædestinatio, Providentia.

Ex æterno consilio de numero Prædestinatorum, Incarnatio ipsa inferri potuit, L.1.c.4.n.11. C.20.nu.2. Apostoli gloriatio de nostra omnium jam facta suscitatione in Christo, incommutabili Dei prædestinantis consilio & insuperabili auxilio nititur, L.2.c.11.n.7. Hæ generales Apostoli assertiones, Patres aliosque excusant similibus utentes, nu. 1. 9.

Nonnisi post prævisum hominis lapsum, decreta seu prædestinata est Verbi Incarnatio, L.2.c.5.n.16. Naclanti & Ruperti objectiones in contrarium solvuntur, C. 6. *integro.* Series decretorum Dei in adversariorum sensu, C.10.n.11. *v. etiam Christi Incarnatio, peccatum &c.*

Incarnatio vel Christus ipse exemplar nostræ gratuitæ prædestinationis accuratissimum, L.1.c.17. num. 2. *& seqq.* L.3.c.11.num.4.L.5.c.15. num.7. In utroque consentiunt Græci Patres cum Augustino, L. 8. c. 14. num. 9. *etiam gratia.*

Prædestinatio ad finem ultimum seu beatitatem propriè spectat, quæ in Christo filiationi naturali, in nobis adoptivæ diversimodè superstruitur, L.7.c.7.n.11.L.8.c.14. n.1. Imo prædestinatio est generatio quædam, & una ex omnibus ejus effectibus generatio apud Deum, *ibid.* Cum prædestinatio sit ad aliquid amplius, quam ad Christum in carne exinanitum pertineat, n. 2. *& seqq.*

Est quidem mundus non prædestinatus, pro quo Christus non oravit, L.9. c. 5. nu.4. *& seqq.* Pro reprobis tamen impetravit prædestinata eis auxilia, *ibid.* Nec de his adhuc dissentiunt Latini à Græcis, *ibid. Præsertim §. Chrysost. & seqq.* An verò pro reproborum salute Christus oraverit? n.14. §. *Si obiicias.*

Tanta relucet *Providentia* in Incarnatione, ut eam vel fingi prodesset, nisi pluris esset fabula quàm veritas, L.1.c.8. nu.1. Dei providentia sicut animæ immortalitas, duplex videlicet Religionis fundamentum, non satis ante Christum constiterat, C. 14. num.1. 2. Nunc vel factis ipsis meliùs commonstratur, *ibid.* Illa autem quæ minima curat, non potuit non *præfinire* singulas nostrorum ac Christi operum circunstantias, L.5.c.14.nu. 13. *ac seqq. præsertim* 19.C.15.n.12. Illi ergo, non sorti, minima quæque ascribenda, L.12.c.7.n.1.§.*Idem.* Quomodo Angelorum ministerio utatur maximè pro hominum salute seu prædestinatione exequenda, *v. in Angel's.*

Præmium.

Quid nomine præmii possit intelligi? L.5.c.20.nu.13. C.21. num.9. 12. Quomodo idem Angeli & hominis præmium? L.11.c.5.num.1.& alia lex pœnarum, alia præmiorum? C.10. n.8.

Proclus, & Prosper coævi.

Proclus Episcopus Constantinop. primus catholicis auribus intulit propositionem, quod *unus de Trinitate sit passus*, L.3.c.14. n.2. ejus sententia Synodo Calcedon. probata, ex Facundo, §. *in summum.* Et ex Maxentio, nu.3. Sub eodem *Trisagium divinitus traditum*, n.13.

Prosper vel quicumque alius author libri de providentia, clementer accipi debet, in exprimenda alteritate, quæ est in Christo, ob leges carminis, L.8.c.11. n. 8.

Propheta, ubi aliquid de Patriarchis.

Dedignabatur genus humanum sequi illos homines humiles, Deus factus est humilis, L.1.c.16.n.6.7.L.2.c.9.n.3. §.*Seu.* L.4. c.3. n.4. Nec per illos potuit genus humanum convalescere, nu.7. Verbum enim tantùm factum est ad illos homines, at in Christo Verbum factus est homo, L.3.c.11. n. 9. §. *Athanasius.* Aliud discrimen inter Prophetas & Christum, L.5.c.9. n. 12.

Angelus qui loquebatur in Prophetis non potuit esse, nisi Filius, aut Spiritus Sanctus, L.3.c.22.n.11. In falsis verò vatibus Dæmones quidem, sed non substantivè, nu. 16. An & quomodo veteribus Prophetis datus sit Spiritus S. ante gloriam Christi? L.6.c.16.n.17. *& seqq.* Quomodo unus & idē Filius qui antiquis apparuerat, nunc in carne apparuit. L.8.c.6.n.6. Voluit quidem tunc sub servi specie apparere per servos adumbratus, C.16.n.13. At statim eum Regem celebrant, *v. etiam apparitiones, &c.*

Parabolarum seu Metaphorarum usus Prophetis magis proprius quàm Evangelistis, L.4.c.8.num.25.26. Et tamen in æternitatis lumine quandoque versantur Prophetæ, unde hauriant, quæ in nos effundant, L.7.c.8.n.12.*& seqq.* præsertim futura, nu. 14. Item è triplici visorum genere veri Prophetæ non fiunt nisi tertio, nempe intelligentia, ibid. nec ad Dei visionem attollebantur, num.16. qua beatitate fruerentur ex prævisis Christi mysteriis, num. 17. An Deus sola mente Patriarchis & Prophetis visus sit? L.12. c.9.n.18.

Quando collidi lex & Prophetæ videntur, nihil opportunius quàm ut Prophetæ tanquam legis interpretes habeantur, L.10.c.3.n.13.C.6.n.3. Maximè quantum ad sacrificia per legem quidem indicta, sed ne ipsis quidem Patriarchis, *utrobique.* Ad quid mordacissimæ Prophetarum invectivæ contra simulacrorum sculptores? L.12.c.9.n.11. Plura de Patriarchis & Prophetis, v. *in singulis nominatim.*

Proprietatum communio, v. in Christo.

Pudicitia. Pulchritudo.

Vera pulchritudo in virtutum omnium temperamento, L.1. c.11.nu.10.11.13. L.4.c.7. nu.2. *& seqq.* Elegantiæ vultus cum pudicitia & aliarum virtutum agmine rara concordia, n.3.6.16.17. Perfecta carnis ipsius pulchritudo non est nisi immortalitas, n.18.19. Nihilque nunc pulchrius ipso pulchritudinis contemptu, num.22. v. *etiam virginitas, virtus.*

Q

Quæstiones.

IN quæstione facti, leniùs cum Patribus agendum, L.1. c.9. nu. 2. Plures hæreticorum quæstiones paucis à Catholicis solvuntur, C.11. num.8. Variæ ex Mysteriis pullulantes quæstiunculæ, non ex curiositate, sed ad confirmandam veritatem ex Patribus solvendæ, L.3.c.22.n.1.

Quantitas. Quaternitas.

An unum, seu quantitatis discretæ genus dici possit de Deo? L.3.c.14. nu.6.§. *Multus. v. etiam numerus, unitas, Trinitas.*

Quare per Incarnationem non est invecta quaternitas in Deum? L.3.c.14.nu.10. *& seqq.* C.15.n.13. C.19.nu.5.v. *adhuc Trinitas.*

R

Raphael Archangelus.

NOstras orationes ab Angelis Deo adoleri testatur Raphael ipse offerens, L.11.c.4.n.2. C 5.n.4.5. Ejus cum duobus aliis tantùm nomen ex Scripturis & Conciliis probatum, C.6. n.12. §. *Quod autem.*

Ratio, Rationale.

Christus summa ipse est ratio, menti seu rationi humanæ per quam accommoda, *passim toto* L. 1. *inprimis* C.5. *& seqq.* præsertim C.9.n.1.*& seqq.* C.11.n.1.& C.21. ex 8.capitibus. Hinc Christiani dicuntur, quicumque secundum rectam rationem vixerint, C.9.n.2. Imo Christum pronuntiat Justinus rationalem, corpore, ratione, & anima, C.11. n.3. Quo sensu ratio ipsa, Christi, seu Christianæ Religionis gravida sit, C.15.n.1.*& seqq.* L.4.c.3.n.2.8.11. Tutior tamen per fidem ad veritatem, quàm per rationem via sternitur: fideles, non rationales prædicamur, L. 12. c.6. nu. 1. Solæ naturæ rationales ad personæ seu hypostaseos dignitatem adsciscendæ, L.3.c.1.n.6. Quia sola ratio est sui juris & arbitrii, C.3. nu.10. L.4. c.8. nu.7. *& seqq.* Nec ipsum corpus humanum, etsi anima rationali, penitissimè perfusum, ejus ratione ratiocinatur, C.4.num.8. §. *Scientia.* Natura rationalis inter divinam & corpoream media, ut hanc perficit, sic ab illa sola perfici propriè multò plus potest, C.17.nu.1.3.*& seqq.* & Cc.22.23. *Item.* L.6.c.12.n.4. *& seqq.*

Redemptio, Reparatio, Regeneratio.

Redimere à vitiis nihil est aliud, quam sanctitatem ipsam medullitùs inserere, debita donare vel solvere, libertatem restituere, &c. L.9.c.7. num.7. *& seqq.* Quantoperè verò ex hoc redemptionis seu reparationis opere Dei commendentur attributa, & quidem magis quàm ex ipsa creatione, & quomodo illud sibi diviserit Trinitas, necnon quousque & Angeli, v. *in singulorum titulis, ac in proprio Christi.* Item & *regenerationis effectum in baptismo.*

Reges, Regna, Respublica.

Cur amplioris potestatis sit humilitate regnare, &c. L.1.c.1. nu.7.L.2.c.9.nu.2. Malitia verò dominari seu regnare miserrimum, L.1.c.3. n.4.8.

Quid sit regnum Dei intra nos? L.1.c.9.nu.1.4.paulò aliter C.15. nu.1. Item L.10.c.6.nu.12. Quomodo etiam servire Deo, regnare est? L.4.c.3.n.6.L.5.c.3.n.7.8.C.14.n.10.11. L.8.c.15. nu.1. *& seqq.* Cur verò summi Regis seu Imperatoris est, culpas pœnasque relaxare, libertate donare, &c. L.4.c.3. n.5.6.

Reges seu Imperatores terræ, Christi Regis, ejusque servorum clientes & inferiores in multis, L.12.c.1.n.5. *& seqq.* Eorum non est Ecclesiam gubernare, utpote qui non Apostolorum successores sint, sed prius persecutores, postea etiam clientes, ibid.& C.10. num. 11. 12. Cur non stellæ gloriam, sed crucem infixerit Christus frontibus Regum, &c. ex Aug. C.7. n.7.

Regis, & qua indutus est, purpuræ una est adoratio, L.3. C. 10. nu. 9. Plus adhibendum venerationis vestibus ipsis Sanctorum, quàm Regum purpuræ & coronæ, ex Chrysost. L.12.c.3. n.8.

Quod in *Republica* cives Principis sive Regis, & alii inferiores superiorum personam nonnisi moraliter induant, ideo jus suum unoquoque revocante crebrescunt jurgia, L. 3. c.3. nu.10. v.9.& v.11. Quantum paucorum justitia prosit omnium societati & Reip.L.11.c.9.nu. 3.*& seqq.* Sodoma effigies quædam humanæ Reip. ibid.

Religio.

A Religando dicta, quod à deformitate & dispersione colligat nos, summoque religet principio, L.9.c.11. nu.16. *& seqq.* Ad hoc autem externis quibusdam signis, maximè sacrificiis, populos & sibi & Deo religat, L.10.c.2.nu.11. *& seqq.* C.7.n.8. Fides, spes, charitas, triplex & inexpugnabile servitutis nostræ Deo nos religantis vinculum, L.11. c.2. nu.4. Attamen sola Religionis vox etiam ad parentes & patriam deflexa, C.1.nu.1. v. *etiam adoratio, Dei cultus, dogmata, mandata, sacrificia, &c.*

Bipertita quippe est religio; æternis & temporalibus constat dogmatis & mandatis, L.1.c.7. n.1. *& seqq.* Temporalis autem Christi Religio, ipsa met est æterna & invariabilis, quam natura dictat, lapsis in temporalia hominibus tantisper accommodata, *toto reliquo* C.*& seqq.* Quomodo omnes & Angelos & homines complectatur, C. 9. num.5. Qua authoritate ad subjugandos omnes homines eguerit, Cc.12. 13. 14. Duplex etiam Religionis fundamentum, Dei providentia, & animæ immortalitas, non satis ante Christum constans, C.14. nu.1.2. Et si innatæ conscientiæ consentaneum utrumque, C.15.n.1. *& seqq.*

Tota rursus rueret hæc Religio, si Christo non vero Deo niteretur, L.3.c.2. n.14.17.L.8.c.1. *ferè toto.* C.4. num.10. *& seqq.* At dum prohibent Novatores Angelis aut sanctis nos gratulari, ut Deo grata sit nostra Religio, eam & ingratam faciunt, L.11.c.4.n.3. Similiter dum negant honores ipsis aliquando delatos religiosos esse, ignorant nonnisi religiosos exhiberi debere etiam erga omnes, L. 12. c.3.n.2.14. C.8.n.2. §. *Et rursus.* Quot modis ipsi Religionem promoverint, v. *in propriis tit. & mox in seq.*

Reliquiæ.

Ex impenso Martyrum Reliquiis cultu, quantum decus, & quàm triumphalis gloria accesserit Religioni Christianæ, ex Græcis primùm Patribus, præsertim Chrysostom. & Theod. L.12.c.1.ex Latinis, C.2. Scilicet impios ad Deum sequestres Gentilitas seu Idololatria habuerat, pios subrogavit Ecclesia, n.3.& L.11.c.6.n.11. *circa fin.* Innumeris autem recensitis fusiùs modis, munere suo functi sunt Martyres, ut etiam post mortem testimonium dicerent veritati, L.12.c.2. nu.10. Quàm irriti Etnicorum & Hagiomachorum conatus in ipsos, n.11. C.4. n.1..13. Ab ipsis divinioribus Philosophis majus patrocinium habuissent, v. *suprà Philosophi.*

Longè majora ex sacris Scripturis per sanctos Patres interpretatis, L.12.Cc.3.& 4. *integris.* Inprimis ex honore qui habebatur olim tabernaculo & sacris corporibus, C.3.n.1. 4. 7. 11. 12. Ex diligentia ipsorum Patriarcharum circa sepulchra, ibid. Ex Religione in mortuorum vestes & ossa illaque vivifica, atque adeo non semper immunda, nu.3.5. Ex allegatione memoriæ & nominis justorum coram Deo, nu. 6. &c. Multiplex autem causa cur tùnc non frequentiores fuerint hujusmodi honores, nu. 7. 8. Attamen satis erat in præsagium futurorum, n. 11.

Multiplex aliunde causa, cur deferantur corporibus ob animas, L.12.c.3.n.1. & 12. Vel ex eo quod etiam indumentis & similibus habeantur in novo testamento, n.13. Tantum abest, ut illi honores erga cœlites sint purè humani, quales hagiomachi agnoscerent, quin & omnes, etiam ad alios mortales, debeant esse religiosi, n.2.14.*& passim aliis nu.* Deinceps eadem Reliquiarum veneratio confirmatur ex miraculis à sacris & sanctis scriptoribus agnitis. C. 4. *integro. v.Miracula.* Item ex cruce vera, quæ simul inter reliquas & imagines adorandas reponitur, C.5.nu.1. Reliquiarum tandem & imaginum par causa, C.12.n.8.

Reprobi, v. Prædestinatio.

Resurrectio.

Resurrectionis & immortalitatis semina per Christum naturæ omni inserta, licèt diversimodè. L.1.c.19. nu.12. 13. L.3.c.2. nu.10.11. L.6.c.7. nu.15. Præsertim per Eucharistiam, L.10.c.31. n.4. *& seqq. latissimè.* Et hæc in Sanctorum maximè corporibus honoratur insita resurrectionis semina, L.12.c.3.n.7.8. §. *Idem.*

Interim dimidiata tantùm nativitate usque ad resurrectionem gaudemus, L.2.c.11.n.4.§. *Exploratissimum, &c.* Unde tamen tanta securitas Pauli & Patrum in asserenda nostra jam facta resurrectione, n.7.10.& L.4.c.4.n.3.*& seqq.* L.5. c.16.n.17.C.19.n.1.*& seqq.* Cur verò nisi Christus resurrexisset, nulla cuique spes resurgendi, ibid. L.4.c.5.n.5.

Ut anima ante vel post resurrectionem sit integra persona, L.3.c.3. n.3.5. C.8.n.7. *& seqq.* C.12.n.7.8. Expressiùs pro resurrectione, C.13. nu.4. §. *Idem.* Cur idem sibi corpus in resurrectione vendicabit, C.15. n.8. Et interim illud licet incineratum appetat, C.19.n.12. Necnon cum eo partiatur honores, L.12.c.3.n. 12. Sit etiam sollicita pro aliis, L.11. c.10. nu.1. 2. Tandem ex vita Dei corpori resurgenti integram & æternam affundet immortalitatem, L.6.c.15.n 9. Utpote Spiritu sancto corpora jam per suam inhabitationem ad id erudiente, C.18.n.3.4.

Exsuscitatio Lazari quanta potestate facta fuerit in specimen universalis futuræ per Christum, L. 9. c. 4. Christi expressissimum & sacerdotium & sacrificium post resurrectionem & suam & nostram, L.10. Cc.11.12.13. 14. Ut eadem resurrectio instar habeat holocausti, præsertim C. 14. Cur tamen resurrectio ipsorum maximè Martyrum procrastinata, L.12.c.1. n.2. *& seqq. v. etiam Martyres, sacrificium.*

Rupertus Abbas.

Ante Naclantum author ipse fuit sententiæ de adventu Christi, etiamsi homo non peccasset, L.2.c.6. Confutatur latissimè, præsertim n.3.4.

S

SAbbatum quidem præter jus naturale in Decalogo præceptum, sed sine sacrificiis legalibus, L.10.c.3.n.3.v.2.

Sabelliani cum Sabellio.

Personas in unam tres conflabant, & carnem crucemque adrogabant etiam Patri, ex eodem capite quo Patripassiani seu Praxeani suprà, *Præfat.* n.9.& L.2.c.1.n.4.v.ult. Ante Sabellii exortum, nec personæ nec hypostasis nomen in Ecclesia usurpatum est, nec aliud quodvis, quo communiter nuncuparentur tres in Deo, L.3.c.1.n.1.C.14.n.6.

Ex ignorato personarum à natura discrimine, Sabellii & Arii contrariæ hæreses, L.2.c.1.nu.4.v.ult. L.3.c.1.nu.3. Ut sese mutuò collidentes, non sibi, sed Ecclesiæ vincerent, L.4.c.2. nu.2. Utrique etiam ex ipsis Christi verbis victi, ibid. & n. 7. Quomodo utrique adhuc cum aliis per Monothelitas redivivi, L.5. Cc. 5. & 6.

Sacerdotes, Sacerdotium, Sacrificium.

Ex sacerdotii Christiani cælibatu, Christi probatur virginalis partus à Cyrillo Jerosol. L.2. c.4. num.1. Et vicissim ex desponsatione B.Virginis, Ecclesiæ virginis desponsatio cum suo sacerdote, num. 12. Ipsa virginitas sacerdotium quoddam est & sacrificium proprii corporis, L. 12. c. 2. num. 4.

Sacerdos pro hominibus nonnisi homo, & totus homo nulla parte truncus, maximè si idem sit victima, L.4.c.4.n.10.C. 7.nu.21. V. *Christi sacerdotium.* Naturæ autem præsensio sacerdotem & victimam summę munditiei quærit, & cùm nusquam occurrat, à Deo flagitari suadebat, tum apud Hebræos, tum apud Ethnicos, & quidem ex octo argumentis seu indiciis, L.10.c.1.per *totidem* nu. Plures deinceps rationes & causæ sacrificiorum, n.9. *& seqq.*

Ex adverso cruenta sacrificia Deo exosa magis, quàm accepta fuisse, adeoque non ex legis æternæ, naturæ, aut conscientiæ instinctu inducta, videntur sensisse plurimi ex Ss. Patribus, præsertim Græcis, L.10.c.3.*toto.* Item ex Latinis, C.4. Non omisso Augustino, licèt antea in sacrificiorum laudem effusissimo, n.8.

Multifariam sedatur pugna hactenùs excitata circa sacrificiorum cruentorum necessitatem priùs inductam, & inutilitatem postea exaggeratam, L. 10. c. 5. *per octo pariter priores nu. & seqq.* Ac tandem quod non aliud portenderetur quàm sacrificium mortis Christi per priora omnia, C. 6. *& seqq.* Hinc nullum sacrificium in statu innocentiæ, inprimis quia nulla mors, in qua ratio propria sacrificii, C.7. nu.2. *& seqq.præsertim* 6. Omnia autem vetera imitamenta unius mortis Christi, n. 8.

Duplex etiam distinguitur sacerdotium, proprium & improprium, L.10.c.9.n.10. C.25.n.4.5.§. *Quibus.* Non aliud verum & germanum usquam sacrificium, quàm quo seipsum vir-

virtutesque suas, etiam cùm hostia homo Dei immolat, contra gentilitios errores, C.19.n.1. *& seqq.* Plura sacrificiorum spiritalium genera, ex Chrysost. C.29.nu.7. Eucharistia externum licèt ac corporale adeoque proprium cùm sit sacrificium, cur spiritalius tamen est quolibet spiritali sacrificio, & improprio, n.8. V. *Christi sacerdotium & sacrificium.*

Solis ferè sacrificiis & ad ea attinentibus constat cultus & religio Dei exterior, L.11.c.1.n.11. Itaut λατρεία Græcis plerumque pro sacrificio, n.12. Perpetuitas sacerdotii hìc & post mortem in mediatione Sanctorum, C.8.n.11. *& seqq.* Sicut æternitas & universalitas illius in eorum communicatione, C.9.n.13.

Sacramenta, signa, symbola.

Ex corporum amore post peccatum, signorum, sacramentorum & similium necessitas, ad fidem, spem, & charitatem alendam, L.1.c.5. nu.1.2. Hinc etiam rarior ante legem, major sub lege, minor adhuc sub gratia, nullus omnino in gloria sacramentorum usus, num.13. Item hinc creatura omnis corporea quodammodo sacramentum, est, ibid. Sed omnium sacramentorum maximum veritas incarnata, n.21.24. *& seqq. Item* L.2.c.8.n.1.4.

Imò & ipsa incarnatur in omnibus symbolis, L.1.c.6. nu.1. Itaut in veritatem ipsam impingat qui ejus sacramentum lacessit, C.7.n.4. Ad levandum autem fastidium tota sacramentorum temporalium in religione varietas, n.6. & L.2. c.8.n.1.2. At quoties propriè dicta sacramenta in nomine Trinitatis conferuntur, toties in nomine ipsius Christi, seu Verbi incarnati seu in carne, L.3.c.10.n.10. in fine. Quantùm à corpore seu carne nostra pendeant ad suum effectum, L.4.c.5. nu.4. Maximè tandem non solùm à carne, sed & à morte seu cruce Christi, cujus etiam signum in baptismo, imò & in antiquis Gentilium signis, v. *in propriis locis.*

Ob eas ferè omnes rationes nulla sacramenta in statu innocentiæ, *jam suprà*, & L.10.c.7. nu.3. *& seqq.* Quomodo tamen toties apud Aug. *lignum vitæ sacramentum in Paradiso? ibid. & antea* L.2.c.8. n.4. Planè non aliter ac orbis universus sacramentum est sapientiæ, ibid. & L.10. c.7. V. *etiam in Adamo.*

Salomon.

Suspiciones procul ab ejus templo & imaginibus amoventur, L.12.c.8.§. *Et infrà.* Nullo tamen definito Dei imperio eas saltem novarat, sed ex insita sibi sapientia, quid inde pro nostris? n.3. & C.9. n.16.

Salus, sanctificatio, sanctitas, sanitas.

Nihil tam Deo dignum quàm nostra salus, eamque cum propria gloria semper admiscet, L.1.c.1.n.1.C.2.n.2. Imò pro servi salute, orbatus est filio, n.12. Sicque Dei etiam unius exemplo factum est, ut alienæ saluti propria impenderetur, n.15. Sitis ipsa corporea Christi de nostra salute, C.11. n.8. Ut non amplius mutabili superstrueretur fundamento, Cc.19. 20. 21. Quomodo tamen in hoc prior Dei gloria, quàm hominis salus, L.2.c.6. Fortè vel hinc quod Deo uni tota salus nostra accepta ferri debeat, L.5.c.18. n.10. V. plura *in Christi Incarnatione, Divinitate, &c.*

Illud maximè efficitur ex *sanctitate* necessaria peccato abolendo, Deo placando, & homini *sanando*, L.1.c.4.n.1.2.12. &c. Ut *sanctitas* autem, sic *sanitas* nunc paulatim nobis accrescit, ac tandem immortalitas, L.2.c.10.n.2. §. *Postremò*, & n.9.10. At quid est aliud *sanctitas* quàm Deitas, & *sanctificari* quàm deificari, seu cum Deo coniungi? L.4. c.16. n.12. *& seqq.* L.5.c.3.n.5. *& seqq.* C.18.nu.1. *& seqq.* L.7.c.3.n.1. *& seqq.* C.6.n.8. *& seqq.* Maximè quòd sanctitas sit secretio quædam & fuga à creaturis, C.11. num.5. Sanctitas saltem est specialior dos Deitatis, C.7.n.1. C.18. n.9.L.9.c.3.n.9. §. *Quid.*

Triplex jam ratio habendæ sanctitatis, ut natura, ut persona, ut participatio sanctitatis, L.6.c.5. n.8. Quo sensu forma esse, & formare, seu informare dicatur sanctitas increata naturam creatam, *passim toto illo*, L.2. præsertim Cc.17.18.19. Ad intimam inhabitationem copulamque cum Deo nostra sanctificatio traducitur, ibid. Meliùsque exprimitur nomine consociationis, communionis, osculi, amplexus, connexionisque cum Deo per Spiritum sanctum, præsertim C.19. num.4. Imò sanctitas omnis in quadam ad Deum relatione, Verbi, Christi, Ecclesiæ, ex Berullio & Patribus, nu.7.8. *& seqq.* Denique jugi & irrequietæ operationi divinæ nostra imputatur sanctificatio, C.20. n.2. *& seqq.* V. etiam *forma, &c.*

Non omittendum etiam quod sanctitas quælibet publicum bonum sit, in commune prosit, sitque peculiaris communionis fomes, L.11.c.9.num.2.6. *& seqq.* V. etiam mox *tit. seq.*

Sanctorum cultus, & invocatio.

Dulia à latria, ex usu etiam Scripturæ, distincta, cultus est minor, & proprius Sanctorum, tanquam Dei imaginum, nec tam divino derogat, quàm nec amor propter Deum, utpote qui non sit præter Deum, L.11.c.1.nu.3.9.12. C.6. nu.1. Nullus etiam cultus exterior Sanctorum contrarius divino, qui nonnisi latria mystica, seu sacrificio, templo, & aris constat, non aliis signis indifferentibus, C.1.n.11. C.9.n.13.

Jam ex Angelorum cultu, via quoque sternitur ad Sanctorum venerationem, L.11.c.7. nu.1. Et hæc cum ipsorum invocatione elicitur 1° ex sacris litteris Patrum interpretatione illustratis, n.2. *& seqq.* 2° ex naturæ præjudiciis, ipsorum Gentilium non penitùs errantium, & optimatum maximè Philosophorum consensione firmatis, num.10.11. 3° ex communi hominum sensu, multis exemplis communito, toto eodem C.7. præsertim nu.11.12. 4°. Quàm sit autem consonantius, cœlites quàm mortales, & orari & orare, decem potissimùm rationibus, ex multiplici allata authoritate concluditur, n.13. Potissima ex flagrantiori Sanctorum nunc in Deum atque in nos charitate, & effusione in eos Christi potestatis, ac dignitatum redundantia, inprimis mediatoris & similium, C.8. *integro*, & C.9. n.4. V. *Christi mediatio, sacerdotium.*

Idem Sanctorum cultus & invocatio, ex eorum nobiscum communione multimoda in eodem corpore, eademque in mystico sacrificio affectatiùs ostentata, L.11.c.9. *integro.* Et utrumque ex eo quòd *non sine nobis consummabuntur*, ideòque nostra curent, sciant, videantque tanquam sua, toto etiam C.16. V. rursus *sacerdotium, sacrificium, ac Novatores.* Denique ex ipsa cultus ratione, quòd in Sanctis non colatur aut ametur nisi veritas, sapientia, justitia; quod totum Deus & Christus est, præsertim exemplo Pauli & ex August. C.11.n.1. *& seqq. fusissimè.*

Eliditurque cavillatio obstrepentium de Sanctorum albo dubio, n.12. *& seqq.* V. *Errores, &c.* Ac postremò ab exemplo Lazari mendici, quod alii parabolam, alii historiam commentantur, dum interim illi ipsi Templa non pauca nuncupata sunt, n.19. At non aliter quàm paupertati cœlestium diviti, patientiæ & aliis divinis virtutibus, ibid. Sic ipsa Christi gesta & historicè & allegoricè utrimque utiliter à Patribus proponuntur, ibid. Adde *Synodum Calced.* pro Sanctis, ex fine. Necnon frustraneas exceptiones Novatorum de Patribus utriusque prioris sæculi, ex L. 12.c.4. n.12. *& seqq.*

Sapientia, scandalum, scientia, stultitia.

Quantoperè ipsa *sapientia* per Incarnationem illustretur? L.1.c.1. n.2. Quod modicum quid, imo *stulstum Dei* domet hominum sapientiam, & priscum siti contemptum, etiam securiùs latendo ulciscatur, n.9.12. C.5.n.3. C.7.n.15. L. 2.c.7. n.1.6.7.8. Unde caro & *crux Christi Iudæis & Gentibus scandalum & stultitia*, nobis verò *Dei virtus & sapientia, &c.* L.1.c.6.n.5.14.C.7.n.15.C.10.n.2.C.14.n.1.3. L.2. c.7.n.1.8.15.C.10.n.2.L.10.c.10.n.6. *& seqq.* Quàm *stultum non sit ea credere, imò quàm stultum sit non credere*, ex Aug. L.1.c.7.n.14. Adde *stultissimum* ex fine, & n.15. De sapientia instar matris, cibum in se incarnante, C.18.num.1. *& seqq. Item* L.2.c.8.n.9.§. *Et ibidem*, L.10.c.17.n.2. C.26.n.10. *& seqq.* Quomodo lignum vitæ sacramentum sapientiæ? V. *Sacramentum, & in Adamo, & mundo.*

Qua ratione scientiæ omnes in unam charitatem confluant, L.1.c.8.n.9. *Et scientia, quæ sola inflat non sine scandalo, per charitatem ædificet*, L.10 c.3.nu.16. §. *Apertiùs*, & nu.19. Quàm decuerit supercilium illud ex scientia intumescens & pruritum curiositatis ad *scientiam insanientis*, à Christo simulata ignoratione sine mendacio retundi, L.7.c.4.n.13. Quibus rimis scientia rerum nostrarum ad mortuos fluat? L.11.c.10.n.8.13. *& seqq.* Plura de scientia Christi, & Sanctorum, mentisque nostræ ad scientias seu ad veritatem aptitudine, v. *in propriis locis, necnon in Philosophia.*

Saraceni.

Licèt Christianorum hostes infensissimi, de Christi tamen afflatu obtinent, ut unius Dei fidem & sacra indivulsè amplexentur, nulla verò antiqua sacrificia, L.10. c.7. num.12.

Satisfactio, solutio.

Inter satisfactionem Deo, vel Diabolo exhibitam, quid intersit, L.1.c.4.n.1.L.4.c.4.n.1.2.L.9.c.8.nu.8. Solutio & satisfactio de propriis & suis fieri debet, C.10.nu.1. Plura v. *in Christi satisfactione.*

Scholæ, Scholastici, Scotistæ.

Philosophorum doctrina vix eorum scholas olim egressa, L.1.passim Cc.12.13.14. L.11.c.1. num.10. L.12. c.9. num. 9.10.

Utriusque *scholæ Christianæ*, scilicet antiquioris Patrum, & recentioris *Scholasticorum* Doctorum conciliatio in eo quod hujus tractatus caput est, L.3.c.3. præsertim n.2.4. & C.21. *integro.* Nequidem excepta schola argutissima Scoti, per suas negationes satis accommodas, num.9. Necnon & eruditissima Societate Jesu per Tiphanium cum pluribus Scholasticis, n.10.11. V. etiam *Theologia.*

Scri-

Scripturæ, soni, silentia.

Scriptis quibuslibet & *sonis* incarnatur quodammodo veritas aut sapientia, L.1.c.5.n.3. C.6.n.1. *& seqq.* Hinc de Deo in *sacris Scripturis* nihil ferè nisi per figuras seu simulachra corporea, C.5.n.13.25. C.6.n.2. Et hinc instar Mariæ parit Scriptura Christum, n.5.§.*Origenes.* Necnon instar mundi, ac vicissim, ibid. Nihilque aliud Scriptura continet, C.7. n.11. Vel quod idem est, geminam charitatem, num.11. & c. 8. num.9. Rursumque Christum in suo duplici Evangelio, C.10. num.1. Denique restaurationi potiùs quàm creationi, Scriptura ubique incumbit, L. 10. c.6. num.6. circa finem.

Triplex summatim Scripturæ intelligentia, historica, tropologica, mystica, Christo omnis coaptata, L.1.c.6. n.5. §. *Etherius.* Brevis autem regula totam intelligendi ex præjactis principiis, ut nemo ullum locum attigisse credatur, qui non charitatis excerpserit aliquid, C.7. n.11. C.8.num.9. Hinc errant quidam, qui alienos sensus Scripturæ affingunt; si tamen eorum sensibus ædificetur charitas, ita errant, ut ipso suo errore in viam reducantur, L.11. c.11. nu. 15. Non fuit autem hìc institutum fidei controversias ex Scripturis ad litteram semper excutiendis, sed quomodocumque à Ss.Patribus elucidatis pertractare, C.7. n.7.

Et sanè nonnisi ex Patrum sententiis interpretandæ sunt Scripturæ, L.2.c.5.n.3.5.8.9. Non autem vexandæ sunt ex præjudiciis & distinctiunculis nostris, ibid.& nu.6.9. *Item* C.6. nu.2. Quòd minùs compertis utantur formulis, non earum aut interpretum similibus utentium fuit indiligentia aut supinitas, sed mira profunditas, L.3.c.10.nu.4. Metaphoris quidem utuntur veteres Scripturæ, rarò Evangelicæ, neutræ figmentis, L.4.c.8.n.24. *& seqq.* C.9. nu.1. L.6. c.15. nu.13. Illuminandæ sunt verò veteres novarum luce, non econtra, L.8.c.16.n.9. Quàm Scripturis illudant Hæretici, ad quarum tamen normam omnia revocanda invidiosissimè concrepant, L.11.c.4.n.1.

Scripturarum ipsarum conciliatio de invisibilitate, & ipsa tamen visione Patris, L.2.c.1.num.4. Aliunde de Christo divinos humanosque titulos videntur confundere, non ex incuria, sed ex industria, ut eorum connexio intelligatur, C.2.n.6.7. Patrum fuit ea distinguere, quæ humanæ aut quæ divinæ naturæ competerent, C.6.n.2. Tam varia autem de Deo Scriptura pronuntiat, ut non mirum sit interpretes de iisdem in speciem dissentire & non dissentire, L. 6. c. 20. num.6. At Scriptura & anima eadem Dei manu exaratæ sibi consentiunt, L. 10. c.6. num. 6. circa finem.

Nec ipsa silent *Scripturæ silentia*, sed loquacia disertaque sunt, L.9.c.4. n.2. Huc refer quod dicitur de *arcano scripturæ silentio* in sacerdotii Melchisedeci descriptione, L. 10.c.8.num.8. Necnon & arcanum illud Pauli, ac deinceps *Ecclesiæ silentium* in mysteriis celandis, C.16. num.3. Hinc etiam prioribus duobus sæculis rariora *Patrum scripta*, quæ perperam Novatores postulant, L. 12. c. 4. num.12.

Sedes, solium.

Quid sit Christo sedere ad dexteram Patris Deitatis solio, L.3.c.10.n.2. Paulò aliter, L.5.c.16.num.17. *& seqq. Item* C.17. num.1. *& seqq.* L.8.c.18.nu.18. L.9.c.4.num.9. C.6. num.12.

Anima autem solius Dei propria sedes, L.3.c.22.nu.8. Hanc sedem invadere nulla creatura potest, ibid. & num.14. ac *seqq.* Inprimis *anima justi* dicitur sedes sapientiæ mollissima, L.4.c.9.n.14.15.

Semina.

Relicta nobis virtutum & innatæ Religionis seu veritatis semina, L.1.c.n.4.C.15.n.1.*& seqq.* Imò insitis à Deo, non aliunde infusis seminibus elementa omnia castissimè fæcundantur. L.2.c.3.n.10. §.*Elegans.* Ac demùm omnia bona à Deo primùm creata in suis seminibus seu naturis communibus, L.3.c.20.n.13. De utriusque sæculi semine v. *in Adamo & Christo.*

Sensibilia, sensus.

Per peccatum immersus totus ferè homo sensibus, suo fraudabitur bono, nisi per sensibilia & corporea ad intelligibilia redeat, L.1.c.5.n.7.11. Et quo cecidit, ibi invitatur, ut surgat, ibid. Abduci autem à sensibilibus, non alio quàm Dei sensibilis seu corporati magisterio potuit, ibid. & C.12. *& seqq.* V. eriam *corporalia.*

Quinque sunt sensus in capite, L.6.c.7.nu.1. *& seqq.* Ac per nullum eorum intrat ad nos veritas seu justitia, sed menti ipsi intus obversatur, L.11. c.11.n.3. *& seqq.*

Sepulchra, sepultura.

Quò spectet diligentia Patriarcharum circa sepulchra, L.12. c.3. nu.2. 7. Quàm alioquin parum intersit, qua quis terra tegatur, n.7. V. etiam *Christi sepultura.*

Sergius Constantinop. Sophronius Ierosolym. edavi Patriarchæ.

Sergius è Syris & Jacobitis origine & fide conjunctus, Heraclium & Constantem maximè impulit ad *Ecclesiam & Typum* pro Monothelitis, *Præfat.* nu.10. §. *De &c.* Oppressa *Dei-virilis* voce ex Dionysio, unam absolutè pronuntiavit operationem in Christo, non multò post à Martino Papa reprehensus in Synodo Lateran. L.5.c.8.n.1.

Sophronius verò contra eum primus visus est distinguere triplex operationum genus in Christo, L.5.c.6.nu.8. In Cyri præsertim imposturam abutentis Dionysii textu, C. 8. n. 1. Authoritatis plurimum in ejus Epistola intexta Synodo sextæ, n.8. An tamen ei adhærendum solas operationes mixtas theandricis annumeranti, ibid. & num. *seqq. Item* C.9. n.13.

Serpens.

Monstri simile est, quod Ophitæ Christum in serpente, qui Evam decepit, colerent, *Præfat.* n.8. §. *Iudaic.* At Crux in serpente Moysis etsi non vera, sed Crucis imago, serpentum morsus & virosa venena sanabat, L.12.c.7.num.2. A Christo ipso probata, non à solo Moyse, licèt idoneo legis interprete, C.8. nu.4. Ab Ezechia tamen pro idolo rectè proscripta, n.10.& C.12.nu.13.

Servitus, servus.

Servitus propriè soli Deo debetur, & hæc significatur latriæ vocabulo, L.11.c.1. num.2. *& seqq.* Qui Domino servire respuunt, servo servire necesse est, nec alterutra eximi servitute, Dei, aut diaboli, L.1.c.3.nu.3.4. 8. An servus in conservum aliquid possit contra jus domini? nu.6. Flagitium quo servilis natura dominationem affectaverat, castigandum dominatricis naturæ in nostram servitutem descensu, C.4.n.12. *Quomodo servire Deo, regnare sit, &c.* V. *Reges, regna.*

Cur servus domino compositus amittat jus & rationem personæ, L.3. c.3.nu.10.v.6.9. C.9.nu.2. Liberos filiosque è servis facere, nonnisi summi domini est, L.4.c.3.nu.6.L.9. c.7.nu.10. Creaturæ nota, servitus est, Creatoris propria laus, libertas & dominatio, ibid.& L.5.c.12.n.3. §.*Denuò.* C.13.n.1.L.8.c.15.n.1. & ult. Alia servitus per peccatum inducta, C.17.n.9. Maximè conditionalis seu ex necessitate, C.18.n.16.

Aliunde cur Origeni servitus divinitatis argumentum, L.8. c.15.n.16. Aliis dehonestamentum, C.19.n.4. *& seqq.* Opera quidem & munia servi obit quandoque filius? L.16.nu. 11. c.18. num.19. Et servus ad libertatem *filiali* charitate evehitur, n.20. Servitus, sicut filiatio, non naturæ, sed relationis & personæ nomen est, in eodem ad seipsum esse non potest, C.20.n.1.L.9.c.10. n.8.v.6. In quibus aliis conveniant aut minùs conveniant? V. *filiatio.*

Severus Monachus. Simon Magus cum suis.

Primus contra Julianum Halicarnassi Episcopum alterum Eutychianorum principem, novam Corrupticolarum septam peperit; nempe naturas quidem confundebat, non proprietates; ac proinde corruptibilem Christi carnem natura sua assentiebatur, utpote carnem, licèt ejusdem cum Verbo substantiæ juxta ipsos, *Præfat.* n.10.§. *In Orient.* L.4. c.12. n. 1. Cur inter Iconomachorum præsultores annumeretur, L.12.c.10. n.13.

Secundus verò omnium Hæreticorum ac Phantasiastarum agmen duxit, ejusque gemella proles Saturninus & Basilides, carnem Christi phantasticam, seu specie & ludibrio, non re & substantia Deum humanatum commenti, *Præfat.* n.8. & §. *Iudaic.*

Simplicitas. Sitis.

Simplicitati Verbi, utpote summæ, non officit compositio à Patribus in Christo agnita, L.3.c.6.n.9.10.12. C.13.nu.9. Econtra nulla est tanta simplicitas alia, nequidem animæ, quin cum corpore componi valeat, ibid. Simplicitatis autem summæ rursus prærogativa est omnia, ipsasque adeò animas, substantialiter permeare, C.22.nu.21.24. L.6. c. 12. nu.13. *& seqq.*

Anima seu mens tota, nihil aliud spirat, quàm veritatis *sitim* & esuriem, nisi sit sitis seu fames & inanitas ipsa, L.1.c.18.n.4. L.4.c.9. nu.10. *& seqq.* Et hinc sitis videndi Dei in Moyse & aliis, ipsisque Ethnicis: aliunde verò sitis ipsa corporea in Christo de nostra salute, v. *suprà in prop. tit.*

Socrates. Somnus.

Delicatum mortis genus cicuta, *somnus* magis quàm mors in *Socrate*, nullatenùs tot Martyrum nostrorum millibus æquiparanda, L.1.c.14.n.4.5. De ejusdem salute, Justinus benignè interpretandus, C.9. n. 2.

Sodoma. Solitudo.

Sodoma effigies quædam compendiosa humanæ Reip. L. 11. c.9. n.1. Vel ex ea constat, quantum prosit aliquos habere justos, quibus caruit, ibid.

Præstat ipsa solitudo ad vitam verè Christianam, L.1.c.14. num.6.

Spes.

Spes.

Post peccatum statim prima spei lux affulsit in corporis sacramentis, L. 1. c. 5. nu. 13. Æterna ac temporalis religio nihil aliud molitur, quàm ut spem charitatemque in Deum excitet, C. 7. n. 10. Alendæ autem spei, simul ac frænandæ superbiæ consentanea summoperè fuit Incarnatio, C. 16. n. 10. Vel ipsa nativitas è Virgine spem salutis & immortalitatis excitat, L. 2. c. 3. n. 1. 5. 7. C. 4. n. 4. 3. v. 6. At spes nostra nonnisi in Deo collocanda est, L. 4. c. 3. nu. 13. Licèt non eodem modo Deus sit spes, quo charitas, L. 6. c. 14. n. 15. 23. C. 16. n. 4.

Spiritualia, v. Caro, Perfecti, &c.

Spiritus sanctus.

Quid sit propriè concipi de Spiritu S. ut convenit corpori Christi? L. 1. c. 11. n. 1. 6. 7. 13. L. 2. c. 4. n. 5. 6. L. 5. c. 10. n. 2. *& seqq.* L. 6. c. 1. num. 1. *& seqq.* præsertim 13. & 14. Et hinc servabatur olim Eucharistia in columbis Spiritus sancti symbolis, L. 10. c. 29. n. 12. §. *Non.* Quàm aliter Spiritus sanctus descenderit & manserit in Christo, quàm in Adamo? V. *in utroque.*

Cur ipsa humanitas seu caro Christi surripienda fuit in cœlos, ut locus esset Spiritui S. L. 1. c. 6. n. 14. in fine. C. 10. nu. 11. C. 18. n. 8. Et tamen ipsa Spiritum S. corporea etiam spiratione perflaret, L. 3. c. 4. n. 9. §. *Rursus.* L. 5. c. 7. n. 10. 11. 12. C. 9. n. 6. L. 6. c. 2. n. 6. *& seqq.*

Quadruplex discrimen inter Christum & nos, in plenitudine seu possessione Spiritus S. n. 7. *& seqq.*

Certè per Christum saltem Spiritus S. rediit ad homines L. 6. c. 8. n. 13. *& seqq.* C. 16. nu. 17. *& seqq.* Annon antea in Prophetis & Joanne Baptista? ibid. Tria tempora & gradus dandi Spiritum S. ante passionem, post resurrectionem, post ascensionem, in nostræ justificationis symbolum, ibid. & C. 13. n. 3. An ut formam, vel hospitem? Cc. 17. 18. Et quidem ad ipsam corporum resurrectionem, n. 3. *& seqq.* Ac interim ad gustum cœlestium, virtutumque saporem, num. 4.

Cur Spiritus sanctus non dicatur mortuus vel natus cum Joanne Baptista, quem replevit ex utero, sicut filius in Christo, L. 3. c. 11. n. 9. §. *Athanasius,* C. 15. n. 1. 4. Et in genere cur Spiritus S. in justos & Beatos illapsus eos non trahat ad suæ unitatem personæ, C. 11. n. 9. 11. Ex illo tamen illapsu probatur Spiritus S. tum incorporeitas, tum ipsa divinitas, C. 22. n. 2. *& seqq.* Item ex ratione imaginis filii, & similibus in nobis impressis, L. 6. c. 10. n. 1. 2. 8. 9. 13. At rursus ex inhabitatione seu consecratione suorum templorum, Cc. 11. 17. 18. Quæ Spiritui S. cum aliis personis divinis communia sunt, v. *in Trinitate.*

Stella, Sydera.

Cur salutem nostram non stellæ gloria, sed crucis ignominia perfecerit Christus, & ideo non stellam, sed crucem frontibus ipsorum Imperatorum infixerit? ex August. L. 12. c. 7. n. 7.

Sydera esse animantia, beatitatis etiam capacia, Philosophi plures perperam opinati sunt, L. 1. c. 16. n. 11. 12. L. 4. c. 5. num. 16. Reipsa pro syderibus beandis moriturum etiam Christum an Origenes crediderit? L. 2. c. 12. n. 1. §. *Origeni.* Quid in vultu ipsius Christi & aliis sydereum radiaret, L. 4. c. 7. n. 20. *& seqq.*

Stercoranistæ.

Tres eorum quæstiones de corpore Christi breviter solvuntur, L. 1. c. 11. n. 8.

Sterilitas.

Partu sterilium antiquarum, partus virgineus portenditur, L. 2. c. 3. nu. 11. Imò operosius & incredibilius est sterilem fœcundari quàm virginem, ibid.

Stoici.

In moribus instituendis ferè cum Christianis consentiebant, L. 1. c. 9. nu. 3. Minùs tamen quàm Platonici in summo bono, licèt morum omnium fine, C. 12. n. 1. *& seqq.* At de ipsis passionibus nonnisi verbis dissentiebant, L. 4. c. 11. num. 21. *& seqq.* Qualis revera fuerit stolidus ipsorum sapiens? nu. 20. Non alterius quàm propriæ justitiæ & virtutis admiratione afficiebantur, L. 6. c. 14. n. 6. Cur illi cum Epicureis primi Christianæ Philosophiæ hostes, L. 1. c. 12. n. 6. 9. Jam ab Augustini tempore extincti, ibid.

Subiectio, superbia, superstitio.

Quid sit subiici Christo? L. 1. c. 9. nu. 7. Quid verò Christum seu Filium subiici Patri? L. 2. c. 1. nu. 8. v. 2. Paulo aliter C. 11. num. 8. 12. §. *non pigebit.* ubi utraque elucidatur subjectio. Item C. 12. num. 21. 23. L. 5. c. 3. num. 7. 8. L. 11. c. 10. num. 2. 4.

Altissima diaboli & hominis radix superbia, L. 1. c. 16. nu. 7. Quam superbiam quæ humilitas compesceret nisi Dei, ibid. At non habet deinceps homo unde superbiat, cujus miseria non aliter quàm tanta dejectione propulsanda fuit, n. 10. Minùs autem dæmon de sua facinorosa immortalitate, L. 9. c. 1. n. 1. *& seqq.* V. *Humilitas.*

Superstitione etiam glíscente jam opera Dei avocabant à Deo, L. 1. c. 5. nu. 6. At Christi ut germanæ Dei imaginis gesta dictaque omnia superstitionem dispunxere, ibid. V. *Idololatria.*

Subsistentia, substantia, substantialia, supersubstantiata.

Nonnisi post Augustini ætatem excogitatum est vocabulum *subsistentia* apud Latinos, quod magis Græcorum hypostasi consonaret, quàm vox *substantia*, L. 3. c. 1. nu. 1. Non ipsa tamen *subsistentia* ab essentia distincta personæ nomine insignitur, sed ipsa natura ut subducta aliis, C. 8. nu. 4. Substantia verò necnon & subsistentia propriè instar est fundamenti, cui tota congeries accidentium superstruitur, C. 9. n. 3. 4. C. 19. nu. 13. Cur consubstantialia non possint ab invicem perfici, L. 23. n. 2.

Aiunt Patres Incarnatione non solùm unionem substantialem esse factam, sed & substantiatum esse Verbum, quasi antea superessentiatum, ex Dion. L. 3. c. 7. n. 1. *& seqq.* Quid sit autem in Christo supersubstantivum, & cur panis supersubstantialis vocetur, C. 19. n. 17.

Synagoga v. Iudæi, Testamentum, &c.

T

Tabernaculum, Templa.

Quomodo omnia quæ erant prioris *Tabernaculi* adaptentur aut Verbo ipsi, aut Christo regnanti, L. 10. c. 7. n. 1. *& seqq.* C. 11. nu. 1. &c. Necnon Tabernaculi nomine cœlum ipsum intelligatur, n. 8. & L. 12. c. 8. n. 2. *latissimè.* Cur prisca sacrificia extra Tabernaculum fieri jussa, L. 10. c. 29. nu. 8. §. *Eò.* Quid innuat honos olim Tabernaculo & arcæ delatus, L. 12. c. 3. n. 1. C. 8. n. 2.

Eadem sacrificia uni Templo alligaverat Deus, ut eo pòst everso conciderent, L. 10. c. 3. n. 10. C. 7. num. 11. 12. Alia causa, cur unicum Templum Jerosolymitanum concessum est, licèt tanti interesset plura ubique gentium ad veram pietatem instruere, L. 11. c. 6. nu. 11. Cur nulla tunc Sanctorum nomine excitarentur, L. 12. c. 3. nu. 9. Ex illius Templi fabrica & cultu, multoties imaginum cultus assertus, C. 8. nu. 2. Suspiciones procul ab illo ejusque figuris, ibid. & infra.

Cultus Dei exterior Templis maximè & aris ad sacrificia constat, L. 11. c. 1. n. 11. Deo autem justitiæ & veritati incommutabili, non marmorea propriè & verè, sed spiritalia Templa sunt, C. 9. n. 13. Templa nostra & iis similia, non iis obnoxia sunt contumeliis, quibus Gentilium similia, L. 15. c. 9. nu. 23. Alia etiam Philosophorum doctrina in scholis, alia in Templis, ubi non erant ministri, sicut apud nos Theologi, L. 1. c. 14. num. 5. L. 11. c. 1. num. 10. Templa & appensa in eis dona seu vota Dei ipsius majestate & sanctitate consecrantur, L. 6. c. 11. n. 7. C. 18. n. 10. *& seqq.*

Temporalia, v. Æterna, Dogmata, Religio, &c.

Terra sancta.

Quò spectet Patriarcharum solicitudo, ut illuc deferrentur? L. 12. c. 3. n. 2. 7. Cur ex ea duo mulorum onera petiit Naamus ad sacrificia? num n. 8. §. *Rursus.* Et inde Fideles etiam olim terram secum asportarent, C. 5. nu. 9. Unde tot tandiu peregrinationes in Terram sanctam, num. 3. 10. Quinam nobiscum vocentur Terricolæ à Novatoribus, ibid. & num. 12.

Testamentum utrumque.

In veteri Testamento novum, in novo Patria, quasi seminaliter continetur, L. 1. c. 5. num. 13. Scilicet per umbras, imaginis, & veritatis vices, C. 10. nu. 2. Et ita nostrum sacrificium medium est Ecclesiæ temperamentum inter Synagogam & Patriam, L. 10. c. 25. n. 7. 8. C. 26. n. 12.

In utroque autem Testamento nihil aliud quàm gemina charitas, L. 1. c. 7. nu. 11. Imò Christus utriusque lex & legislator, sed diversimodè, C. 8. num. 4. Inprimis differt novum a veteri, quòd nunquam sit abrogandum, & cur, ibid. Quomodo etiam sit novum, cùm tam antiquum, C. 9. nu. 5. in fine.

Aliud utriusque Testamenti discrimen, quòd vetus per creaturas, novum per Creatoris seu per Spiritus S. substantiam dispensetur, L. 6. c. 16. n. 17. Et in ipso veteri Christus Synagogæ servitutem videretur solari, forma servi tunc adumbratus; secus in novo, L. 8. c. 16. n. 12. V. etiam *Evangelium, Iudæi, leges, Moyses.*

Themistius, Theodoretus, Theodori plures, Theodoti duo.

Themistius Diaconus Agnoetarum in Ægypto dux & princeps, quòd ignorantiam Christo homini affingeret, *Præfat.* n. 10. §. *In Oriente.* V. *Christi scientia.*

Theodoreti Cyrensis Episcopi cavillationes occupaverat quidem Cyrillus, nec tamen impedire potuit, L. 3. c. 2. n. 1. C. 7. nu 4. 6. Ejusdem Theodoreti voces Nestoriana fuligine oblitæ

oblitæ circa scientiam hominis Christi, de qua mox, L.7. c.5.n.5. Angelorum nec cultum propriè, nec oratoria, quæ recenset, improbat Theodoretus, alioquin ipse magis improbandus, L.11.c.6.n.12.§. *Quod ad &c.* Vir alioquin laudatissimus, *toto opere, maximè in Sanctorum cultu*. Imò plura ejus opuscula sub nomine Athanasii, *Præfat.* n.11.

Theodorus Abucara Cariæ Episcopus sæculo nono scripsit, *Præfat.* n.12. In eadem causa & sententia esse videtur cum Hilario Pictaviensi circa animæ & corporis Christi passiones, L.4.c.13. n.14.18.

Theodorus Mopsuestenus Episcopus tam certò prævivit Nestorio dux & magister, quàm incertum an simul cum illo & Diodorus Tarsensis, *Præfat.* n.10. Scilicet Theodorus ante Nestorium naturas in Christo nimis relaxabat, itaut nec in unam nisi simulatè colligeret personam, L.3. c.6. nu.4. Ipsius & Diodori defensores vocum aliquarum indigentiam æquè ipsis ac Patribus condonandam volebant, L.3. c.24.n.2. Excipit Leontius contra ipsos aliunde suspectos, n. 3. Accusaverat alius *Theodorus Cæsariensis* in Cappadocia Episcopus, V. 5ª *Synodo*.

Theodorus denique *Pharanita* in Arabia Episcopus Monothelitarum antesignanus fuit, L.5.c.1.n.1. Ejus verba lecta & damnata sunt in sexta synodo, ibid.

Ex Judaicis fontibus, inter alios divinitatis Christi impugnatores, *Theodotus Coriarius*, & alter *Trapezita* dictus, Coriarii discipulus, author Melchisedecianorum, quòd præterea Christum Melchisedeco inferiorem diceret, *Præfat.* n.8.

Theologia.

Theologia propriè ab œconomia distinguitur, quòd illa de Deo uno trino, seu de æternis, hæc de Incarnatione temporalibusque dogmatis tractet, & subordinetur ista alteri, *Præfat.* n.3.L.1.c.7. *adhuc expressius* L.5.c.2.n.2. C.8.nu.5. Et tamen nihil aliud sapientiæ vita & tota dispensatio temporalis, quàm summa quædam Theologia, seu Philosophia omnibus suis partibus completa, L.10. c.23. nu. 6. C.26.n.13.15.16.C.27.n.9.C.28. n.2.4.6.

Institutum hìc, non fidei controversias ex Scripturis ad litteram excutiendis, sed altissima Theologiæ sacramenta ex Ss. Patribus quomodocumque pertractare, unde & *Theologia Patritia* in primis nuncupatur, *Præfat.cit.*& L.11.c.7. n.7. Hæc ars eò potentior, quò suavior, ibid. Apud nos externa Religio ab interiore Theologia nusquam finitur dissociari, non ita olim apud Ethnicos, L.11.c.1.n.10.L.12.c. 9. n.9. 10. Hinc apud nos iidem utriusque ministri, ac ferè idem, *utrobique*.

Testimonia è Scripturis & Patribus, quibus inprimis vallator Theologia, inani distinctione declinanda non sunt, L.2.c.5.n.3.4.5.6.13.C.7.nu.1. In eadem Theologia maximè præjudiciis seu opinationibus non serviendum, C. 5. præsertim n.9. L.3.c.12.n.7.8. L.5.c.12.n.1.C. 14.nu.2.15. Imò quàm intutum sit in rebus Theologicis vel tantillum transilire Scripturæ lineas authoritate & consentione Patrum olim præfinitas, L.1.c.3.n.7. L.2.c.5.n.3.12.13.C.8. n.6.§. *Unde*.C.12.n.1. L.3.c.16 n.1. 19. Concatenata sunt omnia veritatis oracula, ut nihil possit concuti, quin & tota moles, L.2.c.5.n.13.in fine, & l.5. c.5.n.3. Hac autem tota mole antiquioris Theologiæ, non aliquot hinc inde testimoniis insistendum, L.2.c.7. n.1.

Qui v. g. modum cognoscendæ veritatis in utroque statu non distinguunt, in ipsa impingunt Theologiæ Christianæ limina, L.2.c.8.nu.5. Necnon qui hinc gradus perfectorum ab imperfectis non secernunt, n.6. §. *Unde*. Principium aliud latissimum Patritiæ ejusdemque Paulinæ præsertim Theologiæ in conformitate Christianorum cum omnibus Christi ætatibus seu mysteriis, C.10.nu.4. C.11.nu.4.7.11. Item quot utriusque fundamenta labefactant, qui Ss. Angelorum salutem carni Christi imputent, C.12. num. 25. Longè plura hæretici alicujus dotis in Christo negatores? L.5.c.5.n.3.C.3. n.8.17. Alia utriusque germanæ Theologiæ effata, ibid.

Multiplex etiam deinceps utriusque patritiæ & scholasticæ Theologiæ concordia, inprimis in exponenda ratione personæ, quæ hìc palmaris est, L.3. c. 3. præsertim n.2. 4. & *expressius toto* C.21. præsertim n.1.12. & *in aliis Capitibus*. Et eò vehementiùs uterque senatus consentit, quòd unius fidei inviolabili conscientia verborum dissidia haud magnipendat, C.24.nu.1. & *seqq.* præsertim 24.27. & L.4.c.13.n.18.20. C.16.n.16.L.5.c 9.nu.14. C.12.nu.2. C.14.n.1. C.20.n.14.C.21.n.1.3. *Item* L.6.c.17.nu.1. L.8. c.20.n.1.L.10.c.25.n.5. L.12.c.13.n.16.17.

Unitas autem fidei, maximè inter antiquissimos hodiernosque Theologos in tanta temporum & locorum intercapedine, Spiritus sancti Ecclesiam suam vegetantis argumentum est, L.5.c.21. n.1. Quomodo iidem concilientur inter se circa eundem Spiritum sanctum, L.6.c.11.nu.11. Hicque adhuc magis locum habet, quod suprà dictum est de inerti calumniandi licentia eorum, qui latentes concordiæ venas in Theologia rimari haud sufficiunt, C.17. n.1. Cùm vel sola Scriptura sibi semper constans tam varia de Deo pronuntians, aientibus & negantibus materiam subministret, utrimque vere, C.20. n.6. 20.

Ad hoc denique, sicut eadem semper est veritas & Ecclesia, ita Ecclesiasticæ veritatis eadem semper est interpres & defensatrix Theologia, L.3.c.21.n.1.9.12. Quàm accuratæ inprimis viris Theologis affectandæ sint loquendi formulæ, C.10. *toto*, præsertim nu. 3. Et quàm alienum ab eis sollicitare totam Philosophiam sæcularem ad inducendos novos modos loquendi in Theologiam, C.9.2.C.12.nu.7. 8. 9 C. 18. num. 1. 4. Item adhuc alienius ab instituto viri Theologi dictata pietatis infringere, etiam in fidelium vulgo, aut Philosophicis subsannare cavillis, L.6. c.15. num. 1. Ex quo Philosophia Peripatetica invasit scholas, consultò quibusdam vocibus antea usitatis abstinendum fuit, C.17.nu.1.3.4. At ex familiaritate Patrum possunt aliqua oblini, non ita ejus usibus accommoda, facilè tamen accommodanda, nu.2. & *seqq.* Cæterùm si Patres Theologiæ principes eludi posse credantur, quò Theologia nostra evadet? L. 12. c. 4. num. 11. Christianæ tandem & Theologiæ & disciplinæ compendium in cruce, C.6.n.12.15.

Theomachi, Theopaschitæ.

Theopaschitarum erroris & sectæ author Petrus Cnapheus addens Trisagio, *Qui passus es pro nobis*, &c. *Præfat.* nu.10. §. *In Orient.*& L.3.c.14.nu.13. In hoc & illi *Theomachi*, sicut & ipsi Hagiomachi, Iconomachi, & alii deinceps Novatores, v. *in locis propriis*.

Thomas Apostolus, & Aquinas, ac Tiphanius.

Primus, cur potiùs ad contactum carnis Christi post resurrectionem admissus, quàm Magdalena? L.10.c. 29.nu. 18. An licèt absens, prima plenitudine Spiritus sancti donatus, ibid.

Alter, Theologiæ scholæ dux & auspex tot deinceps auditoribus & scriptoribus in ingens etiamnum Ecclesiæ decus & munimentum, *Præfat.* nu. 2. Solitus quidem ipse, mentem humanam phantasmatum servituti mancipare, ex naturæ instituto, non ex peccati merito; visus est tamen aliquando contrasentire, L.1.c.5.nu.16. At omnino cum antiquis PP. & Hugone Vict. consentit in exponenda germana ratione personæ, L.3.c.3.n.4.5.C. 16.n.18.C.2c. n.16. C.21. n.6.7. 8.

Ultimus, eruditissimæ Societatis Jesu præstantissimus nuper Theologus in *libro de hypostasi*, pauciora è Patribus, plura è Scholasticis in hanc rem acervavit, & quidem percommodè, L.3. c.21. num. 10. Unam quidem unionis hypostaticæ partem copiosissimè persecutus est, non alteram in immeatione naturarum positam, quæ in hoc tractatu gnaviùs elucidanda fuit, ibid. A Tiphanio plures allegantur, qui naturam à persona sola ratione discriminant, nu. 11.

Totalitas, totum, ac totius partes.

Quòd nulla pars exæquet suum totum, totum mundum redimere non potest pars mundi, quod est pura creatura, L.3.c.2. num.8.9. Nullius econtra compositi pars, nec toto minor, Deus esse potest, quod sit summa & tota perfectio, adeòque perfectionis totalitas, & ipse apex totalitatis, C.6.nn.8.9. C.14. nu. 10.11.C.15.n.2. C.10.nu. 9. 11. Quod in alia composita confluant naturæ indigentiores, fit ut singulæ totius partes sint, & toto minores, C.6. nu.8.

Discrimen inter totum & partem, quod totum possit esse hypostasis, pars totius nonnisi hypostaticum quid, L.3.c.9. num.6.C. 12.n.4.C. 20.n. 11. Ad hoc autem assuefaciendus est animus, ut non totum in parte, sed partem in toto concipiat, C.10.n.6. & *seqq.* Non totum à partibus, nec partes à toto divelli se patiuntur, n. 10.

Perfectum idem ac totum est, at quod totum sibi est in creatis, superioris accessu in aliud rapitur totum ac perfectum, L.3.c.16. nu. 5.18. & *adhuc expressius* C.17. *integro*. *Item* L.4.c.10.nu.5. An totum assumi possit, non assumpto eo, quo efficitur maximè & perficitur totum, hoc est, existentia? L.3.c.18. num.7. §. *Damasc.* Ex toto & totius particula ut totum aliud fiat, inusitatissimum est, C. 19. n.1. Paulò aliter L.4.c.10. n.7.

Traditiones.

Quàm illusoriè Scripturas humanis traditionibus præferre se jactent Novatores, L.11.c.4.nu.1. Non scriptæ probantur variis exemplis, & inprimis crucis signo, L.12.c.6.n.10. C.7.n.1. Complura sectarii non habent, nisi ex eodem Traditionum fonte, C.10. n. 10.

Transfiguratio, v. Christi mysteria. Tributum, v. adoratio.

Trinitas, Trisagium, Tritheita.

Ratum semper fuit in Ecclesia, Deum unum esse & Trinum, sed quo tres communi signarentur nomine ante Sabellianam hæresim non satis convenerat, L.3.c.1.num. 1. & *seqq.* C. 14. nu. 6. Ex ignorato personarum inter se & à na-

natura discrimine, omnium ferè Hæreticorum, præsertim *Tritheitarum*, de Trinitate præsertim & Incarnatione divortia, v. *prop. tit.* Cur nulla personarum Trinitatis vel pars ternarii, vel ternario minor sit, C.6. nu.8. 9.11. C.14.n.10.C.16.nu.18. Deitas tametsi unitas & unitatis apex, quia tamen natura est, in plures se dispensat hypostases, C. 19. nu.23. Cur nunquam antiquis Philosophis in mentem venerit in una natura plures hypostases complicari posse, C.20. n.6. At sic termini numerales dicuntur de Deo, C.14.nu.6. *& seqq.* Quæ verò essentialiter de Trinitate prædicantur, simpla sunt, seu in singulari, in Christo dupla, L.5.c.2.nu.1.2.

Cur post Incarnationem remanserit Trinitas, non invecta sit quaternitas? L.3.c.14.nu.10.11.12. C.15.n.13.C.19.nu.5. Nec etiam Trinitas ad dualitatem redacta, ibid. Quot modis Trinitatem æmuletur Incarnatio? C.16.n.8.17.18. C.19.num.25. Non ipsa per se & principaliter incarnatur Deitas, ne simul & tota Trinitas, nu.18.26.27. Consubstantialitas unius ex Trinitate cum Deo simul & homine illustratur exemplo unius ex tribus aureis in ignem injecti, C.4.n.2.3. Non ea tamen Verbi consubstantialitas cum carne, quæ & quaternitatem induceret, & in Patrem ipsum, totamque Trinitatem resiliret, L.4. c.6. nu.1.2.3. Varii sensus propositionis, quòd *unus de Trinitate sit passus* v. suprà *in Christi unione hypostatica*.

Cur autem Verbum, non alia persona incarnari debuerit, probatur jam ex singularum proprietatibus, præsertim ex Patris innascibilitate, L. 2. c.1.n.2. *& seqq.* & C.2.n.10. Et hæc Patris innascibilitas 8. argumentis quæ eum ab Incarnatione, apparitionibus, de quibus *suo loco*, & similibus communicationibus removent, non ita Filium, C.1. n.3.4. In primis quod Deitas in Patre, ut in fonte, in Filio, ut in amne, quo non ita indignum ut excurrat & benefaciendo quasi sordescat, *nu. seqq.* horum verò primordialis ratio quod incommunicabiles sint deinceps hæ & aliæ personarum inter se proprietates, & externæ emanationes sint, internarum imitationes, C.2. n.10. L.3. c.12.n.2. L.6.c.3.nu.12.C.6.nu.23. *& seqq.* L.8.c.7.nu.10. *& seqq.* C.9.n.13. *& seqq.* C.13.n.2.10. Unde humanarum Christi dotum usque ad divinas, æternamque ipsam generationem, toties facta superiùs refusio v. *suis loc.* Adde & immutabiles pariter esse easdem personarum proprietates, ex loco proximè citato.

Hinc igitur nec Pater, nec Spiritus sanctus, hominis filius fieri potuit, sed solus Filius, L.2.c.2. n.11. Hinc etiam non prius Filius Dei per orbem promulgatus est quam filius hominis, nec aliter quam per filium hominis, ut intelligas quàm arctè hæc cohæreant, num.12. §. *Sed nec.* Et ut prior Christi à Patre generatio potentior & superior est, posteriorem è matre suæ dignitati, suæ virginitati coaptare debuit, non contra, C.4.num.7.8.9. Et ut Pater ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, sic aliunde Filius bis nasci debuit, ut similis per omnia esset, ibid. Etsi nec qua homo, Patre Deo carere potuerit, L.8.c.5.n.3. *& seqq.* Tuncque primùm etiam Patris nomen manifestaverit, qui ut Deus tantùm ac Dominus huc usque inclaruerat, C.1.n.8.9. Et tamen Patri, præsertim æterno, longè amplius & suavius est esse Patrem, quàm Dominum, C.17.n.13.C.20.n.8.v.4. *& seqq.* Denique quanta perturbatio dictarum proprietatum, si à Trinitate Christus homo adoptaretur, vel si non maneret naturalis Dei filius, C.4.nu.12. *& seqq.* C.6.n.5. v. *etiam in prop.tit.*

Sua pariter adseritur Spiritui sancto personalis proprietas, ut sit *sanctitas* ipsamet, & Deitatis ac *Trinitatis complementum*, L.6.c.11.nu.4. *& seqq.* & *imago* sit Filii & *unctio* naturam divinam in nobis ut in templis suis & filiis imprimens, C.10.nu.2.8.9. 13. C.11. *fere toto*. Item *Donum* Donatoribus seu spiratoribus Patri & Filio æquale, C.13. n. 8. 13. & ante sæcula donum, quia donabile, num.12. Hinc rursus probatur Christi divinitas æqualis qui Deum donet, num.9.10. 13. & insufflando donet, tanquam à se procedentem, num.11.14.15. ubi etiam Græcorum ac Latinorum circa hanc processionem consensio, n.18. Præterea, quanquam tota Trinitas *Charitatis* nomen sibi aliquando vendicet suo jure, propriè tamen seu appropriatè tribuitur Spiritui sancto, C.14.n.8. Ita specialiter & *vita animarum* est, C.15. nu.14. Et ut Pater in Filio tanquam hypostasis in hypostasi, ita uterque in nobis per Spiritum sanctum, C.17.num.15. Sic pariter Spiritus *connexio* est Patris & Filii: Dei & Justorum, C. 19. n. 1. *& seqq.* Et per hæc omnia æqualis, imo vel hinc quod *tertia* cum eis connumeretur *persona*, L.3. c.5. n.10.v.11. Simulque demum trium personarum æqualitas ex *unitate operationis*, L.5.c.1. n.7.

Ex his etiam faciliùs intelligi poterit tunc quomodo *opus redemptionis* personæ divinæ inter se diviserint, L.1.c.4.nu. 9. L.2. c.2. nu. 9. quanquam & proprium Filii dicatur ex præjactis principiis, n.1. inprimis quomodo sanctificationi Christi totam se Trinitas impendat? L.6.c.1.n.1.4. Nulla etiam *Patris opera ad extra* nisi per Filium, L.2. c.1. n.5. 8.C.2. n.8.9. Nec Filii nisi à Patre, L.5.c.10.n.7.8. C.14. n.5.C.25.n.9.L.6.c.6.n.23. *& seqq.* At tametsi Incanationem sicut & adoptionem nostram tota Trinitas operetur, Christus tamen natura; Christianus, Patris specialiter filius est, L.8.c.9. nu.13.v.10. *& seqq.* C.13.nu.9. *& seqq.* Aliunde licèt opera Christi toti Trinitati sint communia, ipsa tamen caro, & opera per carnem exerta unius sunt Verbi, L.9.c.10.n.11. *& seqq.* erant igitur opes seu opera Verbi incarnati, quæ non ante carnem, n.17.18. v. *etiam Christi satisfactio*.

Vicissim tandem Redemptor, mediator, sacerdos Christus, Deo, idest Trinitati se impendit, L.9.c.11.num.1. *& seqq.* & hoc maximè contra Arianos soli Patri sacrificium malè dedicantes ex Fulgentio, num.3. In Patre toti Trinitati sacrificium destinatur, num.4. *& seqq.* Cur Patri specialiter dicatur & factum satis & sacrificatum, nu. 8. *& seqq.* In his non inæqualitas Deitatis, sed Patris ingeniti authoritas elucet, nu. 15. *& seqq.* In eo sensu dictum à Christo, etiam ut Deo, *Pater major me est*, consentiunt plerique Patres, ibid. & L. 10.c.9. n.10. Ita ad Patrem, fidem, cultumque sui omnem retulit, L.11. c.3. n.19. Plura de Trinitate vide in Deitatis cultu, a qua habet ut una sit trium adoratio ex illo, C. 3. v. *etiam obedientia, subjectio, &c.*

Trisagium huc etiam refertur, hymnus videlicet ille divinitus traditus sub Proclo Constantinop. Cui clausulam addidit Petrus Cnapheus, ut crucem toti Trinitati impiè impingeret, L.3.c.14.nu.13. eam tamen correxit recepitque tota Ecclesia, ibid. Et hoc anterior *Seraphinorum hymnus*, quasi illius principium, in quo videlicet *ter Sanctus* indefessè ingeminatur; & tamen tam una laus est, quàm una trium sanctitas & Deitas, L.11. c.3.n.6.

Tritheitis denique initium dedisse visus est Joannes Philoponus, quod naturæ personæque discrimen nullum agnoscens, unam in Christo naturam ex unitate personæ lubens quidem concludebat; at ex Trinitate personarum tres in Deo naturas dicere vel invitus cogebatur, *Præfat.* n. 10. §. *In Orient.*

V

Valentiniani. Vates. Ubiquistæ.

Valentinus Græcarum hæreseon dux, ex Hesiodi Theogonia triginta Æonum quasi totidem Deorum colluviem in Ecclesiam invexit, & Jesum ab omnibus simul quasi defloratione quadam constructum, non ex Mariæ substantia, nisi tanquam per canalem, *Præfat.* nu. 9. Fanatici hominis ineptas fabulas quinam secuti aut persecuti sint, ibid.

In aliis fanaticis seu *Vatibus* suis conabantur Dæmones Incarnationem substantivam imitari, sed incassum, L.3.c. 22.nu.16. Referuntur ad Energumenos, v. *in prop.tit.* necnon & *Prophetæ*.

Ubiquistæ demum nuper avitæ Theologiæ desertores, ita omnem divinitatis opulentiam infuderunt humanitati susceptæ, ut tum cætera, tum etiam immensitatem & omnipotentiam affingerent, ex quo *Ubiquistarum nomen & infamia*, L.4.c.15.n.2. Media via terenda est, hos inter & alios extrinseca tantùm copula humanitatem Verbo affricantes, n.8.& c.16. n.3. *& seqq.*

Verbum, veritas, via, & vita.

Necessitudo quæ intercedit *veritatem* inter & mentem, *Verbum* inter & rationem, L.1.c.2.n.7. C.4.n.2.4.C.9.n.1. C.11.n.1. C.15.n.1. *& seqq.* C.16.nu.11.12. *ac tandem ex professo* C. 21. seu ult. Hinc *Verbum* qua *veritas & vita*, & quidem nuda pro innocentibus, lapsis per peccatum usque ad corpus contemperari debuit, *passim locis cit.* & C.17. nu.1. *& seqq.* Tutissimum quippe ad *veritatem* compendium, si ipsa, ut ait, simul sit & *via* & *vita*, seu terminus, C.16.n.8.9. Quatenùs propriè est *Verbum vitæ & vita*, ex Joan. & Ambr. C.17. n.5. C.19.n.2. Paucis Verbum qua veritas aliter sanis ingerendum ut cibus, ægrotis ut medicina, grandibus ut esca, ut lac infantibus, omnibus ut vita, *passim adhoc locis cit. præsertim* C.17.n.3.C.18.n.1. *& seqq.* Nihil autem dignius, quàm ut cogitetur velut *persona veritatis*, ex August. ibid. & *toto ferè* C. 14. Multimodæ aliæ Verbi dotes ipsi Incarnationem propriè vendicant, L.2.c 2. *& seqq.* Inprimis quod Verbi quodcumque tandem illud sit, proprium est concipi & nasci, & quidem virginaliter, Cc.3.4.& L.3 c.12.n.2.

Jam quomodo sola veritas hominem & Angelum perficere potest? *præter locos cit.* v.L.3.C.17.num.9. *& totis* Cc.22.23.

L.4.c.9.n.23.C.10. n.6.7. L.6,c.12. ferè toto. Et prolixiùs ut naturarum rationalium vita sit Deus, L.3.c.17. præsertim n.12. & seqq. L.6.c.15. integro, C.20.n.4. & seqq. Quàm immaniter verò distet vita mentis nostræ à vita veritatis ipsius seu Verbi, L.4.c.9.n.7. & seqq. Inprimis quod mens nostra sit quædam fames & sitis veritatis, veritas autem ipsa sui saturitas, n.10. & L.6.c.20,n.6. & seqq. Quomodo tandem una eademque vita triplex explicet Christianæ pietatis mysterium, Trinitatem, Incarnationem, Eucharistiam, ex ipsa veritate Christo? L.4. c.16. num. 11. L.10. c.28. n.13. At in veritate Patre vel Filio non solùm vita, sed & omnia vera, L.4.c.1.nu.14.C.2.n.7. C.4.nu. 12.C.5.n.6.. & seqq. C.8.n.25. & seqq. C.9.n.1.L.8.c.4.nu. 13.C.1.n.3.L.10.c.26,n.12. & seqq. Imò veritati non veritas tantùm, sed & falsitas suffragari debuit, L.4. c.1.n.3. & seqq. C.2.n.2. Quando autem utrimque pro veritate de verbis certatur, non potest non vincere veritas, v. mox tit. seqq. & de his omnibus v.etiam Angelus, Anima, Christi Incarnatio, magisterium & veritas, homo, visio, &c.

Verba externa, vocabula, voces.

Fides seu veritas per Spiritum sanctum invariabilis; verba seu vocabula hominum tempore & labore plurimo, calumniis & contentionibus tundenda sunt, priusquam publica consuetudine & pace firmentur, L.3.c.1. n.1.2.3. C.24. integro, & L.6.c.17. nu.1. At errores omnes profligavit non vocum novitas, sed fidei antiquitas, utrobique. Cur minutias verborum aliquando aspernati Ss. Patres? L.3.c.7.n.3.7. C.24. ferè integro, L.4.c.14.nu.5.8. Scire tamen interest quam impetant hæresim pro vocum intelligentia, L.3.c.8.nu.3. L.5.c.20. n.12. Imò qua cura ferè omnia nostra verba de Christo expurgari debeant? L. 3. c.10. n.2. & seqq. Pro temporum quidem usu ac necessitate voces antiquantur, novantur vel renovantur, fide incolumi, C.24. præsertim n.23.24. L.6.17.n.1.3. Idcirco quoad voces serviendum temporibus in quæ incidimus, utrobique, & L. 5. c.20. nu. 12. Verùm nunquam esset de vocibus litigandum, tribus locis cit. Etsi quandoque id inter Catholicos & pios utrimque acciderit, præsertim L.3.c.24. nu.14.15.26. Plurima tunc dispensatione & clementia utendum, nu.27. & L.4.c.13.nu.18.20. Et assuefaciendus est animus in vocum dissonantia concentum quendam dogmatis internoscere & tenere, præsertim cùm ex illa plerumque iste oriatur, L.6. c.17.3. V. etiam Patrum concordia, & Theologia.

Vermes, Vipera, Vultures.

Cur Christus in Scriptura & Patribus vermi comparatus, & cui? L.1. c.3. n.10. §. Nec. Præsertim certè ob virgineum vermis partum, ibid.

De virgineo pariter vulturum partu fides penes authores, ibid. paulò superiùs.

Viperam verò, de cujus partu alia alii, Pauli catenam reveritam fuisse existimat Chrysost. L.12. c.1.nu.11.

Vigilantius, & Vviclefus, v. Novatores.

Virginitas, Unitas, Universalitas.

Primaria ratio virginei utriusque partus, æterni, ac temporalis in Christo ab unitate ipsa Dei, L.2.c.4. nu.10. Pernes nos etiam virginitas unitate constat, ibid. Sic pariter primaria ratio prædestinationis utriusque Adami ante nos, quod unitati multitudo, uni universalitas serviat, non vicissim, C.6. n.11. Ita unitas multipliciter principatur in unius summæ unitatis imperio, ibid. & num.12. Item longè adhuc sublimiùs in Trinitatis ac Incarnationis mysterio, L.3.c.19.n. 23.25. Denique rursus in Christo & in nobis, L.6. c.2. n.11.

Virginitatem speciatim generi humano solus Deus suadere potuit, L.1.c.14. n.1.2. Et ob insignes illius prærogativas maximè de Virgine nasci debuit, L.2. c.5. n.8. Præseminata tamen etiam sive in Gentilium fabulis, sive in rerum natura, virginei partus exempla aut conamina, nu. 10. Imò multoplura quàm per copulas, §. Elegans & nu. seqq. Rursus quòd Deitas ipsa sit incorruptio, virginitas verò immortalitatis ac resurrectionis pignus, C.4.n.2. & seqq. Quin integritas seu virginitas non corporea utique laus, sed intelligibilis virtus, n.5. seu 6. v.2. V. etiam tit. seqq. & in Ecclesia, Maria, &c.

Præter jam dicta de universalitate, adde merum esse commentum animi omnem universalium seu generum seu specierum fabricam, L.3.c.20.n.1. & seqq. præsertim 12. §. His, & L.5. c.18. num. 9. Non ergo talis natura universalis à Christo suscepta est, sed vera, ibid. Quomodo se impenderit hominum universitati? v. in prop. tit. in Ecclesia, homine, natura, persona, &c.

Unio multiplex, v. in Christi unione hypostatica.

Virtus, vitium, visio, vita beata, voluntas, voluptas, vultus.

Vultus elegantia cum virtutum omnium agmine rarissima concordia, L.4.c.7. nu.3.6. At non alia pulchritudo Christi, quàm in virtutum omnium temperamento, ibid. & L. 1. c. 11. nu.10.11.13. Imò Christus ipse natura, substantia & persona virtutum est, C.7.n.11.13.C.8.nu.11.C.9.n.4. & expressiùs adhuc L. 6. c. 4. & seqq. Hinc dicuntur virtutes ipsæ diligere Christum, illique, sicut accidentia, suæ substantiæ adhærescere, L.2.c.8. n.11. C.11. ferè toto. Huc refer neminem sine Christo nasci, hoc est sine virtutum seminibus, C.9.n.4. Illa tamen semina in perfectæ virtutis opus non crescere sine speciali ejusdem Christi gratia, ibid. At virtutes spiritales ab ipso vultu Christi corporeo, ac tota carne spirari, C.11. toto. Item L.2.c.4.n.4. L.6.c.18.n.4. Quomodo tandem tota Christi vita sit morum disciplina, virtutum exemplar, & censura vitiorum? v. Christi mysteria, magisterium, sanctitas, &c.

Jam virtutes in se & in anima, non qualitates tantùm accidentariæ & creatæ sunt, sed naturæ divinæ eruptiones, & increata ornamenta, L.16.c.16.n.1. & seqq. Eas virtutes intellige, quæ puræ sunt ab omni nævo, non fidem, spem, patientiam, &c. n.4. & antea C.14. n.15. 23. Imprimuntur autem à Deo virtutes animæ ut ceræ forma quæpiam à sigillo, C.16.n.7. & seqq. Earum verò admittitur distributio Platonica in civiles, purgatorias, & exemplares, quarum apex Deus, nu.8. 9. Et nihilominus virtutum palmaris charitas, & charitatis apex martyrium, L.4.c.5.nu.4.13. Quia virtutes pleræque de carne dependunt & litant Deo, ibid. Inprimis ipsa virginitas sacerdotium quoddam & sacrificium proprii corporis, atque perpetua vivacis victimæ immolatio, L.10.c.2.n.4.

Econtra toties apud Augustinum Epicureus voluptati, Stoicus sibi ipsi seu suæ virtuti adhærescere bonum putat, Christianus autem proclamat, Mihi adhærere Deo bonum est, L.6.c.16. nu.5. 11. Quod jam initium est vitæ beatæ, imò tota Christi vita in voluptatibus contemnendis, L. 1. c.13. n.2. C.14. nu.1. & seqq. Et hoc ipsum illicitis privari voluptatibus, summæ voluptati fuit, C.15.n.6.7. De summo illo bono seu vita beata adhuc magis discordes Philosophorum opiniones, v. suprà suis locis. Vita autem nostra in Deo, Deique vicissim in nobis non otiosa, sed actuosa, & voluptuosa est, ex Bern. L.6. c.20. nu.9. Hoc autem eò convenientiùs videtur congruere voluntati, quòd ea sit quid summum & imperatorium in homine, eaque maximè constet imago Dei, L.5.c.2.nu.5. & seqq. Imò sola voluntas vivat & quidem vitam regiam nec ipsi passioni obnoxiam, nu. 7. Et tamen nihil aliud sunt passiones quàm voluntates & amores, C.4.n.4. & antea L.4. c.11. nu.21. &c.

Sed amoris tandem primum votum est videre quod amat: unde illa videndi Dei sitis in Moyse & Prophetis, L.1.c.2. num. 5. An iis visio Dei major concessa sit quàm Adamo? L.2.c.8.nu.14. L.7.c.8. nu.16. Visio in Paradiso nihil aliud quàm intelligentia inter fidem & visionem media & umbra vitæ, L.1.c.5.n.10.15.C.6.n.5. L.2.c.8. n.5. A fortiori nunc Deum magis subodoramur, quàm videmus, L.1.c.5. n.9.10. C.10. n.2. Et quidem nonnisi raptim & per lucida beata quidem, sed brevia momenta, ibid. & C. 18. nu.6. 7. L.3. c.17. num.9. & seqq. Vita autem beatissima in visione Dei cumulatissima, ad quam per gradus fuit eundum, L.1.c.6.n.9.10. C.10. n.2. V. etiam Beatitudo, Chiliasta, &c.

FINIS.

2° T. 64
Thomasium

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Thomassin, Louis, 1619-1695

Dogmatum theologicorum tomi tres

Bd.: 1

Venetiis 1730

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- 2 Th S 216 -1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11205390-6